BLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XX
G
13
NAPOLI

XX
G

Digitized by Google

Digitized by Google

THESAURUS JURIS ROMANI.

CONTINENS

RARIORA

MELIORUM INTERPRETUM

OPUSCULA,

In quibus Jus Romanum emendatur, explicatur, illuſtratur;

Itemque Claſſicis aliisque Auctoribus haud raro lumen accenditur.

CUM PRAEFATIONE

EVERARDI OTTONIS.

JCti & Anteceſſoris.

TOMUS III.

EDITIO SECUNDA,

Auctior & emendatior.

TRAJECTI AD RHENUM,

Apud JOANNEM BROEDELET, Bibliopolam.

MDCCXXXIII.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

EVERARDUS OTTO.

Qui libris alienis praeſationes adſcribunt, ſolent illi vel Auctorum induſtriam & ingenium commendare, vel de ipſius argumenti praeſtantia & neceſſitate diſſerere, vel denique modum & epitomen operis, cum judiciis eruditorum praemittere; quo ita, honeſto velut veſtibulo, alios lubentius ad lectionem propoſitae materiae perducant. Mibi autem nihil horum, in enarrandis *Quatuor fontibus juris civilis*, qui primum hic locum obtinent, faciendum eſſe videtur: quis enim, ſi non a litteris omnino alienus, venerandum ignorat *Jacobi Gothofredi* nomen? cujus ſingularem ingenii praeſtantiam, judicium ſubtile, & imbutum omnibus diſciplinis pectus, non modo noſtri ordinis eruditi, ſed & univerſa litteratorum Reſpublica ſuſpicit & admiratur. Is eſt, qui Codicem Theodoſianum, tam avide & tam diu, poſt Sichardi, Tilii & Cujacii editiones, expetitum, libris quinque prioribus & initio libri ſexti, integriorem fecit, ac perpetuis commentariis, omnique acceſſione eruditionis, tam ſplendide illuſtravit, ut opere illo, poſt Jurisprudentiam excitatam, nullum auguſtius, & laude immortali dignius ſuſcipi potuerit. Ait Marvillius, in praeſatione altera, triginta annorum illud opus eſſe; nec lentum nimis, ſi felicem ſucceſſum aliosque labores, quibus ille diſtrahebatur, ſpectes: nec quicquam cauſſae eſt, cur cum Moriſoto, in elogio Gothofredi, Epiſtolis adjecto, tantum per viginti annos eum hiſce lucubrationibus diffuſiſſimis, inſudaſſe contendamus. Meminerunt nova litteraria Codicis manuſcripti Theodoſiani, non ita pridem ſub ipſo tecto templi Herbipolenſis inventi, quem Cl. Schannatus, *in Vindem. litt. collect. 1. pag.* 228. non dubitat aequiparare Pandectis Florentinis, quae olim non niſi viris primariis & ad funalia oſtendebantur: an ex eo, quae Jacobo noſtro defuerunt, conſtitutiones ſuppleri poſſint, viderint, quibus ejus inſpiciundi & tractandi eſt facultas. Nulli ſane ille operae pepercit, ut ex conquiſitis undique libris erueret, quae Codici deerant, per gradus quosdam reſtituto, atque in eo elaborando & adornando, quid induſtria humana efficere poſſit, fuit expertus. Jam quantus ille fuerit in Hiſtoria Eccleſiaſtica & Civili, id, praeter notas ad Tertullianum, Libanium & Philoſtorgium, variae ejus Diſſertationes Eccleſiaſticae & Exercitationes ſacrae, ut *de Eccleſia*, & *de Incarnatione Chriſti*, ad illuſtrandum Divum Paulum 1. *ad Timoth. c.* III. *vſ.* 15. 16. nec non Diatribe *de Chorepiſcopis*, cujus ipſe meminit ad *l.* 2. *C. Th. Si cert. pet.* produnt luculenter; magisque ex *Eccleſiaſticis* conſtaret, quae tunc, cum notas ad Tertullianum *ad nat. lib. II. c.* 18. ſcribebat, meditabatur, ſed quae lucem non viderunt. Pulcherrimae quoque ſunt Diſſertationes, *de Dioeceſeos Romanae extenſione*, a Colomeſio, in vita Sirmondi illi tributae, quasque ipſe ſub titulis *Conjecturae*, *Vindiciarum* & *Apolytici* ſibi vindicavit ad *l.* 13. *C. Th. de Appellat.* Ventilatur in iis quaeſtio de ſuburbicariis regionibus, ab illuſtribus & excellentiſſimis omni doctrinae genere viris, Salmaſio, Sirmondo, Aleandro & Lechaſſerio, ſub initium ſaeculi ſeptimi decimi, magnis animi motibus agitata; quorum alii Pontificis Romani dioeceſin intra centeſimum ab Urbe lapidem coërcebant, alii non patiebantur. Ad juris Civilis ſcientiam quod attinet, vincat ipſum Cujacius, in apicibus acutis & purgandis naevis; unus ille Juriſconſultorum Phoenix, qui priſcis par fuit, aut major, & cui vix plures exaequari poſſunt: at nullus omnium, quotquot fuerunt Interpretum, ortus & progreſſus juris, e tenebricoſo antiquitatis carcere in lucem produxit magis; vel ex Hiſtoricis, tam Graecis, quam Latinis; ex Patribus, Conciliis & Synodalibus actis explicavit eruditius: nullus utilitatem, ex legum inſcriptionibus hauriendam, compactis & coaſſatis, quae ex eodem libro ſuperſunt, fragmentis, magis eſt aſſecutus; neque alium novi, qui tot ſpeciminibus Juris Studioſos docuerit, quibus anſis Jurisprudentiam contrectare, aut qua arte & apparatu veterum Prudentum fragmenta, Pandectis inſerta, aggredi, aut quibus rationibus Principum Conſtitutiones a falſi ſuſpicione vindicare oporteret. Quod ſi vita ejus edita eſſet, quam a viro quodam clariſſimo inchoatam ſuo tempore fuiſſe, Antonius Marvillius, Anteceſſor Primicerius Academiae Valentinae, in Praefatione ad Cod. Theodoſianum, ex emta illius inſtructiſſima bibliotheca editum, refert, accuratam omnium ſcriptorum ſeriem, vitae ſanctimoniam, &, quae rariſſi-

mam eum perſecta eruditione mixturam facit, morum venuſtatem, omnemque ejus fortunam noſceremus ad obitum usque, qui in A. MDCLII. incidiſſe videtur. Hoc inter omnes conſtat, hereditariam ei velut juris ſcientiam fuiſſe: Avum enim habuit Leonem Gothoſredum, Galliarum Regis, in praeſectura & ſede praeſidiali Pariſienſi, Conſiliarium: Patrem Dionyſium, multi laboris virum, cujus notae perpetuae in univerſum Juris Corpus, ex melioris notae interpretum penu depromtae, omnium manibus, nec ſine fructu, teruntur. Is quum ordini Advocatorum Pariſiis adſcriptus, ſibi ſuaeque religionis libertati a bellis civilibus metueret, abjecta ſpe proxima honorum, una cum nobili conjuge Dionyſia Santionia, ad illam bonorum ingeniorum fautricem ac purgatae Eccleſiae hoſpitium, Genevam ſeſe contulit, ibique mox cathedra juridica exornatus, duos filios Theodorum & Jacobum, in decus orbis litterati, ſuſcepit. Natu major lares avitos Lutetiae Pariſiorum repetiit; quoniam ibi agnatos & numero plures, & ortu nobiles, & dignitatibus ſplendidos habebat. Horum ope Regi primum a Bibliotheca, deinde a Conſiliis & Hiſtoria ſcribenda factus, excellente, quo pollebat, ingenio, ſatis pro Regis ſui praecedentia & juribus pugnavit, ſuique animi & conſilii ſpecimen, in magnae moliſ pace Monaſterienſi concilianda dedit, munere Secretarii legationis perfunctus.

Verum Jacobus noſter, Jurisprudentiae altius extollendae natus, ex quo A. MDCXIX. in patria Academia Anteceſſor creatus, tanta alacritate ſpartam illam exornavit, ut brevi eruditionis famam per omnes orbis terrarum angulos propagaret. Magnum fuerat hactenus Dionyſii nomen, ſed majus erat permanſurum, niſi Jacobum genuiſſet. Baudius non nimis magnificum patri dedit elogium, quo omnes illius dotes abunde complexus eſſe videbatur: *Sarcinatorem eſſe probum, ſuere centones optime*, *Cent.* II. *ep.* 9. At filius non modo multarum obſervationum publici ſaporis & emendationum primus fuit auctor, ſed etiam, propter habitum prudentiae civilis, e ſuggeſtu in Senatum Genevenſem allectus, crebras legationes in Galliam, Germaniam & Pedemontanam regionem obiit, faſceſque & inſignia conſularia, velut portum honoris, quater accepit. Hinc non ab re honores Senatus praepoſuit Academicis, quum A. MDCXXXIX. ab illuſtris Academiae Leidenſis Curatoribus, in Cunaei locum, ad illam tot divinorum ingeniorum palaeſtram invitaretur; ſed animum beneficii non immemorem Illuſtriſſimis Ordinibus, in dedicatione Philoſtorgii, teſtatus eſt abunde. Quum in patrio Scholarchae munere, aliave in re, Moro magis, quam Stephano Clerico, Profeſſori Linguae Graecae, faviſſet, hic in notas ejus ad Philoſtorgium, calamum ſtrinxit, ut ignorantiam linguae Graecae ei exprobraret; qua de re vir Cl. Joh. Clericus, Stephani filius, *Bibl. anc. & hod. tom.* XXVIII. adeundus eſt. Joh. Fred. Gronovius, in Muſeo Alexandrino *tom.* VIII. *Theſ. Antiq. Graec. pag.* 2755. eum quoque ſcribit, auſum fuiſſe rem ingentem, quod verba Graeca Veteris deſcriptionis orbis ſe aſſecuturum ſperarit, qui, in voce corrupta *Muſium* explicanda, toto coelo aberraſſet. Id tamen non impedivit, quo minus inter Proceres eruditorum vivus videnſque a viris ſummis referretur; & Hugo Grotius *parte* II. *epiſt.* 140. ſe *illius virtutum atque eruditionis, cum reverentia, inter multos, aeſtimatorem* profiteretur. Non etiam me fugit, quam vexata ſit, in Scholis Theologorum, emendatio ejus celeberrimi loci Paulini, I. *Corinth.* XI. *vſ.* 10. ubi pro ἐξουσίᾳ, ἐξουβίαν, & pro διὰ τοὺς ἀγγέλους, διὰ ἀγελαίους, vel διὰ τὰς ἀγέλας, legit: quum tamen Apoſtolus velamen ſubjectionis & maritalis poteſtatis ſymbolum eſſe, apud gentes Orientales, indicare voluerit; uti Salmaſius, Dougthaeus, Gundlingius & d'Outreinius docuerunt. Validis item argumentis ejus, de Pontificatu maximo Imperatorum Chriſtianorum, ſententiam refutavit Boſius; atque omni opera, quam *l.* 2. *D. de Rebus creditis* impendit, Sarravii judicio *epiſt.* 125. potuiſſet ſuperſedere: nam & Ill. Bynkershoek. *lib.* I. *Obſ. c.* 10. tuetur lectionem Florentinam, ipſumque in ea parte Critices, quae in emendandis auctoribus, cum noſtris, tum aliis, abſolvitur, infeliciſſime verſatum eſſe, pronuntiat. Idem in aliis ejus aliquot Opuſculis, nuper in Germania collectis, obſervavit Cl. Conradi, in praefatione ſcita, nec incondita farragine rerum ad rhombum non pertinentium inepta. Quemadmodum vero optima vina ſuas quoque faeces habent, ita aequo cuivis judici ad excuſationem ſat erit, quod ille, ſive ingenii felicitate, ſive memoria praecepti Pliniani: *Nocere ſaepe nimiam diligentiam*, ſimulac ex abdito aliquid eruiſſet, illico idipſum, ſine comperendinatione, aut lima, in publicum depromere, in ſumma voluptatis ſuae parte ponere ſolitus ſit; longe diſſimilis lentis illis, qui ad ſcientiae ſuae auctoritatem pertinere putant, ſi repertis quam diutiſſime ſoli incubent. Atque utinam publica negotia iſtam animi celeritatem, in edendis *Benedictis Theophili*, quorum ipſe meminit ad *l.* 2. *Cod. Th. de Domeſt.* quaeque titulus editionis Genevenſis Theophili jam A. 1620. pollicebatur, remorata non fuiſſent, in quibus ſe arbitri inſtar honorarii Emundum Merillium inter & Carolum Annibalem Fabrotum adegiſſe videtur, qui de erroribus Theophili diſceptabant. Inter juvenilia, quibus

famam

ſamam ingreſſus eſt, eminent haec *Legis* XII. *Tabularum fragmenta*, ordini ſuo reſtituta, quae needum annos triginta natus, edidit Heidelbergae A. 1616. Senex vero eadem, repetita cura, notis quamplurimis auxit, & A. MDCLII. moriturus, Eſaiae Caladoni, Jcto & Senatori ampliſſimo, mandavit, uti eorum editionem, una cum tribus, quae nunc cohaerent, opuſculis exornaret. Quod ſi munus juris Flaviani adeo gratum olim populo ſuit, ut, qui id prodiderat, & Tribunus plebis ficret, & Senator, & Aedilis: dignus eſt Gothofredus, qui non privatas legum actiones, ſed ipſum juris publici & privati fontem, e parietinis opacae vetuſtatis reſtituit, qui ſedeat in ſella curuli, cujusque memoriam grato animo recolamus. Rectum de illis tulit judicium illuſtris Thomaſius, in *fine Diſſert. de Naevis Jurisprudentiae: Jac. Gothofredi fragmenta* XII. *Tabb. quoties manibus verſo, toties paene iraſcor inertiae noſtrae aetatis, quae tot nobis tulit ſcriptores Syntagmatum, Compendiorum, Paratitlorum, Deciſionum, Conſiliorum, Reſponſorum & infinitarum aliarum rerum, quas vulgus attonita mente ſuſpicit, unum aut duos Gothofredos, qui Jurisprudentiam Romanam, quantum adhuc fieri poſſet, ex antiquitate hiſtorica eruere pergerent, dare non fuit apta.* Simillima operis hujus veneratio, & raritas exemplarium, & inſignis utilitas, quam Juris ſtudioſi ex eo haurire poſſunt, effecere, ut huic Theſauro inſerendus videretur.

Sed quia in omni re perfectum eſt, quod ex cunctis ſuis partibus conſtat, Gothofredus autem de Legum XII. Tabularum fontibus & praeſtantia, a quibusdam in dubium vocata, nihil aut parum habet, multa etiam ceteri hujus legis interpretes reſtituerunt, explicarunt & ſuppleverunt: aliaque non poenitenda Cujacius *lib. III. Obſervationum cap.* 39. V. 21. VII. 15. 16. 18. IX. 21. XI. 19. XII. 18. XVIII. 11. & XXIII. 4. nec pauciora Turnebus (*Tournebeuf*) *lib. II. Adverſ. cap.* 13. X. 15. XIII. 13. 26. 27. XV. 15. XVII. 7. 8. XXIV. 43. XXIX. 14. 15. & XXX. 31. alia Scaliger ad Varronem & Feſtum, Fulvius Urſinus, Salmaſius, Giphanius; item viri praeclari, ſive in hoc Theſauro collecti, ſive recentiores ad hunc juris Romani ſundum annotarunt, quae Gothofredus praeteriit; igitur operae pretium eſſe duxi, poſt magnam meſſem, ſpicilegium aliquod inſtituere, & ubi ejus ſacultas eſt, cum Cenſoribus imperitis vitioque creatis parumper diſceptare, qui lapſus, naevos & errores harum Tabularum diligenter inveſtigarunt, ad ſapientiam vero & dignitatem illarum, quae praeponderat, caecutiunt; prorſus ac lippi ſolem ne intueantur, oculis quodammodo manus objiciunt, vel ut muſcae vulneribus jumentorum libenter inſident, ſanas autem partes non attingunt. Duodecim itaque capita ſequentia aequi bonique ut conſulas, obteſtor. Cap. I. quaedam, ad hiſtoriam legis pertinentia, dabo. II. Inquiram, an Romani prudenter leges peregrinas adoptarint. III. Quaenam ſint illae Graeciae civitates, a quibus leges petitae. IV. An leges Regiae & mores populi Romani in eas ſint relata. V. Num origo earum ultima ex jure Moſaico ſit repetenda. VI. Quo pacto leges genuinae a ſpuriis ſint ſeparandae. VII. Num fieri poſſit, & an conducat, ut priſca legis verba reſtituantur. VIII. Praecipua XII. Tabb. capita illuſtrata. IX. Aequitas & prudentia Decemvirorum legislatoria examinatur. X. Utilitas ſtudii legis XII. Tabularum oſtenditur. XI. Ejus interpretes antiqui & recentiores. XII. Quid prae ceteris praeſtiterit Jac. Gothofredus, & quid in eo deſideremus

Caput I. *Obſervationes quaedam, ad hiſtoriam* XII. *Tabularum pertinentes.*

Vaniſſimi operis foret, ſi de legum Decemviralium origine, cauſa & effectu verboſos hic commentarios facere, aut vulgaria illa de tribus, non vero decem, Legatis in Graeciam miſſis; de poteſtate Decemvirorum; quo illi ſtudio leges compoſuerint, & more Graecorum populo examinandas propoſuerint; quantoque conſenſu Senatus Populique eae receptae, & Pontificum ſuffragiis probatae ſint, ad nauſeam conſectari vellem, quae ex veterum ſcriptorum locis, libro ſecundo hic allatis, ſine labore hauriri poſſunt. Plura vero de Appio Claudio dicenda occurrebant, cui maximum conſilium, in XII. Tabb. ſcribendis, Pomponius, regimen totius magiſtratus Decemviralis Livius tribuit, & poterat comparari cum alio Appio Claudio Cenſore, de quo Coelius ad Ciceron. *lib. VIII. epiſt.* 14. ut intelligeremus ludibrio eſſe leges, ſi quod in aliis reprehendit magiſtratus, ipſe committat. Sed nota eſt hiſtoria, & tam graphice a Livio enarrata, vix ut ſine lacrimis legi poſſit. In eo autem Decemvir ille, quantumvis aſtutam vulpem vapido ſub pectore geſtaverit, laudandus videtur, quod Hermodorum, virum prudentem & bonum, laboris ſocium, ſive, ut Plinius *lib. XXXIV. cap.* 5. vocat, *interpretem* Legum Graecarum adſcivit; pariter ac Solon in legibus condendis olim conſilio Epimenidis uſus fuerat, & Mazacenos, leges Charondae adoptantes, νομῳδὸν, ſive legum decantatorem adhibuiſſe, ſcribit Strabo *lib. XII. pag.* 539. Recte Maranus, in Commentario ſecundo, *de Aequitate & juſtitia*, *pag.* 71. divinae providentiae conſilium & ſtupendum miraculum vocat, quod hic *Epheſiorum princeps*, ut Cicero vocat, civibus ſuis exoſus, & in exilium pulſus, Reipublicae Roma-

nae legibus fundandae auctor eſſe debuerit, quaſi hanc in rem natus & mirabiliter ſervatus: male vero *pag.* 29. eundem eſſe putavit, qui ab Alexandro III. Pontifice *Epheſiuns legiſlator*, & praeſcriptionis triennalis auctor vocatur, in *cap. Vigilanti* 5. *X. de Praeſcript.* Menagio, non multum, ut videtur, diſſentiente, ad Diugenem Laërtium *lib. IX. ſegm.* 2. Et ſane diu multumque quaeſitum illum legiſlatorem Epheſinum cum neque Bernardus Circa, nec Antunius Auguſtinus repeririſſent, Marani praeceptor Cujacius, *lib. XVIII. Obſ. cap.* 26. cum numeravit inter caſſa palearum: alibi ad *rubr. C. de praeſcr.* 30. *ann.* itemque ad *d. c.* 5. mutavit in *Emphegium*: Savaro ad Sidon. *lib. VI. ep.* 8. legi maluit *Eugenium*: Janus a Coſta *ad Decret. pag.* 430. reſtituendum cenſuit: *Theodoſium*, vel *Theodoſiannm Legiſlatorem*, ab Innocentio Cironio bacpropter notatus *lib. I. Obſ. jur. Can. cap.* 15. Verum Alexander non inepte Theodoſium juniorem Epheſinum legiſlatorem vocavit, propter celebritatem Concilii Epheſini, quod illius auſpiciis convocatum fuiſſe, conſtat: idque Mornacio placuit ad *l.* 20. *C. de Pactis*, & Jacobo Gothofredo *ad l. un. C. Th. de action. certo temp. fin.* quibuscum jungi poteſt Samuel Petitus *ad LL. Att. pag.* 115.

Non minor de tabulis, quibus Decemviri leges inſcripſerunt, eſt concertatio inter eruditos: quia Dionyſius eas roboreas; Pomponius eboreas; Diodorus, Livius & Cyprianus aeneas fuiſſe tradidere. Cujacius ad titulum *de Orig. jur.* leges priores in roboreis, deinde in aeneis, noviſſime in eboreis propoſitas eſſe exiſtimavit. Alii malunt invertere, ut primum ligneae tabulae, deinde eboreae, poſtremum aeneae fuerint. Turnebus *lib. XXX. Adverſar. cap.* 35. apud Pomponium in *l.* 2. *§.* 4. *d. O. J.* pro *eboreas* legit *aereas*: ebur enim, ut ornamento ſatis eſſet, tamen diuturnitati non ſufficere, cum carie exedatur, neque aetatem ferre poſſit. Eandem conjecturam ſuam fecit Muretus ad *Pompon.* culpa in librarios rejecta; nec aliter Merula *de LL. c.* 1. ac Rupertus ad Pompon. *d. §.* ad Florum *lib. I. cap.* 24. & *epiſt.* 27. *ad Reineſ. pag.* 672. Contra Scaliger, in animadverſ. *ad Guilandini papyrum*, & Brodaeus *lib. IV. Miſcell. cap.* 12. pro *eboreas* reſtituunt *roboreas*, id eſt, ligneas; quibus etiam Gothofredus noſter *pag.* 66. adſtipulatur, nec magnopere intercedit Vir Ampliſſimus, Cornelius van Bynkershoek in *Praeterm. ad Pompon. pag.* 24. niſi quod patitur quoque *eboreas* vocari, quae repetitae praelectionis fuerint. Non quidem obſtat Pomponio, quod Scaliger urget, ebur ineptam materiam ſcribendo eſſe, propter laevitatem; nec enim veteres calamis pennaceis, ut nos, ſed ex harundine aliterque aptatis, alio etiam atramenti genere uſi fuerunt, uti Salmaſius *ad Vopiſci Tacitum c.* 8. Sirmondus *ad Sidon. epiſt.* 8. & Voſſius *lib. I. de arte Grammat. c.* 38. monuerunt. Nil etiam cauſae fuit, cur *eboreos codices* apud Ulpian. in *l.* 52. *D. de Leg.* 3. mutaret in *roboreos*: nam Theophilus ad *§.* 12. *Inſt. de Teſtam.* teſtamenta non modo in tabulis, chartis & pellibus, ſed etiam ἐν ἐλεφαντίνοις πτυχίοις, in eburneis pugillaribus, ſcripta ait, & Vopiſcus *d. c.* 8. *elephantinos libros* appellavit. Attamen pro roboreis tabulis ipſa vox *Tabularum* aliquid opis adferre videtur, quae ligneas plerumque notat, *l.* 1. *pr. D. de Bon. poſſ. ſec. tab.* unde & bonorum poſſeſſio contra tabulas, *contra lignum* vulgo dicebatur, auctore Tryphonino in *l.* 19. *D. de Bonor. poſſ. contra Tabb.* & lignum pro tabulis Plauto, Ovidio, Propertio & Juvenali: *Leges incidere ligno*, cecinit Horat. *de arte vſ.* 399. ipſaeque leges XII. Tabb. Ῥωμαϊκοὶ ἄξονες, apud Syneſium *in Dione*, dictae. Forſan etiam juvare poſſet, dirimendis ſententiis adeo contrariis, quod Ammianus *rhetras & axones Lycurgi*, lib. XVI. c. 5. & Plutarchus ἄξονας ξυλίνους, *tabuleas ligneas* Solonis appellavit, cujus exemplum Decemviri in propoſitione ſuarum legum imitati ſunt. A. Gellius *lib. II. cap.* 12. *In legibus Solonis illis antiquiſſimis, quae Athenis axibus ligneis inciſae ſunt.* Pollux vero *lib. VIII. Onomaſt. cap.* 10. *n.* 128. Ἄξονες δὲ τετράγωνα χαλκοῖ ἦσαν, ἔχοντες τοὺς νόμους, *Axones, quadrata erant aenea, leges continentia.* Similem quippe in modum, priores decem Tabulae, de quibus loquitur Pomponius, in tabulis roboreis perſcriptae eſſe videntur: nam & Dionyſius *lib. III. cap.* 50. Anci Marcii leges ritusque ſacrorum Numae, more patrio, in tabulas δρυΐνας, *quernas*, nondum repertis columnis aereis, inciſas fuiſſe, memorat, & apud Sext. Pompejum, verbo *Reus*, Numae Regis ſecunda lex ex ſecunda tabula refertur. Sed poſtquam illae populi conſenſu receptae, & Senatus plebisque ſcito comprobatae eſſent, una cum duabus poſterioribus tabulis, στήλαις χαλκαῖς ἐγχάραξαι, aeneis columnis, litteris conſpicuis inſculptae, & in loco fori maxime conſpicuo propoſitae fuerunt; ut idem Dionyſius *lib. X. cap.* 66. Rem omnem conficit Livius *lib. III. cap.* 57. ubi, everſo demum decemviratu, priusquam Horatius & Valerius Conſules urbem egrederentur, *leges decemvirales, quibus tabulis duodecim eſt nomen, in aes inciſas*, & Aediles, juſſu Tribunorum, eo miniſterio functos eſſe, ſcribit. Ergo Decemviri ligneis, Tribuni aeneis tabulis leges inſcripſerunt, *ad perpetuitatem*, ait Plinius *lib. XXXIV. Hiſt. nat. cap.* 9. & ex more vetuſto, in Rhadamanti & Minois legibus jam olim obſervato, ut Plato *in Minoë* teſtatur. Adde *l.* 8. *pr. D. ad l. Jul. pecul.* Auguſtin.

de

de LL. c. 16. Forner. *lib. I. Select. c.* 24. & Jacob. Conſtantinae. *lib. II. Subtil. enod. cap.* 24.

Alia porro moveri poſſet quaeſtio, an LL. Decemvirales verſibus ſcriptae, vel oratione verſa poſtea prodi. rint? Sunt, qui prius exſculpant, ex verbis Ciceronis *lib. II. de LL. cap.* 23. *Diſcebamus pueri* XII. *ut carmen neceſſarium: quas jam nemo diſcit.* Poſterius autem ex ejusdem Tullii *lib. I. de Orat. cap.* 57. *Ut totum illud*, UTI LINGUA NUNCUPASSET, *non in* XII. *Tabulis, ſed in magiſtri carmine ſcriptum videretur.* Hoc amplius Budaeus in *l.* 2. §. 46. *de O. J.* vocem *uſus* mutat in *verſus*, & intelligit de XII. tabulis: Franciſcus Broëus ad §. 10. *Inſt. de jure nat.* urget, quod ſingula capita legum XII. Tabb. fere ſimiliter deſinant, & rogationis ac legis *carmen* ſaepe apud veteres reperiatur. Addo, quod Charondae leges verſibus ſcriptas fuiſſe, cenſuit Cl. Bentlejus, *in Apologia diſſertationis, de Epiſt. Phalaridis, Anglice edita, pag.* 373. & Athenienſes easdem inter pocula decantare ſolitos fuiſſe, Hermippus apud Athenaeum *lib. XIV. pag.* 619. auctor eſt. Sic Lacedaemoniorum leges Thales, Terpander & Tyrtaeus verſibus complexi ſunt, ut ad modulos muſicos decantarentur, teſte Clemente Alexandrino *lib. I. Strom.* Sed hoc quidem in republica, quae leges tabulis non habebat deſcriptas, utiliſſimum erat: quae enim cantantur, affectus cient, & memoriae firmius inhaerent, quapropter & moribus Agathyrſorum, qui litteras neſciebant, aetate ſua id obſervatum fuiſſe, Ariſtoteles *in Problem. ſect.* XIX. *quaeſt.* 28. ſcribit. Aſt nihil horum Romae opus erat: vix quoque tantum otii Decemviris fuiſſe videtur, ut legum verbis numeros adderent, & quotquot legum XII. Tabularum ad nos pervenerunt fragmenta, proſa, non verſu ſcripta ſunt; unde non immerito Antonius Auguſtinus *de LL. pag.* 1282. *tom.* II. *Theſ. Graevii* & Ampliſſ. Bynkershoek. *in Praeterm. pag.* 91. ita ſentientes deſerunt & refellunt: nam Cicero tantum leges illas neceſſario carmini comparat, quia conceptis verbis & ſummo verborum compendio erant deſcriptae, ut diſci & recitari poſſent: quemadmodum idem alibi carmen Saliare, ait, a pueris praetextatis, tanquam legitimas formulas & carminis legem, religioſe ediſci ſolitum; Salluſtius *de Rep. ord.* Appii Caeci ſententias *carmina*; Livius *horrendi carminis legem*; Seneca *carmen magiſtri* bona proſcribentis, & Gellius, ex libro Catonis, qui inſcriptus fuit *Carmen de moribus*, verba quaedam ſoluta oratione refert, *lib. XI. Noct. Att. cap.* 2. Cicero item formulam Praetori compoſitam *carmen* vocat, pro *Muraena cap.* 12. Ovidius *lib. VII. Metam. vſ.* 137. & Plinius *lib. XXVIII. Hiſt. Nat. cap.* 2. id quod luxatis membris proderat, *carmen auxiliare*, & alter Plinius *in Paneg. cap.* 63. comitiorum precationes ſolennes *carmina* appellarunt. Vide Daumium *in notis ad diſticha Catonis pag.* 124. & de carmine magiſtri Turnebum *lib. XXIII. Adverſ. cap.* 34.

In tranſcurſu etiam hic notandus eſt Petrus Perrenonius, qui *lib. I. Animadverſ. c.* 27. Ciceronis illud, ſupra laudatum: *Diſcebamus pueri* XII. de duodecim unciis, quae aſſem conficiunt, intelligit, & infelicius, ex alio ejusdem Tullii loco, apud Nonium, de ludo XII. ſcriptorum, illuſtrat. Quid enim faciet verbis, ſtatim ſequentibus, *quas jam nemo diſcit?* An pueri deſierunt calculis operam dare? Nonne Horatius poſt Tullium cecinit *de arte Poët. vſ.* 325.

Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in parteis centum deducere &c.

Optimus ſui interpres eſt Cicero *lib. I. de LL. c.* 5. his verbis: *Non a Praetoris edicto, ut plerique nunc, neque a* XII. *tabulis, ut ſuperiores, ſed penitus ex intima Philoſophia hauriendam juris diſciplinam putas.* Nimirum Cicero puer in ſcholis Grammatiſtarum *a parvis*, ut alibi ait *lib. II. de LL. c.* 4. didicerat XII. Tabulas; at poſtquam Servius Sulpicius & Ofilius compoſuerant Edictum Praetoris, *l.* 2. §. 44. *de O. J.* ab eo initium fiebat, ut cum primis litterarum elementis praecipua juris capita memoriae infigerentur; id quod & Agathyrſis in more fuiſſe Ariſtoteles *Problem. dict. ſect.* 19. *n.* 28. & de Perſarum pueris Xenophon *lib. I. de Cyri inſtit.* teſtantur. Non denique novum eſt XII. abſolute pro legibus Decemviralibus poni, quia Cicero ſolum numerale alibi uſurpat, intellectu ſubſtantivi: ut *ſedere in quatuordecim*; *Bias numeratur in ſeptem.* Idem quoque ex Feſto, in *nancitor*, & alia id genus plurimis laxisque verbis illuſtrari poſſent, niſi vetus illud obſtaret: *Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.*

Caput II. An Romani prudenter leges peregrinas adoptarint.

Non deſunt, inter Germanos & Gallos, qui pro inſigni naevo & imperitiae confeſſione venditant, quod Romani peregrinas Graecorum Leges in Rempublicam ſuam invexerunt; quum hi moribus, ſtudiis & omni vitae ratione fuerint differentes. *Quaſi vero leges Graecorum etiam accommodatae fuiſſent ſtatui Romano, & ipſi leges ſibi convenientes ſancire non potuiſſent!* ſcribit Beyerus *ad tit. de O. J.* §. 28. Nec contemnendum videtur hoc judicium, quod veritatis primordio adjuvatur. Pro fine enim

 diver-

diverſarum civitatum varia quoque earum datur utilitas, quae juſti prope mater & aequi eſt; & pulchre Ariſtoteles *lib. V. de morib. c.* 10. ait, jura, ex inſtitutione & utilitate, ſimilia eſſe menſuris vinariis & frumentariis, quae alibi minores ſunt, alibi majores. Deinde, ut quaevis lupata cuivis equo, & veſtimenta hominis recti gibboſo applicari non poſſunt, ſic leges, certae formae convenientes, alteri, etiam ejusdem generis reip. ſaepe ſunt inutiles: aliud quippe coelum alia atque alia vitia incolarum, ob concretionem corporis, in animum tranſeuntem, gignit, adverſus quae, pariter ac adverſus peculiares regionum morbos, diverſis remediis opus eſt. Res non eget exemplis, ſed pulchra occurrunt, in *l.* 4. *D. de Feriis*, *l.* 16. *§.* 9. *D. de Poenis*, & Imperator Hadrianus Conſilio Beticae idcirco reſcribit, in *l.* 1. *D. de Abigeis*, abigeos puniri duriſſime, non ubique, ſed ubi frequentius eſſet hoc genus maleficii; erant autem Hiſpani olim maxime abigei, unde Servius ad Virgilii *lib. III. Georg. vſ.* 408. impacatos Hiberos, *abactores* interpretatur: *fere enim Hiſpani omnes acerrimi abactores ſunt.* Sic apud Aegyptios furta omnia, apud Lacedaemonios nec manifeſta licita fuiſſe & impunita, ex Ariſtone Jcto, Gellius tradit *lib. XI. c.* 18. quod & furandi ſollertia & aſſuetudo acueret firmaretque rudiores adoleſcentium animos, & ad inſidiarum aſtus, & ad vigilandi tolerantiam & obrependi celeritatem. Econtrario apud Scythas nullum ſcelus furto gravius fuit, auctore Juſtino *lib. II. c.* 2. quippe ſine tecto munimentoque pecora & armenta inter ſilvas habentibus, quid ſalvum eſſet, ſi furari liceret? In Aegypto non levi ſupplicio afficiebantur, qui chomata rupiſſent, vel arborem ſycaminonem, quae aggeres continet, exejdiſſent, *l. pen. D. de Extr. crim. l. un. C. de Nili agg. non rump.* Athenis olea in tanta veneratione fuit, ut qui eam effoderet, in ſingulas quotannis centenas drachmas, aerario inferre juberetur; uti ex Demoſthene tradit Rad. Fornerius *lib. IV. Rer. quot. c.* 26. Variat quoque multis modis ſitus regionum, unde actio aquae pluviae arcendae Romana, in aridiſſima Africae regione, uſum habere non poterat, ſed magis contraria; uti Aggenus ſcribit *lib. II. pag.* 74. Sic igitur bene ſe habere videtur illorum cenſura, quorſum etiam pergit fabula Accurſii, ad *l.* 2. *§.* 4. *D. de O. J.* quam Rittersbuſius integro ſenſu exponit., & pro vera habuit Forcatulus, *in append. penus*, ac Robertus Maranta, in *ſpec. aur. p.* 3. *n.* 3. quam vero ſine riſu qui legerit, alterum Catonem eſſe dixerim. Verba gloſſae ſunt, quae ſequuntur: *Antequam tamen hoc fieret, miſerunt Graeci Romam quendam ſapientem, ut exploraret, an digni eſſent Romani legibus: qui cum Romam veniſſet, Romani cogitantes, quid poterat fieri, quendam ſtultum ad diſputandum cum Graeco poſuerunt: ut ſi perderet, tantum deriſio eſſet. Graecus ſapiens nutu diſputare coepit, & elevavit unum digitum, unum Deum ſignificans: ſtultus credens, quod vellet eum uno oculo excaecare, elevavit duos, & cum eis elevavit etiam pollicem, ſicut naturaliter evenit, quaſi caecare eum vellet utroque: Graecus autem credidit, quod Trinitatem oſtenderet. Item Graecus apertam manum oſtendit, quaſi oſtenderet, omnia nuda & aperta Deo: Stultus autem timens maxillatam ſibi dari, pugnum clauſum, quaſi repercuſſurus, levavit. Graecus intellexit, quod Deus omnia clauderet palma: & ſic credens Romanos dignos legibus, receſſit, & leges his ſapientibus concedi fecit, in civitate Athenarum & Lacedaemoniorum.* Tolerari poſſet hic jocus, in magna illa verae hiſtoriae ignorantia; modo abuſus ſacrae ſcripturae & impietas abeſſet. Quod ſi vero ſtatum Reipublicae Romanae, ſub initium ſaeculi quarti, ab Urbe condita, conſideremus, facile apparebit, vix alio remedio mala, quae eam premebant, emendari potuiſſe, quam quod Romilius in Oratione, apud Dionyſium laudata, ſuadebat, ex vicina Republica, legibus juſtiſſimis celebrata, jus petendum eſſe, quod Patricios cum Plebejis exaequaret. Nondum, fateor, tanta prudentia pollebant Romani, ſaeculo rudi adhuc & impolito, quantam ſpirarunt poſteriores, litteris & commerciis magis exculti: nolim autem eos tantae ruſticitatis inſimulari, quaſi absque aliorum auxilio leges ſibi condere non potuerint, qui uſu trecentorum, & quod excurrit, annorum, jam ſatis erant docti, quid genio Reipublicae ſuae maxime conveniret. Enimvero malum non unum premebat Rempublicam, uti plerumque Politiae, propter Tribunicios furores & Patrum ſuperbiam, vel in Oligarchiam, vel in Ochlocratiam, vel in tyrannidem delabuntur: nihil itaque magis conſultum erat, quam ut lex dominaretur; pauci vero, ad clavum ſedentes, legum cuſtodes & miniſtri eſſent: quod etiam Ariſtoteles praecipit, *lib. III. Politic. cap.* 16. Nec deerant ſermones in utramque partem varii: aliis monentibus, ſecundum Leges novas Rempublicam eſſe adminiſtrandam, easque, jugo Regum a cervicibus depulſo, ad liberae Reipublicae rationem accommodatas eſſe oportere; aliis autem urgentibus, ut ſecundum regias Leges, quae in negotiis privatorum longo uſu firmatae erant, & ſecundum Plebiſcita ac Senatus Decreta jus aequum diceretur. Tandem pervicit illa, per tot annos, in concionibus jactitata & flagitata lex Terentia, vel Terentilla, ut viri aetate & prudentia conſpicui, quibusque honor & exiſtimatio publica curae foret, Leges ſcriberent, de

omni-

omnibus privatis juxta; atque communibus negotiis, & ad populum referrent. Bonum factum! At quia penes ſolos Patricios Legum ſcientia erat; hi vero non ſuae tantum auctoritati decedere exiſtimabant, quicquid plebis libertati caveretur, ſed juris etiam occaſione miſeram plebem, pro ſuo arbitratu, premebant, neque ex legum praeſcripto jura reddebant, omnia manu agentes, quemadmodum antea Reges, ut ſcribit Dionyſius *lib. VII. cap.* 38. Hinc nullus invidiae, ſeceſſionum & repetitarum expoſtulationum reperiri poterat finis; niſi a populo externo, neutri factioni obnoxio; & cui eadem eſſet Reipublicae forma, Legum aequabilium exempla, per Legatos peterentur; ex quibus dein quicquid egregium eſſet, moribus patriis adjiceretur. Hoc enim remedio, meminerant, pulſam olim e comitiis regiis omnem materiam ſeditionis, v. Dionyſius *lib. II. cap.* 59. eandem quoque viam alios Legislatores ſapienter ingreſſos eſſe, qui etſi ſatis noſſent, ejusmodi leges ferri debere, quae utilitate communi, moribus civium, contextu ac forma publica probarentur; minime tamen domeſtica diſciplina contenti aut inflati fuerunt, ſed dum aliunde δικαιώματα ſua accipere maluerunt, veritatem Ariſtotelici judicii *lib. I. Rhetoric. ad Theodect. cap.* 4. legum ferendarum ſcientiae peregrinationes eſſe utiles, experti ſunt. Sic Lycurgus e Creta leges ſuas attulit ad Spartiatas: Zaleucus & Charondas, non tam in tacito ſanctoque Pythagorae ſeceſſu jura ſua didicerunt, quam inſpectis diligenter ac probe conſideratis omnium aliorum ſanctionibus, optima quaeque inde excerpta, in legum ſuarum corpus redegerunt, auctore Diodoro *lib. XII. cap.* 11. Similiter Pythagoras in Syriam & Aegyptum profectus eſt, & Solon iter transmarinum in aulam Croeſi & Amaſis inſtituit, ut de legibus & omni adminiſtratione civili informaretur. Idem beatos cives ſuos praedicat, apud Lucianum *de Gymnaſiis*, quod ab homine, etiam peregrino & barbaro, diſcere ſibi nequaquam dedecori ducerent: Plato etiam *lib. XII. de LL.* plus ſemel commendat, ut quilibet patriae urbi communicaret, ſi quid alibi reperiſſet, ei futurum & uſui & ornamento. Tantum ergo abeſt, ut culpandi ſint Romani, ut potius laudi ipſis cedat, quod imitari non erubuerunt, quae viri longo uſu praediti, & aliquamdiu in Republica verſati alibi reperiſſent. Praeclare Caeſar apud Salluſtium *Catilin. cap.* 52. *Majores noſtri neque conſilii neque audaciae unquam eguerunt; neque ſuperbia obſtabat, quo minus aliena inſtituta, ſi modo proba erant, imitarentur. Arma atque tela militaria ab Samnitibus, inſignia magiſtratuum ab Tuſcis pleraque ſumſerunt: Poſtremo quod ubique apud ſocios aut hoſtes idoneum videbatur, cum ſummo ſtudio domi exequebantur: imitari, quam invidere bonis, malebant.* Quid plura? Prudentis ac circumſpecti populi fuiſſe antiquorum ſcita cognoſcere, vel ſolus eventus docuit: ſublatis enim Patriciorum in jure dicundo arbitriis, &, ut Taciti verba ex *lib. III. Annal. cap.* 27. mea faciam: *accitis, quae uſquam egregia, duodecim Tabulae, finis aequi juris* fuerunt. Illud etiam memorabile eſt, quod leges illae, aliunde petitae, multis domeſticis poſtea latis & ſublatis, perdurarint tot ſaecula, ut non modo Livius ſcripſerit, *in immenſo aliarum ſuper alias acervatarum legum cumulo, eas fontem omnis publici privatique juris fuiſſe*, *lib. III. cap.* 34. ſed etiam συγχρονὸς Diodorus Siculus *lib. XII. cap.* 26. *Haec legum deſcriptio brevis & concinna, mirando ſatorum ordine, ad noſtra tempora perdurat.* Quemadmodum igitur nunquam poenituit Romanos, Rhodiorum Leges, de rebus maritimis, mutuatos eſſe; aut quicquid alibi terrarum apud hoſtes honeſtum ac pulchrum reperiſſent, una cum captivis, Romam reportaſſe: ſic quoque recentiora adferri poſſent Rerumpublicarum exempla, quae Leges ſuas aliunde petierunt; uti de Polonis ac Hungaris notum eſt, & Noribergenſium ſapientiam Ludovicus Guicciardini & Scipio Gentilis hac propter impenſe laudarunt.

Caput III. Quaenam ſint illae Graeciae civitates, à quibus leges petitae.

Proximum eſt ad gentes illas proficiſcamur, a quibus leges XII. Tabularum petitae ſunt: nam ut pulchre Lipſius *cent.* II. *Epiſt. ad Belgas* 39. monet: *Juvabit ab ipſo capite & origine jus petere: juvabit longius ire, & Platonis, Ariſtotelis, Charondae, Zaleuci & talium leges addere. Quid leges? etiam hiſtorias; aut alia ſcripta, ſi qui e ſapientiae & prudentiae libris hauſerant, & ad uſum generis humani contulerunt. O ſuavem mixtionem & cinnum! At ſicut lupini, per ſe amari, aqua perfuſi dulceſcunt: ſic tetrica iſta legum a tali temperie mitigantur.* Quorum vero populorum jura peregrina accita fuerint, docet nos Livius *lib. III. cap.* 31. cum ait, ablegatos Triumviros, *juſſos eſſe inclitas Leges Solonis deſcribere, & aliarum Graeciae civitatum inſtituta, mores juraque noſcere*; & eos, *qui Athenas ierant, cum Atticis Legibus rediiſſe.* Preſſius, quaenam illae fuerint Graeciae civitates, definit Dionyſius Halicarnaſſenſis, qui plerumque in ejusmodi circumſtantiis accuratior eſſe ſolet, *lib. X. cap.* 58. & 62. ſcribens: *Leges adferebant Athenis & ex Graecis urbibus, quae in Italia erant.* Duplex nimirum Graecia erat, prima & ſecunda: Illam Plautus exoticam vocat, quaſi peregrinam, & extra Italiae oras ſitam: haec vero Italiae illa

pars dicebatur, in quam magnae civitates ex Graecia olim erant profectae, quae Graeca quoque lingua utebantur. Ovidius *lib. IV. Faſtor.* 64.

Itala nam tellus, Graecia major erat.

In utraque illa Graecia, multa tunc temporis fama, quinque inprimis Legislatores celebrabantur, Lycurgus, Zaleucus, Charondas, Draco & Solon; qui cum obſervaſſent, tantam eſſe hominum malitiam, ut neque manifeſta legis naturalis utilitate, neque metu divini Numinis, neque morſu conſcientiae cohiberi poſſint, jecerunt fundamenta ſapientiae civilis, &, prout temporum aut civium natura ferebat, ad eandem vitae tranquillae metam, quamvis non una eademque via, contenderunt. Quo tempore illi leges tulerint, elegans Tatiani locus, in *Orat. ad Graecos cap. 63. pag.* 140. *edit. Oxon.* a quibus eas acceperint, Clemens Alexandrinus *lib. I. Strom. c.* 26. *pag.* 422. *edit. Oxon.* oſtendit. Quid vero a ſingulis Romam deſumtum fuerit, diſtinctius ſciremus, ſi Theophraſti, Apollodori, Hermippi, aliorumque de Legumlatoribus libri ad nos perveniſſent; aut ſi Ariſtotelis ſaltem opus praeſtantiſſimum, quo is omnium fere civitatum, non Graeciae ſolum, ſed etiam Barbariae mores, inſtituta, & diſciplinas, auctore Cicerone *lib. V. de Fin. c.* 4. deſcripſit, haberemus. Pauca tamen de ſingulis. *Lycurgus* annis circiter centum & quinquaginta, ante Olympiadum initia, nobiliſſimus fuit Spartanorum legislator, vir honeſtatis & virtutis tenaciſſimus, cujus leges inventum divinius eſſe cenſuit Polybius *lib. VI. cap.* 46. quam ut ab homine ſint profectae: eaſdem ut ſalubriter excogitatas Valerius Maxim. *lib. V. cap.* 3. celebravit. Mitto Herodoti, Strabonis & Xenophontis de eo judicia, ſed non praeteribo illud Velleji Paterculi *lib. I. c. 6. Ea aetate clariſſimus Graji nominis Lycurgus Lacedaemonius, vir generis regii, fuit ſeveriſſimarum juſtiſſimarumque legum auctor, & diſciplinae convenientiſſimae vir; cujus quamdiu Sparta diligens fuit, excelſiſſime floruit.* & aliud Ammiani Marcellini, qui *columen juſtitiae priſcum* appellavit, *lib. XXX. c.* 8. Quum enim Spartani, ex Graecis omnibus, antea peſſimis legibus uterentur, is hunc ſibi praecipue propoſuit ſcopum, ut regnum moderatae poteſtatis finibus circumſcriberet, & populum univerſum a teneris aſſuefaceret, parere legibus, juſte pareque vivere, tolerare labores, & mortem pro republica fortiter oppetere, ſi res id poſtularet. Varia tamen Plato, Ariſtoteles & Plutarchus in illis criminantur, ad militum magis ferociam, quam ad urbanitatem inſtituta; atque eorum nonnulla Dacerius ad Plutarchi Lycurgum, & Petrus Baylius, in *Diction. voce Lycurgue*, ſub examen vocarunt. Vulgaris eſt opinio, Triumviros illos conſulares, Lacedaemonem quoque profectos eſſe, tum quia Juſtiniano, in §. 10. *Inſt. de Jure nat.* origo juris civilis ab inſtitutis duarum civitatum, Athenienſium ſcilicet & Lacedaemoniorum fluxiſſe videtur, tum etiam quia Plinius *lib. VIII. epiſt.* 24. Maximum, ad Achajam ordinandam miſſum, ante oculos habere jubet, Athenas & Lacedaemonem eſſe terras, quae miſerint jura, & leges petentibus dederint. Athenaeus quoque *lib. VI. Deipnoſoph. c.* 21. Romanos refert, Lacedaemoniorum diſciplinam ſibi tenendam decreviſſe, & ipſis auctoribus eam conſtantius retinuiſſe. Symmachus denique *lib. III. epiſt.* 2. leges *de Lare Lycurgi* derivat. Verum ſi collatio legum Romanarum cum Spartanis illis inſtituatur, quarum ſat longum catalogum Xenophon, in Politia Lacedaemoniorum, dedit, quaſque Nicolaus Cragius, Danus, *lib. III. de Rep. Laced.* magna induſtria duodecim Tabulis complexus eſt, vix una aut altera ſimilitudinem habebit, pleraeque autem v. c. de furto impuni; de amore puerorum; de communicatione uxorum; de mortuis in urbe ſepeliendis; de poſſeſſionibus avitis non vendendis; de peregrinis arcendis; de dote filiabus non danda, duodecim Tabulis contrariae reperientur. Contius tamen *lect. ſubſ. c.* 2. leniorem furti manifeſti poenam a Lacedaemoniis deſumtam eſſe exiſtimat; quia Xenophon *de Rep. Laced.* ſcribit, Lycurgum pueris furtum permiſiſſe; at deprehenſos in furto multis verberibus plecti juſſiſſe. Ab iiſdem Lycurgi inſtitutis diſcrimen inter furta manifeſta & nec manifeſta repetit Averanius *lib. I. Int. c.* 25. *n.* 8. quia nullum ejus veſtigium apud Athenienſes apparet. Sed quid obſtat, quo minus fidem habeamus Gellio *lib. XI. c.* 18. qui, Decemviros, in furibus manifeſtis puniendis, Draconis ſeveritatem, in nec manifeſtis vero Solonis pecuniariam dupli poenam retinuiſſe teſtatur. Xenophon *lib.* I. *Memorab.* tradit, furi manifeſto, ſecundum leges Athenienſium, mortem dictari: Κατὰ γὰρ τοὺς νόμους, ἐάν τις φανερὸς γένηται κλέπτων θάνατος ἐστιν ἡ ζημία, *Nam ſecundum leges, ſi quis fuerit fur manifeſtus, poena mors eſt.* Puta, ſi quis ex balneis, aut ex palaeſtra, aut ex foro, aut alio publico loco furatus eſſet, v. Ariſtot. *Problem. ſect.* XXIX. *qu.* 14. Aliud legis a Lycurgo petitae exemplum quidam, Accurſio duce, quaeſiverunt in ſubſtitutione pupillari, quae *moribus* introducta dicitur, *l. 2. pr. D. de Vulg. & pup.* ſed horum ſententia pridem a Rad. Fornerio exploſa eſt *lib. V. rer. quot. c.* 3. nec enim inducta eſt moribus, qui praeceſſerunt XII. Tabulas, verum *jure civili*, quod auctoritate prudentum introductum, & deinde populi Romani moribus & conſenſu approbatum eſt, *l.* 43.

pr.

pr. D. eod. idque exemplo Athenienſium, quibus licuit liberis ſubſtituere, ſi ante viceſimum annum heredes ſacti morerentur, auctore Demoſthene *orat. 2. in Stephan.* Majorem colorem babet tertium de ſummo teſtamentorum jute exemplum, quod attulit Merula *de LL. Rom. c.* XII. §. 1. nam Ariſtoteles & Plutarchus Epitadei, Spartanorum Ephori, legem memorant, quae cuivis teſtamento relinquere poſſeſſiones permitteret, quod Athenis non aeque permiſſum: ſed, ut mittam Lycurgi contrariam legem, quae, pariter ac Hebraea, agros a tribubus & familiis avelli vetabat, ſtatim videbimus favorem teſtamenti, ex moribus Romanorum domeſticis, inde a Regum tempore, derivandum eſſe. Quartum addit Marcilius ex Valerio Maximo *lib. VII. c. 2. n. 12. ext.* ne de indemnatis ſupplicium ſumatur: verum nullam ejusmodi legem Decemviralem fuiſſe infra apparebit; aut ſi fuit, ex Solonis lege, περὶ τῶν ἀκρίτων, cujus meminit Sextus Philoſophus *lib. III. Pyrrh. hypoth.* derivari poteſt. Quintum adfert Georgius Schubartus *de Fatis Jurisprud. Rom.* §. 24. ut proximus agnatus legitimam tutelam pupilli ſuſtineret: ſed quamvis Solon caviſſet, ne is proximorum tutor fieret, ad quem poſt obitum hereditas pertineret, &, praeter Herodotum, ab eo laudatum, Juſtinus *lib. III. cap. 2.* ſcribat, Lycurgum fratris ſui Polydectae, Spartanorum Regis, filii tutelam adminiſtraſſe: etſi quoque veriſimile ſit, ad principis exemplum tutelam privatorum fuiſſe compoſitam, nil tamen cauſae eſt, quominus Decemviros ex moribus majorum illud caput ſumſiſſe credamus. Quemadmodum enim Anci Marcii exemplo apud Livium *lib. I. cap. 34.* conſtat, tutelam teſtamentariam ſub Regibus uſitatam fuiſſe, ſic etiam legitima jam tunc recepta videtur; quia naturali rationi conveniens eſt, ut qui perfectae aetatis non ſit, tutoris ſupercilio patruique rigore regatur. Nil ergo cauſae eſt, cur cum Ruperto ad Pomponium *de O. J. cap. 5.* erroris accuſemus D. Auguſtinum, qui *lib. II. de civit. Dei cap. 16.* Romanos laudat, quod a Lacedaemoniis leges accipere noluerunt; ac rectius huic Gothofredus noſter *pag. 63.* & Galvanus *de uſufr. cap. 6. n. 5.* adſtipulantur. Mihi ſatis veriſimile pro horum ſententia argumentum praebet, quod ſicut, libertatis munere, per totam Graeciam, nulla civitas cum alia leges habuit communes, ita Spartanorum inſtituta, cum ab aliorum omnium populorum moribus quam maxime erant diverſa, ut Plato & Xenophon ſcribunt, tum legibus Atticis erant contraria in plerisque, & mutuis conviciis proſcindebantur, auctore Philone *lib. II. de vita Moſis.* Cum enim duo illi Graeciae oculi, inter ceteras respublicas velut emicantes, de principatu non gloriae ſolùm, ſed etiam potentiae inter ſe decertarent, accidit, ut, metu collationis in diverſum ſtudia ſua deſtinarint; atque alia inter ſe lingua, alio dicendi, ſcribendi & proeliandi genere uterentur, ait Symmachus *lib. 1. ep. 39.* Quis ergo tam patientes credat fuiſſe viros conſulares, ut leges adeo repugnantes deſcribere ſtuduerint, quas in uſum non erant deducturi? & quomodo Rhetras deſcripſiſſent, quae publice non erant propoſitae? quasque, ſi Thucydidi credimus, cum exteris communicare nolebant? aut quae ratio deſcribendi? cum pleraeque ad jus publicum ſingulare pertinerent, privatorum autem jura in poteſtate Ephororum, qui αὐτογνώμονες erant, continerentur. Nulla profecto civitas Lacedaemoniorum nomotheſiam imitata eſt; quum ipſi colonias ſuas ad eam conformare non potuerint, auctore Iſocrate in Panathenaico; quia *Lycurgus duriſſimarum Lacedaemoniis legum auctor* fuit, ut ait Quintilianus, *lib. I. Inſtit. orat. c.* 10. Et quid multa? Ne unus quidem eorum, qui hiſtoriam XII. Tabularum deſcripſerunt, de Lacedaemoniis vel verbum habet: & Plinius, Athenaeus, Symmachus, aliique, ſupra laudati, de legibus Romanorum ſumtuariis, accipiendi ſunt: quarum Cicero, Plinius, Gellius & Macrobius crebro meminerunt. Has enim ex Rhetris Lycurgi, poſt tempora Decemvirorum, auctis divitiis, & intemperantia Aſiatica increbeſcente, Romam eſſe translatas, diuque obſervatas, tradit Ammianus *lib. XVI. cap. 5.* Leges etiam utrique populo communes, ne cui licitum eſſet obſonare quicquid, vel quantum liberet, Aelianus laudat *lib. III. var. hiſt. c.* 34. Tantum denique abeſt, ut Tribonianus, auctoritati Caji forſan, vel alterius veterum, a quo illud deſumſit, innixus, nobis ſcrupulum injiciat, ut potius noſtram ſententiam firmet; dum jus in Tabulis praeſcriptum ab Athenienſibus, jus non ſcriptum vero a Spartanis derivat. Romulus enim, in regni ſui conſtitutione, complures Lacedaemoniorum mores in Urbem detulit, cui etiam Sabini, pars Urbis facti, tanquam Spartanorum coloni, exempla praebere poterant; uti Plutarchus *in vita Romuli* & Dionyſius Halicarnaſſenſis *lib. II. cap.* 13. 14. 23. teſtantur. Neque aliter, opinor, Cicero accipiendus eſt, quando *lib. I. de Orat. cap.* 13. & *lib. IV. Acad. quaeſt. c.* 44. cum Solone Lycurgum XII. Tabulis praemittit. Quis ſtatus fuerit legum Romae ſub Regibus, & iis ejectis A. U. C. CCXCIII. tradit Dionyſius *lib. X. cap. 1. Plebs volebat omnia, tam privatim quam publice, ex legum praeſcripto geri. nondum enim erat apud Romanos jus aequum omnibus civibus, nec omnibus ex aequo dicendi poteſtas erat, nec in tabulas relata erant jura omnia: ſed olim, quamdiu regnatum eſt in Urbe,*

be, Regum arbitrio lites dirimebantur, deinde translato ad Conſulatus annuos imperio hi de jure reſpondebant, id quod maxima ex parte conſtabat virorum poteſtate praeditorum praejudiciis, & perpauca in ſacris libris erant, quae legum vim obtinerent. Similem ferme in modum Lycurgus legibus ſuis, etſi promulgatis, noluerat porticus implere, ſed in animis civium fixam habere juſtitiam, quo Rempublicam inimitabilem haberet, & ceteros omnes legum conditores gloria ſuperaret. Solon contra cenſuit, jus publicum & ſcriptum eſſe oportere, ut praecepta legum civibus ob oculos verſarentur: hinc conſuetudini, ſive νόμῳ ἀγράφῳ, auctoritatem omnem ademit, extatque lex apud Andocidem, ut ne magiſtratus, vel de re minima, ſecundum leges non ſcriptas judicarent. Qua in re diverſi abierunt Romani, cenſentes inveteratam conſuetudinem non immerito etiam pro lege cuſtodiri. Tertullianus de coron. milit. *Conſuetudo, etiam in civilibus rebus, pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex: nec differt, ſcriptura, an ratione conſiſtat, quando & legem ratio commendat.* Atque hoc pacto comparatio illa ſatis tolerari poteſt, quam Hotmanus, Bachovius & Vinnius male ultra finem propoſitum extendunt, ut ridendi materiam, ſi diis placet, nanciſcantur: vel una autem vocula *magis*, qua Juſtinianus in *d.* §. 10. utitur, eos cohibere debuiſſet, ut a duriore cenſura abſtinerent. Plura ad hujus rei illuſtrationem, vide apud Clariſſ. Fabricium *Biblioth. Graecae lib. II. cap.* 4. §. 10. & 11.

Nobis pes promovendus eſt ad *Zaleucum* & *Charondam*, majoris Graeciae legislatores, quorum ille Locrenſibus Epizephyriis in Italia, e regione Siciliae habitantibus, leges ſeveras; de vino ab aegris, extra medici praeſcriptum, non bibendo; de adulteris effoſſione oculorum puniendis; ut qui oculum alteri excuſſiſſet, ei oculus viciſſim excuteretur; de manſuetudine, continentia & fama ſervanda; de exiſtentia & providentia Dei; aliasque id genus, ad virtutem magis, quam ad juſtitiam pertinentes, tulit, ex moribus Cretenſium; Lacedaemoniorum & Athenienſium decerptas, quarum tenuia, aut nulla, in Tabulis, quae ſuperſunt, Decemvirorum, veſtigia occurrunt. Si quis illas noſſe velit; Strabo *lib. VI. pag.* 259. Diodorus Siculus *lib. XII. pag.* 299. Aelianus *lib. II. Hiſt. cap.* 37. & inter recentiores Joh. Wilhelmus Engelbrecht, *de legibus Locrenſium*, ſunt videndi. Unam Polybius *lib. XII. Hiſt. cap.* 7. laudat, ut rem, de qua ſit controverſia, ille poſſideat, quamdiu lis pendet, penes quem erat, quum in jus deduceretur, quae etiam apud Romanos obtinuit; ſed dudum ante XII. Tabb. quia Pomponius in *l.* 2. §. 24. *de Orig. jur.* vetuſtiſſimam juris obſervantiam vocat; ut vindiciae darentur ſecundum libertatem, additque *Appium, Claudium, contra jus, quod ipſe ex vetere jure in duodecim Tabulas tranſtulerat, vindicias filiae Virginii abdixiſſe.* Illud denique leve ad rem praeſentem momentum habet, nec tamen praetereundum duco, quod Symmachus *lib. X. epiſt.* 25. tradit, Zaleucum, legum conditorem, Romana civitate donatum eſſe; id quod forſan de Locris, ipſius civibus, & Romanorum clientibus, accipi debet. vid. Cicero *lib. II. de LL. c.* 6. Alter *Charondas* Catanaeus, illi aequalis, propter leges, primo civibus ſuis, quumque ab iis in exilium ejectus, aliis Chalcidicis Italiae Siciliaeque civitatibus, poſtremo etiam Thuriis, Olymp. LXXXIII. circiter 440. annis ante Chriſtum natum latas, divinos honores accepit. Val. Max. *lib. VI. c.* 5. *ext.* 4. Aelian. *lib. III. c.* 17. Jamblich. *de vita Pythag. c.* 30. & Themiſt. *Orat.* 1. Verum ſi fragmenta earum, quae apud Diodorum Siculum *lib. XII. Bibl. cap.* 12. *ſeqq.* Tullium *lib. III. de LL. c.* 2. & Stobaeum *ſerm.* 42. ſuperſunt, inſpiciantur, vix eſt ut ab illis Decemviri profecerint: niſi forſan huc referre velis, quod falſum teſtimonium Romanis capital eſſe voluerunt: nam Ariſtotelis judicio *lib. II. Polit. cap.* 12. Charondae lex peculiaris fuit nulla, niſi quam de perjurorum tulit poena; in reliquia autem translatitiis, ita eum, ait, accuratum fuiſſe, ut nemo alius magis terſe & magis culte leges ſcripſerit: quam ob cauſam Mazaca quoque, Aſiae urbs, quae poſtea Caeſarea Cappadociae dicta, iis uſa eſt, teſte Strabone *lib. XII. pag.* 539. Aliam porro Charondae legem, ut prudentiae eximiae & approbatione dignam, laudavit Diodorus *dicto lib. cap.* 15. quod orphanorum bona tutelae & adminiſtrationi agnatorum, educationem vero cognatorum fidei ſubjecit; quod nullus ab his, a ſucceſſione excluſis, eſſet inſidiarum metus; illi vero majori cura patrimonium ad ſe rediturum adminiſtraturi eſſent. Simile vero quid in Jurisprudentia Romana obſervare licet, quae agnatis & gentilibus tutelam dedit, ad quos hereditas rediret; ſub matris vero aut cognatorum cuſtodia frequenter pupillos eſſe voluit; quemadmodum variis exemplis apud Livium *lib. XXXIX. cap.* 9. Senecam *conſolat. ad Marciam cap.* 24. etiam ex *l.* 1. *C. Ubi pupilli educari debeant*, inter omnes conſtat. Sed pronior ſum, ut credam, ex Praetoris edicto magis, quam ex XII. Tabulis hunc morem fluxiſſe, *l.* 1. *D. eodem.* Reliqua, de utriusque, Charondae & Zaleuci nomotheſia, ex Conradi Rittershuſii oratione, quae commentario ejus ad Inſtitutiones praemiſſa eſt, peti poſſunt: ſed jungenda ſunt omnino, quae viri Clariſſ. Raphaël Trichetus du Freſne, in epiſtola edita ad Seguinum, de Charondae effigie,

in

in Catanenſi nummo expreſſa, *tom.* x. *Theſ. Gronov. pag.* 569. juncto Spanhem. *de Praeſt. & uſu num. diſſ.* VII. *pag.* 401. Petrus Carrera *lib. IV. Monum. Hiſtor. urbis Catanae n.* 413. *ſeq. tom.* x. *Theſ. Sicil. n.* 10. & Richardus Bentlejus, *in Apologia pro Diſſertatione ad epiſtolas Phalaridis*, de aetate, praeceptore & legibus utriusque monuerunt. Plane ſi verum eſſet, quod Seneca aliique tradunt, Duumviros iſtos ex Pythagorae ſchola prodiiſſe, minor foret dubitatio, quin quaedam illorum Romanis non diſplicuerint, quia Cicero *lib. IV. Tuſcul. pr.* conjectura probabili affirmat, jam eo tempore, quo Reges ejecti, Pythagorae doctrinam, longe lateque fluentem, in Urbem quoque permanaſſe.

Nunc ad *Solonem*, Athenienſium legiſlatorem, & Apuleji judicio, *lib. I. de Dogm. Platon.* ſapientiſſimum legum Atticarum fundatorem, proficiſcamur, quem Aurelius Victor, Iſidorus & Auguſtinus unum nominarunt, ex cujus legibus duodecim Tabulae ſint tralatae. Pericles hoc ipſo tempore, in oratione, quae ἐπιτάφιος λόγος inſcribitur, apud Thucydidem *lib. II.* gloriari audebat, Athenienſium civitatem, cui praeerat, velut communem eſſe ſcholam, quae Graeciam univerſam erudiret: ſed Romani quoque eam, & tunc, & poſtea coluerunt, tanquam ſapientiae arcem, in qua humanitas, doctrina, religio, jura & leges ortae, atque in omnes terras diſtributae fuerint; ut late Cicero *pro Flacco cap.* 26. & Lucretius *lib. VI. pr.*

Et recreaverunt vitam, legesque rogarunt:
Et primae dederunt ſolatia dulcia vitae.

Nihil ſane a prudentia alieni fecerunt viri conſulares, quod ad hunc legum fontem uberrimum properarunt: nam & Graeci olim in Latium colonias duxerant, & mores Populi Romani pleraque trahebant ab inſtitutis Graecorum, & Solonis inſtituta ſtatui, quem optabant, apprime erant accommodata: quia is Politiam conſtituit & legibus praeclaris firmavit. Cum enim unus ille ex nobili numero ſeptem Sapientum, & vir prudentiſſimus, ante Chriſtum anno 594. decreto reipublicae ſuae, κορυφαῖος νομοθέτης deſignatus eſſet, effecit, ut aequis legibus Athenae florerent, quas ad ſuam usque aetatem obſervatas eſſe, Aelianus ſcribit, *lib. VIII. c.* 10. Valerius Maximus *lib. V. cap.* 3. tam praeclaras & utiles eas vocat, ut ſi perpetuo civitas eis eſſet uſa, ſempiternum imperium habitura fuiſſet. Tacitus eas *quaeſitiores* vocat, quam Lycurgi, *lib. III. Annal. cap.* 26. & Juſtinus *lib. II. c.* 7. *Solon*, inquit, *vir juſtitiae inſignis, quum velut novam civitatem legibus conderet, tanto temperamento inter plebem ſenatumque egit (cum, ſi quid pro altero ordine tuliſſet, alteri diſpliciturum videretur) ut ab utrisque parem gratiam traheret.* Ante ipſum Codrus, regum ultimus, deinde Optimates, auctoritatem aſſumſerant valde intemperantem, ut respublica non procul a tyrannide abeſſet. Ereptis igitur ex indigna ſervitute plebejis, paucorumque potentia ſublatâ, quae nimis intemperans erat, & judiciis ex utroque ordine conſtitutis, Democratiam cum Ariſtocratia & Oligarchia miſcuit, cauſasque maximas ad judices, ſorte lectos referri, & rationes Reipublicae adminiſtratae a magiſtratibus reddi juſſit, Olympiade XLVI. eodem ſcilicet, quo Tarquinius Priſcus Romae regnabat, aevo. Vide Ariſtot. *lib. II. Polit. cap.* 12. qui eum contra iniquos Cenſores defendit, & νομοθέτην σπουδαῖον appellat. Ex hujus itaque axonibus deſcriptis, Romamque allatis, Decemviri quaedam, iisdem prope verbis, in tabulas ſuas tranſtulerunt; ut Tullius ſcribit *lib. II. de LL. cap.* 25. Ab eodem deſumta eſt actio, ob pauperiem, a quadrupede factam, uti ex Plutarcho *in Vita Solonis*; &, ſi Cujacium ſequimur, ex Paulo *lib.* 1. *Sent. tit.* 15. conſtat. Palam quoque Cajus *lib. IV. ad L.* XII. *Tabb.* judicium finium regundorum, nec non leges de ſodalibus, ad exemplum Solonis, *quodammodo* introductas eſſe, ſcribit, in *l. ult. D. Fin. regund.* & *l. ult. D. de Colleg. & corp.* vid. Auguſtinum *lib. II. Emend. c.* 11. Mitto alia, ab iis, qui leges Athenienſium collegerunt, jam obſervata: quos inter eminent non modo Petitus *in leges Atticas*, & Meurſius *in Themide Attica & in vita Solonis*, ſed etiam Pardulphus Pratejus, qui, praeter Jurisprudentiam veterem Draconis & Solonis, cum legibus Regiis & Decemviralibus collatam, tomo ſequente IV. *pag.* 381. Paralipomena legum Solonis, ad calcem *Jurisprudentiae mediae* ſubjecit, eodem hoc tomo III. *pag.* 607. Maxime autem memorabiles, inter omnes leges, a Solone acceptas, ſunt illae, quibus privilegia irrogari & de capite civis rogari, niſi maximo comitiatu vetatur, quas etiam de XII. Tabb. tralatas repetiit Cicero *lib. III. de LL. cap.* 4. & *praeclariſſimas* vocat *cap.* 19. Hic enim ſcopus fuerat legum peregrinarum, ut ſummis & imis jura exaequarentur; nec quicquam magis in Republica fugiendum erat, quam inaequalitas, mater diſſidii & tumultus. Idem vero Solonis legibus fuiſſe cautum, ex Aenea Gazaeo, Cujacius *lib. XV. Obſ. cap.* 8. praeclare oſtendit. Sunt multa alia, in quibus jus noſtrum cum Platonis legibus convenit, qui quasdam forte etiam ex legibus Solonis ſumſit, ſed diu poſt Decemviros floruit: unde inſignem praeterire non poſſum Hotmani metachroniſmum, qui *in comm. verb. jur.* in voce *lance*, ait: *Conſtat multa e Platonis legibus*

in XII. *tabulas tranſlata eſſe, in quibus hoc ipſum numerandum putarem, ut χιτονίσκω, licium interpretaremur, quo pudenda conquiſitor tegeret.*

Difficilior inſpectio eſt, an vetuſtioris quoque *Draconis* ſanctiones deſcriptae ſint; quas ille, vir bonus licet, & ſenex, ut Suidas ſcribit, jurisque divini & humani peritus, circa Olympiadem triceſimam nonam, & ante Chriſtum A. 624. ſatis aſperas Athenienſibus, tunc rudioribus, & ob magnam paupertatem mulctam pecuniariam ſolvere nondum valentibus, primus tulit; quaeque ab Ephetis cuſtodiendae, a titulo aut prooemio, a quo incipiebant, per excellentiam, θεσμοὶ, *ſanctiones perpetuae* dicebantur, Aelian. *lib. VIII. c.* 10. Meurſius *in Solone c.* 13. & Menag. ad Laert. *lib. I. cap.* 53. Affirmat hoc Pighius *lib. III. Annal. pag.* 146. at Schubartus *de fatis Juriſpr.* §. 22. negat: uterque autem deſtitutus eſt expreſſa auctoritate. Verum Gellius *lib. XI. cap.* 18. aliquid lucis adferre videtur, quando ſcribit, Decemviros neque pari ſeveritate, ac Draco, in puniendis omnium generum furibus, neque remiſſa nimis lenitate, ut Solon, in quibusdam, uſos fuiſſe: nam furtum ſolummodo manifeſtum, exemplo Draconis, ſupplicio capitis puniverunt, nec manifeſtum vero, dupli poena, cum Solone; etſi furta in balneis, palaeſtris & foris apud Graecos etiam morte punirentur, ut ſcribit Ariſtoteles *Problem.* XXIX. 14. Conf. Ampliſſimi viri, Cornelii van Bynkershoek *lib. III. Obſervat. cap.* 16. Aliud exemplum legis Draconteae, in Tabulas XII. translatae, cum P. Merula *de LL. Rom. c.* 17. & Pard. Pratejo, *Jurisprud. vet. num.* 71. XII. *Tabb.* ſumi poſſet ex Plinio, *lib. XVIII. cap.* 3. cum ait, frugem aratro quaeſitam, furtim noctu paviſſe ac ſecuiſſe, puberi Romano capitale fuiſſe, eumque Cereri ſuſpenſum, gravius, quam homicidam, necari juſſum: nam, auctore Plutarcho, Draconis Legibus, non minor ſancita fuit poena, adverſus eos, qui braſſicam, uvas & poma furto abſtuliſſent, quam adverſus ſacrilegos. Sed nimis refragatur, quod Draconis ſanctiones, quum Athenienſibus, magis magisque excultis, impendio videbantur acerbiores; neque hominis, ſed draconis; nec, ut Demades ajebat, atramento, ſed ſanguine ſcriptae, diu ante adventum Legatorum Romanorum, tacito populi conſenſu fuerant oblitteratae, & mitioribus Solonis legibus ceſſerant: unica tantum, quae homicidium plectebat, excepta; ut ex Ariſtotele, Plutarcho & Aeliano notum eſt. Si regeras, triumviros, Atticas leges deſcribere juſſos, Draconis ſanctiones negligere prorſus non debuiſſe; quum eadem Stoicorum fuerit doctrina, turpi nil turpius, honeſto nil honeſtius eſſe, quae a quibusdam quoque Jurisconſultis Merillio adoptata videtur, *lib. II. Obſ. cap.* 5. Attamen ſana ratio & Philoſophia Romae nunquam in publicis judiciis adeo ſpreta fuit, ut omnia peccata paria haberent, & ſcutica dignum horribili flagello ſectarentur, teſte Cicerone *pro Muraena c.* 29. & Horatio, *lib.* 1. *ſat.* 3. *vſ.* 115. quamvis idem alibi *lib.* 1. *epiſt.* 16. *vſ.* 55. cum Stoicis ad ſolum reſpiciens animum, cecinerit:

Nam de mille fabae modiis quum ſurripis unum,
Damnum eſt, non facinus, mihi pacto lenius iſto.

Interim Caſſius, ubi Graecis legum fontibus Romanorum ſapientiam anteponit, Draconis non eſt oblitus, apud Ciceronem *lib. I. de Orat. cap.* 44. Hadrianus quoque, cum ad imperium perveniſſet, Athenienſibus aequas & moderatas leges, ex *Draconis, Solonis*, ceterorumque legislatorum libris, compoſuiſſe dicitur, in Chronico Euſebiano *ad Olymp.* 225. *n.* 2. ubi Scaliger in *Animadverſ. pag.* 211. ex Caſſiodoro & Nicephoro Calliſto hoc ipſum confirmat. Sed Labeo, Pomponius & Ulpianus ejus auctoritate, non ut fontem legis Romanae indicarent, ſed, comparationis ergo, utuntur, in *l.* 23. *D. Ad Leg. Jul. de adult.* Inde enim usque a Romuli temporibus in uſu fuerat, ut adulterum, in ipſis rebus Venereis, cum adultera deprehenſum, occidere liceret, Gell. *lib. XXIII. cap.* 23. Atque hoc etiam erat, *quod Solon & Draco dixerant* ἐν ἔργῳ. Solonis verba refert Plutarchus: Μοιχὸν ἀνελεῖν τῷ λαβόντι ἐν ἔργῳ, ἐξεῖναι Draconis vero legem Demoſthenes illuſtravit, ἐν τῷ κατὰ Νεαίρας. Utriusque lege tuetur ſe in judicio, apud Lyſiam oratorem, qui Eratoſthenem, in adulterio cum conjuge repertum, fatetur trucidaſſe, aitque, legem hanc apud Areopagitas in columna inciſam fuiſſe: meminit etiam Lucianus *in Eunucho.* Plura ſi quis de legibus Draconis ſcire aveat, ei Sigonius *lib.* 1. *de Republ. Athenienſ. c.* 5. Ubbo Emmius *in deſcript. reip. Athen. pr.* Marshami *Canon Chronicus ad ſaec.* XVIII. Obſervationes Halenſes *tom.* 1. *Obſ.* 8. Bayle *in Diction. v. Lucurgue.* Gundlingiana *part. fin.* & Dan. Frid. Jani Diſſertatio *de Dracone*, conferenda ſunt. Illud nemo inficias ibit, Solonis multa, pauca Draconis, in examine & delectu legum peregrinarum Decemviris placuiſſe: nam Cicero *lib. IV. de Repub.* teſtis eſt, omni exceptione major, perpauca a Decemviris capite ſancita eſſe, & Livius *lib. I. cap.* 28. jactat, nulli gentium, quam Romanis, poenas placuiſſe mitiores. Atque haec quidem de origine legum Romanarum Graeca hactenus: nec pluribus opus eſt, quia, ſecutis etiam temporibus, fons idem tam vehementer placuit, ut Praetores, Aediles, ipſique Imperatores, in jure conſtituendo,

tuendo, & Jcti, in eo explicando, Homerum, Platonem, Hippocratem & Demoſthenem pro oraculis habuerint, quorum reſponſa ſequerentur. Rariora ejus rei exempla Petrus Fermatus *de Auct. Homeri apud Jctos*, Scipio Gentilis *lib. II. Parerg. cap.* 10. *ſeqq.* Cujacius *lib. XXVII. Obſ. cap.* 21. & Radulphus Fornerius *lib. II. Rer. quot. cap.* 15. dederunt; quibus, ſi tanti eſt, jungantur, quae ſcripſi, *in Papiniani vita cap.* 4.

Caput IV. An leges Regiae & mores populi Romani in XII. *tabulas ſint relata.*

Sequitur inveſtigemus, an Decemviri, ad leges componendas ſelecti, *Legum regiarum*, quae moribus populi diu erant probatae, habuerint rationem. Neque enim deſunt viri eruditi, qui ſibi primum, deinde aliis perſuaſerunt, L. Junium Brutum, Tribunum Celerum, ea lege, quam A. U. C. CCXLIV. de imperio regi Tarquinio Superbo abrogando tulit, omnes ſine exceptione leges regias ſuſtuliſſe; quia Pomponius in *l.* 2. §. 3. *de Orig. jur.* peremptali vocabulo utitur: *Exactis Regibus, Lege Tribunicia omnes leges hae exoleverunt.* Alii cum Cujacio, *ad h. l.* occaſione legis Tribuniciae, non a Bruto latae, ſed ſeptendecim annis poſt, in ſeceſſione in montem Cruſtumerinum, de Tribunorum plebis poteſtate rogatae, eveniſſe putant, ut vigentibus plebiſcitis regiae leges per deſuetudinem exoleſcere coeperint. Verum potius hic in memoriam revocandum eſt, quod Rittershuſius ad LL. XII. tabb. & alii monuerunt, poſt, *Tribunicia*, apud Pomponium, ponendum eſſe comma, ut lex tribunicia ad Regum ejectionem, non ad leges eorum referatur, quae non ſunt abrogatae, ſed exoleverunt. Deinde fatendum eſt, non eas tantum leges evanuiſſe, quae ad regiam poteſtatem pertinerent (uti Muretus & Eberlinus exiſtimant) ſed omnes vim legum ſcriptarum habere deſiiſſe, etſi quaedam, ut mores patrii, & tanquam jus non ſcriptum, retentae fuerint. Poſtremo haud adeo inepti nobis concipiendi ſunt Decemviri, aetate & prudentia graves, ut merces peregrinas promiſcue proponere voluerint domeſticis inſtitutis; ſed tales, qui, habita conſideratione indolis populi Romani, ſive probioris, ſive vitioſioris, rerumque in Republica ſua pridem judicatarum memoria, tum comparatione ſtatus praeſentis, & Ordinum inter ſe relatione, omnia cum judicio diſcuſſerint, & ad Lydium utilitatis lapidem examinarint: prudentiores Sophiſtis illis, qui Dialecticis argutiis aſſueti, rem facilem eſſe putabant, ferre leges, & meliora ex variorum legibus excerpere, quos Ariſtoteles multis refellit, *lib. X. ad Nicom. cap. ult.* Neque poterat ipſos latere, Solonem plures dediſſe leges, quas ipſi Athenienſes ſenſim ſuſtulerant, teſte Aeliano *lib. II. cap.* 22. alias eſſe, quas ipſe lator earum non crediderat eſſe juſtas, ſed quibus Athenienſium conditio maxime indigeret; quod prudens eſt Dionis Chryſoſtomi judicium, *Diſſert.* 80. alias denique ineptas; ſicut Plutarchus, *in ejus vita*, non immerito abſurditatis damnavit illam, qua ſancivit, licere feminae orbae, propinquo impotenti nuptae, ex alio, quem velit, propinquorum liberos ſuſcipere, & nihilominus in eo matrimonio manere; ne alienum eſſet, quod naſceretur: id quod, licet praecipuam nuptiarum legem everteret, & ex moribus Romanorum caſtioribus ad turpia & nefanda lenocinia referretur; tamen a Lycurgo etiam inſtitutum fuiſſe, Xenophon *de Rep. Lacedaem.* & Plutarchus *in ejus vita* tradiderunt. In turbato quidem Reipublicae Romanae ſtatu, & ad Anarchiam propendente, jus omne ſcriptum, potentia Patriciorum, pro lubitu ſuo agentium, exoleverat; ut populus Romanus jure magis incerto & conſuetudine, per annos prope ſexaginta, uteretur. Verum & ipſae conſuetudines illae nimis erant incertae ac variae; pars illarum improba, carebat ratione; aliae haud faciles erant probatu; omnes vero tot novis negotiorum formis decidendis non ſufficiebant, & arbitriis judicum obnoxiae erant: meliores igitur a pravis ſeparandas & in ſtabilem uſum per ſcripturam deducendas eſſe, Decemviri ſapienter exiſtimarunt: nam & validiores leges eſſe Ariſtoteles pronuntiat, quae ex moribus veniunt, & in ſcripturam ſunt redactae, quam quae ex ſolis litteris, *lib. III. Politic. c.* 16. Ammianus Marcellinus conſtantes leges eſſe, ait, *quae omnibus una eademque voce loquuntur*, lib. XXVII. c. 14. Neque ſane illa, quae aut cultui divino recte erant praeſcripta, aut perpetuae juſtitiae gratia, ex rectae rationis dictamine, in aeternum ſancita, aut more, aequitate & rerum judicatarum conſtantia erant firmata, odio regii nominis tolli potuere: quia ipſi cives legem Curiatarum & Centuriatarum fuerant auctores, quarum nonnullae quoque in Pontificum libros relatae; & quidam denique Regum, ut Romulus, Numa & Servius Tullius prudentia, religione & aequitate, Graecorum legiſlatoribus haud fuerant ſecundi; quinimo Graecos legiſlatoria prudentia & gravitate longe ſuperarant, auctore Dionyſio *lib. II. cap.* 27. & 36. Conquiſitis igitur regiis legibus, peregrina Graecarum civitatum ſcita, potiſſimum ea, quae ad aequalitatem, optimam concordiae nutricem, pertinerent, ſuis addiderunt, ritu agricolarum, qui melioris tantum notae ſurculos, arborum truncis & cum delectu inſerere ſolent. Equidem Romuli aetas adeo parum fuerat litterata & civilis, ut Cicero *lib.* 1. *de Divin.* ejus auguratum *paſtoralem*,

non urbanum vocarit : alibi vero non omnino rudia , & doctrinis vacua ejus tempora agnoſcit , *in Bruto* , *pro Archia* , ſub initium , & apud Auguſtinum *lib. XXII. de civit. Dei cap.* 4. Futilis quoque videtur eſſe Lipſii diſtinctio, quaſi Romulus primus extulerit jus Naturae , Numa jus Gentium , & Servius Tullius jus Civile expreſſerit: tamen multa eximia , ad conſtituendam Rempublicam , ab illis ſancita eſſe , inania verborum, ſed plena conſiliorum, quis neget ? Utique ſanctitatem murorum Pomponius a Romulo repetit , *in l. ult. D. de Rer. div.* nihilque religioſius ſuit Quiritibus confarreationis vinculo , ab ipſo inſtituto , usque ad Tiberii tempus , Tacit. *lib. IV. Annal. cap.* 6. Jam in ſtatu ἀνομίας , recente adhuc Regum odio , viderant , quinquaginta Servii Tullii de contractibus & delictis leges , συναλλακτικοὺς καὶ περὶ τῶν ἀδικημάτων , etſi a Tarquinio Superbo abolitas , in uſum revocandas eſſe ; quod ſine his vita civilis ſtare non poſſet , & ſatis aequae ac populares , ab illo omnium Regum moderatiſſimo latae viderentur , auctore Dionyſio *lib. IV. Antiq. cap.* 50. Magnae etiam auctoritatis regias leges, compoſitis duodecim Tabulis, fuiſſe, tum ex eo patet, quod Tribuni conſulari poteſtate, poſt Urbem, a Gallis Senonibus liberatam , eas conquiri juſſerunt , auctore Livio *lib. VI. cap.* 1. tum etiam , quod Granius Flaccus ad Jus Papirianum , quod omnes regias leges continebat , integrum librum ſcripſiſſe dicitur apud Paulum in *l.* 144. *de V. S.* Inter recentiores quoque Cujacius *lib. III. Obſ. cap.* 40. late pomoeria legum Decemviralium profert ; dum omnes iſtas Regum leges, nimirum de eo, qui ſciens hominem liberum morti duit, de poena pellicis, de homine fulmine occiſo, de opimis ſpoliis, aliasque, a Sexto Pompejo relatas, XII. Tabb. putat adſcribendas eſſe. Sed Hubertus Giphanius *in Sylloq. Epiſt. tom.* 1. *ep.* 332. de quibusdam adſentitur , de omnibus dubitat ; neque ego Cujacio magis , quam Joſepho Scaligero , adſtipulari auſim , qui leges regias in tres priores tabulas conjectas eſſe , hariolatur. Illud certum eſt , Romuli legem , de trina filiorum venditione & jure vitae ac necis , fuiſſe , quam Pancirolus *lib. II. var. lect. c.* 58. neſcio ex qua vetuſta tabula refert: *Parentum liberos omne jus eſto relegandi* , *vendendi & occidendi.* Eadem quoque verba Pratejus in *Jurisprud. vet.* tomo IV. hujus Theſauri pag. 444. ut legitima ejusdem laudavit. Sed quicquid eſt de verbis, Romuli legem a Decemviris eſſe retentam, vel ex eo conſtat , quod ſtudioſus quidam , apud Pariatorem legum Moſaicarum & Romanarum , *tit.* 4. Papiniano proponit : *cum patri lex regia dederit in filiam vitae necisque poteſtatem* , & Dionyſius Halicarn. *lib. II. cap.* 28. eam in tabula quarta repetitam eſſe , ait : *quia primi hanc legem in remp. Rom. non introduxerint* , *ſed jam dudum receptam* , *non auſi ſint tollere.* Neque has tantum, ſed & ceteras leges regias, de patria poteſtate, v. c. ſi filius aut nurus parentibus impias manus intulerint , XII. Tabulis inſertas fuiſſe , haud dubium Cujacio videtur in *Parat. lib. VIII. Cod. tit.* 49. & ad Pomponii *l.* 2. §. 24. *de Orig. Jur.* quia Romulus minime carnificinam parentibus largiri voluerit , ſed confiſus naturali illorum amori , propter labores , quos pro liberis ſuſtinerent , & eminentiam naturalem , patrem veluti magiſtratum & judicem , filio conſtituiſſet. Certior eſt fides , quod lex Romuli, de Patrono, qui clienti fraudem feciſſet , quamvis jus patrocinii , ejectis regibus , quodammodo eſſet mutatum , ſalva in Tabulas decemvirales migrarit : nam Merula *de LL. Rom. cap.* 2. meminit, ſe vidiſſe manuſcriptum Servii, in quo ad *lib. VI. Aeneid. vſ.* 622. ita ſcriptum fuerit : *ex lege Romuli & XII. Tabularum hoc venit , in quibus ſic ſcriptum eſt : ſi Patronus clienti fraudem faxit , ſacer eſto.* Non minus pulchra hujus rei exempla praeſto ſunt, ex quibus de Numae legibus idem credamus , quas vetuſtate abolitas , Cajus Papyrius , ſacrorum antiſtes praecipuus, poſt exactos reges , jam antea in uſum revocaverat, auctore Dionyſio *lib. III. Antiquit. cap.* 50. Quemadmodum enim Romulus auſpiciis , ita Numa Pompilius religione ſacrorum , caeremoniis & omni divino Etruſcorum jure , fundamenta jecerat civitatis, quae minime a Decemviris aboleri , ſed confirmari debebant : quia hac parte , *quamlibet civitatem* , *ſive Graecam* , *ſive barbaram* , *etſi pietatis nomine celebrem* , *longe a tergo reliquerat* , ait Dionyſius *lib. II. cap.* 64. Quamobrem Cicero quoque ſuam conſtitutionem religionum a legibus Numae ſe repetiiſſe , ait, *lib. II. de Leg. cap.* 10. & Claudius ad inceſtum procurandum ſacra *ex legibus Tullii regis* , piaculaque apud lucum Dianae per Pontifices danda cenſuit , apud Tacit. *lib. XII. Annal. c.* 8. easdem rurſus , poſt tot ſaeculorum intervalla , Hadrianus revocavit , auctore Aurelio Victore *de Caeſ. cap.* 14. maximus namque Numae aemulus erat , idque operam dabat , ut vitam ſimilem fingeret illius , his verſibus a Poëta deſcriptae, *lib. VI. Aeneid. vſ.* 809.

Quis procul ille autem, ramis inſignis olivae,
Sacra ferens? noſco crinis incanaque menta
Regis Romani; primam qui legibus urbem
Fundabit.

Ex his vero legibus non unam, cjus quoque nomine adſcripto, in XII. Tabulas relatam eſſe, Feſtus in verbo *Reus*, nos docebit: *Numa in ſecunda Tabula, ſecunda lege, iu qna ſcriptum eſt: Si quid horum fuat unum judici, arbitrove, reove, eo dies diffenſus eſto.* Idem Pompilius vino rogum reſpergi, propter inopiam, vetuerat, apud Plinium *lib. XIV. cap.* 12. Decemviri autem, luxu creſcente, ad ejus exemplum, ſumtuoſiori reſperſioni obviam iverunt, & murratam potionem, id eſt, nectar, aliosque liquores pretioſos, mortuo injici noluerunt, auctore Feſto, in voce *Murrata.* Nec minus Numae fuiſſe legem illam regiam, cujus meminit Marcellus, in *l.* 2. *D. de Mort. inf.* quae mulierem praegnantem mortuam, antequam partus ei excidatur, humari vetabat, cum Antonio Auguſtino, plerique eruditi hac ratione exiſtimarunt, quod rex ille de mortuis & jure Manium multa praeceperat. Haec autem & alia ejusmodi, de parricidis, de termino exarato, de nexis & aere alieno, inde usque a Regum temporibus, in mores abierant, quos Decemviri exteris legibus tutiores eſſe crediderunt; quia conſuetudo non eſt inventum hominum, ſed vitae & temporis, atque, Ennio judice, in *Annal.*

Moribus autiqueis res ſtat Romana vireisque.

Vel unicum ſufficit Dionyſii Halicarnaſſei teſtimonium *lib. X. Autiq. Rom. cap.* 66. ubi, *Decemviri*, inquit, *leges, tum e Graecorum jure, tum e patriis conſuetudinibus conſcriptas, iu* X. *Tabulis propoſuerunt, cuilibet cognoſcendas; ferentes admoneri ſe a privatis hominibus, & ſcripta ſic conformantes, ut placerent omnibus: diuque cum optimis quibusque in publico conſederunt, & ſingulas leges ad exquiſitiſſimum examen revocarunt.* Non mirum ergo eſt, quod Ulpianus, in *l.* 8. *D. de His qui ſui vel alieni juris*, jus poteſtatis patriae *moribus*, ait, *eſſe receptum:* & Conſtantinus, in *l.* 2. *C. Th. de Lib. cauſ.* illud *a majoribus conſtitutum* ſcribit: nam Dionyſius *lib. II. Antiqu. cap.* 28. non ſatis ſibi conſtare, ait, quo jure, ſcripto, an non ſcripto, illud fuerit inductum: quia ex legibus regiis tranſierat in mores, ex his vero in XII. Tabulas; nec accedo Merillio aliter explicanti, *lib. II. Obſ. c.* 4. Multa enim id genus alia partim legibus, partim moribus, mixto genere, erant introducta, & Cicero *lib. II. de LL. cap.* 10. *Si quae forte hodie a me rogabuntur leges, quae non ſint iu noſtra republica, nec fuerint, tamen erant fere in more majorum, qui tum, ut lex, valebat.* Similiter quod Suetonius *in Tiberio cap.* 35. propinquos, *more majorum*, uxores proſtratae pudicitiae coërcuiſſe, ait, id ex Romuli lege, per multas aetates obſervatum fuit: quamvis fidem ſine pignore non habeamus Pighio, *lib. III. Annal. pag.* 150. ejusmodi legem in XII. Tabulas translatam eſſe. Rurſus, quod Gellius *lib. V. cap.* 13. proximum poſt pupillos locum, *ex moribus populi Romani*, clientibus tribuit, id ſupra ex Romuli lege, a Decemviris repetita, profluxiſſe vidimus. Etiam donatio inter conjuges *moribus* vetita eſſe dicitur, *in l.* 1. *D. de Donat. inter vir.* non quod ea prohibitio ex Solonis legibus in XII. Tabulas fuerit relata, ut Cujacius in *Paratit. D. lib. XXIV. tit.* 1. arbitratur: nihil enim Solonem, de donationibus inter conjuges vivos, caviſſe legimus: ſed partim, quia uxores, ex lege Romuli, in manum convenientes, omnia cum maritis communia habebant, eodemque loco erant viris, quo filiaefamilias, quibus pater donare non poteſt; uti Plutarchus in *Quaeſt. Rom.* VII. tradidit: partim etiam, quia, hac ratione poſtea ceſſante, in disputatione Jurisconſultorum, habita in auditoriis Principum, & cognitionibus magiſtratuum, eadem prohibitio erat firmata, quapropter & Juri civili tribuitur, in *l.* 5. *§.* 1. *D. de Pactis dot. l.* 4. *C. de Donat. int. vir.* Et quamvis non prorſus abſurde exiſtimet Scipio Gentilis *de donat. int. vir. & ux. lib. I. cap.* 3. aliquo Senatusconſulto id effectum eſſe, vel ſeverius ſancitum, atque ex veteribus inſtitutis Populi Romani, quae ante XII. Tabb. fuerant, repetitum, ut alia luxuriae muliebri coërcendae: malim tamen *majores* in *l.* 3. *D. de Donat. int. vir.* Prudentes illos intelligere, a quibus jus non ſcriptum moribus eſt introductum, *l.* 2. *§.* 5. *de Orig. jur.* Elegantiſſimum porro hujus obſervationis exemplum eſt, *in l.* 1. *D. de Curat. furioſ.* ubi Ulpianus ait: *Lege* XII. *Tabb. prodigo interdicitur bonorum ſuorum adminiſtratio: quod moribus quidem ab initio introductum eſt.* Quorum verborum hic eſt ſenſus: dum lex XII. Tabb. prodigum dominum rerum ſuarum eſſe vetat, adimit ei quoque bonorum adminiſtrationem, idque ante Decemviros, in magna veterum frugalitate, invaluit, & Regibus ejectis, in more retentum eſt, inde in δωδεκάδελτον migravit. Areopagitae vero prodigos intemperanter viventes, ut criminis alicujus reos, in jus vocabant & puniebant. Apud Lucanos & Abderitas, infamia aliisque poenis affecti, ſepulchro patrio indigni habebantur, Diog. Laërt. *lib. I. n.* 55. *lib. IX. n.* 39. Herodot. *lib. II. c.* 177. Athenae, *lib. IV. c.* 19. & Meurſ. *Them. Att. lib. II. cap.* 10. non ita Romae: hinc Cicero *de Senect. c.* 7. *Quemadmodum, noſtro more, male rem gerentibus patribus bonis interdici ſolet.* Plura alia, quae nunc legibus, nunc moribus tribuuntur, quia leges ſolent in mores abire, viri Cl. Petrus Pithoeus *ad Collat. Moſaïc. & Rom. leg. tit.* 4. §. 8.

& Gerardus Noodt *lib. I. Probabil. cap.* 12. annotarunt. Sed leges Curiatae Regum ſingulari ratione moribus accenſentur, quia illis exactis, non tanquam leges, ſed mores patrii obtinebant, donec priſtinam naturam poſtliminio recuperarent, quae auſpiciis Decemvirorum in Centuriatis Comitiis erant comprobatae. Haepropter Dionyſius Halicarnaſſeus *lib. II. cap.* 28. a Decemviris propoſitos eſſe, ait, *omnes mores patrios & leges*, easque ἐπισάκτοις, *adſcititiis*, ex Graecia allatis, opponit. Prudenter ſane illi mores patrios in ſcripturam redegerunt, quia lex res ſurda & inexorabilis eſt, inopi quam potenti ſalubrior, nihilque laxamenti aut veniae habet: in tot autem erroribus humanis, vaga conſuetudine vivere, periculoſum eſſe cenſetur, apud Livium *lib. II. cap.* 3. Sapienter illi quoque peregrinas leges, ſepoſita φιλαυτίᾳ, ponderarunt, & quae a lare Solonis allatae erant, ad trutinam aequitatis & genium Romanum expenderunt, maximam morum ſuorum rationem habentes. Hinc recte Cajus *lib. I. Inſtit. tit.* 9. jus patriae poteſtatis proprium, ait, fuiſſe jus civium Romanorum, & Juſtinianus addit, nullos alios homines talem in liberos ſuos habuiſſe poteſtatem. Ante Solonis τεμωθεσίαν Athenis licebat liberos vendere; is fieri id vetuit, pariter ac jus vitae & necis parentibus negavit; utrumque vero Decemviri probarunt, teſte Dionyſio Halicarn. *lib. II. cap.* 27. Ibi inter patriae poteſtatis jura fuit abdicatio; quae Romanorum uſu & facto, ſed cum effectu eodem, nunquam eſt approbata, *l.* 6. *C. de Patria poteſtate*, juncto AErodio ad Quintilian. *declam.* 260. Jure Attico actio ὕβρεως publica erat lege Solonis, quia ad libertatem publicam vindicandam tendit: Romae autem injuria privatum delictum erat, *l.* 42. *§.* 1. *D. de Proc. l.* 7. *l. ult. C. de Injur.* vid. Heraldum *Obſ. c.* 48. Solon conſtituit, ut non quantum quisque velit, ſed quantum lex permittit, agri poſſideret, Ariſtoteles *lib. II. Polit. c.* 7. Romae vero legibus agrariis demum id introductum novimus. Omnes praeterea Graeciae civitates, in una teſtamentorum vi atque autoritate, conſentiebant, ut ait Iſocrates, in *Aegineta*; ſed e Solonis lege, non potuit pater teſtamento bona ſua dare aut legare cuiquam alteri, ſuperſtitibus maſculis liberis, etiam voluntas morientis a ſenio, morbo, vinculis, veneficio, & a blanditiis muliebribus libera requirebatur. Demoſthenes *in Stephan.* Plutarch. *in Solon. c.* 34. Meurſ. *Them. Attic. lib. II. c.* 13 & Fabrot. *Exerc.* IV. Lycurgus quoque, auctore Plutarcho, juſſerat, ut pater filio hereditatem relinqueret, ſed ejus legem Epitades Ephorus abrogavit, & unicuique facultates ſuas, prout vellet, vel donare, dum viveret, vel teſtamento relinquere permiſit. At multo magis id licuit Romae, poſtquam liberrima legandi facultas patrifamilias erat conceſſa: adeo ut quod ille imperaſſet, jus tam firmum eſſet; ac ſi ab ipſo populo in comitiis fuiſſet ſancitum; quos enim liberos occidere, eosdem & exheredare licebat, *l.* 11. *D. de Lib. & Poſt.* Succeſſio legitima genere proximorum Graecis legibus non fuit incognita, ut ex Iſaei *Orat.* VI. & Demoſthene *adverſus Macartatum* ſtatuere licet; Decemviri vero jus quoddam ſubtilius commenti, nec ſimplicitatem naturalem, aut jus ſanguinis & cognationis, ſed civilem quandam agnationis & familiae rationem ſecuti ſunt. Solon, corruptos avaritia civium animos ſpectans, remotiores ad tutelam vocavit agnatos, nec voluit proximos fieri tutores, ad quos poſt obitum pupilli hereditas pertineret: verum Decemviri honeſtos, eoque vitio tunc temporis necdum adeo inquinatos, heredum legitimorum mores ſimul intuentes, ſumma providentia, Ulpiani judicio, agnatis proximioribus legitimam reliquerunt tutelam, ut, qui ſperarent ſucceſſionem, iidem curarent bona, ne dilapidarentur, *l.* 1. *pr. D. de Legit. tut.* Apud Graecos, tam uxori permiſſum fuit, relinquere maritum, quam is habebat jus ejiciendi uxorem: Romae vero, ſolus maritus, ex lege Romuli, jus divortii habuit; quam Syra apud Plautum *Mercat. act.* V. *ſc.* 6. duram, & nimis acerbam Plutarchus, in *vita Romuli*, exiſtimavit. Adde Catonem apud Gellium *lib. X. c.* 23. Apud illos, & praecipue Athenienſes, uſurae graviores vulgo erant licitae; quia hi, ad mare ſiti, & opportuno navigiis portu, mercaturis maxime floruerunt: Demoſthenes in 1. Olynthiaca, μεγάλους τόκους, ejus Scholiaſtes πολλοὺς τόκους appellavit. Vid. Salmaſ. *de modo uſur. cap.* III. *fin.* & Spanhem. ad Ariſtophan. *Nubes vſ.* 1155. Decemviri vero ſancientes, ne quis unciario foenore amplius exigeret, debitorum magis plebejorum, quam creditorum commodo ſtuduerunt, Tacit. *lib. VI. Ann. cap.* 16. Per omnes Graeciae & Aſiae populos, mos nectendorum & in ſervitutem abducendorum debitorum viguit; donec Solonis lege, Athenis tolleretur; ut Samuel Petitus *ad leges Atticas pag.* 412. & Salmaſius *de modo uſurarum cap.* 17. pluribus explicarunt. Decemviri vero eundem morem, inde ab ultima origine Reipublicae ſuae receptum, &, ut Dionyſius ſcribit, mox ſublatum, mox revocatum, in Republica ſua retinendum eſſe exiſtimarunt. Non etiam per omnia Decemviri probarunt Solonis legem, de ſpatio duorum pedum, inter vicina aedificia ruſticorum praediorum relinquendo; ſed ad ejus exemplum, *quodammodo*, interſtitium duorum pedum & ſemipedis, ſive ſeſtertii, ob incendiorum pericula, inter domos urbanas, & quinque pedum ſpatium, inter agros adſines, ad

ver-

verſuram aratri, relinqui voluerunt, *l. 14. D. de S. P. V.* & *l. ult. D. Fin. reg.* de cujus lectione Pancirolus *lib. II. var. lect. c.* 28. Pratejus *tom.* IV. *Theſ. p.* 409. Leunclav. *Notat. lib. II. n.* 34. & Zach. Huberus *lib. III. Diſſ.* 1. videantur. Praetereo leges Solonis ſingulares, de puella ἐπικλήρῳ, quam proximus cognatus ducere debebat, & de indotata ac egente aut ducenda, aut dotata alii collocanda; ut dignitas familiarum ſalva eſſet, auctore Demoſth. κατὰ στεφάνου. Ariſtot. *lib. II. Polit.* 7. & Terentio Phormione *Act.* 1. *Sc.* 2. *vſ.* 75. Alias item, quibus dotes ceterarum ſuſtulit, praeter tres veſtes & vaſa parvo emta: tum queis ſororem conſanguineam uxorem habere, & filiam germani fratris nubere patruo ſuo permiſit, ut Cimonis & Lyſiae exemplis, ex Nepote & Plutarcho conſtat. Romae vero *antiquitus ſanguine junctae non copulabantur in matrimonio, ut ne nunc quidem materteras ducunt, aut ſorores*, ait Plutarchus *Quaeſt. Rom. cap* 6. Nil etiam addo de legibus nimis lenibus, v. gr. quod decem tantum drachmis mulctavit raptum feminarum ingenuarum, cum ſtupro conjunctum: nec de contrariis durioribus, ut v. gr. in exilium mitteretur, qui alterutri parti in ſeditione civitatis ſe non adjunxiſſet: ut ebrietas Archontibus capitalis eſſet: ut qui in via publica tolleret, quae non poſuerat, vel qui ſupra quinquaginta drachmas furtum feciſſet, morte mulctaretur; quae & aliae neque Decemviris, neque Ciceroni *lib. X. epiſt.* 1. neque illis apud Gellium *lib. II. cap.* 12. probari potuerunt. Ut adeo non nimis ſuperbe Cicero *lib.* 1. *de Orat. cap.* 44. dixerit: Romanorum prudentiam ceteris hominibus, & maxime Graecis, anteponendam eſſe, idque tum facillime intelligi, *ſi cum illorum Lycurgo, & Dracone, & Solone leges Decemvirales conferantur*: nam & homo Graecus, Dionyſius Halicarnaſſenſis *lib. XI. cap.* 49. leges XII. Tabulis inſcriptas, *a Graecanica legumlatione diverſas & graviores fuiſſe*, agnoſcit. Profecto, ſi decreta quaedam Senatus Areopagitici, quo nihil conſtantius, nihil ſeverius, nihil ſortius pronuntiavit Cicero *lib.* 1. *ad Attic. ep.* 14. v. c. de muliere, quae philtro virum occiderat, abſoluta, apud Ariſtotelem *lib.* 1. *Magn. moral. c.* 17. de accuſatore feminae Smyrnaeae, quae maritum & filium ſimul veneno ſuſtulerat, centeſimo poſt anno adeſſe juſſo, apud Gellium *lib. XII. c.* 7. de puero, propter aureum ſolium, in templo Dianae inventum, capitali ſupplicio affecto, apud Aelianum *lib. V. c.* 16. & de alio puero, qui cornicum oculos confixerat, capitis damnato, ſub examen vocentur; & Athenaei judicium, de ridiculis Platonis legibus, adjiciatur, *lib. XI. cap. ult.* vel invitos oportet ſateri, pleraque Romanos, aut inveniſſe per ſe ſapientius, quam Graeci, aut accepta ab illis feciſſe meliora, auctore Tullio, *lib.* 1. *Tuſcul. diſput. c.* 1. qui & in oratione, apud Dionem *lib.* 44. Romanos judicio Athenienſibus, ait, praeſtare, licet ab his certas petere leges majores non dedignati fuerint.

Caput V. Num ultima legis Decemviralis origo ex jure Moſaico ſit repetenda.

Vidimus hactenus quaedam a Graecis, plura ex moribus Populi Rom. & legibus Regiis in XII. Tabb. translata eſſe: nunc jucundum erit, ipſos fontes luſtraſſe, ex quibus tot rivuli ſapientiae civilis ad Graecos & Romanos manarunt. Quod ſi enim juvat noſſe capita fluminum nobiliorum, & aquae dulcius ex ipſo fonte bibuntur, quis neget, dignum eſſe inquiri, an leges Decemvirales ex jure Hebraeorum Moſaico trahant ſanctitatem, & ad illud omnium jurium perfectiſſimum exemplar ſint compoſitae? Famoſus de libris ſacris a gentilibus inſpectis, eſt locus Auctoris Maccabaicorum *lib. I. cap.* 3. *vſ.* 48. licet aliter Grotius, aliter Petitus *lib. II. Var. lect. cap.* 13. eum exponant. Joſephus aliique Judaei, ut Graecorum ſuperbiam retunderent, gloriari ſolebant, Philoſophos, Juriſconſultos & Sophiſtas Moſis & Prophetarum ſcita in hortos ſuos derivaſſe. Idem magno conſenſu tradiderunt Juſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Euſebius, ceterique ſcriptores Chriſtiani; & ſignatus, ad rem praeſentem, videtur eſſe Tertulliani locus, *in Apologet. cap.* 45. *Sciatis*, inquit, *ipſas quoque leges veſtras, quae videntur ad innocentiam pergere, de divina lege, ut antiquiore, formam mutuatas*. Concinit Caſſiodorus *lib.* IV. *Var.* 46. ſcribens: *Inſtitutio divinarum legum humani juris miniſtrat exordium; quando in illis capitibus legitur praeſcriptum, quae duabus tabulis probantur adſcripta* &c. Nec aliud ſediſſe videtur hujus aequali, qui collationem legum Moſaic. & Romanarum hoc fine inſtituit, ut homines, a ſcriptis Juriſconſultorum & Imperatorum ad Sacram Scripturam, ceu fontem juris, traduceret; uti Freherus & Jacobus Gothofredus conjecerunt. Ad eandem opinionem acceſſit Henricus Stephanus, quando *in Juris civilis fontibus & rivis* contendit, Aegyptios, antiquiſſimos legum conditores pleraque, & preſertim ea, quae juri naturae ſunt conſentanea, ex Moſaica politia, & Graecos rurſus ab Aegyptiis ſumſiſſe. Quinimo Emundus Merillius ad §. 10. *Inſt. de Jure nat.* Decemvirorum leges, non tantum ab Athenienſibus & Lacedaemoniis, a Rhodiis & Corinthiis, ſed etiam a Judaeis & Aegyptiis petitas eſſe putat, quia Tacitus eas, ex his, quae usquam erant egregia, compoſitas ſcribit. Verumenimvero

c 2 quam-

quamvis non negem, recte & pie ſacturos fuiſſe Triumviros, ſi in Palaeſtinam trajicere voluiſſent: civitas enim illa ſal gentium fuit, ab ipſo Deo optimis legibus formata, quas & Strabo commendavit. Ibi etiam, quae non audiverant Athenis, diſcere potuiſſent, tum ex lege Moſis de judiciis, expreſſam divinae voluntatis imaginem habente, tum a clariſſimis illis Judaeorum ducibus, Ezra & Nehemia, qui non modo prudentia civili, ſed & pietate erant praediti ſingulari. Nolim denique ire infitias, Judaica quaedam poſthaec perveniſſe ad Romanos, quibus in more fuit, quicquid ubique pulcrum & excellens erat, miſſis etiam propriis, imitatione ſua honeſtare. At tempore illo, quo LL. XII. Tabb. conditae ſunt, nullo in pretio fuerunt Judaei, recens ex Perſica ſervitute reverſi, *deſpectiſſima pars ſervientium, dum apud Perſas Oriens fuit*, ait Tacitus *lib. V. Hiſt. cap.* 8. Ea etiam, quae, in Decemvirorum legibus, ſimilitudinem quandam cum Hebraeis habent, non ex horum libris, lingua peregrina & ignota ſcriptis, ſed per manus aliarum gentium ad Romanos pervenerunt. Aegyptiorum leges inprimis certant, antiquitate ſua, cum legibus gentium cultiorum, & Diodorus Siculus, Lycurgum atque Solonem multas ab iis leges mutuatos eſſe ſcribit, *lib. I. cap.* 98. Iisdem Ammianus Marcellinus hanc gloriam tribuit *lib. XXII. cap.* 16. *Solon*, ait, *ſententiis adjutus Aegypti ſacerdotum, latis juſto moderamine legibus, Romano quoque juri maximum addidit firmamentum.* Variis porro oſtendere exemplis, in proclivi eſſet, leges Atticorum Aegyptiis conſentaneas fuiſſe: multa enim illi debebant Cecropi, & Solon in Aegyptum profectus eſt, legum cauſa. Hinc Herodotus *lib. II. cap.* 177. legem ejus, de otioſis morte mulctandis, ex Aegypto advectam eſſe, ait, & Diodorus Siculus *lib. I. cap.* 79. liquido affirmat, Solonem Athenis, ſub titulo σεισαχθείας, favore obaeratorum, idem ſtatuiſſe, quod Bocchoris Rex ſanciverat in Aegypto. Plutarchus item, in libro, *de His qui ſero a Numine puniuntur*, Atticos laudat, quod legem Aegyptiam deſcripſerint, quae jubet gravidam, ſi capitis fuerit damnata, aſſervari, donec pariat. Quod ſi quis ceteras quoque Aegyptiorum leges, a Boeclero *tom.* II. *diſſert.* 23. collectas, cum legibus Graecorum conferre velit, eum operae pretium facturum, opinor. Graviſſima earum erat, quae in perjuros capitis poenam ſtatuit; ut qui duo maxima committerent flagitia; quod & pietatem in deos violarent, & fidem everterent, maximum humanae ſocietatis fundamentum, auctore Diodoro *lib. I. cap.* 77. Athenis vero, qui per Apollinem ἐνόρκιον pejeraſſet, ex lege Solonis mutilabatur, cujus meminit Lyſias *Orat.* VIII. *pag.* 128. Ex LL. XII. Tabb. qui falſum teſtimonium dixiſſe convictus eſſet, e ſaxo Tarpejo erat dejiciendus, Gell. *lib. XX. Noct. Att. cap.* 1. at ſimplicis perjurii poena divina exitium, humana dedecus fuit, ut ex Ciceronis lege, ex moribus conficta, conſtat. Quae omnia, ſi cum judicio graviſſimo ψευδομαρτυριῶν apud Athenienſes, nec non cum lege divina, de nomine Dei in vanum non ſumendo, & de falſo teſtimonio contra proximum non ferendo, conferantur, *Exodi* X. *vſ.* 7. 16. magna ſimilitudo apparebit. Valde etiam veriſimile videtur, Aegyptios quaedam ab Abrahamo, plura a Moſe, ſed plurima ante illum a Joſepho accepiſſe; hunc enim Rex praepoſuit dominum familiae ſuae, & dominatorem in familiam ſuam, ut vinciret principes ejus, ex animo ſuo, & *ſeniores ejus informaret*; ut eſt in *Pſalmo* 105. *vſ.* 21. Horum omnium autem Romani nil niſi per nebulas, turpiſſimis mendaciis mixtas, acceperant; unde ejus, *arcano* quodcunque *volumine* Moſes tradidit, erant ignari, nec quicquam miſeri, praeter meram ſuperſtitionem, in inſtitutis Hebraicis deprehendebant, quamvis ipſi *Judaicum morem, quem ignorent*, ſubinde ſequerentur, ut ait Tertullianus *Apologet. cap.* 16. Nec aliud voluiſſe Senecam putem, his in verbis, apud Auguſtinum *de Civit. Dei lib. VI. cap.* 11. *Uſque eo ſceleratiſſimae gentis conſuetudo convaluit, ut, per omnes jam terras, victi victoribus leges dederint.* Cui ſimilis Rutilii Numatiani locus jungi poteſt, *lib.* 1. *Itin. vſ.* 366. ſed non alio ſenſu, quam Horatius dixit, Graeciam captam victorem ſuum cepiſſe. Quod ſi apud Lacedaemonios veſtigia legum Judaicarum reperirentur, id minus foret admirandum, ſi Rex eorum Arius, in litteris ad Oniam, ſummum tunc Pontificem, vere ſcripſit, Spartanos Judaeorum cognatos eſſe, & ab Abrahamo item oriundos, 1. *Maccab.* XII. *vſ.* 21. Idem repetit Joſephus *lib. XII. Antiq. Jud. cap.* 5. *Cum in ſcripturam quandam incidiſſemus, invenimus, ex eodem genere eſſe Judaeos & Lacedaemonios, ceu e domo Abrahami oriundos.*. Haeſitarunt in hac fraterna neceſſitudine multi, etiam Nicolaus Serarius *tom.* 2. *epiſt. ad Lipſium* 584. alique complures, quos referre nihil attinet. Scaliger illam, ut commentitiam, rejecit, *lib. III. Can. Iſag. pag.* 232. Bochartus *lib. I. Geograph. cap.* 22. Arium hoc a fabula, de Judaeo quodam Spartone, hauſiſſe putat: eam vero avide arripuiſſe Judaeorum proceres, ut hoc obtentu a Lacedaemoniis auxilium liberius implorarent. Stephanus autem Morinus, in *Diſſert.* I. & II. Lacedaemones, tam ex parte Cadmi, Iſmaëlis filii, quam Phoenicum, Edomi poſterorum, fratres Judaicae gentis fuiſſe, contendit. In Atticis legibus ma-

jor occurrit ſimilitudo, ex qua viri eruditiſſimi collegerunt, quod & illae, & quae inde deſumtae ſunt XII. Tabulae, ex lege Moſis originem ducant. Horum facile princeps eſt Hugo Grotius *lib. I. de J. B. & P. cap.* 2. §. 6. *n.* 10. qui alibi etiam *lib. II. cap.* 1. §. 12. exemplo furis nocturni id confirmat: cum lege enim Hebraea *Exodi* XXII. *vſ.* 2. congruit lex Solonis, apud Demoſthenem *Orat. Adverſus Timocrat. pag.* 476. cum lege Solonis autem lex XII. Tabb. apud Macrobium *lib. I. Saturn. cap.* 4. Sic quod de venditione liberorum, in ſumma neceſſitate, ſancitur *Exodi* XXI. *vſ.* 7. ab Hebraeis ad Phoenices, ab his ad Thebanos veniſſe videtur; quorum legem recitat Aelianus *lib. II. cap.* 7. eandem vero Romulus probavit, Dionyſ. Halicarn. *lib. II. cap.* 28. & Decemviri ſecuti ſunt, ut idem vir magnus ratiocinatur, *lib. II. de J. B. & P. cap.* 5. §. 5. Sed velim, in memoriam revocemus, quod Paulus Apoſtolus *ad Romanos* ſcribit, *cap.* II. *vſ.* 14. gentes, quae legem non habuerint divinam, a Moſe traditam, natura, quae legis ſunt, feciſſe, ut quae oſtenderint opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, conſcientia ſimul teſtimonium reddente. Ex hoc ergo lumine naturali, in ethnicis hominibus non prorſus extincto, leges tot ſimiles enatae ſunt, quas non ſcriptas, ſed natas, Cicero *pro Milone cap.* 4. appellavit. Hic eſt ille αὐτοδίδακτος νόμος, qui ab Ariſtotele κοινὸς νόμος κατὰ φύσιν vocatur, quemque Marcus Tullius apud Lactantium *lib. VI. cap.* 8. paene divina voce depinxit: *Nec erit alia lex Romae, alia Athenis; alia nunc, alia poſthac; ſed omnes gentes, & omni tempore, una lex, & ſempiterna, & immutabilis continebit, unusque erit communis quaſi magiſter & imperator omnium Deus* &c. In communi ergo aequitate & recto dictamine rationis fundamentum habet, ut, ſi vita noſtra in vim & inſidias furis nocturni inciderit, ſi alia media liberos alendi non ſuppetant, omnis ratio honeſta ſit expediendae ſalutis; dat enim natura jus, ad omne id, ſine quo obtineri non poteſt, quod ipſa imperat. Multa id genus ſunt alia, quae quidem admodum veriſimile eſt, ab Hebraeis ad Phoenices; a Phoenicibus ad Graecos, quorum vetuſtiſſima cum iis fuerunt commercia; ab his autem ad Romanos perveniſſe: quae tamen ſimul ex ipſa honeſtate & juſtitia naturali prono alveo fluere videntur. Sic depoſitum non reddere, aut infitiari, pro turpiſſimo & maxime deteſtando furto habuit Deus Opt. Max. illudque in rep. a ſe formata, duplo lui voluit, *Exod.* XXII. *vſ.* 7. Idem cautum eſt lege XII. Tabb. *in Collat. legum Moſaic. tit.* 10. *n.* 7. jure Piſidarum autem, qui depoſitum interverteret, poena capitis plectebatur. Vetuſtiſſima legiſlatorum, quieti publicae conſulentium, cura fuit, ne termini convellerentur, *Job.* XXIV. *vſ.* 1. *Deut.* XIX. *vſ.* 14. Numa Pompilius eum, qui terminum exaraſſet, cum bubus ſacrum eſſe voluit, cujus lex in leges XII. Tabb. migravit. Vide eandem *Collat. tit.* 13. Inter praecepta jubentia legis divinae erat, ut res inventa reſtituatur, *Deut.* XXII. *vſ.* 1. 2. Similis lex Stagyritarum: *Quod non poſuiſti, non tollas*, referente Aeliano, *Var. hiſt. lib. III. cap.* 46. Idem mos Bybliis, Judaeorum vicinis, auctore eodem *lib. IV. cap.* 1. Solonis quoque ejusmodi legem commemorat Diogenes Laertius, *lib.* 1. §. 57. Romae qui alienum quid jacens, lucri faciendi cauſa, ſuſtuliſſet, furti obſtringebatur, teſte Ulpiano in *l.* 43. §. 4. *D. de Furtis*: denique Auguſtinus idem probat, a Gratiano, in *can.* 6. & 8. *cauſ.* 14. *qu.* 5. relatus. Apud Hebraeos, qui hominem interfecerat, etiam juſte, ob ſummam communemque inter homines cognationem, inſons non erat, auctore Philone *de vita Moſis*. Apud Graecos exilio voluntario fortuiti caſus luebantur, ut, praeter Nicolaum Damaſcenum, Claudius Saturninus ex Homero probat, in *l.* 16. §. 8. *D. de poenis*. Numae vero lege de homicidio, cujus pars in XII. Tabb. relata, cautum fuit, ut ſi quis imprudens occidiſſet hominem, pro capite occiſi & natis ejus, in comitio, offerret arietem, Servius *ad Ecl.* IV. *vſ.* 43. Ad eundem modum ſimilia cuivis occurrent, quae ex Moſaicis voluminibus belle illuſtrari poſſunt; quaedam etiam ex iis forte per aliorum manus ſunt tranſlata; quaedam ab Imperatoribus Chriſtianis ex ea deſumta; v. c. poena capitalis adulterii, a Conſtantino introducta, *l.* 16. *C. de Poenis. l.* 30. *C. ad L. Jul. de adult. Nov.* 134. *c.* 10. qui hoc ipſum quoque homicidio & veneficio, ejus liberi vero parricidio exaequarunt, *l.* 1. & 4. *C. Th. Quor. appellat. non rec.* Idem econtrario dierum diſtinctionem ſuſtulit, in *l. un. C. de Emend. ſerv.* quam lex Judaica induxerat, *Exod.* XXI. *vſ.* 21. Romani vero gentiles, ut ab Ebraeis leges ſumſerint, minime probabile eſt; neque *l.* 6. *C. de Evict.* ad horum jus debet referri, quo ruſtica praedia anno Jobel ipſis emtoribus evincere licebat; ut recte tradit Merillius *lib. IV. Obſ. c.* 7. Multa quoque vetant, id ut credamus; inprimis, quod Judaei ſpecialibus inſtitutis, cibis, ſabbatho, ſervis, ſpicilegio, uſuris & levíratu, ab aliorum populorum communicatione ſegregabantur; & quam cari fuerint Romanis, vel Cicero *pro Flacco cap.* 28. nos docebit: *Stantibus*, ait, *Hieroſolymis, pacatisque Judaeis, tamen iſtorum religio ſacrorum a ſplendore imperii, gravitate nominis Romani & majorum inſtitutis abhorrebat; nunc vero hoc magis, quod illa gens, quid de imperio noſtro ſentiret, oſtendit armis: quam cara*

diis immortalibus eſſet, docuit, quod eſt victa, quod elocata, quod ſervata. Addamus Quintilianum, lib. III. Inſtit. c. 7. *Et eſt conditoribus urbium infame, contraxiſſe aliquam perniciosſam ceteris gentem; qualis eſt primus Judaicae gentis auctor.* Plinium, *lib. XIII. Hiſt. nat. c.* 4. *Judaea, gens contumelia numinum inſignis*; & Rutilium, qui *lib.* 1. *Itin. vſ.* 387. *gentem obſcaenam* vocavit: alibi quoque paſſim *verpi, circumſecti, curti, recutiti, foetentes, aſinarii & ſceleratiſſimi* in Satiris & epigrammatis veterum appellantur. Vide, ſi lubet, Jurisprud. meam Symbol. *Exerc.* 1. *c.* 10. Valde dubitem hacpropter, an tantam jacturam fecerimus, in libro, a quodam Epiſcopo Maſſilienſi, olim ſcripto, in quo probare voluit, Romanos a Graecis, & hos a Judaeis leges eſſe mutuatos; ex quo tamen Balduinus, in commentariis *de LL.* XII. *Tabb. pag.* 19. non poenitenda ſibi praeſidia pollicebatur: at vero a Calvino, Mancino, Raguello, Welwoodo, Zeppero, aliiſque recentioribus, illud argumentum exhauſtum eſt; quos omnes recenſuit Vir Cl. Joh. Alb. Fabricius, *Bibliographiae antiquariae cap.* 15. & in *Bibliotheca Latina lib. IV. cap.* 9. ubi & Paganini Gaudentii liber, *de differentia legum Moſaicarum & Romanarum*, laudatur.

Caput VI. Leges XII. *Tabb. ſpuriae a genuinis ſeparatae.*

Legum Decemviralum nil niſi cento ſupereſt, ex variis laciniis conſutus; ſed de quibus dici poteſt, quod de Graeciae rebus dixit aurei oris Dio *Orat.* 31. haud aliunde magis de earum magnitudine, quam ex ruinis, conſtare. Multae & arduae diſciplinam noſtram premunt difficultates; ſed earum haud poſtrema eſt, quod ipſa legum, Senatusconſultorum & Edictorum verba, de quorum interpretatione quaeritur, maximam partem perierunt: ut valde mirandum ſit, tantos, in cognitione Juris Romani, progreſſus fieri potuiſſe. Sed quia, poſt tot ſaeculorum barbariem, melioribus frui non licuit, multi viri doctrinae laude praeſtantes, & infra laudandi, ſummam reliquiis, quae ſuperſunt, velut tabulis e naufragio colligendis, operam dederunt: qui vel hacpropter laude digni, & cari nobis eſſe debent, quod quisque, pro captu ſuo, ſymbolam ad amplificandam Jurisprudentiam conferre voluit. Quam infeliciter autem alii eorum, nullo ordine atque artificio, quicquid occurrebat a proprio corpore ſejunctum, & minutiſſimas in partes diſcerptum, quaſi Sibyllae folia, perturbate congeſſerint: alii, ſive ingenii oſtentatione, ſive nimio ſtudio augendi numerum, de ſuo cerebro multa adjecerint aliena; & alii denique leges, a Cicerone confictas, pro genuinis XII. Tabularum capitibus venditarint, jam ab aliis notatum eſt. Potuiſſet Jacobus noſter, tot virorum magnorum peccatis exaggerandis, apud imperitos laureolam quaerere; verum adeo maluit pudori ſuo ſervire, ut etiam illorum nomina, quos in praefatione *pag.* 14. reprehendit, diſſimularit, de vitiis dixiſſe contentus. Nos vero quaedam, exempli gratia, & ea maxime, quae ab illo praeterita ſunt, videamus: graviter enim Polybius monuit *lib. III. cap.* 58. virorum magnorum errores non praetermitti, nec carptim, ſed profeſſa opera confutari debere; non ut in eos inveharis, ſed laudes potius, & quae fuerint ab illis ignorata corrigas, quo ſibi poſteritas ab iis cavere poſſit. Recte etiam ſcribit Seneca de vita beata cap. 1. *Nemo ſibi tantum errat, ſed alii erroris cauſa & auctor eſt: nocet enim applicari antecedentibus; & dum unusquisque mavult credere, quam judicare, nunquam judicatur, ſemper creditur: verſatque nos & praecipitat traditus per manus error, alieniſque perimus exemplis.* Quotquot autem, in hoc ſpuriarum legum ſpicilegio, nunc quidem ſuccurrunt, ad quinque claſſes redigemus: aliae enim ex Ciceronis libris de legibus; aliae ex legis actionibus, a Prudentibus compoſitis; aliae ex mente legis & interpretatione fori: aliae ex voce *legis*, κατ' ἐξοχὴν accepta; & aliae denique ex meris conjecturis petitae ſunt. Ad primam claſſem pertinet, quod Gulielmus Budaeus ad *l.* 2. *§.* 26. *de O. J.* & Alexander ab Alexandro, *lib. IV. Genial. dier. cap.* 4. jam olim in ea opinione fuerunt, leges, quae apud Ciceronem *lib. II. & III. de Legibus* reperiuntur, eſſe a Decemviris deſumtas. Rectius Antonius Auguſtinus *lib. III. Emend. cap.* 9. t. IV. hujus Theſ. pag. 1528. *fictas leges*, vocat, *quae falſo* XII. *Tabularum eſſe creduntur.* Idem in libro *de Legibus*, *pag.* 1281. ipſum Ciceronem, adverſus ita ſentientes, teſtem producit: qui *lib. II. de LL. cap.* 10. ait, ſe, in legibus ferendis, ſecutum eſſe veteres leges omnes, etiam eas, quae in republica *non ſint*, *nec fuerint*, ſed in more majorum, qui tunc, ut lex, valebat. Acerbius contra illos nimis credulos, quibus pro theſauro ſunt carbones, & vitrum pro ſmaragdo, idem monuerat Balduinus *in LL.* XII. *Tabb. pag.* 17. & putares, duumviris his paruiſſe recentiores; minime! nam quum Antonius Contius, in *collect.* XII. *Tabb.* ſciens prudensque, leges Tullii confictas veris adjunxiſſet, Dionyſius Gothofredus easdem inter alia XII. Tabb. fragmenta, Corpori juris, a ſe edito, adjecit; multosque nominare poſſem, tum noſtri ordinis, ut Carolum Bretum, *de ord. judicior. cap.* 6. & Conſtantium Landum *Enarrat. c.* 9. 14. tum alios, ut Noriſium in *Cenotaph. Piſan. diſſ.* 2. *cap.* 7. qui ſuperiorum errorem, ut grus gruem, ſecuti ſunt. Verum Cicero, cum in *ſex de Republica libris*,

bris, futurae civitatis formam, quam rebatur commodiſſimam, delineaſſet, Platonem imitatus, legum ferendarum rationem aliquot libris, quorum tres tantum mutili ad nos pervenerunt, oſtendere voluit. Itaque leges alias ex jure Pontificio, alias a Decemviris mutuatus eſt; alias vero finxit, formulis & verborum gravitate Decemviralibus ſimiles. *Non recognoſcimus nunc leges populi Romani, ſed aut repetimus ereptas, aut novas ſcribimus: non quid hoc populo obtineri poſſit, ſed quid optimum ſit, tibi dicendum puto*, inquit, *lib. III. de LL. cap.* 16. Bene ergo Schottus in dial. XII. Auguſtino adjecto pag. 189. legem Ciceronis, *Separatim nemo habeſſit deos, neve novos, ſed nec advenas, niſi publice adſcitos, privatim colunto*, a Platone magis, quam a Solone & Decemviris petitam eſſe docet, & varia eruditione illuſtrat. Nec minus perite Perrenonius in *lib. I. Animadv. cap.* 27. illos notat, qui initium XII. Tabb. ex Cicerone ſumſerunt, *lib. II. de LL. c.* 8. *Pietatem adhibento, opes amovento, qui ſecus faxit Deus ipſe vindex erit:* quum Tullius illam ſuo Marte confinxerit, cui Lactantius quoque eam tribuit *lib. V. c.* 20. Quintilianus *lib. III. Inſtit. orat. c.* 7. ait: *a Numa traditum deos colere.* Nunquam ſane a metachroniſmi labe abſolvi poteſt Budaeus, quod legem Ciceronis, de officio AEdilium Curulium, a Decemviris propoſitam exiſtimavit; quum nemo neſciat, XII. Tabulas plus octuaginta annis anteriores eſſe illo magiſtratu; hinc idem Cicero *lib. VI. ad Att. Epiſt.* 1. *Unum ἱστορικὸν requiris, de Cn. Flavio, Cn. F. ille vero ante Decemviros non fuit; quippe, qui Aedilis Curulis fuerit, qui Magiſtratus multis annis poſt Decemviros inſtitutus fuit.* Et tamen eadem chorda Baſilius Faber, in toties repurgato Theſauro, voce *Aedilis*; Lauterbachius in *Collegio theor. pract. lib.* 21. *tit.* 1. §. 1. aliique oberrarunt.

Alterum erroris genus eſt, quod viri celeberrimi legis actiones, ritus & formulas ſolennes, a Juriſconſultis excogitatas, inter legis XII. Tabb. fragmenta retulerunt, forſan inducti illis, quae Boëthius *lib. III. Comment. in Topica Ciceronis* de mancipatione ſcripſit: *Quaecunque igitur res lege* XII. *Tabularum aliter, niſi per hanc ſolennitatem, abalienari non poterat, mancipi, ſui juris autem ceterae res nec mancipi vocabantur.* Et quis non ſibi perſuadeat, divortii ſolennia lege Decemvirali definita eſſe, auditis his Tullii verbis? *Philipp.* II. *cap.* 28. *Illam ſuam ſuas res ſibi habere juſſit, ex duodecim tabulis; claves ademit, exegit.* Probant hanc lectionem Petrus Victorius & Muretus; nec haeſitarunt Charondas & Hotmanus verba illa transferre in XII. Tabb. Fulvius Urſinus ad Auguſtin. *pag.* 1356. eam ita concipit: *Sei. vir. ant. molier. alteri. nontiom. miſcit. devortiom. eſtod. molier. res. ſouas. ſibei. habeto. vir. molieri. claveis. adimitod. exicitoque.* Minime vero verba illa ſolennia, *Res tuas tibi habeto*; vel *Tuas res tibi agito*, fluxerunt ab ore Decemvirali; ſed a Jctis inventa ſunt: nullum quoque caput de divortiis in lege XII. tabularum fuiſſe, *ad tomum* IV. *pag.* 10. niſi fallor, evincam. Aliud exemplum dabit Marq. Freherus *lib. I. de re monet. vet. Rom. c.* 3. *tom.* XI. *Theſ. Graev. pag.* 1411. vetuſtiſſimam XII. Tabularum ſanctionem fingens: *Triumviri monetales aurum, argentum, aes publice ſignanto*, valida, ſi diis placet, ratione, quod Cicero *lib. VII. epiſt.* 13. Pomponius in *l.* 2. §. 30. *de J. O.* & Valerius Probus *in notis*, ejusmodi formulam nobis reliquerunt; de qua plura vide *ad tom.* IV. Aequum erat, ut hi doctiſſimi viri, qui rituum & formularum choragium ex XII. tabulis repetunt, in memoriam revocarent, quod Cicero, in acri Jctorum reprehenſione, ſcribit pro Muraena cap. 12. *Cum permulta praeclara legibus eſſent conſtituta, ea Juriſconſultorum ingeniis pleraque corrupta ac depravata fuiſſe.*

Tertium erroris fontem, ex quo numerus legem in tantam multitudinem excrevit, hunc eſſe puto, quod viri magni confeſtim, in tabulas XII. retulerunt, quae iis cauta dicuntur; quum tamen a primis earum interpretibus profecta ſint. v. c. Contius, Hotmanus & Marcilius, quum in §. 41. *Inſt. de Rer. diviſ.* legiſſent, *ex lege* XII. *Tabb. caveri*, res venditas & traditas non antea fieri emptoris, quam venditori ſatisfactum ſit, aere ſoluto, vel expromiſſore & pignore dato, inde confeſtim legem finxerunt, argumento *l.* 48. *D. de Pactis*, quae Caji eſt lib. III. ad LL. XII. Tabb. ſed ad aliud caput, *uti lingua nuncupaſſit*, pertinet. Giphanius *ad d.* §. 41. verba quidem legis, ait, deſiderari, ſed de ſententia ejus non dubitandum videri; quia Athenis eadem lex fuerit, & apud Thurios, Athenienſium colonos; Varronem item & Quintilianum ejus juris meminiſſe. Noſter Gothofredus, Tabula VI. ejusmodi commemorat legem: *Res vendita transque data emptori non acquiritor, donicum ſatisfactum eſcit.* At Feſtus, cujus auctoritate utitur, in v. *Sub vos placo*, non *transquedata*, ſed *transquedato* habet, & ad aliam legem referri debet: immo poſſet dubitari, num horum quicquam in XII. Tabulis breviſſimis cautum fuerit, & an non potius tota mancipatio, & quinque teſtes, in ea neceſſarii, moribus & interpretationi Prudentum accepto ferri debeant, ob ea, quae tradit Feſtus in *nuncupata*, & Dionyſius *lib. II. Antiq. cap.* 15. Lex etiam omnem alienationem mancipii & emptionis verbis comprehenderat, *l.* 29. §. 1. *D. de Statulib.* & ſive filius emancipandus, vel in adoptionem dandus, ſive he-

res teſtamento, vel ſingularis ſucceſſor contractu eſſet conſtituendus, omnem alienationem voluerat explicari per mancipationem, in qua emtor rauduſculo, id eſt, aſſe, ſeu aere, quod pretii loco erat, libram ferire debebat; uti poſt Boetium in *Topica d. lib. III.* pulchre Alciatus explicavit, *lib. III. Parerg. cap.* 22. cui Horatius *lib. II. epiſt.* 2. *vſ.* 158. & Ovidius *lib. IV. ex Ponto eleg.* 15. addantur. Ex his igitur JCti regulam fecerunt, pretium ſolvendum eſſe, ut alienatio fiat, nec dominium mutari, niſi pecuniam ſatisfecerit, aut delegarit emtor. Varro *lib. II. de R. R. cap.* 2. & Cato *de Re ruſt. cap.* 149. in legibus emptionis ponit: *donicum pecuniam ſatisfecerit, aut delegarit.* Movebat ipſos primo, quod ipſa natura aequalitatem in contractibus imperet, ideoque venditori propoſitum ſit, habere pretium, nec prius rem venditam ex nexu ſuo & dominio dimittere, quam ſibi aes adnumeratum fuerit. Deinde ſciebant, jure gentium, originem emendi vendendique a permutatione coepiſſe; in hac autem ratio facit, ut ſi rem meam habere velis, ego viciſſim tuam habere debeam. Poſtremo jus Atticum praeibat, ut & Charondas & Plato, qui rem tradenti, μηδ' ἐπὶ ἀναβολῇ, confeſtim & ſine dilatione, pretium ſolvi juſſerunt; idque eſt, quod Plautus *Graeca fide mercari* appellat. Merito autem diſplicuit rigor Graecorum, qui nullam venditori actionem ad pretium concedebant, ſi rem tradiderit fidemque emptori habuerit, quaſi ipſe ſibi injuriae cauſam attuliſſet; ut Theophraſtus apud Stobaeum λόγῳ XLII. Itaque ex moribus civitatis, per gradus quaſi, admiſerunt, ut res emptoris fieret, vel ſi fidejuſſorem dediſſet, vel alio quolibet modo pro pretio ei ſatisfeciſſet, vel, ſine ulla ſatisfactione, venditor ejus fidem ſecutus fuiſſet, quia, habita fide, ipſa plerumque fides magis obligatur, *l.* 19. *l.* 53. *D. de Contrah. emt. l.* 25. *§.* 1. *D. de Vſufr. l.* 38. *§.* 2. *D. de Lib. cauſ.* Cujacius *lib. XI. Obſ. cap.* 19. Nihil vero nos moratur Juſtinianus, in dicto §. 41. ſi, cum Vulgata, *ex lege* retineatur: multa enim ex lege XII. Tabb. cauta dicuntur, quae ex interpretatione deſcendunt; quia verbum *ex legibus* ſic accipiendum eſt, tam ex legum ſententia, quam ex verbis, ut Ulpianus ait, in *l.* 6. *§.* 1. *D. de V. S.* Sic Diocletianus *evidenter lege duodecim Tabularum* cautum eſſe, ait, ut inteſtato defuncti filius & nepos ex alio pariter ſuccedant, in *l.* 3. *C. de Suis & legit.* & Juſtinianus de eadem ſubitione: *Lex* XII. *Tabb. filio mortuo nepotes vocat*, *§.* 15. *Inſt. de Heredit. quae ab int.* Contius in *collect.* XII. *Tabb. pag.* 884. his verbis inhaerens, legem ſingularem finxit, cum Hotmano, contra *l.* 220. *de V. S.* recte autem alios refellit, qui eadem lege cautum eſſe exiſtimant, ut ſi quis ex ſuis heredibus ſuus eſſe deſineret, ceteri in locum ſui heredis ſuccederent; quia hoc primum lege Velleja factum eſt. Cujacius *lib. VII. Obſ. c.* 6. & *ad pr. Inſt. de Pup. ſubſt.* male putavit, vulgarem ſubſtitutionem eſſe ex XII. Tabulis, quia pupillaris moribus introducta dicitur; quum illa tamen nullo capite expreſſa fuerit; quod & Marcilius notavit. Idem de jure accreſcendi dicendum eſt, quod Accurſius, Bartolus & Decius ex hoc fonte derivarunt; quia *jus antiquum* & *vetus* dicitur, in *l.* 29. *§. ult. D. de Legat.* 2. & *l.* 4. *C. de Lib. praet.* at non ex verbis legis, ſed ex interpretatione Prudentum illud fluere coepiſſe, Caeſar Coſta *lib. I. Ambiguit. c.* 10. docuit ex *l.* 1. *C. de Cad. toll.* & *l.* 2. *§.* 6. *de O. J.* Neque poſtumus alienus ex lege XII. ut quidam volunt, ſed ex minus vetuſta cenſura heres inſtitui vetatur, *l.* 120. *de V. S.* Perperam alii ex *l.* 5. *D. Ne quid in loc. publ.* probant, actionem de aquaeductu *ex lege* XII. *Tabb.* ut Paulus ait, deſcendere; non ideo quidem quod Frontinus principio libri *de Aquaed.* ſcribit, Romanos illo tempore contentos fuiſſe aquis, quas aut ex Tiberi, aut ex puteis, aut ex fontibus hauriebant; verum quia Paulus ex legis ſententia id elicuit.

Quarta legum ſpuriarum ſeges ex voce *legis*, κατ' ἐξοχὴν per legem XII. Tabularum explicatae, deſcendit; quum ea vel ad leges alias, vel ad alia Decemvirorum capita referri debeat. v. c. Quis a Laurentio Valla ſibi obtrudi patiatur, legem XII. Tabb. de poena talionis, calumniatoribus dictata? ideo quod Quintilianus in *argumento declam.* XI. ſcribit: *Erant leges, ut proditor morte puniretur, & calumniator idem pateretur, quod reus, ſi convictus eſſet.* Quis ferat, Paulum Manutium *de LL. Rom. c.* 18. legem XII. nobis propinantem, ſecundum quam qui in agendo plus petiiſſet, cauſa caderet? Fundus hujus ſententiae, licet ab illo non laudatus; eſt Cicero *lib. I. de Orat. c.* 36. *Quod alter plus, lege agendo, petebat, quam quantum lex in* XII. *Tabb. permiſerat.* Verum Cujacius ad §. 33. *Inſt. de Act.* docuit, Tullium de actione tutelae loqui, quae lege Decemvirali in duplum permiſſa eſt. Idem Manutius non multo rectius legem illam, cujus memoriam Feſtus, ex Catonis majoris ſuaſione legis Orchiae, nobis ſervavit, ne quis percunctatum patrisfamiliae nomen ſervum mitteret, in XII. Tabulis fuiſſe, exiſtimavit. Alii in fictis oratorum declamationibus leges XII. Tabb. quaeſiverunt, non cogitantes, omnia, quae illis leges dicuntur, leges non eſſe, multo minus Graecas vel Romanas. vid. Petit. *ad LL. Att. pag.* 166. Sic cum legunt apud Senec. 1. *contr.* 2. & Quintilian. *declam.* 254. *Lex jubet eos abſolvi, qui pares ſententias tulerunt*, confeſtim cogitant de lege Decemvirali. At Graecorum lex

ἰσοψη-

ἰσοψηφίας & calculus Minervae per omnem Graeciam fuit receptus, docente Meurſio *in Areopag. c.* 10. Romanis vero exemplum humanitatis dictavit, favere miſerioribus, & prope innocentes ducere, quos abſolute nocentes dicere non poſſumus, Paul. IV. *ſent. tit.* 12. §. 5. juncta *l.* 28. *l.* 38. *D. de Re jud. l.* 24. *D. de Manumiſſ.* Tota etiam via aberrat Marcilius *Interpretam. c.* 45. quum quandam aedificiorum altitudinem in XII. Tabulis praeſcriptam opinatur, propter *l.* 1. §. 17. *D. de Novi op. nunt.* At omnis hiſtoria Romana clamat, domus Urbis, ad incendium Gallicum usque, exiles admodum, & tuguriis ſimiles, ſtramine, arundine, vel ſcandulis tectas fuiſſe. vid. Propert. *lib. II. Eleg.* 13. *vſ.* 20. & *lib. IV. Eleg.* 10. *vſ.* 17. ibique Broukhuſ. *in notis.* Immo cum vix ante primum Auguſti conſulatum, A. U. DCCXI. de aedium altitudine quicquam conſtet, Sueton. *Aug. c.* 89. praeſtabit, *modum aedificiorum* ſolis Principum, Auguſti & Trajani, edictis acceptum ferre; *leges* vero Decemvirales de aedium ambitu & ſpatio legitimo, inter rogum & buſtum, ab aedibus alienis, accipere, in tabula VIII. & X. vid. Auguſtin. *lib. II. Emend. c.* 7. Briſſon. *lib. I. ſel. antiq. c.* 1. & Cujac. *lib. XXIII. Obſ. c.* 4. Porro Jacob. Cujacius *lib. IV. Obſ. cap.* 12. ne quis incognita indictaque cauſa interficiatur, a Decemviris cautum fuiſſe, ex Salviano *lib. VIII. de provid. Dei* probat: *Interfici indemnatum quemcunque hominem, etiam* XII. *Tabb. decreta vetuerunt.* Sed Presbyter ille Maſſilienſis aliis verbis eandem intelligit legem, quam toties Cicero laudat, ne de capite civis, niſi maximo comitiatu rogaretur; idque juris jam tum in Urbe, cum reges eſſent, fuit, & forſan, ſecundum ea, quae ſupra *pag.* 9. diximus, a Lycurgo eſt deſumtum: hujus enim ea de re legem Valerius Maximus *lib. VII. cap.* 2. *n.* 15. celebravit: eoque pertinet, quod Appianus *lib. III.* ἐμφυλίων ſcribit: οὐ πάτριον σφίσιν ἀκρίτους καταδικάζειν. *Non eſt Romanorum mos patrius, quenquam cauſa non cognita condemnare.* Cui ſimile dictum Feſti, Praeſidis Romani, apud Lucam *Actor.* XXV. *vſ.* 16. jungi poteſt.

Ultima claſſis illorum eſt, qui nudis conjecturis innituntur. Harum infeliciſſima videtur Joannis Mercerii *lib. I. Opin. cap.* 11. ut qui puerum alienum caſtraverit, ex XII. Tabb. quadruplum luat. Nullibi enim id dicitur, nec in *l.* 27. §. 28. *D. ad L. Aquil.* ubi auctores Baſilικῶν rectius particulam *aut* poſteriorem non agnoſcunt, *lib. LX. tit.* 3. & verba finalia interpretantur hoc modo: καὶ τῷ παραγγέλματι τῶν ἀγορανόμων εἰς τὸ τετραπλοῦν: *& edicto Aedilium in quadruplum.* Suffragantur his etiam manuſcripti Codices Charondae, & Cujacius in *Parat. D. de Aedilit. edict. in fin.* Idem Mercerius *lib. II. Opin. cap.* 25. elegantem & abſolutam invidet legi Decemvirali brevitatem, a Diodoro Siculo & Gellio laudatam, quum capiti, ex quo nomina inter coheredes, pro portionibus hereditariis, diviſa ſunt, appendicem annecti jubet, ex *l.* 25. §. 9. *D. Fam. erc.* quae magis ad legis interpretationem pertinet. vid. *l. ult. C. de Hered. act.* & Gothofred. *pag.* 104. Non minus inepte Conſtantius Landius *cap.* 15. *Enarrat.* ex lege Solonis hanc commentus eſt: *Filius arte carens patris incuria eidem neceſſaria vitae ne praeſtato.* Nec melior Pardulphus Pratejus *lib. II. Omiſſionum cap.* 8. invehitur in Pandectarum architectos, quod praetermiſerint de apibus legem; cujus non alia adſert veſtigia, quam quod Plutarchus, Solonem de apibus quaedam ſanciviſſe, tradit: quaſi vero omnia illius a Romanis fuerint adoptata, qui ne omnes quidem Regias leges, moribus receptas, in tabulas ſuas retulerunt. Argumentum ejus rei ſit tempus luctus, a Numa definitum, auctore Plutarcho. Silent autem de eo leges XII. Tabb. unde Praetor, in *l.* 1. *D. de His qui not. infam.* de tempore, quo elugere virum *moris eſt*, edixit. Non denique adſentior Petro Pithoeo, qui *ad Collat. tit.* XIII. veterem Numae ſanctionem, ut Termino non niſi ſub divo ſacrificaretur, in XII. Tabb. translatam eſſe ſcribit, eumque in finem Plinium *lib. XVIII. cap.* 2. corrigit: *Terminum ex* XII. *nominare ſub tecto religio eſt*; ubi rectius vulgo legitur: *Tertiam ex his*, id eſt, ex tribus modo nominatis Diis, Segeſtam; qua de re Harduinus in *notis & emendationibus* videatur. In ſumma hic tenendum eſt, quod Livius nos docet *lib. VI. c.* 1. praeter XII. tabulas, leges quoque Regias, & inprimis quae ad ſacra pertinebant, fuiſſe, ut Numae Pontificalia &c. Vid. Wower. *de Polymath. cap.* 12.

Caput VII. Num fieri poſſit, & an conduceret, ut priſca legis verba reſtituantur.

De verbis XII. Tabularum, ſi quis multa dixerit commode, potius boni conſulendum, quam eos, qui aliquid nequiverint, reprehendendos eſſe, putem. Uſurparunt enim Decemviri vocabula, Graecam magis originem redolentia, quae, uſu & conſuetudine poſteriorum, paullatim ita fuerunt mutata, ut parens paene ignoretur. Plurimam in iis fuiſſe effigiem antiquitatis & priſcam verborum vetuſtatem, ipſe Cicero tradit, *lib. I. de Orat. cap.* 43. Seneca *epiſt.* 114. *Multi ex alieno ſaeculo petunt verba:* XII. *Tabulas loquuntur*, velut proverbio dicit. At Sextus Caecilius Favorino, de harum legum obſcuritate ſimiliter querenti, apud Gellium *lib. XX. cap.* 1. bene reſpondet: *Obſcuritates non aſſignemus culpae ſcribentium, ſed inſcientiae non*

aſſequentium; quamquam hi quoque ipſi, qui quae ſcripta ſunt, minus percipiunt; culpa vacant: nam longa aetas verba atque mores veteres oblitteravit, quibus verbis moribusque ſententia legum comprehenſa eſt. Nemo dubitaverit, quaedam vocabula legum Regiarum a Decemviris eſſe retenta, quae propter antiquitatem poſteris minus perſpicua fuerint; ipſi quoque non magis perpolito ſcribendi genere uſi videntur; quia rarae per id tempus litterae, rariores earum ludi: Mars & horrida virtus omnia obtinebant. Hinc Livius *lib. VII. cap.* 3. de clavo pangendo, aliquandiu poſt Tabulas, diſſerens, *Lex*, ait, *vetuſta eſt, priſcis litteris verbisque ſcripta.* Sed quaenam illius aetatis loquendi ſcribendique fuerit ratio, non ſatis conſtat, omnibus monumentis injuria temporum e medio ſublatis: & quodammodo tantum ex antiquiſſimo illo Latinae linguae fragmento, id conjicere licet, quod Populus Romanus, ob primam de Poenis victoriam navalem, Duillio conſecravit, cujusque baſin Petrus Ciacconius expoſuit. Quod ſi autem meminerimus, columnam iſtam, ducentis circiter poſt Decemviros annis, collocatam eſſe, tanquam ex ungue leonem, cognoſcemus, in pretioſis illis, quae apud Jctos, Ciceronem, Feſtum, Gellium & Macrobium ſuperſunt, XII. Tabb. ruderibus, habitum vetuſtiorem fere neglectum eſſe, & pauca nativis vocabulis, pauciſſima ſecundum exoletam illam ſcribendi rationem recitari. Romani namque cultiores, non levitate quadam aut inconſtantia impulſi, neque novitatis gratia illecti, vetera illa, ab Evandro & Romulo ſibi relicta, ut ſcabra & rancida adſpernati ſunt; ridiculum cenſentes, malle ſermonem, quo locuti eſſent, quam quo loquerentur; & metus erat, ne idem ſibi eveniret, quod de Saliorum carminibus narrat Quintilianus, quae ab ipſis ſacerdotibus ſuis non ſatis intelligebantur. Profecto, ſi Polybius, Africani aequalis, vix unum aut alterum reperire potuit, qui, quantumvis antiquitatis curioſus, foedera quaedam, XII. Tabulis recentiora, interpretaretur: vel, quod plus eſt, ſi ipſi veteres legum Decemviralium interpretes, Sex. Aelius & L. Acilius, quid ſit *leſſum habere*, non ſatis ſe intelligere profeſſi ſunt; ut Cicero refert *lib. II. de Legib. cap.* 23. quanto minores, noviſſimis temporibus, obſoletis illis capiendis, fuiſſent juris ſtudioſi? praecipue inepti & inſciti illi, e quorum numero aliquis, apud Gellium *lib. XVI. cap.* 10. negabat, ſe ſcire, aut a ſe peti debere interpretationem juris Aboriginum & Faunorum: quandoquidem diu evanuerit omnis illa XII. Tabb. antiquitas, in quibus proletarii, aſſidui & ſanates memorentur. Eandem ob cauſam Tullius *lib. II. cap.* 7. ait, ſe in legibus ſuis componendis, certa legum verba, ſed non ita priſca, ut in *veteribus* XII. *ſacratisque legibus*, adhibuiſſe: ſic enim Lambinus, Aldus nepos, & Daviſius edi curarunt, Cujacii auctoritate, *lib. V. Obſ. c.* 21. Praetores etiam, in tranſlatitiis edictis, & Aediles poſteriores, aliis verbis mage uſitatis uſi ſunt; ut minime mirum ſit, principium edicti Aedilitii verbis antiquioribus apud Gellium *lib. IV. cap.* 2. quam in *l.* 1. *D. de Aedilit. edicto* referri. Aquilius etiam, in capite tertio plebiſciti ſui, pro voce antiqua Decemvirali *rupitias*, dixit *ruperis:* omnesque veteres XII. Tabb. interpretes ita eam intellexerant, ut rupiſſe videatur, qui corrupit, *l.* 27. *§.* 5. *&* 13. *D. ad L. Aquil. l.* 27. *§.* 3. *D. de Furtis.* Idem in lege Faleidia, & in edicto, de conjungendis cum emancipato liberis accidiſſe, Hotmanus, in diſp. *de quarta Falcidiana n.* 5. ſuſpicatur, atque in aliis *verboſis legibus*, ut Ovidius vocat *lib.* 1. *Amor. eleg.* 15. *vſ.* 5. referendis, ſententiam plerisque ſuffeciſſe, non uno exemplo oſtendi poſſet, ſi id ageremus. Quod ſi etiam ſententiarum, edictorum, interdictorumque formulae variarunt; ut Guil. Fornerius monſtrat *lib. III. Select. c.* 17. quidni & legum? quas, prout memoria ſuggerebat, efferebant. Ipſe Favorinus apud Gellium *lib. XX. c.* 1. ait: *niſi memoria me fallit*, & feſellit, ſi Feſtum ſequamur.

Forſan, rem non ingratam facerem juris ſtudioſis, nec ab hoc loco alienum foret, ſi quibusdam ſpeciminibus, ab infantia, pueritia & virili aetate linguae Latinae petitis, oſtenderem, quomodo horrida & adſpectu foeda progenies, ex abortu linguae Graecae, ad tantam elegantiam ſenſim ſurrexerit, ut aliis, & ipſi matri ſuae, in quibusdam, palmam reddiderit dubiam; niſi Juſtus Lipſius, in tractatu, de *vetere Latinorum ſcriptura*, & diligentior Johannes Nicolaus Funccius, in variis, *de Origine, Pueritia & Adoleſcentia linguae Latinae* ſcriptis, Spartam illam occupaſſent, aut niſi vererer, ne moroſi venerandae vetuſtatis oſores, mihi, in minutiis illis haerenti, illud Symmachi objiciant, *lib. III. Epiſt.* 44. *Si tibi vetuſtatis tantus eſt amor, pari ſtudio in verba priſca redeamus, quibus Salii canunt, & Augures avem conſulunt, & Xviri tabulas condiderunt. Jam dudum his renuntiatum eſt, & ſucceſſio temporum placita priora mutavit.* Sed quia Clar. Funecius, XII. Tabb. fragmenta, cum obſervationibus critico-antiquariis, repetita induſtria, ſe evulgaturum promiſit, ut coeptum illud abſolvat, hortor; ſicut enim ſacros vetuſtate lucos priſci adorabant, in quibus grandia & antiqua robora majorem habebant religionem, quam ſpeciem, ita & nos reverentiam debemus ſenectuti, quae in nominibus venerabilis, in legibus ſacra eſt. At non poeni-

poenitebit, Fulvii Urſini notas, ad Antonii Auguſtini *de Legibus* librum, prius conſuluiſſe, *tomo* 11. *Theſ. Antiq. Rom. pag.* 1345. Is enim, more ſuo, longa diligentia & erudita opera, verborum Decemviralium, quae vel integra, vel leviter immutata a ſcriptoribus referuntur, vetuſtatem, priſcamque ſcribendi rationem, quoad ejus fieri potuit, ex veteribus, tum ſcriptorum, tum lapidum, aerisve monumentis reconcinnavit, & merito ceteris omnibus, qui eo in genere aliquid elaborarunt, a Joanne Seldeno praelatus eſt, *in diſſert. ad Fletam*, id eſt, juris veteris Anglici ſcriptorem, a carcere, in quo illud ſub Eduardis compoſuit, ita appellatum. Ego quidem minime diffiteor, rudera quaedam & conjecturas haud ſpernendas, de uſu loquendi & ſcribendi, tempore Decemvirorum, ſupereſſe: C. enim ponebant pro G. quae tunc nondum erat inventa; ut *ſubici aries*, pro *ſubigi*; & *lecaſit*, pro legaverit: O. pro U. *fonos*, *conſol*, *popolos*, vel *poplos*. Ei pro I. longa *ceivis*; & in fine verborum *fecei*, *tectei*. Praeterea nunquam, aut raro, eaedem litterae conſonantes geminatae in ſcribendo, auctore Feſto & Quintiliano: contra D. in fine vocum, quae deſinunt in vocalem, plerumque ſolebat adjici, ſi ſequentis vocabuli initium a vocali eſſet; uti Muretus *lib. XV. var. lect. c.* 19. & Schottus *lib. II. Obſ. human. cap.* 16. oſtendere: quibus Scaliger, in *Indice Gruteri Grammatico* & Ill. Bynkershoek. *de religione peregrina* addantur. Quintilianus *lib. I. Inſtit. orat. c.* 6. ſe in XII. tabulis legiſſe ait: *Ni ita pacunt*, id eſt, paciſcuntur. *Nox* pro *noctu*, & *im* pro *eum*, Decemviros uſurpaſſe, Macrobius tradit, *lib. I. Saturn. c.* 4. Feſtus *nancitor*, per nanciſcitor, adipiſcitor explicat; & *rupitias*, pro damnum dederis; *ſtlitem* pro litem, aliaque ejusmodi in Duodecim fuiſſe ſcribit. Aliis quoque fidem facile habemus, *eſcit* pro erit; *endo* pro in; *cuiqui* pro quiqui, ceterasque formas loquendi veteres, *capſit*, *duit*, *faxit*, *ſuat*, *incenſit*, *legaſit*, *pacit*, *rupſit*, *ſirit*, in lege fuiſſe. Perperam vero multas voces XII. Tabularum ſuperſtites, non modo a vulgo, ſed etiam a Jac. Gotbofredo, & Cl. Funccio ſcriptas, nuper contendit B. Branchu *Obſ. c.* 10. & *in addendis*, minime rationibus deſtitutus: ſed plerique Auctores illos, ex quibus fragmenta depromunt, ſequuntur; & difficillimum eſſe reor, voces, a Decemviris uſurpatas, in eam, unde dejecti ſunt, poſſeſſionem, reſtituere; quia rudioribus tunc temporis Quiritibus apices litterarum & ſcribendi diſcrimina nondum curae fuerunt, neque quae poſt XII. tabb. ſcripta ſunt, unam habent orthographiam; uti vel ex columna Duillii roſtrata conſtat. Ex ceteris quoque antiquis monumentis, v. c. ex aenea tabula Genuenſi, a Folieta deſcripta, & fragmentis legis Thoriae, Serviliae ac Termenſium, ex inſcriptionibus fratrum Arvalium, & ex lapideo Kalendario Farneſiano, idem docuit Petrus Servius *Miſcellan. c.* 4. neque ipſum Auguſtaeum ſaeculum ea in re ſatis ſibi conſtitiſſe, Fleetwoodus *in praefat. ad Inſcription.* ex Cenotaphiis Piſanis & lapidibus litteratis oſtendit: nec Feſtum, in legibus Numae ſervatis, ipſa ejus verba retinuiſſe, Lucas Fruterius *lib.* 1. *epiſt. Mureti* 25. diſputat, & Cl. Weſſelingius, *lib. I. Obſ. cap.* 4. fragmentum ex jure Papiriano, a Macrobio laudatum, *lib. III. Sat.* XI. minime Tarquinii Superbi tempora olere, ſed magis ex Granii Flacci libro de jure Papiriano deſumtum videri, eleganter conjecit. Sic etiam ceteri omnes, ad Auguſti exemplum, magno ſtudio reconditorum verborum foetores vitarunt, & loquendum verbis praeſentibus, ſed moribus antiquis ſibi vivendum eſſe cenſuerunt. Ad antiqua vero illa inveſtiganda, ſi cui otium ſit & voluptas, prodeſſe poterit Hieronymi Alcandri brevis quidem, ſed multa eruditione refertus commentarius, ad vetuſtam inſcriptionem Lucio Scipioni, Barbati filio, poſitam, cujus verba priora: HONC. OINO. PLOIRVME. CONSENTIONT. R. DVONORO. OPTIMO. FVISSE. VIRO: *Hunc unum conſentiunt Romae, bonorum optimum fuiſſe virum*, in carmen ſolenne poſtea abierunt, & ſepulchro Calatini, Atiliae gentis, ad portam, auctore Cicerone *de Senectute cap.* 17. & *lib. II. de finibus cap.* 35. inſcripta ſunt, hoc modo: *Uno ore, cui plurimae conſentiunt gentes, populi primarium fuiſſe virum.* Sed cum nihil hoc ad LL. XII. Tabularum, vereor ne pars iſthaec de verbis praecipui inſtituti me deſertorem coarguat: nec tamen utiliſſimam praeteribo Cujacii obſervationem, *lib. XIX. cap.* 31. raro veteres cuſtodite verba XII. Tabb. eadem omnino ſervare, nec in eorum conceptione eos conſentire ſemper, ejusque rei teſtimonio eſſe leges, de injuriis, de teſtamentis & de inteſtatorum hereditatibus, quae non eodem modo ab omnibus proferuntur. Neque in ſingularibus tantum verbis, ſed integris capitibus, res easdem aliis ſubinde verbis exprimi, variis congeſtis exemplis, Gothofredus *in praefat. pag.* 15. & 184. firmavit. Recentiores vero, hujus rei non ſatis memores, tantam ſibi, in fingendis & refingendis Decemvirorum legibus, permiſerunt licentiam, ut illi malae tractationis, in comitio Grammaticorum, agere poſſent, quod ſuis ſepultis manibus, per eorum temeritatem, inſcitiam, & mutandi cacoëthes quieſcere non liceat. Res exiret in infinitum, ſi omnium conjecturas conquirere vellemus; quia quot capita, tot ſententiae, & ſuus cui-

cuique, decemvirali quadam poteſtate, leges ſcribendi & rogandi mos eſt; at quaedam delibaſſe non injucundum erit.

Caput VIII. Praecipua XII. *Tabb. capita illuſtrata.*

Tab. I. Nemini hodie dubium eſt, quin ab in jus vocatione Tabularum ſuarum initium duxerint Decemviri, ut Ludovicus Carrio, Cujacii diſcipulus, ex primis earum verbis, apud Tullium, *lib. II. de LL. c.* 4. recte indicavit, *lib. I. Emendat. cap.* 8. Idem luculenter ex Gellio patet *lib. XX. c.* 1. Et Ciceroni familiare fuiſſe, ut libros tam aliorum, quam ſuos, a primis vocibus nominaret, Merula *de LL. c.* 21. duobus exemplis oſtendit. Hoc ipſum quoque ex iis, quae habent Alciatus *lib. II. Parerg. cap.* 40. Petitus *ad LL. Att. pag.* 356. & Bochartus *part.* 11. *Geograph. ſacrae lib. II. cap.* 11. fuſius illuſtrari poteſt. De verbis autem legitimis hujus tabulae, nemo parum ſe ſapere putavit: ut Poëtae illud hic locum habere poſſit: *Cui non dictus Hylas puer?* Diverſas Contii, Turnebi, Hotmani, Cujacii, Giphanii & Raevardi ſententias idem Carrio *lib. II. Emend. cap.* 12. collegit; ipſe vero principium ejus ita conſtituit: SI IN JUS VOCAT, ATQUE EAT; qua in re Victorii & Lambini editiones, Juſtus Lipſius, *in collect. LL. Xviral.* & Jacobus Gothofredus ei adſtipulantur; audacius vero hujus perpetuus ſectator, Gravina, addit, non veterum modo auctoritate, ſed ipſo etiam ſententiarum nexu id comprobari. Non certe in eo falſus eſt Carrio, quod particulam *atque* pro *ſtatim* veteres uſurparint: ſunt enim auctores ſat locupletes, Gellius, Servius & Nonius Marcellus: idque Turnebus, triginta annos ante, ex Plauto prodiderat, *Bacchid.* II. 3. *vſ.* 45. & deinde Scioppius *lib. III. ſuſp. lect. ep.* 8. Gronovius ad Liv. *lib. XXVI. c.* 39. ac Daviſius *ad Hirtium c.* 38. pluribus firmarunt. Deceptus autem eſt, corrupta Tulliani exemplaris ſcriptura, ut quae Ciceronis ſunt, *lib. II. de Legib. cap.* 4. pro ipſis XII. Tabb. verbis temere habuerit. Cujacius *lib. VII. Obſ. cap.* 16. ſic forſitan ibi legendum conjecit: *Si in jus vocat, ni eat:* emendatiores vero Aldi, avi & nepotis, ac Gruteri editiones ita legunt: *A parvis enim, Quinte, didicimus*, SI IN JUS VOCAT, *atque ejusmodi alias leges nominare*; idque ſenſus poſtulare videtur Fulvio Urſino, in notis, ad Auguſtinum *de legibus*, *pag.* 1350. quia principium modo legis, pariter ac hodie ſolemus, paucis verbis Tullius notare voluit. Gellius quoque, *dicto loco*, caput primum citat ſine illis, *atque eat*; ut viri docti ad eum annotarunt. Quum vero m ns Decemvirorum ſine dubio fuerit, ut qui in jus vocatus eſſet, illico nullaque interpoſita mora ſequeretur, Fulvius membrum illud ita: SEI. IN. IOVS. VOCAT. NEI. EAT. STATIM. & ſecundum: ENCAPITO ANTESTARIER, ex Porphyrione ad Horat. *lib.* I. *Sat.* 9. concepit. Marcilius: *Si in jus vocat, nei it, antiſtator: igitur im capito.* Lambinus ad Horat. *lib.* I. *Sat.* 9. *fin. Amteſtatus em capito.* Lipſius lib. IV. Epiſt. quaeſt. 2. *Si vis vocationi ſuat anteſtaminor: ni it aurem capito anteſtati*; ſed rectius Gothofredus *pag.* 155. Scholiaſtae illius interpretationem a legis verbis diſtinxit. *Anteſtari* vero non eſt teſtari, antequam manum injiciat, ut Porphyrio exponit; ſed ex circumſtantibus hominibus liberis teſtes facere: veteres enim *amteſtari* dixerunt: *am* vero in compoſitione eſt circum; ut *ambitus* parietis eſt circuitus aedium, *amterminus* apud Catonem, & *amſegetes* in lege. Ejusdem vocis paſſivam ſignificationem Priſcianus ex Livio, non Tito Hiſtorico, uti Marcilius, ſed ex Andronico Poëta adfert: SI CALVITUR PEDEMVE STRUIT, id eſt ſi moratur, fruſtratur, vel fugit: at Feſtus monet, veteres diſſenſiſſe; aliis putantibus, *pedem ſtruit*, eſſe, vix pedem pedi praefert, otioſe it, remoratur; aliis, ſi gradum auget & fugit; aliis, ſi retrorſum it & in aliam partem. Gloſſae φεύγει interpretantur. Mox VITIUM ESIT, pro *erit*, quia S pro R erat veteribus, antequam Appius Claudius litteram R. produxiſſet. vid. Macrob. *lib. III. Saturn. c.* 2. In jus vocato igitur, qui pedibus aegris eſſet, aut ob ſenium ingredi non poſſet, lex JUMENTUM, id eſt, plauſtrum pecore junctum, dari jubet ab actore: id quod ex Varrone *lib. IV. de LL.* jumentum ſcirpeum explicare poſſis, virgis ſirpatum & colligando implicatum; qualia erant, in quibus ſtercus evehebatur. Ab hoc differt arcera tecta, SI NOLET, ARCERAM NE STERNITO. Male Raevardus: *ſi volet arceram, ne ſternito.* Vide Perrenon. *lib. I. Animadv. c.* 17. Scheffer. *de Re vehic. lib. I. c.* 18. & Heinſ. *ad Ovidii* VI. *Faſtor. vſ.* 680.

Quod in eadem tabula paullo poſt ſequitur: ASSIDVO. VINDEX. ASSIDVVS. ESTO, ex XII. Tabb. refert Gellius *lib. XVI. cap.* 10. ſed omnia ejus ad liquidum necdum perducta puto. Difficultas maxima ex Cicerone, qui *in Topicis, cap.* 2. eadem verba legi Aeliae Sentiae, tunc temporis nondum latae, adſcribit: *Cum lex Aelia Sentia aſſiduo vindicem aſſiduum eſſe jubeat, locupletem jubet locupleti. Locuples enim eſt aſſiduus, ut ait Aelius, appellatus ab aere dando.* Paullus Manutius *de LL.* & Ferrettus *ad Inſt. qui & quibus ex cauſ.* novam legem *Aeliam Sanctiam* commenti ſunt, Boëthio praeeunte. Gothofredus *pag.* 157. pro vocibus *Aelia Sentia*, legit *e Tab.* Ia.

vel

vel *Aelia Sextia.* Cardinalis Noriſius *ad Cenotaph. Piſana, diſſ.* III. *cap.* 9. vocem *Sentia* a ſciolo quodam adjectam eſſe, putat; legem Aeliam vero jus Aelianum interpretatur. Optime vero Mercerius *lib. II. Opin. c.* 3. Briſſonius *de Ritu nupt.* & Hotmanus *lib.* I. *Antiq. Rom. pr.* voces *Aeliam Sanctiam*, inducunt, auctoribus antiquis libris; atque ita Anton. Auguſtinus, *de legibus pag. m.* 1285. locum illum, omiſſis *Aeliae Sentiae* vocibus, laudavit. Alterum dubium ex Varrone, Togatorum doctiſſimo, exſurgit, qui, apud Nonium *pag.* 522. indicare videtur, locupletem ſibi ipſum vindicem lege Decemvirorum conſtitui: *Aſſiduo neminem vindicem voluerunt locupleti*; ſicut immobilium poſſeſſores a ſatisdatione liberantur, *l.* 15. *D. Qui ſatisd. cog.* Fortaſſe autem iſta de mendo ſuſpecta ſunt, & vel cum Turnebo *lib. XXIX. Adv. cap.* 15. legendum: *neminem vindicem voluerunt, niſi aſſiduum*, id eſt, *locupletem:* vel cum Jac. Gothoſredo *pag.* 157. *hominem vindicem*; vel quod ipſe malim, *voluerunt, niſi locupletem.* Non etiam ſilentio hic praetereunda eſt cenſura, quam Celeberrimus Graevius in praefat. ad *tom.* II. *Theſ. Ant. Rom.* Aelio, Ciceroni & Gellio, dictis locis, impegit, quod originem aſſidui ducunt, ab aſſibus dandis: quum aſſiduus potius dicatur, qui ſemper praeſto eſt, civis claſſicus, qui jus ſuffragii habet in comitiis, ac inter honeſtiores cotidie in ſoro verſatur. Idem multis, ante eum, probaverat Joh. Fred. Gronovius *lib. IV. de Pec. vet. cap.* 9. Voſſius item, *in Etymol.* Ciceronis originationem acutiorem, quam veriorem eſſe pronuntiarat, & deinceps Jac. Gronov. ad Gellium *lib. XVI. c.* 10. aſſes ſine injuria, putat, ab origine hujus vocis poſſe excludi. Sed ſi mihi inter illos heroas ſuffragium concedatur, pro duplici vocis orthographia, diverſa ejus origo adſerri poſſe videtur; praeſertim in ſcholis Jctorum, qui ſcitas alluſiones amant, ſuaeque artis propriis vocabulis utuntur, quod omnium fere artium commune eſſe, Cicero ait, *lib. I. Acad. cap.* 7. Jam vero de ratione ſcribendi ipſos inter Grammaticos non convenit: Caper ab *adſidendo*, Soſipater ab *aſſibus* derivat. Variant etiam Virgilii codices, vid. Pierium ad VII. *Aeneid.* 12. Apud Gruterum in titulo *pag.* 163. *n.* 8. eſt ASSIDUIS FLUCTIBUS; apud Sponium vero & Gudium in eodem ADSIDUIS habetur, uti Cl. Heſſelius in *Ind. Gud. pag.* 55. animadvertit. Praeterea, quia ſub Decemviris nondum ita forum tenebant Quirites ruricolae, aut in conciliabulis otioſi adſidebant, admodum credibile videtur, aſſiduos tunc temporis, ab *aſſibus duendis*, ſicut locupletes a loci, & pecunioſos a pecoris copia, eſſe dictos: *duit* enim olim erat *dederit*; Feſtus *addues*, addideris explicat, & in XII. Tabb. *ſi pater filium ter venumdnit.* Varro *lib.* I. *de Vita pop. Rom.* apud Nonium *d. l.* ait: *Quibus erant pecuniae ſatis locupletes, aſſiduos: contrarios, proletarios.* & Quintilianus *lib. V. Inſt. orat. cap.* 10. *Finimus* ἐτυμολογία, *ut aſſiduum, ab aere dando.* Poſtea vero illis, qui ruri & militiae non agerent, ſed quotidie comparerent, & ob oculos, quaſi *adſidentes*, verſarentur, adſiduitas magis tributa eſt; quo ſenſu idem Varro *lib. VI. de LL.* frequentem operam apud Plautum adſiduam interpretatur: *itaque qui adeſt, adſiduus*, ait; ubi Scaliger, ex Plauti joco etymon monſtrat, in *Trucul. actus* II. *ſc.* 4. *vſ.* 68. Idem Curcul. *act.* IV. *ſc.* I. *vſ.* 14. de adſiduis, circa argentariorum tabernas, ita ſcribit: *In foro infimo, boni homines atque dites ambulant* &c. Cicero quoque iis, qui in foro habitarent, *aſſiduitatem* tribuit, *pro Muraena c.* 9. *Aſſiduum flaminem Dialem* Livius *lib. I. cap.* 20. Papinianus *aſſiduam* comparationem ſervorum per *cottidianam* explicat, in *l.* 44. *pr. D. de Uſurpat.* & *aſſiduum*, id eſt, ſemper & perpetuum *Conſulem*, Claudianus dixit, in IV. *Conſ. Honor. vſ.* 639. Quid autem hic adſidendi ſignificatus ad vindicem, id eſt, aſſertorem, qui a neceſſitate eundi in jus, vel a nexu & ſervitute vindicaret? uterque enim locuples eſſe debebat, & ſatis idonee habere, pro magnitudine rei, quam actor reſtituendam eſſe petebat; ut Gellius *d. l.* & Cajus, lib. II. ad L. XII. Tabb. in *l.* 234. §. I. *de V. S.* niſi dicamus, locupletes haberi, non tantum ex facultatibus, ſed etiam ex conveniendi facilitate, *l.* 2. *l.* 5. §. I. *D. Qui ſatisd. cog.*

Verba ejuſdem tabulae ſequentia ita concinnavit Urſinus pag. 1360. *Rem. ubei. pacont. oranto. nei. pacont. ante. medidiem. en. do. comitio. aut. en. do. foro. cauſam. conciunto. poſt. medidiem. praeſeted. ambobos. leitem. adecito.* Primum membrum corrupte exſtat apud Ciceronem & Priſcianum: *orationi pagunt:* ſed ex Terentio Scauro, in libro de Orthographia, voculam *ni*, cum *oratio* coalitam, ſeparari debere diſcimus. Cujacius ad *l.* 6. *D. de pact.* legit: *ubi paguntor, ita ni pagunt.* Dionyſ. Gothoſredus: *rem ubi pagnut, oratione pagunto.* Lipſius *oranto.* Merula *de LL. c.* 22. *orato.* Optime vero Contius *rato*, id eſt, ratum habeto: & ita Rutgerſius *lib. V. Var. lect. cap.* 16. legem reſtituit: *Reei. ubei. pagont. ratom. esit nei. pagont. endo. comitio. aut. endo. foro. ante. meridiem. cauſam. coniciento. poſt. meridiem. praeſentei. ſtlites. adicitor. ſei. ambod. praeſenteis. ſol. occaſos. ſoprema. tempeſtas. eſtod.* Vox *rei* imperfectam orationem abſolvit, & tam actorem, quam eum, qui convenitur, comprehendit; ut tirones norunt: *ratum erit* idem notat, quod Praetor in *l.* 7. §. 7. *D. de Pact.*

pollicetur, *pacta ſervabo*. Verba autem *nei pagont*, refellit Quintilianus *lib. I. Inſt. c.* 4. teſtatus, *ni ita pacunt* in XII. fuiſſe. Quod ſequitur: CAVSAM CONSCITO, QVOM PERORANT AMBO PRAESENTES, ex Aldi editione Gelliana *lib. XVII. cap.* 2. deſumtum eſt; Cl. autem Gronovius libros ſcriptos, aut *conjiciunt*, aut *conicsunt*, aut *comcinnt* habere, monet, ac praeſert Brixianam editionem, in qua eſt *conjicito*; idque Scioppius ad oram Gellii probavit, & Lipſius *cauſam conjicinnto*. Cadit ergo omnis ratiocinatio Gothoſredi *pag.* 159. quod verba haec ad Praetorem ipſum jus dicentem referri oporteat, & alios eſſe, qui perorant; alium, qui, iis perorantibus, de cauſa cognoſcat: neque enim rei tantum cauſam conjiciunt, ſed Praetor quoque, dum audit, conjicere dicitur; neque *conſcire* cauſam, pro cognoſcere, Latine dici, ait Turnebus *lib. XIII. Adv. cap.* 27. adeoque vitioſos Gellii codices eſſe arbitratur. Nil ſane pro Gothoſredo faciunt Livii loca, a Vincentio Gravina producta: conſciſcere enim eſt una & ſimul decernere; ſicut plebs ſciſcebat, populus jubebat, Cicero *pro Flacco cap.* 7. At conjicere dicuntur, qui utcunque tumultuaria opera aliquid faciunt; unde Cicero conjecta opponit confectis, & conjectanea inde nomen ſumſere. Non magis admittendum eſt Marcilii & Cironii *lib. III. Obſ. c.* 10. *conſciſcito*; aut Raevardi *gnoſcito*; aut Perizonii *condicito*, ad Valer. Max. *lib. IV. c.* 1. *n.* 7. nam auctor ad Herennium *lib. II. cap.* 13. verba legis plenius effert, hunc in modum: *Rem ubi pacunt, orato: ni pacunt, in comitio, aut in foro, ante meridiem cauſam conicito*; id eſt, initium agendi, certandi & contendendi facito, uti Joh. Fr. Gronovius ad Plinium *lib. XXVIII. c.* 2. explicavit. Idque ordo judiciorum poſtulabat: prius enim argumentum cauſae ſtrictim & per indicem Praetori & reo erat exponendum; idque per editionem actionis fiebat, quae futurae litis ſpeciem demonſtrat *l.* 3. *C. de Edendo*. eoque peracto lis praeſenti addicebatur, id eſt, actione & judice datis, judicium conſtituebatur. Sic Afranius apud Nonium: *Cauſam*, inquit, *conjicere hodie hic apud te volo. Ambone adeſtis? profuturos arbitror.* Aſconius *ad Verrinam* III. *Antequam cauſa ageretur, quaſi per indicem rem exponebant; quod ipſum dicebatur cauſae conjectio, quaſi cauſae in breve coactio.* Gellius *lib. V. cap.* 10. *Cum ad judices conjiciendae conſiſtendaeque cauſae gratia veniſſent.* Hinc etiam in Florentinis Pandectis, in *l.* 1. §. 2. *de Reg. juris* legitur: *per regulam brevis rerum narratio traditur, &, ut ait Sabinus, quaſi cauſae conjectio eſt*, in Baſilicis vero & apud Harmenopulum *cauſae conjunctio*, quibus aſſentit Alciatus *lib. V. Par. c.* 1. & Elenus, *lib. II. Diatrib. c.* 21. quaſi Sabinus exprimere voluerit id, quod Graeci τὸ συνέχον τῆς ὑποθέσεως, & Cicero *cauſae firmamentum* appellarunt. Sed Duarenus, Faber, Hotmanus *lib. II. Obſ. c.* 18. item *de lite ordin. c.* 14. & Grotius *in ſl. ſp.* Florentinam rectius ſequuntur: nam, uti Cuperus quoque *lib. II. Obſ. c.* 15. docet, cauſae conjectio ſiſtit lineamenta cauſae, eſtque ὑφὴ τοῦ πράγματος, vel, ut Baſilica, σύντομος τοῦ πράγματος ἀφήγησις; eſt brevis narratio, & litis futurae in breve coactio, τὸ κρινόμενον, vel διήγησις, quae in foro Attico, a pugilum ſtatu, προβολὴ appellabatur. Hac praemiſſa, eodem in tribunali, excluſis cavillationibus & ambagibus longis, quas hominum malitia nimis nunc auget, ſtatim ambo praeſentes *perorabant*, id eſt, petebant, poſtulabant: dum actor deſiderium ſuum, in jure, apud eum, qui juriſdictioni praeeſt, exponebat, reus actoris deſiderio contradicebat; ut ait Ulpianus in *l.* 1. §. 2. *D. de Poſtul.* Notae ſunt phraſes *orare cauſam*, *ſcientia orandi*, & *oro tecum precibus*: apud Ennium, Plautum & Terentium, id eſt, ago tecum precibus; ſicut in iiſdem decemviralibus Tabulis Antonius Auguſtinus, *ad Feſtum*, Turnebus *lib. X. Adv. cap.* 16. & Hieron. Columna *ad Ennium pag.* 45. ADORAT FURTO, idem eſſe, quod *agit*, rectiſſime monuerunt. Compoſitum *adorare*, per ſimplex orare, Servius etiam exponit ad Virgilium *lib. X. Aen. vſ.* 677. quem adverſus Hadriani Valeſii obelum Broukhuſius ad Propertium defendit, *lib.* 1. *eleg.* 4. Quam maxime autem peroratio utriusque partis ad litis conteſtationem eſt referenda, quae narratione & reſponſione, teſtibus praeſentibus facta, omni illi negotio, quod in jure fiebat, finem imponebat, *l.* 1. *C. de Lit. cont. l.* 2. *C. de Jurej. propt. cal.* Nimis vero acute Cujac. *lib. IX. Obſ. cap.* 21. actorem cum reo, non reum cum actore litem conteſtatum eſſe, putat: ambo enim perorabant. Pejus Curtius *lib. I. conject. cap.* 30. ad ſolum actorem conteſtationem reſtringit, cui vel ex uno Feſto, in voce *conteſtari*, ſatisfieri poteſt. Translatitiam denique ſententiam, ſed aequiſſimam, de non damnanda altera parte inaudita, multis Juriſconſultorum & aliorum Auctorum locis Rad. Fornerius exornavit *lib. V. Rer. quot. c.* 7.

TAB. II. Cum homines olim, procuratoribus nondum admiſſis, ipſi per ſe agerent, atque actiones exciperent, humanitas autem vetaret, ut vadimonii deſerti actio daretur, ſi judex vel unus litigantium morbo ſontico eſſet correptus, Decemviri DIEM DIFFENSUM eſſe voluerunt. Ita Gothofredus, ex Feſto, voce *Reus*, Gravina aliique. At Scaliger ibi, in notis, maluit *diffunſus*; Turnebus *lib. XVII. cap.* 8. *defenſus*, Lipſius *diffeiſus*, Lambino *ad Horat. lib. II. Sat.* 1. *vſ.* 79. *diffiſſus* placuit: Bal-

Balduino & pleriſque aliis *diffiſus*; quia Ulpianus in *l.* 2. §. 3. *D. Si quis caut. in jud.* ait: *Lex* XII. *Tabb. jubet, diem judicii eſſe diffiſum.* Sed perinde eſt *diffenſus* legas, an *diffiſſus:* quia utrumque a *findo*, *fendo*, id eſt, ſcindo, deſcendit, cujus poſterioris verbi meminit Priſcianus. Proprie ergo diffindere judicii diem, eſt dividere tempus illud, quo morbus aliqualis eſt impedimento; ex diffiſſione autem ſequitur dilatio, ut invito etiam altero litigatore ac judice, dies ille ipſo jure interrumpatur, neque res judicata habeatur, ſed in alium diem rejiciatur, *l.* 60. *D. de Re jud.* P. Merula *de LL. Rom. cap.* 5. hanc legem a Decemviris primum, non vero a Numa latam cenſuit, & pro *Numa*, apud Feſtum, reponit *nam.* Duas ejus juris rationes dedit Sucrinius *repetit. lect. cap.* 30. cetera vero ex Varrone, Horatio & Graecis, Cujacius *lib. XII. Obſ. cap.* 18. tam pulchre & plene illuſtravit, ut mirer, alios, de verbo *diffindere* diſputantes, illius plumis ſe exornaſſe, nullo ei honore relicto. Sed ante Cujacium jam Politianus, *Miſcellan. cap.* 41. in *d. l.* 2. §. 3. ex archetypis Florentinis, *diffiſſum* legendum eſſe monuit; quia Gellius *lib. XIV. cap.* 2. ſimiliter *rerum diffiſſiones* & *diem diffiudi* dixit: cui Coelius Secundus Curio, *in Foro Romano*, Sigonius *lib. I. de judic. c.* 28. & Gronovius ad Gell. *d. l.* ſuffragantur. Budaeus tamen, *in annotat. ad Pand. ad d. l.* 2. lite hacpropter mota, diem *diffuſum* praefert; etiam Briſſonius *de V. S.* in *diffundi*, Brodaeus *lib. X. Miſc.* 6. & Egnatius *ad Ovidii Heroid. ep.* 8. *vſ.* 61. Gutherius vero *lib. III. de jure Pontif. cap.* 14. inter diem *diffiſum* a lege, & *diffuſum* a Praetore, diſcrimen ponit. Servius *ad* VI. *Aeneid. vſ.* 37. *In jure*, inquit, *fiſſus dies eſt, non totus religioſus*; ſed hic diffiſſus eſt dilatus, & prorogatus. Baſilica: Τὸ δικαστήριον ὑπερτίθεται ἑνὸς τῶν δικαζομένων, ἢ τοῦ δικαστοῦ νοσοῦντος. Addo Livium *lib. IX. c.* 38. *Papirius C. Junium Bubulcum, Magiſtrum Equitum dixit: atque ei legem curiatam de imperio ferenti, triſte omen diem diffidit.* Denique huic Grammaticae liti decidendae, vel unus Acron, Horatii Scholiaſtes, ſufficit ad dict. *lib. II. Sat.* I. *vſ.* 79. *Trebatius juris verbo uſus eſt; Praetor enim dicere ſolebat, Hic dies diffiſus eſto.*

Quae eadem in Tabula, de teſtimonii denuntiatione, ſequitur lex: QVOI TESTIMONIVM DEFVERIT, IS TERTIIS DIEBVS OB PORTVM OBVAGVLATVM ITO, maximam lucem Cujacio debet *lib. VII. Obſ. cap.* 15. Ejus originem ab Athenienſibus derivat Petitus *ad LL. Att. pag.* 357. eos enim, qui rem geſtam viderant, & teſtaturos ſe polliciti erant, ſi in ipſo actionis articulo teſtimonium denegarent, obteſtabantur, teſtimonii neceſſitatem proponentes, uti Sigonius *lib. III. de Rep. Athenienſ. cap.* 4. & Brodaeus *lib. VII. Miſcell. cap.* 7. e priſcis Oratoribus confirmant. Cironius *ad tit. Decret. de teſtibus cog.* vagulationem trinam denuntiationem, ſive citationem alta voce factam, κλῆσιν, ſive ἀνάκλησιν, ex Suida & Polluce, interpretatur. QVOI pro *cui* dicebant veteres, ut Catullus: *Quoi dono lepidum novum libellum*, & Virgilius: *Quoi non riſere parentes.* Pro OEFUERIT, male Marcilius & Salmaſius *ad Jus Att. pag.* 817. ſubſtituunt *defugerit*, putantes, hanc legem alteri, *Qui ſe ſierit atteſtarier*, cohaeſiſſe. Fulvius Urſinus *t.* II. *Theſ. Graev. pag.* 1353. utrumque in archetypo Feſti exemplari ſcriptum invenit, & utro modo retineas, nihil referre, ait. TERTIOS DIES Cujacius *lib. XX. Obſ. cap.* 11. ait, eſſe trinundinum, ſive ter intra dies ſeptem & viginti; ut ὡς τρίτην ἀγορὰν apud Plutarchum: idque placuit Gothofredo. At vero ſi nono quoque die nundinas celebratas ponamus, ita ut ab unis nundinis ad alteras ſeptem dies intermedii eſſent, trinundinum intra ſeptendecim dies fieri neceſſario debuit: alii etiam videntur eſſe tertii dies, aliae tertiae nundinae, quarum Decemviri in Tabula ſequente, ubi de partibus ſecandis, meminerunt, ſicut Quintilianus *lib. II. Inſt. cap.* 4. legis, *trino nundino promulgatae.* Neque tamen per triduum continuum, putem, denuntiationem fieri ſolitam, ſicut nec ad *triduum*, quo *per ſingulos dies reus ter citabatur*, apud Papinianum, in *l.* 10. *D. de Publ. judic.* nam ſpatium trium vel novem dierum ſuffeciſſe videtur, quamvis plerique ita interpretentur. Vide Erycium Puteanum *de nundinis cap.* III. & XI. OB PORTUM, id eſt, ad domum teſtis denunciatio facienda, non ad aedes rei; uti Raevardus *ad LL.* XII. *Tabb. cap.* 11. Denique OBVAGULATUM, vel, per archaïſmum, OFVAGULATOM IRE (non vero *obvagulationem ire*; uti Turnebus *lib. XIII. cap.* 26. & Charondas) eſt magno clamore & vagitu κλητεύσασθαι; cum convicio implorare & ad teſtimonium flagitare, quiritari & ejulabunde queri; a vagio, vagulo, quod eſt plorantis & conquerentis: vicinum ei forſan πιπικκύαν Ariſtophanis, a cantu gallorum: Plautus pipulo differre dixit, a pipatu pullorum, *Aul. act.* III. *ſc.* 2. *vſ.* 31. *Pipulo hic differam te ante aedes.* Sane quod Decemviri *ob portum*, id Plautus dixit *ante aedes*, ejusque pipulum Feſtus ploratum, Varro convicium expoſuere.

Caput ſequens Urſinus his verbis putat conceptum fuiſſe: QUEI NOX FORTOM FAXSIT SEI IM ALIQUIPS OCCISIT JOVRE CAISUS ESTOD. Lucas Fruterius, inter epiſtolas Mureti *lib.* I. *ep.* 25. ſuſpicatur, legendum eſſe: *Qui nox furtum factum iit*,

ſi im aliquis occiſit jure caeſus eſto. Gothofredus noſter per *Si* incipit, Macrobium ſecutus: at nemo ſic praecedit, ad quem *im* referatur, & priorum conceptio magis convenit legi Solonis, ex qua hoc caput deſumtum eſt: Εἰ μὲν τις &c. apud Demoſthenem, ἐν τῷ κατὰ Τιμοκρ. & Petitum *in LL. Att. lib. VII. tit. 5. pag.* 530. *Nox* pro noctu ἀρχαϊκῶς hic poni, vulgata eſt obſervatio; & ita Ennius XVII. Ann. apud Priſcianum lib. VI. *Si lucei, ſi nox, ſi mox, ſi jam data ſit frux.* Solon edixerat: εἰ δέ τις νύκτωρ ὁτιοῦν κλέπτοι. In probationibus ad hanc legem Gothofredus *pag.* 84. Tribonianiſmum manifeſtum eſſe putat, in verbis poſterioribus Gaji, *l.* 4. §. 1. *D. ad L. Aquil. Lex* XII. *Tabul. furem noctu deprehenſum occidere permittit, ut tamen id ipſum cum clamore teſtificetur.* Adſtipulantem ea in re habet Bachovium *ad Treutl. vol.* 2. *diſp.* 30. *th.* 2. *B.* Puſendorſium *lib. II. de jure nat. cap.* 5. §. 17. & Cl. Schultingium ad Pauli *lib. V. tit.* 23. §. 9. quia veteres uno ore ajunt, Decemviros furem nocturnum *quoquomodo* interfici impune voluiſſe. Celeb. Noodt *lib. I. Obſ. cap.* 25. rectius, ait, innoxio Triboniano, Caji verba ad legem Aquiliam referri poſſe. Quinimo Cujacius, in utroque fure occidendo, exiſtimat, clamorem requiri, his legis XII. Tab. verbis, *Endoque plorato*, apud Feſtum, quod eſt implorato, ad auxilium invocato; vel jus publicum inclamato, *Endo clamato*, *lib. XI. Obſ. cap.* 27. & *XIX. cap.* 12. atque in eadem ſententia fuit Grotius *lib. II. cap.* 1. §. 12. *n.* 3. & Merula *de leg. Rom. cap.* 16. Magis autem placet ejuſdem Cujacii Obſervatio *lib. XIV. cap.* 15. ſucceſſu temporis, iſtam legem, ut alia de furtis capita, auctoritate Prudentum fuiſſe mitigatam: quia *Pomponius dubitat, num haec lex non ſit in uſu*, apud Ulpian. *Collat. LL. Moſ. tit.* VII. *n.* 3. Jure itaque medio impune occidebatur fur nocturnus, ſed metu mortis, *l.* 5. §. 1. & 11. *D. ad L. Aquil.* Jure noviſſimo aliud in Urbe & oppidis, aliud in agris obtinuiſſe, Cujacius ex *l.* 1. *C. Quand. lic.* & Harmenopulo *lib. VI. tit.* 5. conjicit: verum Jac. Gothofredus *ad l.* 2. *C. Th. Ad leg. Corn. de ſic. t.* III. *pag.* 87. negat, illam Theodoſii legem 1. ad fures privatos pertinere, licet *Militum* vel *Privatorum* meminerit. Prioris mutationis ratio forte haec fuit, quod nonnulli fingerent, in furto nocturno eos occiſos eſſe, in quos praetereuntes impetum fecerant; opus ergo clamore, ut, ſi fieri poſſet, concurrerent ad auxilium & teſtimonium vicini. Eodem tendit, quod ab Ulpiano proditum eſt, in *l.* 9. *D. ad L. Corn. de ſic.* licet aliter velit Noodt *lib. I. Prob. cap.* 9. & *cap.* 5. *ad L. Aquil.* adverſus quem non ab re viri Cl. Huberus *in Eunom. ad l.* 5. *ad L. Aquil.* Waechtlerus *in notis ad Probab.* & J. van de Water *lib. I. Obſ. cap.* 18. diſputarunt.

In TAB. III. verba legis, de jure crediti perſequendi, adeo apud Gellium *lib. XX. cap.* 1. depravata ſunt, ut alicubi vix ſenſum habere videantur, nec ſcio, an illa, toties licet ab eruditis interpolata & verſata, priſtinum ſplendorem receperint. Fulvius Urſinus, in notis ad Auguſtin. *de LL. pag.* 1351. ea, ſecundum antiquam ſcribendi conſuetudinem, expreſſit, & pro *Poſtdeinde manus injectio eſto*, ſcriptum fuiſſe exiſtimat: POSTIDEA ENDO MANOS JACTIO ESTOD; quia veteres *poſtidea* dixerunt, pro *poſt*, ut *antidea* pro ante. Ita etiam fere Lipſius: *poſtidea manus endo jectio eſto.* Cetera hujus capitis aliter Cujacius *lib. III. Obſ. cap.* 39. aliter Salmaſius *de Modo uſur. cap.* 18. aliter Raevardus *cap.* 1. *ad leg.* 12. aliter Charondas, & Hotmanus, partim ex conjectura, partim ex antiquis exemplaribus, reſtituere conati ſunt; quibus nova Illuſtris Bynkershockii vocem *aeris*, in *reis* commutantis, *lib. I. Obſ. cap.* 1. emendatio, vel Gravinae explicatio per ellipſin jungi poteſt. Bene Marcilius *pag.* 247. *tom.* IV. *hujus Theſ.* poſt Cujacium *d. l.* dies juſtos triginta dierum, quaſi juſtitii dies, ea forma a Decemviris appellatos, ait, qua Sextus Pompejus totidem dies juſtos vocat, cum exercitus eſſet imperatus, & vexillum ruſi coloris in arce poſitum; jucunda quadam togatae & ſagatae militiae comparatione. Nam & Valerius Maximus *lib. VIII. cap.* 5. Ciceroni militiam forenſem, ſicut Cicero *pro Murena cap.* 9. Servio Sulpicio urbanam militiam reſpondendi tribuit; *Lentam fori arenam* Juvenalis *ſat. ult.* vocat, & Advocati cum militibus comparantur in *l.* 14. *C. de Advocat. div. judiciorum.* Perperam vero Gravina, cum eodem Marcilio, LIBRAS FARRIS, quas lex jubet addicto vinctoque in dies dari, farream pultem interpretatur: quamvis enim apud Italos veteres, grandes fumarint pultibus ollae, & Plautus *Moſtell. act.* III. *ſc.* 2. *vſ.* 142. & *Poenul. prol. vſ.* 53. barbaros *pultiphagos* appellet, tamen vox librae non convenit pulti, ſed pani & farinae, quae appendi ſolent; neque Plautum de Romanis, ſed de Carthaginienſibus loqui, Taubmannus monuit, & ante ipſum Scaliger ad Varron. *de R. R. lib. III. c.* 7. contra Turnebum *lib. XIX. Adverſ. c.* 12. demonſtravit. Libra igitur farris eſt libra panis, uti *farreum* eſt panis farreus, apud Plinium *lib. XVIII. cap.* 3. & farre convenire in manum eſt farreo pane, teſte Ulpiano *tit.* 9. Raevardus etiam *dicto cap.* 8. non capiens, quot ſint librae farris, addictis aſſignatae, LIBRAM FARRIS legit, ut quantitas expreſſa videretur. At ſatis finitum eſt, *libras endo dies*, id eſt, quot diebus unam libram: ſimileſque locutiones, *bilibras farris*, *ſelibras farris*,

farris, & *frumentum aſſibus in modios aeſtimatum*, ex Livio aliisque collegit Joh. Fred. Gronovius ad Liv. *lib. IV. cap.* 17. Singulae vero librae in ſingulos dies erant legitimum ſervorum diarium, praecipue vinctorum; minus ergo vinctis ob debitum debitoribus Decemviri dari vetuerunt, majus permiſerunt. Peſſime vero Gulielmus Fornerius *lib. I. Select. cap.* 6. LIBRA. S. legendum autumat, ut anguſtius *ſelibrae* demenſum efficiatur, quamvis revera augeat, ſi *libram S.* uti oportet, ſeſqui libram interpreteris. Retinenda ergo eſt antiqua ſcriptura, cum Cujacio, *lib. IX. Obſ. cap.* 37. Alciato, *lib. I. Parerg. cap.* 17. & Foppio ab Aitzema, *lib. I. diſſert. cap.* 15. quam Scioppius & Gronovius Codicum fide firmarunt, ipſeque Fornerius magis poſtea probavit, auctore filio ejus Radulpho, *lib. III. Rer. quot. cap.* 10. Quod ſi his Andream Schottum jungas, *lib. II. Obſervat. hum. cap.* 34. & *lib. III. cap.* 23. quinam Jacobo Gothofredo in erudita nota *pag.* 166. praeiverint, & quos ille ibi *viros doctos* notet, accuratius cognoſces. Ad voces NI SUO VIVIT, earumque explicationem, Edicto Praetoris inſertam, pertinere *l.* 43. 44. 45. 234. §. 2. *de V. S.* & *l.* 34. *D. de Re jud.* neque alibi JCtos ſub victu continere veſtitum, Anton. Auguſtinus *de LL. pag.* 1311. Cujacius *ad tit. de V. S.* Defenſor Latinitatis JCtorum & Cl. Dukerus adverſus Vallam recte notarunt.

TAB. IV. Primum locum occupat lex de partu monſtroſo necando, cujus memoria apud unum Ciceronem nobis ſervata eſt, loco vexatiſſimo, *lib. III. de LL. c.* 8. De tribunatu ait: *cum eſſet cito legatus, tamquam ex* XII. *tabulis inſignis ad deformitatem puer, brevi tempore creatus, multo taetrior & foedior natus eſt.* Variorum conjecturas ipſe Gothofredus collegit, *pag.* 165. *fin.* quibus ex noviſſima Ciceronis editione addi poſſet, Turnebum, pro *cito legatus*, legiſſe *Stolo Gajus*; Auratum *allegatus*; Canterum *ablegatus*; Gruterum *lethatus*; Schefferum *torto legatus*: ſed Puteani *necatus* ſimplicitate ſuperat aliorum conjecturas, & ab Ill. Bynkershoekio *de jure occid. lib. c.* 10. pariter ac a Gronovio *Obſ. in ſcript. Eccleſ. c.* 19. & Daviſio probatur. Ad rem quod attinet; Romulus neceſſitatem impoſuerat Quiritibus educandi quicquid eſſet maſculum, & e filiabus primogenitas: nullam autem prolem necari permiſit minorem triennio, niſi ſi quid mutilum aut monſtroſum in ipſo partu eſſet editum: tales enim fetus exponi a parentibus non vetuit, ſed oſtenſos prius quinque viris e vicinia proximis, ſi illi quoque exponendos cenſuiſſent, auctore Dionyſio Halicarn. *lib. II. Antiq. c.* 15. Decemviri vero quicquid contra formam humani generis converſo more in lucem prodierit, non permiſerunt exponi, aut ad oſtentationem ſervari, ſed quantocyus aqua vel igni necari, non exſpectato vicinorum arbitrio. Seneca lib. I. de ira cap. 15. *Portentoſos fetus exſtinguimus; liberos quoque, ſi debiles monſtroſique ſunt, mergimus.* Ex quibus apparet, caput hoc magis eſſe novum, quam ex Romuli lege tranſlatum; quod tamen Gothofredus exiſtimavit.

TAB. V. Quam varie Cicero, Pomponius, Paulus, Ulpianus & Juſtinianus legem de hereditatibus & tutelis teſtamentariis retulerint, ex Gothofredi probationibus ad Tabulam hanc *pag.* 95. patet: ſed quaenam ex iis genuina fuerint Decemvirorum verba, non minus variant virorum eruditorum ſententiae. Summus Cujacius, in *Paratitl. C. lib. VI. tit.* 22. legem ἀρχαικῶς, ſicut exſtat apud Gothofredum, concepit, hoc modo: *Paterfamilias uti legaſſit ſuper pecuniae tutelaeve rei ſuae, ita jus eſto.* Quibus verbis Decemviri teſtamenti factionem non filioſam. ſed ſoli patrifamilias; non de pecunia aliena, ſed de ſua concedunt; nec liberis alienis, ſed ſuis tantum impuberibus, permittunt tutorem dari. Parum ab eo diſcedunt Lipſius *in LL. Xviral.* Balduinus *cap.* 29. *in LL.* XII. *Tabb.* & Raevardus *cap.* 12. legentes: *ſuper pecunia tutelave ſuae rei.* Verum quia tutela non eſt rerum, ſed perſonarum, & filioſam. exheredato tutor dari poteſt, ideo ſatis verboſe Simon Boſius, apud Lambinum ad Ciceron. *lib.* 2. *de Invent. cap.* 50. ita: *Paterfamilias uti legaſſit, ſuae rei, familiae, tutelae, pecuniaeve ſuae, ita jus eſto.* Petrus Faber. *lib. III. Semeſtr. cap.* 24. eam ſic conceptam fuiſſe, ait: *Uti quisque legaſſit ſuper pecunia tutelave ſuae rei, ita jus eſto.* Guil. Fornerius ad *l.* 53. & *l.* 120. *de V. S.* rejicit voces *ſuper pecunia tutelave*, & conflatum in iis, ex notarum compendio, mendum ſibi falſo perſuadet. Hotmanus *lib. IX. Obſ. cap.* 10. tentat, an ita ſcripta fuerit: *ſuper pecunia ſua, tutelave ſui heredis.* Cl. Noodt *lib. II. Obſ. cap.* 19. legit: *ſuper pecunia tutelave ſua.* Cl. Schulting. ad Ulpian. *tit.* XI. §. 14. timide conjicit, an ita: *ſuper pecuniae reive, tutelaeve ſuae.* Denique Cl. Burmannus ad Petronium *cap.* 141. poſterioris aevi Juriſconſultos, exiſtimavit, veterem formulam corrupiſſe, quae fuerit: *Paterfamilias uti ſuper familia pecuniave ſua legaverit, ita jus eſto.* Nam ita Auctor ad Herennium *lib. I. cap.* 13. & Cicero *lib. II. de Invent. cap.* 50. quos etiam ſequitur Fulvius Urſinus ad Auguſtinum *de LL.* verba legitima ita proponens: PATERFAMILIAS. VTEI. SOPER. FAMILIA. PEQVNIAQVE. SOVA. LEGASIT. ITA. IOVS. ESTOD. Firmat hanc lectionem frequens uſus vocis *familiae*, in hac materia, ut familiae emtor; familiae mancipatio; familiae erci-

ſcundae actio: ſervos autem eo nomine inprimis intelligi, *l. 9. D. de Jurisdict. tot. tit. Si ſam. furt.* & *l. ult. C. d. V. S.* evincit, ac ex inſcriptionibus Fabrettus *cap.* I. *pag.* 42. & 43. illuſtravit. Crebro item familia cum pecunia jungitur apud Sueton. *Ner. c.* 4. Gell. *lib. XVI. c.* 10. & in lapide Gruteri *pag.* 636. *n.* 9. FAMILIAM. SVAM. MANVMISIT. PECVNIAMQVE. LEGAVIT. Profecto ſi haec verba fuerint Decemvirorum, omnis, ex vocibus *ſuae rei*, exorta tolleretur difficultas; carere poſſemus diſtinctionibus, tum Marcilii, inter rem, pro univerſitate bonorum, vel pro re certa ſumtam; tum quoque aliorum, quod filiusfamilias, tempore conditi teſtamenti, fuerit res mancipi & *res ſua*, mortuo vero patre, caput liberum. Non denique opus foret cum Contio *ad pr. Inſt. ad L. Falcid.* non liquere pronuntiaremus: *Certeat*, inquit, *quamdin volent Juriſconſulti, Grammatici, Philologi; non poſſe tamen certo ſtatui, arbitror, his an illis verbis fuerint concepta verba: nobisque ſatis eſſe ſuperque puto, ſi ſententiam potius, quam verba ejus legis inveſtigabimus, nec miſere & anxie nos in infelice & obſcura re cruciabimus.* Ut tamen ſubſiſtam, facit, quod *tutelae* expreſſior ſit mentio, apud Ulpianum *tit.* XI. §. 14. & Paulum in *l.* 53. *D. de V. S.* quam ut negligi, aut pro commento juniorum baberi debeat: neque hi Duumviri, vetuſtae legis gnari ac intelligentes, illam, ſi ſpuria eſſet, explicaturi erant, neque prior ſcripſiſſet, tutores nominatim teſtamento datos, confirmari lege XII.Tabb. ſi nulla tutelae in iis mentio fuerit facta. Contra apud Auctorem ad Herennium omiſſa videtur vox QVISQVE, quam Juſtinianus in *Nov.* 22. *cap.* 2. ſecundum antiquam & patriam linguam, in hac lege fuiſſe, ait; eaque ſolennis erat in principiis earum legum, quae cunctos tenebant, *l.* I. *D. ad L. Falcid. l.* I. *D. de V. S.*

In lege ſequente, de gentilitiis hereditatibus, reſtituenda non minor eſt eruditorum diſſenſio. Rivallius, Balduinus & Merula *de LL. c.* 13. §. I. ſingularem de ſuo herede fingunt legem, quam & ex Solonis legibus fruſtra educere tentat Galvanus *de uſufr. c.* 8. *n.* 13. Verba legis ita conſtituit Urſinus *pag.* 1357. *Patrisfamilias, quei endo teſtato moritur, quoique ſouos heres nec eſcit, agnatos proxsumos familiam pequniamque habeto:* ſed Paulus in *l.* 9. §. 2. *D. de Lib. & poſt.* pariter ac Cicero *lib. II. de invent. cap.* 50. initium legis refert, *ſi inteſtato moritur:* Ulpianus *tit.* 26. §. I. & in *Collat. tit. ult.* §. 4. Ac *ſi inteſtatus moritur.* Illud nemo negat, Decemviros *endo* ſuum ex Graeco ἐν τῷ traxiſſe; ut *endo manum jacito, endo plorato.* Feſtus *endoprocincta, endoitium.* Gloſſae *endoclaſa, endodetarit.* Vide Rad. Fornerium *lib. II. Rer. quot. c.* 20. Pro verbo *eſcit*, Ulpianus habet *exſtabit*, & ſuus heres ſaepius dicitur exſtare & exiſtere; at frequens Decemvirorum *eſcit*, vel *eſit*, pro erit, Cujacius *lib. VII. Obſ. c.* 18. ex Lucretio *lib. I. vſ.* 613. & Turnebus *lib. X. Adverſ. cap.* 15. ex Ennio illuſtrarunt. Male Contius *de Heredit. & bon. poſſ. pag.* 287. particulam *nec* tranſpoſuit: *cui ſuus exſtabit heres, nec agnatus:* nam huic lectioni non modo mens Ulpiani repugnat, uti Cl. Schultingius docuit *ad Ulpian. pag.* 665. ſed etiam mos Decemvirorum, *nec* pro non ponentium, ad quem firmandum Feſtus, in *nec*, Plautum & Turpilium; Briſſonius JCtos noſtros, de *nec manifeſto furto* loquentes; alios ſcriptores Brant. *ad Hirt. de bello Alex. c.* 73. congeſſerunt. Poſteriora hujus capitis corrupta ſunt *in Collat. dict. tit.* 16. ubi Pithoeus: *Si agnatus nec ſit, gentiles familiam habeant;* Oiſelus *herciſcant;* noſter Gotbofredus, *familiam heres nancitor;* optime Freherus *lib. I. Parerg. c.* 9. *Si agnatus nec eſit, gentilis familiam nancitor*, id eſt, nanciſcitor; ut *apiſcitor* pro adipiſcitor. v. Feſtum in *nancitor.*

De *erctis citis* ad eandem Tabulam, non minus frequentem ſenatum habuerunt interpretes: *herctum* autem, ab ἕρκος, notat heredium, praediolum, hereditatem; non indiviſum, ut Gothofredus; nec horctum, ut Gravina: *citum*, a σχίω vel κίω eſt diviſum. Ita Gellius *lib. I. cap.* 9. & Servius *ad VIII. Aeneid. vſ.* 642. herctum non citum, patrimonium, vel hereditatem non diviſam, interpretantur. Ex utroque vero compoſita videtur vox *erciſcunda*, quae non ab *herco, hercis, hertiſco*, deſcendit, ut Marcilius; nec ab ἑρκίνω, ut Gravina; nec a Triboniano eſt conficta, quemadmodum Salmaſius putavit, ad Solin. *p.* 891. notatus idcirco a Gothofredo *p.* 170. ſed addo Ciceronem lib. I. de Orat. cap. 56. *Qui quibus verbis erctum cieri oporteat, neſciat, idem herciſcundae familiae cauſam agere non poſſet*, & Apulejum lib. IX. Metam. *familiae erciſcundae formula*, id eſt, hereditatis dividendae; uti in *l.* 78. *D. de Her. inſt.* & *l.* 18. *C. Fam. erc.* explicatur. Cujacius, *in Paratitl. D. lib. X. tit.* 2. Stoicos, ait, Servio *ad III. Aeneid. vſ.* 68. vocari *erciſcundos*, quaſi diviſores, & mediae ſententiae auctores; unde Stephanus Morinus materiam petiit Exercitationis: *Quare Stoici herciſcundi appellati fuerint:* ſed in editione Maſvicii & aliorum legitur: animam *Stoici terris condi, id eſt, medium ſecuti, tam diu durare dicant* &c. Veram lectionem ex melioribus manuſcriptis dare poterit Cl. Burmannus, qui etiam ad Petron. *cap.* 141. conferatur. In capite ſequente verba *ſi furioſus exiſtat*, id eſt, emergat, Turnebus *lib. XIII. Adverſ. c.* 13. Giſanius *Ind. Lucret.* voce *exiſtere*, & Daviſius *ad lib.*

III.

III. Tuſcul. diſp. c. 5. illuſtrarunt, ubi Cicero dixit: *Si furioſus eſſe incipit*, pro eo, quod apud Auctorem *Rhetoricorum ad Herennium* legitur, *exiſtat*. Sunt multa id genus alia, in quibus plus ſuliginis eſt, quam in barba Vulcani: quam abſtergere, nec inſtituti, virium, ant horarum eſt noſtrarum. Varro vocabat oblivia ſermonis Latini, quae quo ſunt antiquiora, eo vehementius ſolemus, ut imagines nobilitatis fumoſas, admirari: neque unquam ita reſtituentur XII. Tabulae, quin aliorum induſtriae aliquid ſuperſit.

In TAB. VI. capite primo, quid ſit *mancipium facere* omnes norunt; ſed quomodo mancipium differat a nexu, & cur Cicero plus ſemel tenere jure mancipii & jure nexi diſtinguat, neque Boëthius, a Gothofredo exſcriptus, neque Turnebus *lib. XX. Adverſ. cap.* 9. explicarunt. Cauſa difficultatis eſt, quod nexum nunc, ut vox generis; nunc, ut ſpeciei uſurpatur: alibi enim notat quicquid per aes & libram geritur, adeoque ipſam mancipationem comprehendit; quia emancipans non modo rem alienatam alteri nectit, ſed & ſe ipſum obligat, ſatis ſecundum mancipium, ſive evictionem promittendo. Alibi vero nexum ponitur pro obligatione, per aes & libram contracta, qua res quidem alteri adſtringitur & ſubjicitur, nec tamen ejus fit. Hac via Jo. Fred. Gronovius, *in Syll. Epiſt. tom.* II. *pag.* 549. erudite placavit diſſenſum Manilii & Scaevolae, apud Varronem, nullumque inter nexum & mancipium, ratione ſolennitatis & objecti, diſcrimen fuiſſe oſtendit: erat enim utrumque ſpecies alienationis rerum mancipi, quae fiebat certis verbis, libripende & quinque teſtibus praeſentibus: ratione effectus autem intererat plurimum; quia eorum, quae mancipio data eſſent, vera tranſibat proprietas, & dominium juris Quiritium, quum nexa pignoris aut ſervitutis jure tantum obligarentur. Quamobrem Ulpianus *rem ſuam* putare, vel *ſibi nexam*, id eſt, pignori obligatam diſtinguit, in *l.* 1. §. 4. *D. Ne vis fiat ei.* & uſusfructus mancipio ſaepe opponitur, apud Ciceronem, aliosque. vid. Ill. Bynkersh. *de Rebus manc.* Goeſ. in *Vindic. de mutui alienat. pag.* 61. Fabrett. *Inſcr. c.* 1. *pag.* 48. 49. Cel. Schulting. ad Cajum *lib. I. tit.* 6. §. 3. ad Paulum *lib. II. tit.* 17. §. 3. ad Ulpianum *tit.* 19. §. 1. & Cl. Heinecc. *Antiquit. lib. II. tit.* 1. §. 20. De vocibus *lingua nuncupaſſit*, id eſt, locutus erit, & nominibus captis legem mancipationi dixerit, Feſtus in *Nuncupata*, Alciatus *lib. II. Parerg. c.* 32. & Torrent. *ad Horat. lib. IV. ode* 2. *fin.* conferantur.

In capite proximo, de jure auctoritatis & uſucapionis, major eſt difficultas, quis ſenſus ſit formulae, non eodem modo a Cicerone proditae, *in Top. c.* 4. & *pro Caecina cap.* 19. USUS AUCTORITAS FUNDI, BIENNIUM: CETERARUM OMNIUM RERUM ANNUS, vel, ut Gothofredus, CETERARUM RERUM ANNUUS USUS ESTO. Cujacius *ad l.* 2. *D. de Uſurpat.* priori conceptioni hanc mentem dedit: eum, qui uſucepit, nullum alium dominii ſui auctorem laudare poſſe, praeter poſſeſſionem; & annum rei mobilis, biennium rei immobilis auctoritatem eſſe. Hotmanus *in comment. ad dict. c.* 19. & *lib. II. Obſ. c.* 2. pro *biennium*, legit *biennis*; uſum vero & auctoritatem accipit pro disjunctis, commate poſt *uſus* poſito; eaque in re Salmaſium habet adſtipulantem *de Uſur. c.* 8. *pag.* 210. qui ita explicat: non ultra biennium patere locum auctoritati, id eſt, actioni pro evictione. Similiter Strauchius ad 50. Deciſ. *Ex.* II. *c.* 1. *n.* 13. ait, uſucapionem, & propterea etiam praeſtationem evictionis, durare biennium: nec multum abit Jac. Gothofredus, *in Indice lit. G.* quum ἀνυδίτως duas voces poni, exiſtimat, ut erctum citum, jus ratum, victus verberatus &c. Sed hos vel Boëthius reſellit *in Topica, quum τὸ uſus* genitivum monſtrat: *Hic igitur aedium uſus auctoritatem biennii fieri ſentit.* Marcilius uſum, dicit, eſſe inchoatam & imperfectam uſucapionem, quaſique inſtrumentum uſucapionis perfectae, quae *uſus auctoritas* vocetur. Maranus *in Parat. pag.* 908. auctoritatem, augmentum, vel acquiſitionem interpretatur; quaſi lex voluerit, ut uſus, id eſt, poſſeſſio, eſſet auctoritas, id eſt, capio & acquiſitio fundi: *biennium* vero per appoſitionem ad vocem *uſus* refert, quaſi lex voluerit, ut uſus ejus temporis nos auctores faceret. Cel. Graevius, in notis ad illam Ciceronis orationem, eundem fere verborum ordinem conſtituit: *uſus fundi biennium auctoritas eſto:* quia uſura fundi per biennium pariat jus poſſeſſionis legitimae; rerum mobilium vero, ſi per annum ſimus uſi. Sed, quia dura locutio eſt, *uſus biennium*, pro per biennium, malim hanc vocem in nominativo, ſed recto caſu accipere, ut ei *annus*, vel, ut alii, *annuus uſus* opponatur. In illis autem, *uſus auctoritas fundi*, putem duos eſſe genitivos, qui ab *auctoritas*, hoc reguntur ordine: Biennium pariat auctoritatem uſus fundi; ſed annuus uſus eſto auctoritas rerum ceterarum; quae verba alii, *quod ad ceteras res attinet*, expoſuerunt. Ex noſtra autem interpretatione omnium verborum, perplexorum ſatis aptus evadit ſenſus, nec apud Tullium quicquam additur, vel mutatur: nam & in Topicis connectendi particula abeſt, & in ea, pro Caecina, perperam a Fabro & Paſſeratio retinetur. Uſusauctoritas, ſecundum Gravinam, eſt Κυριότης διὰ χρόνως, ut vocat Harmenopulus, ſive

dominium uſu acquiſitum. Alii cum pignoris capione, & aliis id genus conjunctis compararunt; ut Contius *Diſputat. cap.* 11. Aerodius *ad Quintilian. declam.* 295. & Gronovius *Obſ. ad Hiſt. Eccl. ſcript. c.* 14. Neque auctoritas tantum eſt dominium, ſed ipſa etiam ἀξιοπιστία & ratio, ob quam dominii ſumus ſecuri: ſic in iisdem hiſce tabulis, *Adverſus hoſtem aeterna auctoritas eſto*, ſignificat, adverſus peregrinum perpetua detur rei perſecutio, vindicatio & evictio. Sic defugere auctoritatem, apud Plautum, Terentium & Ciceronem, eſt recuſare praeſtationem ejus, quod venditor contra evincentem praeſtare debet. Seneca auctoritatis tabellas *lib. III. contr.* 21. Scaevola inſtrumenta auctoritatis dixere, in *l. ult. D. de Pign. act.* juncta *l. ult. D. de Evict.* & *l. ult. D. de Aqua & aq. pluv.* Alciat. *lib. II. Parerg. c.* 9. *lib. VI. c.* 6. & Victor. *lib. V. Var. lect. c.* 22. Ceterum Joſephus Nerius *lib. I. Analect. c.* 24. bene quidem diſceſſit ab emendatione Hotmani: peſſime vero apud Ciceronem in *Top. c.* 4. pro *& ſunt ceterarum omnium*, repoſuit: *& ſunt citra rerum nomina:* movet enim Tullius ſibi objectionem, quod lex uſus *fundi* tantum auctoritatem jubeat eſſe biennium, adeoque aedes ad ceteras res, quarum annuus uſus eſt, pertinere videantur. Sed cum aedes, perinde ac fundus, ſint immobiles, aequitas paribus in cauſis paria jura deſiderat, & mens legis eſt, ut fundi appellatio rem omnem contineat, quae ſolo continetur, *l.* 115. *de V. S.* pari modo ac caput legis Juliae de adulteriis, de ſolo fundo dotali ſcriptum, pertinebat etiam ad aedes; & contra interdictum Uti poſſidetis, de aedibus conceptum, extendebatur ad fundos, *l.* 1. *§. pen. D. Uti poſſid.*

Legis ſequentis antiquitatem & verba, a Gothofredi mente diverſa, hunc in modum Urſinus repraeſentat *pag.* 1352. *Sei. quei. en. do. joure. manom. conſerunt. utreique. ſoperſtitebos. praeſetebos. vindicias. ſumunto.* Priora in XII. Tabb. ſcripta fuiſſe, Gellius teſtatur, *lib. XX. cap.* 10. Poſteriora ex Feſto, in *ſuperſtites*, deſumta ſunt: nec multo aliter Marcilius, Fr. Pithoeum ſecutus, Hotmanus, Ritterſhuſius aliique. Dubitari autem poſſet, cum Cl. Chriſtio *Noct. Acad. Obſ.* 13. 14. an non rectius, in ſexto caſu, *manu conſerere* ſcribendum fuerit; quia Ennius, a Cicerone ter laudatus, *Ex jure manuconſertum* cecinit; nec aliter veteres Gellii editiones, & Valerius Probus, in notis. At, niſi alia intercedunt, cum Briſſonio *lib. V. de Form. pag.* 375. & *de Verb. ſign. lib. III.* malim, *manum conſerere*, quod & recta loquendi ratio, & Codices Gellii, a Gronovio laudati, tuentur. Quemadmodum enim hoſtes in praelio manum conſerebant, ſic uterque litigantium, in lite vindiciarum, rem praeſentem ejusve ſymbolum manu prehendebat, & vi quadam civili ac imaginaria, dictisque verbis ſolennibus, manum conſerebat, ut Gellius belle explicavit. Serere eſt jungere; conſerere pugnam eſt ſimul pugnare, & manus jungere. Varro *lib. V. de LL. Conſerere manum dicimur cum hoſte:* nec officit, quod ſequitur: *ſic ex jure manu conſertum vocare:* nam Ennius more poëtico M vel S eliſit, & in quibusdam ejus MStis *manuconſertu* unica dictione legitur. Meminerimus etiam, aliud eſſe manum conſerere, ex XII. Tabulis & legis actionibus; aliud ex jure manus conſertum vocare, ex formula Praetoris. Quid autem ſit vindicias ſumere, ferre, dicere, addicere & abdicere, praeter interpretes harum tabularum, Turnebus *lib. XXIX. Adv. c.* 33. Sigonius *lib. I. de judic. c.* 21. Muretus *ad l.* 2. *§.* 24. *de O. J.* Hotman. *lib. III. Obſ. c.* 15. Averanius *lib. I. Int. c.* 15. & Cocccjus *de lite vindiciarum*, affatim oſtendere.

Major eſt tumultus de voce CONCAPET, in lege, de tigno juncto, apud Feſtum: haec enim cum nullum ſenſum habeat, criticum acumen ſuum, docti pariter ac indocti intendi oportere, exiſtimarunt. Cujacius *lib. XXIII. Obſ. cap.* 19. legit *concapitum*, id eſt, conceptum; ſed in Paratitlis *D. de Tigno juncto*, a doctiſſimo Scaligero cum diſſentire pudet, qui *concapes* repoſuit, & tignum terrae defixum, quod caput ſuum cum capite vineae, id eſt, radice commiſſum habet, ingenioſiſſime explicavit, ad Feſtum, v. *tignum*, cui etiam Fulvius Urſinus & Lipſius adſtipulantur. Turnebus *lib. XIII. Adverſ. c.* 27. quo ſe verteret, neſcivit, poſtquam conjecturis infelicior indulſiſſet, & quadruplicem medelam propoſuiſſet, legendo, *copula*, vel *cum capite*, vel *ne vindicato*, vel *neve capito*, *neve ſolvito*. Auguſtinus *concapu*; Raevardus *capulo*; Boſius *e compage* legunt; Janus a Coſta *ad §.* 29. *Inſt. de Rer. div.* lenius mutat *concapeis*, pro concapibus, & progeniem vineae explicat, quae vulgo propago vocatur; denique Giphanius vocem moleſtam deleri jubet. Fuit, cum ex *capitum conjugatione* aliquid exſculpere conarer, quam Cicero cum religatione & propagatione vitium conjungit, *de Senect. cap.* 15. de qua etiam Columella *lib. IV. cap.* 16. & Plin. *lib. XVII. c.* 23. at nihil tandem, tot inter παραπλάσματα, ſalutarius mihi viſum fuit, lectione Gothofredi: *ne concape, & ne ſolvito*, id eſt, ne vindicato, & ne ſolutum exhibeto: hoc enim convenit Ulpiano in *l.* 1. *pr. D. de Tign. junct.* & Juſtiniano in *§.* 29. *Inſt. de Rer. diviſ.* ubi: *neque vindicare eam poteſt, neque ad exhibendum de ea re agere, propter legem* XII. *Tabb.* Attamen Zieglerus in diſſ. *de tigno juncto §.* 9. tum demum ſubſcribebat huic ſententiae, ſi talis verbi *concapere* ſignificatio,

catio utcunque aliquo teſtimonio juvari poſſit; ſed vellem, ritum vindicandi & contravindicandi, actoris & rei, rem ſimul capientium, ex Cicerone, in memoriam revocaſſet. Alius adderet furtum per lancem & licium conceptum; ſed vid. Cl. Heinecc. *Antiquit. lib. IV. tit.* 1. §. 15.

In Tab. VII. Decemviri capitis poenam dictarunt puberi, qui frugem aratro quaeſitam noctu depaverit. Frugum vox aliquando generalis eſt, & omnia comprehendit, quae ex ſatione aut ex arboribus colliguntur: hic vero notat frumentum, quod ſpica, & legumina, quae ſiliqua continentur. vid. *l. 77. de V. S.* Paul. *lib. III. tit.* 6. & Jac. Cappellum, vel quisquis eſt, in *defenſ. Latin. JCt. pag.* 311. At de ſupplicii genere non convenit inter eruditos. Lipſius *de LL. Xviral.* legem concipit, Cereri ſacrator: & *lib. IV. Ep. quaeſt.* 26. pro *ſuſpenſum*, apud Plinium *lib. XVIII. c.* 3. emendat, *ſacratum*; Ranchinus *lib. I. Var. lect. c.* 14. maluit *infeſtum Cereri*; plerique vero retinent *ſuſpenſumque Cereri*, id eſt, Cereri ſacrum & devotum, de arbore infelici ſuſpendi, ac *necari jubebant*: quae poena gravior, quam homicidii; tum ob delicti frequentiam, tum quia opes veterum in agricultura ſitae.

Proxima de injuriis capita alii aliter concepere. In primo τὸ *aeris* delendum videtur, Feſti auctoritate, in voce *viginti*. In altero Urſinus *pag.* 1361. vocem *infamiam* gloſſema eſſe verbi *flagitium* exiſtimat. In tertio Fruterius *lib. I. Epiſt. Mureti* 25. pro *membrum rapſerit*, apud Feſtum, in *talionis*, legit, *capſerit*, id eſt, privaverit: Gellius *lib. XX. c.* 1. ſi membrum *rupit*; noſter *rupſit*. Antonius Auguſtinus verba legis optime apud Feſtum referri putavit. Totum praeterea hunc, de injuriis, locum alio ordine refingunt Hotmanus ad §. 7. *Inſt. de Injur.* & Salmaſius *in Obſervat. ad jus Attic. cap.* 9. quam quidem a Gothofredo hic relatus eſt. Neque is aſſenſum meretur Cel. Schultingii, in notis *ad Collat. LL. Moſ. tit.* 2. *n.* 5. quod *pag.* 177. ex verbis Pariatoris: *Quae lex generalis fuit*, mira metamorphoſi, quartum caput effecit: *Qui os ex genetali fudit*: neque enim veteres meminerunt legis, de oſſe ſuſo, ſed fracto: nec vox *genetale*, eo ſenſu nota eſt, quo ille eam uſurpavit: nec os oris, cum Alex. ab Alexandro *lib. VI. c.* 10. ſed os oſſis intelligendum eſt. Ineptit etiam Balduinus *cap.* 13. *ad LL.* XII. quando fragmentum Catonis, ex *lib. IV. Origin.* apud Priſcianum *lib. VI. Si quis membrum rupit, aut os fregit, talione vindicta proximus cognatus ulciſcitor*, ad hanc legem pertinere, & Juſtinianum, una cum Gellio, ſalli ſuſpicatur, quod inter membrum ruptum & os fractum diſcrimen ponit; id quod ipſe reperire nequivit. Sed quemadmodum unius membri, velut capitis, plura ſunt oſſa; ita vel unicus Plautus eum potuiſſet docere, qui *in Menaechm. act.* v. *ſc.* 2. *vſ.* 102. membra ab oſſibus diſtinguit. Nec temere Auſonius Popma, in *notis ad d. l.* dubitavit, num Cato ad L. XII. reſpexerit; quoniam oſſi fracto talio non erat conſtituta; neque proximus agnatus injuriam ulciſcebatur. Ad alterius ergo gentis inſtituta is forte referendus eſt; & gratis ait Marcilius, parem vindictam, jure civili, agnatis proximis permiſſam eſſe: in rebus enim noſtris & noſtrorum affectu corrumpimur: *Eſt lex, forum, judex, niſi quem jure vindicari pudet*, ait Quintilian. *decl.* 13.

In eadem tabula primae notae viri multa ſtudioſe in interpretationem legis, de teſte deſertore, contulerunt, quae exſtat apud Gellium *lib. XV. cap.* 13. Ludovicus Charondas glorioſius jactat, ex duobus codicibus Gellii manuſcriptis eam primum a ſe reſtitutam eſſe: *Quae ſi erit teſtata.* Sed riſu magis, quam refutatione, dignus eſt. Rectius Cujacius, ad §. 6. *Inſt. de Teſt.* ex bibliotheca Joannis, Biturigum Ducis: niſi quod repoſuit: *in teſtimonium ferietur improbus civis int. eſto*: quod merito Urſinus repudiavit, auctoritate libri vetuſtiſſimi, in quo: *ni teſtimonium fariatur imp. int. eſto.* Mos enim fuit antiquis, dictionibus ex abundanti ſyllabam adjicere, quae nihil conferret, ut moriri, fruiſci, & fariari, pro fari. Aliter Turnebus *lib. XIII. Adv. c.* 26. Salmaſius *ad jus Att. c.* 30. *pag.* 815. Voſſius *lib. III. de Anal. c.* 6. & ambo Gronovii ad Gellium *d. l.* ſed conſtat legis ſententiam hanc eſſe: eum, qui ſe paſſus fuerit, in teſtem rogari, quive libripens in mancipatione fuerit, ſi nolit fidem teſtimonio approbare, cogendum, & deinceps pro improbo & inteſtabili eſſe habendum; id eſt, pro homine nullius fidei & execrando, cujus teſtimonium non recipiatur, & cui teſtaturo, vel mancipaturo teſtimonium non dicatur, *l.* 18. §. 1. *l.* 26. *D. Qui teſt. fac. l.* 21. *D. de Teſtib.* Salluſtius ſimiliter ex formula legis *improbum, inteſtabilemque*; Horatius *ſacrum & inteſtabilem*; Tacitus *inteſtabilem* & *conſceleratum* conjunxere. Vid. Cl. Reinold. *Varior. c.* 6. & de teſtimonii deſertione apud Athenienſes, Polluc. *lib. VIII. c.* 1. & 6. Sigon. *lib. III. de Rep. Athen. c.* 4. & Brodae. *lib. VII. Miſcell. c.* 7.

Multum porro refert, quomodo verba capitis deperditi, de tutore ſuſpecto, refingantur. Urſinus *pag.* 1357. *Si quis dolei malei culpaive ſuſpectos endo tutela ſiet:* Charondas: *Tutor, qui pupillum fraudavit, duplione luito, infamisque eſto.* Optime Gothofredus: *Tutor, ſi dolo malo gerat, vituperato.* Vide ad §. 6. *Inſt. de Suſp. tut.*

In ultima lege, de patroni fraude, reſtituenda, Gothofredo praeivit Contius, Charonda ſuffragante. Verboſius Urſinus *pag.* 1361. *Sei patronos clientei fraudem faxſit, patronos clientis diveis ſacer eſtod.* Sic fateor, in lege regia, apud Feſtum in v. *plorare: Puer Divis parentum ſacer eſto*; ſed hic mallem *Diti*: nam Dionyſius *lib. II. c.* 10. tradit, ex lege Romuli convictum hujus criminis, ut proditorem *Diti*, id eſt, Plutoni ſacrum, interfici potuiſſe, moremque fuiſſe, ut quos vellent impune occidi, eorum corpora devoverent Deo cuipiam, praecipue Diis inferis. Rem teſtimoniis & exemplis illuſtrarunt Livii ſoſpitatores, Sigonius & Gronovius *ad lib. III. cap.* 55. Rad. Fornerius *lib. VI. Rer. quot. c.* 15. & Perizonius *ad Sanctii Minerv. lib. IV. c.* 14. *n.* 27. ubi hominem ſacrum, quod in perniciem publicam vergeret, tanquam victimam Diis ſacratam & gratam, a quovis impune occidi potuiſſe, monſtrat; ſicut ἀνάθεμα Graecis & Hebraeis, *Levit.* XXVII. *vſ.* 29. & *Rom.* IX. *vſ.* 3.

In Tab. VIII. agitur de juribus praediorum, primumque locum tenet *ambitus parietis*, ab ambiendi, id eſt, circumeundi, ex quatuor lateribus, facultate dictus: ejus ſpatium, duorum pedum & ſemipedis, *legitimum* dicitur, in *l.* 14. *D. de S. P. V.* quod imitatione quadam Solonis, ſive ob metum incendiorum, ſive ne ſtillae in praedium vicinum caderent, inter vicinas inſulas, a Decemviris eſt definitum. vid. Cujac. *lib. I. Obſ. c.* 4. *lib. XIX. c.* 21. & *lib. XXIII. c.* 4. Auguſtin. *lib. II. Em. cap.* 7. & Briſſon. *lib. I. ſel. ant. c.* 2. qui ſubductis omnibus verba legis haec fuiſſe exiſtimat: *Ambitus parietum ſeſtertius pes eſto.* Alius erat ambitus ſepulchri, de quo Pomponius in *l.* 5. *D. de Sep. viol.* cujus latitudo legibus praediorum communiter erat P. V. pedum quinque, uti ex lapidibus litteratis, apud Gruterum *pag.* 711. *n.* 3. & Fabrettum *Inſcr. pag.* 321. apparet: Cujacius vero *lib. XIII. Obſ.* 36. Briſſon. *lib. II. ſel. ant. c.* 15. & Gaudentius *lib. I. Jurid. exp. c.* 15. explicarunt, juncta *l.* 9. *C. de Relig.*

Caput ſecundum, de ſodalitatibus earumque legibus permiſſis, rivulus eſt ex fonte Attico, & tranſlaticium ex Solonis lege, quae locis quibusdam corrupta videtur, apud Cajum in *l.* 4. *D. de Colleg.* & diverſimode ab Alciato *lib. II. Diſp. c.* 14. Cujacio *lib. VII. Obſ.* 30. Petito *in LL. Att. lib. V. tit.* 7. Salmaſio *de uſur. c.* 12. & *ad jus Att. c.* 4. Heraldo *Obſ. c.* 42. aliisque emendatur; ab Auguſtino vero *lib. I. Emend. c.* 8. Pratejo *Juriſpr. vet. Solon. c.* 75. & Ill. Bynkershoekio *lib. I. Obſ. c.* 16. erudite illuſtratur. Praecipua difficultas Salmaſio viſa fuit circa voces: ἢ ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι, cum non ſit veriſimile, Solonem in civitate pacata permiſiſſe ſodalitates ad praedam agendam; atque ideo legit, ἢ καπηλιῶν κοινωνοὶ: alii reponunt λήιον, *frumentum*: ſed Heraldus & Bynkershoekius non patiuntur lectionem illam ſollicitari; quia ejusmodi ſocietatis genera, ad praedam ab hoſtibus quaerendam, apud veteres fuerunt uſitata, neque hodie ſunt incognita apud Zelandos, quibus quaeſtus belli tempore inde uberrimus. Bodinus *lib. III. de Rep. c.* 7. & Grotius *lib. II. de J. B. & P. c.* 15. §. 5. ſocietates intelligunt latrocinandi gratia, extra fines civitatis; quae Graecis non minus, quam Latinis & Germanis, juventutis exercendae cauſa, olim permiſſae fuerunt. Quid ſi per ἑταιρείας εἰς λείαν intelligamus ſocietates venalitiariorum, qui ad praedam emendam exibant: nam & Solon hic ſodales, ad praedam venientes, ab illis, qui mercaturam, aut aliud quid exercent, diſtinguit; ſicut *mangones*, *non mercatores*, ſed *venalitiarios appellari*, ait Mela, apud Africanum, in *l.* 207. *de V. S.* Graeci quoque, cum proprie loquuntur, homines captivos, armenta & greges λείαν vocant, ut Q. Fabius, Volſcis devictis, λείαν vendi juſſit, apud Dionyſ. *lib. VIII. Ant. c.* 82. Deinde inſtitores mancipiorum ſunt antiqui, quorum jam Ezechiel meminit *cap.* XXVII. *vſ.* 13. Varro Romae inter modos, quibus dominus legitimus perficiatur, numerat *e praeda ſub corona venditionem*, *lib. II. de R. R. c.* 10. ubi & venalitiaria ſocietas erat frequens, *l.* 73. §. *pen. D. de leg.* 3. per quam venales undique ex provinciis, ut pecora in greges coacti, deducebantur. v. Horat. *lib. I. ep.* 6. *vſ.* 39. ibique Lambinus, & Valeſius ad Ammianum *lib. XXII. c.* 7.

In eadem tabula de finibus agrorum quoque ſancitum fuiſſe, ex inſcriptione *l. ult. D. Fin. reg.* conſtat: ſed num eadem vetuerit, ne uſus auctoritas intra quinque pedes procederet, ſub judice lis eſt; ſaltem multi dubitant, an huc referri debeant verba Ciceronis *lib. I. de Legib. c.* 21. *Uſucapionem* XII. *Tabulae inter quinque pedes eſſe voluerunt.* Sic libri veteres Turnebi & Gruteri, quorum veram omnino eſſe ſcripturam, Schefferus *in notis* & Goeſius *ad Rei agrar. ſcript. pag.* 191. contendunt, quia Tullius de loco & fundo *intra fines*, non de ipſis finibus, loquatur. Verum quia nullus ſerio negaverit, ipſum ludere in voce *finium*; malim cum Alciato, Victorio, Auguſtino, Manutio, Hotmano & Daviſio legere *noluerunt*: nam & ſenſus ſic evadit apertior: quum XII. Tabulae ſpatium quinque pedum uſucapi noluerint, nos in contentione & jurgio Philoſophico, de finibus bonorum & malorum, non ſinemus depaſci veterem poſſeſſionem Academiae, licet Zeno, homo acutus & arrogans Antiochus,

per

per multos annos, adeoque ultra legitimas biennii metas, id jam fuerint conati: ſed modo quaſi finium regundorum judicio, tres arbitri, Ego, Quinctus frater & Pomponius, totidem, quot *ex iis* capi & dari oportet, terminos a Socrate poſitos requiremus. Retinui, *ex iis*, nempe XII. Tabulis, quarum ante meminerat; nec ſatis cauſae video, cur Ranconnetus, Cujacius & Turnebus illud in *e* XII. convertendum eſſe cenſuerint. Ceterum illos, qui praeferunt τὸ *voluerunt*, non parum juvare videtur, quod Rei agrariae ſcriptores, a Goeſio editi, ut Siculus Flaccus *pag.* 8. Aggenus Urbicus *p.* 53. & Simplicius *p.* 83. non modo latitudinem ſpatii finalis, ſed prohibitam quoque uſucapionem legi Mamiliae acceptam ferunt. Nihilominus credamus licet, quinque illos pedes, ex lege Solonis, apud Plutarchum, & in *d. l. ult.* ab arboribus ad fundos ab ipſis Decemviris tralatos eſſe: nam auctore Theodoſio, in *l. ult. C. Th. Fin. reg.* quinque pedes *veteri jure* praeſcripti ſunt: hoc autem jus transfuſum eſt in legem Mamiliam, quae tot alias inter leges, de finibus & agrorum conditionibus latas, eminebat & frequentius laudabatur, pariter ac alia XII. Tabulis praeſcripta in alia latorum nomina tranſierunt; uti infra ex Macrobio dicemus. Denique illud non praeteribo, ad hanc finium non uſucapiendorum materiam minime pertinere difficilem & vexatam *l. 5. C. Fin reg.* de quinque pedum praeſcriptione ſublata, uti quibusdam placuit, quos vel ſolus titulus, ſub quo illud caput poſitum eſt, refellit. Quam infeliciter jactabundus Bailardus, de ea ſententiam rogatus obmutuerit, tirones norunt. Lepide etiam Vallam, ex eadem ſibi ad explicandum propoſita, adverſarium ſuum ad incitas redegiſſe, refert Boxhornius: nec deſunt recentiores, qui ſibi non liquere pronuntiaverint. Alciatus *tom.* III. *Op. pag.* 345. eique contrarius Ludovicus Catus, libris ſingularibus eam enarrarunt; aliter etiam atque aliter Accurſius, Cujacius, Pacius, Pancirolus, Viglius, Nicolaus Valla, Hahnius, Wiſſenbachius, ſed inprimis Jac. Gothofredus *tom.* I. *C. Th. pag.* 206. & Goeſius *ad LL. Agrar. pag.* 191. eandem interpretati ſunt: ſimplicius vero Charondas *lib. III. Veriſ. c.* 16. mentem Valentiniani vidit & explicavit.

Legem ſequentem Cl. Funccius *de puerit. ling. Lat. pag.* 103. ita concepit: *Sei clans endo emem caduca ſiet domino lecere jous eſtod:* hoc eſt, ſi cujuslibet arboris fructus in eundem vicini fundum ceciderit, domino & poſſeſſori arboris, qua de prolapſa ſit, eam legere, colligere & auferre jus eſto. *Cautum eſt lege* XII. *tabularum, ut glandem, in alienum fundum procidentem, liceret colligere*, ſcribit Plin. *lib. XVI. Hiſt. nat. c.* 6. Glandem, quae proprie intelligitur, quinque arbores ferunt, nempe Robur, Quercus, Eſculus, Cerrus, Ilex & Suber, quas idem Plinius ideo *glandiferas* vocat, iisque perpetuum honorem apud Romanos fuiſſe refert, *dict. lib. c.* 2. & 8. Cajus vero, in interpretatione XII. tabb. glandis appellatione omnes fructus contineri, ait, *l.* 236. *§. ult. de V. S.* idemque repetiit Ulpianus in explicatione interdicti prohibitorii, *Ne vis fiat legenti glandem caducam*, in *l. un. §.* 1. *D. de Glande leg. l.* 30. *§.* 4. *de V. S.* Frontinus *de controv. lim.* maluit dicere *fructum*, quam glandem; licet glandis appellatione omnis fructus, ut olea, nux juglans &c. ſignificetur, exemplo Graecorum, qui ἀκροδρύων nomen omnibus fructibus tribuunt. Sed quod Cujacius in *Paratitl. D. de glande leg.* ex Nicephoro *lib. I. c.* 14. notat, D. Joannem in eremo victitaſſe ἄκρας δρυῶν, eapropter a Caſaubono *Exercit.* XIII. *ad Baronium c.* 7. eſt notatus, quia D. Matthaeus III. *vſ.* 14. ἀκρίδας vocat, quas vulgo locuſtas interpretantur. Add. Conſtant. Landum *hoc tom. Theſ. p.* 1431.

Tab. IX. primum caput, de privilegiis non irrogandis, late excuſſimus ad tom. IV. Secundum, de juris aequalitate, ex Feſti reliquiis ita concinnavit Urſinus *pag.* 1361. *Nexſo ſolutoque, forctei ſanateique eidem jous eſtod*, hoc eſt, civi ob debita nexo & addicto, idem quod ſoluto: *forti*, ſive bono & conſtanti, qui nunquam defecit; *ſanatique*, id eſt rebelli, qui ſanata velut mente ad obſequium reverſus eſt, ſimile jus eſto. Alii vero, cum Valerio Meſſala, apud Feſtum, Forctes & Sanates duas gentes finitimas fuiſſe, ajunt, de quibus haec lex ſcripta ſit, ut idem jus haberent, quod populus Rom. Gellii tempore *Sanates* evanuerant, *lib. XVI. cap.* 10. at Ovidius *lib. VI. Faſt. vſ.* 685. Pighio & Heinſio *Sanatum* meminiſſe videtur, Voſſio improbante *lib. II. de art. Gr. c.* 17. Utroque ſenſu Athenis donati civitate ὅμοιοι, id eſt, *pares* dicti, & ὅμοιοι νόμοι, leges pares civi & peregrino. Pro *idem jus* eſto, Gothofredus habet *ſiremps jus eſto*, id, eſt ſimile. Vocabulum illud veteribus Romanis ſolenne fuiſſe in legibus ſcribendis aliisque monumentis, conſtat ex Grutero *pag.* 508. 628. 629. Frontino *de Aquaed. lib. II. fin.* Briſſonio *de form. pag.* 142. Lipſio *lib. I. Antiq. lect. c.* 1. & Voſſio *lib. III. de art. Gramm. c.* 48.

Ad legem quartam hujus tabulae, Ne de capite civis, niſi per maximum comitiatum feratur, illuſtrandam pertinet, quod lege Valeria permiſſum erat provocare a Conſulibus ad populum, cujus injuſſu tunc in caput civis animadvertere non licebat, *l.* 2. *§.* 16. & 23. *de O. J.* Liv. *lib. II. cap.* 8. Verum ex hac lege XII. tabb. Conſules

non ampſius de capite civis Romani judicare potuerunt, ſed ſolus populus, in comitiis centuriatis; uti Ritterſhuſius in *Dodecad. cl.* 2. *c.* 3. Polybii teſtimonio firmat *lib. VI. c.* 12. Sigonius vero *lib. III. de Jud. c.* 5. & *lib. I. de Antiq. jur. civ.* 6. hoc ipſum jam paullo poſt exactos Reges, legibus ſacratis, in monte ſacro ſcitum fuiſſe, ex Ciceronis *orat. pro Sext. cap.* 30. conjecit: & legibus crebro repetitis opus fuiſſe, argumento eſt, quod poſt hanc legem Decemviralem iterum Sempronia rogatione cautum fuit, ne de capite civis injuſſu populi judicaretur, Cic. *pro Rabir. cap.* 4. Populus vero Quaeſtores parricidii, & Quaeſitores rerum capitalium dabat, de quibus in lege ſequente. Vid. Pomp. *l.* 2. §. 23. *d. O. J.* & Feſtus in *Quaeſtores.*

Tab. X. Gothofredus de omni jure ſacro, etiam de jurejurando & poena perjurii actum fuiſſe exiſtimat; ſed Cicero *lib. II. de LL. cap.* 23. & 25. leges Solonis funerarias, iisdem prope verbis, in eam conjectas eſſe tradit; nullamque perjurii poenam a Decemviris ſancitam videri, fuſe adverſus Marcilium diſputavi *ad tom.* IV. *pag.* 14. Otio etiam Lectoris & meo abuterer, ſi quae de ſumtu, luctu ac pompa funerum, a Kirchmanno, Gutherio, Noriſio, Manutio, Claro Sylvio, ceteriſque hujus tabulae & Ciceronis *d. lib. II. c.* 23. 24. interpretibus ſcripta ſunt, repetere vellem: quot enim eorum ſunt capita, tot ſunt ſententiae. Illud tamen non praeteribo, Decemviros rogum aſcia poliri, id eſt, e politis aſcia lignis pyram confici, non vero, quod Manutius putavit, ligneum monumentum exaſciari, vel arcam a fabris laevigari, vetuiſſe; quamobrem in veterum monumentis crebrae inſcriptiones leguntur: SUB ASCIA DEDICAVIT, apud Gruterum *pag.* 418. 5. 424. 5. 428. 10. Admodum autem moleſta fuit haec formula viris doctis. Joh. Matalius Metellus *in epiſt. ad Lipſ.* 58. *Syll. tom.* I. conjecit, ligneum poni monumentum, donec lapideum vel marmoreum ſtruatur. Fabrettus *Inſcript. pag.* 205. aſciam explicat inſtrumentum, quo fabri murarii calcem macerant, cujusque ſolius miniſterio opus hoc conſummatum indicetur. Fleetwoodus *Syllog. inſcr. pag.* 177. interpretatur, de novo facere, vel marmorariis fabrisque faciendum locare, quorum inſtrumentum eſt aſcia. Reineſius *cl.* XII. *Inſcr.* 34. obſervat, in Gallicis tantum Lugdunenſibus, aut non niſi raro in aliis S. A. D. reperiri. Qui optime conjecerit, optimus vates eſto: ſed Philippus a Turre *in Monum. vet. Antii pag.* 22. & 356. Fabretti opinionem, ex Vitruvio, & voce contraria *exaciſclare* quae nonnullis in titulis reperitur, firmari credidit.

Pro decem *tibicinibus*, in lege proxima, Fulvius Urſinus *Siticines*, ex Nonio & Gellio, repoſuit, *pag.* 1364. ſed cantabat moeſtis tibia funeribus, & nobiles atque fortunatos homines, ſub cantu naeniarum & ſono tibiarum elatos eſſe, P. Victorius *lib. IX. Var. lect. c.* 14. Bartholinus & Magius *de tibiis*, item notae ad Petron. *c.* 129. docuere. Quod vero Jacobus noſter *pag.* 134. apud Ovidium *lib. VI. Faſt. vſ.* 663. pro *Aedilis* repoſuit *Edictis*, & pro *juſſerat*, legit *jus erat*, laudavit quidem Gronovius ad Gellium *lib. XVI. cap.* 4. rectius vero Gravina *de O. J. lib. II. n.* 78. & Cl. Burmannus *in notis ad Ovid.* ſtant pro lectione antiqua, quia nunquam *Edicti* nomen legibus XII. tribuitur. Adde, quod Aedilium Curulium munus fuit, edictis modum imponere ſumtibus funerum; uti vel ex uno Sᶜto, de funere Servii Sulpicii, conſtat, apud Ciceronem *Philipp.* IX. *c. ult. Senatum cenſere, atque e Rep. exiſtimare, Aediles curules edictum, quod de funeribus habeant, Ser. Sulpicii, Q. F. Lemonia Rufi funeri remittere.* Rurſus in inſcriptione baſis marmoreae, ad radices pyramidis ſepulchralis, C. Ceſtii, apud Reineſium *cl.* II. *Inſc.* 73. de *Attalicis* agitur, id eſt, pretioſis aulaeis, qualia Attalus, Aſiae Rex ditiſſimus, habuiſſet, quae heredibus, PER EDICTUM AEDILIS, in ejus ſepulchrum inferre non licuit: id enim facere ſolebant ſimpliciores, lege & edicto prohibente, *l.* 14. §. 5. *D. de Relig. l. ult.* §. *fin. D. de Auro arg.* Recte itaque Ovidius cecinit, Aediles ſumtus funeris edicto coarctaſſe, ne quis plures, quam decem tibicines, ſecundum praecepta Decemvirorum, quae forſan extra mores evaſerant, conduceret, & exequiis adhiberet.

Cetera de cadaveribus, tempore Decemvirorum, extra urbem jam combuſtis aut ſepultis, Magius *lib. II. Miſcell. c.* 10. & Gundlingius *Obſ.* VI. de genis non laniandis, & lugubri ejulatione non habenda, Servius *ad* III. *AEn. vſ.* 67. & XII. *vſ.* 606. Scaliger *ad Varron. de L. L. p.* 53. & *ad Catal. p.* 284. Baruffaldus *de praeficis c.* 4. *tom.* III. *Sallengr. pag.* 762. Lipſ. *lib. I. Epiſt. quaeſt.* 7. Feith. *Antiq. Hom. lib. III. c.* 15. Cujac. *lib. XI. Obſ.* 21. & Obſervat. Halenſes *tom.* IX. *Obſ.* 10. §. 17. Leges de coronis, praeter allegatos *pag.* 136. Turneb. XVIII. *Adv. c.* 29. Giphan. Ind. Lucret. v. *Arlaitur*, Gutberius de *jure man. lib. I. c.* 22. Durantius Caſcellius *lib. I. Var. c.* 19. Urſinus *pag.* 1367. juncto Ritterſhuſ. *Dodec. cl.* 1. *c.* 10. Franciſcus de Roye *tom.* II. *Theſ. pag.* 736. *b.* Pantoya de Aiala *tom.* IV. *Theſ. pag.* 1107. Rad. Forner. *lib. VI. Rer. quot. c.* 17. & Merula *de LL. c.* 9. *n.* 6. illuſtrarunt.

Tab. XI. & XII. pleraque perierunt. De ſacris deteſtandis omnium ſententias excuſſit Cl. Schwartzius *in diſſ. de Deteſt. ſacror.* Duplos fructus Cujacius explicavit, *lib. I. Obſ.* 39. *V.* 21. IX. 19.

Caput IX. Aequitas & prudentia Decemvirorum legiſlatoria examinatur.

Nunc tempus eſt, ad prudentiam Decemvirorum legiſlatoriam proficiſcamur, quod caput Gothofredus noſter intactum reliquit, contentus, veterum loca collegiſſe, quibus commendatio legis continetur. Res autem digna eſt quaeri, quia Ill. Thomaſius, in Differt. *de Naevis Jurisprud. Obſerv.* IV. apte monuit, Jctos tantum non omnes ſummis laudibus fontes hos efferre, encomiis Romanorum ſine judicio congeſtis, quum magis ſpectari oporteat, quinam ſint, qui ea protulerint, & qua intentione; ſerione, & amore veritatis, an oratorie, aut ex praejudicata erga patriam & majores ſuos opinione, quaeque id genus alia circumſtantiarum momenta in hoc negotio ſint penſitanda. Aliorum vero tam audax fuit inverecundia, uti nulla, neque veneratione antiquitatis, neque pondere rationum, aut fide teſtium claſſicorum, neque genio aevi paullo aſperioris, & ſaeculi infelicitate, reprimi potuerint, quominus ſuperbam in leges has cenſuram agerent, atque Decemviros, juxta cum aliis ejus aetatis Romanis, Enniana phraſi, *bellipotentes* magis, quam *ſapientipotentes* pronuntiarent. Quod ſi vero illorum tabulas ad bonae legis requiſita, apud Iſocratem, *in Areopag.* & Iſidorum *c. erit. diſt.* 4. velut ad Lydium lapidem exigamus, eas ſecundum naturam & patriae conſuetudinem, breves, juſtas, aequas, ſimplices, manifeſtas & ad honeſtatem compoſitas eſſe, deprehendemus; vereque tales, quae dubitationis minimum, litium celerrimam compoſitionem habeant; vim capite, avaritiam mulcta, cupiditates ignominia ſanciant, & poenas noxae pares infligant. Non repetam elogia harum legum, a Gothofredo *pag.* 67. congeſta; ſed duorum addam teſtimonia, quae illius diligentiam effugerunt. Alter eſt Cicero *lib. II. de LL. cap.* 24. *Haec laudabilia & locupletibus fere cum plebe communia. Quod quidem maxime e natura eſt, tolli fortunae diſcrimen in morte.* Iterum: *Haec habemus in Duodecim: ſane ſecundum naturam, quae norma legis eſt.* Et ſtatim *cap.* 25. *Gaudeo noſtra jura ad naturam accomodari: majorumque ſapientia valde delector.* Alter eſt Florus *lib. I. cap.* 24. *Ordinata erat in* XII. *Tabulis tota juſtitia.* Multis oſtendere poſſem, quam illae fuerint civilitatis plenae, & omnes civitatis utilitates deſcripſerint; privilegia enim irrogari vetant; Sanatibus idem, quod Forctibus jus tribuunt; prohibent, ſenus ex libidine locupletum agitari; compotationes denique ac ſumtus funerum tollunt; quo in genere ſtulte nimis, etiam hodie quandoque peccari, quis neget? Illud autem in primis memorabile eſt, quod recentiores legiſlatores Romani, ad aequitatem quandam & rationem naturalem jus civile perducere ſtudentes, leges illas, ut humaniores & naturae convenientiores, ſaepe revocarint; poſteriore jurisprudentia, quae *media* dici ſolet, ob nimiam ſubtilitatem, ne dicam iniquitatem, repudiata. Hoc enim, niſi fallor, eſt, quod Juſtinianus in §. 3. *Inſt. de Legit. aguat. ſucc.* ait: *Nos vero legem* XII. *tabb.* (quam antea *ſimplicitatem, legibus amicam, amplexam* eſſe dixerat) *ſequentes, & ejus veſtigia hac in parte conſervantes.* & in l. pen. C. de Legit. her. *Lege* XII. *Tabb. bene humano generi proſpectum.* Et: *Antiquae legis reverentiam & nos anteponi legum novitati cenſemus.* Viderat hoc ipſum, quoque multis retro ſaeculis, Diodorus, paullo ante Caeſaris dictaturam, ita ſcribens, in *Excerpt. Peireſc. pag. m.* 391. *Olim Romani optimis legibus & inſtitutis uſi ſunt; ultimis temporibus ab antiqua diſciplina ad ſtudia pejora defecerunt.* Similiter Livius *lib. III. cap.* 34. leges poſt XII. latas fere condemnat, quum ait: *qui nunc quoque, in hoc immenſo aliarum ſuper alias acervatarum legum cumulo, fons eſt omnis publici privatique juris.* Et: *velut corpus omnis Romani juris.* Tacitus quoque paucitatem legum Decemviralium multitudini infinitae ac varietati praefert, ad quam ejus tempore perventum erat; quum *lib.* 3. *Annal. cap.* 27. ſcribit: *Accitis, quae usquam egregia, compoſitae duodecim Tabulae, finis aequi juris: nam ſecutae leges, etſi aliquando in maleficos ex delicto, ſaepius tamen diſſenſione ordinum, & apiſcendi inclitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava, per vim latae ſunt. Jamque non modo in commune, ſed in ſingulos homines latae quaeſtiones, & corruptiſſima Rep. plurimae leges.* Huc denique reſpexiſſe videtur Tertullianus, quando *in Apologetico cap.* 4. ait: *Nonne & vos experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem & ſqualentem legum ſilvam, novis Principalium Reſcriptorum & Edictorum ſecuribus, truncatis & caeditis? Nonne vaniſſimas Papias leges?* &c. Inter omnes vero XII. Tabularum praedicatores, primas tenet Cicero, cujus neque ſapiens quisquam judicium, neque intelligens auctoritatem adſpernabitur. Is vero *non rerum modo & verborum elegantiam in iis admiratus eſt, lib. IV. de Rep.* apud Nonium, ſed & *Decemviros, qui* XII. *Tabb. perſcripſerunt, neceſſe eſt, fuiſſe prudentes,* ait, *lib. I. de Orat. cap.* 13. Quinimo eodem libro cap. 44. in haec erumpit verba: *Fremant omnes licet, dicam, quod ſentio: bibliothecas mehercule omnium Philoſophorum unus mihi videtur* XII. *Tabularum libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperare.* Omnis comparatio eſt odioſa; ſed haec inprimis olim pupugiſſe vide-

videtur Favorinum Philoſophum, ut cum Sexto Caecilio, Juriſconſulto, de legibus his diſceptaret, apud Gellium *lib. XX. cap.* 1. Inter recentiores vero Petrus Petitus, Philoſophus & Medicinae Doctor, *lib. IV. Miſcell. cap.* 5. ſibi temperare non potuit, quin Tullii iſtud elogium, ad egregium Romanae arrogantiae & vanitatis argumentum referret; quod vel ex caeco patriae amore, innataque genti ambitione, & invidia adverſus Graecos profectum; vel haud alio animo propoſitum ſit, niſi ut perſonae, quam ibi loquentem introducit, more eorum, qui dialogos ſcribunt, ſerviret. Vadimonia, anteſtationes, obvagulationes, ceteraque pleraque, nil niſi humile, plebejum & in poſtremo mortalitatis faece depreſſum, prae illis, quae Philoſophorum clariſſimi reliquerunt, ſpirare clamitat, ad quae nemo non ſtatim nauſeet, paullo altiore ingenio praeditus, & divinioribus aſſuetus. Verum aut ego nimis mibi blandior, aut huic, eique ſimilibus aliis, ambitione & invidia turgidis, in oratione, *de Vera, & non ſimulata Jctorum philoſophia*, larvam detraxi. Quicquid enim a Graecis Sapientibus, de republica, de legibus, de finibus aequi & boni, rixoſis diſputationibus effuſum erat, id nugis abjectis, Decemviri in Remp. ſuam tranſtulerunt, & quod Athenis otii fuerat levamen, in ſemen converterunt publicae utilitatis. Quod ſi ex Scaevolae, aut Servii Sulpicii Jcti ore, encomium iſtud profectum eſſet, apud Ciceronem, cogitari poſſet, nimium eos indulſiſſe arti ſuae, &, naturali generis humani vitio, voluiſſe, ea, quae ipſi tractarent, ampliſſima haberi. At Tullins Craſſum Oratorem baec dicere fecit, ipſeque alibi ad Catonem *lib. XV. epiſt.* 4. ſcribens, illam *veram* & antiquam Philoſophiam vocat, quae in foro & rep. aequum ab iniquo ſeparat, licitum ab illicito diſcernit, ac bonos non ſolum metu poenarum, verum etiam praemiorum exhortatione facere ſtudet; pariter ac Ulpianus in *l.* 1. *pr. de Juſt. & jure.*

Miſſis ergo dictis generalibus, potius quid Favorinus, rei Graecae & Romanae peritiſſimus, carpat, excutiamus: vix enim alius majore brevitate & judicio ſpicula in leges XII. fixit acutius, quam ille Academicus Philoſophus, de omnibus rebus in utramque partem diſceptans. Animadvertit autem varia, aut obſcuriora, aut dura, aut lenia, aut nequaquam ita, ut ſcriptum eſt, conſiſtentia; quae ipſe Populus Romanus ſenio & ſitu paſſus ſit emori. Verum Sextus Caecilius, in diſciplina juris atque legibus Populi Romani noſcendis interpretandisque uſu & auctoritate illuſtris, ad naevos, ab antiquitate verborum, duritie ſuppliciorum, more vocandi in jus, reciprocatione talionis, & ſectione debitorum immani petitos, ſolide reſpondit, legesque, pro temporum moribus & vitiorum frequentia aut remiſſione, varie mutari ac flecti oſtendit. Sed quod, ait, eo conſilio tantam immanitatem poenae adverſus obaeratos denuntiatam, ne ad eam unquam perveniretur, multosque vinctos quidem & addictos, diſſectum eſſe neminem, ridiculum plane & nugatorium vocat Salmaſius de *Modo uſur. c.* 18. quia id creditorum humanitati, aut avaritiae feneratorum, qui ex venditione lucrum facere poterant, magis fuerit imputandum, quam ut legis acerbitatem excuſet. At Johannes Mabillon *lib. I. de Re dipl. cap.* 9. *§. ult.* inter ſententiam legis comminatoriam & decretoriam diſtinguit; quemadmodum Libanius merum imperium patris defendit, quaſi ad liberos in officio continendos, legis metus potius, quam executio legislatori placuerit, *decl.* 21. Verum non opus eſt, huc confugiamus, ſi alii recte ajunt, legem tam faevam nunquam a Decemviris fuiſſe latam, ut qui aliud longe didicerint a Solone, cujus legem ex Diodoro *lib. I. cap.* 79. & aliis Magius *lib. I. Miſcell. cap.* 8. excuſſit: aut ſi non ſectio hominis corporalis, ſed civilis, ſeu publica debitoris vel bonorum diſtractio cum infamia intelligatur. In priorem ſententiam ivit Janus Gruterus ad Livium *lib. II. cap.* 28. quo magis enim excuſſerat, quae, ante & poſt leges Decemvirales, de nexis, apud Dionyſium *lib. V. c.* 53. *lib. VI. cap.* 23. & Livium *lib. II. cap.* 23. & *lib. VI. cap.* 14. referuntur, tanto minnrem fidem habuit illis, quae de addictis illis Gellius ſcribit, praeſertim quia tot inter querimonias miſellae plebis, nusquam extremi illius ſupplicii fiat mentio, & Varro *lib. VI. de LL. Liber, qui ſuas operas in ſervitute pro pecunia, quam debet, dat, dum ſolveret, nexus vocatur. Hoc Poetelio rogaute, Sylla Dictatore, ſublatum ne fieret, & omneis, qui bonam copiam ejurarent, ne eſſent nexi, diſſoluti.* Sed nimis difficile eſt contendere adverſus Quintilianum *lib. III. Inſt. cap.* 6. & Tertullianum *Apolog. cap.* 4. qui, praeter Gellium, eandem legis ſententiam attulerunt. Probabilius ergo Heraldus *de Auct. rer. jud. lib. II. cap.* 24, 25. & *Animadverſ. ad jus Att. lib. IV. cap.* 4. & 5. etiam Annaeus Robertus *lib. II. Rer. jud. cap.* 6. hoc modo Decemviros ab atrocitate liberare conati ſunt; quod nunquam mens eorum fuerit, in tot portiones diſcerpendum miſeri debitoris corpus, quot fuerint creditores, ſed triſti praeconis voci cum bonis eum ſubjiciendum, aut, ſi plures eſſent creditores, pro debiti portione, unicuique in ſervitutem adducendum eſſe. Verum, quia neuter expoſuerat, quid eſſet *capite poenas dare*, & *partes ſecare*, ὁ πάνυ, Cornelius van Bynkershoek *lib. I. Obſ. cap.* 1. erudite conjecit, hanc illius ſanctionis eſſe ſententiam: debitorem, qui, tri-

triginta diebus juſtis jam elapſis, nec ſolveret judicatum, nec paciſceretur, tertiis nundinis teneri in uſuras ſortis, in quam damnatus eſſet; has vero ſi necdum ſolveret, publice vel privatim eum vendi potuiſſe, ab uno creditore, quanti poſſet; a pluribus vero, non niſi in auctione publica; ne quis ſuo defraudaretur. Alio ſenſu *partes ſecanto* accepit Abramus ad Ciceronis *Orat. de provinc. conſ. cap.* 5. pro bona publicanto, & honeſtate privanto, quia Cicero *pro Quintio, pro Roſcio & Coelio*, creditores, debitoris bona proſcribentes, *carnifices* vocat, qui ſenore *trucident*, *lacerent & diſtrahant* debitores: qua de phraſi Joh. Fred. Gronovius *lib. IV. Obſ. cap.* 24. & inprimis *l.* 65. §. 12. *D. Pro ſoc.* ubi publicatio bonorum morti comparatur, addi poſſent, ſi ad rem praeſentem pertinerent. Noviſſime Ill. Hoffmannus, in notis ad Tab. III. verba, *capite poenas dabant*, non inſcite per jacturam libertatis interpretatus eſt: multis enim conſtat, caput pro libertate poni, & ſic bene videtur procedere optio, quae ſtatim ſequitur: *aut trans Tiberim peregre venum ibant*, ut ſcilicet, in arbitrio fuerit creditorum; an vellent debitorem tenere vinctum in ſervitute, an vero ſervum facere, iniquiore illo venditionis genere, quod Turnebus explicavit *lib. XXIV. Adv. cap.* 43. Verumenimvero ſi illa, de *poenis capitis*, ad Caecilii, ut videtur, interpretationem pertinent, in XII. Tabulis autem non fuerunt, facile patet, eorum mentem, naturali ſignificatu non aliam eſſe, quam ut ſanguis effundatur, ut explicat Tertullianus *Apolog. cap.* 4. addictusque eo ſupplicii genere mactetur, quod Caſaubonus ad Suetonii *lib. II. cap.* 13. illuſtravit. Dura, fateor, lex & plus quam humana; ſed durum non minus videtur, tot viros, rerum & juris peritos, tam craſſae ignorantiae reos facere, quaſi verba civilia, atque in tabulis publice propoſita, non intellexerint, ſed horridam eorum finxerint explicationem, quae notam Juriſprudentiae inurere poſſet. Neque durior haec eſt poena, quam quae ei, qui frugem aratro quaeſitam nocte depaverit, in tabula VII. dictata eſt, ut ſuſpenſus Cereri necaretur, impubes vero Praetoris arbitratu verberaretur, Plin. *lib. XVIII. c.* 3. Immo mitior eſt poena capitali, quam Draco otioſis, & juſtior alia leniore, quam Areopagitae prodigis, rem ſuam, non alienam conſumentibus dictarunt, v. *ſupra pag.* 15. & *ad tom.* IV. *pag.* 18. Forſan etiam Patriciorum odio adverſus plebejos aliquid datum fuit; aut rigidi mores & genius aevi aſperior, ob ſummam decoctorum nequitiam, fidem crebro frangentium, hanc comminationem ſuaſerunt; quia congrua ſuppliciorum aſperitas, bene atque caute vivendi diſciplina eſt, *l.* 1. *C. Th. qui bon. ced.* Quinimo, ſi lenitas erga nebulones delinquendi pruritum non cohibet, ſed fidem publicam & privatam magis peſſundat, quid vetat culpam eorum latam malo aliquo coërceri, aut propter dolum iri ad poenam capitalem? quum ſalus reipublicae ſuprema lex ſit, & rigor noceat paucis, qui lenioribus remediis emendari non poterant. Fragmenta legis, quae ſuperſunt, haud equidem ſeparant debitores, naufragiis aliove fortunae vitio ad incitas redactos ab aliis, qui pernicioſa machinatione, tum quando jam ſe non ſolvendo eſſe norunt, furum inſtar, circumveniunt creditores, & aes alienum luxu dilapidant atque baſilice conſumunt; nec tamen hujus diſcriminis Decemviri fuerant ignari, Seneca *lib.* VII. *de beneſ. c.* 16. *Quid tu*, inquit, *tam imprudentes judicas majores noſtros fuiſſe, ut non intelligerent, iniquiſſimum eſſe, eodem loco haberi eum, qui pecuniam, quam a creditore acceperat, libidine aut alea abſumſit, & eum, qui incendio, aut latrocinio, aut aliquo caſu triſtiore aliena cum ſuis perdidit? Nullam excuſationem receperunt, ut homines ſcirent, fidem utique praeſtandam: ſatius enim erat a paucis etiam juſtam excuſationem non accipi, quam ab omnibus aliquam teutari.* Quum igitur pellem pro pelle, & quicquid eſt viro, daturus ſit pro ſe ipſo, non injuſte illi fidem, maximum illud rerum humanarum vinculum, hac comminatione ſanciendam eſſe cenſuerunt, in negotiorum contractibus, maximeque in pecuniae mutuaticiae uſu & commercio, cujus juvandi ſtudioſiſſimi fuerunt, ut Gellius ait *lib. XX. c.* 1. & Plaut. *Ciſtell. act* IV, *ſc.* 2. *vſ.* 94. Polyb. *Exc. Peireſc. p.* 158. ac Cicero pro *lege Manilia* confirmant. In primis autem cogitaſſe videntur, quod domino in ſervum omnia, in addictum multa licerent; nec facile occiſum iri, qui trans Tiberim utiliter vendi poſſet: adeoque non niſi in prorſus inutilibus prae ſenio, aut morbo perpetuo laborantibus, nullique uſui poſtea futuris, legi ſuae, in ſpeciem crudeli, locum fore. Plane David Mevius, vir jure madens, varioque togae limatus in uſu, in *Diſcuſſ. levam. c.* 5. *n.* 94. minime iniquas pronuntiavit ſententias capitales in debitores obaeratos; quum nihil diſtent fraudatores a furibus, quibus reſtis addicitur. Doctiſſimus etiam Kuhnius, in diſſert. de *Juſtitia poenae capitalis c.* 3. §. 3. apud Chinenſes & Calecutanos, eos, qui vitio ſuo abaerati ſint, tanquam hoſtes reipublicae, creditoribus dilaniandos relinqui, ex Mendoza & Knoxio refert; conſtitutiones item Lubecenſes & Saxonicas producit, quibus capitis poena imponitur debitoribus fraudulentis, ob nequitiam & luxum foro cedentibus & e fuga retractis. Et quid multis externa aut recentiora perſequimur? nonne decoctores pecuniae publicae ictibus plumbatorum, & debitores fiſci digniſſimae ſup-

plicio,

pliciorum acerbitati ſubjici jubentur? in *l.* 40. *C. de Decur.* & *l.* 1. *C. Th. Qui bon. ced.* Nonne Valentinianus ſenior debitores publicos, qui propter egeſtatem nihil reddere poſſent, interfici debere pronuntiavit? auctore Ammiano Marcellino *lib. XXVII. cap.* 7. junctis ibi virorum eruditorum notis, & Jacobo Gothofredo *ad dict. l.* 1. Minus certe neceſſe eſt, ut valde urgeamus illud διχοτομήσει, apud *Matthaeum cap.* 24. *vſ.* 51. quamvis Henricus Hammondus putarit, cum oeconomis, qui munere ſuo infide functi eſſent, eodem modo, ac cum debitoribus, qui non ſtetiſſent promiſſis, actum eſſe, ut in partes diſſecarentur. Operae pretium fecerit, qui poſt Hotmani *Illuſtr. quaeſt. cap.* 26. Salmaſii de *Modo uſur. cap.* 19. & Spanhemii *in Orbe Rom. Exerc.* 11. *cap.* 25. diligentiam, juris progreſſus, de obaeratis debitoribus, ex locis ſupra allatis, evolverit, & legis Poeteliae inprimis habuerit rationem, qua non XII. Tabb. ſed alterius moris aut legis recentioris, cujus ſupra Varro meminit, aſperitas ſublata eſt, Liv. *lib. VIII. cap.* 28.

Quod ſi hoc modo, ad alia legis Decemviralis capita luberet examinanda tranſire, nullus finis foret. Quibuſdam forte manus injectio, ſi in jus vocatus non iret, nec ſatisdaret, cum Donello, Bachovio & Vinnio barbara videbitur, & a gravitate Romanorum aliena; quod inde clamor utrimque, undique concurſus; &, in ipſo limine juſtitiae, vis permitteretur, quam ipſe Praetor totos dies fieri vetabat, quaque nihil magis a ſanctitate judiciorum alienum eſt. Alii criminabuntur, imperium paternum eousque eſſe extenſum, ut liberi ter vendi, occidi & aliorum miſericordiae exponi poſſent; quum tamen in illam aetatem, quae aliis naturaliter ſubeſt, tam atrocia delicta vix cadant, quae morte ſint expianda, & in pietate magis, quam in atrocitate poteſtas conſiſtere debeat: Ariſtoteles quoque ſimile patrum jus apud Perſas, ut tyrannicum accuſarit *lib. VIII. Ethic. cap.* 12. ſicut Sextus Empiricus *Pyrrhon.* III. *cap.* 24. Romanum. Alii proximis agnatis tutelam haud prudenter mandatam eſſe, dicent; quum male ſecum agat aeger, qui Medicum heredem facit; & notum eſſe avari tutoris votum ex Perſio, ac triſtius in crucem ſublati exemplum, apud Suetonium in *Galba cap.* 9. aliaque tutorum, qui ad potentiam adipiſcendam, pupillos ſibi creditos vi aut dolo occiderunt, apud Grotium *ad* 1. *Maccab.* XIII. *vſ.* 31. Aliis diſplicebit latiſſima teſtandi poteſtas, & heredes inſtituendi, & legata, & libertates dandi, tutelas quoque conſtituendi: unde maligna parentum circa ſanguinem ſuum judicia; odia ac ſimultates inter propinquos; litium uberrima materia; manumiſſiones in fraudem creditorum; heredipetarum ſtudia & falſa, maledicta, imprecationes, impoſſibiles conditiones, & ridicula legata: quia ſtulte quodammodo & perverſe plerique affecti ſint, quando morti ſe propinquos arbitrantur; ut Plato ait, *lib. XI. de LL.* Hinc tot legibus, ut Aelia Sentia, Fuſia Caninia, Furia, Voconia & Falcidia opus fuiſſe, ut nimia illa licentia coanguſtaretur, *l.* 120. *D. de V. S.* de qua inhibenda Senatus quoque cogitarit, regnante Auguſto, Sueton. *lib. II. cap.* 56. Quo bonum porro magicis artibus occurrere, ne ſegetes cantu in alios agros transferrentur? quum illae non artes ſint, ſed vaniſſimi cujusque ludibrium, Curt. *lib. VII. c.* 4. & nihil eorum fieri poſſe, tam palam ſit, ut ejus rei cauſa nullius Philoſophi ſcholam intrandam eſſe, judicaverit Seneca *lib. IV. Nat. quaeſt. cap.* 7. quocum faciens Apulejus in *Apolog.* illecebras illas *incredundas* appellavit, quibus vix pueri fidem habeant. Denique, ubi ille finis aequi juris, in lege, ne patribus connubii jus cum plebe eſſet? qua pars civitatis, velut contaminata, a conjugio potentiorum repulſa ſit, ne, familiis per affinitates conſociatis, Ordines in concordiam coïrent, contra Xviros, qui imperium deponere nolebant; uti Dionyſius *lib. X. cap.* 69. interpretatur: quam & Zonaras *tom.* 11. *Ann. pag.* 27. non ad concordiam, ſed *ad majora diſſidia*, in ultima tabula, adjectam eſſe, ſcribit.

Verumenimvero Cenſores illos primum ſibi in memoriam revocare velim Plutarchi monitum, *De his qui ſero a num. cap.* 6. *Omnino multa quis dixerit abſurda in legibus, qui neque mentem auctoris, neque cauſam ſcriptorum ſigillatim cognoverit.* Deinde Romani juris prudentiam, non magis, ac aliorum populorum, imbris more, de coelo delapſam, ſed per varia rerum experimenta & temporum intervalla excultam eſſe; multa item aequiora uſu inventa, qui optimus legum eſt magiſter; aliaque moribus in pejus mutatis, aliter ſancienda fuiſſe. Quemadmodum nulla eſt diſciplina, in qua non peccando diſcatur, & perfectiſſimum ſemper in inventione eſt ultimum, ſic correctionibus Romani ad ſummum pervenere; ut tamen flumina illa maxima ex parvis his fontibus manarint. Fuerat populus, dum ſincera adhuc & innoxia paſtoritiae vitae integritas, & metus hoſtilis diſciplinam veterem continebat, egregius, pius, ſanctus, atque magnificus: reliqua vero, quae poſt exciſam Carthaginem, Corinthum & Numantiam, fluxerunt ſaecula, ut grandia aeque, ita creſcentibus cum ipſa magnitudine vitiis, ut foeda & turbida, a Floro deſcribuntur, *lib. II. cap.* 19. & *lib. III. cap.* 12. Salluſtius quoque *Bello Catilin. cap.* 9. de primis Romanis ait: *Concordia*

ma-

Digitized by Google

maxima, minima avaritia erat: jus bonumque apud eos non legibus magis, quam natura valebat. Honeſtiores ergo, in jus vocati, confeſtim ſequebantur, aut ſatisdabant; adverſus latitantes autem & improbos, in Urbe tunc temporis jam magna, lex dedit manus injectionem, ſive ad terrorem, ſive ut remedium promptiſſimum, & promtius, quam hodie ad apparitoribus exſpectari poſſit. Ariſtophanes & Lucianus moris ejusdem apud Graecos habent veſtigia, isque Romae, tot aliis XII. Tabularum capitibus ſublatis, non ſtetiſſet, quamdiu ibi ſedes imperii fuit, niſi utilis fuiſſet & neceſſarius repertus. Quicquid etiam duritiei habebat, cultiore aetate mitigatum eſt, exceptis quibusdam perſonis, quae vel plane non, vel non niſi impetrata venia in jus vocari poſſent. vid. Huberi *Eunom. & Praelect. ad D. de in jus voc.*

Patria poteſtas Romana multa habuit ſingularia, & ab inſtitutis aliorum populorum aliena; tantum vero abeſt, ut Dionyſius Halicarn. *lib. II. cap.* 27. in illam invehatur, tanquam tyrannicam, quod Gothofredus ſcribit *pag.* 168. ut Decemviros laudet, & adverſus Graecos defendat, quibus eam duriorem viſum iri, re non ſatis explorata, praevidebat. Neque ſoli Romani liberos, ut rem parentum, conſiderarunt; ſed & Hebraei *Exod.* XXI. *vſ.* 7. *Levit.* XXV. *vſ.* 39. *Matth.* XVIII. *vſ.* 25. in Graecia quoque olim & Aſia tota, venditio liberorum licita fuit; ut conſtat ex Plutarchi *Lucullo*, eaque, Juſtiniani tempore, multis in locis imperii Romani adhuc vigebat, *Nov.* 134. Jus autem vitae & necis patri, tanquam integro judici, non facile odio liberorum, aut aliena gratia corrupto, & domeſtico Magiſtratui, ut vocat Seneca *lib. II. contr.* 3. & *lib. III. de Benef. cap.* 11. datum eſt: quod etiam Simplicius ad *Epictetum cap.* 37. recte tuetur, & παρὰ πολλοῖς καὶ σφόδρα εὐνομουμένοις, *apud multos populos legum gloria florentes*, obtinuiſſe, ait Dion. *Orat.* XV. Connano quoque & Bodino idem adeo placuit, ut illud in uſum revocandum eſſe exiſtimarint; qua in re ipſis non aſſentior, etſi multa patres in filiis diſſimulent, ut Cicero diſſerit apud Dionem Caſſium *lib.* 44. & Terentius *Andria actus* V. *ſc.* 3. *vſ.* 32.

Ad tertium, quod objiciebatur, jam ſupra reſponſum eſt, Solonem heredes proximos a tutela repuliſſe, quod ſciret, naſci Athenis homines, ſi boni eſſent, optimos; ſi mali omnium peſſimos: Decemviri vero, cives ſuos, ſcelerum, quae avaritia gignit, rudes illo ſeculo, pupillum, ceu ſanctiſſimum depoſitum, turpis lucri cauſa, minime jugulaturos, &, ſi metus eſſet, matri aliisve educationem credi poſſe, ſciebant. De teſtamentis item multa in utramque partem diſputari poſſunt. Votum naturae & naturalis ratio ſuadet, ut liberi & propinqui ſint heredes, ne tamen hi, legum fiducia freti, proterve contemnant genitores ſuos, aut ſanguine junctos, fulmen exheredationis & praeteritionis ipſis datum eſt, ut quos caritas non poſſet, metus ſaltem in officio contineret. Alacriores quoque futuri erant cives, ad augendum patrimonium ſuum, ſi ea poſſent relinquere dilectiſſimis, & libertas ἀδιαφορίας, de bonis ſuis diſponendi prudenti legiſlatori ob oculos eſſe debebat, ne quid dominio, ſine gravi cauſa, praejudicetur. Bene Seneca *lib. I. de Clem. cap.* 14. *Nunquid aliquis ſanus filium ad primam offenſam exheredat? Niſi magnae & multae injuriae patientiam vicerint, niſi plus eſt, quod timet, quam quod damnat, non accedit ad decretorium ſtylum. Multa ante tentat, quibus dubiam indolem, & pejore jam loco poſitam revocet. Simul deplorata eſt, ultima experitur.*

Magicae arti porro quantas vires adſcripſerint Romani, non modo rudis Decemvirorum aetas, ſed & poſteriorum leges & judicia ſatis loquuntur, *l.* 4. §. 1. *D. Famil. erc. l.* 13. *D. ad L. Corn. de ſic.* Paul. *lib. V. tit.* 23. §. 17, 18. Credebant enim cantibus exorari ſegetes, ut in agros vicinos tranſirent, idque *Varro & multi ſcriptores fieri deprehenſum animadverterunt*, ait Servius *ad Virgil. Ecl.* 8. *vſ.* 99. Saltem frequens fuit opinio, Dardaniis artibus id fieri poſſe; unde hoc maleficium, ut non incertum, crebro memorat Ovidius *lib. III. Amor.* 7. *vſ.* 35. *VII. Met. vſ.* 195. *II. Faſt. vſ.* 426. Tibullus quoque, Plinius, & Prudentius magici apparatus, ſuſurri & murmuris meminerunt, apud Turnebum *lib. IX. Adv. cap.* 17. Jac. Gothoſredum *ad l.* 3. *C. Th. de Maleſic.* Elmenhorſtium *ad Arnobium lib.* 1. quique craſſam ſimul Harduini, in voce Decemvirali EXCANTASSIT explicanda, inſcitiam caſtigat, Broukhuſium ad Propertium, *lib.* III. *Eleg.* 2. Ad poſtremum denique quod attinet, non probo, quod religio auſpiciorum fraudis fuit integumentum, & Livius *lib. IV. cap.* 2. multis demonſtrat, qua vehementia de connubio diſputatum fuerit: ſed lex lata communis erat ſponſio totius civitatis; nec immerito Patres, in matrimoniis ſuorum, & gentis & ſanguinis rationem haberi voluerant: imminuitur enim ſplendor antiquus, ſi nobilium & ignobilium promiſcua ſint matrimonia, ac everſis antiquis familiis, in quarum conſervatione Iſocrates felicitatem civitatum poſuit, irrepunt humiles & plebejae, tandemque omnium confuſio oritur. Pervicit tamen A. U. C. CCCX. Canulejus Tribunus pl. ut promiſcuae patrum plebejorumque nuptiae permitterentur, Liv. *lib. IV. cap.* 5.

Cap. X. *Utilitas ſtudii legis* XII. *Tabb. oſtenditur.*

Ridebunt nos forte dudum, aut indignabantur Pragmatici, qui pulchram illam

ſapientiae cum ſtudiis antiquae eruditionis communionem faſtidiunt aut ignorant, quod tam diu otioſorum hominum λεπτολογήματα & leges, non minus, quam Auruncorum Sicanorumque, ignotas, ac cum Evandri matre, ſaeculis abhinc multis obrutas tractemus, quarum vis & auctoritas jam olim rogatione Aebutia fuerit ſublata; quaſque, in prooemio ſuarum Inſtitutionum, ad *antiquas fabulas* retulerit Juſtinianus: neque multo ſecus facere iis videbimur, quam Philoſophi, apud Lucianum, quorum alter hircum mulgebat, alii cribrum ſupponebant. Sed hos quidem ſuas res ſibi habere jubebo, modo nobis relinquant noſtras, & juris ſtudioſi convincantur, fieri non poſſe, ut quod in ipſis rerum obtinet argumentis, bene percipiant, niſi & illud, quod deſuetudine inumbratum eſt, habeant in numerato; quia recentiores leges plerumque ex antiquis quaedam retinent, aut illis ſalvis alia addunt, quae ſine priorum notitia plene & accurate intelligi nequeaut: id quod vel ex differentiis vocum *abrogari, derogari, ſubrogari & obrogari legi* apud Ulpianum *tit.* I. cognoſcitur. Nemo horum JCtus erit, niſi juris origines, ejusque auctores & tempora norit: nunquam diſſidia componet feliciter, aut juris cujusque mutati rationes cognoſcet, niſi quid ex Legibus, Plebiſcitis, Senatusconſultis, Edictis, & Reſponſis Prudentum ortum ſuum ducat, diſtinxerit, initio a XII. Tabb. facto: nam cujusque rei potiſſimam partem principium eſſe, ait Cajus *l.* I. *D. de Orig. jur.* & *can Fuerunt* 2. *diſt.* 7. *Paullatim antiquae leges vetuſtate atque incuria obſoleverunt, quarum etſi jam nullus uſus eſt, notitia tamen neceſſaria videtur.* Grave quidem huic monito videtur eſſe judicium illius, qui ſe legum peritum profitebatur, & de voce *proletarius* apud Gellium *lib. XVI. c.* 10. rogatus ita reſpondebat: *Ego vero dicere atque interpretari hoc deberem, ſi jus Faunorum & Aboriginum didiciſſem: ſed enim quum proletarii, & aſſidui, & Sanates, & vades, & ſubvades, & viginti quinque aſſes, & taliones, furtorumque quaeſtio cum lance & licio evanuerint, omnisque illa duodecim Tabularum antiquitas, niſi in legis actionibus Centumviralium cauſarum, lege Aebutia lata, conſopita ſit, ſtudium ſcientiamque ego praeſtare debeo juris & legum, vocumque earum, quibus utimur.* Sed ſi aretalogus ille vera dixit, non aliter capiendus erit, quam antiqua illa vocabula, quae memorat, tacito & illitterato conſenſu evanuiſſe, niſi quae eorum veſtigia in legis actionibus centumviralium cauſarum remanſerint, ex lege Aebutia, uti Paulus Buſius recte explicavit *lib. II. Subtil. cap.* I. An vero Centumvirale judicium hac lege inſtitutum ſit, uti Sibrandus Siccama *lib. I. de Centumv. jud. cap.* 8. cum Antonio Auguſtino *de LL.* & Pighio ad *A. V.* 520. contendit, id quidem ex verbis prolatis non magis liquido aſſeri poteſt, quam quod Balduinus *in* XII. *Tabb. pag.* 30. Paulus Manutius *de LL. cap.* 16. & Hotman. *de LL.* XII. Tabulas & legis actiones, hac lege correctas, & ad ſaeculi ſui ſtatum accommodatas eſſe, voluerunt. Ajunt, Ludovicum Charondam produxiſſe fragmentum Romanae antiquitatis, in quo haec reperiantur: *Lucius Aebutius, Tr. pl. vir popularis, legem tulit ad populum, ut* XII. *Tabb. capita, quae inutilia eſſent reip. tollerentur, quae lex multis contradicentibus tandem rogata eſt.* At minime tam credulus ſum, iſtud uti genuinum eſſe putem: nam Livius *lib. III. cap.* 34. in immenſo illo legum aliarum ſuper alias acervatarum cumulo, *tunc* quoque XII. Tabb. fontem omnis publici privatique juris manſiſſe ſcribit; & neque Aebutia, neque ulla alia lege, ſimul tam multa earum capita, ut inutilia, ſublata eſſe, vel unicus Macrobius, non leviter in rebus Romanis exercitatus, docebit, *lib. III. Saturn. cap.* 13. *Licinia lex, paucis mutatis, in plerisque cum Fannia congruit: in ea enim ferenda quaeſita novae legis auctoritas, exoleſcente metu legis antiquioris, ita hercules, ut de ipſis* XII. *Tabulis factum eſt: quarum ubi contemni antiquitas coepit, eadem illa, quae illis legibus cavebantur, in alia latorum nomina tranſierunt.*

Pulchre obſervavit Rad. Fornerius *lib. I. Rer. quot. c.* 17. quaedam illa legis Decemviralis capita non ita in alia latorum nomina tranſiiſſe, nihil ut eis adderetur aut detraheretur; ſed leges poſteriores huic omnis juris fonti temperamentum aut rigorem, exceptionem vel interpretationem ſubjeciſſe; ut ſatis ex eo intelligamus, quam vere Paulus & Tertullianus ſcripſerint, haud novum eſſe, ut leges priores ad poſteriores, & contra poſteriores ad priores trahantur, earumque talis explicatio fiat, qua vis utrarumque ſervetur, *l.* 26. 27. 28. *D. de LL.* niſi contrariae ſint, & poſterior totam priorem tollat, *l. ult. D. de Conſt. Princ.* Livius *lib. IX. c.* 34. *Ubi duae contrariae leges ſunt, ſemper antiquae abrogat nova.* Jucundum erit exemplis quibusdam hoc illuſtraſſe, ut inſignis illa legum XII. Tabb. quam hoc capite promiſimus, utilitas pateſcat. Lex Aquilia, de actione damni injuria, in plerisque congruit cum lege Decemvirali, ut ex verbo *rupſit* & *ſarcito* apud Feſtum patet, & tamen omnibus legibus, quae ante de damno injuria locutae ſunt, ipſiſque XII. Tabb. derogavit, *l.* I. *D. ad L. Aquil.* dum nominatim cavit, ut ſola actione legis Aquiliae de damno dato ageretur, non modo in ſimplum, ſed etiam ob inficiationem in duplum, vel in majo-

rem

rem aeſtimationem, ſi res occiſa aut corrupta retro pluris fuiſſet: quum nihil horum in XII. Tabulis contineretur, quae Graecorum legem, a Demoſthene *in Midiana* laudatam, ſecutae erant. Nec tamen idcirco Celſus, Julianus, Pomponius & Ulpianus legem antiquam praetermiſerunt, ſed ejus nominatim meminere, in *l. 56. D. de Obl. & act.* & *l. 2. §. 1. D. de Noxal. act.* Similiter lex Atinia renovavit legem XII. Tabb. quae rerum furtivarum aeternam eſſe jubebat auctoritatem, earumque uſucapionem prohibebat; unde junguntur in *l. 33. D. de Uſurp.* Latius autem in hac ſe extendit vocis *ſubrepti*, quam *furtivi* ſignificatio, & praeterea hoc adjecit Atinius, ut rei furtivae vitium purgetur, quae ab injuſto poſſeſſore ad verum dominum reverſa eſſet, *l. 4. §. 6. D. de Uſurpat. l. 215. D. de V. S.* Gell. *lib. XVII. cap. 7.* & Pulvaeus *lib. ſing. ad L. Atin.* Ex lege XII. non erat uſucapio intra quinque pedes, non etiam ex lege Mamilia; ſed aliter in hac cautum, ut ſinguli arbitri de finibus regundis judicarent, cum ex Tahulis tres arbitri darentur, Cicero *lib. I. de LL. cap.* 21. Utraque deinde migravit in Edictum Praetoris, unde actio finium regundorum a verbis initialibus Edicti nomen ſortita eſt. A Decemviris dolus malus tantum vindicatus erat in tutelis; lex Laetoria minoribus XXV. annis circumſcriptis auxilium tulit, Cicero *lib. III. de Off. cap.* 15. & *lib. III. de Nat. deor. cap.* 30. tandem Praetor *generale* edictum propoſuit *l. 1. §. 1. D. de Minor. 25. ann. l. 57. §. 1. D. de Acq. vel om. her.* Lex Decemviralis, ſi quadrupes pauperiem fecerit, ad canes etiam pertinehat *l. 1. §. 5. l. 2. §. 1. D. Si quadr.* at lex *Peſulania* (niſi *Solonia*, malis, uti Pardulſus Pratejus *Juriſprud. vet. ad legem Solonis* 33. in vetuſtiſſimo exemplari manuſcripto ſe legiſſe ſcribit) plenius & diſtinctius de cane dedendo cavit, ob luxuriem quaeſtionum, a canibus catenariis & ſolutis exortarum, Paul. *lib. I. tit.* XI. §. 1. tandem ab Aedilibus curulibus, de cane, verre & minore apro edictum, ad ſecuritatem viarum, propoſitum eſt, *l. 40. & ſeqq. de Aedil. edict.* Neque enim leges tantum conſulares & tribunitiae ejusmodi appendices derogantes, ſubrogantes, vel abrogantes legi XII. adjecerunt, ſed & Praetores & Aediles in edictis ſuis varia, ſupplendi, adjuvandi, vel corrigendi ejus gratia, propoſuerunt. v. gr. De ſegetibus arboribusque caeſis lege XII. Tabb. prodita erat actio, ad 25. aeris in ſingulas, *l. 1. l. pen. D. Arb. furt. caeſ.* ſed dupli tantum, ſi impubes ſegetem furtim caecidiſſet, ut Plinius ſcribit *lib. XVIII. c.* 3. Praetor vero, ſive ſegetes, ſive quaelibet arbores caeſae ſint, caedentem in duplum conveniri voluit, Paul. *lib. II. tit.* 31. §. 25. *l. 7. §. ult. D. Arb. furt.* quae ex Ulpiani libro 38. ad Edictum deſumta eſt. Poterat etiam eo nomine agi ex lege Aquilia, manente nihilominus actione ex lege XII. Tabb. *l. pen. D. eod.* ob rationem *l. 41. D. de Oblig. & act.* quae ex eodem lib. 22. Pauli ad Edictum deſumta eſt, eique jungi debet. Ex cauſa depoſiti lege XII. Tabb. in duplum actio dahatur, ob dolum; quia res arcana & ſacra eſt, ejusque abnegatio in crimen violatae fidei incidebat, Juvenal. *Sat.* XIII. *vſ.* 6. & 201. Ovid. *lib. I. de Arte am. vſ.* 641. Praetor hoc reſtrinxit ad depoſitum miſerabile, de quo actio proinde ut civilis conſideratur, & perpetua eſt *l. 1. §. 1. l. 13. D. Depoſ.* Paul. *lib. II. Sent. tit.* 12. §. 11. Ulpian. *Collat. tit.* X. *n.* 7. Ex lege XII. hereditas liberti, centenario minoris, ad patronum ejusque liberos devolvebatur, ſi ille inteſtatus deceſſiſſet: Praetor adjecit, ut libertus, teſtamento facto, patrono relinqueret ſemiſſem bonorum, Ulp. *tit. ult.* §. 1. denique lex Papia Poppaea jura patronorum adauxit §. 2. *Inſt. de Succ. libert.* Plura id genus alia ex titulis de Succeſſione ab inteſtato, de Furtis, & Injuriis, a quolibet adjici, ac juris progreſſus in iis notari poſſunt, ut intelligatur, quam vere ille dixerit, jura ſenſim increviſſe, & Claudianus: *priſcamque reſumunt canitiem leges, emendanturque vetuſtae, acceduntque novae.*

Optandum quidem eſſet, ut civibus, de unaquaque re, una lex perpetua praeſcribi poſſet; ſed quia leges ſunt generales, actiones autem hominum circa ſingularia verſantur, nec una regula iis applicari poteſt, hinc imitari cogimur architectos Lesbios, qui, cum ferrea regula uti non poſſent, plumbea utebantur, eam, ut lapidum durities vel figura poſtulabat, inflectentes, auctore Ariſtotele. Scribit etiam Symmachus, leges in commune bonum procedentes, nunquam occaſum pati: ſed Gellius vidit *lib. ult. c.* 1. & nemo ignorat, legum opportunitates & medelas, pro temporum moribus ac pro utilitatis praeſentis ratione, proque vitiorum, quibus eſt medendum, fervoribus mutari atque flecti, nec uno ſtatu conſiſtere; alias leges gratas eſſe in ſtatu Democratico, alias in Ariſtocratico, vel Monarchico; & quicquid in omni forma deliberatio properata deliquit, conſilio propenſiore, ſaepe revocari. Quapropter legibus aetas tribuitur, eaeque ab optimis ſcriptoribus conſeneſcere, languere & mori dicuntur. Vid. Juretus ad Symmach. *lib. II. epiſt.* 13. Pleraſque cauſas compendio dedit Livius *lib. XXXIV. cap. 6. Ex his legibus, quae non in tempus aliquod, ſed perpetuae utilitatis cauſa in aeternum latae ſunt, nullam abrogari debere, fateor; niſi quam aut uſus coarguit, aut ſtatus aliquis reip. inutilem fecit; ſic quas tempora aliqua deſide-*

rarunt, leges mortales (ut ita dicam) & temporibus ipſis mutabiles eſſe video: quae in pace latae ſunt, plerumque bellum abrogat, quae in bello, pax, ut in navis adminiſtratione, alia in ſecunda, alia in adverſa tempeſtate uſui ſunt. Uſum ponit primo loco, quem alibi optimum legum correctorem appellat, *lib. XLV. cap.* 32. ſicut Calliſtratus conſuetudinem optimam legum interpretem dixit, *l.* 37. *D. de LL.* Sic ex lege XII. Tabb. dum populus agriculturae ſtudebat, & arma honeſta habebat, unciarium tantum ſenus erat permiſſum, ut creditor pro ſorte centum nummorum quotannis unum caperet, Tacit. *lib. VI. Annal. cap.* 16. At creſcente mercatura, divitiis & luxu civium, feneratorum avaritia modum majorem invexit, quem Praetor, cum nimis exiret, ad centeſimas, ſeu duodecim procentum reſtrinxit: ex cujus edicto Ciceronis translatitium manavit, *lib. V. ad Att. epiſt. ult.* Hanc poſtea exigere, velut legitimam, excedere non licuit, Paul. *lib. II. Sent. tit.* 14. §. 2. donec paucis tantum incaſibus admitteretur, *l.* 26. *C. de Uſur.* Similiter cum ſaepenumero accidiſſet, ut teſtamenta, quibus hereditas legatis erat onerata vel exhauſta, deſtituerentur, lex Furia & Voconia certam legandi ſummam definiverunt, quam excedere in unius legatarii perſona non liceret; his autem rurſus ſublatis, lex Falcidia liberam teſtandi facultatem legis Decemviralis reſtituit, hoc adjecto temperamento, modo ne quid ultra dodrantem teſtator erogaret, nec in alios, quam in cives Romanos, atque ita & modum & finem legatis praeſtituit, *l.* 1. *D. Ad. l. Falcid.* Ex eadem lege XII. Tabb. venditor emtori ob morbos vel vitia non obligabatur, niſi quatenus expreſſe hoc actum eſſet, & lingua nuncupatum, quod qui infitiatus eſſet duplum pendebat. Juriſconſulti vero uſu & diſputatione fori reticentiae actionem permiſerunt, ſi quis vitium rei ſciens diſſimulaſſet, Cicero *lib. III. de Offic. cap.* 16. Aediles autem venditores mancipiorum & jumentorum, ea quoque vitia praeſtari voluerunt, quae ipſi ignoraſſent, *l.* 1. §. 2. *D. de Aedilit. edict. l.* 1. *C. eod.* Sic mores denique parcas illas & moderatas leges de ſumtibus funerum, nec non interdictum, ne mulieres genas raderent in luctu, quodque de talione, de falſo teſte e ſaxo Tarpejo dejiciendo, & de diſſecandis dibitoribus cautum erat, tacito & illitterato conſenſu ſuſtulerunt, Quintilian. *lib. III. Inſt. c.* 6. & Gell. *lib. XX. c.* 1. Adeo vere locus fuit illi Plautino, *in Trinummo Act.* IV. *ſc.* 3. *vſ.* 30.

Mores leges perduxerunt jam in poteſtatem ſuam,
Magis qui ſunt obnoxii, quam parentes liberis.
Eae miſerae etiam ad parietem ſunt fixae clavis ferreis;
Ubi malos mores affigi nimio fuerat aequius.

Quamvis autem tam varia legis XII. Tabb. capita, Legibus, Edictis & uſu contrario ſublata, aucta vel mutata ſint, nolim ideo fidem habeamus interpretibus, qui cum Raevardo, *lib. III. Conject. c.* 3. felicitatem juris Studioſorum, prima legum cunabula, non ab *antiquis fabulis*, ſed ab imperiali ſplendore accipientium, in eo ſitam eſſe putant, quod a lege Decemvirali ſtudium iis non ſit inchoandum, prout Romae olim pueri XII. Tabulas, ut carmen neceſſarium, ediſcebant. Non tam audax fuit doctiſſimus Theophilus, ut juris publici & privati fontem huc referret; jus vetus igitur per fabulas illas intelligit: nam qui ea legunt, quae olim obtinebant, & nunc ab uſu rejecta ſunt, ſimiles videntur his, qui in fabulas inciderunt. Scipio Gentilis ſimiliter, *lib. II. Parerg. cap.* 26. vera & vetera, quae ſine fructu leguntur, fabulas, ait, appellari; ſicut Sempronius Aſellius, apud Gellium, *fabulas hiſtoriis* opponit, & *fabulares hiſtorias* Suetonius repudiavit. Balduinus fabulas explicat traditiones incertas & falſas, quae nec vera nec veriſimilia continerent, quo ſenſu Cicero, *lib. III. in Verr. cap.* 78. *vetera pro fictis fabulis audiri & haberi*, dixit. Barthius *lib. II. Adverſ. c.* 7. fabulas Graecanicas, Chaldaïcas & Ægyptias intelligit. Galvanus ad Numam Pompilium adſcendit, qui fabulatus eſt, ſe leges ſuas ab Aegeria Nympha didiciſſe, *de Uſufr. c.* 6. Muretus *antiquis* contentus, delet *fabulis*. Alii alia comminiſcuntur. Sed nunquam a me impetrare potui, ut crederem, Imperatorem adeo contemtim de lege Decemvirali ſenſiſſe, qui multis in juris articulis hoc egit, ut, rejecta mediae juriſprudentiae ſubtilitate, legem antiquam revocaret: cujus ſimplicitatem laudat, §. 3. *Inſt. de Legit. agn. ſucc.* & reverentiam novitati legum anteponit, *l. pen. C. de Legit. her.* cuique primam Reip. Romanae ordinationem adſcribit, *Nov.* 22. *cap.* 2. Nihil quoque felicitatis in eo ſitum fuiſſet, quod Inſtitutiones ſuas daret pro XII. Tabulis, quas, Cicerone adulto, jam nemo diſcebat, quibusque diu renuntiatum eſſe, Symmachus ajebat. Ipſe vero ex hoc fonte tot derivavit rivulos, nihilque antiquitatis ignorari voluit, qui omnem juriſprudentiam, etiam deperditam, ſe reparare jactabat, *Nov.* 17. Et quî tandem paragrammate potuiſſet tabulas illas fabulas appellare, ex quibus *legitimus* tutor, *legitima* hereditas, *legitimum* ſpatium, & centum alia hujusmodi explicari debent? ad quas ubivis provocarunt Juriſconſulti, de verbis & mente Decemvirorum adeo ſoliciti, ut ſibi religioni ducant, contra XII.

Tabb.

Tabb. produeere aliquid, ant actionem concedere; id quod vel ex unica *l. 63. D. de Donat. int. vir. & ux.* apparet: quas etiam populus ita ſemper aequas, veras & Latinas cenſuit, quaſi Muſae in monte Albano locutae eſſent, ut Acron ſcribit, ad Horat. *lib. II. epiſt.* 1. *vſ.* 22. Et nonne Codex repetitae praelectionis diviſus eſt in duodecim libros, imitatione XII. Tabularum, ut ait Harmenopulus? Nonne architecti ejus pariter ac Pandectarum, poſt pacta & transactiones, ponunt titulum de Poſtulando, quia ſi res pacto non decidebatur, ex LL. XII. in comitio aut in foro cauſa erat conjicienda? Nonne ſervant ordinem eundem, dum prius de judiciis teſtantinm, & ſic deinde de ſucceſſionc ab inteſtato agunt? quo etiam ſimiliter Salvius Julianus, in compoſitione Edicti perpetui, prius bonorum poſſeſſiones ex teſtamento, Contra Tabulas & Secundum Tabulas, deinde bonorum poſſeſſiones ab inteſtato, ſub verbis contrariis, propoſuit, uti Gothoſredus *pag.* 17. ex *l.* 1. *D. Si tab. teſt. uullae ext.* recte oſtendit. Is vero nimis ſorſan urget, Julianum Tabulas Decemvirales, in ordine Edicti ſui, ante oculos perpetuo habuiſſe: nam inſcriptiones veterum Jctorum ad Edictum, ſub titulis *de Edendo*, *de Pactis*, & in *Jus vocando*, ſatis docent, prius de editione actionis, quam de vocatione in jus, a Juliano actum eſſe, idque ipſe Gotboſredus, in *Serie librorum Edicti perpetui pag.* 241. ſibi contrarius, ſatetur. Manet tamen ſuus honos Tabulis illis, propter multa alia: ſacem enim accendunt Hiſtoricis & Poëtis, qui crebro earum meminere: Grammaticis ibi magna meſſis vocabulorum antiquiſſimorum: alii ſapientiam, juſtitiam & virtutes Romanorum ex fragmentis illis cognoſcunt: nam *Decemviros*, *qui* XII. *tabulas praeſcripſerunt*, *oportet fuiſſe prudeutes*, ait Cicero 1. *de orat. c.* 13. Et quis, quaeſo, intelliget illud a Plauto iteratum *De capite meo erunt comitia?* niſi ex XII. Tabulis didicerit, ſolis centuriatis comitiis, de civis vita, libertate, civitate & familia ſtatui potuiſſe, quae omnia capitis appellatione continentur. Quis illud Poëtae; *& fraus iuuexa clienti*, aut paroemiam explicabit de inſano, ad agnatos & gentiles deducendo; qua Varro, Horatius & Columella uſi fuerunt? Quis legem κατ᾽ ἐξοχὴν toties in libris noſtris memoratam, aut antiquam legem, in *l.* 2. *§.* 1. *D. de Noxal. act.* vel formam juris veteris, in *l.* 1. *§. fin. C. Si cert. pet.* recte interpretabitur unquam, aut novas recte diſtinguet leges, ut Juliam Papiam, aliasque, quae illi opponuntur? *l. 7. pr. D. de Cap. min. l. un. D. de Cond. ex lege l. 11. D. de Suis & legit. l. 1. §. 8. Ad Sct. Tertull. l. ult. D. de Reg. Catou.* Quis denique *juſtum tempus* naſcendi, aut *juſtos dies* explicabit, niſi hanc legem, tanquam digitos ſuos noſcat? vide Cujac. *lib. III. Obſ. c.* 39. Procul binc, procul abſit ergo ſabularum cogitatio, ubi de majeſtate duodecim Tabularum ſermo eſt, & nihil moremur moros contemtores legis, quae juris bodierni mater eſt, quaeque ſaepius in juris corpore, & in monumentis notae melioris, multis cum elogiis celebratur. Recte Ulricus Huberus, ſi quis alius de jurisprudentia bene meritus, *lib. I. Obſervat. cap.* 4. oſtendit, Juſtinianum reſpexiſſe ad ſymbola, formulas, ceterasque ſolennitatum ambages, a Juriſconſultis poſtea inductas, quibusque veterum Inſtitutiones refertae erant, ut ex Caji fragmentis, apud Boëthium, conſtat. Cicero olim ridens, *in Orat. pro Mureua cap.* 12. dixerat: *Cum permulta praeclare legibus eſſeut conſtituta*, *ea Juriſcouſultorum ingeuiis pleraque corrupta & depravata eſſe.* Sed multo magis Imperator odium ſuum adverſus ritus imaginarios, fabulis ſcenicis ſimiles, teſtatus eſt tot locis, *§. 6. Quib. mod. jus patr. pot. ſolv. l. ult. C. de Douat. l. ult. C. de Adopt. l. ult. C. de Emaucip.* inprimis vero in *l. uu. C. de Nudo jure Quirit.* ubi mancipationem per aes & libram, *autiquae ſubtilitatis ludibrium* vocat, & nomen juris Quiritium *uihil ab aenigmate diſcrepare* ait. Rurſus in *l. 6. C. de Emauc.* circumductiones & injurioſa rapiſmata, in emancipationibus, *vanam obſervationem*, ſicut circuitus juris veteris, ac contortuplicatas interpretationes, *iteratas fabulas* appellat, in *l.* 1. *§.* 1. *C. de Anual. except.* Sed hac de re Marcilius, in laudatione legis XII. quanquam paullo aliter diſputans, videri poteſt. Sicut ergo Plautus eos, qui utuntur vino vetere, ſapientes praedicavit, ita nobis, illi demum ſapere videntur in Jurisprudentiae ſtudio, qui ab hoc omnis Romani juris ſonte, & corpore olim abſoluto, diſputationum ſuarum initia ſumunt, nihilque magis optandum eſſe puto, quam ut Juſtinianus ſaltem Caji commentarios ad XII. Tabb. integros nobis dediſſet; poſtquam ipſae tabulae ſub barbarorum irruptionem interciderunt, quae Cypriani tempore adhuc publico aere praefixae legebantur. An illae Auguſtini tempore ſuerint ſuperſtites, dubitat Gothoſred. *pag.* 116.

Caput XI: Iuterpretes legis veteres & receutiores.

Nondum peracta res eſt: nam inſpectio de interpretibus XII. Tabularum reſtat, qui in veteres & recentiores dividuntur. Teſtimonia de priſcis, tum innominatis, tum de Sex. Aelio, L. Acillio, Laelio, Meſſala, Labeone & Cajo, Gothoſredus noſter *lib. IV. pag.* 145. collegit; ſed fruſtra haeret, an tertius eorum Laelius Felix, an vero recentior, ſub Hadriano clarus, intelligendus ſit; quum vetuſtior ille L. Aelius

vocaretur, ex emendatione Turnebi ad Cicer. *lib. II. de LL. cap.* 23. His ſeviris *pag.* 156. addit Servium Sulpicium, Juriſconſultorum principem, a quo habemus, quid in XII. ſit, *Viudicia*, *Sarcire*, *Pedem ſtruere*, *Noxa & Sauates*, apud Feſtum; cujus etiam auctoritate Cajum idcirco lib. V. ad XII. Tabb. in *l.* 237. *D. de V. S.* uſum eſſe, Cujacius notavit *lib. X. Obſ. cap.* 26. Mihi aliis quoque rationibus id probabile videtur: refert enim Pomponius in *l.* 2. §. 43. *de O. J.* complura ejus volumina extitiſſe, eumque reliquiſſe prope centum & octoginta libros, quibus jus civile in formam artis redegerit, ac immenſam horridamque quaeſtionum ſilvam in pauca membra digeſſerit. Gellius eum idcirco *juris civilis auctorem* vocat, *lib. II. cap.* 10. & *ſcriptis ejus ſimilia nulla fuiſſe*, Cicero ait, *in Bruto cap.* 42. Oportet ergo is a fonte omnis privati & publici juris initium fecerit, qui primus item ad Edictum, juris bumanioris fundum, duos libros breviſſimos ſcripſit, auctore Pomponio in *l.* 2. §. 44. *de O. J.* Multus praeterea fuit, in antiquis vocabulis ex omni vetuſtate explicandis, usque eo ut Varronis conſilio uteretur, ſicubi aqua haereret, Gell. *dict. cap.* 10. & Feſtus in *Faviſſae:* nunquam enim fore exiſtimabat, veros ut legum ſenſus erueret, niſi earum verba antiqua, ſepulta & ex alieno ſaeculo petenda, haberet in numerato: haec vero propria legum XII. Tabb. dos erat, quod *verborum priſca vetuſtas in iis cognoſceretur*, ait Cicero *lib. I. de Orat. cap.* 43. Ejusdem ſtudii imitatorem babuit, inter alios auditores, C. Aulum Ofilium, quem perperam Schubartus *de Fatis juriſpr. pag.* 255. ad boc album trabit, & cum Opillio Aurelio, plus decies apud Feſtum memorato, confundit. Bertrandus vero *de Juriſper. lib. II. cap.* 51. Ateji Capitonis Commentaria ad LL. XII. Tabb. laudat, quae ſunt Antiſtii Labconis, auctore Gellio: quamvis Plinius Capitonem, in explicatione muratae potionis, cum Scaevola & Laelio conjungat, *lib. XIV. Hiſt. Nat. cap.* 13. Atque hi ſunt interpretes, quorum maxima auctoritas fuit, & crebra, ſub nomine *Veterum*, in libris tam noſtrorum, quam Varronis & Tullii, fit mentio, quibus ipſe etiam Tullius certo modo poteſt accenſeri. Enimvero cum ipſae leges pauciſſimis verbis multa complecterentur, earum, ut naturaliter evenire ſolet, interpretatione fuit opus, quae Jus Civile & Media Juriſprudentia dicitur, §. 3. *Inſt. de Legit. agu. ſucc.* Inde ſubſtitutio pupillaris, querela inofficioſi, & legis actiones manarunt, id eſt, formulae, quibus ea, de quibus lex cavit, apud magiſtratus rite peragerentur, Cicero *pro Mureua cap.* 11. 12. Induſtria illorum magnam partem in verborum explicatione verſabatur: quid eſſet dies condictus, morbus ſonticus, ambitus, vagulationes & leſſus, apud Ciceronem *lib. II. de LL. cap.* 23. & Varronem *lib. IV. de LL.* nam & Fabius ſcribit, non exiguam partem muneris Juriſconſultorum, in vi ac proprietate verborum explicanda, poſitam, atque ideo eos verborum proprietatis obſervandae ſtudioſiſſimos fuiſſe. Iidem quoque, ſententia legis demonſtrata, ampliationes & limitationes exhibebant, & quae legi deeſſe videbantur, ſupplebant; cujus rei exempla ex Cicerone *lib. III. de Offic. cap.* 17. & Pomponio *l.* 120. *D. de V. S.* peti poſſunt. Paulus *lib. IV. Sent. tit.* 8. §. 3. ait: *Inteſtatorum bereditas defertur lege* XII. *Tabularum: ſaue conſauguineos lex nou adprebenderat; interpretatione Prudentum primum inter adgnatos locum acceperunt:* ubi Cl. Schultingius merito Jac. Gothofredi emendationem repudiat, pro *adprebenderat*, legentis, *comprebenderat*, *ad tab.* v. *cap.* 2. Huc porro referenda eſt uſucapio ſervitutum, libertatis & hereditatis; tutela feminarum, patronorum & fiduciaria; prohibitae inter virum & uxorem donationes, & id genus alia, de quibus Raevardus, in libro ſingulari, *de auctoritate Prudentum.* Propter hos autem labores magna ſapientiae fama & laus iis ſurgebat. Sextum Aelium Ennius *egregie cordatum hominem*, id eſt, acutum; Juſtinianus *juris autiqui conditorem* vocavit, in *l.* 1. *pr. C. de Comm. ſerv. mau.* ejus ſcripta *jus Aelianum*, ut jus Papirianum & Flavianum, dicebantur, *l.* 2. §. 7. *de O. J.* L. Acillius *Sapiens* appellatus, ait Pomponius, quod prudens in jure civili putabatur, *l.* 2. §. 38. *de O. J.* Aulus Gellius, *lib. IV. cap.* 1. ait: *Veteris juris magiſtri, qui Sapientes appellati ſunt.* Quanta Labeonis & Caji fuerit auctoritas, ex *pr. Inſt. de Codicill.* & §. 6. *prooem. Inſtit.* omnibus notum eſt.

De recentiorum Interpretum praeſtantia nolo judicium meum interponere, ne illorum laudibus & celebritati quicquam detraxiſſe videar. Magnus eorum eſt numerus, diſpar ingenium, & diverſum iter. Alii contenti fuerunt, legum fragmenta ex veterum monumentis congeſſiſſe, ut Lipſius & Franciſcus Pithoeus: Alii, ut Balduinus, Auguſtinus, Urſinus, Hotmanus, Raevardus, Pratejus, Marcilius, Merula, Rittershuſius, Gravina & Hoſmannus earum interpretationem juſtis commentariis ſuſceperunt: Aliorum brevia tantum ſcholia extant; ut Contii, Charondae, Criſpini & Dion. Gothofredi. Mitto Aymarum Rivallium, Jo. Oldendorpium, Ricardum Vitum, Baſinſtochium: item Roſinum, Pighium, Calcagninum, Forſterum, Alexandrum ab Alexandro, & ſi qui ſunt alii, quorum nonnulli pro ſua virili laborarunt, alii, compilatis aliorum ſcriniis, vix operae pretium fecerunt. Franciſcus Balduinus primus ſibi hoc quaſi prae-

praecipuum munus impoſnerat, ut omnia XII. Tabularum fragmenta in unum corpus colligeret, eaque ex omni pariter veterum lectione, quam ex jure noſtro illuſtraret. Puerile ipſi videbatur, de legibus Romanis libellos inſcribere, qui non niſi quaedam earum nomina obiter indicarent; cum majore apparatu opus ſit, ut earum vim & poteſtatem intelligamus. Sed quum ſecunda ejus commentationis editio prodiiſſet, Antonius Contius, in admonitione, *de falſis Conſtantini legibus*, quae nunc ad calcem *lib. II. Subſeciv. lect.* exſtat, criminabatur: *in delibandis veterum auctorum floſculis magis eum volitare, quam in deguſtaudis & perlegeudis legibus immorari, ſeriamque aut aſſiduam operam collocare, multa denique* XII. *Tabb. capita praetermittere*, quae ibidem ſubjiciuntur. Adeo acerba haec aemuli caſtigatio eum commovit, ut non modo *notas aridi Cenſoris maledicas & malitioſas, viperae ſibilos, & impuram ingrati hominis petulantiam* appellarit, in *praefat. ad Juſtinianum*; ſed etiam, quod multo ſalubrius erat, cum paullo poſt, in Hiſtoriae univerſitate perluſtranda, Heidelbergae verſaretur, Commentarios de LL. XII. Tabb. ante tertiam editiouem, recognoverit, mutarit & emendaverit feliciter. Prodiit illa Baſileae, ex officina Joannis Oporini, A. MDLIX. atque in tantum numero capitum & ſententiis differt a praecedente Pariſienſe A. MDLIV. ut, niſi Balduini nomen utrique praemiſſum eſſet, arbitrari quis poſſet, a diverſis auctoribus eas fuiſſe conſcriptas. Miratus eſt illuſtris Thomaſius, in *epiſtola de nova editione operum Fr. Balduini*, cur Henricus Petrejus, quem Herdeſianum vocat, in quarta editione, non tertiam emendatiorem, ſed ſecundam ſecutus fuerit; at pleniorem, quae plura oſtentaret capita, credidiſſe videtur. Contius vero, aemulationis vel invidiae ſtimulis agitatus, acrius, quam oportebat, Balduinum inſectatur; quamobrem Joachimus Cluten, de Parchum, in Praefatione, libro ejus, de legibus Conſtantini, praemiſſa, pro Balduino apologiam libris ſuis Raccmationum utriusque juris inſerere promiſit. Multa ſane praeclara, ex hiſtoriae, quam poſſidebat, & civilis diſciplinae conjunctione, nec ſine Venere & gratia, in commune protulit Balduinus, vir vere magnus; neque ad ſecundum gradum perveniſſent alii, niſi is prior viam muniiſſet: ſicut Contius, inter collectores XII. Tabb. ſua non fraudabitur laude; quamvis ei ſucceſſerint meliores. Unus homo multa poteſt, nemo omnia; nec quisquam, qui praeſtat id quod poteſt, quod quaedam non poſſit; debet reprehendi. Quanta praecedentium interpretum, in fingendis legibus Decemviralibus, fuerit temeritas, Aymari Rivallii *lib. II. Hiſt. civ.* aliorumque exemplo conſtat: de quibus Antonius Auguſtinus *de Legibus pag.* 1282. *tom.* 2. *Theſ. antiq. Rom.* hunc in modum loquitur: *Non magis ea Ciceronis* XII. *Tabb. eſſe credendum eſt, quam quae Rivallius ingenii oſtentatione uſus effiugit. Cujus audaciae Crinitus, ut opinor, occaſio fuit, quem ſecuti aliquando fuerunt Budaeus & Alciatus noſter, atque alii non pauci, quorum omnium aemulari negligentiam mallem, quam aliorum obſcuram diligentiam, ut Terentius ait, niſi apertiſſimis, ut mihi videtur, teſtimoniis veritatem occultari deprehendiſſem.* Ipſe Balduinus *cap.* 49. hominem aliquem non ineruditum ridet, qui cum forte, apud Nonium Marcellum, in *ſcribtat*, vel ut alii, *ſcribta*, haec Ciceronis verba legiſſet: *Itaque tibi concedo, quod in* XII. *ſcriptis ſolemus, ut calculum reduceas*; ſtatim cogitabat, in XII. Tabulis aliquid fuiſſe de errore calculi; magno ſane & venia vix digno calculi errore. Melius ludum XII. ſcriptorum, id eſt, lapidum & calculorum, praeter Pantoyam de Ayala, Souterium, Senſtlebium ceterosque, qui de alea ſcripſerunt, expoſuit Victorius *lib. V. Var. lect. cap.* 13. Salmaſius *ad Vopiſci Proculum cap.* 13. & Heinſius ad Ovid. *lib. II. art. amat. vſ.* 205. Hic erat *Senilis* ille luſus, quo P. Scaevola hominem agebat, cum bene ac diu jura civium & caerimonias deorum ordinaſſet, uti Valerium Maximum *lib. VIII. cap.* 8. *n.* 2. Rutgerſius *lib. II. Var. lect. cap.* 12. emendavit; niſi *turrilibus* malis pro *ſcurrilibus*; cum Ampl. Bynkershoekio, in *Praetermiſſ. ad Pompon.* §. 41. ut luſus *turrilis* ſit dictus a *turricula*, ſive pyrgo, per quem tali ac teſſerae a ludentibus mittebantur; ne fraudi locus eſſet, auctore Martiale *lib. XIV. Epigramm.* 16. Mucium ſane duodecim ſcriptis bene luſiſſe, teſtes habeo Ciceronem *lib. I. de Orat. cap.* 50. Quintilianum *lib. XI. Inſt. cap.* 2. & vetus epigramma apud Salmaſium *d. l.*

Hoc opus inventor nimium Palamedes amavit,
Et parili excellens Mucius ingenio.

Verumenimvero quilibet agnoſcit, quam difficile nobis foret, ex commentariis Euſtathii Homerum, aut ex ſcholiis Servii & Donati Virgilium vel Terentium reſtituere; paullo minoris vero operae erat, ex parietinis opacae vetuſtatis, varie diſperſis, Corpus XII. Tabularum reddere, quod omnibus numeris eſſet abſolutum. Quantum praeſtiterit Cujacius, in hoc totius Romani juris fonte reſtituendo, quantaque illius viri, tum in deprehendendis fucatis, tum in eruendis vocabulis priſcis fuerit ſagacitas & ingenium ſubtile, ſupra vidimus: & tamen Joſephus Scaliger, Senatus ille critici princeps, *in Scaligeranis*, arrogantius jactat: *Nullus eſt, qui de legibus* XII. *Tabb. quid-*

quam

quam docere me poſſit, *ne Cujacius quidem : qui non infitiabitur*, *me illi multa indicaſſe*, *quae hactenus eum latuerant.* Major modeſtia Cujacii, utut illius eſſet praeceptor, *in Paratitl. D. de Tigno juncto*, ſcribentis : *In* XII. *Tabb. ſcriptum opinor :* Tignum junctum aedibus vineaeque concaptum ne ſolvito, *vel potius* concapes, *ut emendat doctiſſimus Scaliger*, *a quo pudet diſſentire.* Hujus auditores gnaviter magiſtri ſui veſtigia preſſerunt ; quorum haud poſtremum, Jacobum Raevardum mordet Janus Vincentius Gravina, *tom.* I. *Orig. pag.* 370. quod in libro ſingulari ad LL. XII. Tabb. *figmentis ſit adſuetus.* Sed fuerit ille aliquando, in depravatis reſtituendis, infelicior, ut ex ſuperioribus patet, ac Lipſius *lib. IV. Epiſtol. Quaeſt.* 26. animadvertit ; tamen diffuſam antiquitatis notitiam ſpirant ſcripta ejus omnia, & vividi ingenii acies, cum ſollertia & puritate dictionis, pellucet ubivis. Idem Lipſius alibi eum Belgicae Papinianum vocat ; Aubertus Miraeus comparat cum priſcis ; denique Andreas Schottus *lib. III. Obſerv. cap.* 23. *Jacobus Raevardus*, ait, *Anteceſſor Duacenſis*, *Belgii noſtri Papinianus futurus*, *niſi terris tantum oſtendere fata voluiſſent*, libram farris, *Comm. ad LL.* XII. *Tabb. reponendam contendebat.* Theodori Marcilii, Profeſſoris eloquentiae regii, in Academia Pariſienſe, *Legis* XII. *Tabb. collecta & interpretamentum*, prodiit Lutetiae Ann. 1600. & iterum 1603. De patria ejus, naevis, & ſtilo, voces ſaeculi alieni affectante, quantum ſatis eſt, egimus in Praefatione *ad tom.* I. *pag.* 9. *ſeqq.* Plura ibi virorum excellentium judicia videbis, haud ſatis benigna ; quibus Cunradi Rittershuſii *Dodecadeltos* jungatur, qui paſſim faſtum & lapſus ejus perſtringit. Nimis ambitioſe praeſatur, ſe non vereri vindicias anteriorum : nulla hinc ſibi virium auxilia, ſi ab uno Pithoeo diſceſſerit : *Unum*, inquit, *Franciſcum Pithoeum V. C. excipio*, *quem virtutis doctrinaeque praerogativa de coetu illius* PLEBIS *excepit. Quaeſitiſſima Xviralis naufragii tabularum collectio*, *ex illius*, *omni litterarum laude principis*, *theſauro edita*, *Lutetiae Ann.* CIↃ IↃ XXCVI. *non quaſi ſcalmus nobis unus fuit*, *ut vellemus*, *ſed juſta paene materies*, *ut auderemus aedificare hanc navim.* Utilem vero, in verborum ſignificatione, navavit operam : ſaepe Cujacium, communem illum omnium praeceptorem, & hominis daemonium probabili ratione refellit : eſt etiam ubi eum tacitus ſequitur ; capite 14. & alibi formulas interpretum pro verbis Decemvirorum legitimis venditavit. Salmaſius *de modo uſur. pag.* 822. de eo ait : *Doctus ille magiſter neſcit diſtinguere*, *inter diſſidentes auctorum*, *quos citavit*, *ſententias.* Succedat Paulus Merula, in illuſtri Academia Leidenſi quondam Profeſſor Hiſtoriarum ; cui magnificum elogium ſuſpendit eruditiſſimus Schubartus, *de Fatis Juriſpr. Ex.* II. *pag.* 257. ejusque opuſculum poſtumum *de Legibus*, inter alia antiquioris doctrinae ſcripta eminere, ait : *Ille Juſti Lipſii ſucceſſor in Academia Leidenſi*, *magna perſpicuitate verſatus eſt*, *in colligendis explicandisque Decemvirorum legibus. Quicquid occurrebat uſpiam & in ſcriptoribus priſcis*, *ac vel nomen*, *vel ſenſum juris illius praeferebat*, *tanquam fidus interpres*, *adduxit*, *inque ordinem redegit. Quicquid in marmoribus comparebat*, *aut lapidibus quibuscunque inſcriptis eadem induſtria conquiſivit. In laciniis Prudentium veterum excutiendis & cum tabulis comparandis*, *plane inſignis eſt* ; *ut gratiae debeantur multae his*, *qui nobile depoſitum orbi litterato reſtituerunt.* Videtur Merula, in his commentariis, ſupplere voluiſſe, quod deceſſor ejus Lipſius *lib. IV. Epiſt. Quaeſt.* 26. promiſerat ; ſed dolendum eſt vehementer, fato ejus praecoce, ſcriptum hoc ultimam manum non accepiſſe, in quo, poſt Fulvium Urſinum, de reſtituendis antiquiſſimis legum verbis & fideliter explicandis ſolicitus fuit ; an vero ubivis rem acu tetigerit, vehementer dubito.

Caput XII. *Quid prae ceteris praeſtiterit Jac. Gothofredus.*

Poſt tot Interpretum & veterum & recentiorum labores, putabis, Erudite Lector, novum opus non aggreſſum fuiſſe Jacobum Gothofredum, ad quem poſtremo loco noſtra revertitur oratio : is vero hoc opuſculo oſtendit, nondum exhauſta fuiſſe omnia, neque ſpicilegium, ſed integram meſſem ſibi relictam. Nullus hanc provinciam magis opportune ſuſcipere potuit, quod a priſcae eruditionis ſubſidiis, multisque litteris exquiſitis & reconditis erat inſtructus. Nullus etiam ſuperiorum tanta diligentia rem tractavit, tantoque judicio operas digeſſit, & idoneis documentis confirmavit ubivis. Nemo felicius ſucceſſu diſcrevit, quid in his ſincerum, quid ſuſpectum foret, aut legem majori ſagacitate a ſuperfluis repurgavit. Nemo etiam fragmenta quaeque, tam probabili conjectura, Tabulis ſuis reſtituit, aut majore fiducia ſui, de ſerie earum pronuntiavit. Hinc quotquot ipſum exceperunt harum legum editores, & verba & ordinem ejus, tanquam originaria & ex tripode retinuerunt ; quaſi ſupervacuus nunc omnis ea in re longior ponatur labor, nec fieri poſſet, ut ab illo praeceptis meliora inveſtigentur. Iſthoc peſtilenti ſidere afflata ſua tempora fuiſſe, in Epiſtola ad Thuanum, noſter querebatur Gothofredus, ut qui non primi ad quamcunque vetuſtatis memoriam reparandam animum adjeciſſent, actum agere dicerentur ; pejor autem ſaeculi

culi

culi hodierni eſt ratio, ubi & illis, qui de ſtudiis pro ſua virili promovendis, & veris veterum ſententiis adſtruendis magis, quam ambitioſa cenſura ſtrangulandis laborant, invidetur, & praeclaris eorum conatibus remora injicitur, id quod vel ioepta barbarorum, de libris novis, judicia ſatis produnt. Quicquid autem prae ceteris praeſtitit Gothofredus, ad quatuor potiſſimum capita revocari poteſt. Primum enim multa priorum oſcitantia aut inſcitia omiſſa, ipſis prolatis Veterum verbis, ſupplevit; alibi verba Decemvirorum legitima, ſciente prudenteque conſilio repudiata, revocavit; varia ſine teſte in has tabulas ab aliis conjecta removit, inemendata ex melioribus libris correxit; legitima Decemvirorum verba, quoad ejus fieri potuit, a verbis communibus diſtinxit; multos denique errores correxit, quorum octo fontes, in praefatione erudita, Lectori expoſuit. Deinde ante ipſum plerique, nullo ordine, quicquid obvium fuerat, congeſſerant; Ant. Auguſtinus, in iis referendis, Inſtitutionum Juſtiniani ordinem ſecutus erat: Fr. Hotmanus, ſecundum Auſonii partitionem, primo loco, quae ad ſacra & religiones pertinent; tum quae publici juris ſint; poſtremo privatorum jura pertractarat: quem Roſinus, Criſpinus & Rittershuſius ſecuti ſunt. Noſter vero tum ſex teſtimoniis expreſſis, tum alia argumentorum fide, maxime a Caji ſex libris ad leges Tabularum petita, ſingula fragmenta ſuis Tabulis reſtituit, &, omnibus in novum ordinem redactis, quaſi ad veterem faciem & majeſtatem ſuam corpus illud legum revocavit. Num Antonius Cabreros de Avendano, in interpretatione fragmentorum Caji ad leges XII. Tabb. hac in re facem ipſi praeluxerit, non temere dixerim; quia nunquam illius opuſculi copia facta eſt, quod Madritii 1638. prodiiſſe, ex Cl. Fabricio didici *Bibl. Lat. t.* III. *pag.* 787. Tertio, ubi de mente & diſpoſitione legum, non idem ei cum ceteris ſenſus fuerat, utriusque in notis *lib. V.* rationem reddidit. Ultimo tandem loco veterum verborum indicem ad calcem conjecit, qui Gloſſarii inſtar fungi poteſt.

Quamvis autem adeo multa indicaverit, ab aliis non animadverſa, haud tamen ſupra humanam ſortem eum collocari debere, ſatis, niſi fallor, firmabunt, quae ſuperioribus capitibus dixi, & nunc repetere haud neceſſe eſt. Non etiam memorabo typographorum errores, in hac editione ſublatos, quorum ſpecimina *pag.* 158. *lin.* 8. & 160. *fin.* videri poſſint. Paucis vero attingam, nil cauſae fuiſſe, cur *pag.* 110. ſibi perſuaſerit, Tribonianum, in *l.* 1. *D. de Uſurp.* omiſiſſe verba, *lege* XII. *Tabb.* & in *l.* 3. *eod.* voces, XII. *Tabb.* nec cum prioribus cohaeret, quod *Jus civile*, cum Theophilo, pro legibus XII. accepit; quod ſi enim Tribonianus in Pandectis veſtigia legis Decemviralis delevit, vix ultro in Inſtitutionibus ex ea uſucapionem repetiiſſe videtur: immo alii, per jus civile interpretationem Prudentum intelligunt, qui juſtam cauſam & bonam fidem ad uſucapionem requiſiverunt, ac differentias inter res Italici ſoli & provinciales conſtituerunt; uti Servius in *l.* 1. *D. de Tutel.* vim & poteſtatem, quam habet tutor in pupillum, ait, *jure civili* datam eſſe permiſſam: idemque forſan de ceteris locis, tum a Jacobo noſtro *pag.* 76. tum a Briſſonio *lib. III. de V. S.* laudatis, eſt dicendum, propter *l.* 2. *§.* 12. *de O. J.* & quia aliud eſt lex, aliud jus, quod ex lege deſcendit. *Pag.* 115. principium Inſtitutionum *Si quadrupes paup.* aliter conſtituendum, &, cum Hotmano, a praepoſteri vitio liberandum monet: ſed retinet lectionem vulgatam, quum Hotmanus *lib. I. Obſ. c.* 13. verſum *utputa* &c. poſt verba: *Haec autem actio* reponendum eſſe voluerit, a Cujacio reprehenſus, *lib. XIV. Obſ.* 11. Eadem *pagina* Decemviros exiſtimat, damnum, injuria datum, diſtinxiſſe, ab eo, quod caſu illatum eſt, & poſterius ſarciri juſſiſſe. Id vero, ſi merum caſum intelligas, & ratio vetat; & formula, *ſi telum manu fugit*; & lex Graecorum, a Demoſthene, in Midiaoa, prolata: *Si quis prudens ſciens damnum duit in duplum, ſi imprudens in ſimplum teuetor.* Saepe vero caſus notat negligentiam, & opponitur dolo, *l.* 1. *§.* 3. *D. ad L. Corn. de ſic. l.* 9. *D. de Inceud. Collat. tit.* 12. *n.* 6. Cl. van de Water *lib. I. Obſ.* 16. *Pag.* 170. in vexata *l.* 7. *D. de Cap. miu.* ſatis ingenioſe pro *alieno*, legit *antiquo*, & jus antiquum leges XII. Tabb. interpretatur, faventibus Baſilicis, πλὴν τῶν ἀπὸ τοῦ δωδεκαδέλτου, *exceptis iis, quae ſuut ex lege* XII. *Tabularum:* ſed idem ante eum in mentem venerat Balduino, in *Scaevolis pag.* 159. aliorum conjecturas, non minus probabiles, Huberus *in Eunom. ad l.* 7. collegit: eui Hotmanus *lib. III. Obſ.* 9. Conſtantinaeus *lib. I. Subtil. Euod. c.* 7. & Cl. van de Water *lib. III. Obſ.* 13. addantur. *Pag.* 175. infeliciſſime ait, ſi pecus quid depaſtum ſit, non immittente domino, actiooi quadrupedariae; ſi immittente, actioni de paſtu locum eſſe. Magis ita: Qui *uoctu* immiſerit in pratum alienum, capitis reus fuit, Plin. *lib. XVIII. c.* 3. Qui *de die* immittit in pratum *publicum*, criminaliter tenetur ad mulctam, *l.* 2. *C. de Paſc. publ.* qui in agrum *privatum*, ex lege Aquilia convenitur, *l. ult. C. ad L. Aquil.* Juvenal. *Sat.* XIV. *vſ.* 151. Si nullo immittente pecus depaverit pratum *alieuum*, actioni de paſtu ooxali locus eſt, Paul. *lib. I. tit.* 15. *§.* 1. ſi in *domiui ſui* fundo glandem vicini conſumſerit, in factum agi debet, *l.* 14. *§. fin. D. de P. V.* *Pag.*

179. jus praediorum, de quo in Tabula VIII. agitur, exiſtimat jus *praediatorium* eſſe, cujus apud Ciceronem *pro Balbo cap.* 20. & Valerium Maximum, *lib. VIII. cap.* 12. §. 1. fit mentio: ſed vereor, ne cum Cujacio, *lib. V. Obſ. cap.* 29. Turnebo, *lib. XX. Adv. cap.* 30. Salmaſio *de Modo uſur. cap.* 16. & Gilberto Regio, *lib. I. ἐναντ. cap.* 27. illud potius dicendum ſit, quo bona obligata erant aerario: ſic enim *lex praediatoria* apud Suetonium in *Claudio cap.* 9. accipitur, & Paullus Manutius ad Ciceronis *lib. XII. ad Att. ep.* 14. Appulejum *praediatorem*, qui praediorum & praedum jura novit, explicat, atque ita *praediatores* in inſcriptione, *l.* 54. *D. de Jure dot.* commodum ſenſum Cajo praeſtare poſſunt, ne *l.* 12. *C. de Jure dot.* ei adverſetur. *Sed verbum praediatoris qui explicet, adhuc neminem reperi*, Briſſonius ſcripſit, *lib. XIV. de V. S.* Minus placet, quod *eadem pag.* per Sodales, cum Cujacio, *lib. X. Obſ. cap.* 34. & *lib. XI. cap.* 5. Sacerdotes Arvales intelligit, qui de arvorum juribus judicarint: jurgiis enim finium dirimendis ſacerdotes ideo praefectos non oportuit, quod termini agrorum ſancti & inviolati eſſent: neque alii fini erant duodecim illi fratres inſtituti, quam ut pro arvorum fecuuditate ſacra facerent, vota nuncuparent, in luco Junonis Deae Diae piacula facerent; ſemel in anuo, ambarvali ſacrificio, agros luſtrarent, & fulmine tactas arbores procurarent, uti ex Varrone, Plinio Gellio, atque ex marmorum fragmentis, quibus ſacrificia & acta horum fratrum, ex nobiliſſimis familiis ſumtorum, continentur, liquido apparet, apud Gruterum *a pag.* 117. Sponium in *Miſcellan. pag.* 5. Fabrettum *c.* 6. *pag.* 442. & Philippum a Turre *Monum. pag.* 383. *ſeqq.* qui etiam *pag.* 104. in nummis Juniae, Muſſidiae & Poſtumiae familiae, apud Urſinum, eorum memoriam oſtendit. Nullibi vero judicii, de modo agrorum, ad illos delati, vel minimum veſtigium exſtat; neque corruptus Gloſſarii locus Arvales ſodales babet, ſed ex ingenio Cujacii accepit; commodius is etiam referri poteſt ad tres arbitros finium, qui ex conventione litigatorum, vel Praetoris datione ſumebantur: hi autem erant ſodales, id eſt, collegae, quia tres faciunt collegium, *l.* 85. *de V. S.* vide Marcil. *pag.* 272. *tom.* IV. *Theſ.* & Briſſonium *de V. S.* voce *Arbiter*. Ut vara vibiam ſequi ſolet, ita Reineſius *ad cl.* 1. *Inſcript. n.* 157. eidem errori firmando, pro *Hieroſantis agrorum*, in *l.* 14. *C. Th. de Pagan.* repoſuit *Horofautis*, & fiuitores explicavit, qui limitum confinia diſcuterent. Sed nil mutandum: nam ſacerdotes & miniſtros ad civitates, Praefectos & Hieroſantas ad agros retulit Arcadius, & notius eſt nomen illud apud Graecos & Latinos, quam ut corrumpi debeat. v. Jac. Gotboſred. ad *l.* 14. *C. Th. de Pagan.* & Arnobii interpretes *ad lib. V.*

Haec erant, Benevole Lector, quae nunc quidem ad primum bujus Tomi opuſculum dicenda occurrebant. Ut de altero Juris civilis fonte, *lege* nimirum *Julia & Papia Poppaea*, ejusdem Gothoſredi induſtria illuſtrato, minus dicendum ſit, Vir praeclarus, & amicus bouorandus, Jo. Gottl. Heineccius, in erudito, quem edidit, ad eandem legem commentario, nobis otium fecit. Varias is leges Papias, ab ipſo confuſas, aliena ex aliis legibus adſuta, quaedam maximi momenti praetermiſſa, alia in ſenſum alienum detorta, obſervavit, emendavit, ſupplevit, legisque illius penetralia diligentius aperuit. Sed *primis juris ſtipeudiis* excidiſſe ſibi libellum iſtum, ipſe Gothoſredus, ait, in *comm. ad Reg. juris pag.* 794. annumque prioris editionis MDCXVII. ad *l.* 3. *C. Th. de Jure lib.* ſignat. Quae olim perperam ſibi viſa, ipſe correxit ad *l.* 4. *C. Th. de Sponſal.* & magis in ea, quam poſt fata illius Eſaias Collado curavit, editione *repetitae praelectionis*, vineta ſua caecidiſſe videtur. Hanc ſperamus omnibus gratiorem fore, quod & Notas, ſingulis paginis nunc ſubjectas habet, quae ante ad calcem coujectae fuerant. De utilitate *Seriei librorum Edicti perpetui*, quam *pag.* 242. vides, praeſtat ſilere, quam pauca praefari. Fuit Edictum illud, ſub Hadriano Imperatore couditum, fundus juris Romani ultimus, qui Jurisconſultos poſteriores maxime exercuit, ex quorum ſcriptis Pandectae coaluerunt. Haec autem tabula myſterium nobis pandit, ut qua de re octo Jurisconſulti, ſingulis libris Operum ſuorum praecipue egerint, facillimo negotio cognoſcamus. *Sabinianorum librorum ſeries*, quae eam excipit *pag.* 250. indicat continentiam capitum juris, deſumtorum ex Ulpiani, Pomponii & Pauli commentariis ad Sabinum, qui totum jus in ſyſtema redegerat, libris illis, quos de Jure Civili ſub Tiberio Imperatore ſcripſit. *Animadverſionum* libellus totus Joannis Steckii *Anticriticis Obſervationibus*, quae Tomo I. hujus Theſauri *pag.* 501. reperiuntur, oppoſitus eſt, & totidem ejus capitibus reſpondet. Recte hominis inſaniam repreſſit, qua quicquid medicae manus & opis, per Emendationes, ab Alciato, Cujacio, Hotmano, Donello & Fabro, legibus uoſtris admotum eſt, uno elogio & horrendo prope carmine proſcripſerat. Eminent vero in his Animadverſionibus inprimis, quae *cap.* 5. 11. 15. & 16. traduntur. Ejusdem Diatriba *de Cenotaphio pag.* 325. propter variam eruditionem & raritatem locum ſuum tueri poteſt: in pugna etiam, quae Marcianum inter & Ulpianum eſſe creditur, concilianda, felicior eſt Alciato *lib. X. Parerg. cap.* 12. Connano *lib. III. cap.* 1. & Scipione Gentile

tile *lib. II. Parerg. cap.* 16. ſed quod verba Marciani, *magis placere*, de peritis artis magicae accepit, vix cuiquam placere poteſt. Vir Illuſtris, Cornelius van Bynkershock *lib. I. Obſerv. cap.* 5. adhaec felicius ſolvit nodum, qui ſupererat, cur Marciano, Ulpiani aequali, aliud placuerit, etſi Divi Fratres ante eum contrarium reſcripſiſſent; nimirum, quia aut ignoravit DD. Fratrum reſcriptum, aut in ejus interpretatione in alia omnia ivit.

Reliquum eſſet, ut de ceteris, quae ſequuntur, Ingeniorum monimentis aliquid adjicerem, nec difficile videbatur in egregio hiſtoriae litterariae, quo aetas noſtra abundat, apparatu, de ſingulis quaedam non injucunda proferre; niſi modum praefationis diu exceſſiſſem: adverſus livida vero & mordacia ingenia vel unus ſufficeret Hieronymus, *Prooem. in lib. 2. Oſeae: Poſtquam*, inquit, *reverſa fuerit terra in terram ſuam, & tam nos, qui ſcribimus, quam eos, qui de nobis judicant, pallida mors ſubtraxerit, & alia venerit generatio, primisque cadentibus foliis virens ſilva ſuccreverit, tunc ſine nominum dignitate, ſola judicantur ingenia, nec conſiderat, qui lecturus eſt, cujus, ſed quale ſit, quod lecturus eſt; ſive ille Epiſcopus, ſive ut laicus, Imperator & dominus, miles & ſervus, aut ſerico aut panno viliſſimo jaceat: non honorum diverſitate, ſed operum merito judicabitur.* Pauca tamen de ſingulis, ſine ambagibus elogiorum, veluti in tabella, ſubjiciam. PAGANINI GAUDENTII doctrinam & ſcribendi rationem, tum libri ejus duo *Expoſitionum juridicarum*, tum varii generis alia ejus opuſcula, Latina & Etruſca lingua edita, tum elogia Eruditorum, libris ejus praemiſſa, ſatis teſtantur. Felici connubio is juris interpres, in lyceo Piſano clariſſimus, antiquitates Romanas, Philoſophiam & Hiſtoriam Eccleſiaſticam, cum Jurisprudentia conjunxit: unde Tacito, Suetonio, aliisque priſcis lux ſparſim in hoc libello conciliatur. Ceterorum vero operum catalogus ſcripto ejus elaboratiſſimo, *de Philoſophiae apud Romanos initio & progreſſu*, praemiſſus eſt. Potuiſſet ex iis liber geminus juridicus, *de Juſtinianei ſaeculi moribus*, & *de Succeſſione feminarum* conjungi, niſi Tabor, Academiae Argentoratenſis Doctor, eum publico uſui commodari feciſſet. GREGORIUS LOPEZ MADERA, Mantuae Carpentanus, quamvis ipſe rerum antiquarum peritus, odium ſuum in eos profitetur, qui jura intelligere ſine Cicerone, Tacito & aliis antiquis neſcirent, ſed ex iis, tanquam ex oraculo, leges interpretarentur. Poſt editum hunc *Animadverſionum juris civilis* librum, in Academia Complutenſi, veſpertinum juris docendi munus adminiſtravit, inde per varios munerum gradus ad ſupremum usque magni Caſtellae Senatus ordinem A. D. MDCXIX. merito ſuo integritatis & doctrinae pervenit, auctore Antonio in *Bibliotheca Hiſpanica*; ubi & alia ejus opera, lingua vernacula edita referuntur. In hoc autem opuſculo XXXVI. juris capita, ab aliis non recte intellecta aut inordinate explicata, ſine ambitione & animi abjectione, vitata etiam allegationum luxurie, plerumque feliciter illuſtravit. Prae ceteris illud vehementer placet, quod in *cap. ult.* redarguit, qui eum nunc excipiunt, PARDULPHI PRATEJI, *Jurisprudentiae mediae*, libros III. priores, in quorum primo is ſexaginta & centum geminationes, in ſecundo ſedecim omiſſiones, in tertio quinque & triginta inverſiones collegit, propter quas architectos juris, aut ſane Tribonianum, mendacii & inſcitiae arguit; quod eum jactaſſent, repetitiones & ſimilium loca excluſa eſſe, earum tantum reliquerint numerum, quo ſtudioſorum animi enecentur. Idem ante & poſt Pratejum, nec ſine ſtomacho, ſed modeſtius egerunt Alciatus ad *l. ult. de V. S.* Auguſtinus *lib. I. Emend. c.* 7. Muretus *Obſ. jur. c.* 4. & Pancirolus *lib. I. Var. Lect. cap.* 78. neſcio autem, quid utilitatis inde in Jurisprudentiam redundet, aut cui bono, in carpendis juris conditoribus cervicula jactitetur: homines enim illi fuerunt, non dii, ipſeque Juſtinianus in Conſtitut. *Dedit Deus. C. de Vet. jure enucl.* praemonuit: *Si quid in corpore, quod ex tot legum myriadibus collectum eſt, ſimile exiſtere videatur, etſi hoc rarum fore putamus, non careret tamen juſta defenſionis cauſa.* Quinimo non unius modo, ſed & alterius tituli finibus, eosdem textus recte incluſos eſſe, praeclaris exemplis, oſtendit Jac. Gothofredus *ad l. 65. de R. J.* Ceterum Pardulfus noſter, natione Gallus fuit, & ubivis ſe *Auguſtobuconiatem* profitetur. Avum habuit G. Pratejum, cauſarum patronum; Coraſium vero praeceptorem, *in praef. ad LL. Romuli & Jurisprud. vet. ad legem Solonis* 69. laudatos. Poſtquam aliquamdiu in foro eſſet verſatus, viceſimo anno ſtudiorum ſuorum Juris civilis, quatuor hos *Jurisprudentiae mediae* libros, A. 1560. in publicum emiſit, & Michaëli Hoſpitalio dedicavit. Adjecti iis ſunt *Catapodiſmῶν libri duo: Δικαιολογίας liber ſingularis*; & *Solonis reliquae leges* XII. Paullo ante *Jurisprudentiam veterem* ediderat, quae tom. IV. bujus Theſ. *pag.* 381. reperitur. Ipſe quoque, in Lexico Juris Civilis & Canonici, verbo *Novellarum*, *Jurisprudentiam noviſſimam* promiſit. Adhaec *pag.* 562. bujus tomi, commentariorum ſuorum, in *Nov.* 118. editorum meminit, in quam Paratitlon ejus breve *tom.* IV. *pag.* 471. exſtat. Obſervationes Halenſes *tom.* I. *Obſ.* 8. ejus quoque laudant tractatum, *de fun-*

do dotali, Venetiis editum 1584. omniaque digna judicant, quae in Germania recudantur.

EMUNDI MERILLII ad *libros duos Quaeſt. Calliſtrati*, item ad *titulum D. de Servitutibus*, ut & ad *leges* 31. *priores tituli D. de Rebus Creditis*, commentarii, nunc primum ex manuſcripto codice lucem accipiunt. Tricaſſinus ille, dum fata ſinebant, fuit Jurisprudentiae per Galliam ocellus: & Anteceſſor in Academia Tholoſana primum, dein Cadurcenſi, tandem in Bituricenſi primicerius. Vitam & ſcripta, quibus immortalem ſibi gloriam peperit, vir excellentiſſimus, Nicolaus Hieronymus Gundlingius, *pag.* VIII. *Gundling. n.* 2. enarravit. Opera, quae ipſe ediderat, Bernardinus Geſſari, bonis avibus collegit, & a mendis diligenter purgata Neapoli in lucem emiſit; ſed fugit illum *de jure accreſcendi* libellus, qui tomum hujus Theſauri ſequentem claudit. Claudius quoque Mongin J. U. Pr. commentarios ejus principales ad Inſtitutiones, in gratiam Ludovici, Principis Borbonii, compoſitos, una cum Synopſi, evulgavit Pariſiis Ann. 1654. Sunt illi pleni bonae frugis, & digni, qui prelo iterum ſubjiciantur. DISPUNCTOR AD MERILLIUM Oſium Aurelium praeſert auctorem; ſed verum ei nomen fuit *Fraucifci Ory*; quamvis Joh. Doujatius, in *Hiſtoria juris cap.* 9. Johannem appellarit: *Johannes Oſius, vero nomine Orrius; uti Nicolaus Catherinotus, qui ſe Catharinum appellare maluit.* Menagius *in Menag. tom.* 2. *pag. m.* 269. nomen ſcriptoris recte, titulum libri male concepit: *Diſpunctum ad Merillinm*, id quod verba finalia praefationis ad Merillium refellunt. Ab *Ory* Latine eſt *Ordericus*; placuit ei autem *Oſii* nomen, amore antiquitatis, quod Appius Claudius literam R. ſerius inveniſſet. Fuit Doctor regens Academiae Aurelianenſis ditiſſimus, multique ingenii & laboris, qui etiam *Apparatum Jurisprudentiae*, & *de Pacto, dotalibus inſtrumentis adjecto*, ſcripſit. De raritate Diſpunctoris queritur Cl. Geſſari, in Hiſtoria de Merillio, Operibus ejus praemiſſa, & multi forſan Anteceſſores mecum fatebuntur, nunquam ſibi ſcriptum illud videre licuiſſe. Occaſio ejus fuit iſta: Merillium male habebat, jactari paſſim, Jurisprudentiam Cujacii ſcriptis & praelectionibus adeo excultam eſſe, ut fruſtra in ſcholis Profeſſores adeantur. In libris igitur tribus *Variautinm ex Cnjacio* eum, ut virum ſummum, ſed hominem, ſibique haud conſtantem depinxit. Satis, opinor, in diſſertatione libris illis praemiſſa, invidiae litavit, dum Papiniani aliorumque exemplo, eum variaſſe, ait, & plus vice ſimplici profitetur, ſe poſt annos quinque & quadraginta, in ſcriptis Cujacii diligenter exactos, hanc operam ſuſcepiſſe, non tam libidine obtrectandi Juriſconſultorum principi, quam ut juris ſtudioſis monſtraret, Doctore opus eſſe, qui in tanto interpretationum divortio, veram ſententiam indicaret. Suſurris tamen frequentibus haec criminatio Merilliana, in diffamiam maximi virorum quaſi concepta, accuſabatur; ſed aliis ceſſantibus apologiam ſcribere, Orius noſter ad priorem Merilliani operis partem diſpungendam ſe accinxit, alteram & tertiam aliis ceſſurus. Recte monet, ſcripta Cujacii a quotidianis ejus recitationibus diſtingui debere, & in his excipiendis ſomnolentia auditorum vel negligentia peccatum eſſe. Lepida etiam eſt narratio *pag.* 733. de colapho, ſibi a viro amiciſſimo impacto, quod acrius opinionem ſuam de *lege Vinum* 22. *D. de Rebus cred.* ad quam temulentos pleraque ſcribere interpretes, Cujacius dicebat, adverſus illum tuitus eſſet. Nomen praeliatoris, *Aime Monnet*, nobilis Sabaudi & collegae Orii, Menagius *d. l.* refert, eumque Avarici Biturigum, Merillio dixiſſe, addit: En manum, injuriae tibi illatae ultricem!

GUILIELMUS BARCLAJUS, ex vetere ac nobili familia Scotica oriundus, cum videret, ſe non poſſe honeſte in patria vivere, anno aetatis triceſimo, vix puerilibus litteris imbutus, Avaricum Biturigum conceſſit, atque Jacobo Cujacio ſummo ſtudio ac diligentia operam dedit. Audivit etiam Donellum, de quo tamen acerbius ſcribit *pag.* 871. *Hugo Douellus, unus ex praeceptoribus meis, vir civilis diſciplinae peritus, ſed malus, quia haereticus Calviniſta.* Tantos ſub his ducibus celerrimo ingenio fecit progreſſus, ut a priore juris civilis publice quovis in gymnaſio interpretandi poteſtatem acceperit, & brevi ad cathedram Muſſipontanam vocatus, ſimul Ducis Lotbaringiae Conſiliarius ſupplicumque libellorum Magiſter factus ſit. Cum vero Scotiae rex, Jacobus, Angliae poſſeſſionem adipiſceretur, ad eum ſe contulit, & honorifice exceptus ac Conſiliarii dignitate honoratus eſt: ſed religionis avitae amore, reſpuit hanc conditionem, moxque Pariſios profectus, bonis conditionibus Ann. MDCIII. ad obeundam in nobiliſſima Univerſitate Andegavenſi Anteceſſoris primarii provinciam invitabatur, ubi non multo poſt diem ſuum obiit, A. MDCV. vel, ut alii, MDCIX. Idem hic auctor eſt operis eruditi, & multa lectione referti, *de Reguo & regali poteſtate adverſus Monarchomachos*, ut & alterius, *de poteſtate Papae*, cui Bellarminus oppoſuit ſcriptum, *de ſummi Pontificis poteſtate in rebus temporalibus*; hoc rurſus filius Barclaji confutavit, in *Pietate*, ſive *Vindiciis publicis pro regibus ac Principibus, & privatis pro Guil. Barclajo parente.* Pluribus haec perſequitur Janus

nus Nicius Erythraeus, *in pinacotheca tertia*, ubi filii ejus Joannis Barclaji vitam deſcribit; cui Argenida & Euphormionem debemus. De utroque etiam Baylii *Dictionarium*, & Sylloge epiſtol. *tom.* II. *pag.* 25. cum notis Cl. Burmanni videri merentur. Alius eſt Robertus Barclajus, qui pro Quakeris apologiam ſcripſit; adverſus quem Antonii Reyſeri *Anti-Barclajus* prodiit. Ad noſtri autem Guilielmi opera quod attinet; qui norunt, quot quantasque difficultates habeant tituli *de Rebus creditis* & *de Jurejurando*, illi his Commentariis, A. MDCV. Jacobo I. dicatis, pretium ſuum ſtatuere non dedignabuntur. Ut enim mittam Cujacium, Merillium, Goeddaeum & Borcholten, qui ad *tit. de Rebus creditis* ſcripſerunt, *legem Vinum* 22. Hotmanus, Coraſius & Lyclama; *l. Civitas* 27. Lauterbachius; *l. Lecta* 40. Balduinus, Groslotius, Zagatus, Leſcurius, & ὁ πάνυ Bynkershoekius; *l. Ejus* 41. Hugo Cynus Campanus, profeſſa opera & libris ſingularibus explicarunt. MARCUS VERTRANIUS MAURUS, in praefatione ad Philibert. Bugnonium, Matiſcenſem Jctum, ait, ſe librum ſingularem, *de Jure liberorum*, imitatione Pauli Juriſconſulti, ſcripſiſſe, ſed hujus quidem de *jure libellorum*, nullus de jure liberorum liber memoratur. vid. *l.* II. *D. de Legation.* Erat is diſcipulus Joannis Geraldi, Jani Papii & Aemilii Ferretti, eujus exemplo notas ad Tacitum edidit, ſatis bonas, ſi aevum ſpectes. Formavit etiam philoſophica quaedam, atque inter ea librum de *fiducia*, cujus *pag.* 1088. meminit. Pleraque vero, quae de Lege Papia, in hoc opere commentatus eſt, elegantius recentiores, ſupra a nobis laudati, expoſuerunt. Inſignem ejus errorem *cap.* 45. *ſeqq.* Jacobus Gothofredus ad *l. un. C. Th. de His qui num. lib.* refellit. Fruſtra hunc librum in bibliothecis a ſe quaeſitum eſſe, ſcribit Brummerus *ad L. Cinciam c.* 14. ſed in Tractatu tractatuum tom. VIII. cum reperiri potuiſſe, Cl. Heineccius monuit *Antiq.* I. 25. 8. dignus autem erat, cui in hac etiam collectione, extra leges ei poſitas, locus concederetur.

CAROLI ANNIBALIS FABROTI, Anteceſſoris Aquis-Sextienſis, varia Opuſcula ſequuntur. Ediderat Jacobus Gothofredus ſpecimen commentationis ſuae ad Codicem Theodoſianum, operis futuri prodromum, *ad tit. de Paganis, ſacrificiis & templis:* quo conſpecto, Fabrotus obſervationes & notas, quas ad eundem Codicem moliebatur, ſcheda ſua premere in animum induxerat; quod ſatis cerneret, virum, juris politioris humanitatis, & Hiſtoriae, qua Eccleſiaſticae, qua civilis peritiſſimum, plus laudis eſſe conſecuturum. Attamen paſſus eſt, ſuas ad eundem titulum *de Paganis*, a neceſſariis ſibi extorqueri, quod miſcellam & variam ſcriptionem continerent, poſcente id titulo illo, qui rituum Gentilitiorum pleniſſimus eſt. At ſi poſtumus Gothofredi commentarius, ad eum locum, cum Fabroti notis conſeratur, quis a majore copia fuerit inſtructus, vel caecus viderit. *Exercitationes* XII. varium & elaboratum opus ſunt; in quo amoeniores juris quaeſtiones diligenter & inſigni eruditione pertractantur. Earum prima & ultima ceteris palmam praeripiunt; illam in nomine Menagii apparere voluit, qui ea de re gloriatur *Amoen. cap.* 12. & *Menagian. tom.* I. *pag.* 164. In poſtremae initio de fati iniquitate queritur, quo Curatores Academiae, poſt vicennale ſtipendium, onus publicae diſputationis, pro cathedra vacante, ei impoſuerint, etſi moribus antiquis. Subjiciuntur illis *pag.* 1230. ex Baſilicis lib. LX. tit. 52. & 54. leges XIV. ex verſione Cujacii, Graece & Latine, quae in libris Digeſtorum deerant. Contius eas quidem ſuo loco repoſuit, ſed, quia Graeca non viderat, in *l.* 15. §. 1. *D. de Interd. & releg.* edidit, *ſive principe*; cum in Baſilicis ſit χωρὶς βασιλέως, *ſine principe.* Vid. Leunclavii *Notat. lib. II. n.* 118. Apologia, quae Exercitationibus praemittitur, pro Graecis Βασιλικῶν interpretibus, ſed maxime pro Theophilo, Inſtitutionum paraphraſte, ſuſcepta eſt; de quo *Vir adprime doctus*, id eſt, Emundus Merillius, *lib. VIII. Obſerv. cap.* 24. 25. 26. & 27. notatis quatuor ejus erroribus, non ſatis honorifice ſenſerat, ſeptimum & vigeſimum caput his verbis claudens: *Scatet Theophilus plerisque aliis erroribus & ineptis interpretationibus, quas praeter verba Juſtiniani de ſuo interjicit, quasque (ſi Deus faciat) ſuis quibusque locis indicaturi ſumus. Et vero indicare expedit, cum auctoritas Theophili non pauciores, ſed & potiores juris interpretes in eosdem errores adduxerit, facili lapſu, dum aut parum auctorem expendebant, aut aliquid ex interprete Graeco, noviter emiſſo, proferre geſtiebant.* Idem fere ſcripſerat *in appendice Variant. ex Cujacio cap.* 2. Hic autem in memoriam revocari velim conjecturam, ſupra *pag.* 2. *fin.* de arbitrio honorario Jac. Gothofredi, hos inter ferendo, ſed non perlato, propoſitam. Vir eruditiſſimus, Nic. Hieron. Gundlingius, in *diſſert. de Theophilo* §. 8. exiſtimabat, Fabrotum hac Apologia tam ſolide, ad quatuor illos errores, Theophilo impactos, reſpondiſſe, ut Merillius animum abjecerit, de maledictis Theophili ſcribendi: at mihi id non videtur, nec ipſi, *p.* 111. *Viae ad verit. cap.* 19. §. 54. nec Wiſſenbachio *ad tit. D. de Magiſtrat. conv.* Legendus tamen eſt Theophilus omnino, qui ex intima jurisprudentia tam multa nos docet; longeque abſit, propter paucos errores, eum, cum Alciato, in

omni re hiſtorica ſuſpectum: cum Connano, civilis ſcientiae hoſpitem & peregrinum habeamus: aut, cum aliis, ſtultitiae ac imperitiae inſimulemus; videntur enim quidam eorum, ut Fabrotus conjecit, imperiti ſtudioſi eſſe, cujus gloſſae, margini allitae, in textum deinceps irrepſerunt. Vide Cl. Jo. Henrici Mylii *Theophilum*, & *Vindiciarum Theophili ſpecimen.* Unus omnium inſtar ſit Ant. Auguſtinus: *Eo libro*, ſcribit, *nullus exſtat ad Juſtiniani libros intelligendos aptior*, *lib. III. Emend. cap.* 8. Ad ejusdem Fabroti *Replicationem adverſus Salmaſium* de mutuo *pag.* 1238. pertinet, quod Sorberiana nos docent, diatribam Salmaſii, de mutuo, *Alexii a Maſſalia* nomen babuiſſe inſcriptum, quia ex literis *Maſſalia* tranſpoſitis fit *Salmaſia*; *Alexii*, quod ex oppido *Auxois* erat oriundus. Huic diatribae, falcem in meſſem alienam mittenti, cum animoſius contradicerent Sengeberus, Cunaeus, Wiſſenbachius, Goeſius & Cyprianus Regnerus; nec quidam eorum ſibi a probris temperarent, Fabrotus epiſtolam ad amicum oppoſuit, igne, ſimulatque lecta eſſet, abſumendam. Menagius efficiebat, ut ea in manus Salmaſii veniret: hic in epiſtola ad eundem, novem argumenta ſibi obmota diluere conatur, ad quam Fabrotus replicando reſpondit. Jam tum veritatis vi eo redactus erat Salmaſius, ut non modo alienationem temporariam concederet, ſed & rem mutuo datam alienari, & cum, qui accepit, dominum fieri, fateretur: boc tantum negabat, mutui contractum alienationem eſſe. Idem antea non tantum Molinaeo ſederat, ſed etiam Sigonio *lib. I. de Judic. c.* 21. qui in formula conditionis *dare* accipit pro reddere: *non enim qui mutuo dedit, aut commodavit, dominium amiſit.* Nil cauſae eſt, cur huic quaeſtioni immoremur, quia Salmaſius vix alium, quam Jacobum Oiſelium aſſeclam nactus eſt; ejusque ſententiae Grotius contradixit, *in append. epiſt.* 486. 501. 513. 514. Rem ipſam vero Cujacius confecerat dudum, *lib. XI. Obſ. cap.* 37. exceptis, quae Vir Ampliſſimus, Corn. van Bynkershoek, ad eam dirimendam, adjecit *in opuſc. de Rebus mancipi cap.* 9.

Sequuntur Viri Illuſtris, CONSTANTII LANDI, Caſelarum Padi Comitis, Patriciique Placentini, varia Opuſcula, ſi tempora & aetatem ejus ſpectes, laude digna: vix enim viginti annos erat natus, quum ea, ab Alciato, Doctore ſuo recognita, ederet, A. MDXLIX. In primo *Enarrationum* libello generalia quaedam, maxime ad titulum *de Juſtitia & jure* ſpectantia, tractantur: ei adbaeret commentarius *ad l.* 1. *&* 7. *D. de LL.* & Interpretatio *l.* 11. *D. de Acquir. vel am. poſſ.* Alter *Exercitationum* libellus, ex variarum rerum lectione, ſingularia Pandectarum & Codicis loca rectius, quam antea factum erat, illuſtrat: ſed male paſſim pro legibus XII. tabb. venditat, quae tales non ſunt, ut ſupra vidimus. Peſſime etiam p. 1416. in *l.* 31. *D. Locati* pro *argentum puſulatum*, ut in Pand. Florentinis ſcriptum eſt, vel, quod eodem redit, *puſtulatum*, legit *purum putum*: nam puſtulatum idem eſt, quod purum putum & multo igne ita excoctum, ut tubercula collegerit. Exempla vide apud Sueton. *Neron. c.* 44. Martialem *lib. VII. ep.* 85. Cujac. *lib. VII. Obſ.* 39. & Turnebum *lib. XXIV. Adverſ. c.* 2. Tertius libellus *Praetermiſſorum*, Alciati exemplo, inſcribitur, quod παραλειπόμενα quaedam contineret. *Pag.* 1456. perperam, cum Marcello Donato, erroris aut mendae arguit Pomponium in *l.* 2. §. 32. *de O. J. Caeſar duos Praetores, & duos Aediles, qui frumento praeeſſent, a Cerere Cereales, conſtituit*: nam poſteriora de ſolis Aedilibus ſunt capienda, qui proxime praecedunt. Optime vero negat, Praetores Cereales a Caeſare conſtitutos eſſe, quod tamen Alexander Neapolitanus *lib. II. Genial. dier. c.* 15. Roſinus *lib. VII. c.* 1. Gravina aliique tradiderunt, a Cl. Reinoldo reprebenſi, *Varior. cap.* 3. *Pag.* 1468. graviter nonnullis, etiam hilarioris famae, notam inurit, qui ex aliorum racemationibus vindemias ſibi conſtruxerunt, & non probabili more aliena doctrina cenſeri voluere, ſuum cuique non tribuentes: quod ideo moneo, ut ſyllabus plagiariorum ex ipſo, & Alciato *lib. X. Parerg. cap.* 21. augeatur.

JOANNES LEUNCLAVIUS, alias *Leonclaius*, *Löwenklau*, nobilis, apud Angrivarios, Amelburnus, in duobus *Notatorum* libris, innumera juris Civilis loca, ex Graecorum de jure libris, integritati ſuae reſtituit & illuſtravit. Quae ad vitam, mores, ſcripta, dignitates & mortem ejus Viennae A. 1593. attinent, Melchior Adamus, *in vitis Philoſoph.* Baylius in *Dictionar.* & Cl. Fabricius *Bibl. Gaaec. tom.* XIII. *pag.* 808. deſcripſerunt. Thuanus *lib.* 104. *ſub fin.* ipſum, merito ſuo, *virum juris Romani Graecique conſultiſſimum, & rerum Turcicarum apprime peritum* vocat. Scaliger in *anis* II. *pag. m.* 139. *Leunclavius*, inquit, *fuit Weſtphalus, ſed non Barbarus: bene intellexit Graeca Conſtantinopolitana & inferioris aevi; omnia ejus ſcripta ſunt utilia, immo neceſſaria.* Praeter res Turcicas, maximo Hiſtoriarum incremento, variis voluminibus ab eo expoſitas, & verſiones multorum Auctorum Graecorum, *Jus Graeco-Romanum* Graece & Latine duobus tomis collegit, quod Freherus A. MDXCVI. edidit. At viginti retro annis in lucem protulerat *Eclogam* LX. *librorum Baſilικῶν*, Tarenti apud Calabros a Sambuco repertam, & cum *Novellis* quibusdam Con-

Conſtitutionibus, a ſe Latine converſam, Baſileae A. MDLXXV. Adjecit *Adnotationes* ad loca Pandectarum & Codicis, quae ex Synopſi illa declarari, vel in integrum reſtitui poſſe exiſtimabat. Verum cum poſtea tres libros Paratitlorum juris Juſtinianei, bona fortuna nactus eſſet, eos, Latinos de Graecis factos, una cum hiſce duobus *Notatorum* libris vulgavit Francofurti 8. A. MDXCIII. Primus horum totus eſt novus, in quo leges, maxime Codicis, ad rem eccleſiaſticam pertinentes & Novellas, poſt Contii induſtriam, accuratius illuſtravit. In libro autem ſecundo, qui repetitae praelectionis eſt, jure ſuo, mutanda mutavit, addenda addidit, & pro LXV. capitibus CCLXXIV. dedit; quo major fructus ad legum ſtudioſos rediret. Omiſit vero appendicem, in qua alterius cujusdam (forſan Cujacii; vid. Cl. Fabric. *Bibl. Gr. vol.* XII. *p.* 426.) interpretationem Eclogae Baſilicorum ſub examen vocarat; ſed in nova praefatione ad *lib. II p.* 1502. Cujacio ſine ratione iraſcitur, ob nonnulla Synopſeos ſine reprehenſa, *lib. XVIII. Obſ. c.* 37. quod totum Leunclavio oppoſitum eſt; quum aequum fuerit, quod quisque juris in alterum ſtatuit, ut ipſe eodem utatur. Eandem praeterea Eccleſiaſticarum Conſtitutionum collectionem, quam noſter, ſed non recte ſub *Paratitlorum* nomine, Latine edidit, deinde Carolus Annibal Fabrotus, auctori ſuo Theodoro Balſamoni, Diacono, ex MSto Peireſcii redditam, Graece quoque in lucem protulit & perpetuas obſervationes adjecit. Utriusque notata Voellus & Juſtellus Bibliothecae juris Canonici veteris inſeruerunt, *tom.* II. *pag.* 1219. & 1421. nec tamen id impedivit, quominus Leunclaviana hunc quoque Theſaurum exornarent; tam multiplex eorum eſt eruditio, & ad leges a mala correctorum vel librariorum manu vindicandas auxilium creberrimum. Niſi tamen operae typographorum nimis feſtinarent, haud difficile foret, quaedam notare minus recte tradita. v. c. *pag.* 1476 fine, in *l.* 35. *C. de Epiſc. & Cler.* pro *ceteris omnibus*, praefert *ceteris hominibus*, ut in quibusdam habetur; videtur tamen rectius conjicere Fabrotus, *ceteris domibus*, quia paullo poſt legitur: *domus etiam aliusque res ſuperius nominatas.* *Pag.* 1487. in vetuſta interpretatione Graecae conſtitutionis, *l.* 1. *C. de Aleat.* pro *Alearum uſus antiqua res eſt*, mavult *alearum luſus*; quum Balſamon nobis hoc tantum reliquerit legis initium: ἡ τ̃ κύβων, & utrumque recte dicatur. *Pag.* 1503. in conſilio, quod Ulpianus Proconſuli dat, in *l.* 34. *D. de LL.* ſcribendum putat: *an contradicta aliquando judicio conſuetudo firmata ſit*, cum recte in Florentino exemplari ſit, *contradicto judicio*, id eſt, cauſa cognita, tum quando conſuetudo in dubium vocabatur. Pejus alii *non contradicto*, cum Vulgata, quod diſplicet Auguſtino *lib. I. Emend. c.* 3. & Muretus ineptum vocavit. vid. Cujac. *lib.* 20 *Obſ.* 1. *Pag.* 1504 fruſtra Theophilum, Inſtitutionum paraphraſten, non pauca ex Baſilicorum libris decerpſiſſe ait; cum ſatis ad prooemium Inſtitutionum oſtenderim, ipſum fuiſſe Triboniani ſocium, & ante Juſtinianum obiiſſe. Peſſime etiam, cum Duareno, Cujacio, Hotmano aliisque *l. ult. in fin. D. de Senat.* a Triboniano ad *Nov.* 62. inflexam ſcribit, quae eo tempore, quo Pandectae condebantur, nondum erat lata. Vid. Cl. Wibonia *Tribon. ab emblem. lib.* & ab eo laudatum Alberic. Gentil. *ad l.* 1. *Maccab. c.* 6. *Bibl. crit. Angl. tom.* V. *Pag.* 1505. recte negat, Graecorum ſcholion ad *l.* 2. *D. de In jus voc.* ab Ulpiani mente eſſe profectum: quod enim hic de pagana ſuperſtitione dixerat, illi ad μοναστικὴν φιλοσοφίαν tranſtulere. Male igitur Duarenus monachos Triboniano exoſos intelligit, nec melius Raevardus legit: *inde ſemoveri non poſſunt.* vid. Cujac. *l.* XIII. *Obſ.* 29. & Jac. Gothofred. ad *l.* 8. *C. Th. de Fide inſtrum.* *Pag.* 1506. fluctuat, an in *l.* 42. *D. de Proc.* pro *via publica*, cum Graeculis, legendum ſit *vi publica*: at his refellendis ſufficiunt *l.* 6. *D. Ne quid in loc. publ. l.* 14. *D de Injur.* & quod ibi de popularibus actionibus agitur. *Pag.* 1508. recte auſcultavit Cujacio, *lib. XVIII. Obſ. c.* 37. eum monenti, in *l.* 27. §. 3. *D. de Uſufr.* vocem *fuſiones* retinendam eſſe, id eſt, functiones & illationes publicas. Haloandri *functiones* Raevardus *lib. III Var. c.* 13. exploſit & Jac. Gothofred. ad *l.* 6. *C. Th. de Indulgent. deb.* At *pag.* 1510. male in *l.* 15. §. 2. *D. Locat.* pro *raucis* legit *runcis*; nec felicior Alciatus *lib. VII. Parerg. c.* 5. ſubſtituebat *erucis*: nam Budaeus, Cujacius & Brodaeus *lib. X. Miſcell.* 20. raucos vermicolos explicant, auctore Plinio *lib. XVII. c.* 18. v. Cl. Duker. *de Lat. JCt. pag.* 399. *Pag.* 1510. apud Ulpianum in *l.* 27. §. 30. *D. ad L. Aquil. margaritas extricatas* ex Graecis commutat in *atretas*; Cujacius *d. l.* ex Plinio interpretatur exaluminatas, a detracto alumine, nondum tamen pertuſas & in lineam conjectas. Budaeus, ex rudi & nativo habitu arte gemmarii politas; Turnebus *lib. XXVII. Adv. c.* 31. Caſaubonus ad Capitolini *Maximin. c.* 1. & Salmaſius *ad Solin pag.* 791. cum Accurſio, *defilatas* intelligunt, quae in linea & trica non ſunt, ſed fuerunt: verum quia mulier demum acceptas dicitur perforaſſe, ut pertuſis in linea uteretur, extricatae videntur eſſe purgatae & cuti exemtae; non *rudes*, quas idem Ulpian. in *l.* 25. §. 11. *D. de Aur. arg.* vocat *Concharum partus multiplici conſtant cute; non improprie callum ut exiſtimari corporis poſſit: itaque & purgantur a peritis*, ait Plinius *lib. IX. c.* 35. quem Briſſonius, in *margarita*, & deinde Cl. Noodt *ad L. Aq. cap.* 15. laudavit. *Pag.* 1514 pro Θεῶ βίαν, in *l.* 25. §. 16. *D. Locati* reponit θεομηνίαν: ſed quid obſtat, cur Graeci non aeque vim dei dixerint, ac Virgilius *vim ſuperum*, Horatius *vim acriorem*, & VI. DIVINAE. AAERUM, apud Gruter. *pag.* 94. *n.* 5. *Pag.* 1515. recte contra Charondam in *l.* 40 *D. de Aedil. edict.* tuetur voces *vel minorem aprum*; perperam vero Graecos *verrem & aprum* ſimul habere ſcribit. Videſis *de tutel. viar. p.* III. *cap.* 1. *pag.* 418. nec non *pag.* 508. ubi aliam ejus emendationem *l.* 1. *D. de Publican.* rejeci. Nil item cauſae fuiſſe, cur *pag.* 1519. ambigeret, utra lectio, Latinorum an Graecorum, verior ſit, in *l.* 1. §. 27. *D. ad SCt. Silan.* ſatis, niſi fallor, demonſtravi *ad tom.* 1. *pag.* 18. Denique de pediculis, in *l.* 32. *D. de Aur. arg. leg. pag.* 1521. moleſtis, Ampl. Bynkershoekius videatur, *lib. IV. Obſ. c.* 23.

Colophonem huic Tomo imponunt duo opuſcula nova, alterum bipartitum, Viri eruditiſſimi, & Senatoris Culemburgenſis Ampliſſimi, HENRICI BRENCMANNI, *de lege Remmia* liber ſingularis, & diſſertatio, *De fatis calumniatorum ſub Imperatoribus*: alterum, ANTONII SCHULTINGII, Anteceſſoris Leidenſis primicerii, Viri, de Jurisprudentia & bonis litteris optime meriti, & indies merentis, *Notarum ad Veteres Gloſſas Verborum juris, quae in Baſilicis reperiuntur.* Ambo, in praefationibus, occaſionem, ſcopum & ſubſidia Operum ſuorum tam plene & eleganter expoſuerunt, nulla ut acceſſio fieri poſſit. Neuter etiam laudibus meis indiget, cum ſint laudatiſſimi; nec vino vendibili hedera ſuſpenſa opus eſt. Potius utrique, publico nomine, grates ago maximas, quod illis, tanquam gemmis late fulgentibus, ad hanc Collectionem decus & ornamentum conferre voluerunt. De Gloſſariis Graecis juridicis vid. Fabricii *Bibl. Graec. lib. IV. c.* 36. §. 2. *ſeq.*

SERIES OPUSCULORUM
TOMI III.

Jac. Gothofredi Fontes IV. *Juris Civilis, puta Legis* XII. *Tabular. & Legis Juliae & Papiae fragmenta, Notis illuſtrata*: Item *Edicti Perpetui, ut & Sabinianorum librorum ordo ſeriesque.* Pag. 1

Animadverſionum Juris Civilis liber. 257

de Cenotaphio, deque diverſis, ſuper ejus Religione, Ulpiani & Marciani ſententiis, Diatriba. 325

Paganini Gaudentii Expoſitionum Juridicarum libri duo, quibus etiam Tacito, Suetonio aliisque lux conciliatur. 337

Greg. Lopez Maderae Animadverſionum Juris Civilis liber ſingularis. 421

Pardulphi Prateji Jurisprudentiae Mediae libri IV. 505

Em. Merillii ad Libros II. *Quaeſtionum Calliſtrati: Item in titulum* D. de Servitutibus: *ut & ad* ll. XXXI. priores D. de Rebus creditis, *Commentarius.* 613

Diſpunctor ad Merillium, ſeu de variantibus Cujacii interpretationibus Diſpunctiones LIII. *auctore Oſio Aurelio.* 685

Guil. Barclaji in titulos Pandectarum de Rebus Creditis & de Jurejurando *Commentarii.* 801

Marci Vertranii Mauri de Jure Liberorum *liber ſingularis.* 965

Car. Annib. Fabroti, ad tit. Cod. Theodoſ. de Paganis, Sacrificiis & Templis, *Notae.* 1101

Exercitationes XII. *&c.* 1137

Replicatio adverſus Cl. Salmaſium, in qua Mutuum alienationem eſſe oſtenditur: de Dominio dotis & Conditione tractatur. 1237

Conſtantii Landi ad tit. D. de Juſtit. & jur. *Enarrationum Liber.* L. 1. & 7. D. de Legibus; *ut &* l. 18. D. de Acq. & amitt. poſſ. *interpretatio. Ejusdem in Jus Civile ſparſim contentarum Exercitationum libellus; ut & Praetermiſſorum libellus.* 1305

Joann. Leunclavii Notatorum libri II. 1471

Henr. Brencmanni Lex Remmia: *ſive de legis Remmiae exitu liber ſingularis. Accedit ea occaſione Diſſertatio, de Fatis Calumniatorum ſub Imperatoribus.* 1561

Veteres Gloſſae Verborum Juris, quae paſſim in Baſilicis reperiuntur. Quas ex variis MSS. Cod. Bibl. Reg. Car. Labbaeus eruit, digeſſit & Notis illuſtravit. Acceſſerunt, in hac editione, ipſis Gloſſis Additiones ex libro MS. praeterea Joſ. Scaligeri & alior. Doct. Vir. Emendationes; denique Notae Ant. Schultingii. 1697

FON-

FONTES QUATUOR
JURIS CIVILIS
IN UNUM COLLECTI:

PUTA

Legis XII. Tabularum Fragmenta, quae ſuperſunt, ordini ſuo reſtituta; una cum ejus Hiſtoria, Probationibus, Notis & Gloſſario;

Legis Juliae et Papiae iridem fragmenta, ſuo ordini reddita, Notisque illuſtrata;

Edicti Perpetui,

UT ET

Sabinianorum Librorum ordo ſeriesque: quorum duo Priora antehac edita; nunc alicubi accuratiora, auctioraque: duo Poſteriora nunc primum eduntur.

AUCTORE

JACOBO GOTHOFREDO JCto.

Digitized by Google

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS AMPLISSIMISQUE VIRIS

DOMINIS CONSULIBUS, QUAESTORIBUS, TOTIQUE SENATUI INCLYTAE REIPUBLICAE TIGURINAE.

*D*Um *Vos jam ab aliquot menſibus,* Proceres Amplissimi, *multiſque nominibus colendis, graviſſimis & communem Reipublicae Helveticae pacem & tranquillitatem ſpectantibus negotiis indeſinenter diſtrictos vidi, cunctabundus haeſi an curis occupationibuſque veſtris abſque offenſa intercedere poſſem. Verum cunctationis & haeſitationis repagula ut frangerem impulit laudata ab omnibus & a nemine non probata humanitas veſtra, qua fretus Senatus veſtri fores pulſare, vobiſque poſthumum hunc clariſſimi viri foetum ſub tutela veſtra prodeuntem offerre decrevi. Gratum & acceptum fore, ut credam, facit venerabile Auctoris nomen, quo libri frons decorata venit. Is eſt* Jacobus Gothofredus *Juriſconſultus incomparabilis, Reipublicae noſtrae Senator digniſſimus, Academiae decus, juris & literarum lumen & columen, quem mortuum Muſae deflent, Themis luget, ereptum queritur Reſpublica, ſublatum dolent literati.* Gothofredus *ille eſt, quem Helvetia novit, cujus praeſentia inclyta Civitas veſtra laetata eſt, qui legatione defungens in Magnifico Conſeſſu veſtro non ſemel verba fecit, magnoque cum applauſu auditus omnium in ſe ora convertit. Gratiam quoque huic muneri apud vos, ſpero, conciliabit operis argumentum, ſua dignitate, varietate & utilitate commendabile. Complectitur enim* Leges duodecim Tabularum, *ſive earum fragmenta ex antiquitatis ruderibus eruta, ſummoque labore & induſtria compoſita, compacta & coagmentata. Hae Leges a Romanis per legatos e Graecia accerſitae, omnia quae uſquam egregia, continentes, ſons omnis publici privatique juris, eleganti atque abſoluta verborum brevitate conſcriptae, tanta apud veteres in admiratione fuerunt, ut a nullo non Hiſtoricorum, Oratorum, Poetarum, imo etiam Patrum cum elogio memorentur. Annexa eſt praeterea* Lex Julia & Papia Poppaea, *apud veteris aevi Juriſconſultos & Hiſtoricos celeberrima, myſteriis politicis referta, difficillimis temporibus lata. Appoſitus eſt* Ordo librorum Edicti perpetui, *cujus toties in Jure noſtro mentio. Agmen claudit* Librorum Sabinianorum ſeries & continentia, *quae ſingulorum librorum materiam & argumentum continent. Haec duo licet paucas paginas impleant a doctis deſiderata, a nemine tamen hactenus praeſtita, foeliciter nunc & εὐτόχως ſumma induſtria, ſagacique indagatione, tantoque artificio digeſta & diſpoſita ſunt, ut inde multum lucis Juriſprudentiae noſtrae, variiſque legum obſcurarum locis ex illa titulorum* συναφείᾳ, *peritorum teſtimonio acceſſurum ſit. Sunt denique, ut rem in pauca contraham,* quatuor Juris Fontes, *quos ſi non plane occultos vel averſos, ſaltem mutilatos, luxatos multoque luto turbatos & foedatos, limpidiores & integriores reddere & exhibere ſtuduit* μακαρίτης *noſter. Priores duo libri ante annos triginta ſex ab illo foeliciter editi a literatis tam avide excepti ſunt, ut cum jam a multis annis vix ullum amplius extaret exemplar, a doctis omnibus expeterentur. Qua de cauſa de illis denuo recenſendis & edendis a me rogatus & interpellatus, utrumque repetita praelectione recenſuit, notiſque quamplurimis auxit, imo cum foenore literatorum votis & petitioni meae, adjecta poſteriorum duorum tractatuum appendice, reſpondit & ſatisfecit. Parata erant omnia, jamque typographo commiſſa praelo imponenda Vir celeberrimus emendare propoſuerat: ſed quum morbo, qui illum ab anno ſubinde affligebat, ingraveſcente curas has intermittere, imo deponere cogeretur, eas paucis ante obitum diebus in me tranſmiſit, ac quemadmodum* Commentarii in titulum de Regulis Juris, *ita ſecundi hujus operis editionem enixe mihi commendavit Quo mandato quam fideliter poſt ipſius obitum defunctus ſim, teſtes mihi locupletes erunt Tornaeſii Fratres, Joannis Tornaeſii olim de re literaria & typographica optime meriti nepotes, quorum ex officina hic liber prodit. In archetypo quippe & autographo plurima mutata, tranſpoſita, emendata, addita, Autoris ſibi ſcribentis manu exarata, tanta obſcuritate, tot difficultatibus & ſalebris referta erant, ut de lectione & editione officinae typographicae operae, quamquam in arte ſua minime rudes, ſere deſperarent. Ne igitur Reſpublica literaria tam praeclaro foetu fraudaretur, quantum mihi a Senatorio munere aliiſque forenſibus negotiis reliquum factum, ſolvendis his nodis, explanandis, elucidandis & ordinandis hujus operis particulis & ſchedis totus incubui, haeſitanti typographo facem in obſcuro praetuli, & quoad fieri potuit repetita praelectione & correctione editionem hanc a mendis repurgatam & omnibus partibus abſolutam exhibere eo impenſius ſtudui, quod in ea & doctiſſimis Autoris notis tot exquiſita antiquitatis monumenta, veteris Latinitatis & humaniorum literarum* κειμήλια, *nec non critices arcana, multa quoque ad hiſtoriae & Juris noſtri ornatum & intellectum facientia extare ſcirem, quae non Juriſconſultos modo, ſed & reliquarum ſcientiarum cultores, alumnos &* φιλομούσους *in genere, ſua varietate & utilitate caperent ac delectarent. Cum vero liber hic novarum obſervationum, emendationum & tra-*

cta-

ſtatuum augmento novus nunc factus, me procurante & obſtreticante lucem videat, mihique abſque defuncti injuria non nihil in eo vindicare liceat, quicquid id eſt. Vobis, Amplissimi & Nobilissimi Viri, *inſcribendum duxi, qui celeberrimum noſtrum* Gothofredum *dum in vivis eſſet, ſumma benevolentia complexi eſtis; Vobis, inquam, qui Muſarum non modo cultores, ſed vindices, aſſertores & fautores apud omnes merito auditis: quorum impenſa cura, aſſidua ſollicitudine & liberali munificentia literae & literati inter vos uſque adeo florent, ut urbem veſtram alteras Athenas dicere jure liceat; unde complures viri doctrina & eruditione praeclari prodierunt & prodeunt, qui ſummis vigilus, aſſiduo ſtudio & exquiſitis ſcriptis literas & ſcientias ſuo ſplendori reſtituerunt, hodieque magis ac magis illuſtrant. Haec gloriae veſtrae pars non exigua Regiminis inſuper excellentia plurimum augetur: quippe quod pietate & juſtitia fultum, judiciorum aequitate firmatum, prudentiam civilem & armatam, in ſocios fidem integram, in cives & ſubditos moderationem, in exteros comitatem ſingularem conjunctas habet. Quorum omnium exempla in illuſtri poſita proxime elapſis menſibus conſpicienda praebuiſtis, quum in variis Helvetiae partibus tumultuati ſunt ſubditorum quamplurimi; qui foelicitatis ſuae taedio vel ignorantia tranquillitatis publicae invidi, jura divina & humana violantes in ſupremum Magiſtratum armata manu & agmine facto inſurgentes Helvetiam ferro flammiſque vaſtare, pacemque & concordiam multo majorum ſudore & ſanguine partam & ſtabilitam divellere & ſcindere nefando conſilio aggreſſi ſunt. Quam vos graviter affecerit illa communi patriae imminens clades, quam vos tetigerint ſociorum & confoederatorum adverſa, quam cordate juxta ac prudenter gliſcenti malo obviam iveritis, abunde teſtatur veſtra in ſuppetiis ferendis προθυμία & celeritas, intus continuae pro communi & ſociorum ſalute conſultationes, foris legationes, clariſſimorum legatorum exantlati labores, prudentiſſima mediatio & moderatio. Fidem facit militaris illa expeditio, rebellium continua pervicacia exigente & cogente, a vobis ſuſcepta: documento eſt nobilis ille exercitus veſter, nonnullorum Illuſtrium Confoederatorum copiis auctus, qui famoſiſſimos veterum exercitus, etſi numero inferior, machinarum & inſtrumentorum bellicorum apparatu, diſpoſitione, caſtrametatione, diſciplina militari, ducum dignitate, generoſitate & experientia, militum in pugnando ardore aequavit, cujus ad acceſſum conjurati illi etiam numero majores contremuerunt, copiarum veſtrarum animum ac robur experti ad deditionem ſe compoſuerunt, unde tandem junctis Illuſtrium Confoederatorum conſiliis & viribus, Deo juſtae cauſae favente, res eo foeliciter deducta eſt, ut tumultuoſi illi & ſeditioſi debellati, non extincti, ſed paucis exceptis ſervati, perpetuum clementiae veſtrae ut & ſuperiorum exemplar extituri ſint. Quo nomine ſi gratulari ſibi debet Helvetia, multum ſe quoque vobis debere profitebitur, quod veſtra praeſertim ope & interventu regionis devaſtationi, latrociniis, rapinis, caedibus, incendiis aliiſque cladibus occurſum; quod laeta pacis facies horrido trucique Bellonae aſpectui brevi ſuccedit; quod omnia ad concordiam & conſonantiam redeunt. Haec, inquam, pro communi ſalute gnaviter navata opera aeternae memoriae monumentis conſignabitur, & nomen veſtrum ad poſteros glorioſum tranſmittet:*

Nulla dies unquam memori vos eximet aevo.

Memorabitur quoque & merito reliquorum Illuſtrium Cantonum, quorum ditiones hi tumultus turbaverunt, ſingularis prudentia, in compeſcendis ſeditioſis generoſitas juxta & clementia. Non tacebuntur caeterorum Confoederatorum in ſociorum adverſis συμπάθεια, prudentiſſima in arduis hiſce rebus collata conſilia, fida promptaque auxilia. Nunquam evaneſcet tot praeclarorum ducum, praefectorum & militum memoria, qui lubentes pectora ſua pro communi Helvetiae ſalute expoſuerunt, uno poſt funera in perpetuum per gloriam vivere intelligentur. Verum cum haec majoris voluminis materia doctis ſcriptoribus aliquando futura ſint, eo unde diverteram redeo, ad cauſas ſcilicet, quibus motus munuſculum hoc Ampliſſimo Nomini veſtro inſcribere inſtitui. Duas habui praecipuas, veſtrum nempe ſingularem in Rempublicam noſtram amorem & affectum tot argumentis & experimentis teſtatum & comprobatum, arctiſſimo confoederationis vinculo & animorum concentu ita conſtrictum, ut quamvis locorum intervallo diſparati, unum corpus vobiſcum cenſeamur. Altera eſt ſumma illa humanitas ac benevolentia, qua me ante ſeptennium circiter in almam urbem veſtram adventantem complexi eſtis, nec non magni honores, quibus me etiam nihil tale meritum vel expectantem qua publice qua privatim cumulatum voluiſtis. Quae dum memori mente recolo, magnitudine vincor & ad ſilentium redigor, non ingrati animi vitio, ſed beneficiorum mole oppreſſus. Ni tamen aliquem gratitudinis ſenſum oſtenderem, graviter peccarem. Sit igitur hoc Vobis, Proceres Amplissimi & Consultissimi, *meae erga Vos obſervantiae monumentum & pignus! Quod ſi Perſarum Regi aquae paululum quiddam cavis manibus e fluvio delatum oblatumque non injucundum munus fuit, hos praeclaros* Juris Fontes *Vobis oblatos benigne acceptum iri confido. Atque id a veſtra humanitate dum mihi polliceor, Deum Ter Optimum Maximum ſupplex deveneror ut Vos Helvetiae & Reipublicae Veſtrae ſaluti ac tranquillitati procurandae, tutandae ac propagandae ſalvos & incolumes in annos Neſtoreos ſervet ac tueatur.*

Dabam Genevae die decimaquinta Julii, Anno παρθενίας M. DC. LIII.

Veſtrarum Amplitudinum obſervantiſſimus

Esaias Collado.

VIRO AMPLISSIMO ET GRAVISSIMO

ESAIAE COLLADONI

J. C. SENATORI DIGNISSIMO

Poſthumorum Operum Viri Ampliſſimi

JAC. GOTHOFREDI

Editionem procuranti.

SOl duodena plagae caeleſtis ſigna peregit,
Ex quo funus atrox GOTHOFREDI moenia luctu
Miſcuit: ex quo Pieridum qui ſacra frequentant,
Et Docti veterum Juris monumenta Sophorum,
Attonito pleni trepidantia corda dolore,
Extinctam gemuere facem, quae lumine claro
Tactum Heliconiadem fecit rutileſcere montem;
Optatoſque animi foctus, Veterum documentis
Et proprio invento gravidos, planxere ſepultos
Una cum exuviis celebris ſummique Parentis.
Jam moderari animos, jam dirum abrumpere luctum
Ecce jubent gratis praetenſa levamina palmis:
COLLADO, pars animi, GOTHOFREDUM reddit amicum,
Conjunctique ſodalis opus protraxit in auras
E tenebris, quod jure ſuo patriae dat & orbi,
Edendoque operam Matris prope contulit almae.
Sic bene de Muſis noſtris, ſic perge mereri
GERMANI germane nepos, & nate DAVIDIS:
Quorum clara premis veſtigia paſſibus aequis,
Scrutari leges, & dicere Jura peritus.

PHILIPPUS MESTREZATIUS
exaravit.

ELEGIA

Ad Ampliſſimum Conſultiſſimumque Virum,

ESAIAM COLLADONEM

Senatorem meritiſſimum,

JACOBI GOTHOFREDI

Commentarium in *Duodecim Tabulas* & ad *Legem Juliam Papiam* publici juris facientem.

QUi modo legiferi crudelia funera Myſtae
Planximus, & noſtrae triſtia damna Scholae;
Quem Rhodanus liquido flevit cum patre jacentem,
Patria quo nuper cive ſuperba fuit;
Quem pullata Themis ſparſis dolet ecce capillis,
Ereptumque gemit nunc quoque moeſta decus;
Soſpite quo reduces, gratiſſima nomina, Cajos
Jactabatque ſui ſidera priſca fori;
Cujus facunda totiens haec voce loquuta eſt,
Et leges populis ſuſpicienda dedit;
Vindice quo priſcam Juris Sapientia formam
Et ſpeciem cultus ſplendidioris habet;
Quo duce gaudebat Themidi devota juventus,
Et ſalebris puram laeta terebat iter;
Qui totiens vaſto praeluxit in aequore Legum,
Atque nova veteres arte recluſit opes;
Hunc quoque crudeli fato Libitina peremit,
Injecitque avidas Parca cruenta manus.
Non metuit Nemeſin, Themidis non vota morantur,
Et rident noſtras ferrea fata preces.
Clara Pharos legum, juris ſana alma recedit;
Ah ſcelus! & Phoebo non prohibente cadit.
At rurſum, Vir Magne, tua nunc voce reſurgit,
Ecce novum rurſus ſpargit in orbe jubar.
Per te iterum GOTHOFREDUS *adeſt, quem luget ademptam*
Patria, jam curis redditur ille tuis.
Non tua in immodico ſtabant ſolatia luctu,
Non dolor in lacrymas ingenioſus erat.
Tu litem ſamamque & priſtina jura jacenti
Aſſeris, ac noſtrum nunc redit ecce decus!
Sic implere decet veteris pia vota ſodalis,
Sic decet auguſti plangere fata ſenis.
Dicite, defunctis quis tali more parentat?
Inferias tales quis, rogo, ferre ſolet?
Quam bene ſolliciti moriens monimenta laboris
Credidit & famae pignora chara ſuae!
Hic quondam Aſtraeae, pridem tua cura, ſacerdos
Te duce Lethaeis eripietur aquis.
Te duce, qui ſimili calcas veſtigia greſſu,
Per quem dejectis dulce levamen adeſt;
Certus amor Phoebi, patriae tutela decuſque,
In quo jam reduces inclyta jactat Avos.
Vindice quo clarum GOTHOFREDI *nomen in auras*
Surgit, & eximium luce beatur opus;
Quam gratum, mi Lector, opus, quot ſacta bonorum
Pagina, ut abſtruſas undique promit opes!
Hic Juris fontes, hic incunabula legum,
Hic Themis in cunis quam gravis eſſe placet!
Eruta ſic tenebris tua ſunt nunc jura, Quirine,
Et quae regali Tullius ore dedit;
Hic veteris divina latent oracula Romae,
Atque Decem *ſplendent nomina lecta* Virûm:
Immo equidem doctas haec pagina condit Athenas,
Hic ſua miratur ſcita veranda Solon.
Non hic vaſta vides multarum examina legum;
Non hic ſunt partes, Papiniane, tuae.
Compedibus tantis haud cogi debuit aetas,
Nondum in tam varios ingenioſa dolos:
Oppia *non ſumtus, non luxum* Fannia *damnat,*
Fictilibus pretium quam bene parca daret:
Memmia *quem, rogo vos, quem ferret* Julia *fructum?*
Delator nullus, nullus adulter erat.
Non vinis apiniſque locus, quas ſerior aetas
Intulit, haud oraperi jurgia tanta fori:
Simplicitas hic priſca viget, haec juris imago,
Quod domina quondam Praetor in urbe dabat.
Hic normas veteris Lector dum reſpicit aequi,
Tot bona tam parva mole coacta ſtupet;
Hauriat hos latices, & tali fonte refectus
Tum dein ad rivos quam bene ductus eat?

EZECHIEL SPANHEMIUS.

VIRO NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO

ESAIAE COLLADONI

J. C. doctiſſimo, Senatori meritiſſimo;

Cujus fidei commiſſus hic poſthumus Authoris partus, haud parvo cumulatior, iterum lucem perquam oppido puriter ac foeliciter accepit.

E*Rgone* ſim tacito *improbus*, *inteſtabilis* ore?
Me licet accepri nondum legaliter aeris
Appenſa *Sorim* libra *teſtarier*, ultro
Fateor, & *teſtis* veri non inſcius adſto.
Ille quidem docta famoſus arundine *Myſtes*
Aſtreae totum fundit *GOTHOFREDUS* in orbem
Aeternum fidae nomenque decuſque *GENEVAE*:
Magnanimo ſeu quum *priſcae Rhamnuſidos* auſu
Multiplicem ſtatuit *Normam*, tutamque ſagaci
Expendens trutina nexus compeſcit in aptos,
Umbroſis praeferre facem lucemque tenebris
Deinere, vel mixtos felix diſcernere fineis.
Sic ſternitque pracitque viam comes unus & index.
Seu quum legiferis quaecumque *Decemvir Athenis*
Bis quinas tulit in *TABULAS*, & Scita Quiritum,
Qua licet, injecto nigrae velamine noctis
Exuit, & luci *FRAGMENTA* reponit avitae
Vitreus eloquii, Latii cryſtallinus oris;
Proh! quantus *Romana* loqui, lapſuque priorum
Amfractiſque viae dubios avertere greſſus!

At coelo poſtquam nuper *Thuanidiſque* SACERDOS
Accitus lateri aetherea rimatur in Aula
Cecropii libramque ſenis, lancemque Lycurgi,
Aeraque Romulidum, & Phari Conſulta Draconis;
Poſthuma Lemano rapti quis pignora patris
Accipiat *Cuſtos*, patriumque educat in aevum,
Et genus, & nomen *Tutor*, famamque perennem,
Tu niſi Juridicae pars inclyta, *COLLADO*, turmae,
Ac coelo Alcides humerum ſuppoſtus eidem,
Sancti, plus dimidio, ſincerus amoris
Naviter impleres foedus, partemque laboris
Anclatu, me teſte, gravem, ſalebraſque tenaces
Admota vacuare manu, dextraeque volantis
Praecipites ductus nodoſo evolvere nexu
Dignatus, fato non finireris *Amicus*?
Teſtis ego, fumoque tuae jam ſaepe lucernae
Illitus, abſtruſae nebulas utcumque Minervae
Diſcutis; aut ſparſos Cadmi ſolerte coërces
Ingenio foetus, inopinaque vulnera mulces;
Aut modo deprenſos calami plumbivereatus
Elulis; aut lectu modo Sphyngem effaris opacam
Oedipus; admittitve tuum modo Gordius enſem;
Ut *fidei commiſſa* tuae ſeptemplices reddas
Foenore, non uſquam fines transgreſſus amandi.
Te ſine feſtina quae miſcet arundine *Juris*
INTERPRES, mentemque atra quae condita nube
Delitet, ingenii quis detenebraſſet acuto
Lumine, plumbipremoque operam ſine labe praeiſſet
Artifici? Tu par numeris abſolvis amantum,
Nec tantum Euryalo Nyſus, vel ductor Achati
Troius, aut Pyladi debet conjunctus Oreſtes;
Hoc Tibi depleto quantum pro munere Manes.
Ipſe manum, propria quanquam circumlinat arte,
Haud melius tabula tollat *GUTHOFREDUS* utraque.
Hinc Te non humili donabit Adorea fama;
Quam *Juris* neque *MYSTA* neget, neque mens *Senatus*
Immemori, neque plebs exacto ingrata labori.

Pangebat Michael Testart.

DEDICATIO PRIMAE EDITIONI FRAGMENTORUM XII. TABULARUM PRAEMISSA.

ILLUSTRI VIRO

JAC. AUGUSTO THUANO,

SACRI CONSISTORII CONSILIARIO,

JACOBUS GOTHOFREDUS S. D.

Quemadmodum lentus a Veritate deflexus eſſe ſolet, ita ſerum ad eam regreſſum eſſe, pauci ſunt qui ſerio cogitent. V. Illustris. *Hos etenim renaſcentis Veri gradus pars hominum potior proſpiceret, veteres utique memoriae ſcientiaeque meliore loco nunc conſiſterent. Hac quippe ratione, reparandis artibus, veterumque monumentis alii certatim aliis ſuccederent, ſi poſthumam ſaltem laborum ſuorum laudem perpetuo ſibi manſuram praeſumerent, tametſi non ſua, ſed ſequentium induſtria veri lucem ad ſummum poſtea gradum perventuram ſcirent. Novi pariter ſcriptores plures emergerent, ſi coeptum a prioribus opus, ſalva quoque meritorum ſuorum fama, pertexere liceret. Sed enim fere ſemper accidit, ut qui non primi, ad quamcunque vetuſtatis memoriam reparandam animum adjiciunt, actum jam agere vulgo ferantur. His contra moribus agunt hodie noviſſimorum ſcriptorum plerique, ſuos ut anteceſſores (a quibus etiam profecerunt) magnis clamoribus & conviciis inſectentur. Eo modo fit, ut Veritas inter legentium partim faſtidium, partim ambitioſam poſteriorum ſcriptorum Cenſuram, ſtrangulata pereat.*

Hoc peſtilenti ſidere nuper haec afflata quoque, quam nunc repono, veteris Juriſprudentiae pars: Indeque factum, ut intra paucos admodum annos prudentiores ab illa retractanda temperare ſibi ſatius duxerint: mox autem poſſeſſionem hanc deſertam vacuamque alii, quam qui Juris ſcientiam profitentur, uſurparint. Quam recte, teſtatum nunc facere, teque ſcriptionis meae Judicem ac Vindicem V. Illustr. *deligere decrevi.*

Haec itaque XII. *Tabularum fragmenta, ſuis nunc primum Tabulis, qua conjectura quibuſque teſtimoniis fieri potuit, a me non tantum reſtituta, verum & poſt ſuperiorum diligentiam, cura mea vel opera repurgata, favens, accipe.*

Et praeceps alioquin Fons hic juris Publici privatique *tuum in ſinum ultro ſeſe effundebat: Tuum, inquam, quem literarum omnium Oceanum praeſens haec aetas ſuſpicit ac veneratur. Nam*, cum caeterorum ſcriptorum operibus vel hoc unum obeſſe ſoleat, quod vivant adhuc Auctores ipſi: *Tuarum ſane virtutum merita longe maxima cenſeri neceſſe eſt: cujus ſcilicet opus Hiſtoricum, vetuſtiſſimorum ſcriptorum majeſtati, te licet ſuperſtite, doctiſſimi quique non tantum componunt, ſed etiam publico conſenſu praeferunt.*

Properat & aliam ob cauſam Decemviralis hic partus ad te: qui Parentem. *Senatus Pariſienſis Praeſidum Principem; nec exiguae Reipublicae Decemvirum, ſed nobiliſſimi per orbem Chriſtianum Regni Legiſlatorem ſummum, naſcendi felicitate ſortitus es. Teſtantur certe, quod palam nunc profiteor, non Duodecim tantum, ſic ut dicam, Tabulae, verum totidem, & amplius ab eo repurgatae repetitaeque Franciarum provinciarum Conſuetudines, quibus felix ac beata Gallia, ſuis in Tribunalibus, nunc regitur.*

Tibi probari praeterea Romani XII. *Tabularum auctores cupiunt, pacis ſuos inter ſanciendae gratia quondam creati. Tibi videlicet, qui nuper inter* Seviros *a Chriſtianiſſimo Rege Concordiae publicae conciliandae ac firmandae delectus fuiſti.*

Sed, his etiam miſſis, ſpeciali quoque jure ſacer hic Nomini tuo Labor meus eſſe debuit: Quod Gentem Familiamque noſtram in Clientela tua jamdiu totam eſſe voluiſti: Quodque Parentem *primum; Fratrem deinde meum, favore tuo ſingulari jugiter complexus ſis: Ut poſt tot argumenta, laborem hunece meum, tuam pariter in fidem ſuſcepturus, ſpe certa mihi videaris: dum majus etiam* Francicorum Annalium *opus moveo:* Codicemque Theodoſianum, *mendis innumeris & obſcuritatibus repurgare, Majoribus tuis auſpiciis, cogito.*

Deus *interea*, V. Ill. *Regi, Regno, Literiſque, de quibus omnibus aeque bene mereris, incolumem diutiſſime te ſervet!*

PRAEFATIO AD LECTOREM.

INſtituti mei ratio, hujus Operis initio, tibi reddenda eſt, Amice Lector, ne in duo obtrectatorum genera labor hic meus incurrat: eorum videlicet, qui me decantata toties, praeſentibus etiam ſtudiis ac moribus parum profutura reponentem, traductum irent.

Quibus ego minus occurrendum putarem, ſi ab imperitis modo rerum harum aeſtimatoribus hac mihi parte metuendum foret: ac non etiam ipſos, qui haberi volunt horum ſtudiorum Principes, & vertices, obtinendae ſcilicet auctoritati, imminere mihi certo ſcirem. Ne luſoriam igitur novae huic Editioni operam locaſſe cuiquam jure videar, repetendae ejus cauſas, licentiore epiſtola narrare conſtitui.

Quemadmodum *itaque* prioribus editionibus ego merita ultro laude concedo (ut qui hoc ad ſcribendi genus inſecutis nobis viam muniverunt) ita non pauca ab his commiſſa, quae juſti adhuc operis materiam praeberent, contendo: ſive nudam quis horum fragmentorum *collectionem* ſpectet, ſive eorundem inter ſe *connexionem* attendat.

I in Collectione Fragmentorum XII. Tabularum, plures errores admiſſi.

Neque in Colligendis etiam unus idemque, ſed varius ac multiplex admodum error ab his commiſſus.

Quale illud, quod legem *de familiae erciſcundae judicio*, haec inter fragmenta non retulere: cum tamen Gajus *l. 1. D. famil. erciſcund.* judicium id lege XII. Tabular. conſtitutum fuiſſe diſertis adeo verbis teſtetur.

1 Omiſſa ab aliis XII. Tabul. fragmenta.

Quale illud, quod cum caput de Fundi Uſucapione, fragmentis his ex Cicerone *in Topicis* adjungerent, alterum (& connexum quidem) ex *eodem* Tullii *loco, de caeterarum rerum, ſeu mobilium, uſucapione* omiſerunt.

Quale illud, quod cum caput de Rationibus diſtrahendis in horum fragmentorum cenſum referrent, alterum, & conjunctiſſimum quidem, de *ſuſpecti crimine ſeu accuſatione* praetermiſere: quam Ulpianus *l. 1. §. 2. D. de ſuſpect. tutorib.* eumque ſecutus Juſtinianus *in pr. Inſt. de ſuſpect. tutor.* e lege XII. Tabul. deſcendere nominatim teſtantur. *Deſcendere* (inquiunt) id eſt, lege XII. Tabularum conſtitutum fuiſſe: nam & eodem ſenſu verbum *deſcendere*, locis aliis (*l. 1. D. ſi quadrup. paup. & l. 23. §. 6. D. de Rei vindicat.*) accipitur.

Quale illud, quod cum caput de Statuliberi alienatione conciperent, *Emptoris* in eo verbum, haud levis momenti tranſiere: quod illius capitis legitimum, eoque nominatim comprehenſum fuiſſe, Pomponius *l. 29. §. 1. in fin. D. de Statuliberis.* & Ulpianus *Fragm. tit. 2. §. 4.* teſtantur.

Aut qui, cum Legem de Incendio ex Gajo JCto *l. 9. D. de Incend.* ab aliis erutam probarent, verbum *Aedium* illius legis proprium fuiſſe, ex *eodem* Gaji *loco* non animadvertere?

Oſcitantiae haec exempla! at per *Inſcitiam* omiſſa plura.

Attendenda quippe ſibi ſedulo ſcirent, qui in hujus alioquin Legis fragmentis eruendis tam ſolicite adlaborarunt, ea, quae ſuperſunt e Gaji JCti ad legem XII. Tabularum Interpretationibus, fragmenta. Sane, *votum* & *Abſentiam Reipublicae cauſa*, juſtas inter vadimonii deſerendi cauſas, Lege XII. Tabular. expreſſa fuiſſe, eis conſtaret: Caput etiam, *de Malo Veneno*, in eadem lege fuiſſe tenerent: Denique & *de Plebe*, *Noxia*, *Pignore* iisdem etiam Tabulis (& quidem poſterioribus) actum fuiſſe non ignorarent.

Scirent illi, etiam, capita e XII. Tabulis non diſertis ubique verbis a priſcis ſcriptoribus *Duodecim Tabularum* nomine, ſed aliis, haud ita propriis appellationibus quoque deſignari; ut puta indefinita *Legis Antiquorum*, ſimilique alia appellatione. Plane, verbum *Endoplorato*, *at & Tranſquedata*: item verba, *ex ea familia in eam familiam*, ad libertorum bona manifeſtiſſime pertinentia: verba *Erctumcitum*; quin & legem *Qui parentem*, de parenticidio integram (cujus Auctor *ad Herennium, lib. 1. cap. 13.* & Feſtus, in *verb. Nuptias*, meminerunt) non omitterent.

Haec quae dixi, hujuſque generis alia omiſſa, humanae quis infirmitati condonanda jure putet: cui namque tanta vel induſtriae vel diligentiae in quocunque ſcribendi genere ratio conſtare poſſit, ut non ſpicilegium aliquod ſecuturis humanitus reliquiſſe ſe credat; praeſertim in tam abditis antiquisque?

II. Interpolata ab aliis XII. Tabul. fragmenta.

At illa nemo excuſet, quae cum legitima forent, atque in oculos incurrerent, a ſciente prudente nihilominus, conſilio repudiata rejectaque fuerunt.

Vis Lector exempla? Nonnulli verba haec, Atque eat, *primo harum Tabularum capiti* ſubduxerunt, quae tamen Cicero *lib. 2. de Legib. cap. 4.* pro legitimis nominatim laudavit. Verum ſcirent illi, morem hunc priſcis ſcriptoribus quibuſdam fuiſſe, ut capitibus, quae e XII. Tabulis laudabant, legis ipſius initium (ſub qua caput id conſtitutum erat) *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* praemitterent: non illa ſane verba, velut irreptitia, expungenda putarent, *primumque Caput* (hoc videlicet, SI IN IVS VOCAT, ATQVE EAT) cum *ſecundo* (*Si in jus vocat*, NI IT, ANTESTAMINO) idem facerent.

Quis ſimiliter excuſet eos, qui a *Secundo Primae Legis capite*, verba haec: IGITVR EM CAPITO (quae Porphyrion ad Horatii *Satyram 9. lib. 1.* legitima fuiſſe teſtatur) velut ſpuria abeſſe voluerunt? Verum ſi ſcirent illi, verbum CAPITO, ab hiſce (quae *ſequenti capite tertio ejuſdem Legis* continentur) *manum injicito*, ſubtiliter diſtinguere, errorem illum non admitterent.

Scire etiam illi debuerunt, non uno eodemque modo ab omnibus ſcriptoribus capita e XII. Tabulis citari. Sunt enim, qui omiſſis interdum nonnullis, ſine quibus capitum ipſorum ſententia commode ſtare poteſt, ea proferunt. Sunt rurſus alii, qui pro argumenti genere, plenius modo, modo con-

ciſius ea ſcriptis ſuis conſignant: quod, ut omittam alia, teſtantur omnium luculentiſſime capita *de teſtamentariis & inteſtatorum ſucceſſionibus.* Hunc, inquam, veterum ſcriptorum morem ſcirent horum fragmentorum Collectores, ex diverſorum utique, imo & unius quandoque ejusdemque Autoris collatione, pleniorem capitis alicujus ſententiam ederent, neque verba quaedam temere rejicerent, aliove loco infererent: hoc uno colore, quod ab eodem auctore vel ab aliis, alibi caput idem laudantibus non uſurpata reperiant. Haec, inquam, ſi cogitarent illi, verbum ITA, capiti NI PACVNT, &c. Verbum IVRE, legi quae incipit, AERIS CONFESSI: Verbum PIPVLO, legi, quae *de injuriis publicis* eſt, reſtituenda ſcirent. Verba haec etiam, AST EI CVSTOS NEC ESCIT, capiti, quo *de prodigi Tutela* agitur, inſerere, reſtituereque minus dubitarent. Quin & *de furioſo ac prodigo* unicum tantum caput (praeeunte ſcilicet Ulpiano, *Fragm tit* 12. §. 2. Gajo *l.* 13. *D. de curat. furioſ.* & Juſtiniano §. 1. *Inſt. de Curator.*) conſtituerent.

Scirent illi denique, *Conjecturis* nudis adverſus expreſſa veterum teſtimonia locum non eſſe. Sane ab hoc capite, *Sol occaſus ſuprema tempeſtas eſto*, verbum *Tempeſtas*, neſcio qua antiquae obſervationis fiducia, tollendum non putarent; cum id verbum capitis illius legitimum fuiſſe manifeſtiſſime Varro, *lib.* 6. *de lingua Latina.* Macrobius, *lib.* 1. *Saturn. cap.* 13. *in fin.* Cenſorinus, *cap. ult. de die Natali.* Feſtus in verbo *Supremum* poſtremo, teſtentur.

III. Aliena a fincerſte in haec fragmenta XII Tab. ab aliis conjecta.

Hactenus legitima XII. Tabul. Fragmenta; quae a quibusdam vel omiſſa penitus, vel interpolata fuerunt. Sequuntur nunc *Aliena*, quae in hanc fragmentorum collectionem conjecta ſunt, innumera pene. Cujus rei cauſas, etſi plures notare licet, omnes tamen pariter ab inſcitia Juris potiſſimum, ceu fonte, profectas quis comperiet: ſicut & ab eadem inſcitia caeteris pariter in artibus fieri ſolet, *ut imperitis nonnunquam concha videatur margarita; vitrum, ſmaragdus.*

1 *Legis actiones*, ab ipſa XII. Tab. lege multi non diſtinguunt.

Scirent itaque primum illi, qui XII. Tabularum fragmentis colligendis hactenus operam praeſtiterunt ſuam, *Legis Actiones* ab ipſa XII. Tabularum lege, ubique accurate diſtinguere. *Nexus* utique *Mancipii* *, *Repulſi Vindiciarum* ſeu *in jure manuum conſertionis* † formulas certas ſolennesque, quibus inter ſe homines agitarent, a Prudentibus poſt legem XII. Tabularum excogitatas, inter legis XII. Tabul. fragmenta referri non oportere, certo intelligerent. Non, ſine teſte, Legem illi quaſi XII. Tabularum adponerent *de teſtamentis per aes & libram*, item, *de libripende & familiae emptore.* Quorum & hic error eſt, quod dicam ex Gellii *lib.* 15. *cap.* 3. diſci, libripendis factam fuiſſe mentionem, ubi de teſtamentis agitur: caput enim quod ibi memorat Gellius, non pertinet ad teſtamenta.

2 *Elicita* ex legis mente ab ipſa XII. Tab. lege multi non diſtinguunt.

Scirent etiam, ea, quae lege XII. Tabul. nominatim, expreſſim, & exerte (ut Tertullianus loqui amat) ſeu propalam cauta erant (Ulpian. *fragm. tit.* 11. §. 1.) ſeu *προηγούμενα* ab his, quae ex *Legis Mente*, Prudentum interpretatione *per conſequentias* elicita poſtea fuerunt, ſeparare, Pauli *l. tutelas* 7. *D. de Capite minutis. l.* 80. *D. de V. S. Ulpiani l.* 3. *in pr. D. de legitim. tut. & fragm. d. tit.* 11. §. 3. Juſtiniani *tit. Inſt. de legit. Patron. tutela.* Exemplo: non ſingulare caput *de filiabus*; non alterum, *de nepotibus*, ut & hi *ſui* eſſent, dicerenturque, in XII. Tabulis fuiſſe exiſtimarent. Sola quippe *ſuorum* appellatione Lex XII. Tabular. (quo capite ſcilicet ſuos ab inteſtato ſine ulla graduum aut ſexus diſtinctione admittit) filias & nepotes, &c. complexa eſt. Sic enim Calliſtratus in *l. liberorum* 220. *D. de V. S.* ſcripſit, *Nepotes & Pronepotes, caeterosque qui ex his deſcendunt, ſuorum appellatione Lex* XII. *Tabularum comprehendit.* Non eo rurſum capite, quo de bonis libertorum, deque patroni liberis ad ea poſt patronum ipſum vocatis agitur, *virilis ſexus foeminasque liberos* lege XII. Tabular. expreſſim deſignatos exiſtimarent: quandoquidem & hos omnes ſola *Liberorum* appellatione (utpote generali & utrumque ſexum complectente. v. *l. cognoſcere* 56. §. 1. *D. de V. S.* & obſervationem Calliſtrati in *d. l.* 220 Ulpian. *fragment. tit.* 29. §. 4.) Lex XII. Tabularum comprehenderit.

Non ſingulare etiam caput de *Prodigi interdictione* comminiſcerentur: cum Lex XII. Tabularum eo ipſo, quod prodigum ejusque pecuniam, id eſt bona, in Agnatorum Gentiliumque poteſtate eſſe jubet, bonorum ei ſuorum adminiſtratione ſatis interdicat. Idque eſt ſcilicet, quod Ulpianus *lib.* 1. *D. de curat. furioſ. Lege* XII. *Tabularum prodigo bonorum ſuorum adminiſtratione interdici*, ait.

Non legem etiam *de Aquaeductu* aliam ab ea, qua de jure aquarum aquaeve pluviae arcendae actione agitur, conſtituendam putarent. Non legem *de Arborum collucatione*, ab ea, qua de Arboribus ſublucandis, luxuriaque ramorum compeſcenda agitur, diverſam fingerent. Non fruſtra Legi de Incendio ſingularem hanc exceptionem a Prudentibus receptam ſive conſtitutam, *Aſt ſi ſtipulam incendenti ignis fugit*, adjungerent: cum exceptionem illam in ſe ſatis contineat generalis, *caſu admiſſi incendii*, exceptio, quam lege illa comprehenſam nominatim Gajus *l.* 9. *D. de incendio* teſtatur.

Non item legi *de Parricidio* exceptionem iſtam ſubjicerent, *Aſt ſi telum manu fugit:* cum exceptionem illam ex verbis ejus legis, *dolo ſciens*, argumento a contrario ſumpto, Prudentes poſtea deſumpſerint.

Non denique legi *de Pauperie quadrupedis*, alterum *de paſtu pecoris* ſubnecterent: quandoquidem Lex XII. Tabular. *pauperiei* appellatione damnum omne, quod quadrupes feritate commota facit, complexa fuerit. v. *l.* 1. *D. ſi quadrupes paup. & in pr. Inſtit. eod.*

3 quae *putavit* ſeu indicavit lex XII. Tab. ab expreſſis XII. Tab. capitib. multi non diſtinguunt.

Scirent etiam illi, ea, quae Lex XII. Tabularum *putavit*, & uno plerunque verbo indicavit, ab iis, de quibus ſingularia ſeu expreſſa in ea capita integra erant, ſecernere. Sane, non caput *de filiis ſui ut eſſent*, in XII. fuiſſe, nonnulli cenſerent: cum eo ipſo quod Lex filios, *ſuorum* appellatione, ad ſucceſſionem patris admittit, filios ſuos eſſe putet. v. *l.* 7. *D. de bonis damnat.*

Non duo etiam capita in his Tabulis *de Haereditariis actionibus* Concinnatores quidam conſtituenda putarent, cum utriusque ſententia unico Legis XII. Tabularum capite contineatur. Nam cum Lex *nomina ſive obligationes inter* HAEREDES *diviſas eſſe* jubet, eo ipſo ſane haeredes haereditario aeri obnoxios evidentiſſime facit (v. *l. ult. C. de haered. action.*) utpote quorum meminit: Legatarios non item: quin potius eos tacite liberat, quos ſilentio tranſmittit.

Non ſingulare poſtremo caput de *Statulibero, ut eum vendere liceret*, alii conſtituerent: nam cum Lex ſtatuliberum venditum EMPTORI dando pecuniam ad libertatem pervenire jubeat, eo ſane unico EMPTORIS verbo ſtatuliberos venundari poſſe Lex putavit, ut ſignate loquitur Modeſtinus, in *l. Statuliberos* 25. *D. de ſtatulib. Putavit*, inquit: ſicut Cicero *lib.* 4. *de Republ. apud Nonium cap.* 5. in *verb. Jurgium* dixit, *Legem* XII. *Tabularum* PVTARE *vicinos inter ſe jurgare non litigare.* Cur? Quia ſcilicet Lex de vicinorum controverſiis agens, non *litigandi*, verum *jurgandi* verbo uſa deprehenditur. Alioquin dicendum foret, ſanciendae huic verborum diſtinctioni ſingulare in XII. Tabul. caput deſtinatum fuiſ-

* Boetius *lib.* 3. *Comment. In Topica* Ciceron. Solemnia Nexus Mancipii Legis actionibus connumerat.
† Vid. Ciceronem. Ulp. *Fragment. tit.* 19. *in pr.* & *tit.* 11. §. 2.

fuiſſe: hoc vero quam ineptum ſit, nemo non viderit.

4 Varia a priſcis ſcriptoribus, elata XII. Tabularum capita, quae omnia plerique pro legitimis putant.

Scire & illud praeterea debuerunt, qui ad XII. Tabularum fragmenta colligenda animum adjecerunt, non ſuis neque legitimis ſemper verbis XII. Tabular. capita a priſcis ſcriptoribus efferri. Sunt enim qui aliis, neque eandem etiam ſententiam exprimentibus, ea extulerunt. Verbi gratia: Capitis de injuriis levioribus legitima verba ſunt haec: *Si qui injuriam faxit alteri*, XXV. *aeris poenae ſunto.* (Favorinus apud Gellium *lib.* 20. *cap.* 1.) Et Paulus apud Auctorem *collat. legum Moſaicarum tit.* 2. §. 5. tamen ultima haec verba ſic concepit, XXV. *Seſtertiorum poenam ſubito.* Nempe, quod, quae antiquitus ratio ſeu computatio ad aſſem (XXV. *aeris** enim, XXV. *aſſes ſunt*) fiebat, auctis civium Romanorum facultatibus poſtea *ad ſeſtertium* fieri coeperit. Quod idem de ſequenti capite, quod eſt *de oſſe fracto*, dicendum eſt, etſi diſſentientes hodie hac in re Juriſconſultos videre licet.

Sunt rurſus, qui aliis quidem, verum eandem ſententiam exprimentibus, verbis (vitandae ſcilicet obſcuritati) capita XII. recitant; ut ecce: pro legitimis his: *ſi furioſus exiſtat*, ſubjecit haec Cicero *lib.* 3. *Tuſculanarum cap.* 5. *Si furioſus eſſe incipit.* Et rurſus idem *lib.* 4. *de Repub.* apud D. Auguſt. *lib.* 2. *de Civitate Dei cap.* 9. & 12. occentationem carmenque famoſum *capite ſancita* dixit, cum tamen *fuſtuarii* nominatim ſupplicii mentio XII. Tabulis facta fuerit. Cornutus in Perſii *Satyram* 1. Auctor denique librorum *ad Herennium*, *lib.* 1. *cap.* 13. (*in lege, Qui parentem*) pro *caput obnubito*, hanc vocem, *obvolutas*, repoſuit. Sed neque ſingularibus tantum verbis obſcurioribus, verum etiam capitibus integris factum id deprehendere licebit.

Hunc igitur, quem dixi, veterum ſcriptorum morem ſcirent, qui fragmentis his colligendis operam dederunt: plane non diverſum caput ab iſto, *Qui fruges excantaſſit*, hoc a Servio ad Virgilii *Eclogam* 8. *v.* 99. ita relatum, *Neve alienas ſegetes pellexeris*, putarent.

Non aliud etiam caput ab iſto, *Mulieres genas ne radunto*, hoc ab eodem Servio ad *lib.* 12. *Aeneid. v.* 606. his verbis concinnatum, *Mulier faciem ne carpito*, exiſtimarent, vel etiam Servium falli proderent.

Non caput praeterea, *de ſumptuoſa reſperſione*, a capite *de murata potione*, diverſum facerent.

Non poſtremo, ab hac lege, *de capite civis Romani, niſi per maximum comitiatum ne ferunto*, ſeparatam hanc, *de cive indemnato non occidendo*, ex Salviano *lib.* 8. *de Guberн. Dei*, *circa fin.* maximi quoque viri cenſerent.

5 Interpretationes & Gloſſemata Scriptorum a XII. Tab. verbis quidam non diſtinguunt.

Scirent illi praeterea, *Interpretationes veterum & Gloſſemata* ad XII. Tabularum verba capitaque, ab ipſis XII. Tab. verbis accurate diſtinguere (quod factum quidem jam a viris doctis in *l. ſi calvitur* 233. *in princ. D. de V. S.*) Non haec verba, apud Ciceron. *lib.* 2. *de legib. cap.* 23. *Et vincula purpurae*, capiti de tribus riciniis adjicienda crederent: cum voces illae interpretationem *Riciniorum* contineant; ut ex Feſto in verb. *Recinium*, manifeſtiſſime liquere poteſt.

Non rurſum capiti Tabulae primae, quod incipit, NI ITA PACUNT, verba haec, apud Gell. *lib.* 17. *cap.* 2. *ſi ambo praeſentes*, aliena prorſus infererent.

6 Conjecturis nudis complurima a quibusdam in XII. Tab. fragmenta conjiciuntur.

Non in lege, SI IN JUS VOCAT, prima, his verbis, NI, IT, ANTESTAMINO, IGITUR EM CAPITO, vocem *Anteſtari* ſubjicerent; illud enim verbum, Porphyrionis, ad Horatii *Satyram* 9. *lib.* 1. caput illud allegantis & vocem *Anteſtari* exponentis, verborum principium eſt.

Scirent inſuper illi, non nudis ſuſpicionibus vel conjecturis hoc in genere indulgeri oportere; non tot capita fragmentis hiſce XII. Tabul. (de quibus tamen nulla expreſſa veterum teſtimonia nobis extant) fidenter adjungerent, ut puta *de fraude a cliente patrono facta: de percunctatione Matrisfam. de perpetua mulierum tutela: de communis parietis craſſitudine: de Juribus Foecialibus: de intercalatione.*

Non ſibi Legem fingerent, perperam emendato Plinii loco, *lib.* 18. *cap.* 2. de Termino, quem ex XII. nominare ſub tecto religio ſit. Non ſuſpicarentur, Nunc legem, ut Termino nonniſi ſub divo ſacrificaretur, in XII. Tabulas tranſlatam.

Non etiam (quotquot ferme iiſdem occurrunt) leges *Regias* in haſce Tabulas relatas plerique aſſererent; veluti, de *Matrefamilias ut viro filiae loco eſſet:* de *bonorum inter conjuges communione*: de *Matrefamilias temetum bibente*: de *filio patrem verberante:* de *nocturnis externisque ſacris:* de *ariete ſubjiciendo.* Ac maxime quidem, cum Livius *lib.* 6. *cap.* 1. autor ſit, praeter XII. Tabulas, Regias quoque leges ſeparatim Romae habitas ſervataſque: & jure noſtro in *l.* 2. *D. de mortuo inf.* memoretur adhuc lex Regia, de muliere, quae mortua ſit praegnans, humanda.

Scirent etiam, quae alias a Decemviris facta fuere, ab iis, quae in leges XII. Tab. nominatim relata ſunt, diſtinguere; non illi certe legem *de Intercalatione* haſce in Tabulas relatum irent. Non leges, ſeu *jura foecialia*, quae Servius in *lib.* 7. *Aen. v.* 695. ait populum Romanum a Faliſcis, miſſis Decemviris accepiſſe, una cum nonnullis ſupplementis duodecim Tabularum.

7 Inemendatos Codices quidam ſequuntur.

Non, inemendatis Codicibus nixi, capita quaedam in has leges referrent: veluti de *Pluris petitionibus*, inemendato loco, imo ſuppoſitis verbis apud Ciceronem *lib.* 1. *de Oratore. cap.* 36.

8 Ambiguitate vocis nonnulli decipiuntur.

Non ambiguitate vocis deluſi, aliud quoque caput hic retuliſſent (quod Balduinus jam recte refutavit) *de errore calculi*, ex Cicerone *pro Hortenſio*, referente Nonio Marcello: ejus quippe verba pertinent non ad XII. Tabulas, verum ad 12. ſcriptorum, ſive ſcrupulorum luſum.

IV INEMENDATA capita XII. Tab. quaedam a nonnullis eduntur.

Jam ſi quis ad ea tandem capita mentem convertat, quae apud priſcos auctores corrupta reperiuntur, quam inemendate & infeliciter reſtituta nonnulla reperiet? Hinc vero totius erroris cauſa dimanavit, quod videlicet ſenſum legis ſeu capitis cujusque non prius diligenter attenderint, quam ad ejus emendationem temere confugerent. Alioquin in capite, NI PACUNT, haec verba legitima non putarent, CAUSAM CONJICIUNTO; verum haec potius, CAUSAM CONSCITO. Nam cum caput illud in perſonam Pactoris conceptum ſit, quomodo verba illa legitima eſſe poſſunt, quae non Praetorem, verum ipſos litigatores reſpiciunt? Non etiam in capite *de Tigno juncto*, CONCAPES (quod *de palum vineae ſuſtinendae* interpretantur) reponerent, quaſi *concapis* proprie vineae ſit, *Tignum* vero aedificii: cum ſola *Tigni* appellatio in XII. Tabulis ambitu ſuo materiam quoque vineae neceſſariam complectatur. Feſtus in verb. *Tignum*. Ulpian. *l.* 1. *D. de tigno juncto.*

II. de DISPOSITIONE fragmentorum Legis XII. Tab.

Hactenus de XII. Tabularum fragmentis, eorumque collectione. Nunc de eorundem inter ſe connexione videamus.

Ut haec, quae dixi, in conquirendis XII. Tabularum fragmentis a multis ſecus ac perperam admiſſa ſunt: non aliter in his inter ſe concatenandis peccatum graviter a plerisque.

1 ORDINEM XII. Tabularum ſecuti in aliquibus Julianus Edicti auctor & Tribonianus in Pandectis.

Illos tantum ſecerni oportet, qui ipſa Veterum (qui fragmentorum nobis e XII. Tabulis memoriam ſervarunt) teſtimonia, ad notiſſimam Pandectarum ſeriem dirigenda putaverunt; partim, quia ſequentes conquirendorum fragmentorum labore levarunt: partim, quia & haec ipſa Pandectarum Juſtinianearum ſeries eſt, quam ad XII. Tabularum ordinem proxime acceſſiſſe comperio. Nam, ſive quis ſumma rerum genera in Pandectis pertractata ſpectaverit, Septem Digeſtorum partes, totidem Tabulis De-

* JCtus quidam apud Gellium *lib.* 16. *cap.* 10.

Decemviralibus,& quidem ſingula ſingulis reſpondere deprehendet: Sive ſingulorum inter ſe titulorum & capitum connexionem quis attendet, ſane non tantum Salvium Julianum (Edicti Perpetui auctorem) ſed & Tribonianum in aliquammultis locis XII. Tabularum ordinem ſecutum comperiet.

Nam, ut ab *in jus vocatione* Tabularum ſuarum initium Decemviros duxiſſe Cicero *lib.* 2 *de Legibus cap.* 4. apertiſſime docet: ut paulo poſt oſtendemus: ita & Salvium Julianum Edictum ſuum ab *In jus vocatione* coepiſſe docent, quae ſuperſunt nobis e Pauli, Ulpiani, Gaji ad Edictum libris, leges innumerae: & nominatim *l.* 19. 21. *D. de in jus voc. l.* 1. *&* 2. *D. ſi quis cautionib. l.* 1. *D. in jus vocati ut eant. l.* 4. *D. ne quis eum qui in jus vocabit. l.* 3. *&* 5. *D. qui ſatisdare. l.* 1. *D. ſi quis cautionib. l.* 103. *D. de R. J.*

Rurſus, ut in his Tabulis capita *de vindicibus*, leges de *pactis*, de *poſtulando*, *Praetoriſque cognitione* proxime excipiunt: ſic & in Pandectis, titulos de *cautione ſeu de fidejuſſoribus judicio ve ſiſti* tituli de *Pactis* & de *Poſtulando* immediate ſequuntur.

Ad haec, ut in XII. Tabulis, articulus de cauſa teſtati prior quam de inteſtati ſucceſſione fuit; ſimiliter & in Praetoris Edicto tractatum de legitimis haereditatibus teſtamenti tractatus praeceſſit. Ex hoc quidem evidenter Ulpianus docet, cum ait: *l.* 1. *D. ſi tabulae teſtam. nullae extab. Poſteaquam Praetor locutus eſt de bonorum poſſeſſione ejus qui teſtatus eſt, tranſitum facit ad inteſtatos:* EVM ORDINEM SECVTVS, QVEM ET LEX XII. TABVLARVM SECVTA EST.

Denique, ut de Haereditatibus Gentilitiis ſeu Ingenuorum, prius quam de Libertorum bonis in XII. Tabulis actum, non diſſimilis etiam in Pandectis ordo ſervatus fuit.

Praeter unicum hunc, quem modo dixi, Pandectarum ordinem, alium alii vel ex ingenio commenti, vel quaſi legitimum Lectoribus obtrudere ſunt conati: quos neque recenſere neque refellere nunc pluribus attinet.

Sane plurimum ego ſemper ad genuinum integrumque cujuſque rei ſenſum intereſſe putavi, ſi in naturali natalique ſua quaſi ſede res quaeque conſpicienda proponeretur, & unde dejectae multum gratiae decoriſque deperire neceſſe eſſet. *Membra ſuo ſcil. quaeque loco locata, ſuam & vim & dignitatem teneat*, inquit Cicero *in Bruto. cap.* 57. Quod & de hac nominatim Veteris Juriſprudentiae parte, pluribus argumentis ipſe comperi.

II. ex Ignorantia ordinis XII. Tabul. errores admiſſi.

Enimvero, genuinum harum Tabularum ordinem horum Fragmentorum Collectores plerique exploratum habuiſſent. Sane, caput hoc, QVI SE SIRIT TESTARIER LIBRIPENSVE FVERIT, NI TESTIMONIVM FARIATVR, IMPROBVS INTESTABILISQVE ESTO, non ad *Claſſicos* ſeu *Teſtamentarios* modo teſtes; vel, alii, ad *Antestatos* reſtringerent: verum ad omnem omnino Teſtimonii defugam pertinere ſcirent. Non iidem etiam caput, ASSIDVO VINDEX ASSIDVVS ESTO, ad Addictorum, verum ad In jus vocatorum vindices referendum intelligerent. Non pariter caput, SI MORBVS AEVITASVE VITIVM ESCIT, IVMENTVM DATO: & alterum DE MORBO SONTICO DIEM IVDICII DIFFINDENTE (toto ſcilicet genere diverſa capita) eodem ſpectare crederent: verum prius illud, ad in jus itionem; poſterius autem, ad Judicia legitimaſque Vadimonii deferendi cauſas pertinere cognoſcerent.

Non caput itidem, CVI TESTIMONIVM DEFVERIT, IS TERTIIS DIEBVS OB PORTVM OBVAGVLATVM ITO, ad teſtimonium defugientem pertinere putarent: ſed ad Teſtimonii denunciationem, cujus Praetor litigatoribus judicio conſtituto copiam facere ſolebat, relatum irent.

Ut haec quae dixi per genuini XII. Tabularum ordinis ignorantiam, perperam a nonnullis intellecta fuerunt: ſic & alia ab eadem lama vel lacuna moleſte *Repetita* deprehendi. Scirent enim, qui haec fragmenta tractanda ſuſceperunt omnes, caput hoc, NI IT, ANTESTAMINO: item alterum hoc, SI MORBVS AEVITASVE VITIVM ESCIT, primae omnium, huſce in Tabulis, legis (quae ab his verbis incipit: SI IN IVS VOCAT) membra eſſe: quod paulo poſt fuſius probaturi ſumus. Sane, non ad ſingula illa capita, verba haec, SI IN IVS VOCAT, repetenda nonnulli ducerent.

Scirent illi pariter, caput hoc: AST SI INTESTATO MORITVR, Legi PATERFAMILIAS VTI LEGASSIT, &c. ceu legitimum ejus membrum, ſubjiciendum eſſe: plane vocem, *Paterfamilias*, illo capite repetendam non eſſe deprehenderent.

Quid illi, qui integra capita non ſemel tantum, verum aliquoties totidem verbis obtrudunt? Illos dico, qui caput, PATERFAMILIAS VTI LEGASSIT SVPER PECVNIAE TVTELAEVE SVAE REI, ITA IVS ESTO (quod teſtamentarias diſpoſitiones omnes ambitu ſuo complectitur) non tantum cum *de teſtamentis*, ſed & cum *de tutelis* ſeparatim tractant, iiſdem verbis conſignant. Illos etiam complector, qui caput, QVVM NEXVM FACIET MANCIPIVMQVE, VTI LINGVA NVNCVPASSIT, ITA IVS ESTO (omnes omnino nexus mancipiique ſpecies in ſe continens) non modo cum de *Teſtamentis*, ſed & cum de *Contractibus* ſeparatim agunt, iterare ſuſtinent.

Haec & hujus generis alia, mihi comperta, de genuino primum harum XII. Tabularum, mox & de ſingularum legum capitumque ordine, qua fieri poſſet, reſtituendo, ſerio ut cogitarem fecerunt.

III. Probatio ordinis XII. Tab.

Ad TABVLARVM ipſarum igitur ordinem, ſingularumque Argumentum eruendum, non unam neque ſimplicem mihi viam munivi. Primum enim omnium, manifeſta in id veterum teſtimonia quae ſupereſſent, omnia ſedulo conquiſivi. Deinde, Gaji librorum ad XII. Tabulas ductum, hac mihi parte religioſe ſequendum putavi. Poſt haec, velut apud eos, qui temporum rationes (quas Graeci συγχρονισμοὺς vocant) ineunt, uno ſemel intervallo deprehenſo, coeterorum cognitio expeditiſſima eſt (Antecedentium quippe & Conſequentium veritas ita eruitur) ſic & in his Tabulis ordinandis, certiſſimorum teſtimoniorum & argumentorum luce, ad nonnullarum Tabularum, quae prius incertae videbantur, ordinem & argumentum dignoſcendum, manu ductus fui.

I ad Tabul. ordinem & argumentum expreſſa teſtimonia.

Expreſſa enimvero certaque Veterum teſtimonia harum XII. Tabularum ordini firmando, quae perveſtiganti mihi occurrerunt, haec ferme occurrerunt, numero ſex.

1. Primum omnium, tres Juris poſitiones ſeu ſpecies Tabulis huſce comprehenſas ſancitaſque fuiſſe apud Auſonium *Grypho de ternario numero*, reperio: cujus de eo notiſſimi verſus ſunt hi, *Idyll.* 11. *v.* 61.

Jus triplex, Tabulae quod ter ſanxere quaternae:
Sacrum, Privatum, Populi commune quod uſquam eſt.

Ex ſuperioribus Auſonii verſibus conſtat, Decemvirales haſce Tabulas tripertitas fuiſſe: & earum partem unam, ad *Jus Sacrum*; aliam ad *Jus Privatum*; aliam denique ad *Jus Publicum* pertinuiſſe. Neque tamen eo omnino ordine, quo ab Auſonio collocantur (utpote verſuum lege adſtricto) diſpoſitas fuiſſe, mox apparebit.

2. Itaque quod ſecundo loco notandum, ab IN IVS VOCATIONE, Tabularum ſuarum initium Decemviros duxiſſe, PRIMA proinde Tabula de IN IVS VOCANDO actum fuiſſe, ex Cicerone liquet. Nam quod is uno loco *lib.* 2. *de Legib. cap.* 23. ait, *Diſcebamus pueri* XII. *ut carmen neceſſarium:* id ipſum *alia ejuſdem libri parte* (*cap.* 4.) ſic extulit: *A parvis*, in-

inquit, *didicimus*, SI IN IVS VOCAT, ATQVE EAT, *& ejuſmodi leges alias nominare:* a primis videlicet totius legis verbis, legem XII. Tabularum integram deſignans.

3. Tertio, docet Atejus Capito SECVNDA Tabula de *Judiciis* cautum fuiſſe. Sic enim Juriſconſultus ille, legis *de die Judicii obeundo* particulam, ſeu clauſulam allegans, apud Feſtum, in verb. *Reus*, ſcribit: *Numa in* SECVNDA *Tabula ſecunda lege: in qua ſcriptum eſt* [*ſi*] *quid horum fVat unum Judici Arbitrove reove, eo die diffenſus eſto.* Eadem ſimiliter Tabula ſecunda, de *Furtis* etiam actum fuiſſe, teſtatur hic Labeonis apud Gellium locus. *Labeo* (inquit Gellius *lib. 7. cap. 15.*) *in libro de* XII. TABVLIS SECVNDO, *acria & ſevera judicia de Furtis habita eſſe apud veteres ſcripſit*, &c. Scripſerat quippe Labeo XII. Commentariorum ad l. XII. Tabul. libros ſingulos, videlicet ſingulis reſpondentes Tabulis.

4. Quarto, Dionyſius Halicarnaſſeus *lib. 2. pag.* 97. tradit, QVARTA Tabula de *Jure patrio* actum fuiſſe. Sic enim de jure patri filium ter venundandi conceſſo agens, [illegible] (inquit) ἐν τῇ ΤΕΤΑΡΤΗ τῶν λεγομένων δώδεκα δέλτων.

5. Quinto, Cicero *lib. 2. de Legib. cap.* 25 diſertis verbis teſtatur, DECIMA Tabula de *Jure Sacro* cautum fuiſſe. Sic enim de Jure Manium, & ſepulchrorum agens, *ſumptuoſa* (inquit) *funera & lamentabilia Solonis lege ſublata ſunt: quam legem eiſdem prope verbis Noſtri viri in* DECIMAM *Tabulam conjecerant*, &c.

6. Poſtremo, idem Dionyſius Halicarn. *lib.* 10. *pag.* 684. ait inter Leges, quae *duabus poſterioribus* Tabulis comprehendebantur, fuiſſe hanc: ne *Patribus cum plebe connubii jus eſſet.*

Et haec quidem, mihi cuncta rimanti, huic (quem tibi, Lector, nunc exhibemus primi) Tabularum ordini firmando, perſpicua teſtimonia occurrerunt. Neque praeter haec, admitto conjecturam Scaligeri, *in Feſtum*, qui Leges Regias in tres priores Tabulas relatas ait. Ex quibus omnibus interim conſtat & illud, non de *Privato* tantum, verum & de *Publico* quoque jure, prius quam de *Sacro* Tabulis hiſce cautum fuiſſe: nempe, cum Leges de *Jure Sacro* ultimam decem Tabularum occupaſſe Tullius, ut dixi, teſtetur. *Ultimam decem Tabularam* dixi: nam cum de harum Tabularum ordine quaeritur, poſteriores duae a decem prioribus ſeparandae ſunt: velut quae ſupplendis tantum decem prioribus adjectae poſtea fuerint.

e Gaji libris, ad XII. Tab. ordinem & materiam argumenta.

De Gaji Juriſconſulti ad eaſdem XII. Tabularum leges libris, nunc videndum deligentius eſt, quodque Gajus adjumentum nobis praeſentium Tabularum ordinem perveſtigandum contulerit, indicandum.

Illud itaque primo loco ſciendum, Gajum ſex Interpretationum ad XII. Tabulas libros ſcripſiſſe; & ita quidem confectos & concinnatos, ut libri ſinguli binis Tabulis interpretandis deſtinati ab eo fuerint: & conſequenter ut primus, *Primae Secundaeque* Tabulae: Secundus, *Tertiae & Quartae*, & ita deinceps, reſponderet.

Hujuſce rei (ne quis a me confictam putet) certiſſimum quod ſequitur ſit argumentum. Ex praedictis veterum teſtimoniis liquidiſſimo conſtat, PRIMA SECVNDAQVE Tabula, de his tribus actum fuiſſe; de *In jus vocando* ſcilicet, *de Judiciis*, *& de Furtis.* Atqui, ſi ea, quae ſuperſunt e Primo Gaji ad XII. Tabulas libro, fragmenta omnia percurramus, protinus & indubitate Gajum ſuperiora illa tria genera ſeu capita, primo ad Leg. XII. Tabularum libro, nec quicquam aliud praeterea, executum fuiſſe deprehendemus. Pertinet enim *leu* 18. 20. 22. *in pr. & §. 1. D. de in jus vocando*, *ut & lex*, *Si calvitur* 233. *in princ. D. de V. S* ad articulum de IN IVS VOCANDO, quod primae Tabulae argumentum fuit: *paragraphus* vero *primus d. legis* 233. *at & lex* 6. *D. ſi quis cautionibus*. ad tractatum de IVDICIIS, qui priorem Secundae Tabulae partem occupabat. Poſtremo, *paragraphus ſecundus d. legis* 233. *D. de V. S.* ut & *lex* 2. & 4. *D. arborum furtim caeſarum*, ad leges de FVRTIS pertinet, quae poſtrema parte ſecundae Tabulae continebantur.

Alterum ſit & hoc ordinis ejus, quem a Gajo in libris ad L. XII. Tabularum obſervatum diximus, indicium. Teſtatur Dionyſius Halicarnaſſeus, *lib.* 10. *pag.* 684 quod paulo ante dixi, Legem, *de Jure Connubii Patribus cum* PLEBE *interdicto*, in poſteriores duas Tabulas conjectam fuiſſe. Atqui ex *l.* 138 *in pr. D. de V. S.* conſtat, Gajum lib. 6. ad Leges XII. Tabularum, legem illam interpretatum fuiſſe.

Illud itaque fixum maneat, ſingulis libris binas Gajum Tabulas interpretandas ſuſcepiſſe: biniſque Tabulis libros ſingulos dedicaſſe.

Et hic quidem primus ordinis in Gaji libris ad XII. Tabulas, a me deprehenſi, gradus fuit. Proximus nunc ille, quo ſcilicet ſingularum Tabularum (quas binas ſingulis libris Gajum interpretatum diximus) Argumentum deprehendere potui. Et vero reductis, quae ex uno Gaji libro ſuperſunt, ad ſumma quaedam genera (quae Graeci κοινὰς ἰδέας vocant) fragmentis (quod primi quoque libri exemplo ſuperius oſtendimus) ad Tabularum quarundam argumentum cognoſcendum perductus fui. Ut ecce, quae ſuperſunt e Quarto Gaji ad XII. Tabulas libro (quo Septimam Octavamque Tabulam interpretatus fuerat) fragmenta, ad haec duo ſumma genera reducuntur: *Delicta* videlicet, & PRAEDIORVM quorumcunque jura. Quid hinc colligo? Septima & Octava Tabula *de Delictis & Praediorum juribus* a Decemviris actum fuiſſe. Et Septima quidem de *Delictis*: Octava autem, de *Praediorum Juribus*. Quandoquidem & hic quoque Gaji fragmentorum ordo ſit: videlicit ut interpretationes ad, delicta pertinentes, ea quae *Jura Praediorum* ſpectant, praecedant; ut ex *l.* 236. *D. de V. S.* perſpicitur: *Principium* quippe *legis illius* 236. de *Malo veneno* eſt: *Paragraphus* vero *Primus*, *de Glande legenda.*

Et haec quidem in iis, quae ſuperſunt XII. Tabul. fragmentis, ſuas ad Tabulas ſummaque ſua genera referendis, ut ſequenda duximus. Ita genera Tabulaſque rurſus ipſas ſuas in ſpecies legeſque minutatim poſtea diviſimus: capitaque unius etſi generis ſingularibus tamen adhuc *legibus* ſuis ſubjecimus. Ut ecce: Fragmenta Tabulae Sextae ad *Jura Dominii & Poſſeſſionis* pertinent. Hoc illorum fragmentorum, ſic ut dicam, genus eſt. Et eadem tamen ad quatuor haſce ſpecies referuntur: ad Nexum videlicet Mancipiumque: ad Uſum-auctoritatem: ad Vindicias: ad Repudium denique. Itaque fragmenta, quae ad Nexum Mancipiumque pertinere deprehendi, ut & quae ad Vindicias, &c. in unum (niſi quid aliud obſtaret) cogenda duxi.

2 de Partibus ſingularum Tabularum.

Nunc de ſingularum ſpecierum, & ſingulorum capitum ſerie atque inter ſe connexione videamus. Ex vero manifeſtis partim Veterum teſtimoniis, partim & argumentis certiſſimis ad eam ſeriem, quam tibi damus, primi perducti ſumus.

3 de Capitum & Legum in ſingulis Tabulis ordine.

Eorum capitum legumque, quae expreſſum teſtimonium habent, exemplum hoc unicum extat apud Feſtum in verb. *Reus.* *Numa* (inquit) *in Secunda Tabula* SECVNDA LEGE, *in qua ſcriptum eſt* [*ſi*] *quid horum fVat unum Judici Arbitrove Reove, eo die diffeaſus eſto.*

Teſtimonium ad legum ordinem.

Argumenta vero, quae in hac capitum legumque diſpoſitione ſecutus ſum, numero plura ſunt haec.

Argumenta ad legum & capitum ſeriem.

Primum enim: cum liquido mihi conſtaret, Tribonianum ſub uno Digeſtorum titulo varias ex uno eodem Juriſconſulti alicujus libro ſententias, eo ferme ordine, quo ab ipſis JCtis conſcriptae fuerant, collocaſſe. Sane, qua ſerie Gaji ad XII. Tabu-

1 ab Ordine Gaji ſententiarum, ad

Capitum in XII. *Tab. ſeriem argumenta.*

bulas interpretamenta ſeu ſententias ſub eodem titulo relatas conlocataſque reperi, ad eandem ipſa XII. Tabularum capita, quae Gajus interpretatus fuerat, collocaſi oportere cenſui. Ut ecce, Tabula ſecunda leges *de Judiciis* priore loco; leges autem *de Furtis* poſteriore fuiſſe didici: quod (ut certiſſima alia nunc omittam argumenta) *Paragraphus primus l.* 233. *D. de V. S. ad Judicia* pertineat: *Paragraphus* vero *ſecundus ejusdem legis*, ad tractatum *de Furtis* referatur: & rurſus, Tabula Tertia hoc caput, ADVERSUS HOSTEM AETERNA AUCTORITAS ESTO, prius quam legem AERIS CONFESSI collocandum duxi, quod *Principium legis* 238. *D. de V. S.* ad capitis illius interpretationem pertineat: *Paragraphus* autem *Primus* & *Secundus dictae legis* 234. poſteriorem hanc XII. Tabul. legem reſpiciat.

2 *à Principio Legis, ad capitum in* XII. *Tabulis ſeriem argumenta.*

Secundum argumentum, quod in horum capitum diſpoſitione ſecutus ſum, tale eſt. Cum hunc Morem (quem modo pauloque ante perſtrinxi) priſcis ſcriptoribus quibuſdam fuiſſe cognoſcerem, ut ad ſingula e XII. Tabulis capita, Legis ſimul, ſub qua caput unumquodque conſtitutum eſſet, *Initium* praemitterent vel inſererent; ſane certiſſimo hoc veſtigio nonnulla capita diſperſa ſuis legibus liquido reddenda comperi; ut ecce: Capita haec tria, Nempe SI IN IVS VOCAT, *atque eat* (hujus autem capitis Cicero *lib.* 2. *de Legib. cap.* 4 meminit) Item, NI IT, ANTESTAMINO (quod Porphyrion ad Horatii *Satyram* 9. *lib.* 1. memorat) Denique caput hoc, SI MORBVS AEVITASVE VITIVM ESCIT, QVI IN IVS VOCABIT, IVMENTVM DATO, in unam eandemque Primae Tabulae legem (quae incipit, SI IN IVS VOCAT) compuli: nempe quod tribus hiſce capitibus veteres ſcriptores, principium idem (videlicet SI IN IVS VOCAT) ab initio praemittant; & nominatim quidem Gellius *lib.* 20. *cap.* 1. tertium hoc caput ſic laudet: *Verba ſunt haec*, inquit, *de lege* SI IN IVS VOCAT: *ſi morbus*, &c.

Rurſus caput hoc, AST SI INTESTATO MORITVR, &c. Legis, PATERFAMILIAS VTI LEGASSIT, membrum fuiſſe manifeſtiſſime (hoc, inter caetera, argumento) didici: quod Ciceronem *lib.* 2. *de Inventione cap.* 50 librorumque *ad Herennium lib.* 1. *cap* 13. auctorem, illi capiti vocem *Paterfamilias* a principio Legis (explendae videlicet ejus ſententiae cauſa) praemiſiſſe videam: quam tamen vocem alii ſcriptores ab eo capite abfuiſſe teſtantur. Ulpianus apud Auctorem *collationis Legum Moſaic. tit. ult.* Paullus *l.* 9. § 2. *D. de liber. & poſthum.*

3 *à Sententia capitum ad eorum ſeriem argumentum.*

Tertium nunc & ultimum (ne minutatim alia, quae in proceſſu hujus operis Notiſque noſtris perſequemur, referam) argumentum, quod in hiſce fragmentis ſeu capitibus ſuas ad leges revocandis ſecutus ſum, ab ipſa capitum ſententia ſive mente deſumptum eſt. Quis enim (ut hoc exempli loco proferam) non videt caput hoc: SI CALVITVR PEDEMVE STRVIT, MANVM ENDOIACITO, Capiti, NI IT, ANTESTAMINO, IGITVR EM CAPITO, ſi utriuſque capitis ſententiam ſpectet, ſubjiciendum eſſe? Quis non pariter legem, SI ENSIET (primae Tabulae a nobis reſtitutam) ejuſque capita omnia legi primae (SI IN IVS VOCAT, ſcilicet) immediate ſubjicienda credat; ſi legis utriuſque mentem exploratam habeat?

Separatorum capitum teſtimonia.

Ut haec aliaque, ſuperioribus partim teſtimoniis, partim argumentis, capita inter ſe devincienda duxi: ita ſeparanda alia, quae hactenus ab horum fragmentorum collectoribus omnibus perperam conjunguntur, aliis teſtimoniis didici. Legem itaque Tabulae ſecundae, in qua de *Morbo Sontico* agitur, ab hoc capite, Tab. 1. SI MORBVS AEVITASVE VITIVM ESCIT, diſtinxi; quod ſcilicet Gellius *lib* 20. *cap.* 1. verbis conceptis *alio loco* conſtitutam fuiſſe teſtetur. Pari modo, duo haec capita, Tab. 7. QVI FRVGES EXCANTASSIT: &, QVI MALVM CARMEN INCANTASSIT, ideo a me ſeparata fuerunt, quod Plinius *lib.* 28. *cap.* 2. hoc ultimum, *alibi* fuiſſe expreſſe dixerit.

de Duarum Poſteriorum Tabularum capitumque in his ſerie.

Et haec de Decem priorum Tabularum ordine dicta ſint. De duarum POSTERIORVM diſpoſitione dicendum nunc paucis. Decem prioribus Tabulis (quibus aliquid deeſſe videbatur) ſupplendis duas poſteriores, Undecimam videlicet & Duodecimam, adjectas fuiſſe apud omnes conſtat. Facit ea res, ut credam in his duabus poſterioribus Tabulis Decemviros eumdem ordinem ſervaſſe, quem in decem prioribus ſecuti fuerant. Haec enim ſupplementorum omnium Lex eſſe ſolet, vel debet. Quid igitur? Hinc colligo, *Undecimam* Tabulam quinque priorum Tabularum; *Duodecimam* vero, quinque poſtremarum, ſupplementum fuiſſe. Sane, capita ipſa duarum poſteriorum Tabularum ad Decem priorum ordinem collocata fuiſſe, omnium apertiſſime ex *l.* 238 *D. de V. S.* conſtat: quae deſumpta eſt ex Gaji libro ſexto ad Leg. XII. Tabularum; quo is duas has Tabulas poſteriores interpretatus fuerat. Eſt enim *Principium legis illius*, ſupplementum *Quartae* Tabulae: *Paragraphus primus*, ſupplementum *Quintae*: *Paragraphus ſecundus*, ſupplementum *Sextae*: *Paragraphus ultimus*, ſupplementum *Septimae*. Certe, quod & antea diximus, in poſteriores has Tabulas collatam fuiſſe legem de *prohibito matrimonio inter patricios & plebejos* teſtatur Dionyſ. Halicarn. *fine lib.* 10.

Atque haec quidem, BENIGNE LECTOR, de Repetitis a me XII. Tabularum fragmentis, & editionis hujus poſt ſuperiorum multorum diligentiam, cauſis, operaeque mihi navatae ratione, prolixe vel etiam plus ſatis.

De OPERIS ipſius dignitate, vel ipſarum XII. Tabularum utilitate, non pauciora dicenda mihi forent: niſi jam epiſtolae modum exceſſiſſem. His interim fragmentis, dum vel ego, vel alius plura vel certiora eruimus, fruere benignus & VALE.

ELENCHUS LIBRORUM.

I. *Fragmenta XII. Tabularum, ſuis nunc primum Tabulis reſtituta, una cum Paraphraſi.*
II. *Hiſtoria & Commendatio XII. Tabularum.*
III. *Probationes eorum, quae ſuperſunt e XII. Tabulis fragmentorum.*
IV. *Veterum Scriptorum, qui ad XII. Tabulas ex profeſſo ſcripſerant, fragmenta.*
V. *Notae JAC. GOTHOFREDI ad fragmenta XII. Tabularum.*
VI. *Index ad fragmenta XII. Tabularum.*

LIBER PRIMUS:

QUO CONTINENTUR FRAGMENTA XII. TABULARUM, UNDECUNQUE COLLECTA, EAQUE SUIS *NUNC PRIMUM* TABULIS RESTITUTA:

Una cum Paraphraſi.

SYNOPSIS ET OECONOMIA *XII. TABULARUM.*

I.	De Jure PRIVATO.		
	De In jus vocando.	Tab. I.	Supplementum harum Tabularum. XIma.
	De Judiciis & de furtis.	Tab. II.	
	De Rebus creditis.	Tab. III.	
	De Jure Patrio, & connubii.	Tab. IV.	
	De Jure Hereditatum & tutelarum.	Tab. V.	
	De Jure Dominii & possessionis.	Tab. VI.	Supplementum harum Tabularum. XIIma.
	De Delictis.	Tab. VII.	
	De Jure Praediatorio, id eſt, de juribus praediorum.	Tab. VIII.	
II.	De Jure PUBLICO.	Tab. IX.	
III.	De Jure SACRO.	Tab. X.	

PARAPHRASIS TABULAE I.

Si quis aliquem in jus vocet, vocatus ſtatim ſequitor.

Si in jus vocatus non ſequatur, qui vocavit teſtes ante adhibeto: & tum in jus vocatum ſiſtere ei jus eſto.

Si & tum in jus vocatus moretur, fruſtretur, fugamve adornet, manum ei injicere jus eſto.

Si imbecillitas aut invalentia quaedam aetasve ſenilis impedimento ſit, quominus vocatus in jus ſequatur, qui in jus vocabit vocato vectabulum, ſeu vehiculum, quod adjunctis pecoribus trahatur, dato: ſi nolet is qui in jus vocabit vocato petenti plauſtrum undique tectum munitumque ſternere ne cogitor.

Si tamen ſit aliquis, qui in jus vocatum, vel prenſum defendat, dimittitor.

Caeterum locupleti vindex locuples eſto: pauperi, prolem tantum Reipubl. ſufficienti, quilibet vindex eſto.

Item ſi de re tranſactum fuerit inter vocantem & vocatum dum in jus venitur, ita jus ratumque eſto.

Si neque vindex aliquis ſit, neque de re in via tranſactum fuerit, tum in comitio aut in foro Praetor cauſam cognoſcito, ante meridiem, cum ambo litigatores praeſentes perorant.
Poſt meridiem, etiamſi unus tantum praeſens ſit, praeſenti actionem dato, judiciumque conſtituito.

Sole occidente ſupremus terminus judiciorum eſto, ſeu judicia ſolvuntor. Ad ſolem proinde occaſum Praetor jus reddito.

PARAPHRASIS TABULAE II.

Judicio conſtituto, Judiceque adito vades & ſubvades judicio ſiſtendi utrimque dantor, iique ſiſtere tenentor: niſi ſi morbus vehemens vim graviter nocendi habens, votum aliquod, abſentia Reipublicae ergo intercedat, aut conſtitutus ſit dies cum peregrino: nam ſi quid horum fuerit & obvenerit Judici arbitrove, vel reo, judicii dies differatur.

Qui teſtimonium denunciare volet, is trinundino, id eſt, ter intra 27. dies ad domum ejus cui teſtimonium denunciat, denunciatum ito.

Si nocte furtum fiat, furem autem aliquis occiderit, impune eſto.

Si interdiu furtum aliquis fecerit, eumque aliquis in ipſo furto deprehenderit, verberetur, illique cui furtum factum fuerit, addicatur.
Servus prius virgis caeſus, ſaxo Tarpejo dejiciatur.
Impubes, Praetoris arbitrio verberetur, noxaque ab eo facta ſarciatur.
Quod ſi ſe telo defendant, dominus cum clamore prius id teſtificetur: tum ſi occiſi fuerint, jure caeſi ſunto.

Si furtum per lancem & licium conceptum erit, perinde ac ſi manifeſtum foret, vindicator.

Si agatur de furto non manifeſto, fur dupli damnator.
Qui injuria ſua furtim alienas arbores ceciderit, pro ſingulis arboribus caeſis 25. aſſibus multator.

De furto paciſci jus eſto: & ſi pactum interceſſerit, furti amplius agere jus non eſto.
Furtivam rem uſucapere jus ne eſto.

Digitized by Google

TABULA I. de In ius vocando.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

I. SIN * IUS VOCATQUEAT:

NIT *, ANTESTAMINO: IGITUR, EM CAPITO.

SI CALVITUR, PEDEMVE STRUIT, MANUM ENDO IACITO.

SI MORBUS ÆVITASVE VITIUM ESCIT, QUIN * IUS VOCABIT IUMENTUM DATO: SI NOLET, ARCERAM NE STERNITO.

II. SI ENSIET, qui in jus vocatum vindicit, miTito.

ASIDUO VINDEX ASIDUUS ESTO: PROLETARIO, CUIQUI VOLET VINDEX ESTO.

Endo via REM UTI * PAICUNT, ORATO *:

III. Cognitio Prætoris. NITA * PAICUNT, IN COMITIO AUT IN FORO ab ORTU ANTE MERIDIEM CAUSAM CONSCITO, CUM PERORANT AMBO PRESENTES.
POST MERIDIEM PRESENTI STLITEM ADICITO.

SOL OCASUS SUPREMA TEMPESTAS ESTO.

Gai. Lib. I. ad L. XII. Tab. cujus pars prior huic Primae Tab. reſpondet.
Gajus l. 18. 20. 22. in pr. ff. de in jus vocando.
* i. e. Si in jus vocat, atque eat Porphyrion ad lib. I. Saty. Horat. Satyra 9.
* i. e. inde Gajus l. 233. in pr. ff. de verb. ſign.
Gellius l. 20. c. 1.
* ideſt, qui in
Gajus l. 22. §. 1. ff. de in jus voc.
* ubi
* RATO.
* id eſt, ni ea: pacta, vindice dato vel pacto iniſto.

TABULA II. de Iudiciis & de Furtis.

¶ de Iudiciis. I. . . . .
. . . .
. . . .

Numa R. * . . . . . VADES, SUBVADES. . . . .
extra quam ſi MORBUS SONTICUS . . VOTUM * . . . . . abſentia
II. ReipublicæErgo, AUT STATUS DIES CUM HOSTE intercedat: nam ſi QUID HORUM FUAT UNUM * IUDICI ARBITROVE REOVE, EO DIE DIFFENSUS ESTO.

. . . .
CUI TESTIMONIUM DEFUERIT, IS TERTIIS DIEBUS OB PORTUM OBVAGULATUM ITO.

¶ de Furtis. 1. de Nocturno fure. SI NOX FURTUM FAXIT, SIM ALIQUIS OCISIT, IURE CÆSUS ESTO. *

2. de Diurno fure. Si luci furtum faxit, ſIm aliquis endo ipſo capſit, verberator, iLique cui fur tum factum eſcit, aDicitor.
1. Manifeſto: Servus, virgis cœſus, ſaxo deIcitor:
Inpubes, Prætoris arbitratu verberator, noxiamque decernito.
Si SE TELO * defenſit, quiritato ENDOQUE PLORATO: poſt deinde ſi cœſi eſcint, ſe fraude eſto.
vel quaſi. Si furtum lance licioque conceptum eſcit, atque uti manifeſtum vindicator.
2. Nec manifeſto. SI ADORAT FURTO, QUOD NEC MANIFESTUM ESCIT, duplione decidito. *
3. de Arboribus furtim caeſis. SIn iuri Alienas Arbores cœſit, in ſingulas XXV. æris luito.
4. Communia de furtis. Si pro fure damnum deciſum eſcit, furti ne adorato.
Furtivæ rei æternAuctoritas eſto.

Gai. Lib. I. ad L. XII. Tab. cujus pars poſterior huic ſecundae Tabulae reſpondet.
* Numae R. Lex. II. Tab. II. Capito apud Feſtum in v. Reus.
* Gajus l. 233. §. 3. ff. de V. S.
* Gajus l. 6. ff. ſi quis cautionibus.
* al. vitium, ut ſup. Tab. 1. l. 1. ſi morbus ævitasve vitium eſcit.
Labeo libr. de XII. Tabulis tit. de Furtis apud Gellium 7, 15.
* Forte in ipſa l. fuit ſe fraude eſto.
* Gajus, l. 233. §. 2. ff. de V. S.
* luito Gajus, l. 2. de ff. arborum furtim caeſarum.

PARAPHRASIS TABULAE III.

Si quid circa rem depoſitam apud ſe depoſitarius dolo malo admiſerit, dupli poena afficitor.

Si quis majus quam unciarium foenus (quod unciam menſtruam dependit in centum) exercuerit, quadrupli poena afficitor.

Peregrinus quidquam uſucapere non valeto: cuivis adverſus eum in perpetuum actio eſto.

Si debitum quis confeſſus fuerit, vel condemnatus jure fuerit, induciae ei menſtruae 30. dierum ad debitum exſolvendum dantor.

Si intra dies 30. illos debitor non ſatisfaciat, tum creditori capere eum ſive prehendere, atque in jus ducere jus eſto.
Debitor ita nexus ſi poterit, ſuo vivat: ſi non habeat, tum creditor, qui eum vinctum habebit, ſingulas farris libras in ſingulos dies ei dato: ſi volet, plus ei pro arbitrio dare liceto.

Si & tum judicatum non ſolvat, neque interea quiſquam eum in jure defendat, proque eo intervenint, in privatum carcerem ſeu vincula adducere creditori jus eſto, eumque vel nervo vel compedibus vincire: ſic tamen ut vincula non ſint graviora quam XV. *pondo: leviora enim adhibere pro arbitrio jus eſto.*

Paciſcendi interea addicto cum creditore jus eſto: ſi non pactus fuerit, 60. diebus creditori addictum in vinculis habere jus eſto: Intra eos dies trinis nundinis continuis ad Praetorem in Comitium producitor, quantaeque pecuniae judicatus eſſet praedicator.
At ſi plures erunt creditores, tertiis nundinis, id eſt, 27. die corpus rei in partes ſecanto: ſi plus minusve ſecuerint, ſine fraude eſto: ſi maleat, trans Tiberim eum peregre venundanto.

PARAPHRASIS TABULAE IV.

Pater filium ſibi natum monſtroſum vel prodigioſum ſtatim necato.

In liberos juſtis ex nuptiis quaeſitos patri jus vitae necis vendendique eos jus eſto.

Si pater filium ter vendiderit, filius poſt tertiam venditionem plene a patre liber ſiet.

Si filius patri poſt mortem ejus intra decem menſes proximos a morte natus ex uxore erit, juſtus ei filius eſto.

TABVLA III. de Rebus Creditis.

. . . .

. . . .

1. de Depoſito. SI quid endo Depoſito dolo malo factum eſcit, duplione luito.

2. de Fenore. Si qui Vnciario Fenore amplius feneraSit, quadruplione luito.

3. de Jure crediti perſequendi, adverſus

. . . .

1. Hoſtem, i. e peregrinum. Adversvs hostem * ÆternAvctoritas esto.

2. Confeſſum, judicatum. ÆRIS CONFESI*, reevsqve ivre ivdicatis. xxx. dies ivsti svnto:

Post deinde manvs iniectio esto, in ivs dvcito:

Ni ivdicatvm facit, avt qvips * endo eo in ivre vindicit, secvm dvcito, vincito avt nervo avt compedibvs xv. pondo ne maiore: At si volet minore, vincito:

Si volet, svo VIto *: Ni svo VIt, qvi em vinctvm habebit libras faRis endo dies dato: si volet, plvs dato.

Ni cum eo pacit, lx. dies endo vinculis retineto: Interibi trinis nundinis continuis in Comitium procitato, æriſque æſtimiam judicati prædicato.

Aſt ſi plures erunt rei, tertis nvndinis partis secanto: si plvs minvsve secvervnt, se fravdEsto: Si volent, uls Tiberim peregre venumdanto.

. . . .

. . . .

Margin notes: Gai. Lib. II. ad L. xii. Tab. cujus pars prior huic iii. Tabulæ reſpondebat.

* Gajus l. 234. in pr. ff. de V. S.

* confeſſis.

* locuples. Gajus l. 234. §. 1. ff. de V. S. Gajus l. 234. §. 2. ff. de V. S.

TABVLA IV. de Iure Patrio & Iure Connubii.

¶ de Jure PATRIO. PATER inſignem ad deformitatem puerum cito necato.

Endo * liberis juſtis jus vitæ necis venumdandique poteſtas ei eſto.

Si * pater * filivm ter vervmdVit, filivs a patre liber esto.

Si qui ei in x. mensibvs proximis poſtumus natus eſcit, juſtus eſto.

¶ de Jure CONNUBII.*

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

Margin notes: Gai. Lib. II. ad L. xii. Tab. cujus pars poſterior huic iv. Tabulæ reſpondebat.

* Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 2.

* patra ſit.

* ἀπὸ τῶν ..., ut exiſtimo, vox hæc ab Ulpiano repetita.

* Supplementum harum legum de Jure connubii repete ex Tab. xi. De Mulieris uſu agetur infra Tabula 6. de Repudio etiam extat lex quædam d. Tabula 6.

PARAPHRASIS TABULAE V.

Paterſamil. uti legem dixerit ſea prout diſpoſuerit de bonis ſuis & liberorum ſuorum tutela, itu poſt mortem ejus obſervator.

Ac ſi inteſtato moritur paterſumil. neque ei ſuus beret erit, tum agnatus proximus heres eſto: ſi agnatus non erit, tum gentias heres eſto.

Si libertus inteſtato decedat, aeque ſuum beredem reliquerit, ſed patroaum tautum vel etiam patroni liberos, tum liberti bona ex ejus familia in patroni fumiliam trunſlatu proximo in patroni familia uddicuntor.

Defuncto creditore vel debitore, ejus beredes pro portionibus bereditariis convenire & conveniri tautum poſſunt: ipſoque jure inter eos obligatio dividitur.
At caeterurum reram ſi volent beredes, diviſioem faciunto: ad eam diviſioarm Pruetor tres urbitros dato.

Si paterfamilias inteſtatas decedat, cui ſuas beres extabit impubes, agnatas proximus tutor bujus ſui beredis eſto.

Si quis furioſus aut prodigas eſſe incipiat, aeque is curatorem babeat, agnatorum, iiſque deficientibus gentilium curae tam ipſe quam ejus bona committuntor.

PARAPHRASIS TABULAE VI.

Cum dominus rei ſuae nexam faciet vel mancipium uti nominarit locutus pactaſve erit, ita jas eſto.

Statuliber ſub bac conditione liber eſſe juſſus, ſi hoc vel illud dederit, *ſi venditus poſtea fuerit, emptori dando liber eſto.*

Res vendita traditaque non ante emptori acqairatur, quam ab emptore venditori aliqua ratione ſatisfactum fuerit.

Fuadi biennio: caeterae res anno aſucapiuntor.

Malier, quamvis ſine legibus viro juncta, ſi viro anno ſine aſurpatione, id eſt interruptione trinoctii apud unum viram fuerit, uſucapta eſto.

Si de qua re ia jure apud Praetorem diſceptetur, ſecundum eum qui poſſidet Pruetor vindicias datu: excepta liberali cauſa, in qua ſecundum libertatem Praetor vindicias ſemper dato.

Omnis materia juncta aedibus uut vineae ne vindicator, neque ſolvitor; qui alienam junxit, duplo damnator: Certe abs ſoluta, demptaque fuerit, tum eam vindicare jas eſto.

Si vir ab axore divertere voluerit, caaſum divortii dicito;

Digitized by Google

TABVLA V. de Hæreditatibvs & Tvtelis.

1. de Teſtamento.

PATERFAMILIAS vti legaSit, super pecvniæ tvtelæve svæ rei, ita ivs esto.

2. de ſucceſſione ab Inteſtato.

Ast sI*ntestato moritvr, cvi sVs heres nec escit, acnatvs proximvs familiam habeto.

1. de Gentilitiis hæreditatibus

Si agnatvs nec escit, gentılis familiam heres nancitor.

2. de Libertorum bonis.

Si Libertus inteſtatò moritur, cui sVs heres nec eſcit, aſt patronus patronive liberi eſcint, ex ea familia in eam familıam, proximo pecuniADuitor.

3. Communia hæreditatum.

Nomina inter Herredes pro portionibus hereditarIs ercta, cita ſunto.

Ceterarum familiæ rerum ercto non cito ſi volent heredes erctvm citvm faciunto: Prætor ad erctvm ciendvm arbitros tris dato.

4. de legitimis Agnatorum, & Gentilium Tutelis.

Si paterfamilias inteſtatò moritur, culnpubes ſuus heres eſcit Agnatvs proximvs tvtelam nancitor.

Si fvriosvs avt prodigvs existat, ast ei cvstos nec escit, agnatorvm gentilivmqve in eo pecvniavEivs potestas esto.

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

Gai. Lib. III. ad L. XII. Tab. cujus pars prior huic V. Tabulæ reſpondebat.

* ἀπὸ τῶν ὄντων, verbum paterfamilias hic repetit auctor libri ad Herennium c. 13. & Cicero lib. 2. de Inventione. c. 50. quod tamen alii omittunt.

TABVLA VI. de Dominio et de Poſſessione.

1. de Nexu, Mancipio.

QVm * nexvm faciet mancipivmqve, vti lingva nvncvpaSit, ita ivs esto.

SInficias ierit, duplione damnator.

Statuliber, emptori dando, liber eſto.

Res Vendita transqvedata emptori non acquiritor, donicum ſatisfactum eſcit.

2. de Usu auctoritate, id eſt, de Uſucapione.

Vsvs avctoritas fvndi, biennivm:

Cæterarum rerum, aNVs vsvs esto..

Mulieris, quæ aNum matrimonI ergo apud virum remanſit, ni trinoctium ab eo uſurpandi ergo abeſcit, uſus eſto.

3. de Vindiciis. de jure poſſeſſionis.

Si qvIn ivre manvm conservnt, ſecundum eum qui poSidet:

Aſt ſi qui quem liberali cauſa manu adſerat, ſecundum libertatem Vindicias dato.

Tignvm ivnctvm Ædibvs vineæve ne concapEt ne solvito:

Aſt qui junxit, duplione damnator.

Tigna qvandoqve Sarpta, donec dempta ervnt, vindicare jus eſto.

4. de Repudiis.

Si vir mulieri Repudium miTere volet, cauſam dicito harumce unam, . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

Gai. Lib. III. ad L. XII. Tab. cujus pars poſterior huic VI. Tabulæ reſpondet.

* Gajus l. in traditionibus 48. ff. de pactis.

Gajus l. ſervi 235. in pr. ff. de V. S.

Gajus d. l. 235. §. fabros tignarios 1. ff. de V. S.

Gajus l. ſi ex Lege repudium 43. ff. ad l. Jul. de adulteriis.

PARAPHRASIS TABULAE VII.

Si quadrupes damnum dederit, dominus quadrupedis damni æſtimationem offerto: vel ſi malit, quadrupedem ipſam noxæ dato.

Si per injuriam damnum dederit, ... At ſi caſu, damnum ſolvito, praeſtato.

Qui fructus alienos, alienamve ſegetem incantamentis in alias terras tranſtulerit, pellexerit, vel ne creſcerent obligaverit. . . . .
Qui frugem induſtrialem, aratro videlicet partam, furtim noctu paverit, immaturam vel maturam ſecuerit, Cereri ſacer & devotus ſuſpendio necator. Impubes tamen ſi id fecerit, arbitrio Prætoris verberator, damnumque datum in duplum ſarcito.
Qui pecus in alienam ſegetem vel frugem immiſerit, paſcendi gratia. . . . . .

Qui ædes aut acervum frumenti juxta domum poſitum ſciens prudens dolo incenderit, vinctus verberatus igni necator: ſi vero caſu, id eſt, negligentia, damnum datum ſarcito: aut ſi minus idoneus ſit, levius caſtigator.

Si quis injuriam leviorem ſive re ſive verbis alteri fecerit, 25. aſſibus multator.

Si quis publice aliquem diffamaverit, eique convicium fecerit, vel carmen famoſum condiderit ad alterius injuriam ſeu infamiam, fuſtibus feriatur.

Si quis alteri membrum aliquod ruperit, ni cum eo paciſci velit, membrum ei pariter rumpere injuria affecto jus eſto.
Qui dentem ex gingiva excuſſerit libero homini, trecentis aſſibus multator: qui ſervo, CL.
Qui alicui actui teſtis adfuerit rogatus, vel libripens. ſi poſtea teſtimonium ferre detrectet, infamis habetor, neque ejus teſtimonium deinceps admittitor, neve ipſi teſtimonium dicatur.
Si quis falſum teſtimonium dixerit, ſaxo Tarpejo praeceps dejicitor.
Si quis hominem liberum dolo ſciens occiderit, capitalis criminis reus eſto.
Item, qui magico carmine ſeu incantamentis alium defixerit.
Item qui malum venenum fecerit dederitve.
Qui Parentem necaverit, capite obvoluto, culleo inſutus in aquam abjicitor.

Si tutor tutelam dolo malo gerat, ſuſpectum eum facere cuivis liceto: ſi quid de rebus pupilli furatus fuerit, cum finita fuerit tutela, duplum præſtato.
Si quis, quo tutior eſſet a vi & injuria, alterius ſeſe patrocinio commiſerit, patronus autem eum fefellerit, execrabilis eſto.

PARAPHRASIS TABULAE VIII.

Inter vicinorum ædificia ad circumeundi facultatem ſpatium vacuum duorum pedum & ſemis relinquitor.

Sodales, id eſt, collegiati (quorum certa fuerunt corpora) leges inter ſe ferre liceto quas volent, dummodo publicis legibus contrariæ non ſiat.

Spatium quinque pedum (quod vacuum inter duos agros erat ad acceſſum & circumductum aratri) uſucapere jus non eſto.

Si vicini de finibus diſceptent, decertent, Prætor dirimendæ controverſiae tres arbitros dato.

Si arbor ex vicini fundo in vicinum impendeat, arboris illius rami quindecim pedibus altius circumcidantur.

Si fructus e vicini arbore in vicini fundum cadat, domino arboris legere fructum jus eſto.

Si aqua pluvia opere manu facto nocere poterit, Prætor ad arcendam aquam ne noceat, tres arbitros dato: damni infecti nomine caveto.

Latitudo viæ, qua ſe recte porrigit via, octo pedum eſto: at ubi flexum eſt, ſedecim.

Si via ab iis qui vicina praedia viæ poſſident munita non ſit, jumentum agere quo quis velit jus eſto.

TABVLA VII. de Delictis.

de Pauperie.

SI QVADRVPES PAVPERIEM faxit, dominus noxi Æſtimiam oferto : ſi nolet, * quod noxit dato.

de Damno dato. 1. in genere.

SInjuria RVPITIAS . . . .

. . . .

Aſt ſi caſu, SARCITO.

2. Frugibus dato.

QVI FRVGES EXCANTASIT. . . . .

Qui Frugem aratro quæſitam furtim nox pavit ſecuitve, ſuſpenſus Cereri necator :

Inpubes Prætoris arbitratu verberator, noxiamque duplione decernito.

Qui Pecu ENDO ALIENO IMPESCIT. . . . .

. . . .

3. Incendio facto.

Qui ÆDES acervumve frumenti ad ÆDES poſitum dolo ſciens INCENSIT, vinctus * verberatus igni necator :

Aſt ſi caſu, NOXIAM SARCITO :

Si nec idoneus eſcit, levius caſtigator.

de Injuriis. 1. Levioribus.

SI QVINIVRIAM ALTERI FAXIT, XXV. ÆRIS POENÆ SVNTO.

2. Atrocibus. 1. Loco: ſeu publicis.

SI QVI PIPVLOCENTASIT, CARMENVE CONDISIT, QVOD INFAMIAM FAXIT FLAGITIVMVE ALTERI, fuſte ferito.

2. Re.

SI MEMBRVM RVPSIT, NI CVM EO PAICIT, TALIO ESTO.

de Falso. 1. Ψευδομαρτυρία. 2. Ψευδομαρτυρίας.

QVI OS IX GENETALI FVDIT LIBERO, CCC. SERVO, CL. ÆRIS POENÆ SVNTO.

QVI SE SIRI TESTARIER LIBRIPENSVE FVERIT, NI TESTIMONIVM FARIATVR, IMPROBVS INTESTABILISQVE ESTO.

Si falſum teſtimonium DICASIT, ſaxo deIcitor.

de Paricidio. 1. Hominis cujuſlibet.

Si qui hominem liberum dolo ſciens morti duit.

QVIVE MALVM CARMEN INCANTASIT, MALVMVENENVM faxit duitve, PARICIDA ESTO.

2. Parentis.

QVI PARENTEM NECASIT, CAPVT OBNVBITO, coleoque inſutus in profluentem mergitor.

de Fraude. 1. Tutor.

Si Tutor DOLO MALO gerat, vituperato *: quandoque finita tutela eſcit, furtum duplione luito.

2. Patroni.

PATRONVS SI * CLIENTI FRAVDEM FAXIT, SACER ESTO.

Right margin: GAI. LIB. IV. ad L. XII. Tab. cujus pars prior huic VII. Tabulæ reſpondet. * Ut Tab. I. *Si nolet, arceram ne ſternito.* Gajus *l. qui Ædes 9. ff. de incendio.* * Vinctus. Gajus *l. qui Venenum 236. in pr. ff. de V. S.* * vel arguto. * vel Si patronus.

TABVLA VIII. de Iuribus PRÆDIORVM.

•

1. de Jure Parietum.

AMBITVS PARIETIS, SESTERTIVS PES ESTO.

2. de Juribus Rusticorum prædiorum.

SODALES, legem * quam volent, dum ne quid ex publicâ coRompant, ſibi ferunto.

. . . .

1. de Jure Finium.

de FINIVM ratione lex * incerta, ad exemplum legis . . . . .

. . . . . Atticæ Solonis. . . . .

Intra V. P. æternAuctoritas eſto.

SI IVRGANT adfines, finibus regundis Prætor arbitros tris aDicito.

. . . . HORTVS . . . .

2. de Jure Poſſeſſionum.

. . . . HEREDIVM . . . .

. . . . TVGVRIVM . . . .

Si Arbor in vicini fundum inpendet, XV. P. altius ſublucator.

SI GLANS in EM caduca fiet, domino legere ius eſto.

3. de Jure Aquarum.

SI AQVA PLVVIA MANV NOCET, Prætor arcendæ aquæ arbitros tris aDicito, NOXÆQVE DOMINO CAVETOR.

4. de Jure Itinerum.

Via in poRecto VIII. P. IN AMFRACTO XVI. P. lata eſto.

SI VIA AMSEGETES IMunita eſcit, quà volet, iumentum agito.

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

Right margin: GAI. LIB. IV. ad L. XII. Tab. cujus pars poſterior huic VIII. Tabulæ reſpondebat. Gajus *l. ult. ff. de collegiis.* Hæc porro lex referri poſſit ad tabulam ſuper. 7. *de Delictis* de quo in *Notis.* * vel, pacionem. * Gajus *l. ult. ff. finium regundorum.* Hæc tria vocabula forte pertinent ad junctam illam legem *de finium ratione.*

PARAPHRASIS TABULAE IX.

In ſingulos homines leges juraque ne feruntor.

Nexo ſoluto, item ei, qui in fide conſtanter manſit, & ei, qui ſanata veluti mente ad obſequium rediit, jus idem eſto.

Si Judex aut arbiter jure datus ob rem judicandam pecuniam acceperit, capite luito.

De vita, libertate, civitate, familia adimenda civi Rom. populi judicium eſto Centuriatis Comitiis.

Judices rerum capitalium a populo conſtituuntor.

Si quis in urbe coitiones agitaverit, capite luito.

Si quis hoſtem in pop. Rom. ſeu patriam concitaverit, vel civem hoſti tradiderit, prodiderit, capite punitor.

PARAPHRASIS TABULAE X.

Hominem mortuum in urbe humare vel urere, jus ne eſto.

Sumptuoſa & magnifica funera & lamentabilia prohibentor.

Funerum modus qui nunc definietur deinceps eſto, neque eum excedere liceto.

Ligna ex quibus rogus comburendo cadaveri conſtruitur, dedolando ne lævigentur, ſed rudia & impolita ligna rogo adhibentor.
Tribus vinculis purpuræ, neque pluribus, componi vel uri mortuum, jus eſto: decem Tibicines neque plures funeri adhibere, jus eſto.
Mulieres ne genas unguibus dilanianto ſeu faciem carpunto.
Neque lugubrem ejulationem, ſeu fletum in funeribus adhibento.
Homini mortuo e cadavere membrum aliquod ne adimito, cujus cauſſa poſtea funus funeriſque impenſæ de novo iterentur, niſi ſi quis in bello mortuus eſſet, vel peregre.

Servorum cadavera ne unguntor. In funeribus epulæ omnes prohibentor.

Sumptuoſa aſperſio omnis in mortuum & rogum amovetor.

Ne longæ coronæ vel longæ coronarum ſeries, neve uræ thuri adolendo aliiſve odoribus funeri præferuntor.

Qui Coronam meruerit in ludicris, ſive ipſe, ſive ſervi ejus equive, in funere ob virtutem laudator: ipſique mortuo & ejus parentibus, & quandiu domi per novem dies collocatum eſt cadaver, & cum effertur, coronam illam imponi jus eſto.

Unius hominis cadaveri funus unum fiat, & unus lectus ſternitor.

Aurum a funere omnino removetor: excipitur aurum quo dentes vincti; id enim cum cadavere ſepelire aut urere jus eſto.

Rogum vel ſepulcbrum deinceps ædibus alienis domino invito propius 60. pedes admovere, jus ne eſto.

Veſtibulum ſepulchri, ſepulchrumve uſucapere, jus ne eſto.

TABVLA IX. de Iure Pvblico.

Gal. Lib. V. ad L. xii. Tab. cujus pars prior huic ix. Tabulæ reſpondebat.

1. de Æqualitate: & Juris æquitate.

PRivilegia ne inroganto.

Nexo solvto, forti sanati ſiremps jus eſto.

Si Judex Arbiterve jure datus, ob rem dicendam pecuniam aCepſit, capital eſto.

2. de Capite civis.

De capite Civis nisi per maximvm Comitiatvm ne fervnto.

QværSTORES paRicidI, qui de rebus capitalibus quærant, à populo creantor.

3. de Pace publica.

Si quIn urbe Cœtus nocturnos agitaSit, capital eſto.

Si qui perducLem concitaSic, civemve perdueLi transduit, capital eſto.

. . . .

TABVLA X. de Iure Sacro.

Gal. Lib. V. ad L. xii. Tab. cujus pars poſterior huic x. Tabulæ reſpondet. Cicero *lib. 2. de legibus c. 23.* * pro *jure removeto.*

1. de Jurejurando.

. . . . de ivreivrando . . . .

2. de Jure Sepulchrorum.

Hominem mortVm in vrbe ne sepelito, neve vrito.

SVMPTVS ET LVCTVM a Deorvm Manivm ivREmoveto *.

Hoc plvs ne facito.

Rogvm ascia ne polito.

Tribus riciniis, & x. Tibicinibus foris eFeRe jus eſto.

Mvlierei genas ne radvnto: Neve leSvm fvneris ergo habento.

Homini mortvo oSa ne legito, qvo post fvnvs facias, extra quam ſi beLi endove hoſtico mortVs eſcit.

Servilis vnctvra, omnisqve circvmpotatio auferitor.

Mvrata potio mortvo ne inditor.

Ne longæ coronæ, neve aceRæ præfervntor.

Qvi coronam parit ipse pecvniave, eivs virtvtis ergo, arovitor*: et ipsi mortvo parentibviqvEivs dvm intvs positvs escit forisvEFertvr se fravde imposita siet. * id eſt, honoratur.

Vni plura funera ne facito, neve plures lectos ſternito.

Neve avrvm aDito: ast si cvi avro dentes vincti escint, im cvm iLo sepelire, vREve se fravdEeito.

Rogum buſtumve noVm propius lx. P. ædis alienas, ſi dominus nolet, * ne adIcito. * Gajus *l. 217. ff. de V. S.*

Fori buſtive æternAuctoritas eſto.

PARAPHRASIS TABULAE XI.

Poſteriores populi leges prioribus potiores ſunto.

Inter Patricios & plebejos matrimonia ne contrahuntor.

PARAPHRASIS TABULAE XII.

Rem de qua controverſia eſt in ſacrum dedicare, ne jus eſto: qui dedicaverit, dupli poena multator.

Mala fide poſſeſſionem ſi quis nactus ſit, Praetor ei rei definiendae tres arbitros dato: eorumque arbitrio malae fidei poſſeſſor fructus in duplum praeſtato.

Si ſervus domino ſciente furtum fecerit, damnumve aliter dederit, Dominus eum pro delicto, injuria vel damno affecto dedito.

TABVLA XI. Supplementum V. Priorvm Tabul.

Gai. Lib. VI. ad L. xii. Tab. cujus pars prior huic xi. Tabulæ reſpondet.

Qvod postremvm popvlvs ivSit, id ivs ratvm esto.

Qvartæ Tabulæ ſupplementum.

Patribus cum plebe * coNubI jus nec eſto.

Gajus l. 238 in pr. ff. de V. S. Dionyſius Halicarn. ſine libr. 10. Zonaras Tomo 2.

. . . .

. . . .

Qvintæ Tabulæ ſupplementum.

. . . . Detestatvm
ſeu de Sacris Detestandis

Gajus l. 238. §. 1. ff. de V. S.

. . . .

. . . .

. . . .

TABVLA XII. Supplementum V. Poster. Tab.

Gai. Lib. VI. ad L. xii. Tab. cujus pars poſterior huic ultimæ Tabulæ reſpondet.

Sextæ Tabulæ ſupplementa.

. . . .

. . . .

. . . . . . de Pignore. . . . .

Si qui rem, de quâ ſtlis ſiet, in ſacrum delicaSit, duplione decidito.

Gajus l. 238. §. 2. ff. de V. S.

Si vindiciam falsam tvlit, Prætor rei sive stlitis arbitros tris dato: eorvm arbitrio frvcts dvplione decidito.

Gajus l. ult. ff. de litigioſis.

Septimæ Tabulæ ſupplementum.

Si servvs sciente domino fvrtvm farit, noxiamve norit, noræ dedito.

Gajus l. 19. ff. de uſuris & fructib. Gajus l. 238. §. 3. ff. de V. S.

. . . .

. . . .

Octavæ Tabulæ ſupplementum.

. . . .

. . . .

Nonæ Tabulæ ſupplementum.

. . . .

. . . .

Decimæ Tabulæ ſupplementum.

. . . .

. . . .

CAPUT I.

QUO HISTORIA LEGIS XII. TAB. CONTINETUR.

Synopſis, ſeu Breviarium hujus capitis.

A*Nno ab Urbe condita.*

ccc. *Sp. Tarpejo, & A. Aeternio Coſſ.*

Legati *tres Athenas, & ad alias Graeciae civitates, legibus afferendis, miſſi.* Livius *lib.* 3. *cap.* 31. Dionyſius *lib.* 10. *pag.* 676. Caſſiodorus *in Chronico.*

ccci.

cccii, *C. Menenio. P. Sextio Coſſ.*

Legati cum Atticis legibus revertuntur. Livius *lib.* 3. *cap.* 32. Dionyſius *lib.* 10. *pag.* 678.

ccciii. Decemviri *Legibus ſcribendis creantur.* Livius *lib.* 3. *cap.* 32. Dionyſius *lib.* 10. *pag.* 679. *Perperam* Euſebius *Chronico, eum ſecutus* Oroſius *lib.* 2. *cap.* 13. *id in annum* ccc. *rejiciunt, triennii prochroniſmo.* Eutropius *lib.* 1. *in annum ſuperiorem, id eſt, trecenteſimum & alterum ab urbe condita.*

Decem Tabulae proponuntur: deinde & Centuriatis Comitiis perferuntur. Livius *lib.* 3. *cap.* 34. Dionyſius *lib.* 10. *pag.* 680.

ccciv. *Duae Tabulae ad prioris anni decem Tabulas adjiciuntur.* Livius *lib.* 3. *cap.* 37. Dionyſius *lib.* 10. *pag.* 681. Pomponius *l.* 2. §. 4. *de Orig. juris.*

cccv. Duodecim *Tabulae in aes inciſae in publico proponuntur.* Livius. *lib.* 3. *cap* 57.

NARRATIONES VETERUM SCRIPTORUM DE XII. TABULARUM LEGISLATIONE.

Diodorus Siculus *Bibliothecae Hiſtoricae libro* xii. *pag.* 300.

ATHenis Principatum tenente Praxitele, octuageſima quarta Olympias celebrata eſt. Romae autem Decemviri novis legibus ſcribendis creantur. Publius * Claudius Regillanus, Titius Minucius †, Sp. Veturius, Gajus Julius, Gajus ‡ Sulpitius, Publius Seſtius, Romilius, Spurius, Poſtumius, Calvinius. Hi leges condiderunt. *Et poſt* : Athenis archonte Lyſania, Romani rurſus Decemviros perferendis legibus creant: Appium Claudum, Marcum Cornelium, L. Minucium, C. Sergium, Quintum, Publium, Manium, Rabulejum, Spurium, Veturium. Verum hi leges abſolvere non potuere. Nam unus ex horum collegio amore virginis cujuſdam nobilis, ſed tenuis fortunae, exarſit. Principio igitur illam precio corrumpere adortus eſt. *Et pag.* 301. Archonte Athenis Diphilo Romae Coſſ. creantur, M. Horatius & L. Valerius Turpinus. Hi leges ſeditione interpellatas tandem pertulerunt. Duodecim enim tabularum, uti vocant, decem ſolummodo perfectae erant, *duas igitur reliquas* Coſſ. ſupplevere. *Jura igitur P. R. ſic abſoluta* xii. *Tabulis aeneis inciderunt, eaſque pro Curia roſtris adfixere.* Et haec legum deſcriptio brevis admodum, omniſque verborum apparatus expers, ad hanc noſtram tempeſtatem perdurat. *Hactenus* Diodorus.

* Appius
† Genucius
‡ Serv.

Livius *libro* iii. *capp.* 31. 32. 33. 34.

A. u. c. ccc.

SP. Tarpejo, A. Aeternio Conſulibus abjecta lege *, quae promulgata conſenuerat, Tribuni lenius agere cum Patribus: *Finem tandem certaminum facerent, ſi plebejae leges diſplicerent: at illi communiter legumlatores & ex plebe, & ex patribus, qui utriſque utilia ferrent, quaeque aequandae libertatis eſſent, ſinerent creari.* Rem non aſpernabantur Patres, *daturum leges neminem niſi ex Patribus* ajebant: Cum de Legibus convenirent, de latore tantum diſcreparet: *miſſi Legati Athenas, Sp. Poſthumius Albus, A. Manlius, P. Sulpitius Camerinus,* juſſique inclytas leges Solonis deſcribere; *& aliarum Graeciae civitatum inſtituta, mores, juraque noſcere.* ¶ Ab externis bellis quietus annus fuit, quietior inſequens, A. u. c. ccci. *P. Curiatio, & Sex. Quintilio Conſulibus,* perpetuo ſilentio Tribunorum; quod primo Legatorum, qui Athenas ierant, *legumque peregrinarum expectatio* praebuit. Deinde duo ſimul mala ingentia exorta, fames, peſtilentiaque faeda homini, faeda pecori. Vaſtati agri ſunt: urbs aſſiduis exhauſta funeribus multae & clarae lugubres domus. Flamen Quirinalis Ser. Cornelius mortuus, Augur C. Horatius Pulvillus: in cujus locum C. Veturium eo cupidius, quia damnatus a plebe erat, augures legere. Mortuus Conſul Quintilius: quatuor Tribuni plebis: multiplici clade faedatus annus. Ab hoſte otium fuit. ¶ Inde *Conſules C. Menenius. P. Sextius Capitolinus,* A. u. c. cccii. neque eo anno quicquam belli externi fuit: domi motus orti. Jam redierant Legati *cum Atticis* legibus; eo intentius inſtabant Tribuni, ut tandem ſcribendarum legum initium fieret. Placet creari Decemviros, ſine provocatione, & ne quis eo anno alius magiſtratus eſſet. Admiſcerenturne plebeji, controverſia aliquandiu fuit. Poſtremo conceſſum Patribus: modo ne lex Acilia de Aventino, aliaeque ſacratae leges abrogarentur. *Anno trecenteſimo altero* quam condita Roma erat, iterum mutatur forma civitatis, ab Conſulibus ad Decemviros, quemadmodum ab Regibus ante ad Conſules venerat, tranſlato imperio. Minus inſignis, quia non diuturna mutatio fuit: laeta enim principia Magiſtratus ejus nimis luxuriavere. Eo citius lapſa res eſt, repetitumque, duob. uti mandaretur Conſulum nomen imperiumque. Decemviri creati A. Claudius, T. Genutius, P. Sextius, L. Veturius, C. Julius, A. Manlius, P. Sulpitius, P. Curiatius, T. Romulius, Sp. Poſthumius. A. u. c. ccciii. Claudio & Genutio, quia deſignati Conſules in eum annum fuerant, pro honore honor redditus & Sextio alteri Conſulum *prioris anni*, quod eam rem collega invito ad Patres retulerat. His proximi *Legati tres habiti*, *qui Athenas* ierant; ſimul ut pro legatione tam longinqua praemio eſſet honos: ſimul *peritos legum peregrinarum ad condenda nova jura uſui fore* credebant: ſupplevere caeteri numerum. Graves quoque aetate electos noviſſimis ſuffragiis ferunt, quo minus ferociter aliorum ſcitis adverſarentur. Regimen totius Magiſtratus penes Appium erat favore plebis: adeoque novum ſibi ingenium induerat, ut plebicola repente omniſque aurae popularis captator evaderet pro truce ſaevoque inſectatore plebis. Decimo die jus populo ſinguli reddebant: eo die penes praefectum juris faſces duodecim erant, collegis novem ſinguli accenſi apparebant: & unica concordia inter ipſos, qui conſenſus privatis interdum inutilis eſſet, ſumma adverſus alios aequitas erat. Moderationis eorum argumentum, exemplo unius rei notaſſe ſatis erit. Cum ſine provocatione creati eſſent: defoſſo cadavere domi apud P. Sextium, Patriciae gentis virum, prolatoque in concionem, in re juxta manifeſta & atroci C. Julius Decemvir diem Sextio dixit, & accuſator ad populum extitit, cujus rei legitimus judex erat: deceſſitque jure ſuo, ut demtum de vi magiſtratus, populi libertati adjiceret. Cum promptum hoc jus velut ex oraculo, incorruptum pariter ab his ſummi, infimique ferrent, tamen legibus condendis opera dabatur: ingentique hominum expectatione *propoſitis decem tabulis* populum ad concionem advocaverunt: &, *Quod bonum, fauſtum, felixque Reipub. ipſis liberiſque eorum eſſet, ire, & le-*

* Agraria.

gere leges propoſitas juſſere: ſe, quantum decem hominum ingeniis provideri potuerit, omnibus ſummis, infimiſque jura aequaſſe: plus pollere multorum ingenia conſiliaque: verſarent in animis ſecum unamquamque rem: agitarent deinde ſermonibus, atque in medium, quid in quaque re plus minuſve eſſet, conferrent: eas leges habiturum populum Romanum, quas conſenſus omnium inveniſſe, nec juſſiſſe latas magis, quam tuliſſe videri poſſet. Cum ad rumores hominum de *unoquoque legum capite* edito, (Capita legis.) ſatis *correctae* viderentur, Centuriatis comitiis decem Tabularum leges perlatae ſunt: *Qui nunc quoque, hoc immenſo* aliarum ſuper alias acervatarum legum cumulo, fons omnis publici privatique eſt juris. *Hactenus* Livius.

Dionysius Halicarnasseus *libro* x. *a pag.* 674.

A. u. c. ccc. SP. Tarpejo & A. Terminio Coſſ. Conſules de Legibus quas Tribuni in communem totius P. R. uſum, & in perpetuum ſervandas ſcribi maximo ſtudio cupiebant, cognitionem ſenatui permiſerunt. Multae tamen ab optimis viris ſententiae in utramque partem ſunt dictae: quarum aliae eo ſpectabant, ut leges ferendae impedirentur: aliae eas ferri ſinebant. Tamen praeter omnium tum patriciorum tum plebejorum opinionem vicit T. Romilii ſententia, qua plebis commoda praeferenda cenſebat utilitati eorum, qui dominationi paucorum favebant. Verba *ex oratione Romilii* (*pag.* 676) In ſumma vobis ſuadeo, ut legatos eligatis, & partim in Graecas urbes, quae ſunt in Italia, partim Athenas mittatis, qui leges optimas & noſtris moribus ac inſtitutis maxime convenientes a Graecis petant atque huc ferant. Illis vero reverſis, Conſules ad Senatum referant de Legiſlatoribus eligendis, & de eorum imperio, quodnam ſit futurum. His a Romilio dictis uterque Conſul in ejus ſententiam ivit. Facto autem SCto, ac per plebiſcitum poſtea confirmato, Legati legum a Graecis petendarum cauſa creati ſunt, Sp. Poſthumius, Sex. Sulpitius, A. Manlius: quibus triremes cum omnibus ornamentis, quae amplam Romani Imperii majeſtatem ſatis indicare poterant, ex aerario aſſignatae ſunt. Et annus ille abiit. Expletus etiam annus ccci. A. u. c. P. Horatio, & Sex. Quintil. Coſſ. &c. (*pag.* 678) ¶ Conſules creati L. Menenius, P. Seſtius. Eodem tempore reverſi ſunt *Legati cum* (A. u. c. cccii.) *legibus quas afferebant Athenis, & ex aliis Graecis urbibus, quae in Italia erant:* moxque Tribuni plebis Conſules adierunt, poſtularuntque ex SCto *legumlatores* crearentur. Illi vero cum neſcirent, quonam modo eos continuis precibus ſe obtundentes, ablegarent, quique rem eam moleſte ferrent, nec dominatum optimatum vellent tollere, honeſtam ac ſpecioſam cauſam praetexentes rem diſtulerunt. Dixerunt enim Comitiorum tempus inſtare, & Conſules ſibi prius deſignandos, eoſque brevi creatum iri. Deſignatis vero Conſulibus dixerunt ſe una cum illis *de Legumlatoribus ad Senatum relaturos.* Tribuniſque id concedentibus indictis Comitiis longe maturius ſolito Conſules deſignarunt Appium Claudium, & T. Genucium. Deinde depoſita omni Reipub. cura, quaſi ad alios jam haec pertineret, Tribunis aures amplius non praebebant. Tribuni cum non haberent quo ſe verterent, ad Appium & collegam ejus, qui nondum inierant magiſtratum, confugere ſunt coacti, eoſque modo pro concione rogabant, modo cum ſolis privatim agebant: tandemque eos vicerunt, ac rem ipſis perſuaſerunt, magna honoris ac potentiae ſpe illis propoſita, ſi plebis partes ſequuti fuiſſent. (*pag.* 679) Cupiditas enim novi magiſtratus capeſſendi Appium invaſerat, ut & leges concordiae ac pacis patriae ferret civibuſque auctor eſſet, ut omnes eam unam communemque patriam exiſtimarent. Cum rem collegae perſuaſiſſet, ſaepius ad concionem a Tribunis vocatus, progreſſus multas & populares conciones habuit. Capita autem ejus concionum haec erant: ut *Leges ferrentur*, & cives de Juris aequabilitate inter ſe ſeditioſe contendere deſinerent, tam ſibi quam collegae ſummopere placere, ſeque ſuam ſententiam aperte dicere, ſignificabant. Creandorum vero Legiſlatorum nullam ſe habere poteſtatem, quod magiſtratum nondum iniiſſent: ſed Menenio ejuſque collegae Senatusconſultum exequentibus ſe non ſolum non adverſaturos, ſed etiam illos adjuturos, ipſiſque magnam gratiam habituros. Quod ſi tergiverſarentur, & magiſtratum praetexentes ſe excuſarent, dicentes ſibi non licere alios magiſtratus imperium conſulare habituros creare, novis jam deſignatis, & populi ſuffragiis in iſto munere jam confirmatis, ſe quominus id facerent, illis impedimento non futuros: ſe enim ultro ceſſuros aliis qui in ſuum locum electi eſſent, ſi modo & Senatui ita videretur. Populo autem egregiam eorum voluntatem collaudante, & omnibus confertim in Curiam irrumpentibus, Seſtius Senatum convocare ſolus coactus (quia Menenius collega morbo impeditus, intereſſe non poterat) de Legibus ad patres retulit. Ergo tunc etiam multa hinc inde verba facta ſunt, tam ab illis, qui ſuadebant, ut Civitas *legibus* regeretur, quam ab iis, qui *patrios mores* ſervandos cenſebant. Sed ſententia Conſulum in proximum annum deſignatorum vicit, quam Appius Claudius primo loco rogatus dixit, *Ut Decemviri Senatorii ordinis nobiliſſimi eligerentur.* Tribuni accepto hoc SCto in concionem progreſſi, eoque apud populum recitato, Senatum Appiumque ejus ſententiae authorem multis laudibus extulerunt. (*pag.* 680.) Deinde ubi dies Comitiorum venit, Tribuni populo ad concionem vocato, Conſules quoque deſignatos adeſſe juſſerunt, ut promiſſa populo praeſtarent, atque illi in medium progreſſi Conſulatu ſe abdicarunt. Hos populus vehementer laudavit admiratuſque eſt. Et cum *Legum condendarum gratia Decemviri creandi eſſent*, eos primos elegit. Creatique ſunt Centuriatis Comitiis App. Claudius, T. Genucius, qui in annum proximum Conſules deſignati fuerant, & cum his P. Seſtius illius anni Conſul: & tres legati, qui leges a Graecis attulerunt, P. Poſthumius, Sex. Sulpicius, A. Manilius: & unus ex ſuperioris anni Conſulibus, T. Romilius qui a Siccio accuſatus, & populi judicio damnatus, tunc tamen ſententiae popularis auctor fuiſſe videbatur: & ex reliquis Senatoribus C. Julius, T. Veturius, & P. Horatius, omnes Conſulares: Tribunorum vero, Aedilium Quaeſtorum, & ſi qui alii patricii Magiſtratus Romae erant, abrogati ſunt.

Anno ſequenti *Decemviri legum condendarum cauſa creati*, aſſumptis Reipub. gubernaculis (*pag.* 681.) A. u. c. ccciii. leges conſcriptas tum ex Graecorum jure, tum ex ſuis moribus non ſcriptis, in X. Tabulis cuilibet cognoſcendas propoſuerunt, omnino privatorum correctionem admittentes & hoc agentes, ut leges ſcriptae omnibus placerent. Diuque in publico cum optimis quibuſque viris de iis legibus conſultarunt, eas accuratiſſime examinantes. Ubi vero leges ſcriptae viſae ſunt ſatis bene habere, primum coacto Senatu, nemine amplius eas leges reprehendente, Senatusconſultum de ipſis fecerunt. Deinde populo ad Comitia Centuriata convocato, Pontificibus, Auguribus, aliiſque ſacerdotibus praeſentibus & re divina ex eorum praeſcripto de more facta, centurias in ſuffragia miſerunt. Leges autem, plebiſcito quoque confirmatas, & in aereis columnis inciſas, in loco fori maxime conſpicuo ordine diſpoſitas propoſuerunt. Et cum de annuo eorum magiſtratu non multum ſupereſſet, convocatis patribus ad eos de Comitiis retulerunt, ut conſultarent de Magiſtra-

tibus creandis, & viderent quinam creandi eſſent. *Hactenus* Dionyſius Halicarnaſſeus.

TACITUS *lib.* III. *Annalium cap.* 27. *Juris Romani Principia repetens.*

CReati Decemviri, & accitis quae uſquam egregia, compoſitae XII. Tabulae, finis aequi juris.

POMPONIUS *libro ſingulari Enchiridii l.* 2. *D. de Orig. Jur.*

§. 3. EXactis Regibus lege Tribunicia omnes leges [Regiae] hae exoleverunt: iterumque coepit P. R. incerto magis jure, & conſuetudine ali, quam per latam legem: idque prope XX. annis paſſus eſt. §. 4. Poſtea ne diutius hoc fieret: placuit publica authoritate Decem conſtitui viros, per quos peterentur * leges a Graecis civitatibus, & civitas fundaretur legibus, quas in Tabulas Eboreas proſcriptas, pro roſtris compoſuerunt, ut poſſent leges apertius percipi. Datumque eſt eis jus eo anno in civitate ſummum: uti leges & *corrigerent ſi opus eſſet, & interpretarentur*: neque provocatio ab eis, ſicut a reliquis magiſtratibus, fieret. Qui ipſi animadverterunt *aliquid deeſſe iſtis primis legibus*: ideoque *ſequenti anno* alias duas ad eaſdem Tabulas adjecerunt, & ita ex accidentia appellatae ſunt *Leges* XII. *Tabularum*: quarum ferendarum auctorem † fuiſſe Decemviris Hermodorum quendam Epheſium, exulantem in Italia, quidam retulerunt. §. 5. His legibus latis, coepit, ut naturaliter evenire ſolet, ut Interpretatio deſideraret Prudentium authoritate ‡, neceſſariam eſſe *Diſputationem fori*. Haec diſputatio & hoc jus quod ſine ſcripto venit, compoſitum a Prudentibus, propria parte aliqua non appellatur, ut caeterae partes juris ſuis nominibus deſignantur, ſed communi nomine appellatur *Jus Civile*. §. 6. Deinde ex his legibus eodem tempore fere Actiones compoſitae ſunt: quibus inter ſe homines diſceptarent, quas actiones ne populus prout vellet, inſtitueret, certas ſolemneſque eſſe voluerunt; appellatur haec pars juris, *Legis actiones*, id eſt, legitimae actiones. Et ita eodem pene tempore tria haec jura nata ſunt, *Leges duodecim tabularum*: ex his fluere coepit *Jus civile*: ex iiſdem, *Legis actiones* compoſitae ſunt. *Omnium tamen harum* & interpretandi ſcientia & actiones apud collegium Pontificum erant: ex quibus conſtituebatur quis quoque anno praeeſſet privatis, & fere populus annis prope centum hac conſuetudine uſus eſt, *l.* 2. §. 3. 4. 5. 6. *D. origine juris. Et poſt.* §. 12. Ita in civitate noſtra, aut Jure, id eſt, *Lege* conſtituitur: aut eſt proprium Jus civile, quod ſine ſcriptura in ſola Prudentium interpretatione conſiſtit: aut ſunt Legis actiones, quae formam agendi continent &c. *Et poſt.* §. 24. Virginius cum animadvertiſſet, Appium Claudium contra jus (quod *ipſe ex vetere jure in* XII. *Tabulas* tranſtulerat) vindicias filiae ſuae a ſe abdixiſſe. *Et poſt.* §. 36. *de his qui Juris civilis ſcientiam profeſſi erant, verba faciens.* Fuit in primis peritus P. Papirius, qui leges Regias in unum contulit. Ab hoc Appius Claudius unus ex Decemviris, cujus maximum conſilium in XII. Tabulis ſcribendis fuit. *Hactenus* Pomponius.

* *Petierunt* leges tres tantum. At decem, pertulerunt. Eodem modo, Servius ad *v.* 695. *lib.* 7. *Aeneid.* ait: Populum Romanum miſſis Decemviris a Faliſcis jura fecialia & nonnulla ſupplementa XII. Tabul. accepiſſe.

† id eſt *Interpretem*, Plinius *lib.* 34. *cap.* 5. v. locum inf.

‡ Boetius *lib.* 3. *Comment. ad Topica* Ciceron. Juriſperitorum Auctoritas eſt, eorum qui ex XII. Tab. vel ex Edictis Magiſtratuum Jus Civile interpretati ſunt, probatae civium judiciis creditaeque ſententiae.

SEX. AURELIUS VICTOR *De viris illuſtribus, cap.* 21. *in Virginio.*

POpulus Romanus cum ſeditioſos Magiſtratus ferre non poſſet, Decemviros legibus ſcribendis creavit, qui eas ex libris Solonis tralatas XII. Tabulis expoſuerunt.

OROSIUS *libro* II. *cap.* 13.

ANnus qui proximus trecenteſimo Ab u. c. fuit, dum Legati ad *Athenienſes propter Solonis leges* deferendas miſſi expectantur, arma Romana fames peſtilentiaque compeſcuit. Ipſo autem ccc. anno, hoc eſt Olympiade xxc. poteſtas Conſulum Decemviris tradita conſtituendarum *legum Atticarum* gratia magnam perniciem Reipubl. invexit. Nam primus ex Decemviris, cedentibus caeteris, ſolus App. Claudius ſibi continuavit Imperium. Statimque aliorum conjuratio ſubſecuta eſt, ut more contempto, quo inſigne imperii penes unum, poteſtas autem communis erat, omnes omnia propriis libidinibus agitarent. Itaque inter caetera quae inſolentiſſime cuncti praeſumebant, repente ſinguli cum duodenis faſcibus caeteriſque imperii inſignibus proceſſerunt, & novo improbae ordinationis incepto ablegata religione Conſulum, emicuit agmen tyrannorum: *Duabus tabulis legum ad decem* prioris additis, agentes inſolentiſſimo faſtu plurima. *Hactenus* Oroſius.

CASSIODORUS *Chronico. Sp Tarpejus & A. Aternius.*

HIs Coſſ. Legati Athenas miſſi ad leges deſcribendas.

ISIODORUS *Originum lib.* 5. *cap.* 1.

CUm populus ſeditioſos Magiſtratus ferre non poſſet, Decemviros legibus ſcribendis creavit, qui leges *ex libris Solonis in Latinum ſermonem tranſlatas* XII. Tabulis expoſuerunt. Fuerunt autem hi, Appius Claudius, Genutius, Veturius, Julius, Manilius, Sulpitius, Sextus, Curiatius, Romelius, Poſthumius. Hi Decemviri legum conſcribendarum electi ſunt.

ZONARAS *Tomo* II. *pag.* 27. (*al. lib.* 7. *cap.* 18)

ROmani omiſſis mutuis criminationibus, Rempublicam aequabiliorem efficere decreverunt. Ac tres *viros in Graeciam* ad illorum leges & inſtituta cognoſcenda ablegarunt: quibus allatis Tribunatum & alios quoſdam magiſtratus abrogarunt, eorumque A. U. C.
loco viros octo principes delegerunt: illoque anno CCCII.
Appium Claudium & Titum Genutium Praetores cum ſummo imperio crearunt, data poteſtate condendi leges: hoc adjecto, ne ab eis provocatio eſſet: id quod prius nonniſi Dictatoribus conceſſum fuit. Hi per vices imperarunt: ſinguli in dies ſingulos magiſtratus inſignibus ornati. Et leges a ſe conſcriptas in foro propoſuerunt: quas cum omnibus probaſſent, ad populum tulerunt, ſancitaque in x. Tabulas retulerunt. Quae enim digna cuſtodia judicabant, in tabellis aſſervabant. Ac illi an- A. U. C.
no exacto, magiſtratu abierunt: quibus *alii Decem* CCCIV.
cum ſucceſſiſſent, ita ſe geſſerunt, quaſi evertendae Reipublicae cauſa delecti eſſent. Sero tandem ſub anni fere finem, pauca quaedam *in duas Tabulas*, ſuapte authoritate, adſcripſerunt, non ad concordiam,

ſed ad majores diſſenſiones pertinentia. XII. igitur Tabulae ſic confectae ſunt.

CAPUT II.

DE INTERPRETE HERMODORO.

Plinius *lib* XXXIV. *cap.* 5.

ANtiquior columnarum (id eſt, ſtatuarum in columna) fuit C. Menii. *Et poſt:* Fuit & Hermodori Epheſii in Comito, *Legum, quas Decemviri ſcribebant, Interpretis,* publice dicata.

Pomponius *l* 2. §. 4. *π. de Origine juris.*

ET ita ex accidentia appellatae ſunt Leges XII. Tabularum. Quarum * ferendarum Auctorem fuiſſe Decemviris Hermodorum quendam Epheſium exulantem in Italia, quidam retulerunt.

* Eſt qui ad duas poſteriores tantum Tabulas haec Pomponii verba referenda putat. Quem refutat ſuperior Plinii locus.

Strabo *lib.* XIV. *Geograph. pag.* 642.

ἌΝδρες δ᾽ ἀξιόλογοι γεγόνασιν ἐν αὐτῇ Ἡράκλειτος, καὶ Ἑρμόδωρος. περὶ οὗ ὁ αὐτὸς οὗτος φησίν. Ἄξιον Ἐφεσίοις ἡβηδὸν ἀπάγξασθαι οἵτινες Ἑρμόδωρον ἄνδρα ἑωυτῶν ὀνήϊστον ἐξέβαλον φάντες. Ἡμέων μηδεὶς ὀνήϊστος ἔστω. Εἰ δὲ μὴ, ἄλλη τε καὶ μετ᾽ ἄλλων. Δοκεῖ δ᾽ οὗτος ὁ ἀνὴρ νόμους ΤΙΝΑΣ ΡΩΜΑΙΟΙΣ ΣΥΓΓΡΑΨΑΙ. id eſt, *Viri in ea* [*Epheſo*] *memorabiles nati ſunt. Heraclitus & Hermodorus: de quo idem ille ſic ſcribit. Digni ſunt Epheſii, qui in puerum uſque omnes ſtrangulentur, quod Hermodorum virum inter ipſos frugi ejecerunt, ad dito: Nemo noſtrum frugi eſto, aut alibi id eſto, & inter alios. Is Hermodorus videtur quaſdam* leges Romanas ſcripſiſſe.

Hunc locum exponit etiam Cicer. *lib.* 5. *Tuſc. cap.* 37.

Heraclitus *ad Hermodorum,*

ὌΝαρ ἐδόκουν τοὺς σοὺς νόμους τὰ παρὰ πάσης τῆς οἰκουμένης διαδήματα προσιέναι, καὶ κατὰ τὸ ἔθος τῶν Περσῶν ἐγκλίνοντας τὸ σῶμα προσκυνεῖν αὐτούς: οἱ δὲ πάντα σεμνοὶ καθειστήκεσαν. *Viſio mihi, omnia orbis terras diademata venire ſalutatum Leges tuas, & Perſarum more, ore eluſo eas adorare: illas autem perſtare in ſtatu majeſtatis pleno.*

CAPUT III.

DE POSTERIORIBUS DVABVS TABVLIS.

Livius *lib.* III. *cap.* 34. *&* 37.

VUlgatur deinde rumor, duas deeſſe Tabulas, quibus adjectis abſolvi poſſe, velut corpus omnis Romani juris. Ea expectatio, cum dies Comitiorum appropinquaret, deſiderium Decemviros iterum creandi fecit. *Et cap.* 37. Jam & proceſſerat pars major anni, & duae Tabulae legum ad prioris anni decem Tabulas erant adjectae, nec quicquam jam ſupererat, ſi hae quoque leges Centuriatis Comitiis perlatae eſſent, cur eo Magiſtratu *Reip. opus eſſet.*

A. U. C. CCCIV.

Diodorus *lib.* XII. *pag.* 301.

Τῶν καλουμένων δώδεκα πινάκων οἱ μὲν δέκα συντελέσθησαν, τοὺς δὲ ὑπολειπομένους δύο ἀνέγραψαν οἱ ὕπατοι. id eſt, *Duodecim quas vocant, Tabularum, decem quidem abſolutas erant, duas autem reliquas Coſſ.* [M. Horatius & L. Valerius Potitus] *adjecerunt.* Imo, Decemviri. Similis alter Diodori ab aliis diſſenſus circa tempus. Ait enim is tabulas duas acceſſiſſe non proximo, ſed altero ſequente anno.

Dionysius Halicarn. *lib.* x. *pag.* 681.

ΠΟλλῶν δὲ λεχθέντων, ἐνίκησεν ἡ γνώμη τῶν παραινούντων δεκαρχίαν αὖθις ἀποδεῖξαι τῶν κοινῶν κυρίαν. ἈΤΕΛΗΣ ΓΑΡ Η ΝΟΜΟΘΕΣΙΑ ἐφαίνετο, ὡς ἂν ἐξ ὀλίγου συντεθεῖσα χρόνου. *Et pag.* 682. Ἄππιος ἀποδείκνυται πάλιν ἐν ἀρχαιρεσίαις λοχίτισι νομοθέτης τὸ δεύτερον. σὺν δὲ αὐτῷ Κόιντος μὲν Φάβιος ὁ καλούμενος Οὐιβολανός, Μάρκος Σερουίλιος, καὶ Λεύκιος Μινύκιος, καὶ Τίτος Ἀντώνιος, καὶ Μάνιος Ῥαβολήιος: ἐκ δὲ τῶν δημοτικῶν Κόιντος Ποιτίλιος, καὶ Καίσων Δουίλιος, καὶ Σπόριος Ὄππιος. *Et pag.* 684. Ἐν δὲ τῷ κατόπιν ἔτει οἱ περὶ τὸν Ἄππιον, τοὺς ΛΟΙΠΟΥΣ ΣΥΓΓΡΑΨΑΝΤΕΣ ΝΟΜΟΥΣ ἘΝ ΔΕΛΤΟΙΣ ΔΥΣΙ, ΚΑΙ ΤΑΥΤΑΣ ΤΑΙΣ ΠΡΟΤΕΡΟΝ ΕΞΕΝΕΧΘΕΙΣΑΙΣ ΠΡΟΣΕΘΗΚΑΝ. ἐν αἷς καὶ ὅδε ὁ νόμος ἦν, μὴ ἐξεῖναι τοῖς πατρικίοις πρὸς τοὺς δημοτικοὺς ἐπιγαμίας συνάψαι, δι᾽ οὐδὲν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἕτερον, ἢ τὸ μὴ συνελθεῖν εἰς ὁμόνοιαν τὰ ἔθνη γάμων ἐπαλλαγαῖς καὶ οἰκειοτήτων κοινωνίᾳ συγκραθέντα. id eſt, *Poſt multas autem ſententias hinc inde dictas, ea vicit, quae cenſebat, Decemviros iterum creandos, totiuſque Reip. ſummam illis committendam. Videbatur enim aliquid deeſſe legum numero propter brevitatem temporis quo fuerant conditae.* Eſt poſt: *Appius rurſus Centuriatis Comitiis Legiſlator creatus eſt, & cum eo Q. Fabius Vibulanus, qui ter Conſulatum geſſerat, vir omni virtute praeditus, & ad eum uſque diem inculpatus: ex reliquis vero Patriciis quos ille charos habebat, M. Cornelius, M. Servilius, L. Minutius, T. Antoninus, Manius Rabulejus, viri non admodum clari. Ex plebejis vero, Q. Petilius, Caeſo Duellius, & Sp. Oppius. Sed Appius ejuſque collegae* quum reliquas leges in duabus tabulis ſcripſiſſent, *has quoque illis decem prioribus addiderunt, in quibus haec quoque lex erat:* Ne patribus cum plebe connubii jus eſſet: *non ob aliam cauſam, ut mihi videtur, quam ne familiis conjugii & affinitatis vinculo conſociatis, ordines in concordiam coirent.*

Pompon. *lib. ſingul. Enchrid. l.* 2. §. 4. *π. de Origine Juris.*

QUi ipſi (Decemviri) animadverterunt aliquid deeſſe iſtis primis legibus: ideoque ſequenti anno alias duas ad eaſdem Tabulas adjecerunt, & ita ex *accidentia* appellatae ſunt leges XII. Tabular.

Orosius *lib.* II. *cap.* 13.

DUabus Tabulis legum ad decem priores additis, Decemviri agebant inſolentiſſimo faſtu plurima.

Macrobius *lib.* I. *Saturnal. cap.* 13.

QUando primum intercalatum ſit, varie refertur: & Macer quidem Licinius ejus rei originem Romulo aſſignat. *Et poſt:* Tuditanus refert *lib.* 5. Magiſtratuum, *Decemviros qui Decem tabulis duas addiderunt,* de intercalando populum rogaſſe. Caſſius eoſdem *ſcribit auctores* &c.

ZONARAS *Tomo* II. *pag.* 27. (*al. lib.* 7. *cap.* 18.)

SEro tandem ſub anni finem, pauca quaedam in duas Tabulas ſuapte authoritate (Decemviri) adſcripſerunt, non ad concordiam, ſed ad majores diſſenſiones pertinentia.

PRUDENTIUS *lib.* 2. *contra Symmachum v.* 463.

Dicant, cur condita ſit Lex
Bis ſex in tabulis: aut cur rubrica notetur,
Quae prohibet peccare reos?

CAPUT IV.

DE ORIGINE LEGUM XII. TAB. ET UNDE PETITAE.

§. 1. *VARIIS ex locis & civitatibus petitae LL. XII. Tab.*

TACITUS *lib.* III. *Annal. cap.* 27.

CReati Decemviri, & accitis quae *USQUAM* egregia, compoſitae XII. Tabulae.

GELLIUS *lib.* XX. *cap.* I.

ORta mentio eſt legum Decemviralium. Eas leges Sext. Caecilius, inquiſitis exploratiſque MULTARUM URBIUM legibus, eleganti atque abſoluta brevitate verborum ſcriptas dicebat.

§. 2. *A GRAECIS civitatibus, non Graeciae modo, verum & Italiae, Athenienſibus Faliſcis, petitae LL. XII. Tabul.*

PROCIUS LATRO *Declamatione in L. Serg. Catilinam.*

MAjores olim noſtri ſapientiſſimi homines & ſine dubio graviſſimi, num *Leges a Graecia per Legatos ſuos accerſendas eſſe putarunt*, quibus hanc Imperii magnitudinem perpetuo ſtabilirent, ut tu homo recens, ſeveritate illarum cum barbatulis tuis abutereris: &c. *Quo loco agit de L.* XII. *Tab. qua coetus nocturni prohibiti.*

DIONISIUS HALICARNASS. *lib.* X. *pag.* 676.

KΕφάλαιον δὲ ἐστι (verba ſunt T. Romilii in Senatu) ἂν ὑμῖν παραινῶ, πρέσβεις ἑλέσθαι, τοὺς μὲν εἰς τὰς Ἑλληνίδας πόλεις τὰς ἐν Ἰταλίᾳ, τοὺς δὲ εἰς Ἀθήνας, οἵτινες αἰτησάμενοι παρὰ τῶν Ἑλλήνων τοὺς κρατίστους νόμους, καὶ μάλιστα τοῖς ἡμετέροις ἁρμόττοντας βίοις οἴσουσι δεῦρο. id eſt, *Summa eorum, quae vobis ſuadeo haec eſt, ut Legatos eligatis, & partim in* GRAECIAE *urbes quae ſunt in Italia, partim* ATHENAS *mittatis, qui leges optimas, & noſtris moribus maxime convenientes petant atque huc afferant.* Et mox: Πρέσβεις ἀπεδείχθησαν οἱ τοὺς παρ' Ἑλλήνων νόμους ληψόμενοι. id eſt, *Legati legum a* GRAECIS *petendarum cauſa creati ſunt.* Et rurſus *pag.* 678. Ἐν δὲ τῷ αὐτῷ καιρῷ παραγίνονται ἀπό τε Ἀθηνῶν καὶ τῶν ἐν Ἰταλοῖς Ἑλληνίδων πόλεων οἱ πρέσβεις φέροντες τοὺς νόμους. ideſt, *Eodem tempore reverſi ſunt Legati cum legibus, quas afferebant* ATHENIS, *& ex aliis* GRAECIAE *urbibus quae in Italia erant.* Et poſt, *pag.* 680. cum de Decemviris creatis loquitur: Τρεῖς τε οἱ κομίσαντες παρὰ τῶν Ἑλλήνων τοὺς νόμους. id eſt, *Et tres Legati qui leges a* GRAECIS *attulerant, Decemviros creates. Et pag.* 681. Οὗτοι οἱ δέκα ἄνδρες συγγράψαντες νόμους ἔκ τε τῶν Ἑλληνικῶν νόμων καὶ παρὰ τῶν σφίσιν αὐτοῖς ἀγράφων ἐθισμῶν, προὔθηκαν, ἐν δέκα δέλτοις τῷ βουλομένῳ σκοπεῖν, πάσας δεχόμενοι ἐπανορθώσεις ἰδιωτῶν &c. id eſt, *Hi Decemviri Leges, tum ex Graecorum legibus, tam e patriis conſuetudinibus non ſcriptis conſcriptas in decem tabulis propoſuerunt, ei qui vellet ſpectandas, omnem privatorum correctionem admittentes &c.*

T. LIVIUS *lib.* 3. *cap.* 31. &c.

MIſſi Legati ATHENAS, juſſique inclytas leges SOLONIS ſcribere, & aliarum GRAECIAE CIVITATUM inſtituta, mores, juraque noſcere. *Et poſt, cap.* 32. Jam redierant Legati cum ATTICIS legibus. *Et mox, cap.* 33. His [Septemviris legibus ſcribendis] proximi Legati tres habiti, qui ATHENAS ierant: ſimul ut pro Legatione tam longinqua praemio eſſet honos: ſimul peritos Legum PEREGRINARUM ad condenda nova jura uſui fore credebant.

POMPONIUS *l.* 2. *§.* 4. *π. de Origine juris.*

PLacuit, publica auctoritate Decem conſtitui viros, per quos peterentur leges a GRAECIS civitatibus, & civitas fundaretur legibus.

EUSEBIUS, ſeu potius HIERONYMUS, *Chronico.*

ROmani per Legatos ab ATHENIENSIBUS jura petiverunt, ex quibus XII. Tabulae conſcriptae.

AMMIANUS MARCELLINUS *lib.* XXII. *cap. ult.*

ET SOLON ſententiis adjutus Aegypti Sacerdotum, latis juſto moderamine legibus, Romano quoque juri MAXIMUM addidit firmamentum.

SYMMACHUS *lib.* III. *Epiſt.* II.

ARma ab Samnitibus, inſignia a Tuſcis, LEGES DE LARE LYCURGI & SOLONIS *ſumpſeramus.*

SERVIUS *ad v.* 695. *lib.* 7. *Aeneid.*

Hi Feſcennias acies, aequoſque Faliſcos.

FALISCOS *Aequos* dicit [Virgilius] id eſt *juſtos*: quia P. R. miſſis Decemviris ab ipſis Jura Fecialia, & nonnulla ſupplementa XII. Tabularum, accepit, quas ab Athenienſibus habuerant.

OROSIUS *lib.* II. *cap.* 13.

LEgati ad ATHENIENSES propter SOLONIS leges deferendas miſſi expectantur. *Et poſt*: Poteſtas Conſulum Decemviris tradita, conſtituendarum legum ATTICARUM gratia.

VICTOR *de Viris Illuſtribus cap.* 21. *in Virginio*: & poſt eum

ISIDORUS *lib.* 5. *Originum cap.* I.

POpulus Romanus Decemviros legibus ſcribendis creavit, qui eas ex libris SOLONIS tralatas, XII. Tabulis expoſuerunt.

D. Au-

D AUGUSTINUS *libro* XI. *de civitate Dei cap.* 16.

SI autem a Diis ſuis Romani vivendi leges accipere potuiſſent, non aliquot annos poſt Romam conditam ab ATHENIENSIBUS mutuarentur leges SOLONIS. Quas tamen non ut acceperunt, tenuerunt, ſed meliores & emendatiores facere conati ſunt: quamvis Lycurgus Lacedaemoniis leges ex Apollinis auctoritate ſe inſtituiſſe confinxerit. Quod Prudenter Romani credere noluerunt, propterea non * inde acceperunt.

* Athenaeus tamen *fine lib.* 6. e Lacedaemoniorum diſciplina Romanos quaedam mutuatos ſcribit.

Ammianus Marcellinus pariter *lib.* 16. *cap.* 5. ex Lycurgi Rhetris ſumptuarias leges Romam translatas ait. *Julianus* (inquit) *temperantiam ipſi ſibi indixit, atque retinuit, tanquam adſtrictus ſumptuariis legibus viveret, quas ex* RHETRIS LYCURGI, *&* *Anonibus Romam translatas diuque obſervatas & ſeneſcentes paulatim reparavit Sylla Dictator.*

Tribonianus denique §. 9. *Inſt. de jure naturali* ad Lacedaemonios etiam Romani juris originem refert: & *jus civile ex Lacedaemoniorum etiam inſtitutis fluxiſſe* ait: verum id de juris non ſcripti origine accipiendum eſt.

Athenienſium ſane leges Decemviros potiſſimum probaſſe conſtat: utpote ad civilem vitam & conſuetudinem magis facientes. At Lycurgi leges agreſtes & ſanguinariae fuerunt, quod Plato & Ariſtoteles probant: ideo, quod eorum finis praecipuus hic eſſet, ut bellatores optimi Spartani fierent.

Ergo ab Athenienſibus leges petitae ortaeque, teſte Cicerone *pro Flacco, cap.* 26. neque ſcriptores rerum Romanarum ulli Lacedaemoniorum hac in re meminere: etſi Tacitus, Gellius, Pomponius aliter facere videntur: dum undique multarum urbium leges, a Graecis denique civitatibus petitas leges ſcribunt: ſed & Livius qui aliarum quoque Graeciae civitatum meminit. Ex Dionyſio Halicarn. conciliatio aliqua, qui de Graecis urbibus in Italia id explicat.

CASSIODORUS *Chronico.*

LEgati ATHENAS miſſi ad leges deſcribendas.

ZONARAS *Tomo* II. *pag.* 27. (*al. lib.* 7. *pag.* 18)

ROmani tres viros in Graeciam ad illorum Leges & inſtituta cognoſcenda ablegarunt.

§. 3. *Ex SOLONIS nominatim legibus deſcriptas nonnullas Leges XII. Tabul. memorant*

Cicero *lib.* 2. *de legibus cap.* 23. Et Gellius *lib.* 11. *cap. ult.* & Gajus *in interpretatione l. XII. Tabul. l. ult.* π. *finium regund. l. ult.* π. *de collegiis.* Paulus *lib.* 1. *Sentent. tit.* 15. *in pr. Complurium legum, e XII. Tabulis originem, & earum quandoque ſententiam, e SOLONIS legibus repetunt.*

§. 4. *Ex VETERI Jure, Moribus, Legibus regiis petitae quaedam LL. XII. Tab.*

DIONYSIUS HALICARN. *libro* II. *pag.* 97. de Jure patrio agens, quod jure Regio primum inductum fuerat.

KΑταλυθείσης τῆς μοναρχίας ὅτε πρῶτον ἔδοξεν Ῥωμαίοις πάντας τοὺς πατρίους ἐθισμούς τε καὶ νόμους ἅμα τοῖς ἐπεισάκτοις ἐν ἀγορᾷ θεῖναι φανεροὺς ἅπασι τοῖς πολίταις δέκα ἄνδρες ἅμα τοῖς ἄλλοις ἀνέγραψαν νόμοις. καὶ ἔστιν ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν λεγομένων δώδεκα. id eſt, *Sublato Regno, cum primum P. Romano viſum eſt omnes patrios* MORES *&* LEGES *una cum aſcititiis in foro palam omnibus proponere, Decemviri eam inter caeteras retulerunt, & extat in quarta* XII. *Tabularum.*

Quod Dionyſius hoc jus patrium e jure Regio manaſſe ait, id Papinianus etiam apud legis Moſaicae Patiatorem *tit.* 4. §. 8. tradit. *Cum patri,* inquit, *lex Regia dederit in filium vitae neciſque poteſtatem.*

At Ulpianus *l. patre* 8. π. *de his qui ſunt ſui: Moribus jus patriae poteſtatis receptum eſſe*, ſcribit. Inductum igitur jure Regio, receptum obſervatum moribus. At quod *l.* 2. *D. de vulgari & pupillari ſubſt.* ſubſtitutum pupillaris *Moribus* fieri dicatur: de lege XII. Tabularum id accipi non poteſt, ſed de eo jure l. XII. Tab. fluxit: id eſt, de Jure Civili ſeu Prudentum auctoritate. Ut jus Civile ex l. XII. Tab. fluxit: quod ita ſubſtitutio pupillaris, patriae poteſtatis ἀπειρον quaedam eſt.

IDEM *lib.* 10. *pag.* 681.

OἹ δέκα ἄνδρες συγγράψαντες νόμους ἔκ τε τῶν Ἑλληνικῶν νόμων καὶ παρὰ τῶν σφίσιν αὐτοῖς ἀγράφων ἐθισμῶν προύθηκαν ἐν δέκα δέλτοις. id eſt, *Decemviri leges conſcriptas tum ex Graecorum, tum ex ſuis* MORIBUS *non ſcriptis in Decem Tabulis propoſuerunt.*

POMPONIUS *l.* 2. §. 24. π. *de Origine juris.*

VIrginius cum animadvertiſſet, Appium Claudium contra jus, quod ipſe ex VETERE JURE in XII. Tabulas tranſtulerat, Vindicias filiae ſuae a ſe abdixiſſe, &c.

ULPIANUS *lib.* 1. *ad Sabinum l.* 1. π. *de Curatore furioſo.*

LEge XII. Tabularum prodigo interdicitur bonorum ſuorum adminiſtratio: quod MORIBUS quidem ab initio introductum eſt.

FESTUS *in v. Reus.*

NUma in ſecunda Tabula, ſecunda lege, in qua ſcriptum eſt: *Si quid horum fVat unum Judici Arbitrove reove, eo die diffenſus eſto.*

Hic obſervatu dignum, etſi legum Regiarum nonnullae in XII. Tabulas conjectae fuiſſent, a prima tamen origine Regiae, & Regum a quibus latae primum fuiſſent nominibus, dici perſeveraſſe: ut in ipſis etiam XII. Tabulis, Regum nomina addita fuiſſe videantur. Laudantur & plures aliae Regiae leges: ſed an & illae in XII. Tabulis conſcriptae fuerint, affirmare non auſim: praeſertim cum Livius auctor ſit, *lib.* 6. *cap.* 1. *in geſtis. A.* CCC. LXV. praeter leges XII. Tab. leges Regias quasdam habitas & obſervatas: *Inprimis foedera,* inquit, *ac leges (erant eae XII. Tabulae, & quaedam Regiae leges) conquiri quae comparerent, juſſerunt.*

Marcellus etiam, *l.* 2. π. *de mortuo inferendo,* legem Regiam laudat, de muliere praegnante non afficienda ultimo ſupplicio.

CAPUT V.

DE MATERIA, DIVISIONE, FINE ET VERBIS LEGIS XII. TAB.

§. 1. *TOTIUS Civitatis utilitas, lege XII. Tab. comprehenſa.*

CICERO *lib.* 1. *de Oratore cap.* 43.

SI quis Civilem ſententiam contemplatur, totam hanc deſcriptis omnibus Civitatis utilitatibus, ac partibus, XII. Tabulis contineri videbitis.

Digitized by Google

FLORUS *lib.* I. *cap.* 24.

ALlatas a Graecia leges x. principes lecti, jubente populo conſcripſerant, ordinataque erat in XII. Tabulis *tota juſtitia.*

§. 2. *JUS privatum, publicum, ſacrum, lege XII. Tabul. ſancitum.*

AUSONIUS GRYPHO *de ternario. Idyll.* II. *v.* 61.

JUs triplex, Tabulae quod ter ſanxere quaternae,
Sacrum, Privatum, Populi commune quod usquam eſt.

Hanc Juris diviſionem ſecutus poſtea Quintilianus *lib.* 2. *cap.* 4. *circa fin. Legum* (inquit) *genera ſunt tria: ſacri, publici, privati juris.* Brevius JCti in publicum & privatum jus dividunt. Quam etiam diviſionem ſequitur Livius *lib.* 3. *cap.* 34. de his legibus verba faciens, *Decem Tabularum* (inquit) *leges perlatae ſunt: Qui nunc quoque hoc immenſo aliarum ſuper alias acervatarum legum cumulo, fons omnis publici privatique eſt juris.* Ita Plinius *lib.* 1. *ep.* 22. *ad Severum*, Ariſtonem, JCtum noſtrum, *velut privati publicique juris peritum*, commendat.

§. 3. *OBSCURISSIMA, Inſecutis viſa, legis XII. Tab. verba.*

HORATIUS *lib.* II. *Epiſtol.* I. *v.* 23.

SIc fautor Veterum, ut Tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri ſanxerunt; foedera Regum
Vel Gabiis, vel cum rigidis aequata Sabinis;
Pontificum libros, annoſa volumina vatum.
Dictitet Albano Muſas in monte locutas.

Ubi Acron: *Populus*, inquit, *Romanus omnia novo faſtidit, hu tantum delectatus veteribus, ut Legem Romanam, quae in XII. Tabulis continetur, ita pro veri teneat, quaſi ſi Muſae locutae ſint in Albano monte.*

Et Porphyrion: *Adeo veteribus favet, ut etiam XII. Legum Tabulae a Decemviris ſcriptae, Latinae eſſe videantur, ob auſteram & rancidam vetuſtatem.*

SENECA *ep.* 114.

MUlti ex alieno ſeculo petunt verba, XII. Tabulas loquuntur.

GELLIUS *lib.* XVI. *cap.* 10.

QUaeri coeptum eſt, quid eſſet *proletarius*? Atque ego aſpiciens quempiam in eo circulo Jus Civile callentem, rogabam, ut id verbum nobis enarraret. Nam (inquam) Q. Ennius verbum hoc ex XII. Tabulis veſtris accepit. Ego vero, inquit ille, dicere atque interpretari hoc deberem, ſi jus Faunorum & Aboriginum didiciſſem: ſed enim quum *Proletarii, & Aſſidui, & Sanates, & Vades, & Subvades, & xxv. aſſes, & taliones, furtorumque quaeſtio cum lance & licio* evanuerint, omniſque illa XII. Tabularum antiquitas, niſi in legis actionibus Centumviralium cauſarum, lege Æbutia lata conſopita ſit, ſtudium ſcientiamque ego praeſtare debeo Juris & Legum, vocumque earum, quibus utimur.

Huc referenda etiam diſputatio de verbo *Leſſum* apud Ciceronem *lib.* 2. *de Legibus cap.* 23.

Repetenda etiam nonnulla ex Gellio *cap.* 1. *lib.* 20. quod caput integrum *ſeptimo capite* a nobis refertur.

FORTUNATIANUS *lib.* III.

ANtiqua verba quae affectabo; Quae non ſunt adeo abolita, ut ſunt in XII. Tabulis, & Saliari carmine.

SYMMACHUS *lib.* III. *ep.* 44.

SI tibi vetuſtatis tantus eſt amor, pari ſtudio id verba priſca recleamus, quibus Salii canunt, & Augures aves conſulunt, & Decemviri Tabulas conſiderunt. Jamdudum his renunciatum eſt, & ſucceſſio temporum placita priora mutavit.

CAPUT VI.
DE PROMULGATIONE DECEM *PRIMUM* TABULARUM, *MOX* DUODECIM.

§. 1. *IN AES inciſae Leges XII Tabul. Praeter Dionyſii locum, quem modo protuli.*

DIODORUS *lib.* XII. *pag.* 301.

Τῶν καλουμένων δώδεκα πινάκων οἱ μὲν δέκα συνετελέσθησαν· τοὺς δὲ ὑπολειπομένους δύο διέγραψαν οἱ ὕπατοι· καὶ τελεσθείσης τῆς ὑποκειμένης νομοθεσίας ταύτης εἰς ΔΩΔΕΚΑ ΧΑΛΚΟΥΣ ΠΙΝΑΚΑΣ χαράξαντες οἱ ὕπατοι προσήλωσαν τοῖς πρὸ τοῦ βουλευτηρίου τότε κειμένοις ἐμβόλοις. id eſt, *Duodecim, quas vocant, Tabularum, decem ſolummodo perfectae erant: duas igitur reliquas Conſules ſupplevere: Jura igitur P. R. ſic abſoluta* XII. *Tabulis aeneis inciderunt, eaſque pro Curia Roſtris adfixere.*

LIVIUS *lib.* 3. *cap.* 57.

PRiusquam urbem egrederentur [*Conſules*] Leges Decemvirales, quibus Tabulis XII. eſt nomen, in aes inciſas in publico propoſuerunt.

D. CYPRIANUS *ad Donatum lib.* II. *Epiſt.* 2.

INciſae ſint licet leges XII. Tabulis, & *publico aere* praefixa jura praeſcripta ſint: inter Leges ipſas delinquitur.

§ 2. *EBOREAE X. Tabulae.*

POMPON. *lib. ſingul. encherid.*

POMPONIUS *l.* 2. §. 4. *π. de origine Juris.*

PLacuit x. conſtitui viros, per quos peterentur leges a Graecis civitatibus, quas in Tabulas *eboreas* * [ita Tullius in Catilinariis] perſcriptas pro Roſtris compoſuerunt, ut poſſent leges apertius percipi: datumque eſt eis jus eo anno in Civitate ſummum, uti leges & corrigerent ſi opus eſſet, & interpretarentur: Qui ipſi ſequenti anno alias duas ad eaſdem Tabulas adjecerunt.

* Forte legendum *Roboreas.* Dionyſius Halicarnaſſeus quippe *lib.* 3. auctor eſt, leges P. R. antiquiſſimas ἐν δρυΐναις σανίσι propoſitas. Utcunque legatur, culpa hactenus liberari non poteſt, ſive Pomponius, ſive Tribonianus, quaeſito Pomponii nomine, qui *Eboreas* tabulas dixit, quas non unus Dionyſius (quod Scaligero alicubi traditum) verum Diodorus, Livius, Cyprianus etiam *Aereas* fuiſſe teſtantur. v. Brodeum lib. 4. Miſcell. cap. 11.

Verum facili negotio, quantum exiſtimo, res ita componi poteſt. Decem Tabulae Eboreae primum (ſive roboreae) populo propoſitae fuerunt. Deinde ubi populus eas probaſſet, tum demum, una cum duabus poſterioribus, ad perpetuam earum obſervantiam in aes inciſae ſunt. Loquitur Pomponius de x. Tabulis populo primum propoſitis: Caeteri Dionyſio excepto, de XII. Tabulis jam a populo probatis.

ZONARAS *tomo.* 2. *pag.* 27. (*al. lib.* 7. *cap.* 18.)

DEcemviri Leges a ſe conſcriptas in foro propoſuerunt, quas cum omnibus probaſſent, ad populum tulerunt: ſancitaque in XII. Tabulas retulerunt. Quae enim digna memoria ſeu cuſtodia judicabant, in Tabellis * aſſervabant.

* Deeſſe videtur in Graeco, χαλκαῖς, id eſt, *Aereis.* Alioquin hoc inepti hominis delitamentum erit.

CAPUT VII.

QUO COMMENDATIO LEGIS XII. TAB. CONTINETUR.

§. 1. *PHILOSOPHORUM omnium Bibliothecis praeferendae XII. Tab.*

CICERO *lib.* I. *De Oratore, ſub Craſſi perſona. cap.* 43.

ACcedit vero, quo facilius percipi cognoſcique Jus civile poſſit (quod minime plerique arbitrantur) mira quaedam in cognoſcendo ſuavitas, & delectatio. Nam, ſive quem aliena ſtudia delectant, plurima eſt & in omni Jure Civili, & in Pontificum libris *& in* XII. *Tabulis* antiquitatis effigies, quod & verborum priſca vetuſtas cognoſcitur, & genera actionum quaedam majorum conſuetudinem vitamque declarant: ſive quis civilem ſcientiam contemplatur, totam hanc, deſcriptis *omnibus civitatis utilitatibus, ac partibus,* XII. *Tabulis contineri* videbitis: ſive quem iſta praepotens & glorioſa philoſophia delectat (dicam audacius) hoſce habet fontes omnium diſputationum ſuarum, qui jure civili & legibus continentur. Ex his enim & dignitatem maxime expetendam videmus; cum verus, juſtus, atque honeſtus labor honoribus, praemiis atque ſplendore decoratur: vitia autem hominum atque fraudes, damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte multantur: & docemur non infinitis concertationumque plenis diſputationibus, ſed authoritate nutuque legum domitas habere libidines, coërcere omnes cupiditates, noſtra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere. *Fremant omnes licet, dicam quod ſentio, bibliothecas mehercule omnium Philoſophorum, unus mihi videtur* XII. *Tabularum libellus, ſi quis legum fonteis & capita viderit, & auctoritatis pondere & utilitatis ubertate ſuperare.* Percipietis etiam illam ex cognitione juris laetitiam & voluptatem, quod quantum praeſtiterint noſtri Majores prudentia coeteris gentibus, tum facillime intelligetis, ſi cum illorum Lycurgo, & Dracone, & Solone noſtras leges conferre volueritis. Incredibile eſt enim, quam ſit omne jus civile, praeter hoc noſtrum, inconditum ac pene ridiculum: de quo multa ſoleo in ſermonibus quotidianis dicere, cum hominum noſtrorum prudentiam coeteris hominibus & maxime Graecis antepono.

Idem CICERO, *eod. libro cap.* 57.

UT totum illud, UTI LINGUA NUNCUPASSIT, non in XII. Tabulis, quas tu *omnibus bibliothecis anteponis*, ſed in magiſtri carmine ſcriptum videretur, &c.

§. 2. *AEQUITAS legis XII. Tabul.*

TACITUS *lib.* III. *Annal. cap.*

CReati Decemviri, & accitis quae usquam egregia, compoſitae XII. Tabulae, *Finis aequi juris:* nam ſecutae leges, etſi aliquando in maleficos ex delicto; ſaepius tamen diſſenſione ordinum, & apiſcendi inlicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava per vim latae ſunt.

De AEQUITATE Legis XII. Tabul. diſceptatio Sext. Caecilii JCti & Favorini, Arelatenſis Philoſophi.

GELLIUS *libro* XX. *cap.* I.

SExtus Caecilius in diſciplina juris atque legibus populi Romani noſcendis interpretandisque ſcientia, uſu, auctoritateque illuſtris fuit. Ad eum forte in area Palatina, quum ſalutationem Caeſaris operiremur, Philoſophus Favorinus acceſſit, collocutusque eſt nobis multisque aliis praeſentibus. In illis tunc eorum ſermonibus orta mentio eſt legum Decemviralium, quas Decemviri, ejus rei gratia, a populo creati, compoſuerunt in duodecim tabulas. Eas leges, quum Sext. Caecilius, inquiſitis exploratisque multarum urbium legibus, eleganti atque abſoluta brevitate verborum ſcriptas diceret; Sit hoc, inquit Favorinus, in pleraque earum legum parte, ita uti dicis! non enim minus cupide tabulas iſtas duodecim legi, quam illos decem libros Platonis de Legibus. Sed quaedam iſtic eſſe animadvertuntur aut obſcuriſſima, aut dura, aut lenia contra nimis & remiſſa, aut nequaquam ita ut ſcriptum eſt, conſiſtentia. ¶ *Obſcuritates*, inquit Sex. Caecilius, non aſſignemus culpae ſcribentium, ſed inſcientiae non aſſequentium: quanquam hi quoque ipſi, qui quae ſcripta ſunt minus percipiunt, culpa vacant. Nam longa aetas verba atque mores veteres obliteravit, quibus verbis moribusque ſententia legum comprehenſa eſt. Trecenteſimo quoque anno poſt Romam conditam tabulae compoſitae ſcriptaeque ſunt; a quo temporae ad hunc diem *anni eſſe non longe minus ſeptingenti videntur.* ¶ *Dure* autem ſcriptum eſſe in iſtis legibus quid exiſtimari poteſt? niſi duram eſſe legem putas, quae judicem arbitrumve jure datum, qui ob rem dicendam pecuniam accepiſſe convictus eſt, capite punit: aut quae furem manifeſtum ei, cui furtum factum eſt, in ſervitutem tradit, nocturnum autem furem jus occidendi tribuit? Dic enim, quaeſo; dic, vir ſapientiae ſtudioſiſſime, an aut judicis illius perfidiam contra omnia jura divina atque humana jusjurandum ſuum pecunia vendentis, aut furis manifeſti intolerandam audaciam, aut nocturni graſſatoris inſidioſam violentiam non dignam eſſe capitis poena exiſtimes?

Noli, inquit Favorinus, ex me quaerere, quid ego exiſtimem: ſcis enim ſolitum eſſe me pro diſciplina ſectae, quam colo, inquirere potius, quam decernere. Sed non levis exiſtimator neque aſpernabilis eſt populus Romanus; cui delicta quidem iſthaec vindicanda; poenae tamen hujusmodi nimis *durae* eſſe viſae ſunt. Paſſus enim eſt leges iſtas de tam immodico ſupplicio ſitu atque ſenio emori. Sicut illud quoque non humaniter ſcriptum improbavit: quod ſi homo in jus vocatus morbo aut aetate aeger ad ingrediendum invalidus eſt, arcera non ſternitur, ſed ipſe auffertur & jumento imponitur, atque ex domo ſus ad Praetorem in comitium nova funeris facie effertur. Quam enim obcauſam morbo affectus, & ad reſpondendum pro ſeſe non idoneus, jumento adhaerens, in jus adverſario deportatur?

FAVORINI adverſus leges XII. Tabul. diſputatio. 1 INIQUAE poſtea P. R. viſas. 2 DURAS & immanes videri aliquas leges XII. Tab.

Quod vero dixi videri quaedam eſſe impendio *Molliora:* nonne tibi quoque videtur nimis eſſe dilutum, quod ita de injuria punienda ſcriptum eſt? SI INIURIAM FAXIT ALTERI, VIGINTI QUINQUE ÆRIS POENÆ SUNTO. Quis enim erit tam inops, quem ab injuriae faciendae lubidine viginti quinque aſſes deterreant? Itaque quum eam legem Q. Labeo quoque veſter in libris, quos ad duodecim Tabulas conſcripſit, non probaret; Quidam, inquit, Lucius Veratius fuit, egregie homo improbus atque

3 MOLLES nimium quaſdam leges XII. Tab. videri.

que immani vecordia; is pro delectamento habebat os hominis liberi manus ſuae palma verberare, eum ſervus ſequebatur crumenam plenam aſſium portitans, & quemcunque depalmaverat, numerari ſtatim, ſecundum duodecim tabulas viginti & quinque aſſes jubebat, propterea, inquit, Praetores poſtea hanc aboleſcere & relinqui cenſuerunt, injuriisque aeſtimandis recuperatores ſe daturos edixerunt.

4 CONSISTERE quaſdam leges XII. Tabul. non poſſe.

Nonnulla autem in iſtis legibus nec *Conſiſtere* quidem, ſicut dixi, viſa ſunt: velut illa lex talionis, cujus verba, niſi memoria me fallit, haec ſunt: SI MEMBRVM RVPIT, NI CVM EO PACIT, TALIO ESTO. Praeter enim ulciſcendi acerbitatem, ne procedere quoque executio juſtae talionis poteſt: nam cui membrum ab alio ruptum eſt, ſi ipſi itidem rumpere per talionem velit; quaero an efficere poſſit rumpendi pariter membri aequilibrium: in qua re primum ea difficultas eſt inexplicabilis. Quid ſi quis membrum, inquit, alteri imprudens ruperit? quod enim per imprudentiam factum eſt, retaliari per imprudentiam debet: ictus quippe fortuitus & conſultus non cadunt ſub ejuſdem talionis ſimilitudinem. Quonam igitur modo imprudentem poterit imitari, qui in exequenda talione non licentiae jus habet, ſed imprudentiae? Sed etſi prudens ruperit, nequaquam patietur aut altius ſe laedi aut latius: quod cujuſmodi libra atque menſura caveri poſſit, non reperio. Quin etiam ſi quid plus erit aliterve commiſſum, res fiet ridiculae atrocitatis, ut contraria actio mutuae talionis oriatur, & adoleſcat infinita quaedam reciprocatio talionum.

5 IMMANES etiam quaſdam legum XII. Tab. eſſe.

Nam de *Immanitate* illa ſecandi partiendique humani corporis, ſi unus ob pecuniam debitam judicatus addictusque ſit pluribus, non libet meminiſſe, & piget dicere. Quid enim videri poteſt efferatius: quid ab hominis ingenio diverſius, quam quod membra & artus inopis debitoris breviſſimo laniatu diſtrahantur, ſicut nunc bona venum diſtrahuntur?

SEX. CAECILII pro aequitate legis XII. Tab. diſputatio.

Tum Sext. Caecilius amplexus utraque manu Favorinum, Tu es, inquit, unus profecto in noſtra memoria non Grajae modo, ſed Romanae rei peritiſſimus. Quis enim Philoſophorum diſciplinae ſuae leges tam ſcite atque docte callet, quam leges tu noſtras Decemvirales percalluiſti? Sed quaeſo tecum tamen degrediare pauliſper e curriculis iſtis diſputationum veſtrarum **Academicis**: omiſſoque ſtudio, quicquid lubitum eſt, arguendi tuendique, conſideres gravius cujuſmodi ſint ea, quae reprehendiſti; nec ideo contemnas legum iſtarum antiquitates, quod pleriſque ipſis jam populus Romanus uti deſiverit: non enim profecto ignoras legum opportunitates & medelas pro temporum moribus & pro rerum publicarum generibus, ac pro utilitatum praeſentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum eſt, fervoribus mutari atque flecti: neque uno ſtatu conſiſtere, quin ut facies caeli & maris, ita rerum atque fortunae tempeſtatibus varientur. Quid ſalubrius viſum eſt rogatione illa Stolonis jugerum de numero praefinito? quid utilius plebiſcito Voconio, de coercendis mulierum haereditatibus? quid tam neceſſarium exiſtimatum eſt propulſandae civium luxuriae, quam lex *Licinia* & *Fannia*, aliaeque item leges ſumptuariae? Omnia tamen haec obliterata & operta ſunt civitatis opulentia quaſi quibuſdam fluctibus exaeſtuantis.

2 Cur iniquae poſtea viſae quaedam leges XII. Tab.

1 INHUMANAS & acerbas non eſſe leges XII. Tab.

Sed cur tibi eſſe viſa eſt *Inhumana* lex omnium quidem mea ſententia humaniſſima, quae jumentum dare jubet aegro aut ſeni in jus vocato? Verba ſunt haec de lege: SI IN IVS VOCAT. SI MORBVS AEVITASVE VITIVM ESCIT. QVI IN IVS VOCABIT IVMENTVM DATO. SI NOLET ARCERAM NE STERNITO. An tu forte *morbum* appellari hic putas aegrotationem gravem cum febri rapida & quercera, *jumentumque* dici pecus aliquod unicum tergo vehens? Ac propterea minus fuiſſe humanum exiſtumas aegrotum domi ſuae cubantem jumento impoſitum in jus rapi? Hoc, mi Favorine, nequaquam ita eſt; nam *morbus* in lege iſta non febriculoſus neque nimium gravis, ſed vitium aliquod imbecillitatis atque invalentiae demonſtratur: non periculum vitae oſtenditur. Caeteroqui morbum vehementiorem, vim graviter nocendi habentem, legum iſtarum ſcriptores alio in loco non per ſe morbum, ſed *morbum ſonticum* appellant. *Jumentum* quoque non id ſolum ſignificat, quod nunc dicitur, ſed vectabulum etiam, quod adjunctis pecoribus trahebatur; veteres noſtri jumentum a jungendo dixerunt: *arcera* autem vocabatur ploſtrum tectum undique & moenitum quaſi arca quaedam magna veſtimentis inſtrata, qua nimis aegri aut ſenes portari cubantes ſolebant. Quaenam igitur tibi acerbitas eſſe viſa eſt, quod in jus vocato paupertino homini vel inopi, qui aut pedibus forte aegris eſſet, aut quo alio caſu ingredi non quiret, ploſtrum eſſe dandum cenſuerunt: neque inſterni tamen delicate arceram juſſerunt: quoniam ſatis eſſet invalido cuicuimodi vectabulum: atque id fecerunt ne cauſatio iſta aegri corporis perpetuam vacationem daret fidem detrectantibus, jurisque actiones declinantibus? Sed enim ipſum vide.

3 MOLLES non eſſe leges XII. Tab.

Injurias factas quinque & viginti aſſibus ſanxerunt: non omnino omnes, mi Favorine, injurias aere iſto pauco diluerunt: tametſi & haec ipſa paucitas aſſium grave pondus aeris fuit: nam librariis aſſibus in ea tempeſtate populus uſus eſt: ſed injurias atrociores, ut de oſſe fracto, non liberis modo, verum etiam ſervis factas, impenſiore damno vindicaverunt. Quibuſdam autem injuriis talionem quoque appoſuerunt: quam quidem tu talionem, vir optime, iniquius paulo inſectatus es, ac ne conſiſtere quidem dixiſti, lepida quadam ſolertia verborum: quoniam talioni par non ſit talio, neque rumpi membrum facile poſſit ad alterius rupturae, ut ais tu, aequilibrium. Verum eſt, mi Favorine, talionem rariſſimam fieri difficillime: ſed Decemviri minuere atque exſtinguere volentes hujuſcemodi violentiam pulſandi atque laedendi, eo quoque metu coercendos eſſe homines putaverunt; neque ejus qui membrum alteri rupiſſet & paciſci tamen de talione redimenda nollet, tantam eſſe habendam rationem arbitrati ſunt, ut an prudens imprudensve rupiſſet ſpectandum putarent, aut talionem in eo vel ad amuſſim aequipararent, vel in librili perpenderent, ſed potius eundem animum eundemque impetum in eadem parte corporis rumpendi, non eundem quoque caſum exigi voluerunt. Quoniam modus voluntatis praeſtari poſſet, caſus ictus non poſſet. Quod ſi ita eſt, ut dico, ut & ipſe aequitatis habitus demonſtrat, taliones illae tuae reciprocae argutiores profecto, quam veriores fuerunt. Sed quoniam acerbum quoque eſſe hoc genus poenae putas; quae, obſecro te, iſta acerbitas eſt, ſi idem fiat in te, quod rite in alio feceris: praeſertim cum habeas facultatem paciſcendi, & non neceſſe ſit pati talionem, niſi eam tu elegeris? quod edictum autem praetorium de aeſtimandis injuriis probabilius eſſe poteſt? Nolo hoc ignores hanc quoque ipſam talionem ad aeſtimationem judicis redigi neceſſario ſolitam: nam ſi reus qui depaciſci noluerat, judici talionem imperanti non parebat, aeſtimata lite judex hominem pecuniae damnabat, atque ita ſi reo & pactio gravis & acerba talio viſa fuerat, ſeveritas legis ad pecuniae multam redibat.

4 CONSISTERE poſſe omnes XII. Tab. leges.

5 ab IMMANITATE vindicantur L. XII. Tab.

Reſtat ut ei quod de ſectione partitioneque corporis *Immaniſſimum* eſſe tibi viſum eſt, reſpondeam. Omnibus quidem virtutum generibus exercendis colendiſque Populus Romanus e parva origine ad tantae amplitudinis inſtar emicuit; ſed omnium maxime atque praecipue fidem coluit ſanctamque habuit tam privatim quam publice. Sic Conſules cla-

riſſimos viros hoſtibus confirmandae fidei publicae cauſa dedit. Sic clientem in fidem acceptum cariorem haberi quam propinquos, tuendumque eſſe contra cognatos cenſuit: neque pejus ullum facinus exiſtimatum eſt, quam ſi cui probaretur clientem deriſui habuiſſe. Hanc autem fidem majores noſtri non modo in officiorum vicibus, ſed in negotiorum quoque contractibus ſanxerunt, maximeque in pecuniae mutuaticae uſu atque commercio: adimi enim putaverunt ſubſidium hoc inopiae temporariae, quo communis omnium vita indiget, ſi perfidia debitorum ſine poena gravi illuderet. Confeſſi igitur aeris ac debiti judicatis triginta dies ſunt dati conquirendae pecuniae cauſa quam diſſolverent, eosque dies Decemviri juſtos appellaverunt, velut quoddam juſtitium; id eſt, juris inter eos quaſi interſtitionem quandam & ceſſationem: quibus diebus nihil cum his agi jure poſſet. Poſt deinde, niſi diſſolverunt, ad Praetorem vocabantur, & ab eo, quibus erant judicati, addicebantur: nervo quoque aut compedibus vinciebantur. Sic enim ſunt opinor verba leges: AERIS CONFESSI REBV QVE IVRE IVDICATIS TRIGINTA DIES IVSTI SVNTO. POST DEINDE MANVS INIECTIO ESTO. IN IVS DVCITO NI IVDICATVM FACIT, AVT QVI ENDO EO IN IVRE VINDICIT, SECVM DVCITO, VINCITO AVT NERVO AVT COMPEDIBVS QVINDECIM PONDO, NE MINORE *, AVT SI VOLET MAIORE VINCITO: SI VOLET SVO VIVITO: NI SVO VIVIT. QVI EM VINCTVM HABEBIT LIBRAS FARRIS IN DIES DATO: SI VOLET, PLVS DATO. Erat autem jus interea paciſcendi, ac niſi pacti forent habebantur in vinculis dies ſexaginta; inter eos dies trinis nundinis continuis ad Praetorem in comitium producebantur, quantaeque pecuniae judicati eſſent, praedicabatur: tertiis autem nundinis capite poenas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant: ſed eam capitis poenam ſanciendae, ſicut dixi, fidei gratia horrificam atrocitatis oſtentu, novisque terroribus metuendam reddiderunt: nam ſi plures fuerant, quibus reus eſſet judicatus, ſecare ſi vellent atque partiri corpus addicti ſibi hominis permiſerunt. Et quidem verba ipſa legis dicam, ne exiſtimes invidiam me iſtam forte formidare: TERTIIS, inquit, NVNDINIS PARTIS SECANTO: SI PLVS MINVSVE SECVERVNT SE FRAVDE ESTO. Nihil profecto immitius, nihil immanius, niſi ut re ipſa apparet, eo conſilio tanta immanitas poena denunciata eſt, ne ad eam unquam perveniretur. Addici namque nunc & vinciri multos videmus, quia vinculorum poenam deterrimi homines contemnunt: diſſectum eſſe antiquitus neminem equidem neque legi neque audivi; quoniam ſaevitia iſta poenae contemni non quita eſt. An putas, Favorine, ſi non illa etiam ex duodecim tabulis de teſtimoniis falſis poena aboleviſſet, & ſi nunc quoque ut antea qui falſum teſtimonium dixiſſe convictus eſſet, de Saxo Tarpejo dejiceretur, mentituros fuiſſe pro teſtimonio tam multos, quam videmus? Acerbitas plerunque ulciſcendi maleficii bene atque caute vivendi diſciplina eſt. Hiſtoria de Metio Fufetio Albano nobis quoque, non admodum numero iſtiusmodi libros lectitantibus, ignota non eſt; qui quoniam pactum atque condictum cum Rege populi Romani perfide ruperat, binis quadrigis evinctus in diverſa nitentibus, laceratus eſt: novum atque aſperum ſupplicium quis neget? Sed quid elegantiſſimus Poeta dicat, vide:

—— *At tu dictis, Albane, maneres.*

Haec taliaque alia ubi Sext. Caecilius omnibus, qui aderant, ipſo quoque Favorino approbante atque laudante, diſſeruit, nunciatum eſt Caeſarem jam ſalutari, & ſeparati ſumus. *Hactenus* Gellius.

* Majore at ſi volet minore.

§. 3. *FONS totius juris, Leges XII. Tabularum.*

CICERO *lib.* I. *de Legibus cap.* 5.

SIc habetote, nullo in genere diſputandi magis honeſta pateſieri, quid ſit homini natura tributum, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cujus muneris colendi efficiendique cauſa nati & in lucem editi ſimus, quae ſit conjunctio hominum, quae naturalis ſocietas inter ipſos: his enim explicatis, fons legum & juris inveniri poteſt. ATT. Non ergo a Praetoris Edicto, ut plerique nunc, neque a XII. Tabulis, ut ſuperiores, ſed penitus ex intima Philoſophia hauriendam Juris diſciplinam putas? *Hactenus* Cicero.

LIVIUS *lib.* III. *cap.* 34.

CEnturiatis Comitiis Decem Tabularum leges perlatae ſunt: qui nunc quoque hoc immenſo aliarum ſuper alias acervatarum legum cumulo *Fons omnis publici privatique eſt juris.*

§. 4. *PRUDENTIA civilis, Lege XII. Tabul. comprehenſa.*

CRASSUS apud Ciceronem *lib.* I. *de Oratore cap.* 13.

JAm vero de Legibus inſtituendis, de Bello, de Pace, de Sociis, de Vectigalibus, de Jure civium generatim in ordines aetatesque deſcripto, dicant vel Graeci, ſi volent, Lycurgum aut Solonem (quanquam illos quidem cenſemus in numero eloquentium ponendos) ſciſſe melius, quam Hyperidem, aut Demoſthenem, perfectos jam homines in dicendo & perpolitos: vel noſtros *Decemviros, qui XII. Tabulas perſcripſerunt, quos neceſſe eſt fuiſſe prudentes,* anteponant in hoc genere Serv. Galbae, & ſocero tuo C. Laelio, quos conſtat dicendi genere praeſtitiſſe.

§. 5. *ELEGANTIA rerum & verborum, in l. XII. Tabul.*

CICERO *lib.* IV. *de republ.* apud Nonium in v. *Jurgium cap.* 5.

ADmiror non *rerum* ſolum ſed etiam *verborum* elegantiam. *Si jurgant*, inquit, &c.

§. 6. *BREVITAS elegans & abſoluta Legis XII. Tabul.*

GELLIUS *lib.* XX. *cap.* I.

ORta mentio eſt legum Decemviralium. Eas leges cum Sext. Caecilius, inquiſitis exploratisque multarum urbium legibus, *eleganti atque abſoluta brevitate verborum* ſcriptas diceret. Sit hoc, inquit Favorinus, in pleraque earum legum parte, ita ut dicis! non enim minus cupide Tabulas iſtas XII. legi, quam illos decem libros Platonis de legibus, ſed &c.

DIODORUS *lib.* XII. *de XII. Tabulis agens pag.* 301.

Ἡ δὲ γραφεῖσα νομοθεσία ΒΡΑΧΕΩΣ ΚΑΙ ΑΠΕΡΙΤΤΩΣ ΣΥΓΚΕΙΜΕΝΗ διέμεινε θαυμαζομένη μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς καιρῶν. id eſt: *Et hae quidem leges breviter, & abſolute conſcriptae, ad noſtram aetatem in admiratione ſumma perdurarunt.*

§. 7. *DISCEBANT PUERI XII. velut carmen neceſſarium.*

CICERO *lib.* II. *de legib. cap.* 23. *ſub Marci perſona.*

H*Oc plus ne facito, rogum aſcia ne polito.* Noſtis quae ſequuntur. Diſcebamus enim pueri XII. ut carmen neceſſarium, quas jam nemo diſcit

IDEM *eodem libro cap.* 4.

A Parvis, Quincte, didicimus, SI IN IUS VOCAT ATQUE EAT, [&] ejusmodi leges alias nominare.

DIONYSIUS HALIC. *lib.* 10. *pag.* 681.

Οὗτοι οἱ ἕνδεκα ἄνδρες συγγράψαντες νόμους ἔκ τε τῶν Ἑλληνικῶν νόμων καὶ παρὰ τῶν σφίσιν αὐτοῖς ἀγράφων ἐθισμῶν, προὔθηκαν ἐν ΔΕΚΑ δέλτοις τῷ βουλομένῳ σκοπεῖν, πᾶσαν δεχόμενοι ἐπανόρθωσιν ἰδιωτῶν, καὶ πρὸς τὴν κοινὴν ἀρέσκειαν ἀπευθύνοντες τὰ γραφέντα. καὶ μέχρι πολλοῦ διετέλεσαν ἐν κοινῷ μετὰ τῶν ἀρίστων ἀνδρῶν συνεδρεύοντες, καὶ τὴν ἀκριβεστάτην ποιούμενοι τῆς νομοθεσίας ἐξέτασιν. ἐπειδὴ δὲ ἀποχρώντως αὐτοῖς ἐφαίνετο τὰ γραφέντα ἔχειν πρῶτον μὲν τὴν βουλὴν συναγαγόντες, οὐθενὸς ἔτι μεμφομένου τοῖς νόμοις, προβούλευμα περὶ αὐτῶν ἐκύρωσαν: ἔπειτα τὸν δῆμον ἐκάλεσαν ἐπὶ τὴν λοχῖτιν ἐκκλησίαν, ἱερομνημόνων τε καὶ οἰωνιστῶν, καὶ τῶν ἄλλων ἱερέων παρόντων, καὶ τὰ θεῖα, ὡς νόμος, ἐξηγησαμένων, ἀνέδωκαν τοῖς λοχαγοῖς τὰς ψήφους. ἐπικυρώσαντος δὲ καὶ τοῦ δήμου τοὺς νόμους, στήλαις χαλκαῖς ἐγχαράξαντες αὐτοὺς, ἐφεξῆς ἔθεσαν ἐν ἀγορᾷ, τὸν ἐπιφανέστατον ἐκλεξάμενοι τόπον. id eſt: *Hi Decemviri Leges tam ex Graecorum legibus, tum ex propriis moribus, non ſcriptis, in Decem tabulis propoſuerunt, cuicunque volenti, eas ſpectare, omnem privatorum emendationem admittentes, ſcriptaque ad commune beneplacitum conformantes: diuque cum optimis quibusque in publico conſederunt, & ſingulas leges ad exquiſitiſſimum examen revocarunt. Ubi vero viſae ſunt ſatis recte habere, primum Senatu coacto, & nemine amplius de ulla lege conquerente, Senatusconſultum de iis fecerant: deinde convocato ad centuriata comitia populo, Pontificibus, Auguribus, caeterisque ſacerdotibus praeſentibus, & ſacra de more praeeuntibus, calculos dederunt centuriis: tum plebiſcito quoque confirmatas, & in aereas columnas inciſas propoſuerunt in Foro, loco maxime conſpicuo in id electo.*

Et paulo poſt *pag.* 684. de DUABUS poſterioribus οἱ δὲ περὶ τὸν Ἄππιον τὰς λοιπὰς συγγράψαντες νόμους, ἐν δέλτοις ΔΥΣΙ, καὶ ταύτας ταῖς πρότερον ἐξενεχθείσαις προσέθηκαν. &c. id eſt: *Appius cum collegis ſuis legibus quae deerant, in duas tabulas ſcriptis, addidit eas decem prioribus*

§. 8. *REVERENDAE & SIMPLICES. Juſtiniani elogia.*

LEge XII. Tab. bene humano generi proſpectum: &, Antiquae legis reverentiam, & nos anteponi novitati legum cenſemus, *l. pen. Cod. de legit. haer.*

Lex XII. Tabul. ſimplicitatem legibus amicam amplexa eſt, §. 3. *Inſt. de legit. agn. ſucc.*

DIONYSIUS HALIC. *lib.* XI *pag.* 725

Ἀλλ' ὑπὲρ τῶν Ῥωμαίων νόμων, οὓς ἐν δώδεκα δέλτοις ἀναγεγραμμένους εὕρομεν, οὔτε μηδένα ποιεῖσθαι λόγον ἥρμοττεν, οὕτω σεμνοὺς ὄντας, καὶ τοσαύτην ἔχοντας διαφορὰν παρὰ τὰς ἑλληνικὰς νομοθεσίας, οὔτε μακρότερον τοῦ δέοντος προβαίνειν, ἐκμηκύνοντας τὴν περὶ αὐτῶν ἱστορίαν. id eſt: *Sed de Legibus Romanis quas XII. Tabulis inſcriptas reperimus, neque nihil plane dicendum fuit, cum ſint adeo reverendae & a Graecis lingue ratione tantopere differant; neque ultra modum progrediendum longiore de iis inſtituta oratione.*

CAPUT VIII.

DE SYNONYMIS LEGIS XII. TAB.

IN conquirendis XII. Tabularum fragmentis, fruſtra ſis, ſi ad ea tantum animum attendas, quae Legis XIII. Tab. nomine diſertis verbis laudantur. Neque enim hac tantum, ſed & aliis pluribus, haud ita expreſſis & apertis, leges XII. Tabul. appellationibus apud ſcriptores deſignantur. Ejus generis ſunt, quae ſequuntur.

DUODECIM abſolute. Cicero *lib.* 2. *de Legibus. cap.* 23.

Feſtus in v. *Naaciter, Nec, Pedem ſtruit, Pipulum, Portum, Recinium, Rupitias, Sanates, Sarcito, Sarpuntur, Sonticum, Struere, Talionis, Tignum, Tuguria, Vindiciae.*

BIS SEX TABULAE, Prudentius *lib.* 2. *adv. Symmacham v.* 463.

Dicant, cur condita ſit lex
Bis Sex in tabulis, aut cur Rubrica notetur?

TABULAE peccare vetantes. Horatius *lib.* 2. *epiſt.* 1. *v.* 22.

LEGES. Auctor *ad Herenniam lib.* 2 *cap.* 10.

Priſcianus *lib.* 10. & 17. Cato *in proœm. librorum de re ruſtica.* Varro *lib.* 6. *de lingua, n.* 2.
Tertull. *Apolog. cap.* 4.
Feſtus in v. *Sub vos placo.*

LEGES XII. Feſtus v. *Sapremum, & Radere, & Vagulatio.*

LEGES ANTIQUAE. Auguſtinus II. *quaeſt. ſuper Exodum:* §. 5. *Inſt. de exhaered. liber.*

LEX ANTIQUA. *l.* 1. *Cod. de exception.*

ΔΥΟΚΑΙΔΕΚΑ. Gloſſ. Philox. *Duodecim Tab.* δυοκαίδεκα.

ΔΥΟΚΑΙΔΕΚΑΔΕΛΤΟΝ, Δωδεκάβιβλον, Δωδεκάδελτος, Graecis.

l. 2. §. 1. *π. de noxalib.*
l. 14. *Cod. de legitimis haeredib.*

LEGES VETUSTAE. *l.* 1. *π. de origine juris.*

LEGES ROMANAE. Feſtus in v. *Erctum.*

Acron. *in Horat. lib.* 2. *Epiſtol.* 1. *v.* 22.

LEGES SANCTAE. Horatius *lib.* 2. *Satyr.* 1. *v.* 81.

LEX. Cicero *Topicis cap.* 9. & pro *A. Caecinaa cap.* 19. & *lib.* 8. *epiſt.* 8. *ad Famil.*
Feſtus *in Noxa, & in Percunctatu.*
Auctor ad *Herenniam lib.* 1. *cap.* 43.
Horatius *lib.* 2. *ſatyr.* 1. *v.* 2.
Valer. Maximus *lib.* 1. *cap.* 1. §. 13.
Seneca *lib.* 10. *Controv. ult. in fin.*
Nonius *cap.* 5. *in verbo Jurgium* 34.
l. 13. §. 3. *π. de ſervit. praed. ruſticor.*
l. 7. §. *ſi paciſcar* 14. *π. de pactis.*
l. 9. §. 6. *π. ad exhibend.*
l. 7. *π. de condict. furtiva.*
l. 18. 26. *π. qui teſtam. facere poſſ.*
l. 5. §. 1. *π. de adquir. haered.*
l. 17. *π. de jure patronatus.*
l. 3. & 24. *in pr. π. de uſurpat. & uſucap.*

l. 4.

l. 4. §. 5. π. l. 7. de re judicatu.
l. 43. π. ad L. Jul. de adulteriis.
l. 130. & l. pronunciatio 195. §. 1. π. de V. S.
l. 13. Cod. de furtis.
§. praeterea emancipatione 6. Inſt. quib. mod. jus pat. pot. ſolv. & Inſt. de legit. patr. tut.
§. 1. in fine Inſt. de legit. agnat. ſuc.
Gajus *tit. inteſtat. haeredit. lib. 2. Inſt. tit. 8. in pr.*

Unde, Ligitimae Tutelae,
Succeſsiones,
Legitimum ſpatium, *l. 14. π. de ſervit. praed. urb.*
Legitima latitudo, *l. 13. §. 2. π. de ſerv. praed. ruſtic.*
Legitimus modus, *l. 3. §. 1. π. de mortuo infer.*

EDICTA. Ovidius *lib. 6. Faſtorum v. 663.*

SCITA Decemviralia. Arnobius *lib. 4. adverſus Gentes.*
Lex Decemviralis. Gell. *lib. 20. cap. 1.*

JUS ANTIQUUM. *l. 7. π. de capite minutis.*
Sic enim in illa lege vox *alieno* reſtituenda.
l. 29. §. 7. π. de liberis & poſthum.

JUS VETUS. *l. 1. π. de haeredit. petit.*
l. 1. Cod. ſi certum petetur.
l. ult. Cod. Theod. Finium regundorum.
in pr. Iuſt. de bonorum poſſeſſ.

JUS CIVILE. Ulp. *in fragm. tit. 22. §. 19. l. 7. π. de bonis damnatorum.*
l. 10. Cod. de jure delib.
in pr. Inſt. de uſucap.
§. 9. Inſt. de haered. quae ab inteſtato.
§. 3. Inſt. de teſtam. ordin. §. emancipatos 3. Inſt. de exh. liber.

JUS PRISCUM. *l. un. Cod. Theod. de uſuris rei judic.*
Juris priſci formulae.

JUBETUR. Cicero *Topicis cap. 9. Tab. 8. de jure Aquarum.*

VOLUERUNT. Varro de vita P. R. *lib. 1. apud Nonium cap. 1. in verbo Proletarii.*

DECEMVIRI. Gellius *lib. 3. cap. 16.* Idem *lib. 11. cap. ult.*
Paulus. *l. de eo 63. π. de donat. inter vir. & uxorem.*

ANTIQUI. v. Feſtum paſsim.
l. un. Cod. de uſucap. transform.

MAJORES. Cicero *lib. 1. de Offic. cap. 12.* ubi de verbo *hoſtis.*
l. 2. Cod. Theod. de liberali cauſa.
Cato *in proœm. librorum de re ruſtica.*

VETERES. *l. ſaepe 53. π. de V. S.*

FINIS LIBRI SECUNDI.

Digitized by Google

LIBER TERTIUS:
QUO CONTINENTUR
PROBATIONES
ſeu TESTIMONIA Veterum,
DE SINGULIS CAPITIBUS AC PENE VERBIS
XII. TABULARUM,
Ad ordinem capitum diſpoſita.

AD TABULARUM I.
DE IN JUS VOCANDO.
PROBATIONES.

LEX. SI IN IUS VOCAT. I. *de* NECESSITATE IN JUS EUNDI.

SIN [a] IUS VOCAT QUEAT.
NIT [b], ANTESTAMINO: IGITUR EM CAPITO.
SI [c] CALVITUR PEDEMVE [d] STRUIT, MANUM ENDOIACITO.

SI [e] MORBUS ÆVITASVE VITIUM ESCIT,
QUI IN IUS VOCABIT IUMENTUM DATO:
SI NOLET, ARCERAM NE STERNITO.

Probationes.

a SIN IUS VOCAT QUEAT.

A parvis, Quinčte, didicimus SI IN IUS VOCAT ATQUE EAT, [&c] ejusmodi leges alias nominare. Cicero *lib.* 2. *de Legibus cap.* 4.

Lege jus eſt, id quod juſſu populi ſancitum eſt: quod genus: *Ut in jus eas cum voceris.* Auctor *ad Herennium lib.* 2. *cap.* 13.

Gajus (lib. 1. ad l. XII. Tabul.) ad hoc caput ſcribens, ſequentes duas exceptiones proponit.

I. Plerique putaverunt nullum *de domo ſua* in jus vocari licere: quia domus tutiſſimum Quique refugium atque receptaculum ſit: eumque qui inde in jus vocaret vim intuliſſe videri, *l.* 18. *π. de in jus vocando.* Sed, etiam a Binea & Balneo & Theatro nemo dubitat in jus vocari licere, *l.* 20. *D. de in jus vocand.*

II. Neque *Impuberes puellas,* quae alieno juri ſubjectae eſſent, in jus vocare permiſſum eſt, *l.* 22. *in pr. π. de in jus vocando.* Gajus *lib.* 1. *ad L. XII. Tabul. duas has exceptiones ad hoc caput proponit.*

b NIT, ANTESTAMINO: IGITUR EM CAPITO.

—— —— —— —— *Caſa venit obvius illi*
Adverſarius; & quo tu turpiſſime? magna
Inclamat voce, &, LICET ANTESTARI? *Ego vero*
Oppono auriculam. RAPIT IN JUS, *clamor utrinque,*
Undique concurſus. &c. Horatius *lib.* 1. *Satyr.* 9. v. 74.

Ad quem locum Porphyrion: Adverſarius moleſti illius Horatium conſulit, an permittat ſe anteſtari, injecta manu extracturus ad Praetorem, quod vadimonio non paruerit. De hac [*ſc. Lex*] autem, Lege XII. Tabul. his verbis cautum eſt: SI VIS VOCATIONI TESTAMINI, IGITUR EN CAPITO, *anteſtari.* Eſt ergo anteſtari, ſcilicet antequam manum injiciat. *Hactenus* Porphyrion. (de In jus vocando.)

Verba legis, quam Porphyrion laudat, ſic reſtituo, eaque a Porphyrionis verbis ſic diſtinguo: " SIN IUS VOCAT, NIT [*] ANTESTAMINO: IGITUR EM CAPITO. *Anteſtari eſt ergo* " *anTEſtari, ſcilicet antequam manum injiciat.* De quo in Notis noſtris plenius. (* i. e. ſi in, i. e. nit.)

SI NON IT, CAPITO, inquit [*], EUM: Si calvitur, endo Ferto manum. Lucilius *lib.* 17. *Satyrar.* apud Nonium *cap.* 1. *in v. Calvitur.*

[*] Lex, XII. Tabul.

c SI CALVITUR."

SI CALVITUR, id eſt [*], *moretur, fruſtretur.* Inde & *calumniatores* appellati ſunt, quod per fraudem & fruſtrationem alios vexarent litibus. Inde & *Calvillatio* dicta eſt. Gajus *lib.* 1. *ad l. XII. Tabul. l.* 233. *in pr. π. de. V. S.* (v. & Lucilii locum ſupra proximum: & locum Feſti in v. Struere proxime ſequentem.)

[*] Male pro his verbis etiam in Piſanis Pandectis, legitur &: Cui geminum errorem Tabula 10. oſtendemus.

———— SI CALVITUR ENDO
FERTO MANUM. Lucilius *d. loco.*

d PEDEMVE STRUIT.

In XII. quod eſt; SI CALVITUR PEDEMVE STRUIT MANUM ENDO IACITO, alii putant ſignificare retrorſus ire: alii, in aliam partem: alii, fugere: alii, gradum augere: alii, minuere: *ac* vix pedem pedi praefert, otioſe it, remoratur. Feſtus *in verb. Struere.*

PEDEM STRUIT in XII. ſignificat fugit; ut ait Serv. Sulpitius. Feſtus *in v. Pedem ſtruit.*

de In jus vocando.

c SI MORBVS ÆVITASVE VITIVM ESCIT, QVI IN IVS VOCABIT IVMENTVM DATO: SI NOLET, ARCERAM NE STERNITO.

Populus Romanus illud quoque non humaniter ſcriptum improbavit: quod ſi homo in jus vocatus morbo vel aetate aeger ad ingrediendum invalidus eſt, arcera non ſternitur: ſed ipſe auſertur & jumento imponitur, atque ex domo ſua ad Praetorem in comitium nova funeris facie effertur. Quam enim ob cauſam morbo affectus, & ad reſpondendum pro ſe non idoneus, jumento adhaerens in jus adverſario deportatur? *Haec Favorinus contra hanc l. XII. Tab. differens. Cui ita reſpondet Caecilius*: Cur tibi eſſe viſa eſt inhumana lex, omnium, mea quidem ſententiâ, humaniſſima, quae jumentum dari jubet aegroto aut ſeni in jus vocato? Verba ſunt haec de Lege, SI IN IVS VOCAT. SI MORBVS AEVITASVE VITIVM ESCIT, QVI IN IVS VOCABIT IVMENTVM DATO: SI NOLET, ARCERAM NE STERNITO. An tu forte MORBUM appellari hic putas *aegrotationem* gravem cum febri rapida & quercera; JUMENTUMQUE dici pecus aliquod unicum tergo vehens? Ac propterea minus fuiſſe humanum exiſtimas, aegrotum domi ſuae cubantem jumento impoſitum in jus rapi? Hoc mi Favorine nequaquam ita eſt. Nam MORBUS in lege iſta non febriculoſus nec nimium gravis, ſed *vitium aliquod imbecillitatis atque invalentiae* demonſtratur; non periculum vitae oſtenditur: caeteroqui morbum vehementiorem vim graviter nocendi habentem, legum iſtarum Scriptores alio in loco non per ſe *Morbum*, ſed *Morbum Sonticum* appellant. JUMENTUM quoque non id ſolum ſignificat, quod nunc dicitur, ſed vectabulum etiam, quod adjunctis pecoribus trahebatur: veteres noſtri jumentum a jungendo dixerunt. ARCERA autem vocabatur ploſtrum tectum undique & moenitum, quaſi arca quaedam magna veſtimentis inſtrata, qua nimis aegri aut ſenes portari cubantes ſolebant. Quaenam tibi igitur acerbitas eſſe viſa eſt, quod in jus vocato paupertino homini, qui aut pedibus forte aegris eſſet, aut quo alio caſu ingredi non quiret, ploſtrum eſſe dandum cenſuerunt: neque inſterni tamen delicate arceram juſſerunt, quoniam ſatis eſſet invalido cuicuimodi vectabulum. Atque id fecerunt, ne cauſatio iſta aegri corporis perpetuam vacationem daret fidem detrectantibus jurisque actiones declinantibus. *Hactenus Sext. Caecilius & Favorinus apud* Gellium *lib.* 20. *cap.* 1. *de hoc capite differentes.*

MORBUS.

JUMENTUM.

ARCERA, quae etiam in XII. Tab. appellatur, quod ex tabuleis vehiculum erat factum ut arca, *arcera* dictum. Varro *lib* 4. *de lingua Lat. n.* 31.

Huc pertinet etiam Varronis fragmentum ex Satyra ejus γερωντοδιδασκαλος (quam ſcripſit in Mores corruptos, & ab antiquis diverſos) apud Nonium *cap.* 1. in verbo *Arcera*. *Vehebatur cum uxore* vehiculo *ſemel aut bis anno cum arcera: ſi non vellet, non ſterneret.* Reſcribo. *Vehebatur cum actore vehiculo ſenex aut tibiis aeger: cui arceram, ſi non vellet non ſterneret.*

Ibidemque recte Nonius ex Gellio arceram interpretatur.

LEX. SI ENSIET. II. *de* CAUSIS *ab in jus eundi neceſſitate excuſantibus.*

SI *a* ENSIET, qui in jus vocatum * vindicit, mi Tito.

ASIDVO *b* VINDEX ASIDVS ESTO: PROLETARIO. CVIQVI VOLET VINDEX ESTO.

ENDO VIA REM *c* VTI PAICVNT ORATO.

NITA *a* PAICVNT, IN COMITIO AVT IN FORO ANTE *b* MERIDIEM CAVSAM CONICITO, CVM PERORANT AMBO PRESENTES:

POST MERIDIEM PRESENTI STLITEM ADICITO. SOL OCASVS SVPREMA *c* TEMPESTAS ESTO.

de In jus vocando.

Probationes.

Argumentum hujus legis Secundae.

a Qui in jus vocatus eſt, duobus caſibus dimittendus eſt: SI QUIS EJUS PERSONAM DEFENDET: &, SI DUM IN JUS VENITUR DE RE TRANSACTUM FUERIT. Gajus *lib.* 1. *ad l. XII. Tab. L.* 22. §. 1. *D. de in jus vocand.*

b ASIDVO VINDEX ASIDVS ESTO: PROLETARIO, CVIQVI VOLET VINDEX ESTO.

Q. Ennius verbum hoc [*Proletarius*] ex XII. Tabulis veſtris accepit, in quibus, ſi recte commemini, ita ſcriptum eſt. ASSIDVO VINDEX ASSIDVVS ESTO: PROLETARIO, QVOIQVIS VOLET VINDEX ESTO. *Et poſt*: Sedenim quum *proletarii & Aſſidui & Sanates & Vades & Subvades, &* XXV. *aſſes, & taliones, furtorumque quaeſtio cum lance & licio evanuerint*, omnisque illa XII. Tab. antiquitas, niſi in Legis actionibus Centumviralium cauſarum, lege Æbutia lata conſopita ſit, &c. *v. plura ibi de Proletariorum nomine. Deinde ſubjicit.* ASSIDUUS in XII. Tab. aut pro locuplete & facile facienti dictus ab aſſibus, id eſt, aere dando, quum id tempora Reipubl. poſtularent: aut a muneris, pro familiari copia faciendi aſſiduitate. Gellius *lib.* 16. *cap.* 10.

Motatio [adhibetur] cum ex vi verbi argumentum aliquod elicitur, hoc modo: Cum Lex * Elia Sentia, ASSIDUO VINDICEM ASSIDUUM ESSE jubeat, locupletem jubet locupleti. Cicero *Topicis cap.* 2.

* Hujus loci emendationem in Notis praeſto: *ſp. Cum Lex Et ia* SENSIET,

Quibus erant pecuniae ſatis, locupletes, ASSIDUOS: contrarios, PROLETARIOS [*ſc.* vocarunt] *Idem* ASSIDUO * NEMINEM VINDICEM voluerunt LOCUPLETI. Varro *de vita P. R. lib.* 1. apud Nonium *cap.* 1. *verb. Proletarii.* 342.

* Reſcribo ASSIDUUM HOMINEM VINDICEM, &c. Quod ait *voluerunt*, id eſt, Decemviri, vel leges XII. Tab. Sic Cicero *Topicis cap.* 9. de uſucapione fundi agens cum indefinite ait, *jubetur*, intelligit lege *ſc.* XII. Tab. & rurſus *lib.* 4. *de Republica*, apud D. Auguſtinum *lib.* 2. *de Civitate Dei cap.* 12, cum de Famoſo carmine agens ait: indefinite *voluerunt*, intelligit leges XII. Tabul. Idem in *Topicis cap.* 9. rurſum de Aqua pluvia agens, cum ait *jubetur*, intelligit lege XII. Tabul.

c REM VTI PAICANT ORATO.

Qui in jus vocatus it, &c.

Ex pacto jus eſt, ſi qui inter ſe pepigerint, ſi quid inter quos convenit. Pacta ſunt quae legibus obſervanda ſunt: hoc modo: REM VBI PACVNT ORATO: NI PACVNT, &c. Auctor *ad Herenn. lib* 2. *cap.* 13.

Antiqui *pago* quoque dicebant pro *paciſcor*. Cicero *in lib.* 2 *ad Herennium*. Pacta ſunt, quae legibus obſervanda ſunt, hoc modo REM VBI PAGVNT ORATIONE * PAGVNT. Priſcianus *lib.* 10.

* Hujus loci emendationem in Notis vide. *ſp.* ORATO: NI PAGUNT.

LEX. DE COGNITIONE PRAETORIS III.

a NITA PAICVNT. &c.

Memoria repeto, convictos a me qui reprehenderant quod hoc verbo uſus eſſem, *pepigi*. Nos ana-

Digitized by Google

de In jus vocando. analogia quoque dictum tuebamur: nam cum in XII. Tabulis legeremus NI ITA PAGVNT, inveniebamus ſimile huic, *cadunt*: inde prima poſitio, etiamſi vetuſtate exoleverat, apparebat, *pago* ut *cado*: unde non erat dubium ſic *pepigi* nos dicere, ut *cecidi*. Quintilian. *Inſt. orat. lib.* 1. *cap.* 6.

Pacta ſunt, quae legibus obſervanda ſunt, hoc modo: Rem ubi pagunt, orato: NI PAGVNT, IN COMITIO AVT IN FORO ANTE MERIDIEM CAVSAM CONICITO. Auctor *ad Herennium lib.* 2. *cap.* 13.

Priora hujus loci verba repetit Priſcianus *lib.* 10.

Ego contenderim magis ſupervacuam eſſe C quam K. quoniam K, ut apud Graecos, ſatis vim etiam C literae exprimat: ſed figura quoſdam deceptos, qua non ſolam apud nos, verum etiam apud antiquos Graecos, haec litera notabatur, ut teſtatur Foedus Graeciae camelo aereo in hortis Caeſaris Aedi Fortis Fortunae inciſum, ubi pro porta haec forma poſita ſit. Item XII. Tabulae; ubi NI PAICVNT, per hanc formam, quod male quidem per C enunciant. Eſt enim praepoſitum ejus *pepigi* a *pango*: ut *tango tetigi*: non *paxi*, ut a *dico dixi*. Ter. Scaurus, *de Orthographia ad Theſeum*.

b ANTE MERIDIEM * &c.

Sole, inquit (Q. Claudius primo Annalium) *occaſo*. *Sole occaſo* non inſuavi venuſtate eſt, ſi quis aurem habeat non ſordidam nec proculcatam. In XII. autem Tabulis verbum hoc ita ſcriptum eſt: *Ante meridiem cauſam conſcito, cum perorant ambo praeſentes: poſt meridiem praeſenti ſlitem addicito: Sol occaſus ſuprema tempeſtas eſto.* Gell. *lib.* 17. *cap.* 2.

Duodecim Tabulis *Ortus* tantum & *Occaſus* nominantur. Poſt aliquot annos adjectus eſt & *Meridies*, accenſo Conſulum id pronunciante, cum Curio inter roſtra & Graecoſtaſin proſpexiſſet talem * ſolem: A columna aenea ad carcerem inclinato ſidere, *ſupremam* pronunciabat. Plinius *lib.* 7. *cap.* 60.

* *Meridianum* puta.

Horarum nomen non minus annos ccc. Romae ignoratum eſſe, credibile eſt: nam XII. Tabulis nuſquam nominatas horas invenies, ut in aliis poſtea Legibus, ſed ANTE MERIDIEM: eo videlicet, quod partes diei, bifariam tum diviſi, *meridies* dividebat. Cenſorinus *cap.* 23. *de die Natali*. de In jus vocando.

c SVPREMA TEMPESTAS ESTO.

Suprema, ſummum diei: id a ſuperrimo (*ſcil.* dictum) Hoc tempus XII. Tabulae dicunt OCCASVM ESSE SOLIS. Sed poſtea lex Plaetoria id quoque tempus jubet eſſe ſupremum, quo Praetor in comitio *ſupremam* pronunciavit populo. Varro *lib.* 5. *de Lingua Lat. n.* 2.

Supremum a ſuperrimo dictum. Itaque in XII. Tabulis SOLIS OCCASV DIES * SVPREMA TEMPESTAS ESTO. Libri Augurum pro *tempore*, *tempeſtatem* dicunt, id eſt, ſupremum Augurii tempus. Idem. *lib.* 6. *de lingua Lat. n.* 3.

* Unus Varro verbum hoc, DIES, habet: quod Gellius, Feſtus, Macrobius, Cenſorinus omittunt. DIES porro, pro *diei* apud antiquos ſcriptum fuiſſe notat Gellius *lib.* 9. *cap.* 14.

Supremum, extremum ſignificat, ut in legibus XII. SOLIS OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO. Feſtus in v. *Supremum*.

Suprema tempeſtas, hoc eſt diei noviſſimum tempus: ſicut expreſſum eſt in XII. Tabulis, SOLIS OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO. Macrobius *lib.* 1. *Saturn. cap.* 13. *in fin.*

Plurimi *ſupremam* poſt occaſum Solis eſſe exiſtimant; quia eſt in XII. Tabulis ſcriptum ſic: SOLIS OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO. Sed poſtea M. Plaetorius Trib. plebis SCtum tulit, in quo ſcriptum eſt: *Praetor Urbanus, qui nunc eſt, quique poſthac fiet, duos lictores apud ſe habeto, iſque usque ad ſupremam jus inter cives dicito.* Poſt ſupremam ſequitur veſpera, &c. Cenſorinus *cap. ult. de die Natali.*

AD TABULAM II.
DE JUDICIIS, ET DE FURTIS.
PROBATIONES.

de Judiciis. LEX. II. NUMAE R. DE VADIMONIO *& legitimis vadimonii deſerendi cauſis.*

a . . . VADES, SVBVADES. . . . . extraquam ſi MORBVS SONTICVS *b* . . . VOTVM *c* . . . . abſentia *d* Reipublicae ergo, AVT STATVS *e* DIEI CVM HOSTE intercedat: nam ſi QVID *f* HORVM FVAT VNVM IVDICI ARBITROVE REOVE, EO DIE DIFENSVS ESTO.

Probationes.

a VADES, SVBVADES.

Sed enim quum Proletarii, & Aſſidui, & Sanates, & VADES, & SVBVADES, & vigintiquinque Aſſes, Taliones, Furtorumque quaeſtio cum lance & licio, evanuerit, omnisque illa Duodecim Tabularum antiquitas, niſi in legis actionibus centumviralium cauſarum, lege Æbutia lata, conſopita ſit. de Judiciis.

Juriſconſultus quidam apud Gellium *lib.* 16. *cap.* 10.

b MORBVS SONTICVS.

Si quis judicio ſiſti promiſerit, & valetudine, vel tempeſtate, vel vi fluminis prohibitus ſe ſiſtere non poſſit, exceptione adjuvatur. Nec immerito: cum enim in tali promiſſione praeſentia opus ſit; quemadmodum potuit ſe ſiſtere, qui adverſa valetudine impeditus eſt? Et ideo etiam lex XII. Tabul. *Si judex vel alteruter ex litigatoribus morbo ſontico impediatur*, jubet, *diem judicii eſſe diffiſum.* Ulpianus *lib.* 74. * *ad Edictum. l.* §. 3. π. *ſi quis cautionibus.* * quo, de exceptionibus egit.

Morbus ſonticus etiam invitis litigatoribus ac Judice *diem differt*: *Sonticus* autem exiſtimandus eſt, qui cujusque rei agendae impedimento eſt. Julianus *lib.* 5. *Digeſtorum*, *l.* 60. π. *de re judicata.*

de Judiciis.

Morbum vehementiorem, vim graviter nocendi habentem, Legum iſtarum ſcriptores alio in loco non per ſe *morbum*, ſed *Morbum Sonticum* appellant. *Sex Caecilius* apud Gellium, *lib.* 20. *cap.* 1. *de LL. XII. Tab.* agens.

Sonticum Morbum in XII. ſignificare, ait Aelius Stilo, certum cum juſta cauſa; quem nonnulli putant eſſe, qui nocet: quod *ſontes* ſignificet nocentes. Naevius ait: *ſonticam eſſe oportet cauſam, quamobrem perdas mulierem.* Feſtus in v. *Sonticum.*

c VOTUM.

Poſt Kalendas Januarias die tertio, pro ſalute Principis VOTA * ſuſcipiuntur. Gajus *lib.* 1. *ad l. XII. Tabul. l.* 233. §. 1. *π. de V. S.*

* Cum in l. XII. Tabularum *Votum publicum* inter caeteras Vadimonii deferendi cauſas legitimas expreſſum eſſet, Gajus ad eam legem ſcribens, hoc ex aevi ſui uſu *votorum publicorum* exemplum attulit: de quo Plutarchus, etiam *in vita Ciceronis*, [illegible]

d Abſentia Reipublicae ergo.

Si is qui fidejuſſorem (*judicio ſiſti*) dedit, ideo non ſteterit, quod *Reipublicae cauſa abfuit*, iniquum eſt, fidejuſſorem ob alium neceſſitate ſiſtendi obligatum eſſe, cum ipſi liberum eſſet non ſiſtere. Gajus *lib.* 1. *ad l. XII. Tabul. l.* 6. *π. ſi quis cautionibus.*

e AUT STATUS DIES CUM HOSTE intercedat.

Hoſtis apud Majores noſtros is dicebatur, quem nunc *peregrinum* dicimus. Indicant XII. Tabulae. AUT STATUS DIES CUM HOSTE. Cicero *lib.* 1. *Officiorum cap.* 12.

Perperam huc refertur *Hoſtis* ſignificatio, propoſita a Gajo *lib.* 2. *ad l. XII. Tabul.* pertinet enim illa ad tertiam Tabulam.

f QUID HORUM FUAT UNUM JUDICI ARBITROVE REOVE, EO DIE DIFENSUS ESTO.

Reus eſt, qui cum altero litem conteſtatam habet, ſive is agit, ſive cum eo actum eſt. *Et poſt*: Capito Atejus in eadem quidem opinione eſt, ſed exemplo adjuvat intepretationem. Numa in ſecunda Tabula, ſecunda lege, in qua ſcriptum eſt. *Quid horum fuit * unum Judici, arbitrove reove, eo die diffenſus † eſto.* Feſtus in v. *Reus.*

* FUAT. Ita Scaliger. Recte. *Fuat*, per hypotheſin, vel (ut ſcholaſtici loquuntur) potentialiter. Virgil. *lib.* 10. *Aeneid. v.* 108. *Tros Rutulusve fuat.* & *Fors fuat.* Graece [illegible] Hoc caput perſtringit quoque Ulpianus *in l.* 2. §. 3. *π. ſi quis cautionib.* Cujus verba repete ex notatis ſupra ad verba *Morbus ſonticus.*

† Id eſt, is dies differatur: v. *l.* 60. *π. de re judicata.* Alii reponunt, *dies diffenſus eſto*, ſive *diffinſus*, pro *diffiſus*, id eſt, dilatus.

LEX. DE TESTIMONII DENUNCIATIONE.

CUI TESTIMONIUM DEFUERIT, IS TERTIS DIEBUS OB PORTUM OBVAGULATUM ITO.

Probationes.

Portum in XII. pro *domo* poſitum omnes fere conſentiunt; *Cui teſtimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito.* Feſtus in v. *Portum.*

Vagulatio in l. XII. Tabul. ſignificat quaeſtionem cum convitio. Id ego non probo. *Cui teſtimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito* Idem in v. *Vagulatio.*

Ad hanc legem refert Cujacius *lib.* 18. & 20. *π. de in jus vocand.* male: de quo in Notis noſtris ad Tabulam primam.

Cap. de NOCTURNO FURE. de Furtis.

SI NOX *a* FURTUM FAXIT, SIM ALIQUIS OCISIT *b*, IURE CAESUS ESTO.

Probationes.

Lex XII. Tabul. furem noctu deprehenſum occidere permittit, ut * tamen id ipſum cum clamore teſtificetur. Gajus *lib.* 7. *ad Edictum l.* 4. §. 1. *π. ad l. Aquiliam.*

* Tribonianiſmus manifeſtus. Lex enim XII. Tabul. *ſimpliciter* furem noctu deprehenſum occidere permiſit. Ideo Cicero, Seneca, & hos ſecutus D. Auguſt. ajunt QUOQUOMODO; Ulpianus OMNIMODO: Licet idem Ulp. ad Edictum ſcribens, in *l. furem* 9. *π. ad l. Corn. de ſicariis* furem nocturnum ita demum occidi impune ſcribat, ſi parcere ei ſine periculo ſuo, qui occidit, non potuit. Verum, ut hoc, ſic & illud non ex l. XII. Tabularum proficiſcitur, verum a Jure Civili ſeu Prudentum auctoritate eſt. Ratio ſane ipſa etiam, ob quam lege XII. Tabularum conceſſum furem nocturnum occidere, hoc emblema reſpuit. Notat quippe Ulpianus ad Demoſthenis *orationem contra Timocratem*, ideo Solonia lege nocturnum furem occidere licuiſſe indiſtincte, interdiarium haud item, quod [illegible]

a SI NOX FURTUM FAXIT, SIM & caet.

Quod Decemviri in XII. Tabulis *Nox* pro *Noctu* dixerunt. Gellius *lib.* 8. *cap.* 1.

Hoc eo capite tractaverat Gellius; verum intercidit totus is Gellii liber octavus.

Non eſſe ab re puto hoc loco id quoque admonere, quod Decemviri in XII. Tabulis inuſitatiſſime *Nox* pro *Noctu* dixerunt. Verba haec ſunt: *Si nox furtum factum ſit: ſi im aliquis occiſit, jure caeſus eſto.* In quibus verbis id etiam notandum eſt, quod ab eo, quod eſt *Is*, non eum, ſed *Im* dixerunt. Macrobius *lib.* 1. *Saturnal. cap.* 4.

b ALIQUIS OCISIT, IURE COESUS ESTO.

XII. Tabulae nocturnum furem *quoquomodo*: diurnum autem, ſi ſe telo defenderit, interfici impune voluerunt. Cicero *pro Milone*, *cap.* 3.

Lex, quae nocturnum furem occidi jubet, *quoquomodo* jubet, non de damnato tantum, ſed de fure loquitur. Seneca *lib.* 10. *Controverſ. ult. in fin.*

Decemviri noſtri, qui poſt Reges exactos leges, quibus Populus Romanus uteretur, in XII. Tabulis ſcripſerunt, furem qui manifeſto furto prenſus eſſet, tum demum occidi permiſerunt, ſi aut cum faceret furtum, nox eſſet, aut interdiu telo ſe, cum prehenderetur, defenderet. Gellius *lib.* 11. *cap. ult.*

Si furem nocturnum (*occideris*) quem lex XII. Tab. *omnimodo* permittit occidere, aut diurnum, quem eaque (*ππ. ea quoque*) lex * permittit, ſed ita demum, ſi ſe telo defendat, videamus an lege Aquilia teneatur? &c. Ulpianus *lib.* 8. *ad Edictum ſub titulo, Si quadrupes pauperiem dederit.* apud Auctorem *collationis legum Moſaic. tit. de furibus* 7. §. 3.

* P. Pithoeus legit *lib.* 18. Et titulum ſic emendat. *ad legem Aquiliam.*

Hoc & in *Legibus antiquis ſecularibus* invenitur, in-

Digitized by Google

de Furtis.

impune occidi nocturnum furem *quoquomodo*. Auguſtinus 11. *quaeſt. ſuper Exodum*.

Cap. de INTERDIARIO FURE & MANIFESTO.

SI LVCI [a] furtum faxit, sIm aliquis endo ipſo CAPSIT, *verberator*, iLique *cui furtum factum* eſcit, aDicitor:

Servus virgis coeſus, ſaxo deIcitor:
Inpubes, praetoris arbitratu verberator, noxiamque decernito.

SI [b] SE TELO DEFENSINT, quiritato ENDOQVE PLORATO: Poſt deinde ſi coeſi eſcint, ſe fraude eſto.

Probationes.

a SI LVCI, &c.

Decemviri noſtri, qui, poſt Reges exactos, leges, quibus P. R. uteretur, in XII. Tabulis ſcripſerunt, neque pari ſeveritate in puniendis omnium generum furibus, neque remiſſa nimis lenitate uſi ſunt: nam furem, qui manifeſto furto prenſus eſſet, tum demum occidi permiſerunt, ſi aut quum faceret furtum, nox eſſet, aut interdiu telo ſe, quum prenderetur, defenderet. Ex coeteris autem manifeſtis furibus liberos verberari addicique juſſerunt ei, cui factum furtum eſſet, ſi modo id Luci feciſſent, neque ſe telo defendiſſent. Servos item furti manifeſti prenſos verberibus affici, & e ſaxo praecipitari; ſed pueros impuberes * Praetoris arbitratu verberari voluerunt, noxamque ab his factam ſarciri. Gellius *lib.* 11. *cap. ult.*

* Similis huic altera illa XII. Tabularum lex: cujus meminit Plinius *lib.* 18. *cap.* 3. *Frugem*, inquit, *aratro quaeſitam furtim noctu paviſſe ac ſecuiſſe, puberi XII. Tabulis capitale erat, ſuſpenſumque Cereri necari jubebant gravius, quam in homicidio convictum.* IMPUBEM PRAETORIS ARBITRATU VERBERARI NOXAMQUE DUPLIONE DECERNI.

Ἀλλ' ἔχει τις εἰπεῖν, καὶ τοὶ ἡ furti ἀγωγὴ ἔγκειται τῷ δωδεκαδέλτῳ· πῶς οὖν πραιτωρίαν αὐτὴν καλεῖς. ἀλλ' ἡ ἀπολογία αὕτη ἐστίν. ὁ δωδεκάδελτος ὑποτίθεται τὴν furti, κεφαλικὴν κατὰ τοῦ κλέπτου ὁρίσε τιμωρίαν: ὁ δὲ πραίτωρ χρηματικήν. ἐπειδ' οὖν διὰ τὴν τραχύτητα ἡ ἐξ δωδεκαδέλτου κατεφρονήθη νομοθεσία, πολιτεύεται δὲ ἡ ἐξ πραίτωρος (δίκαιον γάρ ἦν, τὸ εἰς χρήματα ἀδικήσαντα, εἰς χρήματα τιμωρηθῆναι) διὰ τοῦτο πραιτωρίαν αὐτὴν καλοῦμεν. id eſt, *Sed dixerit hic aliquis mihi: Atqui & Lex XII. Tabularum furti actionem novit: quomodo tu igitur eam Praetoriam vocas? Verum haec eſt reſponſio. Lex XII. Tabularum, cum furti actionem daret, capitalem in furem poenam conſtituit. Praetor vero pecuniariam. Quoniam ergo jus quod ex Lege* XII. *Tabularum venit, propter aſperitatem exploſum eſt, & magis jure Praetorio utimur. (juſtum enim erat, ut qui in pecunia laeſiſſet, & in pecunia plecteretur) ideo Praetoriam furti actionem vocamus.* Theophilus, *Inſt. de perpetuis & tempor. action.* v. & Servium *in lib.* 8. *Aeneid.* v. 205. cujus verba exſcripſit Iſidorus, *lib. Origin.* 5. *cap.* 26.

b SI SE TELO DEFENSINT, quiritato ENDOQVE PLORATO. Poſt deinde, ſi coeſi eſcint, ſe fraude eſto

Duodecim Tabulae nocturnum furem, quoquomodo; diurnum autem, ſi ſe telo defenderet, interfici impune voluerunt. Cicero *pro Milone cap.* 3.

Furem interdiu deprehenſum non aliter occidere lex XII. Tabularum permiſit, quam ſi telo ſe defendat. *Teli* autem appellatione & ferrum & fuſtis & lapis & denique omne, quod nocendi cauſa habetur, ſignificatur. Idem Gajus *lib.* 13. *ad edict. prov. in l. ſi pignore* 54. §. 2. *π. de furtis.*

de Furtis.

Proinde ſi furem nocturnum, quem lex XII. Tabularum omnimodo permittit occidere, aut diurnum, quem *aeque* * lex permittit, ſed ita demum, ſi ſe telo defendat, videamus an lege Aquilia teneatur? Et Pomponius dubitat, num haec lex nunc ſit in uſu &c. Ulpianus, apud Authorem *collation. leg. Moſaic. titul.* 7. §. 3.

Si quis furem occiderit, injuria occiderit. Quamobrem? Quia jus nullum conſtitutum eſt. Quid ſi ſe telo defenderit? Non injuria. Quid ita? Quia conſtitutum eſt. Oratio *pro M. Tullio*, apud Quintilianum *lib.* 5. *cap.* 14.

Hoc & in legibus antiquis ſecularibus invenitur, impune occidi nocturnum furem quoquomodo; diurnum, ſi ſe cum telo defenderit. Jam enim plus quam fur eſt. Auguſtinus *lib.* 11. *quaeſt. ſuper Exodum.*

* Telum vOlgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur; ſed nunc omne ſignificatur, quod mittitur. Graeca voce figuratum ἀπὸ τοῦ τηλοῦ. id eſt, *ab eo quod eſt longe.* Et hanc ſignificationem invenire poſſumus & in Graeco nomine. nam quod nos telum appellamus, illi βέλος appellant. eoque nomine vOlgo quidem id ſignificatur, quod ab arcu mittitur: ſed non minus omne ſignificatur, quod (cum) mittitur manu, ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι. id eſt, *a jaciendo.* Admonet nos Ξενοφῶν, id eſt, *Xenophon*; nam ita ſcribit: Καὶ τὰ βέλη ὁμοῦ ἐφέρετο λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δὲ καὶ λίθοι. id eſt, *Et tela ſimul ferebantur, haſtae, ſagittae, fundae, plurimi item lapides.* Et id, quod ab arcu mittitur, apud Graecos quidem proprio nomine τόξευμα (id eſt, *ſagitta*) vocatur: apud nos autem communi nomine telum appellatur. Gajus *lib.* 1. *ad l. XII. Tab. l.* 233. §. 2 *π. de V. S.*

Lex XII. Tabul. FUREM INTERDIU DEPREHENSUM ita permittit OCCIDERE, SI IS SE TELO DEFENDAT, UT TAMEN [aeque] CUM CLAMORE * TESTIFICETUR. Gajus *lib.* 7. *ad Edict. l.* 4. §. 1. *π. ad L. Aquil.*

* Huc pertinere exiſtimo ſequens XII. Tab. fragmentum; quod apud Feſtum extat, nempe

ENDOQVE PLORATO.

Sub vos placo, in precibus fere cum dicitur, ſignificat id, quod ſupplicio: ut in Legibus, *Transque dato*, &, ENDOQVE * PLORATO. Feſtus in voc. *Sub vos.*

* Legitur in editis male, *Transque dato, endoque plorato*. Endoplorato ἐπιβόησον *Gloſſ.* ENDOPLORATO: Implorato, quod eſt cum quaeſtione inclamato. Implorare namque eſt cum fletu rogare, quod eſt proprie vapulantis. Feſtus in *Endoplorato.*

Cap. de FURTO PER LANCEM ET LICIUM.

Si Furtum lance licioque conceptum eſcit, atque uti manifeſtum vindicator.

Probationes.

Decemviri in XII. Tabulis ea furta, quae per lancem liciumque concepta eſſent, proinde ac ſi manifeſta forent, vindicaverunt. Gellius *lib.* 11. *cap. ult.*

Sed enim quum proletarii, & aſſidui, & Sanates, & Vades, & Subvades, & Vigintiquinque aſſes, & taliones, *furtorumque quaeſtio cum lance & licio evanuerint*, omniſque illa duodecim Tabularum antiquitas, niſi in Legis actionibus centumviralium cauſarum, lege Æbutia lata, conſopita ſit, &c. JCtus quidam, apud Gell. *lib.* 16. *cap.* 10.

de Furtis.

Cap. de Nec manifeſto Furto

Si adorat [a] furto quod nec [b] manifeſtum eſcit, duplione [c] luito.

Probationes.

a Si adorat. *

* Adde & Feſti locum proxime ſequentem.

Adorare *apud antiquos* * ſignificabat agere. Feſtus in v. *Adorare.*

* Id eſt, l. xii. Tabul. v. Notas noſtras *ad Tabulam primam.*

b Quod nec manifeſtum eſcit.

Nec, ſi diligentius inſpiciatur, ut fecit Sinnius Capito, intelligi poſſit eam poſitam eſſe ab antiquis pro non, ut in xii. eſt, Si adorat furto, quod nec manifeſtum erit. Feſtus in verb. *Nec.*

c Duplione * luito.

Aliis deinde furtis omnibus, quae nec manifeſta appellantur, poenam impoſuerunt dupli. Gellius de Decemviris & Decemviralibus hiſce Tabulis agens, *lib.* 11. *cap. ult.*

Majores noſtri ſic habuerunt, itaque in *Legibus* † poſuerunt, furem dupli damnari, foeneratorem quadrupli. Cato *in praefat. librorum de Re Ruſtica.*

* *Tutor* ita, qui quid ex rebus pupillaribus intervertit dupli pariter poena ex l. xii. Tabul. tenetur, inſtar furis nec manifeſti *l.* 55. §. 1. *π. de adminiſtrat. tutor.* de quo in Notis *ad Tabulam* 7. *Depoſitarius* ſimiliter, qui quid in depoſito dolo malo fecit, duplici poena tenetur. v. inf. *Tab.* 3. Eſt enim hic furis inſtar *l.* 13. *π. depoſiti.*

† Leges ἁπλῶς, leges xii. Tabul.

Cap. de Arboribus succisis.

Si injuria alienas arbores coeſit; in ſingulas aeris xxv. luito.

Probationes.

Fuit & arborum cura Legibus priſcis, cautumque eſt xii. Tabulis, ut qui injuria cecidisset alienas *, lueret in singulas aeris xxv. Quid! exiſtimamus futuraſne eas crediſſe ad ſupradictam aeſtimationem, illos qui † *frugiferas* tanti taxaverant? Plinius *lib.* 17. *cap.* 1. cujus titulus, *Arborum mirabilia.*

* 103. *abiegnas* ut Ennius *Medea*: utinam ne in nemore Pelio ſecuribus caeſa accidiſſet abiegna ad terram trabes! † 163. *infrugiferas.*

Si furtim arbores caeſae ſunt & ex l. Aquilia, & ex xii. Tabularum dandam actionem Labeo ait, ſed Trebatius ita utramque dandam, ut judex in poſteriore deducat id, quod ex prima conſecutus ſit, & reliquo condemnet. Paulus *lib.* 9. *ad Sabin. l.* 1. *π. arb. furt. caeſ.*

Sciendum eſt autem eos, qui Arbores & maxime vites * ceciderint, etiam tanquam latrones * puniri. Gajus *lib.* 1. *ad l. XII Tab. l.* 2. *d. t.*

* Plin. *lib.* 14. *cap.* 1. *Vites*, Jure *apud priſcos magnitudine quoque inter arbores numerabantur.*
Servius ad illud *Eclogae* 3. v. 11. Virgil.
Atque mala vites incidere falce novellas.
In hoc (inquit) *maximum nefas eſt, quod ait vites novellas: nam vetulae & cum utilitate inciduntur. Fuerat autem Capitale ſupplicium arbores alienas incidere.*

Vitem Arboris appellatione contineri, plerique Veterum exiſtimaverunt. Ulpianus *lib.* 42. *ad Sab. l.* 3. *d. t.*

Certe non dubitatur, ſi adhuc adeo tenerum ſit, ut herbae loco ſit, non debere *Arboris* numero haberi. Gajus *lib.* [*ſupplem* 1.] *ad l. XII. Tab. l.* 4. *d. t.*

Sed ſi de Arboribus caeſis ex l. Aquilia actum ſit, interdicto *Quod vi aut clam* reddito abſolvetur, ſi ſatis prima condemnatione gravaverit reum, manente nihilominus actione ex l. xii. Tabular. Paulus *lib.* 22. *ad Edict. l.* 11. *π. arb. furt.*

de Furtis.

Quotiens lex obligationem introducit, niſi nominatim caverit, ut ſola ea actione utamur, etiam Veteres eo nomine actiones competere, §. 1. Si eodem facto duae competant actiones, poſtea Judicis potius partes eſſe, ut quo plus ſit in reliqua actione, id actor ferat, ſi tantundem aut minus, id conſequatur. Paulus *lib.* 12. *ad Edictum l.* 41. *π. de obligat.*

Colonus, cum quo propter ſucciſas forte Arbores agebatur ex locato, ſi juraverit ſe non ſuccidiſſe, ſive e lege xii. Tabul. *de Arboribus ſucciſis*, ſive ex l. Aquilia, damni injuria, ſive interdicto quod vi aut clam poſtea conveniatur, per exceptionem jurisjurandi defendi poterit. Ulpianus *lib.* 18. *ad Edictum. l.* 28. §. *Colonus* 6. *π. de jurejur.*

Cap. de Furti decisione.

Si pro fure damnum deciſum eſcit, furti ne adorato.

Probationes.

Et de furto paciſci * Lex permittit. Ulpianus *lib.* 4. *ad Edictum. l.* 7. §. 14. *π. de pact.*

* quae ſit ſuperiori conjungenda eſt,

* Lex ἀπλῶς de xii. Tab.

Si pro *fure damnum deciſum* ſit, condictionem non impediri veriſſimum eſt. Deciſione enim furti quidem actio, non autem condictio tollitur. Idem *lib.* 42. *ad Sabinum. l.* 7. *π. de condict. furtiva.*

Poſt deciſionem, furti Leges agi prohibent. Diocletianus & Maximianus *AA. & CC. l.* 13. *C. de furtis.*

Quaedam actiones per pactum ipſo jure * tolluntur, ut injuriarum, item Furti. Paulus *lib.* 3. *ad Edict. l.* 17. §. 1. *π. de pact.*

* Quia lex xii. Tab. paciſci illis caſibus permiſit, & poſt deciſionem agi prohibuit.

Cap. de Usucapione rei furtivae.

Aſt Furtivae rei, aeterna authoritas eſto.

Probationes.

Furtivarum rerum lex xii. Tabular. & lex Atilia * inhibent uſucapionem. Juſtinian. *Inſtit. de Uſucap.* §. 2.

* Atinia *in Pand. Flor.* Ita quoque in *l. poteſtatis* 215. *π. de V. S. & l.* 4. §. 6. *& l.* 33. *π. de uſurpat. & uſucap.* & Gellius *lib.* 17. *cap.* 7. Cicero *orat.* 3. *in Verrem cap.* 42. At Theophilus quoque habet: ὁ Ἀτίλιος νόμος.

Ubi Lex * inhibet uſucapionem, bona fides poſſidenti nihil prodeſt. Pomponius *lib.* 24. *ad Q. Mucium. l.* 24. *in pr. π. de uſucap.*

* Veluti xii. Tabul.

Non ſolum bonae fidei emptores, ſed & omnes, qui poſſident, ex ea cauſa, quam uſucapio ſequi ſolet, partum ancillae furtivae uſu ſuum faciunt. Idque ratione juris introductum arbitror: nam ex qua cauſa * quis ancillam uſucaperet, niſi lex xii. Tabul. vel Atinia obſtaret, ex ea cauſa neceſſe eſt partum uſucapi, ſi apud eum conceptus & editus eo tempore fuerit, quo furtivam eſſe matrem ejus ignorabat. Julianus *lib.* 44. *Digeſt. l.* 33. *π. de uſur. & uſucap.*

* id eſt, ob bonam fidem.

AD

AD TABULAM III.

DE REBUS CREDITIS.

PROBATIONES.

LEX. de Deposito.

de Rebus creditis. SI quid endo depoſito dolo malo factum eſcit, duplione luito.

Probatio.

Ex cauſa depoſiti, lege XII. Tabul. in duplum actio datur: Edicto Praetoris, in ſimplum. Paulus *lib.* 2. *Sent. ſub titulo de Depoſito*, apud Authorem *collat. legum Moſaic. tit.* 10. §. 7.

LEX. de Fenore.

Si qui unciario [a] Fenore amplius feneraſſit, quadruplione [b] luito.

Probationes.

[a] Sane vetus urbi foenebre malum, & ſeditionum diſcordiarumque creberrima cauſa: eoque cohibebatur Antiquis quoque & minus corruptis moribus. Nam primo XII. Tabulis ſanctum, Ne * quis unciario fenore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletium agitaretur. Tacitus *lib.* 6. *Annal. cap.* 17.

* Hanc ipſam ſanctionem Duellius Trib. pleb. poſtea centum ferme poſt annos retulit, ut teſtatur Livius *lib.* 7. *cap.* 21.

[b] Majores noſtri ſic habuerunt, itaque in Legibus * poſuerunt †, furem duplo condemnari; foeneratorem Quadruplo *. Quanto pejorem civem exiſtimarint foeneratorem quam furem; hinc licet exiſtimari. Cato *prooemio libror. de Re Ruſtica.*

* XII. Tabul.

* Jus hoc Theodoſius ſecutus, *l.* 2. *C. Th. de uſur. l. l. ult.*

† Id eſt, expreſſim & propalam caverunt. Ita Paulus in *l.* 7. *ff. de cap. minut. Tutelas etiam non amittit capitis diminutio: exceptis his, quae in Jure antiquo perſonis* positis *deferuntur.*

LEX. de jure crediti persequendi *adverſus peregrinum.*

Adversus hostem aeternAuthoritas esto.

Probationes.

Illud animadvertimus, quod, qui proprio nomine *perduellis* eſſet, is Hostis vocaretur, lenitate verbi triſtitiam rei mitigante. *Hoſtis* enim apud Majores noſtros is dicebatur, quem nunc *peregrinum* dicimus. Indicant enim XII. Tabulae. Aut ſtatus dies cum hoſte: Itemque, Adversus hostem aeterna. authoritas esto. Cicero *lib.* 1. *de Officiis cap.* 12.

Quos nos Hostes appellamus, eos Veteres *perduelles* appellabant, per eam adjectionem indicantes, cum quibus bellum eſſet. Gajus *lib.* 2. *ad l. XII. Tab. l.* 234. *in pr. ff. de Verb. Signif.*

LEX. Aeris Confessi. *de Jure crediti perſequendi adverſus confeſſum & judicatum.*

de Rebus creditis.

Aeris confessi, &c.

Probationes.

Favorinus adverſus l. XII. Tabul. diſſerens: Nam de immanitate, *inquit*, illa ſecandi partiendique humani corporis, ſi unus ob pecuniam debitam judicatus addictusque ſit pluribus, non libet meminiſſe, & piget dicere. Quid enim videri poteſt efferatius? quid ab hominis ingenio diverſius, quam quod membra & artus inopis debitoris breviſſimo laniatu diſtrahebantur, ſicut nunc bona diſtrahuntur? *Hactenus Favorinus. Cui Sex. Caecilius ſic reſpondet:* Reſtat, ut quod de ſectione partitioneque corporis immaniſſimum eſſe tibi viſum eſt, reſpondeam. Omnibus quidem virtutum generibus exercendis colendisque populus Romanus e parva origine ad tantae amplitudinis inſtar emicuit: ſed omnium maxime atque praecipue fidem coluit ſanctamque habuit tam privatim, quam publice. Hanc autem fidem majores noſtri non modo in officiorum vicibus, ſed *in Negotiorum quoque contractibus* ſanxerunt, maxime *in pecuniae mutuaticiae uſu atque commercio:* adimi enim putaverunt ſubſidium hoc inopiae temporariae, quo communis omnium vita indiget, ſi perfidia debitorum ſine gravi poena eluderet. Confeſſi igitur aeris ac debiti judicatis, triginta dies ſunt dati conquirendae pecuniae cauſa, quam diſſolverent, eosque dies Decemviri Justos appellaverunt, velut quoddam juſtitium, id eſt, juris quaſi interſtitionem quandam & ceſſationem, quibus diebus nihil cum his agi jure poſſet. Poſt deinde, niſi diſſolverent, ad Praetorem vocabantur, & ab eo, quibus erant adjudicati, addicebantur; nervo quoque aut compedibus vinciebantur. Sic enim ſunt, opinor, verba legis: Aeris confessi rebusque iure iudicatis triginta dies iusti sunto, post deinde manus iniectio esto, in ius ducito, ni iudicatum facit, aut quis endo eo in iure vindicit, secum ducito vincito aut nervo aut compedibus quindecim pondo ne minore, aut si volet maiore vincito: si volet suo vivito, ni suo vivit, qui em vinctum habebit, libras farris endo dies dato, si volet, plus dato. Erat autem jus interea paciſcendi, ac niſi pacti forent, habebantur in vinculis dies LX. Inter eos dies *trinis nundinis continuis* ad Praetorem in Comitium producebantur, quantaeque pecuniae judicati eſſent, praedicabatur. Tertiis autem nundinis capite poenas *dabant*, *aut* trans *Tiberim peregre venum ibant.* Sed eam capitis poenam, ſanciendae, ſicut dixi, fidei gratia horrificam, atrocitatis oſtentu, noviſque terroribus metuendam reddiderunt. Nam ſi plures forent, quibus reus eſſet judicatus, ſecare, ſi vellent, atque partiri corpus addicti ſibi hominis permiſerunt. Et quidem verba ipſa legis dicam, ne exiſtimes me invidiam iſtam forte formidare. Ter-

v. Phormionem Terentii *Actu* 2. *ſc.* 2. & ibi Donatum.

de Rebus Crediti[s].

tis, inquit, NVNDINIS PARTIS SECANTO: SI PLVS MINVSVE SECVERVNT, SE FRAVDE ESTO. Nihil profecto immitius, nihil immanius, niſi, ut re ipſa apparet, eo conſilio tanta immanitas poenae denunciata eſt, ne ad eam unquam perveniretur. Addici namque nunc & vinciri multos videmus, quia vinculorum poenam deterrimi homines contemnunt. Diſſectum eſſe antiquitus neminem equidem neque legi neque audivi, quoniam ſaevitia iſta poenae contemni non quita eſt. *Hactenus Caecilius* apud Gellium *lib.* 20. *cap.* 1.

Sunt enim quaedam non laudabilia natura, ſed jure conceſſa: ut in XII. Tabulis, debitoris corpus inter creditores dividi licuit, quam legem mos publicus repudiavit. Quintilianus *lib.* 3. *cap.* 6.

Sed & judicatos in partes ſecari a creditoribus leges erant: conſenſu tamen publico crudelitas poſtea eraſa eſt, & in pudoris notam capitis poena converſa eſt bonorum adhibita proſcriptione. Suffundere maluit hominis ſanguinem, quam effundere. Tertull. *Apologet. cap.* 4.

Confeſſi aeris, de quo facta confeſſio eſt; in XII. Tabulis ſcriptum eſt his verbis: ÆRI CONFESSI REBVSQVE IVDICATIS TRIGINTA DIES IVSTI SVNTO. Gellius *lib.* 15. *cap.* 13. *de Verb. Inopinatis*.

Locuples eſt qui ſatis idonee habet, pro magnitudine rei, quam Actor reſtituendam eſſe petit. Gajus *lib.* 2. *ad l. XII. Tab. l.* 234. §. 1. *ff. de V. S.*

Perperam haec Gaji interpretatio a pleriſque ad eam primae Tabulae legem: *Aſſiduo vindex aſſiduus eſto*, refertur. Neque enim id patitur ordo librorum Gaji: cujus ſecundus tertiae & quartae Tabulae reſpondet. Deinde *locuples* a Gajo hic definitur, non *aſſiduus*. Denique, ſequens verbi *vivere* interpretatio id evincit manifeſtiſſime, ad hanc pariter legem pertinens.

Verbum *Vivere* quidam putant ad cibum pertinere. Sed Ofilius ad Atticum ait, his verbis & veſtimenta & ſtramenta contineri: ſine his enim vivere neminem poſſe. Gajus *lib.* 2. *ad l. XII. Tab. l.* 234. §. 2. *ff. de V. S.*

Si quis condemnatus ſit, ut intra certos dies ſolvat, unde ei tempus judicati actionis computamus? Utrum, ex quo ſententia prolata eſt, an vero ex eo, ex quo dies ſtatutus praeterit? Sed ſi quidem minorem diem ſtatuerit judex, *tempore legitimo* repleatur ex *lege*, quod ſententiae judicis deeſt: Sin autem ampliorem numerum dierum ſua definitione judex amplexus eſt, computabitur reo & *Legitimum tempus*, & quod ſupra id judex praeſtitit. Ulpianus *lib.* 58. *ad Edict. l.* 4. §. 5. *de re judicata*.

Intra *dies conſtitutos*, quamvis judicati agi non poſſit, multis tamen modis judicatum liberari poſſe hodie non dubitatur, quia *conſtitutorum dierum* ſpatium pro judicato, non contra judicatum per *Legem* * conſtitutum eſt. Gajus *lib. ad Edictum Praetoris Urbani, l.* 7. *ff. de re judicata*.

* *Per legem*, id eſt, per legem XII. Tabul. Vel ſic ſcripſerat Gajus, vel ſaltem hac indefinita voce κατ' ἐξοχὴν eam intelligi voluit. Verum aucto poſtea judicati faciendi tempore, Tribonianus *Legis XII. Tabul.* mentionem ſuſtulit, vel ſaltem poſteriorem aliquam legem, *Legis* appellatione intelligi voluit. *Statutum* ideo *tempus & dies conſtitutos* iis, quae interpolavit JCtorum fragmentis, *tit. de re judicata*, non ſemel legas, *l.* 15. *& hac l.* 7. Qui jus recte interpretari volet, duplicem eum ſaepe interpretationem afferre oportet, unam κατὰ τὸν τῶν νομοθετῶν σκοπόν; alteram vero κατὰ τὸν τοῦ Τριβωνιανοῦ.

AD TABULAM IV.

DE JURE PATRIO, ET DE JURE CONNUBII.

PROBATIONES.

de Jure Patrio.

LEX. PATER.

Cap. de PARTU MONSTROSO.

PATER, inſignem ad deformitatem puerum cito necato.

Probatio.

Tribunitiae poteſtatis primum ortum ſi recordari volumus, inter arma civium & occupatis & obſeſſis urbis locis procreatam videmus *. Deinde cum eſſet *cito necatus* †, tanquam ex XII. Tabulis inſignis ad deformitatem puer, brevi tempore neſcio quo pacto creatus ‡, multoque taetrior & faedior natus eſt. Cicero *lib.* 3. *de Legibus cap.* 8.

* forte *videbimus*.

† *alias legatus* Fr. Pith. *Orco legatus*, ita Gulielmus. Forte *Cocyto legatus*.

‡ al. *recreatus*.

Cap. de VITAE NECISQVE POTESTATE.

Endo liberis juſtis, jus vitae necis venumdandique poteſtas ei * eſto.

* patri ſc.

Probationes.

Romanorum Legiſlator [Romulus] omnem poteſtatem in filium patri conceſſit; idque toto vitae tempore, ſive eum in carcerem conjicere, ſive virgis caedere, ſive vinctum ad ruſticum opus detinere, ſive occidere vellet. *Et poſt:* Neque Romano Legiſlatore hoc ſatis fuit, quod hanc poteſtatem patri dediſſet, ſed etiam ei filium vendere permiſit. Et (quod maxime quis miretur, &c.) hoc etiam patri conceſſit, usque ad tertiam venditionem ex filio quaeſtum facere, data patri in filium majori poteſtate, quam domino in mancipium. Nam ſervus ſemel venditus, deinde libertatem adeptus, in poſterum eſt ſui juris. *At filius a patre venditus, ſi liber fuiſſet factus, redibat in poteſtatem patris, & iterum venditus & libertate donatus, ſervus patris ut ante fiebat.* Sed poſt tertiam demum venditionem ex patris poteſtate exibat. Hanc legem priſci illi Reges ſive ſcriptam ſive non ſcriptam (neque enim certi quicquam poſſum afferre) omnium praeſtantiſſimam ducentes obſervarunt: ſed ſublato regno, cum primum P. R. viſum eſt, omnes patrios mores & leges una cum adſcititiis (ἅμα τοῖς ἐπιθέτοις) in foro palam omnibus civibus proponere, ne jus publicum cum ipſo Magiſtratuum dominatu intercideret, Decemviri, quibus a populo poteſtas data fuerat colligendarum & conſcribendarum legum, eam inter coeteras retulerunt, & extat in QUARTA ILLARUM XII. TABULARUM, quae in foro poſitae, ita vocantur. Quod autem non Decemviri, qui ccc. poſt annis legum conſcribendarum cauſa creati fuerant, primi in Remp. Rom. hanc legem introduxerint, ſed multo antea latam & receptam tolle-

De Jure Patrio.

lere auſi non fuerint, cum ex multis aliis colligimus, tum vero praecipue ex Numae Pompilii legibus, qui poſt Romulum regnavit, in quibus etiam ita ſcriptum eſt: *Si pater permiſerit filio uxorem ducere, quae ex legibus particeps ſit & ſacrorum & bonorum, patri poſthac nullum jus eſto vendendi filium.* Quod non ſcripſiſſet, niſi per reliquas omnes ſuperiores Leges patri filium vendere licuiſſet. Dionyſius Halicarnaſſ. *lib.* 2. *pag.* 97. 98.

Sui, licet haeredes inſtituti non ſint, domini ſunt. Nec obſtat quod licet eos exhaeredare, quod * *& occidere licebat* †. Paulus *lib.* 2. *ad Sab. l. in ſuis* 11. *π. de liberis & poſthum.*

* al. *quos.*

† Sunt qui notant Tribonianum loco *licet*, quo Paulus uſus fuerat, hanc vocem ſubſtituiſſe.

Libertati a Majoribus tantum impenſum eſt, ut patribus, quibus Jus VITAE in liberos NECISQUE poteſtas permiſſa eſt, ERIPERE LIBERTATEM non liceret. Conſtantinus M. Imp. A. 323. *l.* 2. *C. Theod. de liberali cauſa. & l. ult. C. de patr. poteſt. Ubi v. Triboniani hac parte interpolationem.*

Patre furioſo liberi nihilominus in patris ſui poteſtate ſunt. Idem eſt & in omnibus parentibus, qui habent liberos in poteſtate. Nam cum jus poteſtatis *moribus* ſit receptum, nec poſſit deſinere quis habere in poteſtate, niſi exierint liberi, quibus caſibus ſolent, nequaquam dubitandum eſt, remanere eos in poteſtate. Ulpianus *lib.* 26. *ad Sabin. l.* 8. *π. de his qui ſui vel alien.*

Cum patri *lex Regia* dederit in filium vitae necisque poteſtatem. Papinianus *lib. Singu. de adulteriis* apud Authorem *coll. legum Moſaic. tit.* 4. §. 8.

Cap. de VENDITIONE FILII.

SI PATER FILIVM TER VENVMDVIT, FILIUS A PATRE LIBER ESTO.

Probationes.

Dionyſii Halicarnaſſei locus hic quoque repetendus, quem ad ſuperius caput jam protulimus. Num vero hoc caput intellexerit, diſquiro *in Notis.*

Liberi parentum poteſtate liberantur emancipatione, id eſt, ſi poſteaquam mancipati fuerint, manumiſſi ſint: ſed filius quidem ter mancipatus ter manumiſſus ſui juris fit. Idem lex XII. Tabularum jubet his verbis: SI PATER FILIUM TER VENUMDVIT, FILIUS A PATRE LIBER ESTO. Caeteri * autem liberi praeter filium, tam maſculi, quam foeminae, una mancipatione manumiſſioneque ſui juris fiunt. Ulpianus *fragm. tit.* 10. *in pr.*

* Haec ſententia non pertinet ad l. XII. Tabul. quod tamen quidam putaverunt.

Emancipatio quaedam ſimilitudo * VENDITIONIS eſt. Gajus *lib.* 1. *Inſtit. tit.* 6.

* id eſt, inducta ad ſimilitudinem venditionis lege XII. Tabularum parenti conceſſae.

Emancipatione quoque deſinunt liberi in poteſtate parentum eſſe. ſed emancipatio antea quidem per ANTIQUAM LEGIS * OBSERVATIONEM procedebat, quae per imaginarias VENDITIONES & intercedentes manumiſſiones celebrabatur, §. *praeterea emancipatione* 6. *Inſt. quib. mod. jus patr. poteſt. ſolvit.*

* XII. Tabularum. Id eſt ad ſimilitudinem legis XII. Tabul.

Cap. de POSTUMO.

Si qui ei IN X. MENSIBVS PROXIMIS poſtumus natus eſcit, juſtus eſto.

Probationes.

Ego de partu humano, praeterquam quae ſcripta in libris legi, hoc quoque uſu veniſſe Romae comperi: Foeminam bonis atque honeſtis moribus, non ambiguae pudicitiae, in undecimo menſe poſt mariti mortem peperiſſe, factumque eſſe negotium propter rationem temporis, quaſi marito mortuo poſtea concepiſſet, quoniam Decemviri IN X. MENSIBUS gigni hominem, non in undecimo ſcripſiſſent: ſed Divum Hadrianum, cauſa cognita decreviſſe in undecimo quoque menſe partum edi poſſe. Gellius *lib.* 3. *cap.* 16.

Unique ex l. XII. Tabularum AD LEGITIMAM HEREDITATEM IS, QUI IN UTERO FUIT, admittitur, ſi fuerit EDITUS. *Et poſt.* Poſt X. menſes mortis natus non admittetur ad legitimam haereditatem. De eo autem qui CLXXXII. die natus eſt, Hippocrates ſcripſit, & D. Pius Pontificibus reſcripſit, JUSTO TEMPORE * videri natum. Ulpianus *l.* 3. §. 9. 11. & 12. *π. de ſuis & legitimis haeredibus.*

* *Juſtum* tempus hic eſt tempus lege XII. Tabularum definitum, quod etiam *legitimum* dici ſup. diximus. Sic *Juſta* haereditas dicitur Legitima, ſeu ea quae propter lege XII. Tabularum obvenit, *l.* 3. §. 2. *π. pro ſocio.*

AD TABULAM V.

DE JURE HAEREDITATIUM ET TUTELARUM.

PROBATIONES.

DUPLICI JURE, HAEREDITAS L. XII. TAB. *defertur: ex teſtamento, & ab inteſtato.*

HAEREDITAS ad nos pertinet, aut *Vetere jure*, aut novo: *Vetere*, e lege XII. Tabularum, vel ex Teſtamento, quod jure factum eſt. Gajus *lib.* 6. *ad Edict. um provinciale. l.* 1. *π. de haeredit. petit.*

Ab inteſtato, forte quod ſui haeredes defuncto ſumus: vel Adgnati, vel quod manumiſimus defunctum, quodve parens noſter manumiſerit. Idem *lib.* 6. *ad Edictum Provinciale*, *l.* 3. *d. t.*

Per familiae erciſcundae actionem dividitur haereditas, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato; ſive ex Lege XII. Tabul. ſive ex aliqua [id eſt, alia qua] lege deferatur haereditas. Ulpianus *lib.* 19. *ad Edictum. in l.* 2. *π. famil. erciſc.*

Cum

de Haereditatibus & tutelis teſtamentariis.

Cum ex lege XII. Tabularum quis habet haereditatem, hinc non petit: ſed inde *Tum quem et haeredem eſſe oportet:* quippe cum non alias hinc competat bonorum poſſeſſio, quam ſi lex ſpecialiter deferat bonorum poſſeſſionem. Idem *lib.* 49. *ad Edictum. l. un. §. ult. π. ut ex legibus SCtis bonor. poſſ. detur.*

LEX. Paterfamilias.

Cap. I. de Haereditatibus et tutelis Teſtamentariis.

Paterfamilias, uti *a* legaSit super pecuniæ *b* tutelæve suæ rei, ita ius esto.

Fragmenta hujus capitis.

Paterfamilias uti ſuper familia pecuniave ſua legasſit, ita jus eſto. Ita Author *ad Herennium lib.* 1. *cap.* 13. & Cicero *lib.* 2. *de Inventione cap.* 50.
Uti legaſſit ſuper pecunia tutelave ſuae rei, ita jus eſto. Ita Ulpian. *in fragm. tit.* 11. §. 14.
Uti legaſſit quisque de re ſua, ita jus eſto. Ita Juſtinianus *Novella de nuptiis* 22. *cap.* 2.
Uti quisque legaſſet ſuae rei, ita jus eſto. Ita Juſtin. *in pr. Inſt. de l. Falcidia.*
Super pecuniae tutelaeve ſuae*. Paulus *l. ſaepe* 53. *π. de V. S.*

* In antiquis, & Piſanis quidem, Pandectis ſic legitur: *ſuper pecuniae tutelaeve ſuae*, Secundo caſu pro ſexto, ἀρχαϊκῶς: ut Cujacius obſervavit. Quale illud. *l.* 3. §. 1. *π. ad l. Corn. de ſicar. Ejusdem legis poenae afficitur.*

Uti legaſſit ſuae rei, ita jus eſto. Pomponius *l.* 120. *π. de V. S.*

Probationes & Interpretationes Prudentum.

Ad Totum Caput.

Q. Mucii ſententia, Pomponii verba.

Verbis legis XII. Tabularum his: *Uti legaſſit ſuae rei, ita jus eſto*, latiſſima poteſtas tributa videtur & haeredis inſtituendi, & legata & libertates dandi, tutores quoque conſtituendi: ſed id Interpretatione coangustatum eſt, vel legum vel authoritate jura conſtituentium. Pomponius *lib.* 5. *ad Q. Mucium. l.* 120. *π. de V. S.*

Cum olim lege XII. Tabularum libera erat legandi poteſtas, ut liceret vel totum patrimonium legatis erogare: quippe cum ea lege ita cautum eſſet: *Uti quisque legaſſet ſuae rei ita jus eſto*, viſum eſt hanc legandi licentiam coarctare. &c. Juſtinianus *in pr. Inſtit. de L. Falcidia.*

* id eſt, pecunia.

a VTI SVPER PECVNIÆ * LEGASIT.

1. *Haereditate.*

Lege obvenire *Haereditatem* non impropriè quis dixerit, & eam quae ex teſtamento defertur: quia lege XII. Tabularum teſtamentariae haereditates confirmantur. Ulpian. *lib.* 2. *ad L. Jul. & Pap. l.* 130. *π. de V. S.*

Haereditas ad nos pertinet vetere jure, e l. XII. Tabul. ex teſtamento quod jure factum eſt. &c. Gajus *lib.* 6. *ad Edictum provinciale. l.* 1. *π. de haered. pet.*

2. *Legato.*

Lege nobis adquiritur, velut caducum vel ereptitium ex l. Papia Poppea: item *Legatum*, ex l. XII. Tabul. ſive mancipi res ſint, ſive nec mancipi. Ulpianus *Fragm. tit.* 19. §. 17.

3. *Libertate.*

de Haereditatibus & tutelis teſtamentariis.

Ut teſtamento *Manumiſſi* liberi ſint, lex XII. Tabul. facit: quae confirmat, quod datum legatum eſt. Idem *tit.* 1. §. 6.

In generali repetitione *legatorum*, etiam datae libertates continentur ex mente l XII. Tabular. Paulus *lib.* 9. *ad Plautium. l.* 80. *π. de V. S.*

b TUTELÆVE SUÆ REI.

Teſtamento quoque nominatim Tutores dati confirmantur eadem lege XII. Tabul. his verbis: *Uti legaſſit ſuper pecunia tutelave ſuae rei ita jus eſto.* Ulpianus *Fragm. tit.* 11. §. 14

Teſtamento quemlibet poſſumus Tutorem dare: ſive is Praetor ſive Conſul ſit: quia lex XII. Tabul. id confirmat. Paulus *lib.* 38. *ad Edictum. l. tutor.* 20. *π. de teſtam. tut.*

Saepe ita comparatum eſt, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, & disjuncta pro conjunctis: interdum ſoluta pro ſeparatis. Nam cum dicitur apud veteres, *agnatorum gentiliumque*, pro ſeparatione accipitur. At cum dicitur, *ſuper pecuniae tutelaeve ſuae*, tutor ſeparatim ſine pecunia dari non poteſt, &c. Idem. *lib.* 56. *ad Edictum. l. ſaepe* 53. *π. de V. S.*

Lege XII. Tabularum permiſſum eſt parentibus, liberis suis ſive foeminini ſive maſculini ſexus, ſi modo in poteſtate ſint, tutores teſtamento dare. Gajus *lib.* 12. *ad Edictum provinciale. l.* 1. *π. de teſt. tut.*

Cap. II. de Gentilitiis Haereditatibus.

de Haereditatibus gentilitiis.

Ast *a* sI Intestato moritvr, cvi *b* sVs heres nec escit, agnatvs *c* proximvs *d* familiam *e* habeto: Si *f* agnatvs nec escit, gentilis familiam heres nancitor.

Fragmenta hujus capitis.

Ac ſi inteſtato moritur, cui ſuus haeres nec extabit, agnatus proximus familiam habeto. Si agnatus * nec eſcit, gentilis familiam heres hanc.*

* γρ. nancitor.

* Ita, ex Ulpiani *libro ſingulari, ſub titulo de legitimis haereditatibus* apud Authorem *collat. legum. Moſaicarum tit. ult.* § 4. Extat & poſtrema ſententia tantum relecata totidem verbis, in iis, quae ſuperſunt, Ulpiani fragmentis *tit.* 26. §. 1.

Si paterfamilias * inteſtato moritur, familia pecuniaque ejus agnatorum gentiliumque eſto. Ita apud Authorem *librorum ad Herennium lib.* 1. *cap.* 13. & apud Ciceronem *lib.* 2. *de inventione cap.* 50.

* ἀπὸ κοινοῦ haec vox repetita.

Si inteſtato moritur. Paulus *lib.* 1. *ad Sabinum. l.* 9. §. 2. *π. de liber. & poſthumis.*
Agnatus proximus familiam habeto. Ulpian. *lib.* 46. *ad Edictum. l. pronunciatio* 195. §. 1. *π. de V. S.*

Ordinis Ratio.

Poſteaquam Praetor locutus eſt de bonorum poſſeſſione ejus, qui teſtatus eſt, tranſitum fecit ad inteſtatos: eum ordinem ſecutus, quem & lex XII. Tab. ſecuta eſt. Fuit enim ordinarium ante de judiciis teſtantium, dein ſic de ſucceſſione ab inteſtato loqui. Ulpianus *lib.* 44. *ad Edictum. l.* 1. *π. ſi tabul teſt. null. extab.*

Pro-

de Haereditatibus Gentilitiis.

Probationes & Interpretationes Prudentum.

Ad Totum Caput.

Inteſtatorum Gentilitiorum haereditates pertinent primum ad *ſuos* haeredes, id eſt, liberos, qui in poteſtate ſunt, caeteroſque, qui liberorum loco ſunt. [Si ſui haeredes non ſint, ad *Conſanguineos*, id eſt, fratres & ſorores ex eodem patre.] Si nec hi ſunt, ad reliquos *Agnatos* virilis ſexus per mares deſcendentes ejuſdem familiae. His enim cautum eſt lege XII. Tabul. hac: *Si inteſtatus moritur, cujus heres nec eſt, agnatus proximus familiam habeto.* Si Agnatus defuncti non ſit, eadem lex XII. Tabularum *Gentiles* ad haereditatem vocat his verbis: *Si agnatus neſcit*, gentilis familiam heres hanc.* † Nec Gentilitia jura in uſu ſunt. Ulpian. *lib. ſingulari ſub titulo de Legitimis haereditatibus*, apud Auctorem *collat. legum Moſaic. tit. ult.* §. 4.

* *vg. nec eſcit.* † *vg. nancitor.*

Inteſtatorum ingenuorum haereditates pertinent primum ad *ſuos* haeredes, id eſt, liberos, qui in poteſtate ſunt, caeteroſque, qui in liberorum loco ſunt. [Si ſui haeredes non *ſunt* ad Conſanguineos, id eſt, fratres & ſorores, ex eodem patre] Si nec hi ſunt, ad reliquos Agnatos proximos, id eſt, cognatos virilis ſexus per mares deſcendentes ejuſdem familiae. Id enim cautum eſt lege XII. Tabul. *Ac ſi inteſtato moritur, cui ſuus heres nec extabit, agnatus proximus familiam habeto.* Ulpianus *Fragm. tit.* 26. *in princ.*

Inteſtatorum haereditates ex l. XII. Tabul. primum *ſuis* haeredibus, deinde *Agnatis*, & aliquando quoque *Gentilibus* deferebatur. Sane Conſanguineos lex non comprehenderat: Interpretatione Prudentium primum inter Agnatos locum acceperunt. Paulus *lib.* 3. *Sententiar. ſub titulo de Inteſtatorum ſucceſſionibus*, apud Auctorem *coll. L. Moſaic. tit.* 16. §. 3.

Inteſtatorum haereditates lege XII. Tab. primum ad ſuos haeredes pertinent. Sui autem, &c. Si nullus ſit ſuorum haeredum, tunc haereditas pertinet ex eadem lege XII. Tab. ad Agnatos. Vocantur autem Agnati, &c. Non tamen omnibus ſimul Agnatis dat lex XII. Tab. haereditatem, ſed his qui tunc, cum certum eſt aliquem ab inteſtato deceſſiſſe, proximo gradu ſunt. Nec in eo jure ſucceſſio eſt. Si nullus Agnatus ſit, eadem l. XII. Tabul. Gentiles ad haereditatem vocat, &c. Gajus *lib.* 3. *Inſtitutionum*, apud Authorem *collat. legum Moſaic. tit. ult.* §. 2. *Legitimas ſic ordinat ſucceſſiones.*

Anguſtiſſimis finibus conſtitutum per l. XII. Tabul. jus percipiendarum haereditatum, Praetor ex bono & aequo dilatavit, §. 2. *Inſtit. de bonor. poſſ.* Jus bonorum poſſeſſionis introductum eſt a Praetore emendandi Veteris juris gratia, *in pr. Inſt. d. t.*

* v. inf. *proximus.*

a AST SI INTESTATO * MORITVR, &c.

Qui poſt mortem avi ſui concipitur, is neque legitimam haereditatem ejus, tanquam ſuus haeres, neque bonorum poſſeſſionem, tanquam cognatus accipere poteſt: quia lex XII. Tabul. eum vocat ad haereditatem, qui *moriente eo, de cujus bonis quaeritur, in rerum natura fuerit.* Julianus *lib.* 59. *Digeſt. l. Titius* 6. *π. de ſuis & legitim. haeredib.* Vel ſi vivo eo conceptus eſt: quia conceptus quodammodo in rerum natura eſſe exiſtimatur. Ex Celſi *lib.* 28. *Digeſtorum* hoc ſubjicitur *l.* 7.

Si in hoſtium poteſtate filius ſit, & deceſſerit in eodem ſtatu, rumpit his caſibus nepos teſtamentum: quod moriente avo filii jus pependerit, non abſciſſum fuerit. Sed etſi haeres inſtitutus omiſerit haereditatem, erit legitimus haeres: quoniam haec verba, *ſi inteſtato moritur*, ad id tempus referuntur, quo teſtamentum deſtituitur, non quo moritur. Paulus *lib.* 1. *ad Sabinum. l.* 9. 2. *π. de liberis & poſthumis.*

b CVI SVS * HERES NEC ESCIT, &c.

de Haereditatibus Gentilitiis. * Repetenda huc quatuor JCtorum teſtimonia, quae paulo ante ad totius hujuſce capitis interpretationem praemiſimus. * Cujac. 7. *Obſ. cap.* 18.

Praeter ſuperiora loca, quae jam ſupra initio notavi ad totum caput:

Inteſtatorum haereditates, ex lege XII. Tabul. primum ad *ſuos* haeredes pertinent. Juſtinianus §. 1. *Inſtit. de haeredit. quae ab inteſtato.* Vide Theoph. ad §. 2. *de haer. qual.*

1. *Cur* ſui *dicti.*

Cum ratio naturalis, quaſi lex quaedam tacita, liberis parentium haereditatem addiceret, velut ad debitam ſucceſſionem eos vocando: propter quod & in *Jure Civili ſuorum* haeredum nomen eis inditum eſt. Paulus *libro Singul. de portionib. quae liberis damnator. conceduntur. l.* 7. *π. de bonis damnatorum.*

2. *Qui* ſunt *ſui.*

1. *Filiae* * *quoque.*

* hoc, lege XII. Tab. nominatim cautum fuiſſe perperam exiſtimavit Hotomanus.

Lege antiqua XII. Tabularum omnes ſimiliter [*maſculi foeminae*] ad ſucceſſionem ab inteſtato vocabantur, quod & Praetores poſtea ſecuti eſſe videntur. Juſtinianus §. 5. *Inſtit. de exhaered. liber.* Adde *l. lege XII. Tabul.* 14. *Cod. de legitimis haered.*

2. *Poſthumi quoque.*

Inteſtato quidem defuncto, poſthumum ſuum haeredem quam ſororem, licet conſanguineam, haberi potiorem, *ordo ſucceſſionum lege XII. Tabul.* factus nimis evidenter demonſtrat. Dioclet. & Maximian. Impp. *l.* 4. *C. de ſuis & legitimis.*

3. *Nepotes* * *quoque*, &c.

* Singulare caput, de *Nepotibus* in l. XII. Tab. fuiſſe perperam exiſtimavit Hotomanus: & poſt eum alii. Attendiſſet ſaltem hanc Calliſtrati ſententiam.

Liberorum appellatione, nepotes & pronepotes caeterique, qui ex his deſcendunt, continentur: hos enim omnes *ſuorum* appellatione lex XII. Tabular. comprehendit. Calliſtratus *lib.* 2. *Quaeſtionum, l. liberorum* 220. *π. de V. S.*

Ut inteſtato defuncti filius ac nepos ex alio, qui mortis ejus tempore in rebus humanis non inveniatur, manentes in ſacris pariter ſuccedant, *evidenter lege XII. Tabul.* cavetur. Quod & honorarii juris obſervatio ſequitur. Diocletianus & Maximianus Impp. *l.* 3. *Cod. de ſuis & legitimis.*

Lex XII. Tabul. filio mortuo, nepotes vel neptes, pronepotes vel proneptes in locum patris ſui ad ſucceſſionem avi ſui vocat. Juſtin. §. *penult. Inſt. de haered. quae ab int.*

3. Non ſunt *ſui.*

1. *Capite minuti.* *

* v. & inf. ad verb. *Agnatus.*

Capitis diminutione pereunt legitimae haereditates, quae ex l. XII. Tabul. veniunt, ſive vivo aliquo, ſive antequam adeatur haereditas ejus, capitis minutio interceſſerit: quoniam deſinit *ſuus* haeres vel agnatus recte dici: quae autem ex legibus novis aut ex SCto, non utique. Pomponius *lib.* 10. *ad Q. Mucium. l.* 11. *π. de ſuis & legitim. haeredib.*

Legitimae haereditatis jus, quod ex l. XII. Tab. deſcendit, capitis minutione amittitur. Ulpian. *Fragm. tit.* 27. §. *ult.*

Emancipati liberi *Jure civili* nihil juris habent: neque enim *ſui* haeredes ſunt, qui in poteſtate pa-

de HAEREDITATIBUS Gentilitiis.

rentis eſſe deſierunt: neque vel *alio jure** per l. XII. Tabul. vocantur. Sed Praetor, &c. Juſtinianus §. 9. *Inſt. de haer. quae ab inteſt.*

* id eſt, capite vel titulo: puta ut *agnati*, vel ut *gentiles*. capite quippe minuti, & ſui, & agnati & gentiles eſſe deſinunt: domum, familiam, gentemque amittunt.

Si erit filius ac nepotes, qui ab inteſtato ſucceſſuri defuncto vel XII. Tabulis, vel per reſciſſionem capitis, Praetorio vocabuntur edicto, &c. Gratian. Valentin. Theodoſ. Imppp. *l. 9. Cod. Th. de bonis proſcriptorum.*

Diſcretionis cauſa ſolet cum genitivo poſſeſſoris addi nominativus poſſeſſivi: *ut ſuus Ciceronis filius haeres eſt patris conſtitutus. Suus* dicitur ad diſcretionem illius, qui ſecundum *Leges* ſuus non eſt, id eſt, ſub poteſtate patris legitimus non eſt. Priſcianus *lib.* 17.

2. *Filii* matri *non ſunt ſui.*

Ad liberos matris inteſtatae haereditas ex l. XII. Tab. non pertinebat: Quia foeminae *ſuos* haeredes non habent. Ulpian. *Fragm. tit.* 26. §. 7.

Lex XII. Tabul. ita ſtricto jure utebatur, & praeponebat maſculorum progeniem, & eos, qui per foeminini ſexus neceſſitudinem ſibi junguntur, adeo expellebat, ut nequidem inter matrem & filium filiamve ultro citroque haereditatis capiendae jus daret. Juſtin. *in princ. Inſt. de SCto Tertulliano.*

c NEC ESCIT, vide Theophilum *initio tit. de bon poſſ.*

d AGNATVS.*

* Huc repetendae quatuor Jctorum interpretationes, quas *ad totum caput* praemiſi.

Si nemo ſuus haeres [*vel eorum quos, inter ſuos haeredes Praetor vel Conſtitutiones vocant*] exiſtat, qui ſucceſſionem quoquomodo amplectatur, tunc ex l. XII. Tabularum ad *Agnatum proximum* pertinet haereditas. Juſtinianus *in princ. Inſt. de legitima agnat. ſucceſſ.*

Si cui perempto cum fratre ac ſorore manſerit conſanguinitatis agnatio, ſit XII. Tabul. locus: [id eſt, *ſuccedat ut praeſcripto*] Ac jus civile praevaleat, ut avus atque avia cognatorum gradu invitati vinci ſe a legitimis adquieſcant. Gratian. Valentin. Theodoſ. Imppp. *l. 9. C. Th. de bon. proſcript.*

1. *Cujuscunque gradus & ſexus.*

Admonendi ſumus, Agnationis jure admitti aliquem ad haereditatem, etſi decimo gradu ſit, ſive de lege XII. Tabul. quaeramus: ſive de edicto Praetoris. Juſtin. §. 5. *Inſtit. de ſucceſſ. cognator.*

Et haec quidem lex XII. Tabul. nullo modo introduxit: ſed ſimplicitatem legibus amicam amplexa, ſimili modo omnes Agnatos, ſive maſculos ſive foeminas, cujuſcunque gradus, ad ſucceſſionem, ad ſimilitudinem ſuorum vocabat. Idem §. 3. *Inſt. de legitima agnator. ſucc.* vide & *l. penult. & ult. Cod. de legitimis haeredib. quibus hoc XII. Tabularum jus reducitur.*

[Foeminae ad haereditates legitimas ultra conſanguineas ſucceſſiones non admittuntur: idque jure civili vel Voconiana ratione videtur effectum] Caeterum lex XII. Tabul. nulla diſcretione ſexus cognatos* admittit. Paulus *lib. 4. Sentent. tit.* 8. §. 3.

* Agnatos.

Pronunciatio ſermonis in ſexu * maſculino, ad utrumque ſexum plerumque porrigitur. Ulpianus *lib.* 46. *ad Edictum. l. pronunciatio* 195. *in pr. π. de V. S.*

* Ut cum lex ait, *Agnatus proximus familiam habeto.* Quo pertinet hoc legis principium: Ulpianus quippe libro 46. ad Edictum, *de ſucceſſionibus legitimis* egit, quod docent omnes ejus libri, quae ſuperſunt, leges: & praeter alias, prolixa ſatis *l. 2. π. unde legitimi.* Ut enim illa l. Edictum Praetoris, *unde legitimi* interpretatus eſt Ulpian. ſic & *hac*, legem XII. Tabularum, quam Praetor illo edicto ſuo ſecutus erat. Ut illa *l. Legitimi* appellatione, legitimam quoque exaudiendam ſcribit: ſic & hac, *Agnati* appellatione, agnatam intelligendam notaverat. Denique *familiae* nomen, quod ejusdem *l.* §. 1. Ulpianus interpretatur, docet evidenter eum haec l. XII. Tabul. verba interpretanda ſuſcepiſſe: *Agnatus familiam habeto.*

2. *Non capite minutus.*

Capitis diminutione pereunt Legitimae haereditates, quae ex l. XII. Tabul. veniunt, ſive vivo aliquo, ſive antequam adeatur ejus haereditas, capitis minutio interceſſit: quoniam deſinit ſuus haeres vel *Agnatus* recte dici. Quae autem ex legibus novis aut SCto, non utique. Pomponius *lib.* 10. *ad Q. Mucium. l.* 11. *π. de ſuis & legitimis.*

Legitimae Tutelae ex XII. Tabulis intervertuntur [capitis diminutione] eadem ratione, qua & haereditates exinde legitimae: quia Agnatis deferuntur, qui deſinunt eſſe familia mutati. Paulus *lib.* 11. *ad Edictum. l. tutelas* 7. *π. de capite minutis.*

Legitimae haereditatis jus, quod ex lege XII. Tabul. deſcendit, capitis minutione amittitur. Ulpian. *Fragm. tit.* 27. §. *ult.*

Agnati capite diminuti, quique ex his progeniti ſunt, ex l. XII. Tabul. inter legitimos non habentur. Juſtin. §. 1. *Inſt. de ſucceſſ. cognator.*

In Commentariis Labeonis, quae ad XII. Tabulas compoſuit, ita ſcriptum eſt. *Virgo Veſtalis neque haeres eſt cuiquam inteſtato, neque inteſtatae quiſquam: ſed bona ejus in publicum * redigi ajunt:* Id quo jure fiat quaeritur? Gellius *lib.* 1. *cap.* 12.

* Dubitandi ratio haec eſt. At decidendi ratio haec; quod Virgo Veſtalis capta, & in Atrium Veſtae deducta, & Pontificibus tradita, eo ſtatim tempore, ſine emancipatione ac ſine *capitis diminutione*, e patris poteſtate exibat. ut *eodem capite* notat Gellius.

3. *Non mater filio.*

Inteſtati filii haereditas ad matrem ex l. XII. Tabul non pertinet. Ulpian. *Fragm. tit.* 26. §. 8.

Lex XII. Tabul. ita ſtricto jure utebatur, & praeponebat maſculorum progeniem, & eos, qui per foeminini ſexus neceſſitudinem ſibi junguntur, adeo expellebat, ut nequidem inter matrem & filium filiamve ultro citroque haereditatis capiendae jus daret. Juſtinian. *in princ. Inſtit. de SCto Tertulliano.*

e PROXIMVS.

1. *Etſi ſolus.*

In vulgari ſubſtitutione, qua ei, *Qui ſupremus morietur haeres*, ſubſtituitur, recte ſubſtitutus etiam unico intelligitur: Exemplo XII. Tabularum, ex quibus *Proximus Agnatus* & ſolus habetur. Pomponius *lib.* 2. *ad Sabinum. l.* 162. *in pr. π. de V. S.*

v. l. proximi 155. *π. de V. S.* & *l.* 9. *π. de reb. dub. l.* 34. *π. de vulgari. l.* 1. §. 6. *π. unde cognat.*

2. *Plures eodem gradu.*

Si plores ſint gradus Agnatorum, aperte lex XII. Tabul. PROXIMVM vocat: & quamvis ſingulari numero uſa lex *proximum* vocet, tamen dubium non eſt, quin ſi plures ſint ejusdem gradus, omnes admittantur. Juſtinian. §. 5. *Inſt. de legitima Agnat. ſucceſſ.* ubi Theophilus errat.

3. *Quo tempore * proximus?*

* v. etiam probationes 6. ad haec verba, *Aſt ſi inteſtato moritur.*

Non tamen omnibus ſimul Agnatis dat lex XII. Tabul. haereditatem, ſed his, qui tunc, cum certum eſt aliquem ab *inteſtato* deceſſiſſe, proximo gradu ſunt: nec in eo jure ſucceſſio eſt. Gajus *lib.* 3. *Inſtit.* apud Auctorem *coll. L. Moſaic. tit.* 19.

Non tamen omnibus ſimul dat *Lex* haereditatem, ſed

de HAEREDITATIBUS Gentilitiis. v. §. 7. Theoph. *de legit. agn. ſucceſſ.*

ſed iis, qui *tunc* proximiores gradu ſunt, cum certum eſſe coeperit aliquem inteſtatum deceſſiſſe. Juſtin. §. 1. *in fin. Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.*

Non tamen omnibus ſimul Agnatis *lex* haereditatem propinqui inteſtati dat, ſed his, qui defuncto *mortis* ſuae tempore proximiores inveniuntur. Gajus *in Epitom. Aniani de inteſtator. haeredit t.* 6. [al. *lib.* 2. *Inſt. tit.* 8. §. 4.]

f FAMILIAM HABETO.

Familiae appellatio qualiter accipiatur, videamus. Et quidem varie accepta eſt. Nam & in res & in perſonas deducitur. In res, ut puta in l. XII. Tabul. his verbis, *Agnatus proximus familiam habeto.* Ulpianus *lib.* 46. *ad Edictum. l. pronunciatio* 195. §. 1. *π. de V. S.*

g SI AGNATUS NEC ESCIT, GENTILIS FAMILIAM HERES NANCITOR.

Si Agnatus defuncti non ſit, eadem lex XII. Tabularum Gentiles ad haereditatem vocat his verbis: *Si agnatus nec eſcit gentilis familiam heres hanc**. Nec Gentilitia jura in uſu ſunt. Ulpianus *lib. Singul. ſub titulo de Legitim. haereditatibus* apud Auctor. *coll. ll. Moſaic. t.* 16.

* *vg. nancitor.*

Si nullus agnatus ſit, eadem lex XII. Tabularum Gentiles ad haereditatem vocat. Qui ſint autem Gentiles, primo Commentariorum & *ultimum** eſt: & cum illic admonuerimus, Gentilitium jus in deſuetudinem abiiſſe, ſupervacuum eſt hoc quoque loco de ea re curioſius tractare. Gajus *lib.* 3. *Inſtit.* apud Auctorem *coll. L. Moſaic. t.* 16.

* *relatum eſt, vel explicatum eſt.*

Inteſtatorum haereditas ex l. XII. Tab. primum ſuis haeredibus, deinde Agnatis, & aliquando quoque Gentilibus deferebatur. Paulus *lib.* 3. *ſentent. ſub titulo, de Inteſtator. ſucceſſ.* apud Eundem, *eod. tit.*

Cap. III. DE LIBERTORUM BONIS.

de HAEREDITATIBUS Libertorum.

Si *a* libertus inteſtato moritur, cui ſuus heres nec extabit, aſt patronus, patronive *b* liberi eſcint, Ex *c* EA FAMILIA IN EAM FAMILIAM proximo *d* pecuniADuitor. *e*

Probationes & Interpretationes Prudentum.

a Si libertus inteſtato moritur, cui ſuus heres nec extabit, aſt patronus &c.

Civis Rom. * liberti haereditatem lex XII. Tabul. patrono defert, *Si inteſtato ſine ſuo haerede libertus deceſſerit.* Ideoque ſive teſtamento facto decedat, licet ſuus haeres ei non ſit, quamvis non naturalis, ſed uxor puta quae in manu fuit, vel adoptivus filius, Lex patrono nihil praeſtat. &c. Ulpian. *Fragm. tit.* 29. *in pr.*

* In *Latino* aliud: hic enim *ſuos* haeredes non habebat, bonaque ejus omnino ad patronum patronique liberos pertinebant, *l. un. C. Theod. de petit. haereditat.* Salvianus *lib.* 3. *ad Eccleſ. Cathol.*

Olim licebat liberto patronum ſuum impune teſtamento praeterire. Nam ita demum lex XII. Tabularum ad haereditatem liberti vocat patronum, *ſi inteſtatus mortuus eſſet libertus, haerede ſuo nullo relicto.* Itaque inteſtato mortuo liberto, ſi is ſuum haeredem reliquiſſet, patrono nihil in bonis ejus juris erat. Et ſi quidem ex naturalibus liberis aliquem ſuum haeredem reliquiſſet, nulla videbatur querela: ſi vero adoptivus filius fuiſſet, aperte iniquum erat nihil juris patrono ſupereſſe. Juſtin. *in pr. Inſt. de ſucceſſ. libertor.*

Noſtra conſtitutio, ſi liberti [minores centenariis] inteſtati deceſſerint, nullo libertorum relicto, tunc patronatus jus, quod erat ex XII. Tabul. integrum reſervavit. Idem §. 3. *Inſt. de ſucceſſ. libertor.*

de HAEREDITATIBUS Libertorum.

Eum patronum, qui capitis libertum accuſaſſet, a bonorum poſſeſſione (quae ex Praetoris edicto vel lege Papia competit) excludi. Is autem nec ad legitimam haereditatem, quae ex l. XII. Tabul. defertur, admittitur. Ulpianus *lib.* 10. *ad l. Jul. & Papiam. l.* 10. & 11. *π. de jure patron.*

Patronae ex bonis libertorum illud jus tantum habent, quod lex XII. Tabul. introduxit. Sed poſtea lex Papia patronae ingenuae duobus liberis honoratae, libertinae tribus, id juris dedit, quod patronus habet ex edicto. Ulpianus *Fragm. tit.* 29. §. 6.

b Patronive liberi eſcint.

1. *Utriuſque ſexus.*

Liberi patroni virilis ſexus eadem jura in bonis libertorum parentum ſuorum habent, quae & ipſe patronus. Foeminae vero, ex lege quidem XII. Tabularum, perinde jus habent, atque maſculi patronorum liberi. Contra Tabulas autem &c. Ulpian. *Fragm. tit.* 29. §. 4.

c EX EA FAMILIA IN EAM FAMILIAM.

Familiae appellatio qualiter accipiatur, videamus. Et quidem varie accepta eſt. Nam & in res & in perſonas diducitur. In res, ut puta in l. XII. Tabularum his verbis: *Agnatus proximus familiam habeto.* Ad perſonas autem refertur *familiae* ſignificatio ita, cum de *patrono & liberto* loquitur Lex*. *Ex ea familia*, inquit, *in eam familiam.* Et hic de ſingularibus perſonis † legem loqui conſtat. Ulpianus *lib.* 46. *ad Edictum. in l. pronunciatio* 195. §. 1. *π. de V. S.*

* id eſt L. XII. Tab.

† id eſt, de ſuo haerede liberti, & patrono, ſuoque patroni haerede.

Huc etiam referenda *l.* 17. *π. de jure patron.* ibi, *neque verbis neque ſententia LEGIS.* & *l.* 37. *π. de bonis libertor.* ibi, *nihilominus FAMILIAM bonorum poſſeſſionem contra tabulas liberti accipere.*

v. tit. de *adſignat. libertor.*

Poſt familiam patroni * vocat Praetor patronum & patronam, item liberos & parentes patroni & patronae: deinde virum & uxorem, mox Cognatos † patroni & patronae. Quod ſi ei, qui deceſſit, *liber* ‡ fuit *ex remancipatione* manumiſſus, lex quidem XII. Tab. manumiſſori legitimam haereditatem detulit, ſed Praetor aequitate motus *decem perſonas* cognatorum ei praetulit. Ulpianus apud Auctorem *collat. legum Moſaicarum tit. ult.* §. *ult.*

† *vg.* agnatos.
‡ *vg. illiberis.*

* Legendum poſt *familiam patriſſim.* id eſt, poſt ſuum haeredem. *Familiae* enim appellatione hic *ſuus* haeres intelligendus, de quo ſup. dictum. Nimirum a veteris ſcripturae veſtigiis P. Pithoeus receſſiſſe mihi videtur, cum pro *patroni* reponendum monuit, *liberti.*

v. Theophilum tit. *de legit. agnat. tut.*

d PROXIMO &c.

Si libertus inteſtato deceſſerit, relictis patroni filio, & ex altero filio duobus nepotibus, nepotes non admittentur, quamdiu filius eſſet: quia *Proximum* quemque ad haereditatem liberti vocari *manifeſtum* * *eſt.* Julianus *lib.* 27. *Digeſtorum. l.* 23. §. 1. *π. de bon. lib.*

* id eſt, Diſertis verbis & expreſſis, lex XII. Tabul. *proximum* vocat.

Si alter ex patronis filium, alter nepotem reliquerit, utrum ad ſolum filium, an vero & ad nepotem tutela pertineat, quia & nepos *in familia* patris ſui * *proximus* eſt: hoc apparebit ex legitimis haereditatibus. Legitima autem haereditas *ad ſolum filium pertinet.* Ergo Tutela ad ſolum filium deſcendit. Ulpianus *lib.* 38. *ad Sabin. l.* 3. §. 7. *π. de legitim. tutor.*

* Haec dubitandi ratio, ex iis Legis verbis deſumpta eſt *in eam familiam proximo.*

de HAEREDITATIBUS Libertorum.

c Pecunia aDuitor.

Ergone & Tutelæ.

Ex eadem l. XII. Tabularum, libertorum & libertarum tutela ad patronos liberoſque eorum pertinet, quae & ipſa *Legitima Tutela* vocatur. Non, quia *nominatim* in ea l. de hac Tutela caveatur, ſed, quia perinde accepta eſt per *Interpretationem*, ac ſi verbis legis introducta eſſet. Eo enim ipſo, quod *haereditates libertorum libertarumque, ſi inteſtato deceſſiſſent*, juſſerat Lex *ad patronos liberosve eorum pertinere*, crediderunt *Veteres* * voluiſſe legem etiam tutelas ad eos pertinere: cum & adgnatos, quod ad haereditatem Lex vocat, eosdem & tutores eſſe juſſerit. Quia plerunque ubi ſucceſſionis eſt emolumentum, ibi & tutelae onus eſſe debet. Juſtin. *Inſt. de legitima patronor. tutela.*

* Sex. Aelius. L. Acilius. P. Aelius.

Tutela legitima, quae patronis defertur e lege XII. Tabularum, non quidem *ſpecialiter* vel *nominatim* delata eſt: ſed per *conſequentias* haereditatium, quae *ex ipſa lege* patronis *datae* ſunt. Ergo manumiſſor ex l. XII. Tabul. tutor eſt. Ulpian. *lib. 38. ad Sabinum. l. 3. in pr. & §. 1. π. de legitim. tutor.*

Legitimi tutores ſunt, qui ex lege aliqua deſcendunt. Per eminentiam autem legitimi dicuntur, qui ex l. XII. Tabularum introducuntur, ſeu *propalam*, quales ſunt Agnati: ſeu per *conſequentiam*, quales ſunt patroni. Idem *Fragm. tit. 11. §. 3.*

Legitimae tutelae lege XII. Tabular. Agnatis delatae ſunt [& conſanguineis] item Patronis, id eſt, his, qui ad legitimam haereditatem admitti poſſint: hoc ſumma providentia, ut qui ſperarent hanc ſucceſſionem, iidem tuerentur bona, ne dilapidarentur. Idem *lib. 14. ad Sabinum. l. 1. π. de legitim. tutorib.*

LEX. DE ERCTOCITO *.

* id eſt, de Haereditate inter cohaeredes, partim ipſo jure diviſa; partim dividenda.

Nomina *a* inter HEREDES pro portionibus haereditarIs ERCTA, CITA ſunto, Caeterarum FAMILIAE rerum *b*: ERCTO NON CITO, ſi volent: ERCTUM CITUM faciunto, Praetor ad ERCTUM *c* CIENDUM arbitros tris dato.

Probationes & Interpretationes Prudentum.

de HAEREDITATIS Diviſione.

a Nomina inter HÆREDES pro portionibus haereditarIs ERCTA, CITA ſunto.

An ea ſtipulatio, qua ſinguli haeredes in ſolidum habent actionem, veniat in hoc judicium, dubitatur: veluti ſi is, qui viam, iter, actum ſtipulatus erat, deceſſerit; quia talis ſtipulatio per *Legem XII. Tabularum* non dividitur, quia non poteſt. Sed verius eſt, non venire eam in judicium, ſed omnibus in ſolidum competere actionem. Paulus *lib. 23. ad Edictum. l. 25. §. 9. π. famil. erciſc.*

Obligatio dividitur per legem XII. Tabularum. Idem Paulus *l. 25. §. 13. π. famil. erciſ.*

Debitores haereditarii, unicuique haeredum pro portione haereditaria, *antiqua lege* obligati ſunt. Antonius Imp. *l. 1. Cod. de exceptionib.*

Neque aequam neque uſitatam rem deſideras, ut aes alienum patris tui non pro portionibus haereditariis exolvatis tu & frater cohaeres tuus, ſed pro aeſtimatione rerum praelegatarum: cum ſit explorati juris, haereditaria onera ad ſcriptos haeredes pro portionibus haereditariis, non pro modo emolumenti pertinere. Quod nec tu ipſe ignorare videris, cum creditori ſecundum formam *Veteris Juris* pro portione tua caveris. Severus & Antoninus Impp. *l. 1. Cod. ſi certum petetur.*

Ea, quae in nominibus ſunt, non recipiunt diviſionem, cum ipſo jure in portiones haereditarias ex l. XII. Tabul. diviſa ſint. Gordianus Imp. *l. 6. Cod. famil. erciſc.*

de HAEREDITATIS Diviſione.

Manifeſti & indubitati juris eſt, defuncto creditore multis relictis haeredibus, actionem quidem perſonalem inter eos ex l. XII. Tabul. dividi: pignus vero in ſolidum unicuique teneri. Valerianus & Galienus Impp. *l. 1. Cod. ſi unus ex pluribus haeredibus.*

Pacto ſucceſſorum debitoris ex lege XII. Tabul. aes alienum haereditarium pro portionibus quaeſitis ſingulis, ipſo jure diviſum, in ſolidum unum obligare creditori non poteſt. Iidem AA. & CC. *l. 26. Cod. de pactis.*

Creditores haereditarios adverſus Legatarios non habere perſonalem actionem convenit: quippe cum *evidentiſſime* * lex XII. Tabulorum *Haeredes* huic rei faciat obnoxios. Diocletianus & Maximianus Impp. AA. CC. *l. ult. Cod. de haereditar. act.*

* Lex. XII. Tabul. dum *Nomina inter Haeredes pro portionibus haereditariis diviſa eſſe vult*, Haeredes aeri haereditario obnoxios facit; legatarios liberat. Quam inepti igitur, qui ſingulare de eo caput fuiſſe exiſtimant. Invident illi ſuam legi XII. Tabular. brevitatem: qua praecipue commendatur ἡ συντομία (inquit Diodorus) γραφεῖσα ἀρχαίως καὶ ἀπερίττως [illegible].

Si te bonis paternis major 25. annis immiſcuiſti, neque inopia patris te excuſat, neque vis fratris, portionem tuam vel teſtamentum eripientis arcere te exactione creditorum, qui *Jure Civili* pro haereditaria portione te conveniunt, poteſt. Iidem AA. & CC. *l. 10. Cod. de jure delib.*

b Coeterarum FAMILIÆ rerum ERCTO NON CITO, ſi volent, ERCTUM CITUM faciunto.

Familiae erciſcundae actio proficiſcitur a l. XII. Tabul. namque cohaeredibus *volentibus* a communione diſcedere neceſſarium videbatur aliquam actionem conſtitui, qua inter eos *res haereditariae* diſtribuerentur. Gajus *lib. 7. ad Edictum provinc. l. 1. π. famil. erciſc.*

Per familiae erciſcundae actionem dividitur haereditas, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, ſive ex lege XII. Tabul. ſive ex aliqua [γὰρ alia qua] Lege deferatur haereditas vel ex SC. Ulpianus *lib. 19. ad Edictum. l. 2. π. famil. erciſcund.* Idem *§. ult.* In hoc judicium nomina non veniunt. Idem *eodem libro & titulo l. 4. Coeterae itaque res*, praeter nomina veniunt in hoc judicium.

Erctum, citum fit inter conſortes, ut in libris *Legum Romanarum* legitur. *Erctum*, a coërcendo dictum: unde & erciſcundae, & erciſci: *citum* autem eſt vocatum a ciendo. Feſtus in v. *Erctum.*

Donatus hoc loco [*Citae Metium in diverſa quadrige Diſtulerant*] contra metrum ſentit, dicens, *citae*, id eſt, diviſae, ut eſt in JURE, *ercto non cito*; id eſt, patrimonio vel haereditate non diviſa: nam citus, cum diviſus ſignificat, *ci* longa eſt. Ergo [illo Virgilii loco] *citae*, veloces intelligamus. Servius *ad lib. 8. Aeneid. v. 642.*

c Praetor ad ERCTUM CIENDUM arbitros tris dato. Donatus.

LEX. DE LEGITIMA IMPUBERIS * TUTELA & de Legitimis Furioſ. & de prodigi Curatoribus.

* de Muliebri Tutela eaturumne his legibus fuerit, dicere vel negare non auſim. Mihi id ſaltem propoſitum ea referre, de quibus extant aperta veterum teſtimonia.

Si paterfamilias inteſtato *a* moritur, eique Inpubes ſuus extabit haeres, AGNATUS *b* PROXIMUS *c* TUTELAM NANCITOR.

Probationes.

Legitimos Tutores nemo dat, ſed lex XII. Tabul. fecit tutores. Ulpian. *lib. 35. ad Edictum. l. 5. in pr. π. de ligitim. tutor.*

Le-

de Tutelis Legitimis Impuberum. Legitimi Tutores ſunt, qui ex lege aliqua deſcendunt: Per eminentiam autem Legitimi dicuntur, qui ex lege XII. Tab. introducuntur: ſeu propalam, quales ſunt *Agnati*: ſeu per conſequentiam, quales ſunt patroni. Ulpian. *Fragm. tit.* 11. §. 3.

[a] Inteſtato moritur.

Quibus teſtamento tutor datus non eſt, his ex XII. Tabul. Agnati ſunt tutores, qui vocantur *Legitimi*. Juſtin. *in pr. Inſt. de legit. agnat. tut.*

Quod autem lex XII. Tabularum *Ab inteſtato vocat* ad tutelam Agnatos, non hanc habet ſignificationem, ſi omnino non fecerit teſtamentum is, qui poterat tutores dare, ſed ſi quantum ad tutelam pertinet, inteſtatus deceſſit. Idem *eod. tit.* §. 2.

[b] AGNATUS.

Legitimae Tutelae lege XII. Tabularum, *Agnatis* delatae ſunt [*& conſanguineis*:] item patronis, id eſt, his qui ad legitimam haereditatem admitti poſſunt. Hoc ſumma providentia, ut qui ſperarent hanc ſucceſſionem, iidem tuerentur bona, ne dilapidarentur. Ulpian. *lib.* 14. *ad Sabinum. l.* 1. *π. de legitim. tutor.*

De Argumentatione Prudentum, a tutela *agnatis* l. XII. Tab. nominatim delata, ad tutelam patrono pariter deferendam, dixi ſupr. *ubi de libertor. ſucceſſ.*

*. Theophilum de legit. agnat. tutel. Tutelas etiam non amittit capitis diminutio, exceptis his, quae in Jure antiquo * perſonis poſitis deferuntur. Igitur teſtamento dati, vel ex lege vel ex SCto erunt nihilominus tutores. Sed Legitimae tutelae ex XII. Tabulis intervertuntur eadem ratione, qua & haereditates exinde legitimae, quia Agnatis deferuntur, qui deſinunt eſſe familia mutati. Ex novis autem legibus & haereditates & tutelae plerumque ſic deferuntur, ut perſonae naturaliter deſignentur: ut ecce deferunt haereditatem SCta matri & filio. Paulus *lib.* 11. *ad Edictum. l. tutelas* 7. *π. de capite minutis.*

* Ita repono: hactenus legitur *alieno*. Antiquo jure id eſt XII. Tabular.

[c] PROXIMUS TUTELAM NANCITOR.

Si plures ſint agnati, *Proximus tutelam nanciſcitur*, & ſi eodem gradu plures ſint, omnes tutelam nanciſcuntur. Gajus *lib.* 12. * *ad Edictum prov. l.* 9. *π. de legit. tutor.*

* Quo de Tutelis egit, Gajus ſane aſſiduus legis XII. Tab. laudator fuit: v. hoc ipſo *lib.* 12. *l.* 1. *π. de teſtam. tutela.*

Cap. de FURIOSI ET PRODIGI CURATORIBUS.

SI FURIOSUS [a] AUT [b] PRODIGUS [c] EXISTAT, AST [d] EI CUSTOS NEC ESCIT, AGNATORUM [e] GENTILIUMQUE IN EO PECUNIAVE EIUS POTESTAS ESTO.

Fragmenta varia hujus capitis.

Si furioſus exiſtat, agnatorum gentiliumque in eo pecuniave ejus poteſtas eſto. Auctor *ad Herennium lib.* 1. *cap.* 13. & Cicero *lib.* 2. *de Inventione cap.* 40.

Si furioſus eſſe incipit. Cicero *lib.* 3. *Tuſculanar. cap.* 5.

Aſt ei cuſtos nec eſcit. Feſtus in v. *Nec.*

Agnatorum gentiliumque. Paulus *lib.* 59. *ad Edictum. l. ſaepe* 53. *π. de V. S.* de Tutelis Legitimis Furioſorum & Prodigorum.

Probationes & Interpretationes Prudentum

Curatores legitimi ſunt, id eſt, qui ex l. XII. Tabul. dantur, aut honorarii, qui a Praetore conſtituuntur. Ulpian. *Fragm. tit.* 12. *de Curator. in pr.*

[a] SI FURIOSUS EXISTAT *. * id eſt, eſſe incipit, ut Cicero interpretatur.

Graeci, quem nos furorem, μελαγχολίαν illi vocant: quaſi vero atra bili ſolum mens, ac non ſaepe vel iracundia graviore vel timore vel dolore moveatur: quo genere Athamantem, Alcmaeonem, Ajacem, Oreſtem furere dicimus. Qui ita ſit affectus, *eum dominum eſſe Rerum ſuarum vetant* XII. Tabulae. Itaque non eſt ſcriptum, *ſi inſanus*: ſed, *ſi furioſus eſſe incipit*. Stultitiam enim cenſuerunt, id eſt, inconſtantiam ſanitate vacantem, poſſe tamen tueri mediocritatem officiorum, & vitae communem cultum atque uſitatum. *Furorem* autem eſſe rati ſunt, mentis ad omnia caecitatem. Cicero *lib.* 3. *Tuſculan. cap.* 5.

[b] FURIOSUS AUT PRODIGUS.

Lex XII. Tabul. furioſum, itemque prodigum * cui bonis interdictum eſt, in Curatione *jubet* eſſe Agnatorum. Ulpian. *Fragm. tit.* 12. *de Curator.* §. 2.

* Qui ab inteſtato haeres factus eſt patri. Ulp. *d. tit.* 12. §. 3. Ex quo apparet hoc caput legis ſuperioris, quod de inteſtato patre eſt, *partem* eſſe, atque huic legi locum non fuiſſe, niſi inteſtato haeres furioſus ac prodigus filius fuiſſet.

Furioſi & prodigi, licet majores 25. annis ſint, tamen in Curatione ſunt Agnatorum ex l. XII. Tabul. Sed ſolent, Romae Praefectus urbi, vel Praetores: & in provinciis, Praeſides ex inquiſitione eis Curatores dare. Juſtin. §. 3. *Inſt. de Curatoribus.*

Saepe ad alium e l. XII. Tabul. Curatio furioſi aut prodigi pertinet, alii Praetor *adminiſtrationem* dat, ſcilicet cum ille legitimus inhabilis ad eam rem videtur. Gajus *lib.* 3. *ad Edictum prov. l.* 13. *π. de curator. furioſo.*

[c] PRODIGUS.

Lege XII. Tabul. prodigo interdicitur * bonorum ſuorum adminiſtratio: quod *Moribus* quidem ab initio introductum eſt. Sed *ſolent* hodie Praetores vel Praeſides, Curatorem ei dare exemplo (id eſt, ac ſi furioſus eſſet) furioſi. Ulpian. *lib.* 1. *ad Sabinum. l.* 1. *π. de Curatoribus furioſo.*

* Eo enim ipſo quod lex XII. Tabularum prodigum, ejusque bona in poteſtate Agnatorum Gentiliumque eſſe jubet, & bonorum adminiſtratione ei interdicit, dominumque rerum ſuarum eſſe vetat, ut Cicero loquitur *lib.* 3. *Tuſcul. cap.* 5. Et ita recte conveniunt quae ſequuntur: quae nonnulli Triboniani emblematis ennumerare malunt. Male etiam Hotomannus, qui Interdictionis a Praetore faciendae his legibus mentionem nominatim factam putavit.

Is, cui *Lege* bonis interdictum eſt, teſtamentum facere non poteſt. Idem *eod. libro. l.* 18. *π. qui teſtam.*

Eum, cui *Lege* bonis interdicitur, haeredem inſtitutum poſſe adire haereditatem conſtat. Idem *eod. lib. l.* 5. §. 1. *π. de adquirend haered.*

de Tutelis Legitimis Furioſorum & Prodigorum.

[d] AST EI CVSTOS NEC ESCIT. *

Nec conjunctionem Grammatici fere dicunt eſſe disjunctivam. Cum ſi diligentius inſpiciatur, ut fecit Sinnius Capito, intelligi poſſit eam poſitam eſſe *ab antiquis* pro non, ut in XII. eſt. *Aſt ei cuſtos nec eſcit.* Feſtus in v. *Nec.*

* id eſt. *Si aetas* ejus Tutelae non indigeat: ſeu Pupillus non ſit. Deinde, etſi major 25. annis ſit.

Furioſi & prodigi, *Licet majores 25. annis ſint*, tamen in Curatione ſunt Agnatorum, ex l. XII. Tabul. Juſtinian. §. 3. *Inſt. de Curatorib.*

Qui habet tutorem pupillus vel pupilla, ſi furere coeperint, in ea cauſa ſunt, ut in Tutela nihilominus durent. Quae ſententia Q. quoque Mucii fuit, & a Juliano probatur. Eoque jure utimur, ut cura ceſſet, ſi tutelae aetas indigeat. Quare, ſi tutores habent, per furorem in curam non rediguntur: ſive non habent, & furor eis acceſſerit, nihilominus Tutores accipere poterunt: quia *Lex XII.* * *Tabul. ita accepta eſt, ut ad pupillos vel pupillas non pertineat.* Ulpian. *lib. 37. ad Sabin. l. 3. in pr. π de Tutelis.*

de Tutelis Legitimis Furioſorum & Prodigorum.
* In his verbis: *Aſt ei cuſtos nec eſcit.*

[e] AGNATORVM GENTILIVMQVE.

Saepe ita comparatum eſt, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur. Nam cum dicitur *apud Veteres, Agnatorum gentiliumque*, pro ſeparatione accipitur. Paulus *lib. 59. ad Edict. l. ſaepe 53. π. de V. S.*

AD TABULAM VI.

DE JURE DOMINII ET POSSESSIONIS.

PROBATIONES.

LEX. De Jure Nexi et Mancipii.

de Jure Dominii.

QVVM [a] NEXVM FACIET MANCIPIVMQVE, VTI [b] LINGVA NVNCVPASIT, ITA IVS ESTO: Si [c] inficias ierit, duplione damnator.

* *Fragmenta hujus legis.*

Cum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupaſſit, ita jus eſto. Feſtus in v. *Nuncupata.*

Uti lingua nuncupaſſit. Cicero *lib. 1. de Oratore cap. 57.*

Probationes & Interpretationes Prudentum.

Ad Totam Legem.

In Traditionibus * rerum, quodcunque pactum ſit, id valere manifeſtum eſt. Gajus *lib. 3. ad leg. XII. Tab. l. 48. π. de pactis.*

* Scripſerat Gajus, vel *in Mancipationibus vel Traditionib. ut l. 4. §. 7. C. Th. de donation.* vel tantum in *Mancipationibus.* vide NOTAS.

De jure praediorum ſancitum eſt apud nos Jure Civili, ut in his vendendis vitia dicerentur, quae nota eſſet venditori. Nam cum ex XII. Tabulis ſatis eſſent cautum, EA PRÆSTARI, QVÆ ESSENT LINGVA NVNCVPATA QVÆ QVI INFICIATVS ESSET, DVPLI POENAM SVBIRET, a Jureconſultis etiam *reticentiae* poena eſt conſtituta. Cicero *lib. 3. de Officiis cap. 16.*

[a] QVVM NEXVM FACIET, MANCIPIVMQVE.

Abalienatio eſt, ejus rei, quae mancipi eſt, aut traditio alteri nexu, aut ceſſio in jure, inter quos ea jure civili fieri poſſunt. Cicero *Topicis cap. 5.* Nam Jure Civili (*notat ad eum locum* Boetius *lib. 3. comment.*) fieri aliquid non inter alios, niſi inter cives Romanos poteſt, quorum eſt etiam *Jus Civile quod XII. Tabulis continetur.* Omnes vero res, quae abalienari poſſunt, id eſt, quae a noſtro ad alterius tranſire dominium poſſunt, aut mancipi ſunt, aut non mancipi. Mancipi res *Veteres* appellabant, quae ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quandam *Nexus* fieret *ſolemnitatem. Nexus* vero eſt quaedam juris ſolennitas, quae fiebat eo modo, quo in Inſtitutionibus Gajus exponit. Ejuſdem autem Gaji libro primo Inſtitutionum de Nexu faciendo haec verba ſunt. Eſt autem *Mancipatio*, * ut ſupra quoque indicavimus, imaginaria quaedam venditio, quod ipſum jus proprium Romanorum eſt civium, eaque res ita agitur, adhibitis non minus quam quinque teſtibus civibus Romanis puberibus, ac praeterea alio ejuſdem conditionis, qui libram aeneam teneat, qui appellatur Libripens. Is qui mancipium accipit, aes tenens ita dicit: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum eſſe ajo, iſque mihi emptus eſt* †, *hoc aere aeneaque libra*: deinde * aere percuti libram, indeque aes dat ei, a quo mancipium accipit, quaſi pretii loco. Quaecunque igitur res ‡ Lege XII. Tabul. aliter, niſi per hanc ‡ ſolennitatem, abalienari non poterant. Sui juris autem caeterae res, *Nec mancipi* vocabantur. Eaedem vero etiam in jure cedebantur. Ceſſio vero tali fiebat modo, ut ſecundo Commentario idem Gajus expoſuit. In jure autem ceſſio fit hoc modo: Apud Magiſtratum P. R. vel apud Praetorem, vel apud Praeſidem Provinciae, is, cui res in jure ceditur, rem tenens ita vindicat: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum eſſe ajo.* Deinde poſtquam hic vindicaverit, Praetor interrogat eum, qui cedit, *an contra vindicet*; quo negante aut tacente, tunc ei, qui vindicaverit, eam rem addicit, idque *Legis actio* vocatur. Res igitur, quae mancipi ſunt, aut *Nexu*, ut dictum eſt, abalienabantur, aut *in jure ceſſione.* Has autem ſolennitates quasdam eſſe *Juris*, ex ſuperioribus Gaji verbis oſtenditur. At ſi res, quae mancipi eſt, nulla ſolennitate interpoſita tradatur, abalienari non poterit, niſi ab eo, cui traditur, uſucapiatur. Quae cum ita ſint, recte definita eſt, ſecundum diviſionem, Abalienatio rei mancipi, ſcil. quae aut *Nexus traditione*, aut *in Jure ceſſione* perficitur: nam pura traditione abalienatio rei mancipi non explicatur. *Hactenus* Boetius *lib. 3. Comment. in Topica* Ciceron.

de Jure Dominii.
* *Nexus & Mancipatio* igitur idem ſunt.
† vel. eſto.
‡ ſupplendum *Mancipi.*

* Juſſus a domino, qui rem mancipio dabat, hac formula: *Raudusculo libram ferito.* Varro *lib. 4 & 5. de lingua Lat.* Feſtus in v. *Rodus.*

‡ Nexus Mancipii, quarum lege XII. Tab. facta mentio fuerat: verum ipſa ſolemnia, & formulae auctoritate prudentum inductae.

de Jure Dominii. *b* VTI LINGVA NVNCVPASIT, ITA IVS ESTO.

Nuncupata pecunia eſt, ut ait Cincius in libro ſecundo de Officio Juriſconſulti, nomina certa nominibus propriis pronuntiata, CVM NEXVM FACIET MANCIPIVMQVE, VTI LINGVA NVNCVPASSIT, ITA IVS ESTO. *ita* * uti nominarit, locutusve erit, ita jus eſto. Feſtus in v. *Nuncupata*.

* *vg. id eſt.*

Nuncupare, nominare, valere apparet in *Legibus*, ubi NVNCVPATÆ PECVNIÆ ſunt ſcriptae. Varro *lib.* 5. *de lingua Lat. cap.* 7.

Lapides mehercule flere coëgiſſet, ut totum illud VTI LINGVA NVNCVPASSIT non in XII. Tabulis, ſed in magiſtri carmine ſcriptum videretur. Cicero *lib.* 1 *de Oratore cap.* 57.

Atque illud in tota defenſione tua mihi maxime mirum videbatur, te dicere, *Juriſconſultorum auctoritati obtemperari non oportere*: quod ego mirabar, quamobrem abs te diceretur. Nam caeteri tum ad iſtam hortationem decurrunt, cum ſe in cauſa putant habere aequum & bonum, quod defendant, ſi contra verbis & literis & (uti dici ſolet) ſummo jure contenditur, ſolent ejusmodi iniquitati & boni & aequi nomen dignitatemque opponere. Tum illud, quod dicitur, *uti lingua nuncupaſſit*, irrident: tunc aucupia verborum & literarum tendiculas in invidiam vocant: tum vociferantur, ex aequo & bono, non ex callido verſutoque jure rem judicari oportere; ſcriptum ſequi calumniatoris eſſe: boni judicis voluntatem ſcriptoris autoritatemque defendere. Cicero *pro Caecinna cap.* 23.

c Si inficias ierit, duplione damnator.

Vide locum Ciceronis ſupra. Forte huc pertinet *verſ. ex privatorum. l.* 29. *C. Th. de petition.*

Cap. de STATULIBERI MANCIPIO.

Statuliber EMPTORI dando liber eſto.

Probationes.

Sub hac conditione liber eſſe juſſus, ſi decem millia haeredi dederit, & ſi ab haerede abalienatus ſit, *Emptori* * dando pecuniam, ad libertatem perveniat: idque l. XII. Tabul. jubet. Ulpian. *Fragm. tit.* 2. *de ſtatulib.* §. 4.

* *Emptori*, id eſt ei, qui quoque jure dominium in ſtatulibero nactus eſt: ut Pomponius explicat ſequentibus verbis:

Paterfamilias in teſtamento ſcripſerat, *ſi Andronicus ſervus meus haeredi meo dederit decem, liber eſto*. Veriſſimum eſt, quod & Ariſto Celſo reſcripſit, poſſe dari pecuniam haeredi ab inteſtato, ſecundum quem ſententia dicta eſt: quoniam Lex XII. Tabul. EMPTIONIS verbo omnem alienationem complexa videretur, non intereſſet, quo genere quisque dominus ejus fieret. Et ideo hunc quoque ea lege contineri, ſecundum quem ſententia dicta eſt, & liberum futurum eum, qui ei dediſſet pecuniam. Pomponius *lib.* 18. *ad Quintum Mucium. l.* 29. §. 1. *in fin. ff. de ſtatuliberis.*

Statuliberos venundari poſſe, Leges XII. Tabularum putaverunt *. Modeſtin. *lib.* 9. *differentiar. l. ſtatuliberos* 25. *ff. de ſtatuliber.*

* *Potuiſſe* leges XII. Tabularum Modeſtinus ait: quod non ſpecialiter id capite ut liceret, expreſſerant; ſed tacite indicarunt, & praeſuppoſuerant. Ita Cicero *lib.* 4. *de Republica*, *Jurgare*, inquit, *lex putat inter ſe vicinos non litigare*. Ulpianus *fragm. tit.* 1. §. 9. de l. Aelia Sentia: *ſine conſilio* (inquit) *manumiſſum ſervum manere putat*. Ita Paulus in *l.* 98. §. *ult. D. de ſolut.* ait, *Lex XII. Tabularum, Tignum aedibus junctum vindicari* *poſſe ſcit*. Male itaque Fulvius Urſinus, & poſt eum Balduinus, qui ſingulare de eo caput in his Tabulis eſſinxit.

de Jure Dominii.

Cap. de REI VENDITAE DOMINIO.

Res vendita TRANSQVE DATA emptori non acquiritor, donicum ſatisfactum eſcit.

Probationes.

Venditae vero res & traditae non aliter emptori adqoiruntur, quam ſi is venditori pretium ſolverit, vel alio modo *ſatisfecerit* (veluti expromiſſore aut pignore dato) quod quanquam cavetur ex * lege XII. Tabul. tamen dicitur & jure gentium, id eſt, jure naturali id effici. §. *venditae* 41. *Inſt. de rer. diviſione.*

* *vg.* &

Sub vos placo in precibus fere cum dicitur, ſignificat id quod *ſupplico*: ut in legibus TRANSQVE DATA *, & endoque plorato. Feſtus in v. *Sub vos placo.*

* Hactenus legitur *transque dato.*

LEX. DE JURE AUCTORITATIS, id eſt, *de uſucapione.*

VSVS AVCTORITAS FVNDI, BIENNIVM; COETERARVM RERVM, ANNVS VSVS ESTO.

de Jure AUCTORITATIS.

Probationes.

Bono publico uſucapio introducta eſt *, ne ſcilicet quarundam rerum diu & fere ſemper incerta dominia eſſent, cum ſufficeret dominis ad inquirendas res ſuas *Statuti* temporis ſpatium. Gajus *lib.* 21. *ad Edict. provinc. l.* 1. *ff. de uſurp. & uſuc.*

* Lege XII. Tabularum: Gajus adſiduus legis XII. Tabul. collator ſcriberat: ſed a Triboniano omiſſum eſt, quod tempus ea lege definitum. Imperatorum poſtea conſtitutionibus immutatum & ampliatum fuiſſet.

Uſucapio eſt adjectio dominii per continuationem poſſeſſionis, temporis *Lege* * definiti. Modeſt. *lib.* 5. *Pandectar. l.* 3. *d. tit.*

* id eſt, *Leg. XII. Tab.* quod Modeſtinus vel dixerit, vel ſaltem intelligi hac indefinita legis voce voluerit.

Quod in re pari valet, valeat in hac, quae par eſt: ut quoniam VSVS AVCTORITAS FVNDI, BIENNIVM *a* EST, ſit etiam aedium. Aſt in *Lege* *b* aedes non appellantur, & ſunt COETERARVM *c* RERVM OMNIVM *d*, quarum ANNVS eſt VSVS? Valet aequitas, quae paribus in cauſis paria jura deſiderat. Cicero *Topicis cap.* 4.

a BIENNII Hotomannus reponit. Sed hac emendatione nil opus.

b Boëtius ad hunc locum. *Cicero* (inquit) *ſibi ipſi rurſus opponit. Sed in lege XII. Tabularum de Aedibus nihil adſcriptum eſt, & inter eas res relictae ſunt taciturnitate legis, quarum eſt uſus annuus?*

c Legitima haec XII. Tabularum verba fuiſſe altero jam exemplo oſtendimus ad *Tab.* 5.

d forte, *numero.*

Lex, VSVM & AVCTORITATEM FVNDI jubet eſſe BIENNIVM: At utimur eodem jure in Aedibus, quae in Lege non appellantur. Cicero *pro Caecinna cap.* 19.

Jure Civili * conſtitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo, qui dominus non erat, dum crederet eum dominum eſſe, rem emerit, vel ex donatione aliave quavis juſta cauſa acceperit, is eam rem ſi mobi-

* Quod Juſtinianus ait *Jure civili* conſtitutum fuiſſe, id Theophilus Paraphraſtes, nominatim τῷ τῶν δωδεκάδελτων νόμῳ tribuit.

Digitized by Google

de Jure AUCTORITATIS.

mobilis erat, anno ubique uno: Si immobilis, *bienno* tantum in Italico ſolo uſucaperet, ne rerum dominia in incerto eſſent. *In princ. Inſt. de uſucap.*

Antiqui & in rebus mobilibus vel ſe moventibus, quae fuerunt alienatae nexu vel quocunque modo (bona fide tamen) detentae, uſucapionem extendebant, non tantum in Italico ſolo, ſed in omni orbe terrarum, & hanc annali tempore concludebant. v. Juſtinian. *l. un. Cod. de uſucap. transform.*

FERRI proprie dicimus, quae quis ſuo corpore Vajolat: PORTARI ea, quae quis jumento ſecum ducit: AGI ea, quae animalia ſunt. Gajus *lib.* 3. *ad L. XII. Tab. l. 235. in pr. ff. de V. S.*

Pertinet omnino haec Gaji interpretatio ad hanc Uſucapionum materiam, in qua rerum mobilium & immobilium diſtinctio facta.

Cap. de MULIERIS USUCAPIONE.

Mulieres, quae aNum matrimonI ergo apud virum manſit, ni trinoctium ab eo uſurpandi ergo abeſcit, uſus eſto.

Probatio.

Q. Mucium Juris Conſultum * dicere ſolitum legi, non eſſe uſurpatam mulierem, quae quum Kalendis Januariis apud virum cauſa matrimonii eſſe coepiſſet, & ante diem quartum Kalendas Januarias ſequentis uſurpatum iſſet †: non enim poſſe impleri trinoctium, quod abeſſe a viro uſurpandi cauſa ex XII. Tabulis deberet: quoniam tertiae noctis poſteriores ſex horae alterius anni eſſent, qui inciperet ex Kalendis. * Gellius *lib.* 3. *cap.* 2. & Macrob. *lib.* 1. *Saturnal. cap.* 13. totidem verbis.

* Exiſtimo libro 24. v. *l. 24. ff. de uſurpat. l. 3. ff. pro donato.* quae etiam eſt de viro & uxore.

† *uſurpata eſſet.* Macrob.

* Capitis hujus Gelliani hoc inter caetera ſummarium eſt, ſeu titulus, plane Gellii ſententiae contrarius. *Quid Q. Mucius ſcripſerit ſuper ea muliere, quam maritus non jure uſurpaſſet, quia rationem civilis anni non habuerit.* Dictum oportuit: ſuper *ea muliere, quae a viro abeſſet uſurpandi cauſa.*

LEX. de VINDICIIS.

de Jure POSSESSIONIS.

SI *a* QVI IN IVRE MANVM CONSERVNT, ſecundum eum, qui poſſidet: Aſt *b* ſi quem liberali cauſa manu adſerat, ſecundum libertatem vindicias dato.

Probationes.

a SI QVI IN IVRE MANVM CONSERVNT.

Manum conſerere eſt, de qua re diſceptatur in re praeſenti, ſive ager, ſive quid aliud eſt, ſimul adverſarium manu prenderit, in ea re omnibus * verbis judicare: *Vindicia*, id eſt, correptio manus in re atque in loco praeſenti apud Praetorem ex XII. Tabulis fiebat, in quibus ita ſcriptum eſt, SI QVI IN IVRE MANVM CONSERVNT. Sed poſtquam praetores propagatis Italiae finibus, datis juriſdictionibus, negotiis occupati proficiſci, vindiciarum dicendarum cauſa in longinquas res gravabantur, inſtitutum eſt contra XII. Tabulas tacito conſenſu, ut litigantes non in jure apud Praetorem manum conſererent, ſed ex jure manum conſertum vocarent, &c. Gellius *lib.* 20. *cap.* 9.

* *vg. ſolennibus* vel *optimis.*

b Aſt ſi qui quem liberali cauſa manu adſerat, ſecundum libertatem Vindicias dato.

Virginius cum animadvertiſſet Appium Claudium (contra jus, quod ipſe *ex vetere jure in XII. Tabulas tranſtulerat*) Vindicias filiae ſuae a ſe abdixiſſe, & ſecundum eum, qui in ſervitutem ab eo ſuppoſitus petierat, dixiſſe: captumque amore virginis omne fas ac nefas miſcuiſſe, indignatus, quod *vetuſtiſſima juris obſervantia* in perſona filiae ſuae defeciſſet (utpote cum Brutus, qui primus Romae Conſul fuit, vindicias ſecundum libertatem dixiſſet in perſona Vindicis Vitelliorum ſervi, qui proditionis conjurationem indicio ſuo detexerat) & caſtitatem filiae vitae quoque ejus praeferendam putaret, arrepto cultro de taberna lanionis filiam interfecit. Pomponius *libro ſingulari Enchiridii. l. 2. §. 24. ff. de Origine Juris.*

de Jure POSSESSIONIS.

Advocati [*puellae Virginiae ab App. Claudio*] poſtulant, ut rem integram in patris adventum differat: *Lege ab ipſo lata* vindicias det ſecundum libertatem. Appius decreto praefatus, quam libertati faveret, *eam ipſam legem declarare*, quam Virginii amici poſtulationi ſuae praetendant: caeterum in ea firmum fore libertati praeſidium, ſi nec cauſis nec perſonis variet. In his enim quae aſſerantur in libertatem, quia quivis lege agere poſſit, id juris eſſe: in ea quae in patris manu ſit, neminem eſſe alium, cui dominus poſſeſſione cedat. Livius *lib.* 3. *cap.* 45.

Avunculus puellae [*Numitorius*] ipſum patrem ex militia reverſum pro filia cauſam dicturum ajebat: ſe vero interea puellam in libertatem *ex Legibus* aſſerturum, & nullum jus novum poſtulaturum, aut quod caeteris quoque civibus Romanis non concederetur, licet non omnibus hominibus: nimirum, ut ejus, qui ex libertate in ſervitutem aſſeritur, non is, quam ſervitutem, ſed is, qui in libertatem aſſerit, dominus ſit pendente lite: multaſque ob cauſas hoc jus ab Appio ſervandum dicebat. Primum, quia hanc *legem una cum caeteris in XII. Tabulis deſcripſerat.* Deinde quia *&c. Et poſt:* Appius autem. Equidem (inquit) non ignoro hanc eſſe *legem* de vindiciis eorum, qui in ſervitutem aſſeruntur, quae non patitur corpus pendente lite eſſe in poteſtate eorum, qui in ſervitutem abripere vult: *nec eam abrogabo quam ego ipſe ultro ſcripſi.* Illud tamen aequum eſſe cenſeo, cum duo ſint, qui puellam ſibi vindicant, dominus & pater, ſi uterque adſit, ut dater pendente lite in ſua poteſtate eam habeat: verum quando ille abeſt, ut dominus eam abducat, datis idoneis vadibus qui promittant, fore ut eam ad Magiſtratum ſiſtant, ubi pater ejus adfuerit. Dionyſius Halic. *lib.* 11. *pag.* 712. *&* 713.

Cap. de TIGNO JUNCTO.

TIGNVM IVNCTVM ÆDIBVI VINEÆVE NE CONCAPEt NE SOLVITO: Aſt qui junxit, duplione damnator: [TIGNA] QVANDOQVE SARPTA, DONEC DEMPTA ERVNT, vindicato.

Probationes.

Fabros *Tignarios* * dicimus non eos duntaxat, qui TIGNA dolarent, ſed omnes qui aedificarent. Gajus *lib.* 3. *l. XII. Tab. l.* 235. §. 1. *ff. de V. S.*

* Argumentum a Conjugatis: ſi *Tigni* appellatione in l. XII. Tab. omnis materia ad aedificandum continetur, & *Tignarii* fabri erunt omnes, qui aedificant.

TIGNVM non ſolum in Aedificiis, quo utuntur, appellatur, ſed etiam in vineis, ut eſt in XII. Tab. TIGNVM IVNCTVM ÆDIBVS VINEÆQVE ET CONCAPEt * NE SOLVITO. Feſtus in v. *Tignum.*

* *Concapes* reponit Scaliger. Verum genuinam, ni fallor, hujus legis emendationem in *Notis* praeſtabo.

Tig-

de Jure* poſſeſſionis.

Tigni appellatione in lege XII. Tabul. omne genus materiae, ex qua aedificia conſtant, ſignificatur. Gajus *lib.* 26. **ad Edictum provinciale. l.* 62. *π. de V. S.*

* Quo de cauſa poſſeſſionis egit: ut apparet ex omnibus illius libri legibus: nempe ex *l.* 15. *π. de adquir. poſſ. l.* 5. *π. quae in fr. creditor. l.* 9. *π. de precario. l.* 1. *π. de migrando. l.* 158. *π. de R. J.*

Lex XII. Tabul. TIGNVM ÆDIBVS IVNCTVM VINDICARI POSSE ſcit, ſed interim id ſolvi prohibuit, pretiumque ejus dari voluit. Paulus *lib.* 15. *quaeſt. l.* 98. *§. ult. π. de ſolution.*

Lex XII. Tabul. NEQVE SOLVERE permittit TIGNUM FURTIVUM ÆDIBUS VEL VINEIS JUNCTUM, NEQVE VINDICARE. Quod providenter Lex effecit, ne vel aedificia ſub hoc praetextu diruantur, vel vinearum cultura turbetur, ſed IN EUM, QUI CONVICTUS EST JUNXISSE, IN DUPLUM dat actionem. *Tigni* autem appellatione continetur omnis materia, ex qua aedificium conſtat, vineaeque neceſſaria. *Et mox:* Sed & in vineis *tigni* appellatione, omnia vineae neceſſaria continentur. Ulpian. *lib.* 37. *ad Edict. l.* 1. *π. de tigno juncto.*

De Tigno juncto aedibus alienis nec ad exhibendum agi poteſt: quia lex XII. Tabul. SOLVI vetaret. Sed actione de tigno juncto ex eadem lege in duplum agitur. Paulus *lib.* 14. *ad Sabinum. l.* 6. *π. ad exhibendum.*

Tigni appellatione omnem materiam in l. XII. Tabul. accipimus, ut quibuſdam recte videtur. Ulpian. *lib.* 24. *ad Edict. l.* 7. *π. eod.*

NERATII verba. De eo*, quod uxoris in aedificium viri ita conjunctum eſt, ut detractum alicujus uſus eſſe poſſit, dicendum eſt agi † poſſe, quia ‡ nulla actio eſt ex l. XII. Tabul. Quamvis ⸸ *Decemviros* non ſit credibile de his ſenſiſſe, quorum voluntate res eorum in alienum aedificium conjunctae eſſent. *Paulus* * *notat.* Sed in hoc ſolum agi poteſt, ut vindicatio ſolum re competat mulieri, non in duplum ex l. XII. Tabul.

* tigno ſcil.
† actione qua donationes inter virum & uxorem factae revocantur.
‡ al. *quamvis.*
⸸ al. *quia.*
* PAULI verba.

Neque enim FURTIVUM eſt, quod ſciente domino incluſum eſt. Paulus *lib.* 3. *ad Nerat. l.* 63. *π. de donat. inter vir. & ux.*

Cum in ſuo ſolo aliquis ex aliena materia aedificavit, ipſe intelligitur dominus aedificii, quia omne quod ſolo inaedificatur, ſolo cedit. Nec tamen ideo is, qui materiae dominus fuerat, deſinit ejus dominus eſſe, ſed tantiſper neque *vindicare* eam poteſt, neque ad exhibendum de ea re agere; propter leg. XII. Tabul. qua cavetur, NE QUIS TIGNUM ALIENUM ÆDIBUS SUIS JUNCTUM EXIMERE COGATUR, SED DUPLUM PRO EO PRÆSTET per actionem, quae datur de Tigno juncto, §. 29. *Inſt. de Rer. diviſ.* de Jure poſſeſſionis.

Ex Gaji *lib.* 2. Rerum Quotidianarum totidem verbis *in l.* 7. *§.* 10. *π. de adquir. rerum dominio.*

Tignum alienum aedibus junctum, nec *Vindicari* poteſt propter l. XII. Tabul. nec eo nomine ad exhibendum agi [*niſi adverſus eum, qui ſciens alienum junxit aedibus*] ſed eſt actio Antiqua de Tigno juncto, quae in duplum ex l. XII. Tabul. deſcendit. Paul. *lib.* 21. *ad Edict. l.* 23. §. 6. *π. de rei vendicat.* Tigno

Sarpuntur vineae, id eſt, putantur, ut in XII. *Quandoque Sarpta. donec dempta* *erant.* Feſtus in v. *Sarpuntur.*

* Eadem voce hac in re utitur *l.* 59. *π. de rei vindic.*

LEX. DE REPUDIO.

Si vir mulieri repudium miſere volet, cauſam dicito.

. . . .

Probationes.

Si ex LEGE Repudium miſſum * non ſit, & idcirco mulier adhuc nupta eſſe videatur, tamen, ſi quis eam uxorem duxerit, adulter non erit? Idque Salvius Julianus reſpondit: Quia adulterium (inquit) ſine dolo malo non committitur. Quanquam dicendum, ne is, qui ſciret eam ex LEGE repudiatam non eſſe, dolo malo committat. Gajus *lib.* 3. *ad l. XII. Tab. l.* 43. *π. ad L. Jul. de adult.*

* Id eſt, ſi non ex legitima cauſa repudium miſſum ſit, quam lex XII. Tabul. expreſſit. Neque enim haec verba ad formulam repudii pertinent, quod nonnulli exiſtimant, quae non lege XII. Tab. ſed Prudentum auctoritate inducta eſt.

Nolite, nolite quaerere, ſrugi factus eſt: Mimam illam ſuam *ſuas res habere* juſſit, ex XII. Tabulis CAUSAM ADDIDIT *, EXEGIT. Quam porro ſpectatus civis, quam probatus, cujus ex omni vita nihil eſt honeſtius, quam quod cum mima fecit divortium? Cicero *Philipp. ſecunda cap.* 28.

* Alii legunt *Claves ademit*; male! Huc illud Naevii refero. *Sonticam eſſe oportet cauſam, quamobrem perdas mulierem:* apud Feſtum in v. *Sonticum.* Et illud Varronis περὶ ἐξαγωγῆς. *Quod parere ea non poterat mulier, foras betere juſſit.* apud Nonium in verb. *Betere.*

A D T A B U L A M VII.

DE DELICTIS.

P R O B A T I O N E S.

de Delictis.

LEX. DE PAUPERIE.

SI QVADRVPES PAVPERIEM faxit, dominus noxiæ Æſtimiam oferto: ſi nolet, quod noxit dato.

Probationes.

Si quadrupes pauperiem feciſſe dicitur, actio ex lege XII. Tabul. deſcendit, quae lex voluit, AUT ÆSTIMATIONEM NOXIÆ OFFERRE. NOXIA autem eſt ipſum delictum. Quae actio ad omnes quadrupedes pertinet, Ulpian. *lib.* 18. *ad Edictum. l.* 1. *in pr. §.* 1. *&* 2. *π. ſi quadrupes.*

Animalium nomine, quae ratione carent, ſi qua aut laſcivia, aut pavore, aut feritate pauperiem fecerint, noxalis actio lege XII. Tabul. prodita eſt: Quae animalia, SI NOXÆ DEDANTUR, *proficiunt reo ad liberationem:* quia ita L. XII. Tabul. ſcripta eſt: utputa, ſi equus calcitroſus calce percuſſerit, aut bos cornu petere ſolitus, petierit. Haec autem

de DELICTIS.

actio in iis, quae contra naturam moventur, locum habet *: Caeterum ſi genitalis ſit feritas, ceſſat actio, *in pr. Inſt. ſi quadrupes.*

* Ita locus hic conſtituendus, & a praepoſteri vitio liberandus Hotomanno videtur.

Decem aut Noxae dedere, condemnatus, judicati in decem tenetur: facultatem enim Noxae dedendi *ex Lege* accipit. Et ideo judicati in decem agitur: his enim ſolis condemnatur. Noxae deditio in ſolutione eſt, quae e *Lege tribuitur.* Ulpian. *lib.* 66. *ad Edictum. l.* 6. §. 1. *π. de re judicata.*

LEX. DE DAMNO INJURIA CASUVE DATO.

Si injuria RVPITIAS . . . .
Aſt ſi caſu, SARCITO.

Probationes.

Lex Aquilia omnibus legibus, quae ante ſe de DAMNO INJURIA locutae ſunt, derogavit: ſive XII. Tabulis, ſive quae alia lex fuit. Ulpian. *l.* 18. *ad Edictum. l.* 1. *π. ad L. Aquil.*

RVPITIAS in XII. ſignificat, damnum dederis. Feſtus in v. *Rupitias.*

Rupitiae, damnum dederit. *Paulus.*

SARCITO in XII. Servius Sulpitius ait ſignificare, damnum ſolvito, praeſtato. Feſtus in v. *Sarcito.*

Cap. de FRUGIBUS EXCANTATIS.

QVI FRVGES EXCANTASIT. . . . .

Probationes.

Maximae quaeſtionis & ſemper incertae eſt, valeantne aliquid verba & incantamenta carminum? Sed virium ſapientiſſimi cujusque reſpuit fides. In univerſum vero omnibus horis credit vita nec ſentit. *Et poſt.* Quid? non & *Legum ipſarum in XII. Tabulis* verba ſunt: QVI FRVGES EXCANTASSIT? Et alibi: * *qui malum carmen incantaſſit?* Plinius. *lib.* 28. *cap.* 2. *An ſit in medendo verborum aliqua vis.*

* Nota Plinium diverſas has leges facere, nec duo unius ejusdemque legis capita conſtituere.

Extant & apud Italas gentes veſtigia ejus [*Magiae*] in XII. Tabulis noſtris, aliisque argumentis, quae priori volumine expoſui. Plinius *lib.* 30. *cap.* 1. *de origine Magicae artis, a quibus coeperit, & a quibus celebrata fuerit.*

Apud nos in XII. Tabulis cavetur, NE QUIS ALIENOS FRUCTUS EXCANTASSIT. Rudis adhuc antiquitas credebat, & attrahi imbres cantibus & repelli: quorum nihil poſſe fieri tam palam eſt, ut hujus rei cauſa nullius Philoſophi ſchola intranda ſit. Seneca *lib.* 4. *Natural. cap.* 7.

Magia iſta, quantum ego audio, *res eſt Legibus delegata*, jam inde antiquitus XII. Tabulis, propter incredundas frugum ILLECEBRAS interdicta. Apulejus *prima Apologiarum.*

Illud etiam, quod alio loco de his artibus dicit [Virgilius *Ecl.* 8. *v.* 99.]

Atque ſatas alio vidi traducere meſſes:

Eo quod hac peſtifera ſceleratque doctrina FRUCTUS ALIENI IN ALIAS TERRAS TRANSFERRI perhibentur; nonne in XII. Tabulis (id eſt, Romanorum antiquiſſimis legibus) Cicero * commemorat eſſe conſcriptum, & ei, qui hoc fecerit, ſupplicium conſtitutum? Auguſtinus 8. *de Civit. Dei* 19.

* Ergone XII. Tabulae Auguſtini aevo interciderant, ut ab ipſis argumentum hujus rei Auguſtinus repetere non poſſet!

Magicis (*inquit*) artibus quibusdam hoc fiebat. Unde eſt in XII. Tabul. NEVE ALIENAM SEGETEM PELLEXERIS ‖. Quod & Varro & multi alii ſcriptores fieri deprehenſum animadvertunt. Servius *ad hunc Eclogae Virgilianae* 8. *verſ.* 99.

Atque ſatas alio vidi traducere meſſes.

de DELICTIS. ‖ Non ſunt haec legitima ſeu ipſamet legis XII. Tabul. verba, Verum haec: QVE FRVGES EXCANTASIT: ut in Notis fuſius docebimus.

Cap. de FRUGE NOCTU DEPASTA SECTAVE.

Qui frugem aratro quaeſitam furtim nox pavit, ſecuitve, ſuſpenſus Cereri necator: Inpubes, Praetoris arbitratu verberator, noxiamque duplione decernito.

Probatio.

FRUGEM ARATRO QUAESITAM furtim noctu paviſſe ac * ſecuiſſe, puberi XII. Tabulis capitale erat: ſuſpenſumque Cereri necari jubebant, gravius quam *in homicidio convictum*: Impubem † Praetoris arbitratu verberari noxiamque duplione ‖ decerni. Plinius *lib.* 18. *cap.* 3. *de Jugere, & actu, & legibus circa pecora.*

* *al. aut e* ‖ Cicero *pro Rabirio* in carmine Duumvirali *cap.* 4. *Arbori infelici reſte ſuſpendito.*

† Gellius *lib.* 11. *cap. ult. Pueros Impuberes (furti manifeſti prenſos) Praetoris arbitratu verberari (Decemviri) voluerunt, noxamque ab his factam ſarciri.*

Hanc dupli poenam Edictum ad omnes perſonas porrexit. Paulus *lib.* 2. *Sent. tit. penult.* §. 21. *ſive ſegetes per furtum, ſive quaelibet arbores caeſae ſint, in duplum ejus rei nomine reus convenitur.*

Cap. de PASTU PECORIS.

Qui PECU ENDO ALIENO IMPESCIT . . . .

Probatio.

Si glans ex arbore tua in meum fundum cadat, eamque *ego immiſſo pecore depaſcam*, Ariſto * ſcribit, non ſibi occurrere legitimam actionem, qua experiri poſſim †: nam, neque ex Lege XII. Tabularum, *de Paſtu pecoris*, quia non IN TVO PASCITUR: neque de pauperie: neque de damni injuria, agi poſſe. In factum itaque erit agendum. Ulpian *lib.* 41. *ad Sabinum. l.* 14. §. *fin. π. de praeſcript. verbis.*

† *al.* poſſis.

* Pomponio aliter viſum. *Competere enim is ajebat actionem ad exhibendum, ſi dolo pecus immiſiſſet, ut glandem comederet:* quae ſententia Ulpiano ipſi probatur *in l.* 9. §. 1. *π. ad exhib.* Porro *impeſcit* hujus legitimum verbum fuiſſe facile adducor ut credam: quod Feſtus ita interpretatur *Impeſcere, in latam ſegetem paſcendi gratia immittere.*

Cap. de INCENDIO.

Qui ÆDES acervumve frumenti ad ÆDES poſitum dolo ſciens INCENSIT, victus * verberatus igni necator: Aſt ſi caſu, NOXIAM SARCITO. Si nec idoneus eſcit, levius caſtigator.

* vinctus.

de Delictis. ### *Probationes.*

QUI ÆDES ACERVUMVE FRUMENTI JUXTA DO-
* vinctus. MUM POSITUM COMBUSSERIT, VICTUS * VERBERATUS IGNI NECARI jubetur, ſi modo SCIENS PRUDENSQUE id commiſerit: ſi vero CASU [illegible] id eſt, negligentia, aut NOXIAM † SARCIRE jubetur, aut
† Lege XII. Tabul. ſi MINUS IDONEUS SIT, LEVIUS CASTIGATUR. Appellatione autem ÆDIUM omnes ſpecies aedificii continentur. Gajus *lib.* 4. *ad l. XII. Tabul. l.* 9. *ff. de incendio.*

In duplum. Paulus *lib.* 5. *Sent. tit.* 3 *in fin.* *Incenſorum* [illegible] uno [illegible] merito ſit, *l.* [illegible] §. 13. *ff. de pactis*, qui locus notatur a Thalelaeo ad *l.* [illegible] *C. de L. Aquil.* vel *l.* [illegible] 28. §. *incendiarii* 12. *ff. de poen.*

INCENSIT, incenderit: ſicut incepſit, inceperit. Feſtus in v. *Incenſit.*

LEX. DE INJURIIS.

Injuriarum actio aut Lege, aut More, aut Mixto jure introd[illegible]a eſt. Lege XII. Tabul. 1. *De famoſis carminibus.* 2. *Membris ruptis.* 3. *& Oſſibus fractis.* Paulus *lib.* 5. *Sent. tit.* 4. §. 6.

* Paulus omittit quartam, de *Injuria leviore.*

Cap. de INJURIIS LEVIORIBUS.

SI QVI INIVRIAM ALTERI FAXIT, XXV. ÆRIS POENÆ SVNTO.

Probationes.

Injuriarum actio aut legitima eſt, aut honoraria. Legitima ex l. XII. Tabul. QVI INIVRIAM ALTERI FAXIT [*ſeu*] *ut in editis* [illegible] QVINQVE ET VIGINTI SESTERTIORUM POENAM SVBITO [in edit. *ſubit*] Paulus *lib. ſingulari & titulo de injuriis* apud Auctorem *collat. leg. Moſaic. tit. de Atroci inju*[illegible].

Quod dixi videri quaedam eſſe impendio molliora [*in* XII. *Tabul.*] nonne tibi quoque videtur nimis eſſe dilutum, quod ita de injuria punienda ſcriptum eſt. SI INIVRIAM FAXIT ALTERI, VIGINTIQVINQVE ÆRIS POENÆ SVNTO? Quis enim erit tam inops, quem ab injuriae faciendae lubidine, *XXV. aſſes* deterreant? Itaque, quum eam legem Q. Labeo quoque veſter in libris, quos ad XII. Tabulas conſcripſit, non probaret; *Quidam*, inquit, *Lucius Veratius fuit egregie homo improbus atque immani vecordia; is pro delectamento habebat os hominis liberi manus ſuae palma verberare*, * *cum ſervus ſequebatur crumenam plenam aſſium portitans: & quemcunque depalmaverat, numerare ſtatim ſecundum XII. Tabulas xxv. aſſes jubebat. Propterea*, inquit, *Praetores poſtea hanc aboleſcere & relinqui cenſuerunt, injuriiſque aeſtimandis Recuperatores ſe daturos edixerunt.* Favorinus apud Gellium *lib.* 20. *cap.* 1.

* Hic locus oſtendit, quam imperite faciant, qui hoc caput *ad injuriam verbalem convicii* reſtringunt: eſt enim hoc caput de [illegible] injuria, ſive re ſive verbis homini facta, abſque fractura vel ruptura. De leviore breviter injuria omni, non de atroci.

Sed enim quum proletarii, & Aſſidui, & Sanates, & Vades & Subvades, & *xxv. aſſes*, & taliones, furtorumque quaeſtio cum lance & licio evanuerit, omniſque illa XII. Tabularum antiquitas, niſi in legis actionibus Centumviralium cauſarum, lege Æbutia lata, conſopita ſit. Juriſconſultus quidam apud [Gel]lium *lib.* 16. *cap.* 10.

Cap. de CONVICIO * PUBLICE FACTO.

de Delictis. * Paulum lib. 5.
SI QVI PIPVLOCENTASIT [a], CARMENVE [b] CONDISIT, QVOD INFAMIAM FAXIT FLAGITIVMVE ALTERI, fuſte ferito. Sentent. 4. §. 10. ſeu de Convicio cum vociferatione l. 15. §. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. ff. de injuriis.

Probationes.

Noſtrae XII. Tabulae cum perpaucas res capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putaverunt. SI QUIS OCCENTAVISSET, SIVE CARMEN CONDIDISSET, QUOD INFAMIAM FACERET FLAGITIVMVE ALTERI. Scipio apud Ciceron. *lib.* 4. *de Republ.* referente D. Auguſtino *lib.* 2. *de civit. Dei, cap.* 9.

a SI QVI PIPVLOCENTASIT.

OCCENTASSINT antiqui dicebant, quod nunc convicium fecerint, dicimus: quod [illegible] clare & cum quodam canore fit, ut procul exaudiri [poſ]ſit, quod turpe habetur, quia non ſine cauſa fieri putatur. Feſtus in v. *Occentaſſint.*

. . . . . [illegible] ſala in explana . . . .
. . . . . ploratus . . . Feſtus *in fine literae P.*

Lacuna haec ita explenda: *Pipulum. Et Meſſala in explanatione* XII. interpretatur, *eſt ploratus.* Quem Plautus *in Aulularia Act.* 3. *ſc.* 2. *v.* 32. *Pipulo* [illegible] & Cn. Marius *pipulo poſcerer*, id idem Plautus *in Perſa Act.* 4 *ſc.* 4. v. 10 *Mercat*[illegible] *Act.* 2. *ſc* 3 v. [illegible] dicit, [illegible] ſtimo. Itaque *occentare pipulo*, eſt, *publice invehi* in aliquem: quaſi forum puta ſui ſuae & dedecoris: cumque publice *differre*, *diffamare*.

b CARMENVE CONDISSIT, QVOD INFAMIAM FAXIT FLAGITIVMVE ALTERI.

Injuriarum actio, aut [illegible], aut more, aut mixto jure introducta eſt. Lege XII. Tabul. de FAMOSIS CARMINIBVS, membris ruptis & oſſibus fractis. Paulus *lib.* 5. *Sentent. tit.* 4. §. 6.

Noſtrae XII. Tabulae, cum perpaucas res CAPITE [illegible], in [his] hanc quoque ſanciendam putaverunt. SI QUIS OCCENTAVISSET, SIVE CARMEN CONDIDISSET, QUOD INFAMIAM FACERET FLAGITIVMVE ALTERI. Praeclare! Judiciis enim ac Magiſtratuum diſceptationibus legitimis propoſitam vitam, non Poëtarum ingeniis habere debemus: nec probrum audire, niſi ea lege ut reſpondere liceat, & judicio defendere. Scipio apud Ciceronem *lib.* 4. *de Republica:* referente D. Auguſtino *lib.* 2. *de civit. Dei cap.* 9.

Probris & injuriis Poëtarum ſubjectam vitam famamque habere noluerunt *: *capite* etiam puniri ſancientes, tale carmen condere [ſi] quis auderet. Cicero *lib.* 4. *de Republ.* apud Auguſtinum *lib.* 2. *de civitate Dei, cap.* 12.

* Leges XII Tabul. ſeu Decemviri.

Dixit Cato, * morem hunc apud majores epularum fuiſſe, ut deinceps qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes, atque virtutes. Ex quo perſpicuum eſt, & cantus tum fuiſſe reſcriptos vocum [ſo]nis, [&] carminis. Quanquam [id] quidem etiam XII Tabulae declarant, conditum ſolitum eſſe CARMEN: quod, ne liceret FIERI AD ALTERIUS INJURIAM, leges ſanxerunt. Cicero *lib.* 4. *Tuſcul. cap.* 2.

* Haud dubio in libro, qui inſc[illegible] *de Morib.* unde alia fragmenta laudat [illegible] *lib.* 11. *cap.* 2. & eundem hoc inter caetera [illegible] *on erat: ſi qui in ea re* [illegible] *ſeſe ad* [illegible] *applicabat, graſſator vocabatur.* ubi pro *convivia* legendum [illegible] *convicia.*

de Delictis. Carmen malum conſcribere, quo fama alterius inquinetur & vita, *Decemviralibus ſcitis* evadere noluiſtis impune: ac ne veſtras aures Convicio *aliquis petulantiore* pulſaret, *de Atrocibus* formulas conſtituiſtis injuriis. Arnobius *lib.* 4. *adverſus Gentes.*

Treb. Sed tamen ut monitus caveas, ne forte negoti
Incutiat tibi quid SANCTARUM inſcitia LEGUM a:
SI MALA b CONDIDERIT IN QUEM QUIS CARMINA, JUS EST
JUDICIUMQUE. *Hor.* eſto, SI QUIS MALA. Sed bona, ſi quis
Judice condiderit laudatus Caeſare? *Treb.* Si quis
Opprobriis dignum laceraverit integer, ipſae
Solventur riſu TABULAE c; tu miſſus d abibis.
Horatius *lib.* 2. *Satyr.* 1. *v.* 80. *ſeqq.*

a Qua lege cautum erat *Ne quis in quemquam maleficum carmen ſcriberet.* Eleganter Jurisperitus de lege loquitur. *Porphyr.*

b Trebatius, *mala* quaſi criminoſa dixit: Horatius, quaſi vitioſa. *Acron.* Aliter Horatius accepit mala, quam Trebatius pro non bona, cum ille famoſa vellet intelligi. *Porphyr.*

c Aut ſubſellia ſolventur, id eſt, compago lignorum. Aut ipſae Leges, alias, non erunt in eum ſeveri, qui jure perſequitur. *Acron.*

d Id eſt, redibunt legem XII. Tabul. in veniam merebitis. *Acron.*

C FUSTE FERITO.

Luſit amabiliter, donec jam ſaevus apertam
In rabiem verti coepit jocus, & per honeſtas
Ire domos *impune minax*: doluere *cruento*
Dente laceſſiti: fuit intactis quoque cura
Conditione ſuper communi: quinetiam LEX
Poenaque lata, Malo quae nollet CARMINE Quenquam
DESCRIBI: vertere modum, formidine FUSTIS,*
Ad bene dicendum delectandumque redacti.
Horatius *lib.* 2. *ep.* 1. *ad Auguſt. v.* 148. *ſeqq.*

* *Fuſtuarium ſupplicium conſtitutum erat in auctorem Carminum infamium. Porphyrion.*

Cratinus, Eupolis & Ariſtophanes Comoediarum auctores fuerunt. Primi etiam exemplum dederunt libere ſcribendi, qui cum amaritudine multa invecti ſunt in Principes civitatis, propter quod Lege XII. Tabularum cautum eſt, UT FUSTIBUS FERIRETUR, QUI PUBLICE INVEHEBATUR *. Cornutus in Perſii *ſat.* 1. *v.* 137.

* vel Ostentatione vel carmine.

—— *Audaci quicunque afflate Cratino.*

Cap. DE MEMBRO RUPTO.

SI MEMBRUM RUPSIT, NI CUM EO PACIT, TALIO ESTO.

Probationes.

TALIONIS mentionem fieri in XII. ait Verrius hoc modo: SI MEMBRUM RUPSERIT *, NI CUM EO PACIT TALIO ESTO. Neque id quid ſignificet, indicat: puto, quia notum eſt: permittit enim Lex parem vindictam. Feſtus in v. *Talionis.*

* Ruperit vel rupit.

Injuriarum actio aut Lege, aut More, aut mixto jure introducta eſt. Lege XII Tabul. de famoſis carminibus, *Membris ruptis, & oſſibus fractis.* Paul. *lib.* 5. *Sent. tit.* 4. §. 6.

Poena injuriarum ex l. XII. Tabul propter MEMBRUM quidem RUPTUM talio erat: propter Os vero FRACTUM nummariae poenae conſtitutae erant, quaſi in magna veterum paupertate. Sed poena quidem injuriarum quae ex lege XII. Tabul. introducta eſt, in deſuetudinem abiit §. 7. *Inſt. de injuriis.*

Nonnulla autem in iſtis legibus nec conſiſtere quidem, viſa ſunt; velut illa lex Talionis: cujus verba, niſi memoria me fallit, haec ſunt. SI MEMBRUM RUPSIT, NI CUM EO PACIT, TALIO ESTO. Praeter enim ulciſcendi acerbitatem, ne procedere quoque executio juſtae talionis poteſt. Nam cui membrum ab alio ruptum eſt, ſi ipſi itidem rumpere per talionem velit, quaero an efficere poſſit rumpendi pariter membri aequilibrium? In qua re primum ea difficultas eſt inexplicabilis. Quid ſi quis membrum, inquit, imprudens ruperit? Quod enim per imprudentiam factum eſt, retaliari per imprudentiam debet. Ictus quippe fortuitus & conſultus non cadunt ſub ejuſdem talionis ſimilitudinem. Quonam igitur modo imprudentem poterit imitari, qui in exſequenda talione non licentiae jus habet, ſed imprudentiae, ſed & ſi prudens ruperit, nequaquam patietur aut altius ſe laedi aut latius? quod cujuſmodi libra atque menſura caveri poſſit, non reperio. Quin etiam ſi quid plus erit aliterve commiſſum, res fiet ridiculae atrocitatis, ut contraria actio mutuae talionis oriatur, & adoleſcat infinita quaedam reciprocatio talionum. *Hactenus Favorinus adverſus hanc legem* XII. *Tab. Contra reſpondet Sex. Caecilius:* Quibusdam, *inquit*, injuriis Talionem quoque appoſuerunt. Quam quidem tu Talionem, vir optime, iniquius paulo inſectatus es: ac ne conſiſtere quidem dixiſti, lepida quadam ſolertia verborum: quoniam talioni par non ſit talio, neque RUMPI MEMBRUM facile poſſit ad alterius rupturae, ut ais tu, aequilibrium. Verum eſt, mi Favorine, talionem rariſſimam * fieri difficillime: ſed Decemviri minuere atque exſtinguere volentes hujuſcemodi violentiam pulſandi atque laedendi, eo quoque metu coercendos eſſe homines putaverunt: neque ejus, qui membrum alteri rupiſſet & paciſci tamen de Talione redimenda nollet, tantam eſſe habendam rationem arbitrati ſunt, ut an prudens imprudensve rupiſſet, ſpectandum putarent, aut talionem in eo vel ad amuſſim aequipararent, vel in libris perpenderent: ſed potius eundem animum eundemque impetum in eadem parte corporis rumpendi, non eundem quoque caſum exigi voluerunt: quoniam modus voluntatis praeſtari poſſet, caſus ictus non poſſet. Quod ſi ita eſt ut dico, ut & ipſe aequitatis habitus demonſtrat, taliones illae tuae reciprocae argutiores profecto quam veriores fuerint. Sed quoniam acerbum quoque eſſe hoc genus poenae putas: quae obſecro te, iſta acerbitas eſt, ſi idem fiat in te, quod tute in alio feceris: praeſertim cum habeas facultatem paciſcendi, & non neceſſe ſit pati talionem, niſi eam tu elegeris? Quod Edictum autem Praetorium de aeſtimandis injuriis probabilius eſſe poteſt? Nolo hoc ignores, hanc ipſam quoque talionem ad aeſtimationem Judicis redigi neceſſario ſolitam: nam ſi reus qui depaciſci noluerat, judici talionem imperanti non parebat, aeſtimata lite Judex hominem pecuniae damnabat: atque ita ſi reo & pactio gravis, & acerba talio viſa fuerat, ſeveritas legis ad pecuniae multam redibat. *Hactenus Caecilius* apud Gellium *lib.* 20. *cap.* 1.

* *rg.* pariſſimam.

Sed enim quum proletarii, & Aſſidui & Sanates, & Vades, & Subvades & XXV aſſes, & *taliones* furtorumque quaeſtio cum lance & licio evanuerint, omniſque illa XII. Tabul. antiquitas, niſi in legis actionibus centumviralium cauſarum, lege Aebutia lata conſopita ſit & Innominatus JCtus apud Gellium *lib.* 16 *cap.* 10.

Cap.

de Dies-ectis.

Cap. de OSSE FRACTO.

QVI OS EX GENETALI FVDIT LIBERO, CCC. SERVO, CL. ÆRIS POENÆ SVNTO.

Probationes.

Injurias factas, xxv. aſſibus ſanxerunt non omnino omnes, mi Favorine, injurias aere iſto pauco diluerunt, tametſi & haec ipſa paucitas Aſſium grave pondus aeris fuit. Nam librariis aſſibus in ea tempeſtate populus uſus eſt: ſed INJURIAS ATROCIORES, ut de OSSE FRACTO, non LIBERIS modo, verum etiam SERVIS impenſiore damno vindicaverunt. Quibusdam autem injuriis Talionem quoque appoſuerunt. Caecilius apud Gellium *lib.* 20. *cap.* 1.

Injuriarum actio aut legitima eſt, aut honoraria. Legitima ex l. XII. Tabul. *Qui injuriam alteri faxit, quinque & viginti ſeſtertiorum poenam ſubito.* QVI OS EX GENETALI FVDIT * LIBERO, CCC: SERVO, CL. POENAM SVBITO SESTERTIORVM. Paulus *libro ſingulari & titulo de injuriis*, apud Auctor. *collat. legum Moſaic. tit. de Atroci injuria.* 2. §. 5.

* Ita locum hunc reſtituo. legitur hactenus *Quae lex generalis fuit.* De quo conſule Notas noſtras.

Poena injuriarum ex l. XII. Tabul. propter membrum quidem ruptum, talio erat: propter os vero FRACTVM, nummariae poenae conſtitutae erant, quaſi in magna veterum paupertate. Sed poena quidem injuriarum, quae ex lege XII. Tabul. introducta eſt, in deſuetudinem abiit. §. 7. *Inſt. de injuriis.*

LEX. DE TUTORIS DOLO FURTOQUE.

Si Tutor ᵃ DOLO MALO gerat, vituperato: Quandoque ᵇ finita tutela escit, furtum duplione luito.

Probationes.

Sciendum eſt, SUSPECTI CRIMEN e lege XII. Tabul. deſcendere. Ulpian. *lib.* 35. *ad Edictum. l.* 1. §. 2. *ff. de ſuſpectis tutor.* totidemque verbis Juſtin. *in pr. Inſt. eod. tit.* ταύτην τὴν κατηγορίαν ὁ δωδεκαδέλτος εἰσήγαγε νόμος. Theoph. *ibid.*

Si Aquiliana definitio [*doli mali*] vera eſt, ex omni vita ſimulatio diſſimulatioque tollenda eſt, ita nec ut emat melius, nec ut vendat quicquam ſimulabit, aut diſſimulabit vir bonus. Atque ille DOLUS MALUS *etiam Legibus* erat vindicatus, ut *Tutela XII Tabulis*, & circumſcriptio adoleſcentium lege Laetoria. Cicero *lib.* 3. *de officiis cap.* 15.

— — *Jam tum erat ſuſpicio.*

DOLO MALO haec fieri omnia. Terentius *Eunuch. Actu* 3. *Sc.* 3. *v.* 8.

Quod addidit *malo*, aut ἀρχαϊσμὸς eſt, quia ſic in *XII Tabulis a Veteribus ſcriptum* eſt, aut diaſtole eſt, quia eſt & bonus. *Donatus.*

Potes, inquit Craſſus, Oratores putare eos, quos multas horas expectavit, cum in campum properaret & ridens, & ſtomachans Scaevola, cum Hypſeus maxima voce plurimis verbis a M. Craſſo Praet. contenderet, * ut ei, quem defendebat, cauſa cadere liceret. Cn. autem Octavius, homo Conſularis, non minus longa oratione recuſaret, ne adverſarius cauſa caderet: ac ne is, pro quo ipſe diceret, *turpi tutelae judicio* atque omni moleſtia, ſtultitia adverſarii liberaretur. Atqui non defuit illis patronis eloquentia, neque dicendi ratio aut copia, ſed Juris Civilis prudentia: quod alter plus lege agendo petebat, quam quantum * *lex in XII. Tabulis permiſerat*: quod cum impetraſſet, cauſa caderet: alter iniquum putabat plus ſecum agi, quam quod eſſet in actione: neque intelligebat, ſi ita eſſet actum, litem adverſarium perditurum. Cicero *lib.* 1. *de Oratore cap.* 36.

* cum de lege tutelae actione ageretur: non quidem verbis expoſita ſit, ſed dum plus in actione ſibi dari peteret, quam lege conceſſum erat.

de Duplo. * id eſt, ultra duplum.

Si ipſi tutores rem pupilli *furati* * ſunt, videamus an ea actione, quae proponitur *ex l. XII. Tabularum adverſus tutorem in duplum*, ſinguli in ſolidum teneantur & quamvis unus duplum praeſtiterit, nihilominus etiam alii teneantur. Nam, in aliis *furibus* ejusdem rei pluribus non eſt propterea coeteris poenae deprecatio, quod ab uno jam exacta eſt: ſed Tutores propter admiſſam adminiſtrationem non tam invito domino contrectare eam videntur, quam perinde agere. Nemo denique dicet, unum Tutorem *& duplum hac actione praeſtare*, & quaſi ſpecie condictionis aut ipſam rem aut ejus aeſtimationem. Tryphon. *lib.* 14. *diſputat. l.* 55. §. 1. *ff. de adminiſt. & pericul. tutor.*

* Tutor actione de rationibus diſtrahendis in duplum tenetur ex XII. Tabulis, velut fur nec manifeſtus de quo actum Tab. 2. Eſt enim eorum illud non proximum furto, ut & furti hoc nomine poſſe agi ſcribat Papinianus, *l.* 1. §. 22. *ff. de tutelae & ration. diſtrah.*

LEX. DE PATRONI FRAUDE.

PATRONVS SI CLIENTI FRAVDEM FAXIT, SACER ESTO.

Probatio.

Ex lege XII. Tabul. venit, in quibus ſcriptum eſt. PATRONVS SI CLIENTI FRAVDEM FECERIT, SACER ESTO. Si enim clientes, quaſi colentes ſunt, Patroni quaſi patres, * tantundem eſt clientem, quantum filium fallere. Ex hoc poſſe fieri ex Horatii verbis intelligimus, qui cum loqueretur de avaris potentibus, ait de vicino cliente. *Pellitur paternos in ſinu ferens Deos.* Urbano tamen hoc diſplicet, & dicit rarum eſſe hoc, magisque contrarium, cum magis patronos fraudant frequenter clientes. Servius ad Virg. *lib.* 6. *Aeneid. verſum* 609. *Et fraus innexa clienti.*

* Cato oratione apud Cenſores in Lentulum *Patrem primum, deinde patronum proximum nomen habere* apud Gellium *lib.* 5. *cap.* 13.

Cap. de FALSO Ψευδομαρτυρίᾳ.

QVI * SE SIRIT TESTARIER LIBRIPENSVE FVERIT, NI TESTIMONIVM FARIATVR, IMPROBVS INTESTABILISQVE ESTO.

* Perperam Hotomannus aliique hoc caput ad teſtamentarios ſeu claſſicos teſtes pertinere putant.

Probationes.

Confeſſi aeris, de quo facta confeſſio eſt, in XII. Tabulis ſcriptum eſt: *& poſt.* Item ex iisdem Tabulis id quoque eſt. QVI SE SIRIT TESTARIER LIBRIPENSVE FVERIT, NI TESTIMONIVM FARIATVR, ᵃ IMPROBVS INTESTABILISQVE ESTO. Gell. *lib.* 15. *cap.* 13. *de verbis Inopinatis*: ubi ait verbum *Teſtor* habitum in verbis *communibus*.

ᵃ πονηρὸς ἀμάρτυρος

Tarratiam Virginem Veſtae fuiſſe, lex Horatia teſtis eſt, quae ſuper ea ad populum lata, qua lege ei plurimi honores fiunt, inter quos, jus quoque teſtimonii faciendi tribuitur: *teſtabilisque* una omnium foeminarum ut ſit datur. Id verbum eſt ipſius legis Horatiae. Contrarium eſt in XII. Tabulis ſcriptum, IMPROBVS INTESTABILISQVE ESTO. Gell. *lib.* 6. *cap.* 7.

Cum *Lege* quis *inteſtabilis* eſſe jubetur, eo pertinet, ne ejus teſtimonium recipiatur: & eo amplius, ut quidam putant, neve ipſi dicatur teſti-

de Delictis. monium. Gajus *lib.* 22. *ad Edictum provinciale. l.* 26 *π. qui teſtam. fac.* . Theophilum §. 6 *Inſt. de teſt. ordin.*

Cap. de FALSO ψευδομαρτυρίας.

Si falſum teſtimonium DICASIT, Saxo delcitor.

Probationes.

An putas Favorine, ſi non illa etiam legis XII. Tabularum *de teſtimoniis falſis* poena obſolevisſet,& ſi nunc quoque, ut antea, qui falſum teſtimonium dixiſſe convictus eſſet, e ſaxo Tarpejo dejiceretur, mentituros fuiſſe pro teſtimonio tam multos, quam videmus? Caecilius apud Gellium *lib.* 20. *cap.* 1.

DICASSIT, dixerit. *Feſtus.*

LEX. DE PARRICIDIO CUJUSLIBET HOMINIS.

Si [a] qui hominem liberum dolo ſciens morti duit: QVIVE [b] MALVM CARMEN INCANTASIT, aut MALVM [c] VENENVM facit, duitve, PARICIDA ESTO.

Probationes.

[a] Si qui hominem liberum dolo ſciens morti duit, PARICIDA ESTO.

Frugem aratro quaeſitam furtim noctu paviſſe ac ſecuiſſe, puberi XII. Tabulis capitale erat, ſuſpenſumque Cereri necari jubebant, *gravius quam in homicidio convictum:* impubem Praetoris arbitratu verberari, noxiamque duplione decerni. Plinius *lib.* 18. *cap.* 3.

Lex Numae Pompilii Regis. SI QVIS HOMINEM LIBERVM DOLO SCIENS MORTI DVIT, PARICIDA ESTO. Feſtus in v. *Paricidi Quaeſtores.*

[b] ut & QVI MALVM CARMEN INCANTASIT.

Maximae quaeſtionis & ſemper incertae eſt, valeantne aliquid verba & incantamenta carminum? Sed viritim ſapientiſſimi cujusque reſpuit fides. In univerſum vero omnibus horis credit vita nec ſentit. *Et poſt:* Quid? non & legum ipſarum in XII. Tabulis verba ſunt, *Qui fruges excantaſſet?* Et alibi. QVI MALVM CARMEN INCANTASSET? Plinius *lib.* 8. *cap.* 2. *An ſit verborum aliqua vis.*

[c] AVT MALVM VENENVM faxit duitve.

Qui VENENVM dicit, adjicere debet, utrum MALVM an bonum: nam & medicamenta venena ſunt: quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum naturam ejus, cui adhibitum eſſet, mutat. Cum id, quod nos venenum appellamus, Graeci φάρμακον dicunt, apud illos quoque tam medicamenta, quam quae nocent, hoc nomine continentur: unde *Adjectione* alterius nomine * diſtinctio fit. Admonet nos ſummus apud eos Poëtarum Homerus †: nam ſic ait.

* forte nomini.

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα πολλὰ δὲ λυγρά. † Odyſſeae Δ. v. 230.

Venena multa quidem bona mixta, multa etiam mala. Gajus *lib.* 4. *ad l. XII. Tab.* in 1. 2. in pr. π. *de V. S.*

Videtur Feſtus *in fine litterae P.* aliquid de veneficiis ex lege XII. Tabularum retuliſſe.

tribus . . . .
de capite ci . . .
vetant XII. . . .
neficos , quique .
nant , quia ipſi ind. . .

Quam lacunam ſic explet Scaliger

Tribus xxxv Aut privi-legia irrogare aut
de capite civis ſtatuere, niſi maximo Comitiatu
vetant XII. Tabularum leges, praeterquam in ve-
neficos , quique malum carmen incan-
tant , quia ipſi indemnati jure occiduntur.

LEX. QUI PARENTEM. DE PARENTICIDIO.

QVI PARENTEM NECASIT, CAPVT OBNVBITO, culeoque inſutus in profluentem mergitor.

Probationes.

Lex eſt, QUI PARENTEM NECASSE JUDICATUS ERIT, IS OBVOLUTUS ET OBLIGATUS CORIO DEJICIATUR IN PROFLUENTEM. Malleolus judicatus eſt matrem necaſſe: ei damnato ſtatim folliculo lupino os obvolutum eſt, & ſoleae ligneae pedibus inductae ſunt, & in carcerem ductus eſt. Auctor *ad Herennium lib.* 1. *cap.* 13.

Laudatur haec lex a Cornificio, non iisdem prorſus verbis, quibus in ipſis XII Tabulis perſcripta fuerat: docet Feſtus, qui haec verba, CAPUT OBNUBERE (quod *obvolvere* ſignificat) in ea nominatim fuiſſe ait: itaque horum verborum loco IS OBVOLUTUS, in ipſa lege erat CAPUT OBNUBITO, quae etiam apud Livium extant.

Nuptias dictas eſſe ait Aelius & Cincius, quia flammeo caput nubentis obvolvatur, quod antiqui obnubere vocarunt. Ob quam cauſam legem quoque, QVI PARENTEM *, jubere, CAPVT EIVS OBNVBERE, QVI PARENTEM NECAVISSET, quod eſt, *obvolvere.* Feſtus in v. *Nuptias.*

* *Legem quoque Parenſium.* . . . corrupte legitur. Scaliger reponit, *Parens Tab.* . id eſt, *Legem parens tabula tertia.* At nulubi ea lex reperitur. Lego itaque *Qui parentem*: quod ſequentia docent: & extat haec ipſa lex apud Auctorem *lib.* 1. *ad Herennium cap.* 13

Tarquinius Rex M. Tullium Duumvirum,quod librum ſecreta civilium ſacrorum continentem cuſtodiae ſuae commiſſum, corruptus Petronio Sabino deſcribendum dediſſet, culeo inſutum in mare abjici juſſit. Idque ſupplicii genus non *multo poſt* parricidis *Lege* irrogatum eſt. Juſtiſſime quidem! quia pari vindicta parentum ac Deorum violatio expianda eſt. Valer. Maximus *lib.* 1. *cap.* 1. §. 13.

Huc pertinet etiam forte locus hic apud Ennium *Hecuba: Sed unquam ſcripſiſtis* QVIS * PARENTEM *aut hoſpitem* NECASSET, *quos quis cruciatus perciperet?* Nonius *cap.* 2. v. *Perbitere, Perire.*

* ye. Scripſiſtis QVI PARENTEM.

AD TABULAM VIII.

DE JURE PRAEDIATORIO. *

* id eſt, de Juribus PRAEDIORUM.

PROBATIONES.

LEX. de Jure PARIETUM.

AMBITUS a PARIETIS, SESTERTIUS b PES ESTO.

Probationes.

a AMBITUS PARIETIS.

Ambitus, iter, quod circumeundo teritur: nam *Ambitus*, circumitus: Ab eoque XII. Tabul. Interpretes, AMBITUM PARIETIS, circumitum eſſe deſcribunt. Varro *lib. 4. de lingua Lat. n. 4.*

b SESTERTIUS PES ESTO.

Seſtertius, duos aſſes & ſemiſſem [*valebat*] quaſi ſemis tertius Graeca figura ἕβδομον ἡμιτάλαντον. Nam ſex talenta ac ſemitalentum eo verbo ſignificantur. Lex etiam XII. Tabul. argumento eſt, in qua duo pedes & ſemis SESTERTIUS PES vocatur. Voluſius Maecianus *in diſtribut. ad Cenſorem.*

Imperatores Antoninus & Verus Auguſti reſcripſerunt, in area, quae nulli ſervitutem debet, poſſe dominum vel alium voluntate ejus aedificare: intermiſſo *Legitimo* * *ſpatio a vicina inſula*. Papirius Juſtus *lib. 1. de Cognition. l. 14. D. de ſervit. praed. urban.*

* *Legitimum ſpatium* hic quod lege XII. Tab. definitum erat.

Ambitus proprie dicitur inter vicinorum aedificia locus duorum pedum & ſemipedis, ad circumeundi facultatem relictus. Feſtus in v. *Ambitus*: & ex eo totidem verbis Iſidorus *lib. 15. Origin. cap. ult.*

LEX. DE SODALIBUS eorumque inter ſe legibus.

Poſſit quoque haec lex referri ad *lib. 7.* de quo in *Notis.*

SODALES, legem * quam volent, dum ne quid ex poblica coRompant, ſibi ferunto.

* vel, *pactionem.*

Probationes.

Sodales ſunt qui ejuſdem collegii ſunt, quam Graeci ἑταιρείαν vocant. His autem poteſtatem facit LEX * PACTIONEM QUAM VELINT SIBI FERRE, DUM NE QUID EX PUBLICA LEGE CORRUMPANT. ¶ Sed * haec lex videtur ex lege Solonis translata eſſe. Nam illuc ita eſt, Ἐὰν δὲ δῆμος a, ἢ φράτορες b, ἢ ἹΕΡΩ͂Ν ΟΡΓΕ͂ΩΝ Ἠ̓ ΝΑΥ͂ΤΑΙ, ἢ σύσσιτοι, ἢ ὁμόταφοι c, ἢ θιασῶται d, ἢ ἐπὶ ΛΙΑΝ e ΟΙΧΟΜΈΝΟΙ, ἢ εἰς ἐμπορίαν, ὅτι ἂν τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους κύριον εἶναι, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα. id eſt, *Si autem Tribus, vel Fratres, vel ſacrorum Orgeones, vel Nautae, vel Synſiti, vel qui in eodem ſepulcbri jus habent, vel Thiaſotae, vel ſocii ad praedam captionis, vel negotiationis, quid inter ſe ſtatuant, firmum id utrumque ſit, niſi publicae hoc leges prohibeant.* Gajus *lib. 4. ad l. XII. Tabul. l. ult. π. de collegiis.*

* Lex XII. Tab.

* Gaji interpretatio.

ARBALES SODALES, οἱ περὶ ὅρων διαγινώσκοντες δικασταί. *Gloſſae* Philoxeni *ex libro de officio Proconſulis.*

a δῆμος. Ita Salmaſius *Obſervation. in jus Atticum cap. 4.*

b ἱερῶν ὀργίων μεταλ· ita in Baſil. Cujac. *lib. 7. Obſ. cap. 30.* Quidam ἱερῶν ὀργίων μέταλ. γε vel φράτορες ἱερῶν ὀργίων, vel quod malim, ἢ ἱερῶν ὀργεῶνες. de quibus vide Suidam in voce ὀργεῶνες, ubi & teſtamentum Thophraſti ſuper eo allegat, & Seleucum, de Juribus qui in Axonas Solonis olim ſcripſerat, & Pollucem. Cui poſtea in hoc acceſſit emendatio Salmaſii ἢ, ἱεροποιοί, ἢ, ὀργεῶνες. Et tamen ὀργίων hic retinendum, ut apud Ariſtotelem, οἷον κοινωνίας ἢ τῶν φρατόρων, ἢ τῶν ὀργίων pro ὀργεωνῶν. Quod Harpocration notavit.

PRAEDIORUM.

c Ο'μόταφοι.) Salmaſius reſtituit ὁμόγαλας: Qui iidem cum ὁμογαλάκτες. De his Pollux & Philochorus apud Suidam Iidem & γεννῆται dicti.

d Θιασῶται v. Suidam in v. Θίασος.

e ἐπὶ λείαν ἐρχόμενοι: ita in Baſil. λεία ἀπὸ τῆς λῃστείας. Alius reponit λεῖον, id eſt, *frumentum.* Salmaſius ἀγοραῖοι ut ita intelligantur hic inſtitores & propolae, qui a mercatoribus magnarii emunt, quod per partes in foro vendant. Iidem poſtea hunc totum locum ita refinxere, ἢ καπηλικῶν κοινοί, vel κοινόμενοι, ἢ ἐμπορεύ.

LEX. DE FINIUM RATIONE incerta, ad exemplum legis Atticae Solonis.

Probatio.

Sciendum eſt, in actione finium regundorum illud † obſervandum eſſe, quod ad exemplum *quodammodo* * ejus legis ſcriptum eſt, quam Athenis Solonem dicitur tuliſſe. Nam illic ita eſt. Ἐάν τις αἱμασιὰν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύγῃ, τὸν ὅρον μὴ παραβαίνειν: ἐὰν τειχίον, πόδα ἀπολείπειν: ἐὰν δὲ οἴκημα, δύο πόδας: ἐὰν δὲ τάφον ἢ βόθρον ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος ᾖ, τοσοῦτον ἀπολείπειν: ἐὰν δὲ φρέαρ, ὀργυιάν: ἐλαίαν δὲ καὶ συκῆν, ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτεύειν: τὰ δὲ ἄλλα δένδρα, πέντε πόδας. id eſt, *Si quis maceriam ad alienum praedium* (*haeredium in* XII. *Tabul.*) *fixerit infoderitque, terminum ne excedito: ſi parietem, pedem relinquito: ſi vero domum, pedes duos: ſi foſſam aut ſcrobem foderit, quantum profunditatis habuerint, tantum ſpatii relinquito: ſi puteum, paſſus latitudinem. At vero oleam & ficum ab alieno ad novem pedes plantato: caeteras arbores, ad pedes quinque.* Gajus *lib. 4. ad l. XII Tabul. l. π. finium regundorum.*

† Relativa vox ad praecedentia Gaji verba, quae a Triboniano omiſſa ſunt.

* Vox haec imperitiae arguit eos, qui Soloniae hujus legis ſententiam totidem verbis in XII. Tab. fragmenta conjiciunt.

LEX. DE QUINQUE PEDUM USUCAPIONE.

Intra v. pedes, uſus auctoritas nec eſto.

Probationes.

Ex hac autem non rerum, ſed verborum diſcordia, controverſia nata eſt de *finibus*: in qua, *quoniam uſucapionem XII Tabulae inter quinque pedes eſſe* noluerunt, depaſci veterem poſſeſſionem Academiae ab hoc acuto homine non ſinemus: nec Manilia lege ſinguli: ſed *ex his* *, tres arbitri fines regemus. Cicero *lib. 1. de Legibus cap. 21. de ſe, Attico, & Quincto intelligens.*

* id eſt, *XII. Tabul.* De quibus ſuperius actum. Nec tamen improbo, quod Cujacius hoc tentat, *e XII.* Male, qui ſimile quid tentat apud Plinium *lib. 18. cap. 2.* ut alibi oſtendemus. Porro de hoc quinque pedum ſpatio praeter hunc Ciceronis locum & proximum ex Theodoſii M. *l. ult. C. Th. fin. regundor.* Eſt inſuper *l. 3. 4. eod. C. Th.* Sunt & loca Siculi Flacci, Frontini & Aggeni Urbici. Denique eſt & locus Pauli *lib. 1. Sent. tit. 16.* quem ex duob. Mss. Cujacius extulit.

De

de Juribus PRAEDIORUM.

De eo tantum ſpatio, hoc eſt, pedum quinque, qui *Veteri jure praeſcripti ſunt, ſine obſervatione temporis*, arbitros juſſimus judicare. Imp. Theodoſ. M. *l. ult Cod. Theod. finium regundorum.*

LEX. DE FINIUM REGUNDORUM JUDICIO.

* v. Cic. *Topicis* apud Boët. *p.* 811.

SI IURGANT *a* adfines, finibus *b* regundis Praetor arbitros tris aDicito.

Probationes.

a SI IURGANT.

Jurgium & *lis* hanc habent diſtantiam: quod *jurgium* levior res eſt; ſiquidem inter benevolos aut propinquos diſſenſio vel concertatio, *jurgium* dicitur: inter inimicos diſſenſio *Lis* appellatur. M. Tullius *de Republica lib. quarto. Admiror nec rerum ſolum, ſed verborum etiam elegantiam.* SI IURGANT, *inquit* [*Lex ſcilicet XII. Tabularum*] *Benevolorum concertatio, non lis inimicorum, Jurgium dicitur.* Et in ſequenti: IURGARE *igitur Lex putat inter ſe vicinos, non litigare.* Nonius *cap.* 5. verbo *Jurgium* 34.

b Finibus regundis Praetor arbitros tris aDicito.

Controverſia nata eſt de finibus: in qua, quoniam uſucapionem XII. Tabulae inter quinque pedes eſſe noluerunt, depaſci veterem poſſeſſionem Academiae ab hoc acuto homine non ſinemus: nec Manilia lege ſinguli, ſed ex his * ARBITRI FINES REGEMUI †. Cicero *de legibus*, *lib.* 1. *cap.* 21.

* id eſt, *XII. Tab.* Eſt tamen, ut dixi, qui tentat non male, *a XII.*
† de ſe, Attico, & Quincto intelligit Cicero.

LEGES, quibus HORTI, HEREDII *a*, TUGURII *b* mentio fiebat, incertae.

Probationes.

a HORTUS, HEREDIUM.

In XII. Tabulis legum noſtrarum, nuſquam nominatur villa ſemper in ſignificatione ea HORTUS: in horti vero, HEREDIUM. Plinius *lib.* 19. *cap.* 4. *de Hortorum cura.*

b TUGURIUM.

Tuguria a tecto appellantur, aedificia ruſticorum ſordida. Quo nomine Valerius in explanatione XII. ait etiam . . . . . . ſignificari. Feſtus in v. *Tuguria.*

Pomponius *lib.* 30. *ad Sabinum. l.* 180. *π. de V. S. Tugurii* (inquit) *appellatione omne aedificium, quod ruſticae magis cuſtodiae convenit, quam urbanis aedibus ſignificatur. Ofilius ait Tugurium a tecto, tanquam Tegularium eſſe dictum: ut toga, quod ea tegamur.*

Cap. de ARBORIBUS CAEDENDIS.

* vel *agrum.*

Si Arbor in vicini fundum * inpendet, XV. pedes altius ſublucator.

Probationes.

Edictum.

Ulpiani verba.

Ait Praetor. *Quae arbor ex agro tuo in agrum illius impendet, ſi per te ſtat, quominus pedes XV. a terra eam altius coerceas, tunc quominus illi ita coërcere lignaque ſibi habere liceat, vim fieri veto.* ¶ Quod ait Praetor, & Lex XII. Tabul. efficere voluit, *Ut quindecim pedes altius rami arboris circumcidantur* *. Et hoc idcirco effectum eſt, ne umbra arboris vicino praedio noceret. Ulpian. *lib.* 71. *ad Edictum. l.* 1. §. 9. *π. de arbor. caed.*

de Juribus PRAEDIORUM.

* Paulum *lib.* 5. *Sent. tit.* 6. §. 13. qua *Sublucandi* verbo utitur ex l. XII. Tabul. ut puto, deſumpto.

Si arbor ex vicini fundo vento inclinata in tuum fundum ſit, *ex l. XII Tab.* de adimenda ea recte agere potes, *jus ei non eſſe ita arborem habere.* Pomponius *lib.* 34. *ad Sabin. l.* 2. *π. de arbor. caed.* quo libro de Juribus praediorum Ruſticorum egit.

Cap. de GLANDE LEGENDA.

Si GLANS in EM * caduca † ſiet, domino legere jus eſto.

* id eſt, in eundem fundum, vicini ſcilicet: de quo ſuperiore capite actum. *Emem*, pro eundem v. Feſtum.
† vel *procidua.*

Probationes.

Glandes opes eſſe nunc quoque multarum gentium, etiam pace gaudentium, conſtat. *Et mox:* Cautum eſt praeterea *Lege XII. Tabularum*, UT GLANDEM IN FUNDUM ALIENUM PROCIDENTEM * LICERET COLLIGERE *. Plinius *lib.* 16. *cap.* 5. *de Glande*,

* In Praetoris edictum ita converſum hoc caput: *Glandem, quae ex illius agro in tuum cadat, quominus illi tertio quoque die legere, auferre liceat, vim fieri veto: l.* 1. *π. de glande legenda.*

GLANDIS appellatione omnis fructis continetur, ut *Javolenus* ait, exemplo Graeci ſermonis, apud quos omnes arborum ſpecies ἀκρόδρυα * appellantur. Gajus *lib.* 4. *ad l. XII. Tabul. l.* 236. §. 1. *π. de V. S.*

* Schol. Ariſtophanis *in Equitib. v.* 672. [illegible] Moſchopulus *de figuris.* [illegible] Ex quo Suidas: [illegible]

LEX. DE Jure AQUARUM.

Probationes.

SI AQUA PLUVIA MANU NOCET, Praetor arcendae aquae arbitros tris aDicito: NOXÆQUE DOMINO CAVETOR.

Probationes.

Quod ita ſcriptum eſt, *videbitur*, pro hoc accipi debet, *videri poterit:* & ſic verba legis XII. Tabul. *Veteres* interpretati ſunt: SI AQUA PLUVIA NOCET, id eſt, ſi nocere poterit. Pomponius *lib.* 7. *ex Plautio. l. Labeo* 21. *π. de ſtatulib.*

Genus eſt, *Aqua pluvia nocens:* Ejus generis formae, *loci vitio*, & *manu nocens:* Quarum altera *jubetur* * ab Arbitrio coërceri: altera non jubetur. Cicero *Topicis cap.* 9.

* ſcilicet leg. XII. Tab.

Si per publicum locum, rivus Aquaeductus privato nocebit *, erit actio privato †. *l. XII. Tabul.* UTI NOXÆ ‡ DOMINO CAVEATUR. Paulus *lib.* 16. *ad Sabin. l.* 5. *π. ne quid in loco publico vel itinere fiat.*

* id eſt, nocere poterit.
† id eſt, ex mente XII. Tab.
‡ id eſt, *noxae nomine.*

LEX. DE VIAE LATITUDINE.

Via in poRecto VIII. P. IN AMFRACTO XVI. P. *a* lata eſto.

Probationes.

VIÆ LATITUDO ex leg. XII. Tab. IN PORRECTUM, OCTO PEDES habet: IN AMFRACTUM, id eſt, ubi flexum eſt, SEDECIM. Gajus *lib.* 7. *ad Edictum prov.* 8. *π. de ſervit. praed. ruſt.* quo de ſervitutibus egit.

Quod

de Juribus PRÆDIORUM.

Quod eſt, *terrarum amfracta reviſam.* Amfractum eſt ab origine flexum duplici: dictum ab *ambitu & frangendo.* Ab eo *Leges* jubent, * IN DIRECTO, PEDUM OCTO ESSE, IN AMFRACTO, SEXDECIM, id eſt in flexu. Varro *lib. 6. de lingua Lat. num. 2.*

* ſuppl. *viam.*

Latitudo actus, itineriſque ea eſt, quae demonſtrata eſt. Quod ſi nihil dictum eſt, hoc ab arbitro ſtatuendum eſt. In via aliud juris eſt: ne, ſi dicta latitudo non eſt, *Legisima* * debeatur. Si locus, non adjecta latitudine, nominatus eſt, per eum quelibet iri poterit: ſin autem praetermiſſus eſt, aeque, latitudine non adjecta, per totum fundum una poterit eligi via, duntaxat ejus latitudinis, quae *Lege* comprehenſa eſt: pro quo ipſo, ſi dubitabitur, *Arbitri officium* invocandum eſt. Javolenus *lib. 10. ex Caſſio. l. 13. §. 2. 3. π. de ſervit. praed. ruſtic.*

* *Legitima latitudo:* quae lege XII. Tab. definita.

Si ab initio potuit anguſtior conſtitui via, quam LEGE finita eſt. *Et mox:* Contra illud commodum acceſſiſſe ei, cui via debebatur, quod per duas pariter vias ire agere poſſit, biſque *octonos* in porrectum, & *ſenos denos* in anfractum. Celſus *lib. 5. Digeſt. l. 6. verſ. Certe. π. quem ſervit. amitt.* ubi male Accurſius LEGEM pactum interpretatur.

de Juribus PRÆDIORUM.

LEX. DE VIA MUNIENDA.

Si via per amſegetes iMunita eſcit, qua volet, jumentum agito.

Probationes.

Lex, uſum authoritatem fundi jubet eſſe biennium. At utimur eodem jure in aedibus, quae in *Lege* non appellantur. SI VIA SIT IMMUNITA, jubet, QUA VELIT, AGERE JUMENTUM. Poteſt hoc ex verbis intelligi, licere, ſi via ſit in Brutiis immunita, agere, ſi velit, jumentum per M. Scauri Tuſculanum. Cicero *pro A. Caecinna cap. 12. de lege XII. Tabul. differens.*

AMSEGETES dicuntur, quorum ager viam tangit. Feſtus in v. *Amſegetes.*

AD TABULAM IX.

DE JURE PUBILCO.

PROBATIONES.

---

de Jure PUBLICO.

LEX. DE PRIVILEGIIS.

PRIVILEGIA NE INROGANTO.

Probationes.

Leges praeclariſſimae de XII. Tabulis tralatae duae: quarum altera *Privilegia tollit*, altera de Capite civis rogari niſi maximo Comitiatu vetat, nondum initis ſeditioſis Trib. pleb. † Negotialis: neque ſatis quidem admirandum, tantum majores in poſterum providiſſe. *Et mox:* In privos * homines leges ferri noluerunt. Id enim eſt Privilegium: quo quid eſt injuſtius? Cum legis haec vis ſit, ſcitum & juſſum eſſe in omnes. Ferri de ſingulis, niſi Centuriatis comitiis noluerunt: deſcriptus enim populus, &c. Cicero *lib. 3. de Legibus cap. 19.*

* male vulgo *privatos.*

Cum & ſacratis legibus, & XII. Tabulis ſancitum eſſet, Ut *neque privilegium irrogari liceret*; neque de Capite [*Civis*] niſi Comitiis Centuriatis rogari, &c. Cicero *pro A. Sextio. cap. 30.*

Vetant leges ſacratae, vetant XII. Tabulae, *leges privis * hominibus irrogari:* Id eſt enim PRIVILEGIUM. Nemo unquam tulit, nihil eſt crudelius, nihil pernicioſius, nihil quod minus haec civitas ferre poſſit. Cicero *pro domo ſua ad Pontifices cap. 17.*

* male vulgo *privatis.*

* Quem Ciceronis locum ſunt, qui Feſtum in v. *privilegium* retuliſſe, ex ejus fragmentis conjiciunt.

LEX. DE JURIS ÆQUALITATE.

NEXO SOLUTO FORTI SANATI ſiremps jus eſto.

Probationes.

Sanates, dicti ſunt, qui ſupra infraque Romam habitaverunt, quod nomen his fuit, quia cum defeciſſent a Romanis, brevi poſt redierunt in amicitiam, quaſi ſanata mente. Itaque in XII. cautum eſt, UT IDEM JURIS ESSET SANATIBUS QUOD FORCTIBUS, id eſt, bonis & qui nunquam defecerant a P. Romano. Paulus in v. *Sanates.*

de Jure PUBLICO.

*Sanates quaſi ſana*ti appellati, *id eſt, ſanatae mentis.* Sulpicius *autem Rufus, ſanates* & Opillus *Aurelius*
exiſtimant dici inferioris *loci*
gentes ut Tiburtes *& alios*
qui cum populo Tiburte *habitarunt*
in agro Tiburti, id eſt, *peregrinos*
*inferiori*ſque loci *gentes. Itaque ſcri-*
ptum eſt in XII. NEXO SOLUTO
FORTI SANATI IDEM JUS ESTO;
id eſt bonor*um * quod & peregrino*
qui & infer*iorum coloniarum*
quae ſunt *deductae in Pri-*
ſcos Latinos, *quas Priſcus Rex in*
egerit ſecundum *mare ſupra & in-*
fra Romam *in civitates Latinorum*
eoſque ſanatis *propterea quod*
praeter opinion*em eos paravis-*
ſet ſanaviſſet*que, & cum ei*; *pa-*
ciſci potuiſſet, nom*inavit*, *at ait*
Cincius lib. 11. de *officio Juriscon-*
ſulti. Ne Valerius *quidem Meſſala*
in XII. explanatione *id omiſit. qui ta-*
men in eo libro quem *de dictis in-*
volute inſcribit *fortis & ſanatis ait*
duas gentes finitimas *eſſe, de quibus le-*
gem hanc ſcriptam *eſſe, qua cautu*
m ut id jus manifeſto, quod populu
s R. heberent, *neque alios quam for-*
ctos & ſanates *eam legem ſig-*
nificare exiſt*imat*, *hoc intellec-*
tu. Multi ſunt, *quibus quod alias pla-*
cuit, diſpliceat *poſtea. Ideoque ai-*
t ſant forcti *ſignificare ſa-*
nati inſani. Urſini *Schedae.*

* bono Romano idem quod. *Scil.*

† Daviſius legit: *Et nondum notis ſeditioſis tribunis plebis, ne cogitatis quidem, admirandum tantum* &c.

de Jure PUBLICO.

Sed enim quum proletarii, & Aſſidui, & *Sanates*, & Vades, & Subvades, & xxv. aſſes, & Taliones furtorumque quaeſtio cum lance & licio evanuerint, omniſque illa XII. Tabul. antiquitas, niſi in legis actionibus centumviralium cauſarum lege Æbutia lata conſopita ſit: &c. Juriſconſultus apud Gellium *lib.* 16. *cap.* 10.

LEX. DE REPETUNDIS.

Si Judex Arbiterve jure datus, ob res dicendam pecuniam aCepſit, capital eſto.

Probatio.

* al. *judicandam.* al. *diſceptandam.*

Niſi duram eſſe legem putes, quae Judicem Arbitrumve jure datum, qui ob *rem* dicendam * pecuniam accepiſſe convictus eſt, capite punit. Caecilius apud Gellium *lib.* 20. *cap.* 1. legem XII. Tabularum a duritie adverſus Favorinum vindicans.

LEX. DE CAPITE CIVIS.

DE CAPITE CIVIS, NISI PER MAXIMVM COMITIATVM, NE FERVNTO.

Probationes.

Leges praeclariſſimae de XII. Tabulis tralatae duae. Quarum altera PRIVILEGIA TOLLIT: altera DE CAPITE CIVIS ROGARI NISI MAXIMO COMITIATV vetat, nondum inventis ſeditioſis Tribunis pleb. In privos homines leges ferri noluerunt: id enim eſt *Privilegium.* Quo quid eſt injuſtius? Cum legis haec vis ſit, ſcitum eſſe & juſſum in omnes: *Ferri de ſingulis, niſi Centuriatis Comitiis, noluerunt.* Deſcriptus enim populus Cenſu, Ordinibus, Aetatibus, plus adhibet ad *ſuffragium conſilii, quam fuſe in Tribus convocatus.* Cicero *lib.* 3. *de Legibus ſub fin. cap.* 19.

Cur, cum de capite civis (non diſputo, cujusmodi civis) & de bonis proſcriptio ferretur, cum & ſacratis legibus, & XII. Tabulis ſancitum eſſet, *ut neque privilegium irrogari liceret*, neque *de capite niſi Comitiis Centuriatis rogari.* nulla vox eſt audita Conſulum? conſtitutumque illo anno eſt, quantum in illis duabus hujus imperi peſtibus fuit, jure poſſe *per operas concitatas* quemvis civem nominatim Tribuni plebis conſilio *ex civitate exturbari.* Cicero *orat. pro Sextio cap.* 30.

Quo more, quo exemplo legem nominatim de capite civis indemnati tuliſti? vetant leges ſacratae, vetant XII. Tabulae, *leges privis hominibus irrogari*, id enim eſt *privilegium*: nemo unquam tulit, nihil eſt crudelius, nihil pernicioſius, nihil quod minus haec civitas ferre poſſit. Cicero *pro domo ſua ad Pontifices, cap.* 16. & 17.

Intra Carthaginem vero apparere in plateis & compitis Dei ſervos ſine contumelia atque execratione vix licuit. Perſecutionem hoc quidem fuiſſe non putant; quia non & occiſi ſunt. Sed in urbe illa non tam hominum fuerunt haec beneficia, quam Legum. INTERFICI * enim INDEMNATUM QUEMCUNQUE HOMINEM etiam XII. Tabularum *decreta* vetuerunt. In quo agnoſcitur, quod magna illic praerogativa dominicae religionis fuit, ubi ideo tantum ſervis Dei licuit evadere, quia a *pagano jure* defenſi ſunt, ne Chriſtianorum manibus trucidarentur. Salvianus *lib.* 5. *de Gubern. Dei circa fin.*

* de Capite civis Romani niſi per maximum Comitiatum ne ferunto. Hanc legem intelligit Salvianus, neque alia quaerenda eſt, vel comminiſcenda.

LEX. DE QUÆSTORIB. PARICIDI.

de Jure PUBLICO.

. . . . . .

. . . .

Probationes.

Conſules, ne per omnia Regiam poteſtatem ſibi vindicarent, lege lata factum eſt: *Ne poſſent in caput Civis Romani animadvertere injuſſu populi. Et* §. 23. Et quia, ut diximus, *de capite civis Romani injuſſu populi non erat lege permiſſum Conſulibus jus dicere*, propterea Quaeſtores conſtituebantur a populo, qui capitalibus rebus praeeſſent: hi appellabantur *Quaeſtores parricidii*, quorum etiam meminit *Lex XII. Tab.* Pomponius *lib. ſingul. Enchiridii. l.* 2. §. 16. & 23. *π. de Origine juris.*

* vg. *Paricidi.*

† *indemnatum.*

Parici * Quaeſtores appellabantur, qui ſolebant creari cauſa rerum capitalium quaerendarum. Nam paricida non utique is, qui parentem occidiſſet, dicebatur, ſed [qui] qualemcunque hominem. Id autem † fuiſſe indicat lex Numae Pompilii Regis his compoſita verbis: *Si quis hominem liberum dolo ſciens morti duit, paricida eſto.* Feſtus in v. *Parici.*

Quaeſtores creabantur a populo, qui quaererent de rebus *capitalibus*, unde & in XII. Tabulis: *Quaeſtores paricidi* appellantur. Feſtus in v. *Quaeſtores.*

LEX. DE COETIBUS NOCTURNIS.

Si qui in urbe Coetus nocturnos agitaSit, capital eſto.

Probationes.

Cum haec omnia conſtent, animadvertendum eſt, pariter uno maleficii genere, Catilinam non modo Deos ac patriam; verum etiam Mores, *Leges*, conſuetudinem urbis atque inſtituta majorum violaſſe. Primum XII. Tabulis cautum eſſe cognoſcimus: NE QUIS IN URBE COETUS NOCTURNOS AGITARET: deinde Lege Gabinia promulgatum, *Qui coitiones ullas clandeſtinas in urbe conſtaviſſet, more majorum capitali ſupplicio multaretur.* De te itaque Catilina ſciſcitor, tun' coetus iſtos commilitonum *contra praecepta XII. Tabularum, contra Leges noſtras*, contra vero Senatus ac plebis auctoritatem noctu cogendos eſſe putaviſti? *Et poſt*: Quid Leges igitur noſtras violas, Catilina? quid Senatus auctoritati contradicis? Aequum enim eſt, inſtituta majorum atque edicta graviſſimi ſanctiſſimique ordinis, quia perſtringere tua veſania non es veritus, ea reſtituas ac ſarcias ſupplicii tui memorabili animadverſione. *Et poſt*: Majores olim noſtri, ſapientiſſimi homines & ſine dubio graviſſimi, *num leges e Graecia per legatos ſuos accerſendas eſſe putaverunt*, quibus hanc Imperii magnitudinem perpetuo ſtabilirent, ut tu homo recens, ſeveritate illarum cum barbatulis tuis abutereris? &c. Porcius Latro *Declamatione in L. Serg. Catilinam.*

LEX.

LEX. DE EO, QUI HOSTEM CONCITAVIT.

Si qui PerdueLem concitaSit, civemve PerdueLi tranſduit, capital eſto.

Probatio.

Lex XII Tabular. jubet, Eum, QUI HOSTEM CONCITAVERIT, QUIVE CIVEM HOSTI TRADIDERIT, CAPITE PUNIRI. Marcianus *lib.* 14. *Inſt. l.* 3. *π. ad. L. Jul. majeſt.*

* Scriptum erat in ipſa l. XII. Tabularum PERDUELLI. Citatur a quibuſdam Polybius *lib.* 5. ad hoc caput.

AD TABULAM X.

DE JURE SACRO.

PROBATIONES.

de Jure Sacro.

LEX. DE JUREJURANDO.

. . . .

Probationes.

Nullum vinculum ad aſtringendam fidem Jurejurando majores arctius eſſe voluerunt. Id indicant *leges in XII. Tabulis*, indicant ſacra, indicant foedera, quibus etiam cum hoſte devincitur fides: indicant notationes animadverſionesque Cenſorum, qui nulla de re diligentius quam de Jurejurando judicaverunt. Cicero *lib.* 3. *de Officiis cap.* 31.

Jusjurandum apud Romanos inviolate ſanctéque habitum ſervatumque, id & moribus *Legibusque* multis oſtenditur. Gellius *lib.* 7. *cap.* 18.

LEX. DE SEPULTURÆ LOCO.

HOMINEM MORTVM IN VRBE NE SEPELITO, NEVE VRITO.

Probatio.

Hominem * *mortuum* (inquit lex in XII. Tabulis) *in urbe ne ſepelito neve urito.* Credo, vel propter ignis periculum. Quod autem addit *Neve urito*, indicat, non qui uratur, ſepeliri, ſed qui humetur. ATT. Quid cui † poſt XII. Tabulas in urbe ſepulti ſint? M. Claros viros credo, Tite, fuiſſe eos, quibus hoc ante hanc Legem virtutis cauſa tributum eſt, ut Publicolae, ut Tuberto, quod eorum poſteri jure tenuerunt: aut eos, ſi qui hoc, ut C. Fabricius, virtutis cauſa ſoluti Legibus conſecuti ſunt, ſed in urbe ſepeliri lex vetat. Cicero *lib.* 2. *de Legibus cap.* 23.

* Relata hanc lex, Duellio Conſule, Servius II. *Aeneid.* v. 206. *urbique vomitunt.* † *vg. qui.*

LEX. DE SUMPTO ET LUCTU FUNERIS.

SVMPTVS *a* ET LVCTVM A DEORVM MANIVM IVREMOVETO.

HOC *b* PLVS NE FACITO. ROGVM ASCIA NE POLITO.

Probationes.

a Noſtrae Legis interpretes, quo *Capite* jubentur *ſumptus & luctum removere a Deorum Manium Jure*, hoc intelligunt, in primis ſepulchrorum magnificentiam eſſe minuendam. *Et poſt:* Sumptuoſa funera & lamentabilia Solonis lege ſublata ſunt: quam legem eisdem prope verbis noſtri viri in DECIMAM Tabulam conjecerunt. Cicero *lib.* 2. *de Legibus cap* 25.

de Jure Sacro.

b HOC PLVS NE FACITO, ROGVM ASCIA NE POLITO.

In urbe ſepeliri *Lex* vetat. Jam caetera in XII: minuendi ſunt ſumptus lamentationesque funeris, tranſlata de Solonis fere legibus. *Hoc plus*, inquit, *ne facito: Rogum aſcia ne polito.* Cicero *lib.* 2. *de Legibus cap.* 23.

Cap. DE RICINIIS, ET TIBICINIBUS.

Tribus Riciniis, & decem Tibicinibus, foris eFeRe, jus eſto.

Probationes.

Rogum aſcia ne polito. Noſtis quae ſequuntur. Diſcebamus enim pueri XII. ut Carmen neceſſarium, quas jam nemo diſcit. Extenuato igitur ſumptu *tribus riciniis*, & * vinculis purpurae, *& decem tibicinibus*, tollit etiam lamentationem. *Et poſt:* Sumptuoſa funera & lamentabilia Solonis lege ſublata ſunt: quam legem eisdem prope verbis noſtri viri *in DECIMAM Tabulam* conjecerunt. Nam de tribus riciniis & pleraque alia Solonis ſunt. Cicero *lib.* 2. *de Legibus cap.* 23. & 25.

Recinium, omne veſtimentum quadratum. Ii, qui XII. interpretati ſunt, eſſe dixerunt togam, qua mulieres utebantur, praetextam *clavo purpureo* †. Feſtus in v. *Recinium.*

* vg. id eſt. Quod ſequens Feſti locus manifeſtiſſime oſtendit. Idem ſane error in l. ſi caveatur 233. in pr. π. de V. S. ubi, *&* moratur, pro *id eſt*, moratur, legitur.

† *Vinculum purpurae* vocavit Cicero ſuperiore loco.

Temporibus *Veterum* Tibicinis uſus avorum
  Magnus, & in magno ſemper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis;
  Cantabat moeſtis tibia funeribus.
Dulcis erat mercede labor: tempusque ſecutum eſt,
  Quod ſubito Grajae frangeret artis opus.
Adde, quod *Edilis* * *pompam qui funeris irent,*
  Artifices ſolos juſſerat eſſe decem.
Exilio mutant urbem &c.
  Ovidius *lib.* 6. *Faſtorum v.* 657.

* Repono *Edictis*. & poſt, pro *juſſerat* lego *jus erat*. *Edictis jus erat*, id eſt: legibus XII. Tabularum ſcilicet permiſſum erat, licebat. Sic, *Decreta XII Tabularum* Salvianus dixit *lib.* 8 *de Gubern. Dei circa fin. Interdictum XII. Tabularum.* Plinius *lib.* 11. *cap.* 37. *Scita Decemviralia.* Arnobius *lib.* 4. *adverſus Gentes.*

de Jure Sacro.

Cap. de GENIS NON RADENDIS.

MVLIERES GENAS NE RADVNTO.

Probationes.

Extenuato ſumptu, tollit etiam lamentationem: *Mulieres genas ne radunto neve leſſum funeris ergo habento.* *Et poſt:* De lamentis expreſſa verbis ſunt, *Mulieres genas ne radunto, neve leſſum funeris ergo habento.* Cicero *lib.* 2. *de Legibus. cap.* 23. & 25.

Infra oculos, malae homini tantum, quas priſ GENAS vocabant, XII. Tabular. interdicto, RADI A FOEMINIS eas vetante. Plinius *lib.* 11. *cap.* 36. *Hiſtoria naturae animalium per ſingula membra.*

RADERE GENAS mulieres prohibentur *lege XII.* id eſt dilaniare. Feſtus *in Sched. Urſ.* in v. *Radere.*

Mos fuerat, ut ante rogos humanus ſanguis effunderetur, vel captivorum vel gladiatorum: quorum ſi forte copia non fuiſſet, laniantes genas ſuum effundebant cruorem, ut rogis illa imago reſtitueretur. Tamen ſciendum, cautum lege XII. Tab. ne mulieres carperent faciem; his verbis *: MVLIER FACIEM NE CARPITO. Servius in *XII. Aeneid. ad v.* 606. *Et roſeas laniata genas.*

* Non iisdem Neque enim legitima haec XII. Tabularum verba ſunt: verum illa; MVLIERES GENAS NE RADVNTO.

Cap. de LESSO.

NEVE LESSVM FVNERIS ERGO HABENTO.

Probationes.

Extenuato ſumptu tollit etiam lamentationem. *Mulieres genas ne radunto, neve leſſum funeris ergo habento.* Hoc Veteres Interpretes, Sext. Aelius, & L. Acilius, non ſatis ſe intelligere dixerunt, ſed ſuſpicari, veſtimenti aliquod genus funebris. Laelius, LESSVM, quaſi lugubrem ejulationem, ut vox ipſa ſignificat: quod eo magis judico verum eſſe, quia Lex Solonis id ipſum vetat. *Et poſt, cap.* 25. De lamentis vero expreſſa verbis ſunt: *Mulieres genas ne radunto neve leſſum funeris ergo habento.* Cicero *lib.* 2. *de Legibus cap.* 23. & 25.

Sed hoc quidem in dolore maxime eſt providendum: ne quid abjecte, ne quid timide, ne quid ignave, ne quid ſerviliter muliebriterve faciamus: imprimiſque refutetur ac rejiciatur Philoctetaeus ille clamor. Ingemiſcere nonnunquam viro conceſſum eſt, idque raro: ejulatus ne mulieri quidem. Et hic nimirum eſt *fletus* *, *quem XII. Tabul. in funeribus adhiberi* vetuerunt. Cicero *lib.* 2. *Tuſcul. cap.* 23.

* al. *leſſus.*

Cap. de OSSIBUS NON LEGANDIS.

HOMINI MORTVO OSSA NE LEGITO, QVO POST FVNVS FACIAT: extra quam ſi bello endove hoſtico mortuus eſcit.

Probatio.

Caetera item funebria, quibus luctus augetur, XII. ſuſtulerunt. *Homini,* inquit, *mortuo oſſa ne legito, quo poſt funus faciat* *: Excipit, *bellicam peregrinamque mortem.* Cicero *lib.* 2. *de Legibus. cap.* 24.

* al. *faciat.*

Capita. de UNCTURA, CIRCUMPOTATIONE, MURATA, CORONIS. de Jure Sacro.

SERVILIS VNCTVRA OMNISQVE CIRCVMPOTATIO auferitor.

MVRATA * POTIO MORTVO NE INDITOR.

NE LONGAE CORONAE NEVE ACERRAE PRAEFERVNTOR.

Probationes.

Haec praeterea ſunt in Legibus, de unctura, quibus *ſervilis unctura* tollitur, *omniſque circumpotatio,* quae & recte tolluntur, neque tollerentur, niſi fuiſſent. *Ne ſumptuoſa reſperſio* *, *ne longae coronae, nec acerrae praeferantur.* Cicero *lib.* 2. *de Legibus. cap.* 24. *fin.*

* al. *reſperſ.*

* [illegible] Plutarchus in Solone.

* id eſt, Murrata potio. Nam lex Numae etiam ſimplici vino rogum reſpergi vetabat. Plin. *lib.* 14. *cap.* 12. *Numae Regis Poſthumia lex eſt, Vino rogum ne reſpergito.* Addit rationem Plinius. *Quod ſanxiſſe illum propter inopiam rei nemo dubitet.* At Decemviri, non adeo rigidi, ſumptuoſam tantum aſperſionem Murratae potionis prohibuerunt.

MVRATA POTIONE uſus antiquos indicio eſt, quod etiam nunc Aedilis per ſupplicationes Diis addunt ad pulvinaria, & quod XII. Tabulis cavetur, NE MORTVO INDATVR, ut ait Varro in antiquitatum libro 1. Feſtus in v. *Murrata.*

Murrata potione uſi ſunt antiqui: ſed poſtea adfuerunt Murram Diis ſuis libare: ideoque Duodecim Tabulis eſt cautum, ne mortuis inderetur. Paulus *poſt Feſtum.*

Cap. de CORONA PARTA.

QVI CORONAM PARIT IPSE PECVNIAVE EIVS VIRTVTIS ERGO, ARGVITOR ET IPSI MORTVO PARENTIBVSQVE EIVS, DVM INTVS POSITVS ESCIT, FORISVE FERTVR, SE FRAVDE IMPOSITA ESTO.

Probationes.

Semper autoritas vel ludicro quaeſitarum [*Coronarum*] fuit. Namque ad certamina in Circum, per ludos *a* & ipſi deſcendebant, & ſervos ſuos quiſque mittebant. Inde illa XII. Tabularum lex: QVI CORONAM PARIT IPSE PECVNIAVE, EIVS VIRTVTIS ERGO ARGVITOR *b*. Quam ſervi equive meruiſſent, PECVNIA PARTAM Lege dici nemo dubitavit. Quis ergo *honos*? VT IPSI MORTVO, PARENTIBVSQVE *c* EIVS, DVM INTVS POSITVS ESSET, FORISVE FERRETVR, SINE FRAVDE ESSET IMPOSITA. Alias in uſu promiſcuo ne ludicrae quidem erant. Ingenſque & hinc ſeveritas, &c. Plinius *lib.* 21. *cap.* 3. *de Honore Coronarum apud antiquos.*

a id eſt, tempore ludorum.
b Putet quis *arguitor* pro honoratur. Quod ſequentia ſuadent. Quis ergo honos? Et ductor. Lipſius *lib.* 4. *Epiſtol.* 27. Alii, *Additor*, id eſt, additor. v Feſtum. Nec melius Gifanius, *arduitor*. Cl. Salm. *in Solinum pag.* 121 ita reſtituit, *virtutiſve ergo ductor, &c.*
c Urſinus reponit, *Parentalibus ejus*: quod & alii nonnulli probant.

Illa jam ſignificatio eſt, laudis ornamenta ad mortuos pertinere: quod *coronam virtute partam, & ei, qui peperiſſet, & ejus parenti ſine fraude eſſe LEX impoſitam jubet.* Cicero *lib.* 2. *de Legibus. cap.* 24. de legib. XII. Tab. agens.

Cap.

de Jure Sacro.

Cap. de PLURIBUS FUNERIBUS ET LECTIS.

Uni plura funera ne facito, neve plures lectos ſternito.

Probatio.

Credo, quod erat factitatum, ut *uni plura fierent, lectique plures ſternerentur:* id quoque ne fieret, Lege ſancitum eſt. Cicero *lib.* 2 *de Leg. cap.* 24.

Cap. de AURO.

NEVE AURUM ADDITO: AST CUI AURO DENTES VINCTI ESCINT, IM CUM ILLO SEPELIRE UREVE SE FRAUDI ESTO.

Probatio.

Qua in lege cum eſſet, NEVE AURUM ADDITO, quam humane excipit, ut CUI AURO DENTES JUNCTI * ESSENT ‡ AST IM CUM ILLO SEPELIETUR † ET NE SE FRAUDI ESTO. Altera lex praecipit; altera lex vetat. Et ſimul illud videtote, aliud habitum eſſe *ſepeliretur ac ure* ‡. Cicero *lib.* 2. *de Legibus cap.* 24.

* vincti. ‡ *vel* eſcint. † *vel* ſepelire ureve. ‡ *vel* ſepelire ureve.

LEX. DE SPATIO INTER ROGUM buſtumve, & aedes al[illegible].

Rogum [illegible]uſtumve novum aedes alienas propius LX. pedes, ſi dominus nolet, ne adjicito.

Probationes.

Duae ſunt praeterea leges de ſepu[l]chris, quarum altera privatorum aedificiis, altera ipſis ſepulchris cavet. Nam quod *Rogum buſtumve novum vetat propius LX. pedes a[d]jici ad aedes alienas invito domino,* incendium veretur acerbum. Quod autem, &c. Cicero *li[b]. de [Leg]i[bus] cap.* 24.

Si p[illegible] aedes tuas quis aedificet ſepulchrum, opu[s] no[vu]m [t]u nunciare [illegible] ſed facto opere, nullam habebis a[cti]onem, niſi quod [v]i aut clam. §. 1. Si propius aedificium alienum *[in]tra Legitimum* * *modum* mortuus illatus ſit, poſtea cum prohibere non poterit aedificii dominus, quo minus alium mortuum eo inferat vel monumentum aedificet, *ſi ab initio domino ſciente* hoc fecerit. Pompon. *lib.* 9. *ad Sabinum. l.* 3. *π. de mortuo inferendo.*

* [Le]ge [X]II Tab definitum, ut recte Anton. Auguſtinus. Ad hanc l. referendam exiſtimo ſequentem Gaji interpretationem.

Duobus negativis verbis quaſi permittit Lex magis, quam prohibet. Idque etiam Servius animadvertit. Gajus [li]b. 5. *ad l. XII. Tab. l.* 237. *π. de V. S.*

LEX. DE USUCAPIONE fori buſtive prohibita.

Fori, buſtive aeterna Authoritas eſto.

Probationes.

Duae ſunt praeterea l[eg]es de [illegible], quarum [altera] privato[r]um [illegible], altera ipſis ſepulchris cavet. N[am] quod, *Rogum buſtumve novum vetat propius LX. [pe]des adjici ad aedes aliena: invito domino,* incendium veretur acerbum. quod autem *forum* id eſt, veſtibulum ſepulchri *buſtumve uſucapi* vetat, jus tuetur ſepulchrorum. Haec habemus in XII. Cicero *lib.* 2. *de Legibus cap.* 24.

Forum ſex modis intel[lig]itur: *& poſt.* Quarto cum id *Forum Antiqui* appellabant, quod nunc *veſtibulum* ſepulchri dici ſolet. Feſtus in v. *Forum.*

AD TABULAM XI.

PROBATIONES.

LEX. DE POSTERIORIBUS Populi juſſis.

QUOD POSTREMUM POPULUS JUSSIT, ID JUS RATUM ESTO.

Probationes.

In ſecundo interregno orta contentio eſt, quod duo Patricii Conſules creabantur, intercedentibusque Tribunis interrex Fabius ajebat, in XII. Tabul. legem eſſe, UT QUODCUNQ. POSTREMUM POPULUS JUSSISSET, ID JUS RATUMQ. ESSET: juſſum populi & ſuffragia eſſe. Livius *lib.* 7. *cap.* 17.

Nam etſi tenuerit lex Aemilia eos Cenſores, quorum in magiſtratu lata eſſet, quia poſt illos Cenſores creatos eam legem populus juſſiſſet, id jus ratumque eſſe: non tamen, &c. *Et mox cap.* 34. Nemo *eorum XII Tabul.* legit? nemo id jus eſſe, quod poſtremo populus juſſiſſet, ſcivit? Imo vero omnes ſciverunt. Ideo Aemiliae potius legi paruerunt, quam illi antiquae, qua primum Cenſores creati erant, quia hanc poſtremum juſſerat populus: & quia ubi duae contrariae leges ſunt, ſemper antiquae obrogat nova. Livius *lib* 9. *cap* 33. & 34.

LEX. DE CONNUBIO patribus cum plebe prohibito. Quartae Tabulae ſupplementum.

Patribus cum plebe coNubi jus nec eſto.

Probationes.

Appius ejusque collegae, cum reliquas leges in duabus tabulis ſcripſiſſent, has quoque illis [decem] prioribus addiderunt. In quibus haec quoque lex erat: *Ne patribus connubii jus cum plebe eſſet.* Non aliam ob cauſam, ut mihi videtur, quam ne familiae conjugii & affinitatis vinculo conſociatis, ordines in concordiam coïrent. Dionyſius *fine libri* 10. *pag.* 684.

Appius Claudius, cum [V]irginiam ſibi matrimonio jungere non poſſet, ſimul etiam nollet matri-

monium cum muliere *generis plebeji* co[illegible]ahere praeter *legem, quam ipſe in XII Tabul. [illegible]pſiſſet*, primum quidem puellam pecunia corrumpere conatus eſt, &c. Dionyſ. *lib.* 11. *pag.* 709.

Plebs eſt, caeteri cives ſine Senatoribus. Gajus *lib.* 6. *ad l. XII. l.* 238. *in pr. π. de V S.*

Quis dubitat, quin in aeternum urbe condita, & in immenſum creſcente, nova Imperia, ſacerdotia, gentium jura hominumque inſtituantur? Hoc ipſum *ne Connubium patribus cum plebe eſſet*, non Decemviri tulerunt, paucis his annis, peſſimo exemplo publico, cum ſumma injuria plebis? An eſſe ulla major aut inſignior contumelia poteſt, quam partem civitatis velut contaminatam indignam connubio haberi? *Et mox:* Verum enimvero lege id prohiberi, & connubium tolli patrum ac plebis, id demum contumelioſum plebi eſt, &c. Canulejus Tribun. plebis, de connubio patrum & plebis rogationem promulgans, apud Livium *lib.* 4. *cap.* 4. *Genu & P. Curatio Coſſ. A. V. C.* 310.

LEX. DE SACRIS DETESTANDIS.

QUINTAE Tabulae ſupplementum.

. . . .

Probatio.

Deteſtatum, eſt teſtatione denunciatum. Gajus *lib.* 6. *ad l XII. Tab. l.* 238. §. 1. *π. de de V S*

AD TABULAM XII. PROBATIONES.

LEX DE PIGNORE.

SEXTAE Tabulae ſupplementa.

. . . .

Probatio.

Pignus appellatum a *pugno*, quia res, quae pignori dantur, manu traduntur. Unde etiam videri poteſt verum eſſe, quod quidam putant, pignus proprie rei mobilis conſtitui. Gajus *lib.* 6. *ad l. XII. Tabul. l.* 238. §. 2. *de V. S.*

LEX. DE RE LITIGIOSA.

Si qui rem, de qua ſtlis ſiet, in ſacrum dedicaSit, duplione decidito.

Probatio.

Sententia L. XII. Tab. interpretatio Gaji.
* Lege XII. Tab.

Rem, de qua controverſia eſt, prohibemur in ſacrum dedicare. alioquin dupli poenam patimur Nec immerito, ne liceat eo modo duriorem adverſarii conditionem facere. Sed DUPLUM utrum fiſco an adverſario praeſtandum ſit, nihil exprimitur*. Fortaſſis autem magis adverſario, ut id veluti ſolatium habeat pro eo, quod potentiori adverſario traditus eſt. Gajus *lib.* 6. *ad l. XII. Tab. l.* 3. *π. de litigioſis.*

LEX. DE MALÆ FIDEI POSSESSORE.

SI VINDICIAM FALSAM TVLIT, PRÆTOR REI SIVE STLITIS ARBITROS TRIS DATO: EORVM ARBITRI FRVCTI DVPLIONE DECIDITO.

Probationes.

* *Nomine etiam, Scal.*

Ser. Sulpitius, *. . jam ſingulariter formato, *vindiciam* eſſe ait, qua de re controverſia eſt ab eo, quod vindicatur: & in XII. SI VINDICIAM FALSAM TVLIT, REI SIVE STLITIS ARBITROS TRIS DATO, EORVM ARBITRII FRVCTI DVPLIONE DECIDITO. Feſtus in v. *Vindiciae.*

SEXTAE Tabulae ſupplementa.

Videamus, an in omnibus rebus *petitis*, in *fructus* quoque condemnetur poſſeſſor. Quid enim ſi argentum aut veſtimentum aliamve ſimilem rem: quid praeterea, ſi uſumfructum aut nudam proprietatem, cum alienus uſusfructus ſit, petierit? Neque enim nudae proprietatis, quod ad proprietatis nomen pertinet, fructus ullus intelligi poteſt. neque uſusfructus rurſus fructus eleganter computabitur. Quid igitur, ſi nuda proprietas petita ſit? Ex quo perdiderit fructuarius uſumfructum, aeſtimabitur in petitione fructus. Item, ſi uſusfructus petitus ſit, Proculus ait in fructus perceptos condemnari. Praeterea Gallus Aelius putat, ſi veſtimenta aut ſcyphus petita ſint, in fructu haec numeranda eſſe, quod locata ea re, mercedis nomine capi potuerit. §. 1. Iter quoque & actus ſi petitus ſit, vix eſt, ut fructus ulli poſſint aeſtimari: niſi ſi quiscommodum in fructibus numeraret, quod habiturus eſſet petitor, ſi ſtatim eo tempore, quo petiiſſet, ire agere non prohiberetur. Quod admittendum eſt. Gajus *lib.* 6. *ad l. XII. Tabul. l.* 19. *π. de uſuris & fructibus.*

Quod a nobis exemplo aequabili *ex Juris priſci eſt formulis* iotroductum, ut quia *malae fidei poſſeſſores in fructus duplos conveniuntur*, aeque malae fidei debitores ſimile damni periculum perſequatur. Imp. Theodoſius *leg. un. Cod. Theod. de uſuris rei judicatae.*

Id jus etiam a Valentiniano ſeniore confirmatum, *l* 1. *Cod Theod. de fructib. & litis expenſis*, nulla tamen *dupli* mentione facta.

Si poſt litem conteſtatam, uſucaptum exhibeat, non videtur exhibuiſſe, cum petitor intentionem ſuam perdiderit*: *&* † *ideo abſolvi eum* non oportere, niſi paratus ſit reperita die intentionem ſuſcipere, ita ut fructus *ſecundum legem* aeſtimentur. Ulpianus *lib.* 24. *ad edictum. l.* 9. §. *proinde* 6. *π. ad exhib.*

* cauſa ceciderit.
† *rg. Sed ideo abſolvi*

LEX.

LEX. DE NOXALI actione.

Septimae Tabulae ſupplementum.

SI SERVVS SCIENTE DOMINO FVRTVM FAXIT, NOXIAMVE NOXIT, NOXÆ DEDITO.

Probationes.

Si ſervis communis alterius juſſu damnum dederit, etiam quod praeſtiterit alter (ſi modo cum eo quoque ex l. Aquilia * vel ex XII. Tabulis agi poteſt) repetat a ſocio: ſicut cum communi rei nocitum eſt. Marcell. *lib.* 8. *Digeſt. l.* 5. *π. ſi familia furtum feciſſe, in fin. ſi omnium nomine ſocius* decidiſſet. *puto verbum fuiſſe XII. Tabul.*

* damni injuriae.

Quaecunque actiones ſervi mei nomine mihi coeperunt competere vel ex XII. Tabul. vel ex l. Aquilia, vel injuriarum, vel *furti*, eaedem durant, etiamſi ſervus poſtea vel manumiſſus, vel alienatus, vel mortuus fuerit. Pompon. *lib.* 20. *ad Q. Mucium. l.* 56. *in pr. π. de oblig.*

Si [dominus] juſſit, poteſt hoc dici. [noxam caput non ſequi.] Si autem non prohibuit, quemadmodum factum ſervi excuſabimus? Celſus tamen differentiam facit inter legem Aquiliam & legem XII. Tab. Nam in *Lege antiqua* SI SERVVS SCIENTE DOMINO FVRTVM FECIT, VEL ALIAM NOXAM COMMISIT, SERVI NOMINE ACTIO EST NOXALIS, nec dominus ſuo nomine tenetur. At in l. Aquilia, inquit, dominus ſuo nomine tenetur, non ſervi. Utriusque legis reddit rationem * XII. Tabularum, quaſi voluerit ſervos dominis in hac re non *obtemperare*: Aquiliae, quaſi ignoverit ſervo, qui domino paruit, periturus, ſi non feciſſet. Sed ſi placeat, quod Julianus libro 86. ſcribit, ſi SERVUS FURTUM FAXIT, NOXIAMVE NOCVIT, *etiam ad poſteriores leges † pertinere*; poterit dici, etiam ſervi nomine cum domino agi poſſe noxali judicio: ut quod detur Aquilia adverſus dominum, non ſervum excuſet, ſed dominum oneret. Nos autem ſecundum Julianum probavimus. Quae ſententia habet rationem, & a Marcello apud Julianum probatur. Ulpian. *l.* 18. *ad Edictum. quo de l. Aquilia egit. l.* 2. *§.* 1. *π. de noxal. action.*

* Lex XII. Tab. non parcit ſervis, qui potuerunt domino non obtemperare: Lex Aquilia parcit ſervo extimeſcenti dominum & obtemperanti.

† Eadem loquendi ratio in *l.* 27. 28. *π. de legibus.* & *l. ult. π. de regula Catoniana.* Senſus eſt, hoc legis XII. Tabul. bene compoſitu juncta lege poſteriore, Aquilia ſcil. cum lege XII. Tabul. Itaque ſic utraque lege conjuncta dicendum dominum, quo ſciente, ſervus furtum fecit, & lege Aquilia in ſolidum proprioque nomine: & ex lege XII. Tabul. noxali judicio ſervi nomine teneri. Quod & probatur in *l.* 4. *cum dominus* 2. *π. eod. tit.*

Sunt conſtitutae Noxales actiones, aut *Legibus*, aut edicto praetoris. Legibus, veluti FURTI, ex l. XII. Tab. Damni injuriae ex l. Aquilia. &c. §. 4. *Iſt. de noxal. action.*

NOXIÆ appellatione omne delictum continetur. Gajus *lib.* 6. *ad l. XII. Tab. l.* 238. *§. ult. π. de V. S.*

Noxa, peccatum, aut pro peccato poenam [ſignificat] ut Attius Melanippo. Te te eſſe huic noxae obnoxium. Item cum *Lex* jubet NOXÆ DEDERE * pro peccato dedi jubet. Feſtus in v: *Noxa.*

Lex Aquilia omnibus legibus, quae ante ſe de damno injuria locutae ſunt, derogavit, *ſive XII. Tabulis*, ſive alia, quae fuit: quas leges nunc referre non eſt neceſſe. Ulpian. *lib.* 18. *ad Edictum. l.* 1. *π. ad L. Aquil.*

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QUARTUS:

QUO CONTINENTUR

RELIQUIAE
VETERUM INTERPRETUM,
QUI AD
XII. TABULAS

ex profeſſo olim ſcripſerant.

FRAGMENTA VETERUM INTERPRETUM.

CAP. I. INNOMINATORUM.

II. SEX. AELII.

III. L. ACILII.

IV. LAELII.

V. VALERII MESSALAE.

VI. Q. ANTISTII LABEONIS, *ad L. XII. Tabularum librorum XII. Fragmenta.*

VII. GAI Δωδεκαδέλτου, *ſeu ad L. XII. Tabularum librorum VI. Fragmenta.*

VE

VETERES INTERPRETES XII. TABULARUM.

INNOMINATI.

A*Mbitus*, iter, quod circumeundo teritur: nam *Ambitus* circumitus. Ab eoque XII. TABULARUM INTERPRETES, *Ambitum parietis* circumitum eſſe deſcribunt. Varro *lib.* 4. *de lingua Lat. n.* 4.

Quod ita ſcriptum eſt, *videbitur*; pro hoc accipi debet, *videri poterit*. Et ſic verba legis XII. Tabularum VETERES INTERPRETATI ſunt: *ſi aqua pluvia notet*, id eſt, ſi nocere poterit. Pomponius *lib.* 7. *ex Plautio. l.* 21. *ff. de ſtatuliberis*.

Noſtrae legis INTERPRETES, quo capite jubentur, *ſumptus & luctum removere a Deorum Manium Jure*, hoc intelligunt imprimis, ſepulchrorum magnificentiam eſſe minuendam. Cicero *lib.* 2. *de Legibus cap.* 25.

Recinium, omne veſtimentum quadratum. Ii, qui INTERPRETATI SUNT, eſſe dixerunt virilem togam, qua mulieres utebantur, praetextam clavo purpureo, &c. Feſtus in v. *Recinium*.

SEX. AELII. *Tripertitorum Fragmenta.*

SEXTUM ÆLIUM etiam Ennius * laudavit: & extat illius liber, qui inſcribitur TRIPERTITA: qui liber veluti cunabula juris continet. *Tripertita* autem dicitur, quoniam Lege XII. Tabularum praepoſita jungitur Interpretatio, dein ſubtexitur Legis actio. Pomponius *lib. ſingulari Enchiridii, l.* 2. §. 38. *ff. de origine juris.*

* *Egregie cordatus homo* CATUS ÆLIUS SEXTUS. Ennius apud Ciceronem *lib.* 1. *c.* 9. *Tuſcul.* Cicero ipſe *in Bruto. cap.* 20. *Juris civilis, omnium peritiſſimum* vocat.

Cum Lex, *Aſſidue vindicem aſſiduum eſſe jubeat*, locupletem jubet locupleti: Locuples enim eſt *Aſſiduus*, ut ait ÆLIUS, appellatus ab aere dando. Cicero *in Topicis, cap.* 2.

. . . . . *vit*, Ælius in XII. ſignificare ait. Feſtus in fine *literae T.* Conjicere non potui, quo fragmentum hoc ſpectaret.

Neve leſſum funeris ergo habento. Hoc veteres interpretes, SEX. ÆLIUS, L. Acillius non ſatis ſe intelligere dixerunt, ſed ſuſpicari veſtimenti aliquod genus funebris. Cicero *lib.* 2. *de Legibus, cap.* 23.

L. ACILLII. *ad l. XII. Tabul. fragmenta.*

Unica veteris hujus XII. Tabularum Interpretis mentio extat apud Ciceronem *lib.* 2. *de Legibus. loco, quem in Sex. Ælio nunc primum conſignavi.*

LÆLII. * *ad l. XII. Tabul. Fragmenta.*

* An hic *Laelius Felix*, qui etiam *ad Q. Mucium* notas ſcripſit, ex cujus libro 9. Gell. *lib.* 15. *cap.* 27. quaedam laudat? Alius ſane a *Laelio*, cujus mentio fit, *in l.* 43. *ff. de haered. pet.* & *l.* 3. *ff. ſi pars haeredit.* quique ſub Hadriano Imp. vixit, ut *ex d. l.* 3. apparet. At plinius hunc noſtrum Scaevolae & Atejo Capitoni conjungit.

Leſſum. Hoc veteres Interpretes Sex. Ælius, L. Acillius non ſatis ſe intelligere dixerunt. LÆLIUS *leſſum* quaſi lugubrem ejulationem; ut vox ipſa ſignificat. Cicero *lib.* 2. *de Legibus, cap.* 23.

Ad hunc eundem pertinere exiſtimo hunc Plinii locum.

Lautiſſima apud priſcos vina erant, myrrhae odore condita. Ideo quidam aromatite delectatos maxime decernunt Scaevolam quoque & LÆLIUM *, & Atejum Capitonem in eadem ſententia fuiſſe video, quoniam in Pſeudolo ſit: *Quod ſi opus eſt ut dulce promat indidem, ecquid habet? Rogas? Murrhinam, paſſum, defrutum, mella.* Plinius *lib.* 14. *cap.* 13.

* In interpretatione hujus legis XII. Tab. *Murata poſt mortuo ne inditor.*

VALERII MESSALÆ *Explanationis XII. Tabul. Fragmenta.*

Tuguria a tecto appellantur aedificia ruſticorum ſordida. Quo nomine *Valerius* in Explanatione XII. ait etiam . . . . ſignificari. Feſtus in v. *Tuguria*.

. . . . . . SALA in explana . . . . . .
. . . . ploratus. Feſtus *ſub fin. literae P.*

Lacunam hanc ſic expleo.

Pipulum, ut MESSALA *in explanatione XII. interpretatur, eſt ploratus.* Etſi ſint qui ad vocem *Projecta* Meſſalae explanationem referant.

Sanates *propterea* [*dicti*] *quod* praeter opinionem *eos paraviſſet* ſanaviſſetque. *& cum eis paciſci* potuiſſet, *nominavit*, *ut ait* Cincius lib. II. de *efficio Juriſconſulti*. Ne VALERIUS *quidem Meſſala* in XII. Explanatione *id omiſit*. Feſtus *in Urſini Schedis.*

Q. ANTISTI LABEONIS

Commentariorum ad XII. Tabul. Fragmenta.

¶ EX LIBRO II.

LABEO, IN LIBRO DE DUODECIM TABULIS SECUNDO, acria & ſevera judicia *de Furtis* habita eſſe apud Veteres ſcripſit: idque Brutum ſolitum dicere, furti damnatum eſſe, qui jumenta aliorſum duxerat, quam quo utendum acceperat: item, qui longius produxerat, quam quem in locum petierat. Gellius *lib.* 7. *cap.* 15.

EX INCERTIS LIBRIS.

In Commentariis Labeonis, quae ad Duodecim Tabulas compoſuit, ita ſcriptum eſt: Virgo Veſtalis neque haeres eſt cuiquam inteſtato, neque inteſtatae quiſquam: ſed bona ejus in publicum redigi ajunt. Id quo jure fiat, quaeritur? Gellius *lib.* 1. *cap.* 12.

Ita de injuria punienda [*in XII. Tabulis*] ſcriptum eſt. *Si injuriam faxit alteri*, XXV. *aeris poenae ſunto.* Quum eam legem Q. LABEO quoque in libris, quos ad Duodecim Tabulas conſcripſit, non probaret, Quidam (inquit) Lucius Veratius fuit, egregie homo improbus atque immani vecordia. Is pro delectamento habebat, os hominis liberi manus ſuae palma verberare. Eum ſervus ſequebatur, crumenam plenam aſſium portitans, & quemcunque depalmaverat, numerari ſtatim ſecundum XII. Tabulas XXV. aſſes jubebat. Propterea, inquit, Praetores poſtea hanc aboleſcere & relinqui cenſuerunt: Injuriiſque aeſtimandis Recuperatores ſe daturos edixerunt. Favo-

vorimus adverſus legem XII. Tabularum differens apud Gellium *lib.* 20. *cap.* 1.

GAI Δωδεκαδέλτου, *ſeu Interpretationum ad XII. Tab. librorum VI. Fragmenta.*

¶ Ex Libro I.

Fracturus LEGUM VETUSTARUM *Interpretationem*, neceſſario prius ab Urbis initiis repetendum exiſtimavi: non, quia velim *verboſos commentarios* facere; ſed, quod in omnibus rebus animadverto id perfectum eſſe, quod ex omnibus partibus ſuis conſtaret. Et certe, cujuſque rei potiſſima pars Principium eſt. Deinde, ſi in foro cauſas dicentibus nefas, ut ita dixerim, videtur eſſe, nulla praefatione facta, Judici rem exponere: quanto magis *Interpretationem* * promittentibus inconveniens erit, omiſſis initiis atque origine non repetita atque illotis, ut ita dixerim, manibus, protinus materiam *Interpretationis* tractare? Namque, niſi fallor, iſtae praefationes & libentius nos ad lectionem propoſitae materiae perducunt, & cum ibi venerimus, evidentiorem praeſtant intellectum, *l.* 1. π. *de origine Juris.*

* Σύνταγμα Theophilo, lit. M.

AD TABULAM I.

De *In jus vocando.*

Si in jus vocat atque eat.

Plerique putaverunt, Nullum de DOMO SUA IN JUS VOCARI licere: quia domus tutiſſimum cuique refugium atque receptaculum ſit: eumque qui inde in jus vocaret, vim intuliſſe videri, *l.* 18. π. *de in jus vocando.*

Sed etiam a Binea, & Balneo, & Theatro nemo dubitat IN JUS VOCARI licere, *l.* 20. π. *de in jus vocando.*

Neque Impuberes *puellas*, quae alieno jure ſubjectae eſſent, IN JUS VOCARE permiſſum eſt, *l.* 22. *in princ.* π. *de in jus vocando.*

Si calvitur, &c.

SI CALVITUR, eſt *moretur*, & *fruſtretur*. Inde & *Calumniatores* appellati ſunt, quia per fraudem & fruſtrationem alios vexarent litibus. Inde & *Cavillatio* dicta eſt, *l.* 233. *princ.* π. *de V. S.*

Si enſilit, &c.

Qui in jus vocatus eſt, duobus caſibus *dimittendus* eſt: ſi quis ejus perſonam defendet: & ſi, dum in jus *venitur*, *de re tranſactum fuerit*, *l.* 22. §. 1. π. *de in jus vocando.*

AD TABULAM II.

De *Judiciis.*

Votum, &c. Abſentia Reip. ergo, &c.

Poſt Kalendas Januarias, die tertio, pro ſalute Principis VOTA ſuſcipiuntur, *l.* 233. §. 1. π. *de V. S.*

Si is, qui fidejuſſorem dedit, ideo non ſteterit, quod REIPUBLICÆ CAUSA ABFUIT, iniquum eſt fidejuſſorem ob alium neceſſitate ſiſtendi obligatum eſſe, cum ipſi liberum eſſet non ſiſtere, *l.* 6. π. *ſi quis cautionibus.*

De *Furtis*

Si ſe telo defenſint, &c.
* id eſt, in hac lege XII. Tabularum *ſi ſe telo defenſint.*

TELUM volgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur: ſed *nunc* * omne ſignificatur, quod mittitur manu: ita ſequitur, ut & lapis, & lignum & ferrum hoc nomine contineatur. Dictumque ab eo, quod in longinquum mittitur, Graeca voce figuratum ἀπὸ τοῦ τηλοῦ, id eſt, ab eo, quod eſt longe. Et hanc ſignificationem invenire poſſumus & in Graeco nomine: nam quod nos TELUM appellamus, illi βέλος appellant: eoque nomine Volgo quidem id ſignificatur, quod ab arcu mittitur: ſed non minus omne ſignificatur, quod mittitur manu, ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι. id eſt, a jaciendo. Admonet nos [illegible]: nam ita ſcribit: Καὶ τὰ βέλη ὁμοῦ ἐφέρετο, λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δὲ καὶ λίθοι. id eſt, *tela ſimul ferebantur, haſtae, ſagittae, fundae, plurimi item lapides.* Et id, quod ab arcu mittitur, apud Graecos quidem τόξευμα vocatur: apud nos autem communi nomine TELUM appellatur, *l.* 233. §. 2. π. *de V. S.*

Sciendum eſt autem, eos, qui ARBORES, & maxime VITES CECIDERINT, etiam tanquam latrones puniri, *l.* 2. π. *arborum furtim coeſarum.*

Si injuria alienas arbores coeſit.

Certe non dubitatur, ſi adhuc adeo tenerum ſit, ut herbae loco ſit, non debere ARBORIS numero haberi, *l.* 4. π. *arborum furtim coeſarum.*

¶ Ex libro II.

AD TABULAM III.

De *Rebus creditis.*

Adverſus hoſtem aeterna auctoritas eſto. Aut quis endo eo in jure vindicit, &c. Suo vivito, ni ſuo vivit, &c.

Quos nos HOSTES appellamus, eos Veteres *Perduelles* appellabant, per eam adjectionem indicantes, cum quibus bellum eſſet, *l.* 234. *in princ.* π. *de V. S.*

LOCUPLES eſt, qui ſatis idonee habet, pro magnitudine rei, quam actor reſtituendam eſſe petit, *l.* 234. §. 1. π. *de V. S.*

Verbum VIVERE quidam putant ad cibum pertinere: ſed Ofilius ad Atticum ait, his verbis & veſtimenta & ſtramenta contineri, ſine his enim vivere neminem poſſe, *l.* 234. §. 2. π. *de V. S.*

¶ Ex libro III.

AD TABULAM VI.

De *Jure dominii* & *poſſeſſionis.*

In *Traditionibus* [a] rerum quodcunque pactum ſit, id valere manifeſtiſſimum eſt, *l.* 48. π. *de pactis.*

FERRI [b] proprie dicimus, quae quis ſuo corpore geſtat: PORTARI ea, quae quis jumento ſecum ducit: AGI ea, quae animalia ſunt, *l.* 235. *in pr.* π. *de V. S.*

Fabros Tignarios [c] dicimus, non eos duntaxat, qui [d] TIGNA dolarent, ſed omnes qui aedificarent, *l.* 235. §. 1. π. *de V. S.*

Si ex Lege REPUDIUM [e] miſſum non ſit, & idcirco mulier adhuc nupta eſſe videatur, tamen ſi quis eam uxorem duxerit, adulter non erit. Idque Salvius Julianus reſpondit; quia adulterium (inquit) ſine dolo malo non committitur. Quanquam dicendum, ne is, qui ſciret eam ex lege repudiatam non eſſe, dolo malo committat, *l.* 43. π. *ad l. Jul. de adulter.*

a Cum nexum faciet, mancipiumque, uti lingua nuncupaſit, ita jus eſto.
b Conſtrarum rerum annua uſus eſto.
c Tignum junctum aedibus, &c.
d Tigna.
e Si vir mulieri Repudium mittere volet, cauſam dicito.

¶ Ex libro IV.

AD TABULAM VII.

De *Delictis.*

Qui ÆDES acervumve frumenti juxta domum poſitum conbuſſerit, victus * verberatus igni necari jubetur, ſi modo ſciens prudenſque id commiſerit. ſi vero caſu, id eſt, negligentia, aut noxiam ſarcire jubetur, aut, ſi minus idoneus ſit, levius caſtigatur. ¶ Appellatione autem ÆDIUM omnes ſpecies aedificii continentur, *l.* 9. π. *de incendio.*

Qui aedes acervumve &c.
* vinctus.

Qui VENENUM dicit, adjicere debet, utrum MALUM an bonum: nam & medicamenta venena ſunt: quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum naturam ejus, cui adhibitum eſſet, mutat. Cum id, quod nos venenum appellamus, Graeci φάρμακον dicunt, apud illos quoque tam medicamenta, quam quae nocent, hoc nomine continentur: unde adjunctione alterius nomine * diſtinctio fit. Admonet nos ſummus apud eos Poëtarum Homerus; nam ſic ait:

Aut malum venenum faxit duitve, &c.
* forte nominis.

Φάρ-

Digitized by Google

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.
Venena multa quidem bona mixta, multa autem mala, *l.* 236. *in pr.* π. *de V. S.*

Sodales arvales &c.

Sodales [a] ſunt, qui ejusdem collegii ſunt, quam Graeci ἑταιρίαν vocant. His autem poteſtatem facit lex, pactionem, quam velint, ſibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant. Sed haec lex videtur ex lege Solonis translata eſſe. Nam illuc ita eſt: Ἐὰν δὲ δῆμος, ἢ φράτορες, ἢ ἱερῶν, ὀργίων, ἢ ναῦται, ἢ σύσσιτοι, ἢ ὁμόταφοι, ἢ θιασῶται, [a] ἢ ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι, Ἢ ΕἸΣ ἘΜΠΟΡΙ͂ΑΝ [b] ὅτι ἂν τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους: κύριον εἶναι, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύῃ δημόσια γράμματα. id eſt, *Si autem tribus, vel Fratores, vel ſacrorum Orgeones, vel Nautae, vel Synſiti, vel qui in eodem ſepulchri jus habent, vel Thiaſotae, vel ſocii ad praedam coitionis, vel negotiationis quid inter ſe ſtatuant, firmum id ratumque ſit, niſi hoc publicae leges prohibeant*, *l. ult.* π. *de collegiis.*

a οἱ κοινωνοῦντες θιάσων Harpocrat.
b v. Harpocrationem in voce κοινωνῶν.

AD TABULAM VIII.

De Juribus praediorum.

de Finibus.

Sciendum eſt, † in actione [c] finium regundorum illud [d] obſervandum eſſe, quod, ad exemplum quodammodo ejus legis ſcriptum eſt, quam Athenis Solonem [e] dicitur tuliſſe; nam illic ita eſt: Ἐάν τις αἱμασιὰν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύγῃ, τὸν ὅρον μὴ παραβαίνειν· ἐὰν τειχίον, πόδα ἀπολείπειν, ἐὰν δὲ οἴκημα, δύο πόδας, ἐὰν δὲ τάφον ἢ βόθρον ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος ᾖ τοσοῦτον ἀπολείπειν. ἐὰν δὲ φρέαρ, ὀργυιάν. ἐλαίαν δὲ, καὶ συκῆν καὶ ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτεύειν, τὰ δὲ ἄλλα δένδρα, πέντε πόδας. id eſt, *Si quis ſepem ad alienum praedium fixerit infoderitque terminum ne excedito: ſi maceriam, pedem relinquito: ſi vero domum, pedes duos: ſi ſepulchrum aut ſcrobem foderit, quantum profunditatis habuerint, tantum ſpatii relinquito: ſi puteum, paſſus latitudinem. At vero oleam & ficum ab alieno ad novem pedes plantato: coeteras arbores, ad pedes quinque*, *l. ult.* π. *finium regundorum.*

† igitur.
c Extat haec lex in Corpore de *Limitibus.*
d Relativa haec vox ad ſuperiora, quae omiſſa a Triboniano.
e Solon, in Corpore de *Limitib.*

Si glans &c.

Glandis appellatione omnes fructus continentur, ut Javolenus, exemplo Graeci ſermonis, apud quos omnes arborum ſpecies ἀκρόδρυα appellantur, *l.* 236. §. 1. *de V. S.*

¶ Ex libro v.

AD TABULAM X.

De Jure ſacro.

Rogum buſtumve &c. ſi dominus nolet &c.

Duobus NegatiBis verbis, quaſi permittit Lex magis, quam prohibuit, idque etiam Servius animadvertit, *l.* 237. π. *de V. S.*

¶ Ex libro vi.

AD TABULAM XI.

Plebs eſt, coeteri cives ſine Senatoribus, *l.* 328. *in princ.* π. *de V. S.* — Patribus cum plebe conNubI ſus nec eſto.

Detestatum, eſt teſtatione denuntiatum, *l.* 238. §. 1. π. *de V. S.*

AD TABULAM XII.

Pignus appellatum a pugno, quia res, quae pignori dantur, manu traduntur: unde etiam videri poteſt verum eſſe, quod quidem putant, pignus proprie rei mobilis conſtitui, *l.* 238. §. 2. π. *de V. S.*

Si qui rem de qua lis ſiet &c.

Rem, de qua controverſia eſt, prohibemur in sacrum dedicare: alioquin dupli poenam patimur. Nec immerito, ne liceat eo modo duriorem adverſarii conditionem facere. Sed duplum utrum fiſco *an adverſario* praeſtandum ſit, nihil exprimitur *. fortaſſis autem magis adverſario, ut id veluti ſolatium habeat pro eo, quod potentiori adverſario traditus eſt, *l.* 3. π. *de litigioſis.*

* in l. xii. Tabul.

Si vindiciam falsam tulit &c.

Videamus, an in omnibus rebus petitis, in fructus quoque condemnetur poſſeſſor. Quid enim, ſi argentum aut veſtimentum, aliamve ſimilem rem: quid praeterea, ſi uſumfructum, aut nudam proprietatem, cum alienus uſusfructus ſit, petierit? Neque enim nudae proprietatis, quod ad proprietatis nomen attinet, fructus ullus intelligi poteſt: neque uſusfructus rurſus fructus eleganter computabitur. Quid igitur, ſi nuda proprietas petita ſit? Ex quo perdiderit fructuarius uſumfructum, aeſtimabitur in petitione fructus. Item ſi uſusfructus petitus ſit, Proculus ait, in fructus perceptos condemnari. Praeterea Gallus Ælius putat, ſi veſtimenta aut ſcyphus petita ſint, in fructu haec numeranda eſſe: quod locata ea re, mercedis nomine capi potuerit, §. 1. Iter quoque & actus ſi petitus ſit, vix eſt ut fructus ulli poſſint aeſtimari: niſi ſi quis commodum in fructibus numeraret, quod habiturus eſſet petitor, ſi ſtatim eo tempore, quo petiiſſet, ire agere non prohiberetur: quod admittendum eſt, *l.* 19. π. *de uſuris.*

Si servus sciente domino furtum faxit, noxiamve noxit.

Noxiæ appellatione omne delictum continetur, *l.* 238. §. 3. *de V. S.*

FINIS LIBRI QUARTI.

LIBER QUINTUS,

QVO CONTINENTVR

JACOBI GOTHOFREDI, JCti

AD FRAGMENTA

XII. TABULARUM

NOTAE BREVES.

POteras, Lector, quamlibet brevibus, hiſce Notis facilè carere; in tanto Commentariorum haec ad fragmenta cumulo: Me praeſertim ſingularum legum probatione ſuperius abunde defuncto. Verum, quia & in ipſa legum Tabularumque diſpoſitione primus egomet mihi dux fui, & de plerisque non idem mihi cum omnibus ſenſus erat, utriusque rationem reddi breviter oportuit. Odi ego, qui velut e cortina loquuntur, quique laborum ſuorum foetus Lectorum ingeniis ceu cruces objiciunt. Ille mihi contra verus antiquitatis reparator erit, qui non ſibi magis, quam Veterum teſtimoniis credi volet, iisque innitetur.

JACOBI GOTHOFREDI JCti
NOTAE BREVES
AD TABULAM PRIMAM.

de In jus vocando,

Prima lex in XII. Tabulis.

SI IN IVS VOCAT] Primam omnium his in Tabulis legem hanc fuiſſe (quod a nonnullis quoque jam indicatum deprehendi) ex Cicerone patet *lib.* 2. *de Legib. cap.* 23. Nam quod is uno ejus libri loco ait, *Diſcebamus pueri* XII. *ut carmen neceſſarium*: id ipſum alibi ſic idem extulit [*ſc. eod lib. cap.* 4.] *A parvis didicimus* SI IN IVS VOCAT, ATQUE EAT, *& ejusmodi leges alias nominare.* Quibus ſane Tullii locis inter ſe collatis apparet, Ciceronem, quam XII. *Tabularum legem* priore illo loco diſertis verbis vocavit, eandem poſteriore ſententia, a primis duntaxat legis verbis deſignaſſe, quod Carrioni *Emendat. lib.* 1. *cap.* 8. jam notatum. Eo ſcilicet more, quo & Actiones & Interdicta nonnulla, de primis Edictorum, unde deſcendunt, verbis nominari vel dupondii noverunt. Qua ratione etiam Sacrae Scripturae libros a primis cujusque vocibus apud Hebraeos notari mos eſt. Poſtremo, quomodo Poetarum libri ex principio a nonnullis deſignantur: ut Homeri *Ilias* ab Ariſtotele *cap.* 15. *de repr. Soph.* & *Epigr.* Luciani in Grammaticos, μῆνιν ἄειδε θεά. Virgilii *Aeneis*, *Arma virumque cano*, a Perſio *Satyra* 1. & a Martiale *lib.* 8. *ep.* 55. *lib.* 14. *ep.* 185. & Lucretii libri *de rerum natura. Aeneadum Genetrix*, ab Ovidio *lib.* 2. *Triſtium* 163. & Catulli *carmina*, *Paſſeris* nomine, Martialis *lib.* 1. *epigr.* 8. & *lib.* 4. *ep.* 14. notavit. Ut manifeſte hallucinentur, qui religione hactenus ducti, leges de *Jure ſacro* primas in his tabulis conſtituunt, ſive explicandas ſuſcipiunt. Alii a *jure publico* initium ducunt.

I ex XII. Tabul. ab ejus initio laudatur.

de In jus vocando primore loco, actum in XII. Tabulis.

Hoc cum ita ſit, nemini proinde dubium eſſe poteſt, quin ab *In jus vocatione* Tabularum ſuarum initium Decemviri duxerint. Quod ipſum evincit praeterea primus Gaji ad leges XII. Tabul. liber: ac nominatim quidem ex eo quinque, quae ſequuntur, capita nempe, *l.* 18. 20. 22. *in princ. &* §. 3. *ff. de in jus vocando*: & *l. ſi calvitur* 233. *in p. ff. de V. S.* Quas leges, & quidem omnes, ad hujuſce legis primae interpretationem pertinere paulo poſt docebimus, pariter ut caetera Gaji fragmenta pertinent ad ſecundam tabulam; puta *l.* 6. *ff. ſi quis cautionib.* & *d. l.* 233. §. 1. *l.* 2. *ff. arbor. furtim caeſ.*

Capita legis primae: eorumque ſeries.

Principium legis, ſingulis capitibus praemittendi mos: ejusque ratio duplex.

De ſingulorum nunc hujuſce legis capitum ordine & poſitu videamus. Tria haec, quorum primum incipit, SI IN IVS VOCAT, ATQVE, &c. Secundum, NI IT, &c. Tertium, SI MORBVS, &c. huic legi, ceu membra, reſtituenda certiſſimo omnium argumento comperi. Nam, ut hodie qui legis alicujus caput, vel (ut vocant) παράγραφος laudant, prima legis ipſius verba praenotare ferme ſolent. Ita veterum nonnulli cum e XII. Tabulis legis alicujus caput aliquod referebant, legis principium illi ἀπὸ τοῦ κοινοῦ praemittere ſoliti fuerunt: Partim, ut eo velut characteriſmo, ſub qua lege caput, de quo ageretur, inveſtigandum foret, Lectori conſtaret: Partim etiam, quo integram capitis a ſe prolati, atque a corpore ſuo divulſi, ſententiam explerent. Id vero (ne longius abeam) factum tribus hiſce, de quibus nunc agimus, capitibus, primus deprehendiſſe mihi videor. Primum quippe verſum hunc, SI IN IVS VOCAT (quod totius legis hujus principium eſt) non primo tantum, verum etiam reliquis duobus, qui ea laudarunt, capitibus, ſcriptores praemiſiſſe comperio. Quemadmodum enim Cicero primum illud caput (prout in ipſis Tabulis erat) his verbis, ut initio dixi, retulit, SI IN IVS VOCAT, *atque eat*: ita Porphyrion ad Horatii *Satyram* 9. *lib.* 1. alterum vel ſequens caput, hoc modo; SI IN IVS VOCAT: *Ni it, anteſtamino*, expreſſit. Manifeſtius adhuc id Gellius *lib.* 20. *cap.* 1. oſtendit: cum quartum illud hujusce legis caput hoc modo laudavit: *Verba ſunt*, inquit, *haec de lege* SI IN IVS VOCAT: *ſi morbus*, *&c.* Cujus ſane loci apertiſſima haec ſententia eſt: caput hoc XII. Tabularum, SI MORBVS *aevitasve &c.* legis, cujus prima haec verba ſunt, SI IN IVS VOCAT, membrum eſſe.

de In jus vocando.

Connexio capitum, ex primis eorum verbis.

Ex ſuperioribus apparet itaque, tria illa, quae ex Cicerone, Porphyrione, Gellio recenſui capita, diverſa unius ejuſdemque legis, quae ab his verbis, SI IN IVS VOCAT, inciperet, membra fuiſſe: cum ab eodem legis principio ſingula priſcis ſcriptoribus notentur.

De Tertio hujus legis capite, quod incipit, SI CALVITVR, videamus. Sane caput illud ad priores quoque Tabulas pertinuiſſe docet ejus apud Gajum interpretatio, lib. 1. ad l. XII. Tabul. quae extat in *l. ſi calvitur* 203. *in pr. ff. de V. S.*

Connexio capitum, ex eorum ſententiis.

Connexio capitum, ex eorum conjunctione apud priſcos ſcriptores.

Deinde, quis ad ejus ſententiam animum attendens, non tacita quadam ratione ſecundo hujusce legis capiti, quod incipit, NI IT, tertium hoc (SI CALVITVR nempe) manifeſto cohaerere judicet? Verum, quid verbis aut conjecturis opus, cum expreſſe duo haec capita cohaeſiſſe, & conjungenda Lucilius *lib.* 17. *Satyrarum* apud Nonium, *cap.* 1. in verbo *Calvitur*, doceat? Sic enim ipſe caput utrumque (ſecundum videlicet, & tertium hoc) eleganter verbis ſequentibus conjunxit, & unico ferme verſu concluſit:

SI NON IT, CAPITO, *inquit*, EVM: SI CALVITVR, ENDO
FERTO MANVM:

Haec enim verba, *ſi non it*, *capito eum*, ſecundum caput hujus legis conficiunt; ſequentia vero, *ſi calvitur*, *endoferto manum*; tertium hoc (de quo nobis nunc agitur) perſpicue conſtituunt. *Endoferto manum*, quod in ipſa lege *Endojacito manum*.

ATQVE EAT] Verba haec, vel a doctiſſimis horum fragmentorum collectoribus perperam expunguntur: hoc & ſequenti capite in unum conflato. Ejus videlicet, in laudandis hujus legis capitibus priſcis ſcriptoribus uſurpati moris, quem paulo ante notabamus, immemoria. Quae tamen apud Ciceronem legitima ſunt. *Atque eat* (quod Turnebus & poſt eum Carrio recte defendunt) id eſt, ſtatim & protinus eat: quo ſenſu vox *Atque* apud Ennium hoc verſu accipitur. *Atque atque accedit muros Romana juventus*: & apud Terentium *Eunuch. Act.* 1. *ſc.* 1. *v.* 7. *Atque ubi pati non poteris, cum nemo expetet, Infecta pace ultro ad eam venies*: & ſaepe hoc ſenſu apud Plautum, ut Palmerius *in ſpicil.* probat: & apud Virgilium; quomodo id accipiunt Gell. *lib.* 10. *cap. ult.* & Servius, illo verſu Virgilii *lib.* 1. *Georg.* *v.* 202.

— — Si brachia forte remiſit,
Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.

Caeterum quod haec lex, *in jus vocatum confeſtim ſequi jubet*: ejus rei & definitionis exceptiones quaſdam ad hoc caput ſcribentem Gajum lib. 1. ad. l. XII. Tabul. propoſuiſſe didici: & hanc quidem inter

ter

ter coeteras, quae extat in *l.* 18. 20. *π. de in jus vocando*, ne videlicet quis de domo ſua &c. in jus vocetur. Neque enim ad teſtimonii denunciationem leges illae Gaji pertinere poſſunt (quod tamen Cujacius, *lib.* 7. *Obſerv. cap.* 15. *& aliis etiam locis pluribus*, cenſuit) verum ad rei vel debitoris ipſius in jus vocationem pertinere eas, vel titulus *de in jus vocando*, ſub quo leges illae Gaji collocatae reperiuntur, perſpicue ſatis evincit. Teſtimonii praeterea denunciatio, ut re ipſa ab in jus vocatione, ſic quoque tempore multum differebat: haec (in jus vocatio ſcilicet) longe prior; illa vero poſterior erat. Fiebat teſtimonii denunciatio, poſtquam in jus ventum, & a Praetore judicium conſtitutum fuiſſet. Hinc illa ex Edicto perpetuo, apud Valerium Probum, formula: Q. E. R. E. T. P. I. R. D. T. Q. DT. D. D. P. F. id eſt: *Quanti ea res erit, tantae pecuniae judicium recuperatorium dabo*: TESTIBUSQUE *duntaxat decem* DENUNCIANDI *poteſtatem faciam.* Lex quoque Mamilia, ſequentibus verbis: *In eam rem i, qui hac lege judicium dederit*, TESTIBUS *publice duntaxat in res ſingulas* X. DENUNCIANDI *poteſtatem facito.*

de IN JUS VOCANDO. TESTIMONII DENUNTIATIO, ab In jus vocatione quid differat.

NIT] Porphyrionis locus de hoc capite corruptiſſimus: cui inanis hactenus medela a plerisque tentata fuit. Verba apud Porphyrionem haec ſunt (ad Horatii Satyram 9. *lib.* 1. *v.* 74.) *Si vis vocationi teſtamini, igitur em capito anteſtari. Eſt ergo anteſtari ſc. antequam manum injiciat.* Ea ſic liquido reſtitui oportet, XII. Tabularum verbis a Porphyrionis interpretamento hunc in modum diſtinctis: SIN * IUS VOCAT, NIT †, ANTESTAMINO. (Hactenus Legis verba. Sequuntur nunc Porphyrionis) *Anteſtari* eſt, ‡ *ſcilicet antequam manum injiciat.* Interpretaturus nempe eo loci Porphyrion, quid obſcurius apud Horatium verbum, ANTESTARI, ſibi vellet, eam in rem hoc inter coetera XII. Tab. caput adducit; indeque ſic ipſe concludit: *Anteſtari, eſt ergo anteteſtari*, &c. Certe & ita Priſcianus *lib.* 8. anteſtari προδιαμαρτυρηθῆναι tranſtulit. Ubi tamen Cl. Salmaſius malebat προδιαμαρτυρεῖν: *Anteſtari ſc. eſt aliquem ex circumſtantibus teſtem facere:* ωαντὸς αὐτοῖ τῷ τόπῳ ἐν ᾧ τι κέπρακται. Sic *Antermint*; ſic *Amſegetes dicti &c.* Error igitur omnis in Porphyrionis verbis ex literarum ſyllabarumque geminatarum notis enatus: quas cum librarii vel exſcriptores minus attenderent, legi primum ipſi, mox & Porphyrionis interpretamento vitium factum eſt. *Anteſtamino* autem priſco pro *anteſtare*; ut apud Catonem *de re Ruſtica capite* 141. *praefamino Janum & Jovem vino*, pro *praefare.* Quamquam eſt * qui teſtatur, in optimis Porphyrionis membranis ita legi: NI IT, ANTESTATOR. Ex his interim *Ni it, anteſtamino*, apparet falli eos, qui tradunt creditorem, cum reum deprehendiſſet, omiſſa formula, *In jus voco te, anteſtari ſolitum.* Neque ab his facit Horatius *Satyr.* 9. imo contra apertiſſime: vide *in fine Satyrae.* Similiter jure Attico advocati hac in re teſtes, qui & κλητῆρες dicti. Vide *Leges Atticas*, a Samuele Petito collectas, *pag.* 314. 315.

PORPHYRIONIS locus, ſimul & lex XII. Tab. reſtituitur.

v. Carrio, 2. *Emend.* 12.

* Pro *ſi in.*
† pro *ni it.*
‡ Pro *anteteſtari.*

INTERPRETATIO Porphyrionis a legis verbis diſtincta.

ERROR ex literarum & ſyllabarum Geminatarum Notis.

* Carrio 2. *Emend.* 12.

IGITUR] *Apud antiquos* (ait Feſtus) IGITUR *ponebatur, pro inde, & poſtea, & tum. Apud antiquos*, id eſt, lege XII. Tabularum; ſic ut ſaepius apud Feſtum ea verba accipi oportet: quod innumeri apud eum loci confirmant. Videſis interim eum, exempli ergo, in verbis *Adorare*, *Hoſtis*, *Horctum*, *Lance &c.* Sane, vox *Igitur* hac notatione apud Plautum non uno loco, ut *in Caſina Act.* 2. *ſc.* 2. *v.* 39. *Mox magis cum otium eris, igitur tecum loquar.* & *Moſtellaria Act.* 3. *ſc.* 1. *v.* 32. *Miſerum eſt opus igitur, demum fodere puteum, ubi ſitis fauces tenet.* Hoc qui non ceperunt, vel minus intellexerunt, verba hujus capitis haec apud Porphyrionem, *Igitur em capito*, ſollicitanda ſibi duxere: & quaſi non legis XII. Tabul. ſed Porphyrionis verba eſſent, *ita* reponere, id eſt, *auram capito.* *Igitur* eodem ſenſu, quo & aliquando vox ITA; ut in *l.* 20. *π. de excuſ. tut. l.* 60. 77. *π. de adquir. haeredit. & ſimilibus.*

APUD ANTIQUOS pro in l. XII. Tab.

de IN JUS VOCANDO.

EM CAPITO] CAPERE hoc capite non eſt, manu injecta obtortoque collo in jus aliquem trahere; quod hactenus cenſent: ſequens alioquin caput ab hoc noſtro nil differret. CAPERE igitur hic nihil aliud eſt, quam ſiſtere, implicare, impedire, detinere via publica pergentem, quod eſt *viam anteſtare* in legibus Longob. *lib.* 1. *tit.* 15. Viam alicui obſtare, Salic. *tit.* 33. Viam alicui contradicere, Aleman. *tit.* 65. Proinde, hujus & ſequentis capitis ſenſus hic eſt: *In jus vocatum, ni ſequatur, teſtibus adhibitis, ſiſti poſſe: ſi & tum ſequi nolit, aut etiam fugam adornet, duci, manumque ei tum injicere licere.* Hoc diſcrimen qui non capiunt, verba haec, *Igitur em capito*, velut illegitima repudiare non verentur.

CAPERE quid.

¶ Male etiam Cujacius *lib.* 7. *Obſ. cap.* 16. caput hoc ſic apud Porphyrionem reſtituendum putat, *ſi in jus vocat, ni eat, manum injicito, encapito * anteſtari.* Male, inquam! & dum manus injectionem actori lege XII. Tab. permiſſam illicito putat: & dum Anteſtationem manus injectione poſteriorem facit: denique dum hoc caput cum ſequenti apertiſſime confundit.

* id eſt, *incipito.*

SI CALVITUR] Hoc verbum Gajus interpretatus eſt lib. 1. ad l. XII. Tab. in *l. ſi calvitur* 233. *in pr. π. de V. S.* Haec enim legis illius verba, *moretur & fruſtretur*, non legis XII. Tabul. verba ſunt; verum Gaji, caput hoc interpretantis. Ideoque verba illa SI CALVITUR (ut recte Ranconnetus & poſt eum Cujacius monuit) grandioribus exaranda ſunt literis, non ſequentia (ut in Piſanis Pandectis fit) *moretur & fruſtretur.* Bene etiam Ranconnetus, qui pro *& moretur, id eſt moretur*, in *ea l.* legendum indicavit. Cui geminum prorſus errorem Tabula 10. indicabimus.

INTERPRETATIO Gaji a legis verbis diſtincta.

PEDEMVE STRUIT] Servium Sulpitium in horum verborum Interpretatione laudat Feſtus in v. *pedem ſtruit.* Servium, inquam; quem complura alia legis noſtrae verba interpretatum ex eodem Feſto diſcere licet: ut puta verbum *Noxa: Sanates: Sarcito: Vindicia.* cujus ipſius auctoritate Gajus noſter (lib. 5. ad l. XII. Tabul.) de duobus negativis (quibus lex XII. Tab. uſa fuerat) in *l. duobus* 237. *π. de V. S.* ſcribens, utitur. Ut ex his omnibus colligi forte poſſit, Servium Sulpitium quoque Commentarios ad leges XII. Tabularum ſcripſiſſe.

SERVIUM Sulpitium Commentarios ad XII. Tabulas ſcripſiſſe videri.

SI MORBUS] Hoc caput, bujuſce legis primae fuiſſe jam ſuperius a nobis oſtenſum eſt: ex hoc videlicet Gellii loco, *lib.* 20. *cap.* 1. *Verba ſunt*, inquit, *haec de lege* SI IN IUS VOCAT, *ſi morbus &c.* Quem capitum ex hiſce Tabulis laudandorum morem a Gellio illo loco uſurpatum qui neſciunt, hoc caput noſtrum ex Gellio ſic concipiunt & corrumpunt: *Si in jus vocato morbus.* Alius: *Si quis in jus vocatur, ſi morbus.*

PRINCIPIUM legis ſingulis capitibus praemittendi mos.

SI NOLET] Qui in jus vocabit ſcilicet: id eſt, *actor.* Non eſt itaque, quod haec verba quis ſollicitet, & cum quibuſdam ita reponat: *Si volet arceram, ne ſternito.*

Dubitandi rationem omnem tollet hic Varronis, e Satyra ejus, quae inſcribitur γεροντοδιδάσκαλος (apud Nonium *cap.* 1. in verbo *Arcera*) locus. *Vehebatur*, inquit, *cum uxore vehiculo ſemel aut* bis *anno cum arcera, ſi non vellet, non ſterneret.* Quem locum, a Viris doctiſſimis, etiam iis, qui in Nonio nuper ſibi ſupra coeteros ſapere viſi, conclamatum, ita reſtituendum puto: *Vehebatur cum actore vehiculo ſenex aut annoſus, cui ARCERAM*, SI NON VELLET,

Digitized by Google

de In jus vocando

LET, NON STERNERET. Si non vellet, ſcilicet *actor*.

SI ENSIET] Jam ſuperius oſtenſum, Veteres caput e XII. Tabulis citaturos, legis principium, ſub quia caput id conſtitutum eſſet, praemiſiſſe. Id (ut caeteros omittam) Ciceroni quoque factum *in Topicis cap.* 2. ubi de hac lege agit: ſi modo verba ejus vetuſtiſſimo (& a quo ſibi Boëtius quoque parum caviſſe videtur,) errore liberentur. Verba Ciceronis haec ſunt: *Notatio adhibetur, cum ex vi verbi argumentum aliquod elicitur, hoc modo: Cum lex Ælia Sentia, Aſſiduo vindicem aſſiduum eſſe jubeat, locupletem jubet locupleti.*

Ciceronis locus emacula-tur.

Quid hic quaeſo facit lex Ælia Sentia: cum caput illud, quod Cicero refert, XII. Tabulis Gellius adſcribat, *lib.* 16. *cap.* 10. & id ipſum quoque Varro (*lib.* 1. *de vita. P. R.* apud Nonium in v. *Proletarii*) ſatis innuat? Aut quomodo Cicero vel etiam Sex. Ælius, apud eundem Ciceronem, caput legis Éliae Sentiae interpretari vel memorare potuerunt, quae, mortuo demum Cicerone, lata fuit? Pro his itaque verbis, quae apud Tullium extant, *Cum lex Ælia Sentia*, reponenda haec cenſeo: *cum lex E. T. IA Si ensiet.* (id eſt, *Cum lex e Tabula prima, quae incipit,* SI ENSIET) ut illis verbis Cicero non legis modo principium (quo de more ſuperius nobis dictum) verum & Tabulae etiam ipſius numerum, in qua lex illa continebatur, indicaverit. Ad eundem ſane morem Atejus Capito apud Feſtum, in v. *Reus* ſecundam legem *e ſecunda Tabula* laudat. *Nam* (inquit) *in* SECUNDA TABULA, *ſecunda lege, in qua ſcriptum eſt: ſi quid horum &c.*

Tabulam quandoque adduxit, qui leges e XII. citant.

¶ Quam facile autem notae vel literae ſequentes E. T. IA. in ELIA, transformari contrahique potuerint, nemo non animadvertat. Simili ſane prorſus errore, & quidem gemino, in *l. in ratione* 11. *§. ſi filio* 6. *π. ad l. Falcidiam*, notas haſce I. TA. (quae *primas Tabulas* denotabant) in vocem ITA, ſummo legis illius incommodo, migraſſe deprehendi. De quo dicendi locus alius aliquando futurus.

Error, e Notis.

¶ Quod autem ad principium hujus legis attinet, ſic apud Ciceronem perſcriptum fuiſſe videtur, SIENTIE: quam literarum dictionumque conjunctionem minus intellectam, librarius imperitus in dictionem, SENSIA, primum; mox autem in SENTIA, per modicas inflexiones, mutavit.

Error, ex literarum & dictionum conjunctione.

¶ Porro voces illae duae, SI ENSIET, idem prorſus ſignificant, quod *ſi autem ſit*. Nam & in *Gloſſis* Philoxeni (quae complures linguae ſecretioris, & verborum nominatim ad XII. Tabulas pertinentium expoſitiones continent, quas tamen non cujusvis ſit Lectoris internoſcere) τὸ ENSIET hoc modo redditur: ἐὰν δὲ. *Si enſiet* igitur, idem eſt, quod *ſi autem ſit*.

Enſiet, pro ſit autem.

¶ Quonam autem adverſativa haec verba pertineant, clarum & manifeſtum ſatis eſt. Superiore namque lege prima, de in jus eundi neceſſitate tractatum fuit: nunc autem (id eſt, hac lege) ſubjungitur, quibus caſibus & cauſis quis ab ea neceſſitate liberetur. Gajus ſane lib. 1. Interpretationis XII. Tabularum, cauſas illas, hac lege comprehenſas, his verbis, in *l.* 22. *§.* 1. *π. de in jus vocando.* complexus eſt. *Qui* (inquit) *in jus vocatus eſt, duobus caſibus* DIMITTENDUS *eſt: Si quis ejus perſonam defendet: Et, ſi dum in jus venitur, de re tranſactum fuerit.* Quae utique Gaji verba, manifeſtiſſimam trium priorum hujusce legis capitum ſententiam continent. Tandem, ſi ſuperior emendatio noſtra minus placet, placeat haec, legendum videri *Lea Ælia Sextia:* nempe a Tripartitis Sexti Ælii (de quibus mox) ubi Leges XII. Tabularum cum Interpretatione & legis actionibus legebantur: & unde ferme leges XII. Tabularum petitas tum in foro credibile videatur. Neque temere eſt, quod Pomponius hunc librum extitiſſe aetate ſua ſcribit, eumque velut cunabula juris continuiſſe. Caeterum, eodem modo Cicero Legem Æliam Sextiam dixerit, quomodo ab eodem Sext. Ælio, *Jus Ælianum* dictum, docet Pomponius, *l.* 2. *§.* 7. *π. de origine juris*, & a Sext. Papirio *Papirianum*. Denique legem *Æliam Sextiam* dixerit Tullius, de nomine JCti, ad JCtum Trebatium, & ipſe Topica ſua ſcribens.

Connexitas hujus ſecundae legis cum prima.

ASIDUO] Ælii JCti auctoritate, in hujus vocis interpretatione, utitur Cicero *Topicis cap.* 2. *Locuples eſt* (inquit) *aſſiduus, ut ait Ælius, appellatus ab aere.* Ælii, inquam, id eſt, Sexti Ælii Cati, in Commentariis videlicet ad leges XII. Tabularum. Hunc enim ad leges XII. Tabularum Tripertita ſcripſiſſe, Pomponius auctor eſt, in *l.* 2. *§.* 38. *π. de origine juris.* Quem etiam Feſtus *in fragmentis literae T.* his verbis appellat. *Ælius in XII. Aſſiduus* itaque, locuples eſt. Ex alio tamen pertinet *Locupletis* definitio (contra quam Cujacio viſum, apud Gajum lib. 2. ad XII. Tabulas, prodita in *l.* 234. *§.* 1. *π. de V. S.* Gajus quippe libro ſecundo, tertiam & quartam harum Tabularum interpretatus fuerat. Hoc autem caput (ASIDUO, &c.) ad primam Tabulam pertinere, vel ex ipſo Gajo jam docuimus; quod & ſententia ejus luculenter oſtendit. Poſtremo quis Gajum hoc ad caput reſpexiſſe credat, quid *Locuples*, non quid *aſſiduus* ſit, definientem?

Sex. Ælii Commentarii ad l. XII. Tab.

Locupletis definitio a Gajo tradita quo pertineat.

VINDEX] Optime omnium Feſtus, e Verrio Flacco: *Vindex* (inquit) *ab eo, quod vindicat, quominus is, qui prenſus eſt, ab aliquo teneatur.* Et ad eandem mentem Gloſſis, Vindex ἔκδικος. Delicati proinde, quibus Feſtus hac parte non ſatisfacit. Imperiti etiam, qui *Vindicem* a *Vade* ſeparare neſciunt: ut proxima Tabula dicetur.

Vindex recte a Feſto definitus.

PROLETARIO] Proletarii, iidem cum illis, qui apud Atticos Θῆτες dicebantur. Θῆτες (ait Harpocration) οἱ ἀπορώτατοι ἐλέγοντο. Subjicit. οὗτοι δὲ οὐδεμιᾶς μετεῖχον ἀρχῆς, ὡς καὶ Ἀριστοτέλης δηλοῖ ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ. ὅτι δὲ οὐκ ἐστρατεύοντο εἴρηκε καὶ Ἀριστοφάνης. His ſimilia videſis apud Plutarchum *in Solone*, & optimum Ariſtophanis ſcholiaſtem ἐν ἱππεῦσι. *pag.* 225. Θῆτες igitur & ab honoribus & a militia arcebantur: quod ipſum de Proletariis Paulus apud Gellium *lib.* 16. *cap.* 10. tradidit. *Neque proletarii* (inquit) *neque capite cenſi* MILITES, *niſi in tumultu maximo, ſcribebantur.*

Proletarii & Θῆτες iidem.

CUIQUI VOLET] Cl. Salmaſius *de foenore Trapezitico p.* 644. 645. reſcribit CIVI, QUI SOLVET. quaſi veresimile non ſit, acceptum proletarium proletarii vindicem: imo enim eum, qui proletario vindex eſſe voluiſſet, debuiſſe ſtatim ſolvere, ut eum vindicaret in jure. Quod ipſe non admitto: ideo ſcil. quilibet pro proletario admiſſus, quod aſſiduum invenire facile non poſſet. Illudque meminerimus, in plebis gratiam multa his legibus ſancita.

ENDO VIA] Quod Gajus dixit ſuperius a nobis citato loco, DUM IN JUS VENITUR, id ita in ipſa lege expreſſum fuiſſe minus dubito, ENDO VIA, *id eſt in via.* Tum enim ferme partes ipſaemet inter ſe de re tranſigebant. Et ad hunc morem, meo judicio, pertinent DOMINI NOSTRI, apud Matthaeum, verba *cap.* 5. *v.* 25. ἴσθι εὐνοῶν τῷ ἀντιδίκῳ σου ταχὺ, ἕως ὅτου εἶ ΕΝ ΤΗ͂Ι ὉΔΩ͂Ι μετ' αὐτοῦ, μήποτέ σε παραδῷ ὁ ἀντίδικος τῷ κριτῇ; vel, ut Lucas ea refert, *cap.* 12. *v.* 58. ὡς γὰρ ὑπάγεις μετὰ τοῦ ἀντιδίκου σου ἐπ' ἄρχοντα, ΕΝ ΤΗ͂Ι ὉΔΩ͂Ι δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ, μήποτε κατασύρῃ σε πρὸς τὸν κριτήν. Ad quem etiam Matthaei locum videndus Chryſoſtomus. Alluſit & ad hunc, in via, dumque in jus itur, tranſigendi morem pereleganter Tertullianus, mores ſaeculi ſui notans, *cap.* 12. *de Patientia: Quis* (inquit) AD JUDICEM CUM ADVERSARIO DIRIGENS, *negotium convenientia ſolvit?* Cen-

In via ſeu dum in jus ibatur, litigatores ipſi tranſigebant.

de IN JUS VOCANDO.

Convenientia, id eſt, pactione, conventione, tranſactione, ut idem *cap.* 22. *de praeſcript.* ſignum concordiae & convenientiae, dixit: & apud Siculum Flaccum *pag.* 6. *Convenientia poſſeſſorum. Ad judicem cum adverſario dirigens*, id eſt, ut DOMINUS NOSTER ait: *ὡς ὑπάγεις μετὰ τοῦ ἀντιδίκου σου ἐπ' ἄρχοντα ἐν τῇ ὁδῷ*, ut Gajus: *dum in jus venitur*, ut Ambroſius *cap.* 9. *de Tobia: dum ad magiſtratum veneris.*

Confuſio duorum capitum.

REM VTI PACVNT, ORATO] Mendoſe ubique caput hoc & ſequens legitur: & quidem apud Ciceronem *lib.* 2. *ad Herennium cap.* 12. ita, *Rem ubi pagunt, orato: Ni Pagunt*, &c. Apud Priſcianum *lib.* 10. mendoſius adhuc, confuſo nempe hoc & ſequenti ita capite: *Rem ubi pagunt orationi pagunt*, &c. Reponendum itaque: *Rem uti pagunt, orato, Ni pagunt.* Quemadmodum apud Porphyrionem *Vocationi* pro *Vocat, Ni*, &c. duobus capitibus inter ſe confuſis, mendoſe legi *ad legem* 1. ſuperius dicebamus: ita hoc loco apud Priſcianum ſimillimo errore verba haec, *Orato, Ni*, &c. *in orationi* coaluerunt. ¶ Diſſimulare vix interea poſſum, locum hunc legendum ita videri: *Rem uti pacunto*, RATO *pacunto*, pro *pacunt ἀρχαϊκώτερον*, quod Contio etiam viſum dudum fuit. RATO vero, id eſt, *ratato*, frequentative pro *ratum habeto*: neque enim vox *Orata* aut ſimilis ad ipſos litigatores pertinens, hoc capite legitima eſſe poteſt: nempe, quod in Praetoris perſonam hoc & proxima ſequentis legis capita concepta fuiſſe, haec primum verba oſtendant, *cauſam conſcito*: mox illa, *cum perorant ambo praeſentes*: denique haec, *ſlitem addicito.* Hujus itaque capitis haec ſententia omnino fuerit: Praetorem *ratum* id habere debere, quod inter ſe litigatores, dum in jus iretur, pacti fuerint: & (ut in lege Solonia erat, unde haec noſtra deſumpta ac derivata eſt) *ταῦτα κύρια εἶναι*, & *περὶ τούτου μὴ δικάζεσθαι*, id eſt, de eo judicium non conſtituere: de qua lege videndus Demoſthenes *adverſus Pantenetum.* Et generalis tamen haec lex eſt de omnibus pactis alio quocunque tempore initis quacunque de re: cujuſmodi lex fuit quoque Athenis, quae *ὁμολογίας* hujuſmodi *κυρίας εἶναι* volebat; de qua vide *Leges Atticas*, a Samuele Petito collectas *pag.* 339. ubi tamen modus additur, *ἐναντίον μαρτύρων* haec pacta inita fuiſſent.

Relativa vox ITA, omiſſa a quibuſdam, hoc caput laudantibus.

NITA PACUNT] vocem hanc, ITA, unus Quintilianus, *lib.* 1. *cap.* 6. ad ſuperiora relativam, ſervavit: cum tamen coeteri, qui capitis hujus meminerunt, eam omnes omittant. ITA ait lex, id eſt (ut immediate praecedente lege dictum eſt) aut vindice dato, aut tranſactione habita.

Series materiarum in XII. Tabulis obſervatur a Triboniano in Pandectis & Codice.

¶ Coeterum (hoc ut obiter dicamus) notanda materiarum ſive rerum hic conjuncta ſeries: nam qua ratione in hac Tabula, eadem & in Digeſtis & Codice, tractatum de *In jus vocando*, ſequitur leges & tituli ad *Vindices* pertinentes, mox tituli de *Pactis & tranſactionibus*: & proxime tituli de *Poſtulando.*

Conſcire cauſam quid.

CAVSAM CONSCITO] Ita manuſcripti *libri ſecundi ad Herennium*: ita quoque Gellius *lib.* 17. *cap.* 2. *Cauſam conſcito*, id eſt, *cognoſcito*, tu Praetor ſcilicet: quam interpretationem in manuſcriptis illis codicibus ſe legiſſe teſtatur Hotomannus. Quod & Cyrilli *Gloſſae* confirmant apertiſſime: hoc modo *συγγινώσκω, σύνοιδα. Conſcio.* At *Gloſſae* Philoxeni, eandem ſyllabam male geminant *conſciſcit, συγγιγνώσκω.* Genuinum itaque XII. Tabularum verbum eſt *conſcita*, non *conſciſcito*, non *gnoſcito*: multo minus *conjicito*, vel *conjicimuto*: longe namque haec duo differebant, *conjicere* & *conſcire*. *Conjiciebant* litigatores, cum per indicem cauſam ſuam, apud Judicem Arbitrumve exponebant, ut ex Aſconio, Gellio, Afranioque apud Nonium liquet. *Conſciebat* vero Praetor, dum poſtulantibus, ſeu perorantibus, per ſe vel alios, litigatoribus, de re tota cognoſcebat. Verba autem haec, *cauſam conſcita*, non ad litigatores: verum ad Praetorem ipſum jus dicentem referri oportere, vel ſequentia ſtatim verba evidenter oſtendunt; haec videlicet: *Cum perorant ambo praeſentes*, mox *ſlitem addicito.* Alios enim eſſe oportet, qui perorant: alium, qui perorantibus aliis de cauſa cognoſcat, & iis addicat. Perperam itaque qui *Cauſae conjectionem* ex hoc capite originem ſumpſiſſe prodidere.

de IN JUS VOCANDO.

CONJICERE & CONSCIRE, ut differant.

MERIDIEM] Atqui Plinius *lib.* 7. *cap.* 60. ſcribit, XII. *Tabulis Ortum tantum & Occaſum nominari: poſt aliquot autem annos adjectum & Meridiem fuiſſe, accenſo Conſulum id pronunciante:* cum tamen *meridiei* mentionem factam in XII. Tabulis, hoc capite Auctor *ad Herennium lib.* 2. *cap.* 13. Gellius *lib.* 17. *cap.* 2. & Cenſorinus *cap.* 23. *de die Natali* diſertis verbis teſtentur. Verum rem totam ita perſpicue componendam exiſtimo. Lux diei in XII. Tabulis duas in partes *παχυμερέστερον* diſtincta ſic fuit, ut una *Ante meridiem*: altera, *Poſt meridiem* diceretur. Neque tamen *Meridies* ipſe lege XII. Tabularum deſignatus ſpecialiter fuit: utpote cum XII. Tabularum conſcribendarum tempore Romae nondum obſervatum fuiſſet praeciſe momentum illud, quod medium diem diffinderet.

LITEM ADDICERE quid.

STLITEM ADICITO] *Litem praeſenti addicere*, quod Praetor hac lege jubetur, non id ſignificat, quod vulgo exiſtimant, abſentem cauſae damno multare; verum praeſenti actionem dare, judiciumque conſtituere: quo ſenſu Trebatius pariter *lib.* 1. *Religionum* JUDICIA ADDICERE dixit, apud Macrobium *lib.* 1. *Saturn. cap.* 16. Poena itaque abſentis haec eſt, quod cum regulariter judicium nonniſi cominus conſiſtentibus litigatoribus & ambobus praeſentibus conſtituatur, hoc tamen caſu, *μονομερῶς* id fiat. Quanquam & jure Attico Arbitri *Διαιτηταὶ* ad ſolem occaſum ſedebant, ſi reus non adeſſet, actori praeſenti litem addicebant; de quo vide *leges Atticas* a Samuële Petito collectas, *pag.* 346.

TEMPESTAS] Non recte quidam hanc vocem hinc expungendam putant, quam in hac l. XII. Tab. fuiſſe Varro, Feſtus, Macrobius, Cenſorinus diſertis verbis teſtantur, quod SUPREMAM abſolute dici apud Plautum obſervent. Fuit enim in Solonis legibus (unde praeſens caput traductum) pariter ita ſcriptum: Ο' ΗΛΙΟΣ ΕΠΙ' ΤΩ͂Ν Ο'ΡΩ͂Ν Ε'ΣΧΑ'ΤΗ Ω'ΡΑ Ε'ΣΤΩ. Stoicus ſcriptor Muſonius (ut Scaliger indicavit) apud Stobaeum de capitali Socratis judicio agens: *Καὶ τριῶν* (inquit) *ἡμερῶν αὐτῷ δοθεισῶν τῇ πρώτῃ ἥττων, καὶ ὁ προειρημένος τῆς τρίτης ἡμέρας* ΤΗ'Ν Ε'ΣΧΑ'ΤΗΝ Ω'ΡΑΝ *παρατηρῶν, εἰ ἔτι* Η'ΛΙΟΣ ΕΠΙ' ΤΩ͂Ν Ο'ΡΩ͂Ν, *ἀλλ' εὐθαρσεῖν τῇ πρώτῃ.* Tranſlatum poſtea jus hoc ad Francos: unde *ſolem collocare, culcare*, in legibus Salicis: vide & Gregorium Turon. *lib.* 7. *cap.* 23.

AD TABULAM SECUNDAM.

De Judiciis & de Furtis.

De Judiciis & de Furtis.

ACtum ſuperiore Tabula *de in jus vocando*; deque iis, quae in Jure, ſeu apud Praetorem, ante Judicium conſtitutum peragebantur. Priore nunc hujus Secundae Tabulae parte, *de judicio ipſo* cavetur. Cujus tractatus (ac proinde hujus Tabulae) lex Prima prorſus intercidit. Conjicere tamen non fruſtra licet, ea lege *de Judice Arbitrove a Praetore addicendo, ſeu dando*, & breviter *de Judicio conſtituendo* actum fuiſſe: quandoquidem lex hujus Tabulae Secunda (mox ut audiemus) eſt, *de die Judicii obeundo, legitimisque Vadimonii deſerendi cauſis.*

Secunda lex ſecundae Tabulae, *de legitimis Vadimonii deſerendi cauſis*, concepta.

Numa R. ii.*] Hanc legem hac in Tabula ſecundam, atque e Regiis Numae legibus, huc translatam, ſeu transfuſam, docet Atejus Capito apud Feſtum, in v. *Reus*, ultimam videlicet ejus ſententiam recitans: Numa (inquit) in secunda tabula, secunda lege: *in qua ſcriptum eſt. Quid* Horum fvit vnvm *Judici, Arbitrove, Reove, eo die diffenſus eſto.*

Hac interim ex clauſula (utpote verbis ad praecedentia quaedam relativis concepta) conſtat, Causas aliquot, ob quas *vadimonium* deſerere liceret, hac lege deſignatas recenſitasque fuiſſe. Et vero id ita ſe habere, oſtendit Ulpianus apertiſſime, cum in *l. 2. §. 3. π. ſi quis cautionibus* ſcribit: *Lex XII. Tabularum*, Si ivdex vel altervter ex litigatoribus Morbo sontico impediatur, *jubet* diem ivdicii esse diffisvm.

Quod cum ita ſit, Regulam ſane his quoque exceptionibus ſeu Vadimonii deſerendi cauſis, legis hujus initio praemiſſam fuiſſe oportet. Et hanc quidem ferme: *Judice arbitrove addicto*, Vades svbvades *danunto: Vadimonii deſerti* & eremodicii *uti pacunt poena eſto.* His enim poſtea verbis quam apte exceptiones illae, de quibus modo dixi, cohaeſerint, nemo non videat. Teſtatur certe Gellius *lib.* 16 *cap.* 10. de Vadibus & svbvadibus lege xii. Tabularum cautum aliquid fuiſſe. Nam quod Cujacius conjiciebat, svbvades eoſdem cum *Tutorum nominatoribus* videri, quod hi fidejuſſorum vicem ſuſtineant, a vero multum recedit: Vas enim, ac proinde *ſubvas*, non quilibet fidejuſſor, multo minus Tutoris fidejuſſor erat; verum *vas*, ἐγγυητὴς fidejuſſor judicio ſiſti dicebatur. Ut *ſubvadem* proinde Judiciales ad ſponſiones pertinuiſſe oporteat; & quidem ab actore datum puto, ut *vadem* a reo.

Subvades qui.

Inepti ſunt autem illi, qui Vindicem a *Vade* ſeparare neſciunt. *Vindex* enim reum (ut *ad Tabulam* 1. jam dicere coepimus) ab in jus eundi neceſſitate liberabat: *Vas* autem, ad judicium vocatum ſeu reum certo die adfuturum promittebat: ut vel ex Acrone notum eſt.

Vindicis & vadis differentia.

Male denique illi, qui legem hanc capiti (legis primae, Tabula prima) quod incipit, si morbvs, immediate ſubnectunt: toto genere ſeparatam. Illud enim caput ad tractatum *de in jus vocando*: haec vero lex ad materiam *de Judiciis* pertinet; ad ἐμπρόθεσμον δίκην ἔχοντας, ad eos, quibus ſtatus condictus dies eſt cum adverſario, neque it ea die, ſed eremodicium contrahit. Deinde Gellius *lib.* 20. *cap.* 10. apertiſſimis verbis, hanc legem ab illo capite, si morbvs, ſejunctam fuiſſe docet: ſic enim de utraque lege agens: *Morbus* (inquit) *in lege* * *iſtu non febriculoſus, neque nimium gravis eſt: Caeteroqui morbum vehementiorem vim graviter nocendi habentem, Legum iſtarum ſcriptores*, alio in loco, *non per ſe Morbum, ſed Morbum ſonticum appellant.* Sed ha-

Caput, *Si morbus*, primae Tabulae ab hac lege ſejunctum fuiſſe.

* *Si in jus vocat*: cujus membrum eſt caput, *Si morbus*

ctenus caput illud ad primam legem primae Tabulae pertinere: hanc autem legem, hac ſecunda Tabula ſecundam fuiſſe, perſpicuis ſuperius teſtimoniis & argumentis oſtendimus.

De Judiciis & de Furtis.

Votum, absentia reipublicaErgo] Hae duae legitimae Vadimonii deſerendi cauſae (*Votum* ſcilicet, & *Abſentia. Reip. ergo*) a me nunc primum eruuntur; e primo videlicet Gaji ad l. xii. Tabul. libro: cujus libri poſteriore parte Gajus hanc ſecundam Tabulam interpretatus fuerat. Gaji igitur verba de Voto ſunt haec (*in l.* 233. §. 1. *π. de V. S*) Post *Kalendas* (inquit) *Januarias, die tertio, pro ſalute Principis*, Vota *ſuſcipiuntur.* Haec de Voto. At de Absentia ſunt iſta ejuſdem Gaji in *l.* 6. *π. ſi quis cautionibus. Si is qui fidejuſſorem dederit, ideo non ſteterit, quod* Reipublicæ causa abfuit, *iniquum eſt fidejuſſorem* * *ob alium neceſſitate ſiſtendi obligatum eſſe; cum ipſi liberum eſſet non ſiſtere.*

* qui lege xii. Tab. vas dicitur.

Prior ſuperiorum (*de voto* ſcilicet) legum (e primo Gaji ad l. xii. Tabularum libro deſumptarum) quorſum pertineret, parum liquere ſibi profeſſi ſunt hactenus omnes. Unus Cujacius eam ad illam Ciceronis legem, *Caute vota reddunto*, retulit. Verum, nec decemviralem eam legem fuiſſe, ſed fictitiam eſſe conſtat: neque ſi fuiſſet, libro primo a Gajo exponi ea debuit, ſed quinto potius: cujus pars poſterior Decimae Tabulae, ſeu *Juri ſacro* interpretando deſtinata erat. Pertinet itaque ſententia illa Gaji *de voto* ad juſtas vadimonii deſerendi cauſas, & nominatim quidem ad Voti publici exceptionem, ſeu excuſationem: cujus exemplum illud ex aevi ſui uſu Gajus attulit.

Votum juſta Vadimonii deſerendi cauſa.

Gaji ad xii. Tab. librorum ordo.

v. *l.* 8. & 17. *C. Th. de paganis.*

Dixi Publici. Itaque quod in ipſa lege, *ReipublicaErgo*, addidi, non ad proximum tantum *Abſentiae* verbum, verum & ad anterius hoc, Voti nempe, referri cupio. Quod exemplum a Gajo adductum mihi primum perſuaſit. Dein, & ratio: quis enim alioquin, ad evitandam vadimonii deſerti poenam, non *privatum* aliquod Votum ſimulaturus aut affectaturus eſſet? Subjungam & in eam rem tertio loco exemplum Jurisjurandi Militaris, quod e libro quinto Cincii de re Militari memorat Gellius *lib.* 16. *cap.* 4. quod etiam totius hujus legis inſtar & ſimilitudinem quandam nobis exſubet: *Niſi harumce quae cauſa erit, funus familiare, feriaeve denicales, quae non ejus rei cauſa in eum diem collatae ſint, quo is eo die minus ibi eſſet*, Morbus sonticus, *auſpiciumve, quod ſine piaculo praeterire non liceat*, sacrificium *anniverſarium, quod recte fieri non poſſet, niſi ipſus eo die ibi ſit, vis hoſtisve*, Status condictusve dies cum hoste: *Si cui eorum harumce quae cauſa fuerit, tum ſe poſtridie, quam per eas cauſas licebit, eo die venturum.*

Exempla veterum legum interpretes, ex aevi ſui uſu proponunt.

Publicum votum, vadimonium deſerentem excuſat.

Legitimis quoque vadimonii deſerendi cauſis hac lege expreſſis, non male connumerari poſſit & haec, ex Varronis Satyra, quae inſcribitur παπίας πάππος περὶ ἐγκωμίων, quae neſcio quid venerandae vetuſtatis praefert, & apud Nonium extat *cap.* 1. *in verbis Nebulones & tenebriones: Si &* * *Accuſator* (inquit) *& Reus erunt* Tenebriones, *uterque utrumque vituperato.* Ubi *Tenebrionis* appellatio proprie accipienda de eo, qui vadimonium deſerit; quemadmodum, altero hoc Varronis loco, pro eo, qui citatus ad delectum non reſpondet. *Manius Curius Conſul in Capitolio cum delectum haberet, nec citatus in tribu civis reſpondiſſet; vendidit Tenebrionem.* Itaque gemina huic prorſus Ulpiani ſententia, quae extat in *l. ult.* §. 3. *π. de eo, per quem factum.*

Compenſatio deſerti Vadimonii.

* forte actor.

Tenebrio pro Vadimonium deſerente.

De judiciis. Teſtimonii denunciatio.

Cvi testimonivm] Judicio a Praetore conſtituto (id eſt, Judice arbitrove addicto, actioneque data: Vadibus item & Subvadibus a litigatoribus interpoſitis) ſequebatur *Teſtimonii denuntiatio*: de qua ad *caput* 1. *legis* 1. *Tabula* 1. jam dicere praevertimus. Ubi illud etiam notatum eſt, male ad hanc Teſtimonii denunciationem a Cujacio referri e Gaji libro primo ad XII. Tabul. *legem* 18. *π. de in jus vocando*. Sed hoc praeterea argumento manifeſtius id jam fiet. Nam cum Tribonianum leges, ex uno eodemque Juriſconſulti libro deſumptas, in Pandectis, ſub ſingulis titulis eo ordine, quo ab ipſis Juriſconſultis conſcriptae fuerant, collocaſſe conſtet: hactenus autem *legem* 22. §. 1. *π. de in jus vocando*, ex illo Gaji libro primo deſumptam, ad *legem ſecundam primae Tabulae* pertinere liquido docuerimus: cauſa ſane proferri nulla poteſt, cur *leu.* 18. *illius tituli*, illa *lege* 22. anterior, ad hoc caput, longe remotius (utpote ſecundae Tabulae) referenda videatur. Hanc vero Legem Cl. Salmaſius *Obſerv. ad jus Atticum & Rom. p.* 817. alteri illi, Qui *ſe ſinit atteſtarier*, &c. (quae a nobis 7. Tabula collocata eſt) in λειπομαρτύριον cohaeſiſſe ſubjiciendamque putat: & *defagerit*, pro *defaeris* ſubſtituit: mox totum hoc caput ita reformat: *Cui teſtimonium defagerit, is tertiis diebus ob portum ei vagulatum itor.* Mihi nil tale placet: hoc enim caput eſt de teſtimonii denuntiatione in judicio conſtituto; teſtiſque *inquiſitione*.

Ordo legum & ſententiarum e Juriſconſultis deſumptarum, in Pandectis ſub ſingulis titulis a Triboniano ſervatus.

de Furtis Secunda Tabula actum.

De Fvrtis] De Furtis haec ſecunda Tabula actum fuiſſe, ex hoc Gellii loco *lib.* 7. *cap.* 15. clarum & manifeſtum eſt. *Labeo* (inquit Gellius) *in* Libro de XII. Tabulis secundo *acria & ſevera Judicia de Furtis habita eſſe apud Veteres ſcripſit*, &c. Egit proinde Labeo libro ſecundo Commentariorum ad L. XII. Tabularum, *de Furtis*: quo is ſecundam hanc Tabulam interpretatus fuerat. Scripſerat quippe Labeo XII. Commentariorum ad Leges XII. Tabularum libros, ſingulos videlicet ſingulis Tabulis reſpondentes. Ex his ſane Labeonis Commentariis memorat & alia praeterea duo fragmenta Gellius: unum, *libro* 1. *cap.* 12. quod *ad Tractatum de ſucceſſionibus ab inteſtato* pertinet: alterum autem *lib.* 20. *cap.* 1. quod ad *Delictorum* materiam referendum eſt.

At non unico ſaltem illo Labeonis teſtimonio docemur, de Furtis haec ſecunda tabula actum fuiſſe: verum & tribus praeterea Gaji fragmentis (ex primo ejus ad XII. Tabulas Interpretationum libro deſumptis: quo primam & ſecundam Tabulam interpretatus is fuerat) nempe, ex *l.* 233. §. 2. *π. de V. S.* & ex *l.* 2. & 4. *π. arborum furtim caeſarum.*

de Judiciis prius quam de Furtis actum Secunda Tabula.

Ex harum porro Gaji legum priore (puta *l.* 133.) apparet manifeſtiſſime, *de Judiciis*, priusquam *de Furtis* hac Tabula cautum fuiſſe. Legis, quippe illius *paragraphum primum ad Judicia* Tabulamque hanc ſecundam pertinere paulo ante manifeſte oſtendimus: at *paragraphus ſecundus* (ut modo dicebamus) ad tractatum *de Furtis* apertiſſime pertinet.

Ordo ſententiarum Gaji captum e XII. Tabulis, ordinem oſtendit.

Illud dictu difficilius, qua ratione ſcilicet Decemviri *de Furtis* hoc ordine, ſeu hac Tabula egerint, cum de reliquis Delictorum ſpeciebus ſeptima Tabula caverint: quod idem de Edicto perpetuo, atque inde de Pauli ſententiis & Codice Juſtinianeo quaeri merito poteſt.

Ratio ordinis, ſeu cur de Furtis ſecunda Tabula actum fuerit, in obſcuro eſt.

De Furtis.

Si nox, &c.] Mutuatum hoc jus e Solonis legibus. Demoſthenes *adverſus Timocratem* εἴτις νύκτωρ ὁτιοῦν κλέπτοι, τοῦτον ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι καὶ τρῶσαι διώκοντα. Rationem hanc Ulpianus Rhetor aſſignat, quod ἐν νυκτὶ οὐ δύναταί τις βοηθοὺς καλέσαι αὑτῷ, vel hac ſola itaque ratione apparet, *legem* 4. §. 1. *π. ad l. Aquil.* νοθεύεσθαι, cum Tribonianus quaeſito Gaji nomine, hanc conditionem, velut XII. Tabulis expreſſam, in interficiendo fure nocturno adjecit: *Ut tamen id ipſum cum clamore teſtificetur.* Quid; quod Cicero, Seneca, Ulpianus, & poſt hos omnes D. Auguſtinus, diſertis verbis, lege XII. Tabularum, nocturnum furem impune Quoquomodo, omnimodo occidi teſtantur? Sed hac de re ad illum Gaji locum pluribus jam *lib.* 3. *Probationum* nobis ſuperius actum.

Nocturnum furem, omnimodo quoquomodo, occidere, XII. Tabulis permiſſum. Triboniani facinus.

Si se telo defensint] Huc pertinet Teli definitio, apud Gajum lib. 1. ad l. XII. Tabularum, quae extat in *l.* 233. §. 2. *π. de V. S.* Coeterum, quod exemplo Graeci nominis confirmat Gajus, id docet etiam Heron Cteſibii in βελοποιικοῖς: βέλος δὲ καλεῖται (inquit) πᾶν ἐξαποστελλόμενον ὑπὸ τῶν ὀργάνων, ἢ ἀπὸ ἄλλης τινὸς δυνάμεως, οἷον τόξου, σφενδόνης, ἢ ἄλλου τινός. *Telo* igitur defendentem ſe furem diurnum occidere lege XII. Tabularum licuit. Neque indiſtincte tamen, quod horum fragmentorum Collectores nonnulli exiſtimaſſe videntur: ſed prius id cum clamore dominus teſtificaretur, ut docet Gajus *d. l.* 4. *π. ad l. Aquil.*

Clamor in diurno Fure jure occidendo neceſſarius.

Et eo quidem referri convenit has voces Endoque plorato, quas Feſtus, diſertis verbis, ex Legibus *in vocibus*, Sub *vos placo*, refert. *Sub vos placo* (inquit) *in precibus fere cum dicitur, ſignificatur id, quod ſupplicio: at in* Legibus, *Transque data*, & Endoque plorato. *In Legibus* quod ait Feſtus ἁπλῶς, Leges XII. Tabularum intelligit. Nam & alterum illud, *Transque data*, ex iiſdem deſumptum eſſe, Tabula ſexta conſtabit.

Eam porro vocem Endoplorato Feſtus alibi ſic interpretatur: *Endoplorato, id eſt implorato, quod eſt cum queſtione inclamare.* Et *Gloſſae* etiam Philoxeni (quibus complures verborum ad XII. Tabulas pertinentium interpretationes contineri jam aliquot exemplis oſtendimus) τὸ *Endoplorato* ἐπικάλεσον reddunt.

Endoplorato pro implorato.

SI iniuria alienas arbores] Huc pertinent duae Gaji leges e primo ejus ad Leges XII. Tabularum libro: nempe *l.* 2. & *π. arborum furtim caeſarum.* Libri primi quippe numerum, qui in inſcriptione legis quartae intercidit, ex *l.* 2. ſuppleri oportet.

Inſcriptio *l.* 4. *π. arborum furtim caeſarum* emendatur.

Fvrtivæ rei, &c.] *Atinia* lege caput hoc poſtea reductum, repetitumque, non iiſdem omnino verbis: ſic enim lex Atinia concepta fuit, referente Gellio *lib.* 17. *cap.* 7. Quod *ſubreptum erit, ejus rei aeterna auctoritas eſto.* Latior vero ſubrepti, quam *furtivi* ſignificatio, veluti ſi uxor amovit. ¶ Deinde & haec exceptio addita, qua furti vitium eluetur; his ferme verbis: *Ni in poteſtatem ejus, cui ſubrepta erit, revertatur*, ut docet Paulus *l.* 4. §. 6. *D. de uſucapion.* & in *l. poteſtatis* 215. *D. de V. S.*

de Furtis. Atinia lege quid XII. Tabulis additum.

AD TABULAM TERTIAM.

De Rebus Creditis

De Rebus Creditis.

De *rebus creditis* hac Tabula cautum fuiſſe, docet Gajus, cum Dionyſio Halicarnaſſeo collatus. Nam cum ea, quae ſuperſunt ex ſecundo Gaji ad l. XII. Tabularum libro (quo Gajus Tertiam hanc & Quartam Tabulam interpretatus fuerat) fragmenta, ad tractatum *de Rebus Creditis* pertineant: at *de Jure patrio* Quarta Tabula actum fuiſſe diſertis verbis Dionyſius *lib.* 2. teſtetur: ſupereſt omnino, ut Tertia hac Tabula *de Rebus creditis* actum fuerit.

De Rebus Creditis

Si

De Rebus creditis. · Dupli poena Fures, & quaſi fures XII. Tabulis mulcti.

SI QVID ENDO DEPOSITO] *Depoſitarius*, qui in depoſito; Tutor, qui in rebus pupillaribus dolum admiſit, dupli poena ex lege XII. Tabul. tenetur: uterque enim furis inſtar eſt, *l.* 55. §. 1. *D. de adminiſtrat. tutorum.* & *l.* 13. *D. depoſiti.*

SI qui VNCIARIO foenore] Haec lex non ex Attico jure deſumpta fuit, ubi uſura ſine modo certo fuit: verum ex propriis moribus, ut multae aliae, de quibus *cap. de harum legum origine.* Vide quae hanc ad rem Cl. Salmaſ. *praefat. de Foenore trapezitico.*

ADVERSVS HOSTEM] HOSTIS pro *peregrino* duobus locis in his Tabulis acceptus. Cicero *lib.* 1. *Officior. cap.* 12. HOSTIS *apud Majores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus: indicant enim XII. Tabulae. Aut ſtatus dies cum hoſte: itemque. Adverſus hoſtem aeterna auctoritas eſto.* Horum priorem locum ad ſecundam Tabulam pertinere jam docuimus. Ad poſteriorem hunc itaque omnino referenda eſt Gaji interpretatio (quae extat in *l.* 234. *in princ. π. de V. S.* ex ſecundo ejus ad XII. Tabulas libro) Quos *nos* (inquit) HOSTES *appellamus, eos veteres perduelles appellabant, per eam adjectionem indicantes, cum quibus bellum eſſet.* Error enim eſt nonnullorum, qui argumento hujus *l. Gaji* 234. legem comprehenſam fuiſſe in XII. Tab. volunt, in Juris publici tractatu, in perduelles, ſeu de poena perduellionis. Quod quidem etiam non patitur argumentum & ſeries legum ex libro 2. Gaji deſumptarum.

Hoſtis interpretatio apud Gajum quo pertineat.

Porro ut hac lege *uſucapione* ſibi adquirere PEREGRINUS prohibetur, ita & coeteris adquirendi modis jure civili proditis arcebatur. *Mancipatio* (ait Ulpianus *in fragm. tit.* 19. §. 4.) *locum habet inter cives Romanos, eoſque* PEREGRINOS, *quibus commercium datum eſt.*

Mutila XII. Tabularum capita apud priſcos ſcriptores.

ÆRIS CONFESSI] ad hujus legis interpretationem pertinent duo Gaji fragmenta: nempe §. 1. & 2. *legis* 234. *D. de V. S.*

REBVSQVE IVRE IVDICATIS] Sic habet Gellius *lib.* 20. *cap.* 1. cum tamen idem alibi, *lib.* 15. *cap.* 13. vocem IVRE omittat. Non hoc tantum in hiſce Tabulis exemplum, verum plura alia capitum, alibi contractius, alibi plenius prolatorum: quorum unum jam ad Tabulam 1. notavimus.

ENDO EO] *Endo em jure*, id eſt, cum in jure: ita Salmaſ. *de modo uſurar. pag.* 819. Imo ſervandum, Endo eo, id eſt, interea, quod & *entendia* ἐν τῷ μεταξὺ in *Gloſſis.*

Libra farris diarium vinctorum nexorumque.

LIBRAS FARIS ENDO DIES] Locus hic, ſi quis horum fragmentorum alius, viros doctos jampridem exercuit: quaenam videlicet δεσμωτηρία δίαιτα, ſeu quodnam vinctorum nexorumque diarium, qui cibus non diurnus, his verbis contineatur. Male illi, qui *libra* ſeu *libram S.* id eſt, *libram ſemis* hic legendum autumant. Neque enim hic diarii modus legitimus, verum legitimo anguſtior, & iniquior fuit, ut ex Bibaculo liquet, qui Catonis frugalitatem ſolito majorem ſic deſcribit:

De Rebus creditis.

Quem tres caliculi, SELIBRA FARRIS,
Racemi duo, tegula ſub una
Ad ſummam prope nutriunt ſenectam. & Deparcus maritus apud Titinnium *Gemina:*
LIBRAM ajebant ſatis
Eſſe AMBOBUS FARRIS intriti: plus comeſt
Sola uxor.

Hieronymus *Comm. in* 4. *cap. Daniel. DECEM pondo UNCIÆ diurnae, & aquae tertia ſextarii pars, (bis) anima magis trahitur, quam ſuſtentatur. Qui cibus ac potus juxta inclytum oratorem Demoſthenem non vires tribuit, ſed mortem prohibet. Librae* itaque *farris in dies* hac lege ſunt, *ſingulae librae in ſingulos dies.* Hic enim diarii modus erat, quod (ut alios omittam) Horatius quoque *lib.* 1. *Satyr.* 5. *v.* 68. teſtatur . . . . *Regabat*
Denique, cur unquam fugiſſet, cui ſatis UNA
FARRIS LIBRA *foret.*

Libra itaque farris in diem τὴν ἡμέραν. Librae in dies; ſingulae in ſingulos. Formula haec, IN DIES, non ſemel apud Catonem libro *de re ruſtica cap.* 57. ubi definit *vinum familiae quantum detur*, ut cum ait, *heminas in dies*, item, in *dies ſextarium.* Lucilius *lib.* 28. *Cui ſaepe mille* impoſui *plagarum* IN DIEM, apud Nonium *cap.* 9. *v.* 3. Quo iniquiorem minorem, lex haec nexo dari vetat, majorem permittit.

SI VOLET PLVS DATO] Libra farris diarium vincti lege XII. Tabular. conſtitutum, ita videlicet, ut ne minus dare liceat: at plus dare licet. Ovidii illud ſimile *lib.* 2. *Faſtor. v.* 537.
Tegula porrectis ſatis eſt velata coronis,
Et ſparſae fruges, ſparſaque mica ſalis.
NEC MAJORA VETO: ſed & his placabilis umbra eſt, &c.

In conditione monumenti, ſeu ſepulchri faciendi a teſtatore certo aureorum numero addito, idem *l.* 202. *π. de V. S.* ubi v. quae notari ſolent.

LX. DIES ENDO VINCULIS] Huic ſimile, quod conſtituitur *l. debitoribus* 31. *in fin. π. de re judic.* & *l.* 1. *C. Th. de diſtrah. pignor. l. un. C. Th. de uſuris rei judic.*

VENVNDANTO] v. Matthaei *cap.* 18. *v.* 25.

AD TABULAM QUARTAM.

De Jure Patrio.

De Jure PATRIO.

DE *Jure Patrio* hac QUARTA Tabula ſancitum fuiſſe diſertis verbis Dionyſius Halicarnaſſeus *lib.* 2. *pag.* 97. teſtatur. De Jure quippe patri filium ter venundandi conceſſo agens, legem de eo in QUARTA Tabula nominatim fuiſſe ſcribit: καὶ ἔστιν (inquit) ἐν ΤΗ͂Ι ΤΕΤΆΡΤΗΙ τῶν λεγομένων δώδεκα δέλτων.

Monſtroſi partus necati.

PATER inſignem &c.] Corruptus de hoc capite Ciceronis locus *lib.* 3. *de legibus cap.* 8. vulgo creditur. *Cum eſſet*, inquit, *cito legatus, tanquam ex XII. Tabulis inſignis ad deformitatem puer.* Itaque varie eum reſtituunt: vel *cito necatus*; quae Puteani conjectura fuit: vel *Orco legatus*; quod Gulielmus volebat: vel *cito legatus*, vel *cito lethatus*, id eſt, *letho datus. Quid ſi, Cocyto legatus? Alias legatus* Fr. Pithoeo. Necati certe monſtroſi partus vel aqua vel igni.

De Jure Patrio.

Aqua: Seneca, *lib.* 1. *de ira cap.* 15. *Portentoſos foetus EXTINGUIMUS, liberos quoque, ſi debiles monſtroſique editi ſint, mergimus:* quanquam pro *mergimus*, libri quidam *abigimus.* Idem etiam Tibullus *lib.* 2. *El.* 2. *Prodigia indomitis merſa ſub aequoribus.* . . .

Igni: Ennius apud Nonium in v. *Auſcultare.*
Mihi auſculta, nate: pueros cremari jube.

Idque infoelici arbore factum. Macrobius *Saturnal. cap. ult. Arbores, quae inferûm deorum avertentiumque in tutela ſunt, eas infelices nominant. Alternum ſanguinem, filicem, ficum atrum, quaeque baccam nigram nigroſque fructus ferunt, itemque acrifolium, pirum ſilvaticum, ruſcum, rubum, ſenteſque, quibus portenta prodigiaque mala comburi jubere oportet.* Ut ita monſtroſi partus in Tyberim projici, vel ad Tybe-

De Jure Patrio.

ris ripam exponi hac lege jubeantur. Romuli certe lege (unde haec noſtra traducta) expoſitos monſtroſos partus teſtatur, Dionyſius Halicarnaſſeus, *lib. 2. pag.* 97. Servari tamen poteſt illud *cito legatus*, illo proverbio, monſtrum in ultimas terras deportandum: *Legatus* pro ablegatus; *cito*, id eſt, ilico, protinus.

Insignem] inſignis παρήνεμος καὶ aliquo membro mutilato inſignis: Plautus *in Milite glorioſo Act. 3. ſc. 1. v.* 127.

Tum ne uxor mihi inſignitos pueros pariat poſtea,
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut paetum, aut broncum filium.

Curtius *lib. 9. cap. 1. Inſignes aut aliqua membrorum parte inutiles.* Lucretius: *Inſignis varis cruribus.*

Regiae leges in XII. Tabulas translatae appellationem ſuam retinuerunt.

Endo liberis, & Si Pater] Ut ſuperius caput, ita & haec duo e legibus Regis translata fuiſſe docet idem Dionyſius Halicarnaſſ. *d. lib.* 2. Ideoque Papinianus apud Auctorem *Collationis legum Moſaicarum tit. 4. §. 8. Cum patri* (inquit) Lex Regia *dederit in filium vitae necisque poteſtatem.* Ubi notandum, etſi nonnullae leges Regiae in XII. Tabulas conjectae fuiſſent, a prima nihilominus earum origine *Regias* dici perſeveraſſe. Imo & Regum ipſorum nomina, a quibus latae fuiſſent in XII. Tabulis adſcripta fuiſſe Feſtus oſtendit, in v. *Reus.* Numa (inquit) *in ſecunda Tabula ſecunda lege, in qua ſcriptum eſt*, &c.

Coeterum, quod patriae poteſtatis jus *lege Regia* inductum Papinianus ait, idem & Dionyſius Halicarnaſſeus XII. *Tabulis repetitum* docet. Id Ulpianus *moribus receptum* ſcribit in *l. 8. π. de his qui ſui.* & Conſtantinus Imp. (in *l. 2. Cod. Theod. de liberali cauſa*) *a majoribus conſtitutum* ait. Neque ideo tamen dicendum ſtatim, ea, quae Veteribus primum legibus (ut puta XII. Tabulis) inducta ſunt, *moribus* ſaepe adſcribi. Ulpianus quippe jus patriae poteſtatis non *moribus introductum*, ſed *receptum* ſcribit. *Subſtitutio* etiam *pupillaris* ideo *Moribus* fieri, ab Ulpiano in *l. 2. π. de vulgari & pupill. ſubſtitut.* dicitur: quia non ſcripta nominatim lege, verum Prudentum interpretatione inducta fuit. *Interdictio* quoque bonorum, quae prodigo fit, Moribus fieri ideo a Paulo *lib. 3. Sent. tit. 4. §. 7.* dicitur, quia jus illud primitus & ab initio moribus introductum fuit. Sic enim Ulpianus *l. 1. π. de curator. furioſo:* Lege *XII. Tabularum* (inquit) *prodigo interdicitur bonorum ſuorum adminiſtratio: quod* Moribus *quidem ab initio introductum eſt.* Itaque quod Moribus, duobus illis exemplis, adſcribitur, vel lege XII. Tabularum antiquis, vel poſterius eſt.

De Jure Patrio.

Moribus adſcribitur, quod lege XII. Tabul. antiquius vel poſterius eſt.

Si pater &c.] Hoc caput non videtur recte intellexiſſe Dionyſ. Halic. *lib. 2. pag.* 98. obi de trina filii venditione a patre per tres vices facta id accipit: eaque occaſione, in hanc legem invehitur, quaſi duram & tyrannicam, cum ſervi una venditione & poſt eam manumiſſione liberi fierent.

AD TABULAM QUINTAM.

De Jure Hæreditatium & Tutelarum.

De Jure Haereditatium & Tutelarum.

Sequuntur Quinta & Sexta harum XII. Tabularum. Harum alterutra de *Jure dominii & Poſſeſſionis* actum oportet. Quatuor enim, quae superſunt e tertio Gaji ad XII. Tabulas libro, quo Quintam is Sextamque Tabulam interpretatus eſt, ad eum de *Jure Dominii & poſſeſſionis* tractatum pertinent. Verum ad Quintamne, an vero ad Sextam id pertineat, ſtatuere ut poſſimus: advocanda nobis Pandectarum ſeries eſt. Quatuor ſuperioribus Tabulis totidem Digeſtorum partes reſpondere jam vidimus. Quinta Digeſtorum parte de *ſucceſſionibus*; ſexta *de Jure dominii & poſſeſſionis* quoque agitur. Itaque, fragmenta ea, quae dixi, Gaji ad ſextam Tabulam pertinebunt: Quinta vero *de jure haereditatium* actum fuerit.

Teſtati cauſa & tractatus, prior in XII. Tabulis, quam Inteſtati.

Paterfamilias] De *Teſtati cauſa* XII. Tabulis prius, quam de *ſucceſſionibus ab inteſtato* actum fuiſſe, verbis expreſſis Ulpianus in *l. 1. π. ſi tabulae teſtamenti nulla extabunt*, teſtatur. *Poſteaquam* (inquit) *Praetor locutus eſt de bonorum poſſeſſione ejus, qui teſtatus eſt, tranſitum fecit ad inteſtatos: eum ordinem ſecutus, quem &* Lex XII. Tabularum *ſecuta eſt. Fuit enim ordinarium ante de Judiciis teſtantium: dein ſic de ſucceſſione ab inteſtato loqui.* Idque docet etiam capitis ipſius *de cauſa inteſtati* principium; quod ſic habet: Ast *ſi inteſtato moritur.* Quae verba ſane relationem & oppoſitionem continent ad *Teſtatum patremfamilias:* de quo praecedenti capite actum fuit. Eſt itaque caput *de Inteſtati cauſa*, pars altera, ſeu membrum legis hujus, *Paterfamilias.* Et hinc eſt quoque quod auctor *ad Herennium lib. 1. cap.* 13. & Cicero *lib. 2. de Inventione cap.* 50. caput *de Inteſtati cauſa* recitantes, verbum hoc, *Paterfamilias*, ab hujus legis principio, & ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, explendae illius ſententiae cauſa, ad id repetunt: *ſi paterfamilias*, inquiunt, *inteſtato moritur.* Cum tamen in ipſis Tabulis verbum hoc *paterfamilias* eo capite repetitum non fuiſſe, ex Ulpiano apud Auctorem *collat. legum Moſaicarum tit. ult.* Pauloque in *l. 9. π. de liberis & poſthum.* ſatis conſtet.

Caput, *Aſt ſi inteſtato moritur*, legis *paterfamilias* pars eſt. Principium Legis, capitibus ſingulis inferendi mos.

De Jure Haereditatium & Tutelarum.

Ast si intestato] *Succeſſionis legitimae*, Gentilitiae aliae, Libertorum aliae. *Gentilitiae* eorum, qui genus gentemque habent, ſeu ingenuorum. Ulpianus apud Auctorem *collationis legum Moſaicarum tit. ult. §. 4. Inteſtatorum Gentilitiorum haereditates pertineat primum ad ſuos haeredes: ſi ſui non ſunt, ad Conſanguineos: ſi nec hi ſunt, ad reliquos Agnatos: ſi Agnatus non ſit, Lex XII. Tabul. Gentiles ad haereditatem vocat.* Quod verbum Gentilitiorum in *Ingenuorum* mutavit Anianus in epitoma Ulpiani *tit. 26. §. 1.* Praeter Ciceronem *lib. 1. de Oratore cap.* 39. Suetonius etiam *in Julio cap. 1.* Gentilitiarum haereditatum meminit. *Sacerdotio* (inquit) *& uxoris dote, &* Gentilitiis Hæreditatibus *multatus.* Et hoc loco Plinius *Panegyrico cap. 37. Manifeſtum* (inquit) *erat, quod non laturi homines eſſent, deſtringi aliquid & abradi de bonis, quae ſanguine,* Gentilitate, *ſacrorum denique ſocietate meruiſſent.* Et Catullus *ad Manlium:*

Nomen teſtatas intulit in tabulas,
Impia deriſi Gentilis *gaudia tollat.*

De Gentilitiis ſucceſſionibus.

Varro, rerum humanarum *lib. 20.* apud Nonium in v. *Reditus: Omnes Tarquinios ejecerunt, ne quam reditionis per Gentilitatem ſpem haberent.*

Suorum nomen a Jure Civili non etiam haereditatis, quae ſuis defertur, jus.

Coeterum Gentilitiarum ſucceſſionum *Ordo* hoc capite conſtituitur, ſeu fit, ut loquuntur Impp. in *l. 4. Cod. de ſuis & legitimis haered.* ſeu *ſucceſſiones ordinantur*, ut Auctor *collationis legum Moſaicarum* ſcribit, id eſt, certi gradus ordineſque ſucceſſionum ab inteſtato conſtituuntur. In quo lex Suos haeredes primo loco non tam vocat, quam in conditione poſitos ratione naturali, lege quaſi tacita, jam vocatos (ut Paulus ait in *l. 7. π. de bonis damnatorum*) admittit. Neque enim lex haec ita concepta eſt;

De Jure Haereditatium & Tutelarum.

eſt: *ſuus haeres eſto*: ſed, *Cui ſuus haeres nec extabit*, *Agnatus*, &c. Itaque falluntur graviter, qui ſingulare caput in his Tabulis *de ſuis, ut haeredes eſſent*, fuiſſe exiſtimant. *Suorum* equidem nomen, Jure Civili, his impoſitum fuiſſe docet Paulus *d. l. 7.* At ut haeredes eſſent, non lex XII. Tabul. ſed natura fecit.

Suorum appellatione poſtumi, nepotes, lege XII. Tab. comprehenſi.

Suorum porro appellatione liberos in poteſtate poſitos, filium etiam, poſtumos item nepoteſque hac XII. Tabularum lege comprehenſos, Prudentes ſcribunt *Suorum appellatione* (ait Calliſtratus in *l. liberorum* 220. *π. de V. S.*) *nepotes* &c. *lex XII. Tabularum comprehendit*. Falluntur itaque rurſus, qui hanc Prudentum Interpretationem, ad legem XII. Tabularum accommodatam, ab ipſa XII. Tabularum lege ſeparare neſciunt.

Gentiles qui.

GENTILIS] *Gentiles* apud Ciceronem *in Topicis cap.* 6. Scaevola ſic recte definit: *Gentiles ſunt, qui ab ingenuis oriundi ſunt, quorum majorum nemo ſervitutem ſervivit, qui capite non ſunt diminuti.* Tres interim hos gradus obſerva: Suorum videlicet, Agnatorum, Gentilium: item hos, Domus, Familiae, Gentis. *Gens* plures in ſe familias complectitur, & (ut Cornelius Fronto ait) *ſeriem majorum quaerit.* Suetonius *in Nerone cap.* 1. *Ex gente Domitia duae familiae claruerunt, Calvinorum & Aenobarborum.* At *Familia* plures in ſe domos continet. *Sui* ſunt, ejuſdem domus: *Agnati*, ejuſdem familiae: *Gentiles*, ejuſdem gentis. Sacrorum quoque eadem ratio fuit. *Sui* erant, qui paternis ſacris adſtringebantur: *Agnati*, qui familiaricis: *Gentiles*, qui gentilitiis. Cicero *de Haruſpicum Reſponſis cap.* 15. *Multi ſunt*, inquit, *qui* SACRIFICIA GENTILIA *illo ipſo in ſacello ſtatuto loco anniverſaria factitarunt.* Hinc denique jura Suorum, Agnationum, Gentilitatum: de quibus Cicero etiam *lib.* 1. *de Oratore cap.* 39.

Liberorum appellatio in L. XII. Tab. utrumque ſexum complectitur.

Patronive liberi] *Liberorum* appellatio haec ad utrumque ſexum porrigitur: ut de hoc capite nominatim Ulpianus *tit.* 29. §. 4. teſtatur. Errant itaque, qui ſingularem huic capiti *de liberis virilis ſexus foemininique* clauſulam intrudunt.

Familia liberti & patroni.

EX EA FAMILIA IN EAM FAMILIAM] Fragmentum hoc extat apud Ulpianum in *l. pronunciatio* 195. §. 1. *π. de V. S.* Idque legis XII. Tabularum eſſe, indefinita primum LEGIS appellatio in *ea l.* oſtendit: qua κατ' ἐξοχὴν LEX XII. Tabul. ut ſaepius, indicatur. Tum & alterum hoc fragmentum, quod ibidem e XII. Tabulis idem Ulpianus profert: *Agnatus proximus familiam habeto.* Ulpianus etiam alibi hujus capitis ſententiam edens, ad haec verba indubie alluſit; cum videlicet in *l.* 3. §. 7. *π. de legitimis tutoribus*, ait: *Si alter ex patronis filium, alter nepotem reliquerit, utrum ad ſolum filium, an vero & ad nepotem tutela pertineat, quia & nepos in* FAMILIA *patris ſui proximus eſt.* & rurſum in *l.* 5. *π. de adſignand. libert.* Praetor quoque, qui patroni FAMILIÆ, complures alias perſonas, TANQUAM EX FAMILIA liberti, praelatas voluit, haec legis XII. Tabularum verba indubie imitatus eſt; cum novum hunc bonorum poſſeſſionis gradum fecit: *tanquam* EX FAMILIA, *liberti* ſcilicet. Denique horum verborum, EX EA FAMILIA IN EAM FAMILIAM, manifeſtiſſima haec ſententia eſt: *Ex liberti familia, id eſt, deficiente ſuo liberti haerede, in patroni familiam, id eſt, ad patronum, ſuumque patroni haeredem bona liberti ſucceſſionis jure tranſire ſeu transferri.* Et ita quidem accipienda ſunt Ulpiani verba in *d. l.* 195. §. 1. cum ait is, *Ad perſonas refertur Familiae ſignificatio: ita, cum de* PATRONO *&* LIBERTO *loquitur Lex: Ex ea familia in eam familiam. Et hic de ſingularibus perſonis legem loqui conſtat.*

Haeredes non legatarii, aeri haereditario obnoxii.

Nomina inter HEREDES] Sequuntur, ſucceſſionibus, de quibus ſigillatim ſuperius actum, communia. Sic ſolent & in Digeſtis & in Codice ſpeciebus enarratis communia illis ſingulari titulo ſubjici.

De Jure Haereditatium & Tutelarum.

Hujus porro Capitis ſententia haec eſt, *Obligationes haereditarias inter haeredes pro portionibus haereditariis ipſo jure dividat.* Hinc Prudentes per conſequentiam & argumento a ſilentio ducto colligunt, legatoris creditoribus haereditariis non teneri: quippe cum (ut Impp. in *l. ult. Cod. de haereditar. actionibus* reſcribunt) EVIDENTISSIME *Lex XII. Tabul. haeredes huic rei faciat obnoxios.* Nam eo ipſo, quod Nomina inter haeredes diviſa Lex eſſe jubet, haeredes ſane aeri haereditario obnoxios facit, quos nominat: legatarios liberat, quos ſilentio tranſmittit. Male itaque, qui ſingulare caput (diverſum ab hoc) *ut ne cum legatariis, ſed cum haeredibus debitoris ageretur*, in XII. Tabulis fuiſſe prodiderunt.

ERCTA CITA] De his vocibus praeter ea, quae alii afferunt, multa habet Cl. Salmaſius in Solinum *pag.* 1262. 1263. 1264. Cui tamen accedere non poſſum. 1. In eo, quod *erctum* proprie patrimonium, haereditatem interpretatur. Nam imo *Erctum* eſt indiviſum in ſe coërcitum: nam & inde *Ercti* vox. ERCTUM a coërcendo dictum, inquit Feſtus. Eodem pertinet vox ἑρκίζειν. 2. Fruſtraque adeo Tribonianus ab eo incuſatur, qui *familiae erciscundae* actionem dixit: recte enim ita ea vocatur, familiae ſcilicet non diviſae dividendae: quomodo etiam hanc vocem *erciſcundae* ante Tribonianum Feſtus uſurpat: habent & Gloſſae veteres. 3. Denique *familia* pro patrimonio univerſo ſeu haereditate recte ibi uſurpatur: nam & ſic in hac ipſa Tabula *Agnatus proximus familiam habeto.* Quomodo etiam Ulpianus interpretatur *l.* 195. §. 1. *π. de V. S.* Tria interim hoc cap. haec nota. 1. ERCTA, CITA. 2. ERCTO, NON CITO. 3. ERCTUM, CIENDUM. *Ciendum*, inquam. Quomodo & optimae Gloſſae *cienda* διαιρούμενα. Et *Gloſſae* Philoxeni *erciſcundae* διαιρέσεως: quam vocem Apulejus quoque duobus locis uſurpat.

SI PATERFAMILIAS] De *Tutelis Teſtamentariis* junctim eodem capite, quo de ſucceſſionibus ſuperius actum fuit. Sequuntur Legitimae Tutelae. Legitimam Impuberis, Furioſi, Prodigi Tutelam, *Agnatis*, Gentilibus lex XII. Tabularum *propalam* defert, ut ait Ulpianus *tit.* 11. §. 3. id eſt, verbis diſertis. Itaque Tutelas, quae Agnatis lege XII. Tabularum deferuntur, ſic Paulus, in *l. tutelas* 7. *π. de capite minutis*, circumſcribit: *tutelas, quae* IN JURE ANTIQUO PERSONIS POSITIS *deferuntur*, id eſt, tutelas, quae perſonis nominatim in lege XII. Tabularum (quod *jus antiquum* hic vocatur) expreſſis deferuntur. Et ita quidem lex illa Pauli reſtituenda eſt: qua parte, IN JURE ALIENO, *pro*, IN JURE ANTIQUO, perperam hactenus legitur.

Jus Antiquum pro leg. XII. Tab.

Emendatio *l.* 7. *π. de capite minutis.*

FVRIOSVS AVT PRODIGVS] De utriſque unicum caput conſtituendum hinc apparet, quod de utriſque junctim etiam Juriſconſulti plerumque agant. Ulpianus in *fragmentis tit.* 12. §. 2. Gajus *l.* 13. *π. de curatoribus furioſo.* Juſtinianus, §. 3. *Inſt. de Curatoribus.* Deinde, cum idem prorſus de utroque jus ſtatuatur, elegans ſane atque abſoluta *Legis* XII. Tabularum brevitas (qua praecipue apud antiquos commendatur) uno capite junctos eos fuiſſe, ſuadet. Neque quemquam ideo in contrarium abduci oportet, quod Ciceronem *lib.* 2. *de Inventione cap.* 50. & auctorem *librorum ad Herennium lib.* 1. *cap.* 13. *Prodigi* mentionem omiſiſſe deprehendat: id enim ab his factum ideo, quod de *Furioſo* tantum locis illis quaerant, ſeu tractent: proinde eam hujus legis partem proferre illi contenti, quae ad inſtitutum eorum faceret. Quem veterum ſcriptorum morem, non hic tantum, verum locis aliis pluribus qui non obſervant, in multis fruſtra ſe torqueant neceſſe eſt.

De Furioſi & Prodigi Tutela caput unum in XII. Tabulis.

Capita e XII. Tab. non plene ſemper a priſcis auctoribus laudantur.

Prodigo bonis interdicitur XII. Tab. & quo ſenſu.

Prodigum igitur ejuſque bona in Agnatorum Gentiliumque *Poteſtate* eſſe jubet lex XII. Tabularum, vel (ut Cicero *lib. 3. Tuſcalanarum cap. 5.* loquitur) dominium rerum ſuarum eſſe vetat. JUBET, inquam, ut aperte loquitur Ulpianus *fragment. tit. 12.* §. 2. Jubere dicitur lex XII. Tabular. quae nominatim & diſertis verbis cavet. Ulpian. *Fragm. tit.* 10. Lex duodecim Tabularum JUBET his verbis, *ſi pater filium, &c.* Ut ridiculi ſint, qui adhuc dubitant, an de Prodigi tutela quid l. XII. Tabul. cautum fuerit. Ideo etiam Ulpianus *l. 1. π. de curatoribus furioſo. Lege XII. Tabularum prodigi interdicit bonorum ſuorum adminiſtratione* ait. Cur? Eo enim ipſo quod lex XII. Tabularum prodigum ejuſque bona in Agnatorum Gentiliumque poteſtate eſſe JUBET, ſane & bonorum ei adminiſtratione interdicit. Quod qui non intellexerunt, de prodigi interdictione nominatim his legibus actum fuiſſe perperam putaverunt.

Cuſtodem, id eſt, tutorem non habenti, ſeu adulto tantum furioſo curator datur.

AST EI CVSTOS NEC ESCIT] Fragmentum hoc apud Feſtum extat: in v. *Nec.* Cujus ſenſus, poſt habitum diu fori diſputationem, tandem hic obtinuit: *Si furioſus aut prodigus ſub cuſtode ſeu tutore amplius non ſit*, id eſt, ſi adultus ſit. Et hinc definitio illa Juris Civilis, *ſi tutelae aetas indigeat, curam ceſſare.* Ideoque Ulpianus in *l. 3. π. de tutelis. Eo jure utimur* (inquit) *quia Lex XII. Tabularum ita accepta eſt, ut ad pupillos & ad pupillas non pertineat.*

AD TABULAM SEXTAM.

De Jure DOMINII & POSSESSIONIS.

De Jure Dominii & Poſſeſſionis.

DE *Jure Dominii & poſſeſſionis* hac actum Tabula, jam ad proxime ſuperiorem diximus. Quo ſane pertinent quatuor, quae ſuperſunt e tertio Gaji ad L. XII. Tabularum libro, fragmenta. Nempe *l. in traditionibus 48. π. de pactis l. 235. in princ.* & §. 1. *π. de V. S.* & *l. 43. π. ad L. Jul. de adulteriis.*

QVVM NEXVM] Hujuſce legis ſententiam his verbis ad eam ſcribens Gajus, lib. 3. ad L. XII. Tabularum, expreſſit: *In traditionibus rerum quodcunque pactum ſit, id valere manifeſtiſſimum eſt.* Scripſerat Gajus: vel *in Mancipationibus vel traditionibus:* ut haec duo quoque junguntur in *l. 4. 5. 7. C. Th. de donationib.* Verum ſublatis rerum mancipi, & nec mancipi, item nexus mancipi, & traditionis differentiis, a Triboniano *mancipationis* nomen detractum: vel certe ſcripſerat tantum Gajus, *in mancipationib.* Nam & de *Mancipationibus* eſt tantum lex XII. Tabularum (utpote cum nulla alia tum praedia in orbe Romano eſſent, quam Italica) neque in Traditionibus fundorum ſtipendiariorum, quaelibet lex apponi potuit: ſalvo enim ſtipendio ſeu tributo tantum alienari potuere.

Nexus mancipii ſolemnia, non lege XII. Tabul. verum prudentum auctoritate inducta.

Coeterum, etſi *Nexus Mancipiique* ſolemnitatem, legitimosque hos adquirendi modos hac lege, XII. Tabulae memorent: Non ideo tamen illorum ſolemnia, quibus videlicet peragerentur, XII. Tabulis praeſcripta fuiſſe dicendum eſt. Iſta enim non lege XII. Tabularum, ſed Legis actione, Prudentumque auctoritate poſtea inducta fuerunt. Et hoc quidem ſenſu haec Boëtii verba (*lib. 3. Comm. in Topica* Ciceronis) accipi oportet, de Nexu Mancipioque loquentis: *Quaecunque igitur res Lege XII. Tabularum aliter, niſi per hanc* SOLENNITATEM *abalienari non poterant.* Ac maxime quidem, cum idem Boëtius *eo ipſo loco*, ſolemnia illa Nexus Mancipiique LEGIS ACTIONIBUS diſertis verbis connumeret: ſic enim ſolemnibus illis deſignatis ſubjicit & concludit: *Idque* LEGIS ACTIO *vocatur.* Perperam itaque qui Nexus Mancipiique ſolemnia inter XII. Tabularum fragmenta retulerunt. Ut & Hotomanni error eſt, qui hoc caput refert ad teſtamenti nuncupativi formam: quod aperte ad *dominii* cauſam pertinet, non, ut alii, ad *contractus.*

Statuliber ab haerede alienari poteſt.

Statuliber EMPTORI dando, &c.] Et haec quoque lex ad *Mancipationem* pertinet. Erat enim & ſervus rerum mancipi numero: ut Ulpianus in *fragm. tit. 19.* §. 1. docet. *Mancipatio* porro legitimum quidem optimumque dominium emptori praeſtat, at non perpetuum ſemper: ſunt enim res quaedam, quae aliquo caſu ab Emptoris dominio recedere poſſunt. Qualis eſt *ſtatuliber*, qui quidem, quamdiu conditio pendet, haeredis ſervus eſt, & ab eo mancipatione abalienari poteſt: verum (ut Ulpianus *in fragm. tit. 2.* §. 3. ait) libertatis conditionem ſecum trahit: vel (ut Papinianus in *l. 34. π. de ſtatulib.*) conditio ejus ambulatoria eſt. Ideoque lex haec XII. Tabularum, ſtatuliberum abalienatum, *Emptori* dando pecuniam, ad libertatem pervenire jubet: ut Ulpianus *in fragm. tit. 2.* §. 3. docet. *Emptori*, id eſt, omni, qui quocunque jure dominium ejus nactus eſt. Ita enim verbum hoc Pomponius accipit, ſimulque id hoc capite nominatim comprehenſum fuiſſe oſtendit in *l. 29.* §. 1. *π. de ſtatulib.* Qua ſane unica voce, lex XII. Tabularum ſtatuliberos vendi poſſe indicavit, demonſtravit, vel, ut loquitur Modeſtinus (*in l. 25. π. de ſtatuliberis*) *putavit.*

Putare, lex XII. Tabul. quid dicatur.

Putaſſe ait Modeſtinus legem XII. Tabularum, quod non ſpeciali capite cavit, quod non juſſit: verum obiter perſtrinxit & indicavit: ſicut Cicero *lib. 4. de Republica* ait, *Jurgare Lex putat inter ſe vicinos, non litigare.* Ideo videlicet, quia Lex de vicinorum controverſiis agens *jurgandi*, non etiam *litigandi* verbo uſa fuerit. Eodem modo etiam Ulpianus *fragm. tit. 3.* §. 7. de Lege Aelia Sentia loquens ait: *Eadem lege cautum eſt, ut minor 30. annorum ſervus vindicta manumiſſus, civis Romanus non fiat, niſi apud conſilium cauſa probata fuerit. Ideo ſine conſilio manumiſſum, ſervum manere* PUTAT. Ex praedictis apparet, graviter illos peccare, qui in concipiendo hoc capite, legitimum EMPTORIS verbum omittunt: gravius adhuc illos, qui ſingulare ſeu ſpeciale caput in XII. Tabulis, *ut ſtatuliberum vendere liceret*, fuiſſe exiſtimarunt: quod etiam Cujacius recte obſervavit libris *Different.* Modeſtini *ad. d. l. 25.*

VSVS AVCTORITAS] Traditionibus (ex hoc jure *Mancipationibus*) & uſucapionibus rerum dominia transferuntur, *l. 20. Cod. de pactis:* & Horatius *lib. 2. ep. 2. v. 158.*

Auctoritatis jus quid.

Si proprium eſt, quod quis LIBRA *mercatur &* AERE.
Quaedam, ſi credis Conſultis, mancipat USUS.

De Traditionibus, ſeu de Nexu Mancipioque ſuperius actum. Sequitur *de Uſucapionibus:* quod Jus Auctoritatis etiam Ciceroni *de Haruſp. reſp. cap. 7.* dicitur: *Multae ſunt* (inquit) *domus in hac urbe jure optimo, ſed jure privato, jure haereditario, Jure* AUCTORITATIS, *jure Mancipii, Jure Nexi.* Specialius adhuc, USUS AUCTORITAS hac l. ut & apud Ciceronem *in Topicis cap. 4.* id eſt, auctoritas, ſeu jus legitimi dominii, quod uſus praeſtat. Ideo Harmenopulo, κυριότης διὰ χρόνου.

de Uſucapionibus quid.

Agitur autem hac Tabula tantum de *Temporibus* uſucapionum: de rebus quippe, quarum uſucapio pro-

[Legibus XII. Tab. cautum.]

prohibita, ſparſim pro ſubjecti ratione aliis Tabulis agitur. Utputa, de *Furtivae rei*, *Tabula* 2. de *Quinque pedum*, *Tabula* 8. de *Fori buſtive* uſucapione prohibita, *Tabula* 10. Item, de Perſonis uſucapere prohibitis: puta de hoſte (id eſt, de peregrino) uſucapere prohibito, *Tabula* 3.

Porro, ad rerum mobilium & immobilium differentiam, quae in uſucapionum temporibus hac lege conſtituitur, pertinet omnino quod Gajus *in l. 235. in princ. π. de V. S.* de verborum *Ferri*, *Portari*, *Agi* proprietate ſcribit. Ecquid enim *res mobilis*, niſi quae ferri, portari, agive poteſt?

[VINDICIARUM ſolemnia non lege XII. Tab. verum Prudentum auctoritate introducta.]

SI QUI IN JURE MANUM CONSERUNT] Zaleuci legibus idem conſtitutum, ut teſtatur Polybius *lib. 12. pag.* 660. 661. Hic rurſum ſeparanda nobis Lex ipſa XII. Tabularum a Legis actione. Vindiciarum, ſeu in Jure conſertionis meminit hoc capite Lex XII. Tabularum. At formulam ipſam ritumque manuum conſertionis (quo ſcilicet actus hic ex lege XII. Tabularum expediretur, quo lite vindiciarum inter ſe homines diſceptarent) Prudentes excogitarunt: quod Cicero *Oratione pro Murena cap.* 12. expreſſiſſimis verbis docet. Ex quo & illud apparet, Praetori ipſi a Prudentibus carmen compoſitum, vindiciis ſcilicet dicendis; cujus haec pars erat: *utrique ſuperſtitibus praeſentibus iſtam viam dico: Ite viam.* Itaque quod Feſtus ait, *eos, inter quos controverſia eſt, ſuperſtitibus praeſentibus vindicias ſumere juberi:* a Praetore *juberi* accipe; vindicias ſcilicet dicente, non juberi lege XII. Tabularum: in quo tamen lapſi etiam viri docti.

[VINDICIARUM LIS quid.]

TIGNUM] Ad hujus legis ſeu capitis interpretationem pertinet, quod de fabrorum Tignariorum ſignificatu Gajus lib. 3. ad XII. Tabul. in *l.* 135. §. 1. *π. de V. S.* tradit. Spectat autem & haec lex, ſicut & ſuperior ad *Litem Vindiciarum. Lis Vindiciarum* quippe *eſt* (ut inquit Aſconius *lib. 3. in Verrem*) *cum litigatur de re apud Praetorem, cum incertum eſt, qui debeat eſſe poſſeſſor.* Ideoque Gajum libro 26. ad Edictum provinciale (quo is de cauſa poſſeſſionis egit) hoc quoque caput tractaſſe ex *l. Tigni* 62. *π. de V. S.* comperi.

Hujus porro capitis verba apud Feſtum in v. *Tignum* ſic leguntur: *Tignum junctum aedibus vineaeve & concapet ne ſolvito.* Quae antiqua ſcriptura eſt. At hodie, pro *Concapet* in vulgatis legatur *Concapu*. Cui verbo medelam doctiſſimi quique viri tentarunt. Omnium ingenioſiſſime Scaliger, *Concapes*, repoſuit: quod interpretatur, depactum ac defixum terrae ad vineam ſuſtinendam: qua forma *Procapes*, & *Formucapes* apud eundem Feſtum legere licet.

[TIGNI appellatione materia vineae neceſſaria in L. XII. Tabul. continetur.]

Verum ne *Concapes* huc facere putem, retrahunt me vel Feſti ipſius verba, ad quae non attendiſſe Virum longe Maximum miror. Ait Feſtus, *Tignum non ſolum in aedificiis quo utuntur, appellatur; ſed etiam in* vineis, *ut eſt in XII. Tabulis* TIGNUM &c. Si tignum ambitu ſuo, materiam etiam vineae neceſſariam hoc capite ſatis complectitur: quid hac voce *Concapes* opus, quam nihil aliud praeter materiam vineae neceſſariam ſignificare Scaliger tradit? Feſti praeterea mentem Ulpianus noſter quoque apertiſſime probat: cum & is de hoc capite agens, in *l. 1. π. de tigno juncto* ſcribit: *ſed & in vineis Tigni appellatione omnia vineae neceſſaria continentur: ut puta* perticae, *pedamenta.*

[LEGIS hujus reſtitutio.]

Itaque repono ego ad veſtigia vetuſtiſſimae ſcripturae proxime: NE CONCAPET NE SOLVITO: *Ne concape*, id eſt, ne vindicato. Teſtatur quippe Ulpianus *d. l. 1. π. de tigno juncto* diſertis verbis, hanc XII. Tabularum legem, *neque ſolvere tignum aedibus vel vineis junctum*, *neque* VINDICARE, permiſiſſe. Quod confirmat etiam Gajus, *l. 7. §. 10. π. de adquir. rerum dom.* eumque ſecutus Juſtin. in §. 29. *Inſt. de rerum diviſ.* & Paulus in *l. 23. §. 6. π. de rei vindicat.* *Ne concape igitur hic eſt, ne vindicato. Concapere* proinde eſt, vindicias contendere (ut loquitur Gellius) rem, de qua controverſia eſt, ſimul cum adverſario capere, comprehendere: contra vindicare ἀνδικῆσαι vi feſtucaria, de qua Gellius *lib. 20. cap. 10. Concupere*, ut Conſcire *Tabula* 1. ut Concadere, Concanere, Confrangere, Concalcare, Conlegere, Comprimere, Concogere in *Gloſſis*. *Concapito*, ut *Incapito*, pro *Incipito* in iiſdem Gloſſis: & apud Lucretium *lib. 2. v.* 903. pro, *Mollia cum faciunt*, Giphanius *Confaciunt* tentat. Et hanc quidem reſtitutionem & emendationem meam probavit poſtea Broeus *in notis ad Inſtit. lib. 2. tit. 1. pag.* 230.

[de Jure DOMINII & POSSESSIONIS. CONCAPERE, eſt vindicare.]

Vindicari itaque hoc capite Tignum aedibus vineaeve junctum nominatim prohibetur: ad eum ſcilicet effectum, ut id ſolvatur, ejusque poſſeſſionem Dominus nanciſcatur. Et vindicari tamen alio ſenſu, id eſt, peti poteſt, videlicet ut duplum ejus domino praeſtetur. ¶ Rurſus *vindicari* tignum junctum quidem per rerum naturam poteſt, quia tignum extinctum non eſt: vindicari tamen propter *civilem rationem* lex XII Tabularum prohibet. Et hoc eſt, quod Paulus in *l. 98. §. ult. π. de ſolution.* ait, *Lex XII. Tabularum Tignum aedibus junctum* VINDICARI POSSE SCIT: *ſed interim id ſolvi prohibuit.* *Scire* legem XII. Tabularum dixit Paulus, eadem forma, qua idem alibi de hac ipſa lege agens, in *l. 63. π. de donat. inter virum & uxorem*, *Decemviros ſenſiſſe*: qua etiam Modeſtinus & Cicero, *Legem XII. Tabularum putaſſe*; ut ad caput de ſtatuliberi venditione, jam notavimus.

[CONCILIATIO Pauli Jcti cum Ulpiano.]

[SCIRE lex XII. Tab. quid dicatur.]

Si vir mulieri repudium] *Repudium* mulieri lege XII. Tabularum certis de cauſis viro mittere conceſſum fuiſſe, teſtatur ſingularis Ciceronis locus *Philippica 2. cap.* 28. *Mimam* (inquit) *ſuas res ſibi habere juſſit, ex XII. Tabulis* CAUSAM *addidit, exegit.* Sic enim recte legitur in vulgatis & melioribus libris, *cauſam addidit*; non ut alii, quantumvis poſt Nonium, *Claves ademit. Cauſam divortii* addi voluit lex XII. Tabul. non temere repudium mitti. Antiquiſſimo ſane Jure repudii cauſam addi oportuiſſe, teſtatur & hic Varronis locus, περὶ γαδωκοίας apud Nonium, in v. *Betere. Aſt, annos multos* QUOD *parere ea non poterat mulier, foras betere juſſit.* Qui locus ad primum Sp. Carvilii divortium pertinet: qui ideo cum uxore divortium feciſſe legitur, apud Gellium *lib. 4. cap. 3.* & *lib. 17. cap. ult.* QUIA *liberi ex ea corporis vitio non gignerentur.* Et huc etiam illud Naevii refero: *Sonticam eſſe oportet* CAUSAM, *quamobrem perdat mulierem.* Vide & Plautum, *Menaechm. Act. 5. ſc. 1. v. 23. Mercat. act. 4. ſc. 6. v. 6.*

[REPUDIO cauſa addi ex L. XII. Tab. debuit.]

Cauſam itaque lex XII. Tabularum addi voluit legitimam: ideoque, ſi non legitimam cauſam vir adderet, nupta mulier manebat. Quo pertinet quod Gajus lib. 3. ad l. XII. Tab. in *l. 43. π. ad l. Jul. de adult.* ſcribit: *Si ex Lege repudium miſſum non ſit* &c.

[REPUDII ſolemnia ex L. XII. Tab. non proficiſcuntur.]

Nam quod nonnulli tradunt, morem claves mulieri adimendi divortio facto, lege XII. Tabul. nominatim inductum fuiſſe, Legem 12. Tabul. cum Legis actione apertiſſime confundunt. Hoc enim, ut & coetera divortii ſolemnia (puta ſeptem teſtium interventus, verbaque ſolemnia) a prudentum auctoritate proficiſcuntur.

Quaenam autem divortii cauſae hac lege legitimae fuerint, liquido dici non poteſt. Divinationibus per me indulgeant alii. At quae Romuli lege legitimae fuerint, notum ex Dionyſio *lib.* 2. Plutarcho *in vita Romuli.*

Denique, ut de viro tantum repudium mittente caput hoc conciperem, Ciceronis & Gaji verba, de *viro tantum* concepta, fecerunt. Ita lex Julia, de adulteriis, maſculis tantum dedit accuſandi faculta-

tem

de Jure Dominii & Poſſeſſionis.

tem jure mariti; idem privilegium foeminis non tribuit, *l. 1. Cod. ad L. Jul. de adulter.* Deinde notum cuivis, antiquiſſimo jure non eandem a viro pudicitiam, quam a muliere exactam: quod praeter Plautum *in Amphitryone Actu* 2. & 3. docet M. Catonis locus ex Oratione de dote apud Gellium *lib.* 10. *cap.* 23. *Illa, ſi adulterares, digito non auderet contingere:* addit, Neque jus est. Quod Moſaico etiam juri convenit. *Deut.* 24. 1. *Malach.* 2. 16. quo, Joſepho teſte, ἀνδρὶ μὲν ἔξεστι ἀπολύεσθαι τὸν γάμον, οὐ δὲ γυναικί; ſed Attico juri contrarium: quo, ſicut maritus mulierem ἀποπέμπειν poterat, ita, uxor viciſſim maritum ἀπολείπειν, καὶ τὰ τῆς ἀπολείψεως γράμματα παρὰ τῷ ἄρχοντι διδόναι.

AD TABULAM SEPTIMAM.

De Delictis.

De Delictis.

QUÆ ſuperſunt e quarto Gaji ad Leges XII. Tabularum libro, fragmenta, ad haec duo genera referuntur: ad *Delicta*, juraque *Praediorum*. Hujus itaque & proxime ſequentis Tabulae eadem quoque materies fuit: quandoquidem his interpretandis quartus ille Gaji liber deſtinatus erat. Sane *de Delictis* prius, quam de *Juribus Praediorum*, his Tabulis actum fuiſſe, ex capitum ſeu ſententiarum ordine, quae Gaji *l. 236. π. de V. S.* continentur, apertiſſime conſtat. Pertinet quippe *principium legis illius* ad tractatum *de Delictis*: *Paragraphus* autem *primus*, ad leges *de Juribus praediorum.* Ut ex his recte colligi poſſe putem, ſeptima Tabula *de Delictis*: octava *de Juribus Praediorum*, actum fuiſſe. Coeterum, notandus hic illorum error, qui leges omnes de publicis judiciis ſeu de criminibus publicorum judiciorum ad tractatum, ſeu partem de Jure publico (de quo nos Tabula IX.) referunt: veluti leges de Sicariis, Paricidio, Veneficiis, Incantatione, Malo carmine, Famoſo libello, Incendiariis. Porro hanc Tabulam poſſis vocare κύρβιν κακῶν. Vide *Notas* in Ariſtaenetum, *pag.* 131.

Pauperiei appellatio paſtum pecoris complectitur.

Si quadrupes pauperiem] *Pauperiei* appellatione lex haec damnum omne, quod quadrupes feritate commota facit, complectitur: ut puta, ſi quid *depaſtu ſit*, non immittente ſcilicet domino: nam ſi dominus immiſerit, non haec noxalis actio, verum altera, *de Paſtu pecoris* in dominum (velut ex ſuo proprioque delicto) his Tabulis prodita erat: cujus meminit Ulpianus in *l. 14. in fin. π. de praeſcriptis verbis.* Et ita quidem caput hoc *de pauperie*, ab altero illo, *de paſtu pecoris*, quod hactenus confundunt, contra apertiſſimam Ulpiani mentem in *d. l.* 14. ſeparandum: ſimulque Paulus *lib.* 1. *Sententiarum tit.* 15 a quorundam nota liberandus eſt. Denique & ex his conſtat, *de paſtu pecoris* ſpontaneo hoc capite nominatim ſancitum aliquid non fuiſſe: quandoquidem *pauperies* appellatio & hanc ſpeciem ſatis complectatur.

Excantare fruges, eſt pellicere.

Qui Fruges Excantasit] *Excantare* fruges primum eſt, cantu foras elicere, de alieno in ſuum pellicere, de loco in locum carminibus traducere, quod in Bajoariis legibus (*tit.* 12. *cap* 8.) eſt *initiare meſſem*, forte *inlitiare*. Ideo Apulejus *lib.* 1. *Apologia*, de hoc capite agens, *frugum illecebras* dixit: & Auguſtinus *lib.* 8. *de Civitate Dei cap.* 19. verbum hoc, *excantare*, ſic circumſcribit, *fructus alienos in alias terras transferre.* Fruſtra itaque ſunt, qui haec verba, quae Servius ad *Eclogam.* 8. Virgilii *v.* 99. profert, Neve alienam segetem pellexeris, legitima XII. Tabularum verba, ſeparatumque ab hoc noſtro caput conſtituiſſe, putant: cum tamen eadem prorſus illorum verborum, quae hujus capitis, ſententia ſit. Sane, Servium legitima XII. Tabularum verba non ubique ſervaſſe, mentem tantum notioribus verbis expreſſiſſe, altero ad Tabulam decimam exemplo oſtendemus. Denique, ſi caput hoc a Servio prolatum ſeparatum ab hoc noſtro fuiſſet, cur Plinius incantamentorum & carminum mentionem duobus tantum locis in XII. Tabulis factam deprehenderet? Plinii verba ſunt haec *lib.* 28. *cap.* 2. *Quid? non & Legum ipſarum in XII. Tabulis verba ſunt: Qui fruges excantaſſit? Et alibi: Qui malum carmen incantaſſit.*

Servius Legitima XII. Tabul. verba non ſervat.

de Delictis.

Excantare fruges, eſt etiam carmine enecare.

Eſt tamen & hic *Excantare*, Magicis carminibus obligare ſeu excludere & impedire, quominus quid creſcat, adoleſcat, vel ad maturitatem perducatur, imbribus forte intempeſtivis attractis, vel repulſis; quod Seneca *lib.* 4. *Natural. cap.* 7. de hoc capite agens, docet.

Caſus omnem omnino fortuitum caſum complectitur.

Aſt ſi caſu] Vaniſſimi ſunt, qui ſingularem huic legi exceptionem hanc, *Aſt ſi ſtipulam incendenti ignis fugit*, inſerendam putant: *Caſus* quippe appellatione hic lex omnem omoino caſum excepit: ſingularis autem illa exceptio Prudentum ingeniis adinventa, neque hujuſce monetae eſt. Quod idem de ea exceptione, *Aſt ſi telum manu fugit*, dicendum.

Injuria Levior depalmationem complectitur.

Si qui injuriam] Injuriae (quae & *Contumelia* dicitur) nomen Judiciumque hiſce Tabulis plures ſub ſe ſpecies complectitur: Injuriam ſcilicet Leviorem, & Atrocem: Hanc rurſus, vel verbo atrocem; puta Convicio facto, vel Carmine condito: vel Re; membro puta rupto, oſſeve fracto. *Injuriae* item Levioris ſpecies ſunt duae: una, quae verbo tantum fit: altera, quae re; puta depalmatione. Ad quam utramque, ſive lingua, inquam, ſive manu (ut Tertullianus loquitur *lib. de patientia*) pertinet hoc Lucii Veratii exemplum, cujus Labeo apud Gellium *lib* 20. *cap.* 1. meminit. Ut ineptiſſimi ſint, qui id ad Injuriam, quae verbo fit, reſtringunt. De ea ſane locus hic Velleji Paterculi *lib.* 2. *cap.* 28. de Sylla loquentis: *Primus ille exemplum proſcriptionis invenit, ut in qua civitate petulantis convicii judicium hiſtoriarum ex alto redditur, in eu jugulati civis, Reipub.* vel *Romani conſtitueretur auctoramentum.* Ubi quod ait, *Hiſtoriarum ex alto*, id eſt, memoria retro longe petita; puta ex XII. Tabulis, ex alto ἄνωθεν. Quanquam ibi reponatur pro *hiſtoriarum ex alto redditur*, *hiſtrioni exoleto redditum*, ut Cujacius legiſſe videtur hoc ſenſu, etiam hiſtrioni exoleto dari actionem injuriarum. Et ita hodie praeferunt editiones Vellejanae. Lipſius eodem ſenſu reſtituebat, *Judicium in hiſtrionem ex albo.* Eo denique pertinent etiam ultima verba *l. 1. Cod. Theod. de liberali cauſa*; ubi pro *Convictis*, legendum *Convitiis*.

Legitima XII. Tabul. verba non ſervat Paulus.

XXV. Æris, &c.] Paucis immutatis Paulus apud Actorem *collationis legum Moſaicarum tit.* 2. §. 5. *Qui injuriam alteri facit*, XXV. *ſeſtertiorum poenam ſubito.* Nempe, quod quae antiquitus ratio ſeu computatio ad *aſſem* fiebat, auctis civium Rom. facultatibus, poſtea ad ſeſtertium fieri coeperit. Quod idem de capite, *Qui os ex genitali*, dicendum.

Occentatio a Carmine ſeparatur.

Si qui pipulo occentaſſit] Quod in Praetoris edicto eſt, convicium adverſus bonos mores: item, quod eſt, *convicium* cum vociferatione, *l. 15. §. 2. & 11. π. de injuriis*, id in his Tabulis eſt, *pipulo occentare.* Feſtus, in v. *Occentaſſint*: *Antiqui dicebant, quod nunc, convitium fecerit, dicimus.* Et ita quidem ſeparandum eſt hoc caput a connexo, *Carmenve condidisſit*: quod confundunt & pro eodem accipiunt

de Delictis.

piunt omnes. Utrumque, *publice invehi*, Cornutus dixit. Quod vocem *pipulo* attinet, Cl. Salmaſius *Obſervat. ad jus Atticum*, *pag.* 264. eam hic ſuperfluam putat: nam quod *pipulo differre* apud Comicum dicitur, id una voce Decemviros dixiſſe, *occentare*: cui ego non accedo.

Fustuarium ſupplicium publice invehenti conſtitutum.

Fuſte ferito] Fuſtuarium ſupplicium publice invehenti, lege XII. Tabul. conſtiturum erat. Praeter Horatium *lib.* 2. *epiſt.* 1. v. 148. Cornutus nominatim ad Perſii *Satyram* 1. v. 137. *Lege XII. Tabularum* (inquit) *cautum eſt, ut fuſtibus feriretur, qui publice inveheretur*. Legitima itaque XII. Tabul. verba hujus capitis fuerunt haec in ſpeciem directa: *Fuſte ferito*. Et ſic tamen, quod in genere Cicero, ab ipſis XII. Tabularum verbis more ſuo ſecedens ait, *rem hanc capite ſancitam*, verum eſt. Inter capitales quippe poenas, *fuſte feriri: Feriri*, id eſt, ad necem coedi, interfici, occidi, *l. 7. §. 1. π. ad l. Aquil. l. 1. §. occiſorum 17. π. ad SCtum Syllan. l. 8. §. 1. π. de poenis*.

Cicero legitima XII. Tabularum verba non ſervat.

Qui os ex genetali] Pauli de hoc capite, apud Auctorem *collationis legum Moſaic. tit. 2. §. 5. de Atroci injuria*, verba corruptiſſima ſunt hactenus. *Quae leu* (inquit) *generales fuit libero, trecentos, ſervos CL. poenam ſubito ſeſtertiorum*. Cui vulneri ſanando imparem ſe quoque V. C. P. Pithoeus ita faſſus eſt, repoſuitque. *Qui Os ex genetali fudit, libero, CCC. ſervo* &c. Viam munivit mihi Caecilius apud Gellium *lib. 20. cap. 1. Injurias* (inquit) *atrociores, ut de oſſe fracto, non liberis modo, verum etiam ſervis impenſiore damno vindicaverunt. Genitale* vero dictum, olim, ubi quid genitur: ut genitale apud Plinium, quo homo genitur. *Si qua filia mihi genitur*, Ulpianus *leg. 17. §. 1. π. de legat. 1.* Lucretius hoc verbo etiam utitur *lib. 5. v.* 851. & Varro *lib. 1. cap.* 40. & *lib. 2. cap. 2. de re ruſtic. Si quis mihi filius aut filia genitur:* Julianus in *leg. 13. §. 6. π. de rebus dub.* Vide Priſcianum *lib.* 3. Adde & Feſtum in v. *Genius & Genialis*.

Lex de oſſe fuſo, id eſt, dentibus excuſſis reſtituitur.

Genitale quid.

Fundi autem dens dicitur, ut oculus effundi, *leg. 13. §. 4. π. locati*. Perfundi, *leg. 5. §. 3. π. ad leg. Aquil.* Labuntur enim, qui eam lectionem ſollicitant, & in effodere ac perfodere mutant.

Qui se siri Testarier] *Qui ſe amſirit teſtarier*. Ita ex vetuſtiſſimis libris Cl. Salmaſius *ad jus Atticum pag.* 815. certiſſima, ut ait, conjectura, transpoſitione vulgata illo ſaeculo, pro *qui ſe ſirit umteſtarier*. Duo porro errores circa hoc caput vulgo admittuntur. Primus eſt eorum, qui hoc caput ad *Teſtimonii denuntiationem* referunt: quaſi qui denuntiati teſtimonium detrectant, improbi inteſtabilesque eſſe hoc capite jubeantur. Perperam! eſt enim caput hoc de eo, qui cum ſe jam ſiviſſet teſtari, id eſt, cum jam ut teſtis rei vel actui alicui, item velut libripens adhibitus fuiſſet, poſtea teſtimonium ferre de eo, cui interfuit, detrectat: quae actio Graecis δίκη λειπομαρτυρίας. Alter eſt eorum, qui hoc caput referunt ad cauſam formamque teſtamenti per aes & libram, eique rei teſtimonium denuntiant Gellio *lib. 15. Noct. Attic. cap.* 13. ex quo tamen nihil tale conficitur.

Ni testimonium fariatur] Cujacius reponebat, *In teſtimonium feriatur*, id eſt, pulſetur, cogatur, ἀναγκάζηται Hottom. tentabat fateatur. Cl. Salmaſius *obſervat. in jus Atticum cap. 30. pag.* 816. reponit, *fari iatur* ni teſtimonium eat dicere, ἀρχαϊκῶς *iatur* pro eat, ut alia lege, *ni itur* pro *ni it*, *ſitur* pro *ſit*.

Si Tutor dolo malo gerat, vituperato] Suſpecti crimen ſive accuſationem ex lege XII. Tabularum deſcendere, Ulpianus & Juſtinianus ſcribunt. *Deſcendere*, id eſt, lege XII. Tabul. inductum, conſtitutum fuiſſe. Quo ipſo ſenſu Ulpianus in *leg.* 1. *π. ſi quadrupes pauper.* actionem ſi quadrupes, &c. ex leg. XII. Tabul. deſcendere ſcribit. Et Paulus in *l. 23. §. 6. π. de Rei vindic.* actionem de tigno juncto in doplum ex lege XII. Tabul deſcendere.

de Delictis.

Dolo sciens] Hinc Prudentes in legis actionibus a contrario legitimam exceptionem illam eduxere: Si telum manu fugit, de qua Cicero *in Topicis cap.* 17. & in *lib. 3. de Oratore cap.* 29. Quod ipſa lege XII. Tab. comprehenſum fuiſſe male plerique opinantur. Pejus adhuc, qui quod de ſuccedanea hoſtia, annexis hac in re ex Regum legibus, Servius *lib. 3. Georgic.* notat.

Qui malum carmen incantaSit] *Diſparatum* hoc caput ab altero illo, *Qui fruges excantaſſit*, eſſe docet Plinius, *lib. 28. cap. 2. Quid? non & legum ipſarum in XII. Tabulis verba ſunt? Qui fruges excantaſſit: Et alibi: Qui malum carmen incantaſſit*. Male itaque, qui ea cohaeſiſſe putant. Ac ut ſitu diviſa: multo magis ſenſu. Illud ad frugum incantamenta pertinet, quae proprie *excantari* dicuntur; haec, ad perſonarum. Utrumque ſane caput dum excantari fruges, malumque carmen (id eſt, maleficum) prohibet, bonum (depellendis puta morbis, frugibusque conſervandis) probat. Quod a Conſtantino M. Chriſtiano Principe (quod mireris) publica etiam lege conceſſum, *l. 3. C. Theod. de maleficis*.

de Malo carmine capita duo ſeparantur.

Qui parentem] Legem hanc XII. Tabularum legibus connumerandam, docet Auctor *librorum ad Herennium lib. 1. cap.* 13. ſive is Cicero fuerit, ſive alius: tribus aliis quippe XII. Tabul. legibus eam conjungit. Ejuſdemque meminit Feſtus in v. *Nuptias: Nuptias dictas eſſe ait Ælius & Cincius, quia flammeo caput nubentis obvolvitur: quod antiqui obnubere vocarunt: Ob quam cauſam legem quoque*, Qui parentem, *jubere caput ejus obnubere, Qui parentem necaviſſet*. Sic enim locus ille reſtituendus, & pro *legem quoque parenſiam*, reponendum, legem quoque, *qui parentem*. Nam quod aliter Vir Clariſſimus Julius Scaliger tentavit, *legem quoque, qui parens Tabul. III.* ſtare prae illa emendatione, neſcit: primum, quia, cum nullibi lex eo principio, quod is effingit, occurrat; ſane lex apud auctorem *ad Herennium* ſententiam illam ipſam complectens eo, quod dixi, initio extet. Deinde, quod conjicit, *Tab. III.* id eſt, *tertia Tabula*, vanum eſt: neque enim lex haec in Tabula tertia extare potuit, qua de *Jure Crediti*, non de Delictis actum. Illud multo minus ſtare poteſt, quod addit, in primam, ſecundam, tertiam, quartam Tabulam conjectas fuiſſe leges Regias: ſparſas enim eas, pro ſubjecti ratione ordo in his Tabulis obſervatus ſatis oſtendit. Eodem porro refero locum hunc Ennii, *Hecuba: Sed nunquam ſcribſiſtis, QUIS PARENTEM aut HOSPITEM NECASSIT, quos quis cruciatus perviteret?* ubi in principio ſic lego: *Sed nunquam ſcribſiſtis, QUI PARENTEM.*

Lex apud Feſtum reſtituitur.

Savaro in Sidonium pag. 257. ex Iſidori Gloſſ. MSS. haec allegat, *Parentia de parricidio lex.*

Ex Feſti porro verbis apparet, in hac lege verba haec, *caput obnubito*, legitima fuiſſe: quorum ſenſum auctor *ad Herennium d. loco*, ad Feſti ſententiam convenientiſſime, hoc verbo *obvolutus* reddidit: Caput obnubito, ut apud Ciceronem *in Rabiriana cap.* 4.

Legitima XII. Tab. verba non ſervat auctor *ad Herennium*.

Poena itaque parricidae ex lege XII. Tabularum fuit haec, ut *capite obvoluto, culleoque inſutus in profluentem dejiceretur*. Quo exemplo poſtea Publicius Malleolus matre interempta inſutus culleo in mare praecipitatus eſt, teſte Livio, *libro Epitomes ſexageſimo octavo*, & Auctore *ad Herennium, d. loco*. Nam quod poſtea intra culleum, ſeu vas parricidale, animalia incluſa, ab alio jure id profectum, ut alibi dicemus. Omnem certe parricidii poenam *Mori majorum* tribuit *l. penult. π. ad l. Pomp. de parricid.*

Parricidae poena.

Caeterum hac lege, *Qui parentem*, multa praeter-

de Delictis. tera capita comprehenſa fuiſſe exiſtimo. At primum quidem de Pupillo, tum de Hospite necato, mox de Cliente, quod & ſuperior Ennii locus ſuadet, & Sabini apud Gellium *lib. 5. cap.* 13. *In officiis*, inquit, *apud majores ita obſervatum eſt*, *primum TUTELÆ, deinde HOSPITI, deinde CLIENTI*, &c. Maneat ergo, parricidii hujus poenam lege XII. Tabul. conſtitutam, cum antea quoque Servii Tullii Regis lex praeceſſiſſet, de pulſatione parentis; de quo Feſtus in verbo *Plorare*.

AD TABULAM OCTAVAM.

De Jure Praediatorio.

De Jure Praediatorio. DE *Juribus praediorum* hac Tabula actum fuiſſe, ad ſuperiorem probavimus. Quam partem ego *Juris praediatorii* fuiſſe exiſtimo: de quo videlicet Q. Scaevola conſultus ad Furium & Caeſellium conſultores rejiciebat, ut Cicero *pro Balbo cap.* 20. teſtatur, & poſt eum Valerius Maximus *lib.* 8. *cap.* 12. §. 1. Jus ſcil. *praediatorium* erat, quod verſabatur in controverſiis circa praedia: quo pertinebat etiam titulus Edicti *de praediatoribus*, ad quem Gajus ſcripſerat: unde ſupereſt *lex Res quae 54. ff. de jure dotium.* Quanquam *Praediatores*, ad praedia praedesque populo obligatos pertinuiſſe ex Cicerone *ad Atticum lib.* 12. *Ep.* 14. & 17. Suetonio in *Claudio*, *cap.* 9. & Philoxeni *Gloſſaria*, compertum habeo.

Porro Jura ſeu Leges praediorum ſunt, vel Urbanorum vel Ruſticorum. De Urbanis primum actum fuiſſe, quis non credat; cum & idem ordo a Gajo in Inſtitutis, & Juſtiniano in Pandectis obſervatus poſtea fuerit?

Sodales. Sodales] De Sodalibus Arvalibus nominatim hic locus accipiendus & mihi olim videbatur: qui de arvorum juribus finibuſque judicabant. *Gloſſae* ſane Philoxeni, ex libro de officio Proconſulis, eos interpretatur τοὺς περὶ ὅρων διαγινώσκοντας δικαστάς. Quod ſi ita eſt, tum non diu quaerendum fuerit, quo ea, quae Gajus (lib. 4. ad l. XII. Tabularum) de Sodalibus in *l. ult. ff. de collegiis* ſcribit, referenda eſſent.

De arvorum ſane Sacerdotibus, duodecim numero a Romulo inſtitutis, vide Plinium *lib.* 18. *cap* 2. De hoc etiam ipſo *fratrum Arvalium* collegio & ſacerdotio Maſſurius Sabinus apud Gellium *lib.* 6. *cap.* 7. Et ita quidem haec lex, *de Sodalibus Arvalibus*, accipi poſſe videatur, atque ideo ad hanc Tabulam octavam referenda. Quanquam & poſſit generaliter accipi de quibuscunque ſodalibus Romae, quibus hic fibula quidem poſita, atque adeo ad tabulam ſeptimam referenda potius videri. Nam & ita in Digeſtis ſtare videmus titulum *de Collegiis & corporibus* in cenſu titulorum *de extraordinariis criminibus*. Quod legem Solonis attinet, quae cum hac lege a Gajo comparatur: multa habes apud Salmaſium & Heraldum & Petitum *in legibus Atticis a pag.* 427. Nos in *Notis ad Probationes* quaedam delibavimus.

Rusticorum praediorum jura. De Finibus] Quae de ſundorum ſeu praediorum ruſticorum jure Tabulis hiſce ſancita ſunt, ad haec quatuor capita referri oportet: videlicet, ad Jura Finium, Poſſeſſionum, Aquarum & Itinerum. Locus in eam rem inſignis apud Ciceronem, *Oratione pro A. Caecina*, *cap.* 26. ubi de Juris Civilis dignitate agens, *Quid* (inquit) *prodeſt fundum habere* (relictum a patre) *ſi quae decentiſſime deſcripta* A Majoribus *Jura Finium*, *Poſſeſſionum*, *Aquarum*, *Itinerumque ſunt*, *haec perturbari ulaqua ratione commutarique poſſunt?* &c. De *Finibus agrorum* autem hac Tabula ſancitum fuiſſe, oſtendit *l. ult. ff. finium regundorum*, e quarto Gaji ad L. XII. Tabularum libro deſumpta. Ubi quod Gajus ait, *de Finibus lege XII. Tabularum* Quodammodo *ad exemplum juris Attici cautum fuiſſe*, imperitiam eorum arguit, qui quam Solonis legem Gajus recitat, totidem verbis in Decemvirales haſce noſtras transferunt.

de Jure Praediatorio. Si arbor in vicini fundum] De *ſublucatione*, id eſt, de ramorum luxurie in vicini fundum impendente compeſcenda, eſt haec lex. Ad ejus Legis exemplum, quod in hac l. de ramis umbra vicino officientibus ſtatuitur, ad ipſam arborem in agrum vicini inclinatam, extendit Pomponius in *l.* 2. *ff. de arboribus coedendis*. *Si arbor* (inquit) *ex vicini fundo vento inclinata in tuum fundum ſit*, Ex lege XII. Tabularum *de adimenda ea recte agere potes, jus ei non eſſe ita arborem habere.* Perperam itaque faciunt illi, qui peculiare de hoc caput his Tabulis affingunt. Bene Hotomannus, & Fr. Pithoeus, qui id in fragmentorum ſuorum ſyllogas referre non ſuſtinuerunt.

de Conlucatione arborum legem in XII. Tabulis non fuiſſe.

Si Glans] Caput *de arboribus coedendis* ſequitur proxime caput *de Glande* legenda. Qui Edicti perpetui ordo quoque poſtea fuit. Ad hujus porro capitis interpretationem manifeſtiſſime pertinet, quod Gajus in *l.* 236. §. 1. *ff. de V. S.* libro 4. ad L. XII. Tabularum, de *Glandis appellatione* ſcribit.

Si aqua pluvia manu nocet] Quae actio, ad *Aquam pluviam*, & ex opere manu facto in agro *privato*, agro alterius nocituram, arcendam, hac lege inducitur, huic ſimilis ad rivum Aquaeductus per publicum privato pariter nociturum, interpretatione Prudentum inducta fuit: Paulus *l.* 5. *ff. ne quid in loco publico. Si per publicum* (inquit) *locum rivus Aquaeductus privato nocebit*, *erit actio privato* ex Lege XII. Tabularum, *uti noxae domino caveatur.* Male igitur, qui de Aquaeductu caput in XII. Tabulis, ſeparatum ab hoc fuiſſe exiſtimant, atque ita conſtituunt: non quidem ideo, quod Aquaeductus XII. Tabulis nulli fuerunt, utpote per annos CDXLII (quod Frontinus *libri de Aquaeductibus initio* teſtatur) Romanis incogniti (eſt enim hic locus Pauli non de Aquaeductu publico, ſed de privato, qui per publicum ducitur) verum quia ex capitis hujus ſententia id educitur.

de Aquaeductu legem in XII. Tabulis non fuiſſe.

Arcendae aquae Arbitros tris] De *Arbitro aquae arcendae* vide *l.* 24. *ff. de aqua & aquae pluv. arc.* quae deſumpta eſt ex *lib.* 4. *Digeſtorum Alfeni Vari*; quo is egit de jure praediatorio.

Si via per Amsegetes] Munire viam Poſſeſſores pro modo & latitudine agrorum l. XII. Tab. tenebantur. Quod jus ſervatum. Imper. Julianus *l.* 2. *C. Th. de itinere muniendo. In muniendis viis juſtiſſimum aequitatis curſum reliquit auctoritas: ſinguli enim loca debent quaeque ſortiri, ut ſibi conſulant, vel negligentia vel labore. Igitur eos loca juxta MOREM PRISCUM delegata curare oportebit* Siculus Flaccus *de condit. agror. pag.* 11. *Viae aliter muniuntur per pagos, id eſt, per magiſtros pagorum, qui operas a poſſeſſoribus ad eas tuendas exigere ſoliti ſunt, aut, ut comperimus, unicuique poſſeſſori per ſingulos agros certa ſpatia aſſignantur, quae ſuis impenſis tuentur: etiam Titulos finitis ſpatiis poſitos habent, qui indicent, cujus agri quis dominus, quod ſpatium tueatur.* Male autem, qui legem hanc ad privatae viae jus referunt.

AD

AD TABULAM NONAM.

De Jure Publico.

De Jure Publico.

HActenus de *Jure Privato:* ad quem tractatum ſuperiores Tabulas omnes pertinere liquido probavimus. De *Jure publico* quoque prius, quam de *Jure ſacro*, Tabulis hiſce cautum fuiſſe, hoc argumento certiſſimum eſt: quod videlicet ultimam X. Tabularum legem de *Jure ſacro* occupaſſe, diſertis verbis Cicero *lib. 2. de Legibus cap.* 25. teſtetur. *Ultimam X. Tabularum* dixi: nam cum de harum Tabularum ſerie, & ordine quaeritur, decem priores a duabus poſterioribus ſeparandae ſunt; utpote cum duae poſteriores prioribus decem ſupplendis adjectae tantum fuerint. De triplici porro hoc Jure, Privato nempe, Publico, Sacro, his Tabulis Decemviralibus ſancito, notiſſimi ſunt Auſonii verſus. *Idyll.* 11. *v.* 61.

Jus Triplex, *Tabulae quod ter ſanxere quaternae*, Sacrum, privatum, populi commune quod uſquam eſt.

Ideoque Livius *lib.* 3. *cap.* 34. Tabulas has, *fontem omnis Juris Publici, Privatique* vocavit.

Privilegium in xii. Tabulis quid.

Privilegia] *Privilegium* hac lege aliter accipiendum, quam hodie vulgo accipitur. Eſt enim jus extraordinarium a jure communi exorbitans, quod in ſingulis perſonis ſimul oritur & occidit. *Jus a communi jure exorbitans* dixi. Differt itaque multum Privilegium a *Judicio populi*; quod etſi unius ferme perſonae cohaereat, ad juris tamen communis executionem pertinet. Aliud eſt Judicium populi; aliud Privilegium. Heracliti locus eam in rem ſingularis: οὐδεὶς γὰρ νόμος ἐφ' ἑνὸς, ἀλλὰ κοινός. & Cicero *lib. 2. de Divinatione cap.* 33. Judicia populi a Jure legum manifeſte ſeparavit. Denique in quo privilegium a Judicio populi & Magiſtratuum creatione differat, vide ſingularem Quintiliani locum *declamat.* 254.

Dixi, *quod in ſingulis perſonis.* Differt proinde privilegium a jure *ſingulari*, quod non ſingulis (quod hodie privilegium dicitur) ſed certae Singulari perſonae, cauſae, aetati, ſexui, dignitati, corpori utilitate publica ſuadente fertur: perſonis quibusdam & ſingulis quidem, at contemplatione dignitatis atque militiae, ut loquitur *lex 16. C. Theod. de extraordin. ſive ſordid. muner.* quod beneficium, ut loquitur *l. 15. Cod. Theod. eod.* non ſingulis indultum perſonis, ſed In commune dignitati vel corpori conceſſum eſt. Cui opponitur Privatum privilegium *l. 4. Cod. Theod. de tiaer. mantend.* Seu Personale reſcriptum, *l. 5. eod. tit.* Dixi, *quod ſimul oritur & occidit.* Differt itaque rurſus Privilegium a *Lege Nova*, ſeu *Jure Novo*, quod in unius perſona quidem incipit, at non & occidit, verum perſonam ejus egreditur. Cujus generis fuit lex de Menandro, cujus meminit *l. 5. §. ult. ff. de captiv.* & altera de Hoſtilio Mancino, de qua in *l. ult. ff. de legationib.* ut Civis Romanus eſſet. Inde quippe jus ita conſtitutum, atque in aſſiduam Juriſdictionem verſum, ut *is, qui deditus eſſet hoſtibus, ſi ab iis non reciperetur, jus civitatis retineret:* quod Cicero *pro Caecinna cap.* 34. teſtatur.

Eſt autem hoc jus translatum e legibus Atticis: de quo Andocides ἐν τῷ περὶ τῶν μυστηρίων. Demoſthenes *contra Ariſtocratem, & contra Timocratem*, item in 2. κατὰ στεφάνου. Et quidem Solonis: Sic enim Aeneas Gazaeus *in Theophraſto:* ὁ μὲν τοῦ Σόλωνος, ἐν ᾧ νόμον ἐπ' ἀνδρὶ τιθέναι, ἀλλ' ἢ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν ἀνθρώποις τίθεσθαι. Rationem hanc addit Demoſthenes *contra Timocratem*, & contra *Ariſtocratem*, ὥσπερ γὰρ τῆς ἄλλης πολιτείας ἴσον μέτεχειν ἑκάστῳ, οὕτω οἴεσθαι δεῖν καὶ τῶν νόμων ἴσον μετέχειν πάντας ὁ θέλει αὐτῶν.

Haec, quae dixi, & hanc nominatim generalem rationem qui non attendunt, ridiculis ſeſe *privilegiorum* diſtinctionibus hactenus involvunt: omnium ineptiſſime illi, qui Favorabilia privilegia lege XII. Tabul. non prohibita, Odioſa tantum hac lege prohiberi putant. *Irrogari* enim (quod verbum ponderare ſolent) privilegia dicuntur, non ea tantum, quae in Odium, ſed & quae in Favorem. Sic irrogare leges Ciceroni. De Jure Publico.

Porro in Soloois lege exceptio addita fuerat, ἐὰν μὴ ἑξακισχιλίοις δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις, teſte Demoſthene *contra Timocratem*, id eſt, niſi id videretur ſex millibus civium clam ſuffragia ferentibus, & ſic ψήφῳ ἀφανεῖ. Unde quidam huic legi exceptionem addunt, niſi per *Maximum Comitiatum*, autoritate Ciceronis *lib. 3. de Legib. cap.* 19. quod diſplicuit Cujacio *lib. 15. Obſ. cap.* 8. Vide Petitum *in leges Atticas pag.* 113. 114.

Nexo solvto &c.] Haec verba diſerte Feſtus ſequentibus, *forti ſanati* &c. praemittit. Iis porro indicatur, quod nonnulli non ceperunt, eodem jure frui oportere etiam eos, qui ob quamcunque cauſam alteri nexi eſſent, atque ſolutos: & ſic nexos a ſervis diſtinguendos, quibuscum nulla juris communio erat.

Forti Sanati Sirempſ jus eſto] Huic ſimilis Athenienſium lex, πᾶσι τοῖς πολίταις τὰ ἴσα εἶναι. Plutarchus in *Theſeo.* Poſtea contra factum. Siculus Flaccus *de conditionibus agrorum pag.* 1. 2. Leges pro ſuo merito quisque acceperunt: neque enim erat juſtum, his, qui toties admiſſo perjurio rupere pacem ac bellum intulere, idem praeſtari, quod fidelibus populis.

Si Judex pecuniam ob rem dicendam acepſit, capital eſto] Valentin. Junior. *l. 5. C. Th. ad L. Jul. rep. Privatarum quoque litium cognitor idemque mercator parem capitis ac vitae, quae peculatus reos conſuevit involvere, cogetur ſubire jacturam.* Hanc legem imitatus Cic. *Orat. 4. in Verrem cap.* 32. *Non flagitioſum tantum, ſed omnium etiam turpiſſimum maximeque nefarium mihi videtur, OB REM JUDICANDAM PECUNIAM ACCIPERE, pretio habere addictam fidem & religionem.*

De capite civis] Capitis appellatione, vitam, libertatem, civitatem, familiaeque jus hac lege accipi oportet. De his omnibus quippe ſolus populus Centuriatis tulit Comitiis. Plautus *Aulul. Act. 3. ſc. 7. v.* 19. alluſit: *Ibo intro, ubi de capite meo ſunt Comitia.* Idem alibi non ſemel: *De capite meo erunt Comitia.* De *vita*, teſtis Pomponius in *l. 2. §. exactis deinde Regibus* 16. & *§. et quia* 23. *ff. de origine juris:* & Cicero *Orat. 5. in Verrem.* & Polybius, *Excerptorum lib. 6. pag.* 463. 464. De jure Civitatis & libertatis, Cicero rurſum auctor. *De jure* (inquit) *libertatis, & civitatis ſuum eſſe P. R. putat judicium. & recte putat.* De jure *Familiae* denique populo judicium fuit. Adrogatio ideo per populum fiebat, utpote cum de familia in civitate extinguenda ageretur: Adrogatus quippe paterfamilias in alienam familiam tranſibat, familiaeque ſuae jus amittebat: de quo vide Gell. *lib. 5. cap.* 19.

Nisi per maximum comitiatum] Hoc eſt, quod Salvianus noſter *libro 8. de Gubern. Dei in fin.* ait, *Interfici* Indemnatum *quemcumque hominem etiam XII. Tabularum decreta vetuerunt.* Quam Salviani ſententiam ad hujus legis interpretationem pertinere docet Cicero manifeſtiſſime pro *domo ſua cap.* 16. 17.

& *lib.* 3. *Legibus cap.* 19. Minus itaque penſo judicio nonnulli, & in his Cujacius quoque *lib.* 4. *Obſervat. cap.* 12. qui ſeparatum ab hoc caput in his Tabulis, *de indemnato non interficiendo*, fuiſſe exiſtimarunt. *Indemnatus* eſt, niſi qui maximo Comitiatu damnatus eſt.

AD TABULAM DECIMAM.

De Jure Sacro.

De Jure Sacro.

SEquitur *Jus Sacrum* leges de Jure privato & publico. Quem ordinem imitatus poſtea Theodoſius Junior *in Codice* nominis ſui faciendo; at non etiam Juſtinianus.

¶ In hanc porro Decimam Tabulam conjectas fuiſſe leges, *de Jure Sacro*, docet ſingularis Ciceronis *lib.* 2. *de Legibus cap.* 25. locus. *Poſtquam* (inquit) *ſumptuoſa fieri funera & lamentabilia coepiſſent, Solonis lege ſublata ſunt: Quam legem eisdem prope verbis noſtri viri in* DECIMAM [male nonnulli UNDECIMAM] TABULAM *conjecerunt. Nam de tribus riciniis, & pleraque alia Solonis ſunt*, &c. Non igitur dubitandum extrema hac e x. Tabulis de Jure Sacro actum: qua quidem appellatione veniunt & religioſa, ſeu quae ad funera juraque ſepulchrorum pertinent.

Cyrba quid.

Tabulam hanc CYRBEN quoque vocare licebit: ſunt enim, qui eas Solonis Tabulas, in quibus *de Jure ſacrorum* agebatur, κύρβεις proprie; coeteras, *Axones* dictas exiſtimarunt: ut refert Plutarchus *in Solone*; & optimus Apollonii Scholiaſtes 4 *Argonauticon Ed. Baſ. pag.* 260.

DE IVREIVRANDO.] Forte haec de eo lex a Cicerone *lib* 2. *de Leg. cap.* 9. uſurpata: *Perjurii poena divina exitium, humana dedecus eſto.*

Postumias leges.

HOMINEM] Sequuntur leges de *Jure Sepulchrorum*, quas & POSTHUMIAS vocare licebit Nam & ita lex Numae, *Vino rogum ne reſpergito*, a Plinio (*lib.* 14. *cap.* 2.) *Poſtumia* vocatur.

NE SEPELITO] Ut hac lege in urbe Roma mortui ſepeliri prohibentur, ita prohibitum id quoque poſtea a Theodoſio M. Conſtantinopoli, quae nova Roma A. D. 381. quinquageſimo poſt ejus Urbis encoenia anno, *l.* 6. *C. Th. de ſepulchris violatis.*

Regula legis initio praemiſſa.

SVMPTVS ET LVCTVM] Initale hoc hujuſce legis, de ſumptu luctuque minuendo, caput omittunt hactenus omnes: quod tamen Cicero *lib.* 2. *de Legibus cap.* 25. diſertis verbis recitat: *Noſtrae* (inquit) *Legis interpretes, quo capite jubentur, Sumptus & luctum removere a Deorum Manium jure, hoc intelligunt &c.* Et eſt ſane caput hoc hujuſce legis primum, velut regula, ad quam ceu finem coetera decem vel undecim hujuſce legis capita referuntur.

HOC PLVS NE FACITO] Summa ſententia, velut fine, legis hujus initio praemiſſa, nunc Modum ipſum Decemviri luctui ſumptuique funebri ponere ſpeciatim incipiunt, his verbis: *Hoc plus ne facito*; id eſt, eum, quem mox ſequentibus capitibus decem praeſcriptum imus, modum, nullus excedere audeat. Cicero ſane diſertim haec verba, capiti, *Rogum aſcia ne polito*, immediate praemiſſa fuiſſe *lib* 2. *de Legibus cap.* 23. docet Ut non parum peccent, qui ea loco ſuo movenda putant, & poſt ea, quae de tibicinibus & riciniis ſupra cauta ſunt, ſubjiciunt: magis adhuc illi, qui velut illegitima repudiare non dubitant. Popma in Catonem *pag* 160. ait haec verba ita accipienda: *Omnia ſunt*, inquit, *tranſlata de lege Solonis, ſed in* XII. *hoc plus eſt, Rogum* &c. Ciceronis de lege XII. Tabularum agentis verba manifeſta ſunt haec, *d. loco*: *Jam caetera in* XII. *Minuendi ſunt ſumptus, lamentationesque funeris, tranſlata de Solonis fere legibus.* HOC PLVS, *inquit*, NE FACITO: ROGVM ASCIA NE POLITO.

de Jure Sacro.

Tribus Riciniis] *Ricinium* hi, qui XII. interpretati ſunt, eſſe dixerunt togam, qua mulieres utebantur, praetextam clavo purpureo, ait Feſtus. Itaque ricinia ſunt vincula purpurae. Ac proinde male, qui praeter ricinia, & de vinculis purpurae hac lege ſancitum produnt. Caeterum capitis hujus variae traduntur interpretationes. Cauſſi haec ſententia, *Tribus vinculis* purpurae, neque pluribus componi vel uri mortuum, vel in funus impendi poſſe. Solonis lex apud Plutarchum, οὐκ ἐάσας συντιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν.

Ovidii locus emendatur.

DECEM TIBICINIBVS] Hujuſce legis meminit & Ovidius *lib.* 6. *Faſtorum, v.* 660.

Cantabat (inquit) *moeſtis tibia funeribus.*
Adde quod Edilis, pompa qui funeris irent,
Artifices ſolos juſſerat eſſe decem.

Manifeſtiſſime, pro *Edilis*, reponendum *Edictis*: mox, pro *juſſerat*, lego *jus erat*. Sicut apud Gellium *lib.* 16. *cap.* 4. ſimilis error tollendus: legendum quippe *Jus erit*, pro *juſſerit*: apud Varronem *lib.* 5. *de lingua Latina*, *ut Jus ſit*, pro *ut juſſit*. Quae exempla duo a Fornerio *lib.* 6. *Quotid. cap.* 18. habeo. Sic Ovidii verborum ſenſus erit apertiſſimus, hic videlicet, *Edictis jus tantum fuiſſe decem Tibicines funeri adhibere.* Edicta vocat Ovidius leges XII. Tabularum: quemadmodum Plinius *lib.* 11. *cap* 37. *Interdictum* XII. Tabularum: *Scita* Decemviralia, Arnobius *lib.* 4. *Decreta* XII. Tabularum, Salvianus *lib.* 8. *circa finem.*

Edicta pro legib. XII. Tabularum.

MVLIERES GENAS NE RADVNTO] His verbis conceptum fuiſſe caput hoc praeter Ciceronem *lib.* 2. *de Legibus cap.* 23. & 25. docet inſuper Plinius *lib.* 11. *cap.* 36. & Feſtus in v. *Radere.* Quae obſcuriora Servius Honoratus *lib.* 12. *Aeneid. v.* 606. ſequentibus verbis notioribus immutanda ſibi credidit, *Faciem ne carpito.* Sicut eundem, legitimorum horum verborum, *Ne qui fruges excantaſſit*, loco, haec, *Neve alienam ſegetem pellexeris*, ſubjeciſſe jam ſupra notavimus. Male itaque qui verba a Servio prolata utrobique, hic & illic, legitima fuiſſe putarunt. Viceverſa male illi, qui falſum Servium produnt, cum hoc caput ſtudio eum ita extuliſſe conſtet.

Servius legitima XII. Tab. verba non ſervat.

HOMINI MORTVO &c.] Vide Cujacium ad *lib.* 2. *Quaeſtionum* Papiniani in *l. ult. w. de his qui notant. infam.*

Murata potio eadem cum ſumptuoſa reſperſione.

MVRATA POTIO] Legitimae haec hujus capitis verba fuiſſe teſtatur Varro apud Feſtum in v. *Murrata.* Et Cicero tamen, *lib.* 2. *de Legibus cap.* 24 quod haec verba obſcuriora eſſent, pro, *Murata potione*, *ſumptuoſam reſperſionem* dixit: recte! Nam cum poſtuma lex Numae ſimplici etiam viro rogum reſpergi vetuiſſet, ut teſtatur Plinius *lib.* 14. *cap.* 2. propter inopiam, quae tum erat, vini videlicet; Decemviri non adeo rigidi fuere: neque enim omnem vini reſperſionem, ſed ſumptuoſam tantum, & muratae nominatim potionis, prohibuerunt. Male itaque, qui praeter hoc caput, *de Murata potione*, alterum de *ſumptuoſa reſperſione* fuiſſe his in Tabulis exiſtimarunt.

QVI

Qvi coronam, &c. ibi Argvitor.] *Arguitor* id eſt, honorator. Quod ſequentia apud Plinium *lib.* 21. *cap.* 3. *Quis ergo HONOS*, ſuadent. Male qui, *ei duitor*, emendat: ut & qui, *adduitor*; & tertius, qui *arduitor*; & qui *diditur*. Poſteriore quippe tantum hujus capitis parte de corona imponenda ſeu addenda nominatim cavetur. Malim tamen *arguitor* interpretari, *voce praeconis laudator*, more & lege ex Attica reportata; de qua vide Demoſthenem *pro Cteſiphonte*.

Neve avrvm addito] Haec verba quidam ad ſuperiorem legem male referunt, quaſi his quoque prohibeantur inaurati lecti.

Gaji ſententia, ad legem xii. Tabularum relata.

Si dominus nolet, ne adjicito] Non alio melius referas, quam ad hoc caput, quod Gajus lib. 5. ad leg xii. Tabul. in *l*, 237. *π. de V. S.* ſcribit, *Duobus negativis verbis quaſi permittit Lex magis, quam prohibet; idque etiam Servius animadvertit.* Ac ſi diceret Gajus, Legem xii. Tabularum, cum ſanxit, *Rogum buſtumve novum propius LX. P ad alienas aedes, ſi dominus nolet, non adjicere licere*, conſentiente domino id fieri non prohibuiſſe, verum permiſiſſe magis.

AD TABULAM UNDECIMAM.

SEquuntur duae poſteriores Tabulae, decem prioribus ſupplendis adjectae: quibus additis velut corpus Juris omnis Romani abſolutum fuit. Et Zonaras tamen, Decemviros *pauca quaedam in hasce Tabulas ſua auctoritate adſcripſiſſe, non ad concordiam, ſed ad majores diſſenſiones pertinentia*, ait *lib. 7. cap.* 18. *Ed. Par.* Imperite! Extra unicam quippe legem, *de connubio videlicet patribus cum plebe interdicta*, coeterae leges omnes uſu probatae, neque de earum iniquitate ullae quaerelae poſtea exortae. Quidnam eſt igitur, quod *Iniquas* haſce Tabulas, ad decem priorum diſtinctionem, vocare quidam audent? Praeſertim cum Tacitus *lib.* 3. *Ann. cap.* 27. de xii. Tabulis omnibus agens, Finem eas Juris Æqui vocet.

Supplendis itaque decem prioribus, quibus deeſſe aliquid videbatur, hae duae Tabulae adjectae fuerunt: ut exinde conſtet, capita his in Tabulis ad decem priorum Tabularum ordinem conlocata fuiſſe: ac propterea Undecimam Tabulam, quinque priorum Tabularum ſupplementum; Duodecimam, quinque poſteriorum videri. Sane Capita in his Tabulis ad ordinem decem priorum diſpoſita fuiſſe, docet ſeries ſententiarum, quae *l.* 238. *π. de V. S.* continentur, ex lib. 6. Gaji ad xii. Tabulas (quo is duas has poſteriores Tabulas interpretatus fuerat) deſumptarum: eſt enim *principium legis illius* ſupplementum *Quartae* Tabulae: §. 1. ſupplementum *Quintae*: §. 2. ſupplementum *Sextae*: §. 3. ſupplementum *Septimae*.

Prioribus Tabulis poſteriores Tabulae derogant.

Qvod postremvm] Convenire hoc caput poſtremis hiſce Tab. juxta mecum, puto, exiſtimabit quivis. Non equidem, quod hiſce Tab. legum prioribus Tab. comprehenſarum, ulla abrogata vel antiquata fuerit: verum quod exceptionibus etiam additis, aliquibus derogatum fuerit. Ut ecce, Alienandae rei ſuae domino ſexta Tabula, plena liberaque poteſtas facta fuerat hac lege: *Quum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupaſſit, ita jus eſto.* Et his poſterioribus tamen Tabulis, rei controverſae conſecrandae facultas adimitur, ut apparet ex *l.* 3 *π. de litigioſis.* Praemiſſum itaque caput hoc hiſce Tabulis duabus ea, quam dixi, de cauſa. Huic porro capiti praemitti non patior haec: *Juſſus populi & ſuffragia ſunto:* non modo, quia ſine teſte id dicitur; verum etiam quia inepte id additum fuiſſet. Ecquis enim dubitet, penes populum legis condendae & ſuffragiorum jus tum fuiſſe?

Patribus cum Plebe] Ad hanc legem pertinet Plebis definitio tradita a Gajo in l. 238. *in princ. π. de V. S.* libro 6. ad xii. Tabulas.

Deteſtatio Sacrorum.

Detestatvm] Hoc verbum hiſce in Tabulis fuiſſe docet Gajus lib. 6. ad l. xii. Tabul. in *l.* 238. *§.* 1. *π. de V. S.* Et pertinet ad *ſacrorum haereditariorum Gentilitiorumque deteſtationem:* quae appendix quaedam ſucceſſionum erat. Quare & Servium Sulpitium JCtum, in *libro de ſacris deteſtandis ſecundo*, de jure teſtamentorum diſputaſſe auctor eſt Gellius *lib.* 6. *cap.* 12. Idem Gellius *lib.* 15. *cap.* 17. ex Laelii Felicis ad Q. Mucium notis, Calatis Comitiis & ſacrorum deteſtationem, & teſtamenta fieri ſolita ſcribit. Sane, Cicero teſtatur *lib.* 2. *de Legibus cap.* 18. *ſeq.* Pontificio & Civili jure, quo ſacra privata conſervarentur, nec morte patrisfamilias ſacrorum privatorum memoria intercideret, cautum fuiſſe, ut iis heraeditaria ſacra adſcripta eſſent, ad quos ejusdem morte pecunia veniſſet. Quam rem pluribus *ibidem* explicat Cicero. Alio vero pertinet *Deteſtatio*, de qua *l.* 40. *π. de V. S.* nempe pro denunciatione facta teſtato, ſeu teſtibus praeſentibus: veluti in edicto vi bonorum raptorum, *l.* 2. *§.* 1. *π. vi bon. rapt.* quae *dictae legi* 40. conjungenda eſt.

AD TABULAM DUODECIMAM.

SEquuntur hac Tabula ſupplementa Quinque poſteriorum Tabularum. Quorum ſupplementorum, quae quatuor ſuperſunt, probationem unus Gajus lib. 6. ad xii. Tabul. nobis ſuppeditavit, in *l.* 238. *§.* 2. *π. de V. S. l. ult. π. de litigioſis. l.* 29. *π. de uſuris. l.* 238. *§.* 3. *π. de V. S.* Coeterum, ex iis, quae ſemel diximus de ordine ſervato a Gajo, liquet, quam male fluctuent Interpretes xii. Tabularum in his ſegmentis collocandis.

FINIS NOTARUM.

LIBER SEXTUS:

QVO CONTINETVR

INDEX AD XII. TABULAS,

SEU DE

Rerum & Verborum, quae in XII. Tabulis, Significatione.

A.

ACERRA, ara, quae ante mortuum poni ſolebat, in qua odores incendebantur. Alii dicunt, arculam eſſe thurariam, ſcilicet ubi thus ſeponebant, λιβανωτρίς. [Ne longae coronae, neve acerrae praeferuntor. Tab. 10.

Acervus frumenti. *Qui aedes acervumve frumenti ad aedes poſitum ſciens prudens incenſit, vinctus verberatus igni necator: Aſt ſi caſu, noxiam ſarcito. ſi nec idoneus eſcit, levius caſtigator.* Tab. 7.

ADDICERE litem. v. *litem.* Addici alicui. [*Uſque, cui furtum factum eſcit, addicito.* Tab. 2. Arbitrum addicere. v. inf. *Arbiter.* Tab. 2.

Adfines id eſt, in agris vicini, ἀγχιτέρμονες. [Si jurgant *adfines.* Tab. 8.

* Apud Apulejum non ſemel hoc ſenſu. v. inf. *Orare.* — ADORARE * Furto. id eſt, agere furti. [Si adorat furto, quod nec manifeſtum eſcit. Tab. 2.

Adſerere manu, in libertatem cum prehendimus [*Si qui quem liberali cauſa manu adſerat, ſecundum libertatem vindicias dato.* Tab. 6.

ÆDES.

¶ Adverſus *Incendia* aedium, hae tres leges in XII. Tab.

1 occurrunt. [*Si qui aedes acervumve frumenti ad aedes poſitum ſciens prudens incenſit, vinctus verberatus igni necator: Aſt ſi caſu, noxiam ſarcito: ſi nec idoneus eſcit, levius caſtigator.* Tab. 7.

2 Ambitus parietis, ſeſtertius pes eſto. Tab. 8.

3 In urbe ne ſepelito neve urito. [*Rogum buſtumve novum propius LX. P. aedes alienas, ſi dominus nolet, ne adjicito.* Tab. 10.

¶ Adverſus *Ruinas,* hac l. cautum. [Tignum junctum aedibus vineaeve ne concapet, & ne ſolvito, &c. Tab. 6.

Æqualitas juris inter omnes cives ſervanda. Eo ſpectant hae leges. [Privilegia ne irroganto. Nexo ſolutoque forti ſanati *ſiremps jus eſto.* Tab. 9.

ÆRIS CONFESSI. id eſt, aeris, de quo facta confeſſio eſt. [Æris confeſſi rebusque jure judicatis, XXX. dies juſti ſunto. Tab. 3.

de Ære. v. inf. in *Re Nummaria.* & in v. *Poena.*

ÆTERNA auctoritas. v. *Auctoritas.*

ÆVITAS, pro aetate, & quidem mala, ſeu ſeculi. [Si morbus aevitasve vitium eſcit, qui in jus vocabit, jumentum dato: ſi nolet, arceram ne ſternito. Tab. 1.

Agere jumentum. v. inf. *jumentum.*

* v. inf. *Ruſticae rei favor.* — Agriculturae * favor. [*Intra 5. pedes aeterna auctoritas eſto.* Tab. 8.

AGNATUS proximus.

1 *Haeres.* [Si * paterfamilias * inteſtato moritur, cui ſuus heres nec eſcabit, agnatus proximus familiam habeto. Tab. 5.

2 Tutor. [Agnatus proximus tutelam nanciſtor. *Et mox:* Si furioſus aut prodigus exiſtat, aſt ei cuſtos nec eſcit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniave ejus poteſtas eſto. Tab. 5.

Vide & Plautum *Curcull.* *Act.* 3 *ſc.* 1. 2. 31. — Alternativa. [In Comitio aut in foro. Tab. 1. Judici Arbitrove. Tab. 2. *l.* 2.

Judex Arbiterve jure datus. Tab. 9.

Aut nervo aut compedibus. Tab. 3.

Rei ſive litis. Tab. 12.

AMBITUS PARIETIS, id eſt, circuitus aedium, ſeu ſpatium vacuum inter duos parietes vicinorumque aedificia περίοδος, περίδρομος [Ambitus parietis ſeſtertius pes eſto. Tab. 8.

in AMFRACTO, id eſt, in flexu, ubi flexum eſt. Amfractum eſt, ab origine flexum duplici, dictum ab ambiro & frangendo. [*Via in porrecto VIII.* P. in amfracto, *XVI.* P. *lata eſto.* Tab. 8.

Amſegetes, id eſt, quorum ager viam tangit. [*Si via per amſegetes immunita eſcit, qua volet jumentum agito.* Tab. 1.

Anteſtari. v. inf. *Anteſtari.*

ANNUS [Uſus auctoritas fundi, biennium: *coeterarum rerum annus uſus eſto.* Et mox: *Mulier, quae annum matrimonii ergo apud virum manſit, ni trinoctium ab eo uſurpandi cauſa abeſcit, uſus eſto.* Tab. 6.

ANTESTAMINO, pro anteſtare. Anteſtari autem Porphyrio interpretatur ante teſtari, quam manum actor injiciat. Sed forte *anteſtari* eſt ex circumſtantibus aliquem teſtem facere. [Si in jus vocat, ni it, anteſtamino. Tab. 1. *l.* 1.

AQUA pluvia. [Si aqua pluvia manu nocet, *Praetor arcendae aquae arbitros tris addicito.* Tab. 8.

ARATRO quaeſitae fruges. v. inf. *Fruges.*

ARBITER. [Si quid horum fuat unum Judici Arbitrove reove, eo die diffenſus eſto. Tab. 2. *Si judex arbiterve jure datus ob rem dicendam pecuniam accepſit, capital eſto.* Tab. 9.

Arbitri tres. 1. in *familiae erciſcundae* judicio. [* *Haeredes coeterorum verum ſi volent*, erctum citum faciunto. *Praetor ad id arbitros tris dato.* Tab. 5.

2. In *Finium regundorum* judicio. [Si jurgant *adfines, finibus regundis Praetor arbitros tris addicito.* Tab. 8.

3. In *Aquae pluviae arcendae* judicio. [Si aqua pluvia manu nocet, *Praetor arcendae aquae arbitros tris addicito.* Tab. 8.

4 In *Fructuum aeſtimatione.* [Si vindiciam falſam tulit, Praetor rei ſive litis arbitros tris dato: eorum arbitrio fructi duplione decidito. Tab. 12.

Arbitratu Praetoris Impubes verberatus. [*Si luci furtum faxit, ſi im aliquis endo ipſo capſit, Impubes Praetoris arbitratu verberator.* Tab. 2. *Qui frugem aratro quaeſitam furtim nox pavit ſecuitve, Impubes Praetoris arbitratu verberator.* Tab. 7.

ARBOR, Caeſae arboris aeſtimatio. [*Si injuria alienas arbores caeſit, in ſingulas xxv. aeris luito.* Tab. 2. Impendentis in vicinum agrum arboris ſublucatio. [*Si arbor in vicini fundum impendet XV. P. altius, ſublucator.* Tab. 3.

ARCERA eſt ploſtrum undique tectum & munitum, quaſi arca quaedam magna veſtimentis inſtrata, qua nimis aegri aut ſenes portari cubantes ſolebant. [Si in jus vocat: ſi morbus aevitasve vitium eſcit, qui in jus vocabit, jumentum dato: ſi nolet, arceram ne ſternito. Tab. 1. *l.* 1.

ARGUITOR, pro Honorator. [Qui Coronam parit ipſe pecuniave, ejus virtutis ergo arguitos. Tab. 10.

Arvales. v. inf. *Sodales.*

ASCIA polite rogum. [Rogum aſcia ne polito. Tab. 10.

ASSIDUS, pro, locuplete quaſi multorum aſſium; qui aſſes dant. [Aſſiduo vindex aſſiduus eſto: proletario, Cuiqui volet, vindex eſto. Tab. 1.

Aſſes * xxv. Gell. *lib.* 16. *c.* 10. Tab. 7.

ATQUE, id eſt, ſtatim, protinus. Virgil. 1. *Georg.* v. 203.

Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.

Ennius. *Atque atque accedit muros Romana juventus.*

Varro *bis* λύρας. *Quae ſcis, atque*

In vulgum vulgas, artemque expomis inertem.

[Si in jus vocat, atque eat. Tab. 1. *l.* 1.

AUCTORITAS aeterna, id eſt, jus perpetuo perſequendae rei. [Adverſus hoſtem aeterna auctoritas eſto. v. inf. *uſus auctoritas.* Tab. 3.

AURUM in funere. [Neve aurum addito: aſt ſi cui auro dentes vincti eſcunt, im cum illo ſepelire urereve, ſe fraude eſto. Tab. 3.

B.

BEllum. * v. inf. *Perduellis.* Bello mortuus. [Homini mortuo ossa ne legito, quo poſt funus faciat: *Extra quam ſi belli endove boſtico mortuus eſcit.* Tab. 10.

* forte erat in ipſa l. DUELLUM.

BIENNIUM. v. ſup. *Annus.*

BUSTUM, locus, in quo mortuus eſt combuſtus & ſepultus. [*Rogum buſtumve novum propius LX. pedes aedes alienas, ſi dominus nolet, ne adjicito.* Et mox: *Fori buſtive aeterna auctoritas eſto.* Tab. 10.

C.

CALVITUR, eſt, moratur, fruſtratur. Gajus *l.* 233. *in pr. ff. de V. S.* Calvitur ἐξαπατᾷ. Gl. [Si in jus vocat, ſi calvitur pedemve ſtruit, manum endojacito. Tab. 1. *l.* 1.

CANTARE. v. inf. *Excantare, Incantare, Occentare.*

CAPUT.

Caput *obnubito.* v. inf. *obnubito.*

Caput *civis.* [De capite civis niſi per maximum Comitiatum ne ferunto. Tab. 9. Poenae *capitales.* vide inf. Poe-

Poenae. Cicero teſtatus, *paucas res XII. Tabulis capite ſancitas fuiſſe.*

Capito, id eſt, ſiſtito via publica pergentem, non manu injecta. [Si in jus vocat, ni it, anteſtamino, igitur em capito: ſi calvitur pedemve ſtruit, manum endojacito. Tab. 1. *l.* 1.

Capſit, id eſt, prehenderit. [*Si luci furtum faxit, ſi im aliquis endo ipſo capſit, &c.* Tab. 8.

Carmen.

1 *Famoſum* [Si qui pipulo occentaſſit, carmenve condidiſſit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, fuſte ferito. Tab. 7.

2 *Malum. Et alibi:* Qui malum carmen incantaſſit.

Caſtigatio levius. v. inf. *Poenae.*

Caſu.

1 *Damnum* datum. [*Si caſu* rupitias, ſarcito. Tab. 7.

2 *Incendium* factum. [*Si qui aedes acervumve frumenti ad aedes poſitum ſciens prudens incenſit, vinctus verberatus igni necator: Aſt ſi caſu, noxiam ſarcito.* Tab. 7.

Cauſa repudii. v. inf. *Repudium.*

Causam conſcito. v. inf. *Conſcito.*

Circumpotatio. [Servilis unctura, omniſque circumpotatio auferitor. Tab. 10.

Citum & Ciendum. v. inf. *Erctum.*

Civis.

Caput Civis, [De capite Civis, niſi per maximum Comitiatum, ne ferunto. Tab. 9.

Perduelli civem tradentis poena. [*Si qui perduellem concitaſſit, civemve perduelli tranſdait, capital eſto.* Tab. 9.

Æqualitas inter omnes Cives ſervanda. v. ſup. *Æqualitas*

Cliens. [Patronus ſi clienti fraudem faxit, ſacer eſto. Tab. 7.

Coedere.

Arbores coeſae. v. ſup. *Arbor.*

Paricidium. v. inf. *Paricidium.*

Jure coeſus eſto. v. inf. *Jure.*

Coitsmas ess. [*Nomina inter haeredes pro portionibus haereditariis, erĉta ſunto: coeterarum rerum, ſi volent,* erctum citum *faciunto.* Tab. 5. Uſus auctoritas fundi biennium, *coeterarum rerum annVs uſus eſto.* Tab. 6.

Coetus nocturni. [*Si qui in urbe coetus nocturnos agitaſſit, capital eſto.* Tab. 9.

Comitium. Comitiatus. [Ni ita pacunt, in Comitio aut in foro cauſam conſcito. Tab. 1. *Interdiu trinis nundinis continuis in Comitium procitato, utriuſque aeſtimiam judicati praedicato.* Tab. 3. De capite civis niſi per maximum Comitiatum ne ferunto. Tab. 9. Plautus *Aul. Act.* 4. *ſcen.* 7. v. 19. huc alluſit, *Ibo intro, ubi de capite meo ſunt comitia.*

Compedes. [Ni judicatum facit, ſecum ducito, vincito aut nervo aut compedibus quindecim pondo, ne majore: at ſi volet, minore vincito. Tab. 3.

* v. inf. *Conſerere.* Concapere *, id eſt, ſimul prehendere, contra capere ſeu vindicare vi feſtucaria. Concapere, ut Incapere *Gloſſ.* [Tignum junctum aedibus vineaeve ne concape, & ne ſolvito. Tab. 6.

Concitare perduellem. v. inf. *Perduellis.*

Condere carmen. v. ſup. *Carmen.*

Confessi aeris, id eſt, aeris, de quo facta confeſſio. Confeſſus & judicatus, paria. [Æris confeſſi rebuſque jure judicatis, xxx. dies juſti ſunto. Tab. 3.

Conjuncta pro disjunctis. [Si furioſus aut prodigus exiſtat, aſt ei cuſtos nec eſcit, *agnatorum gentiliumque* in eo pecuniaque ejus poteſtas eſto. Tab. 5.

Conlocatio mortui. v. inf. *Intus poſitus.*

Connubium. [Patribus cum plebe connubii jus nec eſto. Tab. 11.

Conscito cauſam, id eſt, cognoſcito. Conſcio *συγγνώμη, σύνοιδα. Gloſſ.* Cyrilli. [In Comitio aut in foro ante meridiem cauſam conſcito, cum perorant ambo praeſentes. Tab. 1.

Conſecratio. v. inf. *Dedicare.*

* v. ſup. *Concapere.* Conserere * manum, eſt rem, de qua diſceptatur, praeſentem, quum adverſarium manu prenderit, vindicare, rem Praetore oculis ſuis ſubjiciente. [Si qui in jure manum conſerunt, &c. Tab. 6.

Corona. [Ne longae coronae, neve acerrae praeferuntor. *Et mox:* Qui coronam parit ipſe pecuniave ejus, virtutis ergo arguitor, & ipſi mortuo parentibuſque ejus, dum intus poſitus eſcit, foriſve effertur, ſe fraude impoſita eſto. Tab. 10.

Cuiqui pro Quiſquis. [Aſſiduo vindex aſſiduus eſto: proletario, cuiqui volet vindex eſto. Tab. 1.

Culleo inſuti parenticidae. v. inf. *Poenae.*

Custos, pro tutore. [Si furioſus aut prodigus exiſtat, aſt ei cuſtos nec eſcit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniave ejus poteſtas eſto. Tab. 5.

D.

Damnum datum. v. inf. *Rupitias.*

Decidere. v. inf. *Decidere.*

Debitoris ſectio, venditio. v. inf. *Sectio.*

Decidere damnum, eſt de damno paciſci, tranſigere. v. inf. *Paco:* ut verberibus decidere. Calliſtratus *l.* 2. *in fin. π. de term. moto.*

Dedicatio in ſacrum. id eſt, *dedicatio.* ut in cenſum dedicare, Ciceroni *pro Flacco cap.* 32. in funus dedicare, Paulo *l.* 19. *π. de in rem verſ.* Delicare pro *dedicare.* [*Si qui rem de qua ſlis ſiet, in ſacrum delicaſit, duplione decidito.* Tab. 12.

Dempta. [*Tigna* quandoque ſarpta, donec dempta erunt, *vindicato.* Tab. 6.

Dentes. v. inf. *Hominis membra.*

Depoſitum. Dolus in depoſito dupli poena vindicatus. [*Si quid endo depoſito dolo malo factum eſcit, duplione luito.* Tab 3.

Detestatum *, eſt *teſtatione denunciatum.* [Pertinet hoc unicum vocabulum, quod apud Gajum extat, ad *ſacrorum deteſtationem.* Tab. 11. * v. inf. *ſacrorum deteſtatio.*

Dicaſſit, id eſt, dixerit: Gloſſae *ἀπαγγείλῃ.* [*Si falſum teſtimonium dicaſit, ſaxo dejicitor.* Tab. 7.

Dicere rem. *δικάζειν,* judicare. [*Si judex Arbiterve ob rem dicendam pecuniam accepſit, capital eſto.* Tab. 9. Cicero *orat.* 4. *in Verrem cap.* 32. *ob rem judicandam pecuniam accipere.*

Dies.

Occaſus Sol. v. inf. *Occaſus.*

Meridies. v. inf. *Meridies.*

Horarum in xii. Tabulis mentio non fit. Plin. Cenſorinus *de Die Natali.*

Lux. v. inf. *Lux.*

Nox. v. inf. *Nox.*

In dies libras farris. [Ni ſuo vivit, qui em vinctum habebit, libras farris in dies dato. Tab. 3.

Tertiis diebus. [Cui teſtimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito. Tab. 2.

Nundinae. v. inf. *Nundinae.*

xxx. dies. inf. *Juſti dies.*

LX. [*Ni cum eo pacit, LX. dies endo vinculis retineto.* Tab. 3.

Diffenſus dies, id eſt, dilatus, prolatus. [Morbus ſonticus . . . . . . *ſi* quid horum fuat unum Judici arbitrove reove, eo die diffenſus eſto. Tab. 2. *l.* 2.

Juſti dies. [Æris confeſſi rebuſque jure judicatis xxx. dies juſti ſunto. Tab. 3.

Status dies. v. inf. *Status.*

Diffensus dies eſto, v. ſup. *dies.*

Dii.

1 *Ceres.* Deo ſacrari. [*Qui frugem aratro quaeſitam furtim nox pavit ſecuitve, ſuſpenſus Cereri necator.* Tab. 7.

2 *Manes.* [Sumptus & luctum a Deorum Manium jure removeto. Tab. 10.

Dolus * malus, xii. Tabulis vindicatus. [*Si tutor dolo malo gerat, vituperato.* Tab. 7. * v. inf. *Fraus.*

Dominium rei venditae traditae. [*Res vendita Transque data, emptori non acquiritor, donicum ſatisfactum eſcit,* Tab. 6.

Domus.

Ducito ſecum. v. inf. *Secum.*

Duit *. [Si pater filium ter venumduit, filius a patre liber eſto. Tab. 4. * id eſt, *dederit.* veteres *duo* dixerunt, *Adduo προσθῶ* Gl. *Adduis, addideris:* Feſtus. Unde etiam *aſſiduus* ab aſſibus dandis.

Duplionis poena. v. inf. *Poena.*

E.

Eat, id eſt, Sequitor. [Si in jus vocat, atque eat. Tab. 1. *l.* 1.

Efferri mortui. v. Tab. 10.

Em, *ἐμαυτόν.* [Si in jus vocat, atque eat, Tab. 1. *l.* 2. *Ni it &c.*

Em, id eſt, eum. [Igitur em capito. Tab. 1. *l.* 1. Qui em vinctum habebit. Tab. 3.

Emem, id eſt, eundem. [Si glans *in emem,* id eſt, in eundem & praedictum vicini agrum *caduca fiet.* Tab. 8.

Emptor pro omni, qui quocunque genere alicujus rei dominus factus eſt. [*Statuliber, emptori dando liber eſto.* Tab. 6.

Endo, id eſt, in *ἐν,* *ἐνδον,* *ἔνδον,* *ἐνδοτέρω.* Gl. Endo ſo, id eſt, interea, quod & endoidu antiquis: *ἐν τῷ μεταξὺ* Gl. [Ni judicatum facit, aut quips endo eo in jure vindicit, ſecum ducito. Tab. 3.

Endoiacito. Lucilio *Endoferto.* [Si calvitur pedemve ſtruit, manum endojacito. Tab. 1. *l.* 1.

Endoplorato, implorato, cum queſtione inclamato. Feſt. *ἐπικαλέσαι.* Gl. [*Si ſe telo defenſint, quiritato endoque plorato: poſt deinde ſi coeſi eſcint, ſe fraude eſto.* Tab. 8.

Ensiet, id eſt, ſit autem, *ὤν ᾖ.* Gl. [Si enſiet, *qui endo via em vindicit, mittito.* Tab. 2.

Erctumcitum fit inter conſortes, Feſtus *διαίρεσις οὐσίας τῶν.* Gl. [*Nomina inter haeredes pro portionibus haereditariis, erctacita ſunto: coeterarum rerum ſi volent,* erctumcitum *faciunto. Praetor ad erctum ciendum arbitros tris dato.* Tab. 5.

Ergo, *χάριν.* v. Feſtum [Virtutis ergo. Tab. 10.

Escit,

Eſcit, pro erit. Feſtus. [Si morbus aevitasve vitium eſcit. Tab. 1. Cui ſuus heres nec eſcit. Tab. 5. Si agnatus nec eſcit. Tab. 5. Aſt ei cuſtos nec eſcit. d. Tab. 5. Ipſi mortuo parentibusve ejus, dum intus poſitus eſcit. Tab. 10. Lucretius. *lib.* 1. *v.* 613.

Ergo rerum inter ſummam minimamque quod eſcit.

(* v. infra. *Incantare. Occentare.*) **Excantare** *, fruges, eſt, malo carmine eas pellicere, vel enecare. [Qui fruges excantaſſit. Tab. 7.

Exiſtit furioſus aut prodigus, qui incipit eſſe. [Si furioſus aut prodigus *exiſtat*, aſt ei cuſtos nec eſcit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniave ejus poteſtas eſto. Tab. 5.

F.

Falſum teſtimonium. v. inf. *Teſtimonium.*
Familia. Familiae appellatio in res & perſonas diducitur:
1 *In res.* [Agnatus proximus familiam habeto. Si agnatus nec eſcit, gentilis familiam heres nancitor. Tab. 5.
2 In *perſonas.* [*Si libertus inteſtato moritur, cui ſuus heres nec extabit, aſt patronus patronive liberi eſcint*, ex ea familia in eam *proximo* pecunia adduitor. Tab. 5.
3. ad Corporis cujusdam ſignificationem, Paterfamilias. v. inf. *Paterfamilias.*
Famoſum carmen. v. ſup. *Carmen.*
Fariatur Teſtimonium, pro *fatur*, id eſt, dicit, fert, perhibet. [Qui ſe ſirit teſtarier libripensve fuerit, ni teſtimonium fariatur, improbus inteſtabilisque eſto. Tab. 7. v. Theoph. ad §. 6. *Inſt. qui teſtam. fac. poſſ.* Sic & *fruiner*, a quo & *fruiſcor*, Catonem dixiſſe notat Feſtus, pro *fruor*: ita ergo *facior* pro *for*.
Farris librae in ſingulos dies, ſingulae. [Ni ſuo vivit, qui em vinctum habebit, libras farris in dies dato: ſi volet, plus dato. Tab. 3.
Faxit, pro fecerit. [Si nox furtum faxit. Tab. 3. Si qui injuriam alteri faxit. *Et mox*: Carmenve condidiſſit, quod infamiam faxit flagitiumve. Tab. 7. Si ſervus ſciente domino furtum faxit. Tab. 12.
Ferre vindiciam. v. inf. *Vindiciam.*
(* v. infr. *Liber* & inf. *Pater.*) **Filius** *. Venditus a patre ter, liber fiebat. [Si pater filium ter venumduit, filius a patre liber eſto. Tab. 4.
Fines.
de jure Finium. v. Tab. 8.
Flagitium, pro infamia, laeſaque alterius exiſtimatione. [Si qui pipulo occentaſſit, carmenve condidiſſit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, *fuſte ferito*. Tab. 7.
Foenus unciarium: quod unciam unam menſtruam in aſſem pendit, [*Si qui unciario foenore amplius foeneraſſit, quadruplione luito*. Tab. 3.
Forio suffrri. v. *Corona.*
Fortis, id eſt, bonus frugi, qui nunquam a P. R. defecit. Feſtus. [Nexo ſoluto, forti ſanati ſiremps jus eſto. Tab. 9.
Forum. v. ſup. *Comitium.*
Forum, pro veſtibulo ſepulcri. Tab. 10. v. Ciceronem *lib.* 2. *de legib. cap.* 24. & Feſtum.
Fraus clienti facta. v. ſup. *Cliens.*
Frequentative verba in 12 Tab. v. inf. *Grammatica.*
Fructus dupl. Malae fidei poſſeſſor in duplos fructus tenebatur. [Si vindiciam falſam tulit, Praetor rei ſive ſtlitis arbitros tris dato: eorum arbitrio fructi duplione decidito. Tab. 12.
Fruges excantare. v. ſup. *Excantare.*
Aratro quaeſitae frugis *paſtus.* [*Qui frugem aratro quaeſitam furtim nox pavit ſecuitve, ſuſpenſus Cereri necator. Impubes Praetoris arbitratu verberator, noxiamve duplione decernito.* Tab. 7.
Frumenti acervus. v. ſup. *Acervus*,
Fuat, pro contingat, συμβῇ.
Gl. vel εἴη εἴη. Virgilius, *lib.* 10. *Aen. v.* 108.
Tros Rutulusve fuat &c, *Fors fuat.* [Si quid horum fuat unum Judici Arbitrove reove. Tab. 2. *l.* 2.
Fudit, id eſt, ejecit. [Qui os ex genitali fudit. Tab. 7.
Fundus.
Uſucapio fundi. [Uſus auctoritas fundi, biennium eſto. Tab. 6.
Funus v. Tab. 10.
Furioſus, in poteſtate agnatorum. [Si furioſus exiſtat, aſt ei cuſtos nec eſcit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniave ejus poteſtas eſto. Tab. 5.
Furtum.
De furtis. v. Tab. 2.
De furto ſervi. [Si ſervus ſciente domino furtum faxit, noxae dedito. Tab. 12.
Fuste ferire. v. *Poena.*

G.

Genae, a mulieribus in luctu unguibus dilaniari prohibitae. [Mulieres Genas ne radunto. Tab. 10.
Genitale, ubi dentes gignuntur. [Qui os ex genitali fudit libero, ccc. ſervo, cl. aeris poenae ſunto. Tab. 7.
Gentilis, ejusdem gentis, ex eodem genere ortus. Feſtus συγγενής. Gl.
1 *Heres.* [Si agnatus proximus nec eſcit, gentilis familiam heres nancitor. Tab. 5.
2 *Tutor.* [Si furioſus aut prodigus exiſtat, aſt ei cuſtos nec eſcit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniave ejus poteſtas eſto. Tab. 5.
Gentilitiae hereditates. v. Tab 5.
Glans, de Glande legenda. [*Si glan in sm caduca fiet, domino legere jus eſto.* Tab. 8.
Grammatica, ſeu de his, quae ad rem Grammaticam pertinent.
Antiptoſes. [Super pecuniae Tutelaeve ſuae. Tab. 6. Eo die diffenſus. Tab. 2. In eo pecuniave ejus poteſtas eſto. Tab. 5.
Ἀρχαϊσμά. [Em pro *Eum*: Endo, pro *In*: Im, pro *eum*, vel *id*: Nec, pro *Non*: Nox, pro *Noctu*: Qui, pro *Quis*. ſe, pro *ſine*.
Ἀσύνδετα. [Erctum citum: jus ratum, victus verberatus: vitae necis: uſus auctoritas.
Compoſita. [Anteſtamino, Concape, Conſcito.
Frequentativa. [Fariatur. Ratato. Ruptias
Literae abundantes. Quips, pro *Quis.* Tab. 3.
Omiſſae [victus pro *vinctus.* Tab. 7. Mutatae [Cuiqui pro *Quiqui.* Tab. 1. Vindiens, pro *vindicens.* Tab. 3.
Verborum formae veteres. [Capſit, Duit, Eſcit, Faxit, Fuat, Incenſit, Legaſſit, Occiſit, Pacit, Rupſit, Sirit, ut Noxit apud Lucilium, *Ne bos noxit.*

H.

Herediurm, id eſt, hortus. Tab. 8. v. Plinium *lib.* 19. *cap.* 4.
Hereditas.
De hereditatibus, teſtamentariis, ab inteſtato, gentilitiis, libertorum, ne dividenda hereditate. v. Tab. 5.
de ſuis heredibus. v. inf. *Suus.*
Homo. [*Hominem* mortuum in urbe ne ſepelito, neve urito. Tab. 10. *Homini* mortuo oſſa ne legito, quo poſt funus faciat. v. Tab. 10.
Partus hominis. Deformis. [*Pater inſignem ad deformitatem puerum cito necato.* Tab. 4.
Decemmeſtris. [*Si qui ei* in 10. menſibus proximis *poſtumus natus eſcit, juſtus eſto.* Tab. 4. Vide infra *Menſis.*
Sepultura hominis. v. inf. *Sepultura.*
Sectio debitoris. v. inf. *Sectio.*
Caput.
Obnubere caput. [Qui parentem necaſſit, caput obnubito. Tab. 7.
Dentes auro vincti [Neve aurum addito. Aſt ſi cui auro dentes vincti eſcint, im cum illo ſepelire urereve ſe fraude eſto. Tab. 10.
Genae. v. ſup. *Genae.*
Genitale v. ſup. *Genitale.*
Lingua. v. inf. *Nuncupare.*
Manus. Adſerere manu. v. ſup. *Adſerere.*
Conſerere manus. v. ſup. *Conſerere.*
Injectio manus. [Si in jus vocat, ſi calvitur pedemve ſtruit, manum endojacito. Tab. 1. *l.* 1.
Nocens manu. [Si aqua pluvia manu nocet. Tab. 8.
Membrum. [Si membrum rupſit, ni cum eo pacit, talio eſto. Tab. 7. Aeris confeſſi rebusque jure judicatis, xxx. dies juſti ſunto: Poſt deinde manus injectio eſto, in jus ducito. Tab. 3.
Os, oſſis pro *dente.* [Qui os ex genitali fudit libero, ccc. ſervo cl. aeris poenae ſunto. Tab. 7. Homini mortuo oſſa ne legito, quo poſt funus faciat, *extra quam ſi belli endove hoſtico mortuus eſcit.* Tab. 10.
Pes Pedem ſtruit. [Si calvitur, pedemve ſtruit, manum endojacito. Tab. 1.
Hortus pro villa. v. Plinium *lib.* 19. *cap.* 4. Tab. 8.
Hostis pro peregrino. *Status dies* cum peregrino. [Si morbus ſonticus aut ſtatus dies cum hoſte *intercedat.* Tab. 2. *l.* 2. *Uſucapere* peregrinus non poteſt. [Adverſus hoſtem aeterna auctoritas eſto. Tab. 3.
Hoſticum pro peregrino agro. v. ſup. *Hominis os.* Tab. 10.

I.

Igitur, proinde, poſtea, tum, Feſtus. εἶτα.
[Si in jus vocat, ni it, anteſtamino, igitur em capito. Tab. 1. *l.* 1.
Ionis ſupplicium. v. inf. *Poena.*
Im. pro *eum*, & pro *id.* [Si nox furtum faxit, ſi im aliquis occiſit, jure caeſus eſto. Tab. 2. Neve aurum addito: aſt ſi cui auro dentes vincti eſcint, im cum illo ſepelire urereve, ſe fraude eſto. Tab. 8.
Immunis via. v. inf. *Via.*
Impeſcit *, id eſt, in laetam ſegetem paſcendi gratia immittit. Feſtus. [*Qui pecu fundo alieno* impeſcit. Tab. 7. (* v. inf. *Pactus.*)
Improbus inteſtabilisque eſto. [Qui ſe ſirit teſtatier, libripensve fuerit, ni teſtimonium fariatur, improbus inteſtabilisque eſto. Tab. 7.
Impuberis poena. v. inf. *Poena.*
Incantare * malum carmen, eſt hominem incantare, eique carmine vel morbi vel corporis vitium immittere. [Qui malum carmen incantaſſit. Tab. 7 (* v. ſup. *Excantare.* inf. *Occentare.*)

In-

Incendia [illegible]. Leges, quibus adverſus ea cautum. v. ſup. in Aedes.

Incenſit, pro incenderit. [Si qui aedes acervumve frumenti ad [illegible] poſitum [illegible] prudens incenſit. Tab. 7.

Indo, [illegible], [illegible]. Gloſſ. [Murata potio mortuo ne inditor. Tab. 10.

Inficiatio poena, duplum. [Quum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupaſſit, ita jus eſto. Si inficias [illegible], duplione damnator. Tab. 6.

Injectio ma[illegible]s. v. ſup. Homo, in Manus.

Injuria. de Injuriis Levioribus, Atrocibus, Publicis, Membro vel oſſe fracto. Re v[illegible] verbo. v. Tab. 7.

Inrogare, eſt de aliquo cer[illegible] homine rogare, ferre. [illegible], [illegible]. Gl. [Privilegia ne inroganto. Tab. 7.

Intervalla. v. inf. Menſurae.

Intestabilis. [illegible], [illegible], [illegible] [illegible]. Gl. [Qui ſe ſierit teſtarier libripenſve fuerit, ni teſtimonium fariatur, improbus inteſtabiliſque eſto. Tab. 7.

Intus * poſitus, de mortui collocatione. [Ipſi mortuo parentibus[illegible], dum [illegible]us poſitus ſiet, foriſve efferatur &c. Tab. 1[illegible].

* Perſius Satyr. 3. v. 103. Compoſitus. Tandemque beatulus alto Compoſitus lecto. [illegible] [illegible] Graecis.

Ita jus [illegible]] His verbis plena poteſtas tributa.

¶ Tab. 5. Paterfamilias uti legaſſit, ſuper pecuniae tutelaeve ſuae rei, ita jus eſto.

¶ Tab. 6. Quum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupaſſit, ita jus eſto.

Judex a Praetore. v. ſup. Arbiter.

Judicatum.

Judicati faciendi tempus. [Aeris confeſſi rebuſque jure judicatis xxx. dies juſti ſunto. Et mox: Ni judicatum facit. Tab. 3.

Jumentum, a jungendo pro vehiculo etiam, quod adjunctis pecoribus trahitur. In jus vocato, aegro, ſeni, jumentum dato. [Si in jus [illegible], ſi morbus aevitasve vitium eſcit, qui in jus vocabit, jumentum dato. ſi nolet, arceram ne ſternito. Tab. 1. l. 1. Ager jure nexum. Si [illegible]a per anſegetes immiſſa eſſit, qua [illegible] jumentum agito. Tab. 8.

Jure * caesus eſto. [Si nox furtum faxit, ſi im aliquis occiſit, jure caeſus eſto. Tab. 2.

* forte erat in ipſa l. si [illegible].

Jur[illegible]ae vicini ſiti adfines dicuntur, non litigata. [Si jurgant adfines, finibus regundis arbitros Praetor tris addicito. Tab. 8.

In jus vocare. v. Tab. 1. l. 1.

In jus ducere. [Post deinde manus injectio eſto, in jus ducito. Tab. 3.

In jure manum conſerere, id eſt, apud Praetorem.

[Si qui in jure manum conſerunt. Tab. 6.

In jure vindicare. [Ni judicatum facit, aut quiſpe endo eo in jure vindicit, ſecum ducito. Tab. 3.

Jusjurandum. * v. Tab. 1[illegible].

* forte fuit, Jovis jurandum.

Jussum populi. [Quod poſtremum populus juſſit, id jus ratum eſto. Tab. 5.

Jus[illegible] dies, quaſi juſtitii dies. Juſtitium [illegible] [illegible]. [Aeris confeſſi, rebuſque jure judicatis. xxx. dies juſti ſunto, poſt deinde manus injectio eſto. Tab. 3.

L.

Lance licioque conceptum furtum. [Si furtum lance licioque conceptum eſcit, atque uti manifeſtum vindicator. Tab. 2.

Leges [illegible] Decemvirorum quod Graeci [illegible] [illegible], lex, praeceptum. [Paterfamilias uti legaſſit ſuper pecuniae tutelaeve ſuae rei, ita jus eſto. Tab. 5.

Lex poſtrema priorem vincit. v. ſup. Juſſum. privatorum pactionibus immutari non poteſt. v. inf. Pace. privilegium. v. inf. Privilegium.

Lessum eſt leſſum: quod eſt, lugubris ejulatio: Leſſum facere in Solonis legibus [illegible]. [Mulieres genas ne radunto, neve leſſum funeris ergo habento. Tab. 10.

Liberi. Poteſtas parentum in liberos. [Endo liberis juſtis vitae necis poteſtas * ei eſto. Tab. 4.

* Patri.

Libero os fractum, & ſervo, diverſe aeſtimatum. [Qui os ex genitali fudit libero, ccc. ſervo, cl. aeris poenae ſunto. Tab. 7.

Libertatis favor.

Vindiciae ſecundum libertatem. v. inf. Vindiciae.

Libertorum bona. v. Tab. 5.

Libra. v. inf. Pondera.

Libripens. [illegible] Gl. [Qui ſe ſierit teſtarier, libripenſve fuerit, ni teſtimonium fariatur, improbus inteſtabiliſque eſto. Tab. 7.

Licium. v. ſup. Lance.

Lingua nuncupare. v. inf. Nuncupare.

Lis. v. inf. Stlis.

Litigioſa res.

In ſacrum dedicari prohibetur. [Si qui rem, de qua ſtlis ſiet, in ſacrum dedicaſſit, duplione decidito. Tab. 12.

Luctus. De luctu a Deorum Manium jure removendo: v. Poſthumias leges. Tab. 10.

Luci furtum. v. Tab. 2.

M.

Magiſtratus Praetor. v. Praetor. Quaeſtor parricidii. v. inf. Quaeſtor.

Malae fidei poſſeſſor in duplum fructus tenetur. v. inf. Vindiciae.

Malum Carmen. v. Carmen. Venenum. v. Venenum. Dolus malus. v. Dolus.

Mancipium, ſeu mancipatio, propria ſpecies alienationis rerum mancipi. Ulpian. fragm. [Quum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupaſſit, ita jus eſto. Tab. 6.

Manes. v. Dii.

Manifeſtum furtum. v. Tab. 2. tit. de Furtis.

Manus. v. ſup. Homo.

Adſerere manu, Conſerere manum, Injicere manum, Nocere manu.

Maximus Comitiatus. v. ſup. Comitiatus.

Mediae ſignificationis verba.

Carmen. v. Carmen.

Dolus. v. Dolus.

Venenum. v. Venenum.

Membrum ruptum. v. Homo.

Menses. Decimeſtris partus. [Si qui patri in x. Menſibus proximis poſthumus natus eſcit, juſtus eſto. Tab. 4.

Menſurae & intervalla. Per Pedes: Ambitus parietis. Sestertius pes. [Ambitus parietis, Seſtertius pes eſto. Tab. 8.

2. Arboris a [illegible] xv [illegible]. [Si arbor in vicini fundum impendet xv. P. altius, ſublucator. Tab. 8.

3. Limitari [illegible], quinque pedum. [Intra [illegible]. P. aeterna auctoritas ne eſto. Tab. 8.

4. Rogi & buſti ab aedibus alienis, lx. pedes. [Rogum buſtumve novum propius lx. pedes aedes alienas, ſi dominus nolet, ne adjicito. Tab. 10.

5. Viae in amfracto xvi. P. [Via in amfracto xvi. P. lata eſto. Tab. 8.

6. Viae in porrecto, octo pedes. [Via in porrecto octo. P. lata eſto. Tab. 8.

Meridies. Plinius lib. 7. cap. 60. ortum tantum & occaſum Duodecim Tabulis nominari ait. [In Comitio aut in foro ante meridiem cauſam conjicito. Poſt meridiem, praeſenti ſtlitem addicito. Tab. 1.

Militiae favor. v. ſup. Bellum.

Morbus, pro vitio aliquo imbecillitatis atque invalentiae. [Si in jus vocat, [illegible] morbus aevitasve vitium eſcit, qui in jus vocabit, jumentum dato: ſi nolet, arceram ne ſternito. Tab. 1. l. 1.

Morbus sonticus, morbus vehementior vim graviter nocendi habens. [Extra quam ſi morbus ſonticus intercedat: nam ſi quid horum fuat unum Judice Arbitrove reove, eo die diffenſus eſto. Tab. 2. l. 2.

Mortuus.

De mortui ſepultura. v. Poſthumias leges. Tab. 10. de Poſthumo, v. inf. Poſthumus.

Mulieres *.

* v. ſup. Materfamilias.

Luctus mulierum. [Mulieres genas ne radunto, neve leſſum funeris ergo habento. Tab. 10.

[illegible] Mulier[illegible], quae annum matrimonii ergo apud [illegible] manſit, ni trinoctium ab eo uſurpandi ergo abeſcit, uſus eſto. Tab. 6.

Multa. D[illegible] [Si adorat furto, quod nec manifeſtum eſcit, duplione decidito. Tab. 2. [Si quid endo depoſito dolo malo factum eſcit, duplione luito. Tab. 3. [Quum nexum faciet, mancipiumque, uti lingua nuncupaſſit, ita jus eſto. Si inficias ierit, duplione damnator. Et alibi: Tignum junctum aedibus vineaeve ne concapet & ne ſolvito: eſt qui junxerit, duplione damnator. Tab. 6. [Qui frugem aratro quaeſitam furtim nox pavit, ſecuitve ſuſpenſus Cereri necator: impubes Praetoris arbitratu verberator, noxiamve duplione decernito. Et alibi. Si tutor dolo malo gerat, [illegible] quandoque finita tutela eſcit, furtum duplione luito. Tab. 7. [Si qui rem, de qua ſtlis ſiet in ſacrum dedicaſſit, duplione decidito. Et mox: Si vindiciam falſam tulit, Praetor rei ſive litis arbitros tris dato: eorum arbitrio fructi duplione decidito. Tab. 12.

xxv. aeris. [Si qui injuriam faxit alteri, xxv. aeris poenae ſunto. Tab. 7.

ccc. aeris. cl. [Qui os ex genitali fudit libero, ccc. ſervo, cl. aeris poenae ſunto. Tab. 7.

Murrata potio eſt vinum dulce myrrhae odore conditum. v. Plin. lib. 14. cap. 13. Cujus ſumptuoſa reſperſio erat. Murinum, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Gl. Philoxeni. [illegible]. Murina, Gl. Cyrilli. [Murata potio mortuo ne inditor. Tab. 10.

N.

Nancitor, pro Adipiſcitor. [Si agnatus proximus ſuus eſcit, Gentilis familiam heres nancitor. Et alibi: Agnatus proximus tutelam nancitor. Tab. 5.

pro Nactus erit, praedatus erit. v. Feſtum in Nancitor.

Nec pro Non. [Si adorat furto, quod nec manifeſtum eſcit. Tab. 2. [Cui ſuus heres nec eſcabit. Et mox: Si

agnatus proximus nec eſcit. *Et alibi.* Aſt ei cuſtos nec eſcit. Tab. 5.

Nexus, δεσμός. *Gl.* alias ſimpliciter vectes Attici. [Ni judicatum facit, aut quips endo eo in jure vindicit, ſecum ducito, vincito aut nervo aut compedibus, quindecim pondo, ne majore. Tab. 3.

Nex, Adjective, pro debitore, qui aere ſuo debito non ſoluto creditori nectendus addicitur, ὑγκαδοσαλης. Hesych. [Nexo ſoluto, forti ſanati ſiremps jus eſ. Tab. 9. Subſtantive. Quod per aes & libram fit, ut obligetur. [Quum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupaſſit, ita jus eſto. Tab 6.

Nomina inter haeredes diviſa. [*Nomina inter haeredes pro portionibus haereditariis erčta ſunto.* Tab. 5.

Nox, pro noctu. Nocte commiſſa, gravius vindicantur. *Furtum nocturnum.* [Si nox furtum faxit, ſi im aliquis occiſit, jure eſto. Tab 2.

Fruges noctu depaſtae. [*Qui frugem aratro quaeſitam furtim nox pavit, ſecuitve, ſuſpenſus Cereri necator. Impubes Praetoris arbitratu verberator, noxiamve duplione decernito.* Tab. 7.

Coetus nocturni. [*Si qui in urbe coetus nocturnos agitaſit, capital eſto.* Tab. 9.

Trinoctium. Mos tempus per noctium computandi. [*Mulieris quae annum matrimonii ergo apud virum manſit, ni trinoctium ab eo uſurpandi ergo abeſcit, uſus eſto.* Tab. 6.

Noxa, pro poena peccati: Noxia, peccatum, delictum omne. [Si ſervus ſciente domino furtum faxit, noxiamve noxit, noxae dedito. Tab. 12 [*Impubes Praetoris arbitratu verberator, noxiamque decernito.* Tab. 2. *tit de furtis.*

Numeri. v. *Multae.* v. *Menſurae.* v. *Arbitri.* v. *Tibicines.* v. *Nundinae.* v. *Dies.*

* v. inf. *pecunia.* Nummaria * res.

Ad aſſem ratio facta.

Aes, pro aſſe. xxv. *aeris.* [Si qui injuriam faxit alteri, xxv. aeris poenae ſunto. Tab. 7.

ccc. *aeris*, cl. *aeris.* [Qui os ex Genetali fudit libero, ccc. ſervo, cl. aeris poenae ſunto. Tab. 7.

Unciarium foenus. v. ſup. *Foenus.*

Nuncupare lingua, id eſt, nominare, loqui. [Quum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupaſſit, ita jus eſto. Tab. 6.

Nundinae. [*Ni cum eo pacit, LX. dies endo vinculis retineto: Interibi trinis nundinis continuis in comitium procitato, aerisque aeſtimiam judicati praedicato.* Et mox · Tertiis nundinis partis ſecanto. Tab. 3.

O.

Obvorere, id eſt, obvolvere, operire. [Qui parentem necaſſit, caput obnubito. Tab. 7.

Obvagulatum ito. [Cui teſtimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito. Tab. 2.

Occaſus Sol. [Sol occaſus ſuprema tempeſtas eſto. Tab. 1.

* publicum *ſcibat.* Occentare, convicium * facere. [Si quis populo occentaſſit, carmenve condidiſſit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, *fuſte ferito.* Tab. 7.

Occiſit, pro occiderit. Furem nocturnum occidere licet quocunquemodo: diurnum, ſi ſe telo defendat. v. Tab. 2. *tit. de furtis.*

Ortus. Plin. *lib* 7. *cap.* 60. ait, *Ortum* tantum & occaſum xii. Tabulis nominari.

Os. v. ſup. *Homo.*

P.

Terentius in *Heautontim.* 3. 3. 46. *Poſt decretum nolle opinionem pacti.* Paco, pacit, pacunt, pacio, pro Paciſcor, paciſcitur, paciſcuntur, pactio. Pactum ſervandum. [Quum nexum faciet, mancipiumque, uti lingua nuncupaſſit, ita jus eſto. Tab. 6.

1 Poſt in jus vocationem pactum. [Rem uti pacunt, orato, Ni ita pacunt, &c. Tab. 1.

2 de Furto. [*Si pro fure damnum deciſum eſcit, furti ne adorato.* Tab. 2.

3 de Judicato. [*Ni cum eo pacit, LX. dies endo vinculis retineto.* Tab. 3.

4 de Injuriis. [Si membrum rupſit, ni cum eo pacit, talio eſto. Tab. 5.

* vel *pactionem.* 5 Publicum jus privatorum pactionibus immutari non poteſt. [Sodales *arvales legem * quam volent, dumne quid ex publica corrumpant, ſibi ferunto.* Tab. 8.

Parens, pro quovis ex aſcendentibus, foeminina etiam ſexus.

Necantis parentem poena. [Qui parentem necaſſit, caput obnubito, *culeoque inſutus in profluentem mergitor.* Tab. 7. *l. qui parentem.*

Paricida eſto. v. inf. *Poenae.*

Paricidi quaeſtores, qui a populo creabantur, rerum capitalium quaerendarum ergo. Tab. 9. *l.* 2. §. 4. *ff. de origine juris:* & Feſtum.

Parietis ambitus. v. ſup. *Ambitus.*

Partes.

Deformis } v. ſup. *Homo.*
Demonſtratus }

Paſtus animalis. [*Qui frugem aratro quaeſitam furtim nox pavit ſecuitve, ſuſpenſus Cereri necator: Impubes Praetoris arbitratu verberator, noxiamve duplione decernito.* Et alibi. *Qui pecore in alieno impaſcit.* Tab 7.

Paterfamilias. v. ſup. *Familias.*

Teſtari ſolus paterf. poteſt [Paterfamilias uti legaſſit ſuper pecuniae tutelaeve ſuae rei, ita jus eſto. Tab. 5.

Patres, ſeu patricii. v. inf. *Urbe.*

Patrium jus. de patrio jure Tab. 4

Patronus, & clients. v. ſupra *Clients.*

Patronus & Libertus. [*Si libertus inteſtato moritur, cui ſuus haeres nec extabit, aſt patronus patronive liberi eſcint, ex ea familia in eam familiam proximo pecunia adduitor.*

Pauperies, damnum omne, quod quadrupes ſeritate commota facit. [Si quadrupes pauperiem faxit, *dominus noxae aeſtimiam offerto ſi nolit, quod noxit dato.* Tab. 7.

Pecunia, pro omni omnino corpore, quod in alicujus jure, dominio eſt. [Paterfamilias uti legaſſit ſuper pecuniae tutelaeve ſuae rei ita jus eſto. *Et poſt:* Si furioſus aut prodigus exiſtat, aſt ei cuſtos nec eſcit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniave ejus poteſtas eſto Tab. 5 [Qui coronam parit ipſe pecuniave ejus, virtutis ergo arguitor. Tab. 10.

Pedem Struit, fugit. φεύγει. [Si in jus vocat, ſi calvitur pedemve ſtruit, manum endojacito. Tab. 1. *l.* 1.

Perduellis, qui hodie *hoſtis.* [*Si qui perduellem concitaſſit, civemve perduelli tranadit, capital eſto.* Tab. 9.

Peregrinus, v. *Hoſtis* ſup.

Peregre mortui oſſa legere, funeris ergo v. *Hoſticum* ſup.

Perorare, id eſt, agere. [Cauſam coniciunto, cum perorant ambo praeſentes. Tab 1. v. *Adorare.*

Pes ſeſtertius. id eſt, duo pedes & ſemis. v. inf. *Seſtertius.* Menſurae per pedes. v. ſup. *Menſurae.*

Penus. v. Gajum lib. 6. ad l. XII. *l.* 238. §. 1. *ff. de V. S.* Tab. 12.

Pipulum, eſt ploratus. [Si qui pipulo occentaſſit, carmenve condidiſſit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, *fuſte ferito.* Tab. 7.

Plebs [*Patribus cum plebe connubii jus nec eſto.* Tab. 11.

Plura Funera, & Lecti. [*Uni plura funera ne facito, neve plures lectos ſternito.* Tab. 10.

Pluvia aqua. v. ſup. *Aqua.*

Poenae delictorum. *A ſervis commiſſorum gravior poena.* [*Si luci furtum faxit, ſi im aliquis endo ipſo capſit, verberator, illique, cui furtum factum eſcit, addicitor. Servus virgis caeſus, de ſaxo dejicitor.* Tab. 2. *Nec juſſus domini ſervum excuſat.* [Si ſervus ſciente domino furtum faxit, noxiamve noxit, noxae dedito. Tab. 12.

Servo facta injuria levius aeſtimatur. [Qui os ex genetali fudit libero, ccc. ſervo, cl. aeris poenae ſunto. Tab. 7.

Impubes levius punitur. [*Si luci furtum faxit, ſi im aliquis endo ipſo capſit, verberator, illique, cui furtum factum eſcit, addicitor. Servus virgis caeſus de ſaxo dejicitor. Impubes Praetoris arbitratu verberator, noxiamque decernito.* Tab. 2. [*Qui frugem aratro quaeſitam furtim nox pavit ſecuitve, ſuſpenſus Cereri necator. Impubes Praetoris arbitratu verberator, noxiamve duplione decernito.* Tab. 7.

Qui non habet in aere, luat in corpore [*Si qui aedes acervumve frumenti aedes poſitum ſciens prudens incenſit, vinctus verberatus igni necator Aſt ſi caſu, noxiam ſarcito, ſi nec idoneus eſcit, levius caſtigator.* Tab. 7.

Genera poenarum. Addictio. v. ſup. *Addicere.*

Capitales poenae hiſce xii. Tabul. pauçae. Plin. *lib.* 18. *cap.* 3.

Caſtigatio. v. ſup. *Qui non habet.*

Culleo inſui. v. ſup. *Parens.*

Deo ſacrari. v. ſup. *Dii.*

Fuſte feriri. v. ſup. *Carmen.*

Igni necari. v. ſup. *Acervus.*

Improbus inteſtabiliſque eſto. v. ſup. *Improbus.*

Noxae deditio. v. ſup. *Noxa.*

Sacer eſto. v. ſup. *Clients.*

Saxo dejici. v. ſup. *Impubes.*

Secari in partes. v. inf. *Sectio.*

Suſpenſus Cereri necator. v ſup. *Dii.*

Talio. vide ſupra *Homo. Membrum.*

Venditio ultra Tiberim. v. inf. *Venditio.*

Verberatio. v. inf. *Verberari.*

Vinciri. v. inf. *Vinciri.*

Virgis caedi. v. inf. *Virgis.*

Polito aſcia. [Rogum aſcia ne polito. Tab. 10.

Pondo, pondera. [Vincito aut nervo aut compedibus quindecim pondo, ne majore, & ſi volet minore vincito. Tab. 3.

Libra farris diatium vinctorum. [Ni ſuo vivit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato: ſi volet, plus dato. Tab. 3.

La-

Libripens. v. ſup. *Libripens.*
in Porrecto v. inf *Via.*
Portus, pro domo. [Cui teſtimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito. Tab. 2.
Positus intus. v. ſup. *Intus.*
Poſthumus in x. menſibus natus juſtus. v. ſup. *Partus*
Potestas Tutoris. [Si furioſus aut prodigus exiſtat, aſt ei cuſtos nec eſcit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniave ejus poteſtas eſto. Tab 5.
Patria. v. Tab. 4.
Praediorum jura. v. Tab. 8.
Praetor *, pro Judice ſeu magiſtratu. v. Livium *lib.* 3. — * v. ſupr. *in jus.*
Impuberis caſtigatio Praetoris arbitratu. [*Impuber Praetoris arbitratu verberator.* Tab. 2. & 7.
Arbitri a Praetore dati. v. ſup. *Arbitri.*
Privilegia. Privilegium eſt lex, a jure communi exorbitans, & unius tantum perſonae cohaerens. [Privilegia ne irroganto. Tab. 9.
Prodigus, in Agnatorum gentiliumque poteſtate. [Si prodigus aut furioſus exiſtat, aſt ei cuſtos nec eſcit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniave ejus poteſtas eſto. Tab. 5.
Proletarius. Qui in plebe Romana tenuiſſimi erant quique, neque amplius quam mo. aeris in cenſum deferebant, quod ſobolis gignendae copia civitatem frequentarent, proletarii dicti. Gellius *lib.* 16. *cap.* 10. [Aſſiduo vindex aſſiduus eſto: proletario, Cuiqui volet, vindex eſto. Tab. 1.
Proximus.
Agnato proximo, ſucceſſio tutelaque defertur. v. ſup. *Agnatus*
Patroni e familia, proximo liberti bona deferuntur. v. ſup *Patronus.*
Decem menſibus proximis natus. v. ſup. *Partus.*
Publica lex privatorum pactis immutari non poteſt. v. ſup. *Pactum.*

Q.

Quadrupedes pauperies. v. ſup. *Pauperies.*
Quandoque, pro quandocumque.
[*Tigna quandoque ſarpta, donec dempta erunt, vindicato* Tab. 6.
Quaeſtio * Furtorum cum lance & licio. Gell. *lib.* 16. *cap.* 10. Tab. 2. — * v. ſupr. *Lance.*
Quaestores Parricidii. v. ſup *Quaeſtores.*
Quinque pedum ſpatium uſucapi non poteſt. [*Intra v. P aeterna auctoritas eſto.* Tab. 8.
Quips, pro Quis. v. *Grammatica.*
Quiqui, id eſt, τυχὼν. Tab. 1.

R.

Radere genas, id eſt, unguibus dilaniare, ſcindere, ἀμύσσειν παρειάς, Graeci. v. Hor. in Mart. *pag.* 38. Ovidius *lib.* 3. Triſt. 3. & 5. *Ungue notare genas.* [Mulieres genas ne raduntо. Tab. 10.
Rei ſive ſtlitis. v. inf. *Stlitis.*
Religionis favor.
Uſucapi forum vel buſtum non poteſt. [*Fori buſtive aeterna auctoritas eſto.* Tab. 10.
Repetundarum crimen [*Si Judex Arbiterve jure datus ob rem dicendam pecuniam acceperit, capital eſto.* Tab. 9.
Repudium cauſa adjecta. [*Si vir mulieri repudium mittere volet, cauſam dicito harumce unam.* Tab. 6.
Ricinium, μαφόριον, praetexta clavo purpureo, ſive vinculum purpurae, quod una cum mortuo poſtea comburebant. [*Tribus Riciniis & X. Tibicinibus foris efferre jus eſto.* Tab 10
Rogum. [Rogum aſcia ne polito. Et alibi: *Rogum buſtumve novum propius LX. P. aedes alienas ſi dominus nolit, ne adjicito.* Tab. 10.
Rupitias, pro ruperis, id eſt, damnum dederis. [*Si injuria rupitias: aſt ſi caſu ſarcito.* Tab. 7.
Ruſticae * rei favor. [Tignum junctum aedibus vineaeve ne concape & ne ſolvito, *aſt qui junxit duplione damnator. Tigna quandoque ſarpta, donec dempta erunt, vindicato.* Tab. 6. — * v. ſupr. *Agricultura.*
De praediorum Ruſticorum juribus; puta de Jure finium, Poſſeſſionum, Aquarum, Itinerum, v. Tab. 8.

S.

Sacer eſt, quem populus judicavit ob maleficium, quem qui occidit, parricidii non damnatur. [Patronus ſi clienti fraudem faxit, ſacer eſto. Et alibi: *Qui frugem aratro quaeſitam furtim nox pavit ſecuitve ſuſpenſus Cereri necator.* Tab. 7.
Sacrorum deteſtatio. v. ſup. *Deteſtatio.*
In Sacrum dedicare rem litigioſam, non licet. [*Si qui rem de qua litis ſiet in ſacrum dedicaſſit, duplione decidito.* Tab. 12.
Sanates. v. Feſtum. [Nexo ſoluto forti ſanati ſiremps jus eſto. Tab. 9.
Sarcito, id eſt, damnum ſolvito, praeſtato. v. Tab. 7.

Sarpta, id eſt, putata. Sarpiuntur vineae, id eſt, putantur. [Tignum junctum aedibus vineaeve ne concape & ne ſolvito: *aſt qui junxit, duplione damnator. Tigna quandoque ſarpta donec dempta erunt, vindicato.* Tab. 6
Satisfactio tranſfert dominium rei venditae traditae. [*Res vendita tranſque data emptori non acquiritur, donicum ſatisfactum eſcit.* Tab. 6.
Saxo dejici, Tarpejo ſcilicet. [*Si hoc furtum faxit, ſi im aliquis endo ipſo capſit, ſervus virgis caeſus, de ſaxo dejicitor.* Tab. 2. [*Si falſum teſtimonium dicaſit, ſaxo dejicitor.* Tab. 7.
Se fraude eſto, pro ſine. [Se fraude impoſita eſto. *& ne aurum* cum illo ſepelire ureve ſe fraude eſto. Tab 10.
Secum ducito. [Ne judicatum facit, aut quips endo eo in jure vindicit, ſecum ducito, vincito aut nervo aut compedibus. Tab. 3.
Sepulture. Sepultura, ſepulchrum. v. de Jure ſepulchrorum. Tab. 10.
Servus.
Poenae ſervorum. v ſup. *Furtum.*
Juſſus domini ſervum non excuſat. v. ſup. *Poena.*
Injuria ſervo facta ut aeſtimata. v. ſup *Poena.*
Unctura ſervilis. [Servilis unctura omniſque circumpotatio auferunto. Tab. 10.
Sestertius pes, id eſt, duo pedes & ſemis. [Ambitus parietis ſeſtertius pes eſto. Tab. 8.
Siet, pro ſiverit. Qui ſe ſiet teſtarier. Tab. 7.
Sodales, ſodales. οἱ τῆς αὐτῆς φρατρίας. Gl. [*Sodales uti velint legem ſibi ferunto, dum ne quid ex publica corrumpant: ſibi ferunto.* Tab. 8.
Sol occaſus. [Sol occaſus ſuprema tempeſtas eſto. Tab. 1.
Solvere, pro *eximere*: ſicut: ſolvere unionem in *l.* 5. § 6. *ff. de auro & arg. leg.* eſt e latera ſeparare, eximere. [Tignum junctum aedibus vineaeve ne concape & ne ſolvito. Tab. 6.
Solutus nexo opponitur. [*Nexo ſoluto*, forti ſanati ſiremps jus eſto. Tab. 9.
Sonticus morbus. v. ſup. *Morbus* [*Extra quam ſi morbus ſonticus*, aut ſtatus dies cum hoſte *intercedat: nam ſi* quid horum fuat unum Judici Arbitrove reove, eo dies diffiſus eſto. Tab. 2.
Statuliber, qui ſtatutam in tempus vel conditionem libertatem habet. [*Statuliber emptori dando liber eſto.* Tab. 6.
Status dies cum hoſte. v. ſup. *Dies ampliatio.*
Stlis pro lite. Stlites litem ἀγῶνα. Gl.
Stlitem addicere [Praeſenti ſtlitem addicito. Tab. 1.
Rei ſive ſtlitis [Praetor vel ſive ſtlitis arbitros tres dato. Tab. 12.
Struit polem, id eſt, ſtruem ſtrues. v. ſup. *Pollem.*
Suae rei. [Paterfamilias uti legaſſit ſuper pecuniae tutelaeve ſuae rei, ita jus eſto. Tab. 5.
Sublucare. Sublucare arbores eſt ramos earum ſupputare, & velut ſubtus lucem mittere. Feſtus. [*Si arbor in vicini fundum impendet, XV. P. altius ſublucator.* Tab. 8.
Subvades *. v. Gell. *lib.* 16 *cap.* 10. Tab. 2. — * v. ſupr. *Vades.*
Sumptus funeris. [Sumptus & luctum a Deorum Manium jure ſemoveto ſcit. Tab. 10.
Suprema tempeſtas, id eſt extrema. [Sol occaſus ſuprema tempeſtas eſto. Tab. 1.
Suſpecti tutoris nomen. v. inf. *Tutor.*
Suus heres. [Paterfamilias ſi inteſtato moritur, cui ſuus heres nec eſcit, agnatus proximus familiam habeto. Tab. 5.

T.

Talio eſt par vindicta, ἀντιπάθεια. Gl. [Si membrum rupſit, ni cum eo pacit, talio eſto. Tab. 7.
Telum, pro omni eo, quod manu mittitur, jacitur, ad alterius offenſionem, vel ſui defenſionem: ut apud Graecos βέλος. [*Si telo defenſint, quiritato endoque plorato: poſt deinde caeſo eſcint, ſe fraude eſto.* Tab. 2.
Tempestas ſuprema. v. ſup. *Suprema.*
Tempus.
de Die ejuſque partibus. v. ſup. *Dies.*
Nundinae v. ſup. *Dies.*
Menſis. v. ſup. *Menſis.*
Annus. v. ſup. *Annus.*
Testarier * eſt teſtari, pro in teſtem adhiberi. [Qui ſe ſierit teſtarier, libripenſve fuerit, ne teſtimonium fariatur, improbus inteſtabiliſque eſto. Tab. 7. — * v. ſupr. *Anteſtatio.*
Testimonium *Denunciatio* teſtimonii cauſa [Cui teſtimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito. Tab. 2.
Ἀντιμαρτυρία. v. ſup. *Teſtarier.* Tab. 7.
ψευδομαρτυρία. [Si falſum teſtimonium dicaſit, ſaxo dejicitor. Tab. 7.
Tiberis. v. inf. *Urbs.*
Tibicines in Funere. [*Tribus riciniis & X. Tibicinibus foris efferre jus eſto.* Tab. 10.
Tignum, pro omni materia, ex qua aedificium conſtat, vel quae vineae neceſſaria. [Tignum junctum aedibus vineaeve ne concape & ne ſolvito: *aſt qui junxit duplione*

ne damnatur: tigna quandoque ſarpta donec dempta erunt, vindicato. Tab. 6.

Trinundinum. v. ſup. *Nundinae.*

Tugurium. v. Feſtum in *Tugurium.* Tab. 8.

Tutela. Tutor. de Tutoribus teſtamentariis, legitimis impuberum, furioſi, prodigi. v. Tab. 5.

Suſpecti crimen. [*Si tutor* dolo malo *gerat, vituperator quandoque finita tutela eſcit, furtum duplione luito.* Tab. 7.

V.

* v. ſupr. Subvades.

Vades * v. Gellium *lib.* 16. cap. 10. Tab. 1.

Venumdare. Vendimo. Filii vendimo. [Si pater filium filium ter venumduit, filius a patre liber eſto. Tab. 2.

Statuliberi venditio. [*Statuliber* emptori dando, *liber eſto.* Tab. 6.

Traditio, dominium rei venditae. [*Rei venditae* transque data *emptori non acquiritur, donicum ſatisfactum eſcit.* Tab. 6.

Nexi trans Tiberim venditio. v. inf. *Urbs.* [*Si volent, uls Tiberim peregre venumdanto.* Tab. 3.

Venenum malum. [*Qui malum venenum faxit dederit, parricida eſto.* Tab. 7.

Verberari. [*Si luci furtum faxit, ſi im aliquis endo ipſo capſit, verberator, illique, cui furtum factum eſcit, addicitor.* Tab. 2.

Via.

Latitudo viae. [*Via in porrecto VIII.* P. *in anfractu XVI.* P. *lata eſto.* Tab. 8.

Munitio viae. [*Si via per amſegetes immunita eſcit, qua volet, jumentum agito.* Tab. 8.

Vincire. *Debitores* vincti. [Ni judicatum facit, aut quips endo eo in jure vindicit, ſecum ducito, vincito aut nervo aut compedibus xv. pondo, ne majore: ſi volet, minore vincito: ſi volet, ſuo vivito: Ni ſuo vivit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato: ſi volet, plus dato. Tab. 3.

Dentes vincti auro. [Neve aurum addito: Aſt ſi cui auro dentes vincti eſcunt, im cum ilo ſepelire ureteve, ſe fraude eſto. Tab. 10.

Vindex [illegible]. Gl. qui alium vindicat, quotuſmus is, qui prenſus eſt ab alio, teneatur. Feſtus. [Aſſiduo vindex aſſiduus eſto: proletario, Cuiqui volet, vindex eſto. Tab. 1.

Ni judicatum facit, aut quips endo eo in jure vindicit, ſecum ducito vincito. Tab. 3.

* v. ſupr. Conſerere manum.

Vindiciae. * Vindicia eſt correptio manus in re atque in loco praeſenti apud Praetorem. v. Gellium *lib.* 20. cap. 10. [Si vindiciam falſam tulit, Praetor rei ſive litis arbitros tris dato: eorum arbitrio fructi duplione decidito Tab. 12. Si qui in jure manum conſerunt, *ſecundum eum, qui poſſidet: Aſt qui quem liberali cauſa manu adſerat, ſecundum libertatem vindicias dato.* Tab. 6.

Vindicit. v. ſup. *Grammatica.*

Vinea.

Tignum junctum vineis. v. ſup. *Tignum.* [Tignum junctum aedibus vineaeve ne concapito ne ſolvito: *aſt qui junxit duplione damnator: Tigna* quandoque ſarpta donec dempta erunt, *vindicato.* Tab. 6.

Virgis caedi. [*Servus virgis caeſus, de ſaxo dejicitor.* Tab. 2.

Virtutis ergo. [Qui coronam parit, ipſe pecuniave ejus, virtutis ergo arguitor. Tab. 10.

Vitae necis poteſtas patri in liberos. [Patri endo liberis juſtis jus vitae necis poteſtas eſto. Tab. 4.

Vitium, id eſt, impedimentum. [Si in jus vocat, ſi morbus aevitaſve vitium eſcit, qui in jus vocabit, jumentum dato. Tab. 1. *l.* 1.

Vivere. Vivendi verbo omnia, ſine quibus nemo vivere poteſt, continentur. [Si volet, ſuo vivito: Ni ſuo vivit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies, dato: ſi volet, plus dato. Tab. 3.

Unciarium foenus. v. ſup. *Foenus.*

Unctura ſervilis. [Servilis unctura omniſque circumpotatio auferuntor. Tab. 10.

Urbs, Roma.

Ne *tumultus* in Urbe oriantur, Coetus nocturni prohibiti. v. ſup. *Coetus.*

Ne *incendia* in urbe oriantur. v. ſup. *Incendium.* v. inf. *Urere.*

Ne *Ruinae* aedium. v. ſup. *Tignum & Aedes.*

Magiſtratus in urbe. Praetor, Quaeſitor parricidii. v. ſup.

Patres, plebs. v. ſup.

Patroni, clientes. v. ſup.

Fortes, Sanates. v. ſup.

Aſſidui, proletarii. v. ſup.

Saxum Tarpejum. v. ſup.

Tiberis. [*Si volent, uls Tiberim peregre venumdanto.* Tab. 3.

Urere. v. ſup. *Buſtum.* v. ſup. *Rogum.* Tab. 10.

Usurpatio, eſt uſucapionis interruptio. *Mulieris*, trinoctio uſurpatio. [*Mulieris, quae annum matrimonii ergo apud virum manſit, ni trinoctium ab eo uſurpandi ergo abeſcit, uſu eſto.* Tab. 6.

Usus auctoritas, id eſt, uſucapio. [Uſus auctoritas fundi biennium, *caeterarum rerum annus uſus eſto.* Tab. 6. v. ſup. *Uſurpatio.*

Uſucapere non poteſt *peregrinus.* [Adverſus hoſtem aeterna auctoritas eſto. Tab. 3.

Uſucapi non poſſunt:

1 *Furtivae* res. v. ſup. *Furtum, & Auctoritas aeterna.*

2 *Forum buſtumve.* [*Fori buſtive aeterna auctoritas eſto.* Tab. 10.

3 *Quinque* pedum ſpatium limitare. [*Intra quinque pedes aeterna auctoritas eſto.* Tab. 8.

INDICIS AD XII. TABUL. FINIS.

LEX JULIA
ET
PAPIA POPPEA
Repetitae Praelectionis.

MONITIO AD LECTOREM.

IN hoc libelli veſtibulo ſcire debes (AMICE LECTOR) I. *Quae legitima Legis Papiae verba fuiſſe conſtat, ea majore* characterum *genere hic ab aliis diſtincta.* II. *In* diſponendis *Legis Papiae* Capitibus *ſecutum me Ulpiani, Terentii Clementis, Gaji, Pauli, Marcelli, Mauriciani libros ad L. Juliam & Papiam.* III. *Ulpiani & Terentii Clementis libros (quod totidem ab utroque, & quidem plures quam a coeteris conſcripti fuiſſent, octodecim ſcil.) pro cynoſura ad dextram mihi notatos.* IV. *Ad ſiniſtram, & in interiori margine, Capitum quoque nonnullorum numerum reperies: & ſingulorum capitum argumenta, quos* TITULOS *vocabimus.* V Probationes, *ne moleſte forte aliunde repetendae eſſent, ſingulis paginis ſtatim, ſubjeci.* [*Quibus in hac editione Notas Jac. Gothofredi addidimus*] VI. *Sicubi* Libros *in probationibus ex ſuperioribus Juriſconſultis indefinite laudari reperies, libros ad L. Juliam & Papiam intellige. Poſtremo,* Filum & Oeconomiam *totius Legis Juliae & Papiae ipſi Legi praemittenda putavi.* VALE *& his, Lector, fruere.*

SYNOPSIS
ET
ORDO LEGIS JULIAE ET PAPIAE.

QUemadmodum DUO Legis Juliae & Papiae FINES (ut in limine Notarum docetur) ita duae quoque partes, ſeu ſumma capita, ejus fuere, indeque etiam nomina ſortitae: Prior, *Legis Juliae de Maritandis Ordinibus* appellatione: Poſterior, *Legis Juliae Caducariae* nomine a priſcis Scriptoribus deſignata.

I. LEGIS JULIAE DE MARITANDIS ORDINIBUS ſumma capita ſunt haec:

1. de MARITANDIS ORDINIBUS inter ſe.	LIB. I	ULPIANI & TERENTII CLEMENTIS libri ad L. Jul. & Pap.
2. INUTILES procreandis liberis in totum nuptias contrahere prohibentur.		
3. TEMPUS nuptiarum contrahendarum definitum, & artatum.		
4. POENAE nuptiarum contra hanc Legem contractarum.	LIB. II.	
5. PRIVILEGIA NUPTIARUM contrahendarum, & contractarum.	LIB. III. & IV.	
6. PRAEMIA & privilegia PARENTUM, ſeu liberos habentium.		
7. IMPEDIMENTA nuptiarum, & liberorum ſuſcipiendorum remota.	LIB. V. VI.	
8. DIVORTIIS modus impoſitus.	LIB. VII.	
9. POENAE Coelibatus & Orbitatis.	LIB. VIII.	
10. PATRONATUS Jura in bonis libertorum pro numero liberorum.	LIB. IX. X. & XI.	

II. LEGIS JULIAE CADUCARIAE ſumma capita ſunt iſta:

1. CAPIENDI caduca jus haeredibus ademptum, populoque tributum: paucis tantum haeredibus & caſibus, antiquo jure ſervato.	LIB. XII.
2. CAUSAE ſeu caſus caducorum vacantiumve, aerario populi deferendorum.	
1. QUASI CADUCA.	LIB. XIII.
2. CADUCA proprie.	
3. EREPTITIA.	LIB. XIV.
4. VACANTIA proprie.	LIB. XV.
3. FRAUDES, & Eurematica adverſus hanc Legem ſubmota: & nominatim	LIB. XVI.
1. CONJUNCTIONIS;	LIB. XVII.
2. TACITORUM fideicommiſſorum.	LIB. XVIII.
Fraudibus ideo quoque detegendis, & caducis deferendis, DELATORES praemiis invitati.	
4. ONERA CADUCORUM	

CA-

CAPITA LEGIS JULIAE
DE
MARITANDIS ORDINIBUS:
SEU
DE MATRIMONIIS CAPESSENDIS ET PROLE AUGENDA.
Quibus ſubjiciuntur
PROBATIONES:
nec non
NOTAE
JACOBI GOTHOFREDI.

* M. PAPIVS MVTILVS, ET Q. POPPAEVS SECVNDVS COSS. POPVLVM IVRE ROGAVERVNT, POPVLVSQVE IVRE SCIVIT IN FORO PRO ROSTRIS . . . . . TRIBVS . . . . . PRINCIPIVM FVIT. PRO TRIBV . . . . . PRIMVS SCIVIT.

PROBATIONES.

* Lata dictaque lex haec, L. PAPIA POPPAEA, a M. Papio Mutilo, & Q. Poppaeo Secundo Coss. A. U. C. DCCLXII. (ſeu A. D. XI.) teſte Dione *lib.* 56. *pag.* 578. & Iſidoro *lib.* 5. *Originum cap.* 15. Qui Coss. hoc anno ex Kalendis Julii ſuffecti fuere: ut ex Faſtis Conſularibus, & Dione conſtat. Dicta & lex haec LEX JULIA, a C. Julio Caeſare Octavio Auguſto, cujus auctoritate ſub extremis ejuſdem annis perlata fuit.

NOTAE.

JULIA ET PAPIA LEX fuit odioſa, & inviſa, utpote exhauſto bellorum ſumptibus aerario ditando comparata: Romanorum temporum & calamitatum teſtis, ut auctor eſt Juſtinianus *l. un. in princ. C. de caducis toll.* & *in conſtitutione de confirmatione Digeſt. §. 6. verſ. Sed et hic.* Ergo, quae de caducis, jure fiſci, jure liberorum, de coelibe & orbo, &c. ea lege cavebantur, prudentibus diſplicuerunt, & anguſtiorem interpretationem habuerunt. Quod ſi quis attentius conſiderit, haud adeo magno negotio pleraque juris capita componet, quae ſpeciem diſſidii prae ſe ferunt: ut *l.* 59. *ff. de condit.* cum *l.* 1. *§. filium* 8. *ff. de bon. poſſ. contra tab.* ut *l. non ſunt* 14. *ff. de ſtatu hom.* cum *l. quaeret aliquis* 135. *ff. de verbor. ſignif.* & plures alios locos, quos ad legem Juliam & Papiam pertinere inſcriptio monet: in quibus explicandis, ut poenas irrogando, ſiſci compendio JCti ſtudere viderentur, humanius omnia interpretati ſunt, *l. pen. ff. de his quae in teſt. del. l.* 6. *ff. de bon. damn. l. non puto* 10. *ff. de jure fiſci.*

Priſtinae Partes Legis Papiae, duae. CAUSA ferendae ſub Auguſto Imp. legis Juliae, & Papiae Poppaeae duplex fuit. Prior, ut exhauſta civilibus bellis Reipublica, ſobole frequentaretur: Poſterior, ut AERARIUM Populi Romani locupletarent. *Papiam Poppaeam* (inquit Tacitus *lib.* 3. *Annalium cap.* 25.) *Senior Auguſtus, poſt Julias rogationes, incitandis* COELIBUM *poenis, & augendo* AERARIO *ſanxerat.*

Sobolis augendae ſtudium, primus L. Papiae finis. De prima itaque parte exaudiendum eſt proprie, quod Terentius Clemens in *l.* 64. *§.* 1. *ff. de cond. & demonſt.* Legem Juliam & Papiam, *utilem Reipublicae, ſubolis ſcilicet procreandae cauſa, latam* dixit: de qua & his verbis Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 9. agit [illegible] ΠΟΛΑΤΑ ΝΟΜΩΝ [illegible]. Et haec ipſa quoque legis Juliae & Papiae pars eſt, quae *Legum Nuptialium* nomine ab Acrone notatur: Item, quae *Legis Juliae de Maritandis ordinibus* appellatione (a Suetonio, *in vita Octavii cap.* 34. ab Apuleio, *lib.* 2. *Apologiae*: Alexandro Imp. in *l.* 6. *Cod. de operis libertorum*: Ulpiano in *l.* 6. *in ſin. ff. de jure patron.*) deſignatur: ſicut Horatius, *in Carmine ſaeculari v.* 19. 20. Legem Juliam (quae in hanc Legem Papiam inſita poſtea fuit) *Legem Maritam, prolisque novae feracem* ante vocaverat.

Continentia, & Summa capita L. Papiae ad prolem augendam. Ad frequentandam igitur multiplici prole rempublicam, hac priori Legis Juliae parte ſequentia inducuntur: I. Ingenuorum & Libertinarum (*quod major nempe tum earum quam ingenuarum numerus eſſet*) *nuptiae* (*injuſtae habitae*) *legitimae deinceps eſſe jubentur*: II. Inutiles *procreandis liberis* (*effoetorum ſcilicet, ſterilium que hominum*) *nuptiae prohibentur*: III. Tempus nuptiarum *contrahendarum urgetur & definitur*: IV. Privilegiis *de praemiis, ſolito majoribus, tam libertini, quam ingenui ad contrahendas nuptias, liberosque ſuſcipiendos, invitantur*: V. Impedimenta *nuptiarum liberorumque ſuſcipiendorum variis tolluntur*: VI. Poenis *coelibes orbique ſeverioribus coercentur*. VII. *ſeu Poſtremo*, Patronatus jura *in bonis libertorum, pro liberorum numero augentur. Atque haec quidem legis Juliae de Maritandis ordinibus* (*quae quidem ad nos pervenerunt*) *ad prolem augendam* (*propoſito nunc, & a nobis deprehenſa primum ſerie*) *capita fuere.*

1. QUI

I. K. l. de Maritandis Ordinibus ſeu de nuptiis ratione ſtatus & dignitatis.

QVI [a] SENATOR [b] EST, QVIVE FILIVS [c] NEPOSVE [d] EX FILIO [e], PRONEPOSVE EX FILIO NATO [f], CVIVS EORVM EST, ERIT, NE QVIS EORVM SPONSAM VXOREMVE SCIENS DOLO MALO HABETO LIBERTINAM [g]: AVT EAM, QVÆ IPSA, CVIVSVE PATER [h] [i] MATERVE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT [k]: Item [l], EAM, QVÆ PALAM [m] CORPORE QVÆSTVM [n] FACIT, FECERITVE [o],

e Lib. I. Comm. ad L. Jul. & Papiam Ulpiani & Terentii Clem.

[p] NEVE SENATORIS FILIA [q] NEPTISVE EX FILIO, PRONEPTISVE EX NEPOTE FILIO NATO NATA, LIBERTINO [q], SIVE, QVI IPSE, CVIVSVE PATER MATERVE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT, SPONSA NVPTAVE SCIENS DOLO MALO ESTO: NEVE, QVIS EORVM DOLO MALO SCIENS SPONSAM VXOREMVE EAM HABETO.

Coe-

PROBATIONES.

Cap. I.

a Caput hoc *de Senatorum nuptiis* conceptis totidemque verbis hiſce extat apud Paulum, lib. 1. Commentariorum ad L. Jul. & Pap in *l* 44. *in princ.* *π. de ritu nuptiar.* Et meminit ejus quoque Dio, *lib.* 54. *pag* 531. *& lib.* 56. *pag.* 577.

b *Senator* Libertinam, &c. uxorem ducere lege Julia & Papia prohibetur. At quid ſi, poſtquam ſervam dominus matrimonii ergo manumiſit, Senator factus eſt? vid. Theoph § *julſtae* 5 *Inſt. qui & ex quib. cauſ. man. non poſ.* Quid ſi maritus poſt Nuptias contractas Senator eſſe coeperit? vid. *l pen. C. de nupt* Quid viciſſim, ſi poſt nuptias Senator eſſe deſierit? vid. *inf. cap* 6. (ex Ulpiani lib. 3. Commentar. ad L. Jul. & Pap.) *l.* 27 *π. de ritu nuptiar.* Verum abrogatum poſtea caput hoc a Juſtiniano, *Novella* 78. *cap.* 3 & 117. *cap.* 6.

c *Filius Senatoris* Libertinam, &c. Lege Papia ducere non poteſt *Filius*, inquam (ut docent Ulpianus lib. 1. & Paulus d lib 1) naturalis, *l.* 5. *π. de Senatorib:* adoptivus, *d l.* 5 & *l* 6. *eod. tit.* in adoptionem datus, *d l* 6 §. 1: emancipatus, *l* 7. *eod tit:* poſt mortem patris natus, *d l* 7. § 1: conceptus antequam pater Senatu moveretur, non etiam poſt, *d. l.* 7. § 1. *verſ. Sed eum.*

d *Nepos ex filio Senatoris* Libertinam Lege Papia ducere non poteſt: quinimo, licet ex filio Senatu moto conceptus fuerit, *d. l.* 7. §. *ult.*

e *Filio Senatoris* natus Libertinam ducere non poteſt. At non etiam ex *filia* natus prohibetur. Et ita quidem huc referri poteſt ex Marcelli lib. 1. *l.* 8. *π. de agnoſcend. & alend. liber.*

f *Natus* porro non videtur, qui mortuus naſcitur, Paulus lib. 1. in *l. qui mortui* 129. *π. de V. S.*

g *Libertina* non eſt, quae ingenua judicata eſt. Ulpianus lib. 1. in *l.* 25. *π. de ſtatu hom l.* 207. *π. de R. J.* de quo plura ad §. *At ne cui ingenuo* infra. Item, quae jus aureorum anulorum impetravit, Ulp. lib. 1. in *l.* 4. *π. de jure aur. anul.*

h Cujus *pater* ludicram artem facit, fecitve, eam Senator Lege Julia ducere prohibetur; etſi in poteſtate patris ipſa non ſit. Paulus, *d. l.* 44. §. 3. *π. de ritu nuptiar.* Etſi pater adoptivus ſit, *d. l.* 44. § 4. Avum autem ludicram artem feciſſe nil obeſt, *d. l.* 44. §. 2.

i *Mater* hic eſt, & quae vulgo concepit, *d. l.* 44. §. 3

k Non etiam, ſi poſtea ludicram artem facere coeperit, *d. l.* 44. § 6, Quod in ipſa uxore diverſum eſt, *d. l.* 44. § 7.

l Hoc omiſſum a Triboniano in *d. l.* 44 Subjici jubet Ulpianus, d. lib. 1. in . *palam quaeſtum* 43. *π. de ritu nuptiar. & fragm. tit.* 13. § 1.

m *Palam* quid? Hanc vocem explicat Ulpianus, *d. l.* 43. *in princ.* & §. 1 Veluti, quod adſolent, in taberna cauponia.

n Imo, & quae ſine quaeſtu palam ſe proſtituit, *d. l.* 43. §. 2.

o Vide Ulpianum, *d. l.* 43, §. 2. & 4. etſi ob paupertatem fecit, *d. l* 43. § 5.

p *Senatoris filia* libertino Lege Julia nubere prohibetur. Injuſtae itaque hae nuptiae ſunt, nec tamen hac l. reſcindi juſſae. At SCto poſtea nuptiae hae reſciſſae fuerunt: Paulus *l. Oratione* 16. *in princ.* Modeſtinus *l.* 42. §. 1. *π. de rit. nupt.* Ulpianus *l.* 3. § 1. *π. de donat. inter vir. & ux.* de quo vide plura in Notis. Exceptiones ad hoc caput quaſdam vid. *inf cap.* 6. At extenſionem vid. apud Papinianum, in *l.* 34. *in fin. π. de rit. nupt. & l.* 9. *π. de Senator.*

q *Libertinus* Senatoris filiam, &c. ducere non poteſt: quantumvis etiam libertinus ab Ingenuo adrogatus fuerit. Marcellus d. lib. 1. *l.* 23. *π. de ritu nuptiar.* Aliud ſi libertinus ingenuus judicatus fuerit; ut *ſup. jam notavi.*

NOTAE.

¶ Ad Caput I.

1 QVI SENATOR] *Primum* hoc Legis Juliae & Papiae caput fuiſſe, primum ea, quae Marcellus, Paulus, & Ulpianus, libro primo Commentariorum ad legem Juliam & Papiam, de eo potiſſimum tractant, abunde docent. Deinde, non aliunde ſane Lex haec Julia, *de Maritandis ordinibus*, quam a primo hoc capite nomen invenit: utpote, quo de Senatorum, & Libertinorum nuptiis, quibuscum videlicet Ordines illi maritari jure poſſint, caveatur. ¶ Porro de Senatoribus quoque prius, quam de caeteris Ingenuis hac lege Julia tractatum fuiſſe, ex praedicto Ulpiani libro primo ad L. Juliam & Papiam, in *l* 43. *π. de ritu nupt.* & ejuſdem *fragmentis tit.* 13. manifeſte ſtatuere licet.

Primum Legis Juliae caput, ejuſque ordo.

2 NEVE SENATORIS FILIA] *Senatoris filia* libertino nubere L. Julia prohibetur. Quae ſententia, in *d. l.* 44 a Paulo huic legi Juliae noſtrae nominatim tribuitur: & de ea ruſum idem Paulus, libro ſecundo (de privilegiis juſtarum nuptiarum agens, in *l.* 47. *π. de ritu nupt.*) tractat. Injuſtae itaque hac L. Julia inter Senatoris filiam & Libertinum nuptiae ſunt. Injuſtae (inquam) neque tamen irritas eas ideo Lex fecit aut reſcidit. Minus quam perfecta proinde fuit hac parte Lex haec Julia.

Senatoris filiae & Libertini nuptiae injuſtae, at non irritae, L. Papia.

Verum oratione D. Marci poſtea, eamque inſecuto SCto, Cautum fuit, ut hae nuptiae (Senatoris ſcilicet filiae & Libertini) NEC NUPTIÆ *eſſent*, ut Paulus, in *l. Oratione* 16. *in princ. π. de ritu nupt.* loquitur: id eſt, ut matrimonium omnino non eſſet, nec hujuſmodi foemina liberto nupta ullo modo uxor foret: ut Ulpianus, *l.* 3. §. 1. *π. de donationibus inter virum & uxor.* & Modeſtinus, *l.* 42 § 1. *π. de ritu nupt.* docent. Quae uxor non eſt, nec dotem habet, nec adulterii mariti jure accuſari poteſt: Injuſta uxor [illegible] dotem habebat (fiebat enim poſt mortem ejus tantum caduca, ut ex Ulpiani *fragment. tit.* 16. §. *ult.* conſtat) & adulterii accuſari jure mariti poterat, *l.* 13. §. 1 *π. de adulteriis* ¶ Hoc diſcrimen, illumque, quem modo notavi, juris progreſſum qui non attenderunt hactenus, ſententiam hanc de Senatoris filia a Libertini nuptiis arcenda, non legi Papiae, verum Orationi D. Marci tribuendam perperam exiſtimarunt.

Com-

Digitized by Google

Cæteris Ingenuis [1] Libertinas uxores ducere jus eſto: neve [2], qui eas duxerint, ob id fraudi ignominiæve eſto: liberique [3] eorum legitimi ſunto.

At ne cui Ingenuo [v] LENA, A LENONE LENAVE MANVMISSA, AVT [4] IVDICIO PVBLICO DAMNATA [z], AVT IN ADVLTERIO DEPREHENSA [?], ET QVÆVE ARTEM LVDICRAM [*] FACIT [*], FECERIT [z]; SPONSA NVPTAVE SCIENS DOLO MALO ESTO.

Kap. de Ingenuis ad procreandos liberos a nuptiis arcendis, ſeu, de Imparibus nuptiis ratione ætatis.

[1] SExagenario [a] maſculo, quinquagenariæ foeminæ nuptias contrahere jus ne eſto:

[2] Poſt;

PROBATIONES.

[z] *Ingenuo* (Senatoribus tantum liberiſque eorum exceptis) Libertinam ducere Lege Papia jus eſt. Quod Celſus, in *l. Lege Papia* 23. *ff. de rit. nupt.* & Dio, *lib.* 54. *pag.* 531. & *lib.* 56. *pag.* 577. *in geſtis anni* 736. & 762. teſtantur.

[t] Formulam hanc ſolennem hoc in genere fuiſſe, docet Livius, *lib.* 39. *cap.* 19.

[1] *Liberi* ingenuo Libertinaque nati, L. Papia legitimi ſunto: quod Dio, *lib.* 54. *pag.* 531. L. Julia nominatim cautum fuiſſe tradit: [illegible], inquit, [illegible].

[v] *Ingenuo* lenam, &c. uxorem ducere Lege Julia jus non eſt, ut teſtatur Ulpian. d. lib. 1. in *d. l.* 43. §. 6. 7. 8. 9. *ff. de rit. nupt. Ingenuus* porro hoc capite (Ulpiano auctore, d. lib. 1. *ad L. Jul. & Papiam*) eſt etiam is, qui jus aureorum annulorum impetravit, *l. ult. ff. de jur. aur. annul.* Item, qui Ingenuus judicatus eſt, *l.* 25. *ff. de ſtat. hom.* (Cujus legis pars repetitur in *l.* 207. *ff. de R. J.*) non tamen is omnino, qui per colluſionem ingenuus judicatus eſt, *l.* 4. *ff. de colluſ. deteg. Ingenui*, item appellatione hac parte & Senatorem multo magis intelligendum, Paulus d. lib. 1. in *l.* 44. *in fin. ff. de ritu nupt* & Marcellus d. lib. 1. in *l.* 49. *eod. tit.* docent.

[z] *Damnatam publico judicio* ingenuo Lege Julia ducere non licet. Quod de Senatoribus ſpeciatim SCto cautum: & eo amplius, ut ne retinere quidem damnatam publico judicio Senatori liceret, ut Ulpianus teſtatur, in *d. l.* 43. §. 10. de quo vide Notas.

[?] *Deprehenſam in adulterio* Ingenuo ducere Lege Papia jus non eſt. Addit Ulp. in *d. l.* 43. etſi non damnatam, etſi abſolutam, §. 12. Item, a quocunque vel ubicunque deprehenſam, §. 13. quibus duobus paragraphis *Lex* indefinite, pro *Lege Julia* (ſicut inſcriptio Legis evincit) accipienda eſt.

[a] vide Ulpianum *tit.* 13. §. 1.

[a] Capitis hujus, de *Sexagenariis*, meminit Suetonius, *in Claudio cap.* 23. Seneca apud Lactantium, *lib.* 1. *cap.* 16. Ulpianus *fragm. tit.* 16. §. 1. Juſtinianus *l.* 27. *C. de nuptiis.* Auctum porro capit hoc poſtea a Tiberio, ut docet Suetonius *d. cap.* 23. ſeu SCto Claudiano; item Calviſiano, Ulpian. *d. titul.* 16. §. 3. At abrogatum hoc caput a Juſtiniano, *l.* 27. *C. de nupt.* Cujus legis idem meminit, in *l.* 12. *C. de legit. hæred.* — Cap. II.

NOTAE.

3 *Cæteris Ingenuis*] *Ingenuis* (Senatoribus exceptis, [illegible] ut Dio, *lib.* 54. *pag.* 531. ait, vel, ut idem *lib.* 56. *pag.* 577. loquitur, [illegible]) libertinas uxores ducere lege Papia jus eſt, quod hactenus jus non fuerat. Id vero ad matrimonia frequentanda, inductum hoc tempore fuit. nempe, quod Ingenui, Legis hujus ferendæ tempore, mulieres ingenuas numero longe ſuperarent. Inde (ait Dio *lib.* 54. *pag.* 531.) [illegible]. Quo Dionis loco lapſus Interpres, qui [illegible] *Patritios* vertit, ut a nonnullis jam antehac notatum, a Briſſonio. At geminus ejuſdem error, cum apud eundem, *lib.* 56. verba illa (ad hoc quoque caput pertinentia) [illegible], de Patriciis accepit, quæ ita reddenda erant, *Senatorio ordine excepto.*

INTERPRETES apud Dionem duo errores [illegible]

4 IVDICIO PVBLICO DAMNATA] *Judicio publico damnatam* ingenuo ducere jus non eſt. Id vero Lege Julia & Papia cautum nominatim fuiſſe, Ulpianus lib. 1. in *l.* 43. *ff. de ritu nupt.* & in *fragmentis tit.* 13. §. 2. probat. Quæ quidem prohibitio, & Senatoribus cum cæteris Ingenuis communis fuit. Regula quippe hæc juris eſt certiſſima, *Eas quas cæteri Ingenui uxores ducere prohibentur, & Senatores prohiberi.* Quam definitionem Paulus lib. 1. ad L. Juliam & Papiam, in *l.* 44. *in fin. ff. de ritu nupt.* ut & Marcellus, lib. 1. in *l.* 49. *eod. tit.* tradunt. ¶ Verum, quæri poſtea cœpit, *an, poſt nuptias ſaltem jure contractas publico judicio damnatam Senator honeſte retinere poſſet?* Et ait Ulpianus d. lib. 1. *d. l.* 43. §. 10. Senatum cenſuiſſe, *Non convenire eſſe, ulli Senatori uxorem ducere, aut RETINERE, damnatam publico judicio.* Lege Julia itaque judicio publico damnatam ducere Ingenui omnes prohibiti fuere: at ex SCto, etiam retinere damnatam publico judicio Senatoribus inconveniens eſt. Et ita quidem SCtum hoc ab ipſa Lege Julia (quod viri Docti diſtinguere non potuere) ſeparari oportet.

SENATUSCONSULTUM a L. Papia diſtinctum.

AD CAPUT II. SEXAGENARII & quinquagenariae foeminae nuptiae L. Papia interdictae.

1 SEXAGENARIO] Sequuntur qui nuptias hac lege contrahere, velut procreandis liberis inutiles, in totum prohibentur. ¶ Hic itaque caput, finiti ſunt primum. (ut loquens videtur alibi Lex Papia, apud Ulpian. *fragm. tit.* 16. §. 1.) anni poſt quos nuptias contrahere nulli licet. Sexagenario quippe maſculo, quinquagenariæ foeminæ, [illegible] fuit, &, ut Seneca (apud Lactantium *lib.* 1. *cap.* 16.) loquitur (ad Comoedorum ſcilicet & Cantorum morem, qui, voci conſervandæ fibulari ſuere, ut ex Juvenal. *Satyr.* 6. *v.* 73. & 3. 77. Item, ex Martiale, *lib.* 7. *epig.* 41. & *lib.* 11. *epig.* 76. & Celſo Medico, *lib.* 7. *cap.* 25. diſcere licet) fibula his impoſita fuit. Denique, ſexagenarii & quinquagenariæ foeminæ nuptiæ, velut vero conjugii fine deſtitutæ, prohibitæ hac lege indiſtincte fuerunt, ut *l.* 27. *C. de nuptiis* docet. ¶ Verum quæſitum mox fuit, *Nam ſexagenarius minorem ſaltem quinquagenaria (quæ utique concipere poteſt) ducere poſſet?* Sed Claudio TIBERIO Cæſari has quoque nuptias interdicere viſum fuit: quod videlicet quinquagenaria minor ex alio quidem concipere, at ſexagenario ne quidem ex illa generare poſſe, [illegible] viſum, ut poſtea dicetur: quod SCtum *Claudianum*, ab Ulpiano, in *fragm. d. tit.* 16. §. 3. vocatur. *Claudianum*, inquam, a Claudio *Tiberio* Cæſare. Neque enim Claudiana SCta omnia Claudio Imperatori, verum Tiberio, & Neroni quoque, quædam tribuenda, exemplis jam alias a Petro Fabro *lib.* 1. *Semeſtr. cap.* 25. & a Cujacio *lib.* 1. *Obſ. cap.* 18. oſtenſum fuit: quibus hoc, a me nunc primum erutum, addi deinceps velim. Idque eſt ſcilicet, quod Suetonius, *in Claudio cap.* 23. *Caput Papiæ Poppeæ Legis a Tiberio Cæſare, quaſi ſexagenarii generare non poſſent,* ADAUCTUM *fuiſſe* ſcribit. ſic enim eo loco liquido legendum, *adauctum*, non quod vulgo ſtatuunt alii, fruſtra ſe torquentes, *abolitum*: neque enim caput hoc, *de ſexagenariis* videlicet *a nuptiis arcendis*, a Tiberio primum editum addendumve Legi Papiæ: verum ipſa Lege Papia comprehenſum, ſexagenariiſque fibula impoſita fuit. At Tiberius, SCto Claudiano, Legis Papiæ caput hoc tantum *adauxit*, nempe, quod de ſexagenario & quinquagenaria ſimpliciter & indiſtincte Lege Papia cautum fuerat, etiam ad nuptias inter ſexagenarium & quinquagenaria minorem extendendo. Quemadmodum, altero SCto (Calviſiano ſcilicet) id vice verſa, ad nuptias inter ſexagenario minorem, & quinquagenariam extenſum fuit: ne videlicet & hi nuptias contrahere poſſent. Minus proinde conſilio uſus doctiſſimus Torrentius, eumque ſecuti JCti magni, qui ſuperiore Suetonii loco verba hæc, *a Tiberio Cæſare*, velut ſtrepitula, expungenda prodiderunt. Male & illi conſequenter (in quibus & Ill. Baronius) qui ex ſuperiori Suetonii loco, contrarium plane ejus, quod habet, æſtimarunt: Tiberium videlicet huic capiti de-

TIBERIUS caput de ſexagenariis adauxit, non primus edidit.

CLAUDIANA SCta quædam Tiberio tribuenda.

SUETONII locus conſtitutus & explicatus.

TIBERIUS caput de Sexagenariis non abrogavit, ſed auxit.

2 Poſt eos tantum annos, conjuges poenis hujus Legis ſolvuntor b. 3 SPADONIBUS c item nuptias contrahere jus ne eſto.

Kap. III. de TEMPORE nuptiarum.

1 QUicunque a ſponſam habebit, ultra biennium ſponſam eam ne habeto: qui ultra biennium habuerit, maritorum praemiis ne b fruitor: Decenni minorem c ſponſam ne habeto.
2 Foeminis

PROBATIONES.

b id eſt, ſolidum inter ſe capiunto. Ulpianus *d. fragm. d. tit.* §. 3. Derogatum autem huic capiti SC. Perniciano poſtea fuit, Ulpian. *d.* §. 3. vid. in NOTIS plura.

c Hanc *ſpadonum* vocem explicat Ulpianus, d. lib. 1. in *l. ſpadonum* 128. *π. de V. S.* hujusque juris, quod hoc capite complexus ſum, veſtigium extat in *l.* 39. §. 1. *π. de jure dotium.*

Cap. III.

a Capitis hujus, de *ſponſalibus* ultra biennium non trahendis, meminit Suetonius, *Octavio cap.* 34. & Dio, *lib.* 54. *pag.* 532. *in geſtis anni* 736. &, ex eo, Zonaras, *tomo* 2. *pag.* 165. *Ed. Baſ.* Conſulendus & idem Dio, *lib.* 56. *pag.* 577. Huc pertinet etiam e Gaji lib. 1. *l.* 17. *π. de ſponſalib.* Eſt quoque nonnullorum judicio (quod non probo) hujus capitis rivulus *l.* 4. & 6. *C. Theod. de ſponſal.* & *l.* 2. *C. Juſtin. eodem.*

b vid. Dionem *lib.* 54. *pag.* 532. ibi. δεῖσθαι πάντας ἐγγυᾶσθαι, ἃ γένι αὐτὰ τὰς ἐγγύας ἀποδώσοντα.

c Arg. *l.* 4. *C. Th. de ſponſalibus*: unde interpolata *l.* 2. *Cod. Juſtin eod.* vid. Dionem. *d. lib.* 54. *pag.* 532. *in geſtis anni* 737. ubi hoc expreſſe ait. Eodem refero, quod Celſus habet de probatione aetatis, *l.* 13. *π. de probat.*

NOTAE.

rogaſſe, & hac parte Legem Papiam moderaſſe. ¶ Nec ad rem pertinet, quod Tacitus, *lib.* 3. *Annal. cap.* 28. *exſolutas a Tiberio pleroſque legis Papiae Poppaeae nexu, ſcribit.* Neque enim

TACITI locus conſtitutus & emendatus.

Tacitus, Legis Papiae Naxus (etſi id ita Lipſianae editiones praeferant) a Tiberio abrogatos ſcripſit: verum, cum de moderanda Papia Lege apud Tiberium ageretur, pleroſque (Coelibum & Orborum ſcilicet) exſolutos legis Nexu, ut recte in Vertraniana editione habetur (lege Papia ſcilicet ipſa intacta) prodidit. Haec de Tiberio.

CLAUDIUS caput de Sexagenariis non abrogavit.

Claudius Imperator poſtea nuptias inter ſexagenarium & quinquagenaria minorem (quaſi ſexagenarius ex ea muliere generare quoque poſſet ex Philoſophorum placitis: nam auctore Ariſtotele uſque ad annum LXX. vir gignit, foemina uſque ad quinquageſimum) approbavit, & SCtum Tibertianum, ſeu Claudianum (de quo modo nobis actum) abrogavit: proinde, non capiti Papiae Legis ſimpliciter, ſed a Tiberio Caeſare adaucto, Claudius abrogavit, ut Suetonius appoſite loquitur. Quemadmodum Modeſtinus noſter, in *l.* 102. *π. de V. S.* dixit, *Abrogatur legi*, & Livius *lib.* 9. *cap.* 34. *antiquae legi abrogat nova.* Et Paulus, apud Auctor. *Collat. Leg. Moſaic. tit.* 4. §. 2. *Primum caput Legis Juliae de adulteriis prioribus legibus pluribus abrogat.* Falluntur itaque rurſum (& in his denuo Cujacius, Baronius) qui caput Legis Papiae de ſexagenariis a Claudio abrogatum prorſus, ſibi unique ſexagenariis relaxatam penitus fuiſſe, tradunt: cum ſubrogationem ſeu additamentum modo, quo caput illud a Tiberio adauctum fuerat, Claudius abrogaverit. Praedictorum ſumma ſit haec: *Tiberium, SCto Claudiano caput hoc auxiſſe, prohibitis videlicet inter ſexagenarium etiam & quinquagenaria minorem nuptiis: at Claudium προσθήκην hanc ſuſtuliſſe, admiſſis illis, quas dixi, nuptiis, intacta ipſa Lege Papia.*

2 *Poſt eos annos, conjuges jus liberorum habento*] Poſtea, ex SCto Perniciano, non item. Ulpian. *fragment. tit.* 16. §. 3. Itaque nominatum peti & impetrari oportuit a certa aetate: de quo ad *l.* 1. *C. Th. de jure liberorum*: quo referendus & locus D. Auguſtini, *lib.* 3. *contra Julianum. Jure etiam ſuis conſtitutum, ne quiſquam jus liberorum haberet* (forte *haberent*, id eſt, impetraret, ambiret, peteret) *niſi cum amborum anni temporis* [illegible] *tranſiſſe* [illegible].

3 SPADONIBUS] De *Spadonibus* actum hac Lege Julia & Papia, & primum quidem [illegible] Legis capitibus, arguit, quod Ulpianus de *Spadonum* ſignificatu, lib. 1. ad hanc legem ſcribens, in *l.* 128. *π. de V. S.* tractat. ¶ Verum, quid hac lege de Spadonibus cautum fuerit, non parum quaeritur. Fuit qui

SPADONIBUS ante 18 annum teſtari prohibitum: ſed non L. Papia.

putat, Spadonem hac lege ante 18. annum teſtamentum facere prohibitum: de qua [illegible] Paulus, *lib.* 3. *Sent. tit.* 4. §. [illegible]. Minime [illegible] prohibitio illa, teſtamenti [illegible], [illegible] quam [illegible] jus. Eaque eſt, Spadonibus concedendi, ad [illegible] aliquendum, quem Lex Julia de Maritandis Ordinibus propoſitum habuit (ſobolis procreandae [illegible]) [illegible], qui exiſtimat, Legem Papiam Spa-

SPADONIBUS L. Papia poenas non coercita.

donibus non praemia modo patrum [illegible], ſed & poenas quoque quaſi Reipub. inutilibus, [illegible]. Verum, ſeparandi ſoleo, ut in caeteris juris ſpeciebus, ita & hac quoque [illegible] fuerunt, qui natura morbove Spadones aſſent, ab iis, qui caſtrati [illegible], quique ſe eunuchabant, ut Varro L. [illegible], apud Nonium Marcellum *cap.* 2. *n.* 183. loquitur. *Si qui patriam*, inquit (*majorem parentem*) *extinguit, in eo eſt culpa: quod facit pro ſua parte is, qui ſe eunuchat, aut haud aliqua* (ſic locus ille legendus) *liberos producit.*

VARRONIS apud NONIUM locus emendatus.

Et recte Varro, *in eo culpam eſſe*, ait, *qui ſe eunuchat.* At quasnam illi quaeſo meruere poenas, quos ſatis infoelicitas ſatis excuſat, quique liberos tollere non poſſunt? ¶ Itaque verius, hac lege Spadones nuptiis interdictos, velut procreandis liberis inutiles: quia hunc unicum nuptiarum finem Lex Julia reſpexit, & eſſe voluit. Ejusque juris veſtigium luculentum ſatis extat, in *l. ſi ſervo* 39. §. 1. *π. de jure dotium.*

SPADONES L. Papia nuptias contrahere prohibiti.

1. *Quicunque Sponſam habebit*] Admonendi ſumus, praemia Maritis ab Auguſto Juliis rogationibus indulta (quae hanc legem Papiam praeceſſerant) ad Sponſos quoque pertinuiſſe. Verum fraus legibus illis, ſtatim ut latae, mox & facta fuit, Sponſique vim & finem earum eludere conati ſunt: Sponſalibus videlicet cum immaturis puellis, quo maritorum privilegiis diutius fruerentur, contractis, interim vero τὸ ἔργον τῶν γεγαμηκότων (ut Dio *lib.* 54. *pag.* 534. hac in re loquitur) complere nolentes, vel in ſeram admodum aetatem differentes. Adverſus hanc fraudem obviam itum hoc capite, quo *Sponſas habendi tempus coarctatum fuit*, ut Suetonius, in *Octavio cap.* 34. loquitur, id eſt, *Sponſae diu habendi, non ſequente videlicet matrimonio*: bienniumque huic rei praefinitum, Dione teſte, *d. lib.* 54. Unde factum, ut cum legitimus nuptiarum annus in foemina duodecimus eſſet, decenni minorem conſequenter deſpondere ſibi non liceret, ut ex hoc capite idem Dio colligit: ne quis forte ἀνοήτως iſtud hoc capite nominatim comprehenſum fuiſſe putet: quod tamen nonnulli perperam prodidere. *Deſpondere*, dixi, ſic ſcilicet, ſi maritorum praemiis frui quis vellet, quod idem ſcriptor docet; cujus mentem tamen, clari alioquin, Interpretes non aſſecuti fuere. Caeterum, contrahendis ſponſalibus, aetas (ſecus quam nuptiis) certa nulla praefinita fuit, auctore Modeſtino, lib. 4. different. in *l.* 14. *π. de ſponſalib.* ¶ Ad hanc porro bienni praefinitionem pertinet etiam *l.* 4. & 6. *Cod. Th. de ſponſ.* & *l.* 2. *Cod. eod.* quae deſumpta & interpolata eſt ex *d. l.* 4.

¶ Ad Caput III. BIENNIUM tempus, poſt ſponſalia contrahendis, L. Julia praefinitum.

DECENNI minorem deſpondere non licitum: ſed id L. Papia nominatim non cautum.

¶ Pertinet etiam ad hanc, & ſequentem [illegible] capitis ſententiam, quod Gajus, lib. 1. ad L. Juliam & Papiam, in *l.* 17. *π. de ſponſalib.* [illegible] *cauſas non* [illegible] *ſed alteri* [illegible] *ſponſalia trahere*, ſcribit. Ut mihi in [illegible], Gajus ſcripſiſſe olim videatur, [illegible] M. VI. & *biennium*, id eſt, annum menſes ſex, & biennium. Vel certe, quod Gajus in ea lege [illegible] dixit, ſecundum Leg. Juliam accipiendum eſt. At ſecundum Leg. Papiam intelligi oportet, cum *biennium* ſcripſit. Vide Cujac. *lib.* 16. *Obſerv. cap.* 35. Illud & huc optime referri poteſt minori 20. annis ancillam uxorem manumittere licuiſſe: ita tamen, ut eam *intra ſex menſes duceret*, §. 5. *Inſt. qui & quibus cauſ. manum. non poſſ.* *l.* 13. *π. de manum. vindict.* ubi id SCto cautum fuiſſe notat: SCto inquam ad L. Aeliam Sentiam ex capite L. Papiae.

SPONSALIBUS contrahendis aetas quatenus L. Papia definita.

2. *Foeminis*] *Foeminis a morte viri* biennii, a repudio, anni & ſex menſium vacatio ad repetendas nuptias hoc capite tribuitur. Ad quam vacationem non recte refertur hactenus ab omnibus, quod Suetonius, in *Octavio cap.* 34. & Dio, *lib.* 56. *pag.* 576-578. *ab Auguſto coelibibus triennii, biennii* [illegible], *annique* [illegible] *vacationem ad contrahendas nuptias datam* ſcribunt. Pertinet enim illud, ad laxa-

VACATIONUM genera circa L. Papiam diſtincta.

Digitized by Google

Foeminis [d] item a morte [e] viri, biennii [f]: a repudio, anni & ſex menſium vacatio eſto.

Pontifex Maximus [g] arbitratu ſuo, virgines xx. non majores quam x. annos natas e populo legat, ſortitioque in concione ex eo numero fiat: & cujus virgo ducta erit eam Pontifex Maximus capiat, eaque Veſtae fiat.

IV. de POENIS imparis matrimonii: ſive ratione ſtatus & dignitatis, ſive ratione aetatis. V. de PRIVILEGIIS nuptiarum contrahendarum. VI. de PRIVILEGIIS nuptiarum contractarum & affinitatis.

SI qui ſciens [a] D. M. * contra hanc Legem impares, ut ſupra dictum [b], nuptias contraxerit, libri quaeſiti nativi ſui [c] haeredes ne ſunto, neve proſunto [d]: Neve HAEREDITATEM, QVAE EIS LEGE [e] OBVENERIT, legatumve ipſi conjuges [f], neque inter ſe quicquam capiunto [g]: mortuaque muliere caduca dos [h] eſto. ¶ LIB. II. ULPIANI & TERENTII CLEMENT. * id eſt, dolo malo.

EI [a] mulieri virginive, quam ex H. L. nubere oportet [b], Tutor ad dotem dandam, dicendam, promittendam, ſi legitimum tutorem non habeat, a Praetore [c] urbano [d] dator. ¶ LIB. II. ULPIANI & TERENTII CLEM.

SI ſecundum [a] hanc Legem nuptiae contractae fuerint, DIVORTII [b] FACIENDI POTESTAS LI.

PROBATIONES.

[d] De hac Legis Papiae ſententia, vid. Ulpianum, *frag. tit.* 14.

[e] Quid ſi vir ad beſtias damnatus fuerit? vid. Gajum lib. 1. in *l.* 29. *π. de poenis.*

[f] *Foeminis* a morte viri, ad repetendas nuptias, biennium Lege Papia indultum fuit: & certis tamen caſibus, etiam ultra annum (& ſex menſes) & biennium ſponſalia (nuptiaſve) trahi poſſe notat Gajus, *d. l.* 17. *π. de ſponſalib.* Caeterum antea, Lege Julia, anni tantum vacatio erat. Ulpian. *d. tit.* 14.

Cap. IV. [g] Ex Gellio, *lib.* 1. *cap.* 12.

¶ [a] Hanc ipſam hujus l. ſanctionem Tribonianus retuliſſe videtur in §. 12. *Inſt. de nupt.* ut docuit Merillius, *lib.* 5. *Obſ. cap.* 11. Quid ſi alteruter bona fide nuptias contra hanc Legem contraxerit? vide TERENTIUM CLEMENTEM, Lib. II. in *l.* 5. *π. de juris & fact. ignor.*

[b] *De imparibus nuptiis*, vid. Ulpianum *fragm. tit.* 16. §. 3. & Juſtin. *l.* 12. *in fin. C. de legitim. haered.* Apulejum, *lib.* 6. *metamorph* quibus *Aequale* & *juſtum* conjugium opponitur, *l.* 1. *C. Th. de collegiatis.*

[c] *Sui* haeredes non ſunt liberi contra legem Jul. & Pap. quaeſiti. Paul. *lib.* 3. *ſentent. tit. de inteſtator. ſucceſſ.* apud Auctor. *Collat. legum Moſaicar. tit. ult.* quem Pauli locum non intellexit Vir Doctus, qui ad eum ſcripſit.

[d] *Nihil proſunt* liberi contra Legem Juliam & Papiam quaeſiti (Paul. lib. 2. de parentum, ſeu liberos habentium praemiis agens, *l.* 37. §. 7. *π. de operis libert.*) Non omnes liberi lege Papia proſunt parentibus: ut ecce, qui mortui naſcuntur parentibus non proſunt, quia neque nati videntur, ut Paulus lib. 1. notavit in *l. qui mortui* 129. *π. de V. S.* Quod tamen referri quoque poſſit ad primum caput *ſup.*

[e] *Haereditatem*, Lege obvenientem, qui adverſus Legem Pap. nuptias contrahit, capere non poteſt. *Lege obvenientem*, id eſt, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato delatam. Ulpian. lib. 2. *l. lege obvenire* 130. *π. de V. S.*

[f] *Conjuges* nuptiis contra Legem Papiam contractis nil inter ſe capere poſſunt. Ulpianus, *fragm. tit.* 16. §. *ult.*

[g] *Capere* qui hoc capite prohibetur, neque per ſe, neque per eum, qui in ejus poteſtate eſt, capere poteſt, Ulpian. d. lib. 2. *l.* 79. *π. de adquir. haered.* Item, neque mortis cauſa capere: & huc pertinet quod Marcellus lib. 1. in *l.* 38. *π. de mort. cauſ. donat.* tractat.

[h] Dos mortua muliere, contra Leg. Pap. ducta, caduca fit. Ulpian. *fragm. d.* §. *ult.*

¶ [a] De hoc capite agunt TERENTIUS CLEMENS, LIB. III. in *l.* 61. *π. de jure dotium*, & ULPIANUS *fragm. tit.* 11. §. 20. Cap. V.

[b] *Filiafam.* certe nubere non cogitur, nec filiusfam. uxorem ducere. Terentius Clemens lib. 3. *l.* 21. *π. de ritu nuptiar.* Quod forte lege Julia nominatim cautum fuit. *arg. l. nec filium* 12. *C. de nuptiis*: ibi, LEGUM *diſciplina*, *&c.*

[c] *Praetor* foeminae tutorem ad dotem dandam, &c. dare, lege Julia de Maritandis Ordinibus jubetur. Et alium tamen, quam ſeipſum, Praetor tutorem dabit. Ulpian. lib. 9. [*ft.* 3.] *l.* 4. *π. de tutor. datis*, *&c.*

[d] *In urbe* Praetor tutorem foeminae ad dotem dandam Lege Papia dare jubetur: in provinciis ut idem per Praeſides fieret, SCto poſtea cautum fuit. Ulpian *fragm. tit.* 11. §. 20.

¶ [a] Formula haec & taxativa in hac leg. Papia ſolennis. vid. *princ. Inſt. de nupt* & Paulum *in Sentent.* apud Pariatorem *Legum Moſaic. tit.* 6. & *lib.* 3. *Sent. tit.* 4. Quid ſi, cum Senator libertinam uxorem contra hanc legem duxiſſet, is poſtea Senator eſſe deſierit? vid. Ulpian. lib. 3. *l.* 27. *π. de ritu nupt.* Item, quid ſi Senatoris filia, quae corpore quaeſtum fecit, &c. libertino nupſit? vid. Paulum lib. 2. *l.* 47. *π. de ritu nupt.* Item, quid ſi a Senatore, adoptatus. Paulus lib. 2. *l.* 6. *π. de Senator.* Item, quid ſi a Senatore in adoptionem datus? *d. l.* 6. §. 1. Cap. VI.

[b] Legitima hujus capitis verba ſunt haec, apud Ulpian. lib. 2. in *l. ult. π. de divort.* non etiam ea prorſus, quae continentur *l.* 45. *π. de ritu nuptiarum.*

NOTAE.

mentum, quod Auguſtus poſt ſingulas ſuas rogationes Julias (hac lege Papia priores) tam maſculis, quam foeminis coelibus τὴν προθεσμίαν (ut Dio loquitur *pag.* 577.) indulſerat videlicet, ut qui tum latarum legum tempore coelibes eſſent, intra ea tempora legibus parerent, ſeu nuptias contraherent, quod ſi non facerent, tum demum poenis Legibus Juliis comprehenſis teneri inciperent. Sic ſolent ferme leges, non ſtatim vim & poenas ſuas exerere, verum indulto prius aliquo temporis laxamento, ut vel Novella 66. docet. Dio de lege noſtra audiatur *lib.* 56. *pag.* 578. τοὺς δὲ γεγαμηκότας, inquit, ἀπὸ τῶν ἀγάμων διεχώρισε καὶ ἐκείνοις ἐπέτρεψεν ἐς τὸ ἔτος τὸ ἐπιγιγνόμενον ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀναστάντας γενέσθαι, προσετίθει. Itaque commiſcenda haec duo vacationum genera non fuerant: neque Suetonius cum Ulpiano committendus, inter quos diſſenſus nullus erat: quod tamen factum ab omnibus, & doctiſſimis omnium, hactenus. ¶ Sed & tertium *Vacationis* adhuc genus a ſuperioribus duobus ſeparandum diligenter, cujus ſcilicet Suetonius, *in Claudio cap.* 18. & *l.* 7. *Cod. Theod. de naviculariis*, meminere.

LIBERTÆ [c], QVÆ PATRONO [d] NVPTA EST [e], INVITO [f] PATRONO, cumque altero connubii jus, QVANDIV PATRONVS VXOREM EAM ESSE VOLET [h], NE ESTO. GENER SOCERVE [i] inviti in reos teſtimonium ne dicunto.

Liberta [k], quae patroni voluntate nupta erit [l], operarum obligatione liberator [m].

Quae in concubinatu [n] patroni erit, ab invito eo diſcedere, alterique ſe in matrimonium vel concubinatum dare jus eſto.

K. VII. VII. de HONORIBUS ob liberos deferendis.

[1] QUi [a] Candidatorum [b] plures liberos ſecundum hanc Legem habebit, praefertor: Item, ſinguli anni [c] per ſingulos liberos demittuntor*:

* id eſt; remittuntor.

Prio-

PROBATIONES.

e *Liberta patrono nupta* invito eo, divertere ab eo Lege Papia prohibetur. *Libertam* autem hic accipere debemus, & eam, quae pluribus communis eſt: ut Tribonianus Gaji ſententiam ex 4. ejus libro in *l.* 46. *π. de ritu nupt.* huic capiti accommodavit. Non etiam, quae jus *aureorum annulorum* impetravit, Ulpianus. d. lib. 3 *l.* 4. *π. de jure aur. annul.* ut nec quae *a patrono* ex *fideicommiſſo* manumiſſa fuit Marcellus lib. 3. (de divortiis *ad cap.* 21. 22. tractans) *l.* 50. *π. de ritu nupt.* quem ipſum caſum tractat Modeſtinus *l.* 10. *π. de divortiis.* Quos vel ſimiles caſus intellexit & praeſuppoſuit Hermogenianus *l. & ideo* 62. §. 1. *π. de donat. int. vir. & uxor.* ibi: *Si ab eo* invito divertere non licet. Eſt enim ea lectio Pandectarum Florentinarum retinenda adverſus Scipionem Gentalem *de donat. int. virum & uxor. lib.* 3. *cap.* 17.

d *Patronus* hoc capite quis? vid Ulpianum *d. l.* 45 & Paul. lib 2. *l.* 62. *π. eod. tit.* Marcell. *d. l.* 50 Idemque dicendum de *Patroni filiis*, Terent. Clem. lib. 8. [γε. 3.] *l.* 47. *eod. tit.*

e *Nupta patrono liberta* invito eo divortium facere non poteſt. Et tamen invita patrono nubere ejusque conditione uti liberta non cogitur (uno caſu excepto, quem Ulpianus lib. 3 in *l.* 29. *π. de ritu nuptiar.* tractat: cui jungenda & *l* 21. *eod. tit.* e Terentii Clementis lib 3.) Aliud etiam in ſponſa eſt. Ulpian. d. lib. 3. *d. l.* 45. §. 4. & in concubina, de qua mox. Utraque enim & ſponſa & concubina a patrono divertere poteſt.

f *Invitus* quis hic? vid. Ulpianum *d l.* 45. §. 5. ad haec verba, *invito patrono.* vid. & Marcellum *d. l.* 50. Modeſtinum *l. pen. π. de divort.* Alexandrum Imp. *l.* 8. *Cod. de oper. libert.*

g Hoc addendum docet Ulpianus d. lib. 3. in *l. ult. π. de divortiis.* & idem, *d. l.* 45. & *l. un. π. unde vir & uxor.*

h Quando velle videatur, tractat plene & accurate Ulpianus *d. l. ult.* § 1 2. Quid ſi patronus captus fuerit? vid. eundem Ulpianum, *d. l.* 45. §. 6.

i De hac Legis Papiae ſententia agit Terentius Clemens lib. 2. [forte 3.] in *l.* 46 *π. de V. S.* & Gajus lib. 4. ad caput, quod nobis decimum quintum, ſcribens, in *l.* 5. *π. de teſtib.* Hoc jus autem & aliis quoque perſonis pluribus capite 87. Legis Juliae publicorum judiciorum tributum fuit, ut docet Ulpian. apud Auctorem *collat. legum Moſaicar. tit.* 8. & Paulus lib. 2. *l.* 4. *π. de teſtib.* & Papian. *l.* 2. *π. de accuſation.*

k vid. Terentium Clementem lib. 8. [γε. 3.] *l.* 5. *π. de operis ſervor.* eundem lib. 8. [γε. 3] in *l.* 14. *π. de oper. libert.* junct. §. 3. 4. & *ult. l.* 13. *d. l.* & *l.* 11. §. 1. *C. eod. tit. l.* 2. *C. de obſeq. patr. praeſt.* & *l.* 48. *d. tit. de oper. libert.*

l Vel, ſi finitos L. Papia nubendi annos exceſſerit, id eſt, quinquagenaria, Paul. d. lib. 2. *l.* 35. *π. de oper. libert.*

m Quia in officio mariti eſſe debet *d. l.* 48. *in pr.*

n Caput hoc ſuppeditat Ulpianus lib. 2. [γε. 3.] in *l.* 1. *π. de concubinis*: cui jungam libens Pauli ad leg. Papiam. *l.* 144. *π. de V. S.* & *l.* 2. *π de concub.* De hoc etiam capite intellexiſſe videtur Marcianus in *l.* 3. *π. de concub.* cum dixit, *concubinatum* PER LEGES *nomen adſumpſiſſe.* vid. Merill. *lib.* 5. *Obſ. cap.* 10. In alterius tamen patroni concubinatum dare ſe non poteſt. Ulpian. lib. 3. *l. ult. in fin. princ. de divortiis.*

¶ a SEPTIMUM, hoc Legis Juliae caput fuiſſe diſertis verbis teſtatur Gellius *lib.* 2. *cap.* 15. Cap. VII.

b Vide Tacitum, *lib.* 2. *Annal. cap.* 51. ubi *Legem* indefinite pro Julia accipe. Adde & Dionem, *lib.* 56. *pag.* 578. *in geſtis A.* 762.

c *Anni ſinguli* per, id eſt, in, & propter ſingulos liberos Lege Papia remittuntur: in honoribus ſcil. adipiſcendis. Ulpian. lib. 19. (error manifeſtus in numero: ſcriptum erat III. unde XIX. falſum) in *l.* 2. *π. de minoribus.* vid. & *l.* 2. *π. de muneribus.* Annariae itaque legis gratia propter liberos fit: idque L. Papia cautum fuiſſe *d. l.* 2. aperte docet.

NOTAE.

¶ Ad Caput VII. & VIII. PRÆMIA Parentum

K. VII.] *Praemia parentum*, ſeu liberos habentium, ſequuntur, quorum & Suetonius, *in Octavio cap.* 34. meminit. *Praemia parentum* nominantur Auctor Panegyrici, *dicti Maximiano & Conſtantino*, vocat. *Praemia patrum* Seneca *lib.* 3. *de Benefic. cap.* 34. & Gellius *lib.* 5. *cap.* 19. *Privilegia parentum*, Tacitus *lib.* 3. *Annal. cap.* 28. *Jura parentis*, Juvenalis *Satyra* 9. v. 87. *Privilegia Legis Papiae*, *l.* 9. *Cod. Theod. de bonis proſcript.* [illegible] Dio, *lib.* 43. *cap.* 226. & *lib.* 54. *pag.* 532. & *lib.* 55. *pag.* 549. [illegible] *pag.* 549. *Jura liberorum* denique complures.

¶ Fuerunt autem, & ante Legem hanc, praemia quaedam patrum, ut ex P. Scipionis oratione ad populum, *de moribus*, diſcere licet, cujus Orationis fragmentum eam in rem Gellius, *lib.* 5. *cap.* 19. laudat. Sed & Dio, *lib.* 43. *pag.* 226. Julium Caeſarem [illegible] quaedam propoſuiſſe, auctor eſt. ¶ At privilegia parentum hac Auguſti lege (Julia & Papia ſcilicet) conſtituta, in his ſex ſerme (quantum ex iis, quae nobis ſuperſunt, fragmentis colligere licet) cernuntur. (1) in *Honoribus* adipiſcendis, *cap.* 7. (2) in *Munerum* immunitate, *cap.* 8. (3) in jure *Quiritium* conſequendo, *cap.* 9. (4) in *Operarum* liberatione, *cap.* 10. (5) in *Tutela*, *cap.* 11. (6) in *Capacitatis* denique privilegio, ſive capiendi jure ex bonis alterius, *cap.* 12. 13. 14. De ſingulis propoſito nunc ordine videamus.

1 *Qui candidatorum*] *Septimum* hoc hujuſce Legis Juliae caput fuiſſe, Gellius, *lib.* 2. *cap.* 15. docet. *Capite ſeptimo*, inquit, *Legis Juliae, priori ex Conſulibus faſces ſumendi poteſtas fit, non qui plures annos natus eſt, ſed qui plures liberos*, &c. ut eximie de *l.* 2. *π. de minoribus.* & *l.* 14. *π. de offic. Proconſ.* (quae ad hujus capitis interpretationem manifeſtiſſime pertinent) inſcriptiones emendandas liquido nobis conſtet. ¶ *Primae* porro, quam hoc capite conſtituit, ſententiae, ſenſus hic eſt: *In honoribus adipiſcendis, eos qui plures liberos habent, praeferri.* Quam quidem ſententiam hac lege Julia comprehenſam fuiſſe, ex Tacito *lib.* 2. *cap.* 51. colligere licet. *Plerique*, inquit, *nitebantur ut numerus liberorum in Candidatis praepolleret, quod Lex jubebat.* Audio enim, qui moneat, non aliam hic *Legem* a Papia accipiendam. Addatur eam in rem, & hic Dionis locus *lib.* 56. *pag.* 574. quo Auguſtus, ipſo ferendae Legis Papiae tempore, Maritos & patres alloquens [illegible] ΑΡΧΑΙΣ [illegible] ¶ Ceterum notandum, hunc capitis ſitum, ſeu [illegible]

SEPTIMUM L. Juliae Caput.

In MAGISTRATIBUS adipiſcendis patres ex L. Julia praelati.

Priori [d] quoque ex conſulibus faſces [e] ſumendi poteſtas ei, qui plures liberos, quam Collega aut in ſua poteſtate [f] habebit aut bello [g] amiſerit, eſto; ſi par utrique numerus liberorum erit, maritus [h] aut qui in numero maritorum [i] erit, praeſertor: Si ambo mariti [k] & [l] patres totidem liberorum erunt, qui major natu erit prior faſces ſumito.

VIII. de IMMUNITATE munerum, ob liberos conſequenda.

QUi [a] ſecundum hanc legem liberos [b] tres, ROMÆ [c] NATOS [d] ſuperſtites [e], qui quatuor [f] in Italia, qui quinque [g] in provinciis habebit, omnium numerum perſonalium immunitatem habeto.

IX. de JURE QUIRITIUM ob liberos conſequendo.

LAtinus [a] cui filius filiave natus natave, & ANNICULUS [b] anniculave factus factave erit: At [a] Latina, ſi TER ENIXA [c] fuerit, jus Quiritium conſequuntor.

[a] QUI

PROBATIONES.

[d] Hanc ſententiam ſuppeditat Gellius *lib.* 2. *Noct. Attic. cap.* 12.

[e] *Faſces* e Conſulibus prior ſumit ex L. Julia, qui plures liberos habet. *Faſces*, inquam, quos duodecim Conſules habuere; at Proconſules ſex tantum, Ulpianus lib. 20. (error rurſus in numero) *l.* 14. *π. de offic. proconſ.*

[f] Huc omnino pertinet *l.* 2. *π. de munerib. & honor. Quod ad honores*, inquit, *pertinet, creditur in poteſtate filium habere etiam is, qui in patris poteſtate eſt.*

[g] Vide Gellium *lib.* 2. *cap.* 15. & quae notabo ad *caput ſequens*. Huc pertinet, quod Ulpianus tractat lib. 20. [γρ. 3.] de bello amiſſis, *l.* 18. *π. de excuſ. tut.*

[h] *Maritus* quis? non ſimulatus. Gajus lib. 2. in *l.* 30. *π. de rit. nupt.*

[i] *Maritorum numero quis?* Puto, ſponſus vel etiam qui jus mariti, τὰ τῶν γεγαμηκότων δικαιώματα, impetravit: id enim dari quoque ſolitum, teſtatur Dio, *lib.* 55. *pag.* 549.

[k] Quid ſi ambo Conſules coelibes, & patres totidem liberorum ſunt? De eo nihil ſcriptum in L. Julia fuiſſe, Gellius *lib.* 2. *cap.* 15. docet.

[l] Quid ſi ambo Conſules ſint mariti, ſed improles? Et de eo nihil ſcriptum in L. Julia fuiſſe, notat idem Gellius.

Cap. VIII. ¶ [a] De hoc *Immunitatis a muneribus perſonalibus privilegio*, ob numerum liberorum, vid. *l.* 1. *C. qui numer. liberor.* & *l. un. C. Theod. de his qui num. liberor.* unde deſumpta *l. ult. C. eod.* Vide & *princ. Inſt. de excuſ. tut* & *l.* 1. 2. *π. de vacat. & excuſ. muner.* Item, veterem Juvenalis ſcholiaſtem *Satyr.* 9 & Ulpian. lib. 20. (error, ut jam dixi, commiſſus in numero) *l.* 18. *π. de excuſat. tut.*

Qui] etiam matres *l.* 5. *C. de iis qui numer. liberor. lib.* 10.

[b] *Liberos* non adoptivos *l.* 2. §. 7. *π. de vacat. & excuſ. muner.* non alienos pro ſuis oblatos. vid. NOTAS. Item liberos utriuſque ſexus, *d. l. un. C. Th.*

[c] *Romae nati* qui? Etiam ii, qui in continentibus urbis nati ſunt. Terentius Clemens lib. 3. in *l.* 147. *π. de V. S.* Et hic etiam *Profeſſionum* apud acta Romae mos; de quibus accipienda quoque eſt *l.* 16. *π. de probat.* ex eodem Clementis etiam lib. 3. deſumpta. Cujus ea ſententia eſt, non tantum patrem ad profitendum admittit, ſed & matrem & avum. Eaque ſententia, profeſſionumque uſus pertinet non tantum ad hujus capitis explicationem, verum etiam ad leges Decimarias; ubi agitur de liberis amiſſis poſt nonum diem, de Primis, de filio 14 annorum, filia 12.

[d] An octavo menſe natos: vide Gellium *lib.* 3. *cap.* 16. *in fin.*

[e] Vel incolumes *l.* 1 §. *ult.* & *l.* 5. §. 5. *π. de vacat. & excuſ. mun.* & *l.* 1. *C. qui num. liber.* vel vivos, *l.* 2. §. 3. *dict. tit. de vacat. & excuſ. Superſtites* ſeu *incolumes liberi* ad munerum immunitatem parenti proſunt Lege Papia. Imo & bello amiſſi, ut ſuperiori quoque capite nominatim expreſſum fuit, & nominatim in hac ſpecie proditum, *l. ult π. de vacat. & excuſ. mun.* & §. 1. *Inſt. de excuſ. tut.* & *l.* 18. *π. eod.*

[f] *Quatuor liberi* in Italia munerum immunitatem parenti Lege Papia praeſtant. Quod jus a Lacedaemoniis translatum videtur. Auctor enim eſt Ariſtot. *lib.* 1 *Politic. cap.* 9. apud Lacedaemonios legem fuiſſe τὸν μὲν γεννήσαντα υἱοὺς τρεῖς ἄφρουρον εἶναι [illegible]. ¶ At Aelianus in numero liberorum variat *lib.* 6. *Var. cap.* 6. τὸν παρασχόμενον (inquit) [illegible] τῶν λειτουργιῶν ἀφεῖσθαι.

[g] Pertinet itaque *l. un. C. Theod. de his qui numero liberorum* ſeu *l. ult. Cod. Juſtinian. eod.* ad provincias.

[h] Non onerum *l.* 1. *C. de his qui numero liberorum* id eſt, munerum perſonalium, non onerum patrimonialium *l.* 2. §. 4. *l.* 11. *π. de vacat. & excuſ. mun.* Igitur & tutelae. vide *princ. Inſt. de excuſ. tut.*

[a] Lege Junia Norbana immutatum caput hoc poſtea, ut oſtendit Ulpian. *fragm. tit.* 3. §. 3. Cap. IX.

[b] *Anniculus* hoc capite quis? vid. Paulum lib. 2. (nam ita reponendum videtur loco tertio) in *l.* 132. *π. de V. S.* & *l.* 134. *eod.*

[c] *Ter enixa* quae? vid. Paulum d. lib. 2. *l.* 137. *π. de V. S.* Ulpian. tamen SCto jus hoc tribuit, *fragm. tit.* 3. § 1. At quid ſi Latinae mortuae tertius exectus eſt? Ter enixa vel peperiſſe (idem enim eſt) Latina non intelligetur. Paulus lib. 2. *l.* 123. §. 1. *π. de V. S.*

NOTAE.

LIBERI adoptivi plerumque praemia non tribuunt.

ſimulatis Adoptionibus fraudem factam, ut ſub Claudii Imp. temporibus Tacitus, *lib.* 15. *Annal. cap.* 19. [illegible]: Imo & ante legem Juliam & Papiam, propoſitis etiam tum praemiis parentibus, ut oſtendit (quam & ſuperius dixi) P. Scipionis de moribus apud Gellium, *lib.* 5. *cap.* 15. oratio. Factum ideo ſub Claudio SCtum. *Ne ſimulata adoptio in ulla parte muneris publici juvaret*, Tacitus ait, & JCtus in *l.* 2. *π. de vacat. & excuſ. mun.* ſubſcribit, & Juſtin. *in pr. Inſt. de excuſ. tut.* ¶ Facta & ſequente capite (quo propter liberos quoque munerum immunitas tribuitur) fraus altera: *Quoniam* (ait *l. unica C. Theod. de his qui numero liberorum*, idque omiſſum in Codice Juſtinianeo) *cognovimus, nonnullos Vacationem a nobis perſonalium munerum impetraſſe, alienos pro ſuis liberos noſtris aſpectibus offerentes, jubemus*, &c. ¶ His ſane fraudibus & ſimilibus obviam itum quoque Profeſſionibus. Coacti quippe patres natos ſibi liberos apud acta publica profiteri, de quo more diximus jam alii. Eo enim pertinet, ex Terentii Clementis *lib.* 3. *ad Leg. Juliam & Papiam*, *l.* 16. *π.* [illegible] *de probationibus*: qua quaeritur, *an etiam matris aviique profeſſio filiorum recipienda ſit.* Et propemodum eſt ut credam, hunc profeſſionum morem hac L. Papia ſancitum inductumque, quo fraudibus illis, quas dixi, occurreretur, primum fuiſſe. Nam, quod ex Tullii R. inſtituto ſimile quid antea factum, ad alium longe finem habuit, & aliter obſervatum fuit. Certe, Juvenalis *Satyra* 9. jura parentum, ex L. Papia, diſtincte nonnulla memorans, moris hujus quoque meminit. ¶ Profeſſionis autem mos hic, poſt L. Papiam partim immutatus, partim propagatus fuit: nam & apud praefectum aerarii profeſſio haec poſtea ex inſtituto Marci Antonini facta, teſte Capitolino, *in M*[illegible] *cap.* 9. Inque, deinceps uſurpatus mos, ut idem Ca[illegible]linus, *in vita Gordianorum cap.* 4. docet. Deinde, cum ab initio R[illegible] mae tantum mos hic obtineret, in provincias etiam ab eodem Marco traductus fuit, eodem Capitolino, *in ejusdem* [illegible] *ta*, teſte. Qu[illegible] ideo a me notari [illegible] cuit, quod hujusce juris progreſſum, non omnes notare potuerunt.

PROFESSIONIS natorum liberorum mos, & progreſſus diſtincte explicatus.

¶ Ad Caput IX. QUIRITIUM jus

Latinus] *Latinus*, non niſi ter contra jus Quiritium Lo[illegible]

X. de Operarum liberatione ob liberos conſequenda.

3 QVI [a] LIBERTINVS DVOS PLVRESVE A SE GENITOS NATASVE IN SVA POTESTATE HABEBIT (PRÆTER EVM, QVI ARTEM LVDICRAM FECERIT, QVIVE OPERAS SVAS VT CVM BESTIIS PVGNARET, LOCARIT) NE QVIS EORVM DONI, MVNERIS, ALIVDVE QVICQVAM LIBERTATIS CAVSA PATRONO, PATRONÆ LIBERISVE EORVM, DE QVIBVS IVRAVERIT VEL PROMISERIT, OBLIGATVSVE ERIT, DARE, FACERE, PRÆSTARE DEBETO. SED ETSI NON EODEM TEMPORE DVOS IN POTESTATE VEL VNVM QVINQVENNEM [b] HABEBIT, OPERARVM OBLIGATIONE LIBERATOR.

XI. de Tutelæ liberatione fœminarum ob liberos contingenda.

4 INgenua [a] trium liberorum jure, legitima Tutela: Libertina [b], quatuor liberorum jure tutela patroni liberantor: Ideoque jam abſque tutorum auctoritate teſtari [c] eis, reſque ſuas adminiſtrare [d] liceto: Eiſque [e] quibus quid ita datum legatumve eric, eam pecuniam ſine fraude ſua capere liceto.

XII. de Decimis.

5 VIro & uxori inter ſe matrimonii nomine Decimam [a] capere [b] jus eſto: Si ex alio matrimonio liberos ſuperſtites habebunt, totidem decimas pro numero liberorum accipiunto. Communis filius [c] filiave poſt nonum [d] diem amiſſus [e] amiſſave, unam decimam adjicito: LIB. IV. ULPIANI & TERENTII CLEMENTIS.

PROBATIONES.

Cap. X.

[a] Extat hoc Legis Juliae de Maritandis ordinibus caput apud Paulum d. lib. 2. in *l. 37. ff. de operis libertorum.* qui id in ea lege explicat. Meminit ejus & Alexander Imp. in *l. 6. in fin C. de operis libertorum.*

[b] vide NOTAS.

Cap. XI.

[a] vide Plutarchum *in vita Numae pag.* 121. & auctorem incertum *Fragmenti*, quod ex Doſithei *Grammatica* deſcriptum eſt.

[b] Ulpianus *fragm. tit.* 29. §. 3.

[c] Ulpianus & Plutarchus *dictis locis.*

[d] Plutarchus *d. loco* Quanquam de hac clauſula valde dubitari poſſet, propter *l. 2. ff. de minorib.* verum reſponderi poteſt, hanc *l.* 2. eſſe de minorum cura, hoc caput de muliebri tutela jam majorum 25. annis.

[e] Mutuatus ſum hanc clauſulam ex L. Falcidia, quae extat *l. 1. ff. ad L. Falcid.* quam & hic inſertam fuiſſe exiſtimo: certe, ſuadet, quod *de fraudis* appellatione Ulpianus lib. 3. in *l. 131. ff. de V. S.* tractat. Eodem pertinere videtur ex Terent. Clem. lib. 3. *l. 52. ff. de legat.* 2.

Cap. XII.

[a] *Decimarias leges* has unus Ulpianus *fragm. tit.* 15. exequitur. Earum meminit *l. 2. C. Theod de jure lib r.* & Thalelaeus *lib. 35. βασιλικ. tit. 5. ad l. un. ff. unde vir & uxor. pag.* 47. Ad eas etiam pertinet quod TERENTIUS CLEMENS LIB. IV. in *l.* 72. *ff. de haeredib. inſtit. l. 6. ff. de vulgari. l.* 67. *ff. ad L. Falcid.* tractat. Ideoque conjugis defuncti bona aeſtimanda erant. Paulus lib. 2. in *l.* 63. *ff. ad L. Falcid.* & Ulpianus lib. 1. [*ye.* 2.] *l. 62. d. t.*

[b] *Capere* quid eſt in lege Decimaria? Quocunque titulo capere; utputa, Mortis cauſa capionis titulo. Marcellus lib. 1. *l. 38. ff. de mort. cauſ. donat.* Terentius Clemens lib. 5. [*ye.* 4.] *l. 25. ff. de donat. inter virum: Dotis etiam* immodicae titulo, ut in ſpecie *l 2. C. Theod. de inoffic. dotibus.* de qua vide NOTAS. Donationis inter vivos, quae morte confirmatur, titulo, *l. 1. C. Theod. de bonis proſcriptorum.*

[c] *Filius* quis in hac lege decimaria? Portentoſus etiam Ulpian. lib. 4. *l. 135. ff. de V. S.* (Quod in SCto Tertull. diverſum, *l. non ſunt liberi 14. ff. de ſtat. hom.* & Paul. *lib 4. Sent. tit.* 9. §. 1.) Apud hoſtes item ſuſceptus & poſtliminio reverſus, Ulpian. d. lib. 4. *l. 9. ff. de captiv.* In ſervitute quoque quaeſitus & in poteſtatem beneficio populi (ſeu principis) redactus. Ulpian. d. lib. 4. *l. 46. ff. de adopt.* & *l. 209. ff. de R. J.* Non etiam continuo qui ali juſſus eſt. Ulp. d. lib. 4. *l. 10. ff. de his qui ſui.*

[d] Nonum] vid. Merill. *lib. 2. Obſ. cap.* 33.

[e] *Amiſſus* dici quis poteſt? vid. Ulpian. d. lib. 4. *l. 209. ff. de R. J.* & forte etiam *l. 208. eod. tit.* quae eſt ex lib. 3. Pauli.

NOTAE.

Latina ter enixa conſequitur. SENATUSCONSULTO tribuitur. quod L. Papiae in partem eſt.

ge Papia conſequi potuit: quod hac lege cautum fuiſſe prodit, quod Paulus lib. 2. in *l. 137. ff. de V. S. Ter enixam videri etiam eam, quae trigeminos peperit*, ſcribit. Quod SCto tamen Ulpianus *d. t.* 3. §. 1. tribuit, Tertulliano videlicet arbitror; quia SCto illo auctum jus iſtud ter enixae fuit; novo ſcilicet matri trium liberorum, ſuccedendi liberis ſuis jure praemioque, adverſus antiqui juris rationem, tributo.

¶ Ad Caput X. QUINQUENNIS Filii pater.

3 QUI LIBERTINUS] Quod de *Quinquenni* filio hac lege cavetur, *Ut patrem Libertinum ab operarum obligatione liberet*, id ad exemplum quodammodo veteris ejus juris cautum eſt, quod Libertini (ut Livius *libro* 45. *cap.* 15. teſtatur) quibus filius quinquennis major ex SCto erat, non cum caeteris Libertinis in tribus Urbanas deſcripti erant, verum juſtorum civium Romanorum numero adſcribebantur.

¶ Ad Caput XI. TUTELA mulieres ob liberos liberatae.

4 *Ingenua, trium, &c.*] *Mulieres* in perpetua Tutela fuiſſe, notum eſt; verum exceptas Lege Papia, Libertinas quatuor liberorum matres, Ulpianus *in fragm. tit.* 29. §. 1. docet. Sed & Ingenuae trium liberorum matres tutela liberatae lege Papia fuere: Eſt enim Plutarchus (Trajani Imper. aequalis) *in vit. Numae pag* 121. auctor, mulieres quae τρίπαιδες eſſent, potuiſſe [illegible]. Huic accedat auctoris Optimi fragmentum: quod V. Cl. Puteano, Senatori quondam integerrimo, & Optimae praeterea ſobolis parenti, Reſpublica literaria debet. Ait enim, *mulierem jus liberorum habentem ſine tutoris auctoritate manumittere poſſe.*

TUTELAS muliebris & Curae diſcrimen.

In quo muliebris tutelae a Cura diſcrimen notandum venit. Hac enim (Cura ſcilicet) propter liberos Minores non liberantur (ut ad hanc Leg. Juliam & Papiam ſcribens Ulpianus in *l. 2. ff. de minoribus*, notavit) mulieres ab illa liberantur.

¶ Ad Caput XII. CAPACITAS in L. Papia quid?

5 *Viro & uxori*] *Conjux e conjugis* extraneive bonis, liberorum beneficio quantum capere poſſit, ſequentibus capitibus definitur. Quod *Capacitatis privilegium & modus*, in *l. 1. C. Theod. de bonis proſcript* vocatur. *Capacitas* pariter, a Gajo lib. 12. ad L. Juliam & Papiam, in *l. 55. ff. de legat.* 2. Unde &, *ſolidi capacitas* apud Ulpian. in *fragment. tit.* 16. §. 1. ¶ Ac primum quidem, hoc capite, quantum e *Conjugis* bonis conjux capere poſſit, definitur.

DECIMARIAE Leges quae?

Quod quidem caput, *Legis Papiae Decimariae* appellatione, Thalelaeo, *lib. 45. βασιλ. tit. 1. ad. l. unic. C. unde vir & uxor. pag.* 47. ſeu [*legum*] *decimariarum*, in *Rubr. Cod. de infirm. poen. Caelib. & orb. & decimariis ſublatis*, deſignatum reperio; s bonorum videlicet decimas, quas virum & uxorem, pro caſuum varietate, inter ſe capere Lex voluit: neque enim ſolidum eos inter ſe paſſim capere permiſit. Itaque, quae Terentius Clemens, lib. 4. ad L. Juliam & Papiam, de his qui ſolidum capere non poſſunt, in *l. 72. ff. de haered. inſt.* & *l. 6. ff. de vulgari.* & *l. 62. de condition. l. 67. ff. ad l. Falcid.* ut & quae Gajus, lib. 3. ad L. Jul. & Pap. in *l. 5. ff. de vulgari*, tractant, ad hunc Decimariae legis tractatum, neque alio pertinent. ¶ Ad has porro decimas reſpexit & Trachallus (verus orator) contra Spathalem, apud Quintilian. *lib. 8. cap. 5. Placet*, inquit, *hoc ergo, ut leges diligentiſſimae pudoris cuſtodes, decimas uxoribus dari, quartas meretricibus.* Et JCtus quoque

In

to: Duo poſt nonum diem amiſſi, duas decimas adjiciunto. Praeter [illegible] uſumfructum tertiae partis bonorum eis capere jus eſto; & quotcunque liberos [illegible] ejusdem partis proprietatem. Hoc amplius, mulieri praeter decimam dotem [f] ſi[illegible] legatam petere jus eſto.

XIII. de SOLIDI CAPACITATE inter virum & uxorem.

VIr * & uxor [a] ſolidum inter ſe capiunto, ſi uterque vel alteruter nondum ejus aetatis ſit quae liberos exigit: Item, ſi utrique II. L.* finitos annos in matrimonio exceſſerint: Item, ſi cognati inter ſe coierint, uſque ad ſextum gradum: * id eſt, hac lege.

Item, ſi filium [b] filiamve communem habeant: aut quatuordecim annorum filium vel filiam duodecim * amiſerint: vel ſi *duos trimos* [c]: vel ſi tres poſt nonum diem amiſerint, intra annum tamen & ſex menſes: Etiam unus cujuſcunque aetatis impubes amiſſus, ſolidi capiendi jus praeſtato. Item, ſi poſt mortem viri intra [d] X. menſes ex eo [e] pepererit, ſolidum ex bonis ejus capito. Item, [f] ſi jus communium liberorum a populo [g] impetraverint, ſolidum inter ſe capiunto. * v. Merill. 2. obſ. 33. in fin.

XIV. de SOLIDI CAPACITATE ex aliorum teſtamentis ob liberos.

[a] EX aliorum teſtamentis pater ſolitarius [a] ſolidum capito.

Foemina Ingenua, ſi tres [b] liberos habeat: Libertina, ſi quatuor, ſolidum ex teſtamento capiunto.

[a] Qui

PROBATIONES.

[f] *Dos relegata* extra rationem legis Papiae decimariae eſt: quinimo, & vice dotis legatum. Terentius Clemens d. lib. 4. *l.* 53. *π. de legat.* 2.

Cap. XIII. ¶ [a] Hoc caput deſumptum nobis ex Ulpiani *fragm. tit. de ſol. de capac. inter vir. & uxorem* 16. Caeterum hujuſce legis vacationem naviculariis Orientis Conſtantinopolim annonam ſubvehentibus Conſtantinus primum conceſſit, *l.* 7. *C. Theod. de navic.* At abrogatum poſtea caput hoc & ſuperius ſeu Lex decimaria penitus a Theodoſio juniore *d. l.* 2. *C. Theod. de jur. liberor.* (unde deſumpta *l.* 2. *C. Juſtin. de infirm. poen. coelib.*) cujus legis mentio fit etiam, *l. ult. C. Theod. de legitim. haered.*

¶ [a] Duûm menſium conjuges arg. *l.* 19. *Cod. de leg. tit.* vide Cujacium *lib.* 18. *Obſ. cap.* 9.

[b] Interveniéntibus itaque liberis (ut legendum in *l.* 7. *C. Theod. de navicul.*) vir & uxor ſolidum inter ſe capiebant.

[c] *Duos trimos*: vid. Cujacium *lib.* 19. *Obſ. cap. ult.*

[d] vid. Ulpianum lib. 4. in *l.* 133. *π. de V. S.*

[e] Quid ſi, *ex eo* nominatim, conjux teſtamento dixerit? vid. Terent. Clemen. d. lib. 4. *l.* 62. *π. de condit. & demonſt.*

[f] *Liberorum communium jus* populus tribuebat, vid. Dion. *lib.* 55. *pag.* 549. poſtea Princeps: ideo Ulpianus, *fragm. tit.* 16. §. 1. pro *populo*, *principem* ſubſtituit.

Cap. XIV. [a] *Solitarius pater* ſolidum ex teſtamento capit. vid. Juvenal. *Satyra* 9. *Solitarius pater*, id eſt, unicum filium filiamve habens. Ex huc pertinet titulus, inter Ulpiani *fragm. de coelibe, orbo, & ſolitario patre*. Huc etiam revocari poſſunt, quae ex Ulpiani lib. 4. ad ſuperius caput *de filio* notavi.

[b] *Trium liberorum mater* ſolidum ex teſtamento capit. vid. Dionem *lib.* 55. *pag.* 549. & *lib.* 56. *pag.* 574. & 577. & *l.* 8. 9. *C. Theod. de bonis proſcriptor.*

N O T A E.

Secundum hoc jus locutus eſt, cum in *l.* 18. *π. de auro & argento leg. maritum uxori ſuae bonorum ſuorum decimam legaſſe* ponere. Harumque decimarum meminit [illegible] *l.* 2. *C. Theod. & Juſtin. de jure liberor.* ¶ Porro, decimarias leges per tacita fideicommiſſa ſaepe deluſas, *l. ult. π. de his quae ut indign.* & *l.* [illegible] *C. Theod. de his qui ſe deferunt*, docet de quo in legibus Caducariis poſtea. ¶ Caeterum, ut liquido ſciri poſſet, an & quando fraus facta decimariis legibus fuiſſet, ad bonorum defuncti conjugis aeſtimationem neceſſario deveniendum erat. Eo itaque pertinet, quod Ulpian. lib. 1. [vel 4.] ad eandem Legem, in *l.* 61. *π. ad Leg. Falcid.* & Terentius Clemens, lib. 4. ad hoc caput, in *l.* 67. *π. eod.* & Paulus lib. 2. in *l. pretia rerum* 63. *π. d. tit.* de bonorum aeſtimatione rerumque pretiis accurate tractant. Quae ipſa quia & in L. Falcidia locum obtinerent, ideo (Lege Papia decimaria ſublata) leges eas Tribonianus in *tit. de lege Falcidia* transferendas recte putavit.

AESTIMATIO bonorum ex Legibus decimariis.

TRIBONIANI conſilium.

Capere autem in hac lege (Papia decimaria) eſt, quoquomodo capere, non haereditatis tantum aut legati, verum & mortis cauſa capionis donationiſve titulo. Eo quippe pertinet, quod Marcellus, lib. 1. ad L. Juliam & Papiam, in *l.* 38. *π. de mortis cauſa don.* & Terentius Clemens lib. 5. [vel 4.] in *l.* 25. *π. de donat. inter vir & uxor.* de mortis cauſa capionibus & donationibus tractant; quod & confirmat *d. l.* 1. *C. Theod. de bonis proſcriptorum.* Itaque & quod conditionis implendae cauſa datur, modo hac lege conceſſo imputatur, ut Ulpian. lib. 8. ad L. Jul. & Pap. in *l.* 36. *π. de mortis cauſa donat.* definit. ¶ Addit Theophilus, uxorem hac lege Papia decimaria ab inteſtato [illegible] cognatis decimas bonorum [illegible] tantum (abrogato jure antiquo, quo uxor in ſolidum ſuccedebat) cepiſſe, & de eo *l.* 1. *Cod. unde vir & uxor.* intelligendam. Quod a Cujacio *lib.* 3. *Obſerv. cap.* 12. recte refellitur. ¶ Huc ſane pertinet quoque ſpecies *l. ult. C. Theod. de inoffic. teſtam.* Quam quia nec Anianus, nec [illegible] quiſquam [illegible] proponere [illegible] putavi. Ea talis eſt: Mulier, ex priore matrimonio liberos habens, omnia bona ſua ſecundo [illegible] in dotem dedit, [illegible] *Ut eaſi* [illegible] rum remaneret. Sane, hac dote, donationeque poſito prioris matrimonii liberis fraus fit, utpote quadrante illis, [illegible] legitima non ſalva. Fit & fraus L. Papiae, utpote ſolidum capiente marito, eo caſu, quo ei ex L. Papia ſolidi capiendi jus non eſt: puta communi filio non interveniente. ¶ Itaque quod ea lex ait; *In fraudem legis*, de *Decimaria* hac Lege accipiendum id eſt. ¶ Nam quod nonnulli, non percepta legis illius ſpecie, ea ea ſuſpicati ſunt, Lege Papia modum dotis (decies, puta, centenorum millium ſeſtertium) praeſtitutum fuiſſe, vanum eſt, & auctoritate prorſus caret. Breviter atque, ex ea lege ſic ſtatuendum, *Neque dotis dotiſque poſt titulo, plus, quam lege Decimaria praeſtitutum erat, virum ex conjugis bonis capere potuiſſe.* Adde, neque donationis inter vivos, quae morte confirmantur, titulo, *l.* 1. *C. Th. de bonis proſer.*

CAPIENDI verbo in legibus Decimariis quod continetur.

THEODOSIANI CODICIS lex illuſtrata.

DOTIS modus an L. Julia decimaria praeſtitutus fuerit.

[f] *Si jus communium liberorum*] *Jus liberorum*, cum de hac lege Papia agitur, pro capitum varietate varie accipiendum eſt. Hoc ſane capite, *Jus liberorum*, non eſt jus trium liberorum, ſed unius tantum Communis filii jus a conjugibus impetratum, [illegible] id videlicet, ut conjuges ſolidum inter ſe capere poſſint, neque decimariis hiſce legibus teneantur. Iſidorus *lib.* 5. *Etym. cap.* 24. *Jus liberorum eſt conjugum ſine liberis invicem pro loco pignorum haereditatis alterna conſcriptio*; quo ſenſu accipiendus titulus *Cod. Theod. & Juſtin. de jure liberorum.* Quod quidem jus liberorum, abrogatis hiſce legibus decimariis, omnibus conjugibus, conſtitutione ſua (anno domini 410.) & ultro generaliter Theodoſius Junior per Orientem, *l.* 2. & 3. *C. Theod. de jure liberorum* dedit. At non item per Occidentem, Honorius. Impetrandum enim id jus ſpeciatim ſemper fuit, ut *l. ult. Cod. Theod. d. tit.* docet, cui jungenda eſt *l. ult. cod. C. d. de diverſis reſcriptis.* & *l.* 6. *cod.* [illegible] *de inoffic. teſtam.* adde & *l. ult. C. Theod. de infirm. his quae ſub tyrann.*

¶ Ad Caput XIII. Jus liberorum in Legibus Decimariis quod ſit.

[a] *Ex aliorum teſtamentis*] Et hoc capite (ut in ſuo Quiritium adipiſcendo) foeminae a maſculis ſeparandae veniunt, quod etiam *l. unic. Cod. Theod. de infirm. poen. coel.* indicat. At Juvenalis diſertis verbis, *Satyra* 9. vel unicum filium filiamve Patri, capacitatem ſeu capiendi jus

¶ Ad Caput XIV. SOLITARIUS Pater ſolidum capiebat.

prae-

K. . . . XV. de Parentibus liberos elocare, & dotare cogendis. XVI. de Jusjurando coelibatus liberti impoſito remittendo. XVII. de Conditione coelibatus & viduitatis remittenda.

1 QUi liberos [a], quos in poteſtate habent [b], injuria prohibuerint uxores ducere vel nubere, vel qui dotem dare nolunt, in matrimonium GENERO NVRVIVE [c] collocare, & dotare per Praetorem Urbanum [d] coguntor. Lib. V. Ulp. & Ter. Clem.

1 SI patronus [a] Jusjurandum in hoc liberto impoſuerit, ne uxorem ducat, aut Libertae ne nubat, jusjurandum permittitor *, nuptiasque contrahendi ex H. L. † Liberto libertaeque jus & poteſtas eſto.

* al. remittitor. vid. Notas.
† id eſt, ex hac lege.

1 SI qui [a] Coelibatus aut Viduitatis [b] conditionem haeredi legatariove injunxerit, haeres legatariusve ea conditione liberi ſunto: neque eo minus DELATAM HAEREDITATEM [c] legatumve ex H. L. * conſequuntor.

* id eſt, ex hac lege.

1 Si

PROBATIONES.

Cap. XV. [a] Caput hoc triceſimum [γράφ. decimum] quintum Legis Juliae fuiſſe docet Marcianus, idque memorat idem in *l. 19. π. de ritu nupt.*

[b] *Elocandi dotandique liberos onus* ad patrem pertinet; *Liberos*, inquam, adoptivos etiam, non in adoptionem datos: Paulus lib. 3. *l. onera 45. π. de adoptionib.* Item, nepotes ex maſculis liberis, non etiam ex filiabus. Marcellus lib. 1. *l. 8. π. de agnoſc. & alend. lib.* Eſt enim (ut Solon dicebat) filia ἀπέργειν υἱῷ*.

[c] De hac *Generi* & *Nurus* appellatione. vid. ULPIANUM LIB. V. in *l. 6. π. de gradib.* & *l. 136. π. de V. S.* Gajum lib. 4. *l. 5. π. de teſtibus.*

[d] *Parentes liberos elocare*, dotare, Lege Papia a Praetore urbano coguntur. At ut in provinciis idem per Proconſules, Praeſideſque fieret, a D. Severo conſtitutum poſtea fuit *d. l. 19.* & SCto confirmatum, argum. Ulpiani *fragm. tit. 11. §. 20.*

Cap XVI. [a] Terentius Clemens lib. 5. l. 31. π. *qui & a quibus manumiſſi.* Paulus *l. 6. in fin. π. de jur. patron.* At *patronus* quis hoc capite habendus? vid. Ulpian. d. lib. 5. l. 14. π. *de jur. patronat.*

Cap. XVII. [a] De *Coelibatus & Viduitatis conditione*, Lege Papia remiſſa, agunt Terentius Clemens lib. 5. *l. 64. π. de condit. & demonſtr.* Gajus lib. 3. *l. 63. π. de tit.* Huc pertinet etiam *§. ult. l. 62. eod. tit.* Sed & *l. 92. §. 2.* & *l. 74. 79. eod. tit.* & Paulus *lib. 3. Sent. tit. 4.* Quibus locis *Legis* appellatio de *Lege Julia* accipienda.

[b] *Viduitatis indictae remittendae jus* SCto & cautione Muciana adhibita, reſtrictum poſtea fuit: idque eſt, quod *Lex Julia Miſcella* dicitur, *Cod. de indict. viduitat.* & *Novella 22. cap. 43.* & Graecis ad *l. ult. π. de ſtatuliberis.* Verum de Lege Julia Miſcella fuſius *in Notis.*

[c] *Haereditas delata* quae? Haec verba explicat Terentius Clemens d. lib. 5. in *l. 151. π. de V. S.*

NOTAE.

praeſtitiſſe docet: ſic enim moechus apud eum, maritum alloquens.

Nullum Ergo (inquit v. 81.) *tibi meritum eſt ingrate ac perfide, nullum,*
Quod tibi Filiolus *vel* Filia *naſcitur ex me?* & mox v. 87.
Jura PARENTIS *habes, propter me ſcriberis haeres,*
LEGATUM OMNE CAPIS.

Matres trium liberorum ſolidum capiebant.

Unus itaque filii vel filiae pater, vel (ut in hac ipſa Lege Papia fuiſſe puto) Solitarius pater (de quo Ulpian. quoque in *fragm.* egerat) ſolidum ex aliorum ſeu extraneorum teſtamentis capere poterat. ¶ At ut Mulieres ſolidum capere poſſent, non unius tantum, ſed trium liberorum matres eas eſſe oportebat. Nam, cum Dio *lib. 56. pag. 578.* ſimpliciter dicat, quaſdam mulieres lege Voconia (qua eis ex teſtamento ultra certum modum capere non licebat) per Legem Juliam & Papiam ſolutas fuiſſe: idem alibi (nempe *lib. 55. pag. 549.*) de trium liberorum matribus inter alias accipiendum id eſſe docet. Ait enim, *hanc juris trium liberorum foeminis indulsi vim & effectum eſſe*· ἵνα ἐν τῷ νόμῳ αὐτοῖς τεθεντι κατάδικηι, ἀπελθόντες. vide eundem *lib. 56. pag. 577.* Et huc pertinet, quod Theodoſius Imp. in *l. 8. 9. C. Theod. de bonis proſcript.* matri, Papiae legis privilegiis deſtitutae, nec trino partu foecunditati publicae gratioſae, breviter FOECUNDITATIS PRIVILEGIUM non habenti, in filii deportati bonis minus juris tribuit. ¶ Et hic tamen, ut in aliis hujus legis capitibus, *Ingenuae* rurſum mulieres a *Libertinis* ſeparandae ſunt, ut ſcilicet Libertinae, non niſi quatuor liberorum jure ſubnixae, ſolidum ex teſtamento capere poſſint. ¶ Ex his apparet interim, Voconiae Legi per L. Papiam derogatum, legemque Papiam de mulierum haereditatibus locutam; quod tamen auſi negare nonnulli.

Foecunditatis privilegium, quod? Voconiae legi derogatum L. Papia.

¶ Ad Caput XV. Impedimenta nuptiarum & liberorum ſuſcipiendorum ſeptem L. Papia remota.

1 *Qui liberos.*] Parum erat, Ingenuorum & Libertinorum ordines inter ſe maritaſſe: Steriles nuptias inhibuiſſe: Nuptiis contrahendis certa tempora praeſtituiſſe: Praemiis ad conjugia capeſſenda, liberoſque ſuſcipiendos omnes invitaſſe: niſi quae nuptiarum contrahendarum libertati, liberiſque ſuſcipiendis impedimento eſſe poſſent & obſtarent, removerentur. *Ea itaque legis hujus ſententia fuit* (ait Papin. in *l. cum tale. 72. §. 1. π. de condit. & demonſtr.*) *Ne quis omnino nuptiis* IMPEDIMENTUM *inferretur.* Addatur & ex ejuſdem Papiniani lib. 1. definitionum *l. 79. π. de condit. & demonſtrat.* ¶ Hujus autem generis Impedimentorum hac lege notantur, & removentur ſequentia ſeptem: 1. *Parentum* moratoria fruſtratio in liberis elocandis. 2. *Jusjurandum* a Patronis, de nuptiis non contrahendis, libertis impoſitum. 3. *Coelibatus* aut viduitatis conditio a Teſtatore indicta. 4. *Maritorum* abſentia. 5. *Legis* impedimentum. 6. *Dotis* diſſipatio. 7. *Conjugum* divortia. ¶ *De Parentum fruſtrationibus* eſt hoc caput, quod trigeſimum quintum (niſi vitium in numero ſit) ordine fuiſſe Marcianus *l. 19. π. de ritu nupt.* teſtatur. *Capite trigeſimo quinto*, ait, *legis Juliae, qui liberos, quos habent in poteſtate, injuria prohibuerint ducere uxores*, &c. *Legis Juliae*, id eſt, Legis Juliae & Papiae: non etiam Legis Juliae de adulteriis, quod ſummo JCto alicubi excidit. Parentum igitur officium & onus eſt ex L. Julia Papia, filiam in poteſtate poſitam, dotare. Idque eſt, quod *l. ult. Cod. de dotis promiſſ.* ait, *Leges non incognitas eſſe, quibus cautum eſt omnino paternum officium eſſe, dotem filiae ſuae dare.* ¶ Ait autem Lex, *Liberos quos in poteſtate habet*, id eſt, tam filios, quam ex filiis, non etiam ex filiabus, natos; ut huc ita quoque referri poſſit, ex lib. 1. Marcelli ad L. Jul & Pap *l. 8. π. de agnoſcend. & alend. liber.* Item, tam adoptivos, quam naturales. Idque eſt, quod Paulus, lib. 1. ad L. Jul. & Pap. ad hoc caput ſcribens, in *l. penult. π. de adoptionib.* ait, *Onera ejus qui in adoptionem datus eſt, ad patrem adoptivum transferri.* ONERA inquit. ut puta dotis dandae, liberorumque elocandorum. Quod ad eam legem needum notatum.

SPECTE L. pen. π de adoption.

¶ Ad Caput XVI. Lex Aelia Sentia a L. Papia diſtincta.

1 *Si patronus*] Lege Ælia Sentia cautum fuerat, ut Patronus Patronive liberi, qui libertum, libertamve ad jusjurandum, ſeu jurandum, jurejurandove (ſic enim promiſcue loquuntur JCti) adegiſſent, ne nuptias contraherent, patronatus jure caderent: ut docet Terentius Clemens lib. 5. L. Jul. & Pap. in *l. 31. π. qui & a quib. manumiſſ.* & lib. 8. in *l. 15. d. t.* & Paulus lib. ad eandem L. *l. 15. π. de jure patronatus.* ut & lib. ſingulari ad L. Æliam Sentiam in *l. 6. π. de jure patronatus.* & Ulpian. in *l. 3. §. 5. π. de ſuis & leg. haer.* Haec poena patroni liberorumque ejus ex L. Ælia Sentia fuit, jusjurandum a Libertis, de nuptiis non contrahendis, exigentium. At non ideo jurisjurandi gratia, nuptiarve contrahendi poteſtas, liberto libertaeve Lege Ælia Sentia, facta fuit. Id vero factum eſt hoc capite Legis Juliae de Maritandis Ordinibus, ut diſertis verbis Paulus in *d. l. 6. in fin.* docet. Ubi quod ait, *permittitur*, pro *remittitur* accipiendum eſt: ſicut in *l. 38. π. de pactis.* & *l. 3. π. de public. judiciis.* *Morte rei accuſatio permittitur*, id eſt, συγχωρεῖται, ut Dorotheus interpretatus eſt: Ut contra *remittitur*, pro permittitur in *l. quotiens. C. Theod. de diverſis reſcriptis.* & locis aliis; quot viri docti jam praeoccupavere.

1 *Si qui Coelibatus*] *Coelibatus & Viduitatis* conditio Te-

¶ Ad Caput XVII.

XVIII. de Abſentia mariti poenienda.

¹SI vir commodi ſui cauſa abſit ᵃ, ex bonis uxoris ſuae ſolidum ne capito: At ſi ſine detrectatione Reipublicae cauſa aberit ᵇ, & donec abeſt, & intra annum poſtquam abeſſe deſierit, libera inter virum & uxorem teſtamenti factio eſto. ᶜLib. VI. Ulpiani & Terentii Clem.

XIX. de Indulgentia populi.

¹SI cui populus ᵃ prohibitas H. L. nuptias contrahere permiſerit, nuptiae legitimae ſunto: neve quid ei, qui hujuſcemodi nuptias contraxerit, fraudi ignominiaeve eſto.

¹ Fun-

PROBATIONES.

Cap. XVIII.

a *Abſens* commodi ſui cauſa maritus ex bonis uxoris ſolidum non capit: ideo, qui diu ab uxoribus ſuis commodi ſui cauſa aberant, abſuturive erant, jus liberorum a Principe petebant, ut docet elegans Martialis locus & jocus, *lib.* 8. *epigram.* 31.

b Ulpianus Lib. VI. *l.* 36. 38. *π. ex quibus cauſ. major.* & Paul. lib. 3. *l.* 35. 37. *d. tit.* Ulpian. *fragm. tit.* 16. §. 1. Quod, *ſine detrectatione*, addidi, in eo ſeptimum Legis Juliae de adulteriis caput imitatus ſum, quod extat in *l.* 15. *π. de adulter.*

Cap. XIX.

a *Indulgentiae* ſimilis a populo per SCtum factae exemplum elegans extat apud Livium *lib.* 39. *cap.* 19. ubi de Fecenia Hiſpala Libertina. Verum, indulgentiae ſuae Principes id poſtea fecere. vide Ulpian. d. lib. 6. *l.* 31. *π. de ritu nupt.*

NOTAE.

Teſtatore indicta, hoc capite aequaliter omnibus remittitur. ¶ At ſecuta mox hanc legem Juriſprudentia *Viduitatis* conditionem non ſimpliciter remiſit: ſed ſeveriori lege viduos habendos putavit: uno tantum caſu; ſi videlicet Viduitatis conditio a conjuge conjugi impoſita fuiſſet, ut oſtendit apertiſſime *lex* 2. *&* 3 *C. de indict. viduit.* Imo & *lex* 1. *ejuſdem tit.* quae de teſtatoris uxore eſt (quicquid caput ſecundum primi libri Notatorum contra putet) denique & *Nov.* 22. *cap.* 43. Factum namque circa viduos SCtum: *Ut ſi conjunx intra annum a morte conjugis juramentum praeſtitiſſet, Quod liberorum quaerendorum cauſa ad alias nuptias deinceps convolaturus eſſet, conditio viduitatis ei a conjuge adſcripta remitteretur: conjugisque teſtamento relictum ſibi conſequi poſſet, l. ult. C. de indict. viduit.* SCtum, inquam, non SCta (quod hujus aevi Papinianus putavit) quaſi Perſicianum & Calviſianum huc intelligenda ſint. Ea SCta quippe, non ad hoc caput, verum ad aliud (de ſexagenariis puta) jam ſuperius, ex Ulpiani *fragm.* pertinere docuimus. At poſt annum (non praeſtito, ut antea dixi, juramento) noluit ſecuta Juriſprudentia conjugi Viduitatis conditionem ullo modo remitti: atque ideo neque ad legatum ſub ea conditione adſcriptum admitti, niſi Muciana cautione (jam dudum adinventa) & huc praeſtita. Quae omnia ex *praedictis legibus* & Juſtiniani *Novella* diſcere licet. Et hoc ſcilicet jus eſt, quod *Legis Juliae Miſcellae* adpellatione deſignatum poſtea *d. tit de indict. viduit.* & *d. Nov.* & apud Graecos, *ad l. ult. π. de ſtatuliberis* reperitur. Itaque quae *viduitatis* conditio lege Julia indiſtincte remiſſa fuerat, eam lex Julia Miſcella unico illo caſu obſervari voluit: puta ſi conjux conjugi quid ſub viduitatis conditione reliquiſſet, & conjux intra annum juramentum, de quo dixi, non praeſtitiſſet. Proinde, tantum abeſt, in Lege Miſcella viduitatis conditio remiſſa, & quidem primum (quod nonnulli exiſtimarunt) fuerit, ut contra *Modus* iſti *viduitatis remiſſioni*, quae L. Julia facta ſimpliciter fuerat, adhibitus fuerit. Breviter, lex Papia indiſtincte viduitatis conditionem remiſit: lex Julia Miſcella unum caſum excepit: quo viduitatis conditionem remitti noluit; puta poſt annum a morte mariti. Falluntur conſequenter & illi, qui Legem Juliam Miſcellam etiam ad Viduitatis conditionem *ab extraneo* adſcriptam pertinuiſſe credunt. Nec minus illi, qui Legem Juliam Miſcellam, Lege Julia & Papia, imo Q. Mucio, ſeu cautione Muciana *antiquiorem* fuiſſe, non intellecta *Nov.* 22. prodiderunt.

Viduitatis conditio, poſt L. Papiam unico caſu non remiſſa.

Senatusconsultum e L. Papia diſtinctum.

Cautio Muciana huic capiti addita.

Lex Julia Miſcella quae & qua de re fuerit.

Nominis ratio non adeo proclivis. Non placet, qui *Miſcellam* a varietate perſonarum, nempe quod ea communis utrique ſexui viro foeminaeque eſſet, dictam putavit. Quaſi vero, non & pleraque alia Legis Juliae & Papiae capita utriſque communia fuerint. Neque placet, quia varietate rerum ſeu capitum ſic dictam conjecit: de viduitatis quippe tantum conditione, & quidem a conjuge indicta, eam legem fuiſſe jam probatum eſt. Multo minus arridet, qui ab Auctore ſic dictam, nullo auctore, imo falſo, ut recte Cujacius notavit, putabat. An igitur Juliae legis caput hoc, ob varietatem juris in Legis Juliae Miſcellae nomen tranſiit? Miſcellae, inquam, quaſi temperamentum, ſeu (ut *Nov.* 22. loquitur) [illegible] adſtrictae, mixtaeque. An potius quae ex variis varii generis juribus inter ſe commixtis compoſita, puta L. Julia Papia, SCto, cautione Muciana? Certae eadem ratione *aes Miſcellum* quoque dictum apud Siculum Flaccum *pag.* 26. *&* 27. quod varia & mixta nomina contineret, priorum & qui primum deducti fuerant, ſimul & eorum qui poſtea in locum defunctorum ſucceſſerunt. Ita *Miſcelliones* apud Feſtum, qui ſunt non unius ſententiae, ſed variorum mixtorumque judiciorum. Itaque *Miſcella* lex fuerit, quae ex variis contexta juris ſpeciebus; puta lege, SCto, Prudentium interpretatione. Verum cum rem propius intueor; *lex Julia Miſcella* eadem mihi videtur cum lege Julia & Papia, quae *marita* eodem ſenſu, & de *Maritandis Ordinibus*. *Miſcella* ſcil. a miſcendis non tantum ordinibus (quam vocem uſurpat hac in ipſa re Livius *lib.* 4.) verum etiam quibuſcunque impedimentis ſublatis. At inquies Legem Juliam *Miſcellam* ſuperius diſtinctam a me a L. Julia. Utrumque verum. Caput hoc de quo nunc agimus (quodque legis Juliae *Miſcellae* appellatione deſignatum reperimus) diverſum ab hac ipſa lege Julia & Papia: & tamen pio more JCtorum, eadem cum Lege Julia Papia. Quia ſcilicet quae SCta ad leges ſecuta, ea ipſis legibus tribuere ſolent.

Lex Juliae Miſcella unde dicta? Non a varietate *Perſonarum*. Non a varietate *Rerum*. Non ab *Auctore*. An a varietate *Juris*?

ª *Si vir abſit*] *Abſens* commodi ſui cauſa maritus, ſolidum ex uxoris bonis capere non poteſt: abſens reipub. cauſa, & dum abeſt, & intra annum poſtquam rediit, poteſt. Et Ulpianus tamen, de hoc capite agens, *fragm. tit.* 16. §. 1. non diſtinguit, an Reipub. ergo, an vero commodi ſui cauſa vir abſit. Quod factum certe oportuit. Annus quippe, ſeu [illegible], reverſis dari ſolet, illis tantum qui Reipub. cauſa abeſſe deſierunt, τῆς δημοσίας χρείας. §. *item qui reipub.* 2. *Inſt. de excuſationib. l.* 10. *&* 45. §. 1. *verſ. Quia igitur. π. eod. l.* 2. *C. ſi tutor. Reipub. cauſa aberit.* Adde, manifeſtiſſime *ad leg.* 35. 36. 37. 38. *π. ex quib. cauſis major.* (ex Ulpian. lib. 6. & Pauli lib. 3. ad leg. Jul. & Pap. deſumptas) evincere: quibus legibus omnibus de abſentia Republ. cauſa late & accurate a JCtis illis tractatur. ¶ Simile poſtremo eſt, quod Lege Julia de adulteriis, de abſentibus Reipub. cauſa, in *l.* 15 *π. ad l. Jul. de adulter.* cautum fuit; & quod Imperatores in *l.* 15. *&* 21. *C. eod. tit.* reſcribunt.

¶ Ad Caput. XVIII. Ulpianus in Fragmentis ſupplet.

1. *Si cui Populus*] Et *Legum Impedimenta* quandoque remittuntur, ſeu injuſtarum nonnullis nuptiarum gratia fit. Quod indulgentia populi factum quondam & per SCtum idque ſingulare & elegans admodum Hiſpalae Feceniae Libertinae exemplum, apud Livium *lib.* 39. *cap.* 19. docet: cui ob detecta Sacra Bacchanalia, *Uti ei ingenuo nubere liceret, neve quid ei qui eam duxiſſet, ob id fraudi ignominiaeve eſſet*, SCto indultum fuit. Poſtea, beneficii ſui Principes hanc injuſtarum nuptiarum indulgentiam fecere. Et huc ſcilicet pertinet, quod Ulpian. lib. 6. ad Leg. Jul. & Papiam in *l.* 31. *π. de ritu nupt.* ait. *Si Senatori indulgentia Principis fuerit permiſſum Libertinam juſtam uxorem habere, poſſe juſtam uxorem eſſe.*

¶ Ad Caput XIX. Indulgentia Populi legitimae quaedam nuptiae L. Papia.

Aliud fuit initio jus populi, aliud jus fiſci, diviſumque Imperium cum Populo Princeps habebat. Unde Calliſtrati liber ſingularis *de jure fiſci & populi* (ut ex inſcriptione *l.* 1. *π. de bonis damnatorum* patet) & titulus apud Paulum *lib.* 5. *Sent. tit.* 12. *de jure fiſci & populi.* Lampridius ſimiliter, *Alexandrum Severum Leges de jure populi & fiſci moderatas & infinitas* ſanxiſſe ſcribit *in ejus vita cap.* 16. Verum quod populi jus hac lege Papia ab initio fuit, id Principis poſtea factum eſt: Illegitimarum, ut dixi, nuptiarum gratiam populus faciebat, poſtea Principes id ſibi adſeruere: Populus, per SCtum jus liberorum concedebat, poſtea Principes id jus beneficii ſui fecerunt, ut ex Dionis *lib.* 55. *pag.* 549. & Ulpiani *fragm. tit.* 16. §. 1. ſuperius dictum eſt. Caduca populo deferebantur hac lege, ut inferius dicemus. Poſtea fiſco ſeu Principi vindicari caduca ex Antonini conſtitutione coeperunt. Omiſſo alia ſciens voleníque, huc tantum pertinentia recenſere contentus.

Populi jus in jus Fiſci tranſiit.

XX. de Fundo dotali.

¹ FUndum dotalem ᵃ Italicum ᵇ, maritus invita uxore ne alienato; neve conſentiente ea obligato. ¹ Lib. VII. Ulp. & Tit. Clem.

XXI. de Diſcidiis, id eſt, divortii modo & poenis.

SOluto ᵃ * citra culpam uxoris * matrimonio, vir quidquid ex uxoris * ejusve libertorum bonis ad EUM PERVENIT, AUT DOLO MALO EJUS FACTUM ERIT, QUO MINUS AD EUM PERVENIRET, tam ipſe quam haeres ejus, QUANTA PECUNIA ERIT, TANTAM PECUNIAM uxori DATO.

XXII. de Dotis repetitione & retentionibus, ut exiſtimo.

a.

. . . .

XXIII. de Poenis coelibum & orborum.

¹ COelibes ᵘ, niſi intra centum dies huic Legi paruerint, neque HAEREDITATEM ᵇ, neque LEGATUM ᶜ teſtamento relictum capiunto ᵈ. ¹ Lib. VIII. Ulp. & Tit. Clem. ² Si

PROBATIONES.

Cap. XX. ᵃ Vid. Marcianum Capellam *fine libri 2.*

ᵇ Vide Gajum lib. 6 in *l. 7. π. de cenſibus.*

Cap. XXI. ᵘ De *Diſcidiis* ſeu *divortii* poenis actum hac Lege Papia fuiſſe, oſtendere videtur Paulus lib. 3. in *l. 8. in fin. π. de capt.* De Divortio etiam agit Marcellus lib. 3. in *l. 33. π. de ritu nupt.* Suetonius quoque *cap.* 34. docet Octavium *divortiis modum* Lege Julia impoſuiſſe. Eodem refero ex Ulpiani lib. *7. l. aedificia* 139. *π. de V. S.* & Gaji lib. 6. *l. 7. π. de cenſibus de Jure Italico.*

Cap. XXII. ᵃ De hoc capite vide ULPIANUM LIB. VII. *l.* 64 *π. ſolut matrim.*

Cap. XXIII. ᵃ Commune hoc, *de coelibum poenis*, caput eſt, τοῖς τε ἀγάμοις καὶ τοῖς ἀνάνδροις, ut Dio *lib.* 54. *pag.* 531. docet, id eſt, tam viris quam foeminis, Sozomenus, *lib.* 1. *cap.* 9. De hac porro coelibatus poena, vide Ulpian *fragm. tit.* 17. & *tit.* 22. §. 3. Tertullia. *de Monogamia*, *ſub fin.* Dionem *lib.* 54. Auctorem *Panegyrici dicti Maximiano & Conſtantino.* Alluſit etiam Plutarch. περὶ φιλοστοργίας. ¶ Sublatae tandem Coelibatus & orbitatis poenae a Conſtantino M. Sozomeno teſte, *d. loco.* & *l. un. C. Theod. de infirm. poen coelib.* Falſa proinde inſcriptio *legis* 1. *Cod. Juſtin. eod.*

ᵇ *Haereditatem* coelebs capere non poteſt: Haereditatem, inquam, neque bonorum poſſeſſionem Paulus lib 4. in *l.* 138. *π. de V. S.*

ᶜ *Legatum* coelebs capere non poteſt; *Legati* autem appellatione hic fideicommiſſum quoque, ut & mortis cauſa donatio continentur. Paulus d. lib. 4. *l.* 87. *π. de Legatis* 3.

ᵈ Capeſſere dixit Conſtantinus M. *l. un. C. Theod. de infirm. poen. coel.* neque per ſe, neque per filium. vide ULPIANUM LIB. VIII. in *l.* 3. *π. de caſtrenſ. peculio.*

NOTAE.

¶ Ad Caput XX. L. Julia de Fundo Dotali, an caput Legis Juliae & Papiae fuerit.

1. *Fundum dotalem Italicum*] *Nuptiis a foeminis repetendis*, ac proinde & liberis ſuſcipiendis, vix majus aliud impedimentum eſt, quam ſi indotatis illis eſſe contingat. Ideoque, dotes mulieribus conſervari ad ſobolem procreandam, replendamque liberis civitatem, publice intereſſe Pomponius, in *l. 1. π. ſoluto matrimonio* ſcribit. Qua ratione inſpecta, Lege Julia Papia, de dotibus mulieribus conſervandis, cautum aliquid fuiſſe, tentari probabiliter poſſet: cum (ut alibi jam diximus) lex Julia Papia ſobolis procreandae cauſa lata fuerit, *l. 64. π. de cond. & demonſtrat.* ejusdemque legis ſententia ea (ut diſertis verbis Papinianus in *l. tale* 72. §. 2. *π. de cond. & demonſtr.* ait) fuerit, *Ne quod omnino nuptiis impedimentum inferretur.*

Martiani Capellae locus explicatus.

¶ Verum, id magis adhuc confirmare videri poſſit, ſingularis in eam rem Martiani Capellae, *ſub finem lib. 2. de Philologiae & Mercurii nuptiis* agentis, locus: *Tunc Virginis* (inquit) *mater poſcit de Jove ſuperisque cunctis, uti ſub conſpectu omnium, quicquid ſponſalium nomine praeparaverat Majugena traderetur, ac demum* Dos *a virgine non deeſſet: tuncque Tabulas* (Dotales ſcilicet) *ac* PAPIAM POPPAEAMQUE LEGEM *fuerunt recitari.* ¶ Tabulas ſcilicet dotales, & legem Papiam Poppaeam Sponſis recitari ſolitas oſtendit Capella: quo futuro ſcilicet marito, quid in dote juris ſive ex pacto dotali, ſive legis beneficio habiturus eſſet, conſtaret. ¶ Itaque ſic in animum inducat quis ſuum, & Legem Juliam de fundo dotali, *Quae alienationem fundi dotalis Italici invita uxore, obligationem vero etiam conſentiente ea marito interdixit*, ſive partem ſive caput hujusce legis Juliae fuiſſe.

Capitum legis Juliae & Papiae, Singulares appellationes.

Et quidem, legem Juliam *de fundo dotali* non alia ratione dictam, quam lex Julia *de maritandis ordinibus*, itemque lex Papia *decimaria*, poſtremo & lex Julia *Caducaria* vocatur. Sunt enim & iſtae leges omnes hujusce legis Juliae Papiae partes, ab argumento ſingulari, quod in ſe continent, ſic cognominatae. ¶ Neque alio etiam, quam ad hanc legem Juliam de fundo dotali *Italico* referat quis id, quod Gajus, lib. 6. ad L. Juliam & Papiam de Urbibus (ac proinde & fundis) ITALICI JURIS in *l. 7. π. de cenſib.* tractat. ¶ Verum turbabit me Paulus *libr.* 2. *Sent. tit.* 21. quo loco, id quod Lege Julia de fundo dotali cautum fuit, *legi Juliae de adulteriis* nominatim tribuit.

Paulus in Sententiis illuſtratus.

Et vero id confirmant apertiſſime inſcriptiones ex Ulpiani, Papiniani, Pauli libris de adulteriis, *l. 2. 6. 12. 13. 14. π. de fundo dotal.* Quo igitur pertinebit tractatus ille Gaji in *l. 7. π. de cenſib?* Nempe eodem quo ex Ulpiani lib. 7. ad leg. Jul. & Pap. *l. aedificia* 139. *π. de V. S.* At quo utrumque? ad DIVORTIA, ut puto, quae ſeptem Civibus Romanis puberibus adhibitis fieri oportebat. At inquies, hoc lege Julia de Adulteriis cautum, ut omnino docet *l. nullum* 9. *π. de divort.* & *l. un. in fin. π. unde vir & uxor.* Quid tum! Simile aliquid antea cautum hac L. Papia omnino exiſtimo, etſi poſtea plenius lege Julia recautum. Et ſane hoc loco de Divortii modo & cauſis actum docet *l. 8. in fin. π de captiv.* & *l. 37. π. de rit. nupt.*

¶ Ad Caput XXIII. Poenas Coelibatus lege Papia auctae, non primum conſtitutae.

1 *Coelibes*] Non praemiis modo *Coelibes* ad capeſſenda matrimonia, ob[q]ue ad ſobolem procreandam, replendamque liberis Rempublicam invitari hac Lege Papia, verum & propoſito *Poenarum* metu, ad id coacti fuere. *Papiam Poppaeam* (inquit Tacitus. *lib. 3. Annal. cap.* 25.) *Senior Auguſtus poſt Julias rogationes incitandis* COELIBUM POENIS *& augendo aerario ſanxerat. Incitandis poenis*, ait Tacitus, ſeu potius intendendis, quod Tacito & huic ſaeculo perpetuum pro *augeretur*, vel incendendis, id eſt, augendis poenis. Nam & aliquae Juliis rogationibus jam ante indictae fuerant, quod etiam Dio *lib.* 54. *pag.* 531. docet. Et multo prius eos, qui ad ſenectutem coelibes pervenerant, Atheniensium exemplo, apud quos ἀγαμίου δίκη erat; vel Lacedaemoniorum, apud quos ὀψιγαμίου, aes aliquod (quod *uxorium* veteres appellabant) poenae nomine in aerarium deferre juſſos, ex Valer. Maximo. *lib. 2. cap. 4. art.* 2. & Plutarcho *in Camillo* notiſſimum eſt. Ideo Suetonius quoque juxta Tacitum, *in Octavio cap.* 34. Auguſtum Legem de maritandis ordinibus non ſanxiſſe, ſed *ſeverius emendaſſe Poenasque auxiſſe* ſcribit. ¶ Hinc itaque poenae coelibatus & orbitatis, *tit. Cod. Theod. & Juſtin. de infirm. poenis coelib. & orbit.* & apud veterem Juvenalis ſcholiaſtem *Satyr.* 9. Poenae abſolute, *l. 11. π. de vulgar.* & ἐπιτίμια Dioni *lib. 54. pag.* 531 quae ἐπιτίμια ἀγαμίου alibi (*lib. 55. pag.* 549) vocat; Terrores & damna, Conſtantinus *l. un. Cod. Theod. d. tit.* Multam dixit auctor Panegyrici *dicti Maximiano & Conſtantino*, *cap.* 2. *Leges*, inquit, *quae mulcta coelibes notaverunt*; *&c.* Et Ambroſius *cap. 3. in Lucam*: *Erat*, inquit, *deforme liberos non habere, quod etiam legum fuit auctoritate mulctatum.* Recte, *mulctatum*: haec enim multa Lege Julia & Papia impoſita *Coelibatui* fuit, ut

In Taciti locum emendatio.

[a] Si quis Conjugum, maſculus [a] ultra XXV [f] annum: Foemina, ultra XX. orbi e-runt, ſemiſſem [g] relictorum tantum capiunto. At quo minus [h] Coelibes Orbique, qui genere proximi erunt usque ad ſextum gradum [i], relictum jure antiquo capere poſſint [k], [3] E. H. L. N. R.

XXIV. de Liberto Centenario minore.

[1] In bonis Liberti [a] Centenario [b] minoris, patronus, patronique liberi maſculi, ſi Libertus liberos non habebit, jus antiquum habento: ſi liberos [c] habebit, jus nullum in bonis liberti habento. ¶ Lib. IX. Ulp. & Teren. Clem.

XXV. de Centenario liberto.

In Centenarii [a] liberti bonis, qui unum duosve liberos habebit, ſive is teſtamento facto, ſive inteſtato decedat, patrono patronique liberis maſculis [b] VIRILIS [c] pars ſervator: ſi tres liberos habebit, patronus patronique liberi maſculi nihil juris in bonis liberti habento. ¶ Lib. X Ulp. & Teren. Clem.

Pa-

PROBATIONES.

[a] *Liberis ſuſcipiendis* aetas haec praefinita fuit: vide Ulpianum *fragm. tit.* 16. §. 1. Lege Papia. vid. Tertullianum *Apologetico*, *cap.* 4. At Sozomenus hanc aetatis definitionem ad nuptias tranſtulit, *lib.* 1. *cap.* 9 Non aliter quam Euſebius *lib.* 4 *de vita Conſtantini*, *cap.* 26. coelibes cum orbis confundit. vid. quae in Notis dicam.

[f] Severus Imp. (laxiore tempore orbi dato) huic capiti derogavit, ut ex Tertulliani *Apolog. cap.* 4. conſtat.

[g] Huc pertinet, quod de his *qui ſolidum capere non poſſunt*, & de relicto in tempus liberorum tractat Ulpian. d. lib. 8. in *l.* 51. *π. de Leg.* 2. *l.* 61. *π. de condit. & demonſtrat. l.* 36. *π. de mortis cauſ. donat. l.* 141. *π. de V. S.* & Tertullianus, *de Monogamia ſub fin.*

[h] Vide Sozomenum *lib.* 1. *cap.* 9.

[i] *Argum.* §. *ult. Inſtitut. de ſucceſſ. cognat.* & legis decimariae ſupra, quae extat apud Ulpianum *tit.* 16. §. 1

[k] Miſi eum a quo haeres inſtitutus eſt, necaſſe ſeu occidiſſe convictus fuerit. Ulpianus lib. 8. in *l.* 15. *π. ad L. Corn. de Sicariis.* Exemplum ſimile, in *l. cum ratio* 8. *in fin. π. de bonis damnator.*

Cap. XXIV.

[a] *Libertus* quis hic? Qui jus aureorum annulorum impetravit. ULPIANUS (male in quibusdam Codicibus Paulo lex ea tribuitur) LIB IX. in *l.* 5. *π. de jure aureor. annul.*

[b] *Centenarius* libertus quis? Qui inſtitutis actionibus Centenarius fieri poteſt. Ulpian. d. lib. 9. in *l.* 142. *π. de V. S.* deducto autem prius aere alieno Centenarius libertus aeſtimatur: Terent. Clem. lib. 9. *l.* 24. *π. qui & a quib. man.*

[c] *Liberos habere* libertus hoc capite quis dicendus? Qui vel unum filium habet, Gajus lib. 8. *l.* 148 *π. de V. S.* Quid ſi autem filius haereditatem patris omiſit? vid. Terentium Clementem d. lib. 9. in *l.* 38. *in fin. π. de bonis libertor.* & Gajum lib. 8. in *l.* 4. *π. de bonor. poſſeſſ.*

[a] vid. ULPIANUM LIB X in *l.* 16. *π. de jure patronatus.* & *l.* 13. *π. ſi quid in fr. ud. patron.* quae lex Paulo male tribuitur. vid. & Juſtin. §. *poſtea* 2. *Inſtit. de ſucceſſ. libert.* Cap. XXV.

[b] Excipe caſum, quem Ulpian. d. lib. 10. tractat, in *l.* 11. *π. de jure patronatus.*

[c] *Virilis* pars quae hoc capite? Quandoque tota haereditas, Ulpian. d. lib. 10. in *l.* 145. *π. de V. S.* In caſibus videlicet, quos Gajus (jam lib. 8. ad ſuperius caput ſcribens) enumeravit in *d. l.* 4. *π. de bonor. poſſeſſ.* Simile etiam exemplum vid. apud eund. Gajum lib. 9. *l.* 150. *π. de V. S.*

NOTAE.

ut teſtamento relictis ſibi coelibes prorſus mulctarentur, id eſt, ut ex teſtamento nil capere poſſent: Orbi vero, ut ſemiſſe relictorum mulctarentur. Excepit tamen Lex Papia genere proximos, τοὺς γένει ἐγγυτάτω προσήκοντας, ut Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 9. teſtatur. His enim jus antiquum ex hac parte Lex Papia ſervavit, ſicut in caducis ſervatum quoque paulo poſt dicemus. At Sozomenus [illegible] ſaepius falſus, qui contrariam illi loco negatione addita, ſententiam aſſirmat. ¶ Verum Coelibatus Orbitatisque poenae hae, quo pertinet & caput de *ſolidi capacitate ex alienis* teſtamentis ob liberos (quod nobis eſt XIV) Conſtantini M. conſtitutione ſublatae poſtea fuerunt, ut Euſebius *lib.* 4. *de vit. Conſt.* 26. Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 9. docet. Et extat ea *l. un. C. Theod. de infirmandis poen. coelib.* Itaque male Conſtantius filiorum nomina ea conſtitutio in *Cod. Juſtinian.* eo praefert. Coelibatus, inquam, & orbitatis poenae altae a Conſtantino, praeter *decimarias* leges (quas complexus ſum *cap.* XII & XIII) ſublatae fuerunt, ut ex *praed. l. un.* conſtat. In quo tamen falſi ante hos annos nonnulli.

Interpres Sozomeni falſus.

Codicis Juſtinianei mendum

[2] *Si quis conjugum*] *Orbitatis* poenis conjuges non tenebantur, ſi vir nondum annorum 25. uxor nondum 20. eſſet. *Aliquando* (ait Ulpianus de L. Papia, *fragm. tit.* 16. *in princ.* agens) *vir & uxor inter ſe ſolidum capere poſſunt, veluti ſi uterque vel alteruter eorum nondum ejus* AETATIS *ſit quae liberos exigit, id eſt, ſi vir minor annorum* 25. *ſit, aut uxor annorum* 20. Ac ne quis dubitare deinceps poſſit, aetatem certam Lege Papia ſuſcipiendis liberis definitam, Tertullianus cum Ulpiano collatus, *Apologetici cap.* 4. faciet. *Nonne vaniſſimas Papias Leges* (inquit) *quae* ANTE LIBEROS SUSCIPI COGUNT, *quam Julias matrimonium contrahi, poſt tantae auctoritatis ſenectutem, heri* [illegible] *verus, conſtantiſſimus Principum excluſit?* Suſcipiendis igitur liberis ea, quam dixi, aetas lege Papia praefinita fuit. Verum laxior [illegible] Severo conſtituta, nempe illa quam Ulpianus ait. Et ad nuptiarum contrahendarum aetatem tamen ut Sozomenus, de L. Jul & Pap agens, *lib.* 1 *cap.* 9. errore tranſtulit: Νόμῳ (inquit) [illegible] Ῥωμαίοις [illegible], ἀπὸ [illegible] καὶ [illegible] ἐτῶν, τῶν [illegible] ἀνάγκη [illegible] τοῖς ἀγάμοις μὴ [illegible]. Dicere debuit Sozomenus [illegible] ſeu [illegible], non ἀγάμοις. Definita itaque, lege Papia ſuſcipiendis liberis aetas fuit, nempe 25. annus in maſculo, [illegible] in foemina. Intra quam aetatem Leges Juliae antea ne quidem matrimonium contrahi [illegible], ut ſuperiore loco Tertullianus docet. A qua autem aetate matrimonium leges Juliae contrahi, vel Papiae liberos ſuſcipere, coëgerint, dici liquido non poteſt. Proinde tertium, quod in Tertulliani verbis dubium haeret, quodnam videlicet ſit illud, quod *Severum Leges Papias, quae praematura liberos ſuſcipi cogebant, excluſiſſe* ſcribit, [illegible] hunc habet perſpicuum (qui tamen vel ſagaciſſimos hactenus fugit) Severum videlicet laxiorem ad ſuſcipiendos liberos aetatem, quam Lex Papia fecerat, indulſiſſe, definiviſſe [illegible] reducto (in [illegible]) *Legum Juliarum jure*. ¶ Et ita quidem iſta, quae ſuperiore Tertulliani loco, non caeteris tantum, ſed Apologetici Scholiaſtis doctiſſimis, incomperta fuerunt hactenus, accipienda cenſeo.

Aetas liberis ſuſcipiendis lege Papia quae definita?

Tertulliani ex Apologetico locus explicatus.

Sozomeni error.

Severus Imp. qua parte Legi Papiae derogaverit.

[3] Id eſt, *ejus hac lege nihil rogatur.* Solemnis autem haec formula in legibus fuit cum quid exceptum vellent, ut ex Cicerone, Frontino, Valerio Probo, notiſſimum jam eſt.

[1] *In bonis liberti*] Leges ſeu capita Legis Juliae & Papiae *de jure Patronatus* in bonis liberti libertaeve pro numero liberorum ſequuntur. Ad quem tractatum tres Ulpiani & Terentii Clementis libri pertinent, nempe 9. 10 11. Gaji item libri duo, nempe 8. & 9 Quintum Pauli [illegible] ſingularem quoque librum *de jure Patronatus, quod ex L. Jul. & Pap. venit*, ſcripſiſſe, Index juris auctorum Pandectis Florentinis praefixus docet. Porro hac lege Jul & Pap adaucta primum patronorum patronique filiorum maſculorum, qui locupletiores libertos haberent, jura fuiſſe Juſtinianus *Inſtitut. de ſucceſſio libert.* ait. Recte! Lege XII Tabul. quippe Praetorisque edicto, ſi libertus ſuum haeredem vel unum haberet, patronus in liberti bonis jus nullum habebat At Lege Julia, ſi libertus Centenarius (id eſt, centum millia ſeſtertium in bonis habens) pauciores quam tres liberos haberet, patronus in virilem una cum liberis liberis vocabatur. De hoc itaque caſu conceptum ca-

¶ Ad Caput XXIV. Patroni & Patroni filiorum jura aucta L. Papia. etiam liberis liberto exiſtentibus.

XXVI. de Filia Patroni. PAtroni filia [a] ſi jus trium liberorum habebit, eadem jura in bonis Liberti paterni, quae & ipſe patronus, patronique filii ex edicto Praetoris habent [b], habeto.

XXVII. de Libertae bonis. In bonis Libertae [a], etiam quatuor liberorum jure ſubnixae, pro numero liberorum libertae, mortis ejus tempore [b] ſuperſtitum, [c] virilis pars patrono patronique liberis maſculis debetor. [c] Lib. XI. Ulp. & Terent. Clem.

XXVIII. de Patrona & patronae liberis. PAtrona [a] Ingenua, duobus liberis honorata: Libertina, tribus idem jus quod patronus ex edicto praetoris [b] habet, habento.

Liberi [c] quoque Ingenuae Patronae trium liberorum jure honoratae, idem jus habento.

PROBATIONES.

Cap. XXVI. [a] De hoc capite vid. Terentium Clementem lib. 10. in *l.* 39. *ff. de bonis libertor.* & Ulpian. *in fragm. tit. ult.* §. 5. *Patroni* autem *filia* hic eſt, & quae in adoptiva familia eſt *d. l.* 39.

[b] Quod ſit hoc jus, notum *ex princ. Inſtitut. de ſucceſſ. libertor.*

Cap. XXVII. [a] Ulpianus *fragm. tit. ult.* §. 3.

[b] *Mortis libertae* tempore ſuperſtes quis? vide Terentium Clementem Lib. XI. *l.* 153. *ff. de V. S.*

Cap. XXVIII. [a] Ulpianus *fragm. tit. ult.* §. 6.

[b] Vide Juſtinianum *in pr. Inſtit. de ſucceſſ. libert.*

[c] Ulpianus *fragm. tit. ult.* §. *ult.*

NOTAE.

tum hoc caput Legis Papiae fuit. Satis enim jam eadem lege XII. Tabular. & edicto Praetoris, patroni, tam ex teſtamento, quam ab inteſtato, ſi liberti ſuos haeredes non haberent, cautum fuerat. At quo fine hoc, quem dixi, caſu jura patronorum aucta ſunt? Exiſtimo, quo liberis ſuſcipiendis operam navarent majorem liberti: quo plures videlicet liberos haberent, eo juris minus, *in bonis eorum patronis habituri*. Itaque cum uno filio liberti ad patronos excludendos contenti antea eſſe poſſent, eoque ſegnius ſuſcipiendis liberis operam darent, ut patronos deinceps excluderent, tres liberos eos ſuſcepiſſe oportuit.

¶ Ad Caput XXVII. Legis 145. *ff. de V. S.* ſpectans. [1] *Virilis*] Hoc ſpectat quod de *virilis* appellatione Ulpianus libro 10. in *l.* 145 *ff. de V. S.* ſcribit. Regula ſit haec: *Patronus in Centenarii liberti bonis, ſi libertus unum duosve tantum liberos relinquat, virilem habet ex Lege Papia.* Duobus proinde liberis relictis, virilis patroni tertia eſt. Nunc finge, duos illos liberos jus ſuum ſpreviſſe, aut tempore bonorum poſſeſſionis finito excluſos, aut ante mortuos, quam bonorum poſſeſſionem peterent (qui caſus omnes enumerantur apud Gajum libro 8. in *l.* 4. *ff. de bonor. poſſeſſ.*) Quid fiet de liberti bonis? Si legis Papiae verba attendas, virilem tantum, id eſt, tertiam patronus habebit, utpote liberis duobus a liberto relictis. Verum nihilominus, ex ſententia Legis, & quia verba cum effectu accipi oportet, *virilis* appellatione caſibus his haereditas integra continebitur, & ad patronum quaſi liberi a [illegible] nullis relictis pertinebit; utpote haeredibus non exiſtentibus. *Haeredis* itaque appellatione, haeres re, non modo nomine, in hac lege Papia accipiendus eſt. Huic ſimile eſt, quod Pomponius in *l. ſi duobus* 16. *in fin. ff. de leg.* 1. ſcribit. *Si teſtator Titio & poſthumo viriles partes dari voluerit, non nato poſthumo, totum legatum Titio deberi.* Referri debet & huc alterum, haud abſimile, exemplum, quod Gajus libro 9. ad hoc caput ſcribens, in *l.* 150. *ff. de verb. ſignif.* tractavit.

CAPITA LEGIS JULIAE CADUCARIAE,

SEU DE

CADUCIS AERARIO DEFERENDIS.

XXXIX. 1 de Caducis, haeredibus deferendis. SI quae haereditas, ſi quod Legatum poſt hanc Legem Caducum erit, haeredibus amplius ne deſertor: Extra quam [a], ſi qui teſtamento facto decedat, iſque liberos * ſuos * [b] haeredes parenteſve habebit: Liberi namque parenteſque usque ad tertium gradum haeredes inſtituti [c] quod [d] quis ex eo teſtamento non capiet, jure antiquo [e] capiunto. ¶ Lib. XII. Ulpiani & Ter. Clem.

Item [f] ſi alii quicunque [g] haeredes inſtituti liberos [h] habebunt, caducum [i] ex eo teſtamento jure antiquo pariter vindicanto.

Item [k], ea quae ab initio deficient, & pro non ſcripto [l] inutiliave erunt, vel in quibus teſtator voluntatem ſuam poſtea mutaverit [m], ii a quibus ea relicta erunt, antiquo jure capiunto.

[1] Su-

PROBATIONES.

Cap. XXIX. [a] *Caducam partem* haeredes nonnulli Lege Papia capere poſſunt, ut docuit jam Gajus lib. 13. in *l.* 5. *in fin. ff. de vulgari.* utputa, *Liberis parentibus* ad tertium usque gradum haeredibus inſtitutis caduca Lege Papia deferuntur, ſeu relinquuntur, Ulpian. *fragm. tit.* 18. *& Inſt. l. un. in fin. pr. C. de cadoc. toll.*

[b] *Sui haeredes* qui? Matri liberi non ſunt ſui haeredes. Gajus lib. 10. *l.* 13. *ff. de ſuis & legit.* Ideo, ad eos non haec, verum ſequens, exceptio pertinet.

[c] *Haeredes inſtituti* liberi caduca capiunt; ut non exhaeredati, vid. TERENTIUM CLEMENTEM LIB. XI. in *l.* 40. *ff. de bonis libert.*

[d] Sive haereditatis pars a cohaerede deficiat, ſive legatum: veluti, ſi libertus uni filiorum adſignatus fuit. Terentius Clemens d. libro 12. in *l.* 10. *ff. de adſignat. libert.*

[e] Hoc, *Jus antiquum* eſt, cujus meminit Ulpianus *fragm. tit.* 1. §. 19. *tit.* 17. §. 2. *& tit.* 18. & Celſus in *l. pater meus* 29. *in fin. ff. de legat.* 2. & Juſtin. *in fin. princ. l. un. C. de Caducis tollend.*

[f] *Liberos habens* quilibet inſtitutus caduca capit, Juvenalis *Satyra* 9. *v.* 88. & Ulpian. *fragm. tit.* 25. §. *penult.*

[g] *Quicunque haeredes*, id eſt, extranei; quo numero eſt filius a matre inſtitutus, quod ad ſuperiorem exceptionem jam notatum.

[h] *Liberos habet* hoc capite, qui vel unum filium filiamve habet, Gajus lib. 10. in *l.* 149. *ff. de V. S.*

[i] Sive haereditatis pars deficiat, ſive legatum.

[k] *Qua non pro ſcriptis habentur* Lege Papia apud haeredem remanent, Juſtin *l. un.* §. *& cum triplici* 2. *&* §. *in primo.* 3. *C. de Caducis tollend.*

[l] *Pro non ſcriptis* quae? puta, ſi is cui legabatur, teſtamenti facti tempore in rebus humanis non erat: vel captivus apud hoſtes erat neque poſtea reverſus fuit, Ulpian. lib. 13. *l.* 4. *ff. de his quae pro non ſcriptis*: Item, captatoriae inſtitutiones ex SCto non ex L. Papia (quod vir doctus prodidit) Paulus lib. 5. *l.* 71. *ff. de haeredib. inſtituend.*

[m] *Mutat. teſtatoris voluntas* quando dici poteſt? Si, cum debitum ſibi legaſſet, debitorem poſtea quomodocunque liberaverit, Terentius Clemens, d. lib. 12. *l.* 21. *ff. de liberat. legat.* vel, ſi legatum nominatim ademerit aut transtulerit poſtea, Paulus d. lib. 5. in *l.* 88. *ff. de legat.* 3.

NOTAE.

S*Equitur altera* Legis Juliae & Papiae *pars, quae augendo* ÆRARIO *lata fuit, ut Tacitus* lib. 3. Annal. cap. 25. *docet. Ideo Plinius quoque* Panegyrico ad Trajanum cap. 42. Locupletabant, *inquit*, fiſcum & aerarium Voconiae & Juliae Leges. *Quam partem*, Legis Juliae CADUCARIÆ *appellatione Ulpian.* in fragment. tit. 28. §. 7. *deſignat. At non etiam in* l. ergo 4. § eadem conſtitutio 4. ff. de fideicommiſſ. libert. *quod tamen Ævi noſtri Papinianus putavit, Recte namque eo loco legitur*, Caduca legionis. *Priſcum quippe jus id fuit, ut bona militum legitimum haeredem non habentium, legioni deferrentur*, l. 6. §. 7. ff. de injuſto rupt. l. un. Cod. Theod. de bonis milit. ſeu l. 2. C. Juſtin. de haered. Decur. nav. cohort. mil. *Unde &* librarii caducorum in l. ult. ff. de jure immunit. *dicti. Augendo igitur aerario Lex Julia hac poſteriore parte: Primum, jus capiendorum caducorum haeredibus ademptum populo tribuit. Deinde, varias caducorum* Cauſas *ſeu caſus ſubtiliter adinventos recenſet & proponit. Denique* Fraudes *& ſcapularum (quae caducis ab aerario avertendis committi poterant) ſummovet. Et haec quidem omnia totius hujus Legis Juliae Caducariae conſilia ad augendum & locupletandum aerarium fuere.*

¶ Ad Caput XXXIX Populo L. Papia caduca deferri. 1 *Si quae*] *Caduca*, ſeu ea quae in teſtamento deficiebant antiquo jure, haeredes teſtamento inſtituti capiebant, & penes eos [illegible] nebant. Verum, hac Lege Julia Caducaria, jus iſtud caduca capiendi haeredibus ademptum, Aerario populi delatum fuit. Ulpianus *fragm. tit.* 28. §. 7. *Si ſit ad quem bonorum poſſeſſio pertinere poſſit, ſed jus ſuum omiſerit*, POPULO *bona deferuntur ex lege Julia caducaria.* Et Tacitus *lib.* 3 *Annal cap* 28. *Ut ſi a privilegiis parentum ceſſaretur, velut parens omnium* POPULUS *vacantia teneret.* Et uno idem Tacitus, hanc legem, *au*-*gendo aerario ſanctam* dicit cap. 25. *Aerarium* quippe populi proprie fuit. ¶ At, ex conſtitutione Antonini poſtea, omnia caduca non *Populo* amplius, verum fiſco vindicari coeperunt, ut Ulpianus, *fragment. tit.* 16. §. 1 docet. Itaque non debuit [illegible] Ulpiani locum illum de mendo, & praepoſteri nominationi vitio, ſuſpectum facere. Proinde, quod Julianus [illegible] *l.* 96 §. 1. *ff. de legat.* 1. bona *de Lege Julia bona vacantia ad Fiſcum pertinere* dicit, manifeſtum ſenſus Tribonianiani facinus arguit. Juliani [illegible] ipſe ſeu Hadriani Imp. temporibus, caduca Populo adhuc deferebantur. Notandum tamen Ulpianus in Fragmentis ſuſpe- generis [illegible] Tribonianismus notus

XXX. de Caducorum cauſis iisque populo deferendis.

1 Superioribus perſonis & cauſis ceſſantibus, ª cuicunque privato homini ᵇ delata haereditas legatumve, & ex ſequentibus cauſis caducum caducave erit, populo ᵇ defertor. — e Lib. XIII. Ulpiani & Ter. Clem.

2 Si vivo teſtatore poſt teſtamentum conditum haeres legatariusve decedat, conditiove deficiat, relictum in cauſa caduci eſto, & quaſi caducum populo defertor.

3 Item, ſi haeres pro parte ᶠ, legatariusve, quibus pure vel in diem certum haereditas legatumve relictum erit, poſt mortem ᵍ teſtatoris ante Apertas teſtamenti tabulas decedat, vel pereger ᵏ fiat, haereditatis pars ea legatumve caduca ſunto, populoque deferuntor.

Item,

PROBATIONES.

Cap. XXX. a *Hominis* appellatione tam foemina, quam maſculus in hac lege Caducaria continetur. Gajus, d. lib. 10. *l. hominis* 152. *π. de V. S.* ut in homicidii crimine. Euſtathius, ad *Iliados* XXIII. ἀνδροφόνος ὁ ἁπλῶς ἄνθρωπον φονεύων εἴτε παῖς ὢν ὁ φονευθεὶς εἴτε ἀκμαῖος, εἴτε καὶ γυνή. Item hac univerſali *cujuscumque hominis* enunciatione & Auguſta continetur: neque enim caducariis legibus Auguſta ſoluta erat. Solus Mauricianus lib. 2. *l.* 57. *π. de legat.* 2. Princeps Caducariis legibus his ſolutus erat, ULPIANUS LIB. XIII. *l. princeps* 31. *π. de Legibus.*

b *Populo* Caduca Lege Papia deferuntur, Ulpian. *fragm. tit.* 28 §. 7. Tacitus *lib.* 3. *Annal. cap.* 25. Poſtea, ex Conſtitutione Antonini fiſco caduca delata ſunt, ut oſtendit Ulpian. *fragm. tit.* 17. §. 1. ſecundum quod jus accipienda eſt *l.* 96. §. 1. *π. de legat.* 1.

c *Quaſi caduca* Lege Papia populo deferuntur, Juſtin. *l. un.* §. *cum triplici* 2. & §. *pro ſecundo* 4. *C. de caduc. tolend.*

d *Deficit conditio* vivo teſtatore, ſi haeres legatariusve ante conditionis eventum vivo teſtatore poenae ſervus factus, Ulpian. d. lib. 13. *d. l.* 59. §. 2. *π. de cond. & dem.* aut aliter, capite diminutus fuerit, Mauricianus lib. 2. in *l.* 23. *π. de uſufr. leg.* de qua *l.* vid. Cujacium *lib.* 14. *Obſ. cap.* 17.

e Vide *l. un.* §. 2. *in fin. C. de Caduc. tollend.*

f Aliud, ſi ſolus ſeu ex aſſe haeres ſit. vid. Paul. d. lib. 5. in *l.* 68. & 80. *π. de acquir. haer.*

g Quid ſi conditi teſtamenti tempore captivus apud hoſtes haeres legatariusve fuerit, deinde poſt mortem teſtatoris apud hoſtes deceſſerit? Relictum non pro caduco, ſed pro non ſcripto erit, propter fictionem videlicet Legis Corneliae, Ulpian. d. lib. 13. *l.* 4. *π. de his quae pro non ſcript.*

h *Ab Apertis tantum tabulis* ex L. Papia jus & dies capiendae haereditatis legatique cedit, Ulpian. *fragm. tit.* 24. §. *pen.* & Juſtinianus *d. l. un.* §. *cum igitur* 1. *C. de caduc. toll.* vide quoque Gajum lib. 11. *l.* 11. *π. quemadm. teſtam. aper.* & Ulpianum, d. lib. 13 *l.* 10. & 12. *d. tit.* & Terentium Clementem lib. 13. [ſic γρ. non 3.] in *l.* 52. *π. de legat.* 2. Paulum lib. 5. *l.* 80. *π. de acquir. haered.* Ideo, Regula Catoniana ad hanc legem non pertinet. Paulus lib. 5. *l.* 28. *π. de legib.* junct. *l. ult. π. de Regul. Caton.* Sunt tamen certi caſus, in quibus ne quidem ab apertis tabulis haereditatis capiendae jus eſt, ut puta ex SCto Silaniano: vide Gajum lib. 11. *l.* 14. *π. de jure fiſci.* Item, uſusfructus & uſus: quod in ſervitutibus ſecus eſt, vid. Ulpianum dicto libro 13. *l.* 7. *π. de ſervit.*

i Vid. Ulpianum d. lib. 13. *l.* 81. *π. de acquir. haered.*

k Ulpianus *fragm. tit.* 17.

NOTAE.

[illegible], mutato quamlibet hoc jure, caduca bona quaedam POPULO URBIS ROMAE aliquando VINDICATA ex beneficio Principum: vid. *l.* 18 *Cod. Theod. de haereticis.* Nonnullae tamen perſonae hac lege exceptae fuerunt, quibus jus antiquum caducorum ſcilicet capiendorum ſervatum fuit. In [illegible] perſonis, Liberi primum & parentes ad tertium usque gradum fuerunt: his enim, ea quae ex teſtamento, quo inſtituti fuiſſent, deficerent, capere Lex Julia Papia permiſit, usque novum jugum ſuum imponere Lex erubuit: ſicut & de Lege viceſima haereditatum Plinius in *Panegyrico cap.* 37. *ſeqq.* & Dio *lib.* 55. *pag.* 565. ſcribit. Idque eſt, jus ANTIQUUM, quod apud Ulpianum *fragment. tit.* 1. § 29. *tit.* 17. § 2. & *tit.* 18. & apud Celſum, in *l. pater meus* 29. *in fin. π. de legat.* 1. & Juſtin. in *l. unic. in fin. princ. C. de caduc. toll.* vocatur. Idque certiſſimum eſt. ¶ At illud nondum ſatis probatum omnibus: Extraneis pariter haeredibus, *liberos habentibus*, jus antiquum (caduca videlicet capiendi) ſervatum fuiſſe. Certe, mihi locus eam in rem manifeſtiſſimus, apud Juvenalem *Satyr* 9. videtur, quo loco moechus maritum ſic alloquitur: *v.* 82.

— Jus ANTIQUUM quid in Caducorum materia? LIBEROS jus caduca capiendi L. Papiam tribuiſſe.

Nullum ergo meritum (ingrate ac perfide) nullum,
Quod tibi FILIOLUS *vel* FILIA *naſcitur ex me!*

Et mox, *v.* 87.

JURA PARENTIS *habes, propter me ſcriberis haeres,*
Legatum omne CAPIS, *nec non &* DULCE CADUCUM.

Ulpianus quoque, *in fragm. tit.* 25. §. *pen.* disertis verbis docet, regulariter haeredem ex eo teſtamento (quo ſcil. inſtitutus erat) SI LIBEROS HABEAT, caducum vindicaſſe. Itaque non oportuit rurſus ea verba apud Ulpianum a ſummo JCto ſollicitari. Et hoc quoque referri oportet, quod Gajus lib. 10. ad L. Jul. & Pap. in *l.* 149. *π. de V.* [illegible]) *cum* LIBEROS HABERE, *qui vel unum filium filiamve habeat* definit. [illegible] tum igitur eſt, quod Juſtin. *l. unic. in princ.* [illegible] *de caducis toll.* ait: *legem Papiam* SOLIS *parentibus & liberis teſtatoris usque ad tertium gradum, haeredibus inſtitutis jus* ANTIQUUM *intactum conſervaſſe.* Recte Juſtinianus SOLIS ex legitimis haeredibus: non quod nullae aliae perſonae jus illud capiendi caduca habuerint, ſed quod jus illud quod parentibus & liberis teſtatoris tribuitur, SOLIS parentibus ſuisque ad tertium gradum, non ulterioris gradus legitimis haeredibus tributum fuerit. SOLIS itaque reſpectu ulterioris gradus dicitur. Verum Honorius Imp. aliquando omnibus legitimis haeredibus jus iſtud caduca capiendi conceſſit, *l.* 30 *Cod. Theod. de petition.*

— ULPIANI in Fragmentis [illegible] defenſus.

1 *Superioribus perſ*[illegible]] *Cad*[illegible] *cauſae ſeu caſus* (ſic enim quoque a Symmach[illegible] *in Relatione ad Valentinianum* vocantur. unde & in caſum cadere *l.* 3. *C. Theod. de petition.*) ſequuntur. *Caduca* porro, generaliter hic ſumpta, ſunt, quae capaci [illegible] relicta, aliqua ex cauſa poſt teſtamentum conditum in aerarium ſive Populi cadunt. Caduca adeo Graeci [illegible] vertunt: ut caduca panes, *l.* 3. *Cod. Theod. de annon. civic.* caduca popularia, *l.* 1. *C. Theod. de ſtudiis liberalib. urb. Rom.* caducae menſae oleariae, *l. un. Cod. Theod. de menſis olear.* ¶ Caduca relicta qu[illegible] generum hac Lege deſignantur: Alia quippe *Quaſi caduca* dicuntur: alia *caduca* proprie: alia *ereptoria* vacantia alia.

— ¶ Ad Caput XXX. Caducorum cauſae ſeu caſus.

2 *Cuicunque homini*] Omnes Caducariis hiſce legibus teneri nominatim: etiam Auguſtam, ut Mauricianus, lib. 2 ad L. Jul & Pap in *l.* 57. *π. de legat.* 2. docet. Princeps ſeu Auguſtus ſolus Legibus his ſolutus erat. Gajus, lib 14 ad hanc eandem Legem, in *l.* 56. *π. de legat* 2. & Ulpianus lib. 13 in *l. Princeps* 31. *π. de Legib.* Ut dubitandum amplius non ſit, dictam legem *Princeps*, ad Leges Caducarias referendam, & recte a Cujacio, quicquid ambigant nonnulli, relatam. ¶ Imo, hoc Auguſti privilegium, *ut ne Caducariis Legibus teneretur*, nominatim poſtea ſub Caligula expreſſum. Hinc legis REGIAE de Veſpaſiani imperio latae fragmentum ſequens: *Utique quibus* LEGIBUS, *plebiſve ſc*[illegible], SCRIPTUM fuit, [illegible] DIVUS AUGUSTUS TIBERIUSVE, *&c. tenerentur, his* LEGIBUS PLEBISQUE SCITIS IMP CAESAR *Veſpaſianus* SOLUTUS ſit.

— PRINCEPS Caducariis legibus ſolus ſolutus, non etiam Auguſta.

3 *Item ſi haeres*] *Adeundae haereditatis* legatorumque capiendorum dies antiquo jure a morte Teſtatoris cedebat: ab apertis tabulis, ex L. Jul. & Pap. ut Ulpian. *fragm. tit.* 24. §. *penult.* & Juſtinianus *l. unic.* §. 1. *C. de Caduc. toll.* docent. Hujuſce rei effectus hic erat, ut ſi vivo haeres legatariusve ante apertas [illegible]bulas decederet, relictum deficeret, neque id ad haeredem ſuum transferret, ut Juſtinian. *d. l. un.* §. 2. *C. de cad. toll.* oſtendit. Item, ut hoc teſtamenti facti vel mortis teſtatoris tempore capax haeres le-

— Dies haereditatis adeundae, &c. quis?

Item, [4] ſi [l] plus quam H. L. licebit, relictum erit, caducum eſto: populoque vindicator.
Item, ſi [m] haeres legatariuſve poſt mortem teſtatoris ante eventum conditionis deficiat, haereditas legatumve caduca ſunto, populoque deferuntor.

XXXI. de Ereptitiis populo vindicandis.

[1] SI [a] velut indigno haereditas Legatumve ereptum erit, populo vindicator. ¶ Lib. XIV. Ulp. & Teren. Clem.

XXXII. de Vacantibus bonis populo deferendis.

[1] SI ante aditam haereditatem [a], legatumve agnitum haeres [b] vel legatarius [c] decedat, haereditas legatumve, ceu vacantia, populo vindicantor. ¶ Lib. XV. Ulp. & Teren. Clem.
Item, ſi haeres legatariuſve, [2] jus ſuum omittat [d] repudietve, haereditas legatumve, ceu vacantia, populo vindicantor, neque haeredibus eorum deferuntor.

XXXIII. de Fraudibus adverſus hanc L. removendis.

[1] NE quis in fraudem [a] hujuſce Legis, quo magis caduca is qui capere non poteſt, capiat, quid admiſiſſe velit. ¶ Lib. XVI. Ulpiani & Ter. Clem.

[a] In-

PROBATIONES.

[l] *Plus quam per Legem Pap. licet* relictum, caducum fit; veluti, ſi Conjugi a conjuge ultra modum legis decimariae relictum fuerit: item, ſi Coelibi quidpiam relictum fuerit: vel ultra dimidium relicti Orbus capere velit. Quo ſpectat e Terentii Clementis lib. 13. *l.* 54. *π. de legat.* 2. & ex Ulpiani d. lib. 13. *l.* 64. *π. ad Legem Falcid.* & ex Gaji lib. 12. *l.* 55. *π. de legat.* 2. vide Ulpian. *fragm. tit.* 17.

[m] *Conditio* poſt mortem teſtatoris ſi deficiat, relictum caducum fit ex L. Papia. vid. Juſtin. *l. un* §. *ſin autem* 7. *C. de cad. tol.* Ulpian. dict lib. 13. *l.* 59. *π. de cond. & demonſt.* Gajum lib. 13. *l.* 69. *π. d. tit.* & *l.* 35. *π. de ſtatulib.*

Cap. XXXI. [a] *Ereptitia* quoque populo (poſtea, fiſco) adquirebantur, Juſtin. *l. unic.* §. *quae autem* 12. *C. de caduc. tollend.* Ulpian. lib. 14. *l.* 9. §. 2. *π. de his quae ut indig.* Imo & haeredibus quandoque, ut docet Ulpian. *fragment. tit.* 19. §. 16. & Juſtinianus *d.* §. 12.

Cap. XXXII. [a] *Non adita haereditas*, vel non agnitum legatum, ceu vacantia, ex L. Papia populo deferuntur. vid. Juſtin. *l. un.* §. *in noviſſimo* 5. *v. haereditatem. C. de cad. toll.*

[b] *Non adita haereditas* ex L. Papia non transmittitur: ſuus haeres tantum excipitur, Gajus lib. 13. *l. in ſuis* 14. *π. de ſuis & legit.* π. & *d.* §. 5.

[c] *Vindicationis* legatum excipe, de quo vid. Paulum *lib.* 3. *Sent. tit.* 6. §. 7. vid. & Terentium Clementem lib. 15. *l.* 16. *π. de option. legat.*

[d] *Repudiata haereditas* legatumve omiſſum populo defertur ex L. Papia. vid. Terentium Clementem d. lib. 15. *l.* 59. *π. de legat.* 2. & Ulpian. *fragm. tit.* 24. §. 11. *tit.* 1. §. 19. *tit.* 28. §. 7.

Cap. XXXIII. [a] *Fraus* legi caducariae per donationes cauſa mor-

NOTAE.

gatariuſve fuiſſet, ſi tamen poſtea ante tabulas apertas pereger, ſeu peregrinus, reperiretur, relictum ex L. Papia caducum fieret, ut Ulpianus *fragment. tit.* 17. teſtatur. Quo pertinet etiam, quod Mauricianus lib. e. de deportato in *l.* 23. *π. de uſu & uſufruct. leg.* tractat. Item, quod SCto cautum nominatim poſtea fuit, ut ſi quomodocunque relictum ante apertas tabulas deficeret, caducum fieret, ut ex *d. l. unic.* §. 1. apparet. Contra effectus hujus rei hic erat, ut ſi ab initio incapax haeres legatariuſve fuiſſet, & apertarum tabularum tempore capax reperiretur, capere poſſet: ut elegantiſſima ſpecies *l.* 42. *π. de haered. inſtit.* & *l. ult. π. de mort. cauſ. donat.* apertiſſime oſtendunt. Itaque recte Ulpianus in *l. ult. π. de Reg. Cat. Regulam Catonianam ad novas leges non pertinere*, id eſt, ad L. Jul. & Pap. ſcribit. Definitio enim Catoniana haec erat: *Ut quod legatum ab initio non valeret, ex poſt facto non convaleſceret.* Idque eſt, quod Paulus lib. 5. ad L. Jul. & Pap. in *l.* 28. *π. de Legibus* ait, *Poſteriores leges ad priores non pertinere, cum contrariae ſunt.*

4 *Si plus*] Quod ultra modum lege Papia praefinitum capitur aut relinquitur, caducum fit: veluti, ſi conjux ultra modum legibus decimariis, de quibus priore parte actum, praecipuum capiat. Item, ſi coelibi quid relictum fuerit, vel orbus ultra dimidium relicti capiat. Ulpianus *fragment. tit.* 17. Quod SCto etiam ad donationes mortis cauſa extenſum fuit, ut Paulus lib. 6. in *l.* 35. *π. de mortis cauſ. donat.* docet. Eoque pertinet ex eodem libro *l.* 12. *π. de condict. cauſ. dat.* Item ea Ulpiani lib. 15. [puto 13.] *l.* 37. *π. de mortis cauſa don.* Quomodo autem Piae hoc aeſtimari oportuerit; & ſupra jam docuimus. Certe, non ex affectione: quo pertinet, quod Terentius Clemens, lib. 13. in *l.* 54. *π. de legat.* e. tractat. Quaeſiverat etiam Ulpianus d. lib. 13. quid ſi teſtator haeredem damnaſſet, quanto minus Legatarius per Leg. Papiam capere poſſet, tanto amplius ei haeres daret? Et certum eſt, teſtatorem facere non potuiſſe, quin lex Papia in teſtamento ſuo locum haberet. Quod & in L. Falcidia pariter obtinet *l. quod bonis* 15. §. 1. *π. ad L. Falcid.* Illud enim hactenus poteſt teſtator conſequi, ut ex pluribus legatis relictis quaedam extra Falcidiam ſint, & ſine ulla diminutione praeſtentur, ut Ulpian. lib. 13. in *l.* 64. *π. ad L. Falcid.* docet.

¶ Ad Caput XXXI. Ereptitia.

1 *Si velut indigno*] *Ereptitia* ſequuntur, id eſt, ea, quae velut indignis a populo eripiuntur. Legibus, Julia & Papia ſcil. *Lata ſententia* (ait Conſtantius in *l.* 26. *C. Theod. de appellationibus*) *quae pertinet ad bona Vacantia, & Caduca, & ad ea, quae indignis,* LEGIBUS *cogentibus, auferuntur*, &c. Haec enim, licet generali quoque *Caducorum* nomine veniant, ut *l.* 9. *π. de SCto Silaniano*: alibi tamen a ſpeciali *Caducorum* appellatione diſtincta fuere. Erepta autem ex L. Papia, OMNIA populi aerario delata fuiſſe videntur. At ſecuta Juriſprudentia certos caſus, quibus Erepta, non ad fiſcum, verum ad alias interdum perſonas devolvi voluit, excepit: ut Juſtin. *l. unic.* §. 12. *C. de Cad. toll.* & Ulpianus lib. 14. ad hoc caput ſcribens, in *l.* 9. *π. de his quae ut.* docent. *Lege* NOVIS (privatis perſonis, inquit Ulpian. *fragment. tit.* 19. §. 16.) *adquiritur, velut Caducum & Ereptitium.* Addatur ſpecies *l.* 5. §. 2. *d. tit.* quae in *l. penult. verſ. quemadmodum ſi. C. de legatis*, repetitur.

¶ Ad Caput XXXII. Vacantia quae, eorumque caſus.

1 *Si ante aditam*] *Vacantia* ſequuntur. Vacantia ſane & Caduca clara nominibus ſeparantur in *l.* 20. §. *ait Senatus* 7. *π. de petit. heredit. l. ult. Cod. Theod. de bonis vacantibus.* & *l.* e. *eod. C. de incorporat.* & *l.* 11. & 20. *eod. de petition.* Quanquam, & generali *Caducorum* nomine, vacantia ſaepe, & viciſſim *vacantium* nomine Caduca quandoque veniant. Nam & eo ſenſu Julianus in *l.* 96. §. 1. *π. de legat.* 1. vacantia ad fiſcum pertinere dixit. Item Tacitus *lib.* 3. *Annal. cap.* 28. *ut ſi a privilegiis parentum ceſſetur, velut parens omnium, populus vacantia teneret. Vacantium* autem proprie dictorum primus hic caſus eſt, ſi ante aditam haereditatem agnitumve legatum is, cui quid relictum eſt, decedat. Nam ut ante apertas tabulas haereditas legatumve ex L. Papia adiri agnoſcive non poterat, ut ſuperius dictum eſt: ita, nec poſt apertas tabulas, non adita haereditas legatumve non agnitum ad haeredem transmittebatur. Quod oſtendit etiam *l. un.* §. *in noviſſimo* 5. *C. de Caduc. toll. Sui* tantum haeredes excipiebantur, ut ad hoc ipſum caput ſcribens Gajus lib. 13. in *l.* 14. *π. de ſuis & legit.* notavit. Excipiebatur etiam legatum vindicationis, ut Paulus *lib.* 3. *Sentent. tit.* 5. §. 7. docet. niſi optionis legatum ſit, ut Terentius Clemens ad hoc caput ſcribens lib. 15. in *l.* 16. *π. de optione legata* notat.

OMISSUM vel Repudiatum, caducum.

2 *Si jus ſuum omittat*] Non morte haeredis tantum legatariive vacans eſt haereditas, ſeu legatum, ſed & *Omiſſione, renuntiationeque.* Certe Ulpianus in *fragment. tit.* 24. §. 11. indiſtincte, non capientis partem caducam fieri ex L. Papia Poppaea ait, ſeu ut idem loquitur, *tit.* 1. §. 19. non adeuntis. At nominatim, *tit.* 28. §. 7. *Si jus ſuum* (inquit) OMISERIT, *populo bona deferuntur, ex L. Julia Caducaria.* Et hoc pertinet, quod Terentius Clemens, lib. 15. ad hoc caput de repudiante in *l.* 59. *π. de legat.* 2. ſcripſit. Eodem referenda eſt, quod ad hanc diem uſcitur, *l.* 28. *π. de legat.* 2.

¶ Ad Caput XXXIII.

1 *Ne quis in fraudem*] Sequitur tertia hujus Legis Ca-

Digitized by Google

XXX. de Caducorum cauſis iisque populo deferendis.

1 SUperioribus perſonis & cauſis ceſſantibus, [a] cuicunque privato homini [a] delata haereditas legatumve, & ex ſequentibus cauſis caducum caducave erit, populo [b] deſertor. ſ Lib. XIII. Ulpiani & Ter. Clem.

2 Si [c] vivo teſtatore poſt teſtamentum conditum haeres legatariusve decedat, conditiove deficiat, relictum in cauſa caduci eſto, & quaſi caducum populo deſertor.

3 Item, ſi haeres pro parte [f], legatariusve, quibus pure vel in diem certum haereditas legatumve relictum erit, poſt mortem [g] teſtatoris ante Apertas teſtamenti tabulas decedat, vel pereger [h] fiat, haereditatis pars ea legatumve caduca ſunto, populoque deferuntor.

Item,

PROBATIONES.

Cap. XXX. [a] *Hominis* appellatione tam foemina, quam maſculus in hac lege Caducaria continetur. Gajus, d. lib. 10. *l. hominis* 152. *π. de V. S.* ut in homicidii crimine. Euſtathius, ad *Iliados* XXIII. ἀνδροφόνος ὁ φονεὺς ἀνθρώπων κοινῶς ἀνδρὸς οὐ γὰρ ... εἴτε ... εἴτε καὶ γυνή. Item hac univerſali *cujuscumque hominis* enunciatione & Auguſta continetur: neque enim caducariis legibus Auguſta ſoluta erat. Solus Mauricianus lib 2. *l.* 57. *π. de legat.* 2. Princeps Caducariis legibus his ſolutus erat, Ulpianus Lib. XIII. *l. princeps* 31. *π. de Legibus.*

[b] *Populo* Caduca Lege Papia deferuntur, Ulpian. *fragm. tit.* 28. §. 7. Tacitus *lib.* 3. *Annal. cap.* 25. Poſtea, ex Conſtitutione Antonini fiſco caduca delata ſunt, ut oſtendit Ulpian. *fragm. tit.* 17. §. 2. ſecundum quod jus accipienda eſt *l.* 96. §. 1. *π. de legat.* 1.

[c] *Quaſi caduca* Lege Papia populo deferuntur, Juſtin. *l. un.* §. *cum triplex* 2. & §. *pro ſecundo* 4. *C. de caduc. tollend.*

[d] *Deficit conditio* vivo teſtatore, ſi haeres legatariusve ante conditionis eventum vivo teſtatore poenae ſervus factus, Ulpian. d. lib. 13. *d. l.* 59. §. 2. *π. de cond. & dem.* aut aliter, capite diminutus fuerit, Mauricianus lib. 2. in *l.* 23. *π. de uſufr. leg.* de qua *l.* vid. Cujacium *lib* 14. *Obſ. cap.* 17.

[e] Vide *l. un.* §. 2. *in fin. C. de Caduc. tollend.*

[f] Aliud, ſi ſolus ſeu ex aſſe haeres ſit. vid. Paul. d. lib. 5. in *l.* 68. & 80. *π. de acquir. haer.*

[g] Quid ſi conditi teſtamenti tempore captivus apud hoſtes haeres legatariusve fuerit, deinde poſt mortem teſtatoris apud hoſtes deceſſerit? Relictum non pro caduco, ſed pro non ſcripto erit, propter fictionem videlicet Legis Corneliae, Ulpian. d. lib. 13. *l.* 4. *π. de his quae pro non ſcript.*

[h] *Ab Apertis tantum tabulis* ex L. Papia jus & dies capiendae haereditatis legatique cedit, Ulpian. *fragm. tit.* 24. §. *pen.* & Juſtinianus *d. l. un.* §. *cum igitur* 1. *C. de caduc. toll.* vide quoque Gajum lib. 11. *l.* 11. *π. quemadm. teſtam. aper.* & Ulpianum, d. lib. 13. *l.* 10. & 12. *d. tit.* & Terentium Clementem lib. 13. [ſic 93. non 3.] in *l.* 52. *π. de legat.* 2. Paulum lib. 5. *l.* 80. *π. de acquir. haered.* Ideo, Regula Catoniana ad hanc legem non pertinet. Paulus lib. 5. *l.* 28. *π. de legib.* junct. *l ult. π. de Regul. Caton.* Sunt tamen certi caſus, in quibus ne quidem ab apertis tabulis haereditatis capiendae jus eſt, ut puta ex SCto Silaniano: vide Gajum lib. 11. *l.* 14. *π. de jure fiſci.* Item, uſusfructus & uſus: quod in ſervitutibus ſecus eſt, vid. Ulpianum dicto libro 13. *l.* 7. *π. de ſervit.*

[i] Vid. Ulpianum d. lib. 13. *l.* 81. *π. de acquir. haered.*

[k] Ulpianus *fragm. tit.* 17.

NOTAE.

men, mutato quamlibet hoc jure, caduca bona quaedam Populo urbis Romae aliquando vindicata ex beneficio Principum: vid. *l.* 18. *Cod. Theod. de haereticis.* Nonnullae tamen perſonae hac lege exceptae fuerunt, quibus jus antiquum caducorum ſcilicet capiendorum [illegible] fuit. In [illegible] perſonis, Liberi primum & parentes ad tertium usque gradum fuerunt: his enim, [illegible] quae ex teſtamento, quo inſtituti fuiſſent, deficerent, capere Lex Julia Papia permiſit, itaque novum jugum ſuum imponere Lex erubuit. ſicut & de Lege viceſima haereditatium Plinius in *Panegyrico cap.* 37. *ſeqq.* & Dio *lib.* 55. *pag.* 565. ſcribit. Idque eſt, jus ANTIQUUM, quod apud Ulpianum *fragment. tit.* 1. § 19. *tit.* 17. § 2. & *tit.* 18. & apud Celſum, in *l. pater meus* 29. *in fin. π. de legat.* 2. & Juſtin. in *l. unic. in fin. princ. C. de caduc. toll.* vocatur. Idque certiſſimum eſt. ¶ At illud nondum ſatis probatum omnibus: Extraneis pariter haeredibus, *liberos habentibus*, jus antiquum (caduca videlicet capiendi) ſervatum fuiſſe. Certe, mihi locus eam ut rem manifeſtiſſimos, apud Juvenalem *Satyr* 9. videtur, quo loco moechus maritum ſic alloquitur. v. 81.

Jus ANTIQUUM quod in Caducorum materia? Liberos jus caduca capiendi L. Papia tribuiſſe.

Nullum ergo meritum (ingrate ac perfide) nullum,
Quod tibi FILIOLUS *vel* FILIA *naſcitur ex me?*

Et mox, v. 87.

JURA PARENTIS *habes, propter me ſcriberis haeres,*
Legatum omne CAPIS, *nec non &* DULCE CADUCUM.

Ulpianus quoque, *in fragm. tit.* 15. §. *pen.* diſertis verbis docet, regulariter haeredem ex eo teſtamento (quo ſcil. inſtitutus erat) SI LIBEROS HABERET, caducum vindicaſſe. Itaque non oportet rurſus ea verba apud Ulpianum a ſummo JCto ſollicitari. Et huc quoque referri oportet, quod Gajus (lib. 10. ad L. Jul. & Pap. *l.* 149. *π. de V. S.*) eum LIBEROS HABERE, *qui vel unum filium filiamve habeat* definit. Quidnam igitur eſt, quod Juſtin. *l. unic. in princ. Cod. de caducis toll.* ait: *legem Papiam* SOLIS *parentibus & liberis Teſtatoris usque ad tertium gradum, haeredibus inſtitutis, jus* ANTIQUUM *intactum conſervaſſe.* Recte Juſtinianus SOLIS ex legitimis haeredibus. non quod nullae aliae perſonae jus iſtud capiendi caduca habuerint, ſed quod jus illud quod parentibus & liberis teſtatoris tribuitur, SOLIS parentibus ſuisque ad tertium gradum, non ulterioris gradus legitimis haeredibus tributum fuerat. SOLIS itaque reſpectu ulterioris gradus dicitur. Verum Honorius Imp. aliquando omnibus legitimis haeredibus jus iſtud caduca capiendi conceſſit, *l.* 30 *Cod. Theod. de petition.*

Ulpiani in Fragmentis locus defenſus.

1 *Superioribus perſonis*] *Caducorum cauſae ſeu caſus* (ſic enim quoque a Symmacho, *in Relatione ad Valentinianum* vocantur: unde & [illegible] cadere *l.* 3. *C. Theod. de petition.*) ſequuntur. *Caduca* porro, generaliter hic ſumpta, ſunt, quae capaci relicta, aliqua ex cauſa [illegible] teſtamentum conditum in aerarium ſive Populi cadunt. Caduca ideo Graeci [illegible] vertunt: ut caduci panes, *l.* 1. *Cod. Theod. de annon. civic.* caduca popularia, *l.* 1. *C. Theod. de ſtudiis liberalib. urb. Rom.* caducae menſae oleariae, *l. un. Cod. Theod. de menſis olear.* ¶ Caduca relicta quatuor generum hac Lege deſignantur: Alia quippe *Quaſi caduca* dicuntur alia *caduca* proprie: alia *ereptitia* vacantia alia.

¶ Ad Caput XXX. Caducorum cauſae ſeu caſus.

2 *Cuicunque homini*] *Omnes* Caducariis hiſce legibus teneri notandum. etiam Auguſtam, ut Mauricianus, lib. 2. ad L. Jul. & Pap. in *l.* 57. *π. de legat.* 2. docet. Princeps ſeu Auguſtus ſolus Legibus his ſolutus erat. Gajus, lib. 14 ad hanc eandem Legem, in *l.* 56. *π. de legat.* 2. & Ulpianus lib. 13 in *l. Princeps* 31. *π. de Legib.* Ut dubitandum amplius non ſit, dictam legem *Princeps*, ad Leges Caducarias referendam, & recte a Cujacio, quicquid ambigant nonnulli, relatam. ¶ Imo, hoc Auguſti privilegium, *ut ne Caducariis Legibus teneretur*, nominatim poſtea ſub Caligula expreſſum. Hinc legis Regiae de Veſpaſiani imperio latae fragmentum ſequens: *Utique quibus* LEGIBUS, *plebeive ſcitis*, SCRIPTUM fuit, ne DIVUS AUGUSTUS TIBERIUSVE, *&c. tenerentur*, *his* LEGIBUS PLEBISQUE SCITIS IMP. CAESAR *Veſpaſianus* SOLUTUS ſit.

Princeps Caducariis legibus ſolus ſolutus, non etiam Auguſta.

3 *Item ſi haeres*] *Adeundae haereditatis* legatorumque capiendorum dies antiquo jure a morte Teſtatoris cedebat; ab apertis tabulis, ex L. Jul. & Pap. ut Ulpian. *fragm. tit.* 24. §. *penult.* & Juſtinianus *l. unic.* §. 1. *C. de Caduc. toll.* docent. Hujuſce rei effectus hic erat, ut ſi vita haeres legatariusve ante apertas tabulas decederet, relictum deficeret, neque id ad haeredem ſuum transferret, ut Juſtinian. *d. l. un.* §. 1. *C. de cad. toll.* oſtendit. Item, ut ſi teſtamenti facti vel mortis teſtatoris tempore capax haeres le-

Dies haereditatis adeundae, &c. quis?

ga-

Item, [4] ſi [l] plus quam H. L. licebit, relictum erit, caducum eſto: populoque vindicator.
Item, ſi [m] haeres legatariusve poſt mortem teſtatoris ante eventum conditionis deficiat, haereditas legatumve caduca ſunto, populoque deferuntor.

XXXI. de Ereptitiis populo vindicandis. [1] SI [a] velut indigno haereditas Legatumve ereptum erit, populo vindicator. ¶ Lib. XIV. Ulp. & Teren. Clem.

XXXII. de Vacantibus bonis populo deferendis. [1] SI ante aditam haereditatem [a], legatumve agnitum haeres [b] vel legatarius [c] decedat, haereditas legatumve, ceu vacantia, populo vindicantor. ¶ Lib. XV. Ulp. & Teren. Clem.
Item, ſi haeres legatariusve, [2] jus ſuum omittat [d] repudietve, haereditas legatumve, ceu vacantia, populo vindicantor, neque haeredibus eorum deferuntor.

XXXIII. de Fraudibus adverſus hanc L. removendis. [1] NE quis in fraudem [a] hujuſce Legis, quo magis caduca is qui capere non poteſt, capiat, quid admiſiſſe velit. ¶ Lib. XVI. Ulpiani & Ter. Clem.

[a] In-

PROBATIONES.

l *Plus quam per Legem Pap. licet* relictum, caducum fit; veluti, ſi Conjugi a conjuge ultra modum legis decimariae relictum fuerit: item, ſi Coelibi quidpiam relictum fuerit: vel ultra dimidium relicti Orbus capere velit. Quo ſpectat e Terentii Clementis lib. 13. *l.* 54. *π. de legat.* 2. & ex Ulpiani d. lib. 13. *l.* 64. *π. ad Legem Falcid.* & ex Gaji lib. 12. *l.* 55. *π. de legat.* 2. vide Ulpian. *fragm. tit.* 17.

m *Conditio* poſt mortem teſtatoris ſi deficiat, relictum caducum fit ex L. Papia. vid. Juſtin. *l. un.* §. *ſin autem* 7. *C. de cad. tol.* Ulpian. dict lib. 13. *l.* 59. *π. de cond. & demonſt.* Gajum lib. 13. *l.* 69. *π. d. tit. & l.* 35. *π. de ſtatulib.*

Cap. XXXI. a *Ereptitia* quoque populo (poſtea, fiſco) adquirebantur, Juſtin. *l. unic.* §. *quae autem* 12. *C. de caduc. tollend.* Ulpian. lib. 14. *l.* 9. §. 2. *π. de his quae ut indig.* Imo & haeredibus quandoque, ut docet Ulpian. *fragment. tit.* 19. §. 16. & Juſtinianus *d.* §. 12.

a *Non adita haereditas*, vel non agnitum legatum, ceu vacantia, ex L. Papia populo deferuntur. vid. Juſtin. *l. un.* §. *in noviſſimo* 5. *v. haereditatem. C. de cad. toll.* Cap. XXXII.

b *Non adita haereditas* ex L. Papia non transmittitur: ſuus haeres tantum excipitur, Gajus lib. 13. *l. in ſuis* 14. *π. de ſuis & legit.* . *&* d. §. 5.

c *Vindicationis* legatum excipe, de quo vid. Paulum *lib.* 3. *Sent. tit.* 6. §. 7. vid. & Terentium Clementem lib. 15. *l.* 16. *π. de option. legat.*

d *Repudiata haereditas* legatumve omiſſum populo defertur ex L. Papia. vid. Terentium Clementem d. lib. 15. *l.* 59. *π. de legat.* 2. & Ulpian. *fragm. tit.* 24. §. 11. *tit.* 1. §. 19. *tit.* 28. §. 7.

a *Fraus* legi caducariae per donationes cauſa mor- Cap. XXXIII.

NOTAE.

gatariusve fuiſſet, ſi tamen poſtea ante tabulas apertas pereger, ſeu peregrinus, reperiretur, relictum ex L. Papia caducum fieret, ut Ulpianus *fragment. tit.* 17. teſtatur. Quo pertinet etiam, quod Mauricianus lib. 2. de deportato in *l.* 23. *π. de uſu & uſufruct. leg.* tractat. Item, quod SCto cautum nominatim poſtea fuit, ut ſi quomodocunque relictum ante apertas tabulas deficeret, caducum fieret, ut ex *d. l. unic.* §. 1. apparet. Contra effectus hujus rei hic erat, ut ſi ab initio incapax haeres legatariusve fuiſſet, & apertarum tabularum tempore capax reperirietur, capere poſſet: ut elegantiſſima ſpecies *l.* 42. *π. de haered. inſtit.* & *l. ult. π. de mort. cauſ. donat.* apertiſſime oſtendunt. Itaque recte Ulpianus in *l. ult. π. de Reg. Cat. Regulam Catonianam ad novas leges non pertinere*, id eſt, ad L. Jul. & Pap. ſcribit. Definitio enim Catoniana haec erat: *Ut quod legatum ab initio non valeret, ex poſt facto non convaleſceret.* Idque eſt, quod Paulus lib. 5. ad L. Jul. & Pap. in *l.* 28. *π. de Legibus* ait, *Poſteriores leges ad priores non pertinere, cum contrariae ſunt.*

4 *Si plus*] Quod ultra modum lege Papia praefinitum capitur aut relinquitur, caducum fit: veluti, ſi conjux ultra modum legibus decimariis, de quibus priore parte actum, praeceptum capiat. Item, ſi coelibi quid relictum fuerit; vel orbus ultra dimidium relicti capiat. Ulpianus *fragment. tit.* 17. Quod SCto etiam ad donationes mortis cauſa extenſum fuit, ut Paulus lib. 6. in *l.* 35. *π. de mortis cauſ. donat.* docet. Eoque pertinet ex eodem libro *l.* 12. *π. de condict. cauſ. dat.* Item ex Ulpiani lib. 15. [puto 13.] *l.* 37. *π. de mortis cauſa don.* Quomodo autem Plus hoc aeſtimari oportuerit; & ſupra jam docuimus. Certe, non ex affectione: quo pertinet, quod Terentius Clemens, lib. 13. in *l.* 54. *π. de legat.* 2. tractat. Quaeſiverat etiam Ulpianus d. lib. 13. quid ſi teſtator haeredem damnaſſet, quanto minus Legatarius per Leg. Papiam capere poſſet, tanto amplius ei haeres daret? Et certum eſt, teſtatorem facere non potuiſſe, quin lex Papia in teſtamento ſuo locum haberet. Quod & in L. Falcidia pariter obtinet *l. quod bonis* 15. §. 1. *π. ad L. Falcid.* Illud enim hactenus poteſt teſtator conſequi, ut ex pluribus legatis relictis quaedam extra Falcidiam ſint, & ſine ulla diminutione praeſtentur, ut Ulpian. lib. 13. in *l.* 64. *π. ad L. Falcid.* docet.

¶ Ad Caput XXXI. Ereptitia. 1 *Si velut indigno*] *Ereptitia* ſequuntur, id eſt, ea, quae velut indignis a populo eripiuntur. Legibus, Julia & Papia ſcil. *Lata ſententia* (ait Conſtantius in *l.* 26. *C. Theod. de appellationibus*) quae *pertinet ad bona Vacantia, & Caduca, & ad ea, quae indignis*, Legibus *cogentibus, auferuntur, &c.* Haec enim, licet generali quoque *Caducorum* nomine veniant, ut *l.* 9. *π. de SCto Silaniano*: alibi tamen a ſpeciali *Caducorum* appellatione diſtincta fuere. Ereptitia autem ex L. Papia, Omnia populi aerario delata fuiſſe videntur. At ſecuta Juriſprudentia certos caſus, quibus Ereptitia, non ad fiſcum, verum ad alias interdum perſonas devolvi voluit, excepit: ut Juſtin. *l. unic.* §. 12. *C. de Cad. toll.* & Ulpianus lib. 14. ad hoc caput ſcribens, in *l.* 9. *π. de his quae ut.* docent. *Lege* Nobis (privatis perſonis, inquit Ulpian. *fragment. tit.* 19. §. 16.) *adquiritur, velut Caducum & Ereptitium.* Addatur ſpecies *l.* 5. §. 2. *d. tit.* quae in *l. penult. verſ. quemadmodum ſi. C. de legatis*, repetitur.

¶ Ad Caput XXXII. Vacantia quae, eorumque caſus. 1 *Si ante aditam*] *Vacantia* ſequuntur. Vacantia ſane & Caduca clare nominibus ſeparantur in *l.* 20. §. *ait Senatus* 7. *π. de petit. heredit. l. ult. Cod. Theod. de bonis vacantibus.* & *l.* 2. *eod. C. de incorporat.* & *l.* 11. & 20. *eod. de petition.* Quanquam, & generali *Caducorum* nomine, vacantia ſaepe, & viciſſim *vacantium* nomine Caduca quandoque veniant. Nam & eo ſenſu Julianus in *l.* 96. §. 1. *π. de legat.* 1. vacantia ad fiſcum pertinere dixit. Item Tacitus *lib.* 3. *Annal. cap.* 28. *ut ſi a privilegiis parentum ceſſetur, velut parens omnium, populus vacantia teneret.* *Vacantium* autem proprie dictorum primus hic caſus eſt, ſi ante aditam haereditatem agnitumve legatum is, cui quid relictum eſt, decedat. Nam ut ante apertas tabulas haereditas legatumve ex L. Papia adiri agnoſcive non poterat, ut ſuperius dictum eſt: ita, nec poſt apertas tabulas, non adita haereditas legatumve non agnitum ad haeredem transmittebatur. Quod oſtendit etiam *l. un.* §. *in noviſſimo* 5. *C. de Caduc. toll.* *Sui* tantum haeredes excipiebantur, ut ad hoc ipſum caput ſcribens Gajus lib. 13. in *l.* 14. *π. de ſuis & legit.* notavit. Excipiebatur etiam legatum vindicationis, ut Paulus *lib.* 3. *Sentent. tit.* 5. §. 7. docet. niſi optionis legatum ſit, ut Terentius Clemens ad hoc caput ſcribens lib. 15. in *l.* 16. *π. de optione legata* notat.

Omiſſum vel Repudiatum, caducum. 2 *Si jus ſuum omittat*] Non morte haeredis tantum legatariive vacans eſt haereditas, ſeu legatum, ſed & *Omiſſione, renuntiationeque.* Certe Ulpianus in *fragment. tit.* 24. §. 11. indiſtincte, non capientis partem caducam fieri ex L. Papia Poppaea ait, ſeu ut idem loquitur, *tit.* 1. §. 19. non adeuntis. At nominatim, *tit.* 28. §. 7. *Si jus ſuum* (inquit) Omiſerit, *populo bona deferuntur, ex L. Julia Caducaria.* Et huc pertinet, quod Terentius Clemens, lib. 15. ad hoc caput de repudiante in *l.* 59. *π. de legat.* 2. ſcripſit. Eodem referenda eſt, quod ad hanc diem neſcitur, *l.* 28. *π. de legat.* 2.

¶ Ad Caput XXXIII. 1 *Ne quis in fraudem*] Sequitur tertia hujus Legis Ca-

XXXIV. de Jure Accreſcendi abolendo. • [1] Inter Conjunctos [a] haeredes, Legatarioſve, jus accreſcendi ne eſto. ¶ Lib. XVII. Ulp. & Terent. Clem.

XXXV. de Tacitis fideicommiſſis. [1] SI qui haeres Legatariuſve in fraudem hujus Legis a teſtatore tacite [b] rogatus ſit ei reſtituere, qui per hanc Legem capere prohibetur, iſque ſciens D. M. [c] tacitam fidem teſtatori accommodaverit, haereditate Legatove [d] ſibi relicto privator [e], eaque populo vindicantor. ¶ Lib. XVIII. Ulpiani & Ter. Clem.

XXXVI. de Praemiis Delatorum. SI qui [a] incapaci relictum ad aerarium [1] detulerit & convicerit, praemii nomine..... [b] ... partem relicti conſequitor.

XXXVII. de Oneribus Caducorum. SUpradictis tamen caſibus omnibus bona caduca deducto aere [a] alieno, iiſdemque conditionibus & oneribus [b], quibus relicta erunt, populo quaeruntor.

PROBATIONES.

tis fieri poteſt: Ideo, fraus haec SCto poſtea nominatim prohibita fuit, ut teſtatur Ulpianus lib. 16. (ſic enim reponendum) in *l.* 37. *ff. de mort. cauſ. donat.* & Paulus lib. 6. in *l.* 35. *d. tit.* & *l.* 12. *ff. de condict. cauſ. dat.* Fraus fit etiam huic Legi, ſi filiusfamilias incapax inſtituatur, etſi non ſibi verum patri capaci adquirat, Paulus libro 6. *l.* 140. *ff. de V. S.* Item, ſi cum ſervus incapacis inſtitutus eſſet haeres, dominus eum in fraudem Legis poſtea manumiſit. Vide Terentium Clementem lib. 16. *l.* 82. *ff. de adquirend. haered.*

Cap. XXXIV. [a] De *Conjunctis*, tam haeredibus quam legatariis, & jure accreſcendi actum hac lege fuiſſe, docent quae Paulus lib. 6. ad L. Jul. & Pap. in *l. triplici* 142. *ff. de V. S.* & *l.* 89. *ff. de legat.* 3. accurate tractat, ut & Gajus lib. 13. *l.* 53. *ff. de acquir. haered.* & *l.* 58. *ff. de legat.* 2. & Terentius Clemens lib. 17. *l.* 17. *ff. de opt. legat.* vid. Notas.

Cap. XXXV. [a] *Tacitis fideicommiſſis* fraus Legi Caducariae facta: ideo prohibita ea hac Lege nominatim. vid. Gajum lib. 15. *l.* 10. *ff. de his quae ut indign.* & Paulum *l.* 13. *ff. de jure fiſci.*

[b] Aliud ſi nominatim & palam. vide Paulum lib. 7. in *l.* 90. *ff. de legat.* 3.

[c] *Sciens* tantum qui tacitam fidem teſtatori accommodat L. Papia punitur. vid. Ulpianum lib. 18. *l.* 6. *ff. de jur. & fact. ignor.*

[d] Ut libertate & operis ſervi, vide Terentium Clementem lib. 18. *l.* 1. *ff. de adempt. libert. l.* 5. *ff. de operis ſervor.*

[e] Ideoque nihil ei jure antiquo accreſcere poteſt, Ulpian. d. lib. 18. *l.* 83. *ff. de adquir. haered.*

Cap. XXXVI. [a] *Delatores Caducorum* & tacitorum fideicommiſſorum praemiis L. Papia invitati. vid. Maurician. lib. 3. *l.* 15 *ff. de jur. fiſci.* Quid ſi incapax ſe ipſum detulit? vid. Trajani de eo edictum apud Ulpian. lib. 18. in *l.* 16. *ff. de jure fiſci.* & Paulum lib. 7. *l.* 13. *d. tit.*

[b] *Praemium delatoris* quod Lege Papia? Non conſtat. Certe, quarta ejus quod detulit majus fuiſſe, docet Suetonius *in Nerone cap.* 10.

Cap. XXXVII. [a] *Caduca* aere alieno deducto populo vindicantur, vide Ulpianum d. lib. 18. *l.* 66. *ff. ad Leg. Falcidiam.*

[b] *Caduca* iiſdem oneribus & conditionibus, quibus relicta ſunt, populo vindicantur. vid. Ulpianum d. lib. 18. in *l.* 61. *ff. de legat.* 2. & Paulum lib. 7. *l.* 60. *ff. de condit. & demonſtr.* & Julianum *l.* 96. §. 1. *ff. de legat.* 1

N O T A E.

Fraudes adverſus L. Caducariam. Caducariae pars qua obviam itum fraudibus, quibus Lex Julia Caducaria eludi poterat. Sane, cum huic quoque Legi fraus poſtea *donationibus mortis cauſa factis* fieret, SCto cautum fuit, *Ut donationes mortis cauſa factae in eos quos capere lex prohibet, in eadem cauſa (caduci ſcilicet) haberentur, in qua eſſent, quae teſtamento legata eſſent*, ut Paulus lib. 6. ad hoc caput ſcribens, in *l. ſenatus cenſuit* 35. *ff. de mortis cauſ. donat.* docet. Eoque etiam pertinent ex eodem lib. *l.* 12. *ff. de condict. cauſ. data.* & ex Ulpiani lib. 15. [*rp.* 16.] *l.* 37. *ff. de mort. cauſ. donat.*

Alia fraudum genera ad hoc ipſum caput ſcribentes notant Terentius Clemens lib. 16. in *l.* 82. *ff. de acquir. haered.* & Paulus d. lib. 6. in *l.* 140. *ff. de V. S.* & in *l.* 29. *ff. de liberat. leg.* Certe, ne ſubſtitutiones ad excludenda caduca a teſtatoribus fierent, lex efficere non potuit. Imo, frequentius deinceps uſurpatas factasque ſubſtitutiones, ne relicta caduca fierent, Juſtinianus, *l. unic. in pr. C. de Caduc. toll.* teſtatur, ſuadentibus ſcilicet Juriſperitis, quorum fuit Eurematicis ſuis (*cautelas* hodie vocant) legum ſeveritatem eludere. Quod etiam Modeſtini liber ſingularis *de Eurematicis* oſtendit.

¶ Ad Caput XXXIV. Accreſcendi jus L. caducaris ſublatum. [1] *Inter conjunctos*] *De Accreſcendi* jure inter conjunctos tam haeredes, quam legatarios actum hac lege docet, quod Paulus lib. 6. de his expreſſe accurateque in *l. re conjuncti* 89. *ff. de legat.* 3. & in *l. triplici modo* 142. *ff. de V. S.* neque alibi ita ex profeſſo tractat. Sed, quid ea lege cautum de his fuerit, dictu difficilius. Mihi mens ea, finem hujuſce legis attendenti, jus accreſcendi inter conjunctos ſublatum Lege Papia penitus fuiſſe. Certe, cum Juſtinianus, poſt legem Papiam teſtatoribus unicam tantum viam ad caduca excludenda (in *l. un. in fin. princ. C. de Cad. toll.*) nempe ſubſtitutionibus factis patuiſſe prodat: apparet exinde teſtatores per conjunctionem caduca excludere non potuiſſe. Sane, quod maximi nominis JCtus ſolos disjunctos (id eſt, re conjunctos) per vindicationem Lege Papia jus accreſcendi habuiſſe tradit, auctorem nullum, imo legitimum contradictorem habet Ulpianum in *fragm. tit.* 24. §. 12. *in fin.* Veriſſimam ego eam ſententiam puto, Lege Papia ſublatum jus accreſcendi inter haeredes ſcriptos, ſi deficerent partes vivo teſtatore, aut ante apertas tabulas quae erant in cauſa caduci vel caducae, *l. un.* §. 3. & 4. *C. de caduc. toll.* At cum apertis tabulis haereditas adita fuerat, manſit inter cohaeredes jus accreſcendi, & ſic conjuncti fiſco praeferebantur, *l.* 53. *pr.* & §. 1. *ff. de adquir. haered.* quae eſt ex Gaji lib. 14. ad L. Jul. & Pap. & *l.* 26. §. 2. *ff. de condit. & demonſtr. l.* 2. §. *ſi duo* 8. *ff. de bonor. poſſ. ſecund. tab.* Vid. Merill. *lib.* 5. *Obſ. cap.* 4. & *cap.* 12. *in fin.*

¶ Ad Caput XXXV. Tacita Fideicommiſſa. [1] *Si qui haeres in fraudem*] Per fideicommiſſa (ait Hieronymus, *ad Nepotianum*) Legibus illudimus. Et Julianus *l.* 103. *ff. de legat.* 1. in tacitis fideicommiſſis fraudem legi fieri dicit. Quod etiam Juſtinianus *in princ. Inſtit. de fideicomm. haered.* comprobat. Ad hujus porro capitis interpretationem manifeſtiſſime pertinet, quod Gajus lib. 15. in *l.* 10. *ff. de his quae ut indig.* & Ulpianus lib. 15. in *l.* 83. *ff. de acquir. haered.* tractant. De Tacitis denique fideicommiſſis, in fraudem Legum relictis, Paulus ſingularem quoque librum ſcripſerat, cujus duo tantum fragmenta in *l.* 49. *ff. de jure fiſci.* & in *l.* 129. *ff. de V. S.* extant. De Tacitis fideicommiſſis, vid. & *l.* 20. *Cod. Theod. de petition.* & *l. unic. utroque Cod. de his qui ſe deferunt.*

¶ Ad Caput XXXVI. Delatores caducorum, &c. [1] *Si qui detulerit*] *Delatores caducorum*, eorumque, quae in fraudem caducorum committerentur, praemiis invitati lege Papia fuere. Tacitus *lib.* 3. *Annal. cap.* 28. *Inditi cuſtodes & lege Papia Poppaea praemiis inducti.* Suetonius, *Nerone cap.* 10. *Praemia delatorum Papiae legis ad quartas redegit.* Majus itaque quarta delati caduci parte, praemium delatoris ex L. Papia fuit: verum, ad quartam id a Nerone poſtea reductum: quod *vulgare praemium* a Paulo lib. 7. in *l.* 13 *ff. de jure fiſci*, dici videtur. Unde & delatoribus, *Quadruplatoribus* nomen. Quorum tutelae & calumniae deinceps frequentes, & frequenter a Tito, Domitiano, Trajano, Antonio Pio, & Philoſopho, Pertinace, aliis, repreſſae, Suetonio, Martiale, Dione, Plinio, Capitolino id teſtantibus.

Extinguendis autem delationibus, factum inter caetera a D. Trajano edictum, de *his qui ſeipſos deferrent*, invitati quippe ad id majore (dimidiae videlicet partis, ejus quod detuliſſent) praemio: de quo Paulus lib. 7. in *l.* 13. *ff. de jure fiſci.* & Mauricianus lib. 3. in *l.* 15. *ff. eod.*

Καλῶς ἔσαι, SE-

Digitized by Google

Furii Anthiani ad Edictum Liber.	Pomponii ad Edictum Liber.	Callistrati ad Edictum monitorium Liber.	Pauli ad Edictum Liber.		Ulpiani ad Edictum Liber.	Gaji ad Edictum Provinciale Liber.	Juliani Digestorum Liber.	Hermogeniani Epitomarum Juris Liber.
				Præfatio Edicti adverſus eos, qui quid *adverſus Edictum* fecerunt.				
			1	De Actione danda vel deneganda a Praetore.	1			
				De Magiſtratibus Municipalibus, eorum Poteſtate & Officio.				
				De modo Juriſdictionis eorum.		1		
				De Vadimonio.				
				De Vindicus ſecundum poſſeſſorem interim dandis.	2		1	
			2	De Mandata Juriſdictione & Judice dando.				
	10		3	De Formula Juriſdictionis, deque Albo Praetoris corrupto.	3			
	11			De Edendo.		2		
				De Pactis.	4			
	8		4	De In Jus Vocando.	5			
				Qui neque ſequantur, neque ducantur				
		1	5	De Poſtulando.	6			
				De his qui notantur infamia.			2	
				De Forma agendi.				
			6	De plus petendo.				
				De Cautione Judicio ſiſti, & Vadimonio deſerto.	7			
			7	De dote, de muliere, abeſſe, amiſiſſe.		3		
				De Cognitoribus.	8			
			8	De Procuratoribus.	9			
			9	De univerſitatis cujusque cauſis.				
	24			De Negotiis geſtis.	10		3	
	26		10	De Calumniatoribus.				1
				De In Integrum Restitutionibus.				
1	27			De Dolo malo.	11			
			11	De Metu.				
	28			De Minoribus 25. annis.		4		
				De Capitis diminutione.	12			
				De eo, quod falſo tutore geſtum.				
	30		12 & Brevium. 3	Ex quibus cauſis majores.			4	
	31			De Alienatione Judicii mutandi cauſa.				
				De Temporibus in integrum reſtitutionis.	13			
	33		13	De Receptis qui arbitrium.				
			14	Nautae, Caupones, Stabularii, ut recepta reſtituant.				
	34			De Satisdando.	14	5	5	
			15. 16.	De Judiciis.				
			17. 18.	De Inofficioſi querela.			6	
	36		19. 20.	De Haereditatis petitionibus.	15	6		
				De Rei Vindicatione.	16			
	37			De Publiciana.				
	39		21	Si ager vectigalis.			7	
		2		De Uſufructu, uſu, habitatione.	17			
	40			De Servitutibus.				
Hactenus ex Furio Anthiano.				De Damno Dato. Si quadrupedes Pauperiem feciſſe dicatur		7		
			22	Ad L. Aquiliam.	18		8	
				De Noxalibus actionibus.				
				Finium regundorum.				
			23	Familiae erciſcundae.			9	
				Communi dividundo.	19 & 20			

Pomponii.	Calliſtrati	Pauli		Ulpiani	Gaji	Juliani	Hermogeniani.
			De Judice litem ſuam faciente & mutando.				
			De Fraudatoriis actionibus.	21			
			De Interrogationibus in jure faciendis.	22			
		24	De Jurejurando.				
			De his qui effuderunt vel dejecerunt.				
			De ſervo corrupto.	23	8		
			De Aleatoribus.				
		25	Si menſor falſum modum dixerit.				
		26	Ad exhibendum & de ventre inſpiciendo.	24			
		27	De Religioſis.	25			
		Paulus ad Edictum lib. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. Brevium lib. 6. 7.	De Rebus Creditis, & certi Condictione.				
			De Jurejurando.	26		10	
			De Condictionibus, indebiti, & aliis.				
			De Condictione furtiva.				
			De Condictione Triticaria.				
		28	De eo quod certo loco.	27			
			De pecunia conſtituta.				
			Commodati.			11	
			De Pignoratitia actione.				
		29	De Praeſcriptis verbis & in factum actionibus.	28	9		
			De Exercitoria.				
			De Inſtitoria.				
			De Tributoria.				
			Quod cum eo, qui in aliena poteſtate.			12	
			De SCto Macedoniano.				
		30	Quod juſſu. — *Hic ordo fuit, ut docet lex 1. Quod cum eo qui &c. & lex 1. de peculio.*	29			
			De in rem verſo.				
			De Peculio.				
			Ad SCtum Vellejanum.			13	
		31	De Compenſationibus.	30		14	
			De Depoſito.				
		32	De Mandato.	31			
			Pro Socio.				
63		33	De Emptione, ſeu Actionibus Empti-venditi.				
			De Locatione, de L. Rhodia, de jactu.		10	15	2
		34	De Æſtimatoria.	32			
			De Pignoribus.				
			De Evictionibus.				
		Paulus ad Edictum lib 35. 36 37. Brevium 7.	De Sponsalibus.			16	
			De Nuptiis.				
			De Jure Dotium.				
			De Pactis Dotalibus.				
			De Fundo Dotali.	33			
		35	De Divortiis, ſoluto matrimonio dos quemadmodum petatur.				
	3				11		
		36	De Retentionibus ex dote, ob res donatas, ob Impenſas.			17 18	
			De Donatione inter virum & uxorem.				
			De Mora in dote danda, ac reddenda.				
			De Actione rerum amotarum.				
		37	Si Ventris nomine.	34		19	
			De Agnoſcendis liberis.				
69			De Tutelis.				
			De Satisdatione tutorum.				
			De Excuſationibus.				
		38 Ad Edictum & Brevium 8.	De Adminiſtratione tutorum.	35		20	
			De rebus eorum qui ſub tutela.		12		
			De ſuſpectis Tutoribus.				
			De Tutelae Actionibus.			21	
			De Magiſtratibus conveniendis.	36			
			De Curatore furioſi.				
		39	De Noxali Furti actione, & in genere.	37			
			de Furto a ſervo, qui teſtamento liber eſſe juſſus eſt.		13 Cajus ad Edictum Praetoris tit. de Publicanis.		
		40	De Publicanis & furto, a familia eorum facto.	38		22	
			De Operis Libertorum.				

de Bo-

Pomponii.	Callistrati	Pauli liber ad Edictum.		Ulpiani liber ad Edictum.	Gaji	Juliani	Hermogeniani.
			De Bonorum Possessionibus.	39			
			De Bonorum poſſ. contra tabulas.			23	
			De Legatis Praeſtandis.	40			
			De Collatione bonorum.				
		41	De Dotis collatione.		14		
79			De Conjungendis cum emancipato liberis.			24	
			De ventre in poſſeſſ. mittendo.	41			
			De Carboniano Edicto.		15		
			De Bonorum poſſeſſ. ſecundum tabul.	42		25	
		42	De Bonis libertorum.		16	26	
			Si tabulae teſtamenti nullae extabunt.	43			
		43	Si quid in fraudem patroni.	44			
83 Hactenus Pomponius.			De Testamento militis.	45	Gaji libri duo *de Teſtamentis* ad Edictum Praetoris Urbani.		
			De Teſtamentis.				
			De Legitimis ſeu ab inteſtato ſucceſſionibus.			27	3
			Unde liberi.	46			
			Unde legitimi.				
			Unde Cognati.				
			Unde vir & uxor.	47			
			De Fiſco, & ſic de Vacantibus, Caducis, Ereptitiis.				
			Si quis aliquem teſtari prohibuerit.	48	17	28	
		44 45.	Ut ex Legib. Senatusconſ. bon. poſſ. detur.				
			Quis ordo in bonorum poſſeſſione ſervetur.	49		29 30	
			De Succeſſorio Edicto.				
			De Haeredibus Inſtituendis.				
			De Subſtitutionibus.				
			De Conditionibus inſtitutionum.	50		31	
			Teſtamenta quemadmodum aperiantur.				
			Si quis omiſſa cauſa teſtamenti.				
		46	De SCto Syllaniano.		18		
		47	De Legatis & Fideicommissis.		Gaji libri 3. de Legatis ad Edictum Praetoris urb.	à lib. 32 ad 40 incluſ.	4
			Ut in poſſeſſione Legatorum.	51			
		48	De Operis Novi Nunciatione.	52	Gajus ad Edictum ed. de operis novi nunc.		
			De Damno infecto.				
		49	De Aqua pluvia arcenda.	53	19 Item ejus liber ad Edictum Praetoris urbani, 1. de damno infecto 2. de aq. pl. arc.	41	
		50	De Cauſis Status.				
			De Liberali cauſa.			42	
		51	De Statuliberis.	54			
			De Publicanis.				
			De Adquirenda poſſeſſ. de Uſucapionibus.	55	20	43	
		52		56	Item libri Gaji de Liberali.	44	
			Vi bonorum raptorum.		21		
			De Incendio &c.		22		
			De Injuriis.	57		45	5
		53	De Re Judicata & Executionibus.		Gajus lib. ad Edictum Praetoris tit. *de re judicata.*		
		54	De Confeſſis.				
		55	De Ceſſione bonorum.	58			
		56	Quibus ex cauſis in poſſ. eatur vel differatur.				
		Bre-vi-um id 57	De rebus auctoritate Judicis poſſid.	62	23		
		58	De Creditoribus in poſſeſſ. mittendis.				
			De Privilegiariis creditoribus.	63			
		59	De Bonorum venditione.				
		60	De ſeparationibus.	64			
		61	De Curatore bonis dando.	65	24		
		62	De his qui in quantum facere poſſ. cond.	66		47	
			De his quae in fraudem creditorum.				

Pomponii.	Callistrati	Pauli liber ad Edictum.		Ulpiani liber ad Edictum.	Gaji	Juliani	Hermogeniani.
		63	De Interdictis Quorum bonorum. Quod Legatorum.	67	25	48	6
		64	De Interdictis, de divinis rebus, deque publicis, de vi publica, de mortuo inferendo, de Tabulis exhibendis.	68			
		65	De Interdictis ſuper re privata, retinenda, recuper. poſſeſſ.	69			
		66	De ſuperficiebus. De Itinere Actuque privato. De Aqua quotidiana. De Rivis. De Fonte.	70			
		67	De operis novi nunciatione. De cloacis. Quod vi aut clam. De Remiſſionibus. De Precario. De Arboribus. De Glande. De Homine libero exhibendo. De Liberis exhibendis. Utrubi. Ne vis fiat ei.	71 72	26	49	
		68	De Salviano. De Migrando.	73			
		69	De Exceptionibus. De exceptionibus. adv. vadimonium deſertum.	74	30	50	
		70	De Exceptione rei judicatae.	75		51	
		71	De doli mali exceptione. De Exceptione rei venditae. De Litigioſis. Quarum rerum actio non detur. De Exceptione Jurisjurandi. De his quae onerandae libertatis.	76			
		72	De Stipulationibus, cautionibus, Satisdationibus. De ſtipulationibus Conventionalibus.		27 28 29	52 53 54	
		73	De ſtipulationibus Praetorus. De ſatisdatione haeredis pendente conditione.	77		55	
		74	Judicio ſiſti. Judicatum ſolvi. De re defendenda. De dolo malo. Tutelae & Teſtamenti.	78			
		75	Legatorum nomine, veluti uſusfr. Si cui plus quam per L. Falcid. Legatorum ſervandorum.	79			
		76	Rem pupilli ſalvam fore. Ratam rem haberi. Stipulatio de operis novi nunciatione.	80		56	
* vide de hujus tit. hic ſitu conſtitutionem *ad Antecessores* §. 3. & *ad Senatum & ad omnes populos*. §. *quartus locus* 5.		77	De * Duplae ſtipulatione.	81		57	
		78	De ſtipulatione ob novum opus & de damno infecto.			58	

SABI-

SABINIANORUM LIBRORUM SERIES ET CONTINENTIA.

Sabini libri tres Juris Civilis.		Ulpiani libri octo.	Pomponii Tres.	Pauli
Idem ordo ſervatus à Caſſio, utex 15. Javoleni libris ad Caſſium, conſtat. vid. p. 98. Ind. Labitti. & ab Urſejo Feroce. vid. notas Juliani p. 135.	¶ De Testamentaria Succeſſione.			
	de Teſtamentis ordinandis: puta, Teſtatore, Teſtibus, Liberis inſtituendis, exhaeredandis, Haeredibus inſtit.	1	1	1
	de Solemnibus aliis Teſtamentorum: de Injuſto, rupto, deque Militis teſtamento	2		
	de Poſtumis, de Suis, Neceſſariis, haeredibus inſtituendis vel exhaeredandis.	3		
	de Conditionibus inſtitutionum, & de vulgari ſubſtitutione.	4	2	
	de Mendis, erroribus, vitiis inſtitutionum.	5		
	de Pupillari ſubſtitutione, deque Filiisf. & ſervis alienis haeredibus inſtitutis.	6		2
	de Diviſione haereditatis, & Adquir. vel omitt. haered.	7		
	de Adquir. vel omittenda haereditate per alium. de jure deliberandi. ſi quis omiſſa cauſa teſtamenti. deque dubietatibus circa haered.	8	3	
	¶ de Praetoriis Succeſſionibus, ſeu de Bonorum Poſſeſſionibus Tabulis Extantibus, contra Tabulas.	Sex.	Unus.	
	Rupto teſtamento per *agnationem* ſeu nativitatem ſui haeredis, vel mortuo, &c.	9	4	
	Irrito teſtamento, teſtatore *capite minuto.*	10		
	Rupto per *Adoptionem* ſui haeredis, & irrito per *Captivitatem.*	11		
	Tabulis non extantibus, & ab inteſtato Quae bonorum poſſeſſiones deferuntur *Liberis* & Conſanguineis Suis & Legitimis,	12		
	Adgnatis,	13		
	Patronis.	14		
	¶ de Legatis in genere & fideicommiſſis. de Inutilibus Legatis, vitiisque Legatorum. de his quae in teſt. delentur. de adim. vel transf. Legatis. de his quae pro non ſcriptis. de Dubiis Legatis. de Regula Catoniana.	Undecim. 15 1 de Legatis	Tres.	
	de condictione indebiti Legati ſoluti. ad L. Falcidiam. ad SCtum Trebellianum.	16 2		
	de Legatis in ſpecie. de Uſufructu & uſu legato.	17 & 1	5 de Legatis 2.	3 de Legatis 1.
	de Legatis in diem. de dote relegata. de debito legato.	18 4, 19 5		
	Quando dies Legatorum, de Conditionib. Legat. de Optione, Servis, Nummis, Inſtructo.	20 6	6 de Legatis 2.	4 de Legatis 2.
	de Inſtrumento, Auro, Legato, Statua. de Incertis, de Suis, Alienis, Fugitivis, Affixis, Sacris, Publicis, Legatis. de Tritico, Supellectile, legata.	21 7		
* Quid *Penus* Sabinus *Libro 2. Juris Civilis* explicent, teſte Gellio *lib. 4. cap. 1.*	de Penu *, veſte, Paratis uxoris cauſa, dactylotheca, Lana, Legatis.	22 8		
	de Vino, Liberatione, Annuo legato.	23 9		
	de Librorum, Bibliothecae legato: deque Ademptis Legatis, Cui & quando ſolvenda ſint.	24 10		
	de Ligno, Carbonibus, Peculio, de Servo, & Libertate fideicommiſſaria Legatis: de Repetitis, deque Extinctis Legatis.	25 11	7 de Legatis 3.	

		Ulpiani	Pomponii	Pauli.
	¶ de Poteſtate & cauſis Status.	Duo		
	de Patria poteſtate, deque Adoptionibus.	26	8	
	de Dominica Poteſtate, deque Manumiſſionibus, & cauſa liberali, deque Statuliberis.	27		
	¶ de Rebus creditis, Condictionibus & Contractibus, &c.	Tres.		
Quinam morboſi Sabinus explicuit lib. 2. Juris Civilis, teſte Gellio *lib.* 4. *c.* 2. *in fin.*	de Alienatione, Traditione, Emptione.	28	9	
	de Emptionum & Locationum adminiculis, pediſſequis: Ædilitiis actionibus, deque Commodato, Evictione, Mandato.	29	10 11 12	5
	Pro ſocio, Aliaque judicia diviſoria; deque Contractibus cum Pupillis.	30	13	6
	¶ de Nuptiis, deque Rei uxor. actionibus.	Sex.		
	de jure Dotium.	31		
	de Donationibus inter virum & uxorem.	32 33	14	7
	de Rei uxoriae actionibus ſoluto matrimonio.	34	15 16	
	de Impenſis in res dotales factis.	35		
	de rerum Amotarum actione.	36		
	¶ de Tutelis.	Tres.		
	de Tutelis in genere, & de Teſtamentaria tutela.	37		
	de Legitima Tutela, & Curatore furioſi.	38	17	8
	De Dativa Tutela, & Actione Tut. De Adminiſtratione & Auctor. Tut.	39		
	¶ de Delictis.	Tres.	18	
De Furto, & qui furti teneantur explicuit Sabinus libro 2. *Juris Civilis*, teſte Gellio *lib.* 11. *cap. ult. in f.*	de Furtis.		19	9
	de ſpecialibus furti actionibus.	40 41	20	
	de Damno dato ad L. Aquil. de Damno infecto, de Injuriis, de Noxali act.	42	21	
	de Operis novi nunciat.			
	¶ de Adquir. Recuperando, Amittendo, Remittendo Rer. Dominio & Poſſeſſione.			10
	de Solutionibus.	43	22 &	
	de Donationibus.	44	23	
De Officiorum gradibus agit libro 3. Sabinus, teſte Gellio *lib.* 5. *cap.* 13.	¶ de Obligationibus contrahendis, firmandis, tollendis: deque Stipulationibus,	45		11
	de Novationibus, deque Duobus reis.	46	24	
	de Fidejuſſoribus.	47	25	
	de Forma ſtipulationum.			
	de ſtipulatione ſervorum.	48	26	
	de Expromiſſione.			12
	de ſtipulationib. Judicialibus Praetoriis.			
	de Singularibus quibuſdam ſtipulationibus.	49		
	de Acceptilatione.			
	de Filiorum ſtipulatione.	50	27	
	de Die & Tempore ſtipul. addit.			
	¶ de Interdictis, de vi & vi arm. Quod vi aut clam.		29	13
	de Precario.			
	de Locis & itineribus publicis.			
	Ad exhibendum.		30	
	de rei vindicatione.		31	
	uti poſſidetis.		32	14
	de Servitutibus.		33	15
	de Interdictis actionibus ſuper Fluminibus & Aqua.		34 35	
	de Salviano interdicto.			16
	¶ de Judiciis, & de Jure Publico; deque Captivis, & Poſtliminio reverſis.	51	36	

F I N I S.

IN-

INDEX LEGUM,

Locorumque, Quae in Corpore Juſtiniani, in Codice Theodoſiano, & Fragmentis JCtorum Veterum illuſtrantur, explicantur, aut emendantur.

ex Inſtitutionibus.

§. 2. DE Jure natur. gent. & civ. Pag. 63
§. 6. Quib. mod. jus patr. pot. ſolv. 94
pr. de Suſpect. tutorib. 11
§. 2. de Uſucapionib. 88
§. 9. de Hereditat. quae ab inteſt. 99
pr. Si quadrup. pauper. &c. 115

e Digeſtis.

l. 2. §. 4. de Orig. Jur. 66
l. penult. de Adoptionib. 224
l. 48. de Pactis 107
l. 7 de Capite minutis 105. 170
l. 23. §. 6. de Rei vindicatione 11
l. 14 de Servitut. praed. Urban. 125
l. 13 §. 2. 3. de Servitut. praed. Ruſtic. 129
l. 1. Si quadrup. paup. &c. 11
l. 4. §. 1. ad L. Aquiliam. 24
l. 2. §. 1. de Noxal. action. 142
l. 9. §. 6. ad Exhibend. 140
l. 14. de Praeſcript. verb. 175
l. 14. § fin eod. 216
l. 17. de Sponſalib. 212
l. 16. de Ritu nuptiar. 208
l. 62. §. 1. de Donat. int. Vir. & Uxor. 215
l. 63. eod. 213
l. 3. § 7. de Legitim. tutorib. 102
l. 55. § 22. de Admin. & peric. tut. 122
l. 1. §. 2 de Suſpect. tutorib. 11
l. 2. de Curatorib. furioſ. 106
l. 12. de Liberis & poſthum. 93
l. 2. de Vulg. & pupill. ſubſtit. 64
l. 96 §. 1. de Legat. 2. 234
l. 6. §. 4 de Jure patron. 224
l. 23. §. 1. de Bonis libert. 102
l. 3. §. 12. de Suis & legit. hered. 94
l. 25 de Statulib. 109 172
l. 1 de Uſurpat. & uſucap. 120
l. 33. eod. 88
l. 7. de Re judicata. 92
l. 5. Ne quid in loco publico &c. 128
l. 98 §. ult. de Solutionib. 174
l. 54 §. 2. de Furtis 85
l. 5. Si famil. furt. fec. 141
l. 9 de Incendio 117. 145
l. ult. de Collegiis 125
l. 43. ad L. Juliam de Adulteriis 214
l. 40 de Verbor. ſignif. 186
l. 53. eod. 95
l. 145. eod. 231
l. 195 pr. eod. 99
l. 195 §. 1. eod. 102
l. 133. pr. eod. 78
l. 233 §. 1. eod. 83
l. 234 § 1. eod. 91
l. 235. §. 1. eod. 112
l. 236. pr. eod. 124 148

e Codice.

l. ult. de Heredit. action. 104
princ. l. un. de Caduc. tollend. 235
l. un de Infirm. poen. coelib. 229

e Codice Theodoſiano.

l. 3. de Diverſ. reſcript. 224
l. ult. de Inoffic. dotib. 221
l. 8. 9. de Bonis proſcript. 223

ex Inſtitutionibus Gaji.

Lib. 1. Tit. 6. 94

e Sententiis Pauli.

Lib. 1. tit. 15. 175
2. tit. 21. 227
4. tit. 8. §. 3. 99

e Fragmentis Ulpiani.

Tit. 2 § 4. 109
10. princ. 94
12. §. 2. 106
16. §. 1. 226 234
25. § penult. 235
29 princ. 101

e Collatione LL. Moſaicar. & Romanar.

Tit. 2. § 5. 121 176 177
7 § 3. 86
ult. §. 4. 97 101
§. ult. 102

INDEX SCRIPTORUM

Veterum, qui explicantur aut illuſtrantur.

AUguſtinus Pag. 116
Boetius in Topica Ciceronis 105
Capella (Martianus) 227
Cato 89
Cicero 80 91. 110. 114. 118 122. 126 129 134. 135 136 137 157. 159. 165. 183. 184
Dio Caſſius 209 223
Dionyſius Halicarn. 168
Ennius 178
Feſtus 83. 86. 109. 118. 119 132 173. 178
Gellius 23. 71. 82. 111. 131 164
Horatius 12. 73
Macrobius 151
Nonius 80. 124. 156 162
Ovidius 134. 184
Plautus 159
Plinius 26. 87. 115. 116. 136. 160. 184
Priſcianus 80 159
Seneca 166
Servius 175. 178
Siculus Flaccus 225
Sozomenus 229. 230
Suetonius 210. 212
Tacitus 82. 211. 216. 228
Tertullianus 230
Varro 52. 129. 184. 212
Vellejus 176
Zonaras 67. 185

F I N I S.

JACOBI GOTHOFREDI JCti
ANIMADVERSIONUM
JURIS CIVILIS
LIBER:

Pro vero Nonnullarum Legum INTELLECTU; *& genuina earundem*
LECTIONE.

Ad Anteceſſores BITURICENSES.

C L A R I S S I M I S

B I T U R I C E N S I S
A C A D E M I A E

J U R I S A N T E C E S S O R I B U S,

EM. MERILLIO: FR. PINSSONIO:
FR. BROEO: JO. MERCERO.

JACOBUS GOTHOFREDUS JCtus
S.

Refero ad vos, Viri Clariſſimi; rem ad Ordinem Noſtrum pertinentem, brevem ſcilicet Animadverſionum Juris Civilis libellum, quo paulo preſſius in nonnullas Leges inquirere libuit; ſincerae partim earum lectioni ſtabiliendae, partim & genuinae ſententiae firmandae adverſus veteres & novos quoſdam ſcriptores, quibus aqua haeſiſſe hac parte mihi viſa: ſive nimio compendi alios ſtudio, ſive quia non ſatis ab ea arte, quam promitterent, inſtructi viderentur; longeque adeo gravius peccare ipſi, quam qui peccaſſent prius. Rem vero tanto ferendam minus, quo major haec temporum noſtrorum felicitas eſt, quoque atriora ſunt hodie hominum judicia. Fuerat haec jam ſuperioris ſeculi beatitudo, ut exuta barbarie, melioribusque libris & literis poſtliminio reductis, impolitiae, quibus ſcientiae Noſtrae fundus ſcatebat, abſtergerentur, atque in ſecretiora quaeque Juris Romani myſteria iretur, unumque illud ferme poſtfuturis reliqui factum fuerat, quo paratura illa omnis in uſum recte derivaretur. Et ecce, nova jam errorum ſeges, ceu herba irrigua, ſuccrevit! unde iterum Jurisprudentia a fundamentis pene convelli viſa, & incertior multo facta quam dudum: tanto pernicioſius, quanto ſpecioſius: dum ſua quique inventa ſecretioris alicujus artis & arcani obtentu velare & obtrudere ſolent. Ut in eam ſententiam hodie adducantur multi, frugibus repertis ad glandes redire propemodum ſatius eſſe.

Ne ſingulos errorum iſtorum anfractus revolvam, duo cumprimis, ſciſſis in contraria ſtudiis, eminere mihi ſemper viſi ſunt: Pars nempe promiſcuis Emendationibus leges noſtras ubique temerare, urere, ſecare, caedere; hanc unam ferme rationem tenentes, vel abſurdae, ut ſibi quidem videtur, ſententiae evitandae, vel obſcurioris illuſtrandae, vel denique Enantiophana certo foedere amicandi: Pars contra, internecino Emendationibus odio indicto, interea nil penſi ipſi habere, quid aut quomodo dicant, pravum id, an rectum ſiet, dummodo divortium a prioribus illis faciant. Atque haud ſcio, in utris culpa major. Nam etſi audax ſaepe illorum facinus eſt, quos inſanabile leges emendandi cacoethes tenet, non ſemper tamen eos Juris ratio vel aequitas fugit. Contra, qui vulgatam lectionem mordicus tueri ubique satagunt, a jure & veritate ſaepe deſtituuntur: ut veriſſimum hic interea videatur iſtud Tertulliani noſtri, Tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum corruptor ſtylus. Bonum equidem factum, gliſcenti Correctionum nubilo maloque contra-ire; ſed optimum factum, eam ad rem accedere probos pecuniae male ambulantis ſpectatores, qui ipſi in tempore, etſi inviti ferme, neceſſario tamen ſaepe, nonnullas Leges emendaturos, vel potius nitori ſuo reſtituros ſeſe norint; propter antiquitatis videlicet incertum: quod Valentinianus Tertius jam olim educebat: Rurſum, qui ipſi emendatam & caſtigatam Juris ſcientiam prae ſe ferant: Denique qui cenſuram in alios exerentes, prius recogitaverint, quantum humeris ipſi ferre valeant; ne alioquin, quem aut praecipitis facti aut ἀϛοχίας noevum aliis, & maximis quidem nominibus, impingere non dubitant, eum in ſe transferant: tanto juſtius, quanto qui in alium ſcripturus eſt, ipſum ſe intueri oportet, & quemque id velle aequum ſit, quod & poſſit.

At quis ferat, uno elogio, & horrendo prope Anticriticarum Obſervationum * carmine, proſcribentes quicquid tandem medicae manus & opis per Emendationes Legibus noſtris admotum eſt? Quod nulli confidentius facere ſolent, quam qui inter initia blandientes alicujus coepti, ſuſcepti negotii molem proceſſum & finem, non ſatis bene ſubducta ratione, ante animo proſpexerunt. Quibus haud adeo abſimiles videntur, qui pauciſſimis Legum conciliationibus introſpectis, & ſic intra apium verſantes, nullas jam in Jure Antinomias dari ſibi videri fidenter pronuntiant: Vel etiam iis, quos, cum omnium legum Intellectum praeſtare facile ſibi fore aſſeveraſſent, obmutuiſſe ſaepe ſcimus & legimus.

Quis deinde ferat praecipitis animi judicium, Cujacianum morem vocare, infelici ſucceſſu

* [Auctor harum Anticriticarum Obſervationum eſt Joannes Stekius, quae in Tomo I. hujusce Theſauri pag. 501. ſeqq. reperiuntur.]

ceſſu affirmantem legem in negantem, & retro, tranſmittare? Quibus ſuffecerit vel id unum dixiſſe, Auctori tuo reverentiam: *Longe enim aliter conſummatae eruditionis Viri quique, ut paulo ante, ita & hodie, & ex his non pauci Tribunalibus admoti, vel in rerum actu verſati, quorum communi calculo, uni Cujacio omnium aetatum Interpretes adſurgunt. Nos certe, communem omnium noſtrûm Magiſtrum agnoſcimus, ejuſque feliciſſimis inter caetera Emendationibus ſcientiam noſtram plurimum profeciſſe ſcimus.*

Et haec ipſa tamen, quae paulo ante dixi, tolerabilia forent, niſi etiam tum cum alios jure reprehendere videntur, longe foedioribus ipſi erroribus Juriſprudentiam noſtram contaminarent. At quis ferat, in ea ipſa principia & arcana, quibus alios premendos putant, paſſim admittentes? Quis ferat paſſim neque verae ſententiae juſtas rationes expromi: neque alienas, recta ratione refutari? Quis tandem ferat, tam aperto capite peccantes, & in Juris principia, vel etiam apertos textus, incurrentes: qualia illa, A Judice ſemper aeſtimari quod in veritate eſt: Poenam non eſſe, ubi arbitrio Judicis quanti res eſt, aeſtimatur: Jurejurando in litem ſemper contineri quod in veritate eſt: Poenali ſtipulatione pacto adjecta tertium teneri: Folia inter fructus connumerari: Publicianam ipſi domino competere: Exceptionem juſti dominii dari non domino adverſus dominum in actione publiciana: Colonum ex conventione innocentis ignis habendi de caſu fortuito teneri: Inter ſubſtitutum & ſervi, liberi putativi, dominum inaequalibus partibus haereditatem dividi: Haeredem a teſtatore pignoris luitione liberatum, luere tamen pignus teneri: Noluntatem teſtatoris, & obſcuram teſtatoris voluntatem, contraria non eſſe.

In hoc genus Scriptorem & libellum cum pronuper necopino incidiſſem, primo quidem ipſe gaudio perfundi coepi, ubi vidi eſſe, quibus hoc ſtudium placeret unice, ingentem inquam & ſqualentem illam, quam dixi, Emendationum ſylvam caedere, atque hoc ulcus tangere; quod & antea facere inſtituerunt nonnulli, modeſtis quoque Receptarum lectionum *libris: & nemo non hodie ſparſim facit ex iis, quibus* Obſervationum Juris libri *feliciùs exeunt. At enim ubi in ejuſce libelli lectionem memet immiſi, Deus bone, quam ſpes me mea fruſtra habuit! Magni equidem ibi paſſim adverſarii, & in his Alciatus, Cujacius, Hotomannus, Donellus, Antonius Faber, alii: Athletica ubique dicta & edicta, de tuenda Pandectarum Florentinarum lectione, de rationibus ex ipſis Legum viſceribus depromendis, de Juris principiis attente ſervandis, de legum ſerie, harmonia, & contextu diligenter ſpectandis: quae utique Juris noſtri arcana ſunt. Sed, quis credat? viginti tantum ibi ſunt capita, & ne ſemel quidem inoffenſo pede, vel bona fide, hunc callem eluctatum ſcriptorem, ne ſemel quidem ad praeſcriptum ſuum ſcripſiſſe, id demum mirum mihi viſum eſt: ut prope jam illud dixerim,* Toties non ferire, artis eſſe.

Quare viſum ex dignitate Scientiae noſtrae, ut eandem mihi ilico poſt illum operam ſumerem: earum ipſarum, inquam, Legum, quas ſibi ab Emendatione vindicandas propoſuerat, retractandarum provinciam: tanto magis, quod ſperare nos jubeat, poſt haec antecoena, non inſtituti modo operis Anticritici *reliqua, ſed & de hoc genere complura alia: Cujus operae omnis compendium per me deinceps facere poterit, tam caduco inter initia auſpicio, niſi miſſis perfuſoriis aſſertionibus, quibus nemo hodie ſe commodare ſolet, decretoriis armis cum magnis nominibus congredi in animum inducat ſuum: ut moderatius, ita & deſtinatius.*

De hac re omni, Viri Clariſſimi, *ad Vos omnino referendum fuit, quid de ea re fieri oporteret. Quicquid enim in utram partem cenſueritis, ſententiae veſtrae praerogativa ſtare neceſſe eſt: ſive Vos ipſos intueor, penes quos horum ſtudiorum pontificium ſummaque hodie eſt: ſive veſtram jam inde ab antiquo* Bituricensem *Academiam ſpecto, quae* Mater & Nutrix Legum, *ut olim in Orbe Romano Berytienſis, ſedet & audit: ut de hac veſtra dicere poſſim veriſſime, quod de illa Auctor Conſtantiani ſeculi, quem nuper extuli:* Per eam ſtare judiciorum tribunalia: inde Viros Doctos Judicum Adſeſſores fieri: inde Legum peritos provincias tueri, & Leges cuſtodire. *Et avide alioquin hanc occaſionem ipſe nunc arripui, animi mei tum in commune erga Vos teſtandi, qui me non uno nomine aut tempore vadatum vobis obſtrictumque teneo: tum & Amicitiae cum nonnullis veſtrum ſanciendae: cum caeteris vero deinceps provocandae. Valete VV. CLL.*

ELENCHUS
CAPITUM ET QUAESTIONUM.

CAP. I. ULpiani *l. Si per aliam* 5. §. 1. *D. ne quis eum qui in jus vocabitur vi eximat.* ex lib. 5. ad Edictum
Utrum Quanti res eſt adverſat eum, qui in jus vocatum vi exemit, ab actore calumniatore aeſtimetur, & an jurejurando in litem, an vero libello.

II. Ulpiani *l. Conventionum* 5. *D. de pactis.* ex lib. 4. ad Edictum.
Utrum Conventionum diviſio recta ſit in publicam & privatam: Privatae rurſum, in legitimarum & jurisgentium.

III. Pauli *l. Si unus* 27. *in princ. D. de pactis.* ex lib. 3. ad Edictum.
Utrum pactum unius ex duobus Argentariis ſociis alteri e ſociis noceat: ubi eu lex conciliatur cum l. ſi duo 34. D. de recept. arb. & l. ſi duo 5. in pr. D. ſi quis cautionibus.

IV. Ulpiani *l. Denique* 3. *D. de minoribus xxv. annis* ex lib. xi. ad Edictum.
Utram Conſules Ulpiani tempeſtate Curatores dederint, vel etiam veniam aetatis jure dare potuerint. Item. Quod ſint, in ea lege, ambitioſa decreta.

V. Ulpiani *l. Sed ſi quid* 15. §. *alt. D. de uſufructu.* ex lib. 18. ad Sabinum.
Utrum proprietarius fructuario conſentiente ſervitutem conſtituere poſſit.

VI. Ulpiani *l.* 1. *in pr. D. quib. mod. uſusfructus amitt.* ex lib. 17. ad Sabinum.
Utrum uſusfructus traditus jure conſtitutus ſit: ſeu, Utrum traditione uſusfructus recte conſtituatur.

VII. Ulpiani *l. Uti frui* 5. *in fin. princ. D. ſi uſusfructus petatur.* ex lib. 17. ad Edictum.
Utram in ejus legis ſpecie, non dominus poſſeſſor fuerit, an vero falſo uſumfructum ſibi vindicaut.

VIII. Ulpiani *l. Plenum* 12. §. *praeter* 1. *D. de uſu & habitatione.* ex lib. 17. ad Sabinum.
Utram foliorum uſum Nerva JCtus uſuario denegaverit. Et oſtenditur, vocem FOLIIS *ibi ſtare non poſſe.*

IX. Ulpiani *l. Et primo* 2. §. *poſtea* 1. *D. ad SC. Vellejan.* ex lib. 29. ad Edictum.
Ubi agitur de tribus formulis SCtorum.
1. *Conſules verba fecerunt.*
2. *Quid de ea re fieri oporteret.*
3. *De ea re ita cenſuerunt.*
Quid ibi ſit mutui datio, & *quomodo reſtituenda ſint alia quaedam.*

X. Pomponii *l. alt.* §. *item ſi mulier* 2. *D. ad SC. Vellejan.* ex lib. 1. SCtorum.
Utrum mulier fundi venditi pretio pro alio in ſolutum dato, Vellejano juvetur. Ubi conciliatur d. §. 2. cum l. 4. C. ad SC. Vellejanum.

XI. Papiniani *l. Mandatum diſtr.* 57. *D. mandati.* ex lib. 10. Reſponſorum.
Utrum ab heredibus mandatarii venditione facta emptoribus jus uſucapionis & Publiciana actio quaeratur. Ubi oſtenditur, quid per Venaliciarium *intelligendum ſit, & duas ſpecies in ea lege continere.*

XII. Ulpiani *l. Si quis domum* 9. §. *ſi colonis* 3. *D. locati.* ex lib. 32. ad Edictum.
Utrum colonus ex conventione innocentis ignis habendi teneatur fortuito caſu orto incendio.

XIII. Ulpiani *l. Ex conducto* 15. §. *ubicumque* 7. *D. locat.* ex eodem lib. 32. ad Edictum.
De remiſſione mercedis colono facienda: ubi textus vindicatur ab emendatione.

XIV. Marciani *l. Si creditor* 7. §. *alt. D. de diſtract. pignorum.* ex libro ſingulari ad formulam hypothecariam.
Utrum pactum, Ne debitor pignus vel hypothecam vendere poſſit, valeat.

XV. XVI. Juliani *l. Si paterfamilias* 40. *D. de heredibus iaſtitaendis.* ex lib. 30. Digeſtorum.
Pro qua parte, ſervo alieno herede iaſtituto, quem teſtator liberum eſſe putabat, dominus ſervi & ſubſtitutus concurrant? Non pro diſparibus partibus, ſed aequis portionibus.

XVII. Ulpiani *l. Si quis extraneus* 21. §. *ult. D. de adquir. hered.* ex lib. 7. ad Sabinum.
Utrum heres ſub conditione iaſtitutus vel ſubſtitutus, ſi conditionem impletam ignoret, hereditatem recte adire poſſit.

XVIII. Ulpiani *l. Si res obligata* 57. *D. de legat.* 1. ex lib. 35. ad Sabinum. [vel potius 23]
Utrum re teſtatoris pignori vel hypothecae obligata ab eo per fideicommiſſum relicta, onus pignoris luendi ad heredem pertineat, an vero ad fideicommiſſarium.

XIX. Pauli *l. Debitor.* 82. § *ult. D. de legat.* 2. ex lib. 10. Quaeſtionum.
Utrum verum ſit, Servo alieno id demum legari poſſe, quod ipſe ſervus liber factus capere poſſet: Ubi explicatae duae contra id calumnioſae adnotationes.

XX. Papiniani *l. Maevius* 66. §. *fundo legato, penult. D. de legat.* 2. ex lib. 17. Quaeſtionum.
Fundo legato a teſtatore, cujus nuda proprietas ad legatarium pertinet, uſusfructus vero aut poſſeſſio ad tertium aliquem: Utrum legatum hoc valeat ac proinde heres teſtatoris uſumfructum & poſſeſſionem praeſtare legatario teneatur.

J A

JACOBI GOTHOFREDI JCti ANIMADVERSIONUM JURIS CIVILIS LIBER.

CAPUT I.

Ulpiani *l ſi per alium* 5. §. 1. *D. ne quis eum qui in jus voc. vi eximat.* ex libro 5. ad Edictum.

Quaeſtio eſt de poenali judicio QUANTI EA RES EST, quod redditur in eum, qui alium in jus vocatum vi exemit; & quidem gemina ſuper eo quaeſtio agitatur: Prior, a quo poenae iſtius aeſtimatio fiat: Poſterior, quomodo ſeu qualiter ea fiat. Apud Ulpianum equidem dicitur, IN EUM QUI VI EXEMIT, IN FACTUM JUDICIUM DARI: *quo non id continetur quod ea venit ite eſt, ſed* QUANTI EA RES EST, AB ACTORE ÆSTIMATA, DE QUA CONTROVERSIA EST. Hactenus ferme *Edicti* perpetui verba: quibus continuo hanc notam ſubjicit Ulpianus; *Hoc enim* ADDITUM [in Edicto ſc.] *eſt, ut appareat, etiamſi calumniator quis ſit, tamen hanc poenam eum perſequi.* Haec quidem ita clare omnes libri praeferunt: & tamen, quia abſurdum multis videtur, non tantum actionem calumniatori dari (quod alioquin etiam proditum extat *l.* 4. §. 1. *ejusdem tit.* & ſatis novum eſt) verum ita inſuper dari (quod minus ferendum) quanti ea res ab eo aeſtimata fuerit, calumniatore ipſo arbitro conſtituto, *Vir* ſcriptis hac tempeſtate longe *Clariſſimus*, deque Jurisprudentia noſtra optime meritus, haec verba AB ACTORE eradebat. Quem quidem hac parte notari, ceu humani aliquid paſſum, facile patior; ſed ut veris Emendationem ejus argumentis refutari, ita juſtis receptam lectionem rationibus defendi velim. Quod tamen haud aeque fieri video.

Primum enim, veram & adoequatam *Rationem*, cur calumniatori haec actio detur, nondum apponunt. Rationem ſc. hanc reddunt, Accurſium ferme ſecuti, id ita conſtitutum eſſe, *propter Judiciorum auctoritatem, & ne Judicia eludantur*, ſeu, ut alii loquuntur, propter contemptam judicis auctoritatem. Atquin haec ratio apertiſſime vel una illa inſtantia ſubruitur: quod ſi quis *ad Pedaneum Judicem* vocatum eximat, poena hujus Edicti ceſſet; quod alioquin idem Ulpianus eodem libro ſcripſit *eodem titulo l.* 3. §. 1. Ne dicam, in eum quoque, qui id fecit, quominus quis *in judicio ſiſteret*, judicium poenale id tantum competere, quanti actoris revera interfuit; quod idem rurſum Ulpianus ſcribit *l.* 3. *D. de eo per quem factum*: pariter ut in fidejuſſorem judicium poenale redditur, qui aliquem *judicio ſiſti promiſit*, neque ſtitit; eodem ſemper Ulpiano auctore *l.* 2. §. 5. *D. qui ſatisdare.* Atquin & hiſce caſibus, opinor (ac priore vel potiſſimum) judiciorum auctoritas (quam Reip. intereſt non eludi) aliqua vertitur. Probabilius equidem dixiſſent, Juris rationem id hac Edicti parte facere: *Juris*, inquam, id eſt Magiſtratus; cujus videl. Majeſtas hoc facto contempta videatur: nam & Edictum iſtud *potius* ſcriptum eſt adverſus eos, qui *in jus vocatos vi eximunt.* Sed neque haec ratio ſufficiens eſſe poſſit; quandoquidem neque in eo Edicto, quod propoſitum alioquin eſt in eos, qui jus dicenti non obtemperaverunt, quo tamen Majeſtas Praetoris directo appetita vindicatur, Actoris calumniatoris aeſtimatio ſpectatur, *l. un.* §. 4. *D. ſi quis jus dic. non obtemp.* ſed Magiſtratus poteſtati aeſtimatio committitur. Vera igitur tandem ratio iſtius Edicti ſeu poenalis judicii haec eſt; id ita conſtitutum fuiſſe, ob praecipuum eorum favorem, qui de jure ſuo, cuicuimodi iſtud eſſet, *ex jure manu conſertum vocarent* (ut eſt in veteri Actionum formula) jurisque ſui experiundi gratia, ad Magiſtratum provocarent. Vice verſa id ita conſtitutum, ſingulari eorum odio, & compeſcendis iis, qui huic rei tam legitimae tumultu quodam publico, bello potius quam libello, vel judicio intercederent. Tam exemplo ſcil. perniciosum viſum eſt: tanta viſa eorum vis, audacia & veſania, qui alios probo more, jure publico, Jurisdictionis reverentia ordineque ſervato, de jure ſuo, cuicuimodi iſtud eſſet, apud Magiſtratum experturos, & ſic jure in medio poſito uſuros, in ipſo futurae Jurisdictionis limine ſeu veſtibulo ſolida vi, quae tumultui publico propior eſſet, prohiberent. Ut ad rem omnino *Joannes*, vetus interpres, ſcripſerit, hoc caſu etſi calumnioſam actionem inſtituens in calumniando delinquat, non tamen in jus vocando delinquere. Quare uti non peccat, qui alium in jus vocat, ita contra violenta legitime vocati exemtio delictum eſt, quae cum principali negocio nil commune habet. Praeſertim cum ab una parte jus ita publice conſtitutum eſſet, ut in jus vocatus adverſarium ſtatim ſequi neceſſe haberet, eique ſi *cal ivetur* (id eſt, moraretur, fruſtraretur) manum injicere liceret; quare qui contra vim legitimam, publiceque conceſſam, vim ſuam & audaciam obtenderet, tumultuoſus jurique publico vim inferre creditus fuit: ab altera parte, cum (magno alioquin ſatis reorum privilegio) neminem de domo in jus vocare, multo minus trahere, liceret, ſic ut non niſi caſu ferme obvii, & *ſi in publico conſpicerentur*, in jus vocari poſſent. Item, cum in jus vocato tot aliis legitimis praeſidiis conſultum eſſe poſſet; inter alia, cum datis vadibus ab in jus eundi neceſſitate liberari legitime poſſet: imo cum & idem ille, qui in jus vocatum exemit, ſi tantopere in jus vocato factum cuperet, eum vadari legitime poſſet. Sed & adverſus calumnioſam in jus vocantis actionem repromiſſione decimae litis cautum adverſario ſeu in jus vocato eſſe poſſet: de qua eſt quoque Conſtitutio quaedam *in Codice Hermogeniano.* Unde jam apparet, aeſtimationem hanc meri delicti aeſtimationem eſſe: neque actorem actionem conſequi ex improbitate ſua, ſed ex delicto ejus, qui fecit contra Edictum: denique non modicum hic delictum eximentis verti, contra quam vulgus Interpretum cenſebat, qui exclamant, *mirabile hoc eſſe, quod pro tam modico eximens teneatur tanta poena.* Atque hanc tandem rationem omnino Ulpianus intellexit *l.* 1. *in pr. h. tit. ne quis eum qui in jus voc. vi exim.* ad hoc Edictum ſcribens: *Hoc Edictum*, inquit, *Praetor propoſuit, ut metu poenae* COMPESCERET *eos, qui in jus vocatos vi eripiunt. Compeſcendi* ſcil. vox in jus

re pertinet ferme ad audaciam, & tumultum aliquem; vimque & impetum. vid. *l.* 12. *D. de publicanis: l.* 35. §. *quaeſitum* 5. *D. ex quib. cauſis majores.* Nam quod Accurſiani horum verborum ſenſum iſtum hactenus eſſe putabant, Edictum hoc propoſitum fuiſſe, Ut unius poena eſſet metus multorum, nimis dilutum & vagum nimis eſt.

Haec illa igitur, quam dixi, ratio eſt, quare in hoc poenali judicio *Quanti res eſt* ab Actoris, quamlibet calumniatoris, vim paſſi, aeſtimatione pendeat, etſi in caeteris capitibus & partibus Edicti de in jus vocando haud ita obſervetur; etiam eo capite, ubi jus dicenti non obtemperantes, & ſic extremam alteram Juriſdictionis lineam perfringentes, quanti ea res eſt poenali judicio plecti equidem ſolent, ſed nonniſi Magiſtratus ipſius aeſtimatione ſecundum jus poteſtatis ſuae, ſeu quanti ea res eſt, id eſt, contumacia ſeu temeritas non obtemperantis, religione judicantis aeſtimata, *l. un.* §. *ult. D. ſi quis jus dic. non obt.* quia ſcil. ibi Magiſtratus Majeſtas contempta vindicatur. Atque haec quidem de ratione ſeu cauſa hujus poenalis judicii; quam tamen non reddunt, qui Viri CL. emendationem reſpuebant. Unde in ſummam efficitur, optimo jure Actoris, etiam calumniatoris, aeſtimationi in hoc judicio ſtari.

Sed neque ſecundo loco hanc ſententiam recte tuentur, aut contrariam recte refutant nonnulli horum *Verborum* praerogativa; *Quo* NON *id continetur* QUOD IN VERITATE EST: unde tamen colligi ajunt, rem ab Actore calumniatore aeſtimari: quandoquidem inquiunt, ſi *a judice* res aeſtimaretur, utique id contineretur, quod in veritate eſt. Imo enim & Judicis aeſtimatione ſaepe non quod in veritate eſt continetur, ſed in poenalibus judiciis pleriſque quanti res eſt longe ultra aeſtimatur; ſic ut meram poenam quanti res eſt contineat: veluti in eo judicio, ubi juriſdictio Magiſtratus defenditur, *d. l. un.* §. 4. Scilicet *quod in veritate eſt*, ſeu *veritas*, dicitur, vel verum actoris intereſſe, τὸ διαφέρον, vel vera rei aeſtimatio, ſeu verum pretium rei in petitionem deductae, denique quod ſubintrat locum ipſius rei: ut *hac l.* ita & *l.* 2. §. *ult. D. qui ſatiſdare. l. noviſſime* 7. §. 2. *D. quod falſo tutore. l.* 50. *D. de furtis. l.* 2. §. 13. *l.* 4. §. 11. *D. vi bonor. rapt. l.* 37. 179. *D. de V. S.* At quis negare ſuſtineat, judiciariam auctoritatem & auſteritatem ulterius ſaepe procedere? Unde etiam illud efficitur, verba haec *Quanti res eſt*, etiam ubi de Judicis aeſtimatione agitur, ἀμφίβολα eſſe, & modo ad veritatem ſeu quod in veritate eſt, referri, modo ad poenam ſeu quantitatem, quam Judex fecerit.

Non admitto tertio loco argumentum a *poenae* vocabulo; quaſi poena non ſit futura, ſi Judicis arbitrio quanti ea res eſt aeſtimaretur. Quid enim novi nunc audio? Fateor equidem *poenalius* id eſſe, quod actoris ipſius aeſtimationi, etiam calumniatoris, ſtetur: ſed quiſnam hoc unquam dixiſſe potuit, *poenam* omnino non futuram, ſi Judicis arbitrio quanti res eſt aeſtimatur? Alioquin expungant illi mihi de poenalium judiciorum numero ea omnia, in quibus ſolius Judicis aeſtimatione quanti ea res eſt aeſtimari ſolet, & quibus tamen mera *poena* contineri dicitur: inter alia, illud ipſum mihi poenale judicium expungant, quod redditur adverſus eum, per quem factum eſt, quominus quis in judicio ſiſtat, *l.* 3. §. 3. *illius tit.* Item illud (de quo jam ſaepe ſupra) quod redditur in eum, qui jus dicenti non obtemperavit, *d. l. un in pr. &* §. *ult.* Ut omittam & *poenam* quandoque dici de eo ipſo, quod in veritate eſt, quodque revera actoris intereſt; denique de ſola morae coercitione, & uſuris, quae propter moram infliguntur, *l. ult. D. de eo quod certo loco. l. lecta* 40. *D. de reb. cred. l. un. C. de ſent. quae pro eo quod int. l. qui ſine uſuris* 38. *D. de negotiis geſt. l.* 90. *D. de V. S.* Etſi alias poenam veritati opponi ſcio, *ut hic*, ita & *l. noviſſime* 7. §. 2. *D. quod falſo tutore:* ſic tamen ut poena a Judice ferme, non ab actore aeſtimetur.

Sic igitur liquet, etſi voces illae *ab actore* tollerentur, nihilominus & *Verba* quae perpendimus cohaerere, & *ſenſum* conſtare poſſe, neque *rationem*, quae redditur quidquam adverſari. Longe aliis itaque rationibus refellenda veniebat Viri CL. emendatio, ut immotum illud ſtaret, aeſtimationem actoris ipſius ſpectari in hoc poenali judicio, quod redditur adverſus eum, qui in jus vocatum vi exemit.

Praeter ipſam igitur & manifeſtiſſimam ejuſce rei rationem, quam prolixius ſuperius ediſſerui: Secundo id aperte colligere licet ex his, Edicti perpetui procul dubio, verbis, QUANTI EA RES EST, ÆSTIMATA, DE QUA CONTROVERSIA EST. *Formula* ſcilicet haec *Edictalis* aeſtimationi Judicis prorſus inconveniens eſt. Specta quippe ſis mihi Edicti perpetui reliquias omnes, ſemper ubi de aeſtimatione Judicis arbitrio facienda res eſt, illud hactenus, neque unquam aliter, Edicti verbis comprehendi reperies, *Quanti ea res eſt*, vel *erit*, vel *Quanti rem paret eſſe*; ut docere poſſunt vel *l.* 2. §. *ult. D. qui ſatiſdare. l. un.* §. *ult. D. ſi quis jus dic. l.* 7. §. 2. *D. quod falſo tut. l.* 1. §. 5. *D. ne vis fiat ei. l.* 3. *in fin. D. uti poſſid. l.* 179. 193. *D. de V. S.* vel *Quanti actoris interfuerit. l.* 3. *D. de eo per quem factum erit* Unde etiam Formula illa Edictalis apud Valerium Probum Q. E. R. E. T. P. I. R. D. *Quanti ea res erit, tantae pecuniae judicium recuperatorium dabo.* Quam quidem formulam Probus in cenſum earum, quae *Edicto perpetuo* continebantur, quaſque peculiari capite digeſſit, diſerte refert: nunquam vero *Quanti ea res eſt aeſtimata, de qua controverſia eſt:* quae utique ſingularis formula denotat modum in controverſiam ab Actore deductum, non Judicis ipſius arbitrium ſeu aeſtimationem.

Tertio, apertiſſime id ſubdita Ulpiani verba docent, cum poſt propoſita Edicti perpetui verba haec ſubjicit: *Hoc enim* ADDITUM *eſt, ut appareat, etiamſi calumniator quis ſit, tamen hanc poenam eum perſequi.* Nempe ſi ad Judicem aeſtimatio rejiceretur, an quaeſo calumniatoris rationem eum habiturum putaremus, aut quidquam aeſtimaturum, qui boni viri & innocentis officio fungi debet?

Superioribus accedat quarto loco, praeter omnium librorum conſenſum, Graecorum inſuper ſeu Baſilicorum auctoritas; libro videlicet *Synopſeos lib.* 7. *tit.* 13. *cap.* 15. ubi ita hic locus aperte expreſſus extat: *ὁ ἀποσπάσας οὐ τὸ διαφέρον δίδωσιν, ἀλλὰ τὴν γενομένην* ΠΑΡΑ ΤΟΥ ΕΝΑΓΟΝΤΟΣ *τῆς δίκης διατίμησιν διὰ τῆς ζημιώσεως ἀγωγῆς, κἂν κατὰ συκοφαντίαν ἐνήγαγεν*, id eſt, *Qui vi exemit, non id quod intereſt praeſtat, verum* FACTAM AB ACTORE LITIS ÆSTIMATIONEM *poenali actione, etiamſi per calumniam eum movit.*

Et haec quidem de priore quaeſtione, ſeu de aeſtimatione ab actore, etiam calumniatore, facienda: etiam calumniatore inquam (ut & hoc addam) id eſt, eo, qui alium per calumniam in jus vocavit, ut id diſerte explicatur *d. l.* 4. §. 1. *D. ne quis eum qui in jus voc.* & ſic qui in principali calumniator erat, cui forte nil debebatur, denique cujus nihil intererat: quicquid contra cenſeat nonnemo ex doctiſſimis hujus aevi Juriſconſultis.

II. Succedit altera quaeſtio ſuperiori connexa; *Quomodo*, ſeu *Qualiter*, *quave ratione*, in hoc Edicto Quanti ea res eſt, ab actore etiam calumniatore aeſtimetur adverſus eum, qui in jus vocatum vi exemit: num videlicet ab actore jurato, jurejurando in litem praeſtito, an vero ipſo petitionis libello (ut omittam nunc tertiam Petri de Bella Pertica Veteris Interpretis ſententiam, qui dicebat aeſtimationem fieri *per veras probationes*, quam Bartolus recte re-

refutavit; & de qua vid. Jaſonem *hic*) Illud putant Accurſiani; nempe, neque aliter id aeſtimari poſſe, quanti, inquam, res eſt, quam jurejurando in litem, ſi aeſtimatio ab Actore facienda ſit: quo etiam argumento Vir ille Clariſſimus haec verba, *ab Actore* expungebat: quandoquidem inauditum eſſet de jure, jusjurandum in litem calumniatori deferri. Illud credidit Raphael Fulgoſius; quam ſententiam excepit CL. Duarenus: quae veriſſima ſententia eſt. Sed neque Accurſii ſententiam recte refutari video; neque Fulgoſianam recte defendi.

Non fero Accurſianos eo argumento refutari, quod ineptum ſit jusjurandum in litem deferre, ubi quod in veritate eſt non inſpicitur. Nam imo & in jurejurando in litem ipſo non id utique ſpectatur, quod in veritate eſt, ſeu verum actoris intereſſe, aut verum pretium rei (id enim eſt quod *in veritate eſſe* hic dicitur) cum ſine ulla taxatione in infinitum etiam, prout libido auſpicium fecerit, in litem jurari poſſit, *l. 2. §. 1. l. 4. §. 2. D. de in litem jurando. l. 68. D. de rei vindic.* Ne dicam nunc vulgatam Doctorum diſtinctionem; qua jusjurandum in litem aliud *veritatis* faciunt, quo ſcil. actor ſecundum utilitatem communem veram rei aeſtimationem definit: alterum *affectionis*, quo actor litem pro ſuo arbitrio & adfectione ultra verum rei precium aeſtimat.

Non fero contra veram Fulgoſii interpretationem his verbis, EST ÆSTIMATA, firmari; ibi, *Quanti ea res eſt* ÆSTIMATA, *de qua controverſia eſt.* Quae quidem verba eo trahebat CL. Duarenus, quaſi exinde appareret, non de re aeſtimanda, verum quae jam SIT ab actore aeſtimata, hic agi. Non id, inquam, fero; quandoquidem vox iſta EST, non conjungenda venit cum ſequente voce *aeſtimata*; ſed omnino cum prioribus ea cohaeret, ita: *Quanti ea res eſt*, ſed & vox *Æſtimata*, ad utrumque tempus & libelli oblati, & judicii hujus intentati recte referri poſſit.

Quid igitur? Accurſii ſententiam profligari; contra Fulgoſii ſententiam defendi his quatuor argumentis oportuit. Primo verbis illis, *De qua controverſia eſt:* nempe enim inter caeteras differentias, lis & controverſia inter ſe hoc diſtant; quod *Lis* proprie dicebatur, cum res in judicium jam deducta eſſet, cuique aeſtimandae vel arbiter dabatur, *l. 25. §. 2. l. 26. D. ad L. Aquiliam.* (unde etiam illa formula *in actionibus* apud Valerium Probum A. L. M. *Arbitrium litis aeſtimandae*) vel jusjurandum in litem deferebatur: *Controverſia* vero proprie ante litis conteſtationem dicebatur, ut patet ex *l. 6. & l. 25. §. ſi ante 7. D. de petit. haeredit.* Quod cum ita ſit, exinde conficitur, aeſtimationem controverſiae hic eſſe aeſtimationem, quae facta fuerit, antequam lis ad Magiſtratum perveniret: ergo, libello. Secundo id ipſum defendi oportuit voce *Aeſtimata*, non quidem habita ratione temporis (quod ſuperius profligatum eſt) verum quia, ſi de jurejurando in litem ſenſiſſet Praetor, non ſolo utique *Aeſtimationis* vocabulo uſus fuiſſet, verum his aut ſimilibus expreſſis, *Quanti eam rem actor jurejurando in litem aeſtimaverit.* Tertio ex qualitate hujus actionis id ipſum comprobatur: nam cum haec actio ſit *in factum*, & ſic ſtricti juris, item cum hac actione non petatur res reſtitui, ſed *poena*, ſane in ea in litem non juratur; quod ſit tantum in actionibus bonae fidei vel arbitrariis, quibus noſtrum quid reſtitui nobis poſtulamus: & ſi quando in ſtrictis judiciis in litem juratur, id tum demum ſit, cum poſt moram debitoris res intercidit, quam judex aeſtimare ſine delatione jurisjurandi non poteſt, *l. 5. in fin. D. de in litem jurando.*

Poſtremum argumentum ex eo duco, quod jusjurandum in litem ab arbitrio Judicis ſemper proficiſcatur, *l. 4. l. 5. §. 1. D. de in litem jur.* nunquam vero ex Edicto perpetuo: adeo quidem, ut neque in Edicto perpetuo ſpeciatim de *in litem jurando* titulo peculiari actum reperire liceat. Atquin haec aeſtimatio, qua de nunc agimus, ipſo Edicto perpetuo comprehenſa fuit: *Hoc*, inquit Ulpianus, *additum eſt:* additum eſt, id eſt, Edicto comprehenſum.

Veriſſimum igitur tandem eſt, in eum, qui in jus vocatum vi exemit, petitionem ejus dari actori, quod ipſe ab in jus vocato libello ſuo petiit: *Libello* inquam, qui petitionis ſummam vel quantitatem olim continere debebat. Id quod ſingulari Maximiani Imp. conſtitutione comprobatur, tum in Codice Hermogeniano *tit. de calumniatoribus & plus petendo*, tum apud Veteris Conſultationis Auctorem. *Specialiter*, inquit, *deſignari debet petitionis ſumma vel quantitas, cum genus litis editur.* Sed & ipſum quoque *Quantitatis* appellatione indicatur *l. 2. §. ult. D. qui ſatisdare:* & *veritati* opponitur. *In fidejuſſorem*, inquit, *qui aliquem judicio ſiſti promiſit, tanti quanti ea res erit, actionem dat Praetor: quod utrum veritatem continet, an vera* QUANTITATEM *videamus? Et melius eſt, ut in veram quantitatem fidejuſſor teneatur: niſi pro certa quantitate acceſſit.* Et ſic tandem Fulgoſii ſententiam ſulgori ſuo reſtitutam habemus.

CAPUT II.

Ulpiani *l. Conventionum 5. D. de pactis.* ex lib. 4. ad Edictum.

QUaeſtio eſt circa *Pacta & Conventiones:* non quidem quae in Praxin utiliter deduci poſſit, ſed mere Scholaſtica & umbratilis, de diviſione CONVENTIONUM; quae ex Ulpiano proponitur *d. l. 5.* Utrum videl. ea recte habeat, neque ullo vitio laboret? Ait lex, *Conventionum autem tres ſunt ſpecies, aut enim ex publica cauſa fiunt, aut ex privata: privata, aut legitima, aut juris gentium.* Hanc diviſionem CL. Cujacius eleganter proſecutus eſt, tum *lib. 15. Obſerv. cap.* 33. tum & *Commentario ad hanc l.* Sed & ab Emendatione docti Viri cujuſdam jam vindicavit Elbertus Leoninus *lib. 2. Emend. cap. 6. num.* 10. Qui videl. inducta voce *privata*, quae ſecundo loco hic occurrit: item inductis illis *aut Juris gentium*, ita hunc locum deformabat: *Aut enim ex publica cauſa fiunt, aut privata, aut legitima.* Novi quoque Scriptores eandem emendationem laceſſunt: quo nomine equidem reprehendi non poſſunt, dummodo recte ipſi alios reprehendant.

Nolim enim ideo reprehendi Emendationis iſtius Auctorem, quod hanc conventionum diviſionem proponat, quaſi ea ſuſtineri non poſſit: quae utique ſuo ſenſu ſuſtineri, ſuoque Marte decurrere poteſt. Nam ſi conventionum *Originem* in commune ſpectes, veriſſimum eſt, vel publicam conventionem, vel privatam, vel ipſam denique legem obligationem *inducere*: ac proinde vera hoc ſenſu conventionem diviſio iſthaec fuerit.

Nolim quoque id Emendationis auctori imputari, quaſi crediderit, omnes juris gentium conventiones eſſe publicas; quod nullibi eum aut manu ſcripſiſſe, aut mente agitaſſe reperio.

Nolo etiam eum ideo notari, quod contra juris praecepta legitimas conventiones privatis oppoſuerit. Neque enim video, quaenam illa juris praecepta eſſe poſſint, in quae hac parte impegiſſe potuerit: cum certiſſimum ſit, haud aliter legem ipſam obligationem inducere, quam privata conventio legem facit, *l. 6. & ſeq. D. de pactis.* & *tit. D. de condict. ex lege.* Quare recte hoc ſenſu haec, ut ſpecies ſub eodem genere, inter ſe opponuntur.

Errores igitur hi preſſius notandi fuerunt. 1. Quod Emendationis auctor prolixe defendat, publicas conventiones eſſe juris gentium: quod quidem etſi verum ſit duplici ratione (puta, ſi *Originem* conventionum ſpectes, item ubi quaeritur de *fide* & obſervantia pactionum publicarum; quod hic non quaeritur) non item verum eſt, ubi de earum *Materia* agitur; de conditionibus, inquam, pactionum publicarum, quae non neceſſario ad praecepta juris gentium comparantur ſeu componuntur, a quibus ut plurimum recedunt: multo minus ad praecepta Juris Civilis, quae ſane inter paciſcentes populos & duces disconveniunt. At ſi de privatis conventionibus quaeritur, jam neceſſe eſt, eas vel ad praecepta Juris gentium comparari & componi, vel ad civilia: ex quibus jam Ulpianeae ſubdiviſionis veritas cernitur, privatarum ſcil. conventionum in legitimas & juris gentium. Quae quidem ipſa pro privati juris ſubdiviſione adverſus Joannem veterem interpretem, & recentiorem virum doctum dici poſſunt.

Omitto alios minutiores Emendatoris errores premere: potiſſimus eſt in eo, quod tam confidenter Ulpiani diviſionem ſuperiorem arguat, quaſi minus Ulpianeam; cum ea nihil elegantius dici potuiſſet. Summam ſcilicet primum diviſionem conventionum, & in qua nihil deſideratur, proponit, ex ipſa videl. *Negotiorum humanorum diſtinctione* & natura deſumptam: nempe quod ea vel ſtatum ſeu rem publicam, vel privatam rem ſeu utilitatem ſpectent: eodem ſcil. ferme ſenſu, quo jus publicum & privatum ſeparantur. Mox eas, quae rem & utilitatem privatam reſpiciunt, rurſum in ſuas ſpecies diſpeſcit, a ſubſtantia videl. ſumpta diviſione: nempe quod aliae ſubſtantiam ſuam habeant a Jure gentium; aliae vero a mero jure civili. Quid clarius dici potuit?

Neque (ut & id adjiciam) pro Emendatore quicquam facit, quod poſtrema illa dictio, *privata*, ut Laelius Taurellus indicavit, in Pandectis Florentinis duabus ſtellulis (ſeu aſteriſcis) includatur, quaſi a Librario perperam addita. Nam ut maxime a Librario ea addita foret, vi tamen ipſa eandem ſuperioribus verbis contineri potuiſſe dicerem. Nempe mos hic ſolennis eſt in Pandectis Flor. (quod idem Taurellus indicavit) ut geminatae voces ſemel tantum exprimantur, citra mendi culpam. Itaque locus hic ita ibi ſcriptus fuerit: *Aut enim ex publica cauſa fiant, aut ex* PRIVATA *aut legitima, aut Juris gentium*, id eſt, Aut ex privata: privata, aut legitima, aut Juris gentium. Quare etſi a Librarii manu fateremur eſſe repetitionem vocis *privata*, ad mentem tamen Ulpiani & ad rei veritatem ſemper ea fuerit.

CAPUT III.

Pauli *l. ſi unus 27. in pr. D. de pactis.* ex lib. 3. ad Edictum.

QUaeſtio eſt vexata, de PACTO unius ex duobus Argentariis sociis; Utrum videl. id alteri ſocio noceat? Et hac parte ſolenne vulgo ἐναντιοφανὴς notari ſolet; ſic quidem ut Paulus ipſe ſibi hac parte diverſus nonnullis videatur: ſic rurſum, ut Bartolus crediderit, contrarium iſtud ita difficile eſſe, ſicuti aliud quod ſit in mundo (quae verba ſunt Bartoli) Paulus quippe diſerte *d. l. 27. in pr.* ex Neratii, Attilicini, Proculi, Labeonis ſententia definit, *Pactum unius ex argentariis ſociis alteri non nocere, nec ſi ſocius in rem pactus ſit*: ratione etiam addita; *Tantum enim conſtitutum eſſe, ut alter ſolidum petere poſſit: nam & ita nec novare alterum poſſe, quamvis ei recte ſolvatur.* Et huic tamen obloqui creditur altera ejusdem Pauli *l. ſi duo 34. D. de recept. arb. Si duo rei ſunt credendi aut debendi, & unus compromiſerit, iſque vetitus ſit petere, aut ne ab eo petatur: videndum eſt, an ſi alias petat vel ab alio petatur, poena committatur. Idem in duobus argentariis, quorum nomina ſimul eunt. Et fortaſſe poterimus ita fidejuſſoribus conjungere, ſi ſocii ſunt:* ALIAS, *nec a te petitur, nec ego peto, nec meo nomine petitur, licet a te petatur.*

His in concordiam revocandis in partes jamdiu itum eſt. Ab aliis variae admodum conciliationes excogitatae fuerunt, quas ſingulas operoſe vel etiam faſtidioſe recenſere, nil attinet. Nonnulli ad emendationem tandem confugere, expuncta videl. voce *Sociis*, ex *d. l. 27*: perſuaſi omnino, pactum unius ex ſociis alteri nocere, quaſi id *d. l.* 34. imo & *l. ſi duo rei 5. in pr. D. ſi quis cautiom.* manifeſte indicetur. Verum uti prava haec & praeceps eſt emendatio: ita longe facillima & veriſſima eſt Accurſii, inter alias, Conciliatio iſta, quam & Raphael Fulgoſius & Albericus, & CL. Cujacius amplexati ſunt: nempe haſce leges ne conciliatione quidem egere, cum inter ſe nullo pacto pugnent.

Neque enim Paulus, *in contraria d. l. 34. D. de recepts*, ait, pactum unius ex ſociis alteri, qui non compromiſit, quive pactus non eſt, *nocere*: ſed hoc tantum, quod, altero quoque ſocio, qui pactus non eſt, ſeu non compromiſit, aliquid adverſus pactum alterius faciente, adverſus eum, qui compromiſit pactusve eſt, poenae exactio detur, etſi ipſe contra pacta non venerit. Nempe ideo, quia eum ſocius alter petit, τῇ δυνάμει, vi ipſa is petere videtur, qui non petiturum ſe pactus eſt: quoniam in partem ejus, quod ſocius exegerit, proculdubio is venturus eſt, propter ſocietatem, ut ait *d. l. ſi duo rei 5. D. ſi quis cautionib.* de qua mox. Atquin ſocietas nemini quaeſtus improbi occaſio eſſe debet. Proinde in neutra lege id, quod alteruter ex ſociis pepigit, alteri obeſt: verum in ſp. *d. l.* 34. in tantum, qui pepigit, factum quoque alterius ſocii praeſtare tenetur. Denique *dicta lex* 34. eſt de *commiſſione poenae*, quando ſcil. ipſe ille, qui compromiſit, etiam *ex alterius* facto in poenam incidat, non vero de obligando altero. Res eſt & conciliatio apertiſſima. Quare & rotunde CL. Cujacius in hanc ſententiam: *Etſi*, inquit, *lex* ſi unus. *non de compromiſſo loquatur: etſi, inquam, de eadem ſpecie non ſit lex* ſi unus, *tamen neque hoc neque illo caſu quidquam ea res nocet alteri, qui non compromiſit, quive pactus non eſt.* Et haec quidem ipſa conciliatio tertiae quoque Pauli legi aptanda venit: *d. Legi*, inquam, *ſi duo rei 5. in pr. D. ſi quis cautionibus: Si duo rei ſtipulandi ſint, & uni debitor judicio ſe ſiſti cum poena promiſerit, alter autem impedierit, ita demum exceptio adverſus alterum* [cui promiſſum eſt] *danda eſt, ſi ſocii ſint: ne proſit ei dolus propter ſocietatem.*

Hanc vero conciliationem, tam certam, tam perſpicuam, ſatis incogitanter nonnulli confundunt cum altera illa, qua vulgo ita diſtinguitur: *legem* videl. 34. non de quovis pacto, ſed de *compromiſſo* loqui, quod ſi violetur, poenam ita committi, ut compromiſſum unius ſocii hoc caſu ALTERI noceat: unius denique ſocii pactum quodvis aliud non nocere ſocio, ſed ſpeciale tantum illud pactum compromiſſorium. Satis incogitanter, inquam, hanc conciliationem cum ſuperiore commiſcent, & niſi modeſtiam ubique tueri in animum induxiſſem, dicerem dormitaſſe eos, cum haec ſcriberent. Comparationem enim harum duarum conciliationum ſi lubet inſtituamus. Superior negat eas leges inter ſe pugnare; haec ut Regulam ſaltem, & exceptionem ſeu caſum ſingularem pugnare ait: Illa negat ullo caſu pactum ſocii alteri ſocio nocere; haec uno caſu, ſi videl. poena addita fuerit, nocere ait: Illa pactum quodvis aliud a Compromiſſo non ſeparat; iſta diſtinguit.

Sed

Digitized by Google

Sed nunc porro videndum eſt, quam inanibus rationibus quamque levi tibicine haec altera conciliatio fulciatur. Duas ſcil. rationes iſti ſufflaminandae proponunt: nam neque Baldi ratio his placet, quod compromiſſa redacta ſint ad inſtar Judiciorum. Priorem igitur hunc apponunt, cur videl. compromiſſo poenalem ſtipulationem additam alteri ſocio nocere putent, *Propter poenam*, inquiunt; idque jam, ſi Deo placet, auctoritate *d. legis* 34. *Videndum eſt*, inquit lex illa, *ſi alius petat vel ab alio petatur*, [utrum] POENA *committatur*. Duplex in hac ſive collectione ſive ratione vitium. Primum enim haec verba hanc rationem nullo modo ingerunt; nudam enim quaeſtionem continent, utrum videl. *poenali ſtipulatione* compromiſſo adjecta, altero qui non compromiſit adverſus id faciente, poena adverſus eum, qui compromiſit, committatur, ſic ut non minus ea teneatur, quam ſi ipſe contra veniſſet. Deinde quanam, quaeſo, juris aequitate magis alter ex alterius pacto tenebitur, quod is poenali ſtipulatione pactum a ſe vinxerit? Nullus eſſe poteſt tam Herculaneus nodus: nullus adeo arctos ſibi laqueos induere pacto poteſt, ut alteri induat.

Alterum Conciliationis ſuae & aſſertionis fundamentum ex his ejuſdem *legis* 34. verbis deſumunt: ALIAS, inquit lex, *nec a te petitur, nec ego peto, nec meo nomine petitur, licet a te petatur. Alias*, inquiunt, intellige extra compromiſſum & hanc poenam commiſſam. Ain vero! Imo audi, quid ſibi dictio iſta excluſiva ALIAS velit. *Alias* ibi eſt, *ſi ſocii non ſint*, ut Accurſius quoque recte interpretatus eſt. Quaeſtio ſcil. ibi eſt, Utrum compromiſſo ab uno ex correis facto, & poenali ſtipulatione ſubjecta, poena committatur altero correo petente vel petito adverſus compromiſſum? Et diſtinguit JCtus inter correos ſocios, & alios correos: Si, inquit, ſocii ſint, ex alterius petitione dari actionem: ALIAS, id eſt, ſi non ſint ſocii, etſi nomina eorum ſimul eant, ut loquitur *d. l.* 34. vel ut loquitur *l. 9. D. de pactis.* nomina ſimul facta ſint, non dari. Et ratio hujus diſtinctionis redditur: Priore ſcil. caſu (quod & jam antea dictum eſt) altero petente, τῇ δυνάμει ſeu vi ipſa is petere videtur, qui petere vetitus eſt, quia alter communi nomine petit, & petitionis commodum alteri prodeſt propter ſocietatem: Poſteriore vero caſu, *nec a te petitur, nec ego peto, nec meo nomine petitur; licet a te petatur*. Et hoc ipſum ſcil. eſt, quod idem Paulus in tertia illa lege, puta *d. l. 5. D. ſi quis cautionib.* ait, ITA DEMUM exceptionem adverſus alterum (cui promiſſum eſt) dandam, *ſi ſocii ſint*: Subjiciamus ex *d. l.* 34. ALIAS, *ſi ſocii non ſint, non dandam.* Eant nunc novi Scriptores, & recipere nos jubeant remedium praeſentiſſimum & ſaluberrimum conciliationis & expoſitionis ſanioris, quod & a ratione tam alienum eſſe oſtendimus, & a vera conciliatione alieniſſimum!

CAPUT IV.

Ulpiani *l. denique 3. D. de minoribus viginti quinque annis.* ex lib. 11. ad Edictum.

QUaeſtio eſt de CONSULIBUS Hiſtorica, utrum videl. Ulpiani JCti tempeſtati, & ſic ſub Antonino Caracalla, Curatores minoribus a Conſulibus Romae darentur: idque propter ſingularem *l. 3. D. de minoribus*: ubi Ulpianus ita ſcribit: *Denique Divus Severus & Imperator noſter* [Antoninus ſcil. Caracalla] *hujuſmodi* CONSULUM *vel Praeſidum decreta quaſi ambitioſe interpretati ſunt*: quibus videl. rei ſuae adminiſtrationem minoribus committerent, & decernerent, ut minores rem ſuam maturius a Curatoribus acciperent. De eo igitur anxie quaeritur, cur videl. Ulpianus ibi *Conſulum* mentionem fecerit, non *Praetorum*, quorum tamen tum fuit Romae Tutores pupillis dare. Reſpondebat Vir Magnus, quoniam ad Conſules olim tutorum datio pertinebat, quod, etſi verum ſit, idque etiam probet Suetonius, *in Claudio cap.* 23. Plinius, *lib. 9. Epiſt. ad Quadratum* 13. Capitolinus, *in vita Marci cap.* 10. §. *ſed ex his legib* 3. *Inſt. de Atiliano tut.* attamen, neque id recte probatur ex *l. 1. §. 1. D. de confirm. tut.* quia ibi ὑπατικὸς non eſt Conſul, ſed *Conſularis*, qui ſcilicet jure Conſulari provinciam regit. Neque id huc ſatisfacere poſſit: quandoquidem ſub Severo jam & Antonino Caracalla, ſeu Ulpiani hujuſce legis auctoris aetate, tutores Romae a Conſulibus jam amplius non dabantur, verum a Praetore, poſtea ſcilicet quam Marcus Antonius Praetorem tutelarem fecerat, teſte Capitolino *in ejus vita. cap.* 10.

Alii igitur apud Ulpianum reponebant *Proconſulum*, loco *Conſulum*. Quorum emendationi blandiri videatur facilis in commutandis hiſce vocibus: Quanquam & citra emendationem, *Conſulum* appellatione Proconſules accipiendos dicere potuiſſent. Nam & ὑπάτων & *Conſulum* nomen de iis, qui provincias Conſulares obtinerent, uſurpari coepiſſe jam alii obſervarunt; quomodo & Κοινὸς ὕπατος dicitur a Poëta veteri, qui epigramma fecit in Laodiceam: & *Conſulatus* munus pro Proconſulatu apud Apulejum *in Apologia*: imo & Magiſtratus municipales hoc quoque nomen affectaſſe certum eſt. Verum ut hoc ab Ulpiani & JCtorum omnium ſtylo alienum eſt, ita emendationem illam jure alii reſpuunt. Videndum modo, uti juſtis rationibus id fiat. Nam quod nonnulli dicunt, nulla ulteriore probatione, aut juris deductione ſubjecta, hic non agi de tutoribus, ſed de *Curatoribus*, ſatisfacere non poteſt: quandoquidem regulariter quod juris eſt circa Tutores, ac nominatim circa jus *dandi* a Magiſtratu Tutoris, idem juris ferme eſt circa Curatores. Quare ratio differentiae reddenda fuit.

Neque etiam ſatisfacit, quod hic ajunt, citra ullam rurſum juris diductionem, hic ne quidem de Curatoris datione agi, ſed de Curatoris remiſſione, veniaque aetatis: addenda enim ſemper fuit ratio diverſitatis, cum regulariter alioquin ejus ſit denegare, abſolvere, remittere, cujus eſt & dare; praeſertim ubi de ſummo aliquo Magiſtratu agitur.

Ut omittam igitur & Baſilica receptam lectionem tueri, ubi ita habetur, ὕπατοι ἢ ἄρχοντες, & haec quoque ratio pro recepta lectione adverſus emendationem omnino facit, quod Ulpianum, cum ad Edictum hoc ſcriberet, non minus de Urbanis, quam de provincialibus Magiſtratibus egiſſe oportuit: atqui ſi hic legas *Proconſulum vel Praeſidum*, jam nullam Urbanorum mentionem Ulpianus fecerit.

Fuit ſane tempus, cum probabilibus argumentis ipſe crederem, Ulpiani etiam aetate, poſt inſtitutum a Marco Praetorem Tutelarem, Curatores a Conſulibus dari perſeveraſſe ſaltem quadamtenus (puta adultis majori aetati propioribus, & illuſtribus) denique Minorum defenſioni proſpiciendi curam ad Conſules quoque pertinuiſſe. Primum id mihi probare videbatur Papiniani *l. tutores* 39. §. *tutores* 12. *D. de adminiſtr. tut. Tutores*, inquit, *pubero pupillo conſtituto litem appellationis inchoatam juſſu* CONSULUM *ob notitiam rei perfecerunt? Cum judicatum perſequi non potuerunt, periculo culpae non ſubjiciuntur*. Species quippe *hujus l.* haec videbatur: Conſules, cum eos, qui tutores Illuſtris alicujus pupilli vel etiam Majori aetati proximi eſſe deſierant, non poſſent Curatores invitos dare, illud ſaltem effeciſſe, ut quia coeptae litis notitiam tutores illi habebant, eandem perficerent, vice ſcil. Curatorum. Sed quia ſunt, qui ſpeciem ita fingere malunt, quaſi in ea lege Conſules cognoſcentes in cauſa appellationis a Judice a ſe dato, coëgerint tutores finita

tutela cauſam appellationis ab his conſtante tutela inchoatam apud ſe perſequi, cum id alioqui nollent; ideo, inquam, ex *hac l.* id liquido probari non poteſt, cum neque de ejus ſpecie liquido conſtare poſſit, etſi mihi prior ſpecies ſemper arriſerit. Secundo, probabili hoc argumento ducebar, quod *jus Tutorum* dandorum jus a Conſulibus ad Praetorem tutelarem tranſlatum dici viderem. Conſulantur omnes juris textus, in quibus de Praetoribus agitur, qui ex Conſtitutionibus tutores dare coeperunt, ſane *jus Tutorum* dandorum mentionem fieri deprehendes. Spectentur quoque verba Capitolini *in vita Marci cap.* 10. neque is aliter loquitur; *Praetorem*, inquit, *Tutelarum primus fecit, cum ante Tutores a Conſulibus poſcerentur, ut diligentius de tutoribus tractaretur. De Curatoribus vero ita ſtatuit, ut omnes adulti Curatores acciperent non redditis cauſis.* Urgebam & in eam rem ipſius *Praetoris Tutelaris* nomen. Rationem etiam diſtinctionis hanc ex Capitolini partim verbis colligebam: quod pupillaris quidem aetatis favor id meruiſſet, ut aſſiduum & peculiarem Praetorem iſti rei Marcus praeficeret: atenim Adultorum, forte majori jam aetati proximorum & Illuſtrium reſpectum id meruiſſe, ut magiſtratum majorem ſortirentur, cum de rei ſuae adminiſtratione his adimenda ageretur: quare videas etiam Ulpianum *fragm. tit.* 12. *§ ult.* diſerte dicentem, *a Praetore Curatorem dari ei, qui* NUPER PUBES *factus, idonee negotia ſua tueri non poteſt.* Et quidem jam promiſcue, cum antea adulti curatores ex Lege Laetoria non niſi juſtiſſimis cauſis redditis acciperent.

Spectabam & illud, & in aliis Juris articulis Conſulis & Praetoris Juriſdictionem concurriſſe, ſic ut major ſemper ſumma cauſaque ad Conſulis Juriſdictionem pertineret, veluti in fideicommiſſis & libertatibus; ſed & Majores perſonae, veluti ſpecioſae, de quibus eſt alioquin *l. ſpecioſas* 100. *D. de V. S.* quae deſumpta eſt ex lib. 2. Ulpiani de officio Conſulis. Ducebar & argumento aliquo *l.* 14. *D. de tut. & ration. diſtrah.* quae deſumpta eſt ex lib. 3. de officio Conſulis: quanquam erunt forte, quibus placeat potius eam legem reddere libro 3. de off. Proconſulis. arg. *l.* 12. *D. de tutorib. dat. l.* 5. *D. ubi pupilli educ. l.* 11. *D. de rebus eorum qui ſub tut.*

Haec, quae dixi, ſi ita ſunt, tum ſane Emendatoris error in eo quidem fuerit, quod Curatoris dandi jus a jure Tutoris dandi minus diſtinxerit: non vero in eo, quod de Curatore dando *hac l.* agi putavit; qui probabili hoc argumento ductus videtur, quaſi ejus fuerit Curatorem de jure dare, qui Curatoris remittendi de facto licentiam ſibi vindicabat: nempe cui hoc adimeretur, illius omnino curam eidem injunctam videri.

Et haec quidem ita omnia ſatis probabiliter: ſed tamen & hic ſimpliciſſimus ſenſus huic legi aptari poſſit: nempe Minores, forte majori aetati propiores & Illuſtres, cum Curatores in urbe a Praetore, in provinciis a Magiſtratibus municipalibus accipere deberent, ad majorem aliquem Magiſtratum ſubinde iviſſe (puta ad *Conſulem*, in Urbe; ad *Praeſides*, in provinciis) ut per hos veniam aetatis curatoriſque gratiam impetrarent. Ut caeteroquin majoris poteſtatis auctoritate & interventu ordinariae juriſdictioni interceditur, ejuſque tenor intercidítur. Et ita quidem de facto, at non & de jure, quod *haec lex* aperte oſtendit.

Ut apertus omnino eorum error ſit, qui *veniam aetatis ad Conſules ſpectaſſe* hac l. indicari ajunt, quod tamen diſerte hic *hac l.* denegatur, non minus quam Praeſidibus; ſic quidem, ut ambitioſa eorum decreta, quibus de facto, non de jure, veniam aetatis Minoribus concedebant, *hac ipſa lege* vocentur. Et ſane illud ſemper de jure obſervatum reperio, uti veniam aetatis ſolus Princeps concederet, ut patet ex *l.* 1. *C. de his qui veniam aetatis.* & *l. un. C. Th. eod. tit.* imo & ex hac ipſa *l. ipſi autem*, inquit [Imperatores] *perraro Minoribus rerum ſuarum adminiſtrationem extra ordinem indulſerunt: & eodem jure utimur.*

II. *Altera* hujuſce Capitis haeſitatio eſt, ſed nupera & recens, Quonam ſenſu Ulpianus dixerit, Severum & Antoninum Caracallam Conſulum & Praeſidum decreta (quibus videl. rei ſuae adminiſtrationem Minoribus concederent, curatoriſque gratiam facerent) *quaſi ambitioſa interpretatos.* Novi ſcil. Scriptores *ambitioſa* interpretantur, quae faverent honorum ambitui: et jam, ſi Deo placet, arg. *praec. l.* 2. quae tamen una ſufficit huic interpretationi elidendae. Nempe ait Ulpianus, Lege Julia & Papia totidem annos, quot Candidatus liberos haberet, ex Lege annaria, praeſtituta ad honores capeſſendos, remitti: ſed addit, hoc privilegium non eſſe trahendum ad remiſſionem Curatoris, ſeu licentiam adminiſtrationis; & ſi traheretur, Conſulum aut Praeſidum decretis, ea decreta ambitioſa eſſe. Non igitur Ulpianus *decreta ambitioſa* dixit, quae honorum ambitui faverent; imo ambitioſa hoc ſenſu potius Lex Julia & Papia erat. Et quaſi vero non apertiſſimum ſit & paſſivitus notum, *ambitioſa* dici gratioſa obſequio, favore, gratia adverſus juris ordinem, contra jus aequum, in alicujus favorem facta, ut *hac l.* ita & *l. ambitioſa* 4. *D. de decretis ab ord. fac. l. ſervo* 65. *§. cum Praetor* 2. *D. ad SC. Trebell. l.* 12. *C. de tranſact. &c.* quod diſcere potuerunt vel ex Cujacio, *notis ad hanc ipſam legem*; a quo neque Doctiſſimus Fornerius prorſus diſſidet *lib.* 1. *ſelect. cap.* 17. & Raevardus ipſe *lib.* 5. *variar. cap.* 6. in quem hoc caput ſtrinxerunt. Sic etiam ambitioſas ſententias dixit Suetonius, *in Domitiano cap.* 8. *Ambitioſas*, inquit, *Centumvirorum ſententias reſcidit.* Sed & Judex ambitioſus Livio. Illud interea videre non poſſum, cur haec verba, *decreta ambitioſa interpretati ſunt*, adverſus ſuperiorem emendationem urgeant. Nam ſive *Conſulum*, ſive *Proconſulum* hic legas; an ideo magis aut minus *decreta* fuerint? aut *ambitioſa* minus? aut non certa ſemper interpretatio Severi & Antonini? Ego, verum ut fatear, quid ſibi velint, non video: tanto magis, cum Emendationis auctor nullam horum verborum mentionem faciat. Tantum abeſt, ut ea aliquid ad firmandam emendationem ſuam facere dixerit.

CAPUT V.

Ulpiani *l. ſed ſi quid* 15. §. *ult. D de uſufructu.* ex lib. 18. ad Sabinum.

QUaeſtio eſt de Jure SERVITUTIS conſtituendae, Utrum videl. proprietarius fructuario conſentiente ſervitutem in fundo fructuario conſtituere poſſit? Verba Ulpiani ſunt aperta: *Proprietatis dominus; ne quidem conſentiente uſufructuario, ſervitutem imponere poteſt.* Et id tamen in duo Interpretum genera incurrit; Unum eorum, qui perſuaderi ſibi non patiuntur, ceu rem abſurdam, jure civili, proprietarium non poſſe, etiam fructuario conſentiente, ſervitutem imponere: cum toto jure liceat unicuique juri favorique pro ſe introducto renunciare: ac nominatim fructuario, *l. cum fructuarius* 64. *D. de uſufructu.* Alterum eorum, qui id ſibi quidem perſuaderi patiuntur; ſed iidem inanem partim rationem addunt, partim & falſam limitationem apponunt.

E prioribus ſunt, qui hanc ſententiam Ulpiano adfingebant, quaſi is dixiſſet, proprietarium quamlibet diſſentiente fructuario ſervitutem imponere poſſe, & ſic affirmative hunc locum accipiebant: verbis hunc in modum proculdubio commutatis, *non conſentiente quidem fructuario imponere non poteſt.*

Digitized by Google

Verum, praeterquam quod hos refutat & §. ipſius initium, & verba ipſa Ulpiani, quae plane contrarium ſenſum praeferunt: *Ne quidem conſentiente*, inquit Ulpianus. Atquin ſi verum illi dicunt, ſubjicere debuiſſet Ulpianus; *conſentiente vero poteſt.* Reſpuit & ejuſdem Ulpiani exceptio de loco religioſo, quem utique proprietarius conſentiente fructuario facere poteſt favore religionis: quod eodem libro Ulpianus ſtatim *huic l.* ſubjecerat *l. altra prox.* 17.

Quare neceſſe eſt hanc Regulam §. noſtri negativam eſſe. Et ſic eadem jam opera concidit ſecunda eorum emendatio, qui in *extremo hujus* §. negativam rurſum repetebant, ita, *Ne quidem conſentiente fructuario ſervitutem imponere non poteſt:* praeterquam quod & ipſum dictionis ſchema abſurdum eſt. Concidit & eadem opera tertia aliorum emendatio, qui pro, *ne quidem*, hic reponebant *ſiquidem.*

Sequuntur jam, qui negative quidem hunc §. recte accipiunt, ſed neque veram rationem apponunt, & inanem praeterea limitationem adſuunt. De Ratione prius: Eam triplicem hactenus reddi video: Prima eſt, quod non poſſit quiſquam fundo ſervitutem imponere, niſi qui omnino dominus eſt, *l.* 1. *D. communia praed.* Atquin in propoſitin caſu aperte neutrum dominum prorſus eſſe, neque etiam conſenſum fructuarii plenum dominium transferre. Quae ratio inanis eſt: nam ecce, neque ſinguli ſociorum plenum rei dominium habent, *l. parietem* 8. *D. de ſervitut. U. P.* & tamen, utroque conſentiente, fundo communi ſervitus imponi poteſt, *l. per fundum* 11. *D. de ſervit. R. P. & l. ult. D. commun. praed.*

Alii hanc rationem reddunt, quod ſervitus ſervitutis ipſo jure conſtitui non poſſit, etiam volente domino, *l* 1. *D. de uſufr. leg.* Verum hanc rationem recte refutant alii: nempe quod hoc caſu non agatur de ſervitute uſuifructui imponenda, ſed fundo ipſi; unde tamen fieri poteſt, ut uſusfructus jus deterius fiat.

Tertia igitur novaque ratio, qua, ſcil. jam mirari deſinamus tam paradoxam ſententiam, ab aliis iſthaec adducitur; quod ſervitutis impoſitio ſit ſpecies quaedam alienationis, *l. ult. C. de reb. alien. non alien.* qui autem alienare nequit, neque alienanti conſentire poſſit, *l.* 165. *D. de R. J.* Caeterum fructuario alienare non licere, *l.* 6. *D. commun. praed.* Ergo nec conſentire eum poſſe, ut ſervitus imponatur. Excutiamus ſingulos gradus & Soritem nullo negotio frangemus. Verum eſt, Servitutis impoſitionem eſſe ſpeciem quandam alienationis: verum item eſt, fructuarium alienare ſervitutem non poſſe. Sed quamnam quaeſo ſervitutem & quo ſenſu? Nempe ſervitutem fundo debitam; at in caſu propoſito non agitur de ſervitute fundo debita alienanda, ſed de ſervitute fundo imponenda, quae longe diverſa eſt alienationis ſpecies. Illa nempe ſi uſufructuario daretur, jam aliena res ab eo alienaretur; haec vero juris proprii alienatio eſt, quod quare uſufructuario non liceat, niſi alia jam ratio redditur? Sed cumprimis Sophiſticum hic eſt, quod ajunt, *Eum qui alienare non poteſt, nec alienanti conſentire poſſe*, quae Regula ab hoc tractatu eſt alieniſſima. Nempe ea pertinet ad eos, qui ob aliquam juris rationem rem in ſuo dominio conſtitutam, alienare non poſſunt. Exemplo ſit *pupillus*; Is, inquam, cum jus aquae ex ſuo ducendae concedere, & ſic alienare, non poſſit, neque alii eandem alienanti conſentire, patientia vel mandato ſuo, poteſt. Quae quidem genuina ſententia & ſpecies eſt *l.* illius 165. *D. de R. J.* ut patet ex conjunctione *l.* 8. 10. *D. de aqua & aq. pluv. arcen.* At in propoſito caſu nil tale; eo quippe agitur de ſervitute imponenda ex duorum conſenſu, quorum amborum intereſt.

Quinimo & fructuarius etſi non poſſit ſervitutem fundo debitam alienare, alienanti tamen domino conſentire poteſt. Ad ſummam Regula illa in iis obtinet, qui propter perſonae ſuae conditionem & juris defectum alienandae rei ſuae jus non habent, qui & ideo neque conſentiendi in ejus alienationem jus habent.

Vera igitur tandem ratio, Cur conſenſus fructuarii hic nil operetur, iſthaec eſt; quia ſervitus uti reale, ita & *perpetuum* ſua natura fundi onus eſt, quod ſcil. fundum in perpetuum afficit, ut proinde ejus conſenſus nil operetur, qui jus *perpetuarium* in fundo non habet. Quare & viceverſa neque ſervitutem fundo adquirere fructuarius poteſt, ut *hac ipſa l.* 15. *&* §. *ult.* ſcriptum extat; quia videl. is demum ut imponere, ita & adquirere ſervitutem poteſt, qui fundi dominus eſt jure perpetuario *d. l.* 1. *D commun. praedior.* Hactenus vera opinor ratio.

Neque movet quod pro contraria ſententia adfertur, quod poſſit proprietarius ſervitutem conſtituere, modo ne deterior fructuarii conditio fiat, ut habetur *l. prox.* 16. Non movet, inquam; quia hoc caſu de conſenſu fructuarii nullo modo quaeritur. Nempe differentia conſtituenda nobis hic eſt inter ſervitutem, quae non tantum proprietatem, ſed & jus uſusfructus conſtantis quoque adficit, & tum nequidem conſenſus uſufructuarii quidquam operatur, propter eam, quam dixi, rationem. Et inter non adficientes, ſed ſolam proprietatem reſpicientes, & in his ne conſenſus quidem uſufructarii expectatur; quandoquidem ſola proprietas ſit debitura ſervitutem, veluti (quod exemplum ipſum ibi adſertur) ſi proprietarius talem ſervitutem vicino concedat, *Ne ſibi liceat altius tollere:* nam haec ſervitus negativa nudam proprietatem adficit & reſpicit, nullo uſusfructus reſpectu.

Quare jam alter eorum error concidit, qui argumento *d. l.* 16 hanc legem noſtram ita limitandam ſeu reſtringendam putant, quod ſcilicet in propoſito caſu conſenſus quidem uſufructuarii nil operetur ad perpetuam ſcil. ſervitutem conſtituendam: ſed tamen ne lex dura ſit, operari quatenus & quamdiu fructuarii intereſt. Quam quidem limitationem Accurſius, Contius, Caepolla probabant; hoc ſenſu, ſaltem conſenſum fructuarii hoc efficere, ut ſervitus haec conſtet, quamdiu uſusfructus conſtitutus eſt. Primum enim, uti dixi, id ex *d. l.* 16. nullo modo efficitur, quia ibi agitur de ſervitute (& quidem negativa) nudam proprietatem adficiente, ubi uſufructuarii conſenſus nullo modo expectatur: in hoc caſu vero agitur de ſervitute uſumfructum etiam adficiente. Secundo, etſi ſervitus ad tempus conſtituta ex Sabinianorum ſententia pacti vel doli exceptione valeat, *l.* 4. *D. de ſervitutib.* nunquam tamen valet, ne momento quidem, ubi defectus eſt in *perſona* conſtituente, quae ſcil. jus perpetuarium in fundo non habet. Nempe a domino perpetuario conſtituta, etſi ſummo jure perpetua ſit (nam ſervitus regulariter neque ad tempus conſtitui, neque ad tempus conſtare poteſt, ſed conſtans & perpetua eſt, *l.* 4. *D. de ſervitutib.*) attamen per aequitatem exceptionis temporaria eſſe poteſt. Haec a non domino perpetuario conſtituta, nullo modo valet. Hinc peremptoria illa JCti verba: *Proprietatis dominus ne quidem conſentiente fructuario ſervitutem* IMPONERE *poteſt.* Ecce ſignificat JCtus evacuari, vitiari penitus hanc ſervitutis conſtitutionem, propter defectum videl. perſonae conſtituentis.

Duritiem igitur *hujuſce legis*, miſſis aliis remediis, & ut ne in Juris Civilis rationem impingamus, emolliri poſſe putet quis hac ſola ratione: quod ſcil. in hoc caſu potuerit ſaltem fructuarius, vel ſolus, vel cum proprietario, ita ſervitutem imponere, ut ſervitus iſthaec jus magis perſonale quam ſervitutem realem contineret: quomodo & aliis caſibus quibuſdam

dam ſervitus alioquin realis quaſi perſonalis effici cenſetur, ut in ſpecie *l. 4. D. de ſervit. R. P.* & *l. Mela 14. §. ult. D. de alimentis leg.* Tandem fateor, aliter hodie judicandum fore, miſſis illis juris ſubtilitatibus, ſi de eo judicium hodie acciperetur.

CAPUT VI.

Ulpiani *l. 1. in pr. D. quibus modis uſusfructus amittatur.* ex lib. 17. ad Sabinum

QUaeſtio eſt de TRADITO uſufructu: quonam videl. ſenſu & cur Ulpianus ſcripſerit, *traditum uſumfructum non jure conſtitutum eſſe, ſed tuitione tantum Praetoris conſiſtere?* Verba Ulpiani ſunt haec: *Non ſolum uſumfructum amitti capitis diminutione conſtat, ſed & actionem de uſufructu. Et parvi refert, utrum jure ſit conſtitutus uſusfructus, an vero tuitione Praetoris. Proinde traditus quoque uſusfructus, item in fundo vectigali vel ſuperficie non jure conſtitutus, capitis minutione amittitur.* Apertum quidem eſt hic, duplicem uſumfructum ab Ulpiano conſtitui: alium, qui jure ſit conſtitutus; jure, inquam, ipſo & civili: alterum, qui tuitione tantum Praetoris conſtitutus ſit & conſiſtat. Quam eandem diſtinctionem facit rurſum idem Ulpianus *l. 9. §. 1. D. uſufructuar. quemadm. cav. Illud ſciendum eſt, ſive jure ipſo quis uſumfructum habet, ſive etiam per tuitionem Praetoris, nihilominus cogendum eſſe fructuarium cavere, aut actiones ſuſcipere.* Haec quidem ut dixi diſtinctio aperta eſt: ſed in exemplo priore labor eſt. Exemplum equidem uſusfructus tuitione tantum Praetoris conſtituti & conſiſtentis in fundo vectigali vel ſuperficiario omnes admittunt. Nempe enim juris aperti eſt, quod ſuperficiarius, quique fundum vectigalem habet, in fundo ſuperficiario & vectigali uſumfructum jure conſtituere non poſſit, uti neque aliam quamlibet ſervitutem, cum dominus non ſit, ſed jus tantum habeat in fundo, *l. 1. D. ſi ager vectig.* (cujus tit. *legem* 2. notari velim huic noſtrae, ceu ex eodem Ulpiani libro deſumptam, conjungi oportere) & *l. 1. 2. D. de ſuperficieb.* Et tamen (quod *hac l.* docemur) & ab his conſtitutus uſusfructus tuitione Praetoris ſuſtinetur: quare & idem Ulpianus ſcribit, *d. l. 1. §. 6. D. de ſuperfic. quaſi uſumfructum* ſive *uſum quendam* eſſe, & conſtitui poſſe PER UTILES ACTIONES credendum eſt. *Quaſi uſusfructus, & quidam uſus, & utiles actiones*; haec, inquam, omnia denotant Praetoris tuitionem & aequitatem. Nempe ubi Praetor ſemel ſuperficiarium & vectigalem agrum habentem domini loco habere, eique utilem in rem actionem dare coepit, jam & uſumfructum ab his conſtitutum tueri neceſſe habuit, atque ſi a domino is conſtitutus fuiſſet. Haec, inquam, plana ſunt. Sed difficultas in eo eſt, quod de *Tradito* uſufructu ab Ulpiano adjicitur; quaſi traditus uſusfructus non jure conſtitutus ſit, ſed tuitione tantum Praetoris conſiſtat, cum tamen uſusfructus haud melius quam traditione conſtitui videatur, & vero paſſim de tradito fundo in jure agatur, tanquam certiſſime jure conſtituto.

Igitur Vir ſcriptis hac tempeſtate Clariſſimus de mendo ſuſpectum hunc locum faciebat; ita quidem, ut errorem ex contracta ſcriptura natum, legendumque putaret, *Proinde traditus* QUOMODOCUMQUE *uſusfructus*; quaſi Ulpianus dixiſſet, uſumfructum traditum, non tantum ex CAUSA Jure civili cognita, verum etiam ex cauſa, quae ſola aequitate commendetur, conſiſtere, licet vinculo juris deſtitutum: neque enim ſi ſolam traditionem ſpectes, uſumfructum traditum recte negari jure conſtitutum, aut recte affirmari Praetoris tantum tuitione conſiſtere: quare cum neceſſe ſit id, quod de tradito fundo hic dicitur, exemplum eſſe uſusfructus non jure conſtituti, eam emendationem admittendam, quae *Cauſarum* ſaltem diſtinctionem faciat, ex quibus uſusfructus traditus eſt.

Hanc emendationem etſi neque ego admittam; non tamen fero iis argumentis refutari, quibus refutandam ſibi nonnulli duxere.

Non admitto, inquam, quod ajunt, neminem ita ex lectione vulgata concludere, *Quod uſusfructus traditus ſolo Praetorio jure conſtitutus ſit.* Imo enim ita omnino concludi neceſſe eſt, & vero concludendum eſſe mox oſtendam: verum iiſce rationibus, quibus ſane ignoratis nil mirum eſt receptam lectionem ad abſurdum a Viro Clariſſimo deductam fuiſſe.

Non admitto etiam, quod ajunt, admiſſa ſuperiore emendatione QUOMODOCUMQUE, e re jam fuiſſe exemplum quoque proponi uſusfructus jure ipſo conſtituti. Imo vero vox haec ampliativa QUOMODOCUMQUE, illud tantum, pro JCtorum noſtrorum more, depoſcebat, ut modi extraordinarii & dubitabilis exempla apponerentur, non vero ea, de quibus dubitari non poterat.

Tertio non admitto, quod eundem legis ſenſum futurum ajunt etiam ſine illa correctione. Imo enim non idem ſenſus futurus eſt; quia enim vulgata lectio in genere loquitur *de uſufructu Tradito*, ac proinde ſcrupulum relinquere; emendatio vero ſeu vox *quomodocumque* (quae a DD. *valde praegnans* dicitur) ſcrupulum eximere videtur, *Cauſarum* videlicet jam diſtinctione indicata, ex quibus fundus traditus eſt; puta uſumfructum valere non modo ſi ex cauſa jure civili cognita tradatur, verum & ſi ſola aequitate, QUOMODOCUMQUE denique.

Quarto neque admitto eam objectionem, quod illud ipſum *Quomodocumque* ex ſuperioribus ſatis colligi poſſit; ex illis, inquam, *Parvi refert*, atque ideo nil hic immutandum fuiſſe. Verum equidem eſt, Regulam exinde recte confici, ſed non ideo de exemplis liquebat: ideo etiam mox ſubjicit JCtus *Proinde traditus*, &c. Quae verba ſunt a Regula generali ad exempla progredientis.

Quinto non admitto, quod dicunt nihil abſurdi fore, etſi dicamus, JCtum exemplum dare voluiſſe uſusfructus, jure conſtituti. Non, inquam, id admitto: quia enim tralatitius JCtorum mos renititur; qui poſt Regulam extenſivam ſeu progreſſivam ab una eaque indubitata ſpecie ad aliam dubitabilem, ejus tantum ſpeciei exempla proponere adſolent, ad quam progreſſus fit, & de qua dubitari poterat; rei vero notae nullum exemplum addunt.

Sexto non admitto argumentum, quod ducunt a voce ſequente ITEM: nempe ajunt, quod ſi Juriſconſultus dixiſſet, *traditum Quomodocumque uſumfructum*, id eſt, ex quacunque cauſa, ſive civili, ſive Praetoria, non debuiſſe ſubjicere *Item*; quae vox arguat ſpeciem ſequentem praecedenti non contineri, ſed dicendum fuiſſet, *Veluti*, aut ſimile quid: atquin Traditum *Quomodocumque* uſumfructum etiam ſequentes ſpecies, uſusfructus ſcilicet in ſuperficiario & vectigali fundo conſtituti, complecti. Non, inquam, id admitto, quia Viri Clariſſimi mentem & verba diſſimulant, qui traditi quomodocunque uſusfructus exemplum quoque apponebat ex CAUSARUM diverſitate, veluti ex cauſa fideicommiſſi, ut in ſpecie *l. 3. D. ſi uſusfr. pet.* & *l. 4. D. quib. mod. uſusfr. amitt.* Quae quidem ſpecies diverſae ſunt a ſpeciebus fundi vectigalis vel ſuperficiarii, quae non Cauſarum diverſitatem reſpiciunt, verum *Rei ſubjectae* diſcrimen ſpectant.

Tandem neque fero haec verba, *Non jure conſtitutus* urgeri, ex quibus efficiunt, admiſſa ſuperiore emendatione & legem ipſam ſibi contradicturam, & emendatorem ſibi ipſi non conſtare: Legem ipſam, quia ſcilicet uſusfructus, Juris Civilis vinculo non ſubnixus, non ſit *Quomodocumque conſtitutus.* Contrarium enim omnino colligi oportuit: Quomodocumque conſtitutus uſusfructus eſt: Ergo Juris Ci-

vilis

vilis vinculo ſubnixus non eſt. Multo minus ſibi contradicit emendator, quia ejuſdem fuit dicere, agi hic de uſuſructu jure non conſtituto: *Jure*, id eſt, jure civili: & ejuſdem dicere, agi de eo, qui quomodocumque conſtitutus eſt, id eſt, vel jure Praetorio.

Interim etiam injuriam eidem viro CL. faciunt, cum inconſtantiae eum arguere ſuſtinent circa vocem *Quoque*, quaſi & eam ipſe primum eodem loco probaverit, mox improbet. Ex hypotheſi quippe tantum receptae lectionis initio concludebat; *Et articulus*, inquit, QUOQUE ſi *retineatur*, *eandem procul dubio ſuadet interpretationem*. Nulla haec opinor inconſtantia eſt, verum ex hypotheſi argumentatio.

Nihil igitur hactenus dicitur, quo ſuperior emendatio refellatur; quam unico veriſſimoque argumento refelli oportuit; novae, inquam, Interpretationis remedio: non quidem ejus, qua receptam lectionem nonnulli tutantur, adſcita videlicet in ſubſidium nova conſtructione: nempe verbis illis ſequentibus, *Non jure conſtitutas*, retractis ad illa ſuperiora, *Traditas quoque uſusfructus:* quaſi ita lex ſcripta eſſet, *Proinde traditas quoque uſusfructus non jure conſtitutas, item in fundo vectigali vel ſuperficie non jure conſtitutus.* Hanc enim conſtructionem refutat; Primum intermedia vox ITEM, quae oſtendit, prius exemplum traditi uſusfructus, jam omnino abſolutum, neque ex poſterioribus quicquam, ceu ἀπὸ τοῦ κοινοῦ eo arceſſendum eſſe. Deinde ſenſus ipſe abſurdus fuerit, qui inde jam ſequeretur, prius hoc exemplum cum poſteriore idem eſſe. Annon enim & hoc caſu uſusfructus in fundo vectigali vel ſuperficie conſtitutus, traditus non jure conſtitutus eſt?

Quid igitur? Nihil hic aut immutandum, aut ἀπὸ τοῦ κοινοῦ arceſſendum veniebat, eo ipſo ſcilicet, quod fructus traditus erat, & non jure conſtitutus erat: ſive quia, ut volunt nonnulli, uſusfructus earum rerum numero eſſet, quae mancipi ſunt, ac proinde traditione non jure conſtituebatur, verum mancipatione ſeu nexus traditione, vel in jure ceſſione. *Mancipatio*, inquit Ulpianus *in fragm. tit.* 19. *propria ſpecies alienationis eſt rerum mancipi: traditio proprie eſt alienatio rerum nec mancipi. In jure cedi res etiam incorporales poſſunt, veluti uſusfructus*, &c. Et ex Gajo Boëtius *lib.* 3. *in Topica* Ciceronis, *Abalienatio*, inquit, *rei mancipi, aut nexus traditione aut in jure ceſſione perficitur: Num pura traditione abalienatio rei mancipi non explicatur.* Sive quia (quod certiſſimum eſt) incorporales res traditionem non recipiebant; quod, praeter expreſſum textum *l.* 43. §. 1. *D. de adquir. poſſ.* etiam ex Inſtitutionibus noſtris diſcere eſt, §. *per traditionem* 40. *Inſt. de rer. diviſ.* ubi Theophilus quoque, τὰ ἀσώματα ἀφῆς ὄντα κρείττονα ἐκ ἐπιδέχεται τραδιτίονα. Igitur uſusfructus per traditionem non jure conſtitutus erat. Quod ipſum rurſum idem Ulpianus oſtendit, *d. l.* 1. §. 6. 7. *D. de ſuperficieb. Quia autem*, inquit, *etiam in rem actio de ſuperficie dabitur, petitori quoque in ſuperficiem dari, & quaſi uſumfructum ſive uſum quendam ejus eſſe, & conſtitui poſſe per utiles actiones credendum eſt. Sed & tradi poſſe intelligendum eſt, ut & legari & donari poſſit.* Quem etiam locum Interpretes vulgo minus intellexerunt, divulſis ibi perperam paragraphis. Id enim eo loco vult Ulpianus, etſi ipſo jure ſuperficiarius uſumfructum conſtituere non poſſit, ac multo minus per traditionem: attamen quaſi uſumfructum, per utiles actiones, & ſic tuitione Praetoris, conſtitui, imo & tradi poſſe.

Ita igitur concludendum, in ipſa & nuda traditione uſusfructus vitium fuiſſe, eo quod traditio non eſſet modus legitimus Jure civili uſusfructus conſtituendi, qui tamen conſtitutus tuitione Praetoris conſiſtebat. Viderint jam novae conſtructionis Auctores, quaenam e ſuperioribus interpretatio ſua ᵉ.

ſponte fluat, verbis legis adſtricta, & nullatenus detorta aut coacta.

CAPUT VII.

Ulpiani *l. uti frui* 5. *in fine pr. D. ſi uſusfructus petatur.* ex libro 17. ad Edictum.

QUaeſtio eſt, de *Commodo poſſeſſionis* in judicio inter fundi proprietatem ſeu dominium ſibi vindicantem, & ejuſdem fundi uſumfructum ſibi aſſerentem. Neque tamen quaeſtio Juris, ſed de ſententia tantum verborum Ulpiani: nam de jure ipſo ne quaeſtio quidem eſt. Ait *initio legis* Ulpianus, *Vero domino fundi competere negatoriam actionem adverſus eum, qui jus utendi fruendi ſibi vindicat.* Haec quidem de vero domino clara ſunt & perſpicua. At non item perſpicua nonnullis videntur, quae ſtatim de non vero domino ſubjiciuntur: *Quod ſi forte qui agit dominus proprietatis non ſit, quamvis fructuarius jus utendi non habet, vincet tamen jure quo poſſeſſores ſunt potiores, licet nullum jus habeant.* Conſentiunt equidem omnes (quod & *Joannes* vetus Interpres vidit) ſpeciem hujuſce verſiculi pertinere ad concurſum ſeu conflictum non domini, & non veri fructuarii: & ſic duorum nullo jure ſibi aut dominium aut uſumfructum vindicantium: & conſentiunt omnes, in hoc concurſu ex his eum potiorem eſſe, qui poſſideat. Sed de eo tantum quaeritur, Utrum in hac Ulpiani ſpecie, non dominus, qui ſcilicet proprietatem ſibi falſo vindicabat, poſſeſſor fuiſſet, an vero is, qui uſumfructum ſibi falſo pariter vindicabat: ac proinde, uter dicatur in hac ſpecie *vincere eo jure, quo poſſeſſores ſunt potiores, licet nullum jus habeant?*

Vir ſuperiore aetate Clariſſimus putabat, in hac ſpecie non dominum poſſeſſorem fuiſſe, & ideo vocem *fructuarius* expungebat: Quem & ex *Auctoris mei* & CL. Antonii Fabri nota reprehendi jure video: ſed neque veris rationibus, neque cauſa erroris detecta.

Primum enim non negavit emendationis iſtius Auctor, hoc loco agi de Negatoria actione dominium ſibi vindicantis contra fructuarium, quod diſertis ipſemet verbis profitetur.

Neque nexus aut ſeries legis eam emendationem nlla ratione, quantum equidem ego perſpicere poſſum, refutat.

Neque etiam video, quomodo ea voce *fructuarius* ſublata locus obſcurus futurus ſit, quaſi jam colligi non poſſit, contra quem vinceret is, qui proprietatis dominus non eſt. Id enim tum ex ſuperioribus proxime connexis liquido apparet; ſimul & ex tota legis ſerie, ubi agitur de actione inter proprietarium & fructuarium: quo ſane poſito, poſitaque ſimul perſona ejus, qui vincere dicitur, ſane ponitur neceſſario & is, qui vincitur: niſi putet quis jam rem inter alios judicatam aliis praejudicare. Et quaeſo, non iidem illi, qui hoc urgent, in interpretatione *l.* 57. *D. mandati.* (de qua *infr. cap.* 11.) longe abſurdius *adverſarium* aliquem ſubintelligi volunt? Imo non iidem illi in interpretatione *l.* 66. §. *pen. D. de legatis* 2. (de qua *inf. cap.* 19.) longe abſurdius cauſas alias ab expreſſis ſubintelligi pariter volunt?

Sed, inquiunt, res erit clarior, ſi inquiratur in rationem dubitandi & decidendi. Imo neque haec ratio emendationem ſuperiorem ullo modo conficit. Eadem quippe ſemper ratio dubitandi & decidendi futura eſt, etſi eum, qui proprietatem falſo ſibi vindicat, adverſus uſumfructum falſo ſibi vindicantem, poſſeſſorem feceris. Sane enim & hic, etſi neuter vincere debere videatur, quia uterque jure deſtituitur (quae *dubitandi ratio* eſt) attamen non dominus potior erit, quia (quae *ratio decidendi* eſt) etſi proprietatem ſibi falſo vindicet, tamen vincit eo jure, quo poſſeſſores ſunt potiores, licet nullum jus habeant.

Alus igitur & verioribus rationibus ſuperior emendatio refellenda erat: duplici nempe Emendatoris errore notato; quorum Prior eſt, quod cum ipſemet videret non de exceptione, ſed *de actione* negativa ſcil. ſeu *negatoria* hic agi (ut diſerte *hujus ipſius legis princ. verſ. Quanquam enim* exprimitur) non attenderit, eo ipſo non dominum poſſeſſorem non fuiſſe: nam ſane ei, qui poſſidet, non eſt actio prodita, per quam neget rem alterius eſſe, ut eſt in vexato §. 2. *inſ. Inſt. de actionib.* ſeu, ut Ulpianus loquitur, *l.* 1. §. 6. *D. uti poſſidetis:* actio nunquam *Ultro* poſſeſſori datur, quippe ſufficit ei quod poſſidet. Denique nemo in poſſeſſione conſtitutus agit, ſed agentem exceptione repellit.

Secundus error in eo eſt, quod ad connexa verba *jus utendi* non advertit; *quamvis* inquit lex, *fructuarius jus utendi non habent:* quae manifeſtiſſime vocem *fructuarii* requirunt, contra ſuperiorem emendationem refutant, qua jam haec verba ad proprietarium referrentur. Atqui non proprietatem ſibi vindicans jus utendi ſibi vindicat, ſed fructuarius.

Cauſa tandem erroris haec Viro Clariſſimo fuit, quod vocem *vineis* ad remotiora illa, ubi de non domino proprietatis agitur, referendam putavit, cum ad proxima de fructuario jus utendi non habente omnino ſpectarent.

CAPUT VIII.

Ulpiani *l. Plenum* 12. §. *praeter* 1. *D. de uſu & habitatione.* ex lib. 17. ad Sabinum.

QUAESTIO eſt, de uſu FOLIORUM: Utrum videl. cum ad uſuarium pertinere Nerva JC. ab aliis JCtis hac parte diverſus, olim negaverit? In *d.* equidem *l.* refertur, Nervam id uſuario negaſſe: NEQUE FOLIIS, inquit, NEC OLEO, *nec frumento, neque frugibus uſurum*: & ilico ab Ulpiano ſubjicitur, *Sed Sabinus & Caſſius & Labeo & Proculus hoc amplius etiam ex his, quae in fundo naſcuntur, quod ad* VICTUM SIBI SUIS *ſufficiat ſumpturum, & ex his quae Nerva negavit: Juventius, etiam cum* CONVIVIS *& hoſpitibus poſſe uti: quae ſententia mihi vera videtur.* De Foliis iſtis, uti dixi, magna eſt quaeſtio, ſic ut multa folia librorum impleverint; cum ab una parte mirum, neque ulla ſatis ratio excogitari poſſe videatur, cur Nerva foliorum iſtorum uſum uſuario denegaverit: quae generaliter accepta caduca ferme ventique ludibria ſunt: ab altera parte, cum inſolens videatur foliorum iſtorum cum oleo, frumento & frugibus ſocietas ſeu conjunctio.

Quare variae admodum & diſſentientes inter Juris Interpretes enatae ſunt ſententiae, quibus videl. hanc lectionem defenderent: quibus in commune id propoſitum eſt omnibus, ut *foliorum* hic appellationem, vel ad certum foliorum genus, vel ad certum foliorum uſum reſtringant: quas poſtea alii pleraſque omnes ſubſiſtere poſſe affirmarunt, omnes *linea alba* ſignantes.

Accurſius, & poſt eum alii eo confugiebant, ut de foliis id acciperent, quatenus videl. his ruſtici utuntur, ac nominatim *hyberno tempore alendo pecori vel ligandis vineis.* Addit Accurſius & ea folia, unde fit tinctura cerdonum, qua ſcil. coria tingunt. Adde ſi lubet & folia vel frondes, ſubſternendo, calefactioni, ſtercorationi, & cineribus faciendis. Hanc Interpretationem qui exceperunt nonnulli, hanc rationem reddunt; cur, inquam, Nervam foliorum iſtorum uſum uſuario negaſſe putent: nempe, quia haec folia ad opera ruſtica & ad pecorum paſtum pertineant, non ad uſum fundi. Verum, quicquid tandem moliantur illi, generalis Primum *foliorum* appellatio, & indefinita horum uſus a Nerva denegatio, hanc interpretationem omnino reſpuit: quae ſane ſi vera foret, non indiſtincte foliorum uſum Nerva uſuario denegaſſet, ſed hoc aut illo fine hactenus, ſeu horum aut illorum foliorum. Secundo, quod maximi momenti argumentum & palmarium hic eſt, hanc interpretationem reſpuit *olei, frumenti & frugum ſocietas ſeu conjunctio;* cum quibus quid quaeſo commune habent folia? Ecquis enim unquam fando audivit: folia inter *fructus* cenſeri ſeu referri poſſe, quod tamen etiam confidenter ſcribere nonnulli audent, multo minus iſtis, quae ſequuntur ſociari, oleo, frumento, frugibus? Sed cumprimis ſequentia illa renituntur, *Quod ad victum ſibi, ſuis ſufficiat:* item illa, *etiam cum convivis & hoſpitibus poſſe uti.* Inde enim apparet, hic agi non de capito, ſeu pabulo, vel ſtramento animalis, ſed de victu hominis ipſius & ſuorum & convivarum & hoſpitum. *Victus*, opinor, ea comprehendit, quae cibi potuique hominis, tum & ea, quae cultui corporis ſunt, tandem quibus tuendi curandive corporis noſtri gratia utimur, *l.* 43. 44. 234. §. *ult. D. de V. S. l. diarus* 21. *D. de alimentis leg. Suorum* item appellatione non pecora, ſed familia venit. Tandem ſi haec interpretatio admittitur, contrarium ſibi ex parte Nervam facias: proxime enim *ſtramentorum* uſum uſuario conceſſit: atqui *ſtramentorum* appellatio complectitur ea ipſa, quae foliorum appellatione hic ex parte intelligi autumant: nempe ea omnia, quae pecori ſubſternuntur: ut fidem faciunt rei ruſticae ſcriptores, Varro, Cato.

Alii de foliis hunc locum accipiebant, unde *unguentum foliatum* confici ſolebat: quam ſententiam etiam *Auctorem meum*, pro more & inſtituto ſuo, juvandis Lectoribus & ſtudioſis, retuliſſe, at non & ilico probaſſe, video. Nemo equidem reprehendere poſſit, quod de foliato illi monent; verum haec interpretatio hic admittenda non eſt: nam & per *folia* foliatum intelligi inſolens eſt; & hoc ipſum foliatum quid huc faciat, ubi de fructibus, ut modo dixi, agitur, & quidem ad victum hominis, & ſuorum, convivarum item & hoſpitum, pertinentibus: nativis item non factitiis, quae fundus ipſe ſcil. educit, *quaeque in fundo naſcuntur*, ut hic expreſſe dicitur, ſolaque excuſſione aut expreſſione ſeu detectione egent: cujuſmodi ſunt oleum, frumentum, fruges: non vero de iis, quae perditae Romanorum luxuriae ingenium in potum olim addidit, teſte Plinio *lib.* 11. *cap.* 13.

Alii, quod ab *Auctore meo* pariter notatum reperio, videntes per *folia* unguentum foliatum hic accipi minus recte poſſe, *folia* jam ipſa Barbarica, Indica (unde tamen inter caetera unguentum illud conficiebatur) per *folia* interpretantur: nullis tamen vel paucis adductis auctoritatibus, quas hic pleraſque ſupplere animus eſt. Nempe verum eſt, *folia*, φύλλα, de hoc foliorum genere proprie dici: puta Barbaricorum, quibus Arabia dives erat, & unde malobathrum conficiebatur, Myrrhinum, & Oenanthinum unguentum: id enim infinitis auctoritatibus comprobatur, non modo *l.* 16. §. 7. *D. de publican. & vectig.* Athenaei *lib.* 15. *cap.* 12. *pag.* 689. verum & Apicii, non uno loco *lib.* 1. *cap.* 1. 2. Vindiciani, in carmine de medicina:

> - - - *Quae Judaicis fragrant bene condita capſis*
> *Thus, coſtum,* FOLIUM, *myrrham, ſtyracem, crocomagma.*

Q. Sereni: Claudiani, *lib.* 1. *in Eutropium v.* 225.

> - - - - - - *Te grandibus India gemmis,*
> *Te* FOLIIS *Arabes ditant, te vellere Seres.*

Auctoris Carminis *de Phoenice:*

> - - - *Miſto balſama cum* FOLIO.

Heliodori *lib.* 10. Οἱ Ἀράβων τῶν εὐδαιμόνων πρεσβευταὶ παρῆσαν, καὶ φύλλα τε πυάδους καὶ κάλας καὶ κινναμώμου, καὶ τῶν ἄλλων, οἷς ἡ Ἀραβία γῆ μυρίζεται.

No-

Digitized by Google

Vetus quoque Scholiaſtes Juvenalis ad illud:

- - - Moechis foliata parantur:

Unguenta, inquit, FOLIIS *plena vel aliis aromatibus.* Ut omittam jam, φύλλα, φυλλὶν, φυλλιάδα, quae erant vel ἡδύσματα, κυφία vel ὑπὸ τρίμματι ἐκλαχάνων σκευαζόμενον, teſte Galeno, Comici Interprete, & Heſychio. Haec ſane omnia nemo reprehendere poſſit. Verum huc ea nequicquam faciunt. Quid enim huc faciant *folia* iſta, cum hic agatur de iis, quae oleo, frumento, frugibus cognata ſunt, & in ſummam, quae ad victum hominis & ſuorum, convivarum item & hoſpitum, pertinent? quo utique haec folia non pertinent.

Quarta eorum ſententia eſt, qui de foliis id accipiunt *maxime viridibus*, quibus excuſſis, & ſi arbores ſpolientur, aeſtu eas areſcere & mori contingat: quorum uſum ideo Nerva uſuario denegaverit, ut ita detrimentum arborum impediret. Verum, Primo rationem, aut teſtimonium vel unicum proferant illi mihi, quo probetur, de hiſce foliis proprie *folia* praedicari dicique; cum generaliter hic dicatur *foliis:* ut proinde ſuaves ſint, qui hunc locum ad id foliorum genus reſtringunt. Secundo, & vel maxime, ſi haec interpretatio vera foret, tum hanc Nervae ſententiam Sabinus, Caſſius, Labeo, Proculus omni laterum contentione tueri debuiſſent; non autem communi conſenſu eam damnare: quandoquidem neque fructuario hujuſcemodi foliorum uſus tribuendus eſſet, ſiquidem eo conceſſo, uſusfructus ſalva rei ſubſtantia ſtare non poſſet.

Videºint igitur jam, qui hanc interpretationem vix impugnari poſſe ajunt, tippula certe leviorem.

Hactenus Interpretationes quatuor receptae lectioni tuendae, ſeu quae vocem iſtam *foliis* tueri ſatagunt. Sequuntur emendationes. Prior eſt eorum, qui *oleis* hic reponendum putabant: quam quidem emendationem alii jure reprehendunt, non rite tamen juſtiſve rationibus. Nempe ajunt, de fructibus hic ſermonem eſſe, non de arboribus: atquin *oleam* eſſe arborem, *olivam* fructum. Sero vero natos in orbe homines, qui nos haec arcana docerent. Conſulantur enim vel rei ruſticae Scriptores, & *oleas* paſſim etiam de fructu & foetu arboris uſurpari reperies: imo nunquam ferme aliter.

Aliis igitur rationibus haec emendatio profliganda veniebat, & vero his tribus. Primum argumentum ſumo a *Connexis*, quod ſcilicet in hac quaeſtione, oleae cum oleo, frumento, & frugibus non recte hac in re ſocientur; quia haec omnia in annum & apothecas ſeu horrea conduntur, ad victum hominis & ſuorum, & in quibus Nerva uſuario uſum denegabat, quod videlicet in fructu magis conſiſterent. Secundo quis negare potuerit uſuario aliquid de oleis decerpere? Imo, quod validiſſimum eſt, ipſum Nervam hac parte ſibi diſſidentem facias, qui paulo ante uſum pomorum uſuario tribuebat, *Sabinus & Caſſius* (inquit Ulpianus) *& lignis ad uſum cottidianum, & horto, &* POMIS, *& holeribus, &* FLORIBUS, *& aqua uſurum, non uſque ad compendium, ſed ad uſum: ſcilicet non uſque ad abuſum. Idem, Nerva: & adjicit, ſtramentis etiam uſurum: ſed neque foliis*, &c. Ecce & ipſe Nerva pomorum uſum uſuario tribuebat, atqui norunt JCtorum filii, oleas ipſas *pomi* appellatione venire, cum ea veniant omnes fructus arborei edendi cauſa, *l. 205. D. de V. S.* Quare haec emendatio mihi nunquam arriſit:

Multo minus Altera, reponentium *Doliis*, quos ne refutatione quidem dignos puto ulteriore.

Num igitur antiquae lectioni mordicus adhaerendum eſt? Ita volunt, & quidem citra ullius abſurditatis aut erroris alicujus ſuſpicionem: etiam Baſilicorum, ſeu textus Graeci, auctoritate; quod Leunclavius jam notaverat, *notationib. poſt Synopſin Baſil. nu. 16. pag. 87.* Sed & *Auctor meus, ad hanc l.* ubi ſane vox φύλλον quoque occurrit: ὁ τὴν χρῆσιν μόνην ἔχων καὶ πρὸς τὴν καθημερινὴν χρείαν κέχρηται τοῖς ξύλοις, καὶ τῷ κήπῳ, καὶ ταῖς ὀπώραις καὶ λαχάνοις, καὶ φύλλοις, καὶ τῷ ὕδατι, οὐ πρὸς κέρδος, οὔτε κατακέχρηται; id eſt, *Qui uſum ſolum habet, & ad quotidianum uſum utitur lignis & horto, & pomis, & holeribus, &* FOLIIS, *& aqua, non ad compendium, neque ut abutatur.* Sed qui hunc locum haud limis oculis inſpexerit, huc eum nequicquam facere deprehendet. Conferatur enim is cum ipſo Pandectarum textu, & reperietur, eum pertinere non ad hanc, verum ad priorem illam ſententiam, qua videlicet etiam Nerva uſuario uſum *lignorum, horti, pomorum, holerum*, FLORUM, *& aquae tribuebat.* Quae omnia hic habes pariter eodem prorſus ordine, κατὰ πόδα, totidem pene verbis expreſſa; hoc tantum diſcrimine, quod, cum textus habeat *floribus*, Graeci expreſſerint φύλλοις. *Et lignis*, inquit Ulpianus, *& horto, & pomis, & oleribus, & floribus, & aqua:* at Graeci τοῖς ξύλοις, καὶ τῷ κήπῳ, καὶ ταῖς ὀπώραις, καὶ λαχάνοις, καὶ φύλλοις, καὶ τῷ ὕδατι. Viden' ut ſingula ſingulis reſpondeant? Quare neceſſe eſt φύλλα ibi pro floribus dici? Graeci ſcilicet paſſim ita φύλλα pro *floribus* uſurpant. Unde & φυλλοβολία, quam Tertullianus *florum uſperginem* vertit: Apulejus, *jacula floris.* Atenim ſequentem demum ſententiam, de qua nunc ſermo eſt, ita in compendium Graeci redegerunt, ſequenti capite: ἐν τοῖς ἐν τῷ ἀγρῷ γινομένοις κελλαρικοῖς ὁ τὴν χρῆσιν μόνην ἔχων τὸ πρὸς ἑαυτὸν ἀρκοῦν αὐτῷ λαμβάνει εἰ καὶ πάντα δαπανᾶται; id eſt, *ex Cellarienſibus in agro natis qui ſolum uſum habet, quod ad uſum ſibi ſufficit, ſumit, etſi omnia abſumat.* Hic demum locus eſt, qui cum hoc noſtro committi debuit, non ſuperior ille: nempe ſuperior erat de pomis, oleribus, floribus, aqua, & ſic de prodigis, quae ſtatim ferme abſumuntur: at hic noſter eſt de his, quae in annum ferme conduntur, cujuſmodi ſunt, oleum, frumentum, fruges, quae generali κελλαρικῶν appellatione in Baſilicis indicantur. Nempe *Cellarienſes* ſpecies ſunt, quae in cellam & apothecam conduntur, de quibus vel Codex Theodoſianus, & Severus Sulpitius *lib. 2. ſacr. hiſt.* Quare vel hujuſce loci praejudicio apparet, in hac poſteriore ſententia, quam prae manibus habemus, vocem *foliis* ſtare neutiquam poſſe, cum Cellarienſibus ſpeciebus folia connumerari non poſſint, ac proinde cum oleo, frumento, frugibus, ad victum hominis & ſuorum, convivarum item & hoſpitum ſpectantibus, ambulare nequeant.

Haec cum ita ſint: cum, inquam, 1. nulla ſuperiorum Interpretationum ſubſiſtere, nulla vocem *foliis* tueri poſſit: imo ex nulla non earum abſurdum ſequatur. 2. Cum nulla etiam ſuperiorum emendationum locum habere poſſit.

3. Cum tres aliae ſpecies in hac quaeſtione foliorum ſocietatem reſpuant. 4. Cum ex ipſo textu appareat, hic agi de his, quae ad victum hominis & ſuorum, convivarum & hoſpitum pertinent.

5. Denique cum Graecorum quoque auctoritate praejudicatum eſſe poſſit, locum hunc eſſe de ſpeciebus Cellarienſibus, quo numero folia non cenſentur:

Hic aliud quid latere oportet. Sed quid hic latere putandum eſt? Nempe de *Vino*, ſeu uvis, quae vini cauſa habentur, hic omnino JCtum egiſſe oportet; duplici argumento: Primum enim quis credat, JCtum, cum ſigillatim per minutias perſequeretur, quidnam juris uſuarius *Fundi*, in his, quae *in fundo naſcerentur*, haberet, eouſque etiam, ut & poma, & olera, & ligna, imo & *Aquam* memoraret, mox & oleum, frumentum, fruges, nullam inter haec vini, & uvarum, quas dixi, mentionem feciſſe? Alterum argumentum praebent Conjunctae ſpecies; oleum, inquam, frumentum, & fruges, cum quibus vinum ambulare neceſſe eſt: quandoquidem

dem haec quadriga eſt fructuum ad victum hominis & ſuorum, convivarum item & hoſpitum pertinentium: quadriga item fructuum, qua liquidorum, qua aridorum, ξηρῶν καὶ ὑγρῶν, binorum videlicet in ſingulo genere: nempe ut frumentum & fruges duae aridorum fructuum ſpecies ſunt, quorum illo continetur quod ariſta ſe tenet: hoc, quod ſiliqua continetur, veluti lupinum, & faba, *l. frugem.* 77. *D. de V. S.* & caetera, quae neque ſiliquam neque ariſtam habere videntur, ut milium, panicum: ita vinum cum oleo duae pariter liquidorum ſpecies ſunt, quas ideo ferme ſociari videmus. v. ſaltem tit. *D. de tritico, vino, oleo legato:* atque inibi inter alias *l.* 7. Atque haec tandem ſunt πολλαρκαὶ illa, de quibus hunc locum Graeci accipiebant. De vino igitur in effectu ſeu uvis vini cauſa hic actum prorſus oportet: ſed quaenam vox iſti ſpeciei exprimendae hic latere poteſt?

Hactenus vera diximus. Veriſimilia & πιθανὰ nunc dicturi ſumus: quae prout quiſque volet, ita & accipiet. Vox EFOLIIS, ἐφολίοις, mihi nunc ſub manum naſcitur: nempe nulla litera addita vel detracta, ſed ad Pandectarum tantum Florentinarum morem expreſſa, ita ſcriptum fuiſſe videtur NequEfolis, id eſt, *neque efolus.* Videndum modo, ne folia Sibyllae haec videantur. Ἐφόλια primum generaliter ea omnia intelligo, quae in annum ferme ſolidum integrum uſum praeſtant & conduntur, ἐφ' ὅλον ἐνιαυτὸν θησαυριζόμενα. Nempe ut ἐφήμερα ſeu ἐφημέρια ſunt prodiga; τρώξιμα, quae ſtatim & in dies prodiguntur & abſumuntur: & ἀθησαύριστα ſunt; ut ἐπιμήνια, epimenia, quae in ſingulos menſes parantur, quae apud Caſſianum *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 22. *menomena:* ita ἐφόλια dicta videntur, quae non momentaneum unius diei, ſeu diarii, ſed omnium anni dierum uſum praeſtarent; Graecis nempe ὅλον dicitur ſolidum omne ſeu univerſitas alicujus rei, tum in re nummaria & quantitate (ubi notum eſt ἡμιόλιον & ἡμιόλια ſubſtantive, & σύνολον pro univerſitate alicujus rei) tum & in ratione temporum & proventuum. Et vero hanc vocem ipſam jam teneo, tueorque in Honorii conſtitutione ad Africam pertinente: puta *l.* 20. *C. Th. de paganis ſacrif. & temp. Omnia etiam loca, quae ſacris error veterum deputavit, noſtrae rei jubemus ſociari, ita ut ex eo tempore, quo inhibitus eſt publicus* SUMPTUS *ſuperſtitioni deterrimae exhiberi,* FRUCTUS *ab incubatoribus exigantur.* Et mox; *Ita ut omnis* EXPENSA *illius temporis ad ſuperſtitionem pertinens quae jure damnata eſt, omniaque loca, quae Frediani, quae Dendrophori, quae ſingula quaeque nomina & profeſſiones gentilitiae tenuerunt,* EPHOLIS VEL SUMPTIBUS *deputata, fas ſit hoc errore ſubmoto compendia noſtrae domus ſublevare.* Vult hac conſtitutione Honorius per Africam rei privatae Principis ſociari loca ſacris gentilium deputata: quae alioquin *loca templorum*, vocantur, tum *l.* 19. 24. *C. Th. de petitionib.* tum & alibi paſſim: & *tit. ejuſdem C. de conlatione fundor.* & apud Aggenum Urbicum, *Comment.* 9. in Frontinum *pag.* 78. Loca, inquam, quae profeſſiones circa ſacra gentilium occupatae ſuis ſumptibus & epholiis deputata poſſidebant; *Sumptibus & Epholiis*, id eſt, ſumptibus ad victum in annum deſtinatis. Quomodo etiam ἄφιος fructus annotinus & reditus annuus dictus, quaſi ἀπὸ ἕνου ſeu ἐνιαυτοῦ. *Epholia* igitur cum in commune eſſent ea omnia, quae annuos uſus praeſtarent, ſpeciatim *Epholias* eas uvas dictas cenſeo, quae vini (quod annuum uſum praeſtat) cauſa habebantur. Nempe duûm generum uvas etiam JCti noſtri notant in *l.* 205. *D. de V. S.* alias, quas non vini cauſa habebant, ſed ad cibum, quas τρωξίμους ſeu τρωκτοὺς (unde & Leontius *Geoponicorum lib.* 14. *cap.* 17. dixit σταφίδα τρωκτὰς) Graeci appellabant, cibarias, eſcarias, cujuſmodi erant uvae duracinae & purpureae, quae *pomorum* etiam appellatione veniebant, ut docet *d. l.* 205. ac proinde & harum uſum uſuario Nerva concedebat: de qua alioquin uva duracina, quae non vini cauſa habebatur, ſeu vino inutilis erat, eſt & illud Martialis, *lib.* 13. *epig.* 22.

Non habilis cyathis & inutilis uva Lyaeo.
Sed non potanti me tibi nectar ero.

Aliae vero uvae habebantur *Vini cauſa* (quod in annum conditur) ac proinde ad fructum magis, quam uſum pertinentes.

Neque mirum cuiquam videri debet aut inſolens, hanc vocem uſurpatam ab Ulpiano JCto, qui & Syro Phoenix Tyrius, & verborum novator, ὀνοματοθήρας, ſeu a καινοφωνία notus & paſſim notatus fuit apud Athenaeum *lib.* 3. *cap.* 18. cujus καινοφωνίας & illa exempla idem profert, ἐπινομὶς (pro ſtrena) ὀψωνίον, & id genus alia, alioquin inuſitata; in aliis interea ipſe ſeverus verborum exactor: unde & Κειτούκειτος (vel Κειτοῦ μὴ κειτος) vocari meruit; quia prout voces reconditae aut novae ab aliis uſurparentur, probationem earum illico depoſceret; hiſce ferme verbis, κεῖται ἢ οὐ κεῖται, ideſt, *cede ubi hoc poſitum ſit.*

Neque mirum rurſum videri debet, *Epholias* abſolute, nullo addito, de hujuſmodi uvis dici potuiſſe, cum & naves quaedam pariter ita ſubſtantive & abſolute dicantur, ἡμιολίαι; Sed & in hoc ipſo uvarum argumento uvae cibariae, τρώξιμοι, nullo pariter addito, ita dictae videntur: ſed & *paſſae* ita abſolute dicuntur. Quin & *apothecae* nomen alias generale proprie de cella vinaria (cujus paulo ante idem Ulpianus meminit, *l.* 10. *in fin. eod. tit. D. de uſu & habitat.*) etiam jure noſtro dici notiſſimum ſit. Poſſis & hic reſtituere *nequEnoforiis:* ut οἰνοφόροι *uvae* dicantur, quae vini cauſa habentur.

CAPUT IX.

Vellejani SCti verba apud Ulpianum *l. & primo* 2. *§. poſtea* 1. *D. ad SC. Vellejanum*, ex libro 29. ad Edictum.

QUAESTIO eſt circa SCtum VELLEJANUM: non equidem de Jure, ſed de *Formulis* tantum, partim omnium ferme Senatuſconſultorum tralatitiis, ſed in Vellejano quoque uſurpatis; partim vero propriis Senatuſconſulti Vellejani. Neque ideo tamen contemnenda inquiſitio: ſane enim, ſicubi in jure religione magna opus eſt, opus cummaxime puto in tenendis typicis verbis & formulis Legum priſcarum populi Romani, Edicti perpetui, & Senatuſconſultorum; ut quae (quomodo ſemibarbare nonnulli loquuntur) *materialiter* in jure noſtro ponantur, Juriſprudentiaeque noſtrae fundus ſint. Sed non cujuſvis eſt ea aut tenere, aut tueri.

Quatuor loca obſervant, ubi de SCti Vellejani verbis anquiritur: & duo priora quidem de formulis, uti dixi, omnium SCtorum tralatitiis: quibus tertium & nos obiter addemus: duo poſteriora de SCti Vellejani propriis. Ipſa ante omnia SCti verba hic ſternenda ſunt, ut habentur in Pandectis Florentinis: *Quod M. Silanus & Vellejus Tutor* [1] CONSULES VERBA FECERUNT, *de obligationibus foeminarum, quae pro aliis reae fierent,* [2] QUID DE EA RE FIERI OPORTET, [3] DE EA RE ITA CONSULUERUNT. *Quod ad fidejuſſiones, &* [4] MUTUI DATIONES PRO *aliis* [5] QUIBUS *intercoeſſerint foeminae, pertinet, tametſi, &c.*

Primo igitur Cotta recte ab aliis eo nomine notatur, quod illis verbis, *Conſules verbâ fecerunt*, vocem *Ad*, vel *Apud* inſeruerit; ex notiſſima illa obſervatione, quod Conſules ipſi, ceu capita Senatus, verba facere ſeu referre ad Senatum ſolerent: unde tralatitia iſta SCtorum omnium verba, *Conſules verba fecerunt.* Atenim non bona fide idem eo nomine notatur, quaſi in nullo Manuſcripto id re-

PP3

pererius; exerte enim is in *v. annona. pag.* 31. dixit: *Et ita invenio ſcriptam in Codice antiquiſſimo patris mei.*

Vellem etiam novi Scriptores non tam acerbe in SCti emendatores inveherentur. Quid enim? an illa mox verba, quae intacta relinquunt, *Quid de ea re fieri oportet*, ſana aſſerere ſuſtinebunt? Imo & tralatitia fuit haec iſta SCtorum formula, *Quod de ea re fieri oporteret*, quod Doctiſſ. Antonius Auguſtinus jam indicavit: quibus addam ego, errorum inde ortum videri, quod contractis literis ita ſcriptum fuiſſet, *opoRtEt*, id eſt, *oporteret*, expanſis literis.

Sed, quod ſecundum illis hoc capite propoſitum eſt, contendunt iidem & verba haec SCti, *De ea re ita conſuluerunt*, recte habere adverſus CL. Hotomannum: quanquam neque Hotomannus primus hic, loco *conſuluerunt*, reſcripſit *cenſuerant*, ſed imo & Accurſius jam ita omnino hic in Codice ſuo legerat, *cenſuerant*: etſi idem notet alias quoque legi *conſuluerant*. Sed componamus togas. Cur quaeſo illis hic placet *conſuluerunt?* Quia, inquiunt, non ſemper vox *cenſendi* hic uſurpari ſolita, ſed & aliae. Fateor equidem uſurpatas alias, etſi minus frequenter, ſed *conſulendi* nunquam. Quare & ipſi jam ultro fatentur apud CL. Briſſonium (accuratiſſimum illum formularum legitimarum interpretem) nuſpiam eam vocem occurrere.

Sed *rationes* audiamus legitimae hujuſce formulae, *De ea re ita conſuluerunt:* Quia, inquiunt, ut Conſulis erat conſulere Senatum, ita Senatus quoque fuiſſe conſulere, id eſt, conſilium dare, in medium conſulere. Alius hanc rationem reddebat, quia & a conſulendo dictum ſit Senatuſconſultum. Eſto! verum inquam eſt, & Patres ſeu Senatores *conſuluiſſe* (quod ex hoc loco Cujacius obſervabat *lib.* 9. *Obſ. cap.* 30. *in fin.*) ſeu cum ſententiam perrogarentur, *in medium conſuluiſſe* (quanquam & tralatitia ibi formula fuit, *Ita cenſeo*, vel *Hoc amplius cenſeo*) Atenim & Conſules cum ad Patres verba facerent, *in conſilium* quidem *iri*, non etiam conſilium ſibi aut publice dari petebant: item ubi perrogatae ſententiae & Senatuſconſultum ſcriptum fuit, ut vim legis haberet, ſane imperativa verba SCtum continere oportuit: quo in cenſu eſt *cenſendi* verbum, *l. cenſere* 111. *D. de V. S.* non etiam *conſulendi*. Quare ne fallerentur novi Scriptores, diſtinguere hac parte eos oportuit SCti faciendi & SCti facti tempora. Item SCti ipſius verba a Triboniani manu ſecernere eos oportuit: ut caeteroquin, in juris noſtri textibus, originalia legum verba, & primigenium earum ſenſum multum diſtare norunt Juriſconſultorum filii, a ſenſu & verbis Triboniani. Quem duplicem conceptum & ſenſum, qui ad leges noſtras non attulerit, turbari & confundi eum ſaepe neceſſe eſt.

Igitur, & hic, ſi formula *veriori* SCti verba quaerimus, omnino iſta fuerunt, *De ea re ita cenſuerant.* quae & ipſa apud Valerium Probum *inter Notas Legum* occurrunt. D. E. R. V. I. C. *De ea re univerſi ita cenſuerant.* Si vero Tribonianum ſpectemus, forte repoſuerit ipſe *conſuluerunt.* Cui vicinum eſt eximii JCti Antonii Auguſtini judicium, libello de SCtis; *Aut credendum eſt*, inquit, *Juſtiniani tempore, aut librariorum, erratum: aut non male conſulerent ſcriptum, cujus verbi interpretatio non ita certa eſt.* Sed, ut dixi, multum intereſt, hujuſce formulae Auctorem faciamus Tribonianum, an eam veteribus & ſolemnibus formulis P. R. inſeramus. Hactenus de tralatitiis SCtorum formulis.*

Tertia & potiſſima controverſia circa verba SCti Vellejani propria eſt; neque tamen ipſa de ſenſu, aut circa jus: nam fatentur omnes, mulierem SCto juvari, ſi mutuum ipſa contraxerit, ſciente creditore, alii mox mutuum datura: ſed de verbis his, *Quod ad fidejuſſiones & mutui dationes pro aliis, quibus interceſſerint foeminae, pertinet.* Pro his igitur *mutui dationes* CL. Hotomannus reponebat, *mutuationes*: mutui dationem enim active tantum accipi, & ſic ad creditorem pertinere; non vero paſſive, ad debitorem: quare *mutuationes* legendum ſibi videri, qua ſane voce jam indicetur mulier, quae ſciente creditore in id mutuum accipit, ut alteri brevi manu credat, quo genere & mulier intercedere videtur: & vero *mutuandi* verbum hac in re uſurpari *l.* 17. *in princ. §. ult. l.* 19. *§. cum haberes* 5. *D. ad SCtum Vellej.* Ita Hotomannus, qui eo nomine cenſuram incurrit, auctoritate Ulpiani in *l. civitas* 27. *D. de reb. cred.* ubi dicitur, *Civitas mutui datione obligari poteſt, ſi ad utilitatem ejus pecuniae verſae ſunt: alioquin ipſi ſoli qui contraxerunt non civitas, tenebuntur.* In hac ſcil. ſpecie Syndico vel adminiſtratori rerum Civitatis data fuerat pecunia, ex qua mutui datione civitas obligatur re in ejus utilitatem verſa. Hactenus recte Cenſura. Et quidem in eo quoque recte, quod adminiſtratori rerum civitatis mutuam pecuniam datam ponunt: id enim comprobat argumentum lib. 10. Ulpiani ad Edictum: quo Ulpianus interpretatus eſt Edictum, *Quod cujuſque univerſitatis nomine, &c.* quo exinde pertinent & aliae complures leges huc proinde conjungendae; puta *l.* 7. *D. eod. tit. l.* 4. *D. quod juſſu. l.* 4. *D. de vi & vi arm. l.* 15. 17. *D. de verbor. ſignif.* Sed non recte illud, quod *mutui dationem* paſſive ad debitorem referant pro mutui acceptione. Nil tale! Sane rei ipſius, id eſt, mutui dationis, conſequens quidem eſt, ut exinde debitor conſtituatur; at verba ipſa, *mutui datio* id nunquam ſignificant. Itaque, cum Ulpianus dixit, *civitatem mutui datione obligari poſſe*, verba ad creditorem direxit; ac ſi dixiſſet, civitatem mutuo dato ab aliquo in rem ſuam, omnino obligari. Et ſane, ſi verum amamus in hac ſpecie, ubi de civitate vel univerſitate agitur, verba hic ad creditorem dirigi oportuit: non ad debitricem civitatem, quae non poteſt dici proprie *mutuum accipere*, ut *nec mutuam dare*, ſed credere potius, *l.* 15. *D. ad SCtum Macedon.* Et haec de CL. Hotomanni emendatione.

Alii ajunt, non hic agi de mutui datione foeminarum, ſed de mutui datione, Cui INTERCESSERINT foeminae: id eſt, de mutui datione ALIORUM, pro qua intervenit foemina: ſeu foeminam dationi intervenire non acceptioni debitoris futuri, itaque non intercedere mutuationi. Proinde (ut obſcuram eorum ſententiam exprimam) mutui dationem referendam ad ipſos principales debitores, pro quibus mutuum accipientibus mulieres intercedunt. Quae ſententia omnium, quae adferuntur, alieniſſima eſt: hanc enim interpretationem refutant apertiſſime ipſa illa verba: *Quae ad fidejuſſiones, & mutui dationes* PRO *aliis, quibus interceſſerint foeminae, pertinet.* Ecce enim agitur de mutui dationibus non aliorum, ſed PRO aliis. Et hoc ipſum eſt, quod Edicto perpetuo poſtea aperte expreſſum ait Diocletianus, *l.* 19. *C. ad SCtum Vellejan. Cum ad eas*, inquit, *etiam obligationes quae ex* MULIERIS PERSONA *calliditate creditoris ſumpſerunt* PRIMORDIUM *decretum Patrum, quod de interceſſione foeminarum eſt, pertinere* EDICTO PERPETUO *declaratur.* Mens ſcilicet hujus Senatuſconſulti, prout proponitur, eſt non alienos principalis debitoris contractus deſignare, ſed muliebris pro alio interceſſionis ſpecies: cujus duae conſtituuntur, Fidejuſſio & Mutui datio pro alio intercedendi animo: *Fidejuſſio*, quoties videl. debitore ipſo mutuum accipiente fidem ſuam mulier interponit obligationem participando; *Mutui datio, pro alio intercedendi animo*, cum videlicet mulier mutuum pecuniam dari ſibi petit, non ſibi revera, ſed colore quaeſito, ſed calliditate ut pro alio intercedat, ſeu, ut Accurſius quoque ait, cum foemina a dante mutuum accipit, quod alius erat accepturus, denique obligationem nondum natam in ſe principaliter trans-

ferendo. Haec perſpicua ſunt, & apta vulgatae lectioni defendendae; ut & vulgatae interpretationi adſerendae. Et eodem ſemper ſenſu ſcio qui malebant, *mutui lationes* hic legere: *Mutui lationes*, ut *acceptilationes*: Mutui lationes, cum videlicet mulier ſciente creditore quaſi pro ſe mutuo acceptum fert, ſed revera pro alio, pro quo intercedit.

Supereſt ultimum circa haec verba: *Et mutui dationes pro aliis quibus intercesserint foeminae.* Quae quidem verba mendo aliquo laborare cuivis palam eſt. Sed quod nonnulli tentabant, *& mutui dationes, quibus aliis modis intercesserint foeminae* (neque tamen refellitur) & a vulgata lectione nimis ſemotum eſt, & ab ipſa SCti mente alienum. Mutui datio quippe unus modus eſt interceſſionis muliebris, non etiam multi modi ſunt: puta, cum mulier ipſa mutuum accipit, ſciente creditore, mox alii mutuum datura, quae unica & ſingularis ſpecies eſt. Reſtitutio igitur hic facillima eſt, repetita voce *pro*; quae pro Pandectarum Florent. more non niſi ſemel expreſſa ſcriptaque fuerat: nempe ita, *Et mutui dationes* PRO *aliis, quibus intercesserint foeminae*; Quae tantum valent, atque ſi ita ſcriptum fuiſſet: *Et mutui dationes pro aliis, pro quibus intercesserint foeminae*; quomodo ſane etiam libri Accurſiani habuerunt. Non igitur veteri lectioni circa verba Senatusconſulti Vellejani ubique ſtandum eſt, quibus ubique ſtabiliendis nulla vera ratio a Novis ſcriptoribus adducitur.

CAPUT X.

Pomponii *l. ult. §. item ſi mulier* 2. *D. ad Vellejanum.* ex libro 2. Senatusconſultorum.

QUaeſtio eſt iterum circa SCtum VELLEJANUM, ſed utilis jam quaeſtio, & de jure, Utrum videl. mulier fundo a ſe vendito, ejuſque pretio alterius creditori in ſolutum dato, hoc facto interceſſiſſe videatur, ac proinde SCto Vellejano juvetur? Quae quidem quaeſtio neque ſuperiori capiti incommode ſubjicitur; eamque tanto libentius ſub manum revoco, quod ſolemne Juris ἐναντιοφανὲς hac parte tollendum venit, inter *d. l. ult.* §. 2. & *l.* 4. *C. eod. tit.* Ait nempe Pomponius *d. l. ult.* §. 2. mulierem in hac ſpecie SCto juvari: *Item ſi mulier*, inquit, CREDITORI *viri fundum vendidit, & tradidit, ea conditione, ut emptor* ACCEPTAM PECUNIAM VIRO REFERRET, *& hunc fundum vindicat, exceptio quidem opponitur ei de re empta & tradita, ſed replicabitur a muliere, aut ſi ea venditio contra Senatusconſultum facta ſit. Et hoc procedit, ſive ipſe creditor emerit, ſive interpoſuerit alium, quo mulier ea ratione careat re ſua. Idem eſt, & ſi non pro viro, ſed pro alio debitore rem ſuam tradidit.* Contra id negare videtur Alexander Imp. *l. Senatusconſultum* 4. *C. eod. tit. Senatusconſultum*, inquit, *locum habet, ſive eam obligationem, quae in alterius perſona conſiſtit, mulier in ſe tranſtulit, vel participavit: ſive cum alius pecuniam acciperet, ipſa ſe ab initio ream conſtituit. Quod in verum earum habitis pro aliis obligationibus admiſſum eſt.* SED *ſi praedia tua annis major viginti quinque vendidiſti, & pro marito pecuniam ſolviſti, deficit auxilium Senatusconſulti.*

Ἐναντιοφανὲς iſtud ſolemne ita vulgo ſolvitur, quod in ſpecie *d. l. ult.* §. 2. mulier ſollicitata fuerit ab emptore; in *l.* 4. vero ipſa mulier emptorem ſollicitaverit. Quam quidem conciliationem *Auctorem* quoque meum pro more ſuo & inſtituto retuliſſe, ac non etiam ilico probaſſe, reperio: nam & aliam mox ſubjicit, *Quod videlicet poſſit l.* 4. *referri ad mulierem quae fundum tanquam ſuos in uſus vendidit.* Et ſane ufitata illa harum legum conciliatio plane inanis eſt: neque enim in interceſſionibus mulierum id jure civili attenditur, ultrone mulier interceſſerit, an vero ſollicitata: unum illud quippe providetur, ne mulieres facilitate ſexus fortunarum ſuarum eluvium patiantur.

Longe alia igitur conciliatio & diſtinctio quaerenda nobis eſt: quam ſane vel ipſa *d. l.* 4. ſuppeditat; puta temporum diſtinctio: Utrum videlicet mulier ab initio, cum alius pecuniam acciperet, fundo vendito pretium in ſolutum dederit, vel (ut loquitur *l.* 19. *C. eod. tit.* cui addatur & *l.* 29. *D. eod.*) obligatio ex mulieris perſona, calliditate creditoris, ſumpſit primordium: an vero poſt contractam obligationem, venditi fundi pecuniam pro alio obligato ſolverit: quo pertinet finis *d. l.* 4. nempe in ſpecie *l. ult.* §. 2. cum Ego a Te pecuniam mutuam ſumpturus eſſem, mulier fundum ſuum Tibi vendidit, ea conditione, ut quantam Tu Mihi pecuniam credidiſſes, eam Mihi accepto ferres, & cum pretio venditionis compenſares? Sane aperta haec mulieris interceſſio eſt, cum ipſa ſe ab initio ream conſtituit, rei ſuae inita pro Me obligatione, ut loquitur *d. l.* 4. *in princ.* εἰς περιγραφὴν, in fraudem Senatusconſulti Vellejani, & interceſſionis obtegendae cauſa muliere ſuppoſita. Unde jam apparet de duobus in ſpecie *d. l. ult.* §. 2. Primo, *creditorem* ibi dici per prolepſin, qui ſcil. crediturus erat, vel jam in eo erat ut crederet. Secundo apparet, *acceptam pecuniam viro referre* ea lege dici emptorem eundemque creditorem, cum videlicet pretium rei emptae tanquam inſolutum acceptum cum mutuo a ſe mox mox dando compenſat: quomodo etiam Accurſius ea verba recte accepit. At in ſpecie *l.* 4. *in fin.* poſt natam demum obligationem mulier praedia ſua vendidit, & pro marito pecuniam ſolvit: ideoque deficit auxilium SCti; quod ſolventibus mulieribus denegari palam eſt. Denique, ut cum Baldo loquar, mulier poteſt pro alio ſolvere citra interceſſionem: ſecus, ſi *per prius* interceſſerat: vel, Mulieri ſe pro alio obliganti ſuccurritur, ſed ſine obligatione pro alio ſolventi minime ſubvenitur: vel tandem, ut Paulus de Caſtro ad *hanc l.* loquitur: quando fuit color quaeſitus, quia erat interceſſura mulier & inceptura a promiſſione, ſed fraude creditoris incepit a diminutione, & venditione rei ſuae, juvatur Vellejano.

Haec aperta diſtinctio eſt, quam (ut dixi) ſuppeditat vel ipſa illa *d. l.* 4. Pars ſcilicet ejus prior ad primordialem, ſic ut dicam ſolutionem, & ſic interceſſionis ſpeciem pertinet, pariter ut *d. l. ult* §. 2. Pars poſterior ad ſolutionem, ex poſtfacto. Denique pars prior & *d. l. ult.* §. 2. eſt de cenſu *mutui dationis* pro aliis, pro quibus mulier intercedit, de qua ſuperiore capite jam actum eſt.

Atque ita etiam aliorum quorundam haeſitationi ſuccurritur, qui ad Emendationem confugiebant, expunctis vocibus, ex *d. l. ult.* §. 2. *& tradidit*: proculdubio etiam ex eorundem mente expunctis illis, *& tradita.* Quaſi haec diſtinctio adhibenda ſit: fundo tantum vendito, ac non etiam tradito, & ſic ſolutione non facta, mulierem SCto juvari: & ita accipiendam *d. l. ult.* §. 2. traditione vero facta, pretioque ſoluto, non juvari, quae ſententia ſit *d. l.* 4. Perperam omnino! Nam & ſolutum ex interceſſione contra SCtum condicitur: ſi creditor, qui contrahere cum alio propoſuerat, mulieris perſonam elegit: tum demum enim repetitio nulla eſt, ſi pro aliis cum obligatae non eſſent, pecuniam mulieres exſolverint, *l.* 1. *C. h. tit.* Contra, ſi praecedente obligatione ſolutionem fecerit mulier, locum habet repetitio, *l.* 9. *C. h. tit.*

CA-

CAPUT XI.

Papiniani *l. mandatum* 57. *D. mandati.* ex lib. 10. Reſponſorum.

QUaeſtio eſt circa *Mandatum de vendendo, morte mandatarii ſoluto*, quod tamen heredes mandatarii per errorem executi ſunt: Utrum videlicet venditione ab his juxta mandatum a defuncto ſuſceptum facta, emptoribus uſucapionis jus, & Publiciana actio exinde quaeratur? Species iſthaec eſt: Mandavi ego Tibi, uti ſervos meos, quorum gregem habebam, diſtraheres: Te re integra defuncto qui mandatum ſuſceperas (ac proinde ſoluto morte tua mandato) nihilominus heredes Tui per errorem aut imperitiam, credentes videlicet mandatum iſtud ad curam ſuam pertinere, executi ſunt quod Tu curae tuae feceras, id eſt, ſervos vendiderunt *variis emptoribus?* Quaeritur, quid juris emptoribus exinde quaeratur? Papinianus *d. l.* 57. libris Reſponſorum, ad hanc quaeſtionem ſibi propoſitam ita reſpondit: *Mandatum diſtrahendorum ſervorum defuncto, qui mandatum ſuſcepit, intercidiſſe conſtitit: quoniam tamen heredes ejus errore lapſi, non animo furandi, ſed exequendi quod defunctus curae ſuae fecerat, ſervos vendiderant, eos ab emptoribus* USUCAPTOS *videri placuit.* SED VENALICIARIUM *ex provincia reverſum*, PUBLICIANA *actione* NON UTILITER *actarum*, *cum* EXCEPTIO JUSTI DOMINII, *cauſa cognita, detur: neque oporteat eum, qui certi hominis fidem elegit, ob errorem aut imperitiam heredum adfici damno.*

Prius equidem Papiniani Reſponſum planum eſt: Nempe, emptores, ſi ſervos a ſe ab heredibus mandatoris emptos legitimo tempore poſſederint, recte quoque eos uſucepiſſe videri; *Uſucaptos*, inquit Papinianus, *videri placuit:* quae omnino formula eſt de jure reſpondentis, remque definientis. Sed poſterior Papinianei reſponſi pars Interpretes varie admodum exercitos habuit; duplici ferme ratione: tum quia minus inter eos liqueret, quis per *Venaliciarium* hic intelligendus eſſet; num videlicet de emptoribus unus, an vero dominus ipſe ſervorum venditorum: tum quia non liqueret, utrum una tantum ſpecies ſeu quaeſtio hoc Reſponſo contineretur, an vero duae. Hinc jam enatae variae interpretationes: imo & emendandi lubido quoſdam inceſſit, nonnullis pro *non utiliter* hic legentibus, *non inutiliter.* Quod quidem non ex conjectura tantum multos notaſſe reperio, verum etiam vetus exemplar Ranconeti id praetuliſſe ſcio: ſed & Baſilica id ipſum ingerere, ubi diſerte Graeci *καλῶς.* Eoque res proceſſit, ut Antonius Auguſtinus ille, *lib* 1. *Emend. cap.* 3. *pag.* 28. pronunciaret, ſibi videri in hoc reſponſo priora cum poſterioribus minus cohaerere: cum tamen, ut breve faciam, planiſſima ſit haec *hujuſce legis* totius Interpretatio (quam etiam Accurſius vidit) Duas videlicet quaeſtiones hoc reſponſo contineri & decidi; quarum Prior eſt de uſucapione expleta ab temporibus ſervorum: Poſterior vero (quae ab illis verbis incipit, *Sed Venaliciarium*) de nondum expleta, cujus hic ſenſus eſt; Emptorem, qui ab heredibus Mandatarii venditum ſibi bona fide ſervum per abſentiam poſſidere deſiit, & ſic uſucapionem non explevit, reverſum non poſſe Publiciana actione utiliter agere adverſus dominum, qui ipſe ſervorum ſuorum venditorum poſſeſſionem recuperavit. Et rationem ſubjicit Papinianus geminam: Priorem, ex vulgata illa Juris Regula; puta quod adverſus Publicianam *exceptio juſti dominii cauſa cognita detur:* id eſt, ſi is adverſus quem Publiciana agitur, dominus juſtus probetur, Publiciana excludatur. Nam & viceverſa, ubi dominus priſtinus *juſtus* dominus non eſt, vel eſſe deſiit ex aliqua cauſa, tum ſane exceptio dominii adverſus Publicianam non datur: ut in ſpecie, quam idem Papinianus tractat *l. ſi culpa* 63. *D. de rei vindicat.* & aliis caſibus, qui notari ſolent ex *l.* 31. *D. ex quib. cauſ. major. l. a Titio* 72. *D. de rei vindic. l. Papinianus* 14. *D. de Publiciana. l.* 28. *D. de noxal. action. l. ſi quis rem* 24. *D. de except. rei jud. &c.*

Quare & Paulus apud eundem Papinianum, ſed ex ipſo proculdubio Papiniano *l. pen. D. de Publiciana: Exceptio juſti dominii Publicianae objicienda eſt.* Quod hic plenius adhuc inculcatur, nempe duabus formulis: *cum exceptio*, inquit, JUSTI *dominii*, CAUSA COGNITA, *detur: Cauſa cognita*, id eſt, juſto dominio probato, juſti dominii titulo excuſſo. Atquin in propoſito caſu *juſtum* omnino mandatoris dominium eſt, & titulus apertus juſti dominii: neque quidquam eſt, quo dici poſſit, mandatorem in hac ſpecie non juſtum dominum manſiſſe. Poſterior Papiniani ratio, ab aequitate deſumpta, iſthaec eſt, quod *non oporteat*, id eſt, aequum non ſit, eum, qui certi hominis fidem elegit, ob errorem aut imperitiam heredum, adfici damno. Error quidem aut imperitia culpae eximit heredes, qui rei ad ſe non pertinenti ſe immiſcuere; ſed non ita, ut damno dominum adficiat. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, quod idem Papinianus dicebat.

Et haec quidem apertiſſima eſt hujuſce reſponſi Papinianei reſolutio & ſententia, ſarta tecta undiquaque Florentinarum lectione: quam & vulgatae tuentur; ſed & CL. Robertus *lib.* 2. *receptae Juris Civ. lectionis cap.* 16. adverſus Zoannetum jam pro Accurſio jure defendit (etſi non ubique inoffenſo pede) ut mirer duos quoque ſummos Juris noſtri Somones, apices & proceres (Antonium Auguſtinum, & Cujacium) in tam plana via haeſitare potuiſſe, qui aliorum haeſitationibus ipſi caeteroquin ſuccurrere feliciſſime ſolent.

His ita diſtincte propoſitis, de tribus jam liquet: 1. Per *Venaliciarium*, in hoc Papinianeo reſponſo, unum ex emptoribus intelligendum eſſe. 2. In propoſita ſpecie, emptorem unum emptos a ſe ſervos, vel etiam unum ſervum poſſidere deſiiſſe. 3. Dominum ſeu mandatorem iſtius ſervi poſſeſſionem recuperaſſe. Quorum omnium probatio non aliunde aut longius petenda eſt, quam ex ipſiſſimet *hujuſce legis* verbis. *Venaliciarium* igitur de emptoribus unum hic eſſe, non vero dominum, qui ſervos ſuos diſtrahi mandaverat (quod etiam Accurſius recte vidit, neque tamen probarunt duo illi Juris Proceres, & acerbe nimis alii reprehendunt) apparet Primum ex eo, quod totius legis contextus in perſonam *emptorum* dirigitur; ita quidem, ut prior pars reſponſi caſum expletae ab emptoribus uſucapionis reſpiciat; poſterior caſum uſucapionis ab uno emptore non expletae. Secundo; id ipſum ex eo quoque liquet, quod de Publiciana actione quaeritur, Utrum ſcilicet venaliciarius ea agere poſſit? Unde liquido apparet, de emptore bonae fidei quaeri, qui uſucapionem nondum explevit, non vero quaeri de domino, quandoquidem Publiciana ſoli non domino competit. Tertio; id ipſum apparet & ex eo, quod de exceptione juſti dominii ſubjicitur, qua ſcilicet actio venaliciarii repelli dicitur: inde enim ſane quoque apparet, Venaliciarium, non dominum fuiſſe. Quarto ex eo liquet, quod ſubjicitur, mandatorem non debere damno adfici: unde ſequitur, dominum & venaliciarium non eoſdem hic eſſe, qui per venaliciarii Publicianam damno adfici dominus negatur.

Et tamen *Venaliciarium* hic eundem eſſe cum mandatore ſeu domino tribus argumentis perſuadere conantur: Primum eſt etiam CL. Antonii Auguſtini, quia venaliciarius ſeu venalicius, ut alibi, ita & Jure noſtro ſit mango, qui venalium mancipiorum

rum negotiationem exercet; denique venditor, *l. praecipiunt* 37. *in fin. l. juſtiſſime* 44. §. 1. *D. de aedil. Edicto. l. mercis appellatione* 207. *D. de V. S.* Verum hoc argumentum jam Robertus, Alciatum ſecutus, recte refutavit: quaſi vero non venaliciarii utriuſque partibus fungantur, & emptoris & venditoris. Prius enim, opinor, emere eos oportet, quam retro vendant ipſi.

Secundo ajunt illi, emptores hic opponi venaliciario. Et quomodo id probant? Quia ſcilicet in priore parte *hujus l.* dicitur, *eos ab emptoribus uſucaptos videri placuit*; in poſteriori ilico ſubjicitur SED *Venaliciarium ex provincia reverſum*, &c. Hanc ſcil. particulam adverſativam *Sed* ſatis oſtendere, emptorem non fuiſſe hoc caſu venaliciarium. Sed, ut reſpondeamus: Verum equidem eſt, particulam, *ſed*, hic adverſativam eſſe; ſed cujuſnam quaeſo rei adverſativa eſſe poteſt? Non perſonarum diverſarum, ſed caſuum diverſorum. Nempe de ſervis a caeteris emptoribus uſucaptis Priore reſponſo actum eſt: Poſteriore nunc agitur de ſervis ab emptore uno non uſucaptis per abſentiam.

Tertio ajunt, etiam CL. Antonius Auguſtinus *lib.* 1 *Emendat. cap.* 3. *pag.* 28. ex eo quoque apparere, Venaliciarium hic pro domino accipiendum eſſe, eo quod *unus* venaliciarius hic proponatur in poſteriore parte; *Plures* vero emptores in priore: quare diverſos eſſe oportere. Sed duplex ad id reſponſio. Primum dicere poſſem, paſſivam in ſcriptis JCtorum hanc numerorum mutationem eſſe, & a plurali ad ſingularem κατάβατον: cujus rei exemplum quoque praebebit vel proximo capite *l.* 9. §. 3. *D. locati.* Sed illud potius, quod & veriſſimum, ſecundo loco dicamus, nempe in ſp. hac unum ex pluribus emptoribus, eumque profeſſione venaliciarium, poſſeſſionem ſervorum emptorum amiſiſſe, & ſic uſucapionem non expleſſe, cum caeteri emptores (forte non venaliciarii) a ſe emptos uſucepiſſent. Ex eodem ſcilicet contractus genere emptores ut variae profeſſionis eſſe poſſunt, ita & alio atque alio deinceps jure fieri ſeu effici poſſunt: aliis videlicet uſucapionem explentibus: uno vere ex his non explente.

Et haec de *Venaliciarii* nomine, ubi clare oſtenſum eſt, in Papinianeo reſponſo eo nomine unum ex emptoribus omnino accipiendum eſſe. Proinde ſecundo ex ſuperioribus apparet, in eadem poſtrema hujus reſponſi Papinianei parte emptorem poſſidere deſiiſſe, ſeu ſervos ab emptore nondum uſucaptos fuiſſe. Id vero ex eo liquido apparet, quod, ut dixi, de fictitia ſeu πλασικῇ actione Publiciana hic agitur; quae ſane in id omnino prodita eſt, ut qui rem bona fide acceptam poſſidere deſiit, eam uſucepiſſe, retroque poſſediſſe fingatur.

Tandem, quod tertium eſt, apparet, dominum ſeu mandatorem ſervi poſſeſſionem reciperaſſe abſente venaliciario emptore, qui uſucapionem non implevit; non mera divinatione, verum certiſſima omnium interpretatione, ex eo ſcilicet quod de *exceptione juſti dominii* adjicitur, quae utique domino poſſeſſori tantum competere poteſt; quod & ipſa *exceptionis* appellatio ſatis oſtendit; dominum videl. poſſeſſorem fuiſſe. Poſſeſſoris eſt excipere.

Atque ita jam undiquaque ſtabilita eſt vera hujuſce reſponſi ſpecies: ſtabilita proinde firmataque lectio vulgata. Quare jam concidunt aliae ſpecies & interpretationes omnes: quas alii mutata, ut dixi lectione, etiam Viri magni tentabant. Alii vulgatam lectionem quidem tuentes, ita tamen tuentur, ut alienas prorſus ſpecies adfingant. De utroque genere tres reperio, quae in id concidunt, quod unicus caſus *hac l.* contineatur; puta de uſucaptis jam ſervis ab emptoribus: verum alia atque alia interpretatione adhibita.

Pars ita cenſent, poſteriorem partem prioris correctoriam eſſe, ſeu *hac l.* id dici, uſucaptos quidem *videri* ſervos: ſed tamen emptoribus exceptionem juſti dominii obeſſe, & ſic vocem *Sed* correctorie accipiunt. Quae ut juri contraria, ita falſa ſententia eſt. Nam ſane Papinianus exſerte ait, *Servos ab emptoribus uſucaptos* VIDERI PLACUIT: quae verba ſunt, ut antea dixi, de jure omnino reſpondentis, & juſtam uſucapionem aſſerentis, qua legitime dominium quaeritur. Sed & caeteroquin inauditum jure eſt, quid uſucaptum videri dici, neque legitime per id dominium adquiri. Deinde, quod ipſimet vident, omnino hanc ſententiam refutant ea, quae poſtea dicuntur de Publiciana actione: nam ſane ſi in poſteriore hac parte ſervi uſucapti fuiſſent, Publiciana actione agi non oportuiſſet. Imo & refutant ſuperiora; nam initio dixit, *morte quidem mandantis ſolutum fuiſſe mandatum, ſed tamen uſucapioni hic locum eſſe.* Verba ſunt expreſſa *Mandatum intercidiſſe conſtitit: Quoniam* TAMEN, &c.

Alius Vir Magnus tum mutata lectione in *non inutiliter*, tum & *venalitiario* pro domino accepto, hanc ſententiam affingebat, quaſi is, cujus nomine venditi ſervi fuerunt, fuerit & ipſe tantum bonae fidei poſſeſſor, qui vidilicet mancipia emerit a non domino: eique Publicianam actionem tribui adverſus novos emptores, qui uſuceperunt. Ac proinde hunc caſum iis accenſet, quibus exceptio dominii Publicianae non recte opponitur. Sed multa hanc ſententiam refutant: tum quod is, cujus nomine ſervi venditi fuerant, omnino verus, juſtus dominus fuiſſe in *hac l.* praeſupponitur: tum quod, ut ad ſuperiorem quoque interpretationem dixi, juris ratio refragatur, ut vidilicet juſtam uſucapionem poſſit bonae fidei poſſeſſor, nedum verus dominus, retractare.

Poſtrema ſupereſt interpretatio, quae hoc vult, eadem ſemper ſpecie & quaeſtione retenta, in poſteriore parte legis id tantum dici, quod *dominus* ſervorum venditorum contra emptores, qui eos uſuceperunt, inutiliter *Publiciana* agat; utpote a quibus emptoribus exceptione juſti dominii repellatur. Et ſi his credimus, haec interpretatio hic & facilis & perſpicua eſt, gravibuſque argumentis ſuffulta, & Accurſianam denique ſponte ſua refellens; ſenſus hic verus, certus, unicus: quam tamen prae aliis omnibus & ratio juris, & ſeries verborum, & ſcripta JCtorum omnia ejerant.

Primum enim, quid hoc quaeſo monſtri eſt, Publicianam actionem a juſto domino moveri; quae ideo tantum a Praetore comparata eſt, ut non domino tribuatur, & per eam non dominus, dominus tamen eſſe fingatur? Denique ipſi juſto domino Publiciana nunquam datur, quia inutiliter daretur, cui in rem actio directa competit, *l* 1. §. *merito* 1. *D. de Publiciana. l.* 18. *D. de pignorib.*

Secundo, quid hoc viceverſa monſtri eſt, quod exceptionem juſti dominii emptori contra Publicianam domini tribuunt; cum imo exceptione juſti dominii veri domini Publiciana emptoris excludi dicatur, ut caeteroquin fictio veritati cedit? Quod eos docere potuit inſuper *d. l. penult.* & ipſa ex Papiniani libris deſumpta: potuit & docere, quam tamen in ſententiam ſuam trahere audent, & emblemate corrumpunt, *Auctoris mei* nota.

Sed & ipſa legis verba, ipſe contextus, hanc ſententiam apertiſſime reſpuit; Vox, inquam, *Sed*; item verba illa *Neque oporteat*, quae cum ſuperioribus alioquin non cohaerent. Et tamen haec ipſa eludere conantur: gravibus puto argumentis. Primum enim vocem *Sed*, quae mere adverſativa dictio eſt, modo continuativam ſeu confirmativam faciunt, modo conjunctivam, modo dubitandi rationem indicantem. Confirmativam ſeu continuativam, ſcil. primum eſſe ajunt, ac ſi Papinianus dixiſſet, ſervos ab emptoribus uſucaptos, *inſuper* vo-

na-

nalicïarium non utiliter acturum. Hoc ſane ſi voluiſſet Papinianus, num ita locuturum putaremus, *Sed venaliciarium?* Imo ita dixiſſet, *& ideo venaliciarium;* quandoquidem nihil his poſtremis verbis ad ſuperiora adjicitur. Non etiam dixiſſet *Sed*, aut *Sed &*; quia dictio *Sed*, poſita ſine copula, denotat diverſitatem facti & juris: quo trahunt Gloſſam in *l. hoc amplius* 9. §. 2. *D. de damno inf.* vid. & Decium *conſil.* 386. *num.* 7. *tomo* 2. Imo & dictio *ſed*, poſita cum copula *&*, licet denotet identitatem juris, attamen denotat diverſitatem facti. vid. *l. ſed etſi* 25. *in princ. D. de haereditat. petit* & quae ibi notantur *l.* 2. *D. ne quis eum qui in jus voc. vi ex* & ibi Gloſſ. Everardus *loco* 109. *a natura causae num* 9. Utrovis tandem modo, ſive cum copula, ſive ſine copula, Sed, ſemper contrariae ſententiae ſignificatio eſt, & tranſitum denotat ad aliam rem ab ea, quae antea agebatur; quod non uno loco etiam Aelius Donatus monuit. Atqui ex illa interpretatione, jam in hoc verſiculo neque diverſitas facti neque diverſitas juris contineretur, ſed conſequentia tantum ſuperioris ſententiae. Secundo iidem *Sed* vocem (quae apertiſſime diverſum caſum ſeu diverſitatem facti indicat) in *Et* mutatum vellent; & hi tamen ipſi ſunt, qui eandem particulam ſupra velut adverſativam urgebant, ut inde efficerent, venaliciarium hic diverſum eſſe ab emptore. Tandem eo convertuntur, quaſi *Sed* novam difficultatem & dubitandi rationem indicet; quia, inquiunt, venaliciarius, id eſt, dominus mandator, ut ipſi volunt, fuerat abſens, mox redit ex provincia, & ideo aliter hoc caſu videretur judicandum. Quid audio? Imo nulla haec ratio dubitandi eſſe potuit: Praeſentiae enim aut abſentiae in hoc uſucapionis argumento nulla ratio habetur, niſi ubi de temporibus uſucapionum quaeritur: & quidem in praeſenti ſpecie, ubi de uſucapione rei mobilis vel ſe moventis agitur, anni vel biennii. Deinde ſi hic hujuſce loci ſenſus eſſet, tum novae hujus difficultatis deciſio requireret Papinianum dixiſſe: *Quinimo venaliciarium*, &c. Et haec de particula Sed.

Supereſt nunc videamus, quomodo vocem *Neque* eludant, ac proinde totam eam ſententiam, quae illius vinculo continetur: nempe eam ita accipiendam ajunt, quaſi Papinianus dixiſſet, etſi dominus inutiliter agat adverſus emptores; attamen dominum non eſſe damno adficiendum. Verum quid hoc monſtri rurſum eſt? Primo, ut vox *Neque* adverſative hic accipiatur, quae omnino conjunctiva ſeu copulativa eſt, & alterius rationis demonſtrativa: ſeu ut Doctores notant, requirit iſta dictio concurſum utriuſque alicujus rei, & copulativam in ſe continet, *l. ſi is qui ducenta* 13. §. *item ſi pater* 6. *D. de reb. dub.* Bartolus in *l. quidam teſtamento* 30. *D. de vulgari & pup. ſubſt.* Alexander *conſil.* 92. *num.* 14. *lib.* 3. Deinde ſi hic horum verborum ſenſus eſſet, tum aliquid ſemper hic deſideraretur, puta, quomodo igitur domino conſultum eſſe poſſit. Inauditum hoc ſcribendi genus Juriſconſultis eſt, dicere, non eſſe adficiendum damno dominum, neque ilico eoſdem adjicere, quanam ei ratione ſuccurratur, ſed divinandum id & in incerto relinquere. Sed quis non videt, eandem eſſe hujuſce loci ſententiam, quae tot paſſim locis aliis, ac nominatim ipſius Papiniani, *l. rem hereditariam* 65. *in fin. D. de eviction.* factum, culpam, negligentiam alteri damnoſam eſſe non oportere: imo & ejuſdem rurſum Papiniani *l.* 74. *D. de R. J.* non debere alteri per alterum iniquam conditionem inferri?

CAPUT XII.

Ulpiani *l. ſi quis domum* 9 §. *ſi colonis* 3. *D. locati.* ex. lib. 32. ad Edictum.

Quaeſtio eſt de Locatione fundi, ea lege ſeu conditione: *Uti colonus innocentem ignem haberet:* Innocentem ignem ἀβλαβὲς πῦρ, id eſt, *innoxium*; Utrum videlicet ex hac conventione ſeu *denunciatione* (ut *haec lex* loquitur) colonis praediorum a domino facta colonus fortuitum incendii caſum praeſtare teneatur? Ait Ulpianus: *Si colonis praediorum lege locationis, Ut innocentem ignem habeant, denunciatum ſit, ſiquidem fortuitus caſus incendii cauſam intulerit, non praeſtabit periculum* Locator: *ſi vero culpa locatoris,* Quam *praeſtare neceſſe eſt, damnum fecerit, tenebitur.* Ait Ulpianus *Locatorem non praeſtare hoc periculum.* Quae verba propoſitae nunc a nobis quaeſtioni reſpondere vulgo minus videntur, quandoquidem cum id quaeratur, utrum ex hac conventione colonus, & ſic *conductor*, de caſu fortuito incendii teneatur, de locatore tamen reſpondeatur. Quare ſunt, qui hunc locum levicula emendatione ſollicitarent. Alii vero paulo majore, ita: *non praeſtabitur periculum locatori, ſi vero culpa quam praeſtare neceſſe eſt damnum fecerit, tenebuntur.* Haec quidem ita illi; interea tamen veram juris orbitam & rationem tenentes: nempe hoc caſu colonum fortuitum incendii caſum non praeſtare. Quorum ſententiam ut juri conformem eſſe mox oſtendetur, ita non neceſſaria verborum aut literarum emendatio fuit: veriſſimum enim eſt, quod Baſilicorum quoque auctoritate poſtea firmabitur, imo & bonus Accurſius vidit, Locatoris voce hic *colonum* intelligi oportere. Nempe & alioquin notum eſt, veteres *locationis* & *conductionis* appellationibus promiſcue uti ſolitos, quod docet *l.* 20. *D. de actionibus empti:* de quo & Roberto-Cujaciana *lib.* 1. *cap.* 10. & Fornerius *lib.* 4. *Quotidian. cap.* 9. Sed & fidem praeterea facit *l.* 45. *D. de R. J.* ubi dicitur, locationem rei ſuae conſiſtere non poſſe: *locationem*, id eſt, conductionem: item *l.* 15. §. *ult. l.* 19. §. *illud* 2. *l.* 55. §. *ult. D. locati.* Atque ut hoc in commune, ita tum vel maxime obtinebat, cum conductor operas ſuas locaret; veluti colonus, ac proinde idem & locator & conductor erat: Conductor, quatenus colendum agrum conducit: Locator, quatenus operas ſuas locat. Sic jam recte *hujuſce legis* lectio defenditur.

At enim ex iis, qui vulgatam lectionem tuendam ſuſceperunt, nonnulli falſam & contrariam Juri ſententiam & deciſionem, invita Juriſprudentia, *huic legi* adfingunt, denique a Jure exorbitantes adultero ſenſu veritati obſtrepunt. Sic enim putant, Juris & Aequi hac parte inconſulti, Colonum ex hac, quam dixi conventione, *ignis* videlicet *innocentis habendi*, fortuitum incendii caſum praeſtare; atque hoc illud eſſe, quod *hac l.* dicitur, *locatorem*, id eſt, dominum, ut volunt, hunc caſum non praeſtare: Ergo colonum praeſtare. Quorum argumenta priuſquam excutio: Praejudiciis prius convincendi ſunt. Et primo quidem praejudicio omni exceptione majore. An enim ignorare illi debuerunt textum paulo poſt expreſſum ejuſdem Ulpiani, eodem libro, eodemque titulo, *l.* 11. §. 1. *Si hoc*, inquit, *in locatione convenit*, Ignem ne habeto, *& habuit*, *tenebitur, etiamſi fortuitus caſus admiſit incendium, quia non debuit ignem habere.* Aliud *eſt enim* ignem innocentem habere; *permittit enim habere, ſed innoxium ignem.* Vides apertam differentiam; quam Ulpianus, ad hunc anteriorem §. ſuum, quem hoc capite interpretamur (puta *legis* 9. §. 3.) reſpiciens, tacitaeque objectioni, quae ex illo §. ſumi poterat (quod Accurſius rurſum recte notavit) occurrens, conſtituit inter has duas conventiones, *Ut colonus innocentem ignem*

haberet, de quo *d. l. 9. §. 3.* & alteram, *Ne colonus ignem haberet*, de quo *d. l. 11. §. 1.* Nempe hoc caſu colonum conductorem teneri, fortuito caſu incendio oborto; illo caſu ALIUD eſſe, id eſt, non teneri. Hoc primum.

Secundo ſi conſuluiſſent iidem & Graecos interpretes, in tam alienam ſententiam nunquam conceſſiſſent: ita enim aperte Baſilicorum *lib. 20. tit. 1. cap. 8. th. 5.* Ἐὰν συμφωνηθῇ τοὺς μισθωσαμένους οἶκον ἀβλαβῶς ἔχειν πῦρ, καὶ τυχηρὰ γένηται καῦσις, οὐκ ἐνέχεται ὁ ΜΙΣΘΩΤΗΣ: εἰ δὲ κατὰ ἀμέλειαν αὐτοῦ συνέβη, ἐνέχεται. Ubi recte Leonclavius vertit: *conductor non tenetur.* Quae totidem pene verbis habet & Conſtantinus Harmenopulus *lib. 3. tit. 8. num. 14.* Hactenus textus expreſſi & praejudicia.

Sedenim ex ipſo Actionis genere, quo de hoc §. agitur, hoc idem clare evincitur. Scilicet haec quaeſtio verſatur in *actione Locati* (de qua jam inde a §. 2. Ulpianus agere inſtituit, & *l. 11.* agere porro pergit) quae a domino adverſus conductorem movetur; qua ſane actione cum dominus a colono peteret praeſtari ſibi fortuitum incendii caſum, contra niteretur colonus. Certe in ea quaeſtione hoc debuit pronunciari ſeu definiri, an *colonus* periculum iſtud praeſtare teneretur, necne. Et ſic deciſionem in perſonam conductoris concipi oportuit (non vero in perſonam domini) quomodo ſane etiam pronunciatur *d. l. 11. §. 1.* collata videlicet deciſione in perſonam conductoris. Neque enim dubium eſt, quin formula, quae Judici dabatur, ut in caeteris actionibus, ita & in hoc etiam actionis genere, in perſonam rei directa fuerit, non actoris, ita, *Si paret Lucium Titium colonum*, &c. *eum condemna*, *l. cum Praetor 12. D. de judiciis.* & *l. 37. D. de R. J.* Neque dubium rurſum eſt, ſententiam Judicis in hac actione quoque in perſonam rei directam fuiſſe, ita, *Colonum hoc vel illud praeſtare teneri*, vel *non teneri videri*. Quemadmodum viceverſa, ubi de contraria actione *ex conducto*, quae a colono adverſus dominum movetur, agebatur condemnatio vel abſolutio in perſonam domini, & ſic rei concipiebatur. Quare patet, haec verba, *non praeſtabit periculum locator*, in hoc actionis genere, & ſic in propoſita quaeſtione, ad colonum, non ad dominum referenda eſſe.

Jam *Rationibus* putemus. Novi Scriptores, ut colonum hujus incendii fortuitique caſus periculo ſubjiciant, duabus rationibus moventur: Prior eſt, quia, inquiunt, *ſpecialiter* hoc conventum eſt, *Ut ignem innocentem colonus haberet:* ideoque, ut haec verba aliquid operentur, conductorem hoc periculum praeſtare oportere, qui ſpeciali pacto pollicitus eſt, ſe innoxium ignem habiturum. Principium petit haec ratio. Verum equidem eſt, hanc conventionem ſpecialem eſſe; verum etiam eſt, ſpecialem hanc conventionem aliquid operari oportere: ſed an ideo ſtatim fortuiti caſus periculum & praeſtationem operabitur, ſeu caſui fortuito pollicentem ſubjiciet? Quod ſane ſi verum eſt, quaeram ego, quid jam amplius operabitur conventio peremptoria illa, *Ignem ne habete?* illa quippe fortuiti caſus incendio colonum obnoxium reddit. Imo quid illa conventio amplius operabitur, *Ut ſi quid vi majore accidiſſet*, id colonus ſeu conductor praeſtaret, de qua proxime praecedente §. 2. ex Juliano Ulpianus egit? Atqui Juriſconſultus apertam inter haec differentiam facit; ſimul & rationem ejus reddit: nempe quod eo caſu, quo peremptoria conventione conventum eſt, *Ne ignem colonus haberet*, ſi colonus ignem habeat, & exinde fortuito caſu incendium oriatur, omnino eum teneri aequum ſit; quia culpa caſum fortuitum praevertit, & ut Paulus de Caſtro ait, ſaltem fuit in culpa non tenendo ipſum contractum. Atenim hoc caſu, nulla culpa eſt habentis ignem, dummodo innocenter habeat; quia ignem habere ei permittitur, dummodo ne noxium.

Atque ita etiam alteri rationi ſatisfactum puto; qua contendunt in propoſito caſu, caſum non ſimplicitur fortuitum dici poſſe; quia etſi cauſa ſit fortuita, tamen Igne coloni fuit damnum datum. Ergo igitur ideo periculum incendii quiſquam praeſtare cogetur, quod igne ſuo damnum datum eſt? Nos vero putabamus, niſi de fortuito caſu nominatim conveniſſet, aut culpa aliqua caſum fortuitum antevertiſſet, damno igne meo dato periculum incendii ad me non pertinere. Quid enim ſi incendenti ſtipulam, pabuli gratia nulla, vi venti furentis, citra culpam, ignis fugit? Colonus puto non tenebitur, de quo Ulpianus apud Auctorem *collat. legum Moſaicarum:* haud ſecus atque ſi telum manu fugiſſet. Ergo dummodo innocentem ignem habeat colonus, ſecurus eſt. Qui ſecurus eſſe non poteſt, ſi ignem non extinxit, quo tempore extinctus eſſe debuit: tum enim innocentem ignem non habuit. Quod tamen exemplum apponunt ſufflaminandae ſententiae ſuae.

Quid igitur, inquiunt, haec ſpecialis conventio operabitur? Nempe, non abundantem tantum cautelam, ut coloni diligentia magis excitaretur, verum etiam ut colonus exactiorem aliquem diligentiae gradum & ſic culpae genus praeſtare teneretur. Exempli gratia, ut procul omni materia & pabulo, quae facile incendium ſuſcipiunt, ignem haberet, ne foenum componeret niſi longiſſime: ſic ut eo ignis pervenire nullo modo poſſet: cui haud abſimilem alioquin conventionem expreſſam inter conductorem & locatorem, *Ne in villa urbana foenum componeretur*, proponit idem mox Ulpianus eodem libro in *d. l. 11. in fin. eod. tit.* Atque id eſt, quod hoc ipſo §. Ulpianus ſcribit; *ſi vero culpa locatoris*, QUAM *praeſtare neceſſe eſt, damnum fecerit, tenebitur.* QUAM, id eſt, qualem: ac proinde qualem culpae gradum & ſpeciem.

CAPUT XIII.

Ulpiani *l. Ex conducto 15. §. ubicumque 7. D. locati.* ex eodem libro 32. ad Edictum.

QUAESTIO eſt, circa *Remiſſionem mercedis colono faciendam*, non quidem de jure; verum de verbis tantum, & eorum conſtructione. Fatentur enim omnes, quantacumque tandem remiſſio mercedis colono fiat, damnum tamen ſeminis coloni damno ſemper eſſe, nunquam locatoris ſeu domini. Ait igitur Ulpianus; *Ubicumque tamen remiſſionis ratio habetur ex cauſis ſupra relatis, non id, quod ſua intereſt conductor conſequitur, ſed mercedis exonerationem pro rata:* SUPRA *denique, damnum ſeminis ad colonum pertinere*, DECLARATUR. Vir ſuperiore aetate Clariſſimus, etſi in ſententia ipſa conſentiret (nempe damnum ſeminis coloni damno ſemper eſſe) attamen intempeſtiva interpunctione, & interpolatione poſtrema illa verba percellit: ſic enim putavit legendum, *Supra denique damnum ſeminis, ad colonum non pertinere declaratur:* quaſi dixiſſet Juriſconſultus, ultra (nam ita vocem SUPRA quaſi incluſivam accidit) damnum ſeminis nullum aliud damnum ad colonum pertinere. Cujus ulteriore refutatione ſuperſedere potuiſſem, potuiſſent & alii: quandoquidem etiam ab *Auctore meo* jam notatum, Ulpianum hoc loco verbo illo SUPRA (nempe ad verbali & locali ſeu relativo ad praecedentia) ſe retuliſſe ad ſuperiorem *§. 2. verſ. Sed & ſi labes:* ubi ita Ulpianus, *Si labes facta ſit, omnemque fructum tulerit* [id eſt, abſtulerit] *damnum coloni non eſſe* [id eſt, remiſſionem ei faciendam] *Ne ſupra damnum ſeminis amiſſi mercedes agri praeſtare cogatur.* Scilicet & hiſce poſtremis verbis hoc ipſum jam Ulpianus *declaraverat*, id eſt, indicaverat, quod & hic rurſum alia occaſione, ſeu in alio tractatu, repetendum duxit; nempe damnum ſeminis ſemper ad co-

lo-

lonum ſpectare. Non extra rem tamen erit, veris & apertis rationibus illi emendationi cauterium adigere; non eo tantum quod inutilis ſit haec emendatio, cum in ſenſu conveniat, aut quod obſcura ſit lectio illa; arceſſita quippe voce *damnum a'ro & novū*, jam clarior ea fieri poſſet, verùm triplici ratione:

Primum mirari ſubit, Clariſſimo illi Viro, cum videret ipſe hoc ipſum *verſ. Sed & ſi labes*, ab Ulpiano jam dictum, non in mentem veniſſe morem illum veterum quoque Juriſconſultorum,ad ſuperius declarata ſeſe ſaepe referentium: quem utique ſi vel animo reputaſſet, nunquam ad emendationem confugiſſet, omniaque recte habere vidiſſet.

Secundo mirari ſubit, quod Clariſſimus ille Vir non viderit, ſeriem & ἀλληλουχίαν & ἀκολουθίαν totius *hujus* §. (quam & ipſe non cepit) receptam lectionem omnino requirere. Nempe Ulpianus cum ea famoſa lege de cauſis remiſſionis a colono petendae ageret, ad extremum, hoc §. duplicem fibulam iſti rei & petitioni impoſuit: priorem, ita faciendam remiſſionem colono, ut mercedis quidem exoneratio (aliquando etiam totius) fiat, non etiam ut quod ſua intereſt colonus unquam conſequatur: alteram, ut ſeminis damnum ſemper ad colonum pertineat. Inſtitutus igitur ſermo, modum & fibulam improbae colonorum petitioni imponi requirebat, ac nominatim quod nunquam colonus debeat ultra mercedis remiſſionem ſeminis reſtitutionem poſtulare ſeu ſperare. Quare taxativa verba hic omnino requiruntur, quae vulgata lectio omnino continet: *ſupra denique*, DAMNUM *ſeminis ad colonum* PERTINERE *declaratur*. Atenim Clariſſimi Viri emendatio vela jam laxat poſtulationi coloni, non quidem ultra eum ,quem dixi modum (nam de eo inter omnes conſtat) ſed verbis non taxativis, ſed ſic ut dicam laxativis, *ſupra denique damnum ſeminis*, inquit, AD COLONUM [damnum] NON *pertinere*.

Poſtremo, periculoſa haec in jure omnino emendatio fuerit: ſeu abſurdus intellectus ex ea ſequeretur, nempe neceſſario & indiſtincte ſemper remiſſionem *totius* mercedis colono faciendam, ſolo damno ſeminis ad colonum pertinente.

CAPUT XIV.

Marciani *l. ſi creditor 7. §. ult. D. de diſtractione pignorum:* ex libro ſingulari ad formulam hypothecariam.

QUAESTIO eſt *de prohibita Pignoris diſtractione*; Utrum videlicet pactum a creditore pignori vel hypothecae additum, *Ne debitor ipſe pignus vel hypothecam vendere poſſit*, valeat; an vero id pactum nullum ſit, quaſi contra jus additum? Quaeſtionem hanc tractat Marcianus ſingulari hac lege; cui ſimilis alia toto jure non occurrit. *Quaeritur*, inquit, *ſi pactum ſit a creditore, ne liceat debitori hypothecam vendere vel pignus quid juris ſit, & an pactio nulla ſit: talis, quaſi contra jus ſit poſita, ideoque vaenire poſſit? Et certum eſt, nullam eſſe venditionem ut pactione ſtetur?* Ita ſcil. litera quondam Piſana, ut loquuntur, habuit; habet hodie Florentinarum Pandectarum archetypum, quas jam olim ſuper hac controverſia ſeu quaeſtione inſpici placuit; etſi vetere, acrius tamen agitata inter Bartolum & Baldum: Bartolo, nullam eſſe venditionem, & ſic pactum iſtud contra jus non eſſe defendente: Baldo, nullam eſſe conventionem contendente. Hinc lex ab aliis aliter legi; quod & Accurſius jam indicavit; ita, *Nullam eſſe conventionem*, vel ita converſo more, *Nullam eſſe pactionem, ut venditioni ſtetur*. Et quanquam hanc litem Pandectae illae jam olim diſciderunt: ſunt tamen & hodie, qui hanc controverſiam in ſcenam revocare genuinamque earum lectionem ſollicitare, hanc denique pactionem valere negare ſuſtinent.

Horum rationes ſuis & juſtis rationum momentis priuſquam refuto, ante omnia oſtendendum eſt, ab aliis non recte ſemper contrariae ſententiae aſſertores refutari. Non recte, inquam, refutantur auctoritate *l. 3. D. de contrah. empt* & *l. 21 §. ſed & ſi ita 5. D. de actione empti*. Adde ſi placet, & *l. 75. D. de contrah. empt. l. 2 C. de pactis inter empt*: Imo adjice ſi lubet *legem*, *Qui Romae* 122. *§ cohaeres 3 D de V. O.* ubi etiam pactum retrovenditionis ſeu προτιμήσεως approbatur, & ex hac cauſa & conditione, contra emptorem eundemque venditorem, ſi pactum non ſervaverit, actio datur. Neque enim bonum eſt argumentum iſtud; quia ibi *Rei ſuae Alienationi*, ſeu rem ſuam alienando hanc legem dicit venditor, ut ne alii quam ſibi venditori emptor alienet: non aliter alioquin venditurus, aut tanto carius venditurus, ſic ut pretii partem pactum hoc conſtituat, *l. 79. D. de contrah empt. l. 21. §. ſi tibi 4. de action. empt. l. 6. D. de ſervis export. L. ult. C. de pactis inter empt. & vend.* Atenim illud ſemper mirum, non ſuae rei alienationi ſeu non alienando rem ſuam, ſed rei ſibi tantum nexae & obligatae hanc legem dici poſſe; ut vulgo quidem videtur, contra *l. pen. D. de pactis*. Quomodo non abſurde CL. Anton. Faber diſtinguebat, quod poſſit dominus legem dicere rei ſuae, ſed non ſibi, quod tamen ab aliis non recte traducitur. Verum huic dubitationi, ut dixi, paulo poſt ſatisfiet.

Hoc ita commonſtrato, contrariae ſententiae argumenta confutanda ſunt; quae ut non recte ſemper, ita neque pleraque eorum refutantur. Non movet, *primum*, quod ajunt, neminem paciſcendo efficere poſſe, Ne *ſibi* liceat rem ſuam invito alio alienare, *d. l. pen. D. de pactis*. Quia primum id de pacto nudo verum eſt; quod ſane pactum hic non ſufficit (ut alias loquitur Paulus in *l. quod ſi locus 11. D. de religioſ.*) non vero de eo, quod rei traditioni additum eſt, ubi ſane (in traditionibus inquam rerum) quodcumque pactum adjectum valet, *l. 48. D. de pactis*. ubi Gajus interpretabatur illud caput XII. Tabb. *Cum nexum faciet mancipiumque uti lingua nuncupaſſit, ita jus eſto.* Addatur & *l. 3. C. de condict. ex lege. l. 135. §. 3. D. de V. O.* Quare hac jam diſtinctione neque *d. l. pen.* quidquam obſtat deciſio *l. ult. C. de pactis inter empt.* Item id verum eſt, ſi in perpetuum alienatio prohiberetur. Tertio verum eſt, ſi conveniret pacto, ut ne Rem ſuam nullo jure alii nexam, peneſque ſe manentem, alienare liceret; quae ſpecies eſt *d. l. penult.*

Non movet *ſecundo* quod ajunt, pactionem hanc fore *Inefficacem*: imo enim efficax vel maxime haec pactio eſt, ne ſua videlicet creditori ſecuritas & utilitas aliquo caſu intercipiatur; de quo mox plura.

Multo minus, quod *tertio* loco ajunt, *Iniqua* haec pactio credenda eſt; utpote quae debitori non in perpetuum alienandae rei ſuae jus intercipit, ſed momento tantum & quamdiu vel ipſi debitori videbitur, ſoluto videlicet aere alieno, cujus cauſa res pignori nexa eſt.

Neque movet *quarto* loco, quod ajunt, creditoris *Nil intereſſe*, an debitor pignus vel hypothecam alteri vendat, an ſibi retineat, cum alienatio ſemper fiat cum ſua cauſa, nec mutatione dominii jus pignoris vel hypothecae aut mutetur aut extinguatur. Quia primum non id *hac l.* quaeritur, Utrum creditoris interſit nec ne? quanquam mox oſtendetur, quid & quantum interſit creditoris, hac ei conditione addita caveri. Verum id tantum quaeritur, Utrum haec pactio *contra jus poſita ſit?* & ſic illud hactenus quaeritur, Utrum placitis ſtandum ſit?

Non movet etiam *quinto* argumentum a *Rubrica*, *de diſtractione pignorum*, quaſi titulus ille pertineat tantum ad diſtractionem, quae fit a creditore, non

quae

Digitized by Google

quae a debitore. Imo: Quaſi vero titulus ille non generalis eſſe poſſit, tam de ea diſtractione, quae per debitorem fit, quam quae per creditorem. De qua priore cum nullus peculiaris Jure noſtro titulus eſſet, quis neget, vel hoc ipſo titulo de ea moneri aliquid oportuiſſe? puta liberam alioquin pignoris diſtractionem ex conventione coërceri vel impediri poſſe. Quinimo & alter adhuc locus occurrit eo ipſo titulo de pignoris diſtractione per debitorem, *l. 12. in princ.* & quidem de diſtractione pignoris regulariter debitori permiſſa; *Reſcriptum eſt ab Imperatore, libellos agente Papiniano, creditorem a debitore pignus emere poſſe, quia in dominio manet debitoris.* Sed & *in Codice* pariter, ſub eodem *tit. de diſtractione pignorum* in hanc rem eſt *lex 12. Si debitor*, inquit, *rem tibi jure pignoris obligatam te non conſentiente diſtraxit, dominium cum ſuo onere tranſtulit ad emptorem.*

Sexto non movet totius *legis 7.* nexus & continentia. Quaſi vero non eadem lege, ac maxime ea, quae variis §§. conſtat, variae ſpecies plerumque contineantur. Imo ſpecta ſis mihi legis inſcriptionem, unde ea lex deſumpta eſt, nempe ex *libro ſingulari Marciani ad formulam hypothecariam*; & jam negare quis audebit Marcianum, dum in eo tractatu eſſet, dum inquam, totam pignorum materiam per cauſas arte tractaret, & hanc ſpeciem ſub manum revocare oportuiſſe?

Septimo non movet, quod reſponſio Marciani quaeſtioni conformis non eſſet, ſi legeretur *nullam eſſe venditionem*, cum quaeſtio ſit de pactione, utrum ea valeat; quare legendum, *nullam eſſe pactionem.* Quinimo reſponſio quaeſtioni quammaxime conformis eſt, non tantum quoad ſenſum, ſed etiam quoad membra ipſa quaeſtionis, ſic quidem, ut nec quicquam (quod nonnullis videtur) in quaeſtione ſupplendum veniat: Marciani quippe reſponſio ad proxima illa, *an venire poſſit*, optime refertur; nam ilico ſubjicit, *& certum eſt, nullam eſſe venditionem.*

Octavo multo minus movet, quod pignoris ſeu hypothecae jus temporale ſit, alienatio perpetua: quare fieri non poſſit, ut jus hoc temporale perpetuam alienationis prohibitionem inducat. Recte! nam & haec ſcilicet hujuſce conventionis in hac ſp. vis eſt, ut videlicet non niſi, quamdiu pignus & hypotheca durat, ejus diſtractione debitori ex ſpeciali creditoris pactione interdicatur: ita enim aperte lex, *ne liceat debitori hypothecam vendere vel pignus.* Pignus enim & hypotheca eſſe deſinit, luitione, id eſt, ubi creditori ſemel ſatisfactum fuerit. Et ut Marcianus hoc ipſo libro ſcripſit *l. 13. D. de pignoribus*, ſuas conditiones habet hypothecaria actio, id eſt, ſi ſoluta eſt pecunia aut ſatisfactum eſt, quibus ceſſantibus tenet. Et eatenus Bartoli ſectatores probandi minus ſunt, qui hujus prohibitionis & pactionis vim ultra pignoris conſtantis tempus porrigere perperam ſuſtinent.

Nono non movet etiam, quod de *pignore* proprie dicto hic quoque agatur, cujus, utpote creditori traditi, venditio a debitore fieri non poſſit: ut proinde fruſtra quaeratur de debitore diſtrahere prohibito, quod tradere ipſe non poſſit. Indigna enim haec Juriſconſulto ratio & oratio. Quaſi vero non debitor dominus pignoris ſit, idque vendere poſſit; & ſecundum venditionem ad tradendum recte conveniatur. Venditio ſimulac de pretio convenit perficitur, quam quiſque jure dominii celebrat, & ad conſummandam eam ſeu ad rem tradendam jure convenitur: quare ne perficere poſſet, ne conſummare, id ſpecialis lex & conventio praeſtare debuit.

Inaniſſimum tandem eſt argumentum a voce *pactum*, quaſi haec vox proprie ad eum, qui promittit, pertineat: nam ut omittam, eum potius *paciſci* dici, cujus commodo pactum cedit, quod infinitis legibus comprobari poſſit; ſane aperte renituntur illa, *pactum a* CREDITORE, quae oſtendunt, initium & originem ſeu legem a creditore in hac ſpecie dictam fuiſſe.

Hactenus argumenta contraria Viri hac tempeſtate ſcriptis Clariſſimi: nunc de ejus emendatione. Nempe non jam in reſponſo Marciani, ſed in ipſa quaeſtione vitium haerere putavit, legendumque pertendit, unica tantum litera addita *debitoris*, non *debitori*: quaſi *hac lege* nonniſi vulgaris ille caſus contineatur, quo diſtractio pignoris ſpeciali lege & conventione creditori adimitur. Verum hanc emendationem, ne alia cumulem, ipſa *legis* verba reſpuunt. Primum enim ait lex: *quaeritur ſi pactum ſit a creditore.* Igitur de pacto, ut jam antea dixi, in utilitatem creditoris addito ibi quaeritur, non de pacto debitoris. Haec enim, ni fallor, verba reſpiciunt eum, cui promittitur; alioquin JConſultus dixiſſet, *Debitorem pactum fuiſſe, ne liceret creditori vendere.* Item ait lex: *an pactio nulla ſit; talis, quaſi contra jus ſit poſita?* Quaerebatur ſcil. num ea conventio, quae proponebatur, contra jus eſſet, id eſt, contra leges & bonos mores. Atenim quis contra leges eam conditionem poſitam dubitare potuiſſet, ubi debitor diſtractionem pignoris creditori peculiari pactione adimit? *Contra jus* enim pactio ea dicitur, quae bonis moribus & legibus adverſa eſt: quod ſane videri poterat, ubi quis rei ſuae alienandae jure pactionis privaretur, non etiam ubi convenit, ut ne creditori liceret pignus diſtrahere; etſi eo jure utamur, ſeu haec Juris ordinarii ratio ſit, ut pignus a creditore diſtrahi poſſit. *Contra jus* non dicitur fieri id, quod ſalvis bonis moribus fit, & ubi legis tantum beneficium pactione alicui adimitur.

Sententia igitur tandem *hujuſce legis* haec eſt, poſſe creditorem pignus vel hypothecam accipiendo id ſpeciatim paciſci, ut quamdiu debitor pignus non luerit, ſeu quamdiu pecunia ſoluta non fuerit, debitor pignus vel hypothecam vendere non poſſit. *Ratio* tantum inveſtiganda ſupereſt, cur haec pactio valeat. Non probo eam rationem, quae vulgo redditur, quod creditor in pignore jus aliquod reale habeat, ſeu quod alienationis prohibitio conjuncta ſit converſioni pignoris. Non etiam probo eam, quod liceat domino, & ſic debitori, rei ſuae quam velit legem dicere. Multo minus probo argumentum a teſtatore ad debitorem vel etiam creditorem, quod ſcilicet etiam teſtator alicujus rei alienationem prohibere poſſit. Denique non probo argumentum a venditione ad pignus, quod ſcilicet ita res vendi poſſit, ut ne invito venditore rem vendere liceat.

Veriſſima & perſpicua ratio eſt, quae & *hac ipſa l.* indicatur: nempe, quod haec pactio *non ſit talis, quaſi contra jus poſita*: id eſt, quod iniqua non ſit. Id quod probatur a vi & natura hujuſce conventionis, unde jam ab *Iniquitate* vindicatur. Nempe enim hac conventione non ſimpliciter aut in perpetuum debitori pignoris alienatione interdicitur (quod ſane jam contra jus & iniquum foret) verum interdicitur tantum quamdiu pignus conſiſtit. In quo ſane nihil iniqui vertitur, ſive debitor aliunde ſolvendo ſit, ſive non ſit: Priore quippe caſu debitor accepta aliunde pecunia pignus luere poteſt, eoque facto pignoris conventionem liberare, reique ſuae alienandae jus reciperare: Poſteriore caſu, id eſt, ſi aliunde ſolvendo non ſit, duobus adhuc caſibus pignus vendere poterit; ſi videlicet creditor id diſtrahere nolit ſecundum jus pignoris, aut ſecundum conventionem eam emere nolit, denunciante debitore: quod pariter obtinet in ſimili ſpecie *legis Qui Romae 122. §. cohaeredes 5. D. de V. O.* & in contrario caſu apud Paulum *lib. 2. Sentent. tit. 13. §. 5.* Quare Priore caſu ſibi imputet debitor gravem alias non alienandi conditionem, qui cum pignus luere poſſit, non luit: Poſteriore caſu nullus querelae locus eſt, cum in omnem eventum πρωτοπραξίας ſeu προ-

τιμή-

προτιμήσεως tantum jus hac conventione creditor ſibi ſtipulatus videatur, nullo debitoris incommodo. Quae ſane conventio non eſt talis, quaſi contra jus poſita ſit, ſeu improba nón eſt: ut idem Marcianus eodem libro oſtendit, *l.* 16. *in fin. D. de pignorib.* non aliter creditore credituro, forte etiam re pignorata a majoribus profecta. Et ſic rationem habemus, cur haec pactio valeat, quia ſcilicet *talis non eſt, quaſi contra jus poſita.* Unde jam & illud efficitur, retundendis contrariis argumentis, creditoris non parum *intereſſe* huic conventioni ſtari (etſi alioquin pignoris alienatio fiat ſemper cum ſua cauſa) ſive ſolvendo fuerit debitor, ſive non fuerit: Primo propter commodum *poſſeſſionis*, quia ſatius eſt pignori incumbere, quam in rem aut perſonam agere; ſive quia debitores facultatibus labi facile poſſunt; ſive quia eventus litis in incerto ſaepe eſſe ſolet; ſive quia (quod unum ferme Bartolus ad *hanc l.* tradidit) pignore in potentiorem tranſlato, durior jam futura eſt creditori pignoris perſecutio; ſive quia pignore amiſſo creditori probationem implere cogitur, id eſt, gravatur neceſſitate probandi rem pertinuiſſe ad debitorem eo tempore, quo convenit de pignore, ut hoc ipſo libro Marcianus tradit, *l. ante omnia* 23. *D. de probationibus*: quod pignori incumbens probare non habet neceſſe. Secundo propter commodum *πρωτοπραξίας* ſeu *προτιμήσεως*; quod maximum eſſe quis neget? Sic igitur liquet, neque hanc pactionem inefficacem, neque iniquam eſſe, & plurimum in ea creditoris intereſſe. Etiam novo jure inſpecto; quia enim, pignore a debitore alienato, creditor pignoratitia ſeu hypothecaria non ante agere poteſt, niſi excuſſo prius debitore, imo & fidejuſſoribus: atquin eo non alienato ad hunc ordinem non adigitur. Unde jam apparet & tertium hac parte creditoris intereſſe verti.

CAPUT XV.

Juliani *l. Si paterfamilias* 40. *D. de heredibus inſtituendis.* ex libro 30. Digeſtorum.

QUAESTIO eſt, neque ulla temere toto jure vexatior: Servo alieno herede inſtituto, quem teſtator liberum eſſe putabat; cuique alium vulgariter ſubſtituit, pro quanam parte ſervi dominus heres exiſtat, pro qua parte ſubſtitutus cum eo concurrat? Concurrere enim eo caſu conſtat ex *l.* 40. 41. *D. de haeredib. inſtit.* & *§ ult. Inſt. de vulgari ſubſtit.* ſingulari videlicet ratione, contra tenorem & regulam juris, ab eodem Juliano propoſitam in *l. cum in teſtamento* 37. *D. eod. tit. de hered. inſtit.* & *l quamdiu* 3. *D. de adq. haered.* De cujus rei ratione paulo poſt viderimus. Sed de *modo diviſionis* quaeſtio eſt. Quae quidem quaeſtio etſi decidatur a Juliano, *d. l.* 40. *D. de heredib. inſtit.* mox & exemplo firmetur a Pomponio, *l. prox. ſeq.* 41. & exinde a Juſtiniano, *d. §. ult. Inſt. de vulgari ſubſtit*: non parum tamen difficultatis habet. Nam & initio *d. legis* 40. *&* *d. §. ult.* dicitur, *ſubſtitutum in partem admitti*: quod de dimidia parte etiam Theophilus diſerte accepit. Mox tamen *ſine ejuſdem leg.* 40. indicari videtur, non niſi pro quarta alterutrum admitti. Verba ſic habent: *Igitur in hoc caſu ſemiſſes fient, ita ut* Alter SEMIS *inter eum, qui dominus heredis inſtituti fuerit, & ſubſtitutum, aequis portionibus dividatur.* Hinc jam tres ſententiae enatae. Alii ſenſere in hac ſpecie, Dodrantem ſubſtituto cedere, quartam ſervi domino: Alii contra, quartam ſubſtituto cedere, dodrantem ſervi domino: Alii denique ſemiſſem utrique cedere aequis portionibus. De prioribus hoc capite.

Qui a priore ſententia ſtant, id eſt, qui quartam ſervi domino, ſubſtituto dodrantem adjudicant, inter alia id comminiſcuntur, ſubſtitutum in ſpecie propoſita eundum & *coheredem* fuiſſe, ſeu ex parte heredem inſtitutum; quare pro heredis inſtitutione ſemiſſem ei cedere: alterius partis controverſae dimidiam. Neque id tantum ingenii ſui fiducia, verum & MSS. quorundam auctoritate tuentur; ubi vox *coheredem* occurrat: ita, *Sempronium coheredem ſubſtituerit.* Quae omnia fruſtra dici palam eſt. Non jam opponam vulgatae lectionis & Florentini archetypi conſenſum, a quibus alioquin non nego eſſe, ubi recedi poſſit: ſic ut nullius MS. non aliquis eſſe poſſit uſus, non aliqua auctoritas, dummodo & juris ratio adſiſtat, & ipſe legis contextus ſuffragetur; ad quae expendi id genus controverſias oportet.

Primum igitur oppono & conſenſum textus Inſtitutionum, qui ex *d. l.* 40. deſumptus eſt, & Theophili paraphraſin: ubi nil tale legitur, neque tale quidquam deſiderari quiſquam adhuc dixit; & ibi tamen id exprimi magis neceſſe erat: quandoquidem generalius adhuc ibi *ſubſtitutus in partem admitti* dicitur: neque de dividendo aſſe in ſemiſſes quidquam adjicitur, praeſertim cum *partis* appellationem ambiguam eſſe dicant, etiam ii, qui pro quarta pugnant, ut neſciatur, utrum de dimidia, an vero de quarta id accipiendum ſit.

Secundo Julianus, Pomponius, & Juſtinianus; hi tres inquam omnes, cum de hac ſpecie agunt, nulla in parte vel minimam ſuſpicandi cauſam praebent, quod plures in ea ſpecie inſtituti fuerint heredes, & ſic ſubſtitutus coheres: imo contra ſemper, tanquam de uno herede inſtituto, ab iis agitur. Primum in ipſa heredis inſtitutione: *ſi Titium*, inquiunt, *heredem ſcripſit*; Secundo in ſubſtitutione: *Eique ſi heres non eſſet, Sempronium ſubſtituerit*; Tertio, ubi de hereditatis aditione agitur: *Titius adierit hereditatem*; Poſtremo in deciſione: *poteſt dici Sempronium in partem hereditatis admitti.* Quibus plane ſimilia in Inſtitutionibus & in *l. prox. ſeq.* 41. & apud Theophilum occurrunt, ubi conſtanter vides unum heredem indicari, cui extraneus ſubſtitutus fuerit: quique cum nullam, ex primo caſu, hereditatis partem haberet, ex ſecundo tantum gradu ſeu ſubſtitutione in partem hereditatis admittitur. Audis etiam *in partem hereditatis admitti*, non ad partem coheredis. Conſulantur etiam, ex eodem Juliani libro leges aliae, ſane ſi ſubſtitutus idemque & heres in hac ſpecie fuiſſet; id Julianus exerte dixiſſet, ut aliis legibus *ejuſdem libri*, facit: ubi aperte ſubſtitutum eundemque & inſtitutum fuiſſe in aliis ſpeciebus indicat, *l.* 27. *D. de vulgari ſubſtitut*: *ſi Titius*, inquit, *coheredi ſuo ſubſtitutus fuerit*: & *l.* 10. *§. nemo inſtitutus* 7. *D. de vulgari ſubſt*: *Si Titius heres non erit, tunc Stichus heres* ET IN EJUS PARTEM *eſto.*

Ergo maneat, ſubſtitutum in hac ſpecie extraneum fuiſſe, iis, quae dixi, argumentis; & perperam, vel ex conjectura, vel ex MSS. ſuppleri dictionem *coheredem*: quam neque poſtrema legis verba addi ſuadebant, ubi agitur de diviſione aequis portionibus: cum & alias novum non ſit, ſubſtitutum & inſtitutum concurrere, ut *ſequenti capite* oſtendetur: imo cum & contrariae ſententiae auctores ipſimet hoc velint, ſaltem in ſemiſſem aequis portionibus ſubſtitutum & heredem concurrere. Denique tantum abeſt, verba illa, quae initio conſignavimus, anſam huic ſcriptioni, qua *coheredis* nomen inſeritur, dederint, ut contrariae omnino ſententiae fundus ſint: nam quia *aequis portionibus* diviſio inter ſubſtitutum & heredem fieri dicitur, ideo potius infertur, non quartam ſubſtituto ex ſubſtitutione cedere, ſemiſſem ex inſtitutione; ſed ſemiſſem hereditatis aequis portionibus.

CAPUT XVI.

De eadem l. paterfamilias 40. *D. de heredibus inſtituendis.*

PRiorem ad *hanc l.* eorum ſententiam profligavimus, qui (emendatione etiam adhibita) in propoſita ſpecie dodrantem ſubſtituto, quadrantem vero ſervi domino abjudicabant. Sequitur contraria eorum interpretatio, a qua ſtetit etiam Angelus Aretinus, qui, nulla quidem emendatione facta, ſed pro vulgata lectione ſtantes, dodrantem ſervi domino, ſolum vero quadrantem ſubſtituto cedere ajunt: idque non tantum finalium legis verborum praejudicio, de quibus paulo poſt: verum & duobus inſuper argumentis.

Primum ajunt, id intelligi ex ipſa legis interpretatione κατὰ πόδας, nullis ambagibus implicata, nec forinſecus accerſita, ſed ex ipſis Legis viſceribus nata. Vidi ego anxie hanc interpretationem, ſed ex qua tandem nil tale effici deprehendi: illud enim hactenus ex ea interpretatione efficitur, *ſubſtitutum in partem admittendum*, quod nemo negaſſit: at non & illud efficitur, quartam tantum partem ſubſtituto cedere: imo ex illa ipſa efficitur, ſemiſſem ſubſtituto cedere; de quo poſtea.

Altera ratio ab *Aequitatis* ſpecie petita eſt: Durum ſcilicet videri non debere, quod ſervi dominus dodrantem accipiat, ſubſtitutus unum quadrantem, cum ſervus inſtitutus vel illius loco dominus totam hereditatem adire poſſit. Quo ſane alioquin etiam ſpectat, quod Gloſſa quoque movet, quod plus valere debere videatur *veritas*, quam opinio, & quod domini jura ſint fortiora, ut Cynus ait: Item quod inſtitutus magis praeſumatur a teſtatore dilectus, quam ſubſtitutus: Tandem quod ſubſtitutus propter inſtitutum admittatur. Sed Primo, quid ſi regeram (ut omittam nunc argumenta alia, quae paulo poſt proponam, ex quibus efficietur, potiorem videri ſubſtitutum) durum videri non debere, ſi ſemis tantum domino cedat, de quo teſtator ne cogitavit quidem aut cogitare potuit? qui denique neque verbis, neque voluntate teſtatoris adjuvatur; ſic ut fortiora domini jura eſſe in propoſita ſpecie, majoremve pro domino rationem facere dicere nunquam poſſis, quin contraria ratione ſubſtituti fortiora jura eſſe oſtendam, favorabiliorem juſtioremque ſubſtituti cauſam, & potiorem rationem? Secundo quaeram ego, ſi domini jura fortiora ſunt, quaenam ratio Leoninae iſtius diviſionis, cur inquam dodrans potius ei cedat, quam alia portio? Cur contra, quarta potius ſubſtituto, quam aut quincunx, aut triens, aut ſextans cedat? Nempe triplo domini jura fortiora eſſe oportet, quam ſubſtituti.

Et unde haec proportio? Quae ſane ſatis tolerari poteſt in priore illa ſpecie, quam ſuperiore capite tractabamus, ubi videlicet ſubſtitutus idemque coheres ponebatur: nam ut coheredi ſemis cedat neceſſe eſt; ut ſubſtituto vero quadrans, & ſic in univerſum dodrans. Poſtremo hujuſmodi inter duos, qui eodem jure vocantur, diviſionis vel unicum mihi apud noſtros exemplum cedo: quo ſcilicet primum dividatur in ſemiſſem, ac mox ſemis alter in duas partes: quaſi vero non aſſis diſtributio ſingulas partium appellationes habeat? aut quaſi non commodius & concinnius unica dodrantis & quadrantis diviſione hoc perfici potuerit, quam *unciatim*, ſic ut dicam? Quorſum duo ſemiſſes, niſi ut unus uni, alter alteri detur?

His ita profligatis, ſupereſt, veriſſimam eſſe eorum ſententiam, qui in propoſita ſpecie hereditatem in ſemiſſes ita dividunt, ut unus ſemis ſervi domino, alter ſubſtituto cedat: non neceſſaria etiam textus emendatione, cujuſmodi eſt Cujaciana, longius ut fateor petita.

Ex ipſa vero legis interpretatione κατὰ πόδας id conficitur, & ex rationum momentis, quibus hinc inde inter ſe velitabantur ſervi dominus & ſubſtitutus, utroque ſcilicet ſolidam hereditatem ſibi vindicante. Non dicebat ſubſtitutus (quod nonnulli haud ſatis penſe ajunt) ſe in conditione eſſe, atque adeo in diſpoſitione ſubſtitutionis: *In conditione* quippe *eſſe* dicuntur, quorum in conditione aliqua facta fuit mentio; veluti, Si quis rogatus ſit hereditatem reſtituere, *ſi ſine liberis deceſſerit*, ibi jam quaeritur, Utrum liberi qui in conditione ſunt poſiti, etiam in diſpoſitione poſiti cenſeantur, ſic ut his natis fideicommiſſaria hereditas debeatur? Quid igitur? Aliis argumentis & rationibus inter ſe pugnabant, quas & ex *d. c.* 40. & ex Theophilo ita colligo; quaſque non omnes animadvertunt. *Subſtitutus* ſcilicet dicebat, quod caſus ſubſtitutionis extitiſſet; tum eventu ipſo, quia verum eſſet heredem inſtitutum heredem non extitiſſe; tum judicio ſeu opinione teſtatoris & conjectura voluntatis ejus, qui utique (quod & antea dixi) de domino ſervi ne cogitavit quidem aut cogitare potuit, qui non voluit, ut per eum ad alium quenquam hereditas perveniret, utpote cum eum liberum ſeu ingenuum eſſe putaret; tandem *Juris poteſtate*, ob heredis incapacitatem, quae ſubſtitutioni locum facit: quam poſtremam rationem Theophilus etiam indicavit.

Contra, quid *ſervi dominus* dicebat? Nempe ea, quae ipſo textu *l.* 40. & in Inſtitutionibus continentur: ſcilicet, hanc conditionem, *ſi heres non erit*, ita interpretandam ex Juris ipſius poteſtate, ſi neque ipſe heres erit, neque alium fecerit heredem; denique haec verba ſubſtitutionis ad jus referenda eſſe, *l.* 3. *C. de heredib. inſtit.* Haec ſumma fuit ratio domini, a vi & poteſtate juris deſumpta, ac proinde & a rei veritate; quia ſcilicet haec conditio, *Si heres non erit*, ſervo alieno adſcripta, ut maxime etiam libero tempore teſtamenti, poſtea vero ſervo facto, ex domini perſona & facto aeſtimatur, *l.* 31. *in princ. D. de hered. inſtit. l.* 82. §. 2. *D. de legat.* 2. *l.* 5. *D. de ſerv. leg.*

Reponebat *ſubſtitutus*, verum id quidem eſſe duobus caſibus: Primum, ſi teſtator ſciens ſervum alienum heredem inſtituiſſet; nam tum intelligi eum tale quid dicere, *Si Stichus neque heres erit, neque alium fecerit.* Secundo & hanc interpretationem admitti poſſe, ſi liber ſeu paterfamilias heres inſtitutus poſt teſtamentum in ſervitutem incidiſſet; nam & tum hoc ſermone, *Si heres non erit*, illud intelligi poſſe, ſi hereditatem ſibi *non* (ita enim legendum, quod Cujacius recte monuit, *notis in Julianum*) adquiſierit, vel mutata conditione alium heredem non fecerit: ſic ut utroque caſu teſtatoris verba ad jus referri poſſint & debeant. Atenim alium eſſe hunc caſum, & tertium (quod Theophilus recte omnino vidit, imo & Accurſius) alium inquam a primo, quia non a ſciente teſtatore ſervus inſtitutus fuit: & huc reſpicit *verſ. Nam qui ſcit.* alium a ſecundo, quia heres inſtitutus non conditionem poſtea mutavit, non paterfam. inſtitutus poſtea in ſervitutem deductus fuit: & huc reſpicit *verſ. At qui cum.* qui clauditur his verbis, *Quae adjectio* [vel objectio] *ad eos pertinet, qui patresfam. heredes ſcripti poſtea in ſervitutem deducti ſunt.* Denique ajebat ſubſtitutus, duobus illis caſibus in certo rem verſari: nam vel revera ut ſervum inſtitutum, vel ut liberum: atenim hoc caſu, ſervum ut liberum inſtitutum fuiſſe, qui revera ſervus erat: neque mutata conditione ſervus poſtea factus eſt, ſed errore tantum comperto poſtea conditioni ſuae reſtitutus, & ſervus detectus.

Et ita quidem *hujus legis* argumenta colligenda ſunt, quae turbide in Inſtitutis proponuntur: In *l.* 40. paulo clarius; a Theophilo, clariſſime his verbis, quae Latine exprimi ſufficiet: *Sed dicet*

alia

Digitized by Google

aliquis ſubſtitutum in totum aſſem admitti debere: nam teſtator dixit: Ille mihi heres eſto, & ſi is non fuerit, Maevius eſto. Cum igitur heres inſtitutus, heres eſſe non potuerit, ut qui ſervus fuerit, neceſſe erat, ſubſtitutum in univerſum jus vocari. Sed huic reſpondendum eſt, verba haec, Si heres non erit, in eo quidem, qui alieno juri ſubjectus eſt, cum teſtator id non neſciret, ſic intelligi debere, ſi neque ipſe inſtitutus heres erit, neque alium heredem fecerit, hoc eſt, alii adquiſierit, ut tunc demum locus fiat ſubſtitutioni: In eo vero, quem patremfamilias eſſe putabat teſtator, ſignificare verba illa, Si heres non erit, Si neque ſibi, neque ei, cujus juri poſtea ſubjectus eſſe coeperit, hereditatem adquiſierit: ut in totum locum habeat ſubſtitutio. Hic autem, quia jam alieno juri ſubjectus eſſet, qui paterfamilias eſſe putabatur, ideo ſubſtitutus dimidium partem accipit.

Hinc jam conficitur, duos caſus *h. l.* removeri: Quare & eo ipſo convincitur eorum error, qui tres caſus *hac l.* contineri negant: Item eorum, qui verba illa poſtrema, *igitur in hoc caſu*, referunt ad proxime praecedentem caſum alterum, quem removeri diximus. Nam imo Juriſconſultus poſt remotionem duorum caſuum & inſtantiarum redit tandem ad primum & concludit.

Et haec quidem fuit domini & ſubſtituti ventatio, & quidem ad duos caſus oppoſitos ſubſtituti reſponſio, & ex qua poſtea efficitur, dominum in hoc tertio caſu male totam hereditatem ſibi vindicare. Inter abrupta igitur res haec verſabatur. Pro ſubſtituto faciebat *voluntatis* conjectura: quia de libero inſtituendo teſtator cogitavit, non de alio. Pro domino faciebat rei *veritas*, & juris poteſtas, opinione falſa potior, §. *ſi quis rem* 11. *Inſt. de legatis*; quia inſtitutus revera ſervus erat, & vi poteſtateque Juris per ſervum domino hereditas adquiritur.

Quinimo & idem dominus regeſſiſſe potuit ſubſtituto, ſubtilem nimis ſubſtituti diſtinctionem ſuperiorem eſſe: nihil enim referre, ſervus eſſe coeperit poſtea qui inſtitutus eſt, an vero ſervus detectus fuerit; paria eſſe, ſervum fieri & detegi.

Reponere potuit ſubſtitutus, imo latam inter utrumque eſſe differentiam: nam priore caſu, ubi nullus teſtatoris error eſt, facile vim ſuam jus exſerere; puta ut novo domino hereditas per heri liberum hodie ſervum adquiratur: atenim errorem teſtatoris impedire, quominus jus vim ſuam exſerere poſſit, circa ejus videlicet perſonam, de qua teſtator nec cogitavit, nec cogitaſſe potuit.

Hic jam quid facias in controverſia perplexa diremptuque difficillima? Nempe quod Pomponius ait, *poſſe dici*, id eſt, ad extremum tentari poſſe, *in hoc caſu ſubſtitutum in partem hereditatis admitti*: & ſic eum, qui non poteſt venire ut ſubſtitutus, venire ut coheredem: Partem inquam, aequalem ſeu dimidiam & ſemiſſem. Scilicet, cum ex ſuperiore legis κατὰ πόδας liqueat, paria utrinque rationum momenta, neque majorem rationem pro una parte, quam pro altera, & ſic de ἀπόρων numero hanc quaeſtionem fuiſſe, ſane & quod ἄπορον ſeu perplexorum lex ſuadebat, neque in imum, neque in ſummum eundum erat, ſed media via incedendum, & res aequa lance diſpeſcenda. Haec jam prima ratio eſt, cur ſemis utrinque hoc caſu adjudicanda ſit; nempe lex ἀπόρων, ubi videlicet juris poteſtas reique veritas & opinio conjecturaque voluntatis funem inter ſe ducunt: & ut Bartolus ſummavit, propter repugnantiam juris communis admittitur concurſus inſtituti & ſubſtituti. Unde etiam apparet, non eſſe eam hujuſce deciſionis rationem, quod CL. Cujacius putabat *notis ad Julianum*, eo quod heres inſtitutus, non ut cenſuerat & voluerat teſtator, adiiſſet, ſeu ut liber arbitratu ſuo, ſed juſſu domini.

Secundum argumentum praebet ipſa *partis* appellatio in *d. l.* 40. *Pars* ſcilicet abſolute poſita dimidiam ſignificat, *l.* 43. *D. de uſufruct.* & *l.* 164. §. 1: *D. de V. S.* Rhemnius Fannius Palaemon;

Poſt haec ſemiſſis, ſolidi Pars *maxima fertur,*
Nam quod dimidium ſuperat, Pars *eſſe negatur.*

Ac ne quis dubitare poſſit, expreſſius adhuc in Inſtitutionibus, ubi quod de altero ſemiſſe *d. l.* 40. adjicitur, non extat: ſed abſolute dicitur, *ſubſtitutum in partem admitti.* Atqui ſi inaequalibus portionibus diviſio facienda fuiſſet, etiam in Inſtitutionibus id additum oportuit, ut maxime levi & ſimplici via ibi jura proponi dicantur, quod alioquin necquicquam dixiſſet. Eodemque tertio loco pertinet & *Dividendae* hereditatis appellatio, *l. prox.* 41. ubi dicitur, *Diviſam fuiſſe* Hereditatem, id eſt, diviſum aſſem *aequis* portionibus.

Quartum argumentum duco a Theophili auctoritate, qui diſerte illa Inſtitutionum *ſubſtitutus in partem admittitur*, ita explicat: ὅτι ὁ ὑποκατάστατος τὸ ἥμισυ λαμβάνει, nempe ſubſtitutum ſemiſſem accipere: Et mox; διὰ τοῦτο τὸ ἥμισυ ὁ ὑποκατάστατος λαμβάνει.

Quintum argumentum duco ex illis ipſis verbis, quae huic controverſiae anſam praebuerunt: *Igitur in hoc caſu* Semisses *fient, ita ut alter ſemis inter eum, qui dominus inſtituti heredis fuerit, & ſubſtitutum* Æquis *portionibus dividatur.* Interim illa ſepono, *ita ut alter ſemis.* Numnon haec, *ſemiſſes fient*, mox iſta, *aequis portionibus dividatur*, ſatis indicare debuerunt, aequas partiones ferre utrumque, puta ſemiſſes? Quorſum alioquin duo ſemiſſes, niſi ut unus detur uni, alter alteri; de quo jam ſupra?

Sexto loco juvat cum maxime exemplum, quod CL. Cujacius extulit ex Ulpiani *fragmentis tit.* 22. *ſub fin. Si ſub imperfectam cretionem heres inſtitutus ſit*, id eſt, *non adjectis verbis his*, Si non creverit, exheres eſto: *ſed ita*, Si non creveris, tunc Maevius heres eſto: *Cernendo quidem ſuperior inferiorem excludit: Non cernendo autem, ſed pro herede gerendo, in partem admittit ſubſtitutum: Sed poſtea D. Marcus conſtituit, ut & pro herede gerendo ex aſſe fiat heres. Quod ſi neque creverit, neque pro herede geſſerit, ipſe excluditur, & ſubſtitutus ex aſſe fit heres.* En ſcilicet & alterum caſum, quo inſtitutus & ſubſtitutus hereditatem inter ſe aequis portionibus dividebant! Nempe & hic ἄπορον erat, juriſque poteſtas & conjectura voluntatis teſtatoris funem inter ſe ducebant. Nam in ea ſpecie pro ſubſtituto dici poterat, ad eum hereditatem pertinere, quia heres non ſolemniter hereditatem creviſſet, quod a teſtatore juſſus fuerat: & ſic teſtatoris verba, *Si non creveris*, ad jus referenda eſſent: quo, non creta ab eo, qui juſſus eſt, hereditate, ſubſtituto locus fit. Contra, pro Inſtituto dici poterat, quemadmodum leges quaedam publicae imperfectae eſſent, quae quidem aliquid fieri juberent, vetarent, ſed tamen contra factum non reſcinderent (ut docet Ulpianus *initio fragm.*) ita & imperfectas teſtatorum leges & juſſa nonnulla eſſe: & vero in caſu propoſito *imperfectam* cretionem verti, imo ne cretionis quidem neceſſitatem; quandoquidem in caſum non cretae hereditatis, ſeu non impletae voluntatis, teſtator non ideo eum hereditate ſubmoviſſet exheredittationis formula, quod alioquin factum oportuiſſet: ſed potius *cretionis* vocabulum improprie accepiſſet; id quod appareat ex appoſita ſubſtitutione: nam quia ſubſtitutio haecce fieri ſolet, non tam ut heres plectatur, quam ut ne teſtator ſine herede decedat, inteſtatique exitum faciat, ſatis eſſe hereditatem quoquo modo vel ſimplici aditione aditam. Ἄπορον proinde iſtud erat, ubi Juris poteſtas & conjectura voluntatis teſtatoris funem inter ſe ducebant. Ergo & hac ipſa ratione hic aequis portionibus hereditas inter inſtitutum & ſubſtitutum dividebatur, ut quamminimum a juris poteſtate & a conjectura voluntatis teſtatoris rece-

deretur. Et ita quidem in hac poſtrema ſpecie Juriſconſulti olim, qui ultra pergere non potuerunt. Atenim ut audentior, ita providentiſſimus & juris religioſiſſimus Princeps (ut vocatur a Papiniano *l.* 67. *D. de legat.* 2.) D. Marcus, pro ſua humanitate (ut loquitur Calliſtratus *l.* 31. *D. de fulſis.*) inſtituto totam hereditatem adjudicavit; procul dubio, quia appoſita ſubſtitutio aperte ei indicare viſa fuit, teſtatorem ſubſtitutum vocaſſe, non in caſum hereditatis non cretae, ſed in caſum hereditatis omnino non aditae; tum quia de ſolemnibus tantum ageretur, & ſic de re frivolaria: de ſolemnibus, inquam, & commentis cretionum (ut vocantur *l.* 1. *C. Th. de bonis matern.*) quae ſubſtantiam negotii non afficerent: ut caeteroquin D. Marcus humanitatis plenus, ſcrupuloſitates circa haeredum inſtitutiones non facile admiſit, & voluntatis teſtatorum educendae magnus artifex fuit: ſed & ſolemnium caeteroquin ſcrupuloſitatem facile remiſit: vid. exemplum apud Ulpianum, *tit. de legitimis hered.* 26. §. 6.

His ita clare demonſtratis, nunc tandem ſub manum veniant verba, quae hanc omnem litem moverunt. *Igitur* IN HOC CASU *ſemiſſes fient; ita ut* ALTER SEMIS *inter eum qui dominus inſtituti heredis fuerit, & ſubſtitutum aequis portionibus dividatur.* His verbis id paſſim indicari creditur, nonniſi unicum ſemiſſem, & ſic dimidiam hereditatis, inter ſubſtitutum & ſervi dominum dividi: ait enim lex, ALTER SEMIS *dividatur.* Quare etiam hunc locum varie alii emendarunt: aliis ex ſiglorum compendio divinantibus, As: nonnullis, *alteruter ſemis*; quibuſdam, *alter & alter*; aliis *uterque*; aliis *alternus ſemis*; aliis denique aliam ſpeciem affingentibus. Verum nil omnino hic mutandum Doctiſſ. Viglius, & Conanus recte viderunt. Nempe *Alter ſemis* Juliano hic dividi dicitur, cum utrique ſemis datur. *Alter* enim, non tantum in ea formula *Unus aut alter*, pro duobus, ſeu pro utroque accipitur (quod Viglius annotavit) ſed & in communi Latinitate apud Artigraphos. Nam & ita *altera tertia*, id eſt, duae tertiae, Manlio Theodoro:

Altera biſſenis ut ſit pars tertia ſignis.

Livius quoque dixit *altero & viceſimo anno*, id eſt, viceſimo ſecundo:

Virgilius, *Ecl.* 8. *v.* 39.

Alter ab undecimo jam tum me ceperat annus.

id eſt, tertius decimus. *Alter igitur ſemis*, id eſt, uterque ſemis, duo ſemiſſes. Ita & *Alterplex*, id eſt, duplex, apud Feſtum.

Sed huic ſententiae adhuc obſtare creditur Alexandri Imp. *l.* 3. *C. de heredib. inſtit.* ubi ſubſtitutus in hac ipſa ſpecie vel penitus excludi ab herede dicitur uno caſu: vel penitus excludere inſtitutum, contrario, non etiam in partem venire ſeu admitti: denique alterutrum vel totam hereditatem habere, vel nihil habere. Hic jam conciliandi labor. Non probo Fulgoſii & Vigſii diſtinctionem inter teſtatorem militem & paganum, quaſi *d. l.* 3. in militis teſtamento obtineret.

Veriſimilior viri longe Doctiſſimi ſententia videtur, qui inter caetera praejudicio loci Ulpianei, de quo ſupra, & hac parte juris immutationem factam tradit, & ſic *hac l.* eam *legem* 40. abrogatam fuiſſe putat: quanquam ſcrupulum aliquem injicit Inſtitutionum praerogativa, ubi partitionem ſeu diviſionem faciendam diſerte ſtatuitur: quod ſane in Inſtitutionibus factum non oportuiſſe videtur, ſi hac parte juris immutatio facta fuiſſet. Imo & ipſarum Pandectarum praejudicium tragulam injicere videatur, in qua id jus, quod Alexandri Imper. tempeſtate jam immutatum fuerat, non relatum a Juſtiniano videtur. Deinde in Ulpianeorum fragmentorum ſpecie apertam Juris immutandi rationem jam reddidimus: quae in hac, quam tractamus, nulla ſubeſſe videatur.

Igitur, niſi illa placet conciliatio, ſtandum videtur diſtinctioni, inter certam teſtatoris voluntatem (puta ubi voluntas teſtatoris in alterutram partem inclinare, certiſſimis conjecturis probatur) & inter dubiam teſtatoris voluntatem. Nempe duo caſus *d. l.* 3. (ut recte Accurſius, Cynus, Caſtrenſis indicarunt) continere videntur certam teſtatoris voluntatem: idque probare illa verba; *nec per eum ad alium quenquam hereditatem pertinere voluit*: ſed & *verſ. Quod ſi verba*, &c. Nempe in priore ſpecie *dictae l.* 3. teſtator certiſſimis probationibus oſtenditur, voluiſſe inſtitutum *ſibi tantum* adquirere non alii, quare ſi ſervus inſtitutus detegatur, ſubſtitutus ſolus vocabitur. Viceverſa in poſteriore ſpecie *dictae l.* 3. teſtator jam aperte voluit inſtitutum non tantum ſibi, ſed & alii adquirere, ſeu verba ad jus retulit: quare & ſolus inſtituti dominus admittitur. Atenim hic, de quo nunc agimus, caſus alius & tertius ſeu medius eſt, quo videlicet nullis conjecturis apparet quid teſtator voluerit: denique ubi dubia eſt teſtatoris voluntas: quicquid contra olim Placentinus & Rogerius ſcripſerint.

CAPUT XVII.

Ulpiani *l. ſi quis extraneus* 21. §. *ult. D. de adquirenda hereditate.* ex lib. 7. ad Sabinum.

Quaeſtio eſt, de *Ignorantia* heredis conditionalis, circa conditionis exiſtentiam, Utrum videlicet heres ſub conditione inſtitutus, ſi conditionem impletam ignoret, hereditatem adire poſſit? Quaeritur autem id duplici fine: tum heredis ipſius commodo, videlicet ut commodis hereditariis ſtatim exinde potiri poſſit: tum viceverſa propter ejus onus, ut exinde aeri hereditario obligetur, neque ei amplius hereditatem repudiare integrum ſit: nam hi effectus ſunt hereditatis jure aditae. Et Juliani aperta definitio eſt, *l. multum intereſt* 21. *D. de condit. & demonſtr. Conditiones facti, quamvis impletae eſſent, impedire heredem circa adeundam hereditatem, quamdiu ignoret eas impletas eſſe.* Ratio quoque in aperto eſt, quia & in commune certum eſſe oportet eum, qui hereditatem adire volet, & ſcire hereditatem ſibi delatam, quove jure delatam, *l.* 23. 32. §. 1. *l.* 34. §. 1. *D. de adquir. hered.* ut in totum omnia, quae animi deſtinatione aguntur, non niſi vera & certa ſcientia peragi poſſunt. Et tamen obloqui videtur Ulpianus, *d. l. ſi quis extraneus* 21. §. *ult. D. de adquir. heredit. Si quis*, inquit, *partem ex qua inſtitutus eſt ignoravit, Julianus ſcribit, nihil ei nocere, quominus pro herede gereret. Quod & Caſſius probat, ſi conditionem, ſub qua heres inſtitutus eſt, non ignorat, ſi tamen extitit conditio, ſub qua ſubſtitutus eſt. Quid tamen ſi ignorat conditionem extitiſſe? Puta poſſe adire hereditatem: Quemadmodum ſi ignoret, an coheredis, cui ſubſtitutus eſt, repudiatione portio ei delata ſit.* Hinc jam alii ad emendationem confugere, retracta particula *non*, ex illis *non ignorat*, ad ſequentia ita, *non puta poſſe*. Pars contra lectionem vulgatam bono more tuetur: quod tamen non una ratione fieri adſolet. Commodiſſimum & compendioſiſſimum puto, ſi totum §. illuſtremus, unde jam ex SERIE totius legis & harmonia omnium caſuum de veriſſima conciliatione liquebit, intactis prorſus textus verbis.

Igitur ut quatuor verſiculos, ita & caſus *hoc* §. contineri ajo; quorum ſecundus & tertius primi ſunt ampliatio: quartus tertii potiſſimum confirmatio. In univerſum autem quatuor caſus *mixti* proponuntur, quibus heres inſtitutus non in totum quidem ignarus eſt, ſed pro parte tantum; ſic ut pro parte quid ſciat, pro parte quid neſciat. Unde jam quaeritur, Utrum ſcientia illa, ſic ut dicam, *partia*-

tiaria inſcitiam alterius partis velet : ſic ut non obſtante hac inſcitia adire is jure poſſit, & vero jure adiverit, tanquam ex altera uertus ſciens prudens?

Primus caſus eſt de herede, qui heredem quidem ſe ſcit; atenim ignorat ex *qua parte* inſtitutus ſit. Et quaeritur, Utrum is nihilominus adire poſſit; & ſi adierit, jure adierit? Quod ex Juliano (libro videl. 21. Digeſtorum) adfirmatur *hoc* §. ſed & *l. illud* 5. *D. ſi pars hered. pet.* Satis ſcilicet eſt eum caetera noſſe, etſi partem hereditatis non norit: neque haec ignorantia quidquam heredi nocet, quominus adire poſſit. Quantitatis ignorantia non praejudicat, *l. qui putat* 74. *D. de adquir. hered.* ſed qualitatis, *verſ. primo.*

Et tamen, qui ſecundus jam caſus eſt *hujus* §. etiam qualitatis ignorantia quandoque non nocet : ſi modo principalis qualitatis ſcientia adſit. Finge : Idem ex parte inſtitutus eſt ſub conditione, & alteri ſub conditione ſubſtitutus. Sane etiam qui nude alteri ſubſtitutus eſt, ſcire debet; Utrum conditio extiterit, ſub qua ſubſtitutus eſt. Sed finge; idem & inſtitutus & ſubſtitutus conditionem; ſub qua inſtitutus eſt, non ignoravit, eaque extitit: ſed conditionem alteram, ſub qua ſubſtitutus eſt, ignoravit, eaque extitit : an pro ea parte gerere poteſt? Hoc etiam Caſſius probabat: nempe ſatis eſſe, quod heres principalis inſtitutionis & conditionis habeat plenam ſcientiam; non & acceſſoriae, dummodo conditio extiterit. Et haec quidem ſi penitus ignoravit ſubſtitutionis conditionem, & tamen extiterit: nempe ignaro conditionis ſufficit exiſtentia conditionis, *verſ. Quod & Caſſius.*

At, qui tertius eſt caſus, Quid ſi ſcivit conditionem ſubſtitutionis, ſed ignoravit conditionem extitiſſe, & adiit : an & tum gnaro conditionis, ſed ignaro exiſtentiae, ſufficit exiſtentia conditionis? *Puto*, inquit Ulpianus, *poſſe adire hereditatem* : *verſ. Quod tamen*, id eſt, recte aditam cenſeo.

Et quarta ſpecie id confirmat ſimilitudinarie (ut cum Joanne contra Joannem loquar) ubi non jam de conditione agitur ſubſtitutioni adjecta; item non de ignorantia circa ſubſtitutionem, ſed de ignorantia caſus & exiſtentiae ſubſtitutionis Finge: Idem & heres, & coheredi ſubſtitutus eſt, & neſcit, Utrum coheres repudiaverit, & tamen is repudiavit. Sane ſi hereditatem adiit ex ſubſtitutione, recte adiit; *verſ. Quemadmodum*: quod tamen vir Magnus negabat.

Et ita quidem quatuor hic caſus poni oportet. Unde de tribus liquet. Primo retinendam vocem *ſubſtitutus* in *verſ. Quod & Caſſius*; ut habetur in Pandectis Florentinis, quod etiam Laelius Taurellus tuetur, ad *hanc l. in adnotatis Pandectarum Florent* : Nam & alioquin caſus *verſiculi*, *Quid tamen*, idem prorſus eſſet cum ſuperiore: vel ſuperior ſuper non dubitabili foret, nempe de eo, qui ſcivit conditionem extitiſſe; ubi ſane dubio locus non eſt. Secundo liquet, *verſiculum*, *Quid tamen*, omnino accipiendum de eo, qui tantum ignoravit conditionis exiſtentiam: Sola ſcilicet ignorantia exiſtentiae in *hoc verſiculo* vertitur, non ignorantia conditionis ipſius: Superior de utraque ignorantia. Tandem apparet, negativam in *ſecundo verſiculo* tuendam : contra, in *tertio* non addendam. Unde conficitur, conciliationem adnotatam ab *Auctore meo* poſt Accurſium recte referri ad *verſ. Quod & Caſſius* : quod etiam CL. Cujacius aliquatenus fecit.

His ita clare jam poſitis, liquet tandem *verſiculum*, *Quid tamen*, necquicquam obſtare *dictae legi*, *Multum intereſt* 21. nempe (ad quod etiam Joannes ex parte illuſit) *verſiculus*, *Quid tamen*, loquitur, quando quis pro parte inſtitutus eſt, & pro parte ſubſtitutus. Nam licet alterius partis conditionem ignoret, aut ignoret conditionem extitiſſe, attamen recte adit, & ſi adierit, poſtea repudiare non poteſt tanquam non recte aditam. Vera denique conciliatio iſthaec eſt : in eo, qui nude inſtitutus eſt ſub conditione, conditionis exiſtentiam nil prodeſſe, ad adeundam hereditatem : eam enim & ſcire & eam extitiſſe noſſe debet heres, *d. l. multum* 21. *D. de condit. & demonſtr.* Atenim ſi idem & inſtitutus eſt, ſive pure ſive ſub conditione, & ſub conditione ſubſtitutus eſt, ſatis eſt conditionem ſubſtitutionis extitiſſe. Quae *hujus* §. ſententia eſt, ut apparet ex toto §. contextu : ubi agi oſtendi de mixtis caſibus, ubi videlicet partialis ſcientia & partialis ignorantia vertitur. Unde efficitur, ſufficere ſcientiam in principali, contra non obeſſe ignorantiam in acceſſorio : & quidem acceſſorio ſubſtitutionis, ut in tribus caſibus poſtremis *hujus* §. Ratio porro differentiae haec eſt : nempe in eo, qui nude heres inſtitutus eſt, nihil eſt quo ejus ignorantia velari poſſit : in eo, qui ex parte inſtitutus eſt, velari poteſt ſcientia inſtitutionis: quare ignorantia conditionis exiſtentiae quae ſubſtitutioni addita eſt, non nocet, nec impedit aditionem; propter cohaerentiam & unionem, quam habet cum jure accreſcendi, *l. cum heres* 32. §. 1. *l. qui ex duab.* 53. *in pr. & l. qui patri* 59. *eod. tit. de adquir. hered.*

CAPUT XVIII.

Ulpiani *l. ſi res obligata* 57. *D. de legat.* 1. ex libro 35. ad Sabinum. [Vel potius 23.]

QUaeſtio eſt, de *Re Teſtatoris Pignori vel Hypothecae obligata*, a Teſtatore per fideicommiſſum relicta, ad quem videlicet onus hujus pignoris luendi, vel liberandorum praediorum hypothecae nexorum, pertineat: Utrum ad heredem fiduciarium, an vero ad fideicommiſſarium? Quae quidem quaeſtio cum in facto ferme conſiſtat, prompta interea & certa illa diſtinctio eſt. An teſtator rem obligatam *ſciverit* : nam tum nullo alio expreſſo, non alia voluntate conteſtata, heres fiduciarius eam rem luere ſeu liberare tenetur: ſi vero *neſciat*; fideicommiſſarius: niſi probetur forte teſtatorem etſi ſciviſſet obligatam hanc rem vel aliam liberam & immunem ab omni onere fideicommiſſario relicturum fuiſſe: item dummodo aes alienum cujus nomine res obligata eſt, modum pignoris non excedat : denique ſi poteſt aliquid eſſe ſuperfluum exſoluto aere alieno, quam ὑπεροχὴν noſtri vocant, *l. quaerebatur* 20. *D. qui potiores in pign.*

Haec quae dixi in *l. ſi res obligata* 57. *D. de legat.* 1. apertam habent ſententiam (quae etiam ex parte comprobantur, *l. praedia* 6. *C. de fideicomm.* & §. 5. *Inſt. de legatis*) at non etiam illa, quae immediate ſequuntur: *Quia ſi teſtator eo animo fuit, ut quanquam liberandorum praediorum onus ad heredes ſuos pertinere* NOLUERIT, *non tamen aperte* UTIQUE *de his liberandis ſenſerit, poterit fideicommiſſarius per doli exceptionem a creditoribus qui hypothecariam ſecum agerent, conſequi, Ut actiones ſibi exhiberentur : quod quanquam ſuo tempore non fecerit, tamen per Juriſdictionem Praeſidis provinciae id ei praeſtabitur.* Hactenus verba legis: ad quam ſcribens Raphaël Cumanus dixit, quod non eſt lex in hoc titulo, quae habeat materiam magis involutam & pejus declaratam. Nempe ambigitur, quaenam ſpecies hic aptanda veniat; alii, & in his quoque Viviano (quem ſecuti Neotericorum nonnulli) pro *noluerit* legentibus *voluerit*, quaſi hic caſus ille tractetur, quo teſtator tacite quidem voluit heredes praedia liberare, non tamen aperte id expreſſit : atque ideo hoc caſu fideicommiſſario, non actionem ex teſtamento competere adverſus heredem, ſed ſubſidiario remedio tantum ei ſuccurri, quod hic ſuggeritur. Quam emen-

dationem & interpretationem CL. Cujacius jam recte rejecit: nam ut Paulus de Caſtro quoque notavit, nil intereſt hac quoque parte expreſſe quid teſtator voluerit, an ſenſerit tacite; quia tantum operatur voluntas teſtatoris tacita, quantum expreſſa

Alii vero, vulgatam lectionem tuentes, aliam nihilominus atque aliam ſententiam adfingunt. CL. Cujacii haec interpretatio erat: Si teſtator ſciat rem obligatam, etiamſi voluerit fideicommiſſarium luere, tamen ſi id non aperte expreſſit, heredem luere debere; denique expreſſam voluntatem hic exigi, tacitam non ſufficere. Quod ipſum ſuſtineri nulla ratione poteſt: nam quaeſo quid intereſſe poteſt, & hac parte non magis quam ſuperiore, teſtator id verbis expreſſerit, an ſenſerit, ſeu aliter quam verbis nuncupatis expreſſerit? Expreſſum non minus creditur, quod teſtatorem quomodocumque voluiſſe ſenſiſſe probatur.

Multo abſurdius alii hanc ſententiam adfingunt, quaſi dicatur, etiamſi teſtator expreſſe noluerit heredem praedia liberare, ſi tamen non expreſſe fideicommiſſarium haec pignora luere ſeu liberare juſſerit, ad heredem ſemper pertinere onus pignorum liberandorum, ſaltem eo remedio, quo hic fideicommiſſario ſuccurritur. Ergo ponunt illi expreſſam noluntatem teſtatoris ratione heredis: & iidem tamen ratione fideicommiſſarii obſcuritatem, ſeu obſcuram voluntatem ponunt; quia etſi teſtator noluit heredes ſuos oneratos, tamen non aperte dixit, quem vellet oneratum, & ideo heredem ſemper oneratum videri. Abſurde, ſi quid aliud dici poteſt! Nam quomodo quaeſo obſcurum eſſe poteſt, teſtatorem onus hoc fideicommiſſario impegiſſe, ſi heredem nominatim eo nomine liberavit, ſi *noluit* heredem luere: ut viceverſa obſcurum eſſe non poſſit, fideicommiſſarium liberatum, ſi heredem huic oneri ſubjeciſſet? Unius puto immunitas & liberatio, alterius ſarcina eſt. E duobus, quos onus aliquod communiter reſpicit, qui unum liberat, alterum aperte onerat, & aperte ſentit quem alium voluerit oneratum, cum onus illud in nullum alium recidere poſſit. Quare ſi ab una parte noluntas clara eſt, ab altera voluntas qui obſcura eſſe poteſt? Neque haec, ut volunt illi, nuda interpretatio aut conjectura eſt de facili tantum, ſed neceſſaria. Et quare tandem fideicommiſſarius remedio legis juvetur, eique caveatur adverſus heredem, cum teſtator ſuo ſic ut dicam remedio, ſua providentia & noluntate, heredem ſepiverit, muniverit & liberaverit.

Neque eam rationem capio, cum ajunt, duplicem rationem legis hic apparere, nimirum noluntatem teſtatoris & obſcuritatem, quarum poſterior haec priore corroboretur. Nos enim hactenus putabamus, noluntatem, & obſcuritatem voluntatis inter ſe contraria eſſe: ubi enim teſtator teſtatus eſt ſe quid nolle, opinor, voluntatem ſuam obſcuram eſſe noluit. Et poſt haec tamen optime haec cohaerebunt, neque interpretatio oportunior, planior, vulgatae lectioni tuendae afferri potuerit,

His igitur miſſis, perſpicuam apponamus ſpeciem. Finge: Teſtator NOLUIT, id eſt, vel nominatim vetuit onus liberandorum ſeu luendorum praediorum ad heredes ſuos pertinere (ſeu expreſſe eos onere iſto liberavit) vel voluntatem hanc ſuam tacite ſaltem oſtendit: Et ſic, vel neceſſaria conſequentia (ut ſuperius quoque oſtenſum eſt) vel etiam expreſſe fideicommiſſario iſtud onus injunxit: Mox heres praedia hypothecae nexa fideicommiſſario tradidit: Fideicommiſſarius a creditoribus conventus eſt: Æs alienum pignoris modum excedebat, vel aere alieno exſoluto nihil ſuperfluum futurum erat? Sane fideicommiſſarius ſolvendo creditoribus cedi ſibi ab his actiones adverſus heredes jure poſtulabit: quinimo etſi ab initio id a creditoribus non poſtulaverit, extra ordinem tamen Jurisdictione Praetoris vel Praeſidis ei ſuccurretur; puta ut ei ſaltem ab haerede praeſtetur, quod modum pignoris excedit. Et rationem reddit: *Quanquam enim teſtator*, inquit lex, EO ANIMO *fuit, ut liberandorum praediorum onus ad heredes ſuos pertinere* NOLUERIT, *non tamen aperte de his* UTIQUE *liberandis ſenſit. Utique*, id eſt, omnino, omni modo, & omni caſu, ſimpliciter, abſolute. Nempe enim teſtator, cum heredes onere liberandorum ſeu luendorum pignorum liberaret, id praeſuppoſuit, ſuperfluum aliquid fore & reſidere commodi apud fideicommiſſarium exſoluto aere alieno. Quare *non Utique*, non omnino heredes liberavit, ſi videlicet modum pignoris aes alienum excederet; fruſtra alioquin pignus fideicommiſſario relicturus. Liberatio igitur heredis hactenus intelligenda eſt, ut ne fideicommiſſarius aut in damno verſetur, aut non aliquo commodo potiatur. *Utique*, familiari Juriſconſultis etiam paſſim noſtris (ne aliorum ſcriptorem aciem nunc explicem) ſignificatu, pro abſolute, prorſus & omnino accipitur; vid. ſaltem §. *ult. Inſtit. de legit. agnat. tut.* & *l. auxilium* 37. §. 1. *verſ. In delictis. D. de minoribus*. Ita & *l.* 142. *D. de R. J. Qui tacet, non* UTIQUE *fatetur: ſed tamen verum eſt, eum non negare.* Ulpianus etiam lib. 8. de officio Proconſulis ſub *titulo de Abigeis*, apud pariatorem legum Moſaïcarum, *tit. de Abigeatoribus* XI. *Ad gladium damnati, confeſtim conſumuntur, vel certe intra annum debent conſumi (hoc enim Mandatis continetur) Enimvero qui in ludum damnantur*, NON UTIQUE *conſumuntur: ſed etiam pileari & rudem accipere poſſunt poſt intervallum.* Omitto alia. Atque ita vox haec UTIQUE hic accipienda venit; quae quia hic hactenus non expenditur, imo etiam omnino ceu ſuperflua omittitur, vera etiam ſpecies *hujus verſiculi* non intelligitur. Et ita tandem tum ejus ope hic *verſiculus* intelligendus eſt, tum & ipſa legis ſerie, ſeu connexis illis, *vel poteſt aliquid eſſe ſuperfluum ex ſoluto aere alieno:* ſicut continuo ſpiritu legendus ſit *verſiculus: Quod ſi teſtator.*

Tandem igitur dicamus, *hujus* §. duas eſſe partes: quarum Prior eſt, ubi teſtator nihil dixit de luitione pignoris, qua parte tres caſus diſtincte proponuntur, quibus heres pignus luere tenetur. Altera pars eſt, quando teſtator noluit onus pignoris luendi ad heredes pertinere, eiſque id nominatim remiſit: quo tamen ipſo caſu heredes nihilominus aliquatenus tenentur, nempe quatenus aes alienum modum pignoris tranſcendit, ſic ut haec hyperocha ſemper heredi incumbat, quamlibet eum teſtator luendi pignoris onere liberaverit.

CAPUT XIX.

Pauli *l. debitor* 82. §. *ult. D. de legat.* 2. ex libro 10. Quaeſtionum.

QUaeſtio eſt, *Quaenam res ſervo alieno legari poſſit?* Et praeceptum ſeu definitio Juliani erat: *Id demum ſervo alieno legari poſſe, quod ipſe ſervus liber factus capere poſſet:* id eſt, Legatum ſervo alieno relictum ex perſona ſervi conſiſtere & vires accipere: ubi de re ſcilicet ſeu materia legati ſervo alieno quaeritur, ſeu de natura rei legatae, ex perſona ipſius ſervi ea aeſtimanda eſt; puta num die legati cedente liber factus eam capere poſſit. Atenim ſi quaeras, *Cuinam* ſervo legari poſſit, id eſt, quis ſervus habeat paſſivam teſtamenti factionem, ſeu ex teſtamento capiendi jus, domini jam perſona ad hoc inſpicienda eſt; denique perſona domini ſervum perſonat.

Et haec quidem uti veriſſima, ita & perſpicua erat Juliani definitio: quam & Paulus tuetur *l. de-*

bi-

biter 82. *in fin. D. de legat.* 2. Et dum in eo eſt, ut tueatur, haec verba ſubjicit: *Calumnioſa eſt enim illa adnotatio, poſſe legari ſervo, & quamdiu ſerviat: Nam & hoc legatum ex perſona ſervi vires accipit. Alioquin & illud adnotaremus, eſſe quoſdam ſervos, qui licet libertatem conſequi non poſſint, attamen legatum & hereditatem poſſunt adquirere domino.* Horum verborum ſenſum hunc nonoulli putant, quaſi dixerit Julianus falſam eſſe eorum ſententiam, qui notant, *non poſſe* (ita enim legi oportere contendunt) legari ſervo, & quamdiu ſerviat: ſane enim ita legari poſſe apparet ex *l.* 113. *D. de legat.* 1. *Auctor meus*, pro more ſuo, non quidem hanc horum verborum ſententiam eſſe prodidit, aut contrarias *haſce leges* eſſe cenſuit, ſed tamen ſtudioſis *eam legem* diligentius excutiendam propoſuit, & ſubnotavit, quaſi ſpeciem aliquam contradictionis habentem. Ut hoc ejus inſtitutum a nemine jure culpari poſſit, atque adeo in ſocietatem praecipitis ſententiae perperam trahitur; ita illorum emendatio jure refutatur. Illud tantum videndum eſt, ut recte riteque refutetur. Id nunc agamus.

Juliani igitur definitionem, qua is dixerat, *Id demum ſervo alieno legari poſſe, quod ipſe liber factus capere poſſet*, Nonnulli olim hac inſtantia vellicare, labefactare, & falſitatis quodammodo arguere volebant: nempe quod imo ſervo alieno legari poſſet, quod ipſe liber factus capere non poſſet: exempli eum gratia, ſervo alieno ita legari poſſe, *quoad* ſeu *quamdiu ſerviet*: atquin hoc legatum ſervum liberum factum capere non poſſe. Hanc inſtantiam, ait Paulus, eſſe *calumnioſam adnotationem*. Cur quaeſo calumnioſam? Quia captioſa haec & cavillatoria inſtantia eſt, utpote cum non ſit de regula (ut inſtantia eſſe debet) ſed de alio genere. Dixerat nempe Julianus, *Id demum ſervo alieno legari poſſe, quod ipſe liber factus capera poſſet*: Quae quidem regula de vi & poteſtate juris ipſius eſt: aterum inſtantia oppoſita eſt de contraria & expreſſa voluntate teſtatoris, ubi ſcilicet teſtator expreſſe noluit legatum etiam libero facto adquiri, & ſic conditionem injecit, *l.* 4. *D. de ſervit. legata.* Ergo termini hic inhabilitas eſt; rei, inquam, praeciſe legatae ſub conditione ad tempus ſervitutis tantum. Et hic ſenſus eſt *verſiculi, Calumnioſa eſt enim.* Addit Paulus, adnotationem & inſtantiam ſuperiorem aeque calumnioſam & cavillatoriam eſſe, ac ſi quis ad labefactandam eandem Juliani definitionem ſeu regulam & hanc inſtantiam adferret ſeu adnotaret: quod quidam ſervi ſint, qui licet libertatem conſequi non poſſint, attamen legatum & hereditatem poſſunt adquirere domino. Nam & haec inſtantia eſt de alio genere, & alieno a Juliani definitione: quandoquidem & hic termini inhabilitas eſt; perſonae, inquam, cui legatum relictum eſt, quia ſcilicet ſervus liber fieri, ſeu ad libertatem perduci non poteſt, ut ſcilicet, quia vetitus eſt teſtamento manumitti, ut in *l.* 2. *C. qui ad libert. perv. non poſſ.*

Atque hic perſpicuus & genuinus eſt hujuſce loci ſenſus. Quare jam Novorum ad *hanc l.* Scriptorum haeſitationi & erroribus quatuor ſuccurrendum venit. Primo obſervandum, Adnotationem calumnioſam *Marcelli* nominatim hic a Paulo deſignari, traduci, qui ſcilicet Notas in Julianum ſcripſerat. Id quod etſi aliunde conjicere liceret, diſerte tamen apparet ex *d. l.* 113. *D. de legat.* 2. *Servo alieno ita legari poteſt, Quod ſerviat, vel ſi ſervus forte Titii erit, ut & Marcellus ait.* Ecce Marcellianae adnotationis veſtigium.

Secundo ex ſuperioribus apparet, falſum eſſe, quod notant, notatorem in Juliani definitione reprehendiſſe, quaſi Juliani verbis ſignificatum fuiſſe, *non poſſe* (ullo modo ſcilicet) *legari ſervo.* Nil tale! imo id reprehenditur illa inſtantia, quod ſcilicet ea regula falſa eſſet: poſſe enim rem legari ſervo, etſi liber factus capere non poſſit. Tota denique controverſia hic non eſt, Utrum ſervo alieno legari poſſit; Sed QUÆNAM RES ſervo alieno legari poſſit. Proinde annotationis hujus vim oullo modo illi perſpexerunt. Quorum etiam ſententia ſi vera foret, ſtolidam adnotationem Paulus dixiſſet; quandoquidem qui ex Juliani definitione id colligeret, *ergo ſervo alieno legari non poteſt*, is oſtenderet, quam vacui eſſet capitis: at *calumnioſam* dixit, inſidioſam, cavillatoriam (ut in *l.* 1. *D. de regula Caton*) inſtantiam, *ἐνστημα, συκοφάντημα*, qua notator evertere volebat eam Regulam. Denique adnotator ille calumnioſa ſua adnotatione definitionem Juliani non ad abſurdum deducere voluit, ſed falſitatis, & quod fallax eſſet, arguere. Quare recte Joannes vetus Interpres hic captionem & fallaciam admitti dixit ſecundum quid & qualiter.

Tertio ex ſuperioribus apparet, ſecundam inſtantiam ſuperiorem, noo eſſe ejuſdem auctoris, cujus prima, & ſic non Marcelli, ſed imo Pauli, qui inſtantiae prioris abſurditatem ſimilis inſtantiae alterius abſurditate oſtendere voluit: &, quomodo Paulus de Caſtro ait, Paulus JCtus quod dixerat, probat per aliam calumnioſam argumentationem.

Tandem apparet, quanam ratione immota maneat Juliani definitio, *id demum ſervo alieno legari poſſe, quod ipſe liber factus capere poſſet*: nempe quia inſtantia Marcelli de alio genere eſt, oon minus quam ſecunda, quam eodem modo quis opponere potuiſſet.

Et ita de *hujus l.* ſenſu conſtat, quem Novi Scriptores nullo modo ceperunt.

CAPUT XX.

Papiniani *l. Maevius* 66. *§. fundo legato pen. D. de legatis* 2. ex libro 17. Quaeſtionum.

QUaeſtio eſt: Fundo legato a teſtatore, cujus nuda proprietas ad *Legatarium* pertinet, uſusfructus vero aut poſſeſſio ad Tertium aliquem; Utrum legatum hoc valeat, ſic quidem, ut heres teſtatoris uſumfructum & poſſeſſionem praeſtare legatario teneatur? Quam quidem quaeſtionem aperte Papinianum, *d. l.* 66 *§. pen. in fin* decidere ajo; puta legatum hoc non valere: *Sin autem*, inquit, *res mea legetur mihi, legatum propter iſtas cauſas non valebit.* Et tamen anxie hactenus quaeritur, quidnam ſibi velint iſta, PROPTER ISTAS CAUSAS, quae utique ad ſuperiora relationem habent? Quare, ut genuinum horum ſenſum aſſequamur, ad ſuperiora nobis aſſurgendum eſt. Igitur in ſuperioribus *hujus §.* Papinianum egiſſe palam eſt de fundo ipſius *Teſtatoris*, cujus nuda proprietas ad teſtatorem pertinet, uſusfructus vero ad alium; vel etiam qui pignori datus eſt; vel tertio cujus poſſeſſio aliena eſt: Utrum videlicet heres has tres CAUSAS legatario praeſtare teneatur; puta uſumfructum praeſtare, pignus luere, & poſſeſſionem praeſtare? Papinianus id omne in ſuperioribus affirmavit: Primum ſcilicet, fundo legato, cujus uſusfructus teſtatoris non ſit, eum ab herede nihilominus petendum & praeſtandum eſſe definit; & rationem dubitandi profligat: nempe dici poterat, *Quod uſusfructus in jure non in parte conſiſteret*, id eſt, quod uſusfructus in ſervitute & jure quod homo habet in fundo alieno conſiſtat (quam utique ſervitutem heres legatario praeſtare non tenetur: *verſ. Non idem*) non vero partem rei & dominii faciat: quare dicendum videbatur, uſumfructum ab herede non eſſe legatario praeſtandum. Verum reſpondet Papinianus, utcunque uſusfructus in jure non in parte conſiſtat, attamen jus hoc non eſſe nudae ſervitutis & qualitatis ſpeciem, ut caeterae ſervitutes reales ſunt; verum jus hoc emolumentum

tum rei continere, & cum emolumentum rei contineat, ſane fundo legato etiam uſumfructum contineri, quia fundus nec traditus videtur, niſi emolumentum ejus tradatur; Atqui (quod idem Papinianus ſcribit in eodem argumento verſans) fructus emolumentum portionis inſtar obtinet, *l.* 76. §. *dominus* 2. *D. hoc tit. de legat* 2. partis fundi inſtar obtinet, *l. qui uſumfructum* 58. *D. de V O.* ſeu, ut rurſum idem Papinianus ſcribit, effectum partis in caſibus pleriſque, *l. ſi Titio* 33. §. 1. *D. de uſufr.*

Et haec de prima Causa, id eſt, uſuſructu, quem heres legatario praeſtare hoc caſu tenetur. De duabus ſequentibus cauſis, ſeu praeſtationibus, id ipſum intrepide adhuc magis reſpondet Papinianus, quod indicat voce *Enimvero*, circa quam alioquin Paulo de Caſtro aqua haeſit *hic, num.* 3. *Enimvero*, eſt certo, certiſſime, citra dubium. Nempe ſi fundus teſtatoris pignori nexus ſit (de quo dictum *cap.* 18.) vel ſi aliena poſſeſſio ſit, id eſt, ſi emphyteutico, vectigali, ſuperficiario ἐμβατευτικῷ jure, aliena ſit poſſeſſio, *l.* 71. §. *pen. l.* 86 §. *ult. D. de legat.* 1. legatarium eo nomine agere poſſe. Et rationem indicat his verbis, *quod hae praeſtationes* (*ſive cauſae*) *legatum ſequantur*, neceſſario ſcilicet: quia & ſine poſſeſſione in genere, & ſine certa poſſeſſione, res non eſſe videtur: ubi videlicet res vel poſſeſſio ejus pignoris quove alio jure avocari poteſt. Verba legis haec ſunt; *Fundo* [teſtatoris] *legato* [a teſtatore] *ſi uſusfructus alienus ſit, nihilominus petendus eſt ab herede: uſusfructus enim etſi in jure, non in parte conſiſtit; emolumentum res continet:* Enimvero, *fundo* [teſtatoris] *relicto* [a teſtatore] *ob reliquas praeſtationes, quae legatum ſequuntur, agetur: verbi gratia, ſi fundus pignori datus, vel aliena poſſeſſio ſit. Non idem placuit de caeteris ſervitutibus.* In ſummam igitur vult Papinianus, fundo proprio a Teſtatore legato, tres has Causas praeſtare heredem legatario oportere; uſumfructum, poſſeſſionem vacuam, & fundum liberum: Causas, inquam, id eſt, praeſtationum genera: *Cauſa* eſt qualitas rei, quae rem circumſiſtit; hinc *tit. de uſuris, fructibus, & cauſis, & omnibus acceſſionibus*; vid. & *l.* 20. *D. de rei vind. l.* 31. *D. de reb. cred.* &c. Et haec quidem de priore parte *hujus* §. ſeu de Fundo teſtatoris, cujus uſuſfr. alienus eſt, aut poſſeſſio, quive pignori nexus eſt.

Sequitur nunc continuo filo Poſterior pars, de fundo legatarii ipſius, cujus tamen uſusfructus ad alium pertinet, vel qui alii pignori nexus eſt, denique cujus poſſeſſio aliena eſt. *Sin autem*, inquit, *res* Mea *mihi legetur, legatum* Propter istas causas *non valebit.* Altera ſcilicet pars haec eſt *hujus* §. *de fundo ipſius legatarii.* Superior fuit de fundo teſtatoris alicui legato: haec Poſterior de fundo Legatarii ipſius ei legato. Sed in hoc *verſiculo* explicando quis non laboravit? Verum nihil mihi unquam facilius viſum eſt: nempe ſupra dictum eſt de fundo teſtatoris a teſtatore legato, cujus uſusfructus alienus eſt, vel qui pignori datus eſt, vel quem alius jure poſſidet, heredem has tres Causas legatario praeſtare. 1. uſumfructum, inquam. 2. pignoris ſeu hypothecae luitionem. 3. poſſeſſionem. Hic jam quaeritur, cum de jure res mea mihi legari non poſſit, ſeu inutile ſit legatum rei meae, Utrum non ſaltem fundi mei legatum mihi relictum ſubſiſtat *propter iſtas cauſas*: id eſt, ſi forte fundus meus mihi legatus fuerit, cujus tamen uſusfructus ad alium pertineat, aut qui pignori alteri nexus eſſet, aut cujus poſſeſſionem alius haberet? Et videbatur dicendum, ſi aliqua iſtarum cauſarum rem meam ſequeretur, poſſe *propter iſtas cauſas* fundum meum mihi legari, & ſic legatum rei meae utile eſſe; quaſi hactenus utile futurum, quod teſtator videatur voluiſſe fundi uſumfructum ab herede mihi praeſtari; vel pignus lui ſeu repignerari; vel poſſeſſionem ejus tribui. Et tamen definit Papinianus, *non valere legatum rei meae propter iſtas cauſas.* Ergo differentiam facere hic voluit Papinianus, inter fundum teſtatoris, & fundum legatarii ipſius: nempe quod illo legato heres teneatur uſumfructum praeſtare, fundum pignore liberare ſeu reluere, & legatarium poſſeſſorem facere; hoc vero non item, & ſic inutile eſſe legatum. Ratio autem differentiae iſthaec eſt, quod Priore caſu, principali legato ſubſiſtente, reliquae praeſtationes legatum neceſſario ſequantur, & ſic validitas principalis rei reliquas praeſtationes ſecum trahat: Poſteriore caſu, principali legato non ſubſiſtente, neque acceſſorias praeſtationes dari & ſtare poſſe.

His quid facilius dici potuit? Quare jam praeceps eorum emendatio ruit, qui hic legebant, Noricis adſtipulantibus (etiam ante CL. Cujacium) *praeter*; contrario ſenſu, nempe hoc: *propter has cauſas rei meae legatum valere: quod alias praeter iſtas cauſas non valeret.* Nam ſi fundi mei, inquiunt, uſusfructus alienus ſit, vel ſi fundus meus pignori ſit nexus, ejuſve poſſeſſio aliena ſit, utile eſſe legatum fundi mei, quia videatur teſtator mihi hoc legare, ut heres fundum meum liberet uſuſructu, ut liberet pignore, ſeu hypothecam abſolvat, & me poſſeſſorem faciat: igitur propter iſtas cauſas valere legatum rei meae mihi legatae; quod praeter iſtas cauſas non valet. Quam quidem ſententiam refutat tum ipſa juris ratio, quam dixi; nempe propter iſtas cauſas non poſſe valere fundi mei legatum mihi relictum: tum adverſativa illa, Sin *autem.* Nempe ſuperiore parte oſtenderat Papinianus, heredem cogi praeſtare legatario uſumfructum, liberationem, poſſeſſionem pignoris: atenim non hac parte, & ſic legatum inutile eſſe. Tertio fundi mei legatum aliis caſibus valere hac ſententia negaretur, quod tamen falſum eſt.

Dices, atqui ſi pignoris jus, aut ſuperficies, aut tale aliud jus in eà re Testator habuerit, propter iſtam cauſam rei meae legatum valere, *arg. l.* 1. *D. de liberat. legata. l. Senatus* 43. §. *ult. l. ſi domus* 71. §. *pen. & ult. D. de legat.* 1. Et ſic, ſi teſtator jus in re habuerit: item ſi jus pro re, ut quia legatarius debet eam teſtatori ex venditione vel alia cauſa, *l. Cum* 39. §. *ſi Titius* 2. *D. de legat.* 1. Ergo & per conſequens fundi mei legatum propter iſtas cauſas valere oportere. Vera quidem illa omnia, ſed nihil ad rem praeſentem: hic enim *verſiculus*, quo de nunc agitur, eſt de fundo legatarii eidem legato, cujus uſusfructus, pignus, poſſeſſio ad alium, quam ad teſtatorem pertinet (ut etiam ipſi fatentur) & ſic ad tertium. Quod exinde etiam probatur: quia ſi hic ageretur de uſuſructu fundi ad legatarium pertinentis teſtatori competente, legatum propter iſtam cauſam non valeret: quia, ut recte notavit Accurſius, ex Rogerio veteri interprete, legatarius etiam citra legatum teſtatore mortuo plenam proprietatem habiturus eſſet.

Rurſum dices: imo expreſſam eſſe Juliani *legem, ſi tibi homo* 86. *in princ. D. de legatis* 1. in contrarium, ubi aperte definit: *ſi tibi homo, quem pignori dederas, legatus ab alio fuerit, actionem ex teſtamento habebis adverſus haeredem, ut pignus luatur.* Sed placet Raphaëlis Cumani diſtinctio ad *eam l.* inter rem pignori datam ſeu traditam, & inter rem ſeu fundum tantum pignori obligatum nuda conventione: nempe hoc Poſteriore caſu (qui ſane caſus eſt *hujus* §. noſtri) non videri ſenſiſſe teſtatorem de hypotheca abſolvenda ejus rei, quae penes me erat: Priore caſu videri, ſi videlicet res legatas legatarius penes ſe non habeat; qui caſus eſt Julianeae legis. Rationem differentiae hanc reddo, quia rem mobilem pignori traditam facile teſtator ſcire potuit (utpote cum rerum olim traditionibus ferme teſtes intervenirent) & quia ſcire potuit, ideo legaſſe videtur, ut ea re lueretur: atenim, rem hypothecae nexam non tam

ſa-

facile ſcire poteſt, quae & in conventionali pignori tacite tranſigitur: & in legali, tacita omnino eſt.

Et ita quidem bona fide ſuperior ſententia jugulatur, quam alii prolixis cavillis eludunt, ex quibus nihil ſolidi efficias.

Superſunt nunc Novorum Scriptorum errores confutandi. Primus error eſt in interpretatione prioris partis *hujus* §. cum ajunt, duas rationes in ea reddi, cur ea re, cujus nuda proprietas ad teſtatorem pertinet, uſusfructus ad tertium aliquem, legata, heres uſumfructum legatario praeſtare cogatur, quarum ſecunda ſit, quod fundo relicto ob reliquas praeſtationes, quae legatum ſequuntur, agatur contra heredem. Qui gravis error eſt. Iſtud enim omne, quod continetur *verſiculo Enimvero*, non prioris cauſae vel caſus ratio eſt, verum duas novas cauſas & caſus continet: nempe primus caſus fuerat de uſufructu praeſtando ab herede; hi duo ſunt de pignore luendo, & poſſeſſione tradenda: ut ita in univerſum tres ſint cauſae diverſae in hac ſumma quaeſtione de re ad teſtatorem pertinente, ſed in qua tertius aliquod habet. Quare tantum abeſt *hoc verſiculo* ratio ſuperioris contineatur, ut contra contineantur caſus diverſi: ſed tamen qui eodem jure diſcingantur.

Sequentes errores admittuntur in poſterioris partis interpretatione, quorum omnium fundus & cauſa unica fuit, quod putarent hic agi de fundo meo, cujus uſusfructus teſtatoris ſit. Primus igitur hac parte error eſt, quod *cauſas* in illis verbis, *propter iſtas cauſas*, rationes interpretantur: Rationes, inquam, thematis praecedentis, & quidem duas illas, quod uſusfructus ſit emolumentum fundi, & quod ob praeſtationes reliquas agatur adverſus heredem; Proinde quaeri in hac poſteriore parte, num ob has cauſas ſeu rationes valeat legatum fundi mei? Verum id inane eſt: jam enim oſtenſum eſt, *cauſarum* appellatione non hic intelligi oportere rationes ſuperiorum deciſionum; verum praeſtationum genera, quae vel emolumentum rei contineat, vel legatum ſequuntur: puta uſumfructum, pignoris luitionem, poſſeſſionem.

Graviſſimus omnium error eſt in ipſa Papiniani deciſione detorquenda; dum ajunt, id velle Papinianum; legatum fundi mei non ob eas duas rationes & cauſas, quas & ipſas jam refutavi, non valere, verum ob alias cauſas: qui quidem error ex triplici errore conſurgit. Primus eſt praeſuppoſitionis falſae: quia praeſupponunt hic agi de fundo meo, cujus uſusfructus teſtatoris ſit, cum revera agatur de fundo meo, cujus uſusfructus tertii eſt. Secundus eſt, dum non vident alteram ſemper negativam ad ſententiam ſuam deſiderari; nam ita ſcriptum oportuiſſet: *Non propter iſtas cauſas non valebit.* Alioquin niſi ita reſcribas, Tertius jam error in eo fuerit, quod verba illa, *propter iſtas cauſas* ita interpretantur, quaſi ſcriptum eſſet, propter defectum cauſarum ſeu rationum praecedentium: ac ſi dixiſſet JCtus, non ideo hoc legatum fundi mei non valere, quod teſtator qui habet uſumfructum non poſſit eum praeſtare, ſed quia quod meum eſt amplius fieri meum non poſſit. Quae ratio & ipſa inanis eſt, quia in hoc caſu, quem ipſi praeſupponunt (ubi ſcilicet fundus ad legatarium pertinet, uſusfructus ad teſtatorem) haec ratio reddi debuit, quia citra legatum uſusfructus ad legatarium recurrit, proprio conſolidationis jure. Quare tandem, quae ſubjiciunt de rationibus praecedentibus contrario ſenſu adaptatis ſeu adplicatis, nimirum negative, quaeque deinceps adduntur, Lectorem an Apollinem deſiderent, viderit Lector.

F I N I S.

I N D E X.

A.

Acurſii ſententia probatur. *pag.* 272. 273. 292. 293. 294. 298. 308. 312. 320.
Actionis formula in perſonam rei concepta. 299.
Additum, id eſt, edicto comprehenſum. 265. 270.
Alias quid in *l.* 34. *D. de recept. qui arb.* 273.
Alter pro utroque. 311.
Ambitioſa decreta quae in *l.* 3. *D. de minor.* 276.
Ἄνομα Juria. 309. 310.
Auctor meus vindicatus. 281. 284. 291. 296. 313. 317.

B.

Baſilica. 268. 274. 285. 286. 293. 299.

C.

Calumnioſa adnotatio. 317.
Cauſa pro qualitate rei. 318. 319.
Cellarienſes ſpecies, κελλαριακὰ. 286. 287.
Cenſendi vox, in SCtis tralatitia. 289.
Codex Theodoſianus. 287.
Compeſcere quid proprie. 266. 267.
Conciliationes Legum aliquot. *cap.* 3 *cap.* 10. *cap.* 16. *pag.* 311. & *cap.* 17.
in *Conditione poſiti* quo ſenſu dicantur. 308.
Conſulis & Praetoris Juriſdictiones concurſus. 275.
Conſules pro Proconſulibus & Duumviris. 274.
Conſules num Ulpiani aetate Curatores minoribus dederint. 273. *ſeqq.*
Conſulendi vox in SCtis ubi uſurpata. 289.
Contra jus pactio ſeu conditio quae dicatur. 304.
Controverſia & *lis* quomodo differant. 269.
Creditor per prolepſin. 292.
Curatores a quibus dati. 274. *ſeqq.*

D.

Diſtractio pignorum duplex. 303.
Diviſionis vocabulo quid indicetur. 310.

E.

Enimvero, pro certiſſime, citra dubium. 319.
Ἐφόλια, quae in annum conduntur. 287. 288.
Epholiae uvae. *ibid.*
Exceptio poſſeſſoris eſt. 295.
Exempla rei notae quando JCti dare non ſoleant. 280.

F.

Folia proprie & abſolute de Barbaricis, Arabicis, & Indicis. 284.
Formula actionis & ſententiae in perſonam rei concepta. 299.
Edicti Perpetui, *Quanti res eſt.* vid infra, *Quanti.*
Senatusconſultorum. 288. *ſeqq.*
Formularum veterum inquiſitio Jure noſtro utilis. 288.
Fructuum liquidorum & aridorum quadriga. 286. 287.
Frumentum & fruges ut differant. 287.

H.

Hyperocha pignoris. 316.
Ὕπατικὸς non Conſul, ſed Conſularis. 274.

I.

Ignis non habendi conditio, & *innocentis ignis habendi*, ut differant. 298. 299.
de Ignorantia heredis circa conditionis exiſtentiam. 312. *ſeqq.*
Innocentem ignem habere quid. 298.
Innocentis ignis habendi conditio quid importet. 298. *ſeqq.*
Inſtantia de regula eſſe debet. 317.
Interceſſionis muliebris duae ſpecies. 290.
Item vox. 281.
Juriſconſultorum veterum mos. Exempla rei notae quando dare non ſoleant. 280.
a plurali ad ſingularem καταβαίνειν 295.
Relationes ad ſuperiora. 301.
Reſponſio ad proxima. 303.
Jusjurandum in litem qua formula deſignetur. 269.
in ſtrictis judiciis non praeſtatur. *ibid.*
ab arbitrio Judicis, non ex Edicto Perpetuo proficiſcitur. *ibid.* 270.
Jurejurando in litem non ſemper continetur quod in veritate eſt. 269.
Juſti dominii exceptio quid. 293.

K.

Κελλαριακὰ, ſeu Cellarienſes ſpecies. 286. 287.

L.

LEgum interpretationes, praeter eas, quae ſingularibus capitibus ex profeſſo explicantur.
l. 1. *D. Ne quis eum qui in jus voc.* 266.
l. 2. §. *ult. D. Qui ſatiſdare.* 267. 268. 270.
l. penult. D. de Pactis. 302.
l. 34. *D. De recept. qui arbit.* 272. *ſeqq.*
l. 16. *D. de Uſufructu.* 278.
l. 27. *D. de Reb. credit.* 290.
l. 13. §. 1. *D. Locati.* 298.
Rubr. D. de Diſtract. pignor. 302. 303.
l. 1. §. 1. *D. de Confirm. tut.* 274.
l. 39. §. 13. *D. de Adminiſtr. tutor.* *ibid.*
l. 86. *in pr. D. de legat.* 1. 320.
l. 21. *D. de Condit. & demonſtrat.* 312. 313.
l. 1. §. 6. 7 *D. Superficieb.* 281.
l. 165 *D. de Regul. Juris.* 277.
l. 4. *C. ad SCtum Vellejanum.* 291. 292.
l. 3. *C. de Heredib. inſtit.* 311.
ad Legum noſtrarum intellectum duplex conceptus & ſenſus ſaepe adferendus. 289.
Legitimae conventiones & privatae recte aliquando opponuntur. 270.
Libello, petitionis ſumma continebatur. *ibid.*
Locator, pro conductore colono fundi. 298.

M.

MAnuſcriptorum uſus. 306.
Marcelli notae in Julianum. 317.
Marcus Imperator. 312.
Mutui datio nunquam pro mutui acceptione. 290.
Mutui latio. 291.

N.

NEque dictio quid importet. 297.
Non oportet, id eſt, aequum non eſt. 294.

O.

Ὀπωρίαι, uvae. 288.
Olea de fructu & foetu arboris. 285.

P.

P*Aciſci* is potius dicitur, cujus commodo pactum cedit. 303.
Pandectae Florentinae. 313.
Geminatae voces & literae ſemel tantum ibi expreſſae. 271. 287. 289. 291.
Partis appellatio de dimidia. 310.
Φύλλα Graecis pro Floribus. 286.
Pignus non diſtrahi a debitore, creditoris non intereſſe poteſt triplici ratione, etiam novo jure. 304. 305.
Pignoris luitio, re propriis a teſtatore relicta, ad quem pertinent. 314. *ſeqq.*
a Plurali ad ſingularem JCtorum μετάβασις. 295.
Poena & veritas, ſeu *quod in veritate eſt*, modo opponuntur, modo pro eodem accipiuntur. 267.
Poena quoque dicitur, cum Judicis arbitrio, quanti res eſt, aeſtimatur. *ibid.*
Poenalis ſtipulatio unius, alterum nunquam obligat. 273.
Pomi appellatione venit & olea. 285.
Poſſidenti non datur actio. 283.
Publicae conventiones an ſint juris gentium. 271.
Publiciana arguit, ea agentem rem poſſidere deſiiſſe. 295.
Domino nunquam competit, ſed ſoli non domino. 294. 296.
quando ea adverſus dominum agi poſſit. 293.

Q.

QUam, pro qualem. 300.
Quanti res eſt aeſtimatio varie fiebat, tum ratione perſonae aeſtimantis, tum ratione modi. 256. *ſeqq.*
Ἀμφίβολον id, etiam ubi de Judicis aeſtimatione agitur. 267.
Formulae variae in Edicto Perpetuo aeſtimationis *Quanti res eſt.* 268. 269.
In judicio *Ne quis eum, qui in jus vocabitur, vi eximat*, quanti res eſt, quomodo & a quo aeſtimetur. 265. *ſeqq.*
Quantitas veritati opponitur. 270.
Quomodocunque vox quem ſenſum habeat. 279. 280.

R.

RElationes JCtorum ad ſuperiora. 301.
Reſponſio JCtorum ad proxima. 303.

S.

S*Ed* dictio, item *Sed et*, adverſativae, modo perſonarum, modo caſuum. 295. 296. 297.
Semiſſaria diviſio aequas portiones indicat. 307.
Senatusconſultorum formulae tralatitiae tres:
1. *Conſules verba facere.*
2. *Quid de ea re fieri oporteret.*
3. *De ea re ita cenſuerunt.* 288. 289.
Sententiae formula in perſonam rei concepta. 290.
Servitus realis quandoque quaſi perſonalis efficitur. 279.
Servitutem conſtituere poteſt nonniſi qui jus perpetuarium in fundo habet. 278.
Servitutes duûm generum, quarum aliae ſolam proprietatem afficiunt. *ibid.*
Servo alieno quid legari poſſit. 316. *ſeqq.*
Sin adverſativa. 310.
Solventi mulieri quando ſuccurratur. 292.
Solutionis a muliere factae duo genera. *ibid.*
Stramentorum appellatione quid contineatur. 284.
Subintellectus quidam abſurdi in Legibus. 282. 297.
Subſtituti & inſtituti concurſus, ejuſque duo exempla, quorum alterum ex Ulpiani *Fragmentis*. 310.
Suorum appellatio quos comprehendat. 284.

T.

THeophilus. 305. 306. 308. 310.
Traditio poſt interceſſionem beneficium Vellejani mulieri non adimit. 292.
non erat juſtus modus alienandi res nec mancipi, & res incorporales. 281.

V.

VEnaliciarii duabus partibus junguntur emptoris & venditoris. 295.
Venia aetatis ad Conſules non ſpectavit. 275.
Veritas, ſeu *quod in veritate eſt*, quid & quo ſenſu poenae opponatur. 267. 269.
ex Veritatis & opinionis conflictu ἄπορον. 309. *ſeqq.*
Victus quid. 284.
Videri placuit formula quid importet. 293. 296.
Vinum cum oleo ambulat. 286. 287.
Ulpiani *Fragmenta*. 275. 281. 310. 311. πρόσφαγμα. 283. 288.
Uſusfructus traditione non jure conſtituebatur. 279. *ſeqq.*
Utendi jus proprietarius non ſibi vindicat. 283.
Utique, pro abſolute, prorſus, omnino. 316.
Uvae duorum generum, τρώξιμοι, & ἰφάδαι ſeu ἀποφορίαι. 287. 288.

FINIS.

JACOBI GOTHOFREDI JCti,

DE

CENOTAPHIO:

Deque diverſis, ſuper ejus Religione, *Ulpiani & Marciani ſententiis*,

DIATRIBA.

TIT. DE RERUM DIVISIONE.

Lex 6. Marcianus lib. 3. Inſtit.

§. 4. Religioſum autem locum unuſquiſque ſua voluntate facit, dum mortuum infert in locum ſuum.

Et poſt:

§. *ult.* Cenotaphium quoque MAGIS PLACET, locum eſſe religioſum: ſicut teſtis in ea re eſt Virgilius.

Lex 7. Ulpianus lib. 25. ad Edictum.

Sed Divi Fratres contra reſcripſerunt.

TIT. DE RELIGIOSIS.

Lex 6. Ulpianus lib. 25. ad Edictum.

§. 1. Si adhuc monumentum purum eſt, poterit quis hoc vendere & donare. Si Cenotaphium ſit, poſſe hoc venire dicendum eſt: nec enim eſſe hoc religioſum, Divi Fratres reſcripſerunt.

AMICO SUO,

Optimae & rariſſimae fidei,

D. JUSTO HENRICO HEIDFELDIO,

JACOBUS GOTHOFREDUS JCtus.

S*Oles me, Vir Amantiſsime, privatas inter fabulas, ut aſsidue, ita peramanter, quod ingenium Tuum eſt, urgere, ut quae pridem in me recepi,* Caſuandi *videlicet* artem *&* Antinomicum, *ea tandem aliquando praeſtem. Ego vero contra moras nexo podemque ſtruo, qui id iis relectum omnino velim, quibus otii plus praeſidiive eſſe poſsit: quo utroque certe juxta opus, ſi quid, hodie potiſsimum, melioris venae notaeque promittitur proculditurve. Et tamen, quod bonae fidei debitores ſolent, ut partiaria, ſaepeque modica, ſolutione creditoris interim animum teneant; idem & ego nunc praeſto, vel breviſsima hac Diatriba: cujus hic finis unicus, quo Juris ſtudioſis oſtendam, quanam arte, quo ſic ut dicam caſtu, quove apparatu, veterum Prudentum leges Pandectis inditae, adgrediundae ſint. Quod & ipſum nuper circa Imperatorum Conſtitutiones Codici inſertas, Hiſtorico Diſcurſu, palam facere anniſus ſum. Eam vero Tibi inſcribere viſum: non modo quia haec quotidianae efflagitationis Tuae ſtrictura eſt, verum & quia, haud alium temere Judicem, quam Temetipſum, huic ſcriptioni aequiorem feram. Sed & ſingularis ille Tuus in me affectus, diu eſt cum hoſtimentum aliquod repoſcit. Quod quidem aptius nullum in praeſens ſeſe mihi nunc dat, quam hoc ipſum, amicitiae deinceps noſtrae* Monumentum *futurum. Cui addo &* Vota, *pro proceſſibus olim Tuis, quos hac morum probitate, animique candore, & judicii dexteritate mereris, in dies mage-majoribus. Tu contra amare me perge.*

JACOBI GOTHOFREDI JCti
DE
CENOTAPHIO
DIATRIBA.

TEmplorum religioni proxima olim Jure Pontificio ſepulchrorum religio, ſeu ſanctitas, erat. Quare & haec, pariter ut illa, humanis uſibus non parebant. Num eadem vero *Cenotaphiorum* quoque religio habenda eſſet, quaeſitum jam olim. Quo pertinet illa etiam, apud Sopatrum, *commentario in Rhetoricam Hermogenis*, controverſia, Utrum τυμβωρυχίας, ſeu ſepulchri violati reus, agi poſſit, ὁ κενοτάφιον διορύξας, qui cenotaphium diruit?

CENOTAPHIUM, vel ſolo Graeci nominis judicio, eſt, *inanis tumulus*, quomodo a Virgilio vocatur, *tertia Aeneide v.* 304. tumulus ſine corpore, Ovidio, *lib. II. Metam. v.* 429. κενὸν μνῆμα Pauſaniae, *Atticis pag.* 2. Neque tamen (quod nonnulli poſt Gloſſam, hac etiam literarum luce commiſcent) monumentum cadaveri deſtinatum, paratumque ad ſepeliendum, in quod cadaver nondum illatum eſt, ſeu purum adhuc: id enim a cenotaphio clare diſtinguitur, *l.* 6. §. 1. *D. de religioſis.* Neque etiam ſepulchrum, quo cadaver olim illatum fuit, unde vero cadaver hodie alio translatum eſt: verum, nudus *tumulus, honorarius*, quomodo vocatur a Suetonio, *Claudio cap.* 1. monumentum memoriae cauſa poſitum, Florentino, *l. monumentum* 42. *D. de religioſis*: ψευδοτάφιον Philoſtrato, *lib. ult. de vita Apollonii, cap. ult. in fin.* quo ſcilicet neque cadaver aliquando illatum fuit: neque in id poſitum eſt, ut aliquando inferatur.

Cenotaphia porro duum generum deprehendo: alia quippe ex officio Pietatis, ſeu pietatis gratia & neceſſitate quadam fiebant, alia vero ex mero Honore. Pietatis ſcilicet in defunctos pars haec olim erat, ut quorum reliquiae non apparerent, ſeu juſtam ſepulturam non haberent, quia ſcilicet peregre vel in acie deſiderati, vel naufragio amiſſi erant, inanes iis tumulos ponerent, tumulique ſolemnia ſolverent: de quo eſt quoque Xenophontis locus *lib.* 6. ἀναβάσ. Deque his accipiendi ſunt textus juris, de quibus mox; ut & Virgilii loca: ſunt & Ovidii, *lib.* 2. *Metam.* & Luciani *lib.* 9. & Achillis Tatii, *lib.* 5. Ideo nempe, quia animae umbraeque inſepultorum, ſeu juſto ſepulchro non conditae, palare vagarique, neque prius apud inferos recipi, crederentur, quam juſta recepiſſent. Et haec quidem Cenotaphia fuerunt, ex pietatis officio poſita. Sed & illuſtribus ac principibus quandoque viris, quorum reliquiae alibi ſepulchris conditae erant, atque adeo quamlibet rite ſepultis, peculiari ſive effectu, ſive adulatione, Cenotaphia & ἡρῷα alibi, publicis aliquando decretis, excitari ſolita, quo eorum memoria amplius celebraretur. Quod quidem *gloriae munus* vocat Cicero, *Philipp.* 14. *cap.* 13. Dio *lib.* 55. τιμὴν κενοταφίου, quod & τιμαῖς εἰκόνων καὶ ἀψίδων *ibidem* jungit: de quo eſt elegans quoque Dionyſii Halicarnaſſei locus, *lib.* 1. Cujuſmodi cenotaphiorum frequens mentio apud Suetonium, *Claudio cap.* 1. Tacitum, *lib.* 2. Dionem *lib.* 55. & *lib.* 77. *in Xiphilinianis pag.* 878. & *Conſtantinianis* (quas a V. CL. D. Fabricio Peireſcio, Senatore Aquiſextienſi amico meo ſummo acceptas, Doctiſſimus Valeſius nuper edidit) Lampridium, *in vita Alexandri Severi, cap.* 57. Vopiſcum *in vita Floriani, cap.* 9. Hyginum, *in fabulis*, &c. Sic ergo *Cenotaphium* & *honorarius tumulus* idem fuere, quae tamen nonnulli perperam diſtinguunt: cum diſtinguere tantum debuerint, cenotaphia ex pietatis officio & ſolo honore facta.

Et haec quidem duo propria Cenotaphiorum genera fuere. Ad quorum inſtar tamen, ſeu translatione quadam, Κενοτάφια quoque dicta ſunt inanes hominum mortuorum imagines, apud Graecos Interpretes, *primo Regum*, & apud Suidam. Item & ea monumenta, quae Pythagoraei his, qui a Philoſophia deficerent, tanquam mortuis excitabant, Cenotaphia dici potuerunt: teſte Clemente Alexandrino, *lib.* 5. *Stromatum pag.* 419. & Origene, *contra Celſum.*

De iis Cenotaphiis, quae ex *Pietatis* officio excitabantur, nunc ſermo eſt, de quibus inter ſe diſſenſere Ulpianus & Marcianus JCti. Ulpianus ſcilicet, lib. 25. ad Edictum (quo quidem libro is Edictum de religioſis & de ſepulchro violato interpretatus fuerat; uti docent quatuordecim leges, exinde in *tit. D. de religioſis* conjectae, ut & *l.* 3. *D. de ſepulchro violato*, indidem deſumpta) Cenotaphium venire poſſe ſcripſit: allegato in id Divorum Fratrum (id eſt Marci & Veri) reſcripto. Quo in genere ii definiverant, *Cenotaphium locum religioſum non eſſe.* Idque duobus Pandectarum locis ex eo Ulpiani libro relatum extat; puta *l.* 7. *D. de rer. diviſ.* & *l.* 6. §. 1. *D. de religioſis.* ita tamen, ut ſola Reſcripti ſententia memoretur in *d. l.* 7. in altera vero lege, puta *d. l.* 6. §. 1. Ulpianei ſimul judicii praerogativa addatur: *Si Cenotaphium*, inquit, *ſit, poſſe hoc venire DICENDUM eſt: nec enim eſſe hoc religioſum Divi fratres reſcripſerunt.*

Et Marcianus tamen, *l.* 6. *in fin. D. de religioſis.* (cui proxime, ceu contraria *lex illa* 7. a Triboniano ſubjecta fuit) ſcribit: *Cenotaphium quoque* MAGIS PLACET, *locum eſſe religioſum*: adducto in id Virgilii teſtimonio: *Sicut*, inquit, *teſtis in ea re eſt Virgilius.* Idque a Marciano ſcriptum, libris Inſtitutionum: quibus alioquin quod in ipſis rerum obtinet argumentis, ſtudioſis ferme proponi ſolet: ac nominatim *libro tertio Inſtitutionum*, quo is de rerum diviſione in genere, mox & de rebus religioſis ex profeſſo egerat: & diſtincte quidem de monumentis, in quae corpora illata ſunt, & de Cenotaphiis: ut fidem facit non tantum *lex* 2. 4. 6. & tota *lex illa* 6. *D. de rer. diviſ.* verum etiam *l.* 39. *D. de religioſis.* & *l.* 7. *de ſepulchro violato*: quae ex eo libro tertio deſumptae ſunt. Qui idem alioquin iiſdem Inſtitutionum libris (puta 14) definivit, *non fieri locum religioſum, ubi theſaurus invenitur*, *l.* 4. §. 6. *D. ad leg. Jul. peculatus.*

Hinc igitur ſolemne jam iſtud nonnullorum judicio Juris inter Marcianum & Ulpianum Enantiophanes habetur: cui conciliando nihil non ferme tentatum hactenus fuit ex iis, quae ad alia ἐναντιοφανῆ adhiberi ſolent, non tantum ab his, qui *Leges illas interpretati* ſunt, vel etiam qui *Conciliationes* Legum ex profeſſo ſcripſere, verum ab iis, quoque qui de *Jure Manium* ſcripſere, quique *funerum ritus* excuſſi ſunt.

I. Magna certe eorum ἀνωμαλία fuit, nonnullo-

lorum etiam, qui ex profeſſo *Vitas Juriſconſultorum* ſcripſere, qui Marcianum ante reſcriptum Divorum Fratrum ſcripſiſſe, & quidem ſub Antonino Pio quoque, autumarunt. Cum non tantum ex Lampridio diſcere liceat, Marcianum diu poſt Divos Fratres, Alexandro Severo Imp. coaetaneum fuiſſe: verum etiam ex Marciano ipſomet liqueat, cum poſt Divos Fratres ſcripſiſſe, utpote, quorum *Divorum* reſcripta paſſim alleget, etiam eo ipſo libro tertio Inſtitutionum; puta *l. 39. D. de religioſis:* & *l. 1. D. de collegiis.* & quidem (quod ſummopere notandum) ea *l. 39.* Edictum Divorum Fratrum de ſepulchro, juſtaque ſepultura, & translatione corporis. Imo Marcianus ipſe, poſt Papinianum (ad quem etiam Notas ſcripſit) & Divum Severum ſcripſiſſe ſe infinitis locis teſtatur, &, ut ipſe colligo, ſtatim poſt mortem Severi. Quod tamen ipſum admirationem augeat, quomodo, inquam, Marcianus ſcripſiſſe potuerit, *Cenotaphium magis placere religioſum eſſe:* cum tamen Divi Fratres contra, quod ignoraſſe eum veroſimile non eſt, jam reſcripſiſſent.

II. Neque probandi ſunt ii, qui hac *diſtinctione* rem componunt, quaſi cenotaphium, quamdiu cenotaphium duret, religioſum ſit: eo vero diſſoluto, quod utique diſſolvere ſeu diruere violareque liceat, religioſum amplius non ſit. Nam, ut omittam, nullum omnino diſtinctionis iſtius veſtigium in Marciani Ulpianique legibus, nullum alibi apparere: ſane haec ſententia τὸ ἐν ἀρχῇ ſupponit, quod cenotaphium violare diſſolvereque liceat, quod utique prius definiri oportuit: idque ſi ſemel pro certo poſuiſſent Juriſconſulti, de cenotaphio ulterius fruſtra quaeſiviſſent, vendine id aut donari poſſet, quod tamen Ulpianus *d. l. 6. §. 1. D. de religioſis* tractat.

III. Deſperatum vero eorum remedium eſt, qui ad *Emendationem*, & geminam quidem, confugiunt; quaſi *l. 7. D. de rer. diviſ.* non Ulpiano tribuenda ſit, verum eidem Marciano, cujus eſt *d. l. 6. eod. tit.* proxime praecedens: & eo quidem argumento, quod Ulpiani verba longe aliter habeant *in d. l. 6. §. 1. D. de religioſis*; tum deinde, verbis illis, *magis placet*, mutatis in *majoribus placet*: dixiſſent illi ſaltem, *majoribus placuit.* Verum, ut priori emendationi occurram, inſcriptionem *dictae legis 7.* ſollicitari non patitur hinc conſtans codicum omnium fides, & in his optima Florentini; inde, Legum ipſarum diverſitas: nam ſi *dicta l. 6. & 7.* eundem auctorem, & eodem quidem libro, haberent, certe non in duas leges divulſae, verum uno contextu, & ſub una Lege propoſitae, atque in unam veluti lineam conjectae eae fuiſſent. Et quanquam non eadem utrubique, & in *d. l. 7.* & in *d. l. 6. §. 1.* verba occurrant, eo tamen inter ſe tantum differunt, quod ea conciſius a Triboniano relata fuerint in *d. l. 7.* paulo plenius vero in *d. l. 6. §. 1.* eadem ſemper ſententia manente. Quod & in aliis pariter quampluribus legibus ſub diverſis titulis repetitis, a Triboniano factum paſſim videre eſt. Quod alteram quoque emendationem attinet, refutant eam pariter conſtanter omnes codices: quidquid etiam Graecus Interpres (cujus Graeca non habemus) ſcripſerit: praeterquam quod non alius ſenſus eſt utriuſque formulae, *magis placet*, & *magis placuit*, quibus olim Juriſconſulti promiſcam eodem ferme ſemper ſenſu uſi ſunt.

IV. Receptior ea ferme hodie conciliatio, ſeu diſtinctio eſt, ex quo primus eam ni fallor Alciatus commentus eſt, de alio atque alio Cenotaphii genere utrubique agi: Virgilium quippe, quem Marcianus laudat, de eo Cenotaphio agere, ad quod *Arae* poſitae conſecrataeque erant, quodque adeo ſepulchrum magis erat, quam inanis tumulus: Divorum vero Fratrum reſcriptum, atque adeo Ulpianum, de vulgari tantum tumulo, ad memoriam peregre mortui facto, excudendum. Et ita quidem haec conciliatio jam placuit, ut aliter tamen atque aliter res componatur. Sunt enim, qui Marcianum ipſum incuſent, quaſi is indefinite nimis ſcripſerit, *Cenotaphium religioſum eſſe*, Virgilio in id teſte citato: cum tamen Virgilii locus ſit nominatim de ſacro ſeu religioſo tantum, ut ipſi vocant, Cenotaphio, ad quod arae poſitae eſſent. Alii contra, criminis translatione, culpam a Marciano in Tribonianum transferunt, qui Marciani Virgiliique ſententiam, de ſacro tantum Cenotaphio agentium, generaliter nimis ceperit, atque adeo Ulpianum cum Marciano commiſerit. Sed neque haec conciliatio placere poteſt: nam, ut omittam utriuſque, & Marciani & Triboniani, qui προχείρως nimis hic accuſantur, defenſionem: ſuavis ſane admodum haec diſtinctio eſt, quae Cenotaphium ex pietate factum, aliud nobis ſacrum ſeu religioſum facit, profanum aliud; cujus diſtinctionis neque vola, neque veſtigium uſpiam comparet. Et quod de *Aris* ad Cenotaphia nonnulla tantum poſitis obſervant, atque inde Cenotaphium religioſum cenſent, erroneum eſt, uti mox oſtendetur.

V. Neque quinta ſextave quorundam ſententia probabilior eſt, qui *Marcianum* eo nomine *incuſant*, quaſi falſo Virgilium teſtem induxerit, tanquam is de Aris revera poſitis conſecratiſque ab Andromache ſenſiſſet; unde ipſe mox Cenotaphium religioſum eſſe colligat; cum tamen Virgilius de aris tantum ab Andromache voto deſtinatis cogitaverit, at non & ſacratis, utpote cum nemo privatus ſacrum per ſe efficere quidquam poſſit. Nam imo expreſſa Virgilii verba ſunt, *ſacraverat aras:* quomodo & *5. Aeneide v. 48. moeſtaſque ſacravimus aras:* ubi etiam Servius, *aras Diis Manibus conſecratas* interpretatur. Arae ſcilicet hujuſmodi, ad ſepulchra ſeu Cenotaphia poſitae, a privatis *ſacratae* omnino recte dici potuerunt; eodem videlicet jam ſenſu, quo religioſa quoque loca *ſacra* dicebantur: quia, ſcilicet, arae Diis Manibus ſacrae erant. Unde & idem Virgilius *lib. 3. v. 63. ſtant Manibus arae.* Sane ita quoque *ſacra monumenta* & *ſepulchra* dicuntur in lege Tiberii, *de ſepulchris:* ſic *monumentum conſecrare*, in *Novella* Valentiniani: ſic & in Graecis monumentis ἱερὸς ὕπνος ὁ χῶρος: ſic & in Latinis, *Diis Manibus ſacrum:* & aggeres conſecrati, in Juliani Imp. *l. 5. C. Th. de ſepulch. viol.* imo & ſepulchra *ſacra*, teſte Aelio Gallo *apud Feſtum.* Neque quicquam frequentius in veteribus monumentis, quam *loci ſacri*, *conſecrandique* vocibus.

His igitur ſententiis miſſis omnibus, Virgilium ante omnia audire juvat, quem hac in re teſtem laudat Marcianus. Qua tamen etiam parte controverſia eſt, de quonam Virgilii loco, & num de pluribus Virgilii locis Marcianus ſenſerit. In eo certe jam omnes conſentiunt, hunc Virgilii locum huc ſpectare, qui occurrit *tertia Aeneide*; ubi de Cenotaphio Hectoris agit, *v. 301. ſeqq.*

Solemnes tum forte dapes, & triſtia dona,
Ante urbem, in luco falſi Simoentis ad undam,
Libabat cineri Andromache, Maneſque vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem ceſpite inanem
Et geminas, cauſam lacbrymis, ſacraverat aras.

Ad quem locum Servius ſcribit, *Manes Hectoreos ſacrificiis, inani ſepulturae conciliates:* mox, & inanem tumulum *Cenotaphium* interpretatur. Et hunc quidem locum Marcianum in mente habuiſſe, ceu uberiorem, Graeci Interpretis quoque praejudicio, qui eum memorat, cenſeo: ejus, inquam, qui κατὰ πόδα dicitur, ſeu τὸ πλάτος τῶν νόμων, libro *Baſilicon lib. 46. tit. 3. de rer. diviſ. p. 58.* Unde conjicere certo licet, Virgilii verſus in Pandectis intercidiſſe: pariter ut Homeri verſus in ejuſdem Marciani *l. 1. D. de mortis cauſa donationibus*, intercidiſſe colligo ex *§. 1. Inſtit. de donationibus.* Ut ſcabiem

bium proinde ſuum a vellicandis Budaei, vel etiam parentis mei, notis, qui hunc tantum Virgilii locum ad Marcianum notarunt, frigidos cenſores nonnullos abſtinere deinceps moneam. Et eodem tamen pertinent alia inſuper, non duo tantum, verum tria Virgilii loca, de Cenotaphiis Et duo quidem *lib.* 6. *Aenaeidos*, quorum Prior eſt locus de Palinuro (quem, ut ipſe paulo ante indicaverat, *fluctus habebant, verſabantque in littore venti*) ad quem Sibylla ita canit, *v.* 378. & 379. *Etc.*

—— —— *tua* —— —— —— *oſſa piabunt*
Et ſtatuent tumulum, & tumulo ſolemnia mittent.

Ubi Servius rurſum, *tumulum* recte *Cenotaphium* interpretatur. Poſterior vero *lib.* 6. de Cenotaphio Deiphobi ab Aenea excitato, hic eſt, *v.* 505.

—— *tumulum Rhaetaeo in littore inanem*
Conſtituit, magna & Manes voce citavit:

Cui Deiphobus *v.* 510.

Omnia Deiphobe ſolviſti, & funeris umbris.

Ubi Servius rationem reddit, cur *omnia Deiphobo ſoluta* dixerit; *quia ſcilicet conſtituto tumulo Manes vocat:* ut & mox, cur *funeris umbris* dixerit, id eſt, ſepulturae umbris, *quia ſcilicet funus illic eſſe non poterat, ubi nec cadaver quidem fuerat.* Imo & Quartus inſuper mihi locus, neque minus inſignis, occurrit *lib.* . ubi Nyſus ad Euryalum de Cenotaphio ſibi in omnem eventum & ſubſidium erigendo: *v.* 213.

Sit qui me raptam pugna, pretiove redemptum
Mandet humo ſolita: aut ſi qua id fortuna vetabit,
Abſenti ferat inferias, decoretque ſepulchro.

Ubi Servius, *hoc eſt Cenotaphium faciat, & impleat honorem ſepulchri.* Qui idem Servius *lib.* 6. *Aeneid.* ibi. *v.* 152.

Sedibus hunc refer ante ſuis. ——

Cenotaphii quoque meminit, quod Dido marito domi fecit.

Atque haec quidem quatuor apud Virgilium loca mihi occurrunt de Cenotaphiis; quorum nullo tamen Virgilius Cenotaphium aperte *religioſum eſſe* definivit. Cur igitur Virgilium hac in re teſtem laudaſſe potuit Marcianus? Id vero ſciemus, ubi reſciverimus, quoniam & alias ſine Poëtis teſtimonium denunciare JCti in more habuerint: & in his quidem Virgilio & Homero, etiam Marcianus ipſe, his ipſis Inſtitutionum libris *l.* 65. §. 4. *D. de legat.* 3. & exinde §. 1. *Inſt. de L. Aquilia:* & *l.* 1. *D. de mortis cauſa donat.* Scilicet denunciare tantum ſoliti (1.) ubi de *Vocis* forte alicujus ſignificatu ageretur, ut *d. l.* 65. §. 4. *D. de legat.* 3. *l. non facile* 4. §. 4. *D. de gradib. l. qui venenum* 26. *D. de verbor. ſignif.* (2.) ubi de *Formula*, ſeu formalibus quibuſdam & *nominis* vocabulis res eſſet: ut *dicta l.* 1. *D. de mortis cauſa donat.* (3.) ubi *Proverbialis* aliqua locutio uſurparetur, ut *l. ſi uxor* 13. *D. de adulteriis:* & Juſtin. *in praefat. de ratione docendi diſcendique juris.* (4.) tandem, ubi de *More* aliquo veteri quaeſtio eſſet, ut *l.* 1. *D. de contrah. empt.* & ex eo *Inſtit. eod. tit.* & *l.* 9. *D. de ſupellectile legata. l. aut facta* 16. *D. de poenis.* Hactenus, inquam, Poëtis, Virgilio atque Homero, teſtimonium olim denunciatum a Juriſconſultis reperio. Ne jam operoſe amplius quaerant Pragmatici, quique *de probationibus* ſcripſere, an & quando auctoritates Poëtarum in cauſis ſint allegandae, allegataeque probationem faciant. Quibus & ipſis Poëtis ideo denunciatum, & quidem a Marciano, his Inſtitutionum libris, non tantum propter ſummam horum Poëtarum in commune auctoritatem, verum quia olim, ut per Poëticam, ita per Virgilium & Homerum nominatim, tanquam initiatores literaturae, ingenuitatis ſtudia producebantur: quod etiam Tertullianus noſter dixit, *libro ad Nationes cap.* 10. a quorum lectione calens adhuc adoleſcentum animus ad Juris ſtudia tranſmittebatur.

Ergo & Marcianus, eo Inſtitutionum loco, qui relatus eſt in *d. l.* 6. *in fin. D. de rer. diviſ.* Virgilium teſtem hac in re laudavit, non tantum Juris Civilis Interpretem, aut alicujus Juris deciſionis teſtem, verum tanquam Moris veteris religioſique indigitatorem: unde tamen mox per conſequens illud ipſum efficeretur, ceu a Virgilio re ipſa dictum indicatumve, *Cenotaphium* MAGIS PLACERE, *religioſum eſſe.* Quinam vero *Mos* iſte vetus & religioſus? Scilicet, id Virgilius, non priore tantum loco (quod nonnulli cenſent) verum ſuperioribus omnibus ex aequo oſtendere voluit, ſeu indicavit (quod Servius ad eum diſerte notavit, *lib.* 6. *Aeneid.* *v.* 325. ibi, *inops inhumataque turba*) *Tantum valere inanem ſeu imaginariam ſepulturam*, id eſt, *Cenotaphium, quantam plenam ſepulturam:* Imaginariam, inquam, ſepulturam, quomodo & *imaginarium funus* aliquando ductum dictumque fuit: quandoquidem ad Cenotaphia, pariter ut ad ſepulchra, Manes cierentur, cineri libaretur, oſſa piarentur, inferiae umbris ſolverentur, &c, ut idem Servius ait ad *v.* 363. *lib.* 3. *Aeneid.* *ſacrificiis Manes conciliarentur: honoſque ſepulchri Cenotaphio impleretur*, hiſque peractis umbrae a Charonte tranſveherentur, quaſi ſedibus ſuis oſſa jam quieſcerent: denique, quod rite ſepultus intelligeretur, qui vel ita conditus eſſet, etſi non humatus: quomodo & *terrae injectio* ſecundum Pontificalem ritum olim fiebat etiam circa abſentium corpora, quibuſdam ſolemnibus ſacris, teſte eodem Servio, ad illa *lib.* 6. *Aeneid.* *v.* 365. *aut tu mihi terram Injice.* Item, quomodo ſepultura non rite perfecta, ſeu mortuo fortuita terra obruto, funus, ſeu ſepultura iiſdem ritibus inſtaurabatur, eodem Virgilio teſte *lib.* 3. *Aen.* ubi de Polydoro: ſeu legitima ſepultura reddebatur, ut Servius ait.

Sic, tanquam moris Juriſque Pontificii teſtem, Virgilium hac in re laudavit Marcianus: cujus utique Virgilius ſcientiſſimus erat. Quod ut alii plures, ita Julius Hyginus olim, libris, quos *de Virgilio* fecerat, expreſſe quoque obſervaverat, teſte Gellio, *lib.* 16. *cap.* 7. & poſtea quoque Macrobius, integro *libro tertio Saturnalium*, per duodecim capita, comprobavit. Et in re quidem, quae moris Juriſque Pontificii maxime eſſet: nam, ut idem Macrobius ſcribit, *d. lib.* 3. *cap.* 3. inter decreta Pontificia hoc quaeſitum maxime, quid *ſacrum*, quid *ſanctum*, quid *Religioſum* eſſet: idemque docet, Virgilium his uſum ſecundum ſuas definitiones, ſingulisque vocibus proprietatem ſuo more ſervaſſe.

Ex iis igitur, quae Virgilius de Cenotaphiis ſcripſerat, collegit Marcianus, *cur* MAGIS PLACERET, *Cenotaphium quoque religioſum eſſe:* quia ſcilicet teſtis eſſet hac in re Virgilius, ex Juris Pontificii diſciplina, eoſdem ritus eademque ſolemnia adhibita ad Cenotaphia, quae ad legitimam ſepulturam: eundemque Cenotaphii, quem juſti ſepulchri *fructum* credi: non igitur propterea ſolum, quod *in memoriam humanae conditionis* factum id eſſet; quod quidam cenſent: non item propter ſacrandi vocem, ibi, *ſacraverat aras:* rurſum, non propter *Aras* ſimpliciter ibi poſitas: verum quia ſolemnibus ad Cenotaphia factis, non minus anima defuncti condi crederetur, quam ſepulchro; atque exinde ab inferis recipi. Nam & ita ſepulchrum, non propter aras ibi poſitas (quarum alioquin idem quoque Virgilius meminit *lib.* 3. & 5. multaque mentio earum in *veteribus monumentis* occurrit) religioſum erat, verum propter mortui illationem. Denique non *Arae* ipſae, per ſe, locum, qui alias profanus futurus erat, religioſum fecere, verum actus ritusque religioſi, cum eodem, uti credebatur, *effecta.* Quare & minus penſe hic illud, ab iis, qui propter aras ibi poſitas, Cenotaphia, & quidem nonnulla tantum, religioſa habita putant, aptatur, *Quae religioſis adhaerent, religioſa quoque eſſe:* quod alioquin Paulus JCtus ſcripſit, *l.* 48. *D. de rei vind.* lib. 27.

ad

ad Edictum, quo is Edictum de religioſis interpretatus fuerat; ac maxime, cum ſententia illa ab hac ſpecie plane diverſa ſit, imo contraria: eſt enim ea, non de ſacris rebus, veluti aris, ad res profanas adjectis; verum contra, eſt ea de profanis rebus, quae religioſis accedunt: & quidem ita, ut injuncta inaedificataque ſint, quae ſane & ipſa religioſa efficiuntur: ut eſt tignum alienum junctum alieno ſepulchro; quod exemplum ibi diſerte apponitur, quod & idem de ſtatuis dicitur *l. 2. D. de ſepulchro violato*; non vero de iis, quae monumentis adjacent, quae ſane ipſa non omnia religioſa fuerunt: tantum abeſt ut per ea id, quod religioſum non erat, religioſum fieret: *l. aede 73. D. de contrab. empt. l. 2. & 37. D. de religioſis*: *l. locum 9. C. eod. tit.*

Ex Pontificii igitur moris Juriſque diſciplina, quo de Virgilius teſtimonium perhibebat, nonnullis magis placebat, Marciano teſte, *Cenotaphium quoque religioſum eſſe*, ut maxime revera corpus in id illatum non eſſet, ſeu ut maxime juris civilis ratio obtineretur. Nec quicquam etiam obſtante (quod hic alioquin opponi ſolet) illa juris regula, qua negatur, unicam ſepulturam plura ſepulchra efficere poſſe: *l. cum in diverſis 44. D. de religioſis.* quia, neque in hac ſpecie plura ſepulchra efficiuntur, verum unum tantum ponitur, & quidem imaginarium ſubſidiariumque, quod ei ſcilicet ponitur, cujus corpus non comparet, quique adeo legitimo ſepulchro caret. Nec quiquam rurſum obſtante *Reſcripto* Divorum Fratrum: neque enim ea Reſcriptorum olim vis & authoritas erat, ut non poſtea Juriſconſulti adhuc quaererent. De Reſcriptis loquor, non vero de Edictis & Conſtitutionibus generalibus, ob cauſas jam notiſſimas: quibus hoc ipſo Marciani tempore motus Macrinus Imp. Juris religioſiſſimus & amantiſſimus ſtatuerat, *omnia Reſcripta veterum Principum tollere, ut Jure non Reſcriptis ageretur.* Denique jam vulgaris obſervatio eſt, Reſcripta vim ſuam non habuiſſe ſemper, ſaepeque ea memorari, at non & ilico probari. Quanquam in hac *de Cenotaphio* quaeſtione, Ulpianus inter Juriſconſultos reſcripto Divorum Fratrum ſubſcripſit. Enimvero meram Juris Civilis rationem Divi Fratres ſecuti fuerunt, quae ex ſola & reali mortui illatione ab eo, qui jus haberet, locum religioſum aeſtimare ſolet: *l. 2. §. 5. D. de religioſis: & §. religioſum 9. Inſtit. de rer. diviſ.* & Aelius Gallus apud Feſtum. Et quis ſcit etiam, an non & ita Divi Fratres Antonini tum reſcripſerint, inter caeteras ſepeliendi ſepulchrorumque leges, quas memorat Capitolinus, *in Marco cap. 13.* (e quarum numero eſt quoque Edictum Divorum Fratrum, quod memoratur a Marciano noſtro ipſo, eodem libro *l. Divi Fratres 39. D. de religioſis*: ut & reſcriptum quod memorat Calliſtratus *l. 3. D. de in jus voc.* juncta *l. 36. D. de judiciis*) quibus Divi Fratres, magna tum peſtilentia graſſante, modos ſepeliendi definiverunt: atque adeo inter caetera, ob eam quoque cauſam, Cenotaphia, quae ingenti numero erant, vendendi donandique, ut in his ſcilicet cadavera ſepelirentur, poteſtatem fecerint? Ut ut poſtremum iſtud ſit, quod conjecturam tantum ſapit, alii certe contra ex more Jureque Pontificio, etiam ex imaginaria mortui illatione, quae ſcilicet fiebat Manibus vocatis, oſſibuſque piatis, & ſic ſepulchro quaſi conditis, religioſum locum aeſtimavere. Propterea igitur Marcianus ſcripſit, MAGIS PLACUISSE, *Cenotaphium quoque religioſum eſſe, ut in hac re teſtis ſit Virgilius.* Et forte, *Magis quoque Theologis*: quae & ipſa conjectura tantum eſt, quorum ut olim, ita & hoc Marciani aevo peculiaris quaedam religio ſeu Theologia fuit, a Zoroaſtre & Oſtane derivata: quare videas Magos, ceu ſingularis in Theologia ſententiae laudari. Ita ſane Nigidius, *lib. 4. de Diis*, apud Servium *in Eclog. 4.* teſtatur, Magos peculiares Deorum aetates & regna diſtinxiſſe; ac nominatim hac in re: quia Magicae pars fuit, Manium citatio ſeu evocatio. De qua ſive νεκυομαντεία, ſive σκιομαντεία, & ψυχαγωγία, infinita ſunt teſtimonia, etiam apud Tertullianum, hoc ipſo tempore, maxime *libro de Anima.* Et vero Antoninus Caracalla ipſe (ſub quo Marcianus & Ulpianus egere) non in commune tantum Magis delectatus dicitur, eaque de cauſa ἱερὸν Apollonio excitaſſe, verum & de eo nominatim Dio ſcribit, *lib. 77.* (& apud Xiphilinum & in *Peireſcianis*) quod cum is aegra mente eſſet, ἐψυχαγώγησεν ἄλλας τε τινάς καὶ τὴν τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ Κομμόδου ψυχήν, ſed & Herodianus *lib. 4. n. 23.* de eodem Caracalla ſcribit, eum Romae magos omnes undique conquiri juſſiſſe, ut evocatis Manibus, de fine vitae ſuae, deque iis, qui Imperio ipſius inſidiarentur, conſulerent, νεκυίᾳ τε χρησάμενον. Caeterum, ut haec Manium evocatio ad ſepulchra fiebat, unde paſſim Poëtae dixere, *Manes excire*, vel *evocare ſepulchris*; ita & Manes pariter citati vocatique ad Cenotaphia: quod vel ex ſuperioribus Virgilii locis liquet.

Ergo, videri cui poſſit Marcianus, verbis illis, MAGIS PLACET, non magis probabilem ex Juris Pontificii diſciplina ſententiam, ſibique adeo (quem gentilitiae ſuperſtitionis & ſepulturae quidem religioſiſſimum fuiſſe deprehendo) probatam, indicaſſe, quam peculiare *Magorum* quoque placitum. Cujus alioquin Magicae Theologiae ſcientiſſimus quoque fuit Virgilius: ut qui de Deorum evocationibus quoque agat, deque ſacris, quae Diis inferis fiebant, multaque ex Etruſca quoque diſciplina deſumpſerit, quod Macrobius quoque obſervat, *lib. 3. Saturnal. cap. 1. in fin.* & *cap. 7. & 9.*

Verum, ſemota hac in praeſens de *Magis* conjectura, dicamus tandem, aliam Marciano placuiſſe ſententiam, aliam vero Ulpiano: qui Marcianus & alias ab Ulpiano Pauloque diſſentire deprehenditur: Tribonianum vero, Marciani ſententiam, primo quidem, *d. l. 6. §. ult. D. de rer. diviſ.* retuliſſe, verum ilico, ſubjecta *l. 7. eod. tit.* & *l. 6. D. de religioſis*, praelata Ulpiani ſententia, repudiaſſe. Et ſic, quod nonnullis recte placuit, ne Enantiophanes quidem iſtud juris recte dici.

F I N I S.

PAGANINI GAUDENTII,

In Gymnaſio Piſano Juris Civilis Interpretis,

EXPOSITOI NUM
JURIDICARUM
LIBRI DUO,

Quibus etiam Tacito, Suetonio, aliiſque lux conciliatur.

Cum

Additamento Critico.

Digitized by Google

S E R E N I S S I M O

FERDINANDO SECUNDO
MAGNO ETRURIAE DUCI.

Q*Uod Tuo Sereniſſimo nomini* has meas Expoſitiones *inſcribo, tanta cum ratione conjunctum eſt, ut ſi id non fieret, illico cur tibi non eſſent oblatae, quaerendum foret. Nam praeterquam quod omnium Profeſſorum, qui tuo militant ſtipendio, lucubrationes Tuae ſunt, ego anno praeterito explicatione Feudorum extra ordinem cohoneſtatus, quando aliquid ad legum cognitionem ſum commentatus, gratitudinis teſtandae gratia non poſſum non ei, a quo beneficium accepi, opuſculum meum conſecrare. Et cui potius debentur Juriſperitorum commentarii, quam ei, cui nihil magis eſt cordi, quam jus, & aequum? qui clementiam, quae in Parente, nunquam interiturae memoriae Principe, tantopere eluxit, ſic colit, ut juſtitiae non obliviſcatur, cui naſcenti libra in domo religionis pulcherrima poſitura contigit collocata. Dedicandae etiam erant hae obſervationes, quod ſaepe Taciti nitantur auctoritate. Cui vero ſummi hiſtorici ſcripta magis ſunt nota, quam Tibi, qui non ſemel ea accurate perlegiſti? Quod a Te feliciter, & magno cum fructu praeſtitum eſſe, non eſt mirum, quando ingenii, qua polles, celeritas, & judicii rectitudo nihil non pervadit & aſſequitur; quando etiam praeſto eſt vir magna ſapientia praeſtans Urſus Pannocchieſcus, Ilcii Comes, tui cubiculi Praefectus, quem a Pichena in enodandis obſcuriſſimis locis conſultum, jam olim, antequam in hanc venirem regionem, legeram. Absque his omnibus ſi fuiſſet, praefandum certe erat in hunc libellum, ut tibi de incolumitate hujus florentiſſimae urbis imo totius Etruriae gratularer. Quod enim hodie vivimus, quod depulſam eſſe peſtem gaudemus, quod non ita ſaeviſſe illam belluam novimus; id, poſt Deum, tuae generoſae conſtantiae, tuae vigilantiae, tuae liberalitati, ab omnibus imputatur; pedem enim, quando res in ſummo erat diſcrimine, nunquam ab urbe extuliſti; unde tua praeſentia confirmati omnes, & impavidi facti, facilius e calamitate, quae moeſtos praecipue opprimere ſolet, evaſerunt. Cujus rei memoriam nullum unquam tempus obruet, nulla aetas Tui, FERDINANDE, animi magnitudinem ſilebit.*

L E C T O R I
S.

IUriſprudentiae cum antiquitate Romana adeo convenit, ut vix ullam paginam putem eſſe in gemino volumine Codicis, & Pandectarum, in qua non ſit haeſura aqua ei, qui rerum Romanarum ſit imperitus: adeo lex mores ſubinde reſpicit, & viciſſim hi ab illa lucem foenerantur. Qua de re cum cogito, facio autem id ſaepiſſime, non poſſum non vehementer dolere reperiri tam multos, qui mori neſcio cui innutriti id ſtudioſe curant, ut quam diligentiſſime ab omnibus ſcriptoribus, qui res a Romuli poſteris geſtas tradunt, abſtineant. Et vero poſſet haec in ipſis incogitans ſiniſteritas utcumque ferri, niſi eam ſub nomine doctae prudentiae ad alios & conſilio, & exemplo derivare conarentur. quod cum valde ſit pernicioſum, Reipublicaeque plurima, quae nunc enumerare nolo, adferat incommoda; hanc quoque volui ſtudiorum meorum eſſe partem, ut ad lucem Juriſconſultorum veterum dictis ex Hiſtoricorum aliorumque auctorum monumentis inferendam, mentem, calamumque admoverem. Qua in re non parum laboris a me eſſe exantlatum facile ſibi perſuadebunt illi, qui ſciunt quid ſit in quaeſtionibus difficilibus plurium ſcriptorum dicta conquirere, ſingula expendere, inter ſe componere & conciliare, aliquid denique certi ex ipſis ſtatuere & deducere. Cum vero in hoc argumento plures exaraverim libros, lubuit duos tantum hoc tempore, quo res typographica friget, emittere, ut ſi videro ad palatum tuum, benevole Lector, facere, reliquos deinceps Deo auſpice ſim prolaturus.

Vi-

Digitized by Google

Viro, omni genere ſcientiarum ornatiſſimo,

PAGANINO GAUDENTIO,

Stephanus Rodericus Caſtrenſis, Luſitanus,

S.

Gaudenti, noſtra haec, quo ſoſpite, ſecula gaudent,
Secula priſcorum qui redviva facis,
Plurima quin etiam ventura in ſecula ponis,
Ut celebrent nomen ſecula cuncta tuum.
Cum revocas varias, ſtudia ad diverſa, Camoenas,
Quaelibet eſt veluti ſi tibi ſola foret.
Aut ſcribas meditata, aut immeditata loquaris,
Mens tua, vel doctos apta docere, docet.
Doctor ſcribe, doce, magis haec tua ſcripta tabellis
Durabunt, quam ſi marmore, & aere foret.

Haec pauca pangebam ſine adulatione, a qua, ut ſcis, procul abſum: ſi non placent, Muſas accuſato, puellas finxit antiquitas, ut ſenes reſpuant. Vale & me, ut ſoles, redama domi.

IIII. Kal. Aug. M. DC. XXXI.

PAGANINO GAUDENTIO,

Viro doctiſſimo, & eloquentiſſimo,

ANTONIUS CURINUS,

S. P. D.

JUridicarum expoſitionum libellum recepi, rei, cum novitate, & eruditione, tum ſermonis elegantia delectatus, totum perlegi: ſtatimque intellexi, ſpem adhuc aliquam reliquam eſſe, ut Jurisprudentiae dogmata, ad antiquam Juriſconſultorum majeſtatem, & priſci ſermonis puritatem, aliquando revocentur. Invaluit jam diu opinio Reipublicae pernicioſa, legum ſcientiam craſſo, & populari dicendi genere gaudere, eamque nullo, vel amicitiae, vel affinitatis vinculo, cum humanioribus litteris eſſe conjunctam; tales fuiſſe praeteritorum ſeculorum Juris interpretes, eosdemque nihilominus fama eſſe ſuper aethera notos. Maculam hanc abſtergere, primus omnium, curavit Andreas ille Alciatus, quem Juriſconſultorum eloquentiſſimum, & eloquentium Juriſconſultiſſimum aetas ſua appellavit, ſed non ſatis felici conatu. Te forſan doctiſſime, & elegantiſſime Paganine, honos iſte manet: qui dum difficiliores Juriſconſultorum ſenſus, ex abditiſſimis politioris litteraturae locis ſedulo illuſtras, non ſine ingenti nominis tui fama, id facile obtinebis, in quo multi graviſſimi viri defecerunt. Perge igitur, ſed ita tamen, ut in hac expaveſcenda temporum conſtitutione, neque ſanitatis tuae, neque amicorum Piſis degentium obliviſcaris. Multa ſunt, non inficior, quae te vel invitum iſthic retinere poſſunt; pulchritudo urbis, facies amica Principum, eximia civium virtus, & humanitas, Caſtrenſis denique noſtri, viri, ſupra communem hominum ſortem poſiti, ſemper gratior conſuetudo. Verum, ne Piſana Civitas, ne celeberrima haec Academia, quae te adeo amanter excepit, & magis magiſque in dies veneratur, ex animo excidat tuo, te etiam atque etiam rogo. Jam (ut ſperamus) Deus O. M. juſtitiae gladium ſub pietatis amictu condidit: aeſtivi calores receſſerunt, & autumnus, mirifice, ſi unquam alias, ſalubris, detegitur. Quid igitur erit, quod te diutius abſentem detinebit? Expectatus, & exoptatus venies; & eo gratior, quo celerior. Iterum vale, & Curinum tui obſervantiſſimum ama. Piſis die 9. Septembris, anni M. DC. XXXI.

PAGANINO GAUDENTIO,

praeſtantiſſimo Theologo, Philologo, Juriſconſulto,

CAMILLUS ACCARISIUS F.

H*Aeſitabam jam diu & ego, quid eſſet, quod ex Celſo referat Ulpianus in* l. 2. § ſepulchrum 5. D. de religioſ. & ſumpt. fun. Fundum fieri religioſum non totum, ſed quatenus corpus humatum eſt, *cum frequentiſſime viderem ex antiquis inſcriptionibus monumentorum quaque verſus deſignari, quonam usque intelligendus eſſet locus religioſus per has notas IN FR. P. X. IN AGR. P. XX. Frons, ut Acron interpretatur, & Frontinus* de limitibus, *latitudinem, ager longitudinem ſignificat. Augebatur ratio ambigui, cum viderem, unum corpus non poſſe efficere duo ſepulchra religioſa,* l. cum diverſis 44. D. eod. tit. *ubi quaeritur utrum corporis partibus ſeparatim ſepultis omnes loci fiant religioſi, & ea ratione non ſunt, ſed is tantum in quo caput eſt, quia eſt princeps pars, ex qua imago cujusque cognoſcitur. Multo minus videbatur dicendus locus religioſus, quo nulla pars corporis conditur; hinc cenotaphium religioſum non eſſe, & ob id vendi poſſe, ex D. Fratribus didicimus* l. 7. D. de rer. diviſ. & l. 6. in fin. D. de religioſ. *contra Martianum, qui religioſum aſſerens vocat in teſtem Virgilium* l. 6. D. de rer. diviſ. *Quid ergo terrae ſpatium per plures, & plures pedes religione teneri tam ſaepe dicitur? Coepi tandem & ipſe exiſtimare, diſcrimen totum pendere ex arbitrio defuncti, ut ita demum majus terrae ſpatium eſſet religioſum ſi is mandaſſet, & deſignaſſet; ſin aliter, eatenus ſolum fieri religioſum quatenus corpus humatum eſt, juxta traditionem Ulpiani, & Celſi; & hanc conciliandi rationem Auditoribus meis publice jam pridem inſinuavi. Impulit me primum locus Quintiliani* lib. 7. cap. pen. *ubi* Si quis, *ait*, corpus ſuum in occulto loco poni jubeat, circaque monumentum multum agri ab haeredibus in tutelam cinerum, ut ſolet, leget. *Erat igitur frequens iſte mos, & pium continens praetextum, quaſi in cuſtodiam, & tutelam cinerum, ut propterea libera eſſet haec poteſtas cuivis morienti, dum tamen diſponeret de loco ſuo, quia alienum non facta poteſtate a domino religioſum facere non licet; unde ſi quis in publicum locum, vel ſacrum intulerit mortuum, non facit religioſum etiamſi bona fide intulerit, quod ſi dolo malo, extra ordinem plectendus eſt,* l. oſſa 8. D. de religioſ. *Nec obſtant ſacra, & ceremoniae, quarum ſanctitati commendatum eſt cadaver in illo loco: haec enim ſunt privatae religionis, qua publicum obligari nequit. Tullius lib. 2. de Leg. cap.* 20. Sed cum multa, *inquit*, in eo loco ſepulchra fuiſſent, exarata ſunt, ſtatuit collegium, locum publicum non potuiſſe privata religione obligari. *Tandem incidi in Barnabam Briſſonium, virum ſane doctiſſimum, qui* lib. 2. ſelect. antiq. cap. 15. *idem docet, atque erudite confirmat, nedum eodem teſtimonio Quintiliani, ſed & Horatii, quo tu quoque ad hanc rem opportune uteris. Acceſſit modo auctoritas alterius Briſſonii, nempe tua, mi Paganine, quam tanti facio, ut hoc ſolum nomine poſſim tenaciter ſupradictis adhaerere. Sed poſtquam de Martiano eſt habita mentio, qui in* d. l. 6. D. de rer. diviſ. *teſtem vocat Virgilium, ut probet Cenotaphium eſſe religioſum, dicam quid de eo loco ſentiam adverſus fere omnium placita. Si idem ſenſeris, audentius ſentiam, ſin minus (tantum tibi tribuo) nec ipſe ſentiam. Putant fere omnes, Martianum uti auctoritate verſuum, qui habentur* lib. 3. Aeneid. *de Andromacha, ad inane ſepulchrum Hectoris parentante;* v. 301. ſeqq.

Solemnes tum forte dapes, & triſtia dona
Ante Urbem in luco falſi Simoentis ad undam
Libabat cineri Andromache, maneſque vocabat.
Hectoreum ad tumulum: viridi quem ceſpite inanem,
Et geminas cauſam lachrymis ſacraverat aras.

Sed non videtur dici poſſe, nam fuiſſe Maroni mentem, ut locus fieret religioſus, cum alias jam eſſet occupatus religione ejusdem Hectorei corporis. Sciebat utique Poeta ab uno corpore unicum fieri locum religioſum, non plura, eique perſpectiſſimum erat ex Homero, fuiſſe Hectorem ſepultum in ſolo Trojano redditis juſtis cum ſummo honore. Probabilius videtur, teſtimonium Virgilii reperiri in lib. 6. *ubi de ſepulchro Deiphobi obtruncati, & conſumpti in Trojano incendio, & ſic inſepulti:* v. 505.

Tunc egomet tumulum Rhetaeo in littore inanem
Conſtitui, & magna manes ter voce vocavi.

Quo loci vi hujus cenotaphii prudenter fingit Virgilius Deiphobum ut ſepultum in inferis ab Aenea inventum, qui caeteroquin non potuiſſet ripas horrendas, & rauca fluenta transfretaſſe, ſed anxius fuiſſet detentus inter caeli auras, & terrae ſinus; ſi Statio credamus lib. 12. Thebaid. v. 568.

Quos vetat igne Creon, Stygiaeque a limine portae
Ceu ſator Eumenidum, aut Lethaei portitor amnis
Summovet, ac dubio caelique ereb ique ſub axe
Detinet. ——

Haec habui, quae raptim ad te ſcriberem hoc mane, quo a publicis praelectionibus dotum ſuit abſtinere.

Vale, ac me mutuo amare perge. Ex Aedibus III. Idem Aprilis MDCXXX.

PAGANINO GAUDENTIO,

Viro Clariſſimo,

S. P. D.

M. AURELIUS GALVANUS.

SEro ad me tuae literae pervenerunt, cum ad Comachienſem lacum abiiſſem; quare da, quaeſo, veniam tantae dilationi. Legi avidiſſime prima capita, quae miſiſti Expoſitionum tuarum: de quibus cum expoſcis judicium meum V. Cl. majeſtatem ingenii tui, & pudorem meae imbecillitatis offendis; nam & tu criticis legibus ſolutus es; & mihi iſthaec cenſoria virgula non convenit: ſed nimirum indulges profuſius Bono genio manſuetudinis tuae; & quod eſt excelſae mentis argumentum, times lapſus, quos humiles ac repentes animi non pertimeſcunt. Non igitur judicium deſiderat, ſed laudem tuus liber, in quo univerſum Encyclopaediae orbem perſtrinxiſti, cum in eo tam feliciter diſciplinas omnes conjungas, ut novus Apollo Muſarum omnium choreas ducere videaris. Ergo acclamo lubens merito veteri ritu: Grande Sophos! Macte mi Paganine hac voluntate illuſtrandi Juriſprudentiam, cui aeternum vive ſalvus ac ſoſpes. Ferrariae XIII. Cal. Octobr. MDCXXXI.

Nomina Auctorum, quorum Teſtimonia adducuntur.

Acciaiolus.
Accurſius.
Acron.
Aerodius.
Alciatus.
S. Ambroſius.
Ariſtophanes.
Ariſtoteles.
Athenaeus.
Auct. de Vir. Illuſt.
Ant. Auguſtinus.
S. Auguſtinus.
Auſonius.
Bartolus.
S. Baſilius.
Biblia Sacra.
Bignonius.
Briſſonius.
Budaeus.
Cagnolus.
Caliſtratus.
Caſaubonus.
Caſſiodorus.
Cato.
Cicero.
Claras.
Claudianus.
S. Clem. Alexandr.
Cod. Theod.
Coraſius.
Diemenus.
Dio.
Diogenes.
Dionyſ. Halicarn.
Donellus.
Ennodius.
Euripides.
Ant. Faber.
Fachinaeus.
Feſtus.
Gajus.
Gellius.
Gevartius.
Giſanius.
Gothofredus.
S. Hieronymus.
Horatius.
Jul. Firm.
Juvenalis.
Labeo.
Lactantius Schol. St.
Laertius.
Lambinus.
Lipſius.
Livius.
Lopez.
Macrobius.
Marcellinus.
Marcianus.
Martialis.
Mercerus.
Modeſtinus.
Moſſellanus.
Nonius Marcellus.
Olympiodorus.
Oroſius.
Ovidius.
Paedianus.
Pancirolus.
Papinianus.
Paulus JCtus.
Perſius.
Pichena.
Pignorius.
Plautus.
Plinius uterque.
Plutarchus.
Quintilianus.
Raevardus.
Salmerius.
Salicetus.
Salluſtius.
Salmaſius.
Scaliger.
Scholiaſtes Juvenalis.
Scipio Gentilis.
Seneca.
Serenus.
Servius.
Sidonius.
Statius.
Suetonius.
Suidas.
Tacitus.
Terentius.
Tertullianus.
Theophilus.
S. Thomas.
Vacca.
Valerius Maximus.
Valeriola.
Valla.
Vegetius.
Virgilius.
Villomarus.
Ulpianus.
Vultejus.

P A

PAGANINI GAUDENTII JURIDICARUM EXPOSITIONUM

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Juriſprudentia an Divinarum, & Humanarum rerum notitia.

ULpianus lib. 1. Regul. *l.* 10. §. 2. *D. de Juſt. & Jur.* ſcribit: *Juriſprudentia eſt divinarum, atque humanarum rerum notitia.* Cur eam ſic definierit, quaero? Nam Juriſprudentia non videtur ullo modo eſſe notitia rerum divinarum: nec enim agit de Deo; de Mentibus; de Coelo. Nec etiam eſt omnium rerum humanarum notitia; nam quantula eſt pars cognitionis humanae Juriſprudentia? Ego puto ab Ulpiano Juriſprudentiam hac deſcriptione fuiſſe cohoneſtatam. Primo, quod eam alibi vocaſſet Philoſophiam, *lib.* 1. *Inſtit.* & adducitur *l.* 1. §. 1. *D. de Juſtit. & Jur. veram, niſi fallor, non ſimulatam philoſophiam affectantes.* At philoſophia dicitur a Seneca eſſe rerum divinarum, & humanarum cognitio, *Epiſtola* 89. Secundo, idem Ulpianus dixerat Juriſconſultos eſſe *Sacerdotes:* at Sacerdotes tractant myſteria, res divinas. Qua de re pluribus alibi ago. Juriſprudentia tandem dicitur eſſe rerum divinarum cognitio, quando res divinae ſignificant res Sacras, cultui divino addictas, hominesque, qui easdem tractant. Nam de horum jure agit etiam Juriſprudentia. Veteres quando volebant complecti quicquid continebatur in Republica, dicebant omnia divina, & humana. Nam qui victoribus victi ſe dedebant, utebantur hac formula. Plautus *in Amphitruone*, *Act.* 1. *ſc.* 1. *v.* 100.

Poſtridie in caſtra ex urbe ad nos veniunt flentes Principes.
Velatis manibus orant, ignoſcamus peccatum ſuum.
Deduntque ſe divina, humanaque omnia, urbem, & liberos.

CAPUT II.

An Juriſprudentia ſit Architectonica?

COraſius *de Jur. Civ. in artem redig. cap.* 5. vocat Juriſprudentiam *reliquarum omnium diſciplinarum reginam, principem, & Architectonicam.* Cagnolus *in proem. Digeſt.* §. *itaque. n.* 152. *legalis ſcientia dicitur architectonica, ideſt, de aliis diſponens, & cui omnes aliae ancillantur ſecundum Bartolum, allegantem Ariſtotelem Ethicorum primo, ubi in primo cap. ait: videmus honoratiſſimas facultates civilis ſcientiae ſubeſſe, ut rem militarem, Oeconomicam, Rhetoricam, cumque ſcientiis reliquis.* Sed non eſt tollendum diſcrimen inter notitiam legum, quae dicitur Juriſprudentia, & politicen, quae moderatur ipſas leges, totamque civitatem. Juriſconſultus enim, ut talis eſt, leges interpretatur, & ex illis reſpondet de jure; at politicus imperio eſt inſtructus, & leges fert, aliquas abrogat. Architectonica igitur dicitur politice in principe, qui ſalutem populi tuetur, & diſpicit quales diſciplinae debeant eſſe in Civitate. Ariſtoteles locutus eſt *in primo Ethicorum* de politice, non de Juriſprudentia: qui etiam nominſin facit partem politicae; at Juriſconſultus, ut talis eſt, ne quidem habet hanc partem: nam non poteſt condere leges. Sic autem loquitur Ariſtoteles; *Igitur ei, quae domina eſt, & princeps omnium, propoſitum eſſe conſtat* (ſummum bonum) *qualis civilis ſcientia videtur eſſe: nam & quibus in Republica ſcientiis utendum ſit, & quas quisque diſcere debeat, & quatenus ipſa deſcribit: atque etiam facultates eas, quae in maximo honore ſunt & pretio, ut rem militarem, ut rem familiarem, ut Rhetoricen, huic ſubjecta cernimus.* Philoſophus duas conditiones poſuit ſcientiae ejus, quae praeeſt aliis: Prima ut ſit domina maxime; Secunda, ut ſubeat rationem architecturae, & eſt differentia inter iſtas conditiones; nam poteſt aliquis dominari aliquibus, & non uti iis, quibus imperat; ſed non poteſt aliquis habere rationem Architecti, qui utatur iis, reſpectu quorum dicitur architectus, ut bene ſcribit Acciaiolus *in primum Ethic.* An, quaeſo te Cagnole, profeſſor aliquis Juriſprudentiae, & interpres legum in Gymnaſio eſt dominus militum, iisque tanquam Dominus utitur? an Cauſarum advocatus imperat medicis? profecto non minus juris interpretes ſubſunt, & parent principi, quam Medici, Philoſophi, Rhetores. Non igitur leges interpretandi notitia dicenda eſt Architectonica.

CAPUT III.

An Ratio ſit anima Legis?

QUod eſt in ore vulgi, ut ratio dicatur eſſe anima legis; id neſcio quam ſit ſolidum: nam conſilii potius anima eſt ratio, quam legis. Lex vim habet cogendi, nec reddit rationem cur id faciat. Praeterea, verba diſerta ſunt *l.* 20. *D. de legibus, & Senatuſconſ. Non omnium quae a majoribus conſtituta ſunt ratio reddi poteſt.* Plato ait, quod rationem legis poſteriores quaerere non debent, ſed obſervare, quaſi Dei vocem, & praeceptum; *in Gorgia.* Sed dices, pr. lex a D. Thoma dicitur eſſe rationis ordinatio. Ergo ratio eſt anima legis, quando ratio in definitione legis reperitur. Reſpondeo: Lex dicitur ordinatio rationis, quia proficiſcitur ab intelligente. Solius namque intelligentis eſt imperare. Bruta rationis expertia imperii non ſunt capacia. Dices praeterea, licet non poſſit reddi ratio omnium eorum, quae a majoribus noſtris conſtituta ſunt, non tamen inde licet colligere, quod absque ratione aliquid conſtituerint. Reſpondeo: Hac in re non eſſe, & non eſſe notum, aut non poſſe inveniri, idem eſt. Nihil ſane absque ratione conſtituerint majores noſtri, dum nos ſaepe lateant cauſae, quae ipſos ad aliquid conſtituendum impulerint. Hoc ſolum contendimus in lege rationem eſſe trahendam ad auctoritatem, non auctoritatem ad legem; ut quando nobis nota eſt legislatoris voluntas, parum ſimus ſolliciti de ratione.

CAPUT IV.

An privilegium ſit lex?

VIdetur eſſe negandum, quod privilegium ſit lex. I. *l.* 1. *D. de legibus* inquit Papinianus: *Lex eſt commune praeceptum.*

Digitized by Google

II. *Ibid. l.* 8. inquit Ulpianus: *Jura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur*; privilegium in unum aut paucos conſtituitur. Lex eſt jus; non igitur privilegium eſt lex, quae generaliter conſtituitur.

III. Cicero putat privilegia non eſſe admittenda in Republica ex XII. tab. *Privilegia ne irroganto. Orat. pro P. Seſtio cap.* 30. & *lib.* 3. *de Legibus cap.* 4. Leges totam Rempublicam moderantur. Privilegia igitur non ſunt leges.

IV. Perpendenda eſt etiam definitio legis, quam Gellius *lib.* 10. *cap.* 20. ait eſſe Atteji Capitonis; *Lex eſt generale juſſum populi, aut plebis rogante Magiſtratu.* unde infert Gellius: *Ea definitio, ſi probe facta eſt, neque de imperio Cn. Pompeji, neque de reditu M. Ciceronis, neque de caede P. Clodii quaeſtio; neque alia id genus populi plebisve juſſa, leges vocari poſſunt.*

V. Addenda verba ejusdem Gellii *ibid. Non ſunt enim generalia juſſa, neque de univerſis civibus, ſed de ſingulis concepta. Quocirca potius privilegia vocari debent, quia veteres priva dixerunt quae nos ſingula dicimus.* Sed pro contraria ſententia ſunt rationes non contemnendae.

I. *l.* 1. §. 1. *D. de Conſtit. principum*, inquit Ulpianus; *Quodcumque igitur Imperator per Epiſtolam, ſubſcriptionem, ſtatuit, vel cognoſcens decrevit, vel de plano interlocutus eſt, vel edicto praecepit, legem eſſe conſtat* At multa ſubſcribit de perſonis privatis; igitur privilegia vocabuntur leges.

II. *Eadem lege* §. 2. plane diſerte privilegia vocantur leges perſonales. Sunt igitur leges. Sic enim loquitur Ulpianus; *Plane ex his* (ſcil. legibus) *quaedam ſunt perſonales, nec ad exemplum trahuntur, nam quae Princeps alicui ob merita indulſit, vel ſi quam poenam irrogavit, vel ſi cui ſine exemplo ſubvenit; perſonam non egreditur.*

III. *Ibidem lib.* 3. poſtquam locutus eſt Ulpianus de conſtitutione Principum ſubjicitur ex Javoleno; *Beneficium Imperatoris, quod a divina ſcilicet clementia proficiſcitur, quam pleniſſime interpretari debemus.* At ejusmodi beneficia ſunt privilegia.

IV. Quicquid Principi placuit legis habet vigorem; at privilegium eſt ex illorum genere, quae Principi placuerunt *l.* 1. *D. de conſtit. Princip. Quod Principi placuit legis habet vigorem.*

V. Veteres ſic loquuntur, & privilegia vocant leges. *Salluſtius proprietatum in verbis retinentiſſimus, privilegium quod de Cn. Pompeji reditu ferebatur, legem appellavit*, teſte eodem Gellio *lib.* 10. *cap.* 20.

Quid tandem dicendum eſt? Reſpondeo: in lege poſſunt conſiderari duo; cauſa efficiens, & materia, ſive objectum. Cauſa efficiens utrobique eſt tam in privilegio, quam in lege, auctoritas ſcilicet cogendi, ut quis pareat. Ariſt. *lib.* 10. *Eth. cap. ult. Lex habet* dynamin anancaſticin. D. Thomas 1. 2. *q.* 9. *art.* 3. *ad* 2. *Lex debet habere vim coactivam ad hoc, quod efficaciter inducat ad virtutem.* Sic ſane privilegium eſt lex. Nam non minus debet eſſe ſuus locus privilegio quam legi. Eadem namque auctoritate, qua condita eſt lex, etiam latum eſt privilegium. Aliquando reſpicimus materiam legis, quae fere ſemper eſt de iis, quorum obſervatio incumbit omnibus. Et ita privilegium excluditur ex cenſu legum. Sic aliqui veterum non ferebant, ut rogatio vocaretur lex, quandoquidem ſaepe rogaretur populus, cum tamen non ſanciret aliquid, quod ad omnes pertineret. Feſtus: *Rogatio eſt, cum populus conſulitur de uno pluribusve hominibus, quod non ad omnes pertineat, & de una pluribusve rebus, de quibus, non omnibus ſanciatur. Itaque Gallus Aelius ait; inter legem, & rogationem hoc intereſt: rogatio eſt genus legis, quae lex non continuo rogatio eſt.* Veteres tamen confundebant haec vocabula. Gellius *lib.* 10. *cap.* 20. *Sed quamquam haec ita ſint, in veteribus tamen ſcriptis non magnam vocabulorum iſtorum differentiam eſſe animadvertimus. Nam & plebiſcita, & privilegia tranſlato nomine, leges appellaverunt, eademque omnia confuſo, & indiſtincto vocabulo, rogationes dixerunt. Verba* [Salluſtii] *ex ſecunda ejus hiſtoria haec ſunt; Nam Syllam Coſ. de reditu ejus legem ferentem ex compoſito Tribuni plebis, C. Herennius prohibuerat.*

CAPUT V.

De Privilegiis quid XII. Tabulae.

INter leges, quas tulit Cicero *lib.* 3. *de Legibus cap.* 4. haec quoque recenſetur, *Privilegia ne irroganto.* Hanc legem poſtea teſtatur translatam de XII. Tabulis, eamque vocat *praeclariſſimam*. Admiratur majores tantum providiſſe: *In privatos homines leges ferri noluerunt. Id eſt enim privilegium: quo quid eſt injuſtius? Cum legis haec vis ſit ſcitum eſſe, & juſſum in omnes.* Quaerendum eſt, cur ita invehatur in Privilegia Cicero. Reddit rationem ipſe dum ait; *privilegio quid eſt injuſtius?* nam in *principio lib.* 3. cum ageret de ferendis legibus, dixerat: *leges damus liberis populis.* At in Republica fugienda eſt inaequalitas, & accedendum ad aequalitatem, quantum fieri poteſt. Nam inaequalitas cauſa eſt tumultuum. Ariſtoteles *lib.* 5. *cap.* 3. ut eſt in interpretatione Latina, *Omnis diſſimilitudo diſſidium afferre videtur.* Quod ſi facile irrogentur Privilegia, diminuitur vis legum. Quid enim eſt Privilegium, niſi exceptio a lege? Dices ex Ulpiano *l.* 1. §. 2. *D. de Conſtit. princ. Leges perſonales ad exemplum non trahuntur.* Reſpondeo. Non trahuntur quidem ad exemplum, ſed praebent anſam petendi idem, & largiendi. Nam facile obtinetur rogando, ſi impetrationis proferatur exemplum. Hinc paulatim eluduntur leges, praeſertim ab illis, qui gratia, divitiis pollent, & cum maximo detrimento fit, ut

Dimittat corvos, vexet cenſura columbas.

Si facile impetrentur privilegia, qui prompti erant, fiunt ſegniores in obſervandis legibus. Lex debet eſſe inexorabilis, & in omnes animadvertere absque diſcrimine. Tritiſſimum eſt exemplum Zaleuci. Dices, lex non evertit aequitatem. Ergo quid prohibet irrogari privilegia? Reſpondeo. Aequitas poſt factum certa de cauſa moderatur judicium. At privilegium ante omne factum liberat ab obſervatione legis.

CAAUT VI.

Ad l. Princeps 31. D. de legibus.

COntendit Cujacius *l. Princeps* 31. *D. de legibus.* explicandam de legibus Caducariis, non aliis. Id ex eo fit veriſimile, quia Ulpianus, unde petuntur iſta verba, loquebatur tantum de legibus Julia, & Papia. Expoſitio, inquam, Cujacii veriſimilis eſt. Tamen poſſet quis etiam non absque veriſimilitudine regerere: Primo, quod licet Ulpianus ibi ageret de legibus Julia, & Papia, ut tamen oſtenderet Principem non eſſe ſubjectum ejusmodi legibus, adduxit ſententiam notam, & receptam ab omnibus, quod ſcilicet princeps ſit ſolutus legibus. Inſpicienda eſſet tota diſputatio Ulpiani; at libri illi interierunt. Quare nihil certi poteſt ſtatui. Deinde poſſet quis dicere, quod licet Ulpianus ipſe tantum de legibus Caducariis in eo locutus fuerit, tamen Collectores ſic tranſtulerunt ipſius verba, ut voluerint ea extendere ad generalem quandam ſolutionem ab omnibus legibus. Id ex eo fit veriſimile, quia ea verba collocarunt ſub titulo generali *de legibus*. Praeterea alibi exprimitur diſertiſſimis verbis ejusmodi generalis ſolutio. Qua de re velim legi, quae adferuntur a doctiſſimo viro And. Fachinaeo *Controverſ. lib.* 1. *c.* 2. Nec novum eſt, ut quod ſingulari quodam ſenſu dictum eſt, id ad generalem transferatur. Dixerat Tacitus *lib.* 5. *Hiſtoriarum cap.*

5,

Google

5. quod Judaei perſuaſum habeant *Deum eſſe, unum regnatorem omnium, ſummum illud, & aeternum, neque mutabile, neque interiturum.* Et tamen Juſtus Lipſius *lib.* 1. *Politic. cap.* 2. ejusmodi verba transfert ad eum ſenſum, qui debet eſſe omnium nationum.

CAPUT VII.
De Commentariis Jurisconſultorum.

TAcitus *lib.* 3. *Ann. cap.* 25. ubi ſermo eſt de lege Papia ait, quod *domus delatorum interpretationibus ſubvertebantur.* Innuit plurimas tricas, quae ob multiplicem expoſitionem tanquam retia capiebant, & involvebant cives. Unde colligere eſt, quam perniciosi ſint Reipublicae juris apices, quos paulatim ingenia ſubdola, & pecuniae cupida excogitarunt. Hinc enim cavilla, quorum numerus non eſt. Hinc nihil tam exploratum, quod in quaeſtionem revocari nequeat: quantumcunque quis ſe caute gerat in pactis conventis ineundis, facile invenietur ratio evadendi. Si quis vocetur in jus, ut reddat mutuum, ut ſolvat quod debet; quot modi reperiuntur difficrendi, onerandi, vexandi? Ut vero intelligatur, quantopere ſapientes viri abhorruerint a vafra expoſitionum ſerie, & ſemper conſuluerint publicae utilitati, haec obſervaſſe operae pretium fuerit. Ariſtoteles *primo Rhetoricorum* docet in forenſibus cauſis quaerendum praecipue de re geſta, non de jure. Hoc enim eſt certum, & controverſia carere, crinomenon (ut ipſe vocat) in eo eſſe poſitum, ut norit Judex, quid inter actorem, & rem actum fuerit. Ubi namque de hoc inter partes convenerit, absque negotio poſſe pronunciari, & finem imponi liti: hinc animadvertere eſt, aut ignotas, aut inviſas Athenienſibus fuiſſe legum in varios ſenſus deductiones. An non ſatis eſt difficultatum in quaeſtione (quam appellant) de facto, niſi etiam de jure inſtituatur prolixa diſceptatio? Miratus ſaepe ſum, quod Graeci cum diligenter variis commentariis illuſtrarent ſcriptores, in Solonis tamen leges nihil edidiſſe dicerentur, quod quidem ego ſciam. Id nunc puto ex eo profectum, ne hinc arriperetur anſa trahendi huc illuc pro lubitu ea ſcita, quorum ſenſum decet eſſe ſimpliciſſimum, & ab omni ſubtilitate remotum. Idem Ariſtoteles *in eodem libro* cenſet omnia, ſi fieri poſſit, eſſe ſingulatim comprehendenda legibus, ut pauciſſima relinquantur Judicum arbitrio: nam cum hi ſaepe transverſum rapiantur aut odio, aut gratia, & ſpe lucri, in illam partem ferentur, quo vocantur a pravo affectu. Quod ſi eudantur multae legum expoſitiones, in quibus reperire eſt, undequaque tot veriſimilitudinis ſpecies, qui ſententiam proferre debet e duabus probabilibus interpretationibus, aut etiam pluribus eam ſeliget, quae facit magis ad affectum, in quem jam ſe induit utilitate allectus.

Fateor non ſingula omnino ſcitis legum ſanciri, & neceſſe eſſe quandoque ad aequitatem confugere; ſed quo magis minuitur libertas judicis, ne pro lubitu a via regia diſcedat, eo magis habetur ratio publicae utilitatis. Pauci namque inveniuntur, qui non lubenter in rem ſuam deflectant variantes explicationes. Sed, miſſo Stagirita, conſulo Romanos; quorum moribus quid ſanctius fieri poteſt? Non nego fuiſſe etiam Jurisconſultos florente adhuc Republica, ſed nihil ſcribebant: imo plerique omnes orabant cauſas coram populo, & adducebant duodecim tabulas, aut rogationes, quae non admodum erant multae: in utramque partem publice dicebantur quaedam populariter potius, quam ſubtiliter; quibus auditis pronunciabatur ſententia: de commentationibus in XII. Tabulas altum ſilentium: nec puto tuliſſent ejusmodi interpretes. Immutata, aut potius ſublata populi poteſtate, & tranſlata in Imperatores, tunc demum Juris profeſſores coeperunt ſcripto, & principali, non privata, ut antea auctoritate reſpondere. Longe melius praeteritis temporibus judicibus teſtabantur, a quibus conſulebantur, & ſingula ſingulis controverſiis adhibebant, atque iis deciſis nihil ex conſultatione juri ſcripto annumerabatur. Ita legum, & juris certus, isque non admodum magnus erat modus. Sub Caeſaribus, quando lex aliqua ferebatur, ſtatim plurima inveniebantur, quibus potius obſcurabatur, quam explicaretur: hinc conqueritur Tacitus, quod corruptiſſima Republica plurimae eſſent leges, quod domus per multiplices interpretationes ſubverterentur. Deinceps vero excreverunt libri Jurisconſultorum, & prope innumera volumina fuerunt edita: & ob concertationes exortae ſectae. Tanto malo remedium ferre voluit Juſtinianus ex immenſa mole ſelectis praecipuis, & in quinquaginta libros diſtributis; & tamen ſunt qui conqueruntur de labore Imperatoris: o homines ſcirporum, & nodorum amantes! Quin imo ſummis laudibus extollendum conſilium prudentiſſimi principis! Vidit, vidit, quantum obeſſent tot ſcripta, tot opiniones. Animadvertit hinc fieri, ut nunquam finiendis litibus ſtreperent fora. Et ne ſtatim in hos ipſos excerptos libros prodirent explicationes, dedit operam, dum voluit tantum licere ſcribi Paratitla, quae nihil aliud complectuntur, quam breves quasdam notas eorum locorum, quae ſimilitudinem aliquam, aut repugnantiam prae ſe ferre videntur, dicta quaſi tituli cum titulo collatio: id quod veteres ante Bartoli aetatem, ſecundum Juſtiniani praeceptum ſemper, & ſolum feciſſe teſtantur vetuſti Codices, ſolis ejusmodi paratitlis inſigniti.

CAPUT VIII.
Cur Eques praefectus Aegypti, & cur jurisdictionem haberet?

BIs videtur peccare Ant. Vacca *in expoſit. ad loc. Pandect. tit.* 17. ut eum adducit Lexici Juridici auctor Calvinus, verbo *Praefectus Aegypti.* Primo ait Aegyptum non eſſe redactam in provinciae formam. At diſerte id teſtatur Suetonius *in Aug. cap.* 18. *Aegyptum in provinciae formam redactam, ut feraciorem redderet.* Dicit deinde, quod Auguſtus ſuperſtitione deterritus non voluerit mittere illuc Proconſules: nam alia longe cauſa adducitur a Tacito, ut dicemus. Sed pro Vacca aliquis dixerit, Primo, quod ideo negarit Aegyptum eſſe redactam in provinciam, quia illuc non mittebantur proconſules, quaſi provincia tantum illa dicatur eſſe, quae regitur a Proconſule. Deinde, quod Auguſtus, ſi non ſuperſtitione, ſaltem ſuperſtitionis velamento, noluit illuc mittere proconſules. Praetexuit igitur religioſum quendam timorem, ut colligitur ex Spartiano *in ult.* 30. *Tyrann.* cum habuerit aliam veram cauſam, de qua mox ex Tacito. Nos ſic de Aegypto docemus; primo, quod redacta fuerit in provinciam ab Auguſto: hoc enim diſerte teſtatur Suetonius; ac ſingulari decreto voluit eam regi non a proconſule, ſed a Praefecto. Cauſam adducit Tacitus *lib.* 2. *Ann. cap.* 59. *Nam Auguſtus, inter alia dominationis arcana, vetitis, niſi permiſſu, ingredi Senatoribus, aut equitibus Romanis illuſtribus, ſepoſuit Aegyptum, ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, clauſtraque terrae, ac maris, quamvis levi praeſidio adverſum ingentes exercitus.* Viderat Auguſtus, quomodo ſe geſſiſſet Antonius illuc miſſus, quia inter Romanos erat maximae auctoritatis: cenſuit igitur in poſterum non niſi homines parvae auctoritatis illuc eſſe mittendos. Veram cauſam tamen hujus conſilii noluit eſſe notam Auguſtus; & ipſe Germanicus videtur eam ignoraſſe: nam alioqui provin-

vinciam illam non fuiſſet ingreſſus. Tiberius eum *acerrime increpuit, quod contra inſtituta Auguſti, non ſponte principis, Alexandriam introiiſſet.* Equites igitur tantum praeficiebantur illi religioni. At jam quaeritur, quis juriſdictionem ibi haberet, quando Equites non videbantur capaces juriſdictionis? nam ex eo ordine tantum mittebantur in provincias, ut fungerentur munere procuratorio, cui juriſdictio annexa non erat. Et notum eſt ex Tacito fuiſſe exilio damnatum quendam, qui tanquam juriſdictionem habens aliquid fecerat. Tota namque juriſdictio erat penes proconſulem. Reſpondendum eſt, quod ſingulari ratione hoc erat juſſum, ut praefectus Aegypti haberet juriſdictionem, *lib. 12. Annal. cap. 60.* ſic ſcribit Tacitus; *Nam divus Auguſtus apud equeſtres qui Aegypto praeſiderent, lege agi, decretaque eorum proinde haberi juſſerat, ac ſi Magiſtratus Romani conſtituiſſent.* Cauſa autem, cur lege liceret agere coram praefecto licet equite, erat, quia nullus alius illuc mittebatur a Romanis: ac proinde neceſſe erat agere coram praefecto, aut juriſdictione deſtitui: in alias provincias mittebantur proconſules, ut non opus eſſet adire procuratores. Et ſi verum fateri volumus, nihil eſt pernicioſius provinciis, quam juriſdictionem conferre pluribus: qua de re in politicis ſuo tempore diligenter agam.

CAPUT IX.

Quouſque extenderetur juriſdictio praefecti Urbi?

QUouſque ſe extenderet juriſdictio praefecti urbi, res non eſt adeo explorata. Tacitus extendit eam ad Italiam *lib. 6. Annal. cap. 11. Auguſtus Maecenatem cunctis apud Romam, atque Italiam praepoſuit.* Ulpian. *l. omnia 1. pr. D. de offic. praef. urb. Praefectura urbi ſibi vindicat ea quoque* (crimina) *quae* admittuntur *extra urbem intra Italiam.* Sed in §. 4. *eod. tit. Si quid intra centeſimum milliarium admiſſum ſit, ad praefectum urbi pertinet.* Idem Ulpian. *in fragm. Pithcan. lib. 9. de offic. proconſ.* quod *ultra* (Centeſimum lapidem) *praefectus praetorio cognoſcebat.* Statius *lib. 1. Sylv.* ad Rutilium Gallicum praefectum urbi, videtur innuere quod undique etiam extra Italiam conflueretur ad praefectum, *v.* 10.

Inque ſinum quae ſaepe tuum fora turbida quaeſtu
Confugium, legesque urbesque ubicunque togatae,
Quae tam longinquis implorant jura querelis.

Nam etiam urbes togatae extra Italiam, ut in Gallia Ciſalpina. Dio non ultra milliaria 87. juriſdictionem ejus extendit, quamvis in eo Lipſius putet illud hexacoſion emendandum: quid dicendum in hac diverſitate? puto quod Auguſtus cum proficiſceretur adverſus Antonium, nondum extinctis bellis civilibus, toti Italiae Maecenatem indiſtincte praefecerit. Terminabatur autem Italia tunc Rubicone fluvio (qui Galliam citeriorem diſterminabat ab Italia) & in altera extremitate Rhegio oppido, ut modico, & anguſto mari Italia a Sicilia divideretur, ut tradit Plinius *lib. 3. cap. 15.* Sic praefectura urbi longe ſe extendebat ultra centeſimum lapidem. Poſtea Severus, Epiſtola ad Fabium, magis diſtinxit, imo reſtrinxit juriſdictionem: nam eam ſic interpretatur Ulpianus, ut praefecturae poteſtatem ad centeſimum lapidem deducat: & recte animadvertit Coraſius, quod illud intra Italiam in Epiſtola Severi debet explicari, quatenus ad centeſimum lapidem porrigitur. Nam diſerte Ulpianus §. 4. *eod. tit. Sed ſi ultra ipſum lapidem egreſſum eſt, praefecti praetorio notio eſt.* Et ſupra audiebamus, illud, quod ultra eſt, a praefecto praetorio cognoſci. Sed quid dicemus de verſibus Statii? Nam ſi verum eſt, quod omnes urbes togatae confugiebant ad praefectum urbi, etiam Carthagini juriſdictionem habebat praefectus; nam urbs illa togata erat. Tertull. *de pallio: Cum concordia juvat, toga oblata eſt.* Jus datum togae Carthaginenſibus apparet, cum a Statilio Tauro deducta Colonia eſt muro cincta, Aelio Saturnino vel Augure vel Pontifice eam Coloniam inaugurante, & ſolemne carmen effante. Aliquis reſponderit, quod poeta per hyperbolem voluerit extollere juriſdictionem praefecti; vel dicemus urbes togatas intelligendas illas, quae intra Italiam ad centeſimum lapidem continebantur: par enim eſt, ut poëtae verba explicentur ex Juriſconſulto; non vero Juriſconſulti definitio turbetur poëtica extenſione.

CAPUT X.

An Liberti poſſent retrahi in ſervitutem?

LIbertas, quam conſequebantur manumiſſi, vel erat juſta, & plena, vel imperfecta, de qua egi in quaeſtione, an quis bis manumitti poſſit? Qui imperfectam conſecutus fuerat libertatem, poterat retrahi in ſervitutem a patrono, ut ſtatim audiemus: qui vero plene manumiſſus fuerat, non poterat amittere libertatem. Tacit. *lib. 13. Annal. cap. 27. Quia & manumittendi duas ſpecies inſtitutas, ut relinqueretur poenitentiae, aut novo beneficio locus: quos vindicta patronus non liberaverit, velut vinculo ſervitutis attineri.* Quaeſitum fuit de iis, qui plenam libertatem conſecuti fuerant, an poſſent retrahi in ſervitutem? Et quidem de Claudio ſic Sueton. *cap. 25. Ingratos, & de quibus patroni quererentur, revocavit in ſervitutem, advocatiſque eorum negavit ſe adverſus libertos ipſorum jus dicturum.* Haec verba generalia ſunt, neque debent reſtringi ad crimen ſingularis ingratitudinis, quaſi non poſſent revocari ob quamcumque ingratitudinem. Sic quidem obſervavit Claudius, ut ob quamcumque ingratitudinem, modo talis eſſet, revocarentur in ſervitutem liberti; ſed non propterea confectum eſt Senatusconſultum. Quare non eſt mirum, ſi haec voluntas Claudii non diu locum habuerit. Nam ſub Nerone aliqui dederunt operam, ut fieret Senatusconſultum, & poſt multam altercationem nihil obtentum. Tacit. *lib. 13. Annal. cap. 26. Per idem tempus actum in Senatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque ut adverſus male meritos, revocandae libertatis jus patronis daretur.* Sed tandem valuit ſententia contraria, *Scripſitque Caeſar Senatui, privatim expenderent cauſam libertorum, quoties a patronis arguerentur, in commune nihil derogent.* Si Claudius tuliſſet legem, cur rogaſſent Neronem aliqui Romanorum, *auctor conſtitutionis fieret?* illa autem verba Taciti, de cauſa libertorum privatim expendenda, indicant, quod quandoque Senatus quoſdam libertos ob ingratitudinem retractos in ſervitutem voluit. Huc forte referenda *l. 21. princ. D. quod metus cauſa. Si mulier contra patronum ſuum ingrata facta ſciens ſe ingratam, cum de ſuo ſtatu periclitabatur, aliquid patrono dederit, vel promiſerit, ne in ſervitutem redigatur.* Metuebat ſcilicet ne argueretur, & libertatem amitteret. Sed quaeritur rurſus an ſemper obtinuerit, ut qui vindicta manumiſſus non erat, poſſet retrahi in ſervitutem? Reſpondeo, Juſtinianus ſuſtulit differentiam juſtae & non juſtae libertatis, dum juſſit, ut quilibet quocumque modo manumiſſus plenam conſequeretur libertatem §. *libertinorum 3. Inſt. de Libert. Et omnes libertos, nullo nec aetatis manumiſſi, nec domini manumiſſoris, nec in manumiſſionis modo diſcrimine habito civitate Romana donavimus.* Additumque ut fas eſſet, dominis, etſi perfecta libertate donaſſent ſervos, ſi exiſterent ingrati, & male jam facti liberti de manumiſſoribus meriti fuiſſent, revocare ad priſtinam ſervitutem, ut apparet ex *l. 2. C. de libertis, & eor. lib.* & ex *l. penult. C. de operis libert.* Et ex

§. 2

§. 1. *Inſtit. de capite diminut.* quo referenda D. Ambroſii *in liq. de Jac. & vita beata* verba: *Ita libertatem accepiſti, ut meminiſſe manumiſſoris tui debeas, ut patroni noveris legitimum obſequium eſſe deferendum, ne ab ingrato revocetur libertas.*

CAPUT XI.

De Muliere ſe jungente cum alieno ſervo, & filiis natis ex concubitu.

AD SCtum Claudianum quaeritur: Primo, quae ſit conditio foeminae, quae ſe miſcuerit cum alieno ſervo? Secundo, quid dicendum, de filiis natis ex ejuſmodi coitu? Ad primum reſpondendum eſt ex Juſtiniano *Inſtit. de ſucceſſ. ſubl.* & *C. de Senatuſc. Claud. tollendo*, quod mulier non amittit libertatem. Sed ante Juſtinianum, qui SCtum Claudianum abrogavit, Veſpaſianus (ut ſcribit Suetonius *cap.* 11.) *Auctor Senatus fuit decernendi, ut quae ſe alieno ſervo junxiſſet, ancilla haberetur.* Sed magis diſtincte dicendum ex SCto Claudiano, quod libera mulier vel ſe jungebat alieno ſervo contra denunciationem domini, & tunc fiebat ſerva, & ancilla: vel ſine domini denunciatione, & fiebat liberta. Sic ſcribunt aliqui ex Tacito *lib.* 12. *Annal. cap.* 53. Quod tamen non ita perſpicue ex verbis Taciti deducitur. Favet tamen lectio Farneſiana, quam ſequitur Lipſius; *ut ignaro domino ad id prolapſa in ſervitute, ſi conſenſiſſet, pro liberta haberetur:* quae verba ſi recipiantur, a contrario ſenſu, Suetonius quae dicit de Veſpaſiano (*ut quae ſe alieno ſervo junxiſſet, ancilla haberetur*) exponenda erunt, ſi ſe junxiſſet ſciente & denunciante domino, ut gravior poena ſit peccantis ſciente domino & prohibente, quam ejus, quae ſe miſcet ignaro domino. Alii tamen codices ſic habent: *ut ignaro domino ad id prolapſa in ſervitutem ſui conſenſiſſet.* Ex quibus diſcimus, quod quae ſe miſceret etiam ignaro domino, fieret ancilla, & ſerva. Suetonius locutus eſt indefinite de Veſpaſiano. Jam quid dicemus de filiis, qui naſcuntur ex ejuſmodi concubitu? Tacitus ſic habet: *Et qui nati eſſent pro libertis haberentur.* Sed de lectione verborum eſt controverſia. Pichena fatetur verba illa *& qui nati eſſent*, abeſſe a codice Florentino. Ego non video, cur debeamus deſerere receptam lectionem. Sed objicit duo Lipſius. Primo, inquit: nati e libera ſunt liberi: at iſti ſunt nati ex libera; ſunt igitur liberi: at ego nego natos eſſe ex libera. Nam ſtatim atque mulier libera commiſcebatur ſervo, fiebat ſerva: ad complexum namque ſtatim conſequebatur haec poena ex SCto Claudiano. Secundo, inquit Lipſius: illi nati ex ejuſmodi concubitu nunquam fuerunt ſervi, quomodo igitur dicuntur eſſe liberti? poſſet addere, quomodo iſti ſunt conſecuti libertatem? Sed reſpondeo; quod ideo tantum dicuntur liberti, quia perinde ſunt obſtricti domino illius ſervi, cum quo concubuit ipſorum mater, ac ſi ab ipſo accepiſſent libertatem; debent ipſi ea officia, id obſequium, quod debent liberti domino. Non alio ſenſu dicuntur liberti: & rectiſſime confutat Lipſium Salinerius. Quando Lipſius fatetur ex Codice Farneſiano, mulierem, quae jungitur ſervo alieno, fieri libertam: eo ſenſu dicemus nos naſci etiam filios. Non enim dicitur liberta, quod unquam ſerva fuerit.

CAPUT XII.

An a Dictatore daretur provocatio?

MAxima erat ratio, propter quam a Dictatore non eſſet provocatio: quia cum in bello mora poſſit obeſſe, & ſaepe ſit capiendum conſilium in arena, ſi non eſſent rata omnia, quae juſſerit ille, qui bellum adminiſtrat, maxima incommoda conſequerentur. Quare ſapienter, ut omnia, Cicero in *lib.* 3. *de Legibus cap.* 6. edixit in haec verba: *Militiae ab eo, qui imperabit, provocatio ne eſto: quodque is, qui bellum gerat, imperaſſit, jus ratumque eſto.* Horruit itaque populus, quando primum creatus eſt Dictator, *l.* 2. §. 10. *D. de orig. Jur. Populo deinde aucto, cum crebra orirentur bella, & quaedam acriora a finitimis inferrentur; interdum re exigente, placuit majoris poteſtatis magiſtratum conſtitui: itaque dictatores proditi ſunt, a quibus nec provocandi jus fuit: & quibus etiam capitis animadverſio data eſt.* Ego puto Ciceronem, cum ferret hanc legem, reſpexiſſe non ad quamcunque militarem dignitatem, ſed potiſſimum ad dictatoriam: propterea namque inſtruebatur auctoritate, a qua provocatio non eſſet, quia belli gerendi cauſa electus erat. Quod vero docet Pomponius, quod ſcilicet a Dictatore non daretur provocatio, id intelligendum eſt de primis temporibus. Nam poſtea Dictator deſiit tantam habere auctoritatem, quod tamen ſolus teſtatur Feſtus in verbo *Optima lex: Poſtquam vero provocatio ab eo Magiſtratu ad populum data eſt, quae antea non erat, deſitum eſt dici, ut qui optima lege, utpote imminuto jure priorum Magiſtratuum.* Verba Feſti, tanquam depravatiſſima ait Raevardus a ſe fuiſſe reſtituta. Sed jam antea Ant. Auguſtinus in editione Feſti illa concinna nobis reddiderat. Quod ait Feſtus de provocatione, putat Ant. Auguſtinus poſſe elici ex verbis Horatiae & Duiliae legis apud Livium *lib.* 3. *cap.* 55. & Dionyſium *lib.* 5. *cap.* 82.

CAPUT. XIII.

An procuratores Caeſarum haberent juriſdictionem?

QUaeſtio eſt, non leviter diſceptanda, An procuratores Caeſaris juriſdictionem haberent in provinciis? Jam ſcimus procuratores iſtos fuiſſe miſſos a Caeſaribus ad regendas provincias minores, erantque equeſtris dignitatis, aut etiam liberti: de his, inquam, quaeritur, An haberent juriſdictionem? Et quidem pro negante ſententia haec adduci poſſunt.

I. *l.* 2. *Cod. de poen.* ſic reſcribit Imperator: *Procurator meus exilii tibi poenam non potuit irrogare, ac propterea fruſtra vereris ſententiam, quae nulla juris ratione ſubnixa eſt.*

II. Procuratores tantum colligebant publicos reditus. At ejuſmodi collectio non eſt cum juriſdictione. Dio *lib.* 53. *Procuratores (ita enim appellamus eos, qui publicos reditus exigunt, eroganique) in omnes provincias tam ſuas, quam populi, Caeſar miſit, quoſdam ex equitibus, quoſdam e libertis.*

III. Auguſtus hoc ſingulari decreto conceſſit equitibus, qui praeſiderent Aegypto, ea de cauſa, quod illuc nullus mitteretur, aut proconſul, aut praeſes, aut propraetor: quod igitur ſingulari ratione eſt conceſſum praefectis Aegypti; ab eo dicuntur excluſi reliqui equeſtres procuratores Caeſarum.

IV. Claudius, ut refert Tacitus *lib.* 12. *Annal. cap.* 60. ſaepius contendit, ut procuratorum judicia haberent eandem vim, ac ſi ipſe ſtatuiſſet. Hinc colligere eſt, quod ſaltem ante Claudium juriſdictionem non habebant.

Sed pro ſententia affirmante haec ſunt:

I. in *l.* 2. *Cod. de poenis* ſic legimus: *Procurator meus, qui vice praeſidis non fungebatur, exilii tibi poenam non potuit irrogare.* Ergo procuratores, qui vice praeſidis fungebantur, etiam in criminibus ſententiam ferebant.

II. Procuratores jus habebant in re pecuniaria cognoſcendi, ſtatuendique inter privatos, & fiſcum, ut colligere eſt ex *l.* 11. *Cod. ſi adverſ. fiſc. l.* 8. §. *tranſactiones* 19. *D. de Tranſact. l.* 1. *Cod. de Juriſd. omn. Jud.*

III. Scribet Tacitus *lib.* 12. *Annal. cap.* 60. *Eodem anno ſaepius audita vox Principis, parem vim rerum habendam a procuratoribus ſuis judicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet. Senatus quoque conſulto cautum, plenius quam antea, & uberius.* Et paulo poſt: *Claudius omne jus tradidit.*

IV. Exemplum ſententiae habemus in Pontio Pilato, quam tulit de capite Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

Quid ſtatuendum de hac procuratorum jurisdictione? ego dico:

I. Olim ante Claudium plane privati erant, & rei familiaris curam habebant. Nam de Tiberio, inquit Dio, quod Capito in exilium fuerit miſſus, quod quaedam egiſſet, ὡς ἀρχὴν ἔχων, tanquam habens imperium: nam ſubdit Dio, non licuiſſe illis niſi colligere reditus, & in controverſiis ſolitos comparere in foro, & expectare judicium, velut privatos.

II. Poſtea coeperunt judicare, ſaltem de pecunia fiſcali. Et hoc recte probatur adductis legibus; ubi tamen quaeritur, an proconſul poſſet judicare in ejusmodi cauſa? Reſpondet Ulpianus *de off. proc. pr. l.* 9. *Sane ſi fiſcalis pecuniaria cauſa ſit, quae ad procuratorem principis reſpicit, melius fecerit ſi ſe abſtineat.* Poterat igitur abſolute proconſul judicare.

III. Claudius cum procuratoribus communicavit omnem jurisdictionem: & hoc indicant verba Taciti *lib.* 12. *Annal. cap.* 60. quod tamen exponendum de procuratoribus, qui ſine praeſide regebant aliquam provinciam.

IV. Senatusconſultum ſub Claudio ſic obſervatum eſt ſequentibus temporibus, ut procuratores, qui vice praeſidis fungebantur, haberent jurisdictionem in cauſa etiam criminum. Si vero non fungerentur vice praeſidum, habebant tantum jurisdictionem in cauſa fiſcali, ſive in re pecuniaria inter fiſcum, & privatos. Et hoc rectiſſime probatur ex *l. 2. Cod. de poen.*

Sed ſupereſt quaerere, ſi ante Claudium non habebant jurisdictionem in criminibus, quomodo Pilatus fuit judex, & damnavit Servatorem noſtrum? Reſpondeo, quod, quando in parvam provinciam mittebantur procuratores, abſque praeſide, & propraetore, ipſi etiam judicabant in cauſis criminum; & quod diximus de procuratoribus ante tempora Claudii, hoc exponendum eſt de procuratoribus miſſis in provincias, quibus praeerant aut proconſules, aut propraetores.

CAPUT XIV.
An aliquis poſſit bis manumitti?

PUlchra eſt quaeſtio, an aliquis bis manumitti poſſit? & videtur id negandum: nam qui manumiſſus eſt, libertatem eſt conſecutus, atque adeo liber eſt. Sed liber non poteſt manumitti, *pr. Inſtit. de libertin. Quamdiu aliquis in ſervitute eſt, manui, & poteſtati ſuppoſitus eſt: & manumiſſus liberatur poteſtate.* Et omnes homines aut liberi ſunt, aut ſervi; Liberi non indigent manumiſſione; dicendum tamen eſt, quod bis aliquis poteſt manumitti. Quod ut intelligatur, repetendum, quod alia eſt libertas juſta, ſive perfecta, alia non juſta, & imperfecta. Seneca *de vit. beat. cap.* 24. *Hominibus prodeſſe natura jubet, ſervi, liberive ſint: ingenui an libertini, juſtae libertatis, an inter amicos datae.* Eſt juſta libertas, quando quis manumiſſus eſt vindicta, cenſu, teſtamento, aut in Eccleſia: non juſta, quando quis manumiſſus eſt aut per epiſtolam, aut inter amicos, aut convivii adhibitione. Juſta libertas confert privilegia civium Romanorum: non juſta facit Latinos Junianos, qui nec teſtamenta condere, nec ſibi ex teſtamento aliorum aliquid dimiſſum poſſunt ullatenus vindicare, ut ſcribit Gajus *Inſtit. tit.* 1. poteſt vero qui per epiſtolam, convivii adhibitionem, inter amicos manumiſſus eſt, manumitti vel ante Conſulem, vel in Eccleſia, vel cenſu, vel teſtamento, & tunc perfectam adipiſcetur libertatem: quod etiam ſcripſit Gajus *eod tit.* §. 4. *Latini patronorum beneficio, id eſt, ſi iterum ab ipſis aut teſtamento, aut in Eccleſia, aut ante Conſulem manumittuntur, Civium Romanorum privilegia conſequuntur.* Latinorum autem Junianorum adeo non erat plena libertas, ut poſſent retrahi in ſervitutem a dominis. Frag. SCti veteris: *Hi qui domini voluntate in libertate erant, manebant ſervi: & manumiſſores audebant in ſervitutem denuo eos per vim ducere: interveniebat Praetor, & non permittebat manumiſſos ſervire.* Plin. *lib.* 7. *Epiſt.* 16. *Facile deflectet ad te, ſi voles vindicta liberare, quos proxime inter amicos manumiſiſti.* Ad objectionem in principio propoſitam dico, quod omnes homines aut ſunt liberi, aut ſervi; ſed liberi, aut ſunt perfecte liberi, aut imperfecte: qui manumiſſus eſt per Epiſtolam, convivium, inter amicos liber eſt, ſed libertate non juſta. Quae jam diſputata ſunt, referuntur ad vetuſta tempora: nam poſtea ab Imperatore ſancitum ſcimus, ut quicunque manumitteretur perfectam conſequeretur libertatem.

CAPUT XV.
De ſpatio loci Religioſi.

LEgebam in *l. 2. §. 5. D. de Relig.* Celſus ait: *Non totus, qui ſepulturae deſtinatus eſt, locus religioſus fit, ſed quatenus corpus humatum eſt.* Illud *Quatenus* videtur deſignare tantum illud ſpatium, quod occupatur a corpore humato. Nonius Marcellus in *Protinus: At ipſum tenus licet ſignificatione varietur, tamen maxime finem terminumque ſignificat,* *lib. 2. Aen.* Virg. *v.* 553.

— *Capulo tenus abdidit enſem.* —

Georg. lib. 3. *v.* 53.

Et crurum tenus a mento palearia pendent.

Aen. lib. 3. *v.* 426. *Et pulcro pectore Virgo*
Pube tenus.

Eouſque igitur videtur eſſe religioſus ager, quousque ſe extendit locus occupatus a mortuo. Sed ex antiquis formulis didicimus, quod difiniri ſolebat modus ſpatiumque loci religioſi, ut ſciretur, quid puri loci relinqueretur, Horat. *lib.* 1. *Serm.* 8. *v.* 11.

Pantolabo Scurrae, Nomentanoque Nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat; haeredes monumentum ne ſequeretur.

Acron cippum interpretatur *lapidem in agro erectum, in quo voluntas teſtatoris, & ea eſſent inciſa, quae agri modum, & fines ex utroque ſpatio deſignabant.* Hinc videtur poſſe colligi, totum illud ſpatium fuiſſe religioſum, quod haeredem non ſequebatur: at longe ulterius porrigebatur, quam quatenus corpus humatum continebatur. Quod enim haeredem non ſequitur; quod expers eſt culturae; quod non debet ſentire aratrum; quod relictum eſt mortuo; in quo homini nihil licet facere; quod eſt ſepoſitum ex voluntate teſtatoris propter ſanctitatem aliquam, ob id, quod continet oſſa mortui: illud recte dicitur religioſum. Gell. *lib.* 4. *cap.* 9. ex Sabino; *Religioſum eſt, quod propter ſanctitatem aliquam ſervatum, ac ſepoſitum a nobis eſt, verbum a relinquendo dictum, ut caeremoniae a carendo. L. 4. D. de Relig.* definitur locus Religioſus, *qui expers eſt culturae nec ſentit aratrum.* Feſtus: *Religioſum eum jam non ſit aliquid, quod ibi homini facere liceat, quod ſi faciat, adverſus deorum voluntatem videatur facere.* Haec ut concilientur puto dicendum, quod ſi ſimpliciter ſepeliatur mortuus, abſque ulla deſignatione ſpatii, ex ſuprema voluntate teſtatoris, illud tantum ſpatium ex illatione mortui cenſetur fieri religioſum, *quatenus corpus humatum eſt*, ut Celſum audivimus loquentem. At vero ſi fiat deſignatio a teſtatore, & inſcribatur

cip-

cippo ſpatium, quod haeredes non ſequitur, illud totum cenſetur eſſe religioſum, quod in tabella deſcriptum eſt: *Unuſquiſque enim ſua voluntate facit locum religioſum.* §. *religioſum* 9. *Inſt. de rer. diviſ.* Religioſum enim non accipitur naturali quadem ratione ex corporeo contactu corporis, ſed civili, ita tamen, ut praeſentia corporis neceſſaria ſit: non opus eſt, ut totum ſpatium a corpore humato contingatur. Sufficit, inquam, quod alicubi ſit praeſens corpus. Accedente voluntate teſtatoris ex auctoritate, quam confert lex, civili quodam modo ſpatium totum ſit religioſum, quod haeredes non ſequitur.

CAPUT XVI.
De Cenotaphio.

SCriptores ut docerent Graecorum cenotaphium (quod a Philoſtrato, *lib.* 8. *de vit. Apoll. cap.* 13. pſeudotaphion appellatur) idem eſſe, quod apud Latinos dicitur inanis tumulus, adduxerunt verſus Virgilii *lib.* 3. *Aen. v.* 304. Budaeus *in prior. Annot. in Pand.* ad *l. in tantum* 6. *D. de rer. diviſ.* Henr. Stephanus, *in Theſauro Ling. Graec. in verbo* Θάπτω. J. Lipſius ad *lib.* 3. *Annal.* Taciti. Secuti ſunt auctoritatem Servii ad eundem *lib.* 3. *Aen.* Et certe Cenotaphium, ſi vocabulum ſpectes, nihil aliud eſt, quam inanis tumulus, κενὸς τάφος. Quare mirum non eſt, ſi interpretes *l.* 6. §. 5. *D. de rer. diviſ.* putarunt Marcianum prae oculis habuiſſe verſus Virgil. *lib.* 3. *Aen.* cum ſcriberet: *Cenotaphium quoque magis placet locum eſſe religioſum, ſicut teſtis eu in re eſt Virgilius.* Quomodo vero Marcianus ex verbis Virgilii deducat Cenotaphium eſſe locum religioſum, id vero non puto ita facile poſſe explicari. Ego exiſtimarim duo fraudi fuiſſe Marciano: Primum, quod tumulus ille conſtructus eſſet in luco ad geminas aras. At ſic etiam colligeret Cenotaphium eſſe ſacrum, nedum religioſum. Quicquid enim intra lucum continetur, pluſquam religioſum eſt. Virgil. *lib.* 8. *v.* 597.

Eſt ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem
Religione patrum late ſacer: undique colles
Incluſere cavi, & nigra nemus abiete cingit.

At debebat cogitare Marcianus, aliud eſſe ſacrum ex eo, quod contineatur in loco ſacro; aliud religioſum ex natura ſua. Inanis tumulus Hectoris ſacer erat, quod excitatus eſſet in luco; non erat religioſus, quandoquidem reliquias Hectoris non claudebat, *l.* 8. *D. de rer. diviſ.* & *l.* 6. §. 3. *D. de Rel.* Alterum, a quo videtur Marcianus in errorem impulſus, videtur eſſe, quod tumulus iſte confectus honorandae memoriae magni herois, de quo dictum *lib.* 2. *Aen. v.* 291.

—— —— —— Si Pergama poſſent
Defendi, hac etiam dextra defenſa fuiſſent.

Et ſane, ſi ſuppeteret auctorias alicujus praeclari viri, lubentiſſime ſentirem Cenotaphia magnorum virorum, & Heroum eſſe religioſa, ſicque conciliarem Marcianum cum aliis Juriſconſultis, ut dicerem Marcianum locutum fuiſſe de tumulis eorum hominum, qui cum Hectore numerari poſſunt. Et eo promptius dicerem ab uno corpore duo loca poſſe fieri religioſa, aut etiam plura, ſi ſcilicet de corpore magni viri ſermo ſit, Quaero enim quando reliquiae trunci Pompejani fuerunt conditae in littore, an non locus ille ſtatim fuit factus religioſus? Negabit nemo. Sepulto deinde capite, ſiebatne profanus locus, in quo continebantur oſſa Magni Pompeji? Sed nolo indulgere ingenio, quando perſpicua ratione deſtituor, & teſtimonio egregii Scriptoris. Caeterum, ut dicam, quod ſentio de verſibus Virgilianis: Virgilius neque *lib.* 3. *Aen.* neque *lib.* 6. indicavit, tumulum inanem eſſe religioſum; & nequicquam ſuam ſententiam firmare eſt conatus Virgiliana auctoritate Marcianus, ſive reſpexerit *lib.* 6. ſive 3. *Aen.* Putant aliqui potius reſpexiſſe *lib.* 6. quam 3. Mihi videtur contrarium: nam Marcianus opinionem religionis vult conciliare Cenotaphio ex verbis Virgilii in loco *lib.* 6. *Aen. v.* 505.

Tunc egomet tumulum Rhetaeo in littore inanem
Conſtitui, & magna manes ter voce vocavi.

Religioſum eſſe locum ne minimo colore ſignificare videtur Virgilius. At verba *Aen. lib.* 3. facilius co trahi poſſunt, quando ſit in illis mentio luci, & ararum. At dicent, *Sciebat Poeta, ab uno corpore unicum fieri locum religioſum, non plura, eique perſpectiſſimum erat ex Homero, fuiſſe Hectorem ſepultum in ſolo Trojano.* Ita eſt! haec omnia noverat, ac proinde non exiſtimavit inanem illum tumulum fuiſſe religioſum. Sed verbis Poetae abuſus eſt Marcianus.

CAPUT XVII.
De fundo vendito, uti optimus maximuſque eſt.

NOmine opt. max. utuntur Juriſconſulti, quando agitur de venditione fundi vel aedium, *l.* 169. *D. de verb. ſignif. Adjectio haec, uti optimus, maximuſque eſt, hoc ſignificat, ut liberum praeſtetur praedium, l.* 90. *D. eod. tit. Qui uti optimae, maximae ſunt aedes tradit, dicit illud ſolum ipſas aedes liberas eſſe, hoc eſt nulli ſervire.* Sic in inſcriptione, quae eſt in Gratiano oppido Montisferrati, legitur: *Vettius &c. Hi horti ita uti opt. maximique ſunt cineribus ſerviant meis.* Sicul. Flaccus *de condition. Agrorum: Ad omnes agros ſemper iter liberum eſt: in his verbis comprehenditur, ita ut optimus maximuſque eſt.* Obſervant autem Juriſconſulti quod ex verbis illis: *opt. max.* non liceat colligere ſervitutem ei deberi, ſed tantum eum liberum eſſe a ſervitute, *l.* 169. *D. de verb. ſignif. non etiam, ut ſervitutes ei debeantur.* Ex *l.* 90. *D. ejuſd. tit. Qui uti optimae maximae ſunt aedes tradit, non dicit, ſervitutem illis deberi.* His videntur adverſari, quae leguntur apud Siculum Flaccum *lib. de Conditionibus Agror. Ad omnes agros ſemper iter liberum eſt: nam aliquando deficientibus viis vicinalibus, per agros alienos iter praeſtatur, quae etiam conveniunt precario, ut ſervitutem praeſtent his agris, ad quos neceſſe habent tranſmittere pervium. Nam & in his verbis comprehenditur; ita ut optimus maximuſque eſt.* Sit igitur ager, ad quem non eſt via vicinalis, ſi vendatur cum hac formula; *ut optimus, maximuſque eſt*, intelligetur deberi ei ſervitus, ut per alios agros aditus ad eum ſit. At Juriſconſulti dicunt illis verbis non deberi ei ſervitutem. Reſpondeo, Si ad agrum, qui venditur, ſi via vicinalis, & vendatur cum hac conditione; *uti opt. max.* non intelligitur ineſſe ei ſervitus, ut ad eum eatur per alienum agrum. Quod ſi deſtituatur via vicinali, & undique ab aliis agris circundetur, & vendatur cum conditione: *uti opt. max.* intelligetur ineſſe ei ſervitus, ut ad eum pateat aditus per alienum agrum.

CAPUT XVIII.
An ſervi etiam a Magiſtratibus relegati?

RAevardus ad *l.* 157. *D. de diverſ. Reg. Jur.* ait, quod alia ſit ſervorum, alia item liberorum hominum relegatio: *Servi*, inquit, *in agros; homines liberi in provincias relegari ſolent*; adduciteque verba S. Ambroſ. *in apol. David. cap.* 24. *plerique autem divitum amandare conſueverunt mancipia ſua, & per agellulos relegare, & haec poena gravior aeſtimatur.* Videtur Raevardus velle innuere, quod nulla alia ſit ſervorum relegatio, praeter eam, qua relegantur a dominis: atqui ob crimina etiam a magiſtratibus relegabantur ſervi. Et ad hujuſmodi relegationem puto referenda verba Ulpian. *l.* 2. *D. qui & a quibus man.* quando ait: *Servo competere libertatem non*

poſſe, ſi relegatus moratus ſit in urbe. Quod vero ſervi non ſolum a dominis relegarentur, oſtendunt verba Conſtantii ad Tatianum praefect. urb. *l. 2. C. de ſepulchr. viol. Si ſervus in demoliendis ſepulcbris fuerit deprehenſus, ſi id ſine domini ſcientia faciat, metallo addicatur. Sin vero domini auctoritate vel juſſione urgetur, relegatione plectatur. Et ſi forte detractum aliquid de ſepulchro ad domum ejus villamve provectum reperitur, villa, ſive domus, aut aedificium quodcunque erit, fiſci juribus vindicetur.* Haec omnia perſcribuntur ad Praefectum urbi. Addendum autem ad obſervationem Raevardi, quod non ſolum domini poterant relegare ſervos, ſed & patroni libertos. Tacitus *lib. 13. Annal. cap. 26. Quid enim aliud laeſo patrono conceſſum, quam ut vigeſimum ultra lapidem, in oram Campaniae, libertum releget?*

CAPUT XIX.

De ſervis manentibus ſub tecto, interfecto domino a ſervo.

DOcent Juriſconſulti, quod qui in teſtamento juſſus eſt eſſe liber pure, & directe, exiſtente morte teſtatoris ſtatim liber, & libertus eſt orcinus; quemadmodum etiam ille, qui cum conditione, & in diem juſſus eſt, ſi exiſtat conditio, & extet dies, itidem fit libertus orcinus. Sed quaeritur, ſi interficiatur teſtator a ſervis ſuis, & ſervus, qui in teſtamento jubebatur eſſe liber, manſerit ſub domo, & eodem tecto, num conſequetur libertatem, etiamſi innocens deprehendatur eſſe, & ignarus dominicae necis? R. Extat in hanc rem Senatusconſ. factum ſub Nerone, quod refertur a Tacito *lib. 13. Annal. cap. 32. Factum & SC tum ultioni juxta & ſeveritati, ut ſi quis a ſuis ſervis interfectus eſſet, ii quoque, qui teſtamento manumiſſi, ſub eodem tecto manſiſſent, inter ſervos ſupplicia penderent.* Hoc SCto declaratus eſt vetus mos Romanorum, qui erat, ut omnis familia ad ſupplicium ageretur, quae ſub eodem tecto manſiſſet interfecto domino. Et poterat quaeri, an & illi rapiendi forent, qui in teſtamento jubebantur eſſe liberi? De veteri more teſtatur Tacitus *lib. 14. Annal. cap. 42. Servus interfecit Pedanium: cum vetere ex more familiam omnem, quae ſub eodem tecto manſitaverat, ad ſupplicium agi oporteret.* Nitebatur ratione & SC. & vetus mos: ſic enim Caſſius *ibidem: cap. 44. Creditiſne ſervum interficiendi domini animum ſumpſiſſe, ut non vox minax excideret? nihil per temeritatem proloqueretur? num excubias tranſiret, cubicula fores recluderet, lumen inferret, caedem patraret, omnibus neſciis?* Videbantur igitur illi, qui manſiſſent ſub tecto eſſe conſcii; ſed quid dicendum de illis, quos omnino conſtaret eſſe innocentes, de pueris, de foeminis, quae nihil aut auſae, aut potuerunt? Reſpondendum eſt, ex re geſta apud Eundem, quod omnibus erat pereundum. At iniquum eſt perire innocentes. Reſpondet idem Caſſius: *num & fuſo exercitu, cum decimus quiſque feritur, etiam ſtrenui non ſortiuntur? habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publica rependitur.*

CAPUT XX.

De Quadruplo & Quadruplatoribus.

DE Quadruplo, & Quadruplatoribus breviter loquar, ſed, ut ſpero, non ſine fructu. Quadrupli namque & Quadruplatorum, & apud JCtos, & alios ſcriptores non raro contingit fieri mentio, ut operae pretium ſit, quid haec ſibi velint explicare.

De Quadruplo ut loquamur primum, novimus ſolitos apud veteres ita puniri fures, ut quadruplum reſtituerent. Sed res paulo diſtinctius eſt enarranda. De poena furum ſic loquitur Ulpianus lib. 8. de offic. Proconſ. *l. 1. D. de furibus. Puniendi dum poenam eorum ſciamus operis publici modum non egrediendum.* Oroſius *lib. 5. Hiſt. Furtum ne leges quidem, niſi multa pecuniaria, vel ad ſummum exilii circa quemlibet hominum vindicandum cenſuerunt.* Hoc intelligendum eſt de mediis temporibus: nam ad antiquiſſima ſi recurramus, inquit Servius ad *l. 8. D. de furt. Capitale fuerat ante poenam quadrupli;* quae verba ex ipſo repetit Iſidorus *lib. 5. cap. 26.* Apud Moſen legimus, *Exod. cap. 22. v. 1. Si quis fuerit furatus bovem aut ovem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boves reſtituet pro uno bove, & quatuor oves pro una ove.* Harmenopulus *lib. 6. cap. 5. Proch.* ait poſſe agi adverſus furem dupli actione, aut, ſi res ſit pretioſa, tripli.

Sed non ſolum ad quadrupli reſtitutionem adigebantur fures, ſed & quorum injuſta appellatio comprobata fuiſſet, ad quadruplum, inquam, ſumptuum, qui facti fuiſſent in lite. Hoc legimus apud Auctorem incertum veter. Formul. *Lex Romana pro utilitate humani generis expoſcit, ut ſi quando cujuſcunque injuſta appellatio comprobatur, ſumptus, quos poſt appellationem adverſarium ſuum accuſator compulit ſuſtinere, non in ſimplum, ſed in quadruplum ab accuſatore cogatur reſtitui.*

Ad quadrupli poenam etiam videmus adigi quosdam Judices expilatores, apud Caſſiodor. *variar. lib. 9. Epiſt. 15. In quadruplum jubemus ablata reſtitui.*

Dicamus jam de Quadruplatoribus. Hos Budaeus in *prioribus Annot. in Pand. p. 577.* putavit fuiſſe dictos, *quod perſequerentur ea, quorum ex legibus quadrupli erat actio.* Longe melius *p. 720. Qui pro delationis praemio quartam partem in bonis delatorum conſequebantur:* nam per delatorum artes apud Tacitum videmus innumeros periiſſe, ut amitterent vitam & fiſco bona univerſa addicerentur. Prior igitur illa deſcriptio rejicienda eſt. Taciti verba ſunt: *Contra M. Lepidus quartam accuſatoribus ſecundum neceſſitudinem legis. Lib. 3. Annal. cap. 25.* ait: *Cum omnes domus delatorum interpretationibus ſubverterentur.* De Quadruplatoribus in ordinem redigendis actum ſub Tiberio, ſed a ſaevo Principe nihil obtentum: at Marcus Philoſophus, ut teſtatur de ipſo Capitolinus, *cap. 11. Calumniis quadruplatorum interceſſit, appoſita falſis delatoribus nota.* Juriſconſulti *quadruplatoriam curioſitatem* dixerunt, quia delatores captant diligenter omnes rumuſculos, ut videantur recte deſcribi a Plauto *in Trinummo Act. 1. ſc. 2. v. 169.*

Quod quiſque in animo habet, aut habiturus eſt, ſciunt.
Sciunt id, quod in aurem Rex Reginae dixerit:
Sciunt, quod Juno fabulata ſit cum Jove,
Quae neque futura neque facta ſunt, tamen illi ſciunt.

Et quia Quadruplatores multa fingunt, multa mentiuntur, ut rem faciant, ideo quadruplare Plautus uſurpavit pro decipere *in Perſa, Act. 1. ſc. 2. v. 10.*

Neque quadruplari me volo.

Sed, hactenus, cum de quadruplo egerim, praeterii id, quod nos fugere non debet. M. Cato teſtatur, quod foeneratores mulctabantur in quadruplum; ut obſervavit etiam Alciat. *lib. 2. Praetermiſſ.* Ea forte cauſa eſt, quod Zachaeus foenerator dicat ſe quadruplum reſtituere, *Luc. cap. 19. verſ. 8. Et ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.*

CAPUT XXI.

De differentia inter dominium & poſſeſſionem.

DIfferentia eſt inter dominium ſive proprietatem, & poſſeſſionem; qua de re non pauci JCti ſcribunt: nam ſaepe transfertur poſſeſſio, retento dominio. Et *nihil habet commune dominium ſeu proprietas cum poſſeſſione, l. naturaliter 12. §. nihil commune 1. D. de acquir. poſſeſſ.* Regulariter quidem dominium transfertur per poſſeſſionem, *l. per procuratorem 8. C. de acquir. poſſeſſ.* ſed non ideo licet colligere per translationem poſſeſſionis transferri ſemper dominium in pignore, in conſtitutione uſusfru-

ctus

ctus transfertur poſſeſſio, & tamen non transfertur dominium, *l. naturaliter 12. in princip. l. cum & fortis 35. in fin. D. de pignorat. action.* Qua de re agit Faber *Rational. part. prima p.* 736.

II. In materia feudali maxime tritum eſt, quod ſola poſſeſſio eſt Vaſalli, proprietas vero domini, *lib. 2. tit* 8. §. *ult.*

III. Alia eſt definitio poſſeſſionis, alia proprietatis, *l. 115. D. de verbor. ſignific. Poſſeſſio ergo uſus eſt; ager proprietas loci eſt:* ex quibus verbis Alciat. *ibidem* ſic definit poſſeſſionem, ut ſit uſus rei a proprietate vel jure ſeparatus. Aelius Gallus poſſeſſionem definivit eſſe uſum fundi, vel aedificii.

IV. Id probatur ex Javoleno, *l. 115. D. de verb. ſignific. Poſſeſſio ab agro juris proprietate diſtat: quicquid enim apprehendimus, cujus proprietas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere, hoc poſſeſſionem appellamus:* unde poſſeſſio dicitur fundus, qui non jure ſeu mancipatione nobis comparatus eſt; ſed uſu, & praeſcriptione quaeſitus, ut etiam Feſtus ſcribit. Profertur exemplum de re ſacra, quae poſſideri quidem poteſt, at quoad proprietatem noſtra fieri non poteſt. Exemplum aliud ſit in agris ſubactarum bello provinciarum, qui fiebant populi Romani, *l. ſi captivus* 20. §. 1. *D. de capt.* Livius *lib. 3. cap. ult. Agrum, de quo ambigitur Coriolanorum fuiſſe, captiſque Coriolis publicum populi Romani factum.* Cic. *lib. 5. in Verr. cap. 6. Perpaucae Siciliae civitates bello a majoribus noſtris ſubactae ſunt, quarum cum eſſet ager publicus populi Rom. factus, tamen illis eſt redditus.* Ex agris bello acquiſitis pars in populum dividebatur, parti certum vectigal imponebatur, pars per Cenſores locabatur, pars militibus aſſignabatur: horum agrorum poſſeſſio erat provinciarum; pleniſſimum vero jus proprietatis erat populi Romani. Feſtus ſic ſcribit: *Poſſeſſiones appellantur agri late patentes publici, privatique; quia non mancipatione, ſed uſu tenebantur.* Theophilus *in Inſtit. de rerum divſ. §. per traditionem* 40. ait praedia ſtipendiaria, & tributaria vocari poſſeſſiones in provinciis, quae juſſu Caeſareo tenentur a populo: ergo indicat proprietatem & pleniſſimum jus manere penes Romanos. Neſcio, an ejuſmodi fuerint poſſeſſiones donatae abſque dubio ab Imperatoribus S. Eccleſiae Romanae in Sicilia, in Calabria, Neapoli, Beneventi, in Alpibus Cottiis; neſcio, inquam, an fuerint ejuſmodi agri, qui donati a Caeſaribus Romanae Eccleſiae ſolverent ſtipendium, ſeu tributum, ut tamen de ipſorum proprietate id ſit ſentiendum, quod ſupra dicebamus; an potius dicendum ipſam quoque proprietatem fuiſſe translatam?

Sed contra haec omnia, quae hactenus diximus, objicitur *l. 78. D. de verb ſignif.* ubi habemus, quod poſſeſſio etiam ſignificat proprietatem. Audiamus verba Pauli: *Interdum proprietatem quoque verbum poſſeſſionis ſignificat: ſicut in eo, qui poſſeſſiones ſuas (legaſſet) reſponſum eſt.* Reſpondeo: verum eſt, quod interdum poſſeſſio ſignificat proprietatem, quod non evertit communiorem ſignificatum poſſeſſionis, a nobis ſupra allatum.

CAPUT XXII.

Humiliora negotia a Pedaneis Judicibus diſceptata.

HErm. Vultejus *lib. 2. Juriſprud. Rom. cap.* 1. putat, dictos fuiſſe Judices pedaneos, quod humiliora negotia diſceptarent ex *l. 5. Cod. de pedan. Jud.* diſerte namque inquit Imperator, quod *humiliora negotia diſceptant.* Reſpondeo. Si Judices iſti ideo dicti ſunt pedanci, quod humiliora negotia diſceptarent tantum, fuiſſent nulli pedanei Judices ante tempora Imperatorum. Nam tunc, docente ipſo Vultejo, etiam negotia gravia diſceptabant. Dicet Vultejus, quod ſub Imperatoribus demum coeperunt diſceptare tantum *negotia humiliora*, atque adeo tunc coepiſſe dici pedaneos a negotiis velut humi repentibus, quae a Joſepho *lib. 2. de bell. Judaic.* εὐτελιςέραι διαφοραί. Reſpondeo. Ratio nominis alicui impoſiti non debet eſſe excogitata demum aliquot poſt ſecula. Judicum pedaneorum nomen & res ante tempora Imperatorum in uſu erat. Ergo etiam nota erat ratio, propter quam dicerentur Pedanei. Fatemur pedaneos ſub Imperatoribus ſolitos tractare humiliora negotia, quod etiam ante Vultejum docuit Cujacius ad *Novell.* 82. Sed cum nomen longe eſſet antiquius, neceſſe eſt etiam antiquiorem fuiſſe rationem, quae impulit Romanos, ut Judices quoſdam dicerent Pedaneos. Quare rationem nominis, quam adfert Vultejus ex negotiis humi repentibus, miſſam poſſumus facere.

CAPUT XXIII.

De differentia inter Judices pedaneos, & alios minores Judices.

PEdanei judices non ideo abſolute ſic vocati ſunt, quod in ſubſelliis ſederent: nam etiam alii Magiſtratus ſedebant in ſubſelliis, & tamen pedanei non vocabantur. Paedian. *in Divinat. cap. 15. Sunt enim ſubſellia tribunorum, triumvirorum, quaeſtorum, & ejuſcemodi judicia minora exercentium, qui non in ſellis curulibus, nec tribunalibus, ſed in ſubſelliis conſidebant:* nec propterea nego judices pedaneos uſos ſubſelliis: nec etiam ita ſunt appellati, quod minora negotia diſceptarent: nam jam audivimus, quod etiam alii Magiſtratus *minora judicia exercebant.* Puto itaque hoc eis nomen eſſe inditum, quod darentur a Praetore, quod ipſi eſſent a conſilio, & ad pedes tribunalis aſſiderent, & ex ejuſdem delegatione cognoſcerent cauſas, *l. 1. C. de Jud. ped.* dandi *judicis inter privatas perſonas, l. 2. Praeſides in quibus ipſi non poſſent cognoſcere, antehac pedaneos judices dabant.* Ergo Tribuni, Quaeſtores, Triumviri exercebant judicia minora, ſed non dabantur a Praetore, nec ad ejus pedes, ad tribunal in inferiori loco aſſidebant; propterea non dicebantur judices pedanei.

CAPUT XXIV.

De bonis ejus, qui ſibi mortem conſcivit.

EJus, qui ſeipſum interfecit, fiſcus bona vindicat, ut docet Paulus *lib. 5. Sentent. tit.* 12. §. 4. Sed multum intereſt, qua de cauſa ſeipſum interfecerit. Stoici multis de cauſis putabant aliquem poſſe ſibi ipſi violentas manus inferre; ut ſi quis conflictetur cum morbo, quem depellendi nulla ſit ſpes. Seneca *Epiſt.* 58. *Hunc* (dolorem) *ſi ſciero perpetuo mihi patiendum, exibo, non propter ipſum, ſed quia impedimento mihi futurus eſt ad omne, propter quod vivitur.* Sic legimus obiiſſe Adrianum Imperatorem, & alium virum in dignitate conſtitutum, de quo ſcribit Plinius *in Epiſtola.* Propterea ait Paulus: *ſi valetudinis alicujus impatientia hoc admiſit, non inquietabuntur* (bona defuncti) *ſed ordinaria ſucceſſione relinquuntur.* Aliam cauſam addit Paulus, ob quam etiam non vindicat ſibi bona fiſcus, nimirum ſi ob *taedium vitae* mortem conſcivit. Sic Seneca *eadem Epiſtola* agit de taedii pleniſſima ſenectute: *Non relinquam ſenectutem, ſi me totum mihi reſervabit; totum autem ab illa parte meliore. At ſi coeperis concutere mentem, ſi partes ejus convellere, ſi mihi non vitam reliquerit, ſed animam; proſiliam ex aedificio putrido, ac ruenti.* Tertium adducitur a Paulo, ſi *fecerit pudore aeris alieni.* Huc fere referendum quod habet Plato *lib. 9. de Legibus; Si aliquis interfecerit ſeipſum, hunc talem damnamus, ſi tamen feceris* μηδὲ αἰσχύνῃ τινὶ ἀπόρῳ, *non ignominia pauperis vitae.* Olympiod. addit, ſi quis cum ineluctabili affectu

pugnet, ut puta cum amore. Sic ajunt Didonem non repoſitam a Virgilio inter eos, qui ſe ipſos interfecerunt, & propterea plectuntur apud inferos, ſed in ſylva myrtea cum amantibus. Pronunciat itaque Paulus: *Ejus bona, qui ſibi ob aliquod admiſſum flagitium mortem conſcivit, fiſcus vindicat:* ubi addendum ex *Annalibus* Taciti, quod ſub Imperatoribus ſaevis, ſi quis acceptaſſet ſupremam neceſſitatem ſibi indictam, bona ejus non vindicabantur a fiſco: at ſi quis expectaſſet carnificem, aut militem, non erant haeredum, ſed fiſci. Caeterum quae attulimus ex Stoicis, & Platone plane rejicienda ſunt a Chriſtianis.

CAPUT XXV.

Quoddam caput legis Maniliae?

ANton. Auguſtinus in eruditiſſimo libro *de Legibus*, ubi agit de lege Manilia, ſic ſcribit: *Addunt quidam eundem Tribunum* (C. Manilium) *tuliſſe ut novis hominibus magiſtratus decernerentur, quod a veteribus neſcio an proditum ſit.* Hic duo quaeri poſſunt, an lata fuerit lex, ut *novis hominibus Magiſtratus decernerentur*; & an hujus legis auctor fuerit Manilius Tribunus pl. De primo dubitari non poteſt, quando Salluſtius *in Jugurthina cap.* 65. diſerte ſcribit: *Simul ea tempeſtate plebs, nobilitate fuſa per legem Maniliam novos extollebat.* An vero haec lex lata fuerit a Manilio Tribuno pl. hoc, veteres, quod ſciam, non produnt. Et codices Salluſtiani variant: aliqui habent *Maniliam*, quidam *Mamiliam*, alii denique *Manliam*. Admodum tamen veriſimile eſt ab eodem fuiſſe latam: nam ex Salluſtio colligimus ea tempeſtate fuiſſe datam, qua Marius erat in Africa, aut paulo ante. Ejuſmodi namque lex valde profuit Mario, ut extolleretur ad conſulatum, qui homo novus erat. Et cum hac lege Maniliana habet affinitatem quod Cicero *in Oratione pro Murena cap.* 23. de eadem ſcribit, Sulpitium *confuſionem ſuffragiorum flagitaſſe, & prorogationem legis Maniliae, atque aequationem gratiae, dignitatis, & ſuffragiorum.* Ad eandem namque videtur pertinuiſſe, ut novi homines ad Magiſtratus extollerentur, & eſſet gratiae, dignitatis, & ſuffragio.um aequatio.

CAPUT XXVI,

Quibus relinquere liceret l. 1. C. de Sacr. Eccl.?

SCripſerat Alciatus *Comment. ad Cod. de Sacroſ. Eccl.* Conſtantinus conſtituit, ut quilibet facultatem haberet quantum vellet generali ipſi Eccleſiae relinquendi: fuitque tunc haec lex intellecta, ut non ideo Clericis vel Monachis relinqui poſſet, aut particulari templo: cujus rei rationem Hieronymus quadam ad Nepotianum Epiſtola his verbis attingit: *Pudet dicere, Sacerdoses Idolorum haereditates capiunt; ſolis Clericis, & Monachis hoc lege prohibetur a Principibus Chriſtianis; doleo, cur meruerimus hanc legem.* Non recte hoc ſcripſiſſe Alciatum affirmat Fachinaeus *lib.* 8. *Controverſ. cap.* 49. *Quia*, inquit, *S. Hieronymus loquitur de lege Valentiniani, Valentis, & Gratiani, qui longe poſt Conſtantinum Magnum imperarunt.* Non ita fuit imperitus Alciatus temporum, ut ignoraret imperaſſe Gratianum poſt Conſtantinum; tantum affirmat legem Conſtantini ſic olim intellectam, ut liceret unicuique relinquere quantum vellet generali Eccleſiae; non vero Clericis, & Monachis, aut particulari templo) & rationem hujus interpretationis petit ex S. Hieronymo) tantum colligit ex verbis S. Hieronymi cauſam, ob quam non liceret relinquere Monachis. Sed quaero ex Fachinaeo, an putet ex lege Conſtantini licuiſſe Monachis, & Clericis relinquere? puto non affirmabit: nam lex tantum agit de relinquendo generali Eccleſiae; at hoc nomine non venit hic vel ille Monachus, & Clericus. Apparet autem, quod poſt Conſtantini legem multi praetextu religionis conſueverint ſe obtrudere foeminis, & captaſſe haereditates: hinc Imperatores tulerunt legem, quae eſt *l.* 20. *Cod. Theod. de Epiſcop. Eccleſiaſtici, aut ex Eccleſiaſticis, vel qui continentium ſe volunt nomine nuncupari, viduarum, aut pupillarum domos non adeant, ſed publicis exterminentur judiciis. Cenſemus etiam ut memorati nihil de ejus mulieris, cui ſe privatim ſub praetextu religionis adjunxerint, liberalitate quacumque vel extremo judicio poſſint adipiſci.* Et tamen *hac lege* non eſt revocata Conſtantiniana; igitur *l.* 1. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* ſic explicanda eſt, ut voluerit Imperator licere relinquere generali Eccleſiae, & excluſerit tacite alios haeredipetas.

CAPUT XXVII.

De foeminarum excluſione a civilibus muneribus.

ROmani, quorum judicium maximi faciendum eſt, non ſolum mulieres non promovebant ad imperium, ſed eas etiam a plurimis aliis excludebant, quas judebant eſſe ſub perpetua tutela, ut teſtatur Cicero *in oratione pro Murena cap.* 12. nec poterant eaedem eſſe teſtes, quando condebatur teſtamentum. Excludebantur ab omnibus muneribus publicis, quae virorum tantum cum eſſent, ideo virilia a Juriſconſultis vocabantur; hinc non poterant intercedere pro aliquo in judicio. Sed placet audire Juriſconſultos. Ulpianus *l.* 3. §. 3. *D. de muner. Corporalia munera foeminis ipſe ſexus denegat.* Calliſtratus *l. pen. D. de edendo* teſtatur, *ab omni opera virili foeminas removeri conſueviſſe, & idcirco ad officium argentarii admittendas non eſſe.* Neratius docet *l. ult. D. de tutel. Foeminas tutores dari non poſſe, quia munus illud maſculorum eſt.* Paulus *l.* 12. §. 2. *D. de Judic. Quia receptum eſt, ut civilibus officiis mulieres non fungantur.*

CAPUT XXVIII.

SCti Macedoniani, & legis Scantiniae nomen unde?

LEgibus & Senatusconſultis imponitur nomen non ſolum ab auctoribus, quibus rogantibus fuerunt latae, aut Conſulibus ſub quibus fuerunt promulgatae, ſed etiam, quamvis admodum raro, ab illis adverſus quos, aut quorum occaſione extiterunt. Duo exempla mihi praeſto jam ſunt, ut id comprobem. Veſpaſiani tempore extitit Macedo foenerator, qui juventutem Romanam, mutuis pecuniis, aliiſque nefandis miniſteriis corrumpebat; quae omnia ipſe in libris rationum incertis nominibus perſcribebat: tum quod minime eſſent dilucida, atque apta, quae quibuſque cauſis data eſſent; tum quod dies ſolutionis incertus erat, in mortem ſcilicet, quae expectabatur, patrum. Huic fraudi ut obviam iretur factum eſt SCtum, quod a Macedone vocatum eſt Macedonianum, quod refertur *l.* 1. *D. de SCto Macedon.* Errat autem Theophilus *lib.* 4. *Inſtit.* dum putat Macedonem fuiſſe filiumfamilias: nam ex verbis ipſius SCti liquidiſſime patet Macedonem fuiſſe foeneratorem. Sic enim habet: *Cum inter caeteras ſceleris cauſas Macedo, quas illi natura adminiſtrabat, etiam aes alienum adhibuiſſet, & ſaepe materiam peccandi malis moribus praeſtaret.* Venio ad alterum exemplum, quod eſt in lege Scantinia. M. Claudius Marcellus, Aedilis curulis, diem Scantinio dixit ad populum, quod filium ſuum de ſtupro appellaſſet, qui cum ſe ſua poteſtate excuſare vellet, caeteri Tribuni noluerunt ei auxilio eſſe: itaque ſolo teſte pudentiſſimo adoleſcente producto, eo qui

attentatus fuerat, damnatus eſt; hinc itaque exiſtimamus legem Scantiniam vocatam fuiſſe. De Scantinio autem Tribuno ſcribit Valer. Max. *lib. 6. cap. 1.* Scio alus videri aliunde vocatam, ſed negare nemo poteſt ſententiam noſtram eſſe veriſimilem.

CAPUT XXIX.

Quid teſtes ſuſpectos reddat?

DE teſtibus hoc docet Paulus *lib. 5. tit. 15. §. 1.* quod pr. ſint ſuſpecti teſtes maxime illi, *quos accuſator de domo produxerit.* Tritiſſimum eſt apud Graecos proverbium ἔνδοθεν μάρτυς, teſtis de ſinu, ex domo, in eum plane ſenſum, quo loquitur Paulus; licet habeat etiam alias explicationes: nam Suidas putat dici de eo, qui *poſt mendacium veritatem confitetur.* Nempe ſaepe contingit, ut ille ipſe teſtis, quem accuſator produxerat de domo, tandem rem totam detegat, & impoſturam prodat, ut malum conſilium conſultori fiat peſſimum. Diogenes idem proverbium exponit ἐπὶ τῶν καθ᾽ ἑαυτῶν μάρτυρας φερόντων. *de iis, qui contra ſe teſtificantur:* nempe mendacem oportet eſſe memorem; dum quis alteri calumniam ſtruit, ſeipſum ſaepe in vincula inducit. ſed quicquid ſit de hujus proverbii explicatione, Paulus *ibidem* addit alterum, quod teſtem facit ſuſpectum, *Teſtes*, inquit, *quos vitae humilitas infamaverit, interrogari non placuit.* Ad quod quidem illuſtrandum facit, quod legitur apud Juvenalem: ait quod Romani putarent, quod facile pauperes pejerent, & quod perjuriis ejuſmodi a Diis ignoſcatur, *Sat. 3. v. 137. ſeqq.*

Da teſtem Romae tam ſanctum, quam fuit hoſpes
Numinis Idaei, procedat vel Numa, vel qui
Servavit trepidam flagranti ex aede Minervam,
Protinus ad cenſum, de moribus ultima fiet
Quaeſtio: quot paſcit ſervos, quot poſſidet agri
Jugera, quam multa, magnaque paropſide coenat.
Quantum quiſque ſua nummorum ſervat in arca,
Tantum habet & fidei. jures licet & Samothracum,
Et noſtrorum aras; contemnere fulmina pauper
Creditur, atque deos diis ignoſcentibus ipſis.

CAPUT XXX,

Crimen impietatis quodnam dicatur?

CRimen Majeſtatis vocabatur ſub Tiberio, & aliis Imperatoribus ἔγκλημα τῆς ἀσεβείας *crimen impietatis*: nam inſtar deorum volebant videri, & coli Caeſares: ut igitur impius dicitur, qui vel verbo vel facto laedit Numinis majeſtatem, ita & qui obloquendo, aut imagines Imperatorum frangendo irreverenter ſe gerebat, impietatis dicebatur reus. Tiberius ab initio modeſte ſe geſſit. Sic enim de ipſo ſcribit Dio *lib. 57.* ex verſione latina: *Impietatem in ſe (jam enim impietatis nomen id generis peccatis tribuebatur, multiſque ob eam dies dicebatur) penitus diſſimulabat, neque ullam accuſationem hujuſmodi propter ſe factam admittebat.* At paulatim ad ſaevitiam deflexit, & ejuſmodi accuſationes recepit; nam idem Dio ſic ſcribit: *Violati numinis poſtulari juſſit non modo qui contra Auguſtum, ſed etiam qui contra ipſum, aut contra Matrem quicquam egiſſent, locutique eſſent incommodius.* Alibi ſcripſi a nonnemine ex Imperatoribus revocatam fuiſſe legem Juliam Majeſtatis, & expoſui revocationem ejuſmodi non extendendam ad quaecumque capita legis Juliae, ſed illud tantum, quo dicta arguebantur: nunc occurrit locus ex Dionis *lib. 60.* ubi ſic ſcribit de Claudio: *Majeſtatis accuſationes & literis, & ipſo quoque facto abolevit*; intellige, ut jam dixi, de accuſationibus, quibus dicta arguebantur: nam quatenus facta arguuntur, nunquam a quoquam revocata fuit lex Majeſtatis, qua nulla eſt magis neceſſaria imperiis. Caeterum expendendae ſunt vices legis Juliae Majeſtatis, a qua dicta arguebantur. Apud Veteres (ut jam didicimus ex Tacito *lib. 1. Annal. cap. 72.*) *facta arguebantur, dicta impune erant.* Primus Auguſtus ſpecie ejuſmodi legis in Caſſium uſus eſt. Tiberius ſub initium principatus modeſte ſe geſſit: inde punivit, qui incommodius locuti fuiſſent. Claudius eam plane abolevit: de ſubſecutis Caeſaribus expenpenda ſunt verba Modeſtini *l. famoſi 7. §. 3. D. ad leg. Jul. Majeſt. Nec lubricum linguae ad poenam facile trahendum eſt. Quamquam enim temerarii digni poena ſint, tamen ut inſanis illis parcendum eſt, ſi non tale ſit delictum, quod vel ex ſcriptura legis deſcendit, vel ad exemplum legis vindicandum eſt.* Tandem poenam omnem ſuſtulit Theodoſius, ut tamen vellet reſcire, quinam oblocuti eſſent, *l. unic. Cod. ſi quis Principi maledixerit.*

CAPUT XXXI.

De Tiberii calliditate in reperiendo novo jure.

NIhil notius, quam ſervum in caput domini torqueri non poſſe. Cicero *pro Dejotaro Rege, cap. 1. Cum more majorum de ſervo in dominum ne tormentis quidem quaeri liceat.* Nec etiam de illo poteſt eſſe difficultas, ſi quaeratur, an ſervus municipum poſſit in caput uniuſcujuſque ex municipio torqueri? Sic enim ſcribit Ulpianus lib. 8. de officio proconſulis, *l. 1. §. 7. D. de Quaeſt. Servum municipum poſſe in caput civium torqueri, ſaepiſſime reſcriptum eſt: quia non ſit illorum ſervus, ſed reipublicae, idemque in caeteris ſervis corporis dicendum eſt, nec enim plurium ſervus videtur, ſed corporis.* Hoc vetuſto jure receptum fuit apud Romanos. Et deſcribitur a Tacito magna Tiberii calliditas in condendo jure novo: nam ut poſſet torquere ſervos in caput dominorum, eos a dominis abſtraxit, & auctori publico mancipavit. Verba Taciti ſunt *lib. 2. Annal. cap 30. Negante reo, agnoſcentes ſervos per tormenta interrogari placuit. Et quia vetere SCto quaeſtio in caput domini prohibebatur, callidus, & novi juris repertor Tiberius, mancipari ſingulos auctori publico jubet*; ſcilicet ut in Libonem ex ſervis ſalvo Senatusconſulto quaereretur.

CAPUT XXXII.

An interdicti aqua & igni amitterent bona?

EX Verbis Ovidii *lib. 5. Triſt. el. 2. v. 57. el. 11. v. 9.*

Nec mea conceſſa eſt aliis fortuna, nec exul
Edicti verbis nominor ipſe ſui.
Fallitur iſte tamen, quo judice nominer exul,
Mollior eſt culpam poena ſecuta meam.
Nec vitam, nec opus, nec jus mihi civis ademit.

Colligunt aliqui, quod quicumque jubebatur exulare, eo ipſo exuebatur omnibus bonis. Ego vero puto, quod niſi nominatim exprimeretur ablatio bonorum in ſententia, exul retinebat ſua bona, ſi non omnia, ſaltem partem. De Caeſare Suet. *cap. 42. Poenas facinorum auxit: & cum locupletes eo facilius ſcelere ſe obligarent, quod integris patrimoniis exulabant: porricidas bonis omnibus, reliquos dimidia parte multavit.* Auguſtus vero, ut refert Dio *lib 56.* ſanxit, ut iis omnibus, quibus aqua & igni eſſet interdictum, non plus poſſidere liceret quingentis millibus nummum: imo tunc aquae & ignis interdictis non adimebatur jus teſtandi. Tiberius vero, ut tradit Dio *lib. 57.* lege lata interdictis aqua & igni ademit omnem teſtamenti factionem. Dices, Gajus *l. 8. §. 1. D. qui teſt. fac. poſſunt* ſic ſcribit: *Si cui aqua & igni interdictum ſit, ejus nec illud teſtamentum valet, quod ante fecerit, nec id, quod poſtea. bona quoque, quae tunc habuit, cum damnaretur, publicarentur.* Ex quibus colligitur, quod cum exilio, ſive aqua & igni interdictione connectitur non poſſe teſtari, & bonorum publicatio. Ergo recte ex verbis Ovidii colligitur, exilium ſemper eſſe conjunctum cum publicatione bonorum. ℞. poſt Auguſti tempora id quidem verum

rum eſt, quod ſcribit Gajus; at, quando Ovidius ſcribebat, ſub Auguſto integris patrimoniis exulabatur, aut poſt legem latam ab eodem Imperatore, ſi parricidae bonis omnibus, reliqui dimidia tantum parte multabantur. Sed dices, cur igitur extollit benignitatem Auguſti Ovidius, quod tantum relegatus fuerit, non vero exulare juſſus? ℞. ſi exuli aqua & igni fuiſſet interdictum, ſaltem dimidiam partem bonorum amiſiſſet.

CAPUT XXXIII.
De Crimine Ambitus.

CRimen ambitus definitur, *ſuffragiorum data pecunia corruptio*: pecuniae autem nomine quid intelligatur notum ex *l. 222. D. de verb. ſignific.* Sed quaeritur, An non & ambitus crimen committatur, ſi vi publica extorqueantur ſuffragia? videtur affirmare Ant. Auguſtinus ex verbis Pauli JCti *lib. 5. Sent.* nam lib. *de Legibus*, ubi agit de lege Julia ambitus, profert haec verba Pauli: *Petiturus Magiſtratum, vel provinciae Sacerdotium, ſi turbam ſuffragiorum cauſa conduxerit, ſervos advocaverit, aliamve multitudinem conduxerit, con: ictus, ut vis publicae reus, in inſulam deportatur.* Ex quibus verbis colligi videtur, quod mutila ſit definitio criminis ambitus a nobis allata, quando non ſolum pecunia, ſed & vi corrumpi poſſunt ſuffragia. Ego vero pace tanti viri putarim, verba Pauli non referenda ad legem Juliam ambitus, ſed ad illam, quae eſt de vi publica; quod ex duobus colligo: Primo, Paulus ait, quod qui adduxerit ſervos, *ſit reus vis publicae*: cur non dixit ſit reus ambitus? ergo puniendus eſt ex lege Julia de vi publica, non ex lege Julia ambitus. Secundo, crimen ambitus punitur, ut docet Modeſtinus *l. un. §. 1. D. ad l. Jul. ambit.* ex SCto *centum aureis cum infamia*: at crimen vis publicae longe gravius eſt, & ait Paulus, quod qui ſuffragiorum cauſa ſervos convocavit, ut vis publicae reus *in inſulam deportatur.*

CAPUT XXXIV.
Quando lex ambitus ceſſaverit Romae?

MOdeſtinus lib. 2. de poenis ut eſt in *l. un. D. ad l. Jul. ambit.* docet, *legem illam ceſſare in urbe, quia ad curam principis creatio magiſtratuum pertinet, non ad populi favorem.* Ceſſabat in urbe lex tempore Modeſtini: at quaerendum eſt, quando coeperit deſinere? Auguſtus ambitum coërcuit, imo fuit auctor legis. Sueton. *in Aug. cap. 40. Comitiorum quoque priſtinum jus reduxit, ac multiplici poena coërcito ambitu*: ubi viget jus ſuffragiorum, ibi quoque locum habere poteſt lex coërcens ambitum: nam ſuffragiis creantur Magiſtratus. Sed num tempore Auguſti ſuffragiis populi creabantur omnes Magiſtratus? Reſpondendum, quod Auguſtus reduxit priſtinum jus ſuffragiorum, non quale fuit ante bella civilia prima, ſed quale erat ſub Caeſare, de quo Sueton. *cap. 41. Comitia cum populo partitus eſt, ut exceptis Conſulatus competitoribus de caetero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciarentur; pro parte altera, quos ipſe dediſſet. Et edebat per libellos circum tribus miſſos ſcriptura brevi: Caeſar Dictator illi tribui; commendo vobis illum, & illum, ut veſtra ſuffragio ſuam dignitatem teneant.* Hanc igitur conſuetudinem, quae per ſecunda bella civilia evanuerat, reſtituit Auguſtus: quare lex ambitus non ceſſabat in petitione Magiſtratuum, praeter Conſulatum. De Magiſtratibus, qui mittebantur in provincias, obſervanda verba ejusdem Sueton. *in Aug. cap. 47. Provincias validiores, & quas annuis magiſtratuum imperiis regi nec facile nec tutum erat, ipſe ſuſcepit, caeteras pro conſulibus ſortito permiſit.* In ſortitione ergo proconſulatus poterat committi crimen ambitus, & coërceri lege Julia. Sub Tiberio manſit quaedam umbra ſuffragiorum, nec voluit videri aſtutiſſimus princeps omnia ad ſe trahere. De comitiis, quibus creabantur Conſules, nil certi habet quod proferat Tacitus *ſub finem lib. 1. Annal.* Dio videtur omnem conſulum renunciationem ad Tiberium referre, aliorum Magiſtratuum ad Senatum, commendatione principis interpoſita. De eodem ſcribit Tacit. *lib. 1. Annal. cap. 14. Candidatos praeturae duodecim nominavit. tunc primum e campo comitia ad patres tranſlata ſunt: nam ad eam diem, etſi potiſſima arbitrio Principis, quaedam tamen ſtudiis tribuum fiebant.* Cajus teſte Sueton. *in ej. vita cap. 16. tentavit comitiorum more revocata ſuffragia populo reddere.* Sed id omiſſum.

CAPUT XXXV.
De Orcino liberto.

NOn ea, qua par eſt, diligentia exponitur vulgo, quicquid proferendum erat, quando de Orcino liberto agitur: ego id breviter conabor praeſtare.

I. Qui necem domini detegit, & praemium conſequitur, libertatem nempe, Orcinus fit libertus, *l. 5. D. qui ſine man. ad libert.* nempe haeredi illius, qui fuit interfectus, non obſtringitur, ut libertus patrono. Servus autem, detegens necem domini, conſequitur libertatem ex praeſumpta domini voluntate.

II. Qui pure & directe juſſus eſt eſſe liber in teſtamento, poſt mortem teſtatoris ſtatim fit liber, & dicitur Orcinus. Ulpiani *Fragm. tit. 2. Qui teſtamento liber eſſe juſſus eſt, mox quam eu baeredibus adierit baeriditatem, liber fit.*

III. Qui juſſus eſt eſſe liber in teſtamento in diem, aut ſub conditione, extante die, vel conditione, liber eſt & dicitur Orcinus, *l. cum quaſi 30. §. quaerendum 12. D. de fideicomm. libert. l. 3. §. plane 3. D. de legit. tut.* Sed quaeritur, an liber ſit pendente conditione, & non extante die? Reſpondet Ulpianus *in Fragm. tit. 2. Qui ſub conditione teſtamento liber eſſe juſſus eſt, ſtatu liber appellatur: ſtatu liber, quamdiu pendet conditio, ſervus baeredis eſt.* Quid ſi impediat haeres quo minus impleatur conditio, an non liber erit, & Orcinus? Reſpondet & affirmat idem Ulpian. *ibid. §. 5. Si per baeredem factum ſit, quo minus ſtatu liber conditioni pareat, perinde ſit liber, atque ſi conditio expleta fuiſſet.*

IV. Latitante fideicommiſſario, & non manumittente, Praetor cauſa cognita libertatem deberi pronunciat, & liber eſſe juſſus fit Orcinus libertus ex SCto Rubriano. Ubi repetendum, quod docet Ulpian. *in Fragm.* quod libertas & directo poteſt dari, & per fideicommiſſum; hoc modo: fideicommitto haeredis mei, ut Stichum ſervum manumittat; & is, cui per fideicommiſſum data eſt libertas, non teſtatoris, ſed manumiſſoris fit libertus: at ſi ſi mora trahatur, & ex teſtamento pronuncietur liber, jam non eſt obſtrictus fideicommiſſario tanquam libertus. Magnum autem eſt diſcrimen inter Orcinum libertum & alium: nam Orcinus nullum habet patronum; at libertus alius habet patronum, cui quae debeat praeſtare jam ſatis notum eſt. Sed quaeret aliquis, cur ab orco imponitur nomen liberto? num omnes domini, qui jubent eſſe quoſdam ſervos libertos in teſtamento, ad orcum dimittuntur? Reſpondeo: Veteres orci, Ditis nomine, intelligebant in genere ſtatum quemcunque alterius vitae: qui moriebatur, ab ipſis dicebatur deſcendere ad orcum. Videndi verſus Diphili poëtae apud Clem. Alexandr. Virgil. *lib. 6. Aen. v. 273.*

Noctes, atque dies patet atri janua Ditis.

CA-

CAPUT XXXVI.

An Civis Romanus poſſet adſcribi aliis Civitatibus.

QUin aliquis duarum urbium poſſet eſſe civis, dubitari non poteſt ab eo, qui legerit orationem Cic. *pro Archia*: nam ibi contendit poëtam egregium eſſe civem Heracleenſem, & Romanum. Sed animadvertendum eſt, quod domicilium multos annos habuerat Romae, antequam civitate donaretur ab Heracleenſibus, ad quos cum veniſſet cum Lucullo, *adſcribi ſe in eam civitatem voluit.* Hoc ideo obtinuit, ut poſſet deinceps gaudere civitate Romana: nam *Syllani lege, & Carbonis data eſt civitas, Si qui foederatis civitatibus adſcripti fuiſſent, ſi tum, cum lex ferebat, in Italia domicilium habuiſſent, & ſi ſexaginta diebus apud praetorem eſſent profeſſi.* Nunc obſervandum eſt, quod qui cives Romani erant, non poterant deinceps adſcribi aliis civitatibus, niſi Romanam amittere vellent. Sic enim Cicero: *Caeterae civitates omnes non dubitarent noſtros recipere in ſuas civitates; ſi idem nos juris haberemus quod caeteri; ſed nos non poſſumus & hujus eſſe civitatis, & cujusvis praeterea; caeteris conceſſum eſt.* Hinc diſcere eſt, quare Pomponius Atticus noluerit eſſe civis Athenienſis: nam ſcribit Corn. Nepos *in ejus vita cap. 3. Factum eſt ut huic omnes honores, quos poſſent, publice haberent, civemque facere ſtuderent, quo beneficio ille uti noluit: quod nonnulli ita interpretantur, amitti civitatem Romanam alia aſcita.*

PAGANINI GAUDENTII, JURIDICARUM EXPOSITIONUM LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

An Dominus poſſit ſervum ſimul & manumittere, & adoptare?

L*Ibertinus eſt, qui ex juſta ſervitute manumiſſus eſt, l. 6. D. de ſtat. hom. Libertinos vere ab ingenuis adoptari quidem jure poſſe, Maſſurius Sabinus ſcripſit. L. 27. D. de ſtatu hom. Eum qui ſe libertinum eſſe fatetur, nec adoptando patronus ingenuum facere potuit. L. 32. D. de rit. nupt. Sciendum eſt libertinum, qui ſe ingenue dedit adrogandum, quamvis in ejus familia ingenui jura ſit conſecutus, ut libertinum tamen a ſenatoriis nuptiis eſſe repellendum.* Nunc quaero, An eodem actu, & tempore quis poſſit ſervum & libertate donare, & adoptare? Reſpondeo. Si quis volens ſervum adoptare nominet eum filium, & dicat ſe eum adoptare, ex ejusmodi actu hoc tantum conſequitur, ut manumiſſus dicatur, §. *fin. Inſtit. de adopt.* Quod apud Catonem bene ſcriptum refert antiquitas; *ſervos, ſi a domino adoptati ſint, ex hoc ipſo poſſe liberari.* Quod ſi poſtquam eum manumiſit ſolemni more, ſubjungat ſe etiam eum velle adoptare, profecto nihil vetat: quid vero conſequetur ad ejuſmodi adoptionem? non quidem libertus fiet ingenuus, ſi jura publica reſpiciamus; verum enimvero hoc ipſe conſequetur, ut in jure privato in ſucceſſione, in dominio, & aliis cenſeatur ipſius filius, cum tranſierit in ipſius familiam. Ita conciliantur leges: nam Cato dixit, ſi dominus ſervum adoptaverit, non filium ſed liberum fieri, *cum ne libertinum quidem liceat filium adoptare.* Imo licet; ſi loquamur de adoptione, ut complectitur jura privata.

CAPUT II.

Cur obſides teſtari non poſſent?

NOtiſſimum eſt, obſides teſtari non poſſe, *l. obſides 11. D. qui teſtam. fac. poſſ.* Cauſam putat Cujacius ad *eand. l.* quia non ſunt cives Romani, ſed perigrini. Eſt qui Cujacium reprehendit, putatque in *ea lege* ſermonem eſſe, non de obſidibus datis Romano imperio, ſed de illis, quos Romani dediſſent aliis: nam cui notum non erat, quod non poſſent teſtari, quando peregrini eſſent? Propius vero fuerit docere, ideo deſtitutos fuiſſe teſtamenti factione, quod captivorum inſtar eſſent; nam *l. Divus Commodus 31. D. de jure fisci.* eodem loco habet captivos, & obſides. Ego vero exiſtimarim, immerito Cujacium erroris inſimulari; & duplici ratione probarim agi de obſidibus, a Romano populo non datis, ſed acceptis: nam quando auditum, poſtquam imperium extra Italiam ſe porrexit, quod Romani dederint obſides? procul fuiſſet hoc a tanta majeſtate. At frequenter a Parthis, Germanisque miſſi ſunt Romam ex ſanguine regio, qui pignus eſſent pacis: videatur Tacitus *lib. 2. Annal.* Suet. *in Auguſto.* Dio non uno loco. Praeterea intelligimus ex *l. ſed ſi accepte 32. D. de jure fiſci*, quod eis quandoque populus Romanus poteſtatem teſtandi fecerit, praeſertim permittendo uſum togae, ut obſervat idem Cujacius ad *l. obſides 11. D. qui teſtam. fac. poſſ.* unde deducere eſt ſermonem eſſe de peregrinis, qui fierent cives Romani permiſſione togae, non de Romanis civibus datis obſidibus, qui non indiguiſſent ejusmodi privilegio. Hinc etiam videre eſt, quod ideo obſides accepti a Rom. populo non poterant teſtari, quia non erant cives Romani. Sed inquit Gregorius Lopez *Animadv. libro cap.* 18. ex *l. Divus Commodus* 31. *D. de jure fisci:* ideo obſides non potuiſſe teſtari, quod eſſent velut captivi. Sed reſpondeo, quod aliud eſt diſcere bona captivorum & obſidum, ſi moriantur, eſſe fisci; aliud autem ſentire obſides eſſe velut captivos: nam verum quidem eſt, quod nec obſides teſtari poſſunt, nec captivi; ac proinde bona eorum rediguntur ad fiſcum, & propterea in *illa l.* componuntur, & exaequantur. At ſi quaeratur cauſa, cur captivi non poſſint teſtari, nec obſides? non eadem in utroque hominum eorum genere adſerenda eſt. Illi namque non habent teſtamenti factionem, quia ſervi ſunt, *l. 3. ad fin. de verb. ſignif.* hi vero, quia cives Romani non ſunt: quod hoc argumento evinco. Permiſſione uſus togae obſides conſequuntur jus teſtandi; ergo non ſunt captivi: nam ipſorum conditio, quoad detentionem non immutatur privilegio civitatis Romanae. Sed dices, uſus togae confert utrumque & civitatem, & libertatem; ergo obſides & ſunt ſervi, & civitate carent. Reſpondendum puto: quod aliud eſt capi in bello, & poſtea detineri captivum; aliud a volentibus ex pacto convento tradi fidei firmandae cauſa. Illo modo amittitur libertas; non iſto. Sed rurſus inquit idem Gregor. *eod. cap. a.* 10. obſides ſunt apud hoſtes, & in co-

Google

eorum poteſtate, ita ut ſi fides ab his, qui dederunt, non ſervetur, vitae, neciſque eorum poteſtas apud detinentes ſit. Hoc ſi aliquid probaret, etiam oſtenderet obſides eſſe ſervos: at fatetur ipſe Lopez *n.* 11. vere ſervos non eſſe. Quod ſi quaeratur, cur vitae & necis in ipſos habeatur poteſtas? regerendum eſt, id fieri, quia velut pignoris cujusdam jure tenentur.

CAPUT III.

Interrogationes an frequentes tempore Calliſtrati?

IN *l.* 1. §. 1. *D. de interrogat. in jur. fac.* ſic legimus: *Interrogatoriis autem actionibus hodie non utimur; quia nemo cogitur ante judicium de ſuo jure aliquid reſpondere:* ad quad annotat Gothofredus hanc particulam, *hodie*, non eſſe Calliſtrati, ſed Triboniani, vetera jura ad ſuum tempus accommodantis. Sed illud *hodie*, eſſe Calliſtrati duo videntur oſtendere. Primum eſt, quia etiam tempore Calliſtrati minus erant frequentes interrogationes, ut inter tempora Calliſtrati, & Triboniani non ſit diſcrimen. Alterum eſt, & quidem praecipuum, quia ſtatim in *eodem* §. *Ideoque minus frequentantur, & in deſuetudinem abiverunt. Sed tantummodo ad probationes litigatoribus ſufficiunt ea, quae ab adverſa parte expreſſa fuerint apud Judices, vel in haereditatibus, vel in aliis rebus, quae in cauſis vertuntur.* Itaque dicamus neceſſe eſt, aut totam prope legem eſſe Triboniani (quod abſurdum eſt) aut illud, *hodie* eſſe Calliſtrati non minus, quam reliqua. Apud Apulejum *in Apol.* ſic legimus: *Itane eſt, Aemiliane, ſic accuſas, ut omnia a reo percontere, nihil ipſe adferas cognitum. quamobrem piſces quaeris? cur aegram mulierem inſpexiſti? quid in ſudario habuiſti inſutum? Accuſatum an interrogatum veniſti? ſi accuſatum, tute argue, quae dicis; ſi interrogatum, noli praejudicare quid fuerit; quod ideo te neceſſe eſt interrogare, quia neſcis.* Vides diu ante Tribonianum iniquum viſum interrogationibus urgere reum. Eodem modo D. Ambroſius illos exagitat, qui inſpectionem virginum petebant, nullis contra earum pudicitiam inſtructi rebus aliis, *lib.* 8. *Ep.* 63. quod ad locum Apuleji obſervatum a Scip. Gentili.

CAPUT IV.

An quis a Judice poſſit compelli ad accuſandum vel agendum?

AN aliquis poſſit cogi ad agendum, videtur eſſe controverſia. Scip. Gentilis *n.* 20. *ad Apuleji Apol.* docet, quod olim nemo cogi poterat accuſare vel agere; quod probat, quia Apulejus inquit: *ultro eos ad accuſandum crebris flagitationibus provocavi.* Ubi videmus, quod Adverſarii ab Apulejo flagitationibus & convicio potius provocati fuerunt ad accuſandum, quam compulſi legibus: innuitque detorqueri conſtitutionem Diocletiani in *l.* 5. *Cod. de ingen. manum.* taciteque reprehendit Doctores, quod extenderint hoc, dixerintque poſſe aliquem cujuſcumque criminis, imo & debiti inſimulatum implorare officium Magiſtratus, quo cogat inſimulatorem ultro agere, & probare objecta. Silicet hoc facit compendium illius legis: *contra diffamantem aliquem de ſervitute, poteſt judex ad inſtantiam diffamati, tempus illi praefigere, intra quod debeat agere.* Igitur non eſt ſermo de debito nec de quocunque crimine: ſed tantum conſtituit Imperator contra diffamantem de ſervitute. Ex lege tamen colligimus, quod licet judicem interpellare, ut vocet diverſam partem, ut contradictionem faciat. Sed interpellare judicem, ut vocet alterum, non eſt eo deducere eum, ut cogat alteram partem agere, vel accuſare: non enim ſtatum dicitur quem quis cogere judex ad agendum, ſi cum vocaverit, ut contradictionem faciat. Quod ſi diffamans nihil agat, ſic vocatus, commotus allegationibus diffamati Judex poterit diffamatori imponere ſilentium. Neſcio autem, quomodo *hanc legem* traxerint ad cauſas civiles. In *l.* 4. *C. de uſur. pupill.* habemus, quod quis denuntiationibus frequenter interpoſitis ad judicium alium *provocare* poſſit: at non propterea ſequitur, quod judex poſſit ipſum compellere ad agendum. *Lex* autem *C. unica* clare habet: *invitus agere, vel accuſare nemo cogatur.* Inclino igitur in ſententiam Scipionis, licet exiſtimem argumentum, quod conſtruitur ex verbis Apuleji, non eſſe adeo ſolidum.

CAPUT V.

Quod D. Pius aliquid detraxerit SCto Neroniano.

TEmporibus Neronis ait Tacitus *lib.* 13. *Annal. cap.* 32. factum fuiſſe SCtum, *ultioni juxta & ſecuritati, ut ſi quis a ſuis ſervis interfectus eſſet, iiquoque qui teſtamento manumiſſi ſub eodem tecto manſiſſent, inter ſervos ſupplicia penderent.* Moderatus eſt ſeveritatem hujus SCti D. Pius, ut diſcimus ex Ulpiano *l.* 1. §. 5. *D. de SCto. Syllan. In eo, cui fideicommiſſa libertas pure debetur, extat reſcriptum Divi Pii ad Jubentium Sabinum, quo oſtenditur, non eſſe feſtinandum ad tormenta ejus, cui fideicommiſſa libertas debetur, & magis eſt ne puniatur ob hoc, quod ſub eodem tecto fuit, niſi particeps ſceleris fuerit.* D. Pius moderatur SCtum Neronianum in duobus: Primo, quod non ſit feſtinandum ad tormenta ejus, qui teſtamento eſſet manumiſſus. Secundo, quod manumiſſus, ſi manſerit ſub eodem tecto, ſed particeps non fuerit ſceleris, non debeat puniri: at SCto Neroniano plectebatur quicunque manſiſſet ſub eodem tecto, etiamſi particeps ſceleris non fuiſſet. Dices, SCtum Neronianum loquitur de eo, qui manumiſſus ſit teſtamento: at D. Pius legem fert de eo, cui fideicommiſſa eſt libertas pure; non igitur videntur de eodem locuti. Sed reſpondeo, quod ſi D. Pius putavit non eſſe feſtinandum ad tormenta ejus, cui fideicommiſſa fuiſſet libertas pure, multo magis idem ſtatuit de eo, qui juſſus fuiſſet ſimpliciter in teſtamento eſſe liber: nam hic erat melioris conditionis, quam ille: cui enim fideicommiſſa erat libertas, manumittebatur ab haerede, & fiebat ejus libertus.

CAPUT VI.

A quibus muneribus vacarent Philoſophi?

VAcationem a muneribus largiebantur Romani profeſſoribus, & Philoſophis, & ejuſmodi hominibus, quia pauci erant; nam ſi plurimi extitiſſent, & in ampliſſimas familias diviſi, neſcio an tot privilegia impertiti fuiſſent. Excuſatio tamen habebat ſuos limites, neque in immenſum extendebatur, *l.* 2. §. 8. *D. de vac. & excuſ. mun.* Non excuſantur literatores: *Qui pueros primas literas doceat, immunitatem a civilibus muneribus non habent*; quamvis praeſidis ſit dare operam, ne onera non ferenda iis imponantur. De Philoſophis notatu digniſſima ſunt verba Papiniani, *l.* 8. §. 4. *D. de vac. & excuſ. mun. Philoſophis, qui ſe frequentes atque utiles per eandem ſtudiorum ſectam contendentibus praebent, tutelas, item munera ſordida corporalia remitti placuit, non ea, quae ſumptibus expediantur: etenim vero Philoſophantes pecuniam contemnunt, cujus retinendae cupidine fictam adſeverationem detegunt.* Philoſophi, ſua profeſſione praeferunt neglectum divitiarum, quod ſi intempeſtive, & audacter ſubinde ambiant privilegia ab oneribus, quibus obnoxii ſunt reliqui cives, detegent animi propenſionem, deſiderium nempe nummorum, quod procul debet eſſe a ſapientiae profeſſoribus. Ubi nunc ſunt illi, qui cum velint videri terram ſuſpenſo pede tenere, toti tamen ſunt in venandis latifundiis? apud Romanos

ex-

excuſabantur a tutelis, ne avocarentur a ſtudiis. Vacabant a ſordidis muneribus, ut deferretur aliquid honoris iis, qui praeirent aliis ad doctrinam: at cur ſubtraherent ſe oneribus, quae feruntur pendendo pecuniam?

CAPUT VII.

Vacatione publici muneris quid intelligatur?

MUnera vel ſunt ordinaria, vel extraordinaria: ordinaria ſunt, quae lege, Senatsconſulto, conſtitutionibus principum injunguntur, *l. un. C. de vac. publ. mun.* ubi Bartolus notat, quod *vocatio ſimpliciter conceſſa non porrigitur ad publica munera.* Qui impetravit publici muneris vacationem non poterit compelli ad extraordinaria; ergo haec ſunt illa, quae neque lege, neque Senatusconſulto, neque conſtitutionibus principum injunguntur. Cui igitur conceditur vacatio publicorum munerum, non intelligitur eſſe immunis ab ordinariis: nam quae obſunt publicae utilitati ſtricte explicanda ſunt. Sed vacatio a publicis muneribus incommodat Reipublicae; hinc adeo fiet, ut vacationem obtentam ab aliquo privato non extendamus ad quaecumque munera, ſed poterimus illam continere intra limites extraordinariorum munerum. Sic enim Gordianus: *Si coeperis* (alloquitur eum, qui gaudebat vacatione publici muneris) *ad munera extraordinaria a Magiſtratibus devocari, appellatione interpoſita, poteris apud praeſidem juris rationibus protegi.* Dices, privilegia eſſe latiſſime interpretanda, atque adeo vacationem muneris publici ad ordinaria eſſe deducendam. Reſponſio facilis eſt: nec enim ita extollenda, quae ſingulatim alicui conferuntur, ut lex aliqua evertatur. At diſerta verba ſunt Gordiani, ut ſciamus, quid publici muneris vacatione intelligatur. Accedit ex *l. 6. D. de vacat. & excuſ. mun. Hi qui muneris publici vacationem habent, ad ea, quae extra ordinem imperantur, compelli non ſolent.* & *l. 8. §. 3.* adhuc clarius loquitur Papinianus: *Qui muneris publici vacationem habet per magiſtratus ex improviſo collationes indictas recte recuſat: eas vero, quae a lege fiant, recuſare non debet.*

CAPUT VIII.

De poena adulterii immutata.

IMmutatum eſt in poena adulterii: nam temporibus Auguſti relegabantur. Legimus apud Dionem quod Caeſar relegarit in inſulas adulteros ſuae filiae; & in eam ſententiam eunt graves viri, ut dicant ob adulterium pulſum urbe Ovidium. At ille ait, *lib. 2. Triſt. v. 137.* ſe non in exilium miſſum, ſed relegatum:

Quippe relegatus, non exul dicor in illo.

Non amiſerat civitatem propter adulterium; non ei fuerat aqua & igni interdictum. Ex Romuli legibus invaluerat, ut relegatione tantum punirentur adulteri. Auguſtinus *de C. D. lib. 3. cap. 5.* negat morte punitas adulteras a Romanis. *Romani*, inquit, *antiqui adulteras foeminas, quamvis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant*, *l. 5. D. de quaeſt. Si quis viduam vel alii nuptam cognatam, cum qua nuptias contrahere non poteſt, corruperit, in inſulam deportandus eſt: quia duplex crimen eſt, & inceſtum, & adulterium.* Dices; poena adulterii in *hac lege* videtur eſſe deportatio; non igitur tantum relegabantur. Reſpondeo, quod hic agitur de eo, qui adulterium & inceſtum perpetravit. Si ſimpliciter commiſiſſet adulterium, relegaretur. Conſtantinus auxit poenam *l. 30. C. ad l. Jul. de adult. Sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet.* Jus Authenticorum *Novell. 134. cap. 10. hodie adultera verberata in monaſterium mittatur, quam intra biennium viro recipere licet.* Gothofredus ex *l. 5. D. de quaeſt.* colligit poenam adulterii fuiſſe deportationem. Sed neſcio quam recte hoc inde colligitur: nam ibi agitur de eo, qui duplex crimen perpetraverat; inceſtum nempe, & adulterium: at duplex crimen gravius punitur. Dices, Auguſtus occidit quoſdam libertos adulteros, & Claudius uxorem Meſſalinam; igitur poena adulterii olim erat ſanguinis. Ego dico, quod Auguſtus voluerit gravius punire libertos, quam cives; & Claudius occidit uxorem, non tam propter adulterium, quam quod alteri nupſiſſet: videndus Tacitus.

CAPUT IX.

De infantibus θρέπτοις quid Trajanus?

QUaeſtio gravis fuit, quid dicendum de expoſitis infantibus, quos Graeci θρέπτους vocarunt. Plinius, cum neſciret quid ſtatuendum, conſuluit Trajanum, *lib. 10. Ep. 71. Ad totam provinciam pertinens quaeſtio eſt de conditione, & alimentis eorum quos vocant θρέπτους; in qua ego auditis conſtitutionibus principum, quia nihil inveniebam, aut proprium, aut univerſale quod ad Bithynos ferretur, conſulendum te exiſtimavi.* Extabant Epiſtolae Domitiani ad Avidium Nigrinum, & Armenium Brocchum. Sed illae agebant de aliquibus tantum provinciis, non de omnibus. Reſpondet igitur ipſe Trajanus, *nec adſertionem denegandam eis, qui ex ejuſmodi cauſa in libertatem vindicabantur: neque ipſam libertatem redimendam pretio alimentorum.* Alii legunt *adimendam*; ſed eodem res recidit: ſignificat enim Imperator non ideo effectos ſervos eos, qui educati ſunt, quod educatores ſumptus fecerint in alimentis: nec enim libertatem commutandam cum ejuſmodi pretio. Trajani Epiſtolam eſt ſecutus Juſtinianus *l. 3. C. de infant. expoſ. Nullo diſcrimine habito, qui educati ſunt liberi, & ingenui appareant.* Sancit autem non ſolum de ingenuis, ſed & aliis: *Sive ab ingenuis genitoribus parvulus procreatus ſive a libertina progenie, ſive ſervili conditione maculatus, expoſitus ſit*, nemini licere *eum puerum in ſuum dominium vindicare.*

CAPUT X.

De Reis transmiſſis Romam a praeſidibus.

PLurimi rei ex provinciis tranſmittebantur Romam: in primis Cives Romani non poterant puniri niſi Romae. Hinc D. Paulus Tarſenſis, quia civis Romanus erat, provocavit ad Caeſarem, *Act. 22. v. 29. Tribunus timuit poſtquam reſcivit, quia Civis Romanus eſſet, & quia alligaſſet eum. Cap. 25. v. 10. Ad tribunal Caeſaris ſto, ubi me oportet judicari.* Poterat tamen judicium inſtitui de ipſis, ſi reis placeret, ut tamen non poſſent interfici. Ibidem Feſtus dixit Paulo: *Vis Jeruſolymam aſcendere, & ibi de his judicari?* Et *cap. 26. v. ult. Dimitti poterat homo, ſi non appellaſſet Caeſarem.* Plinius *Epiſt. 97. lib. 10. Fuerunt alii ſimilis amentiae, quos, quia cives Romani erant, adnotavi in urbem remittendos.* Tranſmittebantur etiam, qui erant inſignis artificii, *l. 31. D. de poenis. Ad beſtias damnatos favore populi praeſes dimittere non debet, ſed ſi hujus roboris vel artificii ſint, ut digniùs populo Romano exhiberi poſſint, principem conſulere debet.* Recte annotavit Alciatus erratum a pleriſque in expoſitione *legis hujus*, quando eam ſic interpretati ſunt, ut homo utilis ob magnam praeſtantiam puniri non debeat: hic enim agitur de hominibus magni roboris, & artificii, ut congredi poſſint cum beſtiis, cum magna voluptate populi Romani. Deinde dicimus non agi de remittenda poena, & reis abſolvendis, ſed de ipſis tranſmittendis Romam, ut ibi pugnent adverſus beſtias. Sed redeo ad eos, qui rejiciebantur in urbem, *l. 1. §. ſi is 1. D. de bon. eorum qui ant. ſent.* Videmur legere quod decuriones Romam mittebantur; ſaltem inconſulto Caeſare puniri non poterant: *Si is, de cujus poena Imperatori ſcriptum eſt, veluti quod decurio fuerit.* Poſtea fit mentio Senatusconſulti, *quod factum eſt, de his qui Ro-*

mam tranſmiſſi ante ſententiam deceſſiſſent. Fiebat igitur, ut de iis, de quibus ſcribendum erat Imperatori, judicium Romae redderetur; quod ut commodius fieret, plerique mittebantur in urbem.

CAPUT XI.

Quod Capitalium poenarum non unum eſt genus.

CApitale crimen eſt, ob quod capitali poena animadvertitur in eum, qui reus eſt; capitalium autem poenarum non eſt unum genus: neque enim ſupremo ſupplicio tantum continetur, *l. 2. D. de publ. judic. Capitalia judicia ſunt, ex quibus poena, mors, aut exilium eſt, hoc eſt, aquae & ignis interdictio: per has enim poenas eximitur caput de civitate; nam caetera non exilia, ſed relegationes proprie dicuntur: tunc enim civitas retinetur. Non capitalia ſunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coërcitio, poena eſt.* Diſcrimen horum judiciorum etiam innuitur, *l. 1. D. de bon. eor. qui ant. ſent.* ubi diſcimus, quod in judiciis, in quibus ob crimina infligitur poena mortis, liceat corrumpere adverſarium; in caeteris vero non. Verba Ulpiani ſunt: *In capitalibus criminibus a principibus decretum eſt, non nocere ei, qui adverſarium corrupit; ſed in his demum, quae poenam mortis contineant: nam ignoſcendum cenſuerunt ei, qui ſanguinem ſuum qualiterqualiter redemptum voluit*, *l. 18. C. de Tranſact. Tranſigere vel paciſci de omni crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non eſt: in aliis autem publicis criminibus, quae ſanguinis poenam non ingerunt. &c.* Poena ſanguinis eſt poena gladii, ſive mors. Omnia publica crimina capitalia ſunt, & tamen non omnia ingerunt poenam ſanguinis. Fateor, frequenter nomine capitalis poenae venire ſupplicium extremum, *l. 1. D. de effract. l. perſpiciend. 11. D. de poenis. l. 3. in fin. D. ad l. Cornel. de ſicar. l. 4. §. in inſulam 2. D. de re milit.* Dicendum tamen eſt cum Petro Aerodio *in ſchol. ad* Fabii *declam.* 131. capitale judicium eſſe tantum, quando aut mors, aut ſervitus infligitur: nam diſerte id colligitur ex iis, quae protulimus.

CAPUT XII.

De multiplici miſſionum militarium genere.

L. 13. §. 3. *D. de Re Militari. Miſſionum* dicuntur eſſe *tres cauſae generales, honeſta, cauſaria, ignominioſa.* Honeſta, quae tempore militiae impleto datur; iis nempe, qui vicena ſtipendia feciſſent. Haec miſſio non fiebat ſine largitione praemiorum, & agrorum, & dicebatur honeſte ſacramento milites ſolvere, *l. 2. D. de Veteranis.* Cauſaria erat, *cum quis vitio animi, vel corporis minus idoneus militiae renuntiabatur.* Qui ſic mittebantur, carebant praemiis, & agris: hinc de Caligula refert Sueton. *cap.* 44. *In exercitu recenſendo pleriſque Centurionum maturis jam, & nonnullis ante pauciſſimos, quam conſummaturi eſſent dies, primospilos ademit, cauſſatus ſenium cujuſque & imbecillitatem.* Ignominioſa erat, *cum quis propter delictum ſacramento ſolvebatur.* Eaedem iſtae miſſiones recenſentur, *l. 2. §. 2. D. de his qui infamia notantur.* unde addendum, quod honeſta miſſio intelligitur etiam illa, quae ante emerita ſtipendia *ab Imperatore indulgetur; ex eodem §.* Diſcimus eſſe quartum genus miſſionis, *ſi quis evitandorum munerum cauſa militiam ſubiiſſet*: poterat enim quis redire ad vitam civilem hactenus, ut munera publica ſuſtineret. Haec miſſio *exiſtimationem non laedebat*, ut ibidem Ulpianus teſtatur ſaepiſſime fuiſſe reſcriptum. Aliud genus Miſſionis ponit Lipſius ad *lib.* 1. *Annal.* Taciti. *Apud antiquos* (inquit) *ſimplex, & una Miſſio, ab Auguſti aevo facta duplex.* Adducuntur verba Taciti *lib. 1. Annal. cap.* 36. *Placitum ut Epiſtolae nomine principis ſcriberentur, miſſionem dari vicena ſtipendia meritis, exauctorari qui ſenadena feciſſent ac retineri ſub vexillo caeterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis.* Hinc colligo miſſionem opponi exauctorationi, adeo ut quando milites retinebantur ſub vexillis, adempta aquila, ſigniſque, non dicerentur Miſſi, ſed exauctorati: ſic enim loquitur Tacitus, *exauctorari qui ſenadena feciſſent, ac retineri ſub vexillo.* Dices, exauctoratio infames efficit *l. 2. §. 2. D. de his qui not. inf. Sed et ſi enim exauctoraverit, id eſt, inſignia militaria detraxerit, inter infames efficit.* Reſpond. in his verbis ſermo eſt de exauctoratione, proprie ſic dicta; illa vero, cujus meminit Tacitus, non facit infames, ſed ſublevat ab oneribus militaribus.

CAPUT XIII.

De Domeſticis.

AD *Cap. de Domeſticis, & protectoribus* quaeritur, Qui ſint Domeſtici? Contius *annot. in margine* ex Alciato: *Domeſticos accipe arcanorum principis conſcios*: & ejuſdem ſententiae eſt Pacius, teſte Vultejo, ad *l. unic. C. de Juriſdict. omnes omnino domeſticos.* Sed hanc opinionem merito ipſe Vultejus ibidem rejicit; non tamen profert ea, quae debuiſſent adduci, ut confutetur Alciati expoſitio. Ego igitur haec fere collegi, ut oſtendam Domeſticos fuiſſe milites, & cuſtodes corporis Imperatoris. *L. 10. Cod. Th.* ſic legimus: *Cum ad hujus vocabuli dignitatem devote, ac ſtrenue militando pervenerint. L. 4. Cod. Juſtin.* ut ſi *quis virorum fortium praeſentalium domeſticorum in equitum ſchola. &c.* dicuntur viri fortes, dicuntur ſtrenue militare. Protectores conjunguntur cum domeſticis, & dicitur eorum duplex eſſe ſchola, & idem fere ſancitur de Domeſticis, & protectoribus. At protectores milites ſunt armati; ſunt igitur & milites armati domeſtici. De Protectoribus ſic *l. 9. Cod. Th. Protectores, qui armatam militiam ſubeuntes non ſolum defendendi corporis ſui, verum etiam protegendi lateris noſtri ſollicitudinem patiuntur, unde etiam Protectorum nomen ſortiti ſunt.* Domeſtici vero dicti ſunt *l. 8. Cod. Th. Quos nobis, ut indicio nominis apparet familiarius militando.* Praeterea, ubi agitur de aggregandis filiis Domeſticorum matriculis *l. 2. Cod. Th.* ſic legimus: *Quinternas enim annonas eos, quos armis geſtandis, & procinctibus bellicis idoneos adhuc non eſſe conſtiterit. L. ejuſdem 6. Cod.* quando ſermo eſt de Domeſticis, fit mentio expeditionum bellicarum: *Quos nihil unquam vel neceſſitatibus noſtris, vel expeditionibus bellicis profuiſſe conſtiterit.* Accedit demum, quod plurimi erant iſti domeſtici. At quomodo tanta turba potuiſſet eſſe conſcia arcanorum Imperatoris? *l. 1. Cod. Th. Scias ſenum capitum domeſticis per ſingulas quaſque ſcholas quinquagenas juſſis in praeſenti eſſe juxta morem debere praeſtari.*

Dices, qui ſunt in eadem domo ſciunt, quae in ea gerantur; at iſti dicuntur domeſtici Imperatoris: ergo ſunt conſcii arcanorum Imperatoris. Reſp. non ſtatim atque aliquis degit in aula, eſt conſcius arcanorum aulae: iſti domeſtici milites ſic dicebantur, ut diſcrimen conſtitueretur inter ipſos, & eos, qui foris militabant Imperatori. Graeci uſi ſunt eodem vocabulo: nam vocarunt *ἔσωθεν στρατιώτας*, ut alii docuerunt ex Suida. Ergo domeſtici dicebantur, ut docet Imperàtor ipſe, quod *familiarius militarent.*

De domeſticis autem quaerendum eſt adhuc, Quomodo dicantur contingere ſacram purpuram, & oſculari Vicarios? nam *l. 1. Cod. de domeſt. & protect.* ſic legimus: *Domeſtici ac protectores oſculandi eam ſalutaverint Vicarios, cui culminis habeant poteſtatem. Poena enim ſacrilegii ſimilis erit, ſi his honorificentia non deferatur, qui contingere noſtram purpuram digni ſunt exiſtimati.* Ad duas quaeſtiones ſic reſpondeo: contingebant ſacram purpuram Imperatoris, quando accedebant adoraturi: nam *l. 3. Cod. Th.* de iiſdem ſic legimus: *Eos autem, qui vel ſuffragio, vel potentia, vel gratia ſacram purpuram adorare pervenerint,*

quin-

quinquagenos ſolidos voluntus inſumere. Ergo ſacram purpuram adorare, & contingere idem eſt. Ad alteram quaeſtionem reſpondeo, quod quando Domeſtici volebant ſalutare Vicarios praefecti praetorio eos oſculabantur; quod militibus illis erat valde honorificum: erant namque Vicarii iſti in ampliſſimo honoris gradu. Admitti ad oſculum ſignum eſt alicujus familiaritatis, & amoris. Sic enim Conſul Imperatorem, diſcipulus praeceptorem oſculando ſalutabat.

CAPUT XIV.
De Officio Primipili.

VAlde honorificum & quaeſtuoſum fuiſſe munus primipili, notiſſimum eſt, nec indiget ea res probatione. Hoc ego hic praeſtabo, ut breviter indicem, in quibus verſaretur munus ipſius.

I. Primipilus praeerat aquilae legionis: jam etiam valde vulgatum eſt, quod unaquaeque legio habebat unam aquilam.

II. Gubernabat quadringentos milites in prima acie. Sic Veget. *lib. 2. cap. 8. de re milit. Vetus conſuetudo tenuit, ut ex primo principe legionis promoveretur centurio primipili, qui non ſolum aquilae praeerat, verum etiam quatuor centurias in prima acie gubernabat.* Dicet aliquis; quod Dionyſius Halicarnaſſeus docet, primipilum gubernaſſe tantum ſexaginta. Reſpondeo: puto immutatum fuiſſe nonnihil in ratione muneris primipilaris. Nam Dionyſius vixit tempore Pompeji; Vegetius ſcripſit ſub Valentiniano Imperatore; itaque videntur Imperatores auxiſſe dignitatem primipilarem: quando id factum quis poſſit dicere? ſero tamen putem factam fuiſſe hanc extenſionem: nam Tacitus *lib. 2. Annal. cap. 11.* ait: *Et e numero primipilarium Aemilius.* Unde conjectare licet, in exercitu Germanici fuiſſe non paucos primipilares, atque adeo, cum non pauci eſſent, unumquemque ex ipſis tantum ſexaginta milites gubernaſſe, non quadringentos.

III. Apud primipilum dimidia pars donativi dedeponebatur. Sic augebatur ipſorum caſtrenſe peculium, mileſque quod ſciret ſumptus ſuos apud ſigna depoſitos, de deſerendo nihil cogitabat, ut ex veteribus tradit Ant. Auguſt. *lib. ſingul. ad Modeſtinum de excuſat.*

IV. An haberet primipilus curam annonae, controverſia eſt. Affirmat Alciatus, & Alciatum ſequitur Cujacius ad *D. de excuſationibus* & ad *l. 3. C. de cohort. Cujas*, inquit, praecipuum munus noviſſime *conſtitit in exhibenda annona militari*, quas JCtus στρατιωτικὰς χρείας vocat, id eſt, ſtratioticas diaphoras. In contrariam ſententiam abit Coras. *lib. 5. Miſcell. cap. 4.* & utitur ea ratione, quod, cum annonae, equorum, veſtium, armorum ad praefectum legionis olim pertinuit (ut teſtatur Vegetius *de re militari*, & alii) Cujacius videtur innuere, quid poſſet reſponderi, ut ſententiae alioqui contrariae concilientur; nimirum olim curam annonae fuiſſe praefecti legionis, at poſtremis temporibus ad primipilum pertinuiſſe. Sed haec ratio conciliandi neſcio quam ſolida ſit: nam ſub Valentiniano ſcripſit Vegetius, ut jam diximus, & a Valentiniano emanavit *l. 3. C. de Cohort.* ad quam tamen Cujacius ſcribit primipili fuiſſe annonae militaris exhibitionem; fortaſſe poſſet dici, quod penes praefectum legionis ſervabatur annona, aut etiam quod ipſe eam conquirebat, & emebat, ut & equos, arma, veſtes: at vero primipilus eandem diſtribuebat. Praefecto legionis videtur data fuiſſe pecunia ad comparandam annonam; at primipilus ipſam annonam accipiebat a praefecto. Motus ſum ad excogitandam hanc rationem conciliandi, quia etiam differentia conſtituebatur inter curatorem rei frumentariae, & Aedilem: ille accipiebat pecuniam annonariam; hic non curabat annonam, ſed quam curator annonam redegiſſet, in ea praebenda ipſi operam navabat, ut optime docet Cujacius *lib. 2. Obſerv. cap. 23.* Sic omnino dixero a praefecto legionis comparatam fuiſſe annonam; a primipilo fuiſſe diſtributam. Quare non aſſenſerim Cujacio, qui ad *l. 3. C. de Cohort.* adſcribit eidem primipilo annonae militaris & curam, & exhibitionem, niſi dicamus cura & exhibitione voluiſſe ſignificare curam exhibendi; quaſi praefecti eſſet cura emendi, primipili vero diſtribuendi.

CAPUT XV.
De Maritis tutoribus uxorum.

VEteri jure omnes mulieres erant in poteſtate tutorum: hoc dixit Cicero *orat. pro Muraena, cap. 12. Mulieres omnes, propter infirmitatem conſilii in tutorum poteſtate eſſe.* Quando vero nubebant, liberabantur poteſtate tutorum, ſed incipiebant eſſe in tutela maritorum. Hoc poſtea certis de cauſis eſt ſublatum: adeo ut maritus nullo modo tutor vel curator dari poſſit uxori. Quod ſi jam datus ſit, debet ſe excuſare, ut diſcere eſt ex Orat. D. Marci *l. 2. C. qui tut. vel curat. dar. poſſ.* & alibi *de excuſat. tut.* Quod ſi mulier eſſet furioſa, neque tunc maritus poſſet eſſe ejus tutor, ut docemur *l. 14. D. de cur. furioſ.* Sed an non poterit maritus agere cauſam uxoris, ut advocatus? poterit, etiam ſine mandato, dum de rato caveat, *l. 21. C. de proc.* ſic Apulejus *in Apolog. Pro uxore mea Pudentilla adverſus Gramios, agere aggreſſum:* ubi videmus Apulejum eſſe advocatum uxoris. Quomodo autem conciliari poſſit, quod dixit Cicero de perpetua foeminarum tutela, cum eo, quod tradunt Juriſconſulti foeminas duodecimo anno tutela liberari, res viſa eſt difficultatis plena. Cato diſerte de Majorum moribus dixerat apud Livium *lib. 24. cap. 2. Majores noſtri nullam ne privatam quidem rem agere foeminas ſine auctore voluerunt.* Aliqui ſic conciliant: moris olim fuit, ut virgines ad annum uſque duodecimum ſub tutoribus, vel teſtamento datis, vel legitimis, agerent; & finitis annis pupillaribus, quia infirmitate conſilii rebus propriis ſupereſſe non poterant & more majorum nihil agere ſine auctoritate, fas erat tutoribus, ſi tutelae onere defungi vellent, in jure alteri tutela cedere: iſque, cui tutela cedebatur, ceſſicus tutor, tutelaque ceſſa, ceſſitia dicebatur. Sic diſſeruit Raevardus *tom. 1. lib. 1. Var. cap. 10.* quae an ſatisfaciant, nolim quidem ipſe affirmare.

CAPUT XVI.
De pronunciatione ſecundum acta & probata.

QUaeſtio gravis eſt, An judex ſemper ex actis & probatis (ut loquuntur) pronunciare debeat, etiamſi privatim norit rem aliter habere? & quidem in negantem ſententiam abiverunt Martinus, juris Civilis antiquus interpres, in *§. veritas 1. l. illicitas 6. D. de offic. praeſid.* Calder. & Panorm. in *C. paſtoralis §. quia vero. de offic. deleg.* Nicolaus a Lyra *Exod. 23.* Hadrian. quod *lib. 2. ad ſin.* Johan. Arbor. *lib. 9.* Theoſoph. *cap. 20.* Johann. Oldendorp. *in tract. de form. inveſt.* Et alii ſentiunt, inquam, quod judex non poſſit ſententiam dicere ſecundum allegata, & probata contra propriam conſcientiam. Proferuntur in eam rem verba Apuleji *in Apolog. Revinci, niſi nocens, non poteſt*; id eſt, non poteſt probari nocens, qui nocens non eſt: falſa enim probatio non meretur nomen probationis. Quid enim eſt probare, niſi ea proferre, quae adaequent veritatem? Sunt verba Ulpiani in *l. illicitas 6. §. 1. D. de offic. praeſid. Nec veritas rerum, erroribus geſtorum vitiatur:* id eſt, licet caverim debere me tibi centum ex mutuo, quae vere mihi mutuo da-

Google

ta non ſunt, non errorem meum in cavendo ſequetur praeſes, ſed veritatem. Igitur ſi privatim norit is, qui munere praeſidis fungitur, mihi centum mutuo non eſſe data, veritati ſuppetias feret, etſi proferretur promiſſio mea. Aliqui exiſtimant debere Judicem pronunciare ſibi non liquere: ſed an mentiendum eſt illi, cum vere norit centum non eſſe data? Aliqui tandem docent, judicis munus eſſe ferre ſententiam ſecundum veritatem, non quomodocumque ſibi perſpectam, ſed pobatam argumentis & geſtis: & hanc ſententiam putant contineri in §. *veritas* 1. *l. illicitas* 6. *D. de offic. praeſid.* dum in eo Jureconſultus ſcribit ſententiam a Judice ferendam eſſe ex fide eorum, quae probantur in judicio. Quod ſi ego cavi debere me Titio centum ex mutuo, quae vere mihi mutuo data non ſunt, idque probavero, Praeſes probatam veritatem ſequetur; & quid quaeſo eſt veritas, ſecundum quam debet judicare judex, *l. rem non novam* 14. *C. de Judic.* niſi id, quod probatum eſt, aut per legem praeſumptum? *l. penult. D. de probat.* Qui primam opinionem ſequuntur, nituntur auctoritate Statii Ruſi Senatoris Romani, qui apud Plinium *lib.* 9. *Epiſt.* 13. *Quanto*, ait, *ſi innocens eſt, ſicuti & ſpero, & malo, docet aliquid probetur, credo poteris abſolvere.*

CAPUT XVII.

De detractione inſignium Militarium.

VAlla ſaepe facit, ut omnia intelligendo nihil intelligat: *lib.* 9. *cap.* 62. *Elegant.* reprehendit Ulpianum, quod *l.* 2. §. 2. *D. de his qui notant. infam. Sed etſi eum exauctoraverit, inter infames efficit, licet non addidiſſet ignominiae cauſa eum exauctoraſſe. Exauctorare*, inquit Valla, *eſt ducem ab imperio ſuo dimittere, vel miſſum militem facere, illumque donare miſſione militiae pleramque*: & adducit aliquot loca ex Quintiliano, & Livio. Reſp. Saepe vocabula, quae generalem habent ſignificationem, reſtringuntur uſu loquentium ad peculiarem quendam ſignificatum. Sexcentis exemplis id poſſem docere; ſed non opus probatione in re manifeſta. Sit ita! ſignificet in genere exauctorare ſimpliciter dimittere ab exercitu militem apud Quintilianum, & Livium; an non potuerunt Jureconſulti, qui longo poſt tempore ſecuti ſunt Livium, & Quintilianum, verbum hoc ſuum facere, & ſingulari ſignificatu donare, ut non ſignificaret quamcumque miſſionem, ſed miſſionem ignominioſam? Profecto Tacitus, licet unus, exauctorationem oppoſuit miſſioni, dum ſcripſit, *lib.* 1. *Annal. cap.* 36. *Miſſionem dari vicena ſtipendia meritis, exauctorari qui ſenadena feciſſent*: ubi exauctorare, nihil aliud eſt, quam ſolvere ſtipendio, & habere ſub vexillo, non ſub aquila, & ſignis legionis, ut poſt Turnebum expoſuit Lipſius. Si ſingularis eſt ſignificatus hujus verbi, quem habet a Tacito, multo magis potuit alium etiam accipere a Juriſconſultis, de quorum conſenſu habebimus fidem Ulpiano (non Juliano, ut habent codices Vallae) quam recenti Scriptori. Eſt itaque apud JCtum exauctorare, *inſignia militaria detrahere*; hoc enim explicationis cauſa addidit Ulpianus; quae verba miror fuiſſe omiſſa a Valla: nam ex illis potuiſſet diſcere tempore Ulpiani, apud Juriſconſultos verbo exauctorare ſignificatum fuiſſe inſignia militaria detrahere, quod additum fuit ab Ulpiano, ne quis cum Hiſtoricis putaret ſumendum illud verbum. Nemo autem non videt eum, cui inſignia militaria detrahuntur, inter infames effici. Recte igitur Ulpianus, *l.* 2. §. 2. *D. de his qui notant. infam. Sed etſi eum exauctoraverit* (id eſt, *inſignia militaria detraxerit*) *inter infames efficit, licet non addidiſſet ignominiae cauſa ſe eum exauctoraſſe.*

CAPUT XVIII.

De Militibus deſertoribus, & emanſoribus.

DEſertorum, & emanſorum militum fit mentio *D. de Re Militari.* Quod inter iſtos ſit diſcrimen, explicandum eſt. Et quidem quaedam illis ſunt communia; ut puta, ſimplex abitio. Simplicem abitionem voco, ſi quis diſceſſerit ab exercitu, quando non inſiſtebat hoſtis, aut quando munus ſtationis non obeundum erat. Si quis diſcederet a caſtris inſiſtente hoſte, aut relinqueret ſtationis munus, pluſquam deſertor, & emanſor cenſebatur: nam ſingulatim Modeſtinus deſcripſit & Deſertorem, & Emanſorem ſubjungit, *l.* 3. §. 4. *D. de re milit. Is qui exploratione emanet hoſtibus inſiſtentibus, aut qui a foſſato recedit, capite puniendus eſt. Qui ſtationis munus relinquit pluſquam emanſor eſt.* Emanſori, & deſertori etiam communis eſt diuturna vagatio, *ibidem* §. 2. *Emanſor eſt, qui diu vagatus. Deſertor eſt, qui per prolixum tempus vagatus.* Vides diuturnam vagationem utrique eſſe communem. Quod igitur inter ipſos eſt diſcrimen? *ibidem* indicatur. Emanſor revertitur, deſertor reducitur. Itaque longe gravius eſt delictum deſertionis, quam emanſionis. Jam quaeret aliquis, An ejuſmodi crimen, qui commiſit, teneatur Majeſtatis? Et videtur id affirmandum: nam qui majeſtatem publicam laedit, majeſtatis tenetur, praecipiente L. Julia majeſtatis, *l.* 3. *D. ad l. Jul. majeſt.* at ibidem ſubjungitur, quod inter eos, qui majeſtatem laedunt, cenſetur & ille, *qui imperium exercitumve Populi Romani deſeruit.* Reſp. In *D. de re militari* agitur de privatis militibus: ſi quis igitur miles, qui alterius imperio paret deſeruerit, non ſtatim tenebitur majeſtatis: at in verbis, quae adducuntur, ex *D. ad legem Juliam Majeſt.* agitur de illis, qui ſunt in exercitu cum imperio; quod colligitur ex eo, quod ſtatim ſubjungitur: *Quive privatus pro poteſtate magiſtratuve quid ſciens dolo malo geſſerit.* Quaſi ſignificet, ſe in praecedentibus verbis locutum eſſe de illis, qui cum imperio ſunt in exercitu.

CAPUT XIX.

De Judice Militum.

QUis ſit judex militum, quaeritur. Et praeſto ſunt notiſſima Juvenalis verba *Sat.* 16. *v.* 17.

—— —— —— juſtiſſima Centurionum
Cognitio eſt igitur de milite.

Quid ſi lis ſit inter paganum, & militem; an miles poterit trahi ad ſubſellia alterius judicis? Reſp. Non poterit; quod idem locuples auctor profert: ſi quis enim togatus, aut paganus a milite injuria fuerit pulſatus, neceſſe eſt accuſet militem apud Centurionem:

Bardaicus Judex datur haec punire volenti.

Quis eſt iſte Bardaicus Judex? idem quod Centurio; nam poſtquam praemiſit de Bardaico Judice, ſubjungit,

—— —— —— Centurionum
Cognitio eſt igitur de milite.

Dicitur Bardaicus, ut exponit antiquus Scholiaſtes, *qui quaſi inter illos milites militavit habentibus ſtationem apud Bardos, gentem Galliae.*

Cur autem ad alia ſubſellia non poſſet trahi miles, indicatur cauſa ab eodem Satyrico, quae petitur & a legibus antiquis, & more Camilli:

Legibus antiquis caſtrorum, & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra
Et procul a ſignis.

Intereſt namque rei militaris, ne milites diſcedant a caſtris. Sed adverſus hoc, quod diximus Centurionem eſſe judicem militum, objicitur ex *D. de Re militari*, ubi ſermo eſt de milite, qui commiſit aliquod

quod crimen, qui poterit puniri a praeſide *l. 3. ibi eum plecti poena debere, ubi facinus admiſſum eſt, Divi Severus, & Antoninus reſcripſerunt.* Reſp. Loquitur ibi JCtus de milite deſertore, qui abivit in aliam provinciam: in qua ſi fuerit repertus, cum audiet praeſes, & ad *ſuum Ducem cum elogio mittet.* Si tamen tantum ſit deſertor: nam ſi quod ſcelus in ea provincia commiſit, punietur a praeſide, & ita reſcripſerunt Imperatores. Certiſſimum namque eſt apud Juriſconſultos, quod Judex loci, in quo delictum perpetratum eſt, poteſt in delinquentem animadvertere, etiamſi ſuae jurisdictioni non eſſet ſubjectus. Hoc receptiſſimum eſſe affirmat Didicus, *pract. quaeſt. undecima. num.* 3. & ex eo Clarus *quaeſt.* 38. *§. fin. pract. Crimin.*

CAPUT XX.

De diſcrimine inter ſtationis munus, & excubationem.

ADverſus definitionem deſertoris, qua dicitur aliquis ſimpliciter abire ab exercitu, & diu vagari, & tandem reduci, objici poteſt, quod ait Modeſtinus, *l. deſertorem* 3. §. 6. *Si praeſidis, vel cujusvis praepoſiti ab excubatione quis deſiſtat, peccatum deſertionis ſubibit.* Ergo ut quis deſertor dicatur, ſufficit, quod quis deſiſtat ab excubatione. Quomodo igitur paulo ante dicebat Juriſconſultus, Deſertorem eum eſſe, qui *diu vagatus reducitur?* Reſp. Alia eſt deſertio proprie ſic dicta; alia eſt deſertio, quam dicemus inſtar deſertionis. Deſertorem proprie ſic dictum tria faciunt, ſimplex abitio ab exercitu, diuturna vagatio, & quod quis deprehenſus fuerit reductus. Inſtar deſertoris eſt, qui deſtitit ab excubatione *praeſidis, vel cujuſvis praepoſiti.* Qui, inquam, deſtitit ab excubatione praeſidis, vel cujuſcumque praepoſiti, perinde excipietur, ac punietur, ac ſi eſſet deſertor proprie ſic dictus. Quod deſtitit ab excubatione, ita illi imputabitur, ac ſi deſertor eſſet; hoc ſibi volunt illa verba: *peccatum deſertionis ſubibit.* Dices; hoc jam videtur dixiſſe praecedentibus verbis JCtus: *Qui ſtationis munus relinquit, pluſquam emanſor eſt.* Idem videtur eſſe *ſtationis munus relinquere, & deſiſtere ab excubatione*: praeterea quid aliud eſt, eſſe *pluſquam emanſorem, & deſertionis peccatum ſubire?* pluſquam emanſor qui eſt, deſertor eſt. Videtur igitur Modeſtinus incidiſſe in tautologiam. Reſp. Stationis munus, & excubatio videntur explicandae ex verbis Vegetii, *lib. 3. cap.* 8. ubi ſic ſcribit: *De ſingulis centuriis quaterni equites, & quaterni pedites, qui excubitum noctibus faciunt, eliguntur. Et quia impoſſibile videbatur in ſpeculis per totam noctem vigilantes ſingulos permanere, ideo in quatuor partes ad clepſydram ſunt diviſae vigiliae, ut non amplius, quam tribus horis nocturnis neceſſe ſit vigilare.* Ille deſiſtit ab excubatione, qui diſcedit intra ſpatium trium illarum horarum, qua vigilare debuiſſet: ille ſtationis munus relinquit, qui abit intra ſpatium reliquarum novem horarum.

CAPUT XXI.

An Oratores Principum apud Turcam teſtari poſſint?

QUaeri poteſt, an Oratores Chriſtianorum Principum apud Imperatorem Turcarum teſtari poſſint? Ratio, cur id videatur negandum, eſt, quia ita detinentur, ut non poſſint pro lubitu diſcedere, quin ſaepe dantur in vincula. Certum eſt obſervari, & velut cuſtodiri a militibus, aliiſque emiſſariis, ut ipſis non ſit fas ex animi ſententia, & quando viſum fuerit migrare. Jam autem explorati juris eſt, quod traditur ab Ulpiano *l. 1. pr. D. de leg. & fideic.* 3. *Legatus, qui nihil ſe a captivo differre putat, non poſſe fideicommittere certum eſt: quia nec teſtari poteſt, qui, an liceat ſibi teſtari, dubitat.* Reſpondendum tamen eſt, non eſſe denegandam teſtamenti factionem ejuſmodi Oratoribus: nam eadem libertate gaudere cenſentur apud aulam Othomanni, quam habent illi, quos & ipſe ad Principes Chriſtianos mittit: at hos teſtari poſſe, nemo non affirmaverit. Cur igitur quis diceret deterioris eſſe conditionis Chriſtianos oratores? Quod ſi aliquando contingit, ut non dimittantur, id non fit, aut non cenſetur fieri hoſtili animo, ſed benevolo. Sed dices, quandoque conjiciuntur in carcerem, & captivi detinentur; an tunc teſtari poterunt? an non diſerte Ulpianus ait legatum, qui nihil ſe a *captivo differre putat non poſſe teſtari?* an non captivus eſt, qui carceri eſt mancipatus? fateor, tunc oratorem, quando in vinculis eſt, teſtari non poſſe. Sed non intelligendum eſt inde, quod teſtari non poſſit, quando extra carcerem in domo ſua degens fungitur ſuo munere. Etſi autem, quod ait Ulpianus, de legatis nos transferamus ad Oratores; non ideo quis putet a nobis exiſtimari eundem eſſe oratorem, & legatum. Tranſlatio namque in ratiocinando fit ſimilitudine quadam muneris

CAPUT XXII.

Quinam incidant in SCtum Turpilianum?

SUnt verba Macri *l. 15. D. ad SCtum Turpil. In SCtum Turpilianum incidunt, qui ſubjeciſſent accuſatores, aut ſubjecti poſtulaſſent, aut peregiſſent reos, aut aliter, quam abolitione facta deſtitiſſent, quique chirographum ob accuſandum dediſſent pactionemque aliquam interpoſuiſſent.* Subjicere accuſatorem nihil, ut puto, aliud erat, quam advocatum adſciſcere: olim enim alius deferebat nomen, & is dicebatur accuſator; alius ſubjiciebatur, nimirum advocatus, ſive ſocius. Subjecti igitur dicuntur poſtulare advocati, & ſocii: & ſunt, qui putant, quod ſoli patroni ſive advocati ſubſcribebant: primarius accuſator tantum deferebat nomen. Aſconius *pro Cornel. Detulit nomen Publius, ſubſcripſit Cajus.* Cic. *Verr.* 1. *cap.* 15. *cum ſubſcriptoribus exercitatis, & diſertis.* Sciendum autem eſt, quod qui minatus eſt ſe accuſaturum, & delaturum nomen alicujus, nondum dicitur inſtituiſſe accuſationem, atque adeo ſi nihil deinceps moliatur, non propterea incidet in SCtum Turpilianum. Aliud igitur eſt jurgium, aliud conteſtatio litis, ſive inſtitutio accuſationis. Quod ſi non ſolum fuerit jurgatus, ſed & dederit libellum principi, in quo minetur ſe objecturum crimen, an, ſi deinceps ſileat, punietur SCto Turpiliano? id negandum: nam *l.* 5. *D. ad SCtum Turpil. Quaeſitum eſt, an is, qui, libello principi dato, falſum ſe objecturum minatus eſt, ſi non objeciſſet, Turpiliano SCto tenetur? Paulus reſpondet non contineri.* Objicies *l. 1. C. quando libellus lit. conteſt. Dubium non eſt conteſtationem litis intelligi, etiam ſi noſtrae fuerint tranquillitati preces oblatae:* hic titulus, & lex ſic explicanda eſt, tunc demum libellum eſſe inſtar conteſtationis litis, ſi ad eum reſcripſerit princeps: nam Imperator ſolebat ſubſcribere ejusmodi libellis, vel aliis tradebat, qui ſuo nomine ſubſcriberent. Vel forte poterimus dicere non eſſe litem conteſtatam libello porrecto, etiamſi princeps ſubſcripſerit, ſi tantum verbis minatoriis conceptus fuerit: qua de re tamen nolim quicquam certi pronunciare.

CAPUT XXIII.

Qui dicantur Pares Curiae?

SI lis vel controverſia inter dominum & vaſſallum ratione feudi incidat, Pares Curiae judices eſſe cenſentur *lib. 1. tit. 10. feud. Conſuetud.* Qui ſint iſti pares Curiae, quaeritur? Guntherus *in Ligurino lib.* 9.

Si

Digitized by Google

Si tibi pro feudo quod te tribuente fatetur
Acceptum; tu vero negus: vaſſallus ugendam
Forte movet litem, non tu, ſed curia Judeu
Andiat, & certo determinet ordine litem.

Dicuntur Pares, quia ſunt ſocii, & ab eodem domino obtinent feudum; & quodammodo pares ſunt inter ſe: licet autem dicantur pares, non tamen ejusmodi aequalitas eo usque eſt extendenda, ut exiſtimemus debere omnes iſtos judices eſſe paris dignitatis; ut ſcilicet e.g. omnes ſint Comites: nam ſatis eſt, quod ab eodem domino feudum habeant; qui namque feudum obtinet, poteſt eſſe judex feudum habentis, licet reus ſit ſuperioris dignitatis, dummodo Judex illi non ſit ſubjectus. Sed dicet aliquis, argumentum ab Etymologia urget. Sunt pares Curiae: ergo ſunt ejusdem conditionis. Ego vero non rejicio argumentum ab Etymologia; ſed addo aequalitatem iſtam non debere extra ſepta extrahi: ut iſti dicantur pares, ſufficit, quod eidem domino ſubſint; quod unus alteri non ſit ſubjectus; quod ab eodem domino feudum obtineant.

CAPUT XXIV.
De Sulſuratis.

QUaeritur, An nomine lignorum veniant ſulſurata? Et reſpondet Ulpianus *l.* 167. *D. de verb. ſignif.* quod ſulſurata habent ſuam propriam definitionem: *Titiones, & lignu cocta &c. ut proprium genus habeatur. Sulſurata quoque de ligno aeque eandem habebunt definitionem.* Sunt autem Sulſurata parvula ligna, utrinque ſulſura illita, quibus utimur ad concipiendum ignem, quem ſilice excuſſimus in fomitem. Olim apud Romanos Judaei, viliſſimum hominum genus, circumeuntes per urbem, offerebant ſulſurata, ut pro illis vitrea fracta reciperent. Et hodieque Romae multi ex eo genere ſic vitam tolerant. De more autem veteri adducenda ſunt Poëtarum teſtimonia. Juvenal. *Sat.* 5. *v.* 47.

Siccabis calicem naſorum quatuor, ac jam
Quaſſatum, & rupto poſcentem ſulfura vitro.

Martialis *lib.* 12. *Epigr.* 57. conqueritur, quod in urbe nequeat dormire, cum tot circumeant mendicabula, a quorum importunis poſtulationibus, & clamoribus ſibi abrumpatur ſomnus. Inter ejusmodi homines eſt etiam Judaeus:

A matre doctus nec rogare Judaeus,
Nec ſulſuratae lippus inſtitor mercis.

Et clarius *lib.* 1. *Epigr.* 42.

Hoc quod Tranſtiberinus umbulutor,
Qui pallentia ſulfurata fractis
Permutut vitreis.

CAPUT XXV.
De Diſpenſatore.

NOn videntur bene cohaerere, quae proferuntur ex Pomponio, *l.* 166. *D. de verb. ſignific. Urbana familia, & ruſtica, non loco, ſed genere diſtinguitur;* nam additur: *poteſt enim aliquis diſpenſator non eſſe urbanorum ſervorum numero; velut is, qui ruſticarum rerum rationes diſpenſet, ibique habitet, & non multum abſit a villico.* Si urbana familia, & ruſtica non diſtinguitur loco, ſed genere, cur in diſpenſatore, ut ad familiam ruſticam pertineat, requirit, ut *ruri habitet?* Quid ſi diſpenſator curet *ruſticarum rerum rationes*, & in urbe degat, an inter ruſticos ſervos cenſebitur? Reſp. Imo qui ruſticas rationes curat, ad ruſticam familiam pertinet, etiamſi non degat ruri. Tantum dicit, *Ibique habitet*: quod potius referendum ab habitationem in urbe, quam ruri. Quod ſi illud *Ibi* referas ad rus, reſpondebo, quod Pomponius in diſpenſatore, ut ad familiam ruſticam pertineat, tantum requirit neceſſario, ut ruſticarum rerum rationes diſpenſet. Quod autem degat ruri, vel in urbe, parum, aut nihil ad rem facit: jam enim diſerte dixerat, urbanam familiam *non loco, ſed genere* diſtingui. Caeterum diſpenſatorem quandoque eundem fere eſſe cum villico, videtur poſſe colligi ex Martiale *lib.* 6. *Epigr.* 73.

Non rudis indocta fecit me falce Colonus,
Diſpenſatoris nobile cernis opus.
Nam Caeretani cultor notiſſimus agri
Hos Hilarus colles, & juga laeta tenet.

CAPUT. XXVI.
De Lege Regia.

QUi ſcribunt de lege Regia, obſervant ex Dione utrique Caeſari, poſt bellorum Civilium victoriam, a Senatu populoque Romano *omnem poteſtatem, atque imperium conceſſum per vim ac metum.* Hic metus tamen, haec vis non caruit magna ratione, ac proinde poſſumus dicere legem hanc fuiſſe admodum utilitati publicae conſentaneam: nam non poterant ſopiri diſſidia diuturna, niſi uni deferretur poteſtas ſumma. Teſtatur id diſerte Tacitus *lib.* 1. *Annal. cap.* 9. *Non aliud diſcordantis patriae remedium fuiſſe, quam ut ab uno regeretur*: & fere eadem ſunt, quae apud eundem leguntur *lib.* 1. *Hiſtor. cap.* 1. *Omnem poteſtatem ad unum conferri pacis interfuit.* Fuit, quando Auguſtus de reſtituenda Republica cogitavit: inclinavit tamen in eam ſententiam, non eſſe e republica reſtituere veterem regiminis formam, ne denuo civilia bella exorirentur. Obſervandum etiam eſt legem Regiam non ideo dici, quod eſſet generalis, & perpetua: nec enim ejusmodi legem latam reperimus; ſed ideo dicitur lex, quod ei, qui jam dictus eſſet Princeps, ſoleret ſenatus conferre poteſtatem: quando ut haberet ſupremam auctoritatem, ſufficiebat dictum & electum fuiſſe Imperatorem: nam ſingulatim accedebat decretum Senatus, quo conferebatur imperium; imo poſt obitum ipſius poterant acta ſenatoria rogatione revocari, quod hac ratione oſtendo: Dictatura perpetua, & poteſtas principis, ſi rem ſpectamus, eadem eſt: nec enim Caeſar alio ſub nomine cuncta ad ſe traxit: at poſt mortem Syllae Dictatoris quaeſitum eſt, an geſta ipſius eſſent confirmanda; et erant, qui contenderent debere infirmari: agnoſcebatur igitur poteſtas in ſenatu rata habendi, vel rejiciendi, quae a Dictatore acta fuiſſent. Sed nunc ex hiſtoria probandum eſt, quod quando quis erat dictus Princeps, ſoleret ſenatus ei poteſtatem decernere. De Othone *lib.* 1. *Hiſtor. cap.* 47. ſic Tacitus: *Accurrunt patres, decernitur Othoni tribunitia poteſtas, & nomen Auguſti, & omnes principum honores*: de Vitellio idem nos docet *lib.* 2. *Hiſtor. cap.* 55. *In ſenatu, cuncta longis aliorum principatibus compoſita, ſtatim decernuntur*: de Veſpaſiano *lib.* 4. *Hiſtor. cap.* 3. *At Romae ſenatus cuncta principibus ſolita, Veſpaſiano decernit*; cujus decreti fragmentum ad nos pervenit, quod a viris eruditis ſaepius eſt editum. In quo duo animadverſione digna ſunt. Primum eſt, quod Princeps ſolvitur legibus: *utique quibus legibus, plebiſve ſcitis ſcriptum fuit, ne Divus Aug. Tiberiusve, Claudius tenerentur, iis legibus, plebisve ſcitis Imp. Caeſar Veſpaſianus ſolutus ſit.* Quaſi abſque auctoritate ſenatus legibus eſſet obnoxius Caeſar. Alterum eſt, inter Caeſares, qui dicuntur habuiſſe poteſtatem lege Regia, non numerantur Caligula, & Nero: id puto factum, quia hi duo Caeſares damnatae fuerunt memoriae. De primo ſic Suetonius *cap.* 59. *Cadaver ejus clam in hortos Lamianos aſportatum, & tumultuario rogo ſemiambuſtum.* Et *cap.* 60. *ſenatus in aſſerenda libertate conſenſit.* Poſt mortem alterius, *tantum gaudium publice fuit, ut plebs pileata tota urbe diſcurreret*; ut idem ſcribit *in Nerone cap.* 57.

Ad

CAPUT XXVII.

De fuga ad Templa, aut Altaria.

OPerae pretium fuerit conferre inter ſe conſuetudinem Judaeorum, Gentilium, & Chriſtianorum, quando agitur de iis, qui ad templa ſe recipiunt, ut tuti ſint. In Republica Hebraeorum homicidae confugiebant ad altare, & tabernaculum, neque licebat eos inde abſtrahere, ſi tamen eſſent innocentes: quare Joabo nihil profuit tenere cornu altaris *lib. 2. Reg. cap. 2.* juſſu enim Salomonis interfectus eſt: nam Moſis, ſive potius Dei erat praeceptum, *Exod. cap.* 21. Si quis ex inſidiis interfeciſſet alium, ab altari evelleretur, & occideretur. Apud Gentes non quodlibet templum, aut altare ſatis erat ad defendendum. Aliqua tantum loca ſacra reos tuebantur; quibus ſcilicet id privilegii delatum fuiſſet. Cur enim apud Tiberium diligenter jura Aſylorum examinata fuerunt, nec omnia, quae poſtulabantur, approbata, ut colligimus ex *lib. 3. Annal. cap.* 60. ſi quaelibet aedes religioſa fuiſſet inſtar tutelae? Triplici autem hominum generi patebant domus divûm, ſervis, obaeratis, maleficis. Conqueritur Tacit. 3. *Ann.* 60. *Complebantur templa peſſimis ſervitiorum eodem ſubſidio obaerati adverſum creditores, ſuſpectique capitalium criminum receptabantur.* Ad quae verba explicanda velim legi, quae profert Lipſius *in Commentario.* Nunc videndum, quid viſum fuerit hac in re Chriſtianis. Et quidem diſcrimen ponendum eſt inter tempora vetuſta ſub Theodoſio, Arcadio, Honorio, & noſtra: de illis inſpiciendus eſt Codex Theodoſianus *lib. 9. tit. 45. l.* 1. ubi hoc reperire eſt: *Publicos debitores, ſi confugiendum ad Eccleſias crediderint, aut illico extrahi de latebris oportebit, aut pro his ipſos, qui eos occultare probantur, Epiſcopos exigi. l.* 2. Judaei reatu aliquo vel debitis fatigati arceantur: nec defenduntur ſervi. *l.* 3. jubentur etiam extrahi armati. *l.* 4. ubi etiam definitur ſpatium, a quo quis retrahi nequeat, ad *extremas* ſcilicet *fores Eccleſiae.* Quia vero ab initio aliquid diximus de Hebraeorum more, omittendum non eſt, ſex fuiſſe civitates refugii, praeter altare, & tabernaculum, ad quas tamen non poterant ſe recipere, niſi illi, qui ſine ſua culpa hominem occiderant, *Joſ. cap.* 20. & *Numer. cap.* 35.

CAPUT XXVIII.

De foeminis, quae, cum habeant liberos ex Marito mortuo, tranſeunt ad alias nuptias.

SUſpectae nonnihil fuerunt illae mulieres, quae cum habeant filios ex primo marito mortuo, tranſeunt ad ſecundas nuptias: ſolent namque favere novo conjugi adverſus liberos. Apud Ciceronem in *Orat. pro Cluent.* legimus de Saſſia, quae nupſit Oppianico, quod ſtaret a Marito adverſus Habitum filium, cui inſidiae ſtructae ſunt. *Erat ipſe* (inquit Cicero *cap.* 15.) *immani acerbaque natura Oppianicus; incendebat ejus amentiam infeſta, atque inimica filio mater Habiti.* & addit: *intelligebat Habito mortuo, bona ejus omnia ad matrem eſſe ventura.* Quapropter quando apud matrem, quae nupſit alteri, moritur filius ex prioribus nuptiis, ſolet ſuſpicio oriri, adverſus & matrem & vitricum. Conſtantinus *l. 22. verſ. Servos. C. de Adminiſtr. tut.* inquit: *Lex enim non ſolum contra tutores, ſed etiam contra foeminas immoderatos atque intemperantes proſpexit minoribus, quae plerumque novis maritis non ſolum res filiorum, ſed etiam vitam addicunt.* Ubi Gothofred. exponit de vita non tantum liberorum, ſed & mulierum nubentium; at nemo non videt, hic tantum dici de vita filiorum, nam non ſolum addicuntur res filiorum, ſed & vita eorundem. Inter cauſas, ob quas tractus in judicium eſt Apulejus, haec quoque fuit, quod cum duxiſſet Pudentillam, cui erat Pontianus filius, diceretur privignum e medio ſuſtuliſſe; ut ipſe refert ſtatim in *principio Apologiae.* Catilina, cum animadverteret Aureliam Oriſtillam non audere ſibi nubere propter filium jam adultum, cum veneno interemit. Salluſt. *in Catil. cap.* 15. *Captus Catilina amore Aureliae Oriſtillae, quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adultum aetate: pro certo creditur ne ato filio, vacuam domum ſceleſtis nuptiis feciſſe.* Sed & Oppianicus proprios filios duos occidit, ut Seſſiae nuptias impetraret: *Itaque* (inquit idem Cicero *in Orat. pro Cluent. cap.* 9.) *nubit Oppianico continuo Seſſia laetanti jam animo, & ſpe optima confirmata: nec mirum, quae ſe non nuptialibus donis, ſed filiorum funeribus delinitam videret.*

CAPUT XXIX.

De Centeſima Uſura.

CEnteſima uſura, & unciarium foenus idem ſunt: ſed controverſia eſt, quid ſit centeſima uſura? agit hac de re Fachinaeus *in Controverſ.* Pichena *ad Annal.* Taciti. Alciat. *Praeterm.* Calvinus *in Lexico*, verbo, *Unciaria uſura.* Johannes Mercerus *annot. ad Harmenopulum.* Sententia eſt receptior, quod centeſima uſura ſit, quando pro centum unoquoque menſe ſolvitur unum. Ita recurſu centum menſium aequantur uſurae ſorti; hinc enim dicitur centeſima: unciarium autem foenus, quod ex centum unciam tantum in aurum redderet. Uncia autem auri conficit ſingulis annis duodecim pro centum. Controverſia eſt inter Tacitum & Livium, quando foenus fuerit ſancitum. Tacitus *lib. 6. Annal. cap.* 16. refert ad XII. Tabulas. Livius *lib. 7. cap.* 16. ad Conſulatum Duilii & Menenii. Videtur potius habenda fides Livio. Porro ſciendum eſt, quod Romani Calendis uniuſcujuſque menſis exigebant uſuras; in quam rem adducuntur verba Horatii *lib. 1. Serm. Sat. 3. v.* 86.

Odiſti, & fugis, ut Druſonem debitor aeris;
Qui niſi cum triſtes miſero venere Calendae.

Apud Ariſtophanem *in Nubibus*, quidam debitor facete optat Lunam coelo detrahere, atque aſſervare: nam ſi ea nunquam oriretur, is nunquam uſuras perſolveret. Et Baſilius *in Pſal.* 14. ait a debitoribus timeri menſes, velut uſurarum patres. Hinc etiam intelligitur quid ſit apud JCtos Calendarium, cujus etiam meminit Seneca: Codex nempe, in quo perſcribebantur a foeneratoribus nomina debitorum, & quid unoquoque menſe accepiſſet uſurarum nomine. Hinc etiam Horat. *Epod. 2. v.* 69. ſcribit.

Omnem relegit idibus pecuniam.
Quaerit Calendis ponere.

Inde eſt actio Calendarii, quae non eſt eadem cum actione mutui; & obligatio mutui fit re ipſa; obligatio autem Calendarii verbis. Ut vero debeantur uſurae, debet accedere obligationi mutui obligatio Calendarii, neque ſufficit ſi pactum incontinenti fiat: hinc dictum eſt, quod in uſuris fiunt duae ſtipulationes, una mutui, altera Calendarii: nam hac cavetur de ſolvendis uſuris. De obligatione Calendarii videndus eſt Cujac. *lib. 11. Obſ. cap* 37. & quod non debeantur uſurae citra ſtipulationem in mutuo, docet Donell. *de Uſuris ex l. 1. & l. 3. Cod. de uſur.*

CAPUT XXX.

Quid ſit dolus malus?

DOlus malus definitur a Cicerone, quando aliud eſt factum, aliud eſt ſimulatum. Quaeritur an haec definitio perfecta ſit? Et quidem videtur id affirmandum, ob auctoritatem Aquilii, qui primus formulas contra dolum malum protulit; & is valde laudatur a Cicerone. Sed revera non videtur ſufficere: nam etiam in dolo bono aliud fit, aliud ſimulatur. Hinc ſequeretur nullum eſſe diſcrimen inter dolum bonum, & dolum malum: cum certum

Digitized by Google

ſit dolum bonum ad ſolertiam eſſe referendum, ut obſervat Ulpianus *D. de dolo malo.* Itaque addendum fuit, quod dolus malus eſt, quando aliud eſt fictum, aliud ſimulatum alterius decipiendi cauſa: nam qui dolo bono aliquid ſimulat, facit hoc, ut potius proſit. Sed video duo objici poſſe: primum quod in omni dolo ſit deceptio. Quid enim eſt ſimulare, ſi non eſt decipere? Atque adeo deceptio videtur eſſe conjuncta cum quocunque dolo, ſive bonus ſive malus ſit. Dein videtur aliquid deeſſe ad perfectam definitionem doli: nam videtur addendum; quod dolus ſit aliud ſimulare, aliud facere, in alterius damnum. Sic enim clariſſime diſcrimen conſtituitur inter dolum malum, & bonum. Reſpondeo. Decipere non dicitur ille, qui aliquid ſimulat in alterius utilitatem: non enim ſimulatio deſcribenda eſt per deceptionem, quando eſt in alterius commodum: nam communi more loquendi tunc dicimus aliquem decipi, quando ſit aliquid, quod ipſi incommodat: quod ſi Medicus aliquid ſimulet, ut aegroto proſit, non dicetur aegrotum decepiſſe. Itaque rectiſſime definitur dolus in genere, quando aliud eſt factum, aliud eſt ſimulatum. At vero, qui aliud facit, aliud ſimulat, ut alteri obſit, recte dicitur ſimulare ut decipiat, atque adeo illa additio, *Alterius decipiendi cauſa*, diſcrimen conſtituit inter dolum bonum, & malum; ut vere dolus malus definiatur, aliud factum, aliud ſimulatum, alterius decipiendi cauſa.

CAPUT XXXI.
De Muliere adeunte Circenſes.

IN *Cod. de Repud. & judic. l.* 8. §. 3. docet maritum poſſe repudiare uxorem *Circenſibus, vel Theatralibus ludis, vel arenarum ſpectaculis in ipſis locis, in quibus haec adſolent celebrari, ſe prohibente, gaudentem*: nam in maximam ſuſpicionem adulterii, & impudicitiae venit, quae ejusmodi loca frequentat; & qui matronarum caſtitati inſidiantur, praecipue ſpectacula adeunt: Ovid. *lib.* 1. *de art. Amat. v.* 89. *ſeqq.*

Sed tu praecipue curvis venare theatris:
Haec loca ſunt votis fertiliora tuis.
Illic invenies quod ames; quod ludere poſſis;
Quodque ſemel tangas; quodque tenere velis.
Sic ruit in celebres cultiſſima foemina ludos,
Copia judicium ſaepe morata meum eſt.
Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut ipſae.
Ille locus caſti damna pudoris habet.
Primus ſollicitos feciſti, Romule, ludos,
Cum juvit viduos rapta Sabina viros.

Haec Poëta poſtquam recenſuit loca, in quibus quis commode invenire Amicam poſſit, ſujungit.

CAPUT XXXII.
Inter turbam, & rixam diſcrimen.

L. 4. §. *Turbam* 3. *D. vi bonor. raptorum.* inquit Ulpianus; *Et rectiſſime Labeo inter turbam, & rixam multum intereſſe ait: namque turbam, multitudinis hominum eſſe turbationem & coetum; rixam etiam duorum.* Hoc ſuo more carpit Valla *lib.* 6. *Eleg. cap.* 61. Reprehendit, quod Labeo & Ulpianus videantur putare *turbam ſuapte natura ſignificare multitudinem.* Ipſe putat *primum, & naturalem ſenſum eſſe pro perturbatione.* Si hoc verum ſit, nunquam reperietur turba abſque perturbatione. At turba aliquando ſimpliciter ſignificat multitudinem abſque perturbatione *lib.* 7. *Aen. v.* 381. *ſtupet inſcia turba.*

Sed, inquit, origo id indicat τύρβη. Reſpond. Non ſemper ex origine debet fieri judicium de ſignificatu vocabulorum; & inde nihil aliud colligitur, quam frequenter fieri, ut in turba, hoc eſt multitudine, exoriantur turbae, hoc eſt perturbationes. Sed adfertur locus ex Terentio, ut oſtendatur, quod turba aliquando eſt etiam inter duos, *in Andr. Act.* 2. *ſc.* 3. *v.* 5. *Sed ſi tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet; tum illae turbae fient?* nempe inter Simonem, & Pamphilum, inquit Valla. Imo, inquam ego, inter parentes & conſanguineos, alioſque; nam plures ſe ſolent immiſcere. Sed obſerva Lector verba Vallae: *Ego non nego aliquando turbam inter multos, quemadmodum rixam non ſemper inter duos:* ſed & Ulpianus dixit rixam eſſe etiam inter duos, atque adeo faſſus eſt aliquando rixam eſſe inter plures. Sed, frequentiſſimo & germano ſignificatu, turba eſt multorum.

CAPUT XXXIII.
De eodem Diſcrimine.

QUis eſſet vocabulorum ſignificatus exactiſſime norat Labeo, ut de eo teſtantur veteres. Ei potius habebimus fidem loquenti de diſcrimine inter turbam & rixam, quam Vallae. Rixam inter duos definivit argutiſſime Juvenalis *Sat.* 3. *v.* 289.

Si rixa eſt, ubi tu pulſas, ego vapulo ſolus.

Quam definitionem laudat magnopere Scaliger *in poëtica.* Valla adducit verba Livii *lib.* 2. *cap.* 18. *Hoc anno Romae quum per ludos a Sabinorum juventute per laſciviam ſcorta raperentur, concurſu hominum rixa ac propter praelium.* Et non longe poſt: *Quum converſus in patres impetus eſſet, conſulum intercurſu rixa ſedata eſt.* In quem diriguntur haec Valla? non in Labeonem aut Ulpianum, qui dicunt: *Rixam* eſſe *etiam duorum.* Ergo fatentur Rixam etiam eſſe plurium. Tibi probandum turbam eſſe duorum perturbationem. Affers ex Terentio *in Andr. Act.* 4. *ſc.* 5. *v.* 5. *Dii voſtrum fidem! Quid turbae eſt apud forum? Quid illic hominum litigat?* At in ejusmodi litigio fuerunt plures quam duo, quod ipſe fateris, dum inquis: *Terentius fortaſſe ideo adjecit, quid hominum illic litigat, quia per verbum turbae non ſatis ſignificatum erat perturbationem eſſe multorum.* Et fortaſſe eſt additum elegantioris explicationis cauſa.

CAPUT XXXIV.
Miles e Caſtris non vocandus.

MIlites evocari non poſſunt ex caſtris, ad litigandum; ut verba diſerta ſunt Juvenalis *Sat.* 16. *v.* 15.

Legibus antiquis caſtrorum, & more Camilli
Servato miles ne vallum litiget extra,
Et procul a ſignis.

Propterea procuratores eſſe nequeunt *l.* 7. *in princ. ad leg. Jul. Majeſt.* qui litem habuit, & ideo militaverit, exauctoratur, *l.* 4. §. 8. *D. de Re militari.* S. Ambroſius *Offic. lib. cap.* 37. *Qui Imperatori militat a ſusceptionibus litium, actu negotiorum forenſium &c. prohibetur humanis legibus.* Dices; veterani poſſunt eſſe procuratores, ut notum ex D. poterunt igitur litigare extra vallum. Reſp. Veterani jam miſſionem honeſtam impetraverunt, & non amplius militant; poſſunt igitur eſſe procuratores. Sed addo, ut magis verba Juvenalis illuſtrentur, ex *l.* 3. §. 6. *D. de teſtibus*, quod neque teſtimonii dicendi cauſa evocari poſſunt e caſtris milites: ſic enim loquitur Calliſtratus: *Et multo minus milites avocandi ſunt a ſignis vel muneribus, perhibendi teſtimonii cauſa.*

CAPUT XXXV.
Duplex Semeſtre apud Romanos.

APud Romanos qui proficiſcebantur in provincias cum imperio, aeſtivis menſibus bellum gerebant, & verſabantur in expeditionibus adverſus hoſtem. Quare bellum adverſus Parthos erat difficultatis plenum, propter ſummum aeſtum, qui

Digitized by Google

a Parthis ferebatur, non ita a Romanis. Hiberno tempore revocabantur milites in caſtra hiberna, & Proconſules interim ordinandae provinciae, & juri dicundo incumbebant. Dividebatur igitur annus in duplex Semeſtre, aeſtivum, & hibernum. Claudius Imperator, ut erat homo turbidiſſimi ingenii, & vix unquam ſibi conſtantis, hanc diviſionem contempſit. Sueton. *in Claud. cap.* 22. *Submotaque operariorum, ſervorumque turba, rerum actum diviſum antea in hibernos, aeſtivosque menſes conjunxit.* Peccavit vero graviter Quintilius Varus, cum eſſet in Germania, quod ejusmodi diſcrimen non obſervavit. Vellejus Paterculus *lib.* 2. *cap.* 117. ſic ſcribit; *jurisdictionibus, agendoque pro tribunali, ordine trahebat aeſtiva.* Et propterea Garmani facilius contra ipſum potuerunt conſpirare.

CAPUT XXXVI.

Fieri ſervum, ut alter liberetur.

CUm ſervitute, quam quis ſubit vendendo ſeipſum ad participandum pretium, habet affinitatem illud, quando, ut alter liberetur, ipſe ſe facit ſervum. Habemus egregium exemplum in S. Paulino, Nolae Epiſcopo, de quo ſcribit S. Gregorius, quod cum rogatus fuiſſet a vidua, ut ſoluto pretio liberaret unicum filium, qui captivus detinebatur ab Africanis Vandalis, & ipſe deſtitueretur pecunia, cum vidua profectus, inſtar filii manſit apud Vandalum Dominum, & hortos coluit, tanquam ſervus. Sic ſcribit S. Gregor. *lib.* 3. *Dialog. cap.* 1. *Mulier quod poſſim dare non habeo, ſed memetipſum tolle, ſervum me juris tui eſſe profitere, atque ut filium tuum recipias, me vice illius in ſervitutem trade. Foeminae perſuaſit, ut audita crederet, & pro receptione filii ſui in ſervitium Epiſcopum tradere non dubitaret:* vidua dixit Vandalo: *Ecce hunc hominem pro eo vicarium praebeo, mihi unicum filium redde.* Vandalus: *Suſcepit ſervum, & roganti viduae filium reddidit.*

CAPUT XXXVII.

De Militibus caligatis.

NOn quilibet, qui rejicitur ab exercitu, & juſſu praefectorum diſcedit, dicitur *dimitti ab exercitu*, ſed tantum miles caligatus: quod docet Ulpianus *l.* 2. *D. de his qui notant. infam.* quod ait Praetor; *Qui ab exercitu dimiſſus erit, dimiſſum accipere debemus militem caligatum.* Non ergo quilibet miles eſt caligatus, nec quilibet in exercitu geſtabat caligas. Quid ſit caliga notiſſimum eſt, militaris nempe calcei genus, quod clavis figebatur. Hinc Juvenal. *Sat.* 16. *v.* 24.

— — Offendere tot caligatos.
Millia clavorum.

Militem caligatum eſſe gregarium jam monitum eſt a multis, praeſertim Briſſonio *lib.* 2. *cap.* 5. *ſelect. Antiquit.* Et obvia ſunt verba Suetonii *in Auguſto cap.* 25. *Murales coronas quam parciſſime & ſine ambitione etiam caligatis tribuit.* Quamvis autem verum ſit caligatum militem eſſe gregarium, non tamen hoc ſufficit dicere, ut recte explicentur verba Ulpiani. Quaero namque, cur dixit militem caligatum, & non ſimpliciter militem, quando nullus eſt miles, qui non ſit caligatus, & nullus eſt caligatus, qui non ſit miles? Reſp. non omnes, qui ſequebantur exercitum, milites dicebantur, ſed tantum illi, qui in numeros relati erant, *l.* 42. *D. de teſtam. mil. Ex eo tempore, quis jure militari incipit poſſe teſtari, ex quo in numeros relatus eſt. ante non. proinde qui nondum in numeris ſunt, licet etiam lecti tirones ſint, & publicis expenſis iter faciunt, nondum milites ſunt: debent enim in numeros referri.* Exiſtimo autem ſolis illis, qui jam in numeros relati erant, licuiſſe inducere caligas.

CAPUT XXXVIII.

Dicta an referantur ad Legem Juliam Majeſtatis?

CApita legis Jul. Majeſtatis ſi quis percurrat; nihil reperiet de verbis. Id obſervavit Tacitus *lib.* 1. *Annal. cap.* 72. *Legem Majeſtatis reduxerat* (Tiberius) *at cui nomen apud veteres idem, ſed alia in judicium veniebant, ſi quis proditione exercitum, aut plebem ſeditionibus, denique male geſta Republica, majeſtatem populi Romani minuiſſet, facta arguebantur, dicta impune erant. Primus Auguſtus cognitionem de famoſis libellis ſpecie legis ejus tractavit, commotus Caſſii Severi libidine, qua viros, foeminasque illuſtres procacibus ſcriptis diffamaverat.* Legimus a nonnemine ex Imperatoribus revocatam fuiſſe legem Juliam Majeſtatis: id non univerſim accipiendum, ſed quatenus ex ea *dicta arguebantur.* Vultejus *lib.* 1. *Juriſprud. Rom. cap.* 48. ſic ſcribit; *Crimen Laeſae Majeſtatis committi poteſt, ſummatim dicto.* Et in margine adducit *l. unic. C. ſi quis imperatori maledixerit.* Atqui contrarium colligitur, nimirum Imperatorem Theodoſium nolle laedi Majeſtatem dicto, quicquid viſum fuiſſet aliis Imperatoribus. Propterea ait: *Siquis &c. tum poenae nolumus ſubjugari.* Et ſeparatur hic titulus a ſequenti, in quo agitur de lege Majeſtatis, .

CAPUT XXXIX.

An Roma hodie patria Communis?

TRiplex Patria eſt originis, domicilii, & communis, ut etiam obſervat Cujacius ad *l.* 6. §. *Grammatici* 1. *D. de excuſationibus*, & diſcimus Romam eſſe communem patriam ex *l. eos* 9. *D. de vacat. mun.* & *l. Roma* 33. *D. ad Municip.* & *l. ult. D. de int. & releg. l. in orbe* 17. *D. de ſtatu hom.* Quaerebatur an Roma hodie cenſeatur patria Communis, an ſcilicet ſi quis amittat. e. g. Civitatem Florentinam, adhuc ritineat Civitatem Romanam? Reſpond. Quamdiu viguit Imperium Romanum, etiam viguit lex lata ab Antonino, quod omnes, qui erant in orbe Romano, eſſent cives Romani. At poſtquam imperium illud diviſum eſt in multa regna, respublicas, principatus, evanuit etiam lex illa de patria communi, & Civitate Romana. E. g. Regnum Gallicum abſolutum eſt, nec quicquam habet rei cum Imperio Romano. Si quis igitur ſit Civis Pariſienſis, non propterea eſt Civis Romanus. Et ſi amittat Civitatem Pariſienſem, nulla alia ei supereſt. Si Reges penderent ex nutu illius, qui hodie eſt Imperator Romanorum, poſſet habere locum lex illa de patria Communi.

CAPUT XL.

Quomodo libertas ſit aeſtimabilis?

APud Romanos poterat quis ſe ipſum vendere ad participandum pretium: hoc nemo non novit. Et tamen etiam verum eſt, quod libertas ſit inaeſtimabilis. Quod venditur certo pretio, aeſtimabile eſt. At libertas inaeſtimabilis eſt. Reſpondent aliqui, quod qui ſe ipſum vendit, jam ſervus eſt. Hoc eſt nugari in re ſeria. Immediate ante venditionem nonne quis eſt liber? quomodo igitur ſit ex libero ſervus, proculdubio participatione pretii. Amittitur igitur libertas commutatione pretii, & translatione juris in eum, qui ſolvit ut poſſit altero uti, qui pretium participavit, tanquam ſervo. Melius reſpondebimus hoc modo: libertas vel expenditur ratione ejus, qui ea praeditus eſt, vel ratione utilitatis, quam poteſt quis percipere ex ea, ſi ille, qui liber eſt, fiat ſervus. Prima ratione libertas inaeſtimabilis eſt: ſi enim vitam excipias, nihil eſt libertate praeſtantius. Secunda ratione libertas aeſtima-

bilis eſt: fit enim ſolutione pretii adaequatio quaedam inter nummos ſolutos, & emolumentum, quod percipit emptor ex miniſterio ejus, qui ſeipſum vendidit.

CAPUT XLI.
Exceptio ad legem Repetundarum.

PLurima capita fuerunt legis repetundarum, ut colligitur ex Epiſtolis M. Coelii ad Ciceronem, & obſervavit eruditiſſimus, & graviſſimus Ant. Auguſtinus lib *de Legibus:* unum namque & centeſimum fuiſſe caput. *Quod coram judicum major pars judicarit, id jus ratumque eſto.* Notiſſimum autem eſt ex Marciano lib. 14. inſtitut. *l.* 1. *D. de leg. Jul. Rep. Lex Julia repetundarum pertinet ad eas pecunias, quas quis in Magiſtratu &c. vel quo alio officio, munere, miniſterioque publico cepit.* Addit, quod *excipit lex, a quibus licet accipere: a ſobrinis &c.* Exceptionem aliam videor mihi reperiſſe *ad Quint. Fratr.* Cic. *epiſt.* 1. § 9. *Romae laudatur, quod cum ad templum, monumentumque noſtrum civitates pecunias decreviſſent, cumque id & pro magnis meis meritis, & pro tuis maximis beneficiis, ſumma ſua voluntate feciſſent: nominatimque lex exciperet, ut ad templum, monumentumque capere liceret;* id quod non puto poſſe intelligi de alia lege, quam Julia repetundarum. Haec enim, ut diximus ex Marciano, agebat de pecunia, quam quis accepiſſet in munere publico. Miror autem a viris doctis hanc exceptionem fuiſſe praeteritam; quod quidem ego viderim.

CAPUT XLII.
An a Stoicis petitum, quod JCti aequitatis dicuntur ſacerdotes?

MErillius, JCtus Gallus, ex eo etiam colligit, veteres JCtos praecipue fuiſſe addictos Stoicis, quod Ulpianus *l.* 1. *D. de Juſt. & Jur.* dicat: *Jus eſt ars boni, & aequi, cujus merito quis nos ſacerdotes appellet.* Merillius id a Stoicis petitum affirmat, adducitque Laërtium *in Zenone*, tradente ex ſcito Stoicorum, μόνον τε ἱερέα τὸν σοφόν. ſed Ulpianus non dixit ex paradoxo Stoicorum, *ſolos ſapientes eſſe ſacerdotes.* Tantum affirmavit JCtos poſſe *merito aequi, & boni ſacerdotes appellari.* At hoc commune eſt Ulpiano, & JCtis cum omnibus artium, & diſciplinarum profeſſoribus, ut loquantur de ſua profeſſione, tanquam re ſacra, & myſterio: Frim. *lib.* 2. *Nunc tu qui hos libros legere conaris, cum natura ſacris imbutus, atque initiatus ſacrati operis diſciplina fueris.* Cic. *lib.* 1. *de Orat. ne Rhetorum aperiamus myſteria.* Virgil. *lib.* 2. *Georg. v.* 475.

Me vero primum dulces ante omnia Muſae,
Quarum ſacra fero, ingenti percuſſus amore.

Statius vocat Lucanum *Romani chori ſacerdotem.* Perſius ait *in Proleg. v.* 16.

— — — Ipſe ſemipaganus
Ad ſacra vatum carmen affero noſtrum.

Hinc apud Ariſtidem ὄργια Μουσῶν. Syneſius *Epiſt.* 99. vocavit Μουσῶν ἱερέα. Omitto alia ſexcenta.

CAPUT XLIII.
Pagani cur oppoſiti militibus?

NIhil frequentius, quam ut paganus opponatur militi. Juven. *Sat.* 16. *v.* 32.

— Citius falſum producere teſtem
Contra Paganum poſſis, quam vera loquentem
Contra fortunam armati, contraque pudorem.

Paganus eſt, qui non eſt armatus, Ulpianus *l.* 9. §. 1. *D. de militari teſt. Eſt reſcriptum a Divo Pio, in eo, qui, cum eſſet paganus, fecit teſtamentum, mox militare coepit.* Video & inter ſe opponi paganos & ſenatores, *l.* 1. §. 2. *D. de fugitivis: Hoc autem Senatusconſultum aditum etiam dedit militi vel pagano ad inveſtigandum fugitivum in praedio ſenatorum vel paganorum.* Exiſtimo igitur paganorum nomine non venire quoscumque cives, ſed eos, qui degunt in pagis. Eſt igitur paganus ille, qui, cum degat ruri, non dedit nomen ſuum militiae. Diſcrimen autem conſtitutum eſt inter paganos, & milites, quod ex agro praecipue colligerentur milites, juxta monitum Vegetii *lib.* 1. *cap.* 3. *Nunquam credo potuiſſe dubitari, aptiorem armis ruſticam plebem, quae ſub divo, & in labore nutritur, ſolis patiens, umbrae negligens &c.* et aliorum. Itaque quando nominantur milites & pagani, praetereuntur quodammodo urbani homines.

CAPUT XLIV.
Annuli ſignatorii amplus uſus.

TEſtamenta claudi annulo ſignatorio recte probant aliqui ex *l.* 22. §. *ad teſtium* 2. *D. qui teſtam. fac. poſſ. Si ab ipſo teſtatore annulum accepero, & ſignavero, teſtamentum valet, quaſi alieno ſignaverim.* Sed annuli ſignatorii (de quo *l.* 74. *D. de verb. ſignific.*) uſus longe major erat apud Romanos, quando eo ſignabant non ſolum tabulas, & alia ſcripta, ſed totam ſupellectilem domeſticam. Tacit *lib.* 2. *Annal. cap.* 2. *viliſſima utenſilium annulo ſignata.* Plautus *in Caſina Act.* 2. *ſc.* 1. *v.* 1.

Obſignate cellas, referte annulum ad me.

Et alibi: *in Perſa Act.* 2. *ſc.* 3.

Iſti parcipromi qui ſalinum ſervit obſignant cum ſale.

Plura loco profert ibidem Lipſius. Sed locus ex Clemente illuſtrat verba JCti: *ſignatorius annulus ornamenti appellatione non continetur:* nam ſi annulus non ſit ſignatorius, ſive, ut alii, ſigillaricius, ornamenti appellatione continebitur. At foeminis Chriſtianis apud Clementem non tribuuntur annuli, niſi ſignatorii: *Tribuit etiam foeminis annulum aureum,* δακτύλιον *ἐκ χρυσίου, non hercle ad ornatum, ſed ad ſignandum ea, quae domi cuſtodienda ſunt, propter curam domeſticam, quae illis incumbit &c. Quoniam mala inſtitutio cauſam magnam praebet injuriae, opus habuimus ſigillis.*

CAPUT XLV.
De Majore parte Univerſitatis.

NEſcio quam bene Diemenus reprehendat Accurſium ad *l.* 16 §. *refertur* 10. *D. de reg. Jur.* nec enim aliud vult Ulpianus, quam referri ad univerſitatem, quod publice fuerit factum per majorem partem. Verba diſerta ſunt, nec loquitur ſingulatim de aliquo populo (ut puta Romano) ſed de quocumque conventu, de quibuscumque quorum ſit univerſitas: ait namque Accurſius: *ſi populus, quicumque is ſit per tubicinem, aut praeconem, aut quem aliam ſimilem modum convocatus, quod jubet, aut vetat; ad univerſos hos referendum eſſe, quaſi ab univerſis publice juſſum, aut vetitum, ſi modo duae partes populi adfuerint, & ex iis major pars conſenſu quid jubeat, aut vetet fieri.* Ut haec refutet Diemenus multa declamat, quod populus Romanus jam pridem amiſiſſet jus ſuffragiorum, reprehenditque Accurſium, quaſi docentem tempore Juſtiniani populum Romanum habuiſſe ſuffragia. Sed quis non videt meram eſſe hanc contradicendi libidinem? Nihil enim Jureconſultus Florentinus profert de Romanis: ſed late loquitur de quocumque populo.

CAPUT XLVI.
Defenditur Budaeus adverſus Diemenum.

L. *Omnis definitio* 202. *D. de reg. Jur.* legimus: *Omnis definitio in jure civili periculoſa eſt; parum eſt enim, ut non ſubverti poſſit.* Jam ſcimus, regulam eſſe catholicam aliquam de re praeceptionem plura com-

Digitized by Google

comprehendentem, ad quam tanquam normam aliquam dirigi debeant. Diemerus *in Commentario* reprehendit Budaeum immerito, ut ego puto. Exiſtimat namque reprehenſor verba, quae protulimus, recte quidem dici de regulis Juris, non item de definitionibus, quibus explicatur τὸ τί ἦν, ut vocat Ariſtoteles. Ego contendo recte dici, & de regulis, & de definitionibus, quae dicuntur eſſentiam rei explicare: *parum eſt ut non ſubverti poſſit*; ut vix ullam definitionem apud Jureconſultos reperire liceat, quae nonnullis in medium allatis ſubverti non poſſe videatur. Eſt Juriſprudentia ex inſtitutis humanis; quae cum varia valde ſint, accuratam tractationem non recipiunt; ut monet Ariſtoteles *in primo Nicomachiorum*. Quinimo prudentes Juriſconſulti utuntur potius definitionibus popularibus, quam ſubtilibus, & dialecticis. Id cuivis, qui hoſpes non ſit in libris Juriſprudentum, perſpicuum eſt.

CAPUT XLVII.
An mulier jungens ſe cum ſervo alieno amitteret bona?

NOtum eſt, quod ex SCto Claudiano, quae ſe jungeret ſervo alieno, fieret Ancilla. Refert id Juſtinianus §. 1. *Inſtit. de ſucceſſ. ſubl.* ſed addit: *ex SCto Claudiano, libera mulier ſervili amore bacchata, ipſam libertatem per Senatusconſultum amittebat, & cum libertate ſubſtantiam.* Quod addit de amiſſione ſubſtantiae, ejus nulla fit mentio neque apud Tacitum; neque apud Suetonium; adde, quod aliqui docent, quod tantum liberta fiebat, non ancilla: non igitur amittebat facultates. Reſpondendum eſt, quod licet diſertis verbis hoc non continetur in SCto Claudiano, per ſe ipſum tamen intelligebatur: ut enim in bello captivus fit ſervus ejus, a quo capitur, & omnia ejuſdem bona; ita mulier, quae ſe jungeret alieno ſervo, fiebat ancilla domini, atque eidem tranſcribebatur univerſa mulieris ſubſtantia. Quod ſi quis diceret, tantum libertam factam, inde recte quidem colligeret non amiſſas facultates: at Imperator ſic explicabat SCtum, ut intelligeret foeminam factam ancillam; & ex ejuſmodi interpretatione pronunciavit amiſſam *cum libertate ſubſtantiam*. De ipſo autem SCto jam diligenter diſputavimus.

CAPUT XLVIII.
De iis quae geruntur per metum, & vim. diſſenſio quaedam Theolog. & Juriſc. tollitur.

DE iis, quae fiunt per vim atque metum, paulo aliter loquuntur Theologi, & Jureconſulti: ſed tandem, ſi judicia reſpicias, res eodem recidit. Theologi ajunt, quod quando quis aliquid pollicetur metuens ſibi, ejuſmodi promiſſio eſt voluntaria ſimpliciter, involuntaria ſecundum quid: cum enim actiones ſint ſingulares, & hic, & nunc complectantur, ille, qui timet, putat conſultum eſſe polliceri, ut vitetur majus incommodum, atque adeo volens ſpondet. Id illuſtratur ſimili exemplo: nam qui abjicit merces, ne ſubmergatur navis, facit id ex ea ſententia animi, ne pereat; putat enim ſatius eſſe amittere bona, quae vehuntur, quam vitam. Ita qui tranſigit cum minante, & parato inferre vim, vexationem redimit, interpoſita pollicitatione: at Juriſconſulti diſerte ajunt, ex *l.* 116. *D. de reg. Jur. Nihil conſenſui tam contrarium eſt, quam vis, atque metus: quem probare contra bonos mores eſt.* Reſpiciunt nempe Jureconſulti rationem judiciorum, in quibus invitum cenſetur, quicquid per metum atque vim geſtum fuerit. Hinc tot remedia, ut potentiores in ordinem redigantur. *Metus cauſa. Vi bonorum raptorum. Uti poſſidetis. Quod vi, & clam*, & interdictum *Unde vi.* Quae omnia approbantur etiam a Theologis.

CAPUT XLIX.
Lex Satyra a Varietate.

INter Philologos controverſia eſt, unde dicatur Satyra. Ant. Auguſtinus in eruditiſſimo libro *de Legibus*, ubi agit de lege Satyra; putat dictam a Satyris, ſive Faunis. Videntur enim Satyrici poetae *imitari Satyros, cum illa verborum licentia, tum etiam dicacitate quadam & varietate.* Hanc dixiſſe Salluſtium, *in Jug. cap.* 21. *quaſi per Satiram ſententiis exquiſitis*: quaſi nullo ordine ſervato. Alii putant dictas Satyras a Satira, quae vocatur genus lancis, id eſt diſcus, vel clarnus *, multis ac variis frugum generibus plena, quae ſacrificiis Veneris conſuevit inferri; dicta a ſaturitate id eſt abundantia; vel eo quod ſit plena conviciis, & reprehenſionibus hominum, & nulli parcat. Alii ſic: a Satyra lance, quae referta variis multiſque primitiis in ſacris inferebatur, & a copia, & a ſaturitate rei ſatyra dicebatur; cujus generis lancium & Virgilius *in Georgicis* meminit, *lib.* 2. *v.* 194.

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Video eo tendere omnia, ut Satyra dicatur a varietate, ſive originem ſumat a Satyris, ſive a lance. Varietatem hanc Satyrae agnovit Juvenalis *Sat.* 1. *v.* 85, & 86.

Quicquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, diſcurſus, noſtri eſt farrago libelli.

* [Verbum *clarnus* ſine dubio eſt corruptum: forte legendum κέρνος, id eſt, *vas fictile.*]

CAPUT L.
Captus an ſaltem jure Militari poſſit teſtari?

EUm, qui captus eſt ab hoſtibus, non poſſe teſtamentum condere jure communi, notiſſimum eſt. Sed quaeritur, an non ſaltem jure militari poſſit quis teſtari? Sunt enim militum magna privilegia. Reſpondet Ulpianus, *l.* 10. *D. de teſtament. milit. Facere teſtamentum hoſtium potitus nec jure militari poteſt*: nam hoſtium potitus eſt, idem qui captus ab hoſtibus. Et ſic etiam locutus eſt Papinianus, *l. quod ſi filius.* 11. *D. de Captiv. Sive quoniam non reverſo eo* (patre) *exinde* (filius) *ſui juris videtur fuiſſe, ex quo pater hoſtium potitus eſt.* Quidam locum iſtum emendaverant, & ſcripſerant; *hoſtium poteſtati ſubditus.* erat emendatio nimium audax. Alciatus eam rejecit *lib.* 1. *Parerg. cap.* 35. ubi adfert ex Plauti *Capt.* haec *Act.* 1. *ſc.* 1. *v.* 260. & *ſc.* 2. *v.* 41.

Nam poſtquam meus rex eſt potitus hoſtium.
Ego poſtquam natus tuus eſt potitus hoſtium.
Expertus quanti fuerit nunc deſidero.

Miror ab Alciato praetermiſſum fuiſſe locum ex *D. de teſtam. milit.* qui clariſſimus eſt. Locus etiam eſt *in Epidico* Plauti: *Act.* 4. *ſc.* 1. *v.* 34.

Mul. *Tum filiam, quam ex te ſuſcepi.* Per. *Quid eam?*
An editam perdidi, atque hoſtium eſt potita.

CAPUT LI.
Teſtis integrae frontis. Arenarii.

QUis eſt *integrae frontis homo l.* 13. *de teſt.*? Recte Donellus, in tract. *de Teſtibus*, eum eſſe, quem nihil pudet. Ita explicandum ex praecedentibus verbis: *Quaeſitum ſcio an in publicis judiciis calumniae damnati teſtimonio publico perhibere poſſint &c.* & infert: ad *officium* (judicantium) *pertinet ejus quoque teſtimonii fidem quod integrae frontis homo dixerit, perpendere*: nam qui ſemel pudorem depoſuerunt, etiamſi proferant mendacia, non immutant faciem, ſed in eodem habitu oris perſtant. Et hac in re elegans Graecorum verbum ἀποτετριφέναι depoſuiſſe frontem, vel, ut melius, perfricuiſſe, & neſcire amplius erubeſcere. Quod dicitur de illis hominibus, qui inter magna ſcelera nihil immutantur.

Gladiatores aut teſtes eſſe non poſſunt, aut ſi eos admiſerimus, id non fiet abſque tormentis. Gladiatores ſunt, qui ſe locaverunt Laniſtis, ut pugnent vel adverſus alios homines, vel adverſus beſtias *l. 1. §. 5. D. de teſtibus. Lege Julia de vi cavetur, ne hac lege in reum teſtimonium dicere liceret &c. Qui ad beſtias ut depugnaret ſe locaverit.* Vocantur etiam arenarii *l. 21. §. 2. D. eod. tit. Si ea rei conditio ſit, ubi harenarium teſtem vel ſimilem perſonam admittere cogimur, ſine tormentis teſtimonio ejus credendum non eſt.*

CAPUT LII.

De lege Rhodia.

INter inſulas olim inprimis Rhodus memorata eſt: quod eſſet pulcherrima, & libera, ut ait Plinius *lib. 5. cap. 31.* circuitu 130. mill. paſſ. aut ſi potius Iſidoro credimus, 103. habitabatur urbibus Lindo, Camiro, Ialyſo. diſtat ab Alexandria 578. mill. paſſ. a Cypro 166. *portus benigne* (inquit Plinius) *praebet octo.* Quare non eſt mirum, ſi tanta eſſet Rhodienſium in re navali gloria. Hinc leges de commerciis maritimis a Rhodo Rhodiae dictae, ut tradit Iſid. *lib. 5. Etymol.* Incolae illius inſulae fuerunt amici populi Romani, quando adverſus Philippum operam navaverunt cum Attalo. In principio lex Rhodia lata eſt praecipue de jactu, ut ſciretur quid ſtatuendum de damno, quando levandae navis cauſa merces jaciebantur in mare. Hinc Paulus *lib. 2. Sent.* & notatur in *l. 1. D. ad leg. Rhod. Lege*, inquit, *Rhodia cavetur, ut ſi levandae navis gratia jactus mercium factus eſt; omnium contributione ſanciatur, quod pro omnibus datum eſt*: ſed poſtea alia addita ſunt capita.

CAPUT LIII.

Lex Roſcia extenſa ad Circum.

EXarſit Populus Romanus adverſus Roſcium quod legem de ſedendo tuliſſet. Sed placatus eſt ſuadela Ciceronis. Hinc Plinius *lib. 7. cap. 30. Te ſuadente* (M. Tull.) *Roſcio theatralis legis auctori ignoverunt, notataque ſe diſcrimine ſedis aequo animo tulerunt tribus.* Auguſtus non uſque adeo eam ſervavit: hinc de ipſo Suetonius, *cap. 40. Cum autem plerique equitum attrito bellis civilibus patrimonio ſpectare ludos e quatuordecim non auderent, metu poenae theatralis, pronunciavit non teneri eo, quibus ipſis, parentibusque equeſter cenſus nunquam fuiſſet.* Lex haec ab initio tantum egit de ſcena, non de Circo. Nero eam ad circum etiam extendit. Tacitus *lib. 15. Annal. cap. 32. Equitum Romanorum locos ſedilibus plebis antepoſuit apud Circum: namque ad eam diem indiſcreti inibant, quia lex Roſcia nihil niſi de quatuordecim ordinibus ſanxit.* Haec Tacitus.

CAPUT LIV.

Domitianus legem Roſciam renovavit.

UT quis privilegio legis Roſciae frueretur, cenſus faciebat: nam ab eo equitum dignitas. Livius *lib. 44. vos a cenſu equitem legitis.* Domitianus quia videbat minus obſervari legem Roſciam, edixit de loco capiendo in theatro. Ac ſane tunc quandoque factum eſt, ut aliqui ementiti equites, qui locum jam ceperant, juſſi fuerint ſurgere, & extra ordinem equeſtrem ſedere. Hinc Epigramma Martialis natum *lib. 5. Epig. 8.*

Edictum domini, deique noſtri,
Quo ſubſellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit,
Dum laudat modo Phaſis in theatro
Phaſis purpureis ruber lacernis,
Et jactat tumido ſuperbus ore:
Tandem commodius licet ſedere,
Nunc eſt reddita dignitas equeſtris.
Turba non premimur, nec inquinamur:
Haec & talia dum refert ſupinus;
Illas purpureas & arrogantes
Juſſit ſurgere Lectius lacernas.

CAPUT LV.

De Mercede Advocatorum.

DE Cincia munerali lege inquit Tacit. *lib. 15. Annal. cap. 20. ſit Oratorum licentia Cinciam rogationem peperit.* apud Livium *lib. 44. cap. 4.* inquit Cato: *Quid legem Cinciam* (excitavit) *de muneribus, niſi quia vectigalis jam, & ſtipendiaria plebs eſſe Senatu coeperat.* Apud Tacitum *lib. 11. Annal. cap. 5.* legimus acerrime in utramque partem diſputatum quibusdam defendentibus, quibusdam oppugnantibus legem. *Legem*, inquit Tacitus, *Cinciam flagitant, qua cavetur antiquitus, ne quis ob cauſam orandam pecuniam donumque accipiat. bonarum artium principem foedis miniſteriis foedari. accuſationes foveri, ut fori tabes pecuniam advocatis ferat.* Aruntium, & Eſerninum *ad ſumma provectos incorrupta vita, & facundia*: contra jactabatur: *Nihil a quoquam expeti, niſi cujus fructus ante praeviderit. quantis mercedibus Clodius, & Curio concionati ſint. ſublatis ſtudiorum pretiis etiam ſtudia peritura, ut minus decora.* Quo eventu haec ultro, citroque dicta? *Princeps capiendis pecuniis poſuit modum uſque ad dena ſeſtertia, quem egreſſi repetundarum tenerentur.*

PAGANINI GAUDENTII ADDITAMENTUM CRITICUM.

CAPUT I.
Monumenta in magnis domibus Romae.

OLympiodorus in *Bibliotheca* Photii, ut deſcribat magnitudinem domuum Romanarum, memorat ἱππόδρομον, καὶ φόρον, καὶ ναὸν. *Circum, fora, templa, fontes, balnea diverſa*; Martialis *Daphnonas, platanonas, balnea, porticus, hippodromum.* J. Lipſius in hanc rem multa accurate, & erudite colligit, *lib.* 3. *de Magnit. Romana cap.* 14. Templorum nullam mentionem facit, quod tamen magnitudinem Romanam valde illuſtrat. Familiarum, inquam, Romanarum is erat ſplendor, ut haberent & templum, & monumentum intra domum ſuam. Itaque quando dixit Olympiodorus, quod unaquaeque domus haberet in ſe templa, extendendum etiam ad monumenta, quae connexa cum templis, Cicero *lib.* 1. *Epiſt.* 1. *ad Q. Fratrem: Quod cum ad templum monumentumque noſtrum civitates, pecunias decreviſſent &c. nominatimque lex exciperet, ut ad templum, monumentumque capere liceret.* Vides Lector conjungi familiarum templa cum monumentis.

CAPUT II.
Pluresne triumphos duxerit Diocletianus?

ERat, qui cum legiſſet *in poëmatis* Maffaei Cardinalis Barberini, qui nunc Pontifex Opt. Max. *Ode ad Johannem Baptiſtam Strozzam*, haec verba, de Diocletiano:

Quem ſaepe victis hoſtibus, inclyto
Romam triumpho, viderat invehi.

putaret ſignificari Diocletianum ſaepius viſum triumphare. Atqui, ajebat, ſemel tantum triumphaſſe Imperatorem a bonis ſcriptoribus didicimus. Reſpondi. Diocletianus multos hoſtes vicit. Debellavit Archilleum Tyrannum: Aegyptum recepit: de Perſis victoriam reportavit: Carpos, & Baſternos ſubegit. Inde Romam reverſus celeberrimum triumphum egit. Et quidem ſemel triumphaſſe fateor, ſed cum ſaepe, & multos hoſtes viciſſet. Itaque eruditiſſimi ſcriptoris verba ſic ſunt accipienda, ut illud *ſaepe* non jungamus verbo *viderat*, ſed *victis* inclytus; namque fuit triumphus. Diocletianus, cum ſaepe viciſſet hoſtes, uno triumpho fuit contentus.

CAPUT III.
Verba Senecae Epiſt. 37.

IN *Collectaneis politicis* Gothofredus videtur mihi decipi, quando ait eandem formulam fuiſſe juramenti militaris, & gladiatorii *tit. de re militari: Militaris ſacramenti, & gladiatorii eandem eſſe formulam oſtendi cap. de Amphitheatro.* Profert verba Senecae *ep.* 37. *Quod maximum vinculum eſt ad bonam mentem, promiſiſti virum bonum. Sacramento rogatus es. Deridebit, ſi quis tibi dixerit mollem eſſe militiam & facilem. nolo te decipi. Eadem honeſtiſſimi hujus & illius turpiſſimi auctoramenti verba ſunt*; uri, vinciri, ferroque necari. *Ab illis qui manus arenae locant, & edunt ac bibunt, quae per ſanguinem reddant, cavetur ut iſta vel inviti patiantur: a te ut volens libensque patiaris. Illis licet arma ſubmittere, miſericordiam populi tentare: Tu neque ſubmittes, nec vitam rogabis. recto tibi invictoque moriendum eſt.* Addit Gothofredus; per honeſtiſſimum ſacramentum intelligendum quod in ordinaria, & juſta militia emittitur. Ego puto Senecam loqui de militia improprie ſic dicta, vita nempe noſtra: velimus namque nolimus debemus ſequi Deum, quando fata volentem ducunt, nolentem trahunt. Juramenti militaris formulae recenſentur a Briſſonio; nihil in illis de uſtione: & quis unquam audivit militibus admotum ignem?

CAPUT IV.
De Sole, & Deo Plinii verba.

CAp. 7. *lib.* 2. Plinius incipit his verbis: *Quapropter effigiem dei, formamque quaerere, imbecillitatis humanae reor.* Quo referendum illud *Quapropter?* puto ad id, quod proximo capite ſexto dixerat de Sole; *Sol medius fertur ampliſſima magnitudine ac poteſtate; nec temporum modo, terrarumque, ſed ſiderum etiam ipſorum, coelique rector. Hunc mundi eſſe totius animum, ac planius mentem, hunc principale naturae regimen, ac numen credere decet, opera ejus aeſtimantes.* Cum itaque Solem videamus ampliſſima magnitudine, quid attinet, inquit Plinius, *effigiem dei formamque quaerere?* imo etiam ea de cauſa dei formam non eſſe quaerendam, quod ſi quis deus ſit praeter ſolem, *totus ſit ſenſus, totus viſus, totus auditus, totus animae, totus animi, totus ſui.* At quam effigiem adſcribemus ei, qui ſic ſe habeat? Neſcit autem Plinius, an alius ſit Deus praeter ſolem: nam ſolem dixerat Numen. *Quiſquis eſt deus* (*ſi modo eſt alius*) haec ultima verba aliter habent in aliis exemplaribus: *ſi mundo eſt alius aliquis.* Alius aliquis ſcilicet praeter ſolem. Si namque verba Plinii non referas ad ea, quae dixit de ſole, impinges: ut fecerunt illi, qui retulerunt ad ea, quae plurima dixerat de toto mundo.

CAPUT V.
Emendata verba Plinii in praefatione.

VErba ſunt Plinii *in Praefat. Adeo ſummum quisque cauſae ſuae judicem facit, quemcumque elegit, unde provocatio appellatur.* Quid ſibi velit illud: *unde provocatio appellatur*, ego quidem non intelligo. Certe provocatio nomen ſuum non accipit a ſummo Judice; & quomodo quaeſo nomen ſuum ſumeret ab eo, qui ſummus eſt, & a quo ad alium non licet provocare? puto legendum: *unde provocatio repellitur.* A Judice namque, qui ſummus non eſt, datur provocatio. At qui aliquem tanquam ſummum judicem ſibi ipſe elegit, ſe in eam neceſſitatem conjecit, ut ab ipſo provocare non poſſit. Et haec verba rectiſſime proferuntur a Plinio apud Imperatorem, qui in ſummo faſtigio non ſolum dignitatis, ſed & eloquentiae, & eruditionis ſummi Judicis partibus erat functurus in lectione operis Pliniani.

CAPUT VI.
Hadrianus an adoptatus a Trajano?

QUi adoptabatur teſtamento ita ſuccedebat in haereditate, ut defuncti nomen aſſumeret, ut jam pridem obſervatum eſt a viris doctis, & praecipue Briſſonio *de formulis Romanorum.* Exemplum ejusmodi adoptionis celebre eſt in Auguſto, qui ſucceſſit Caeſari. Hadrianus a Trajano non fuit adoptatus, ut dubitare non poteſt, qui legerit haec in Spartiano *cap.* 4. *Optimo fuit, Trajano id animi fuiſſe, ut Neratium, non Adrianum ſucceſſorem relinqueret. Multi dicunt, id in animo habuiſſe, ut exemplo*

Ale-

Digitized by Google

Alexandri ſine ſucceſſore moreretur; multi ad ſenatum &c. ut optimum eligeret. De adoptione nihil: profertur quaedam inſcriptio, quam recte rejicit Caſaubonus. Sed quid dicemus ad hanc:

IMP. CAESAR
DIVI TRAIANI
PARTHICI FIL.
DIVI NERVAE NEP.
TRAIANUS. HADRIANUS &c?

Hic videmus ideo vocari Trajanum eum, qui ſucceſſit Trajano, quia tanquam adoptatus aſſumpſerat nomen adoptantis more Romano. Reſponſio in promptu eſt. Hadrianus revera adoptatus non fuit a Trajano, ſed voluit videri adoptatus, & propter ejusmodi fictam adoptionem & ſucceſſit, & aſſumpſit nomen Trajani. Spartianus, *eod. cap. Nec deſunt, qui factione Plotinae mortuo jam Trajano Adrianum in adoptionem adſcitam eſſe prodiderint, ſuppoſito qui pro Trajano feſſa voce loqueretur.* Idem refert Dio, & Aurelius.

CAPUT VII.

Cenſura quo ſenſu apud Plinium?

PLinii verba ſunt *lib. 7. cap. 45. In divo quoque Auguſto, quem univerſa mortalitas in hac cenſura nuncupat ſi diligenter aeſtimentur cuncta, magna ſortis humanae reperiantur volumina.* De qua Cenſura ſermo ſit, hic quaeritur. Baronius, Cardinalis maximus, putat loqui Plinium de cenſu inſtituto ab Auguſto, quo deſcribebatur totus Orbis: haec interpretatio quam ſolida ſit non video. Caſaubonus putat intelligendam *cenſuram*, pro Cenſu & recenſione, quaſi velit dicere Plinius; ubi agitur de hominibus felicibus omnes mortales putant Auguſtum reponendum in numero felicium hominum. Ego puto *Cenſurae* vocabulum hic proprie ſumendum. Nam Plinius hoc libro Cenſorem agit maximorum hominum; ſingula expendit argumenta virtutum, vitiorum, felicitatis, & infelicitatis. Senſum hujus *Cenſurae* nobis obvium faciunt verba Plinii *eodem libro cap. 29. Ingeniorum gloriae quis poſſit agere delectam, per tot diſciplinarum genera, & tantam rerum operamque varietatem? niſi forte Homero vate Graeco, nullum felicius extitiſſe convenit, ſive operis fortuna, ſive materia aeſtimetur: Itaque Alexander Magnus (etenim inſignibus judiciis optime citraque invidiam tam ſuperba cenſura peragetur)*

CAPUT VIII.

Formeſia praedia quae?

IN charta donationis antiqua, edita nuper Romae typis Vaticanis, ſic legimus: *Cum omni onere profeſſionis ſuae, vel neceſſitate, quam certum eſt Formeſia praedia ſuſtinere.* Quaerebatur, quaenam ſint *Formeſia praedia?* Facile reſponderi poteſt ex verbis ejusdem chartae: *non ſolum ſolemnem modo agnoſcat fiſcalium functionem, verum etiam propogationem formarum, quae ab omnibus dominis hujusmodi praediorum dependi conſuevit.* Quod ſi alicui non ſatisfiat his verbis, & adhuc obſcuritas ſuperſit, concilio his formeſiis lucem aliunde, *l. 1. C. Th. de calc. coctor. Ex omnibus praediis quae jamdudum praeſtatione calcis coeperunt attineri &c.* In notitia imperii fit mentio Comitis formarum: is reparandis aquaeductuum formis ſtudebat, quae erant ex firmis lateribus conſtructi canales, de quibus ſcribit Pancirolus *in Commentario.* Magna aquarum copia derivabatur Romam; vehebantur autem quotannis tria millia vehum calcis Romam, quarum 1500. erant pro formis aquaeductuum reſtituendis, aliae pro ſartis tectis habendis. Valentinianus *l. 3. C. Th. de calcis coctoribus* ad Voluſianum Urbis Vicarium: *non amplius quam terna millia calcis mineris vehae annuae poſtalentur.* Tuſcia annonaria nongentas vehas calcis ad formas aquaeductuum reparandas in urbem mittebat. Hinc igitur intelligimus quid ſint formeſia praedia, quorum nempe domini pendebant vehas calcis ad reparandos aquaeductus.

CAPUT IX.

Cur lyra dicta Obſtetrix?

QUaerebant aliqui, quibus non ignota ſunt lyrica Carmina Maffaei Cardinalis Barberini, qui nunc Urbanus Octavus Pontifex Opt. Max. cur *Ode in S. Ludovicum Regem Antiſtrophe pr. lyram* vocaſſet *ſonoram cantus obſtetricem?* Reſpondi, eleganter & docte ſic vocatam, quod dum mens foeta parturit, ipſa ferat opem, & in lucem educat ingenii partum. Hinc colligendum verba, & carmina eſſe ſterilia, & ab illis tantum expectandum, ut foetus, & cogitationes felicius, & facilius veniant in luminis oras. Ita Socrates in Theaeteto, ut modeſtiſſimus erat, ajebat ſe ſterilem eſſe, propterea quod tantum fungeretur munere obſtetricis: eas namque eligi obſtetrices, quae jam eſſent effoetae. Deducebam etiam eos eſſe infeliciſſimos & oratores, & poëtas, qui tantum ſermonis apparatu eſſent inſtructi, ſolida rerum cognitione deſtituti: procul ablegandos eſſe cum ſuis verſibus inopibus rerum, nugisque canoris; ſapienter namque ſcripſiſſe Petronium, *cap.* 118. *Neque concipere, aut edere partum mens poteſt, niſi ingenti literarum flumine inundata.*

CAPUT X.

Taurea, Flagrum.

SI Pſecas ancilla aliquid in capillis dominae componendis peccet,

— — taurea punit
Continuo flexi crimen.

Recte monuit Curio tauream non eſſe nomen Matronae, ut putavit Britannicus, ſed ſcuticam ex taurino corio; & adducit Eutropium, qui ſcribit, Tarquinium Superbum primum excogitaſſe *vincula, taureas, fuſtes, compedes, latumias, metalla.* Tauream, ut videmus, accepit ſubſtantive Juvenalis *Sat. 6. v.* 492. At Ovidius dixit *Taurea terga*, quae erant flagra ex tergo taurino confecta: cum enim tergum ſit corii ſolidior pars, recte ex illo fiebant ſcuticae. Plautus facete deſcripſit ejusmodi *Scuticas*, quando eas appellavit *boves mortuos, qui vivos incurſant homines.* Sed Ovidii verba ſunt, *lib. 4. Faſt. v.* 341.

Exululant comites, furioſaque tibia flatur,
Et feriunt molles taurea terga manus.

Loquitur de Gallis, in quorum diſciplina flagrum. Apulejus *lib.* 8. *Arrepto denique flagro, quod ſemiviris illis proprium geſtamen eſt, conſortis taeniis lanoſi velleris prolixe fimbriatum, & multijugis talis oviam teſſellatum, indidem ſeſe multinodis commulcat ictibus.* Quae verba proferuntur ab eruditiſſimo viro Pignorio *in explicatione tabulae Iſiacae.*

CAPUT VI.

Pater quid aliquando ſignificet?

PAter apud ſcriptores fere idem quod auctor, unde ſumpſit aliquid originem. Propertius *lib. 3, el.* 2.

Unde pater ſitiens Ennius ante bibit.

Horatius *lib. 1. ep. 19. v.* 8.

Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſiliit.

Quia primus ipſe inter Latinos Epicum carmen ſcripſit. Petronius de Epicuro *cap.* 32.

Ipſe pater veri doctus Epicurus &c.

Quaſi vera philoſophia ab ipſo initium ſumpſerit. Lucretius de eodem: *prooem. lib. 3. v. 9. Tu pater*

&

& rerum inventor. Cic. *de Finibus lib. 1. cap. 10. Inventor ille veritatis.* Athenaeus *lib. 1.* dixit auctorem πατέρα τὸ βιβλίον, ubi recte annotavit Iſaacus Caſaubonus: *non habent Graeci cum omni ſui copia, quomodo auctorem Graece dicant. In Evang.* S. Johan. *cap. 8.* de diabolo: *Quia mendax, & pater ejus.* prius dixerat: *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur.* Ergo quando dicitur *Pater ejus* ita explicandum, ut dicatur mendacii primus auctor, & quodammodo illud peperit ὅτι αὐτὸς πρῶτος ἔτεκε τὸ ψεῦδος, ut explicant Chryſoſtomus, Theophylactus, Leontius, Ammonius, & Theodor. Mopſueſtenus & obſervat accuratiſſimus interpres Maldonatus.

CAPUT XII.

Minerva an Patrima vocanda.

INgenioſe Scaliger in eo Catulli loco, ubi alii legunt, *epigr. 1. v. 9.*

Qualecumque: quod, o patrona virgo.

legit

—— —— —— *Patrima virgo.*

Putat ſic vocari Minervam, quod matrem non habeat. Mihi magis probatur lectio: *Patrona virgo.* Eſt enim Minerva patrona, quia in ipſius clientela ſunt ingenia, &, quod notavit Achilles Statius. Ennius eam Heram, & Dominam appellavit. Nec male, qui legerunt: *Patroa virgo*, quando Macrobius *in Saturnal.* memorat πατρῴους θεοὺς inter quos etiam Minerva. Ait Scaliger, quod Minerva dicitur ἐυπατέρεια, quia tantum patrem habet; & praeterea ab Euripide ἀμάτωρ, appellatur. Sit ita! vocetur a Graecis ἀμάτωρ, an continuo a Latinis dicenda *Patrima?* Nam Latini eos vocaverunt patrimos, quibus pater eſſet ſuperſtes. Aliud vero eſt carere matre, ſive non eſſe natum ex matre; aliud eſt eſſe quidem natum ex matre, ſed eam amiſiſſe. Sed quaeres, quomodo igitur Latine vertendum illud Graecorum Minerva ἀμάτωρ, & Vulcanus ἀπάτωρ? Reſp. Circumſcriptione potius utendum, quam ut vocabulis Patrimus, Matrimus tribuamus eum ſignificatum, quem a Latinis nunquam habuerunt. Sic Latinus interpres Novi teſtamenti *Hebr. cap. 7. v. 3.* quem D. Paulus vocaverat ἀπάτορα καὶ ἀμήτορα dixit *Sine patre, ſine matre.*

CAPUT XIII.

An Pumex Arida apud Catullum?

COntroverſia eſt in verbis Catulli, *in princ. epig. 1.*

Arida modo pumice expolitum.

aliqui putant legendum *arida*, alii *arido.* Qui ſunt primae ſententiae adducunt clariſſima verba Servii ad *lib. 12. Æn. v. 587.* ad illa verba;

Incluſas ut cum tenebroſo pumice paſtor
Veſtigavit oves.

Pumicem, inquit, *iſte in genere maſculino poſuit: & hunc ſequimur, licet Catullus dixerit in genere foeminino.* Unde Scaliger: *Cur dubites de hac lectione cauſa non eſt, ſi Servium locupletiſſimum auctorem habes.* Achilles Statius eſt contrariae ſententiae. Proferetur auctoritas Atilii Fortunatiani & Victorini, qui fuerunt celebres Grammatici. Sed reſponderit quis longe eſſe poſtponendos Servio. Plinius etiam videtur legiſſe Arido, non arida: nam *lib. 36. nat. hiſtor. cap. 21. ſed & ii pumices, qui ſunt in uſu levigandorum foeminas, jam quidem & viris, atque ut ait Catullus libris.* Sed Plinius non ait ſcripſiſſe Catullum *Arido modo pumice, &c.* proferuntur etiam Martialis verba in *lib. 8. epigr. 72.*

Nondum murice cultus, aſperoque
Morſu pumicis aridi expolitus.

Sit ita; uſus fuerit aliter, quam Catullus! non propterea negandum ſcripſiſſe Catullum: *Arida.*

CAPUT XIV.

Heus. haud unquam. infundere pennas. tranſire poplite.

IN verſibus Statii *lib. 5. Sylv. ad Somnum.* haec velim expendi:

At nunc, heus, aliquis longa ſub nocte.

non video, quem locum commode poſſit hic habere illud *heus.* Superfluum videtur; nec ſcio an emunctae naris Poeta velit illud imitari:

Et haud unquam vigilabam corpore toto.

Qualis vero eſt ratio dicendi

—— —— *Nec te totas infundere pennas*
Luminibus compello meis.

An pennae infunduntur? Hoc dicitur de rebus liquidis: at pennae nihil ejusmodi ſunt. Nempe cum pennas fingatur habere ſomnus, illis quoque conſueti dicendi modi ſunt aptandi. Quam abſurde, quaeſo, quis ſibi ob oculos ponit pennarum infuſionem? Neſcio etiam an illud debeat probari;

—— *Aut leviter ſuſpenſo poplite tranſi.*

Saepe poplites accipiuntur pro pedibus, & inceſſu: at hic conjungitur tranſitio cum poplitibus. Tranſitur leviter tangendo ſuſpenſa planta: at poples nec tangit, nec tranſit. Nihil enim magis reddit ineptum hominem ad tranſeundum leviter, quam ſi nitatur poplitibus.

CAPUT XV.

De Orbona dea.

PLinius ſic ſcribit *lib. 2. cap. 7. Ideoque etiam publice Febri fanum in palatio dicatum eſt, Orbonae ad aedem Larium ara, & Malae Fortunae Exquiliis.* Orbonam deam ex libro Plinii cenſuit expungendam Pintianus, ea adducta ratione, quod Orbonae deae nullus ſcriptor meminerit, & praeterea, quod verba Plinii videantur petita ex Cicerone *lib. 3. de Natur. Deorum cap. 25.* ubi ſic legitur: *Febri fanum in palatio dicatum eſt ad aedem Larium, & aram malae Fortunae exquiliis.* Ego putabam aliquando Orbonam eſſe cognomen Febris, quod ſoleat orbos reddere, atque adeo a ſcriptoribus tantum nominatam Febrim, quod id ſufficere videretur, Plinium addidiſſe etiam cognomen Orbonae. Sic igitur legebam: *Ideoque etiam publice Febri fanum in palatio dicatum eſt Orbonae ad aedem Larium, ara Malae Fortunae Exquiliis.* Sed haeret mihi difficultas in eo, quod Orbonae nomen ſic longius ſeparatur a Febri. Quare mihi ſufficit meam opinionem protuliſſe, ut de ea aequus Lector judicium ferre poſſit.

CAPUT XVI.

Ratiocinatio ex Analogia.

EX Analogia plerumque ratiocinantur Grammatici, plerumque inquam; nam ſaepe *fallit pede regula varo.* Quintilianus ſic finivit Analogiam *lib. 1. cap. 6. Ejus haec eſt vis, ut id quod dubium eſt, ad aliquid ſimile, de quo non quaeritur, referat: ut incerta certis probet.* At fallax eſt ratio a ſimilitudine. Martianus *lib. 3. Analogia eſt igitur quae latine proportio dicitur, obſervatio inter ſe ſimilium loquelarum:* ubi prolixe diſputat, & multas regulas in medium adfert. Sed dixerat paulo ante:

Ac non repulſa quae novantur regula
Vulgo docti quaeque Anomala nominant.

In capite *de Anomalis* ſic incipit: *cum nominativo ſingulari, reus & deus ſimilia ſint: quare plurali hi rei dicuntur, & uſus dicit hi dii contra regulam?* Audiendus itaque Quintilianus *lib. 1. cap. 6. Sed meminerimus non per omnia duci analogiae poſſe rationem, cum ſibi ipſa plurimis in locis repugnet.* Exemplum afferam ex Priſciano *ſub finem lib. 10. Ambio ab eo compoſi-*

tum ſolum mutavit penultimam, e, in, i. Itaque quidem deſinentiam regulam ſervavit in ſupino, & participio quippe producta penultima, ambitus, ambita, ambitum; in nomine autem corripuit penultimam ambitus.

CAPUT XVII.

An Æſopi fabulae omnes hodie extent?

QUaerebatur, an hodie extent omnes fabulae, quae ab Aeſopo olim fuerunt conſcriptae, & an omnes illius ſint, quae ſub Aeſopi nomine circumferuntur? Reſpondi. Deſiderantur aliquae: id quod facile probari poteſt teſtimonio Gellii; nam *lib. 2. cap. 29.* refert Apologum ejuſdem Phrygis fabulatoris de Caſſita avicula parva, qui tamen hodie inter vulgatas fabellas non extat: quem tanti fecit Ennius, ut ſcite admodum & venuſte verſibus quadratis compoſuerit, quorum duo poſtremi iſti ſunt:

Hoc erit tibi argumentum ſemper in promptu ſitum,
Ne quid expectes amicos, quod tu agere poſſis.

Gellius poſt recitatum Apologum ſic ſcribit: *Sed quid aliud ſanctiores libri Philoſophorum monent; quam ut in nobis ipſis tantum nitamur? Alia autem omnia, quae extra nos, extraque noſtrum animum ſunt; neque pro noſtris, neque pro nobis ducamus.* Veteri collectioni fabellarum Aeſopicarum addidit aliquot abhinc annos Neveletus 136. ex Bibliotheca Palatina, quas tamen eſſe Aeſopi nemo praeſtiterit. Editor ait ſe neſcire quis ſit auctor; & colligit ex ſtyli diverſitate, & tractandi ratione a diverſis fuiſſe conſcriptas.

CAPUT XVIII.

Diſtichorum Catonis an auctor Auſonius?

FUit nonnemo, qui exiſtimavit Diſtichorum, quae ſub nomine Catonis circumferuntur, auctorem eſſe Auſonium Burdigalenſem. Ut explodatur haec ſententia, id etiam poterit obſervari, quod auctor *Diſtichorum* ait *lib. 4.* thure eſſe Deum placandum:

Thure Deum placa, vitulum ſine creſcat aratro,
Ne credas placare Deum, dum caede litatur.

Auſonius vero ipſe diſerte in ſuis verſibus negat eſſe cremandum thus in *parecbaſi*;

Nec tus cremandum poſtulo,
Nec liba crusti mellei,
Foculumque vivi caeſpitis
Vanis relinquo altaribus:
Deus precandus eſt mihi
Ac filius ſummi dei.

Sed dices, ſi Auſonius fuit Chriſtianus, cur negat eſſe utendum thure? nonne Chriſtiani utebantur thure in templo? Reſpondeo, & dico Chriſtianos uſos fuiſſe tempore Auſonii, & hodie uti thure; non tanquam incendendo thus ſacrificetur, ſed quia ejuſmodi incenſio eſt appendix ſacrificii, quod in Eccleſia unicum eſt Corporis, & Sanguinis Domini. At Gentes ſacrificabant thure, libis, victimis caeſis; hoc faciendum negat Auſonius.

CAPUT XIX.

An errores Gentilium in diſtichis Catonis?

DE diſtichis, quae circumferuntur ſub nomine Catonis, ſic Scaliger *Auſonian. lect. lib. 2. cap. 32. Haec vero Diſticha quis non videt adhuc erroribus gentilium inſigniter delibuta eſſe? id quod ex multis illius opuſculi partibus patet.* Unus locus mihi moleſtus eſt: *Thure Deum placa.* Neſcio an poſſit explicari metaphorice, quaſi dicat: noli facere magnos ſumptus in ſacrificiis. Qua de re Plato egit *in Alcibiade.* Et Perſius pro Thure, dixit Farre. *Sat. 2. v. ult.*

Hoc cedo, ut admoveam templis, & farre litabo.

Alius etiam locus poſſet faceſſere negotium;

Uxorem fuge ne ducas ſub nomine dotis,
Nec retinere velis, ſi coeperit eſſe moleſta.

Quaſi liceat ita rejicere uxorem, ut ipſa vivente ad alteras nuptias tranſeatur. Sic quidam hoc diſtichon expoſuerunt. Hic duo poſſunt dici: Primo, quod aliquando apud Chriſtianos fuit id in more, *l. ſi conſtante 9. C. de Repudiis*, & videre eſt in *formulario* Marculphi *lib. 2.* vide *notas* Bignonii *p. 575.* Id quia adverſatur legi Euangelicae, plane eſt ſublatum. Secundo, quod hic ſermo ſit de ſimplici rejectione, non ut tranſeatur ad alias nuptias.

CAPUT XX.

Rejicitur quaedam argumentatio Joſ. Scaligeri.

JOſeph. Scaliger *lib. 2. cap. 32. Auſonian. lectionum*, ut oſtendat Auſonium non eſſe auctorem Diſtichorum, quae dicuntur Catonis, ſic ſcribit: *Qui poſſunt illa eſſe Auſonii: cum Auſonius ſerio Chriſtianus fuerit, neque aliter pius Auguſtis acceptus fuiſſet, niſi & ipſe Chriſtianus fuiſſet? haec vero diſticha quis non videt adhuc erroribus gentilium inſigniter delibuta eſſe?* Reſpondeo. Scimus Auſonium fuiſſe Chriſtianum: hoc clamant ipſius carmina, Ephemeris praeſertim in *Parecbaſi*, & oratione, quae incipit, *Omnipotens.* At quod ita colligit Scaliger, *neque aliter Auguſtis acceptus fuiſſet, niſi & ipſe Chriſtianus fuiſſet*, id exigui eſt roboris: nam Tribonianus fuit τὰ πάντα apud Juſtinianum, & tamen Tribonianum fuiſſe ἄθεον teſtantur locupletes ſcriptores. Suidas: iſte fuit ἕλλην καὶ ἄθεος. Honorius, & Arcadius tanti fecerunt Claudianum, licet pervicaciſſimum paganum (ut eum vocat Oroſius) ut ſtatua eum honorarint, poſita in foro divi Trajani. Et non multis abhinc annis Romae in ruinis vetuſtum marmor repertum fuit, quod ſtatuae Claudiani ſuppoſitum fuiſſe Pomponius Laetus, aliique antiquitatis periti crediderunt, vide Gyraldum *dial. 4. de Poet. Latin.*

CAPUT XXI.

Eboſus.

EBoſus una ex Inſulis Pityuſis, quae diſtat a Balearibus CCC. ſtadiis, ut notum eſt ex Antonini *itinerario.* Strabo *lib. 3. una vocatur Ebuſus urbem ejuſdem nominis continens*: interfluente tantum freto ab Ophiuſa ſeparata. a Dionyſio, & Euſtathio Buſos vocatur, ſi credo Nonio. Pompon. Mela *lib. 2. cap. 7. in fin. Frumenti tantum non foecunda, ad alia largior, ut nec ea quidem, quae de agreſtibus mitia fiunt, aut generet, aut ſi invecta ſunt ſuſtineat.* Non omittendum quod alii in Dionyſio ſic legunt ἀγχι δ᾽ Ἔβυσος; non ut Nonius in *ſua Hiſp.* ἀγχι δὲ Βυσος: nam reliqui auctores Ebuſum appellant, aut Eboſum & Ruff. Feſtus:

Ac dilecta vago pecori conſurgit Eboſus.

Manilius *lib. 4.* corripuit ſecundam;

Oceani victricem Eboſum.

Ejus etiam meminit Statius *lib. 1. Sylv. in Kal. Decembr. v. 15.*

Et quas praecoquit Eboſia cannas.

Unde colligit Gevartius falſum eſſe, quod Medici affirmarunt olim non ſolitum coqui ſaccarum. Quod vero idem legit: *Et quod praecoquit Eboſita cannas*, & per Eboſitam intelligit incolam Eboſi, hoc mihi non probatur: nam vet. Cod. magno conſenſu habent Eboſia. Cur igitur addit ipſe litterulam T? Quid enim prohibet vocatam fuiſſe Euboſiam a Statio, quae aliis Eboſus?

CAPUT XXII.

Quae ſint Oeteae, & Paphiae lampades?

IN verſibus *ad ſomnum* ſcribit Statius, *lib. 5. Sylv.*

Tot

Digitized by Google

— *Totidem Oeteae, Paphiaeque reviſant Lampades.*

Quae ſint Oeteae lampades quaerunt interpretes. Recte Gevartius, quod ſint ſtellae, quae in Oeta monte videntur ſurgere. Addiderim Statium non loqui de quibuscunque ſtellis, ſed de Heſpero. Servius ad illud Virgilii, *ecl.* 8. *v.* 30.

— *Tibi deſerit Heſperus Oetam.*

ſcribit: *Montem Theſſaliae, in quo ſtellae videntur occidere, ſicut de Ida naſci, ut,*

Jamque jugis ſummae ſurgebat Lucifer Idae.

Dicuntur igitur Oeteae, quod adferant lucem, quibus opponuntur Paphiae. Potuiſſet dicere Idaeae Statius, ſed maluit *Paphias*, quia Paphos mons in Cypro Veneri ſacer. At hic erat ſermo de Lucifero & ſtella afferente lucem. Neque putes non de ſola ſtella Veneris Heſpero, & Lucifero locutum poëtam, ſed de aliis quoque ſtellis; quia dixit Oeteas, & Paphias: nam ſic vocavit, quod toties exortae eſſent, & occidiſſent Statio non dormiente. Quod vero Statius potius dixerit Paphias, quam Idaeas, illa quoque ratio eſt, quia fuiſſet ingratus auribus ſonus Oeteae, Idaeae. Dices, Paphium ſignificat in genere quicquid eſt Veneris; at ſic etiam Oeteae lampades ſunt Paphiae: nam Veneris ſunt. Ubi igitur oppoſitio? Reſpondeo, quod Paphium hic dicitur quod Veneris eſt, ſed ſingulari habita ratione Paphi montis, ſacri Veneri; unde videtur oriri Heſperus.

CAPUT XXIII.

De verbo Gerere *apud Lucretium.*

DE verbo *Gerere* controverſia eſt inter Lambinum, & Giſanium: nam ubi hic apud Lucretium legit, Geruntur, aut geri, ille ponit; genuntur, & geni, aut gignuntur, & gigni. Fatetur Lambinus a ſe *lib.* 4. legi genantur, *reclamantibus omnibus codicibus:* ſed recurrit ad Laërtium, qui ubi agit de Epicuro memorat *γένεσιν εἰδώλων*. At dicet Giſanius, hanc exprimi etiam per verbum Geri: nam Lucretium modo uti verbo gigni, modo geri; quod vero germanum ſit Lucretianum gero, quando idem ſignificat, quod produco, & creo, profert duo loca, quorum unus eſt *lib.* 1. *v.* 717.

— — — *Empedocles eſt,*

Inſula quem triquetris terrarum geſſit in oris.

Sic edidit ipſe Lambinus. *Eodem libro v.* 479.

Perſpicere ut poſſis res geſtas funditus omnes.

Nec mirum videri debet, quod verbum Gero habeat hunc ſignificatum: nam & ferre idem ſignificat. Virgil. *Georg. lib.* 1. *v.* 53.

Et quid quaeque ferat regio, & quid quaeque recuſet.

Et alibi, *ecl.* 5. *v.* 39.

Non omnis fert omnia tellus.

Apud Graecos etiam aliqua regio, aut urbs, aut generalius locus aliquis, in quo natus eſt quiſpiam, dicitur eum ἐνεγκεῖν id eſt, tuliſſe. Ariſtid. *Pan.* *πρώτη γὰρ ἤνεγκεν ἀνθρώπους. ἐνεγκοῦσα*, vel potius *ἡ ἐνεγκοῦσα* praefixo articulo dicitur patria: malim igitur ſentire cum Giſanio, quicquid dicat Lambinus. Et ſane memini ab eruditiſſimo Viro Ant. Quaerengo eadem loca, quae favent ſententiae Giſanii, aliquando in ſermone familiari fuiſſe prolata.

CAPUT XXIV.

Aſſa vox quae dicatur?

IVo Villiomarus *lib.* 8. *cap.* 21. *controverſ.* exiſtimat, *omnem ſymphoniam aſſam eſſe, cui cantus abſit, hoc eſt, cui cantus non intermiſcetur, & omnem tibiam ſine voce aſſam eſſe:* hoc debuiſſet alicujus auctoris teſtimonio oſtendere verum eſſe. Nos habemus auctorem Paedianum, quod vox prolata ore Aſſa dicatur. Symphoniam autem, cui deſit vox, aſſam non vocat. Sed potius diſcrimen conſtituit inter aſſam vocem, Symphoniam, & Cytharam. Verba ipſius ſunt in *lib. Divin. Canit remigibus celeuſma per ſymphoniacos ſolebat, & per aſſam vocem, id eſt, ore prolatam, & ut in argo navi per cytharam.* Vides Aſſam vocem tantum vocari, quae ore profertur.

CAPUT XXV.

An Cicero vitarit haec verba Noviſſime, *&* Noviſſimum?

NEſcio quid venerit in mentem Gellio, ut tam confidenter ſcriberet, *M. Ciceronem bis omnino verbis Noviſſime, & Noviſſimum, ut obſervantiſſime vitaſſe. lib.* 10. *cap.* 21. Miror etiam, quod ex Varrone illud *novum, & improbum verbum* vocarit, cum fateatur ipſe *quod & M. Cato, & Salluſtius, & alii quoque aetatis ejusdem verbo iſto promiſcue uſitati ſunt, multi etiam non indocti viri in libris ſuis id ſcripſerint.* Uſus eſt Virgilius, *Aen. lib.* 4. *v.* 650.

— *Dixitque noviſſima verba.*

Quod non feciſſet, ſi improbum erat. Caeterum quod Gellius de Cicerone ait, eſſe falſum jam obſervavit Moſellanus vir eruditus ex Beroaldo. Sed frigide agit cauſam: nam dicit unum exemplum ſibi ſuppetere ex *primo de Oratore*, ſi exemplaria corrupta non ſunt. Vides Lector, quam haeſitanter loquatur Moſellanus; ſed praeſto ſunt clariſſima exempla ex *lib.* 11. *Epiſt. ad Brut. Ep.* 1. *ad noviſſima auxilia deſcendemus.* Et ibidem: *poſt noviſſimam Hirtii ſermonem placitum eſt mihi. lib.* 12. *ad Caſſ. Ep.* 13. *noviſſime Corycam ſe contulit.* Puto etiam plura reperiri in operibus Ciceronis: ſed haec ſufficiunt ad refutandum Gellium.

CAPUT XXVI.

De ſignificatu vocis Illaudati: *rejecta expoſitio Gellii & Macrobii.*

CUr *illaudatus* vocatus fuerit Buſiris a Virgilio *lib.* 3. *Georg. v.* 5. quaerunt Grammatici. Gellius & ex eo Macrobius duo ajunt poſſe adferri. Unum eſt ejusmodi: *lib.* 2. *Noct. Att. cap.* 6. *Nemo quisquam tam efferis eſt moribus, quin faciat, aut dicat aliquid nonnunquam, quod laudari queat: ſed eum, qui omni re, atque omni tempore laude vacat, is illaudatus eſt, isque omnium peſſimus, deterrimusque eſt: ſicut omnis culpae privatio inculpatum facit.* Altero modo *illaudatus* ita defenditur: *illaudatus enim eſt quaſi illaudabilis, qui neque mentione, aut memoria ulla dignus, neque unquam nominandus eſt.* Sed duo regeri poſſunt adverſus has expoſitiones: nam ſi nemo eſt moribus adeo efferis, quin faciat, & dicat aliquid, quod nonnunquam laudari queat, igitur & Buſiris talis erat, atque adeo in ipſo aliquid reprobatur laude dignum, & extra limites veri vagatus fuiſſet Poeta, cum ejusmodi nomen appoſuiſſet Buſiridi. Sed & altera explicatio nonnihil habet difficultatis: nam ſi non eſt unquam ulla mentio Buſiridis facienda, cur Virgilius repoſuit nobis tam execrandum nomen? cur innumeri poetae ejus meminerunt? Mihi magis placet, quod adfertur a Servio ad *lib.* 3. *Georg. v.* 5. ut *laudari* habet ſignificatum commendandi, celebrandi, ita illaudatus dicitur Buſiris, quod laudari non debeat, ac ſi illaudabilem eum vocaſſet. Sic inacceſſi appellantur luci Circes, quod ad eos nullus debeat accedere: nam profecto Ulyſſes illuc appulit, & Iſocrates laudavit Buſiridem, & forte tacite oratorem voluit reprehendere, quod laudibus extuliſſet perditiſſimum hominem. Eſt autem non infrequens, ut quod fieri non debet ita deſcribatur, quaſi factum non ſit; & quod quemque decet, id ei adeſſe dicatur. Exempla ſunt obvia apud Juriſconſultos & alios.

CAPUT XXVII.

Romae quomodo nihil ſecundum?

MArtialis *lib.* 12. *epigr.* 8. ſic ſcribit de Roma:

Terrarum dea, gentiumque Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

J. Lipſius *lib.* 1. *de Magnit. Rom. cap.* 2. haec verba ſic expendit, ut ſcribat; *ſubtiliter nec falſo vult nihil accedere, ad eam nihil vel ſequi.* Sed nihilne ſequitur Romam? Secundus eſt aliquando ille, qui ſequitur ſtatim poſt primum, & eum velut tangit: aliquando eſt is, qui quoquo modo ſequitur, licet longo intervallo. Ac ſane ſi dicas, nihil eſſe Romae ſecundum, quod proxime accedat ad tantam magnitudinem, rectiſſime negaveris cum Martiali quicquam eſſe tantae urbi ſecundum; negaveris nihil proxime ſequi. Si vero ſic interpreteris illud ſecundum, quaſi nihil ſit poſt Romam, etiam longo intervallo remotum, re ipſa refutaberis. Itaque malim primo ſignificatu exponere verba Martialis, non vero altero. Non omitto quod Auſonius ſcribit *Edyllio* 8.

Ecquid ab Auguſta nunc majeſtate ſecundum,
Quod mireris habes?

CAPUT XXVIII.

Egeria an Conjux Numae?

MAle ſcribunt aliqui *Aegeria*; nam Dionyſius, & Plutarchus habent Ἠγερίαν, aut Ἐγερίαν. Feſtus: *Egeriae ſacrificabant, quod eam putabant facile conceptam alvum egerere.* Eſt autem de re ipſa aliqua controverſia. Aliqui affirmant fuiſſe conjugem Numae. Auctor *de Vir. Illuſt. cap.* 3. *leges quoque plurimas, & utiles, & etiam omnia juſſu Egeriae Nymphae uxoris facere ſimulans:* ubi tamen mire eandem vocat & uxorem & Nympham, quaſi Nymphae poſſint eſſe mortalium conjuges. Livius tantum conjugem vocat *lib.* 1. *quod earum* (Coemenarum) *ſibi concilia cum conjuge ſua Egeria eſſent.* Juvenalis more ſatyrico vocavit Amicam, *Sat.* 3. *v.* 12.

Hic ubi nocturnae Numa conſtituebat Amicae.

Martialis vocat jocos Egeriae *lib.* 10. *Epig.* 35.

Tales Egeriae jocos fuiſſe
Udo crediderim Numae ſub antro.

Plutarchus non Nympham, non conjugem vocat; tantum ait eum θαυμάσιον λόγον admirandum ſermonem audiviſſe ex Egeria; & infra: & haec dicere ab Egeria edoctum. Feſtus etiam Nympham vocat: *Egeriae Nymphae ſacrificabant praegnantes.* Dionyſius prae caeteris diligenter ſuo more *lib.* 2. hac de re agit in editione Latina; *Fabuloſe dicunt illi congreſſum fuiſſe cum quadam Nympha Egeria, quae illum aſſidue regiam ſapientiam doceret: alii vero eam non Nympham fuiſſe, ſed unam Muſarum.* & Romanos aliquando vocatos ad domum Regis obſtupuiſſe, ob varietatem rerum, quas videbant, & ab illo tempore ſine ullo dubio exiſtimaſſe, deam aliquam cum eo conſuetudinem habere. At qui res omnes fabuloſas ex hiſtoria tollunt, Numam haec, quae de Egeria dicebat, finxiſſe dicunt, ut qui divinum numen metuerent, facilius animum ad ſe adverterent. Legat, qui volet Dionyſium ipſum, *lib.* 2. *cap.* 61.

CAPUT XXIX.

Cujus coloris veſtes in luctu?

DE lugubri veſte non videtur convenire inter ſcriptores: nam aliqui nigram vocant, aliqui albam. Hos ut inter ſe conciliet Lipſius ad *lib.* 2. *Annal. pag. m.* 125. ait, variatum fuiſſe hac in re apud Romanos: priſcis temporibus, dum reſpublica viguit & libertas, nigras veſtes foeminis in luctu fuiſſe; at ſub Imperatoribus in uſum veniſſe lugubres albas. Hanc conciliationem turbare videntur duo loca ſcriptorum, qui vixerunt ſub Imperatoribus. Julius Paulus JCtus vixit ſub Severo, ut tradit Lampridius: *is lib.* 1. *Sentent. tit.* 21. §. 14. ſcribit: *Qui luget, abſtinere debet a conviviis, ornamentis, & alba veſte.* Apulejus *lib.* 3. *Matronam flebilem fuſca veſte contectam* deſcribit. Ad verba Pauli nihil reſpondet Lipſius, & neſcio an ea viderit: ad Apuleji teſtimonium ait, aut ſcriptorem habuiſſe in animo priſcum ritum, aut locutum de provinciis, ubi id geſtum; more Graeciae videlicet retento, apud quos foeminae in luctu nigrae. Sed haec non poſſunt excipi in explicandis verbis Juriſconſulti; quia docebat, quomodo tunc illa deberet ſe gerere, quae lugeret, neque de moribus obſoletis agebat; ille ipſe non in Graecia, aut apud provinciales exarabat ſententias, ſed Romae, & in Italia; ſaltem negari non poteſt ab ipſo ſententias vitae Romanorum aptatas fuiſſe. Diceret forte aliquis, Paulum locutum de viris, non de foeminis, ſed poterit quis regerere: apud Juriſconſultos per ejuſmodi formulam ſignificantur etiam mulieres, *l.* 1. *D. de verb. ſignific. Verbum hoc ſi quis, tam maſculos quam foeminas complectitur.* Et videtur potius eſſe ſermo de foeminis, quam viris, quia fit mentio deponendorum ornamentorum, quae potius ſequioris ſexus ſunt; nec probabile eſt contrarios plane colores fuiſſe ſignum ejuſdem rei nempe moeſtitiae. Ridiculum fuiſſet videre viros poſita veſte alba ſumentes nigram, & mulieres remota nigra aut alterius coloris induentes albam ad teſtandum eundem dolorem. Et cur non eſt diſtincte locutus Paulus, ne quis erraret: qui luget, ſi vir ſit, abſtineat ab alba veſte, ſi foemina a nigra? ſimpliciter dixit; *Qui luget debet abſtinere ab alba veſte.*

CAPUT XXX.

An Poſſidonius Hiſtoricus fuerit auditor Zenonis Cittiei?

SUnt verba Suidae: *Poſſidonius Alexandrinus Philoſophus Stoicus, Zenonis Cittici diſcipulus, ſcripſit hiſtoriam poſt Polybium lib.* 52. *usque ad bellum Cyrenaicum, & Ptolomaei.* Zeno floruit temporibus Antigoni Olympiade 130. ut diſcimus ex Diogene Laertio, *lib.* 7. *in Zenone.* At Olymp. 130. incidit in ann. 494. a Roma condita: fuiſſe autem circa illa tempora Antigonum Regem Macedoniae, diſcimus ex Suida in *Arato*, de quo ait: *notus Olympiade* 124. *temporibus Antigoni Regis Macedoniae.* At Poſſidonius hic, teſte Athenaeo *lib.* 4. ſcripſit de Apicio, qui cauſa fuit cur in exilium iret Rutilius Rufus, cujus conſulatus incidit in annum ab Urb. Cond. 648. in Olympiadem 168. Verba Athenaei de Poſſidonio ſunt: *Poſſidonius libro quadrageſimonono hiſtoriarum ſcribit, apud Romanos memoriae mandatum, Apicium quendam homines luxuria cunctos ſuperaſſe. hic nimirum Apicius in cauſa fuit ut exilio damnaretur Rutilius, qui graeca oratione latinam hiſtoriam edidit.* Quapropter fieri non poteſt, ut Poſſidonius fuerit auditor Zenonis.

CAPUT XXXI.

De ſpeculo Othonis.

DE Othone, proficiſcente in bellum adverſus Vitellium, ſic Tacitus *lib.* 2. *Hiſtor. cap.* 11. *Non illi ſegne, aut corruptum luxu iter: ſed lorica ferrea uſus, & ante ſigna, pedeſter, horridus, & incomptus, famaeque diſſimilis.* De celeritate in ſuſcipienda expeditione idem Sueton. *cap.* 8. *Expeditionem autem impigre, atque praepropere inchoavit.* Juvenalis omnia aliter refert a Tacito, *Satyra* 2. *v.* 99.

Ille tenet ſpeculum pathici geſtamen Othonis,
Actoris Aurunci ſpolium, quo ſe ille videbat
Armatum, cum jam tolli vexilla juberet.
Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Hiſtoria, ſpeculum civilis ſarcina belli.

Aliqui putant haec ficta a Juvenali, dum reſpicit priorem famam: nam Sueton. *cap.* 12. *Munditiarum vero pene muliebrium vulſo corpore, galericulo capiti propter vanitatem capillorum adaptato &c. quin & faciem quotidie raſitare, ac pane madido linere conſueto.* Quo minus tamen aſſentiar illis, qui putant fictum a Juvenali, quod ſpeculum magnum Otho ſecum tulerit, quo ſe videret armatum, faciunt verba Satyrici;

Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Hiſtoria, ſpeculum civilis ſarcina belli.

Cur fabellam a ſe excogitatam vocaret *rem memorandam novis annalibus, & recenti hiſtoria?* Referatur igitur & haec diſſenſio Juvenalis a Tacito inter innumeras repugnantias Hiſtoricorum.

CAPUT XXXII.

Dictaturae cur dictae ad tempus ſumptae?

AD *tempus* ſumi ſolitas dictaturas cur dixerit Tacitus quaeritur? ego puto voluiſſe Tacitum ſignificare, quod extra ordinem ſumerentur: nec enim erat ordinarium Imperium dictatura, ſed in ſumma tantum neceſſitate creabatur ejusmodi Magiſtratus. Praeterea voluit judicare, quod huic Magiſtratui illud tempus praefigebatur, quo duraret neceſſitas. Eſt locus ſimillimus apud eundem *lib.* 6. *Annal. cap.* 11. *in tempus deligebatur qui jus redderet, ac ſubitis mederetur*, in urbe Roma, quando reges, & Conſules abeſſent, ne urbs ſine imperio foret. Ergo tamdiu durabat auctoritas ejusmodi praefectorum urbi, quamdiu abeſſent Reges, ac poſtea Conſules. Sed adverſus hanc expoſitionem objicitur ex Pomponio lib. ſingul. Enchirid. *l.* 2. *§.* 18. *D. de orig. juris. Hunc Magiſtratum quoniam ſummam poteſtatem habebat, non erat fas ultra ſextum menſem retinere.* Reſpondeo. Si profligaretur bellum, ad quod gerendum miſſus erat Dictator, ante ſextum menſem, & Reſpublica rediret ad ſecuritatem, Dictator deponebat dignitatem ſuam, nec eam retinebat in ſextum menſem: quod ſi duraret neceſſitas ultra iſtud tempus, non tamen poterat ulterius retinere auctoritatem tantam; ut vero in ea perſeveraret, opus erat populi confirmatione, & prorogatione. De Q. Cincinnato Liv. *lib.* 3. *cap.* 29. *Confeſtim ſe dictator Magiſtratu abdicaſſet, in comitia M. Volſcii falſi teſtis tenuiſſent. &c. Quintius* 16. *die dictatura in ſex menſes ſe abdicavit.* Quamvis igitur populus dictaturam in ſex menſes daret, tamen hoc erat ita explicandum, ſi bello finis imponeretur feliciter ante ſextum menſem, quod Dictator deberet deponere dictaturam. Recte etiam obſervatum a Salmerio, dixiſſe Tacitum, quod Dictaturae ad tempus ſumebantur, quod poſtea Sylla & Caeſar in perpetuum ſeſe feciſſent Dictatores.

CAPUT XXXIII.

Fanatici montes petunt.

DE Fanaticis ſcribit Tertullianus *libro de Pallio: in Bellonae montes fugantur*; quae emendantur a Salmaſio, ut legamus *in Bellonae mentis fugantur*; in templo Bellonae inſaniunt: atque haec emendatio ſane ingenioſa eſt, & quae facile ſuſcipiatur. Sed videamus an non poſſit retineri vetus lectio. Sacerdotes igitur Bellonae aguntur in montes correpti furore: nam quando a ſcriptoribus deſcribuntur fanatici, dicuntur petere ſaltus, nemora, montes, antra, relinquere urbes. Horat. *lib.* 3. *Carm. Ode* 25. *v.* 1.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum? quae in nemora, & quos agor in ſpecus
Velox mente nova? — &c. & *vs.* 8.
— *non ſecus in jugis*
Exſomnis ſtupet Evias
Hebrum proſpiciens, & nive candidam
Thracen, ac pede barbaro
Luſtratam Rhodopen; ac mihi devio
Rupes, & vacuum nemus
Mirari libet. —

Eodem libro Carm. Ode 4. *v.* 21.

Veſter, Camoenae, veſter in arduos
Tollor Sabinos.

Sic Attys fingitur a Catullo furore correptus petere juga montium:

Viridem citus adit Idam properante pede choros
— *Attis per opaca nemora dux*

Et ipſe Attis:

Ad Idae tetuli nemora pedem,
Ut apud nivem, & ferarum gelida ſtabula forem.

Montes igitur Bellonae dicuntur a Tertulliano, quod ipſius ſacerdotes, furore correpti, montes petant. Haec explicatio ſi cui non placeat, poterit ſane amplecti correctionem Salmaſianam.

CAPUT XXXIV.

Aër an craſſior interdiu? Bebriacum vicus Galliae Ciſalpinae.

IN *lib.* 1. *Thebaidos* ſcribit Statius de luna *v.* 337.

— — *Mando ſubvecta ſilenti*
Rorifera gelidum tenuaverat aëra biga

Ad quae verba Lactantius ſcholiaſtes: *Bene tenuaverat; quia dies aër craſſior eſt, tenuis noctis:* ſed contrarium tradunt nonnulli opaca eſſe craſſiora, & denſiora lucidis, & quidem aërem radiis ſolis atteri, ac proinde tenuari. Quicquid enim atteritur, attenuatur: cum vero noctu abſint radii, non atteritur aër, ac proinde craſſior eſt. Quid dicendum? Statius Poeta & Scholiaſtes locuti fuerunt ex alia opinione: cum enim radii ſolis videantur eſſe corpuſcula, quando interdiu ſe aëri immiſcent, videtur eſſe craſſior, quam noctu, quando abſunt; & opinioni iſti favet id, quod noctu longius auditur vox, quam interdiu. Videtur igitur tunc eſſe tenuior aër, per quem fertur vox, quando illi non obſtant ea, quae ſe, dum dies eſt, interponunt.

Emendandus eſt ſcholiaſtes Juvenalis ad *Sat.* 2. *v.* 99. ubi ſcribit de Othone: *Hunc incomparabilis vitae bello civili Vitellius vicit apud Bebriacum Campaniae.* Nemo non videt legendum: *Galliae.* Et ipſe ſcholiaſtes ibidem ſcribit: *& Pompejus Planta, qui ait Bebriacum vicum eſſe a Cremona vigeſimo lapide:* ſed & pro Cremona videtur legendum Verona. An oppidum illud vicinius Veronae, quam Cremonae? Certo teſtimonio diſtituor. Tacitus in neutram partem inclinat *lib.* 2. *Hiſtor. cap.* 23. *Inter Cremonam, Veronamque ſitus eſt is vicus.* Lipſius ait ſcholiaſtem Juvenalis nugari; ſed ſatius fuerit confugere ad emendationem, ut pro Campaniae legamus Galliae, cum poſtea ſtatim addat verba de Verona, ſive Cremona.

CAPUT XXXV.

Cur vocati Reges Orientis picti a Martiali?

MArtialis *lib.* 10. *Epigr.* 72. monet blanditias, ut abeant Roma ad Orientem,

Pictorum ſola baſiate Regum.

Cur dicuntur Reges picti? puto ſic vocatos ob variegatas veſtes, quibus induebantur. Valerius Flaccus *lib.* 6. *v.* 225.

Tenuia non illum candentis carbaſa lini,
Non auro depicta chlamis, non flava galeri,

Caeſaries, pictoque juvant ſubtemine braccae.

Claudian.

Et picturatae ſaturantur murice veſtes.

Virgil. *lib.* 9. *Aen. v.* 26.

Dives opum, dives pictai veſtis, & auri.

lib. 1. *Aen. v.* 639.

Arte laboratae veſtes.

Nec ſolum veſtes pictae, quibus induebantur, ſed & picti tapetes, picta periſtromata, quorum magnus uſus apud illos Reges. Martialis *lib.* 8. *Epigr.* 28.

Non ego praetulerim Babylonis picta ſuperbis
Texta, ſemiramia quae variantur acu.

Pictos etiam tapetes dixit Virgilius *lib.* 7. *Aen. v.* 277. Cicero *lib.* 5. *Tuſc. cap.* 21. *Textile ſtragulum, magnificis operibus pictum.*

CAPUT XXXVI.

An luxus perdiderit Poenos?

AUſonii verba ſunt *de Claris urbibus* in Capua:

Mox ut in occaſum vitiis communibus acti
Corruerent Poeni, luxu Campania feſſo.

Sic vetus lectio. Lipſius *lib.* 5. *Elect. cap.* 24. emendat:

Corruerunt Poeni luxu, Campania faſtu.

Ego exiſtimarim poſſe retineri veterem lectionem. Quod enim luxu feſſo perierit Campania, id vere dicitur: at neſcio, an de Poenis pronunciare poſſimus, quod luxu ſibi exitium attraxerint: per ſuperbiam multa geſſerunt, foedera fregerunt; hoc verum eſt: at quod luxui indulſerint, id neſcio an de Carthaginenſibus affirmare poſſimus. Niſi forte id eo trahamus, quod Campaniae amoenitas emollivit animum militum Annibalis. Sed an propterea de tota Republica dicemus, quod luxus illam perdiderit?

CAPUT XXXVII.

An Ponticum Mare dulce?

NIhil frequentius apud Poëtas, quam ut mare ſalſum dicant; propterea quod aquae ipſius ſalſae ſint. Catullus dixit: *Vada ſalſa.* Virg. *lib.* 1. *Aen. v.* 39.

— — *ſpumas ſalis aere ruebant.*

Idem *lib.* 2 *Aen. v.* 208.

Fit ſonitus ſpumante ſalo.

Sed de ſalſis aquis oritur ratio quaerendi quando, de Ponto refert dictum Priſcianus *lib.* 3. *cap.* 1. *Mare Ponticum dulcius, quam caetera?* hinc enim videtur deduci, & maria omnia eſſe dulcia, & dulcius caeteris Ponticum. Priſcianus ſic explicat: *Ad amara facta comparatione oſtendit parum aliquid dulcedinis, quam caetera habere Ponticum mare.* Ergo per κατάχρησιν quandam dicemus Ponticum mare dici dulce, quod minus habeat ſalis, & dulcius caeteris, quod ipſius aquae non ſint tam ſalſae: cauſam autem diſcere eſt ex Ovidio *de Ponto lib.* 4. *Eleg.* 10. *v.* 59. poſtquam retulit plurimos fluvios ferri in Pontum, ſubjungit:

Copia tot laticum, quas auget, adulterat undas,
Nec patitur vires aequor habere ſuas.
Quin etiam ſtagno ſimilis, pigraeque paludi,
Coeruleus vix eſt, dilutusque color.
Innatat unda freto dulcis, leviorque marina eſt.
Quae proprium miſto de ſale pondus habet.

CAPUT XXXVIII.

De Turno, Lenio, & Silio Satyricis Poëtis.

TUrnus fuit poëta Satyricus ex Aurunca, de quo vetus ſcholiaſtes Juvenalis ad *v.* 20. *Sat.* 1. ad verba illa:

Per quam magnus equos Auruncae flexit alumnus.

Sic ſcribit: *Turnum dicit Scaevae Memoris Tragici poëtae fratrem. Turnus hic libertini generis ad honores ambitione provectus eſt, potens in aula Veſpaſianorum Titi, & Domitiani.* Ex eo adducit fragmentum de Locuſta venefica in *Satyr.* 1. *v.* 71. Juvenalis. *Inde ait Turnus in Satyra:*

Ex qua Caeſareas ſoboles horrida Locuſta
Occidit cura ſui verna nota Neronis.

Quae verba indigent emendatione; viderit Lector! ſed omittenda non eſt ejuſdem Scholiaſtis annotatio: *Vel Lenium dicit, qui & ipſe Satyras ſcripſit, vel Silium, & ipſum ſui temporis Satyricum, qui omnes ex Aurunca fuerunt.* Dices Juvenalem locutum de Lucillio, qui magnum nomen conſecutus in Satyra: hi vero, quos memorat Juvenalis Scholiaſtes obſcuriores fuerunt, quam ut eorum voluerit facere mentionem Satyrographus; praeſertim cum recentes eſſent. Interpretatio igitur Scholiaſtis omnino videtur rejicienda. Reſpondendum eſt, quod vere non videtur de alio locutus Juvenalis, quam de Lucillio, cujus magnum fuit in Satyra nomen; ſed tamen utile eſt noſſe ex annotatione illa extitiſſe Satyricos poëtas Turnum, Lenium, Silium; qui omnes fuerunt ex Aurunca.

CAPUT XXXIX.

Cur Ovidius relegatus?

OVidius dicitur in exilium miſſus a ſcriptoribus: proprie exilium non fuit, ſed relegatio; hoc ipſe diſtincte refert, *lib.* 2. *Triſt. v.* 137.

Quippe relegatus, non exul, dicor in illo.

Deportati, & proprie ſic dicti exules amittebant civitatem Romanam; relegati eam retinebant. Cauſa exilii non una refertur. Atque puto Auguſtum voluiſſe videri ea de cauſa Ovidium ejeciſſe urbe, quod amatorios libros nimia licentia ſcripſiſſet, atque ivisſet corruptum mores. Veriſſima tamen ratio, quae impulit Caeſarem, dicitur fuiſſe, quod adulterium commiſiſſet cum Julia: nec enim veriſimile eſt, quod laſcivos verſus fuerit tam gravi ſupplicio affecturus: quotusquisque enim tunc Poëta non ludebat turpiculis carminibus? At Juliam fuiſſe infamem adulteriis notum eſt ex Scriptoribus, & a patre relegatam fuiſſe in inſulam Pandatariam. Dio ait, quod eos Caeſar, qui conſueſſent cum filia, relegarit in Inſulas, *pag.* 555. οἱ δὲ λοιποὶ ἐς νήσους ὑπερωρίσθησαν. Atque in hanc ſententiam non ſolum inclinat Crinitus in libro *de Poetis Latinis*, ſed etiam Scaliger ad *lib.* 4. Propert. ubi ait: *Non dubium quin inter hos relegatos Ovidius fuerit, quem profecto ob illam rem tantum damnavit Auguſtus, non ob libros.* Cauſa tamen prior, ſed ficta, ſparſa eſt in vulgus. Nam Principes hunc habent morem, ut quando aliquem ob cauſam occultam volunt perdere, arripiant aliunde anſam.

CAPUT XL.

Titoniae flagellum quid?

SEnſus illorum verborum non ita obvius in Statio, quando ſcribit *ad Somnum, lib.* 5. *Sylv.*

— *Et toties noſtros Titonia queſtus*
Praeterit, & gelido ſpargit miſerata flagello.

Quod Titonia hic ſit Aurora etiam pueri norunt; quamvis ſolus, quod ſciam, Statius dixerit ſubſtantive *Titonia*, pro Aurora. Virgil. *lib.* 8. *Aeneid.* dixit, *Titonia conjux, v.* 384.

Te potuit lacrimis Titonia flectere conjux.

Sed quomodo dicitur Aurora ſpargere *gelido flagello* Poëtam, & quidem miſerata? Notiſſimum eſt quod ſub auroram frigeſcit aer magis, quam nocte concubia: cauſam jam non quaero. At frigus facit ad conciliandum ſomnum. Ajunt Medici *optiſſimum ſomno tempus nocturnum eſſe, quod a noctis frigiditate facilius innatus calor intro trudatur, & ab externis partibus in intimas revocetur,* ut ſcribit Valeriola *lib.* 2. *loc. Comm. cap.* 8. *Ergo cum ſub auroram magis frigeſcat aer, magis conciliabitur ſomnus.* Aurora miſerata vices

ces Statii ſpargebat hoc frigus, quod tamen non ſufficiebat, ut ipſe dormiret. Sed cur miſeranti adſcribitur flagellum? reſpondendum eſt, quod Auróra habet currus. Statius *lib.* 6. *Theb. v.* 25.

Clara laboriferos coelo Titonia currus
Extulerat.

Habet *habenas: eodem libro v.* 26.

Vigilesque deae pallentis habenas.

Quidni igitur habeat equos, & flagellum? ut ſol, qui in nummis Elagabali, Alexandri, & aliorum cernitur cum flagro.

CAPUT XLI.

De taxo irrepente hederis. parnaſſia vellera

MEtum, ne ſterileſcat ſuum ingenium, deſcribit Statius nominatione taxi, quae venenata eſt. Plinius *lib.* 16. *cap.* 10. *Taxus triſtis, ac dira nullo ſucco: lethale baccis in Hiſpania venenum ineſt.* Et putant aliqui a taxo dicta toxica. Statius ita *Epic. in patrem, v.* 8.

— funeſtamque ederis irrepere taxum
Extimui, trepidamque (nefas) areſcere laurum.

Epiced. in Filium v. 29.

— en taxea marcet
Sylva comis.

in *lib.* 6. *Theb. v.* 101. dixit

— metuendaque ſucco
Taxus.

Taxeam Sylvam vocat, quae ibi ſedem habeat, ubi prius virebant lauri. Quo etiam referrer illud:

— hilaresque ederas plorata cupreſſus
Excludit ramis.

Et plorata eſt cupreſſus, ad quam ploratur. In *eodem Epic. in Patrem* laurum ſuam vocat *v.* 7.

— Parnaſſia vellera.

Satis obſcurum eſt, quid ſint iſta vellera. Ego putarim intelligendum de lemniſcis, qui ſolebant addi coronis. Satis conſtat certaſſe ſaepe Statium in Capitolinis agonibus, inſtitutis a Domitiano. Qui viciſſent primo loco reportabant coronam lemniſcatam, aut torque involutam. Auſon. *Epiſt.* 20.

Et quae jamdudum tibi palma poetica pollet
Lemniſco ornata eſt, quo mea palma caret.

Sidonius:

Hic mox praecipit aequas imperator
Palmis ſerica, torquibus coronas
Conjungi, & meritum remunerari.

Igitur vellera ſignificant faſciolas colorias pendentes e corona.

CAPUT XLII.

Quid ſit Elevare?

ELevare eſt extenuare; quod in ponderibus, quae leviora ſunt, extolluntur a gravioribus, Perſius proprie dixit, *Sat.* 1. *v.* 5.

— Non ſi quid turbida Roma
Elevet, accedas, examenque improbum in iſta
Caſtiges trutina.

Etſi Roma aliquid rejiciat, & improbet, non tamen deſinam proferre mea carmina. Loquitur de aliquorum imperitia: nam quis neſcit dictum a Martiali? *lib.* 1. *epigr.* 4.

Crede mihi, nimium Martia turba ſapit.

Cic. *de Amic. cap.* 24. *Suſpiciones, & offenſiones in amicitia tum evitare, tum elevare, tum ferre ſapientis eſt. lib.* 3. *Tuſcul. cap.* 16. *Nihil eſt quod tam obtundat elevetque aegritudinem. lib* 5. *Fam. ep.* 14. *Non intelligis duplicari ſollicitudines, quas elevare tua te prudentia poſtulabat. lib.* 1. *de Invent. cap.* 42. *Reprehenſio eſt, per quam argumentando adverſariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut elevatur.* Male aliqui legunt: allevatur. Poſteriores aevi ſcriptores dixerunt elevare, pro extollere. Ennod. *in princip. vitae S. Epiphan. Cum ipſas eminentiſſimas, ut putantur in ſeculo, vana inflatione perſonas ſi quis ventoſo nimiam ſtuduerit elevare praeconia, aut intra geſtorum terminum inopia eloqui continere, utrumque apud eas judicetur ingratum.* Itali utuntur hoc poſteriori ſignificatu: priorem non habent.

CAPUT XLIII.

Authenticum quid?

AUthentici duplex eſt ſignificatus apud JCtos: nam plerumque idem eſt, quod Graeci vocant archetypon, cui opponitur ectypon exemplum, quod deſcriptum eſt ex ſcripto, quod ab initio confectum eſt. Ulpian. *l.* 4. §. 3. *D. de fam. erciſc. Haeredem enim exemplum delere dare; tabulas vero authenticas ipſum tenere, aut in aede deponere.* Aedis nomine venit templum Saturni, ubi aſſervabantur tabularia. Paulus *lib.* 5. *Sent. tit.* 12. §. 11. *Quicumque a fiſco convenitur, non ex indice, vel exemplo alicujus ſcripturae conveniendus eſt, ſed ex authentico, ubi contractus fides poſſit oſtendi.* Quia vero fides eſt praecipue penes primariam ſcriptionem, mirum non eſt, ſi ei authentici nomen eſt inditum: eſt enim ejus vis, ut denotet id, quod eſt authoratum, quod multorum auctoritate dicitur comprobatum. Quae verba autem prolata ſunt ex Paulo, eadem fere ſunt Juliani in tract. *de fid. inſtrum. Quicumque a fiſco convenitur, non ex indice, & exemplo alicujus ſcripturae, ſed ex authentico conveniendus eſt.* Apud Ciceronem legitur illud *αὐθεντικῶς* quod eſt certo, explorata fide. *lib.* 9. *Epiſt.* 14 *ad Att. Ubi eſt illa pax de qua Balbus ſcripſerat torqueri ſe? Ecquid crudelius? atque eum loqui quidam αὐθεντικῶς narrabat.* Et *lib.* 10. *ad eundem ep.* 9. *Etiam illud erat perſuaſum, Pompejum cum magnis copiis iter in Germaniam per Illyricum feciſſe: id enim αὐθεντικῶς nuntiabatur.*

CAPUT XLIV.

Ordinarii qui ſint?

ORdinarius non unum habet ſignificatum, & magna immutatio facta eſt in uſu hujus vocabuli: apud vetuſtiſſimos in malam partem accipiebatur. Feſtus: *Ordinarium hominem Oppius ait, non ſolitum ſcurram, & improbum, qui aſſidue in litibus moratetur, ob eamque cauſam in ordine ſtaret adeuntium praetorem.* Et ſic dictum quod minime ordine viveret. Aelius Stilo de ſuis virtutibus contra Thermum: *Quid mihi fieret, ſi non ego ſtipendia in ordine omnia ordinarius meruiſſem ſemper?* Addit Feſtus, *eſſe, qui manipularem eum, qui infimi ordinis ſit, appellatum credant ordinarium.* Itali hodie vocant ordinarium hominem, in quo omnia ſunt trita, in quo nihil eſt ſingulare ſupra caeteros. In ſcriptoribus Latinis poſteriorum temporum, ordinarius opponitur ſuffecto, & honorario. Majores Magiſtratus ordinarii vocabantur. Ammian. Marcell. *lib.* 14. *cap.* 31. *Coalito more in ordinarias poteſtates aſperum ſemper & ſaevum, lib.* 21. *cap.* 31. *Cunctae caſtrenſes, & ordinariae poteſtates.* Jul. Firm. *lib.* 3. *cap.* 6. *Conſulares faciet, ac proconſulares, datque Magiſtratus ordinarios.* Seneca *Epiſt.* 110. *Unicuique noſtrum paedagogum dari Deum, non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notae ex eorum numero, quos Ovidius ait de*

— plebe deos.

Epiſt. 53. *Exercet Philoſophia regnum ſuum, dat tempus, non accipit, non eſt res ſubceſſiva, ordinaria eſt, domina eſt, adeſt, & jubet.* Hinc hodie in Academiis Italiae Profeſſores majores vocantur ordinarii.

CAPUT XLV.

Aërium pro celſo!

APud bonos Scriptores *aërium* quandoque idem eſt, quod celſum, & velut poſitum in aëre. De Mouſoleis proprie dixit Martialis *in Spect. Ep.* 1.

Aëre

Aere nec vacuo pendentia Mauſolea.

Et propter magnam altitudinem *lib.* 1. *Epigr.* 89. vocavit Pyramides.

— pbario pendentia pondera ſaxo.

Quae protuli, ut facilior eſſet explicatio vocabuli aerii pro celſo. Statius *in Epic. patris lib.* 5. *Sylv. v.* 148.

— aëriamque edacere molem,

ſuperbum aliquod, & excelſum monumentum condere. Ovidius *lib.* 2. *Metam.* dixit; *v.* 226.

Aeriaeque alpes, ac nubifer Apenninus.

Sed ante Ovidium aërias vocaverat Alpes Virgilius *lib.* 3. *Georg. v.* 474.

Tum ſciat, aerias Alpes.

lib. 4. *Georg. v.* 508. dixit rupem aëriam:

Rupe ſub aeria deſerti ad Strymonis undam.

Ecloga 1. *v.* 59.

Nec gemere aeria ceſſabit turtur ab ulmo.

Ubi obiter nota parorama Servii: ſic enim ſcribit ad illa verba: *Turtur & maſculino, & foeminae genere invenitur; ut hic aeria turtur ceſſabit.* Nec enim aëria vocatur turtur, ſed ulmus. Martial. *lib.* 12. *Epigr.* 49. dixit;

— aërias cypariſſos.

Daphnonas, platanonas, & aërias cypariſſos.

Alii legunt:

Daphnonas platanos, ac aërias cypariſſos.

Male in Aldina editione:

Daphnonas ac platanos, ac aërias cypariſſos.

nec enim ſecunda ſyllaba corripi poteſt in Daphnonas.

CAPUT XLVI.

De Syntheſi.

PUdet me nuper coactum repetere quod notiſſimum eſt; nempe conſueviſſe coenaturos ſyntheſi indui. Mart. *lib.* 5. *Epigr.* 80.

Undecies una ſurrexti, Zoile, coena,
Ut mutata tibi eſt ſyntheſis undecies.
Quare ego non ſudo, qui tecum, Zoile, coeno?
Frigus enim magnum ſyntheſis una facit.

Per quinque igitur dies ſaturnaliorum in ſyntheſibus erant, ob tot convivia. Idem Martial. *in Apophor.* 141.

Dum toga per quinas gaudet requieſcere luces,
Hos poteris cultus ſumere jure tuo.

Idem *in principio ad Apophoreta*:

Syntheſibus dum gaudet eques, dominuſque ſenatus:

Scaevola nomine Syntheſis intelligit univerſam veſtem in veſtiario ſecluſam, compoſitam, *l.* 38. §. 1. *D. de aur. & arg. Quaero an ex univerſa veſte, id eſt, an ex Syntheſi tunicas ſingulas, & palliola Sempronia eligere poſſit? reſpondit, ſi eſſent tunicae ſingulares, cum palliolis veſtitae, ex his duntaxat eligi poſſe: quod ſi non eſt, habere tam vel tunicas & palliola ſed ex Syntheſi praeſtandum.* Statius *lib.* 4 *Sylv. carm.* 9. *v.* 44. dixit *Syntheſin calicum,*

Aut unum dare ſyntheſin (quid horres?)
Alborum calicum, atque caccaborum.

Apud Serenum Samonicum *cap.* 31. ſignificat rem compoſitam ex pluribus rebus:

Quin & marrubium decoctum, bubulumque juvabit.
Puleginmque potens, & agreſte jugatur anethum.
Syntheſis haec prodeſt unda mollita cadenti.

F I N I S.

INDEX CAPITUM

L I B R I P R I M I.

CAP. I. *JUriſprudentia an Divinarum, & Humanarum rerum notitia.* 345
II. *An Juriſprudentia ſit Architectonica?* ibid.
III. *An Ratio ſit anima Legis?* 346
IV. *An privilegium ſit lex?* ibid.
V. *De Privilegiis quid XII. Tabulae.* 348
VI. *Ad* l. Princeps 31. D. de legibus. ibid.
VII. *De Commentariis Juriſconſultorum.* 349
VIII. *Cur Eques praefectus Aegypti, & cur juriſdictionem haberet.* 350
IX. *Quouſque extenderetur juriſdictio praefecti Urbi?* 351
X. *An Liberti poſſent retrahi in ſervitutem?* 352
XI. *De Muliere ſe jungente cum alieno ſervo, & filiis natis ex concubitu.* 353
XII. *An a Dictatore daretur provocatio?* ibid.
XIII. *An procuratores Caeſarum haberent juriſdictionem?* 354
XIV. *An aliquis poſſit bis manumitti?* 355
XV. *De ſpatio loci Religioſi.* 356
XVI. *De Cenotaphio.* 357
XVII. *De fundo vendito, uti optimus maximuſque eſt.* 358
XVIII. *An ſervi etiam a Magiſtratibus relegati?* ibid.
XIX. *De ſervis manentibus ſub tecto interfecto domino a ſervo.* 359
XX. *De Quadruplo, & Quadruplatoribus.* 359
XXI. *De differentia inter dominium, & poſſeſſionem.* 360
XXII. *Humiliora negotia a Pedaneis Judicibus diſceptata.* 361
XXIII. *De differentia inter Judices pedaneos, & alios Minores Judices.* 362
XXIV. *De bonis ejus, qui ſibi mortem conſcivit.* ibid.
XXV. *Quoddam caput legis Maniliae.* 363
XXVI. *Quibus relinquere liceret.* l. 1. C. de Sacr. Eccl.? ibid.
XXVII. *De foeminarum excluſione a civilibus muneribus.* 364
XXVIII. *SCti Macedoniani, & legis Scantiniae nomen unde?* ibid.
XXIX. *Quid teſtes ſuſpectos reddat?* 365
XXX. *Crimen impietatis quodnam dicatur?* ibid.
XXXI. *De Tiberii calliditate in reperiendo novo jure.* 366
XXXII. *An interdicti aqua & igni amitterent bona?* ibid.
XXXIII. *De Crimine Ambitus.* 367
XXXIV. *Quando lex ambitus ceſſaverit Romae?* ibid.
XXXV. *De Orcino liberto.* 368
XXXVI. *An Civis Romanus poſſet adſcribi aliis Civitatibus.* 369

LIBRI SECUNDI.

CAP. I. AN Dominus poſſit ſervum ſimul & manumittere, & adoptare? 369
II. Cur obſides teſtari non poſſent? ibid.
III. Interrogationes an frequentes tempore Caliſtrati? 371
IV. An qui a Judice poſſit compelli ad accuſandum vel agendum? ibid.
V. Quod D. Pius aliquid detraxerit SCto Neroniano. 372
VI. A quibus muneribus vacarent Philoſophi? ibid.
VII. Vacatione publici muneris quid intelligatur? 373
VIII. De poena adulterii immutata. ibid.
IX. De infantibus Θρεπτοῖς quid Trajanus? 374
X. De Reis tranſmiſſis Romam a praeſidibus. ibid.
XI. Quod Capitalium poenarum non unum eſt genus. 375
XII. De multiplici miſſionum militarium genere. ibid.
XIII. De Domeſticis. 376
XIV. De Officio Primipili. 377
XV. De Maritis tutoribus uxorum. 378
XVI. De pronunciatione ſecundum acta, & probata. ibid.
XVII. De detractione inſignium Militarium. 379
XVIII. De Militibus deſertoribus & emanſoribus. 380
XIX. De Judice Militum. ibid.
XX. De diſcrimine inter ſtationis munus & excubationem. 381
XXI. An Oratores Principum apud Turcam teſtari poſſint? ibid.
XXII. Quinam incidant in SCtum Turpilianum? 382
XXIII. Qui dicuntur pares Curiae? ibid.
XXIV. De Sulfuratis. 383
XXV. De Diſpenſatore. ibid.
XXVI. De Lege Regia. 384
XXVII. De fuga ad Templa, aut Altaria. 385
XXVIII. De foeminis, quae, cum habeant liberos ex Marito mortuo, tranſeant ad alias nuptias. ibid.
XXIX. De Centeſima Uſura. 386
XXX. Quid ſit dolus malus? ibid.
XXXI. De Muliere adeunte Circenſes. 387
XXXII. Inter turbam & rixam diſcrimen. ibid.
XXXIII. De eodem Diſcrimine. 388
XXXIV. Miles e Caſtris non vocandus. ibid.
XXXV. Duplex Semeſtre apud Romanos. ibid.
XXXVI. Fieri ſervum, ut alter liberetur. 389
XXXVII. De militibus caligatis. ibid.
XXXVIII. Dicta an referantur ad Legem Juliam Majeſtatis? 390
XXXIX. An Roma hodie patria Communis? ibid.
XL. Quomodo libertas ſit aeſtimabilis? ibid.
XLI. Exceptio ad legem Repetundarum. 391
XLII. An a Stoicis petitum, quod JCti aequitatis dicantur ſacerdotes? ibid.
XLIII. Pagani cur oppoſiti militibus? ibid.
XLIV. Annuli ſignatoris amplus uſus. 392
XLV. De Majore parte Univerſitatis. ibid.
XLVI. Defenditur Budaeus adverſus Diemenum. ibid.
XLVII. An mulier jungens ſe cum ſervo alieno amitteret bona? 393
XLVIII. De iis, quae geruntur per metum & vim, diſſenſio quaedam Theolog. & Juriſc. tollitur. ibid.
XLIX. Lex Satyra a Varietate. 394
L. Captus an ſaltem jure Militari poſſit teſtari? ibid.
LI. Teſtis integrae frontis. Arenarii. ibid.
LII. De lege Rhodia. 395
LIII. Lex Roſcia extenſa ad Circum. ibid.
LIV. Domitianus legem Roſciam renovavit. 396
LV. De Mercede Advocatorum. ibid.

ADDITAMENTI CRITICI.

CAP. I. MOnumenta in magnis domibus Romae. 397
II. Pluresne triumphos duxerit Diocletianus? ibid.
III. Verba Senecae Epiſt. 37. ibid.
IV. De Solo, & Deo Plinii verba. 398
V. Emendata verba Plinii in praefatione. ibid.
VI. Hadrianus an adoptatus a Trajano? ibid.
VII. Ceſura quo ſenſu apud Plinium? 399
VIII. Formeſia praedia quae? ibid.
IX. Cur lyra dicta Obſtetrix? 400
X. Taurea, Flagrum. ibid.
XI. Pater quid aliquando ſignificet? ibid.
XII. Minerva an Patrima vocanda. 401
XIII. An Pumex Arida apud Catullum? ibid.
XIV. Heus. haud unquam. inſuadere pennas. tranſire poplite. 402
XV. De Orbona dea. ibid.
XVI. Ratiocinatio ex Analogia. ibid.
XVII. An Aeſopi fabulae omnes hodie extent? 403
XVIII. Diſtichorum Catonis an auctor Auſonius? ibid.
XIX. An errores Gentilium in diſtichis Catonis? ibid.
XX. Rejicitur quaedam argumentatio Joſ. Scaligeri. 404
XXI. Eboſa. ibid.
XXII. Quae ſint Oetae, & Papiae lampades? ibid.
XXIII. De verbo Gerere apud Lucretium. 405
XXIV. Aſſa vox quae dicatur? ibid.
XXV. An Cicero vitarit haec verba Noviſſime, & Noviſſimum. 406
XXVI. De ſignificata vocis Illaudati rejecta expoſitio Gellii, & Macrobii. ibid.
XXVII. Romae quomodo nihil fecundum? 407
XXVIII. Egeria an Conjux Numae? ibid.
XXIX. Cujus coloris veſtes in luctu? ibid.
XXX. An Poſſidonius Hiſtoricus fuerit auditor Zenonis Cittici? 408
XXXI. De ſpeculo Othonis. ibid.
XXXII. Dictaturae cur dictae ad tempus ſumptae? 409
XXXIII. Fanatici, unde petiti. ibid.
XXXIV. Aer an craſſior dicatur? Hebraicum vicus Galliae Ciſalpinae. 410
XXXV. Cur vocati Reges Orientis picti a Martiale? ibid.
XXXVI. An luxus perdiderit Poenos? 411
XXXVII. An Ponticum Mare dulce? ibid.
XXXVIII. De Turno, Lenio, & Silio Satyricis Poetis. ibid.
XXXIX. Cur Ovidius relegatus? 412
XL. Titoniae flagellum quid? ibid.
XLI. De taxo irrepente hederis. parnaſſia vellera. 413
XLII. Quid ſit Elevare? ibid.
XLIII. Authenticum quid? 414
XLIV. Ordinarii qui ſint? ibid.
XLV. Aerium pro celſo. ibid.
XLVI. De Syntheſi. 416

INDEX RERUM, ET VERBORUM.

A.

ACtio Calendarii. 386
Adulterii poena. 373
Aegyptus recta ab Equite. 350
Aegyptus redacta in provinciam. ibid.
Aeſopi fabulae. 403
Agri populi Romani. 361
Alciatus defenſus. 363
Ambitus crimen. 367
Analogia. 402
Apulejus citatus. 378. 400
Architectonica ſcientia. 345
Arenarii qui. 395
Argumentum ab Etymologia. 383
Aſſa vox. 405
Auſonius Chriſtianus. 404

B.

BArdaicus Judex. 380
Bebriacus vicus. 410
Bona ejus quo ſibi mortem conſciſcit. 362
Budaeus citatus 362. defenſus. 392

C.

CAtonis diſticha. 403
Calcis coctores. 399
Calendarium. 386
Caliga. 389
Capitale ſupplicium. 375
Captivi non poſſunt teſtari. 382
Carthago Colonia. 352
Cenotaphium. 357
Cenſura quid apud Plinium. 399
Centeſima uſura. 386
Centuriones judices. 380
Civitates refugii. 385
Curia quid ſit 383

D.

DElatorum interpretationes. 348
Deſertor miles. 380
Diabolus cur dictus mendacii pater. 401
Dictatoris maxima auctoritas. 354
Diocletiani triumphus unus. 397
Diſpenſator villicus. 383
Divina, & humana. 345
Dolus quid. 386
Domeſtici milites. 376

E.

EBoſus inſula. 404
Eccleſia generalis quae. 363
Egeria conjux Numae. 407
Elevare quid. 413
Emanſor miles. 380
Epicurus a Petronio pater veri dictus. 400
Equites a cenſu. 396
Equites emeriti. ibid.
Excubatio quid. 381

F.

FLagellum Titoniae. 412
Fideicommiſſarius hactans. 368
Foenus unciarium. 386
Formae aquaeductuum. 389
Formarum Comes. ibid.
Formeſia praedia. ibid.
Fugientes ad templa. 385
Fundus optim. maximus. 358
Furum poena. 352

G.

GErere quid. 405

H.

HAdrianus an adoptatus a Trajano. 398
Hectoris tumulus inanis. 357
Humibora negotia. 462

I.

INfantes expoſiti. 374
Inſignia militaria detracta. 379
Interrogationes in deſuetudinem abiverunt. 371
Illaudatus. 406
Invitus nemo accuſat. 372
Invitus apud JCtum. 383
Interdicti aqua & igni. 366
Judaei viliſſimi. 383
Judex militum. 380
Judex an poſſit compellere ad accuſandum. 371
Juriſprudentia definita. 345

L.

LAurent. Pignorius laudatus. 400
Lex ambitus quando ceſſavit. 367
Lex Cogit. 346
Lex Camilli. 388
Lex Caſtrorum. ibid.
Lex Julia Majeſtatis. 390
Lex Repetundarum. 391
Lex Rhodia. 395
Lex Roſcia renovata. 396
Lex Roſcia extenſa. 395
Lex Valentiniani de Clericis, & Monachis. 363
Lex Regia. 384
Libertas quotuplex. 355
Libertas an aeſtimabilis. 390
Liberti an poſſent retrahi in ſervitutem. 358
Lyra obſtetrix. 400

M.

MArcianus refutatus. 357
Mariti tutores uxorum. 378
Maritimus quis. 401
Merces advocatorum qualis. 396
Miles non vocandus e caſtris. 388
Militiae praeſes abſque provocatione. 354
Minores judices. 462
Miſſio militaris quotuplex. 375
Monumenta in aedibus procerum Romae. 397
Mortem qui ſibi conſciſcerunt. 462
Mulier jungens ſe cum ſervo alieno. 353
Mulier adiens Circenſes. 387

N.

NOviſſime & Noviſſimus. 406

O.

OBſides an ſint captivi. 370
Obſides an dati a Romanis. ibid.
Obſtetrices efforcae. 400
Octeae lampades. 405
Opt. max. ager. 358
Oratores apud Turcam. 385
Orbona Dea. 402
Orcus quid. 368
Orcinus libertus. ibid.
Othonis ſpeculum. 408
Ovidius cur relegatus. 412

P.

PAganus unde. 391
Papiae lampades. 405
Pares curiae qui. 382
Patria quotuplex. 390
Patrimus quis dicatur. 401
S. Paulinus. ibid.
Paulus Apoſtolus Romam tranſmiſſus. 374
Pedanei judices. 361
Pennas infundere. 406
Philoſophiae definitio. 345
Philoſophorum vacatio. 372
Philoſophi pecuniae cupidi. ibid.
Plautus adductus. 345. 394. 400
Plinius explicatus. 398. 399
Politice Architectonica. 345
Poſſeſſio quid. 364
Poſſidonius hiſtoricus. 408
Poſitus hoſtium. 394
Principali munus. 378
Priva quae. 347
Privilegium quid. 347
Privilegia rejecta. 384
Procuratores Caeſarum an haberent juriſdict. 354
Proprietas. 361
Protectores qui. 376
Pumex arida. 401
Purpuram contingere. 376

Q.

QUadrupli poena. 359
Quadruplator. 360
Quadruplare. ibid.
Quintilius Varus qua in re peccarit? 389

R.

RAtio an legis anima. 346
Rei Romam tranſmiſſi. 374
Reges picti. 410
Res divinae quid. 345
Rhodus inſula. 395
Roma an patria communis. 390
Romae an nihil fecundum. 407
Romani an poſſent adſcribi alius civitat. 369

S.

SAcerdotes aequitatis. 381
Satyra unde. 384
Senatuſconſ. Turpilian. 382
Semeſtre duplex. 388
Servus non torquendus in caput dom. 366
Si dominus interficiatur a ſervo. 353. 372
Socrates munere obſtetricis fungens. 400
Sol deſcriptus a Plinio. 398
Spatium loci religioſi. 356
Statuliber quis. 368
Subſellia quid. 362
Subſcriptor quis. 382
Sulfurata quid. 383

T.

TAurea terga. 400
Taxus ſtrepens. 413
Templa in aedibus Magnatum Romae. 397
Tiberii calliditas. 366
Tirones an caligati. 389
Togae uſus. 370
Trajanus an adoptarit Adrianum. 398
Tranſtyberinus ambulator. 383
Tranſire poplite. 402
Turba quid. 388
Turpilianum SCtum. 382

V.

VAlla refutatus. 379. 387
Vehae calcis. 400
Vellera parnaſſia. 413
Veſtes in luctu. 407
Via vicinalis. 458
Virgilius explicatus. 357
Voluntarius apud Theologos. 383
Urbis praefectura quouſque ſe extenderet. 352

F I N I S.

GREGORII LOPEZ MADERAE, JCti

Mantuae Carpentani,

ANIMADVERSIONUM

JURIS CIVILIS,

LIBER SINGULARIS.

Google

ILLUSTRISSIMO DOMINO

D. FRANCISCO CAPATA DE CISNEROS,

Comiti de Barajas, Supremi Senatus Praeſidi, & a conſiliis ſtatus Regni Hiſpaniarum,

GREGORIUS LOPEZ MADERA, JCtus,

Mantuae Carpentanus,

Salutem, & maxim. Felicitatem precatur.

HOC laborum meorum primum ſpecimen Tibi conſecrare ſtatui, Comes Illuſtriſſime, & jure optimo: quum primus ego ex Mantuae Carpentanis juris peritis in hoc ſcribendi genere ſim verſatus. Erat enim rationi admodum conſonum, Teipſum defenſorem ac Maecenatem vindicare, qui ex noſtratibus ſuae patriae tantum ſplendoris & ornamenti attulerit: in quem, ob eximiam modeſtiam, providentiam ſolertiſſimam, rerum gerendarum experientiam, Rex noſter Philippus Magnus, tot munera contulit, dum Te domui chariſſimae uxoris & filiorum Praefectum, eorundem curae Praepoſitum; & ſimul nobilitati omni Hiſpanarum ut praeeſſes voluit. Ac demum, ut nihil praetermitteret, ſupremi Senatus Regni Praeſidem ſtatuit, & ad conſilia Regni (ut vocant) ſtatus, aſcivit. Quae omnia officia & dignitates tam brevi tempore conſequutus es, ut noverint recte omnes, munera haec tot, tamque magna ſuipſo indiguiſſe plurimum. Quae tamen magna cum ſint, & Tuiipſius maximis meritis aſſequuta, debita etiam fuerunt avis, ac proavis tuis; qui inter totius Hiſpaniae nobiles clariſſimi, & Mantuae noſtrae caput extiterunt. Quae cum Maximus ille Princeps Cardinalis Illuſtriſſimus Franciſcus Xemenius optime cognoviſſet, fratri ſuo Joanni Ciſnerio uxorem tuae domus gentilitiam adjunxit, atque cum ex tota Hiſpania optimos quosque eligere potuiſſet, quibus ſuas neptes collocaret, ſimulque eſſent egregii illius operis, & inſignis Academiae, quam Compluti erexit, patroni, ſumma quidem prudentia, qua ſemper in maximis rebus gerendis excelluit, parentem tuum, atque Corunnae Comitem viros integerrimos, & antiqua generis nobilitate inſignes, illis delegit. Poſſem tanquam felicitatis tuae culmen, & cumulum addere, quod talem nactus ſis conjugem, ut nobiliorem, & pulchriorem, vix (ne vix quidem) optare poſſis. De cujus laudibus plura dicerem, niſi ejus ſingularem virtutem & animi moderationem, cum ſumma gravitate & probitate conjunctam, tam brevi epiſtola concludi, & contineri minime poſſe perſpicerem. Longior ſane futura eſſet oratio, ſi virtutes & ornamenta, quibus te Deus Opt. Max. favit, Philippus Rex noſter evexit, natura impartivit, recenſere velim. Quibus omnibus ſic modeſte uteris, ut eas omnes ad communem hominum utilitatem, & ſocietatem conſervandam perpetuo referas. Tuam itaque humanitatem, Vir Ampliſſime, oro atque obteſtor, ut meum hunc libellum, ſtudiorum meorum primam foeturam, obſervantiae erga Te teſtimonium perpetuo, & meipſum ſuſcipere, ac tua ſingulari virtute contra invidorum latratus fovere, ac defendere digneris. Quod ſi (ut ſpero) feceris conabor ut patriae noſtrae non inutilis civis videar, atque me ad alia edenda opera, quae jamdudum parturio, invitabis. Vale, Comes Illuſtriſſime, ex Mantua patria Carpentana. Kal. Auguſt.

PRAE-

PRAEFATIO.

EA fuit ſemper ſtudiorum meorum ratio, ut omnem operam ab initio eorum poſuerim, totoque animo intenderim, ut poſſem ſtudioſorum laborem juvare, meumque munuſculum in publicum conferre. Quod eſſe animi liberaliter a natura inſtituti, & virtutem, ac decus amantis ſemper judicavi. Erat id vero in aliud tempus deſtinatum, ut juxta Horatii praeceptum [*de Art. Poët. v.* 388.] in nonum premeretur annum, ne praecox, & pene praecipitata emiſſio aliquid operi apud detractores detraheret. Metui tamen, ne quod mihi in quibusdam animadverſionibus accidit, ſaepius eveniret, ita ut oleum & operam perderem. Fuit enim opus ex eis aliquas reſecare, quod in aliis ex nuper emiſſis operibus obſervatas reperirem, ut periculum eſſet, ſi diutius expectarem. Quod ut effugiam, parum abeſt, quin incidam in Scyllam: cum ſit mihi neceſſarium ejus, quam non imprudens commiſi, culpae veniam petere, in Albino a Catone reprehenſum. Sed in hoc etiam a Catone veniam impetrarem, quod impulſus faciam, ab eo quidem, qui imperare poterat, adhortatus. Ex eo quoque, quod tantum animadverſiones quaſdam emittam, quae forte revelatae ſunt parvulis, & abſconditae a Sapientibus. Licet non negem, me ideo hoc genus ſcripturae delegiſſe, quia magis placeat, ne praeter multitudinem librorum, quibus quotidie obruimur (quam tamen eſſe neceſſariam Pomponius Juriſconſultus judicavit, ut ſint, qui poſſint ſemper jus noſtrum tam varium, & mutationibus obnoxium, in melius producere) crambe etiam repetita gravemur. Quae nedum jus noſtrum non juvat, ſed ab ejus limine optimo ſaepe ingenio deſperantes repellit: quod vix fieri poteſt, ut non ſit, etiamſi tertius Cato velit iterum commentarios juris duplicare. Cum enim multis, imo omnibus pene in locis, novitatis parum afferri poſſit, cogetur ſcribens a doctoribus noſtris tradita, & confirmata, iterum transſcribere, & congerere, quae tamen ab ipſis fontibus haurire, non ſine magno ipſius commodo, Lector poſſet. Et hoc quidem vitium majores noſtri effugere non potuerunt; quos tamen reprehendendos non arbitror, quia major eorum pars non ſcripſerunt, ut ederent, quae ipſorum diſcipuli, memoriam tantorum magiſtrorum venerantes, ediderunt: ſed tantum ut ſuo legendi muneri deſervirent. Quare coacti, aut nolentes, & inſcii cum fecerint, neque imitatione digni ſunt, neque reprehenſione. Qui enim ex eis, ut poſteritati conſecrarent, ſcripſerunt, aut in eo ipſo genere ſcripturae majorem adhibuere delectum, aut aliud elegere: jam vero id fieri ſine magno repetitionis periculo non poſſe, mihi plane animo inſedit. Quam tam effugio, ut non parum verear, ne brevitatis me accuſent, qui omnia apud omnes deſiderant. Id tamen conſulto feci, quia ſi docti, & in ſtudio juris progreſſi meas has lucubrationes aliquando legerint, non eis erit hujus relationis opus: ſi autem in tyronum manus venerint, ut adeant (quod ſemper in illis deſideravi) prius fontes ipſos, & venerandos illos, poſt nomothetas, antiquos magiſtros: praeter quos, ſi aliquis occurrit, ejus nomen, opinionem (ſi prodeſſe poſſe ſpero) nunquam praetereo. Illud autem omnibus ſemper viribus ſum enixus, ut a mente duos illos veritatis infeſtiſſimos hoſtes exterminatos haberem, ambitionem ſcilicet, & animi abjectionem atque puſillanimitatem: quae vitia artem noſtram, ſicut & alias, in exitum perduxere. Namque, ut ab hoc ultimo vitio, in noſtris tamen primo, initium capiam, maxime in eo plurimi peccaverunt: dum a majorum placitis neque recedere audentes, captivitate & illis miſera, & nobis exitiali, in magiſtrorum (quod dicitur) verba jurantes, & Pythagorae diſcipulos ſe efficientes, veritatem potius, quam praejudicatam illorum opinionem, abnegarunt, nemine in quaeſtionem, quod ſuperior dixerit, adducente. Ex quibus communes opiniones factae, quae ſaepiſſime falſae ſunt, & aperto juri repugnantes, a quibusdam etiam ortum aliquando ducentes, qui etſi doctiſſimi fuerint, communesque merito colendi magiſtri, opere tamen in longo ſomno obrepſerunt. Quorum iſti ita ſe conſtituerunt deditiios ſervos, ut non ſolum ſententiam eorum unam ex innumeris, aut mutare, aut novare, ſed ne quidem perficere auſi ſint: cum potuerint, & debuerint ſine aliorum injuria, ſuave jactantia multa mutare, alia novare, atque adjicere in jure noſtro tam vario, tamque diffuſo. Licet enim ſint gregatim plures ejuſdem ſententiae aſſertores, at veritas eorum errore non mutatur: nam juxta rationem, non multorum opinionem, metiendam eſſe veritatem erudite nos Ulpianus docuit. Hoc tamen vitium fugientes aliqui in contrarium incidunt, quaerentes novas ſectas, quarum ſe prodant authores, plurima, quae interpretationem certam, eamque veriſſimam ſemper habuerunt, novitate ducti, contra ipſorum Juriſconſultorum praeceptum mutantes: alia in reprobum ſenſum trahentes, jus civile calumniantes, antiquos inſectandi, & ſeipſos conficiendi deſiderio. Quod tam increbuit, ut jam non ſolum ſeipſos accuſent, ſed & eos arguant, quos defendere Juriſconſultorum munus eſt, accuſare pene ſacrilegium: Juſtinianum dico, & Tribonianum, ex quibus Illum illiteratum, & analphabetum appellant, cui multa impoſita dicunt, quia approbabat, quod non intelligebat; Hunc impium, ſacrilegum, facinoroſum, & Chriſtiani nominis abhorrentem nominant, ut hac ambitione ducti, reprobos authores ſequi malint, quam viros optimos, & authores meliores, qui haec omnia impoſita fuiſſe Juſtiniano, & Triboniano fortiſſimis argumentis probant, & affirmant; quam tamen calumniam ſi ab illis tollas, corruet major ſuorum operum pars. In quo quidem, quantum obſit doctorum ambitio, vel ex hoc perſpicue patet, quia ſi Juſtinianum, & Tribonianum accuſare nobis liceret, totum jus civile rueret: cum eſſet in noſtra poteſtate hoc negare, illud aſſerere, quod Tribonianus, & ſocii non recte intellexerint. Ut autem ambitionem iſtam ſcriptorum illos obcaecare conſtet, ut videntes non videant, & qui in refellendis, ac confingendis alioquin argumentis dexteritate praevalent, in his deficere, admittamus commentum eorum, qui contemptorem Dei appellant Tribonianum, & Juſtinianum ab eo ſeductum, ex eoque accuſant, ut, jura intelligendo, non intelligant. At pro illis dabimus eis Ulpianum, quem conſtanter defendunt Chriſtianorum accerrimum, & infeſtiſſimum hoſtem: dabimusque omnes Juriſconſultos, & plures reſcribentes Imperatores ethnicos, & infideles. Accedent etiam, & in hanc claſſem referendi erunt alii ex neothericis; qui jura intelligere ſine Cicerone, Cornificio, Tacito, & aliis antiquis neſciunt, & ex eis leges, tanquam ex oraculo, interpretantes, aliter facientes non intelligere putant, ac ſi non poſſint & authores ipſi a Juriſconſultis diſſentire, qui aliud agentes, rerum, quae ad jus pertinent, aliquando meminerunt, cum & Juriſconſulti inter ſe nonnunquam diſſenſerint, unde Proculianorum, & Sabinianorum ſectae originem habuerunt: & hos quidem videre licet, in legionum nominibus afferendis, in quaerendo antiquorum cultu, in tradendis eorum (ut omnia complectar) circa res minutiſſimas moribus, in medio jure occupatos, ut negotium facientes nihil agant. Cum ergo ſit ex utroque latere periculum, ſemper probandi ſunt illi, qui mediam, & virtutis tutiſſimam eligunt viam, ut veritatem aſſequantur, non etiam authorem

rem

rem reſpicientes, ut injuriam ſibi fieri putent, ſi ab inferiore veritatem recognoſcant, & propter malevolentiam, ac pervicaciam doceri nolint. Rectius ſane Plinius ille magnus (ut alter Secundus de eo refert) ex illo, quod in ore ferebat, nullum eſſe librum tam malum, qui non aliqua ex parte prodeſſet, tantarum rerum cognitionem, abſolutamque doctrinam exhaurivit. Libello autem, facta de nomine, animadverſionum titulum praepoſuimus, ut obſervationum, ſive variarum tritos magis fugeremus. Quod pollicetur (nam non in omnibus idem exigendum) notas in quibusdam juribus, quae hucusque, aut non recte intellecta, aut inordinate explicata ſunt. Non ergo in omnibus novitatem deſideres, aut quaeras, ſed in quibusdam ordinem, in aliis delectum, in aliis etiam majorem antiquorum traditionibus probationem, eamque neceſſariam additam invenies. In authoribus plane citandis parci fuimus: non enim remiſſiones, quas vocant, non etiam repertoria conficere fuit animus, ſed animadverſiones, in quibus et, quam potuimus, diligentia adhibita, jura explicamus nuda veritate ac ratione detecta, quam nobis, non doctorum turbam, ſoffragari deſideramus: Etſi ſciam, & metuam ne allegationes requirant aliqui, qui niſi adſit allegationum (quam vocat doctus quidam) luxuries, nihil actum putant. Quo factum eſt, ut vix major authoritas ſit apud aliquos legibus ipſis, quam commentatorum ſcriptis: cum videant plures, eosque doctiſſimos huic conſuetudini addictos in probutionem eorum, quae jure aperto deciſa ſunt, & Gloſſam, & Bartolum, Baldum, Jaſonem, Paulum, & alios teſtes adducere, ac ſi veritas egeat teſtibus: jura etenim nobis vera putanda ſunt, & exinde probanda. Quo fit etiam, ut ſi conſilium, ac reſponſum juribus probe munitum, cum alio multis, & crebris Doctorum dictis, atque ſententiis infarcitum conferatur, hujus magis oſtentatione, quam illius veritate ducantur: ut vere dici poſſit, perduxiſſe eos legem in poteſtatem ſuam, atque bonorum authorum iram merito in ſe concitaſſe. Non ex hoc tamen aliquis exiſtimet, me ut Hotomannum, Eguinarium, Goveanum, & hujus farinae authores, Bartolo, Baldo, Alexandro maſtigem oſtendere velle: quibus quidem ſummam doctrinam, nec me laudatore egentem, concedendam reor; quos patres, ac magiſtros jure optimo venerandos arbitror. Nam qui eos, nimis impudentes, vituperare ſtudent, non vident temporis fuiſſe commune vitium, quod eis vitio vertunt. Ejus enim temporis in bonis literis, in Latinis, Graecisque optimis authoribus virum probe verſatum non dabunt, non ſi Theologos etiam, Medicos, Philoſophos, & humanioris quoque literaturae homines omnes enumerent. Quod ſi attente animadverſiones hasce meas aliquis legerit, videbit plane, non minus me Doctores noſtros evolviſſe, quam ſi allegationibus crebris illae eaedem forent onerandae, etſi caſtigatius multo ſint ſcriptae, quam ſe copia ſuggerebat. Demum optimum Lectorem exoratum velim, ut ſi quid contra Doctorum communem opinionem inveniat traditum, non rugas contrahat, non deſpiciat prius quam perpendat, & cum eorem ſententia conferat: fortaſſe enim placebit, nec feciſſe poenitebit. Si autem hanc meam opinionem non probet, aliam probabit. Eſt etenim humanum ingenium errori maxime ſubjectum, neque equidem tantum mihi tribuo, ut putem omnia me vere, aut ſufficienter tradidiſſe: ne tamen me aliquis putet arrogantem, & ambitioſum (quod tam deteſtor) erraſſe: ſed plane in veritate aſſequenda, quod omnibus viribus conabar, ingenio defeciſſe. Quod ſi candidus Lector talem ſe cenſorem exhibuerit, alacriorem me reddet ad *animadverſiones juris Canonici* edendas, quas paro. Jam ergo ad rem ipſam accedamus.

ELENCHUS CAPITUM,

Quae in hoc opere continentur.

CAP. I. DE interpretatione *l. 1. D. de juſt. & jure.*

II. De jure naturali, cujus definitio ab Ulpiano tradita defenditur.

III. De juris diviſione in naturale, gentium, & civile.

IV. De jure civili, ad interpretationem *l. jus civile 6. D. de juſt. & jure.*

V. De conſuetudine, & quid ſignificet Imperator, dum ait, *Eum non vincere legem.*

VI. De ſervo Praetore, ad *l. Barbarius Philippus 3. D. de officio Praetor.*

VII. De conventionum diviſione, ad *l. convent. 5. D. de pact.*

VIII. De conventionum ſpeciebus, ad *l. legitima 6. & ad l. jurisgentium 7. D. de pact.*

IX. De pactis, & an ex pacto nudo detur actio jure Canonico, vel etiam Regni.

X. De actionibus, & quo jure ſint inventae; quoque modo ſe habeant ad obligationem.

XI. De ratione *l. ſed etſi 28. §. fin. D. de judic.*

XII. Quid ſub nomine periculi, intelligendum ſit, in *l. ſi quis nec cauſam 4. D. ſi cert. petat.*

XIII. De intellectu *l. repetitio 44. D de cond. indeb.*

XIV. De vera lectura *l. Julian 60. D. de cond. indeb.*

XV. De locatione, & an ſit in ea pecunia numerata neceſſaria loco mercedis.

XVI. De ſterilitate, & quando ſit facienda penſionis remiſſio.

XVII. De culpa, quae dolo aequiparatur, & aliis culparum ſpeciebus, ad *l. quod Nerva 32. D. depoſiti.*

XVIII. De captis a latronibus, & obſidibus animadverſio circa teſtamenti factionem.

XIX. De legato in ſingulos annos, ad *l. ſi in ſingulos 4. D. de ann. legat.*

XX. De natura disjunctivae, quam noſtri alternativam vocant.

XXI. De illis alternativis, quibus in progreſſu ſuorum reſponſorum Jurisconſulti utuntur, quas Doctores alternativas legis appellant.

XXII. De uſu dictionis *ſive*, aut *ſeu*, ad intellectum *l. ſi quis ita 30. D. de aur. & arg. legat.*

XXIII. De intellectu *l. 1. D de rebus dubiis.*

XXIV. De alternativa negativa, ad *l. ſi is qui ducenta 13. §. utrum 3. D de reb. dubiis.*

XXV. De intellectu *l. ſi is qui ducenta 13. §. item ſi paterfamil. 6 D de reb. dubiis.*

XXVI. De differentia dominii, & proprietatis.

XXVII. De intellectu *l. pupillus 11. D. de acquir. rer. dom.* & an una ſit poſſeſſio, aut duplex.

XXVIII. De exceptionum diviſione, ad *l. 3. D. de except.*

XXIX. De intellectu *l. ſive a certis 17 D. de duob. reis.*

XXX. De actione uni ex cohaeredibus pignus, univerſo ſoluto debito, liberanti adverſus cohaeredes concedenda.

XXXI. De intellectu *l. ſi pecuniam 9. C. de neg. geſt.* & obiter de *l. ſi pupilli 6. §. ſi quis ita 4. D. eod.*

XXXII. De ratione *Auth ex complexu. C de inceſt. nupt.*

XXXIII. De intellectu *l. generaliter 6. C. de inſt. & ſubſt.*

XXXIV. De intellectu *l. cum quidam 4. C. de verb. ſign.*

XXXV. De contractu Principis, ſitne lex, ad intellectum *l. donationes 26. C. de donat. inter vir. & uxor.*

XXXVI. De geminationibus, & omiſſionibus in Pandectis non reprobandis.

GRE.

GREGORII LOPEZ MADERAE, JCti,

ANIMADVERSIONUM JURIS CIVILIS, LIBER SINGULARIS.

CAPUT I.

De interpretatione *l. 1. D. de Juſtit. & Jure.*

SUMMARIA.

1 *Juris etymologia per Ulpianum, quae defenditur,* num. 6.
2 *Eadem per Galeotum Martium.*
3 *Eadem per Hieronymum Magium; quae tamen omnes ſunt vocabuli alluſiones,* num. 4.
5 *Nominis notationes plures afferri poſſunt.*
7 *Juris nomen in* l. 1. D. de juſt. & jur. *accipitur pro ipſa juris arte.*
8 *Illud vero jus eſt, quod a juſtitia emanat.*
9 *Juris definitio per Ulpianum. Et ejus interpretatio,* num. 13.
10 *Aequum, & bonum, idem quod Graecis Epychia.*
11 *Epychia conſiſtit in benigna legum interpretatione & ſummi juris remiſſione,* num. 12.
13 *Officium juris prudentis eſt, leges omnes ad juſtitiam & aequitatem referre.*
14 *Aequum & bonum, idem quod jus naturale. idque per antonomaſiam ſignificat,* num. 16.
15 *Aequum ab iniquo; & licitum ab illicito, diſcernit ſola lex naturalis.*

FOelix, fauſtumque principium e-
rit, ſi *harum animadverſionum* ex-
ordium non e trivialibus quaeſtio-
nibus (quae non tam juſtitiae, quam
litigandi tradunt vias) ſed ex ipſa
juris vera cognitione ſumamus:
ut vere quod eſt fundamentum o-
mnium, quae in jure tradenda ſunt, praemittamus,
a quo Juſtinianus cum Ulpiano Juriſconſulto exor-
ſus eſt; qui in *l. 1. D. de juſt. & jur.* illud praefatur
de jure agentem prius noſſe oportere, unde juris no-
1 men deſcendat. † Jus autem a juſtitia appellari af-
firmat. Quod in primis taxat Galeot. Martius, in
alienam meſſem manum inferens, in lib. *de doctrin.*
promiſc. cap. 28. a juvando potius dictum aſſerens:
2 † cujus animus, ſi non reprehendendi Juriſconſul-
tum eſſet, non erat a nobis reprehendendus. Etenim
jus a juvando etiam dici poteſt: juvat enim huma-
nam vitam, utilitatemque communem: juvat con-
cilia, coetuſque hominum, quae civitates appellan-
tur: juvat demum, ut exploratum cuiquam eſſe poſ-
ſit, quid ſuum, quid alienum ſit. Idem etiam re-
3 probat Hieron. Magius *lib. 4. Miſcellan. cap.* 1. † qui
cum Pomponio Grammatico a jubendo dictum di-
cit, quod antiqui jura quaſi juſſa dixerint. Quod
etiam rejiciendum non eſſet, niſi jus civile calum-
niaretur; id enim non oportere, reſpondit Paulus, in
l. pen. D. ad exhibendum. Unde varie Ulpianum ab
his calumniis eruere Doctores tentant; & ut ultra
gloſſam, & antiquos aliquos laudem, ii ſunt Ulda-
ric. Zaſius *in ſumma titulorum*; Fornanius *in repeti-*
tione hujuſce legis. Alciat. *lib. 1. Parerg. cap.* 29. & Rae-
vard. *lib. 1. Variorum cap.* 2. quorum ſententias, ut ne-
que probem, neque rejiciam, non erit opus recen-
ſere. † In hoc tamen omnes conveniunt, non eſ- 4
ſe veram etymologiam, ſed vocabuli quandam al-
luſionem. Sunt quoque hujuſmodi ab Iſidoro in *cap.*
jus. 8. *diſtinct.* 1. Galeoto, & Magio ſupra citatis,
traditae. † Nihil enim intereſt, ſi hujuſmodi no- 5
minis notationes plures efferantur, argum. *l. 1. §. mi-*
les 1. D. de teſtam. milit. & *l. 1. D. de furtis.* qui-
bus utuntur ſaepiſſime, & Juriſconſulti, & alii pro-
batiſſimi authores. Si vero Grammaticorum regu-
las inſpiciamus, jus potius nomen (ut cum ipſis lo-
quar) primitivum, & a nullo deductum dicendum
eſſet. † At ſi aliunde tamen, explicationis gratia, 6
deducendum eſt, in ſpecie, de qua Juriſconſultus,
eum ſequi, quam Galeotum, Magium, & alios po-
ſteriores malo. Ut autem hanc Ulpiani magis pro-
bem alluſionem, cumque conſtanter defendam, † il- 7
lud mihi ſuaſit, quod in *hac lege* juris verbum, quod
varie accipitur, ut docuit Paul. in *l. penult. D. de*
juſt. & jur. cum pro ipſa profeſſione juris, & (ut
ita dicam) ſcientia legali ſumere, pro comperto ha-
beam. Quod ipſe Ulpianus ſatis docet, dum *juri*
operam daturum dicit, & definiendo hoc jus, eſſe ar-
tem fatetur: ut etiam annotaſſe videntur Loriot. *de*
juris arte, tit. de jure, axiom. 5. & Anton. Govean.
lib. 1. Variarum lection. cap. 18. Merito ergo jus hoc,
quod eſt ars, a juſtitia appellabitur: cujus rationem
reddit Juriſconſultus, dum ait, *juſtitiam namque co-*
limus. Quod magis probabit, ſi audies Divum Au-
guſtinum in *lib. 19. de Civit. Dei cap.* 21. † dicentem 8
illud *jus eſſe, quod de juſtitiae fonte emanarit.* Ex quo
Cicero *de Rep.* per eundem Auguſtinum citatus, o-
ſtendit geri remp. ſine juſtitia non poſſe. Ut doceat
igitur Ulpian. ſine vera juſtitia jus iſtud non conſi-
ſtere, ab ea jus appellari affirmat. In quam ſenten-
tiam plurima ibidem D. Auguſt. plura etiam Cicero
lib. 1. de Legib. Quam optimam, & latentem Philo-
ſophiam, ut Ulpian. vocat *veram*, cum conſidero,
Grammaticorum regulas parum moror, magiſque
dignam hanc alluſionem tanto Juriſconſulto judico,
quam ſi a jubendo, aut juvando cum Grammaticis
dictum affirmaret.

Verum, ut animadvertenda in *hac lege* conjunga-
mus, cum etiam idem in definitione juris ſit obſer-
vandum; definitum nempe eſſe artem, ea nobis exa-
minanda eſt. † Inquit enim, *jus eſt ars aequi, &* 9
boni; in quo ſe licet ſuperarit Ulpianus, habuit
tamen ejus ſententiae reprehenſores; quam, ut ab
impugnatoribus Doctores noſtri defendant, plura de
aequi, & boni cognitione afferunt, reprobato Ac-
curſio: qui male aequum, & bonum in hoc caſu
ſeparat. Summa autem eorum, quae tradunt, haec
eſt. † Aequum, & bonum id eſſe quod Graecis 10
Epychia dicitur, † quae conſiſtit in explicatione 11
legum; quae, cum generalia ſint, & in univerſum
ferantur, ut docuerunt Juriſconſulti, in *l. jura* 8. *cum*
ſe-

ſequentibus. D. de legib. lege generaliter loquuta, aliquid evenit poſtea praeter genus illud univerſum, ſupplerique debet id, quod deeſt interpretatione aequa. Fit etiam aliquando, quod jus circumſtantia aliqua fiat durius; & (ut vocant) ſummum jus:
12 † Epychia autem ad ejus facilem remiſſionem tendit, quae fuit Ariſtotelis doctrina in *lib. 5. de Moribus cap. 15.* in verſione Lambini, quae hoc egregie explicat. Cui maximum etiam lumen praeſtat Theodorus Zuyngger *ibidem in tabulis*: obſervanda quidem ad interpretationem *l. benignius* 18. *D. de legib. l. 1. C. eod. & l. placuit* 8. *C. de judiciis.* & ad interpretationem *hujus legis* tradita per Budaeum *in annotat. ad eam*: Zaſium, Fortunium, Salomonium in *ejusdem repetitione*; Duarenum in titulo *de juſtitia, & jure cap. 2.* & in titulo *de minoribus viginti quinque an-*
13 *norum. in princ.* cum aliis. † Vere enim eo tendere debet juris peritus, ut leges omnes ad juſtitiam, & aequitatem referat. Unde interpretatio haec non parum placet, aequitatem ſane prae ſe fert, & mirifice congruit officio Juriſconſultorum. Cum tamen non ſolum jus hanc benignam interpretationem, facilemque remiſſionem reſpiciat, ex quo diminuta eſſet, & manca diffinitio ſic intellecta, ma-
14 jora moliri hic Ulpianum ſuſpicor, † & aequi boni appellatione Divinam illam legem, pectoribus noſtris inſitam, quae jubet ea, quae facienda ſunt, prohibetque contraria, ſignificaſſe. Quae lex (ut patet) eſt jus naturale, quod ſub aequi, & boni nomine praecipue continetur: ut nos docuit Paul. Juriſconſultus in *l. p. nult. D. de juſt. & jur.* Namque nos *legem bonam a mala* (ut Cicero *lib. 1. cap. 16. de Legibus.* recte dixit) *nulla alia, quam naturali norma dividere poſſumus.* Quae interpretatio ex ipſius Ulpiani verbis egregie colligitur. Ubi enim definit, *jus eſt ars aequi, & boni*, ſubdit rationem ſuae definitionis, quam ex Celſo probarat, & ait: *juſtitiam namque colimus, boni, & aequi notitiam profitemur.* Non quod dicat Epychia ſe uti, jus leniendo, & benigne interpretando: ſed juris illius naturalis obſervatores, aequum ab iniquo ſeparare, licitum ab illicito diſcernere: quod nulla alia, quam naturali lege effici poſſe, ex
15 Cicerone diximus. † Ut etiam inſinuat gloſſ. in *cap. 2. Apoſtoli ad Romanos*, dum ait, *quod jure naturae intelligit homo, & conſcius eſt quid ſit bonum, & quid malum.* Unde & in definitione juriſprudentiae, *juſti & injuſti ſcientiam* eam appellat idem Ulpianus in *l. Juſtitia* 10. §. 2. *D. de Juſtitia, & jure.* Erit igitur *jus iſtud ars boni, & aequi.* id eſt, juris naturalis: ut perſpicuum eſſe poſſit, in ipſo nomine legis interpretando ineſſe vim, & ſententiam juris illius a natura inſiti colendi. Erit ars juris naturalis, ut inde juris initium ductum cum Cicerone *lib. 2. de Inventione cap. 22.* affirmemus. Erit demum ars juris naturalis, ut umbram hanc, & imaginem ad effigiem veri juris, germanaeque juſtitiae referamus. Namque id eſt aequum bonum, quod aequum & iniquum, licitum & illicitum, jus & injuriam dignoſcit: qualis eſt lex illa inſita a natura, quae & docet facienda, & oſtendit contraria. Quod non nobis opinio, ſed innata vis affert teſtimonium, reddente conſcientia noſtra: ut *ea, quae legis ſunt, naturaliter fiant*, ut inquit Apoſtolus in *cap. 2. ad Roman. v. 14.* Conſtat igitur Ulpianum, ſub appellatione boni, & aequi jus naturale inſinuare,
16 † qua ſignificatione aequum bonum Antonomaſiam quandam prae ſe fert, & merito. Nam jus, quod ita dici, appellarique poſſit (ut inquit in *lib. 3. de Finibus cap. 20.* Cicero) natura conſtat. Et Paul. Juriſconſult. in *d. l. penult*, *jus quod ſemper eſt aequum, & bonum, eſt jus naturale.* Quam vero juriſprudentia ſit ars boni, & aequi: id eſt, juris naturalis, & divinae legis nobis innatae, oſtendit in progreſſu ſuarum Inſtitutionum Ulpian. Ex quibus habemus *l. jus civile 6. D. de juſtit. & jur.* ubi in non recedendo, nec per omnia juri naturali inſerviendo, artem maximam animadvertere poteris, eamque ſemper circa jus naturale verſari. In quam ſententiam nos infra in *cap. 4.* plura obſervabimus.

CAPUT II.

De jure naturali, cujus definitio defenditur, & explicatur.

SUMMARIA.

1 *Juris naturalis definitio a diebus Accurſii vim patitur.*
2 *Lex aeterna eſt in Deo ipſo, & in animantibus per participationem.*
3 *Juris naturalis impreſſio aeque referri poteſt ad animantia, atque ad homines.*
4 *Jus non ex utentium qualitate, ſed ex ſe eſt conſiderandum.*
5 *Jus dicit rationem, & aequitatem: in ſeipſo tamen, non in ſubjectis*, num. 6.
7 *Omnis lex proficiſcitur a ratione legiſlatoris.*
8 *Non licet de jure jam poſito judicare.*
9 *Ratio humana non habet authoritatem circa naturalem legem.*
10 *Maris & foeminae conjunctio, at factum eſt, non eſt de jure naturae, quin id aſſerere eſſet haereticum.*
11 *Acta non ſunt de jure naturali, ſed actorum finis.*
12 *Intellectus* l. 1. §. jus naturale 3. verſic. maris, & foeminae conjunctio. D. de juſt. & jure.
13 *Poſuit natura in animantibus inſtinctum, ut ſuo juri obſequantur. Quod aliter apprehendere non poſſunt*, num. 14. *Licet homines aliquando contra faciant*, num. 15.
16 *Lex naturalis, non eſt omnibus uniformis, licet ſit omnibus una*, num. 18.
17 *Animae, rationalis & ſenſitiva, non debent in homine ſeparatim conſiderari.*
19 *Hominem propter rationem, aliter quam animantia, jus naturale regit.*

QUam Juriſconſultis ſit neceſſaria juris naturalis cognitio, vel ex hoc ſatis apparet, quod (ut diximus) ars, quam profitentur, juris naturalis eſt. Ejus autem definitio ab Ulpiano petenda erit, qui in *l. 1. §. jus naturale* 3. *D. de juſt. & jur. jus naturale eſſe* dicit, *quod natura omnia animalia docuit.*
† Quae Ulpiani ſententia a diebus Accurſii vim pa- 1
titur, & violenti in eam irruunt. Increbuit enim communis hujus definitionis interpretatio; quod in ea jus accipiatur pro inſtinctu, ut vix reperies aliquem ab hac ſiniſtra explicatione deſciſcentem. Et ne hujus interpretationis authores laudem (quod eſſet longiſſimum) ſatis erit ab ea alienos afferre: qui ſunt Fortunius in *rep. ejusdem* §. obſcure, Coraſius *de juris arte, cap. de jure naturali.* aperte Raevard. *lib. 1. Variorum cap. 1.* qui foeliciter illud opus ab hujuſce definitionis explicatione auſpicatus eſt, eamque doctiſſime interpretatus. Quod tamen nobis altius erit repetendum, ut aliquid in hac animadverſione praeſtemus. Eſt vero jus hoc ad legem aeternam a Deo
ipſo promanantem referendum, † & ſciendum eam 2
eſſe & in Deo, rationemque ſummam in eo exiſtentem, juxta illud *Proverbiorum cap. 8. v. 23.* ab aeterno ordinatam: ut docet noviſſime Dominicus Soto locupletiſſimus teſtis *lib. 1. de juſt. & jur. quaeſt. 3. articul 2* & eſſe in animantibus participationis ratione. Deus enim, qui naturae author eſt, & ſuaviter omnia diſponit, impreſſit unicuique animanti principia quaedam ad ſui conſervationem neceſſaria, ut duceretur ad debitum finem: quae naturalis impreſſio appellatur jus naturale. † Quod aeque referri poteſt ad animantia, atque ad homines, ut merito dixerit Ulpianus, & cum eo Juſtinianus in *princip. Inſtit. de jur. natur.* *Non homini proprium eſſe, ſed & omnium animantium, quae in mari, quae in coelo, quae in terra naſcuntur commune:*

lie

licet id durum videatur quibuſdam, qui ſimilitudine
tantum affirmant, jus naturale appellari in animanti-
bus. Quod mihi contra Ulpianum ſuaderi non po-
teſt. Namque cum hoc jus ſit participatio illius
legis ad ſui conſervationem, quo natura inclinatio-
nes (ut ſic dicam) animales ad id moveat, ſatis pa-
tet id locum habere in animantibus ex ipſa natura:
ſi enim homo ad filiorum educationem eſt a natu-
ra edoctus, ad eandemque animantia; haec filiorum
4 educatio non erit juris naturalis ſemper in ſe, † ut
vere jus non ex utentium qualitate, ſed ex facto ipſo
aeſtimetur; ut doctis Raevardi verbis utar. Ne-
que obſtat argumentum, quod, ut fortiſſimum, in
5 contrarium adducitur: † Jus nempe, & legem dice-
re rationem, & aequitatem quandam. Quod ego
non gravate admittam, nihilque aequius hoc jure
eſſe affirmo; ſed hoc ab ipſa habet, ut diximus ſu-
6 pra in *cap.* 1. ex Cicer. *lib.* 3. *de Finibus.* † Rationem
ergo, & aequitatem jus dicit in ſeipſo, non in re-
gulatis, in quibus non eſt opus ratione: cum cer-
tiſſimum ſit jus ipſum naturae aequiſſimum eſſe.
7 † Nam cum omnis lex, ex Divi Thom. ſententia, in
prima ſecundae quaeſt. 97. *artic.* 3. proficiſcatur ex ra-
tione, & voluntate legiſlatoris, non requirit rationem
ſubjectorum. Quia ſi in eis ratio eſſet neceſſaria
8 quoad jus, maxime ut judicarent de jure. † Sed hoc
eis non liceret, ſicuti nobis in jure humano, quod
aequitatem tantum, & rationem praeſumptam prae
ſe fert poſitum hominibus, qui judicare poſſent,
non licet, ut patet ex *cap. in iſtis* 2. *diſtinct.* 4. Ubi
Divus Auguſtinus inquit: *In iſtis temporalibus legibus,
quamquam de his homines judicent, cum eas inſtituunt;
tamen cum fuerint inſtitutae, non licebit de ipſis, ſed
ſecundum ipſas judicare.* Si ergo de humanis legibus,
jam inſtitutis, non eſt judicandum, quanto magis de
jure naturae, a Deo ipſo promananti, non erit neceſ-
9 ſarium judicium? † Cum & etiam ratio humana non
habeat authoritatem circa eam legem, juxta illud
Pauli *ad Roman. cap.* 11. *v.* 34. *Quis cognovit ſenſum
Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit?* Quid ergo erit
opus in animantibus, ut ea regantur, rationem ex-
quirere? Erubeſcant igitur, qui non proprie loquu-
tos fuiſſe Juriſconſultos ſomniant in principio, &
re tam ſeria. Verum eas eſſe leges juris naturae,
quas affert Ulpianus, oſtendit promulgatio ejus ju-
ris, facta per Deum ipſum, naturae authorem, *Gene-
ſeos cap.* 1. *v.* 22? ibi *Creſcite, & multiplicamini.* Quas
leges in multis animantibus exemplis proſequuntur
Baſilius, & Ambroſius, *in Examerea:* quod idem
fecit noſtro idiomate doctiſſimus Ludovicus de Gra-
10 nada in *lib.* 1. *introduct. Symboli fidei.* † Si quis autem
dixerit, maris, & foeminae conjunctionem, ut fa-
ctum eſt, de jure naturae eſſe in hominibus, non
parum errabit (id namque fateri eſſet haereticum)
11 † non enim factum, ſed tantum finis, qui eſt libero-
rum procreatio, eſt de hoc jure; quem cum non
alia ratione rite homines aſſequantur, quam per ma-
12 trimonium; † ea maris & foeminae conjunctio, ut
recte dixit Ulpianus, eſt de jure naturali, quam
nos matrimonium appellamus. Et cum omnis alia
conjunctio fini naturali repugnet, eſt contra ipſum
jus naturale. Ex quibus omnibus apparet, quam do-
cte is dixerit, *Jus naturale eſſe, quod natura omnia ani-
malia docuit:* quam bene ſubdat, *Nam jus iſtud, non
humani generis proprium* (rejecto optime verbo *ſolum*,
ut eſt in archetypo Florentino, quod poſt alios no-
tat Pincl. in *rub. C. de reſcind. vendit.* 1. *part. in prin-
cip num.* 19.) *ſed omnium animantium, quae in mari,
quae in terra naſcuntur, avium quoque commune eſt.* In
quo non improprie loquutus eſt Juriſconſultus, ſed
ſibi quidem excellit. Proponit enim naturae jus
per differentiam ab aliis juribus; ex ſubjectis deſcri-
bit; reddit eorum rationem, & ſummam ejus juris
13 proponit. † Atque, ut oſtendat, ſe recte intellige-
re in animantibus ipſis eſſe inſtinctum, quod in na-
tura jus eſt (inſtinctum inquam, ut huic juri obſe-
quantur) annectit. *Videmus etiam caetera quoque
animantia iſtius juris peritia cenſeri*, recteque cen-
ſentur, cum in eis ita eſt hoc a natura definitum,
& ab ejus motu ſit profectum, ut animantia illud
immutare nullo modo poſſint. † Sic enim apprehen- 14
dunt ſuae ſpeciei propagationem eſſe neceſſariam,
ut aliter apprehendere nunquam valeant, † etſi homi- 15
nes hos naturae igniculos (quod optime ait Cicero
lib. 3. *Tuſc. cap.* 1.) aliquando malis moribus, opi-
nionibusque depravatis, ſic reſtringant, ut id, quod
natura dictavit, aliter apprehendant. Unde patet
ridendum potius eſſe Laurent. Vall. qui *lib.* 4. *Ele-
gantiarum cap.* 48. ridiculam hanc Juriſconſulti de-
finitionem eſſe dicit; qui cum male dictis certarit,
non a me audiſſet bene, niſi ad alia properarem:
quem cum Budaeus falli affirmet, nullo argumen-
to Juriſconſult. defendit, ut occaſionem tribuat his
Grammaticis, ſive Graculis inſultandi: quibus ta-
men (ut eſt in proverbio) *Nihil cum fidibus.* Ve-
rum enimvero non fuit animus Ulpiani exacte defi-
niendi jus naturale per genus, ſed tantum (ut dixi)
per differentiam ab his juribus, quae ex poſitione
ſunt, ut infra dicendum erit. Definiri tamen po-
terit ex ſupradictis, quod ſit ordinatio rationis di-
vinae circa animantia ad eorum commune bonum.
† Neque tamen univerſis animantibus uniformem eſſe 16
legem naturalem dicendum eſt, ſed unicuique juxta
genus ſuum, ut dicitur in *d. cap.* 1. *Geneſ.* Unde, li-
cet habeat homo partem communem cum belluis;
ſenſus nempe facultatem, quam vocant animam ſen-
ſitivam (qua conſideratione jus ei eſſe commune cum
animantibus inſinuant Fulgoſ. in *hoc.* § *jus naturale*
3. & melius Theodor. Zuingger. in *tabul. poſt lib.* 5.
Ariſtotel. de morib. fol. 166.) tamen, cum haec facultas
rationi ſubjecta ſit († namque conſiderari non poſ- 17
ſunt hae, ut animae diſtinctae, in quo plures labun-
tur, quos, poſt Divum Auguſtinum, reprehendit
Petrus Gregor. Tholoſan. *lib* 32. *Syntax. artis mira-
bil. cap.* 7.) alio modo ſe habet jus naturale quoad
hominem, ad imaginem & ſimilitudinem Dei crea-
tum. † Non quod jus naturale unum, & idem non 18
ſit, ſed quod hominem aliter regit: ſicut videmus
in jure civili, alias eſſe leges, nobilibus impoſitas,
alias plebeis, alias militibus, alias paganis; non ta-
men ex hoc jus Civile non erit unicum in genere.
Ita naturae jus ſuum ad gubernationem & regimen
animantium habet in ſe unum; pro differentia tamen
ſubjectorum diverſum. Namque animantibus illis,
quae ſe alere, ubi naſcuntur, poſſunt, legem pro-
creationis impoſuit, non educationis; quibus vero
id deſiderant, utramque. † Homini vero juxta ratio- 19
nem ſuas etiam leges dedit, de quibus infra. Non
enim hic noſtri inſtituti eſt exemplis haec omnia
proſequi, quod ab aliis factum eſt; &, ſi eſſet repe-
tendum, animadverſionem hanc longius, quam par
eſt, protraheret. Solum etenim eo noſtra tende-
bat oratio, ut Ulpianum ab impugnatoribus defen-
deret. In quo (ut credo) nonnihil praeſtitimus.

CAPUT III.

De Juris diviſione in naturale, gentium, & civile.

SUMMARIA.

1 *Jus eſt dividendum in naturale, & poſitivum.*
2 *Jus naturale exiſtit per ſe a natura introductum;* & num. 5.
3 *Naturale jus eſt unicum.*
4 *Juris naturalis praecepta, quaedam propria, quaedam communia.*
6 *Praecepta propria juris naturalis appellantur aliquando jus gentium, quia ſcilicet gentes reſpiciunt.*
7 *In* l. veluti 2. & in l. ut vim 3. D. de juſtit. & jur. *ſumma juris naturalis quoad homines continetur.*

8 *Continentur etiam in illis juſtitiae partes omnes.*
9 *Abſolutiſſima eſt Juriſconſultorum doctrina.*
10 *Jus poſitivum dividitur in proprium, & commune.*
15 *Jus poſitivum commune, eſt juris gentium.*
52 *Jus poſitivum proprium, eſt jus Civile.*
13 *Jus gentium habet plurimum naturalis.*
54 *Civiliter eſſe vivendum, eſt homini naturale: non tamen jus naturale*, num. 15. *& ex eo principio omne jus gentium ortum habet*, num. 16. & 18.
17 *Illud eſt jus naturale, quod etiamſi Adam non peccaret, jus eſſet*; & num. 20.
19 *Jus gentium eſt naturale non ex ſe, ſed ex poſitione*, & num. 21. *eaque univerſali, & quaſi naturali*, num. 22.
23 *Differentia jurium facile cognoſcetur, ſi referantur ad tria praedicamenta.*
24 *Jus naturale eſt tamquam ſubſtantia. Jus gentium proprium*, num. 25. *Civile vero tamquam accidens*, num. 26.

SUpra dicta nos admonent, ut juris diviſionem il-
lam, in naturale, gentium, & civile explice-
mus. Quod (niſi me animus fallit) non parum elu-
cidabimus, licet ordine (ſi eum ſervare eſſet hujus
generis ſcripturae) animadverſio haec partim ſuperio-
ri praeponenda foret; quod legendo facere poterit,
qui id deſiderabit. Ut tamen ab ovo (quod ajunt)
1 id repetamus, † erit jus dividendum in naturale, &
2 poſitivum. † Naturale exiſtit per ſe a natura ipſa
introductum. Nam (ut rectiſſime dixit Ulpianus)
illud natura docuit. Jus vero poſitivum, ut vel
nomenclatura ipſa prae ſe fert, poſitionem deſide-
rat. Naturale autem ſunt, qui dividant magis quam
antiqui, propria diſtinctionis nota, in proprium,
& commune. Cujus diviſionis Antonium Vaccam
laudat authorem Pinel. in *Rubri. C. de reſcind. vendit.*
1. part. in princ. num. 19. Quae diſtinctio, etſi ad
aliquorum jurium intellectum non diſpliceat, ve-
3 rum in dividendi ſtricta doctrina vera non eſt. † Na-
turale enim jus unicum eſt, Divina providentia con-
ſtitutum. Neque vero ex eo, quod habeat praece-
pta homini propria, fit duplex jus naturale; quod
ſupra in *cap.* 2. praevidimus. Semper namque uni-
cum jus appellatur in *l.* 1. §. *jus naturale* 3. *D. de*
juſt. & jur. in c. jus naturale 7. *diſtinct.* 1. & ubicun-
que de jure hoc fit mentio. Quod enim in §. *ſed*
natura 11. *Inſt. de jure naturali* dicitur. *Sed natu-*
ralia quidem jura, intelligitur de praeceptis juris na-
turalis. Hoc autem ex ſe patet, quia ipſa natura
unica ſemper eſt quoad hominem, & animantia;
unicum ergo jus ipſius, in quantum naturae ejus eſt.
4 † Praecepta vero dividenda erunt juxta ſupradicta in
propria, & communia. De praeceptis communi-
bus agitur in *d.* § *jus naturale* 3. ſub appellatione
juris naturalis. De praeceptis propriis in *l. veluti*
2. *cum ſequenti. D. de juſt. & jur.* ſub appellatione
juris gentium, id eſt, juris naturalis hominum, quod
Cajus in *l.* 5. *D. de acquirend. rerum dominio*, ſatis pro-
bat; dum appellando hoc jus, *antiquum jus gentium*
5 dicit, *quod cum ipſo genere humano proditum eſt*, non
poſtea inſtitutum, ſed cum ipſo proditum. † Qui-
bus verbis etiam quod antea dicebamus, comproba-
tur: nempe jus naturale a poſitivo diſtingui, quod
naturale per ſe ſtat, a natura ſcilicet introductum.
6 † Cum ergo habeant hoc praecepta illa propria,
quod ſint jus naturale, & propria gentium appel-
lantur: aliquando jus gentium, non jus gentium
poſitivum, de quo poſtea, diſtinctum a naturali,
niſi hac tantum differentia non eſſentiali, quae con-
ſtituat aliam ſpeciem juris naturalis, ſed quae di-
ſtinguat hanc partem a toto. Ut tamen hoc abſol-
vamus, non erit omittendum oſtendere, quod in
duabus illis legibus, quae praecepta propria homi-
nem continere diximus, ſummam legis natura-
lis quoad homines continetur: ſicut in §. *jus natura-*
le 3. ſummam praeceptorum communium tradi in
cap. 2. oſtendimus. Duobus enim praeceptis totum
hoc abſolvitur, ex quibus omnis lex naturalis, quoad
homines, pendet, ut *Matth cap.* 22 *v.* 37. 38. 39. &
Lucae cap. 10. *v.* 27. Dominus atteſtatur: *Diliges Do-*
minum Deum tuum, quod eſt primum mandatum: & ſe-
cundum ſimile huic, Diliges proximum tuum ſicut te-
ipſum. † Horum autem primum habetur in *l. veluti* 2. 7.
dum dicit, *veluti erga Deum religio*, quae hoc poſcit.
Secundum praeceptum continetur in *l. ut vim* 3. dum
ait ibi Florentinus, *& cum inter nos cognationem quan-*
dam natura conſtituerit, conſequens eſt hominem homini
inſidiari nefas eſſe: ac ſi diceret cum Chriſto Jesu
ethnicus Juriſconſultus, naturali ratione ductus,
Omnia ergo quaecumque vultis, ut faciant vobis homines,
& vos facite illis, Matth. cap. 7. *v* 12. † Continent 8
etiam duae illae leges juſtitiae partes notas illas, de
quibus Cicero *in partitionibus Orator. cap.* 22. religio-
nem nempe in Deum: ibi, Veluti erga Deum reli-
gio, *pietatem in parenteis, & patriam, lib.* 2. *de Invent.*
cap. 22. ibi, *Ut parentibus, & patriae pareamus:* be-
nevolentiam, & amicitiam in proximos: ibi, *cum*
cognationem, &c. † Ut vel ex hoc abſolutam Juris- 9
conſultorum doctrinam eſſe appareat, & merito Ul-
pianum dixiſſe in *l.* 1. §. 1. *D. de juſt. & jur.* veram
ſe Philoſophiam affectare. Obſervandum ergo erit,
ut hae duae leges in titulo *de juſtit. & jur.* non ad
jus gentium referantur, ut vere jus gentium eſt;
ſed ad jus naturale, & praecepta ejusdem, quae ho-
minum, id eſt, gentium propria ſunt. Unde im-
probanda erit omnino diviſio illa juris naturalis,
quam ex antiquis tradit Maranta *de ordin. judic.* 3.
parte, num. 5. Eamque etiam improbat Fortunius in
d. §. *jus naturale* 3. *num.* 5 quae ex ſupra traditis nul-
lo modo excuſari poteſt; repugnat enim juri natu-
rali. Fuit vero, ut ad rem redeamus, alia diviſio-
nis noſtrae genericae pars, jus poſitivum, quod eſt
ex poſitione. In quo melius locum habet diſtinctio
illa, † quod dividitur in proprium, & commune; di- 10
viſione prius a Juriſconſulto excogitata in *l. jus civi-*
le 6. *D. de juſtitia & jur.* ibi, *jus proprium, id eſt,*
civile efficimus. † Jus commune (ut Juriſconſulti ac- 11
ceperunt) eſt jus gentium, quod apud omnes gen-
tes peraeque cuſtoditur, naturali ratione humanis
neceſſitatibus exigentibus conſtitutum, *l. omnes po-*
puli 9. *D. de juſtit. & jur.* §. 2. *Inſtit. de jure natur.*
etiamſi, ut eſt ſcriptum in cordibus noſtris, poſi-
tivum appellari nequaquam debeat. † Jus vero 12
proprium poſitivum eſt jus Civile, quod ſibi una-
quaeque Civitas conſtituit, ut eisdem juribus pro-
batur. † Habet autem jus gentium plurimum natu- 53
ralis: quod Juriſconſulti probant, dicentes natura-
lem rationem hoc jus hominibus conſtituiſſe. De-
rivatur enim jus gentium a naturali per poſitiones,
quaſi per ſe notas, in quibus ratio hominibus innata
operatur, referendo eos ad finem politicum: † quod 14
eſt homini civiliter vivendum, quod & quodammo-
do naturale homini eſt, ut probat Ariſtotel. *lib.* 1.
Politic. cap. 2. & ibi *Genes.* Sepulveda *in ſcholiis.* † Qui 15
autem in agris vitam degeret, aut in ſylvis, non jus
naturale violaret. Ut vero differentia eorum jurium
intelligatur, eſt ſciendum, jus naturale aliter, at-
que aliter accipi poſſe. Aut pro jure vero naturae,
quod ipſa ad regimen animantium, & hominum
habet; aut pro naturalibus quibusdam rationibus,
quae gentibus leges ſunt. † Namque poſito princi- 16
pio illo, quod eſt homini civiliter vivendum, omne
hoc jus ſequitur: etſi principium ſit naturale, fuit
tamen humanis neceſſitatibus exigentibus §. *jus au-*
tem 1. *Inſtit. de jure natur.* quae humanae neceſſita-
tes jam ſunt naturales, poſt Adae lapſum. † Erit igi- 17
tur jus naturale, quod etiam ſi Adam non peccaſſet,
jus naturae eſſet, ut cum ipſo genere humano pro-
ductum: alioquin mancam, & deficientem naturam
efficeremus, ſi tunc, in definiendo jure defeciſſet.
Ha-

Habuit ergo natura jus ſuum ab initio: habuit etiam
homo & tunc rationem, quae in omnem eventum
praeſto eſſet. Poſtea vero ex corruptis affectibus,
quos ex Adae lapſu contraximus, ratio homini, &
natura dictavit, nihil magis ſuis neceſſitatibus, quam
18 civilem vitam ſuccurrere poſſe: † ut naturalis ratio
hoc conſtituerit, ad illud principium jus naturale
referendo. Ubi enim civiliter eſt vivendum: ſe-
quitur neceſſario regem hominibus, aut regentem
eſſe neceſſarium; hinc regna condita. Sequitur
etiam non poſſe univerſum orbem ſub una Repub.
gubernari; inde diſcretae gentes. Sequitur confu-
ſionem rerum, & communitatem ſine jurgio ſuſti-
neri non poſſe; hinc dominia diſtincta: quae omnia
ſunt de jure gentium, *l. ex hoc jure 5. D. de juſt. &
jur.* Habet ergo hoc jus gentium (qua ratione apud
omnes geotes peraeque obſervatur) quod a princi-
pio univerſali, & ubique receptum ortum habet,
aut ex naturalibus principiis relatis ad illud univer-
ſale, de vita civiliter transigenda, ut bumanis ne-
ceſſitatibus commodius ſuccurratur; ex quo ſequi-
19 tur omne jus gentium. † Unde etſi utrumque ſit
jus, & utrumque naturale: hac tamen ratione, et-
iam naturale eſt omne, quod juris civilis nomen
meretur (ut infra erit circa *l. jus civile 6.* dicendum)
non tamen id continuo eſt jus naturale. Differunt
autem, quia illud ex unica tantum generali ratione
infertur: hoc vero ex variis, pro temporum muta-
tione, & rerum publicarum, & hominum varie-
tate excogitatis. Differunt etiam, quia illud ex
principiis naturalibus, & ratione naturali colligitur:
hoc vero ex eiſdem & ratione civili & mutabili.
Merito ergo dici poterit jus Divinum & gentium
eodem modo ſe habuiſſe ad jus naturale; ſed diver-
ſa ratione. Jus enim Divinum eſt a naturali colle-
ctum *cap. fin. 9 diſtin.* collectum autem ratione ſu-
pernaturali, ut docet, poſt alios, Dominicus in So-
to in *lib. 2. de juſt. & jur. q 1. articul.* 1. Jus autem
gentium ab eodem colligitur: ratione tamen na-
turali. Si Adam porro oon peccaſſet, ſolum jus
naturae ſufficeret; poſito autem quod peccavit, ju-
re Divino fuit opus ad erigendam ad Deum natu-
ram lapſam ſupernaturaliter: jure vero gentium,
ut ejuſdem neceſſitatibus corporalibus praeſto ſit au-
20 xilium naturaliter. † Non eſt ergo aliud jus natura-
le, niſi quod fuit in principio creationis. Omne
autem, quod poſtea introductum eſt, quod natu-
ralis appellationem mereatur, aut eſt Divinum, ut
hominem ad ſimilitudinem Dei creatum ad eum eri-
gat, aut jus gentium, ut neceſſitatibus ex illo la-
pſu contractis inſerviat. Et hac ratione iotelligen-
da ſunt plura, quae appellantur Juris naturalis, &
naturalis rationis, quod verum eſt jus gentium.
Obſervanda igitur eſt haec regula, quod ubi a na-
tura aliquid fuit introductum, ut praeceptum quod-
dam, & principium per ſe notum, eſt jus naturae;
21 ut religio in Deum, amor in proximos. † Quando
vero naturalis ratio id dictat, eſt jus gentium: cu-
jus appellandi ſunt contractus, pacta, ſucceſſio-
nes, & alia hujusmodi. Ut vero generaliter diſtin-
gui poſſit inter jus naturale, & jus gentium; eſt
videndum, an aliquid extra naturam verſetur: tunc
enim, licet naturalibus principiis determinetur, ap-
pellabis jus gentium. Sic videmus, quae a naturali
aequitate aperte definiuntur juris gentium expreſſe
appellari in *l. qua ratione 9. §. hae quoque res 3. D. de
acquirend. rerum domin.* Quae regula mihi generalis
eſt ad dignoſcenda ea, quae ſunt juris naturalis, &
juris gentium. Ut illud natura per ſe, hoc vero
22 ex ratione dictet. † Ratione, inquam, non mutabi-
li, & civili, quia eſſet jus civile, ſed univerſali qui-
dam, & quaſi naturali. Quod intelliges facillime,
23 & dignoſces horum jurium a naturali differentiam, †
24 ſi referas ad tria principia. † Ut jus naturale ſit ſub-
ſtantia; quia id a natura ipſa eſt, ſicut in homine
participatio rationis: jus gentium ad proprium;
† quia proprium eſt jam quodammodo naturae: jus 25
gentium, ſubvertetur ſane, ſi hoc jus tollas, & pla-
ne corruet. † Jus demum civile ſe habet ad naturam 26
ut accidens, quia tolli, mutarique poteſt pro rerum
varietate, & differentia.

CAPUT IV.

De jure Civili, ad interpretationem *l. jus civile 6. D. de juſt. & jure.*

SUMMARIA.

1 *Jus Civile determinat jus naturale*, & num. 6.
2 *Jus Civile reducendum eſt ad ſua principia*; & nu-
mer. 10.
3 *Intellectus* cap. jus civile 8. diſtinct. 1.
4 *Intellectus* l. juſtitia 10. D. de juſt. & jur.
5 *Tunc aliquid addendo ad jus naturale fit civile; quando illud neceſſarium eſt ad jus efficiendum, quod non erat.*
7 *Jus Civile nec in totum a naturali recedere, nec per omnia ei inſervire, quomodo intelligendum.*
8 *Qua ratione defendi poterit lex, quae permittit filiorum exhaeredationem.*
9 *Permittere etiam legis munus eſt.*
11 *Jura metu injuſti inventa.*
12 *Permiſſionis jus mala & indifferentia tantum reſpicit.*

UT hanc Juris genericam diſputationem abſol-
vamus, neceſſarium erit ſubnectere animad-
verſionem hanc de jure Civili; in quo etiam Ul-
pianum habebimus Magiſtrum, qui hoc, ſicut a-
lia, egregie explicat in ſuo illo Inſtitutionum do-
ctiſſimo libro, ex quo deſumpta eſt *lex, Jus civile 6.
D. de juſtit. & jur.* Cujus congrua ſententia a ne-
mine (quod ego viderim) tradita eſt: licet aliqua
de ea dixerit Duaren. in *l. 1. D. de pact.* Verum,
ut recte Ulpianum intelligamus, revocanda erit dif-
ferentia illa, quam inter jus gentium, & civile, in
cap. 3. poſuimus. Videlicet, quod utrunque a na-
turali procedat: illud poſitione quadam illatum;
hoc vero jure Civili, & particulari. Quod redu-
cendum erit ad Syllogiſmum, ut fecit poſt alios
doctiſſimus Soto *lib. 1. de juſtitia & jure. quaeſt. 4.
artic. 2. concluſione* 2. Cujus Syllogiſmi aſſumptum
ſit juris naturalis, vel etiam gentium; minor autem
propoſitio poſitiva. † Quae minor duobus modis ſe 1
habere poteſt, ut determinet jus naturale, aut ad-
dendo nempe, aut detrahendo. Quod per ſe qui-
dem notum eſt, cum aut affirmativa, aut negativa
eſſe debeat: ſi ergo affirmat, addit; ſi negat, de-
trahit. Unde Ulpianus rectiſſime dixit, Ubi ali-
quid addimus juri naturali, vel gentium, fieri jus
civile. † Dum ergo reducimus jus ad ſua principia, 2
quod eſt juriſperitorum munus (argumento *l. ſcire
leges 17. D. de legib.*) videnda erit primo legis ratio,
eaque ad principia juris naturae revocanda: poſtmo-
dum conſideranda determinatio civilis, ut in con-
cluſione, quam elicimus, jus civile fiat. † Quod 3
(ut Iſidor. in *cap. jus civile 8. diſtinct. 1.* atteſtatur)
divina, humanaque cauſa conſtituitur, id eſt, natura-
li, & poſitiva. Etſi enim haec verba alium ſenſum
proprius habeant, non tameo hic abſurde eis apta-
ri poteſt: ut illis verbis oſtendat Iſidorus jus civile
a naturali derivari, quod in eo potiſſimum eſt; a-
lias quidem in Tyrannidem converteretur. Conſti-
tuitur ergo Divina cauſa, quae eſt ex jure natura- 4
li; humana etiam poſitiva: eaque vel addendo, vel
(ut Ulpianus ioquit) detrahendo. Qui idem Juris-
conſultus, ex hoc in *l. Juſtitia 10. D. de Juſtitia
& jure*, † *Juriſprudentiam eſſe Divinarum, & huma-
narum rerum notitiam* eleganter definit: quia in his
conjungendis, & quod ex uſu eſt, ex eiſdem eli-
ciendo Juriſprudentis officium verſatur, cum vere

jus civile ex illis ortum habeat, ut ex *d. l. jus civile* 6.
probamus. Qua quidem ejus interpretatione, &
doctrinae illi Theologicae, quae doctiſſimis viris
ſemper placuit, major apud nos conciliatur autho-
ritas, cum eandem ex *hac lege* eliciamus, & lex ipſa
5 rectius intelligitur. † Eſt tamen obſervandum, ex
ea tunc fieri jus civile, aliquid addendo, vel detra-
hendo juri naturali: quando illud neceſſarium eſt ad
concluſionem eliciendam, jusque civile confingen-
dum. Unde licet nomina imponantur quibusdam
contractibus, licet poena irrogetur delictis, jus na-
turale, vel gentium non mutatur tamen, quia il-
lud jus per ſe ſtat, neque addendo, vel detrahen-
do efficitur. Unde non eſt appellandum de jure
civili. Verum illa verba prius ab Ulpiano poſita,
*Jus civile eſt, quod neque in totum a naturali, vel gen-
tium recedit, nec per omnia ei ſervit*, etſi huic inter-
pretationi etiam aptari poſſint, non enim *in totum a
naturali recedit*, quia major propoſitio, ex qua jus ci-
vile colligitur, ejus juris eſt, nec per omnia ei inſer-
vit, quia minor eſt poſitiva juxta rerum, homi-
6 num, & temporum neceſſitatem inventa: † vim ta-
men, & poteſtatem juris civilis in determinando ju-
7 re naturali, nihil inſinuare videntur. † Quod exem-
plo recte intelligitur, videlicet in obligatione natu-
rali, cui jus civile non ita inſervit, ut ex ea actio-
nem tribuat ad petendum *l. naturales* 10. *D. de actio-
nib. & obligat.* Verum non etiam ab ea ita recedit,
ut ſi ſolutum ſit naturale debitum repetitionem non
impediat, ex *eadem l.* & *l. ſi id quod* 64. *cum simili-
bus D. de condictio. indebit.* In primo enim caſu,
non inſervit Juri naturali; at neque repugnat, aut
contrarium eſt ex ſecundo, cum liberum ſit deben-
ti, ſi velit ſolvere. Poteſt namque jus civile natu-
rali aut robur addere, quando ad conſervationem
populi, vel regni neceſſarium eſt: qui eſt juris Ci-
vilis ſcopus. Poteſt etiam, ut eſt a natura cautum,
ita relinquere, ut videmus etiam jus Canonicum ad
divinum ſe habere. Ut quandoque, prout neceſ-
ſitas exigit, obligationem ad ejus obſervationem ad-
dat, transgredientique poenam imponat tempora-
lem: aliquando & peccati ſola contentum ſit, quod
eſt neque in totum a naturali, vel gentium recede-
8 re, neque in totum eidem inſervire. † Qua vel prae-
cipua ratione defendi poterit lex, quae in Valenti-
no regno, & alibi obſervatur, ſive id ſit conſuetu-
dine introductum, ut quinque ſolidis, (quod pene
nihil eſt) filio legatis, poſſit idem filius exhaereda-
ri, cui naturaliter parentum debetur haereditas, ut
Paulus eleganter inquit, in *l. cum ratio* 7. *D. de bonis
damnator.* Defendi tamen (ut dixi) poteſt lex illa,
non ut juri naturali, vel etiam gentium contradi-
cat, ſed quod ei non inſerviat: ut filios in debito
officio contineat: parentibus magis obſequentes ef
ficiat: videlicet obligationem civilem, & quae in
judicium deduci poteſt, non concedens: pius tan-
tum parentum votis, & naturali erga filios chari-
tati hoc relinquens, non jus naturale tollendo, ſed
ei non aſſiſtendo. Non ergo putent Valentini pa-
tres, eis filios probos, & obſequentes exhaeredare
licere, quia ſuo jure non coguntur haeredes ſcribe-
re. Ita enim ibi, ſicut & alibi, in filiis exhaere-
dandis ſine cauſa peccatur; ſed hoc peccatum ibi
non punitur, neque cogitur quis non peccare, li-
cet alibi ad obſervantiam hujusmodi juris cogantur,
ipſi tamen viderint, an ſit cauſa, & permisſione
abutantur. Simplex enim fornicatio jure Civili
non punitur, & lupanaria permittuntur: non quod
jus civile illud probet, ſed quod non puniat, ut
hoc permiſſo, ab aliis enormiſſimis peccatis homi-
nes abſtrahantur, ut omnibus in confeſſo eſt. Di-
cet ergo aliquis ſe non peccare, quia jus civile non
punit? abſit! Non enim probat, ſed tantum poe-
nam jus illud naturale transgredienti non imponit;
hoc eſt, non per omnia ei juri inſervit, non cogit
non facere; quod contra naturale jus eſt; quia ci-
vile tantum tuetur bonum, ad quod nihil hoc ali-
quando pertinet. In hoc ergo, & ſimilibus non
jus naturale tollit, ſed ad ejus obſervantiam non co-
git: quod diverſiſſimum eſt. Illud enim efficere
jus civile non poteſt, §. *ſed naturalia* 11. *Inſtit. de ju-
re natur.* hoc autem facere ſaepe ad Reip. conſerva-
tionem neceſſarium eſt. Unde optime Modeſtin.
in *l. legis virtu.* 7 *D. de legibus.* † permittere, aliquan- 9
do legis munus eſſe dixit; licet permiſſionis voca-
bulum in alia latiori quandoque ſignificatione ſu-
matur, ut in *l. leges ſacratiſſimae* 9. *C. de legibus in cap.
omnis lex* 4. *diſtinct.* 3. Ex quibus videbis, quam futilia
ſint argumenta, quibus jus civile contrarium Divi-
no, & naturali aliquando eſſe dicat Jacobus Iſnard.
in dialogo ad jus civil. perdiſcend. hortatorio. Vides er-
go naturam juris civilis; vides vim, & poteſtatem
ejus ab Ulpiano graphice deſcriptas. Tuum ergo
erit † jus civile ad naturam reducere: & cum ſis ju- 10
ſtitiae ſacerdos, conſiderare, quod optimum inter
alia dixit Horatius *lib.* 1 *Serm. ſatyr.* 3. *v.* 111. *jura
metu injuſti inventa eſſe* † Non ergo injuſtum quid in 11
jure haberi credas, aut interpretari permittas, ſed
omnia ad juſtitiam, & aequitatem eſſe reducenda,
conſtanter habeto. Cum ergo aliquid a jure per-
mitti vides, non illico jure approbatum putes. † Sat 12
enim eſt eſſe permiſſum, ut non omnino bonum
judices: nam, ut ais D. Chryſoſtom. in *cap. hac ra-
tione* 9. *cau.* 31. *q.* 1. *Quod permittimus, nolentes prae-
cipimus, quia malas hominum voluntates ad plenum pro-
hibere non poſſimus.* & D. Gregorius in *cap. Nervi* 2.
diſtinct. 13. *ad fin. non ſine vitio eſt quod ignoſcitur, &
non praecipitur.* In quam ſententiam plura (ut ſolet)
cumulat Tiraq. in *l. connubiali* 9. *gloſſ.* 1. *numer.* 2. *cum
multis ſequentibus.* Etenim vere vis permisſionis ma-
la, & indifferentia tantum reſpicit. Verum in hoc
nihil jus civile injuſti habere crede; quia nihil ſae-
pe agit, niſi in non agendo culpes: quod aliquan-
do ratione alia naturali bono publico congruit.

CAPUT V.

De conſuetudine, & quid ſignificet Imp. dum ait: *non vincere legem.*

SUMMARIA.

1 *Conſuetudo habet vim legis. idque in omnibus; &* num. 8.
2 *Conſuetudo eſt lex quaedam tacita.*
3 *Differentia inter conſuetudinem juri contrariam, & nulli juri adverſam, & intellect.* cap. cum tanto 11. de conſuetudine.
4 *De conſuetudine, quae non eſt contra legem, non eſt judicandum, ſicut nec de lege ipſa: & habet pro ſe praeſumptionem rationis*, num. 5.
6 *Legiſlatoris officium eſt, exquirere conſuetudinum rationem.*
7 *Magna convenientia eſt, in viribus conſuetudinis & legis.*
9 *Conſuetudinem, ſicut legem, ratio commendat.*
10 *Intellectus* cap. conſuetudo 5. diſtinct. 1.

Si quando mihi doctorum placita, & afferre &
refellere fugiendum eſt, in hac erit praecipue
animadverſione: ubi tam varii, & inconſtantes,
tamque in aperta luce caecutientes fuerunt, ut refe-
rendi, improbus; improbandi, incaſſus labor futu-
rus ſit. † Nam cum pluribus juribus ex *titulo D. de* 1
legib. probetur, conſuetudinem vicem legis obtine-
re: eo quod conſtat jus, ex ſcripto & non ſcripto,
l. jus civile 6. *D. de juſt. & jur.* Jus autem ex non ſcri-
pto, conſuetudo eſt, quod non minus, quam quod
ſcriptum eſt, jus ſervatur, *l. ſed & ea* 35. *D. de legib.*
quo tendit parificatio illa facta per Julianum in
l. de quibus 32. §. 1. *D. eodem titulo.* ibi: *Nam quid
intereſt ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret,*

an

an rebus ipſis & factis? † Et cum ſit conſuetudo de-
mum lex, tacito conſenſu populi lata, *tantaeque*
authoritatis, ut non fuerit neceſſarium ſcripto eam com-
prehendere, ut inquit Juriſconſultus Paul. in. *l. Imo*
magnae 36. *D. de legib.* primus Accurſ. in *d. l. de qui-*
bus 32. & poſt eum quotquot de ea re ſcripſere, to-
tum hoc turbarunt, ex *l. 2. C. quae ſit longa conſuetudo.*
Ubi Imperator Conſtantinus, *conſuetudinis non vi-*
lem authoritatem eſſe dicit: ſed non usque adeo
ſui valituram momento, ut aut rationem vincat,
aut legem. Cui difficultati, ut ſatisfaciant Docto-
res, plura de ſpeciali conſuetudine, & lege genera-
li; plura de praeſcriptione, & ratione conſuetudi-
nis comminiſcuntur. Verum illi mihi magis excu-
ſatione digni videntur, qui de conſuetudine irratio-
nabili, & non legitime praeſcripta loqui legem il-
lam affirmant: quam ad id probandum ſecure alle-
gat Author. *promptuar. juris div. & hum. verb. conſuetu-*
do gloſſ. 1. Non quod hic intellectus abſurdiſſimus
non ſit: hujusmodi enim conſuetudinis non ſolum
eſt vilis authoritas, ſed nulla quidem contra legem;
cum ſit corruptela ſaepiſſime: ſed quia id induci
potuerunt de conſuetudin. quae hoc inſinuant. Id-
que aperte fatetur Jaſon in addition. ad Portium, in
§. ex non ſcripto 9. *Inſtit. de jur. natur. ad fin.* At illius ca-
pitis ſenſum, & difficultatem pene nulli agnoſcunt.
Nam dum dicit ibi Pontifex, non eſſe vilem autho-
ritatem conſuetudinis: & poſtea ejus valorem, ad
tollendum jus poſitivum, expendit ex ratione, &
praeſcriptione: videtur aperte fateri conſuetudinem
irrationabilem, & non praeſcriptam aliquid vigoris
obtinere; quod abſurdiſſimum eſſet. Ego vero, etſi
credam caput illud maximam difficultatem contine-
re, non ex alterius oppoſitione, ſed ſibupſius repu-
3 gnantia; † putarem tamen differentiam conſtituere
Pontificem ibi, inter conſuetudinem jure contra-
riam, & nulli juri adverſam. Ut haec, vel ex con-
ſuetudinis nomine, in his, quae ex non ſcripto de-
4 ſcendunt, vicem legis obtineat, † ita ut non ſit de
ipſa, ſed ſecundum ipſam judicandum: ut in lege
faciendum nobis Iſidorus ſcriptum reliquit in *cap. in*
iſtis 3. *diſtinct.* 4. At de illa; id eſt, de conſuetudine
juri contraria, judicium ſit, an rationem contineat,
ſitque legitime praeſcripta. Vides ergo differentiam
inter conſuetudinem, & conſuetudinem optime ju-
re comprobatam. Namque, cum conſuetudo legis
vicem obtineat, ut jam apparebit, ſi juri non ſit
5 contraria, † habet pro ſe praeſumptionem rationis,
ut habet lex. Si vero ſit contraria, tunc exigen-
dum erit, an ratione conſiſtat, ut legem, & ejus
rationem tollat. Ex quibus cognoſces illius capi-
tuli mentem. Licet tamen haec de conſuetudine
6 juri non contraria dixerimus, † Legislatoris tamen
officium erit, conſuetudinem hujusmodi ad normam
juris redigere, ejusque rationem exquirere. Ve-
rum ſupradictae difficultati inter *leg. de quibus* 32.
& *l.* 2. non ex hoc capite ſatisfieri poteſt. Namque
l. illa 2. non diſtinguit inter conſuetudinem, ſed
ejus naturam expendit; & legem non vincere dicit.
Ut ergo convenire inter has leges poſſit, afferenda
ſunt etiam quaedam verba ex uſibus Feudorum *lib.* 2.
titulo de feudi cognitione cap. 1. quae toto prope coelo
ab *l. illa* 2. diſſentire videntur. Inquit enim, *legum*
Romanarum non eſt vilis authoritas: ſed non adeo vim
ſuam extendunt, ut uſum vincat, aut mores. Quae
verba cum conjunxerit Cujacius in *d. cap.* 1. de con-
ſuetudine, Juri non contraria, interpretatur: ac ſi
tunc lex, & conſuetudo de victoria certent, cum
non pugnent. Mihi tamen, non ſolum difficulta-
tem non augere videntur, ſed controverſiam omnem
illa verba dirimere. Quid enim aliud eſt aſſerere,
quod lex non vincit conſuetudinem; neque econtra,
7 conſuetudo legem; † niſi convenientiam magnam in-
ter eas eſſe oſtendere? Non ergo lex magis habet
roboris, quam conſuetudo: quae quidem tacita lex
eſt, & legem imitatur, *§. ex non ſcripto* 9. *Inſtitut. de jur.*
natural. † Idque in omnibus, ut agnovit ibi Accur- 8
ſius, in tollenda lege, & corrigenda. Nam ſicut
lex tollit legem, ita & conſuetudo, *l. de quibus* 32.
ad fin. D. de legib. Interpretanda etiam: quia ſicut lex
per legem interpretatur, ejusque eſt interpretari, cu-
jus eſt condere, *l. Ideo* 27. *D. de legib. l. fin. C. eod.* ita
& conſuetudinis eſt interpretari, eſtque ea optima
legum interpres, *l. ſi de interpretatione* 37. *D. eod. titul.*
de legib. Tum etiam, ſicut ex lege ad ſimilia proce-
dere debemus, ut docet Julianus in *l. non poſſunt* 12.
D. eod. ita & in conſuetudine obſervare oportet:
quod proximum, & conſequens ei eſt ex eodem Ju-
liano in *d. l. de quibus* 32. Merito ergo dicitur, con-
ſuetudinem non vincere legem, in vigore nempe,
& vi: neque legem conſuetudinem. Quam ſolu-
tionem, cum haec ſcripſeram, inveni Duarenum
obſcure agnoviſſe in *d. l. de quibus* 32. & in *lib.* 2. *Di-*
ſput. anniverſ. cap. 32. Quam vero nos exactius intel-
ligamus, conferenti judicium erit. Cum tamen
conſuetudo conſideratur ut lex de natura ſua, requi-
rit legitimum tempus, & uſum. Inveterata enim
conſuetudine rebus ipſis, ac factis voluntatem ſuam
declarat populus *d. l. de quibus* 32. *§.* 1. De natura ve-
ro legis rationem requirit, & alia juxta Divinam il-
lam Divi Iſidori ſententiam in *cap. erit autem lex* 2.
diſtinct. 4. † Conſuetudinem namque, ſicut legem, 9
ratio commendat *cap. conſuetudo* 5. *diſtinct.* 1. Neque
hoc tamen contradicit noſtrae ſententiae de conſue-
tudine juri non contraria, quia jam ibi diximus,
eam ſicut legem habere rationem praeſumptam, de
qua nobis non ſit judicandum. † Quod autem in *d.* 10
cap. conſuetudo 5. traditur, definienda conſuetudinem
eam pro lege accipi, cum deficit lex: intelligi po-
teſt juxta principium *l. de quibus* 32. in conſuetudine
legi nullae contraria, ut explicat Cujacius in *d. cap.*
1. *titulo de feudi cognit.* Verum id definitioni non con-
gruit, ut in ea de alterius tantum definiti parte men-
tio fiat. Quare haec Cujacii ſententia non pla-
cet. Interpretari ergo poterit (ut mihi videtur)
veriſſime de conſuetudine quavis, ſive juri contra-
ria, ſive non contraria, ut ea pro lege accipiatur,
cum deficit lex. Si enim non eſt contraria, deficit
lex, quia non fuit. Si vero eſt contraria, deficit
lex, quia non eſt; utpote contraria conſuetudine
ſublata. Semper ergo accipitur conſuetudo pro le-
ge, cum lex deeſt: ſive in caſibus, in quibus ſcri-
ptis legibus non utimur: ſive quando leges tacito
conſenſu populi per contrariam conſuetudinem ſunt
abrogatae: ut conceptis plane verbis in *d. l. de quibus*
32. probatur. Ex quibus omnibus nihil inter Ju-
ra haec non convenire patet, & conſuetudinis na-
tura intelligitur.

CAPUT VI.

De ſervo praetore, ad *L. Barbarius Philippus* 3. *D. de Officio Praetor.*

SUMMARIA.

1 *Servus inſcienter praetor factus, non eſt vere praetor*, num 3. & 5.
2 *Servus, de jure civili, nihil eſt.*
4 *Verba humanius, benignius, & ſimilia, ſignificant aequitatem juri oppoſitam.*
6 *Praetor aequitatem ſequutus, non facit vere haeredem.*
7 *Aequitas ſola non facit vere praetorem.*
8 *Status populi non pendet ex praetoris ſtatu.*

CUm Triumviralibus temporibus, quibus (ut Ovidii *lib.* 5. *Triſt. el.* 7. *v.* 48. verbis utar) *victa pugnaci jura ſub enſe jacebant*, Barbarius Philippus, ſervus fugitivus, Romae praetor deſignatus eſſet: ut ex Suida Hiſtoriam referunt Adrian. Turneb. *lib.* 7. *Adverſar. cap.* 7. & Antonius Contius *lib.* 1. *Diſput. cap.* 2. occaſionem dedit Juriſconſultus quae-

 ren-

rendi; an fuerit praetor, valerentque per eum ge-
ſta. Quo exemplo propoſito, id quaerit Ulpian.
in *l. Barbarius* 3. *D. de offic. praetoris.* quod, ne ipſius
temporibus minus congruum videretur, addit *in fi-*
ne legis illa verba Ulpianus, *Quod jus multo magis*
in Imperatore obſervandum eſt. Deciſionem autem le-
gis Doctores, ita confundunt, ut vix ex eis verita-
tem eruere poſſis. Ajunt enim (quod communis
obſervat) tres in *hac lege* quaeſtiones tractari: quas
ego tamen non cognoſco. Prima illis quaeſtio eſt;
An fuerit vere praetor. Secunda; an valeant per
eum geſta. Tertia; an fuerit liber. In quibus ex-
pediendis, ſatis ſibi contrarii ſunt, & inconſtantes.
Quorum ſententiis omiſſis, crederem omnem *hujus*
legis quaeſtionem eo tendere, ut doceat Juriscon-
ſultus, an geſta per ſervum praetorem, cui inſcien-
ter praetura decreta eſt, valeant. Primo tamen exa-
minat quaeſtionem, An fuerit praetor, ut Pompo-
1 nius affirmarat. † Et, ut mihi videtur, vere praeto
rem non fuiſſe, aſſerit. Nam licet ex legis litera
utrunque elici poſſit: & fuiſſe nempe, & non fuiſſe:
ut contra ſentientes Doctores probant, varieque
contextum legunt. Turnebus, ubi ſupra, qui ibi,
ubi noſtri libri habent, *atqui verum eſt, praeturâ*
eum functum: legit, *atqui, vera etiam praetura eum*
functum. Et Contius in *d. cap.* 2. ibi, *dignitate prae-*
toria functus ſit: reponit, *dignitate praetoria functus*
non ſit quod & latinitatis ratio ſuadet. Superflua ta-
men eſſet quaeſtio, An valerent per eum geſta, ſi
vere praetorem fuiſſe, Ulpianus concederet. Quod
primo intuitu, jam diu in *hac lege* obſervaram, in-
2 venique apud Contium animadverſum. † Suaderi et-
iam mihi non poterat, ſervum, qui jure civili ni-
hil eſt, *l. quod attinet* 32. *D. de reg. jur.* de jure civili
praetorem eſſe. Dicit ergo eum praetorem non fuiſ-
ſe: quo ſolo effugies oppoſitionem *l. cum Praetor* 12.
D. de judic. Qua in concilianda, plura comminiſci-
tur Anton. Govean. *in lib.* 1. *variarum lection. cap.* 6.
3 † Valere tamen de aequitate, per eum geſta, fatetur
4 Jurisconſultus, atque aperte oſtendit. † Ibi, *huma-*
nius eſt: ut etiam agnovit, ex hoc verbo, Accur-
ſius. Eo enim tendunt hae in jure appellationes: ac-
cipiendae quidem de aequitate, quae ſummo juri
opponitur. Sequitur ergo Ulpianus, auream illam
Modeſtini ſententiam, quae habetur in *l. nulla* 25. *D.*
de legib. Ut nulla juris ratio, aut aequitatis benignitas
patiatur, ut quae pro hominum utilitate introducta ſunt,
contra ipſorum commodum producantur. Unde, valere
geſta, ob utilitatem eorum, qui apud hunc praeto-
rem egerunt, *humanius* eſſe Ulpianus inquit. Eſt-
que differentia juris, & aequitatis: ut, ſummo jure,
5 praetor non fuerit, qui eodem jure nullus erat. † De
aequitate, valerent per eum geſta, ſicque reputan-
dus, quod ad ea, praetor; ſic ſit effectus ſine cauſa.
Cum ſit ergo de aequitate, verum erit, ſi cum prae-
torem non fuiſſe aſſeramus, ſicut haeredem de ae-
6 quitate, † id eſt a praetore, qui aequitatem ſequeba-
tur, factum, non dicemus haeredem, §. *quos autem* 2.
Inſtitut. de bonorum poſſeſſion. Ut igitur aequitas non
poteſt facere vere haeredem, quis eſt appellatio ju-
7 ris civilis; † ita non poteſt facere vere praetorem,
quod eſt civile officium: ex quo omnis *hujus legis*
pendet intellectus. Ea ergo in ſumma differentia
eſt inter Pomponium, & Ulpianum, quod ille de
jure praetorem dicebat, ſuis fortaſſe argumentis du-
ctus; hic vero de aequitate: id eſt, quaſi praetorem,
ut valerent per eum geſta, ne ſit (ut dixi) ſine cau-
ſa effectus. Unde etiam publica utilitas verſabatur,
ut eſſet capacitas quaedam, & quaſi poſſeſſio, quo
ad ea, quae edixit, & decrevit: ut recte Bartolus no-
ſter annotavit in *l.* 2. *C. de ſentent.* Quam vero ter-
tiam quaeſtionem Doctores dicunt in *hac lege:* quae-
ſtionem non eſſe: vel ex eo apparet: quod ſuper-
fluum eſſet, & abſurdum quaerere, an ſit liber is,
quem, ob ſervitutem, non eſſe vere praetorem Ju-
risconſultus aſſeverat. Id tamen Ulpianus adducit
in argumentum aequitatis, & pro decidendi ratio-
ne: quod potuit populus Romanus ſervo decernere
hanc poteſtatem: idemque Imperator, apud quos
ſumma erat legum, ſuo quoque tempore, poteſtas.
Ut recte dixerit, ubi *ſupra ad fin.* Govean. quod non
tantum nuda haec utilitas, quaſi praetorem facit Bar-
barium: ſed illud quoque, quia a populo creatus eſt,
qui etiam ſervo mandare hunc honorem poterat:
quodque, ſi ſciſſet ſervum eſſe, dando ei hanc di-
gnitatem, liberum effeciſſet. Merito id quidem,
ne omne jus ſubverti videretur, ut eſſet praetor,
quod civile eſt, qui civiliter nullus erat: contine-
ret enim repugnantiam, niſi liberum effeciſſet. Ne-
que ex eo tamen, quod Barbarium ſervum fuiſſe fa-
teamur (ut & ipſe agnovit, dum ſe redemit) ſequi-
tur, populum Romanum, eo tempore, ſervum fuiſ-
ſe. Quod Bartolum noſtrum dixiſſe miror, † quaſi 8
populi Romani ſtatus penderet ex ſtatu praetoris:
licet & nos, qui ſervum fuiſſe agnoſcimus, praeto-
rem non fuiſſe, etiam affirmamus: ſed tantum poſ-
ſeſſorem illius dignitatis. Quibus (ut credo) ſatis
haec lex intelligitur: veraque differentia inter Pom-
ponii, & Ulpiani opiniones agnoſcitur. Neque
hic de communi errore, jus faciente, aliquid memi-
niſſe oportuit. Is enim communis error jam eſt
ab aliis recte exploſus: cum nihil minus in *hac le-*
ge, quam error, jus faciat.

CAPUT VII.

De conventionum diviſione ad *L. Conventionum* 5. *D. de pact.*

SUMMARIA.

1 *Communes opiniones perduxerunt leges in poteſtatem ſuam.*
2 *Dei cultus & Magiſtratuum creatio ſunt juris naturalis & gentium.*
3 *Praecipua pars juris publici, Imperatorum tempore, erat abolita.*
4 *Non licet pro libito leges emendare.*
5 *Propter Tribonianum, ſive Juſtinianum, alios Jurisconſultos defendimus.*
6 *Conventiones publicae ſemper pacem reſpiciunt.*

Difficile ſatis Doctoribus videtur, conventionum
diviſionem a Jurisconſulto traditam in *l. Con-*
ventionum 5. *D. de pactis* defendere: cui plura obji-
ciunt, neque ſe ſatis explicant. Ego vero eorum
placita non referam: hanc enim legem mihi impo-
ſui, ut in transferendis aliorum ſententiis parum
immorer, neque ex his paginas impleam. Quod, ſi
eſſet a noſtris Jurisconſultis factum, melius cum jure
actum eſſet: ut ne aliorum placita transferendo eiſ-
dem ſaepiſſime verbis comprobarent. Ex quo com-
munes opiniones, etiam aliquando falſiſſimae, oriun-
tur, † quae perduxerunt leges in poteſtatem ſuam. 1
Non tamen exinde antiquis inhaerendum, eorum-
que ſententias, & amplectendas, & referendas, non
probo; ſed id cum delectu fieri debere, & quando
relatio illa aliquid praeſtet, conſtanter affirmo.
Quod etiam mihi in hac animadverſione faciendum
erat, ut, ex aliorum placitis, legem ſupra dictam in-
telligam, quam non tamen ipſi ex hoc interpretan-
tur. Erit igitur plani ejus intellectus, ſi ſimilem
legem in dividendi ratione, & ejuſdem Jurisconſul-
ti, conſideremus. Ea eſt *l.* 1. §. *hujus ſtudii* 2. *D. de*
juſt. & jur. Ubi Ulpianus, *jus publicum, & privatum*
eſſe dicit: *privatumque collectum ex praeceptis juris na-*
turalis, gentium, & civilis. Unde aliqui etiam in-
ferunt, publicum jus non ex eiſdem colligi: ex eo-
que capite Ulpianum reprehendunt; licet tamen id
concedat de jure publico Loriottus *de juris arte,*
titul. de jure, Axiom. 26. Ubi jus publicum, cum na-
turali communionem habere non poſſe, affirmat:
&

Digitized by Google

& Alciat. *lib.* 1. *Parerg. cap.* 31. qui naturalia, & ju-
ris gentium praecepta, ad ſtatum rei Romanae non
2 pertinere dicit. † Mihi autem plura, ad Dei cultum,
magiſtratuumque creationem pertinentia, quae hu-
jus juris ſunt, & gentium etiam eſſe, religio eſt aſ-
ſerere. Unde aliter legem illam interpretantur For-
tunius Garſias in repetitione *ejusdem* §. *hujus ſtudii* 2.
Anton. Vacca in *notis ad eundem* ex Aldobrandino in
§. *fin. Inſtitut. de juſt. & jur.* Ubi idem docent Hoto-
mann. & Mynſinger. Nempe, non ibi negare Ul-
pianum jus publicum eſſe compactum ex eorundem
jurium praeceptis; ſed cum jus dividatur in publi-
cum, & privatum: ſcilicet jus, ut eſt ars, quod
ſupra in *cap.* 1. ad omnem illam legem annotavi-
mus, atque Juriſconſultis pene nihil de jure publi-
3 co erat agendum: † cujus praecipua pars, eo tempo-
re, nulla erat: lege nempe Regia abolita, ut docet
Raevard. *lib.* 5. *Variorum cap.* 12. Ideo rejecta prima
diviſionis parte, quae illi tractanda non erat, ſecun-
dam, de qua erat futurus ſermo, ex illis praeceptis
collectam eſſe dicit, non per hoc negans priorem
partem eisdem praeceptis conſtare. Ex his enim
legem hanc intelliges, ut non ſit neceſſaria emendatio
Raevardi *lib.* 4. *Variorum cap.* 1. qui eam omnem mu-
tat, rejecto altero ex verbis, privata, ſublatoque
verbo, aut juris gentium: tanquam Triboniani,
aut ſcioli alicujus additamentum. Quod ego ſem-
4 per abhorrui: † quia ſi pro libito leges emendare
liceret, aliaque commenta eſſe dicere, plane in no-
ſtra eſſet poteſtate, omne jus civile mutare. Quod
autem mihi minus placet, eſtque novioribus magis
in uſu, reprobatio eſt quorundam in jure, quod ea
Tribonianus addiderit; eum facinoroſum, impium,
& improbum appellando. Non tamen video, qua
ratione aſtricti ſimus, Papiniani, Ulpiani, Pauli,
& aliorum Juriſconſultorum commentaria defende-
re, & ab omnibus impugnationibus vindicare. Ne-
que idem dicendum ſit de his, quae forte aliquan-
5 do Tribonianus ex uſu addidit, † propter quem,
ſive Juſtinianum, alios Juriſconſultos defendere, no-
ſtrum munus eſt. Si enim Ulpianus dixiſſet, Con-
ventionum tres eſſe ſpecies, quae aut ex publica
cauſa fiunt, aut privata, aut legitima, quod ſibi
Raevardus ſuaſit, neque in Pandectis eſſet relatum
omnino illud, quis tamquam legem tuiaretur? ha-
beretne plus authoritatis, quam doctiſſimi Juriſcon-
ſulti opinio? aut ſententia? minime! Si ergo ſic
habemus in pandectis, ſive id ſit a Triboniano ad-
ditum (quod minime putarem) ſive ab Ulpiano di-
ctum, ſic defendere teneremur. Cum etiam lectio
illa plus in dividendi ratione peccet. Si enim tres
ſunt ſpecies, aut publica, aut privata, aut legiti-
ma: ſequitur quod legitima non ſunt publica, ne-
que privata. Conſequentia quidem neceſſaria eſt;
abſurdum autem, quod ſequitur, praeter alios, ſa-
tis ipſe Raevardus improbat. Erit ergo defendenda
haec lex, ut eam habemus, neque mutanda, ut de-
fendamus. Et obſervandum, ſpecies hic, ut Juris-
conſultis mos eſt, & genus, & ſpeciem, ſignifica-
re. Inquit ergo Ulpianus, Conventionum eſſe tres
ſpecies: publicae enim ſunt, aut privatae. Publi-
cae autem, licet ſint & legitimae, ut eſt juris ci-
vilis, & juris etiam gentium (ut patet, ſatisque Rae-
6 vardus ipſe docet) † quia tamen unicam ſemper
cauſam reſpiciunt; nempe pacem, ut Juriſconſul-
tus plane atteſtatur: nullaque exinde eſt differentia
inter conventiones publicas, quae ſunt juris gen-
tium, & quae ſunt juris civilis, niſi faecialem age-
re Juriſconſultus in his tradendis vellet. At quia
inter privatas conventiones juris gentium, & civi-
lis, maxima quidem differentia eſt, ut in ſequenti-
bus legibus apparet: rejecto illo primo diviſionis
membro, de quo nihil erat agendum; ſecundum,
quod ſibi tractandum aſſumit, ſubdividit Juriſcon-
ſultus in legitimum, & Juris gentium, factaque ex
diviſione, & ſubdiviſione altera, unicam diviſionem.
Qui ordo, & ſi ſtrictae dividendi rationi non con-
gruat, brevitati tamen conſulens, non eſt omnino
improbandus. Nam cum Ulpianus definire per
partes diviſionem nollet, niſi in eis ſpeciebus, de
quibus erat habenda diſputatio; ideo non omnino
dividendi regulas obſervavit. Explicantur autem
duae illae ſubdiviſionis ſpecies legibus ſequenti-
bus: de quibus in ſequenti animadverſione erit agen-
dum.

CAPUT VIII.

De Conventionum ſpeciebus, ad *L. Legitima* 6. & *L. Juris gentium* 7. *D. de pact.*

SUMMARIA.

1 *Conventio Juriſconſultis eſt genus.*
2 *Conventio generaliter dividitur in obligatoriam, & non obligatoriam: explicatur*, num. 11.
3 *Legitima conventio ſemper eſt obligatoria.*
4 *Legitimum eſt illud, quod ad jus civile pertinet.*
5 *Quae ſunt orius, natura & ordine praecedunt.*
6 *Stipulatio eſt de jure civili, ut obligatoria.*
7 *Ex obligatione conventionum diviſionem metiuntur Juriſconſulti.*
8 *Juris gentium conventiones aliae obligatoriae; aliae non obligatoriae.*
9 *Conventiones ultro citroque obligatoriae, id eſt, contractus, obligant omnes de jure gentium.*
10 *Conventiones non ultro citroque obligatoriae omnes non obligant, niſi ſint legitimae.*
12 *Pactum legitimum non eſt nudum, ſed illi opponitur.*
13 *Nullum de jure civili pactum non nudum, niſi legitimum.*

CONventionum diviſionem jam ſupra explica-
vimus. Cui conſequens eſt, ut ejus partes
abſolvamus, aliterque, quam hactenus Doctores fe-
cerunt, intelligamus. In quo nihil mihi cum Ci-
cerone, Cornificio, & aliis oratoribus: quos in hoc
a Juriſconſultis diverſa ſentire, & aliter conventio-
nem, atque pactum accipere, advertit Jacob. Rae-
vardus *lib.* 2. *Variorum cap.* 1. Cum Juriſconſultis er-
go, ſi genericam diviſionem facere velis, eſt a con-
ventione, privata inquam, incipiendum; † quae 1
illis generis nomen eſt, ut docet Ulpian. in *l.* 1. §.
conventionis verbum 3. *D. de pactis.* Unde contractus
per conventionem deſcribuntur in *l. Juris gentium* 7.
D. eod. Pactumque conventionem eſſe dicit Juris-
conſ. in *l. pactum* 3. *D. de pollicitat.* idque jam animad-
verterunt Franciſcus Duaren. *lib.* 2. *Diſput. anniverſ.*
cap. 8. & Jacobus Raevard. in *d. cap.* 1. At in expli-
candis ſubjectis ſpeciebus, ipſi (ut alii omnes) non
parum labuntur. † Erit igitur dividenda conven- 2
tio in obligatoriam, & non obligatoriam. Obli-
gatoria conventio eſt, aut legitima, aut Juris gen-
tium: quibus cognitis, cognoſcetur etiam, quae ſit
non obligatoria, juxta conſuetum Juriſconſultis,
atque optimum docendi modum, de quo in *l.* 1. *cum*
ſimilib. D. de his, qui ſui, vel alieni juris ſunt. Ob-
ligatorias autem conventiones ſatis Juriſconſulti ex-
plicarunt in *l. legitima* 6. & *in d. l. Juris gentium* 7. *D.*
de pactis. † Eſt ergo legitima conventio ſemper ob- 3
ligatoria; illa nempe, quae lege aliqua juvatur, ut
Paulus docet. † Legitimum enim eſt illud, quod 4
ad jus civile pertinet. Unde illud, quod juris civi-
lis eſt, legitimum appellat Ariſtot. *lib.* 5. *Ethic. ſive*
de morib. cap. 10. & 15. ubi ſic recte vertit Lambi-
nus: Et cum hujusmodi conventio nulla ſit, non
obligatoria, ab ea conventione, licet minus prin-
cipali, ut quae juris civilis ſit, exordiuntur Juris-
conſulti, cum contra ſaepius, quae ſunt Juris gen-
tium, † ſicut natura, ita & ordine praecedere ſo- 5
leant. Ad quam legem referendae ſunt omnes illae
conventiones, quae a jure civili nomen, vim, &
na-

naturam acceperunt. Referenda etiam ſtipulatio,
quae, etſi Juris gentium eſſe aliquibus placeat (inter
quos id praecipue probat Bernard. Walterus *lib.* 1.
Miſcellan. cap. 11. qua tamen ratione Juris gentium
eſt) actionem non parit, ſed tantum exceptionem,
ut docet optime Raevard. *lib.* 4. *Variorum cap.* 1. *pagi-*
6 *na a principio capitis* 4. † Unde obligatoria non eſt,
niſi in quantum legitima. Quare non eſt admitten-
dum id, quod Aemilius Ferretus in *d. l. legitima* 6.
ſe conſideraſſe jactat: loqui nempe legem eam de
conventione, quae opponitur Juri gentium. Nam-
que lex illa acipienda eſt de ea etiam conventio-
ne, quae licet ſit in generalitate Juris gentium, ci-
viliter quo ad obligationem illi opponitur: id eſt,
7 quae non niſi a lege approbata obligaret. † Ex qua
obligatione totam illam diviſionem Juriſconſultos
metiri, docet aperte Ulpianus in *d. l. Juris gentium* 7.
in principio: ut non neceſſarium cognitas non
eſſe de Jure gentium conventiones, ad hoc, ut ad
l. legitima 6. referantur. Ubi enim conventiones ſunt
in hac generalitate, Juris gentium erunt. Sed ſuf-
ficit quidem, ſi haec conventio legitima, id eſt,
cum hac ſolemnitate & nomine: cum hac actione,
8 & obligatione, de jure gentium non ſit. † At Ju-
ris gentium conventiones (ut ad hanc diviſionis par-
tem accedamus) quaedam obligatoriae ſunt, &
actionem pariunt; quaedam non obligatoriae, & ex-
ceptionem tantum producunt, ex dicta *l. Juris gen-
tium* 7. Si autem ex ea generaliter vis cognoſcere,
quae actionem pariant, accipienda erit *lex illa* §. 1.
9 † Omnes enim illae conventiones, quae contractum
efficiunt: id eſt, ultro citroque obligant, quod
Graeci Synallagma vocant: quod aperte docet, ex
Labeone, Ulpianus in *l. Labeo* 19. *D. de verbor. ſigni-
fic.* Ut non recipienda ſit interpretatio illa, quod
Synallagma in *d. l. Juris gentium* 7. negotium civile
ſignificet. Hae, inquam, omnes obligatoriae ſunt,
& actionem pariunt, ſive in aliud nomen contractus
tranſeat, ſive ſit contractus innominatus. Dum
enim contractus ſit, hoc, vel illo nomine, ſemper
actio conceditur, ut in *d. l. Juris gentium* 7. conce-
10 ptis plane verbis probatur. † Aliae autem conven-
tiones, quae non ultro citroque obligationem con-
tinebant, omnes ad unam obligatoriae non erant,
& ad actionem parandam inefficaces, niſi tamen le-
11 gitimae eſſent. † Unde ſi rem ipſam exacte, & le-
ges conſideremus, videbimus conventionem, quod
(ut diximus) generis nomen eſt, dividi in contra-
ctus, & pacta. Contractus, conventio eſt, quae
ultro citroque obligat. Pactum, quod unum tan-
tum ex paciſcentibus aſtringit. Contractus conven-
tio, ſemper eſt de jure gentium, ſemperque obliga-
toria, ut diximus. Pacti autem, aut eſt legitima,
& tunc obligatoria; aut de jure gentium, & tunc
nuda, licet etiam & inter pacta non legitima diffe-
rentia ſit, ſi recte horum naturam perpendas; quod
non admodum curarunt Juriſconſulti: ſunt enim ex
his quaedam, quae non modo non civilem, ſed ne
naturalem quidem obligationem habent; ut in ſe-
quenti animadverſione eſt tractandum, quod eſt pa-
ctum non juſtum. Unde aut erit pactum legiti-
mum, id eſt, a lege approbatum; & tunc eſt ob-
ligatorium, aut non legitimum, id eſt, nudum,
quod actionem non habeat, ſed tantum exceptio-
nem, hocque ſi eſt juſtum: namque, ſi non eſt ju-
ſtum, neque obligationem naturalem continet, ne-
que exinde exceptionem parit. Eſt tamen caven-
dum a Cujacio in *d. l.* 1. *D. de pactis.* Cum quo, ſi
12 omne pactum nudum appelles, † & legitimum et-
iam nudum dicas, excitabis antinomiam inter mille
leges, quae ex pacto nudo actionem non concedunt,
nihilque magis fugiunt, quam ex pacto nudo actio-
nem dare, & *d. l. legitima* 6. *D. de pactis.* quae aliquan-
do actionem ex pacto oriri ait: cum nempe legiti-
mum eſt, & lege aliqua juvatur. Tum etiam Cu-
jacii, alioquin doctiſſimi viri, ſententiae omnino re-
fragatur Alexandri Imperat. reſponſum in *l. legem
quam* 10. *C. de pactis.* ubi inquit, *Ex pacto actionem
non naſci*, & ſubdit, *Tunc enim hoc jure utimur, cum
nudum eſt:* nam aliter, quid pacti nuditatem com-
miniſceretur? Quae omnia, ſi recte animadvertas,
cognoſces ſuperfluam fuiſſe Doctorum diſputatio-
nem de veſtimentis pactorum. Tum quod non re-
cte dicimus, pactum veſtitum, quia pactum nudum
appellamus. † Tum etiam, quia jure civili, uni- 13
ca tantum ratione pactum non nudum efficiebatur,
cum nempe a lege auxilium accipiebat, & ab ea
erat approbatum, factumque legitimum. Quam
unicam rationem docet Paul. Juriſconſ. in *d. l. legiti-
ma* 6. quod tamen nobis jam erit latius repetendum.

CAPUT IX.

De pactis; & an ex pacto nudo detur actio jure Canonico, vel etiam regni.

SUMMARIA.

1 *Pactum nudum pene non cognitum Doctoribus.*
2 *Pacti nudi definitio per Bartolum; eadem per Bal-
dum*, num. 4.
3 *Pacta nuda factum tantum reſpiciunt.*
5 *Pactum nudum dupliciter conſiderandum: non ta-
men de jure Regio*, num. 24.
6 *Pactum nudum de jure civili, obligatorium tamen
de jure gentium, efficax ad excipiendum: non ta-
men de jure Regio*, num. 25.
7 *Pactum juſtum quid, & iterum*, num. 20.
8 *Conventio generalius quid obligatione.*
9 *Pactum, & conventio ſaepe idem ſunt.*
10 *Pactum juſto oppoſitum, inefficax de jure gentium;
eſt quod a Bartolo definitur: & ejus exemplum*,
& num. 11.
12 *Obligationum ſubſtantia conſiſtit in animo obligan-
di.*
13 *Pactum vero & ex ſe nudum, nullo jure obli-
gare poteſt.*
14 *Actio obligationis eſt correlativa.*
15 *Intellectus* l. 2. tit 16. lib. 5. *comprobat*; & num.
22.
16 *Stipulationis origo.*
17 *Stipulatio ab ſtipulo, id eſt firmo, dicta.*
18 *Intellectus* principii Inſtit. de verb. oblig.
19 *Verborum obligatio nulla jure civili, niſi ſtipulatio-
ne concepta.*
21 *Jus Regium omnibus pactis ex obligatoriis actionem
tribuit, etiamſi ſtipulatio non ſit interpoſita*, num.
22. *Et idem facit jus Canonicum*, num. 23.
26 *Nullum de jure Regio jam pactum nudum: niſi quod
eſt de jure gentium nudum, & non obligatorium.*

ANtiqua inter noſtros Doctores contentio eſt,
An detur actio ex pacto nudo. Et inter
omnes pene convenit, de jure civili actionem non
dari: de jure Canonico actionem concedi. Quod
etiam de jure Regio conſtitutum eſt. Licet Ae-
milius Ferretus, & alii id de jure canonico negent,
& a civili non diſcordare affirment, de jure tamen
Regio nullus, quem viderim, hucuſque negavit.
Ego tamen hanc differentiam inter jura non conce-
derem, licet aliter pactum nudum, de jure Regio,
ac Canonico, quam de jure civili, accipiendum, mi-
hi nulla dubitatio ſit. Quod, ut pateat, erit a co-
gnitione pacti nudi incipiendum: † parum enim 1
cognitum fuiſſe Doctoribus, ipſorum diſceptatio at-
teſtatur. Nos tamen, ut id fugiamus, prius defi-
nitionem pacti nudi examinabimus. Cujus duas ab
antiquis traditas definitiones reperies; Alteram a Bar-
tolo, qui fere ſemper veritatem cognovit. Bartol.
inquam, in *l. Juris gentium* 7. §. *igitur nuda* 4. *num.* 1.
& §. *quinimo* 5. *num.* 14. *D. de pactis.* quem ubique ſe-
quuntur Doctores, † ut ſit illud pactum nudum, 2
quod

quod ſtat in puris terminis conventionis. Licet ta-
men cum omnes pene ſequuti ſint, neque ipſe ſe,
neque illi illum explicant, ac ſi ex intellectu eorum
non tota penderet diſputatio. Eſt igitur pactum
oudum, quod ſtat in puris terminis conventionis:
cum nempe neque habet io ſe negotium aliquod,
ut aperte definit Ulpianus, in *l. ſolent* 15. *D. de prae-
ſcript. verb.* aut nulla ſubeſt cauſa, ut idem Juris-
conſult. in *d. l. Jurisgentium* 7. §. *ſed cum nulla* 4. *D. de
pactis.* docet. Hujus erit exemplum in omnibus
Conventionibus, quae cum utrinque in idem con-
ſenſum habeant, non tamen continent obligatio-
3 nem, † neque aliud, quam factum quoddam, reſpi-
ciunt: ut merito dixerit Julius Paul. in *l. ſi unus*
27. §. *pactus ne peteret* 2. *D. de pactis. in pactis factum
verſari.* Quae Bartoli definitio veriſſima eſt, & pa-
cti oudi naturam egregie explicat. At neque reji-
cienda eſt Altera, quam ex antiquis relatam probat
4 † Bald. in *d. §. igitur nuda* 4. Pactum ſcilicet nudum
eſſe, quod nullo legis auxilio juvatur; inefficaciam
pacti, quoad obligationem, oſtendens. Ut autem
5 utramque probes definitionem, † eſt animadver-
tendum, pactum nudum dupliciter conſiderari: Aut
nudum de jure civili; Aut ut nudum de ſe, & de
jure gentium. Illud a Baldo recte definitur; hoc
6 a Bartolo. † Eſt enim pactum quoddam, quod etſi
de ſe, & de ſua natura obligationem contineat, ſit-
que vere obligatorium, quia tamen a lege aliqua non
juvatur, nudum de jure civili reputandum eſt, li-
cet, ob naturalem obligationem, efficax ſit ad ex-
cipiendum. Nam, ut ſupra in *cap.* 4. praevidimus,
non in totum jus civile a naturali, vel gentium re-
cedit. Unde exceptionem obligationi naturali con-
cedit, &, quod idem eſt, indebiti condictionem
impedit. Si enim normam judicii recte expendas,
7 & indebiti repetitionis excluſio, exceptio eſt. † Et
hoc pactum eſt, quod *juſtum* Papinianus appellat in *l.
Stichum* 95. §. *naturalis* 4. *D. de ſolutionibus.* Ut ca-
vendum ſit ab Alciato in *l. lege obvenire* 130. *D. de ver-
bor ſignificat.* & *lib.* 4. *Paradox cap.* 7. qui pactum ju-
ſtum, ſtipulatione veſtitum ac roboratum interpre-
tatur. Cum nihil magis *praedicto* §. contradicat:
ubi Papinianus agit de obligatione naturali per ean-
dem diſſolvenda, non per civilem: & ideo ait, *vin-
culum aequitatis, quo ſolo obligatio ſuſtinebatur, conven-
tionis aequitate diſſolvi.* Cum etenim, ut ſupra di-
ximus in *cap.* 8. eſſet Juriſconſultis pactum obliga-
torium, & non obligatorium. Pactum obligato-
rium erat legitimum, ac a lege approbatum. Omne
aliud non obligatorium civiliter, aliquando tamen
cum obligatione naturali; quod juſtum appellari di-
8 ximus. † Cum tamen conventio ſit generalius quid
obligatione, ut docet Ulpianus, in *l.* 1. §. 3. *D. de
pactis.* dum ait, *nullum eſſe contractum nullamque ob-
ligationem, quae non habeat in ſe conventionem.* Et
cum ſit conventio, quae noo parit obligationem
(cum enim *nulla ſubeſt cauſa, praeter conventionem, nul-
la conſtituitur obligatio,* ut idem Juriſconſultus inquit
in *d. l. Jurisgentium* 7. §. *ſed cum nulla* 4.) in quibuſdam
pactis, ſeu conventionibus obligationem non conſi-
derabant, id pactum nudum, ſeu conventionem nu-
dam appellantes. Namque licet ſit, ut ſupra do-
cuimus, conventio genus: non tamen exinde tanta
differentia conſtituenda eſt inter pactum, & conven-
tionem, ut voluit Raevardus, *lib.* 2. *variorum cap.* 1.
9 †. Conventio enim nuda, & pactum nudum ſaepe
idem ſunt, ut in *l. ſolent* 15. *D. de praeſcript. verb.*
Ibi. *Equidem conventio iſta non eſt nuda, ut quis dicat ex
pacto actionem non oriri.* Licet aliquando nuda con-
ventio nudam voluntatem, ſeu conſenſum ſignifi-
cet, ut in *l. cum emtor* 5. *D. de reſcind. vendit. juncta*
10 *l. emptio & venditio* 3. *D. eodem.* † Attamen eſt aliud
pactum, quod juſto opponitur, de quo, etſi a Ju-
riſconſultis non fuerit facta mentio, cognitum fuiſ-
ſe eis, juſti appellatio ſuadet: juſtum enim ad dif-
ferentiam non juſti appellari debere, plus quam ma-
nifeſtum eſt. Quod eſt Pactum a Bartolo defini-
tum: quod nempe ſtat in puris terminis conventio-
nis, nihilque aliud in ſe habet, quam pactum, con-
ventionemque eſſe: non obligationem, non cau-
ſam, aut quid ſimile; ad quod reducenda ſunt pa-
cta contra bonos mores impoſſibilia, &c. Et hoc
coovenit cum pacto quovis, quod in utroque eſt,
in idem placitum, & conſenſus, juxta pacti defini-
tionem; de qua in *l.* 1. *in princip. D. de pactis.* Dif-
fert autem, quod illud, id eſt juſtum, naturaliter
obligat; hoc vero etiam de jure gentium, & ſua
natura nudum eſt † Videamus exemplum, quod 11
a nemine traditum eſt! Sum profecturus Romam;
amicus Neapolim; convenit inter nos ſimul iter fa-
cturos; quid haec eſt conventio? pactum quoddam
oudum. Eſt ne obligatorium? Minime gentium!
Non enim in conventione tantum conſiſtit obliga-
tio; † ſed in eo animo, ut obligatio naſcatur: ut 12
plane probat eleganter Julius Paulus in *l. obligatio-
num ſubſtantia* 3. *D. de action. & obligation.* Si vero
hujus pacti nuditatem cum alterius conferas, hoc ve-
re, & de ſua natura nodum eſſe videbis; alterum
vero expoſitione. † Ex quo pacto, quod vere nu- 13
dum eſt, actionem oriri de jure Canonico, vel etiam
Regio, ſi concedas, non parum errabis. Ubi enim
*obligatio propriis viribus non conſiſtit, neque officio Ju-
dicis, neque Praetoris imperio, neque legis poteſtate con-
firmatur;* ut optime Papinianus ait in *l. obligationes
quae* 27. *D. de actionib. & obligat.* Unde, ſi ad Prae-
torem irem, etiam in Hiſpania, ut amicum ſimul
mecum proficiſci cogeret; ſi ad Judicem Eccleſia-
ſticum properarem; ſive ad denunciationem Euan-
gelicam (ut Doctores ajunt) rucurrerem, ridendus
eſſem. Ego enim, etſi Praetor Hiſpanus, etſi Ju-
dex Eccleſiaſticus, etſi etiam ſacerdos in foro con-
ſcientiae, id ſervare aliquem non cogerem, neque,
ut credo, aliquis faceret. Quamvis etenim jus Ca-
nonicum generaliter diſponat, pacta eſſe ſervanda:
& quamvis jus Regium actionem ex pacto conce-
dat, id eſt, hoc pacto nudo, quod vere ex ſe, &
ſua natura nudum eſt, interpretari non poteſt: nam-
que repugnat ejus naturae, de qua nullam habet ob-
ligationem. † Actio autem eſt obligationis corre- 14
lativa, ut nove ſe conſideraſſe ait Bartholomeus de
Albornoz *in arte contract. lib.* 1. *titul.* 1. quod antea
docuerat Seneca *de Benefic. lib.* 5. *cap.* 7. & nos latius
in *ſequenti capite* explicabimus. Cum ergo repugnet
pacto vere nudo eſſe obligatorium: igitur ex eo
actionem dari. Quod de jure Regio minus habet
difficultatis; quia lex illa, ex qua actionem dari de
pacto nudo Doctores aſtruunt, † quae eſt in nova 15
compilat. *l.* 2. *titul.* 16. *lib.* 5. tantum ſervat naturam
obligationis naturalis, ita ut ex ea ſemper det actio-
nem: quod intellige, niſi lex reſiſtat, ut in pupil-
lo, &c. Ubicunque enim obligari conſtiterit, actio
per illam legem conceditur, non tamen ex pacto
vere nudo, in quo obligatio oulla eſt. Ideoque
aptiſſimis verbis utitur *praedicta lex*, dum ait: *Que
de qual quiera manera, que uno ſe quiera obligar a o-
tro, que de obligado.* At in pacto hoc oudo neque ſe
quis obligare intendit, neque poteſt. Non enim
erit tunc pactum ex ſe nudum; noo ergo de eo lo-
quitur lex illa. Quia tamen aliquid novi inducere
inſinuat; jam nobis differentia inter jura aperienda
eſt. Quae omnia, ut rectius intelligas, eſt obſer-
vandum, juris antiqui Romani conditores, viden-
tes inter pactum, ſeu conventionem obligatoriam,
& non obligatoriam (id eſt, inter pactum juſtum,
& non juſtum) ſaepiſſime parum intereſſe, cum
ſemper eſſet duorum in idem placitum, & conſen-
ſus, & animus obligandi eſſet decultus, † ſolemnia 16
verba inſtituerunt, formulamque obligatoriam, ut
ea utentes obligandi animum aperirent. Unde re-
cte Julius Paul. *lib.* 5. *Sententiarum recept. titul.* 7. §. 1.

Obligationum firmandarum gratia, inquit, *ſtipulationes inductae ſunt: quae quadam verborum ſolemnitate con-*
17 *cipiuntur, & appellatae, quod per eas firmitas obligatio-*
num conſtringitur. † Eſtque ſtipulatio idem, quod
18 firma conventio, ab ſtipulo, antiquis firmo, deducta, † ut deducit Juſtinianus in *princip. Inſtitut. de verborum obligat.* Quam etymologiam magis probabis, ſi originem ſtipulationum conſideres. Neque quidem aſſentior Catelliano Cottae in *Memorabilibus ſuis* (verb. *Stipulum*) qui Juſtinianum ex hac deductione reprehendit, ac ſi non haberet Juſtinianus ejuſdem ſententiae Julium Paulum authorem in *d. titul.* 7. Quem unum Catellianis, & Beroaldis millibus anteponendum non dubito. Inquit autem cum Beroaldo Catellianus, ſtipulum pro firmo apud receptae fidei authores ſe non invenire, ac ſi legerit antiquos omnes, & illos praecipue, qui antiquorum nomine, Julii Pauli temporibus, continebantur, qui omnes pene in Italiae vaſtationibus ad unum perierunt. At id Paulus atteſtatur, & cum eo etiam Iſidorus *lib.* 5. *Etymolog. cap.* 24. impudentes nimis, ſi atteſtentur, quod non vidiſſent. Et ego ſane illorum ſententiae e Juſtiniano approbatae refragari, impium eſſe exiſtimo: cum etymologia haec magis, quam alia ſtipulationis naturae conveniat, quae obligationum firmitatem oſtendit. Unde, apud Plautum, Pſeudolus, *Roga me*, inquit, *ut me effecturum tibi, quod promiſi, ſcias, in Act.* 1. *Scen.* 1. *v.* 112. & iterum in *Act.* 4. *Scen.* 6. Symo in eandem ſententiam alloquitur. Et Impp. etiam in *l. petens* 27. *C. de pactis. Potens*, ajunt, *ex ſtipulatione, quae placiti ſervandi cauſa interpoſita eſt.* Cum ergo hanc formam obligationis reſtituerint, factum eſt, ut aliis conventionibus, quae non haberent nomen, aut figuram contractus, juxta *d. l. Juriſgentium* 7. in quibus neque negotium civile verſaretur, juxta *l. ſolent* 15. *D. de praeſcript. verb.* ſi non eſſent ſpecialiter a lege approbatae, juxta *l. legitima* 6. *D. de pactis.* aliis inquam omnibus, etſi obligatoriis ex ſe, nullum robur relinqueretur, quia de ſubſtantia obligationis jam in his ſtipulationem requirebant.
19 † Unde Modeſtinus in *l. obligamur* 52. §. 2. *D. de actionib. & obligationib. Verbis nos tantum obligari*, ait, *cum praecedit interrogatio, & ſequitur reſponſio*, id eſt, cum interponitur ſtipulatio. Quod idem Juſtinianus in *princip. Inſtitut. de verbor. obligat.* repetit. Atque exinde Julius Paulus cum in pactis factum verſari dixiſſet in *d. l. ſi unus* 27. §. *pactus ne peteret* 2. *D. de pactis.* addit in ſtipulationibus jus contineri. Quo eſt etiam factum, ut plura pacta, quae ex ſe obligare poterant, nuda & infirma remanerent. Sicut his temporibus eſt circa matrimonium per Concilium SS. Tridentinum effectum. Nam etſi ante illud firmum eſſet matrimonium, ſi conſenſus accederet, ut idem Concilium ſub poena anathematis confitendum proponit: ut tamen certius libera voluntas, & contrahendi habilitas cognoſcatur, quaſdam ſolemnitates ſtatuit, quae ſi omittantur, nihil agitur; licet de ſe poſſet alias ille conſenſus obligare. Sic in pactis, cum ſtipulationis ſolemnitatem Romani induxiſſent, ut animum obligandi cognoſcerent: niſi ea adhiberetur, pactum inutile rema-
20 nebat, quod alias forte obligatorium foret. † Quando nempe animo obligandi eſſet pactum: quod eſt pactum juſtum, in quo obligationem naturalem conſiderabant, *d. l. Stichum* 95. §. *naturalis* 4. *D. de ſolution.* Ne tamen obligatorium hoc forte pactum, de jure civili infirmum, inutile prorſus remaneret, ſicut ſolutio naturalis debiti repetitionem apud eos impediebat; ita & implementum hujuſmodi pacti exceptionem parabat: ita, ut poſt agnitam obligandi voluntatem, per paciſcentis factum, obliga-
21 tionem tuerentur. † At jus Regium injuſtum prorſus putans, obligatoria quandoque pacta actionem non parere: omnibus pactis, quae obligationem con-
tinent, actionem tribuit, † etiamſi ſtipulatio non 22
ſit interpoſita. Quod verba *praedictae legis* conſideranti palam erit; quae ſunt: *Pareciendo que uno ſe quiſo obligar a otro, ſea tenudo de complir aquello, a que ſe obligo, y no pueda poner exception, que no fue hecha ſtipulacion, que quiere dezir prometimento con cierta ſolemnidad de derecho.* Ex quibus cognoſces differentiam inter jus Regium, & civile. Non ut Regium actionem ex vere nudo pacto concedat; quod eſſe non poteſt, ut ſupra diximus: ſed quod ſtipulationis ſolemnitatem tollendo, ex omni obligatorio pacto actionem tribuat, & nudum pactum ad ſuam naturam reducendo, in anguſtiores fines concludat,
quod antea latius evagabatur. † Et idem prorſus 23
dicendum eſt de jure Canonico, dum pacta ſervari jubet. Servat igitur praedicta lex Regia obligationis, & actionis relativorum naturam. Jam ergo, etſi pacta non adjiciantur incontinenti contractui, vel etiam ante implementum (dum tamen obligatoria ſit conventio, ſitque pactum non nodum ex ſe: id eſt, omni obligatione non deſtitutum) per hanc legem, juſque Canonicum promiſſum eſt ea valere; eruntque jam omnia pacta non nuda de ſua natura,
facta legitima, & lege approbata. † Ut jam non 24
dupliciter poſſit conſiderari pactum nudum, ut conſiderari poterat in jure civili: nempe nudum ex ſua natura, id eſt, conventio ſine ulla obligatione, animo, aut habilitate obligandi: qua ratione Bartoli definitionem probavimus, & conventio obligatoria quidem ex ſe, tamen ob dubium voluntatis obligandi a lege deſtituta, juxta Baldi definitionem.
† Etenim nulla pacta de jure Regio deſtituuntur, 25
niſi ea nuda ex ſe, & non obligatoria ſint. Et exinde erit alia differentia, quod jam non erit verum, ſi aſſeramus pacta nuda exceptionem producere.
† Cum enim nullum ſit pactum nudum, niſi non 26
obligatorium, etiam naturaliter: nulla obligatio, ne quidem naturalis, exceptionem parere poteſt, quae ex aliqua obligatione, vel etiam naturali oritur. Aut igitur habebit pactum ſimul actionem, & exceptionem, pro modo opponentis, aut nihil ex his; quia jam quod eſt pactum nudum, nullam in ſe habet obligationem. Unde neque recipiendum eſt, quod dicitur de denunciatione Evangelica ad validitatem pacti, neque quod inter mercatores fiat, quos hujuſmodi pacta nuda neque ſervare, neque eos ſuos conſules ad id cogere, experientia ſatis demonſtrat: cum ſaepe apud Janum medium conveniant, ſe ſimul negotium aliquod tractaturos, quod non efficiant; & effecturos, quod non tractent. Quae omnia, ita mihi, & vera, & perſpicua videntur, ut non ſit opus in eorum demonſtratione longius immorari.

CAPUT X.

Quo jure ſint inventae actiones, & quomodo ſe habeant ad obligationem.

SUMMARIA.

1 *Actio dupliciter conſideratur: non tamen de jure Regio*, num. 16.

2 *Actio eſt correlativa obligationis, & tunc eſt de jure gentium*, num. 6.

3 *Actio & obligatio ex animo, & conſenſu oriuntur.*

4 *Contractus nomen dicit ultro citroque obligatorium, & non comprehendit ſtipulationem*; & num. 5.

7 *Ut ſit obligatio neceſſario requiritur, quod alteri quaeratur.*

8 *Actio ſumitur ſaepius pro formula & jure deducendi debitum in judicium, & tunc eſt de jure civili*, num. 9. *& obligationis filia*, num. 10.

11 *Obligatio juris gentium, aliquando jure civili non reputatur obligatio, & eſt eo jure ſterilis quandoque*, num. 13.

12 *Actiones eſſe de jure civili, qua ratione intelligendum.*

14 *In-*

14 *Intellectus* l. 2. tit. 16. lib. 5. *compilat.*
15 *Pupillus, ſervus & ſimiles non habent legitimum animum ad ſe obligandum: unde nec ſe velle obligari cenſentur.*

CUm actionis, & obligationis naturam cognoſcere, ad ea, quae in ſuperiori animadverſione tradita ſunt, maxime conducat, ut clarius lex illa compilationis 2. *titul.* 16. *lib.* 5. intelligatur, ſuit hic neceſſarium de eiſdem tractare. Ut vero ab origine actionis id repetamus, eam a jure civili ortum habuiſſe, communis omnium Doctorum traditio eſt: quod tamen non probat Uldaric. Zaſius *lib.* 2. *ſingular. reſponſ. cap.* 5. *num.* 7. Ego vero antiquorum ſententiam, & ipſam ſimul Zaſii obſervationem defendi poſſe arbitior; reprehenſionem tamen non probo.
1 † Eſt enim animadvertendum, actionem dupliciter conſiderari poſſe, quod Doctores non conſiderarunt.
2 † Eſtque actio aut correlativa cujuſque obligationis, quae ſimul cum ea ſit aut formula quaedam, ſeu, juxta deſfinitionem Celſi, in *l. nihil aliud* 51. *D. de actionib. & obligationibus.* & Juſtin. in *princip. Inſtitut. de action. & obligationib.* & Juſtin. in *princip. Inſtitut. de actionib.* jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur. Poſſem obſcurius hanc diſtinctionem confingere, quod quibuſdam placet, dum in medio jure philoſophari ſtudent, qui ſumi actionem, aut in abſtracto, aut in concreto dicerent. Primo modo ſumpta actio correlativa obligationis, ita ſe habet ad eam, ut nulla ſit obligatio, quam actio non comitetur, juxta correlativorum naturam, quae unum ſine altero eſſe non patitur. Unde Seneca de actione, & obligatione intelligendus *lib.* 5. *de Benefic. cap.* 8. *Debitor non eſt ſine creditore*, inquit, *non magis, quam maritus ſine uxore, aut ſine filio pater.* Ubicunque ergo obligatio eſt, ex ſua natura actionem ſimul eſſe deſiderat: quae nullo alio modo per
3 ſe, quam cum obligatione conſiderari poteſt. † Qua ratione, & actio, & obligatio ex animo & conſenſu originem ducunt. Nam ex contractu aeque procedere, ſi quis cum Albornozio in *lib.* 1. *artis contractuum*, quam noſtro idomate ſatis acute ſcripſit, *titulo primo*, affirmet, non parum errabit. Actio enim non ſolum ex contractu, aut etiam ex maleficio (quod ad contractum etiam refertur ab Ariſtot. in *lib.* 5. *Ethicor. ad Eudemum*) aut ex quaſi contractu, & maleficio, ſed ex variis cauſarum figu-
4 ris ortum habet *l.* 1. *D. de action. & obligationib.* † Et ſi rem attendamus, & propriam contractus ſignificationem, quod dicit *ultro citroque obligationem*, ut docet Ulpianus in *l. Labeo* 19. *D. de verbor. ſignificat.*
5 † non poteſt comprehendere ſtipulationem, quae non ultro citroque obligat: ſed an dandum forte, aut faciendum mihi aliquid alium alligat, etſi ego ad nihil dandum, vel faciendum ſim obligatus *l. obligationum ſubſtantia* 3. *D. de actionib & obligat.* Non ergo ex contractu, ex conventione aliqua, aut quaſi conventione (argum. *l. obligamur* 52. *D. eodem tit. action.*) ortum habet & actio, & obligatio, vel, ſi mavis, ex animo obligandi, & conſenſu. Nam, ut recte agnovit aliquando Julius Paul. in *d. l. obligationum ſubſtantia* 3. ea in animo obligandi conſiſtit,
6 † cum praecipue hoc modo ſumpta actio, & obligatio ſit naturalis, & Juris gentium, quo ad obligandum ſufficit conventio quaevis, aut quaſi conventio cum hoc animo, & conſenſu. Qua ratione Juris gentium eſſe actionem omnino eſt cum Zaſio aſſerendum. Namque animus obligandi, & con
7 ſenſus jure hoc indiſtincte obligant. † Et ut ſit obligatio, neceſſarium eſt, ut alteri quaeratur; quod optime probat Seneca in *d. cap.* 7. & 8. Ubi ergo alteri quaeſita fuerit, is habet actionem adverſus obligatum, ita ut obligatio neque alio modo conſiderari poſſit, quam reſpectu actionis quaeſitae alteri, neque actio, quam reſpectu obligationis, qua alter

aſtringitur. † At, ſi actio ſumatur, ut formula 8
quaedam, ſeu jus in judicium deducendum, ut ſumpſerunt antiqui, dum formulae, & actionis nomine promiſcue utuntur. Unde Cicero *lib.* 3 *Officiorum cap.* 14. *Nondum*, inquit, *Aquilius protulerat de dolo malo formulam*; & Ulpianus in *fragment. tit.* 25. §. 12. *fideicommiſſa non per formulam petuntur, ut legata*, ait; & Paulus in *l. ſi ſervus* 42. *D. de furtis.* qui vulgarem formulam dixit, omnes de actione intelligendi: qua etiam ratione Doctores noſtros ſaepe ſaepius accepiſſe plus, quam manifeſtum eſt. † Tunc ergo eam 9
juris civilis nuncupandam, cum ipſis, fateri oportet. Neque tunc eſt obligationis correlativa: † ſed po- 10
tius filia, ut quae ex ea oritur: juxta *l. licet* 42. §. *ea obligatio* 2. *D. de procur.* ut non recte Doctores noſtros generaliter accuſaſſe, ubi ſupra, Albornozium pateat. Non tamen oritur ex quacunque obligatione, quod, ſi eſſet ejus correlativa, neceſſarium foret: ut de actione Juris gentium ſupra diximus. † Illa namque obligatio, cum aliquando non aſtrin- 11
gat neceſſitate praeciſa, obligatio a Juriſconſultis non reputatur (argument. *l. in vendentis* 13. *C. de contrab. empt.*) & exinde actionem, quae ſit jus perſequendi in judicio, parare non poſſit. Oritur ergo ex obligatione, ut eam definit Juſtinianus in *princ. Inſtitut. de obligat.* ubi ait, *Obligatio eſt juris vinculum, quo neceſſitate aſtringimur alicujus rei ſolvendae, ſecundum noſtrae civitatis jura*: † ut vere actionem 12
quam juris civilis eſſe fatemur, ex obligatione civili procedere ſimul fateamur. Eſſe etiam hac ratione juris civilis probabis, ſi conſideres *l.* 2. §. *deinde* 6. *D. de origine juris.* ex qua id Doctores deducunt. Inquit enim ibi Pomponius, *actiones compoſitas fuiſſe, ut non prout quiſque vellet, eas inſtitueret.* Si enim compoſitae ſunt a jure civili, jus gentium coarctanti, neque eidem per omnia inſervienti, erunt juris civilis cenſendae ex his, quae ſupra in *cap.* 4. annotavimus. Unde recte eas Pomponius legitimas vocat, id eſt, juris civilis, ut ex *l. legitima* 6. *D. de pactis* patet, ubi & nos animadvertimus. Licet tamen ſublatae fuerint ſcrupuloſae illae ſolemnitates, cum remanſerint nomina, & effectus deducendi in judicium civile debitum, ut vere ſint nunc etiam formulae actiones: quod optime annotat Jaſ. in *princip. Inſtitut. de action. numer* 24. vix erunt, ſi hac ratione conſiderentur, juris civilis non cenſendae. Cum videamus non ſemper ab obligatione naturali, & quae jure gentium conſiſtat, produci hanc actionem, quae in judicium deducatur. Quod futurum eſſet, ſi hac ratione ſumpta, actio eſſet juris gentium; quae tamen non eſt obligationis naturalis, & de jure gentium correlativa: ſed ex obligatione perpenſa ad Romanae civitatis jura orta, ut ſupra diximus. † Unde eſt aliquando hoc modo 13
obligatio, quae non parit, & ſterilis, quae non parturit, niſi quandoque abortum faciens, & exceptionem producens, aut ſoluti repetitionem impediens; & tamen ea actionem juris gentium, de qua Za- 14
ſius, ſimul non habere nequit. † Ex quibus intelliges *d. l.* compilationis novae, quae cum actionem ex quacunque obligatione, ubi ſit animus obligandi, concedat: nihil tamen actionis meminit, ſed ait: *Mandamos que vala la obligacion, en qual quier manera que uno ſe quiſo obligar a otro.* Quia nempe ad hoc, ut actio producatur ex obligatione, ſatis eſt obligationem eſſe. Ideo autem obligatio naturalis actionem de jure civili non habebat, quia eo jure nulla erat obligatio, niſi per abuſionem obligatio diceretur, *l. fidejuſſor* 16. § *fidejuſſor* 3. *D. de fidejuſſor.* Cum ergo per illam legem omnis obligatio naturalis, cum animo, & conſenſu legitimo, vim habeat ad obligandum, & etiam ſecundum noſtrae civitatis, id eſt, hujus Regni jura, habebit & ſimul actionem, eamque juris gentium; quia in approbanda illa obligatione, quae jam erat, nihil juri gentium

lex illa ad concluſionem neceſſariam eliciendam ad-
dit. Unde optime in ea Rex Alfonſus ait: *Mae-
damos que vala la obligacion.* Illa nempe, quae de jure
gentium jam erat, licet de jure civili nihil prodeſ-
ſet. Dici tamen omnem obligationem naturalem
cum legitimo animo obligandi; quia illa obligatio
naturalis, quae non habet legitimum obligandi ani-
mum, id eſt, a jure civili approbatum: ſive, ſi
mavis, non reprobatum, nihil, etiam poſt illam le-
15 gem, habet roboris. † Qualis eſt obligatio pupil-
li, ſervi, & prodigi, & aliorum, quorum conſen-
ſus nullus eſt. In quibus, cum non ſit conſentien-
di habilitas, & poteſtas, de illis loqui lex illa non
poterit, quae inquit: *Pareſciendo que uno ſe quiſo ob-
16 ligar a otro.* † Jure enim civili non reputatur vel-
le obligari, qui non poteſt. Jam ergo ex illa lege
corruet differentia omnis inter actiones de jure gen-
tium, & civili, ac obligationis naturalis, & civi-
lis, niſi in illo tantum caſu, quo contrahentium
animus non ſit legitimus. Et vere erit recipien-
dum, tamquam generale principium, quod omnis
actio, & obligatio, ortum habentes ex animo, &
conſenſu, ſunt correlativa, ita, ut non ſit obliga-
tio ſine actione, neque actio ſine obligatione, niſi
conſenſus deſit, aut a lege improbatus ſit.

CAPUT XI.

De ratione *L. Sed etſi 26. §. final. D. de judic.*

SUMMARIA.

1 *Non videtur in judicium veniſſe, quod poſt incе-ptum judicium accidit.*
2 *Naſcituro maxime proſpiciunt jura.*
3 *Intellectus* l. cum quidam 30. §. 6. verſ. Quid ſi unum. D. de acquir. haered.
4 *Intellectus* l. antiqui 3. D. ſi pars haered. pet.
5 *Antinomiam in jure excuſare debemus.*

M*Ortuo patrefamilias, uxore gravida relicta, &
unico filio, ab eo partem dimidiam debiti peti non
poſſe*, Paul. ſcribit in *l. ſed etſi 28. §. fin. D. de judic.*
In cujus explicatione, ac ratione pauca tradit Accur-
ſius; nulla pene Bartolus, & Doctores: ac ſi ea Ju-
riſconſulti ſententia difficilis non ſit. Cum enim fi-
lius haeres ſit ex parte dimidia, ut Ulpianus ex Pom-
ponio probat, in *l. cum quidam 30. §. 6. verſ. Quid ſi
unum. D. de acquir. haeredit.* pro dimidia crediti agere
poſſe, dicendum erat. Quam tamen Pauli, ut intel-
ligamus, deciſionem, eundem Juriſconſultum, ut
audiamus, neceſſe eſt. Qui in *l. non poteſt 23. in eod.*
1 *tit. de judic.* † *Non poteſt videri in judicium veniſſe*,
inquit, *quod poſt judicium acceptum accidiſſet, ideoque
alia interpellatione opus eſt.* Cum ergo tempore acce-
pti judicii poſſent plures naſci, dimidium crediti pe-
2 ti non poterit. † *Antiqui* enim *libero ventri ita pro-
ſpiciebant, ut in tempus naſcendi omnia ei jura integra
ſervarent, l. antiqui 3. D. ſi pars haeredit. petat.* Neque
etiam ex eo, quod unus natus ſit, confirmatur pe-
titio, cum id, poſt judicium acceptum, evenerit:
plus enim peteret filius a principio, dimidium pe-
tendo. Unde judicium nullum erit, ut Juriſcon-
ſultus ait, ob noſtram inſcitiam, quare alia inter-
pellatio eſt neceſſaria, ut in illa *l. non poteſt 23.* Qua
ratione reſponſum hoc pertinebit ad titulum, *de
judiciis*, cui ſubjicitur. Addit tamen Julius Paul.
*partem quartam peti debuiſſe, quia incertum eſt, an
tres naſcerentur.* Quod, licet rarum, quia tamen ali-
quoties contingens, reſpiciunt jura: praecipue, ut
naſcituri damnum praecaveatur. Sic enim intelligen-
da eſt *d. l. antiqui 3. D. ſi pars haered. pet.* de qua & Al-
ciatus *lib 2. Diſpunction. cap. 2.* Ex quo forte, quia
ex eodem lib. 17. Pauli ad Plautium, lex haec, &
illa deſumpta eſt, infert Juriſconſultus, *partem quar-
tam peti debuiſſe*, ut nempe jura integra naſcituris
conſerventur. Quod, cum ſic ſtatutum ſit, ne plus
petat filius, ut diximus, pro parte quarta debet a-
gere. Et ſi plus petierit, quia etiam, uno nato,
certitudo poſt judicium acceptum accidit, nihil a-
git. Quorum omnium rationes congerit poſt deci-
ſionem Juriſconſultus. † Quod vero Ulpianus ex 3
Pomponio refert in *d. l. cum quidam 30 §. 6. verſ.
Quid ſi unum. D. de acquirend. haered* veritatem reſpi-
cit, etſi ignoretur, de qua in illo titulo. quo ad acqui-
rendam nempe haereditatem, quam ignorans quiſque
acquirit, ut in *illo verſ. Quid ſi unum.* & in *tota lege*
probatur. Erit igitur pro parte dimidia haeres is
filius, ſi praegnans unum gerit nec per rerum natu-
ram alium partum formare poteſt; non tamen ha-
bebitur ut haeres, niſi pro quarta, † juxta *d. l. an- 4
tiqui 3.* quia id, etſi certum ſit, nos ignoramus, &
omnia jura integra ventri conſervare, quoad potue-
rit evenire, debemus. Erit haeres pro dimidia ad
hoc, ut cum unus tantum formatus ſit, in dimidia
ſemper fructus, acceſſioneſque haereditatis acquirat
ignorans. Habebitur autem pro quarta parte hae-
res, ſi petat in judicio ante partum: quia incertum
eſt, an tres naſcituri ſint, quibus integra jura reſer-
vare aequum eſt. Quae quidem interpretatio ad *di-
ctam l. cum quidam 30. §. 6. verſ Quid ſi unum.* divina-
toria non eſt. Nam, ut advertit Zaſius in *l. ſingula-
ria 15. num. 19. D. ſi certum petat.* non omnis divina-
tio prohibita eſt, ſed impertinens, & intempeſtiva.
Haec autem explicatio maxime congruit verbis u-
triuſque legis: maxime etiam titulis, ſub quibus col-
locantur. *Lex antiqui 3. D. ſi pars haereditatis petetur*,
eſt in titulo, in quo de petitione in judicio, ut pa-
tet. At *d. verſ. Quid ſi unum.* in titul. *de acquirenda
haereditat.* in quo veritas, etiam ignorata, conſide-
ratur, ſicut in illo econtrario ignorantia veritatis
reſpicitur. Alias quidem, ut fecit in *d. §. fin.* † Ac- 5
curſ. neceſſarium erit, antinomiam inter illas leges
eſſe fateri: & in *d. verſ. Quid ſi unum.* Pomponii re-
probatam opinionem referri. Quod mihi durius vi-
detur, cum ad concordiam, ſupradicta ratione, re-
duci poſſint, & ex noſtrae legis deciſione, & u-
triuſque Rubrica intelligi.

CAPUT XII.

Quid ſub nomine *periculi* intelligendum ſit, in *l. ſi quis nec cauſam 4. D. ſi certum petat.*

SUMMARIA.

1 *Intellectus* l. rogaſti 11. D. ſi cert. pet.
2 *Periculi nomen caſus fortuitos etiam comprehendit.*
3 *Neceſſitas deponendi non minuit culpam in accipien-te, ſed auget.*
4 *Verba legum improprie accipere, ut intelligantur, eſt leges non intelligere.*
5 *Depoſitum in* l. ſi quis nec cauſam 4. D. ſi cert. pet. *non eſt a principio mutuum reputandum.*
6 *Dantis & accipientis diſcordia circa contractum, eundem nullum reddit.*

SI quis nec cauſam, nec propoſitum foenerandi
habens, depoſuerit pecuniam apud eum, qui
empturus praedia, mutuam deſiderabat, licet no-
luerit crediti nomine, antequam emiſſet, ſuſcipere,
ut ſi emiſſet, crediti nomine obligatus eſſet: hoc
depoſitum periculo eſſe ejus, qui ſuſcepit, Ulpia-
nus probat, in *l. ſi quis nec cauſam 4. D. ſi certum
petatur.* Quod periculum, ut tantum de culpa te-
neatur, intelligit cum Azone, Accurſius; & cum
Accurſio, Bartolus, & communiter ſcribentes. Jo-
annes contra, periculum, etiam caſus fortuiti, pro-
prie explicat. Cujus opinionem, licet ab antiquis
reprobatam, defendit late Joannes Igneus, in repe-
titione *l. contractus 23. a num. 14. D. de reg. jur.* Qui
cum hanc ſententiam aliis argumentis recte proba-
verit, ego ex ipſius Juriſconſulti verbis elici exiſti-
mo,

mo, ut nihil magis, quam Azonis, & ſequacium ſententia eis obſtet. Ad quod non me inducit, quod hoc depoſitum ſit mutuum reputandum, contra
1 ipſius Ulpiani appellationem, † ſed diſtinctio tantum *l. rogaſti* 11. *D. eod. titul. ſi cert. petat.* Quam in ſuae deciſionis probationem Juriſconſultus adducere videtur, dum ait: *Nam & qui rem vendendam acceperit, ut pretio uteretur, periculo ſuo rem habebit.* Namque *l. rogaſti* 11. verba illa, *ſine culpa tua*, intelligere de levi vel lata, divinatio eſt, & contra diſtinctionem Ulpiani, in *l. ſi gratuitam* 17. §. 1. *D. de praeſcript. verb.* Ubi probatur, quod ſi is, qui accepit rem vendendam, rogavit, ipſi perit: ſi is qui dedit, ipſi: ſi vero neuter, ſed conſenſerunt, dolus, & culpa praeſtatur. Si ergo tantum de dolo, & culpa teneretur is, qui rogavit; ſtare non poſſet illa diſtinctio. Cum enim dolum, & culpam ſolum praeſtet, qui accepit, in *l. apud Labeonem* 20. §. *fin. D. de praeſcriptis verb.* quia dantis quoque cauſa miſſum fuit. Si ergo ſolum accipientis verſaretur commodum, teneretur etiam de caſu fortuito. Ad eum igitur, qui rem vendendam ſibi accepit,
2 periculum rei pertinet. † Quod periculum omnem caſum, etiam fortuitum comprehendit: ut patet ex titulo, *de periculo, & commodo rei venditae.* Cum autem *lex haec: Si quis nec cauſam* 4. quam interpretamur, regulari debeat ſecundum diſtinctionem illarum, quia id, in ſuae opinionis confirmationem, ut diximus, adducit Ulpianus. Diſtinctio vero illa nobis ſatis ex illis legibus patet, de cujus ea parte agit in *noſtra leg.* Juriſconſultus, cum ſibi, & ad ſuum commodum accepit is, cui pecunia tradita eſt. In quo membro, cum in *d. l. rogaſti* 11. dicat idem Ulpianus, quod ſi non fuit cauſa vendendi, & maxime, ſi ſine uſuris credidit, accipientem teneri, & ipſi rem perire, niſi hic idem operaretur periculum; quid comminiſceretur Juriſconſultus dantem, neque cauſam habere, neque propoſitum foenerandi? ut id, quod incrementi cauſa, & per exaggerationem addidit in *d. l. rogaſti* 11. Ulpianus, ibi, *maxime ſi ſine uſuris credidit* hic locum habere doceat. Neque vero, quod neceſſitatem proficiſcendi habuerit, in *hac lege*, qui depoſuit, ſua etiam
3 cauſa depoſitum eſſe dicit. † Namque ex neceſſitate deponere non ſolum non minuit culpam in accipiente, ſed auget: ut patet in *l.* 1. §. 1. *D. depoſiti.* Licet ergo fuerit neceſſitas haec cauſa prius deponendi; nullum tamen erat commodum deponentis, qui ſine uſuris illico credere paratus erat: niſi quod alius, antequam emeret, nolebat ſe crediti nomine eſſe obligatum. Fuit ergo accipientis cauſa depoſitum, ut ſi emeret, praeſto eſſet ad manus pecunia, ut converteretur in creditum. Unde patet, periculum hic proprie accipiendum, ſecundum Joannis opinionem, & uſitatum Juriſconſultis dicendi modum, qui ubi periculum ad aliquem pertinere dicunt, hoc intelligunt. Ad quod poſſem (quod alius dixit) uno ſpiritu ſexcentas citare leges. Unde aliter periculum in *l. hac* interpretari, erit contra ipſam: erit etiam culpae interpretatio illa Azo-
4 nis in *d. l. rogaſti* 11. † Verba autem duarum legum, ut intelligantur, improprie accipere, eſt quidem leges non intelligere. Cum ergo praecipuum fundamentum, cui innitebatur illa Accurſii opinio, ſit everſum, non erit opus alia argumenta, quibus innititur Bartolus, & alii, refellere; cum ſit id optime a Joanne Igneo factum, ne ſit opus etiam ejus ſcripta conſcribere. Quod meae conſuetudinis non eſt, ut id conſulto faciam: ignorans aliquando ne facerem, omnem operam poſui; ſi fecerim, alii judicabunt: mihi enim conſcientia eſt in mille teſtes. Illud tamen cum eodem Joan. Igneo non proba-
5 rem, † quod, in *noſtra lege*, depoſitum illud ſit mutuum judicandum, cum noluerit alter contrahentium crediti nomine ſe eſſe obligatum. Neque etiam deponentem a principio mutuam pecuniam dediſſe, eſt exiſtimandum; † illa enim dantis, & accipientis diſcordia nullum contractum redderet: argum. *l. ſi ego* 18. *eod. tit. ſi cert. pet.* Fuit ergo depoſitum in *hac l. ſi quis nec cauſam* 4. cum illis tamen qualitatibus, quae ejus naturam, quo ad periculum praeſtandum, mutant: exemplo rei ad vendendum traditae.

CAPUT XIII.

De intellectu *L. repetitio* 44. *D. de cond. indebiti.*

SUMMARIA.

1 *Intellectus* l. de haereditate 5. C. de petitione haereditatis.

2 *Qui accipit nomine veri debitoris, a vero debitore accipit.*

3 *Intellectus* l. ſi poenae 19. §. 1. D. de cond. indebiti.

SOlent ii, qui ſingulare inter aliquos certamen pacare volunt, in ſe eorum iram convertere, ſive etiam eorundem fautorum. Quod ne mihi in hac conciliatione eveniat, non parum timeo, cum inter arma, & armatos ad conciliandum pene nudus prodeam. Scripſerit enim cum Pomponius in *l. ſi poenae* 19 §. 1. *D. de condict. indebit. Quamvis debitum ſibi quis recipiat, tamen ſi is, qui dat, non debitum dat, repetitio competit.* & Juriſconſultus Paul. in *l. repetitio* 4 *D. eodem titulo*, dicat, *Repetitio nulla eſt ab eo, qui ſuum recepit: tametſi ab alio, quam a vero debitore ſolutum eſt.* Budaeus, *in annotationibus ad l. fin. D. de aedilitio edicto*, antinomiam, & veram repugnantiam inter haec Juriſconſultorum reſponſa, eſſe aſſerit. At contra Zaſius, *in Diſſolutionibus*, antinomiam id negat. Negat etiam Petrus Stella in repetitione *d. l. repetitio* 44. Et inter eos antinomia eſt, &, quod dixi, ſingulare certamen. Zaſius enim Accurſium, & antiquos ſequutus, intelligit Julium Paulum in eo, qui ſolvit nomine veri debitoris. At contra Stella in eo, qui recipit ſuum, cujus ipſe dominus eſt, ad quod & habet rei vendicationem. Et uterque in alterum irruit, opinionemque ſuam argumentis defendit. Ego quidem Accurſii, & Doctorum doctrinam veriſſimam puto, argument. *l. in ſumma* 65. §. *fin. D. eod.* ubi Juriſconſultus indebitum
deſcribit. Quae & defendi poteſt †, quoad *l. de hae-* 1
reditate 5 *C. de petit. haered.* Ibi enim haereditatis nomine ſolvit, qui erat haereditatis bonae fidei poſſeſſor, ut ibi exprimitur, quod hoc operatur. At quoad *d. l. repetitio* 44. vera eſſe non poteſt: non enim ex eo decidit Paul. quod debitoris nomine ſolverit; quod, ſi eſſet, expreſſiſſet: tum etiam eodem argumento *l. in ſumma* 65. §. *fin.* quia tunc nomi-
ne veri debitoris ſolvendo, † verum non eſſet, quod 2
Juriſconſultus ait, a non vero debitore accepiſſe, cum ejus nomine eſſet ſolutum. Unde veriſſime corruit intellectus Zaſii. At neque Stellae interpretatio ſtare poteſt, ex plurimis, quae contra eum late tradit Zaſius: & quia, ut idem ait, titulo *de condictione indebiti*, lex illa non conveniret. Neque creditor etiam recipiens appellari poterat, neque ejus reſpectu, aliquis verus debitor. Nam, ut ait Seneca *lib. 5. de Beneſic. cap. 8 Verbum debere, non habet locum, quando alius non dat, quam qui accipit, ſed unus atque idem.* Cum demum utriusque ſententia tuta non ſit, & alter alterius, optimus argumentis, opinionem reprobaverit, non erit mihi opus eadem argumenta refellere, ſed tantum *utramque legem* exemplificare in condictione indebiti, quod Zaſius in Stellae intellectu deſiderat, ſicque apte litem
componere: id autem fiet exemplo. † Debentur (pu- 3
ta mihi decem) a Titio, ſolvit mihi Sejus, non Titii nomine, ut doctrinam Accurſii excludamus.

Quamvis ego decem mihi debita recipiam, tamen quia is, qui dat, non debitum dat, repetitio competit, ut in hac ſolutione, dantis, non accipientis, perſona conſideretur, juxta *d. l. ſi poenae* 19. §. 1. At debetur mihi Stichus a Titio, eundem mihi ſolvit Sejus: tunc repetitio nulla eſt, quia meum recepi, quamvis a non vero debitore ſolutum, ut in hac ſolutione accipientis perſona inſpiciatur. Ratio autem differentiae illa erit, quia ex parte rei ſolutae, ſi decem recipio a non vero debitore, illa etiam, & mei reſpectu indebita ſunt, quia actionem, quam habeo, cum ſit obligationis correlativa, non poteſt reſpicere, niſi obligatum. Unde ſi reſpicias ſolventem, ſi recipientem, ſi ſolutum, ſemper eſt indebitum, at in ſecundo caſu, ex parte rei ſolutae, mihi debitum eſt, quia actio, quae mihi competit in Titium, eſt tantum reſpectu Stichi. Unde ſemper obligatio perſonam ejus comitatur, & ſi mihi ſolutum ſit, ſi me recipientem conſideres, debitum eſt, & meum recipio. Si rem etiam debitam, tantum illud obſtat, quod a non vero debitore ſolutum eſt, quod tamen Juriſconſultum non movet, ut indebitum ſit. Quia, ſi Stichus, ut indebitum, condicatur, non poteſt a vero debitore ſolvi mihi alius Stichus, ſed idem ſolvendus eſt. Quid ergo a me condicetur, quod mihi eſt reddendum? Vides ergo, ex aequo *illas leges* ſecundum earum verba, mentem, & deciſionem, interpretatas. Quae interpretatio neque repugnantiam, neque divinationem ullam continet, & proprie utramque legem accipit. Ut *l. ſi poenae* 19. §. 1. intelligatur indebito generis, ſeu ſpeciei; at *d. l. repetitio* 44. indebito invidui. Quo intellectu, & omnium contraria, contentioneſque vitabis.

CAPUT XIV.

De vera lectura *l. Julianus* 60. *D. de condictione indebiti.*

SUMMARIA.

1 *Ex pluribus lecturis fit lex obſcura.*
2 *Lex, quae habet plures intellectus, non poteſt ſecure allegari.*
3 *Verus debitor ſemper manet natura debitor.*
4 *Veritas errore rerum geſtarum non vitiatur.*
5 *Poſt litem conteſtatum, ſuper debito & civilis, & naturalis remanet obligatio.*

Saepe admiror Doctorum (ut vocant) varias lecturas: cum nihil in ipſis legibus videam, quod eos poſſit ad tot intellectus afferendos inducere.
1 † Fit enim crebro clariſſima lex ex his obſcura, &
quae aperte decidit, in diſcrimen vocata; cum ipſis
2 eiſdem Doctoribus axioma ſit, † legem, quae plures habet intellectus, non poſſe ſecure allegari. Quod ſi aliquando mirari licet, id eſt in *l. Julianus verum debitorem* 60. *D. de condict. indebit.* cujus Bartolus plures lecturas adducit, & cum eo Doctores, in re aperta hallucinati. Quorum rationes, & commenta ut non commemorem, eſt obſervandum, Julium Paulum agere de condictione ejus, quod verus debitor ſolvit poſt litem conteſtatam, & ante ſententiam. Quod enim agat de eo, qui ſolvit ante ſententiam, Juriſconſultus ipſe oſtendit, dum ait, *manente adhuc judicio.* Quod Bartolum & Doctores non animadvertiſſe, plane mirum eſt, cum nihil magis legis literae contrarium ſit, quam debitorem ſolviſſe poſt ſententiam dicere, quod jam erat deciſum in *l. judex* 28. *D. eodem titulo, de cond. indebit.* & hujus legis ſtructurae adverſari, jam infra ex alio capite probabimus. Neque aliud ſuadet verſiculus ille, *licet enim abſolutus ſit, natura tamen debitor manet.* Pertinet ſane ad rationem decidendi, ut jam apparebit. Eſt autem deciſio, quod is, qui ſolvit in caſu propoſito, repetere non poteſt. Erit autem caſus, ut omnes oppoſitiones Doctorum vitare poſſis, quod Titius verus debitor ſolvit decem Sejo; quae cum peteret Sejus coram Judice, Titio negante, lis eſt conteſtata: adhuc autem manente judicio ſolvit: poſtea, poenitentia motus, vult repetere, ad hoc nempe allegans, litem ſuper his fuiſſe conteſtatam, & pendentem: reſpondit tamen cum Juliano Paulus, quod repetere non poteſt. Quem caſum cum agnoverint aliqui, inter quos & Coſtalius in 3. *Adverſariorum parte*, in *d. l. Julianus* 60. non tamen efficaciter ipſis Julii Pauli verbis probarunt. Probant autem Juriſconſulti deciſionem praedictam, disjunctione pulcherrima, & optimo exemplo, quae utraque probatio mentem eorum juxta caſum non obſcure declarat. Ajunt ergo, nihil facere litis conteſtationem ad hoc, ut verus debitor ſolvens repetere poſſit, quia nullus caſus evenire poteſt, ut ſolvens repetere poſſit. Si enim expectemus ſenten-
tiam, aut abſolutoria erit, aut condemnatoria. † Sed 3
verus debitor, licet abſolutus ſit, natura tamen debitor manet. Unde nec abſolutus, nec condemnatus repetere poteſt. Condemnatus non, ut ſatis patet; quod Juriſconſulti non probarunt. At neque abſolutus, optima illa a Paulo allata ratione; quia natura ſemper debitor manet, & ſententia nec
quicquam naturam mutare poteſt. † *Veritas enim,* 4
errore rerum geſtarum, non vitiatur, ut fert docta Ulpiani ſententia in *l. illicitas* 6. §. *veritas* 1. *D. de officio praeſid.* Cum autem natura debitor remanſerit, ſatis liquet repetere non poſſe, ex notiſſimo illo in *hoc titulo principio*, quod is, qui naturale debitum ſolvit, non repetit. Vides ergo fortiſſimo argumento a Juriſconſultis excluſam repetentis intentio-
nem, † quia nempe, *& poſt litem conteſtatam, &* 5
civilis, & naturalis obligatio ſubeſt, ut ex eodem Juliano refert Ulpianus in *l. graece* 8. §. *& poſt litem* 3. *D. de fidejuſſoribus.* & in *noſtra lege* ex eo, quod evenire non poteſt caſus, in quo naturaliter non remaneat debitor, quod ſemper repetitionem impediet. Ut autem ſic accipiendum eſſe hoc Pauli, & Juliani reſponſum omnino pateat, praeter ſupradicta, quae mihi perſpicua ſatis videntur, eſt etiam obſervandum, parificari a Juliano ſolutionem hanc cum illa, quae ſolvit quis obligatus ſub conditione, ſive navis venit, ſive non venit. Quia ex una cauſa origo alterutrius ſolutionis proficiſcitur; nempe ex eo, quod alterum neceſſario futurum eſt, & ſic neceſſario futura obligatio. Si autem caſus *hujus legis*, cum Doctoribus intelligeretur de ſolutione poſt ſententiam, nihil haec ſimilitudo conveniret. Solvens enim quia obligatus, ſive venit navis, ſive non, ex una cauſa alterutrius neceſſariae ſolutionis obligatur ad non repetendum. At ſolvens poſt ſententiam abſolutoriam, ex una cauſa unius ſolutionis aſtringitur. Quomodo ergo dici poterit, certum eſſe ex utroque caſu debitum iri? Unicus namque caſus eſt, unicaque ſolutio: ſcilicet abſolutum ſolviſſe debitorem. Unde patet reſponſum hoc Pauli, & Juliani, ita abſque dubio interpretandum. Si vero diverſas alias lecturas admittamus, aut contra ipſorum mentem, aut extra caſum intelligemus.

CAPUT XV.

De locatione, an ſit in ea neceſſaria pecunia numerata loco mercedis.

SUMMARIA.

1 *Mercedem in pecunia numerata requirit locatio, & contra*, num. 2. *in quo diſtinguitur*, num. 3.
4 *Locatio aut eſt faciendi, aut fruendi.*
5 *Intellectus* l. naturalis 5. §. at cum do 2. D. de praeſcript. verb.
6 *Ablativus abſolutus conditionem importat.*
7 *Intellectus* l. 1. tit. 8. par. 5.
8 *Locatio faciendi poteſt in contractum innominatum trans-*

tranſire, non tamen locatio fruendi, num. 9.
10 *Traditio non eſt factum, quod cadat in contractum: facio, ut des.*
11 *In venditione traditio requiritur, non datio.*
12 *Intellectus* l. licet 8. C. de locato, & num. 17.
13 *Locatio faciendi aliis regulis conſiſtit.*
14 *Locatio non mutat dominium, quod tamen intelligi non poteſt de locatione faciendi*, num. 15.
16 *In contractibus requiritur pretium, aut merces, ut ab aliis diſtinguantur.*
18 *Intellectus* l. & haec diſtinctio 35. §. fin ad fin. D. locati.

VEtus illa quaeſtio eſt, expreſſiſſimis juribus u-
trinque in contrarium allatis: An merces in
pecunia numerata conſiſtere debeat in locatione?
1 † Et neceſſarium eſſe probavit Accurſius in *l.* 1. §. *ſi
quis ſervum* 9. *D. depoſiti.* & in *l. naturalis* 5. §. *at cum
do* 2. *D. de praeſcript. verb.* Quem ſequitur ibi Bartol.
& ubique Doctores, pro ſua opinione jura illa affe-
rentes. Inquit enim Ulpianus in *d.* §. *ſi quis ſer-
vum* 9. ages de locatione ſervi, ut mitteretur in
priſtinum. *Sed quia pecunia non dabatur, praeſcriptis
verbis datur actio.* Et Julius Paulus in *d.* §. *at cum
do* 2. *Si tale ſit factum, quod locari ſoleat, pecunia data,*
2 *locatio erit, ſicut ſuperiori caſu emptio: ſi res, non erit
locatio.* † At econtrario, quod non ſit neceſſaria
pecunia numerata, ſed certa merces, poſt Coraſium
Miſcellan. cap. 11. defendit acute, ut ſolet, Pinellus in
Rubric C. de reſcind. vendit. 2. parte, cap. 3. a numer. 29.
allegans pro ſe jura, quae antiquis maximam diffi-
cultatem faciebant: ubi quidem in aliis, quam in
pecunia numerata, mercedem locationis poſſe con-
ſtitui, non obſcure probatur, ut in *l. licet* 8. & in
l. ſi olei 21. *C. de locato.* cum aliis, quae pro hac ſua
opinione optime inducit, ubi ſupra, Pinellus in ex-
pendendis Juriſconſultorum verbis acerrimus ſane
vir. Ego tamen, ſi alicui harum opinionum adhae-
rendum eſſet, Pinelli amplecterer, qui & ſenten-
tiam ſuam ſatis probavit, & contrariis juribus acu-
te ſatisfacit. Sed cum verba earum legum alta men-
te conſiderarem (non enim, in ſolutionibus con-
tra verba expreſſa, etſi acutiſſimis, mens quieſce-
bat, ut Pinello aſſentirem: neque antiqui ita con-
trariis ſatisfaciunt, ut mihi vel mediocriter ſatisfa-
3 ciant) memoriae ſeſe mihi obtulit † diſtinctio quae-
dam, qua poſſem contrarias has opiniones, & jura illa
4 diſtantia concordare. † Eſt enim locatio, aut faciendi,
aut fruendi: ut in ſua definitione locationis nobis be-
ne advertit Cujacius in *Paratitl. D. locati.* In locatio-
ne igitur faciendi neceſſarium eſt, ut merces con-
ſtituatur in pecunia numerata: & in locatione fru-
endi, in fructibus, aut alia quacunque re conſtitui
poteſt. Pro qua diſtinctione primo facit, quod
omnia jura, quae pro ſua opinione de pecunia nu-
merata adducunt Doctores, loquuntur in locatione
faciendi, & pecuniam numeratam pro mercede a-
perte requirunt. Etſi enim eis, ut dixi, argute re-
ſpondeat Pinellus, habet tamen nonnihil divinatio-
nis, minusque ſuſtineri poteſt intellectus, quem af-
5 fert ad *d.* §. *at cum do* 2. † Quod enim ibi, *pecunia
data*, ſit in ablativo, res autem in nominativo (o-
portet namque aliquando Grammaticum agere) ni-
hil urget, etſi Doctoribus, & eidem Pinello hoc ne-
gotium faciat. Inter alia enim, quibus ablativus ab-
ſolutus aequivalet, eſt praecipue oratio ſubjunctivi.
9 † Unde ablativum abſolutum conditionem importa-
re, noſtris Doctoribus axioma eſt, ex *l. a teſtatore* 109.
D. de condit. & demonſtrat. depromptum. Figurate
igitur Juriſconſultus mutavit (quae illis conſuetudo
eſt) ablativum abſolutum in ſecunda oratione, in
orationem ſubjunctivi. Nihil ergo intereſt, ſi di-
cat, *pecunia data, erit locatio; re data, non erit:* aut,
pecunia data, erit locatio; ſi res detur, non erit: ſive
econtra, *ſi pecunia detur, erit locatio; re data, non.*
Omnes ſane hae docendae formulae, ſunt idem.
Non igitur ex eo, quod aliter, aut aliter dixerit
Paulus, mutari poteſt ejus ſententia. Eſt igitur
omnino dicendum, jura illa abſque violenta inter-
praetatione non poſſe intelligi, ita ut pecuniam nu-
meratam pro mercede in locatione faciendi non re-
quirant. At econtra, leges, quas attuli, quaſque
pro ſua opinione late inducit Pinellus, quae non pe-
cuniam numeratam, ſed mercedem in quacunque re,
tantum in locatione admittunt, loquuntur in loca-
tione fruendi: quae ſane, ſi pecuniam numeratam
in eis requiri affirmemus, vim maximam paterentur.
Cum igitur hac diſtinctione, ſine ulla divinatione,
jura illa intelligantur, imo expreſſiſſime in eis illa
probetur, neceſſario, ut ab ipſis Juriſconſultis ex-
cogitata, recipienda erit, tantumque differentiae
rationes tradendi, nobis munus impoſitum eſſe ſcie-
mus. Quod jam trademus, dum tantiſper oſtendi-
mus, jure Regio praedictam diſtinctionem proba-
ri, ut non eo jure quis ducatur, & a noſtra opinio-
ne diſcedat; quod fecit in in dicta Pinelli interpreta-
tione D. Anton. de Padilla in *d.* §. *at cum do* 2. *nu-
mer.* 1. † Facit ergo optime pro noſtra opinione *l.* 7
part. 1. *tit.* 8. *part.* 5. dum disjunctive, & ſeparatim
agens de hujusmodi locationibus, primam, id eſt,
locationem faciendi, quam vocat, *alogar*, ſine pe-
cunia numerata ſtare non poſſe, tradit. Et in ſe-
cunda, quam vocat, *arrendamiento*, tantum mer-
cedem certam eſſe neceſſariam fatetur. In quo eſt
adhuc obſervandum, quod in prima dixit, *precio en
dineros de contado:* poſtea autem in ſecunda, non ſo-
lum non addit, *en dineros de contado:* ſed uſa eſt lex
verbo, *Renta cierta:* non autem pretio, quod pe-
cuniam numeratam ſignificaret, ut lex illa Regia,
abſque hac diſtinctione, recte intelligi non poſſit:
quod & in jure communi jam probavimus. Ratio
autem differentiae ea eſt praecipua, † quod locatio 8
faciendi, ſi non ſit pretium in pecunia conſtitutum,
poteſt in contractum innominatum transferri: nem-
pe in Do, ut facias; quod praedicta jura, quae pe-
cuniam exigunt pro mercede, aperte oſtendunt.
† At locatio fruendi, non poteſt in alium contra- 9
ctum reſolvi, ſi deſit pro mercede pecunia, niſi in
contractum, Do, ut des. Id Juriſconſulti negant,
cum eſſe aut venditionem, aut permutationem tan-
tum hunc contractum fateantur, in *l. naturalis* 5.
§. 1. *D. de praeſcript. verb.* Neque ob traditio-
nem reduci poteſt ad contractum, Facio, ut des:
quia eſſet abſurdum, tantum de dolo, in ejusmodi
locatione, dari actionem, ut in illo datur contra-
ctu, in *d. l. naturalis* 5. §. *ſi faciam* 3. & in *l. cum pro-
ponas* 4. *C. de dolo.* Tum quia fructus dantur pro pen-
ſione, ſive econtra, ut in ſequenti animadverſione
annotamus. † Et neque enim traditio eſt factum, 10
quod cadat in hunc contractum, Facio, ut des;
† in venditione namque, quam eſſe ſpeciem contra- 11
ctus, Do, ut des, plusquam manifeſtum eſt: tra-
ditio eſt neceſſaria, non datio, ut in *l. fin. D. de con-
dict. cauſa dat.* docent Doctores, & Pinell. in *dicta
Rubric. 2. part. cap. 3. num.* 13. Eſt etiam alia ratio,
quia hujusmodi contractus, nempe locatio fruendi,
etſi merces in pecunia non conſtituatur, reduci ſae-
piſſime poteſt ad partiariam locationem, quod fieri
nequit in locatione faciendi. Tum etiam, ſi id cer-
tum non eſſet, mercedem in locatione fruendi, non
debere eſſe neceſſario pecuniam, ſtare non poſſit,
quin locationis naturae repugnaret, ut partiaria lo-
catio, locatio appellaretur. Omnes enim, qui pe-
cuniam pro mercede requirunt, cum Juriſconſulto
fatentur, quod in hoc ſubſtantia, & natura hujus
contractus conſiſtit, ita ut *ſi res detur, non ſit loca-
tio*, ut Julius Paulus inquit. Qua igitur ratione
partiaria locatio, re data, erit locatio? Tum etiam
& locatio appellari non poſſet, ſi proponatur inter
duos, qui ſingulos proprios fundos habebant, ita
con-

conveniſſe, ut alter alterius, ita conductum haberet, ut fructus mercedis nomine penſarentur. Quod
12 eſt contra *l. & haec diſtinctio* 35. §. *fin. D. locati.* † Cui etiam, & *l. licet* 8. *C. de locato* (ibi, *certis annuis quantitatibus*: quae verba denotant locationis conventionem) aperte repugnat ſententia illa media aliquorum, quam unico verbo amplecti videtur noviſſime Petrus Gregorius Tholoſanus in *Syntagm. juris lib.* 27. *cap.* 1. *num.* 10. quod pecunia pro mercede requiratur, & ejus nomine, aliud ſolvi poſſit; dum tamen id non ſit in conventionem deductum: licet in hujus ſententiae confirmationem jura illa, quibus adverſari diximus, afferat idem Petrus Gregor. Vides ergo omnino locationem fruendi, mercedem in pecunia numerata conſiſtere, non deſiderare: quod tamen locatio faciendi requirit; neque mirum!
13 † Nam locatio faciendi, aliis regulis conſiſtit, aliaque deſiderat multa, ut agnovit Paulus de Caſtr. *conſil.* 364 *num.* 2. *volum.* 2. Unde Vigelius in ſua *Methodo Juris Civil.* de unaquaque ſeparatim tractavit. Namque in locatione faciendi non invenimus illud, quod primum, quod praecipuum in locatione Ju-
14 risconſulti exigunt: ſcilicet † *eam non mutare domi-*
15 *nium*, *l. non ſolet* 39. *cum ſimil. D. locati.* † Quis autem dixerit, locationem faciendi id non facere; cum factum illud, quod locatur, ſi remaneat, in con-
16 ductoris dominio manere, non obſcurum ſit? † Demum cum requirantur pretium, & merces in quibusdam contractibus, ut ab aliis diſtinguantur; invenies in venditione deſiderari pretium in pecunia, ut diſtinguatur a contractu permutationis: in permutatione pretium, ut differat a donatione. Sic in locatione faciendi merces in pecunia, ut diſtinguatur a contractu, Do, ut facias. At in locatione fruendi, ubi mercedem conſtitueris, diſtinguetur a commodato, quod debet eſſe gratuitum. Neque differentia illa pecuniae numeratae erit neceſſaria: cum etiam ſi quaevis alia res detur pro mercede, non in alium tranſibit contractum. Nihil eſt ergo, quod hanc differentiam requiramus, ut a nullo diſtinguatur; quod ſi mihi contrarius aliquis dederit, plane taceam. Ex eo igitur, quod ſit locatio, etiamſi pecunia non detur pro mercede, plura inferuntur, quae cumulat Pinellus, ubi ſupra in *d. cap.* 3. *ad fin.* Idque praecipue, quod fiat remiſſio propter ſterilitatem. Quod aliqui ax antiquis, dum pecuniam numeratam pro mercede, & in hac etiam locatione anxie requirunt, aperte negarunt. Cujus opinionis fuerunt & Speculator, & Romanus, qui eum refert, & ſequitur in *l. mutuum* 2. *num.* 10. *D. ſi cert. pet.* Fieri tamen remiſſionem de aequitate, licet concedat Bald. in *l.* 1. *D. locat.* mihi tamen de rigore etiam juris, ex ſupra dictis, dicendum videtur: tum etiam, quia Imperator in *l. licet* 8 *C. de locat.* dum de remiſſione hac agit, de locatione, in qua non ſit merces in pecunia loquitur: quod Doctores non conſideraſſe, ſatis miror. Non tamen mea haec opinio, de differentia inter locationem faciendi, & fruendi, eadem eſt cum opinione Saliceti in *d. l. ſi olei* 21. *C. de locato.* Quam ſequitur, eundem non referens, Loriorus in tractat. *de pactis*, *axioma* 129. Illi enim ſtrictius diſtinguunt, & mercedem ſive in pecunia, ſive in fructibus fundi locati, conſiſtere poſtulant. Ego vero in locatione faciendi pecuniam eſſe neceſſariam; in locations fruendi generaliter quamcumque rem, ſive quoscumque fructus, pro
18 mercede ſufficere exiſtimo. † Neque enim in *praedicta l. & haec diſtinctio* 35. § *final. ad fin. D. locati.* Saliceti opinio probatur, licet illi innitatur: quin potius mea ſententia ex ea plane deducitur, idque nova conſideratione. Nam ibi non conſiſtit merces in fructibus fundi conducti, ut illi ſomniant; ſed in fructibus alterius fundi. Eſt enim caſus *illius* §. quod Titius habens fundum Sejanum, Sempronio habenti fundum Mevianum, Sejanum locavit, & ab eo Mevianum conduxit, cum loci fortaſſe commoditate uterque duceretur: ita ut ipſe Titius, pro mercede fundi Sejani, acciperet fructus fundi Meviani: & Sempronius econtra. Vides ergo non fructus fundi Meviani dari pro mercede ipſius fundi, ſed fructus Sejani. Non igitur ibi probatur, mercedem poſſe conſiſtere, ſi non in pecunia, in fructibus ejusdem fundi: ſed probatur optime, quod penſio, ſive merces, in hujusmodi locatione poteſt in quibuscumque fructibus, aut alia re conſtitui.

CAPUT XVI.

De ſterilitate, & quando ſit facienda remiſſio,

SUMMARIA

1 *Propter ſterilitatem ſit, in locatione penſionis, remiſſio.*

2 *Penſio in locatione datur pro fructibus.*

3 *Jus Canonicum, & Civile, in remiſſione facienda non diſcerdant: licet jus Regium ab eis diſſentiat,* num. 11.

4 *Vero eſt ſterilitat, etiam quando aliquid colligitur.*

5 *Exiguitatis, quoad remiſſionem, ratio non habenda;* & num. 12. *neque ſterilitatis, quae provenit culpa coloni*, num. 6. *neque ſterilitatis non contingentis*, num. 7.

8 *Intellectus* l. ex conducto 15. §. ſi vis 2. verſic. Si qua tamen vitia. D. locati,

9 *Non eſt facienda remiſſio propter vitium, quod potuit praevideri.*

10 *Ad facendam remiſſionem, tria ibi poſita requiruntur.*

13 *Intellectus* l. ſi merçes 25. §. vis major 6. D. locati.

PRopter † ſterilitatem in locatione, debere fieri 1
penſionis remiſſionem, indubitati juris eſt: id tamen non eſt absque diſtinctione recipiendum. Doctores enim noſtri plures oppoſitiones inculcant, ſeque, & rem ipſam in materia, non vulgariter neceſſaria, parum explicant; quod facerent, ſi caſus diverſos diſtinguerent, & quid inter jura diſtaret, conſiderarent. Unde in eis diſtinctionem ad hoc deſiderat Pinellus in *l.* 2. *C. de reſcind vendit.* 1. *parte*, *cap.* 2. *num.* 23. *ad fin.* Ipſe tamen in diſtinguendo non ſoelicior. Sunt namque, qui in oppoſitionibus, luxuriandi conſuetudine, de exiguitate fructuum ad ſterilitatem inferant: ſunt qui contingentiam, quae de eſſentia ſterilitatis eſt, quoad remiſſionem, non expendant. Quod fecerunt Jurisconſulti. Cum enim in ſterilitate ſit facienda penſionis remiſſio, † quia 2
ea datur pro fructibus, ut inſinuant verba illa Impp. in *l. ſi olei* 25. *C. de locat.* ibi *fructus anni locaſti* deficientibus fructibus, debet etiam & penſio deficere. Nam obligatio perſonalis reſpectu rei, tollitur re perempta; argument. *l. in navem Saufeji* 31. *D. locat.* Quam rationem ad hanc remiſſionem poſuit Salicet. in *l. licet* 35. *oppoſit. C. de locat.* Quem ſolum hanc veriſſimam rationem agnoviſſe, inquit Anton. Gomez. 2 *Tom. variarum*, *cap.* 3. *num.* 18. eam tamen, & rem ipſam, ut certiſſimam, non erit opus altius repetere. Erunt tamen ad eam reducenda, quae dixero, & per eam regulanda. Nam licet haec ratio militare tantum videatur in ſterilitate, quando nihil colligitur, cum procedat autem ex voluntate partium praeſumpta, & ex proportione, quam ſervare debemus inter penſionem, & fructus, eis diminutis, diminui debet etiam penſio: ſicut ſublatis, omnino tolli; argument. *l. quae de tota* 76. *D. de rer vendicat.* † Non tantum de jure Canonico, 3
per diciſ. *cap. propter ſterilitatem* 3. *de locat.* pro rata diminuta penſione, ſed etiam de jure Civili, per *l. ex conducto* 15. §. *ubicumque* 7. qui in aliquibus male habetur in *l.* 15. §. *ſi uno* 4. *D. locati.* in illis verbis, *pro ra-*

rata, quae non ad tempus reduci poſſunt, ut vo-
luit, ubi ſupra Pinell. Obſtat enim Florentia le-
ctio: obſtat etiam germanus ſenſus illorum verbo-
rum, quibus non cohaererent ſubſequentia, ſi ad
tempus reſerantur. Unde §. *ſi vis* 2. in *d. l. ex condu-
cto* 15. non reſtringitur, ut Pinellus ait, ad remiſſio-
nem penſionis totius; cum id Juriſconſultus Ulpia-
nus (qui illi non eſt) in *d.* §. *ubicumque* 7. declaret.
Nam totus ille contextus a principio *l. ex conducto*
15. uſque ad *l. cum eo tempore* 16. quae eſt Juliani,
unica lex eſt Ulpiani, per §. § diviſa, neque *l. ſi uno.*
[in ult. edd. §. 4. *l.* 15] ſeparanda, ut in emendatis edi-
tionibus videre licet. Reducenda ſunt equidem jura
ad conſonantiam; non quaerenda reprobata lectio, ut
4 diſcordent. † Namque vere ſterilitas appellatur,
quando aliquid colligitur; argumento *l. pretia rerum*
63. §. *final. D. ad leg. Falcid.* Ut vero caſus omnes, in
quibus ſit facienda remiſſio, agnoſcamus, ut prae-
diximus, diſtinguendum erit: Aut enim eſt da-
mnum, quod colonus reſarciri poſtulat, ſterilitatis,
aut exiguitatis. † Si exiguitatis, ejus ratio haben-
5 da non eſt, ut probat, ex reſcripto Antonini, Ul-
pian. in *d. l. ex conducto* 15. §. *tum quidam* 5. *D. locati.*
idque ex eo, quod ſicut ex voluntate partium prae-
ſumpta remiſſionem faciendam cum Saliceto proba-
vimus: in exiguitate contraria voluntas praeſumi-
tur; ut docet Alfen. in *l. habitatores* 27. *D. locati.*
ibi, *Ea enim conditione habitatorem eſſe, ut aliquam
partem parvulam incommodi ſuſtineret*: quae verba a
contrario ſenſu non parum ſupradictam Saliceti ratio-
nem confirmant. Eſt igitur facienda remiſſio tantum
in ſterilitate. Ex quo axiomate, lex quaedam Regni
infra eſt interpretanda. Sterilitas autem provenit,
6 aut culpa coloni, aut ſine culpa ipſius. † Si culpa
coloni, non eſt ei quidquam remittendum, ex *d.
cap. propter ſterilitatem* 3. Si tamen ſine culpa prove-
niat ſterilitas, eſt adhuc diſtinguendum: quae di-
ſtinctio praecipua eſt, ut jura diſtantia intelligan-
tur, quae quibuſdam contraria videntur. Aut enim
eſt contingens, aut non contingens. † Si non con-
7 tingens, non debet fieri remiſſio aliqua, ut probat
Ulpianus in *d. l. ex conducto* 15. §. *ſi vis* 2. ibi, *Si vero
nihil extra conſuetudinem acciderit, damno coloni eſſe.*
Probat & Pontifex, in *d. cap. propter ſterilitatem* 3.
ubi contingentia, ut neceſſarium, ergo requiſitum,
deſideratur. Si contingens ſit, ſunt, qui diſtinguant,
an caſu fortuito; an vitio rei. Quae diſtinctio in
d. cap. propter 3. expreſſe probatur. At obſtat *d.* §.
ſi vis 2. ibi, *ſi qua tamen vitia*, &c. Ubi videtur
Juriſconſultus, tam caſum eſſe fortuitum deſiderare,
ut ſi vitio rei proveniat damnum, etiam contingens,
ad colonum pertineat. Cui difficultati reſpondit
gloſſ. 1. in *d. cap. propter* 3. quod ibi Juriſconſultus lo-
quitur de vitio rei, quod contingit culpa coloni,
quam abeſſe praecipue requiritur. Haec tamen ſo-
lutio mihi minus placet, quia divinatoria; quae e-
8 nim ibi culpa coloni eſſe dicitur? † Reſolvetur ta-
men haec difficultas, ſi ſupradicta diſtinctio reſpi-
ciatur. Aut enim eſt vitium contingens, aut non.
Si contingens (ut dixi) ſive ſit ex ipſa re, ſive ca-
ſu fortuito, facienda erit remiſſio, ex *d. cap. propter
ſterilitatem* 3. At ſi eſt vitium rei proprium, neque
contingens; nihil hoc ad remiſſionem. Quod divi-
natorium non eſſe, oſtendunt Ulpiani verba; ibi,
ſi qua tamen vitia ex ipſa re oriantur. Si quidem ex
re oriuntur, non contigunt; non ergo remitti pen-
ſionem oportet, quia nihil praeter conſuetudinem
accidit. Novam rem ſane petet is, qui remiſſio-
nem penſionis poſtulat ex eo, quod raucis, aut her-
bis natura ager ſcateat, vel aliud fundus in ſe vi-
tium habeat: imputandum enim colono eſſe, qui
aut ſcire, aut exquirere ſundi naturam debuit. Un-
de propter vetuſtatem vinearum, remiſſio ab Ul-
piano non conceditur in *d. l. ex conducto* 15. quae eſt
in hac materia, magiſtra. §. *cum quidam* 5. *D. locati.*

Nam ut docte etiam ſcribit Bald. poſt Cynum in
l. ſi ea lege 17 *C. de uſuris.* † non eſt facienda remiſſio 9
ei, qui conduxit tempore belli; quia ſciebat, aut
ſcire poterat temporis conditionem. Quare, licet
remiſſionem propter vitium rei admittamus, debet
illud vitium eſſe contingens, ut de eo cogitaſſe co-
lonum, aut potuiſſe, non pateat. † Ex quibus, u- 10
nica concluſione, haec omnia requiſita cognoſces;
Erit enim ſterilitas; ecce primum requiſitum! ſine
culpa coloni proveniens; ecce ſecundum! eaque
contingens; ecce tertium! Si vero quidquam ho-
rum defecerit, remiſſionem non eſſe faciendam, ſta-
tim judica. In definienda autem ſterilitate, quae
remiſſionem mereatur, ſatis Doctores variant, &
in diverſas ſcinduntur ſententias. † Quae tamen 11
contentio, jure Regio, ceſſat. Nam non eſt facien-
da remiſſio pro rata; ſed ſi nihil colligit colonus,
facienda eſt totius penſionis remiſſio. Si vero ali-
quid eſt in ejus electione, vel totam penſionem ſol-
vere, vel, deductis expenſis, reliquos ſructus do-
mino relinquere, ut ſtatutum eſt in *l.* 22. *tit.* 8. *part.*
5. quae Pauli de Caſtr. opinionem, circa remiſſio-
nem, approbat, ut & ibi Gregorius Lopez anno-
tavit. Eſt tamen ea differentia inter jus commune,
& Regium conſideranda, quod jure communi co-
lonus fructus ſuos faciebat, facta remiſſione merce-
dis pro rata; jure tamen Regio, aut non facit fru-
ctus ſuos, aut totam ſolvit penſionem. Aliam etiam
differentiam vir quidam non vulgariter doctus, in-
ter legendum Salmanticae, obſervabat; quod lex
illa Regia locum haberet in exiguitate fructuum; id
que acuta ratione: nam, cum lex electionem tri-
buat colono, mos gerendus eſt illi; argument. *l. cum
quidam* 24. *D. de legat.* 2. Et cum praeſumitur ſcire
vires rei ſuae, *l. quiſquis* 15. *C. de reſcindend. vendit.*
non eſt veriſimile jactare ſuum, *l. cum de indebito* 25.
D. de probation. Mihi vero haec differentia, etſi acu-
te conficta ſit, probari non poteſt. Loquitur enim
d. l. partitarum in ſterilitate, non ergo contra na-
turam verborum, & jus commune; eſt ad exiguita-
tem producenda. Debet igitur judex prius arbitra-
ri, non, an ſit haec, aut illa ſterilitas, juxta opi-
nionem Doctorum diverſam; ſed an ſit ſterilitas,
ut locum habeat lex illa. Namque in ſterilitate tan-
tum viget ratio remiſſionis faciendae. † In exi- 12
guitate enim, & ea conditione conduxiſſe videtur,
ut minus etiam commode ei aliquando eveniat, ex
d. l. habitatores 27. & aequo animo ferre debet par-
vum damnum, a quo immodicum lucrum non au-
fertur, ex *l. ſi merces* 25. §. *vis major* 6. *D. locati.* Quae
omnia, unico verbo, ſubrogaſſe dictam legem Re-
giam non eſt dicendum, quae eaſdem diſtinctio-
nes omnes ſupra poſitas admittit. Non tamen il-
lud, quod de immodico lucro diximus, eſt indi-
ſtincte recipiendum. Namque, ſi in duplum ex-
cedat ubertas, augeri debet penſio, ut fuit apud
authores conſtituta ſententia, ex Accurſio in *d.* §.
vis major 6. gloſſâ magna: quam probarunt *partita-
rum* compilatores, in *l.* 23. *ad fin. tit.* 8. *part.* 5. Cui
non obſtat inaequalitas quaedam, quae reſultare vi-
detur ex eo, quod majus augmentum deſideremus
ad augendum, quam damni ad diminutionem: quod
tamen reſolvetur, ratione remiſſionis inſpecta. Quia,
cum fructus nomine, ſolvatur penſio: facilius fiet
remiſſio propter defectum, quam ob augmentum
additio, impari in cauſa colono, & conductore exi-
ſtentibus; cum alius agat de lucro captando, alius de
damno vitando. † Ex quo etiam, omiſſis interpreta- 13
tionibus gloſſae, & aliorum, intelligetur difficultas ex
d. l. ſi merces 25. §. *vis major* 6. Ibi enim *immodicum lu-
crum* dicitur, non ſimpliciter omne lucrum, ſed reſpe-
ctu damni. Cum enim duplum excedat commodum,
ad augmentum ponitur ea ibi modici, & immodici
differentia. Unde ei nihil adverſatur illa Doctorum
opinio, de augenda penſione, neque d. *partitarum lex.*

CAPUT XVII.

De culpa, quae dolo aequiparatur, & aliis culparum ſpeciebus, ad *l. quod Nerva* 32. *D. Depoſiti.*

SUMMARIA.

1 *Tres ſunt culpae gradus, qui explicantur,* num. 4.
2 *Triplex diligentia.*
3 *Culpa eſt omiſſio diligentiae.*
5 *Culpa, aut lata, ſive latior: aut levis, aut leviſſima.*
6 *Intellectus* l. mulier 22. §. ſed etenim 3. D. ad SCtum Trebellian.
7 *Regulae generales ad ſciendum, quando lata, levis, aut leviſſima culpa praeſtatur.*
8 *Qua ratione ſit intelligendum, quod lata culpa eſt dolus.*
9 *Dolus re ipſa in ſe, tam eſt dolus, quam qui ex propoſito.*
10 *Verbum,* eſt, *denotat eſſentiam.*
11 *Intellectus* l. latae 223. D. de verbor. ſignificat. *&* num. 12. *&* 14.
13 *In rebus, quae latitudine metiuntur, unius finis eſt alterius principium.*
15 *Maxime differt culpa, ſi conſideretur cum comparatione ex negligentia, an ſine comparatione ex ignorantia.*

QUod Nerva diceret latiorem culpam dolum
eſſe, Celſus contra Proculum probavit, in
l. quod Nerva 32. *D. Depoſiti.* Ubi cum Cel-
ſus ſe, & rem ipſam optime explicaſſet, Doctores in
ejus intellectu, vel ex profeſſo aberrarunt. Primus
Accurſius contra Juriſconſultorum verba, & men-
tem, diligentiam in depoſitario, quam natura ho-
minum deſiderat, aperte requirit. Bartol. culpae
plures ſpecies affert: cui contradicit late Zaſius *lib.*
1. ſingular. reſponſor. cap. 2. qui & in eo ipſo defe-
cit, dum Bartolum nimis anxie reprehendere curat:
hoc nomine tamen laudandus, quod has diviſiones
non ſpecierum, ſed graduum eſſe, veriſſime docet.
Ego vero, ſi non Doctorum placita, ſed Juriscon-
1 ſultorum, nobis attendenda ſunt, † tres culpae gra-
dus eos tradere obſervavi, eosque ex diligentia,
2 quae praeſtari debet, perpenſos. † Aut enim dili-
gentiam praeſtat aliquis, quam diligentiſſimus pa-
terfamilias praeſtaret: aut ad eum modum, quem
hominum natura deſiderat, faciens quod omnes ple-
rique facerent: aut ſuo modo, etſi indiligens, cu-
ram adhibet, neque ulla alia diligentia reperiri po-
teſt, ſi non ad individua deſcendas. Et hanc di-
ſtinctionem ex diligentia, quae praeſtatur, ſumptam,
non me, ſed Juriſconſultos excogitaſſe, docet Ca-
jus in *l. in rebus* 18. *in princip. D. commodat.* Celſus in
d. l. quod Nerva 32. & Cajus idem in *l. ſocius ſocio* 72.
D. pro ſocio. Hos vero gradus non excedere culpae
conſiderationem, aperte probat idem Cajus in *l. ſi*
merces 25. *§. qui columnam* 7. *D. locati. Dum culpam*
abeſſe, inquit, *ſi omnia facta ſunt, quae diligentiſſimus*
quisque obſervaturus fuiſſet. Non ergo major alia dili-
gentia requiritur, & exinde culpa inde non trans-
greditur. Si vero ex altero latere diligentiam, quam
ſuis rebus, etiam indiligens adhibet, conſideres,
nullam aliam minorem diligentiam excogitari poſſe
videbis; cum haec, ſi abſolute conſideretur, indi-
ligentia ſit, ut & annotavit Zaſius in *gloſſ. ad d. l. quod*
3 *Nerva* 32. *in princip.* † Cum igitur culpa ſit omiſſio
diligentiae, ut non obſcure probat Ulpianus in *l. mu-*
lier 22. *§. ſed etenim* 3. *D. ad SCtum. Trebel.* ibi, *Lata*
culpa, non levi, & rebus ſuis conſueta negligentia: ſi ad
hos diligentiae gradus culpam referas, diſtingui cul-
pam non ſecundum Bartolum in ſex ſpecies, ſed in
4 tres gradus plane videbis. † Cum enim hanc tantum
habeat diligentia latitudinem, non etiam culpa, &
5 indiligentia ultra progredi non poteſt. † Erit igi-
tur culpa lata, ſeu latior, de qua in *d. l. quod Ner-*
va 32. cum ſimilibus; quando nempe ad ſuum mo-
dum quis diligens non eſt: levis, quando ad com-
munem modum & hominum, ut plurimum, na-
turam curam non adhibet: leviſſima vero, quando
exactam, & quam diligentiſſimus paterfamil. prae-
ſtaret, diligentiam non praeſtat, ita ut addita tan-
tum negatione, diligentiae gradus conſtituant, &
culpae. † Ex quibus intelliges illa verba Ulpiani 6
in *d. l. mulier* 22 *§ ſed etenim* 3. *D. ad Trebel.* quae
difficultate non carent. Intelliges autem, ſi conſide-
res culpae gradus, menſurae rationem ſervare, ita
ut, ſi levis eſt culpa, & diligentia, eſt defectus di-
ligentiae ad communem modum perpenſae, quae
ultra progredi non poteſt, quam ſi diligentiam ad
ſuum modum quis praeſtet. Nam ſi ultra progre-
diatur, tantum non levis, ſed latior, ſive lata cul-
pa appellanda eſt. Unde cum Ulpianus dixerit *la-*
ta culpa, ait *non levi, & rebus ſuis conſueta negligen-*
tia: ac ſi dicat, lata culpa, non levi, quae ſcilicet
eſt negligentia (ſi conſideres communem naturam)
conſueta tamen rebus ſuis, ad quem gradum tantum
levis culpa pervenit; imo in eo conſtituitur. Ut
plane non probem Zaſium, qui in *d. cap.* 2. *num.* 13.
eo reſponſo, probari ait differentiam inter latam,
& latam culpam: & eſſe latam dolo proximam, &
latam, quae a dolo abſit, Juriſconſulti verba ca-
ptans, non explicans. Ibi enim in utroque caſu
Ulpianus de eadem culpa agit. Nam ſi dicas cum
Zaſio prius agere Juriſconſultum, de dolo proxima,
ut ipſe fatetur, & poſtea de ea, a qua dolus abeſt:
excitabis antinomiam inter eam legem, quae exclo-
dit a lata culpa rebus ſuis conſuetam negligentiam,
ſicut & *d. l. quod Nerva* 32. & hanc eandem culpam.
Ibi Ulpianus (ut interpretatur Zaſius) a dolo alie-
nam judicet, quam Celſus & dolum eſſe, & frau-
dem habere definit. Unde non eſt recipienda dicta
Zaſii interpretatio. Illos tamen, quos aſſignavimus
culpae gradus, jam aliqui ex novioribus conſidera-
runt, inter quos & Zaſius in dictis locis, & Dua-
renus in *l. ſi mora* 9. *verſ. non etiam culpam. D. ſoluto*
matrimonio. & in *l. actionibus* 5. *§* 3. *D. de in lit. ju-*
rando. quod antea Accurſius tradiderat in *l. ſi ut certo*
5. *§. nunc videndum* 2. *D. commodati.* Neque enim
aſſentiendum eſt Petro Lorioto, in tractat. *de regul.*
jur. axiom. 138. cum ſequentibus, quatuor culpae
gradus tradenti, & latam, ac latiorem culpam ſepa-
ranti. Falluntur tamen, & ii noviores in applica-
tione indiligentiae unicuique culpae; ut infra doce-
bo. Rectius tamen, cum haec ſcripſeram, inveni
a Petro Gregorio Tholoſano, culpae latae, levis,
& leviſſimae exempla, juxta Juriſconſultorum men-
tem, propoſita in *lib.* 21. *Syntagm. jur. cap.* 11. Cum
tamen ipſe opus illud egregium emiſit, jam ego
idem obſervaram. † Si tamen vis cognoſcere in con- 7
tractibus, quando lata, levis, aut leviſſima culpa
praeſtetur, regulas has generales obſervabis; quod
ubicumque perſona eligitur, cum qua contrahatur,
ille tantum dolum, & culpam latam, ſeu latiorem prae-
ſtaturus eſt, quia ſolum eligentis utilitas verſatur.
Qui enim apud negligentem amicum rem deponit,
ſive eum ſibi ſocium acquirit, aut ad agrum me-
tiendum adhibuit, non ei, ſed ſuae facilitati impu-
tare debet, qui talem elegerit. Unde in depoſito,
ſocietate, & ſimilibus tantum latae venit aliquis cul-
pandus, *d. l. quod Nerva* 32. juncto *§. praeterea* 3. *In-*
ſtitut. Quib. modis re contrah. obligat. l. Socius ſocio 72.
D. pro ſocio. l. 1. *§. haec actio* 1. *D. ſi menſor. falſ. mod.*
dixerit. Levis autem culpa praeſtatur in omnibus con-
tractibus, in quibus utriusque utilitas vertitur, ut in
emptione, locatione, & ſimilibus. Quae fuit Ulpiani
concluſio in *l. ſi ut certo* 5. *§. nunc videndum* 2. *D. com-*
modat. Ubi tamen ad commodum accipientis tan-
tum contrahitur, tunc leviſſima etiam culpa conſi-
derari debet, ut in commodato, *l. in rebus* 18. *in princ.*
D.

Google

D. commodat. Quae regulae generales exceptiones nullas admittunt, licet exempla non item. Si enim quis ſe obtulit depoſito, etiam culpam leviſſimam praeſtabit, quia ejus cauſa depoſitum cenſetur, *l. 1. §. ſaepe 35. D. depoſiti.* At econtra in commodato, non niſi latior culpa conſideratur, quando commodantis gratia contractus ſit, *l. ſi ut certo 5. § interdum 10. D. commodat.* Unde rectius intelligentur ſic poſitae regulae, quam ſi ex exemplis regulas, & ex-
8 ceptiones facias. † At nunc videndum eſt, an recte latiorem culpam dolum appellet Celſus in *d. l. quod Nerva 32. D. depoſiti.* Qua in difficultate latius, quam par eſt, immoratur Fulgoſius in *eadem lege*, cum ibi hoc ſatis expreſſum ſit. Licet enim ſit culpa, quia nihil dolo factum eſt: cum tamen bona fides ab hac propria diligentia diſcedere non patiatur, deficiente bona fide: quae maxime in contractibus deſideratur, dolus reputabitur culpa; ut opti-
9 me agnovit in *d. l.* noſter Accurſius. † Eſt enim tunc dolus re ipſa, qui etiam dolus appellatur, ſicut is, qui ex propoſito; argumento *l. ſi quis cum aliter 36. D. de verbor. obligat.* Unde mihi non probatur Zaſius in *gloſſ. d. l. quod Nerva 32.* dum per hyper-
10 bolem appellari dolum latam culpam dicit. † Cui verbum, *eſt*, obſtat, quod eſſentiam denotare, ut veriſſimum ſit, a noſtris conſtitutum eſt. Si enim mentem inſpiciamus, erit culpa forte, ſi rem ipſam, ſemper dolus; ut ſatis in *fine legis* Celſus oſtendit. Unde a Juriſconſultis, promiſcue negligentia haec magna & dolus, & culpa appellatur. Quae ſi recte expendas, omnes ambages, de quibus Doctores, & latius Fulgoſius, vitabis. Verum haec conſtituta ſententia (quae habet, latiorem, ſeu latam culpam eſſe, quando non ea diligentia praeſtatur, quae in rebus propriis adhibetur) evertitur omnino ex ſententia Pauli, in *l. latae 223. D. de verb. ſignificat.* Ubi lata culpa appellatur *non intelligere, quod omnes intelligunt.* Quam antinomiam, & contradictionem noſtros Doctores, praecipue noviores, non advertiſſe miror. Unde Duarenus, Zaſius, & alii culpam latam appellant, quando diligentia non adhibetur, quam plerique omnes adhiberent. Qui error etiam in partitarum compilatores irrepſit, ut patet ex *l. 3. tit. 3. par. 5.* quo nihil magis Celſo in *d. l. quod Nerva 32.* repugnat, ubi hoc in lata culpa excludit. Excludit etiam Ulpianus in *d. l. mulier 22. §. ſed etenim 3. D. ad Treb.* Repugnat & illis rationibus, quas tradunt Juriſconſulti, ut rebus ſuis conſuetam negligentiam non culpent, in *d. l. ſocius ſocio 72.* & in *d. §. Praeterea 3.* cum ſimilibus. Tum etiam & eſſet contra illud veriſſimum axioma, quod lata culpa dolus ſit. Quid enim res doli haberet, ſi idem mihi, quod aliis facio? ſique indiligens, mea opera ad hoc electa, ad meum modum diligens ſum? Bart. ſane hanc agnoviſſe difficultatem videtur: ob idque aſſerit latam culpam, dolo non aequiparari, ſed latiorem. In quo eum reprehendit Zaſius *d. lib. 1. Reſponſor. cap. 2.* Quid autem faceret, qui videbat in *d. l. quod Nerva 32.* ad hoc, ut dolus culpa diceretur, requiri, non ut ſervans ad eum modum, quem hominum natura deſiderat, ſit diligens; ſed ad ſuum modum; & in *d. l. latae 223.* latam culpam ex communi, non propria diligentia, metiri? Quorum verborum intellectum, & hanc oppoſitionem cum apud neminem viderim ſic expreſſam, non potuit non mihi negotium faceſſere. Veriſſimam enim doctrinam, quam tradidi, ſeu potius Juriſconſulti ipſi tradidere, omnino turbare videtur; non tamen me movet, ut ab ea quidquam diſcedam, vel ut etiam antinomiam inter haec jura eſſe fatear.
11 † Intelligi enim poteſt, *d. l. latae 223.* primo, ut ibi *latae finis culpae* dicatur, *non intelligere, quod omnes intelligunt*, ut ſit finis latae culpae, non tamen lata culpa. Ut in rebus, quae latitudine metiuntur, ſi dicas Hiſpaniae finis, eſt fretum Gaditanum, non tamen ſequitur, fretum iſtud Hiſpaniam eſſe. † Sic 12
latae culpae finis eſt, non intelligere, quod omnes intelligunt; non tamen hoc eſt lata culpa. Ubi enim deſinit lata, incipit levis; & ita hoc, quod eſt non intelligere, quod alii facerent, quod eſt levis culpa, eſt
& finis latae. † Quae enim inter ſe oppoſita, ita 13
cohaerentia ſunt, ut alterius finis cum alterius initio miſceatur: *non refert utrum per extremitatem prioris, an per initium ſequentis demonſtrentur*, ut inquit acute Aulus Gellius *lib. 7. noct. Atticar. cap. 21.* Haec tamen interpretatio vim faceret verbis, *l. cedere diem 213, ad fin. D. eod. tit de verbor. ſignific.* Unde ex ea
convincitur: † quare aliter intelligi poſſe puto ju- 14
ra illa. † Aut enim provenit culpa ex ignorantia, 15
in qua comparatio non cadat rerum ſuarum, & alienarum; aut ex ea, in qua cadat, ſive ex negligentia, qua ratione ſaepius conſideratur culpa in contractibus. Si procedit culpa ex illa ignorantia: tunc juxta *d. l. latae 223.* & *l. cedere diem 213. ad fin.* dicemus eſſe in lata culpa eum, qui non intelligit, quod omnes intelligunt. Nam, ut ait Paul. in *l. regula 2. §. ſed facti 2. D. de jur. & facti ignor. quid ſi omnes in civitate ſciant, quod ille ſolus ignorat?* Tunc enim cum ignorantia ultra progredi non poſſit, ea erit & magna negligentia, quae ex illa provenit, & lata culpa, ſi tamen eſſe poſſit comparatio, neque a generali regula diſcedemus. Nam & ignorantiae, ruſticitatis, ſexus & aetatis ratio habetur, in *eadem l. regula 9. in princ.* Ex in negligentia hanc comparationem fere ſemper faciendam, docent Juriſconſulti, in *d. l. quod Nerva 32. D. depoſiti.* in *d. l. ſocius ſocio 72. D. pro ſocio.* in *l. ſi conſtante 24. §. ſi maritus 5. D. ſolut. matrim.* certiſſima enim tunc eſt regula. Nam ſi ſcimus, in re ſua hanc eandem indiligentiam abhibere, aut ſi liceat in rebus propriis haec ignorantia labi (ut de ruſtico, minore, & ſimilibus ſaepiſſime eſt dicendum) cum tunc lata culpa non teneatur, cum ad contrahendum ipſe electus eſt; nihil eſt quod lata culpa judicetur; nihil quod dolus praeſumatur: cum nullam in ſe fraudem contineat indiligenter tractatum negotium, indiligenti commiſſum, aut imperite ignoranti. Si vero nihil de hac comparatione, & non intelligit, quod omnes facerent, neque facit, quod illi impune committere non licuiſſet, certe culpandus venit, ut diſſoluta illa negligentia judicanda ſit, quam haec ignorantia craſſa conſtituit, *l. ſi fidejuſſor 29. in princ. D. mandati.* Unde, & lata tenebitur culpa, & dolus in eo, qui tam affectatam ignorantiam habet, praeſumitur. Ad quae reducenda ſunt illa, quae de verſutiae culpa, docet Zaſius in *d. lib. 1. Reſponſor. ſingul. cap. 2.* Non tamen contra expreſſiſſima jura concedendum erit, latam aliquando culpam dolo non aequiparari. Nam ſive ea ex negligentia rebus ſuis non aſſueta, ſive ex hac craſſa ignorantia proveniat, ſemper dolus reputabitur, ex *d. l. quod Nerva 32 juncta l. latae 223.* & *l. cedere diem 213. ad fin. cum l. magna 228. D. de verb. ſign.*

CAPUT XVIII.

De captis a latronibus, & obſidibus animadverſio circa teſtamenti factionem.

SUMMARIA.

1 *Nihil boni eſt, nodos facere, ut diſſolvantur, diſſolvere.*
2 *Ratio, quam reddunt in ſuis reſponſis Juriſconſulti, ſicut leges ipſae, defendenda.*
3 *Capti a latronibus, quia liberi manent, poſſunt facere teſtamentum, & ejus ratio,* num. 4.
5 *Triumphum ſolum ex bello juſto concedebant Romani.*
6 *Servi fiunt capti in bello juſto, non in civili.*
7 *Capti in bellis Chriſtianorum inter ſe, non fiunt ſervi.*
8 *Intellectus* l. obſides 11. D. de teſtam. *& ejus ratio; &* num. 9.

10 *Obſidum vitae, neciſque poteſtas, apud detinentes eſt, ſi fides a dantibus non ſervetur.*
11 *Obſides, & captivi parificantur.*
12 *Obſides inter Chriſtianos dati, poſſunt teſtari.*

CUm Martianus Juriſconſultus in *l. qui a latroni-*
bus 13. *D. qui teſtament. facere poſſunt*, ſive *de*
teſtamentis. ea ratione a latronibus captos, teſta-
mentum facere poſſe affirmet, quod liberi maneant.
Gloſſ. Bart. & Doctor. ut eam rationem optimam
non eſſe probent, ſiniſtre inferunt, exinde ſequi fi-
liumfam. & damnatum de capitali crimine, etiam
teſtamentum poſſe facere, quia liberi ſunt, ut ve-
re jus civile calumniari, non interpretari videantur;
1 ſaepiſſime contraria adhibentes, quae non ſunt, † &
nodos operoſe diſſolventes, quos ipſi, ut ſolverent,
fecerint: quod nihil boni habere, acute Seneca *lib*
2 *de benefic.* 5. *cap.* 12. atteſtatur. † Ubi enim Juriscon-
ſulti in ſuis reſponſis ſuae ſententiae rationem red-
dunt, ea mihi ſemper recipienda videtur, nonque
3 minus, quam lex ipſa defendenda. † Inquit ergo
Martianus, *cum liberi maneant, poſſunt facere teſta-*
mentum; quaſi a deficiente ratione legis, ſive po-
tius a natura oppoſitorum arguat. In captivis enim,
ea tantum ratione, teſtamenti factio interrumpitur,
quod ſervi hoſtium facti ſunt, *l.* 3. *ad fin. D. de verb.*
ſignific. Cum ergo a latronibus captus, factus non
ſit ſervus (ut Ulpianus atteſtatur, in *l. hoſtes* 24. *D.*
de captiv. & poſtlimin. reverſ.) poterit, hac ratione, te-
ſtamentum facere, ut vere oppoſitum in oppoſito,
quod propoſitum in propoſito operetur, argumen-
to *l. fin. §. fin. D. de leg.* 3. Non tamen ex eo ii, qui-
bus ex alia cauſa teſtamenti factio interdicta eſt,
quia liberi maneant, teſtamentum recte facient, ra-
tionem oppoſiti libertate, cum prohibitione non ha-
4 bente. † Qua autem ratione a latrunculis capti li-
beri maneant (quae eſt illius deciſionis ratio) Do-
ctores ibi non tradunt. Si vero captivitatis origi-
nem, & naturam inſpiciamus, id recte intelligemus.
Captivitas enim de jure gentium introducta eſt, ex
eo, quod eos, quos in bello juſte occidere poſſu-
mus, nobis ſervare poſſe, ut ſerviant, natura di-
ctabat. Unde jure gentium bella orta, & exinde
captivitates ſequutas, optime Imperator in §. 2. *verſ.*
jus autem gentium. Inſtitut. de jure natural. affirmat.
Ubi ergo bellum juſtum non eſt, ibi ſervitus eſſe non
poteſt, neque ſervi appellari, qui in illo bello ca-
piuntur. Latrones autem, ſeu praedones, aut pi-
ratae, bellum juſtum non gerunt. Unde jure bel-
li capere, & ſibi aliquos ſervos efficere, non poſ-
5 ſunt. † Unde triumphum, qui de juſto bello, &
jure gentium tantum concedi ſolitus eſt (ut mille
in locis eloquentiſſimus Livius atteſtatum reliquit)
non concedebant Romani, de geſto cum latruncu-
lis. Quare exprobratum fuiſſe Pompejo, inquit Plu-
tarchus *in vita ejusdem*, quod in triumphum de pi-
ratis intrudere ſe eſſet machinatus, licet poſtea, ob
belli periculum, & in eo conficiendo dexteritatem,
6 contra triumphi leges, fuerit illi conceſſum. † So-
lum ergo haec ſervitutis conſtitutio, ad hoſtes tra-
henda eſt, cum quibus bellum juſtum erit, ut opti-
me Ulpianus in *d. l. hoſtes* 24. inſinuat: neque id mi-
rum, ſi ſervare non liceat, quos occidere non licet.
Ex quibus ſequitur, quod recte infert Duarenus in
tit. qui teſt. facere poſſ. Cap. de iis, qui teſtam. facere poſſ.
quod inter Chriſtianos licet bella ſint, ſunt civilia
7 appellanda. † Unde etiam ſi captus ſit aliquis in
hoc bello, ſervus non efficitur, & in eo etiam *lex*
haec recipienda eſt. Quod idem tradit Petrus Gre-
gorius Tholoſan. *lib.* 20. *Syntagm. jur. cap.* 4. *num.* 3.
argumento optimi Ulpiani reſponſi, in *l. ſi quis in-*
8 *genuam* 21. §. 1. *verbis* 1. *D. de capt. & poſtlim.* † Ex
quo eodem capite, Ulpiani reſponſum in *l. obſides*
11. *D. eodem titulo de teſtament.* mihi intelligendum
videtur; ut loquatur, non (ut aliqui volunt) de
obſidibus Romanis datis, ex eo, quod peregrini ſint,
& teſtamentum facere non poſſint, argumento *l.* 1.
D. ad l. Falcid. Quod reſponſum cum ſic male ac-
ceperint Accurſius, & antiquiores, rationem prae-
dictam ineptius addunt Duarenus in *loco ubi ſupra,*
verb. lege Cornelia, & Cujacius in *d. l. obſides* 11. Quam
tamen legem ego, non de obſidibus, quos Populus
Romanus acceperat, ſed de ipſis Romanis obſidi-
bus datis, interpretor: alii enim (ut ipſi probant)
ex eo, quod peregrini ſunt, teſtamentum facere non
poſſunt. Quae ergo dubitatio reſtat ex eo, quod
obſides ſint? At ex hoc, non ex illo decidit Juris-
conſultus; igitur de illis eſt lex interpretanda, qui
hac ratione teſtari non poſſunt, Tum etiam & age-
re inceperant compilatores Digeſtor. a *l. ejus qui a-*
pud hoſtes 8. *D. eod. tit.* de his, qui ob ſervitutem te-
ſtamentum facere non poſſunt. Quid ergo in ob-
ſidibus de peregrinis aliquid comminiſcerentur? Sunt
enim quinque leges ſimul poſitae, in quibus dubium
eſt, an poſſit quis facere teſtamentum ex eo, quod
ſervus, vel quodammodo ſervus eſſe videatur. Et
facere, aut non facere poſſe, deciditur, argumen-
to ſervitutis, vel non ſervitutis. Quae omnes in
Cive Romano intelligendae ſunt: mediam autem
inter has, *leg. obſides* 11. de peregrinis intellige-
mus. Si vero alias de eis intelligant cum Accurſio,
& aliis Cujacius, & Duarenus, videant ne ſeipſos
jugulent, & peregrinos factionem teſtamenti habe-
re, contra ſuam ipſorum, in multis locis, opinio-
nem concedant! illae enim exceptiones regulam
in contrarium firmarent, ut nobis regula eſt. † In- 9
telligenda eſt ergo lex illa de Romanis in obſides
datis, quos facere non poſſe teſtamentum, niſi eis
permittatur, merito Ulpianus affirmat. Sunt enim
apud hoſtes, & in eorum poteſtate, † Ita ut ſi fi- 10
des ab his, qui dederunt, non ſervetur, vitae ne-
ciſque eorum poteſtas, apud detinentes ſit. Sic Ro-
mae, poſtquam Volſci bellum integrarunt, obſides
antea pro pace datos in forum adductos, Appius
Claudius, vidente & approbante populo, prius virgis
caeſos (quae Romanis conſuetudo fuit) ſecuri percu-
ti juſſit, ut Dionyſ. Halicarnaſſeus *lib.* 6. refert. Ex
quo infertur, eos teſtamentum facere non poſſe,
quia apud hoſtes ſunt in eorum poteſtate, idemque
quaſi ſervi; † captivi enim, & obſides parificantur, 11
in *l. Divus Commodus* 31. *D. de jure fiſci.* Etſi eis per-
mittatur, non ut Doctores intelligunt, a populo,
ſive a principe Romano (quia jam in his intelligi
non poſſe hanc legem ſupra probavi) ſed ab eo, qui
accepit, facere poſſe: quia vere ſervi non ſunt, niſi
fides rumpatur. † Ex quibus obſides, inter Chriſtia- 12
nos datos, teſtamentum poſſe facere, dicendum
eſt, ſicut eos, in bello captos, teſtari poſſe, ſupra
diximus: quod & annotavit Panormitanus Abbas
in *Ruber. de teſtamentis verſicul.* 18. & noviſſime
Petrus Gregor. vir abſolutae doctrinae in *lib.* 42.
Syntagm. jur. cap. 8. *num.* 7.

CAPUT. XIX.

De legato in ſingulos annos ad *l. ſi in ſingulos* 4. *D. de annuis legat.*

SUMMARIA.

1 *Annuum legatum, an ſit unum, ex temporis praefinitione colligitur.*
2 *Intellectus* l. Codicillis 18. D. de annu. legat.
3 *Conditio, quae ineſt in legato annuo, purificatur initio cujuscumque anni.*
4 *Stipulatio annua, & legatum annuum maxime differunt.*
5 *Intellectus* l. Senatus 35. §. fin. D. de donationibus cauſa mortis.
6 *Quid ſit mortis cauſa capere.*
7 *Ejusdem juris cenſentur legatum, & mortis cauſa donatio.*

Si

Digitized by Google

S*I in ſingulos annos alicui legatum ſit, plura eſſe lega-
ta Sabinus ait; cujus ſententiam veram* dicit Juris-
conſultus Paulus in *l. ſi in ſingulos* 4. *D. de ann. legat.*
& in *l. cum in annos* 1. *D. eodem.* Cum contra annuum
legatum quoddam unum eſſe Papinianus probarit in
l. Firmio 26. § *fin. D. quando dies legati ced.* Hoc tamen
clarius intelliges, quam Accurſius, & Doctores ex-
1 plicant, diſtinctione propoſita. † Aut enim annuum
legatum eſt, cum temporis praefinitione; puta de-
cem in ſingulos annos, usque ad annos viginti. Tunc
quidem regulariter unum legatum eſſe cenſetur;
etenim ſumma finita eſt, & ab initio cognoſcitur:
Unde in gratiam haeredis diſtributio facta intelligi-
tur, ut probat in *d. §. fin.* Papinian. Martianus et-
iam in *l. ſi cum praefinitione* 20. *ad fin. D. eod. titul.
quando dies leg.* Scaevola in *l. codicillis* 18. *in princip. D.
de annuis legat.* niſi aut alimentorum nomine, legatum
eſſe doceatur, ut in *d. l. ſi cum praefinitione* 20. praemit
titur, vel tempus praefinitum, ad legatarii vitam
2 reſpiciat, ex *d. l. Codicillis* 18. † Quam legem ſic ac-
cipe, ut non ſit neceſſaria illa ſolutio Bartoli ibi-
dem de paupere, & divite; opponit enim de exce-
ptione ad regulam, ita ut regulam exceptionem
faciat. Si tamen ſine temporis praefinitione annuum
legatum ſit, tunc recipienda eſt *d. l. ſi in ſingulos* 4. ut
plura legata reputentur, & primi anni purum, ſe-
quentium conditionale judicetur; aliter namque ex
incerto finito, fieret infinitum. Judicatur enim
hoc annuum, alimentorum cauſa relictum, argu-
mentu *l. ſi cui annuum* 14. *D. de ann. legat.* & hac ra-
tione, legatum iſtud non tranſmittitur ad haeredes:
quod aliter eſt in uno legato, etſi in annos ſit ſolu-
3 tio diſtributa. † Conditio tamen illa, ſi vivat, quae
ineſt in legato annuo, purificatur initio cujuscum-
que anni, ut Modeſtinus reſpondit in *l. a vobis* 5. *D.
de annuis legatis.* Ulpianus in *l. nec ſemel* 12. *D. quan-
do dies legati.* Ex quibus infertur ad *l. poſt duos* 15.
C. de advocatis diverſ. judic. Ubi illi annuum, ince-
pto anno, ad haeredes tranſmittunt. Ex qua etiam
ratione, intelligenda eſt *l. diem functo* 4. *D. de offic.
aſſeſſor.* Cum enim cedat dies, reſpectu ſalarii, initio
cujuscumque anni, totum illis debebitur, etiam Le-
gato Caeſaris diem functo; licet, ex alia ratione, id
decidatur in *l. ſed addes* 19. *§. fin. D. locat.* Quae
reſponſa Pratejus, in *lib. Geminat. cap.* 2. congemina-
ta eſſe dicit, ex eoque, ut, in toto illo libro, repre-
hendit Tribonianum, ac ſi in argumentum adduci non
poſſit, quod alio loco traditum eſt; quod fecit in
praedicto §. fin. Paul. Ut tamen ad propoſitum re-
deamus, illa, quae diximus de annuo legato ſine prae-
finitione, locum non habere in ſtipulatione, &
donatione cauſa mortis, aſſerit Accurſius in *d. l. ſi
in ſingulos* 4. Cujus ſententiam nemo reprehendit:
ea tamen vera mihi videtur, & recipienda in ſtipula-
4 tione; † quam in hoc cum legato non convenire,
expreſſe Juriſconſultus docet, in *d. l. ſi Stichum* 16.
§ fin. D. de verborum obligat. neque id mirum! Nam
& haeredibus quis ſtipulari cenſetur, ex *l. ſi pactum
9. ad fin. D. de probationib.* Sed, in donatione cauſa
mortis, haec Accurſii ſententia mihi non probatur.
Quid enim intereſt, An legatum ſit in ſingulos an-
nos, vel per donationem relictum? Ego enim didi-
ci, illud generaliter meminiſſe oportere, quodcun-
que in legatis jus ſit, & in mortis cauſa donationi-
bus eſſe recipiendum, quod apertiſſimis verbis defi-
nit Ulpianus, in *l. illud generaliter* 37. *D. de donat. cauſ.
mortis.* Neque etiam in hujusmodi donationibus lo-
cum habere poteſt ratio illa differentiae, & deci-
dendi, quam conſtituimus, quod ſibi, & haeredi-
bus quis ſtipulari videatur. At nobis objiciet Ac-
curſius, & ejusdem defenſor, de *l. Senatus* 35. *§. fin.*
5 *D. de donation. cauſ. mort.* † Ubi etiam in annua
praeſtatione, differentia a legatis conſtituitur; quod
& ego in caſu illius legis libentiſſime concedam, quae
loquitur de ſtipulatione mortis cauſa. Tunc enim,
ob ſtipulationem; perpetuum illud aeſtimandum
eſt, & ſtipulantem ſicut a praeſenti die, ſic & a mor-
te promiſſoris, ſibi, & haeredibus caviſſe, juxta *d.
l. ſi pactum* 9. *§. fin.* Eſt ergo eadem ſpecies illius *l. Se-
natus* 35. *§. final.* & *d. l. ſi Stichum* 16. Utraque enim
in ſtipulatione loquitur. At e titulo argumentum
faciet Accurſii, & Bartoli, qui idem opinatur, de-
fenſor, quia *l. Senatus* 35. eſt in titulo *de donationi-
bus cauſa mortis.* Quod non gravate admittam, ſi
mihi totus titulus proponatur, qui non ſolum de
donationibus cauſa mortis eſt, ſed & de quibuscun-
que ejus cauſa capionibus, hoc eſt de illis obligatio-
nibus, quae in mortem alicujus collatae ſunt, qua-
lis eſt ſtipulatio illa, Poſt mortem dabis. † *Mortis* 6
*namque cauſa capitur, cum, propter mortem alicujus, ca-
piendi occaſio obvenit*, ut Cajus in *l. mortis cauſa* 31. *D.
eod. tit. de donationibus cauſa mortis*, atteſtatur. Igi-
tur in mortis cauſa capione, quae ſtipulatione con-
cepta eſt, aliud erit dicendum, ſi ſit annua praeſta-
tio, quod illa perpetua (ut praediximus) reputetur.
Cum enim mihi ſtipuler, & haeredibus caviſſe ſum
cenſendus. Si tamen donatio cauſa mortis ſimplex
ſit, & ſine ſtipulatione, a mera morientis liberali-
tate procedens: tunc idem, quod in legatis, eſt di-
cendum; † cum nihil ſit; quod diverſum jus ſua- 7
deat, cum deficiat ſtipulationis ratio, & illud ge-
neraliter in donationibus cauſa mortis, quod in le-
gatis, ſit jus ſtatuendum, ex Ulpiani ſententia, in
l. illud generaliter 37. D. de donationibus cauſa mortis.

CAPUT XX.

De natura disjunctivae, quam noſtri alternativam vocant.

SUMMARIA.

1 *Disjunctione varie utuntur diverſae facultates.*
2 *Dialecticorum disjunctio*, & num. 11.
3 *Juriſconſultorum disjunctio*, & num. 13.
4 *Alternativa Latine dicitur.*
5 *Alternativae natura*; & num. 9.
6 *Alternativae veritas duobus modis conſideratur.*
7 *Ad veritatem alternativae enunciationis requiritur, quod utrumque ſit verum alternative*, & num. 8.
10 *Intellectus* l. haec verba 124. D. de verbor. ſignific. & num. 14.
12 *Subdisjunctivarum interpretatio.*
15 *Alternativae affirmativae effectus*, & *negativae*; & num. 16.
17 *Explicatur* l. plane 34. §. penultim. D. de legat. 1. & num. 18.

CUm ex cognitione disjunctivarum, plurimo-
rum jurium pendeat interpretatio, quae male
hucusque intellecta ſunt: placet in explicanda ejus
natura, latius immorari, quam meae conſuetudinis
ſit. Id enim a nemine factum eſt ex profeſſo, prae-
ter unum Calepium, qui, dum id explicat in repetit.
l. ſi is qui ducenta 13. *§. cum ita* 2. *D. de rebus dubiis.*
ſophiſtam ſaepiſſime agit. Erit autem animadverſio
haec generalis ad ea, quae in capitibus ſequentibus
animadvertenda ſunt. Quae tamen, ut rectius in-
telligantur, eſt obſervandum, disjunctionem, ut
Synonymam, prius dividendam, † qua varie utun- 1
tur diverſae facultates. Ea eſt enim Grammaticis
pars orationis, quae disjungit, apud quos ſaepiſſi-
me verba, & non ſenſum ſeparat; quod generaliter
recipiendum eſt, ubicumque inter dictiones, ſyno-
nymas Ciceroni dictas, ponitur. † At Dialectici 2
disjunctione utuntur, ad argumentum conficien-
dum: quibus vere disjunctum eſt illud, quod con-
ſtat ex duobus contrariis terminis, quorum alterum
verum, alterum falſum eſſe neceſſarium ſit: ea nam-
que ratione, disjunctio neceſſarium argumentum
efficit, ut docet optime Proculus, in *l. haec verba*
124. *D. de verborum ſignificat.* idemque tradidit Cice-

Digitized by Google

ro *lib. de Natura Deorum*, contra Epicurum con-
trarium afferentem, & *lib.* etiam 4. *Academ. quaeſt.* &
ex Phavorino docuit Aul. Gell. *noct. Atticar. lib.* 5.
cap. 11. Ex exinde Cicero idem *in Topic.* in disjun-
ctionibus, plus uno verum eſſe non poſſe aſſerit:
quod ex ſua natura neceſſarium eſt. Cum enim co-
pula, quae conjungit, utrumque requirat eſſe ve-
rum, ſive falſum, pro modo enunciationis, ita &
disjunctiva, quae e contrario disjungit, neceſſe ha-
bet alterum tantum eſſe, aut non eſſe. Quod non
obſcure ſignificat Juriſconſultus in *l. ſiquis ita ſtipula-*
3 *tus* 129. *D. de verborum obligat.* † Nobis vero, qui
etſi disjunctione utamur, qua Grammatici, atque
Dialectici; tamen quia, aliis etiam in rebus, disjun-
ctionis neceſſitatem habemus, quae neque orationem
ornet, neque argumentum efficiat (ut patet in con-
ditionibus alternativis, legatis, obligationibus & ſi-
milibus) id erit disjunctum, quod, ex variis termi-
nis conſtans, alterum eſſe neceſſario requirat; licet
pro terminorum differentia, uterque, vel neuter
eſſe poſſit, ut infra declarabimus, dum de intelle-
ctu *l. haec verba* 124. agemus. Eam autem disjun-
ctionem, quae nobis magis in uſu eſt, alternativam
4 Doctores noſtri appellarunt: † quam vocem non
omnino barbaram exiſtimant, id *d. l. haec verba* 124.
Alciatus & Viglius in § *ſi plures* 6. *num.* 3. *Inſtit. de*
5 *haeredib. inſtituend.* † Haec ſi recte conſideres, co-
gnoſces disjunctivae, ſive alternativae (his enim vo-
cibus, ut Doctores faciunt, promiſcue utar) eam
eſſe naturam, ut verificetur, ſi in ea alterum ſit ve-
rum, illique ſatisfieri, ſi alterum adimpleatur, quod
noſtris Doctoribus axioma eſt, ex *d. l. ſi ita quis ſti-*
pulatus 129. *D. de verborum obligat.* ex *l. cum pupillus*
78. §. 1. *D. de condit. & demonſt.* & *cap. inter caeteras* 4.
de reſcript. deductum. Cujus regulae, licet quidam
ex noſtris plures exceptiones faciant, vix unam,
aut alteram reperies. Neque enim huic communi
Juriſconſultorum, & Doctorum traditioni oberit,
ſi quis cum Petro Ramo *lib.* 20. *animadverſ. Ariſtote-*
lic. in Elencho conjunctae, perridiculum eſſe affir-
met, dicere, quod ad disjunctivae veritatem ſuffi-
ciat, ſi altera pars vera ſit. Namque, ſi intelliga-
mus, ut ipſe facit, falſiſſima erit haec regula. At
ego aliter eam intelligendam judico; atque obſer-
vandam generalem quandam, eamque neceſſariam
6 in multis poſitionem. † Alternativae veritatem duo-
bus modis poſſe conſiderari: aut per ſe generaliter,
tanquam enunciatio alternativa; aut illa eadem cum
effectu; ſive ut philoſophantibus magis placet, po-
7 teſt conſiderari in abſtracto, aut in concreto. † Ad
veritatem ergo disjunctivae enunciationis, ut enun-
ciatio eſt, requiritur quod utrumque ſit verum al-
ternative, hoc eſt, ut ſit habilitas terminorum, qui
determinari poſſint pariformiter per alternativam:
quibus vocibus me uti liceat, ut rectius rem expli-
cem. Exemplum erit (ut clarius id pateat) in hac
enunciatione: aut furtum eſt, aut injuria, rei alie-
nae contrectatio. An quia haec disjunctiva verifi-
catur in altera parte, vera erit? Minime! Ridicu-
lum erit id fateri; quia non eſt terminorum habili-
tas, ut ex aequo unus, aut alter verus eſſe poſſit:
idque mihi aperte probat Juriſconſultus Paulus in
l. ſi duo rei 128. *D. de verborum obligat.* Ubi ſi quis ſub
disjunctiva, Stichum, aut Pamphilum promittat,
& obligatio in Pamphilo non conſiſtat, non erit
obligatio alternativa, quae obligatio conſiderat dis-
junctivam in abſtracto. Et exinde ſolutio, quae re-
ſpicit eam in concreto, non poterit eſſe alternati-
va, licet ſolutionis tempore conſiſtere poſſit in eo-
8 dem obligatio: ea ratione, quam tradidimus. † Quia,
ut ſit enunciatio alternativa, vere alternativa re-
quiritur, quod utrumque eſſe poſſit: quod etiam
eodem argumento probatur, in *Authent. ſi quando*,
ad fin. C. de conſtitut. pecun. Poteſt tamen, ut dixi,
conſiderari alternativa, ut ſortitur effectum, ſive
ſi mavis in concreto: † & tunc, ſecundum Docto- 9
rum regulam, illi ſatisfit, ſi alterum adimpleatur,
verumque ſit; qua ratione noſtri hanc regulam ad-
mittunt. Erit omnium exemplum in ſtipulatione
alternativa: promitto Stichum, aut Pamphilum.
Si in Sticho obligatio non ſiſtit (quia non eſt in
rerum natura) jam haec obligatio non eſt alterna-
tiva, licet in Pamphilo verificari poſſit. At ſi
in utroque conſiſtit obligatio, eſtque vere disjun-
ctiva. Tunc ſi accedamus ad ſolutionem, qua effe-
ctum ſortitur alternativa, ſolvi Stichum, verum
eſt me Stichum, aut Pamphilum ſolviſſe. Nam
etſi Pamphilum non dederim, dedi tamen Stichum;
quo alternativae naturae ſit ſatis. † Ex quibus et- 10
iam intelligetur doctrina Proculi in *d. l. haec verba*
124. *D. de verbor. ſignificat.* quam me interpretatu-
rum ſupra promiſi. Proponit enim ibi Juriſconſul-
tus disjunctum proprium Dialecticorum, ad cujus
inſtar omnia regulanda ſunt. † In quo etiam intel- 11
ligendi Cicero & Gellius, ſupra citati. Cujus ea
natura eſt, ut ſi in eo ſit alterum verum, erit alte-
rum falſum, & econtra: quia ex contrariis terminis
debet confingi. Unde & aſſirmative, & negative
concludit, quod ſic ſatis Cicero *in Topic.* declaravit.
Quae ſi recte conſideraſſet Calepius in ſua illa repe-
titione *l. ſi is qui* 13. §. *cum ita* 2. *D. de rebus dub.* non
diceret Grammaticorum quoſdam falſo aſſerere, quod
ſi in disjunctiva enunciatione unum ſit, alterum
non erit. Quod dixit Proculus noſter, dixit Cice-
ro; dixit, teſte Gellio, Phavorinus Philoſophus:
neque alius unquam negavit, niſi Epicurus, & Ca-
lepius iſte, dicens Grammaticorum eſſe figmentum,
quod vere proprium eſt de natura disjunctivae: il-
lius, inquam, quae ad rationem argumentandi per-
tinet. Quod cum confunderit Antonius Perſius in
libro novarum poſition. contra jus Civile, poſitione 656.
falſam hanc Proculi doctrinam eſſe falſo aſſeverat,
de ſubdisjunctivis, ad disjunctum inferens, qui, cum
nullis aliis rationibus Proculum impugnarit, parum
nobis ejus authoritas negotium faciet. Neque obe-
rit, ſi quis pro eis dicat, in hac obligatione dabis
decem; ſi navis venerit, aut Titius fuerit Conſul
factus, dummodo unum acciderit, nihil obeſſe, ſi
utrumque factum ſit: quod & nos admittimus, &
Proculum docuiſſe cognoſcimus; quem illi, diverſa-
rum facultatum dogmata confundentes, non intel-
lexerunt. Ea namque obligatio non eſt ſemper e-
nunciatio disjunctiva, ſed ſubdisjunctiva aliquando,
ut Proculus ſatis docet; dum inquit: *Haec verba, ille,*
aut ille, non ſolum disjunctivae, ſed etiam ſubdisjunctivae
orationis ſunt. † Explicat autem ibi ſubdisjunctiva 12
duo, quae ut melius intelligantur, per modum il-
lationis explicat. Primum ſubdisjunctivum eorum
eſt, quae non poſſunt ſimul eſſe, licet poſſint ſimul
non eſſe. Ex quo infertur ex affirmativa, ut ſi di-
cas, aut ſedet, aut ambulat; ſed ſedet, ergo non
ambulat: non tamen ex negativa recte infertur, ſed
non ſedet, ergo ambulat. Cujus exemplum, & u-
ſum (ut haec ſcire neceſſarium eſſe videas) apud
Aulum Gellium invenies, *lib.* 2. *noct. Attic. cap.* 7. *ad*
fin. & *d. lib.* 5. *cap.* 11. Alterius generis eſt ſubdisjun-
ctivum, in quo ita poteſt utrumque ſimul eſſe, ut
non poſſit neutrum eſſe. Ex quo infertur ex nega-
tiva, ut ſi dicas: omne animal, aut agit, aut pa-
titur; ſed non agit, ergo patitur: non tamen ex
affirmativa aliquid inferes. At Petrus Ramus, ubi
ſupra, ridiculum eſſe dicit, quae non ſunt contra-
ria, disjungi: & antea docuerat Aulus Gellius *lib.* 16.
cap. 8. Quod tamen recipiendum eſt apud Dialecti-
cos, quibus nullum aliud disjunctum eſt, quam ar-
gumentum neceſſarium faciens. Et neque Procu-
lus negavit, idque ſolum disjunctum appellat, quod
contraria, ſeu oppoſita ſeparat. Alias autem ſpe-
cies ſubdisjunctivarum annectit: tum ut oſtendat,
quomodo ex eis aliquid inferri recte poſſit, quid-
que

Digitized by Google

que in illis ſit evitandum; quod ipſe animadverſor,
& Philoſophus non tam ſtrenue praeſtitit, quam
13 noſter Juriſconſultus: † Tum etiam, quia nos non
contraria, aliquando disjuncta habemus, qui aliquando
practice, & in individuis ipſis alternativam
14 conſideramus. † Et inde ex illa optima Proculi do-
ctrina illud elicimus, ad intellectum plurimarum al-
ternativarum, quae ad argumenta non pertinent:
15 † quod ubi alternativa affirmative concipitur, dum-
modo alterum ſortiatur effectum, quod de ejus na-
tura requiritur, nihil oberit, ſi utrumque ſit, ad
inſtar alterius ſecundae, nempe disjunctivae, ut in
illa obligatione, quam poſuimus: Dabis, ſi navis ve-
nerit, aut Titius fuerit Conſul; nihilominus debe-
bis, ſi utrumque acciderit, etſi ſufficiat alterum ac-
16 cidiſſe. † Si vero negativa ſit alternativa, dummo-
do unum non ſit, nihil officiet, ſi neutrum evene-
rit; quia, licet non poſſit ſimul eſſe vera ad exem-
plum primae disjunctivae, ut obligatio contrahatur,
poſſunt tamen ſimul non eſſe. Neque ex hac opti-
ma doctrina, quam ex Proculo colligimus, ſeque-
tur abſurdum illud, quod ſi decem, aut Stichum
promittam, poſſum utrumque ſolvere, ita ut non
videar meum minuere patrimonium: aliquis enim
ſequi diceret, quia eſt promiſſio alternativa, in qua
utrumque ſimul eſſe poteſt, poſſe tamen falſiſſimum
eſt. Nam utraque res proponitur ad obligationem,
non ad ſolutionem, *l. ſi duo* 128. *D. de verbor. obligat.*
17 † ad quam eſt referenda *l. plane* 34. §. *penult. D. de le-
gat.* 1. ibi duo eſſe legata: cui poſtea addit, unum
eligi poſſe. Haec tamen difficultas nihil oberit, ſi
conſideremus, hoc non eſſe de natura disjunctivae,
ſed praeter naturam; quia disjuncta non ſunt in hoc
caſu vere oppoſita. Erunt autem ut oppoſita conſi-
deranda, quoad ſolutionem, cum unum tantum pro-
ponatur ex disjunctis ſolvendum in dictis juribus.
Unde abſurdum hoc non ſequitur; ſed illud quidem
recte infertur, quod ſi utrumque ſolutum fuerit,
non ideo minus alterum recte ſolutum erit, licet al-
terum repeti poſſit; quod probat Julius Paulus in
l. plane 21. *D. de condict. indeb.* Ex qua differentia ob-
ligationis, & ſolutionis, intelliges *l. ſi illud aut illud*
27. *D. de legat.* 2. & *l. cum illud aut illud* 25. *quando dies
legati cedat.* Ubi ſi illud, aut illud legatum eſt, u-
18 num legatum eſſe dicitur: † cum tamen *d. l. plane*
34. §. *penult.* duo eſſe legata probet. Nam leges il-
lae intelliguntur, quoad ſolutionem; haec altera,
quoad obligationem. Et exinde addit poſtea, u-
num eligi poſſe, cujus reſponſi effectus apparet ex
ſimili in *l. Lucio Titio* 23. *D. de legat.* 2. Eſt ergo hujus
animadverſionis maxima utilitas; ex qua plurima re-
ctius, quam hactenus expoſita ſunt, intelliges jura:
quae tamen cum materiam habeant diſtinctam, & ex
profeſſo interpretationem requirant, erunt in ani-
madverſionibus ſequentibus explicanda: ne haec lon-
gius protracta faſtidium pariat.

CAPUT XXI.

De illis alternativis, quibus in progreſſu ſuorum reſponſorum JCti utuntur: quas Doctores alternativas legis appellant.

SUMMARIA.

1 *Alternativa legis non ſervat ſuam naturam, ſecundum Doctores, ſed contra*, num. 2.
3 *Juriſconſultos disjunctionis naturam optime cognoſcere.*
4 *In* l. ubicunque 60. D. de fidejuſſoribus, Doctorum *opinio non probatur.*
5 *Neque in* l. Quintus Mucius 10. D. de aur. & arg legat. *& ejus intellectus*, num. 6.
7 *Intellectus* l. fundi venditor 33. D. de acquirend poſſeſſione.
8 *Qui non prohibet, dum poteſt, permittere videtur.*
9 *D. Covarruvias pluſquam Doctor venerandus.*
10 *Intellectus* l. emptor 8. C. de evictionibus.

LEgis † alternativam ſuam naturam non obſerva- 1
re, ſed ſaepe in copulam converti, ſaepe non
poſſe in alterutra parte effectum ſortiri, plurimi ex
noſtris Doctoribus fatentur. Idque tradit Bartol.
in *l. ſi is qui ducenta* 13. §. *utrum* 3. *D. de rebus dubiis*,
num. 1. & tradiderat antea Cyn. in *l. cum quidam* 4.
num. 4. *C. de verbor. ſignificat.* Converti autem in co-
pulam aliquando, prout ſubjecta materia requirit,
non inficiabor: id enim nobis Paul. in *l. ſaepe* 53. *D.
de verborum ſignificat.* atteſtatum reliquit. † At in 2
alterutra parte effectum ſortiri non poſſe, & effe-
ciſſe aliquando Juriſconſultos disjunctivam, quae vel
Grammaticis riſui foret, mihi ſuaderi non poteſt.
† Plane enim illos, qui (liceat mihi hoc tantis viris 3
tribuere) melius Philoſophis ipſis, disjunctionis na-
turam cognoverunt, abſurde ea uſos fuiſſe fateri,
iniquum quidem videtur. Quare in legibus etiam
id eos obſervaſſe, eſt ſane nobis concedendum, cum
nihil ſit, quod in contrarium nos moveat. Primo
namque id Doctores probant per *l. ubicumque* 60. *D.
de fidejuſſorib.* † Ubi in ſecunda parte disjunctivam 4
verificari non poſſe affirmant. Rectius tamen pro-
fecto id negat ibidem Cumanus, probans in ſecun-
do etiam disjunctionis membro legem illam eſſe ve-
ram, aliquando poſſe, legem expreſſam ad id alle-
gans, ubi in ſumma id falſus eſt Bart. quae eſt *pen.
D. de praetor. ſtipul.* † At inſiſtent Doctores ex *l.* 5
Quintus Mucius 10. *D. de auro & argent. legat.* In cujus
intellectu, ſi liceret contra Pomponium Juriſcon-
ſultum aliquid dicere, plane aſſererem eum optime
annotaſſe verba Scaevolae in principio, ſuique ob-
litum, objectionem propoſuiſſe. Etenim vere in
exemplo Scaevolae locum haberet demonſtratio il-
la, quod ejus cauſa paratum eſſet, ad minuendum
legatum. Namque *vas*, ibi Quintus Mucius, &
veſtimentum figurate accepit pro plurali, ut expli-
cat ſatis adjectio illa, *quod ejus cauſa*: tum quia *ve-
ſtis, an veſtimenta legentur, nihil refert*, ut inquit Ul-
pianus in *l. veſtis* 23. *D. eodem titul.* † Sed ſto legem 6
omnem, & Pomponium defendendum: nihil tamen
contra disjunctivam, ſed potius pro ejus natura,
arguit Pomponius, ponitque differentiam inter de-
monſtrationem, quae generali legato adjicitur, &
quae ſpeciali; ut illa minuat legatum, haec mini-
me: quod omni jure receptum eſt. † Majorem au- 7
tem difficultatem faceret *l. fundi venditor* 33. *D. de
acquir. poſſeſſ.* quam tamen ipſi pro ſe non afferunt:
ubi ſic ait Pomponius, qui adhuc nobis contraria
deluenda ſuppeditat: *Item ſi amicus venditoris, mor-
tuo eo priuſquam id ſciret, aut non prohibentibus hae-
redibus id fecerit, recte poſſeſſio ei tradita erit: ſed ſi id
fecerit, cum ſciret dominum mortuum, aut cum ſciret
haeredes id facere nolle, contra erit.* Ubi vides re-
pugnantiam, ſi in utroque caſu alternativam ſuam
naturam ſervare dicas. Quae etiam verba maxi-
mam aliam patiuntur difficultatem, ex communi
illa regula, quod mandatum exſpirat morte man-
dantis. Si autem Doctorum obſervatio, de alter-
nativa legis, nobis recipienda foret, facillimum eſ-
ſet primae difficultati ſatisfacere, cum Bartol. ibi,
& Doctoribus: quod in ſecundo ibi caſu disjun-
ctiva verteretur in copulam, ne contineret repu-
gnantiam. Attamen haec differentia alternativa-
rum tum & mihi non placet generaliter; tum
& ibi praecipue inconſtantiae, ne dicam inſcitiae,
argueret Juriſconſultum, qui duabus tantum lineis
varie eadem dictione contra naturam uteretur. Qua-
re dicendum eſt & ibi, ſicut & alibi fere ſemper,
naturam ſuam alternativam retinere, & in qualibet
parte verificari. In primo enim caſu & membro
patet: ſi enim ignorans mortem tradidit poſſeſſio-
nem, recte tradidit. In ſecundo etiam ejuſdem pri-
mae alternativae membro, non prohibentibus, id eſt,
per-

Digitized by Google

permittentibus, haeredibus: quam interpretationem
8 ratio ipſius diſpoſitionis ſuadet: † tum etiam quia,
qui ſciens non prohibet, dum poteſt, nedum permittere, ſed mandare videtur, ut expreſſiſſimis verbis Ulpian. probat in *l. ſemper qui non prohibet* 60. *D. de regul. jur.* nihil mirum, ſi non prohibentibus, pro permittentibus accipiamus, cum aequivaleat non prohibitio permiſſioni. In ſecunda etiam alternativa, verificatur illa ſemper. Verum enim eſt eum non recte tradere, ſi mortem mandantis ſciat; non inquam recte tradere, hac ratione, quod non repugnat ſecundo membro prioris alternativae. Nam nihil habet repugnantiae, eum recte tradere, permittentibus, ſeu non prohibentibus, haeredibus: & male tradere, ſi ſciat mortem; hac ratione, niſi nempe ei aliud accedat, quod eſt ſecundum illud membrum, ſcilicet haeredes permittere. Quod etiam ſecunda ſecundae alternativae pars, non parum aperit, nempe non recte tradere, ſi ſciat haeredes id eum facere nolle. Quem intellectum veriſſimum credi, licet parum aliter, dum idipſum probare intendit, explicaverit Petrus Stella in repet. *l. Papinianus* 14 *D. de public. in rem. act. a num.* 15. Ubi ſecundam, quam propoſuimus difficultatem recte explicat, exploſa communi Doctorum calculo recepta ſententia; quod mandatum, morte mandantis, tunc finitur, quando non proceſſit ex cauſa neceſſaria, ut in illa lege. Explicat recte ille tamen illud Pomponii reſponſum, prout jacet, in poſſeſſione intelligens, quem, ut probem praeter rationes, quas ibi late tradit, mihi ſuaſit, quod ei ſubſcribat
9 locupletiſſimus mihi, & fideliſſimus teſtis, † D.
Covar. in *lib. practicarum quaeſt. cap.* 11. *num.* 1. *&* 2. Ubi hanc quaeſtionem ex profeſſo examinat, qui unus mihi plusquam Doctor eſt, & pene ex antiquis illis Juriſconſultis. At demum, ut ad rem redeamus: pro illa Doctorum ſententia, & alternativa legis non disjungenda, quam improbamus, objiciet nobis aliquis communium opinionum defen-
10 ſor *l. emptor* 8. *C. de evictionib.* † Ubi Imp. Alexand.
reſcripſit, quod ſi, agente aliquo de evictione, *in judicio emptor non affuit, aut praeſens per injuriam victus eſt, abſente auctore vel fidejuſſore, regreſſum adverſus eum non habebit.* Ergo ſi praeſente auctore id factum fuerit, dum ſit abſens fidejuſſor, idem erit, ut ſi alternativae naturam ſervandam dicam, plane aſſerendum mihi eſt. At id inhumanum videtur, ut in *d. l. emptor* 8. atteſtatur Fulgoſ. & eſt contra *l. Henerias* 63. *§. Caja* 2. *D. eodem tit. de evictionib.* Tandem ergo, aut hoc aſſerere, contra jus, & aequitatem; aut alternativam legis, juxta Doctorum ſententiam, non ſervare alternativarum naturam, fateri oportet. Quod tamen ego non faciam, neque *d. l. emptor* 8. ad id me coget: ubi id neceſſarium non eſt, ſed tantum conſiderare nos effectum illius alternativae, qui eſt, quod alter eorum ſit praeſens, auctor nempe, aut fidejuſſor, ut ad oculum patet. Non ergo inde illud ſequitur: eſt praeſens auctor, & non fidejuſſor; ergo non habebit regreſſum. Sed illud ſane recte colligitur; non eſt abſens auctor, ergo habebit, non econtra: ut ex doctrina illa Proculi, circa naturam disjunctivarum, quam *cap.* 20. ſupra proximo explicavimus, ſatis patet: quod in cenſendis harum dictionum variis aſſumptionibus, primas partes habere debet: ut non ſit neceſſarium, contra ipſarum vim, & naturam explicare, ut abſurde interpretemur: quod fiet quidem, ſi in legum ipſarum contextu, quae hoc praecipue requirunt, fallere ſupradictam regulam concedamus. Quae cum certiſſima ſit, non erit opus probare, eam in legibus etiam eſſe veram. Sed contraria, quae opponuntur, diſſolvere, fuit opus: quod jam (neque ut credo male) praeſtitimus.

CAPUT XXII.

De uſu hujus dictionis, *ſive*, aut *ſeu*, ad intellectum *l. ſi quis ita* 30. *D. de auro & argent. legat.*

SUMMARIA.

1 *Dictione, ſeu, ut vere alternativa utuntur Juriſconſulti, eaque vere disjunctiva eſt reputanda*, num. 3. *niſi in quibusdam caſibus*, num. 4.

ETſi de nomine, & parvi momenti quaeſtionem hanc judicabunt alienorum ſcriptorum calumniatores; ex ea tamen aliquorum jurium pendet intellectus: & in practica etiam, circa interpretationem majoratuum, reſcriptorum & aliarum rerum, quae aliquando Latinis verbis concipiuntur, quandoque proderit: ad Hiſpanum enim eloquium nihil juvabit, quia non habemus dictionem, quae huic ſpecialiter aequivaleat. De qua tamen pene axioma eſt, eſſe dictionem ampliativam: quod ex Pauli reſponſo in *l. ſi quis ita* 30. *D. de auro & argent. legat.* Doctores aſtruunt: ubi ita interpretatur Bartol. & ipſe idem in *l. ſi is qui ducenta* 13. *§. utrum* 3. *D. de rebus dub* & in *Rubric. C. de navicular. lib.* 11. cum quo alii plures Doctores id ſecure atteſtantur. At mihi lege illa non probatur, neque de natura illius dictionis *ſive* aut *ſeu*, eſſe concedendum eſt. † Pri- 1
mo namque in *d. l. ſi quis ita* 30. ut non alternativam, juxta ejus naturam, dictionem judicaret Paulus: ſive verius eam, etſi disjunctivam, non alternative diſtribuere, ut reſponderet, illud ſuaſit, quod ibi non fuit interpoſita disjunctio inter res legatas, ſed inter demonſtrationem, quae neque falſa, nedum incerta, aliquid noceret. Cum igitur non cadat inter res legatas, nihil mirum, ſi debeatur omne illud, quod legatum eſt; cum, ut inquit Paulus, dictio illa, *ampliandi gratia*, interpoſita ſit: quod ſi eſſet de ſua natura, non ex eo, quod ibi ampliandi gratia interpoſita decideret. † Qua dictione, ut 2
vere alternativa, uti ſaepiſſime Juriſconſultos, probatur plane in *l.* 1. *§. ſublata* 3. *D. ad SCtum Trebell.* & melius in *l. generaliter* 7. *C. de inſtitut. & ſubſtitut.* in cujus intellectu nos infra in *cap.* 33. latius immorabimur. At quod ad nos attinet, dictione *ſive*, ut disjunctiva, uti Juſtinianum ſat fuerit monuiſſe, dum ait, *& ipſe, vel ipſa liberos ſuſtulerit, ſive nuptias contraxerit, ſive teſtamentum fecerit*: quid enim ibi ampliandi cauſa poſuiſſe Imperatorem fatebimur, cum disjunctive diſponat? Probatur id demum in *l. Julianus verum debitorem* 60. *D. de condict. indebit.* Ibi, *ſive navis ex Aſia venerit, ſive non venerit*: † eſ- 3
ſe enim eam disjunctionem, ipſius argumenti ratio ſuadet, ex his, quae ſupra in *cap.* 14. annotavimus. Quare mihi recipiendum non videtur, quod de hac dictione Bartolus generaliter aſſerit: & multo minus, quod Nicol. Valla, *de reb. dub. tractat.* 1. *num.* 9. cum Alexand. ab Alexandro *lib.* 2. *Dier. genial. cap.* 5. probat, cum quis fundum, ſeu aedes ſiline legat, omnia deberi. Tunc enim, cum dictio *ſeu* inter res legatas ſit poſita, juxta naturam ſuam, disjunctive erit interpretanda. Namque *d. l. ſi quis ita* 30. aliter, ut diximus, intelligenda, nihil eſt quod in contrarium nos moveat, ut a vera ejus dictionis, & genuina ſignificatione recedamus; qua, ut vere disjunctiva, uti Juriſconſultos jam monuimus. † Ne- 4
que ſane aliter eſt interpretanda, niſi aut inter dictiones, ſive res ſynonymas poſita ſit; ut ſupra *cap.* 20. *in princip.* praevidimus: aut ſubjecta materia aliud poſcat, in qua non verba, ſed res ipſa attendenda eſt.

CAPUT. XXIII.

De intellectu *l. 1. D. de rebus dubiis.*

SUMMARIA.

1 *Alternativam debere inter ſimilia collocari, falſam.*
2 *Periculoſae plures apud Doctores allegationes.*
3 *In dubio non cenſetur maxima differentia in pretio rerum, alternative promiſſarum.*
4 *In legatis, niſi verba referantur ad haeredem, legatarii eſt electio.*
5 *Intellectus* l. cum res 47. §. ſed etſi Stichus 3. verſic. totiens. D. de leg. 1.
6 *Nullae ſunt differentiae legatorum.*
7 *Ex differentia, quae non eſt, non poteſt ſumi differentiae ratio.*
8 *Non ſemper ſecura eſt jurium allegatio cum Doctoribus.*

CUm Papinianus, in *l. 1. D. de rebus dubiis*, quaeſtionem dubiam abſolvat, juxta aequitatem, jurisque Civilis regulas, cum Doctores in reprobum ſenſum interpretantur, ut veriſſimas juris poſitiones confundant. Primo enim ex hoc Papiniani reſponſo colligunt, alternativam debere inter ſimilia, vel
1 parum diſtantia † collocari: quod falſiſſimum eſſe
ex iis, quae ſupra *cap.* 20. de disjunctivarum natura obſervavimus, ſatis apparet. Id tamen colligunt
gloſſ. plures, quas refert, & ſequitur praeter alios,
Hypolitus in *Rubric. D. de fidejuſſoribus*, *num.* 32. qui
etiam affert, in ejus ſententiae probationem, *l. fin. l.*
2 *§. cui dulcia* 1. *D. de tritic. vino, & oleo legato.* † Ex
quo apparet, quam periculoſa ſit apud Doctores allegationum, ut ita dicam, luxuries, cum lex illa
plane loquatur in copulativa; in qua etiam neque
id reciperem. Sed cum ab hac opinione jam defecerint aliqui, inter quos praecipue id Joannes Crot.
impugnat in *l. 4. §. Cato* 1. *D. de verbor. obligat.* mihi
tantum erit animadvertendum, ex *d. l.* 1. id non
probari: ubi ex ortu obligationis colligitur prae-
3 ſumptio veriſſima juris, † non ſcilicet debere maximam eſſe diſtantiam in pretio rerum alternative promiſſarum. Cum enim promittam hoc, vel illud,
ſive legem, ſatis apparet valorem, ut ita dicam,
non eſſe diſſimilem: quando nempe ſumus in conjectura, & dubia eſt promittentis, aut legantis voluntas, de quibus dubiis in *illo tit.* Si vero ſine dubio, & aperte apparet eſſe diſſimilem, non ob id
vitiatur alternativa, quae tam inter ſimilia, quam
inter diſtantia, & proprie inter contraria collocatur. Unde illud de natura ejus non eſt, quod affirmant plures ex noſtris, quod apparet in ſpecie,
l. Lucio Titio 23. *D. de leg.* 2. Quis enim negaret differentiam eſſe maximam in pretio rei, & uſusfructus
ejus, nec ob id tamen inutile ſit legatum rei, vel
uſusfructus ſub alternativa relictum? Alterum, quod
probari putant aliqui in *eadem l.* 1. contra plurima
alia jura, & conſtitutiſſimam ſententiam, eſt illud,
quod ibi in legato alternativo haeredis electionem
eſſe probat Juriſconſultus; cum contra potius
4 judicandum ſit, ex regula illa generali, † quod in
legatis, niſi verba referantur ad haeredem (quia tunc
ipſe eligit) legatarii eſt electio, juxta traditionem
illam celebrem Gloſſae, in *l. Lucio* 23. *D. de leg.* 2.
Quam praeter Bartol. & Doctores ibidem, recipiunt, & venerantur doctiſſimus Covarr. in *cap. indicante. num.* 3. *de teſtament.* & Anton. Gomez. 2.
tom. variarum. cap. 11. *num.* 43. neque multum abhorrentem a regula illa generali, quam circa electionem
tradidit Ulpianus in *l. cum res* 47. *§. Sed ſi Stichus* 3. *D.*
5 *de leg.* 1. Ibi, *totiens enim electio eſt haeredi committenda, quotiens moram non eſt facturus legatario.* Nam
cum res futura ſit legatarii, ubi elegerit, ex *l. apud
Aufidium* 20. *D. de opti. legata.* quae futura erat ſemper, niſi a principio incerta, ex *l. ſi tibi homo* 86. *§.
cum ſervus* 2. *D. de legat.* 1. hoc jus ei tolleretur, &
rei vindicatio, quam haberet, ſi non ei electionem
concedamus. Quod plane dictae Ulpiani regulae
adverſaretur, non tamen ſi ab haerede ſumere juſſus
eſt; in quo caſu praecipue voluntas teſtatoris eſt inſpicienda. Neque enim ex differentia illa antiqua
legatorum, differentiae ratio eſt aſſumenda; † quia 6
cum jam ſint differentiae ſublatae, non video, qua
ratione ſit accidens ſine ſubjecto. Si enim concedamus (ut neceſſarium eſt nos fateri) eſſe differentias illas a Juſtiniano ſublatas, in *l. 1. C. communia de
legat.* † ex differentia, quae non eſt, differentiae 7
ratio nulla deſumi poteſt, niſi id referas ad teſtatorum praeſumptam, uno non levi argumento declaratam voluntatem, ut fecit Cujacius in *fragm.* Ulpiani *tit.* 24. in verbo, *optione autem legati:* & nos
ſupra. Neque tunc ob differentiam legatorum, ſed
ob teſtantis voluntatem id fieri, eſt aſſerendum:
quod tamen in *d. l. 1. D. de rebus dubiis*, non ſervari,
ego non fatear: contrarium plane ibi, ſi verba &
diciſionem ſimul attendas, probatur. Agitur enim,
an poſſit legatario, fundum Mevianum petenti, ſub
quo plures alii comprehenderentur, objici exceptio,
ſi non ſit magna differentia in pretio, & Mevianum
ſeparatim dare poſſe; eum nempe, quem jam elegerat: neque enim video aliquid, quod contrarium
ſuadeat. Qua quidem conſideratione ibi non probari, quod quidam ajunt, plane videbis: ſicut non
probari illud de alternativa, diſſimilia non disjungere, jam animadvertimus; † ut non ſemper ſecura 8
ſit jurium allegatio cum Doctoribus, niſi priusquam
id facias, ſatis perpendas.

CAPUT XXIV.

De alternativa negativa, ad intelligentiam *l. ſi is qui ducenta* 13. *§. utrum* 3. *D. de rebus dubiis.*

SUMMARIA.

1 *Alternativam negativam non ſervare diſtinctionis naturam, falſum.*
2 *Doctrina Proculi, in materia alternativarum, regula Lesbia, & ejus effectus*, num. 3.
4 *Alternativae negativae effectus, item affirmativae; &* num. 5.
6 *Contrariorum eadem eſt diſciplina contrarie.*

TOt ſunt jura, quorum intellectus ex cognitione alternativae pendet (quod ſupra in *cap.* 20.
praevidemus, & interpretanda promiſimus) ut cogar in hac materia latius, quam par eſſet, immorari, licet & hoc ſit non ab inſtituto alienum. Cum
enim conſtitutum ſit, & plane de ejus natura, disjunctivam in qualibet parte verificari, eique ſatisfieri, ſi in alterutra parte effectum ſortiatur; id in
alternativa negativa recipiendum non eſſe, † pro- 1
bant aliqui ex noſtris, & praecipue Abbas Panormitanus (ſub cujus authoritate, & alii plures decipiuntur) id probantes ex Juliani reſponſo, in *l. ſi
is qui ducenta* 13. *§.* 3. *D. de reb. dub.* Quod verius
contrarium probat, ut jam alii, hanc exceptionem
veriſſimae regulae abhorrentes, notarunt, qui ſunt
Felin. & Decius, & praecipue Joannes Imol. in
cap. inter caeteras 4. *ad quem. de reſcript.* Ex novioribus
enim nullus, quem ego viderim (etſi non incurioſe quaeſierim) hac de re ſcripſit. Illi tamen etſi vera docuerint, neque probarunt, neque regulam Lesbiam in hoc caſu adierunt, ut plane intelligerent.
Tamen ut videas nihil contrarium eſſe in *d. §.* 3. a *l.
ſi quis ita ſtipulatus* 129. *D. de verbor. obligat.* cum ſimilibus, ex quibus vera illa & generalis regula de
natura alternativorum elicitur, Juriſconſultos in eiſdem legibus ut audias, neceſſe eſt. Inquit enim
Scaevola in *d. l. ſi quis* 129. *At econtra* (ſi promittam,
puta *dabis*) *ſi navis non venerit, aut Titius non fuerit
conſul factus, ſufficit unam non factum.* Et Julianus

in *d.* §. 3. cum ita ait, *Nam cum ita concipio, ſi illud, aut illud non fuerit, quaeri debet, an aliquid factum non ſit.* Quid hic eſt contrarietatis? quod unus ait, & alter affirmat, ut in confirmationem regulae, quam tradiderat Scaevola, verba Juliani afferri poſſint, non ut contraria. Neque in eo, in quo contrarios ſibi eſſe aliqui ſomniant, quidquam diſcordant, quod utrumque fieri Julianus deſideret. Tunc enim agit de obligatione, non inducenda ſcilicet, & de poena fugienda; ut recte Imola, unico pene verbo, annotavit. At Scaevola unum non factum requirit, ut obligationem inducat, quod idem Julianus in poena incurrenda aſſerit. Ut vero haec omnia recte intelligas, recurrendum erit ad doctrinam Pro-
2 culi in *l.* † *haec verba* 124. *D. de verbor. ſign.* quam ſupra *cap.* 20. explicavimus, & *hoc capite* regulam
3 leſbiam nominabimus: † ex qua intelligere poteris omnia, quae tibi circa diſjunctivarum naturam dubia videbantur, ut ſatis ex illa & hac animadver-
4 ſione cognoſces. † Cum ergo alternativa negative concipitur, ut videas, an committatur obligatio, eam ad Syllogiſmum reducito, ſubdiſjunctivarum Proculi ſpecies prae oculis habens. Si enim promiſi tibi decem, ſi navis non venerit, aut Titius non fuerit conſul, ſic inferes; ſed navis non venit: ergo es mihi daturus. Nam econtrario, ſi negativam etiam inferas, nihil ages, ut ſi dicas; ſed navis non venit: ergo non eſt mihi daturus. Nam hujus effectus eſt, ut utrumque fiat; nempe ut obligatio non committatur: quo tendit omnis Juliani quaeſtio. Ut ergo id concludas, ſic eſt inferendum; ſed navis venit, & Titius eſt conſul factus: ergo non ſum ad dandum obligatus (quia ſi aliquid non evenit ex iis, quae ut fierent comprehenſa ſunt, es plane aſtrictus: ſicut & affirmativa diſjunctiva e-
5 contrario evenit) † nam ſi promiſit Titius decem, ſi navis venit, aut Sejus ſit factus conſul; ad hoc ut illi ſit opus promiſſum adimplere, ſufficit unum factum: inferes ergo ſic recte; ſed navis venit: ergo eſt ad dandum obligatus. Quod ſi obligationem effugere velit, non ſic infert; ſed navis non venit: ergo non ſum obligatus (quia poteſt id non eveniſſe, Sejum tamen fuiſſe conſulem; quod ſufficit) ita ergo non erit aſtrictus, ſi neque navis venit, neque Sejus fuerit conſul, ſicut in negativa utrumque accidiſſe deſideramus cum Juliano, in *eodem.* §. *utrum.* 3. qui haec omnia egregie explicat, cui Doctores tenebras potius, quam lumen ſuis ſcriptis offuderunt.
6 † Etſi enim contrariorum ſit eadem diſciplina: contrarie tamen eſt eadem, ut regula eadem ſit ad contraria, attamen id contrarie eveniat. Unde ex una & eadem regula utrumque Julianus elicit: quia nempe omoia comprehenſa ſunt ad non obligandum, ut fierent nempe, aut non fierent. Tunc ſumitur ex univerſo ſignificatio, & requiritur ut utrumque fiat, aut non fiat pro modo enunciationis. At ſi quaeras de obligatione inducenda; tunc cum ſumatur ex aliquo ſignificatio, ſufficit unum non factum in negativa, factum vero in affirmativa; ut optime illic Juriſconſultus nos docuit. Nihil eſt ergo in *illa lege*, quod nobis aut contrarium alteri, aut minus verum in ſe reputandum ſit, cum omnia ibi Julianus miro ingenio ad generales regulas reducat, & juxta ſubdiſjunctivarum naturam explicet.

CAPUT XXV.

De intellectu *l. ſi is qui ducenta* 13. §. *Item ſi pater* 6. *D. de reb. dub.*

SUMMARIUM

1 *Regulari debet ſubſtitutio ad modum inſtitutionis: item & fideicommiſſum;* & num. 2.

EST nobis adhuc in explicatione *ejuſdem legis* immorandum; diverſa tamen in quaeſtione & §. Ait enim in *l. ſi is qui ducenta* 13. §. *fin. D. de reb. dub.* Julianus, *Si ita teſtator paterfamilias in teſtamento ſcripſerit: Si quis mihi filius, aut filia haeres non erit, ſit haeres Sejus: tunc Sejum fore haeredem, ſi neque filia, neque filius natus fuerit.* At ſi regula diſjunctivarum eſt recipienda, juxta ea, quae in animadverſione ſupra proxima docuimus, aliter erat dicendum: quia cum ſit negativa diſjunctiva ſubſtitutionis, ſufficeret unum non factum (filium ſcilicet non fuiſſe haeredem) ad hoc, ut ſubſtitutus admitteretur. Quare Accurſius id evenire propter votum parentum, & liberorum favorem aſſerit, ut in *l. generaliter* 6. *C. de inſtitut. & ſubſtitut.* quod & alii eo non relato probant. A quo cum recedat Bartol. in extraneis idem eſſe interpretandum affirmat, juxta diſjunctivae ipſius naturam: acute quidem iſtud, non tamen recipiendum. Nam ſi ex natura alternativae id eſſet, ex regula jam tradita inferret Juriſconſultus, ut in ſimili facere ſolet; attamen non ex hoc, ſed ex benignitate id reſpondit. Unde varie hoc Juliani reſponſum interpretantur Doctores; alii cum Accurſio referentes ad *l. generaliter* 6. alii explicantes in filiis naſcituris ob verbum genitus: quod late tradit (ne in his transferendis praeter conſuetudinem moror) Fabius in repetitione *l. haeredes mei* 57. §. *cum ita* 2. *D. ad Trebell. num* 59. His tamen omnibus omiſſis, a ſententia Juriſconſulti vere alienis; animadvertendum erit, verba teſtantis dubia interpretari Julianum; quod ipſe atteſtatur, dum ait, non ſatis voluntatem ſuam declaravit teſtator: poſſet enim quis in propoſito themate varie argumentari. Nam cum ſit ſubſtitutio, ut diximus, facta ex alternativa negativa, ſi alterum non eſſet, locum haberet ſubſtitutio. At pro contraria opinione, ſcilicet ut etſi filius non fuerit natus, ſi ſit nata filia, aut econtra, non ſit locus ſubſtituto, eſt aequitas, & fortiſſimum argumentum: † nempe quod regulari 1
debet ſubſtitutio ad modum inſtitutionis; ut plane mihi probat elegantiſſimum Scaevolae reſponſum in *l. Lucius* 85. *D. de haered. inſtit.* † ſicut ad modum 2
inſtitutionis etiam regulatur fideicommiſſum in *l quotiens paterfamilias* 23. *D. ad SCtum Trebell.* atque in propoſita ſpecie, vere filius, aut filia inſtitutus habeatur. Ita ut verbis praepoſitis, juxta naturam eorum, & alternativae affirmativae, alter tantum reperiatur inſtitutus. Etſi dubitationem facere poſſet ſubſtitutionis modus; proclivior tamen eſt ſententia, & aequitati magis conſona, ut ſubſtitutus non admittatur, niſi omnibus deficientibus, ut veri incertus morientis exitus ſubſtitutionis finem concludat. Namque licet ſubſtitutio per ſe aliud ſuadeat, juncta tamen cum inſtitutione, ſic eſt rectius explicanda. Qui mihi germanus hujus reſponſi intellectus judicatur, quo perſpecto, nihil obeſſet, ſi juxta Bartoli opinionem, idem in extraneis recipiendum eſſe affirmemus, hoc maxime tempore, quo habemus efficaciſſimum argumentum ex *l. Generaliter* 6. *in fin. principii. C. de inſtit. & ſubſtitut.* in illis verbis, *Quo exemplo etiam aliis perſonis, licet extraneae ſint, de quibus hujuſmodi aliquid ſcriptum ſit, medemur.* Neque tamen ob id putes me reincidere in opinionem eorum, qui juxta favorem liberorum, & *d. l. generaliter* 6. hoc reſponſum intelligunt. Nam & in *illa lege* favorem tantum liberorum attendi, mihi non probatur. De cujus intellectu infra in *cap.* 33. latius agam Quae omnia ſi perpendas etiam in praxi, ſicut in ſcholis uſui futura, non me reprehendes, quod in hujus materiae, ad tot jurium interpretationem neceſſariae, explicatione, diutius ſum immoratus. Eſt enim neceſſaria per ſe, & ab omnibus neſcio an oblivione, aut difficultate perterritis, ao etiam, quia occaſionem non habuerunt, vere omiſſa; quae mihi ut omitteretur indigna viſa eſt: utilitatem enim, ſive difficultatem reſpicias, pene nulli cedit.

CAPUT XXVI.

De differentia dominii, & proprietatis.

SUMMARIA.

1 *Differentia Dominii & proprietatis generaliter non poteſt conſtitui*, & num. 10.
2 *Proprietas idem, quod Dominium*, & num. 3.
4 *Proprietas aliquando eſt id, in quo dominium habemus.*
5 *Proprietas opponitur uſuifructui, & tunc plerumque proprietas nuda appellatur*, num. 6.
7 *Dominium quid.*
8 *Dominium poteſtatem in ſervos, & alia ſignificat*, num. 9.

CUm, quid inter Dominium, & proprietatem in-
tereſſet, quaeſtio ſit antiqua, varii in ea varia
dixerunt: & noviſſime Joannes Parlador. in ſuo *re-
rum quotidianarum lib. cap.* 4. extra omnes, & con-
tra antiquos ſe nove conſideraſſe ait, dominium eſ-
ſe fere ſemper cum uſufructu ſumptum, proprieta-
tem ſine uſufructu, illique relativorum inſtar oppo-
ſitam. Contra quem jure poſſum optima illa Auli
Gellii verba (*lib. 7. noct. Atticar. cap. 17. ad fin.* poſi-
ta) mihi vindicare; quod qua ille juriſperitus differen-
tia uſus eſt, *ea videtur in verbis tam multiplicibus, u-
nam tantummodo eorum uſurpationem notuſſe: quae qui-
dem congruit cum ſignificata*, quo Pomponius uſus eſt
in *l. ſi uſusfructus* 66. *D. de jure dotium*, & alibi ali-
quando Juriſconſulti. Unde illa Parladori differen-
tia mihi non arridet, ſicut neque ulla ex his, quae
Doctores per eum relati genera confixerunt. No-
vi enim, proprietatis nomen varie Juriſconſultos ac-
cipere. Qui ergo ſine diviſione nominis, quod non
ſemper idem ſignificat, differentiam ejus cum alio
explicare voluerit, non parum equidem aberrabit.
1 † Ut videas ergo differentiam ita generaliter non
poſſe inter dominium, & proprietatem conſtitui,
audi Juriſconſultum Cajum in *l. qua ratione* 9. §. *Item
ſi quis* 6. *D. de acquir. rer. domin.* agentem de rerum do-
minio, & de eo adquirendo ſic dicere: *Mercium in
horreo depoſitarum venditorem ſimulatque claves horrei
tradiderit emptori, transferre proprietatem mercium ad
emptorem.* Et iterum in incertam perſonam, qui
miſſilia jactat in vulgus, transferre proprietatem.
Quod eiſdem verbis Juſtinianus repetit in §. *Item ſi
quis* 45. & §. *hoc amplius* 46. *Inſtit. de rer. diviſ.* At quis
dicet ibi proprietatem ſine uſufructu tranſire? quod
ſi vere proprietatis nomine ſemper intelligamus nu-
dam proprietatem, quae opponitur uſuifructui, id
dicendum eſſet. At ego aliter dicendum exiſtimo,
cum varie proprietatis vocabulo utantur Juriſcon-
2 ſulti. † Eſt enim aliquando proprietas idem, quod
dominium, ut, praeter Cajum ubi ſupra, probat a-
perte Neratius in *l. ſi procurator* 13. & Julian in *l.
cum in corpus* 36. *D. eodem titul. de acquir. rerum domin.*
3 neque aliud reſonat totus ille titulus. † Unde do-
minium rei proprietatem appellat Cujacius in *parat.
ad eundem titulum*, & iterum dominium nihil aliud
eſſe, quam proprietatem rei exiſtimat, in *lib.* 10.
Obſervat. cap. 16. & econtra, nihil aliud eſſe pro-
prietatem, quam dominium arbitratur Duarenus,
lib. 2. Diſput. anımadverſ. cap. 17. licet & iſtud non ſit
4 generaliter recipiendum. † Eſt enim aliquando
proprietas illud, in quo dominium habemus, &
hinc proprietatis dominium appellat Juriſconſultus
in *l. ſi tibi* 17. *D. quib. mod. uſusfr. amittatur.* & Impe-
rator in *l. 4. C. de probationib.* quas ſic intellexit Pi-
nellus in *l. 1. C. de bonis matern. 2. part. num.* 7. ſicut
etiam & poſſeſſionis verbum pro ipſius rebus, in qui-
bus dominium habemus, ſaepe optimi auctores u-
5 ſurparunt. † Demum proprietas opponitur uſui-
fructui tamquam illius correlativa, ita ut uſusfru-
ctus eſſe non poſſit, niſi reſpectu proprietatis, quae
abeſt, & hoc modo ſumpta proprietas non ſit, niſi
reſpectu abſcedentis uſusfructus. Qua ratione, &
in hac tantum proprietatis uſurpatione, recipienda
eſt Parladori differentia; † licet tunc proprietas non 6
ſimpliciter, ſed nuda proprietas appellatur, ut in
l. videamus 38. *D. de uſufr.* in *l. 4. D. de jure dotium.*
ſicut plena proprietas, quando abſcedens uſusfru-
ctus conſolidatur, nuncupatur, in *l. cum in fundo* 78.
D. de jure dotium. † Dominium veró generalius dici- 7
tur circa id omne, in quo nobis aliqua poteſtas eſt, ut
annotavit Petrus Gregorius, in *Syntagm. jur. lib. 1. cap.*
12. *num.* 3. vel proprius facultas, ut voluit Soto *lib.* 4.
de juſt. & jur. quaeſt. 1. articul. 1. † Tum dominium 8
appellatur poteſtas in ſervos, in *l. poteſtatis* 215. *D. de
V. S.* & in *l. 1. §. poteſtatis* 5. *D. de peculio.* Unde eſt ali-
quando dominium (ut notat ubi ſupra Soto) correlati-
vum ſervitutis, ſicut ſunt correlativa dominus & ſer-
vus. † Appellatur etiam dominium uſusfructus, in 9
l. 4. D. de uſufruct. ſicut & proprietatis, in *d. l. 4. C.
de probation.* ut videre liceat dominii quoque appella-
tione generaliter uti Juriſconſultos. Unde non ſunt
omnino probandi, Cujacius, & Duarenus ubi ſu-
pra, qui dominium per proprietatem, & econtra
deſcribunt: id enim, licet plerumque verum ſit, non
tamen generaliter aſſerendum. † Ex quibus omni- 10
bus cognoſces dominii, & proprietatis differentiam
generaliter dari non poſſe, niſi inter utraque nomi-
na diſtinguas. Ubi autem videris quid dominii ap-
pellatione, quid etiam proprietatis, in propoſitis
juribus intelligatur (quod ex ſubjecta materia co-
gnoſcere non erit difficile) tunc facile ex his differen-
tiam cognoſces; in qua generaliter dignoſcenda,
praeter inanem laborem, nihil aſſequeris.

CAPUT XXVII.

De intellectu *L. Pupillus* 11. *De acquirend. rer. domin.* & an una ſit poſſeſſio, aut duplex.

SUMMARIA.

1 *Juriſconſultis nulla alia poſſeſſio, niſi aut corporalis vel naturalis, aut juſta, quam Doctores civilem appellant.*
2 *Omnis poſſeſſio a natura eſt, & de jure gentium*; & num. 4. & 6.
3 *Interpretatio* l. 3. §. ex contrario 5. D. de acquirend. poſſeſſ.
5 *Juſti appellatio jus gentium, ſeu naturale deſignat.*
7 *Poſſeſſio juſta etiam & juris gentium in animo poſſidendi conſiſtit.*
8 *Unica eſt vera poſſeſſio, eaque juris gentium, a jure civili approbata.*
9 *Poſſeſſio corporalis qua ratione naturalis appellatur.*
10 *Omnis juſta poſſeſſio ex duplici ratione conſiſtit.*
11 *Nulla poſſeſſio vera ſine ratione juris & corporis vere vel ficto.*
12 *Intellectus* l. 8. tit. 7. lib. 5. compilat.

PUpillum ſine tutoris auctoritate poſſeſſionem a-
mittere non poſſe, quae eſt naturalis, ut Sabi-
nianis viſum eſt, probat Martianus in *l. pupillus* 11.
D. de acquirend. rer. domin. Cui contrarius Ulpianus
in *l. poſſeſſionem* 29. *D. de acquir. poſſeſſ.* ſic ait, *Poſſeſ-
ſionem pupillum ſine tutoris authoritate amittere poſſe
conſtat; non ut animo, ſed ut corpore deſinat poſſidere:
quod eſt enim facti, poteſt amittere.* Quam difficulta-
tem cum diſſolvat Accurſius, quod Martianus de poſ-
ſeſſione juris, Ulpianus de poſſeſſione facti, & de-
tentione, ut vocat, aſinina loquatur, mihi proba-
ri non poteſt, ſi non aliter intelligatur, quam ipſe
fecit. Namque poſſeſſionem appellat eam Juriſcon-
ſultus in *d. l. poſſeſſionem* 29. quam tantum detenta-
tionem. Poſſeſſionem appellare Ulpianum non con-
cedam, † cui nulla alia poſſeſſio cognita eſt, niſi 1
aut corporalis, quam naturalem vocant, & juſta, 2
quam Doctores noſtri civilem appellant. Si vero

de corporali loqui Ulpianum affirment (quod plane
eſt dicendum) illa eidem eſt poſſeſſio naturalis: un-
de ſtare non poſſet Martiani reſponſum. Et ſi cum
Azone unicam eſſe poſſeſſionem, eamque naturalem
dicas, omnem conciliationem excludes. Nam cum
unica ſit poſſeſſio, & alter affirmet, alter neget poſ-
ſeſſionem amittere poſſe, e contrario pugnabunt. At
ſi demum novam Parladori ſententiam amplectaris,
quam tradit in ſuo *rerum quotidianarum lib. cap.* 9.
quod unica ſit poſſeſſio, eaque civilis: fruſtra in his re-
ſponſis conciliandis laborabis. Etenim poſſeſſio, de
qua Martianus, naturalis appellatur, non ergo civilis:
Ulpianum autem de eadem naturali loqui, plusquam
manifeſtum eſt. Qui ergo, ex his tantum poſſeſſionis
diviſionibus, huic difficultati ſatisfacere poſſe ſpe-
rat, nunquam contrarium effugiet. Erit igitur a-
nimadvertendum, Martianum de vera poſſeſſione a-
gere, quam amittere non poſſe pupillum, merito
affirmat, dubitandi rationem inſinuans, ſub illis ver-
bis, *quae eſt naturalis.* Erat igitur dubium, quod
2 videbatur pupillum amittere poſſe, ex hoc, † quod
omnis poſſeſſio a natura ſit, ſive de jure gentium,
etiam ſi eam civilem dicas: quod plane probabis, ſi
conſideres verba Julii Pauli in *l.* 1. *D. de acquir. poſſeſſ.*
ubi dominium, quod eſt de jure gentium, ut pro-
bat aperte Juriſconſultus in *l. ex hoc jure* 5. *D. de juſti-
tia & jure*, a poſſeſſione ortum habere ait; unde &
poſſeſſio ejuſdem juris appellanda erit, argum. *l. ma-
numiſſiones* 4. *D. eodem titulo de juſt. & jure.* Tum et-
iam quia poſſeſſio a ſedium poſitione appellatur: quo
inſinuat Juriſconſultus in *d. l.* 1. eam ab occupatio-
ne ortum habere; quod omne eſt de jure gentium.
Si vero id de naturali (quam vocant) poſſeſſione
explices, id eſt, detentatione; videas ne Juriſcon-
ſultum arguas, compilatores tacens increpes, & pan-
dectas plane accuſes. Quid enim ineptius, quam
poſſeſſionis tractatui, in medio jure civili, praepo-
nere naturalis poſſeſſionis, ſeu detentationis ety-
mologiam? Quod plane idem Juriſconſultus Pau-
lus affirmari non ſinet: qui, cum axioma proponat
3 † in *l.* 3. *§. ex contrario* 5. *D. de acquir. poſſeſſ.* plures
nempe eandem poſſidere non poſſe, hoc ex illa ſen-
tentia probat, quod contra naturam quippe ſit, ut
ego teneam, & tu quoque tenere videaris, ſubdens
non magis eandem poſſeſſionem apud duos eſſe poſ-
ſe, quam ut tu ſtare videaris in loco, in quo ego
ſto; aut in quo ego ſedeo, & tu ſedere videaris. Si
autem propoſitionem, quam probat Juriſconſultus,
de poſſeſſione naturali, id eſt, de detentatione intelli-
gas, eſt plane abſurdum, quod aſſerat ſimul duos
in eodem fundo aſſidere non poſſe: ſi vero de ci-
vili, & probationem de naturali, male cohaererent,
nihilque probatio ſufficeret. Si ergo & probatio-
nem, quod eſt verum, ſimul & concluſionem ejuſ-
dem juris eſſe aſſeras, † videbis omnem poſſeſſionem
4 juris gentium eſſe, & juſtam etiam, in qua & cor-
pus, & animus, & jus operantur. Haec enim eſt,
quae merito juſta a Jaboleno appellatur, in *l. quod
ſervus* 24. *D. de acquirend. poſſ.* Namque ſi tantum
poſſeſſionem naturalem, id eſt, detentationem, de
jure gentium eſſe dicas, quid abſurdius excogitari
poſſet, quam poſſe aliquem eo jure ex detentatione
ſibi poſſeſſionem vendicare, & rem ipſam? cum non
ſolum eo jure neceſſaria fuerit poſſeſſio, ad primam
illam occupationem, quae rerum diviſionem pepe-
rit, & dominiorum diſtinctionem: ſed & ad omnes
effectus pene, ad quos eſt jure civili neceſſaria; a-
lioquin neque eo jure contractus effectum ſortiren-
tur. Merito ergo & eo, & omni jure receptum
eſt, neque per ſe animo, neque per ſe corpore li-
cere juſtam poſſeſſionem acquirere: ſed animo &
corpore, *l. poſſideri* 3 *§* 1. *D. de acquir. poſſ l.* 1. *§. Scae-
vola* 15. *D. ſi quis teſtam. liber eſſe juſſ.* Quid enim cre-
damus futurum, ſi juſta concedatur poſſeſſio ei, qui
rem occupet? quis non omnia apprehenderet ſolus,
ut ſibi haberet? quid item eſſe futurum, ſi liceat
veram poſſeſſionem inde aſſerere, quod animo con-
cipiat quis rem tenere? quis enim ſe ultra limites
contineret neceſſarii uſus? quis non diceret, ego
concepi animo talem rem habere? Poſſeſſio ergo
non tantum corporis eſt, ſed etiam animi; non tan-
tum facti, ſed juris; non tantum juris civilis, ſed etiam
gentium. Unde ſicut & civilis appellatur (quia eo
jure haec tantum recepta eſt) ſic & nuncupatur ju-
ſta in *d. l. quod ſervus* 24. † quae appellatio jus gen- 5
tium deſignat, ſeu naturale; argument. *l. Stichum*
95. *§. naturalis* 4. *D. de ſolut.* circa quam nos id in *cap.*
9. obſervavimus. † Neque enim video, quid jus ci- 6
vile, in hujus approbatione, juri gentium aut addi-
dit, aut detraxit, ut illud jus mutet, neque aliud
ex appellatione illa poſſeſſionis civilis, & naturalis
ſuadetur; quae tantum eo tendit, ut differat deten-
tatio a vera poſſeſſione. Unde cum ſit vere poſ-
ſeſſio juris gentium, & naturalis, dubium ſit Mar-
tiano in illa *l. pupillus* 11. quod pupillus poſſeſſionem
amittere non poſſet, quae & naturalis eſt, & juris
gentium: quod jus non novit differentiam inter
pupillum, & adultum, ſi ejus aetatis ſit pupillus,
ut intellectum capiat; argument. *l.* 1. *§. adipiſcimur* 2.
D. de acquirend. poſſeſſ. Hoc tamen dubio non obſtan-
te, id decidit ex eo, † quod haec poſſeſſio ſit, licet 7
horum jurium, in animo tamen poſſidendi etiam con-
ſiſtit: & animo, ut ab Ulpiano conſtitutum eſt in
d. l. poſſeſſionem 29. ipſe amittere poſſeſſionem non
poteſt, cujus animus ad amittendum legitimus non
reputatur: cum ei jus civile (quod poteſt) merito
reſiſtat, licet quod eſt facti poſſit amittere, id eſt,
corpore non poſſidere, in quo nullam jus aliquod
habet poteſtatem, ex *l.* 1. *§. ſi vir uxori* 4. *D. de acquir.
poſſeſſ.* † Ut autem plenius intelligas unicam eſſe 8
poſſeſſionem (quod Azonis ſequaces ſatis proba-
runt) eamque juris gentium, cooperante jure civi-
li, quae regulatur ſemper ex principiis naturalibus,
& juris gentium (quod Paul. in *d. §. ex contrario* 5.
nobis probavit) eſt animadvertendum aliam, poſſeſ-
ſionem (quae recte Parlodoro detentatio appellatur;
quod agnoviſſe aliquos ex antiquis, & ipſe Parlado-
rus agnovit) † appellari naturalem, non ex eo, quod 9
altera naturalis non ſit (id enim convincitur ex
Martiani reſponſo, quod interpretamur) ſed appel-
latur naturalis, quia habet quod eſt primum in poſ-
ſeſſione, a quo ipſa ortum habet; ſcilicet occupa-
tionem, & detentationem. Quod quidem verba
legum, quae loquuntur de hac poſſeſſione, conſi-
deranti plane fiet palam: quae tamen in jure civili
poſſeſſio naturalis cum appelletur, nullus eſt effe-
ctus, in facto tantum conſiſtens, & in apprehen-
ſione facti non legitima. Non eſt autem poſſeſſio
cenſenda, † quia ex duplici ratione, qua conſiſtit 10
omnis poſſeſſio, nempe corporis, & juris (ut pro-
bat Conſtantinus Imperator in *l. nemo* 10. *C. de acquir.
poſſ.*) tantum habet corporis rationem, nihil vero ju-
ris. Ex qua etiam conſtitutione illud te fateri o-
portet, non recte appellari poſſeſſionem, quam u-
nicam diximus vere civilem. Namque illa non erit
poſſeſſio, quae utriusque rationem, id eſt juris, &
corporis, non habeat; quod ſi tantum juris ſit, non
habebit rationem poſſeſſionis. Nam cum poſſeſſio
ex duplici ratione conſiſtat; ſicut corporalis non
poteſt conſtituere veram poſſeſſionem: ita & juris
non poterit, ut ex aequo illae rationes in *d. l. nemo*
10. ad poſſeſſionem referantur. † Unde nunquam 11
acquiri poſſeſſionem ullo in jure videbis, ſine eo,
quod jus, & corpus operentur; ſi non vere, ſaltim
ficte. Nullo enim modo, juxta naturam poſſeſſio-
nis, id fieri poteſt, ut jus tantum in ea ſufficiat,
niſi jus rationem corporis fictione ſuppleat. Unde
in poſſeſſione majoratus, quam civiliſſimam appel-
lant, fingit lex poſſeſſionem ſucceſſorem apprehen-
diſſe, & voluntatem transferre volentis inſtitutoris
ſuſ-

Digitized by Google

ſufficientem judicat pro actu apprehenſionis, quem non eſſe neceſſarium affirmat. Erit igitur illa vere poſſeſſio, quae duplicem hanc naturam habeat, ſive fictione, ſive veritate. Quod ſi non habuerit, non erit poſſeſſio appellanda, niſi aut corporalis, cum hac adjectione, quod poſſeſſo naturalis appelletur, uſitato illo Juriſconſultorum more, ut quam rem civiliter non reciperent, hoc nomine nuncuparent: ſic obligatio naturalis appellatur; ſic poſſeſ- 11 ſio naturalis. † Quae cum ſumatur pro apprehenſione, & occupatione, ſive detentione facti, non contradicet legi Tauri, quae eſt in nova compilat. *lib* 8. *tit.* 7. *lib.* 5. in qua poſſeſſionis naturalis appellatio, pro apprehenſione vera, quam fingit, eſt interpretanda; ſicut civilis pro ratione juris, quod utrumque requiritur in vera poſſeſſione. Non, inquam, contradicet, qui unicam eſſe poſſeſſionem juris gentium, & civilis, id eſt, juſtam aſſeruerit.

CAPUT XXVIII.

De exceptionum diviſione, ad *L.* 3. *D. de exceptionibus.*

SUMMARIA.

1 *Exceptiones ſunt aut dilatoriae, aut peremptoriae: & male Doctores alias ſpecies addiderunt*, num 2.
3 *Anomala exceptio eſt vere dilatoria.*
4 *Quid ſit de natura Exceptionum.*
5 *Dilatoriae ſunt vere exceptiones.*
6 *Nulla major improprietas, quam improprie definire.*
7 *Mixta exceptio, & quaſi peremptoria vere peremptoria ſunt.*

1 CUm Ulpianus in *l.* 2. §. *fin.* & Cajus in *l.* 3. *D. de exceptionibus*, † exceptiones perpetuas, ſeu peremptorias, & dilatorias, ſive temporales eſſe affirment, neſcio quid Doctores noſtri aliam diviſionem, plures ſpecies comprehendentem, comminiſcuntur: cum ſi Juriſconſultus alter illam diviſionem traderet; alter iſtam, eos contrarios eſſe dicerent, & in ſolutione quaerenda non parum torquerentur, & ſibi tamen licere putant, quae nomote- 2 this ipſis non licerent. † Neque etiam fuit neceſſarium, docendi gratia, hae addere ſpecies, niſi eas referrent ad veram, & germanam Juriſconſultorum diviſionem, ſubdiviſionem facientes utriuſque membri. Namque ſi dividendi regulas obſervare oportet, illa Doctorum partitio nequit ſuſtineri; quia ſi exceptionem aut dilatoriam, aut peremptoriam, aut anomalam, aut mixtam, aut quaſi peremptoriam eſſe dicas, omnino fateri te oportet, quod ſicut exceptio peremptoria non eſt dilatoria, ita & anomala; & ſicut dilatoria non eſt peremptoria, ita & mixta; ita & quaſi peremptoria, non minus, quam, faciens hanc diviſionem animalis in rationabile, & rationis expers, rationis compos non eſſe irrationabile eſt aſſerendum. Quod non parum etiam argueret Juriſconſultos mancam, & deficientem diviſionem facientes, ſi verum eſſet. Abſit tamen a nobis eorum calumnia; abſit quoque quod Doctorum diviſionem veram eſſe confiteamur! † A- 3 nomala enim exceptio, quae eſt excommunicatio, dilatoria vere eſt, ut aperte probatur in *cap. exceptionem* 12. *de exceptionibus.* Neque tamen ex eo, quod opponi poſſit poſt litem conteſtatam, ob animarum periculum (ut ibi Pontifex inquit) naturam mutat. † Nam non eſt de natura dilatoriarum, 4 quod proponantur ante, vel poſt litem conteſtatam; ſed tantum, quod ſint temporales, & ad tempus 5 actionem excludant. † Quod etiam ſufficit ad hoc, ut vere exceptiones reputentur; quia dum ſunt, vere actionem excludunt; ubi autem pereunt, nihil mirum ſi non excludant, cum ſint non entis nullae qualitates; argument. *l. ſi ſervum* 4. §. *fin. D. de action. empti.* Neque enim recipiendum eſt, quod aliqui affirmarunt, verbum *quaſi*, in definitione illa exceptionum, denotare improprietatem: † nulla ſa- 6 ne eſſet major improprietas, quam improprie definire. Excludunt ergo dilatoriae actionem ad tempus, quod eſt de earum natura: nam ſolemnitas illa judiciorum a jure poſitivo inventa, de opponendis dilatoriis ante litem conteſtatam, earum naturam non mutat: quae licet ſolemnitas in exceptione excommunicationis ſit ſublata, non ſpeciem alteram eam conſtituere, eſt aſſerendum. † Quam 7 vero illi mixtam vocant, licet eo tempore dubia ſit, peremptoria tamen reputatur & in *l. ſufficit.* 56. *D. de condiction. indebit.* ubi id notat Bart. Quaſi peremptorias autem peremptorias eſſe, nulli (ut credo) dubium erit, ſi peremptoriarum definitionem conſideret, quae tantum peremptorias, aut non peremptorias conſtituit. Quia tamen hae omnes habent quid extrinſecum, & in ſua ſpecie particulare, qui recte docendi rationem teneret, ad tractatum dilatoriarum, aut peremptoriarum haec ſubjungeret. Ita ut in dilatoriis illud ſpeciale: in excommunicationis exceptione notaret hoc vero mixtae, aut quaſi peremptoriae in perpetuis. Non tamen ob id recte, contra Juriſconſultos. alias addet ſpecies, quaſi illi aliquid neceſſarium omiſerint, qui optimam, & veriſſimam diviſionem tradiderunt, quam nos explanare, non captare, ſeu expugnare oportet.

CAPUT XXIX.

De Intellectu *L. ſive a certis* 17. *D. de duobus reis.*

SUMMARIA.

1 *Haeredes nominati, non ut haeredes, tenentur pro virili; nominati autem ut haeredes, pro haereditariis portionibus*, num. 2.
3 *Divinatio improbatur a verbis legis aliena, non exemplificatio eidem congruens.*

S*Ive a certis perſonis haeredum nominatim legatum eſſet, ſive ab omnibus, excepto uno, pro haereditariis portionibus totum eos legatum debituros*, ait Paul in *d. l. ſive a certis* 17. *D. de duobus reis.* Et contra Pomponius in *l. Turpia* 54. §. *fin. D. de legat.* 1. ſi pars haeredum nominata ſit, pro virili eos teneri affirmat (diſtinctionem illam Juriſconſultus receptiſſimam aſſerens; † quod ſi aliqui haeredes ſint nominati, ipſi 1 tenentur pro virili, quia ab eorum perſonis relictum legatum cenſetur; ut probat etiam Neratius in *l. ſi. haeredes* 124. *D. de legatis.* 1) † ſi vero haeredum no- 2 mine, cum haereditas eos obliget, pro haereditaria portione erunt aſtricti. Quam diſtinctionem, praeter Pomponium, & Neratium, ubi ſupra, probant idem Pomponius ex Labeone in *l. ita liber* 8. & Paul. in *l. qui praemium* 22. *D. de ſtatulib.* eaque praecipua eſſe debet in conciliandis his Juriſconſultorum reſponſis. Qua cum utatur Accurſius in *d. l. ſive a certis* 17. mihi non probari nequit cum communi, qui tamen cum ſe non explicet, neque Doctores id faciant, ſuſpectus videri poteſt, ſuſpectaque ſolutio, quae difficultate non caret. Mihi tamen verba Julii Pauli conſideranti veriſſima videntur, quae pro eo intellectu dupliciter poſſunt induci. Primo, ut verbum, *excepto aliquo*, ad omnia referatur; quo caſu non levis eſt conjectura, teſtatorem haeredes, non eorum perſonas, reſpexiſſe, ex illis aliquem excipiendo. Ne vero haec divinatio ſit, 3 mihi non licita (quod tamen licuit Doctoribus in *l. eandem* 9. *D. eod. titul. de duobus reis*, verba, quorum fidem ſequutus eſt, ad omnia referentibus) aliter tamen exemplificari poteſt Pauli reſponſum juxta praedictum intellectum, & diſtinctionem, ut ſit veriſſimum. Quod ab aliquibus nominatim legaverit teſtator, non nomina eorum, ſeu perſonas, ſed haeredes reſpiciendo, ſic dicens: haeredes mei, qui-

bus ſemiſſem legari, cum aliis ſextantem legaſſet, aliis trientem; Sejo centum dent: tunc enim a certis perſonis haeredum nominatim legatur; haereditatis tamen reſpectu idemque eſt, ac ſi ab omnibus legaſſet, ut ſubdit Paulus. Neque eſt haec divina-
3 tio non admittenda: † nam non omnis divinatio, (ut animadvertimus aliquando cum Zaſio) eſt reprobata, ſed impertinens, & a verbis legis aliena. Haec autem interpretatio legem exemplificat, declarat, & caſus parificatione confirmat: cum idem aſſerat Juriſconſultus eſſe in ſpecie praedicta, ac ſi ab omnibus legatum eſſet, qui tamen caſus aliter convenire non poſſunt. Tum etiam, niſi ſic eſſet intelligendum; quid ſimilitudinis haberent caſus, quod a quibuſdam haeredibus nominatim legaſſet, & quod ab omnibus, excepto uno? Quas tamen formulas Paulus conjungit, ut doceat ſe de illa nuncupatione ſpeciali loqui, quae haeredes aliquos nominatim, ut haeredes tamen deſignat, juxta ſupradictam Juriſconſultorum communem diſtinctionem; quam eundem non ſervare, eſt plane concedendum, atque ab illis diſſentire, niſi hoc, quod veriſſimum videtur, confiteamur.

CAPUT XXX.

De actione uni ex cohaeredibus pignus, univerſo ſoluto debito, liberanti adverſus cohaeredes concedenda.

SUMMARIA.

1 *Relatio in genere, &, ut Accurſius vocat, ſimplex, quando reputanda.*

2 *Intellectus* l. haeredes 25. §. non tantum 16. D. famil. erciſcund.

SI, pignoris liberandi gratia, debitum univerſum ſolvere ſit coactus haeres, actionem negotiorum geſtorum habere, vel familiae erciſcundae judicio; ſi prius redditum non ſit, eam partem conſequi illum poſſe, Severus, & Antoninus Adriano reſcripſerunt, in *l. ſive pro fratre* 3. *C. de negotiis geſtis*. Ubi verbum, *eandem*, intelligere de actione communi dividundo, cum Accurſio ibi, & communi Doctorum opinione ab Alexandro relata, abſurdum mihi videtur non recipiendum. Dixerant eam Impp. negotiorum geſtorum actionem competere cohaeredi, pro alio pecuniam ſolventi; cum poſtea ſubdant in ſecundo caſu, actionem eandem concedendam: qua ratione id ad actionem communi dividundo referre poſſit, non video, de qua ibi verbum nul-
1 lum. † At dices cum Accurſio eſſe relationem in genere, ſimplicemque reputandam, ſicut in illa oratione, Mulier ſalvavit, quae damnavit: quod tamen recipiendum non eſt in noſtro caſu. Jam enim poſitum eſt genus ibi, actionem: niſi autem relatio illa eandem determinet; quid operabitur? Tum etiam diſpar eſt ratio illius orationis, atque hujus. In hac enim mulier ponitur in genere, ſic in poſitione, ſicut in relatione, & eam habet ſignificationem; quod ſicut per mulierem peccatum intravit in mundum, illa occaſionem praebente, ut non intraverit per illam, ſed per hominem, juxta Apoſtoli doctrinam; ſic per mulierem etiam, quae peccati caput conterere potuit, ſalus nobis orta eſt. Quae excuſatio eſt muliebris generis, ſicut & illud, quod mulier quaedam Divum Hilarionem alloquitur apud Metaphraſtem, ne deſpicias; nam genus mulierum peperit Salvatorem. At in noſtro caſu prius non nomen generis praeceſſerat, ſed ſpeciei; qua ergo ratione relativum, *eandem*, ad genus eſt referendum? Neque ex eo, quod ſupra actionis negotiorum geſtorum mentio facta eſt, actionis verbum eſt genus reputandum, cum non ſit ſimpliciter poſitum, ſed cum ſpecie. Nulla igitur ratione, ſub ejuſdem appellatione actionis, aliam, quam eam, de qua ſermo praeceſſerat, intelligere poſſumus. At tunc objicies cum Accurſio, & Doctoribus de *l. haeredes* 25. §. *non tantum* 16. *D. famil. erciſc.* ubi Paul. in ſimili, imo pene eodem caſu, actionem negotiorum geſtorum non concedit, ſed familiae erciſcundae. Cui contrario ut ſatisfacias, non erit opus abſurdam illam, quam improbavi, doctrinam admittere:
† ſed animadvertendum erit, reſponſum illud Pau- 2
li ſimul cum hoc Impp. reſcripto recte intelligi poſſe. Si equidem non eſt redditum judicium familiae erciſcundae, eo eſt agendum, ut & ibi Paul. probat, & hic Impp. Ita ut, per illam legem, hanc intelligas, ut ſi non ſit redditum hoc judicium, de neceſſitate in *hac lege* illud requiri, cum illa probes, neque quidem refragante horum verborum ſerie. Si enim verba, *ſi non eſt inter vos redditum*, ad omnia referas, ita diſtribuet, actionem eandem, id eſt negotiorum geſtorum, concedi, quando jam redditum eſt; familiae autem erciſcundae judicium, quando non eſt redditum. Ita ut ſicut familiae erciſcundae judicio agi non poteſt, ubi jam eſt ſemel intentatum, ut probat Ulpianus in *l. ſi filia* 20 §. *familiae* 4. *D. famil. erciſcund.* ita & negotiorum geſtorum actio non ſit concedenda, ubi non eſt illud intentatum judicium, ut in *d. l. haeredes* 25. §. *non tantum* 16. Qua ratione eſt recipienda, non ut *huic legi* contradicat. Attamen neque communi dividundo erit agendum, quia nihil eſt commune; quando enim commune erat familiae erciſcundae judicio, operiri oportuerat. Jam vero cum fuerit illud redditum, quo in caſu negotiorum geſtorum actionem admittimus, nihil commune remanſit, neque etiam remanſit, quod ſolverit; hoc enim nihil eſt, quia eſt praeteritum. Cum ergo nihil commune poſſit conſiderari in caſu, in quo juxta noſtram interpretationem actio negotiorum geſtorum datur, non erit communi dividundo judicium admittendum, neque Ulpiani reſponſum in *l. ſi quis putans* 6. §. 1. *D. communi dividundo*: ad quod lex haec referri, ſine manifeſta divinatione, non poteſt.

CAPUT XXXI.

De intellectu *l. ſi pecuniam* 9. *C. de negotiis geſtis.* & obiter de *l ſi pupilli* 6. § *ſi quis ita* 4. *D. eodem.*

SUMMARIA.

1 *Ratihabitionem mandato comparari, qua ratione ſit intelligendum.*

2 *Intellectus* l. ſemper qui non prohibet 60. ad fin. D. de reg. jur.

3 *Intellectus* l. ſi mandavero 22. §. ſi curator 10. ad fin. D. mandati.

4 *Actio civilis oritur ex ipſo negotio, & variatur ex varia negotii conſideratione*, num. 5.

S*I pecuniam tuam a debitore tuo Julianus exegit, eamque ſolutionem ratam habuiſti, habes adverſus eum negotiorum geſtorum actionem*, ut Saluſtio Antoninus Imp. reſcripſit, in *l. ſi pecuniam* 9. *C. de negotiis geſtis.* Cui adverſari videtur (Accurſii judicio) Ulpianus in *l. ſemper qui non prohibet* 60. *D. de regul. jur.* ubi Juriſconſultus mandati actione experiri debere ait; non ergo negotiorum geſtorum. Ut tamen Accurſii ſolutiones non admittam in utroque loco, a Bartol. tamen in *d. l. ſi pecuniam* 9. veras reputatas, & etiam ſecundam, teſte Alexandro ibidem, communiter approbatam: vel etiam Joannis a multis receptam, ut poſt Albericum atteſtatur Mainerius, in *d. l. ſemper qui non prohibet* 60. *ad finem*: illud mihi ſuaſit, quod oppoſitionem non recte factam eſſe videam. Sunt enim in propoſito caſu tres perſonae conſiderandae, quae in hoc negotio, quod agitur, interveniunt; quod ſi non fiat, nihil proderunt, non tres, ſed mille ſolutiones. Perſonae autem ſunt

Do-

Digitized by Google

Dominus, ſeu creditor, debitor, & exactor. Pone ergo, quod ego decem Saluſtio debeam; quae cum a me Julianus exegiſſet, Saluſtius ratum habuit. Si quaeras de actione, quae eſt inter Julianum, & Saluſtium; reſpondendum eſt, eum Saluſtio teneri actione negotiorum geſtorum, ut probat Imperator. † Ibi enim ratihabitio conſideratur ad hoc, ut liberetur debitor: nam aliter, niſi ea interveniat, non liberatur, ut agnovit in *d. l. ſi pecuniam* 9. Accurſius, *gloſſ.* 2 argument. *l. ſolvendo* 39. *D. eodem tital. de negotiis geſtis.* quod & alii ex Doctoribus agnoſcunt, ad hoc etiam, ut debitore liberato, cum Juliano exactore agere poſſit Saluſtius; non tamen hoc negotiorum geſtorum actionem excludit, † etſi ratihabitio haec mandato comparetur, ad ſupradictos nempe effectus. Si vero quaeratur de actione, quam habeo adverſus Saluſtium ego debitor; tunc cum Ulpiano dicendum eſt, Saluſtium actione mandati mihi eſſe obſtrictum, ut & ne repetat, & liberationem praeſtet. Agitur ergo ibi de actione mandati, contraria quae eſt inter creditorem, & debitorem: unde creditorem actione mandati obſtringi Ulpianus ait (quae verba hoc inſinuant) non tamen quod ſemper & inter geſtorem etiam, & dominum illa concedatur, contra *d. l. ſi pecuniam* 9. Quae diverſarum perſonarum conſideratio tam neceſſaria eſt, ut cum id non animadvertat, oppoſitiones faciat Accurſius non admittendas, ut in *d. l.* patet, & in *l. ſi pupilli* 6. *§. ſi quis ita* 4. *D. de negotiis geſtis.* Ubi cum Julianus ſcripſerit in haec verba, *Nam & ſi cui mandavero ut meum negotium gerat, quod mihi tecum erat commune, dicendum eſſe Labeo ait, etſi tuum geſſiſti ſciens, negotiorum geſtorum eum tibi teneri.* Ubi cum difficultatem moveat Accurſius, quod actio in factum danda ſit, non negotiorum geſtorum, per *l. ſi mandavero* 22. *§. ſi curator* 10. *ad fin. D. mandati.* ſine hoc vero fundamento diſtinguens, nihil agit. At ſi intervenientes perſonas conſideres, id plane intelliges: ibi enim quidam (puta Sejus) mandavit rem cum alio (nempe Titio) communem Sempronio. Agitur ergo in *d. §. ſi quis ita* 4. de actione, quae eſt inter Sempronium rem Titii gerentem ſciens, licet mandato Seji & inter Titium dominum: haec autem eſt negotiorum geſtorum, cui nihil eſt contrarium. † Nam in *d. §. ſi curator* 10. ubi de actione in factum meminit Juriſconſultus, non eſt quaeſtio de actione, quae eſt inter dominum, & geſtorem, ſicut in ſupradicto *§. ſi quis ita* 4. ſed agitur de actione concedenda domino vero, hoc eſt, Titio adverſus mandantem, qui eſt Sejus: quae perſonarum diverſa conſideratio, ob diverſos reſpectus, alias atque alias actiones concedendas ſuadet. Nam in hoc etiam caſu, ſi alias harum perſonarum combinationem facias, neque hanc, neque illam actionem concedi videbis. Inter Sempronium enim geſtorem, & Sejum mandantem, non negotiorum geſtorum actio, non etiam in factum eſt concedenda, ſed mandati. † Namque cum actio oriatur ex ipſo negotio, quod agitur, ut Julius Paulus recte obſervat, in *l. licet* 42. *§. ea obligatio* 2. *D. de procur.* actio inquam poſitiva & formula; † cum diverſum ſit negotium, ſi conſideretur inter alias atque alias perſonas, non eadem actio, ſed diverſa producetur: quod in his caſibus, ut principium, & praecipuum conſiderandum erit. Hac ratione erit etiam intelligenda *l. liberto* 31. *§.* 1. *D: eod. tit. de negotiis geſtis.* non juxta doctrinam Accurſii in *d. §. ſi quis ita* 4. *& ibidem.* Quam enim firmis rationibus innitantur, quamque validis argumentis intellectus, & opiniones ſuas fulciant Accurſius, & alii in omnibus praedictis legibus, ego non diſcutio: conſtiterit ſane illis opinionum ſuarum ratio! Ego nunquam in animum induxero aliud, quam quod dictum eſt de diverſarum perſonarum differentia.

CAPUT XXXII.

De ratione auth. *Ex complexu. C. de inceſtis nuptiis.*

SUMMARIA.

1 *Doctores non poſſunt dijudicare inter jus & aequitatem non ſcriptam.*
2 *Jus peccatum non praeſumit.*
3 *Parentum peccata quandoque in filiis vindicantur.*
4 *Permittendum minus malum, & ſequendum majus bonum*, num. 5.
6 *Inceſtuoſi filii non appellantur naturales.*
7 *Intellectus* cap. cum haberet 5. de eo qui dux. in matrimonium
8 *Conſtitutio* cap. ſi pater 1. de teſtam. in 6. *non omnino aequa, & ob id a praxi exterminanda.* num. 9.
10 *Inceſtuoſos liberos poteſt pater alere, licet jure civili non teneatur.*
11 *Onus alendi inceſtuoſos tranſit ad matrem: licet pater ad alendum ſit regulariter aſtrictus*, num. 12.

VEre nullum perniciosius vitium eſt, neque exitialius mendacium, quam quod ſub virtutis aut veritatis colore latet; id cognoſcet, qui viderit optimam illam conſtitutionem auth. *Ex complexu. C. de inceſt. nupt.* uſu forenſi eſſe abolitam ſub aequitatis velamine, cum ipſa tamen iniqua non ſit. Statuit enim Juſtinianus inceſtuoſos liberos, qui nec naturales appellari merentur, non eſſe alendos; quod Doctoribus iniquum videtur, in *cap. cum haberet* 5. *de eo qui dux. in matrim.* ubi gloſſ. Abb. & Doct. plures, quod refert, & ſequitur Anton. Gomez. in *l. 9. Tauri, numer.* 37. & D. Covar. 2. *par. de ſponſal. cap.* 8. *§.* 6. *num.* 8. & ab eis eſt ſubſtituta aequitas quaedam, qua *praedictam auth.* pene approbatam in *cap. per venerabilem* 13. *ad fin. qui filii ſint legitimi.* & *l.* 5. *titul.* 19. *part.* 4. tamquam peccatum foventes ab uſu forenſi exterminarent, † ac ſi inter jus, 1
& aequitatem non ſcriptam judices illi conſtituti ſint,
contra *l.* 1. *C. de Legibus.* Eſt autem conſtitutio
illa aequitate non deſtituta. Primo enim ea intelligi
poteſt, ut per *d. partitarum legem*, quod non ſit
mirum, ſi patrem horum liberorum ad alendum non
cogat civilis lex, cui non conſtat eos tali parente
eſſe natos; quod ſufficeret ad deneganda alimenta:
namque ejus probatio difficillima eſt, † & nullum 2
jus peccatum praeſumit. Admittamus tamen filios
ejus eſſe; quid tamen iniquitatis habet, † parentum 3
peccata in liberis vindicare? cum Deus ipſe Optim.
Maxim. in lege veteri id ſepiſſime fecerit, & in
eodem jure canonico fiat, in titulo *de barrat. de filiis
presbyterorum.* & in ſpecie in *d. cap. per venerabilem*
13. Tum etiam, licet concedamus aequitatem
in illis alendis verſari, licet id ſit de jure naturali
(quod eſt Doctorum praecipuum fundamentum) nihil
ominus aequa auth. illa reputanda eſt, & tamquam
juſta recipienda: quae illud jus naturale non tollit,
ſed tantum eidem non inſervit, juxta ea, quae
docuimus ſupra in *cap.* 4. obligationem civilem, ad
obſervantiam illius juris, non concedens, ut deterreat
mulieres ab hujuſmodi peccatis, & eas cautiores
reddat, quibus erit maxima filiis poena indicta,
ut demum inceſtuoſos concubitus interdicat. Namque
notum eſt illud, † permittendum eſſe minus 4
malum, ut majus effugiamus: in quo & conſiſtit
permiſſionis vis, & plurimarum legum authoritas.
Moyſes a Domino excuſatur, quod libellum repudii
permiſerit, animos Judaeorum agnoſcens. Ut
autem minus malum agnoſcamus, certiſſimus modus
eſt illa reducendi per contraria ad majus, & minus
bonum. † Nemo autem ſanae mentis (ut mi- 5
hi videtur) negabit, majus bonum eſſe, & in ſe,
& comparative ad publicum civile, vel etiam naturale

rale tuendum, ſi homines abſtrahantur ab enormiſſimis hiſce commixtionibus, ſi mulieres ſibi, & partui proſpicientes, eaſdem fugiant, quam ſi parentes hujusmodi inceſtuoſos liberos, & qui naturales
6 appellari non debent, alant. † Si igitur majus bonum eſt a peccatis illis quovis modo abſtrahere: quis condemnabit conſtitutionem, quae ſequuta majus bonum, minus malum permiſit? Neque enim in contrarium nos movere debet conſtitutio illa, *d. cap.*
7 *cum haberet* 5. † aut intelligenda ſane (ut verba ejus ſundent) de inductione, & monitione, aut in ſuo foro ſervanda. Namque *authentica illa*, & *partitarum lex*, peccatum non fovent, ſed peccata fugiunt, ſequutae conſilium illud projiciendi oculum, ſi ſcandalizaverit. Projiciunt ergo ſcandalizantes illos liberos, & civili auxilio deſtituunt, ut unius poena multis ſit ex uſu periculum. Si enim verum eſt, & a jure etiam canonico receptum, filios hujusmodi naturales non appellandos, merito naturali illo privilegio carere debebunt. Neque oobis iniquior reputanda eſt lex, quae dum illos neque na-
8 turales nominet, eis alimenta denegat, † quam conſtitutio *cap. ſi pater* 1. *de teſtam. in* 6. Quae dum liberorum ſucceſſionem parentibus debitam de jure naturali expreſſe eſſe aſſerit, propter inanes quasdam ſubtilitates, matrem a filiorum luctuoſa ſucceſſione repellit, neque majus bonum ut tueatur, majusve
9 fugiat malum. † Hanc etenim a praxi, hanc a foro, hanc ab uſu hominum exterminare debebant:
10 cujus damnum matri inevitable eſt. † Nam in caſu *d. Authenticae*, poteſt pater (ut ait *partitarum lex*) filios, ſi libuerit, alere, neque committet in legem, quae non prohibuit alere, ſed permiſit non alere: at in illa non poteſt matrem haeredem inſtituere. Loquor liberius in illam conſtitutionem; quia plane durum eſt ſine cauſa matres filiorum haereditate privare, ob id tantum, quia pater eis teſtamentum fecerit, quaſi ille potuerit jus naturale tollere. Non eſt ergo, quod in hoc praedictae Doctorum opinioni veritas cedat, cum verbis ſint illa Authentica, & Regia lex, honeſtiſſimae, & mente ac fine puriſſimae, ut abſit a nobis nefarius hujusmodi complexus. Si igitur abeſſe deſideramus, id non reprobemus. Dices autem factum infectum fieri non poſſe, & jam natos deſtituere iniquum eſſe. Ego vero ſcio neque ob homicidae occiſionem mortuum reſurrecturum, qui tamen furcis ſuſpenditur, ad aliorum exemplum. Neque argumentum illud quicquam oberit, quod natus hic nihil mali fecit; nam fecerunt parentes ejus, fecit & prae-
11 cipue mater, † ad quam onus alendi tranſit, ex Ulpiano in *l. ſi quis a liberis* 5. §. 4. *D. de agnoſ. & alend. liber.* ibi, *Ergo & matrem cogemus praeſertim vulgo quaeſitos liberos alere.* & ex *d. l. par.* 5. *tit.* 19. *par.* 4. Si ergo effectum horum jurium conſideremus, non omnino natos deſtituit, ſed matrem onerat ad ali-
12 menta praeſtanda, † quae regulariter pater praeſtare tenetur.

CAPUT XXXIII.

De intellectu *l. Generaliter 6. C. de inſtitutionib. & ſubſtitutionib.*

SUMMARIA.

1 *Alternativae natura, ſi disjunctio maneat, mutari non poteſt.*
2 *Cavendum eſt, ne dum ratio legis quaeritur, ipſa violetur.*
3 *Non tantum liberorum favorem attendit Juſtinianus in* l. generaliter 6. C. de inſtit. & ſubſtit.
4 *Duas contradictorias veras fateri, nemini licet.*
5 *Quae fuerit occaſio Doctoribus aberrandi in* d. l. generaliter 6.
6 *A ratione legis diſcedere pene ſacrilegium;* & num. 8.
7 *Vera ejus legis ratio.*

CUm ſupra *cap.* 20. de natura disjunctivarum agerem, illius regulae, quod in alterutra parte ſufficit effectum ſortiri, praeter unam aut aliam exceptionem, me non reperire atteſtatus ſum; eſtque altera ex illis diſpoſitio, *l. generaliter 6. C. de inſtitut. & ſubſtitut.* quam me interpretaturum ſaepius promiſi, etſi illa exceptio mihi non videatur. † Non 1
enim ibi disjunctivam in alterutra parte verificari negat Imperator, aut negare poteſt, ſed hoc ut ne fiat, aliter ex aequitate alternativam ſumit, & in copulam convertit. Namque ſi alternativa maneat, illud ita ex ſe, & ſua natura illi proprium eſt, ut aliter diſtribuere partes nullo modo queat. Itaque concors omnium Doctorum ſententia eſt, disjunctivam pro conjuncta accipiendam: attamen in reddenda ratione mirifice variant, alii aliud affirmantes; alii (& magis communiter) favore liberorum, id ſibi fieri atteſtantur; quod ex pluribus probat, praeter alios, Socinus *conſil.* 32. *numer.* 3. *volum.* 1. Ego tamen rationem hanc admittendam non arbitror, ut quae *legis hujus* diſpoſitionem admodum coarctet; ot jam probabo. Erit tamen prius animadvertendum, Juſtinianum hic, Epychia juris regulatrice, & magiſtra ductum, mederi contrariae iniquitati, quae reſultaret, ſi natura disjunctivarum, & illorum verborum, eſſet ſervanda. Nam cum eſſent disjunctive prolata, ſufficeret alterum factum, ad hoc, ut ſubſtitutus admitteretur; quod tamen, etſi de verborum natura foret, menti, & voluntati teſtatoris noo convenire alia ſuadebant. Quare non puto diſpoſitionem eam liberorum tantum favorem reſpicere. Unde Doctorum communis intellectus corruit, † in quibus cavendum eſt, nedum ratio- 2
nem legis anxie exquirunt, legem ipſam violent.
† Quod autem Juſtinianus non tantum liberorum 3
favorem attendit, patet ex ipſius verbis, dum ait, *Et inteſtatas, vel ſine nuptiis*: juncto verſiculo, *Et ipſe, vel ipſa liberos ſuſtulerit, ſive teſtamentum fecerit, ſive nuptias contraxerit, firmiter res poſſideri, & non eſſe locum ſubſtitutioni.* Quae verba aliunde determinari deſiderant, & terminantur ex *principio legis*; ibi, *Generaliter ſancimus firmiter res poſſideri, & non eſſe locum reſtitutioni:* in themate nempe propoſito, *ſi inſtitutus liberos ſuſtulerit, ſive nuptias contraxerit, ſive teſtamentum fecerit.* Non tantum ergo, ſi liberos ſuſtulerit, ſed in quocumque ex illis caſibus, niſi dicas eſſe alternativam legis, quae non ſervat ſuam naturam; quod jam ſupra in *cap.* 21. impugnavimus. Namque & noſtra ſententia probatur ex ſequentibus verbis, *Si enim nihil ex his fuerit ſubſequutum, tunc valere conditionem, & res ſecundum verba teſtamenti reſtitui.* Namque ſi tantum favore liberorum id fieret, ut volunt Doctores: ſequeretur, quod ſi liberos non haberet ioſtitutus, etſi teſtamentum fecerit, aut nuptias contraxerit, eſſet locus ſubſtitutioni. Quod praedictis verbis plane adverſaretur, cum ſumatur ex generali ſignificatio, ibi, *Si nihil ex his:* ſi aliquid probetur eſſe factum, totam orationem falſam efficeret; juxta regulam Juliani in *l. ſi is qui ducenta* 13. §. *utrum* 3. *D. de reb. dub.* Unde cum decidat Juſtinianus, quod ſi nihil ex his fuerit ſubſequutum, tunc valebit ſubſtitutio, ſequitur neceſſario, quod ſi aliquid fuerit factum, non valebit: † alias quidem duas contradictorias ve- 4
ras ſimul concedes, quod tamen nedum Logicis, ſed & nobis etiam concedere non licet. Vides autem contradictorias, ſi nihil fuerit ſubſequutum, eſſe locum ſubſtitutioni, quae generalis vera eſt, ut ab Imperatore deciſa; & cum aliquid ſubſequatur, eſſe locum, quod eſſe verum fateri cogeris, ſi Doctorum opinionem admittas. Quod tamen Julianus maxime fugit, nihilque magis in ſua *illa lege* prohibet. Hoc amplius tibi palam fiet, ſi cum his Juſtiniani verbis conjungas illa Juliani in §. 5. *l.* 13. *D. de reb. dub.* ubi ait, *Si quis autem plura in ſtipula-*

tum

tum deducat, quorum unum fieri velit, ita comprehendere debet: illud, aut illud fieri ſpondes? Si nihil eorum factum fuerit, decem dabis. Quod plane fecit in *hac lege* Imperator. *Namque*, inquit, *generaliter ſancimus, quod ſi inſtitutus liberos ſuſtulerit, ſive nuptias contraxerit, ſive teſtamentum fecerit, firmiter res poſſideri, & non eſſe locum ſubſtitutioni, & ſi nihil eu his fuerit ſubſequutum, tunc valere conditionem, & res ſecundum teſtamenti verba eſſe reſtituendas.* Ergo ſi ali-
5 quid acciderit, reſtituendae non erunt. † Verum advertendum eſt, occaſionem Doctoribus ad illam ſuam ſententiam amplectendam praebuiſſe verba illa *ejusdem legis*: Ibi, *Cui enim ferendus eſt intellectus, ſi forſitan teſtamentum quidem non fecerit, poſteritatem autem habuerit, propter hujusmodi verborum anguſtias, liberos ejus omni pene fructu paterno defraudari?* quae quidem non ut Doctores volunt, inciviliter una legis particula perſpecta judicantes, rationem deci-
6 ſionis reddunt († ut ab eis recedere, & hac ratione ſacrilegium ſit, ut opinatur Marcus Mantua *lib. 4. Enchirid. jur. cap 1*) ſed in eis Juſtinianus iniquitatis, cui obviare vult, exemplum in altera parte ponit, ſicut facit in *l. cum quidam 4. C. de verbor. ſignific.* de qua in *cap. ſequenti*. Ubi cum de inſtitutione, legatis, libertatibus, & tutoribus datis, agat Imperator, ut agnovit *gloſſ* 1 in datis tutoribus pupilli tantum comminiſcitur utilitatem. Ibi, *ne dum dubitatur, &c.* Neque etiam illa verba Doctorum ſententiae adſtipulantur, & hanc legem in perpetuum valituram inducimus, tam parentibus, quam liberis gratam. Namque ea referenda non ſunt ad parentes inſtitutos, ſed ad parentes inſtituentes, & inſtitutos liberos, de quibus hujusmodi aliquid ſcri-
7 ptum fuerit, medemur. † Eſt igitur verus *hujus legis* intellectus ut generalis ſit, neque, ex tribus propoſitis, in generali deciſione unum decidat caſum, contra verborum naturam, & plurimorum dogmatum regulas: is mihi videtur, ut Juſtinianus ſtatuat, quod quando conditiones illae, quorum defectus locum tribuit ſubſtitutioni, referuntur ad ſucceſſionem inſtituti, tunc etiam ſi varii ſucceſſionis exitus comprehedantur disjunctive, disjunctiva illa ſit in copulam reducenda; injuſtum enim eſſet aliud obſervare. Quam quidem interpretationem, & rationem ſatis declaravit Juſtinianus in illis verbis, *ut incertus morientis exitus, videatur certo ſubſtitutionis, vel reſtitutionis fine concludi.* Quibus nihil clarius ad intellectum legis, & mentem Imperatoris declaran-
8 dam: † a quibus, ut a ratione legis diſcedere, erit pene ſacrilegium. In quo intellectu illud mihi cum Doctoribus commune, quod ex praeſumpta mente diſponentis, & aequitate disjunctam in conjunctam traduci, & nos ſicut illi, fatemur. Tum etiam, quod ſicut illi, differentiam ponimus inter alias, atque alias conditiones: quod fecerunt Fulgoſius & alii, in *eu lege*. At in ratione & generalitate diſpoſitionis, & conditionum, quae in ea comprehenduntur, ſatis diſſentimus. Quod probandum fore non dubito.

CAPUT XXXIV.

De intellectu *l. cum quidam 4. C. de verbor. ſignific.*

SUMMARIA.

1 *Disjunctionis particulae in copulam aliquando convertuntur.*
2 *Incertitudo vitiat inſtitutionem, legatum & ſimilia.*
3 *Nihil magis aequum, quam defunctoram voluntates conſervare.*

ACcedimus jam ad alteram exceptionem illius regulae, quod alternativae natura alterum tantum adimpleri poſtulat, ſi exceptio appellari meretur. † Nam potius dicendum eſſet, disjunctionis 1
particulas ex uſu aliquando, ac ſi eſſent copulae interpretari: ut facit iterum ex aequitate Juſtinianus, in *l. cum quidam 4. C. de verbor. ſignific.* Ubi alternativam illam, qua quis unum, aut alterum haeredem ſcribit, huic, vel illi legat, vel ſimilem pro copulativa eſſe accipiendam ſtatuit. Quam legem admittunt Doctores, ſi alternativa ſit poſita inter perſonas honoratas; non autem ſi collocetur inter gravatas. Quae tamen diſtictio obſcurior eſt, quam quod interpretandi ratio deſiderat; in qua explicanda & concordandis contrariis juribus, plus immorandum eſſet, quam in ipſius legis intellectu. Vera ergo ratio ad eam deciſionem, quae ſimul & neceſſariam diſtinctionem comprehendit, haec eſt,
† quod cum inſtitutio, legati, libertatis, & tuto- 2
rum datio ſub hac verborum conceptione eſſent tamquam incertae nullius effectus (ut ipſe Juſtinianus praemittit, & docuerat in §. *incertis 25. Inſtitut. de legat.*) id tamen ei iniquum viſum eſt, † cum nihil 3
magis aequum ſit, quam defunctorum voluntatem conſervare, ut religioſe atteſtatur Plinius ille ſecundus in *Epiſtolae 16. ad Annianum lib. 2. & ad Sabinum lib. 4. ep. 10.* Incertitudinem ergo inde rejicit, quae vitiare poterat, & disjunctam ad conjunctam traducit, ut uterque cenſeatur inſtitutus utrique legatum, ſeu data libertas, & utrique ſint tutores: omnibus aliis, quae hoc vitio non laborant, in ſuo vigore relinquens. Qua interpretatione, quae, ſi recte inſpiciatur, parum a Doctorum ſententia abeſt, plures tamen eorum ambages vitabis, & legis ipſius rationem intelliges.

CAPUT XXXV.

De contractu Principis, ſitne lex: ad intellectum *l. donationes 25. C. de donat. inter virum, & uxorem.*

SUMMARIA.

1 *Principis contractum legis vicem obtinere, non generaliter aſſerendum, & quo in caſu obtineat;* & num. 12.
2 *Intellectu* l. princeps 31. D. de legibus; *&* num 4.
3 *Metuenda magna potentia in eo, qui jus & fas non revereatur.*
5 *Princeps eſt cauſa efficiens juris.*
6 *Vis coactiva legum non reſpiciet Principem, ſed vis directiva*, num 7.
8 *Princeps efficaciter & coactive obligatur contractu; ſicut is qui obligatur civiliter*, num. 10. *& ejus ratio*, num. 9.
11 *Donatio inter virum & uxorem non valet jure poſitivo.*
13 *Lex quandoque pactum ſignificat.*

PRrincipis contractum legis vicem obtinere, non parvi nominis Doctoribus placuit, ſed Bartolo ipſi in *l. Caeſar 15. D. de publican.* & Baldo in *l. 1. num. 7. C. de haered.* vel actione vendita, cum aliis, quid probant per Imperatoris reſeriptum, in *l. donationes 26. C. de donationibus inter virum, & uxorem.*
† Quae tamen ſententia generaliter vera non eſt, 1
neque in illa lege generaliter probatur; quam ſi admittamus, facile contractu Principes non obligari, quilibet fortiſſimo argumento oſtendet. Nam ſi contractus Principis habet vim legis, & lex reputatur, Princeps legibus ſolutus eſt, ut Ulpianus atteſtatur in *l. Princeps 31. D. de legibus.* Unde ſequeretur neceſſario contractus obligatione Principes eſſe ſolutos. Quod quidem non eſt concedendum; minorem autem poſitionem nunquam effugies. Namque licet in eam Ulpiani ſententiam impetum aliqui fecerint, quod videatur barbarae illi ſententiae convenire a Magis, Cambyſae, Perſarum Regi dictae, dum ejus cum ſorore conjugium excuſare vellent: di-

ctae etiam per adulatores Antonino Caracalla, qui, ut refert Aelius Spartianus *cap.* 10. cum Juliam novercam vidiſſet pene nudam, & exclamaret, *vellem ſi liceret*, ſic ei reſponſum eſt, *ſi libet, licet; neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere?*
2 † Ego tamen non crederem Ulpianum auctorem illius ſententiae, quod jus a juſtitia ortum habet, in *l.* 1. *D. de juſt. & jure.* in illa altera lege incidere in definitionem illam juris, ex eodem capite, & ſententia per Divum Auguſtin. reprobatam *lib.* 19. *de civitate Dei cap.* 21. Jus nempe eſſe, quod ei, qui plus poteſt, utile eſt: quam attulit apud Platonem *lib.* 1. *de Rep.* Traſymachus, & approbavit apud Alexandrum, poſtquam Clitum injuſte occiderat, Anaxarchus nomine Philoſophus, & re perditiſſimus adulator; ut refert, & improbat Plutarchus *lib. de Doctrina Principum. in principio.* Neque ex eo tamen haec Ulpiani ſententia tutanda eſt, quod (ut docet Ludovicus Vives, eam ut defendat *lib. 7. de corrupt. artibus, & diſcipl.*) antiquitus talem eligebant Principem, ut nefas eſſet exiſtimare tam prudentem, & probum virum legibus alligari, qui nec male eſſet acturus volens, quia probus, neque ignorans, quia prudens. Quae quidem praeſumptio ſufficiens non eſt, ad hanc Ulpiani ſententiam approbandam, quem praeceſſerant Claudius, Nero, Caligula, & ſimiles, non hoc judicio electi, quia eam praeſumptionem elidere ſatis poſſent. Ego enim ſcio, quod Ulpiani dictum calumniantes, ajunt extimeſcendam
3 in uno viro tantam potentiam: † ſed ea ſine *hac lege* metuenda erit in eo, qui jus & fas non reverea-
4 tur. † Non vero Ulpianus ex eo, quod probet adulatores illos, hanc ſententiam protulit, ſed quia
5 ea eſt legum natura: † nam cum ſit Princeps cauſa efficiens legum (apparet autem de eo nos Principe loqui, qui alteri non ſubſit) ut Ariſtot. *lib. 5. de morib. cap.* 10. in verſione Lambini, aſſerit: & coactio ejuſdem quoad ſeipſum eſſe non poſſit, non erit
6 coactio legum quoad Principem, † neque ad eum erit trahenda vis earum coactiva, ut docent optime doctiſſimi, Soto *lib.* 1. *de juſtitia & jure. q.* 6. *artic. 7. concluſ.* 2. & Covar. in *cap. Alma mater.* 1. *part.* §. 1. *num.* 4. licet, ut iidem advertunt, & Rebuff. *in*
7 *proœm. ad conſtitut. reg. gloſſ.* 1. *num.* 54. † vi legis directiva Princeps teneatur: quod idem eſt, ac ſi cum antiquioribus dicas, non ſubeſſe legibus, ſed rationi earum. Sed hanc differentiam in contracti-
8 bus non reperies, † quibus Principem efficaciter obligari, & etiam coactive, concors omnium pene Doctorum ſententia eſt: quam mille auctoribus probarem, ſi illam probarem conſuetudinem, paginas his allegationibus implendi. Id autem docuerunt Bald. & Doct. in *l.* 1. *D. de pactis.* Abb. Panorm. & Doctor. in *cap.* 1. *de probation.* & plures, quos refert Didac. Perez. in *l.* 3. *tit* 8. *lib.* 3. *ordinam.* verb.
9 *no pude poner excepcion.* neque id mirum! † Nam contractus fere omnes ſunt de jure gentium, ut Hermogenianus atteſtatur, in *l. ex hoc jure* 5. *D. de juſt. & jur.* & obligatio eorum naturalis eſt, ut iidem authores docent, & Ulpianus Juriſconſultus aperte tradiderat in *d. l.* 1. *D. de pact.* alias equidem, ſi abeſſet obligatio, contractus non conſiſteret, qui dicit ultro citroque obligationem, *l. Labeo* 19. *D. de*
10 *verb. ſig.* † Unde magis juri, & rationi conſonum videtur, obligari Principem contractu ita efficaciter, ſicut is, qui obligatur civiliter; quia jus civile in detegenda obligatione contractuum, nihil juri gentium addidit: & ita in medio jure civili, gentium contractus Hermogenianus appellat, & erit exinde fruſtra quaerere cum Doctoribus, quos Didac. Perez, *ubi ſupra*, refert, an Princeps contractu civiliter obligetur. Ex quibus omnibus apparet contractu Princeps efficacius aſtringi, quam legibus. Neque obſtat, quod Imperator inquit, in *d. l. donationes* 26. *Imperialibus contractibus legis vicem obtinentibus:* in quorum verborum interpretatione late ſe involvit Berojus in *cap.* 1. *de probation. num.* 28. neque aliquid, quod ſatisfaciat, dicit. Nam verum non eſt, ut diximus, quoad obligationem contractus Principis, legis vicem obtinere, quia habent majorem vim. † Sed cum notum ſit illud principium in illo titulo, donationes inter virum & uxorem non valere, idque ex mero jure poſitivo mores approbante, *l.* 1. *D. de donation. inter virum & uxorem.* † decidit Imperator, valere tamen donationes 11
hujuſmodi inter Principes factas: ut ſicut *quod Principi placuit, legis habet vigorem.* §. *ſed quod Principi* 6. *Inſt. de jure naturali.* ita & contractus Principis habeat. Et exinde, ſicut lex tollit legem, tollit & 12
conſuetudinem; ita lex, & conſuetudo per contractum Principis, qui eſt contra eas, abrogentur. Et ſufficiat illi placuiſſe ſic contrahere, ad hoc ut etiam lege civili repugnante, contractus teneat; qui verus eſt illius legis intellectus: habet enim in hoc contractus Principis vim legis, qui alias quoad obligationem circa Principem, eandem vincit. Verba autem Juriſconſulti in *l. Caeſar* 15. *D. de publican. & vectigal.* quae in eandem ſententiam, quod Principis contractus legis vim habeat, Doctores adducunt, interpretationem non requirunt: † ibi enim 13
legis verbum, ut alias ſaepiſſime, pactum ſignificat, quod Accurſium non latuit in *eadem l.* verb. *lege.*

CAPUT XXXVI.

De geminationibus, & omiſſionibus in Pandectis non reprobandis.

SUMMARIA.

1 *Doctorum geminationes damnat Alciatus.*
2 *Geminationes in jure defenduntur.*
3 *Ex detractorum ingeniis nihil boni ſperari poteſt; quibus placere difficillimum*, num. 6.
4 *Leges defendendae ſunt.*
5 *Defenditur Tribonianus, quod aliqua omiſerit: & authoris peroratio*, num. 7.

SCripſit quidam Pratejus *Mediae juriſprudentiae libros quatuor*; in quorum primo geminationes in Pandectis plures enarrat, ut Tribonianum, & collegas accuſet, quod dicerent nihil in jure ſimile reliquiſſe: cui cum licuerit plures paginas in accuſando Juſtiniano conſumere, quam mihi in defendendo lineae ſunt conſumendae, nemo niſi improbus laborem meum reprobabit. Summa omnis querelae, quam in venerandos juris compilatores, & Juſtinianum approbantem intentat, haec eſt: Primo, eos mendacii arguit, quod cum jactaſſent nihil ſe in jure ſimile reliquiſſe, attamen eandem rem ſaepiſſime non duobus, ſed & pluribus locis geminarunt: quorum locorum per 160. capita, nihil aliud agens, meminit. Secundo arguit inſcitiae, quaſi non animadverterint, geminationes iſtas ſtudioſorum animos enecare. Alciati innixus authoritate, qui hoc ſaepe damnavit: quem tamen ipſe Pratejus non in-
tellexit. † Namque Alciatus non Pandectas dam- 1
nat, ſed Doctores; quos videbis crebro ab aliis tradita eiſdem verbis, neque vel paululum immutatis, repetere, non uno ſed mille in locis. Sed mihi mirum non ſit, ſi ille obcaecatus Alciatum non intelligat, qui Juſtiniano, ſeu Triboniano imponit, quod illos dixiſſe non reperies, & ab illis praeviſa, & confutata argumenta, ipſe geminationum accuſator ſaepeſſime geminat. † Unde hanc mihi defen- 2
ſionem non vindicabo, cum ipſi ſe egregie defenderint compilatores: quod optima illorum verba, ſub Juſtiniani authoritate prolata, ſatis indicant, quae hic (ut calumniam agnoſcas) referre fuit animus: *Si quid* (inquit) *autem in tanta legum compoſitione;*

quae

quae ob immenſo librorum numero collecta eſt, ſimile forſan raro inveniatur, nemo hoc vituperandum exiſtimet, ſed primum quidem imbecillitati humanae, quae naturaliter ineſt, hoc inſcribat: quia omnium habere memoriam, & penitus in nullo peccare, divinitatis magis, quam mortalitatis eſt. Deinde ſciat, quod ſimilitudo in quibusdam, & his breviſſimis aſſumpta non inutilis eſt, & nec citra noſtrum propoſitum hoc ſubſequutum. Aut enim ita lex neceſſaria erat, ut diverſis titulis propter rerum cognitionem applicare eam oportuerit, aut cum fuerat aliis diverſis rebus permixta, impoſſibile erat eam per partes detrahi, ne totum confunderetur, & in his partibus, in quibus perfectiſſime juſſiones veterum expoſitae fuerant, quod particulatim fuerat ſparſum, hoc ſeparare, ac dividere penitus erat incivile: ne tam ſenſus, quam aures legentium ex hoc perturbarentur. Hactenus Juſtinianus in *conſtitutione de confirmatione Digeſt.* §. 14. & in *praefatione ad Pandectas, Codicem, & Inſtitut. Conſtitutione Graeca*, quam Latinam reddit Contius: in quibus idem pene de Conſtitutionibus Imperatorum duplicatis Juſtinianus refert. Ex quibus verbis agnoſces imprudentiam impoſtoris illius: cognoſces etiam argumenta, quibus toto illo libro geminationes improbandas probat, Tribonianum refellendo praevidiſſe: ut dolor ſit perſpicere ingenia quorundam hominum, qui per fas & nefas nemini parcunt. Quid enim illi cum Pandectis, ut accuſaret? an ut ſe rectius illas diſpoſiturum palam oſtendat?
3 † Id mihi tamen non perſuadet, qui detractorum horum ingenia tam abhorreo, ut ex illis nequidquam boni ſperare poſſim. Quid enim nobis adjumenti adferet totus ille *Geminationum* liber? nihil in foro, nihil in ſcholis, ubi odioſos maxime eſſe ſcio Juſtiniani accuſatores; neque id immerito, cum ſint
4 deſertores ſui muneris, † quod eſt, quas profitentur leges defendere: & hoc qui neſcit; fateatur ſe neſcire leges interpretari! fateatur ſe officium ſuum non exequi! fateatur Reipublicae nihil prodeſſe! fateatur ſe demum ne quidquam ſapere! tunc enim ſaperet, cum geminationes illas, quovis quaeſito colore defenderet. Sed opus non habet Juſtinianus ejusmodi Patroni, qui ſibi ſatis cavit & ſe ab ejus impugnationibus egregie vindicavit. At ipſe Praetejus *ad Omiſſiones in ſecundo libro* confugiet, non tamen in colligendis his foelicior. Reprehendit enim in *primo capite* Tribonianum, exemplo Ciceronis, quod in *principio Inſtit.* omiſerit juris definitionem, quam mutuandam dicit ex principio Digeſtorum. Reprehendat quod omiſit juris illos omnium pene innumerabiles libros! nam in hoc nihil aget. Cicero equidem ipſe, ubi definitionem initio diſputationis tradi deſiderat, ubi Panetium reprehendit (in *principio* ſcilicet *primi libri Officiorum*) ibi tamen non definit, quia alibi definierat. Vides ergo authorem illius regulae, quam ad mille exordia proficientem reliquit, in eodem peccaſſe, etſi hoc peccatum
non ſit. † Si enim in *principio Digeſtorum* traditam 5
definitionem, in *Inſtitutionibus* repeteret, ſi de praeſcriptionis tempore, quod definierat in *l. penult. cum ſimilib. C. de praeſcript. longi temp.* in Pandectis meminiſſet, geminationis accuſaret: quia reliquit, omiſ-
ſionis, † ut videas quam difficile ſit, calumnianti- 6
bus placere, & detractatorum ſubterfugere reprehenſiones; quod in hunc locum reſervavi, & aliis
exemplum, & mihi uſui futurum. † Non enim 7
erit quod quaerar, cum neque Juſtiniano ipſi, aut Triboniano maſtiges defuerint. Optarim tamen, eos mihi cenſores contingere, qui, non niſi re perſpecta & bene exploarateque cognita, judicent, qui primis conatibus faveant, qui aetati aliquid condonent, & qui animadverterint, quod Juſtinianus ſupra relatus ait, quod penitus in nullo peccare Divinitatis potius, quam mortalitatis eſt. Immortali ergo Deo Optimo Maximo, ſi quid boni erit in hoc brevi *Animadverſionum libro*, gratiae habeantur! a quo bona cuncta procedunt, cui aeternae ſint gratiarum actiones, honor, & gloria in ſeculorum ſecula: Amen!

INDEX LEGUM
illuſtratarum aut explicitarum.

ex Inſtitutionibus.

Princ. de Verb. Obligat. 451

e Digeſtis.

l. 1. de Juſtitia & jur. 429. ſeqq.
l. 2. 3. eod. 436
l. 3 de officio Praetor. 443
l. 5. de Pactis. 444. ſeqq.
l. l. 6. 7. eod. 446. ſeqq.
l. l. 6. §. 4. de Negot. geſt. 493
l. 26. §. fin. de judic. 455
l. 3 ſi pars hered. petat. 456
l. 25. §. 2. Fam. erciſc. 492
l. 4. Si certum petat. 457
l. 11. eod. Ibid.
l. 19. §. 1. de Condict. indeb. 459
l. 44 eod. 458
l. 60. eod. 459. ſeqq.
l. 32. Depoſiti. 457. ſeqq.
l. 22. §. 10. Mandati. 493
l. 5 §. 2. Locati. 465
l. 25 § 6. eod. 466
l. 35. §. fin. eod. 463
l. 5. § 2. de Praeſcript. verb. 402
l. 10. de Evictiom. 479
l. 30 §. 6. de Acquir. hered. 456
l. 11. de Teſtament. [illegible]
l. 34 §. penult D. de Legat. 1. 477
l. 47 §. 2. eod. 481. ſeqq.
l. 4. de Annuis legat. 473
l. 28. eod. ibid.
l. 19. de Auro, arg. legat. 478
l. 30. eod. 408
l. 1. de Rebus Dub. 481
l. 13 §. 3. eod. 482. ſeqq.
l. 13. §. 6. eod. 483
l. 22. §. 2. ad SCtum Trebell. 463
l. 35. §. fin. de Donat. cauſ. mortis. 478
l. 11. de Acquir. rer. domin. 486. ſeqq.
l. 3 §. 5. de Acquir. poſſeſſ. 487
l. 33. eod. 478
l. 3. de Exceptionib. 489
l. 17. de Duob. reis. 490
l. 60. de Fidejuſſor. 478
l. 10. de Verb. ſignif. 476
l. 223. eod. 469
l. 60. de Regulis juris. 492

e Codice.

l. 9. de Negot. geſt. 492. ſeqq.
l. 5. de Petit. hered. 458
l. 8. de Locato. 463
l. 6. de Inſtitut. & ſubſtit. 496
l. 4. de Verbor. ſignific. 497
l. 26. de Donation. int. vir. & uxor. 479

ex Jure Canonico.

Cap. VIII. Diſtinct. 1. 438
XI. de Conſuetud. 441
V. de Eo qui dux. in matrim. 494
I. de Teſtament. in 6. 495

PARDULPHI PRATEJI, JC^{ti}

AUGUSTOBUCONIATIS

JURISPRUDENTIAE MEDIAE

LIBRI IV.

Ad Michaëlem Hoſpitalium magnum Franciae Cancellarium.

MICHAELI HOSPITALIO, MAGNO FRANCIAE CANCELLARIO,

καὶ νομοφύλακι,

PARDULPHUS PRATEJUS

Εὖ πράττειν, καὶ χαίρειν.

ANTIQUISSIMIS Aegypti populis perſuaſiſſe Menam vitae probatae, magnique animi virum ſcribit Diodorus, ut legibus ſcriptis, velut permagnorum bonorum cauſa, uterentur: idque optima ratione. Leges enim rem eſſe divinam, admirandam, mortalibusque maxime utilem, ac neceſſariam liquido conſtat. Leges vero hominibus ideo poni refert ſummae vir prudentiae Plato, ut ſecundum eas vitam tranſigant. Nam univerſa hominum vita, ſive magnam urbem incolant, ſive parvam, natura, legibusque gubernatur. Horum autem natura incerta, & verſatilis eſt, & ſua cujusque hominis: Leges vero communes, & ordinatae ſunt; idemque hominibus praeſcribunt. Itaque ſi natura prava eſt, πολλάκις φαῦλα βουλεύεται: *atque tales in delicta ruere facile invenire licet. Leges autem juſtum, honeſtum, & utile imperant, & idipſum quaeritant: quod cum fuerit inventum, commune iſtud fit* πρόσταγμα, καὶ ἀποδέχθη πᾶσιν. *Quod ſi leges ſacratiſſimae abrogarentur, obliterarenturve, univerſa rerum publicarum genera malorum iliadibus perculſa obruerentur, & a ſtirpe (pene dixerim) interirent,* καὶ *(ut praeclare, & vere dicebat Demoſthenes)* ἐπιλυθέντων γε τῶν νόμων ἑκάστῳ δοθείσης ἐξουσίας ὅτι βούλεται ποιεῖν οὐ μόνον ἡ πολιτεία οἴχεται, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ὁ βίος ἡμῶν τοῦ τῶν θηρίων οὐδὲν ἂν διενέγκοι. *Sed quur* ἐξοχὴν *tuam remoror iis, quae perſpectiſſima tibi eſſe novit Gallia triplex; noverunt & nationes exterae? Enitendum eſt, ut leges rectiſſime ſe habeant, & ut ſacroſanctae ſint, ita qua licet arte tradantur. Id quod a Q. Mutio Scaevola, & Salvio Juliano Juriſconſ. exactiſſime obſervatum fuiſſe apud graviſſimos rerum ſcriptores animadverti: quo in negotio genere ſupervacanea rejicienda, recta, & aequa non praetermittenda, ſed omnia ordine naturae, arti, & legibus conſentaneo, ductilique via ediſſerenda ſunt. Nam gravia ordine tractanda ſcriptum reliquit divinus, totoque celebratiſſimus orbe Homerus. Equidem, cum Pandectas juris civilis Codicemque Juſtinianeum ſaepe perluſtraſſem, geminata, terque repetita quaedam, omiſſa aliquot, inverſa aliqua reſponſorum capita deprehendi: pretium itaque operae facturus videbor, ſi ea velut indice digito commonſtravero. Haec juriſperitiſſimis incognita non eſſe minime dubito: at quod nec quisquam omnium detexerat, aut evulgaverat, id praeſtare (quoad ejus facere potero) in animum induxi meum. idque non venandae popularis aurae gratia, ſed ut teſtatiſſimum facerem, quanto ferar in juris candidatos, & univerſam rempub. ſtudio. Recepta & peritorum conſenſu, & moribus immutare, & invertere conari me efflabunt Pratejo maſtiges. At ſi omnia oculatiſſime introſpexerint, quae obſervavi notatu digna fuiſſe non ibunt inficias. Obtrudent praeterea jura civilia immutari, nefas eſſe: at ſi rem expenderint propius, jus ipſum non mutari, ſed illaeſum conſervari, ac retineri fatebuntur: juris majeſtatem non imminuere me, ſed venerari perſpicient. Graviorem viribus meis provinciam ſubiiſſe me, & quod molior factu difficile adſeverabunt: at quod vulgo jactatur,* Omnia ſtudio juvari, *animum recreat, & reficit, & rerum omnium cognitio:*

> Pervigili ſtudio, magnoque labore paratur,
> Verſatisque manu (qua licet arte) libris.

Novum argumenti genus eſt, ſed fortaſſe peritorum animos excitabit. Calcar addes, ſi labores hosce meos probaveris. Haec autem inter operoſiſſima mea ſtudia horis ſucciſivis adnotabam. Porro quaedam ex iis, quae libro primo *obſervavi aliqua ex parte a quibusdam adnotata non me lates, ſed ita, ut aliquibus cauſis ſublevari poſſe autument. At vero teſtimonio aliquo juvari non poſſe ſuis locis indicabo. Quod ad ea, quae* lib. 2. & 3. *ſcripſi; a nemine tacta fuerunt. Poſtremo cum perſpicerem quosdam exleges, non bene natos dicaeomaſtiges jura civilia ſapientiſſimorum, & peritorum hominum judiciis ſcripta, ac illuſtrata, antiquanda, penitusque tollenda ajentes, juris civilis originem, cauſam, definitionem, partitionem divini humanique juris cognationem, virtutem & finem libro ſingulari ediſſerui. Sublatis autem legibus, reſpubl. a ſtirpe interiret. Jus amitti ſine magno reipub. incommodo non poteſt. Sine legibus, quae reipub. nervi ſunt, nec domus, nec civitas, nec gens, nec univerſum hominum genus, nec rerum natura, nec ipſe mundus ſtare poteſt. Qui jura civilia tolli percupiunt, dira duntaxat habendi, compilandique libidine impelluntur: novam, non dicam* πολιτείας, *ſed* ἀπολιτείας *excogitantes. Sed ad inſtitutum revolemus! Hoc munus a felicioris, feracioris que genii viris obiri debere non diffiteor; hoc non, niſi ab exercitatiſſimis in jure publice perdocendo tentandum non nego: ſed cum mihi illuceſcere coeperit vigeſimus annus ſtudiorum meo-*

amorum juris civilis, non potui non, ſi quid in eo genere didiceram, in publicum emittere, acceptâ ab avo meo Gulielmo Pratejo cauſarum patrono lampade. Tametſi vero non ſim neſcius non, niſi praeclaro ingenio elaborata, eruditione perornata, teque digna offerri, dicarive debeant, admiranda tamen tua humanitas, aditus perfacilis, καὶ φιλανθρωπία eo volentem adegerunt, ut ſcripta haec mea, quantulacunque ſint, tuae ἐξοχῇ conſecrare veritus non ſim. Innumera virtutum tuarum genera, juris & antiqui & novi peritia, viſenda rerum cognitio, & ἐγκυκλοπαιδεία ad ſummum honorum faſtigium, καὶ νομοφυλακίαν te evexerunt. Nam, ut ait Poeta,

Τιμὴ πέφαι πᾶσι παιδεία βροτοῖς.

Oculis, auribusve permultis (ut de Cyro ſcribit Xenophon) ornaris, utpote qui omnia, quae utilitatis, adjumentive plurimum adferunt, & audis & vides. In explicandis antiquis legibus, in conciliandis veterum Juriſconſultorum reſponſis Aemilium Papinianum acutiſſimi ingenii virum, jurisque theſaurum pervincis. In jure ex bono, & aequo, & dicendo & interpretando Servium Sulpitium exuperas. Unde nec immerito magiſtratuum antiſtitem deſignatum te pergaudet Gallia tota. Tu interim labores hoſce meos aequi, bonique conſule, & excipe: id quod facturum te ſpero: ea eſt tua in ſtudioſos benevolentia. Quod ſi haec tibi gratiſſima ſenſero, doctis omnibus feciſſe me ſatis videbor. Studia haec mea labefactare conabuntur permulti: neque enim, ut ait vetuſtiſſimus Theognis,

—— —— —— Οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς,
Οὔθ' ὕων πάντας ἁνδάνει, οὔτ' ἀνέχων.

Verum lividis, iisque, qui aliena labefactant, reclamare juvat. Vale, atque iterum vale, eruditorum Mecaenas, & Juriſconſultiſſimorum Coryphaee. Lugduni, Calend. Sextilib. anno ſalutiferi partus 1560.

Ad

JOANNEM FORNELIUM V. C.

Lugdunenſis provinciae rerumque civilium Praefectum.

Difficile, at pulchrum eſt, juris contingere nodos,
Quos ſcripſit recto tramite docta manus
Arte Tribuniani, ac aliorum excerpta videmus.
Jura, verum ſic, ut Mercurio indigeant.
Indiget ipſe ſuo juris ſic vindice nodus,
Ut doctorum hominum torqueat ingenia.

Ad

F. VILLARIUM

Regium conſiliarium.

Exiit ante vetus jurisprudentia clara,
Quam latuiſſe diu neſcit adusque nemo.
Hoc opus at minimum varias perfertur ad auras
Omiſſorum index, congeminata notans.

Ad

JO. BALIVUM JCtum,

καὶ τὸν φίλον intimum.

Enituit quondam jurisprudentia mirè
Tradita praeclare munere Scaevoleo:
Summa petens aſt auſa fuit contingere ſacras
Leges, plumbea, quas ſuſtulit invidia.

Ad

LEONARDUM AUCLERUM

Rerum capitalium apud Marchiam praefectum.

Biſſenae redeant integrae (quaeſo) Tabellae,
Unde fluunt doctis commoda magna viris;
Perveneranda (precor) redeant conſulta Senatus;
Adferat & Praetor (qua licet arte) ſua;
Concelebrata ferat praeclarus Papinianus,
Ut fuerant ſcripta, & Julius ipſe ſua!
Quae mutilata vides: ſubtriſti hinc pectore, docte
Auclere, conqueritur maxima pars hominum.

Ad

GUIDONEM, ET FRANCISCUM PLANTADIOS.

Alterum Auguſtobuconio praefectum; alterum Advocatum Regium.

Enecat ingenium, qui diſſentanea tractat,
Cecidit in vitium τὰ δὲ περισσὰ ferens.
Turpe quoque eſt, ſi res, ſenſus, & verba redundent,
Articulis variis quae potere patet,

Ἡ ἀρετὴ τῶν πάντων κρατεῖ.

JURISPRUDENTIAE MEDIAE

LIBRI IV.

PARDULPHO PRATEJO JCto.

AUGUSTOBUCONIATE AUTORE.

PRAEFATIO.

QUum Juris Civilis Pandectarum, ceu Digeſtorum, Codicisque Juſtinianei libros, ex veteribus collectos, diligentiſſimis oculis perluſtraſſem, in ea, quae effugiſſe ſe adſtruebant Tribunianus, & Collegae, vitia prolapſos eosdem animadverti. Nam cum eos ſupervacanea, & ſimilia reſecaſſe (ut eorum verbis utar) imperfectis adjeciſſe, & ſuis numeris omnia abſolviſſe Juſtinianus non ſemel ſcriptum reliquit, mirari ſatis nequeo, cur in eisdem etiam titulis eadem reſponſa, reſcriptave toties repetierint: quae Jurisconſultis veteribus neceſſaria viſa eſſent, praetermiſerint, deleverint, atque obliterarint: conſentanea, & quae uno orationis perpetuae ductu ſcripta erant, inverterint, immutarint, truncaverint, & velut centonas adſuerint: methodica Q. M. Scaevolae, Salvii Juliani, aliorumque ſcripta amethodica effecerint, & diſſecuerint. Itaque non potui non haec detegere. Exordiamur autem ab iis, quae fruſtra bis, terque repetuntur. Scio Accurſium, Bartolum, & Antonium Auguſtinum quaedam obſervaſſe: ſed id ſuis locis indicabimus. Porro ſupervacanee repetita, ſtudioſorum animos obruunt, & enecant. Nam crambe (quod eſt in proverbio) recocta mors eſt: & (ut ſaepe dicebat A. Alciatus juris & rerum peritiſſimus)

Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.

Vitio verti ſolet, quod otioſum eſt, quodve ſupereſt: cum nec intellectum, nec ornatum juvet. Quae igitur ſupervacanee Pandectis, Codicique Juſtinianeo interjecta ſunt, expungenda curet princeps noſter optimus. Nec movet, quod ait Juſtinianus §. *quibus* 2. *conſtit.* 1. ſupervacuas praeſationes, quae aliqua juris diviſione adjuvantur, non reſecaſſe: ſed nec ad praeſationes pertinent, quae ſcripſimus. Quod ſi ad ipſas ſententias Juſtiniani conſtitutionem producas, quae geminata adnotavimus, nulla juris diviſione juvari ea poſſe deprehendes: ſed nec differentiae ratione, aut diſtinctionis foedere ſublevari vix poſſe autumo. Sed vela ventis demus!

JURISPRUDENTIAE MEDIAE

LIBER PRIMUS GEMINATIONUM.

CAPUT I.

EX PANDECTIS.

PRincipio ingeminatur divi Marci reſcriptum, de eo, qui jus ſibi dicit. Extat enim *lib.* 4. *D. tit.* 2. *cap.* 13. [*l. extat.* 13. *D. quod met. cauſ.*] Repetitur iisdem verbis *lib.* 48. *tit.* 7. *cap.* 7. [*l. creditores* 7. *D ad leg. Jul. de vi priv.*] quo loco Calliſtrati ad illud decretum epitome recitatur, recte exiſtimantis id, quod debetur, creditores per judicem repoſcere debere; alioquin illis poenale eſſe. Satis autem ſuperque fuit id decretum ſemel ſub titulo *de vi privata* recitaſſe, ut, re perſpecta, exiſtimo: illic propria ſedes, proprius congruusque ſitus. Nec ſubſiſtimus Accurſii gloſſemate, adſeverantis caput unum altero abſolutius. Sed id ab Architectis πανδεκτῶν effectum puto, ne geminatio innoteſceret: &, ut caput utrique titulo, cui interjectum eſt, congrueret: aut propoſiti tenaces viderentur compoſitores. Geminari tamen negabit nemo.

CAPUT II.

COnduplicarunt Pandectarum coagmentatores *cap.* 4. *lib.* 1. *tit.* 21. [*l. diem* 4. *D. de offic. aſſeſſ.*] & *cap.* 19. *lib.* 19. *tit.* 2. [*l. ſed addes* 19. §. *fin. D. locat.*] utrobique enim idem ejusdem Jurisconſ. reſponſum refertur: niſi quod illic reſtrictio recitatur. Vaniſſimi igitur operis fuit, ſub titulo *locati*, repetere. Et quemadmodum a principalioribus, dignioribusve nomina indi debent, & hominem caeteris rebus, animantibusve longe praeſtantiorem cenſuerunt Pedius & Paulus *l.* 44. *D. de aedil. edict.* & M. Cicero *lib.* 2. *de Finib. cap.* 13. quod & Ovidius cecinit *lib.* 1. *Metamorph. v.* 84.

Pronaque cum ſpectent animalia caetera terram,
Os homini ſublime dedit, coelumque videre
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Ita, quae de comitibus & aſſeſſoribus dicuntur, ſub

tit.

Digitized by Google

titulo *de officio aſſeſſorum*, differenda, tractandave putem.

CAPUT III.

SEd mirum magis videri debet, quod, eodem Ulpiani loco, bis idem κατὰ fere λέξιν, ſub tit. *de officio Quaeſtoris*, *l. 1. § 2. D. de off. Quaeſt.* repetitum eſt. Dixerat enim Ulpianus ex L. Feneſtella: *Sunt non omnes Quaeſtores provincias ſortiebantur, verum excepti erant candidati principis: hi etenim ſolis literis* (ſic etenim legendum ex L. Feneſtella, non *libris*, ut in Pandectis Florentinis & aliis vulgatioribus) *principalibus in Senatu legendis vacabant.* Subnectunt poſt paulo §. 4. eadem verba, eodemque ſenſu architecti Pandectarum. *Ex his* (*ſicut diximus*) *quidam ſunt, qui candidati principis dicebantur, quique epiſtolas in Senatu legunt.* Cur (rogo) haec poſtrema adjecta ſunt? Viden' eadem verba repeti? Declarationis cauſa ſubjuncta dicemus? at expreſſius, ſignificantiusve eloqui non poterat Ulpianus? Memoriae juvandae gratia addita (ut A. Auguſtinus *lib. 1. cap. 7. Emend.* autumat) credemus? At contextus idem oblivionem tollere potuit. Nec movet, quod ad edictum aedilium dixit idem Ulpianus *l. 1. §. 7. D. de aedil. edict. Aediles, tollendae dubitationis gratia, bis κατὰ τοῦ αὐτοῦ idem dixiſſe.* Diverſa enim cauſa eſt eorum, quae a compoſitoribus duplantur; cum ſemel dicta rem omnem diſceptent, exequantur, & explicent. Sed nec Homerica illa repetitione ſubſiſto, utpote quae hortamenti genus ſit, ut ait Gellius *lib. 13. cap. 23.*

CAPUT IV.

REcitatur bis idem Scaevolae reſponſum, ſub diverſis titulis, nempe *lib. 42. tit. 1. cap. 14* [*l. fin. D. de re judic.*] & *lib. 49. tit. 1. cap. 24.* [*l. negotiorum 24. D. de appell.* Satis autem ſuperque fuit ſub titulo *de Appellationibus* retuliſſe: idque ex ſubjectis Scaevolae verbis fiet manifeſtius: *Negotiorum geſtor, vel tutor, vel curator bona fide condemnati appellaverunt, & diu negotium tractum eſt. Quaeſitum eſt, appellatione eorum injuſta pronuntiata, an, quia tardius judicatum ſit, uſurae principalis pecuniae medii temporis debeantur? reſpondi, ſecundum ea, quae proponerentur, utilem dandam actionem.* Nec dubitationem movet δὶς ϑεσμὸν numeri librorum inſcriptionibus praefixa; nam in alterutro erratum adfirmare auſim: neque enim toties repetiiſſe Scaevolam mihi ſit veriſimile, qui brevi iis, quae proponebantur, reſpondere ſolebat; idque elegantiſſima ejus reſponſa liquido oſtendunt.

CAPUT V.

GEminatur ſub eodem titulo idem Ulpiani, ex lib. 66. ad edictum, reſponſum, iiſdem verbis ſcriptum *cap. 6.* [*l. miles. 6. pr. D. de re judic.*] & *cap. 18. lib. 42. tit. 1.* [*l. item miles 18. D. eod.*] utrobique enim eadem verba ſunt. Audiamus Ulpianum: *Miles, qui ſub armata militia ſtipendia meruit, condemnatus, eatenus, qua facere poteſt, cogitur ſolvere.* Memoriam juvat illa in eodem titulo reſponſorum repetitio? minime! ſed enecat potius taedio ingenia: obſunt potius, quam juvent, aut delectent: tametſi contra ſenſerit Antonius Auguſtinus *in libris Emendationum.*

CAPUT VI.

FRuſtra allata fuit bis eodem titulo ſententia eadem: primo enim recitatur *cap. 8. lib. 22. tit. 1.* [*l. equis 8. D. de uſur.*] deinde in *cap. 39. ejusdem lib. & tit.* [*l. equis 39. D. eod.*] Porro licet *cap. 8.* transſcriptum ſit ex lib. 7. reſponſorum Papiniani: *caput* autem 39. ex lib. 9. differentiarum Modeſtini; ſatis tamen ſuperque fuerat adjicere: Papiniani ſententiam probat Modeſtinus; idque veterum more ſcribit Papinianus: *Equis per fideicommiſſum relictis, poſt moram foetus quoque praeſtabitur.* Quid aliud Modeſtinus? Neque verbo, *legatis*, quo uſus eſt Modeſtinus, ſubſiſtendum. Legare enim, ut relinquere, latiſſimam habere ſignificationem, argumento eſt lex XII. Tabul. cujus haec verba ſunt: *Uti quisque legaſſit rei ſuae, ita jus eſto.* Quod ſi verbum, *legatis*, de donatione a defuncto relicta, ab haeredeque praeſtanda accipiendum putes (quo etiam Modeſtini ſententiam propendere mihi ſit veriſimile) haec vox *legatis* reſponſo Papiniani erat interjicienda poſt verbum, *relictis.* Adſolent enim compoſitores ex pluribus reſponſis unum conficere, aut unum in duo diſſecare.

CAPUT VII.

REpetitum fuit bis idem Julii Pauli decretum. Primum quidem *lib. 10. tit. 2. cap. 41.* [*l. quaedam 41. D. fam. ercisc.*] καὶ πάλιν *lib. 37. tit. 14. cap. 24.* [*l. fin. D. de jur. patron.*] Sat erat *lib. 10. tit. 2.* recitaſſe; ubi propria ſedes: nam de familia erciſcunda diſceptabatur. Eadem utrobique verba ſunt: niſi quod in *cap. 24.* & judex & appellans nominabantur, nempe Hermogenes, & Carmelia. Nec movet, quod obtrudit A. Auguſtinus *lib. 1. cap. 7. Emend.* permulta ſeparatis tractatibus ſcribenda: quod enim ait, de diverſis accipi debere, argumento eſt, quod ſcribit Cajus *de teſtamento militari* loquens, *l. 2. D. de teſtam. milit. Quaedam* (inquit Paulus) *mulier a judice appellaverat, quod diceret eam de dividenda haereditate inter ſe, & cohaeredem, non tantum res, ſed & libertos diviſiſſe; & alimenta, quae dari teſtator certis libertis juſſiſſet: nullo enim jure id eum feciſſe. Ex adverſa reſpondebatur conſenſiſſe eos diviſioni, & multis annis alimenta ſecundum diviſionem praeſtitiſſe. Placuit ſtandum eſſe alimentorum praeſtationi. Sed & illud adjecit nullam eſſe libertorum diviſionem.*

CAPUT VIII.

EAdem Salvii Juliani verba bis in eandem rem recitantur; cum ſemel retuliſſe ſufficiebat: extant enim *lib. 18. tit. 2. cap. 4. ϑεμ. 4. κανδ.* [*l. 4. §. idem Julianus 4. D. de in di. adject.*] & *lib. 43. tit. 24. c. 11. ϑεμ. 10.* [*l. is, qui in puteum 11. §. ſi fundus 10. D. quod vi aut clam*] Tametſi utrique titulo congruat reſponſum; tamen titulo, *quod vi, aut clam*, interjeciſſe ſatis ſuqerque fuit: cum in eo genere potiſſima eſſet controverſia, cui, ſcilicet, competeret interdictum: id quod verbis Juliani *d. §. ſi fundus 10.* manifeſtius oſtenditur: *Si fundus*, inquit, *in diem addictus ſit cui competet interdictum? & ait Julianus interdictum quod vi aut clam ei competere, cujus interfuit opus non fieri.* Quod ſi objicias haec fuiſſe Ulpiani, non Juliani verba; dicam illum hujus ſententiam probare usque adeo, ut ejusdem verbis uſus ſit: bino tamen relatu opus non erat.

CAPUT IX.

REpetita fuit iiſdem verbis ex lib 4. Digeſtorum Salvii Juliani facti ſpecies: primo quidem *lib. 44. tit. 2. cap. 2. κανδ.* [*l. 2. D. de except. rei judic.*] deinde *eodem lib. tit. 7. cap. 15.* [*l. qui cum herede 15. D. de oblig. & act.*] ſemel in titulum *exceptionem rei judic.* transſcribenda; ubi propria ſedes. Nec me movet diverſa inſcriptio; nam Iuliani verba eſſe Ulpianus ait: *Qui cum haerede ejus egit, qui filium praeterierat, & exceptione ſummotus eſt, ac ſi non in ea cauſa ſint tabulae teſtamenti, ut contra eas bonorum poſſeſſio dari poſſit: omittente emancipato filio bonorum poſſeſſionem, non inique poſtulabit creditor reſtitui ſibi actionem adverſus ſcriptum haeredem:* [*nam quandiu*

Digitized by Google

dia bonorum poſſeſſio contra tabulas filio dari poteſt, haeres quodammodo debitor non eſt] Subjicit Ulpianus: *& ita Julianus lib. 4. Digeſtorum ſcribit.*

His notis [] incluſa accepi ex *d. l. Qui cum 15.* quia Juliani ſunt, & omiſſa in *d. l. 2.* a compoſitoribus juris Civilis.

CAPUT X.

QUod repetita ſit haereditatis defenitio diverſis titulis, video priore *lib. 50. tit. 16. cap. 24.* [*l. nihil 24. D. de verb. ſignific.*] altero *eodem lib. tit. 17. cap. 62.* [*l. haereditas 62. D. de regul. jur.*] quo vero conſilio id effecerint Tribunianus, & collegae, non video. Cum itaque Julianus haereditatem in haec verba definiiſſet: *haereditas nihil eſt aliud, quam ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus habuit*; ſatis fuiſſet adjicere, More veterum: quam definitionem Cajus probat. Semel ſub tit. *de verborum ſignificatione*, eoque congruo retuliſſe ſat erat: at ſupervacanea obtrudere, neceſſaria tollere, antiquare, & delere voluerunt architecti. Caji & Juliani definitionem probare viſus eſt M. Cicero *in Topic. ad C. Trebatium Juriſconſ. cap. 6. Haereditas eſt pecunia, quae morte alicujus pervenit jure, nec ea aut legata teſtamento, aut poſſeſſione retenta.* Haereditatem autem κλῆρον appellavit Solon apud Demoſthenem ὑπὲρ ἀγχιστείας κλήρου, de petitione haereditatis loquens: quod & documus *lib. 2. vet. juriſprudentiae ad Solonis leges.*

CAPUT XI.

EXtat ter in eandem ſententiam idem ejusdem Ulpiani reſponſum ſemel transſcribendum. Refertur *lib. 1. tit. 14. cap. 4.* [*l. 4. D. de offic. praetor.*] & *eodem lib. tit. 18. cap. 5.* [*l. praeſes 5. D. de offic. praeſidis*] & *lib. 26. tit. 5. cap. 4.* [*l. praetor 4. D. de tutor. & curat. dat.*] cum ſemel huic poſtremo loco intexendum erat, ubi proprius ſitus, congrua ſedes: de tutore enim a judicibus dando quaeſitum erat. Nec ſubſiſtimus eo, quod *ſuperiore capite 5.* de praeſide diſceptatur. Nam cum de omnibus tribunalibus ediſſeruiſſet Ulpianus, verbum, *praeſes* ab eodem Ulpiano adjectum, & a Tribuniano in *d. cap. 4.* (ut adſolet) detractum ex eo aliud caput factum, ab eis mihi ſit veriſimile: aut quod de Praetore dictum erat, ad praeſides provinciae produxerunt Tribunianus, & collegae. Si extarent Ulpiani monumenta, quae temporum injuria, & livore plumbeo perierunt, harum rerum veritas eluceſceret. Optima autem ratione placuit Praetorem tutorem dare ſe poſſe. Nam Praetores curam pupillorum habere juſſit Solon apud Demoſthenem ὑπὲρ ἀγχιστείας, Ὁ ἄρχων ἐπιμελείσθω τῶν ὀρφανῶν &c. Id quod fuſiſſime noſtris ad *eam legem commentariis* νομ. ἐν. *legum Solon.* explicuimus.

CAPUT XII.

CUm *praeſidis nomen generale ſit*, ut Macer *l. 1. D. de off. praeſid.* ait, *eoque proconſules, & legati Caeſaris continentur*, fruſtra repetitum fuit *cap. 4. lib. 1. tit. 18.* [*l. 4. D. de off. praeſid.* ſub titulo *de officio Proconſulis & legati, cap. 8. eodem lib. tit. 16.* [*l. 8. D. de off. proconſ.*] quod & utriusque capitis inſcriptione liquido oſtenditur. Sic enim utrobique ſcriptum eſt, Ulpianus lib. 39. ad edictum. *d. l. 4. Praeſes provinciae majus imperium in ea provincia habet omnibus poſt principem.* Repetuntur eadem verba ſub titulo *de officio proconſulis l. 8.* Idem (ſcilicet Ulpianus) lib. 39. ad edictum, *Et ideo majus imperium in ea provincia habet omnibus poſt principem.* Eodem igitur loco Ulpianus & de praeſide generaliter, & de proconſule in ſpecie ediſſeruit.

CAPUT XIII.

TAmetſi Praetor ſub titulo, *de his, qui notantur infamia, lib. 3. τῶν πανδεκ. l. 1. D. de iis, qui not. infam.* praevaricationis cauſa judicatos infamia notari edixerit: cum tamen praevaricationum tractatum collegerint architecti *lib. 47. tit. 15.* ex variis Juriscoſſ. reſponſis, ſat erat eo loco ex Ulpiani lib. 6. ad edictum praevaricatorem definiiſſe *l. 1. in princ. D. de praevaric.* nec ex eodem lib. repetenda erat ſub *titulo. 2. lib. 3. cap. 4.* [*l. 4. §. 4. D. de iis, qui not. infam.*] *Eſt autem praevaricator, qui, prodita cauſa ſua, diverſam partem adjuvat*, definitore Ulpiano. Huc videtur pertinere, quod M. Cicero *in partit. Orat. cap. 36.* ait de praevaricatione, quae Graecis καθύφεσις dicta eſt: *Praevaricationis*, inquit, *nomen ſignificat eum, qui contrariis cauſis quaſi varie poſitus eſt.*

CAPUT XIV.

GEminatam verbi, *deſtitiſſe*, explicationem ex Ulpiani lib. 10. ad edictum animadverti: extat enim *lib. 5. tit. 1. cap. 10.* [*l. deſtitiſſe 10. D. de judic.*] & *lib. 4. tit. 4. cap. 21.* [*l. deſtitiſſe 21. D. de minor.*] Sat erat tit. *de judiciis*, ubi proprius congruusque ſitus, interjeciſſe. *Deſtitiſſe*, inquit Ulpianus, *is videtur, non qui diſtulit, ſed qui liti renuntiavit in totum.* Cur igitur ſub titulo *de minoribus* repetitur?

CAPUT XV.

ULpiani idem reſponſum fruſtra diverſis locis repetitum fuit, de uſusfructus amiſſione loquentis. Extat etenim *lib. 7. tit. 5. cap. 10. in princ.* [*l. quoniam 10. D. de uſufr. ear. rer.*] & *lib. eod. tit. 9. cap. 7. in fin.* [*l. & ſi 7. D. uſufr. quemadm. cav.*] Satis enim ſuperque erat ſub titulo *de uſufr. ear. rer.* recitaſſe, ubi propria ſedes. Nam *cap. 9. ejusdem tit.* ita ad Neratium ſcripſerat Paulus, *In ſtipulatione de reddendo uſufructu pecuniae duo ſoli caſus interponuntur mortis, & ſtipulationis.* Subjiciunt ex Ulpiano architecti, *quoniam pecuniae uſus aliter amitti non poteſt, quam iis caſibus.* Cur igitur eadem verba repetuntur *eodem lib. tit. 9. cap. 7. in fin.* idque in eandem rem? Id non juvandae memoriae gratia, ut quidam putant, ſed oblivione repetitum fuiſſe ajo.

CAPUT XVI.

MIrari ſatis nequeo, cur idem Caji reſponſum ingeminaverint architecti *cap.* ſcilicet *4. lib. 22. tit. 4.* [*l. in re 4. D. fid. inſt.*] & *cap. 4. lib. 20. tit. 1.* [*l. contrahitur 4. D. de pign.*] cum utrobique hypothecae ſubjiciendi modus explicetur iisdem verbis, ex eodem Caji loco transſcripti. Sub titulo ſiquidem *de pignoribus* haec tractare ſat erat. Scribit Cajus libro ſingulari de formula hypothecaria: *Contrahitur hypotheca per pactum conventum, cum quis paciſcitur, ut res ejus propter aliquam obligationem ſint hypothecae nomine obligatae: nec ad rem pertinet quibus fit verbis, ſicut in his obligationibus, quae conſenſu contrahuntur. Et ideo, & ſine ſcriptura, ſi convenit, ut hypotheca ſit, & probari poterit, res obligata erit, de qua conveniunt. Fiunt enim de iis ſcripturae, ut quod actum eſt, per eas facile probari poterit. Sine his autem valet, quod actum eſt, ſi habeat probationem, ſicut & nuptiae ſunt, licet teſtationes in ſcriptis habitae non ſint.* Semel haec dicta oportuit. Nec nos movent poſtrema hujus reſponſi verba, quae titulo *de fide inſtrumentorum* congruerent: nam de omnibus contractibus, hominumve actibus, idem juris eſſe nemo non videt. Quorſum igitur repetitum eſt?

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVII.

IN majorem ferri coepi admirationem, cum legiſſem Javoleni, Labeonem reprehendentis, reſponſum in eandem rem ſub *eodem titulo* 23. *lib.* 3. *cap.* 80. [*l. ſi debitor* 80. *D. de jur. dot.*] & *cap.* 83. [*l. ſi debitor* 83. *D. eod. tit.*] repetitum. Sic enim apud Javolenum ſcriptum referunt architecti: *Si debitor mulieris dotem ſponſo promiſerit poſſe mulierem ante nuptias a debitore eam pecuniam petere, neque eo nomine poſtea debitorem viro obligatum futurum ait Labeo. Falſum eſt, quia promiſſio in pendenti eſſet, donec obligatio in ea cauſa eſt.* Javoleni ſententiam probari argumento eſt, quod Servius apud Neratium ſcribit *l. quod Servius* 8. ſub titulo *πανδεκτῶν, de condictione cauſa data cauſa non ſequuta.* Sic enim legendum ex Pauli lib. 5. Quaeſtionum *d. l.* 5. *in princ. verſ. In hac D. de praeſcript. verb.* animadverti. Quum itaque Javoleni ſententia vera ſit, cur eodem titulo bis recitatur iisdem verbis concepta? ecquis, niſi Curione Ciceroniano obliviosior, eodem loco bis eadem referret?

CAPUT XVIII.

IDem, quod proxime dixi, obſervans Accurſius, in gloſſemate ad prooemium Codicis Juſtinianei §. *quibus* 2. *de nov. Cod. fac.* culpam in ſcribam transfert: ait enim ejus vitio *cap.* 11. & 14. *lib.* 20. *tit.* 5. [*l. arbiter* 11. & 14. *D. de diſtr. pign.*] geminari. Sic autem ait Scaevola lib. 1. Reſponſ. *Arbiter dividundae haereditatis, cum corpora haereditaria diviſiſſet, nomina quoque communium debitorum ſeparatim ſingulis in ſolidum adſignavit: quaeſitum eſt, an debitoribus ceſſantibus pro ſolido pignus vendere quisque poteſt? reſpondi, poſſe.* Equidem, cum *poſteriori capite* ſub finem addita ſint haec verba, *Sibi addicto, & pignus ſub eo nomine obligatum,* Tribuniano & collegis vitioſam illam repetitionem adſcribo. Verba autem addititia, gloſſemata eſſe adſerere auſim, quae elegantius, & Scaevolaeo more ſupprimerentur. Ex re enim ſatis intelliguntur. Hujusmodi etiam gloſſemata interjecit antiquus librarius in Pand. Florentinis his notulis**, quae aliquando indicabimus, duce Deo, optim. maxim. Quod ad *cap.* 14. *lib.* 20. *tit.* 5. attinet; Bartolus ad *d. cap.* 11. cenſuit inadvertenter adjectum.

CAPUT XIX.

VAniſſimi fuit operis bis idem Caji reſponſum referre; Primo quidem ſub *lib.* 44. *tit.* 7. *cap.* 5. *θεμ.* 4. ſuppreſſo nomine Caji. [*l. ſi quis abſentis* 5. §. *ſi judex* 4. *D. de oblig. & act.*] Deinde ſub *lib.* 50. *tit.* 13. *cap.* 6. [*fin. D. de extraord. cognit.*] expreſſo eo, ubi propria ſedes ſecundum tituli inſcriptionem: potuit etiam *lib.* 44. *tit.* 7. interjici: verum ſat fuit recitaſſe ſemel, etſi ſaepiſſime in eam rem etiamnum peccetur. Scribit igitur Cajus lib. 3. Rerum quotidianarum, ſive aureorum: *Si judex litem ſuam fecerit, non proprie ex maleficio obligatus videtur: ſed quia neque ex contractu obligatus eſt, utique aliquid peccaſſe intelligitur, licet per imprudentiam ideo videtur quaſi ex maleficio teneri in factum actione, & in quantum de ea re aequum religioni judicantis, viſum fuerit, poenam ſuſtinebit.* Ejusdem Caji, ſuppreſſo autore, verba recitant architecti *lib.* 4. *Inſtitut. tit.* 5. *de oblig. quae ex quaſi delict. in princ.* Cur toties repetuntur? quid juvat *παλινῳδίαν* canere; *Judex autem litem ſuam facere intelligitur, cum dolo malo in fraudem legis ſententiam dixerit,* ut Cajus *l. filiusfam.* 15. §. 1 *D. de judic.* ait; qui locus ad titulum *de judiciis* non pertinet.

CAPUT XX.

QUum legi Aquiliae locum eſſe in ſpecie apud Pomponium relata obtinuerit, fruſtra ſub titulo *locati. l. item quaeritur* 13. §. *item Julianus* 4. *D. locat.* repetitur. Satis enim ſuperque fuit recitare *lib.* 9. *tit.* 2. *cap.* 5. §. 3. [*l. ſed & ſi* 5. *D. ad legem Aquil.*] Sed movet dubitationem, quod ſub titulo legis Aquiliae Julianum dubitantem, an & danda ſit actio legis Aquiliae, in *cap. vero* 13. *lib.* 18. *tit.* 2. ajentem, & ex locato, & legis Aquiliae agi poſſe effecerint architecti. Utrum verius ſit, non niſi perluſtrato Juliani loco dijudicari poteſt: magis tamen eſt, utramque actionem competere. Sed alterutra contentum eſſe debere actorem Paulus *l. ſi vulneraveris* 43. *D. locat.* ſcribit. *Docenti levem caſtigationem conceſſam eſſe* Julianus, & Ulpianus *l. ſed & ſi* 5. § 3. *in fin.* ajunt: quod nec improbat Chryſippus. Caedi vero diſcentes minime vult M. Fabius *lib.* 1. *cap.* 3. variis adductis rationibus. Sunt tamen, qui plagioſiores Orbilio Horatii praeceptore verberibus adficiant, etiam immerito: quo adductus Horatius praeceptorem plagoſum vocat, *lib.* 2. *Epiſt.* 1. *v.* 70.

Eſſe reor, memini quae plagoſum mihi parvo
Orbilium dictare; ſed emendata videri
Pulchraque & exactis minimum diſtantia, miror.

CAPUT XXI.

SExti Pedii aeſtimandi ratio toties repetenda non erat iisdem verbis; primo quidem *lib.* 9. *tit.* 2. *cap.* 33. [*l. ſi ſervum* 33. *D. ad leg. Aquil.*] deinde *cap.* 63. *lib.* 35. *tit.* 2. [*l. pretia* 63. *D. ad leg. Falcid.*] Non eo inficias utrique tractatui convenire; ſed ſemel dictum oportuit. Utrobique autem Julius Paulus eadem verba refert lib. 2. ſed uno loco ad Plautium, altero ad legem Juliam & Papiam. Illi libri non extant. *Pretia rerum non ex adfectione, nec utilitate ſingulorum, ſed communiter fungi. Itaque eum, qui filium naturalem poſſidet, non eo locupletiorem eſſe, quod eum plurimo, ſi alius poſſideret, redempturus fuit; nec illum, qui filium alienum poſſideat tantum, haberet, quanti eum patri vendere poſſet.*

CAPUT XXII.

DUplicandum non erat idem Pomponii reſponſum: recitare enim ſat fuit *cap.* 12. *lib.* 12. *tit.* 1. [*l. ſi a furioſo* 12. *D. ſi cert. pet.*] nec repeti debuit *lib.* 44. *tit.* 7. *cap.* 24 [*l. ſi a furioſo* 24. *D. de obl. & action.*] nec ſubſiſtimus diverſitate inſcriptionum; eadem enim utrobique verba ſunt ejusdem Pomponii, ita loquentis: *Si a furioſo, cum eum compotem mentis eſſe putares, pecuniam quaſi mutuam acceperis, eaque in rem tuam verſa fuerit, condictionem furioſo acquiri Julianus ait. Nam ex quibus cauſis ignorantibus nobis actiones acquiruntur, ex iisdem etiam furioſo acquiri.* Quorſum igitur *lib.* 44. recitantur eadem verba; niſi quod illic agi poſſe furioſi nomine adjectum ſcio? cum hic furioſo actionem quaeri *lib.* 12. dixiſſent Julianus, & Ulpianus: quae eodem pertinent. Merito eandem furioſorum, quae abſentium, cauſam eſſe proditum eſt: non enim intelligit furioſus, quae geruntur; *cum,* ut Ulpianus *l. qui teſtam.* 20. §. 4. *D. de teſtam.* ait, *compos mentis non ſit.* Optima igitur ratione curator illis dari juſſus eſt L. XII. Tabularum his verbis: *Si furioſus eſt, Agnatorum Gentiliumque in eo, pecuniave ejus, poteſtas eſto.* Quae verba ex M. Cicerone *lib.* 2. *de Inventione cap.* 50. ſumpta ſunt, definiente furorem mentis ad omnia caecitatem; & majus, quam inſaniam. Abſenti igitur furioſus abſimilis non eſt.

CAPUT XXIII.

CUm ſuperflui nihil reliquiſſe ſe jactitent architecti τῶν πανδεκτῶν, eccur ingeminarunt Scaevolae in eandem rem & ſententiam reſponſum? *lib.* 15. *tit.* 1. *cap.* 54. [l. *filiofam.* 54. *D. de pecul.*] & *cap.* 58. [*l. fin. D. eod.*] Ait Scaevola, ***Uni ex haeredibus praedia legavit, ut iuſtructa erant, cum ſervis, & caeteris rebus, & quicquid ibi eſſet: hi ſervi domine debitores fuerunt, tam ex aliis cauſis, quam ex ratione calendarii: quaeſitum eſt, an caeteris haeredibus adverſus eum pecuniae ab iis debitae actio de peculio competit? reſpondit non competere.*** Nec ſubſiſtimus, quod *cap.* 54. ex lib. 1. Reſponſorum, *cap.* 58. ex lib. 5. Digeſtorum tranſcriptum ſit: cum utrumque Scaevolae, & in eandem rem ſit. Semel igitur dixiſſe ſat erat, idque ex profeſſo. Sed & utriusque capitis eandem eſſe rationem Accurſius illic adnotavit.

CAPUT XXIV.

DUplicatur eadem in idem epiſtola Severi; videlicet §. 2 *cap.* 2. *lib.* 26. *tit.* 6. [*l.* τὰς οἱ 2. §. *Quae* 2. *verſ. Et ideo. D. qui pet. tut.*] & *cap.* 2. §. 23. *tit.* 17. *lib.* 38. [*l.* 2. §. *ſi mater* 23. *D. ad Tertyll.*] ***Si mater*** (inquit Juriſconſ.) ***non petierit tutores idoneos filiis ſuis, vel prioribus excuſatis, relictisve non confeſtim aliorum nomina ediderit, jus non habet vindicandorum ſibi bonorum inteſtatorum filiorum.*** Nec moveor diverſis inſcriptionibus: illud enim Modeſtini; hoc Ulpiani eſt. Nam Ulpiani verba saepiſſime refert Herennius Modeſtinus νομικῶν κορυφαῖον appellans. Ulpianus quoque epiſtolae illius verba recitat. Sed cum ad Tertyllianum SCtum pertineat haec tractatio; illic retuliſſe ſufficiebat: tametſi non addubitem matres ex iis eſſe, quae tutorem petere debeant. Nec ignoro Severum, ſub quo floruit Ulpianus, Lampridio autore, in utramque rem reſcripſiſſe: ſed ejus aequiſſima epiſtola more cothurni uſus eſt Tribunianus.

CAPUT XXV.

SAtis fuit *lib.* 50. *tit.* 4. *cap.* 11. §. 3. [*l. ut gradatim* 11. *D. de muner. & hon.*] idem plane reſponſum in eandem rem editum tranſcribere; ſub *titulo* autem 1. *lib.* 26. *cap.* 6. [*l.* ἐὰν δύο 6. §. *ſed* 6. *C. de excuſ.*] repetere aut recitare vaniſſimi fuit operis & ſupervacanei. Modeſtini haec verba utrobique ſunt: ***Reprobari poſſe medicum a republica, quamvis ſemel probatus ſit, divus magnus Antonius reſcripſit.*** Nec me movent diverſi librorum tituli, variaeque inſcriptiones, ſemel enim dictum oportuit. Sed nec movent Imperatorum nomina: Severum enim patrem cum M. Antonino magno Caracalla filio ſimul reſcripſiſſe interpretatur A. Auguſtinus, *lib. ſing. ad Modeſtin.* §. *Philoſophor.* Sed nec ignoro, a Gordiano, *l.* 2 *C. de profeſſ. & medic.* conſtitutionem hanc ad grammaticos, ſeu oratores productam: nec ad tutorum excuſationem pertinet illud reſponſum repetitum, ſi recte expendatur.

CAPUT XXVI.

EXtat bis idem reſponſum (etſi ſit diverſorum Juriſconſultorum) ſub *tit.* 17. *lib.* 50. πανδεκτῶν, *cap* 129. §. 1. [*l. nihil dolo* 129. §. 1. *D. de diverſ. reg. jur.*] & *cap.* 178. [*l. cum principalis* 178. *D. eod.*] Ait Paulus, ***Cum principalis cauſa non conſiſtet, plerumque nec ea quidem, quae ſequuntur, locum habent.*** Nec moveor *cap.* 129. ubi vox *plerumque* deſideratur, aut ſcriptoris vitio, aut Tribuniani & collegarum culpa omiſſa fuit: exprimi enim debuit, cum ex cauſis diverſum prodiderint Juriſconſulti atque interpretes. Quod obtinet potiſſimum, cum quae ſequuntur, alio, quam principalis, jure cenſentur; quale eſſe in ſpecie conſtitutionis divorum principum *l. & ſi is* 9. *C. de praed. min.* ſcribit A. Alciatus *tractat. praeſumpt. reg.* 2. *praeſumpt.* 5.

CAPUT XXVII.

NOn exiſtimo Julium Paulum reſponſa ſubnexa lib. 15. ad Plautium bis ſcripſiſſe, ſed alterutro contentum: cum idem jus ſit amiſſione aquae diurnae, quod nocturnae. Scribit igitur Paulus, ut relatum eſt *lib.* 8. πανδεκτῶν *tit.* 6. *cap.* 10. [*l. ſi communem* 10. §. *fin. D. quemadm. ſerv. amitt.*] ***Si is, qui nocturnam aquam habet, interdiu per conſtitutum ad amiſſionem tempus, uſus fuerit, amiſit nocturnum ſervitutem, qua uſus non eſt.*** Alio loco *l. ſi prius* 17. *D. de aqua & aq. pluv.* ita ajunt architecti Paulum notaſſe in haec verba, cujus eſſe vera puto: ***Si prius nocturnae aquae ſervitus mihi ceſſa fuerit, deinde poſtea alia ceſſione diurnae quoque ductus aquae conceſſus mihi fuerit, & per conſtitutum tempus nocturna duntaxat aqua uſus fuerim, amitto ſervitutem aquae diurnae: quia hoc caſu plures ſunt ſervitutes diverſarum ſervitutum*** Eo facile adduci nequeo, ut & hoc, illudve caput Paulum ſcripſiſſe cenſeam. Quod ſi fecerit, utrunque conjungendum erat, ſub titulo, ***Quemadmodum ſervitutes amittantur.***

CAPUT XXVIII.

NOn poteſt dici juvandae memoriae, aut explicationis gratia repetitum idem Ulpian. reſponſum, *lib.* 4. *tit* 3. *cap.* 13. [*l. haeredibus* 13. *D. de dol. mal.*] & *cap.* 17. [*l. ſi plures* 17. §. *fin. D. eod.*] cum ex eodem loco tranſcripta ſint. Puto igitur Ulpianum ita ſcripſiſſe: ***Haeredibus harum perſonarum, item adverſus haeredes, & caeteros ſucceſſores, de eo, quod ad eos pervenit, de dolo actio erit danda.*** Quid profuit idem reſponſum repetere, & in velut fruſta diſſecare? Hinc profluxere interpretum noſtrorum conflictus, commentarii (ſi diis placet) ſylvoſiſſimi. His, quae ſemel dixerat Ulpianus, adjiciendum erat, quod ait Cajus lib. 4. ad edictum provinciale, *l. in haeredem* 26. *D. de dol. mal.* ***Eatenus ad eos perveniſſe*** dicitur, ***quatenus ex ea re locupletior ad eos haereditas venerit.***

CAPUT XXIX.

SUpervacaneum fuiſſe nemo ſanae mentis negabit eadem Juliani verba repetita ex lib 6. Ulpiani ad Sabinum *l.* 2. §. *prius* 4. *D. de vulg.* ***Prius autem ſibi quis debet haeredem ſcribere, deinde filio (ſubſtituere) & non convertere ordinem ſcripturae. Et hoc Julianus putat (prius ſibi debere, deinde filio haeredem ſcribere)*** Quae poſterioribus his notulis () interjecta ſunt, ſuperfluunt. Quod ad verbum (*ſubſtituere*) incluſum attinet, ab architectis adjectum exiſtimo; ſed elegantius ellipſi quadam ſupprimeretur: quod cogitandum relinquo iis, qui σχημάτων norunt vires.

CAPUT XXX.

SAtis ſuperque verborum fuit, quae ad jus pertinent, ſignificationes, acceptionesve referre, ac diverſas antiqui juris regulas ſuis locis colligere more veterum: nec ex eis tractatus titulive duo, qui Pandectas abſolvunt, conſtruendi erant. Quo effectum videmus, ut qui de jure reſpondent, juveve patrociniis aut judicationibus explicant, ſola juris regula saepiſſime reſtringibili contenti ſint. Nec me movet, quod ait Accurſius *gloſſ. rub. D. de diverſ. reg. jur.* cujus ſententia a Bartolo probari viſa eſt: *novum non eſſe, ut quibusdam enumeratis, quandam generalem clauſulam ſubjici, quae omnia comprehendat &c.* Duplici enim ratione id diluemus. Nam ſi

Digitized by Google

ſi regulas ad univerſum πανδεκτῶν contextum refe-ras, falſum eſt, quod ait Accurſius; ſi rem omnem diligentiſſime expendamus. Si ſingulas regulas ſingulis legibus conferas, legem quamlibet ita, atque regula, late patere animadvertes: quod ſi quandoque latius illae pateant, ſingulis legibus aut capitibus eodem tractatu ſubjiciendae erant. Sed ad inſtitutum revolemus! Extat bis idem Modeſtini reſponſum, ſed variis titulis. Recitatur primum *lib.* 27. *tit.* 1. *cap.* 2. [*l.* 2. §. 7. *D. de excuſat. tut.*] in haec verba, ἀλλὰ περὶ τέκνων ἡ δὲ προσηγορία αὕτη καὶ ἐπὶ τοὺς ἐγγόνους ἐκτείνεται. Repetuntur eadem verba ex eodem Modeſtino *lib.* 50. *tit.* 16. *cap.* 104. [*l.* ἢ 104. *D. de verb. ſignific.*] Scio *hujus legis* ſententiam variis juris articulis tractari & explicari. Natorum appellatio ad nepotes extenditur. Extenſionis verbo recte uſus fuit Modeſtinus. Nam τέκνων appellatione filios contineri ex Homero *Odyſſ.* O. manifeſto liquet. Sed ad rem: ſatis fuit elegans illud reſponſum ſemel retuliſſe.

CAPUT XXXI.

RECitatur bis eadem Ulpiani ſententia: itaque diſſectum fuit in duo capita, quorum unum eſt *cap.* 35. θεμ. 2. [*l. ſed & hae* 35. §. *non ſolum* 2. *D. de procur.*] alterum *cap.* 39. *tit.* 3. *lib.* 3. [*l. non ſolum* 39. *D. eod.*] Semel dictum oportuit abſolute, & perfectiſſime, quale praeſtitiſſe Ulpianum eadem utriusque inſcriptio indicat. Audiamus Ulpianum: *Non ſolum autem ſi actio poſtuletur a procuratore, ſed & praejudicium, vel interdictum, vel ſtipulatione legatorum, vel damni infecti velit caveri, debebit abſentem defendere in competenti tribunali, & eadem provincia.* Haec interjicienda erant [*& in interrogationibus:*] quae ex *cap.* 39. ſupplevi. Quod autem illic adjectum eſt, *ut in jure interrogatus ex omnibus cauſis reſpondeat, ex quibus dominus*, architectorum verba eſſe adfirmare auſim. Nam verbo, *defendere*, relato ad verbum, interrogationibus, id comprehenſum eſt. *Defendere*, inquit Ulpianus, *d. l. ſed & hae* 35. §. *defendere* 3. *eſt id facere, quod dominus in litem faceret.* Superfluo igitur adjecta ſunt, ut & *cap.* 39.

CAPUT XXXII.

QUae diximus de *cap.* 3. *lib.* 27. *tit.* 1. *πανδ.* & *cap.* 104. *lib.* 50. *tit.* 16. eadem putes velim de *cap.* 7. §. 10. *lib.* 41. *tit.* 1. [*l. adeo* 7. §. 10. *verſ. Appellatione. D. de acq. rer. dom.*] & *cap.* 62. *lib.* 50. *tit.* 16. [*l. tigni* 62. *D. de verb. ſignific.*] quae ſunt ejuſdem Jurisconſulti, etſi diverſi adferantur tituli. At igitur Cajus, *d.* §. 10. *verſ. Appell. Appellatione tigni omnes materiae ſignificantur, ex quibus aedificia fiunt*, fruſtra alibi *d. l. tigni* 62. & in *l.* 1. *D. de tigno juncto. & l.* 7. *D. ad exhib.* repetitur: cum in citato *capite* 7. propria eſſet ſedes, ubi lex 12. Tabularum explicatur. Hinc & ſupervacaneus mihi viſus eſt *tit.* 3. *lib.* 47. *πανδεκτ.* [*de tign. juncto*] cujus ſententia & vis explanatur *cap.* 7. ſuperiore. Quae autem illic dixerat Ulpianus, huic interjicienda erant. Saepiſſime igitur idem reſponſum recitari videmus.

CAPUT XXXIII.

IN eidem cauſa ſunt *cap.* 56. *lib.* 32. [*l. pali* 56. *D. de leg.* 3.] & *cap.* 168. *lib.* 50. *tit.* 16. [*l. pali* 168. *D. de verb. ſign.*] utrumque enim decerptum eſt ex lib. 4. Julii Pauli ad Sabinum. Ait Paulus: *Pali, & perticae in numero materiae redigendi ſunt; & ideo tignorum appellatione non continentur.* Palos autem pedamentorum ſpeciem eſſe, ſcriptum reliquit M. Varro. Palum vitis pedamentum eſſe ex Tibullo *lib.* 1. *Eleg.* 8. *v.* 33. liquet:

Hic docuit teneram palis adjungere vitem.

Paulus a graecis σκόλοψ, καὶ χάραξ dictus eſt. Hinc & Gallicum verbum, *paiſſeau*, deſcendit.

CAPUT XXXIV.

IDem quoque cenſeo de *cap.* 55. θεμ. 7. *lib.* 32. *Pand.* [*l. ligni* 55. §. *ſi lignum* 7. *D. de leg.* 3.] & *cap.* 167. *lib.* 50. *tit.* 16 [*l. carbonum* 167. *D. de verb. ſign.*] cum utrunque ex lib. 25. ad Sabinum Ulpiani iisque eadem verba concipiatur: *Carbonum*, inquit ille, *appellatione hujusmodi materiam non contineri; ſed an lignorum? Et fortaſſis quis dicet nec lignorum: non enim lignorum gratia habuit. Sed & titiones, & alia ligna cocta, ne fumum faciant, utrum ligno, an carboni, an ſuo generi adnumerabimus, & magis eſt, ut proprium genus habeatur. Sulphurata quoque de ligno eandem habebunt definitionem.* Quum de definitione ligni legati quaereretur, ſat fuit ſub titulo, *de legatis*, eoque congruo explicare, nec toties eadem definitio iiſdem verbis repetenda fuit.

CAPUT XXXV.

SEd nec aliud exiſtimandum putem de *cap.* 30. *tit.* 1. *lib.* 36. [*l. ſi legatus* 30. § 1. *D. ad Trebell.*] & *cap.* 91. *tit.* 16. *lib.* 50. πανδεκτῶν. [*l. meorum* 91. *D. de verb. ſignific.*] Tametſi enim diverſorum ſint Jurisconſultorum, illud Marciani, hoc Julii Pauli; eadem tamen ſententia, verba omnino ſimilia: *Meorum*, ajunt, *& tuorum appellatione etiam actiones contineri dicendum eſt.* Satis ſuperque fuit ſub titulo, *ad SCtum Trebellianum*, retuliſſe. *Meum* autem & *Tuum* provocabula, litium & bellorum ſeminaria eſſe cenſui *lib.* 1. *veteris Juriſprudentiae ad Draconis leges. Meum* autem varie accipi manifeſtum eſt.

CAPUT XXXVI.

SAtisne fuit morbum ſonticum definiviſſe *lib.* 42. *tit.* 1. *cap.* 60. [*l. quaeſitum* 60. *D. de re judic.*] eccur idem repetitum fuit *lib.* 50. *tit.* 16 *cap.* 113? [*l. morbus* 113. *D. de verb. ſign.*] Nec me movet, quod diverſi ſint juris autores; ſatis enim fuit adjeciſſe: Salvii Juliani definitionem probat Javolenus. Sic enim dixerat Julianus: *Morbus ſonticus exiſtimandus eſt, qui cujusque rei agendae impedimento eſt.* Hoc autem verbo uſa eſt lex 12. Tab. *Si judex, vel alter ex litigatoribus morbo ſontico impediatur, dies judicii diffiſus eſto.* Hanc legem explicui *lib.* 4. *veteris Juriſprudentiae.* A. Gellius *lib.* 20. *cap.* 1. ſcribit legum 12. Tab. ſcriptores appellaſſe morbum ſonticum, qui vehementiorem graviter nocendi vim habet. Satis autem fuit ſemel definiiſſe.

CAPUT XXXVII.

QUid aliud crederes de *cap.* 24. *tit.* 4. *lib.* 16. [*l. Lucius* 24. *D. depoſiti.*] & de *cap.* 186. *lib.* 50. *tit.* 16. [*l. commendare* 186. *D. de verb. ſignif.*] etſi illud Papiniani; hoc Ulpiani ſit? Recitatu uno ſub titulo, *Depoſiti*, contenti fuiſſemus: illic enim congruus ſitus ex facti ſpecie apud Aemilium Papinianum relata conſtat: *Quid eſt enim*, inquit, *aliud commendare, quam deponere?* Eadem verba refert Ulpianus. Hoc ſignificatu uſus eſt Plautus:

Qualinam amico mea commendavi bona? probo & fideli, & fide.

Hujus verbi loco, Graeci habent ſuum ἐπιτρέπειν: unde & ἐπίτροποι, id eſt, tutores, & curatores dicti ſunt.

CAPUT XXXVIII.

SErvorum, verbi notationem, ἐτυμολογίαν ve ingeminare vaniſſimum fuiſſe, ea, quam ſuperius diximus, ratione cenſemus. Ita enim *cap.* 4.

 tit.

tit. 5. lib. 1. Pandect. [*l. libertas 4. §. 2. D. de ſtat. hom.*] ſcripſerat Florentinus: *Servi ex eo appellati ſunt, quod Imperatores captivos vendere, ac per hoc ſervare, nec occidere ſolent.* Cur eadem verba ex Pomponio alio transſcripſere architecti? nempe *cap.* 239. *tit.* 16. *lib.* 50. [*l. pupillus* 239. *D. de verb. ſign.*] Conſultius fuiſſet haec verba, aut ſimilia ſubjeciſſe, Et ita Florentinus, & Pomponius ajunt. Horum ſententiam probat Auguſtinus *lib.* 19. *de Civitate Dei.* Servos autem olim vendi ſolitos apud Ariſtophanem *in Pluto* animadverti, *v.* 518.

Πε. Πόθεν ἂν ἕξεις θεράποντας;
Χρ. Ωνησόμεσθ' ἀργυρίου δήπου. Πε. τίς δ' ἔσται πρῶτον ὁ πωλῶν
Ὅταν ἀργύριον κἀκεῖνος ἔχῃ.

CAPUT XXXIX.

DEſcripſerat Ulpianus ex Juliano (ut mea fert ſententia) cavillationis naturam *cap.* 177. *tit.* 16. *lib.* 50. *πανδ.* [*l. natura* 177. *D. de verb. ſign.*] in haec verba: *Natura cavillationis, quam Graeci σωρίτην appellaverunt, haec eſt, ut ab evidenter veris per breviſſimas mutationes diſputatio ad ea, quae evidenter falſa ſunt, perducatur.* Supervacaneum ergo fuit eadem verba ex Juliano repetere, *lib.* 50. *tit.* 17. *cap.* 65. [*l. ea eſt* 65. *D. de diverſ. reg. jur.*] Soritis exemplum eſt apud Horatium *lib.* 3. *Carmin. Ode* 6. *v.* 45.

Damnoſa quid non imminuit dies?
Aetas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

CAPUT XL.

TAntum autoritatis Tribuniano, & collegis tribuit Juſtinianus, ut ex duobus pluribusve reſponſis unam, ex uno capita duo effecerint: id quod obſervare potuiſſent in recitatu *cap.* 213. §. 1. *verſa poſteriori, lib.* 50. *tit.* 16. [*l. caedere* 213. *in fin. D. de verb. ſign.*] & *cap.* 223. [*l. lata* 223. *D. eod.*] *ejusdem tituli & lib.* utriusque finis ingeminatur, utpote, quae iisdem verbis concepta ſint. Ait Ulpianus lib. 1. Regularum: *Lata culpa eſt nimia negligentia, id eſt, non intelligere, quod omnes intelligunt.* Paulus lib. 2. Sententiarum: *Latae culpae finis eſt, non intelligere, quod omnes intelligunt.* Conſultius fuiſſet utrumque reſponſum connectere (quorum autores collegae erant, ut ait Aelius Lampridius *in Alexandro Severo*) in haec verba: *Lata culpa eſt nimia negligentia, cujus finis eſt non intelligere, quod omnes intelligant,* ut Ulpianus, & Paulus ajunt.

CAPUT XLI.

QUae ſuperius *cap.* 30. diximus, eadem dici & poſſe, & debere adfirmare auſim de *cap.* 19. *lib.* 40. *tit.* 12. [*l. vel permutavit* 19. *D. de lib. cauſ.*] & de *cap.* 76. *lib.* 50. *tit.* 16. [*l. dediſſe* 76. *D. de verb. ſign.*] Satis enim ſuperque fuit uno loco recitaſſe ſub titulo, ſcilicet, *de liberali cauſa.* Retulerant ex Ulpiano *l. in tantum* 18. *D. de lib. cauſ.* architecti: *In tantum ergo tenetur, quantum dedit, vel in quantum obligatus eſt, ſcilicet, in duplum.* Sed utrum pretium tantum, an etiam id, quod pretio acceſſit, duplicetur, videamus; & putem omne omnino, quod propter emptionem dedit. Subjiciunt ex Paulo lib. 51. ad Edictum *d. l. vel permutavit* 19. *Vel permutavit, vel compenſavit eo nomine: nam & is dediſſe intelligendus eſt.* Quid adjumenti attulit eorum verborum ex eodem Pauli libro repetitio? *lib.* 50. *tit.* 16. *cap.* 76. id quod Paulus *l.* [illegible] 25. *D. de jure dot.* effugit lib. 7. ad Sabinum, [illegible] uſus.

CAPUT XLII.

IN eadem cauſa ſunt diverſae juris antiqui regulae, in poſteriorem *πανδεκτῶν* tractatum rejectae. Cum itaque *cap.* 20. *tit.* 2. *lib.* 17. [*l. nam ſocii* 20. *D. pro ſocio.*] ex lib. 31. Ulpiani ad Edictum, hoc reſponſum decerpſiſſent: *Nam ſocii mei ſocius, ſocius meus non eſt.* quorſum repetitum eſt ſub *lib.* 50. *tit.* 17. *cap.* 47? [*l. ſi conſilii* 47. *in fin. D. de reg. jur.*] Hoc autem reſponſum ad varios caſus produxerunt recentiores interpretes. Quod in liberto, libertaque teſtantis receptum ait Modeſtinus *l. Modeſtinus* 105. *D. de verb. ſign.* Horum rationem ait Alciatus ex Ulpiani *l. qui liberis* 8. §. 1. *D. de vulg.* & Pomponii ſententia *l. boves* 89. §. 1. *D. de verb. ſignif.* ſumi poſſe. Quem etiam locum Andr. Tiraquellus in Commentariis ad Pomponium eleganter enucleavit; multis in hanc rem citatis teſtimoniis, in quibus ipſe plurimus eſt.

CAPUT XLIII.

VAniſſimi fuit operis bis eandem juris antiqui regulam ex Ulpiani libris recitare. Ait Ulpianus *l. cum fuerit* 15. *D. de cond. & demonſt. Cum fuerit ſub hac conditione legatum,* Si in familia nupſiſſet, *videtur impleta conditio ſtatim, atque ducta eſt uxor, quamvis ea in cubiculum mariti nondum venerit. Nuptias enim non concubitus, ſed conſenſus facit.* hactenus Ulpianus: cujus verba ex eodem lib. 35. ad Sabinum repetuntur, *lib.* 50. *tit.* 17. *cap.* 30. [*l. nuptias* 30. *D. de reg. jur.*] ubi in Pand. Florent. mendum numeri librorum eſt; cum ex eodem libro deſumptum illud argumento ſunt eadem verba. In hanc autem ſententiam vide Plutarchum *in praecept. connubialibus.*

CAPUT XLIV.

QUid aliud cenſeas de *cap.* 9. *lib.* 1. *tit.* 16. [*l. nec quicquam* 9. §. 1. *D. de offic. proconſ.*] & de *cap.* 71. *tit.* 17. *lib.* 50. *πανδεκτῶν*? [*l. omnia* 71. *D. D. de reg. jur.*] Utrobique eadem regula recitatur ex eodem Ulpiano: *Ubi decretum,* inquit, *neceſſarium eſt, per libellum id expedire proconſul non poteſt.* Subjicit Ulpianus regulam rationis redditivam: *Omnia enim quaecunque cauſae cognitionem deſiderant, per libellum non poſſunt expediri.* Quid adjumenti attulit illius gemina recitatio? Libellum autem ſupplicem *Requeſtam* vocant Galli, G. Budaeo interprete; quo ſignificatu uſus eſt & Paulus lib. 1. Quaeſtionum *l. libertus* 15. *D. de in jus voc.* & libr. ſingulari de officio aſſeſſorum *l.* 1. *D. de offic. aſſeſſ.* & Tryphoninus *cap.* 12. *lib.* 20. *tit.* 5.

CAPUT XLV.

NOn video, qui *cap.* 81. *lib.* 50. *tit.* 17. [*l. quae dubitationis* 81. *D. de reg. jur.*] interpretetur *cap.* 56. *lib.* 17. *tit.* 1. [*l. qui mutuam* 56. *D. mandat.*] ut putat Anton. Auguſtinus *lib.* 1. *Emend. cap.* 7. Non eo inficias, quin pronuntiatum a ratione explicetur; atqui eadem ratio utrobique recitatur: ridiculum eſt igitur dicere unum alio explanari. *Qui mutuam pecuniam dari mandavit, omiſſo reo promittendi, & pignoribus non diſtractis, eligi poteſt, quod uti liceat, ſi literis exprimatur, diſtractis quoque pignoribus, ad eum creditor redire poterit.* Subnectit regulam Juriſconſ. qua rationem eorum, quae dixerat, adſignavit. Etenim, *quae dubitationis tollendae cauſa contractibus inſeruntur, jus commune non laedunt.* Quorſum haec regula geminatur? In hoc genere ita a lege XII. Tabul. ſcitum retuli *lib.* 4. *veter. Jurisprud. In contractibus ea praeſtantur, quae lingua nuncupata ſunt.* Fortiſſimum hujus eſt argumentum, quod quae nuncupata, expreſſave non eſſent, praeſtari non debere traditum ſcio, *l. praedia* 27. §. *fin. D. de fund. inſtr. leg.*

leg. Sed hoc a Juriſconſultis temperatur: cujus rei *παραδείγματα* prudens praetereo.

CAPUT XLVI.

QUum *cap. 70. tit. 3. lib. 23.* [*l. in ambiguis 70. D. de jur. dot.*] & *cap. 85. tit. 17. lib. 50.* [*l. in ambiguis 85. D. de reg. jur.*] iiſdem concepta ſint verbis, utriusque inſcriptio eadem ex lib. 6. Quaeſtionum; qui fieri poteſt, ut uno aliud enucleetur? Satis igitur ſuperque erat ſub titulo, *de jure dotium*, recitare: *In ambiguis reſpondere pro dote melius eſt:* idque optima ratione. Nam ut ait Pomponius lib. 15. ad Sabinum *l. 1. D. ſolut. matr. dotium cauſa ſemper & ubique praecipua eſt.* Publice enim intereſt dotes mulieribus conſervari: cum dotatas eſſe foeminas ad ſobolem procreandam, replendamque liberis hominibus civitatem, maxime ſit neceſſarium. Porro dotes variis privilegiis adornatas liquido conſtabit iis, qui jus civile perluſtrabunt; quae recenſere inſtituti noſtri non eſt.

CAPUT XLVII.

EAdem ſemper cenſui de *cap. 19. lib. 42. tit. 1.* [*l. inter eos 19. D. de re judic.*] & *cap. 173. lib. 50. tit. 17.* [*l. in condemnatione 173. D. de reg. jur.*] utriusque eadem ſententia, & inſcriptio. Sed nec res illa ſub titulo, *D. ſoluto matrimonio, cap. 12. 13. 14. 15. 17. 18.* tractanda erat; at ſub titulo, *D. de re judicata*; ubi propria ſedes, congruus locus. Nec idem Pauli noſtri reſponſum in tot membra diſſectum oportuit, nempe in *cap. 19. 21. & 23. D. de re judicata*, & *cap. 13. 15. 17. ſoluto matrimonio:* uno vero ductu uno, perpetuoque contextu tractanda res erat, ſed & conjungenda erant alia aliorum Juriscoſſ. reſponſa, idque ex profeſſo architectorum. Animadverti interea mendum in Pandectis Florent. Nam *cap. 19. 21. & 23. D. de re judic.* transſcripta ſunt ex Julii Pauli lib. 6. ad Plautium, & *cap. 13. 15. & 17. D. ſoluto matrim.* accepta referuntur ex libro ejusdem Pauli ſeptimo ad Plautium, quae in eandem tamen rem ſcripta ſunt. Alterutra igitur inſcriptio falſa eſt. Sed, ut ait elegans Poëta Horatius, *lib. 1. ſat. 1. ℣. 108.*

Illuc, unde abii, redeo.

Eadem verba toties repetenda non erant, ſed ſemel regula recitanda fuit ſub titulo, *de re judicata*, & ejus effectu; cujus verba huc transferre nolui.

CAPUT. XLVIII.

FRuſtra bis recitatur eadem ſententia, regulaque ex lib. 3. Javoleni, ex poſterioribus Labeonis, idque totidem, iiſdemque verbis. Ait Juriſconſ. *l. fin. D. de uſur. Fructus rei eſt, vel pignori dare licere.* Sufficiebat ſemel regulam recitaſſe ſuo loco, ubi de omnibus acceſſionibus diſputatur: cur igitur repetita fuit *cap. 72. lib. 50. titulo poſteriore καθεξῆς?* [*l. fructus 72. D. de reg. jur.*] *cap. 21. tit. 4. lib. 2.* [*l. ſed & ſi 21. D. de in jus voc.*] & *cap. 103. lib. 50. tit. 17.* [*l. nemo 103. D. de reg. jur.*] in eadem cauſa ſunt. *Nemo de domo extrahi debet*, ait utrobique Paulus.

CAPUT XLIX.

NOn poteſt eadem regula, a ſibi omnino ſimili, totidem ac iiſdem verbis concepta, explicari, ut falſo creditum eſt: quale viſitur in *cap. 52. lib. 35. tit. 1.* [*l. nonnunquam 52. D. de condit. & demonſtr.* & *cap. 195. lib. 50. tit. 17.* [*l. expreſſa 195. D. de reg. jur.*] utrumque enim eſt ex lib. 7. Differentiarum Herennii Modeſtini ita ſcribentis: *Nonnunquam contingit, ut nominatim expreſſa officiant: quamvis omiſſa tacite intelligi potuiſſent, nec eſſent obfutura, quod obveniat, ſi alicui ita legatur,* Titio decem do lego, ſi Maevius capitolium adſcenderit. *Nam, quamvis in arbitrio Maevii ſit, an capitolium adſcendat, & velit efficere, ut Titio legatum debeatur, non tamen poterit aliis verbis utiliter legari,* Si Maevius voluerit, Titio decem do. *Nam in alienam voluntatem conferri legatum non poteſt.* Subjicit regulam Herennius: *inde dictum eſt, Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent.* Cur haec igitur repetitur alibi *d. l. expreſſa 195?* Sat erat ſuo loco dixiſſe.

CAPUT L.

NEmo ſani capitis negabit, quin *cap. 42. lib. 23. tit. 2* [*l. ſemper in conjunctionibus 42. D. de rit. nupt.*] & *cap. 197. lib. 50. tit. 17. καθόλ.* [*l. ſemper 197. D. de reg. jur.*] geminentur. Quocirca unum ex iis recitare ſufficiat: *Semper*, ait Modeſtinus, *in conjunctionibus, non ſolum quid liceat, conſiderandum eſt, ſed & quid honeſtum ſit.* Sat igitur erat ſemel dixiſſe qualitates conjunctionum nuptialium, ſub congruo titulo *de ritu nuptiarum.* Honeſtatem igitur in nuptiis ſpectari oportere liquet: id quod liquido Xenophon *in Oeconomico* oſtendit: cujus verba huc transſcribere nolui; utpote quae cuivis ſiant obvia.

CAPUT LI.

QUorſum geminata fuit regula ex Ulpiani loco eodem decerpta recitata *cap. 13. tit. 3. lib. 5.* [*l. nec ullum 13. §. ſi quis 8. D. de pet. haered.*] & ſupervacuncc repetita *lib. 50 tit. 17. cap. 126.* [*l. nemo praedo 126. D. de reg. jur.*] cum utrobique eadem regulae verba ſint? Scribit igitur Ulpianus; *Si quis ſciens alienam emit haereditatem, quaſi pro poſſeſſore poſſidet: & ſic ab eo peti haereditatem quidam putant: quam ſententiam non puto veram: nemo enim praedo eſt, qui pretium numeravit.* Ultima haec verba eccur repetuntur ſub titulo, *de diverſis regulis juris?*

CAPUT LII.

NOn diſſimilis eſt cauſa *cap. 1. tit. 18. lib. 43.* [*l. 1. §. is autem 4. D. de ſuperfic.*] & *cap. 156. lib. 50. tit. 17.* [*l. invitus 156. §. 1. D. de reg. jur.*] Audiamus Ulpianum: *Plane, ſi adverſus ſuperficiarium velit vindicare, dicendum eſt, exceptione utendum in factum data. Nam, cui damus actionem, eidem & exceptionem competere multo magis quis dixerit.* Haec poſtrema verba quis negabit ſupervacanee repetita alibi *d. §. 1.?*

CAPUT. LIII.

NEminem exiſtimo diverſum iis, quae ſuperius diximus, ſentire, poſtubi contulerit *tit. 16. cap. §. 12. lib. 43.* [*l. 1. §. dejeciſſe 12. D. de vi & vi arm.*] *cap. 152. lib. 50. tit. 17.* [*l. hoc jure 152. §. 1. D. de reg. jur.*] cum ex eodem Juriſconſ. ſcilicet, Ulpiano transſcripta ſint, atque ex eodem libro, & in eandem rem: *Dejeciſſe autem etiam is videtur, qui mandavit, vel juſſit, ut aliquis dejiceretur.* Quid igitur recitatu gemino opus fuit? In eos vero, qui de poſſeſſione, quem dejeciſſent, actionem in factum Solon dedit apud Demoſthenem, *Ἐὰν τις ἐξείλῃ τινὰ, τῆς ἐργασίας ὑπόδικος ἔστω.* Quam legem, citato Praetoris edicto, explicui *lib. 2. veteris Juriſprudentiae νόμ. τι.*

CAPUT LIV.

NOn geminatur ſolum idem in eandem ſententiam reſponſum, ſed & ter, ut alia permulta, recitatur iiſdem verbis; primo quidem *cap. 72. lib. 6. tit.*

tit. 1. *ναυλ.*, [*l. ſi a Titio* 72. *D. de rei vendic.*] deinde in *cap.* 4. *lib.* 44. *tit.* 4. [*l. apud Celſum* 4. §. *ſi a Titio* 32. *D. de dol. except.* poſtremo in *cap.* 2. *lib.* 21. *tit.* 2. [*l. penult. D. de except. rei vend.*] ubi propria ejus reſponſi ſedes; tametſi hoc poſtremum Pomponii, priora duo Ulpiani ſint; unde adjicere ſat erat: Ulpiani ſententiam probat Pomponius. Audiamus Ulpianum, *Si a Titio fundum emeris Sempronii, & tibi traditus ſit pretio ſoluto; deinde Titius Sempronio haeres extiterit, & eundem alii vendiderit, & tradiderit; aequius eſt, ut tu potior ſis, praetorem te tueri. Nam etſi ipſe venditor eam rem a te peteret, exceptione eum ſubmoveres. Sed etſi ipſe eam poſſideret, & tu peteres, adverſus exceptionem dominii replicatione utereris.* Hactenus Ulpianus. Architecti vero, ut idem reſponſum variis titulis ſubſerviret, exceptionum genera interjecerunt uni capiti *d.* §. *ſi a Titio* 32. Hanc autem trinam recitationem viſus eſt praeſenſiſſe Bartolus Saxoferratius, *l. ſi a Titio* 72. *D. de rei vend.* Porro Ulpiani ſententia, ut aequa eſt, ita tuenda. *Eum enim, cui priori tradita res eſt, potiorem eſſe*, Diocletianus & Maximianus, *l. quoties* 15. *C. de rei vendic.* reſcripſerunt Aurelio Proculino.

CAPUT LV.

CUm generaliter dictum eſſet initio vitioſum, tempore non convaliturum, qui adjumenti attulit ſpeciatim explicare, & idem repetere: geminatum eſt *cap.* 29. *lib.* 50. *tit.* 17. [*l. quod initio* 29. *D. de reg. jur.*] & *cap.* 210. *ejuſdem libri & tituli* [*l. penult. D. eod.*] Nam, ut ait M. Fabius *lib.* 5. *cap.* 10. genus ad refellendam ſpeciem plurimum valet. Plene quod generaliter dictum eſt, interpretatione coanguſtari ſcio apud Juriſconſſ. autoribus Accurſio, & P. Decio *d. l. quod initio* 29. Si quis igitur rem ſacram, aut uſibus publicis in perpetuum relictam ſtipulatus ſit, inutilis ſtipulatio eſt: nec, ſi res ea profana fieret, aut in privatos uſus reverteretur, nihilo magis reconvaleſcet obligatio, revireſcetve: idque Paulus noſter, *l. inter ſtipul.* 83. §. 5. *crum* 5. *D. de verb. oblig.* ſcribit.

CAPUT LVI.

INgeminatum ſcio Papiniani reſponſum *cap.* 15. *lib.* 5. *tit.* 2. [*l. nam & ſi* 15. *D. de inoff. teſt.*] & *cap.* 7. *lib.* 38. *tit.* 6. [*l. ſcripto* 7. § *fin. D. ſi tab. teſt. in vulg. und. lib.*] Nec movet ex diverſis libris inſcriptio: id enim effectum eſt, ut θεμ. congruerent, & ſubſervirent architectôn ſcopo & inſtituto. Audiamus Papinianum: *Nam etſi parentibus non debetur filiorum haereditas propter votum parentum & naturalem erga filios charitatem: turbato tamen ordine mortalitatis, non minus parentibus, quam liberis pie relinqui debet.* Sufficiebat ſemel haec dixiſſe. Recte autem adjecit Papinianus, *turbato ordine*: naturae enim ordo exigit, ut patres praemoriantur, eiſque filii ſuccedant: quod & Ovidiana Penelope *Epiſtol.* 1. expreſſit, de Telemacho filio loquens, *v.* 101.

Dii, precor, hoc jubeant, ut, euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

CAPUT LVII.

CAp. 63. *lib.* 35. *tit.* 2. [*l. pretia* 63. *D. ad leg. Falcid.*] & *cap.* 3. *lib.* 13. *tit.* 4. τ̃ *ναυλ.* [*l. ideo* 3. *D. de eo, quod cert. loc.*] etſi verbis diſſimilia ſint, ſenſu tamen eodem videntur concepta: unum etiam altero abſolutius perfectiuſque eſt. Nonnullam pretio varietatem loca, temporaque adferunt: nec enim tantidem Romae, & in Hiſpania oleum aeſtimabitur. Nec movet, quod diverſorum ſint Juriſconſultorum: connectendae enim, ut pleraque, erant ſententiae, & loco tractandae congruo. Quod a Paulo dictum eſt de oleo, ad frumentum & oleum produxit Cajus. Atticam etiam olei feraciſſimam fuiſſe, argumento eſt hujus a Solone ſapientiſſimo permiſſa exportatio apud Plutarchum *in eo*, τ̃ γινομένων διαθέσιν πρὸς ξένους ἔλαιον μόνον &c. quam legem *lib.* 2. *veteris Juriſprudentiae* explicui. Porro oleum laborum ſubſidium appellavit Plato, *in Menexeno*, interprete M. Ficino.

CAPUT LVIII.

DUplicata nec quiſpiam omnium inficias ibit *cap.* 7. [*l. coiri* 7. *D. pro ſoc.*] & *cap.* 11. *lib.* 17. *tit.* 2. [*l. & ita* 11. *D. eod.*] Dixerat enim Ulpianus *d. l. coiri* 7. *Coiri ſocietatem, & ſimpliciter licet: & ſi non fuerit diſtinctum, videtur eſſe coita univerſorum, quae ex quaeſtu veniunt, hoc eſt, ſi quod lucrum ex emptione, venditione, locatione, conductione deſcendit.* Subjicitur ex eodem Ulpiano ad Sabinum *cap.* 9. *eod. tit.* [*l. nec adjecit* 9. *D. eod.*] *Nec adjecit Sabinus haereditatem, aut legatum, vel donationes mortis cauſa, ſive non mortis cauſa*, &c. Fruſtra igitur adjectum eſt *cap.* 11. *ejuſdem lib. & tit.* iiſdem verbis, & in eandem rem conceptum. Sat ſuperque fuit adjeciſſe; & ita Q. Mutius ſcribit. Quaeſtum a Graecis merito ἐργασίας appellatum intelligi Julius Paulus *l. quaeſtus* 8. *D. eod.* ait, *qui ex opera alicujus deſcendit.* Quod & Terentius ſignificare viſus eſt *in Eunucho*, *Act.* 2. *ſc.* 2. *v.* 17. &c.

Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt,
Nec ſunt tamen: hos conſector: hiſce ego non paro me ut rideant:
Sed his ultro adrideo, & eorum ingenia admiror ſimul
Quicquid dicunt, laudo: id rurſum, ſi negant, laudo: id quoque
Negat quis, nego: ait, ajo. Poſtremo imperavi egomet mihi
Omnia aſſentari: is quaeſtus nunc eſt multo uberrimus.

CAPUT LIX.
EX CODICE JUSTINIANEO.

HActenus, quae in Pandectis geminata viſuntur, recenſui: ad ea, quae in Codice duplicantur, transvolare lubet. Quorſum Codici ſui nominis unam ex ſuis conſtitutionem bis recitandam juſſit Juſtinianus? Primo quidem *lib.* 1. *conſtit. poſteriore tit.* 4. [*l.* 4. *fin. C. de epiſcop. audien.*] deinde iiſdem verbis ſub *lib.* 7. *tit.* 40. *conſtit.* 2. [*l. ut perfectius* 2. *C. de annali except.*] Haec, ſi conferas, geminata inficias non ibis: utriuſque verba huc transſcribere, vaniſſimi eſſet operis. Nec movet, quod huic adjectum eſt: potuit enim & ſuperiori caſus ille omiſſus adjici. Satius igitur erat ſemel titulis praeſcriptionum interjicere, ubi propria ſedes. Utrobique autem interrumpendarum uſucapionum formam praeſtituit Juſtinianus. Vigilantibus ſiquidem jus Civile ſcriptum eſſe, Scaevola *l. pupillus* 24. *D. quae in fraud. cred.* noſter ait. Sed nec negligentibus ſubveniendum Paulus, *l. non enim* 16. *D. ex quib. cauſ. major.* ſcribit. Qui res ſuas ſalvas ſibi percupiunt, ſomno nimio obrui non debent, ſed vigilare, ut Chriſtus optim. Maxim. docet, apud Evangeliographum Matthaeum, *cap.* 24. *v.* 43. Ἐκεῖνο δὲ γινώσκετε ὅτι εἰ ᾔδει ὁ οἰκοδεσπότης ποίᾳ φυλακῇ ὁ κλέπτης ἔρχεται ἐγρηγόρησεν &c.

CAPUT LX.

SAtis non fuit Tribuniano, & collegis bis eandem conſtitutionem repetere, niſi ter quoque recitaſſent: idque ſupervacanee, cum omnium eadem

Digitized by Google

dem ſive verba ſint, eadem per omnia res, idem effectus, ſimiles inſcriptiones & ſubſcriptiones. Porro de matre haereditate filii ſubmovenda, huic, ſi tutores non petierit, loquuntur. Plus quam ſemel illud reſcriptum recitare vanum fuit. Congruus autem ejus locus erat ſub titulo, *ad SCtum Tertyllianum*. Refertur primum *lib. 6. tit. 55. conſtit. 6.* [*l. omnem 6. C. ad Tertyll.* iterum parum immutatis verbis *eodem. lib. tit. 57. conſtit. 10.* [*l. ſciant 10. C. de legit. haered.*] poſtremo *lib 8. tit. 15. conſtit. 6.* [*l. ſi mater 6. C. in quib. cauſ. pignus*] nec poſterioris verbis ultimis ſubſiſtimus. Compoſitorum enim eſſe putem, eoque adjecta, ut titulo congrueret conſtitutio. Extat etiam bis in hanc eandem rem Divi Severi conſtitutio, in Digeſtis Juſtiniani, ut & ſuperius *cap* 24. admonuimus. Sat erat uno loco dixiſſe: cum autoritatem Pandectis ex veteri jure collectis tribuerit Juſtinianus non ſemel. Quod ad ſextae illius conſtitutionis verba attinet, etſi fuiſſent eorum, quos inſcribunt, Imperatorum, cum unam conſtitutionem in duas ſaepe diſtribuerint: ſatis tamen ſuperque fuit ita *lib.* 8. concepiſſe, Impp. Theod. &c. *Mariti ejus, quae tutorem filiis prioris non petierat bona ad ratiocinia jure pignoris tenebuntur obnoxia. Datum &c.* Sed & hanc conſtitutionem poſtremam repetiit Juſtinianus *ἐν Νεαραῖς. conſtit. 22.* Περὶ τῶν δευτερογαμούντων. Εἰ δὲ ἐπιτροπεύειν γυνὴ τῶν παίδων πρόδηλον ὡς ἀνήβων καθεστώτων διομοσαμένη μὴ πρὸς δεύτερον ἔρχεσθαι γάμον, εἶτα καταφρονήσειε καὶ τῆς προτέρας λύπης, καὶ τῶν ὅρκων, καὶ ἀνδρὶ ἔλθοι δευτέρῳ, μὴ πρότερον ἐπιτροπεῦσαί τε αἰτήσασα, καὶ τοὺς λογισμοὺς παρασχομένη, καὶ καταβαλοῦσα πᾶν ὅσον ὀφείλουσα ἐφαίνετο, οὐ μόνον τὰ αὐτῆς ὑποθήκην ἔχειν ὁ νόμος συγχωρεῖ τοῖς παισὶν, ἀλλὰ καὶ τὴν τοῦ γαμήσαντος οὐσίαν ὑπάγει ταῖς ὑποθήκαις &c.

CAPUT LXI.

EXtat bis Divorum Severi & Antonini idem in eandem ſententiam reſcriptum, iisdem verbis utrobique conceptum, *conſtit. 1. lib. 4. tit. 30.* [*l. 1. C. de non num. pec.*] & *conſtit. 1. lib. 8. tit. 33.* [*l. 1. C. ſi pign. conven. num. pecun.*] Audiamus Impp. *Si pecuniam tibi non eſſe numeratam, atque ideo fruſtra cautionem emiſſam, & pignus datum probaturus es, in rem experiri potes: nam intentio dati pignoris, neque numeratae redditae pecuniae non aliter tenebit, quam ſi de fide debiti conſtiterit, eademque ratione veritas ſervetur, ſi, te poſſidente pignus, adverſarius tuus agere coeperit.* Hactenus illi. Cum itaque potiſſima cauſa ſit pecunia non numerata, licet ejus ſpe pignus datum eſſet; ſufficiebat titulo, *de non numerata pecunia*, recitaſſe.

CAPUT LXII.

IN eadem cauſa ſunt *conſtitutio poſterior lib. 2. tit. 6.* [*l. fin. C. de poſtul.*] & *conſtit. 15. tit. 4. lib. 1. Cod.* [*l. nemo 15. C. de epiſc. audient.*] cum in rem eandem, iiſdemque verbis ab eiſdem Imperatoribus, eodemque tempore ſcriptae ſint: vetant autem neminem omnium in togatorum conſortium cooptandum, niſi ſacroſanctis orthodoxae religionis fuerit imbutus myſteriis; quod ſi contra factum eſſet, dabit poenas illic inſcriptas. Ecquis negat ſatis ſuperque fuiſſe titulo, *de poſtulando*, ubi proprius erat locus, interjicere? Quorſum igitur *κατὰ λέξιν* recitatur ſub titulo, *de epiſcopali audientia?*

CAPUT LXIII.

NEc abſimilis ratio eſt *conſtit. 5. lib. 5. tit. 1.* [*l. mulier 5. § bis illud C. de ſponſ.*] & *conſtitut. 16. lib. 1. tit. 4.* [*l. ſi legibus 16. C. de epiſcop. aud.*] cum utrobique ſit eadem inſcriptio & ſubſcriptio, eadem res, eadem verba, quae huc referre nolo. Satis autem fuit titulo, *de ſponſalibus*, ubi propria ſedes, inſerere. Porro abſolutior eſt, quae ſub titulo, *de ſponſalibus*, refertur; quo loco cauſae repudiandae ſponſae recenſentur: ſed hae ob ignorationem recipiendae ſunt; alioquin contra.

CAPUT LXIV.

DUplicatur Juſtiniani ad Hermogenem conſtitutio, quae de raptoribus loquitur, paucis immutatis. Interjecta enim eſt *lib. 1. tit. 3. conſtit. 54.* [*l. raptores 54. C. de epiſc. & cler.*] deinde abſolutius *lib. 9. tit. 13.* ſub titulo *de raptu virginum*, congrue magis collocata [*l. unica C. de rapt. virg.*] Raptores autem fori, praeſcriptione ſubmotos, ultimo ſupplicio plectendos citra appellationem juſſit. Solon vero drachmis duntaxat decem puniri voluit: hujus haec verba ſunt: ἐάν τις ἁρπάσῃ ἐλευθέραν γυναῖκα, καὶ βιάζηται, ζημίαν δέκα δραχμὰς ταξάσθω. Recte adjecit lex, καὶ βιάζηται. Nam ſi rapuiſſet ſolum, violaſſet, defloraſſetve, minime, ex ejus ſententia, puniri debet. At Joviani conſtitutione *l. 2. de raptu lib. 9. tit. 25. C. Theod.* & *l. ſi quis 5. C. de epiſc. & cler.* ſcio expreſſum ita: *Si quis non dicam rapere vel attentare, matrimonii jungendi cauſa, ſacratas virgines; vel invitas auſus fuerit, capitali ſententia feriatur.* Ea autem ratione morti addicendos raptores voluit Juſtinianus, quod virginitas, vel caſtitas corrupta reſtitui non poſſit. Quod & Hieronymus, *c. ſi Paulus 11. quaeſt. 2.* probat. Sed cum omnia ſint Deo poſſibilia, poſſe & eum virginem integritati reſtituere, non diffiteor. Nec me movet, quod ex Propheta *Amos c. 5. vſ. 2.* refert Hieronymus: *Virgo Iſrael cecidit, & non eſt qui ſuſcitet eum:* hoc Theologis diſcutiendum relinquimus. Subjicit Imperator: *Cum nec ab homicidii crimine hujuſmodi raptores ſint vacui.* Aegyptiorum lege violatoris virilia abſcindi juberi, ſcribit Diodorus Siculus *lib. 1. Biblioth. cap. 78.*

CAPUT LXV.

GEminata quis negabit *cap. 10. lib. 2. tit. 3.* [*l. legem 10. C. de pact.*] & *cap. 1. tit. 14. lib. 5.* [*l. 1. C. de pact. conven.*] cum eadem verba, & oratio ſit, eiſdem ſcripta: *Ex pacto, cui ſubeſt cauſa, actionem naſci proditum eſt.* Sic autem utrobique ſcriptum ſcio: *Legem, quam dixiſti, cum dotem pro alumna dares, ſervari oportet. Nec obeſſe tibi poterit, quod dici ſolet ex pacto actionem non dari: tunc enim hoc jure utimur, cum pactum nudum eſt: alioquin, cum pecunia datur, & aliquid de reddenda convenit, utilis eſt condictio. PP. &c.* Haec conſtitutio ſemel ſub titulo, *de pactis conventis, lib. 5. Codicis* referenda erat; ubi congruus ſitus.

CAPUT LXVI.

THeodoſii & Valentiniani de navibus loquentium, reſcriptum bis recitandum non erat; cum utriuſque eadem ſit mens, effectus, verba, inſcriptio & ſubſcriptio. Recitatur enim *cap. 2. lib. 11. tit. 3.* [*l. jubemus 2. C. de navib. non excuſ.*] ubi congruus locus his verbis, Impp. Theod. & Valent. AA. Florentio PP. *Jubemus nullam navem ultra duorum millium modiorum capacem ante foelicem embolam, vel publicarum ſpecierum tranſvectionem, aut privilegio dignitatis, aut religionis intuitu, vel praerogativa perſonae publicis utilitatibus excuſari poſſe ſubtractam: nec ſi coeleſte contra proferatur oraculum (ſive adnotatio ſit, ſive pragmatica ſanctio) providentiſſimae legis regulas oppugnare debebit. Quod etiam in omnibus cauſis cupimus obſervari, ut generaliter, ſi quid ejuſmodi contra jus, vel utilitatem publicam, in aliquo negotio proferatur, non valeat: quicquid enim in fraudem iſtius legis quolibet modo fuerit attentatum, id navigii, quod*

excuſatur, publicatione corrigimus. Hactenus illi. Conſtitutionem hanc, quae de navibus etiam reſcripto non excuſandis ediſſerit, quid opus fuit referre *lib. 1. tit. 2. cap. 10.* [*l. jubemus 10. C. de ſacr. ſanct. eccleſ.*] idque in eadem verba? Tam fuit hoc ſupervacaneum, quam quod maxime.

CAPUT LXVII.

NEc diverſam cauſam quis exiſtimet *conſtit. 11. lib. 2. tit. 3.* [*l. ex conventione 11. C. de pact.*] & *conſtit. 1. tit. 47. lib. 4.* [*l. 1. C. ſine cenſu, vel reliq.*] Imp. Alexander Capitoni: *Ex conventione quidem, qua pactam novercam tuam cum patre dicis, cum fundum in dotem daret, ut creditoribus, quibus praedia fuerant obligata, uſuras ſolveret: actio tibi adverſus eam competere non poteſt: etſi pactum in ſtipulationem deductum probetur. Sed ſi fundus aeſtimatus ita, ut pars inſtrumenti ſignificat, in dotem datus eſt, ex vendito actio, ut placitis ſtetur, competit PP. Nov. Decembr. ipſo A. III. & Dionyſio Coſſ.* Nec movet lectio negans in poſterioribus verbis *d. cap. 1.* Falſa enim eſt, & vero adverſatur. Certiſſimi enim juris eſt aeſtimatione veram fieri venditionem; idque Ulpianus *l. plerunque 10. D. de jur. d. t.* ſcribit: atque actionem ex vendito competere. Quid, quod ſi lectioni neganti locus eſſet? ſibi ex diametro reclamaret Divus princeps, cum adjecerit, ut placitis ſtetur: quod & Praetor jubet apud Ulpianum *l. juriſgent, 7. §. ait praetor 7. D. de pact.* cujus etiam rei nos commonuit M. Cicero. Nam, ut ait Diodorus, *lib. 1. Biblioth. c. 79.* de legib. Aegypt. fides maximum vinculum ſocietatis humanae eſt. Eam autem juſtitiae ſororem elegantiſſimi Poëtae Horatii teſtimonio liquet, *lib. 1 Carm. Od. 24. vſ. 5.*

Ergo Quintilium perpetuus ſopor
Urget? cui Pudor, & Juſtitiae ſoror
Incorrupta Fides, nudaque Veritas;
Quando ullum invenient parem?

At (ut ad inſtitutum noſtrum redeamus) ſemel recitanda erat illa non inelegans conſtitutio, nempe ſub titulo, *ſine cenſu, vel reliquis &c.* ubi propria ſedes. Non eo inficias, quin & pactorum tractatui conveniat, ſed alii titulo ſpecialius congruit.

CAPUT LXVIII.

QUum *conſtit. 1. lib. 2. tit. 3.* [*l. 1. C. de pact.*] & *conſtit. 16. lib. 2. tit. 3.* [*l. cum proponas 1. C. eod.*] ſint ejuſdem effectus: utrobique enim de fideicommiſſo pactione remiſſo tractatur. Una ex his ſufficiebat, & quod in una amplius dictum erat, ſupplendum fuit. Nec ſubſiſtimus eo, quod in 16. liberorum conditio adjecta non fuit. Nam eam ſemper intelligi oportere Papinianus *l. cum avus 102. D. de condit. & demonſtr.* reſpondit: cujus ſententiam Juſtiniani *l. cum acutiſſimi 30. C. de fideicommiſſ.* reſcripto probatam ſcio. Praeterea otraque conſtitutio de filiis verba facit. Utrobique etiam fideicommiſſum, pactione remiſſum, conſtitutionum verbis declaratur. Nec ſubſiſtimus, quod de conditionis incerto *conſtitutio prima* loquatur: nam in *decima & ſexta*, ut jam diximus & intelligitur, & ineſt: incerta quoque dici poteſt. Incertum eſt enim, an liberi naſcerentur: multa enim ſunt, quae liberorum procreationi obſunt.

CAPUT LXIX.

NEgari non poteſt, quin *conſtit. 7. lib. 1. tit. 2.* [*l. ad inſtructiones 7. C. de ſacr. ſanct. eccleſ.*] & *conſtit. 4. lib. 11. tit. 74.* [*l. 4. C. de privileg. dom. Aug.*] ſint eaedem eiſdem verbis, licet inverſis, conſcriptae ab iiſdem principibus, eidem, & in eandem rem. *Abſit*, inquiunt divi Principes, *ut nos inſtructiones viae publicae, & pontium, ſtratarumque opera titulis majorum principum dedicata inter ſordida munera numeremus. Igitur ad inſtructiones, reparationesque itinerum, pontiumque nullum genus hominum, nulliusque dignitatis, ac venerationis meritis ceſſare oportet. Domos etiam divinas tam laudabili titulo libenter adſcribimus.* Quid profuit haec eadem verba toties referre? Hanc autem geminationem praeſenſiſſe viſus eſt A. Alciatus *d. l. ad inſtructiones 7.* qui illam ab hac, quam recitavimus, conſtitutione acceptam tradit.

CAPUT LXX.

INſcriptio, & ſubſcriptio, verba, reſque ipſa argumento ſunt *conſtit. 5. lib. 11. tit. 40.* [*l. fin. C. de ſpect. & ſcen.*] & *conſtit. 13. lib. 1. tit. 3.* [*l. 13. C. de Epiſc. & cler.*] ingeminari. Satis erat *tit. 40. l. 12. C. de Epiſc. aud.* recitaſſe, ubi de lenonibus diſceptatur. Amittunt enim jus, quod in proſtitutas filias ancillaſve habent: proſcribendique ſunt. Solon autem eos morti addicendos apud clariſſimum Oratorem Aeſchinem juſſit: Προαγωγοὶ γραφέσθωσαν καὶ ἁλῶσι θανάτῳ ζημιοῦσθαι. Hanc legem explicui *lib. 2. veteris Juriſprudentiae ad Solonem.* Optima autem ratione varias poenas dare debent hujuſmodi belluae teterrimae: quam etenim quantumvis caſtam non violant? caſtitatem devaſtant, corrumpunt: &, ut ait Ovidius, *lib. 1. Am. 10. v. 23.*

Devovet imperium tamen haec lenonis avari.

CAPUT LXXI.

MIrari ſatis nequeo,

Pocula lethaeos, ut ſic ducentia ſomnos;
Arente fauce traxerint

Pandectarum architecti: cum enim de liberis expoſitis conſtitutionem edidiſſet Juſtinianus ad Demoſthenem, eamque ſub congruo titulo collocaſſet, nempe ſub titulo, *de infantibus expoſitis, conſtit. 3. lib. 8. tit. 52.* [*l. 3. C. de infant. expoſ.*] cur repeterunt eandem *lib. 1. tit. 4. conſtit. 24?* [*l. nemini 24. C. de epiſc. audient.*] Utrobique etenim vetatur vindicari puer expoſitus. Verba conſtitutionis huc transſcribere vaniſſimum cenſeo. Qui autem liberos expoſuerunt, quoslibetve alios, eorum ſucceſſione indignos eſſe, atque ideo ab eorum haereditate ſubmovendos, ex Martiani verbis, *l. 3. D. de iis, quib. ut indign.* & ſententia reſpondi, anno virginei partus 1559. 4. Idus Januar. adverſus quendam cauſarum patronum. Ea tamen lis tranſactione finita fuit.

CAPUT LXXII.

QUid adjumenti attulit repetitum illud θεμ. *conſtit. 23. lib. 11. tit. 47.* [*l. fin §. fin. C. de agric. & cenſit.*] & *conſtit. 1. θεμ. fin. tit. 24. lib. 7.* [*l. unic. C. de SCto Claudian. toll.*] cum ſint ejuſdem Juſtiniani, & idem verborum contextus, eademque res? Vetatur utrobique adſcriptitius mulierem liberam ducere. Satis fuit titulo, *de agricolis, cenſitis, colonis, & adſcriptitiis*, hanc ſanctionem interjeciſſe: ubi congruus ſitus. Sed utrobique impunitum non vult Imperator conatum hujuſmodi, & matrimonium diſſolvi. Conatum autem accipere debemus, qui ad effectum perductus ſit; id quod ſubjecta utrobique verba liquido oſtendunt. Sancimus, ſi quid tale ab adſcriptitio fuerit perpetratum &c.

CAPUT LXXIII.

TAnta eſt virorum autoritas, ut mulieres eorum conditionem ſequantur. Sed ea Valentin. & Valent. quae in hanc rem extat conſtitutio, cur ingeminatur? Primum recitatur in *cap. 9. lib. 10. tit. 39.* [*l. 9. C. de incol.*] deinde, idque ſupervacanee repetitur *conſtit. 13. tit. 1. lib. 12.* [*l. mulieres 13. C. de dignit.*] Sufficiebat uno loco illam conſtitutionem

nem tradidiſſe. Quod ajunt Imperatores, mulieres erigi honore maritorum, ad multa produci, variis conſtitutionibus, reſponſiſve conſtat. Patroni enim uxorem ſine Praetoris permiſſu vocari prohibet Alexandri conſtitutio, *l. 1. C. de in jus voc.* Nam cum (ut ait Halicarnaſſeus) proditum ſit, *γυναῖκα γαμετὴν κατὰ τοὺς νόμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν, κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων*: quod divalis conſtitutio probat: *l. 4. C. de crim. expil. haered.* aequum fuit eas honore virorum erigi.

CAPUT LXXIV.

NE geminata videretur Impp. Theodoſii & Valentiniani ad Taurum conſtitutio, quod unius principium eſt, in alterius finem rejecerunt architecti. Satis igitur ſuperque fuit eam *lib. 10. tit. 48.* [*l. 2. C. de quib. muner.*] retuliſſe; ubi propria ſedes. Vaniſſimi itaque operis fuit *lib. 1. tit. 2.* [*l. neminem 11. C. de ſacr. ſanct. eccleſ.*] inſeruiſſe. Sed nec geminaſſe ſatis eſſe putarunt: niſi & ter recitaſſent mutato autore: ne cito deprehenderetur vitium. Tertio igitur retulerunt ſub *lib. 12. tit. 15. conſtit. 21.* [*l. aulius 21. C. de curſ. public.*] Neminem ab angariis, vel parangariis excuſari jubet conſtitutio. Eſt autem *ἀγγαρεία* (definitore Suida) *δημοσία, καὶ ἀναγκαία δουλεία.*

CAPUT LXXV.

EXceptio non numeratae pecuniae in publicarum functionum ſecuritatibus (ut verbis architectorum utar) obtrudi vetita, argumento eſt ſuffeciſſe Juſtiniano, id *lib. 4. tit. 30. conſtit. 14.* [*l. in contractibus 14. §. ſed quoniam 1. verſ. Securitatibus C. de non num. pecun.*] decreviſſe, non item repetere *lib. 10. tit. 22. conſtit. 4* [*l. fin. C. de apoch. public.*] quo loco collocari non potuiſſe, res ipſa indicat. Securitatibus publicarum functionum (ſive in ſolidum, ſive pro parte ſolutae eſſe conſcribantur) illis etiam ſecuritatibus, quae poſt confectionem talium inſtrumentorum, de ſoluta dote ex parte, vel in ſolidum exponuntur, nullam exceptionem non numeratae pecuniae penitus opponi. Quid opus fuit haec verba alibi repetere? Tu, Lector, rem expendas, velim.

CAPUT LXXVI.

ALexandri Severi reſcriptum ad Polydamam, ſemel recitatum oportuit *lib. 4. tit. 31.* [*l. neque 6. C. de compenſat.*] fruſtra igitur relatum videmus ſub. *lib. 5. tit. 22.* [*l. 1. C. rer. amot.*] Audiamus Imperatorem: *Neque ſcriptura, qua cautum eſt, accepta, quae negas tradita obligata te contra fidem veritatis potuit, & compenſationis aequitatem jure poſtulas. Non enim prius exolvi, quod debere te conſtiterit, aequum eſt, quam petitioni mutuae reſponſum fuerit, eo magis, quod ea te perſequi dicis, quae a muliere divortii cauſa, amota quereris.* Cum potiſſima controverſia eſſet, an compenſatio admittenda eſſet, ſatis fuit ſub titulo proprio, congruoque, *de compenſationibus*, id dixiſſe.

CAPUT LXXVII.

NEmo ſani capitis negabit fruſtra repetitam Juſtiniani conſtitutionem ſub *lib. 1. tit. 4. cap. 28.* [*l. tam dementis 28. C. de epiſc. audient.*] ubi ineptiſſime collocatur, cum ſatis ſuperque fuit eam recitaſſe *lib. 5. tit. 4. cap. 25.* [*l. ſi furioſi 25. C. de nupt.*] utrobique enim permittitur liberis furioſi parentis nuptias contrahere, tam dote, quam donatione, ante nuptias a curatore praeſtanda.

CAPUT. LXXVIII.

ECquis diverſum ſentiret de *conſtit. 8. lib. 2. tit. 51.* [*l. fin. C. de reſtitut. milit.*] & de *conſtit. 8. lib. 7. tit. 35.* [*l. fin. C. quib. non objic. long. temp. praeſcr.*] cum utrobique eadem verba ſint, res eadem, autor idem? Sufficiebat *reſtitutionibus in integrum* inſeruiſſe, ubi congruus ſitus. Ex illa verba quaedam detraxerunt, ut titulo ſuo quaelibet congrueret. Expeditionem autem, quae a Graecis *στρατεία* dicitur, accipere debemus, quum milites exeunt ad bellum. Quo ſignificatu uſi ſunt Curtius, & C. Caeſar *de bello Gallico.*

CAPUT LXXIX.

DUplicatur eadem conſtitutio, in eadem verba concepta: recitatur enim primo ſub *tit. 2. lib. 1. cap. 8.* [*l. ſacroſancta 8. C. de ſacr. ſanct. eccleſ.*] deinde plenius, ubi & ſedes propria, *lib. 10. tit. 16. conſt. 12.* [*l. 12. C. de annot. & tribut.*] Verba cuique fient obvia: referre non placet.

CAPUT LXXX.

EAdem ratione adfirmo *conſtit. 9. lib. 1. tit. 2.* [*l. qui ſub praetextu 9. C. de ſacr. ſanct. eccleſ.*] & *conſtit. 1. tit. 17 lib. 11.* [*l. unica. C. de colleg. & charſoprat.*] geminatas: cum utrobique ad eundem in eandem reſcriptum ſit rem.

CAPUT LXXXI.

SEntentiâ omnino ſimiles verbiſque (paucis immutatis, ut titulis congruerent) *conſtit. 6. tit. 4. lib. 1.* [*l. addictos 6. C. de epiſc. aud.*] & *conſtit. 29. lib. 7. tit. 62.* [*l. addictos 29. C. de appel.*] Satis ſuperque fuit titulo, *de appellationibus*; ubi congruus ſitus, inſeruiſſe.

CAPUT LXXXII.

SAtis ſuperque fuerat edixiſſe ante definitivae ſententiae tempus appellari non poſſe, idque appellationum tractatibus interjicere. Cum igitur in eam rem ſcripta fuiſſet *conſtit. 7. lib. 7. tit. 65.* [*l. ante 7. C. quor. appell.*] quid opus fuit inſeruiſſe *lib. 1. tit. 4. conſtit. 2?* [*l. 2. C. de epiſc. aud.*] nec movet dubitationem poena huic adjecta: erat enim ſubjicienda *dictae conſtitutioni 7.*

CAPUT LXXXIII.

EAdem dicemus, etſi verba abſimilia videantur, de conſtitutione Dioclet. & Maxim. Impp. in eandem rem ad eundem ſcripta primum ſub. *conſtit. 6. tit. 16. lib. 4.* [*l. penult. C. de haered. action.*] & de *conſtit. 7. lib. 7. tit. 27.* [*l. ſi uxor 7. C. de bon. autor. jud. poſſ.*] utrobique enim de actionum confuſione diſceptatur. Sufficiebat recitaſſe ſemel ſub titulo, *de haereditariis actionibus*: quo loco abſolutius extat.

CAPUT LXXXIV.

CUm tranſactiones ſuo titulo, ac tractatu explicandae ſint, atque tranſactiones, nullo dato, retento, aut promiſſo irritae ſint: fruſtra bis recitatur eorundem Imperatorum conſtitutio *cap. 3. lib. 6. tit. 31.* [*l. ſuus haeres 3. C. de rep. haered.*] loco ſatis incongruo, cum de tranſactione potiſſimum tractaretur, congrue ſub titulo, *de tranſactionibus, lib. 2. l. tranſactio 38. C. de tranſact.* ubi regula iterum refertur, collocaretur. Species facti *citato cap. 3.* recitatur, & deciditur. Ea autem more cothurni uſus eſt Tribunianus.

CAPUT LXXXV.

DΕυτερογαμούντων poenae titulo, *de ſecundis nuptiis*, ioterjectae, alio loco repeti non debuerant: geminatae igitur ſunt *conſtit.* 1. *lib.* 5. *tit.* 9. [*l.* 1. *C. de ſec. nupt.*] & *conſtit.* 4. *tit.* 56. *lib.* 6. [*l. ſi qua mulier* 4. *C. ad SCtum Tertyl.*] in eandem rem, & verbis iisdem ſcriptae. Nec niſi taedium adferre potuit repetitio illa. Nec nos movet verborum immutatio: qua uſi ſunt compoſitores, ut quaelibet titulo, cui inſerta eſt conſtitutio, congrueret.

CAPUT LXXXVI.

TAmetſi *conſtit.* 1. *lib* 1. *tit.* 19. [*l.* 1. *C. de prec. Imp. off.*] & *conſtit.* 1. *tit.* 13. *lib.* 7 [*l.* 1. *C. quibus ex cauſ. ſerv pro praemio*] diverſis verbis conceptae ſint, ejusdem tamen effectus, vis & ſenſus ſunt, atque ab eisdem principibus ad eundem ſcriptae. Sufficiebat uno loco recitaſſe, nempe ſub titulo, *quibus ex cauſis ſervi pro praemio libertatem accipiant*. Sed & hoc ſemel dictum ſufficiebat *πανδεκτ. lib.* 29. *tit.* 5. *cap.* 3. *θεμ.* 14. [*l.* 3. *§. ſed utrum* 14 *D. ad SCtum Sylan.*] qui locus alterius Juriſconſulti videtur explicatorius, qui illic deſideratur; idque ejus verba liquido oſtendunt: nec enim ſuperiori cohaerent. Praemium autem, de quo ibi, Libertatem interpretatur Marcellus, *l. domino* 16. *D. eod.* quod nec ab Ulpiano omiſſum eo, quem ſuperius *d. § utrum* 14. citavi, loco, puto.

CAPUT LXXXVII.

GEminantur *conſtit.* 42. *lib.* 1. *tit.* 3. [*l. repetita* 42. *C. de epiſc. & cler.*] & *conſtit.* 23. *lib.* 9. *tit.* 23. [*l. conſulta* 23. *C. de teſtam.*] a medio ad finem, idque vaniſſime; cum ſufficiebat titulo, *de teſtamentis*, inſeruiſſe; ubi propria ſedes, ut quae de teſtamentis aperiendis verba faciat. Utrobique enim proditum ſcio opprobrium eſſe clericis, ſi peritos ſe velint diſceptationum forenſium. At hodie judicum connivientia pleroſque ejus generis videas, qui negotiis forenſibus invigilant, ſed & vafritias excogitant.

CAPUT LXXXVIII.

EAdem dici poſſe addubitet nemo de *conſtit.* 29. *lib.* 2. *tit.* 3. [*l. penult. C. de pact.*] & *conſtit.* 51. *lib.* 1. *tit.* 3. [*l. ſi quis* 51. *C. de epiſc. & cler.*] cum in eandem ſententiam a Juſtiniano Imp. Joanni ſcripta ſit utraque. Satis igitur ſuperque fuit pactorum tractatui iotexuiſſe, ubi proprius locus. Pactus enim illic quis fuit, ſe fori praeſcriptione non uſurum. Regula autem juris antiqui proditum, ait idem princeps, omnibus jus eſſe, iis, quae pro ſe introducta ſunt, renuntiandi.

CAPUT LXXXIX.

DIverſum adfirmare non auſim de *conſtit.* 33. *lib.* 4. *tit.* 65. [*l. penult. C. locat.*] & *conſtit.* 10. *lib.* 8. *tit.* 4. [*l. non ab eo* 10. *C. unde vi.*] cum utrobique eadem fere verba ſint Zenonis ad Sebaſtianum, de iis, qui conductas res reſtituere nolunt, plectendis.

CAPUT XC.

GEminationis vitium non effugit bis recitata eadem in idem divorum Valeriani & Gallieni conſtitutio: cum ſemel transſcribenda eſſet, ſub *lib.* 9. *tit.* 9. *cap.* 18. [*l. eum qui* 18. *C. de adult.*] ubi propria, congruaque ſedes: non autem *δεύτερον* recitanda *conſtit.* 5. *lib.* 5. *tit.* 3. [*l. ea quae* 5. *C. de donat. ante nupt.*] Utrobique enim verba eadem ſiunt; memoriam non juvat illa repetitio, ſed ingenia potius taedio adficit, ac enecat. Eandem conſtitutionem ad varia diſtrahere vitio potius, quam laudi verti debuit. Adulterii recte inſimulari poterit, qui primo unam, deinde aliam, viva priore, duxit uxorem. Conſtante enim priore matrimonio, ſecundum viribus non ſubſiſtere, recte exiſtimavit Accurſius, *l. eum qui* 18. *C. de adulter.* cujus ſententia imperatoria conſtitutione juvatur.

CAPUT XCI.

SCribit Juſtinianus, prudentum reſponſis, ex quibus Digeſtorum ſuorum libros collegit, tantum autoritatis tribuiſſe, ut ex eis jus dici poſſit. Quum igitur multos juris articulos iis interjecit, cur *δεύτερον* repetiit, in ſui nominis Codice, ut diligentiſſime perſpicienti φανερόν ἐστι? Hujus rei argumento erit *cap.* 65. *lib.* 23. *tit* 2 [*l. eos qui* 65. *§.* 3. *D. de ritu nupt.*] cujus verba io reſcripto ſuo recitat Gordianus *conſtit.* 6. *tit.* 4. *lib.* 5. [*l. etſi contra* 6. *C. de nupt.*] in hac verba: *Etſi contra mandata principum* (* Deeſt Flor.) *contractum ſit matrimonium in provincia, tamen poſt depoſitum officium, ſi in eadem voluntate perſeverat juſtas nuptias effici: & ideo poſtea liberos, natos ex juſto matrimonio, legitimos eſſe, reſponſum viri prudentiſſimi Pauli declarat.* Multa quoque *ἐν ταῖς πανδ.* duplicavit Juſtinianus, ut poſt Alciatum plerique ſuis locis detexerunt. Juſtinianum enim plurimis periſſologiis, hoc eſt, ſuperflua verborum adjectione uſum fuiſſe, obſervavit A. Alciatus *lib.* 4. *de verb. ſignific. num.* 15. Permulta quoque *θεμ. Νεαρῶν* repetuntur, quale in *conſtit.* 18. & 89. obſervavit H. Agylaeus, in eo, quem *Supplementum* inſcripſit, libro. Quae illic ſupervacanee adjecta ſunt, longum nimis eſſet huc transſcribere: ea, cum per otium licuerit, oſtendemus, duce Deo. Id autem titulorum, & inſcriptionum collatione deprehendes. Ad reliqua pergamus.

CAPUT XCII.

ALiquot ex Juriſprudentum reſponſis geminatis, quae nondum animadverteram, praetermiſi: atque ideo huc detegere placuit. Ingeminatur idem C. Scaevolae reſponſum. Primo quidem recitatur *cap.* 38. [*l. pater* 38. *§. Julius* 4. *D. de legat.* 3.] & *cap.* 93. *lib.* 32. *πανδεκτ.* [*l. Lucius* 93. *in princip. D. eod.*] Utrobique enim eadem verba ſunt. Sed hanc culpam in antiquum librarium transferunt, qui cum locum aſteriſcis incluſerunt **. Verba Scaevolae huc transſcribere nolui, ſtudioſis obvia plus ſatis.

CAPUT XCIII.

CAp. 24. *lib.* 34. *tit.* 4. [*l. legatum* 24. *D. de adim. leg.*] & *cap* 95. *lib.* 35. [*l. legatum* 95. *D. de condit. & demonſtr.*] geminantur, etſi diverſorum ſint juris autorum: hoc ſiquidem Hermogeniani lib. 4. juris Epitomarum; illud Papiniani lib. 8. Reſponſorum eſt. Sed cum de transferendo legato utrobique agatur, congrue magis collocatum fuit ſub titulo, *de adimendis, vel transferendis legatis*. Itaque repeti non debuit ſub titulo, *de condit. & demonſtrationibus*. Audiamus Papinianum: *Legatum ſub conditione datum, cum transfertur, ſub eadem conditione transfertur, ſi non conditio priori perſonae cohaereat.* Papiniani ſententiae adjeciſſe ſat fuerat haec verba: Papiniani ſententiam probat Hermogenianus, idque veterum more.

CAPUT XCIV.

QUum Pedius *πανδεκτ. lib.* 4. *tit.* 2. *cap.* 14. *§.* 5. [*l. item ſi* 14. *§.* 5. *verſ Pedius. D. quod met. cauſ.*] ſa-

Digitized by Google

ſatis ſuperque diſceptaſſet de reſtituendae rei modo, quando uno metum inferente, ad alium pervenit, ſupervacanee adjectum fuit ab architectis principium *cap.* 16. *ejusd. lib. & tit.* cum eadem res ſit, eadem cauſa. Satius fuiſſet ſubjunxiſſe θεμ. 5. Pedii ſententiam probat Ulpianus. Sed illud θεμ. 5. mutilum oſtendemus inferius, *lib.* 3. *cap.* 18.

CAPUT. XCV.

TΑυτολογικῶς repetitum eſt hoc fragmentum in *fin.* θεμ. 1. *cap.* 33. *lib.* 3. *tit.* 3. [*l. ſervum* 33. §. *eum qui* 1. *D. de procurat.*] *De ſuo ſtatu litigat:* cum in initio recitatum fuiſſet. Sic igitur illud θεμ. legendum cenſeo: *Eum, qui de ſuo ſtatu litigat, procuratorem habere poſſe non dubitamus: non ſolum in adminiſtratione rerum, ſed etiam in actionibus, quae ei, vel adverſus eum competunt ex poſſeſſione ſervitutis. ſive libertatis.* Quid opus fuit, quae principio dicta erant, hic repetere?

CAPUT XCVI.

QUae ſuperius diximus *cap.* 34. eadem dicenda cenſeo de *cap.* 25. *lib.* 1. *tit.* 5. [*l. ingenuum* 8. *D. de ſtat. hom.*] & *cap.* 207. *lib.* 5. *tit.* 17. utrumque ex Ulpiani *lib. eodem* decerptum eſt. Ait Ulpianus: *Ingenuum etiam accipere debemus, etiam eum, de quo ſententia lata eſt, quamvis fuerit libertinus: quia res judicata pro veritate accipitur.* Hoc tamen temperandum eſt, ne reclamet *cap.* 60. *lib.* 12. *tit.* 6. [*l. Julianus* 60. *D. de condict. indeb.*]

CAPUT XCVII.

JUris civilis ſtudioſorum neminem latere puto permulta, & Juriſconſultorum reſponſa, & Imperatorum reſcripta *Juſtinianeis Inſtitutionibus* interjecta, idque κατὰ λέξιν: ſed hoc ferri poſſe non addubitem. Principio vero juſtitiae definitio, ab Ulpiano tradita *cap.* 10. *lib.* 1. *tit.* 1. [*l. juſtitia* 10. *D. de juſtit. & jur.*] repetitur in initio *lib.* 1. *tit.* 1. ad verbum. A. autem Gellius *lib.* 6. *cap.* 1. ex Chriſippo videtur definire juſtitiam, ut ſit injuſtitiae privatio. Plato, *in dialogo de Philoſophia*, dicit eam ſcientiam eſſe, quae intemperantes & legum transgreſſores punit; qua bonos & malos diſcernimus. Hanc eandem regum virtutem appellat Xenophon *lib.* 4. ἀπομνημ. Ajunt Ulpianus & Juſtinianus, *Jus ſuum cuique tribuendi.* Hoc quid aequius? ecquid hagiographis conſentaneum magis? Hac enim via civilis ſocietas & retinetur, & conſervatur. Illuc pertinet, quod *in hymnis* cecinit Orpheus:

Ὦ θνητοῖς δικαιοτάτη πολύολβε ποθεινή
Ἐξ ἰσότητος ἀεὶ θνητοῖς χαίρουσα δικαίοις
Πάντι με ὀλβιόμοιρε δικαιοσύνη μεγαλαυχής
Ἡ καθαραῖς γνώμαις ἀεὶ τὰ δέοντα βραβεύεις.

Sed ad inſtitutum revolemus! Haec geminatio recipi poteſt, ut aliae permultae *in Inſtitutionibus*, utpote, quae totius juris civilis ſint epitomae, & quas, velut enchiridion, circumferre debes, ut jura facilius memoriae conſecres. Juris praecepta recenſuit idem Ulpianus in eo, quem ſuperius citavimus, loco, *d. l. juſtitia* 10. eadem iisdem verbis repetit Juſtinianus citato *tit.* 1. §. *juris praecepta* 3. *Juris praecepta*, inquiunt, *ſunt haec, Honeſte vivere, alterum non laedere, jus ſuum cuique tribuere.* Porro alterum non laedere juſtitiae ſignum eſſe, Xenophon ſcribit *lib.* 4. ἀπομνημ. Θεματα 1. 2. & 3. *cap.* 1. *tit.* 1. *lib.* 1. [*l.* 1. §. *hujus* 2. *D. de juſtit. & jur.*] (quibus jus in duas theſes deducitur, & earum ſingulae in ſua genera definita partiuntur) referuntur in eadem verba a Juſtiniano *lib.* 1. *tit.* 1. θεμ. *poſteriore* [§. *fin. Inſt. de juſt. & jur.*] & *tit.* 2. *Inſt. de jure nat.* in ipſo ſtatim initio *cap.* 5. *tit.* 1. *lib.* 1. πανδεκ. [*l. ex hoc jure* 5. *D. de juſt. & jur.*] transſcriptum ex lib. 1. Epitomarum juris. Hermogeniani connumerantis, quae juris gentium eſſent, repetitur a Juſtiniano, *tit.* 2 *lib.* 1. § 3. [§. 3. *verſic. Ex hoc. Inſt. de jur. nat.*] adjiciente ſocietatem, depoſitum mutuum &c. *Cap.* 9. *ejuſdem lib. & tit.* [*l. omnes* 9. *D. de juſt. & jur.*] transſcripſit Juſtinianus *lib.* 1. *tit.* 2. θεμ. 1. *Omnes populi*, inquit Cajus lib. 1. Inſtitutionum, *qui legibus & moribus reguntur, partim ſuo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur. Nam quod quisque populus ſibi ipſe jus conſtituit, id ipſius proprium ipſius civitatis eſt: vocaturque jus civile, quaſi jus proprium ipſius civitatis. Quod vero naturaliter ratio inter homines conſtituit, id apud omnes gentes peraeque cuſtoditur: vocaturque jus gentium, quaſi quo jure omnes gentes utuntur. Cap.* 1. *lib.* 1. *tit.* 4. [*l.* 1 *princ. D. de conſtit. princ*] quod eſt Ulpiani de translatione imperii, & conſtitutiones diſtribuentis, transfertur a Juſtiniano *lib.* 1. *tit* 2. θεμ. 6. [§. *ſed &* 6. *Inſt. de jur. nat.*] Ait Ulpianus: *Quod principi placuit, legis habet vigorem: utpote, cum lege Regia* (Alciat. *l.* 15. *D. de verbor ſign* legit Rheniam) *quae de imperio ejus lata eſt, populus ei, & in eum omne ſuum imperium, & poteſtatem conferat.* Nam (ut ait Tacitus *lib.* 1. *Annal. cap.* 9.) *non aliud eſt patriae diſcordantis remedium, quam ut ab uno regatur, non regno, non dictatura, ſed principis nomine conſtitutam rempubl. &c.* Subjicit Ulpianus: *Quodcunque igitur Imperator per epiſtolam, & ſubſcriptionem ſtatuit, vel cognoſcens decrevit, vel de plano interlocutus eſt, vel edicto praecepit, legem eſſe conſtat.* Haec ſunt, quas vulgo Conſtitutiones appellamus. Plane ex his quaedam ſunt perſonales, nec ad exemplum trahuntur. Nam quae princeps alicui ob merita indulſit, vel ſi quam poenam irrogavit, vel ſi cui ſine exemplo ſubvenit, perſonam non egreditur, *Caput* 1. & 2. *lib* 1. *tit.* 5. [*l.* 1. & 2. *D. de ſtatu hom.*] omne jus diſtribuens repetitur a Juſtiniano *lib.* 1. *tit.* 2. θεμ. *poſtremo.* [§. *fin. Inſt. de jur. nat.*] Ait Cajus: *Omne jus, quo utimur, vel ad perſonas pertinet, vel ad res, vel ad actiones.* Ex his tribus conflatae fuerunt inſtitutiones, idque eodem ordine. Subjicit Hermogenianus: *Cum igitur hominum cauſa omne jus conſtitutum ſit, primo de perſonarum ſtatu (ac poſt de caeteris ordinem edicti perpetui ſequuti, & his proximos atque conjunctos applicantes titulos, ut res patietur) dicemus.* His notulis incluſa ( ) praetermiſit Juſtinianus. *Caput* 3. *lib.* 1. *tit.* 5. [*l.* 3. *D. de ſtat. hom.*] relatum ſcio a Juſtiniano κατὰ λέξιν *in princ. Inſt. de jur. perſon.* Ait Cajus: *Summa itaque de jure perſonarum diviſio haec eſt, quod omnes homines aut liberi ſunt, aut ſervi. Caput* 4. *lib.* 1. *tit.* 5. [*l. libertas* 4. *D. de ſtat. homin.*] iisdem verbis repetit Imperator *lib.* 1. *tit.* 3. θεμ. 1. [§. & *libertas* 1. *Inſt. de jur. perſon.*] *Libertas*, inquit Florentinus, *eſt naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet: niſi ſi quid vi, aut jure prohibetur.* His interjecit Juſtinianus. Ex qua etiam liberi vocantur. *Verſum* 1. *cap.* 4. *lib.* 1. *tit.* 5. [*l.* 4. *D. de ſtat. homin.*] recitat Imperator in θεμ. 2. *lib.* 1. *tit.* 3. [§. *ſervitus* 2. *Inſt. de jur. perſon.*] *Servitus eſt conſtitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubjicitur. Verſus* 2. *cap.* 4. & *cap* 5. *principium*, & θεμ. 1. *ejusdem lib. & tit.* [*l.* 4. §. *ſervi* 2. & *l.* & *ſervorum* 5. *D. de ſtat. hom.*] recitantur a Juſtiniano paucis immutatis θεμ. 3. 4. & 5. *tit.* 3. *lib.* 1. Θεμ. 3. *cap.* 5. *lib* 1. *tit.* 5. reperitur *lib.* 1. *tit.* 4. *princ. verſic. Ex his. Inſtit. Cap.* 6. *ejusdem lib. & tit.* relatum eſt *Inſtit. lib.* 1. *tit.* 5. *in princ. Libertini ſunt, qui ex juſta ſervitute manumiſſi ſunt. Cap.* 4. [*l. manumiſſiones* 4. *D. de juſt. & jur.*] initio dempto *lib.* 1. *tit.* 1. πανδεκτῶν recitatur, *pr. tit.* 11. *lib.* 1. *Inſtitutionum.* Univerſus quoque *tit.* 8. *lib.* 1. *Inſtit.* κατὰ fere λέξιν ex *tit.* 6. *lib.* 1. *cap.* 1. & 2. πανδεκτῶν transſcriptus eſt paucis mutatis, interjectisve *cap.* 3. *lib.* 1. *tit.* 6. [*l.* 3. *D. de iis, qui ſunt ſui.*] recitatur ab Imperatore *lib.* 1. *tit.* 9. *in initio: Item in poteſtate ſunt liberi noſtri, quos ex juſtis nuptiis procrea-*

creavimus, quod jus proprium civium Romanorum eſt. *Cap.* 2. *lib.* 1. *tit.* 7. *πανδεκ.* [*l.* 2. *D. de adopt.*] recitatur ab Imp. in ϑεμ. 2. *lib.* 1. *Inſtit. tit.* 11. Utrobique enim diducitur adoptio. Admonet autem Tacitus *lib* 12. *Annal. cap.* 26. arrogatum in familiam, nomenque adoptantis tranſire. Ait Cajus, adoptionem generalem aut principis autoritate, aut magiſtratus imperio fieri. His ex Ulpiani *Epitome tit.* 8. §. 3. adjicias, & per populum fieri poſſe. *Per populum*, inquit, *qui ſui juris ſunt, arrogantur.* Tutelae definitio a Paulo ex Servio tradita *lib.* 26. *tit.* 1. *cap.* 1. [*l.* 1. *D. de tutel.*] repetitur ab Imperatore *lib.* 1. *tit.* 13. *Inſtit.* ϑεμ. 1. *Tutela eſt jus* (ſic enim utrobique legendum cenſeo ex Theophilo) *& poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui propter aetatem ſuam ſponte ſe defendere nequit, jure civili data, ac permiſſa.* *Caput* 1. *lib.* 26. *tit.* 2. *πανδ.* [*l.* 1. *D. de teſtam. tutel.*] recitatur paucis immutatis ϑεμ. 3. *lib.* 1. *tit.* 13. *Inſtit.* utrobique explicatur cap. ex XII. Tabulis, ubi ita ſcriptum erat, *Parentibus tutorum, liberis in poteſtate dandorum, teſtamento jus eſto.* Tutorum dandorum cauſas recenſet Ulpianus *in Epitome tit.* 11. aetatis & ſexus infirmitatem, & rerum forenſium ignorantiam. Θεμ. 1. *cap.* 1. *lib.* 1. *tit.* 8 [*l.* 1. §. *quaedam* 1. *D. de rer. diviſ.*] de rebus corporalibus, & incorporalibus loquens, iiſdem verbis repetitur in univerſo *tit.* 2. *lib.* 2. *Inſtit.* utrobique eadem verba recitantur. Illuc videtur pertinere, quod ait Plato *in Phaedone.* *Caput* 5. *lib.* 1. *tit.* 8. *πανδεκτῶν* [*l. riparum* 5. *D. eod.*] de riparum uſu repetitur *lib.* 2. *Inſtit. tit.* 1. ϑεμ. 3. §. *riparum* 4. *Inſtit. eod.* utriusque eadem verba ſunt. Θεμ. 3. *cap.* 6. *lib.* 1. *tit.* 8. [*l. in tantum* §. 3. *verſ. Religioſum. D. de rer. diviſ.*] & ϑεμ. 9. *tit.* 1. *lib.* 2. *Inſtit.* in eadem cauſa ſunt: ut quae religioſum locum fieri diſceptent mortui illatione. Religioſum definit Maſſurius Sabinus apud A. Gellium *lib.* 4. *cap.* 9. in haec verba; *Religioſum eſt, quod propter ſanctitatem aliquam remotum, ac ſepoſitum a nobis eſt.* *Caput* 3. *lib.* 1. *tit.* 8. [*l. item lapilli* 3. *D. de rer. diviſ.*] paucis immutatis refertur *lib.* 2. *tit.* *Inſtitutionum* [§. *item lapilli* 18. *Inſt. eod.*] Et ἀπαξαπλῶς *cap.* 5. 7. 8. 9. *lib.* 41. *tit.* 1. *D. de acqu. rer. dom.* in variis ϑεματίοις, *lib.* 2. *tit.* 1. iiſdem verbis reperies; quae huc tranſcribere vaniſſimi eſſet operis: rem ſatis perſpicies, collatis omnibus: id quod negotio vel facillimo fiet. *Caput* 1. *tit.* 3. *lib.* 8. [*l.* 1. *D. ruſt. praed.*] recititur iiſdem verbis *lib.* 2. *Inſtit. tit.* 3. in ipſo ſtatim initio. Reliquos Inſtitutionum tractatus partim ex Caji inſtitutionibus, partim ex mediis *πανδεκτῶν* viſceribus tranſcriptos *κατὰ* fere λέξιν, nemo ſanae mentis ibit inficias.

CAPUT XCVIII.

CUm Pandectarum, ceu Digeſtorum libris, atque ideo Juriſconſultorum reſponſis legum autoritatem conceſſerit Juſtinianus, mirari ſatis nequeo, cur *cap.* 17. *tit.* 1. *lib.* 20. *πανδεκτῶν* [*l. pignoris* 17. *D. de pignor.*] repetatur in *conſtit.* 18. *tit.* 14. *lib.* 8. [*l. pignoris* 18. *C. eod.*] idque iiſdem verbis, ſed conciſius paulo. Ait Ulpianus; *Pignoris perſecutio in rem parit actionem creditori.* Haec verba reiteranda non erant: ſatis vero ſuperque fuit haec verba ſubjicere Ulpiani reſponſo. Quae ſententia principum reſcripto probata eſt.

CAPUT XCIX.

SI quis *conſtit.* 8. *tit.* 14. *lib.* 8. [*l. quamvis* 8. *C. de pign.*] & *conſtit.* 1. *tit.* 27. *lib.* 8. [*l. unicu C. etiam ob chirog. pec.*] contulerit, duplari non ibit inficias: cujus rei argumento erunt inſcriptiones, ſubſcriptionesque eaedem, eadem res, eadem fere verba. Quod ut adſtruam, ſubnecto Gordiani Imp. utrobique reſcribentis verba: *d. l. unic. Pignus intercidit, ſi novatione facta in alium jus obligationis tranſtuliſti, nec ut ea res pignoris teneretur, tibi cautum eſt. Quod ſi pactum inter te, eumque, qui poſtea dominus fundi conſtitutus novam obligationem ſuſceperas, interceſſit, ut idem fundus tibi pignoris nomine teneretur: quamvis perſonali actione expertus feceris condemnationem, pignoris tamen habes perſecutionem.* Alibi *d. l. quamvis* 8. ita ſcriptum eſt: *Quamvis perſonali actione expertus adverſus reum* [*vel fidejuſſores ejus, ſeu mandatores*] *condemnationem feceris, pignoris tamen adhuc habes perſecutionem.* His notis incluſa a compoſitoribus eo adjecta putem, ut eſſet differentia aliqua; cum tamen res usque eadem ſit: ſi quis propius perſpexerit.

CAPUT C.

CEnotaphium religioſum non eſſe, ſemel dixiſſe ſatis ſuperque fuit, *cap.* 6. *tit.* 7. *lib.* 11. [*l. vel quod* 6. *in fin. D. de relig. & ſumpt.*] ubi propria ſedes, congruusque locus: non igitur recitandum hoc *cap.* 7. *lib.* 1. *tit.* 8. [*l. ſed divi* 7. *D. de rer. diviſ.*] quo loco rejicitur Martiani contra exiſtimantis ſententia.

CAPUT CI.

CAp. 17. *lib.* 21. *tit.* 1. [*l. quis ſit* 17. *D. de aedil. edict.*] & *cap.* 65. *tit.* 2. *lib.* 47. [*l. qui ea* 65. *D. de furt.*] paucis immutatis, bis recitantur: titulo *de furtis*, congruere utrumque magis eſt, cum de furto diſceptetur: *Qui ea mente*, inquit Ulpianus *d. l. qui ea* 65. *alienum quid contrectavit, ut lucrifaceret, tametſi, mutato conſilio, id domino poſtea reddidit; fur eſt: nemo enim tali peccato poenitentia ſua nocens eſſe deſiit.* Huc pertinet, quod ait Plato *in Phaedon.* Poenam non vitari furtiva diſceſſione. In hujus ſententiam pedibus it Macrobius *lib.* 1. *Somn. Scip. cap.* 15. Porro apud Ulpianum *d. l. quis ſit* 17. §. 1. ait Caelius: *qui ea mente diſcedat, ne ad dominum redeat, tametſi mutato conſilio ad eum revertatur: nemo enim tali peccato poenitentia ſua nocens eſſe deſinit.* Vides utrobique Ulpianum eadem de re, nempe de furto, ediſſerentem iiſdem verbis: nam fugitivum, ſui furtum facere reſcriptum eſt, *l.* 1. *C. de ſerv. fugit.*

CAPUT CII.

ANtonius Auguſtinus *lib.* 1. *Emend. cap.* 7. autumat *cap.* 33. *lib.* 2. *tit.* 14. [*l. avus* 33. *D. de pact.*] & *cap.* 10. *lib.* 23. *tit.* 4. [*l. avus* 10. *D. de pact. dot.*] duplari, cum utriusque eadem verba ſint. Equidem verius puto diverſa eſſe: diverſas enim continent ſpecies. In illo avus dotem promiſerat; in hoc ſuſceperat pro nepote: nec movet pactionum ſimilitudo: ſunt etiam diverſorum Juriſconſultorum, ut inſcriptiones docent. Idem cenſeo de *cap.* 32. *lib.* 7. *tit.* 1. [*l. ſi quis unus* 32. *D. de uſufr.*] & *cap.* 10. *lib.* 8. *tit.* 2. [*l. Gutrus ul. binas* 10. *D. de ſervit. urban. praed.*] quae ille geminari putavit: nam *cap.* 32. Pauli eſt, Marcellum explicantis. Non dubito tamen Marcelli, de uſufructu loquentis, ſententiam duplari.

CAPUT CIII.

CAp. 100. *lib.* 45. *tit.* 1. [*l. conditio* 100. *D. de verb. oblig.*] & *cap.* 37. *lib.* 12. *tit.* 1. [*l. cum ad praeſens* 37. *D. de reb. cred.*] effectu ſimilia ſunt: etſi illud hoc plenius ſit; ſintque diverſorum Juriſconſultorum. Ait Modeſtinus: *Conditio in praeteritum non tantum ad praeſens tempus relata, ſtatim aut perimit obligationem, aut omnino non differt.* Sufficiebat ſemel congruo, & inventu facili loco rem hanc tractaſſe.

CA-

CAPUT CIV.

INſcriptionis, ſubſcriptioniſque ſimilitudo, eadem cauſa & diſceptatio non abſimilis eo me adegere, ut credam *cap.* 15. *lib.* 6. *tit.* 23. [*l. quoniam* 25. *C. de teſtam.*] & *cap.* 21. *tit.* 37. *ejuſdem lib.* [*l. in legatis* 21. *C. de legat.*] conduplicata. Cum autem ob inanem verborum obſervationem noluerit Imp. Conſtantinus tabulas irritas effici, & univerſaliter tractaverit de omnibus, quae teſtamentis inſeruntur, ſatis fuiſſet produxiſſe, quae de inſtitutione dicta erant, ad legata & fideicommiſſa, & eadem conſtitutioni interjeciſſe: non autem ex una duas (ut ſaepe faciunt ex profeſſo architecti) conficere: alioquin & ſub titulo, *de fidei commiſſis*, eadem repetenda erat.

CAPUT CV.

FIdeicommiſſum a tutore, ut a pupillo relinqui, & ab illo peti poſſe, reſcripſerant Impp. idque loco congruo, nempe *lib.* 6. *tit.* 42. *de fideicommiſſis* [*l. etiam* 20. *C. de fideicommiſ.*] non debuit igitur alibi. *l. cum etiam* 5. *C. de reb. cred.* iterum recitari in loco minime congruo. Nec movet, quod inficiantem tutorem adigendum decretum ſit illic: atque ideo convenit titulo, *de jurejurando*. Nam eadem dici poſſent de omnibus articulis, caſibusve, qui jurejurando expediuntur, eoque referendi eſſent. Quacunque cum actione quis convenitur, ſi juraverit, jusjurandum & ei prodeſſe, & a Praetore tuendum, Ulpianus *l.* 3. §. 2. *D. de jurejur.* ſcribit. Jusjurandum, in frondoſiſſima Juris Civilis arbore, ramulatim diſvolitare animadverti juvenis; cum apud Pithones juri operam darem.

CAPUT CVI.

COnſtit. 1. *lib.* 7. *tit.* 4. [*l.* 1. *C. de fideicomm. lib.*] & *conſtit.* 2. *tit.* 2. *ejuſdem lib.* [*l.* 2. *C. de teſtam. man.*] effectu perſimiles eſſe ambigit nemo: ſatis igitur ſuperque fuit ſemel recitaſſe, cum eorundem ſint Impp. ſcilicet, divorum Severi, & Antonini. Nec ſubſiſto, quod una ex teſtamento relictam libertatem, altera fideicommiſſam ſit comprehenſum: id enim ab architectis ita ſcriptum eſt, ut quaelibet titulo congrueret.

CAPUT CVII.

QUod de reſcriptorum capitibus integris fecerunt compoſitores, idem de θεμ. & verſibus effeciſſe, argumento ſunt duo, in eandem rem ab ipſo Juſtiniano ſcripti. Primo interjectus fuit *conſtit.* 21. *lib.* 6. *tit.* 23. [*l. hac conſultiſ.* 21. §. *ex imperfecto* 1. *verſ. Si vero. C. de teſtam.*] δεύτερον recitatur in *tit.* 36. *lib.* 3. *conſtit.* 26. [*l. fin. verſ. Si vero C. famil. ercif.*] paucis immutatis. Verſus illius haec verba ſunt: *Si vero in hujuſmodi voluntate liberis alia ſit perſona extranea miſta, certum eſt eam voluntatem, quantum ad illam duntaxat permiſtam perſonam, pro nullo haberi, ſed liberis accreſcere.* Non tamen inficias eo, quin utrique caſui congruat: utrobique tamen eadem verba ſunt.

CAPUT CVIII.

NOn ambigitur *conſtit.* 2. & *finem conſt.* 17. *lib.* 9. *tit.* 9. [*l.* 2 & *l. fine* 17. *C. de adult.*] ejuſdem eſſe vis. Semel igitur potiſſimum in eodem titulo dictum oportuit eos lenones eſſe, qui uxores in adulterio deprehenſas retinent in matrimonio. Nec movent diverſae inſcriptiones, cum ſit utriuſque conſtitutionis eadem ratio & vis. Quae autem in adulterio deprehenduntur, divertendi ab ea jus eſſe voluit Jeſus Chriſtus optim. maxim. Sic enim ait apud Evangeliographum Matthaeum *cap.* 5. *v.* 32. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν ὅτι ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ παρεκτὸς λόγου πορνείας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι.

CAPUT CIX.

NEmini dubium eſt, quin *conſtit.* 1. *tit.* 12. *lib.* 9. [*l. C. ad leg. Jul. de vi.*] & *conſtit.* 2. *lib.* 4. *tit.* 12. [*l.* 2. *C. ne uxor pro marit.*] ſimiles ſint: niſi quod in illa de viri culpa; in hac de debito ejuſdem agitur. Nec poteſt haec ad titulum *de vi publica vel privata* pertinere: imo vero congruentius ad titulum, *ne uxor pro marito*, ubi propria ſedes. Illius haec verba ſunt: *Ob maritorum culpam uxores inquietari leges vetant. Proinde rationalis noſter, ſi res, quae a fiſco occupatae ſunt, dominii tui eſſe probaveris, jus publicum ſequetur.* Altera ſic habet: *Ob debitum viri, vel civile munus, res uxoris, qui pignori capiunt, vim contrahere videtur.* Nec dubitationem movet verbum, *vim*: potiſſima enim ſpecies hujus quaeſtio erat de non capiendis uxoris bonis, ob viri debitum.

CAPUT CX.

DIſſimiles non ſunt *conſtit.* 2. *tit.* 19. *lib.* 12. [*l.* 2. *C. de prox. ſacr. ſcrin.*] & *conſt.* 3. lib. 1. *tit.* 48. [*l. ſciant.* 3. *C. de offic. diverſ. jud.*] in eandem rem ſiquidem ſcriptae ſunt: ſunt & ſimiles inſcriptiones & ſubſcriptiones. Scio utrunque principiis diſſidere: ſed id a compoſitoribus eo factum exiſtimo, ut utraque ſuo, ſub quo collocata eſt, titulo conveniret.

CAPUT CXI.

COnſt. 1. *lib.* 12. *tit.* 20. [*l.* 1. *C. de agentib. in reb.*] & *conſtit.* 2. *lib.* 1. *tit.* 31. [*l.* 2. *C. de offic. mag. offic.*] etſi verbis abſimiles ſint, vi tamen, reque ipſa pares videntur: utrobique enim de ordine militiae non praevertendo verba fiunt. Quod ſi in aliquo diſſidere viderentur, conjungenda erant: cum utraque de agentibus in rebus loquatur. Sed aliquando latius aperiemus.

CAPUT CXII.

RE ipſa, verbis, effectuque omnino ſimiles ſunt *conſtit.* 2. *lib.* 11. *tit.* 66. [*l.* 2. *C. de fund.* & *ult. rei domin.*] & *conſtit.* 3. *tit.* 38. *lib.* 7. [*l. ſi qua* 3. *C. ne rei dom. vel temp.*] Semel igitur recitanda erat, idque ſub titulo, *ne rei dominicae, vel templorum*; ubi (ut puto) ſitus congruus. Quid repetiiſſe profuit?

Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.

Ingeminatae illius conſtitutionis verba huc tranſcripſiſſem: ſi illa cuivis obvia non eſſent.

CAPUT CXIII.

NOn ſolum capita, & θέματα duplicantur, biſque, terque, quaterque, ſed & fragmenta: quale viſitur ſub tractatu, *vi bonorum, Codice*: quo loco ſingulis fere conſtitutionibus repetitur haec formula: *intra annum in quadruplum, poſt annum in ſimplum.* cum dixiſſe ſemel ſatis ſuperque fuiſſet in *conſtitutione* 2. ex qua in aliis ſuppleri potuiſſet. Id enim actioni vi bonorum raptorum, a Praetore proditae, ineſt: ſic enim edixit Praetor apud Ulpianum *l.* 4. *D. vi bon. rapt. Cujus dolo malo in turba damnum quid factum eſſe dicetur, in eum in anno, quo primum ea de re experiundi poteſtas fuerit, in duplum; poſt annum, in ſimplum judicium dabo.* Semel dictum oportuit, quanti condemnatio facienda eſſet. Quur toties formula illa iterata fuit in eodem potiſſimum tractatu? memoriamve juvat illa ταυτολογία? minime omnium! tametſi quidam contra ſenſerint.

CA-

CAPUT CXIV.

NOn diſſimilis cauſa eſt *cap.* 108. *lib.* 45. *tit.* 1. [*l. a Titio* 108 §. *fin. D. de verb. obl.*] & *cap.* 17. *ejuſdem lib.* & *tit.* [*l. ſtipulatio* 17. *D. eod.*] Re enim ipſa eadem eſſe non addubitem, eundemque ſcopum: tametſi diverſorum ſint Juriſconſultorum. Ulpianus, *Stipulatio*, inquit, *non valet rei promittendi arbitrium, collata conditione. Nulla*, Javolenus ait, *promiſſio poteſt conſiſtere, quae ex voluntate promittentis ſtatum capit.* Alterutri capiti ſubjici debuit ex Pomponio *cap* 8. *lib.* 44. *tit. poſteriore* [*l. ſub hac* 8. *D. de oblig. & act.*] *Pro non dicto enim eſt, quod dare, niſi velis, cogi non poſſis.* Sed & initium *hujus cap.* effectu perſimilis eſt, *cap.* 17. ſuperius recitato. Sic enim ait illic Pomponius, *Sub hac conditione, ſi volam, nulla fit obligatio.*

CAPUT. CXV.

CAput 116. *lib.* 45. *tit.* 1. *ταυτολ.* [*l. decem* 116. *D. de verb. oblig.*] & *cap.* 21. *lib.* 46. *tit.* 3 [*l. ſi decem* 21 *D. de ſolut.*] ſi diligenter conferas, duplari inficias non ibis: in eandem enim rem ſcripta ſunt, quod & Papinianus *citato cap.* 21. indicat: refert enim Pauli, cujus eſt *cap.* 116. notam iisdem fere verbis. Satis igitur ſuperque fuit ſemel ſub titulo, *de ſolutionibus*, recitaſſe, aut (ſi malis) *de verborum obligationibus*: utrilibet etenim congruit. Quid, quod gemino recitatu contentus non fuit Tribunianus, ſed & ter repetiit? Extat enim & aliud iisdem fere verbis ſcriptum, quibus & *cap.* 116. Eſt autem *cap.* 42. *lib.* 12. *tit.* 1. [*l. fin. in princ. D. ſi cert. pet.*] Nec inſcriptione eorum capitum varia ſubſiſto: res enim eadem eſt, visque latens ſimilis. Conſultius igitur egiſſent architecti, ſi ex tribus illis capitibus unum conflaſſent. Loquuntur autem de eo, qui poſtea ſtipulatur ab uno; quanto minus ab alio conſequi poſſet.

CAPUT CXVI.

QUod ſupra *hoc lib. cap.* 30. diximus, idem obtinere cenſemus in *cap.* 12. *tit.* 2. *lib.* 46: [*l. vera* 12. *in fin. D. de ſolut.*] & *cap.* 152. *lib.* 50. *tit.* 17. [*l. hoc jure* 152. §. 2. *D. de diverſ. reg. jur.*] Ratihabitio mandato comparatur: tametſi *cap.* 152. adjectum ſit, in maleficio, ut *Θεμ.* 1. congrueret. Non ſolum autem ad maleficia, ſed & ad alia pertinet regula. Quid aliud cenſeas de *cap.* 77. *de diverſ. regul. jur.* ibi acceptilatio, & *cap.* 4. & 5. *de acceptilationibus*? Et ἀναλογικῶς, idem de omnibus fere juris regulis, in finem *ταυτολ.* rejectis, quae ſuis locis ſubnectendae erant; ut aliis docui. Quod ſi in enchiridion tractatus illi *de verb. ſign. & regulis juris* redacti eſſent, ut memoriae conſecrarentur, utile maxime & pernecceſſarium cenſerem.

CAPUT CXVII.

NEminem inficias iturum exiſtimo *cap.* 26. *verſu poſteriore* [*l. fin. D. de furtis*] (ſaltem quoad colonum attinet) *lib.* 47. *tit.* 2. & *caput* 82. *Θεμ.* 1. *tit. ejuſdem & lib.* [*l. fullo* 82. §. *Frugibus* 1. *D. de furt.*] duplari: utrobique enim de fructibus extantibus & pendentibus furto ſubreptis diſſeritur. Membrum vero illud, quod de domino loquitur *capitis illi* 26. aptius ſubnecti debuit. Ait *cap.* 82. *Θεμ. Frugibus* 1. Fruges accipere debemus, fructus extantes, pendentesve: quo ſignificatu uſus eſt Virgilius *Ecleg.* 3. *v.* 80.

Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.

Merito utrumque membrum conjungi debere dicimus: *quia utriusque*, inquit Juriſconſultus *d.* §. *frugibus* 1. *intereſt rem perſequi.* Semel autem de colono diſceptandum erat.

CAPUT CXVIII.

CAupones in factum actione teneri, pro his, qui habitandi cauſa in caupona ſunt (etſi a diverſis Juriſconſultis reſponſum eſſet) ſemel dixiſſe ſatis ſuperque erat *cap.* 1. *Θεμ.* 6. *lib.* 47. *tit.* 5. [*l.* 1. §. *caupo* 6. *D. furti adverſ. naut.*] ubi propria, congruaque ſedes. Idem igitur repetendum non erat *cap.* 6. *lib.* 4. *tit.* 9. [*l.* 6. *D. de naut. caup. ſtab.*] Caupones eos vocat Plato *Dialog.* 2. *de repub.* qui ſe in foro ad venditionem, emptionemque conſtituunt. Cauponationem autem, non nocendi gratia, ſed naturaliter inventam eſſe, Idem *Dialog.* 2. *περὶ νόμων* tradit.

CAPUT CXIX.

CAput 10. *lib.* 11. *tit.* 7. [*l. ſi venditor* 10. *D. de relig.*] & *cap.* 5. *lib.* 47. *tit.* 12. [*l. utimur* 5. *D. de ſep. vio.*] etſi diſſimilia quodammodo videantur: re tamen ipſa, & effectu eadem eſſe, nemo negabit recte conferens, expendensve: ſaltem ex duobus unum conflandum erat, & titulo *de relig. & ſepulchris* interjiciendum. Nec enim ad tractatum *de ſepulchro violato* pertinet caput illud xii. *d. l. ut mur* 5. quo loco non de ſepulchro violato, ſed de legibus praediorum venditorum, quibus cavetur, *ut ad ſepulchra, quae in fundis ſunt, iter ejus, aditus, ambitus funeris faciendi ſit.*

CAPUT. CXX.

QUod tribus *ταυτολ.* Juſtiniani locis, de condicenda re mortis cauſa donata, dictum eſt, uno dixiſſe ſatis ſuperque erat, aut ſub tractatu *de donat. cauſ. mort.* aut *de condictione cauſa data, cauſa non ſequuta*, & in eo, quod deeſt, ſupplere. Primo de ea loquitur *cap.* 12. *lib.* 12. *tit.* 4. [*l. cum quis* 12. *D. de condict. cauſ. dat.*] Secundo *cap.* 30. [*l. qui mortis* 30. *D. de donat. cauſ. mort.*] & plenius *cap.* 35. *Θεμ.* 4. *lib.* 39. *tit* 6. [*l. Senatus* 35. §. *D. eod.*] Quae in hoc deſunt, ex aliis ſupplenda erant. Illorum verba huc transſcriberem, niſi cuilibet eſſent obvia. Ait Paulus Juriſconſultus *d.* §. 4. *Ex humana forte* &c. Emoriendum enim cuivis homini, conſtat Dei aeterni *Geneſ.* 2. lege. *Moriendum*, inquit M. Cicero *in Catone majore cap.* 20. *certe eſt.* Hinc Demoſthenes, Πέρας, ait, μὲν γὰρ ἅπασιν ἀνθρώποις ἐστὶ τοῦ βίου, ὁ θάνατος. Et Horatius *in arte poet. v.* 63.

Debemur morti nos noſtraque; ſive receptus
Terra Neptunus claſſeis Aquilonibus arcet, &c.

Subjicit Paulus: *Siquidem terra, marique, tam in bello, quam in pace, & tam domi, quam militiae multis generibus mortis periculum metui poteſt.* Huc pertinet, quod ait Apoſtolus 2. *Cor. cap.* 11. *v.* 26. Κινδύνοις ποταμῶν, κινδύνοις λῃστῶν, κινδύνοις ἐκ γένους, κινδύνοις ἐξ ἐθνῶν, κινδύνοις ἐν πόλει, κινδύνοις ἐν ἐρημίᾳ, κινδύνοις ἐν θαλάσσῃ, &c.

CAPUT CXXI.

SErvos pignori datos a debitore etiam locupleti manumitti non debere, ſemel dictum oportuit, non bis, ut in Pandectis Juſtiniani: primo quidem *cap.* 3. *tit* 1. *lib.* 40. [*l. ſervus* 3. *D. de manumiſſ.*] deinde *cap.* 4. *eod. lib. tit.* 9. [*l. ſervum* 4. *D. qui & a quib.*] cum utrumque cap. eadem fere verba ſint, res omnino ſimiles, etſi diverſorum Juriſconſultorum ſint: illi ſolum adjiciendum erat; Pauli ſententiam probat Ulpianus, veterum more. Quod ajunt Paulus & Ulpianus, collegae, ſententia legis Aeliae Sentiae comprehenditur, quae in fraudem creditoris ma-

manumittere vetabat apud eundem Ulpianum *in Epitome, titulo 1. Θεμ. eadem lex 15.* congruus ejus locus erat in *d. l. ſervum 4.*

CAPUT CXXII.

APud Proconſulem, poſtea quam urbem egreſſus erat, vindicta manumittendi jus fuiſſe, uno duntaxat loco tractaſſe ſufficiebat, aut ſub *cap. 2. tit. 16. lib. 1. [l. omnes 2. D. de offic. proconſ.]* aut *cap. 17. lib. 40. tit. 2. [l. apud proconſulem 17. D. de manumiſſ. vind.]* Geminari autem hoc non debuit. Ταυτολογία animos ſtudioſorum taedio enecat, chartas fruſtra opplet.

CAPUT CXXIII.

LIbertatem in ultimum vitae tempus collatum nullius eſſe momenti, ex Juliano ſemel transſcripſiſſe ſat erat: nam etſi Pomponius idem ſcripſiſſet; ſufficiebat tamen adjicere More veterum, quod & Pomponio placuit. Eodem igitur titulo res omnino eadem duplanda non erat: quod iisdem verbis factum animadverti in *cap. 17. tit. 4. lib. 40. [l. libertas 17. D. de manum. teſtam.]* & *cap. 61. tit. ejuſdem & lib. [l. fin. D. eod.]*

CAPUT CXIV.

AD legem Rhodiam de jactu pertinet, ſi quis levandae navis gratia, res aliquas projecit; non enim eo animo ejicit, quod eas habere nolit, aut pro derelicto habeat: quippe ſi eas invenerit, ablaturus erit. Dominus igitur earum permanet: idque Julianus ait *cap. 8. tit. 2. lib. 14. [l. qui levandae 8. D. ad leg. Rhod. de jactu]* Hoc igitur *lib. 41. cap. 9. Θεμ. poſteriore tit. 1. [l. qua ratione 9. §. fin. D. de acq. rer. dom.]* repetendum non erat. Sed nec eadem dicenda erant in *cap. 2. Θεμ. 8. tit. 2. lib. 14. [l. 2. §. fin. D. ad leg. Rhod. de jactu]* Semel unum idemque dixiſſe ſatis ſuperque erat. Adjiciendum erat ſolum *dicto cap. 8.* Juliani ſententiam probant Cajus & Paulus.

CAPUT CXXV.

SI quis lucrandi animo res in mare ob tempeſtatem jactas abſtulerit, furtum committit, ut Ulpianus ait. Hoc ſemel ſub titulo *de furtis, cap. 43. lib. 47. tit. 2. [l. falſus 43. §. ſi jactum 11. verſ. Se vero. D. de furtis.]* recitandum erat; ubi propria ſedes, congruuſque ſitus. Iterum ergo, nempe *cap. 9. Θεμ. poſteriore tit. 1. lib. 41. [l. qua ratione 9. §. fin. D. de acq. rer. dom.]* referri hoc non debuit. Quod ait Ulpianus aequitatem habet. Nam ut lege Solonis cautum eſt, apud Laërtium, *ἃ μὴ ἔθου, μὴ ἀνέλῃ*, hoc eſt, *quae non poſueris, ne tollas.* Et *τῶν ἀλλοτρίων ἀπέχεσθαι* jubent ſummus, aeternus praepotenſque Deus, & Athenienſis legiſlator, Draco. Utramque autem legem explicui *lib. 1. & 2. veteris Juriſprudentiae.*

CAPUT CXXVI.

QUae ſupra *cap. 30.* diximus, eadem dici & poſſe & debere cenſemus de *cap. 9. Θεμ. 5. tit. 2. lib. 19. [l. ſi quis domum 9. §. Celſus 5. D. locat.]* & de *cap. 132. lib. 50. tit. 17. [l. imperitia 132. D. de divers. reg. jur.]* *Celſus ait imperitiam culpae adnumerandam.* Sed & haec juris antiqui regula evidentiſſime colligitur ex *cap. 7. Θεμ. 6. & cap. 8. lib. 9.* ſub titulo *ad legem Aquiliam.* In eadem cauſa ſunt *cap. 40. lib. 44. tit. 7. [l. pen. D. de oblig. & act.]* & *cap. 130. lib. 50. tit. 17. [d. l. nunquam actiones 130. D. de reg. jur.]* *Nunquam actiones*, inquit Ulpianus, *praeſertim poenales, ad eandem rem concurrentes, una aliam conſumit.*

CAPUT CXXVII.

BArtolus Saxoferatius feliciſſimi, feraciſſimique vir ingenii, obſervavit *Θεμ. 1. cap. 31. lib. 12. [l. cum fundus 31. §. ſervum tuum 1. D. ſi cert. pet.]* & *Θεμ. 1. cap. 24. lib. 19. tit. 1. [l. ſi ſervus 24. § 1. D. de act. empt.* ubi Bartol.] de verbo ad verbum (ſic enim ipſe loquitur) duplari: quod & veriſſimum eſt, ſatiſque ſuperque fuerat *citato cap. 31.* recitare; ubi propria ſedes. Nec movet, quod *cap. 24.* Juliano; *caput* vero *31.* Paulo adſcribatur. Nam multa *θεματα* adſcribuntur illi Juriſconſulto, cui & initium capitis, quae nunquam fortaſſe ſcripſit: cui rei argumento ſunt haec *θεματα*: quorum verba indicant eſſe Pauli, non autem Juliani. Argumento etiam erit *Θεμ. 6. cap. 29. ad leg. Aquil.* quod Sabini erat, Ulpiano adſcribitur, ut § *capite 13. Inſtit. de lege Aquil.*

CAPUT CXXVIII.

INvecta illatave in urbanis praediis habitationibus locandis tacita conventione, etiamſi nihil nominatim convenerit, locatori pignori eſſe ſemel dixiſſe, recitaſſeve ſatis ſuperque erat, *cap. 4. lib. 2. tit. 14. eandem. [l. item quia 4. D. de pact.]* aut *lib. 20. tit. 2. cap. 3. & 4. [l. ſi horreum 3. & l. ſequ. 4. D. in quib. cauſ. pign.]* non autem utrobique repetendum, atque duplandum: quod tribus capitibus dictum eſt, uno dixiſſe ſufficiebat: cui praetexenda erat haec inſcriptio, Neratius lib. 1. Membranarum, *in fine* vero *capitis.* Et haec Neratii ſententia Marciano & Paulo placuit. Quae in praediis urbanis diximus, in ruſticis ceſſare idem ait: nam horum diverſam eſſe cauſam veteribus placuit.

CAPUT CXXIX.

DYrrachion, & Troadem juris Italici eſſe dixiſſe, ſemel ſufficiebat eodem potiſſimum titulo: id quod igitur *cap. 8. lib. 50. tit. 15. [l. in Luſitania 8. D. de cenſib.]* dictum erat, *cap. 7. ejuſdem lib. & tit. [l. juris 7. D. eod.]* repeti non debuit. Jus Italicum accipere debemus tributorum immunitatem Italis conceſſam, qui in cenſum univerſas facultates deferre non obſtringebantur. Eſt autem Dyrrachium, urbs in ea Macedoniae parte, quae mari Adriatico incumbit, diſtans a Brunduſio 220. paſſ. trajectu. Hujus comminit Plin. *lib. 3. cap. 23.* Troas vero regio eſt Aſiae minoris, a Ptolemaeo minor Phrygia appellata; haec Helleſponto adjacet. Quod ad Berytum attinet; hanc etiam Italico jure cenſeri ait Ulpianus *cap. 1. lib. 50. tit. 15. [l. 1. §. 1. D. illo tit.]* in haec verba, *Sed & Berytenſis colonia in eadem provincia Auguſti beneficiis gratioſa, & (ut divus Hadrianus in quadam oratione ait) Auguſtana colonia jus Italicum habuit.* Eſt autem Berytus urbs Phoenices, in ora Lybano monti ſubjecta: felix Julia a Plinio dicta *lib. 5. cap. 3.* Metropolitano nomine, a Theodoſ. & Valent. Impp. *l. 1. C. de metrop. Beryt. lib. 11.* exornata, legum nutrix a Juſtiniano *in Proemio Dig. §. haec autem tria 7.* appellata, ubi leges traderentur, atque explicarentur.

CAPUT CXXX.

CUm ex duobus, pluribuſve reſponſis, reſcriptiſque caput unum ſaepiſſime effecerint architecti: idem debebant efficere ex *cap. 19. lib. 5. tit. 1. eandem. [l. haeres abſens 19. D. de judic.]* & *cap. 34. ejuſdem lib. & tit. [l. ſi is, qui 34. D. eod.]* cum utriuſque eadem ſit vis & effectus, eodemque pertineant, cumque utriuſque eadem ſit ratio. Sic igitur utrumque componendum erat etiam ex Ulpiani ſententia, Ulpianus lib. 60. ad Edictum. Haeres abſens, quamvis trans mare domicilium habeat, ibi

convenienduſ, defendenduſque eſt, ubi defunctus, qui judicium acceperat, debuit: ſi ibi invenitur, nullo privilegio excuſandus: quia ſucceſſit in locum ejus, a quo haeres relictus eſt: idque & Caſſius & Javolenus ajunt.

CAPUT CXXXI.

SI de vi, & proprietate controvertatur, prius de vi, quam proprietate cognoſci oportere, reſcriptum ſcio: id quod ad judiciorum tractationem (etſi vis mentio fiat) pertinet. Satis igitur ſuperque fuit divi Hadriani reſcriptum recitaſſe, *lib.* 5. *tit.* 1. *cap.* 37. [*l. ſi de vi* 37. *D. de judic.*] eadem autem verba in eandem rem, vim, effectum, & ſcopum referre non debuerunt architecti *novellae lib.* 48. *tit.* 6. *cap.* 5. [*l. qui coetu* 5. §. *ſi de vi* 1. *D. ad l. Jul. de vi publ.*] Nec movet, quod diverſorum ſint Imperatorum, nempe illud Hadriani, hoc divi Pii τῶν κοινῶν τῶν θεοτάτων reſcribentium: antiqui forte librarii erratum eſt. Aut (quod veriſimilius mihi ſit) divus Pius idem cum divo Hadriano reſcripſit: idque Graece. Sufficiebat autem ſemel dixiſſe, & in fine adjicere haec, aut ſimilia verba, & ita divus Hadrianus, & divus Pius Graece reſcripſerunt: quale obſervatum eſt in *cap.* 8. *lib.* 5. *tit.* 2. [*l. Papinianus* 8. *in fin. D. de inoffic. teſt.*] Nam Antoninum Pium ab Hadriano, ingruente triſtiſſima valetudine, adoptatum, ſcriptum reliquit Aelius Spartianus, *in Hadriano*: a quo electus eſt ad eam partem Italiae regendam, in qua plurimum poſſidebat. Sed nec dubitationem movet, quod in divi Pii reſcripto ita dictum eſt, *Si de vi, & poſſeſſione, vel dominio &c.* Nam in utroque reſcripto vis illata erat poſſidenti: reſcriptum autem eſt, prius de vi, quam de proprietate & dominio eſſe cognoſcendum. Sed & prius de poſſeſſione, quam de proprietate judicandum. Diocletianus, & Maximianus non ſemel (quod tamen ſat erat) reſcripſerunt [*l. ordinarii* 13. *C. de rei vendic.* & *l. incerti* 3. *C. de interdict.* ubi proprius locus] idque ordinarii juris eſſe dixerunt. Hujus autem praejudicii eum effectum conſtituerunt, ut ex hoc ordine facto & dominii diſceptatione probationes ab eo, qui de poſſeſſione victus eſt, exigantur.

CAPUT CXXXII.

QUod ſuperius *cap.* 30. obſervatum a me fuit, locum etiam habere debere non dubito in *cap.* 3. *lib.* 24. *tit.* 2. [*l.* 3. *D. de divort.*] & *cap.* 48. *lib.* 50. *tit.* 17. [*l. quidquid calore* 48. *D. de div. reg. jur.*] cum utrobique eadem ejuſdem Julii Pauli verba ex eodem loco recitentur. Nam etſi ea juris antiqui regula ad aliud, quam ad divortium, & pertinere, & produci poſſit, tamen ſemel referenda erat. Ait Paulus: *Divortium non eſt, niſi verum, quod animo perpetuam conſtituendi diſſenſionem fit. Itaque quicquid calore iracundiae vel fit, vel dicitur, non prius ratum eſt, quam ſi perſeverantia apparuit judicium animi fuiſſe. Ideoque per calorem miſſo repudio, ſi brevi reverſa uxor eſt, nec divortiſſe videtur.* Optima autem ratione iracunde dicta factave non ſpectantur, quod humano quodam affectu rapiamur in iras, atque ita rapti extra nos ſimus. At in actibus animus ſemper ſpectandus eſt, qui inſano deeſt. Inſaniae autem initium iram eſſe, Ennius apud Ciceronem ſcribit. Ira percitus nihil conſiderate facit. Iratus extra mentem fertur. Ira temere omnia fieri ſcribit Xenophon *lib.* 5. *rer. Graecar.* Merito igitur iracunde dicta factave rata non eſſe reſponderunt veteres. Admonet nos Poëta, ut iram cohibeamus:

Ἄνθρωπος ὤν, γίγνωσκε τ' ὀργῆς κρατεῖν.

CAPUT CXXXIII.

QUae *cap.* 6. ſupra *hoc eodem libro* diximus, eadem de *cap.* 1. & 4. *lib.* 50. *tit.* 8. [*l.* 1. & *l. legatam* 4. *D. de admin. rer. ad civ. pertin.*] dici poſſe, ambigendum non eſt. Ait Ulpianus: *Quod ad certam ſpeciem civitati relinquitur, in alios uſus convertere non licet.* Valens ſcribit: *Legatam municipio pecuniam in aliam rem, quam defunctus voluit, convertere, citra principis auctoritatem, non licet.* Nec movet, quod ſint diverſae utriuſque capitis inſcriptiones: cum ad eundem ſenſum, & effectum ferantur. Quod ad verba, *relinquere* & *legare*, attinet; quid hac in re ſentiamus, *cap.* 6. *ſupra citato*, explicuimus. Nec ſubſiſtimus reſtrictione *cap.* 4. interclusa in haec verba, *Citra principis auctoritatem*; cum eadem ſubjici debuerant *cap* 1. *ſuperius citato*.

CAPUT CXXXIV.

IN geminatorum numerum referri, optima ratione, poterunt *cap.* 2. *lib.* 5. *tit.* 2. [*l. hoc colore* 2. *D. de inoff. teſtam.*] & *cap.* 5. *in fine ejuſdem tit.* & *lib.* [*l. nam & his* 5. *D. eod.*] Sufficiebat enim ſemel dixiſſe: *hoc colore inofficioſo teſtamento agi, quaſi non ſanae mentis fuerunt, ut teſtamentum ordinarent.* Quo in genere ita ſcriptum reliquit Plato, interprete M. Ficino: *Solent patrum adverſus filios querelae fieri, filiorum quoque in parentes majores, quam deceat, quarum cauſa patres ſcribo oportere a legiſlatore ſorte patent: liceat ſibi, ſi velint, publico praeconio filium abdicare: ne amplius ſecundum legem filius ſit: & filiis parentes, morbis vel ſenio turpiter adfectos, liceat amentiae accuſare.* Nec movet, quod duo illa capita diverſorum ſint Juriſconſultorum. Diverſi enim juris autores eadem ſcripſerunt: idque ſaepe animadverti. Nec verbo, *defenditur*, ſubſiſto: ad formulam enim inſtituendae querelae referri eam in confeſſo eſt. Nec in addubitationem ferimus, verbo, *inique*. Qui enim contra officium pietatis quid facit, inique ſatis feciſſe exiſtimandus eſt.

CAPUT CXXXV.

IN geminatorum claſſem referenda non ſunt *cap.* 77. *lib.* 31. [*l. cum pater* 77. §. *fin. D. de legat.* 2.] & *cap.* 8. *tit.* 35. *lib.* 6. [*l. pen. C. de inſtit. & ſubſt.*] Papiniani etenim reſponſo, non niſi a ſimili uſus eſt Juſtinianus, verba Juriſconſulti ideo recitans, ut conſtitutionem ſuam confirmaret. Quod tamen, ait Juſtinianus, utilitatis cauſa, & teſtamentorum gratia receptum eſt, ne evaneſcerent. Nec movet Marcelli *l. quoties* 9. §. *tantundem.* 5. *D. de haered. inſtit.* ſententia, ajentis inſtitutionem non valere, cui non fuit adjecta deſtinata conditio: quod enim ait Juſtinianus, ad inſtitutionem reipublicae, vel civitatis pertinet, in aliis diverſum jus eſſet, notante Marcello minime (ut putavit falſo Accurſius) reprehenſo. Comparata autem aequa eſſe debent, ſicut in ea re teſtis eſt M. Cicero ad Trebatium Juriſconſultum. Nec enim elationem, aut ſubmiſſionem habent comparata. Conſtitutio igitur Juſtiniani in eadem cauſa eſt, quae Papiniani, ut de civitate reve publica haerede inſtituta, utraque ſpecies aeque accipienda ſit. Alioquin Marcelli reſponſum emendari neceſſario fatendum erit: quod maxime effugiendum eſt. Sed nec Papinianus argumento appoſite uſus fuiſſet Juſtinianus. Nam ſimilia in eadem qualitate comparantur: quale eſt apud Ovidium *lib.* 1. *Triſtium*, *Eleg.* 1. *v.* 99.

Namque ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more poteſt.

Quod autem conſtitutio Juſtiniani de civitate reve publica accipienda ſit, verbo, *pollicitam*, expreſſum eſt. Nam & tractatum pollicitationum juris publici, & titulis rerum publicarum poſt multum

de

de adminiſtr. rer. ad civ. pertin. interjectum, in Pandectis Juſtiniani videmus.

CAPUT CXXXVI.

FIlio in poteſtate ſe immerentem, atque ideò indigne praeteritum docente, nec libertates valere, nec legata deberi, Papinianus reſpondit *lib. 5. παρδοῦλ.* Juſtiniani *tit. 2. cap. 8. Θεμ. 17.* [*l. Papinianus 8. §. fin. D. de inoffic. teſt.*] Id ſemel recitatum oportuit, nec repeti debuit: quod tamen factum animadverti *lib. 28. tit. 3. cap. 17.* [*l. filio praeterito 17. D. de injuſt. rupt.*] Utrique titulo congruere non diffiteor, at alterutro loco dictum ſufficiebat. Praeteritione autem teſtamentum inofficioſum dici proditum ſcio. Quod tamen ait utrobique Papinianus, a Juſtiniano immutatum eſt: idque noviſſima [*conſtit. 115. cap. 4. in fin.*] ejus conſtitutione liquet, *ἀλλὰ ἀνατρεπομένης τῆς διαθήκης τοῖς ἐξ ἀδιαθέτου εἰς τὴν τοῦ τελευτήσαντος κληρονομίαν καλουμένοις, καὶ πρὸς αὐτοὺς τὰ ἐκείνου πράγματα δίδοσθαι διατυποῦμεν. τῶν ληγάτων δηλονότι εἴτε φιδεϊκομμίσσων καὶ ἐλευθεριῶν, καὶ τῶν δόσεων τῶν ἐπιτρόπων, καὶ τῶν ἄλλων κεφαλαίων (καθάπερ ἀνωτέρω εἴρηται) τὴν ἰδίαν ἔχοντων ἰσχύν.* Quod de filio praeterito diximus, eadem de exhaeredato dici poſſe, hoſque in eadem cauſa eſſe, jure proditum ſcio.

CAPUT CXXXVII.

BArtolus Saxoferratius, ſummi vir ingenii, animadvertit *themation* 18. *cap.* 11. *lib.* 32. Pandect. [*l. fideicommiſſa 11. §. ſi quis decem 18. D. de leg. 3.*] & *themation 11. cap. 1. tit. 3. lib. 36.* [*l. 1. §. ſi cui 11. D. ut leg. nom. cav.*] bis extare atque ideo ingeminari: cujus judicium probamus. Eadem enim utrobique legati iterum relicti vis eſt, eadem ſententia, idem Juriſconſultus, eadem fere verba, paucis immutatis. Nec movet me librorum in inſcriptione varietas: alterutra enim falſa forte eſſe poteſt. Eandem ſpeciem diverſis in locis retulerit bis Ulpianus, nec ne, ignoratur: qui enim ſciri poteſt, quid ille ſcripſerit; cum ejus ſcripta, praeter haec transſcripta, perierint? Sed ad rem ſatis ſuperque fuerat ſemel retuliſſe in alterutro loco: at quia controvertitur, an cautio ſemel praeſtanda ſit, crederem ad titulum, *Ut legatorum, ſeu fideicommiſſorum nom. cav.* potius pertinere: quo loco ita ſcriptum eſt: *Si cui ita legatum ſit, vel fideicommiſſum, & ſi id perdidiſſet, rurſus relictum: videamus an ſatis ſequentis legati, vel fideicommiſſi petere poſſit. Movet quaeſtionem, an fideicommiſſum hoc, ſive legatum debeatur: & quoties debeatur, & an ipſe legatarius cavere debeat, ſe non perditurum. De his omnibus extat reſcriptum divi Pii ad Junium Mauricum tale: Clodio Fructulo, ſecundum ea, quae epiſtula continentur, legata, ſive fideicommiſſa ex teſtamento Clodii Felicis praeſtari debent citra neceſſitatem cavendi, nihil ex iis deminuturum ſe. Nam quod fidei haeredis ab eodem teſtatore commiſſum eſt, ut ſi Fructulus perdidiſſet quod ei in teſtamento relictum eſt, rurſus haeres ei id reſtitueret, non eo pertinet, ut aut Fructulo priorum legatorum nomine ſatiſdatio injungenda, aut onerandus ſit haeres in infinitum, ut quoties is perdiderit, reſtituere ei tantundem debeat: ſed ut per fideicommiſſum poſterius duplicata legata ejus videantur: nec amplius ad periculum haeredis pertineat, ſi quid poſtea id conſumpſit, exoluto ei poſteriore fideicommiſſo.*

CAPUT CXXXVIII.

GEminata ex profeſſo Juriſprudentum a compoſitoribus reſponſa, perquiſitanti mihi obvium factum eſt *cap. 6. tit. 3. lib. 1.* [*l. 6. D. de legib.*] repetitum in fine *cap 3. tit. 4. lib. 5.* [*l. antiqui 3. D. ſi pars haered. pet.*] τὸ γὰρ ἅπαξ (ut ait Theophraſtus) ἢ δὶς παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται. Quod autem ſupra *cap. 30.* diximus, etiam ad *cap. 14. tit. 3. lib. 1.* [*l. quod vero 14. D. de legib.*] & ad *cap. 141. lib. 50. tit. 17.* [*l. quod contra 141. D. de diverſ. reg. jur.*] pertinet. Porro, ut ad locum Theophraſti redeamus, ſatis fuerat dixiſſe ex Celſo, uno caſu, jura non conſtituenda.

CAPUT CXXXIX.

GEminatis connumerari poſſe, non immerito quis dicet *cap 5. & 6. Θεμ. poſter. lib. 25. tit. 1.* [*l. quod dicitur 5. & l. ſeq. D. de impenſ.*] & *cap. 39. lib. 5. tit. 3.* [*l. utiles 39. D. de pet. haer.*] de impenſis loquentia: ſatis autem ſuperque fuit titulo *de impenſis* interjeciſſe: cum e dotis tractatu ad caeteros produci facile poſſint. Hinc ea, quam ſuperius *cap. 30.* dixi, ratione *cap. 79. lib. 50. tit. 16.* [*l. impenſa 79. D. de verb. ſign.*] ſuperfluere adfirmare auſim: cum quodvis impenſarum genus ſuo titulo, *D. de impenſis.* definitum ſit.

CAPUT CXL.

CApu*t 43. & cap. 44. lib. 5. tit. 3.* [*l. poſtquam 43. in princip. & l. ſeq. D. de pet. haered.*] etſi non verbis, re tamen, & ſententia geminata ſemper mihi viſa ſunt. Attilicinus enim apud Paulum, & Javolenus (cum uterque Plautii interpres videatur) in eadem ſunt ſententia, ut is, qui legatum accepit, ſi haereditatem petat, illud reddat: quod uno capite ſignificantiſſime exprimi poterat. At ex pluribus unum ex profeſſo effecerunt compoſitores. Sic itaque ſcriptum oportuit: *Poſtquam legatum a te accepi, haereditatem peto. Attilicinus quibuſdam placuiſſe ait, non aliter petitionem dandam, quam ſi legatum redderem: alioquin judicis officio contineri, ut victori, deducto eo, quod accepit, reſtituatur haereditas.* Multa id genus conflarunt architecti, ναυδεντῶνque compoſitores.

CAPUT CXLI.

GEminata Juriſconſultorum reſponſa non ſolum in diverſis titulis, ſed & in eiſdem, & titulis, & capitibus ſaepiſſime animadvertimus: quale viſitur in *cap. 35. lib. 6. tit. 1. Θεμ. 1.* [*l. & ex diverſo 35. D. de rei vind.*] quo loco, referente Tribuniano, ita ſcriptum ſcio; *Ubi autem alienum fundum petii, & judex ſententia declaravit fundum meum eſſe, debet etiam de fructibus poſſeſſorem condemnare: (eodem enim errore & de fructibus condemnaturum.)* Poſtrema verba his notis incluſa () detractis verbis, *Eodem errore:* duplari nec quiſquam omnium ibit inficias. Satis enim ſuperque fuit dicere, qui alienum fundum petenti reddi jubet, debet, eodem errore, & de fructibus condemnare poſſeſſorem. Memoriam juvat illa ταυτολογία, vana, futiliſque verborum repetitio? Movendine ſunt hoc dicendi genere affectus? Sed haec hactenus. Nec me movet exemplarium conſenſus, eadem eodem vitio laborans lectio & Florentinorum & vulgarium exemplarium: cum eodem fonte dimanarit. Nam φιλοτονία, & tempus omnia detegunt; lectio ipſa geminationem indicat: ſed nec adverſus oculatam fidem ratiocinari debemus. Eadem cenſenda ſunt de *cap. 15. tit. 1. lib. 7. D. in §. ſed nec ſervitutem 7. & verſic. poſteriore* [*l. ſi quid 15. §. 7. D. de uſufruct.*]

CAPUT CXLII.

NEminem latere puto, *cap. 7. lib. 6. tit. 2.* [*l. ſed & ſi 7 §. 7. verſ. Sed ſi poſſ. D. de public. act.*] & *cap. 11. lib. 12. tit. 2.* [*l. ſed ſi poſſeſſori 12. D. de jurejur.*] duplari paucis immutatis: cum utrobique eadem ejuſdem

dem Ulpiani verba, & ſententia ſint: nec librorum diverſitate ſubſiſtimus. Nam ſuo more & arbitratu reſponſorum fragmenta in idem caput cogebant. Ait autem utrobique Ulpianus, *d. §. 7. verſ. Sed ſi poſſeſſori delatum erit jusjurandum, & juraverit rem petitoris non eſſe, adverſus eum ſolum petentem, exceptione utetur, non ut & habeat actionem.* Et alibi *d. l. ſed ſi poſſeſſ. Sed ſi poſſeſſori fuerit jusjurandum delatum, juraveritque, rem petitoris non eſſe, quandiu quidem poſſidet, adverſus eum, qui detulit jusjurandum, ſi petat exceptione jurisjurandi, utetur: nam ſi amiſerit poſſeſſionem, actionem non habebit.* Nec movet, quod haec utrique titulo, & tractatui congruant: nam, ut ait Ulpianus *l. 3. §. 1. D. de jurejur. quacunque actione quis conveniatur, ſi juraverit, proderit jusjurandum:* quod in actionum arbore frondoſiſſima ramulatim divolitat. Sat igitur fuit ſemel retuliſſe: alioquin omnes fere juris noſtri articuli, tractatui *de jurejurando*, interjici poſſent: latiusque pateret, quam quivis alius.

CAPUT CXLIII.

NOn inepte fortaſſe ſupervacaneis interjiciemus *cap. 1. tit. 1. lib.* 38. [*l. 1. D. de oper. lib.*] & *cap. 3. ejusdem libri, tituli:* utrobique enim iisdem verbis recitatur operarum, quae a Graecis ἐργασίαι, dicuntur, definitio, ſemel referenda ex lib. 6. Pomponii ad Sabinum, cui, ſi voluiſſent, adjicere more veterum poterant: quod & Paulus probat. Ait Pomponius: *Operas ſtipulatus ante peractum diem operam ejus diei petere non poteſt, nec pars operae per horas ſolvi poteſt; quia id eſt diurnum officium:* ſic & recte in quibusdam veteribus exemplaribus legimus: tametſi Florentiae, & alibi *aurm officii* legatur. Utrovis modo legas, verba eodem pertinent. *Caput* quoque *tertium* [*l. 3. in princ. D. de oper. lib.*] ex libris Sabini transſcriptum, & *cap. 1. lib. 7. tit. 7.* Digeſtorum Juſtiniani [*l. 1. D. de oper. ſerv.*] etſi verbis diſſimilia videantur, re tamen, ſententia, atque effectu eadem adfirmare auſim; id quod negaturum neminem puto, ſi verba, *Peractum diem, d. l. 3.* & *Venit dies, d. l. 1. & l. cedere* 213. *D. de verb. ſign.* exacte expenſa contulerit.

CAPUT CXLIV.

ULpianus lib. 17. ad Sabin. ſcribit [*l. 2. D. de uſu, & habit.*] *Domus uſusfructus relictus eſt, aut marito, aut uxori; ſi marito, poteſt illic habitare non ſolus, verum cum familia quoque ſua: an & cum libertis, fuit quaeſtionis; & Celſus ſcribit, & cum libertis. Poſſe hoſpitem quoque recipere.* Subjicit poſtpaulo idem Ulpianus (*Item & hoſpites, & libertos ſuos*) His notis ( ) incluſa, quis ingeminata non videt? ſat erat ſuperius, ubi eadem verba ſunt, adjicere. Quod & Labeo ait.

CAPUT CXLV.

SI quis ſervitutum diſtinctarum tractatus diligentiſſime perluſtraverit, permulta in diverſis titulis capita. cum in eadem tractatione, tum in rebus diverſis, fruſtra repetita comperiet; atque ideo ſupereſſe animadvertet adhibito judicio, idque in ſervitutum confuſionibus, retentionibus, conceſſionibusve: quae nimis eſſet longum, huc collata transſcribere. Sed & in tractatione *noxalium actionum*, reſponſorum capita aliquot geminata videas: qualia ſunt *cap.* 26 §. 1. & *cap.* 39. & alia quaedam.

CAPUT CXLVI.

SAtis ſuperque fuerat ex uno Ulpiani loco [*l. 27. §. 13. D. ad leg. Aquil.*] transſcripſiſſe eum, qui de manu alicujus numos excuſſerit, opeque, conſilioque effeciſſet, ut ad alium pervenirent, furti obſtringi: non igitur ex eodem, ejusdem Ulpiani loco, repetenda eadem, ejusdem ſcopi, & effectus ſpecies erat, *tit. 2. lib. 47. cap. 52.* [*l. ſi quis uxori 52. D. de furt.*] Nec exiſtimo, Ulpianum bis eadem dixiſſe; ſat erat alterutri titulo interjeciſſe. Nam, ut ſub titulo *ad legem Aquiliam*, aliae actiones tractantur: ita & in titulo, *furti.* Semel igitur unam eandemque ſpeciem ſufficiebat referre.

CAPUT CXLVII.

NOn negarim tamen, maximam, certis ex cauſis, geminationis eſſe vim: cujus rei exempla aliquot, variis ſparſa locis, huc cogemus. Principio ex pactione nuda geminata actionem de conſtituta pecunia naſci receptum eſſe, quidam ſcripſerunt; quibus connumerantur Alexander & Alciatus *in rubr. D. de verb. oblig.* quod & hic ſaepiſſime ex facto conſultus reſpondit, hoc accipiendum exiſtimans, ſi in iterato pacto prioris debiti mentio facta ſit. Iteratio enim deliberationis index eſt. Geminatam quoque confeſſionem in eadem cauſa eſſe, And. Alciatus *Reſponſ* 376. *num.* 5. reſpondit; id quod maxime recipi poteſt, ratione proxime adducta. Iterata etiam dictione, in fideicommiſſi reſtitutionem venire ea, quae alias non venirent, propter geminationis vim Bartolus, Angelus, Alciatus, & quidam alii cenſuerunt, citantque in eam ſententiam *l. Baliſta* 32. *D. ad SCtum Trebel.* Sed eo non propendet Celſi ſententia, & (ut ait elegans Ariſtophanes *in Pluto v.* 51)

Ουκ ἔσθ' ὅπως ὁ χρησμὸς εἰς τουτὶ ῥέπει.

Celſiani reſponſi ſententia, non in geminatione verb. *Coloniae Philippenſium*, eſt ſita, ſed in verb. *Pecuniam omnem*; idque ejus verba liquido oſtendunt: *Reſpondi*, inquit Celſus, *ex verbis, quae proponis, id eſt, Pecuniam, exiſtimo, etiam fructus, quos ex haereditate percepit, reſtituere eum debere: perinde atque ſi ſpecialiter hoc teſtator expreſſiſſet.* Adſolebant Juriſconſulti ſecundum ea, quae proponerentur, reſpondere. A Celſo quaeſitum fuiſſe conſtat, an appellatione pecuniae omnes fructus venirent? & reſpondit venire: quod & certiſſimum eſt. Nam *pecuniae nomine non ſolum numerata pecunia, ſed & omnes res, tam ſoli, quam mobiles, & tam corpora, quam jura contineri*, Hermogenianus *l.* 222. *D. de verb ſign.* ſcribit: cujus ſententiam probat Ulpianus *l.* 178. *D. eod.* adjiciens pecuniae nomine omnem omnino pecuniam, hoc eſt, omnia corpora contineri. Sed eo, unde abii, redeo. Senatusconſulti praeterea Vellejani exceptionem ceſſare facit cautio ſecunda: idque Juſtinianus, *l. ſi mulier* 22. *C. ad SCtum Vellej.* conſtituit. Adjici & hoc merito poſſet, geminatam moram non purgari, colligunt interpretes, *l. trajectitiae* 23. *verſ. De illo. D. de obl. & act.* Reſcriptorum geminationem clauſulae motus proprii aequiparari, ejusdemque effectus, & vis eſſe, Baldus *l. nec damnoſa* 3. *C. de prec. Imper. offer.* exiſtimavit. Geminationis maximam eſſe vim A. Berojus *q.* 21. recte cenſuit: imo longe majoris eſt virtutis, quam ſimplex actus, autore Bartolo, *l. cum ſcimus* 22. *C. de ag. & cenſ.* quod & Franciſcus Aretinus, *conſil.* 74. optimo jure reſpondit. Permultos geminationum effectus, ejusque exempla varia percenſet Felinus Sandaeus, *c. ſi cautio* 4. *de fid. inſtrum. in antiq. & cap. ſi quando* 5. *de reſcrip.* Scio tamen Bo. Praeſidem *deciſ.* 33. *parte* 1. *num.* 5. recte poſt Baldum cenſuiſſe, ex actuum geminatione fraudis ſuſpicionem ſuboriri, & forte, inquit, falſi. Baldique ſententiam caeteris probatam, ait idem Boerius. Geminationum genera, quae juvant, aut vitio verti ſoleant, recenſet Alciatus, *lib. 4. de verb. ſignific. num.* 15.

CA-

CAPUT CXLVIII.

MUltiplicis partus tractationem bis, etſi diverſis locis, κατὰ fere λέξιν repetitam a compoſitoribus, nemo opinor inficias ibit: primo quidem *cap.* 3. *lib.* 5. *tit.* 4. [*l. antiqui* 3. *D. ſi pars haer. pet.*] & *cap.* 7. *lib.* 34. *tit.* 5. [*l. utrum* 7. *D. de reb. dub.*] Diverſorum ſunt Juriſconſultorum: hoc, ſcilicet, Caji; illud Pauli. Cajum autem a Paulo citari, atque ideo Cajus, non Laelius, legendum in *d. cap.* 3 [*d. l. antiqui* 3.] adfirmare auſim. Floruiſſe autem Cajum divi Hadriani temporibus ipſemet teſtis eſt *d. l. utrum* 7 Ex *utroque* autem *cap.* unum effici poterat, & alterutri titulo, aut *ſi pars haered. pet.* aut *de rebus dubiis*, interjici poterat ex profeſſo. Quod ait Paulus tergeminos natos Horatios, probat Plinius *lib. natur. Hiſtor.* 7. *cap.* 3. Curiatios adjiciens. Quod de Serapia Alexandrina ajunt Cajus & Paulus, confirmat A. Gellius *lib.* 10. *cap.* 2. Tametſi vero diverſae videantur Caji & Pauli ſpecies, conjungi tamen poterant, etſi diverſorum ſint Juriſconſultorum. Hoc diſtant illae ſpecies: in Caji reſponſo poſthumus datur cohaeres; apud Paulum agnati poſt uterum vocabantur.

CAPUT CXLIX.

QUum ſpecialem tigni juncti tractationem conſcierint, uno eodemque loco legis XII. Tabular. interpretes, id non vindicandum, aut exhiberi jubendum, niſi in caſu, ſemel dixiſſe ſat erat: neque id ter oculis ſubjici debuerat, quod in verbi, *tigni*, explicatione, acceptioneque, ſuperius diximus *ſupr. eod. lib. cap.* 32. Principio tignum non vindicandum, dictum eſt *lib.* 47. *tit.* 3. *cap.* 1. [*l.* 1. *D. de tign. junct.*] repetitur idem *cap.* 23. *lib.* 6. *tit.* 1. *θεμ.* 6. [*l. in rem* 23. *§. tignum* 6. *D. de rei vendic.*] Sed nec ad exhibendum ejus nomine ibidem *d. §. tignum* 6. dicitur: id quod iterum inculcatur *lib.* 10. *tit.* 4. *cap.* 6. [*l. gemma* 6. *D. ad exhib.*] Plane ad exhibendum agi poſſe adverſus eum, qui ſciens rem alienam aedificio junxit, ex Ulpiano deſumptum eſt, & relatum *cap.* 1. *in fin. lib.* 47. *tit.* 3. [*d. l.* 1. *D. de tign. junct.*] repetitum eſt *d. cap.* 6. [*d. l. gemma.* 6.] Quod ajunt Ulpianus & Paulus, tignum non vindicandum, &c. id propter autoritatem legis XII. Tabul. dictum, cujus haec verba ſunt: *Tignum junctum aedibus, vineiſve ne ſolvito; ſed duplum, qui junxit, dato.* Hanc ex Decemviralibus legibus eſſe Pompeji Feſti *lib.* 18. *de veter. verb. ſignific.* & Ulpiani *d. l.* 1. & Pauli *d. l. gemma* 6. teſtimoniis liquido conſtat. Idem quoque ab optimo Hadriano conſtitutum ſcio apud Spartianum.

CAPUT CL.

DUplarunt Ulpiani ex eodem loco verba, eodem fere tendentia, etſi diverſa ſpecie, Tribunianus & collegae, non alio conſilio, quam ut idem reſponſum ab his diſſectum variis titulis, & tractationibus ſubſerviret. Referuntur autem eadem ex eodem loco Ulpiani verba *cap.* 7. *lib.* 11. *tit.* 1. [*l. ſi quis in jure* 7. *D. de interr.*] & *cap.* 1. *θεμ.* 7. *lib.* 9. *tit.* 1. [*l.* 1. *§. interdum* 15. *D. ſi quadr. paup.*] Satis erat alterutri titulo rem omnem interjicere. Quinimo nec quod *dicto cap.* 7. refertur, ab Ulpiano proditum exiſtimare poſſum; cum id extra dubium erat, ſcilicet reſpondentem obligari: idque ex verbo, *conſtiterit*, *d. §. interdum* 15. ex Ulpiani ſententia ad ajentem reſponſionem producto, manifeſtius, quam quod diceretur, liquebat. Vaniſſimi igitur fuit operis Ulpiani verba, etſi ad diverſas ſpecis, geminare atque diſſecare. Sed alibi.

CAPUT CLI.

DUplatis connumerare poſſumus *cap.* 17 *tit.* 1. *lib.* 12. *Pandect.* [*l. cum filiusfam.* 17. *D. ſi cert. pet.*] & *cap.* 18. *tit.* 1. *lib.* 5. *§.* 1. *verſ. Unde ergo.* [*l. ſi longius* 18. *D. de judic.*] Nec movet diverſitas librorum, cum utrumque ſit Ulpiani. Idem etiam effectus & ſententia, quae eodem ſpectat; ſufficiebat ſemel tractatui judiciorum interjeciſſe.

CAPUT CLII.

COnſtitutiones Juſtiniani duas Pandectis praefixas video, quarum prioris titulus & inſcriptio eſt, *De conceptione Digeſtorum. Imperator Caeſar Flavius* &c. Alterius, *De confirmatione Digeſtorum: In nomine Domini* &c. cur autem in Codicem Juſtinianum relatae ſint, ſub titulo, *de veteri jure enucleando*, non video: niſi dixeris ita a Juſtiniano juſſum videri priore illa conſtitutione, *θεμ.* 8. Ideo jubemus duobus iſtis Codicibus omnia gubernari, uno conſtitutionum, altero juris enucleati &c. Juſſiſſe tamen ſemel ſatis fuiſſe putem, Codicique Juſtiniano ſuffeciſſe tres illas praefationes: quarum Prima, *De novo Codice faciendo.* Secunda, *De Juſtiniano Codice confirmando.* Tertia, & *De emendatione Codicis Juſtiniani*, quae huic tantum conveniebant. Ipſe diſpice: tuo enim judicio relinquo.

CAPUT CLIII.

NEgare non oportet *cap.* 42. *θεμ.* 1. *lib.* 12. *tit.* 1. *Pand.* [*l. fin §. fin. D. ſi cert. pet.*] & *cap.* 67. *θεμ.* 1. *lib.* 45. *tit.* 1. [*l. illa ſtipul.* 67. *§.* 1 *D. de ver. obl.*] geminata. Nec movet, quod ſint diverſorum Juriſconſultorum. Nam in illo Labeonis a Celſo; in hoc & Labeonis & Celſi ab Ulpiano verba recitantur. Non ſunt igitur conjungenda, ut quidam autumat: ſed altero contenti eſſe debuerant compoſitores inſerendo ſtipulationum tractationi, ubi congruus ſitus. In eadem fere cauſa ſunt *cap.* 42. ſuperius citatum, ad *θεμ.* 1 uſque; & *cap.* 13. *lib.* 42. *tit.* 1. [*l. ſi quis ab alio* 13. *D. de re judic.*] cum utrumque Celſi eodem loco ſit: idem utriusque effectus: etſi verba parum diſſimilia ſint a compoſitoribus, ut veriſimile ſit, immutata. Illius quoque capitis regula, Vani, ſcilicet, timoris nullam eſſe aeſtimationem, repetitur *lib.* 50. *tit.* 17. *cap.* 184. [*l. vani* 184. *D. de diverſ. regul. jur.*] immutato verbo, *aeſtimatio*; nam illic *excuſatio* legitur: aeſtimationem tamen mallem. Nam judex vanum timorem aeſtimare & admittere non debet, nec ejus rationem habere.

CAPUT CLIV.

AMbigit nemo *cap.* 22. *lib.* 13. *tit.* 7. [*l. ſi pignoris* 22. *verſ. Sed quod ipſe. D. de pign. act.*] & *cap.* 79. *lib.* 47. *tit.* 2. [*l. ſi debitor* 79. *D. de furt.*] ingeminata; utpote, quae eodem tendant, pertineantve: nec movet, quod diverſorum ſint Juriſconſultorum. In illo enim verba ſunt Ulpiani, recitantis Papiniani ſententiam, ex lib. 9. Quaeſtionum: quid igitur relatu geminato opus fuit? Ipſe dijudica. Nec conjungenda putem, quod quidam ſentiunt, cum eadem ſint. Porro jungi debent, quae ductili quadam via, & methodo tractanda ſunt.

CAPUT CLV.

C*Aput* 29. *lib.* 45. *tit.* 1. [*l. ſcire* 29. *D. de verb. oblig.*] & *cap.* 32. *lib.* 21. *tit.* 2. [*l. quia dicitur* 32. *D. de evict.*] ex eodem fonte dimanantia, eodemque pertinentia, deque plurium ſtipulationum conceptu loquentia, ſolis fere exemplis diſſident, & tanquam genus a ſpecie. Caeterum utrumque *na-*

CAPUT CIV.

INſcriptionis, ſubſcriptionisque ſimilitudo, eadem cauſa & diſceptatio non abſimilis eo me adegere, ut credam *cap.* 15. *lib.* 6. *tit.* 23. [*l. quoniam* 25. *C. de teſtam.*] & *cap.* 21. *tit.* 37. *ejuſdem lib.* [*l. in legatis* 21. *C. de legat.*] conduplicata. Cum autem ob inanem verborum obſervationem noluerit Imp. Conſtantinus tabulas irritas effici, & univerſaliter tractaverit de omnibus, quae taſtamentis inſeruntur, ſatis fuiſſet produxiſſe, quae de inſtitutione dicta erant, ad legata & fideicommiſſa, & eidem conſtitutioni interjeciſſe: non autem ex una duas (ut faepe faciunt ex profeſſo architecti) conficere: alioquin & ſub titulo, *de fidei commiſſis*, eadem repetenda erat.

CAPUT CV.

FIdeicommiſſum a tutore, ut a pupillo relinqui, & ab illo peti poſſe, reſcripſerant Impp. idque loco congruo, nempe *lib.* 6. *tit.* 42. *de fideicommiſſis* [*l. etiam* 20. *C. de fideicommis.*] non debuit igitur alibi, *l. cum etiam* 5. *C. de reb. cred.* iterum recitari in loco minime congruo. Nec movet, quod inficiantem tutorem adigendum decretum ſit illic: atque ideo convenit titulo, *de jurejurando*. Nam eadem dici poſſent de omnibus articulis, caſibusve, qui jurejurando expediuntur, eoque referendi eſſent. Quacunque enim actione quis conveniatur, ſi juraverit, jusjurandum & ei prodeſſe, & a Praetore tuendum, Ulpianus *l.* 3. §. 2. *D. de jurejur.* ſcribit. Jusjurandum, in frondoſiſſima Juris Civilis arbore, ramulatim disvolitare animadverti juvenis, cum apud Pithones juri operam darem.

CAPUT CVI.

COnſtit. 1. *lib.* 7. *tit.* 4. [*l.* 1. *C. de fideicomm. lib.*] & *conſtit.* 2. *tit.* 2. *ejuſdem lib.* [*l.* 2. *C. de teſtam. man.*] effectu perſimiles eſſe ambigit nemo: ſatis igitur ſuperque fuit ſemel recitaſſe, cum eorundem ſint Impp. ſcilicet, divorum Severi, & Antonini. Nec ſubſiſto, quod una ex teſtamento relictam libertatem, altera fideicommiſſam ſit comprehenſum: id enim ab architectis ita ſcriptum eſt, ut quaelibet titulo congrueret.

CAPUT CVII.

QUod de reſcriptorum capitibus integris fecerunt compoſitores, idem de θεμ. & verſibus effeciſſe, argumento ſunt duo, in eandem rem ab ipſo Juſtiniano ſcripti. Primo interjectus fuit *conſtit.* 21. *lib.* 6. *tit.* 23. [*l. hac conſultiſ.* 21. §. *ex imperfecto* 1. *verſ. Si vero. C. de teſtam.*] δεύτερον recitatur in *tit.* 36. *lib.* 3. *conſtit.* 26. [*l. fin. verſ. Si vero C. famil. ercif.*] paucis immutatis. Verſus illius haec verba ſunt: *Si vero in hujuſmodi voluntate liberis alia ſit perſona extranea miſta, certum eſt eam voluntatem, quantum ad illam duntaxat permiſſam perſonam, pro nullo haberi, ſed liberis accreſcere.* Non tamen inficias eo, quin utrique caſui congruat: utrobique tamen eadem verba ſunt.

CAPUT CVIII.

NOn ambigitur *conſtit.* 2. & *finem conſt.* 17. *lib.* 9. *tit.* 9. [*l.* 2 & *l. fine* 17. *C. de adult.*] ejuſdem eſſe vis. Semel igitur potiſſimum in eodem titulo dictum oportuit eos lenones eſſe, qui uxores in adulterio deprehenſas retinent in matrimonio. Nec movent diverſae inſcriptiones, cum ſit utriusque conſtitutionis eadem ratio & vis. Quae autem in adulterio deprehenduntur, divertendi ab ea jus eſſe voluit Jeſus Chriſtus optim. maxim. Sic enim ait apud Evangeliographum Matthaeum *cap.* 5. *v.* 32. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ὅτι ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ παρεκτὸς λόγου πορνείας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι.

CAPUT CIX.

NEmini dubium eſt, quin *conſtit.* 1. *tit.* 12. *lib.* 9. [*l. C. ad leg. Jul. de vi.*] & *conſtit.* 2. *lib.* 4. *tit.* 12. [*l.* 2. *C. ne uxor pro marit.*] ſimiles ſint: niſi quod in illa de viri culpa; in hac de debito ejuſdem agitur. Nec poteſt haec ad titulum *de vi publica vel privata* pertinere: imo vero congruentius ad titulum, *ne uxor pro marito*; ubi propria ſedes. Illius haec verba ſunt: *Ob maritorum culpam uxores inquietari leges vetant. Proinde rationalis noſter, ſi res, quae a fiſco occupatae ſunt, dominii tui eſſe probaveris, jus publicum ſequetur.* Altera ſic habet: *Ob debitum viri, vel civile munus, res uxoris, qui pignori capiunt, vim contrahere videtur.* Nec dubitationem movet verbum, *vim*: potiſſima enim ſpeciei hujus quaeſtio erat de non capiendis uxoris bonis, ob viri debitum.

CAPUT CX.

DIſſimiles non ſunt *conſtit.* 2. *tit.* 19. *lib.* 12. [*l.* 2. *C. de prox. ſacr. ſcrin.*] & *conſt* 3. lib. 1. *tit* 48. [*l. ſciant.* 3. *C. de offic. diverſ. jud.*] in eandem rem ſiquidem ſcriptae ſunt: ſunt & ſimiles inſcriptiones & ſubſcriptiones. Scio utrunque principus diſſidere: ſed id a compoſitoribus eo factum exiſtimo, ut utraque ſuo, ſub quo collocata eſt, titulo conveniret.

CAPUT CXI.

COnſt. 1. *lib.* 12. *tit.* 20. [*l.* 1. *C. de agentib. in reb.*] & *conſtit.* 2. *lib.* 1. *tit.* 31. [*l.* 2. *C. de offic. mag. offic.*] etſi verbis abſimiles ſint, vi tamen, reque ipſa pares videntur: utrobique enim de ordine militiae non praevertendo verba fiunt. Quod ſi in aliquo diſſidere viderentur, conjungendae erant: cum utraque de agentibus in rebus loquatur. Sed aliquando latius aperiemus.

CAPUT CXII.

RE ipſa, verbis, effectuque omnino ſimiles ſunt *conſtit.* 2. *lib.* 11. *tit.* 66. [*l.* 2. *C. de fund. & ſalt. rei domin.*] & *conſtit.* 3. *tit.* 38. *lib.* 7. [*l. ſi qua* 3. *C. ne rei dom. vel temp.*] Semel igitur recitanda erat, idque ſub titulo, *ne rei dominicae, vel templorum*, ubi (ut puto) ſitus congruus. Quid repetiiſſe profuit?

Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.

Ingeminatae illius conſtitutionis verba huc tranſcripſiſſem: ſi illa cuivis obvia non eſſent.

CAPUT CXIII.

NOn ſolum capita, & θέματα duplicantur, biſque, terque, quaterque, ſed & fragmenta: quale viſitur ſub tractatu, *vi bonorum*, *Codice*: quo loco ſingulis fere conſtitutionibus repetitur haec formula: *Intra annum in quadruplum, poſt annum in ſimplum.* cum dixiſſe ſemel ſatis ſuperque fuiſſet in *conſtitutione* 2. ex qua in aliis ſuppleri potuiſſet. Id enim actioni vi bonorum raptorum, a Praetore proditae, ineſt: ſic enim edixit Praetor apud Ulpianum *l.* 4. *D. vi bon. rapt.* *Cujus dolo malo in turba damnum quod factum eſſe dicetur, in eum in anno, quo primum ea de re experiundi poteſtas fuerit, in duplum; poſt annum, in ſimplum judicium dabo.* Semel dictum oportuit, quanti condemnatio facienda eſſet. Quur toties formula illa iterata fuit in eodem potiſſimum tractatu? memoriamve juvat illa ταυτολογία? minime omnium! tametſi quidam contra ſenſerint.

CA-

CAPUT CXIV.

NOn diſſimilis cauſa eſt *cap.* 108. *lib.* 45. *tit.* 1. [*l. a Titio* 108 §. *fin. D. de verb. obl.*] & *cap.* 17. *ejuſdem lib.* & *tit.* [*l. ſtipulatio* 17. *D. eod.*] Re enim ipſa eadem eſſe non addubitem, eundemque ſcopum: tametſi diverſorum ſint Juriſconſultorum. Ulpianus; *Stipulatio*, inquit, *non valet rei promittendi arbitrium, collata conditione. Nulla*, Javolenus ait, *promiſſio poteſt conſiſtere, quae ex voluntate promittentis ſtatum capit.* Alterutri capiti ſubjici debuit ex Pomponio *cap* 8. *lib.* 44. *tit. poſteriore* [*l. ſub hac* 8. *D. de oblig.* & *act.*] *Pro non dicto enim eſt, quod dare, niſi velis, cogi non poſſis.* Sed & initium *hujus cap.* effectu perſimilis eſt, *cap.* 17. ſuperius recitato. Sic enim ait illic Pomponius, *Sub hac conditione, ſi volam, nulla fit obligatio.*

CAPUT CXV.

CAput 116. *lib.* 45. *tit.* 1. *verbor.* [*l. decem* 116. *D. de verb. oblig.*] & *cap.* 21. *lib.* 46. *tit.* 3. [*l. ſi decem* 21 *D. de ſolut.*] ſi diligenter conferas, duplari inficias non ibis: in eandem enim rem ſcripta ſunt, quod & Papinianus *citato cap.* 21. indicat: refert enim Pauli, cujus eſt *cap.* 116. notam iiſdem fere verbis. Satis igitur ſuperque fuit ſemel ſub titulo, *de ſolutionibus*, recitaſſe, aut (ſi malis) *de verborum obligationibus*: utrulibet etenim congruit. Quid, quod genuino recitatu contentus non fuit Tribunianus, ſed & ter repetiit? Extat enim & aliud iiſdem fere verbis ſcriptum, quibus & *cap.* 116. Eſt autem *cap.* 42. *lib.* 12. *tit.* 1. [*l. fin. in princ. D. ſi cert. pet.*] Nec inſcriptione eorum capitum varia ſubſiſto: res enim eadem eſt, visque latens ſimilis. Conſultius igitur egiſſent architecti, ſi ex tribus illis capitibus unum conflaſſent. Loquuntur autem de eo, qui poſtea ſtipulatur ab uno; quanto minus ab alio conſequi poſſet.

CAPUT CXVI.

QUod ſupra *hoc lib. cap.* 30. diximus, idem obtinere cenſemus in *cap.* 12. *tit.* 2. *lib.* 46. [*l. vero* 12. *in fin. D. de ſolut.*] & *cap.* 152. *lib.* 50. *tit.* 17. [*l. hoc jure* 152. §. 2. *D. de diverſ. reg. jur.*] Ratihabitio mandato comparatur: tametſi *cap.* 152. adjectum ſit, in maleficio, ut *θεμ.* 1. congrueret. Non ſolum autem ad maleficia, ſed & ad alia pertinet regula. Quid aliud cenſeas de *cap.* 77. *de diverſ. regul. jur.* ibi acceptilatio, & *cap.* 4. & 5. *de acceptilationibus*? Et *ἀναξιωτικῶς*, idem de omnibus fere juris regulis, in finem *πανδεκτ.* rejectis, quae ſuis locis ſubnectendae erant; ut aliis docui. Quod ſi in enchiridion tractatus illi *de verb. ſign.* & *regulis juris* redacti eſſent, ut memoriae conſecrarentur, utile maxime & pernecceſſarium cenſerem.

CAPUT CXVII.

NEminem inficias iturum exiſtimo *cap.* 26. *verſu poſteriore* [*l. fin. D. de furtis*] (ſaltem quoad colonum attinet) *lib* 47. *tit.* 2. & *caput* 82. *θεμ.* 1. *tit. ejuſdem* & *lib.* [*l. fullo* 82. §. *frugibus* 1. *D. de furt.*] duplari: utrobique enim de fructibus extantibus & pendentibus furto ſubreptis ediſſeritur. Membrum vero illud, quod de domino loquitur *capite ſi* 26. aptius ſubnecti debuit. Ait *cap.* 82. *θεμ. Frugibus* 1. Fruges accipere debemus, fructus extantes, pendentesve: quo ſignificatu uſus eſt Virgilius *Eclog.* 3. *v.* 80.

Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.

Merito utrumque membrum conjungi debere dicimus: *quia utriusque*, inquit Juriſconſultus *d.* §. *frugibus* *ei intereſt rem perſequi.* Semel autem de colono diſceptandum erat.

CAPUT CXVIII.

CAupones in factum actione teneri, pro his, qui habitandi cauſa in caupona ſunt (etſi a diverſis Juriſconſultis reſponſum eſſet) ſemel dixiſſe ſatis ſuperque erat *cap.* 1. *θεμ.* 6. *lib.* 47. *tit.* 5. [*l.* 1. §. *caupo* 6. *D. furti adverſ. naut.*] ubi propria, congruaque ſedes. Idem igitur repetendum non erat *cap.* 6. *lib.* 4. *tit.* 9. [*l.* 6. *D. de naut. caup. ſtab.*] Caupones eos vocat Plato *Dialog.* 2. *de repub.* qui ſe in foro ad venditionem, emptionemque conſtituunt. Cauponationem autem, non nocendi gratia, ſed naturaliter inventam eſſe, Idem *Dialog.* 2. *περὶ νόμων* tradit.

CAPUT CXIX.

CAput 10. *lib.* 11. *tit.* 7. [*l. ſi venditor* 10. *D. de relig.*] & *cap.* 5. *lib.* 47. *tit.* 12. [*l. ut tmar* 5. *D. de ſep. vio.*] etſi diſſimilia quodammodo videantur: re tamen ipſa, & effectu eadem eſſe, nemo negabit recte conferens, expendensve: ſaltem ex duobus unum conflandum erat, & titulo *de relig.* & *ſepulchris* interjiciendum. Nec enim ad tractatum *de ſepulchro violato* pertinet caput illud un. *d. l. ut tmar* 5. quo loco non de ſepulchro violato, ſed de legibus praediorum venditorum, quibus cavetur, *ut ad ſepulchra, quae in fundis ſunt, iter ejus, aditus, ambitus funeris faciendi ſit.*

CAPUT CXX.

QUod tribus *πανδεκτῶν* Juſtiniani locis, de condicenda re mortis cauſa donata, dictum eſt, uno dixiſſe ſatis ſuperque erat, aut ſub tractatu *de donat. cauſ. mort.* aut *de condictione cauſa data, cauſa non ſequuta*, & in eo, quod deeſt, ſupplere. Primo de ea loquitur *cap.* 12. *lib.* 12. *tit.* 4. [*l. cum quis* 12. *D. de condict. cauſ. dat.*] Secundo *cap.* 30. [*l. qui mortis* 30. *D. de donat. cauſ. mort.*] & plenius *cap.* 35. *θεμ.* 4. *lib.* 39. *tit* 6 [*l. Senatus* 35. §. 4. *D. eod.*] Quae in hoc deſunt, ex aliis ſupplenda erant. Illorum verba huc transſcriberem, niſi cuilibet eſſent obvia. Ait Paulus Juriſconſultus *d.* §. 4. *Ex humana ſorte* &c. Emoriendum enim cuivis homini, conſtat Dei aeterni *Geneſ.* 2. lege. *Moriendum*, inquit M. Cicero *in Catone majore cap.* 20. *certe eſt.* Hinc Demoſthenes, Πέρας, ait, *μὲν γὰρ ἅπασιν ἀνθρώποις ἐστὶ τοῦ βίου, ὁ θάνατος.* Et Horatius *in arte poët. v.* 63.

Debemur morti nos noſtraque; ſive receptus
Terra Neptunus claſſeis Aquilonibus arcet, &c.

Subjicit Paulus: *Siquidem terra, marique, tam in bello, quam in pace, & tam domi, quam militiae multis generibus mortis periculum metui poteſt.* Huc pertinet, quod ait Apoſtolus 2. *Cor. cap.* 11. *v.* 26. *Κινδύνοις ποταμῶν, κινδύνοις λῃστῶν, κινδύνοις ἐκ γένους, κινδύνοις ἐξ ἐθνῶν, κινδύνοις ἐν πόλει, κινδύνοις ἐν ἐρημίᾳ, κινδύνοις ἐν θαλάσσῃ*, &c.

CAPUT CXXI.

SErvos pignori datos a debitore etiam locupleté manumitti non debere, ſemel dictum oportuit, non bis, ut in Pandectis Juſtiniani: primo quidem *cap.* 3. *tit* 1. *lib.* 40. [*l. ſervum* 3. *D. de manumiſſ.*] deinde *cap.* 4. *eod. lib. tit.* 9. [*l. ſervum* 4. *D. qui* & *a quib.*] cum utrunque cap. eadem fere verba ſint, res omnino ſimiles, etſi diverſorum Juriſconſultorum ſint: illis ſolum adjiciendum erat; Pauli ſententiam probat Ulpianus, veterum more. Quod ajunt Paulus & Ulpianus, collegae, ſententia legis Aeliae Sentiae comprehenditur, quae in fraudem creditoris ma-

manumittere vetabat apud eundem Ulpianum *in Epitome, titulo* 1. *θεμ. eadem lex* 15. congruus ejus locus erat in *d. l. ſervam* 4.

CAPUT CXXII.

APud Proconſulem, poſtea quam urbem egreſſus erat, vindicta manumittendi jus fuiſſe, uno duntaxat loco tradidiſſe ſufficiebat, aut ſub *cap.* 2. *tit.* 16. *lib.* 1. [*l. omnes* 2. *D. de offic. proconſ.*], aut *cap.* 17. *lib.* 40. *tit* 2. [*l. apud proconſulem* 17. *D. de manumiſſ. vind.*] Geminari autem hoc non debuit. Ταυτολογία animos ſtudioſorum taedio enecat, chartas fruſtra opplet.

CAPUT CXXIII.

LIbertatem in ultimum vitae tempus collatam nullius eſſe momenti, ex Juliano ſemel transſcripſiſſe ſat erat: nam etſi Pomponius idem ſcripſiſſet; ſufficiebat tamen adjicere More veterum, quod & Pomponio placuit. Eodem igitur titulo res omnino eadem duplanda non erat: quod iisdem verbis factum animadverti in *cap.* 17. *tit* 4. *lib* 40. [*l. libertas* 17. *D. de manum. teſtam.*] & *cap.* 61. *tit. ejuſdem & lib.* [*l. fin. D. eod.*]

CAPUT CXIV.

AD legem Rhodiam de jactu pertinet, ſi quis levandae navis gratia, res aliquas projicit; non enim eo animo ejicit, quod eas habere nolit, aut pro derelicto habeat: quippe ſi eas invenerit, ablaturus erit. Dominus igitur earum permanet: atque Julianus ait *cap.* 8. *tit.* 2. *lib.* 14. [*l. qui levandae* 8. *D. ad leg. Rhod. de jactu*] Hoc igitur *lib.* 41. *cap.* 9. *θεμ. poſteriore tit.* 1. [*l. qua ratione* 9. §. *fin. D. de acq. rer. dom.*] repetendum non erat. Sed nec eadem dicenda erant in *cap.* 2. *θεμ.* 8. *tit.* 2. *lib.* 14. [*l.* 2. §. *fin. D. ad leg. Rhod. de jactu*] Semel unum idemque dixiſſe ſatis ſuperque erat. Adjiciendum erat ſolum *dicto cap.* 8. Juliani ſententiam probant Cajus & Paulus.

CAPUT CXXV.

SI quis lucrandi animo res in mare ob tempeſtatem jactas abſtulerit, furtum committit, ut Ulpianus ait. Hoc ſemel ſub titulo *de furtis, cap.* 43. *lib.* 47. *tit.* 2. [*l. falſus* 43. §. *ſi jactum* 11. *verſ. Si vero. D. de furtis.*] recitandum erat; ubi propria ſedes, congruuſque ſitus. Iterum ergo, nempe *cap.* 9. *θεμ. poſteriore tit.* 1. *lib.* 41. [*l qua ratione* 9. §. *fin. D. de acq. rer. dom*] referri hoc non debuit. Quod ait Ulpianus aequitatem habet. Nam ut lege Solonis cautum eſt, apud Laertium, ἃ μὴ ἔθου, μὴ ἀνέλῃ, hoc eſt, *quae non poſueris, ne tollas.* Et τὰ ἄκοντα ἀπέχεσθαι jubent ſummus, aeternus praepotensque Deus, & Athenienſis legiſlator, Draco. Utramque autem legem explicui *lib.* 1. *&* 2. *veteris Juriſprudentiae.*

CAPUT CXXVI.

QUae ſupra *cap.* 30. diximus, eadem dici & poſſe & debere cenſemus de *cap.* 9. *θεμ.* 5. *tit.* 2. *lib* 19. [*l. ſi quis domum* 9. §. *Celſus* 5. *D. locat.*] & de *cap.* 132. *lib.* 50. *tit.* 17. [*l. imperitia* 132. *D. de diverſ. reg. jur.*] *Celſus ait imperitiam culpae adnumerandam.* Sed & haec juris antiqui regula evidentiſſime colligitur ex *cap.* 7. *θεμ.* 6. *& cap.* 8. *lib.* 9. ſub titulo *ad legem Aquiliam.* In eadem cauſa ſunt *cap.* 40. *lib.* 44. *tit.* 7. [*l. pen. D. de oblig. & act.*] & *cap.* 130. *lib.* 50. *tit.* 17. [*d. l. nunquam actiones* 130. *D. de reg. jur.*] *Nunquam actiones,* inquit Ulpianus, *praeſertim poenales, ad eandem rem concurrentes, una aliam conſumit.*

CAPUT CXXVII.

BArtolus Saxoferatus feliciſſimi, feraciſſimique vir ingenii, obſervavit *θεμ.* 1. *cap.* 31. *lib.* 12. [*l. cum fundus* 31. §. *ſervum ſuum* 1. *D. ſi cert. pet.*] & *θεμ.* 1. *cap.* 24. *lib.* 19. *tit.* 1. [*l. ſi ſervus* 24. § 1. *D. de act. empt.* ubi Bartol.] de verbo ad verbum (ſic enim ipſe loquitur) duplari: quod & veriſſimum eſt, ſatisque ſuperque fuerat *citato cap.* 31. recitare; ubi propria ſedes. Nec movet, quod *cap.* 24. Juliano; *caput* vero 31. Paulo adſcribatur. Nam multa θεματα adſcribuntur illi Juriſconſulto, cui & initium capitis, quae nunquam fortaſſe ſcripſit: cui rei argumento ſunt haec θεματα: quorum verba indicant eſſe Pauli, non autem Juliani. Argumento etiam erit *θεμ.* 6. *cap.* 29. *ad leg. Aquil.* quod Sabini erat, Ulpiano adſcribitur, ut § *capite* 13. *Inſtit. de lege Aquil.*

CAPUT CXXVIII.

INvecta illatave in urbanis praediis habitationibus locandis tacita conventione, etiamſi nihil nominatim convenerit, locatori pignori eſſe ſemel dixiſſe, recitaſſeve ſatis ſuperque erat, *cap.* 4. *lib.* 2. *tit.* 13. *eandem.* [*l. item quia* 4. *D. de pact.*] aut *lib.* 20. *tit.* 2. *cap.* 3. *&* 4. [*l. ſi horreum* 3. *& l. ſequ.* 4. *D. in quib. cauſ. pign.*] non autem utrobique repetendum, atque duplandum: quod tribus capitibus dictum eſt, uno dixiſſe ſufficiebat. cui praetexenda erat haec inſcriptio, Neratius lib. 1. Membranarum, in *fine* vero *capitis.* Et haec Neratii ſententia Marciano & Paulo placuit. Quae in praediis urbanis diximus, in ruſticis ceſſare idem ait: nam horum diverſam eſſe cauſam veteribus placuit.

CAPUT CXXIX.

DYrrachion, & Troadem juris Italici eſſe dixiſſe, ſemel ſufficiebat eodem potiſſimum titulo: ad quod igitur *cap.* 8. *lib.* 50 *tit.* 15. [*l. in Luſitania* 8. *D. de cenſib.*] dictum erat, *cap.* 7. *ejuſdem lib. & tit.* [*l. juris* 7. *D. eod.*] repeti non debuit Jus Italicum accipere debemus tributorum immunitatem Italis conceſſam, qui in cenſum univerſas facultates deferre non obſtringebantur. Eſt autem Dyrrachium, urbs in ea Macedoniae parte, quae mari Adriatico incumbit, diſtans a Brunduſio 220. paſſ. trajectu. Hujus commeminit Plin. *lib.* 3. *cap.* 23. Troas vero regio eſt Aſiae minoris, a Ptolemaeo minor Phrygia appellata; haec Helleſponto adjacet. Quod ad Berytum attinet; hanc etiam Italico jure cenſeri ait Ulpianus *cap.* 1. *lib.* 50. *tit.* 15. [*l.* 1. §. 1. *D. illo tit.*] in haec verba, *Sed & Berytenſis colonia in eadem provincia Auguſti beneficiis gratioſa, & (ut divus Hadrianus in quadam oratione ait) Auguſtana colonia jus Italicum habuit.* Eſt autem Berytus urbs Phoenices, in ora Lybano monti ſubjecta: felix Julia a Plinio dicta *lib.* 5. *cap.* 3. Metropolitano nomine, a Theodoſ. & Valent. Impp. *l.* 1. *C. de metrop. Beryt. lib.* 11. exornata, legum nutrix a Juſtiniano *in Proemio Dig.* §. *haec autem tria* 7. appellata, ubi leges traderentur, atque explicarentur.

CAPUT CXXX.

CUm ex duobus, pluribusve reſponſis, reſcriptisque caput unum ſaepiſſime effecerint architecti: idem debebant efficere ex *cap.* 19. *lib.* 5. *tit.* 1. *eandem.* [*l. haeres abſens* 19. *D. de judic.*] & *cap.* 34. *ejuſdem lib. & tit.* [*l. ſi is, qui* 34. *D. eod.*] cum utriusque eadem ſit vis & effectus, eodemque pertineant, cumque utriusque eadem ſit ratio. Sic igitur utrumque componendum erat etiam ex Ulpiani ſententia, Ulpianus lib. 60. ad Edictum. Haeres abſens, quamvis trans mare domicilium habeat, ibi

conveniendus, defendendusque eſt, ubi defunctus, qui judicium acceperat, debuit: ſi ibi invenìatur nullo privilegio excuſandus: quia ſucceſſit in locum ejus, a quo haeres relictus eſt: idque & Caſſius & Javolenus ajunt.

CAPUT CXXXI.

SI de vi, & proprietate controvertatur, prius de vi, quam proprietate cognoſci oportere, reſcriptum ſcio: id quod ad judiciorum tractationem ſeſſi vis mentio fiat, pertinet. Satis igitur ſuperque fuit divi Hadriani reſcriptum recitaſſe, *lib. 5. tit. 1. cap. 37.* [*l. ſi de vi 37. D. de judic.*] eadem autem verba in eandem rem, vim, effectum, & ſcopum referre non debuerunt architecti πανδεκτῶν *lib. 48. tit. 6. cap. 5.* [*l. qui coetu 5. §. ſi de vi 1. D. ad l. Jul. de vi publ.*] Nec movet, quod diverſorum ſint Imperatorum, nempe illud Hadriani; hoc divi Pii τῷ κοινῷ τῶν Θεσσαλῶν reſcribentium: antiqui forte librarii erratum eſt. Aut (quod veriſimilius mihi fit) divus Pius idem cum divo Hadriano reſcripſit: idque Graece. Sufficiebat autem ſemel dixiſſe, & in fine adjicere haec, aut ſimilia verba, & ita divus Hadrianus, & divus Pius Graece reſcripſerunt: quale obſervatum eſt in *cap. 8. lib. 5. tit. 2.* [*l. Papinianus 8. in fin. D. de inoff. teſt.*] Nam Antoninum Pium ab Hadriano, ingruente triſtiſſima valetudine, adoptatum, ſcriptum reliquit Aelius Spartianus, *in Hadriano*: a quo electus eſt ad eam partem Italiae regendam, in qua plurimum poſſidebat. Sed nec dubitationem movet, quod in divi Pii reſcripto ita dictum eſt, *Si de vi, & poſſeſſione, vel dominio &c.* Nam in utroque reſcripto vis illata erat poſſidenti: reſcriptum autem eſt, prius de vi, quam de proprietate & dominio eſſe cognoſcendum. Sed & prius de poſſeſſione, quam de proprietate judicandum. Diocletianus, & Maximianus non ſemel (quod tamen ſat erat) reſcripſerunt [*l. ordinarii 13. C. de rei vendic.* & *l. incerti 3. C. de interdict.* ubi proprius locus] idque ordinarii juris eſſe dixerunt. Hujus autem praejudicii eum effectum conſtituerunt, ut ex hoc ordine facto & dominii diſceptatione probationes ab eo, qui de poſſeſſione victus eſt, exigantur.

CAPUT CXXXII.

QUod ſuperius *cap. 30.* obſervatum a me fuit, locum etiam habere debere non dubito in *cap. 3. lib. 24. tit. 2.* [*l. 3. D. de divert.*] & *cap. 48. lib. 50. tit. 17.* [*l. quicquid calore 48. D. de div. reg. jur.*] cum utrobique eadem ejuſdem Julii Pauli verba ex eodem loco recitentur. Nam etſi ea juris antiqui regula ad aliud, quam ad divortium, & pertinere, & produci poſſit, tamen ſemel referenda erat. Ait Paulus: *Divortium non eſt, niſi verum, quod animo perpetuam conſtituendi diſſenſionem fit. Itaque quicquid calore iracundiae vel fit, vel dicitur, non prius ratum eſt, quam ſi perſeverantia apparuit judicium animi fuiſſe. Ideoque per calorem miſſo repudio, ſi brevi reverſa uxor eſt, nec divertiſſe videtur.* Optima autem ratione iracunde dicta factave non ſpectantur, quod humano quodam affectu rapiamur in iras, atque ita rapti extra nos ſumus. At in actibus animus ſemper ſpectandus eſt, qui inſano deeſt. Inſaniae autem initium iram eſſe, Ennius apud Ciceronem ſcribit. Ira percitus nihil conſiderate facit. Iratus extra mentem fertur. Ira temere omnia fieri ſcribit Xenophon *lib. 5. rer. Graecar.* Merito igitur iracunde dicta factave rata non eſſe reſponderunt veteres. Admonet nos Poëta, ut iram cohibeamus:

Ἄνθρωπος ὤν, γίγνωσκε τῆς ὀργῆς κρατεῖν.

CAPUT CXXXIII.

QUae, *cap. 6.* ſupra *hoc eodem libro* diximus, eadem de *cap. 1. & 4. lib. 50. tit. 8.* [*l. 1. & l. legatam 4. D. de admin. rer. ad civ. pertin.*] dici poſſe, ambigendum non eſt. Ait Ulpianus: *Quod ad certam ſpeciem civitati relinquitur, in alios uſus convertere non licet.* Valens ſcribit: *Legatam municipio pecuniam in aliam rem, quam defunctus voluit, convertere, citra principis autoritatem, non licet.* Nec movet, quod ſint diverſae utriuſque capitis inſcriptiones: cum ad eundem ſenſum, & effectum ferantur. Quod ad verba, *relinquere* & *legare*, attinet; quid hac in re ſentiamus, *cap. 6. ſupra citato*, explicuimus. Nec ſubſiſtimus reſtrictione *cap. 4.* interclusa in haec verba, *Citra principis autoritatem*; cum eadem ſubjici debuerant *cap. 1. ſuperius citato.*

CAPUT CXXXIV.

IN geminatorum numerum referri, optima ratione, poterunt *cap. 2. lib. 5. tit. 2.* [*l. hoc colore 2. D. de inoff. teſtam.*] & *cap. 5. in fine ejuſdem tit. & lib.* [*l. nam & his 5. D. eod.*] Sufficiebat enim ſemel dixiſſe: *hoc colore inofficioſo teſtamento agi, quaſi non ſanae mentis fuerunt, ut teſtamentum ordinarent.* Quo in genere ita ſcriptum reliquit Plato, interprete M. Ficino: *Solent patrum adverſus filios querelae fieri, filiorum quoque in parentes majores, quam deceat, quarum cauſa patres ſtrabo oportere a legiſlatore forte patent: liceat ſibi, ſi velint, publico praeconio filium abdicare: ne amplius ſecundum legem filius ſit: & filiis parentes, morbis vel ſenio turpiter adfectos, liceat amentiae accuſare.* Nec movet, quod duo illa capita diverſorum ſint Juriſconſultorum. Diverſi enim juris autores eadem ſcripſerunt: idque ſaepe animadverti. Nec verbo, *defenditur*, ſubſiſto: ad formulam enim inſtituendae querelae referri eam in confeſſo eſt. Nec in addubitationem ferimur, verbo, *inique.* Qui enim contra officium pietatis quid facit, inique fatis fecaſſe exiſtimandus eſt.

CAPUT CXXXV.

IN geminatorum claſſem referenda non ſunt *cap. 77. lib. 31.* [*l. cum pater 77. §. fin. D. de legat. 2.*] & *cap. 8. tit. 35. lib. 6.* [*l. pen. C. de inſtit. & ſubſt.*] Papiniani etenim reſponſo, non niſi a ſimili uſus eſt Juſtinianus, verba Juriſconſulti ideo recitans, ut conſtitutionem ſuam confirmaret. Quod tamen, ait Juſtinianus, utilitatis cauſa, & teſtamentorum gratia receptum eſt, ne evaneſcerent. Nec movet Marcelli *l. quoties 9. §. tantundem. 5. D. de haered. inſtit.* ſententia, ajentis inſtitutionem non valere, cui non fuit adjecta deſtinata conditio: quod enim ait Juſtinianus, ad inſtitutionem reipublicae, vel civitatis pertinet, in aliis diverſum jus eſſet, notante Marcello minime (ut putavit falſo Accurſius) reprehenſo. Comparata autem aequa eſſe debent, ſicut in ea re teſtis eſt M. Cicero ad Trebatium Juriſconſultum. Nec enim elationem, aut ſubmiſſionem habent comparata. Conſtitutio igitur Juſtiniani in eadem cauſa eſt, quae Papiniani, ut de civitate reve publica haerede inſtituta, utraque ſpecies aeque accipienda ſit. Alioquin Marcelli reſponſum emendari neceſſario fatendum erit: quod maxime effugiendum eſt. Sed nec Papiniani argumento appoſite uſus fuiſſet Juſtinianus. Nam ſimilis in eadem qualitate comparantur: quale eſt apud Ovidium *lib. 1. Triſtium, Eleg. 1. v. 99.*

Namque ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more poteſt.

Quod autem conſtitutio Juſtiniani de civitate reve publica accipienda ſit, verbo, *pollicitam*, expreſſum eſt. Nam & tractatum pollicitationum juris publici, & titulis rerum publicarum poſt multum

de

de adminiſtr. rer. ad civ. pertin. interjectum, in Pandectis Juſtiniani videmus.

CAPUT CXXXVI.

FIlio in poteſtate ſe immerentem, atque ideo indigne praeteritum docente, nec libertates valere, nec legata deberi, Papinianus reſpondit *lib.* 5. *πανδεκ.* Juſtiniani *tit.* 2. *cap.* 8. *θεμ.* 17. [*l. Papinianus* 8. *§. fin. D. de inoffic. teſt.*] Id ſemel recitatum oportuit, nec repeti debuit: quod tamen factum animadverti *lib.* 28. *tit.* 3. *cap.* 17. [*l. filio praeterito* 17. *D. de injuſt. rupt.*] Utrique titulo congruere non diffiteor, at alterutro loco dictum ſufficiebat. Praeteritione autem teſtamentum inofficioſum dici proditum ſcio. Quod tamen ait utrobique Papinianus, a Juſtiniano immutatum eſt: idque noviſſima [*conſtit.* 115. *cap.* 4. *in fin.*] ejus conſtitutione liquet, ἀλλὰ ἀνατρεπομένης τῆς διαθήκης τοὺς ἐξ ἀδιαθέτου εἰς τὴν τοῦ τελευτήσαντος κληρονομίαν καλοῦμεν, καὶ πρὸς αὐτοὺς τὰ ἐκείνου πράγματα δίδοσθαι διατυποῦμεν. τῶν ληγάτων δηλονότι εἴτε φιδεικομμίσσων καὶ ἐλευθεριῶν, καὶ τῶν δόσεων τῶν ἐπιτρόπων, καὶ τῶν ἄλλων κεφαλαίων (καθάπερ ἀνωτέρω εἴρηται) τὴν ἰδίαν ἔχοντων ἰσχύν. Quod de filio praeterito diximus, eadem de exhaeredato dici poſſe, hoſque in eadem cauſa eſſe, jure proditum ſcio.

CAPUT CXXXVII.

BArtolus Saxoferratius, ſummi vir ingenii, animadvertit *thematien* 18. *cap.* 11. *lib.* 32. Pandect. [*l. fideicommiſſa* 11. *§. ſi quis decem* 18. *D. de leg.* 3.] & *thematıon* 11. *cap.* 1. *tit.* 3. *lib.* 36. [*l.* 1. *§. ſi cui* 11. *D. ut leg. nom. cav.*] bis extare atque ideo ingeminari: cujus judicium probamus. Eadem enim utrobique legati iterum relicti vis eſt, eadem ſententia, idem Juriſconſultus, eadem fere verba, paucis immutatis. Nec movet me librorum in inſcriptione varietas: alterutra enim falſa forte eſſe poteſt. Eandem ſpeciem diverſis in locis retulerit bis Ulpianus, nec ne, ignoratur: qui enim ſciri poteſt, quid ille ſcripſerit; cum ejus ſcripta, praeter haec transſcripta, perierint? Sed ad rem ſatis ſuperque fuerat ſemel retuliſſe in alterutro loco: at quia controvertitur, an cautio ſemel praeſtanda ſit, crederem ad titulum, *Ut legatorum, seu fideicommiſſorum nom. cav.* potius pertinere: quo loco ita ſcriptum eſt: *Si cui ita legatum ſit, vel fideicommiſſum, & ſi id perdidiſſet, rurſus relictum: videamus an ſatis ſequentis legati, vel fideicommiſſi petere poſſit. Movet quaeſtionem, an fideicommiſſum hoc, ſive legatum debeatur: & quoties debeatur, & an ipſe legatarius cavere debeat, ſe non perditurum. De his omnibus extat reſcriptum divi Pii ad Junium Mauricum tale: Clodio Fructulo, ſecundum ea, quae epiſtula continentur, legata, ſive fideicommiſſa ex teſtamento Clodii Felicis praeſtari debent citra neceſſitatem cavendi, nihil ex iis deminuturum ſe. Nam quod fidei haeredis ab eodem teſtatore commiſſum eſt, ut ſi Fructulus perdidiſſet quod ei in teſtamento relictum eſt, rurſus haeres ei id reſtitueret, non eo pertinet, ut aut Fructulo priorum legatorum nomine ſatisdatio injungenda, aut onerandus ſit haeres in infinitum, ut quoties id perdiderit, reſtituere ei tantundem debeat: ſed ut per fideicommiſſum poſterius duplicata legata ejus videantur: nec amplius ad periculum haeredis pertineat, ſi quid poſtea id conſumpſit, exoluto ei poſteriore fideicommiſſo.*

CAPUT CXXXVIII.

GEminata ex profeſſo Juriſprudentum a compoſitoribus reſponſa, perquiſitanti mihi obvium factum eſt *cap.* 6. *tit.* 3. *lib.* 1. [*l.* 6. *D. de legib.*] repetitum in fine *cap.* 3. *tit.* 4. *lib.* 5. [*l. antiqui* 3. *D. ſi pars haered. pet.*] τὸ γὰρ ἅπαξ (ut ait Theophraſtus) ἢ δὶς παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται. Quod autem ſupra *cap.* 30. diximus, etiam ad *cap.* 14. *tit.* 3. *lib.* 1. [*l. quod vero* 14. *D. de legib.*] & ad *cap.* 141. *lib.* 50. *tit.* 17. [*l. quod contra* 141. *D. de diverſ. reg. jur.*] pertinet. Porro, ut ad locum Theophraſti redeamus, ſatis fuerat dixiſſe ex Celſo, uno caſu, jura non conſtituenda.

CAPUT CXXXIX.

GEminatis connumerari poſſe, non immerito quis dicet *cap.* 5. & 6. *θεμ. poſter. lib.* 25. *tit.* 1. [*l. quod dicitur* 5. & *l. ſeq. D. de impenſ.*] & *cap.* 39. *lib.* 5. *tit.* 3. [*l. utiles* 39. *D. de pet. haer.*] de impenſis loquentia: ſatis autem ſuperque fuit titulo *de impenſis* interjeciſſe: cum e dotis tractatu ad caeteros produci facile poſſint. Hinc ea, quam ſuperius *cap.* 30. dixi, ratione *cap.* 79. *lib.* 50. *tit.* 16. [*l. impenſa* 79. *D. de verb. ſign.*] ſuperfluere adfirmare auſim: cum quodvis impenſarum genus ſuo titulo, *D. de impenſis.* definitum ſit.

CAPUT CXL.

CAput 43. & *cap.* 44. *lib.* 5. *tit.* 3. [*l. poſtquam* 43. *in princip.* & *l. ſeq. D. de pet. haered.*] etſi non verbis, re tamen, & ſententia geminata ſemper mihi viſa ſunt. Atilicinus enim apud Paulum, & Javolenus (cum uterque Plautii interpres videatur) in eadem ſunt ſententia, ut is, qui legatum accepit, ſi haereditatem petat, illud reddat: quod uno capite ſignificantiſſime exprimi poterat. At ex pluribus unum ex profeſſo effecerunt compoſitores. Sic itaque ſcriptum oportuit: *Poſtquam legatum a te accepi, haereditatem peto. Atilicinus quibusdam placuiſſe ait, non aliter petitionem dandam, quam ſi legatum redderem: alioquin judicis officio continetur, ut victori, deducto eo, quod accepit, reſtituatur haereditas.* Multa id genus conflarunt architecti, [illegible]que compoſitores.

CAPUT CXLI.

GEminata Juriſconſultorum reſponſa non ſolum in diverſis titulis, ſed & in eisdem, & titulis, & capitibus ſaepiſſime animadvertimus: quale viſitur in *cap.* 35. *lib.* 6. *tit.* 1. *θεμ.* 1. [*l.* & *ex diverſo* 35. *D. de rei vind.*] quo loco, referente Tribuniano, ita ſcriptum ſcio; *Ubi autem alienum fundum petii, & judex ſententia declaravit fundum meum eſſe, debet etiam de fructibus poſſeſſorem condemnare: (eodem enim errore & de fructibus condemnatarum.)* Poſtrema verba his notis incluſa () detractis verbis, *Eodem errore*: duplari nec quiſquam omnium ibit inficias. Satis enim ſuperque fuit dicere, qui alienum fundum petenti reddi jubet, debet, eodem errore, & de fructibus condemnare poſſeſſorem. Memoriam juvat illa ταυτολογία, vana, futiliſque verborum repetitio? Movendine ſunt hoc dicendi genere affectus? Sed haec hactenus. Nec me movet exemplarium conſenſus, eadem eodem vitio laborans lectio & Florentinorum & vulgarium exemplarium: cum eodem fonte dimanarit. Nam φιλοπονία, & tempus omnia detegunt; lectio ipſa geminationem indicat: ſed nec adverſus oculatam fidem ratiocinari debemus. Eadem cenſenda ſunt de *cap.* 15. *tit.* 1. *lib.* 7. *D. in §. ſed nec ſervitutem* 7. & *verſic. poſteriore* [*l. ſi quid* 15. *§.* 7. *D. de uſufruct.*]

CAPUT CXLII.

NEminem latere puto, *cap.* 7. *lib.* 6. *tit.* 2. [*l. ſed* & *ſi* 7 *§.* 7. *verſ. Sed ſi poſſ. D. de public. act.*] & *cap.* 11. *lib.* 12. *tit.* 2. [*l. ſed ſi poſſeſſori* 11. *D. de jurejur.*] duplari paucis immutatis: cum utrobique eadem ejus-

dem Ulpiani verba, & ſententia ſint: nec librorum diverſitate ſubſiſtimus. Nam ſuo more & arbitratu reſponſorum fragmenta in idem caput cogebant. Ait autem utrobique Ulpianus, *d. §. 7. verſ. Sed ſi poſſeſſori delatum erat jusjurandum, & juraverit rem petitoris non eſſe, adverſus eum ſolum petentem, exceptione utetur, non ut & habeat actionem.* Et alibi *d. l. ſed ſi poſſeſſ. Sed ſi poſſeſſori fuerit jusjurandum delatum, juraveritque, rem petitoris non eſſe, quandiu quidem poſſidet, adverſus eum, qui detulit jusjurandum, ſi petat exceptione jurisjurandi, utetur: nam ſi amiſerit poſſeſſionem, actionem non habebit.* Nec movet, quod haec utrique titulo, & tractatui congruant: nam, ut ait Ulpianus *l. 3. §. 1. D. de jurejur. quacunque actione quis conveniatur, ſi juraverit, proderit jusjurandum:* quod in actionum arbore frondoſiſſima ramulatim diſvolitat. Satigitur fuit ſemel retuliſſe: alioquin omnes fere juris noſtri articuli, tractatui *de jurejurando*, interjici poſſent: latiusque pateret, quam quivis alius.

CAPUT CXLIII.

NOn inepte fortaſſe ſupervacaneis interjiciemus *cap. 1. tit. 1. lib. 38. [l. 1. D. de oper. lib.]* & *cap. 3. ejusdem libri, tituli ve:* utrobique enim iisdem verbis recitatur operarum, quae a Graecis ἐργασίαι, dicuntur, definitio, ſemel referenda ex lib. 6. Pomponii ad Sabinum, cui, ſi voluiſſent, adjicere more veterum poterant: quod & Paulus probat. Ait Pomponius: *Operas ſtipulatus ante peractum diem operam ejus diei petere non poteſt, nec pars operae per horas ſolvi poteſt; quia id eſt diurnum officium:* ſic & recte in quibusdam veteribus exemplaribus legimus: tametſi Florentiae, & alibi *diurni officii* legatur. Utrovis modo legas, verba eodem pertinent. *Caput* quoque *tertium [l. 3. in princ. D. de oper. lib.]* ex libris Sabini tranſcriptum, & *cap. 1. lib. 7. tit. 7.* Digeſtorum Juſtiniani *[l. 1. D. de oper. ſerv.]* etſi verbis diſſimilia videantur, re tamen, ſententia, atque effectu eadem adfirmare auſim; id quod negaturum neminem puto, ſi verba, *Peractum diem, d. l. 3.* & *Venit dies, d. l. 1. & l. cedere 213. D. de verb. ſign.* exacte expenſa contulerit.

CAPUT CXLIV.

ULpianus lib. 17. ad Sabin. ſcribit *[l. 2. D. de uſu, & habit.] Domus uſusfructus relictus eſt, aut marito, aut uxori; ſi marito, poteſt illic habitare non ſolus, verum cum familia quoque ſua: an & cum libertis, fuit quaeſtionis; & Celſus ſcribit, & cum libertis. Poſſe hoſpitem quoque recipere.* Subjicit poſtpaulo idem Ulpianus (*Item & hoſpites, & libertos ſuos*) His notis ( ) incluſa, quis ingeminata non videt? ſat erat ſuperius, ubi eadem verba ſunt, adjicere. Quod & Labeo ait.

CAPUT CXLV.

SI quis ſervitutum diſtinctarum tractatus diligentiſſime perluſtraverit, permulta in diverſis titulis capita, cum in eadem tractatione, tum in rebus diverſis, fruſtra repetita comperiet; atque ideo ſupereſſe animadvertet adhibito judicio, idque in ſervitutum confuſionibus, retentionibus, conceſſionibusve: quae nimis eſſet longum, huc collata tranſcribere. Sed & in tractatione *noxalium actionum*, reſponſorum capita aliquot geminata videas: qualia ſunt *cap. 26 §. 1. & cap. 39.* & alia quaedam.

CAPUT CXLVI.

SAtis ſuperque fuerat ex uno Ulpiani loco *[l. 27. §. 13. D. ad leg. Aquil.]* tranſcripſiſſe eum, qui de manu alicujus nummos excuſſerit, opeque, conſilioque effeciſſet, ut ad alium pervenirent, furti obſtringi: non igitur ex eodem, ejusdem Ulpiani loco, repetenda eadem, ejusdem ſcopi, & effectus ſpecies erat, *tit. 2. lib. 47. cap. 52. [l. ſi quis uxori 52. D. de furt.]* Nec exiſtimo, Ulpianum bis eadem dixiſſe; ſat erat alterutri titulo interjeciſſe. Nam, ut ſub titulo *ad legem Aquiliam*, aliae actiones tractantur: ita & in titulo, *furti*. Semel igitur unam eandemque ſpeciem ſufficiebat referre.

CAPUT CXLVII.

NOn negarim tamen, maximam, certis ex cauſis, geminationis eſſe vim: cujus rei exempla aliquot, variis ſparſa locis, huc cogemus. Principio ex pactione nuda geminata actionem de conſtituta pecunia naſci receptum eſſe, quidam ſcripſerunt; quibus connumerantur Alexander & Alciatus *in rubr. D. de verb. oblig.* quod & hic ſaepiſſime ex facto conſultus reſpondit, hoc accipiendum exiſtimans, ſi in iterato pacto prioris debiti mentio facta ſit. Iteratio enim deliberationis index eſt. Geminatam quoque confeſſionem in eadem cauſa eſſe, And. Alciatus *Reſponſ 376. num. 5* reſpondit; id quod maxime recipi poteſt, ratione proxime adducta. Iterata etiam dictione, in fideicommiſſi reſtitutionem venire ea, quae alias non venirent, propter geminationis vim Bartolus, Angelus, Alciatus, & quidam alii cenſuerunt, citantque in eam ſententiam *l. Baliſta 32. D. ad SCtum Trebel.* Sed eo non propendet Celſi ſententia, & (ut ait elegans Ariſtophanes *in Pluto v. 51*)

Οὐκ ἔσθ᾽ ὅπως ὁ χρησμὸς εἰς τοῦτο ῥέπει.

Celſiani reſponſi ſententia, non in geminatione verb. *Coloniae Philippenſium*, eſt ſita, ſed in verb. *Pecuniam omnem*; idque ejus verba liquido oſtendunt: *Reſpondi*, inquit Celſus, *ex verbis, quae proponis, id eſt, Pecuniam, exiſtimo, etiam fructus, quos ex haereditate percepit, reſtituere eum debere. perinde atque ſi ſpecialiter hoc teſtator expreſſiſſet.* Adſolebant Juriſconſulti ſecundum ea, quae proponerentur, reſpondere. A Celſo quaeſitum fuiſſe conſtat, an appellatione pecuniae omnes fructus venirent? & reſpondit venire: quod & certiſſimum eſt. Nam *pecuniae nomine non ſolum numerata pecunia, ſed & omnes res, tam ſoli, quam mobiles, & tam corpora, quam jura contineri*, Hermogenianus *l. 222. D. de verb ſign.* ſcribit: cujus ſententiam probat Ulpianus *l. 178. D. eod.* adjiciens pecuniae nomine omnem omnino pecuniam, hoc eſt, omnia corpora contineri. Sed eo, unde abii, redeo. Senatusconſulti praeterea Vellejani exceptionem ceſſare facit cautio ſecunda: idque Juſtinianus, *l. ſi mulier 22. C. ad SCtum Vellej.* conſtituit. Adjici & hoc merito poſſet, geminatam moram non purgari, colligunt interpretes, *l. trajectitiae 23. verſ. De illo. D. de obl. & act.* Reſcriptorum geminationem clauſulae motus proprii aequiparari, ejusdemque effectus, & vis eſſe, Baldus *l. nec damnoſa 3. C. de prec. Imper. offer.* exiſtimavit. Geminationis maximam eſſe vim A. Berojus *q. 21.* recte cenſuit: imo longe majoris eſt virtutis, quam ſimplex actus, autore Bartolo, *l. cum ſcimus 22. C. de ag. & cenſ.* quod & Franciſcus Aretinus, *conſil. 74.* optimo jure reſpondit. Permultos geminationum effectus, ejusque exempla varia percenſet Felinus Sandaeus, *c. ſi cautio 4. de fid. inſtrum. in antiq. & cap. ſi quando 5. de reſcrip.* Scio tamen Bo. Praeſidem *deciſ. 33. parte 1. num. 5.* recte poſt Baldum cenſuiſſe, ex actuum geminatione fraudis ſuſpicionem suboriri, & forte, inquit, falſi. Baldique ſententiam caeteris probatam, ait idem Boërius. Geminationum genera, quae juvant, aut vitio verti ſoleant, recenſet Alciatus, *lib. 4. de verb. ſignific. num. 15.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT CXLVIII.

MUltiplicis partus tractationem bis, etſi diverſis locis, κατὰ fere λέξιν repetitam a compoſitoribus, nemo opinor inficias ibit: primo quidem *cap. 3. lib. 5. tit. 4.* [*l. antiqui 3. D. ſi pars haer. pet.*] & *cap. 7. lib. 34. tit. 5.* [*l. utrum 7. D. de reb. dub.*] Diverſorum ſunt Juriſconſultorum: hoc, ſcilicet, Caji; illud Pauli. Cajum autem a Paulo citari, atque ideo Cajus, non Laelius, legendum in *d. cap. 3* [*d. l. antiqui 3.*] adfirmare ſuſim. Floruiſſe autem Cajum divi Hadriani temporibus ipſemet teſtis eſt *d. l. utrum 7* Ex *utroque* autem *cap.* unum effici poterat, & alterutri titulo, aut *ſi pars haered. pet.* aut *de rebus dubiis*, interjici poterat ex profeſſo. Quod ait Paulus tergeminos natos Horatios, probat Plinius *lib. natur. Hiſtor. 7. cap. 3.* Curiatios adjiciens. Quod de Serapia Alexandrina ajunt Cajus & Paulus, confirmat A. Gellius *lib. 10. cap. 2.* Tametſi vero diverſae videantur Caji & Pauli ſpecies, conjungi tamen poterant, etſi diverſorum ſint Juriſconſultorum. Hoc diſtant illae ſpecies: in Caji reſponſo poſthumus datur cohaeres, apud Paulum agnati poſt uterum vocabantur.

CAPUT CXLIX.

QUum ſpecialem tigni juncti tractationem conſcoerint, uno eodemque loco legis XII. Tabular. interpretes, id non vindicandum, aut exhiberi jubendum, niſi in caſu, ſemel dixiſſe ſat erat: neque id ter oculis ſubjici debuerat, quod in verbi, *tigni*, explicatione, acceptioneque, ſuperius diximus *ſupr. eod. lib. cap. 32.* Principio tignum non vindicandum, dictum eſt *lib. 47. tit. 3. cap. 1.* [*l. 1. D. de tign. junct.*] repetitur idem *cap. 23. lib. 6. tit. 1. 9μ. 6.* [*l. in rem 23. §. tignum 6. D. de rei vendic.*] Sed nec ad exhibendum ejus nomine ibidem *d. §. tignum 6.* dicitur: id quod iterum inculcatur *lib. 10. tit. 4. cap. 6.* [*l. gemma 6. D. ad exhib.*] Plane ad exhibendum agi poſſe adverſus eum, qui ſciens rem alienam aedificio junxit, ex Ulpiano deſumptum eſt, & relatum *cap. 1. in fin. lib. 47. tit. 3.* [*d. l. 1. D. de tign. junct.*] repetitum eſt *d. cap. 6.* [*d. l. gemma. 6.*] Quod ajunt Ulpianus & Paulus, tignum non vindicandum, &c. id propter autoritatem legis XII. Tabul. dictum, cujus haec verba ſunt: *Tignum junctum aedibus, vineiſve ne ſolvito; ſed duplum, qui junxit, dato.* Hanc ex Decemviralibus legibus eſſe Pompeji Feſti *lib. 18. de veter. verb. ſignific.* & Ulpiani *d. l. 1.* & Pauli *d. l. gemma 6.* teſtimoniis liquido conſtat. Idem quoque ab optimo Hadriano conſtitutum ſcio apud Spartianum.

CAPUT CL.

DUplarunt Ulpiani ex eodem loco verba, eodem fere tendentia, etſi diverſa ſpecie, Tribunianus & collegae, non alio conſilio, quam ut idem reſponſum ab his diſſectum variis titulis, & tractationibus ſubſerviret. Referuntur autem eadem ex eodem loco Ulpiani verba *cap. 7. lib. 11. tit. 1.* [*l. ſi quis in jure 7. D. de interr.*] & *cap. 1. 9μ. 7. lib. 9. tit. 1* [*l. 1. §. interdum 15. D. ſi quadr. paup.*] Satis erat alterutri titulo rem omnem interjicere. Quinimo nec quod *dicto cap. 7.* refertur, ab Ulpiano proditum exiſtimare poſſum, cum id extra dubium erat, ſcilicet reſpondentem obligari: idque ex verbo, *conſtiterit*, *d. §. interdum 15.* ex Ulpiani ſententia ad ajentem reſponſionem producto, manifeſtius, quam quod diceretur, liquebat. Vaniſſimi igitur fuit operis Ulpiani verba, etſi ad diverſas ſpecis, geminare atque diſſecare. Sed alibi.

CAPUT CLI.

DUplatis connumerare poſſumus *cap. 17 tit. 1. lib. 12. Pandect.* [*l. cum filiusfam. 17. D. ſi cert. pet.*] & *cap. 18. tit. 1. lib. 5. §. 1. verſ. Unde ergo.* [*l. ſi longius 18. D. de judic.*] Nec movet diverſitas librorum, cum utrumque ſit Ulpiani. Idem etiam effectus & ſententia, quae eodem ſpectat; ſufficiebat ſemel tractatui judiciorum interjeciſſe.

CAPUT CLII.

COnſtitutiones Juſtiniani duas Pandectis praefixas video, quarum prioris titulus & inſcriptio eſt, *De conceptione Digeſtorum. Imperator Caeſar Flavius* &c. Alterius, *De confirmatione Digeſtorum: In nomine Domini* &c. cur autem in Codicem Juſtinianum relatae ſint, ſub titulo, *de veteri jure enucleando*, non video: niſi dixeris ita a Juſtiniano juſſum videri priore illa conſtitutione, 9μ. 8. Ideo jubemus duobus iſtis Codicibus omnia gubernari, uno conſtitutionum, altero juris enucleati &c. Juſſiſſe tamen ſemel ſatis fuiſſe putem, Codicique Juſtiniano ſuffeciſſe tres illas praefationes: quarum Prima, *De nova Codice faciendo.* Secunda, *De Juſtiniano Codice confirmando.* Tertia, & *De emendatione Codicis Juſtiniani*, quae huic tantum conveniebant. Ipſe diſpice: tuo enim judicio relinquo.

CAPUT CLIII.

NEgare non oportet *cap. 42. 9μ. 1. lib. 12. tit. 1. Pand.* [*l. fin §. fin. D. ſi cert. pet.*] & *cap. 67. 9μ. 1. lib. 45. tit. 1.* [*l. illa ſtipul. 67. §. 1. D. de ver. obl.*] geminata. Nec movet, quod ſint diverſorum Juriſconſultorum. Nam in illo Labeonis a Celſo, in hoc & Labeonis & Celſi ab Ulpiano verba recitantur. Non ſunt igitur conjungenda, ut quidam autumat; ſed altero contenti eſſe debuerant compoſitores inſerendo ſtipulationum tractationi, ubi congruus ſitus. In eadem fere cauſa ſunt *cap. 42.* ſuperius citatum, ad 9μ. 1 uſque; & *cap. 13. lib. 42. tit. 1.* [*l. ſi quis ab alio 13. D. de re judic.*] cum utrumque Celſi eodem loco ſit: idem utriuſque effectus: etſi verba parum diſſimilia ſint a compoſitoribus, ut veriſimile ſit, immutata. Illius quoque capitis regula, Vani, ſcilicet, timoris nullam eſſe aeſtimationem, repetitur *lib. 50. tit. 17. cap. 184.* [*l. vani 184. D. de diverſ. regul. jur.*] immutato verbo, *aeſtimatio*; nam illic *excuſatio* legitur: aeſtimationem tamen mallem. Nam judex vanum timorem aeſtimare & admittere non debet, nec ejus rationem habere.

CAPUT CLIV.

AMbigit nemo *cap. 22. lib. 13. tit. 7.* [*l. ſi pignoris 22. verſ. Sed quod ipſe. D. de pign. act.*] & *cap. 79. lib. 47. tit. 2.* [*l. ſi debitor 79. D. de furt.*] ingeminata; utpote, quae eodem tendant, pertineantve: nec movet, quod diverſorum ſint Juriſconſultorum. In illo enim verba ſunt Ulpiani, recitantis Papiniani ſententiam, ex lib. 9. Quaeſtionum: quid igitur relatu geminato opus fuit? Ipſe dijudica. Nec conjungenda putem, quod quidam ſentiunt, cum eadem ſint. Porro jungi debent, quae ductili quadam via, & methodo tractanda ſunt.

CAPUT CLV.

C*Aput 29. lib. 45. tit. 1.* [*l. ſcire 29. D. de verb. oblig.*] & *cap. 32. lib. 21. tit. 2.* [*l. quia dicitur 32. D. de evict.*] ex eodem fonte dimanantia, eodemque pertinentia, deque plurium ſtipulationum conceptu loquentia, ſolis fere exemplis diſſident, & tanquam genus a ſpecie. Caeterum utrumque *na-*

PARDULPHI PRATEJI JCti
JURISPRUDENTIAE MEDIAE
LIBER SECUNDUS
OMISSIONUM.

CAPUT I.

Disciplinarum, atque adeo rerum omnium tractationem a definitione exordiendam, M. Cicero ſcriptum reliquit, ut ſciatur (inquit) id, de quo disputetur. Eſt autem definitio (ſicut in ea re teſtis eſt M. Fabius *lib. 7. cap. 4.*) rei propoſitae propria, & dilucida, & breviter comprehenſa verbis enunciatio. Definitio explicat, quid ſit. Eam in explicandis artibus, & perutilem, maximeque neceſſariam tradidere Plato & Ariſtoteles, duo totius philoſophiae lumina. Mirum eſt igitur, cur de jure disputaturi Tribunianus, ejusque collegae, in libris Inſtitutionum Juſtiniarum, futuris Jurisconſultis & novis (ut ait Juſtinianus *in Prooemio Digeſtor. δ̔ιμ primo*) Juſtinianiſtis, tradendarum juris definitionem praetermiſerint. Quod igitur ab illis omiſſum eſt, ab Ulpiano *l. 1. D. de juſt. & jur.* accipias, velim ex Celſo, ita definiente, *Jus eſt ars boni, & aequi.* Scio plurimos definiſſe, quos prudens praetereo. Merito autem *δίκαιον* a Graecis appellatur jus.

CAPUT II.

ADſolent, qui rem quamlibet dilucide explicare cupiunt, rerum partitione uti: ea ſiquidem attentiores, & dociliores fiunt auditores, lectoresve, ut ex M. Fabio *lib. 4. cap. 5.* obſervare adnotavi. Porro per eam adparet, quid, quave de re dicturi ſumus. Memoriam quoque ea juvari tradit Fabius. Obſervanda eſt interim partitionum lex potiſſimum, ut ne quid promiſſorum praetereat, qui partitione uſus eſt: hoc enim, ut periculoſiſſimum, ita turpiſſimum. Hoc autem Julium Paulum non latuiſſe certo certius eſt. Is igitur *de uſucapione* dicturus, ita eam tractationem partitus eſt: *Sequitur,* inquit, *l. 4. D. de uſucap. de uſucapione dicere, & hoc ordine eundum eſt, ut videamus quis poſſit uſucapere, quas res, & quanto tempore.* Omnia haec membra exequutum ex profeſſo Paulum adfirmare auſim: at Tribunianus *ἄτακτα* immiſcuit ac confudit, perſonas rebus interjecit: & (quod aegre ferendum eſt) temporis, quo tota uſucapionum vis conſiſtit, tractationem praeterit. Hoc autem ex *lib. 5. receptarum Sententiarum, tit. 2.* eſt petendum; cum libri ejusdem ad Edictum perierint: nec ſibi ipſe reclamare videri poteſt Paulus *dict. lib. 5. tit. 2. §. 3.* Is igitur *Longi,* inquit, *temporis praeſcriptio inter praeſentes continuo decennii ſpatio, inter abſentes vicennii comprobenditur.* Hanc Pauli ſententiam, ab ipſo Juſtiniano & probatam & declaratam, ſcripſi *lib. 4. veteris Jurisprudentiae,* lege XII. Tab. decima ſeptima. Uſucapionem autem definit Ulpianus *in Epitome, tit. 19. δ̔ιμ. uſucapio 8.* *Uſucapio eſt dominii adeptio per continuationem anni, vel biennii: rerum mobilium, anni; immobilium, biennii.* Tantundem autem temporis uſucapioni praeſtituerat lex decemviralis: cujus haec verba ſunt, *Uſus & autoritas fundi biennium eſto: caeterarum rerum uſus, annuus eſto.*

CAPUT III.

SCio Julium Paulum *lib. 1. Sententiarum tit. 19. §. 2.* ſcripſiſſe receptum fuiſſe, *ex iis cauſis, quae infitiatione duplantur, pacto decedi non poſſe:* hunc tamen articulum, qui *ἐν τῷ τάξει* accidit, praetermiſerunt *πανδεκτῶν* architecti *lib. 2. Digeſtorum, tit. de pactis*; ubi propria ejus ſedes: nec ullae ſuperſunt usquam ejus in eis reliquiae. Quod ait Paulus, hac ratione confirmo. Eum enim, qui infitiatus eſt, dolo non carere, ex Pauli noſtri ſententia liquido conſtat, *l. ſi quis infitiatus 13. D. depoſit.* Atqui *nullo pactione effici poſſe, ne dolus praeſtetur,* idem *l. ſi unus 27. §. illud 3. D. de pact.* ſcribit. *Contra negantem, ex lege Aquilia, ſi damnum per injuriam dedo ſe probetur, dupli condemnationem procedere,* reſcriptum eſt *l. contra 4. C. ad leg. Aqu.* Reliquas actiones, quae infitiatione duplantur, recenſet Imperator *§. ſed furti 26. Inſtit. de action.*

CAPUT IV.

NEceſſario ſpectandam in integrum reſtitutionis definitionem praetermiſit Tribunianus, quae initio *tit. 1. lib. 4. cap. 1* [*l. 1. D. de in integr. reſt.*] definienda erat. Hanc autem ita definit Paulus *lib. 1 recept. Sentent. tit. 7.* *Integri reſtitutio eſt, redintegrandae rei, vel cauſae actio.* Quam Pauli definitionem probare viſus eſt Ulpianus, *l. metum 9. δ̔ιμ. pen. D. quod met. cauſ.* in haec verba: *Ex hoc edicto reſtitutio ita facienda eſt, id eſt, in integrum, officio judicis, ut ſi per vim res tradita eſt, retradatur.* Quod ſi hoc definitionis inſtar eſſe dicas, debuit ſaltem ſuo loco collocari. Sed adhuc & finita res definitione latius patet. Obſervandum autem interea eſt eam ex bono aequove dimanare: quod & Terentius his verbis expreſſit *in Phormione, Act. 2. Scen. 4. v. 10.*

——— Quod, te abſente, hic filius
Egit, reſtitui in integrum aequum eſt & bonum

CAPUT V.

VEriſimile mihi fieri quoquo modo nequit, veterum Jurisconſultorum quenquam de pace, ejusque conditionibus, ac cauſis, & obſervatione non edisſeruiſſe, foedera toties a populo Romano percuſſa minime tractaſſe: cum & pacis meminerit Ulpianus *lib. 4.* ad Edictum, *l. 1. & l. 5. D. de pactis,* & in pace poſtliminium eſſe dixerint Pomponius lib. 37. ad Q. Mucium, *l. 5. D. de capt. & poſtl.* & Tryphoninus, *l. in bello 12. D. eod.* Omiſſam igitur hanc tractationem perutilem a Tribuniano & collegis, ut & alia pleraque, veriſimilius eſt. Sed de his aliquando.

CAPUT VI.

OMiſſum quid in Pomponii reſponſo *l. 7. §. hodie 6. D. de minor.* aut ſuperfluere liquido conſtat: *Hodie,* inquit, *certo jure utimur, ut & in locum minoribus ſuccurratur.* Pomponius quoque lib. 28. *ſcribit, eiſi ſine dolo conjugem legatum repudiaverit,* vel

in

in optionis legato captus ſit, dum eligit deteriorem: vel, ſi duas res promiſerit, illam, aut illam, & pretioſiorem dederit, debere ſubveniri, & ſubveniendum eſt. Haec poſtrema verba aut ſuperfluunt, aut quid deſiderari arguunt; quod magis exiſtimo: caſusque lucri cujuſdam omiſſus eſt, veluti haereditatis, aut legati. Lucrativas enim has cauſas appellant divi Principes, *unica. C. de impon. lucr. deſcript.*

CAPUT VII.

ARticulum juris civilis pernoceſſitrium, ſaepiſſimeque evenientem, omiſerunt architecti & πανδεκτῶν & Codicis Juſtinianci: quem tamen a veteris juris ſcriptoribus, autoribusque prudentiſſimis praetermiſſum minime putem. Eſt autem hic: Qui liberos, eosve, quibus ſuccedendi ſpes inceſſerit, expoſuerint, eorum ſucceſſione indignos eſſe, & haereditatem eis auferri debere, reſponſis conſtitutionibusve quibusdam exprimere debuerant compoſitores. Hoc enim frequenter & facile evenit: conſtituenda igitur ex eo lex erat, ut ut Celſus *l. nam ad ea 5. D. de legib.* Nam etſi ex variis reſponſis, reſcriptisve hoc colligi & ex ſententia poſſit, & ex verbis; ſpecialiter tamen hoc exprimi debuit. Scio hoc colligi poſſe ex *cap.* 3 *lib.* 34. *tit.* 9. [*l.* 3. *D. de iis, quib. ut indign.*] Ex *cap.* 2. *Θεμ.* 21. *lib* 38. *tit.* 17. [*l.* 2. *§. ſi mater* 21. *D. ad Tertyl.*] Eſt autem exponere, quod a Graecis recte dicitur ἐκτιθέναι, ſorti & fortunae committere, & omnino abjicere. Quale eveniſſe Romae, T. Livius teſtis eſt, *lib.* 1. *cap.* 4. *In alueo, ubi nunc ficus ruminalis eſt, pueros exponunt.* Hoc ſaepe in Gallica Corintho factum accepi, ubi meretriculae, pro foribus orphanotrophiorum, puerulos miſere exponunt & abjiciunt.

CAPUT VIII

LEgatos authoritate publica ad Graecas civitates miſſos a populo Rom. Livii & Pomponii [*l.* 2. *D. de orig. jur.*] authoritate conſtat, ad petendas, quibus fundaretur civitas, leges: multasque acceperunt, a Solone potiſſimum: idque collatis ejus, & XII. Tabularum legibus manifeſto liquet: quod *lib.* 2. & 4. *veteris Jurisprudentiae* collegimus, & explicuimus. Solonem autem de apibus legem tuliſſe, refert Plutarchus in *eodem*. Legis haec verba ſunt: Μελισσῶν σμήνη καθιστάμενον ἀπέχειν τῶν ὑφ' ἑτέρου πρότερον ἱδρυμένων πόδας τριακοσίους. Hanc legati acceperunt, id quod veriſimile eſt. quum e re eſſet, & in XII. Tabul. tranſlatam non addubito: ſed, ut aliae permultae, non extat. Huncque juris articulum perneceſſarium, utpote quum ſaepiſſime lites ex eo negotii genere oriantur, praetermiſerunt compoſitores. Alveariorum autem ſedes, & ſtationes ita deſcribit Virgilius *lib.* 4. *Georg. v.* 8. *ſeqq.*

Principio ſedes apibus, ſtatioque petenda,
Quo neque ſit ventis aditus (nam pabula venti
Ferre domum prohibent) neque oves hoedique petulci
Floribus inſultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, & ſurgentes atterat herbas.
Abſint & picti ſqualentia terga lacerti
Pinguibus a ſtabulis, Meropes, aliaeque volucres,
Et manibus Progne pectus ſignata cruentis,
Omnia nam late vaſtant, ipſasque volantes
Ore ferunt dulcem nidis immitibus eſcam.
At liquidi fontes, & ſtagna virentia muſco
Adſint, & tenuis fugiens per gramina rivus. &c.

CAPUT IX.

QUum procurator & cognitor diffideant, tanquam genus & ſpecies. Procuratoribus etenim cognitores contineri, commixtis Julii Pauli ſententiis, *lib.* 1. *tit.* 2. *ſent.* 1. & *tit.* 3. *ſent.* 2. conſtat. Cognitorum igitur tractatus praetermittendus non erat. Non enim duos diverſos titulos feciſſet Paulus *lib.* 1. *Sententiarum*, unum *de cognitoribus*, alium *de procuratoribus*, niſi diverſi eſſent. Utriusque autem tractationem ex eodem Paulo tranſcribere poteris. Qui in genere ita ab hoc ſcriptum ſcio *lib.* 1. *tit.* 2. *Omnes infames, qui poſtulare prohibentur, cognitores fieri non poſſunt, etiam volentibus adverſariis. Foeminae in rem ſuam cognitoriam operam ſuſcipere non prohibentur. In rem ſuam cognitor, procurator ve ille fieri poteſt, qui pro omnibus poſtulat.* Subjicit idem Paulus *ejusdem lib.* 1 *tit.* 3. *Mandari poteſt procuratio praeſentibus & nudis verbis, & per literas, & per nuntium, & apud acta praeſidis, & magiſtratus. Procurator aut ad litem, aut ad omne negotium, aut partem negotii, aut ad res adminiſtrandas datur.* Quod ait Paulus procurationem praeſentibus mandari poſſe, ut verum eſt, ita a veteribus receptum. Falſum igitur eſt, quod quidam ajunt, procuratorem abſentis tantum eſſe. Cognitorem autem definit vetus *Codicis Theodoſiani* interpres, cui ſine mandato cauſam ſuam agendam praeſens, praeſente judice, litigator injungit. Extant & *de cognitoribus* duae conſtitutiones *l. pen.* & *fin. de cogn.* & *procur.* in *Cod. Theodoſ. lib.* 2. *tit.* 12. quas huc tranſcribere vaniſſimi eſſet operis.

CAPUT X.

PRaetermiſſus fuit a compoſitoribus juris civilis articulus, ob idque in falſam ſententiam rapti feruntur interpretes, ajentes, Legatum, ſive (ut ipſi appellant) delegatum, ſententiam a ſe latam exequi non poſſe: cujus rei fortiſſimum eſſe argumentum adſeverant, quod in haec verba ſcribit Ulpianus, *l. a divo Pio 15. D. de re judic. A divo Pio reſcriptum eſt magiſtratus populi Romani, ut judicum a ſe datorum, vel arbitrorum ſententiam exequantur hi qui eos dederint.* Ergo, inquiunt, a contrario ſenſu delegati non poſſunt exequi ſententias a ſe latas. Verius tamen eſt, quod ait Paulus *lib.* 5. *Sentent. tit.* 5. tametſi a Pandectarum architectis praetermiſſum ſit: *Res judicatae*, inquit *exequentur ab his, qui imperium, poteſtatemque habent, vel qui ex autoritate eorum inter partes dantur* &c. Neque hoc divus Pius, nec Ulpianus negant. Hujus rei ratio duplex adferri poteſt. *Cum juriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa videri*, ait Javolenus *l.* 2. *D. de juriſdict.* ſine quibus juriſdictio explicari non potuit. Sed & qui vicem judicis, vel praeſidis gerit, *omnia, quae ad officium rectoris provinciae pertinent, agitare* poſſe, Imperatores reſcripſerunt; *l. fin. C. de offic. ejus, qui vic. alt. gerit.* Nec ſubſiſtimus fortiſſimo illo argumento, a contrario ſenſu, cui locum non eſſe prodiderunt omnes interpretes, ſi contrarium ejus jure cautum ſit: quod Baldus, & Salicetus ad divorum Severi & Antonini conſtitutionem *l.* 2. *C. de condit. inſert.* ajunt; quo etiam propendet Bartolus ad Cajum *l. omnes pop.* 9. *D. de juſt.* & *jur.* atque ita reſpondit L. Romanus *conſil* 392. *circa primum. in fin* Bartholomaeus Socinus *reg.* 28. *fallent.* 2. *in lib. Reſtrictionum.* Quid plura? hoc jure utimur, ut legati praeſidum ſententias ſuas exequantur.

CAPUT XI.

QUum jus civile in IV. Inſtitutionum libris tyronibus tradi juſſerit Juſtinianus, & jus publicum perdiſcere, & perutile, & maxime neceſſarium ſit, mirari ſatis non poſſum, quo conſilio primam juris θέσιν, in qua de jure publico latiſſime patente ediſſeritur, praetermiſerint architecti, ſolis judiciis publicis, & criminum perſecutionibus contenti. Quod variis in locis πανδεκτῶν ſparſum, ac diſſectum, aliquando coëgi. Longum nimis eſſet eos locos obſervare, & tranſcribere. Primum autem de jure publico ediſſerendum: deinde de priva-

to;

to; Platonis ſententia eſt, *Dialog.* 9. *περὶ νόμ.* Publicum enim praecipuum in civitate bonum eſt.

CAPUT XII.

PUblico jure antiquitus conſtitutam formam immutari non poſſe, Julianus *l.* 5. §. 7. *D. de admin. tut* ſcripſit. Qui igitur, ut ejus ſententia conſtat, negotia aliena geſſerunt, rationem reddere debent, quibus matrem connumerari receptum eſt. Idque Paulus noſter ſcribit *lib.* 1. *Sentent. tit.* 4. §. 4. in haec verba: *Mater, quae filiorum ſuorum rebus intervenit, actione negotiorum geſtorum cogitur reddere rationem, & ipſis, & eorum tutoribus.* Hanc ſententiam ad ſolos impuberes pertinere, exiſtimarunt quidam obſervatores, qui verba amplexantur. Etſi lex de tutoribus tantum loquatur, ſententia tamen ac mente cujuscumque aetatis liberos comprehendi putem: quae ſententia propter autoritatem juris publici habet aequitatem: cujus rei argumento eſt divi Alexandri reſcriptum, *l. alimenta* 11. *C. de negot. geſt.* Quod receptum Paulus temporibus ſuis, ait, hodie uſu ſaepe evenit: quo fit, ut mirari ſatis nequeam, cur hic articulus a Triboniano & collegis praetermiſſus ſit. Hujus nec in Pandectis, nec in Codice Juſtinianeo ullae ſuperſunt reliquiae.

CAPUT XIII.

LEgem Juliam judiciorum, ſive publicorum, ſive privatorum a C. Julio Caeſare latam, Tranquillus *in eo* refert. Hujus multa fuiſſe capita de diffiſionibus, comperendinationibus reorum (ſic apud Gellium legendum *lib.* 14. *cap.* 2.) de judicum aetate, dignitate & conditione, de forma & conſuetudine judiciorum, & publicorum, & privatorum, & aliis legitimis rebus. Quae omnia, ut a Juriſconſultis explicata, ita a Tribuniano & collegis inducta, antiquata, aut certe praetermiſſa fuere; ut quidam docte obſervarunt. De aetate quidem judicum Calliſtratus *l. cum lege* 41. *D. de arbit.* ne minor XX. annis judicet, refert ad compromiſſarios judices producens. At reliqua ejus legis capita, ejusve interpretamenta omiſſa fuerunt. Multa etiam edictorum Praetorum, & Senatusconſultorum, & legum fragmenta, ut omiſſa integra capita ſubticeam, truncata fuerunt a Tribuniano, usque adeo, ut vix ſenſum elicere poſſet acutiſſimus Papinianus.

CAPUT XIV.

DIvi Hadriani literarum pars recitatur *lib.* 5. *tit.* 1. *cap.* 48. [*l. pars* 48. *D. de judic.*] in haec verba: *Τοὺς ἄρχοντας ἐν ᾗ ἄρχουσιν ἐπαρχίᾳ μηδὲ εἰσιέναι ἄλλην ἰδίαν μηδὲ δικάσοντας, μηδὲ φυγόντας, μηδὲ τὸ περὶ ὧν ἐπιτροπεύει, ἢ κηδεμονεῖ ὅσον προσήκουσιν ἐπειδὰν δὲ δέξηται ἡ ἀρχὴ, καὶ αὐτοῖς πρὸς τοὺς φεύγοντας, καὶ τοῖς φεύγουσι πρὸς αὐτοὺς εἰσαγωγίμους εἶναι τὰς δίκας.* Mirari ſatis nequeo, cur orationem integram non recitarunt architecti. Nec movet, quod quidam ajunt, id ſolum, quod ad rem pertinet, recitandum, ut alibi proditum ſcio. Nam quod deſideratur, nullibi extans partem hanc explicaret. Majorem feror in admirationem, cur Pauli explicationem ac interpretationem praetermiſerint. Epiſtulam enim hanc enucleaſſe Julium Paulum, argumento eſt *capitis* 48. *de judic.* inſcriptio. Sed haec aliquando.

CAPUT XV.

SCribit Ulpianus lib. 17. ad Sabinum, ut in Pand. Florentinis, *l.* 9. §. 2. *D. de uſufr.* refertur: *ſed ſi haec metalla poſt uſumfructum legatum ſint inventa, cum totius agri relinquatur uſusfructus, non partium, continentur legato.* Verba haec, *Sed ſi*, vox, *haec*, quae relativa, demonſtrativaque eſt, ipſa quoque facti ſpecies liquido oſtendunt, articulum unum a Tribuniano & collegis omiſſum; nempe metalla legata fuiſſe, & genera eorum aliquot ab Ulpiano connumerata. Quod non perſpicientes pleraque novas lectiones, rejecta Florentina, excogitarunt. Nam quidam ita legunt, *ſed etſi*: alii, *ſed ſi & metalla.*

CAPUT XVI.

AD hanc *Omiſſionum* claſſem non inepte referentur tituli aliquot, qui (ut tractationes ipſae liquido indicant) mutili mihi viſi ſunt. Principio in titulo, *Quemadmodum ſervitutes amittuntur*, deſiderari haec verba, *retinentur*. Ex variis hujus tractatus capitibus conſtat 20. [*l. uſu* 20 *D. eod.*] & 5. [*l. ſervitus* 5] quae ad geminatorum numerum referri, ob fructuarium repetitum, poſſunt. Nec movet, quod ſuo contrario, ſcilicet, amittuntur: verbum, *retinentur*, intelligi poſſit, ut contrariorum eadem ſit diſciplina, *l.* 1. *D. de iis, qui ſunt ſui, vel alien.* Nam (ut ait Alciatus *Rub. D. de off. ejus, cui.* cujus ſententiae ſubſcribo) rubrica debet eſſe generalis ad nigrum; idque Ulpianus lib 26. ad Edictum *l.* 1. *D. cert. pet.* ſcripſit. In eadem cauſa eſt titulus, *De aqua, & aquae pluviae*, cui addendum cenſeo, *& aquae ductu.* ut late docui *lib.* 1. *Catapodiſm. de aqua & aq. pluv. arcend.* Nec verbo communiſſimo, *aqua*, ſubſiſtimus, quod latius, quam pluvia pateat, & ſic aquam ductilem comprehendat. Nam & ad ſtillicidium &c. pertinere poſſet: ideoque, ut tractatui congruat, ex ſententia Hermogeniani *l.* 2. *D. de ſtat. hom.* addi debuit, *& aquae ductu.* In noviſſima quoque Juſtiniani *conſtit.* 118. quae ita inſcripta eſt: *ὡς τάξις ἀναιροῦσα τὰ* adgnatica, *καὶ τιθεῖσα τὰ ἐξ ἀδιαθέτου κλήρους.* addenda haec eſſe, *καὶ νομίμους ἐπιτροπάς*, cenſeo: idque ſuadet *Θεμ. ἐξ ὧν* 5. *Ἐξ ὧν* (inquit) *δὲ περὶ τῆς κληρονομίας εἰρήκαμέν τι, καὶ διατυπώσαμεν, καὶ τὰ περὶ τῆς ἐπιτροπῆς δῆλα καθέστηκε.* In cujus Latinam verſionem commentaria libro ſingulari edidi, in aedibus patriis ſcripta, quo tempore, cauſas agens in foro Auguſtobuconiatum, jura civilia privatim repetebam.

PARDULPHI PRATEJI JCti
JURISPRUDENTIAE MEDIAE
LIBER TERTIUS
INVERSIONUM ET CONCISORUM.

CAPUT I.

TRansgrediamur ad inverſa & conciſa, utamurque Virgiliana querimonia, *Georg. lib.* 1. *v.* 199.

—— —— Omnia fatis
In pejus ruere, & retro ſublapſa referri.

Omnia enim, quae Q. M. Scaevolae, Salviique Juliani artibus, ac methodo concluſa erant, Tribunianus & collegae diſſiparunt, atque diſſecuerunt: idque ita conciſe, ut miros inter interpretes conflictus, & *ἀντινομίας* pepererint. Tribunianum autem nullam ordinis, aut methodi rationem habuiſſe, in tractandis titulorum argumentis, & ipſos etiam titulos ſine ullo ordine in Pandectis conjeciſſe, ſcribit F. Duarenus, *in Epiſt. de ratione docendi juris.* Nam Juſtiniani juſſu, ex variis Theſmothetarum, veterumque juriſprudentum monimentis, confuſaneos centones conſuerunt, mutilaque adverſaria effecerunt, Solem in tenebras conjicientes: quicquid comminiſcatur J. Droſaeus, in ſua *univerſi juris methodo.* exiſtimans a M. Cicerone *lib.* 1. *de Oratore* cogitatam artem a Juſtiniano praeſtitam: quod mihi veriſimile non ſit; tametſi numerorum naturam, & artem reſpexiſſe ſe dixerit Juſtinianus *l.* 2. *C. de veter. jur. enucl.* At vero digeſtio illa in ſeptem articulos, tum Graece, tum Latine, ab ipſo diſtributa ſublevari non poteſt: unum enim ex alio minime pendet; coagmentata non cohaerent. Idque illius diſtributionis ſerie, ordine, ductuque edocemur. Porro M. Cicero *lib.* 1. *de oratore cap.* 42. jus civile ita tractandum, atque in artem redigendum veriſſime cenſuit: *Primum*, inquit, *omne jus civile in genera, quae perpauca ſunt, digerat: deinde eorum generum quaſi quaedam membra diſpertiat: tum propriam cujusque vim definitione declaret.* Ductili hac via jus Q. Mutium Scaevolam, & Salvium Julianum tradidiſſe adfirmare auſim: tametſi eorum ſcripta non extent. Equidem, quantum conjectura arti conſentanea adſequi poſſum, eos in hunc, qui ſequitur, modum jura in artem redegiſſe, & methodice tractaſſe puto. Jus in duo ſumma genera diducitur, in publicum & privatum: quod & Ulpianus *l.* 1. §. 2. *D. de juſtitia & jur.* probat, poſitiones appellans. *Publicum jus ad ſtatum rei Romae ſpectans, in ſacris, ſacerdotibus, & magiſtratibus conſiſtit.* Porro de jure publico primum ediſſerendum, optimo jure cenſuit Plato *Dialog.* 9. *περὶ νόμ.* quod & partitionis ordo ſuadet. Juris igitur publici genera digerenda ſunt, res ſacrae, ſacerdotes, magiſtratus; horum imperia, juriſdictio, criminum perſecutiones, poenae, jus fiſci, militaris res, teſtamenta, & militum, & paganorum, munera, res, quae ad civitates pertinent, municipales, opera publica, & caetera id genus: quae omnia juris publici eſſe liquido conſtat iis, qui jus civile perluſtrarunt. Deinde *jus privatum ex naturalibus praeceptis, gentium, & civilibus* collectum diſpertiet. Et *cum omne jus* (ut ait Hermogenianus *l.* 2. *D. de ſtat. hom.*) *hominum cauſa conſtitutum ſit, primo de eorum ſtatu dicendum. Omnes enim aut liberi, aut ſervi ſunt.* Quae ad perſonas ſpectant, explicari debent tutelarum genera; tutoriam vim, & poteſtatem, & officia digeret Juriſconſultus. Subinde de rebus ediſſeret: hae ſunt aut divini aut humani juris. Quae humani juris, aut publicae aut privatae. Quae divini juris ſunt, aut publicae, ad juris publici tractationem referri debent. Rerum etiam quaedam corporales; quaedam incorporales: hae in jure conſiſtunt, ut haereditas, bonorum poſſeſſiones, ſervitutes, uſusfructus, obligationes. Res qui quaerantur, conſerventur, & minuantur, amittanturve, declarabit. Ad actiones, quae aut in perſonam aut in rem ſunt, devolabit, ſingulas in ſua genera diſtribuens. Poſtremo, cum hae in judiciis intendantur, exerceantur, expliccenturve, judicia ipſa, quae & inter munera publica refert Paulus *cap.* 78. *lib.* 5. *tit.* 1. diducet, quique contrahantur, & ſolvantur docebit; ad ſententias deveniens, de appellationibus, earumque vi diſceptaturus; his injuſtis pronuntiatis, res judicatas fieri coget: atque ita poſteriore loco de ſententiarum rerumve judicatarum effectu ediſſerendum. Singulorum autem generum vis latens expendenda eſt, ſicut in ea re teſtis eſt M. Cicero.

CAPUT II.

VEterum Juriſconſultorum verba aptiſſima propriaque invertit Tribunianus. Principio, *manum*, in *matrimonium* immutavit, in Papiniani *l.* 15. *D. de rit. nupt. l.* 121. §. 1. *D. de verb. oblig.* non ſemel, & Ulpiani *l.* 19. *D. de juriſdict.* reſponſis: cum eos, *in viri manum*, legiſſe apud vetuſtiores, & ſcripſiſſe veriſimilius mihi fiat. Sic autem loquutum Ulpianum, argumento eſt, quod *in Epitome tit.* 9. ſcriptum reliquit: *Farre conveniunt in manum certis verbis.* Quem locum eleganter, & vere explicat Boethius ad M. Ciceronis *Topica.* Cum autem mulier in viri manu & poteſtate ſit, ut ſaepiſſime teſtantur Hagiographa, non debuit mutari vox, *manum* in *matrimonium*, ut docui *lib.* 2. *veteris Juriſprud. cap.* 37. *ad Solonem.* Hinc Apoſtolus 1. *Corinth. cap.* 11. *v.* 3. θέλω δὲ ὑμᾶς, inquit, εἰδέναι, ὅτι παντὸς ἀνδρὸς κεφαλὴ, ὁ Χριστός ἐστι, κεφαλὴ δὲ γυναικὸς ὁ ἀνήρ. & Hieronymus *c. cum caput* 33. *q.* 5. *Mulier*, ait, *ex lege Dei viro ſubjecta eſt.* Quod ſi Tribuniani lectionem ferre velimus, fateri cogemur, matrimonium ſolo viro contrahi. Rectius igitur ſic in Papiniani reſponſo legas: *Mulier ab eo, in cujus manum convenerat, ſtipulata fuerat ducenta &c.* Manus autem, apud claſſicos rerum ſcriptores, accipiuntur pro poteſtate. Lucanus *lib.* 7. *Pharſ. v.* 253.

In manibus veſtris, quantus ſit Caeſar, habetis.

Hinc manumiſſiones dici coeptae ſunt.

CAPUT III.

NUnquam mihi perſuadere potui, H. Modeſtinum, Graecae linguae peritiſſimum, hac voce *ἀγωνοφόρον.* pro *ἀγροφόρον* uſum fuiſſe; ſed architectos ita repoſuiſſe, argumento ſunt Pandectae Floren-

rentinae in *cap.* 34. *lib.* 31. Θεμ. 1. [*l. Titia* 34. §. *Lucius* 1. *D. de leg.* 2.] cum ipſa facti ſpecies, reſque ipſa ſuadeat, ἀγνοφόρον, legendum: Ἐξαίρετον βούλομαι αὐτὴν παρ' ἑαυτῷ λαβεῖν θυγατέρα ἀγνοφόρον κεκλημένην, ἣν νῦν ἔχει ἐνδεκαέτις πάσας. Eſt autem ἄγνος plantae genus, ſeu fruticis, apibus gratiſſimum: a T. Gaza redditur vitex, ἀπὸ τοῦ ἁγνεύειν. purum eſſe: caſtitatem ſervo: ob idque in Theſmophoriis, Cereris ſacro, caſtitatem ſervantes mulieres ejus folia ſibi ſubſternebant. Lectionem ſuperiorem primus animadverti in pandoctis.

CAPUT IV.

JUlius Paulus *lib.* 3. *recept. Sent. tit.* 6. §. 76. ita ſcribit: *Avibus legatis, anſeres, phaſiani, gallinae, & aviaria debebuntur.* An autem phaſianarii, & paſtores anſerum? voluntatis quaeſtio eſt. Poſtremorum verborum loco Tribunianus *l. avibus* 66. *D. de legat.* 3. & collegae ita repoſuerunt: *Non continentur: niſi id teſtator expreſſit.* Exiſtimabant fortaſſe hujuſmodi compoſitores, judices non recte exploraturos teſtantis voluntatem, atque usque eo immemores. Atqui *voluntatis quaeſtionem in aeſtimatione judicis eſſe*, divus Alexander reſcripſit, *l. voluntatis* 7. *C. de fideicomm.* Voluntatem aequitate tuebitur judex: qua de ra ſcribit M. Fabius *lib.* 7 *cap.* 6. Voluntas ex praecedentibus eluceſcet. Quae cum ita ſint, voluntati relinquendum erat, quod Paulus dixerat. Quinimo voluntatem teſtantium legi praeferendam, Ulpiani ſententia comprehenſum ſcio, *l. ex eo* 13 *D. de trit. vino & ol. Ex eo*, inquit, *vino, quod in illo fundo naſcetur, haeres meus amphoras decem quotannis in annos ſingulos dato. Quo anno notum non fuiſſet, ex ſuperiore anno ejus fundi eum numerum amphorarum haeredem daturum, Sabinus exiſtimat: quae ſententia, ſi voluntas non adverſetur, mihi quoque placet.*

CAPUT V.

IMmutarunt etiam architecti ejuſdem Pauli ſententiam; quam transſcripſerunt ex *lib.* 5. *Sentent. tit.* 11. §. 6. & induxerunt, ſuſtuleruntque vocem, *in infinitum*: quod fieri non debuiſſe, ratio ſubjecta oſtendit. Sic enim Paulus ait: *Ei, qui aliquem a latrunculis, vel hoſtibus eripuit, in infinitum donare non prohibetur, ſi tamen donatio, & non merces eximii laboris appellanda eſt: quia contemplatione ſalutis certo modo aeſtimari non placuit.* Hujus loco ita repoſuerunt Compoſit. *lib.* 39. *tit.* 5. *cap.* 34. [*l. ſi pater* 34. § *fin. D. de don.*] *Si quis aliquem a latrunculis, vel hoſtibus eripuit, & aliquid ab eo, pro eo accipiat: haec donatio irrevocabilis eſt: non enim merces eximii laboris appellanda eſt: quod contemplatione ſalutis certo modo aeſtimari non placuit.* Ratio a Paulo adſignata liquido declarat vocem, *in infinitum*, deleri non debuiſſe: ſed res temperato accipienda erat; non enim τὰ ἄμετρα in ereptorem conferenda ſunt. Sed Pauli ſententiam eo accipiendam putem, ut ei, qui ab hoſtibus, latrunculisve nos eripuit, mercedem dignam praeſtare, aut beneficii gratiam rependere non poſſemus. Quo in genere ita ſcribit M Cicero *lib.* 1. *Offic. cap.* 15. In referenda gratia, ſi modo Heſiodo credamus, debemus *imitari agros fertiles, qui plus multo adferant, quam acceperint.* In infinitum donare igitur accipere debemus, ſine ulla rerum temporisque praefinitione; ſed non usque adeo, ut egeamus, aut ut quarta liberis a natura debita exhauriatur. Talis enim donatio ferenda non eſſet.

CAPUT VI.

SI quis ex Codicibus tribus, Theodoſiano, Gregoriano & Hermogeniano, Novellis Theodoſii, Valentiani, Martiani, Majorani, & Severi transſcriptas in Codicem Juſtinianeum conſtitutiones, collatis omnibus, perluſtraverit, inverſa permulta, detracta pleraque, interjecta quaedam, vel minimo negotio deprehendet. Quod an neceſſarium, utileve fuerit, tibi cogitandum relinquo.

CAPUT VII.

NEmo ſanae mentis negabit, quin titulorum *de captivis & poſtliminio reverſis*, & *de re militari*, ordo ſit praepoſterus. Titulis enim *de re militari*, praeponi debuit titulo *de captivis*: cum in conflictu belloque, dumque cominus pugnatur, milites ut plurimum capi ſoleant, atque ita fieri captivi. Nec movet, quod in pace poſtliminium eſſe Pomponius *l.* 5. *D. de capt.* dixerit: & captivos, & ſervos dici eos, qui apud hoſtes non ſunt, cenſeat: ars tamen imitatur naturam. Nam, ut ait Fabius *lib.* 2. *cap.* 17 *omnia, quae ars consummavit, a natura initia duxerunt.* Ipſam enim rerum matrem optimam appellavit M. Cicero *Paradoxo* 1. Errari, ea duce optima, nullo modo poſſe, idem *lib.* 1. *de legibus*, tradit. Ejus igitur ordo in omni diſciplinarum genere & ſequendus & obſervandus eſt. Bellum ſubſequitur captio: eo itaque ordine tractandae res erant.

CAPUT VIII.

QUum perpetuus orationis ductus, continuaque ſeries intellectum facilem praebeat, res recte atque ordine tractandae ſunt: & Jurisconſultos praeſtitiſſe liquet. *Caput* itaque 32. *tit.* 14. *lib.* 2 [*l. quod dictum* 32. *D. de pact.*] *cap.* 21. [*l. & hoc edi* 21. *D. eod.*] ſubjungi debuit: quod & res ipſa ſuadet: cum etiam utrumque Pauli ſit: *Et in rem*, inquit, *pacta omnibus proſunt, quorum obligationem diſſolutam eſſe, ejus, qui paciſcebatur, interfuit. Itaque debitoris conventio fidejuſſoribus proficiet.* Bis ſubjiciendum erat ex eodem Paulo: *Quod dictum eſt, ſi cum reo pactum ſit, ut non petatur, fidejuſſori quoque competere exceptionem, propter rei perſonam placuit, ne mandati judicio conveniatur.*

CAPUT IX.

SIc *cap.* 48. *lib.* 2. *tit.* 14. [*l. in traditionibus* 48 *D. de pact.*] ſubnecti debuit *cap.* 43. *ejusd. in tit. & lib.* [*l. in emptionibus* 43. *D. eod.*] etſi diverſorum ſint Jurisconſultorum. *In emptionibus*, inquit, Paulus, *ſcimus quid praeſtare venditor* (ſic enim legendum, non *debitor*, ut in P. Flor.) *debeat, quidque ex contrario emptor. Quod ſi in contrahendo aliquid exceptum fuerit, id ſervari debebit.* Subjici ex Cajo debuit: *In traditionibus rerum quodcunque pactum ſit, id valere manifeſtum eſt.* Quo in genere ita decemvirali lege cautum ſcio: *In contractibus ea praeſtantor, quae lingua nuncupata ſunt.* Hanc legem ad omne genus contractuum pertinere exiſtimo: idque tradidi *lib.* 4. *veteris Juriſprudentiae, cap.* 15.

CAPUT X.

SI ſequenda eſſet Tribuniani & collegarum digeſtio, optima ratione, imo neceſſario *cap.* 59. *lib.* 2. *tit.* 14 [*l. per hos* 59. *D. de pact.*] collocandum erat poſt Θεμ. 3. *cap.* 21. *ejusdem lib. & tit.* [*l. & haeredi* 21. §. *filiaſ.m. D. eod.*] Sic enim ſcriptum eſt in *a. cap.* 59. *Per quos acquiri nobis ſtipulatione poteſt, per eosdem etiam pactis conventis meliorem conditionem noſtram fieri poſſe placet.* Porro patri dominove per filiumfam. aut ſervum ſtipulatione quaeri Ulpiani, *l. ſtipulatio ita* 38. § *alteri* 17. *D. de verb. oblig.* verbis, ſententiaque comprehenſum eſt: cujus ſententiam probat Juſtinianus *lib.* 3 *Inſtit. tit.* 20.

[§. *ſi quis* 4. *Inſt. de inutil. ſtip.*] Quem Juſtiniani locum, ita vertit ejus interpres Theophilus: Ἐάν τις ἑτέρῳ ᾧ δεῖ ἢ ὑπεξίειν ἐπερωτήσῃ ἀναχώρας ἐπερωτᾷ.

CAPUT XI.

SIc *cap.* 60. *lib.* 2. *tit.* 14. [*l. Imperator* 60. *D. de pactis*] ut continua eſſet rerum ſeries, ſubtexere debebant compoſitores *cap.* 8. *ejusdem lib. & tit* [*l. majorem* 8. *D. eod.*] etſi diverſorum ſint Juriſconſultorum. *Majorem*, ait Papinianus, *eſſe partem pro modo debiti, non pro modo perſonarum placuit; quod ſi aequales ſint in cumulo debiti, tunc plurium numerus creditorum praeferendus eſt: in numero autem pari creditorum, autoritatem ejus ſequetur praetor, qui dignitate inter eos praecellit. Sin autem omnia in unam aequalitatem concurrant; humanior ſententia a praetore eligenda eſt: hoc enim ex divi Marci reſcripto colligi poteſt.* Huic ſubnecti debuit Papyrii Juſti reſponſum, cujus haec verba ſunt: *Imperator Antoninus Avidio Caſſio reſcripſit: Si creditores parati ſint partem ex bonis, licet ab extraneo, conſequi, rationem habendam prius neceſſariarum perſonarum, ſi idoneae ſint.* Neceſſarias perſonas eas dici putant Accurſius *gloſſ. d. l. Imperator* 60. & Baldus conjunctas: quorum interpretatio recipi poſſe adfirmare auſim, qui ſignificatus M. Ciceroni plurimus eſt. Neceſſarii a Graecis προσήκοντες adpellantur: quo verbo utitur ſaepe Solon apud Demoſthenem: Ἐὰν δὲ μὴ τὰ χρήματα τῷ ἀποθανόντι τοῖς προσήκουσι τοῦ ἀποθανόντος ἐγχισίδαιν.

CAPUT XII.

SI quis Tribuniani & collegarum architecturam perluſtraverit, centonas multis titulis conſuiſſe eos potius, quam ordine res tractaſſe dicet: quale videmus, & obſervamus in θεμ. 5. *cap.* 21. *tit.* 8. [*l. quid tamen* 21. §. *Papinianus* 5. *D. de arbitr.*] debuit enim, ut res ipſa indicat, collocari poſt θεμ. 1. *cap.* 2. *ejusdem lib. & tit.* θεμ. 5. *cap.* 21. ubi definitur plenum compromiſſum, debuiſſet ſubjungi definitionibus arbitrii, & compromiſſi, ſi ab architectis omiſſae non eſſent. Sed & *verſus* θέματ☉ *plenum* 6. [*ſive* §. 7.] cujus initium eſt, *Non debent autem*, ſubnectendum erat θεμ. 9. *cap.* 21. ubi de loco, in quo ſiſti juſſum erat, edifferitur. Non debet pareri arbitri ſententiae, ſi alio, quam conventum ſit, loco adeſſe litigatores juſſerit. Sed nec illi parendum, ſi in aliquem inhoneſtum locum adeſſe praeceperit, aut non tutum utrique litigatorum.

CAPUT XIII.

JUriſconſultorum verba in inſcriptione *tit.* 4. *lib* 12. *rubric. de condict. cauſ dat. cauſ. non ſeq.* a Tribuniano, & collegis immutata ſcio: rationem non video. Sic enim legerant apud Julium Paulum *l.* 5. *D. de praeſcr. verb. In hac quaeſtione totus ob rem dati tractatus inſpici poteſt.* Sic ergo tractatus ille inſcribendus erat: *De condictione cauſa dati, cauſa non ſequuta*: quam lectionem videtur agnoviſſe Bartolus *in Epitome ad cap.* 1. *lib.* 12. [*l.* 1. *D. de cond. cauſ. dat.*] Dati ob cauſam, cauſa ſequuta, ceſſat repetitio. Illius autem loco ſic Tribunianum legiſſe, argumento ſunt Pandectae Florentinae, & Archetypus; ubi ſic legitur, *De condictione cauſa data, cauſa non ſequuta.* Non enim cauſa datur, ſed res ipſa ſpe cauſae: quae ſi ſequuta non ſit, id, quod ob rem datum eſt, condici poſſe ſaepiſſime, & reſponſum, & reſcriptum eſt. Sed & ita legendum ſuadet Celſus lib. 3. Digeſtorum *l. fin. D. eod. Dedi tibi pecuniam, ut mihi Stichum dares, utrum id contractus genus pro portione emptionis, & venditionis eſt? an nulla hic alia obligatio, quam ob rem dati, re non ſequuta?* Cum *cap.* 1. *tit.* 5. *lib.* 14. [*l.* 1. *D. quod cum eo.*] Digeſt. titulorum, *Quod juſſu*, *De in rem verſo*, & *De peculio*, ſummam, & velut ſcopum contineat; cur titulo, *Quod cum eo*, cui non congruit, interjecerunt compoſitores, non video: negari enim non poteſt, quin ad jam dictos titulos pertineat: quod & Cap. text. docet. Quare poſt exercitoriam, inſtitoriam & tributoriam primo collocandus erat titulus, *Quod juſſu*: deinde *De in rem verſo*, poſtremo velut ſubſidiarius, ut innuit Cajus, *De peculio.* In ſitu igitur capitum & titulorum erratum fuit.

CAPUT XIV.

IMmutarunt etiam idem Pauli reſponſum tranſcriptum ex lib. 77. ad Edictum [*l. ſi feriatis* 36. *D. de arbit.* & *l. ſi feriatis* 6. *D. de fer.*] ut titulus, quibus interjecerunt, congrueret. Nec arbitror, Paulum ita in rebus diverſis ſcripſiſſe. Utrobique enim ſcriptum eſt, *l. ſi feriatis* 6. *D. de fer. Si feriatis diebus fuerit judicatum, lege cautum eſt, ne his diebus judicium ſit, niſi ex voluntate partium &c. Si feriatis diebus, cogente praetore, arbiter dicat ſententiam, & petatur ex compromiſſo poena, exceptionem locum non habere conſtat.* Utraque ſpecies conjungi poterat, & titulo, *de feriis*, interjici; ubi propria ſedes, congruusque ſitus. Quid? quod diverſa magis conjunxere architecti, ut ſole clarius adparet iis, qui jus perluſtrarunt diligentiſſimis oculis.

CAPUT XV.

MArcianus lib 3. Regularum *l.* 1. *D. de ſervit. tit. gen.* ſcribit: *Servitutes aut perſonarum ſunt, ut uſus, & uſusfructus; aut rerum, ut ſervitutes ruſticorum, & urbanorum praediorum.* Titulo igitur generali, ut interpretes loquuntur, *de ſervitutibus*, ſubjiciendi erant tractatus ſervitutum perſonarum, nempe de uſufructu & uſu: deinde ſervitutes rerum tractandae erant. Uſumfructum uniuscujusque rei legari poſſe placuit; idque Paulus ait *lib.* 3. *Sentent. recept. tit.* 8. Rem quamlibet accipere debemus, cujus commercium eſt, quaeve ſit in patrimonio noſtro: idque Senatus cenſuit apud Ulpianum, *l.* 1. *D. de uſufr. earum rer. quae uſu conſ.*

CAPUT XVI.

INverterunt compoſitores Impp. Valentin. & Valentis verba, *l.* 1. *C. de epiſc. aud.* & *l.* 1. *C. de commer. & mer.* & eis more cothurni uſi ſunt: ſed, quoquo ſe vertant, reſcriptum ad titulum, *de epiſcop. audient.* nullo quidem modo pertinet: quod & a quibusdam obſervatum ſcio. Ajunt autem Impp. *Negotiatores, ſi qui ad domum noſtram pertinent, ne commodum mercandi videantur excedere.* Quod ſubſequitur in eadem conſtitutione, initio illius non videtur apte cohaerere. Optime autem in eandem rem recitatur *conſtit.* 1. *lib.* 4. *tit.* 63. [*l.* 1. *C. de commer. & mercat.*]

CAPUT XVII.

REcte diximus, architectos centonas conſuiſſe: quale obſervavi in θεμ. 2. 3. & 4. *cap.* 32. *tit.* 8. [*l. non diſtinguemus* 32. *D. de arbit.*] quae *cap.* 17. *ejusdem tit. & lib.* [*l. item ſi unus* 17. *D. eod.*] interjici debuerant, utpote, quae de cogendo ſententiam dicere arbitro loquantur. Porro ubi ſemel ſuſcepit quis arbitrium, eo perfungi, & ſententiam dicere cogendum a Praetore, Ulpianus *l.* 3. §. 1. *D. eod.* ſcribit.

CA-

CAPUT XVIII.

ACciſum negabit nemo Ulpiani reſponſum recitatum *cap.* 14. *tit.* 2. *lib.* 4. [*l. item ſi* 14. §. 5. *verſ. Pedius. D. quod met. cauſ.*] Sic enim illic ex Pedio refert: *Pedius quoque lib.* 8. *ſcribit, arbitrium judicis in reſtituenda re tale eſſe, ut eum quidem, qui vim admiſit, jubeat reſtituere. etiamſi ad alium res pervenit.* *cum autem* * [pro *etiam* ſumitur] *ad quem res pervenit, etiamſi alius metum fecit. Nam in alterius praemium, certe alienum metum non oportet.* Adjicere ex Ulpiano debebant. Sed ſi res ab altero reſtituatur, utrumque liberari magis eſt: quae ſententia acciſa, ut aequa, ita neceſſaria eſt. Alioquin bis idem exigeret is, cui metus illatus eſt: id quod *bona fides non patitur*; ſicut in ea re teſtis eſt Cajus *l. bona* 57. *D. de reg. jur.* Nec ſublevari poſſunt ſchemate, quod Graecis dicitur, *ἀνταπόδοτον*, vel *ἀνανταπόδοτον*. Id enim exprimi debuerat, ut Ulpianus more ſuo loqueretur. Subauditi enim intellectus periculoſiſſimi ſunt, & ad diverſa rapiuntur.

CAPUT XIX.

GUlielmus Budaeus, Graecarum & Romanarum rerum peritiſſimus, adnotavit truncata, mutilave eſſe *cap.* 36. *lib.* 48. *tit.* 19. [*l. Cicero* 39. *D. de poen.*] & *cap.* 2. *tit.* 11. *lib.* 50. [*l.* 2. *D. de mund.*] quorum illud ex M. Ciceronis oratione; hoc ex Platonis lib. 2. *περὶ τῆς πολιτείας*, ait ſupplendum. Huc enim verba utriusque transſcribere nimis longum eſſet. Optima autem ratione, quae partum medicamentis abegerat, rei capitalis damnata fuit: nam (ut ait Cicero in eadem oratione) *ſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, haeredem familiae ſuſtulit.* Quod ait M. Cicero ad eas, quae puerulos ſtatim, ubi enati ſunt, jugulant, produci poteſt; hocque jure utimur: hujusmodi enim miſerrimas mulierculas furcis figi videmus paſſim.

CAPUT XX.

LAbeonis apud Ulpianum *l.* 1. *D. de dolo.* dolum definientis verba immutavit Tribunianus: nam cum Servius *dolum malum definiſſet machinationem quamdam, alterius decipiendi cauſa, cum aliud ſimulatur, & aliud agitur*, hancque definitionem probaſſet Julius Paulus *lib.* 1. *receptarum ſententiarum*, *tit.* 8. veriſimile non eſt, Labeonem voluiſſe reprehendere Servium, atque ideo praeceptorem hujus C. Aquilium: cujus verba recitat M. Cicero *lib.* 3. *Officiorum.* Quod igitur Labeoni adſcribunt, Tribuniani & collegarum eſſe adfirmare auſim: ſicut & alia permulta paſſim in Pandectis, quae Juſtinianeo nomine circumferuntur.

CAPUT XXI.

NOvum jus edidiſſe, nove, inquam, decreviſſe jactat ſe Juſtinianus [*l. fin. C. de novat.* & §. *pen. Inſt. Quib. mod. toll. oblig.*] veterum voluminum corrector, non ſemel novari obligationes, nec poſſe, nec debere: niſi ſpecialiter remiſerint &c. Idem praedixerat Julius Paulus *lib.* 46. *tit.* 2. *cap.* 29. [*l. aliam* 29. *D. de novat.*] in haec verba: *Aliam cauſam eſſe novationis voluntariae, aliam judicii accepti, multa exempla oſtendunt. Perit privilegium dotis & tutelae, ſi poſt divortium dos in ſtipulationem deducatur, vel poſt pubertatem tutelae actio novetur, ſi id ſpecialiter actum eſt.* Nec movet, quod de dote & tutela dixerit Paulus: nam & ad omnem aliam obligationem hoc produci, argumento erit titulus *de novationibus*, ſecundum quem leges illic interjectae accipiendae ſunt, *l. Imperator* 16. *D. de in diem addict.* & exemplis regulas non reſtringi productum ſcio.

CAPUT XXII.

ACcurſius *gloſſ. l. denique* 19. *D. ex quib. cauſ. maj.* antiquus juris interpres, rectam Papiniani lectionem a Tribuniano immutatam ſenſiſſe viſus eſt, cum poſſeſſionem, id eſt, uſucapionem explicuit. Sic autem ſcriptum eſt, *Denique ſi emptor priusquam per uſum ſibi acquireret, ab hoſtibus captus ſit, placet interruptam poſſeſſionem &c.* Sic legiſſe, ut ſequitur, Papinianum, ſubſequentia verba oſtendunt manifeſto, *Placet interruptam uſucapionem poſtliminio non reſtitui: quia haec ſine poſſeſſione non conſiſtit.*

CAPUT XXIII.

ELeganti Ulpiani reſponſo haec de ſuo adjecit Tribunianus *Θεμ.* 10. *cap.* 1. *lib.* 3. *tit.* 1. [*l.* §. 10. *D. de poſtul.*] *Quas ſub titulo, de in integrum reſtitut. enequemur*: & poſt paulo, *de quibus perſonis ſub titulo, de in jus voca do*, &c. *Caput* 1. *lib.* 30. *Pandect.* [*l.* 1. *D. de legat.* 1.] non Ulpiani, ſed Juſtiniani eſſe ajo: falſa eſt igitur ejus capitis inſcriptio. Sed de his aliquando edisſeremus: *Θεμ. quoque* 1. *cap.* 1. *lib.* 11. [*l.* 1. *D. de interrog. act.*] tituli Tribuniani non eſt; Calliſtrati eſſe Hotomanus admonet ad Cicer. *pro Caecinna.*

CAPUT XXIV.

SCio multa a librario antiquo Pandectis Florentinis interjeciſſe ſupervacanee, quae ſuis locis in enchiridica *πανδεκτῶν* editione indicabimus, duce Deo. Ea autem his aſteriſcis ** incluſa ſunt in editione Florentina: quae omnia ex vulgatoribus Codicibus ab illo antiquo librario deſumpta ſuperfluere deprehendent, vel minimo negotio, qui vetuſtorum ſcribendi modum perelegantem obſervaverint. Illud interea admoneamus, vocem, *legatarie*, fruſtra ab antiquo librario Ulpiani reſponſo *l. quaedam* 9. §. 1. *verſ. Sed ſi ei D. de edend* his aſteriſcis ** interjectam: cum verſus, *ſed ſi ei*, ejusdem reſponſi, & ad eum, cui legaverat argentarius, & ad eum, cui vivus donarat, referri poſſit. Merito igitur ea vox ab Ulpiano adjecta non fuit. Loci praeterea, qui in Pandectis Florentinis (quas authographo ex fide collatas ajunt) his notis * intercluſi ſuſpicione non carentes, non niſi illorum, ex quibus decerpti ſunt, liberorum opera reſtitui poſſunt: ſed quia majorum invidia perierunt, ad Pandectas Graecas perfugiendum. Mutilorum illorum locorum, & truncatorum reſtitutio, quantum ſit utilis, & neceſſaria, noverunt, qui jura civilia publice profitentur, & explicant. Noverunt & univerſa rerum publicarum genera: hoc efflagitant juris civilis ſtudioſi, ut nihil, quod ad ejus cognitionem pertinet, deſiderent.

CAPUT XXV.

CAp. 10. *lib.* 13. *tit.* 4. [*l. fin. D. de eo, quod cert. loc.*] ſtatim poſt *cap.* 8. [*l. centum* 8. *D. eod.*] collocandum ſuadebat ſpeciei fere ejusdem productio & extenſio. Non quod Paulus Africani reſponſum explicet, ut cenſuit Bartolus *d. l. centum* 8. ſed quia ſpeciem Africano propoſitam extendit & producit. Nam Africanus in *d. l. centum* 8. loquitur de fidejuſſore accepto, in ipſo ſtatim initio ſtipulationis. Julius vero Paulus *l. fin. ſupr alleg.* de fidejuſſore accepto poſt moram ſolutionis Capuae faciendae. Conjungenda igitur erant haec capita: neque interjici debuit Ulpiani reſponſum *l. is, qui certo* 9. *D. eod.* ſed apte ſubjici poterat *capiti* 1. *ejusdem lib. & tit.* Nam cum ita ſcripſerat Cajus *l.* 1. *D. eod.* *Alio loco, quam in quem ſibi dari quisque ſtipulatus eſſet, non videbatur agendi facultas competere, &c.*

Digitized by Google

Adjici ex Ulpiano debebant haec verba *d. l. is, qui 9. Is, qui certo loco dare promittit, nullo alio loco, quam in quo promiſit, ſolvere, invito ſtipulatore, poteſt.* Rationi enim conſentaneum eſt, quod in ſtipulatore dictum eſt, idem in promiſſore obſervari: ut aequalitati locus ſit. Hinc dicebat Euripides:

Τὸ γὰρ ἴσον νόμιμον ἀνθρώποις ἔφυ.

Ratio, quam proxime adſignavi, etſi non verbis legis Solonіae, ſententia tamen & mente probari poſſe videtur. Ait enim lex: Ἐνθένδε ἕτερος αἰξιῶν διδόναι, καὶ αὐτὸς ὑπέξει.

CAPUT XXVI.

SUnt, qui putent initium *cap. 25. ad θεμ. πρῶτον, tit. lib. 19.* τ̃ *πανδεκ.* [*l. ſi merces 25. in princ. verſ. Sin autem. D. loc.*] non Caji Juriſconſulti, ſed compoſitorum eſſe, cum eadem reperiantur verba in Juſtiniani *conſtit. 15. tit. 38. lib. Cod. 4* [*l. fin. C. de contrab. empt.*] Equidem Caji verba eſſe adfirmare auſim, ſed ab architectis inverſa, immutatave; nempe mercede in pretium, & locatione in venditionem, ut quodlibet caput ſuo titulo congrueret. Sic autem ſcripſerat Cajus, *Si merces promiſſa ſit generaliter alieno arbitrio, locatio, & conductio contrahi non videtur.* Subjeciſſe deinde Cajum veriſimile mihi ſit. *Sin autem, quanti Titius aeſtimaverit, ſub hac conditione ſtare locationem, ut ſi quidem ipſe, qui nominatus eſt, &c.* Porro, quod de locatione & conductione cautum erat, ad emptionem & venditionem producere, optima ratione potuit Juſtinianus, ex ejusdem Caji ſententia ac mente, *l. 2. D. locat.*

CAPUT XXVII.

QUa ratione legum capita congruis titulis interjici debent, ut & ipſe Juſtinianus §. *quibus 2. conſt. 1. C.* teſtis eſt, eadem congruo legis capiti, & θεματίῳ quodlibet: cum igitur de quantitate coacervata, modum jurisdictionis excedente *cap. 11. tit. 1. lib. 2 πανδεκ.* [*l. ſi idem 11. D. de juriſdict.*] ediſſeratur: deque eadem re diſputet verſus, cujus initium eſt, *Quoties, cap. 19. ejuſdem lib. & tit.* [*l. cum quaedam 19. D. eod.*] non *cap. 19.* ſed *cap. illi 11.* ſubjici aptius debuit hac inſcriptione praeſcripta. Item ait Ulpianus §. 1. *Quoties, &c.* Caput enim 19. diſputat de puella, quae litigans condemnata fuerat, poſteaque *in manum viri* convenerat: ſic enim ibi lego non *matrimonium:* idque ſupra hoc ipſo *lib. cap.* 2. docui.

CAPUT XXVIII.

RAtioni artive conſentaneum eſt, ut regulae proxime ſubjiciatur reſtrictio. Θέμα igitur 4. *cap. 34. tit. 1. lib.* 18. [*l. ſi in emptione* 34. §. *rei ſuae 4. D. de contrab. empt.*] ſtatim poſt *cap. 16. ejuſdem tit. & lib.* [*l. ſuae rei 16. D. eod.*] collocari debuit. *Suae rei*, inquit Pomponius, *non valet emptio, ſive ſciens, ſive ignorans emit. Sed ſi ignorans emi, quod ſolvero, repetere potero: quia nulla fuit obligatio. Nec tamen emptioni obſtat, ſi in ea re uſusfructus duntaxat ementis ſit.* Subjici debuit ex Paulo: *Plane rei ſuae emptio tunc valet, cum ab initio agatur, ut poſſeſſionem emat, quam forte venditor habuit & in judicio poſſeſſionis potior eſſet.* idque Paulus lib. 33. ad Edictum ſcribit. Diſſecari non debuit Marciani reſponſum, ut variis factum eſt locis, *l. 20. §. fin. D. de cond. indeb. & l. 25. D. de praeſcript. verb.* cum potius jugenda eſſent, & titulo *de conjunctione indebiti* interjicienda. Θεμάτιον 1. *cap. 25. D. de praeſcript. verbis*, non ad titulum illum, ſed ad condictionis indebiti tractationem pertinere, ejus verba liquido demonſtrant: quod nemo, opinor, negabit.

CAPUT XXIX.

JUlius Paulus *lib. 4. πανδεκτῶν θεμ. 15. cap. 32. tit. 8.* [*l. non diſtinguemus 32. §. quaeſitum 16. D. de recept. arb.*] ita ſcripſiſſe fertur; *Quaeſitum eſt de ſententia dicenda: & dictum, non quamlibet: licet de quibuſdam* (malim *a quibuſdam*) *variatum ſit: & puto vere non committi, ſi dicat, ad judicem de hoc eundum, vel ſe, vel alium: in ſe, vel in alium compromittendum.* Hunc locum, ſi quis propius inſpexerit, mutilum & acciſum, judicio quidem meo, deprehendet: quae res in varios ſenſus traxit interpretes. Truncationem autem hanc detegit verbum, *committi*, quod ad membrum proxime ſuperius referri non poteſt: quod & ſequentia, & Accurſianum gloſſema indicant ab verbum, *committi.*

CAPUT XXX.

NEgationis detractio in ſuperius *citato themati* 16. in varias lectiones rapuit emendatores. Sic autem legendum eſt: *Quod ſi hoc modo dixerit, ut arbitrio Publii Maevii fundus traderetur, aut ſatisdatio detur, parendum non* * [Haec negatio deeſt in Pandect. Flor.] *eſſe. Idem Pedius probat.* Quae ſubjacet ratio, oſtendit negationem deſiderari. *Ne* (inquit Juriſconſultus) *propagentur arbitria: aut in alios interdum inimicos agentium transferantur. Sua ſententia finem controverſiae eum imponere oportet.* Quae illic ſubſequuntur, & duplari effectu, & Tribuniani & collegarum eſſe adfirmare auſim: cujus rei argumento erit verbum, *delegari:* quod Pauli ſeculo non accipiebatur, eo, quo hic, ſignificatu.

CAPUT XXXI.

MIrum videri & poteſt, & debet, cur partem Digeſtorum ſecundam, *de judiciis*, inſcripſerint architecti, quam ad teſtamenta inofficioſa, haereditatum petitionem, rei vindicationem, &c. pertinere voluerint: cum depoſitum, mandatum, emptio venditio, judicia dici coepta ſint a Scaevola, *l. Quintus* 28. *D. depoſit.* & J. Paulo *l. ſi ſacculum* 29. *§. fin. D. eod.* & aliis *l. cum duobus* 52 §. 1. *D. pro ſoc.* Sed & partem tertiam, *de rebus*, inſcripſerunt, cum illa, quam *judicia* appellarunt, actiones in rem contineat & explicet. Judicium varie accipi non ignoro, quod & adnotavit Accurſius *gloſſ. §. praeterea 1. Inſt. quib. non eſt permiſſ. fac. teſt.* Quod ſi ad κρίσιν diſceptationem legitimam actoris & rei, & ordinem diſcutiendae cauſae retulerimus, inſcriptio haec, *judicia*, ad primum tantum titulum pertinebit. Quod ſi pro actione ipſa acceperimus, neceſſario fateri cogemur articulum illum, *judiciorum*, ad partem illam, quae *de rebus* inſcripta eſt, pertinere. Sed haec aliquando.

CAPUT XXXII.

JUriſperitorum neminem ambigere puto, quin *cap. 67. tit. 1. lib 5.* [*l. qui ſe 67. D de judic.*] non ad titulum, *de judiciis*, ſed ad eum, qui *de manumiſſionibus*, inſcriptus eſt, pertineat: cui rei argumento eſt res ipſa. Diſſecuerunt autem compoſitores idem Ulpiani reſponſum ex lib. 6. Diſputationum. Porro *cap. illud 67.* interjiciendum erat *cap. 4. lib. 40. tit. 1.* ut & verba indicant. [*l. is, qui 4. D. de manum ſſ.*] Diſſectum quoque immutarunt, illaque adjecerunt. Quod ſi compulſionem manumittendi ad judicia pertinere dixeris; hoc ad effectum ſententiarum potius referendum adſtruam: verius tamen erit, manumiſſionibus intercludere, idque illi *cap. 4* potiſſimum, ut *cap. 67. de judiciis* ſit, θεμ. 1. *cap. 4.* ſuperius citati.

CAPUT XXXIII.

POmponii non inelegantia ſcripta immutarunt juris noſtri compoſitores, quale videmus in *cap.* 33. *lib.* 18. *tit.* 1. [*l. cum in lege* 33. *D. de contrahend. empt.*] *Cum in lege* (inquit Juriſc.) *venditionis ita ſit ſcriptum, Flumina, ſtillicidia, uti nunc ſunt, ut ita ſint; nec additur, quae flumina, vel ſtillicidia, primum ſpectari oportet, quid actum ſit, ſi id non adpareat, tunc id accipitur, quod venditori nocet: ambigua enim ratio eſt.* Haec verba ita immutarunt Architecti παράδοξον in *cap.* 23. *lib.* 8 *tit.* 2. [*l. ſi ſervitus* 23. *D. de ſervit. urb. praed.*] ut diverſis congruerent titulis: *Si ſervitus impoſita ſit, lumina, quae nunc ſunt, ut ita ſint. De futuris luminibus nihil cavere videtur. Quod ſi ita cautum ſit, ne luminibus officiatur; ambigua eſt ſcriptura, utrumne his luminibus officiatur, an etiam iis, quae poſtea quoque fuerint; & humanius eſt, verbo generali, omne lumen ſignificari: ſive quod in praeſenti, ſive quod poſt tempus conventionis contigerit.* Sum in ea ſententia, ut quod uno ductu a Pomponio ſcriptum erat, diſſecari & inverti non debuerit, ſed, ut erat tractatus urbanorum praediorum interjiciendum, ut res ipſa docet: idque congrue effectum fuiſſet. Nec dubito, quin haec verba, *Si ſervitus impoſita ſit*, compoſitorum ſint, eo adjecta, ut titulo congrueret caput.

CAPUT XXXIV.

ACciſis connumerabimus *cap.* 13. *Digeſ.* 1. *lib.* 9. [*l. liber* 13. §. 1. *D. ad legem Aquil.*] quo loco ſic Juliani locum transſcripſerunt compoſitores juris Civilis: *Julianus ſcribit, ſi homo liber mihi ſerviat, ipſum lege Aquilia mihi teneri.* Equidem haec verba a Salvio Juliano interjecta putem, *ſique damnum injuria dederit*; atque ideo hic deſiderari, argumento erit, quod Ulpianus [*l. quemadmodum* 29. §. *magiſtratus* 7. *D. eod. tit.*] ſcribit: *Magiſtratus*, inquit, *municipales damnum injuria dederint &c.* Sed & argumento erunt multa ejuſdem tractationis capita. Quod ſi antapodoto figura in ſuppreſſum elegantius dixeris, obtrudam Ulpianum omnia, quae rem apertius illuſtrant, exprimentem, atque in ſubaudiitis intellectibus rarum, ſive aliena, ſive ſua referat. Exiſtimo itaque fragmentum hoc, aut a compoſitoribus, aut antiquo librario praetermiſſum.

CAPUT XXXV.

TRuncata a compoſitoribus juris civilis Ulpiani ſcripta nemo, opinor, negabit in *cap.* 15. *lib.* 12. *tit.* 1. [*l. ſingularia* 15 *D. ſi cert. pet.*] Nam cum dixiſſet *ſingularia quaedam recepta circa pecuniam creditam*, duo tantum ex his relata ſunt. *Nam*, inquit *ſi tibi debitorem meum juſſero dare pecuniam, obligaris mihi.* Sed hoc ſingulare reperitur, atque ideo duplatur *lib.* 17. *tit.* 1 *cap.* 34 [*l. qui negotia* 34 *verſ. Item quod ſi. D. mandat.* Subjiciunt aliud ſingulare, ut cum ex cauſa mandati &c. Conciſionem hanc ſentientes Accurſius, & Bartolus ad illud 15. alia ſingularia connumerant. His adjicere aliud ex Africano lib. 8. Digeſtorum [*d. l. qui negotia* 34.] potuit: *Quod ſi pecuniam, ait, apud te depoſitum convenerit, ut creditam habeas, credita fiat.* Haec ab Ulpiano non praetermiſſa, ſed a compoſitoribus conciſa puto. Non enim ſolet Ulpianus, ſi quae ad rem pertineant, omittere. Vides ergo, quid quantumque adjumenti hac in re attulerint Accurſius & Bartolus. Non igitur ſupprimenda extinguendaque eorum gloria, quod quidam monoſyllabi facere conantur. Egere nos Bartoli opera recte cenſuit Alciatus *d. l. fin. D. de verb. ſignific.* adverſus Bartoli maſtigum ſententiam. Labefactare nituntur, quod non intelligunt. Nam & canes ignotis adlatrant.

PARDULPHI PRATEJI JCti
JURISPRUDENTIAE MEDIAE
LIBER QUARTUS
SENTENTIARUM.

CAPUT I.

REſponſorum, conſtitutionumque κολοβώσεις a Tribuniano & collegis excogitata effecit, ut aequiſſima veterum ſcripta in diverſos ſenſus, reique diſſentaneos ab interpretibus pertracta raptave ſint: ſed eo illos impulit rerum, & bonarum literarum, antiquive juris ignoratio. Ad inſtitutum devenimus. *Scaevola* [*l. fin. D. de aq. pluv. arcend.*] *reſpondit, ſolere eos, qui juri dicundo praeſunt, tueri aquaeductus, quibus autoritatem vetuſtas daret, tametſi jus non probaretur.* Bartolus ignoratione verbi, *autoritatem*, putat accipiendum hoc reſponſum eo, qui ſubſequitur, modo: *Conſuetudo dat juriſdictionem contentioſam, & nunc expone, quibus, ſcilicet judicibus. Et ſic eſt caſus, quo conſuetudo dat juriſdictionem contentioſam, & concordat l. viros 8. C. de diverſ. offic. lib.* 12. Hactenus Bartolus. Hoc tamen a ſententia, & mente Scaevolae, tam alienum eſt; quam quod maxime: & (ut Ariſtophanici Chremili verbis utar)

Οὐκ ἔσθ' ὅπως ὁ χρησμὸς εἰς τοῦτο ῥέπει.

Significantius igitur reſpondere non potuit Scaevola noſter, id moris judicibus invaluiſſe, ut aquaeductus longo uſu quaeſitos tuerentur. Hujus rei rationem adfert Ulpianus *l.* 1. §. *fin. D. eod. Si tamen lex agri non inveniatur, vetuſtatem vicem legis* [hoc eſt *pacti*] *tenere.* Scaevolae ſententiam probat Ulpianus *l. ſi quis diuturno* 10. *D. ſi ſerv. vind.* in haec verba: *Si quis diuturno uſu, & longa quaſi poſſeſſione, jus aquae ducendae nactus ſit, non eſt ei neceſſe docere de jure, quo aqua conſtituta eſt.* Autoritatem autem apud Scaevolam accipere debemus, non juriſdictionem, ut exiſtimavit Bartolus, ſed eo ſignificatu, quo uſi ſunt Decemviri in XII Tabul. *Uſus & autoritas fundi biennium eſto.* Autoritatem igitur uſucapionem, vel ἐπίκτησιν aptiſſime interpretabimur. Legum capita titulis ſuis congruere debere Juſtinianus §. *quibus* 2. in

in 1. *conſtit. C.* conſtituit. Reſponſum igitur Scaevolae, non de juriſdictione, ſed de aqua, & aquaeductu accipi debet: cum & vox, *quibus*, non ad eos, qui juri dicundo praeſunt, ſed ad autoritatem referri debeat, ut pote ad proximam. Non enim ſuffragio, aut conſuetudine juriſdictionem concedi Juſtiniani novella conſtitutione expreſſum eſt, *Conſtitut.* 8. *cap.* 1. Ταῦτα ἅπαντα καθ' ἑαυτοὺς βουλευσάμενοι καὶ ταῦθ' ἡμῖν κοινωνὸν τοῦ βουλεύματος παραλαβόντες τὴν ἐκ Θεοῦ δεδομένην ἡμῖν εὐσεβεστάτην σύνοικον, καὶ τῇ σῇ γε ὑπεροχῇ τὸ πρᾶγμα κοινωσάμενοι καίτοι καὶ παρὰ τῆς σῆς λαβόντες βουλῆς, ἐπὶ τόνδε τὸν Θεῖον ἐληλύθαμεν νόμον· δι' οὗ θεσπίζομεν μήτε ἀδυναστείαν μηδεμίαν, μηδὲ τῶν μέχρι νῦν καλουμένων βικαρίων, μήτε τῆς αἰτίας τῆς ἰδίας, μήτε ἄλλην οἱανοῦν ἀρχὴν, μήτε ὑπατικὴν, μήτε ἡγεμονικὴν, ἃς δὴ κονσυλαρίους τε καὶ κορρήκτορας καλοῦσιν (ὡς τοῦτο ῥητῶς μέμνηται ἡ ὑποκειμένη τῷ δὲ ἡμῶν τῷ Θείῳ νόμῳ ἀπογραφὴ, ὡς ἂν καὶ μόνας ὑπὸ τόνδε τὸν νόμον ἄγομεν) δίδοσθαι τὶ ſuffragiov μήτε ὑπὲρ τῆς ἀρχῆς τὴν οἱανοῦν δόσιν, μηδὲ ἄρχοντι μηδενὶ, μηδὲ τῷ περὶ τὰς ἀρχάς τινι, μηδὲ ἑτέρῳ προσώπῳ, κατὰ πρόφασιν προστασίας· ἀλλὰ προῖκα μὲν κομίζεσθαι τὰς ἀρχὰς, μέτρια δὲ παρέχειν προφάσει τοῦ ὑπὲρ ἑκάστης δεδομένου συμβόλου τε καὶ καρπῶν· καὶ γὰρ δὴ καὶ ὑποθείκαμεν ἀπογραφὴν τῷ δὲ τῷ Θείῳ ἡμῶν νόμῳ, δηλοῦσαν τί προσῆκον ἐστὶν ἑκάστῳ ἀρχὴν παρέχειν ἢ εἰς τὸ Θεῖον ἡμῶν laterculov, ἢ εἰς τὸ δικαστήριον τῆς ὑπεροχῆς προφάσει τῶν κωδικίλλων, ἢ συμβόλων, ἢ προσταγμάτων, ὥστε ἑκόντες συντελεῖσθαι, καὶ μὴ παρέχειν αὐτῷ μεγάλων ἄλλων. & hoc jure utimur. Quid? quod a principe impetrari oportebat, ut de jure populo reſpondere liceret, ſicut in ea re teſtis eſt Pomponius *l.* 2 *D. de orig. jur.* Nec moveor conſtitutione Theodoſiana *l. viros* 8. *C. de diverſ. offic. lib.* 12. cui perſpectae facilis eſt reſponſio. Magiſter enim militum, vir illuſtris, primum a principe creatus, & praefectus, vi ſuae poteſtatis collatae, conſuetudine longi temporis limitaneos, caſtriſque praepoſitos conveniebat, & coram ſe adeſſe jubebat: non quod conſuetudo juriſdictionem daret, ſed quia longo tempore, jure illo uſus fuerat ante magiſtrum militum: quaſi quodam praejudicio, & (ut pontificii loqui adſolent) praeventione in duobus judicibus, aequam in eundem poteſtatem habentibus.

CAPUT II.

Eleganter Ulpianus, *l. ſi cum dotem* 22. *D. ſol. matr.* ſcribit: *Si cum dotem daret pater, vel extraneus pro muliere, in unum caſum pepigit, vel in divortium, vel in mortem; dicendum eſt in eum caſum, in quem non pepigit, mulieri eſſe actionem.* Sunt, qui in hac facti ſpecie ſtipulationem interveniſſe cenſuerint; alii pactionem nudam. His connumeratur Bartolus in *d. l. ſi cum dotem* 22. Utriuſque ſententiae ducem fuiſſe Accurſium gloſſ. magn. *d. l. ſi cum dotem* 22. liquido conſtat. Verius exiſtimo neutram interceſſiſſe, ſed cauſam ſubeſſe, reique interventum effeciſſe, ut pactio nuda non ſit: id quod verbo, *daret*, manifeſtiſſime oſtenditur. Dominium enim transferre in accipientem ſignificat: quod & Juſtinianus probat *lib.* 4. *Inſtitutionum* §. *ſic itaque* 14. *de actionib.* Quo ſignificatu etiam Terentius uti viſus eſt, *Heaut. Act.* 2. *ſc.* 3. *v.* 104.

Datur modo: fruere, dum licet.

Cum igitur ſubeſt cauſa, pactionem nudam non eſſe, idem Ulpianus *l. juris gentium* 7. *D. de pact.* cenſuit. Stipulatos autem dotem, nec patrem, nec extraneum, conſtat ex verbo, *pepigit*: pactionis ſiquidem nota eſt; nec pro ſtipulatione uſus accepit.

CAPUT III.

Pactus, inquit Julius Paulus *l. ſi unus* 27. §. *pactus* 2. *D. de pact. ne peteret, poſtea convenit, ut peteret; prius pactum per poſterius eliditur: non quidem ipſo jure, ſicut tollitur ſtipulatio per ſtipulationem, ſi hoc actum eſt: quia ſtipulationibus jus continetur: in pactis factum verſatur, & ideo replicatione exceptio eliditur.* Udalricus Zaſius *lib.* 1. *Reſponſorum, cap.* 5. priorem pactionem, apud Paulum, ita elidi, id eſt, extingui & perimi arbitratur, ut nullae ſuperſint ejus reliquiae: & adfert illud Virgilianum *lib.* 8. *Aeneid. v.* 287.

His juvenum chorus, ille ſenum: qui carmine laudes
Herculeas, & facta ferunt, ut prima novercae
Monſtra manu, geminoſque premens eliſerit angues.

Et illud Tranquilli *in Caeſare cap.* 39. *Saepe prae turba eliſi, & exanimati ſunt.* In eadem quoque ſententia fuit Fortunius Garſias *in repet. d.* §. *pactus* 2. Equidem neque Zaſio, neque Fortunio aſſentio: ajoque, pactum prius in Pauli ſpecie non omnino tolli, ſed inutile & inefficax effici; quod & ipſe Paulus docet his verbis, *Non quidem ipſo jure*: & illis, *Replicatione exceptio eliditur.* Nec verbo, *elidere*, ſubſiſtimus: in varios enim fertur ſignificatus; cujus loco Graeci habent ſuum ἐκθλίβειν: utrunque autem ſignificat attero, diſſipo, occido, exprimo, excludo, emitto, premendo elicio. Plautus *in Rudente Act.* 3. *ſc.* 2. *v.* 50. *Jubeo oculos elidere.*

CAPUT IV.

Apud Ulpianum *l.* 1. *D. de judic.* in haec verba ſcriptum ſcio: *Si ſe ſubjiciant aliqui juriſdictione, & conſentiant inter conſentientes cujusvis judicis, qui tribunali praeeſt, vel aliam juriſdictionem habet, juriſdictio eſt.* Bartolus *d. l.* 1. ſequutus Innocentium, Angel. Imola *l. quaero* 100. *D. de ſolut.* & Curtius *d. l.* 1. & quidam Toloſas, huic locum interpretati ſunt, *Si ſe ſubjiciant & conſentiant*, hoc eſt, ſi ſe ſubjiciendo conſentiant: quaſi, ut ipſi ajunt, Ulpiani haec ſententia ſit, ut prorogationi juriſdictionis tacitum conſenſum ſufficere velit ſchemate endiadi uſus: quale eſt illud Virgilianum, *lib.* 2. *Georg. v.* 192.

— — *Pateris libabat & auro;*

hoc eſt, pateris aureis. & illud:

— *Chalybem fraenoſque momordit;*

hoc eſt, Chalybeos fraenos. Ego hac in re ſpecialem voluntatem intervenire debere, nominatimque in eum, qui tribunali praeeſt, conſentire oportere litigaturos, verius exiſtimo: quod & Ulpiani verba ipſa oſtendunt, *& conſentiant*, inquit. Ubi autem lex conſenſum exigit, tacitum non ſufficere communi calculo proditum receptumque ſcio; cujus rei argumento eſt, quod decreverunt pontifices *c. ſtatutum* 11. §. *in nullo* 3. *de reſcript. in* 6. *& alibi.* Judex extra territorium ſiſtere adeſſeque litigatores jubere non poteſt, niſi expreſſus eorum conſenſus acceſſerit. Qui itaque alienam juriſdictionem ſubeunt, expreſſim eos conſentire oportere, verius eſt. Sed & expreſſum conſenſum exigi, ſubjecta ex eodem Ulpiano *l.* 2. *D. de judic.* verba declarant: *Conſenſiſſe autem videntur, qui ſciunt ſe non eſſe ſubjectos juriſdictioni ejus, & in eum conſentiant.* Et, *conſentiant*, ideo adjecit, ut oſtenderet expreſſim eos conſentire oportere; alioquin fruſtra adjeciſſet: cum ſatis ſuperque fuiſſet dixiſſe, *conſenſiſſe autem videntur &c.* Noſtramque autem ſententiam confirmat Accurſius variis exemplis, *gloſſ. in l. filiusfam.* 8. §. *invitus* 1. *D. de procurat.*

CAPUT V.

Divus Gordianus Caelio militi in haec verba reſcripſit, *l. ſi pacto* 14. *C. de pact. Si pacto, quo poenam adverſarium tuum promiſiſſe proponis, ſi placitis non ſtetiſſet, ſtipulatio ſubjecta eſt, ex ſtipulatu agens, vel id, quod in conventionem devenerat, ut fiat, conſequeris, vel poenam ſtipulatione comprehenſam more judiciorum exiges. Nam bona adverſarii tui in te transferri citra ſolennem ordinem fruſtra deprecaris.* Accurſius & ſequiores interpretes in ea ſunt ſententia, ut hujuſmodi ſpecies ad permutationem tantum pertineat. Ego vero factum in ſtipulationem devenisse exiſtimo: idque verba reſcripti, ut fiat, declarant: quod & verbo, *ex ſtipulatu*, oſtendi argumento eſt, quod & ait Ulpianus, *l. ubi autem* 75. §. *qui id quod* 7. *D. de verb. obl. Qui id, quod ſe facturo, aut non facturo ſtipulatur incertum ſtipulatur*: in faciendo, veluti foſſam fodi, domum aedificari, vacuam poſſeſſionem tradi.

CAPUT VI.

Communis interpretum ſchola, tutoris dationem mixti eſſe imperii ait: in quam ſententiam Accurſius, & Bart. in *l.* 1 *D. de juriſdict.* iverunt. Non poſſum non mirari tantam interpretum multitudinem non expendiſſe Ulpiani *l. muto* 6. §. *tutoris* 2. *D. de tutel.* ita ſcribentis verba: *Tutoris datio neque imperii eſt, neque juriſdictionis, ſed ei ſoli competit, cui nominatim hoc dedit vel lex, vel Senatusconſultum, vel princeps.* Quid hoc reſponſo apertius? an ſignificantius efferri potuit nullius imperii eſſe? Principio tutoris datio meri imperii non eſt. Non enim eſt poteſtas animadvertendi in facinoroſos homines. Sed nec mixti quidem eſt, cum nec ei juriſdictio ineſt, nec in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit. Neutrius igitur imperii eſt. Imperium enim in duo genera diſtribuit Ulpianus, *l.* 3. *D. de juriſdict. Imperium*, inquit, *aut merum, aut mixtum eſt. Merum imperium eſt habere gladii poteſtatem, ad animadvertendum in facinoroſos homines, quod etiam poteſtas appellatur. Mixtum eſt imperium, cui juriſdictio ineſt, quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit. Juriſdictio eſt etiam judicis dandi licentia.* Neutra imperii ſpecies tutoris dationi convenit: conſequens eſt igitur, ut falſum ſit interpretum pronuntiatum; quod duabus rationibus adſtruebat Accurſius *d.* §. *tutoris* 2. quod tutoris datio mandari non poſſet: cum mixtum imperium mandari non poſſet. Tutorem dandi jus mandari non poſſe fateor; quod & Ulpianus *l.* 8. *D. de tut. & cur. dat. ab* probat: at falſum eſt, quod dixerat Accurſius, mixtum imperium mandari non poſſe. Nam, ut ait Julius Paulus *l.* 1. §. *fin. D. de offic. ejus, cui.* & *l. fin. D. eod. Imperium, quod juriſdictioni cohaeret, mandata juriſdictione tranſire verius eſt.* Aliam Accurſii rationem praetereo, ut pote, quae riſu explodenda ſit.

CAPUT VII.

Variis juris civilis partibus adnotavere interpretes legatum, quem ipſi delegatum vocitant, jus mulctas indicendi, aut ſufficiendi, aut, ut ipſi loquuntur, ſubdelegandi non habere. Hoc adſtruunt Accurſius & Bartolus *l.* 3. *D. de juriſdict.* & ſequaces. In ea quoque ſententia eſt Alciatus *d. l.* 3. Ego pace tantorum virorum dixerim, legatum mulctis adficere poſſe; idque Ulpianus *l. aliud* 131. §. 1. *verſ. Item. D. de verb. ſign.* ſcribit: quod & Juſtiniani conſtitutione probatum ſcio, *l.* 3. *C. de ſportul. Omnibus judicibus licentiam praeſtamus, ſive iis, quibus a noſtro numine lites mandantur, illuſtribus, vel ſpectabilibus, vel clariſſimis, vel togatis fori cujuſcunque praefecturae, vel aliis quibuſque, vel iis, qui ex noſtris judicibus delegandas* [a] [fortaſſis *delegatas.*] *lites accipiunt, executores, ſi ceſſaverint cauſas eis inſtructas offerre, & removere ab executione eos, & alios idoneos ſupponere, vel etiam mulctis adficere.* Hactenus ille. Quandoquidem *juriſdictionem ſine modica coercitione nullam eſſe*, Paulus *l. fin. in fin. D. de offic. ejus, cui* ait. Hoc igitur jus, mandata juriſdictione, tranſire verius eſt. Sed & hoc jure utimur. Legatum ſibi ſufficere quem poſſe, &, ut interpretum verbis utar, ſubdelegare, Paulus *l. cum praetor* 12. §. 1. *verſ. Is quoque. D. de judic.* tradit. *Is quoque, cui mandata eſt juriſdictio, judicem dare poteſt.* Ex ἀναλογίας, legatum omnia, quae ad juriſdictionem pertinent, agitare poſſe, reſcripſerunt Imperatores *l. fin. C. de offic. ejus, qui vic.* Reliquum eſt, ut contra ſentientium ſententiam & argumenta diluamus, poſtquam noſtra confirmavimus. Ajunt legatum mulctandi jus non habere; confirmari hoc poſſe autumant ex Ulpiani *l. unica. D. ſi quis jus dicenti* ſententia: *Omnibus*, inquit, *magiſtratibus, non tamen duumviris, ſecundum jus poteſtatis ſuae, conceſſum eſt juriſdictionem ſuam defendere poenali judicio.* Idem juris legatis competere non negat; nec poteſt ſumi argumentum a contrario ſenſu: cum contrarium jure cautum ſuperius liquido docuerimus. Hac etiam ratione diluimus citatum ab eis Arcadii, & Honorii reſcriptum *l. fin. in princ. C. de mod. mulct.* Negant praeterea legatum ſufficiendi ſubſtituendive jus habere: idque adſtruunt Juliani reſponſo *l. more* 11. *D. de juriſdict. More*, inquit, *majorum ita comparatum eſt, ut is demum juriſdictionem mandare poſſit, qui eam ſuo jure, non alieno haberet.* Reſponſum hoc conciſius juſto exſcripſiſſe Tribunianum, & collegas, argumento ſunt quae extant in rem eandem reſponſa. Sed haec aliquando, Deo duce, fuſius explicabimus.

CAPUT VIII.

Nihil magis juri conſentaneum eſt, quam aequalitas & aequitas, cum & ipſum ſit ars boni & aequi. Aequalitas enim utrinque amplectenda eſt: quibus adductus non poſſum non in admirationem ferri, quo ratione laeſo (ſic enim ipſi loquuntur) non niſi ultra dimidiam juſti pretii ſubveniendum cenſuerint interpretes; quibus connumerantur Bartol. Baldus, Calderinus, & ſequiores, & ex recentioribus quidam. Itaque obtinuit iniquiſſima illa ſententia, ut moribus recepta ſit: eoque jure praeduro utuntur Pragmatici: hocque divorum Dioclet. & Maxim. Impp. reſcripto *l.* 2. *C. de reſcind. vend.* contineri ajunt. Equidem aequitatem introſpiciens, ſi res minoris, quam ipſa ſit aeſtimaturve, veneat, venditionem reſcindi, per in integrum reſtitutionem, aut juſtum pretium ſuppleri, eligente emptore, & verius, & aequius putarim. Quae ſententia divi Gordiani *conſtit. l.* 3. *C. de jur. fiſc. lib.* 10. juvatur. Sed & in haec verba reſcripſerunt Diocletianus & Maximianus, *l.* 3. *C. comm. utriuſque judic. In bonae fidei judiciis, quod inaequaliter eſſe conſtiterit, in melius reformabitur.* Alioquin emptor aliena jactura locupletaretur: quod juri divino, & naturae, *l. nam hoc natura* 14. *D. de condict. indeb.* reclamaret; ideoque iniquum eſſet. Atqui in tantum reſtituit reſtitutio, quantum abſtulit laeſio, quod & interpretes pactitant, & veriſſimum eſt. *Reſtitutio enim*, ut ait Paulus *l. quod ſi minor* 4. §. 4. *D. de minorib. ita facienda eſt, ut unuſquiſque integrum jus ſuum recipiat.* Quod ſi interpretum ſenſui relictus eſſet locus, principum reſcribentium, quod deeſt juſto pretio ſuppleri, conſtitutio ſibi ex diametro repugnaret, & nequitiae cederet aequitas: nec probat illa conſtitutio interpretum concluſionem, niſi argumento a contrario ſenſu: cui locus non eſt, ſi contra cautum ſit, *l.* 2. & ibi Doct. *C. de cond. inſert.* hocque ratione diluitur eorundem principum conſtitutio, *l. ſi voluntate* 4. *in fin. C. eod.*

CAPUT IX.

IMperator Alexander A. Tulliae in haec verba reſcripſit: *Age cum Geminiano, quod pater ejus curator tibi datus negotia tua geſſerit, & ſi apud judicem negabit ſe hac actione teneri, quoniam transactio & Aquiliana ſtipulatio interpoſita eſt, judex contemplatione judicii, quod bonae fidei eſt, quaeret, de quanta pecunia nominatim transactum ſit: & ſi apparuerit, de minore transactum: quantam pecuniam reliquam ex adminiſtratione curae deberi probatum fuerit, ſolvere eum jubebit, quod non in ſtipulationem Aquilianam obligationis, jure tantum deductum eſt, quanta erat quantitas pecuniae, quae debebatur. D. prid. Id. Aug.* &c. Accurſius gloſſ. *in l. age* 3. *C. de transact. in verb. Nominatim.* in hunc intellectum rapuit hanc conſtitutionem hoc modo: *Debebas ducenta, & petiit centum, & de his transegit.* Subjungit deinde diviſionem & ſic ſenſum alium: *Aut generalis petitio & transactio, generalis deinde transactio facta, Aut generalis petitio, & de ſpecie transactum eſt.* Quaſi vero petitionem ſubſequuta ſit transactio; quod minime verum eſt: atque ideo ab Andrea Alciato *in d. l. age* 3. improbatum, qui utrumque intellectum jungit, ut petitio generalis fuerit, & deinde in proſecutione cauſae certa quantitas praetenſa. Atqui libello comprehenſa deminuta non fuiſſe, actionive derogatum minime conſtat hoc reſcripto: ſed nec mente, nec verbis continetur. Ideoque haec ſenſa (pace tamen tantorum virorum dictum velim) probare non poſſum. Quid igitur hoc in genere ſentiam, ſubjicere veritus non ero; utarque illo Virgiliano *lib.* 11. *Aeneid. v.* 314.

Nunc adeo quae ſit dubiae ſententia menti
Expediam, & paucis (animos adhibete) docebo.

Quum apud Alexandrum Imp. adverſus Geminianum, curatoris ſui filium, quereretur Tullia, reſcriptum eſt Geminianum negotiorum geſtorum actione conveniendum, idque ex verbis, *hac actione* &c. liquet. Is, ſi negaverit ſe negotiorum geſtorum conveniri debere, quod de adminiſtratione transactum eſſet, interpoſita Aquiliana ſtipulatione, Judex (cui libera eſt poteſtas in bonae fidei judiciis: cujus generis eſt negotiorum geſtorum actio ex bono & aequo aeſtimandi, ut Juſtinianus §. *in bonae fidei* 30. *Inſt. de action.* & Julius Paulus *l. quia tantundem* 7. *D. de neg. geſt.* referunt) interrogabit ex officio de quanta pecunia, quatenusque nominatim transactum eſt. Quod ſi in minus, quam eſſent negotia geſta a Geminiani patre, compererit, reliquum pecuniae ex adminiſtratione curae debitae exſolvi jubebit. Actio igitur negotiorum geſtorum per Aquilianam ſtipulationem ſublata, extinctave non erat: alioquin non dixiſſet Imperator, *hac actione teneri* &c. Nec recipi poſſe videtur Alciati intellectus, exiſtimantis in proſecutione cauſae minus, quam initio petitum. Nam ultra id, quod in judicium deductum eſt, excedi judicis poteſtatem non poſſe, Javolenus *l. ut fundus* 18. *D. commun. divid.* ſcripſit. Atqui praeter transacta, exſolvi jubet in hac ſpecie. Petita ergo fuit pecunia omnis ex curae adminiſtratione profecta: idque a curatoris filio, qui recte conveniri potuit, ut conſtitutum eſt *l. curatoris* 17. *C. de neg. geſt.*

CAPUT X.

CUm ſervitutum tractatum perluſtraſſem, incidi in epitome Javoleni *cap.* 19. *lib.* 8. *tit.* 1. *Digeſtorum* [*l. penult. D. de ſervit. tit. gen.*]. Quo loco Florentiae ſic legitur: *Ei fundo, quem quis vendat, ſervitutem imponi, etſi non utilis ſit, poſſe exiſtimo, veluti ſi aquam alicui (dedero) ducere non expediret, nihilominus conſtitui ea ſervitus poſſit: quaedam enim debere habere poſſumus, quamvis ea nobis utilia non ſint.* Vox (*dedere*) in vulgaribus exemplaribus deſideratur, atque ab iis, qui Labeonis & Javoleni ſententiam ignorabant, expuncta fuit. Equidem, reſtituto uno elementulo, neceſſariam eſſe illam vocem, &, *debere*, legendum cenſeo: quod & ultima illius capitis verba liquido oſtendunt; ut ſit ſenſus: Quaedam neceſſario habere poſſumus, quae nobis utilia non ſunt.

CAPUT XI.

REs non exacto judicio expenſae, graeciſmi, & antiquitatis ignoratio varias lectiones pepererunt in libris Pandectarum, ſeu Digeſtorum, ex veteri jure collectis: quale animadverti in *cap.* 27. *lib.* 9. *tit.* 2. [*l. ſi ſervus* 27. §. *fin. D. ad leg. Aquil.*] *Item*, ait Ulpianus, *ſi tectori locaveris lacum vino plenum curandum, & ille eum pertudit, ut vinum ſit effuſum, Labeo ſcribit in factum agendum.* Florentiae *tectori* legitur, quod verbum rei propoſitae minime congruit; reſtituto tamen elementulo veritati proxime accedit, nempe, *n*, loco, *r*. Hunc autem errorem aut ex inſcitia antiqui librarii, aut temporis injuria dimanaſſe puto, ut ille, *r*, loco, *n*, repoſuerit: hoc dimidiam alterius ſemilineae, *n*, corroſerit: quod veriſimile mihi fit. G. Budaeus hunc locum emendare ſe credens legit *Victori*, citatque in eam rem Pompejum, Varronem, Aeliumque: quod non placet, nec ſententiae Labeonis, aut Ulpiani convenit. Quid enim ſi lapidei ſunt lacus: lapidea enim & ſaxea pertundi, & perforari poſſunt. Lucretius *lib.* 4. *in fin.*

Nonne vides etiam guttas in ſaxa cadentes,
Humoris longo in ſpatio pertundere ſaxa?

Equidem *tectoni* legendum & puto, & cenſeo: quam lectionem agnoviſſe viſus eſt Azo noſter, qui tectori explicat opifici. Nam & verbis Graecis Latine ſcriptis uſi ſunt Juriſconſulti veteres. Τέκτων autem redditur opifex: hoc nomen lapidariis & lignariis fabris commune, Suidas indicat. Τεκτόνων commeminit Julius Pollux *lib.* 1. multisque aliis locis. Similis error eſt in *cap.* 52. *lib.* 9. *tit.* 2. *Digeſt.* [*l. ſi ex plagis* 52. §. 1. *D. ad leg. Aquil.*] ubi *r*, pro, *n*, repoſitum eſt; quod & G. Budaeus Graecarum rerum peritus, primus animadvertit, qui loco, *dolor*, quale eſt in Pandectis Florentinis, *dolon* legit. *Eſt autem*, inquit, *dolon flagellum, intra cujus virgam latet pugio.* Sic ante eum legerat Philippus Beroaldus: qua voce uſus eſt Virgilius *lib.* 7. *Aeneid. v.* 664.

Pila manu, ſaevosque gerunt in bella dolones:
Et tereti pugnant mucrone, veruque Sabello.

Sic &, re non animadverſa, Ulpiani *l. quemadmodum* 29. §. *ſi navis* 2. *D. eod. tit.* locum varii varie legerunt: *Quia parvi refert*, inquit, *navem immittendo, aut ſervaculum ad navem ducendo, an tua manu damnum dederis.* Sunt, qui legant *ſerraculum*, alii *ferraculum*, alii *gubernaculum*, alii *verriculum*. Equidem *lenunculum* adfirmare auſim legendum; cujus rei me admonuit Marcellus, cum navigium piſcatorium definiens, citatque in eam rem Saluſtium. Hoc ſuadet corruptum verbum in P. Flor. *ſervaculum*, adfinitate caracterum. Hoc ſuadet & ipſa res. *Tectoni* igitur, & *lenunculum* legendum primus animadverti. In conſtitutione [*l.* 2. §. 1. *C. de veter. jur. enucl.*] quoque latina, quae de confirmatione Digeſtorum inſcripta eſt, falſo in vulgari & Florentinis, *ſeditioſo*, pro *etiaſo*, id eſt, ſuperfluo, legitur, ut ex eadem conſtitutione adparet: ſic & paulo poſt *inſidus*, vitioſe legitur: quo loco emendatior eſt Graeca conſtitutio, quae habet: καὶ τὸ τε τίτλον κακοχρήστως &c.

CAPUT XII.

MIrari ſatis nequeo, cur juris civilis compoſitores librum 13. Digeſtorum ſuorum a condictione furtiva inceperint, cum ad con-

dictionem ob rem pertineret: cui rei argumento eſt condictio triticaria, quae generalis eſt. Aptius igitur à titulo, *De eo, quod certo loco* &c. initium libri 13. ducere, opinor, debuerant. Sed haec aliquando

CAPUT XIII.

QUi celerrime, aut etiam cunctanter ſcribunt, aut excipiunt, plerumque voces quaſdam omittunt; quod & ſaepiſſime uſu venit: quale in antiquo librario, καὶ τ̃ παιδικῶν ſcriptore in *cap. 5. Sup. 6. lib. 13. tit. 6. l. ſi ut certo 5. §. quinimo 8. verſic. Denique. D. commod.* animadverti: quo loco omiſſio verbi, *ſcribi*, quoſdam interpretes in varias lectiones minime rei congruentes pertraxit. Nam pro *chirographum*, alii *chirographarium*, alii *chirographo* dubitantes legunt, ac reponunt. Vox autem *ſcriptum*, ibidem paulo poſt ſubjecta, reque ipſa ſuadent legendum hoc modo. *Denique ait, tibi Codicem meum commodavero, & in eo chirographum ſcribi, debitoremque tuum cavere feceris &c.* Niſi dixeris ita interpungendo, *& eo chirographum, debitorem tuum &c.* ſupprimi, & ſubaudiri per ellipſin verbum, *ſcribi*, eadem ratione, qua & verba dico, puto, cenſeo, volo apud T. Linacrum: ſed tutius eſt exprimere. quod & ab Ulpiano, de more, factum exiſtimo. Non tamen nego, quin infinitivus eleganter ſupprimatur: iſque loquendi modus veteribus Juriſconſultis familiaris fuit.

Ad Eruditiſſimum Virum

FR. GROLIERIUM,

Cauſarum patronum V. C. Juriſconſultum.

Conſervans hominum vitam, ſanctiſſima rerum
Lex fuit in pretio, inclyta nata Jovis.
Unde nec immerito legum praecelſa poteſtas,
Amplaque majeſtas vim tenet imperii.
Legibus ergo ſacris parendum: nam quid in orbe
Terrarum perveſſo aptius eſſe poteſt?

Ad Generoſum Virum

HENRICUM DE GABIANO.

Excipias medium κομψῶς, Henrice, labores
Pardulphique tui dexteriore manu.
In medias Doctorum turbas (crede) libellus
Ibit, perſpectae teſtis amicitiae.

Ἡ ἀρετὴ τ̃ πάντων κράτει.

PARDULPHI PRATEJI JCti
AUGUSTOBUCONIATIS,
CATAPODISMΩN
LIBRI DUO.

SAcroſanctiſſima jura, qui in univerſum tradenda eſſent, *lib. 3. medico Jurisprudentiae, cap. 1.* ex veteribus juris autoribus docuimus, qua ſint tituli, tractatusve ſinguli tractandi, & explicandi ratione, exemplis partim ex Digeſtis, partim ex Codice Juſtinianeo transſcriptis, aperuimus. Quo in genere formam ab Ulpiano, Julioque Paulo praeſcriptam obſervavimus. Ille enim, partitione rhetorica uſus, de novi operis nuntiatione hoc ordine dicturum ſe pollicetur, *l. 1. §. 15. D. de oper. nov. nunt. De cauſis nuntiationis, quae perſonae nuntient, quibus nuntietur, in quibus locis fiat nuntiatio, & quis hujus effectus.* Paulus quoque, de uſucapione diſputaturus, hac via progreditur, *l. 4. in princ. D. de uſucap. Quis poteſt uſucapere, quas res, & quanto tempore.* Hanc docendi juris rationem ſequutus eſt Azo in eo, quem, *Summa*, inſcripſit libro. At Tribunianus, & collegae expeditiſſimam Juriſconſultorum methodum confuderunt, eorum ſcripta velut centonas aſſuentes. Sed ad inſtitutum deveniamus. Scio Juſtinianum multa conſtitutionibus ſuis emendaſſe; quae ideo huc nolui adferre: quod eae paſſim tum Graece, tum Latine extent.

CATAPODISMΩN
LIBER PRIMUS
EX PANDECTIS

In titulum *De in Jus vocando.*

CATAPODISMUS I.

Capita Summa

I. *In jus vocandi prohibitio.*
II. *Quo in jus vocandum loco.*
III. *Vocantium prohibitos poena.*

Capitis I. Articuli.

1. *Poteſtas patris.* 2. *manumiſſio.* 3. *Magiſtratus.* 4. *religio.* 5. *funus.* 6. *alieni juris ſubjectio.* 7. *aetatis.* 8. *cauſae aliae.*

Art. 1. PArentes in jus vocari apud Ulpianum *l. 4. §. 1. D. de in jus voc.* vetat Praetor: cujus ſententiam Principum reſcripto *l. 3. C. eod.* probatam ſcio: idque ob reverentiam parentibus ſervandam: quod & Paulus ait. Parentes enim revereri lege Solonis apud Stobaeum jubemur, γονεῖς αἰδεῖ. & ait Poeta:

Βιὰν γονεῖς πρὸ παντὸς ἐν τιμαῖς ἔχειν.

Idem etiam praecepit Deus aeternus opt. max. Moſe interprete *Exod. cap. 20. Deut. cap. 6.* Sed & ideo pa-

patrem in jus vocare prohibetur filius, quod inter eos lis nulla eſſe poſſit, *l. 4. D. de judic.* Parentes autem utriusque ſexus accipi debere, Ulpianus ait *l. 4. §. 2. D. de in jus voc.* Nam idem juris in matre, quod in patre, obſervandum jubet conſtitutio, *l. 3. C. eod.* Sed & in infinitum accipiendos parentes Cajus Caſſius apud Ulpianum *l. 4. D. de in jus voc.* verius exiſtimat. Parentes quoque naturales in ea cauſa ſunt, ut vocari non poſſint; ſicut in ea re teſtis eſt Paulus *l. parentes 6. D. eod.* Sed nec vulgo quaeſitus matrem in jus vocabit: quod Ulpiano *d. l. 4. in fin.* placuit. Ad patrem quoque adoptivum edictum Praetoris pertinere, idem Ulpianus *l. adoptivum 8. D. eod.* ait. *Generaliter eas perſonas, quibus reverentia praeſtanda eſt, ſine praetoris juſſu, in jus vocari non poſſe*, H. Modeſtinus *l. generaliter 23. D. eod.* recte putat. Plane emancipatum, venia edicti petita, permiſſuque Praetoris in jus vocare non prohiberi conſtitutum *l. 3. C. eod.* ſcio. Sed hoc, cauſa cognita, recipiendum putem: quod & Ulpianus, *l. ſed ſi hac 10. §. praetor 12. D. eod.* probat. Ob caſtrenſe etiam peculium patrem in jus, permittente Praetore, vocari poſſe, Caji ſententia comprehenſum ſcio, *l. lis nulla 4. D. de judic.*

Art. 2. Patronum, patronam, liberos, parentes patroni, in jus vocari, ſine permiſſu ſuo, apud Ulpianum vetat Praetor, *l. 4. D. de in jus voc.* idque & divus Gordianus *l. 2. C. eod.* reſcripſit. Patroni accipiendi ſunt, qui ex ſervitute manumiſerunt, vel ſi colluſiones detexerunt, vel ſi quis praejudicio pronunciatus eſt patronus, vel ſi juravit eum libertum ſuum eſſe. Patronus quoque eſt, etiam qui capite minutus eſt, *l. ſed ſi hac 10. §. patronum 2. D. eod.* *Qui ex cauſa fideicommiſſi manumiſit*, in ea cauſa eſt, *ut in jus vocari non debeat, etſi ut manumittat, in jus vocetur*, ut Paulus *l. is quoque 9. D. eod.* ait. Sed ſi ad jusjurandum adegi, ne uxorem ducat, neve nubat, impune in jus vocabor. Ex cauſa quoque etiam famoſa patronum vocari poſſe, Ulpianus *d. l. ſed ſi 10. §. praetor ait 12.* ſcribit. *Liberos, ſecundum Cajum Caſſium etiam, ut in parentibus, etiam ultra trinepotem accipi* hoc loco debere, idem Ulpianus *d. l. ſed ſi 10. §. liberos 9.* refert. *Liberorum enim appellatione nepotes, pronepotes, caeterique, qui ex eis deſcendunt, contineri*, Calliſtratus *l. liberorum 220. D. de verb. ſign.* ſcribit. Diverſum jus eſſe Ulpianus ſcribit *ibidem*, ſi liberi patroni capitis accuſaverunt libertum paternum, vel in ſervitutem petierunt. Sed nec *libertus a patrono reus conſtitutus, qui ſe defendere paratus, pro tribunali praeſidem provinciae frequenter interpellat, patronum accuſatorem in jus vocare non videri*, Papinianus *l. libertus 14. D. de in jus voc.* reſpondit: cujus ſententia ad varias ſpecies produci poteſt. *Sicut bonis moribus convenit reverentiam manumiſſoris uxori praeberi, ita re exigente, in jus eam, ſine praetoris permiſſu, vocari, prohibitum eſſe*, divus Alexander *l. 1. C. eod.* conſtituit. Sane *tutorem pupilli nomine patronam ſine praetoris permiſſu in jus vocare poſſe*, a Julio Paulo, *l. quaeſitum 16. D. eod.* reſponſum eſt.

Art. reliq. Conſulem, praefectum, praetorem, proconſulem, magiſtratus imperium habentes; pontificem ſacra facientem; eos, qui propter loci religionem inde ſe movere non poſſunt; eum, qui equo publico in cauſa publica tranſvehitur; qui uxorem ducit, quaeve nubit; judicem, dum de re cognoſcit; eum, qui apud Praetorem cauſam agit; funus ducentem; juſtave mortuo facientem; eum, qui cadaver proſequitur; eum, qui litigandi cauſa neceſſe habet in jure, vel certo loco ſiſti; furioſos, infantes, impuberes puellas, quae alieno juri ſubjectae ſunt, in jus vocare non debere Ulpianus, Calliſtratus & Cajus ajunt, *l. 2. 3. 4. & 22. D. de in jus voc.*

Capitis II. Articulus unus.

Locus legibus dictus.

Nullum de domo ſua in jus vocari licere, Cajus *l. ſatisque 1. D. eod.* ſcribit: *quia domus tutiſſimum cuique refugium, atque receptaculum eſt: eumque, qui inde in jus vocaret, vim inferre videri*, ait. *Interdum tamen eum, qui domi eſt, in jus vocari poſſe*, Paulus *l. ſed & ſi 21. D. eo.* recte putat. Extrahi autem inde non debere ait: *Si quis adſtum ad ſe praeſtet, aut ex publico conſpiciatur, recte in jus vocari eum*, *Julianus* apud Paulum *l. ſatisque 19. D. eod.* ait. Neminem quoque dubitare, Cajus *l. ſed etiam 20. D. eod.* ſcribit, quem a vinea, balneo, & theatro vocari poſſe.

Capitis III. Articuli.

1. *Poena.* 2. *ejus transmiſſio.*

Art. 1. In eum, qui vetitos vocaverit, quinquaginta aureorum ex hoc Praetoris edicto poenale judicium dari, Ulpianus & Modeſtinus, *l. ſi libertus 12. l. penult. & fin. D. eod.* ajunt. Quod ſi inopia laborare dignoſcitur, a praefecto urbi, quaſi inofficioſum litigatorem, caſtigandum eum, Modeſtino *d. l. fin.* placuit. Diverſa cauſa ejus eſt, *qui libellum principi, vel praeſidi dat: in jus enim vocaſſe non videri*, Paulus *l. libertus 15. D. eod.* exiſtimat. *Quamvis etiam non adjiciat Praetor, cauſa cognita, poenale ſe judicium daturum*; *Labeo tamen* apud Paulum *moderandam jurisdictionem ait, ſi poeniteat libertum, & actionem remittat, vel ſi patronus vocatus non veniat, aut non invitus vocatus ſit, licet edicti verba non patiantur*, *l. quamvis 11. D. eod.* Poenale autem judicium ultra annum non dari, Ulpianus ait.

Art. 2. Hujus autem edicti poena, *neque haeredi, neque in haeredem dari*, Ulpianus *l. penult. D. eod.* ait. Plane poſt litem inchoatam etiam ad haeredes tranſire conſtat, *l. omnes 26. D. de oblig. & action.* Poenalia judicia ſemel accepta ad haeredes tranſmitti, antiqui juris regula proditum ſcio.

In titulum, *Qui ſatisdare cogantur, vel jurato promittant, vel ſuae promiſſioni committantur.*

CATAPODISMUS II.

Summa capita.

I. *Fidejuſſoris qualitas.*
II. *Quatenus teneatur.*
III. *Fidejuſſores qui dent.*
IV. *Satisdandum quî ſit.*
V. *Satisdationis locus.*

Capitis I. Articuli.

1. *Locuples.* 2. *conventu facilis.* 3. *ejus probatio, & improbatio.*

Art. 1. & 2. Siſtendi cauſa fidejuſſorem divitem, conventuque facilem dari debere, Ulpianus *l. 2. D. qui ſat. cog.* ſcribit. Litis autem praedem ſponſorem, & vindicem dari juſſerat lex XII. Tabul. cujus haec verba ſunt: *Aſſiduo vindex aſſiduus eſto. Proletario civi quivis volet, vindex eſto.* Hanc legem a Gellio *lib. 16. cap. 10.* relatam explicui *lib. 4. veter. Juriſprud.* Conveniendi facilitatem merito adjecit Ulpianus. *Nam ſi fidejuſſor non negetur idoneus, ſed dicatur habere fori praeſcriptionem, a petitore talem fidejuſſorem recuſari poſſe*, *divus Pius* apud eundem Ulpianum, *l. ſi fidejuſſor 7. D. eod.* reſcripſit. *Sed ſi alias caveri non poſſit, praedicendum ei eſſe, non uſurum eum privilegio, ſi conveniatur.*

Art. 3. Probandos, ac ex cauſa improbandos fidejuſſores, Julii Pauli ſententia comprehenſum ſcio, *l. ſi ab arbitro 10. D. eod.* idque ab arbitro. Ab iniquo autem arbitratu perinde ab eo, atque a judicibus appellandi jus eſſe, Cajus *l. arbitro 9. D. eod.* ait.

Re-

Recte exiſtimatur, ſi ab arbitro probandi ſint fidejuſſores, pro locupletibus habendos, ſicut in ea re teſtis eſt Paulus *d. l. ſi ab arbitro* 10. Si calamitas inſignis, vel magna inopia fidejuſſoribus acciderit, cauſa cognita, ex integro ſatisdandum, Paulus *d. l. ſi ab arbitro* 10. cenſuit. Idem juris eſt, *l. de die* 8. *D. eod.* ſi miles, minor, mulier, & ſervus fidejuſſores dati ſint: cautum enim non videtur. Ex integro quoque cavendum ait Paulus, *d. l. de die* 8. §. *ſi fidejuſſor*. 3. *Si fidejuſſor ſtipulatori haeres extiterit, aut ſtipulator fidejuſſori. Qui pro rei qualitate evidentiſſime locupletem, vel, ſi dubitetur, adprobatum fidejuſſorem judicio ſiſtendi cauſa non acceperit, injuriarum actionem adverſus eum poſſe*, Cajus *l. ſi vero* 5. *D. eod.* recte putat.

Capitis II. Articuli.

1. *Exhibitio.* 2. *Aeſtimatio.*

Art. 1. Cujus nomine ſatisdatum eſt, exhiberi eum oportere argumento erit, quod ait Paulus *l.* 4. *D. eod.* in haec verba: *Si deceſſerit, qui fidejuſſorem dedit, non debebit Praetor jubere exhiberi eum.* Hoc tamen diſtinctione quadam recipiendum eſt.

Art. 2. Eum, qui ſiſtere quem promiſit, ſi non exhibuerit, tanti, quanti ea res erit, actionem a Praetore dari, Ulpianus *l.* 2. §. *fin. D. eod.* ſcribit. Quod ita accipiendum eſt, ut in veram quantitatem fidejuſſor teneatur: niſi pro certa quantitate acceſſerit.

Capitis III. Articuli.

1. *Haeres ſub conditione.* 2. *ſi vocentur vetiti.* 3. *abſentis defenſor.* 4. *tutelae adminiſtratores.* 5. *ſuſpecti.*

Art. 1. *Haeredem ſub conditione, ea pendente, haereditatem poſſidentem ſubſtituto cavere debere de haereditate*, Ulpianus *l. inter omnes* 12. *D. eod.* cenſuit. *Quod ſi plures ſint ſubſtituti, ſingulis cavendum eſſe*, Paulus *l. ſed & ſi* 13. *D. eod.* exiſtimat.

Art. 2. Qualemcunque fidejuſſorem judicio ſiſtendi cauſa accipiendum, ſi prohibiti vocati ſint, Praetor apud Ulpianum *l.* 2. §. 2. *D. eod.* edixit. Edicti interpretationem ab uno Ulpiano petendam cenſeo.

Art. 3. *Eum, qui abſentem defendit, etiamſi filius, vel pater ſit, ſatisdare petitori ex forma edicti debere*, Paulus *l. filiusfam.* 14. *D. eod.* reſpondit.

Art. 4. Tutorem & curatorem pupilli rem ſalvam fore promittere cogendos, Paulus *l. de die* 8. §. *tutor* 4. *D. eod.* ait. *Legatarius quoque in ea cauſa eſt, ut caveat, evicta haereditate, legata reddi, & quod amplius, quam per legem Falcidiam ceperit.*

Art. 5. Suſpectos ob rem mobilem dare ſatis debere, Ulpianus *l. ſi fidejuſſor.* 7. §. *fin. D. eod.* ſcribit. Plane rerum immobilium poſſeſſor ſatisdare cogendus non eſt, *l. penult. D. eod.* idque Mater recte exiſtimat. Qui autem accipiendus ſit poſſeſſor, idem vere & eleganter explicuit: cujus verba huc transſcribere nolui.

Capitis IV. Articuli.

1. *Fidejuſſio.* 2. *jusjurandum.*

Art 1. Fidejuſſoribus dari ſatis, rectiſſime Cajus *l.* 1 *D. eod.* exiſtimat, ſatisdationem explicans. Diverſum ex cauſa eſſe receptum, ajunt hoc loco Bartolus, & Accurſius reliquique interpretes: quorum verba referri vaniſſimi eſſet operis.

Art. 2. Judicio adfuturum cavere jurejurando debere Pauli *l. fin D. eod.* ſententia comprehenditur, exiſtimant jusjurandum ex cauſa deferi poſſe. Admonuit tamen nos Poëta hujus deſertionem, quae dolo non caret, Deum non latere. Sic enim ait,

Θεὸν ἔστιν [illegible] μὴ λήσειν [illegible]

Nam (ut ait [illegible] ophon *lib.* 1. [illegible]) ea eſt Dei potentia, ut ſimul omnia pervideat, & audiat: ubique adſit, & omnium curam habeat. Hinc Poëta,

Ὀξὺς Θεοῦ δ' ὀφθαλμὸς εἰς τὸ πᾶν ὁρᾷ.

Capitis V. Articuli.

1. *Roma.* 2. *municipium.* 3. *rei locus.*

Articulorum una tractatio. Romae cavendum, niſi in municipium, ubi domicilium eſſe dicat, evocet, Julius Paulus *l. de die* 8. §. *jubetur* 5. *D. eod.* ait. Sed & in domicilio, aut ubi res eſſet, caveri poſſe, Titus Antoninus *l.* 5. §. 3. *D. ut leg. ſeu fid. nom. cav.* apud Papinianum reſcripſit.

In titulum, *De procuratoribus & defenſoribus.*

CATAPODISMUS III.

Summa capita.

I. *Procuratores dandi, cui, an non, jus ſit.*
II. *Qui dari poſſint.*
III. *Quo modo.*
IV. *Quibus rebus.*
V. *Procuratoris officium.*
VI. *Hujus compulſio.*

Capitis I. Articuli.

1. *Poteſtas.* 2. *corporis caſus.* 3. *abſentia.* 4. *correi.*

Art. 1. Procuratores dari poſſe ab iis, qui legibus, moribusve non vetantur, variis juris articulis proditum ſcio. Filios quoque familias procuratorem dare poſſe, Ulpianus *l.* 8. *D. de proc.* ſcribit.

Art. 2. *Mutus & ſurdus, per eum modum, qui procedere poteſt, procuratorem dare non prohibentur: forſitan & ipſi dantur*; idque Paulus ait *l. mutus* 43. *D. eod.*

Art. 3. Procuratorem ab abſente dari poſſe, Ulpianus *l.* 1. §. 3. *D. eod.* ſcripſit. *Abſentem eum accipere debemus, qui non eſt in loco, ubi petitur*, quod eidem Ulpiano *l. abſentem* 199. *D. de verb. ſign.* placuit. Sed hoc varie cenſeri, ad Ulpianum recte exiſtimat A. Alciatus.

Art. 4. *Si uni ex reis conſtitutum ſit, iſque alium procuratorem in conſtitutam pecuniam det, non negabimus poſſe dare. Sed & ex duobus reis promittendi alter alterum defendendum procuratorem dabit*; quod Paulus *l. licet* 42. §. *porro* 5. *De procurat.* ait.

Capitis II. Articuli.

1. *Aetas.* 2. *ſexus.* 3. *militia.* 4. *magiſtratus.* 5. *invitus.*

Art. 1. *Minor* 25. *annis, ſi defenſor exiſtat, ex quibus cauſis in integrum reſtitui poteſt, defenſorem idoneum non eſſe*, Ulpianus *l. minor* 51. *D. eod.* ait; idque divi Alexandri reſcripto *l. exigendi* 12. *C. eod* continetur. Nec ejusdem Ulpiani *l. ſi collactaneus* 13. *D. de manum. vindic.* reſponſo ſubſiſtimus; ad procuratorem enim negotiorum pertinet. At defenſorem ſuum eſſe argumento erit, quod idem Ulpianus *l. ſed & ſi* 35. §. *defendere* 3. *D. de procur.* recte definit: *Defendere*, inquit, *eſt id facere, quod dominus in litem faceret.* Atque hanc ἀντινομίαν ita diluiſſe viſus eſt Accurſius: quo in genere plurimus eſt.

Art. 2. 3. & 4. *Neque foemina, neque miles, neque qui reipubl. cauſa abfuturus eſt, aut morbo perpetuo tenetur, neque qui magiſtratum initurus eſt, idoneus defenſor intelligitur*: ſicut in ea re Paulus *l. neque foe-*

minas 54. *D. eod.* teſtis eſt. Plane *foeminis pro parentibus agere interdum permitti*, Paulus *l. foeminas* 41. *D. eod.* ſcribit.

Art. 5. Invitum procuratorem dari non ſolere, Ulpiano *l. filiusfam* 8. §. *invitus* 1. *D. eod.* placuit. idque divi Principes *l. invitus* 17. *C. eod.* reſcripſerunt. *Invitum autem accipere debemus*, inquit ibidem Paulus, *non eum tantum, qui contra dicit, verum eum quoque, qui conſenſiſſe non probatur.*

Capitis III. Articuli.

1. *Nuntius. epiſtolave.* 2. *certitudo.* 3. *conſenſus.* 4. *generaliter.* 5. *ſpecialiter.*

Art. 1. Procuratores & nuntio, & epiſtola conſtitui poſſe, Ulpianus *l.* 1. *D. eod.* ait: quod & Paulus receptum ait *lib.* 1. *Sententiarum* §. 1. *tit.* 3. *Mandari*, inquit, *poteſt procuratio praeſentibus, & nudis verbis, & per literas, & per nuntium, & apud acta praeſidis, vel magiſtratus.*

Art. 2. Procurator certus dari debet, idque Paulus *l.* 2. *D. eod.* ſcribit.

Art. 3. Sed & procuratorem mandato conſentire oportere, argumento erit, quod invitus dari non poteſt, ut ſuperius docui. Nam & mandatum conſenſu contrahi, veteribus placuit: ut & Cajus *l.* 2. *D. de oblig. & act.* ſcribit.

Art. 4. Mandato generali procuratorem recte dari, Julii Pauli *l. procurator cui* 58. & *l. mandato* 60. *D. eod.* ſententia comprehenſum ſcio. Sed ejus poteſtas usque adeo repreſſa eſt, ut tranſigere, alienare, niſi fructus, aut facile corruptibilia, non poſſit, ut Paulus, & Modeſtinus *d. l. mandato* 60. & *l. procurator totorum* 63. ajunt. Plane exigere, novare, & aliud pro alio permutare, & ſolvere, mandatum videri, Paulus *d. l. mandato* 60. & *l. ſeq.* recte putat.

Art. 5. Mandato ſpeciali procuratorem, quem conſtitui, elegans H. Modeſtini *d. l. procurator totorum* 63. ſententia eſt. Is mandati fines diligenter cuſtodire debet, ut & Paulus *l. diligenter* 5. *D. mand.* tradit: quod & Gellius *lib.* 1. *cap.* 13. probat. Plane ſi mandati officium egreſſus ſit, domino obeſſe eum non poſſe, divus Alexander Caſtiae *l. ſi procurator* 10. *C de procur.* reſcripſit. Intra fines igitur mandati ſeſe contineant procuratores!

Capitis IV. Articuli.

1. *Judicia publica.* 2. *privata.* 3. *negotia.* 4. *res ſua.*

Art. 1. *Publice utile eſſe abſentes a quibuscunque defendi*, Ulpianus ait *l. ſervum* 33. §. 2. *D. de procur. Nam & in capitalibus judiciis defenſio datur. Ubicunque abſens damnari poteſt, ibi quemvis verba pro eo facientem, & innocentiam excuſantem audiri aequum eſt, & ordinarium admittere: idque reſcriptum eſt.* Dubitationem movet, quod Papinianus *l. pen.* §. 1. *D. de public. judic.* ait. *Ad crimen judicii publici perſequendum fruſtra procurator intervenit: multoque magis ad defendendum:* [illegible] diluere conatur Accurſius. Pugnantia haec conciliare contendit Bartolus: quorum verba huc referre vaniſſimi operis eſſe putem. Defenſionem hoc loco accipiendam exiſtimo, qua duntaxat excuſatur innocentia, qua in re conſentiunt Ulpianus, & Papinianus: idque in omni capitali, & publico crimine receptum ſcio. In popularibus actionibus procuratorem dari non poſſe, Paulus *l. licet* 42. *D. de procurat.* ait. Diverſum eſt in eo, qui de via publica, privato damno, ſepulchro violato, & injuriarum ex lege Cornelia agit. Nam & hic procuratorem recte dat. idque idem Paulus *d. l. licet* 42. ſcribit.

Art. 2. Privata judicia a procuratoribus inſtitui poſſe, Ulpiani *l. ſed & ſi* 35. §. *non ſolum* 2. *D. eod.* ſententia comprehenditur: idque Imperatores *l.* 26. *C. eod.* conſtituerunt: *niſi forte* (inquiunt iidem) *quaedam, juſtiores ob cauſas vehementiores maxime judicis vocaverit autoritas.*

Art. 3. Rei uni pluribusve procuratorem dari poſſe, Ulpianus, *l.* 1. *D. eod. l. ſi vero non* 12. §. 7 *D. mand.* ſcribit.

Art. 4 In rem ſuam procuratorem recte dari conſtat *l. quae omnia* 25. *D. de procurat.* ex mente Ulpiani. *Procuratore in rem ſuam dato praeferendum non eſſe* dominum, idem *l. procuratore* 55. *D. eod.* putat: cujus ſententia vera eſt.

Capitis V. Articuli.

1. *Actio.* 2. *defenſio.* 3. *cautio.* 4. *ſatisdatio.* 5. *rationum redditio.*

Art. 1. Actiones domino a procuratore quaeri, Ulpianus *l. in cauſae* 27. *in fin.* & *l. ſeq. D. eod.* refert. Plane non ſemper per procuratores quaeri actiones, ſed retineri Paulus *l. per procuratorem* 72. ait. Commodiſſime adjicerem cantatiſſimam illam interpretum controverſiam, *directaene an utiles actiones domino a procuratore quaerantur.* eam tamen praetermiſi, alio loco diſputaturus.

Art. 2. Ulpianus *l. ſed & ſi* 35. §. 2. *D. eod.* ait, a procuratore defendendum dominum cogi. *Defendere eſt facere, quod dominus in litem faceret.*

Art. 3. *Qui alieno nomine agit quacunque actione, id ratum habiturum eum, ad quem ea res pertinebit, cavere debet*: quod & Ulpianus, *l. non ſolum* 39 §. 1. *D. eod.* ait. Huc pertinet titulus, *Rem ratam haberi.*

Art. 4. *Qui alium defendit, ſatisdare cogitur. Nemo enim alienae litis defenſor idoneus ſine ſatisdatione intelligitur*, *l. qui proprie* 46. §. 2. *D. eod.* Sane domini praeſentia & literis, a ſatisdationis nexu eximi eum placuit, *l. ſi procuratorem* 65. *D. eod.* Quod accipiendum eſt, ſi literae probatae ſunt.

Art. 5. Procurator, ut in caeteris negotiis gerendis, ita & in litibus, exercendis ex bona fide rationem reddere debet, *d. l. qui proprie* 46. §. *pen.*

Capitis VI. Articulus unus.

Judicii acceptio.

Ait Praetor: *Procuratorem ad litem ſuſcipiendam datum, pro quo conſentiente dominus judicatum ſolvi expoſuit, judicium accipere cogam*, *l. filiusfam.* 8. §. *fin. D. de procur. Verum ex cauſis compelli eum non debere*, Ulpianus ad Edictum *ibidem* ait. Cauſas autem hae recenſentur *d.* §. *fin* & *trib. ll. ſeq.* inimicitiae, dignitas; abſentia, valetudo, peregrinatio; haereditas, idque ab Ulpiano, Paulo, & Cajo.

In titulum, *De minoribus* XXV. *annis*,

CATAPODISMUS IV.

Capita ſumma.

I. *Qui reſtituendi.*
II. *Cujus rei cauſa.*
III. *Qui reſtituendum.*
IV. *Quibus reſtituere liceat.*
V. *Reſtitutionis tempora.*

Capitis I. Articuli.

1. *Filii ſui juris.* 2. *in poteſtate.* 3. *ſucceſſores.*

Art. 1. 2. & 3. Minores 25. ann. ſive ſui juris, ſive in poteſtate ſint, reſtitui debent in integrum ex edicto Praetoris *l.* 3. §. *ſed utrum* 4. *D. de min*, idque variis reſcriptis *l.* 4. & 5.

C.

C. de in integr. reſtit. continetur. Patrem quoque filio ſuccedentem in ea cauſa eſſe, ut reſtituatur, Pomponius ait *d. l. 3. §. pen.* Idem juris in aliis ſucceſſoribus eſſe, ſaepe conſtitutum refert Ulpianus *l. non ſolum 6. D. de in integr. reſtit.*

Capitis II. Articuli.

1. *Geſta.* 2. *Judicia.*

Art. 1. & 2. Minorem ex geſto captum reſtituendum edicto Praetoris continetur. Si igitur contraxerit, ob idque laeſus fuerit, illi ſubveniendum Ulpiani ſententia *d. l. 3. ſi quis* 1. comprehenſum ſcio. *Sed etſi pecunia a debitore paterno, vel proprie ſoluta ſit, & hanc perdidit, dicendum eſſe ei ſubveniri, quaſi geſtum ſit cum eo*, idem Ulpianus *l. 7. §. 2. D. de minor.* ſcribit. *Si haereditatem minus lucroſam minor adiit, ut ſe poſſit abſtinere, reſtituitur*, ut ait idem *d. l. 7 § 5.* idque etiam divi Severus & Antoninus *l. 1 C. ſi min. ab haered. abſt.* reſcripſerunt. *Idem in bonorum poſſeſſione, vel alia ſucceſſione* dicendum, idem Ulpianus *ibidem* recte putat. Minori quoque ſive emptione, ſive venditione capto, ſubveniendum idem *l. in cauſae 13. §. 1. D. de minor.* cenſuit, idque optima ratione: cujus ſententia Imperatorum *l. fin. C. ſi advers. vend.* conſtitutione juvatur. Plane ſi caverit jurisjurandi religione, ſe non contraventurum, quod geſtum eſt, beneficium illi negandum divus Alexander *l. 1. C. eod* reſcripſit. *In dotis etiam modo mulieri ſubvenitur, ſi ultra vires patrimonii, vel totum patrimonium circumſcripta in dotem dedit, l. 9. §. 1. D. de minor.* Hoc beneficio utetur, & mulieris haeres, ut & divus Alexander *l. 1. C. ſi advers. dot.* conſtituit. Minori etiam ſucceſſori adverſus legem commiſſoriam, tranſacto pactionis die, ſuccurriſſe ex cauſis Imperatorem Paulus lib. 1. Decretorum *l. Aemilius 38. D. de minor.* ſcribit. *Minor quoque annis* xxv. *cui fideicommiſſum ſolvi pronuntiatum erat, ſi caviſſet id ſe accepiſſe, & cautionem ei debitor quaſi pecuniae creditae feciſſet, in integrum reſtitui poteſt, l. 40. D. eod.* Ex cauſa etiam mandati, & fidejuſſionis auxilium minoribus denegandum non eſſe Paulus, *lib. 1. Sentent. tit. 9.* [*l. 48. D. eod.*] ſcribit.

In Judiciis quoque ſubveniri minoribus proditum ſcio. *Minor etiamſi quaſi contumax condemnatus in integrum reſtitutionis auxilium implorabit, l. 8. D. eod. Omiſſam quoque allegationem per in integrum reſtitutionis auxilium repetere eum poſſe*, Paulus *l. 36. D. eod.* receptum ait. *In eremodiciis ii ſubveniri*, Ulpianus *l. 7. §. fin. D. eod.* ſcriptum reliquit. *Item ſi non provocavit intra diem, ſubvenitur, ut provocet, d. l. 7. §. pen.* Qui locus in Pand. Florent. ſuſpicione non caret.

Restitutionis denegandae causae.

Plane *in delictis minoribus ſubveniendum non eſſe* placuit, ut ajunt Ulpianus, *l. ſi ex cauſa 9. §. 2. D. eod.* Tryphoninus *l. auxilium 37. D. eod.* & Paulus *lib. 1. Sentent. tit. 9. Sed & in ſexaginta diebus praeteritis, in quibus jure mariti ſine calumnia vir accuſare mulierem adulterii poteſt, denegari illi in integrum reſtitutionem*, Tryphoninus *d. l. auxilium 37.* ſcribit. *Adverſus libertatem minori ſubveniri impoſſibile eſſe*, Ulpianus *l. 9. §. fin. D. eod.* recte exiſtimat: *niſi*, ut ait Julius Paulus *l. niſi 10. D. eod. hoc ex magna cauſa a principe fuerit conſecutus. Item non reſtituetur, qui ſobrie rem ſuam adminiſtrans occaſione damni, non inconſulte accidentis, ſed fato velit reſtitui: nec enim eventus damni reſtitutionem indulget, ſed inconſulta facilitas:* idque Ulpianus *l. verum 11. §. 4. D. eod.* & Pomponius junt. *Communi quoque auxilio, & mero jure munito non debet tribui auxilium extraordinarium*: cujus rei exempla aſſignat Ulpianus *l. in cauſae 16. D. de minorib. Exuli reverſo non debere prorogari tempus in integrum reſtitutioni ſtatutum, quia abfuit*, Papinianus reſpondit apud Ulpianum *l. 20. D. de min.* Minorem pubeſactum, ſi coepta in integrum reſtitutionis liſte, legatum petat, auxilium reſpicere eum a Papiniano *l. ſi filius 30. D. eod.* reſponſum eſt. *Auxilium in integrum reſtitutionis in executionibus poenarum paratum non eſſe*, Tryphoninus *l. auxilium 37. eod.* ſcribit.

Capitis III. Articuli.

1. *Aequalitas.* 2. *Cauſae cognitio.*

Art. 1. *Reſtitutio ita facienda eſt, ut unusquo integrum jus ſuum recipiat*; ſicut in ea re teſtis eſt Paulus *l. quod ſi 24. §. 4. D. eod.* & ſic in integrum reſtitutionibus aequalitatem ſervari debere conſtat: nam (ut ait Euripides)

Τὸ γὰρ ἴσον νόμιμον ἀνθρώποις ἔφυ.

Art. 2. *Cauſa cognita, & praeſentibus adverſariis, vel ſi per contumaciam deſint in integrum reſtitutiones perpendendas eſſe*, Ulpiano *l. in cauſae 13. in fin. D. eod.* placuit. *In cauſae cognitione verſabitur, utrum ei ſoli ſuccurrendum ſit, an etiam his, qui pro ſe obligati ſunt; num forte alia actio poſſit competere*: quae omnia fuſiſſime explicuerat Ulpianus lib. 11. ad Edictum *l. in cauſae 13. & 16.*

Capitis IV. Articulus unus.

Judices.

Praefectus urbi, aliive magiſtratus, pro ſua juriſdictione, reſtituere in integrum poſſunt, tam in aliis cauſis, quam contra ſententiam ſuam, l. in cauſae 16. §. fin. Praefecti etiam praetorio ex ſua ſententia in integrum poſſunt reſtituere, quamvis ab eis appellari non poſſit: idque Hermogenianus ait lib. 1. Epitomarum juris *l. Praefecti 17. D. eod.* Praeſes quoque provinciae in eadem cauſa eſt, ut Ulpianus & Scaevola *l. praeſes 42. D. eod. & l. 47. §. fin. D. de condict. indeb.* cenſent. Contrario jure, eoque moribus recepto utimur: principi enim ſoli reſtituendi jus eſſe conſtat, atque ita conſtitutum accepi a Pragmaticis.

Capitis V. Articuli.

1. *Initium.* 2. *Finis.*

Art. 1. *Minorem* xxv. *annis natu videndum, an etiam diem natalis ſui adhuc dicimus ante horam, qua natus eſt, ut ſi captus ſit, reſtituatur: & cum nondum compleverit, ita erit dicendum, ut a momento in momentum tempus ſpectetur, l. 3. §. 3. D. eod.*

Art. 2. *Minoribus* xxv. *annis opem pollicetur Praetor. Nam poſt hoc tempus compleri virilem vigorem*, Ulpianus *l. 1. §. 2. D. eod.* ſcribit; atque ideo reſtitutionis auxilium denegari liquet: idque ſaepiſſime conſtitutum fuit *l. 7. C. de dol.*

In titulum, *De aqua, & aquae pluviae actione* [*& aquaeductu.*]

CATAPODISMUS V.

Hujus tituli duo ſunt capita ſumma, duaeque actiones: quarum una aquae pluviae dicitur; aquae ductus altera. Quae omnia confuſione in eundem titulum conjecerunt Pandectarum compoſitores, cum utraque diverſa ab ſe pendeat, & produci debeat. Quo adductus ita hunc titulum inſcribendum cenſeo. *De aqua, & aquae pluviae actione, & aquaeductu.* Quae, ut lucidius intelligi poſſint, in duos velut titulos diducemus.

De aquae pluviae actione.

Summa capita

I. *Aquae pluviae actio, ejusque finis.*
II. *Cui, in quemve danda.*
III. *Ejus uſus locusque.*

Capitis I. Articuli.

1. *Qualitas.* 2. *tranſitus.* 3. *reſtitutio.*

Art. 1. Ante, quam ad aquae pluviae tractatum deſcendamus, ejus definitionem videamus.

mus. *Aquam pluviam*, inquit Ulpianus *l.* 1. *D. de aq. pluv. quae de coelo cadit, atque imbre creſcit, ſive per ſe haec aqua coeleſtis noceat, ut Tubero ait, ſive cum alia mixta ſit.* Huc videtur pertinere, quod in haec verba ſcripſit M. Cicero *in Topicis cap* 9. ad C. Trebatium: *ut ſi aquam pluviam eam modo intelligeremus, quam imbri collectam videremus; veniret Mutius, qui quia conjugata verba eſſent, pluvia, & pluendo, diceret, omnem aquam oportere arceri, quae pluendo crevisſet.* Hic locus mihi depravatus; corruptusque videtur. Sciendum autem eſt aquae pluviae actionem non in rem, ſed in perſonam eſſe; idque Ulpianus, *l.* 6. §. 5. *D. eod.* recte exiſtimat.

Art. 2. Si prius, quam aquae pluviae arcendae agat quis, dominium ad alium transtulerit fundi, deſinit aquae pluviae arcendae habere actionem, eaque tranſibit, cujus ager eſſe caepit.

Art. 3. Officium judicis hoc erit, ut ſiquidem opus a vicino factum ſit, eum jubeat reſtituere, damnumque farcire: ſi quid poſt litem conteſtatam contingit. Quod ſi ante litem conteſtatam damnum contigit, tantum opus reſtituere debebit, damnum non farciet.

Capitis II. Articulus unus.

Vicinus.

Vicino in vicinum aquae pluviae arcendae actionem dari veteribus placuit; idque variis hujus tituli capitibus liquet: qun in genere ita in XII. Tabulis ſcriptum fuiſſe docui *l.* 4. *veteris jurisprudentiae*, *Si aqua pluvia nocet, avertendae actio eſto.* Plane *ſi fundus vicino ſerviat, & propterea aquam recipiat, actionem ceſſare*, putat Paulus *l.* 2. §. *fin. D. eod.* Sed & *ſi vicinus flumen, torrentem averterit, ne aqua ad eum perveniat, & hoc modo ſit effectum, ut vicino noceatur, agi cum eo non poſſe*, Labeo cenſuit *d. l.* 2. §. *pen. Si modo non hoc fecit, ut ſibi noceat, ſed ne ſibi noceat.* Species alias, in quibus actio non datur, recenſet Paulus *d. l.* 2.

Capitis III. Articulus unus.

Damnum.

Haec actio locum habet in damno nondum facto, opere tamen jam facto, hoc eſt, de eo opere, ex quo damnum timetur: totiesque locum habet, quoties manufacto opere, aquae nociturα eſt, id eſt, cum quis manufecerit, quo aliter flueret, quam natura ſoleret, ſi forte immittendo eam, aut majorem fecerit, aut citatiorem, aut vehementiorem: aut ſi comprimendo redundare fecit. Plane, *ſi natura aqua noceret, ea actione non continetur*, atque ab Ulpiano *l.* 1. §. 1. *D. eod.* ſcripta ſunt. *Quod principis, aut ſenatus juſſu, aut ab his, qui primi agros conſtituerunt, opus factum fuerit, in hoc judicium non venit. Haec actio in vectigalibus agris locum habet*: haec Paulus *l. quod principis* 23. *D. eod. In hoc autem judicium futurum damnum venit*, ut ait Paulus, *l.* 14 §. 2. *D. eod.*

ALTERA TITULI PARS.

De aquaeductu.

Aquae pluviae actioni vicinus tractatus eſt, *De aquaeductu*: cujus duo ſunt capita.

I. *Aquae ducendae jus.*

II. *Ducendae circumſtantiae.*

Capitis I. Articuli.

1. *Voluntas.* 2. *Loci natura.* 3. *Vetuſtas.*

Art. 1. *In concedendo jure aquae ducendae non tantum eorum, in quorum loco aqua oritur, verum eorum, ad quos ejus aquae uſus oritur, voluntatem exquirendam, ſpectandamve*, Ulpianus, *l. in concedendo* 8. *D. eod. l. ſi autem* 10. *D. eod.* ſcribit, autumans *lege dictu* hanc ſervitutem conſtitui: idque alibi *l.* 1. §. *fin. D. eod.* cenſuit.

Art. 2. Loci natura ac vetuſtate aquaeductum conſtitui, idem Ulpianus *d. l.* 1. §. *fin.* ait: cujus ſententiam (veriſſima enim eſt) probat Scaevola, *l. fin. D. eod. Solere*, inquit, *eos, qui juri dicundo praeſunt, tueri ductus aquae, quibus auctoritatem vetuſtas daret, tametſi jus non probaretur.* Hoc Scaevolae reſponſum explicui *lib.* 4. *cap.* 1. *Jurisprudentiae med.* rejecta Bartoli ſententia.

Capitis II. Articuli.

1. *Unde.* 2. *qua.* 3. *quando.*

Art. 1. Unde aqua duci concedi poſſit a Triboniano praetermiſſum eſt: id autem pactionibus effici non ambigitur; niſi reclamet lex. Plane *ſi navigabile flumen ſit, non oportere Praetorem concedere ductionem ex eo fieri Labeo ait, quae flumen navigabile efficiat; idemque eſt, etſi per hoc aliud flumen fiat navigabile*, *l. ſi autem* 10. §. *fin. D. eod.*

Art. 2. *Supra iter alienum arcus aquae ducendae non jure fiet: nec is, cui iter, actus debetur, pontem, qua poſſit ire, agere jure extruet: at ſi ſpecus, non cuniculum ſub rivo agat: aqua corumpetur, quia, ſuffoſſo eo, aqua manabit, & rivus ſiccetur*, *l. ſupra* 11. *D. eod.*

Art. 3. Die noctuve aquam duci poſſe, Paulus ad Plautium ſcripſit, *l. ſi prius* 17. *D. eod.*

In titulum, *Ad legem Julian de vi privata.*

CATAPODISMUS VI.

Capita ſumma.

I. *Vis privatae rei.*

II. *Horum poena.*

Capitis I. Articuli.

1. *Raptor ex naufragio.* 2 *homines convocans.* 3. *dejector.* 4. *res debitoris occupator.*

Arti. QUi de naufragiis quid ſubripuerint; qui convocatis hominibus, vim fecit, quo quis verberetur, pulſetur citra homicidium; qui coetum fecit, ne quis in jus produceretur; qui aliquem de agro ſuo, hominibus convocatis, dejecit; qui improbe coëunt in alienam litem; creditorve, qui ſibi jus dicit: *hac lege* coërceri eos, Marcianus, Scaevola, Macer, Paulus, Ulpianus, Modeſtinus, & Calliſtratus *toto tit. D. de vi priv.* ajunt. Divus Hadrianus apud Calliſtratum *l.* 7. *D. de incend. ruin. permiſit (ut facilior eſſet probatio ſubrepti ex naufragio) & quicquid paſſos ſe hujuſmodi querantur adire praefectum, & apud eum teſtari, reoſque petere, ut pro modo culpae, vel vincti, vel ſub fidejuſſoribus ad praeſides remittuntur.* Quod ait Ulpianus *l. ſi quis* 5. *D. de vi priv. Qui aliquem ex agro ſuo dejecit*, ex legibus Solonis ſumptum videri poteſt. Sic enim apud Demoſthenem ſancivit, Ἐάν τις ἐξείλῃ τινα ἢ ἐργασίας ὑπόδικος ἔστω. Hanc legem explicui *lib.* 2. *vet. Jurisprudentiae, cap.* 65.

Capitis II. Articuli.

1. *Capitalis.* 2. *civilis.*

Art. uterq. De vi privata damnati partem tertiam bonorum publicari, Marcianus, *l.* 1. *D. eod.* ſcribit, quod divi Antonini reſcripto *l.* 2. *C. eod.* comprehenſum ſcio: ſed & in inſulam deportandum, divus Conſtantinus *l.* 7. *C. eod.* conſtituit. Creditor, qui res debitoris occupat, jus crediti amiſit, & eſt infamis: idque Calliſtratus, & Modeſtinus ajunt *l. pen. & fin. D. eod.*

CATAPODISMΩN
LIBER SECUNDUS.

EX CODICE JUSTINIANEO.

In titulum, *De transactionibus.*

CATAPODISMUS I.

Capita ſumma.

I. *Transactionis vis.*
II. *Quae ex ea actio.*

Capitis I. Articulus ſingularis.

Transactio firma.

TRanſactionem reſcindi non debere, plurimorum Imperatorum conſtitutionibus *l.* 4. 5. 6. 10. 19 25. 28 32. *C. eod.* liquido conſtat, etiamſi unum ſtatim poenituerit: idque divi principes *l. quamvis* 39. *C. eod.* conſtituerunt; usque adeo, ut nec reſcripto quidem infringi eam poſſe, iidem reſcripſerint, *l. cauſas* 16. *C. eod.* At vero iidem principes ſibi reclamare videntur: alis ſiquidem conſtitutione adverſus tranſactionem in integrum reſtitui juſſerunt, *l.* 2. *C. ſi advers. transaction.* Hanc dubitationem nec Accurſius, nec Bartolus, nec Baldus, nec Alciatus moverunt. *Antinomian* hanc ita dilui poſſe exiſtimo. Si tranſactione nemo circumſcriptus ſit, eam non reſcindi merito placuit: alioquin laeſum in integrum reſtitui aequum eſt. In integrum enim reſtitutionem concedi & bonum & aequum cenſuit Terentius *in Phormione, Act.* 2. *ſcen.* 4. *v.* 10.

— *Quod, te abſente, hic filius*
Egit, reſtitui in integrum aequum eſt & bonum.

Sed ad inſtitutum redeamus. Initam noctu tranſactionem non infringi reſcriptum ſcio, *l.* 20. *C. eod.* Neſcius tamen non ſum, noctem mali auctricem. Nam Menander ita ſcriptum reliquit,

Τὴν νύκτα τὸ πολλῶν κακῶν ἀρχηγόν.

Hinc dicebat Evangeliographus, *Joann. cap.* 3. *v.* 20. πᾶς γὰρ ὁ φαῦλα πράσσων μισεῖ τὸ φῶς. *Plane initas metu transactiones ratas non haberi*, reſcriptum eſt, *l. interpoſitas* 13. *C. eod.* Minorum quoque tranſactiones irritas haberi, argumento erit, quod ajunt principes majorum ratas eſſe, *l.* 25. *C. eod.* Tranſactionem etiam non tenere, ſi res non intervenerit, nullo dato, aut retento, iidem *l. transactio* 38. *C. eod.* ajunt. Sed & eam mutuo conſenſu diſſolvi placuit, *l. ſi diverſa* 14. *C. eod.* Falſis etiam inſtrumentis tranſactiones reſcindi conſtat, *l. fin. C. eod.*

Capitis II. Articuli.

1. *Incerta, civiliſque actio.* 2. *Ex ſtipulatu.*

Art. uterq. Actionem praeſcriptis verbis, vel ex ſtipulatu naſci, divus Alexander *l. cum mota* 6. *C. eod* reſcripſit. Actione per acceptilationem ſublata de dolo agi, idem *l.* 4. *C. eod.* conſtituit.

In titulum, *De inofficioſo teſtamento.*

CATAPODISMUS II.

Capita ſumma.

I. *Inofficioſum, quibus dicendi jus ſit.*
II. *In quem.*
III. *Querelae tempora.*
IV. *Ejus effectus.*
V. *Tranſitus.*

Capitis I. Articuli.

1. *Liberi.* 2. *Parentes.* 3. *Agnati, cognative.*

Art. 1. FIliisfamilias inofficioſum patris teſtamentum dicendi jus eſſe, querelamque inſtituendi, divi Alexander *l. ſi haeredum* 10. & Juſtinianus *l. omnimodo* 30. reſcripſerunt: idque ex Imperatoris Hadriani decreti ſententia, apud Julium Paulum lib. ſingulari, de ſeptemviralibus judiciis, *l. cum mater* 28. *D. eod.* adnotavi. De inofficioſo quoque matris teſtamento agere licere, divi Severus & Antoninus conſtituere, *l.* 1. Sed hoc ita accipi debere, ſi extraneos haeredes ea ſcripſiſſet, *l.* 3. Poſthumos quoque in ea cauſa eſſe, ut inofficioſi actionem inſtituere poſſint, divorum Severi & Antonini reſcripto conſtat, *d. l.* 3. quod & ab Ulpiano noſtro ſcriptum ſcio, *lib.* 13. *ad Edict.* Nepotibus idem licere a divis Antonino & Juſtiniano, *l.* 7. & 34. reſcriptum eſt: ab illo enim ita conſtitutum ſcio: *Neptem defuncti actionem de inofficioſo teſtamento (quamvis pater ejus emancipatus fuerat defunctus) exerceri poſſe, ignorare non debes.* Diverſam tamen cauſam filii, ſua ſponte arenarii conſtituti, eſſe divus Alexander reſcripſit *l. in arenam* 11. niſi pater conditionis ſimilis fuerit. Arenam amphitheatrum adpellat μεταφορικῶς elegantiſſimus Poeta Martialis *de Spectac. epigr.* 4. & 5 ſpargi enim arena ſolebat. Sed & ſi quis pecuniam a patre acceperit, pactusve fuerit, a querela ſubmovendum eum Juſtinianus Imperator conſtituit, *l. ſi quando* 35. Ulpiani ſententiam explicans. Sed nec de militis teſtamento queri poſſe, Alexander *l. ac inofficioſo* 9. reſcripſit. Flagitioſe ſpurcoque viventem filiam a querela excludit divorum principum conſtitutio, *l. ſi filiam* 18. Quarta quoque querelam ſubmoveri Juſtiniani reſcripto *l. omnimodo* 30. conſtat. Sunt & aliae excludendae quartae ſpecies, quas prudens ſilentio praetereo. Quod autem diximus, liberis teſtamentum patris inofficioſum dicendi jus eſſe: ita accipiendum Juſtiniani conſtitutione *d. l. omnim.* 30. recte puto, ſi aut exhaeredati, aut praeteriti ſint. *Inofficioſum autem teſtamentum dicere*, ait Martianus lib. 4. Digeſtorum *l.* 3. *D. eod. hoc eſt, allegare, quare exhaeredari non debuerit.* Saevas itaque exhaeredationis tabulas adpellat elegantiſſimus Poëta, Juvenal. *Sat.* 10 *v.* 235.

— — — — *Nec illos,*
Quos genuit, quos eduxit: nam codice ſaevo
Haeredes vetat eſſe ſuos.

Ideo autem inofficioſum dicitur, quod contra officium pietatis conſcriptum ſit, ut eleganter definit

Julius Paulus *lib.* 4. *Sententiarum*, *cap.* 1. Liberos autem eo priore articulorum capitis hujus ſede collocavimus, quod eorum praecedentem cauſam reſponderit lib. 5. Quaeſtionum Papinianus *l. pater filium* 14. *D. eod.* quod & Juſtiniana novaque conſtitutione § 1. *de haered. ab inteſt. ven. Coll.* 9. probatum ſcio, qua cautum eſt primam eſſe liberorum ſucceſſionem.

Art. 2 Parentes ad querelam vocari ſaepiſſime reſcriptum eſt: quod & in matre conſtituere divi principes *l. cum filium* 17. id quod & Papiniano noſtro, *l. pater filium* 14. *D. eod.* placuit, lib. 5. Quaeſtionum. Nam, ait idem *l.* 15. *non minus pie parentibus, quam liberis, relinqui debet haereditas.* Militis tamen *filiifam. teſtamentum in caſtrenſi peculio factum per inofficioſi querelam reſcindi non poſſe*, Diocletianus & Maximianus reſcripſerunt, *l.* 24. *C. eod.*

Art. 3. Cognatos inofficioſi actionem inſtituere poſſe, divus Conſtantinus *l. fratres.* 27. reſcripſit Verino: quod accipi debère eadem conſtitutione conſtat, ſi infamiae labe conſperſos inſtituerit frater. Cognatos autem hoc reſcripto accipere debemus fratres, praeterque eos neminem: idque Ulpianus lib. 14. ad Edictum *l.* 1. *D. eod.* Fratris igitur, vel ſororis filios, patruos, avunculos, amitas, materteraſve ad inofficioſi querelam admitti non debere, ab optimis Imperatoribus *l. fratres* 21. conſtitutum eſt. Fratres quoque ac ſorores uterinos ab inofficioſi accuſatione arcet Conſtantini reſcriptum *l. fratres* 27. Cognati enim, praeter fratrem conſanguineum, reliqui obtinendi ſpem nullam habent, ut ait Ulpianus: ſeſeque inanibus ſumptibus vexarent, ſi de inofficioſo quererentur.

Capitis II. Articulus unus.

Succeſſor.

Adverſus haeredem inſtituendae inofficioſi querelae jus eſſe, Alexandrini reſcripti ſententia conſtat, *l. ſi haeredum* 10 Sed & adverſus fiſcum de inofficioſo agi poſſe, eodem reſcripto expreſſum eſt. *In eum etiam, qui ex fideicommiſſi cauſa haereditatem tenet, aut pro haerede, poſſeſſoreve poſſidet, querelae actionem inſtituere licere*, divi Severus & Antoninus reſcripſerunt, *l. cum* 1. Fiſcum adpellat Paedianus utenſilia ad majoris ſummae pecunias capiendas: eum a privata ratione non differre Budaeus ſcribit: quod & Ulpianus *l.* 2. §. 4. *D. ne quid in loc. publ.* noſter probare viſus eſt in haec verba: *Res fiſcales quaſi propriae & privatae ſunt principis.* Extat etiam in eandem ſententiam Imp. Alexandri *l. procurator* 7. *C. de edendo* conſtitutio, non inelegans Valenti ſcripta. Vacantium vero rerum, & quae nullum haberent adſertorem, creatus fuit, qui Rationalis privatae rei dictus fuit; a Graecis ἀφορμαγογητικὸς ἴδιος λόγος, qui τῶν ἀδεσπότων (quarum commeminit divus Alexander *d. l. ſi haeredum* 10. Quintiniano filio reſcribens) καὶ εἰς καίσαρα πίπτειν ὀφειλόντων ἐξεταστὴς erat. Fiſci vero adpellationem in alium, quo nunc utimur, ſignificatum traductam, G. Budaeus, noſtri temporis alter Varro, conſignatum reliquit. Quale uſu eveniſſe in verbo, *praeſcribere*, conſtat: veteribus enim juriſprudentiae ſcriptoribus exceptionis nota erat, Juſtiniani vero & poſterioribus ſeculis uſucapiendi ſignificationem habet: uſus enim inſtrumento, & verba ipſa, & eorum acceptiones immutat tempus: id, quod ex elegantiſſima Horatii *in Arte* ſententia conjicias, vel facillimo negotio. Sed & res ipſas (quae, teſte M. Fabio verbis ſignificantur) tempore mutari elegantiſſimus Poeta ait:

Τοῖχος ὁ καιρὸς μεταβάλλει τὰ πράγματα.

Sed & tempus ipſum mutabile eſſe liquido conſtat.

Capitis III. Articuli.

1. *Querelae ortus.* 2. *Finis quinquennalis.*

Art. 1. Inofficioſi querelam poſt aditam haereditatem naſci, Juſtinianus Imp. *l. ſi quis filium* 34. *in fin.* & *l. ſcimus* 36. reſcripſit. Nam nec ante oriri eam Papinianus lib. 5. Quaeſtionum *l. Papinianus* 8. §. *ſi conditioni* 10. *D. eod.* reſpondit in haec verba: *Cur ergo*, inquit, *eo haeredem diximus? Quoniam ante aditam haereditatem nec naſcitur querela.* In pleriſque exemplaribus deſideratur vocula, *ante*, *itaque*, ut mox ſcripſimus; legendum res ipſa ſuadet: neque is locus ab Antonio Auguſtino animadverſus eſt in *libris Emendationum juris Civilis.* Sed, ut ait elegantiſſimus Poeta Horatius,

Illuc, unde abii, redeo.

Fortiſſimo ex Aemilii Papiniani praefecti Praetorio ſententia argumento, querelam poſt aditam haereditatem naſci, conſtituit Juſtinianus: hincque querelae tempora quinquennio circumcludi ſaepiſſime reſcriptum & reſponſum eſt. Quod ita recipiendum aequiſſime putarem, ſi praeteritos exhaeredatosve ſe eſſe ſciverint, qui teſtamentum inofficioſum accuſaturi ſunt: quod & Ulpiani noſtri ſententia *arg. l.* 2. *D. quis ordo in bonor. poſſ. ſerv.* probatum videri poteſt: idque Senatusconſulti ſententia *l. item veniunt* 20. §. *petitam* 11. *D. de petit. haered.* comprehenſum videtur.

Art. 2. Inofficioſi querelam intra quinquennium inſtituendam ſaepe reſcriptum eſt, *l. contra* 16. & *l. ſi quis filium* 34. Hujus rei fortiſſimum eſt argumentum, quod, eo effluxo, praeteritum, exhaeredatumve a teſtamenti accuſatione ſubmovendum, Juſtiniani *d. l. quis filium* 34. conſtitutione expreſſum eſt. *Ex magna tamen & juſta cauſa poſt quinquennium teſtamentum inofficioſum dici*, reſpondit Papinianus lib. 5. Quaeſtionum *l. Papinianus* 8. §. *fin. D. eod.* Quinquennii ſpatio luſtrum contineri locupletiſſimi teſtes ſunt T. Livius *lib.* 2. & Virgil. *in Ciri v.* 21. *ſeqq.*

Sed magno intexens (ſi fas eſt dicere) peplo.
Qualis Erichthea olim portatur Athenis.
Debita cum caſtae ſolvuntur dona Minervae.
Tardave confecto redeunt quinquennia luſtro,
Cum levis alterno Zephyrus concrebuit Euro,
Et prono gravidum provexit pondere curſum.

Capitis IV. Articuli.

1. ***Haereditatis petitae acquiſitio.*** 2. ***Praejudicia.***

Art. 1. Inofficioſo pronuntiato teſtamento, haereditatem a praeterito exhaeredatove obtinendam, divi principes *l. ſi maritus* 22. reſcripſerunt, etiam matre inſtituta: quod & Papinianus ait lib. 5. Quaeſtionum. *Debitae autem portionis quartam ad excludendam querelam ſufficere*, idem *l. Papinianus* 8 § *quoniam autem* 8. reſpondit. Quod ſi minus legitima portione relictum ſit, teſtamentum ſubſiſtere, neque reſcindi, ſed id, quod deeſt, citra onus ſupplendum, Juſtinianus Imperator *l. omnimodo* 30. & *l. ſeq.* & *ſeq.* conſtituit ſaepiſſime: cujus conſtitutiones in Codice ſui nominis extant in eam rem plurimae. *Quartam autem accipi debere, ſcilicet, deducto aere alieno, & funeris impenſa*, Papinianus *l. Papinianus* 8. §. 9. ſcribit. Noviſſima etiam lege cautum ſcio, ſi quatuor ſint filii, pauciores ve exhaeredati, aut praeteriti, quartae nomine trientem deberi, ſi plures, ſemiſſem: idque *in νεαρᾷ conſtit.* 18. Juſtinianus *auth. Noviſſima. C. eod.* decrevit. Trientem definit Voluſius Maecianus lib. ſingulari, de aſſe, qui etiamnum extat. Triens eſt tertia pars aſſis, in tres partes deſtributi. Hujus commeminit naſutiſſimus Satyricus Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 267.

Infelix nec habet, quem porrigat ore trientem.

Semiſ vero, ut idem definit, eſt dimidia pars aſſis in duas dimidias diducti. Harum aſſis partium notas ab eodem petendas eſſe cenſeo: has voculas adlatis exemplis tum Graecis, tum Latinis, doctiſſime G. Budaeus, noſtri temporis alter Varro, in libris, quos *de Aſſe, ejusque partibus* ſcripſit, explicat. Libertates autem, tametſi contra teſtamentum inofficioſum pronuntiatum ſit, deberi divi Severus & Antoninus reſcripſerunt, *l.* 4. Quod ita accipiendum putat Papinianus lib. 5. Reſponſ. *l. Papin.* 8. *§. fi. ſi poſt quinquennium teſtamentum inofficioſum & accoeptum, & reſciſſum fuerit.* Diverſum vero idem exiſtimat jus eſſe, ſi de inofficioſo intra quinquennium agatur. Quod & Paulus noſter, apud Modeſtinum libro ſingulari de inofficioſo teſtamento, probat, *l. ſi autem* 9. *D. eod.* illud adjiciens, victorem *praeſtaturum fideicommiſſariae libertatis, ſcilicet, viginti aureos, & in hoc caſu a ſingulis praeſtandi.*

Art. 2. Inofficioſi querelam praejudicialem eſſe, atque ante quaelibet judicia aut inducendam, aut finiendam, Senatum cenſuiſſe Ulpianus noſter lib. 14. ad Edictum *l. ſi quis libertatem* 7. *D. de petit. haered.* ſcribit: in eam quoque rem divum Trajanum reſcripſiſſe. Sacratiſſimae etiam Juſtinianeae conſtitutioni ſententia *l. fin. C. de pet. haered.* comprehenſum ſcio. Nam qui inofficioſum teſtamentum accuſat, haereditatem eum petere ſcriptum eſt. Sed ita demum ſuſtinenda differendave libertatis, caeterorumque judicia eſſe, ut ex divi Juſtiniani conſtitutione adparet, ſi jam de inofficioſo judicium conteſtatum eſt, divus Pius reſcripſit. Quod ſi non conteſtetur, ſuſtinenda non eſſe conſtituit. Plane *ſummatim ad ſimandum judicem conceſſit* divum Pium, idem Ulpianus ait: *ſi forte bona ſibi complectetur de inofficioſo teſtamento judicium, & id ipſum deprehenderis, praeſtituendam ei modicum tempus, intra quod ſi non fuerit conteſtatam, jubeat judicem libertatis partibus ſuis fungi.* Praejudicium autem definit M. Fabius *lib.* 5. *Inſtitutionum Oratoriarum cap.* 2. ejusque genera tria conſtituit: cum conſulas, velim.

Capitis IV.

ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΜΑΤΑ ΠΟΣΙΣ.

Inofficioſi querelae vis eo pertinet, ut, teſtamento inofficioſo pronuntiato reſciſſoque, haereditas obtineatur: idque ab optimis Imperatoribus *l. ſi mariti* 22. reſcriptum eſt: quod & Papinianus lib. 5. Quaeſtionum adnotat reſpondendo. Nam ſi liberos teſtamento praeterierit pater, exhaeredesve immerentes fecerit, teſtamentum rumpi, reſcindive lege Vellea ſcitum eſt his verbis: *Qui teſtamentum faciet, is omnes viriles ſexus, qui ei ſui haeredes futuri erunt, haeredes inſtituat, vel exhaeredes jus habeto: id ni fiat, teſtamentum ejus ruptum eſto. Inter caetera itaque, quae ad teſtamenta ordinanda ſpectant, principale jus eſſe de liberis haeredibus inſtituendis, vel exhaeredandis,* Cajus *l. inter caetera* 30. *D. de liber. & poſthum.* noſter ſcribit: *ne*, ait, *praeteritis iſtis, rumpatur teſtamentum.*

Capitis V. Articuli.

1. *Judicium coeptum.* 2. *praeparatio.*

Art. 1. Inſtituta inofficioſi accuſatione, querelam ad haeredem transferri, poſt litem conteſtatam, divus Antoninus Helio reſcripſit, *l.* 5. *C. eod.* idque ab Ulpiano lib. 14. ad Edictum *l. poſthumus* 6. *§. fin. D. eod.* adnotatum eſt: illic enim ita ſcriptum eſt: *Si pater tuus poſt litem conteſtatam, vel poſtquam propoſitum habuiſſet, iniquum ſibi ipſum fratris teſtamentum dicere, te haerede relicto deceſſit. cauſam coeptam, vel quocunque illis placitam, exſequi non prohiberis.* In querela vero, quae non patris, ſed ſuo nomine dabatur, contra eſſe lib. 5. Quaeſtionum Papinianus *l. Papinian.* 8. *in princ. D. eod.* reſpondit. Nam *ſi filius poſt agnitam litis ordinandae gratia bonorum poſſeſſionem deceſſerit, finitam eſſe querelam* ait. Litem autem tum conteſtari dicimus, *cum judex per narrationem negotii cauſam audire coeperit:* itaque divi Severus, & Antoninus *l. amica. C. de lit. conteſt.* definiunt. Huic autem definitioni haec verba adjecit Juſtinianus Imperator, Juliano reſcribens *l. rem non novam* 14. *§. patroni* 1. *C. de judic.* & contradictionem adjectam. Quod litem conteſtatam haec tempeſtas adpellat, veteres juriſprudentiae ſcriptores coeptum judicium vocabant; ut ex eorum monumentis facile deprehendimus; quae in Pandectis Juſtiniani extant, diligentiſſimo juris Candidato futurae obviae. Litem vero conteſtari, verba in alium ſignificatum pertuliſſe mihi viſus eſt Gellius *Noct. Attic. lib.* 5. *cap.* 10. Illic enim adverſus Euathlum conteſtatus eſt litem Protagoras ante, quam ad judices conjiciendae, cognoſcendaeque litis gratia veniſſet. Papinianus, ejusque auditores judicium coeptum dixerunt; quod litis conteſtationem vocant. Judicii quaeſtionem adpellare poſſes. Ea vero intentione & depulſione conſtat id, quod a Graecis τὸ κρινόμενον dicitur: id quod eleganter a M. Cicerone *in Topic. cap.* 25. ad Treb. Jure conſultum explicatum ſcio. Judicii quaeſtionum tria eſſe genera M. Fabius in *lib. Inſtitut. Orator.* conſtituit: quod & juris civilis in compendium redactor, vir incerti nominis, *lib.* 4. probat, quaedam facti, quaedam juris, quaedam nominis. Litis conteſtationem priorem eſſe judicii partem Juſtiniani conſtitutione, *auth. Ad haec C. de judic.* expreſſum eſt. Quae omnia in libro ſingulari, cui titulus eſt, *Forenſis controverſiae diſpoſitio, cap.* 25. explicui. Exequendi verbo litem ad finem perducere, & litem peragere ſignificamus: qua acceptione uſus eſt & Ulpianus, qui actionem exequi dixit.

Art. 2. Praeparatam inofficioſi querelam ad haeredem tranſire, divus Antoninus *l. ſi pater tuus* 5. reſcripſit: idque Ulpianus noſter lib. 14. ad Edictum *l. poſthumus* 6. *§. fin. D. eod.* ſcribit: *Etſi* (inquit) *non ſit petita bonorum poſſeſſio, jam tamen controverſia coepta, vel praeparata, vel ſi cum venit ad movendam inofficioſi querelam, deceſſit, puto ad haeredem tranſire.* Quemadmodum autem quis praeparaſſe litem videatur, ut poſſit ad haeredem tranſmittere videamus. Et Julius Paulus lib. ſingulari de ſeptemviralibus judiciis *l. quemadmodum* 7. *D. eod.* hoc eleganter explicat his verbis: *Ponamus*, ait, *in poteſtate eum fuiſſe, ut neque bonorum poſſeſſio ei neceſſaria, & aditio haereditatis ſupervacua ſit: is, ſi comminatus tantum accuſationem fuerit, vel usque ad denuntiationem, vel libelli dationem proceſſerit, ad haeredem ſuum accuſationem tranſmittet: idque divus Pius de libelli datione, & denuntiatione reſcripſit. Quid ergo, ſi in poteſtate non fuerit; an ad haeredem ſuum actionem tranſmittat? Et recte videtur litem praeparare, ſi non fuerit, quorum ſupra mentionem habuimus.* Sed etſi litem non praeparaverit, querelae accuſationem ad haeredes ſuos tranſmittere eum ſaepiſſime a ſacratiſſimo Imperatore Juſtiniano *l. ſi quis filium* 34. *& l. ſcimus* 36. optima ratione reſcriptum eſt. Quod ait Juſtinianus, *querelae accuſationem non praeparatam tranſire*, ita accipiendum ex verbis ſententiaque reſcripti exiſtimo, ut ea ad haeredes ſuos pertineant, ad extraneos vero non item, *d. l. ſcimus* 36. Differentiae hanc eſſe rationem puto. Patrem ſiquidem & filium eandem natura pene eſſe perſonam intelligi divus Juſtinianus *l. fin. C. de impuber. & aliis ſubſtit.* reſcripſit: quod & noviſſima ejus conſtitutione *de jur. & mor. praeſtit. coll.* 3. *nov.* 48. comprehenſum eſt. Illud igitur merito adpoſiteque ex Julii Pauli libris adjiciemus, in haec verba ſcribentis: *In ſuis haeredibus evidentius adparet continuationem dominii eo rem perducere, ut nulla videatur haereditas fuiſſe, quaſi olim hi domini eſſent: qui, etiam vivo patre, domini exiſtiman-*

tur: unde etiam filiusfamilias adpellatur: ſicut paterfamilias, ſola nota hac adjecta, per quam diſtinguitur genitor ab eo, qui genitus ſit. Itaque poſt mortem patris non haereditatem percipere videntur, ſed magis liberam bonorum adminiſtrationem conſequuntur. Hac ex cauſa, licet illi non ſint haeredes inſtituti, domini tamen ſunt. Nec obſtat, quod licet eos exhaeredare, quos occidere licebat. Hactenus Paulus. Querelam autem non praeparatam ad poſteritatem tranſire optima ratione conſtituit Juſtinianus *d. l. ſcimus* 36. *in fin.* nam ad nepotes, neptesque, ac pronepotes eam transferri reſcripſerat, *d. l. ſi quis filium* 34. Hos enim in patris locum ſuccedere lege Vellea cautum eſt, in haec verba eleganter ac vere a Cervidio Scaevola explicata, *l. Gallus* 29. *D. de lib. & poſthum. Qui ex ſuis haeredibus ſuus eſſe deſierit, liberi ejus, & caeteri in locum eorum ſuccedunto.* Sed ita demum hoc receptum eſſe, ſcribit Theophilus D. Juſtiniani interpres 3. *Inſtitutionum lib.* §. 2. *verſ. Ita demum de haered. quae ab inteſt. def.* ſi perſona in poteſtate eſſe deſierit: Ὁ δὲ ἔγγονος, ἡ ἐγγόνη, καὶ ὁ προέγγονος, ἡ προεγγόνη, συναριθμοῦνται τοῖς οἰκείοις κληρονόμοις τηνικαῦτα ... τὸ ... αὐτῶν πρόσωπον ... εἶναι ἐν ... τὸ οἴκῳ &c. Sed hoc admittendum ex ſententia legis Velleae ſcribit Scaevola; ſi morte, aut emancipatione, ſuus eſſe deſierit: poteſt & hic caſus interpretatione admitti, ſi ab hoſtibus captus ſit, nec redierit, aut redire poterit. Hi enim caſus admittendi ſunt ad ſimilitudinem mortis: & licet ad verba legis Velleae non pertineant, ex ejus tamen ſententia admittendi caſus, quibus filius noſter ſuus eſſe deſierit. Quae omnia explicat fidus legis interpres Carbidius Scaevola. Liberorum adpellatio quatenus porrigenda ſit, oſtendit Juriſconſultus, *l. liberorum* 220. *D. de verb. ſign.*

In titulum, *Familiae erciſcundae.*

CATAPODISMUS III.

Capita ſumma.

I. *Haereditatem qui dividant.*
II. *Quae res dividendae.*
III. *Qui dividendum.*
IV. *Quae in hoc judicio veniant.*

Capitis I. Articuli.

1. *Teſtator.* 2. *Judex.* 3. *Cohaeredes.*

Art. 1. FAmiliam a teſtatore dividi poſſe Gordianus ad Teleſphorum reſcripſit, *l. quoties* 10. Familiam adpellat Cajus haereditatem, leges XII. Tabul. explicans. Acolaſti patrem bona diviſiſſe D. Lucas *cap.* 15. *v.* 12. ſcribit in haec verba, καὶ διεῖλεν αὐτοῖς τὸν βίον.

Art. 2. Qui jus dicit, haereditatem adjudicationibus partiri eum poſſe, divus Antoninus *l. adverſus* 3. conſtituit. Id etiam arbitro licere principalibus conſtitutionibus declaratur, *l. ſi cogitatione* 21. Sed hoc partibus aequis accipiendum, divi Philippi reſcripto conſtat.

Art. 3. Familiam ſibi dividere cohaeredes poſſe, principes *l. cohaeredibus* 17. decreverunt. Natu tamen major, jure moribus recepto, dividit: eoque jure utuntur Galli noſtri.

Capitis II. Articuli.

1. *Haereditas,* 2. *Subtractum.*

Art. 1. Haereditatem ipſam dividi inter haeredes lege XII. Tabul. conſtitutionibus principum, prudentumque reſponſis expreſſum eſt, *toto hoc tit.*

Art. 2. Subtractarum rerum communium dividendarum indemnitatem cohaeredibus praeſtandam, principum reſcripto jubetur, *l. incertis* 19. Cohaeredum enim pleríque ſolent dividundas res ſubripere, fraudandorum cohaeredum cauſa: id quod a Perſa fratre effectum fuiſſe, elegantiſſimus Poetarum Heſiodus ἐν ἔργοις, καὶ ἡμέραις α. ſcribit *v.* 37.

Ἤδη μὲν γὰρ κλῆρον ἐδασσάμεθ᾽: ἀλλὰ τὰ πολλὰ
Ἁρπάζων ἐφόρεις μέγα κυδαίνων βασιλῆας
Δωροφάγους, οἳ τήνδε δίκην ἐθέλουσι δικάσσαι.

Capitis III. Articuli.

1. *Aequalitas.* 2. *Adjudicatio.*

Art. utriuſq. tract. Familiam aequis portionibus *l. inter* 11. adjudicationibusque *l.* 3. dividendam conſtitutum eſt. Aequalitatem enim obſervandam docuit Xenophon. *lib.* 2. *Cyropaed.*

Capitis IV. Articuli.

1. *Fructus.* 2. *evictio.* 3. *compenſatio.*

Art. 1. Fructus in hoc judicium venire, Gordiani reſcripto exprimitur, *l. non eſt ambiguum* 9.

Art. 2. Evictionis nomine hoc judicio agendi jus eſſe, Diocletianus & Maximianus reſcripſerunt, *l. ſi familiae* 14.

Art. 3. Praecepta compenſanda eorundem Imperatorum conſtitutione declaratur, *l. ſilium, quem* 24.

In titulum *De probationibus.*

CATAPODISMUS IV.

Capita ſumma

I. *Quis probaturus.*
II. *Quibus argumentis.*
III. *Probationum vis.*

Capitis I. Articulus unus.

Dicens.

Qui dicit, fidem facere eum debere divus Antoninus reſcripſit, *l. poſſeſſiones* 2. Species aliquot recenſeamus. Petitorem itaque probare oportere eodem reſcripto conſtat. Solviſſe ſe aſſeverantem in eadem cauſa eſſe, idem cum patre Severo conſtituit *l. ut creditor* 1. Rem quoque mancipii ſui dicentem probatione adſtringit divorum Imperatorum conſtitutio, *l. vis ejus* 15. Sed & is, qui minorem ſe contendit, probare debet Diocletiani & Maximiani conſtitutione, *l. quum te* 9.

Capitis II. Articuli.

1. *Teſtes.* 2. *inſtrumenta.*

Art. 1. Faciundae fidei argumentum teſtes eſſe, Gordianus, Valentinianus & Theodoſianus conſtituerunt, *l. fin.*

Art. 2. Inſtrumentis fidem habendam, divi Antonini reſcripto expreſſum eſt, *l. proprietatis* 4. Sed non omnia ſcripturarum genera fidei autoritatem habere, conſtitutionibus aliquot comprehenditur, *l.* 5. 6. 7. 13. & 24. cujus generis ſunt epiſtolae, inſtrumenta privata, rationes, adnotationes, & hujuſmodi caetera.

Capitis III. Articuli.

1. *Fides indubitata.* 2. *Conſequens concluſio.*

Art. 1. Indubitatam fidem facere oportere, optima ratione conſtitutum eſt, *d. l. fin.*

Art. 2

Art. 2. Probandum ita eſſe, ut legitime inſtitutae actioni exceptionive inſerviat probatio: fideſque ad rem pertineat, & neceſſario ex ea ſequatur complexio, *l. adprobationem* 21.

In titulum, *De executione rei judicatae.*

CATAPODISMUS V.

Capita ſumma.

I. *Executoris officium.*
II. *Executionis forma.*
III. *Quae res capiundae.*

Capitis I. Articulus unus.

Sententiae executio.

Executorum officium id eſſe, ut ſententias judicum ad effectum perducant, divorum principum conſtitutionibus declaratur, *l. pen.* executoremque ita definiunt. *Executorem eam eſſe ſolummanifeſtum e..., qui post ſententiam inter partes, audita omni & diſcuſſa lite, prolatam rei judicatae vigorem ad effectum videtur adducere.* In eum etiam ſignificatum, verbum, a quo nomen ductum fuit, *exequor*, accepit Apulejus: *Juſſa*, inquit, *ejus exequor*. Virgilius *lib. 5. Aeneid. v.* 53.

Annua vota tamen, ſolemneſque ordine pompas
Exequerer; ſtrueremque ſuis altaria donis.

Capitis II. Articuli.

1. *Prehenſio.* 2. *Diſtractionis forma.*

Utriuſque Articuli tractatio. Rem judicatam, captis pignoribus diſtractiſve exequi, conſtitutionibus declaratur, *l.* 2. Id efficiundum, poſitis haſtis, eſſe divi Severus, & Antoninus reſcripſerant *l. ordo* 3. Haſtae uſus Romae incidit, quum bonorum auctio fieret. Ea fuit centumviralis judicii ſignum ac inſtrumentum. Hunc elegantiſſimus Poeta Martialis, *lib. 7. epigr.* 62.

Centum gravis haſta virorum.

Haſtae, centumque virali judicio, unum ex Praetoribus praefuiſſe, Pomponius lib. 1. Ἐγχειριδίου ſcribit, *l.* 2. §. 29. *D de orig. jur.*

Capitis III. Articuli.

1. *Res mobiles, immobileſque.* 2. *nomina.*

Art. 1. Res quaevis, ſive mobiles, moventes ſe, ſive ſoli capi poſſe, reſcriptum eſt, *l. a longis* 7.

Art 2. *Debitorum nomina in cauſam judicati capi poſſe* divus Gordianus reſcripſit *l. etiam* 5. In ſtipendiis, quae nec retineri poſſunt, contra eſſe, conſtituere divi Principes *l.* 4.

PARDULPHI PRATEJI JCti,

AUGUSTOBUCONIATIS.

ΔΙΚΑΙΟΛΟΓΙΑΣ

LIBER SINGULARIS.

AD

MICHAELEM HOSPITALIUM,

magnum Franciae Cancellarium,

Expeditiſſimum docendi ſcribendique genus apud graviſſimos rerum ſcriptores animadverti, Vir Illuſtriſſime, ſi res ab origine, cauſa, definitione, partitione, effectu, & fine explicentur: id quod non ſolum in univerſo jure civili ediſſerendo, ſed & in ſingulis tractatibus, atque titulis veteres obſervaſſe, liquido conſtat eorum monumentis. Quibus adductus δικαιολογίαν hanc meam, juriſque tractationem ea methodo ſcripſi. Quanta enim ſit vis ordinis, Xenophon his verbis expreſſit: Καὶ ςρατιά γε φημὶ ἐγὼ, ὦ γύναι ἄτακτος μὲν οὖσα ταραχωδέςατον, καὶ τοῖς μὲν πολεμίοις εὐχειρωτάτον, τοῖς δὲ φίλοις ἀκλεέςατον ἰδεῖν, καὶ ἀχρηςότατον, ὄνος ὁμοῦ ὁπλίτης, σκευοφόρος ψιλὸς ἱππεὺς ἅμαξα. *Huic quoque δικαιολογίᾳ divini & humani juris cognationem eo interjeci, ut perditiſſimis, ac profligatiſſimis dicacomaſtigibus, atque facinoroſis hominibus perſpectiſſimum eſſet, quanta feratur jus civile autoritate, dignitate, ac aequitate. Tu interim boni, & aequi conſule, ac vale. Lugd. Kal. Jan.* 1561.

CAPUT I.

DE ORIGINE JURIS.

Sacroſancta jura a Deo optim. maxim. rerumque omnium parente profluxiſſe, memoriae prodidere divinarum, ac humanarum rerum ſcriptores. Legem enim, naſcente mundo, a magno, aeternoque Deo praeſcriptam Adamo fuiſſe, conſtat ex Hagiographis *Geneſ. cap* 2. *v.* 16. 17. Omne fructuum genus huic conceſſit: fructum autem arboris ſcientiae vetuit Deus. Quod ſi contra factum eſſet, facinus morte expiandum ſancivit. In eadem quoque ſententia videtur fuiſſe Virgilius, de Saturno loquens *lib.* 8. *Aeneid. v.* 319.

Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exul ademptis:

Is genus indocile ac diſperſum in montibus altis
Compoſuit, legeſque dedit.

Hoc quoque expreſſiſſe viſus eſt M. Cicero *lib.* 1. *de legib.* cujus verba huc transſcribere nimis longum eſſet. Hujus etiam rei fideliſſimus, certiſſimusque teſtis Moſes Iſraelitarum dux, apud Diodorum Siculum *lib.* 1. *Bibliotb. cap* 24. Sed & leges deorum inventum dicebat Demoſthenes in ea, quae eſt *in Ariſtogitonem, oratione*, ὅτι πᾶς ἐστὶ νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν: idque probat Marcianus *l.* 2. *D. de legib.* Nam (ut St. Jacobus ait *Epiſt. cap* 1. *v.* 17.) πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων. Quod & noviſſima Juſtiniani conſtitutione διάταξ. 1. *in prin.* expreſſum eſt, τελείαν ἡμῖν ἀπέδωκε τῶν ἀγαθῶν παρὰ τὸ μεγάλου Θεοῦ δεδεγμένοι ὧνπερ μὲν χεῖρας καὶ αὐτοὶ &c. C. vero Tacitus *lib.* 3. *Ann. cap* 26. juris originem, & progreſſum ita deſcribit, *Vetuſtiſſimi*, inquit, *mortalium nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine poena, & coërcitionibus agebant: neque praemiis opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio peterentur: & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At poſtquam exui aequalitas, ac pro modeſtia ac pudore, ambitio & vis incedebat, provenere dominationes, multoſque apud populos aeternum manſere Quidam ſtatim, aut poſtquam Regum pertaeſum eſt, leges maluerunt. Hae primo rudibus hominum animis ſimplices erant; maximeque fama celebravis Cretenſium, quas Minos; Spartanorum, quas Lycurgus; ac mox Athenienſibus quaeſitiores jam & plures Solon praeſcripſit. Nobis Romulus ut libitum imperitaverat: dein Numa religionibus & divino jure populum devinxit, repertaque quaedam a Tullo, & Anco: ſed praecipuus Servius Tullius ſanctor legum fuit, queis** [fortaſſe quibus] *etiam Reges obtemperarent. Pulſo Tarquinio, adverſum patrum factiones, multa populus paravit tuendae libertatis, & firmandae concordiae: creatique Decemviri, & accitis, quae uſquam egregia, compoſitae XII. Tabulae, finis aequi juris. Nam ſecutae leges, etſi aliquando in maleficos ex delicto, ſaepius tamen per diſſenſionem ordinum, & apiſcendi illicitos honores, aut pellendi claros viros; aliaque ob prava, per vim latae ſunt.* Recenſet ſubinde idem aliquot alias leges a L. Sulla dictatore, Cn. Pompejo, & Caeſare Auguſto latas. Scio Pomponium *l.* 2. *D. de orig. jur.* de origine, ac proceſſu juris ſcripſiſſe, at ejus verba huc transferre prudens nolui: utpote cum juris ſtudioſo cuivis obvia ſint. Receptiſſimum autem eſt, leges a Deo magno, aeterno, ac praepotente promanaſſe. Quo fit, ut eas ſanctas & ſacras appellare optima ratione & poſſimus, & debeamus: quod & ab optimis Impp. *l. leges ſacratiſſ.* 9. *C. de legib* obſervatum fuit. Hinc M. Cicero in *lib.* 2. *cap.* 7. *de legib. Certa*, inquit, *ſunt legum verba, Quinte, neque ita priſca, ut in veteribus his, ſacratiſque legibus &c.* Sacratiſſimae uſque adeo ſunt leges, ut pretio numario aeſtimari nec poſſe, nec debere eas Ulpianus *l.* 1. § 5. *D. de extraordi. cognit.* recte cenſuerit. *Eſt*, inquit, *quidem ſanctiſſima res civilis ſapientia: ſed quae pretio numario non ſit aeſtimanda.* Quod ſi cauſarum non vindices, ſed confarcinatores, judiceſque corrupti, & δωροφάγοι alio, quam legibus liceat, pede proficiſcantur: ob idque judicia ſint venalitia, hoc quidem non legibus, ſed ἀργυρολογίαις adſcribendum putes. Quo in genere Demoſthenes Solonis legem explicans κατὰ τιμοκρ. ſic ait: τοὺς δὲ νόμους ὀργίζεται τοῦ πολλοὺς νόμους εἶναι δεῖ δὲ τοὺς δικαστὰς πολλῷ μᾶλλον οὕτως ὅτι πολλοί εἰσι, &c. Legem Solonis ad eos, qui leges falſaſſent, judices, pertinere recte exiſtimavit.

CAPUT II.
CAUSA JURIS.

REipublicae ſalutem cauſam juris eſſe apud M. Ciceronem animadverti. Huc pertinet, quod ἐν ταῖς νόμοις Iuſtinianus Imp. *Conſtit.* 93. expreſſit, ἐπὶ τῷ κοινῷ τῆς ἡμετέρας πολιτείας νόμων ἡμῖν παρέχουσι δόγματα, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ὑπηκόων συγκείμενον. *Conſtat* (inquit M. Cicero in *lib.* 2 *de legib. cap.* 5.) *ad ſalutem civium, civitatumque incolumitatem, ac hominum vitam, inventas eſſe leges.* Quandoquidem a ſtirpe (pene dixerim) interiret reſpubl. malorum inſidiis perculſa, obrutave; niſi leges armatae eam defenderent, in libertatem adſererent; & vindicarent. Quo fit, ut Decretorum architectus Gratianus *diſtinctio.* 4. *in ſumm.* & *cap.* 1. cauſam juris ita definiat: *Cauſa vero conſtitutionis legum eſt humanam coercere audaciam, & nocendi facultatem refraenare. Hominum etiam ſervandorum cauſa omne jus conſtitutum*, Hermogeniano *l.* 2. *D. de ſtatu hom.* placuit. Diſſentaneum non erit adjicere, quod ait Plato *in Hippia. Conſtituitur*, inquit, *lex utilitatis gratia.*

CAPUT III.
JURIS DEFINITIO.

APtiſſima differendi ratio nos admonet, ut hoc loco jus definiamus. Celſus itaque apud Ulpianum *l.* 1. *D. de juſt. & jur.* jus definit in haec verba: *Jus eſt ars boni & aequi, cujus merito quis nos ſacerdotes adpellet. Juſtitiam namque colimus: boni & aequi notitiam profitemur, aequum ab iniquo ſeparantes: bonos non ſolum metu, verum etiam praemiorum exhortatione efficere cupientes: veram (niſi fallor) philoſophiam affectantes.* Quod ait Celſus, *aequum ab iniquo ſeparantes*, ad judices pertinet. Iniquum enim ab aequo ſeparare optimi judicis officium eſſe, ſcribit Xenophon *lib.* 4. ἀπομνημ. Ait Celſus, *Non ſolum metu.* Metum & pudorem civitatis cuſtodes eſſe tradit ſummae vir prudentiae Plato *dialog.* 4. *de republ.* Ait praeterea, *veram, niſi fallor, philoſophiam &c.* Veram philoſophiam exiſtimat idem Plato *epiſt.* 10. *ad Ariſtod.* firmitatem, fidem, & ſinceritatem. Vere philoſophantes pecuniae contemptores, appellat Papinianus *l.* 8. § 4. *D. de vac. & excuſ. mun.* Veram philoſophiam affectare, affectarive hoc loco accipiendum puto de iis, qui rem publicam pecunia juvant: idque Modeſtinus ait lib. 2. Excuſat. *l. ἐὰν δύο* 6. Θεμ. περὶ δὲ 7. *D. de excuſ.* Περὶ δὲ τῶν φιλοσοφούντων ἡ αὐτὴ διάταξις ἡ ἐστιν αὕτη λέγει. Φιλοσόφων δὲ ἐκ ῥητοῦ ἀριθμός, διὰ τὸ σπανίους εἶναι τοὺς φιλοσοφοῦντας· οἶμαι δὲ ὅτι οἱ πλούτῳ ὑπερβάλλοντες ἐθελονταὶ παρέξονται τὰς ἀπὸ τῶν χρημάτων ὠφελείας ταῖς πατρίσιν· εἰ δὲ ἀκριβολογοῖντο περὶ τὰς οὐσίας, αὐτόθεν ἤδη φανεροὶ γενήσονται μὴ φιλοσοφοῦντες. Aelius vero in Terentium ita definit, *Jus*, inquit, *eſt, quod omnia recta, inflexuque exigit.* Hac definitione ſummum ſolum jus mihi complecti viſus eſt Aelius: id quod aequitati reclamat. Summum enim jus ſummam iniquitatem adpellat M. Cicero in *lib.* 1. *Officiorum cap.* 10. *Exiſtunt, ait, etiam ſaepe injuriae calumnia quadam, & nimis callida juris interpretatione.* Ex illo, *ſummum jus, ſumma injuria eſt*, factum eſt proverbium. Hinc Terentius *in Heautontymorumene, Act.* 4. *ſc.* 5. *v.* 47.

— — Verum illud, Chreme,
Dicunt, Jus ſummum, ſaepe ſumma malitia eſt.

Verior autem eſt Celſi definitio, a G. Budaeo optime ac elegantiſſime explicata in prioribus.

CAPUT IV.
JURIS PARTITIO.

DEfinitioni finitima eſt partitio: expeditiſſimum enim eſt diligenter differendi inſtrumentum. Jus itaque univerſum in duas poſitiones diducit Ulpianus *l.* 1. § 1. *D. de juſtit. & jur. publicum, & privatum. Publicum jus, quod ad ſtatum rei Romanae ſpectat; Privatum, quod ad ſingulorum utilitatem.*

Sunt enim quaedam publice utilia, quaedam privatim. Publicum jus in ſacris, in ſacerdotibus, magiſtratibus conſiſtit. Sunt qui jus in ſacrum, publicum, & privatum diduxerint. F. Quintilian. *lib. 2. cap. 4.* Verior mihi ſemper viſa ſunt Juriſconſ. diviſio, atque ab omnibus recepta. Utramque θεῶ aliquando fuſius explicabimus: his etenim jus univerſum conſiſtit.

CAPUT V.

EFFECTUS JURIS, DIVINI, ET HUMANI JURIS COGNATIO.

HUmani juris effectus tres eſſe conſtat, idque ex Juriſprudentiae libris colligitur. Jubent enim fidem, & voluntatem adſervare, & rebus alienis abſtinere. Ecquid, obſecro, hoc praeſcriptorum genere τῇ ἀγιογραφίᾳ adfine magis? Principio potentiſſimam fidem adſervari jubent Evangeliographi, & Apoſtolus, *Poenitemini; & credite Evangelio.* Voluntati quoque ſummi, aeternique Dei parere nos oportere conſtitutum fuiſſe ajunt Pſalmographus David, *Pſ. 40. v. 8.* & Apoſtolus, *Hebr. cap. 10. v. 7.* Ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ τοῦ ποιῆσαι τὸ θέλημά σου, quod & à Deo efflagitandum perſuaſit Chriſtus Dominus noſter apud Evangeliographum, *Matthei cap. 6. v. 10.* γενηθήτω τὸ θέλημά σου: ut fecit & Pſalmographus: *Doceto me facere voluntatem tuam.* Res alienas mancipii ſui facere, occupare, in eas irrepere, eaſque capere, vetat Deus; flagitiisque abſtinere prohibet, idque variis locis Bibliorum, *Exod. cap. 22.* His conſtat Chriſtianiſmus. Jam vero exploremus, jura civilia iiſdem conſumantur effectibus necne, atque a fide exordiamur. Fidem liberandam, pactaque ſervanda, edixit Praetor apud Ulpianum, *l. jurisgent. 7. D. de pact. Fidem autem fallere grave eſſe*, idem ait, *l. 1. princ. D. de conſtit. pec.* Sed illud accipiendum eſt, ſi contra leges, conſtitutiones, bonoſque mores non fiant, alioquin pactiones nullam vim habere, divus Antoninus *l. pacta, quae 6. C. de pact.* reſcripſit. Voluntatum genera quatuor adſervanda jubent leges. Legis ſiquidem voluntas ſervari debet, idque divorum principum reſcriptis continetur, *l. leges 9. C de legib. Leges ſacratiſſimae, quae conſtringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, ut univerſi praeſcripto manifeſtius cognito, vel inhibita declinent, vel permiſſa ſectentur.* M. quoque Cicero, *lib. 1. de legib. cap. 7. Si vero*, inquit, *iiſdem imperiis & poteſtatibus parent, multo etiam magis huic coeleſti deſcriptioni, mentique divinae.* Legem, mentem divinam adpellat. Idem a Juſtiniano reſcriptum eſt *conſtit. 69. cap. 4.* ἐν νόμοις, ἀλλ᾽ ἅπασιν ὑπακούειν τοῖς νόμοις καὶ ὑποτετάχθαι τῷ τῆς δικαιοσύνης θεσμῷ, τιμῶντά τε αὐτὸν καὶ διὰ πάντων ἄγοντα ἐν τιμῇ. Eum, qui legibus obtemperat, juſtum adpellat Xenophon. Parere autem legibus ita accipi debere ſcio conſtitutum, ut legitimo jure negotia explicemus, iis legum ſcitis controverſias diſceptemus. Sacramento adigendos jus dicturos, Juſtinianus *l. rem non novam 14. C. de judic.* reſcripſit: ut cum veritate & legum obſervatione judicia ſua diſponant.

Tranſgrediamur ad ſecundum voluntatis (quatenus ad hunc locum pertinet) genus. Principum itaque voluntati, ac praeſcriptis parere nos oportere, inter hagiographa receptiſſimum eſt, idque Apoſtolus *Rom. c. 13. v. 1.* explicat, πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω. Virum divae matris Chriſti Domini noſtri decreto Caeſaris obtemperaſſe, ſcribit Evangeliographus, *Luc. cap. 2. in pr.* Ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. καὶ ἐπορεύοντο πάντες ἀπογράφεσθαι ἕκαστος εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν. ἀνέβη δὲ καὶ Ἰωσὴφ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἐκ πόλεως Ναζαρὲτ εἰς τὴν Ἰουδαίαν εἰς πόλιν Δαβὶδ, ἥτις καλεῖται Βηθλεέμ, διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν ἐξ οἴκου, καὶ πατριᾶς Δαβὶδ ἀπογράψασθαι σὺν Μαριὰμ τῇ μεμνηστευμένῃ αὐτῷ γυναικί, οὔσῃ ἐγκύῳ. Sic & Agamemnoni audivit Chryſes apud Homerum, *Iliad. α. v. 33.*

Ὣς ἔφατ᾽, ἔδεισεν δ᾽ ὁ γέρων, καὶ ἐπείθετο μύθῳ.

Non diſſimilis eſt M. Ciceronis *lib. 3. de legib. cap. 2.* ſententia: cujus haec verba ſunt, *Omnes aut quae gentes Regibus quondam paruerunt.* Parendi cauſas adfert S. Paulus, *Rom. cap. 13. v. 1.* οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία, εἰ μὴ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ. Auc proxime accedit illud Homericum *Iliad. α.*

Τιμὴ δ᾽ ἐκ Διός ἐστι:

Quod ſi quis principi non paruerit, morti addicendum eum placuit. *Deuter. cap. 27. & 1. Regum. cap. 3.*

Tertium voluntatis genus Judicum eſt, quibus obtemperandum ſuadet divus Petrus *in epiſt. 1. cap. 2. v. 13.* ὑποτάγητε οὖν πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, διὰ τὸν κύριον. εἴτε βασιλεῖ, ὡς ὑπερέχοντι. εἴτε ἡγεμόσιν ὡς δι᾽ αὐτοῦ πεμπομένοις εἰς ἐκδίκησιν &c. Magiſtratibus parendum ſcribit Xenophon *lib. 2.* ἀπομνημ. Extat & in eandem rem noviſſima Juſtiniani conſtitutio, *conſtit. 69.* cujus hic eſt titulus, περὶ τοῦ πάντας ὑπακούειν, καὶ πρὸ τῶν ἀρχόντων τῶν ἐπαρχιῶν, ἐπί τε ἐγκλήμασι, καὶ ἐπὶ χρήμασι, &c. Qui jus dicenti non paruerint, in eos judicium poenale dari Ulpianus *l. 1. D. ſi quis jus di cent. non obtemp.* recte exiſtimavit: id quod etiam ad legatos pertinere *lib. 4. cap. Juriſprudentiae* oſtendi. Huic vicinus tractatus erit teſtantium voluntas, cui obtemperandum variis juris civilis articulis proditum ſcio. Qua in re ſic conſtituit Imperator Juſtinianus, *conſtit. 22. cap. 2.* Νομοθετείτω μὲν γὰρ ἕκαστος ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ τὰ εἰκότα, καὶ ἔστω νόμος ἡ τούτου βουλή, καθάπερ καὶ ὁ παλαιότατος ἡμῖν τῶν νόμων, καὶ πρῶτος σχεδὸν τὴν πολιτείαν ῥωμαίοις διατάξας φησί (φαμὲν δὲ τὴν δωδεκάδελτον) κατὰ τὴν ἀρχαίαν, καὶ πάτριον γλῶτταν οὕτω πως λέγων. *Uti quisque legaſſit de re ſua, ita jus eſto.* Haec autem XII. Tabul. lex ex lege Solonis a Decemviris tranſlata fuit, ᾧ βούλοιτό τις τὰ αὑτοῦ (εἰ μὴ παῖδες ὦσιν αὐτῷ) δοῦναι ἐξεῖναι. Caſſa quoque teſtantium judicia eſſe non debere Conſtantinus *l. 1. C. de ſacr. ſanct. eccleſ.* reſcripſit. Ea eſt teſtantium voluntatis vis, ut in conditionibus primum locum obtineat, idque Ulpianus *l. in conditionibus 19. D. de condit. & demonſt.* ſcribit. Sed & lege eam potiorem eſſe, & ei praeferendam ejuſdem Ulpiani *l. ex eo 13. D. de trit. vin. & ol.* ſententia comprehenſum ſcio. Plane liberior teſtandi voluntas a lege Falcidia, & aliis repreſſa eſt: cujus rei tractationem prudens praetereo, ut quae ad inſtitutum noſtrum non pertineat. Sunt & alii caſus, quos recenſet Accurſius, *gloſ. l. 2. D. ubi pupil. educ. deb.* quibus liquido conſtat voluntati teſtantis non parendum.

Alieno abſtinendum juſſit Deus. Extat & in eandem rem Draconis Athenienſis lex, τῶν ἀλλοτρίων ἀπέχεσθαι. Omnes enim ſcire debent, quid ſuum, quidve alienum: quod ſi hoc quis attigerit adverſus domini voluntatem, furti eum obnoxium, veteribus legibus *l. fin. C. unde vi.* conſtat. Quod ait lex, τὰ ἀλλότρια, ad publica producit Ulpianus *l. 9. D. de poenis.* Flagitiis, facinoribuſque abſtinendum jubent jura civilia, quae expiari volunt. Nam turpibus & injuſtis abſtinendum ſuadet Xenophon, ἀπομνημ. *lib. 1.* Si quis autem πανδεκτῶν, Codiciſve Juſtiniani libros diligentiſſime perluſtraverit, eos tribus his effectibus, τῆς πίστεως, τοῦ θελήματος φυλακῆς, καὶ τοῦ ἀλλοτρίου, καὶ τῶν ἀδικημάτων ἀπέχεσθαι conſtare deprehendet, vel minimo negotio. Exempla huc referre longum nimis eſſet. En (juris ſtudioſe) juris divini, & humani cognationem! aequi, bonique conſulas, velim. Δικαιοφύλακας quot, quantaque adferantur commoda, recenſet Heſiodus *lib. 1.* ἔργων. Quo adductus M. Cicero, *lib. 3. cap. 8. de legib. Si*, inquit, *legibus pareant, nihil urbe, nihil domo ſua dulcius*, & legibus temperantibus multa bo-

ma fuiſſe tradit Diodorus Siculus *rer. antiquar. lib.* 2. Quid igitur ore querulo conclamitat vulgus, plebeque imperita, leges corruptas eſſe? Lex quidem ſancta, ſacrave eſt: quod ſi aliqui ex iis, qui juri dicundo praeſunt, judicia divendunt, id ipſis adſcribendum eſt.

CAPUT VI.

LEGUM VIRTUS.

LEgis virtutes recenſet H. Modeſtinus *l. legis* 7. *D. de legib.* in haec verba, *Legis virtus haec eſt, imperare, vetare, permittere, punire.* His plures adjiciunt M. Fabius, & Zaſius, ſed quae ad has quatuor facile reduci poſſint, ut recte exiſtimavit I. Droſaeus ad Modeſtini reſponſum *παρατίτλ. de legib.* Hujus reſponſi *παραδείγματα* recenſet Accurſius, *d. l. legis* 7. Legum interea eam eſſe vim proditum ſcio, ut reipub. nervi commodiſſime appellari & poſſint, & debeant. His ſiquidem civium ſalus, civitatum incolumitas & retinetur, & conſervatur: at exlege civitate populoque, reſpub. a ſtirpe (pene dixerim) interit, diſpereunt cives, praedae relictus eſt locus. Legum virtutes; poteſtateſve in haec verba recenſet M. Fabius. *lib.* 7. *cap.* 5. *Inſtit. Orat. Porro lex omnis*, inquit, *aut tribuit, aut adimit, aut punit, aut jubet, aut vetat, aut permittit.* Sed hae omnes iis, quae connumerat Modeſtinus, continentur. Ad permiſſum enim tributionem, ſive conceſſionem; ad ademptionem, punitionem referri & poſſe, & debere exiſtimo. Recte igitur ad quatuor virtutes reducit H. Modeſtinus, quem *non contemnendae autoritatis Juriſconſultum* appellat Gordianus Imperator, *l.* 5. *C. ad. exhibend.*

CAPUT VII.

LEGUM FINIS.

COnſentaneum eſt eo legum finem referre, unde hae profectae ſunt. Has vero a ſummo Deo, optimoque hominum, ac rerum parente dimanaſſe ſuperius probavimus. Quo fit, ut legum finem Deum opt. max. conſtituere & poſſimus & debemus. Humanarum legum ſcopus eo pertinet, ut reipub. ſaluti, ac integritati conſulatur. Locupletiſſimus hujus rei teſtis eſt M. Cicero *lib.* 1. *de Orat. cap.* 42. *Sit ergo*, ait, *finis in jure civili legitimae, atque uſitatae, in rebus cauſiſque civium aequabilitatis conſervatio.* Legum finem prudentiam & religionem eſſe, ex Plato quidam colligunt. Legum vero finem, in Theaeteto, adfirmat utilitatem ſolam, eamque Nomothetarum ſcopum. Quod ait M. Cicero, verum eſſe minime negamus. Sunt, qui eo juris civilis finem referant, ut bene recteque vivamus in ſocietate humana. At, ut eo, unde profecta eſt lex, redeat, juſtitiam univerſalem, legum finem eſſe verius cenſuit Droſaeus. Sunt autem, qui juſtitiam univerſalem ſummam bonitatem appellent, & interpretentur. Deus autem opt. max. ſumma bonitas eſt, quo leges, unde dimanarunt, referendae ſunt. Hinc Paulus Apoſtolus, *Rom. cap.* 10. *v.* 4. Τέλος γὰρ, inquit, νόμου Χριστὸς εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι. Finis igitur legum ipſa origine dimanat, ac pendet, hoc eſt, ab ipſo Deo rerum, hominumque parente. Sic & Manilius *lib.* 4.

Fata regunt orbem, certo ſtant omnia lege,
Longaque per certos ſignantur tempora curſus
Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.

Ἡ ἀρετὴ τῶν πάντων κρατεῖ.

SOLONIS LEGES RELIQUAE, PARDULPHO PRATEJO JCto, COLLECTORE.

I.

Ex D. Laërtio. QUae non poſueris, ne tollas: ſi contra fiat, mors poena eſto.

Hanc de furto accipit Plato: equidem etiam ad bona vi rapta pertinere puto. Pro furto nova conſtit. Juſtiniani 134. *mors non eſt irroganda.*

II.

Ex Polit. Ariſtot. Comitiis magiſtratus eligantor: geſtorum ratio repetitor: alioquin magiſtratum gerere ne ſinantur.

III.

Ex eod. Magiſtratus ex nobilibus conſtituantur, & locupletibus ex cenſu 500. modiorum, & jugerum: tertium ex equitibus, quartum ex opificibus ſordidis, quibus jus adſequendi magiſtratum nullum fuit.

Judicum deligendorum formam praeſcripſit Juſtinianus conſtit. novell. 82. *cap. ſi quis vero* 8. *& ſequ. ad hanc legem pertinet, l.* 14. *§.* 2. *D. de mun. & hon. & vide l. fin. C. ad leg. Jul. repet.*

IV.

Ex Plutarcho. Magiſtratus de quovis negotio jus dicunto: de eo adeundi forum jus eſto.

Adeundos experiundi juris cauſa judices, ex numeroſis Codicis Juſtinianei conſtitutionibus liquet.

V.

Ex eod. Draconis leges, praeter eas, quae de caede latae erant, abrogantor.

VI.

Ex Stobaeo. Quod judicium, poenamve aliis praeſcripſeris, id ſuſtineto, & patere.

Simile edixit Praetor l. 1. *D. quod quiſque jur.*

VII.

Non quantum quisque velit, ſed quantum lex permittit, agri poſſideto. Ex Ariſt. Pol.

Huc pertinet quod ait Dion. lib. 41.

VIII.

Judices ſecundum leges ſe judicaturos juranto. Ex Aeſchine.

Idem ſtatuit Juſtinianus l. rem non novam 14. *C. de judic.*

IX.

Mulierum morte damnatarum, ſi praegnantes ſint, partum expectato. Ex Diodoro.

Idem in l. 3. *D. de poenis. ubi vide Bartol.*

X.

Qui nequitia ac flagitiis inſignis eſt, a tribunali arcetor. Ex Diog. Laërt.

Huc pertinet conſtit. 82. *divi Juſtiniani.*

XI.

Lex primum recitator: deinde in publico proſcribitor. Ex Demoſth.

Huc pertinet l. 2. *D. de orig. jur.*

XII.

Parentes reverere. Ex Stobaeo.

Idem juſſit יהוה *Exod. cap.* 20. *Deuteron cap.* 6.

Lationibus commentariis in altera *veteris Juriſprudentiae* editione has, ut caeteras, ante a nobis evulgatas, illuſtrabimus, Deo Optim. Max. duce.

STUDIOSO LECTORI

S.

Parſorum coactio quantum adferat ſtudiis adjumenti, norunt, qui juri diligentem operam dedere; quo in genere plurimum Imperatori Juſtiniano, qui hoc juſſerat, debemus: at hoc opus, ut ait Virgilius lib. 6. Aeneid. hic labor eſt. In juris autorum ſcriptis congerendis pleraque ingeminarunt, alia praetermiſerunt, quaedam truncate, aut inverſim transſcripſerunt compoſitores juris Civilis: id quod libris tribus prioribus Juriſprudentiae mediae, obſervavi; quae omnia judicio peritorum relinquo. Si in eo genere peccatum eſt, id non inſcitiae, aut ſocordiae, adſcribendum putes. Porro in nullo peccare divinitatis magis, quam humanitatis eſſe ait idem Imperator: nam nec quiſquam mortalium undiquaque perfectus eſt; ea eſt naturae humanae imbecillitas. Haec autem non venandae aurae popularis gratia, ſed reipub. juvandae, ſi qua in re poſſum, ſcripſiſſe me exiſtimes, velim: ab ineunte enim aetate eo ſerio ſtudio coepi. Quod ad geminationem attinet: eam non in verbis ſolum, ſed & in ſenſu ſpectari ex Q. Mucii Scaevolae ſententia animadverti, l. 66. §. fin. D. de contrah. empt. Qui ſcripſit, inquit Mucius, Ruta caeſa, quaeque aedium, fundive non ſunt, bis idem ſcriptum dixiſſe videtur: ac ſi diceret, ſat erat ſcripſiſſe Ruta caeſa: cum Ruta caeſa ſint, quae neque aedium, neque fundi ſunt; ſupervacanee igitur adjectum putat, quaeque &c. Hoc argumento erit geminationem haudquaquam vane me notaſſe: tamen judicio tuo omnia relinquo. Quemadmodum etenim antiquus librarius integra capita ingeminavit (ſi Accurſio credamus §. quibus 2. conſtit. 1. de Novo Cod fac. & l. 13. C de dignitatib. &c.) potuit & omiſiſſe permulta, & truncaſſe: quale obſervarunt, qui Pandect. Florent. repraeſentavere, quod () parentheſis incluſione indicant. Tu interea boni conſule, & vale.

A D L I B R U M.

In medios coetus Doctorum perge, libelle;
Quorum cenſuram, parve, ſubire velis.

F I N I S.

INDEX RERUM ET VERBORUM

Locupletiſſimus, ex *media Juriſprudentia* collectus.

A.

Actionis vi bon. rapt. aeſtimatio 542
Actionum ſumma diviſio ex Theophili ſententia 539
Advocatus quis eſſe non debeat. [illegible]
[illegible] 533
A[illegible] [illegible]
A. Pius ab Hadriano adoptatus 547
Autoritas quid 574

B.

Berytii laus 546, 549, 574
Berytii laus, & ſitus 546

C.

Cajus Juriſconſ. quando floruit 53
Candidati qui 533
[illegible] [illegible]
[illegible] 516
Cautio 52[illegible]
Curpo quis 544
[illegible] ſemel praeſtanda 549
Cognitor quis 560
Commendare 511
Commune quatenus accipiatur 533
Creditor[illegible] ſingularia 574
Creditorum ordo 567
Culpa lata. 523

D.

Dat compenſare [illegible] permutare 523
Debitum [illegible] repoſcendum 511
Debitum [illegible] 567
Defendere quid 531
Defeciſſe quis dicatur 526
Delegatus quae poſſit 560
Defeciſſe quid 516
Digeſtorum autoritas 539
Divertendi cauſa 542
Divortium, niſi verum, nullum 547
Doli [illegible] ceſſiones [illegible] 520
Dotes cur privilegiatae 525

E.

E[illegible] 528
Exponentium liberos poena 559
Expreſſa nocent 526
Expreſſa quae non ſunt non praeſtanda 524

F.

Fides Juſtitiae ſtatus 531
Fr[illegible] appellatione quid veniat 545
Furioſus [illegible] comparatur 5[illegible]
Furioſo actio quaeritur ibid.
Furor quid ibid.

G.

Gellii reſtituitur locus 561
Geminationum varia vis 552

H.

Haereditas quid 515
Haeres quando ſolvere non cogendus ibid.
Hypothecae contrahendae modus 516

I.

Ingenuus quis 537
Inquilinorum res hypothecata 546
Italicum jus quid ibid.
Judex litem ſuam faciens 517
Judicium varie accipi 572

Tom. III.

Jun-

Jungi quae debeant 554
Jurisjurandi via latiſſima 541
Juris methodus 563
Jus caſu uno non conſtruendum 550
Jus quid 557

L.

LEgare varie accipi 524
Legatum quando reddendum 550
Legatum ſub eadem conditione manſerit 536
Legatus quae poſſit 577, 578

Legum aliquot ſenſus.

L. 1. *D. de judic.* enodatur 576
L. barbas abſens 19. *D. eod.* ſenſus 546
L. fin. D. de aq. pluvia arcend. ſenſus 573
L. utimur 5. *D. de ſepar. vend.* ſenſus 544
L. Baliſta 32. *D. ad SC. Treb.* nove explicati 552
L. verus 8. *C. de divers. offic.* 575
L. ſi cum dotem 22. *D. ſol. matr.* explicatur *ibid.*

Leges aliquot reſtitutae.

L. 1. *de offic. quaeſt.* reſtituta 513
L. 1. *C. ſi ſine cauſa.* emendata 531
L. 19. *D. de juriſd.* reſtituta 564
L. Titia 34. §. *Lucius* 1. *D. de legat.* 2. reſtituta 565
L. ſi ſervum 27. §. *fin. l. fi. ex plagis* 52. *l. quemadmodum* 29. *D. ad legem Aquil.* emendatae 580
L. 2. *C. de vet. jur. enucl.* reſtituta *ibid.*
L. pen. & fin. C. ad l. Jul. majeſt. non Codici Juſtinianeo, ſed Pandectis, eod. tit. erant inſerendae, nempe, *l. fin.* ante *verſ. Plane.* nam Codici ſuo ſolum veteres, novaſque conſtitutiones inſerendas mandavit Juſtinianus, juriſconſultorum reſponſa ſuis Digeſtis. Porro *d. l. penultim. & ultim.* in Pandectis deſiderantur

Leges geminatae praeter ſcriptas in *primo libro.*

L. 8. *D. de act. empti. & l.* 22. §. 1. *D. de condict. indeb.* duplantur.
L. 7. §. 2. *in princip. D. de pact. & l.* 58. *in princ. D. eod.* duplantur ſi recte conferantur.
L. 83. *D. pro ſocio & l.* 19. *D. commun. divid.* in geminatarum numerum referri poſſunt. *l.* 83. ad *comm. divid.* pertinet: ſi utiles fere ſunt paucis mutatis
Lenonum poena 533
Libello quae expediri non poſſint 524
Lucrativae cauſae 559

M.

MAndandi forma 560
Matris tutorem non petentis poena 519
Meorum appellatione veniunt actiones 522
Miles quatenus facere poteſt, ſolvat 513

N.

NOvandi forma 569
Nuptias ineuntibus obſervanda 526

O.

OPerae quae ſint 551

P.

PAciſci qua de ſe non liceat 558
Pactiones in rem ſcriptas 566
Pali, pedamentorum ſpecies 521

§. §. aliquot ſenſus.

§. *poſtea ne potuerit* n. explanatus 570
§. *cum, qui* 1. *l. ſervum* 33. *D. de procurat.* recta lectio 537
§. *quintus* 8. *l. ſi ut certo* 5. *D. commod.* ſenſus 581
Parentibus haereditatem debent relinqui 527
Partum abigentis poena 569
Poteſtate vox late patet 552
Pervenire quid 520
Pignus novatione tollitur 545
Poenitentia furtum non tollit *ibid.*
Praeceptor injuria damnum dans, quibus actionibus teneatur 518
Praedo non eſt pretium numerans 526
Praeſcriptionum tempora 557
Praeſidis provinciae poteſtas 518
Praevaricator quis 515
Pretiorum functio 518
Promiſſio quando nulla 545
Pupillorum curam quis gerere debeat 528

Q.

QUaeſitus quid 528

R.

RAptorum poena. 530 eos eſſe homicidas *ibid.*
Reſtitutio in integrum 558

S.

ΣKίλλοψ quid 522
Servitus aquae diurnae & nocturnae qui annitatur 510
Servitutes qui tractandae 568
Servitutum materia varie ſpectanda 558
Societatis coëundae modus 528
Solutus lex 545, 559
Sonticus morbus 522
Stipulatio loci incerti inutilis 536
Subſignationis ordo 520

T.

TEmar appellatio 531
Teſtamenta ob verba non irritari 548
Tignum non vindicandum 553
Tignum quid 528
Timor vanus 554
Titulorum aliquot reſtitutio 562, 567

V.

VEteri bona pignori eſſe 529
Ulpianus ſub A. Severo floruit 519
Uſusfructus amittendi caſus 516

Z.

ZAſii lapſus 576

F I N I S.

EMUNDI MERILLII

AD LIBROS II.

QUAESTIONUM CALLISTRATI:

Item

IN TITULUM D. DE SERVITUTIBUS:

UT ET

AD LL. XXXI. PRIORES. D. DE REBUS CREDITIS.

COMMENTARIUS.

Digitized by Google

EMUNDI MERILLII
AD LIBRUM I.
QUAESTIONUM CALLISTRATI,
COMMENTARIUS.

Ad Leg. XXXVIII. *D. de Legibus.*

CALLISTRATUS Lib. 1. Quaeſtionum.

Nam Imperator noſter Severus reſcripſit, in ambiguitatibus, quae ex legibus proficiſcuntur, conſuetudinem, aut rerum perpetuo ſimiliter judicatarum auctoritatem, vim legis obtinere debere.

Calliſtratum inter eos, qui fuerant ex conſilio Alexandri Severi, narrat Lampridius *in Alexandro Severo cap. ult.* & in *h. l.* 38. Deprehenditur vixiſſe Calliſtratum ſub Severo, ubi Alexandrum, quam Septimum Severum malim intelligere, ut in *l. Verum* 11. *in princ. D. de minoribus* cui conferas *l.* 1. *C. de Novalibus actionibus. l. cum alter* 11. *D. de compenſationibus.* & *l.* 4. *C. de compenſat.*

In *h. l.* 38. Calliſtratus refert Severi reſcriptum: *in ambiguitatibus, quae ex legibus proficiſcuntur, conſuetudinem, aut rerum perpetuo ſimiliter judicatarum auctoritatem, legis vim debere obtinere.* Siquidem in legibus multae ambiguitates naſci poſſunt, *l. in ambiguis* 19. *D. h. t.* Et adeo legibus XII. tabul. latis, ſtatim neceſſaria fuit interpretatio prudentum, *l.* 2. §. 5. *D. de orig. juris.* Julianus librum ſingularem de ambiguitatibus ſcripſerat, ut ex indice Florentino poteſt apparere; puta quae ex legibus proficiſcerentur, vel ex pactionibus, *l. veteribus* 39. *D. de pactis.* vel ex teſtamentis, *l. ille* 25. *D. de legat.* 3. *l. in ambiguis* 85. *D. de regulis juris.* Sed & Proculus *ambiguum* verbum, quomodo accipi debeat, ſcribit, in *l. Nepos* 125. *D. de V. S.* & Celſus in *l.* 7 §. 2 *D. de ſupellect. legat.*

Si igitur ambigua ſunt verba legum, conſuetudo primum eſt ſpectanda, ſeu jus, qua civitas retro in hiſce caſibus uſa fuit, *l.* 37. *D. h. t.* Et ita ex XII. tabul. legibus jus civile fluxit, quod jus erat non ſcriptum, & veluti quaedam conſuetudo, interpretans legem XII. tabularum, unde jus civile dicitur, jus moribus introductum: nam donationes inter virum & uxorem ſunt moribus prohibitae, *l.* 1. *D. de donationibus inter Virum* &c. Et jure civili *l.* 5. §. 1. *D. de pactis dotium.* Subſtitutio pupillaris eſt moribus introducta, *l.* 2. *D. de Vulgari & pupillari ſub.* & jure civili *l. ex facto* 43. *in pr. D. eod. tit. de Vulgari* &c. quia jus civile, ſeu interpretatio prudentum non ſcripta mores iſtos, ſeu conſuetudinem induxerant.

Conſuetudo morem non efficit, ut quibuſdam viſum eſt, ſed contra. Servius ad v. 601. *lib.* 7. *Aeneid. Varro vult morem eſſe communem conſenſum omnium ſimul habitantium, qui inveteratus conſuetudinem facit.* Iſidorus *lib.* 2. *Originum cap.* 10. *Mos autem longa conſuetudo eſt de moribus tracta.*

At quidem interpretatio legum ex conſuetudine ſumi debet, *quae eſt optima legum interpres, d. l.* 37. *D. h. t.* ita & ex rebus perpetuo ſimiliter judicatis, quarum auctoritate, & conſuetudo inducitur; atque firmatur *l. cum de* 34. *D. h. t.*

Vulgo obſtare credunt *l. nemo* 13. *C. de ſententiis & interloc.* ubi ajunt Imperatores, *non ex exemplis rerum judicatarum, ſed legibus eſſe judicandum*; quod ita intelligere debemus, ſi res judicatae legibus ipſis repugnent, aut ſi res judicatae aliter fuerint.

Ad Leg. XLVII. *D. de Judiciis.*

CALLISTRATUS Lib. 1. Quaeſtionum.

Obſervandum eſt, ne is judex detur, quem altera pars nominatim petat (id enim iniqui exempli eſſe, Divus Hadrianus reſcripſit) niſi hoc ſpecialiter a Principe, ad verecundiam petiti judicis reſpiciente, permittatur.

Magiſtratus Romae, & Praeſides in provinciis ipſi non cognoſcebant, ſed judices dabant, qui cognoſcerent, *l.* 8. *D. de officio praeſidis. l.* 3. *D. de tutor. & curat. datis. l.* 2. *C. de pedaneis judicibus*: tanquam alienum eſſet a dignitate magiſtratus privatis negotiis judicandis diſtringi & occupari. Magiſtratus igitur dabant judices, quos & pro imperio vetabant judicare & cogebant pronunciare, *l. judicium* 58. *D. eod.* de qua re *l.* 74. *D. h. t.* Et cum judicem dare vellent, debebant litigantes in judicem conſentire. M. Tullius *pro Cluentio cap.* 43. *Neminem voluerunt majores noſtri non modo de exiſtimatione cujuſquam, ſed ne pecuniaria quidem de re minima judicem eſſe, niſi qui inter adverſarios conveniſſet.* Eoque Servius reſpicere videtur ad *Eclogam* 3. Virgil. v. 53. *Nec quemquam fugio, id eſt, conſentio ad eum judicem, quem tu eligis.* Et Papin. in *l. Ex conſenſu* 23. *D. de appellat.* & Calliſtratus in *h. l.* 47.

Finge; actor petierat a magiſtratu judicem (puta Titium nominatum) reus autem in eum judicem non conſenſerat, aut eum judicem datum eſſe ignorabat: ait Calliſtratus, ex reſcripto quidem Adriani, id iniqui exempli eſſe, ut magiſtratus det judicem, quem altera pars petierit, id eſt, actor vel reus: nam haud dubie ſibi amicum petere videtur, & ita fieret, ut propter amicitiam judex datus parum ſincere judicaret. Symmachus *lib.* 10. *ep.* 72. *Fit enim ſaepe, ut judicii ſeveritatem frangat affectio.* Nec minus eleganter Syneſius *epiſt.* 147. [illegible] Quamvis autem magiſtratus ad petitionem partis alterius judicem dare non poſſint, tamen Princeps, qui celſior eſt omni magiſtratu, dare poterit, ſi is petatur judex, cujus verecundiae deferendum id eſſe putet. Verecundiae, id eſt, reverentiae, *l. ſi patronus* 20. *D. de donationibus.* vel exiſtimationi, *l. Filius* 15. *D. de conditionibus inſtitutionum.*

Ad Leg. X. *D. de In litem jurando.*

CALLISTRATUS Lib. 1. Quaeſtionum.

In inſtrumentis, quae quis non exhibet, actori permittitur in litem jurare, quanti ſua intereſt ea proferri, ut tanti condemnetur reus; idque etiam Divus Commodus reſcripſit.

Juſjurandum in litem eſt, quod judex defert adverſus eum, qui dolo malo rem petitam non exhibet, vel non reſtituit, in eoque punitur contumacia non exhibentis, vel non reſtituentis, ut non damnetur, quanti res eſt in veritate, ſed quanti adverſarius ſua intereſſe juraverit, *l. qui* 68. *D. de rei vind. l. ut poſſidentib.* 21. *C. eod. l.* 4. §. 1. & *l.* 5. §. 3 *D. h. t.*

Finge; Titius adverſus Maevium ad exhibendum egerat, ut ſibi inſtrumenta quaedam ad jus ſuum pere-

pertinentia exhiberet, quia illi *omnes poſſunt agere ad exhibendum quorum intereſt*, *l. penultima. D. ad exhibend.* ſed ſi Maevius inſtrumenta dolo malo exhibere nolit, judex Titio jusjurandum deferre poterit, ut juret in litem, ſeu quanti intereſt, inſtrumenta ſibi non eſſe exhibita, *l. 4.* & 6. *C. eod. tit. ad exhibend.* Judex autem damnabit Maevium, quanti Titius juraverit in litem, vel etiam pluris, minoriſve, *d. l. 4. §. 3. h. t.* nam in hoc jusjurandum in litem differt a jurejurando neceſſario, quod neceſſarium jusjurandum in judicio delatum judex omnino ſequi debeat, *l. cum de 25. §. 3. D. de probationibus.* At jusjurandum in litem ſequi non tenetur, & ratio differentiae ex pactione ipſorum litigatorum, *l. 1. D. de jurejurando.* jusjurandum autem in litem autoritate judicis defertur, *l. 4. §. h. t.*

Ad Leg. LXIV. D. pro Socio.

CALLISTRATUS Lib. 1. Quaeſtionum.

Itaque cum ſeparatim ſocii agere coeperint, & unusquiſque eorum ſibi negotietur, ſine dubio jus ſocietatis diſſolvitur.

Contractus iisdem modis ſolvuntur, quibus contrahuntur *l. obligationum 44. §. 10. D. de obligationibus & actionib. l. prout* 80. *D. de ſolutionib l. nihil 35. D. de R. J.* Verbis contracta obligatio per acceptilationem verbis tollitur, *l. 4. D. de Tranſact. l. an inutilis* 8 § 3. *D. de acceptilat.* Literis contrahitur obligatio, *l. non figura* 38 *D. de obligat. & act.* quae & literis diſſolvitur ſeu per apocham, *l. ſi accepto latum* 19. *D. de acceptilation. Reſcribere* eſt obligationem nominibus, ſeu literis contractam, alus literis ſeu ſcriptura diſſolvere, apud Horatium *lib 2. Sermonum, ſatyr. 3. v. 76.*

Dictantis quod tu nunquam reſcribere poſſis.

Mutuum naturaliter contrahitur, & re interveniente, *l. quia* 10. *D. de Senatus c. Macedoniano. l. ſi ita 126. §. Chryſogonus 2. D. de V. O.* & naturaliter, ideſt numeratione pecuniae diſſolvitur, *l. ſolutam 49. l. penultima. D. de ſolutionib.* contractusque conſenſu contrahuntur, diſſenſu tolluntur. *Nuptias conſenſus facit, l. cui fuerit 15. D. de conditionibus. l. nuptias 30. D. de R. J.* nuptias diſſenſus ſolvit, *l. 9. C. de repudiis.* & ſi quid in nuptiis praeter conſenſum intervenerit, (puta teſtatio) *l. 4. D. de pignoribus & hypothecis*, contraria teſtatione nuptiae ſolvuntur, *l. nullum 8. D. de divortiis.* Si tabulae nuptiales ſignatae fuerint, ut in *l. penult. D. de donat. inter vir. & ux.* eaedem tabulae nuptiales divortio interveniente rumpuntur. Juvenalis *Sat. 9. v. 75.*

— *tabulas quoque ruperat, & jam*
Signabat &c.

Si matrimonium per confarreationem contractum eſſet, per diffarreationem ſolvebatur. Sextus Pompejus *lib. 4. de V. S.* in verbo *diffarreatio.* Emptio nudo conſenſu contrahitur, *l. 1. in fin. D de contrahenda empt.* & diſſenſu ſolvitur, *l. 7. §. adeo 6. l. ab emptione 58. D. de Pactis. l. 3. D. de reſcind. vendit. l. 1. C. Quando non liceat ab empt. &c.* non ſolum re integra, ſed & re ſecuta, ſi venditor pretium emptori, emptor vero rem ſibi traditam venditori reſtituat. Societas mutuo conſenſu contrahitur, *l. qui admittitur 19. l. plane 37. D. h. t. §. ſi duorum 27. Inſt de rerum diviſione:* conſenſu inquam expreſſo vel tacito.

Finge: ſervum meum, qui contraxerat ſocietatem cum Titio, vendidi, poſt alienationem ſervus in eadem ſocietate perſeverat: tacite renovata intelligitur, quae ſoluta fuerat per alienationem ſervi, *l. ſi id quod 58. §. ult. D. h. t.* ita ſocietas diſtrahitur contraria voluntate expreſſa vel tacita: expreſſa ſiquis ex ſociis ſocietati renunciaverit, *l. 14. 16. 63. in fin. D. h. t.* tacita voluntate, ſi ſeparatim ſocii agere coeperint, ſibique non aliis negotiari, ut eſt in *h. l. 64.* Si tamen aliquis intempeſtive renuntiaverit ſocietati; actione pro ſocio tenetur, *l. 14* & *l. 17. in fine D. h. t.* vel ſi dolo malo renuntiaverit.

Finge: ſocius, qui omnium bonorum ſocietatem contraxerat, ſocietati renuntiavit, cum ei hereditas obveniſſet; nihilominus actione pro ſocio poterit conveniri, ut, ſi quod lucrum eſt hereditatis, communicetur, *l. actione 65. § 3. D. eodem.* quia dolo malo renuntiaſſe videtur ſocietati, ne hereditas inter ſocios communicaretur.

Ad Leg. XV, ad L. Cornel. de Falſis.

CALLISTRATUS Lib. 1. Quaeſtionum.

Divus Claudius Edicto praecepit, adjiciendum Legi Corneliae, ut ſi quis, cum alterius teſtamentum vel codicillos ſcriberet, legatum ſibi ſua manu ſcripſerit, proinde teneatur, ac ſi commiſiſſet in legem Corneliam: & ne vel iis venia detur, qui ſe ignoraſſe Edicti ſeveritatem praetendant. *Scribere autem ſibi legatum videri non ſolum eum, qui manu ſua id fecit: ſed etiam qui per ſervum ſuum, vel filium, quem in poteſtate habet, dictante teſtatore, legato honoratur.*

Senatusconſulto Liboniano cautum fuerat, ut ii, qui ad teſtamenta ſcribenda adhibebantur, poena legis Corneliae de falſis tenerentur, ſi ſibi hereditatem vel legatum, vel aliud emolumentum teſtamento adſcripſiſſent, *l. 1. D. de his quae pro non ſcriptis habentur. l. 3. C. de his qui ſibi in teſtamento adſcribunt.* Verum dubitari poteſt, an idem fuerit edictum Claudii, cujus meminit hic Calliſtratus, cum SCto Liboniano: an etiam SCtum Libonianum praeceſſerit, & ſecutum fuerit Claudianum: de qua re non ſatis conſtanter ſcripſit Cujacius, in *paratitlis D. ad h. t.* & *in paratis. C. ad dict. tit. de his qui ſibi adſcribunt in teſtamento.*

Paulus quidem librum ſingularem ſcripſerat ad SCtum Libonianum, ſeu Claudianum, ut eſt in indice Florentino, quaſi non aliud fuerit SCtum Claudianum a Liboniano: tamen duo SCta fuiſſe videntur, quae & Macer intelligit, *l. de eo 10. D. h. t.* & propterea Edictum Claudii diſtinguitur a SCto Liboniano, in *h. l. 15.* & *in l. 3. C. de his qui ſibi adſcribunt in teſtamento.* Verius tamen eſt & Libonianum SCtum prius factum eſſe; & deinde Claudianum fuiſſe ſubſecutum; quia SCtum Claudianum poſterius eſſe fertur: puta, quod Divus Claudius quaedam capita SCto Liboniano adjeciſſet, ut deprehendi poteſt ex *principio hujus l. 15.* Tam igitur SCto Claudiano, quam Liboniano prohibitum fuerat, ne ii, qui ad teſtamenta ſcribenda eſſent adhibiti, ſibi hereditatem vel legatum adſcriberent, *d. l. 3. C. de his qui ſibi adſcrib.* ſed & Divus Claudius Edicti ſui veniam dari noluit iis, qui ignoraſſent; tum quia juris ignorantia nemini prodeſſe debet in compendiis, ſeu acquirere volentibus, *l. 7* & 8. *D. de juris & facti ignorant.* tum quia conſtitutiones Principum nemini ignorare permittitur, *l. 9. C. de legibus. l. penult. C. de juris & facti ign.* praecipue JCtis, qui ad teſtamenta ſcribenda plerumque adhibebantur. Suetonius in *Nerone cap. 32. l. Lucius 88. §. ult. D. de legat. 2. l. dictantibus 22. C. de teſtamentis & quemadmodum teſtam. &c.* Quamvis a SCto Liboniano & Claudiano tantum comprehenſum fuiſſet, ut poena legis Corneliae tenerentur ii, qui ſcripſiſſent: tamen ex ſententia eorum tenentur filius & ſervus, qui patri vel domino legatum adſcripſiſſent, *dict. l. 10. D. h. t.* quamvis pater legato fuerit honoratus, ut hic loquitur Calliſtratus; nam & legatum *honor* dicitur, *l. ſed & ſi 52. §. 2. D. de judiciis. l. Amiciſſimos 36. D. de excuſation. tutor. l. fideicommiſſa 11. §. plerumque 20. D. de legatis 3. l. 3. §. 2. D. de legatis praeſtand.* hereditas tamen pleniore honore, quam legatum relinquitur *l. 5. §. 6. D. eod.*

ſito

tis de legat. praeſtand. quia heres eſt ſucceſſor juris, & defuncti perſonam ſuſtinet, non legatarius.

Ad §. Plane 1.

§. 1. P*Lane Conſtitutionibus principalibus cavetur, ut ſi teſtator ſpecialiter ſubſcriptione ſua declaraverit*, dictaſſe ſervo alicujus, ut domino ejus legatum ab heredibus ſuis daretur: *id valere, nec generalem ſubſcriptionem teſtatoris valere adverſus Senatusconſulti auctoritatem: & ideo legatum pro non ſcripto habendum, & ſervo, qui etiam ſibi legatum adſcripſit, veniam dari. Ego tutius eſſe puto, veniam petendam ab Imperatore: ſcilicet eo, quod relictum eſt, abſtinentibus.*

Teſtator vel manu ſua, vel manu alterius poteſt teſtamentum ſcribere. Si manu ſua ſcripſerit teſtamentum, holographum dicitur. Si manu alterius ſcriptum fuerit teſtamentum, ſolebat teſtator ſubſcribere, vel generaliter (puta his verbis) *dictavi*, vel ſpecialiter (puta his verbis) *dictavi & recognovi*. & haec quidem ſubſcriptio ſpecialis efficit, ut extraneus, qui ſibi teſtamento aliquid adſcripſerit, illud habeat, nec in poenam SCti Liboniani incidat. Generalis autem ſubſcriptio ſufficit in ſervo vel filio, qui jubente patre vel domino, aliquid eis adſcripſerint, *l.* 1. *§. inter* 8. *D. h. t.* ſatius tamen exiſtimat Calliſtratus, ut pater aut dominus veniam petant a Principe, qui ſolet ultro fatentibus delicta veniam indulgere, *l. unic. C. ne tutor vel curator.* veruntamen non putat eos emolumentum legati debere conſequi; quia enim venia SCti remittitur, non tamen hereditatis aut legati emolumentum debetur, quod ſibi adverſus SCtum adſcripſerunt, *l.* 2. *C. de his qui ſibi in teſtam* &c.

Ad §. Item 2. *& §. Et Quatenus* 3.

§. 2. I*tem Senatus cenſuit: Ut ſi ſervus, domini ſui juſſu, teſtamento codicillisve libertatem ſibi adſcripſerit, ob eam rem, quod ipſius manu adſcriptum eſt, minus liber ſit: ſed libertas ei ex fideicommiſſi cauſa praeſtetur, ſi modo poſt eam ſcripturam manu ſua teſtator teſtamento codicillisve ſubſcripſerit.*

§. 3. *Et quatenus de ſola ſpecie fideicommiſſae libertatis hoc Senatusconſulto continebatur, Divus Pius reſcripſit, ſententiam magis ſequendam eſſe hujus Senatusconſulti, quam ſcripturam: nam ſervos, cum dominus ſuis parent, neceſſitate poteſtatis excuſari; ſi tamen accedat domini auctoritas, ſubſcribentis* ſe ea dictaſſe & recognoviſſe: *videri enim ait ipſius domini manu ſcripta, cujus voluntate ea ſcripta ſunt. Quod tamen (inquit) ad liberas perſonas, in quas nullum jus teſtator habuerit, extendi non debet: quaeri tamen debet, [an] aeque ſubſequendi neceſſitas, & honeſta excuſatio eſt non facientibus, quod non ſit conceſſum.*

Si ſervus teſtamentum domini ſcripſiſſet, eoque ſibi libertatem fideicommiſſariam adſcripſiſſet; voluerat SCtum Libonianum, ut ea libertas fideicommiſſaria ſervo competeret, dummodo vel generaliter teſtator teſtamento ſubſcripſiſſet; quia ex ea ſubſcriptione conjiciebatur voluntas teſtatoria, cujus conjectura ſufficit ad fideicommiſſariam libertatem, *l. etſi non adſcripta* 9. *C. de fideicom libert.* Ideo vero SCtum voluerat tantum fideicommiſſariam libertatem valere, non directam, quam ſibi ſervus adſcripſiſſet; quia directa libertas ex ſubſcriptione teſtatoris induci non poterat, ut fideicommiſſaria.

Poſtea tamen D. Pius voluit & directam libertatem ſervo competere, ſi teſtator ſpecialiter ſubſcripſiſſet, quaſi ſervus juſſu domini id fecerit, & ſervis ignoſcendum ſit, ſi quid dominorum voluntate fecerint, modo ſcelus atrocitatem non habeat, *l.* 2. *in princip. D. de noxalibus actionibus, l. is qui* 2. *§.* 7. *D. quod vi aut clam, l. ad ea* 157. *D. de R. J.* Si ſervus libertatem ſibi adſcripſerit domini teſtamento, & dominus teſtamento non ſubſcripſerit, poena quidem falſi ſervo remittitur; quia jubente domino teſtamentum ſcripſit, ſed ei libertas non competit, *l. ult. C. de his qui ſibi adſcribunt in teſtam.* Quod ſi ſervus juſſu alterius, quam domini, teſtamentum ſcripſerit, eoque ſibi libertatem adſcripſerit, & poena SCti tenetur, eique libertas non competit; *l. amplius* [illegible] 22. *§. item non* 9. *h. t.*

Ad §. Matri 4. *& §. Idem in fil.* 5.

§. 4. M*atri quoque, cui per ſervum ſuum, dictante filio, legatum ſcriptum eſſet, veniam tribuendam legis Corneliae placuit.* §. 5. *Idem in filiam, quae dictante matre ſua per ignorantiam juris legatum ſibi ſcripſerat, Senatus cenſuit.*

Sic videntur debere intelligi, ut poena legis Corneliae, ſeu SCti Liboniani liberi non teneantur, qui ſibi teſtamento adſcripſerint, ſed tantum legatum non conſequantur, *l.* 2. *C. de his qui in teſtam.* nam ſi filia, ſcribens teſtamentum matris, ſibi legatum adſcripſerit, ob ignorantiam juris excuſatur, ut non teneatur poena SCti; error enim juris in mulieribus excuſatur, ſi adverſus jus civile deliquerint. Paulus in *collat. leg. Moſaicar. cum Romana tit.* 6. *§.* 3. Verum ignorantia juris prodeſſe non debet mulieribus in compendiis, *l.* 8. *D. de juris & facti ignorantia.* quae prodeſſet, ſi filia emolumentum legati conſequeretur. Tantum igitur poena remittitur, non etiam emolumentum ejus, quod ſibi adſcripſerit, teſtamento, datur.

Ad §. ultimum.

§. 6. S*i quis, duobus heredibus inſtitutis, adjecerit,* ut ſi alteruter heres ſine liberis deceſſiſſet, ei, qui ſupereſſet & liberos haberet, hereditas redderetur, vel ſi uterque ſine liberis deceſſiſſet, hereditas deinde alii manu ſcriptori teſtamenti reſtitueretur: *placet teſtamentario poenam legis Corneliae remitti: ſed benignius eſt, ut [etiam] ea, quae ſupra ſcripta ſunt, ſimili modo conſequatur.*

Titius, qui teſtamentum alterius ſcribebat, ſibi eo teſtamento hereditatem fideicommiſſariam adſcripſerat non pure, ſed ſub conditione illa, ſi heredes inſtituti, & invicem ſubſtituti ambo abſque liberis deceſſerint, ut in *l. heredes mei* 57. *§.* 1. *D. ad SC. Trebellian.* & putat Calliſtratus Titium teſtamentarium, id eſt, qui teſtamentum ſcripſerit (*l.* 9. *§.* 3. *D. de hered. inſtituend. l.* 22. *§.* 10. *inf. h. t.*) nec poena legis Corneliae teneri, ſed & hereditatem fideicommiſſariam, quandocunque conditio extiterit, debere conſequi, quia non pure Titius, ſed ſub conditione eam hereditatem ſibi adſcripſerit.

Ad Leg XXVI. *D. de Poenis.*

CALLISTRATUS Lib. 1. de Cognitionibus.

C*rimen, vel poena paterna nullam maculam filio infligere poteſt. Namque unusquisque ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur: idque Divi Fratres Hierapolitanis reſcripſerunt.*

Apud quaſdam gentes liberi pro parentibus, & parentes pro liberis puniebantur; ut apud Perſas Heliodorus *lib.* 4. *hiſtor. Aethiopicae ſub finem.* Aelianus *lib.* 15. *cap.* 2. Macedones, Curtius *lib.* 6. *de reb. geſtis Alexandri.* Graecos: id enim innuit Sinon apud Virgil. *lib.* 2. *Aeneido. v.* 138.

Nec dulces natos exoptatumque parentem;
Quos illi fors ad poenas ob noſtra repoſcent
Effugia, & culpam hanc miſerorum morte piabunt.

Quare obſervare debemus *l.* [illegible] *h.* 26. *D.* Fratres Hie-

Digitized by Google

rapolitanis ſcripſiſſe, apud quos leges iſtae ſervabantur, ut parentes pro liberis, & liberi pro parentibus punirentur. Generaliter autem conſtituunt, paternam culpam, vel crimen filiis non debere nocere.

Finge; motus eſt ſenatu pater, filius tamen clariſſimi dignitatem retinet, *l. 7. §. 2. D. de Senatoribus. l. 2. §. 3. D. de Decurionibus. l. generali 34. §. 2. D. de ritu nuptiar.* neque etiam liberi innocentes propter delictum patris ab honoribus removentur *l. 3. §. quod pater 9. D. de muneribus. dict. l. 2. §. nullum. 7. D. de decurion.*

Vel finge; patronus adegit libertum ad jusjurandum, ne uxorem duceret: jus patronatus amittit non filius innocens *l. 8. in fin. D. de in jus vocando.* quia delicta ſeu crimina ſuos autores tantum tenere debent, non ad alios porrigi, *l. sancimus 22. C. eod. tit. de poenis.* quamvis enim pater & filius una eademque perſona videantur, *l. ult. C. de imp. & aliis ſubſtitution.* tamen ad jus Civile magis referendum eſt, quam ad naturam, ut filius eadem cum patre perſona videatur, quando aliquid patri dari ſtipulatur, *l. quod dicitur 130. D. de V. O. §. ſi quis alii. 4. Inſt. de inutilib. ſtipul.* Natura autem patris & filii perſona diſtinguitur, ita ut alter ex alternis delictis, ſeu obligationibus non teneatur *l. 1. §. 4. C. ne filius pro patre.* Neque obſtat, quod ſi pater capitali ſupplicio damnatus fuerit, bona patris adimuntur, & ita liberi quodammodo ob paternum crimen puniuntur. Verum tamen legitima portio liberis jure naturali debita relinquitur, *l. cum ratio 7. D. de bonis damnat.* niſi forte pater ex crimine majeſtatis damnatus fuerit; quod quia atrocius eſt, & omni crimine gravius, liberi paternis bonis omnino privantur, *l. 5. §. 1. C. ad leg. Juliam majeſtatis.*

[Haec lex per errorem, ex ſimilitudine autoris & libri provenientem, expoſita eſt loco *l. mandatis 25. eodem;* quae tantum vult, liberum hominem, ut in perpetuis habeatur vinculis, condemnari non poſſe, ſecundum Antonini reſcriptum, in *l. incredibile 6. C. eodem.* ſervos vero propter delicta ſua poſſe vinculis perpetuis coërceri, probat *l. ſervos 10. C. eod.* licet hoc perraro eveniat; argumento *d. l. 6. C. eod. tit. de poenis.*]

AD LIBRUM II. QUAESTIONUM CALLISTRATI.

Ad Leg. IV. D. de L. Rhodia de Jactu.

CALLISTRATUS Lib. 2. Quaeſtionum.

N*avis onuſtae levandae cauſa, quia intrare flumen vel portum non potuerat cum onere, ſi quaedam merces in ſcapham trajectae ſunt, ne aut extra flumen periclitetur, aut in ipſo oſtio vel portu, eaque ſcapha ſummerſa eſt, ratio haberi debet inter eos, qui in nave merces ſalvas habent, cum his, qui in ſcapha perdiderunt: proinde, tanquam ſi jactura facta eſſet. Idque Sabinus [quoque] lib. 2. Reſponſorum probat. Contra, ſi ſcapha cum parte mercium ſalva eſt, navis periit, ratio haberi non debet eorum, qui in navi perdiderunt: quia jactus in tributum navi ſalva venit.*

Romani ſuas leges condiderunt ex legibus Atheniensium, Lacedaemoniorum, atque etiam aliarum civitatum. Gellius *lib. 20. cap. 1. inquiſitis exploratiſque multarum urbium legibus.* Pomponius in *l. 2. §. 4. D. de origine juris* refert Romanos leges XII. tabul. ex Graecis civitatibus accepiſſe: & ita illi leges navales ſeu nauticas a Rhodiis acceperant; quas & Rhodias dixerunt. Iſidorus *lib. 5. Originum cap. 17.* In *hoc* vero *titulo* non de omnibus legibus Rhodiis agitur; ſed de quadam lege Rhodia de jactu mercium, levandae navis gratia: ſaepe enim expedit, tempeſtate ſuborta, jactum ſeu jacturam mercium fieri. Si igitur vectores ſuas merces jecerint, a caeteris contributio debet fieri illius jacturae, quorum navem ſalvam eſſe interfuit; & illi quidem cum magiſtro navis agere poſſunt ex locato vel conducto, ut adverſus caeteros agat, vel etiam merces eorum retineat, *l. 2. in princip. D. h. t.*

Finge igitur: cum navis nimium onuſta mercibus in portum vel flumen intrare non poſſet, Titius merces ſuas in ſcapham immiſerat, navis levandae gratia; ſed dum merces trajiciebantur, ſcapha perierat, quaerebatur, an caeteri, qui in nave merces habebant, contribuere deberent Titio, qui merces ſuas in ſcapha amiſerat? & quidem jactus non erat factus, & merces ſuo domino perire videbantur, ut caetera dominis ſuis pereunt, *l. pignus 9. C. de pignor. act.* Tamen ait Calliſtratus caeteros, qui habebant merces in navi, Titio contributionem facere debere: idemque Paulus *lib. 2. Sentent. tit. 7. ad leg. Rhodiam.*

Finge contra, navem periiſſe, ſcapham cum Titii mercibus ſalvam fuiſſe, non debet contribuere Titius caeteris, qui habebant merces in navi, nam toties fieri debet contributio, quoties navis ſalva manſerit.

Ad §. Si navis 1.

§. 1. S*ed ſi navis, quae in tempeſtate, jactu mercium unius mercatoris, levata eſt, in alio loco ſubmerſa eſt, & aliquorum mercatorum merces per urinatores extractae ſunt, data mercede, rationem haberi debere ejus, cujus merces in navigatione levandae navis cauſa jactae ſunt, ab his, qui poſtea ſua per urinatores ſervaverunt, Sabinus aeque reſpondit. Eorum vero, qui ita ſervaverunt, invicem rationem haberi non debere ab eo, qui in navigatione jactum fecit, ſi quaedam ex his mercibus per urinatores extractae ſunt: eorum enim merces non poſſunt videri ſervandae navis cauſa jactae eſſe, quae periit.*

Cum navis tempeſtate laboraret, Titius mercium ſuarum jactum fecit: poſtea navis alia tempeſtate ſuborta periit. Sed quamvis mercatores merces ſuas ex naufragio per urinatores extractas receperint, putat Calliſtratus eos Titio debere contribuere, qui jactum fecerat prima tempeſtate, ut navis ſalva eſſet. At ſi Titius tempeſtate prima ſuborta jactum fecerat; eaque tempeſtate navis perierit, non debent alii mercatores Titio contribuere, qui merces ſuas extraxerint, quia Titius ſalvam navem non fecit.

Urinatores autem hi dicuntur, qui in aquam ſeſe immergebant, ut merces vel jactas, vel naufragio amiſſas extraherent. Manilius *lib. 5.*

Exportantque maris praedas, & rapta profundo
Naufragio.

Cum piſcatoribus junguntur, in antiqua inſcriptione apud Gruterum *pag. 354.* curatores corporis piſcatorum urinatorum.

Sed finge, Titium merces, quas jecerat, extraxiſſe per urinatores, vel etiam ad littus appulſas inveniſſe; earum dominium recipit, niſi pro derelicto habue-

buerit, cum eas jaceret, *l.* 8. *D. h. t. l.* 9. §. *alia* 8. *D. de acq. rer. dom. l. interdum* 21. §. 1. *D. de acq. vel amit. poſſ. l. falſus* 43. §. 1. *D. de furtis.*

ad §. *ultimum.*

§. 2. *Cum autem jactus de nave factus eſt, & alicujus res, quae in navi remanſerunt, deteriores factae ſunt, videndum, an conferre cogendus ſit: quia non debet duplici damno onerari, & collationis, & quod res deteriores factae ſunt. Sed defendendum eſt, hunc conferre debere pretio praeſente rerum. Itaque verbi gratia, ſi vicenum merces duorum fuerunt, & alterius aſpergine decem eſſe coeperunt, ille, cujus res integrae ſunt, pro viginti conferat, hic pro decem. Poteſt tamen dici etiam illa ſententia, diſtinguentibus nobis deteriores qua ex cauſa factae ſunt, id eſt, utrum propter jacta nudatis rebus damnum ſecutum eſt: an vero alia ex cauſa; veluti quod alicubi jacebant merces in angulo aliquo & unda penetravit, tunc enim conferre debebit. Anne priore cauſa, collationis onus pati non debet: quia jactus etiam hunc laeſit. Adhuc numquid & ſi aſpergine propter jactum [res] deteriores factae ſunt. Sed diſtinctio ſubtilior adhibenda eſt, quid plus ſit, in damno, an in collatione [ſi] (verbi gratia) hae res viginti fuerunt, & collatio quidem facit decem, damnum autem duo: deducto hoc, quod damnum paſſus eſt, reliquum conferre debeat. Quid ergo, ſi plus in damno erit, quam in collatione? Utputa decem aureis res deteriores factae ſunt: duo autem collationis ſunt? Indubitate utrumque onus pati non debet. Sed hic videamus, num & ipſi conferre oporteat; quid enim intereſt, jactatas res meas amiſerim, an nudatas deteriores habere coeperim? Nam ſicut ei, qui perdiderit, ſubvenitur; ita & ei ſubveniri oportet, qui deteriores propter jactum res habere coeperit. Haec ita Papirius Fronto reſpondit.*

Finge; Titii merces ob jactum aliarum mercium corruptae & deteriores factae fuerant, non debet Titius contribuere iis, quorum merces jactae ſunt, ne duplici damno afficiatur. Quod ita vult intelligi Calliſtratus, ſi ratione jactus merces Titii deteriores factae ſint; puta aſpergine, vel propter jacturam inundatis mercibus. Ita etiam putat, Titio contributionem fieri non debere, ſi plus ſit in damno corruptarum mercium, quam in contributione jacturae. Sed ſi plus ſit in damno, quam in contributione, adhuc putat Titio caeteros contribuere vel conferre debere; quia nihil intereſt utrum Titius merces ſuas jecerit, vel ob jactum deteriores factas habuerit. Et quemadmodum contributio fit ei, qui merces jecit, ita quoque fieri debet ei, qui propter jactum merces ſuas deteriores habuit.

Ad Leg. LXXII. *D. de Evictionib.*

CALLISTRATUS Lib. 2. Quaeſtionum.

Cum plures fundi ſpecialiter nominatim uno inſtrumento emptionis interpoſito venierunt, non utique alter alterius fundus pars videtur eſſe, ſed multi fundi una emptione continentur: & quemadmodum, ſi quis complura mancipia uno inſtrumento emptionis interpoſito vendiderit, evictionis actio in ſingula capita mancipiorum ſpectatur; & ſicut aliarum quoque rerum complurium una emptio facta ſit, inſtrumentum quidem emptionis interpoſitum unum eſt, evictionum autem tot actiones [ſunt] quot & ſpecies rerum [ſunt] quae emptione comprehenſae ſunt: ita & in propoſito non utique prohibebitur emptor, evicto ex his uno fundo venditorem convenire, quod una cautione emptionis complures fundos mercatus comprehenderit.

Evictio non eſt de ſubſtantia emptionis, quia ſine evictione poteſt conſiſtere, ſi convenerit, ut venditor nihil evictionis nomine praeſtare teneatur, *l. ex empto* 11. §. 2. *D. de action. empt.* ſed evictio eſt de natura emptionis, *d. l. ex empto* 11. §. 1. ex caeteris venditionis, *l. ſi duo* 13. §. *qui juraverit* 3. *D. de jurejurando. l.* 5. §. *eadem* 7. *D. de rebus eorum qui ſub tut.* ex his, quae ſunt propriae emptionis, *l.* 5. *D. de action. empti.* ex adminiculis emptionis, *l. pacta* 72. *D. de contrahenda emptione*: nam ſi nihil inter emptorem & venditorem convenerit, nihilominus venditor de evictione tenetur, *l.* 6. *C. de evictionibus.*

Finge ad *h. l.* 72. Titius vendiderat Maevio duos fundos (puta Titianum & Sempronianum) eoſque ſpecialiter & nominatim vendiderat, id eſt, ſeparatum, & nomine cujusque fundi denominato, verum uno eodemque inſtrumento duorum fundorum venditio facta erat, cum evictus eſſet fundus Sempronianus Maevio, quaerebatur, an Maevius de evictione agere poſſet, vel ratione utriusque fundi, vel ratione fundi Semproniani, qui evictus erat? Et ait Calliſtratus tantum ratione fundi Semproniani Maevium agere poſſe, idque alio exemplo probat.

Finge; Titius plures ſervos vendidit Maevio eodem contractu: unus ex eis ſervus evictus eſt, non aget Maevius de evictione ratione omnium ſervorum, ſed tantum ratione illius, qui evictus fuerit: quae tamen ſpecies diſtinctionem recipit, utrum vel uno pretio ſimul omnes ſervi venierint, vel in ſingula capita pretium fuerit conſtitutum, *l* 34. & *l.* 36. *D. de evietion.* Denique ſi plures res ſimul venierint eodem inſtrumento, una quidem eſt emptio ratione inſtrumenti, ſed plures ſunt emptiones ratione rerum, quae ſunt venditae, & ita cum plures res legatae ſunt, tot legata eſſe videntur, *l.* 2. *D. de legat.* 2. *l.* 3. & 4. *D. de pecul. legat.* Tot ſunt ſtipulationes, quot res in ſtipulationem deducuntur, *l. quia* 32. *D. de evietion. l.* 1. §. 5. *l. ſcire* 29. *l. ubi* 75. §. *penult. D. de V. obl.* Maevius igitur tantum agere poterit adverſus Titium venditorem, quanti interfuerit fundum Sempronianum ſibi evictum fuiſſe, perinde ac ſi fundus ille ſeparatim veniiſſet. Vulgo obſtare exiſtimant *l. ſi quis aliam* 46 *D. de ſol. & liber.*

Finge; Titius debebat C. Maevio, & duos fundos (puta Titianum & Sempronianum) volente Maevio in ſolutum dedit; evictus eſt fundus Sempronianus; non conſiſtit ſolutio ratione fundi Titiani. Sed ratio differentiae inter emptionem & ſolutionem haec aſſignari poteſt, quia emptio pro parte poteſt conſiſtere, licet pars rei venditae evincatur, *l.* 1. & *l. ſi fundo* 53. *D. h. t.* non autem ſolutio, quia ſolidum debet ſolvi, ut ab obligatione diſcedatur; nec putandum eſt creditorem pro parte ſolutionem accipere voluiſſe, *l.* 5. *D. de fide inſtrum.* Expoſita eſt non ita pridem in *Tit. de Fid. inſtrum.*

Ad Leg. LXIV. *D. de Ritu nuptiar.*

CALLISTRATUS Lib. 2. Quaeſtionum.

Libertum, eundemque tutorem pupillae, eo quod in matrimonium collocata ipſi tutori ſuo, vel filio ejus eſt, Senatus relegandum cenſuit.

Solebat oratio Principum praecedere & SCtum ſequi. Ita SCtum ſequutum eſt ad orationem D. Antonini & Commodi, ne tutor pupillam ſuam, vel ſibi vel filio ſuo nuptam collocaret, *l. tutor* 15. *D. de ſponſalibus. l. ult. D. de legat.* 1. *l.* 2. §. 1. *D. de his quae ut indignis. l. SCto* 59. & *l. ſi quis* 60. *D. h. t.* quae eſt ex libro ſingulari Pauli ad orationem D. Antonini, & Commodi. Eo igitur SCto prohibitae ſunt nuptiae inter tutorem & pupillam, & filium tutoris, niſi pater id teſtamento voluerit, *l. tutor* 36. *D. h. t. l.* 7. *D. ad leg. Juliam de adulteriis*, vel ſi reſcripto Principis id fuerit impetratum, *l.* 7. *Cod. de interdicto matrim. inter tutor. & pupill.* Rationem hujus SCti hic affert Calliſtratus, ne pupillae in re fa-

Digitized by Google

miliari circumſcriberentur ab his, qui rationem geſtae tutelae eis reddere compelluntur. Unde & ſi tutor rationem reddiderit, & pupilla tempus illud exceſſerit, intra quod reſtitutionem in integrum obtinere poteſt; tunc matrimonium inter tutorem & pupillam conſtat, *l. 8. C. de interdict. matrimon.* Inter caetera autem SCti capita unum hic refert Calliſtratus, ut ſi libertus tutor filiae patroni, eam ſibi, vel filio in matrimonium collocaſſet, relegaretur. Et quidem poena relegationis gravior liberto imponitur, qui propter manumiſſionis beneficium, majorem fidem erga patroni filiam habere debuit.

ad §. Senatuſconſulti 1.

§. 1. *Senatuſconſulti, quo prohibentur tutores & filii eorum pupillas ſuas ducere, puto heredem quoque tutoris extraneum ſententia adprehendi: cum ideo prohibuerit hujuſmodi nuptias, ne pupillae in re familiari circumſcribantur ab his, qui rationes eis geſtae tutelae reddere compelluntur.*

Cum verba legis deficiunt, ex ſententia earum ſit interpretatio, *l. 13. D. de legib.* Senatusconſulto comprehenſum fuerat, ne tutor, aut filius tutoris pupillam uxorem duceret. Calliſtratus ex ſententia SCti putat etiam heredem tutoris extraneum non poſſe pupillam uxorem ducere: quia ſubſit ratio SCti, ne poſſit heres tutoris rationes tutelae intervertere & conturbare: & ita recte ex *h. loco* colligunt, ubi eadem ſit ratio, idem jus eſſe ſtatuendum.

ad §. Tutor 2.

§. 2. *Tutor autem pupilli non prohibetur filiam ſuam collocare pupillo ſuo in matrimonium.*

Tutor non prohibetur filiam ſuam pupillo collocare, nec curator adulto, *l. 5. C. de interd. matr.* Ratio differentiae manifeſta eſt, quia filia tutoris tranſit in poteſtatem pupilli, vel adulti, qui rationes tutelae vel curationis a tutore vel curatore ſemper exigere poterit: at cum pupilla tranſit in poteſtatem tutoris vel curatoris, non ita poteſt ab eo rationes exigere; & periculum eſt, ne in rationibus tutelae geſtae, aut curationis circumſcribatur.

Ad Leg. VIII. D. de Jure dot.

CALLISTRATUS Lib. 2. Quaeſtionum.

Sed niſi hoc evidenter actum fuerit, credendum eſt hoc agi, ut ſtatim res ſponſi fiant, *& niſi nuptiae ſecutae fuerint, reddantur.*

Maevia Titio ſponſo res in dotem dederat: nuptiis non ſequutis, quaerebatur qua actione Maevia res in dotem datas repetere poſſet, an vindicare, an condicere. Ulpianus in *l. 7. §. ult. D. h. t.* diſtinguebat, utrum Maevia res dederit eo animo, ut ſtatim Titii fierent, eo caſu, nuptiis non ſequutis, Maeviam poſſe res in dotem datas condicere, ſcilicet condictione cauſa data, cauſa non ſequuta. At ſi eo animo dederit, ut non prius Titii fierent, quam nuptiae ſequutae eſſent, Maeviam poſſe eas vindicare, quaſi dominium ab ea non diſceſſerit, aut non niſi exiſtente conditione dominium transferre voluerit, *l. qui abſens 38. D. de acquirend. vel amitt. poſſ.* hic autem Calliſtratus in dubio, quando non apparet, qua mente Maevia ſponſo res in dotem dederit, exiſtimat ſic dediſſe, ut ſtatim ſponſi fierent, ideoque nuptiis non ſequutis, Maeviam non poſſe vindicare, ſed tantum condicere: eaque fuerat Juliani ſententia, in *l. 1. §. 2. D. pro dote.*

Ad Leg. XLVIII. D. ſolut. matrim.

CALLISTRATUS. Lib. 2. Quaeſtionum.

Si dotali inſtrumento ita ſtipulatio interpoſita ſit, Ut liberorum nomine dos apud maritum reſideat; *nepotum quoque nomine dos ei retinebitur.*

Ad Leg. 220. D. de verb. ſignific.

CALLISTRATUS Lib. 2. Quaeſtionum.

Liberorum appellatione nepotes & pronepotes, caeterique, qui ex his deſcendunt, continentur: hos enim omnes ſuorum appellatione lex XII Tabularum comprehendit: totiens enim leges neceſſarium ducunt cognationum ſingularum nominibus uti, veluti filii, nepotes, pronepotes, *caeterorumve, qui ex his deſcendunt; quotiens non omnibus, qui poſt eos ſunt, praeſitum voluerint: ſed ſolis his ſuccurrent, quos nominatim enumerent. At ubi non perſonis certis, non quibuſdam gradibus praeſtatur, ſed omnibus, qui ex eodem genere orti ſunt, liberorum appellatione comprehenduntur.*

Profectitia dos ſoluto matrimonio morte filiae ad patrem ſuperſtitem revertebatur, quintis tantum in ſingulos liberos relictis, Ulpian. *lib. ſing. Regul. tit. 6. l. 10. Cod. Theod. de dotib.* Ideo maritus in ſpecie *l. 48.* dotali inſtrumento, ſeu nuptialibus tabulis ſtipulatus erat, ut ſoluto matrimonio dos profectitia liberorum nomine, apud ſe remaneret. Sed quaerebatur, an liberorum nomine, nepotes accipi deberent, quod exiſtimat Calliſtratus in hac ſpecie, ut ſaepe alias liberorum appellatio ad nepotes extenditur, *l. 10. D. de Senator. l. 10. §. liberos 9. D. de in jus vocando. l. SCto 59. D. de ritu nuptiarum. l. 2. D. de excuſat. tutor. l. moris 9. §. liberos 13. D. de poenis. l. natorum 104 & l. liberorum 220. D. de V. S.* In qua Calliſtratus ſpeciem *dict. l. 48.* exemplis illuſtrat, quomodo liberorum appellatione nepotes, & pronepotes caeterique deinceps accipi debeant, id eſt, ex XII. Tabulis, quia ſuorum appellatione, eos omnes lex XII. Tabularum comprehenderat, *§. pen. Inſt. de hereditat. quae ab inteſtato. l. 3. C. de ſuis & legitimis.* Sed tamen in legibus Julia & Papia, quae certas perſonas enumeraverant, nempe uſque ad tertium gradum liberorum appellatione tantum illi continentur, *l. unic. in princ. C. de caducis tollend.* & ad eas videtur reſpicere JCtus, in *l. 10. §. parentes 7. D. gradibus & affinibus*; eaque hic profecto intelligit Calliſtratus: ubicumque enim fere legum mentio ſit, legem Juliam, & Papiam debemus intelligere.

ad §. Sed & 1.

§. 1. *Sed & Papirius Fronto lib. 3. Reſponſorum ait, praedio cum villico & contubernali ejus & filiis legato, nepotes quoque ex filiis contineri, niſi voluntas teſtatoris aliter habeat: filii enim appellatione ſaepe & nepotes accipi multifariam placere.*

Non ita late patet filiorum appellatio, ut liberorum, *l. 5 D. de teſtam. tut. l. 2. §. non ſolum 7. D. de excuſ. tutor. & curat.* Pater filium occidere poterat, *l. in ſuis 11. D. de liberis & poſt.* non etiam avus nepotem, *l. 1. in fin D. de leg. Pompeja de Parricid. l. 20. D. ad leg Juliam de adult.* quia lex XII. filii mentionem fecerat, non nepotis; & propterea nepotes una tantum mancipatione ſolvebantur poteſtate avi, quaſi minus avo ſubjecti eſſent, *l. verum eſt 8. D. de injuſto rupto.* Sed tamen Calliſtratus hic putat filiorum appellatione nepotes contineri; & quidem eadem eſt filiorum & liberorum appellatio, *l. Lucius 85. D. de hered. inſtit. filii 84 & l. Juſta 201. D. ead. tit. de V. S.*

ad

Digitized by Google

Ad §. Divus 2. & §. Praeter 3.

§. 2. D*Ivus quoque Marcus reſcripſit, non videri ſine liberis defunctum, qui nepotem ſuum heredem reliquit.* §. 3. *Praeter haec omnia natura nos quoque docet, parentes pios*, qui liberorum procreandorum animo & voto uxores ducunt, filiorum *appellatione omnes, qui ex nobis deſcendunt, continere: nec enim dulciore nomine poſſumus nepotes noſtros, quam* filii *appellare: etenim idcirco filios filiaſve concipimus atque edimus, ut ex prole eorum, earumve diuturnitatis nobis memoriam in aevum relinquamus.*

Si quis rogatus fuerit reſtituere hereditatem ſub hac conditione, ſi abſque liberis deceſſerit; fideicommiſſi conditio deficit, ſi nepotem, vel alios ulterioris gradus reliquerit, *l. generaliter 6. verſ. Cum autem C. de inſt. & ſubſt.* vel etiam nepotes ex filia, *l. 1. C. de Condit. inſert.* §. *ultimus* proprie pertinet ad interpretationem *l. 84. D. de ſolutionibus*, ut oſtendat Calliſtratus in dotali inſtrumento liberorum appellatione nepotes debere accipi. Poſtquam igitur ille ex XII. tabulis, reſponſis prudentum, nempe Papirii, Frontonis, & reſcriptis Principum, nempe D. Marci, interpretationem ſuam firmavit, liberorum appellatione nepotes & alios deſcendentes in infinitum debere accipi, id oſtendit eſſe etiam ex jure naturali; quia filiorum ſeu liberorum mentione facta in nuptialibus tabulis, parentes non minus de liberis ulteriorum graduum (puta nepotibus, & deinceps) quam de liberis in gradus cogitent, ad diuturnitatis memoriam, ut hic loquitur Calliſtratus; vel ad immortalitatem, ut Juſtinian. *Novell.* 22 *in princip.* ad futurorum ſpem annorum, ut Quintilian. *declam.* 344 Unde Plautus eleganter liberos eſſe dixit monumenta, *in Milit. glorioſ. Act. 3. ſc. 1. v. 110.* At illa laus eſt magna in genere, & in divitiis maximis, liberos hominum educare generi monumentum & ſibi: nam veluti *monumentum eſt, quod ſervandae memoriae gratia exiſtat, l. 2. §. 6. D. de religioſ.* ita liberi ſunt monumenta, ad ſervandum parentum memoriam, vel ad diuturnitatis memoriam, ut hic Calliſtratus. Inde etiam Artemidor. *lib. 2. Oneiroc. cap. 54. & cap 66.* interpretatur ſomnium eorum, qui in ſomniis monumenta vident, fore ut liberos habeant; quia liberi ſunt monumenta.

Ad Leg. LXXXII. *D. de Condit. & dem.*

CALLISTRATUS Lib. 2. Quaeſtionum.

C*Um ſervus ita liber eſſe juſſus ſit*, ſi rationes reddiderit, eique fundum heres dare damnas ſit: *videamus, utrum conditio libertati praepoſita ſit, an vero & legato; & quidem ſi libertati ſoli accipiamus praepoſitam, nullus tractatus amplius ſupereſt: nam legatum purum invenitur; & ideo inutile ſit. Quod ſi conditio etiam legato inſita ſit, quod quidam recte putant, ſimul cum libertate dies quoque legati utiliter cedit. Quid ergo continetur his verbis*, ſi rationes reddiderit? *Quidam hoc ajunt, ſi reliqua reddiderit: quaſi nihil interſit, utrum ſub hac conditione*, ſi reliqua, *vel ſi hac*, [ſi] rationes reddiderit. *Sed nos neque conditionem meram putamus eſſe, quae in datione exiſtit, neque meram conditionem, quae in facto ſit, ſed eam conditionem, quae ex mixtura quadam conſiſtit: nam non utique, ſi ille in folle reliqua obtulerit, liber erit: non enim teſtator hoc ſenſit; ſed illud ut rationes reddat, quomodo ſervus reddere ſolet, id eſt, legendas offerre rationes primum, deinde computandas, ut explorari poſſit, imputationes probe, an improbe referantur, accepta recte relata, an non recte. Ita enim incipit quidem res a facto, pervenit autem ad pecuniam. Ineſt his verbis etiam, heredes uſtitia inſtrui rationum, ut ſciant, quid in quaque ratione ſcriptum ſit; nam quod ipſe verus facturus erat, ab heredibus ſuis fieri juſſiſſe intelligitur: ille autem utique non ſic ſolebat ſervo ſuo, oſtendens reliqua, rationes ſubſcribere; ſed ita ut legeret, examinaret, exciperet. Itaque cum ſervo ſub hac conditione teſtamento libertas datur*, ſi rationes reddiderit, *non hanc ſolam habet ſignificationem, ſi cautiones inſtrumentaque omnia actus ſui exhibuerit heredi: ſed & ſi reliqua ſolverit.*

Si ſervus pure fuiſſet manumiſſus teſtamento, qui negotia domini adminiſtraſſet, tenebatur quidem rationes reddere, non tamen quod reliquum erat ſolvere, *l. ſi pure 27. D. de fideicommiſſar. libertat.*

Sed finge: Titius ita Sticho ſervo ſuo libertatem reliquerat, Stichus liber eſto, ſi rationes reddiderit, eique heres meus fundum dare damnas eſto. Quaerebatur, an conditio iſta, *ſi rationes reddiderit*, quae erat media inter libertatem & legatum, ad libertatem tantum, vel libertatem ſimul & legatum referri deberet: an teſtator voluiſſet Stichum non aliter libertatem habere. neque aliter ei fundum legare, quam ſi rationes reddidiſſet? & quidem ſi libertati ſoli inſit conditio, ſi ad libertatem ſolam referatur, non ad legatum. putat Calliſtratus legatum fundi, quod eſt purum, & ad quod conditio non refertur, fieri inutile (Ita optime in Pandectis Florent abſque negatione legitur. in quibuſdam legitur *non inutile*, & ita legerat Accurſius) Ratio haec eſt, quia ab adita hereditate dies legati cedit: quo tempore ſervus nondum liber eſt, cum non niſi poſt aditam hereditatem rationes heredibus reddere, & ita conditionem implere poſſit, *l. quaeſitum eſt 91. §. 1. D. de legat. 1. l. Julianus 86. D. h. t.* Legatum propterea eſt inutile, quod dominus abſque libertate inutiliter ſervo proprio legatum relinquat, *l. ſervus 76. D. de heredibus inſtituendis. l. placet 34. §. ſi conjunctim 9. D. de legat. 1. l. ſi. et 20. D. de adimend. vel transfer. legat.* At Stichus, qui rationes nondum reddidit, liber non eſt eo tempore, quo dies legati cedit; & ita legatum purum fit inutile, quando libertas ſub conditione relicta eſt, maxime ſi ſervus ſub conditione liber eſſe juſſus. ante aditam hereditatem, ut in ſpecie *h. l. 82.* conditioni parere non potuit, *d. l. quaeſitum 91. D. de legat. 1.*

Calliſtratus autem magis putat conditionem, quae poſita fuit inter libertatem & legatum, ad utrumque eſſe referendum, & libertati, & legato ineſſe; ſcilicet, ut cum Stichus rationes reddiderit, & libertatem habeat, & legatum fundi ei debeatur.

Quaedam conditiones in dando tantum conſiſtunt; puta ſi Stichus decem dederit, liber eſto: quaedam in faciendo tantum; puta ſi Sticus in capitolium aſcenderit: quaedam in utroque conſiſtunt, in dando & faciendo; puta ſi Stichus rationes reddiderit: haec conditio ſimul in facto & datione conſiſtit. In facto, quia tenetur ſervus rationes diſpungendas, examinandas, & computandas heredibus offerre, adminiſtrationem actus ſui reddere, & volumina ipſarum rationum. In datione, quia tenetur ſervus id, quod reliquum fuerit ex rationibus, heredibus ſolvere, *l. 6. §. ult. D. de ſtatulib.*

Calliſtratus eleganter ait, *hanc conditionem non eſſe meram*, id eſt, non ſolum conſiſtere in dando, aut ſolum in faciendo, ſed ex mixtura quadam & facti & dationis conſiſtere. Ita imperium non merum eſſe, quod non eſt ſolum, *l. ult. D. de officio ejus cui mandata eſt juriſdict.* quod eſt mixtum, & cui juriſdictio ineſt, *l. 3. D. de juriſdict.* in his magiſtratibus (puta qui habent imperium & juriſdictionem) non in minoribus magiſtratibus, qui ſunt ſine imperio, *l. nec Magiſtratib. 32. D. de injuriis.* Cum igitur haec conditio, *ſi rationes reddiderit*, partim factum, partim dationem contineat, Stichus ſub hac conditione liber eſſe juſſus ad libertatem non perveniet, ſi reliqua offerat in folle, id eſt, in ſacco, ut Vegetius interpretatur *lib. 2. de re militari cap. 20.* vel in pera & mantica, ut *gloſſae* Philoxeni. Debet praeterea Stichus rationes ſeu volumina rationum reddere,

re, nec ſatis erit, reddidiſſe, niſi & reliqua heredibus praeſtiterit; *l. quamvis 32. l. Julius 81. l. Qui ſub 111. h. tit. l. non ſolum 8. §. is qui 7. D. de liberat. legata. l. 8. & l. ſi ita 13. haec quaeſtio 2. D. de manumiſſis teſtament. d. l. 6. §. ult. D. de ſtatuliberis. l. Boves 89. §. 2. de V. S.*

Ad Leg. XXXVII. D. de Liber. cauſa.

CALLISTRATUS Lib. 2. Quaeſtionum.

Conventio privata neque ſervum quemquam, neque libertum alicujus facere poteſt.

Certis modis liberi homines in ſervitutem rediguntur, jure gentium, ut captivitate, & jure civili; veluti cum *major. 25. annis, ad pretium participandum, vaenire ſe paſſus eſt, l. 5. §. 1. ff. de ſtatu hominum.* quod SCto Claudiano videtur inductum, ut deprehenditur ex *l.* 3 & ex inſcriptione *l. ult. D. quibus ad libertatem proclamar non licet.* quo SCto mulier libertatem amittebat, quae ſervi nuptias ſequuta fuiſſet, *§. Inſt. de ſucceſſ. ſublatis.* Ea res ſic gerebatur inter has perſonas emptorem, venditorem, & eum, qui ſe vaenire patiebatur. Dicebat venditor Titium (puta, ſibi ſervire) & vendebat emptori ignoranti; alioqui ſi ſciens emiſſet, venditus homo ad libertatem proclamare potuiſſet, *l. 7. §. ſi quis ſciens 2. D. h. t.* & *d. l. ult. D. quibus ad libertat.* Titius, qui ſe ſervum eſſe finxerat, pretium venditionis partiebatur cum venditore. Theoph. in *§. ſervi autem 4. Inſt. de jure perſonarum.* Sed ſi ita ſe ad pretium participandum vaenire paſſus eſſet, ad libertatem proclamare non poterat; vel etiam ſi ſe ad actum gerendum vaenalem praebuiſſet, *l. 6. §. irritum 5. D. de injuſt. rupto, & ir.* id eſt, ut actum ſeu adminiſtrationem cujuſdam rei privatae, vel publicae ſuſciperet, & ex eo aliquid lucri faceret, *l. 2. Cod. Theod de liberal. cauſa.* nam tales ſenatus libertate indignos putavit, qui libertatem rem inaeſtimabilem, pretio aliquo minimo vendere voluiſſent.

Sed quaeri ſolet, quid prodeſſet libero homini vendito pretium participaſſe, vel actum gerere, ut ex eo aliquid lucri faceret; cum ſervus nihil proprium habere poſſit, & quodcumque acquirat ſtatim domino acquiratur, *l. placet 79. D. de acquirend. vel omittend. hered?* dicendum eſt ſervos aliquid proprium conniventibus dominis habere potuiſſe, *l. 4. §. 1. D. de manumiſſ.*

Finge ad ſpeciem *h. l.* 37. Titus liber homo pactus erat, ut Maevio ſerviret; non propterea Titius erit ſervus Maevii, quia conventio privata ſervum facere non poteſt, niſi pretium participaverit, *l. cum pacto 40. D. h. t. l. 5. C. eod. tit. de liber. cauſa.* Ita ſola actus geſtio ſeu adminiſtratio ſervum non facit, *l. liberos 10. C. eod. & leg. 1. C. ne quis liber invitus actum gerere cogatur.* niſi convenerit, ut pretium, ſeu lucrum aliquod ex adminiſtratione actus ſui liber homo venditus participaret. Quemadmodum igitur privata conventio ſervum facere non poteſt, ita nec libertum, quia & ſervi & liberti certis modis fiunt, ut manumiſſione, *l. 6. D. de ſtatu hominum.* & ſententia, ſeu re judicata, *l. ſi juravero 14. D. de jure patronatus.*

Ad Leg. LIX. D. de Adquir. rer. domin.

CALLISTRATUS Lib. 2. Quaeſtionum.

Res [ex] mandatu meo empta, non prius mea fiet, quam ſi mihi tradiderit, qui emit.

Per liberam perſonam nobis obligatio acquiri non poteſt, *l. ſolutum 11. §. per liberam 6. D. de pignerat. action. l. poſſeſſio 49. §. ult. D. de adquirenda vel amittenda poſſeſſione. l. ſtipulatio 38. §. alteri 17. D. de V. O.* ſed tamen dominium & poſſeſſio per liberam perſonam (puta per procuratorem) nobis acquiritur: dominium, ſi dominus fuerit, qui tradidit, *l. ſi procurator 13. D. h. tit.* poſſeſſio, ſi non fuerit dominus, *l. Communis 42. §. 1. D. de adquirenda vel amittenda poſſeſſione.*

Finge ad *h. l.* 59. Titius mandavit Maevio procuratori ſuo, ut ſibi fundum emeret; Maevius fundum emit, & ſuo nomine, non Titii accepit. Calliſtratus ait, dominium fundi Titio quaeſitum non eſſe, antequam Maevius ei fundum tradiderit; quia ſcilicet Maevius procurator ſuo nomine fundum acceperat: ſi vero nomine Titii mandantis accepiſſet, fundi dominium Titio per Maevium procuratorem quaeſitum fuiſſe, *d. l. 13. D. h. tit.*

Obſtare exiſtimant *l. qui mihi 13. D. de donat.* ubi res Titio acquiritur ex donatione, licet procurator eam ſuo nomine acceperit, non Titii nomine, ſed dicendum eſt aliud conſtitui debere in ſpecie *h. l.* 59. quia Maevius procurator rem emerat, & rem ſibi traditam ſuo nomine acceperat; cum venditor nullum alium animum haberet, quam ut Maevio emptori traderet. At in *dict. l. 13. D. de donat.* donator eo animo rem ſuam tradebat, ut Titio, non procuratori acquiſitam eſſe vellet.

Ad Leg. XX. D. Quae in fraud. cred. &c.

CALLISTRATUS Lib. 2. Quaeſtionum.

Debitorem, qui ex Senatuſconſulto Trebelliano totam hereditatem reſtituit, placet non videri in fraudem creditorum alienaſſe portionem, quam retinere potuiſſet, ſed magis fideliter facere.

Heres inſtitutus, & rogatus reſtituere hereditatem eam, vel ex SCto Trebell. vel ex SCto Pegaſiano: ex Trebelliano, ſi deducta, praecepta, aut retenta quarta, hereditatem reſtituere juſſus erat: ex SCto Pegaſiano reſtituebat, quoties nihil, vel minus quarta heredi inſtituto teſtator reliquerat, Ulpian. *lib. ſing. regular. tit. 25. §. 14.* & *§. ergo 6. Inſt. de fideicom. hered.*

Finge ad *h. l.* 20. Titius Maevium multis creditoribus obaeratum heredem inſtituit, & rogavit hereditatem reſtituere, deducta vel retenta quarta, ut ita Trebelliano locus fuerit: Maevius totam hereditatem reſtituit Sempronio, non retenta quarta, quam retinere poterat. Id quidem in fraudem creditorum factum videri poterat; quia Maevius retenta quarta locupletior fuiſſet, & facilius creditoribus ſuis ſatisfacere potuiſſet; tamen ait Calliſtratus, non videri Maevium eam quartam in fraudem creditorum alienaſſe; ſcilicet, ut non poſſint creditores Pauliana, ſeu in factum actione eam alienationem revocare, *l. 14. D. h. t. §. 6. Inſt. de action.* quia Maevius non tam videtur animum fraudandi creditores habuiſſe, quam ut teſtatori pleniorem fidem exhiberet, qui ſolidam hereditatem abſque ulla deductione, ſeu retentione reſtituere voluerit, *l. 5. §. ſi quis rogatus 15. D. de donat. inter vir. l. qui totam 45. D. ad SCtum Trebell. l. patrem 19. D. h. t. l. 1. C. ad leg. Falcid.* Et quia teſtator non rogaſſet totam hereditatem reſtituere, tamen ſaepe aliquid teſtator voluiſſe intelligitur, de quo heredem non rogaverit, *d. l. 5. §. ſi quis rogatus 15. D. de donat. inter vir.*

Ad Leg. VII. D. de Incend. ruin. naufr.

CALLISTRATUS Lib. 2. Quaeſtionum.

Ne quid ex naufragiis diripiatur, vel quis extraneus interveniat colligendis eis, multifariam proſpectum eſt. Nam & Divus Hadrianus Edicto praecepit: ut hi, qui juxta littora maris poſſident, ſcirent, quando navis vel inficta, vel fracta inter fines agri cujuſque ſuerit,

Digitized by Google

vis, uſ naufragia diripiant; in ipſos judicio Praeſides his, qui res ſuas direptas querantur, reddituros: ut quicquid probaverint ademptum ſibi naufragio, id a poſſeſſoribus recipiant. De his autem quos deripuiſſe probatum ſit, Praeſidem, ut de latronibus, graviorem ſententiam dicere. Ut facilior ſit probatio hujuſmodi admiſſi, permiſit his, & quidquid paſſos ſe hujuſmodi querantur, adire Praefectos, & ad eum teſtari, reoſque petere, ut pro modo culpae vel vincti, vel ſub fidejuſſoribus ad Praeſidem remittantur. A domino quoque poſſeſſionis, in qua id admiſſum dicatur, ſatis accipi, ne cognitione deſit, praecipitur. Sed nec intervenire naufragiis colligendis aut militem, aut privatum, aut libertum ſervumve Principis, placere ſibi ait Senatus.

Ad naufragia colligenda pleroſque occurrere ſolitos, deprehenditur in *h. l. 7. ſub finem.* nam, ut eleganter Petrus Chryſologus *ſermon. 7.* ubi eſt neceſſitas, fures deeſſe non poſſunt. Sed ait Calliſtratus ideo multifariam proſpectum fuiſſe, ne quid ex naufragiis diſperiretur, vel ne quis colligendis naufragiis interveniret, expugnata forte, aut ejecta nave. 10. enim ſi qui naufragia diripuerint, criminali actione conveniri poſſunt, ut in corpus puniantur, *l. 1. §. 1. D. h. t.* & ita intelligere debemus *l. in eum 18. C. de furtis.* Tum & forenſibus, ſeu civilibus actionibus tenentur, 10. furti, & ea, quae ſpecialiter hoc Edicto proponitur, in quadruplum, Paulus *lib. 5. Sentent. tit. 3. §. 2. d. l. 1. §. 1. D. h. t.* Praeterea SCto, Claudianis temporibus facto, cautum fuit, ut ii, qui vel unum clavum navis naufragio abſtuliſſet, omnium rerum nomine teneretur. Alio SCto, ut poena quadrupli fiſco inferretur, *l. 3. §. ult. D. h. t.* denique conſtitutionibus & reſcriptis Principum, ſaepe de eadem re proſpectum fuit: veluti reſcripto Adriani, quod refert Calliſtratus in *h. l. 7.* Antonini *l. 4.* Severi & Antonini *l. ult. h. t.* Ipſis igitur dominis, non aliis, res ſuas colligere permittitur; quia domini earum eſſe non deſinunt, niſi pro derelicto habuerint, *l. Pomponius 44. & l. Quaecumque 58. D. de acquirendo rer. dom.* Caeterum obſervandum eſt actionem ex hoc Edicto competere, non modo adverſus eos, qui nave expugnata aliquid abſtraxerint, ſed etiam ſi domo vel villa expugnatis aliquid rapiatur, *d. l. 1. §. 2. D. h. t.* Quod nominatim obſervandum putavit Balſamo ad *can. 2. epiſt. can.* Gregorii Thaumaturgi: ubi Gregorius tempus, quod omnibus exitium afferebat, exiſtimare eſſe ſibi lucri tempus, ait, eſſe hominum impiorum, & Deo inviſorum, & quorum improbitati nihil poteſt adjici. Expoſita ſunt fragmenta ex lib. 2. Quaeſtion. Calliſtrati, niſi quod ex lib. 1. quaeſtion. deeſt *l. 36. D. de poenis.* cujus loco *l. 25. D. eodem tit.* poſuimus, quae eſt ex libro primo Cognition. Calliſtrati in Pand. Florent. in quibuſdam tamen Codicibus tribuitur lib. 1. Quaeſtion.

[Hoſce libros Quaeſtionum Calliſtrati, explicare orſus eſt Emundus Merillius 12. Kalend. Auguſti; perfecit vero eoſdem exponere 15. Kal. Septemb. Anno Dom. 1617.]

EMUNDI MERILLII
AD
TITULUM DIGESTORUM
DE
SERVITUTIBUS,
COMMENTARIUS

Lex I. Marcianus Lib. 3. Regularum.

Servitutes aut perſonarum ſunt, ut uſus & uſusfructus: aut rerum, ut ſervitutes ruſticorum praediorum & urbanorum.

Servitutes perſonarum ſunt, per quas res perſonis ſerviunt. Servitutes rerum ſunt, per quas res rebus, ſeu praedia praediis ſerviunt. Perſonarum ſervitutes dicuntur hominum ſervitutes, *l. quoties 15. h. t. l. ſi mihi 20. in fin. D. de ſervitutib. ruſticor. praedior.* veluti eſt uſus, aut uſusfructus, qui perſonae cohaeret, *l. 3. in fin. D. quibus modis uſusfructus aut uſus amit.* ex perſona ſtat, *l. unica. §. 2. D. quando dies uſusfr. leg. cedat* conjunctus eſt perſonae, *l. Sempron. 26. D. de uſu, uſufr. & red. leg.* Servitutes rerum ſunt jura praediorum, *l. qui fundum 12. D. quemadmod. ſervit. amitt.* qualitates, ſeu habitus praediorum, *l. via 23. §. 2. D. de ſervitutib. praedior. ruſticor.* praedia qualiter ſe habentia, *l. quid aliud 86. D. de V. S.* Servitutes rerum ſunt urbanorum & ruſticorum praediorum ſervitutes. Urbana praedia a ruſticis non loco, ſed genere uſus, ſeu materia diſtinguuntur, *l. urbana 198. D. de V. S.* quomodo & ſervi urbani a ruſticis diſtinguuntur, *l. ſervis 99. D. de legat. 3. l. urbana 166. D. de V. S.* penus & ſupplex urbana a ruſtica, *l. 4. §. quod ſi 5. D. de penu legata. l. quemadm. 12. D. de ſupellect. legat.* aedes urbanae & ruſticae, *l. caetera 41. § ſed ſi quis 5. D. de legat. 1.* Praedium urbanum ruſtico, vel contra ruſticum urbano ſervire poteſt, *l. cum fundus 12. D. commun. praedior.* Si praedium ruſticum debeat ſervitutem urbano, erit urbana ſervitus; ſi praedium urbanum debeat ſervitutem ruſtico, erit ruſtica ſervitus: etenim ſemper in ſervitutibus inſpicitur, non quod ſervit, ſed cui ſerviatur, ut ab eo, cui ſervitus debetur, ſervitus appelletur; quare ſervitutes perſonarum debentur, quibus res, vel praedia debent ſervitutem: denominatione ſervitutis facta non a rebus, quae ſerviunt, ſed a perſonis, quibus debetur ſervitus. Porro iſtae praediorum ſervitutes etiam perſonarum eſſe poſſunt: puta jus aquae hauriendae eſt magis ſervitus praedii, quam perſonae, *d. l. 20. in fin. D. de ſervit. praedior. ruſtic.* & tamen uſus aquae perſonalis eſſe poteſt, *l. uſus 21. D. de uſu & habitat.* Jus aquae ducendae a rivo, vel fonte, ut ſervitus ruſtici praedii, *l. 2. D. de ſervit. praedior. ruſtic.* & tamen quandoque jus aquae ducendae perſonae conceditur, *l. Lucius 37. D. eod. tit. l. 1. §. & datur 43. D. de aqua quotid. & aeſtiv.* Jus pecoris paſcendi, & pecoris ad aquam appellendi eſt ſervitus ruſtici praedii, *l. 4. D. de ſervit. praed. ruſtic.* ſed tamen perſonae gratia conſtitui poteſt, *l. ſi qualis 32. D. de uſufruct. & quemadm. l. Me-*

la 14. §. 3. *D. de aliment. & cibar. legat.* Iter eſt ſervitus praedii urbani, vel ruſtici, & tamen jus itineris, ſeu jus eundi perſonae recte conceditur, *l. penult. D. de ſervit. legat.* Multum vero intereſt, utrum iſtae ſervitutes rerum vel perſonarum gratia fuerint conſtitutae; nam ſi rerum gratia aut praediorum, ad heredes tranſeunt, *l. 3. D. quemadmodum ſervitus amittatur.* ſi perſonarum gratia, cum ipſis perſonis extinguuntur, nec ad heredes tranſeunt, *d. l.* uſus 21. *D. de uſu & habit. l. 3. §. ult. D. quemadmod. uſus vel uſusfr. amitt. d. l. pen D. de ſervit. praedior. ruſticor. l.* 8 §. 3. *D. de liberat. legat.* Praeterea ſervitutes rerum inutiliter relinquuntur, niſi his, qui vicinum praedium habeant, *l. 1. §. 1. D. comm. praedior.* at ſervitutes perſonarum relinqui poſſunt iis, qui vicinum praedium non habent, *d. l. Mela* 14. §. 3. *D. de alimentis & cibariis legatis.*

Lex II. Ulpianus Lib. 17. ad Edictum.

U*nus ex dominis communium aedium ſervitutem imponere non poteſt*

Titius & Maevius habebant aedes communes; Titius Sempronio vicino ſervitutem ceſſit (puta ut liceret ſemper in aedes communes tignum immittere) ait Ulpianus, Titium eam ſervitutem communibus aedibus non poſſe imponere, invito ſocio ſcilicet. Unde Ulpianus eodem lib. 17. ad Edictum interpretabatur, *quomodo invitum in ſervitutibus accipere deberemus*, *l. 5. D. de ſervit. praedior. urban* plures domini unius ejusdem rei eſſe poſſunt pro indiviſo, non diviſis partibus, *l. Pomponius* 8. *D. de rei vind. l. 5. §. ult. D. de rebus eorum qui ſub tutel.* hique in re communi partes habent magis intellectu, quam corpore, *l. Maevius* 66. §. 2. *D. de legat.* 2 *l. 5. D. de ſtipulatione ſervorum.* Cum igitur Titius & Maevius eſſent domini pro indiviſo communium aedium, ſic videtur Titius ſolus communibus aedibus potuiſſe ſervitutem imponere. Qua ratione putabat Labeo, fundo communi legato, totum fundum deberi, non partem fundi, *l. 5. D. de legat.* 1. quaſi teſtator totius fundi dominus eſſet; verum ſocius in re communi invito ſocio nihil facere poteſt, *l. Sabinus* 28. *D. communi dividundo.* non aedificare, *l. an unus* 11. *D. ſi ſervitus vind.* non parietem communem reficere, *l. 8. D. de ſervit. praedior. urb. l. ſi aedes* 12. *D. communi dividundo.* non communem locum religioſum facere illatione mortui, *l 2. §. 1. verſ. An & ſocius. D. de religioſis.* non communi ſervi libertatem imponere, *l. duobus* 30. *D. de liberali cauſa. §. ult Inſt. de donation.* Paulus *lib. 4. Sentent tit.* 12 nec plus quam partem ex re communi alienare, *l. nemo* 68. *D. pro ſocio.* Non igitur communibus aedibus, aut communi fundo ſervitutem imponere, *l. 6. §. 2. D. commun. praedior.* ſed nec volente ſocio unus ex dominis ſervitutem communibus aedibus recte imponeret; quia ſervitus pro parte conſtitui non poteſt, *l. unus* 34. *D. de ſervitutib. praedior. ruſt. d. l. 6. §. 1. D. commun. praedior* ſervitus diviſionem non recipit, *l. 4. §. 4. D. ſi ſervitus vind.* At id, quod nobis cum alio commune eſt, non niſi pro parte noſtrum eſt, *d. l. parietem* 8. *D. de ſervit. urban. praed. l. illud* 46. *D. de ritu nuptiar. l. recte* 25 *D. de V. S.* Tantum igitur unus ex dominis pro parte ſervitutem communibus aedibus, aut communi fundo imponeret.

Sed maxime obſtare videtur, quod plures domini ejusdem fundi poſſint ſervitutem communi fundo ſeparatim imponere; puta Titius poteſt cedere ſeparatim Sempronio vicino, ut per communem fundum ei agere, ire liceat, *l. per fundum* 11. *D. de ſervit. praedior. ruſtic.* Non imponitur ſervitus, ſi unus ex dominis eam ceſſerit; nec ſi Titius ceſſerit jus eundi per fundum communem, ideo impoſita erit ſervitus; ſed tum demum, cum alii quoque jus eundi ceſſerint; & noviſſima ceſſione ſervitus imponitur, *l. ult. D. commun. praedior.*

Praeterea obſtare videtur *l. in re communi* 26. *D. de ſervit. praedior. urban.* ex qua inferas, unum ex dominis non poſſe alterum prohibere, quominus in re communi aliquid faciat, & ita ſervitutem imponat. Imo jus eſt prohibendi, & potior eſt cauſa illius, qui prohibet, quam qui aliquid facere conatur in re communi, *d. l. 2. D. ſi ſerv. vind.* Attamen unus ex dominis non poteſt alterum prohibere jure ſervitutis, *d. l.* 26. *D. de ſervit praed. urban.* id eſt, agere negatoria in rem actione, quae prodita eſt ſervitutum nomine, *l. 2. D. ſi ſervitus vindic.* Ita ſocius prohibere non poteſt ſocium, ne in communem locum mortuum inferat: & ſi prohibitus fuerit, aget adverſus ſocium actione in factum, *d. l. 6. §. 6. D. communi dividundo.* quae ſcilicet competit ei, qui, cum habeat jus inferendi mortuum, ab alio inferre prohibetur, *l. 8. §. ult. D. de religioſ.* Ita ſocius ſocio in re communi novum opus nunciare non poteſt, quaſi ſocius non habeat jus aedificandi in re communi, *l. 3. §. 1. D. de novi oper. nunciat.*

Lex III. Paulus Lib. 21. ad Edictum.

S*ervitutes praediorum aliae in ſolo, aliae in ſuperficie conſiſtunt.*

Superficies ſolo cohaeret, *l. obligationum* 44. §. 1. *D. de obligation. & action.* Solum eſt *area*, *l. ſolum* 49. *D. de rei vind. l. qui rei* 98 §. *ult. D. de ſolut.* Superficies eſt aedificium, *l. cum qui* 23. *& l. nunquam* 26. *D. de uſurpation. & uſucap.* vel aliud, quod ſolo imponitur, *l. certo* 13. *D. de ſervitut. praedior. ruſt* Naturali ratione ſuperficies ad dominum ſoli pertinet, *l. qui domum* 50. *D. ad legem Aquiliam.* ſed tamen ſolum alterius & ſuperficies alterius eſſe poſſunt, *l. hoc amplius* 9. §. 4. *D. de damno infecto.* puta ſi dominus ſoli ſuperficiem ſoli ſui alii locaverit vel vendiderit, *l. 1. §. 1. D. de ſuperficiebus.* Superficiarius dicitur, qui ſuperficiem ita habet conductam vel emptam in alieno ſolo, & eſt veluti inquilinus, *l. 3. § 3. D. de nov. oper. nunciat.* ac veluti inquilinus penſionem domino ſoli praeſtat, *l. id eſt* 74. *D. de rei vind. l. inter* 39. §. 2. *D. de damno infect.* quae ſolarium dicitur: ſic enim legendum eſt in *l. 7. §. 2. D. de uſufruct. & quemadmod. l. etiam* 15. *D. qui potiores in pign. l. cum ſervus* 39. §. 5. *D. de legat.* 1. quia penſio illa pro ſolo penditur, *l. 2. §. 17. D. ne quid in loco public.* & ita rectius forte *ſolarium* quam *ſolatium* legeretur apud Gregorium M. *lib. 7. epiſt.* 23. Is autem, qui ſuperficiem habet a domino ſoli emptam, vel conductam, eam pignori dare poteſt, *l. tutor* 16 §. *ult. D. de pignor. act. l. grege* 13. §. 3. *D. de pignor. & hyp. d. l. etiam* 15. *D. qui potiores.* Poteſt etiam patrimonio ſuo, & bonis computare, *l. 10. D. famil. erciſc. l. bonorum* 49. *D. de V. S.* & ſervitutes in ea imponere, *d. l. 1. §. ult. D. de ſuperficieb.*

Quidam igitur *hanc l. 3.* ſic intelligunt, non minus ſuperficiarium in ſuperficie, quam dominum in ſolo poſſe ſervitutes imponere. Alii aliter accipiunt, ut per ſervitutes, quae in ſolo conſiſtunt, ſervitutes ruſticas, & per ſervitutes, quae in ſuperficie conſiſtunt, ſervitutes ſolum urbanas intelligere debeamus. Sed verius eſt, ſervitutes utrorumque praediorum, tam urbanas quam ruſticas, alias in ſolo, alias in ſuperficie conſiſtere, & ita Conſtantinus Harmenopulus *hanc legem* 3. accipit, *lib. 2. Epitomes tit.* 4 §. 126.

Servitutes iſtae in ſolo conſiſtunt; puta iter, jus aquae ducendae, cloacae immittendae, ſtillicidii immittendi. In ſuperficie conſiſtunt, ut ſi forte ex aedibus meis in aedes tuas tignum immiſſum habuero, aut maenianum ex aedibus meis in aedes tuas projectum, *l. ſervitutes* 20. *D. de ſervit. praedior. urban.*

Se

Si quae autem ſervitutes certo generi agrorum debeantur, veluti vineis; puta ut pedamenta ad vineam ex vicino agro ſumantur, *l. 3. §. 1. D. de ſervitutib. praedior. ruſtic.* & in antiqua inſcriptione illa apud Gruterum *pag. 215. num.* 2. EX. PRAEDIIS. CAETERIS. MEIS. PALUM. DICARE. OMNIBUS. ANNIS. SUFFICIENS. PEDATURAE. VINEAE: Servitutes iſtae magis ad ſolum, quam ad ſuperficiem pertinent; ideo ſublatis vineis debentur, *d. l. certo* 13. *D. de ſervit. praedior. ruſtic.* Urbano praedio deberi poteſt ſervitus ſoli, veluti aquae ductus, *l. ſi ege.* 11. §. 1. *D. de publiciana in rem actione.* Contra ruſticum praedium debere poteſt ſervitutem in ſuperficie; puta ſtillicidium. Atque iſtae quidem ſervitutes, in ſolo aut ſuperficie dicuntur conſiſtere, non praedii dominantis, cui ſervitus debetur, ſed praedii ſervientis, quod debet ſervitutem.

LEX IV. PAPINIANUS Lib. 7. Quaeſtionum.

Servitutes ipſo quidem jure neque ex tempore, neque ad tempus, neque ſub conditione, neque ad certam conditionem (verbi gratia, quamdiu volam) *conſtitui poſſunt: ſed tamen, ſi haec adjiciantur, pacti, vel per doli exceptionem occurretur, contra placita ſervitutem vindicanti. Idque & Sabinum reſpondiſſe Caſſius retulit, & ſibi placere.*

Obligationes ex die vel ad diem, ex conditione, vel ad conditionem contrahuntur, *l. ſiu autem* 29. *D de legat.* 1. Servitutes praediorum, neque ex die, vel ad diem, neque ſub conditione, vel ad conditionem contrahuntur, & conſtituuntur: ex die puta, ut ex Calendis Martiis ſervitus imponatur: ad diem puta, ut ad Calendas Martias ſervitus impoſita eſſe deſinat: ſub conditione puta, ut ſervitus imponatur, ſi navis ex Aſia venerit: ad conditionem puta, ut quamdiu volam impoſita ſit ſervitus, & ſi nolim impoſita eſſe deſinat.

Ratio haec videtur eſſe, quia ſervitutes ſunt qualitates praediorum & habitus, *l. 12. D. quemadmodum ſervitus amitt.* at qualitates iſtae praediis perpetuo debent inhaerere, & ubi inhaeſerint, ad diem aut conditionem tolli non poſſunt; quod quidem intelligendum eſt ſecundum jus civile: ſi tamen ſervitus ita ad diem, vel ad conditionem certam fuerit conſtituta, is, qui ita ceſſerit ſervitutem, exceptione pacti vel doli mali uti poterit.

Finge; Titius permiſit aquae hauſtum Maevio, quamdiu vellet Titius. Maevius ipſo jure, ſeu jure civili, ſervitutem illam hauſtus aquae vindicare poſſet, quae ad conditionem finiri non poteſt. At Maevio ſervitutem vindicanti praeter voluntatem Titii, Titius opponet exceptionem pacti, aut etiam doli mali exceptionem, quae cum aliis exceptionibus concurrit. Ita obligatio tempore non tollitur ipſo jure, ſed pacti exceptione tollitur, *l. obligationum 44. §. 1. D. de obligat. & action. l. cum qui 56. §. 4. D. de V. Obl.*

Ad §. Modum 1.

§. 1. *Modum adjici ſervitutibus poſſe conſtat, veluti quo genere vehiculi agatur [vel non agatur] veluti ut equo duntaxat, vel ut certum pondus vehatur, vel grex ille transducatur, aut carbo portetur.*

Conſtiterat inter autores utriusque Scholae, modum adjici poſſe ſervitutibus, cum fortaſſe diſceptarent circa diem aut conditionem. Modus non eſt conditio & differt a conditione, *l. demonſtratio 17. §. 3. & 4. & l. eas 80. D. de condition. & demonſtrat.* Licet igitur dies aut conditio non poſſit adjici ſervitutibus, modus recte adjicitur; puta ſi actum ceſſero, poſſum hunc modum ſervituti actus adjicere, ut certo vehiculi genere agatur, *l. 11. D. quemadmodum ſervitus amittitur.* puta.

Eſſedo tacente
Ne blande rota ſit moleſta ſomno.

ut eſt apud Martialem *lib. 4. epig.* 64. ſeu *Carruca dormitoria, l. uxori 13. D. de auro & argent. legat.*

Ad §. Intervalla 2.

§. 2. *Intervalla dierum & horarum, non ad temporis cauſam, ſed ad modum pertinent jure conſtitutae ſervitutis.*

Servitutum uſus per intervalla temporum dividi poteſt, *l. arbor. 19. §. ultimo. D. communi divid.* per intervalla horarum; puta, ut quis poſt horam tertiam ad horam decimam ſervitute utatur: per intervalla dierum, ut quis alternis diebus utatur, *l. 5. D. h. t.* per intervalla noctium & dierum, ut quis interdiu non noctu eat, *l. iter 14. D. communia praediorum*: ut unus habeat diurnam, alius nocturnam aquam, *l. ſi prius 17. D. de aqua & aquae pluviae arcendae*: per intervalla menſium, ut quis uno menſe utatur, *l. 7. D. quemadmodum ſervitus amittatur:* ut alius habeat quotidianam, alius aeſtivam aquam, *l. Quintus 15. D. de ſervit. praedior. ruſtic. l. 5. D. de aqua quotidian. & aeſtiv.* per intervalla annorum, *l. ultima. C. de ſervit.* Ita autem conſtituta ſervitute per intervalla horarum, dierum, menſium, annorum ſub modo potius, quam ex tempore videntur conſtitutae, neque enim finito tempore utendi finitur ſervitus: ſed una eademque eſt ſervitus, & perpetua cujus uſus diſcontinuus eſt, & temporis intervallis ſecernitur.

LEX V. GAJUS Lib. 7. ad Edictum Provinciale.

Via, iter, actus, ductus aquae iiſdem fere modis conſtituitur, quibus & uſumfructum conſtitui diximus.

§. 1. *Uſus ſervitutum temporibus ſecerni poteſt forte, ut quis* poſt horam tertiam, usque in horam decimam, *eo jure utatur; vel, ut* alternis diebus *utatur.*

Jungenda eſt *h. lex* cum *l. 6. D. de uſufr.* ex eodem lib. 7. Gaji ad edictum provinciale; ubi cum Gajus ſcripſiſſet uſumfructum quibusdam modis conſtitui (veluti legato & adjudicatione) ſubjecerat ſervitutes praediorum iiſdem fere modis conſtitui. Uſusfructus teſtamento conſtituitur; puta ſi teſtator Titio proprietatem, & Maevio uſumfructum fundi legaverit, vel ſi Titio fundum detracto uſufructu legaverit, ut uſusfructus apud heredem maneat, *l. 3. & d. l. 6. D. de uſufr. l. 4. D. ſi uſusfr. petatur. l. Antiquitas 14. C. de uſufr. & habit.* Quod ſi teſtator Titio fundum, Maevio uſumfructum ejusdem fundi legaverit, uſusfructus inter Titium & Maevium communicatur. Licet enim ea voluntas fuerit teſtatoris, ut Titius haberet ſolam fundi proprietatem, & Maevius uſumfructum ejusdem fundi, inſpicitur non quod voluerit teſtator, ſed quid ſcripſerit, & ſcriptura voluntati praevalet, *l. ſi alii 19. D. de uſufr. & redit. legat.* Sine teſtamento uſusfructus conſtituitur pactionibus & ſtipulationibus, id eſt, omnibus contractibus, qui pactionibus & ſtipulationibus contrahuntur: pactionibus, veluti emptione, *l. Quoties 20. D. h. t.* vel pactionibus ſimul & ſtipulationibus, cum pactis ſtipulatio ſubjicitur, ut ex pacto agi poſſit, & ſervitus confeſſoria in rem actione vindicari, *l. cum eſſent 33. D. de ſervit. praedior. ruſtic.* Adjudicatione conſtituitur uſusfructus, ſi judex familiae erciſcundae alii proprietatem fundi, alii uſumfructum adjudicaverit, *d. l. 6 §. 1. D. de uſufr. & quemadmod.* Hi ſunt modi conſtituendi uſumfructum, quibus & alii poſſunt adjici, iisdemque modis ſervitutes praediorum conſtituuntur. Sed ait Gajus *fere* iiſdem modis conſtitui, vel quia uſusfructus

Digitized by Google

fructus ad tempus conſtitui poteſt; puta, ut quis ad annum, vel biennium fruatur, Paulus *lib.3.Sententiar. tit. 6. de legat. l. & puto 16. §. 2. D. famil. erciſcund.* Servitutes autem praediorum ad tempus non poſſunt conſtitui, *l. 4. D.h.t.* vel quia uſusfructus cuivis perſonae conſtitui poteſt. Servitus autem praediorum inutiliter ei conſtituitur, qui vicinum praedium non habeat, *l. 5. D.Commun. praedior. §. 2.* expoſitus eſt in *l. 4. §. 2. D.h.t.*

Lex vi. Paulus Lib. 21. ad Edictum.

A*D certam partem fundi ſervitus tam remitti, quam conſtitui poteſt.*

Servitus per partes imponi non poteſt, *l. fundus 32. D. de ſervit. praedior. ruſtic.* nam ſi fundo ſervitus impoſita ſit (puta, ſervitus itineris) ita diffuſa eſt per totum fundum ſervitus, ut omnes glebae fundi ſerviant, *l.certo 13. §. 2. D.de ſervit.praedior. ruſtic.* Verum is, qui habet fundum, poteſt cum certis regionibus, & locis ſeu partibus dividere, *l. via 23 §. 3. D.de ſervitutibus praediorum ruſtic l. locus 60. D. de V. S.* atque ita ad certam partem fundi diviſam ſervitutem conſtituere, ut ea pars ſolum, non totus fundus ſervitutem debeat, *l. 6. §. 1. D. communia praedior.* Contra dominus praedii dominantis, fundo ſerviente regionibus diviſo, poteſt ad certam partem fundi ſervientis ſervitutem conſtitutam remittere, ut ea pars fundi libera ſit, nec ſervitutem debeat, aliae vero partes fundi ſervitutem debeant, *d. l. 6. §. 1. D. Communia praedior.* *Certa pars* dicitur ad differentiam partis indiviſae, *l. placet 25. D. quibus modis uſusfr.* Pars indiviſa eſt juris intellectu: pars certa eſt diviſione corporis, *l. Maevius 66. §. 2. D. de legat.* 1. denique pars certa non eſt pars proprie, ſed quid totum, *l.recte 25. in fin. D. de V. S.*

Lex vii. Ulpianus Lib. 13. ad legem Juliam & Papiam.

J*Us* cloacae *mittendae ſervitus eſt.*

Cloaca eſt locus cavus, per quem colluvies quaedam fluat, l. 1. §. 4. D.de cloacis. debet autem cloaca ex coelo vel aqua pluvia fluere, ut perpetuam cauſam habeat, *l. foramen 28. D. de ſervitutibus praedior. urban.* Neratius refert jus cloacae immittendae inter ſervitutes ruſticorum praediorum, *l. 2. D. ſervit. praed. ruſt.* puta, ſi ſervitus cloacae immittendae praedio ruſtico debeatur, & ex area in praetorium, vel domum vicini tranſeat. Gajus tamen eandem ſervitutem refert inter ſervitutes urbanorum praediorum *lib. 2. tit. 1. §. 3. Inſt. de rerum diviſione: Praediorum,* inquit, *urbanorum jura ſunt ſtillicidia, feneſtrae, cloacae.* puta, cum ex vicinis aedibus in aream vicinam cloaca immittitur. Quaedam aliae ſervitutes mixtae ſunt, & tam urbanorum quam ruſticorum eſſe poſſunt.

Lex viii. Paulus Lib. 15. ad Plautium.

UT pomum decerpere liceat, [&], ut ſpatiari [&], ut coenare in alieno poſſimus, *ſervitus imponi non poteſt.*

Servitutes praediorum ſunt, quae meliorum cauſam praediorum faciunt, *l. 6. §. 1. D. de ſervit. praed. ruſt.* vel ad utilitatem, vel etiam ad amoenitatem, *l. D. de aqua quotid. & aeſtiv.* jungenda autem eſt *d.lex 6. D. de ſervit. praedior. ruſtic.* cum *h. l. 8.* ex eodem lib. 15. Pauli ad Plautium. Cum enim ſervitutes praediorum ab uſufructu diſtinxiſſet, & ſervitutes praediorum eſſe dixiſſet, quae meliorem cauſam praediorum facerent, ſubjeceret Paulus id, quod eſt in *h. l. 8.* tales ſervitutes praediis imponi non poſſe; *ut pomum decerpere liceat, ut ſpatiari & coenare in alieno poſſimus:* quia id non ſpectat ad praedii utilitatem. Verum licet ſervitutes hujusmodi non ſint jura praediorum, poſſunt tamen eſſe jura hominum, ſeu ſervitutes perſonarum; atque ita jus geſtandi perſonae concedi poteſt, ut habeat jus geſtandi in alienis praediis, *l. Mela 14. §. 3. D. de aliment. & cibariis legat.* quae ſervitus perſonam, non praedium reſpicit: quare ſi conſtitutae fuerint hujusmodi ſervitutes, non praediis, ſed perſonis debebuntur. Non tranſibunt ad heredes, vel alios ſucceſſores, *l. ult. D. de contrahenda emptione.* ſed cum perſonis extinguentur, quarum gratia fuerint conſtitutae, *l. non ſolum 8. §. tale 3. D. de liberatione legata.*

Ad §. Si praedium 1.

§. 5. S*I praedium tuum mihi ſerviat, ſive ego partis praedii tui dominus eſſe coepero, ſive tu mei, per partes ſervitus retinetur, licet ab initi per partes adquiri non poterit.*

Si vicinum praedium mihi debeat ſervitutem, & poſtea illius vicini praedii dominium acquiſiero, ſervitus confunditur; ac licet poſtea vicinum praedium vendidero, erit imponenda ſervitus, ut debeatur, *l. ſi quis aedes 30. D. de ſervitutibus praed. urban.* Ratio illius confuſionis eſt, quod res ſua nemini ſervit, *l. in re 26. D. eod. tit.* & ita praedium, quod acquiſivi, mihi ſervire non poteſt.

Sed finge; fundus Titii debebat ſervitutem fundo Maevii: puta, ut Maevius per fundum Titii ire, ambulare poſſet. Deinde fundus Titianus inter Maevium & Titium communicatus fuit, communis factus eſt Titii & Maevii, non erit confuſa ſervitus itineris, quam fundus Titii debebat fundo Maevii, ſed Maevius pro parte retinebit eam ſervitutem.

Ab initio quidem ſervitus per partes conſtitui vel imponi non poteſt, *l. 11. D. h. t. l. 6. §. ſi tamen 3. D. communia praediorum.* Ubi vero conſtituta fuerit ſervitus per partes retineri poteſt, *l. unus 34. D. de ſervit. praed. ruſt.* nam id, quod acquiſitum eſt, facilius conſervatur & retinetur, quam ab initio acquiritur, *l. pluribus 140. D. de V. O.*

Lex. 9. Celsus Lib. 5. Digeſtorum.

S*I cui ſimplicius* via *per fundum cujuſpiam cedatur; vel relinquatur, in infinito (videlicet, per quamlibet ejus partem) ire agere licebit: civiliter modo. Nam* [a] *quaedam in ſermone tacite excipiuntur: non enim per villam ipſam, nec per medias vineas ire agere ſinendus eſt: cum id aeque commode per alteram partem facere poſſit, minore ſervientis fundi detrimento. Verum conſtitit, ut, qua primum viam direxiſſet, ea demum ire agere deberet, nec amplius mutandae ejus poteſtatem haberet: ſicuti Sabino quoque videbatur; qui argumento* rivi *utebatur, quem primo qualibet ducere licuiſſet, poſteaquam ductus eſſet, transferre non liceret: Quod & in* via *ſervandum eſſe verum eſt.*

Quia ut ſervitus ruſtica, quae ruſticis praediis debetur, quaeque iter & actum continet, *l. 1. D. de ſervit. praedior. ruſticor. l. & per 13. §. 1. D. de acceptilat.* ſed &, ex quorundam ſententia, via aliquid amplius, quam iter & actum continet, *l. 7. D. de ſervit. praed. ruſt.* Viae latitudo ex lege XII. tabul. definita eſt, ut habeat in porrectum 8. pedes, in anfractum, ſeu flexum, pedes ſexdecim, *l. 8. D. de ſervitutib. praed. ruſt.* Via actu latior eſt, propter euntium & venientium vehiculorum occurſum; ut eſt apud Servium in haec verba, *lib. 4. Aeneid. v. 405,*

Convectant calle anguſto : : : :

Ex conventione contrahentium, via vel latior vel anguſtior conſtitui poteſt, dummodo vehiculum ire poſſit, *l. 13. D. h. t. l. via 23. D. de ſervit. praed. ruſt. l. 9. §. 1. D ſi ſervitus vindicetur.* Nulla demonſtratione viae facta, latitudo viae legitima dicitur, quae lege XII. tab. eſt comprehenſa & definita, *l. certo 13. §. ult. D. de ſervit. praed. ruſticor.*

Finge ad *h. legem* 9. Titius per fundum Titianum ſervitutem viae Maeviano fundo vicino ceſſerat, ut Maevius jus eundi agendi haberet per fundum Titii, eamque ſervitutem viae ſimplicius, ſeu ſpecialiter Titius ceſſerat, id eſt, nulla denominatione facta, vel nulla parte determinata, denominatave, per quam Maevius in fundo Titii iret, ageret: quaerebatur, an Maevius per quamlibet partem fundi Titiani uti poſſet ſervitute viae, quia fundus ſerviens, ſeu qui debet ſervitutem, in omnibus partibus ſuis debet ſervitutem, *d. l. certo 13. §. 1. D. de ſervit. praed. ruſt.* veluti ſervitus, quae fundo debetur, omnibus partibus ejus quoque debetur, *d. l. via 23. §. 3. D. eod.* Ait Celſus, Maevium ea parte fundi Titiani uti poſſe ſervitute viae, ſeu ire agere, quae minimum obſit fundo ſervienti, quia malitiis hominum indulgendum non eſt, *l. in fundo 38. D. de rei vind.* puta ſi velit Maevius per villam ipſam, aut per medias vineas fundi Titiani uti viae ſervitute; tum quia ita demum ſervitute nobis uti licet, ſi fructus fundi ſervientis non laedantur, *d. l. 7. D de ſervit. praed. ruſt.* Vel igitur inter Titium & Maevium convenire non poteſt, qua parte fundi Titiani Maevius ire agere debeat, & hoc caſu Praetor arbitrum dabit, qui modum viae determinet in fundo Titiano, *d. l. certo 13. §. 1. & 2. D. de ſervit. praedior. ruſtic.* Vel ſi convenerit inter Maevium & Titium, & Maevius certa parte fundi Titiani ſervitute viae primum uti coeperit, deinceps eadem parte fundi ire agere debebit, nec mutandae ejus poteſtatem habebit. Quod Celſus, licet diverſae ſcholae, argumento Sabini probat, ducto a ſervitute aquae ductus ad ſervitutem viae.

Maxime autem *huic l.* 9. obſtat *l. ſi via 26. D. de ſervit. praed. ruſtic.* in qua ait Paulus, ſervitute viae legata, heredis eſſe electionem, non igitur legatarii, ut hic dicitur. Sed *dicta lex* 26. intelligenda eſt de legato per damnationem; haec autem *lex* 9. de legato per vindicationem: nam quia ſervitus relicta per vindicationem ipſo jure conſtituebatur, ſervitus per damnationem relicta, facto hominis, ut eſt apud Paulum, *lib. 3. Sententiarum tit. 7. de legat.* ideo ſervitute legata per vindicationem, legatarii fuit electio, qua parte fundi ſervientis iret, ageret. Servitute legata per damnationem, heredis fuit electio, qua parte legatarium ire agere vellet.

Lex x. Idem Lib. 18. Digeſtorum.

SI iter legatum ſit, qua, niſi opere facto, iri non poſſit, licere fodiendo, ſubſtruendo, iter facere, Proculus ait.

Iter eſt jus eundi ambulandi, ita ut is, cui debetur ſervitus itineris, vel pedibus vel equo ire poſſit, *l. 7. D. de ſervit. praed. ruſt.* vel ſella geſtari, aut lectica vehi. In ſellis enim & lecticis geſtabantur delectationis, vel etiam valetudinis cauſa. In ſellis ſedentes, in lecticis ſedentes aut decumbentes, ſuccollantibus ſex vel octo ſervis, *l. ſi ex toto 8. §. 2. D. de legat. 2.* Unde intelligi debet Lucius Seneca, *Epiſt. 47. Alia*, inquit, *crudelia & inhumana praetereo, quod nec tanquam hominibus, ſed tanquam jumentis abutuntur:* cum ſcilicet de ſervis lecticariis loqueretur, quibus Romani ut jumentis, ſeu mulis, ad lecticas vehendas utebantur.

Servitus autem itineris vel ruſtica eſt, ſi ruſtico praedio debeatur, *l. 1. D. de ſervit. praed. ruſtic.* vel urbana, ſi praedio urbano debeatur; puta ut per aream tuam in domum meam ire liceat, *l. ſervitutes 20. §. 1. D. de ſervit. praedior. urban.* vel ut per domum tuam in meam tranſire liceat, *l. iter 41. D. communia praedior. l. penult. D. de ſervit. legat.*

Finge ad ſpeciem *hujus legis* 10. Titius Maevio iter legaverat, certa parte fundi determinata, qua jus eundi ambulandi haberet Maevius: verum Maevius ea parte fundi Titiani determinata, non niſi opere facto, ambulare poterat. Ait Celſus, Maevium poſſe per locum illum fundi Titiani fodiendo aut ſubſtruendo iter ſibi facere: fodiendo, ſi locus determinatus ſaxoſus, aut verrucoſus fuerit: ſubſtruendo, ſi locus fuerit paluſtris & uliginoſus: denique id opus poſſe facere Maevium, ut commode per locum fundi Titiani determinatum ire ambulare valeat. Idem eſt, ſi Titius urbano praedio Maevii ſervitutem itineris legaverit.

Finge: Titius Maevio per aream ſuam iter ad domum Maevii legaverat, ſed cum area Titii altior eſſet domo Maevii, & ex ea Maevius de plano domum ſuam adire non poſſet; Maevius, vel gradus, vel clivos in area Titii, jure facere potuit, *d. l. ſervitutes 20. §. 1. D. de ſervitutib. praed. urban.* Eadem ratione poteſt fructuarius in fundo fructuario aedificium apponere, ad fructus percipiendos neceſſaria, *l. ſi cujus 13. §. ſi tamen 6. D. de uſufr. & quemadmod.*

Neque obſtat *l. uſufructuarius 61. D. eod. tit. de uſuf. & quemad.* ubi uſufructuarius non poteſt aedificium inchoatum conſummare, quamvis eo aedificio aliter uti non poſſit fructarius, quam ſi fuerit conſummatum & abſolutum. Ratio eſt, quod aedificii necdum conſummati uſusfructus non debetur: at ubi uſusfructus deberi coepit, poteſt fructuarius, vel in aedibus vel in fundo fructuario facere, quod ad uſumfructum neceſſarium eſt.

Hic autem obſervandum eſt Celſum, qui Proculejanus fuit, in *l. 9. D. h. t.* Sabinum laudaſſe, contrariae ſectae autorem: in *h. leg.* 10. Proculum, ex cujus ſchola fuit. Neque enim ita erant addicti ſententiis praeceptorum ſuorum juris Autores, ut non quandoque alios contrariae ſectae magis probarent. Ita ex diverſis ſectis conveniunt in *l. ſi idem 11. §. 2. D. de juriſdictione. l. ſi habitatio 10. §. 2. D. de uſu & habitatione. l. 1. D. rerum amotarum. l. 1. §. ſi legaturus 11. D. ad legem Falcidiam.* Idque alias paſſim in lib. D. poterit obſervari.

Lex II. Modestinus Lib. 6. Differentiarum.

PRro parte dominii ſervitutem adquiri non poſſe, vulgo traditur: Et ideo ſi quis fundum habens, viam ſtipuletur, & partem fundi ſui poſtea alienet, corrumpit ſtipulationem, in eum caſum deducendo, a quo ſtipulatio incipere non poſſit. Pro parte quoque neque legari, neque adimi via poteſt: &, ſi id factum eſt, neque ademptio valet.

Titius & Maevius habebant fundum communem pro indiviſo; Sempronius, qui habebat vicinum fundum, Titio uni ex dominis fundi communis ceſſit viam, aut aliam ſervitutem: ait Modeſtinus, Titium, pro parte dimidia dominii, quod habet in fundo communi, non poſſe ſervitutem acquirere, quia ſervitutes praeter uſumfructum diviſionem non recipiunt, *l. uſus 19. D. de uſu & habit. l. viae 17. D. h. t. l. ſtipul. 72. in princip. D. de V. O.* ſive dum ſervitus fundo imponitur, *l. 2. D. h. t.* ſive dum ſervitus fundo acquiritur, *l. 6. §. 1. D. comm. praed. l. 4. §. 3. D. ſi ſervitus vind. l. 3. D. de ſervit. legat. l. pluribus 140. D. de V. obl.*

Praeterea finge: Titius, qui fundum habebat, viam per ſuum fundum a Maevio vicino ſtipulatus eſt; deinde Titius ante impoſitam ſervitutem viae fundum ſuum alienavit. Stipulatione non imponitur

ſervitus, ut legato at ceſſione ſervitutis: tantum obligatio acquiritur, ut ſervitus imponatur. Et ſiquidem poſt ſtipulationem Titius, ſervitute nondum impoſita, totum fundum alienaret, ſtipulatio evaneſcit, *l. exiſtimo* 98. *D. de V. Obl.* quia ſtipulatio recidit in eum caſum, a quo incipere non poteſt, & perinde eſt, ac ſi Titius non ſibi, ſed alii, qui fundum non habebat, viam ſtipulatus eſſet; quo caſu inutilis eſt ſtipulatio, quia nemo alteri ſtipulari poteſt, *§. ſi quis alii.* 4. *Inſt. de inutil. ſtip. l. ſtipulatio* 38. *§. alteri* 17. *D. de V. O.* & quia ſervitus acquiri non poteſt, niſi ei, qui fundum habet; ſed emptor tempore ſtipulationis fundum non habebat, illi igitur ex ſtipulatione ſervitus per vicinum fundum acquiri non potuit.

Sed finge adhuc, Titium, qui viam ſtipulatus erat a Maevio, poſt ſtipulationem, ſervitute nondum impoſita, non totum fundum, ſed partem tantum alienaſſe: ſtipulatio quoque hoc caſu evaneſcit, *l. ſi ſub una* 136. §. 1. *D. de V. O.* Quod ita intelligerem, non modo, ſi Titius partem fundi pro indiviſo alienaverit, communicato praedio pro indiviſis partibus, ſed & ſi Titius partem certam fundi, & diviſam alienaverit; quia ſtipulatio in eum caſum recidit, a quo incipere non poteſt, ſcilicet ut ſtipulatio ſervitutis dividatur, quae dividi non poteſt, *d. l. ſtipulationes* 72. *D. de V. Oblig.*

Ad verſ. Pro parte.

Modeſtinus libro ſexto Differentiarum, ex quo *h. lex* 11. ſumpta eſt, exponebat differentias inter totum & partem, ut non ſemper eadem eſt ratio totius & partis: & jungenda eſt ex eodem lib. 6. Differentiar. *lex* 3. *D. pro derelicto.* Hic igitur exponit quomodo ſervitus (puta viae) pro parte legari, vel pro parte adimi non poſſit. Pro parte viae ita legatur:

Finge; Titius & Maevius habent fundum communem, Titius, unus ex dominis, ſervitutem communi fundo imponere non poteſt, *l. 2. D. h. t.* Pro parte via ita adimitur:

Finge; Titius Maevio per fundum ſuum Titianum ſervitutem viae teſtamento legaverat: deinde eodem teſtamento cavit Titius, ne Maevius per fundum ſuum Titianum ſervitutem viae, ſed tantum ſervitutem itineris haberet, & ita Titius legatum viae, prius Maevio relictum, pro parte ademit: inutilis eſt ademptio legati, *l. legata* 14. §. 1. *D. de adimendis vel transfer. legat.* ut & inutilis acceptilatio pro parte, *l.* 13. §. 1. *D. de acceptilatione.*

Lex XII. Javolenus lib. 4 Epiſtolarum.

Non dubito, quin fundo municipum per ſervum recte ſervitus adquiratur.

Municipes ſuae cujusque civitatis cives appellantur, *l.* 1. §. 1. *D. ad municipalem.* & municipium nihil aliud eſt, quam civitas, in *l. Incola* 29. *D. ad Municipal.* ſeu respublica, *l. ſed etſi* 31. §. 1. *D. de furtis.* Municipum agri quidam ſunt non vectigales, quos & privatim colendos dare poſſunt, *l.* 1. *in princip. D. ſi ager vectig.* quibus & ſervitutem acquiri poſſe, hic ait Javolenus, per ſervum, ſeu actorem aliamve perſonam liberam, *l. 2. D. de acquirenda vel amittenda poſſeſſione.* Nec de ea re quidem Javolenus ait ſe dubitare, cum tamen haec dubitatio fuiſſe videatur, quod Municipes ipſos ſervos non poſſiderent, *l.* 1. *in fine. D. de acquirend. vel amitt. poſſ.* & ita per eos ſervos nihil poſſent acquirere. At veluti communis ſervus iter ad communem fundum, qui eſt plurium dominorum, recte acquirit, *l. ſi unus* 19. *D. de ſervit. praed. ruſt.* ita ſervus municipum poteſt fundo municipii ſervitutem acquirere: nam civitates ſeu municipia privatorum loco habentur, *l. eum qui* 16. *D. de V. S.* Caeterum *huic legi* 12. non male jungeretur *l. quaeſtio* 115. *D. de V. S.* ex eod. lib. 4. epiſt. Javoleni.

Lex XIII. Pomponius Lib. 14 ad Quintum Mucium.

Si, tam anguſti loci demonſtratione facta, via conceſſa fuerit, ut neque vehiculum, neque jumentum ea ire poſſit, iter magis, quam via, aut actus acquiſitus videbitur: ſed ſi jumentum ea duci poterit, non etiam vehiculum, actus videbitur adquiſitus.

Si is, qui fundo ſuo ſervitutem imponit, nullam demonſtrationem loci fecerit, per quem vicinus iret ageret, Viae ſervitus legitima debetur, quae eſt pedum 8. in porrectum, & 16. pedum in anfractum ſeu circuitum; ut jam expoſuimus in *l. 9. D. h. t. in l. 8. & l. 13. D. de ſerv. praed. ruſtic.* Verum pacto & conventione via anguſtior & ſtrictior imponi poteſt, *l. via* 23. *D. eod. l. 6. D. quemadmodum ſervit. amitt.*

Finge igitur, Titium dominum fundi ſervientis, qui ſervitutem viae Titio vicino ceſſit, tam anguſti loci demonſtrationem in fundo ſerviente feciſſe, ut Maevius neque vehiculum per eum locum demonſtratum ducere, aut jumentum agere poſſet. Ait Pomponius, eam ſervitutem non eſſe viam, & Paulus in *d. l. via* 23. *D. de ſervit. praed. ruſt.* (nam via eſt qua vehiculum ire poteſt, ut Servius ad Virgil, *lib. 4. Æneid.* & Iſidorus *lib. 15. Orig. cap. ult.*) ſi tantummodo jumentum per locum demonſtratum agi poſſit, erit ſervitus actus, non viae, ſi neque jumentum agi poſſit, erit ſervitus itineris, non actus, Quare demonſtratio loci facta in fundo ſerviente aut ſervitutem viae, aut actus, aut itineris conſtituet; Viae, ſi per eum locum vehiculum duci poſſit: Actus, ſi per eum locum jumentum agi poſſit: Itineris, ſi neque vehiculum duci, neque jumentum agi poſſit.

Verum *huic legi* 13. maxime obſtat *l. pareſ* 157. *D. de V S.* ubi ait Ælius viam eſſe, ſive ſemita, ſive iter ſit. Et tamen in *h. leg.* 13. iter a via diſtinguitur. Viae quidem duplex appellatio eſt. Generali appellatione viae, iter continetur. Propria viae appellatio eſt, ut eſt ſervitus, & leg. XII. Tabul. definita: & haec ſervitus viae, a ſervitute itineris diſtinguitur. Ita Siculus Flaccus in *lib. de conditionibus agrorum* generali acceptione itinera & vias accipit. Itaque, ut diximus, viae ſaepe per alienos agros tranſeunt, qua non univerſo populo itinera praeſtari videntur. Itaque *dicta lex Paries* 157. debet intelligi ſecundum generalem viae ſignificationem. Haec vero *lex* 13. ſecundum propriam, & ſpecialem acceptionem, ut viae eſt ſervitus.

Lex XIV. Paulus Lib. 15. ad Sabinum.

Servitutes praediorum ruſticorum, etiam ſi corporibus accedunt, incorporales tamen ſunt: & ideo uſu non capiuntur: vel ideo, quia tales ſunt ſervitutes, ut non habeant certam continuamque poſſeſſionem: nemo enim tam perpetuo, tam continenter ire poteſt, ut nullo momento poſſeſſio ejus interpellari videatur. Idem & in ſervitutibus praediorum urbanorum obſervatur.

Res incorporales non poſſidentur, *l. 3. D. de acquir. vel amitt. poſſ.* nec uſucapiuntur, *l. ſervus* 43. §. 1. *D. de acquirend. rer. dom.* quia ſine poſſeſſione uſucapio non procedit, *l. denique* 19. *D. ex quibus cauſis maj. fine* 25. *D. de uſurpationibus & uſucap.* Ita hereditas, quae in jure conſiſtit, *l. hereditas* 50. *D. de pet. hered.* non poteſt uſucapi. Lucius Seneca *lib.* 6. de

Digitized by Google

6. de Benef. cap. 5. Juriſconſultorum iſtae argutae ineptiae ſunt, qui hereditatem negant uſucapi poſſe. Ita uſusfructus, qui in jure conſiſtit, non poteſt uſucapi, Paulus *lib. 1. Sententiar. tit. 17. l. juſto 44. §. non mutat 5. D. de uſurpat. & uſucap.* Nec ſervitutes praediorum poſſunt uſucapi, *l. 10. D. eod. tit. de uſucap.* non poſſidentur *l. ſi aedes 22. in fine. D. de ſervit. praed. urb.* Hic autem Paulus propriam rationem affert, in ſervitutibus ruſticorum praediorum, eas videri non poſſe uſucapi ſeu per tempus biennii acquiri, quia non habeant certam continuamque poſſeſſionem: puta, ſi quis ſervitute itineris per vicinum fundum biennio uſus fuerit, ſervitutem itineris eo tempore non uſucapit; quia itineris non eſt continua poſſeſſio, & quia itineribus, & via non ſemper utimur, *l. 1. §. 2. de itinere actuque privato.* & ſervitutes iſtae itineris, viae, ſui natura intermiſſionem habent, *l. cum uſusfructus 13. D. de uſufruct. legat.* Quemadmodum igitur ſervitutes ruſticorum praediorum non poſſunt uſucapi, idem Paulus ait, ait, in ſervitutibus praediorum urbanorum, ut non poſſint uſucapi, quia lex Scribonia uſucapionem ſervitutum urbanorum praediorum ſuſtulerat, *l. 4. §. libertatem 29. D. de uſucap.*

Valde autem obſtat *l. Servitutes 20. D. de ſervit. urban. praed.* ubi Paulus ait, *Servitutes urbanorum praediorum, quae in ſuperficie conſiſtunt, poſſeſſione retineri*, atque ita poſſeſſione uſucapi: nam ſi ſervitutes ruſticorum praediorum non uſucapiuntur, quia non poſſidentur, quia non continua eſt earum ſervitutum poſſeſſio; contraria ratione ſervitutes urbanorum praediorum uſucapientur, quia continua poſſeſſione retinentur. Sed obſervare eſt *d. l. 20. D. de ſervitut. praed. urb.* jungendam eſſe cum *h. l. 14.* ex eodem lib. 15. Pauli ad Sabinum: cum igitur in *h. l.* Paulus ſcripſiſſet ruſticorum praediorum ſervitutes non poſſe uſucapi, quia tales ſunt, ut non habeant continuam poſſeſſionem, idemque eſſe in ſervitutibus praediorum urbanorum, non quidem omnibus, ſed quae tales ſunt, ut non habeant continuam poſſeſſionem. Conſequenter Paulus ſubjecerat, quod eſt in *d. l. 20. D. de ſervit. praedior. urb.* ſervitutes, quae in poſſeſſione conſiſtunt, poſſeſſione retineri in ſuperficie, id eſt in aedificiis, & ideo cum aedificiis uſucapiuntur, *l. 10. D. de uſurp. & uſucap.* Quare non putandum eſt hic Paulum intelligi debere, ut omnes ſervitutes urbanorum praediorum non uſucapiantur, ſed eae tantum, quae continuam non habent poſſeſſionem. Et quidem, in multis aliis, ſervitutes urbanorum & ruſticorum praediorum differunt, ut non idem ſemper ſtatuendum ſit in ſervitutibus urbanorum praediorum, quod in ſervitutibus ruſticorum praediorum obtinet.

Servitutes ruſticorum praediorum erant res mancipi, non ſervitutes urbanorum. Ulpian. *lib. ſing. regul. tit. 19.* forte quia, ut villae ruſticae erant majoris pretii, quam urbanae: Varro *lib. 1. de re ruſtica cap. 13.* & tribus ruſticae honoratiores urbanis: Aſconius *in orationem pro M. Scauro.* Plinius *lib. 8. cap. 3.* Columell. *in praefat. lib. 1. de re ruſtica.* Ita ſervitutes ruſticorum praediorum erant res mancipi, quaſi pretioſiores urbanis, quae erant res nec mancipi; ſi quidem res mancipi rebus nec mancipi pretioſiores fuerunt, utque venirent auro contra, vel auro ſupra, ut eſt apud Ulpian. *lib. ſing. regul. d. tit. 19. de dominis & acquiſ. rer.* Praeterea ruſticorum praediorum ſervitutes non utendo amittuntur. Jure antiquo, ſi quis biennio ſervitute uſus non eſſet, eam non utendo amittebat, Paul. *lib. 1. Sent. tit. 18. de ſervit.* Hodie decennio inter praeſentes, & vicennio inter abſentes amittitur, *l. penult. C. de ſervit.* quae eandem habet ſubſcriptionem cum *l. unica. C. de uſu. ap. transform.* Servitutes autem urbanorum praediorum non ſolum in uſu amittuntur, ſed & uſucapione libertatis, *l. 6.* & *l. ſi. aedes 32. §. 1. D. de ſervit. urban. praed. l. ſi quis 18. D. quemadmod. ſervit. amitt. l. 4. §. 2. D. de uſurp. & uſucap.* Servitutes ruſticorum praediorum pignori dari poſſunt, non ſervitutes urbanorum, *l. 11. in fin. & l. 12. D. de pign. & hyp.* cujus differentiae ratio non ſatis aperta eſt. An quia ſervitutes ruſticorum praediorum erant res mancipi, & ita fiduciae dari poterant, ſeu fiduciario pignori obligari: nam fiducia contrahebatur per mancipationem, ut eſt apud Paulum, *lib. 2. Sentent. tit. 13.* & ſic contrahebatur fiducia, vel pignus fiduciarium, ut, non ſoluta ad diem pecunia, creditor rem fiduciae datam pleno jure haberet. Ex his apparet, in multis differre ſervitutes ruſticorum, atque urbanorum praediorum; atque ita, licet ſervitutes ruſticorum non poſſint uſucapi, poſſe tamen ſervitutes urbanorum, quae poſſeſſione quadam retinentur, *d. l. ſervitutes 20. D. de ſervit. praed. urb.* & Paulum in *h. l. 14.* intelligendum eſſe de ſervitutibus urbanorum praediorum, quae non habeant continuam poſſeſſionem.

Sed quaeritur, an ſervitutes longo tempore acquiri poſſint. Aliud eſt uſucapi; aliud longo tempore acquiri. Uſucapio eſt biennii; longum tempus eſt decennii: uſucapio locum habet in fundis Italicis; longi temporis poſſeſſio in provincialibus praediis. Et quidem hodie uſucapio transformata eſt in praeſcriptionem longi temporis, *d. l. unic. C. de uſucap. transf.* licet igitur ſervitutes uſucapi non poſſent, longo tempore tamen acquiri potuerunt, *l. ſi quis diuturno 10. D. ſi ſervitus vindicetur. l. 1. in fin. D. de aqua & aquae pluv. arcend. l. 2. C. de ſervit.* & multo magis longiſſimo tempore acquiri potuerunt, ſeu eo tempore, cujus memoria non exſtat, *l. 2. §. 8. D. de aqua & aquae pluviae arc. action. l. 3. §. 4. D. de aqua quot. & aeſtiv.*

Porro *lex ult. in fin. C. de praeſcript. long. temp.* non pertinet ad acquiſitionem ſervitutum, quaſi Juſtinianus ea conſtitutione voluerit ſervitutes decennio inter praeſentes, & vicennio inter abſentes acquiri. Sed potius voluit eo tempore inter praeſentes vel abſentes amitti; quare *dicta l. ultima* non pertinet ad acquiſitionem, ſed ad amiſſionem ſervitutum: quod obſervandum eſt.

Ad §. Servitus 1.

§. 1. *Servitus* itineris ad ſepulchrum *privati juris manet: & ideo remitti domino fundi ſervientis [poteſt:] adquiri etiam poſt religionem ſepulchri haec ſervitus poteſt.*

Sepulchrum eſt locus, *ubi corpus oſſave hominis condita ſunt*, *l. 2. §. ſepulchrum 5. D. de religioſ.* quod ſi in diverſis locis corpus ſepultum fuerit, locus tamen fit religioſus, ubi caput humanum eſt, quod eſt hominis principale, unde agnoſcimur, *l. cum in diverſis 44. D. eod.* & ita Servius hunc verſum interpretatur *lib. 2. Æneidos. v. 558.*

Avulſumque humeris caput, & ſine nomine corpus: Sine nomine, inquit Servius, *id eſt, ſine agnitione.* Paulus in *d. l. 44.* caput eſt, unde cognoſcimur. Sepulchrum autem locus eſt religioſus, qui fit illatione ſeu humatione mortui; & cum religioſus factus fuerit, dominii noſtri non eſt, *l. 4. C. de religioſ.* humani juris eſſe deſinit, neque ſervitutem ullam recipit, *l. caveri 4. D. communia praediorum.* Sed iter ad ſepulchrum privati juris manet, &, ut ceterae ſervitutes, confeſſoria in rem actione vindicari poteſt, *l. 1. D. ſi ſervitus vindicetur.* Obſervandum eſt tamen, quaedam ſingulari jure recepta eſſe in ſervitute itineris ad ſepulchrum.

1. Ut ſi quis ſepulchrum in fundo habeat, ei dominus fundi iter ad ſepulchrum precario concedere, vel juſto pretio vendere debeat, *l. ſi quis 12. D. de relig.*

2. Jus itineris ad ſepulchrum ei debetur, qui fundum non habet, ſed ſepulchrum in fundo, unde

& venditor fundi, jus itineris fundo vendito nihilominus retinet, *l. 5. D. de ſepulch. violat.* quamvis ſervitus deberi non poſſit, niſi ei, qui fundum habeat, *l. 1. D. comm. praed.*

Denique iter ad ſepulchrum non utendo non amittitur, *l. iter 4. D. quemadmod. ſerv. amitt* & haec quidem favore religionis recepta ſunt: nam ſummus eſt favor, qui pro religione facit, *l. ſunt perſonae 43. D. de religioſ.* Sed & propria ratio aſſignari poteſt, quare ſervitus itineris ad ſepulchrum, non utendo non amittatur; quia raro poteſt contingere, ut quis ſervitute itineris ad ſepulchrum uti poſſit; puta ſi nullus moriatur. Et ita ſervitutes non amittuntur, cum eis uti non poſſumus, *l. & Attilicinus 35. D. de ſervit. praed. ruſt.*

Ad §. Publico 2.

§. 2. P*Ublico loco interveniente, vel via publica*, hauſtus *ſervitus imponi poteſt*; aquaeductus *non poteſt: a Principe autem peti ſolet*, ut per viam publicam, aquam ducere, ſine incommodo publico, liceat. *Sacri, & religioſi loci interventus etiam itineris ſervitutem impedit: cum ſervitus per ea loca nulli deberi poteſt.*

Quaedam ſervitutes, publicis locis mediis intervenientibus, deberi poſſunt, *l. non ſolum 8. D. de novi oper. nunc:* puta ſervitus itineris, aquae hauſtus. Quaedam ſervitutes publico loco interveniente impediuntur; puta ſtillicidii protegendi, maeniani immittendi, *l. 1. D. de ſerv. praed. urban.* vel etiam ſervitus aquae ductus, *l. ſi prius 17. §. 2. D. de aqua & aquae pluv.* Sacer locus & religioſus, interveniens inter fundum ſervientem, & fundum, cui debetur ſervitus, impedit ſervitutem; quia his locis uti fas non eſt, *d. l. 17. §. 3. D. de aqua & aq. pluv. arc. act.* ut publicis locis uti licet.

LEX XV. POMPONIUS Lib. 33. ad Sabinum.

Q*Uoties nec hominum, nec praediorum ſervitutes ſunt, quia nihil vicinorum intereſt, non valet: veluti*, ne per fundum tuum eas, aut ibi conſiſtas: *& ideo, ſi mihi concedas*, jus tibi non eſſe fundo tuo uti frui, *nihil agitur: aliter atque ſi concedas mihi*, jus tibi non eſſe in fundo tuo aquam quaerere, *minuendae aquae meae gratia.*

Servitutes praediorum, quae praediis debentur, poſſunt deberi perſonis, & tam in perſonam, quam in rem conſtitui, *l. Gajus 12. D. de annuis legatis.* Si relinquantur ſervitutes praediorum iis, qui vicinum praedium habeant, erunt magis ſervitutes praediorum, quam hominum. Ita pecoris ad aquam appulſus, & jus hauriendi, magis eſt ſervitus praedii, quam perſonae, *l. 4. & l. ſi mihi 20. §. ult. D. de ſervitutib. praedior. ruſticor.* quod verbum, *magis*, intelligendum eſt comparative, non poſitive: namque ſervitutes iſtae dicuntur eſſe praediorum, ita tamen ut perſonarum eſſe poſſint; puta ſi teſtator perſonam certam expreſſerit, vel perſonae certae ſervitutem legaverit, donec viveret, vel ſi ſervitutem reliquerit ei, qui vicinum praedium non haberet, *l. Mela 14. §. quidam 3. D. de aliment. & cib. legat.* in qua lectionem varie conturbarunt. Alii enim legunt adjecta negatione: *ei qui vicinus non eſt, non inutiliter relinquitur*, ne pugnantia Ulpian. loqui videatur. Alii ita interpungunt: *Hauſtus aquae & pecoris ad aquam appulſus eſt ſervitus, perſonae tamen (ejus) qui vicinus non eſt, inutiliter relinquitur:* ne pugnet cum *d. l. 4. D. de ſervit. praed. ruſtic.*

Sed obſervandum eſt, in quibuſdam codicibus ita particulam iſtam optime adjectam eſſe, *nam etſi hauſtus aquae, &c.* quae verba uſque ad finem ſine interpunctione, unoque ductu, legenda ſunt. Denique ea eſt Ulpiani ſententia, aquam libertis, qui vicinum praedium non habebant, utiliter per fideicommiſſum relictam fuiſſe, quia ſervitutes perſonarum eis relinqui poſſunt, qui vicina praedia non habent; cum perſonis, non praediis relinquantur. Et eſt argumentum Ulpiani ab abſurdo, quaſi diceret; abſurdum eſt dicere hauſtum aquae, & pecoris ad aquam appulſum non poſſe relinqui, niſi iis, qui vicinum praedium habeant; nam idem eſſet de aliis ſervitutibus (puta de jure in alieno uvas premendi, vel in aliena area fruges exprimendi) atque iſtae ſervitutes relinqui poſſunt non habentibus vicina praedia. Ita igitur fideicommiſſum aquae utiliter libertis relictum eſt, quamvis vicina praedia non habeant. Quod ſi neque praediis, neque perſonis ullam utilitatem ſervitutis afferant, non valent.

Finge; Titius eam ſervitutem ceſſit Maevio, ne Titius per ſuum fundum ire poſſet, vel ne Titius ſuo fundo uteretur frueretur: non valet iſta ſervitus, quia nihil intereſt Maevii, nullaque eſt utilitas praedii Maeviani, ſi Titius per fundum ſuum non eat, aut ſi Titius fundo ſuo non fruatur. Aliud vero eſt, ſi Titius Maevio ceſſerit, ne in ſuo fundo aquam quaerat, neve aquam fundi Maeviani minuat; puta venas aquarum praecidendo, ne ex fundo ſuo in fundum Maevianum ſubterlabantur: haec enim ſervitus utilis eſt fundo Maeviano.

Quemadmodum igitur ſervitutes conſtitui non poſſunt, niſi quaedam ſit praediorum utilitas, ita pacta in venditionibus, quae nullam venditoris utilitatem continent, nullius ſunt momenti; puta, ſi venditor exceperit in contractu venditionis, ne emptor locum ſibi venditum religioſum facere, dedicare, aut alias jure humano eximere poſſit, *l. penult. D. de pactis*; quae referenda eſt ad *tit. de contrah. empt.* & jungenda cum *l. 4. D. eodem tit. de contrah. emp.* vel ſi venditor exceperit, ne in locum monumenti, quos vellet emptor, inferret, *l. quod ſi locus 11. D. de religioſ.* ubi ait Paulus, *pactum non ſufficere*, id eſt, non prodeſſe; quia nihil intereſt venditoris: & quoties venditoris non intereſt, ex vendito agi non poteſt, *l. 6. §. 1. D. de ſervis export.*

Caeterum *h. lex 15.* jungenda eſt cum *l. ſi quis unas 32. D. de uſufructu* ex eod. lib. 33. Pomponii ad Sabinum.

Ad §. Servitutium. 1.

§. 1. S*Ervitutium non ea natura eſt, ut aliquid faciat quis (veluti viridia tollat, aut amoeniorem proſpectum praeſtet, aut in hoc, ut in ſuo pingat) ſed ut aliquid patiatur, aut non faciat.*

Ut contractus ſuam naturam habere dicuntur, *l. 7. §. quin imo 5. D. de pactis. l. ſi unus 27. §. pactus 2. D. de pactis. l. naturalis 5. §. ſed ſi facio 4. D. de praeſcript. verbis. l. 1. §. 3. D. de ſtipulat. praetoriis.* ita ſervitutes praediorum ſuam habent naturam; puta, ut conſtituantur ad aliquam praediorum utilitatem vel amoenitatem, *l. 3. D. de aqua quotid. & aeſtiv.* ut diviſionem non recipiant, *l. 2. §. 1. D. de V. O.* Haec etiam non eſt natura ſervitutum, ut is, qui debet ſervitutem, aliquid faciat in praedio ſerviente; puta, ut viridia tollat, id eſt, ponat; non ut quidam interpretantur, auferat: nam ſic viridia ſeu viridaria, ut aedificia tollebantur, cum eſſet in altitudine aedificiorum. Atque ideo dubitabatur, an is, cui debebatur ſervitus altius non tollendi, vicinum impedire poſſet, ne viridaria ſuper aedificium tolleret, *l. aedificia. 12. D. de ſervit. praed. urb.* Alioquin dubium non eſt, quin is, cui debetur ſervitus proſpectus, poſſit adverſus vicinum agere, ut viridaria tollat, id eſt, auferat, ſi proſpectui ſint obſtatura, *d. l. 12.* (ſubjicit Pomponius, *aut amoeniorem proſpectum praeſtet*; quae lectio retineri debet) puta, non poteſt agere vici-

nus

Digitized by Google

nus adverſus vicinum, ut ſibi proſpectum amoeniorem faciat; puta conciſis arboribus, ut in *l. competit* 16. *D. quod vi aut clam. Aut ad hoc ut in ſuo pingat*, id eſt, picturas in parietibus faciat: namque ita ſervitus conſtitui non poteſt, ut quis in ſuo aliquid facere teneatur, niſi forte parietem oneri ferendo imparem vel caducum reficere, *l. eum* 33. *D. de ſervit. praed. urban. l. ſicut* 8. §. 2. *D. ſi ſervitus vindicetur.* At vero ſervitutum natura talis eſt, ut is, qui debet ſervitutem, aliquid patiatur; puta in ſervitutibus urbanis, ut vicinus lumina noſtra, id eſt feneſtras, excipiat, *l.* 4. *D. de ſervit. praed. urb.* ut vicinus tigna ſuſcipiat, *d. l.* 8. §. 2. *D. ſi ſervit. vindic.* In ſervitutibus ruſticis; puta ut vicinus patiatur per ſuum fundum ire, agere, aquam e puteo haurire, vel e rivo ducere. Natura etiam talis eſt ſervitutum, ut is, qui debet, aliquid non faciat; puta ut is, qui debet ſervitutem altius non tollendi, aedificium ſuum non tollat, *d. l.* 12. *D. de ſervit. praedior. urban.* vel ut quis luminibus, aut proſpectui non officiat, *d. l.* 4. *l.* 15. & *l.* 16. *D. eod. tit. de ſervit. praed. urban.*

Lex XVI. Julianus Lib. 49. Digeſtorum.

Ei, qui pignori fundum accepit, non eſt iniquum, utilem petitionem ſervitutis dari, ſicuti ipſius fundi utilis petitio dabitur. Idem ſervari convenit & in eo, ad quem vectigalis fundus pertinet.

Creditor Titianum fundum pignori acceperat: fundo Titiano vicinus fundus debebat ſervitutem. Quaerebatur, an creditor ſervitute fundo Titiano debita uti poſſet, vel ſi impediretur, utili actione in rem ſervitutem, fundo ſibi pignerato debitam, vindicare poſſet. Dubitatio haec fuit, quod creditor non ſit dominus praedii ſibi pignerati, nec eum poſſideat opinione domini, *l. quaecumque* 13. §. 1. *D. de Publiciana in rem actione. l. ſi ſervus* 22. *D. de noxalibus action.* Sed tamen ait Julianus creditori dandam eſſe utilem petitionem, ſeu vindicationem ſervitutis. Idem Julianus exiſtimabat fructuarium poſſe ſervitutes fundo fructuario debitas vindicare, *l. unic.* §. 4. *D de remiſſion.* ſiquidem creditor & fructuarius plerumque aequiparantur. Uterque jus in re habet, *l.* 19. §. 2. *D. de damno infect.* creditor in re ſibi pignerata; fructuarius in re, in qua habet uſumfructum. Uterque poſſidet: creditor poſſidet, *l. ſciend. eſt* 15. §. 1. & 2. *D. qui ſatisdare cogant. d. l.* 13. *D. de public. in rem act. l.* 3. §. *ultim. D. ad exhibendum.* fructuarius quoque poſſidet, *l. naturaliter* 12. *D. de acquirenda vel amitt. poſſ.* creditori datur actio furti, ſi res pignorata ſubtrahatur, *l. ſi pignor.* 22. *D. de pignerat. action. l. creditoris* 15. & *l. creditori* 87. *D. de furtis. l. ſi tibi* 26. *C. de pignor.* datur etiam fructuario furti actio, ſi rem in qua habet uſumfructum furto amiſerit, *l. arboribus* 12. §. *Idem Julian.* 5. *D. de uſufr. & quemad. l.* 46. § 1. *D. de furtis.* Ut pignus, ita quoque uſusfructus uſucapione non perimitur, *l. juſto* 44. §. *non mutat* 5. *D. de uſurp. & uſucap.* ſed pignus, & uſusfructus re extincta perimitur, *l. ſicut* 8. *in princip. D. quibus mod. pig. vel hyp.* creſcit pignus alluvione; puta, ſi quid fundo pignerato, per alluvionem acceſſerit, *l. ſi fundus* 16. *D. de pig. & hypoth.* ſic & uſusfructus alluvione, *l.* 9. §. 4. *D. de uſufr. & quemad.* Nec diſſentit Paulus ab Ulpiano *lib.* 3. *Sentent. tit.* 6. Ait Ulpian. in *d. l.* 9. *uſumfructum alluvionis ad fructuarium pertinere*, id eſt, fructuarium habere uſumfructum in eo, quod per alluvionem fundo fructuario acceſſerit. Ait Paulus *d. tit.* 6. §. 22. acceſſionem alluvionum ad fundum fructuarium non pertinere, quod de proprietate intelligendum eſt; non enim alluvio tota in fructu eſt, ſed uſusfructus alluvionis, & proprietas ejusdem alluvionis eſt proprietarii. Cum ergo creditor & fructuarius plerumque invicem comparentur, ideoque Julianus utrique dabat jus vindicandarum ſervitutum, *d. l. unic.* §. 4 & 5. *de remiſſ.* ubi Ulpianus verba Juliani, quae in *h. l.* 16. referuntur, eadem retulit, ſed interpolata. Ait hic Julianus, *non eſſe iniquum petitionem ſervitutis dari.* Ulpian. in *d. leg. unica.* §. *ultim. non eſſe iniquum.* Julianus ait, *detentionem ſervitutis dari.* Et quidem ſervitutis detentionem vix dicere poſſumus: detentio eſt corporalis poſſeſſio, *l. quod ſervus* 24. *D. acquiren. vel amitt. poſſ.* at detentio non eſt rerum incorporalium, cujusmodi ſunt ſervitutes, *l.* 4. §. *ſi viam* 27. *D. de uſurp. & uſucap.* An dicemus Ulpianum in *d. l. unic.* §. *ult. D. de remiſſ.* reſpexiſſe ad eas ſervitutes, quae facto quodam & veluti poſſeſſione retinentur, *l. ſervitutes* 20. *D. de ſervit. praedior. urbanorum.* Malim tamen utroque in loco, tam apud Julianum, quam apud Ulpianum, legere *petitionem ſervitutis.* Ratio eſt (quam & hic Julianus affert) quod ut creditor utili in rem actione fundum vindicare poteſt, ita ſervitutem, fundo ſibi pignerato debitam, utili confeſſoria in rem actione vindicare poſſit. Plures ſunt vindicationis ſpecies: alia eſt directa, quae domino ſoli competit, *l doce* 9. *C. de rei vind.* alia eſt Serviana, ſeu hypothecaria actio, quae creditoribus competit, *l.* 3. §. *eſt autem* 3. *D. ad exhibend. l. ſi cum vend.* 66. *D. de eviction.* alia eſt vindicatio, ſeu in rem actio, qua ſervitutes vindicantur, & tam ſervitutes perſonarum, *l.* 1. *D. ſi uſusfructus petatur, d. l* 3. §. 4. *D. ad exhibendum.* quam rerum ſervitutes, *l.* 2. §. 1. *D. ſi ſervitus vindicetur.* quae maxime obſtat cum *h. l.* 16. Namque ibi ait Ulpianus, neminem alium poſſe vindicare ſervitutem, quam dominum fundi. Non igitur creditorem vindicare poſſe, qui dominus non eſt fundi pignerati.

Obſervandum eſt, eam fuiſſe Juliani ſententiam ex Sabinianis, fructuarium & creditorem jus habere vindicandarum ſervitutum, *dict. l. unica* §. 4. & *ultim. de remiſſ.* eandemque fuiſſe Gaji ſententiam, qui fuit ejusdem ſcholae Sabinianorum, *l. creditori* 9. *D de novi oper. nunciat.* Sed diverſae ſcholae autores Proculejani, non admittebant fructuarium ſervitutes vindicare poſſe, Labeo, Nerva, Marcellus *d l.* 1. *in princip. D. ſi uſusfructus petatur.* Ita Julianus dabat nunciationem novi operis fructuario, *d. l. unica.* §. 4. *D. de remiſſion.* Ulpianus negat fructuarium vicino aedificanti novum opus nunciare poſſe, *l.* 1. §. *ultim. D. de novi oper. nunciat.* Fruſtra rationes quaeramus horumce locorum conciliandorum: ſed miremur magis oſcitantiam eorum, qui Pandectas componebant, quique pugnantes adeo locos in Pandectis reliquerunt, nempe *d. l.* 1. *D. ſi uſusfr. pet. d. l.* 2. §. 1. *D. ſi ſervitus vindicetur. d. l.* 1. §. *ultimo. D. de nov. oper. nunciat. cum. d. l. unica.* §. 4. & *ultime. D. de remiſſionibus.*

Ad verſiculum Idem.

Vectigalis fundus, ſeu Emphyteuticarius eſt, qui ſub certa penſione fruendus datur; & vectigalis ideo dicitur, quod vectigal, id eſt, penſio ejus fundi nomine pendatur. Is autem, qui vectigalem fundum accepit, habet utilem in rem actionem, quamvis dominus non ſit, *l.* 1. §. 7. *D. ſi ager vectigal. vel emphyt. pet. l. ſi cum* 66. *D. de eviction. l.* 5. §. 3. *D. arborum furtim caeſar.* Quemadmodum igitur Julianus dabat creditori vindicationem ſervitutis, quod is fundum vindicare poſſet: ita & emphyteuticario, quod is etiam fundum vectigalem vindicare poſſet, an non & ſuperficiario dabitur vindicatio ſervitutis? quia & creditori & fructuario comparatur, *l. eorum* 19. *D. de damno infecto.* & emphyteuticario, *l.* 3. §. 4. *D. de rebus eorum, qui ſub tutela ſunt.*

Lex XVII. Pomponius Lib. ſingulari Regularum.

Viae, itineris, actus, aquaeductus pars in obligationem deduci non poteſt: quia uſus eorum indiviſus eſt: & ideo, ſi ſtipulator deceſſerit, pluribus heredibus relictis, ſinguli ſolidam viam petunt; &, ſi promiſſor deceſſerit, pluribus heredibus relictis, a ſingulis heredibus ſolida petitio eſt.

Ea, quae in jure conſiſtunt, diviſionem tantum recipiunt, ut hereditas, quae in partes dividitur, *l. interdum* 13. §. 1. *D. de heredibus inſtit.* ut nomina, ſeu obligationes, quae ipſo jure inter coheredes dividuntur, *l. heredes* 25. §. 9. *D. famil. erc.* ut ſcilicet heredes ex obligationibus defuncti, non in ſolidum, ſed tantum pro partibus hereditariis conveniri poſſint, *l. in executione* 85. *D. de V. O. l. 2 in fin. D. de ſtipul. praetor. l. ea quae* 6. *C. famil. erciſc. l. 1. C. ſi certum pet.* Et ex ſervitutibus quidem perſonarum, uſusfructus diviſionem recipit, *l. uſus* 19. *D. de uſu & habit.* Et ſi plures eadem re utuntur, quiſque in ſolidum utitur, neque minus iſte utitur, quod alius eadem re utitur, *l. ſi ut certo* 5. §. *ult. commodati.* Servitutes utrorumque praediorum in uſu conſiſtunt, & ideo diviſionem non recipiunt, *l. ſtipulationes* 72. *D. de V. O.* earum uſus individuus eſt, ut hic loquitur Pomponius, quod ex duabus ſpeciebus oſtendit.

Finge: Titius ſtipulator viam per fundum Maevianum ſtipulatus eſt, ſed antequam Maevius conſtitueret ſervitutem, Titius deceſſit, pluribus relictis heredibus. Singuli heredes Titii a Maevio petent viam in ſolidum, non pro parte hereditaria, id eſt, quiſque ex heredibus Titii agere poterit, jus ſibi eſſe eundi agendi per fundum Maevii, *l. ſi unus* 19. *D. de ſervit. praed. ruſticor. d. l. heredes* 25. §. 9. *D. famil. erciſc. l. 2. §. ex his* 2. *& l. pluribus* 140. §. 2. *D. de V. O.*

Contra finge, Titium viam per fundum ſuum Maevio permiſiſſe, ſed, antequam conſtitueret ſervitutem, deceſſiſſe, pluribus relictis heredibus; Maevius a ſingulis heredibus Titii petet viae ſervitutem in ſolidum, non pro parte hereditaria, *d. l. heredes* 25. §. 9. *D. famil. erciſc. d. l. 2. §. ex his* 2. *D. de V. O.* ubi locum iſtum Pomponii Paulus retulit, *l. ea quae* 192. *N. de R. J.* Verum an non ſit deterior conditio fundi ſervientis, ſi pluribus, quam uni ſervit?

Finge: aquaehauſtus mihi ex vicino fundo debetur, plus minuetur aqua fundi ſervientis, ſi plures aquam, quam ſi unus hauriat. Tunc ſervitus menſura, aut temporibus inter coheredes dividitur, *l. arbor.* 19. *in fin. D. communi dividundo.* praeterea licet ſinguli heredes agere poſſint, tamen fit condemnatio, quatenus cujuſque intereſt, *l. 4. §. ſi fundus* 3. *D. ſi ſervitus vind.* & pro parte hereditaria tantum, *d. l. heredes* 25. §. 9. *D. famil. erciſcund.*

Lex XVIII. Paulus Lib. 31. Quaeſtionum.

Papinianus notat. In omnibus ſervitutibus, quae aditione confuſae ſunt, reſponſum eſt, doli exceptionem nociturum legatario, ſi non patiatur eas iterum imponi.

Cum Papinianum Caracalla interfici voluiſſet, forte poſt necem ipſius, Paulus, atque Ulpianus notas ad libros Papiniani ſcripſerunt, quarum meminit Conſtant. in *l. ult. C. de ſententiam paſſis & reſtitutis.* Imperatores in *l. unica C. Th. de reſponſis prudentum.* & Juſtinianus *in conſtitutione de conceptione D.* §. *ſed neque* 6. ubi Juſtinianus mandat Triboniano, ut notas Pauli atque Ulpiani ad libros Papiniani non ſtatim reſpuat, ſed quod optimum videatur adjiciat.

Ex notis Pauli relata eſt haec *lex*, 18. ad librum 31. Quaeſtion. Papiniani, ut eſt in Pandectis Florentinis, in quibuſdam aliis codicibus ad librum 30. Quaeſtionum (fortaſſe rectius; namque ita jungi poſſet *h. lex.* 18. cum *l. 12 D. ad L. Falcidiam.* Verum ex lib. 31. Quaeſt. Papiniani, nullum extat veſtigium, ad quod nota *h. legis* 18. referatur.

Finge: Titii praedium quoddam ſerviebat Maevio; Titius Maevium heredem teſtamento inſtituit: eodemque teſtamento, Sempronio praedium, quod Maevio ſerviebat, legavit; Maevius hereditatem Titii adiit, ſic quidem aditione hereditatis confuſa eſt ſervitus, quam praedium Titii debebat Maevio: nam utriuſque praedii Maevius dominus factus eſt, ita ut jam alterum alteri ſervire non poſſit. Confuſione extinguuntur ſervitutes: quod contingit, ſi idem praediorum dominantis & ſervientis dominus factus ſit, *l. ſi quis aedes* 30. *D. de ſervitutibus praed. urb. l. quidquid* 10. *D. comm. praed. l. 1. D. quemadmod. ſerv. amit. l. 2. §. penult. D. de hered. vel action. vend. l. legatarius* 38. §. 1. *D. de legat. 1 l. ſi ſervus.* 70. §. 1. *l. legatum* 116. §. *ult. D. de legat.* 1. Veluti confunditur obligatio, cum jus creditoris & debitoris in eandem perſonam devenit, *l. penult. D. de ſolut.* Puta, ſi creditor debitoris haeres fuerit, *l. ſi ei cui* 41. §. 2. *D. de evictionib. l. ſi id quod* 21. *D. de lib. legat. l. debitor* 59. *D. ad SCtum Trebell. l. debitor.* 50. *D. de fidejuſſor. l. debitori* 7. *C. de pactis.* vel ſi contra debitor creditoris heres fuerit, *l. 1. §. ſi debitor* 18. *D. ad leg. Falcidiam.*

Finge igitur, confuſa ſervitute, quam praedium Titii debebat Maevio heredi inſtituto, & qui Titii hereditatem adiverat Sempronius legatarius petiit legatum ſibi praedium a Maevio herede. Ait Paulus, Papinianum notans, id eſt reprehendens, Sempronio legatorio, petenti fundum ſeu praedium, poſſe Maevium heredem Titii exceptionem doli mali opponere, ſi Sempronius legatarius non patiatur ſervitutem, quae aditione hereditatis confuſa & ſublata eſt; cum Maevius adeundo hereditatem Titii utriuſque praedii dominus factus fuerit, atque iterum ſervitutem praedio Titii imponi, ut ſcilicet etiam nunc praedium Titii fundo Maevii ſerviat, quemadmodum & ante aditam hereditatem ſerviebat. Noo poſſumus ex veſtigiis *leg.* lib. 31. Quaeſt. Papinian. quae ſuperſunt deprehendere, quam rationem habuerit Paulus, ut notaret Papinianum; fortaſſe ſimpliciter reſponderat Papinianus, aditione hereditatis confuſam eſſe ſervitutem; verum Paulus Papinianum notans adjecerat, non eſſe ſublatam omnino ſervitutem, quam heres oppoſita doli mali exceptione retinere poterat. Ita vendita hereditate, ſervitutes, quae ante aditionem hereditatis heredi debebantur, ei reſtituuntur, *d. l. 2. §. penult. D. de heredit. vel act. vend.* & reſtituta hereditate ex SCto Trebelliano ſervitutes manent, *l. ſi heres* 73. §. 1. *D. ad SCtum Trebellianum.* Alia quidem ratio uſusfructus *l. is cujus* 26. *D. de legat.* 2. Ratio diverſitatis eſt, quod fundus legatus talis ab herede praeſtari debet, qualis legatus eſt: praeſtari igitur debet cum ſua qualitate, id eſt, ſervitute. At vero cum teſtator fundum legaverit, in quo heres habebat uſumfructum, uſusfructus conſolidatione amiſſus non reſtituitur, quia teſtator fundo legato uſum quoque legaſſe intelligitur. Fundi appellatione & proprietas & uſusfructus continetur, *l. ſi alii* 19. *D. de uſuf. & red. legat. l. qui uſum* 58. *D. de V. O.* & uſusfructus portionem ſeu partem fundi facit, *l. cum filius* 76. §. 2. *D. de legat* 2. verum ſi Maevius heres inſtitutus a Titio, aditione hereditatis factus eſt dominus praedii Titiani, quod debebat ſervitutem, ut hic dicitur, & in *d. l. ſi ſervus* 70. §. 1. *D. de legat.* 1. Obſtat maxime quod vulgo traditum eſt, dominium rei legatae recta via tranſire ad legatarium, *l. ſervo* 69. *in principio. D. de legat.* 1. *l.* 3. §. *ſi rem* 2. *D. de legat.* 3. *l. a Titio* 64. *D. de furtis.* atque

que ita tranſire, ut ne momento quidem dominium rei legatae penes heredem fuiſſe intelligatur, *l. ſed ſi 9. §. ſed & 5. D. de penult.*

Obſervandae ſunt ſemper differentiae legatorum ex jure antiquo, ex quibus & jam unam attigimus ad *l. 9. D. h. t.* Legatum igitur per vindicationem tranſibat ad legatarium, ita ut penes heredem non maneret dominium rei legatae. Legato autem fundo per damnationem, heres, adita hereditate, rei legatae dominium acquirebat: tantum habebat actionem legatarius ex teſtamento, non vindicationem. Quare *hujus leg.* 18. ſpecies conſtituenda eſt in legato per damnationem, & fingendum eſt, Titium Sempronio hoc genere legaſſe praedium ſuum, quod debebat ſervitutem praedio Maevii heredis inſtituti. Plures aliae fuerant differentiae inter haec genera legatorum: legatum per vindicationem non agnitum, licet legatarius nondum agnoviſſet, tranſmittebatur ad heredes, Paulus *lib. 3. Sententiar. tit. de legat. l. 12. §. penult. D. quando dies legati vel fideicommiſſ. cedat.* Legatum per damnationem non aliter tranſmittebatur, quam ſi legatarius agnoviſſet, & legatum ſibi relictum ad ſe pertinere voluiſſet. In legato per vindicationem jurabatur in litem, *l. cum pater 60. D. ad legem Falcidiam*; non ſi legatum per damnationem peteretur ex teſtamento, *l. alius 6. D. de in litem jurand.*

Eas omnes differentias Juſtinianus ſuſtulit, atque unam omnibus legatis naturam aſſignavit, *l. 2. C. commun. de legat.* veruntamen in jure antiquo diſferentiae illae legatorum perpetuo ſunt obſervandae.

Lex xix. Labeo Lib. 4. Poſteriorum, a Javoleno Epitomatorum.

Si fundo, quem quis vendat, ſervitutem imponi, etſi non utilis ſit, poſſe exiſtimo: veluti, ſi aquam alicui [dedere] ducere non expediret, nihilominus conſtitui ea ſervitus poſſit: quaedam enim [debere] habere poſſumus, quamvis ea nobis utilia non ſint.

Antiſtius Labeo ſcholae Proculejanorum libros Poſteriorum reliquerat, qui poſt mortem iſtius editi fuerunt, quos libros & Javolenus contrariae ſcholae ex Sabinianis, in epitomen redegerat, ut profert inſcriptio *hujus legis penult.* forte quod multa eſſent in his libris Poſteriorum, *ad enarrandum & illuſtrandam linguam Latinam conducentia*, ut ſcribit Gellius *lib. 13. cap. 10.* Tantum igitur ea collegerat Javolenus ex lib. Poſteriorum Labeonis, quae ad jus civile magis pertinebant.

Finge ad *h. leg. penult.* Titius, qui duo praedia habebat confinia, unum vendidit Maevio; & in lege ſeu facto venditionis appoſitum fuit, ut praedium Maevio venditum ſervitutem aquae ducendae praedio Titii deberet, quamvis praedium Titii alioqui hujuſmodi ſervitute aquae ducendae non indigeret. Ita quidem poſſunt conſtitui ſervitutes pacto venditionis, *l. qui 29. D. de ſervit. praed. ruſt.* vel pacto diviſionis, *l. cum eſſent 23. D. eod.* Nec modo rerum ſervitutes, ſed & perſonarum ſervitutes, *l. ſi quis unas 32. D. de uſuf. & quemadm.* ſed dubitationem faciebat, quod ea ſervitus aquae ducendae inutilis eſſet praedio Titii, & ſervitutes non valeant niſi praediorum interſit, *l. Quotiens 15. D. h. t. l. ſicut 8. §. ultimo. D. ſi ſervitus vindicetur.* Atque ita forte Labeo lib. 4. Poſteriorum ſcripſerat. Javolenus tamen adverſus ſententiam Labeonis putat, recte praedio Maevii impoſitam fuiſſe ſervitutem, quamvis inutilis eſſet praedio Titii; & rationem affert Javolenus, quod quaedam habere poſſumus, quae nobis utilia non ſint.

Vulgo pugnare credunt *d. l. 15. D. h. t.* cum *h. leg. penult.* Et quidem ſervitutes non valent, ſi nil vicinorum intereſt, quod ita intelligendum eſt, ſi eo tempore, quo conſtituitur ſervitus, nihil intereſt, aut ſi nihil olim intereſſe potuit.

Finge; eo tempore, quo Titius exceperat ſervitutem aquae ducendae praedio vendito, inutilis erat haec ſervitus, neque expediebat Titio per fundum Maevii aquam ducere. At fieri poterat, ut quandoque expediret. Intereſt Titii eam habere ſervitutem in fundo Maevii, non ratione praeſentis, ſed ratione futurae utilitatis. Vel potius dicendum eſt, expedit habere ſervitutem, etiamſi inutilis fuerit, dummodo ſerviat voluptati. Intereſt noſtra habere ſervitutem non modo ratione utilitatis, ſed etiam voluptatis, maxime ſervitutem aquae ducendae, quia non ſolum ad irrigandum agrum, ſed etiam amoenitatis cauſa aqua duci poteſt, *l. 3. in princip. D. de aqua quotid. & aeſtiv.* quam veriorem hujuſce loci interpretationem eſſe crederem.

Lex xx. Javolenus Lib. 5. ex Poſterioribus Labeonis.

Quotiens via, aut aliquod jus fundi emeretur, cavendum putat eſſe Labeo, per te non fieri, quo minus eo jure uti poſſit: *quia nulla ejuſmodi juris vacua traditio eſſet. Ego puto, uſum ejus juris pro traditione poſſeſſionis accipiendum eſſe. Ideoque & interdicta veluti poſſeſſoria conſtituta ſunt.*

Servitutes ſunt jura praediorum, *l. quid aliud 86. D. de V. S.* ſervitus eſt jus fundi, ut *hic* dicitur, & in *l. via 23. §. ult. D. de ſervit. praed. ruſt. l. ultim. D. de itinere actuque privato.* Non tamen legendum in *l. 4. in princip. D. ſi ſervitus vindicetur, Jus fundi*; ſed, ut eſt in Pandectis Florentinis, *Jus eundi*, quia ibi loquitur Ulpianus de ſervitute itineris, quae nihil aliud eſt, quam Jus eundi.

Finge ad *h. legem ultimam*: Titius vendiderat ſervitutem viae Maevio, vel aliud jus fundi, ſeu aliam ſervitutem. Labeo putabat Titium, qui vendiderat ſervitutem, cavere debere, interpoſita ſtipulatione Maevio emptori, per ſe non fieri, quominus Maevius ea ſervitute utatur, ut ſi Titius Maevium uti ſervitute prohiberet, ita Maevius ex ſtipulatu adverſus eum ageret, quanti intereſt ſe non eſſe prohibitum uſu ſervitutis. Ratio Labeonis fuit, quod licet venditor vacuam poſſeſſionem rei venditae tradere teneatur, *l. 2. §. 1. D. de act. empti. l. 4. D. de uſuris*, ſervitutes, utpote res incorporales, traditionem non recipiunt, *l. ſervus 43. §. 1. D. de acquirend. rer. dom.* Verum Labeonem Jabolenus notat alia ratione, quod uſus ſervitutum ſit pro traditione, vel quaſi traditione. Servitutes non poſſidentur; ſed quaſi poſſidentur, *l. ait Praetor 23. §. 2. D. ex quibus cauſis majores. l. ſi quis 10. D. ſi ſervitus vindicetur. l. 3. §. ult. D. de vi & vi arm.* atque ubi poſſideri dicuntur ſervitutes, id de quaſi poſſeſſione intelligendum eſt, ut in *l. 3. D. ſi uſusfruct. pet. l. 6. §. 2. D. ſi ſervitus vindicetur. l. 2. §. ult D. precario.* Servitutes quoque non traduntur, ſed eſt earum quaſi traditio, *l. ſi ego 11. §. 1. D. de publ. in rem action. l. 1. in fin. D. de ſerv. praed. ruſtic.* Ideoque ait Jabolenus interdicta veluti poſſeſſoria dari nomine ſervitutum. Interdicta poſſeſſoria rerum corporalium nomine dantur adipiſcendae, retinendae, & recuperandae poſſeſſionis *§ 2. Inſt. de interdictis.* Quaſi poſſeſſoria interdicta ſunt tantum retinendae poſſeſſionis; veluti interdictum de itinere actuque privato, *l. 2. §. Pomp. 3. D. ſi ſervitus vindicetur. l. ult. D. quemadmodum ſervitus amitt. l. 1. in prin. l. 3. §. idem Julianus 5. D. de itinere actuque privato. l. 1. §. ſi inter 26. D. de aqua quot.* Non vero datur interdictum recuperandae poſſeſſionis.

Finge; ſi quis cum ſervitute viae uteretur per alienum fundum, & dominus fundi eum dejecerit, non habet interdictum Unde vi, quod eſt recuperandae poſſeſſionis, *l. 4. §. ſi vitum 29. D. de uſurp.*

&

& uſucap. fructario quidem dejecto e poſſeſſione fundi, in quo habet uſumfructum, datur interdictum Unde vi; quia fructuarius naturaliter poſſidet, *l. naturaliter* 12. *D. de acquir. vel. amitt. poſſ.* & ita habet interdictum Unde vi, *l.* 9. §. *dejectum* 1. *D. de vi & vi armata.*

Verum *huic l. ultimae* videtur obſtare *l. penultima. D. de aqua quot.* ubi Paulus *cautionem praeſtandam eſſe* ait, *ſi de itinere vel actu agatur*, quod intelligendum eſt, cum de jure ſervitutis non conſtat; & cum quis ſe dicit eſſe in poſſeſſione ſervitutis: quae quidem ſervitutum poſſeſſio, vel quaſi poſſeſſio alia eſt, quam rerum corporalium. In rebus corporalibus is, qui poſſidet, nunquam petitoris partes ſuſtinet, §. *aeque* 2. *Inſt. de act.* ſed in ſervitutibus qui poſſidet, quandoque petitoris partes ſuſtinet, *l.* 6. §. 1. *& l.* 8. §. 3. *D. ſi ſervitus vind.*

EMUNDI MERILLII

AD

TITULUM DIGESTORUM

DE

REBUS CREDITIS, SI CERTUM PETETUR,

ET DE

CONDICTIONE,

COMMENTARIUS.

Conceptio hujus tituli varias peperit interpretationes, quas veteres, & novelli juris Gloſſographi tradidere; nullusque alius in Pandectis titulus tam multas patitur acceptiones. Veteres igitur fere omnes verba illa, *de rebus creditis*, ſic intellexerunt, ut ſit generalis titulus ad omnes contractus, de quibus poſtea agit; veluti pignus, commodatum, depoſitum: ita ſuadente Ulpian. in *l.* 1. *h. t.* His autem verbis, *ſi certum petetur & de condictione*, quidam ſimul proponi exiſtimant, condictionem certi ſpecialem, qua mutuum petitur, & condictionem certi generalem, qua certum petitur, non ſolum ex mutuo, ſed ex quocumque alio contractu, ex quo certum debetur, *l. certi* 9. *D. h. t. l. in duobus* 28. §. *exceptio* 4. *D. de jurejurando.* & ita verba hujusce tituli trajiciunt, *& de condictione, ſi certum petetur.* Alii putant his verbis, *ſi certum petetur*, proponi condictionem certi ſpecialem, illis verbis *de condictione* proponi tantum condictionem certi generalem, quaſi ſpecialis certi condictio ex mutuo, & generalis certi condictio ex aliis cauſis dignoſcantur. Alii contra omnino his verbis, *de rebus creditis, ſi certum petetur*, proponi condictionem certi generalem, illis *de condictione*, condictionem certi ſpecialem. Alii, his verbis *de condictione*, intelligunt condictionem incerti generalem, qua incertum condicitur: prout enim certum vel incertum in obligatione verſatur. Certum petitur condictione certi, incertum condictione incerti, *l. ſi binarum* 35. *D. de ſervitutibus urb. praed. l. ſed etſi* 22. §. *ult. D. de condictione indebit. l.* 3. *D. de condict. ſine cauſa. l. ſi tibi* 8. *D. de act. empt. l. ſi quis* 12. *D. de novat. & deleg.*

Inter varias illas *hujuſce tit.* acceptiones probarem magis his verbis, *de rebus creditis*, proponi titulum generalem ad varios contractus, *d. l.* 1. *h. t.* tum quia Juſtinianus hanc tertiam partem D. vocat *libros* 8. *de rebus*, in *proœmio D.* §. *in ſecundo* 3. & *in conſtitutione ad Senatum*, § *in tertia* 4. His verbis, *Si certum petetur*, putarem proponi condictionem certi, qua & certum petitur ex mutuo, *l.* 1. *D. de condict. triticar.* Et in *tit. C. ſi certum petetur* & qua certum petitur ex aliis contractibus, cum in perſonam eſt actio, *d. l.* 9. *D. h. t.* & *l.* 1. *D. de interr. in jure faciend.* veluti cum certum petitur de chirographis & de ſuffragiis, in *Cod. Theod. lib.* 2. *tit.* 24. *& tit.* 36. His autem verbis poſtremis, *& de condictione*, novam interpretationem inducerem, quaſi accipienda ſint non ſolum de condictione certi ſpeciali, aut de condictione certi generali, aut de condictione incerti, ſed de omni condictione, ſeu condictionibus in genere, de quibus poſtea ſubjiciuntur Tituli generales: nam & ſub hoc ipſo titulo agitur de condictione ob injuſtam cauſam, *l.* 4. §. *res pignori* 1. *D. h. t.* & de condictione triticaria, *l. vinum* 22. & de condictione ſine cauſa, *l. ſi & me* 32. *D. h. t.* ut commodius ſuis locis exponetur.

LEX I. ULPIANUS Lib. 26. ad Edictum.

Res eſt priuſquam ad verborum interpretationem perveniamus, pauca de ſignificatione ipſius Tituli referre. Quoniam igitur multa ad contractus varios pertinentia jura ſub hoc Titulo Praetor inſeruit, ideo rerum creditarum titulum praemiſit: omnes enim contractus, quos alienam fidem ſecuti inſtituimus, complectitur: nam, ut lib. 1. *Quaeſtionum Celſus ait*, credendi *generalis appellatio eſt. Ideo ſub hoc Titulo Praetor & de commodato, & de pignore edixit: nam cuicunque rei adſentiamur, alienam fidem ſecuti; mox recepturi quid ex hoc contractu*, credere dicimur. † Rei *quoque verbum, ut generale, Praetor elegit.*

Salvius Julianus, auctoritate D. Hadriani, Edictum perpetuum compoſuerat, *l.* 2. §. 18. *C. de veter. jure enucl.* quod erat titulis, ſeu partibus diſtinctum, *l.* 2. *D. de ſtat. hom.* Ulpianus in *h. l.* 1. ex lib. 26. ad Edictum eam partem Edicti perpetui exponebat, quae ad contractus pertineret, & a verbis *hujusce legis primae*, lib. 26. ortum fuiſſe probabile eſt, ex quo etiam *l.* 7. 9. 11. 12. *h. t.* ſumptae ſunt. Cum igitur Praetor vellet Edictum proponere de contractibus, & condictionu-

nibus, ſeu actionibus in perſonam, quae ex contractibus oriuntur, *rerum creditarum* tit. praemiſerat, quia & *credendi*, & *rei* generalis appellatio eſt; cumque ordinem ſequutus eſt hic Juſtinianus, & Paulus *lib. 2. receptar. ſentent. tit. 1. Credere* proprie eſt mutuam pecuniam dare, *l. 3. §. penult. & l. 4. D. de SCto Macedoniano. l. ſi. ventri 24. §. in bonis 2. D. de rebus aut. jud. poſſ.* & *creditum* proprie eſt *mutuum*, *l. 2. §. mutui 1. h. t. l. in navem 31. D. locati.* in qua propria credendi appellatione ludebat feſtiviter Martialis *lib. 3. epig. 15.*

Plus nemo credit, quam tota Codrus in urbe,
Cum ſit tam pauper: quomodo? caecus amat.

Inde etiam creditores proprie, qui mutuam pecuniam dederunt, *l. 5. §. is quoque 3. D. de oblig. & act.* & *l. 2. D. de V. S.* Colligi poteſt in XII. tabulis proprie creditores fuiſſe, qui aes ſeu pecuniam crediſſent, ſi quidem ex his legibus permiſſum erat creditoribus debitores ſibi addictos in nervo habere, & membratim diſcerpere, eos nempe, qui aeris confeſſi & debiti judicati eſſent, Gellius *lib. 15. cap. 13.* Verum tamen crediti appellatio ad omne negotium extenditur, ſeu ad omnem contractum, in quo alienam fidem ſequuti ſumus: namque & qui deponit rem ſuam apud alium credit, *d. l. ſi ventri 24. §. in bonis 2. D. de reb. aut. jud. poſſ.* & *l. eandem 9. D. de duob. reis.* Ita & creditores dicuntur, non tantum qui pecuniam crediderunt; ſed quibus ex quacumque cauſa, ſive actione debetur, *l. creditores 10. D. de V. S. l. ſi cum fideicommiſſum 16. §. ne quis 2. D. qui & a quibus manumiſſ. l. is aut 42. §. creditores 1. D. de oblig. & act.* Quod autem ait Ulpian. *mox recepturi quid ex hoc contractu*, cum aliquo temperamento intelligendum eſt, ut non poſſit ſtatim creditor debitum exigere, *l promiſſor 21. D. de conſtit. pecunia.* Lucius Seneca *lib. 1. cap. 2. de Benef.* nec omnis exactor ad horam & diem debitorem appellat. Menippus Philoſophus dictus fuerat ἡμεροδανειστὴς, quaſi uno die tantum crederet, & ſtatim debitum reddi vellet. Diogenes Laërtius *in Menippo.* Sed ut *credendi*, ita *rei* quoque generalis appellatio eſt, quae & bona omnia comprehendit, *l. ſi legatus 30. §. 1. D. ad SCtum Trebell. l. meorum 91. D. de V. S.* atque etiam actiones, & delicta, *l. 4. D. de oblig. & act.*

Lex II. Paulus Lib. 28. ad Edictum.

M*Utuum damus recepturi non eandem ſpeciem, quam dedimus (alioquin commodatum erit, aut depoſitum) ſed idem genus: nam ſi aliud genus, veluti, ut pro tritico vinum recipiamus, non erit mutuum.*

Praemiſſo tit. *rerum creditarum*, prius agitur de mutuo; quia in eo contractu magis creditur, & fides habetur, quam in caeteris contractibus. Etenim, in mutuo, res ita datur, ut accipientis fiat, & alia res ejuſdem generis, & qualitatis reddatur, *l. 1. §. 2. D. de oblig. & action.* ſeu ejuſdem materiae, *l. oleo 23. C. de uſuris.* ſi autem convenerit, ut eadem res reddatur, non eſt mutuum, ſed commodatum vel depoſitum. Vicini ſunt iſti contractus, mutuum, & commodatum. Commodare & mutuari promiſcue uſurpantur. Commodare eſt mutuum dare, *l. 1. C. Th. quod juſſu.* Mutuari contra eſt commodare, *l. quaeſitum 12. §. ſi quis eod. 14. D. de inſtruct. & inſtrum. leg.* differunt tamen in eo, quod rei mutuo datae dominium in accipientem transferatur, *l. 2. §. 2. h. t. l. 1. D. de liberat. legat. l. Quintus 27. §. argento 2. D. de auro argento legato.* in commodato neque dominium neque poſſeſſio transfertur, *l. 9. & l. 10. D. commodat. l. 1. in fin. D. de precario.* ſi convenerit ut res alius generis reddatur (puta vinum pro tritico) non erit mutuum, ſed permutatio: *l. penult. C. de rerum permut.* ſeu contractus innominatus, do ut des, *l. naturalis 5. §. 1. D. de praeſcript. verbis.* quod ſi is, qui rem dederit mutuam, non habeat animum recipiendi, non erit mutuum, ſed donatio. Salvianus *lib. 2. de gubernat. Dei. Fruſtra foenerat, qui de receptione deſperat.*

Ad §. 1.

§. 1. M*Utui datio conſiſtit in his rebus, quae pondere, numero, menſura conſiſtant. quoniam eorum datione poſſumus in creditum ire, quia in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem, quam ſpecie. Nam in caeteris rebus ideo in creditum ire non poſſumus, quia aliud pro alio invito creditori ſolvi non poteſt.*

Mutuum contrahitur in his rebus, quae pondere, numero, menſura conſtant. Et ita Hirtius Caeſari dabat duo millia muraenarum mutua in pondus, apud Varronem *lib 3. de Re ruſtica cap. ult.* ſed & alii contractus poſſunt etiam in iiſdem rebus contrahi, ut commodatum; puta ſi pecunia commodata ſit, & convenerit, ut idem corpus reddatur, *l. 3. & 4. D. commodat.* Mutuum vero in his rebus ſolum contrahitur, quae functionem in ſuo genere non recipiunt; puta ubi vinum datum eſt mutuo, ejuſdem generis vinum redditur. In aliis rebus, quae pondere, numero, menſura non conſtant, mutuum non poteſt contrahi; quia aliud pro alio, invito creditore, ſolvi non poteſt; puta ſi vinum datum ſit mutuum, triticum ſolvi non poteſt. Volente tamen creditore, aliud pro alio recte ſolvitur, *l. 1. §. an poteſt 5. D. de conſtit. pecun. l. ſi ei 25. D. de jure dot.* nihilominus mutuum fuiſſe intelligitur, licet res ejuſdem generis non reddatur; quia contractus ex obligatione, non ex ſolutione conſiſtere intelliguntur, *l. pretii 9. C. de reſcind. vendit.*

Ad §. 2.

§. 2. A*Ppellata eſt autem* mutui datio *ab eo, quod de meo tuum ſit: & ideo, ſi non fiat tuum, non naſcitur obligatio.*

Jureconſulti circa verborum originationem ſaepe ludunt; exemplo Stoicorum, qui ſtudioſe exquirebant, unde ducta eſſent vocabula. Gellius de Labeone, *lib. 13. cap. 10. Latinarumque vocum origines rationesque percalluerat, eaque praecipue ſcientia ad enodandos pleresque juris laqueos utebatur*: ſed plerumque illi ſcitam fictamque verbi magis, quam veram notitiam proferunt; veluti cum mutuum dicitur, quaſi de meo tuum, *h. §. 2.* teſtamentum mentis teſtatio, *Inſt. de teſtam. in princip.* oppidum ab ope, *l. pupillis 239. §. 7. D. de V. S.* veluti, cum Q. Mucius JCtus apud Varronem (*lib. 6. de Lingua Latina*) nexum inde dictum eſſe ait, quod neque ſuum ſit.

Ad §. 3.

§. 3. C*Reditum ergo* a mutuo *differt, qua genus a ſpecie: nam creditum conſiſtit extra eas res, quae pondere, numero, menſura continentur: ſicut, ſi eandem rem recepturi ſumus, creditum eſt. † Item mutuum non poteſt eſſe, niſi proficiſcatur pecunia; creditum autem interdum, etiamſi nihil proficiſcatur; veluti, ſi poſt nuptias dos promittatur.*

Paulus, ad *finem hujusce legis*, differentias inter mutuum & creditum exequitur. Omne quidem mutuum eſt creditum; ſed non contra, omne creditum mutuum eſt. Haec autem verba ſolum interpretatione indigent; *veluti, ſi poſt nuptias dos promittatur.* Finge; contractis nuptiis dotem promiſſam fuiſſe, ut fieri poteſt, *l. 1. l. ſi pater 22. §. 1. D. de pactis dotal.* non modo ut integra dos promittatur, ſed etiam poſt factas nuptias augeatur, *l. ult. C. de donat. aut. nupt.* eo caſu creditum fit, & ſi poſt factas nuptias factas nihil ſequatur. In his autem verbis Cujacius recte manum Triboniani deprehendebat, *lib.*

23, *Obſervat. cap.* 18. ſcripſerat Ulpian. *ſi poſt nuptias dos dicatur*, non *promittatur* [*quam loquendi formulam Cicero ſequutus eſt, *in oratione pro Flacco cap.* 34. *doti*, inquit, *Valeria pecuniam omnem dixerat:* nihil iſtorum explicari poteſt, tuſi oſtenderis illam in tutela Flacci non fuiſſe, ſi ſit, quaecumque ſine hoc auctore eſt dicta dos, nulla eſt] alioqui ſi verba *hujus* §. 3. accipiantur de promiſſione dotis, quae fieret per ſtipulationem ſupervacuum eſſet, quod Paulus in §. *ult. hujusce legi* ſubjicit verbis *credi interpoſita ſtipulatione*, quum id jam in *hoc* §. 3. praemiſiſſet.

* Additio.

Ad §. 4.

§. 4. *IN mutui datione oportet dominum eſſe dantem: nec obeſt, quod filiusfamilias & ſervus, dantes peculiares nummos, obligant: id enim tale eſt, quale ſi voluntate mea tu des pecuniam: nam mihi actio adquiritur, licet mei nummi non fuerint.*

Creditum poteſt contrahi ex alienis rebus; nam & res aliena vendi poteſt, *l. rem alienam* 28. *D. de contrahenda empt.* & pignori dari, *l. tutor* 16. §. 1. *D. de pignerat. act. l. ſi fundus* 16 §. 1. *D. de pignor. & hypoth.* Mutuum in re aliena contrahi non poteſt, unde ſi Titius alienos nummos mutuos dederit Maevio, Maevius ex mutuo Titio non obligabitur; quia non potuit Titius dominium nummorum, quod non habebat, in Maevium transferre, *l. traditio* 20. *D. de acquirendo rer. dominio.* Debet creditor propriam pecuniam numerare, ut debitorem ſibi habeat obligatum, *l. non unde* 7. *C. ſi certum petetur* Verum ita videretur, nec ſervum, nec filiumfamilias ex nummis peculiaribus poſſe debitores obligare; quia nec filiifamilias, nec ſervi ſunt domini nummorum, quos habent in peculio, *l. ſtipulatio* 38. §. 7. *D. de V. obl.* Sed quemadmodum, ſi Titius pecuniam Maevii voluntate ipſius daret mutuam, Titius debitorem Maevio obligaret, ita filiifamilias & ſervi voluntate parentum, & dominorum, qui liberam peculii adminiſtrationem conceſſerunt, *l. ſi convenerit* 18. & *l. ſeq. D. de pignerat. act. l. rogaſti* 11. §. *ult. h. t.* mutuos dare nummos intelliguntur, patrique vel domino obligatio acquiritur, *l. nec ſervus* 41. *D. de peculio. l. placet* 79. *D. de acquir. vel amitt. her.*

Ad §. *ultimum.*

§. 5. *VErbis quoque credimus, quodam actu ad obligationem comparandam interpoſito: veluti ſtipulatione.*

Qui ſtipulatur, promiſſoris fidem ſequitur, & ita credere, ſeu fidem habere intelligitur. *Stipulatio eſt verborum conceptio, ad quam quis congrue interrogatus reſpondet.* Paulus *lib.* 2. *Sentent. tit.* 3. ut verbis, ita litteris olim credebatur, cum fierent litterarum obligationes, ſeu nominum, §. 1. *Inſt. de litterar. obligat.* Sed quia ſublatae erant illae nominum obligationes, id conſulto hic omiſſum eſt.

Lex III. Pomponius Lib. 27. ad Sabinum.

CUm quid mutuum dederimus, etſi non cavimus, ut aeque bonum nobis redderetur, *non licet debitori deteriorem rem, quae ex eodem genere ſit, reddere; veluti vinum novum pro vetere. Nam* in contrahendo quod agitur, pro cauto habendum eſt: *id autem agi intelligitur, ut ejuſdem generis, & eadem bonitate ſolvatur, qua datum ſit.*

Contractus habent ſuam naturam, *l.* 7. §. *quinimo* 5. *D. de pactis.* ita dos ſuam naturam habere dicitur, *l. ſi unus* 27. §. *pactus* 2. *D. de pactis.* depoſitum, *l. Lucius Titius* 24. *D. depoſit.* mandatum, *l. naturalis* 5. §. *ſed ſi facio* 4. *D. de praeſcript. verbis.* habent propria quaedam, *l.* 5. *D. de actionib. empti.* quae dicuntur caetera venditionis, *l. ſi duo* 13. §. *ſi quis juraverit* 3. *D. de jurejurando.* Quae igitur propria ſunt contractuum, ſeu de natura eorum, ea veniunt in contractibus, licet expreſſa non fuerint inter contrahentes: puta, quia evictio eſt de natura venditionis, venditor de evictione tenetur; licet inter venditorem, & emptorem non convenerit, ut teneretur, *l.* 6. *C. de eviction.* Contractus mutui habent ſuam naturam, ſcilicet, ut, re mutuo data, alia ejuſdem bonitatis reddatur; licet creditor in mutui datione non caverit, ut res aeque bona ſibi redderetur. Quod ſi debitor rem non ejuſdem bonitatis reddat, manebit obligatus, nec liberabitur, *veluti*, inquit Pomponius, *ſi reddatur novum vinum pro vetere.* Vinum vetus eſt prioris anni, *l.* 11. *D. de trit. vino vel oleo legat.* quod ſemper majoris eſt pretii, unde a Novembri menſe vinum novum militibus erogari volunt Imperatores; cum diſpendioſa eſſet veteris vini erogatio, *l.* 10. *de erogation. milit. annonae. lib* 12. *C.* Ita non licet rem commodatam aut depoſitam deteriorem reddere, *l.* 3. §. *ſi reddita* 1. *l.* 18. §. 2. *D. commodati. l.* 1. §. *ſi res* 16. *D. depoſiti.* Meliorem licet ſolvere non deteriorem, *l. Paulus reſpondit* 101. *D. de ſolution.* Pomponius ſubjicit (*in contrahendo quod agitur, pro cauto habendum eſt*) quod agitur, id eſt, de quo cogitatur inter contrahentes, de quo ſenſerint in contrahendo, *l. qui cum.* 9. §. *ult. D. de transact. l. cum quis* 41. *D. de V. O. l. ſemper in ſtipulationibus* 34. *D. de R. J.* quod agitur ex natura contractus apparet, & tacite actum intelligitur; nec enim tantum verbis, ſed etiam ſilentio quaedam conventiones fiunt, *l. ea lege* 51. *in principio. D. locati.*

Obſtare videtur huic Pomponii reſponſo, quod quamvis verum ſit in contractu bonae fidei quaedam venire, quae expreſſa non fuerint inter contrahentes, §. *in bonae fidei* 30. *Inſt. de action.* ſecus tamen obſervari debeat in contractibus ſtricti juris, ut eſt mutuum, ut eſt ſtipulatio, in qua id ſolum venit quod expreſſum: non expreſſum pro omiſſo habetur, *l.* 7. §. 3. *D. de dolo. l. quidquid* 99. *D. de V. O.* Verum mutuum habet ſuam propriam naturam, & quod eſt ex natura mutui, ſemper cautum, aut expreſſum habetur. Stipulatio omni negotio interponitur, *l.* 5. *verſ. Conventionalis. D. de V. O.* ſed non habet propriam aliquam naturam, niſi eam, quae ex verborum conceptione conſtat. Quare, ſi quid verbis ſtipulationis comprehenſum non fuerit, pro omiſſo habetur, adeo ut vix pactum ſtipulationi ſubditum ipſi ineſſe videatur, *l. lecta* 40. *D. h. t.* quia ſtipulationis verbis non continetur. Mutuum quidem eſt contractus ſtricti juris, ſed tamen in eo maxime fides ſervanda eſt. Sextus Caecilius JCtus apud Gellium *lib.* 20. *cap.* 1. *Hanc autem fidem majores noſtri, non modo in officiorum vicibus, ſed in negotiorum quoque contractibus ſanxere, maximeque in pecuniae mutuaticae uſu atque commercio.*

Lex IV. Ulpianus Lib. 34. ad Sabinum.

SI quis nec cauſam, nec propoſitum foenerandi habuerit, & tu empturus praedia, deſideraveris mutuam pecuniam, nec volueris creditae nomine, antequam emiſſes, ſuſcipere, atque ita creditor, quia neceſſitatem forte proficiſcendi habebat, depoſuerit apud te hanc eandem pecuniam, ut, ſi emiſſes, crediti nomine obligatus eſſes: *hoc depoſitum periculo eſt ejus, qui ſuſcepit. Nam & qui rem vendendam acceperit*, ut pretio uteretur, *periculo ſuo rem habebit.*

Titius, cum praedia emere vellet, rogaverat Maevium, ut ſibi pecuniam in praediorum emptionem crederet, nec tamen prius eam crediti nomine haberet, quam ſi praedia emeret. Maevius, qui neceſſitatem proficiſcendi forte habebat, eam pecuniam apud Titium depoſuit, ut ſi Titius praedia emeret, pe-

Google

pecunia credita fieret, ſi non emeret, eandem pecuniam Titius Maevio redderet. Dum Titius de praediis emendis cogitaret, depoſita apud eum pecunia, caſu fortuito perit. Quaerebatur, cujus eſſet periculum. Ait Ulpianus periculum eſſe Titii. Certum eſt quidem rem ſuo domino perire, *l. pignus 9. C. de pigner. act.* atque ita pecuniam Maevii, quae nondum erat mutua, ſed depoſita, ipſi perire debuiſſe; nam rei depoſitae & dominium, & poſſeſſionem retinemus, *l. officium 9. D. de rei vind. l. licet 17. §. 1. D. depoſiti.* Sed quia depoſita fuerat pecunia gratia Titii, ut ex ea praedia emeret; ideo periculum eſt ipſius; non erat depoſita Maevii gratia, quia nec propoſitum, nec cauſam foenerandi habuerat. Et depoſitum quidem fuit, non mutuum, quia in omni contractu initium debet inſpici, & cauſa contractus, *l. ſi procurator 8. in princip. D. de mandato. l. ſi id quod 58. §. 2. D. pro ſocio.*

Foenerare autem hic accipere debemus, mutuam dare pecuniam abſque uſuris, ut alibi ſaepe. D. Auguſtinus in *lib. de Deuteronom.* ad illum locum, *egeno & pauperi foenus foenerabitis.* Cum opera miſericordiae praecipiat, non utique uſurarum crudelitas ſuſcipienda eſt. Unde apparet, quod ait foenus foenerabitis, ei mutuo dandum quod poſtularet, intelligi voluiſſe.

Ad §. Res pignori 1.

§. 1. R*Es pignori data, pecunia ſoluta condici poteſt, & fructus ex injuſta cauſa percepti condicendi ſunt. Nam & ſi colonus poſt luſtrum completum, fructus perceperit, condici eos conſtat: ita demum, ſi non ex voluntate domini percepti ſunt: nam, ſi ex voluntate, proculdubio ceſſat condictio.*

Debitor cum mutuam acciperet pecuniam, fundum creditori pigneravit, ſi debitor pecuniam creditori ſolverit, poterit fundum pigneratum condicere; ſcilicet condictione ob injuſtam cauſam, non condictione certi ex mutuo: praeterquam ſuadent ſatis verba illa, *fructus ex injuſta cauſa percepti condicendi erunt*, magis ratio evincit. Nam condictio ob injuſtam cauſam competit, cum res ſine juſta cauſa ad aliquem pervenerit, *l. 6. D. de condiction. ob turpem cauſam.* vel ubi juſta cauſa fuerat, quae poſtea redit ad non juſtam cauſam, *l. 1. §. conſtat. 3. D. de condictione ſine cauſa.* Juſta cauſa erat ab initio, cur creditor rem debitoris haberet ad reſtituendae pecuniae ſecuritatem: ſoluta vero pecunia, juſta cauſa redit ad injuſtam cauſam, cum nulla ſit cauſa, ut creditor rem debitoris retineat. Atque ita debitor rem ſuam condictione ob injuſtam cauſam condicere poteſt, non vero condictione certi; nam condictione certi intendimus nobis dari, id eſt, rem noſtram fieri, *l. 5. D. h. t. §. ſic itaque 14. Inſt. de actionib.* At cum dominium rei pigneratae maneat penes debitorem, *l. cum & ſortis 35. §. ultimo. D. de pignerat. act.* non poteſt debitor intendere rem ſuam ſibi dari, ſed reſtitui oportere, quia per condictionem ob injuſtam cauſam poſſeſſionem naturalem revocat, *l. videamus 38. §. ſi poſſeſſionem 10. D. de uſuris.* Nec tantum debitor fundum condicere poterit, ſed & fructus, quos creditor percepit vel ante, vel poſt ſolutam pecuniam; quia fructus rei pigneratae ad creditorem non pertinent, *l. 1. C. de pignerat. action.*

Ad §. ultimum.

§. 2. E*A, quae vi fluminum importata ſunt, condici poſſunt.*

Hic quoque locus debet intelligi de condictione ob injuſtam cauſam, vel de condictione ſine cauſa; nam quae vi fluminum importantur alio, ea manent veteris domini, *l. hoc amplius 9. §. 1. D. de damno infecto.* & ita dominus non poteſt res ſuas certi condictione condicere, ſed condictione ſine cauſa, vel ob injuſtam cauſam.

Lex v. Pomponius Lib. 22. ad Sabinum.

Q*Uod te mihi dare oporteat, ſi id poſtea perierit, quam per te factum erit, quo minus id mihi dares, tuum fore id detrimentum conſtat. † Sed cum quaeritur, an per te factum ſit, animadverti debebit, non ſolum in poteſtate tua fuerit id, nec ne; aut dolo malo feceris, quo minus eſſet vel fuerit, nec ne; ſed etiam, ſi aliqua juſta cauſa ſit, propter quam intelligere deberes, te dare oportere.*

Centones JConſultorum ſimul conſuendi ſunt; & ad ſuas inſcriptiones revocandi, ut ex eis aliquid certae interpretationis conſtare poſſit; quod vel maxime ex *h. l. 5.* probatur, cujus ſpecies repetenda eſt ex *l. penult. D. de condict. cauſa data.* ex eod. lib. 22. Pomponii ad Sabinum.

Finge; ſervus Titii venerat in ſuſpicionem furti Attio; Titius ſervum ſuum dederat Attio ea cauſa, ut de eo quaeſtionem haberet, & ſi, quaeſtione de ſervo habita, ſervus innocens repertus eſſet, eum ſervum Attius Titio redderet. Attius de ſervo quaeſtionem non habuit, ſed quaſi in facinore & manifeſto furto deprenſum, Praefecto vigilum tradidit. Praefectus ſervum ſummo ſupplicio affecit. Ajebat Pomponius, poſſe Titium adverſus Attium agere, ſervum ſibi dari oportere, quia licet mortuus eſſet ſervus, tamen Attius dolo malo fecerat ante mortem ſervi, quo minus dare poſſet; imo videbatur ſervum occidiſſe, qui mortis cauſam praebuerat, *l. 51. D. ad L. Aquil. & l. 15. D. ad L. Cornelium de ſicariis.* Idem juris eſt, ſi Attius in reddendo ſervo moram feciſſet, & poſt moram ſervus periiſſet, *l. ſi ex legati cauſa 23. D. de V. O.* alioqui re debita, ante moram debitoris perempta, antequam debitor in ea reddenda moram fecerit, vel ſolvenda, interitu ipſius rei debitae liberatur, ſive ex legato debeatur, ſive ex ſtipulatione, ſive ex quolibet alio contractu certo, vel incerto: ubi vero debitor interpellatus opportuno loco & tempore, *l. mora 32. in princip. D. de uſuris* non ſolverit, mora facta perpetuatur obligatio debitoris, *l. ſi quis 24. §. 1. D. eod. tit. de uſuris. l. cum ſervus 39. §. 1. D. de legat. 1. l. ſi is qui 45. D. de obligat. & action.* ita ut debitor non teneatur ad rem, quae perempta eſt, ſed ad rei aeſtimationem. Proculejani tamen diſtinguebant, adverſus Sabinianos, utrum eodem modo res peritura fuiſſet apud creditorem: quo caſu non putabant debitorem, licet mora commiſſa, teneri ad aeſtimationem, *l. illud 40. D. de petit. hered. l. ſi plures 14. §. ultimo. D. depoſiti.* Debitor generis interitu rei, quam debet in genere, non liberatur, puta ſi quis triticum, vinum, oleum debeat, & vinum vel oleum effundatur, debitor non liberabitur, quia non debet vinum aut oleum in ſpecie, ſed in genere. Species quidem ſeu res certa perire poteſt, genus autem non perit, & ex eodem genere functionem recipit, *l. 2. §. 2. D. hoc tit.* Atque ita licet domus tota debitoris incendio conſumpta ſit, non propterea aere alieno liberatur, *l. incendium 11. C. ſi certum petatur.*

Lex vi. Paulus Lib. 28. ad Edictum.

C*Ertum eſt, cujus ſpecies vel quantitas, quae in obligatione verſatur, aut nomine ſuo, aut ea demonſtratione, quae nominis vice fungitur, qualis quantaque ſit, oſtenditur. Nam & Pedius, libro primo de ſtipulationibus * nihil referre ait, proprio nomine res appelletur, an digito oſtendatur, an vocabulis quibusdam demonſtretur: quatenus mutua vice fungantur, quae tantundem praeſtent.*

Cum Paulus differentias inter creditum, & mutuum afferret lib. 28. ad Edictum, & in *l. 2. D. h. t.* hanc

hanc & forte attulerat, quod in credito incertum, in mutuo non niſi certum eſſe poſſit, & ſumpta occaſione certum definiverat.

Certum igitur eſt, ut hic Paulus definit, cujus ſpecies, vel quantitas qualis quantave ſit oſtenditur. Species in corpore; quantitas in pondere, numero, menſura conſtat. Idem fere Gajus in *l. ſtipulationum* 74. *D. de V. O.* certum eſt, quod ex ipſa pronuntiatione apparet, quid, quale, quantumque ſit; ut decem aurei, fundus Tuſculanus, homo Stichus. Nummi tamen non modo numero, ſed etiam certa determinatione certi eſſe intelliguntur. Puta, ſi quis nummos ita legaverit, nummos quos in arca habeo, vel ſi quis nummos, quos in arca habebat, legaverit, *l. plano* 34. §. *ſed ſi non* 3. *l. cum res* 47. § 1. *l. ſed ſi* 51. *D. de legatis primo. l. ſi certos* 37. *D. de V. O.* Ait Paulus certam ſpeciem ſuo nomine determinari; puta cum Stichus in obligationem, vel fundus Tuſculanus deducitur, aut ea determinatione, quae nominis vice fungitur: nam licet nomina rerum ſignificandarum cauſa inventa ſint, §. *ſi quis in nomine* 29. *In t. de legat. l. Labeo* 7. *D. de ſupellect. legat.* determinationes vice nominum funguntur, *l. quotiens* 9. *ſi quis nomen* 8. *D. de hered. inſt.* quod igitur certum in obligatione verſatur, id petitur condictione certi, vel actione ſi certum petetur. Ex mutuo quidem certa pecunia numerata petitur actione, ſi certum petitur. Caeterae res mutuo datae condictione triticaria peti poſſunt, *l. 1. D de condictione triticaria.* qua condictione non res ipſa petitur, ſed rei mutuo datae aeſtimatio, *l. vinum* 22. *D. h. t* & *l.* 3. *D. de condict. triticar.* Ratio diverſitatis inter pecuniam mutuam, & caeteras res, pondere, numero, menſurave conſtantes, manifeſta eſt, quod pecuniae & nummorum certa ſit aeſtimatio, *l.* 3. *D. de in litem jurando.* Pecuniae eſt una & eadem poteſtas, *l.* 3. *D. de eo quod certo loco.* Aliae res vero pretii incrementum ac diminutionem recipiunt, maxime vinum, oleum, frumentum, *d. l.* 3. *D. de eo quod certo loco* Nonnullam pretio earum rerum varietatem tempora afferunt, *l. pretia* 63. §. 2. *D. ad legem Falcid.* Plinius *lib.* 33. *Natur. Hiſt. cap.* 13. *Pretia rerum, quae usquam poſuimus, non ignoramus, alia in aliis locis eſſe, & omnibus pene annis mutari, prout navigationes conſtiterint, aut ut quisque mercatus ſit, aut aliquis praevalens manceps annonam flagellet.* Porro ubi tradita eſt certi definitio, ex contrario cognoſcitur, quid ſit incertum; nempe quid, quale, quantumque ſit non apparet, *l. ubi autem* 75. *D. de V. O.* Incertum eſt quod ignoratur. Marcus Varro *lib.* 4. *de Ling. Lat. Incertus ager, qui de his IV. qui ſit ignoratur.* Sicque intelligere debemus Macedonem foeneratorem incertis nominibus pecuniam filiisfamilias credidiſſe in *l.* 1. *D. de SCto Macedon. incertis nominibus*, id eſt, quae ignorantur.

LEX VII. ULPIANUS Lib. 26. ad Edictum.

OMnia, quae inſeri ſtipulationibus poſſunt, eadem poſſunt etiam numerationi pecuniae: & ideo & conditiones.

Omnes contractus inſeri poſſunt ſtipulationibus; nam quia ſtipulationes omnibus conventionibus adhibentur, *l.* 7. §. *quod fere* 12. *D. de pactis.* Paulus *lib.* 2. *Sent. tit.* 22. omnes contractus continere poſſunt. Ita vero intelligi debet hic Ulpianus, ut omnia pacta, quae ſtipulationibus inſeruntur, eadem in contractu mutui poſſint inſeri. Conventio ad omnes contractus pertinet, ſive re, ſive verbis fiant, *l.* 1. §. *conventionis* 3. *D. de pactis.* Ex duodecim quidem tabulis in mancipationibus pacta, conventiones inſeri poterant, ut ex eo fragmento conſtat, VTI LINGVA NVNCVPASSIT ITA IVS ESTO, ad quod caput legis XII. tabul. referenda eſt, *l. in traditionibus* 48. *D. de pactis.* ex lib. 3. Gaji ad leges XII. tabul. ubi ait *in traditionibus rerum quodcumque pactum valere:* in traditionibus rerum, quae fierent nexu, ut loquitur M. Tullius *in Top. cap.* 5. id eſt, mancipationibus. Traditio nexu nihil aliud eſt, quam mancipatio, & in his mancipationibus rerum, pacta, conventionesque inſeri poterant, ſed non conditiones expreſſae, *l. actus* 77. *D. de R. J.* Verum numerationi pecuniae non modo pacta & conventiones, ſed etiam conditiones inſeri poſſunt, tacitae vel expreſſae.

Finge; Titium 50. mutua dediſſe Maevio, & conveniſſe ut 10. Maevius redderet, cum Titius petiiſſet. Quaeri poterat, an conventio illa tacitam haberet conditionem, ut Titius a Maevio 10. peteret; aut, ſi Titius prius decederet, quam peteret, Maevius non eſſet obligatus, Ulpian. in *l. ſi decem* 48. *D. de V. O.* Ait ſtipulationem ita factam *decem cum petiero dare ſpondes*, admonitionem magis quandam, quo celerius decem reddantur & quaſi ſine mora, quam conditionem haberi: ex qua ſpecies *hujusce legis* 7. videtur repetenda ex eodem lib. 26. Ulpiani ad Edictum.

LEX VIII. POMPONIUS Lib. 6. ex Plautio.

PRoinde mutui datio interdum pendet, ut ex poſt facto confirmetur: veluti, ſi dem tibi mutuos nummos, ut ſi conditio aliqua extiterit, tui fiant, ſisque mihi obligatus: *item, ſi legatam pecuniam heres crediderit, deinde legatarius eam noluit ad ſe pertinere; quia heredis ex die aditae hereditatis videntur nummi fuiſſe, ut credita pecunia peti poſſit. Nam Julianus ait, & traditiones, ab herede factas, ad id tempus redigi, quo hereditas adita fuerit, cum repudiatum ſit legatum aut adpoſitum.*

Exempla ſunt in *h. l.* 8. utriusque conditionis expreſſae & tacitae, quae in mutui datione inſeri poſſunt. Expreſſae; puta, ſi navis ex Aſia venerit, vel ſi quis ita pecuniam acceperit, ut credita fieret, ſi praedia emeret, *l.* 4. *D. h. t.* Tacitae; puta, ſi heres pecuniae corpus certum legatum crediderit: dicimus pecuniae corpus, non quantitatem legatam fuiſſe, ut in *l. ſed ſi certos* 51. *D. de legat.* 1.

Finge igitur, ita pecuniae certum corpus legatum fuiſſe, eamque pecuniam heredem teſtatoris crediſſe: ſi legatarius legatum agnoverit, non erit credita pecunia; quia dominium rei legatae recta via ad legatarium tranſit, *l. Quotiens* 47. §. *ultim. D. de peculio. l. a Titio* 64. *D. de furtis*, atque ita heres non potuit pecuniam legatarii credere: ſi vero legatarius legatum repudiaverit, credita fiet pecunia. Et ita ſub tacita conditione erat credita, ſi legatarius legatum repudiaret. Cujacius *lib.* 20. *Obſervat. cap.* 7. monet in authographo Pandectarum Florentinorum legi *repudiatam*, vel *acquiſitum* ſub finem hujusce *l.* 8. quamvis excuſum ſit in Pandectis Florentinis *appoſitum:* quam lectionem primi juris interpretes agnoverunt.

LEX IX. ULPIANUS Lib. 26. ad Edictum.

CErti condictio competit ex omni cauſa, ex omni obligatione, ex qua certum petitur; ſive ex certo contractu petatur, ſive ex incerto: licet enim nobis ex omni contractu certum condicere, dummodo praeſens ſit obligatio; caeterum ſi in diem ſit, vel ſub conditionem obligatio, ante diem vel conditionem non potero agere. §. 1. *Competit haec actio etiam ex legati cauſa, & ex Lege Aquilia: ſed ex cauſa furtiva per hanc actionem condicitur. Sed & ſi Senatusconſulto agetur, competit haec actio; veluti ſi is, cui fiduciaria hereditas reſtituta eſt, agere volet.* §. 2. *Sive autem ſuo nomine quis obligatus ſit, ſive alieno, per hanc actionem recte convenitur.*

§. 3. *Quoniam igitur ex omnibus contractibus haec certi condictio competit, ſive re fuerit contractus factus, ſive verbis,*

bis, ſive conjunctim; referendae ſunt nobis quaedam ſpecies, quae dignum habent tractatum, an haec actio ad petitionem certam ſufficiat.

Quidam incertum contractum dici in *h. l. 9.* exiſtimant, ex quo incertum debetur; veluti incerta eſt ſtipulatio, cum quid incertum in ſtipulationem deductum eſt, *l. ubi autem 75. D. de V. O.* verius eſt tamen incertum contractum eſſe innominatum, in *h. l. 9. & l. 1. §. debitam 6. D. de conſtituta pecunia. l. & uno 18. in princip. D. de acceptilat.* Certi contractus ſunt nominati, quibus proprium nomen Jure Civili impoſitum eſt, *l. 7. in princip. D. de pactis.* Ita Varro apud Servium in ſchedis ad *lib. 2. Aeneidos v. 141. certos Deos appellat*, ſingulis actibus proprios. Incerti contractus ſunt innominati, qui nomen proprium non habent, cum plura ſint negotia, quam vocabula, *l. 3. D. de praeſcript. verbis.* Ex illis contractibus innominatis non datur certa aliqua actio, ſed praeſcriptis verbis, quaſi ex verbis inter contrahentes praeſcriptis: ſeu in factum actio, quae rem uti geſta eſt demonſtrat, *l. 6. C. de tranſactionibus*, quaeque incerta actio dicitur, *l. 22. C. de donationibus*, quaſi ex incerto contractu: non enim ſemper incertum petitur actione praeſcriptis verbis, ſed quandoque certum ex incerto ſeu innominato contractu; ut praeterea incerta actio praeſcriptis verbis dicatur, quia ex incerto contractu oritur, non quia incertum actione praeſcriptis verbis petatur.

Ad §. 4. 5. 6. & 7.

§. 4. *NUmeravi tibi decem, & haec alii ſtipulatus ſum: nulla eſt ſtipulatio. An condicere decem per hanc actionem poſſim, quaſi duobus contractibus intervenientibus: uno, qui re factus eſt, id eſt, numeratione: alio, qui verbis, id eſt, inutiliter: quoniam alii ſtipulari non potui. Et puto, poſſe. §. 5. Idem erit, ſi a pupillo fuero ſine tutoris auctoritate ſtipulatus, cui tutore [auctore] credidi: nam & tunc manebit mihi condictio ex numeratione. §. 6. Item quaeri poteſt, etſi, quod tibi numeravi, ſub impoſſibili conditione ſtipuler: cum enim nulla ſit ſtipulatio, manebit condictio. §. 7. Sed &, ſi ei numeravero, cui poſtea bonis interdictum eſt, mox ab eo ſtipuler; puto pupillo eum comparandum: quoniam & ſtipulando ſibi adquirit.*

Si Titius Maevio mutuam pecuniam dederit, eandemque Titius a Maevio ſtipuletur in continenti, non eſt contractus mutui, ſed verborum obligatio, *l. ſi ita 126. §. Chryſogonus 2. D. de V. O.* Non ſunt duae obligationes, ſed unus contractus ſtipulationis, *l. ſi ita fuero 6. §. 1. D. de Novationib.* qui tamen contractus ſit conjunctim re & verbis intervenientibus, *l. obligamur 52. §. 3. D. de oblig. & action.* Ideo ſtipulationes numerationi pecuniae adhibeantur, ut duo vincula obligationum eſſent uno fortiore, vel, ut verbis obligatio contracta facilius verbis diſſolveretur, quam numeratione pecuniae. Verum ſi inutilis fuerit ſtipulatio, dicendum eſt potius duos eſſe contractus, ut inutili ſtipulatione exiſtente certum ex mutuo peti poſſit, *l. 3. C. de contrah. & committ. ſtipul. d. l. ſi ita 126. D. de V. O.* ubi obligatio contracta ex mutuo naturalis dicitur, quod naturaliter, id eſt re ipſa, & datione ſeu numeratione pecuniae contrahatur, ut in *l. quia nat. 10. D. de SCto Macedoniano*, & fortaſſe ita intelligere debemus naturale vinculum apud Papinianum, *l. ſi fidejuſſor 59. D. de Condictione indebiti.*

Finge igitur, Titium Maevio dediſſe 100. mutua, & ſtipulatum fuiſſe Titium a Maevio, ea centum, non ſibi, ſed Sempronio reddi, inutilis erit ſtipulatio, *l. ſtipulatio 38. §. alteri 17. D. de V. O.* & in aliis tribus exemplis, quae Ulpianus ſubjicit *§. 5. 6. & 7. h. l. 9.* Manebit tamen obligatio ex mutuo, quaſi duo contractus intervenerint, ut ſi non ex ſtipulatione, quae inutilis eſt, ex mutuo certum condicatur.

Ad §. penultimum.

§. 8. *SI nummos meos tuo nomine dedero, velut tuos, abſente te & ignorante, Ariſto ſcribit, adquiri tibi condictionem. Julianus quoque de hoc interrogatus libro 10. ſcribit, veram eſſe Ariſtonis ſententiam: nec dubitari, quin, ſi meam pecuniam tuo nomine, voluntate tua, dedero, tibi adquiratur obligatio; cum quotidie credituri pecuniam mutuam, ab alio poſcamus, ut noſtro nomine creditor [meus &] futuro debitori noſtro.*

Titius decem, quae habebat, mutua dedit Sempronio nomine Maevii, ut Sempronius debitor non eſſet Titio, ſed Maevio obligatus: ait Ulpianus poſſe Maevium decem a Sempronio condicere, ſive ignoraverit Maevius, ſive ſciverit decem ex pecunia Titii, ſuo nomine, mutuo data eſſe.

Ratio dubitationis fuit, quod per liberam perſonam nihil nobis acquiritur, *l. ſolutum 11. §. per liberam 6. D. de pignerat. act. l. ſtipulatio 38. §. alteri 17. D. de V. O. l. 1. C. per quas perſonas.* Tum quis ſi Maevius abſens fuerit, vel ignoraverit decem ſuo nomine data eſſe, mutuum non eſt contractum; quod non niſi inter conſentientes contrahitur, *l. ſi & me 32. D. h. t. l. in omnibus 55. D. de oblig. & action.* Verum tamen ait Ulpianus condictionem ex mutuo naſci, quaſi mutuum contractum fuerit: nam jure ſingulari receptum eſt, in contractu mutui per liberam perſonam nobis acquiri, ut & quaedam alia ſingularia in eo contractu, propter frequentiſſimum creditae pecuniae uſum, ac propter publicam utilitatem recepta ſunt, adverſus communes juris regulas, *l. ſingularia 15. D. h. t.* Praeterea, cum Titius decem mutua daret Sempronio, ſatis fuit inter Titium creditorem, & Sempronium debitorem conſenſum interveniſſe, ut ita inter conſentientes mutuum contractum fuiſſe videatur.

Rationem reſponſi ſui Ulpianus probat ex eo, quod quotidie fieri ſolet. Unde hic interpretes non male obſervant valere argumentum ab his, quae quotidie fieri ſolent, ex *l. quod ſi 31. §. quia aſſidua 20. D. de Aedilitio edicto. l. & quae 15. §. 1. D. de pignor. & hypoth.* juncta *l. ultim. C. quae res pignori. l. 6. in fin. D. de precario. l. certi 17. C. de judiciis.*

Ad §. Ultimum.

§. 9. *DEpoſui apud te decem, poſtea permiſi tibi uti. Nerva, Proculus, etiam antequam moveantur, condicere, quaſi mutua, tibi haec poſſe ajunt. Et eſt verum, ut & Marcello videtur; animo enim coepit poſſidere: ergo tranſit periculum ad eum, qui mutuum rogavit, & poterit ei condici.*

LEX X. ULPIANUS Lib. 2. ad Edictum.

QUod ſi ab initio, cum deponerem, uti tibi, ſi voles, *permiſero, creditam non eſſe antequam mota ſit: quoniam debitum iri non eſt certum.*

Titius 10. depoſuerat apud Maevium; poſtea Titius Maevio permiſit ea pecunia uti; ſed antequam Maevius eam pecuniam ſumeret, a furibus intercepta fuit, vel alio modo periit. Ait Ulpianus periculum eſſe Maevii; quia ex quo permiſit Titius Maevio uti pecunia, coepit Maevius animo poſſidere pecuniam, atque ita periculum Maevii eſſe debuit. Non tamen inde colligas poſſeſſionem ſolo animo acquiri, quae non niſi animo & corpore acquiritur, *l. 8. D. de acquirend. vel amitt. poſſ. l. fere 153. D. de R. J.* Verum praeceſſerat traditio ex cauſa depoſiti, & poſtea verſum eſt depoſitum in contractum mu-

Digitized by Google

tui, ut in *l. Lucius Titius* 24. *D. depoſiti.* ut igitur mutuum contraheretur, cum depoſitum praeceſſiſſet, non opus ſuit nova traditione ad poſſeſſionem transferendam, *l. qua ratione* 9. *§. interdam* 5. *D. de acquirendo rer. dom.*

Sed finge; cum Titius 10. apud Maevium deponeret, ab initio inter eos conveniſſe, ut quotiescumque vellet Maevius, ea pecunia uteretur; ſi pecunia perierit antequam Maevius eam attingeret, vel moveret, periculum erit Titii, non Maevii: quia non prius videtur contractum fuiſſe mutuum, quam cum Maevius pecuniam attigerit. Erat igitur antea depoſitum. Titius rei depoſitae dominium & poſſeſſionem retinuit, *l. licet* 17. *§.* 1. *D. depoſiti. l. intereſſe* 39. *D. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* ideo pecunia Titio domino perire debuit, *l. pignus.* 9. *C. de pignerat. act.*

Lex xi. Ulpianus Lib. 26. ad Edictum.

R*Ogaſti me*, ut tibi pecuniam crederem; *ego, cum non haberem, lancem tibi dedi, vel maſſam auri, ut eam venderes, & nummis utereris; ſi vendideris, puto mutuam pecuniam factam. Quod ſi lancem, vel maſſam ſine tua culpa perdideris prius, quam venderes, utrum mihi, an tibi perierit, quaeſtionis eſt. Mihi videtur Nervae diſtinctio veriſſima, exiſtimantis, multum intereſſe, venalem habas hanc lancem, vel maſſam, nec ne: at, ſi venalem habui, mihi perierit; quemadmodum ſi alii dediſſem vendendam: quod ſi non fas propoſito hoc, ut venderem, ſed haec cauſa fuit vendendi, ut tu utereris, tibi eam periiſſe; & maxime, ſi ſine uſuris credidi.*

Cum quaeritur de periculo rei, fortuito caſu amiſſae, cujus periculum eſſe debeat, inſpicienda eſt cauſa contractus, cujusve cauſa res omiſſa in creditum venerit, *l.* 4. *&* 9. *§ ult. D. h. t. l.* 5. *§.* 2. *D. commodati. l. qui negotia* 34. *D. mandati. l. ſi gratuitam* 17. *§.* 2 *&* 3. *D. de praeſcript. verbis.* Ideoque in ſpecie *hujus l.* 11. Ulpianus Nervae diſtinctionem probat, ut illius ſit periculum, cujus cauſa lanx, vel maſſa data fuerit. Verum finge, Maevium lancem vendidiſſe, nec tamen pretio lancis venditae uſum fuiſſe; mutuum non erit contractum, nec habebit Titius condictionem ex mutuo adverſus Maevium, qui pecunia uſus non eſt. Aget igitur Titius praeſcriptis verbis, ſeu in factum actione, *l. Rogaſti* 19. *in princip. D. de praeſcriptis verbis.* Huic autem reſponſo Ulpiani obloquitur Africanus, in *d. l. qui neque* 34. *D. mandat.* ubi exiſtimat pecuniam ex venditione maſſae, vel alterius rei redactam, tamquam creditam peti non poſſe. Movebat Africanum, quod pacto pecunia credita non poteſt fieri. Ulpianus admittebat fictionem brevis manus, ut dicitur in *l licet* 43. *§.* 1. *D. de jure dotium.* quaſi pretium lancis venditae, ad Titium dominum lancis perveniſſet, & mox a Titio idem pretium Maevio numeratum eſſet. Primi interpretes, ut hos locos conciliarent, lectionem turbarunt in *dicta l.* 34. ſed ſubtiliores quique nullam hujusce diſſidii componendi rationem eſſe putaverunt. Cujacius *tract.* 8. *ad Africanum* & *lib.* 8. *Obſervat. cap.* 8. Incuſandique ſunt concinnatores Pandectarum, qui praeter voluntatem Juſtiniani hoc manifeſtum in jure contrarium reliquerunt.

Ad §. Si tibi 1.

§. 1. S*I tibi dedero decem* [*ſic*] ut novem debeas: *Proculus ait, & recte, non amplius te ipſo jure debere, quam novem. Sed ſi dedero,* ut undecim debeas, *putat Proculus, amplius, quam decem condici non poſſe.*

Titius dedit Maevio 10. & convenit inter eos, ut Maevius 9. tantum deberet; ait Ulpianus ex ſententia Proculi, Maevium *ipſo jure non niſi novem debere*, id eſt, Titium non niſi novem poſſe a Titio condicere, quia mutuum datur animo recipiendi, *l.* 2. *D. h. t. l.* 1. *§.* 2. *D. de Obligat. & act.* Titius igitur novem dedit animo recipiendi, & in his mutuum contraxit, in reliquo donationem fecit, ita ut iſte contractus partim fuerit mutuum, partim donatio.

Finge contra, Titium dediſſe 10. Maevio, & conveniſſe, ut Maevius 11. redderet; Titius non niſi decem condicere poterit, quia mutuum re contrahitur, non pacto. Licet igitur Maevius 11. promiſerit, eo ſolum, quod accepit, obligatur, *l. ſi tibi decem* 17. *D. de pactis: l. cum ultra* 9. *C. de non numerata pecunia.* Praeterea uſurae pecuniae creditae ex pacto peti non poſſunt, ſed tantum ex ſtipulatione, *l. etiam* 8. *D. de eo quod certo loco. l. Titius* 24. *D. de praeſcriptis verbis. l.* 5. *§.* 2. *D. de ſolut. & liberat. l. uſura* 121. *D. de V. S. l.* 3. *C. de uſuris.*

Non eſt autem praetermittendum, Graecos interpretes, ex *hoc* §. colligere, pacta incontinenti appoſita contractibus ſtricti juris ineſſe, ex parte rei tantum, non etiam ineſſe ex parte actoris, quia in ſpecie *hujus* §. Maevius tutus eſt ipſo jure ob pactum, ut non niſi 9. debeat, & ita ineſt pactum ex parte Maevii debitoris. Titius autem 11. ob pactum petere non poteſt, & ita pactum non eſt ex parte Titii actoris. Id male Graeci colligunt, quia, licet contractus mutui ſit ſtricti juris, non procedit argumentum *a* mutuo ad ſtipulationem: alia eſt enim ratio mutui; alia ſtipulationis, *l.* 9. *§.* 4. *D. h. t.*

Ad §. ultimum.

§. 2. S*I fugitivus ſervus nummos tibi crediderit, an condicere tibi dominus poſſit, quaeritur. Et quidem ſi ſervus meus, cui conceſſa eſt peculii adminiſtratio, crediderit tibi, erit mutua. Fugitivus autem, vel alius ſervus, contra voluntatem domini credendo, non facit accipientis. Quid ergo? Vindicari nummi poſſunt, ſi extant; aut, ſi dolo malo deſinant poſſideri, ad exhibendum agi. Quod ſi ſine dolo malo conſumpſiſti, condici tibi poterunt.*

Servus non niſi ex voluntate domini nummos peculiares alienare poteſt, *l.* 2. *§.* 4. *D. h. t.* puta, ſi dominus liberam peculii adminiſtrationem conceſſerit: fugitivus autem ſervus liberam peculii adminiſtrationem amittit, *l. libera* 48. *D. de peculio.*

Finge igitur, ſervum fugitivum, vel alium ſervum contra voluntatem domini, non conceſſa peculii adminiſtratione, mutuam dediſſe pecuniam; dominus ſervi pecu[illegible]m extantem, & non conſumptam vindicabit. Si non extet pecunia, & debitor eam dolo malo habere deſierit, dominus ad exhibendum aget, quaſi adhuc debitor poſſideret: nam qui dolo deſiit poſſidere, adhuc poſſidere intelligitur, *l qui petitorie* 36. *D. de rei vind. l. ſed & ſi* 25. *§.* 2. *&* 8. *D. de heredit. petitione. l. qui dolo* 131. *D. de R. J.* Si debitor pecuniam a ſervo acceptam conſumpſerit, dominus condicet: nam mutuum, quod ab initio non conſiſtit, conſumptione pecuniae reconciliatur, *l.* 13. *D. h. t.*

Lex xii. Pomponius Lib. 6. ex Plautio.

S*I a furioſo, cum eum compotem mentis eſſe putares, pecuniam quaſi mutuam acceperis, eaque in rem tuam verſa fuerit, condictionem furioſo adquiri, Julianus ait: nam ex quibus cauſis ignorantibus nobis actiones adquiruntur, ex hisdem etiam furioſo adquiri.* † *Item ſi is, qui ſervo crediderat, furere coeperit, deinde ſervus in rem domini id verterit: condici furioſi nomine poſſe.* † *Et ſi alienam pecuniam, credendi cauſa, quis dederit, deinde furere coeperit, & conſumpta ſit ea pecunia, condictionem furioſo adquiri.*

Furioſi nullum negotium poſſunt contrahere, rerumque ſuarum adminiſtrationem non habent. Ex furioſis

furioſis alii perpetuo furore torquentur; alii diluci-da habent intervalla, *l. Divus* 14. *D. de officio Praeſidis. l. ſi cum* 22. §. *ſi maritus* 7. *D. ſoluto matrimonio. l.* 9. *C. qui teſtamenta facere poſſunt.* Quidam furioſi videntur in conſpectu inumbratae quietis aliquando conſtituti, *l. quod meo* 18. §. 1. *D. de acquirenda vel amitt. poſſ.*

Finge igitur, me a furioſo mutuam pecuniam accepiſſe, cum cum ſanae mentis eſſe putarem; non erit mutuum, quia furioſi nullus eſt conſenſus, ut rei ſuae dominium in alium transferat, *l. in omnibus rebus* 55. *D. de obligat. & act.* conſumpta tamen a debitore pecunia condicetur. Caeterum *h. l.* 12. iisdem fere verbis repetita eſt in *l. ſi a furioſo* 24. *D. de obligat & act.* ex alio lib. Pomponii, & jungenda eſt cum *l. ſi pupilli* 66. *D. de ſolut. & liberat.* ex eod. lib. 6. Pomponii ex Plautio.

Lex XIII. Ulpianus Lib. 26. ad Edictum.

Nam & ſi fur nummos tibi credendi animo dedit, accipientis non facit, ſed conſumptis eis, naſcitur condictio, §. 1. *Unde Papinianus lib* 8. *Quaeſtionum ait: Si alienos nummos tibi mutuos dedi, non ante mihi teneris, quam eos conſumpſeris. Quod ſi per partes eos conſumpſerit, an per partes tibi condicam, quaerit? & ait, condicturam, ſi admonitus alienos nummos fuiſſe, ideo per partem condico, quia nondum totos conſumptos compereram.*

Nemo plus juris in alium transferre poteſt, quam ipſe habet, l. alienatio 67. *D. de contrah. empt. l. traditio* 20. *D. de acquirend. rerum dom. l. nemo* 54. *D. de reg. jur.* Creditor igitur, qui mutuam dat pecuniam, illius pecuniae dominus eſſe debet, ut pecuniam accipientis faciat, ſeu dominium pecuniae creditae in debitorem transferat, *l.* 2. §. *mutui* 1. *D. h. t.* Verum tamen ſi aliena pecunia mutuo data fuerit, conſumptione pecuniae naſcitur obligatio ex mutuo & ex obligatione certi condictio.

Finge, Titium, qui alienam pecuniam ſubripuerat, eam Maevio credidiſſe, non prius Maevius tenetur condictione certi Titio, quam cum pecuniam Maevius conſumpſerit: ex numeratione pecuniae mutuum non contrahitur, ſi aliena ſit, ſed conſumptione. Ratio eſt, quod, cum alieni nummi creduntur, vel ſolvuntur, dominium non transfertur in accipientem: remanet dominus nummorum, qui antea fuerat, *l. ſi alieni* 78. *D. de ſolutionib.* Nummos igitur ſuos extantes apud debitorem dominus vindicare poteſt. At ſi debitor, qui alienos nummos mutuo accepit, eos bona fide conſumpſerit, ſeu impenderit, domino nummorum jam nulla ſupereſt actio, ſed creditori, qui alienos nummos dedit, ex conſumptione actio competit. Idque Ulpianus ait, ſive nummi in totum, ſive in partem, conſumpti ſint. Saepe enim quae de toto dicuntur, eadem de parte intelligenda, *l. quae de tota* 76. *D. de rei vindic.* Quid ſi debitor nummos mala fide conſumpſerit, cum ſciret ſe alienos nummos accepiſſe, dominus nummorum nihilominus ad exhibendum agere poterit adverſus debitorem, quaſi nummos adhuc habeat, & nondum eos conſumpſerit, *l.* 11. § *ult. D. h. t.* §. *nunc admonendi* 2. *Inſt. quibus alienare licet vel non.* Quid ſi debitor nummos alienos, quos accepit, nolit conſumere mala fide? an non aliqua actio dabitur creditori? ſane ante conſumptionem nulla actio dabitur, contra quam hic ſentiat Accurſius, ſed dominus nummorum eos vindicare poterit, antequam conſumpti ſint.

Ad §. Si ſervus 2.

Si ſervus communis decem crediderit, puto, ſive adminiſtratio ſervo conceſſa eſt, ſive non, & conſumantur nummi, quinque competere actionem. Nam & ſi communes tibi nummos credidero centum, poſſe me quinquaginta condicere, lib. 8. *Quaeſtionum, Papinianus ſcribit: etiamſi ſingula corpora communia fuerint.*

Servus communis, qui erat Titii & Maevii, credidit Sempronio 10. Sempronius 10. mutuo accepta conſumpſit. Ait Ulpianus, Titium 5. & Maevium 5. poſſe Sempronio debitori condicere, quod & ex libro 8. Quaeſtionum Papiniani, Ulpianus probat, reſponſumque Papiniani extat ex eo lib. 8. Quaeſtion. in *l. ſi is cui nummos* 94. *D. de ſolut.*

Finge enim, me communes nummos centum tibi credidiſſe, nec tamen conſumpſiſſe; potero 50. condicere. Ratio eſt, quod in ſolutione pecuniae, vel numeratione corpus nummorum non ſpectatur, ſed quantitas ſeu numerus, *d. l. ſi is cui nummos* 94. §. 1. *D. de ſolutionib.* & quia in rebus pondere, numero, menſura conſtantibus ſolutio non fit diviſione corporum, *l. in ſtipulationib.* 54. *D. de V. O. l. cum Stichum* 29. *D. de ſolutionib.*

Lex XIV. Ulpianus Lib. 29. ad Edictum.

Si filiusfamilias contra Senatusconſultum mutuatus pecuniam ſolverit, patri nummos vindicanti nulla exceptio objicietur: ſed ſi fuerint conſumpti a creditore nummi, Marcellus ait, ceſſare condictionem: quoniam toties condictio datur, quoties ex ea cauſa numerati ſunt, ex qua actio eſſe potuiſſet, ſi dominium ad accipientem tranſiſſet; in propoſito autem non eſſet. Denique per errorem ſoluti contra Senatusconſultum credit magis eſt ceſſare repetitionem.

Filiusfamilias contra SCtum Macedonianum mutuam pecuniam ſumpſerat, eamque creditori ſolverat. Ait Ulpianus, patrem ſolutos nummos vindicare poſſe, ſi apud creditorem extent, neque ullam exceptionem patri nummos vindicanti creditorem poſſe objicere, quod pater liberam peculii adminiſtrationem filio conceſſerit; quia filiusfamilias non potuit ſolvendo nummos creditoris facere, & ſi liberam peculii adminiſtrationem haberet, non enim donare conceditur, *l. filiusfamilias* 7. *D. de donation.* quod hic videtur facere filiusfamilias, qui ſolvit conſulto & ſciens, quod non debet, *l. cujus* 53. *D. de R. J.*

Sed finge, creditorem nummos ſibi ſolutos a filiofamilias conſumpſiſſe; non poterit pater nummos creditori condicere, quaſi ex conſumptione nummorum nata fuerit patri condictio, ut in *l.* 11. 12. 13. *D. h. t.* rationem iſtam ſubjicit Ulpianus, cur non poſſit pater conſumptos nummos creditori condicere; quia toties ex conſumptione datur condictio, quoties ea cauſa datur pecunia, ut naſcatur actio; puta, ſi Titius alienam pecuniam mutuam dedit, ea cauſa dedit, ut debitorem haberet obligatum. In propoſita ſpecie cum filiusfamilias creditori ſolvit, non dedit pecuniam, ut creditorem ſibi obligaret, ſed potius ut ſe a creditore liberaret. Sibi vero adverſari videtur Ulpianus, in *l. ſed ſi* 9. §. 1. *D. de SCto Maced.* cui attexenda eſt haec *lex* 14. ex eodem lib. 29. Ulpiani ad Edict. ibi ait Ulpianus, *condictionem patri in omni eventu competere:* quae verba ita debent intelligi, ut ſi creditor nummos ſibi ſolutos bona malave fide conſumpſerit, poſſit nihilominus pater conſumptos nummos creditori condicere.

Non deſunt multae conciliandi rationes, quas primi interpretes tentarunt adducere, & quas ad *h. l.* congerit Accurſius; ſed verius eſt in *h. l.* 14. notam eſſe Marcelli ad Julianum in *d. l.* 9. *D. de SCto Macedoniano*, ut Cujacius deprehendit *lib.* 14. *Obſerv. cap.* 25. Marcellus fuit Proculejanus, & notas ſcripſerat ad Julianum, contrariae ſectae autorem, quarum meminit Juſtinianus, in *l.* 1. *C. de communi ſervo manumiſſo.* Marcellus in notis ſuis Julianum quacumque ratione cavillatur: unde credo, Ulpianum

tum Marcello indignatum, poſtea notas ſcripſiſſe ad Marcellum, & quod fuerat paſſus Julianus a Marcello, id poſtea Marcellus ab Ulpiano paſſus eſt, ut Julianum repalliaret. Et hoc quidem notandi cacoëthes, quod Juriſconſultos pervaſerat, qui ſeſe invicem notabant contradicendi animo, tantas juris libris offucias induxerat, ut paulo ante Juſtiniani tempora Ammianus Marcellinus *Rerum geſtar. lib.* 30. *cap* 4. quereretur, *Juriſprudentiam repugnantium ſibi legum diſſidiis eſſe abolitam*, & anonymus autor, poſt notitiam utriusque imperii, *Confuſas eſſe legum contrariasque ſententias.*

Ad verſiculum Denique.

Non putarem, his verbis concluſionem eſſe praecedentis argumenti; ſed, cum propoſuiſſet Ulpianus, filiumfamilias conſulto ſolviſſe creditori, praeterea addere voluit in *h. verſ D niquo*, ut etſi filiusfamilias per errorem nummos ſolviſſet, creditori non poſſet pater repetere condictione indebiti. Indebitum quidem ſolutum per errorem facti repetitur, *l. 1. D. de condict. inde iti. l. cujus* 53. *D. de regul. juris. l. error* 9. *C. ad l. Falcidiam.* at filiusfamilias, qui contra SCtum mutuam ſumpſit pecuniam, eamque creditori ſolvit, non poteſt repetere, *l. 9. in fine. & l.* 10. *D. de SCto Macedoniano. l. qui exceptionem* 40. *D. de condict. indeb.* ſive per errorem facti ſolverit, quia putabat ſe ex alia cauſa debere, ſive per errorem juris ſolverit, quia non putabat ſe uti poſſe exceptione SCti. Et quiſcendum filio indebiti per errorem ſoluti, ita patri quoque repetitio denegatur. vide Cujac. *lib. 4. Obſervat. cap.* 35. qui aliter hunc locum accipit.

Lex xv. Ulpianus Lib. 31. ad Edictum.

Singularia quaedam recepta ſunt circa pecuniam creditam: nam ſi tibi debitorem meum juſſero dare pecuniam, obligaris mihi, quamvis meos nummos non acceperis. Quod igitur in duabus perſonis recipitur, hoc & in eadem perſona recipiendum eſt: ut, cum ex cauſa mandati pecuniam mihi debeas, & convenerit, ut crediti nomine eam retineas, *videatur mihi data pecunia, & a me ad te profecta.*

Titius debebat mihi centum; juſſi Titium debitorem meum illa Maevio centum dare mutua. Secundum regulas juris civilis mutuum non contrahitur, quia nihil de meo proficiſcitur; nummi, quos mihi debet Titius, non ſunt mei, *l. Quintus* 27. §. 2. *& l. ſcribit* 34. *in princip. D. de auro argent. legat.* Sed tamen ſingulari jure receptum eſſe, ait hic Ulpianus, ut mutuum contractum cenſeatur, mihique Maevius ſit obligatus ex mutuo, fictione quadam brevis manus, quaſi Titius pecuniam mihi debitam ſolverit, eamque poſtea Maevio crediderim, ut in *l. licet* 43. §. 1. *D. de jure dot.* & *l.* 3. §. *ult. D. de donat. inter vir. & uxorem.* quod ſi igitur fictio brevis manus ita recepta erat in duabus perſonis (puta ut Titius mihi videatur ſolviſſe 100. ego vero eadem centum Maevio crediſſe) multo magis eandem fictionem in una perſona admittendum contendit Ulpianus.

Finge, Maevium procuratorem Titii negotia adminiſtraſſe, eumque ex adminiſtratione negotiorum 1 0. reliqua debuiſſe, deinde conveniſſe inter Titium dominum, & procuratorem Maevium, ut centum, quae ex adminiſtratione reliqua habebat, mutua haberet; fictio brevis manus eſt in una tantum perſona, quaſi Titius dominus ſolutam ſibi pecuniam Maevio procuratori crediderit: qua ratione igitur contendit Ulpianus, in ea centum, mutuum contrahi, idque adverſus Africanum in *l. qui negotia* 34. *D. mandati*, quae inconciliabiliter pugnat cum *h. l.* 15.

Nonnulli tamen dicunt, hic praeſentem fuiſſe debitorem, & ita facile admitti fictionem, ut videatur ſolviſſe: in *dictu l. qui negot.* 34. abſentem fuiſſe debitorem, ut minus facile fictio admitti debuerit. Alii dicunt in *h. l.* 15. conſumptam fuiſſe pecuniam, & ita conſumptione pecuniae mutuum contractum; in *d. l. qui negot.* 34. debitorem nondum pecuniam conſumpſiſſe, & ita mutuum contractum non fuiſſe. Verum apparet ſatis, Ulpianum hic admiſiſſe, quod Africanus admittendum non putaverat, ſi quidem jus civile per Juriſconſultos quotidie in melius producebatur, *l. 2. §. poſt orig.* 13. *D. de origine juris*, & ſua paulatim habuit incrementa, ut quod antea non admittebatur, tractu temporis reciperetur, *l. fideicommiſſa* 11. §. *ſi rem ſuam* 12. *D. de legat.* 3. vid. Cujac. *tract.* 8. *ad Africanum* ad *d. l. qui negot.* 34. *D. mandati.* & *lib.* 8. *Obſervat. cap.* 8.

Lex xvi. Paulus Lib. 32. ad Edictum.

Si ſocius propriam pecuniam mutuam dedit, omnimodo creditam [pecuniam] facit, licet caeteri diſſenſerint. Quod ſi communem numeravit, non alias creditam efficit, niſi caeteri quoque conſentiant, quia ſuae partis tantum alienationem habuit.

Societas vel univerſorum bonorum contrahi poteſt; puta ſi convenerit inter ſocios, ut omnia bona communicentur, vel partis bonorum, ſi convenerit ut ex certa re, aut negotiatione ſocietas contrahatur, *l. 5. in princip. D. pro ſocio.*

Finge, Titium cum Maevio ſocietatem univerſorum bonorum contraxiſſe, alioquin nulla eſſet dubitatio, quin partis bonorum ſocietate contracta Titius ſuam pecuniam credere, vel alio modo alienare poſſit, quia rei ſuae quisque eſt arbiter, moderator, & dominus, *l. ſed & ſi* 25. §. *conſuluit* 11. *D. de petit. hered. l. nemo* 9. *C. de Judaeis. l. in re mandata* 21. *C. mandati.* At ſi ponamus contractam fuiſſe omnium bonorum ſocietatem, quomodo Titius propriam pecuniam habere potuit, cum bona ſociorum continuo contracta ſocietate inter eos communicentur, *l. 1. §. 1. D. pro ſocio.* Fingendum eſt igitur, Titium poſt contractam omnium bonorum ſocietatem, propriam pecuniam habuiſſe, eamque crediſſe, ſicque dominium pecuniae creditae in debitorem tranſtuliſſe; nam quae poſt contractam ſocietatem, uni ex ſociis acquiruntur, non ſtatim communia fiunt, ſed ſocius judicio ſocietatis communicare cogitur, *l. ſi quis ſocietatem* 74. *D. pro ſocio.* Quod ſi Titius communem pecuniam crediderit, non conſentiente Maevio, tantum pro parte Titii erit credita; quia licet Titius univerſorum bonorum ſocietatem cum Maevio contraxerit, pro parte ſua tantum, non pro parte Maevii pecuniam, aut rem aliam communem alienare poteſt, *l. nemo* 68. *D. eod. tit. pro ſocio. l.* 3. *C. de rerum commun. alienatione.*

Quamvis autem *haec lex* 16 jungenda ſit cum *l. ſi unus* 67. §. 1. *D. pro ſocio.* ex eod. lib. 32. Pauli ad Edictum; non tamen recte inſeras, non univerſorum bonorum, ſed partis, ſocietatem in *hac l.* 16. contractam fuiſſe. Vide Cujacium *lib.* 23. *Obſervat. cap.* 17. & lib. 32. Pauli ad Edictum, in quibus locis variavit.

Lex xvii. Ulpianus Lib. 1. Diſputationum.

Cum filiusfamilias viaticum ſuum mutuum dederit, cum ſtudiorum cauſa Romae ageret, reſponſum eſt a Scaevola, extraordinario judicio eſſe illi ſubveniendum.

Studiorum cauſa Roma adibatur, *l. ſi longius* 18. §. 1. *D. de judiciis. l. Titia* 36. *D. ad municipalem:* quod & ad tempora Caſſiodori obſervare licet, *lib. 4. Variarum epiſtol.* 6. Igitur qui Romam ſtudiorum

cauſa

cauſa iverat, viaticum ſuum crediderat, id eſt, pecuniam, quam ad ſumptus viae, & peregrinationis pater ei deſtinaverat. Ulpianus ait ex ſententia Scaevolae, *filiofamilias extraordinario judicio ſubveniendum eſſe.* Non omnes quidem actiones filiifamilias ſuo nomine exercere poſſunt, *l. filiusfam.* 9. *D. de obligat. & act.* qui a parentibus, in quorum ſunt poteſtate, competunt; ſed abſente patre, cauſa cognita, utiles actiones eis exercere permittitur, *d. l. ſi longius* 18 §. 1. *D. de judiciis.* ſeu actiones in factum, *l. in factum* 13. *D. de obligat. & act.* quae jungenda eſt cum *h. l.* 17. ex eod. lib. 1. Diſput. Ulpiani. Rationem affert Ulpianus in *d. l. ſi longius* 18. ne filius egeſtate laboret interim, dum pater expectaretur. Et ſane, ut Sidonius Apollinaris lepide ait *lib.* 7. *epiſt.* 2. cum de viatico loqueretur, quod a patribus frugi, & parum liberalibus datur filiis: *Nil eſt viatico levi gravius.*

Lex xviii. Ulpianus Lib. 7. Diſputationum.

Si ego pecuniam tibi quaſi donaturus dedero, tu quaſi mutuam accipias; Julianus ſcribit, donationem non eſſe. Sed an mutua ſit, videndum. Et puto nec mutuam eſſe: magisque nummos accipientis non fieri, cum alia opinione acceperit. Quare, ſi eos conſumpſerit, licet condictione tenatur, tamen doli exceptione uti poterit: quia ſecundum voluntatem dantis nummi ſunt conſumpti.

Contractus mutui & donationis quadantenus ſunt affines. Uterque re contrahitur; in utroque dominium transfertur. In hoc potiſſimum differunt, quod in donatione res ita datur, ut nihilum reddatur; in mutuo res ita datur, ut alia ejusdem generis reddatur. Is, qui donat, non habet animum recipiendi, *l.* 1. *D. de donationibus*: in mutuo is, qui dat, habet animum recipiendi, *l.* 2. *D. h. t.*

Finge; Titius dedit 10. Maevio donandi animo ut liberalitatem in Maevium exerceret. Maevius accepit 10. animo mutuandi, quaſi Titius ea 10. crederet, non donaret. Tractat hic Ulpianus (ut ſolet) in lib. Diſputationum, an donatio, vel mutuum ſit contractum, negatque donationem eſſe (ex ſententia Juliani) negat etiam mutuum eſſe contractum; quia Maevius 10. alia opinione acceperit, id eſt, alia opinione, quam qua dabantur. Titius habebat opinionem donandi, non credendi, ſi tamen Maevius 10. a Titio accepta conſumpſerit, putat quidem Ulpianus, Maevium teneri condictione: verum ſi Titius Maevio velit 10. condicere, Maevium poſſe Titium agentem doli mali exceptione repellere, quod ſcilicet Maevius 10. ſecundum voluntatem Titii conſumpſerit. Inſpiciunt ſemper juris autores voluntatem dantis, ut ex eorum ſchola refert Seneca *lib.* 5. *de Beneficiis cap.* 19. *Sed ut dialogorum altercatione ſepoſita tamquam JCtus reſpondeam, mens ſpectanda eſt dantis.* Caeterum ſententia Juliani, quam hic affert Ulpianus, fortaſſe fuit in lib. 13. Digeſtor. Juliani, *l. cum in corpus* 36. *D. de acquirend. rer. dom.* quae tamen manifeſto pugnat cum *h. l.* 18. Ibi Julianus exiſtimat, proprietatem pecuniae, quam Titius donandi gratia tradiderit, tranſire in Maevium, licet Maevius eam pecuniam, non ut donatam, ſed ut creditam, ſeu mutuam acceperit. Ulpianus hic ait, nummos non eſſe factos accipientis; Julianus ſi non donationem, ſaltem contractum eſſe mutuum exiſtimat. Ulpianus hic neque mutuum, neque donationem eſſe contractam; Ulpianus negat mutuum eſſe contractum, quod Maevius alia opinione nummos accepiſſet. Alia quidem opinione Titii, non Maevii Julianus *d. l. cum in corpus* 36. non impedimento eſſe, quod Titius & Maevius circa cauſam dandi, atque accipiendi diſſenſerint, dummodo in corpus, id eſt, in ipſam pecuniam conſenſerint: atque ita fruſtra conciliandi rationes quaerunt, ubi manifeſta probatur diſſenſio.

Ad §. Si ego 1.

§. 1. *Si ego quaſi deponens tibi dedero; tu quaſi mutuam accipias: nec depoſitum, nec mutuum eſt. Idem eſt, & ſi tu quaſi mutuam pecuniam dederis; ego quaſi commodatam oſtendendi gratia accepi. Sed in utroque caſu, conſumptis nummis, condictioni ſine doli exceptione locus erit.*

Tres iſti contractus re contrahuntur, mutuum, depoſitum, commodatum, *l.* 1. 2. 3. 4 *&* 5. *D. de obligat. & act.* Tres quoque iſti contractus in pecunia contrahi poſſunt; nam pecunia commodari poteſt oſtendendi gratia, ut hic loquitur Ulpianus, *l.* 3. *in fine. & l.* 4. *D commodati.* Verum in mutuo ſolo dominium transfertur, non in depoſito, *l.* 17 §. 1. *D. depoſiti* Neque in commodato, *l.* 8. *D. commodati.* Mutuum datur in abuſum, ut pecunia credita conſumatur; commodatum fit ad uſum, non ad abuſum, *d. l. in fin D. commodati.* Si contrahentes diſſentiunt, cum alius habeat animum deponendi, alius habeat animum mutuandi, alius animum commodandi, nec mutuum, nec depoſitum, nec commodatum contrahitur: conſumpta tamen pecunia condici poteſt, neque condictioni exceptio doli mali opponetur. Jungi autem poteſt *huic legi* 18 *l. ſi quis donationibus* 38. *D. de contrahend. empt.* & *l. qui mihi* 13. *D de donat.* ex eod. lib. 7. Diſput. Ulpiani.

Lex xix Julianus Lib. 10. Digeſtorum.

Non omnis numeratio, eum, qui accepit, obligat, ſed quotiens id ipſum agitur, ut confeſtim obligaretur. Nam & is, qui mortis cauſa *pecuniam donat, numerat pecuniam: ſed non aliter obligavit accipientem, quam ſi exſtitiſſet caſus, in quem obligatio collata fuiſſet; veluti, ſi donator convaluiſſet, aut is, qui accipiebat, prior deceſſiſſet. Et cum pecunia daretur,* ut aliquid fieret, *quamdiu in pendenti eſſet, an id futurum eſſet, ceſſabit obligatio; cum vero certum eſſe coepiſſet futurum id non eſſe, obligabitur, qui accepiſſet; veluti, ſi Titio decem dedero,* ut Stichum intra Kalendas manumitteret, *ante Kalendas nullam actionem habebo, poſt Kalendas ita demum agere potero, ſi manumiſſus non fuerit.*

Ex numeratione pecuniae contrahitur naturalis obligatio, *l.* 10. *D. de SCto Macedoniano. l ſi ita* 126. §. *Chryſogonus* 2. *D. de V. O.* Et naturalis dicitur, quod naturaliter, id eſt, re ipſa, ſeu facto contrahatur, ut ſolutio fieri naturaliter, quae fit numeratione pecuniae, *l. ſolutam* 49. *& l. penult. D. de ſolut.* Ita ergo videretur, eum, qui pecuniam accepit re ipſa, & facto ſtatim obligari. Verumtamen ex numeratione pecuniae obligatio non contrahitur, niſi quis ea mente acceperit, ut obligetur; idque duobus exemplis probat Julianus.

Primum eſt de donatione pecuniae, quae fit certa cauſa: puta ſi quis mortis cauſa donaverit pecuniam; is, qui accepit non ſtatim obligatur, ſed ita demum, ſi aut convaleſcat donator, *l. cum quis* 12. *D. de condict. cauſa data.* aut cum poeniteat, aut praemoriatur donatarius, §. 1. *Inſt. de donat.*

Aliud exemplum eſt, quando donatio fit ſub modo; puta, ſi pecunia detur, ut aliquid fiat. Finge; Titius 10. dedit Maevio, ut Maevius Stichum ſervum ſuum, intra Calendas manumitteret. Maevius qui 10. accepit ante Calendas Titio non obligatur, poſt Calendas, ſi non manumiſerit ſervum, obligatur. Contractus ille, *do tibi decem, ut Stichum manumittas*, eſt contractus innominatus, qui ad articulum illum refertur, *do ut facias*, *l.* 5. §. *at cum do* 2. *D. de praeſcriptis verbis.* poterit igitur Titius 10. Maevio condicere, ſi Calendis ſervum non manumiſerit, *l.* 7. *D. eod. tit. de praeſcriptis verbis.* Sed cur non fit ſervus liber ipſo jure, ex interpretatione conſtitutionis divorum Principum, quae producta eſt ad hanc ſpeciem, *ſi quis pecuniam acceperit ut ſervum manumittat*, *l.* 38. §. 1. *D. de liberali cau-*

ſa, *l. 4. C. ſi mancipium ita fuerit alien.* hic Maevius pecuniam accepit a Titio, ut Stichum manumittat; ſi non manumiſerit tempore praeſtituto, cur non ei ex interpretatione conſtitutionis libertas competit?

Obſervandum eſt, multum intereſſe inter contractum venditionis, donationis, & contractum innominatum, *Do ut facias*. In venditione non licet poenitere, ſi dominus ſervum ea lege vendiderit, ut emptor manumittat, ſive dominus pro manumiſſione ſervi pretium acceperit, eumque vendiderit, ut ipſe manumittat. Et hoc modo intelligere debemus *d. l.* 38. *D. de liberali cauſa.* neque etiam in donatione licet poenitere, & ideo conſtitutio locum habet in donatione, *l. penult. D. qui ſine manumiſſ. ad libert. perv.* Sed in contractu innominato, *Do ut facias*, poenitentiae locus eſt, *l. 3. §. 2. & 3. l. 5. §. 1. D. de condiction. cauſ. dat.* Unde ſi Maevius Stichum non manumiſerit tempore dicto, & Titium poeniteat, poterit Titius 10. quae dederat condicere, *d. l. 5. §. 2. & d. l. 7. D. de praeſcriptis verbis.* Atque ita ſervus non fit liber. Sic in donatione inter virum & uxorem ea lege facta, ut ſervus manumittatur, tempore elapſo, quo ſervus manumitti debuit, non fit liber, quia donatio hujusmodi revocari poteſt, *l. 7. §. 8. D. de donat. inter vir. & uxor.*

Ad §. Si pupillus 1.

§. 1. *SI pupillus ſine tutoris auctoritate crediderit, aut ſolvendi cauſa dederit, conſumpta pecunia condictionem habet, vel liberatur: non alia ratione, quam quod facto ejus intelligitur ad eum, qui acceperit, perveniſſe. Quapropter ſi eandem pecuniam is, qui in creditum vel in ſolutum acceperat, alii porro in creditum vel in ſolutum dederit, conſumpta ea, & ipſe pupillo obligatur, vel eum a ſe liberabit; & eum, cui dederit, obligatum habebit [vel ſe ab eo liberabit] nam omnino, qui alienam pecuniam credendi cauſa dat, conſumpta ea, habet obligatum eum, qui acceperit: item qui in ſolutum dederit, liberabitur ab eo, qui acceperit.*

Licet pupillus meliorem ſuam conditionem facere, aliosque ſibi obligare poſſit, ſi tamen mutuam pecuniam absque tutoris auctoritate crediderit, debitorem ſibi non obligat numeratione pecuniae; quia rerum ſuarum pupillus alienationem non habet, *l. obligari 9. §. 1. D. de autor. & conſenſu. tut. §. nunc adm. 2. Inſt. quibus alien. licet vel non.* Eadem ratione, ſi pupillus absque tutore creditori ſolverit, nummos non facit accipientis, nec liberatur a creditore, *l. interdum 29. D. de condict. indebiti. d. l. obligari 9. §. 2. D. de autor. & conſenſ. tutor. l. quod ſi forte 14. §. ult. D. de ſolut. & liberat.* Si tamen is, qui accepit nummos a pupillo ſine tutoris autoritate, in creditum vel ſolutum, eos bona fide conſumpſerit, condictio, & liberatio pupillo continget. Atque ita oſtendit Julianus in *h. §.* ex numeratione pecuniae, quam pupillus crediderit, non ſtatim obligationem naſci; ſed tum demum, cum pecunia conſumpta fuerit.

LEX XX. JULIANUS Lib. 18. Digeſtorum.

SI *tibi pecuniam donaſſem*, ut tu mihi eandem crederes, *ut credita fieret? Dixi, in hujusmodi propoſitionibus non propriis verbis nos uti: nam talem contractum neque donationem eſſe, neque pecuniam creditam. Donationem non eſſe, quia non ea mente pecunia daretur, ut omnimodo penes accipientem maneret: creditam non eſſe, quia exſolvendi cauſa magis daretur, quam alterius obligandi. Igitur ſi is, qui pecuniam hac conditione accepit, ut mihi in creditum daret, acceptam dederit, non fore creditam: magis enim meum accepiſſe intelligi debet. Sed haec intelligenda ſunt propter ſubtilitatem verborum: benignius tamen eſt, utrumque valere.*

Pacta, quae fiunt contra ſubſtantiam contractuum, immutant ipſos contractus, ut in aliud genus contractus tranſeant; *l. cum manu 80. §. ult. D. de contrah. empt. l. 6. D. de praeſcript. verbis.* Subſtantia donationis in eo conſiſtit, ut res donata fiat accipientis, neque ullo caſu ad eum, qui dedit, revertatur, *l. 1. in princip. D. de donat.*

Finge; Titius Maevio 10. dedit, ut eadem 10. Maevius Titio reddat. Julianus negat eſſe donationem, quaſi dominium non ſit tranſlatum a Titio in Maevium, *l. qui ſic 55. D. de ſolut.* vel quia 10. a Titio data ad eum reverti debeant. Negat etiam Julianus mutuum eſſe contractum, quia cum Maevius Titio 10. reddit, vel credit potius, ſolvere magis videtur, quam credere, & Titius magis ſuum, quam alienum recipere: eſt igitur aliud genus contractus innominati, praeter donationem, praeterque mutuum; quod quidem ſecundum verborum ſubtilitatem, & proprietatem ita dici poſſe ait Julianus, ut neque donatio ſit neque mutuum. Tandem nihilominus in ea eſt ſententia, ut valeat uterque contractus, & ex donatione Titii dominium pecuniae in Maevium transferatur, rurſusque a Maevio credita pecunia Titio acquiratur: quam ſententiam Juliani probavit deinceps Hermogenianus, *l. qui id quod 33. §. 1. D. de donat.* adverſus Ulpianum in *dict. l. qui ſic 55. D. de ſolut.*

Hic autem obſervatione dignum eſt, Julianum ſubtilitatem juris rejeciſſe, & id, quod benignius erat, admiſiſſe, ut in *l. ſi ita 13. D. de liberis & poſthumis. l. ita 51. D. ad L. Aquil.* e diverſo Proculejani ſubtilitatem juris ſequebantur, quod ab Antiſtio Labeone, illius ſcholae Principe, acceperant. Atque in praecipua videtur fuiſſe utriusque ſcholae juris auctorum diſcrepantia, quod Sabiniani aequum & bonum, ſeu id, quod benignius erat, ſequerentur; Proculejani jus ſtrictum: neque enim Celſus Proculejanus iſtam aequi bonique diſceptationem admittebat, *l. ſi ſervum 91. §. ſequitur 3. D. de V. O.*

LEX XXI. JULIANUS Lib 48. Digeſtorum.

Q*Uidam exiſtimaverunt, neque eum, qui decem peteret, cogendum quinque accipere, & reliqua perſequi: neque eum, qui fundum ſuum diceret, partem duntaxat judicio perſequi. Sed in utraque cauſa humanius facturus videtur Praetor, ſi actorem compulerit ad accipiendum id, quod offeratur: cum ad officium ejus pertineat, lites diminuere.*

Haec lex jungenda eſt cum *l. 8. D. ſi pars hered. pet.* ex eod. lib. 48. D. Juliani. Ubi ait poſſeſſorem, cui facta eſt controverſia totius hereditatis, poſſe partem hereditatis defendere, partem aliam cedere heredi ſcripto vel legitimo. Hic autem Julianus refert quosdam aliter ſenſiſſe in actionibus in perſonam, & in ſpeciali in rem actione, ſeu rei vindicatione.

Finge; Titius petebat a Maevio 10. Maevius 5. offerebat: non putabant Titium cogi 5. accipere. Vel finge; Titius a Maevio fundum petebat, ſi de parte fundi Maevius controverſiam non faceret, adhuc putabunt Titio fundi totius petitionem competere. Ratio, eſt quod ſolutio eodem modo fieri debeat, quo obligatio contracta eſt, *l. prout 80. D. de ſolut.* & quia minus commoda eſſet creditori per partes facta ſolutio, *l. plane 3. D. famil. erciſc.* Verum tamen Julianus hic putat Praetorem debere Titium cogere ut 5. oblata a Maevio accipiat, idque minuendae litis gratia, quod Praetor ſtudere debet, *l. ſi cujus 13. §. ſed ſi 3. D. de uſufr. l. 1. §. & poſt 9. D. de novi operis nunciat.*

Valde adverſari videtur *l. Julianus 13. §. offerri 8. D. de action. empti. l. qui pignori 19. D. de pign. & hypoth. l. tutor 41. §. 1. D. de uſuris.* quibus in locis creditor ſolutionem pecuniae, ſibi debitae, per partes accipere non tenetur.

Obſervare autem debemus, creditorem in *h. l. 21.* partem cogi accipere juriſdictione, & poteſtate Praetoris, apud quem actio poſtulabatur. Finge; poſtulabat Titius aqud Praetorem actionem adverſus

Mae-

Maevium in 10. cum diceret ſibi Maevium in eam ſummam eſſe ex contractu obligatum. Maevius non negabat ſe debere 10. ſed 5. Titio offerebat. Praetoris partes ſunt ex ſententia Juliani, ut Titium cogat 5. accipere ſibi oblata; in alia 5. det Titio adverſus Maevium actionem; atque ita lis inter Titium & Maevium pro parte minuatur. Praetor id facere poteſt juriſdictione ſua, cum apud eum actio poſtulatur; quod non permitteretur judici dato, ſeu delegato a Praetore. Praetores aliique habent juriſdictionem; judices dati habent tantum notionem, *l. 5. D. de re judicata. l. notionem* 99. *D. de V. S.* Magiſtratus poſſunt actionem denegare, *l. ſed & ſi* 26. §. 4. *D. ex quibus cauſis majores. l. ſi debitor* 30. *D. de ſolutionib.* Judices dati coguntur judicare, *l. de qua* 74. *D. de judiciis.* Quare *h. l.* 21. intelligere debemus, cum actio in jure, ſeu apud Praetorem poſtularetur, non ſi pars debiti apud judicem delegatum offeratur, vel extra judicium.

LEX XXII. JULIANUS Lib. 4. ex Minitio.

V*inum, quod mutuum datum erat, per judicem petitum eſt: quaeſitum eſt, cujus temporis aeſtimatio fieret; utrum cum datum eſſet, an cum litem conteſtatus fuiſſet, an cum res judicaretur? Sabinus reſpondit, ſi dictum eſſet, quo tempore redderetur, quanti tunc fuiſſet: (ſi non, quanti tunc) cum petitum eſſet.* † *Interrogavi, cujus loci pretium ſequi oporteat? Reſpondit, ſi conveniſſet,* ut certo loco redderetur, *quanti eo loco eſſet: ſi dictum non eſſet, quanti ubi eſſet petitum.*

Res mutuo datae, vel condictione certi, vel condictione triticiaria repeti poſſunt. Triticiaria prodita eſt ad eas res petendas, quae pondere, numero & menſura conſtant; puta oleum, vinum, triticum & alias merces, excepta pecunia numerata, *l. 1. D. de condict. tritic.* Condictione certi intendimus, rem mutuo datam nobis dare oportere: ſi vinum datum fuerit mutuum, ut vinum reddatur, condictione triticiaria rei mutuo datae aeſtimationem petimus; quia pretium mercis ſecundum tempora varietatem recipit, *l. ideo* 3. *D. de eo quod certo loco.* & fieri poteſt, ut vini mutuo dati, vel alterius mercis pretium auctum ſit. Condictio certi eſt ſtricti juris; condictio triticiaria eſt arbitraria, in qua, arbitrio judicis, rem mutuo datam aeſtimare permittitur. Haec autem lex referenda eſt ad condictionem triticiariam quia ſub *h. t.* de omni condictione agitur.

Finge; Titius vinum mutuum dederat Maevio, & ab eo vinum condictione triticiaria petierat, non ut vinum, ſed ut vini pretium, quod fortaſſe pluris erat, Maevius redderet. Quaerebatur cujus temporis aeſtimatio fieri deberet, an contractus, ſeu cum vinum mutuum datum eſſet; an litis conteſtatae, ſeu cum vinum per judicem petitum eſſet; an rei judicatae. Julianus ex Sabino diſtinguit, an certo tempore vinum reddi convenerit, ut illius temporis aeſtimatio ineatur, *l. Quoties* 59. *D. de V. O.* ſi vero nihil convenerit inter creditorem & debitorem, litis conteſtatae tempus ſpectari oportere, ut ex eo tempore fiat aeſtimatio. Omnino convenit Sabino Caſſius, utpote ejuſdem ſcholae, & Juliano Gajus, in *l. ultima. D. de condict. triticiar* ubi verba illa, *quanti tunc cum judicium acciperetur*, intelliguntur de litis conteſtatae tempore. Judicium acceptum non eſt res judicata, ſed lis conteſtata, *l. videamus* 38. §. *actionem* 7. *D. de uſuris.* Ratio, cur litis conteſtatae tempus ſpectetur, haec eſt, quod eo tempore, quo vinum, vel alia merx, petitur, ſolvi debeat & ita illius temporis, quo ſolvi debet, fieri aeſtimatio. In judiciis bonae fidei fit aeſtimatio ex tempore rei judicandae, non litis conteſtatae, *l.* 3. §. 2. *D. commodati.* quia tunc judex ex aequo & bono aeſtimat, quod alterum alteri dare oporteat, §. *in bonae fidei* 30. *Inſt. de act.*

Caeterum obſtare *h. l.* vulgo exiſtimant *l. penult.* *D. de condictione triticiaria*; ubi fit aeſtimatio, quanti plurimi res fuerit a tempore morae factae, ſeu litis conteſtatae, ad tempus condemnationis, ſeu rei judicatae: quod ita debet intelligi, ſi debitor moram fecerit. Hic autem moram non fecerat, & propterea fit aeſtimatio tantum ex tempore litis conteſtatae, ſeu judicii accepti, non etiam quanti plurimi res fuerit a lite conteſtata ad rem judicatam. Et hoc quidem nonnullis ſcio placuiſſe, qui ſe ad obices *huic legi* objectos removendos antea exercuerunt. Verum quidem tentari poteſt, in utraque ſpecie moram factam fuiſſe, tam in *d. l. ult. D. de condict. triticiar.* quam in *h. l.* 22. Titius vinum mutuo datum, per judicem, ſeu apud judicem petiit; Maevius paſſus eſt ſecum litem conteſtari, & condemnatus fuit. Sane in mora fuit Maevius, qui litem ſecum conteſtari paſſus eſt, *l. 3. in princip. D. de uſuris. l. nemo* 82. §. 1. *D. de V. O.* nam mora poteſt fieri ante litem conteſtatam: ſed poſt litem conteſtatam mora certius facta deprehenditur, *l. ſed & ſi* 25. §. *ſi ante* 7. *D. de petit. heredit.* ſed magis in mora fuit Maevius poſt condemnationem: ita ut in utraque ſpecie moram interceſſiſſe dicendum ſit.

Sed ratio conciliandae *d. l. penultimae* cum *h. l.* 22. aliter iniri poteſt, conſtituta differentia, cum ſpecies certa petitur, condictione triticiaria: veluti Stichus in *d. l. penult.* aut cum merces petuntur, ut in *h. l.* 22. & *d. l. ult. D. de condict. triticiar.* Primo caſu quando homo vel certa ſpecies petitur, fit aeſtimatio ex tempore morae, quanto poſt moram deterior ea res facta eſt. Secundo caſu quando merx petitur, quae in ſuo genere functionem recipit, fit aeſtimatio ex tempore litis conteſtatae, quo merx petita eſt, & dari debuit. Ratio differentiae manifeſta eſt ſatis, quia ſpecies certa perire & deterior fieri poteſt, *l. ſi ex legati* 23. *D. de V. O.* Genus autem perire non poteſt, nec deterius fieri, cum ſemper ejuſdem bonitatis vinum reddi debeat, *l. 3. D. h. t.* Denique ſervus mercis appellatione non continetur, *l. mercis* 207. *D. de V. S.* quae juncta eſt cum *l. cum quis* 22. *D. de Obligat. & act.* ut ita manifeſto appareat differentia, cum ſervus, vel aliae merces petantur condictione triticiaria. Atque ut compendio quodam orationis quaeſtio illa de ineunda aeſtimatione rei debitae finiatur, ſic diſtinguendum eſt:

Cum agitur actione ex ſtipulatu, fit aeſtimatio rei debitae ex tempore litis conteſtatae, *l. hominem* 37. *D. mandati. l. fundum* 28. *D. de novat. & delegat.* Et cum petitur condictione triticiaria vinum, frumentum, vel aliae merces, *h. l.* 22. & *l. ult D. de condict. trit.* Si vero certa ſpecies petatur (puta veſtis, vel Stichus) fit aeſtimatio ex tempore commiſſae morae, *d. l. penult. D de condict. triticiaria.* Cum agitur ex bonae fidei judiciis, vel agitur id, quod intereſt, & fit aeſtimatio, quanti plurimi res fuit, a tempore contractus, ad condemnationem, *l. 3. §. ſi per vendit.* 3. *D. de act. empti l. ſi ſterilis* 21. §. *cum per vendit.* 3. *D. eodem.* vel agitur ad reſtitutionem rei debitae, & juratur in litem; tum fit aeſtimatio ex tempore rei judicandae, *d. l. 3. §. in hac* 2. *D. commodati.*

Ad verſ. Interrogavi.

Eadem hic eſt ratio temporis & loci, & in *l. ult D. de condict. trit.* non tamen eadem ſemper, quia debitor, qui certa die ſoluturum ſe promiſit, ſolvendo ante diem liberatur, *l. quod certa* 70. *D. de ſolution. l. cum tempus* 17. *D. de R. J.* At debitor, qui certo loco daturum ſe promiſit, ſolvendo alibi non liberatur, *l. 2. D. de eo quod certo loco.*

LEX XXIII. AFRICANUS Lib. 2. Quaeſtionum.

S*i eum ſervum, qui tibi legatus ſit, quaſi mihi legatum poſſederim, & vendiderim: mortuo eo, poſſe te mihi pretium condicere, Julianus ait; quaſi ex re tua locupletior factus ſim.*

Monuimus in praefatione ad hunc titulum, agi ſub

ſub *h. t.* de omni condictione, quare iſta *lex* 23. eſt de condictione ſine cauſa.

Finge; quidam Titio legaverat ſervum per vindicationem: Maevius cum putaret ſibi ſervum legatum eſſe, aliquanto tempore poſſedit, ac deinde vendidit Sempronio: ſervus mortuus eſt apud Sempronium emptorem. Africanus ex ſententia Juliani, cujus diſcipulus fuit, cujuſque autoritate in libris ſuis Quaeſtionum plurimum utitur, ait poſſe Titium ſervi mortui pretium Maevio condicere. Legatus hic fuerat ſervus per vindicationem, quo genere legati dominium recta via tranſibat ad legatarium, *l. quotiens* 47. *§ ult. D. de peculio. l.* 3. *§. ſi rem* 2. *D. de legat.* 3. *l. a Titio* 64. *D. de furtis.* & ita dominium ſervi legati Titio quaeſitum erat. Maevius autem juſto errore ductus, cum putaret ſervum ſibi legatum eſſe, Sempronio vendidit. Res aliena vendi poteſt, *l. rem alienam* 28. *D. de contrah. empt.* Maevius ſervum alienum quidem ut ſuum tamen vendidit. Ait igitur Africanus, poſſe Titium legatarium venditi a Maevio ſervi, & apud Sempronium emptorem mortui, pretium condicere, ſcilicet condictione ſine cauſa, quae ex aequo & bono competit, *l. ſi & me* 32. *h. t. l. ſervus quem* 30. *D de act. empti.* Ut condictio ob injuſtam cauſam, *l.* 6. *D. de condict. ob turpem vel injuſt. cauſam. l. rer.* 25. *D. de act. rerum amotar.* ita indebiti condictio naturalis eſt ex naturali ratione, ſeu ex aequo & bono introducta, *l. indeb.* 15. *D de condict. indeb.* nam contra naturalem aequitatem eſt, alium ex alterius re fieri locupletiorem, *l. nam hoc* 14. *D. eod. tit. de condict. indeb l. ſi quis* 17. *§. Proculus* 4. *D. de inſtitutor. act.* Si mala fide Maevius ſervum poſſediſſet, eumque vendidiſſet, mortuum ſervum Titius adhuc vindicare potuiſſet, *l. ſi a domino* 36. *§. ſi praedo* 3. *D. de pet. hered* At cum Maevius bona fide ſervum vendidiſſet, iſque apud emptorem mortuus ſit, tantum ſupereſt, ut poſſit Titius pretium ſervi Maevio condicere, qui vendidit ſervum Titii, quique ex re illius factus eſt locupletior, ut ita ſi non rem ſuam, quae periit, ſaltem pretium rei ſuae Titius habeat.

Lex XXIV. Ulpianus Lib. ſing. Pandectar.

S*I quis* certum *ſtipulatus fuerit, ex ſtipulatu actionem non habet: ſed illa condicticia actione id perſequi debet, per quam* certum *petitur.*

Si res certa in ſtipulationem deducta ſit, agitur condictione certi. Proprie quidem condictio certi datur ex mutuo, *l.* 5. *§.* 1. *D. de oblig. et act. §.* 2. *Inſt. quibus modis re cont. oblig.* quia id, quod mutuo datur, ſemper certum eſt; utpote pondere, numero, menſurave conſtans. Sed condictio certi ex aliis etiam contractibus datur, *l.* 9. *D. h. t.* Hanc generalem certi condictionem, illam ſpecialem, quae ex mutuo datur, dixerunt interpretes. Nec tamen aliam eſſe condictionem exiſtimo, qua certum ex mutuo, vel ex aliis contractibus petitur. Si vero res incerta in ſtipulationem deducta ſit, agitur ex ſtipulatu condictione incerti, *§.* 2. *Inſt. de V. O. l.* 6. *C. de contrahend. & commit. ſtip.* & haec quoque incerti condictio, generalis eſt, nec tantum ex ſtipulatione, ſed & ex aliis contractibus datur, *l. ſi binarum* 35. *D. de ſervit. praed. urban. l. ſed & ſi* 22. *D. de condict. indebiti. l.* 3. *D. de condict. ſine cauſa. l. ſi tibi* 8. *D. de Act. empti. l. ſi quis* 12. *D. de novat. & delegat.* Atque, ut certi condictio concurrit cum aliis actionibus, *l. in duobus* 28. *§. exceptio* 4. *D. de jurejurando.* ita condictio incerti cum aliis quoque actionibus concurrit, *d. l. ſi quis* 12. *D. de nov. & deleg.*

Lex XXV. Ulpianus Lib. ſing. [de officio] Conſularium.

C*reditor, qui ob reſtitutionem aedificiorum crediderit, in pecuniam, quam crediderit, privilegium exigendi habebit.*

Sumpta eſt ex lib. ſingulari Ulpiani de officio Conſularium: qui quidem conſulares, primum ab Adriano IV. fuerant inſtituti ad Italiam regendam, ut autor eſt Capitolinus *in D. Pio cap.* 2. ſed poſterioribus temporibus, conſulares etiam fuerunt in aliis partibus Occidentis, atque Orientis, qui inter Praeſides provinciarum referuntur, *l. unica, in principio. C. ut omnes judices tam civil. quam mil.*

In *hac* autem *lege* agitur de privilegio creditoris, qui pecuniam ad refectionem aedificii credidit, ut privilegium habeat exigendi, id eſt, ut caeteris creditoribus, ſive chirographariis, ſive hypothecariis, licet anterioribus, praeferatur. In pignoribus & hypothecis, qui prior eſt tempore, potior eſt jure, *l.* 2. *&* 4. *C. qui potiores in pign. hab.* & regula iſta locum habet tam in pignore conventionali, quam in pignore judiciali, quod capitur ex cauſa judicati, *l.* 10. *D. qui potior.* non tamen in pignore praetorio, *l. cum unus* 12. *D. de reb. auct. jud. poſſid.* Interdum vero creditores quidam, licet poſteriores, prioribus, ex privilegio, quod habent, praeferuntur, *l.* 5. *D. qui potiores.* quia privilegia creditorum non ex tempore, ſed ex cauſa rei creditae aeſtimantur, *l. privilegia* 32. *D. de rebus autor. jud. poſſid.*

Finge; Titius cum a Maevio pecuniam mutuam acciperet, ei domum ſuam pignori obligaverat, deinde cum domus Titii ruinam forte minitaretur, eamque Titius reficere vellet, a Sempronio aliam mutuam pecuniam accepit, ex qua domum reficeret; idque in mutui datione nominatim expreſſum fuit, Sempronium Titio mutuam pecuniam ad refectionem domus credidiſſe. Licet Sempronius Maevio poſterior ſit tempore, nihilominus ante Maevium privilegium habebit pecuniam ſibi debitam exigendi. Quod ex quodam SCto divi Marci temporibus facto videtur fuiſſe introductum, *l. cum duobus* 52. *§. idem* 10. *D. pro ſocio. l.* 1. *D. in quibus cauſis pignus.* quod & pluribus aliis locis confirmatur, *l. cum convenit* 20. *D. de pign. & hypot. l.* 5. *D. qui potiores. l.* 1. *D. de ceſſion. bonor. l. ſi ventri* 24 *§.* 1. *D. de rebus aut. jud. poſſidendis. Novella Juſt.* 97. *cap.* 3. Idemque juris eſt, ſi quis pecuniam ad inſtruendam, vel reficiendam navem crediderit, *l. qui in navem* 26. *& l. quod quis* 34. *D. de reb. aut. jud. poſſid.* Ideo vero creditores iſti caeteris praeferuntur, quod pecuniam credendo ad refectionem aedificii vel navis, ſalvum jus pignoris aliis creditoribus praeſtiterunt, *l.* 6. *D. qui potiores.*

At videtur obſtare maxime *l. cum poſtulaſſem* 44. *§. damni* 1. *D. de damno infect.* in qua emptor bonae fidei, qui domum alienam emit, & impenſas ad refectionem domus fecit, agente creditore hypothecaria actione, impenſas in refectionem domus factas, non reputat creditori. Ratio eſt, quod creditore agente adverſus emptorem hypothecaria actione, poſſit emptor agere adverſus venditorem evictionis nomine, *l. ſi mancipium* 34. *§. ult. D. de evict.* & ita impenſas in domum factas a venditore recuperare: tum quia emptor, qui domum emptam refecit, eo animo non refecit, ut jus pignoris in ea domo ſibi quaereret, ſed ut ſuum negotium gereret. At hic creditor eo animo dederat pecuniam ad reficiendam domum, ut domus jure pignoris eſſet obligata.

Lex XXVI. Ulpianus Lib. 5. Opinionum.

S*I pecuniam militis procurator ejus mutuam dedit; fidejuſſoremque accepit: exemplo eo, quo ſi tutor pupilli, aut curator juvenis pecuniam alterutrius eorum creditam ſtipulatus fuerit, actionem dare militi, cujus pecunia fuerit, placuit.*

Multa militibus privilegia jure militiae conceſſa ſunt, adverſus jus commune, quo pagani, ſeu hi qui non militant, utuntur, tam in condendis ſupremis elogiis, quam in negotiis contrahendis, ex quibus privilegiis unum hic proponitur.

Finge; procurator Titii militis, qui habebat centum ex pecunia ipſius, ea Maevio credidit, & fidejuſſorem ab eo accepit Sempronium, ſtipulatus

eſt

eſt procurator, a Maevio debitore, atque a Sempronio fidejuſſore eam pecuniam ſibi reddi, non militi, cujus erat pecunia. Ait Ulpianus actionem, id eſt, certi condictionem, ex ea ſtipulatione dandam eſſe. Jure communi per liberam perſonam nihil nobis acquiri poteſt, *l. 9. §. 4. D. h. t. l. ſolutam 11. §. per liberam 6. D. de pigner. actione. l. ſi ita 126. §. Chryſogonus 2. D. de V. O. l. 1. C. per quas perſonas. l. 4. C. ſi quis alteri vel ſibi. l. 3. C. de contrah. vel commit. ſtipul. l. 3. C. de inutil. ſtipul.* Ideo actiones ex contractibus procuratorum noſtro nomine factis, nobis non acquiruntur, *l. per procuratorem 72. D de procurator. l. quaecunque 11. D. de obligat. & act.* ſed procurator, qui ſuo nomine contraxit, actionem mandati judicio cedere cogitur, *l. poſſeſſio 49. §. ult. D. de acquirenda vel amitt. poſſeſſ.* Hic igitur privilegium eſt militis, ut ipſe habeat utilem actionem, licet procurator ei non mandaverit aut ceſſerit: idque exemplo tutorum, & curatorum, qui cum ex rebus pupilli, vel adoleſcentis ſuo nomine contraxerunt, nihilominus pupillus vel adoleſcens utilem habet actionem, *l. 5. §. ſi actor 19. D. de conſtituta pecunia. l. 2. D quando ex facto tut. vel curat.* Et quemadmodum ſi tutor vel curator ex pecunia pupilli vel adoleſcentis fundum comparaverit, pupillus vel adoleſcens vindicare poteſt, *d. l. 2. D. quando ex facto tutor. l. 3. C. arbitr. tutel.* Ita ſi procurator militis fundum ex pecunia ipſius comparaverit, miles utilem habet vindicationem, *l. ſi ut proponis 8. C. de rei vind.* Verum tamen id jus commune omnium eſſe videtur, non jus ſingulare, aut privilegium militum, *l. quod procurator 68. D. de procurat.*

Alii negationem in ea ex Baſilicis reſtituendam putant, ſecundum Graecos interpretes, & ita legunt: *dominus petere non poteſt*. Alii de procuratore praeſentis intelligunt; puta ſi procurator in praeſentia domini, & ex re ipſius ſtipulatur, *l. ſi procuratori 79. D. de V. O.* Quamvis enim ea regula veriſſima ſit, per procuratorem actionem nobis non acquiri, ſive ſuo nomine, ſive noſtro contraxerit; tamen aliquando per procuratorem actio nobis acquiritur, *d. l. ſolutam 11. §. per liberam 6. D. de pignerat. act.* ut in ſtipulationibus praetoriis, *l. 5. D. de praetoriis ſtipulat.* quae jungenda eſt cum *d. l. 79.* ex eod. lib. 48 Pauli ad Edictum. Vel ſi dominus ex contractu procuratoris ſui teneatur, ex eodem contractu utilem actionem exercere poteſt, *l. Julianus 13. §. ſi procurator 25. D. de action. empti.*

Lex xxvii. Ulpianus Lib. 10. ad Edictum.

Civitas mutui datione obligari poteſt, ſi ad utilitatem ejus pecuniae verſae ſunt: alioquin ipſi ſoli, qui contraxerunt, non civitas, tenebuntur.

Ulpianus lib. 10. ad Edictum, exponebat eam partem Edicti perpetui, quae eſt de negotiis geſtis, ut deprehenditur ex inſcriptione *l. 1. & 3. D. de negotiis geſtis.* Ibi & de actoribus, Syndicis, ſeu adminiſtrationibus civitatum egerat, vel aliarum univerſitatum, *l. 7. D. Quod cujuscumque univerſit. l. 4. D. quod juſſu. l. bona 15. D. de V. S.* ex eod. lib. 10. Ulpian. ad Edictum. Hic igitur differentiam proponit Ulpianus inter actorem civitatis & procuratorem privatorum, ſi quidem procurator domini, qui mandato illius pecuniam ſumit mutuam, ipſum dominum obligat; nec inquiritur, an pecunia in rem domini verſa ſit, *l. liberto 31. D. de negotiis geſtis.* ſed ſi actor civitatis mutuam pecuniam nomine civitatis accepit, non aliter civitas tenetur, quam ſi pecunia in rem civitatis verſa ſit, idque creditori probaverit.

Ratio differentiae eſt, quod actores civitatum, magis cum tutoribus pupillorum, vel curatoribus minorum, quam cum procuratoribus privatorum comparantur: reſpublica enim minoris jure uti ſolet, *l. penult. C. quibus ex cauſis maj.* Quemadmodum igitur tutores pupillorum, vel curatores adoleſcentum, qui mutuam pecuniam acceperunt, eorum nomine non aliter pupillos, vel adoleſcentes obligant, quam ſi pecunia in commodum eorum ceſſerit, *l. 7. C. quando ex facto tutoris &c.* Ita nec actores civitatum aliter civitatem obligant, quam ſi pecuniam mutuo ſumptam in publicos uſus converterint. Imo videtur plus licere adminiſtratoribus civitatum, quam procuratoribus privatorum: nam procurator, cui privatus aliquis negotiorum ſuorum adminiſtrationem dederit, rem domini pignori dare non poteſt, mutuam pecuniam accipiendo, niſi ſpecialiter illi mandatum fuerit, *l. ſolut. 11. §. ult. D. de pigner. action.* Et tamen Syndicus, ſeu actor civitatis rem civitatis pignori obligare poteſt, mutuam pecuniam accipiendo nomine civitatis; licet hoc illi ſpecialiter mandatum non fuerit, *l. ſi is 11. in princip. D. de pignor. & hypoth.* Id vero etiam eſt exemplo tutorum & curatorum; quia tutor pupilli rem, & curator rem adoleſcentis pignori dare poteſt, ſi mutuam pecuniam accipiant, & in rem pupilli, vel adoleſcentis vertant, *l. tutor 16. D. de pignerat. action. l. 1. §. 5. D. de rebus eor. qui ſub tutel. l. 3. C. ſi res aliena pignori data ſit.*

Lex xxviii. Gajus Lib. 21. ad Edictum proviciale.

Creditor, qui non idoneum pignus accepit, non amittat exactionem ejus debiti quantitatis, in quam pignus non ſufficit.

Creditor, qui dat mutuam pecuniam debitori, & pignus ab eo accipit, debitorem habet obligatum actione perſonali & hypothecaria. Perſonalis obligatio eſt principalis: hypothecaria eſt acceſſoria, quae accedit principali obligationi pecuniae creditae, *l. 4. §. 4. D. de re judicata.*

Sed finge, Titium, qui dederat 20. mutua Maevio, pignus 10. ab eo accepiſſe, non videtur tacite remiſiſſe partem debiti: ſed ſi tantum. 10. Titius diſtracto pignore habeat, 10. reliqua perſonali actione perſequetur.

Ratio eſt, quod acceſſoria obligatio ex principali quidem ſubſiſtat, *l. cum principalis 178. D. de R. J.* At principalis obligatio ſine acceſſoria poteſt ſubſiſtere; vel ab initio (puta ſi creditor pignus non acceperit; vel tantum pro parte debiti acceperit, *l. 5. D. de pignor. & hyp.*) vel ex poſtfacto, ſi creditor debitori pignus reddiderit, *l. 3. D. de pactis.* ſi pignus perierit apud creditorem, *l. 8. C. de pignerat. act. l. ſervo 25. C. de pigner. & hypoth.*

Non obſtat, quod ſi Titius loco Maevii debitoris alium debitorem non idoneum acceperit, non propterea Titius poſſit reliquum adverſus Maevium perſequi, *l. inter 26. §. abeſſe 2. D. mandati.* quia novatione facta, ſublata eſt Maevii obligatio: cum alium debitorem loco Maevii ſibi delegari creditor voluit.

Lex xxix. Paulus Lib. 4. ad Plautium.

Si inſtitorem ſervum dominus habuerit, poſſe dici Julianus ait, etiam condici ei poſſe, quaſi juſſu ejus contrahatur, a quo praepoſitus ſit.

Si dominus ſervum cuilibet negociationi exercendae propoſuerit, inſtitoria actio adverſus dominum datur; ſed & ſi ſervo inſtitori credita ſit pecunia, creditor adverſus dominum condictione certi agere poterit directo, perinde ac ſi dominus ipſe mutuam pecuniam accepiſſet, *§. ultimo Inſt. quod cum eo &c. l. heres 19. §. 4. D. de judiciis. l. 5. D. quod juſſu.* quae jungenda eſt cum *h. l. 29.* Quod ſi dominus non ſervum, ſed liberum hominem (mercibus puta vendendis emendiſque) propoſuerit, non directa adverſus dominum, ſed utilis, ſeu exemplo inſtitoriae actionis, datur actio, *l. liberto 31. D. de negot. geſtis. l. in eum 19. D. de inſt. actione. l. Julia-*

nus 13. *§. ſi procurator* 25. *D. de act. empt. l.* 5. *D. de ſtipul. praetor.*

Ratio differentiae eſt, quod ſervus, qui eſt in domini poteſtate, una eademque cum eo perſona intelligitur, *l. ſi ſervus* 42. *D. de damno infecto.* Theoph. in §. *un ſervo* 32. *Inſt. de legat.*

Lex XXX. Paulus Lib. 5. ad Plautium.

QUi pecuniam creditam accepturus, ſpopendit creditori futuro, in poteſtate habet, ne accipiendo ſe [ei] obſtringat.

Plerumque numerationi pecuniae, ut aliis contractibus adhibetur ſtipulatio, firmandae obligationis cauſa: ſed multum intereſt, utrum in ipſa pecuniae numeratione ſtipulatio praecedat numerationem, vel ſequatur; an vero aliquo poſt tempore numerationem pecuniae ſtipulatio ſubſequatur: ſi quidem in ipſa numeratione pecuniae ante vel poſt numerationem ſtipulatio adhibeatur, id actum videtur, ut unus ſit contractus ſtipulationis non mutui, *l.* 6. *& 7. D. de novat.* niſi forte inutilis ſit ſtipulatio, ut in *l.* 9. *D. h. t. l.* 1. *§.* 1. *D. de ſtipul. ſervor. l. ſi ita* 126. *§. Chryſogonus* 2. *D. de V. O. l.* 3. *C. de contrah. & commit. ſtipul.* tunc enim duo contractus initi videntur. Quod ſi ex intervallo numeratio pecuniae praeceſſerit, & ſequatur poſtea ſtipulatio, erunt duo contractus, & novabitur mutuum in ſtipulationem, ſi id actum ſit, *d. l.* 7. *D. de novation.* ſi ſtipulatio ex intervallo praecedat numerationem, erunt & duo contractus. Veluti ſi filiusfamilias ſtipuletur, & paterfamilias factus mutuam det pecuniam, *l. quidam* 132. *in fin. D. de V. O.* vel ſi creditor a filiofamilias ſtipuletur, eique patrifamilias facto credat pecuniam, *l.* 3. *&* 4. *D. de SCto Maced.*

Finge ad *h. l.* 30. Titius ſtipulatus erat a Maevio centum, Maevius Titio ſpoponderat quaſi 100. ab eo mutua accepturus: obligatus eſt quidem Maevius ex ſtipulatione, ſed in poteſtate ejus eſt, ne ex mutuo obligetur, *l. penultim. D. quae res pignori.* Duo ſunt contractus, unus ſtipulationis, qui praeceſſit; alter mutui, quod ſubſequi debuit: ſi Titius ex ſtipulatu adverſus Maevium velit agere, exceptione doli mali repelletur, *l.* 2. *§. circa* 3. *D. de doli mali & metus excep.* vel exceptione non numeratae pecuniae, *§.* 3. *Inſt. de exceptionibus.* habita ratione, non ad contractum ſtipulationis, ſed ad contractum mutui, quod ſequutum non eſt. Quod ſi Titius creditor pecuniam ſe crediturum Maevio promiſiſſet, ſi nolit credere, Maevius adverſus eum agere poterit, quanti intereſt ſua, pecuniam non eſſe creditam, *l. ſi poenam* 68. *D. de V. O.* In poteſtate debitoris eſt, ut mutuam pecuniam non accipiat: in poteſtate creditoris non eſt, ut mutuam non det pecuniam, quam crediturum ſe promiſit.

Lex XXXI. Paulus Lib. 17. ad Plautium.

CUm fundus vel homo per condictionem petitus eſſet, puto, hoc nos jure uti, ut poſt judicium acceptum cauſa omnis reſtituenda ſit: id eſt, omne, quod habiturus eſſet actor, ſi litis conteſtandae tempore ſolutus fuiſſet.

In (omnibus) actionibus bonae fidei uſurae & fructus veniunt ex die morae; in ſtricti juris judiciis, ex die litis conteſtatae. Condictiones ſunt ſtricti juris: ſive igitur condictione indebiti agatur, ſive condictione ob rem dati, ſive condictione certi, poſt judicium acceptum ſeu litem conteſtatam, omnis cauſa actori reſtituenda eſt; hoc eſt, fructus ex homine vel fundo percepti in reſtitutionem veniunt, *l. illud* 40. *D. de petit. hered. l. videamus* 38. *§. ſi actionem* 7. *D. de uſuris. l.* 8. *D. de re judicata.*

Ad §. ſervum tuum 1.

§. 1. *SErvum tuum imprudens a fure bona fide emi; is ex peculio, quod ad te pertinebat, hominem paravit, qui mihi traditus eſt: Sabinus, Caſſius, poſſe te mihi hominem condicere; ſed, ſi quid mihi abesſet ex negotio, quod is geſſiſſet, invicem me tecum acturum. Et hoc verum eſt: nam & Julianus ait, videndum, ne dominus integrum ex empto actionem habeat; venditor autem condicere poſſit bonae fidei emptori. Quod ad peculiares nummos attinet, ſi extant, vindicare eos dominus poteſt, ſed actione de peculio tenetur venditori, ut pretium ſolvat: ſi conſumpti ſint, actio de peculio evaneſcit. Sed adjicere debuit Julianus, non aliter domino ſervi venditorem ex empto teneri, quam ſi ei pretium ſolidum, & quaecumque, ſi cum libero contraxiſſet, deberentur, dominus ſervi praeſtaret. Idem dici debet, ſi bonae fidei poſſeſſori ſolviſſem: ſi tamen actiones, quas adverſus eum habeam, praeſtare domino paratus ſim.*

Locus eſt valde obſcurus & luce interpretationis egens. Jungendus *h. §.* cum *l. ſi ſervus* 24. *§. ſervum* 1. *D. de actione empti.* ex quo aliqua lux mutuari poteſt. Finge; Titius Stichum ſervum Maevio domino ſubreptum a fure emerat bona fide, cum putaret Titius furem ſervi dominum eſſe. Stichus ex peculio, quod erat Maevii domini alium ſervum (puta Pamphilum) a Sempronio emerat: Sempronius Pamphilum ex cauſa emptionis tradidit, non Sticho, qui emerat, non Maevio domino Stichi, & cujus nummis Stichus Pamphilum emerat; ſed tradidit Titio, cui Stichus ſerviebat, & ita & traditione Pamphilus Titio acquiſitus fuit, *l. ſi ſervus* 21. *D. de acquirendo rerum dominio.* Quaerebatur, quomodo Maevio domino Stichi conſuli poſſet, ex cujus peculio ſeu nummis Pamphilus emptus erat. Sabinus & Caſſius putabant, Maevium poſſe Titio Pamphilum traditum condicere, ſcilicet condictione indebiti; quia alius poteſt indebitum condicere, quam qui ſolverit, *l. Dominus* 53. *D. de condictione indebiti.* Alii locum iſtum intelligunt de condictione ſine cauſa; verum Sempronius Pamphilum tradiderat Titio non ſine cauſa, ſed ex cauſa venditionis: alii vero tradiderat per errorem nempe Titio, cum Maevio vero domino Stichi tradere debuiſſet; ideo agere potuit Maevius adverſus Titium condictione indebiti; de qua Paulus eodem libro 17. ad Plautium egerat, *l. in ſumma* 65. *D. de condictione indebiti.* verum ut illa dabant condictionem Maevio, ita putabant Titium cum Maevio viciſſim poſſe agere de peculio, *d. l. ſi ſervus* 24. *§.* 1. *D. de actionibus empti.* ſi quid Stichus ex negotiis Titii geſtis ei deberet. Julianus aliam viam invenit, quae Maevio domino conſulatur: puta ſi ratum haberet contractum ſervi, & ageret ex empto adverſus Sempronium, Pamphili venditorem; quo caſu Sempronius ſervum Titio traditum condiceret indebiti condictione, *l. ſi mandavero* 22. *§. fugitivus* 9. *D. mandati.* Quod ſi Maevius contractum ſervi ratum habere nollet, poſſe eum nummos extantes a Sempronio venditore vindicare, & viciſſim Sempronium poſſe agere adverſus Maevium actione de peculio, quatenus eſt in peculio ſervi. Juliani ſententiae Paulus adjiciendum putat. Si Maevius ratum haberet contractum ſervi ageretque ex empto adverſus Sempronium, non quatenus eſt in peculio ſervi, ſed ſolidum ſeu totum pretium Pamphili, ab eo empti, praeſtare debuiſſe, quaſi Sempronius non cum Sticho ſervo, ſed cum Maevio domino contraxiſſet, *l. ſi ſervus* 57. *D. de Aedilitio edicto.* Hoc igitur caſu, quo Maevius dominus ratum habuerit contractum Stichi, & agat ex empto adverſus Sempronium venditorem (licet Sempronius Titio bonae fidei poſſeſſori Pamphilum ſolverit, ideſt, tradiderit) pretium Pamphili debet Maevius offerre Sempronio, *l. Julianus* 13. *§. offerri* 8. *D. de actionibus empti.* & Sempronius actionem, quam habet adverſus Titium, praeſtare; puta indebiti condictionem, ut ita ceſſio actionis pro traditione Pamphili habeatur, *l. quod debetur* 51. *in fine. D. de peculio.*

T A N T U M.

DISPUNCTOR

AD

MERILLIUM;

SEU DE

VARIANTIBUS CUJACII INTERPRETATIONIBUS

in Libris Digeſtorum,

DISPUNCTIONES

L I I I.

AUCTORE

OSIO AURELIO,

Anteceſſore.

Google

I L L U S T R I
INTER ORDINARIOS
P A T R I C I O,
HIERONIMO BIGNONIO,
OSIUS AURELIUS, JCtus.

S. D.

E*St ille quidem mos rectus, jam olim uſu receptus* (Vir Clarissime) *novi homines ut primitias ſuas offerant ſapientioribus: non ob eam cauſam rectus, quam putas vulgus hominum, qui patrocinium operum ſuorum ſtatuunt in eorum dignitate, quibus adſcribunt ea: quam infirmam admodum ac fluxam rationem puto. Clientum enim humilitatem erigere ſolet ac recreare patronorum ſplendor: at non aliunde literariis lucubrationibus accedere juſta commendatio poteſt, quam ex ſuo merito, ut nec faſtidium niſi ex ſua ſterilitate. Non abnuam ſane, honoris aut ſtudii nonnihil hoc officii genus continere, ut & alterius cujusque rei munuſculum, quod ex donantis magis affectu, quam ex rei pretio aeſtimatur: juſtius autem & conſultius arbitror eum facere, librum ac opus ſuum qui peritiſſimo dicat, ei ſcilicet qui poſſit & maxime velit de eo ferre judicium: cujus vel opinio in approbando, vel in improbando cenſura, irrevocabili praejudicio fatum faciat libello. Haec una me ratio* (*Vir Sapientiſſime atque Ornatiſſime*) *movit, ut* Diſpunctiones meas de Variantibus Cujacii opinionibus *ad Te mitterem diſpuncturum illas, & ad incudem revocaturum: quem mavelim habere judicem ea fide, probitate, ſcientia, ac diligentia, qua Tu es, quam adplauſores ac benevolos alios quoscunque, qui in judicando pendeant ipſi de aliorum judiciis, aut quibus tantum ab otio non vacet, ut rem, per ſeſe, explorare poſſint. O quam ſuave eſt homini muſico, coram perito cantore carmen modulari, & artis ad praecepta modos inflectere! Quam ingratum econtra, coram Theſſalo ludos exercere Thebanum! Quis Te melius ſcire poteſt* (*Bignoni Doctiſſime*) *ſi in alia qualibet, in juris praeſertim diſciplina illud plerumque ſolere: aberrare multos, qui collineare ſe putant. Eſt profecto ingenium idem & fatum Jurisprudentiae, quod venatoriae artis. Eſt in hominibus eadem ſaepe & infelicitas & improbitas, quae in canibus venaticis multis. Ut enim omittam, utramque artem Dei donum eſſe, vel fabulas; quae Chironi ob innatam & excultam juſtitiam, venandi ſcientiam conceſſam fuiſſe tradunt, utque ſingulis Chironis diſcipulis ſingula coelitus dona obtigerint, adeoque Palamedi Jurisprudentia: ad canum tantum ſolertiam, technas & vitia magiſtrorum referam: eorum dico, qui gloriolam ex ſcriptione venantur; qui cum nonnunquam caeteris inferiores ſint, praeſtantiores tamen iis videri volunt. De canibus itaque non injucunde Xenophon, inter malas, maxime malas docet eas eſſe, non quae in odorandis ferarum veſtigiis nictunt leniter* (*ut Feſtus ait*) *gannIendo; ſed quae velut inſanae ferarum veſtigia circumlatrantes obeunt; infauſte adeo & incaute, ut indicia temere conculcent:* μανικῶς δὲ περιφερόμεναι ὑλακτοῦσι περὶ τὰ ἴχνη ὅτε ἐς πέπλουσιν ἐς αὐλὰ ἀφρόνως καλαπατοῦσαι. τὰς αἰσθήσεις. *Sunt quae aliarum inventa praecipiunt, toties mediis in veſtigiis & curſu oculos volventes, ſibi ipſis fidem non habentes. Sed quod ait Xenophon, feroces quasdam eſſe, quae ſocias venandi peritas non ferunt una venari, cum ſtrepitu eas repellentes, in equis pariter deprehendas, non patientibus alios in itinere ſe aut praecedere, aut etiam aſſequi: quin quod ejusmodi aemulationem habere, nedum generoſos grandioresque, ſed & pumilos mirere ferociores. De canibus rurſum; quaedam veſtigiis falſis delectatae, quidvis offenderint, procurrunt cum oſtentatione, ſuae tamen ſibi fraudis conſciae. Ignobiles vero ſunt, quae a tritis quibusque limitibus, nequaquam recedunt, arduis inaſſuetae locis* φαῦλαι δὲ αἱ μὴ ἀπαλλαττόμεναι ἐκ τῶν τριμμῶν ὀρθὰ οὐ γιγνώσκουσαι. *Quidnam aptius referre & adumbrare poſſit quorundam ſcriptorum intolerabilem audaciam & inſolentes fucos? Quis vero Te melius in tota Gallia* (*Praeſtantiſſime Bignoni*) *haec animadvertere poteſt facinora, qui cum ſcientiam juris perfectiſſime calleas, ſinceritatem illam atque innocentiam habes, quae nulli ſuſpecta eſſe poſſit? Tu certe es, ut Favorino Caecilius dicebas, non Grajae modo, ſed & Romanae rei peritisſimus: cujus non ſine miraculo virtus corpuſculum, haud minus quam rerum divinarum atque humanarum ſcientia conſecravit. Non fuit alia mihi tui prenſandi cauſa. Non debui memoriam accerſere beneficiorum, quae tam ſtudioſe ac reverenter in Academiam noſtram contuliſti, cum ſpiritu & faucibus, totis denique eloquentiae, qua ſumma polles, viribus, nos vindicabas a munere ſacrae ſtipis exigendae ac corradendae: a rerum & ſupellectilis Eccleſiaſticae curatione, quam injunxerant nobis uſque ad aras* (*ut ita dicam*) *inimici, facturi nos deinceps miſerabiles aedituos, ni ſcilicet intercederet, qui hodie ſedet meritiſſimus* Franciae Senatus Prin-

CEPS

ceps Molaeus, *tunc temporis inter Auguſtum & homines* Medioxumus: *Molaeus, inquam, ille magnanimus, cujus animi candorem atque integritatem modeſta gravitas compoſiti inceſſus, vultus etiam & conveniens prudentiſſimo viro geſtus, jam ex ephebis omnino ſignificarunt: niſi Tu quoque (Bignoni humaniſſime) eadem ſpirans ſtudia, ut nobis, id eſt, Academiae ſubvenires, glorioſae vocis confiſus munimine intercederes. Sed nec urbanitatem in me tuam ac benevolentiam recenſere neceſſe habui; illam inquam, qua me pridem advocatum in Senatu haud infeliciter munere conſae cujusdam graviſſimae defunctum excipiebat, juſſum ad Te accedere per amicum tuum, quem prudens non nomino, quocum de me luculentiſſime collocutus eras: ut me licet verecundantem laudare coram in os non dubitares, & vicem dolere meam gratioſi hominis, quem mens intelligit, fortuna ſuperatam. Haec enim etſi talia ſint, quae vota palam extorquere mea debuerunt, ſubſidunt tamen animo, & ſolam tuam plane admirabilem in omni litterarum ac diſciplinarum genere praeſtantiam, qua quid electum, quid neglectum, quid laudabile, quid culpabile, quid denique amabili X vel ferali ⊙ notandum, ſagaciſſime perſpicis, intuitus atque amplexus ſum. Diſpunge igitur (*Vir Clarissime*) *meam hanc diſpunctionem, & quidquid merebitur edicito. Non is ſum, qui ita me amem, quin & amem multo magis judicium rectum. Nec dicam, quod ille:* Sive ego prave, ſeu recte haec volui, ne ſis patruus mihi. *Caeterum a Te laudari ſi merear, mercedem iſtam aeſtimo adeo, atque veneror: ut omnium aeſtimationem (ita me Deus amet!) longe minoris faciam.* Vale. *Aureliae ad Ligerim, Calendis Junii, Anno* D. M VIC. XLII.

AD

MERILLIUM,

ANTECESSOREM, ET LECTOREM SINCERUM,

OSIUS AURELIUS, JCtus.

NOn puto mihi quenquam, aut tibi ſuccenſurum, Merilli Anteceſſor, Erudite Lector, ſicubi alia nobis, quam Magiſtro noſtro, juris interpretum principi Cujacio, ſententia nonnunquam arrideat: unicuique liber eſſe debet de qualibet re (non plane divina) ſenſus & privatus ſtylus: qui ſi ratione ſubnixus eſt, quid eſt, quod debeat alii, ex ſola dicentis authoritate, cedere? πότερον ἔνι οὐδ' ἐμαυτῷ διαλέγεσθαι ῥᾴδιον ἐστί μοι; ἀλλὰ ἀφαιρήσεταί μέ τις καὶ τὴν ἔννοιαν καὶ προσαναγκάσει νοεῖν ἅπερ καὶ θαυμάζειν πᾶς ἃ βούλομαι. Aequum non eſt, omnia ad unius Cujacii auctoritatem referre, pendere ex ejus nutu ſemper, nec alii fidere aliquando, aut ſibi nunquam. Quam ſunt fatui ac deridiculi, qui de ſuo ſapiunt nihil, qui nefas putant a Cujacio recedere, qui axiomata in jure pervia, ex eo confirmant magis, quam ex legibus; qui denique nil niſi Cujacium crepant! *O imitatores ſervum pecus!* Liceat operas ſcrutari omnium ac opiniones perpendere. liceat arbitrio fuogi ſuo, ut quod melius & vero propius putamus, amplectamur: Egregius ille quidem, qui animo per ſe ſuo rimatur ac luſtrat omnia, οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει φρασσάμενος &c. qui alios ita ſequitur, vel alligat ſe ad unum aliquem ex Stoicis proceribus, ut tamen jus cenſendi ſibi ſervet! Enimvero ex tot ſcriptoribus, qui Jurisprudentiam illuſtrarunt, palma licet Cujacio debeatur; cui nedum unus aut alter ex melioribus, ſed nec ſimul omnes aequari poſſunt; qui tantum alios praegreſſus eſt, ut prius defeciſſent imitando, quam ille inveniendo ac conſcribendo fatigatus eſſet,

Nec comites volucri contenta eſt vincere curſu,
Occupat egreſſas quamlibet ante rates.
Et patitur fluctus, fertque aſſilientia longe
Aequora, nec ſaevis victa madeſcit aquis.

Denique licet diuturni tanti viri labores immortalem apud omnes eruditos commendationem meruerint, *non tamen Deus* (fateor) *ſed homo fuit Cujacius, qui proinde labi atque errare potuit.* At longe aliud eſt, in quo fortaſſe erraverit, carpere obiter & vellicare, aliud conſulto conſilio opus aggredi, quo bellum viro omnium fortiſſimo denunties.

— Non laedimur unum,
Si quis amicorum eſt auſus reprehendere verſum.

Quanto acerbius eſt, ipſa tota operis ſerie & ipſo operis Titulo, famam eminentiſſimi in re litteraria hominis attentare ac ſuggillare? Notas ſcripſerunt ad Labeonem Proculus & Paulus, ad Julianum Marcellus, ad Papinianum Paulus & Ulpianus, ad Scaevolam Tryphoninus, ad alios alii, ad aequales aequales, aut ſane vix inaequales, interdum ſuperiores: nec animo reprehendendi ſemper, ſed plerumque ut adjicerent, vel diſtinguerent; denique ut rem vel auctorem illuſtrarent & commendarent; vel etiam ut

perpetua ejus auctoritate uterentur; quod Tryphonini ad Scaevolam Notae & Javoleni ex Caſſio libri comprobant ſatis. Quis ſtylum decretorium ita ſtrinxit, ut nomine, ipſaque libri inſcriptione, laederet?

Tu, Merilli, quod veterum nemo in deceſſores ſuos facit, auſus es in Magnum Cujacium: magnam ei intentare diffamiam, concepto DE VARIANTIBUS ejus OPINIONIBUS lemmate. Quod enim tu praeſcribis, EX CUJACIO, non eſt aſſiduus marginis tuae limbus: larva papyracea eſt, quam tute ſtatim immiſſo imbre diſrumpis. In operis fronte illuſtrem ac innocuam faciem addere voluiſti. Ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές. Hoc doleo & indignor, Candide Lector. An non & indignaris ipſe, ſi quid profeceris per eum? Ægre fero Merillium, qui magis ſciat ipſe quantum Cujacio debeant Tribunalia, Scholae, univerſa diſcentium turba, & quidquid doctorum hominum eſt, tam gravem ei notam inurere voluiſſe, ut epitheto atrociſſimo, quaſi embolio inſenſorum ludorum triſtiſſimo, de fama ejus decidere, tantumque caput, velut in aula Themidis, ſolum ſibi adverſum, tam inimice decutere auderet. Quis vero ζηλοτυπίαν hanc & κακοήθειαν non deteſtetur? Quis non dicat impatientem alienae tantae laudis Merillium, non contentum plauſibus, quos ſatis luculenter collegit ex navata abs ſe in ſtudio juris opera, malam rem alii molitum eſſe, operae pretium ſibi, quo viri eximii elevata fide, ſuam ipſe erigeret, ut non tantum locum illius ſubintraret, ſed altius paullo aſcenderet? Nam quod a laudibus Cujacii magnifice Merillius exorſus eſt, Timeo Danaos. Laudatio ne eſt, quam mox ſequitur convitium? Ut non diſcedit, qui proſiliendi cauſa ſenſim uno veſtigio cedit repedatque: ſic nec alienus eſt a calumnia, qui praeconio dato, repente ſe ad maledicentiam confert. Quis credat Merillium, id aetatis ac diſciplinae hominem, expertem artis eſſe? Quis vero operis introrſus fabricam diſpiciat, non deprehenſo artificio? Laudat Cujacium Merillius, quis fortius? quis elegantius? At quis ſpernit immanius? quis deprimit altius? quem tot probris una plaga contegit, ut me non poſſit magis ſuffundere dareque peſſum, aut novum alium hominem. Fuit, inquit, in Theologicis magnae auctoritatis Origenes: eſt & magnae Cujacius in Nomicis. Quaeſo, quo ſpectat haec comparatio, niſi ut Origines haeretice multa, ita & Cujacius prava pleraque ſcripſerit? utque Gregorii Nyſſeni ſupra Origenem rectior certiorque Theologia fuit, ita conſtantior prudentiorque Merillii doctrina cenſeatur? Nam & quod fateris, Merilli, Cujacium caeteros non tantum juris interpretes excelluiſſe, verum etiam ipſos aequaſſe juris auctores, & quod te minoris facis prae illo, facile putet quis te dicere, ne ἀσύμβολος in conventu doctiſſimorum hominum fies. Ego vero ex animi quidem ſententia & ex infima animi medulla ἐξ ἄκρου μυελοῦ ψυχῆς (quod Euripides dicebat) Cujacium te conlaudaſſe, cum ſcires infra rem ipſam, omnem de eo exiſtimationem ac praedicationem exiſtere, facile crediderim: verum illum te ſpectaſſe ita, ut te magis circumſpectares, ut praecellenti Magiſtro parem te ſubinde, quinimo majorem oſtentares novo iſto opere tuo, quo quantum abs re magni Cujacii decederet, tantum tibi, vitiorum ac imbecillitatum ejus (ſi Diis placet) deprehenſori accederet, qui tibi aptatum velles quod Marci Catonis oratio quaedam prae ſe ferebat, *Ne imperium ſit veteri, ubi novus advenerit.* Quid ni credam? credat & quiſquis animum advertat ad artem illam, qua tam ſolerter uteris ad dedolandum hominem atque ita levigandum, ut longe minoris (prae te) ponderis poſt hac habeatur. *De Cujacio*, inquis, *iſta omnia: ſed qui tamen homo, & a quo alienum non fuit, ut variaret, variantesque opiniones relinqueret, quas in ejus operibus obſervari oportuit.* Tu igitur vitiorum ejus ac oblivionum obſervator & emendator, rei non bonae magiſtro, magiſter appetis videri praeſtantior! Egregiam vero laudem hac coronide ei aſpergis! *Non ita memorioſum eum fuiſſe, nec ingenium ita in numerato habuiſſe, ut qui in ſcholis recitaret ex periculo, diſſertationes & diſputationes refugeret, in quibus praeſenti ingenio opus eſt.* En deleterium pharmacum! Non vides (amantiſſime Lector) venenum in pyxide, aliud promittente titulo? Quodnam eſt iſtuc encomium? Qualem, Merilli, ſermonem diſſipas de viro praeſtantiſſimo? Qualem nobis Anteceſſorem fingis Cujacium? quem pene fungum atque immobilem exhibes, oculos ex ſcripto vix dimoventem, ſtatuam loquentem, luminibus ſi careat elinguem, pſittacum, humanas voces reddentem, infantis ſimilem, cui fandi peritiam detrahis, quod eadem vituperii ſede atque ipſa inſcitia collocatur. *Nunc ſive qui volet*, inquit Tullius *lib. 3. de Orat. cap. 35. eam philoſophum, qui copiam nobis rerum orationiſque tradat, per me appellet oratorem, quem ego dico ſapientiam junctam habere eloquentiae, philoſophum appellare malit, non impediam: dummodo hoc conſtet, neque infantiam ejus qui rem norit, ſed eam explicare dicendo non queat, neque inſcitiam illius, cui res non ſuppetat, verba non deſint eſſe laudandam*: ut diſertiſſimo omnium qui fuerunt Anteceſſorum, nedum eloquentiam detrahas; ſed etiam facundiam, elegantiam, motum, ornatum, diſciplinam, animi vigorem, memoriam, ipſam denique ſermocinationem. Cujacius certe, etſi non Attali facilem adeo in ſtudioſos animum habuit, ut evocatus paſſim obviam ſe poſcentibus ingereret, nemini tamen unquam aut commercium ſermonis negavit, aut ad quaeſtionem & conſultationem juris non plane ſatisfecit. Non habuit ille quidem horrendam, ac praecipitem illam ſermonis volubilitatem, ſeu tolutiloquentiam; ſed nec ei defuit praeterfluens oratio, aut aptiſſima rerum quarumcumque explicandarum facultas, qua praeclare omnino graviterque, quod antea lente concoxerat & meditatus erat, depromebat; ut nemo ſanus vere dicat, inopia verbi eum ſubſtitiſſe; Qui tantum abeſt, ut ex ſcripto recitaret, quin quod ejuſmodi vitium non tulerit in Profeſſore Tranſalpino, quem eo nomine ſtomachoſiſſime aliquando inſectatus eſt. Quid vero attinebat, dum recenſentur ejus laudes, repulſam commemorare, quam injuſte olim paſſus eſt, praelato ei, id eſt, Apollini (ut verbis utar Papirii Maſſoni) Midae auribus Marſia, ſi non ſtatim ab amico enarratore opprobraretur injuria? Quis tam jejuni, ne dicam iniqui laudatoris animum non ſuboleat: ſuſpiceturque ita eum laudare, ut velit non eſſe quod laudetur, ut quod minus mereatur qui laudatus eſt, protinus in laudatorem, tam opportunum ſcilicet obſervatorem rejiciatur?

Fuit haec mihi (candide & Cujacii Amantiſſime Lector) utcunque juſta cauſa indignationis adverſum Titulum iſtum DE VARIANTIBUS. Non queror de Merillio, quod quidquid eruditionis eſt in opere ſuo, id totum eſt Cujacii, nec ad hoſtem clarigatumque venio; ſed queror cum oves paſtori eripiat, audeat eum etiam excaecare, ut Agathocles Ithacenſibus objiciebat. At juſtior illa fuit quam coepi ex ipſa diſpunctione & cognitione rei. Ecquis enim eſt, qui eadem ipſa re perſpecta bene, non indignetur aeque? Hoc exaudio paſſim, pleroſque fere omnes, ſuſurris frequentibus criminationem hanc Merillianam accuſare. Doleo vero tacitas eorum querelas in apertam hactenus Apologiam non erupiſſe; quam ne ſcriberem ipſe, cauſa non una fuit. Quod ſperarem id ſatis a multis factitatum iri, nec deeſſent qui ponerent rumores ante ſalutem. Quod nollem Apologiam ſcribere, deterrente me verbo,

&

& retrudente conſcium inopiae meae, qui non potis ſum imbecillus fortem defendere, probeque norim, quam ſit mihi curta ſuppellex: denique quod etſi putarem illiberaliter habitum ac deſpieatum Cujacium, & variationes, quae dicuntur ejus, minime variationes eſſe: non ubique tamen cum Cujacio ſentirem ita, ut par eſt eum, qui Apologeticum facit. Nam ut ſenſum ipſe meum aperiam, amicus eſt Plato, ſed magis amica veritas: & placet mihi vehementer, quod de beato Cypriano D. Auguſtinus Creſcentio reſpondebat: *Nos nullam Cypriano facimus injuriam, cum ejus quaſlibet litteras, a canonica ſcripturarum auctoritate diſtinguimus. Ego ejus Epiſtolae auctoritate non teneor, quia litteras Cypriani non ut canonicas habeo, ſed eas ex canonicis conſidero, & quod in eis divinarum ſcripturarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio; quod autem non congruit, cum pace ejus reſpuo.* Tandem enimvero ut vidi, aevum conticeſcere eos, de quibus ſpes mihi erat, & omne genus Anteceſſorium aut refugere aut differre laborem, quaſi ſilentio canum proditis rebus, ut Capitolium anſer, utcumque ſervarum, aut cuſtodes ad id ſervandum, clangore excitarem meo, animum adjeci ad priorem operis partem, ceſſurus aliis alteram, ſi non eum cedant mihi, non apologiam quidem ſcripturus, ſed operis tantum Merilliani diſpunctionem: jam nunc (niſi fallor) fidem facturus, obſidianae fragmenta veras gemmas non ſcarificare, & ex quinquaginta duobus aut tribus capitibus, quibus accuſatorius conſtat hic libellus, vix uno vincere accuſatorem; cujus adeo probationes inanes ſunt, ut teſtimonia, ſi recipiantur, aut imperfecta ſint, aut Reum magis exonorantia, aut propter exceptiones nulla.

Quaeſo enim Te, Lector aequiſſime, an non iniquum accuſatorem jure dicat Merillius, qui viſis ejus Obſervationibus, quas cenſeat ratas, Si in aliquam praelectionem ejus inciderit, in qua tumultuarie forte vel tentandae novae opinionis cauſa quidpiam delibando praefatus ſit, ſtatim eum inconſtantiae poſtulet? quanto juſtius iniquiorem! Si quod oſcitantiae auditorum, & exceptorum negligentiae tribuendum ſit, innocuo ipſi Merillio faciat acceptum? Atquin hoc tamen genus probationis eſt, quo contra Cujacium plurimum utitur Merillius: caetera non probatio, ſed deceptio eſt.

Poteſt ille quidem variare, qui multa dicit; nec utique qui multa & varia dicit, variare dici debet, cum & D. Ambroſius ſaepe, aliique ſacrarum paginarum interpretes, aliter atque aliter locum eundem accipi poſſe fateantur. Quotus quiſque eſt, qui penſum diurnum publice dum agit, ſi ſaepius de eadem re diſſerat, eodem tenore ſemper ediſſerat; nec modo hanc modo illam amplectatur opinionem, ex multis periculis certior ac ſecurior factus ad unam eligendam atque evulgandam? Beatus ille, ut Plato cenſebat, cui vel in ſenectute contigerit, ut ſapientiam veraſque opiniones aſſequi poſſit!

Haud abſimilem ſortem habere mihi videntur quotidianae Anteceſſorum recitationes, collatae cum publicis ſcriptionibus, ac quae domi peccamus paucis praeter familiam conſciis arbitris; ſi haec conferantur cum his, quae propalam & in oculis omnium delinquimus: horum enim, ut fama publica eſt, & vindicta; ita illorum, extra tectum cenſura nulla.

Quae igitur iſta adverſus Cujacium ut variator audiat, probatio eſt, quod in ſcholaſtico aliquando pulvere quaeſtiones varie agitaverit (ſi modo hoc verum eſt varie agitaſſe) aut aliter quam apud ſtudioſos diſputaverit, publice ſcriptum reliquerit? Scilicet ejusmodi, ac ſi perfectam hodie emptionem, ideo imperfectam quis arguat, quod, antequam in eandem contrahentes ſententiam decurrerent, varios animi motus habuerint! Eſt apud Hymerum Rhetorem, declamatione quadam in Epicurum objurgatio, quod aliter privatim doceret, aliter publice fingeret: *ὁ ἀμφότερα δὲ μισεῖσθαι δίκαιος, καὶ ὢν ἰδίᾳ παιδεύει, καὶ ὢν δημοσίᾳ πλάττεται.* Sed nihil tale Cujacius admiſit: cui etſi contigiſſet aliquando publice aliter ſcribere, quam in auditorio recitaſſet, plane condonandum erat, rei utilitate doli ſuſpicionem omnem amovente. Quae convictio ex illa ſcriptura, quam non redivivus agnoſceret ipſe Cujacius, aliena depravatam manu? & quam puram putam ex ejus adverſariis erutam, vetitam in lucem exire;

Rideret monitor non exauditus?

Qua tandem excuſationis ſpecie expungi atque aboleri poterit haec accuſatio, ſi tantum habet aut hallucinationem, aut calumniam, ut reum affirmet dicere, quae dicere non cogitavit, aut (quod magis mirum eſt) quae negavit? Quid porro ſi totius hujusque moliminis tanta eſt infelicitas, ut, cum ex duabus, quas inter ſe diſſidentes ſtatuit accuſator, opinionibus, alteram quaſi rectiorem eligit, ſaepiuſcule deteriorem arripiat? Quod cum eſt fere incredibile, vix credas, Lector veritatis amantiſſime. Sed ne a me confictum exiſtimes, ſuſtine ac diſpice; comperies, agnoſces: tu vero tandem aliquando ad te converſus fatebere, Merilli, ſi ſolam veritatem conſectabere. Hoc enim te quoque ipſum orare non dubito, quod D. Hieronymus agonothetam Rufinum, ut inter nos contendentes veritas ſuperet: ut mihi non ſemel nunc indicanti nomen, odium non indicas velut inimico ſcriptori, ſed aurem admoveas haud inimico *DISPUNCTORI.*

DISPUNCTOR
AD
MERILLIUM;
SEU DE
VARIANTIBUS CUJACII INTERPRETATIONIBUS
in Libris Digeſtorum,
DISPUNCTIONES
LIII.

DISPUNCTIO I.

Quid ſit jus, quod neceſſitas conſtituit, in *l. penult. Dig. de Legibus Senatusque conſ.*

TExtus *legis penultimae. D. de Legib.*

Ergo omne Jus aut conſenſus fecit, aut neceſſitas conſtituit, aut firmavit conſuetudo.

HIc prima Cujacio inuritur inconſtantiae nota. Scripſit Cujacius *in Paratitlis Digeſtorum* (inquit Merillius) jus, quod neceſſitas conſtituit, eſſe Senatusconſulta. At *libro* 14. *Obſervationum, cap.* 16. dixit eſſe jus gentium. Ergo variavit.

Nego vero, *illo Obſervationum loco*, Cujacium hoc ſimpliciter dixiſſe. Nec diſſitetur Merillius, Cujacium ibi, utramque attigiſſe interpretationem. Si utramque & attulit, & conjunxit; a priore igitur non deſtitit: nec Lectoribus praejudicio ullo jus eligendi pracripuit, qui novam interpretationem ita exhibuit, ut veterem commemoraret, nec contemneret, ſed produceret. Magno vir ingenio Cujacius, cum *Paratitla* ſcriberet, & animadverteret Rubricam tituli *de Legibus* tripertitam eſſe, conceptam ſcilicet hoc modo, *De Legibus, Senatusque conſultis, & longa conſuetudine*; ſolertiſſime, Modeſtini concluſionem hanc, *Ergo omne jus aut conſenſus fecit, aut neceſſitas conſtituit, aut firmavit conſuetudo*, ad eundem titulum referendo, docuit jus, quod conſenſus fecit, eſſe Leges; jus, quod neceſſitas conſtituit, eſſe Senatusconſulta; quod firmavit conſuetudo,. eſſe mores. Nec variavit *in Obſervationibus*: licet ibi tentaverit eam Modeſtini diviſionem, ad omnes Juris Civilis partes extendere. *Sit igitur* (inquit) *ea lex penultima, concluſio totius tituli: verum tentemus etiam, ea diviſione poſſe contineri omnes partes Juris Civilis; nam & jus quod Princeps conſtituit neceſſitas fecit, & jus gentium, & ſimiliter neceſſe fuit admitti authoritatem prudentum.* Quaeſo hic conſiſtamus! An hic Cujacius aliud ſenſit, quam verbo *neceſſitatis* contineri Senatusconſulta, & Decreta Principum, & Reſponſa Prudentum, & ipſum jus gentium? Porro qui dixit, *neceſſitatis* verbo contineri haec omnia, an alius eſt ab eo, qui ante dixit eodem verbo contineri Senatusconſulta? Hoc velim in ipſo ſtatim initio mihi concedi, extenſionem cujusque rei aut verbi, variationem non eſſe. Quod ſi obtineo, ſimul & evinco cum hic, tum in plerisque omnibus, in quibus a Cujacio variatum eſſe dicitur, minime variatum eſſe. Ne igitur ita loquatur Merillius, quaſi Cujacius, *illo Obſervationum loco*, ſcripſerit, jus, quod neceſſitas conſtituit, referri poſſe ad Senatusconſulta, vel ad jus gentium: ſed advertat, magis id eum voluiſſe, ad utrumque referri poſſe.

Expoſita hoc utroque modo juris diviſione, ſubjungit Cujacius, videri Modeſtinum ſumpſiſſe hanc juris partitionem, ex hoc Menandri loco: *Τρία γάρ ἐστι πάντα δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται· ἢ κατὰ νόμον, ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἢ γε τρίτον ἔθει τινί. Non jus omne tantum, ſed & omnia aut leges efficere, aut neceſſitatem, aut conſuetudinem:* quae Latina verſio, adauget tantiſper & explanat Menandri verba. In queis explicandis, facile dedero, Menandrum de Senatusconſultis Rommorum non cogitaſſe, qui ſpeciale jus civile aliquod non perſtrinxir, ſed jure omnia fieri vel neceſſitate, vel conſuetudine, generaliter enunciavit. Non ea igitur ratione, quam reddit Merillius, *quod Senatusconſulta Romana Menander longe anteceſſerit*, qui cum Soſigene natus ſit, & mortuus Philippo archonte, Romana potuit non neſcire Senatusconſulta, quae a Republica nata; adeoque ante Lucium Papirium Curſorem, & Spurium Carbilium, quibus Conſulibus mortuus eſt, facta ſunt innumera. Quaſi vero ante eos, Provinciae nullae decretae ſint, quas Senatusconſultis ſolere decerni docet Feſtus! Quaſi nulla Senatusconſultis praeeuntibus indicta bella! nulla Senatusconſultis prorogata Imperia! de quibus Livius *lib.* 10. nulla denique Senatusconſultis ſimulachra conſecrata ſint! Val. Max. *lib.* 8. *cap. ultim.* Itaque dictum a Menandro generaliter, putavit Cujacius, Modeſtinum ad jus traduxiſſe: recte! veluti ſi dixero duas Juris partes eſſe ſummas, leges & mores, id ipſum recte dixero convenire ei, quod Phirro dicebat (fuit & Ariſtippi verbum) omnia fieri νόμῳ καὶ ἔθει: ut illo ſolo verbo νόμῳ, partes nedum contineantur Juris civilis ſcripti, ſed etiam honorarii, & ψιλοῖς τῶν ἀρχόντων, ut Baſilica habent, *cit. de Juſtit.* Aliter atque ſi non per imitationem, dixero tres eſſe juris partes, Legem, Morem & Aequitatem, ut vult M. Tullius, vel ut, *in Topicis*, legitimam, convenientem, & moribus confirmatam.

Ait Merillius, jus, quod firmavit conſuetudo, eſt jus civile non ſcriptum; quod fluxit ex interpretatione Prudentum ad leges XII. Tabularum, & fuit

non

non ſcriptum, & longa conſuetudine fuit comprobatum.

Neque omnino verum eſt, conſuetudinem, ſive jus moribus receptum, fluxiſſe ex interpretatione Prudentum, cum a pravis initiis mores incipere poſſint, *l. quod vero* 14. *& l.* 39. *D. de legibus.* & ſeparat haec Juſtinianus accuratiſſime, *§. reſponſa* 8. *Inſt. de jure naturali, gent. &c.* Neque non omnino falſum, jus, quod fluxit ex interpretatione Prudentum, longa conſuetudine fuiſſe comprobatum. Quid enim indiguit tanta prolixitate temporis, quod ſtatim propria conditoris auctoritate valuit? Pompon. in *l. 2. §. ita in* 12 *D. de orig. Juris*, ſcribit, ad interpretationem & fori diſputationem, neceſſariam fuiſſe Prudentum auctoritatem. At ejusmodi auctoritatem longa conſuetudine comprobari debuiſſe non ait. Papinianus autem, jus civile non minus ex auctoritate Prudentum venire, quam ex ipſis legibus agnoſcit, *l. 7. D. de Juſtitia & jure.* Poteſt quid uſu recipi ſuadente utilitate; poteſt & cum ipſa utilitate concurrere juriſprudentia, *l. 1. Cod. de acq. poſſ.* Sabinus & Caſſius putaverunt, poſt litem conteſtatam etiam in actione in perſonam, cauſam omnem praeſtandam eſſe officio judicis: hoc placuit, & exinde vulgo receptum eſt, *l. 2. & l. videamus* 32. *D. de uſur.* At Juriſconſultorum auctoritati, ad ipſam confirmandam, uſum accedere debere, quis tradidit? Ita poſtquam a Trebatio ſuggeſtum eſt Auguſto, Codicillos admodum neceſſarios eſſe, ad uſum eorum confirmandum, neque lege, neque longa conſuetudine opus fuit: ſola Trebatii auctoritas, & Labeonis exemplum, dubitationem omnem ſuſtulit, & jus Codicillorum admiſit, *Titulo Inſtit. de Codicillis.* Quod ſuadentibus Juriſconſultis recipitur, palam & ex ratione admittitur: quod uſu inducitur, ſenſim gliſcit & veluti irrepere videtur.

Decepit multos, quod Pomponius ſcribit, *l. 2. §. his legibus* 5. *D. de orig. Jur.* diſputationem fori & jus, quod ſine ſcripto venit compoſitum a Prudentibus, nullo proprio nomine eſſe donata, ſed communi nomine jus civile eſſe appellata. Cum enim viderent, jus, quod moribus receptum eſt, jus civile etiam dici: facile in animum induxerunt, ut crederent nihil intereſſe inter mores & jus a Prudentibus compoſitum; qua re (peto veniam a viris praeſtantiſſimis) immaniter falſi ſunt. Nam etſi utrumque jus ex non ſcripto venit, non tamen ſequitur idem eſſe. Interpretatio Prudentum ex non ſcripto quidem venit: at non, ut mores, ſolo invaluit uſu, nec ſine ſcripto perduravit. Senatusconſulta, & alia ſcita, ex ſcripto venerunt, quia monumentis ab initio conſignata ſunt: quae vero longa conſuetudine invaluerunt ac comprobata ſunt, tantae (propter diuturnum uſum) auctoritatis habita ſunt, ut neceſſe non fuerit ſcriptis ea comprehendere, *l. imo* 36. *D. de legibus.*

Itaque ſi cum longa conſuetudine reſponſa Prudentum conferantur; Haec proculdubio cum jure ſcripto reponenda ſunt, ut pars ejus intelligantur, *d. l. 7. D. de Juſtitia & Jure.* Illa vero, jus ipſum eſſe non ſcriptum dicenda eſt, *l. de quibus* 32. *cum ſeqq. D. de legibus.*

DISPUNCTIO II.

An Praeſides, qui jus gladii habuerunt, alias coërcitiones habuerint.

Textus *§. qui univerſas* 8. *leg. 6. D. de Officio Praeſidis.*

Qui univerſas Provincias regunt, jus gladii habent; & in metallum dandi poteſtas eis permiſſa eſt.

NOn eſt verum, Cujacium ſcribere *lib. 21. Obſervat. cap.* 30. contra quam unquam docuerit de Imperio Praeſidum! Non eſt verum, cum putaſſe Praeſides, omnes Imperii partes habuiſſe! Verba enim illa Cujacii, *Per eminentiam gladii poteſtas, ſumma pars meri Imperii, &c.* referenda ſunt ad expoſitionem legis, quam enarrat, id eſt, *legis 3. D. de Juriſdictione:* quae cum dicat, *Merum eſſe imperium habere gladii poteſtatem*, recte Cujacius, per eminentiam id dictum eſſe, & ποτ κατ᾽ ... obſervat, quod ſumma pars Imperii meri ſit jus gladii: *definitur*, inquit, *in dicta l. 3. utrumque Imperium non exacte, ſed per exemplum. A majori parte, meri Imperii, confecta definitio eſt; major pars eſt jus gladii.* Viden' Cujacium meri Imperii plures partes agnoſcere, ſummam; autem ac praecipuam facere, jus gladii?

Haud igitur id hac Theſi Cujacius variavit, & in quo variaſſe eum Merillius putavit, hallucinatus eſt egregie, errorem ſuum, ut alienum ſenſum amplexus. Intelligo quod Epictetus monet, non omnes Chryſippum capere Philoſophos, nec video erroris colorem. Nam eſto gladius ſit ſymbolum hujus ſummae poteſtatis (quod facile concedent qui ſciunt & in *Pſalmo 45. v. 4.* poſt ea verba, περίζωσαι τὴν ῥομφαίαν σου ἐπὶ τὸν μηρόν σου, adjectum, δυνατέ) non tamen ſequitur, omnes, qui jus gladii habuerunt, geſtaſſe eum, aut qui geſtaverunt, vel geſtare potuerunt, omnes Imperii partes habuiſſe, quod probat ſatis textus ille, *jus gladii habent, & in metallum dandi, &c.* Quae poſtrema verba ſuperflua omnino eſſent, ſi jus gladii meri Imperii partes omnes contineret. Probat id ipſum *l. 2. §. 1. l. 8. §. 1. D. de poenis. & l. 6. D. de interdictis & relegatis*, ibi *Deportandi autem in inſulam jus, praeſidibus provinciae non eſt datum, &c.*

Excellenter autem abutitur Merillius *l. 6. §. ult. D. de poenis.* ex qua tentat efficere, Praeſides poenas irrogare potuiſſe, quae aut vitam adimant, aut ſervitutem injungant, aut civitatem auferant, aut exilium, aut corporis coërcitionem contineant; cum illo *§. ult.* Non haec quidem Praeſidibus tribuantur, ſed propoſita quaeſtione quibusnam poenis reos afficere poſſent Provinciarum Praeſides, ordinator Digeſtorum; pleraque fere omnia poenarum genera (quod ars exigere videbatur & forte Ulpianus libro 9. de Officio Proconſulis praeſtiterat) enumerat, conjunctis de eodem argumento pluribus capitibus: tum demum in *l. 8. §. 1. D. eodem illo titulo*, definit Praeſides vitae adimendae jus habere, ut ſi damnaverint aliquem, ut animadvertatur, id eſt, ut gladio feriatur, non ut aliud mortis genus irrogent aut liberam reo mortis facultatem concedant: Verba *legis 6. in fine*, haec ſunt: *Nunc genera poenarum, nobis enumeranda ſunt, quibus Praeſides adficere quemque poſſunt. Et ſunt poenae, quae aut vitam adimunt, aut ſervitutem injungunt, aut civitatem auferunt, aut exilium aut coërcitionem corporis continent.* Haec, inquam, poenarum genera recenſentur, non quaſi Praeſidibus eas irrogandi jus ſit (quos jam probatum eſt exilio damnare non poſſe) ſed ut iis enumeratis, appareat, quibus poſſint, aut non poſſint, noxios plectere.

Nihilo felicius ſententiam ſuam confirmat Merillius, exemplis variarum poenarum, quibus Praeſides provinciarum Chriſtianos affecerunt: ſciendum enim eſt, adverſus Chriſtianos, ſaeviente procella, nullius non poenae irrogandae poteſtatem Praeſides, ex mandato habuiſſe. Nam cum ſaepe Litteras & Edicta, ad Rectores Provinciarum, de compellendis ad Sacrificia Chriſtianis, Principes mitterent, cujusmodi multa, Diocletiani & Maximiani ad Urbanum Paleſtinae Praefectum, commemorat Nicephorus *libro 7. cap. 14.* & Euſebius *lib. 8. cap. 14.* dubitandum non eſt, iis Edictis ſanctionem & mandatum non defuiſſe. Sed age, ne praeſumptionibus agamus! De Decio Imperatore, quo regnante viguit in Chriſtianos ſeptima vexa-

tio, Cyprianus *Epiſtola 52. ad Antonianum*, ſanda atque infanda, comminatum eum eſſe dicit: *Nonne* (inquit) *inter glorioſos martyres, deputandus Cornelius, qui tantam temporis ſedit, expectans corporis ſui carnifices, & tyranni ferocientis ultores, qui Cornelium, ad verſus Edicta feralia reſiſtentem, & minas, & cruciatus, & tormenta fidei vigore calcantem, vel gladio invaderent, vel crucifigerent, vel igne torrerent, vel quolibet inaudito genere poenarum, viſcera ejus & membra laniarent: paſſus eſt quicquid pati potuit, & tyrannum armis & bello poſtmodum victum, prior ſacerdotio ſuo vicit.* Quid ſibi hoc vult *adverſus Edicta feralia?* Sed & in libro de Novatiana ſecta, cui falſus Titulus fuit ἄθλησις Νοβάτου Ἐπισκόπου (licet hic liber, quod ad dictionem & auctoris propoſitum, viliſſimus fuerit, ut Photius memorat, ubi de Eulogio Alexandrino Epiſcopo) in eo, inquam, ſcriptum eſt, Perennium Ducenarium Chriſtianos omnes propoſito poenarum omni genere ad Idola cogere voluiſſe, cum ab Imperatoribus Decio & Valeriano mandatum haberet, πρόσταγμα λαβὼν παρ' αὐτῶν. Quid; quod privatis quibuslibet, Chriſtianos impune nedum laceſſere, ſed etiam occidere licuiſſe, teſtantur Acta Aniſiae martyris, apud Simeonem Metaphraſtem? Probat & Tertullianus *Apologetici, cap. 37. Quoties enim* (inquit) *in Chriſtianos deſaevitis, partim animis propriis, partim legibus obſequentes? Quoties etiam praeteritis vobis, ſuo Jure, nos inimicum vulgus invadit lapidibus & incendiis?* Tam effraenis igitur atque efferа in Chriſtianos licentia, ad id probandum, quod in quaeſtione eſt, nihil omnino conducit. Eſt enim, ſi verum amamus, tota ad Principum ac Tyrannorum juſſa referenda, prout referebant, qui crudeliſſimam eorum inſaniam quaerebantur. Chryſoſt. *ſermone* quodam *de S. Pentecoſt. tom. 6.* αὐτοὶ ἐξ ἀρχῆς &c.

Sed & admodum inefficax eſt illud argumentum, *Non debet, cui plus licet, id, quod minus eſt, non licere*, quod jamdudum ab hocce Imperii meri tractatu profligatum eſt. Deus bone! quis hoc neſcit? Conſulem relegare non potuiſſe, qui tamen gladio ferire potuit, *l. 14. D. de interdictis?* Itaque Cujacius ipſe noſter non fert Pontificem uti eo argumento a majori ad minus, in cauſa Imperii ac poteſtatis Eccleſiaſticae in *cap. Per Venerabilem 13. x. Qui filii ſint legitimi.*

Merillius ait: *Conceſſo Imperio mero intelliguntur omnes Imperii partes conceſſae.* Scilicet hoc ad rem eſt! Quaeſtionis ſtatus eſt, an Praeſides, qui jus gladii habent, caeteras quoque meri Imperii partes habeant? Hoc cum negatur & pernegatur; quidni probat Merillius?

Quid vero attinet, ut ad Textum illum *legis 6. D. de Officio Praeſ.* reſpondeat, commemorare Merillium, diviſas jam Ulpiani tempore fuiſſe Provincias, ac dicere Rectores univerſarum Provinciarum, omne Imperium habuiſſe; caeteros non habuiſſe? Cum vel ipſo Merillio agnoſcente, Ulpianus in *d. l. 6.* Provinciarum Rectoribus illis, jus gladii & in metallum dandi tantum conceſſerit.

Nonne denique mirum hoc eſt, Merillium *hocce capite* 2. uno loco, *legem unicam. Cod. Theodoſ. Ne ſine juſſu Principis, certis jud. liceat confiſcare*, in hoc adducere, ut probet Praeſides habuiſſe jus confiſcandi: poſtmodum in ima cera, eandem proferre, ut probet non habuiſſe jus confiſcandi?

Dicat forte, ſe prius loquutum eſſe de Praeſidibus, qui jus haberent vitae adimendae, poſtea de Praeſidibus diviſarum Provinciarum, *qui* (ita loquitur) *pleramque nec jus gladii habuerant, nec jus deportandi, nec jus confiſcandi.* Ita ne Merilli nos ludis; ut eundem locum in tam diverſas obtrudas interpretationes? Eſto; *dicta lex unica* duo genera Rectorum perſtringat! An non utrique jus gladii concedit ita, ut quibus confiſcationem negat, jus tamen gladii non adimat? *Nemo* (ſunt verba *dictae legis*) *ſibi praeſumat moderatorum Provinciarumque Rectorum, ſub quibuscunque inſulis poteſtatis quemquam patrimonii univerſis privare ſubſidiis, in illos gladii jus & jus ſeveritatis exerceant, in quos ſtatim deſtringi ferrum jura praecipiant, &c.*

Vereor, ne qui variationis alios poſtulat, non tantum impingat, ut variet ipſe; ſed etiam ut pugnantia loquatur!

DISPUNCTIO III.

An omnis Juriſdictio ſit cum Imperio: vel an aliqua ſit ſine Imperio, adeoque ſimplex & nuda.

Ad l. 3. verſ. Mixtum. D. de Juriſd. Mixtum eſt Imperium, cui etiam juriſdictio ineſt.

Cujacius ſcripſit *lib. 21. Obſerv. cap.* 30. Nullam eſſe juriſdictionem ſimplicem vel nudam. Idem (inquit Merillius) aliter, in prima expoſitione tituli *de Juriſdict.* ſcilicet ad *l.* 1. ubi hoc dixit: *Magiſtratum municipalem ſimplicem tantum juriſdictionem habere.* & ad *l. 53. Cod. de Decurionib. Duumvirum Imperium non habere, juriſdictionem habere.* Quis neget hac in quaeſtione variaſſe Cujacium?

Quaeſo te, Merilli, ſine me aliter paullo effingere quaeſtionem, in hunc ſcilicet modum: An Majores magiſtratus Juriſdictionem ſine Imperio, adeoque ſimplicem & nudam habere intelligi poſſint? Enim vero ſi quam vel animo cogitavit, qui nullam propoſuit in *d. lib. 21. Obſ. cap.* 30. hanc proculdubio ita a me conceptam quaeſtionem efformare, par fuit eum, qui de Majoribus tantum magiſtratibus loquutus eſt, de Minoribus ne verbum quidem. Huic autem quaeſtioni, ſi quis apte & convenienter reſpondere velit, quid tandem reſpondeat, niſi quod Magiſter illo loco praeſcripſit? Atqui veriſſimum illud eſt, *dicto Obſervationum loco* de Majoribus tantum magiſtratibus Cujacium tractare. Nimirum hoc agit, ut *d. l. 3. D. de juriſd.* ſimpliciter exponat: nec generalem titulum obſervationi illi tribuit, ſed hunc, *Interpretatio legis 3. D. de juriſd.* quam legem, cum perſpicuum ſit, eſſe de Mero Imperio & de Mixto, quod habent Urbani magiſtratus & Poteſtates: ſecundum haec rectiſſime ſcripſit Cujacius; *duos in ea lege terminos eſſe, quia nulla eſt juriſdictio ſimplex vel nuda.* ſcilicet in iis Magiſtratibus, de quibus *in ea lege* agitur, ut ipſius legis epigraphe indicat, quae eſt, Ulpian. lib. 2. de off. Quaeſtoris: cujus & interpretationem orditur Cujacius ab eo, quod Quaeſtor, licet merum Imperium non habuerit, non tamen ſine mixto Imperio fuerit. Atque eam fuiſſe Cujacii mentem, ſuadet & quod obſervat vir prudentiſſimus, definiri utrumque Imperium per exempla (Bonorum ſcilicet poſſeſſionis, & Judicum dationis) quae cum magiſtratibus Municipalibus non congruant; ad eos palam eſt obſervationem illam ſuam non retuliſſe: ſed nec alia exempla, quae adſciſcit Cujacius aliunde, quam ex *d. l.* 3. poſſint aptari Municipalibus magiſtratibus, ut de extraordinariis cognitionibus, de executione ſententiarum a judicibus datis redditarum. Item de decreto, quo Magiſtratus jubet judicare, aut cavere, vel quo mittit in poſſeſſionem, vel quo reſtituit in integrum.

Dicat Merillius, me praeterire duo exempla; mulctae dictionis, & modicae cujusque coërcitionis! Bona fide agnoſcam, Cujacium ea quoque proferre. At ejusmodi ſunt, inquies, ut Duumviris non denegentur: ita ſit de modica coërcitione! Sed eam Cujacius commemorat, quatenus eandem Majores magiſtratus cum aliis mixti Imperii partibus habent.

bent. Quod ad mulctae dictionem attinet, diſpiciendum, an omnino Duumviris concedenda ſit: qua de re ſtatim.

Etſi haec autem Cujacium vindicare poſſint, ut non dicatur *illo Obſervationum loco*, quidquam aſſeruiſſe, vel negaſſe de Magiſtratibus municipalibus; aliud tamen etiam eſt, quod, licet Merillio non iri probatum ſcio, commodiſſime tamen ac veriſſime rem expediat; ſi dicamus Magiſtratus municipales, ſimpliciter quidem ac per ſe, qua Magiſtratus ſunt, Juriſdictionem & Imperium vel exiguum habere (exiguum inquam, id eſt, quatenus explicandae juriſdictioni neceſſarium eſt) comparate vero, dici poſſe non habere imperium; ſcilicet ſi conferantur cum Poteſtatibus & Urbanis Magiſtratibus, qui Imperii mixti partes omnes habent: atque ita Cujacium uno loco Imperium abrogare Magiſtratibus municipalibus, ut ad *l. 52. Cod. de Decurionib.* & ad *l. 1. D. de juriſdict.* alio vero non denegare. Et quidem, quod vir Praeſtantiſſimus in recitationibus, *ad l. 1. D. de juriſdict.* Magiſtratus municipales ait non habere Imperium, nihil aliud eſt, quam non habere ea, quae magis imperii ſunt, quae abſolute Imperium dicuntur. *Nam id quod duplex eſt, ſive junctum*, inquit, *ab eo, quod majus eſt, nomen accipere ſolet, ut honeſtum quod eſt & utile, honeſtum ſimpliciter dicitur.* & infra: *ſunt plerumque alia jura, ſunt multae aliae licentiae, quae ſunt mixti Imperii; ſunt etiam alia, ſine quibus Juriſdictio expediri non poteſt: haec dantur etiam Magiſtratibus municipalibus, uti eſt modica coërcitio.* & iterum infra: *Magiſtratus Municipalis non habet omnia, quae ſunt mixti imperii, ſed neceſſario ea tantum, ſine quibus juriſdictionem ſuam explicare non poteſt.* Ex quibus apparet, ſimplicis juriſdictionis nomine, Cujacium non excluſiſſe omnes mixti Imperii partes. Videat igitur Merillius ne fallat, neve fallatur!

Quidni vero, Mixti Imperii partes minores Magiſtratibus municipalibus relinquemus? Dicuntur habere ea, quae tam Imperii ſunt, quam juriſdictionis, *l. 26. D. ad Municipalem.* Habent igitur Imperii nonnihil: *facere non poſſunt*, inquit *d. l. 26. ea, quae magis Imperii ſunt, quam juriſdictionis.* Ergo poſſunt exequi, quae tam unius cauſae ſunt, quam alterius. Melior eſt ea conſequutio, quam probatio iſta Merilliana, non opus eſſe Imperio Magiſtratibus municipalibus, ad exercendam ſuam Juriſdictionem, utpote (inquit Merillius) qui facere non poſſint ea, quae ſint Imperii. Vide quid dicas Merilli: non hoc ait *lex 26.* ſed non poſſe, quae magis Imperii ſunt facere, cum ſint proculdubio quaedam, quae magis Imperii ſint, quam Juriſdictionis, *l. 4. D. de Juriſdictione.* Deinde Juriſdictio data eſt Magiſtratibus municipalibus; igitur & iisdem ipſis ea conceſſa, ſine quibus Juriſdictio explicari non poteſt, *l. 2. D. de Juriſd.* Denique ſine modica coercitione nullam eſſe Juriſdictionem, Paulus ait, *l. ult. D. de off. ejus cui mandata eſt Juriſd.* Nec dicat Merillius, hoc nihil aliud eſſe, quam nullius eſſe momenti. Hoc enim, ſalva omnium pace, nihil eſt dicere; quia & hoc eodem recidit. Deinde quod factionem habet, ſive ab uno, ſive a pluribus fiat, ſi nullum dicatur, recte convertas nullius eſſe momenti, ut eſt teſtamentum, mandatum, emptio, fidejuſſio, pactio; ita & judicia, quae & fieri dicuntur & nulla eſſe, *Orat. pro Cluentio.* & alibi, & ipſe actus exercendae Juriſdictionis, pro nullo haberi recte dicitur, & ſententia nulla, *l. 1. D. quod quisque juris.* Stipulatio recte quoque nullius momenti eſſe dicetur, cum rite facta non eſt, cum nihil actum. At nemo belle ac Latine dixerit, Juriſdictionem nullam ſignificare nullius momenti. Non fit enim Juriſdictio, ſed eſſe vel non eſſe dicitur, *l. 1. & 2. D. de judiciis.* Nec me diſſuadebit Papa in *cap. 23. x. de Off. & poteſt. jud. deleg.* Magis enim ille quid vere, quam quid recte dicatur, attendit. Non eſt arbiter aequus latinitatis, ſed veritatis: ſed nec ibi interpretatur Juriſconſulti verba. Ergo nullam eſſe Juriſdictionem ſine Imperio, id ſignificat, nullam eſſe Juriſdictionem, quae non habeat conjunctum Imperium. Itaque cum habeant Magiſtratus municipales Juriſdictionem, ſequitur eos & Imperium habere. Et vero poſſunt Magiſtratus municipales aliqua decernere; puta ſumptum ad funus, *l. ſi quis 12. §. ult. D. de religioſis.* Poſſunt legationem injungere, *l. 19. §. idem Labeo 5. D. de Injur.* qua in re quis mihi negat Imperium aliquod verſari? *l. Munus 214. D. de v. ſig.* Poſſunt legitimos actus explicare, *l. apud 4. Cod. de vindicta libert.* quod ita intelligunt quidam, non tantum ſi eis Lege Municipii hoc datum ſit, ſed ita, ſi non ſit ademptum, *l. 25. D. ad Municipal.* Quin quod & ſaevire in ſervitia eis licet, ſi quem forte ſervum invenerint ita petulantem, ut honorem & ornamenta adtentaret, *l. item apud 15. §. unde quaerit 39. D. de injuriis.* qua forte de cauſa, Concilio Eliberitano cautum fuerat, Magiſtratum anno, quo ageret Duumviratum, abſtinere ab Eccleſia, *Can. 56. Concil. Eliber.* Scilicet haec omnia Poteſtatis ac Imperii rationem & vim aliquam habent, quae tamen adeo ſunt infra ea, quae majores ſibi vindicant Magiſtratus, ut, prae iis, nulla dicantur. Atque hoc ſenſu Paulus ſeparat Magiſtratus municipales ab iis, qui Imperium poteſtatemque habent, *lib. 5. Sent. tit. 5. de Effectu ſentent.* Ita quoque Ulpianus minores Magiſtratus ſine Imperio & poteſtate eſſe dicit, *l. 32. D. de injuriis.* ſcilicet reſpectu majorum Magiſtratuum. Et Cujacius noſter, cum ait in utraque expoſitione *legis 1. D. de juriſd.* Magiſtratus municipales Imperium non habere, citata *d. l. 26. D. ad Municipal.* in comparando loquutus eſt, ut ſequentia eodem loco oſtendunt. Denique quod Tullius *1. act. in Verrem, cap. 13.* dixit Aedilem paullo amplius, quam privatum eſſe, hoc dixit ad Conſulis comparationem. *Erat*, inquit, *tum Conſul Hortenſius cum ſummo Imperio & poteſtate, ego autem Aedilis, id eſt, paulluum plus quam privatus.*

Non dixi (quod dixit Merillius) mulctae dictionem, ex Lege municipii habere Magiſtratus municipales; quod tentat probare, nec quicquam, ex *l. ult. D. de decret. ab ord. fac.* Eſt ea res nimirum majoris momenti, id eſt, magis Imperii, quam juriſdictionis; adeoque ſolis Magiſtratibus permiſſa, id eſt, Urbanis, & Provincialibus. Ita enim exaudienda eſt *lex Aliud fraus 131. in fin. D. de verb. ſig. Magiſtratus ſolos & Praeſides Provinciarum poſſe mulctam dicere, mandatis permiſſum eſt.* Quis adeo novus & ut ita dicam hornotinus, ut ignoret Magiſtratus, ſi cum Poteſtatibus, id eſt Provinciarum Praeſidibus conjungantur, Urbanos ſignificare? Populi Romani Magiſtratus, *l. 3. D. de eo quod metus cauſa, &c. l. 4. in f. D. de interrog. act.* Omnes tenent Suetonii locum *in Claudio, cap. 23. Juriſdictionem de fideicommiſſis quotannis & tantum in urbe delegari ſolitam Magiſtratibus, in perpetuum atque etiam per Provincias Poteſtatibus demandavit.* Et ſane in *l. 1. Cod. de modo mulctar.* ſtatuitur modus, intra quem Judices mulctas dicant, tam Spectabiles, quam Illuſtres. Municipalibus nullus praeſtituitur: unde ſequitur vel infinitam eos licentiam habuiſſe mulctae dicendae, quod abſurdum eſt, vel nullam, quod veriſſimum. Itaque quod *lex 2. in fine. D. de Jud.* ait, *Jus mulctae dicendae datum eſſe his, quibus publice judicium datum eſt*, plane referendum eſt ad majores Magiſtratus, & omnino conjungendum cum *d. l. aliud fraus 131.* ubi ait, *Item mulctam is dicere poteſt, cui judicatio data eſt.* Quae verba interpretationem ſumunt ex his, quae ſequuntur; *Magiſtratus ſolos & Praeſides Provinciarum poſſe mulctam dicere.*

Atque

Digitized by Google

Atque ex iis conſtare poteſt, quod dicitur, in *l. 4. D. de Juriſdict.* & *l. 26. D. ad Municipal.* Magiſtratus municipales non habere ea, quae ſunt magis Imperii, quam Juriſdictionis, comparative omnino dici, quidquid Merillius ſcribat in *cap. 4. ſequenti:* ubi pauca nobis adnotanda ſupererunt.

DISPUNCTIO IV.

An in mixto Imperio quaedam ſint magis Imperii quam juriſdictionis? & an verbum (*Magis*) in *l. 4. D. de juriſdictione*, poſitive vel comparative ſumi debeat?

Agamus primo de quaeſtione propoſita, ſimul & de ſententia *dictae legis* 4. tum demum de variatione Cujaciana.

Ulpianus in *d. l. 4.* ait: *Jubere caveri Praetoria ſtipulatione, & in poſſeſſionem mittere, Imperii magis eſt, quam Juriſdictionis.* Quaeſtionis eſt, an illud *magis*, θετικῶς, id eſt poſitive, an potius, συγκριτικῶς ſive comparative, accipi debeat? Ponitur poſitive, cum de aliquo dicitur, non in comparando, ſed in ſeparando, ut id fere valeat quod verbum, *Potius*; veluti cum dicimus, virtutem *magis* ſectandam eſſe, quam vitia. Comparative vero accipitur, cum plus tribuit uni rei, quam alii: ſignificat tamen, rem utramque, de qua ſermo eſt, qualitatem eandem habere, ſed non eodem gradu; ut cum dicimus mel magis eſſe dulce, quam uvas. Mel dulce eſt, & uvae dulces, ſed mel magis dulce; quibus exemplis utitur Diogenes *in Pyrrhone.* Quamquam Tullius *lib. 3. de Finibus cap.* 10. mel dulciſſimum eſſe dicat, ſuo proprio genere ſaporis, non comparatione cum aliis dulce eſſe ſentiri. Alio exemplo utar, ut ſi dicam mage doctum atque in nomicis ſapientem Merillium, quam ceteros hujus ſaeculi Antecessores; ſcientiam utique non detraham ceteris, ſed prae illis Merillium faciam eminentem, & ſi patiatur ἔμψυχον βιβλιοθήκην (ut Eunapius Porphyrionem inter Sophiſtas) vel denique ſi de una eademque re vel condimento quod plures habeat ſapores dicam, ſalſum magis aliquid eſſe, quam acidum, utrumque dicam; ſed alterum magis. Idem ſi dixero Gothofredum juris interpretem, ſagacem & laborioſum, magis tamen laborioſum. Marcus Tullius ad conſecutionem refert hanc ſpeciem diſceptationis, cum dicit, aliam ſimplicem eſſe, aliam ex comparatione, *lib. 3. de Oratore, cap.* 29.

Affirmo autem omni aſſeveratione, vocabulum *magis*, in *d. l. D. de juriſdict.* comparative poni. Et primum id concedo lubens cuilibet, conjungi poſſe commodiſſime *dictam l.* 4. cum *l. 26. D. ad Municip.* Imo & partem ejus eſſe. Annuam etiamnum ſi quis velit, Tribunianum ex altera alteram concinnaſſe, quod ei uſu venit ſaepe ſaepius. Denique & illud dabo libenter, quod expetit Merillius, de Magiſtratibus municipalibus ambas illas accipiendas eſſe leges. Sed quid tum? Nimirum non ideo minus hunc eliciam ſenſum ex iiſdem legibus, Magiſtratum muncipalem (cum dicitur) non poſſe jubere caveri Praetoria ſtipulatione, aut in poſſeſſionem mittere; non poſſe in integrum reſtituere; aliaque ejuſmodi, quae ſunt Juriſdictionis & Imperii: non minus, inquam, efficiam, eſſe haec omnia, magis Imperii, quam Juriſdictionis, & quidem in comparando. Scilicet his legibus probatur plus habere majores, quam minores Magiſtratus: habent enim hi, quae ſunt & juriſdictionis & Imperii; ſed Imperii tantum habent, quantum ſatis eſt ad fovendam juriſdictionem ſuam, quae plane, ut dictum eſt, ſine aliqua parte & aliquo uſu Imperii explicari non poteſt. At illi longe plus habent, qui partes omnes Mixti Imperii habent. Haec ſunt omnium communia, forenſis diſceptatio, judiciorum conſtitutio & ſententiae dictio. In his explicandis, omnium juriſdictio imperio valet ſuo, & per Imperium vim ſuam exerit. Majorum propria ſunt, jubere caveri Praetoria ſtipulatione (puta damni infecti nomine) mittere in poſſeſſionem; jubere poſſideri bona; reſtituere in integrum, *d. l. 4. D. de Juriſd. d. l. 26. D. ad Municip.* bonorum poſſeſſionem dare; judices litigantibus dare, *l. 1.* & *l. Imperium 3. D. de Juriſdiction.* juriſdictionem ſuam defendere poenali judicio, *l. unic. D. ſi quis jus dicenti non obtemp.* & ſimilia. Sed ex his quaedam quibuſdam conceſſa ſunt moribus: quibuſdam lege vel Senatusconſulto: ut jus dandi judices, quod urbanis Magiſtratibus conceſſum eſt more majorum, propter vim Imperii ſui; Proconſuli autem & ejus legato conceſſum eſt lege, *l. cum Praetor 12. § 1. D. de Jud.* ut cum verum eſt in urbanis Magiſtratibus, hoc jus magis eſſe Imperii, quam juriſdictionis, id veriſſimum ſit in Praeſidibus Provinciarum. Tutoris dationem his non annumeramus: licet enim officio jus dicentis, quod generaliſſimum eſt, contineatur, *d. l. 1. D. de Juriſd.* quia tamen juriſdictioni & civilium cauſarum diſceptationi mixta non eſt, magis eſt, ut neque ad juriſdictionem, neque ad Imperium pertinere dicatur, *l. Muto 6. §. 2. D. de Tutel.* multoque minus adjungemus exercitionem publicorum judiciorum, quam nemo jure magiſtratus habet, *l. 1. in pr. D. de off. ejus cui mandata eſt juriſd.* Has eminentiores partes Imperii mixti, minoribus, id eſt, municipalibus magiſtratibus, denegamus: humiliores ceteras adeoque communes illas non invidemus. In Majoribus major eſt poteſtas; in minoribus minor, & igitur aliqua, non plane nulla: quod vel faſces oſtenduot, & inde poteſtas faſcium, in *l. Duumvirum 53. Cod. de Decur. Duumvirum*, inquit, *impune non liceat extollere poteſtatem faſcium, extra metas territorii propriae Civitatis.*

Sed non tantum comparatio, quam efficit verbum illud *magis*, locum habet inter magiſtratus Majores & minores; verum etiam intelligitur in ipſis ſolis per ſeſe Majoribus magiſtratibus, ut ſciamus eos tale Imperium habere, quod licet cum juriſdictione conjunctum ſit, emineat tamen in quibuſdam, & eluceat magis, quam in aliis. Quod ut innoteſcat, ſciendum eſt, mixtum Imperium, prout intellectu percipitur, ad fines, ut ita dicam, accedere Imperii meri; habet idem nomen: Imperium enim dicitur, & poteſtas, *l. Poteſtatis 215. D. de verb. ſignif.* quae poteſtas & a regibus manavit, *l. 2. §. 14. D. de Orig. jur.* Sed & ordine affine & proximum illi eſt, ut ſphaerae ſuperiori ſubactum ei coelum. Merum Imperium eſt poteſtas cenſurae publicae exercendae, ſelecta a cognitione civilium ac forenſium cauſarum, lege conceſſa: Mixtum eſt poteſtas civilium negotiorum, cauſarum, & actionum moderandarum, finiendarumve, jure magiſtratus competens, vel lege conceſſa. Illud coërcitionum graviorum partes omnes complectitur; ideoque nonnunquam ſummum dicitur, & ſummum jus, *l. 2. §. exactis deinde Regibus 16. D. de Orig. Jur.* τὸ κράτος ἄμαχον. Hoc autem, minorum tantum coërcitionum ſpecies & partes habet: verbera, vincula, carceres, cuſtodiam publicam, mulctam, pignoris capionem, & ſi quae ſint aliae. Ut igitur in eodem magiſtratu, qui Meri Imperii partes habet complures, alias aliis Majores agnoſcimus, ita in magiſtratu, qui Mixti Imperii ſpecies omnes ſibi vindicat, alias prae aliis eminere fatendum eſt; quatenus ſcilicet propius ad Merum accedunt Imperium. Ut ecce, cum in extraordinariis judiciis cognoſcit Praetor & judicat; haec facit pro Imperio & juriſdictione ſua, & cum dat, dicit, & addicit, pro Imperio aeque ſuo hoc facit! at quis non videt, magis elucere vim Imperii ejus, cum dat bonorum poſſeſ-

fio-

ſionem, cum dat judices, & cum addicit bona? cum in actibus, legis poteſtatem propius imitatur? Item cum jubet in carcerem duci, cum extra ordinem aliquem plectit, & modicam ita coercitionem exercet, ut *l. 2. D. de in jus voc.* & *l. 8. §. 2 D. de Religioſis* cum auffert rem poſſeſſori vi & jucio in rem, idque manu militari, *l. qui reſtituere 68 D. de rei vindic.* cum corpus retinet & mulctam dicit, *l. 9. in fin. D. ad Juliam Peculat.* quis neget haec omnia, proxime ad metas Imperii meri accedere? quod adeo verum eſt, ut Graeci in *d. l. 4. D. de juriſd.* Imperium interpretentur (nimis licenter) *τιμωρητικὴν ἀρχὴν καὶ ἀνεύθυνον ἐξουσίαν*, ut & Accurſius in *d. l. 2. D. de in jus voc.* Itaque verum eſt, cum dicitur jubere cavere Praetoria ſtipulatione, & in poſſeſſionem mittere, magis eſſe Imperii, quam Juriſdictionis, illud, *Magis*, comparative poni, & vero verius eſt in Imperio mixto, quaedam eſſe magis Imperii, quam juriſdictionis.

Quod autem Merillius objicit in contrarium, ita leve eſt, ut ſola negatione diſſtari poſſit. Quaecumque, inquit, ſunt Imperii mixti, ſunt aeque Imperii & juriſdictionis. Negatur aeque eſſe. Et ſane, in compoſito, non eſt aequilibrii tanta ratio, tamque certa ac neceſſaria, ut alterum ex his, quae miſcentur, plerumque non exuberet! ſatisque ſupra probavimus in multis, quae ſunt utriusque cauſae, id eſt, Imperii & juriſdictionis, praevalere & praecellere vim Imperii.

Aliam non probationem, ſed conjecturam habet Merillius, ut *magis* poſitive ſumatur, in *d. l. 4. D. de Juriſd.* quod non ad quaeſtionem, a ſe propoſitam; ſed tantum ad interpretationem *d. legis* pertinet. Conjectura eſt ex inſcriptione *d. l. 4. D. de juriſd.* & *legis 1. & 4. D. de damno infecto.* quae ſunt ex Ulpiani lib. 1. ad Edictum juncta *l. 26. D. ad Municip.* quae Pauli eſt, etiam lib. 1. ad Edictum: ubi quaeſitum vult Merillius, an Magiſtratus municipales poſſent exigere cautionem damni infecti nomine, & Ulpianum reſpondiſſe, id magis eſſe Imperii quam juriſdictionis, id eſt, magis pertinere ad Praeſides, quam ad Magiſtratus municipales: ut Imperii verbo (prout interpretatur Merillius) denotentur Praeſides, qui mixtum Imperium habent, juriſdictionis verbo Magiſtratus municipales, qui nudam (ut ille vult) Juriſdictionem habent. Quae fluxa admodum conjectura eſt, & plane falſa apud eos, qui ſimplicem nullam juriſdictionem agnoſcunt. Et ſi enim concedant, libro 1 ad Edictum tractatum eſſe, an Magiſtratus municipales potuerint exigere cautionem damni infecti; quid vetat opinari Ulpianum diſerte & plane ita reſpondiſſe non poſſe? data e veſtigio ratione, quia ea, quae magis Imperii, quam Juriſdictionis ſunt, non poſſint Magiſtratus illi facere. Quo poſito, quid efficit conjectura Merilliana?

Nunc quod attinet ad Cujacium, qui dicitur in ſecunda expoſitione Tituli *de Juriſdictione*, docere *magis* in *ſupra dictis legibus* accipi in comparando: cum in prima ejusdem tituli expoſitione, docuiſſet poſitive ſumi debere. Dicam quod res eſt, neque in prima illa expoſitione Cujacium aliter, quam in ſecunda docuiſſe. Quod integra ejusdem Cujacii oratio pervincet: *Huic*, inquit, *ſententiae nihil obſtat lex 4. hoc tit. quae ait jubere cavere, & in poſſeſſionem mittere eſſe magis Imperii, quam juriſdictionis, quoniam (magis) ponitur in comparationem.* Nolo de dolo adverſus te agere, Merilli; nolo falſum intendere: conſule tamen honori tuo.

DISPUNCTIO V.

An Magiſtratus, in Juriſdictione voluntaria, poſſit ſe ſubjicere alii magiſtratui, aequalis vel inferioris poteſtatis.

Textus *legis 14. D. de Juriſd.*

Eſt receptum, eoque jure utimur, ut ſi quis major, vel aequalis ſubjiciat ſe Juriſdictioni alterius, poſſit ei, & adverſus eum jus dici.

DUplex eſt Juriſdictio, voluntaria & contentioſa: voluntaria eſt auctoritas, quam interponit Magiſtratus, in exequendis ſolemnibus legis actionibus, veluti Manumiſſionibus & Adoptionibus, quae inter volentes fiunt, *l. 2. & 3. D. de Off. Proconſ. l. in adoptionibus 5. D. de adopt.* Contentioſa vero eſt poteſtas finiendi controverſias litigatorum, eosque cogendi ac compellendi, etiam invitos, *l. inter ſtipulantem 83. §. 1. D. de V. obl. l. quidam 21. D. de reb. cred.*

In contentioſa juriſdictione, receptum eſt, ut, ſi Major magiſtratus ſubjiciat ſe Juriſdictioni minoris (puta Conſul aut Praefectus urbi, Praetoris juriſdictioni) aut aequalis, aequali (puta Praetor alter, alterius Praetoris juriſdictioni ſponte ſe ſupponat) poſſit ei, & adverſus eum jus dici, *d. l. 14. D. de Juriſd.* dixi ſi ſponte ſe ſubjiciat; enimvero ſi detrectet Imperium, qui cogetur a minori Major, vel par a pari? *l. Ille a quo 13. §. Tempeſtivum 4. D. ad SC. Trebell.*

At quaeſtionis eſt, an in juriſdictione voluntaria, par paris, vel Major minoris Imperio ſe ſubjicere poſſit? puta ut Conſul vel Praetor apud Praetorem, ſervum filiumve ſuum manumittat. Ait Merillius poſſe. Ego contra, non poſſe; & ita Cujacium ſenſiſſe, in *Obſervationibus, lib. 7. cap. 17.* nec aliter unquam. Probatur negativa ſententia, *l. 14. D. de manumiſſ. Apud eum* (inquit Paulus) *cui par Imperium eſt, manumittere non poſſumus: Sed Praetor apud Conſulem manumittere poteſt.* Probatur item *l. 18. §. 1. D. de manumiſſis vindicta. Apud collegam autem ſuum Praetor manumittere non poteſt.*

Merillius Cujacium exiſtimat, aut fingit ſe exiſtimare in prima expoſitione tituli *de Juriſdictione* ſenſiſſe, Magiſtratum poſſe, apud alium Magiſtratum parem minoremve, legis actiones exercere. Sed quid Cujacio cum poſtumis illis operibus, quae nec dictavit, nec recognovit, ut te, Merilli, Epiſtola jam noſtra praemonuit? Quid ſi nec in poſtumis, nec ipſiſſimo, quem objicis loco, aliud cenſuit? Scio equidem non aliud ſenſiſſe *ad Papinianum libro* 1. hoc eſt ad *l. 1. D. de off. ejus cui mand. eſt juriſd.* Nec aliud ad *l. 1. tit. 63. Cod. de temporibus & reparationibus appellat.* quam interpretatus eſt, *libro 8. quaeſt. Papiniani.* ubi Bodinum tale quid ſibi adſcribentem refellebat hiſce verbis: *ut non mirer, ſi ingenioſus ille mihi adſcribat, me in l. apud eum 14. D. de manumiſſ. ſine negatione ita legere*: Apud eum, cui par eſt Imperium, manumittere poſſumus. *Quod neque manus expreſſit, neque animus cogitavit unquam.* Non aliter te hodie, Merilli, ſi viveret, profecto Magiſter exciperet.

Reſtat, ut locum illum praelectionis ad titulum *de Juriſdictione* expendamus; quem ſi libraverit ipſe non iniquis ponderibus Merillius, agnoſcet haud ita ſibi ad propinandam nobis variationem inſervire. In priore enim illa expoſitione *legis 14. D. de Juriſdictione*, brevi facta ejus enarratione, duo Cujacius praeſtat, in tractanda quaeſtione de voluntaria juriſdictione, dum Accurſii primum opinionem refert rejicitque, probata lectione Florentina, quae negationem habet: *Rectius* (inquit) *Florentini additur*

negatio, quod confirmat lex, Apud 14 D. de Manumiſſ. ſed Praetor manumittere poteſt apud Conſulem; nam Conſul majus Imperium habet. Igitur recte Praetorem manumittere apud Conſulem; apud Collegam non recte. Quibus verbis ſuam ſatis aperte Cujacius opinionem declaravit. Deinde quorumdam aliorum dictum excutit, & improbat non differentiam quidem ab iis allatam, ſed rationem tantum differentiae, cur litigare aequalis Magiſtratus apud aequalem, manumittere vero non poſſit; quae ratio erat, quod litigare Magiſtratus per procuratorem poſſit; manumittere vero per procuratorem non poſſit; ne imminuatur (inquiebant) Majeſtas Majoris magiſtratus, ſi ipſe adeat minorem. Ad haec Cujacius: *Nunc dico, ſi quis Major ſua ſponte adeat minorem magiſtratum, manumittendi cauſa, non magis ſibi faciet injuriam, quam ſi litiget per ſe: hoc vero non prohibetur facere; ergo nec illud, injuriae illius metu.* Quis non videt probatam omnino a Cujacio differentiam, quam ipſae leges ſtatuunt per ſe: at improbari rationem illam, ne imminuatur dignitas Majoris magiſtratus minorem adeuntis? Improbari, inquam, quod dum ei permittitur adire, ut per ſe litiget, non minus hoc aditione imminutum eat dignitatem ſuam, quam ſi ob aliam cauſam adeat. Jam quod vulgo legitur apud eundem Cujacium: *igitur in Majorem vel aequalem magiſtratum, nullam eſſe Juriſdictionem contentioſam vel voluntariam, niſi ſe ei ſubjiciat.* Nemo doctus atque erga Cujacium aequus, non emendabit & leget ita; *igitur in Majorem vel aequalem magiſtratum nullam eſſe juriſdictionem voluntariam; imo nec contentioſam, niſi ſe ei ſubjiciat.* Quo facto neque ipſe locus, nec quiſquam alius conſtantiſſimae Cujacianae doctrinae offendet.

Nondum ſatis! videndum etiamnum eſt, quibus momentis fretus Merillius putet in juriſdictione voluntaria, magiſtratum Superiorem vel aequalem aequali vel inferiori ſe ſubjicere poſſe. *Id*, inquit, *ſuadent verba legis 14. D. de Juriſd. ut ei poſſit & adverſus eum jus dici.* Ei, inquit, jus dicitur; puta in juriſdictione voluntaria. In eum, in juriſdictione contentioſa. Quaſi vero & in juriſdictione contentioſa non dicatur jus ei, qui vel condemnatur ipſe alii, vel cui alius condemnatur? *Qui juriſdictioni praeeſt, neque ſibi jus dicere debet, neque uxori vel liberis ſuis, neque libertis vel caeteris, quos ſecum habet* (quae ſunt verba *legis* 10. *D. de juriſd.*) quod & ipſe aſſumis, Merilli, *cap.* 10. *infra*, ubi ais, filium patri poſſe jus dicere, eumque cogere ſuſpectam adire hereditatem, ex *l.* 13. *in fin. D. ad SC. Treb.* & agnoſcis eam *l.* 10. *D. de juriſd.* eſſe de contentioſa juriſd. Et ita plane eſt, haec verba, *Ei & adverſus eum*, denotare tum actorem & reum; tum eum, ſecundum quem, & contra quem judicetur: ut ſit & ea *lex* 14. de juriſdictione contentioſa. Ita cum dicitur Praefectum urbi adire poſſe ab Argentariis, vel adverſus eos, in *l.* 2. *D. de off. Praef. urbi.* id eſt, ſive vocent, ſive vocentur. Hoc mire exprimitur in fragmento Mandati D. Hadriani, quo vetabat Praeſides, anno ſuae poteſtatis, vel ſuas vel minorum ſuorum cauſas in judicium, ſive agendo, ſive defendendo deducere: poſt annum vero, ut tam ipſis contra debitores ſuos, quam debitoribus contra ipſos, actiones intentare liceret, *αὐτοῖς πρὸς τοὺς φεύγοντας καὶ τοῖς φεύγουσι πρὸς αὐτοὺς ἐπαγαγέσθαι τὰς δίκας*, *l. pars* 42. *D. de jud.* Eo quoque pertinet quod dicitur, perpetuas actiones heredibus & in heredes tranſire, atque etiam poenales a lite conteſtata, *§. ult. Inſtit. de perpetuis & temporalib. act. l.* 9. *D. de religioſ.*

Iterum Merillius, Non magis, inquit, minuitur dignitas Magiſtratus, ſi ſe in hac vel illa juriſdictione ſubjecerit. Mihi nunc ſufficit hoc dicere, unum eſt receptum, alterum non, ut *l.* 34. *D. ibid. Eſt receptum eoque jure utimur, ut ſi major vel aequalis ſubjiciat ſe alterius [illegible], poſſit ei & adverſus eum jus dici.* Hoc cu[illegible]acius, tacite mihi videtur dicere, non eſſe [illegible] receptum, ut quis manum[illegible] apud [illegible] vel minorem ſe magiſtratum. [illegible]ſt aliquid [illegible] in ſubſtitutione vulgari & pupillari facta impuberi filio: hoc jure utimur, ut, ſi unus tantum ſubſtitutionis caſus expreſſus ſit, benigne ſuppleatur ille caſus, qui omiſſus eſt, *l.* 4. *D. de vulgari & pup. ſubſtit.* Non ita ſuppletur caſus omiſſus in inſtitutione poſtumi, qui ſi ita inſtitutus eſt, *ſi vivo me natus fuerit*, non intelligitur inſtitutus illo caſu, *ſi mortuo teſtatore natus ſit*, *l. commodiſſime* 10. *D. de lib. & poſt.* Scilicet hoc nondum receptum erat (maxime inter Sabinianos) ante Juſtiniani conſtitutionem, in *l. ult Cod. de Poſtumis hered. inſt. vel* [illegible]

Quod autem Merillius reſpondet ad *l.* 14. *D. de manumiſſ.* & *l.* 18. *D. de man. vindict.* quid talis habet? Illae leges volunt Praetorem apud Praetorem non poſſe manumittere. Merillius ait debere intelligi, niſi ſe Praetor Collegae juriſdictioni ſubjecerit: Quid! poteſt ne non ſe ſubjicere ei, ſi eum adeat? poteſt ne cogi invitus ut adeat? Quae igitur iſta diſtinctio, ubi res aliter fieri non poteſt?

DISPUNCTIO VI.

An poena contumacis, qui jus dicenti non obtemperavit, actori, vel fiſco, vel utrique vindicetur.

TEXTUS *legis un. in §. ult. D. ſi quis jus dicenti non obtemper.*

Hoc judicium, non ad id quod intereſt, ſed quanti ea res eſt, concluditur, & cum meram poenam contineat, neque poſt annum, neque in heredem datur.

Titius Sejo rem, ab eodem Sejo petitam, reſtituere condemnatus eſt: cum Magiſtratui non obtemperaret, cum rem non ſineret auferri vel abduci a Titio, in poenam condemnatus eſt, quanti res eſſet; plectendae ſcilicet ejus contumaciae cauſa. Quaeritur ab Interpretibus, an poena dividi debeat inter actorem & fiſcum? Qua in quaeſtione Merillius variantem facit Cujacium, dum ait eum in poſteriore recitatione ad *d. l. unic. §. ult. D. ſi quis jus dicenti non obtemp.* dixiſſe, poenam irrogatam ei, qui non obtemperavit Magiſtratui, partiendam eſſe inter fiſcum & actorem: in prima vero expoſitione ejuſdem tituli docuiſſe, fiſco nihil ex ea poena dandum eſſe. Quod magis (inquit Merillius) probarem.

Ego vero, Merilli, longe magis improbarem, cum ſit haec actio popularis; quod cum ſenſerit Cujacius, in utraque expoſitione hujus tituli, vix eſt ut quiſquam ſibi perſuadeat, in prima eum expoſitione docuiſſe, partiendam non eſſe poenam, in ſecunda, partiendam. Et revera ita eſt, in prima expoſitione, nihil eum de poenae partitione, ſed hoc tantum tradidiſſe, dari actionem ex hoc Edicto *ſi quis jus dicenti*, *&c.* adverſario in adverſarium: non eſſe dicendum dari fiſco, nec dari duas actiones, unam fiſco, alteram adverſario. Scripſerat Accurſius fiſco dari actionem: non cenſuit Cujacius actiones eſſe multiplicandas, rectiſſime! nam ut in accuſationibus, ita & in actionibus popularibus electioni & divinationi locus eſt. In ſecunda autem expoſitione partiendam eſſe poenam, dixit, inter actorem & fiſcum, quod ante non attigerat. Non ſunt haec contraria.

Dixi Cujacium in utraque hujuſce Tituli expoſitione cenſuiſſe, popularem eſſe actionem ex hoc Edicto: quod aperte quidem tradidit in repetita

Pra

Praelectione; in prima vero tacite tantum, ſcilicet dum perſtringit rationem, cur hoc Edicto Procurator tenetur, ſi jus dicenti non obtemperavit: quia, inquit, laedit, atque etiam contemnit auctoritatem Praetoris. Porro huic conſequens eſt, ut non temere dicatur, poenam dividi inter actorem & fiſcum; hoc enim plerumque fit in popularibus actionibus, arg. *l. propenult. verſic. Palam. D. de SCto Silan.* Interdum ſane in publicum redigitur poena, licet actio popularis ſit, cum id lege nominatim cautum eſt, ut in Lege Agraria C. Julii Caeſaris, *l. ult. in princip. D. de termino moto.* Neque alia mens Cujacio fuit, *lib.* 24. *Obſervat. cap.* 25. *in fin.* ubi & popularem eſſe hanc actionem diſerte ſcribit: licet enim ibi Vir admirandae eruditionis addubitari poſſe dicat, *utrum partienda ſit poena inter actorem & fiſcum, ut plerumque fit* (inquit) *in popularibus actionibus: an inter actorem & eum, cujus intereſt. Ut fieri oporteve Plato cenſuit in actione ſuſpecti tutoris, quae etiam popularis eſt.* Nihil tamen contra ſe dixit, qui hoc uno dicto, *Popularem eſſe hanc actionem*, omnia viſus eſt comprehendere, quae huic actioni accidere poſſunt. Platonis autem locus eſt, quem non indicat Cujacius, *lib* 11. *de Legibus.*

Merito igitur Cujacius hanc in factum actionem popularem eſſe docet, perinde atque actionem Albi corrupti, quae ſimiliter vindicat contemptam Magiſtratus poteſtatem; & quae eodem Edicto continuata ſerie conjuncta eſt, ac proinde nec poſt annum, nec in haeredem datur, juxta regulam actionum popularium, *l. ult. D. de popularib. act.* quae Ulpiani eſt lib. 1. ad Edictum, ex quo & ſumpta eſt *d. leu un. D. ſi quis jus dicenti non obtemp.*

Merillius contra putat hanc actionem non eſſe popularem; utitur hac probatione: Adverſario, inquit, contra adverſarium datur; ergo non eſt popularis. Negatur conſequentia: nam actio de dejectis & effuſis etiam adverſario, cui nocitum eſt, in adverſarium datur, nec minus popularis eſt, *l.* 5. *§. haec autem actio* 5. *D. de his qui effud.* Nec ulla eſt Popularis, quae denegetur ei, cujus intereſt; cum & ipſe praeferatur cuilibet alii, *l.* 3. *D. de Popularib. actionib.*

Ad id autem, quod ſcribit Merillius, non ita publice intereſſe, ſi non obtemperetur Magiſtratui, quomodo ſi album ejus corrumpatur, captionis evitandae cauſa, ſimplicius dicendum, Popularem eſſe actionem, quae ſuum jus Populi tuetur, *l.* 1. *D de popularib. act.* Maxime autem per hanc poenalem actionem defendi jus Populi, utpote quae illaeſam Majeſtatem tuetur ejus, qui Magiſter eſt Populi. Honorem qui gerit, publico munere fungitur, & ideo ejerare Magiſtratum ſine Populi conſenſu nemo poteſt, *l.* 2. *§. & cum placuiſſet* 24. *D. de orig. jur.* Livius *lib.* 6. Magiſtratuum poſt Principem ſancta omnibus debet eſſe perſona, ut eſt in Conſtitutionibus Apoſtolicis *lib.* 7. *cap.* 17. vel ex ipſa inſcriptione, περὶ τῦ πρὸς βασιλέα καὶ ἄρχοντας ὑποταγῆς, quo ſpectat *Canon.* 83. Canonum Apoſtolorum. Si Populi res & negotium eſt ipſa Reipublicae adminiſtratio, ut Hadrianus dicebat, an non ad Populum pertinet Magiſtratuum ſuorum auctoritatem defendere? Haec conjunguntur & unam pene rationem habent Senatus, Populus, Judicia Magiſtratus, ἐν τούτοις δὲ καὶ βουλὴ καὶ δῆμος καὶ δικαστήρια καὶ ἀρχὴ πᾶσα τὴν ἐξουσίαν ἀπόλλυσι. Plutarchus in Opuſculo πολιτικὰ παραγγέλματα. Et qui Magiſtratum gerit, Rempub. in partibus ſibi commiſſis gubernare, merito dicitur a Juſtiniano in *Procemio Inſtit. §. ult.* Erga Magiſtratum contumelioſum eſſe quenquam Lex Moſaica non patiebatur, *Exodi cap.* 22. *verſ* 28. Θεοὺς οὐ κακολογήσεις, καὶ ἄρχοντα τοῦ λαοῦ σου οὐ κακῶς ἐρεῖς: nec leges Romanae quoque. Jus dicenti non obtemperare contumelia quaedam eſt, quae ut ordinem, ita & leges & Populi jura ſtatumque Reipubl. conturbat. Quis hoc neſcit? Publicum jus in Magiſtratibus verſari & ad ſtatutum rei Romanae pertinere? *l.* 1. *§. hujus ſtudii* 2. *D. de juſt. & jure.* Eapropter minime inficiandum eſt actionem in factum ex Edicto, *Si quis jus dicenti non obtemperaverit*, aeque popularem eſſe, atque actionem de albo corrupto, & actionem in factum de inquo jure in alterum ſtatuto.

DISPUNCTIO VII.

An pactum ſit genus vel ſpecies conventionis.

Cujacius ſcribit in *Paratitlis Digeſtorum tit. de Pactis*, pactum eſſe genus; transactionem vero ſpeciem. E contra in Commentario ad *l.* 1. *D. de pactis.* pactum dixit eſſe ſpeciem. Probarem (inquit Merillius) magis pactum dici debere ſpeciem conventionis, quam genus.

Agamus ſerio, Merilli, id eſt, bona fide! Monſtra ne fingamus, quae debellare videamur! An unquam negavit Cujacius pactum eſſe ſpeciem conventionis? Sane nec in *Paratitlis* illo loco negavit: ſed cum ſciret non eſſe novum, ut quae ſpecies ſub certo genere eſt, poſſit & generis locum obtinere, ſi & ipſa ſpecies ſub ſe habeat, quod vulgo docent ad *Iſagogen* Porphyrii *cap.* 1. & perſtringit ſubtiliter admodum Ariſtoteles in *lib.* 1. *Topic. cap.* 4. his verbis: καὶ γὰρ τὴν διαφορὰν ὡς οὖσαν γενικὴν, ὁμοῦ τῷ γένει τακτέον, quibus declarat verbo generis, & differentiam, id eſt, ſpecies ſe complexum eſſe. Scripſit Vir philoſophiae non ignarus, juris & cujuscumque diſciplinae ſcientiſſimus, pactum eſſe genus ad pactum nudum, & transactionem illam, quae pacto fit: neque vero negavit conventionem eſſe genus ad pactum & contractum; qua ſola negatione potuit eſſe ſibi contrarius. Adoptionem modo generis, modo ſpeciei locum obtinere, novi Juſtinianei docere poſſunt. Theophilus §. 1. *de adopt.* εἰς δύο διαιρεῖται, εἰς ἀδρογατίονα καὶ τὴν ἁπλῶς ἀδοπτίονα. Idem de cognatione, ſi ſupra vel ſimul cum agnatione ponatur. Idem Theophilus §. 1. *de legitima agnator. tut.* ἡ συγγένεια ὄνομά ἐστι γενικὸν *&c.* Cur ergo pactum uno modo ſpecies non erit, altero genus? Licet haec autem adeo levia ſint & minimi momenti, ut revera plus ſit in oleo, quam in ludo: interea tamen admonendum, conventionis & pacti & pactionis promiſcuas eſſe appellationes, *l.* 7. *D. de pactis. l. Solent* 15. *D. de praeſcriptis verb.* Quid ſi Cujacius diceret (quod tamen ibi non dixit) pacta etiam dici poſſe de contractibus? quod liquet ex *l. Traditionibus* 20. *Cod. de pact.* Datio arrharum, qui contractus eſt innominatus, nonne pactum dicitur? *l.* 4. *Cod. de act. empti.* Sed & ipſe Titulus *de Pactis*, nonne generalis eſt ad omnes conventionum ſpecies, de quibus ſub illo tractatur cum in Digeſtis, tum in Codice? ut Ulpianus ait in *l.* 1. *D. de reb. credit.* crediti appellationem eſſe generalem. Denique, cum dicitur pactum non tantum ei, qui illud fecit, ſed etiam ejus haeredibus prodeſſe, *l.* 9. *D. de probat.* an non illud generaliter dictum de omni conventione? Nunc ad alia.

Merillius ait: Transactio non eſt ſpecies pacti, ſed contractus innominati. Audi (1) Ulpianum in *l.* 2. *D. de Transact. Transactum*, inquit, *accipere quis poteſt, non ſolum ſi Aquiliana ſtipulatio fuerit ſubjecta, ſed etſi pactum conventum fuerit factum.* (2) Juſtinianus ſeparat transactiones a contractibus, *l. contractus* 17. *Cod. de fide inſtrum.* (3) Si quaelibet transactio ſpecies eſt contractus innominati, ſequitur ex qualibet transactione actionem eſſe? Atquin hoc falſiſſimum eſſe docet *leu Cum proponas* 21. *Cod. de pactis. Cum proponas inter vos ſine ſcriptura placuiſſe, fratrum tuorum ſucceſſiones aequis ex partibus dividi, & transactionis cauſa probari poſſit hanc interceſſiſſe conventionem: exceptione te tueri potes, ſi poſſides.*

Digitized by Google

Quod ſi adverſarius tuus teneat, ex hoc placito nullam actionem natam eſſe, tibi ſtipulatione, non proſpexiſti, debes intelligere, &c. Et vero eadem conventio, aliquo adjecto vel aliquo detracto, contractus eſt vel non eſt; ſi ſcilicet lege proditum nomen non habeat: ut ecce, dabo tibi veſtem, dabis mihi codicem; nihil niſi nuda conventio eſt. At ſi mutes ſpeciem & dicas; do tibi veſtem, ut mihi codicem des, incipit eſſe contractus innominatus Do ut des. Item ſi ſic convenerit, faciam ut facias; conſtat nudam eſſe pactionem. At ſi coeperit fieri ab alterutro contrahentium, tranſibit in contractum, *l. Naturalis 5. D. de praeſcriptis verb.* Ita ſi convenerit, ut a lite diſcederetur, & viciſſim ut quid daretur vel fieret, nudum pactum eſt; mox autem ac alterutrum eorum factum eſt, incipit eſſe contractus innominatus, ex quo praeſcriptis verbis actio datur. Et ita intelligenda eſt *lex Cum mota 6. Cod. de tranſact.*

Objicias forte, hoc caſu non tam videri Transactionem eſſe, quam Tranſactionis ſpeciem. Sed reſpondeo, ut permutationis placitum tam bene dicitur, nulla re ſequuta, quam aliquo dato, *l. 3. & l. ſeq. Cod. de rerum permut.* ita & tranſactio, quae ſaepe tranſactionis placitum appellatur & pactum conventum, ut in *d. l. cum mota* 6. *& l. 7. & l. 9. Cod. de Tranſact.* Reſpondeo 2. De lite pacto tranſigi, etiam cum ſimpliciter convenit, ut in lite amplius non procedatur, quo caſu, ſi fides ab eo, qui dare facere aliquid debebat, non praeſtatur, integra cauſa remanere dicitur, *leg. ſi inſtituta 17. D. de inofficioſo teſtam.*

DISPUNCTIO VIII.

An pacta incontinenti appoſita contractibus ſtricti juris, inſint etiam ex parte actoris?

JAm mihi liquet, tantae adverſus Cujacium excitandae turbae cauſam Merillio, non aliam fuiſſe (probum enim ac innocentem eum puto) quam quod Cujacii mentem non fuerit aſſequutus. Ut aliis peraeque liqueat, efficiam *hac Diſpunctione* 8.

Multum laborem impendit Cujacius, ut planum ſenſum nobis faceret, *l. Lecta 40. D. de rebus cred.* Planeque fecit planiſſimum, ut mihi facile admodum ſit, ex tam uberi & facili interpretatione, theſin atque hypotheſin *d. legis* dare. Sed antequam hoc facio; audiamus Merillium de Magiſtri noſtri variatione. Stephanus Graecus Interpres (inquit) ſcripſit pacta in contractibus ſtricti juris incontinenti appoſita, ineſſe tantum ex parte rei, non ex parte actoris: Cujacius hanc ſententiam ſecutus eſt, *lib. 10. Obſerv. cap. 24.* Latini interpretes & Accurſius aliter ſentiunt, ineſſe ex parte actoris & rei, eorumque ſententiam Cujacius ſecutus videtur, in prima expoſitione *d. legis* 40. ubi ait pactum incontinenti adjectum ſtipulationi, ipſo jure ineſſe ſtipulationi, & ſtipulationem transformare confeſtim. Quod ſi verum eſt (ita ratiocinatur Merillius) inerit ex parte actoris: & hoc magis admitterem.

Auſculta Merilli! Quonam loci ſcripſit aut dixit Cujacius, pactum incontinenti adjectum ſtipulationi, ineſſe ex parte actoris? Sicubi hoc ſcripſit, vere variavit: ſin minus, vere variaſſe dici non poteſt. Quaeſtio enim in eo non eſt: An pacta illico adjecta, ſimpliciter ineſſe dicantur; ſed an inſint ad agendum, adeo ut ex tali pacto detur & formetur actio. Solet quae dicit & docet Cujacius illuſtrare ac demonſtrare. Profer quaeſo argumentum aut rationem ejus, de ea re, aliquam! ſaltem ede aliquid, quo diſerte hoc eum voluiſſe appareat! Enimvero tantum abeſt, ut hoc putaverit Cujacius in *d. l. Lecta* 40. quinimo, totus eſt ibi in eo, ut oſtendat hoc eſſe non poſſe.

Et ſententia quidem *dictae legis* ea eſt, per pactum incontinenti adjectum, dilata in plures penſiones petitione ſortis (quae Calendis tota ſolvenda cum uſuris poenae nomine quoad tardius ſolveretur, in ſtipulatum deducta ſit) etiam uſurarum petitionem, in totidem dies dilatam intelligi, ut nedum exceptionis ope, ſed ipſo jure, interim tutus ſit debitor, & a die cujusque morae tantum debeantur & creſcant uſurae.

Non erit ingratum & hypotheſin adfingere, quam (quoad ejus per me quidem fieri poterit) accuratam dabo, ut ſit ex hac ſpecie, quae ad uſum pertinet, utilitas Judicibus & fori ſectatoribus non plane contemnenda. Ea vero ejusmodi eſt: Mutua mihi dediſti quindecim millia denariorum, quae ſtipulatus es a me tibi Calendis proximis reddi; ſi ea die non redderem, uſuras ejus ſummae, quoad tardius eam ſolverem, centeſimas ſtipulatus es; ſpopondi ego, ſtatim poſt conſcriptam ſtipulationem, ad animum revocans, non poſſe me tam brevi tempore, tantae pecuniae ſolutionem expedire; malui jam nunc mutuum reddere vel potius non accipere, niſi longius tempus mihi indulgeres: placuit igitur & inter nos convenit, uti ex tota illa ſumma, trecenos tantum denarios quot menſibus refunderem, atque ita pro menſe uno, quinquaginta mihi indulſiſti, quod videres me idoneum eſſe. Poſt elapſum totum illud tempus, quo nihil feci, petis ſortem & uſuras. De ſorte non eſt controverſia; Tota quaeſtio eſt de uſuris. Intendis me tibi dare oportere 7500. denarios uſurarum nomine, pro toto tempore, id eſt, pro quatuor annis & duobus menſibus, quibus ceſſavi, & ita pro ſingulis menſibus, petis 150. denarios, quae centeſima eſt uſura, cum pars ſortis centeſima, quot menſibus ſolvitur, & centeſimo menſe, id eſt, 8. annis & 4. menſibus uſura ſortem aequat (in quo falſus eſt Alciatus errore calculi, *lib. 3. Diſp. cap. 1.* cum ſcripſit octo annis, quae centum fuerant, fieri ducenta.) Ego vero longe minorem quantitatem offero: ſummam ſcilicet ter mille octingentorum viginti quinque denariorum, id eſt, pro primo menſe, quo fui in mora, denarios tres: quae uſura eſt trecentorum denariorum; pro ſecundo menſe, denarios ſex: pro tertio, denarios novem; & ita de caeteris menſibus, augeſcentibus uſuris pro ratione adauctae ſortis (quae computatio an ſit exactior ea, quam idem Alciatus dedit, *lib. 3. Diſp. cap. 2.* uſus demonſtrare poteſt) Quaeſtionis eſt, an totius ſortis, ex die ſtipulationis, uſurae debeantur; an trecentorum tantum denariorum ex primo menſe, ex ſecundo menſe, ſexcentorum: & ita deinceps. Papinianus, ſuggerente Paulo Aſſeſſore, decidit, non totius ſortis, nec ex die ſtipulationis, ſed trecentorum tantum denariorum uſuras poſt moram primi menſis deberi, & ita creſcere uſuras per diverſorum tractuum moras. Ratio dubitandi erat, & ea ſane non levis, & quae multos hodie graviſſimos aſſertores in foro (ſi ſimilis incidat quaeſtio) etiamnum inveniat; quod uſurae totius ſortis, expreſſa ſtipulatione poſt primum menſem promiſſae ſint, quodque ea uſurarum ſtipulatio, innovata non ſit novo illo pacto, utpote quod de ſorte tantum fuit, non etiam de uſuris. At decidendi ratio fuit, quod renovata, per factum illico adjectum, ſtipulatione ſortis, uſurarum etiam ſtipulatio transformata ac renovata cenſeri debeat, eo quod uſurarum ratio ita a ſorte pendeat, ut omnino eam ſequatur; adeoque ſorte diviſa in plures penſiones, diviſas quoque uſuras intelligi: huncque effectum eſſe pacti ex continenti adjecti circa ſortem ſtipulatione comprehenſam, ut ipſo jure citra exceptionis auxilium tutus ſim a petitione integrae ſortis, ac conſequenter uſurarum.

Nunc

Nunc quaero de Merillio; Eſt ne in tota hac quaeſtione atque hypotheſi, cauſa ulla quaeritandi, an ex pacto agatur? Certe non magis, quam in ſpecie *legis 4. §. ult. D. de pactis.* ubi Paulus conſultus de conventione adjecta ſtipulationi uſurarum, nec tamen ſcripta, ut donec uſurae ſolverentur, ſors non peteretur, reſpondit conditionem ineſſe ſtipulationi, aeque ac ſi hoc expreſſum fuiſſet. Quis dicat hic agi de actione? Cujacius dixit, & veriſſime dixit, pacto illo in ſpecie *legis Lecta* 40. transformatam eſſe ſtipulationem, & pactum ineſſe ſtipulationi. Neque hoc tantum in prima expoſitione *d. legis Lecta* 40. ſed etiam in ſecunda. An dixit, ad agendum? vel ex parte actoris? Profecto non dixit: Audiamus illum, *Paulus*, inquit, *cujus ſententia obtinuit, dicebat rogatus ſententiam, pactum ſtipulationi ſubjectam incontinenti, de ſolvendis ex univerſa ſorte trecentis denariis menſibus ſingulis, ineſſe ſtipulationi, hoc eſt, hujus pacti exceptionem ſtipulationi ineſſe ipſo jure, etiam non oppoſitam nec allegatam.* Haec Cujacii verba de exceptione, non de actione ſunt. Idem Cujacius infra; *Ulpianus haerebat ſcripto, quia pactum de ſorte loquitur, non de uſuris. Et pactum illud exiſtimabat tantum prodeſſe debitori ad exceptionem, ut eam opponeret: puta, ut ſi finito primo menſe, ab eo tota ſors peteretur, repelleret actorem exceptione pacti, &c.* & hic de agendo ex pacto, nihil. Non bene igitur; id eſt, non ex ſententia Cujacii, colligitur in ſpecie *d. legis Lecta* 40. pactum ineſſe ex parte actoris.

Jam autem ad rem ipſam accedamus! Merillius, cum ſuam tueri vult opinionem, nititur *l. Petens* 27. *Cod. de Pactis.* ſed plus ſatis demonſtravit Cujacius, *illam l.* non probare pactum ſtipulationi adjectum valere ad agendum, ut inutilis non tantum futurus ſit meus labor, ſi quid ſuperaddam (apud eum, qui poſt neglectum magnum Cujacium, facile me flocci facturus ſit) ſed etiam audacior exiſtimari periclitetur. Dicam tamen, & juratum non recuſabo judicem Merillium, *l. Petens* 27. ad argumentum quaeſtionemque noſtram minime pertinere. Loquimur de pacto incontinenti adjecto ſtipulationi certae jam ac perfectae, adeoque cauſam habenti, ut pactum illud adjiciat aliquid ſtipulationi: verb. gr. ſi tibi interpoſita ſtipulatione fundum ex cauſa donationis promiſero, moxque citra novam ſtipulationem convenerit, ut quidpiam aliud darem cum fundo, vel ut, evictionis nomine, tibi caverem; dicimus ex eo pacto actionem tibi non eſſe. At *l. Petens* 27. eſt de pacto, ſive de conventione, quae ſola conſtituit cauſam ſtipulationis, qua detracta, ſtipulatio nulla & ſine effectu futura ſit, utpote quae ſine cauſa vim nullam habere poteſt, *l. 2 §. circa 3. D. de doli mali & metus except.* Unde praecedere ejusmodi pactum, vel ſequi ſtipulationem, nihil intereſt, cum ſit ipſum cauſa ſtipulationis: exempli gr. ſi inituri conventionem aliquam, ejus obfirmandae cauſa ſtipulationem interponamus, ſive a ſtipulatione incipiamus, mox conventionem faciamus, ſive incipiamus a conventione, & ſtipulationem ſubjiciamus, omnino perinde eſt; cum ab ipſa ſtipulatione conventio diſtinguenda non ſit, utpote ejus pars, &, ut praedixi, cauſa: Secundum quae, *d. l. Petens* 27. ait, *Petens ex ſtipulatione, quae placiti ſervandi cauſa ſequuta eſt: ſeu anteceſſit pactum, ſeu poſt, ſtatim interpoſitum ſit, recte ſecundum ſe ferri ſententiam poſtulat.*

Et certe, tam belle dicere poſſumus ſtipulationem interpoſitam de quovis negotio qualibetve conventione, ſeu praecedat, ſeu ſequatur, unum eſſe contractum, quam numerationem ante vel poſt ſtipulationem factam, unum eſſe contractum dicimus, *l. ſi ita 6. D. de novat.* Et inde, qui mutuum accepturus, ſpopondit creditori futuro; dicitur in poteſtate habere, ne accipiendo ſe ei obſtringat, *l. qui pecuniam* 38. *D. de reb. cred.*

Atque ex iis patet, quam longe fuerit Merillius ab intellectu utriusque legis, id eſt, *l. Petens* 27. *& l. Lecta* 40. & quam incurioſe adſcripſerit Cujacio, quae non cogitavit, quae ſane haud levis culpa eſt. Columbus, vir quidem inter Medicos doctus, & qui *de Anatome* recte ſcripſit, male audit, quod Galeno adfinxerit trilatera eſſe occipitis oſſa, & dubiam in multis fidem ejus, una mala fides fecit. Incuriam licet objicere Merillio, ut interim a doli ſuſpicione eximatur.

Poſcit Merillius rationem diverſitatis, cur magis in bonae fidei judiciis, quam in ſtrictis, pacta incontinenti facta valeant ad agendum. Utinam extarent Rationum ac differentiarum libri Modeſtini! ſitim illam forte reſtinxiſſent cum hodie Merillio, tum nuper Matthaeo Magno, qui *libro* 1. *Rationum & differentiarum Juris Civilis*, id ipſum quod hic Merillius, quaerit: *Neque ſane*, inquit, *rationem ullam video, cur in ſtrictis judiciis, inſit pactum ex una parte, non inſit ex altera.* Quaſi vero omnia judicia paria facere debeamus, ut Stoici peccata, contra omnem ſenſum generis humani, inquit D. Auguſtinus *Epiſt.* 29.

Ratio differentiae proculdubio petenda eſt ex natura utrorumque judiciorum, quam diverſam eſſe, diverſae denominationes indicant. In utriſque ideo pactum excontinenti adjectum ineſſe dicitur, quod continuata agendi & tractandi ſeries & ratio, eo rem perducat, ut videatur idem actus eſſe, licet cum diverſo effectu. Nam in bonae fidei judiciis adjectum pactum, cum ſit ejusdem naturae, ac, ut ita dicam, ejusdem ſcaevae, facile coit cum eo contractu, qui bonae fidei eſt, ut ex eo perinde agatur, atque ex contractu ipſo, cui immixtum eſt: pacta nuda aeſtimantur ex ſola aequitate naturali, quae fidei inter homines ſervandae norma eſt. Bonae fidei contractuum eadem eſt regula, eademque natura: *cognatis maculis ſimilis fera*, Juven. *Satyr.* 15. *v.* 160. Sed contractuum eſt vis major, quam pactorum nudorum, quia nomine certo & legitimo, vel cauſa ſuſtinentur; unde jure civili actio ex contractibus datur, ex pactis nudis, non item: niſi protinus adjecta ſint bonae fidei contractibus, *l. 7. §. quinimo 5. D. de pactis.* Placet rem deducamus ad phyſicam comparationem? Quae cauſa, ut ſata proveniant? Ut inſita coaleſcant? Nempe reſponſus mutuus recipientis & ſubminiſtrantis taleae, ſeu haurientis ſurculi & ſuppeditantis arboris; Immiſſio ſurculi in ramum interciſum ἐμφυτεία, vel inoculatio, ἐνοφθαλμισμὸς ex duabus rem unam facit, ſed ſimilibus, ejusdem ſcilicet naturae, nam (in inſitione praeſertim) una natura eſt alentis & alimoniam ſuſcipientis. τὸ βλαστάνον καὶ τὸ γινόν. Caeſar Scaliger *apud Theophraſtum, fol.* 21. *col.* 1. *& fol.* 282. *col.* 2. Hoc etiam in Metaphyſicis & Theologicis apparet, in quibus ſpiritualia cum ſpiritualibus aptiſſime conjunguntur. D. Bern. *ſerm.* 1. *in feſtiv. omnium ſanctorum. Quid ergo? Nonne & his, qui convertuntur ad cor, cordis deliciae ſunt quaerendae, & ſpiritualibus ſpiritualia comparanda? Dignum eſt enim, ut prius anima ſatietur. Et quae animarum ſunt, animae plus accipient, quippe naturali quadam eis cognatione conjunctae.* Ex quo pactum adjectum eſt bonae fidei contractui, unum quidpiam fit; ideoque ex pacto datur actio contractus ipſius cui ineſt, pactum format actionem. Si fundum vendidi & pactus ſim, ut eum certa mercede conductum haberem, ex vendito recte agam, ſi non fiat id, quod convenit, *l. qui fundum* 75. *D. de contrahend. empt.* Pactum adjectum contractui ſtricti juris, non aeque ei adhaereſcit & congruit, ineſt quidem, ut ipſo jure tutus ſit is, cujus gratia adpoſitum eſt; at non ut ex eo formetur actio. Stricta eſt natura ſtipulationis, ideoque pactis, quae ex bona fide valent, vim ſuam minime ac-

accommodat, nihil eis praeſtat ſtipulatio: ſuo marte valent, ut exceptionem pariant, quam & parerent ſeorſim facta; ſed incontinenti facta, creduntur ineſſe, ut ipſo jure proſint reo, ut non habeat neceſſe, exceptionem allegare: qua quidem de re dubitatum erat; quibuſdam putantibus, nihil amplius valere pacta e veſtigio ſtrictis judiciis adjecta, quam ſi ex intervallo facta eſſent, id eſt ad excipiendum tantum, non vero tollere actionem: qua in ſententia Julianus aliquando vel etiam ipſe Paulus fuiſſe videtur, *l. 3. D. de reſcind. vend.* (ſi modo vera eſt ejus legis inſcriptio) qui tamen in diſceptatione hypotheſis, *d. l. Lecta* 40. ſatis aeſtuat & exultat adverſus alium aſſeſſorem (ſive Ulpianus ille ſit, quod vix credam, ſive quis alius) qui contrariam opinionem tuebatur. Sed Papinianus judicavit, in Auditorio ſuo, tale pactum ipſo jure ineſſe ex parte rei, quod eſt, impedimento eſſe creditori, ne jure ageret.

Verum adverſus rem, a Papiniano judicatam, objici poſſit Imperatoris effatum, in §. *Inſtit. de verb. oblig.* ubi ſi in ſtipulatione *decem dari*, adjectum ſit pactum, *quoad vivam*, procedere heredi actio dicitur, ita tamen ut exceptione pacti ſubmoveatur. Juſtinianus: *Et pure*, inquit, *facta obligatio intelligitur & perpetuatur, quia ad tempus non poteſt deberi: ſed haeres petendo, pacti exceptione ſubmovebitur.* Tantumdem habet Paulus in *l. obligationum fere* 44. §. 1. *D. de oblig. & act.* ubi de ſtipulatione illa agit, uſque ad Calendas dare ſpondes: *Plane*, inquit, *poſt tempus, ſtipulator vel pacti conventi vel doli mali exceptione ſummoveri poterit.* Ergo (dicat quis) actio non impeditur, nec ipſo jure tutus eſt. Profecto nihil promoveas ſi dicas, his locis non proponi pactum ex continenti adjectum, ſed tacitum pactum vel contractus legem: nam tacitum quodlibet pactum ut & lex contractus non minus ineſt, quam pactum ſubinde conventum. Paulo melius dixeris Juſtinianum & Paulum, cum dicunt, exceptione ſummoveri poſſe creditorem agentem, ſeſe referre ad id, quod fieri poteſt: caeterum non negare quod juris eſt, ſcilicet reum promittendi ipſo jure tutum eſſe: at optime omnium ſatisfacias, ſi dicas his caſibus aliiſque ſimilibus exceptionem neceſſariam eſſe, ne ſi poſt tempus actionem deſinere reſpondeamus, ad tempus conſtitui obligationem dicamus, quod jus non patiatur: & ita Papinianus: *Servitutes*, inquit, *ipſo quidem jure neque ex tempore, neque ad tempus conſtitui poſſunt, ſed tamen ſi haec adjiciantur, per doli exceptionem occurretur*, *l. 4 D. de ſervit.* quos omnes caſus complexus eſt Julianus, *l. eum qui* 56. §. 4. *D. de verb. oblig.*

Haec utique ſufficerent ad illuſtrationem *legis Lecta* 40. adeoque ad elevandam Merillii fidem, qui Cujacium noſtrum in partes trahere voluit, niſi & caetera expedire utile eſſet, id eſt, demonſtrare ſtrictis contractibus adjecta pacta ad agendum non valere.

Id autem in primis probat, *l. 3. & l. pignoribus* 22. *Cod. de uſuris.* Credidi tibi centum, convenitque inter nos nudo pacto citra ſtipulationem, ut ejus ſummae uſuras penderes; an potero eas petere? Imperatores reſcribunt, ſi ſolutae fuerint, eas quidem retineri; rebus autem integris omnino peti non poſſe. Pactum ad retentionem proficere, non vero ad petitionem. Hoc argumentum, cui veteres non potuerunt occurrere, niſi objecto uſurarum odio (quod riſu dignum eſt) nonne mirum eſt magna illa capita Contii, Magni, & Merillii, conniventibus oculis praetermiſiſſe? maxime vero Merillium, qui ſingularem hac de re obſervationem dedit, *lib. 3. cap.* 24.

Probatur & *l. Rogaſti* 11. *D. de rebus creditis.* Si tibi dedero decem ſic, id eſt, ea lege, ut undecim debeas, ait lex, *non amplius, quam decem condici poterunt.* Curita? cum convenerit ut amplius deberetur. Audio Merillium dicentem: *non quia pactum non inſit ex parte actoris, ſed quia mutuum re contrahitur, & pacto contrahi non poteſt ultra quam datum eſt.* Paulo melius Juriſconſultus, in *l. 17. D. de pactis: Non naſcitur obligatio ultra decem, re enim non poteſt obligatio contrahi, niſi quatenus datum ſit.* Hoc probo: *re non poſſe contrahi obligationem, ultra quam datum ſit.* Illud improbo; *non quia pactum non inſit ex parte actoris:* quid enim? Ergo inerit, & non inerit: ut praeſtigatores de ſacculo ludentes indicunt & ſubducunt: ſi ineſt ex parte actoris; cur non agit actor ex eo pacto? Satius eſt igitur, ut dicamus ita, non agit actor ex eo pacto, quia tale pactum non ineſt: non ineſt vero, quia ſtricta contractus natura, quae in certa numeratione & datione conſiſtit, nihil habet commune cum placito nudo, ut & ſtipulatio, cujus aeque certa eſt & reſtricta natura (utpote quae certa ſolemnique formula conſtringitur) vim ſuam non accommodat pactis ad eam factis, ut ex iis formetur actio ex ſtipulatu. Ex quibus ſequitur, pacta nuda nunquam ex parte actoris ſtrictis ineſſe contractibus.

Non eſt cautior Merillii reſponſio ad *l. 7. §. quinimo* 5. *D. de pactis.* quo loci Ulpianus haut diſſimulanter notat diſcrimen inter pacta utriſque judicis ex continenti adjecta, cum ait, nudam pactionem formare actionem *in bonae fidei judiciis*, & repetit; *ſolemus enim dicere pacta conventa ineſſe bonae fidei judiciis.* Quis non percipit ex ea forma loquendi, cum ibi, tum alibi, aliud obtinere in ſtrictis? Quorſum enim haec adjectio? haec inculcata toties repetitio, & affectata, ut ita dicam, expreſſio? *formit ipſam actionem in bonae fidei judiciis*, deinde, *ſolemus enim dicere pacta conventa ineſſe bonae fidei judiciis.* Et infra; *quod & in omnibus bonae fidei judiciis erit dicendum.* Et iterum in § 6. *Adeo autem in bonae fidei judiciis exceptiones poſtea factae, quae ex eodem ſunt contractu, inſunt, ut conſtet in emptione caeteriſque bonae fidei judiciis, re nondum ſecuta, poſſe abiri ab emptione: quod cum eſt, etiam ex parte agentis pactio locum habet.* Et in *l. 3. D. de reſcind. vendit.* Quia bonae fidei judicio exceptiones pacti inſunt. Adde *l. in bonae fidei* 13. *Cod. de pactis.* Denique & adde Papinianum in *l. Lucius Titius* 24. *D. depoſiti.* Merillius tamen *legem illam 7. §. quinimo* 5. non vult innuere differentiam contractuum bonae fidei & ſtricti juris ad hoc, ut in his pacta non valeant ad agendum; in illis, valeant? ſed tantum *denotare differentiam* circa pacta ex intervallo: quae ineſſe, inquit, poſſunt contractibus ſtricti juris, aut ex parte actoris, aut ex parte rei. Incauta plane reſponſio! quae ſubruitur non tantum frequentiſſima illa mentione ac repetitione judiciorum bonae fidei, quae (ut perſpicuum eſt) facta eſt ad comparationem, ſive excluſionem ſtrictorum contractuum, ſed etiam apertiſſima ſtructura orationis Ulpiani, qui nihil aliud intendit, quam ut oſtendat interdum evenire, ut pacta nuda pariant actionem contra regulam a ſe propoſitam; cui regulae ſubnectit exceptionem de pactis incontinenti adjectis judiciis bonae fidei: nec ullum profert exemplum de ſtrictis contractibus.

DISPUNCTIO IX

An Procurator ex re domini ſibi ſtipulando, domino acquirat actionem.

SI velimus undequaque delibare commentationes, & lucubrationes, aut Cujacii aut alterius cujusvis, vel hoc uno de noſtro addito, *magis hoc probarem*: minimo molimine magnum ſtatim volumen conflabimus; ſatis erit referre, ridebit Juvenalis, *tantum immolat, ulterius nil. Satyr. 15. v.* 118. Hoc ideo dico, quod bellum, *hocce capite* 9. Cujacio noſtro oblatum, ut & aliis pleriſque fere omnibus operis

Me-

Merillianis capitibus, ingratiſſimum ſit & minime bellum: apparatus enim totus Cujacii eſt. Quid igitur hoſtis habet, praeter oſtentationem? De actione per procuratorem quaeſita domino, quid dici tractative poteſt, quod dictum non ſit & pertractatum a praeſtantiſſimo Cujacio? At variavit forte in tam multiplici de hoc argumento tractatione? Hoc nobis expungendum incumbit, & juſtius aliquanto bellum Merillio indicendum.

Lex ita habet: *Quod procurator ex re domini mandato non refragante ſtipulatur, invito procuratore dominus petere poteſt.* ita vulgo legitur in *l. 68. D. de Procur.* ita quoque in Pandectis Florentinis. At Baſilica negationem habent; *Dominus petere non poteſt. ἐνδαμῶς ἄγειν δύναται δεσπότης.* Expendamus omnia!

Ex re Domini, eſt ex pecunia domini; veluti ſi rem (puta fundum aut mancipia) procurator emat ex pecunia non ſua, ſed domini, ut *l. 1. Cod. ſi quis alteri vel ſibi.* vel ſi ex pecunia domini, quam procurator credidit, uſuras ſtipuletur, vel fructus aut penſionem ex fundo ejuſdem domini. *Mandato non refragante*, id eſt, juxta mandatum, ita ut procurator mandati fines non excedat, eo quod aliud quid facere videatur, qui mandati fines non ſervat, *l. diligenter 5. D. mand. Invito Procuratore*, id eſt, etiamſi procurator nolit cedere actiones ſuas.

Multum autem intereſt, an procurator ſibi, an domino ſtipuletur. Et quidem, ſi praeſente domino ſtipulationem interponit, utilem actionem domino competere Ulpianus ait. *Si procuratori praeſentis fuerit cautum, ex ſtipulatu actionem utilem competere nemo ambigit.* Haec verba ſignanter poſita ſunt, *procuratori cautum*: ut intelligamus procuratorem ſuo nomine, vel certe *ἀπροσώπως* ſtipulatum eſſe. Et vero ſi domino procurator ſtipuletur, inutilis eſt ſtipulatio, *§. ſi quis alii 4. Inſtit. de inutilibus ſtip. l. 38. §. alteri 17. D. de verb. oblig. l. ſi ita ſtipulatus fuero 126. §. Chryſogonus 2. D. de verb. oblig.* Inutilis inquam, ut nec ipſe agere poſſit ex ea; quia noluit actionem ſibi quaerere; nec dominus, quia non potuit domino, *l. multum intereſt 6. Cod. ſi quis alteri vel ſibi.* Sibi autem ſtipulando, directam actionem acquirit, licet ex pecunia domini ſtipulatus ſit, *d. l. 1. & d. l. multum 6. cum 2. ſeqq.* Denique ſtipulari neque emere quis poteſt, ut alter ſuo nomine recte agat, ut Paulus ait *l. quaecumque 11. D. de oblig. & act.*

His ita conſtitutis finge: Mandavi Titio, ut mihi fundum Tuſculanum emeret centum; Titius ſecutus mandatum meum fundum illum tanti emit. Exortis poſtmodum inter nos inimicitiis, Titius neque fundum petere, neque mihi, quas habet directas adverſus venditorem actiones, vult cedere. Quaeritur, an invito eo, fundum petere poſſim, utili ſcilicet actione, hoc eſt, an Magiſtratus in hoc amittendae rei diſcrimine ſubvenire mihi debeat, atque utilem decernere actionem adverſus venditorem, ad quem pecunia mea pervenit? Reſpondit Papinianus, fundum me poſſe petere. Movebat quod per liberam perſonam, quae juri noſtro ſubjecta non ſit, cujuſmodi eſt procurator, actio nobis acquiri non poteſt, *d. l. 126. §. Chryſogonus 2* & quod nominatim Papinianus ſcribat, evictionis actionem domino non dari invito procuratore, ideoque cogendum procuratorem cedere actiones ſuas, *l. Poſſeſſio 47. §. ult. vers. D. de acquirenda poſſ.* ut & Paulus in ſpecie mutuae pecuniae & in ſtipulatum deductae a liberto nomine patroni, ait *cogendum eum actiones cedere*, *d. §. Chryſogonus 2.* Deciſionis autem ratio eſt, quod licet actio directa per procuratorem nobis non acquiratur, ideoque ſecundum ordinem juris ad ceſſionem actionis regulariter veniendum ſit; cauſa tamen cognita, id eſt, exigente utilitate, utilis actio domino non ſit deneganda. Itaque ſi procurator meus judicatum ſolvi ſatis acceperit, eum condemnaverit debitorem meum; ex ſtipulatu vel judicati [illegible] agam, imo & praeferendus ſum procuratori [illegible] *procurator 28. D. hoc tit. de proc.* Ex hoc [illegible]um eſt nedum in iis, quae ad judicia pertinent, vel Praetoriis ſtipulationibus, ut adſentiunt omnes ex [illegible] *5. D. de Praetoriis ſtipulat.* ſed etiam in aliis cauſis, adeoque in ſpecie, quam ſupra poſuimus; quae tractata eſt ab eodem Papiniano, eodem lib. 3. Reſponſorum *l. Julianus 13. §. ſi procurator 25. D. de act. empti.* ubi Ulpianus [illegible] habet: *Si procurator vendiderit & cav[erit] emptori, quaeritur, an domino, vel adverſus dominum, a[ct]io dari debeat. Et Papinianus lib. 3. Reſponſorum putat, cum domino ex empto agi poſſe utili actione, ad exemplum inſtitoriae actionis, ſi modo rem vendendam mandavit. Ergo & per contrarium dicendum eſt, uti em ex empta actionem domino competere.* Itaque quod Paulus ait, in *l. 72. D. de procurat. Per procuratorem non ſemper nos acquirere actionem*, procul dubio dat intelligere, aliquando nos acquirere. Nimirum acquirimus, ſi praeſentibus nobis ex re noſtra procurator noſter ſtipulatur ſibi, aut etiam imperſonaliter: itemque acquirimus, ſi abſentibus nobis procurator nomine ſuo ſtipulatus eſt juxta mandatum noſtrum, nec poſtea velit, aut non poſſit actionibus cedere.

Non poſui in ſupra dicta ſpecie, procuratorem praeſente domino ſtipulatum eſſe, quod Merillius ponit, metu (ut opinor) *dictae legis Poſſeſſio 49. §. ult. D. de acq. vel amitt. poſſeſſ.* Hoc enim citra dubitationem eſt, procuratorem, qui praeſente domino ex re ejus ſtipulatur, utilem ei acquirere actionem, *d. l. ſi procuratori praeſentis 79. D. de verb. oblig.* Sed etiam cavi, ne ponerem (quod ponit Merillius) procuratorem non ſibi, ſed domino ſtipulatum eſſe; quod non patiuntur elementa juris, *d. § 4. Inſt. de inutilib. ſtip.* Nec me Cujacius aut Merillius ad ſe convertent, & Bartolus multo minus. Nam etſi video ſaepius abſenti praeſentem promittere vel ſtipulari fruſtra, *d. §. Chryſogonus 2. & l. 3. Cod. de inutilib. ſtipul.* non tamen video diſerte ſcriptum, praeſenti utiliter ſtipulatum: non ſane in *d. l. 79. D. de verb. oblig.* (ut ſupra monui) neque in *l. ſi dictum 56. §. 4. D. de evict.* quae hoc tantum docet, denunciationem evictionis factam procuratori praeſentis venditoris, haberi ac ſi ipſi venditori facta eſſet: quid enim hoc ad ſtipulationem, quae ſui natura mutua ſive reciproca verba reorum deſiderat? *l. 1. in pr. D. de verb. oblig.* Et in hoc tantum diverſus ſum ab Merillio: non etiam in eo, quod improbat Graecorum lectionem; quam ſatis ipſe ſupra refutaſſe videor in aſſerenda lectione vulgari, aut ſaltem oſtendi non eſſe neceſſariam. Quod autem attinet ad variationem, quam hic affingit Merillius magno Magiſtro: dubius ſum, an certum crimen ei objecerit: cum in prima actione, in qua locos Cujacianos profert, videatur velle ſibi obloquutum Cujacium, quod, *ad Papinianum*, id eſt, ad *l. 68. D. de proc.* dixerit, procuratorem, in ſpecie ejuſdem legis, ſibi ſtipulatum eſſe: ad titulum vero *de verborum oblig. in l. 79.* non ſibi, ſed domino ſtipulatum eſſe. Et verum quidem eſt, Cujacium primo illo loco dicere, Papinianum loqui de procuratore, qui ſibi ſtipulatus eſt: *Apparet*, inquit, *loqui Papinianum de procuratore, qui ſibi ſtipulatus eſt*, &c. Deinde: *atque ideo non loqui Papinianum de procuratore, qui domino ſtipulatur.* Et poſtea: *Tota quaeſtio eſt de procuratore, non qui domino ſtipulatur, ſed qui ſibi ſtipulatur.* At non eſt verum, aliud quicquam, id eſt, contrarium, altero loco dixiſſe. Ecce integrum illum, prout & ab Antecessore Merillio exhibetur! *Per liberam perſonam*, verba ſunt Cujacii, *nonnunquam utiles actiones parantur nobis, ſi quid ſibi procurator praeſentis ſtipuletur: quod ita intelligendum eſt, ſi ex ea & ex negotio domino ſtipuletur. Alioquin ſi quid extra*

rem

rem domini [illegible] *ſtipuletur, domino prae*[illegible]*nte, nullam ei parabit actionem: nec etiam eos procuratoris quidquam habet commune cum re domini: & ob*[illegible] *mihi videtur a quibusdam accepta de procuratore praeſentis* [illegible] *quod procurator 68. D. de Procurat.* In [illegible]uibus verbis non reperio procuratorem ſtipulatum eſſe domino, quinimo ſemel atque iterum [illegible]riptum eſt, ſibi ſtipulatum eſſe. Ergo in hac actione, nulla adverſus reum probatio. Altera actio eſt in contextu Merilliano, cujus haec eſt ſumma: Graeci inquit Merillius, legunt inſerta negatione, dominum petere non poſſe, niſi procurator actiones ei mandaverit. Graecorum ſententiam refert C[illegible]jacius *lib. 3. reſponſ. Papiniani*, eamque [illegible] rat omnibus tuetur. Latini interpretes aliter hanc *l. 68.* in[illegible]ligunt de procuratore, qui ex mandato & ex re domini ipſi domino praeſenti dari ſtipulatur, & dicunt, dominum, invito procuratore, id eſt, etſi actiones non ceſſerit, agere poſſe, eo quod cum praeſens dominus fuerit, ei utilis actio ex ſtipulatione procuratoris acquiratur: nec enim ſufficit procuratorem ex re domini ſtipulari, ut ei acquirat; ſed & praeſentem dominum eſſe neceſſe eſt. Latinorum ſententiam probat Cujacius ad *l. 79. D. de verb. oblig.* quam & magis probarem. An vult Merillius hac ratiocinatione, Graecos ſecutum Cujacium, adjecta negatione in *d. l. 68. D. de proc.* alias Latinos, detracta eadem negatione? Hoc ſi intendit Merillius, non ſibi conſtat aliud enim in fronte; aliud in receſſu habet. Nimirum variationem ſemel edicit uno caſu, mox explicat alio. Sed nec explicat ſatis, dum minus probat: verius enim eſt utrobique locorum Cujacium, actionem utilem domino ex procuratoris ſtipulatione non denegare, licet ad Papinianum connitatur docere elegantiſſimam eſſe Graecorum interpretationem, ſecundum quam poſſit dicta *lex* 68. pro regula accipi; quae tamen multas admittat exceptiones: quod & ipſum dici poſſe quis bonus inficias eat?

DISPUNCTIO X.

An Pater in cauſa filii jus dicere poſſit, vel contra.

NEmo neſcit, tam filium emancipatum, quam filiumfamilias litem habere poſſe. tam enim ex contractibus, quam ex delictis, in filiumfamilias actio competere dicitur, *l. tam ex contractibus 57. D. de jud.* Et licet regulariter, actionem nullam ſuo nomine filiusfamilias habeat, fallit tamen regula in pleriſque, ut in actione injuriarum, quod vi aut clam, depoſiti, & commodati, [illegible] *9. D. de oblig. & act.* & *l. 10. D. eod. tit.* docet in factum actiones filiumfamil. exercere poſſe. Itaque cum quaeritur, an pater filiuſve in alterutrius cauſa jus dicere poſſint, ad filium etiam familias quaeſtionem pertinere ſciendum eſt.

Aſſumendum eſt quoque, aliud judicare, aliud jus dicere, *l. unic. Cod. Ne quis in ſua cauſa judicet vel jus dicat.* Nam ut aliud Magiſtratus, aliud judex, ita jus dicere ad Magiſtratum ſolum pertinet: judicare, ad utrumque. De judice non ambigitur; de Magiſtratu probat verſus ille *legis* XII. *Tab. Qui judicet judicarive jubeat, Praetor eſto.* Ergo cum quaeritur, an pater in cauſa fil[illegible] jus dicere poſſi[illegible] vel contra: non tantum hoc quae[illegible]r, an officio judicis fungi poſſit: ſed & illud, an [illegible]ionem & imperium exercere poſſit.

Cujacius perpetuo docuit non [illegible] ſed etiam jus dicere [illegible], & filium quoque in [illegible]. Et ita [illegible]pendam eſſe cenſuit [illegible] *em 7*[illegible]. [illegible] *jud.* in qua Africanus ait. *In privatis neg*[illegible]*tiis patrem fili*[illegible], [illegible] *filium patrem, judicem habere poſſe.* hancque ſententiam confirmari dixit *l. Ille a quo 13. in fin. D. ad SCtum Tre*[illegible]. Objectioni [illegible] ducitur ex *l. 1* [illegible] *D. de juriſd.* quae [illegible] *jure dictioni praeeſt, neque ſibi,* [illegible], *neque* [illegible] *jus d*[illegible]*cere debere,* [illegible] oc[illegible] p[illegible]tav[illegible] hac [illegible]ſtione, aliud eſſe, N[illegible] bere; aliud, [illegible] on[illegible]ſſe, Poſſe ig[illegible]ur dixit, verum [illegible] en non [illegible]

[illegible] Meri[illegible]us, ut [illegible]antem quaquemtione facit, obtru[illegible], ut & ſaepe al[illegible], neſcio quas notas [illegible] & in ne [illegible]. Minime Cujacium [illegible] ei notas ad[illegible]bit, quarum pleraſque [illegible] habeas, [illegible] P[illegible]erat quaſdam ſuperſt[illegible] Cujacius, ſed [illegible] Pr[illegible] ino, qui annos ei [illegible] ad [illegible] perficiendam ac promovendam, impe[illegible]ectas [illegible] reliq[illegible] quas ex adverſariis ejus, v[illegible] quidam diligent[illegible] nonnullae, ſed non ita [illegible] ing[illegible] eru[illegible], & ſua arte interpolatas, plurimas e[illegible] je[illegible] con[illegible]ectas, Cujacii nomine [illegible]natas ſubje[illegible] Accurſiani [illegible]ſſis, quo illuſtrius prodiret novum J[illegible]s Corp[illegible] & Lugdunenſibus Bibliopol[illegible] fructu[illegible]ſis. Qu[illegible] igitur attinet ad notam qu[illegible] ex Cujacio [illegible]djectam in [illegible] *D. de j*[illegible]. hiſce verbis, *Pat*[illegible]*r filio j*[illegible] *d*[illegible]*re poteſt, at* [illegible] *dicere non* [illegible]*oteſt.* ſu[illegible]s dic[illegible] C[illegible]jacium, cum non ſap[illegible] nec verbo, [illegible]re, qu[illegible] ibi [illegible] & ſemper [illegible] in argumento u[illegible] eſt [illegible] Poſſe, ſed non debere, [illegible] ne una ac certiſſima eſt ratio co[illegible]ponendi di[illegible], quod in hac quaeſtione inter juris auctores fuiſſe [illegible] ex Gajo *l. 6. D. de re cptis.* dum ait. *Quin etiam de* [illegible] *patris dicitur* [illegible]*liumfamilias arbitrum* [illegible]*e, nam & judicem eſſe poſſe, pleriſque placet.*

Verum qua ratione Merillius improbet eam diſtinctionem, & quid praeterea novi afferat, videamus. Quod ſubjic[illegible]r, inquit, judicis poteſtati, ut poſſit facere, non [illegible]bjicitur neceſſitati, ut facere debeat: ſed quod ſubj[illegible]ur neceſſitati, ut facere non debeat, id facere non poteſt. Sit illud verum, Merilli, quod ſubjicitur neceſſitati, id fieri non poſſe! ſed an aliqu[illegible] ſubjiciatur neceſſ[illegible]ti? hoc ipſum diſpiciendum, jus controverſum *Quod jude*[illegible] *non debet facere, nec etiam facere p*[illegible]*eſt.* Hoc eſt, Meri[illegible], quod negatur. Enimvero tametſi quidquid non licet neque oportet fieri, licet tamen aliquando id, quod non oportet, facere. Hoc luculenter oſtendit Cicero *orat. pro C*[illegible]*rnelio B*[illegible]*o.* Accuſator Balbi factum Pompeji Magni criminabatur, quod Balbum donaſſet civitate, oriundum ex agro Gaditano, cujus populus, ſive liber, ſive foedere, ſive amicitia conjunctus eſſet cum populo Romano, non tamen fundus factus erat populi Rom. Cicero huic criminationi occurrit, & ait, omnem ejuſmodi reprehenſionem a Judicibus repudiandam eſſe, ſi aliquid quod non contra ac liceret, factum diceretur, quamvis contra atque oporteret. Itaque veriſſimum eſt, non debere patrem in cauſa fi[illegible]i jus dicere, nec filium in cauſa patris, poſſe tamen. honeſtius fecerit ſi abſtinuerit, ſi tamen fecerit, non dicemus non potuiſſe & nullum judicium fuiſſe.

Placetne augeam dubitationem, quo certiorem faciam definitionem? Scilicet objiciat quiſpiam, hoc eſſe mali exempli tam conjunctas invicem ſibi jus dicere perſonas, cum tamen cautum ſit, iniqui exempli judicia habere nihil debere, *l. obſer*[illegible]*dum 4*[illegible] *D. de jud.* ſine ſuſpicione lites procedere debere *l. 15. Cod. eod. tit.* quin quod Lege Cornelia [illegible] ju[illegible] nominatim continebatur: ne in [illegible]u[illegible]is ſobrinorum ſobrini, vel affinium affines, judicarent, *l.* [illegible] *D. ad l.* [illegible]*rnel.* Sed facile eſt hoc [illegible], ſi dicamus litigatores, non cogi invitos [illegible] patrem ve filium judicem, in lite, quam al[illegible]m habeat. Nam ut potuit refutari judex datus hoc dicto, Ejero iniquus eſt, ut eſt apud Afronium Paecianum; Hunc nolo, timidus eſt,

apud

apud Plin. *in Panegyrico*. Ita & in extraordinariis judiciis ex cauſa recuſari potuit Magiſtratus judicaturus, ut vel Collegam *ordinarii* acciperet, ut obſervat Cujacius *lib.* 9. *Obſerv. cap.* 23. Quod ſi non judicaret, ſed judicem daret, non fuit cur recuſaretur. Nec mihi objicias futurum forte, ut pater Magiſtratus actionem in filium deneget, vel in concipienda formula, filio parcat, eumque ſublevet, adverſarioque ita noceat, judice dato non valente nimirum formulam excedere. Haec enim omnia Magiſtratus omnis in cauſis omnium facere poteſt; itaque haec erit ratio vindicandae ac reparandae in omnibus injuriae, ut appelletur major Magiſtratus, aut ſane extra ordinem Princeps adeatur. Caeterum ſi conſentiant litigatores, volentibus injuria nulla fieri intelligitur, *l.* 9. *D. de aqua*. Nam & Ulpianus: *Si ſe ſubjiciant*, inquit, *aliqui juriſdictioni, & conſentiant* inter conſentientes *cujusvis judicis, qui tribunali praeeſt vel aliam juriſdictionem habet, eſt juriſdictio*, *l.* 1. *D. de jud.*

Jam, quid Merillius reſpondeat ad *l. ille a quo* 13. *D. ad SCtum Treb.* (ex qua apparet filium in cauſa patris jus dicere, dum cogit eum adire & reſtituere hereditatem) diſpungendum eſt. Aliud, inquit, eſt jus dicere alicui; aliud, in aliquem, in *d. l.* 13. non patri, ſed in patrem jus dicit filius. Quis hanc diſtinctionem admittat? Quis ferat hanc judiciorum infirmitatem atque inaequalitatem, ut Magiſtratus damnare, non etiam abſolvere poſſit? *l.* 3. *D. de re jud.* Cum aditur filius vel pater Magiſtratus, ſciuntne litigatores, quis futurus ſit judicii exitus? Neſciunt plane: committunt ſe periculo, & ut ita dicam aleae. Sunt enim ambigua fata cauſarum, *l.* 14. *Cod. de Advocatis diverſ. judicior.* Eſt fortunae judicium, *l.* 13. *D. de ſtatu hominum*. Et tam actor damnari poteſt quam reus, *l. un.* §. *non ſolum* 3. *D. ſi quis jus dicenti non obtemp.* Ergo Magiſtratui arbitrium ſtatuendi adimemus, ſi dicamus (quod vult Merillius) poſſe filium contra patrem jus dicere, at non poſſe ſecundum eum. Quoties aliqui ſubjiciunt ſe juriſdictioni Magiſtratus, certum eſt tam eis, quam adverſus eos jus dici poſſe, *l.* 14. *D. de juriſd.* Quid hoc eſt, *Et & in Eum?* Id eſt proculdubio (ut jam ſupra docui *diſpunctione* 5.) ſecundum Eum, & contra Eum. & ſive conveniat, ſive conveniatur, ut vulgo adjici ſolet. Denique cum *lex* 1. *D. Quod quisque juris* ait, *Quis enim aſpernabitur idem jus ſibi dici, quod ipſe aliis dixit*; quaeſo te, Merilli, nonne ratio facit, ut hoc ita exaudiamus, in ſe jus dici, quod in alios dixerit, vel titulo admonente: QUOD QUISQUE JURIS IN ALTERUM STATUERIT, &c. Ergo inutile eſt ſubfugium in hac quaeſtione noſtra illud, ut ſit aliud jus dicere alicui; aliud in aliquem.

DISPUNCTIO XI.

An, in ſpecie *legis Cum mater* 28. *D. de inofficioſo teſtamento*, filius a matre praeteritus egerit querela inofficioſi, vel ex tacita matris voluntate. Et an Paulus JCtus decretum Hadriani Imperatoris improbaverit, in *d. l. cum mater* 28.

PAulus libro ſingulari de ſeptemviralibus (alias de centumviralibus) judiciis: *Dum mater*, inquit, *militem filium falſo audiſſet deceſſiſſe, & teſtamento heredes alios inſtituiſſet, D. Hadrianus decrevit, hereditatem ad filium pertinere, ita ut libertates & legata praeſtentur. Hic illud adnotatum, quod de libertatibus & legatis adjicitur. Nam cum inofficioſum teſtamentum arguitur; nihil ex eo teſtamento valet*

Cum unam duntaxat Merillius quaeſtionem proponat, duplicem movet; & in utraque variantem Cujacium facit. Prima eſt (quae abeſt a titulo Merilliano) quam non ſivi exulare a noſtro, an in ſpecie *l.* 28. *D. de inoff. teſtament.* filius praeteritus in teſtamento matris, egerit actione ſive querela inofficioſi; an vero ex tacita voluntate matris. Mater decedens, falſo rumore perlato quaſi filius ejus miles cecidiſſet in acie, teſtamento ſuo extraneos inſtituit heredes, & ab iis libertates & legata reliquit: reverſus ex caſtris filius poſt mortem matris, quaeſtionem fecit apud Principem de materna hereditate contra ſcriptos heredes. Quaeritur ab interpretibus, qua actione egerit, an querela inofficioſi teſtamenti, an ſupplicatione Imperatori facta, ut ex tacita matris voluntate hereditatem ejus obtineret. Merillius Graecis admodum infenſus & adverſus, rejecta eorum opinione, filium vult egiſſe de inofficioſo: Graecos ſequutum Cujacium *lib.* 10. *Obſerv. cap.* 22. ſequor ipſe, & dico filium non egiſſe querela inofficioſi. Nam (quae ratio Cujacii eſt, eaque optima) cum inofficioſum teſtamentum arguitur, nihil ex eo teſtamento valet, ut eſt *in fine d. l. cum mater* 28. & confirmatur *l. Titia* 13. *in fin. D. eod. tit. de inoff.* Nec mihi reſpondeat Merillius, hinc mirari & adnotare Paulum Imperatoris decretum: repungam enim, adnotare igitur, quaſi id ſit contra regulas juris; quod quid aliud eſt, quam improbare & ſugillare? cum tamen Merillius non reprehendiſſe, ſed potius decretum probaſſe & obſervaſſe Paulum fateatur. Hoc concedat, & annuat Merillius, non arriſiſſe Paulo Hadriani decretum: ſua ſibi conſtabit opinio, propria alias contradictione collapſura. Utamur & aliis rationibus. De teſtamento matris, quae, exiſtimans periiſſe filium, alium heredem inſtituit; an queri poſſet quaſi inofficioſo, tractatum eſt, ſcripſitque Ulpianus lib. 6. Opinionum, poſſe, *l. ſi inſtituta* 27. § *ult. D. de inoff.* Juſtam dubitationem, movebat, quod exheredatio reſcinditur ſola ea, quae notae cauſa facta eſt, quae iniquitatem & odium habet; veluti ſi mater naturam oderit ἐκ μίσους τὴν φύσιν ἀλόγως ἐμίσησεν inquit Theophilus. At mater filio non ſuccenſuit, quem putavit pro Repub.glorioſe occubuiſſe. Placuit tamen praeteritionem illam ceu exheredationem, etiam per querelam reſcindi poſſe, ſi filius ſcilicet (hoc enim exaudiendum eſt) ad injuriam factum matris revocaret. Sed cum haec via actionis de inofficioſo, propter moleſtiam probationis, & judicii qualitatem (his enim improba dicitur, *l.* 8. §. 14. *D. de inoff.*) filio longior, id eſt, difficilior ſit, quam ſupplicationis ad principem (cum hac via electa matris errorem vel ipſa teſtamenti ejus praefatio demonſtret; illa vero docere debeat filius inique ſe praeteritum eſſe) credibilius eſt, ubicunque de matris errore conſtat (ut in *d. l. cum mater* 28.) filium de inofficioſo non actutum. Aliud argumentum ſumo, ex verbis *d. legis cum mater* 28. *Divus Hadrianus decrevit hereditatem ad filium pertinere.* Scilicet his verbis, de hereditate apparet pronuntiatum, non de teſtamento, ſive de jure teſtamenti. Quod tamen fieri ſolet in cognitione de inofficioſo, *l. Papin.* 8. §. *pen. l. ſi pars* 10. *& l. filio* 16. *in fin. D. de inoff.* Econtra vero in ſupplicatione principi facta pronuntiatur, hereditatem pertinere ad eum, qui per cauſam erroris non eſt inſtitutus, cum onere tamen praeſtandorum legatorum, *l. ult. D. de heredib. inſtit.* An Cujacius uſpiam finxit (ex ſua ſententia) filium in *d. l.* 28. inofficioſi querelam inſtituiſſe, magis quam apud principem extra ordinem egiſſe? Profecto ex recitatione ad *l. Titius* 25. *D. de lib. & poſtum.* ex prioribus ejus operibus (cujus verba refert Merillius quaſi adverſantia dictae obſervationi, *lib.* 10. *cap.* 22.) hoc non elicias: id aequius facias ex recitatione ad *d. leg.* 28. *D. de inoff.* quam tamen Merillius, ſuae cauſae non ita bonus Patronus, cum dicta obſervatione componit. Imo omnino melius ex recitatione ad *d. l. Titius* 25. ex poſtumis operibus, quam praetermittit Merillius. Sed eſt quod huic loco reſpondeamus, Cu-

jacium filio non dare actionem inofficioſi, ipſo jure. Illi vero, incerta omnia ibi reliquiſſe propoſita atque exaggerata tam vulgi, quam ſua opinione. Non bene reum accuſator, hoc capite, convincit; ut nec in caeteris.

Reſtat aliud de Hadriani decreto. Merillius ait, Cujacium illud improbare in expoſitione tituli *de liberis & poſtumis ad l. Titius 25.* Aliter in *Obſerv. ſupra dicto l. eo.* Recta objectio; ducta ſcilicet ex operibus, quae Magiſter recognovit! Caeterum attendentibus, quomodo loquatur in *d. l. Titius 25.* facile erit moderari ſententiam. *Id decretum*, inquit, *probare Paulus non videtur*: haec vox (*videtur*) non eſt definientis & certo affirmantis, ſed dubitantis τοῖ ἀμφιβολίαν, licet non ſemper, aliquando tamen; ut de verbo, δοκεῖν, Rhetor Ulpianus docet, in *enarratione primae Olynth.* Demoſt. ad illa verba: ὑμᾶς ἑλέσθαι νομίζω. Nam ut Magiſter docet ad *l. Procula 26. D. de Probat.* ex *eadem l.* verbum (*videri*) praeſumptionem ſignificat. De eo autem decreto ſuperaddendum nihil habeo, niſi quod haec verba, *Nam cum inofficioſum teſtamentum arguitur, &c.* diverſam ſpeciem apriori, ſeu diverſum genus agendi deſignant. Particula, *Nam*, modo pro ratione dubitandi; modo pro explicatione ejus, quod dictum ſit; modo pro ratione differentiae, adeoque ad inductionem diverſae ſpeciei ponitur, ut oſtendit *l. ſi is qui pro emptore 15. in pr. & §. 1. D. de uſurp. & uſucap.* Ita in §. *At hi qui emancipati 10. Inſt. de hereditatib. quae ab inteſtat. defer.* haec verba, *Nam vivo eo eum incipati*, caſum diverſum a ſuperiore continent, & in *l. 2. §. 1. D. de vi bonor. raptor.* diverſa experiundi ratio deſignatur iſtis; *Nam ſi quis ſe vim paſſum docere poſſit, publico judicio poteſt experiri.*

DISPUNCTIO XII.

Quomodo ſervitutes praediorum aliae in ſolo, aliae in ſuperficie conſiſtant.

L*Ex 3. D. de ſervit.* ſic habet: *Servitutes praediorum in ſolo, aliae in ſuperficie conſiſtunt.* Quaeritur, quo ſenſu in *ea l.* dicatur, ſervitutes praediorum alias in ſolo, alias in ſuperficie conſiſtere. Conſentiunt omnes, his verbis traditam eſſe a Paulo Jureconſulto ſervitutum diviſionem. Et Accurſius quidem dixit denotare hanc diviſionem ſervitutes urbanas & ruſticas, vel eas ſervitutes, quae imponuntur a dominis & a ſuperficiariis. Superficiarii ſunt, qui in alieno ſolo ſuperficiem habent, quam vel emerunt ſolam, vel conduxerunt in perpetuum, vel in longum tempus: hi non poſſunt ipſo jure, ſuperficio ſive ſuperficiei ſervitutem imponere; Praetor tamen, quas impoſuerint pro aequitate ſua, tuetur, quemadmodum & in rem utiles actiones ei commodat, *l. in Provincinli 3. §. ſi ego 3. D. de operis novi nuntiatione.* Poteſt affingi & alius ſenſus, ſive alia interpretatio ad *d. l. 3.* ut ſint ſervitutes ſolo impoſitae, vel acquiſitae; ſint & ſuperficiei. Solo ſimpliciter impoſitae ſunt ſervitutes, cum fundo ſuo ſervitutem quis imponit; veluti cum vicino ceſſit jus eundi per fundum ſuum, ſive genus agri expreſſerit, ſive non: ſuperficiei impoſitae ſunt, cum certum genus agri demonſtratum eſt ea mente, ut, forma agri mutata, non eſſet amplius ſervitus. Genera agrorum diſtinguuntur ſuperficie: ſunt vineta, ſalicta, oliveta, arva, arbuſta, praetoria & alia aedificia. Id genus praedia diſtinctionem recipiunt ratione eorum, quae in iis ſata, conſita, implantata, & aedficata ſunt. Stipulatus ſum, ut mihi liceret ire agere in vineam meam per fundum tuum; ceſſiſti mihi jus commeandi ad vineas meas per praedium tuum: quaeritur, an haec ſervitus acquiſita ſit ſolo, vel ſuperficiei. Videndum quid actum ſit: id eſt, quaenam fuerit mens contrahentium: & ſi quidem hoc actum eſt, ut maneret ſervitus, quamdiu vineae manerent, non ultra, ſuperficiei, non ſolo, dicitur acquiſita ſervitus: ſi nil tale actum eſt, ſolo creditur ſervitus acquiſita: mentio vinearum non efficit, quo minus ad ſolum ſervitus pertineat. *Certo generi agrorum acquiri ſervitus poteſt, velut vineis, quod ea ad ſolum magis, quam ad ſuperficiem pertinet. Ideo ſublatis vineis, ſervitus manebit. Sed ſi in contrahenda ſervitute aliud actum erit, doli mali exceptio erit neceſſaria*; Textus eſt *leg. 13. D. de ſerv. praed. ruſtic.* Haec tertia interpretatio eſt, quae fingi poteſt ad *d. l. 3. D. de ſervit.* Et vero eam finxit Cujacius & aptavit *dictae l. 3.* dum eam interpretatur ad *lib. 21. Pauli ad Edictum.* In quo tantiſper receſſiſſe videri poſſit ab eo, quod dixerat in recitatione quadam ad *titul. de ſervit.* ubi ex duabus Accurſii interpretationibus, inclinabat in priorem; ut illis verbis, *aliae in ſolo, alias in ſuperficie*, denotarentur ſervitutes tum urbanae, tum ruſticae. At non carpitur in eo; qui tamen fundus eſt, & quaeſtio de vera interpretatione *d. legis 3. D. de ſervit.* ut prae ſe fert titulus hujus capitis. *Quomodo ſervitutes &c.* nec (quod mirum eſt in Merillio, qui paratus ad agendum venit) contra eam interpretationem quicquam affertur, quae nequidem refertur: minimum igitur eſt, quod arguit Merillius; ſcilicet quod ad titulum *de ſervit.* Cujacius dixerit, in ſolo conſiſtere ſervitutes ruſticas; in ſuperficie ſervitutes urbanas: contra ad *libri 21. Pauli ad Edictum*, ſervitutes urbanas in ſolo conſiſtere poſſe, & ruſticas in ſuperficie. Sperabam fore *hocce capite* XII. ut Merillius, id eſt, ut ſolertiſſimus ille Juriſconſultus, qui Cujacium propalat ingenium in numerato non habuiſſe, ingenioſe nobis rem totam haud parca manu expanderet atque emedullaret: fruſtravit adeo ſpem Merillius, ut nec ſatis quid de ea quaeſtione ſentiret, aperuiſſe nobis videatur. *Plures*, inquit, *interpretationes recipit lex. 3 D. de ſervit. Primum eſt* (ita loquitur Merillius) *ut qui Dominus eſt ſoli, poſſet ſervitutem ſolo imponere, & ſuperficiarius poſſit quoque in ſuperficie ſervitutem imponere. Alio modo intelligi poteſt haec lex 3. ſervitutes ruſticas in ſolo, urbanas in ſuperficie conſiſtere: ſervitutes ruſticae in ſolo conſiſtunt, veluti ſervitus itineris aquaeductus: urbanae in ſuperficie, veluti ſi ex meo aedificio tignum immittam in tuum aedificium. Eam interpretationem probat Cujacius ad tit. de Serv. Idem tamen ad lib. 21. Pauli ad Edictum in hac l. 3. ait tum ſervitutes urbanas, quam ruſticas poſſe in ſolo vel ſuperficie conſiſtere, quod & magis admitterem.*

Liceat mihi percunctari de te, Merilli! An probas expoſitionem Cujacii ad *librum 21. Pauli ad Edictum*, ubi refutat utrumque ſenſum ab Accurſio prolatum, tertium ſenſum ex ſuo ſenſu profert elicitque ex *d. l. certo generi 13. D. de ſerv. ruſt. praed.* nimirum ſervitutes, quae in ſuperficie conſiſtunt, eas eſſe, quas quis praedio ſuo ita ſtipulatus eſt, hoc eſt, eo animo ut ſuperficiei tantum eas acquireret, ut ea perempta perimerentur: eas vero, quae in ſolo conſiſtunt eas eſſe, quae ſolo acquiſitae etiam mutata ſuperficie remanerent? Haec eſt ſumma ſententia eorum, quae fuſe tractat ibi Cujacius; cui ſententiae conſequens eſt, quod ibidem vir emunctiſſimae naris habet: ſcilicet conſiſtere ſervitutes in praedio, cui ſervitus debetur; non vero in praedio ſerviente. Quo referemus illud tuum, *Quod & magis admitterem?* Admittis tam urbanas, quam ruſticas ſervitutes poſſe tum in ſolo, tum in ſuperficie conſiſtere: at non admittis (quod vult Cujacius) ſervitutes ſimpliciter conſiſtere in praedio, cui ſervitus debetur. Denominationem, inquis, accipiunt a praedio dominante; conſiſtunt in ſolo aut ſuperficie non praedii dominantis, ſed ſervientis. Ita ſit! verumtamen, doc dicto, ita ſtare videris cum Cujacio, ut nullo

nullo modo ſtes. Mens enim Cojacii eſt, ut poſito eo, quod ſervitutes conſiſtunt in praedio dominante (utitur & ipſe hoc verbo, auctoribus noſtris nuſquam uſitato) conſequens ſit omnium praediorum tam urbanorum, quam ruſticorum ſervitutes, & in ſolo & in ſuperficie conſiſtere, quia tum ſolo, tum ſuperficiei deberi poſſunt.

Jam non loquor de veritate hujus ſententiae: ſed quaero, an in aliquo conveniat Merillius cum Cujacio, quem lateralem ſibi ſemper aſſeverat. Nam qui negat, ſervitutes ſolo vel ſuperficiei debitas, in eodem ſolo vel ſuperficie eadem conſiſtere; qui convenire poteſt cum eo, qui putat ſententiam *dictae legis* 3. *D. de ſerv.* eſſe ſervitutes tam urbanas, quam ruſticas in ſolo vel ſuperficie conſiſtere? Et tamen non dubitat Merillius ſcribere illud ſuum, *Quod & magis admitterem.* Credendum eſt, Merillium hoc magis admittere ſuo modo: videlicet probare Cujacii interpretationem, quod omnes ſervitutes deberi poſſint & ſolo & ſuperficiei; at improbare, conſiſtere in praedio dominante. Sed o Merilli! textus *d. legis* 3. ait *conſiſtere*; ſi igitur tu cum Cujacio conſentis, deberi: quare diſſentis in eo, quod lex ait, conſiſtere?

Satius erat in totum hic a Magiſtro recedere, & bono adhaerere Accurſio. Nam, ut verum fatear, aut imperfectus eſt commentarius ille, qui Cujacio tribuitur, aut falſus eſt Cujacius in expoſitione *memoratae l. cert. generi* 13. quae tantum abeſt, ut dicat ſuperficiei ſervitutem acquiri (etſi maxime hoc actum ſit inter contrahentes) quinimo aperte ait, ſolo acquiri, ſed remedio exceptionis ſervari conventionem; quomodo Papinianus in *l.* 4. *D. de ſervit. Servitutes*, inquit, *ipſo quidem jure ad tempus conſtitui non poſſunt: ſed tamen per pacti vel doli exceptionem occurretur contra placitum ſervitutem vindicanti.* Itaque putandum minime eſt Juriſconſultum (dum eam diviſionem tradit, *ſervitutes alias conſiſtere in ſolo, alias in ſuperficie*) cogitaſſe de eo, quod & raro & praeter juris rationem fiat. Diviſiones fiunt, ut ait Philoſophiae magiſter τοῖς ἐν τῇ οὐσίᾳ, οὐ μὴν τοῖς συμβεβηκόσι, iis rebus, quae in ſubſtantia; non iis, quae accidunt, *lib.* 1. *de Partibus animal. cap.* 3.

Ubinam autem conſiſtunt ſervitutes? an in praedio ſerviente, an in praedio, cui ſervitus debetur? Quaero in quo Tutela? An in tutore, an in pupillo? definitio enim ambigua eſt, dum ait, in capite libero. Poteſt ergo de tutore accipi, ut rectus ſit ſermo, poteſtatem eſſe in tutore ad tuendum pupillum: at Theophilus ait: κατὰ ἐλευθέρας κεφαλῆς. Expeditum eſt dicere, eſſe in utroque; Tutor eam habet atque exercet; Exercetur autem in pupillo. Jus patroni eſt in liberto; eſt in patrono quoque, *l.* 8. §. *ſed ſi ad jusjurandum* 2. *D. de in jus vocando.* Etiam in ſacris paginis idem verbum juxta Hebraei ſermonis ambiguitatem alii atque alii applicatur. Bernardus *ſerm.* 4. *de verbis Eſaiae Prophetae: Et hoc quidem*, inquit, *pro eo, quod diſtincte in Latinis codicibus ſcriptum eſt caput ejus & pedes ejus: Teſtatur autem interpres noſter in Hebraeo verbum eſſe commune, quod poſſit interpretari ejus, & ſuam: ut Seraphim juxta Hebraei ſermonis ambiguitatem vel faciem pedeſque Dei vel ſuam faciem ac pedes ſuos operire dicantur.* Rogo, imperium in quo eſt, an in domino, an in ſervo? Credo eorum, quae πρός τι dicuntur, naturam eſſe reciprocam; & ut ſervus dicitur domini ſervus, ita &, vice mutua, dominus eſt alicujus ſervi dominus: πάντα δὲ τὰ πρός τι &c. *in Categ. cap.* 7. adeoque imperium ſuo modo ſuaque ratione, & in domino & in ſervo eſſe eritudinem, ſervitudinem; apud Feſtum, eritudo eſt dominatio, δεσποτεία. Ita de praediorum ſervitutibus dicendum; conſiſtere eas in utriſque praediis: in iis, quibus debentur, quae proculdubio jus habent; & in iis, quae debent, quia ſerviunt &, ut ita dicam, ſervitute afficiuntur, ut Ariſtoteles ait, διαθέσεις περὶ σῶμα καὶ ἐν σώματι. Noſtris enim quid aliud ſervitutes, quam qualitates praediorum, ſeu ut loquuntur, praedia qualiter ſe habentia? nec fere intereſt ſive dixeris ποιότητα vel διαθέσεις: ſi aves dicere ποιότητα, quod eſt vero propius, audi eundem Ariſtotelem ὅτι μὲν οὖν αὗται ποιότητες οὐ φανερὸν &c. Nam ſi actionum inſtar habeas ſervitutes, conſtat actionem ibi magis eſſe ac conſiſtere ubi fertur, quam unde manat: ibi ſentitur ubi eſt, inquit D. Auguſtin. *epiſt. ad D. Hieron. de Origine animae.* Et de ſervitute perſonarum Seneca: *Errat*, inquit, *ſi quis exiſtimat ſervitutem in totum hominem deſcendere; pars ejus melior excepta eſt, corpora obnoxia ſunt, &c. lib.* 3. *de Benef. cap.* 20. Agnoſco igitur veriſſime dictum, ſervitutes conſiſtere in praedio ſerviente: practice ſcilicet & paſſive; quia exercitium, id eſt, uſus ſervitutum eſt, finiturque in ipſis praediis, quae ſervitutem debent. Qua ratione forte pontes urbis Romae regioni XIV. adſcripti ſunt, quae tamen erat trans Tiberim, quod ad eam & in ea quieſcerent. Ergo recte utrumque dixeris, ſervitutes conſiſtere in praediis, quae eas debent, in quibus & conſtitui & remitti etiam dicuntur, *l. ad certam partem* 6. *D. de ſervit.* uno & nominatim conſiſtere, *l.* 29. *D. de ſerv. urb. praed.* & in praediis quibus debentur; cum ab uno exeant & in aliud perducantur, *l.* 20 §. *penult. D. eod.* & utique acquirantur iis, quibus debentur, *d. l. certo generi* 13. *D. de ſerv. praed. ruſt. l.* 11. & 12. *D. de ſervit.* & ut interdicta poſſeſſoria competunt poſſeſſoribus rerum corporalium, ita & interdicta veluti poſſeſſoria dominis praediorum, quibus acquiſitae ſunt ſervitutes, *l. ult. D. eodem tit.*

DISPUNCTIO XIII.

An, ſervitute viae ſimpliciter legata, heredis vel legatarii ſit electio, qua parte fundi conſtituatur.

AD quaeſtionem propoſitam ut reſpondeatur: quid pluribus opus eſt? ſola legatorum per vindicationem & per damnationem diſtinctio rem omnem abſolvit. Haec hodie notiſſima eſt beneficio eorum, qui *fragmenta* nobis *Regularum* Ulpiani, ac Pauli *Sententias* evulgarunt: antequam vero iis frueremur, cui nota? Et mirum tamen divino praeſtantem ingenio Cujacium, ubi defuit illi tam opportunae atque expeditae diſtinctionis cognitio, non ſufficientibus ac comparentibus libris illis, proxime ad eam acceſſiſſe excogitata diſtinctione voluntatis Teſtatorum, ut infra apparebit: quo nomine ſane non vituperandus, aut variationis accuſandus, ſed maxime laudandus fuit. Sed age! aliud in ſinu occultat Merillius: verbum (*relinquatur*) inquit, in *l.* 9. *D. de ſervit.* rejiciendum ſemel exiſtimavit Cujacius: poſtea retinendum cenſuit. De poſtumis eſt ea objectio. Sed demus Merillio, quaſi ſit de prioribus ejus operibus. Ad *d. l.* 9. dixit ſuſpecta ſibi videri verba, *vel relinquatur.* Textus habet: *Si cui ſimplicius via per fundum cujuſquam cedatur, vel relinquatur; in infinito, videlicet per quamlibet ejus partem ire agere licebit &c.* Cujacius, *probabile eſt*, inquit, *haec verba eſſe cujuſdam interpretis.* Hoc dico, neque his verbis omnino definiiſſe Cujacium, expungenda eſſe ex *d. l.* 9. verba illa, *vel relinquatur*, neque alibi caviſſe nominatim, retinenda eſſe.

Redeamus ad primam praecipuamque objectionem, ſimul & rem totam cominus videamus. Celſus in *d. l.* 9. ait, *ſi via cedatur, vel relinquatur*, cedatur ſcilicet ſtipulatori; relinquatur autem legatario: *ut utrique liceat per quamlibet partem ire agere.* Accurſius objicit *l. ſi via* 26. *D. de ſervit. praed. ruſtic.* ubi, legata ſimpliciter ſervitute, Paulus ait, facultatem eſſe heredi, per quam partem conſtituat ſervitu-

vitutem: falſum igitur quod dicitur *d. l.* 9. facultatem eſſe legatario. Cujacius diluendae hujus objectionis gratia, dum primitus interpretatur *d. l.* 9. tentavit aliquid dicere; & forte peregit, ſed non pervenit ad nos integra ejus recitatio, ut viri boni animadvertere poſſunt illo loco: *Loquitur de fundo; quare ait villam? quia villa eſt acceſſio fundi: ridiculum ergo eſt, cum fundus ſit acceſſio villae.* Quis non videt nonnulla hic deſiderari? & illo maxime loco: *Notandum eſt in quaeſtione de jure electionis ſemper diſtingui ultimas voluntates a contractibus. Exemplo id demonſtratur: ſi legatum generaliter relinquitur, electio eſt ejus, qui debet. ſic etiam in ſtipulationibus disjunctivis, l.* 10. *D de jure dot. Sic igitur definiendam in legatis; ſi ſimpliciter via legata ſit, electio eſt heredis, quia hoc eſt conſentaneum voluntati haeredis.* Quis non videt, praemiſſis non bene congruere ſequentia? ut plus dictum, minus ſcriptum eſſe credibile omnino ſit: & ſatis tamen ſcriptum, unde poſſimus tueri ſententiam interpretis, cum dixit, heredis eſſe electionem, ubi hoc eſt conſentaneum voluntati teſtatoris.

Sane, ad *d. l.* 26. *D. de ſervit. praed. ruſtic.* lib. 47. Pauli ad Edictum, idem Cujacius objectionem illam removet aperta diſtinctione legatorum, ut ſi teſtator ita per damnationem legaverit, heres meus damnas eſto illi viam dare cedere per fundum illum, electio ſit heredis; quia & ſermo dirigitur ad heredem. Contra ſi per vindicationem legaverit, lego tibi viam per fundum meum; electio ſit legatarii, per quam partem ire agere velit. Quare non eſt contrarius in ſententia Cujacius ab eo, quod ante ad *d. l.* 9. dixerat, ſed in modo tantum docendi diverſus.

Huic autem diſtinctioni ſuperaddere quidquam, fere otioſum eſt; niſi ſi repetere & explicare liceat, hanc diſtinctionem legatorum prodere diverſam teſtantis voluntatem. Qui damnat heredem dare, transfert in eum dominium, ut ab eo poſtmodum & ejus facto miniſterioque alius dominus efficiatur: qui ſepoſito & veluti ſpreto herede per vindicationem legat, recta via dominium vult ad legatarium tranſire, *l.* 64. *D. de furtis.* adeoque ſi tale quid ſit quod electionem contineat, electionem in eundem confert, ut eligendo dominium acquirat, quod interim in pendenti ſit, ut electione ſua quaſi deſignatione quadam (quae in actione in rem plane neceſſaria eſt) rem ſumat & vindicet. Servius ad *v.* 533. *lib.* 5. *Aeneid. Sumere*, inquit, *eſt verbum Juriſconſultorum, quo utuntur, quotiescunque legatum non ab ipſo herede datur, ſed eſt in accipientis arbitrio.* Vim facit Servius in verbo *ſumere*, cujus non eſt alia poteſtas, quam verborum, capito, optato, eligito, & eorum, Do lego. Ulpian. *in fragment. Regularum tit. de leg* §. 3. Alia igitur atque alia voluntas apparet in diverſis legandi generibus, & ex ea diverſitate voluntatis, modo heres, modo legatarius electionem habet: quod & accidit in ſervitute legata, ut modo imponatur, qua velit heres; modo, qua legatarius, prout conſentaneum eſt voluntati teſtatoris. Quod cum ſimpliciter dixerit Cujacius in *d l.* 9. *D. de ſervit.* diſtinctius vero in *d. l. ſi via* 26. Quis eum jure redarguere potuit?

DISPUNCTIO XIV.

An legato fundo, aditione hereditatis, confundantur ſervitutes:

E T

An dominium rei legatae tranſeat in heredem vel legatarium.

NIhil eſt facilius, *l.* 18. *D. de ſervit.* quae ait: *In omnibus ſervitutibus, quae aditione confuſae ſunt, doli exceptionem nocere legatario, ſi non patiatur eas iterum imponi.* Species eſt: Fundus Titii teſtatoris fundo meo debebat ſervitutem viae; Titius inſtituit me heredem; fundum autem illum ſuum Sejo per damnationem legavit: cum Sejo fundum tradere vellem, atque eidem fundo imponere ſervitutem, quae, me adeunte hereditatem, jure confuſa erat; id non eſt paſſus Sejus. Egit igitur contra me, petiitque, ut ei fundum traderem, uti optimus maximus eſſet, id eſt liberum, *l. cum venderes* 59. *D. de contrah. empt.* Paulus ait, Sejum exceptione doli mali ſubmovendum eſſe: quod ſcilicet talis praeſtandus ſit fundus, qualis eſſet, cum legatus eſt. Haec profecto propius ad Cujacii ſenſum. Verum quid audio? Cujacium ad *librum* 3. *Quaeſtionum Papinians* fingere in ſpecie *d. l.* 18. legatum conditionale fuiſſe, & ita heredem factum dominum, alias non futurum, ſi purum non fuiſſet legatum.

Itane Cujacius in plano haeſit, ut neſciret evadendi rationem aliam aut etiam meliorem? Potuit quidem fingere ſub conditione relictum legatum: nam quae ſub conditione legantur, interim ſunt heredis, *l.* 1. §. 3. *D. ad SCtum Silan.* At non potuit non errare turpiter hoc adjecto, non alias futurum dominum, ſi pure legatum eſſet O virum ſterilem Cujacium (ſi haec dixerit) optimarum rationum & diſtinctionum juris ignarum! Ratio dubitandi in ſpecie ſupra dicta haec erat (ſi verum eſt quod vulgo credimus) quod dominium fundi legati a morte teſtatoris recta via ad Sejum legatarium tranſiiſſet, nunquam factum heredis, *l. legatum* 80. *D. de leg.* 2. atque ita nulla confuſio in perſona mea, id eſt, in perſona heredis facta eſſet. Ratio autem amovendae dubitationis fuit, non quod in *hac l.* 18. legatum eſſet conditionale: ſed quod legatum per damnationem relictum eſſet; cujus hanc fuiſſe naturam conſtat (tum ex formula ejus, tum ex comparatione legati per vindicationem, apud Theophilum, *tit. de legatis*) ut rei legatae dominium, donec ſolveretur & daretur, penes heredem remaneret. Cujacius, inquit Merillius, ut hanc dubitationem amoveat ad *lib.* 31. *Quaeſt. Pap.* ait in *hac lege* 18. legatum conditionale fuiſſe & heredem, pendente conditione, factum dominum, atque ita aditione confuſam fuiſſe ſervitutem. Quod ſi legatum fuiſſet purum, nullo tempore heres fundi Titiani dominium habuiſſet. Quam diſtinctionem inter legatum purum & conditionale non Accurſius, ſed Cujacius in *tit. de Servitut.* ait non eſſe obſervandam; quia lex iſta non diſtinguit: & praeterea exiſtimat quoquo modo res legatae fuerint, dominium rei legatae tranſire in heredem. *Quoquo modo*, id eſt, ſive purum, ſive conditionale fuerit legatum; vel, ſive legatum fuerit vindicationis, aut damnationis. Denique exiſtimat non aliter dominium rei legatae acquiri legatario, quam cum legatum agnoverit. Verum putarem, in *hac l.* 18. latere differentiam, quae erat inter legatum vindicationis & damnationis &c.

Itane, inquam, Cujacius nihili fuit homo? adeone immemor, ut ad Papinianum non recordaretur diſtinctionis legatorum vindicationis & damnationis in *d. l.* 18. tam convenientis, quam ante ad Africanum ſaepius verſaverat? imo & ad eundem Papinianum lib. 17. quaeſt. ſcilicet ad *l. Maevius* 66. *D. de leg.* 2. Non credam, ſi non cerno atque oculis ipſe meis video. Teneo locum: *At finge*, inquit Cujacius, *tu, qui me heredem feciſti, praedium illud tuum, quod meo ſerviebat, a me legaſti Titio*, Et legaſti per damnationem (ita ponendum eſt) alioquin aditione ego non acquirerem dominium hujus praedii; quia fundi legati per vindicationem dominium recta tranſit ad legatarium; nec fit heredis, niſi ſit legatum per vindicationem conditionalem. Haec ille. Nunc ubi fides? Audiſne, legiſne, Merilli? Oportuitne

hoc

hoc craſſiore charactere & apicibus Romanis granduſculis, qualibus libri tumeſcunt tui, haec conſcribi? Statuit Cujacius, ſi legatum ſit vindicationis, heredem non fieri dominum rei legatae, niſi forte conditionale ſit. At in ſpecie propoſita, aperte nullam conditionem adſcriptam fuiſſe ponit, qui expreſſe ait legatum per damnationem relictum fuiſſe. *Et ita*, inquit, *ponendum eſt*. Quid planius? O ſi redivivus immanitatem ac foeditatem hujus erroris, ne dicam mendacii & cruentam hanc plagam innocenti ſibi a te inflictam videret, Merilli, qui Donellum aliquando, virum egregium & diſertum & doctum, ob levem quandam hallucinationem, ſcutica dignum pronuntiabat; qui te manumitteret! Tantum tu vertereris ab illo, ut diceres:

Namque ager, ut per plana citas ſola verbere turbo, ut eſt apud Tibull. *lib. 1. eleg. 5. v. 3.* Sed pergamus porro!

Merillius addit, Accurſium adferre hanc diſtinctionem legati puri & conditionalis; Cujacium vero *ad titulum de Servit.* dixiſſe, minime obſervandam eſſe: & praeterea exiſtimaſſe, quoquo modo res fuerint legatae, dominium tranſire in heredem, id eſt (inquit Merillius) ſive purum, ſive conditionale ſit legatum; *vel ſive legatum fuerit vindicationis, aut damnationis*. Heus, heus, Merilli! Aureliani gloſſematis ſimile tuum *id eſt*; ipſo contextu ſcabroſius eſt. Verum quidem eſt, Cujacium ibi dicere, in ſpecie hujus *leg. 8. D. de ſervitut.* diſtinctionem illam, inter legata pura & conditionalia, non eſſe ad rem (ſcilicet ſi praeterea nihil ſuppleamus) ſed non idem ait, de diſtinctione legatorum. Itaque cum ait, quoquo modo res legatae ſint, dominium tranſire in heredem: hoc eo referendum eſt ſive pure, ſive ſub conditione legatum ſit; non eo, quo tu refers, ſive legatum ſit vindicationis, ſive damnationis: de qua differentia nominatim nihil illic habetur. Hoc non videre, quid eſt niſi in montes offendere, reſque oculos ferientes non cernere? ut D. Auguſtinus ait *lib. 8. de Civit. Dei. cap. 16.*

DISPUNCTIO XV.

An ſit quaedam ſpecialis certi condictio, vel tantum generalis.

ADeone ab Cujacio mens aliena Merillio eſt, ut non poſſit, niſi in eo, in quo cum eo conſentit, ſenſum ejus adſequi? & ſi quae de jure eum opinio imbuerit aliter atque illum, capere poſſe deſinat, aut intelligere nolit? Cujacius rubricam, ut ajunt, Tituli Digeſtorum *de rebus cred. ſi certam petatur, & de condictione* explicat, cum in *Paratitlis Digeſtoram*; tum ad *l. 23. eodem titul. lib. 2. ad Africanum*: utrobique autem tradit duas eſſe certi condictiones, unam generalem pertinentem nedum ad mutuum, ſed etiam ad omnes cauſas, ex quibus certum petitur illis verbis deſignatam, *ſi certum petetur*; alteram ſpecialem ex mutuo ſolo, his verbis ſignificatam *& de condictione*, ut *Inſtit. tit. Quibus modis re contrahitur oblig.*

Merillius vult aliter eundem Cujacium tradere in *Paratitlis Codicis ad tit. Si certum petetur*: eo quod ibi non meminerit ſpecialis condictionis. Verum ita ſit, de ſpeciali condictione nihil ibi commemorare Cujacium, quis ex eo probe ita colligat: ergo unam duntaxat facit certi condictionem? Titulus Codicis ſingularis eſt, ſimpliciter ita conceptus, *Si certam petetur*. Non ut in Digeſtis tergeminus, ſeu tribus hiſce clauſulis & partibus compoſitus: *De rebus creditis, ſi certum petatur, & de condictione*. Non fuit ergo, cur in *Paratitlis Codicis* Cujacius neceſſario explicaret illa verba, *& de condictione*; ſed fuit, quod doceret his verbis, *ſi certum petatur*, quantumvis generalibus (ut ipſe exiſtimabat) mutuum tamen contineri, imo & proprie contineri. Nam Cujacius titulum, *ſi certum petetur*, habet quaſi appendicem praecedentis, qui eſt *de rebus creditis*. Docet igitur, ut crediti appellatio, quae generalis eſt, proprie tamen & quidem ἰδιωτάτως pertinet ad mutuum: ita & actionem, ſi certum petatur, licet generalis ſit, non minus proprie dici & intelligi de mutuo: quaſi diceret, mirum non eſſe Titulum illum, qui totus eſt de mutuo, conceptum eſſe, *ſi certum petetur*.

Plus dici poteſt, nec Cujacium illic praetermiſiſſe ſpecialem condictionem. Quo enim illa verba? [& ita actio in perſonam, quae ei, qui mutuam pecuniam dedit, in debitorem competit, proprie dicitur certi condictio, vel actio ſi certum petetur de rebus creditis] quae verba ſi referantur ad Paratitla Digeſtorum; quem ſenſum habere poſſunt alium ab eo, quem habent ipſa Paratitla: nimirum duplicem eſſe condictionem, ſpecialem unam, alteram vero generalem? Quod cum legere debuit Merillius; immerito Cujacium facit variantem; ut & immerito ſolus ex omnibus interpretibus unicam facit condictionem.

Volo me quoque immiſcere, *& argutos inter ſtrepere anſer olores*. Dico ego tit. illo Digeſtorum *de rebus cred. ſi certum petetur, & de cond.* duas quidem (ut docet Cujacius) proponi condictiones: ſed quam ille ſpecialem; ego generalem condictionem eſſe contendo: & e contra, quam facit generalem; ſpecialem eſſe dico: & ſpecialem notari verbis illis, *ſi certum petetur*; generalem autem iſtis, *& de condictione*: ſpecialem eſſe ſpecialiter de pecunia numerata; generalem de omni re & cauſa: quae proinde pro diverſis ſpeciebus modo certi, modo incerti condictio, & condictio ſine cauſa, & aliis denique appellationibus determinetur. Dico & generalem certi condictionem eſſe de omni genere certi, id eſt, de omni certo, quod debetur, & petitur, adeoque de omni mutuo. *Certi condictio*, inquit Ulpianus, *competit ex omni cauſa, ex omni obligatione, ex qua certum petitur, ſive ex certo contractu petatur, ſive ex incerto: licet enim nobis ex omni contractu certum condicere &c. l. 9. D. de rebus cred.* At de certa pecunia numerata κατ' ἐξοχὴν dici & ſpecialiter appellari actionem, *Si certum petatur*, quia inter res caeteras pecunia numerata maxime certa ſit, *l. 3. D. de in litem jurando*. Cujus ſcilicet publica ac perpetua aeſtimatio eſt, *l. 1. D. de contrah. empt.* & per pecuniam res caeterae certae ſunt, id eſt, certam aeſtimationem habent, *cum ita 42. D. de fidejuſſ.* Secundum autem praecepta Philoſophiae, quam noſtri (quantum arbitror) non reſpuunt; propter quod unumquodque tale dicitur, & ipſum magis tale eſſe intelligitur. Deinde id aperte probatur, *l. 1. D. de condictione triticaria*. Ulpianus: *Qui certam pecuniam numeratam petit, illa actione utitur, ſi certum petetur.* Probatur denique argumento, deſumpto ex Rubrica *Cod. ſi certum petetur*; ſub qua non aliae poſitae ſunt leges, quam de mutuatitiis pecuniis. Si rubrum (ut dicitur) convenit nigro, id eſt, titulus cum ſuis legibus; conſequens eſt, actionem, ſi certum petatur, proprie ac ſpecialiter dici & eſſe de mutuatitiis pecuniis, ut condictio certi generaliter dicitur de omni certo. Rogo, quis proprie & accurate loquendo, dicat actionem rerum amotarum eſſe actionem, ſi certum petatur? Recte vero dixerit, certi condictionem eſſe, *l. ſi concubina 17 §. non ſolum 2. D. Rerum amot.* ergo condictio certi generalis eſt; actio ſi certum petatur, ſpecialis. Itaque in Rubrica illa Digeſtorum, *De rebus creditis, Si certam petatur, Et de condictione*, apparet, verba illa priora generalia eſſe; media vero, *Si certum petatur*, ſpecialia: poſtrema denique iſta, *Et de condictione*, generalia & de omni condictione. Neque vero novum eſt, ut ſpecialiter quibusdam deſignatis generale ſubjiciatur verbum,

quod & ſpecialia complectatur, *l. Si ſervus ſervum* 27. §. *& non negat* 16. *D. ad l. Aquil.*

DISPUNCTIO XVI.

An ſocius omnium bonorum pecuniam propriam alienare poſſit.

ET

An in ſpecie *l. Si ſocius* 16. *D. de Reb. cred.* contracta fuerit ſocietas univerſorum, vel partis bonorum.

DUas hic proponit Merillius quaeſtiones; variationem unam Cujacio adſcribit. Antequam autem ad primam quaeſtionem venio, quam videtur, aliud quiddam agendo, Merillius expedire, placet quaerere, An ſocius omnium bonorum rem propriam habere poſſit. Nam quomodo propriam habeat, cujus pars etiam ſocii ſit? Seneca *l. 7. de Benef. cap.* 12. *Non ſic mihi cum amico communia omnia ſunt, quomodo cum ſocio, ut pars mea ſit pars illius.* Sic communem libertam alterius patroni nuptias invitam retinere, ſi ab hoſtibus captus eſſet, Jabolenus exiſtimabat, quia non proprie videretur ejus liberta, quae etiam alterius patroni liberta eſſet, *l. illud* 46. *D. de ritu nupt.* Sed verius eſt, ut ibidem Ulpianus ait, libertam alicus negari non poſſe, licet alterius quoque ſit: & ut res plurium ſit, non ideo minus dominium quisque partis ſuae habere intelligitur, *l.* 1 §. 6. *D ad SC. Silan.* licet juris tantum intellectu, non diviſione corporis obtineat, *l. Maevius* 66. §. *ſed ſi pars* 2. *D. de leg.* 2. Et cum pars proprie dicatur, quae pro indiviſo eſt, *l. Recte* 25. §. *Quintus Mutius* 1. *D. de verb. ſignif.* negandum non eſt ſocium omnium bonorum, & partem pro indiviſo, & proprium aliquid habere. Neque hoc tantum in ſpecie certa (puta in fundo vel homine) obtinet, ſed etiam in quantitate ſive pecunia numerata. Nam ſive quis ſingula corpora nummorum cogitet, partem in eis pro indiviſo ſocii habent, ſive non corpora, ſed quantitatem, aeque quisque ſociorum partem ſuam in quantitate habere intelligitur, *l. Si is cui nummos* 94. § 1. *D. de ſolut.*

Itaque ad quaeſtionem primo propoſitam, affirmative reſpondendum eſt, ſocium omnium bonorum pecuniam propriam alienare poſſe. Quod aperte confirmat Papinianus *d. l.* 94. §. 1. his verbis: *Si vero autem communes nummos credam aut ſolvam, confeſtim pro parte mea naſcetur & actio & liberatio; ſive in ſingulis nummis communionem pro indiviſo quis eſſe intelligat, ſive in pecunia non corpora cogitet, ſed quantitatem.* Qui locus citatur ab Ulpiano, *l. Nam & ſi fur* 13. §. 2. *D. de Reb. cred. Nam*, inquit, *etſi communes nummos credidero centum, poſſe me* 50. *condicere, Papinianus lib.* 8. *Quaeſtionum ſcribit, etiamſi ſingula corpora communia fuerint.* Quibus verbis vera dubitandi ratio continetur, ab ea, quam comminiſcitur Merillius, valde aliena: & cum ſit haec dubitandi ratio promiſcua & communis omni ſocietati, id eſt, tam certae rei, quam totorum bonorum: mirum ſit, de ſocio omnium bonorum quaeſtionem proponi potius, quam de ſocio unius rei. Nec dicat Merillius, de ſocio rei unius ideo ſe non quaeſiviſſe, cum extra ſocietatem res proprias eum habere manifeſtiſſimum ſit, in quibus non caderet quaeſtio: cum, vel fatente eo, & rerum omnium ſocius (nedum ſecundum ea, quae ſupra diximus) res proprias habere poſſit.

Ex his vero facilis eſt deſcenſus ad alteram quaeſtionem, An in ſpecie *d. leg.* 16. *D. de Rebus cred.* contracta fuerit ſocietas univerſorum, vel partis bonorum; in qua, quis non perſpiciat, nihil intereſſe utrum dicatur: cum utroque poſito, eadem ſit dubitatio, eademque decidendi ratio? Textus eſt: *Si ſocius propriam pecuniam mutuam dedit, omnimodo creditam facit, licet caeteri diſſentiant: quod ſi communem numeravit, non alias creditam facit, niſi caeteri quoque conſentiunt: quia ſuae partis tantum alienationem habuit.* Duae ſunt partes hujus legis, & duae igitur ſpecies. Prior haec eſt: primus, ſecundus, & tertius, ſimpliciter coierunt ſocietatem, quo genere quaeſtuum duntaxat ſocietas intelligitur contracta, *l. 7. D. pro ſocio:* vel certae alicujus negotiationis; puta emendorum vendendorumque mancipiorum. Finge, dictum eſſe in contrahenda ſocietate, ut pretium diſtractorum ſervorum a nullo ſociorum foenori daretur: Primus, non conſentientibus aliis, ex pretio diſtractorum aliquot mancipiorum, quod erat trecentorum, centum duntaxat, id eſt, partem ſuam mutuavit. Quaeſitum eſt, an haec centum credita fecerit. Paulus reſpondit, feciſſe credita. Movere poterat; quod etiam in illis centum ſecundus & tertius jure ſocietatis communionem haberent. At ratio decidendi eſt, quod vel juris intellectu, centum illa, pars fuerit ejusdem primi; cujus quidem partis vere dominus fuit, *d. l.* 1. §. 6. *D. ad SC. Silan. & d. l.* 66. §. *Sed ſi pars* 2. *D. de leg.* 2. Finge ex diverſo, primum, ſecundum & tertium, univerſorum bonorum ſocietatem contraxiſſe, & ex pecunia communi partem tantum ſuam Primum erogaſſe; eadem plane ſequentur; ut ex iis liquet, quae *principio hujus capitis* demonſtravimus. Itaque perinde eſt ſpeciem ponere in ſociis totorum bonorum, ac in ſociis alicujus negotiationis.

At (quae ſecundae partis ſpecies eſt) finge non partem, ſed communem pecuniam totam Primum inconſultis ſociis credidiſſe. An creditam efficit? Minime vero! quia ſuae partis tantum alienationem habuit. Notanda ſunt haec verba, *quia ſuae partis*, quibus ſcilicet edocemur pecuniam illam totam fuiſſe communem: quod alieniſſimum eſt a ſpecie, quam fingit Merillius; cum ait ſocium, de quo hic agitur, omnium bonorum fuiſſe ſocium & tamen propriam pecuniam habuiſſe; puta ſi poſt contractam ſocietatem ex legato aliave cauſa aliquid ei obvenerit, necdum ſociis communicaverit: haec, inquit, non communicantur, adeoque fuerunt ſocio propria. Verum eſt hoc quidem Merilli! ſed ad rem an ſit, & tibi patrocinetur, liceat expungere. Diſpice vero tu ipſe, quam male conveniat haec ſpecies & tota tua ratiocinatio verbis illis, *quod ſi communem numeravit*: & iſtis, *ſuae partis tantum alienationem habuit.* Negas communem pecuniam; Juriſconſultus dicit communem. Idem Juriſconſultus agnoſcit creditam pro parte tantum; tua ratio facit ut in totum credita ſit. Quid reſtat? quo te eripias? Dicas forte non toti legi, ſed initio legis tantum te ſpeciem adfingere: ſed fuge hoc dicere, ne audias intempeſtivus monitor, ſcilicet qui propoſita ſimpliciter quaeſtione, an in ſpecie *d. legis* 16. contracta fuerit ſocietas omnium bonorum, unicam ſimplicius ſpeciem poſuiſti; mox dicas te ſpeciem illam tuam reſtringere ad partem unam. At Cujacius idem ſenſit! Non ego, quid ille hoc loco, ſed quid tu, Merilli, doceas, inquiro & noto.

Sed de Cujacii variatione quaerere penſum noſtrum eſt: hoc agamus! *Libro* ille 23. *Obſerv. cap.* 27. adfinxit ſpeciem *dictae legi* 16. *D. de reb. cred.* in ſociis non omnium bonorum; at *libro* 32. *Pauli ad Edictum*, ſpeciem poſuit in ſociis omnium bonorum: ergo variavit. Reſpondeo Cujacium *dicto lib.* 2 *ad Edictum* non ſimpliciter ponere ſpeciem in ſociis totorum bonorum, ſed in omnibus ſociis. Verba ejus ſunt: *ut ſi ſint tres ſocii certae negotiationis vel etiam omnium bonorum &c.* Noli igitur, Merilli, hunc locum ita obſervationibus opponere, ut quidquam contrarium habeat, licet uberiorem explicationem

tionem contineat. Jam hoc inter nos, ut exiſtimo, transactum, plus minusve de eadem re variis locis dictum, variationem non facere.

DISPUNCTIO XVII.

An *lex Vinum* 22. *D. de rebus creditis*, referenda ſit ad condictionem certi, vel ad condictionem triticariam.

LEx *Vinum* 22. *D. de Reb. creditis* ait: *Vinum, quod mutuum datum erat, per Judicem petitum eſt: quaeſitum eſt, cujus temporis aeſtimatio fieret, utrum cum datum eſſet, an cum litem conteſtatus fuiſſet, an cum res judicaretur? Sabinus reſpondit, ſi dictum eſſet, quo tempore redderetur, quanti tunc cum petitum eſſet, &c.*

Interpretes quaerunt, qua actione vinum petitum ſit: an triticaria, quae de aeſtimatione eſt; an condictione certi. Quaeſtio & lex, cui hodie non nota? quae diatribae eam non habent? tam eſt in diſputationibus ſcholaſticis frequens, quam vini uſus quotidianus. Et quod ait Cujacius temulentos pleraque ad eam ſcribere quoſdam Interpretes, non auſim ipſe dicere: ſed ira permotum adeo virum, alias fortiſſimum, mihique nunc & olim amiciſſimum, in ea agitanda, dum ſuam ratam eſſe vult opinionem, aliquando infenſum ſenſi, ut cum duriuſculum aliquid & forte ſubcontumelioſum arbitrio ſuo oblocutus eſſem, ſubinde ab eo vapularem & quaſi temulentus ego, ob impactum non perfunctorie ſane colaphum, viderer mihi videre micantes igniculos ſtellulaſque media luce diſcurrentes: quae tamen apud me caſtigatio non tantum effecit, quantum bona ratio potuiſſet. Nefas id vereri de Merillio, cujus nec tela eminus feriunt, neque animus, ut puto, ſine cauſa excandeſcit.

Aſt illi me mea ſors opponit, ut & *hoc capite* cenſeam, nulla eum ex parte ſtare cum Cujacio, & in *d. l. vinum* 22. judicium coepiſſe a certi condictione, mutatumque ſubinde vel temperatum adjectione formulae triticariae. Et vero cui certam debetur ex mutuo vel ſtipulatione; ille non niſi ſtricta actione petere poteſt: & quemadmodum aliud pro alio invito creditori non ſolvit debitor, ita nec a debitore aliud pro alio pura intentione petere creditor poteſt, *§. ſi quis aliud pro alio* 35. *Inſtit. de act. l.* 2. *§.* 1. *D. de reb. cred.* Quis adeo imprudens eſt, qui, cum frumentum debeatur, pecuniam petat? inquit Tullius *Verrina* 3. *cap.* 82. At triticaria condictione non petitur, quod eſt in obligatione. Igitur in ſpecie *d. legis Vinum* 22. ab initio, triticaria actum non eſt. Lex ait, *Vinum petitum eſt*: formula igitur fuit haec; *Si paret adverſarium vini amphoras tot, dare oportere.* Vinum autem non habente debitore, nec valente ejuſdem bonitatis, qua ei datum erat, reddere, communi conſenſu ad triticariam ventum eſt: vel ab initio formulae condictionis certi, creditor hanc clauſulam adjecit [niſi mallet reus aeſtimationem ſolvere] quomodo uſu forenſi hodie [*le demandeur conclud au payement de telle quantité de bled, vin, &c. et ſubordinement, ou ſi mieux n'aime le deffendeur en payer l'eſtimation, au dire de gens à ce connoiſſans*] quod auctoribus noſtris eſt, boni viri arbitratu vel officio judicis. Hic eſt uſus fori, qui cum fere totus ex jure Romano prodierit, multum etiam ei intelligendo conducit: ut juſtiſſime indignentur quidam, non invitari forenſes homines ad capeſſenda ſtudia noſtra: quomodo ex ſapientibus plerique olim, a rerum adminiſtratione feliciter ſeſe ad contemplandam rerum naturam transtulerunt, quod de Thalete ſcribit Diogenes *lib.* 1 & de Pythagora, Democrito & Anaxagora, Marcus Tullius *lib.* 3. *de Oratore, cap.* 15.

Ex his apparet, in ſpecie *legis Vinum* 22. potuiſſe agi certi condictione, mixta ſeu temperata formula adjectione triticariae formulae, vel certe confeſtim immutata & emendata intentione ex conſenſu, & maxime id deſiderante debitore, & judice, ad id ſeſe accommodante, ut apud Ciceronem *lib.* 3. *in Verrem cap.* 82. *Nemo*, inquit, *initio fuit tam impudens, qui cum frumentum deberetur, pecuniam poſceret. Certe hoc ab aratore profectum eſt, aut ab ea civitate cui imperabatur, cum aut frumentum vendidiſſet, aut ſervare vellet, petiiſſe in beneficii loco & gratiae, ut ſibi pro frumento, quanti frumentum eſſet, dare liceret: ex ejuſmodi principio atque ex liberalitate atque accommodatione Magiſtratuum, conſuetudo aeſtimationis introducta eſt.* Neque aliter Cujacius uſquam.

Imo inquit Merillius, ad lib. 4 Juliani ex Minicio, Cujacius ait, vinum in *hac l.* 22. petitum fuiſſe condictione triticaria, vel condictione certi & factam eſſe aeſtimationem vini [quod notandum] in condictione certi. Aliter vero idem Cujacius, *tractatu* 3. *&* 8. *ad Africanum*. Nam (inquit Merillius) *in l. centum Capuae* 8. *D. de eo quod certo loco. laudata lege Vinum* 22. & aliis quibuſdam, accipiendas eas eſſe, ait, de condictione triticaria, non de condictione certi.

Nego vero, Merilli, haec verba, quae tu nimis audacter & leviter profers, protuliſſe Cujacium, *factam eſſe aeſtimationem vini in condictione certi*. Ne igitur imponamus illi, & fateamur & agnoſcamus ingenue, ubique Cujacium ſenſiſſe, vel ab initio actum eſſe triticaria ex conſenſu debitoris, vel condictione certi, quae tandem ad triticariam redacta fuerit, fatente reo ſe debere, & in confitentem ceſſantibus judicis partibus: proferam tibi alium ejuſdem Cujacii locum, *lib.* 2. *definitionum Papiniani*, in *l.* 28. *D. de Novat.* ubi duplex ſtipulatio proponitur, una fundi Corneliani, altera aeſtimationis ejus. Ex utraque, inquit Cujacius, agi poteſt, quia ceſſat novatio: hoc tantum intereſt, quod ex priore ſi agatur condictione triticaria, ad aeſtimationem ſcilicet, puta, ut ſi non fundus, qui ſtipulatione continetur, ſaltem fundi aeſtimatio praeſtetur, ut *l. vinum* 22. Nota illa verba, *ut ſi non fundus*, quae omnino confirmant, eum, quem ſupra diximus, uſum eſſe forenſem & inſtituendis actionibus aptiſſimum. Obſerva denique, nil tale cenſere Cujacium, in condictione certi, rei petitae fieri aeſtimationem.

Hic oppurtune ſubjiceretur quaeſtio, An cum res petitur condictione triticaria, aeſtimatio fieri debeat ex litis conteſtatae tempore. Sed cum eam Merillius rejicit in *caput* 22. nos, qui eum aequis (hac in re) paſſibus ſequimur, & eo loci conſequemur. Nec mihi nunc tamen temperabo, quin quod Merillius hic omiſit, admoneam (qui tamen hic antevertit ſcribere aliter fieri aeſtimationem rei debitae in bonae fidei judiciis, aliter in ſtrictis; ſcilicet in his ex tempore petitionis, in illis rei judicandae) & dicam differentiam petendam eſſe ex formularum diverſitate.

In bonae fidei judiciis formula totum ad arbitrium judicis negotium refert, ut tanti damnetur debitor, quanti judici aequum videbitur tunc, cum rem judicabit: in ſtrictis autem judiciis, formula tempus praeſens, id eſt, ipſum petitionis in jure tempus reſpicit, ſi non dies & locus obligationi adjectus ſit.

DISPUNCTIO XVIII.

De diſtinctione jurisjurandi in voluntarium, neceſſarium & judiciale

RUbrica tituli Digeſtorum *de Jurejurando* triplex facit jusjurandum; voluntarium, neceſſarium & judiciale. Graeci paulo aliter, ſi verba ſpectes, qui ſcripſerunt: [illegible] καὶ δικαστικοῦ. Certe quodnam ſit voluntarium, a nullo pleniſſime demonſtratum vidi. Nec Cujacius *ad lib.* 5.

Sen-

Digitized by Google

Sententiarum Pauli tit. 32. (quidquid objiciat Merillius) voluntarium definivit praeciſe ac nominatim; ibi enim hoc tantum habet neceſſarium jusjurandum ex conventione proficiſci, ſicut & voluntarium. Nec *in Obſervationibus lib.* 12. *cap.* 35. ubi promiſcue voluntarium aut neceſſarium jusjurandum dici ait, quod a parte delatum eſt: nec diſtinguit in judicio, an extra judicium. In Paratitlis autem Digeſtorum aperte quidem tradit, voluntarium jusjurandum eſſe, quod a parte defertur in judicio vel extra judicium; neceſſarium vero, quod refertur: nec ibi tamen demonſtrat, quare ita denominetur. Non igitur palam ſibi oblocutus eſt Cujacius in operibus, quae ipſe edidit. Reſtat igitur ut Merillius cuniculos ſuos repetat, & ex Poſtumis probationes petat, id eſt, ex praelectionibus, ab ipſo Cujacio praelis mandari vetitis; quas ſi valere contra Cujacium Merillius ſtatuit, pene eſt ut & legata valere dicat relicta, nedum in Codicillis teſtamento non confirmatis, ſed etiam prohibitis. Age vero! quid profert? Locum ex praelectione quadam ad *l. Jusjurandum* 17. *D. de Jusjurando.* lib. 18. Pauli ad Edictum: *Aliud autem eſſe neceſſarium* (*quod ſcilicet, ut Graeci rectius interpretantur, quam Latini*) *pars parti defert in judicio: quod & ex conventione, nimirum ex placito litigantium quodammodo proficiſcitur, maxime ſi ſuſcipiatur ab eo, cui defertur.* Et poſtea: *Et hoc jusjurandum neceſſarium dicitur, quoniam Praetor, ut Edicto profitetur, eum, cui pars detulit jusjurandum, aut ſolvere aut jurare cogit, videlicet ſi nolit referre, l.* 34. §. *ait Praetor* 6. *D. hoc tit. de jurejur.* Ex his verbis, an aliud elicias, quam quod eſt ad *lib.* 5. *Sententiarum* Pauli & *in Obſervat. libro* 18. *capite* 35? Non ſane! Quae tua igitur, Merilli, objectio hic? Nolo diſſimulare: Merillius omiſit, quod ſuae cauſae longe magis patrocinabatur. Praeterea enim Cujacius ad *d. l.* 17. *de jurejur.* lib. 18. Pauli ad Edictum, habet; *Jusjurandum ex conventione partium extra judicium deferri, nec referri poſſe:* Jusjurandum igitur voluntarium referri non poſſe: aliud autem eſſe neceſſarium, quod ſcilicet pars parti defert in judicio. Sed velim etiam animadverti eo loci, non plane inficiari Cujacium, neceſſarium jusjurandum aliqua ratione voluntarium eſſe, cum ait, *ex conventione & ex placito litigantium proficiſci.* Ut quid Accuſator non objiciebat, & commentationem ad *leg.* 1. *Cod. de reb. cred.* mittam.

Nunc quid ex ſuo jecore promat Merillius, videre liceat! *In iſta*, inquit, *Graecorum & Latinorum varia diſtinctione triplicis jurisjurandi, probarem magis &c.* An fuit apud Graecos & Latinos varia diſtinctio jurisjurandi? Secundum te quidem, Merilli, non fuit varia diſtinctio, ſed varia interpretatio. Initio quidem hujus capitis ſcripſiſti, non modo Graecos interpretes a Latinis, ſed & Graecos inter ſe & Latinos inter ſe quoque diſſenſiſſe; Graecos in Ecloga Baſilicῶν, *lib* 22. *tit.* 5. aliter diſtinguere: aliter Balſamonem in *Nomocanone* Photii *tit.* 13. *cap.* 18 ubi quatuor jurisjurandi ſpecies conſtituit. Mox rem omnem repetens: *In iſta*, inquis, *Graecorum & Latinorum varia diſtinctione triplicis jurisjurandi, probarem magis voluntarium eſſe, quod defertur extra judicium.* Haec non diſtinctio varia, ſed (ſi mihi ſana mens eſt) interpretatio eſt. Quid igitur ais, *in iſta varia diſtinctione*? Deinde, quid facis Balſamonem aliis Graecis adverſum, quod quatuor jurisjurandi ſpecies [imo quinque] conſtituerit? An non & alii pariter Graeci, ultra ſpecies jurisjurandi litis deciſorii, agnoverunt ſpecies illas jurisjurandi in litem, & juramenti calumniae? περὶ συκοφαντίας. *Eclog. libro* 22. *in ipſo tit.* περὶ ὅρκου, &c. Et *cap.* 32. Et *titulo ſequenti*, περὶ ὅρκου ἐκδικασίμου. Ergo in diſtinctione Graeci minime inter ſe diſſenſerunt. Sed nec Latini profecto. In interpretatione autem, quaeſo te Merilli, quid habes, quo Graecorum inter ſe diſſenſionem probes? Sperabam aliquid; fruſtraſti me!

In re ſatis perplexa atque incerta, dum cuique licet eſſe ingenioſo, Merillio videtur, in tanta opinionum varietate, voluntarium jusjurandum eſſe, quod defertur extra judicium: *Quia*, inquit; *nemo jusjurandum ſibi delatum extra judicium, ſuſcipere, aut referre cogitur: ergo voluntarium eſt.* Mihi contraria longe reſedit opinio. Et quia coepi me immiſcere honeſtiſſimorum hominum gregi, audacior factus jam audebo nova proferre, & aliquid obſervare. Hoc cenſeo, voluntarium & neceſſarium jusjurandum inter ſe diſtingui ab effectu: & ſpecies omnes, quae de jurejurando tractant, ſive voluntario ſive neceſſario, non eſſe de interponendo, ſed de interpoſito: his porro conſequens eſſe, illud omne neceſſarium eſſe jusjurandum, cui neceſſario ſtandum ſit, ac proinde neceſſarium eſſe id, quod etiam extra judicium delatum ſit atque interpoſitum. Et vero cum dicunt Jureconſulti delato jurejurando finiri litem; hoc intelligimus, delato & praeſtito: omni enim modo cuſtodiri debet, *l. qui juraſſe* 26. *D. de jurejurando.* Ita *l.* 1. *Cod. de reb. cred. Cauſa*, inquit, *jurejurando ex conſenſu utriusque partis, vel adverſario inferente, delato & praeſtito, vel remiſſo deciſa, nec perjurii praetextu retractari poteſt.* Haec verba, *ex conſenſu utriusque partis*, referenda ſunt ad jusjurandum tam delatum, quam relatum, vel certe ad extrajudiciale. Haec autem, *vel adverſario inferente*, ad id, quod in judicio delatum eſt. Reliqua legis neceſſitatem utriusque demonſtrant. Quod delatum eſt in judicio, utique poſtquam interpoſitum eſt, neceſſitatem habet: & ideo nocere dicitur ei, qui detulit, *l.* 7. §. 7. *D. de publiciana in rem act.* Extra judicium quoque interpoſitum, non minorem auctoritatem ac neceſſitatem habet; nam delata extra judicium conditione jurisjurandi & conventioni & religioni ſtandum eſt, aeque ac ſi in judicio juratum ſit, *l. in duobus* 28. §. *ult. D. hoc tit. de jurejurando. l. ſi deferente* 13. *D. Quibus modis pig. vel. hypotheca ſolvitur.* Tantam habet neceſſitatem id, quod delatum eſt, quantam illud, quod eſt relatum, §. *ult. Inſtit. de fideicom.* & multis caſibus jusjurandum defertur tantum, non etiam refertur, *l.* 12. & 13. *D. Rerum amot.* Et plerumque ſatis habent Auctores noſtri caſum unum notare, ut & alius intelligatur, *l.* 6. §. 4. *D. de iis qui not. infam* & §. 5. *Inſtit. de exceptionib.*

Itaque duae ſpecies Jurisjurandi non ſunt delatum, & relatum: ſed potius una ſpecies, quae habet duos caſus; ut dicitur de illa conditione, ſi viginti dederit aut juraverit, *l.* 26. *D. de condit. & demonſt.* Et inde ſequitur litis deciſorium non eſſe triplex, ut eſt creditum hactenus ab omnibus, ſed duplex tantum, Neceſſarium ſcilicet & Judiciale: indeque Auctoribus noſtris aſſiduum eſſe, haec duo tantum genera conjungere ac commemorare. Rem tibi novam nuntio, Merilli! Enimvero deſinet eſſe nova magnanimis & veri amantibus, qui vim legum attendent, ut *legis* 1. *D. hoc tit. Maximum remedium expediendarum litium in uſum venit jurisjurandi religio, qua vel ex pactione ipſorum litigatorum, vel ex auctoritate judicis deciduntur controverſiae.* En tibi duplex tantum jusjurandum, conventionale ſcilicet, & judiciale! Item *legis* 31. *D. eod. tit. Admonendi ſumus*, inquit, *interdum etiam poſt jusjurandum exactum, permitti conſtitutionibus ex integro cauſam agere.* Et infra: *Sed conſtitutiones locum habent, cum a judice quis abſolutus ſit. Solent enim ſaepe judices in dubiis cauſis exacto jurejurando, ſecundum eum judicare, qui juraverit. Quod ſi alias inter ipſos jurejurando tranſactum ſit negotium, non conceditur eandem cauſam retractare.* Hic differentia notatur utriusque ſpeciei: quod ſcilicet, ex conſtitutionibus, judiciale jusjurandum nonnumquam retractari poſſit, conventio-

nale

nale autem non poſſit. Ergo quod eſt conventionale, id ipſum neceſſarium eſt, ſive delatum ſit, ſive relatum. Neceſſarium igitur unam ſpeciem facit, alteram judiciale. Quod ſi ita eſt; ubinam tertia? Quodnam eſt voluntarium jusjurandum? Dicam illud eſſe, quod ultro datur ab eo, qui ex mera voluntate irrequiſitus, id eſt, non delata conditione jurat: de quo dubitari potuit, an vim aliquam haberet; argumento *l. Si ſine 9. D. de Interrogat.* ubi qui ſponte interrogatus dixit ſe heredem eſſe, pro interrogato habetur. Et fortior dubitandi ratio fuit propter religionem, quae ſemper aliqua eſt, etiam in eo, qui nemine deferente juravit. Quo pertinet *lex Ait Praetor 3. in princ. hoc tit. de Jurejurando.* in qua opponitur tale Jusjurandum Neceſſario jurijurando, id eſt, ei, quod delata conditione juratum eſt: Ulpianus, *Ait Praetor [ſi is, cum quo agetur conditione delata juraverit] Nec fruſtra adjicitur (conditione delata) Nam ſive reus juravit nemine ei jusjurandum deferente, Praetor id jusjurandum non tuebitur; ſibi enim juravit.* Et tale jusjurandum ſponte datum, dicitur ultro interpoſitum, *l. Si legaturus 23. D de Dolo.* ultro, id eſt, ſine pactione. Seneca *Suaſoria 7. Merito hercules illo tempore vixiſti, quo Caeſar ultro te rogavit ut viveres, ſine ulla pactione.* Et Graeci ſatis intellexerunt ſpontanei hujus jurisjurandi nullum eſſe effectum, *lib. 22. Synopſis Baſilic. tit. 5. cap. 1.* ὁ μηδενὸς ἐπάγοντος ὀμνὺς οὐκ ὠφελεῖται. Quapropter tentari poteſt & dici in gratiam eorum, Titulum illum ſuum περὶ ὅρκου ἑκουσίου καὶ ἀναγκαστικοῦ καὶ δικαστικοῦ de voluntario nil continere, ſed de judiciali tantum eſſe, ac de neceſſario; quod ut docent priora verba, delatum eſt vel relatum. Alias enim ſi κατὰ πόδα voluiſſent latinam Rubricam exprimere, promptiſſimum erat eis reddere imitando, ut plerumque faciunt, περὶ βιαιοφυλαγίας καὶ μετοικήσεως &c. vel ſua elegantia & ἰδίῳ λόγῳ ſcribere, περὶ ὅρκου ἑκουσίου, ἤτοι ἀναγκαίου, ἤτοι δικαστικοῦ.

Ait Merillius, neceſſarium eſſe quod a parte parti defertur in judicio, vel refertur. Imo vero, ea de cauſa voluntarium dici deberet, quia ultro defertur: neceſſarium vero illud rectius diceretur quod relatum eſſet, propter referendi neceſſitatem. Papinianus, *Si jurejurando,* inquit, *delato, deberi tibi juraveris, cum habeas eo nomine actionem: recte de conſtituta agis. Sed etſi non ultro detulero jusjurandum, ſed referendi neceſſitate compulſus id fecero, quia nemo dubitat modeſtius facere qui referat, quam ut ipſe juret: nulla diſtinctio adhibetur, tametſi ob tuam facilitatem ad meam verecundiam ſubſecuta ſit referendi neceſſitas.* Ita Papinianus *l. 25. §. 1. D. de conſtituta pec.* Ex qua plerique, voluntarii & neceſſarii jurisjurandi denominationem formant. Quibus (niſi ſuperior illa noſtra obſervatio ac demonſtratio potior eſſet) proclivius, quam Merillio adhaererem.

DISPUNCTIO XIX.

An ſpecies *legis ultimae D. de condictione, cauſa data cauſa non ſecuta,* conſtituenda ſit in permutatione, vel alio contractu innominato?

CElſus in *l. ult. D. de condict. cauſa data,* &c. ait, *Dedi tibi pecuniam ut mihi Stichum dares, utrum id contractus genus pro portione emptionis venditionis eſt, an nulla hic alia obligatio eſt, quam ob rem dati re non ſecuta? in quod proclivior ſum. Et ideo ſi mortuus eſt Stichus, &c.*

Cujacius in omnibus, quae edidit, Graecorum ſe ſententiae ſemper accedere teſtatus eſt, ut putaret quod illi: Permutationem in *hac l.* contractam fuiſſe, quaſi pecunia non pro pretio Stichi, ſed velut res & merx aliqua pro re alia data & commutata fuerit. Merillius tamen & ex prioribus objicit commentarium ad *l. 7. D. de pact.* quo loci contendit Cujacium Graecos rejicere. Imo vero, cum aliud quidpiam Cujacius ibi afferere tentat, tantum Graecis tribuere videtur, ut non obſcure ſignificet eorum auctoritate ſe retineri. Verba ejus ſunt: *Nec obſtat lex ult. de cond. cauſa data, in cujus caſu nec emptio, nec forte (ſi Graeci interpretes ferrent, qui me addubitare faciunt) permutatio contrahitur.* Eſt ne hoc Graecos rejicere? Conſule Auguſtinum, an ſtet ille contra Eccleſiam, qui audaculum aliquid prodere geſtiens, id ſe fatetur non audere, veritus Eccleſiae auctoritatem!

Multo minus moveor aliis locis Poſtumorum operum, in quibus praeterquam quod licuit ei ludere atque exercere ſe, ita tamen egit, ut Graecos nusquam aperte (quidquid Merillius ei objiciat) rejecerit. Et certe, ad Papinianum (quod eſt opus ad ea, quae Magiſter probavit, proxime conjungendum) ſcilicet ad *l. 17. D. de praeſcr. verb.* Graecos apertiſſime conſequitur. *Et ita,* inquit, *in l. ult. D. de cond. cauſa data, ſi dedi tibi pecuniam non veluti pro pretio, ut mihi Stichum dares, permutatio eſt quaſi mercis cum merce (non pecunia ſemper vice pretii fungitur, ſed etiam mercis) & adjiciunt Graeci recte, eſſe permutationem.* Imo auſim affirmare, & lib. 33. ad Edictum Pauli, id eſt, *ad l. 1. D. de rerum permut.* (quam l. recte Cujacius vindicavit illi libro 33.) & ad *Tit. Cod. de rerum permut.* Cujacium a priore opinione non receſſiſſe. Quis enim non animadvertat totam eſſe plenam erroribus recitationem illam *legis 1. D. de rerum perm.* ab illo loco col. 544. *& in hoc eſt labor.* & in *d. tit. Cod. de rerum perm?* In quo cum ſtatuiſſet Cujacius, nihil intereſſe inter articulum *do ut des* & permutationem, eoque nomine Accurſium reprehendiſſet, quod putaret eo differre permutationem a tractatu ſive articulo *do ut des,* quo ſpeciem a genere, in calce tamen aliud plane colligat: ut non difficile quis ſibi perſuadeat (ſi modo diligens ſit in perluſtrandis & explorandis illis locis) magnam exceptorum indiligentiam fuiſſe in conſcribendis illis recitationibus, & magnam oſcitantiam eorum, quorum ſtudio fideique ut recenſerentur, concreditae fuerunt.

Merillius, magis probarem, inquit, permutationem non proponi in *d. l. ult.* Nam (haec eſt Merilliana ratio) ex permutatione datur actio praeſcriptis verbis. At ex negotio propoſito in *d. l. ult.* Celſus ait condictionem eſſe ob rem dati. Ergo tale negotium permutatio non eſt. Facile vero reſpondeat Cujacius, nec ſemper ex permutatione praeſcriptis verbis actionem eſſe: & certe non eſſe, ſi non interſit. Nam & alias ubi praeſcriptis verbis actio eſt, ſi non interſit, denegatur, & ſola condictio datur, *arg. leg. 5. §. 4. D. de condict. cauſa data. & leg. 7. D praeſcript. verb.*

Tres alias rationes dediſſe ſe ait Merillius, *libro 2. ſuarum Obſervat. cap.* 14 Expendamus & eas! *In permutatione,* inquit, *cum ab altera parte res tradita initium permutationi dederit, res, quae contra dari debet, periculo eſt illius, cui dari debet.* At in *d. l. ult. D. de condict. cauſa data. Stichus non perit Titio, qui pecuniam dederat.* Ergo in *d. l. ult.* permutatio non proponitur. Huic argumento Cujacius, *lib. 23. Obſerv. cap. 29.* collatis iis, quae edidit ad *l. ſi fundus 33. D. locati. tract. 8. ad Africanum* ita reſpondet, Stichum, qui dari debebat in ſpecie *d. l. ult.* perire dici ei, cui debebatur, quomodo & res perire dicitur ei, cui debetur, licet quod dederit repetat; ut in emptione venditione in caſu *dictae legis Si fundus 33. D. locati.*

Secunda ratio eſt. In permutatione ſi rem alienam permutationis cauſa acceperim, non prius agere potero praeſcriptis verbis actione, quam res evincatur, *l. 1. §. 1. D. de rerum perm. l. ſi permutationis 29. Cod. de Evict.* At in ſpecie *d. legis ult.* ſervo

alieno tradito mihi, necdum evicto, pecuniam condicere poſſum. Ergo permutatio non eſt. Poſſit quis negare propoſitionem: quae re vera non probatur *legibus*, a Merillio *citatis*, ex quibus tantum hoc efficitur, evicta re permutata, eſſe locum actioni in factum, ſive praeſcriptis verbis; non etiam hoc, non eſſe locum ei actioni, niſi in caſu evictionis. Nec Logicae artis praecepta tum hic, tum alibi (& ſane percrebro) ſervat Merillius quod mihi ſatis nunc ſit dicere, eandem alioqui cauſam tuenti, ſed non iiſdem rationibus. Enimvero dico, etiam in permutatione aliquando locum eſſe ſoli condictioni, ſi vel ita velit compermutator; ut probat *l. 1. Cod. de rerum permut.* illo loco, *quod datum eſt, ſi hoc elegeris, cum ratione reſtitui poſtulabis.* idemque probat *l. 4. 5. & pen. C. eodem tit.*

Tertia denique Merillii ratio eſt: In permutatione, ob non praeſtitam cautionem evictionis, res contra permutata non repetitur, ſed tunc ſolum, cum evicta eſt, praeſcriptis verbis agitur. At in *d. l. ult.* pecunia, inquit, repetitur. Ergo in *d. l. ult.* permutationis ſpecies non verſatur. Ad hanc vero ratiocinationem: quis pro Cujacio non requirat probationem ejus, quod dicitur, ob non praeſtitam cautionem, rem permutatam non repeti? Neque certe probatur hoc *d. l. 1. §. 1. de rerum perm.* quae cum dicat in factum actionem dare re evicta, non denegat repetitionem rei contra permutatae, ſi non caveatur. In ſumma tribus caſibus, a Celſo propoſitis in *d. l. ult.* non poterit agi praeſcriptis verbis, condictione ob rem dati recte agetur: & illi caſus a Celſo ideo proponuntur, ut doceat, quantum ab emptione aliena ſit hypotheſis *dictae legis ultimae*, non ut a permutatione diſtare videatur.

Haec a me ita dicta ſint, quo doceam inefficacem adverſus Cujacium totam eſſe operam Merillianam: neque vero ſentio, permutationem eſſe in *d. l. ult. de condict. cauſa data*; ſed ob rem dati ſpeciem, quae ut permutatio non eſt, quia non res pro re data eſt, ſed pecunia: ita neque emptio, quia dari utrinque convenit, id eſt, dominium transferri, quod abhorret a venditione: nec dicam tamen abhorrere a permutatione, quaſi in eo conveniant emptio & permutatio, ut putat & hic ſcribit Merillius (ſine lege tamen) & infra *cap.* 28. ubi rem plenius excutiemus. Quod ſi quis mihi objiciat, quod ſibi non objecit Merillius, articulum *do ut des* eſſe permutationem, nec latius patere; ut contra Accurſium Cujacius probare nititur ex *l. 5. §. 1. D. de praeſcr. verb.* Reſpondere mihi facile ſit, non probare *dictam l. 5. da ut des*, ſimpliciter eſſe permutationem, ſed ſi *rem da ut rem accipiam*, hoc eſſe permutationem: ſi pecuniam do ut res mihi detur, hoc non eſſe permutationem, ſed ſpeciem ob rem dati; & nihil eſſe verius illa traditione Accurſiana; *do ut des*, genus eſſe ad dationem rei pro re, & dationem pecuniae pro rebus. Nec moveor ea objectione, pecuniam ut rem ſive ut ſpeciem in *d. l. ult. D. de condict. cauſa data.* non ut quantitatem datam eſſe. Etſi enim concedam, non proprie pecuniam ut pretium datam eſſe, non concedam tamen, non eſſe datam ut quantitatem; imo vero contendo datam eſſe ut quantitatem: & toto illo *titulo De condictione cauſa data*, perinde eſt pecuniam datam eſſe, vel decem data eſſe, ut probatur *l. 3. in pr. §. 5. 6. & 7. & l. ſi pecuniam 5. eod. Tit.* & tribus poſtremis *ll. Cod. eodem.* Sit haec regula Tituli *de condict. cauſa data*: Quoties pecunia datur ut quid fiat, vel ut quid detur; ſi non fiat vel detur, condictioni locus eſt. De faciendo ſunt pleraeque fere omnes leges ejuſdem Tituli: de dando maxime eſt illa lex ultima, quae tractatui abſolvendo omnino neceſſaria erat, & in qua verba illa, *An nulla hic alia obligatio eſt, quam ob rem dati, re non ſecuta? in quod proclivior ſum*, liquido demonſtrant, neque emptionem, neque permutationem proponi, ſed his admodum affinem ſpeciem, quae [illegible] aliud ſit, quam ob rem dati obligatio.

DISPUNCTIO XX.

An pupillus naturaliter obligetur abſque tutoris auctoritate?

EST & haec quaeſtio de trivio ſcholae de vetere carmine carmen, de quo & Merillius in ſuis *obſervationibus*; adeo ut crambem recoctam videatur apponere. Sed cum tam multa vulgo ad hanc quaeſtionem & ſcribantur & diſputentur, nec ſatis vera: non poſſumus & nos ut verum inveniamus, etiam non multa dicere & tractare. Regula eſt ex Licinii Rufini lib. 8. *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo ne quidem jure naturali obligatur*, *l. 59. D. de oblig. & act.* Et ita in *l. 41. D. de condict. indeb.* Neratius, *Quod pupillus ſine Tutoris auctoritate ſtipulanti promiſerit, ſolverit, repetitio eſt: quia nec natura debet.*

Contra vero in *l. 21. D ad l. Falcid. Si pupillus cui ſine tutore auctore decem mutua data ſunt, legatum a creditore meruerit ſub hac conditione ſi decem, quae acceperit, heredi reddiderit: una numeratione dicitur & implere conditionem, & liberari naturali obligatione.* Itemque in *l. 1. D. de novat. in fin. Qualiſcumque igitur obligatio ſit quae praeceſſit, novari verbis poteſt, dummodo ſequens obligatio aut civiliter teneat aut naturaliter; ut puta, ſi pupillus ſine tutoris auctoritate promiſerit.*

Hanc difficili ſpeciem varie varii conciliant. At unum eundemque Cujacium vult Merillius ita varium eſſe, ut nec uno quidem loco conſiſtat. Ait enim cum ad *§. Praeterea 3. Inſt. quibus modis toll. oblig.* primo dicere, obligationem pupilli nullam eſſe, id eſt, nec civilem nec naturalem: mox ſine diſtinctione, pupillum naturaliter obligari. Textus Inſtitutionum eſt de novatione, qui quidem reſpondet *dictae legi 4. D. de Novat.* hiſce verbis: *Nam interventu novae perſonae nova naſcitur obligatio, & prima tollitur tranſlata in poſteriorem, adeo ut interdum licet poſterior ſtipulatio inutilis ſit, tamen prima novationis jure tollatur: veluti ſi id, quod tu Titio debeas, a pupillo ſine Tutoris auctoritate ſtipulatus fuerit, quo caſu res amittitur, nam & prior debitor liberatur, & poſterior obligatio nulla eſt.* Ad haec poſtrema verba, Cujacius in prioribus notis aperte ait, *ſi pupillus factus ſit locupletior, jure naturali eum obligari.* In Poſterioribus, an contrarium? Admove aurem! *Nulla* (inquit) *obligatio eſt, quia non civilis*, & addit, *naturalem tamen eſſe ponendam eſt.* Qua igitur Merillius fiducia ſcribit, Cujacium dicere nullam nec civilem nec naturalem? Priore loco dixit naturalem eſſe pupilli obligationem, ſi locupletior eſſet factus; P[illegible]ore, naturalem eſſe faſſus eſt. Qui utrobique naturalem agnovit obligationem, an is jure merito ſibi contrarius eſſe dici poteſt? Juſtius paullo Merillius magiſtrum notaſſet, quod dixiſſe videretur pupillum non civiliter, ſed naturaliter tantum fuiſſe obligatum, etiam locupletiorem factum: niſi quod *citata l. naturaliter 13. & l. ſeq. D. de cond. indebit.* videatur Cujacius rem ad merum jus retuliſſe, ſemota ratione Juris conſtituti, id eſt, conſtitutionis D. Pii in *l. 3. D. commod.* Sed & aperte [illegible]lium eſt (quod dicere doleo) Cujacium *ad Tit. de verb. oblig.* ſcribere ſine diſtinctione, pupillum naturaliter obligari: ſic enim loquitur: *Itaque impubes mutuam pecuniam accipiendo, obligatur naturaliter aequitate & ratione naturali, ſi ex ea factus ſit locupletior.* An hoc eſt ſine diſtinctione? Audio haereti-

cos

eos male audire, etiam ante aliquot ſaecula, quod ſcripturas proſcinderent, ut fruſtulatim productis authoribus, cauſam ipſi ſuam authoritatibus tueri viderentur. Clemens Alexandrinus *lib. 7. Stromatum* Ἐκλεγόμενοι τὰ ἀμφιβόλως εἰρημένα εἰς τὰς ἰδίας μετάγουσι δόξας, ὀλίγας σποράδην ἀναλεγόμενοι φωνάς. qua iniquiſſima conditione, nec leges civiles uti nos patiuntur in judicando & diſcernendo. At Merillium non piget etiam in accuſando!

Ergo in quaeſtione propoſita una perpetuaque fuit Cujacii ſententia, pupillum ſine tutoris auctoritate ante Reſcriptum D Pii, non aliter obligari, vel naturaliter, quam ſi locupletior factus eſſet; poſt Reſcriptum, etiam civiliter.

Merillius autem non veretur (contra fidem initio pactam) Cujacium deſerere, & ignotorum magis opinionem probare. Alii, inquit, aliam diſtinctionem afferunt, pupillum pubertati proximum naturaliter obligari, licet locupletior factus non ſit, ſed remotum a pubertate, non aliter, quam ſi locupletior factus ſit: & hanc, inquit, diſtinctionem magis probarem.

Ego vero & authoritate carere puto ejusmodi diſtinctionem, nec ſatis idonea ratione ſubnixam: carere dico auctoritate, quia in delictis tantum & criminibus, nec in omnibus, hanc diſtinctionem induxere juris auctores; ut cum Gajus dixit *pupillum, qui proximus pubertati ſit, capacem eſſe furandi, & injuriae faciendae, l. 111. D. de reg. jur.* Et Ulpianus, *Actionem vi bonorum raptorum in impuberem non dari, qui doli capax non ſit, l. 2. §. vi bonorum 19. D. vi bonorum rapt.* Ratione etiam caret! Nam in negotiis civilibus atque adeo in commerciis exercendis, jus certum eſſe oportuit, & notas perſonas, quibus certis ex cauſis commercio interdictum eſſet (cujusmodi ſunt prodigi, furioſi, & his plerumque haud abſimiles impuberes) ne in ſingulis ſpeciebus adhibenda cauſae cognitio eſſet, an pupillus intellectum rei habuiſſet; ſatiuſque fuit certum tempus conſtituere, quo poſſent homines ſeſe adſtringere ſecundum aequitatem ſaltem naturalem, quod viderentur jam rerum non eſſe ignari, ut certa aetas definita eſt, qua majores quaſi impleto virili vigore haberentur, *l. 2. D. de min.* & certa, qua homines, completa pueritia in publicum procederent, *l. 1. §. 3. D. de poſtulando.* Contra in delictis, quia nec paſſim nec propalam, ſed raro & clanculum & in invitos perpetrantur, inquirendum merito fuit, an ea perſona, quae deliquiſſe diceretur, ejus aetatis eſſet, in quam dolus malus caderet; imo & illud nonnunquam, an locupletior ex dolo facta eſſet, ut eſt in *l. Heredibus 13. D. de dolo.* puta ſi dolum pupillus commiſiſſe diceretur in depoſito, *l. 1. §. in pupillum 15. D. depoſiti.*

At (inquit Merillius) pupillus, pubertati proximus, jam aliquem intellectum habere creditur & conſenſum ſuum in negotiis accommodare poteſt *§. ſed quod diximus 10. Inſtit. de inutil. ſtipul.* Hoc placet; ſed ne in ipſa Juris principia impingamus, placet etiam animadvertere, loqui Juſtinianum de iis pupillis, qui tutorum auctoritate freti ſunt, ubi de iiſdem obligandis agitur. Nec mihi reponat, hoc ita eſſe in obligatione civili: nam & ego reſcribam fruſtra igitur adduci Juſtinianum; & denique de obligatione naturali idem proditum eſſe, *d. l. 59. D. de oblig. & act. & d. l. 41. D. de condict. indeb.* Nec iterum dicat Merillius, *d. l. 41.* Neratii eſſe, qui ex Proculejanis fuit, quaſi aliter in hac quaeſtione Proculejani, aliter Sabiniani definierint: enim vero ſupereſt *d. lex 59. D. de oblig. & act.* Licinii Rufini libro 8. Regulam juris, quarum Proculejani non ita boni obſervatores, Sabiniani e contra, vel te docente, Merilli, *lib. 1. obſervation. cap. 3. 1.* ſi tibi credimus.

Equidem ſcio (& quis ignorat?) aliter Sabinianos aliter Proculejanos pubertatem aeſtimaſſe: verum licet Caſſiani & Sabiniani pubertatem ex habitu corporis aeſtimaverint, non ſequitur in omnibus cauſis eam definitionem eos ſecutos eſſe: maxime vero in obligationibus, quarum ratio ſpectat aequaliter maſculos & foeminas. At pubertatem non pariter in utroque ſexu aeſtimabant. Nam inverecundum Caſſiani exiſtimabant, in mulieribus habitudinem corporis inſpicere, *Inſtit. Quibus mod. tutel. finitur:* & impletis duodecim annis omnimodo puberes eas judicabant, *l ult. Cod. Quando tutores vel curatores eſſe deſinant.* In virginibus quippe nubilis aetas habitum commonſtrat. Tertul. *de vel. virg. cap. xi. Ex quo ſe intelligere coeperint, & ſenſum naturae intrare; & de virginis ſenſu exire, & pati novum illud, quod ulterius aetatis eſt, poſt conteſtatam ſanguine maturitatem.* Graecis idem verbum παιδισκὴ pubertatem & puberem foeminam ſignificat. Et Euſtath. ad *Iliad. N. fol.* 962. ubi recenſet ἡλικίας διαφορὰς ... βρέφος, παιδίον, παιδίσκος; tertio gradu locat παιδίσκον. ὁ (addit) τῆς ἐχομένης ἡλικίας: unde Cyprianus in carmine *Sodom.*

Sunt intus natae bijuges mihi, nubilis aetas,
Virginitas in flore tumet, jam dedita meſſi,
Digna cupido viris.

Quae duodecim complevit annos, haec viro matura intelligitur. Virg. *lib. 7. Aeneid. v. 53.*

Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.

Quaſi diceret, jam matura eſt viro, quia annos pubertatis implevit. Unde & Ovidius *lib. 14. Metamorph. v. 335.*

Haec ubi nubilibus primum maturuit annis.

Eſt enim ἐν ἡλικίᾳ ut ait Thucydides, ſcilicet ἐν ἡλικίᾳ τῆς ἀκμῆς ut Galenus ſcribit *lib. 1. ad Glauc.* vel ut vice verſa S. Joannes Chryſoſt. *Homilia* 43. in Geneſim ἐν αὐτῇ τῇ ἀκμῇ τῆς ἡλικίας; ubi & eleganter addit λάμπουσαν τῇ ὥρᾳ.

In hoc argumento (ſi quod ſentiam dicere mihi liceat) dicam & poſt Reſcriptum D. Pii, ut & ante illud, naturalem aliquam eſſe obligationem pupilli, ſine tutore promittentis vel accipientis, etiamſi locupletior non efficiatur: proindeque nec ſufficere diſtinctionem Cujacii, an locupletior pupillus &c. Et cum juſtis rationibus Merillianam diſtinctionem improbaverim, neceſſario aliud inveniendum & aſſumendum, ſine quo legum capita nonnulla adeo futura ſunt adverſa, ut contra religionem omnem, ea vel nobiliore ſui parte, qua laedant, decutere cogamur; quod minus conſulte alii feciſſe videntur.

Statuo igitur, quoties pupillus mutuam pecuniam ſine tutoris auctoritate accepit, ex qua non ſit factus locupletior, factum illud & naturalem numerationem conſiderandam eſſe dupliciter: vel ex cauſa praeſenti; vel ex cauſa, quae futura eſt. Ex cauſa praeſenti dico, nullam ne naturalem quidem obligationem eſſe, quandiu pupillus in ea aetate eſt: ex cauſa vero, quae futura eſt, dico, naturalem obligationem eſſe, veluti in ſpe, quam ſcilicet poſſit aliquando excitare factum aliquod, nimirum ſolutio, quae poſtea fiat a pupillo pubere facto: ut non ſit diſſimilis ejusmodi obligatio a quocunque fructu vel partu, qui ſit in matre vel ſemente. Quod ſubtiliter admodum Papinianus demonſtrat, *l. Cum illud 25. §. 1. D. quando dies legator. ced. Heres meus,* inquit, *Titio dato quod mihi Sejus debet: ſi Sejus pupillus ſine tutoris auctoritate nummos accepiſſet nec locupletior factus eſſet, & petitor ad praeſens debitum verba retulit, quia nihil ejus debet, nullius momenti legatum erit: quod ſi verbo debiti naturalem obligationem & futuram ſolutionem cogitavit, interim nihil Titius petet, quaſi tacite conditio inſerta ſit: non ſecus ac ſi ita dixiſſet, Titio dato quod pupillus ſolverit, vel ſi legaſſet quod ex Arethuſa natum erit, vel fructus qui in illo fundo naſcentur.* Species eſt: Maevius Sejo pupil-

lo pecuniam ſine tutoris auctoritate crediderat, quam pupillus ſtatim vel ludo vel qua alia ratione perdiderat. Idem Maevius, teſtamento ſuo, Titio per damnationem legavit, quod ei Sejus deberet. Quaeritur, an valeat legatum? Papinianus diſtinguendum ait, qua mente & cogitatione teſtator damnaverit heredem, ut daret Titio, quod Sejus deberet: ut ſiquidem ad praeſens debitum verba retulerit, inutile ſit legatum: nota haec verba [*ad praeſens debitum*] Rationem reddit, *quia*, inquit, *nihil debet* (ex eo intellige, non eſſe igitur pupillum locupletiorem factum) contra, ſi verbo *debiti* naturalem obligationem & futuram ſolutionem cogitavit, valere legatum, quaſi ſub conditione relictum: id eſt, ex eventu, ſi ſcilicet Sejus ſolvat, ut tunc petere poſſit legatarius. Ex qua procuIdubio ſpecie manifeſtum eſt, non legis venuſtatem tantum, ſed omnem penitus quaeſtionem tolli, ſi ponamus, quomodo vult Cujacius, locupletiorem pupillum eſſe factum. Et certe ſi locupletior pupillus factus erat; quare non ſtatim valuit legatum? quae dubitandi ratio in *hac lege* fuit? An illa Merillii, quod pupillus pubertati proximus non eſſet? Minime ſane! nam hac ratione ex poſtfacto legatum non convaluiſſet. Vera igitur ratio dubitandi fuit illa, quod ut ſpectato tempore pupillaris aetatis nulla interim fuit pupilli obligatio, ita nec legatum: ſpectato vero tempore ſolutionis & eventu rei, ut fuit aliqua obligatio, quae non caruit effectu; ita & validum ſit legatum ejuſdem obligationis, inducta comparatione legati ita relicti, Titio dato quod pupillus ſolverit, & quod ex Arethuſa natum erit, ut in pendenti fuerit legatum, *l. videamus* 27. *D. de liberat. leg.* ubi Tryphoninus: *Numquid ergo*, inquit, *in pendenti ſit an legatarius fuerit, perinde atque ſi qua alia cauſa ſpem legati dubiam faceret?* Licet igitur purum legatum eſſe videatur, tamen pendet ex conditione pupillaris obligationis, quae ſi exiſtat, ut committit (ſi ita loqui licet) obligationem, ita commiſſam transfert in legatum; arg *legis quoties* 14. §. 1. *D. de novat.*

Et ſane quemadmodum id, quod eſt, poteſt ex conditione deſinere, quaſi omnino non fuerit, ut apparet in lege commiſſoria, *l.* 1. *D. de lege commiſſ.* quidni & id, quod non eſt, poſſit ex eventu ita eſſe, quaſi jam olim ita fuerit? Nonne mutuum quod initio nullum eſt (creditis pupilli alienis nummis) conſumptione poſtea fit mutuum? *l.* 13. *D. de reb. cred.* & dos profectitia, quae non erat ab initio, ex eventu nonne fit profectitia? *l. pater filiae* 81. *D. de jure dot.*

Atque his belliſſime congruit *lex Stichum* 95. §. *aditio* 2. *D. de ſolut.* cum ait, aditionem hereditatis pro ſolutione cedere creditori, adeunti hereditatem pupilli, cui ſine tutoris auctoritate crediderat: qui ſi ejuſdem pupilli hereditatem reſtituere rogatus ſit, ſolidum, quod ſibi debetur, retinere poſſe dicitur: cum tamen dubitaretur, an amplius, quam quanto locupletior pupillus factus eſſet, retinere heres idemque creditor poſſet: cum eatenus videretur conſiſtere obligatio naturalis ipſo jure, vel etiam civilis ex reſcripto D Pii. Unde apparet in textu rectiſſime legi *in ſolidum*, ibi: *non enim quanto locupletior pupillus factus eſt, conſequitur, ſed in ſolidum* Verum deciſionis ratio eſt, quod in hac ſpecie creditor ſibi ſolviſſe videtur ex voluntate debitoris ſui, & ſecum penſaſſe, quod ſibi debetur: aequiſſima eſt compenſationis ratio, qua plerumque compenſantur & retinentur, quae peti non poſſunt, *l. ſi quid poſſeſſor* 31. §. 1. *D. de petit. hered.* Sed & aequum eſt heredi aditionem pro ſolutione cedere, dum facile creditur teſtatorem ei ſolvere & reponere voluiſſe, cum ei quali quali obligatione teneretur. Eo etiam pertinet *lex ſi ejus* 64. *in pr. D. ad Senatus conſ. Treb.* qua docet fideicommiſſarium non repetere, quod ſolvit ex obligatione naturali pupilli, cujus hereditas fideicommiſſa ... eſt, cum tamen pupillo ſine tutore ... eſſet translata ſcilicet in fideicommiſſarium ... rali obligatione, quae ipſa ſolutione, naſcendi quodammodo & deſinendi cauſam nacta eſt, quomodo legatum aliquando perimitur, tunc cum vi... accipit, &, ut ita dicam, incipit ut deſinat, *l. ſi fundum* 81. §. *cum ... liber* 9. *D. de leg.* 1. & uſusfructus aliquo caſu cum moritur naſcitur, *l. ſicut ...* §. *idem Papinianus* 2. *D. quib. modis uſusfr.*

DISPUNCTIO XXI.

An condictio furtiva adverſus heredem furis tranſeat in ſolidum; An pro parte, quae ad eum pervenit?

QUaeſtio haec pertinet ad interpretationem *legis* 9. *D. condict. furtiv.* in qua Ulpianus ita: *In condictione furtiva, non pro parte quae pervenit, ſed in ſolidum tenemur, dum ſoli heredes ſumus: pro parte autem here..., pro ea parte qua heres eſt, tenetur.* Theſis eſt ſecundum verba *legis*, Heredem furis, etiamſi ad eum nihil pervenerit, in ſolidum teneri, ſi conveniatur furtiva condictione. Si plures ſint heredes, pro portionibus hereditariis.

Ludunt in hac quoque Theſi noſtrates quotidie Juſtinianei; nec fugit eos, quod Cujacius de ea, aliique & veteres & recentiores habent. Itaque ſciunt, furem triplici actione teneri: Poenali ſcilicet in duplum vel quadruplum aeſtimationis rei furtivae, ſecundum diſtinctionem furti manifeſti & nec manifeſti, quae quidem actio nota ad poenam eſt, & adverſus furem ut furem competit. Deinde Condictione furtiva: quae licet poenalis non eſt, ſed rei perſecutoria, in furem tamen ut furem datur, & maxime in odium furis comparata eſt, qua veluti per deridiculum, adverſus eum intenditur, ſi paret eum dare oportere id, quod certum eſt eum dare non poſſe, cum dominus non ſit; quo genere videntur juris regulae adverſus eum contemni, qui jus gentium inter homines conſtitutum turpiſſime violavit. Poſtremo rei Vindicatione: ſed hac non teneri ut furem, ſed ut poſſeſſorem. Quod autem ad furis heredem attinet, teneri quidem eum ut furis heredem condictione furtiva [ſi paret eum dare oportere, quod defunctus furto abſtulit.] Unde quaeſtio, An teneatur in ſolidum ſi ſolus eſt: an quatenus tantum ad eum pervenit?

Quid tandem Cujacius de ea quaeſtione? certum nihil, ſi credimus Merillio, qui facit eum ubique varantem. Nec enim tantum objicit ex poſtumis operibus commentarium *legis* 38. *D de reg. juris.* ſed ipſas quoque obſervationes, hoc eſt Magiſtri ἀπομνημονεύματα. Immerito ſane! *Libro* enim 7. *cap.* 37. (quod pene totum hic habet Merillius) de quaeſtione nil ſtatuit ac decernit Cujacius: tentat ac deliberat tantum. Verba ejus ſunt (quae pauca) cur non ſimul cum caeteris collegerit Accuſator, in promptu cauſa eſt; vafr amentum prodidiſſent. *Quid eſt igitur quod ait d. l. 9. In condictionibus ex cauſa furtiva, non pro parte quae pervenit, ſed in ſolidum tenemur, dum ſoli heredes ſumus? hic ſane ad tempus ſubſiſtere libet. Libro* autem 13. *cap.* 37. aperte ſententiam ſuam exprimit, & ait, Non dari in heredem condictionem rerum furtivarum vel rerum amotarum, niſi lis fuerit conteſtata cum defuncto, vel rem heres ipſe contrectet. Quam diſtinctionem attulit & ad *l.* 5 *D. rerum amot.* xi. quaeſt. Pap. & ſecundum eam diſtinctionem viriſimile eſt eduſſe Cujacium ad *l.* 38. *D. de reg. juris.* Itaque tribus hiſce locis cum idem ſentiat & doceat (*dicto* autem *lib.* 7. obſervat, nihil omnino definiat) quid eſt, cur variationis poſtuletur?

Merillius cenſet condictionem furtivam in heredem

dem dari in ſolidum, ſine ulla diſtinctione, id eſt, ſive lis conteſtata ſit, ſive non ſit; ſive ſolidum quod furto ſubtractum eſt ad heredem pervenerit, ſive ſolidum non pervenit: in quo mihi quidem cum Merillio convenit; at in caeteris, non aeque. Non in eo ſane, quod nove admodum explicat illud *in ſolidum*, quaſi dubitatio fuerit in *d. l.* 9. an condictio furtiva adverſus furis heredem dari debeat in ſolidum pro parte hereditaria, vel tantum pro parte, quae ad eum pervenit. Sed & (quod non cogitavit Merillius) rationem ſententiae noſtrae adeoque deciſionis *dictae legis* 9. omnino demonſtrandam eſſe putavi. Denique alia ratione occurrendum eſſe argumentis Cujacianis, quam quomodo Merillius occurrit, exiſtimo.

Species igitur *d. l.* 9. duos caſus habet: primus eſt in uno ſoloque herede, alter in duobus pluribusve. Finge; Titius centum nummos aut rem dignam centum Maevio ſubripuit. Eidem Titio heres extitit ſolus, & ex illa ſumma, aut ex re illa furtiva quinque tantum ad me pervenerunt aut etiam nihil. Quaeritur, an Maevio agenti mecum furtiva condictione, tenear in quinque duntaxat, an vero in ſolidam ſummam centum nummorum? Satis aequum videbatur, & juri conſentaneum, ut in quinque tantum tenerer, quod hactenus tantum videretur eſſe apud me ex turpi lucro, quod ſolet heredibus extorqueri, *l. in heredem* 5. *D. de cal.* & ut ait Pomponius, *Sicuti poena ex delicto defuncti heres teneri non debet: ita nec lucrum facere, ſi quid ex ea re ad eum pervenit*, *l.* 38 *D. de Reg. juris.* Aeque Ulpian. *Toties*, inquit, *in heredem damus de eo, quod ad eum pervenit, quoties ex dolo defuncti convenitur &c. l.* 44. *eod.* Lex tamen ait in ſolidum me teneri; cujus rei ratio reddenda eſt ea, niſi fallor, quam mox ſubjiciam. Finge rurſus; Titio furi non ſolus ego, ſed etiam ſecundus & tertius heredes extiterunt: ſumma illa pro portionibus hereditariis ad nos pervenit, vel etiam non integra illa, ſed longe minor aut etiam nihil omnino ad me, licet ad coheredes meos aliquid pervenerit: quatenus tenebimur? Plana lex eſt: pro ea parte, qua heredes extitimus. Ergo non pro parte, quae pervenit: nam etſi nihil pervenerit, nihilominus tamen tenebimur.

In proponenda autem ratione dubitandi, Merillius: *Non abſque dubitatione eſt*, inquit, *an condictio furtiva adverſus heredem furis dari debeat in ſolidum pro parte, quae ad eum pervenit.* Quae doctrina haec? ἐξωτερικὴ; an ἀκροαματικὴ quae tibi duntaxat aut iis, quibus arcana revelas tua, cognobilis ſit? ξύνετε & μάθετε τοῦτ' ἐμοῦ ἀκούσαντες. Nam & cum tu duriuſculum videri poſſe praevidens hoc tuum dictum, mihi tale (nequid aliud dicam) viſum eſt. Nec utare in hoc, *l. Ad ea* 157. alias eſt, *l.* 197. §. 2. *D. de Reg. jur.* quae, cum ait, *In contractibus ſucceſſores ex dolo eorum, quibus ſucceſſerunt, non tantum in id, quod ad eos pervenit, verum etiam in ſolidum tenentur: hoc eſt unusquisque pro ea parte, qua heres eſt*; non id ſentit, quod tu ſcribis, ſed opponit ſolidum ei, quod pervenit: & ne putet quis ſingulos heredes in ſolidum teneri, explicatius ait ſingulos teneri pro parte, qua heredes ſunt; quaſi diceret, omnes quidem ſimul heredes in ſolidum teneri, quia omnes loco unius ſunt, id eſt, quaſi unus & ſolus heres; ita tamen ut non omnes uno judicio & collective conveniantur, ſed ſinguli ſeorſim pro partibus hereditariis, juxta regulam juris antiqui, *l.* 1. *Cod. ſi cert. pet.*

Porro deciſionis ratio in *d. l.* 9. *D. condict. furt.* (quae & ipſa ratio eſt opinionis ac interpretationis noſtrae) haec eſt, Quod ipſa contrectatione rei alienae fur ſe obligat, dum ſe conſtituit in mora; adeo ut nec litis conteſtatio neceſſaria ſit, nec conventio, quae plerumque pro litis conteſtatione eſt, *l. Conſtitutionibus* 33. *D. de oblig. & act.* Ut litis conteſtatio eſt pro contractu, ita ipſa contrectatio pro litis conteſtatione, adeoque pro contractu eſt, *l. ult. D. de condict. furt.* Tryphoninus, *Quia*, inquit, *videtur qui primo invito domino rem contrectaverit, ſemper in reſtituenda ea, quam nec debuit auferre, moram facere.* Nam & ubi ex contractu & rei perſecutione dolus deſcendit, heres tenetur in ſolidum, *l. ſi hominem* 7. § *datur* 1. *D. depoſit. Condictio rei furtivae, quia rei habet perſecutionem, heredem quoque furis obligat*, *l.* 7. §. 2. *D. de cond. furt.* Hac ita conſtituta ratione, argumentis Cujacii & aliorum reſpondeamus!

Primum tale eſt. Similis eſt actio rerum amotarum furtivae condictioni: utraque enim eſt ex delicto, hoc eſt, originem habet ex delicto; utraque rei perſecutionem continet. At rerum amotarum actio in heredem non datur in ſolidum, ſed in id tantum, quod ad heredem pervenit. Ergo nec furtiva condictio. Ad hoc reſpondet Merillius, non eſſe idem delictum furtum facere, & rem amovere; levius coërceri uxorem. Non ego ita! nam, etſi levius coërceatur uxor, ideo tamen dictum eſt rem amovere & furari: Tryphoninus, *Nam amotate*, inquit, *furtum fit, etſi levius coerceatur mulier*, *l. pen. D. Rerum amotarum.* Fatebor itaque & in actione rerum amotarum heredem, ſi unus eſt, in ſolidum teneri, & ad *l. illam ultimam. Cod. rerum amot.* dicam illa verba, *ſucceſſores teneri in quantum ad eos pervenit*, ſignificare pro partibus hereditariis.

Secundum argumentum ſumitur ex *l.* 6. §. *Item heres* 4. *D. Rerum amot.* ubi dicitur: *heredem mulieris ex cauſa rerum amotarum teneri, ſicut condictionis nomine ex cauſa furtiva.* Ad quam Merillius reſpondet, verbum (*ſicut*) denotare tantum ſimilitudinem in eo, ut utraque actio in heredem detur. Verum dico hoc argumentum a primo non differre, ſed niti eodem medio: nam ita debet aſſumptio procedere. Atqui rerum amotarum actio non datur in ſolidum, ſed quatenus pervenit, ex *d. l. ult. Cod. Rerum amot.* Quae aſſumptio neganda, & ad illa verba *d. legis ult. in quantum ad eos pervenit*, adhibenda ſuperior illa interpretatio.

Tertium argumentum ejuſmodi eſt. Patris (ut ex filii contractu tenetur actione de peculio) eadem per omnia eſt, quae haeredis cauſa. At pater non tenetur in ſolidum peculium, ſi conditione furtiva convenitur, *l. Licet* 3. §. *Ex furtiva cauſa* 12. *D. de pecul.* Ergo neque heres. Merillius ita huic argumento occurrit; Pater, inquit, non ſuccedit in jus univerſum filii nec in odium filii. Dico ego furtivam condictionem nec in ſolidum peculium, nec in partem peculii dari, ſed ex bono & aequo in id, quo locupletior factus ſit pater. Nec obſtat *lex pen. D. de condict. furtiv.* cum ait, *ex perſona filiae, quae res amovit, dandam in patrem condictionem in peculium*: hoc enim ita accipiendum, patri condicendum eſſe id, quod ad eum pervenit, ut *l.* 4. *eod. tit.* quod & contingeret, ſi filius filiave familias peculium non haberet. Nec eſt quod urgeas & forte argumenteris ita: Si ipſa contrectatio pro litis conteſtatione eſt, ſequi patrem ſtatim mortuo filio, qui furtum fecit, teneri de peculio, cum certum ſit ex delicto filiifamilias transferri judicium in patrem, ut pater de peculio teneatur poſt litem cum filio conteſtatam, *l.* 57. *D. de judiciis.* Reſpondebo enim & ſatisfaciam appoſita diſtinctione, ſi quid in rem patris verſum ſit, ex eadem ipſa *l.* 57. in verbis *de peculio & quod in rem verſum eſt*: verba *de peculio* pertinent ad cauſas contractuum; haec autem *& quod in rem verſum eſt*, ad cauſas delictorum ſimul & contractuum, ex quibus aliquid ad patrem pervenit. Et ita procedit *d. lex. Tam ex contractibus*, inquit, *quam ex delictis, in filiumfamilias competit actio: ſed mortuo filio poſt litis conteſtationem, transfertur judi-*

cium in patrem, damnanus de peculio, & quod in rem ejus verſum eſt.

Poſtremum argumentum deductum eſt ex *l. Si tutor* 9. *§. ult.* juncta *l.* 10. *D. de Tutel. & rationibus diſtrahendis.* Ubi condictio furtiva dicitur extingui morte furis. Ergo non datur in heredem. Ita formandâ conſequentia; non quomodo Merillius, qui ita ſcribit: *Igitur adverſus heredem furis condictio non datur, niſi quatenus ad eum pervenit.* Et ad Entimema reſpondendum; non pertinere ad quaeſtionem, quae non eſt ejusmodi, an heres furis teneatur, ſed an tenetur in ſolidum, vel pro parte, quae ad eum pervenit. Itaque deducentur adverſarii ad onus converſionis argumenti, ut argumententur a negatione ſubſtantiae ad negationem accidentis. Sed hanc methodum aſpernatur forte Merillius, dum parvi facit logicam artem, quam tamen qui negligit, quomodo caeteras intelligit artes?

Age vero, rerum aliorum ſatagamus! & dicamus: Qui omnino condictione non tenetur! is neque in ſolidum, neque pro parte hereditaria, neque quatenus ad eum pervenit tenetur. At heres furis omnino non tenetur condictione furtiva, quia morte furis interire dicitur, *d. l.* 9 *in fin. & l.* 10. *D. de Tutelae & ration. diſtrah.* Ulpianus: *Caeterae actiones, praeter tutelae, adverſus tutorem competunt, & ſi adhuc tutelam adminiſtrat; veluti furti, damni, injuriae, condictio.* Paulus: *Sed non dantur pupillo, dum tutor tutelam gerit: quamvis enim morte tutoris intereant, tamen pupillus cum herede ejus actionem habet: quia ſibi ſolvere debuit.* Ergo neque in ſolidum &c.

Ad hoc reſpondit jam pridem Antonius Faber *lib.* 4. *Conjecturar. cap.* 1. quod dicitur *interire eas actiones*, non ad omnes, ſed ad poenales tantum referendum: quod ſubtilitatis nonnihil habere videtur. Longe tamen melius Merillius, cum dixit in *illis legibus* non eſſe intelligendum condictionem furtivam generaliter morte furis interire, ſed tantum cum tutor res pupillares ſubripuit, hoc eſt, ſingulariter id dictum eſſe de tutore. Et hactenus quidem recte! At dum rem & ſe ipſum interpretatur, non ita feliciter! veluti cum addit, & durante tutela mortuus fuerit tutor. Idem enim eſt & ſi finita tutela mortuus fuerit. Deinde ubi ſubjicit: *Ita quidem condictio morte furis interit, quia pupillus durante tutela, adverſus tutorem condictione non poteſt experiri facile*, ſuperfluum illud *facile*. Deinde: *Sed pupillus adverſus heredem tutoris his actionibus experiri poteſt, lege* 10. *eodem titulo de tutelae & rationib. diſtrahendis*; omnino male! Neque *d. iſta lex* 10. hoc habet, his actionibus experiri poſſe pupillum contra heredem tutoris (his actionibus, id eſt, furti, damni, injuriae, & condictione furtiva) ſed ait Juriſconſultus, *quamvis enim morte tutoris intereant, tamen pupillus cum herede ejus actionem habet.* Adverte, Merilli! non dicit actiones habet, ſed actionem. Quam autem actionem? tutelae ſcilicet: nimirum in quam omnis culpa ac negligentia omnisque ratio adminiſtrationis venit, ideoque additur, *quia ſibi ſolvere debuit.* Tutor enim idemque debitor ex ſupradictis cauſis ſibi ſolvere & in rationes ſuas inferre debuit, ſe duplum a ſe ex cauſa furti accepiſſe & ita de aliis, *l. quoties* 9. *D. de adminiſtrat. tutor.* Quoties uberior eſt actio tutelae & utilior ipſi pupillo, toties actionum converſio fit in actionem tutelae, *l. Diverſio* 35. *§. ult. D. de neg. geſt.* Ex in eo notanda differentia actionis tutelae, & actionis negotiorum geſtorum. Scaevola, *Diverſumque eſt in tutore debitore, quia ibi interfuit, ex priore obligatione ſolvi, ut doberetur ex tutelae actione.*

DISPUNCTIO XXII.

An cum res petitur condictione triticaria, aeſtimatio fieri debeat ex tempore litis conteſtatae, vel ex tempore rei judicatae?

Haec quaeſtio magnae & arduae cogitationis indiget, cum propter varios multiplicesque locos, quos uno veluti intuitu ob oculos habere debet, qui volet eam definire, tum ob varias Interpretum de eadem quaeſtione opiniones.

Doctrina Merillii eſt, ſi merx petita ſit, aeſtimationem fieri ex tempore litis conteſtatae, *l. vinum* 22. *D. de reb. cred.* Si res alia (puta fundus, veſtis, ſervus) quanti res fuit a tempore morae ad tempus condemnationis, *l. penult. D. de condict. tritic.* Moram autem in ſtrictis judiciis lite conteſtata committi.

Cujacii vero doctrina haec eſt ad *l.* 97. *D. de verb. oblig.* ubi generaliter de aeſtimatione facienda diſſerit in judiciis bonae fidei, ſpectari tempus rei judicatae, *l.* 3. *§. in hac* 2. *D. commodati.* eo quod, judex in bonae fidei judiciis non adſtringitur formulae, actor enim petit quod judex aeſtimaverit ex fide bona dari oportere, & ideo totum refertur ad rem judicatam. In ſtrictis autem judiciis, petitionis tempus ſpectari, *d. l. vinum* 22. *D. de reb. cred.* quia judex in actionibus ſtrictis adſtringitur formulae, petitur ſcilicet res, uti nunc eſt. In utriſque autem judiciis cenſet excipiendum eſſe caſum morae. Ut in bonae fidei judiciis ſi venditor in tradendo vino moram fecerit, reducendam eſſe aeſtimationem vini ad tempus morae, niſi contra emptor ipſe moram fecerit, *l.* 3. *in fin & l. ſi ſterilis* 21 *§. Cum per venditorem* 3. *D. de act. empti.* Et in ſtrictis judiciis ſi debitor etiam ante litem conteſtatam moram fecerit, ut hoc caſu condemnetur, utro tempore res pluris fuerit, vel quo moram fecerit, vel quo res judicata eſt, & ita accipiendam eſſe *l. pen. D. de condict. tritic.* Et ſpeciem, quae ponitur in *fin. ejusdem legis*, pertinere ad totam legem. Idemque confirmare *legem In re furtiva* 8 *§.* 1. *l. Ex argento* 13. *D. de condict. furt. & l. pen. D. rerum amot.*

At, inquit Merillius, aliter docuit Cujacius, *tractata* 3. *ad Africanum*, in *l. Mercis* 207. *D. de verb. ſig.* Quare dicis *aliter*, Merilli? Tu qui integriore fide quam alias, verba Cujacii ad *d. l* 207 retuliſti, nonne & haec retuliſſes? *Sed permanere melius eſt iiſdem, quae diximus, l.* 59. *D. verb. oblig.* Porro qui permanet in eo, quod ante dixit, an in viri boni, arbitratu variare dicendus eſt?

Ut quae ſanior ſit & textibus ipſis magis conveniens ac conſentiens doctrina; ſimulque & verum aptius cognoſci ac diſcerni poſſit, eoſdem ipſos contextus ponere in conſpectu conſilium coepi.

Textus legis 22 *D. de Reb. cred.*

Vinum, quod mutuum datum erat, per Judicem petitum eſt. Quaeſitum eſt, cujus temporis aeſtimatio fieret? utrum cum datum eſſet, an cum litem conteſtatus fuiſſet, an cum res judicaretur. Sabinus reſpondit, ſi dictum eſſet quo tempore redderetur, quanti tunc fuiſſet: ſi non, quanti tunc, cum petitum eſſet.

Petere per judicem, adeoque proprie, dicitur non qui in jus vocat, aut ſatis accipit judicio ſiſtendi cauſa, ſed qui judicio petit, & ideo non committitur ſtipulatio *amplius non peti*, niſi in judicio petitum ſit, *l. amplius* 15. *D. Rem ratam haberi.* Cum res in judicio petitur, reus judicium ſuſcipere dicitur, dum ſe liti offert, & adverſarium actori opponit: ex quo litis conteſtatio eſt, & quidam quaſi contractus inter actorem & reum celebratur: hinc

hinc eſt lis, & judicium, & negotii certamen, *l. ult. Cod. de plus petit. l. 25. §. 8. D. de Aedil. Edicto.* Haec verba igitur in *d. l. 22. tunc cum petitum eſſet*, ſignificant aeſtimationem fieri ex tempore litis conteſtatae, ut & *l. ult. D. de condict. tritic.* & *l. 28. D. de novat.* ex quibus ſimul efficitur tempus litis conteſtatae ſpectari in facienda aeſtimatione rei petitae. Atque in eo fere conſentiunt Merillius & Cujacius. Sed in eo diſſentiunt, quod Merillius non diſtinguit inter judicia bonae fidei & ſtricti juris; Cujacius vero diſtinguit, dum ait in judiciis bonae fidei ſpectari tempus rei judicatae, niſi mora interceſſerit. Diſſentiunt & in eo, quod ille diſtinguat merces ab aliis rebus; Magiſter autem non diſtinguat, ſed perpenſa & excuſſa omni dubitatione, generaliter id verum cenſet in omnibus rebus propter illa verba *legis ult. D. de condict. tritic. Quod de caeteris rebus juris eſt.* Sublata itaque differentia mercium & rerum caeterarum, neceſſario veniendum eſt ad quaeſtionem facti. An mora facta ſit vel non: ut ſi facta mora non ſit in ſtrictis judiciis ſpectetur litis conteſtatae tempus, ſi facta ſit, ſpectetur id tempus, quo res plurimi fuit; quod Merillius non capit.

Textus *legis 3. ſive penult. D. de Cond. Tritic.*

In hac actione, ſi quaeratur res, quae petita eſt, cujus temporis aeſtimationem recipiat: verius eſt quod Servius ait, condemnationis tempus ſpectandum eſt. Si vero deſierit eſſe in rebus humanis, mortis tempus, ſed tamen & ſecundum Celſum erit ſpectandum. Non enim debet noviſſimum vitae tempus aeſtimari, ne ad exiguum pretium aeſtimatio redigatur in ſervo, forte mortifere vulnerato. In utraque autem, ſi poſt moram deterior res facta ſit, Marcellus ſcribit libro viceſimo, habendam aeſtimationem, quanto deterior res facta ſit: & ideo ſi quis poſt moram ſervum eluſcatum dederit, nec liberari eum. Quare ad tempus morae, in his erit reducenda aeſtimatio.

Textus ait, *res* (puta fundus, veſtis, ſervus) deinde, *quae petita eſt*, in jure ſcilicet ad ſellam Praetoris, quae propria eſt acceptio verbi *petere*, ut ante diximus: ſed & idem obtinet, ſi res ante quoquo modo petita ſit, rite facta interpellatione, ut ex mora debitoris creſcat aeſtimatio ad tempus rei judicatae. Eſt enim in *hac l. pen.* Zeugma ab inferioribus: quo ſpectant ea verba *condemnationis tempus, ſi poſt moram deterior res facta ſit.* Elegantiſſime Cujacius, propter moram, inquit, debitoris, condictio triticaria redigitur ad conditionem actionis bonae fidei, ut inſpiciatur tempus rei judicatae, ſi eo tempore pluris res fuit. Mora ſecundum Merillium in ſtrictis judiciis lite demum conteſtata committitur. Quid fiet igitur, ſi ante litem conteſtatam deterior res facta ſit poſt diem obligationis? nonne ipſe die lapſus moram facit? *l. 59. Ad diem ...* *D. de verb. oblig. leg. magnum 12. Cod. de contr. ſtip.* Graeci dicunt [illegible] Harmenop. *lib. 3. Epitom.* Quid ſi antequam jure ageret creditor, debitori rite condixit ut ſolveret, eumque interpellavit? An non interpellatio debitorem conſtituit in mora? *l. 32. D. de uſur.* Imo vero & ante litem conteſtatam mora committitur. *Si actionem habeam ad id conſequendum, quod meum non fuit, veluti ex ſtipulatu, fructus non conſequar, etiamſi mora facta ſit: quod ſi acceptum eſt judicium, tunc Sabinus & Caſſius ex aequitate fructus quoque praeſtandos putant.* Ita loquitur Ulpianus in *l. videamus 38. §. 7. D. de uſur.* moram fieri, ait ante acceptum judicium, quod eſt ante litem conteſtatam, & in actione ſtricta, ut ex ſtipulatu. Imo, & difficile eſſe Papinianus ait, *ut mora non praecedente perveniatur ad judicem, l. 3. in pr. D. eodem tit.* Haec verba, *mortis tempus*, ſic accipe, ſi eo tempore pluris res fuit.

Textus *legis ult. D. de condict. tritic.*

Si merx aliqua, quae certo die dari debebat, petita ſit, veluti vinum, oleum, frumentum, tanti litem aeſtimandam Caſſius ait, quanti fuiſſet eo die, quo dari debuit. Si de die nihil convenit, quanti tunc cum judicium acciperetur. Idemque juris in loco eſſe, ut primum aeſtimatio ſumatur ejus loci, quo dari debuit: ſi de loco nihil convenit, is locus ſpectetur, quo peteretur. Quod de caeteris rebus juris eſt.

Poſtrema haec verba, *quod de caeteris rebus juris eſt* non favent Merillio, diſtinguenti inter merces & res alias. Eſt ... haec ratio hujus *legis ult.* ſimillima *legi vinum 22. D. de rebus cred.* & in utraque ponendum, moram factam non fuiſſe a debitore, ut recte ſervavit Odofredus. Alias ubi mora interceſſit, id obtinet, quod eſt in *d. l. pen. D. de condiction. tritic.* Nec obſtat, quod dicitur, certiorem eſſe moram ex lite conteſtata: hoc enim dicitur de eo, qui nullam litigandi cauſam habuit. Caeterum ut mora omnis in facto eſt, ita ſi quis juſtam cauſam litigandi & ad judicium provocandi habuit, in mora eſſe dici non debet. Qui judicium accipere paratus eſt, non videtur facere moram, *l. 24. D. de uſur. l. 63. D. de reg. jur.* ratio litigandi juſta poteſt eſſe aliqua, *leg. qui ſolidum 78. §. 2. D. de leg. 2.*

Textus *Legis In re furtiva 8. §. 1. D. de condict. furt.*

§. Si ex cauſa furtiva res condicatur, cujus temporis aeſtimatio fiat, quaeritur. Placet tamen id tempus ſpectandum, quo res unquam plurimi fuit, maxime cum deteriorem rem factam, fur dando non liberatur: ſemper enim moram fur facere videtur.

Textus *legis Ex argento 13. D. eod. tit. de Condict. furt.*

Ex argento ſubrepto pocula facta condici poſſe Fulcinius ait. Ergo in condictione poculorum etc in caelaturae aeſtimatio fiet, quae impenſa furis facta eſt, quemadmodum ſi infans ſubreptus adoleverit, aeſtimatio fit adoleſcentis, quamvis cura & ſumptibus furis creverit.

Textus *legis pen. D. de act. rerum amot.*

Rerum amotarum aeſtimatio ad tempus, quo amotae ſunt, referri debet, nam veritate furtum fit, ſi lavius exerceatur mulier: quare nec a bonae fidei poſſeſſore res amotae uſucapiuntur. Sed ſi pluris factae non reſtituantur, creſcit aeſtimatio, ut in condictione furtivae rei.

Suffragantur ereilli ... magno magiſtro Cujacio: quibus ſcilicet adprobat exceptionem regulae ſtrictorum judiciorum. Regula eſt in ſtrictis judiciis aeſtimationem eſſe faciendam ex tempore litis conteſtatae. Exceptio eſt, niſi mora facta ſit, ut apparet in fure, cujus mora etiam antequam conveniatur ſemper intelligitur & conſideratur. Cui tamen obloqui videtur *l. 2. §. quaeſitum 3. D. de privatis delictis.* quae ſic habet

Textus *legis 2. §. quaeſitum 3. D. de privatis delictis.*

Quaeſitum eſt, ſi condictus fuerit ex cauſa furtiva, an nihilominus lege Aquilia agi poſſit; & ſcripſit Pomponius poſſe; quia alterius eſt aeſtimationis legis Aquiliae actio, alterius, condictio ex cauſa furtiva. Namque Aquilia eam aeſtimationem complectitur quanti in anno plurimi fuit: condictio autem ex cauſa furtiva non egreditur retrorſum judicii accipiendi tempus. Ex his poſtremis verbis objicit quis, neque furem propter ſuam moram teneri quanti plurimi res fuerit ante judicium acceptum. Sed reſpondendum eſt, hoc dici per comparationem actionis legis Aquiliae, quae ſui natura aeſtimationem facit quanti plurimi res fuit, in anno retroacto: cum furtiva condictio ſui natura aeſtimationem rei non trahat retro: vel (quod ex Graecis refert Cujacius ad *d. l. 59. D. de verb. oblig.*) ſenſus *d. §. quaeſitum* 3. procedit, ſi poſt furtum aeſtimatio rei furtivae mutata non ſit.

Merillius ait, aliam eſſe rationem condictionis furtivae; aliam triticariae: illa, inquit, rem dari & quaſi

ſi noſtra ſemper fuerit, ſit aeſtimatio quanti plurimi unquam fuit; hac vero intendimus rem dari, quae noſtra non eſt, neque ipſam rem, ſed aeſtimationem, quae ſpectatur tempore condemnationis. Reſpondeo condictionem furtivam vel eſſe corporis vel aeſtimationis. Cum autem fur aeſtimationem debet, ab alio quocunque debitore non eſt diſtinguendus, qui debeat aeſtimationem rei poſt moram peremptae: triticaria agimus perinde ex cauſa furtiva, atque ex alia; *l. 1. D. de condict. tritic.* Non furibus tantum, ſed quibuſcunque debitoribus, mora ſua nocet. Hoc ſingulare eſt in furibus; quod cum caeteri debitores plerumque excuſari poſſint (puta ſi parati ſint judicium accipere, *l. ſi quis ſolutioni 24. D. de uſur.*) fures nunquam ea ratione excuſentur, *l. ult. D. de condict. furt.*

Textus *Legis 3. §. In hac 2. D. commodati.*

§. In hac actione, ſicut in caeteris bonae fidei judiciis, ſimiliter in litem jurabitur & res judicandae tempus quanti res ſit obſervatur, quamvis in ſtrictis, litis conteſtatae tempus ſpectetur.

Hic textus apertiſſime confirmat diſtinctionem Cujacii inter judicia bonae fidei & ſtricti juris, quam ſpernit Merillius.

Textus *Legis Ratio 3. §. 3. & 4. D. de Act. empti.*

§. 3. Si per venditorem vini mora fuerit quominus traderet, condemnari eum oportet utro tempore pluris vinum fuit, vel quo venit, vel quo lis in condemnationem deducitur: item quo loco pluris fuit vel quo venit, vel quo agatur.

§. 4. Quod ſi per emptorem mora fuiſſet, aeſtimari oportet pretium quod ſit, cum agatur, & quo loco minoris ſit. Mora autem videtur eſſe, ſi nulla difficultas venditorem impediat, quominus traderet, praeſertim ſi omni tempore paratus fuit tradere. Ex *hac l.* probatur moram cuique ſuam nocere, & propter moram debitoris aeſtimationem creſcere, ut condemnetur utro tempore pluris res fuit.

Textus *Legis Hominem 37. D. Mandati.*

Hominem certum pro te dari fidejuſſi, & ſolvi. Cum mandati agatur, aeſtimatio ejus ad id potius tempus, quo ſolutus ſit, non quo agatur, referri debet. Et ideo etiam ſi mortuus fuerit, nihilominus utilis ea actio eſt. Aliter in ſtipulatione ſervatur: nam tunc id tempus ſpectatur quo agitur, niſi forte aut per promiſſorem ſteterit, quo minus ſua die ſolveret, aut per creditorem, quo minus acciperet; neutri enim fruſtratio ſua prodeſſe debet.

Haec lex docet in actione ſtricti juris, ſcilicet in actione ex ſtipulatu, ſpectari tempus, quo agitur, *l. vinum 22. D. de reb. cred. & l. ult. D. de cond. tritic. & l. 28. D. de novat.* Niſi per promiſſorem ſteterit, id eſt, niſi mora a promiſſore facta ſit; quaſi diceret propter moram debitoris creſcere aeſtimationem, ſecundum ſententiam *legis pen. D. de condict. tritic.*

Quaerit Merillius, cur propter moram commiſſam ante litem conteſtatam, fieret aeſtimatio tempore condemnationis? Reſpondeo propter moram rei meliorem fieri conditionem creditoris, ut uſque ad condemnationem, quanti plurimi res fuit a prima mora reus damnetur: non ut praeciſe aeſtimatio fiat ex tempore ſententiae, ſed quanti plurimi res fuerit uſque ad ſententiam. An fabulam capit, qui talia quaerit? οὐδ᾽ ἃ παιδίοις ἀρεστὰ ζητεῖ. Juſtior ne eſt altera Merillii inſtantia, cur non etiam mora facta poſt litem conteſtatam, aeſtimatio fiat tempore condemnationis? nonne homine petito fieri poteſt, ut poſt litem conteſtatam pluris fiat, qui in egregium evaſerit patominum? Quare non hoc caſu aeſtimatio ejus fiat ex tempore ſententiae, quo tempore dignior, id eſt, pretioſior fuit? Liceat exaggerare!

Quare mora facta ante litem conteſtatam, producitur aeſtimatio ad tempus ſententiae; mora vero facta per litis conteſtationem, non producitur? Denique quare certiori morae non damus, quod concedimus incertiori? Quis hoc negat, Merilli, quod poſcis? Quis inficiatur, quod ais? Neque vero aliter exponitur *d. lex pen. D. de condict. tritic.* Quod enim dicitur in ſtrictis judiciis ſpectari tempus litis conteſtatae, niſi mora admiſſa ſit, prolixius de mora praecedente litis conteſtationem explicatur; quia caſus dubitabilior. Caeterum & idem ſentiendum eſt de certiore mora, ſi per eam & poſt eam res debita melior deteriorve facta ſit, ut ejus aeſtimatio fiat, quanti plurimi fuit a mora uſque ad ſententiam. Neque hoc ſubruit diſtinctionem judiciorum bonae fidei & ſtricti juris: ſtat enim ea diſtinctio nititurque propriis formulis cujusque judicii citra omnem rationem exceptionum, quae utrique diſtinctionis membro applicantur; prout ex ſcholiis, ad ſingulas leges datis, ſatis intelligi poteſt.

Textus *Legis 207. D. de verb. ſignif.* quae eſt arx ſeptorum omnium Merillii, ὃ ἐστιν ἀκρόπολις τῶν περιβόλων πάντων αὐτοῦ.

Mercis appellatione homines non contineri, Mela ait, & ob eam rem mangones non mercatores, ſed venalitiarios appellari ait; & recte.

Ex *hac lege* tentaverat Cujacius *tract. 3. ad Africanum* differentiam conſtituere inter merces & alias res, quae petuntur triticaria condictione, ut in mercibus fieret aeſtimatio ex tempore litis conteſtatae; in aliis quanti plurimi fuiſſent a mora ad ſententiam; quod praeſumeretur creditor mercem petere, quo tempore pluris eſſet, non vero res alias, quarum certa aeſtimatio eſt. Tentaverat, inquam, Cujacius, at non probaverat. Idcircoque ſcripſerat (quod ſupra monuimus) permanere ſe in iis, quae ſtatuerat ad *l. 59. D. de verb. oblig.* Sed hoc ramentum, quod fulgoris habeat aliquid, ſeu auri trimmam pro ſolido auro curioſe colligit Merillius. Eſto enim *lex* dicat, mercis appellatione hominem non contineri! nil tamen habet, aut ne perſtringit quidem de differentia aeſtimationis mercis & rerum caeterarum, in condictione triticaria aeſtimandarum. Imo vero ideo hoc lex docet, cum ob rationem commercii de eo dubitaretur. Et verius eſt, *d. l. 207.* ut & caeteras *tituli de verb. ſig.* pertinere ad voluntates teſtantium & contrahentium exaudiendas, & verba quoque Edictorum interpretanda. Ut ſi quis legaverit merces ſuas, non videatur legaſſe ſervos, quia ſervi non veniant appellatione mercis; niſi contraria voluntas evidens ſit. Nam ſi mercis loco teſtator, qui venalitiariam exercebat, ſervos haberet, ut illico diſtraheret, ut *l. fuci 93. §. 4. D. de leg. 3.* quaeſtio facti, id eſt, voluntatis erit, an legatis mercibus, & ſervos, quos venales haberet, relinquere voluit. Quod & in contrahenda ſocietate fingi poteſt, ſi ad merces emendas vendendaſque coierint ſocii. Denique & hoc locum habet in Edicto de tributoria actione; in quo tributoria proponitur actio contra dominum ſervi, qui ſciente domino negotiatus eſt in merce peculiari. *Mercis nomine*, inquit Ulpianus, *merito adjicitur. ne omnis negotiatio, cum eo facta, tributoriam inducit.*

Admittamus & hoc, eum, qui mercem petit, cujus eſt varia & incerta aeſtimatio, eo tempore eam petere, quo poteſt maximi pretii eſſe: quidni liceat ad fingere & in aliis rebus, maxime in ſervis, in quibus & pro aetatis mutatione & temporum vaga ratione pretia ſubinde mutantur? Nam ab aetate, arte, ſexu, aliiſque cauſis, varia erant pretia, eaque ingentia: ut neceſſe fuerit ea Juſtinianum definire, *l. 1. §. Ne autem 5. Cod. de communi ſervo manumiſſo, & l. ult. Cod. communia de legat.* Quod Domitianus jam ſuo aevo fecerat. Suetonius *in Domitiano cap. 7. Caſtrari mares vetuit, ſpadonum qui reſidui apud mangones erant, pretia moderatus eſt.* Si certa eſt hominum, id eſt, mancipiorum aeſtimatio (ut ſibi fingit Merillius) ut quid actor cum hominem petit

petit condictione triticaria, non ſibi perſuadet tanti nunc eſſe, quanti unquam futurus eſt? Quod ſi putat, fore futurum ut majoris ſit pretii tunc, cum res judicabitur, ut quid dicitur certam ejus eſſe aeſtimationem? Cum haec igitur mera opinione agitentur; quis non videt longe certiorem eſſe Cujacii definitionem illam, & ex authenticis juris locis depromptam diſtinctionem judiciorum bonae fidei & ſtricti juris, & petitionis ante moram & poſt moram?

DISPUNCTIO XXIII.

An fidejuſſor ſimpliciter acceptus, in omnem cauſam fidejuſſiſſe cenſendus ſit?

AD hanc quaeſtionem Merillius, quaſi ex Cujacio, Verius (inquit) exiſtimo, fidejuſſorem, qui ſimpliciter acceptus eſt teneri tantum in principalem obligationem, non etiam in acceſſiones principalis obligationis, niſi id expreſſum fuerit, ut teneretur.

Ex ſequentibus perſpicuum fiet Merillium prorſus alienum eſſe ab eo, cui putat adhaerere: magnumque noſtrum Cujacium hanc quaeſtionem alia Minerva expediviſſe, resque verbaque juris altius calluiſſe cum vir prudentiſſimus ſcripſit, non jure quidem obligationis fidejuſſorem teneri, qui ſimpliciter in omnem cauſam acceptus eſt, ſed officio judicis condemnari debere: quae conſtans ejus fuit doctrina in *l.* 91. *D. de verb. obligat.* & ubique; a qua non defecit aut usquam deflexit: ut fruſtra ei objiciatur quaſi in *l. Centum Capuae* 8. *D. de eo quod certo loco* aliud docuerit, quod dixerit fidejuſſorem, qui alicujus actionis aut negotii nomine intercedit, in omnem cauſam intercedere. Verba Cujacii ad *d. l.* 91. *in* §. *Nunc videamus* 4. haec ſunt: *Culpa fidejuſſoris non nocet reo: e contrario culpa rei fidejuſſori nocet. Nam fidejuſſor quantum ad eum rem attinet, quae in obligationem deducta eſt, accedit in omnem cauſam, quae reum principalem tenet; etiamſi ſimpliciter acceptus ſit, non tamen creſcit obligatio fidejuſſoris ex mora rei, niſi nominatim in quamlibet cauſam accipiatur.* Verba autem commentarii ad *d. l. Centum Capuae* 8. ſunt: *Quicumque actionis aut negotii alicujus nomine intercedit, in omnem cauſam intercedere intelligitur, niſi taxationem certam fidejuſſioni appoſuerit. Et his conſequenter in ſpecie propoſita, ſi fidejuſſor, qui interceſſit nomine actionis arbitrariae, conveniatur alio loco actione arbitraria, damnabitur in id, quod intereſt actoris, propter moram rei; ſicut & reus ipſe ſi conveniretur.* Quae vero ſunt anterides in his locis, aut pugnantia ſecum? Haec ſcilicet invicem opponit Merillius, ex uno loco: *Damnabitur in id, quod intereſt actoris propter moram rei.* Ex alio loco: *Non tamen creſcet obligatio fidejuſſoris.* Viciſti Merilli; triumpha!

Pone domi laures, duc in Capitolia magnum
Cretatumque bovem.

Verum audi monitorem: hominem te eſſe ſcito. Et diſcito tandem, haec verba invicem non pugnare. Damnabitur enim fidejuſſor non jure obligationis, ſed officio judicis. Nam & ipſe reus, dum propter moram ſuam condemnatur (puta in uſuras, in bonae fidei judiciis, vel in id quod intereſt, in actionibus arbitrariis) non jure obligationis condemnatur, ſed officio judicis, *d. l. Centum Capuae* 8. *& l. ult. D. de eo quod certo loco l. quaero* 54. *in pr. D. locati.*

In *d. l. Centum Capuae* 8. hoc oſtendit Africanus per comparationem obligationis uſurarum, in qua duae ſunt ſtipulationes, una ſortis & altera uſurarum: at in ſpecie *d. legis Centum Capuae* 8. una tantum eſt obligatio (pecuniae ſcilicet ſimpliciter creditae) in cujus conſequentiam ſi quae utilitas aeſtimanda ſit, judicis arbitrio committitur. In ſtipulatione uſurarum, cui acceſſit fidejuſſor, ideo tenetur jure obligationis, quia ſtipulatio in uſuras nominatim obligationem adſtrinxit. In promiſſione pecuniae ideo jure obligationis non tenetur neque reus debendi, neque fidejuſſor, ad utilitatem ſive ad id, quod intereſt ſtipulatoris, quia non eſt hoc in ſtipulationem deductum, & non niſi ex poſt facto venit, & in executionem ejuſdem ſtipulationis, ex officio ſive arbitrio judicis. Et hoc non ſurdis clare ſonat, *d. l. Centum Capuae* 8. hiſce verbis: *Centum Capuae dari ſtipulatus fidejuſſorem accepiſti; ea pecunia ab eo ſimiliter, ut ab ipſo promiſſore peti debebit. Id eſt, ut ſi alibi quam Capuae petatur, arbitraria actione agi debeat, liſque tanti aeſtimetur, quanti ejus vel actoris interfuerit eam ſummam Capuae potius, quam ulibi ſolvi. Nec oportebit quod forte per reum ſteterit, quominus tota centum Capuae ſolverentur, obligationem fidejuſſoris augeri. Neque enim haec cauſa recte comparabitur obligationi uſurarum: ibi enim duae ſtipulationes ſunt, hic autem una pecuniae creditae eſt; circa cujus executionem aeſtimationis ratio arbitrio judicis committitur. Ejuſque differentiae manifeſtiſſimum argumentum eſſe puto, quod ſi poſt moram factam pars pecuniae ſoluta ſit, & reliquum petatur, officium judicis tale eſſe debeat, ut aeſtimet, quanti actoris interſit, eam duntaxat ſummam, quae petetur, Capuae ſolutum eſſe.* Ultima haec etiam verba *Ejuſque differentiae &c.* liquido probant id, quod intereſt ſtipulatoris, ob non ſolutam Capuae pecuniam, non eſſe in obligatione: alias enim jure actionis etiam poſt ſolutam partem pecuniae, peteretur; quod tantum abeſt ut ita ſit, quinimo docet Africanus officium judicis eſſe, ut tantum id aeſtimet, habita ratione partis non ſolutae. Sed Merillius haec confundit & pro eodem habet eſſe in obligatione, & venire officio judicis: & ita magna cum fiducia proponit quaeſtionem, quaſi ſimpliciter quaerat Africanus in *hac l.* 8. An, ut augetur obligatio rei principalis propter moram, ita fidejuſſoris obligatio augeatur: cum ita proponi debeat, *An adverſus fidejuſſorem perinde arbitraria agi debeat, ac contra reum: & lis pariter aeſtimari debeat, id eſt, quanti ejus vel actoris interſit*: vel ita, ut Cujacius proponit, An fidejuſſor ſe obligaverit in id, quod creditoris intererat, aut poterat intereſſe. Et dum ſibi in hujus erroris praecipitio non cavet, audet variationes adſcibere magno Cujacio, qui clamat, quod non exaudit Merillius: Multum intereſſe, utrum aliquid ſit in obligatione, an in officio, ſive arbitrio judicis: Non quodcunque eſt in arbitrio judicis, & continuo eſſe in obligatione, *l. non quidquid* 40. *D. de Judic.* Quid de tali Accuſatore dicemus? *Eſt tanti per iſta ire caſuro*, Seneca *quare bonis viris* &c. Equidem ſcio Bartolum omnino, *obligationis* verbo, putare comprehendi etiam id, quod intereſt, ſive id, quod judicis officio accedere poteſt. Sed aeque ſcio Cujacium noſtrum, *Hoc ſtultum eſſe*, praedicare: tantum abeſt, ut id ſcripſerit aut ſenſerit, quod ei perperam objicitur.

Sed ad quaeſtionem Tituli hujusce capitis redeamus. Ea eſt, *An fidejuſſor ſimplicieter acceptus, in omnem cauſam fidejuſſiſſe videatur.* Merillius ait, non videri fidejuſſiſſe in omnem cauſam, ſed teneri tantum in principalem obligationem; non etiam in acceſſiones principalis obligationis. Ego praeciſe dico, in omnem cauſam fidejuſſiſſe: non ut jure obligationis teneatur in id, quod accedere poteſt per moram rei, ſed ut officio & arbitrio judicis condemnetur in id, quod creditoris interſit. Et ita intelligenda eſt *lex Centum* 8. *D. de eo quod certo loco.* & *lex Quaero* 54. *D. locati.* & in eam ſententiam magnus Magiſter eas leges laudavit, ad *d. l.* 91. *D. de verb. obligat.* quas falſo putat Merillius eum adducere, ut probet fidejuſſorem non teneri in omnem cauſam. Quid vero apertius & expreſſius dici poteſt,

teſt, quam quod in *d. l. Quaero* 54. Paulus ait. *Si in omnem cauſam conductionis etiam fidejuſſor ſe obligavit, eum quoque exemplo coloni tardius illatarum per moram coloni penſionum, praeſtare debere uſuras.* Quid eſt *exemplo coloni*, niſi ut in *d. l. Centum Capuae* 8. *ſimiliter ut ipſe reus?* Et rationem dubitandi manifeſtat Paulus, nec decidendi rationem omittit. Rationem dubitandi, his verbis: *Uſurae enim in bonae fidei judiciis etſi non tam ex obligatione proficiſcantur, quam ex officio judicis applicentur.* Rationem autem decidendi, iſtis: *Tamen cum fidejuſſor in omnem cauſam ſe applicuit, quantum illum condemnari ex bona fide oportebit &c.* Ita fidejuſſor, qui in omnem cauſam empti fidejuſſit, in uſuras ex mora debitoris tenetur, *l. Initio* 5. *Cod. de pactis inter emptorem.*

Dicat forte Merillius aliud eſſe, ſimpliciter fidejubere; aliud, in omnem cauſam! Dicat etiam forte, & ubi ſcriptum invenitur, fidejuſſorem in omnem cauſam teneri, intelligendum nominatim & expreſſe ſe in omnem cauſam obligaſſe! At non eſt ita: nam & in ſpecie *d. legis Centum Capuae* 8. ſive ponamus ſtatim initio principalis obligationis interveniſſe fidejuſſorem (ut ponit Merillius) ſive ex poſt facto, mora jam a reo principali commiſſa (ut Cujacius) & ſane nihil intereſt, utrum ponas quidquid ſubtiliter diſtinxerit Azo. Africanus non ait fidejuſſorem in omnem cauſam nominatim interceſſiſſe: neque hoc fingere poteſt Merillius, qui ex reſponſo ſuo tenetur fateri, fidejuſſorem teneri tantum in principalem obligationem: cujus contrarium evidentiſſime demonſtratum eſt. Itaque dicendum eſt, eum, qui ſimpliciter fidejubet, intelligi in omnem cauſam fidejubere; & (ex vi argumenti ad hominem) fidejuſſorem in ſpecie *d. l. Centum Capua* 8. ſimpliciter interceſſiſſe. Et hoc eſt, quod Cujacius docet illis verbis ſuperius relatis. *Quicunque actionis aut negotii alicujus nomine intercedit &c.* Probatur & arg. *legis* 7. *D. pro ſocio.* ubi dicitur, coiri ſocietatem & ſimpliciter poſſe, & ſi non fuerit diſtinctum, videri eſſe contractam univerſorum bonorum: ſcilicet ſimplex & indefinita locutio generalis eſſe intelligitur, *l.* 26. *D. de ſerv. ruſtic. praed.*

DISPUNCTIO XXIV.

An cum colono partiario ſit locatio, vel ſocietas.

MErillius: Locatio eſt. inquit, cum certa quantitas fructuum datur, aut certa ponderatio. Cujacius, itidem; ſed addit: *Locatio eſt, ſi animus contrahendae locationis fuit.* Recte ſane! nam ſocietas contrahitur re, verbis, & conſenſu, *l.* 4. *D. pro ſocio.* In contractibus, an ii ſint, qui videntur, inſpiciendum eſt quid actum ſit, ut ſi ſocietatem partes coire voluerint, & res patiatur, ſit ſocietas, ſi affectionem ſocietatis habuerint, *l.* 31. *D. pro ſocio.* Eo ſpectat *lex* 37. *& lex* 44. *eod.* Ubi Ulpianus: *Si margarita*, inquit, *tibi vendenda dedero, ut ſi ea decem vendidiſſes, redderes mihi decem, ſi pluris, quod excedit, tu haberes: mihi videtur, ſi animo contrahendae ſocietatis id actum ſit, pro ſocio eſſe actionem.* Si vero locationem contrahere voluerim, & res quoque patiatur, ſit locatio, & ita de caeteris: vel ſi incertum ſit, quod magis negotium contrahentes inire voluerint, vel quid adjectum ſit, quod excedat naturam & proprios terminos nominatae cujusque conventionis, res tranſit ad cauſam incerti & innominati contractus, *l.* 1. *§.* 1. *l.* 5. *§. pen. l.* 6. *l.* 13. *& l. Apud Labeonem* 20. *D. de praeſcript. verbis.* quibus addere liceat *l.* 1. *D. de aeſtimatoria act.* Et ita ſi convenerit inter eos, qui fundum communem habebant; ut alternis annis fructum perciperent, licet dubitatum ſit an eſſet locatio; quia id agi poſtuit inter partes: quia tamen res non patitur, eo quod certa merces definita non eſt, neque in nummis neque in modo & quantitate fructuum, magis viſum eſt innominatum eſſe contractum, *l. ſi convenerit* 23. *D. communi div.*

Cujacium porro, ſcribit Merillius, uno loco (nimirum in *l.* 5. *Cod. de locato*) velle conductores dici, qui nummis colunt; adeoque partiarios colonos, qui partem fructuum pro penſione fundi domino inferunt, non eſſe conductores: alio vero loco (id eſt, ad *l.* 35. *D. locati*) ſcribere, mercedem locationis conſiſtere poſſe in alia quantitate, quam in pecunia. Quod eſt dicere partiarios colonos eſſe conductores. Ergo uno loco dixit conductores; alio, negavit.

Quid ſi idem utrobique Cujacius, & quidem apertiſſime? Quale tandem hoc facinus videbitur? Et vero Cujacius Haec habet, quae ſatis probe refert Merillius ex *commentario tract.* 3. *ad Africanum*, id eſt, ad *d. l.* 35. *D. Locati.* *In locatione conductione, dico etiam in alia quantitate mercedem conſiſtere poſſe: veluti menſura aut pondere: ac proinde cum colono partiario contrahi locationem & conductionem, ſi contrahendae locationis animus fuerit: ac praeſertim ſi de certa fructuum quantitate, veluti modiis, vel amphoris tot, quotannis inferendis convenerit &c*

Ex recitatione vero ad *l.* 5. *Cod. de Locat.* Haec: *Sunt coloni partiarii, l. ſi merces* 25. *§. vis major* 6. *D. eod. tit. Hi non videntur proprie eſſe conductores. Qui nummis colit, eſt conductor: partiarii non videntur eſſe conductores, id eſt, qui partem fructuum conferunt domino, & nihil praeterea, aliam partem pro cultura ſibi reſervant. Hoc genere ſocietas contrahitur potius, quam locatio, l. Cum duobus* 52. *§.* 2. *D. pro ſocio.*

Quae refert quidem Merillius: ſed an ſatis probe; ſed an tarditas, an celeritas calami, an conſilium ſcribentis, reliqua omiſerit, judicet quiſquis! Sequentia (quae ſunt ejusdem Cujacii eodem loco) putabit, haud relatu neceſſaria fuiſſe ei, qui accuſationi ſuae magis, quam Cujacii famae ac veritati ſtudebat: *Et ſane locationem eſſe dicendum eſt, ſi animus contrahendae locationis fuit, & ideo eſſe actionem ex locato & conducto, licet lucra & damna communicentur. Nam locatio non tantum contrahitur certo pecuniae numero, ſed etiam rerum, quae menſura & pondere conſtant. Idque probat lex* 21. *hic, &c.* Haec ſi agnoſces, Merilli, bona fide te omiſiſſe, ſimul & fatebere non aliud Cujacium docuiſſe in *d. l.* 5. quam tute dicis, & nos fatemur, ſcripſiſſe eum in *d. l. D. locati.*

Ex his vero quis non videt, certam ubique & conſtantem fuiſſe opinionem Cujacio, omnino diſtinguendum eſſe, quid agere voluerint aut non voluerint contrahentes? Et ita noſtri Auctores ſaepiſſime. Ita denique Graeci diſtinguunt, in aeſtimando permutationis contractu, an contrahentibus omnino fuerit animus permutationis faciendae, vel potius contrahendae emptionis. Non ſufficit, inquiunt, ut res pro re tradita ſit; puta veſtis pro ſervo: ſed hoc inſuper quaerendum, an qui veſtem dedit eam vendere, & qui ſervum dedit, an veſtem emere vellet: an vero nec ab initio de venditione cogitarint, ſed res permutare voluerint: ἢ μήτε αὐτοὶ ἐξ ἀρχῆς εἰδ' εἰς ἔννοιαν πράσεως ἦλθον. Synopſ. Baſilic. *lib.* 20. *tit.* 3.

De quaeſtione, quia fere convenimus, tractare quid attinet? cum nec quidnam novi, id eſt, boni praeter Cujacii diſtinctionem adferri poſſit. Niſi quod eſt aliquid in doctrina Merilliana, quod diſpunctiunculam effugere non debet. Et primo, quod ait Merillius probari ex *l.* 8. *Cod. de Pactis*: Si pecus non ſit communicatum, & convenerit inter dominum & paſtorem, ut foetus communis eſſet, vel certis partibus divideretur, eſſe contractum innominatum: probatur id quidem utcunque, ſed non magis, quam contractum eſſe ſocietatis, quem ſane prae

ſe

ſe fert ejusmodi conventio; argumento *d. legis 52. §. 2. verſ. Si in coeunda. D. pro ſocio.* Nam ſi conveneri inter dominum & paſtorem, ut paſtor certis annis pecus paſceret, poſt quod tempus grex venderetur, pretiumque divideretur; non ambigitur ſocietatem eſſe, *l. Si tibi areae.* [alias eſt *lex 13. §. Si tibi areae 1.*] *D. de praeſcript. verb.* Scilicet, putat Merillius non eſſe ſocietatem, niſi res illico communicentur: & id quidem eſſe poteſt, fierique crebro videmus. Sed non ideo minus ſocietas erit, ſi convenerit de ſolis foetibus communicandis. Nam & eſt ſocietas rerum acquirendarum, ut quaeſtuum *l. 7. D. pro ſocio.* vel unius duntaxat rei emendae, *l. Cum duobus 52. in pr. eod. tit.* contrahitur ſocietas ἐπὶ κτήσει, καὶ ἐφ' ἓν πράγματι. Et hoc ſatis perſuadere potuit auctoritas magni Cujacii caeterorumque pene omnium interpretum, qui fruſtra quaeſiſſe videntur de lemmate, huic praefixo capiti, *An cum colono partiario contracta cenſeatur locatio*, adeoque addubitaſſe, an ſit ſocietas: hoc enim poſito Merilliano fundamento, ceſſat omnis quaeſtio & dubitatio; cum certum ſit in locatione, dominium non communicari. Itaque illud novum eſt, quod comminiſcitur Merillius in ſpecie *d. legis 52. §. 2. verſ. Si in coeunda. D. pro ſocio* agrum communicatum fuiſſe inter dominum & politorem. *Lex* ait: *Si in coeunda ſocietate, artem operamve pollicitus eſt alter; veluti cum pecus in commune paſcendum aut agrum politori damus in commune quaerendis fructibus: nimirum ibi etiam culpa praeſtanda eſt; pretium enim operae artis eſt velamentum.* In ſpecie *hujus legis*, de fructibus communicandis convenit. Datus eſt quidem ager quaerendis fructibus in commune, non ipſe ager in commune: manſit ager domini; ſocietas fructuum coita eſt, ut ſex partes puta politor haberet, unam dominus, ut fit cum cenſuariis. Qui modus adeo aequus cenſetur, ut alius omnis damnetur, μορτίτῃ μισθῷ, δεμάτια ε. χωροδότῃ μισθῷ, δεμάτιον α. ὁ δὲ ἐκτὸς τούτων μοριζόμενος θεοκατάρατος. Sic puto legendum in *legibus Georgicis tit. 1.* δεμάτια ς. non ut vulgo, δεμάτια θ. Nam Euſtathio *Odyſſ. T. fol. 185.* ἡ μόρτη, τὸ ἕκτον μέρος τῶν καρπῶν, ὃ ἐδίδοτο τοῖς ἑκτημορίοις. Heſychius autem ἑκτημορίους ſeu ἑκτημόρους eos dicit (ex etymo) qui ſex partibus terram colunt οἱ ἕκτῳ μέρει τὴν γῆν γεωργοῦντες. Veteres coloni parte decima ſativa praedia colebant; arboribus conſita, parte quinta conducebant; ſaltus vero, definito pretio in pecorum capita: ut eſt apud Appianum *lib. 1. belli civilis.* Et licet in *legibus Georgicis* juſta partitio fuerit ſexta, invenias tamen, & aliis, & in iiſdem. Ergo cum partiario colono locatio conductio contracta videri poteſt, ſi hoc actum eſt: ſin contra actum eſt, ut fructuum ſocietas contraheretur, ſocietas dicenda eſt.

DISPUNCTIO XXV.

An pacta quae adjiciunt vel detrahunt in *l. pacta 72. D. de contrah. empt.* intelligi debeant de adminiculis, vel de ſubſtantia emptionis?

PApinianus ait: *Pacta conventa, quae poſtea facta detrahunt aliquid emptioni, contineri contractu videntur: quae vero adjiciunt, credimus hoc, non ineſſe: quod locum habet in iis, quae adminicula ſunt emptionis, veluti ne cautio duplae praeſtetur, aut ut cum fidejuſſore cautio duplae praeſtetur. Sed quo caſu agente emptore non valet pactum, idem vires habebit jure exceptionis agente venditore. An idem dici poſſit, aucto poſtea vel diminuto pretio, non immerito quaeſitum eſt: quoniam emptionis ſubſtantia conſiſtit ex pretio.* Paulus notat: *Si omnibus integris manentibus, de augendo vel minuendo pretio rurſum convenit, receſſum a priore contractu & nova emptio interceſſiſſe videtur.*

Sit haec ad quaeſtionem propoſitam brevis nec minus certa reſponſio. Detrahunt ea pacta, quae diſtrahunt & mutant naturam jam contractae emptionis; puta aucto vel imminuto pretio: adjiciunt quae quid praeter naturam & ſubſtantiam ingerunt; veluti ſi de adminiculis, hoc eſt, de cautione aliquid conveniat, ſine quo ſtare poterat emptio venditio.

Tres ſpecies ad *d. l. 72.* ut certum ejus uſum germanumque intellectum habeamus, neceſſario ponendae ſunt. *Prima* eſt. Convenit mihi tecum, ut praedium meum tibi emptum eſſet 20. poſtea cum poeniteret, me tam exiguo pretio illud vendidiſſe, nec inexorabilis eſſes, convenit rebus integris, ut tibi emptum eſſet 30. Quaeſitum eſt, an poſſem ex hoc novo pacto, velut ex priore, conventione agere? Et an tu quoque agere poſſes, cujus maxime intererat, propter commoda, quae emptorem ſequuntur ex die emptionis: in quo proclivior Papinianus eſſe videtur. At pactum ex intervallo adjectum (quae fuit dubitationis ratio) ad agendum non valet. Reſpondendum eſt, id quidem regulariter verum eſſe. Sed hoc pactum cum detrahat ex emptione & eam immutet (quandoquidem fiat de ſubſtantia emptionis) videri contineri contractu: quaſi ab initio non viginti, ſed triginta, praedium meum veniſſet. In totum abiri poteſt ab emptione communi conſenſu: ergo & in parte, ut hoc caſu non reſcindatur, ſed potius reformetur contractus. Et haec fuit ſententia Papiniani, quam Paulus non probaſſe videtur.

Altera ſpecies eſt. Vendidi tibi fundum; de cautione a me praeſtanda, nihil dictum: verebar ne me urgeres ad repromittendum, quod jure poteras. Emptori duplam promitti a venditore oportet, non ut ſatiſdetur, ſed repromittatur, *l. 37. D. de Evict onib.* Tu vero hoc onus mihi ſponte remiſiſti: poſtea cum te convenirem de pretio actione ſcilicet ex vendito; Tu contra actione ex empto petiiſti, ut de dupla evictionis nomine repromitterem. Quaeſitum eſt, an ipſo jure tutus eſſem: an vero mihi neceſſe eſſet, exceptionem allegare, atque ita actionem tuam elidere. Reſpondit Papinianus, mihi omnino hoc caſu neceſſariam eſſe exceptionem. Videri poterat hoc pactum, quod interceſſerat de non repromittendo, ipſo jure tollere actionem. At Papinianus ait, tale pactum non ineſſe, quia de adminiculis tantum, non etiam de ſubſtantia emptionis eſſet; proindeque opus eſſe exceptione, adeo ut niſi vigilem mihi allegando & probando ejusmodi exceptionem, futurum ſit, ut me condemnes ad repromittendum.

Tertia ſpecies eſt ejusmodi. Poſt venditum a me fundum, ex intervallo cum emptore convenit, ut ei de dupla evictionis nomine caverem datis fidejuſſoribus. Quaeritur, an poſſit emptor ex tali pacto agere? Negat Papinianus. At, in prima ſpecie, datur ex pacto actio. Quidni & ex hoc, cum ad emptionem factum ſit & ad eam omnino pertineat? Verum hoc ideo eſt, quod ejusmodi pactum extra naturam & ſubſtantiam emptionis venditionis eſt; non quale illud prioris ſpeciei, quod erat ex ſubſtantia. In hac noviſſima ſpecie pactum nihil detrahit emptioni; quia non mutat, aut reformat emptionem, ſed adjicit aliquid ei emptioni, quae per ſe conſiſtere poteſt ſine adminiculo tali, utpote contenta re & pretio, quibus ſolis perficitur & conſtat ſtatim atque in utroque conſenſum eſt. Verum addit Papinianus, aliquo caſu non futurum ſine effectu tale pactum; agente verbi gratia me venditore ad pretium, ut ſcilicet eo caſu emptor recte recuſet pretii ſolutionem, ſi non ego ſatiſdem ſecundum pactionis fidem. Ita interpretor illa verba, *ſed quo caſu agente emptore non valet pactum, idem vi-*

vires habebit jure exceptionis. Papinianus ait, *agente venditore*; ſcilicet actione venditi ad pretium conſequendum, ut ei objiciatur exceptio doli hoc modo: Niſi dolo malo facias, qui fidem conventionis *a* me impleri deſideras, quam ipſe non ſervas. Itaque non valebit pactum jure actionis, ſed valebit jure exceptionis.

Haec paulo aliter, quam Cujacius, qui verba illa, *agente venditore*, accipit de venditore excipiente & defendente ſe contra emptorem agentem; quia ſcilicet & reus in excipiendo agere dicitur: quod etſi verum eſt, id tamen fingere hoc caſu nullo modo neceſſe eſt. Equidem exiſtimo in interpretandis Juriſconſultorum reſponſis, ſpectare nos debere quid uſus ferat, & quid verſetur in ipſis rerum argumentis; ut quemadmodum illi, ita & nos ad quotidianum uſum diſputationes legitimas referamus.

Superioribus autem ſpeciebus propoſitis, redit Papinianus ad primam, de qua fatetur dubitatum eſſe; *non immerito*, inquit, *quaeſitum eſt* · & ſubjicit, *quoniam emptionis ſubſtantia conſiſtit ex pretio*: quae verba dubitationis rationem continent, ſecundum quae Paulus exiſtimavit tale pactum non ineſſe, ſed novam emptionem efficere. Itaque ſubjicitur Pauli nota: *receſſum*, inquit, *a priori contractu*, & *nova emptio interceſſiſſe videtur.* Quam notam ita exaudire debemus, ut in dubio hoc, quid actum ſit inter partes, ſtatuat Paulus receſſum videri a priori emptione: caeterum ſi alia mens contrahentium fuerit, credendum a Papiniano non diſſenſiſſe Paulum. Nam & ita idem Paulus in *l. Si unus* 27. § 3. *D. de pact. Quod ſi*, inquit, *non ut totum contractum tolleret, pactum conventum interceſſerit, ſed ut imminueret; poſterius pactum poteſt renovare primum contractum.* Et ita quoque ſenſit Ulpianus *l.* 7. §. *adeo* 6. *D. eodem tit.* his verbis, *Si igitur in totum poteſt, cur non & pars ejus pactione mutari poteſt?* Quos tamen locos Merillius in ſuam ſententiam profert.

Ex *eadem* vero *l* 7. §. 5. (quando eam inſedimus) aeque ac ex *d. l.* 72. *D. de contrab. empt.* perſpicuum eſt, pacta quae detrahunt eſſe ex natura & ſubſtantia emptionis: nam ea ſola ex intervallo facta valent ad agendum; non ea, quae ſunt de adminiculis. *Si poſt emptionem*, inquit Ulpianus, *ex intervallo, aliquid extra naturam contractus convenit ob hanc cauſam agi non poſſe.* Et infra §. 6. *Adeo autem bonae fidei judiciis exceptiones poſtea factae quae ea eodem ſunt contracta* (puta de re & pretio) *inſunt, ut conſtet re nondum ſecuta poſſe abiri a tota emptione.* Ex his locis patet, idem eſſe ex natura & ex contractu. In quo natura & ſubſtantia emptionis? Quid eſt ex contractu emptionis praeter conſenſum de re & pretio? De his autem tantum, non etiam de aliis quibuscunque, pactum ex intervallo factum valet ad agendum. Nunc apta *l.* 72. *Pacta*, inquit, *conventa, quae poſtea facta detrahunt aliquid emptioni, contineri contractu videntur.* Nonne igitur eadem ſunt pacta ex natura & ex ſubſtantia ſive ex contractu, atque pacta, quae detrahunt? quod & *eadem lex* paulo poſt confirmat nimis.

Merillius nequit ſibi perſuadere pacta detrahentia eſſe de ſubſtantia. Perſuadeat, vero ſibi pacta adjicientia non eſſe ex contractu, facile intelliget ex diverſo, detrahentia ex contractu & ſubſtantia eſſe. Qui patitur ſibi quid adjici, ſine quo vitam jam antea tolerabat, hoc adjici ſibi & adminiculum eſſe ſentiet quidem: & ſi quis eidem veſtem, qua neceſſario ſe contegebat, eripiat, intelliget profecto quod ſuum erat ſibi auferri ac detrahi. Tertullianus *de veland. Virg. cap.* 30. *O Sacrilegae manus, quae dicatum Deo habitum detrahere potuerunt.* Nec vero aliud docuit Cujacius ad *d. l.* 72. *D. de contrab. empt.* 20. *quaeſt. Pap.* & *Obſerv. lib.* 10. *cap.* 24. & *lib.* 14. *cap.* 28. Ubi omnibus, quae in contrarium objiciuntur ſatisfeciſſe videtur. At ſubtile quiddam velut obiter tentavit *lib.* 2. *Obſervat. cap.* 15. quem tamen locum Merillius non integrum citavit, ex quo videri poſſit detrahentia pacta dixiſſe ea eſſe, quae ſint de adminiculis. Sed animadvertendum, Cujacium ibi non ſimpliciter loqui de pactis ex intervallo factis de non cavendo, vel de ſatisdando: ſed de iis loqui, quatenus de iiſdem initio contrahendae emptionis convenerat; quae ſi poſtea ex intervallo mutentur, dixit (fateor) detrahere ea vel adjicere: ſed quo ſenſu, quave ratione? attende eam, ſi placet, Merilli: quia contractu continebantur, ut jam ita ex contractu eſſent: quam in rem potuit Cujacius aſſertorem vocare Pomponium in *l. Sed Celſus* 6. §. *ult. D. de contrab. empt.* Ubi ille ita: *Conditio*, inquit, *quae initio contractus dicta eſt, poſtea alia pactione immutari poteſt; ſicuti etiam abiri tota emptione poteſt, ſi nondum impleta ſunt, quae utrinque praeſtari debuerunt.*

Jam vero quod contra videtur idem Cujacius habere ad *d. l.* 72. *in recitationibus ad titulum de contrab. empt.* debuit potius Merillius male deſcriptam ab ignavis ſtudioſis recitationem ſupplere vel emendare, quam carpere. Et in eo, quod ibi haec verba *agente venditore* Cujacius interpretatus eſt, Excipiente venditore; licet alia mihi magis arrideat interpretatio, ut ſuperius notavi: hanc tamen etiam recipi poſſe non inficior, nec variare mihi videor, dum haec dico, nec Cujacium utroque dicto magis variaſſe exiſtimo. Faceſſat igitur hoc ἐπίλογον Merillianum! magis admitterem pacta detrahentia & adjicientia fieri circa adminicula, non circa ſubſtantiam contractus. Faceſſat & ſumma praecipuaque ejus ratiocinatio, cum ait, aucto vel imminuto pretio, fieri novum contractum, proindeque pactum de mutatione pretii non ineſſe priori contractui, *eaque ipſa ratione Paulum hic notare Papinianum!* Si notavit (quod non ſimpliciter dicendum eſt, ut obſervavi ex *l.* 27. §. 3. *D. de pactis*) ergo ſecundum te, Merilli, Papinianus aliud, & aliud Paulus in hac quaeſtione conſtituit. Ergo, ſi ſecundum ſententiam Pauli, pactum de mutatione pretii, id eſt, pactum circa ſubſtantiam emptionis non ineſt; ſequitur ſecundum Papiniani ſententiam ineſſe: atque ideo, ſecundum integram ejuſdem Papiniani doctrinam, pacta, quae detrahunt, eſſe ea, quae de pretio aucto vel imminuto, adeoque de ſubſtantia emptionis facta ſunt, ſecundum ejus verba, *contineri contractu videntur.*

DISPUNCTIO XXVI.

Periculum rei venditae nec traditae, an ſit emptoris aut venditoris?

OMne commodum rei venditae, necdum traditae, ſtatim poſt perfectam emptionem ad emptorem pertinere, & omne periculum quoque, ſi ſine dolo vel culpa venditoris res perierit, deteriorve facta fuerit, cum Graeci, tum Latini auctores tradunt, & interpretes plerique fere omnes (uno excepto Cujacio) docent. Probatur haec definitio, *l.* 1. & *toto tit. Cod. de peric. & com. rei vend. l.* 7. & *l.* 8. *D. eod. Synopſ. Baſilicon libro* 19. Perfectam autem emptionem dicimus, non tantum ſi res vendita tradita ſit, & pretium ſolutum (quo caſu & perfecta & impleta eſt) ſed & ſi tradita non ſit. Ita Juſtinianus palam: & ita legendum prorſus apud Harmenopolum *lib.* 3. *tit.* 3. *numero* 1. ubi vulgo *οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ κἂν ὁ ἕτερος τούτων &c.* (qui error nec a tranſlatore, nec a ſcholiaſte Graeco videtur animadverſus) pro quo, quis mihi neget legendum *κἂν μὴ* ſive *καὶ εἰ μὴ*, ut patet ex *numero* 14. ubi theſis noſtrae partem habet, poſt perfectam venditionem periculum ad emptorem pertinere, hoc no-

nominatim expreſſo, etſi res tradita non ſit, *εἰ καὶ τὰ μάλιστα μήπω τὸ πρᾶγμα παραδίδοται*. Perfecta eſt, inquam, ſtatim atque de re & pretio convenit, cum id, quod vaenit, apparet quid quale quantumque ſit & pure vaenit, *d. l.* 8. *D. de peric.* In hoc convenimus ego & Merillius. In eo diſſentimus, variaſſe Cujacium in hac quaeſtione: ille ait, ipſe nego. Diſſentimus & in modo diluendarum Cujacii rationum, & ejuſdem reſponſionum ad auctoritates ſententiae noſtrae.

Illi autem definitioni aperte videtur obloqui Africanus in *l. Si fundus* 33. *D. Locati.* Ubi publicato fundo, qui locatus vel venditus fuerat, ſtatuit publicationis caſum ad locatorem & venditorem pertinere, in tantum ut ſi mercedem ille, vel hic pretium acceperit, reſtituere teneatur. *Si fundus*, inquit, *quem mihi locaveris, publicatus ſit, teneri te actione ex conducto, ut mihi frui liceat, quamvis per te non ſtet, quominus id praeſtes: quemadmodum ſi inſulam aedificandam locaſſes, & ſolum corruiſſet, nihilominus tenereris. Nam etſi vendideris mihi fundum, iſque prius quam vacuus traderetur publicatus fuerit, tenearis ex empto. Quod hactenus verum erit, ut pretium reſtituas, ejus ſcilicet temporis, quo fruitus non fuerim, nec ultro actione ex conducto praeſtare cogeris. Nam etſi colonus tuus fundo frui a te, aut ab eo prohibetur, quem prohibere, ne id faciat, poſſis: tantum ei praeſtabis, quanti ejus interfuerit frui, in quo etiam lucrum ejus continebitur. Sin vero ab eo interpellabitur, quem tu prohibere propter vim majorem aut potentiam ejus non poteris, nihil amplius ei, quam mercedem remittere aut reddere debebis.* Publicationis caſus periculi genus quoddam eſt; publicatus enim fundus amittitur & perit, non ut deſinat ejus eſſe in rerum natura, ſed ut deſinat ejus eſſe, cujus erat, & praeſtari poſſe iis, quibus debebatur: quo modo non minore damno adficiuntur ii, quorum intererat fundum publicatum non eſſe, quam ſi chasmate periiſſet.

Motus hoc argumento, loco & exemplo Cujacius, non dubitavit ſcribere ad *d. l.* 33. ex ea lege intelligi, poſt perfectam venditionem periculum non reſpicere ad emptorem. Ad regulam vero ſive definitionem illam, tot locis inculcatam & repetitam, Periculum pertinere ad emptorem, quod eſt rem perire emptori. Reſpondet perire quidem emptori, non pretium, quod emptori putat eſſe ſalvum ſemper, ut non compellatur illud ſolvere, vel ſi ſolverit, ut repetat. Quam in rem laudat *l. quod ſi neque* 14. *D. de peric.* in qua, lectis venditis nec traditis, ſed ab AEdile confractis, periculum dicitur eſſe venditoris. Et confirmari ait *l. ult. D. de condict. cauſa data.* in qua pecuniae repetitio eſt ab eo, qui pecuniam dedit, ut Stichus ei daretur, quem dicit eſſe caſum in permutatione, ad exemplum emptionis. Reſpondet autem *legi Lucius* 11. *D. de Evict.* cujus ſententia eſt, emptoris heredes non recte recuſare reliquum pretium, eo praetextu, quod juſſu principis fundus venditus partim diſtractus, partim veteranis aſſignatus eſſet: reſpondet, inquam, illi legi, traditum jam tempore publicationis fundum emptori fuiſſe; regulam autem eſſe de periculo contingente ante rei venditae traditionem; quod veriſſimum eſt. Ad §. *Cum autem* 3. *Inſt. de Emptione*, in quo, ut ille ait, perſpicue traditur re perempta ante traditionem, emptorem compelli pretium ſolvere, reſpondet in *Inſtitut.* tradi ſummas & ſtricti juris regulas; nihil vero tale proponi in *Digeſtis*, in quibus aequitas diligentius inſpicitur.

Verum idem Cujacius (ſi modo verus eſt Merillius) *in recitationibus* ad *Tit. Cod. de act. empti.* ait, poſt perfectam venditionem, emptorem omne periculum ſuſtinere etiam ante traditionem. Quae manifeſtiſſima contradictio eſt.

Salva pace Merillii Anteceſſoris dixero, contradictionem nullam aut variationis umbram eſſe, ſi, ſemel poſita, de quacunque re, opinione vel ſententia noſtra, contrariam poſtea ſententiam proferimus, velut vulgi, aut certi cujuſdam Interpretis, hoc nominatim praedicto, vulgi, aut illius interpretis opinionem eſſe. Hoc autem praeſtitit magnus Magiſter illo, qui objicitur loco. Quod ut probe ac ſincere exaudiatur, aſſumendum eſt (quod facile annuent, qui morem docendi praeſtantiſſimi viri tenent) uno ductu, una, ut ita dicam, ſaliva, & una recitatione, Cujacium expediviſſe ambos illos Titulos *de Periculo*, & *de Act. empti.* Exordio autem recitationis praemonuiſſe difficillimam eſſe quaeſtionem: & quaſi per otium ei non licuiſſet accuratiore ſtudio ac diligentia rem diſpicere, interea ſe vulgi ſententiam tradere. Verba ſunt ejus: *Primo oſtenditur ad quem pertineat commodum vel incommodum rei venditae, ad emptorem vel venditorem; quae quaeſtio eſt difficillima: de ea tamen id vulgo traditur*, &c. Quis bonus, id eſt, erga Cujacium benignus non intelligat, quidquid deinceps de quaeſtione ediſſeruit ad vulgi opinionem referendum?

Ad reſponſiones & rationes Cujacii nunc veniamus! & primo quidem quod Cujacius dixit, non ſibi officere *legem Lucius* 11. *D. de Evictionib.* jam ſupra bona fide agnovimus ſpeciem *d. legis Lucius* 11. eſſe de re publicata poſt traditionem.

Ad id, quod dixit, rem perire emptori, quatenus res ei abeſt, ſed re vera perire venditori, quia pretium ſalvum manet emptori; dico (nam & hic ſilet Merillius) ſingulare eſſe in caſu publicationis, reddi pretium emptori, vel ab eo non exigi; cum in caeteris cauſis & ſpeciebus exigi poſſit, ut probatur collatis locis Digeſtorum cum §. *Cum autem* 3. *Inſt. de Empt.* ut mox videbimus. Et quidem ad *d.* §. in quo (ut Cujacius ipſe fatetur) perſpicue traditur, re perempta ante traditionem, compelli emptorem pretium ſolvere, Cujacius reſpondet in *Inſtitutionibus* tradi ſummas & ſtricti juris regulas; contra quam in *libris Digeſtorum* fiat. An hoc verum? Merillius praetermittit. Dico, & in *Digeſtis* idipſum paſſim tradi atque edoceri. In *l. Si in emptione* 34. §. *pen. D. de contrah. empt.* Paulus ait; *Si emptio ita facta fuerit, eſt mihi emptus Stichus aut Pamphilus: in poteſtate eſt venditoris, quem velit dare, ſicut in ſtipulationibus: ſed uno mortuo, qui ſupereſt dandus eſt, & ideo prioris periculum ad venditorem, poſterioris ad emptorem reſpicit: ſed etſi pariter deceſſerunt, pretium debetur: unus enim utique periculo emptoris vixit.* Ulpianus in *l. Julianus* 13. §. 22. *D. de act. empt.* docet ex vendito actionem eſſe ad ſumptus repetendos, qui facti ſint a venditore in curationem aegri ſervi vel etiam in funus ejuſdem, *ante traditionem mortui.* Quod ita intelligendum eſt, ut nec pretium, quod forte praerogatum ſit repetatur, vel ut ſi non ſit ſolutum, exigi poſſit. *Mortuo homine, perinde habenda eſt venditio, ac ſi traditus fuiſſet: utpote cum venditor liberetur, & emptori homo pereat. Quare niſi juſta conventio intervenerit, actiones ex empto vendito manebunt*, inquit Julianus. *l.* 5. §. *ult. D. de reſcind. vend.* Ad haec verba, *niſi juſta conventio*, &c. Accurſius apponit hoc exemplum, ut ſi donandi animo venditor emptori remittat pretium.

Sed quid dicemus ad *l. ſi fundus* 33. ſupra deſcriptam, quae quidem ſola eſt arx Cujacianae (ut ita dicam) haereſeos.

Merillius: *Non movet quod in hac l.* 33. *venditor emptori pretium reſtituere tenetur, publicato fundo ante traditionem, cum authoritate principis publicatus fuerit. Venditor publicatus veluti vi quadam majore prohibetur, ne fundum poſſit tradere: ideo tenetur pretium fundi reſtituere.* Non eſt hoc ut mihi videtur reſpondere; ſed legem ipſam crudam ac indigeſtam proponere. Et vero Africanus comparat fundi publicationem periculo concuſſi aedificii. *Quemadmodum*, inquit, *ſi inſulam aedificandam locaſſes & ſo-*

lem corruiſſet, nihilominus teneberis. Ex hoc periculum dicitur in *l. Marcius 59. eod. tit. locati.* Dico igitur, hoc periculum publicationis ſpectare venditorem, utpote adhuc poſſeſſorem fundi venditi tempore publicationis: quia talia damna cum propter belli leges praedia victis a victoribus auferuntur, poſſeſſoribus accidunt, quaſi poenae loco, quod ſe ſuaque ſtatim non dediderint. Dixi poſſeſſoribus haec accidere damna, quibus & honoris loco nonnunquam agri ſui vel pars aliqua relinquebatur, unde dubitandi non inſubtilis ratio in *l. 15. §. Item ſi forte 2. D. de rei vindic.* ut omittam Siculi Flacci locum, qui in omnium ore eſt. Stricto quidem jure venditor emptori ad id, quod ejus intererat, teneri videbatur, cum ejus calamitatis cauſa & ex ſuo tempore originem ſumpſiſſet & in eum adhuc poſſeſſorem ejusdem calamitatis caſus incidiſſet. Aequitas tamen fecit, quia ſine dolo & culpa venditor fundum illum vendiderat, ut ad reſtitutionem pretii duntaxat teneretur.

DISPUNCTIO XXVII

Onere vehendo conducto praerogata vectura, nec ſecuta vectione; An ſit actio ex locato; An actio ex promutuo?

ULpianus in *l. Ex conducto 15. §. Item cum quidam 6. D. locati*, ſic habet: *Item cum quidam, nave amiſſa, vecturam quam promutuam acceperat repeteretur* [id eſt, urgeretur per repetitionem pecuniae] *reſcriptum eſt ab Antonino Auguſto, non immerito Procuratorem Caeſaris ab eo vecturam repetere: cum munere vehendi functus non ſit: quod in omnibus perſonis ſimiliter obſervandum eſt.* Ait Textus *repetere*, ſed quo genere actionis, non aperit. Aeque ſimpliciter Harmenopulus *lib. 2. tit. 2. §. ult. n. 21.* τοῦ πλοίου ναυαγήσαντος, ὁ ναύκληρος ἀποδίδωσι τὰ ναῦλα ἅπερ ἔλαβεν ἐν προχειρίᾳ, ὡς μὴ μετακομίσας.

Cujacius *lib. 3. Obſerv. cap. 1.* & rurſus *lib. 8. cap. 34.* ſcripſit locum eſſe *condictioni ex promutuo*, id eſt, condictioni indebiti; Indebiti ſolutionem promutuum eſſe, ſi ea ſolvantur, quorum datione in creditum itur: & indebitum eſſe, ſi ſolvero pecuniam, quam nondum debeo, nec poſtea debere coepi, ut in *d. l. 15. §. Item cum quidam 6.* At (inquit Merillius) aliter idem Cujacium *in recitationibus Cod. ad Tit. de locato*, in *l. 5.* ibi enim dixit nautam, qui merces vehendas ſuſceperit & mercedem promutuam ſeu prorogatam acceperit, *teneri ex locato.*

Neque ſi hoc dixerit Cujacius *d. l. 5.* actionem eſſe ex locato, variaſſe dicendus eſt, & multo minus variator audiendus, ſi adjecerit ea, quae Merillius in repetitione ſive expoſitione ſua reticet; ea ſcilicet verba, *Et fidem fallat.* Verba Cujacii ſunt: *Si qui conduxit frumentum vehendum accepta pecunia in anteceſſum ſive promutuo, fidem fallat, tenetur ex locato.* Ab hoc loco ordiamur! Hic non ſimpliciter Cujacius dixit actionem eſſe ex locato, ſed ita, ſi conductor fidem fallat. At Merillius arte logica nova hypotheticam & complexam propoſitionem quaſi ſimplicem habet, & pro cathegorica: nec mendacium arbitratur, ſi a ſenſu compoſito ad ſimplicem ſive diviſum argumentetur; quod nulli docti ferent, & Aphrodiſiaeus & Javellus riderent. Ergo ita intelligendus ſincere Cujacius, ut cum dixerit in redemptorem ſive conductorem eſſe actionem locati, id ſenſerit non ſimpliciter, ſed hoc caſu, ſi fidem fefelliſſet, ut *l. Si hi 14. Cod. de locato.*

Sed (qui alter & primus eſt caſus) etſi ſimpliciter Cujacius ſive diverſis locis, ſive uno eodemque loco dixiſſet, locum eſſe actioni locati, atque etiam condictioni; non ideo profecto contraria dixiſſe putandus eſt. Quaſi vero ex eodem facto, negotio & cauſa multiplex ſaepe non oriatur actio! Depoſituro apud te veſtem mandaſti, ut apud libertum tuum deponeret; quis negat depoſiti actionem eſſe? ſed cur non ſit & mandati? *leg. 1. §. 14. D. depoſ.* Si Medicus ſervum imperite ſecuerit, Proculus ait, vel ex locato, vel ex l. Aquilia competere actionem, *l. 7. in fin. D. ad l. Aquil.* Qui tabulas, apud ſe depoſitas, delevit; quot actionibus ſubjicitur? *l. 42. eod. tit.* Nec mihi dicas, non concurrere nominatas actiones cum condictione! Nam ut nominatae plures invicem, ita & cum condictione concurrere poſſunt. *Exceptio jurisjurandi, non tantum ſi ea actione quis utatur, cujus nomine exegit jusjurandum, opponi debet; ſed etiam, ſi alia: ſi modo eadem quaeſtio in hoc judicium deducatur; forte ſi ob actionem mandati, negotiorum geſtorum, ſocietatis, caeteraque ſimilia, jusjurandum exactum ſit, deinde ex iis cauſis certum condicatur: quia per alteram actionem altera quoque conſumitur.* Ita Ulp. *l. In duobus 28. §. 4. D. de jurejur.* & rurſus idem in *l. de eadem re 5. D. de except. rei judic.* *De eadem re*, inquit, *agere videtur, & qui non eadem actione agat, qua ab initio agebat, ſed etiam ſi alia experiatur, de eadem tamen re: ut puta ſi quis mandati acturus cum ei adverſarius judicio ſiſtendi cauſa promiſiſſet, propter eandem rem agat negotiorum geſtorum, vel condicat &c.*

Vere itaque Cujacius dixit (ſi modo dixit) id eſt, dicere potuit in redemptorem ſive conductorem oneris vehendi utraque actione agi poſſe vel condictione, vel actione ex locato. Conſultiſſime vero docuit condictioni locum eſſe poſſe, ſi conductor, ſine dolo & culpa eſſet: quod Juriſconſultus in *d. l. Ex conducto 15. d. §. Item cum quidam 6.* innuere videtur, cum repetendi verbo non ſemel uſus eſt; quo verbo condictionem ob rem ſignificari etiam videmus paſſim in *Tit. de Condict. cauſa dat.* & condictionem indebiti, paſſim quoque *Tit. de Condict. indeb.* Et vero quare non eſſet condictioni locus, cum & fulloni ad repetendum pretium veſtimentorum, a ſe amiſſorum, quae poſtea dominus inveniſſet, non tantum ex conducto agere liceat (quod citra dubitationem eſt) ſed condictio etiam non denegetur, quaſi ſine cauſa pretium quod dediſſet, ſolviſſe videatur? *l. Si fullo 2. D. de condict. ſine cauſa.* Nam etſi negotium ineſſe videatur, cum datur, ut quid ſequatur; non tamen minus ex aequo & bono condictio eſt, *l. damus 52. in fin. l. In ſumma 65. §. 4. & l. pen. D. de Condict. indeb.*

Ait Merillius, Condictione indebiti ſi ageretur; vectura repeteretur; nec haberetur ratio ejus, quod nauta, oneris vehendi cauſa, in navem inſtruendam impendiſſet. Metus hic inanis! poſita enim doli exceptione, nauta quidquid impenderit, ſervare poterit.

Ecce quam fluxis & infirmis rationibus problema Cujacianum Merillius hic impugnavit! Dicet forte, An tu advena nove, melioribus potes? Minimo labore! Enimvero etſi non prorſus abnuam condictioni ſine cauſa in ſpecie *d. legis Ex conducto 15. d. §. Item cum quidam 6.* locum eſſe poſſe. Nego tamen in ea locum eſſe condictioni indebiti. At concurrunt ſaepe numero! Non ſemper, non neceſſario, denique numquam, ſi jus non ſinat: ſcilicet ubicunque per errorem quid datum eſt, concurrant licet! At ubi non interceſſit error, indebiti condictio non eſt. Ita idem Ulpianus eodem ipſo loco, id eſt, libro 32. ad Edictum, unde eſt *d. lex Ex conducto 15.* docet. *l. Sed addes 19. §. 6. D. Locati conducti.* Audiamus eum: *Si quis cum in annum habitationem conduxiſſet, penſionem totius anni dederit: deinde inſula poſt ſex menſes ruerit, vel incendio conſumpta ſit, penſionem reſidui temporis rectiſſime Mela ſcripſit ex conducto actione repetiturum, non quaſi indebitum condicturum: non enim per errorem dedit plus, ſed ut ſibi in cauſam conductionis proficeret &c.*

DISPUN-

DISPUNCTIO XXVIII.

An neceſſe ſit in permutatione dominium transferri; vel ſufficiat rem tradi, ut in venditione.

Sileamus tantiſper de Cujacio & de Merillio, dum quid rei ſit ex ſententia noſtra ediſſeramus. Certum eſt diſcretos eſſe contractus propria quadam differentia, & eſſe igitur unicuique ſuam naturam, cui ſi detrahatur adjectione ejus, quod ad alium pertineat, aliud negotium ſit, quam quod agi videbatur: ut ecce, ſi rem meam utendam tibi do gratuito, commodatum eſt: ſi non gratuito locatio conductio, §. *Item is cui* 2. *in fin. Inſtit. Quibus modis re contrab. oblig.* veſtimenta ſervanda balneatori dedi, ſi nullam mercedem accepit, depoſitum eſt; ſi accepit, locatio, *l.* 1. §. 8. *D. Depoſiti.* Pecuniam tibi commendavi, quid aliud eſt commendare, quam deponere? Depoſiti natura eſt, ut res commendata cuſtodiatur ſine mercede, reſtituaturque ipſa, non alia. Quod ſi convenerit, ut tu mihi tantundem redderes, egreditur ea res notiſſimos terminos depoſiti; tranſit igitur in mutuum, *l. Lucius* 24. *D. Depoſiti.* Idem de mandato & de ſocietate, *l. ſi tibi rem vendendam* 13. *D. de Praeſcr. verb.* Pleríque contractus cognationem & affinitatem multam habent, & tantam interdum ſimilitudinem, ut ſimiles pro iiſdem incautus accipiat, cum tamen nullum ſimile ſit idem: itaque diſcerni debent ſua quique natura, quae ipſa differentiam propriam conſtituit, vel potius ipſa differentia ſpeciem facit, quod Prophyrius ſignificat, cum ait differentiam eſſe priorem ſpecie, ἡ μὲν διαφορὰ προτέρα τ̃ κατ' αὐτὴν εἴδους.

Tanta vero eſt inter emptionem venditionem & permutationem ſimilitudo, ut dubitatum ſit, an unum idemque eſſent, an diverſa: & Sabiniani quidem emptum dicebant, quod eſſet permutatum. Nimirum emptio origine fuit permutatio, cum eſſet omne commercium in permutatione, dum quod aliis affatim erat & ſupererat, aliis deerat aut propter cupiditatem & libidinem expetebatur; ut de Tarteſſianis & Phoenicibus ſcribit Ariſtoteles libro *de mirabilib. Auſcult.* Phoenicum primos cum Tarteſſum navigaſſent, pro oleo aliaque nautica vili merce tantam argenti vim exportaſſe, ut armamenta navium pleraque & ipſas etiam anchoras argenteas facere cogerentur: Τοὺς πρώτους τ̃ Φοινίκων εἰς Ταρτησσὸν πλεύσαντας λέγεται τοσοῦτον ἀργύριον ἀντιφορτίσασθαι ἔλαιον καὶ ἄλλον ναυτικὸν ῥῶπον *&c.* vulgo legitur ῥύπον; ſed ῥῶπον melius. Nam Euſtathius *Iliad. N. fol.* 927. (Ubi docet unde ῥωπικὰ) ῥῶπον etiam definit: ῥῶπος, inquit, λεπτὸς καὶ εὐτελὴς φορτός. Inde ῥωποπώλης quem vernacule dicimus, *petit mercier:* ſordidae mercis negotiator, ut ait Quintil. *lib.* 1. *cap.* 12. Locum autem illum Ariſtotelis videtur reſpexiſſe M. Tullius *lib.* 3. *de Repub. Phoenices*, inquit, *primi mercaturis & mercibus ſuis avaritiam & magnificentiam & inexplebiles cupiditates omnium rerum exportaverunt in Graeciam.* Sed ex quo cuſus eſt numus, quo aequalitate quantitatis difficultati permutationum occurreretur, datio pecuniae pro merce appellata eſt emptio venditio, & coepit diſtingui emptor a venditore, qui in permutatione dignoſci non poterat: nec ultra merx utrumque fuit, ſed alterum pretium, alterum merx: denique placuit permutationem rerum non eſſe emptionem, *l.* 5. *D. de praeſcr. verb.* Adeoque apud omnes gentes obtinuit, ut ſine nummis non eſſet venditio, utque ſolo conſenſu emptio venditio perficeretur, ſuaſque ſingulares notas atque praeſtationes haberet; quae omnia Paulus ediſſerit, *l.* 1. *D. contrab. empt. & l.* 2. *D. de rerum perm.*

Exinde duo ſecuta ſunt. Primum eſt, ut emptio venditio vicerit utilitate ſua ac prope ſupplantaverit permutationem, rebus ita dictantibus, ut facilius ad vendendum quis invitetur, oblata ſibi pecunia, quam ad permutandum, oblata forte re aliqua, minime neceſſaria, *d. l.* 1. *D. de contrab. empt.* Alterum eſt, ut emptor omnimodo & neceſſario pro pretio rei emptae nummos ſuos non alienos venditori dare teneatur, hoc eſt, dominium transferre, non etiam venditor dominium rei venditae: quod tamen originis ratio aeque videbatur poſcere in venditore atque in emptore; cum permutationes olim, (ut etiamnum hodie) non niſi inter dominos, re utrinque data fierent. Sed ratio fecit, ut aliud in venditore; aliud in emptore ſervaretur. Qui pretium debet, rem certam, id eſt, certum corpus non debet, ſed quantitatem, quam undecunque corradere poteſt, *l. Quidam* 36. *D. de leg.* 1. vendat pecora, mancipia, margarita; diſtrahat ſupellectilem vel res ſoli, conficiet pecuniam: ita facile ei eſt ſuam pecuniam ſuoſque nummos dare, & utique igitur dare debet, ut venditor ſtatim, quae ſibi neceſſaria ſunt, comparet. At qui rem certam vendidit, certae rei debitor factus eſt, certique corporis, quod ſemel tantum eſt, nec functionem recipit in genere ſuo, ideoque tradendum eſt ipſum non aliud pro eo; tradendum, inquam, licet alienum, ut ideo excuſetur venditor, ſi dominium non transferat, quod non habet. Vix venditor ſervat pecuniam, ſed pretium rei venditae ſtatim erogat: emptor autem rem ſervat, vel ut tantiſper pluris vendat: ideoque viſum eſt, & omnium conſenſu receptum, ut emptor teneretur pretium dare venditori: ita loquuntur noſtri, ut *l.* 31. §. 8. *D. de Aedilitio Edicto.* Horat. *lib.* 2. *epiſt.* 2. *v.* 16.

Da nummos, excepta nihil te ſi fuga laedit.

Quod non eſt receptum in venditore, obſtante rei difficultate, ſed hoc tantum receptum, ut emptori rem traderet, praeſtaretque habere ei licere, ex quo uſu rem ſuam facere poſſet ex bona fide, utque idem venditor ſine dolo ſit, & evictionem praeſtet, *d. l.* 1. *D. de rerum perm. l. ex empto* 11. §. 1. *D. de act. empti.* & aliis vulgatiſſ. locis.

At permutatio manſit in ſua natura: ſoli olim domini res ſuas permutabant. Erat permutatio rerum propriarum, non alienarum; eſt & hodie ejuſmodi: vendendi & emendi neceſſitas maxima eſt; permutandi non tanta vel forte nulla. Itaque ut res aliena vendatur recipi poteſt, ut permutetur, non item. Et ut diſputationem hanc ad noſtros tandem deducam: aperte Paulus Pedium dixiſſe refert, *alienam rem dantem nullam contrahere permutationem*, *d. l.* 1. §. 3. *D. de rerum perm.* Quid eſt *permutare?* Nihil aliud certe, quam hoc agere, ut res noſtrae dominio mutentur; ut mea tua, & tua retro mea *fiat:* quod probatur facile hoc modo: In tractu totius ob rem dati, qui his articulis continetur, Do ut des, Do ut facias, Facio ut des, Facio ut facias, certum eſt Dare ſignificare dominium transferre, *l. ult. D. de condict. cauſa data. l. Naturalis* 5. *D. de Praeſcr. verb.* ut in aliis ſpeciebus (puta ſtipulatione dandi, *l. ſi ita* 25. *D. de contrab. empt.*) & in formula condictionis (ſi paret adverſarium dare oportere) §. *ſic itaque diſcretis* 14. *Inſt. de Act.* ubi Theophilus δοῦναι γάρ ἐστι τὸ ποιῆσαι δεσπότην: & cum dicimus emptorem dare pretium debere, *d. l.* 31. §. 8. *D. de Aedil. Edict.* Atqui permutatio, ut notum eſt, pertinet ad tractatum ob rem dati, nimirum ad primum articulum, Do ut des, *d. l.* 5. §. 1. *D. praeſcr. verb.* Ergo in permutatione transfertur dominium.

Hoc confirmari poteſt *l. ſcribit* 34. *in pr. verſic. Quod ſi aurum. D. de Auro.* ubi talis ſpecies habetur: Aurum ſuum omne teſtator legavit uxori, id eſt, aurum, quod ejuſdem teſtatoris eſſet mortis tempore,

re. Idem teſtator aurifici aurum dederat, ut vaſculum ſibi faceret, non quidem ex eodem auro, ſed ex alia auri maſſa, quae penes ipſum aurifabrum erat: mortuo teſtatore quaeſitum eſt, an illud aurum, quod teſtator aurifici dederat, cederet legato mulieris. Pomponius demonſtrat, non cedere hac ratione, quia id aurum non eſſet teſtatoris, cum moreretur: jam factum artificis genere quodam permutationis, *quippe*, inquit, *quasi permutationem feciſſe videtur*. Quod eo proculdubio dictum eſt, quod certum ſit permutatione dominium transferri.

Merillius autem in contraria eſt opinione: & contra expreſſa Pedii verba ſcribit, cum hic nunc, tum olim in *ſuis Obſervationibus* rei alienae permutationem eſſe. In permutatione, inquit, neuter tenetur rem facere accipientis; quia utrumque eſt merx, uterque venditor eſſe intelligitur. Rurſus ille, In permutatione ſufficit rem tradi; res tradita initium obligationi praebet. Ad authoritatem Pedii ſi aves ſcire quid reſpondeat, verba ejus ſunt: *Licet rei alienae permutatio non contrahatur, non tamen ſequitur, dominium transferri debere; ſufficit in permutatione rem propriam dari domino in bonis vel poſſeſſionis, licet propria non ſit domino Juris Civilis: ſatis eſt ad contrahendam permutationem, ſi res quomodo propria detur, dummodo non detur aliena. Bonae fidei poſſeſſor permutationem contrahit, quia rem ſuam dat.* Ad *l. ſcribit* 34. *D. de auro.* reſpondet, ut in venditione dominium transfertur, ſi venditor ſit dominus, ita in permutatione.

Deus bone! quantas nugas, quanto molimine? Cum Pedius dixit, *alienam rem dantem nullam contrahere permutationem*, alienum intellexit, quae non eſſet in dominio dantis, quod eſt juris gentium vel juris Quiritium: duplex hoc genus dominii in uſu juris ſolum attenditur, ut cum dicimus rei vindicationem competere domino, *l. in rem* 23. *D. de rei vindic.* bonae fidei poſſeſſor perpetuo ſeparatur a domino, *d. tit. de Rei vind. toto tit. de publiciana. toto tit. de uſurp. & uſucap.* & paſſim: ut quid cavillamur? Qui rem alienam emit, alius eſt a domino, *l. ult. D. de precario.* Quae alicujus res eſt, alterius non eſt, *l. ſi inter me* 15. *D. de except. rei judicatae.* Ubinam ſcriptum, aut uſquam relatum bonae fidei poſſeſſorem dici, rem ſuam tradere, quae ipſa aliena ſit, aut eandem ipſam alienam non eſſe: *Si dominium in fundo quis habuit, id tradendo transfert, ſi non habuit, nihil transfert*, inquit Ulpianus, *l. Traditio* 20. *in pr. D. de Acquir. rer. dom.* Et Modeſtinus *l.* 52. *eod. tit. Rem in bonis noſtris habere intelligimur, quoties poſſidentes exceptionem, aut amittentes ad recuperandam eam, actionem habemus.*

Finge; Titius rem ſuam, id eſt, jure gentium vel civili ſuam effectam Sejo permutationis cauſa dedit. Sejus econtra, rem a ſe bona fide emptam Titio tradidit vel etiam non tradidit, cum de ea tradenda conveniſſet. An eſt contracta permutatio? Utique contracta eſt. Ratio eſt, quia coepit permutatio a datione, *l.* 1. *D. de rerum permutat.* An poterit Titius agere praeſcriptis verbis ad id, quod intereſt rem a Sejo datam non eſſe? Et utique agere poterit, *l.* 4. *Cod. de rerum permut. & l. antepen. Cod. de Evict.* Quid igitur, ſi Titius rem non ſuam Sejo tradiderit? an agere contra Sejum poterit? Et ſequitur a contrario & ſecundum Pedii ſententiam, non poſſe: quia quae incipere poterat obligatio ſive permutationis contractus a datione, non coepit; quod omnino neceſſarium fuit. Quod autem Merillius adfert ad argumentum deductum ex *d. l. Scribit* 34. Leviſſima eſt conjectura: quaſi Pomponius non potius de jure reſponderit, quam de facto, ut illa verba *permutationem feciſſe videri deſanctum* omnino jus contineant, ut haec, *quaſi ſocietatis jure*, in *l.* 25. *§.* 6. *D. locati*, naturam ſocietatis deſignant.

Negotium forte Merillio faceſſit, quod ait *d. l.* 1. *D. de Rerum permut. In permutatione, ſi utrumque quod traditur pretium eſt, utriusque rem fieri oportere; ſi merx, neutrius.* Poſſit enim ita argumentari. Non utrumque quidem pretium; ſed utrumque in permutatione merx eſt. Ergo, in permutatione, translatio dominii neceſſaria non eſt. Verum quis non intelligit, quod ſuperius dictum eſt, eo dictum eſſe, ut doceatur permutationem non eſſe venditionem, & illud dictum, ſpectato eo, quod in venditione eſt, non ſpectato eo, quod in permutatione ſit?

Rurſus dicat Merillius! Re aliena tradita, ſaltem eſt actio, ut res reddatur, ſi alius ex ſua parte non det, quod dare eum convenit. Reſpondeo eſſe condictionem: non praeſcriptis verbis actionem, quaſi ex permutatione. Ex bono & aequo repetitio datur, *d. l.* 1. *D. de Rerum perm. l.* 5. *§.* 1. *D. de praeſcript. verb. l. In ſumma* 64. *§. quod ob rem* 4. *D. de condict. indeb.*

Jam quod ad Cujacium attinet: ſi momentum aliquod contra eum facit, quod ex ejus Poſthumis operibus profertur, videri poſſit id pene ſenſiſſe aliquando, quod hodie Merillius; permutationem ſcilicet non deſiderare dominii tranſlationem. Nam in eo Pedii dicto, *alienam rem dantem nullam contrahere permutationem*, adlaboraſſe quidem videtur, lib. 33. ad Edictum Pauli, in explicanda *l.* 1. *D. de rerum perm.* Sed non tam colluctatio, quam certaminis finis intuendus eſt. Porro ita concludit: *Proinde ſic ſtatuamus, re aliena ab alterutro data, claudicare permutationem ex parte ejus, qui dedit rem alienam.* Quod alieniſſimum eſt a ſententia Merilliana. Nec aliud idem Cujacius *lib.* 23. *Obſerv. cap.* 28. ubi ita habet: *Proinde re aliena ab alterutro data, claudicat permutatio; quod ſaepe evenit & in aliis negotiis. Et cum unus rem ſuam dedit & fecit accipientis, ſi alter ei quoque vicisſim rem ſuam nolit dare, tum ſane liberum eſt ei, qui rem ſuam dare occupavit, vel agere praeſcriptis verbis, quaſi ex permutatione quanti intereſt.* Quae ſi integra Merillius retuliſſet cauſam ſuam proditiſſent. Nunc credam Attico teſti.

DISPUNCTIO XXIX.

Praeſcriptis verbis actio unde dicta.

PRofecto Cujacius, in notanda originatione actionis praeſcriptis verbis, non variavit: & ei ſolum poteſt variaſſe videri, qui nec ſequitur eum, nec aſſequitur. Ille ergo ad *§.* 1. *Inſtit. de location. Praeſcriptis*, inquit, *verbis dicitur quod detur ex praeſcripto conventionum, vel proinde uti convenerit, ſi conventio ſcripta non ſit*, *l.* 1. *§. Si quis ſervum* 9. *D. depoſiti. l. Si dominus* 8. *D. de Praeſcr. verb. Eſt igitur praeſcriptis verbis τῶν προγεγραμμένων συμφώνων actio. Sic enim ab Conſtantino nuncupata eſt lib.* 11. *Epitom. tit.* 13. Haec ille ibi. Sed forte obſcurum hoc eſt: hoc enim eſt dicere ſecundum quod conventione praeſcriptum eſt vel narrata conventione, narrato facto, ut idem alibi, *tract.* 1. *ad Africanum*, ſive ad *l.* 24. *D. de Praeſcript. verb.* narrata conventione, ſcilicet ut ea conventione praeſcriptum quid eſt: quod Gallice dicimus; *Il fault expoſer le fait & les propres termes du marché, ou de la convention:* quia praeſcriptis verbis actio ex conventionibus datur. Si non igitur praeſcribuntur conventionum verba, nec conſequenter appellabitur praeſcriptis verbis, ſed in factum ſimpliciter.

Videamus, an aliud Cujacius voluerit ad *l.* 7. *D. de Pactis.* quam ei objicit Merillius! Ibi improbat Cujacius expoſitionem eorum, qui ſimpliciter praeſcriptis verbis actionem appellatam volunt, quod ejus actionis verba rei geſtae explicationem contineant. *Hac enim*, inquit, *ratione in factum civilis accommodata legi Aquiliae, imo omnes in factum actiones praeſcriptis verbis appellabuntur; quod admittendum non eſt.*

eſt. Sed, objicit Merillius, *aliter in recitationibus ad titulum de praeſcriptis verb.* Mox haec profert quaſi ex Cujacio: *Et notandum, hanc ideo vocari praeſcriptis verbis, quod rei geſtae narrationem contineat. Dicitur etiam in factum, quaſi in factum compoſita.* Nae ſi ego tale facinus; audiam libenter,

Vappa lippus, & in tenui farragine mendax!

Enimvero reddenda eſt negatio, unde detracta eſt illo loco; ubi legitur ex typis Lutetianis: *Et notandum hanc ideo non vocari praeſcriptis verbis, quod rei geſtae narrationem contineat.* Et legendum omnino ita, praecedentia volunt. *Dicitur* (ait Cujacius) *praeſcriptis verbis, quia datur ex praeſcripto contrahentium; caeterae actiones dantur a Praetore conceptis verbis: quod ſi ſcripto caret contractus, datur actio ex rudi & ſimplici eorum, qui contraxerunt conventione.* Et iterum addit, *Haec enim actio non datur niſi ex contractu.*

Si dolo vacuus Accuſator eſt! non ſane culpa. Lapſus eſt forte, quod videret ſcriptum a Magiſtro, non vocari hanc actionem praeſcriptis verbis, quod rei geſtae narrationem contineret. Sed quis in jure ſapit, nec intelligit hoc exaudiendum eſſe, ut non ſimpliciter ex rei geſtae narratione appelletur praeſcriptis verbis, ſed propter verba conventionis? Denique ut rem teneamus, praeſcriptis verbis actio eſt, qui ſecundum verba conventionis datur, & nunquam non ex conventione; cum in factum actio detur, etiam ubi conventio nulla.

DISPUNCTIO XXX.

Actio in factum utilis ex l. Aquilia; an civilis, an Praetoria ſit.

ACtionum inſtituendarum diligens obſervatio apud Romanos fuit ſemper, ut inepta actione & negotio, quod proponeretur, minus congrua ageretur fruſtra: qui mos ab antiquis Pontificibus duravit per varia Reipub. tempora, nec deſtitit ſub Imperatoribus Theodoſio & Valentiniano, formulis agendi etiam ſublatis, *l. 2. Cod. de formulis.* Placuit, hoc & Chriſtianis Pontificibus, *cap. Examinata 15. extra de Judiciis:* nec Gallicis, ut ſat ſcio, Tribunalibus diſplicuit. Cauſa vero tam religioſi delectus non alia fuit, quam veritatis explicandae ſtudium: cujus in judiciis potiſſimam rationem eſſe debere intelligebant. Qua de cauſa & juriſjurandi formulas ut liquido & ex animi ſententia juraretur, accommodari praecipiebant, *l. 8. §. jubetur 4. D. qui ſatisdare coguntur;* ut curioſius ſacramentum praeſtarent, ut ait *lex ult. Cod. de fide inſtrument.* & cautiones etiam certis verbis concipi, ne promiſſores deciperentur, ut *l. Cum res 47. §. 2. in fin. D. de legat. 1.*

Eo referendus uſus actionum, quas in factum appellavere. Nam cum plerique, nec tamen omnes contractus certam habeant naturam, qua hominum negotia & geſta concluduntur, & leges quoque certos caſus habeant, quibus delicta cenſentur & aeſtimantur; nec tamen omnes caſus comprehendunt: ut certis contractibus, ita & certis delictis & actionibus, quae ex iis competunt, certa nomina dederunt; ex quibus ſatis intelligeretur, quid rei eſſet: incertis vero & negotiis & factis ſive admiſſis, generalem actionem, & eidem actioni generalem appellationem impoſuerunt (in factum ſcilicet) in qua proponenda factum omni ex parte narraretur, adeo ut, ſi factum conventione aliqua, ſive ſcripta ſive non ſcripta, contineretur, verba conventionis proponerentur, unde praeſcriptis verbis in factum actio (de qua *ſuperiore capite*) ſin res & factum ad conventionem non pertineret, aut in certam delicti ſpeciem non caderet, in factum actio conciperetur. Et quod ad delicta attinet, ne res exemplis careat, quatuor haec privata delicta, furtum, rapina; damnum, & injuria, legibus vindicantur certa civili actione ad ſingula comparata, uno quoque eorum certa definitione concluſo, ut certa ex cauſa certoque facto intelligatur factum furtum; damnum &c. et ita certa ſi actio ex omnibus; extra illam cauſam, non ſit. Lex certa eſt ex certis atque expreſſis verbis: & certa inde actio in certo caſu competit, certiſque perſonis & contra certas perſonas datur. Quis ſur dicatur & quid ſit furtum, furti definitio palam facit: fac furem inter furandum ſregiſſe aut rupiſſe quid, quod non furandi cauſa contrectaverit, eritne furti actio? non erit, *l. Si quid fur 22. D. de furtis.* erit ex l. Aquilia, *l. 27. §. 5. D. ad l. Aquil.* Qui pecua fugavit dolo malo, ut a ſociis interciperetur, furti tenetur; ſi ſine dolo & per laſciviam id fecit, & pecus inciderit in fures, non tenebitur furti, ſed in factum actio in eum danda erit, *l. In furti 50. §. ult. D. de furt.* Lege Aquilia tenetur, qui ſervum vel pecus alienum occidit: occidere quidem dicitur vulgo, qui cauſam mortis quolibet modo praebet; ſed, in l. Aquilia, occidere dicitur, qui adhibita vi & manu ſua occidit, a caedendo deducta appellatione, *l. Ita vulneratus 51. D. ad l. Aquil.* Itaque occidere proprie eſt corpore ſuo corpus vita privare: & l. Aquilia proprie tenetur, qui corpore ſuo vivum corpus peremit aut alias corpore ſuo alieno corpori nocuit. Quid igitur, ſi non corpore ſuo, ſed aliter? puta ſi incluſum pecus fame mori coegit, aut ita fugavit, ut praecipitaretur: an tenetur ipſa l. Aquilia? verba enim legis Aquiliae ad hunc caſum non pertinent. At ſaltem hic caſus a ſententia leg. Aquiliae non abhorret: paulum enim abeſt, quin corpore ſuo nocuerit, qui corpori alieno facto ſuo nocuerit, qui cauſam mortis praebuerit, *l. 7. §. Cujus 6. & l. Item ſi obſtetrix 9. D. eod. tit.* Ita eſt, proindeque etſi directa & propria hoc caſu actio non competat, utilis tamen, ex ſententia Legis & quaſi ex l. Aquilia dabitur, *§. ult. Inſt. de l. Aquil. l. Nam & praecipuata 51. D. de furt.* ad exemplum Legis Aquiliae, quia ſimilis caſus eſt, *l. Boves 53. D. ad l. Aquil.* Et utilis haec actio in factum eſt: nam cum directa non ſit, id eſt, proprio caſu Legis non competat, actorem oportet enarrare, quo modo quave ratione adverſarius damnum dederit; & haec actio in factum utilis appellatur, ſeu in factum accommodata Legi Aquiliae, *l. Quia 11. D. de praeſcr. verb.* In hac utili actione perinde atque in directa, nocitum eſt corpori alieno; ſed diverſo modo. Datur tertius caſus in explicatione Legis Aquiliae, quo licet nec corpore: nec corpori alieno nocitum ſit, eſt tamen actio propter damnum, quod ex facto alicujus contigerit; puta ſi miſericordiae cauſa ſervum meum vinctum quis ſolverit, qui fugam mox arripuerit: hoc factum neque furtum eſt, *l. 7. §. 7. D. de dolo.* neque ſimile eſt ſuperioribus duobus caſibus, ad Legem Aquiliam vel ejus ſententiam pertinentibus. Reſtat igitur, ut ipſius facti ratione ad eam actionem veniatur, quae dolo proxima eſt, quae dicitur in factum, praetoria ſcilicet, proxima actioni de dolo, *§. ult. Inſt. de l. Aquil.* cujuſmodi dari ſolet a Praetore in ſubſidium, *l. 7. §. 2. D. de Pactis.*

His ita conſtitutis, quaeritur an utilis illa in factum actio, quae ſecundo caſu datur, civilis ſit, an Praetoria? Merillius Praetoriam dicit: Cujacius ubique docuit eſſe civilem; & adeo infirmum & male fidum accuſationis ſuae nactus eſt adverſarium, ut titubet in proponenda delatione: *Cujacius*, inquit, *in notis prioribus, civilem dici debere exiſtimat. Idem tamen ad Titulum de pactis l. 7. in pr. ait principiam legis Qui ſervandarum 14. D. de praeſcr. verbis, accipiendum de actione in factum Praetoria. Et quidem ſi intelligit actionem in factum utilem, quae datur exemplo legis Aquiliae, eam Praetoriam eſſe exiſtimat.* Quae iſtaec accuſatio: *Si Cujacius intelligit?* Quid

ſi non intelligit? Ergo nulla variatio. Si hominem Titius occidit, reus eſt Titius legis Corneliae de Sicariis; ſi non occidit, tutus eſt eo judicio.

Sed ad quaeſtionem veniamus, *An in factum utilis actio ex l. Aquilia civilis ſit, an Praetoria?* Probo civilem eſſe. Utilis in factum actio accommodata legi Aquiliae vel alii legi diſtinguitur ab actione in factum Praetoria. Ergo Praetoria non eſt. Probatur antecedens ex ordine actionum omnium, qui talis eſſe noſcitur, ut primum locum obtineant civiles nominatae; ſecundum locum civiles innominatae, quae in factum civiles dicuntur (quarum aliae praeſcriptis verbis ſunt, ſcilicet quae ex conventionibus dantur; aliae ſimpliciter in factum appellantur non etiam praeſcriptis verbis, ut *ſuperiore capite* ex Magiſtro dictum eſt) tertium Praetoriae directae & utiles ex Praetorum Edictis comparatae, id eſt, tam ex verbis, quam ex eorum ſententia; quartum actio de dolo; quintum denique in factum Praetoria generalis ex decreto, ſecundum ea, quae magiſter docuit ad *l. 7. D. de Pactis*, & ad *Tit. de Praeſcriptis verbis in fine primae praelectionis.* Ex hac ſerie & ordine, quem nemo Juriſconſultus improbare poteſt, apparet utilem in factum actionem diſtingui a Praetoria. Neque hoc poteſt telum Merillius effugere, qui cum hic, tum in *Obſervationibus ſuis lib. 3. cap. 26.* duas in factum actiones reponat in tertio ordine actionum in factum (quarum quinque ſpecies conſtituit) utilem illam in ſecundo ordine locat, nec appellat Praetoriam: credo non alia ratione, quam quod ſciat nullibi in jure Praetoriam vocari. Et ita cum novam diſciplinam introducit, propria confunditur ratiocinatione.

Dicat forte Merillius ſe diſtinxiſſe, non ideo, quia altera ſit Praetoria, altera civilis; ſed quia utilis accommodatur Legi, ex mente & ſententia Legis. In factum vero Praetoria decernitur ex aequitate & cauſa cognita. Atquin hoc ipſum evincit utilem illam civilem eſſe: nam, vel teſte Merillio, actiones tum civiles, tum Praetoriae, ita diſtinguuntur ex origine §. *ſed iſtae quidem* 3. *Inſt. de actionib.* At quae datur ex mente & ſententia Legis, vere originem ex lege habet. Ergo civilis dici debet. *Verbum [ex Legibus] ſic accipiendum, tam ex Legum ſententia, quam ex verbis, l. Nominis 6. D. de verb. ſignif.* Sextus Caecilius, (qui fuit & ſcientia, & uſu & autoritate illuſtri) Phavorino Philoſopho dicebat apposite, ſententiam Legum verbis & moribus comprehenſam eſſe, Gell. *lib. 20. cap. 1.* id eſt, contineri verbis & ipſo uſu, qui optimus eſt interpres. Porro & illa optima interpretatio eſt, quae non minus ex mente ducitur, quam ex verbis, *l. 7. §. 8. D. de Pact.* Tryphoninus in *l. ult. D. Qui petant tutores. Credendum eſt eam matrem conſtitutione contineri, quae a patre non legitime tutores datos, non poſtulavit decreto confirmari.* Nemo dicet ex Senatusconſulto Trebelliano non eſſe actionem, etſi verba fideicommiſſi deſint, ſi modo mens & ſententia fideicommiſſum inducat, *l. Ubi parte 19. §. Te rogo 1. D. Ad Senatuſc. Trebell.* Certum eſt patronorum tutelam & dici & eſſe legitimam, *l. 1. D. de Legitimis tut.* & tamen non ex verbis, ſed ex ſententia tantum Legis inducta eſt, *l. 3. illo tit. de Legitim. tut. & tit. Inſtit. patron. tut.*

Cum Praetor utiles actiones legibus aut teſtantium voluntatibus accommodat, vim & poteſtatem juris civilis exerit, & hac maxime cauſa viva vox juris civilis dicitur jus honorarium, ut & ob alias cauſas, in quibus ſupplet & interpretatur jus civile, *l. 7. l. 8. D. de Juſt. & jure.* ſecundum quod Praetor & Legis & teſtatoris voluntatem ſubſequitur, utiles actiones dando, ut *l. Pater 20. §. Si mortuo patre 1. D. de Captivis.* Praetor ſupplet actiones vel ex ſententia vel praeter ſententiam: ſi ex ſententia, non tam inducit, quam ut ita dicam educit atque exprimit, ut is, qui excutit grana, quae ſpica continentur, ſpeciem non facit novam, ſed eam, quae erat, detegit; ita cum utilem Praetor decernit actionem, eam actionem, quae quodam modo erat & continebatur lege vel conſtitutione vel ſtipulatione, accommodat, deficiente directo judicio, *l. 22. D. de conſtit. pec. l. 49. D. fam. herciſc. & l. 2. D. de Praeſcr. verb.* cujus mox contextum ſubjiciam: ſed praeter legem quaſdam actiones ex ſua Juriſdictione comparatas Praetor habet, §. *Sed iſtae 3. Inſt. de Action.* Alias non ſufficeret actionum numerus, *d. l. 11. D. de Praeſcript. verb.* *Cujus legis initium* (ſuggerente magno Magiſtro) de actione in factum Praetoria intelligendum eſt: reliqua, de actione in factum civili. *Lex ait: Quia actionum non plenus numerus eſſet, ideo plerumque actiones in factum deſiderantur. Sed & eas actiones, quae legibus proditae ſunt, ſupplet Praetor in eo, quod legi deeſt: quod facit in l. Aquilia reddendo actiones in factum accommodatas legi Aquiliae: idque utilitas illius Legis exigit.*

Dicimus *hujus Legis initium* eſſe de actione in factum Praetoria, quam ſubſidiariam aeque & dolo proximam affirmamus. An idem dicendum *d. l. 14. eod. tit.* ubi, *Qui ſervandarum mercium ſuarum cauſa alienas in mare ſine dolo projecit, in factum actione teneri dicitur?* Si Merillio credimus non eſt idem dicendum. *Videtur*, inquit, *intelligendam eſſe actionem in factum, quae datur exemplo legis Aquiliae.* At ſecundum praeſtantiſſimum magiſtrum, in factum Praetoria intelligenda. *In propoſita*, inquit, *ſpecie, erit in factum Praetoria, vel ſi dolo fecerit aut data opera ut alium fraudaret, tenebitur de dolo. Nam hae duae actiones concurrunt ſemper: in ſcientem datur de dolo; in ignorantem in factum Praetoria.* Haec tenenda obſervatio, concurrere has actiones, quia ut plurimum actioni de dolo ſuccedit & ſubſidio eſt illa Praetoria in factum, *l. 2. D. de dolo.*

Praeſenſit Merillius ſibi adverſari exemplum actionis praeſcriptis verbis, quae, ab origine & exemplo, in factum civilis appellatur: ſcilicet originem habet ex Jure Civili, ex interpretatione Prudentum, qui cenſuerunt exemplo directarum actionum, quae ex certis & nominatis contractibus competunt, utiles dandas eſſe ex contractibus innominatis, qui affinitatem haberent & ſimilitudinem cum nominatis. Exemplum tale eſt, ut praeſcriptis verbis actio, quae exemplo directae actionis recepta eſt, dicitur in factum civilis; ita in factum utilis, quae datur exemplo directae legis Aquiliae civilis dici debet. Huic exemplo, non ratione, non authoritate aliqua certa, obviam ire, ſed ſola negatione ſatis eſſe putavit Merillius *hic* & *d. lib. 6. Obſerv. cap. 7.* *Non dicitur*, inquit, *ea actio civilis, quod comparata ſit ad inſtar directae actionis civilis; ſed quod originem habeat ex jure civili.* Mihi utique ac caeteris abunde eſt opponere magni Cujacii auctoritatem. Sic ille ad *l. 7. D. de Pactis. In factum civilis accommodata Legi Aquiliae &c.* Et infra: *Civilis autem dicitur, non quod lege nominatim prodita ſit, ſed quia ad exemplum civilium actionum comparata eſt, ut actio praeſcriptis verbis, &c.* Sed & hoc amplius dico originem, fatente Merillio, ex jure civili habent; ergo civiles cenſendae ſunt. Merillius ait, utilis actio in factum, quam Praetor ſupplet ex ſententia legis Aquiliae, eſt ex lege Aquilia vel quaſi ex lege Aquilia & tamen eſt Praetoria, non civilis. Mira doctrina! quae epicoeni generis actionem invenit, cui attributa duplici origine, tandem certiorem adimit: quod portentum iſtuc! *ex lege eſt, eſt tamen Praetoria, non civilis.* Addit Merillius: *Licet Praetor aliquid faciat ex ſententia legis; non tamen id Juris civilis eſt, ut patet in bonorum poſſeſſione, quae dicitur, Ex legibus.* Eſt incommoda actionum & bonorum poſſeſſionum comparatio. Bonorum poſſeſſiones Praetor ex ſua juriſdictione introduxit *princip. tituli Inſt.*

de

Digitized by Google

de Bon. poſſ. Sunt hae imperii & juriſdictionis, *l. 3. D. de juriſd.* quamvis quaedam dicantur & videantur quodammodo originem ducere ex jure civili; argumento *l. 1. D. unde cognati.* Et cum ex Legibus ac Senatusconſultis dantur, non minus ſucceſſiones honorariae ſunt. Cum enim novis legibus hereditates ſimul & bonorum poſſeſſiones deferuntur, vere ac proprie hereditates deferuntur legibus: bonorum vero poſſeſſiones non proprie iisdem legibus deferuntur, ſed ex Edicto competere demonſtrantur, ut jure honorario bonorum poſſeſſio detur; veluti ea parte Edicti, *Tum cui ex legibus.* Denique juſſum eſt ex legibus; forma & juriſdictio eſt ex Edicto, *l. Generaliter 3. D. unde legitimi.* quomodo dicitur in *l. 3. §. ult. D. Ne vis fiat ei, qui in poſſeſſionem &c.* Praetorem polliceri poſſeſſionem matri, de cujus ſtatu dubitatur, *ex Epiſtola divi Adriani, ad exemplum praeſumptionis Carboniani Edicti.* Non eſt idem in actionibus: nam aliae civiles ſunt, aliae Praetoriae, tum origine, tum auctoritate, *l. Actionum autem 25. §. ult. D. de oblig. & act.* Non omne, quod Praetor facit, permittit, aut exequitur, Praetorium dicendum eſt: alias quod eſt judiciale, pignus Praetorium dici deberet, quod cum in cauſam judicati capiatur, capitur, exequente Praetore ſententiam, a judice a ſe dato dictam, *l. 15. in pr. & §. 2. in fin. D. de Re jud.*

Iterum Merillius: utilis, inquit, actio arbitraria de eo, quod certo loco dari oportet, venit ex ſtipulatione, & tamen civilis non eſt, ſed Praetoria. Unde hoc probas Merilli? Ex §. *Si quis agens 33. Inſt. de actionib.* Fruſtra fuerit diligens, qui probationem ex eo quaerat! nam quod ibi habetur, *Si quis tamen Epheſi petit, id eſt, eo loco petat, quo ut ſibi detur ſtipulatus eſt, pura actione recte agit, idque etiam Praetor monſtrat,* non pertinet ad notandam originem actionis illius arbitrariae, ſed ad ſollicitudinem Praetoris indicandam in obſervatione ſingulari circa eandem actionem; ſcilicet ut; omiſſa ea actione, ex ſtipulatione poſſit agi pura intentione in loco, quo dari creditor ſtipulatus ſit. Quid? An ubicunque aliquid monſtrat Praetor circa aliquam actionem, continuo dicet Merillius, eam actionem eſſe praetoriam? Dicat igitur commodati actionem eſſe praetoriam, arg. *l. 1. D. Commodati!* Imo dicat omnes actiones praetorias eſſe! Nam ut eſt in *l. 1. D. rebus creditis: Multa ad contractus varios pertinentia ſub hoc titulo Praetor inſeruit,* & paulo poſt: *Ideo ſub hoc titulo Praetor & de commodato & de pignore edixit.* Iterum dicat Merillius:

—— Quaerimur non apparere labores
Noſtros, & tenui diducta poëmata filo.

DISPUNCTIO XXXI.

An ſpecies *legis, Si ſervus 21. D. de Evictionibus,* referenda ſit ad actionem ex empto, vel ad actionem ex ſtipulatione duplae.

Textus *d. l. 21. in pr.* hic eſt: *Si ſervus venditus deceſſerit, antequam evincatur, ſtipulatio non committitur, quia nemo evincat, ſed fatum humanae ſortis: de dolo tamen poterit agi, ſi dolus interceſſerit.*

Quaeſtionis eſt, an haec verba *de dolo tamen poterit agi, ſi dolus interceſſerit*, ad actionem ex empto, qua dolus vindicatur (qui omnibus bonae fidei judiciis vindicatur) referenda ſint, an ad ſtipulationem duplae ea parte, qua doli clauſulam continet: quaſi haec verba exceptionem ejus, quod ſimplicius dictum eſt, contineant.

Videri poſſit minus male nullibi, quam hic collimaſſe Merillium. Quis enim non dicat, variaſſe Cujacium, qui *lib. 3. Obſervationum cap. 37.* laudat Accurſium, quod ea verba retulerit ad actionem ex empto, hisce verbis, *Non male interpres refert ad actionem ex empto nomine doli.* Idem vero *tract. 6. ad Africanum ad l. 24. D. de Evict.* eadem verba referat ad doli clauſulam, quae pars eſt ſtipulationis duplae?

Dicam tamen neque hoc loco variaſſe Cujacium: non recte committere Merillium duos hosce Cujacii locos. Nam quod ad primum attinet: velim bona fide hoc mihi concedi, Cujacium ibi non interpretari *l. Si ſervus 21.* ſed hoc agere tantum, ut doceat fugitivam eſſe, *l. 1. Cod. de dolo.* quae non ſit accipienda de doli actione praetoria, ſed de actione mandati, cui ut in caeteris bonae fidei judiciis, de dolo actio ineſt, & in qua de fide rupta agitur; hoc autem ſciviſſe & praeſenſiſſe Joannem Azonem & Accurſium cum agnoſcit & eo nomine eos collaudat, laudat & interpretem *d. l. Si ſervus 21.* qui hoc ipſum cum intelligeret, non male haec verba [*de dolo*] retulerit ad actionem ex empto nomine doli. Laudat, inquam, in eo, quod animadverterit actionem de dolo ineſſe judicio empti.

Jam *ad Africanum!* quid Cujacius habet, ut videatur de ſententia *dictae legis, Si ſervus 21.* ſenſiſſe & ſtatuiſſe? *Stipulationi de evictione,* inquit, *adjicitur doli clauſula, & haec forte intelligitur, l. Si ſervus 21. in pr. D. de Eviction.* quid hoc eſt, *forte?* vel eſt dubitantis (non eſt ſane definientis) vel eſt ſubindicantis, aliquo caſu referri poſſe praedicta verba ad ſtipulationem duplae. Quod ipſum ſi fieri poſſe demonſtravero, & honori praeſtantiſſimi omnium Anteceſſorum magiſtri, & ipſi veritati nonnihil conſultum putabo.

Magni refert ſane diſtinguere actiones ab actionibus, & in cauſa emptionis venditionis ipſam actionem empti ab actione ex ſtipulatu de evictione: quod niſi faciamus, futurum ſit ut juris artem & diſciplinam conturbemus. Hoc patet in èvictione partus & acceſſionum, de quibus perperam agitur ex ſtipulatione duplae: recte omnino, actione ex empto, *l. 8. & l. 48. hoc tit. de Evict.* Patet & in rem aeſtimatione, diverſis temporibus in his actionibus facienda; ut in actione ex empto fiat ex tempore evictionis. In ea minuitur aeſtimatio, ſi res deterior eſt, cum evincitur, *l. idque 45. D. de act. empti.* In actione ex ſtipulatione duplae, ſpectatur tempus venditionis, *l. Ex mille 64. hoc tit de Evict.* An diſtinguendae etiam hae actiones ſunt in ſpecie *d. legis Si ſervus 21. eod. tit.* ſive dolus non interceſſit ex parte venditoris; veluti ſi imprudens rem alienam mihi vendidit & tradidit: vel ſi econtra ſciens prudens vendidit? Finge; Titius ſervum alienum ſciens dolo malo inſcio mihi vendidit & tradidit, cavitque de evictione interpoſita ſtipulatione, mihi rem habere licere & heredi meo neque evictum iri, aut duplum rite praeſtari, dolumque malum abeſſe abfuturumque eſſe: non eſt mihi evictus Stichus, ſed fato ſuo periit: qua actione agam? Merillius putat ex empto actione me agere debere: & ita haec verba *d. legis 21. D. de Evict. de dolo tamen poterit agi* refert ad actionem ex empto. Contra puto: nam hodie mea non intereſt ſervum, qui mortuus eſt, fuiſſe vel non fuiſſe venditoris; bonae fidei autem actioni locus non eſt, niſi actoris intereſt, *l. 7. D. de ſervis export.* Si res extaret, quamvis nondum evicta, agerem utique, *l. 30. in fin. D. de act. empti.* pereunt actiones bonae fidei & amittuntur morte & conſumptione rei, quae ſoluta eſt: non pereunt Aedilitiae, *l. quod ſi nolit 31. §. 6. & l. 38. §. 3. D. de Aedilit. Edicto.* Paul. in *l. Si hominem 47. in fin. eod. tit. Poſt mortem autem hominis*

Aedilitiae actiones manent. Poſt manumiſſionem factam ab emptore, empti actionem durare Julianus exiſtimabat, quem Paulus, Ulpiano contrarius, ſequitur, *l. Titius* 43. *D. de act. empti.* Manumiſſio mutat hominem, non perimit: at mors perimit. Itaque mortuo homine venditor ſecurus eſt, *l. Si quis* 26. *Cod. de Evict.* Expeditum eſt de actione empti. An agere potero ex ſtipulatione duplae? Et verius eſt, quidquid obmurmuret Merillius, me poſſe. Stipulatio doli ſtricti juris eſt: ſatis eſt ab initio venditorem dolo feciſſe, ut ſemper intelligatur commiſſa, argumento illius ſtipulationis ſanum eſſe, fugitivum non eſſe, quae ubi ſemel commiſſa eſt, nunquam amittitur, *l.* 16. §. 2. *D. de Evict.* Et vero conſequens eſt, ſi non poſſum agere ex empto, me poſſe ex ſtipulatione doli, idque evincere illa verba, *De dolo tamen poterit agi, ſi dolus intercesſerit.* Ex clauſula doli recte agam, quia ſciens venditor me fefellit. Si Merillianus eſſem, objicerem forte, *l. Utique* 16. *D. de Rei vind.* ubi neceſſaria videtur litis conteſtatio: imo & ſententia neceſſaria eſt, ut ſalva ſit emptori ſtipulatio evictionis contra venditorem. Sed reſpondeo, ſeparandam eſſe ſtipulationem evictionis in clauſula doli, a caeteris ejus partibus. Si poſt litem proprietatis ſervi, conteſtatam inter dominum & bonae fidei poſſeſſorem, ſervus mortuus eſt, committitur ſtipulatio duplae, ſi ſententia ſecuta ſit, qua judicatum ſit ſervum non eſſe poſſeſſoris, *d. l.* 16. At ubi dolus intervenit, nec judicium nec ſententia requiritur, *d. l. Si ſervus* 21. *D. de Evict.*

DISPUNCTIO XXXII.

De vera Interpretatione *legis* 3 *in princip. D. de Uſuris.* Et an ſententia pro interlocutione, vel pro re judicata, in ea intelligi debeat.

Inter Opera poſtuma Cujacii, eximium illud eſt, quod *ad Papinianum* ſcripſit, quod prioribus accedit: caetera omnia longe recedunt, maxime quae primo Poſtumorum volumine congeſta ſunt, pleraque ex primis recitationibus Viri praeſtantiſſimi, lacunis ſaepenumero & vaſtis hiatibus plena. At inter ea quis cenſeat Notas, quae hodie Cujacii nomine circumferuntur? Quis eas non ſpurias habet, niſi Merillius, dum in eis quod carpere poſſit, gaudet ſe copioſe invenire? Faceſſant igitur illae Notae, qua parte aliena manu (ut ſupra jam obſervavimus) compoſitae ſunt! Faceſſat & quod ex eis Merillius *hocce capite* notat, quaſi ad *hanc l.* 3. *D. de uſuris* ſcripſerit Cujacius, ſententiam eſſe admonitionem & interlocutionem: quamvis (ne quid diſſimulem) id ſumptum videatur ex commentario poſtumo ad *tit. de leg.* 1. *ad l. cum ſervus* 39. §. *fructus* 1. quo non eſt alius locus, qui pluribus ſcateat mendis, ut vere negare poſſim Cujacii eſſe locum illum. Atque equidem nego! Nego denique ſibi contradicere magnum magiſtrum, aut quidquam deſiderari aut adjici poſſe iis, quae ad *hanc l.* 3. *ad Papinianum* enarravit. Itaque ſi quid ego nunc ſcribo, neceſſitate magis adſumpti muneris, quam illuminandi ejus, quod a tanto Viro demonſtratum eſt, facere me profiteor. Nec forte tamen ſtudioſo alicui inanis videbitur hic labor noſter, qui (ut in fructibus aridis eſt) conculcatione, hoc eſt, ſpeciei enucleatione & tractatione utilitatem aliquam oſtenſurus ſit.

Vulgo notum eſt judicatis olim dari ſolere tempus ad judicatum faciendum 30. ſcilicet dierum ex L. XII. Tab. Gellius *lib.* 20. *cap.* 1. Poſtea fuit duûm menſium, ad extremum quatuor, *l. ult. Cod. de uſuris rei judic.* quod tempus humanitatis gratia & veluti in ſubſidium judicatis conceſſum eſt, quo pecuniae conquirendae facultatem haberent, ne ſtatim res ſuas vili pretio diſtrahere cogerentur. Scholiaſtes Harmenop. *lib.* 5. *tit.* 4. *circa finem.* παντὶ καταδικαζομένῳ δίδωσιν ὁ νόμος πρὸς ἀριθμὸν τετράμηνον, εἰς ἀναπνοὴν καὶ ἀνάρρυσιν τῆς ἀσυστάσεως. ἀλλ' διὰ τὸ τοιούτου καιροῦ φροντίζειν, &c. Hoc tempus legitimum dicitur, quod immune fuit ab uſuris & fructibus dependendis *hac l.* 3. *in pr.* & §. 1. In *ea l.* Papinianus hoc inſinuat (quod ſumme notandum eſt) improbum litigatorem non gaudere hoc temporis laxamento, ſed nullo intermiſſo ſpatio fructus omnes ante & poſt ſententiam perceptos ac percipiendos reſtituere cogi. Textus eſt: *In fideicommiſſi perſecutione, cum poſt judicis ſententiam moram feciſſet heres, juſſit Imperator Marcus Antoninus, intermiſſo legitimo tempore, quod condemnatis praeſtatur, ut usque ad ſententiam commoda fideicommiſſarius accipiat. Quod decretum ita accipi oportet, ſi ante judicis ſententiam mora non intervenit: tametſi non facile evenire poſſit, ut mora non praecedente perveniatur ad judicem. Sed puta legis Falcidiae rationem interveniſſe. Caeterum ſi antequam ad judicem perveniretur in mora heres fuit: exinde fructuum praeſtandorum neceſſitate adſtrictus, qua tandem ratione, quoniam & ſententia victus eſt, legitimi temporis ſpatio fructibus liberabitur, cum ea temporis intercapedo judicato dilationem dare, non lucrum adferre debeat?*

Species eſt: Teſtator heredem rogavit, ut Titio fundum Sejanum reſtitueret; nulla alia legata aut fideicommiſſa reliquit; neque ratio aut conjectura ulla fuit hereditatem per legem Falcidiam imminutum iri. Mortuo teſtatore heredem Titius interpellavit de ſolvendo fideicommiſſo, tandemque perduxit ad Praetorem fideicommiſſarium, eumque convicit. Sed nec condemnatus heres ſtatim fideicommiſſum reſtituit, imo ſivit elabi tempus judicatis conceſſum, dum ſibi plaudit, interea fructus lucro ſuo cedere. Non pono, officio judicis, manu militari, coactum reſtituere, quia & ſi ſponte ſua, modo poſt menſem reſtituerit, eadem obtinent, quae hic Papinianus ediſſerit. De fructibus mota quaeſtio eſt: fideicommiſſario petente omnes, etiam eos, quos intra menſem a ſententia, id eſt, a re judicata percepit heres aut percipere potuit, herede contra contendente eos retinere, & obtendente decretum Marci Antonini in cauſa ſimilis fideicommiſſi interpoſitum; quo decreto juſſerat Imperator omnia quidem commoda fideicommiſſarium accipere usque ad ſententiam, intermiſſo tamen legitimo tempore. Verum in hac ſpecie non putavit Papinianus illi decreto locum eſſe: itaque rem ita definiit, ut quandoquidem heres in mora fuiſſet, antequam ad judicium perveniretur, ex die ſcilicet interpellationis primae, & exinde neceſſario adſtrictus fuiſſet fructibus omnibus exſolvendis, & deinde ſententia damnatus fuiſſet, nulla ratione liberari poſſet a praeſtatione fructuum cum perceptorum, tum percipiendorum poſt ſententiam, etiam intra tempus illud legitimum: nimirum hoc ſpatium indulgeri judicatis, id eſt, iis quos ſententia judicavit & declaravit debitores, cum ante ſententiam non aperte conſtaret eos debitores eſſe, cum eſſet lis admodum dubia, ut juſtam rationem haberent ad judicium provocandi, quo caſu non intelliguntur debitores moram facere, *l.* 24. *in pr. hoc tit.*

Ad hanc autem ſpeciem decretum Marci non pertinet: neque in ea opus fuit decreto, ut peterentur fructus, quos certum eſt ex mora deberi. Paulus *lib.* 3. *Sententiarum tit.* 8. §. 4. *Ex mora*, inquit, *praeſtandorum fideicommiſſorum vel legatorum fructus & uſurae peti poſſunt. Mora autem fieri videtur cum poſtulanti non datur*: inique ſcilicet herede neque fatente neque ſolvente. Decretum eſt in alia ſpecie; quando videlicet in perſecutione fideicommiſſi mora facta non eſt ante ſententiam, herede ex juſta cauſa de-

detrectante ſolutionem integri fideicommiſſi, fideicommiſſario nolente partem (puta dodrantem, qui offerebatur) accipere; arg. *l. qui ſolidum* 78. *in pr. D. de legat.* 2. Hoc raro evenit, ſed tamen, ut hic ait Papinianus, evenire poteſt.

Hactenus ſunt facilia omnia, & in quae fere conſentit Merillius: ſed ea concoquere non poteſt, quae ſequuntur, & quae maxime ad *legem noſtram* pertinent, redolentque acumen Papiniani. Si ſententia dicta fuerit contra heredem, nec de fructibus quidquam pronuntiatum ſit, de iis ultra quaeſtio moveri non poteſt, *l. judex* 55. *& l. ſeq. D. de re jud.* Enimvero ſi poſt ſententiam & juſtitium illud heres moram fecerit, ex decreto illo Marci Antonini, retrotrahitur ejus mora ad tempus, quod fluxit ante ſententiam, ut videatur in mora fuiſſe ex lite conteſtata ad effectum tantum illum reſtituendorum fructuum, non etiam ut heredi auferatur beneficium legitimi temporis, quod ei jam quaeſitum eſt. Unde apparet hic agi de fructibus, qui percipi potuerunt ante ſententiam, non de fructibus percipiendis poſt ſententiam; quod cernere vix poterunt qui capere rationem oculis tantum poſſunt. Et Cujacius quidem noſter ita perpetuo docuit: nec aliter Accurſius. Aliter tamen Merillius (in eo a Magiſtro contra promiſſi fidem alienus) dum vult haec verba *usque ad ſententiam* accipienda a tempore factae reſtitutionis ad ſententiam retro computando: quod primo intuitu videtur, ſed ex ſubtiliori Papiniani ſenſu ita non eſt. Nam fructus, poſt ſententiam ab herede perceptos, utique Papinianus non ignoravit venire in actionem judicati: ſed de percipiendis ante ſententiam, id eſt, de non perceptis, qui potuerant percipi, tractare voluit & docere, propter inſignem moram debitoris, rationem eorum habendam eſſe: itaque illa verba, *ut usque ad ſententiam commoda fideicommiſſarius accipiat*, hoc ſignificant, fructus omnes & omnem cauſam atque utilitatem fideicommiſſi a lite conteſtata usque ad ſententiam, fideicommiſſarium accipere debere.

At, inquit Merillius, qua ratione mora, poſt condemnationem tantum facta, retrotraheretur ad tempus litis conteſtatae? Reſpondeo, merito jure plecti heredem, qui ſi ſine mora poſt menſem fideicommiſſum reſtituiſſet, fructibus reſtituendis, de quibus agitur, obnoxius non fuiſſet, hodie tandem male affecti erga teſtatorem animi argumentum exhibeat, ſeque indignum praebeat gratia & humanitate illa, ut exoneretur a praeſtatione fructuum, quos indiligentia ſua non percepit, quos ſi diligens fuiſſet, percipere poterat: ut videatur etiam in mora fuiſſe ante ſententiam, qui poſt ſententiam tam perfide egit, ut teſtatori morem non gereret. Atque eam interpretationem confirmant verba §. 1. quae omnino cohaerent praecedentibus: *In his quoque judiciis*, inquit Papinianus, *quae non ſunt arbitraria, nec bonae fidei, poſt litem conteſtatam actori cauſa praeſtanda in eum diem, quo ſententia dicitur, certe poſt rem judicatam, tempus a fructibus dependendis immune eſt.*

DISPUNCTIO XXXIII.

An *lex Vſurae* 34. *D. de Vſuris*, intelligi debeat de uſuris perceptis, quae veniunt in reſtitutionem; vel de uſuris percipiendis, quae veniunt ex mora.

ULpianus: *Vſurae vicem fructuum obtinent, & merito non debent a fructibus ſeparari; & ita in legatis & fideicommiſſis & in tutelae actione, & in caeteris judiciis bonae fidei ſervatur. Hoc idem igitur in caeteris obventionibus dicemus.*

Finge, Titio per legatum aut fideicommiſſum relictus eſt fundus, aut pecunia: quaeritur an, ut heres poſt moram fructus reſtituere tenetur, ita & uſuras. Cujacius *in Paratis. Cod. ad tit. de uſuris & fructibus legatorum*, teneri dixit, & uſuras & fructus venire in legatis & fideicommiſſis ex mora, quam in rem uſus eſt, *d. l.* 34. *D. de Vſuris.* At idem Cujacius, inquit Merillius, *lib.* 18. *Obſerv. cap.* 3. uſus eſt *eadem l.* 34. in ſpecie petitionis hereditatis, cum dixit poſſeſſorem hereditatis poſt motam controverſiam inter eum & verum heredem, teneri non tantum ad reſtitutionem fructuum praediorum hereditariorum, ſed etiam uſurarum, ex pecunia hereditaria perceptarum. Quid inde, Merilli? Variavit (putas) qui aliam atque aliam eidem legi interpretationem adfinxit. Tu igitur productionem, imo aptationem ejusdem ſententiae ac legis in eodem ſenſu diverſis caſibus, variationem vocas? Male hoc te facere, facile eſt oſtendere. Quam vero interpretationem (quando eas diverſas conſtituis) amplecteris? *Hanc*, audio te, *poſteriorem interpretationem magis admittendam ſuadet inſcriptio hujus legis* 34. *quae jungenda eſt cum l.* 27. *& l.* 29. *D. de petit. hered.* ex eodem lib. 15. Ulpiani ad Edictum. Quid ſuadeat inſcriptio, curioſius quaeris: quid ipſe contextus perſuadeat, negligentius praetermittis, vere Talothi illi philoſopho ſimilis, qui ſideribus intentus nimis, dum ad pedes quid eſſet non attenderet, incautus cecidit.

Redeamus ad quaeſtionem, quae ita proponitur: An *lex* 34. *D. de Vſuris* intelligi debeat de perceptis, an de percipiendis. Quale aenigma iſtud? Quare apertius quaeſitum non eſt, an ſententia *d. legis* 34. pertineat ad petitionem hereditatis, an potius ad actionem legatorum & fideicommiſſorum? ſcilicet ei, qui putavit omnino pertinere ad petitionem hereditatis, non fuit ita proponenda quaeſtio, ne textus ſtatim reclamaret & dubitantem excaecaret propter haec verba, *Et ita in legatis &c.* Quod igitur putaverit Cujacius ſententiam illam proprie pertinere ad Senatusconſ. de petitione hereditatis, non reprehenditur: quod autem dixerit, eandem ſententiam, ac regulam, etiam in actione legatorum, officium ſuum invenire, notatur. At *l.* ipſa 34. nominatim hoc habet! Quid igitur non accuſatur lex, inceſſitur Cujacius? Quid vero melius aut verius dici potuit eo, quod Vir memorioſiſſimus dixit *in Paratitlis Cod. de uſur. & fructib. leg.* ubi docuit actionem legatorum ſimilem & diſſimilem eſſe actioni bonae fidei: in eo ſimilem, quod uſuras & fructus ex mora reciperet; in eo diſſimilem, quod actio bonae fidei etiam ante moram fructus exigeret, *l. videamus* 38. §. *pen. D. de uſur.* An hoc dixit, uſuras vicem fructuum obtinere in actione legatorum magis, quam in petitione hereditatis? Non dixit. Quam immerito igitur arguitur!

Quid tandem ſi adprobem idem ipſum ſenſiſſe ac docuiſſe Cujacium *dicto Paratitlorum loco*, quod illo *Obſervat. lib.* 18. *cap.* 3? An hoc ſine verecundia patietur & audiet Merillius? Verecunde tandem an inverecunde, viderit: interea ita ſe res habet. Cujacius, *illo Obſerv. loco*, ſententiam *d. legis* 34. (quam proprie ad SCtum Adrianum de petitione hereditatis pertinere agnoſcit) demonſtrat non eſſe per omnia veram, idque pluribus argumentis & exemplis oſtendit, quorum poſtremum ejusmodi eſt, quod in judiciis bonae fidei uſurae veniant ex mora tantum; fructus autem, etiam ante moram. In *Paratitlis* hanc ipſam differentiam obſervat his verbis: *Quod ad uſuras attinet, actio legatorum vel in perſonam vel in rem ſimilis eſt actioni bonae fidei, quoniam uſuras recipit ex mora l.* 34. *de uſuris: quod ad fructus; diſſimilis, quia bonae fidei ante moram recipit fructus.* Quaeſo qui hoc dicit, an videtur exaequare fructus & uſuras?

Sane etſi ſine lege hoc dixiſſet Cujacius, in legato-

gatorum actione uſuras vicem fructuum obtinere; et quisquis hanc theſim ponat, *Extra petitionem hereditatis, aliis etiam caſibus huic regulae locum eſſe, Uſuras vicem fructuum obtinere*, omnino non erraverit: quando certiſſimum eſt juris regulas ac ſententias, proprium licet ſibi caſum vindicent, ad plures tamen plerumque referri atque aptari. Itaque nil vetat dicere, uſurarum eſſe quaſi uſumfructum, quia vice fructuum ſunt; arg. *l. 3. D. de uſufr. earum rer. quae uſ. conſ.* Item illud, Uſuras dotis eſſe, ſi ante nuptias perceptae ſint: ſi poſt nuptias, mariti: exemplo fructuum, quia uſurae inſtar fructuum ſunt, *l. 7. in pr. & §. 1. l. 47. & l. 77. D. de jure dot.* Denique & illud, filiam uſuras dotis conferre debere poſt moram, cum emancipatus frater fructus dotis conferat, *l. filius 5. §. filia 1. D. de dotis coll.* Viden' igitur, quot caſibus extra petitionem hereditatis, uſui ſit illa regula, Uſuras vicem fructuum obtinere?

DISPUNCTIO XXXIV.

Concubinatus an ſit legitima ſeu juſta conjunctio.

CAptionem his verbis ſubeſſe quis non ſentiat, *legitima ſeu juſta conjunctio?* quaſi unum idemque hoc maxime loco ſit, legitimum & juſtum. Concubinatum Cujacius in *Paratitlis D. de Concubinis* dixit legitimam conjunctionem; concubinam imitari legitimam uxorem, & eſſe viceconjugem: liberos ex concubina natos non eſſe ſpurios, ſed naturales; patrem eſſe ex concubinatu: concubinam non differre ab uxore, niſi dignitate, *l. Item legato 49. §. pen. D. de leg. 3.* At nusquam dixit concubinatum eſſe juſtam conjunctionem, cum ſciret vocem illam, juſtam, ad Nuptiarum jus pertinere; quamvis & naturales liberos juſte procreatos dicere potuerit, nec immerito quis dicat, ſi cum vulgo quaeſitis conferantur, *l. 2. §. 1. D. ad SCtum Tertyll.* Imo non eſſe conjunctionem juſtam, aperte idem Cujacius dixit.

At, inquit Merillius, in eo Cujacius variavit, cum ad *Novellam* 22. in ſecunda parte, concubinatum dixit non eſſe conjunctionem juſtam. Dico vero non ibi quidem, ſed ad *Novellam* 18. hoc ita enunciaſſe, *Non eſt*, inquit, *juſta conjunctio, at matrimonium: concubina non eſt juſta uxor.* Hoc ne vero variare eſt? Si dixit uno in loco, juſtam eſſe conjunctionem, alio, non eſſe juſtam; contraria dixit. At qui uno loco dixit non eſſe juſtam; alio, eſſe legitimam: hunc nego aut erraſſe aut variaſſe.

Legitimum nomen conventiones habere dicuntur, quae jure proditum nomen ſortitae ſunt. At concubinatus per leges nomen aſſumpſit, *l. 3. D. de Concubinis.* Quare igitur legitimus negabitur? Quare conjunctio concubinatus illegitima more Romano & ante Chriſti leges cenſebitur?

Objicitur idem eſſe juſtum ac legitimum, *l. 3. D. Pro ſocio.* Sed *eadem lex* docet juſtum pro legitimo accipi ex interpretatione ſive ex mente loquentis. Caeterum ut juſtum aliquando comprehendit legitimum, ita & legitimum nonnunquam comprehendit juſtum; arg. *l. lege 130. D. de verbor. ſignif.* ſed haec ita generaliter dicuntur, adeoque non ex propria ſignificatione.

Ex nullo loco mihi probabis concubinatum non eſſe legitimam conjunctionem. Non ex *tit. de Nupt.* ubi nihil aliud vult Juſtinianus, quam non eſſe juſtam uxorem, imo nec uxorem, quae non ſecundum juris regulas nupſerit. Non dico, quod Merillius, concubinam eſſe injuſtam uxorem, neque vero hoc ait *lex Si uxor 13. §. 1. D. de adult.* Contubernales ſervorum uxores apud Columellam & alibi invenias, eodem loquendi modo, quo ſervorum teſtamenta, quae teſtamenta non ſunt. Liberorum hominum concubinas uxores dici, nullum ſchema, in Jure Civili (deficiente voto ac propoſito individuae conſuetudinis) patitur: at, in Sacris veteribus Paginis, omnis concubina uxor dicitur, quamvis non econtra omnis uxor concubina, ut obſervat D. Auguſtinus *quaeſt 90. in Geneſ.* Et injuſta noverca apud Virgil. *Ecloga 3. v. 33.*

Eſt mihi namque domi pater, eſt injuſta noverca,

neque injuſtam uxorem; neque concubinam, ſalva Merillii pace, ſignificat, ſed ſaevum patrem, & non ſaevam tantum ſed & iniquam novercam & infenſam & injuſtam, quippe quae contra jus & fas privignum innocentem ad mortem odiſſet; quod eſt novercarum ingenium. Ovid. *lib. 1. Metam. v. 147.*

Lurida terribiles miſcent aconita novercae.

Solent perpungere & inſtimulare parentes in liberos, ut eos exheredent, *l. 3. & 4. D. de inoff.* quo nihil eſt injuſtius; unde & epitheto convenientiſſimo novercam μητρυιὰν ἀτάσθαλον vocavit Apollonius *lib. 1. Argon.*

Denique quod objicitur, leges non feciſſe eam conjunctionem, ſed eam duntaxat permiſiſſe, facile contemnetur, ſi attendamus legis virtutem eſſe, non tantum in impediendo, & puniendo, ſed etiam in permittendo, *l. 7. D. de legibus.* Itaque ambigendum non eſt, concubinatum licitam eſſe conjunctionem, *l. pen. Cod. ad SCtum Orphit.* & quia per leges nomen aſſumpſit, *l. 3. D. de Concub.* non dubitandum, eam legitimam dici.

DISPUNCTIO XXXV.

An pupillus ex dolo tutoris conveniri poſſit.

SEU

An indiſtincte verum ſit, ex dolo tutoris pupillum non teneri.

IN *l. 3. D. Quando ex facto tutoris vel cur. minores agere vel conveniri poſſunt.* Papinianus ait: *Dolus tutorum puero neque nocere neque prodeſſe debet. Quod autem vulgo dicitur, tutoris dolum pupillo non nocere, tunc verum eſt, cum ex illius fraude locupletior pupillus factus non eſt. Quare merito Sabinus, tributoria actione pupillum conveniendum ex dolo tutoris exiſtimavit. Quod in depoſiti quoque actione dicendum eſt, item hereditatis petitione, ſi modo quod tutoris dolo deſiit, pupilli rationibus illatum probetur.* Ulpianus in *l. Is qui in puteum 11. §. 6. D. Quod vi aut clam*, ait: *Si tutoris juſſu aut curatoris factum ſit, cum placeat quod Caſſius probat, ex dolo tutoris pupillum non teneri, &c.*

Duplex a Merillio notatur in hac quaeſtione Cujacii variatio. Quod primo diſtinxerit, An tutor ſolvendo eſſet, necne: ut ſi ſolvendo eſſet, pupillus teneretur; ſi non eſſet, non teneretur, idque ad *l. 13. §. 7. D. act. empti.* Poſt vero in *l. 198. D. de reg. jur.* hac diſtinctione uſus ſit, ſi tutor in contractu dolum admiſerit, ut pupillus omnimodo teneatur, ſi extra contractum, ita demum, ſi tutor ſolvendo ſit. Ad *Papinianum* autem, hoc eſt in *d. l. 3. D. quando ex facto tut.* rejecta diſtinctione omni, ex dolo tutoris pupillum nullo modo teneri dixerit; quod ſequitur Merillius.

De hac quaeſtione quid juris auctores, dein quid Cujacius tradiderit, videndum. Et extat, omnes Juriſconſultos in hoc conſenſiſſe, ut ex dolo tutoris vel curatoris minores non tenerentur. Vulgaris fuit traditio, *tutoris dolum pupillo non nocere.* Quid eſt non nocere? An ut non teneatur pupillus? ut nulla ob tutoris dolum actione conveniatur? Nam teneri, eſt actione teneri, *l. Pomponius 9. D. de neg. geſt.* ut & econtra, non teneri, eſt actioni obnoxium non eſſe, *l. Age 3. Cod. de tranſact.* Alias

tamen

tamen dici poteſt non teneri, qui ipſo quidem jure tenetur, ſed effectu non tenetur, vel quia actio denegatur, ut in ſuo herede abſtinente ſe, *l. Neceſſariis 57. D. de Acq. vel amitt. hered.* vel datur quidem actio, ſed ordinis cauſa tantum, ut alia ſubinde ab eo, quo cum agitur inſtituatur actio, ut ejus indemnitati conſulatur: ut ſi dicamus pupillum ex dolo tutoris conveniri, ut ipſe contra tutorem agat, aut ut actiones quas contra tutorem habet cedat; quae fuit ſententia & ad vulgarem illam regulam interpretatio Ariſtonis & Pomponii, *l. ult. D. de Adminiſtr. tut. l. 1. D. Quando ex facto tut.* Dubitari non immerito poteſt, an Ulpianus, qui Pomponium ſaepenumero refert ſequiturque, eum hac in re ſequutus ſit. Nam in *l. ſumma 21. §. Si dolo 1. D. de pecul.* pupillum admittit, ſi ſolvendo tutor ſit, praeſtare quidquid ex dolo tutoris ad eum pervenit, *& ita*, inquit, *Pomponius lib. 8. Epiſt. ſcribit.* Idem in *l. 1. §. hoc Edicto 6. D. Ne vis fiat ei, &c.* At in *l. Sed ſi 3. §. 1. D. de tributoria act.* partim adſentire partim diſſentire Pomponio videtur, dum ita ſcribit: *Si ſervus pupilli vel furioſi ſciente tutore vel curatore in merce peculiari negotietur, dolum quidem tutoris vel curatoris nocere pupillo vel furioſo non debere puto, nec tamen lucroſum eſſe debere: & ideo hactenus eum ex dolo tutoris tributoria teneri ſi quid ad eum pervenerit. Idem & in furioſo puto: quamvis Pomponius libro 8. Epiſtolarum ſi ſolvendo tutor ſit, ex dolo ejus pupillum teneri ſcripſit. Et ſane hactenus tenebitur, ut actionem, quam contra tutorem habet, praeſtet.* Ex quibus apparet diverſum a Pomponio Ulpianum eſſe in eo, quod pupillo locupletiori facto regreſſum non dat adverſus tutorem, quod non tractaverat Pomponius: eo vero caſu, quo locupletior non ſit factus, Pomponio adhaeret, ut hactenus teneatur, ut praeſtet actiones. Papinianus autem hoc unum attendiſſe videtur, ſi pupillus ex dolo tutoris locupletior factus ſit vel non; quod & Sabino viſum eſt, *d. l. 3. D. Quando ex facto tut.* idque ipſum Javolenus ex Caſſio tradidit, *l. Neque 198. D. de reg. juris. Neque*, inquit, *in interdicto, neque in caeteris cauſis pupillo nocere oportet dolum tutoris, ſive ſolvendo eſt, ſive non eſt.* Niſi quis dicat & apud Papinianum & apud Jabolenum tacite hoc exaudiendum eſſe, ut pupillus ſaltem actiones, ſi quas habet, cedere teneatur, quod Ulpianus non ignarus ſententiae Papiniani non dubitavit concedere, *d. l. Sed ſi 3. §. 1. D. de tribut. act.* Sed non ita forte ſupplere quis poſſit in *l. Julianus 13. §. 7. D. de act. empti.* Imo tacitam illam interpretationem cedendarum a pupillo actionum videtur impedire Ulpiani ratio, *quia nec transfertur in pupillum poſt pubertatem hoc, quod dolo tutorum factum eſt.* Niſi iterum dicat quis, non transferri actiones in pupillum ex dolo tutorum cum effectu, jure tamen transferri: ut pupillus conveniri poſſit de eo, quod ad eum pervenit omnimodo, de caetero hactenus, ut actionibus ſuis cedat. Secundum quae, neque a Papiniano Ulpianus, neque ambo ab Ariſtone & Pomponio diſſentire videbuntur: vel niſi dicat tranſlationem actionum a tutore in pupillum non fieri, ſi nihil ex tutoris dolo ad eundem pupillum pervenerit: & ita ponendum in *d. l. Julianus 13. §. 7. D. de act. empti.* ut & in ſpecie *legis 4. D. de tabul. exhib.* quae ratio eſt optima.

Rurſos Ulpianus ſubdiſtinctionem hanc ſervaſſe videtur, an dolus ex contractu tutoris deſcenderit. De qua diſtinctione commodius infra videbimus. Nunc ad Cujacium veniamus!

In recitationibus ad *tit. de act. empti.* ad *l. Julianus 13. §. 7.* diſtinguit Cujacius, an tutor ſolvendo ſit vel non, ut ſi ſolvendo ſit, teneatur pupillus, quia quod ſolvit ſervare poſſit; ſi non ſit ſolvendo, hactenus teneatur ut praeſtet actiones. At (inquit Merillius) aliam diſtinctionem affert *ad tit. de reg. jur. in l. 198.* ut ſi tutor in contractu dolum admiſerit, pupillus omnimodo ex dolo tutoris teneatur, ſive tutor ſolvendo ſit, ſive non. Si vero extra contractum tutor dolum admiſerit, pupillum non aliter teneri, quam ſi tutor ſolvendo ſit. Et addit Merillius nullo loco ſatis hanc diſtinctionem probari.

Reſpondeat ipſe Cujacius, ſe dixiſſe pupillum teneri indiſtincte, ſive tutor ſolvendo ſit ſive non, & hoc ſe dixiſſe eo caſu, quo locupletior factus ſit pupillus, & quod nominatim expreſſit (cum ſcilicet dolus ex contractu deſcendit) & alias expreſſiſſe, ut in commentario ad *l. heredibus 13. §. Item in cauſae 1. D. de dolo.* & ubi non expreſſit, intellexiſſe: non poſſe itaque dici hac parte variaſſe. Deinde dicat hanc adjectionem, *cum ſcilicet dolus ex contractu deſcendit*, ſe jam olim probaſſe, laudata *l. Apud Celſum 4. §. Illa etiam 23. D. de doli mali & met. except.* illo loco, *unde enim divinat is, qui cum tutore contrahit*; quo ſignificatur nocere pupillo dolum tutoris, qui adminiſtrationem habuit, & pupillo inter contrahendum cum alterius fraude compendium adjicit. Dicat & ſe probaſſe, extra contractum dolo admiſſo a tutore, pupillum non teneri, licet videatur locupletior factus, niſi tutor ſolvendo ſit, ſed in tutorem actionem dari ex *l. 1. §. Hoc Edicto 6. D. ne vis fiat ei, qui in poſſeſſionem &c.*

DISPUNCTIO XXXVI.

An condictio furtiva morte furis intereat, vel adverſus furis heredem tranſeat.

QUi dicit condictionem furtivam dari in heredem furis, & quidem in ſolidum: ſatis (quantum equidem exiſtimo) aſſerere videtur, furtivam condictionem morte furis non interire. Neque ſeorſum haec tractavit Cujacius, nec debuit. Itaque cum ſupra haec quaeſtio ventilata ſit *cap 21.* neque amplius quicquam hic Merillius habeat; ut quid novas implet paginas? Cur ad incudem tractatum jam quod non remoleſcet ferrum revocat? Iterum dico: *Crambe recocta mors eſt.* Recte D. Auguſtinus *lib. 4. contra Creſconium Grammaticum* dicebat, *Non jam ut vetus proverbium fert, quod volumus ſanctum eſt, ſed etiam quando volumus, & quandiu volumus.*

DISPUNCTIO XXXVII.

Cur hereditas diviſa ſit inter inſtitutum & ſubſtitutum in *l. 41. D. de heredib. inſtituendis.*

SPecies & quaeſtio tota continetur *l. 40. eodem titulo*, in qua Julianus: *Si paterfamilias*, inquit, *Titium, quem ingenuum eſſe credebat, heredem ſcripſerit, eique ſi heres non eſſet, Sempronium ſubſtituerit: deinde Titius quia ſervus fuerat, juſſu domini adierit hereditatem: poteſt dici, Sempronium in partem hereditatis admitti. Nam qui ſcit aliquem ſervum eſſe & eum heredem ſcribit, & ita ſubſtituit, Si Stichus heres non erit, Sempronius heres eſto: intelligitur tale quid dicere, Si Stichus neque ipſe heres erit, neque alium fecerit. At qui eum, quem liberum putat eſſe, heredem ſcripſerit, hoc ſermone, Si heres non erit, nihil aliud intelligitur ſignificare, quam ſi hereditatem vel ſibi adquiſierit, vel mutata conditione alium heredem non fecerit: quae adjectio ad eos pertinet, qui patresfamilias heredes ſcripti poſtea in ſervitutem deducti fuerint. Igitur in hoc caſu ſemiſſes fient, ita ut as* (ita legendum) *inter eum, qui dominus inſtituti fuerit, & ſubſtitutum aequis portionibus dividatur.* Mox ſequitur ex Pomponio *l. 41. Et hoc Tiberius Caeſar conſtituit in perſona Parthenii, qui tanquam ingenuus heres ſcriptus adierat hereditatem, cum eſſet Caeſaris ſervus: nam di-*

visa

viſa eſt hereditas inter Tiberium & eum, qui Parthenio ſubſtitutus erat.

Mirum ſane, imo non ferendum, id objicere Merillium, quod ne ſpeciem quidem ac materiam objectionis habet. Exprobrat Cujacio Merillius quaſi *lib. 17. Obſerv. cap. 21.* ſcripſerit, rationem dividendae hereditatis inter dominum inſtituti ſervi heredis & ſubſtitutum, eam eſſe, quod utrinque eſſent dubiae rationes: in *notis* vero *poſterioribus Inſtitutionum*, quod ſervus inſtitutus hereditatem non creviſſet. Non ferendum inquam! cum utrobique non pro ratione, ſed pro exemplo ponatur, admitti ſubſtitutum cum inſtituto, ſi inſtitutus non creverit. Verba *Notarum* ſunt: *Et olim ſub cretione heres inſtitutus ſi non creviſſet ei ſubſtituto dato, non cernendo, ſed pro herede gerendo, in partem admittebat ſubſtitutum.* Verba *Obſervationum* ſunt: *Et jure quoque veteri, ut Ulpianus ſcribit lib. ſingulari Regularum, cum cretione heres inſtitutus, ſi non cernat, ſed pro herede gerat. in partem ſubſtitutum admittit.* Quid hoc: *Et olim?* Quid hoc: *Et jure veteri?* Haec ne contraria, quae nec diverſa? Non eſt hoc unum idemque exemplum? Quis vero haec pro ratione decidendae dubitationis accipiat, niſi forte Merillius? dum ſcribit, *Et haec poſtrema ratio verior eſt.*

Quaſi vero in ſpecie *legis* 40. de cretione quidquam proponatur aut divinationem cretionis admittat Juliani ratiocinatio, quae tota eſt circa errorem teſtatoris. Cretioni locus non fuit, niſi heres inſtitutus eſſet ſub expreſſa cretione, ſive ea perfecta eſſet, ſive imperfecta. At nihil ejuſmodi habet ſpecies *d. l.* 40. quae caſum ſubſtitutionis ſimpliciter exprimit & ſine conditione ulla. Deinde ſi quid de cretione Julianus cogitaſſet, non ita dixiſſet, *Poteſt dici*: ſed ita abſolute *dici debet*, cum ita jus eſſet in cretione imperfecta, actore Ulpiano *tit.* 22. *Qui heredes inſtitui poſſunt*, §. *ult.* Tentari poſſet, vix eſſe ut Julianus, qui ad tempora pervenit Divorum fratrum, ut patet ex *l. Divi* 17. *D. de jure patron.* de cretione cogitaverit, cujus vim & neceſſitatem Marci Antonini conſtitutio ſuſtulerat, *d.* §. *ult.* ubi Ulpianus ita: *Si ſub imperfectam cretionem heres inſtitutus ſit, id eſt, non adjectis his verbis, Si non creverit exheres eſto; ſed ſi ita, Si non creveris, tunc Maevius heres eſto: cernendo quidem ſuperior inferiorem excludit: non cernendo autem, ſed pro herede gerendo, in partem admittit ſubſtitutum. Sed poſtea D. Marcus conſtituit, ut & pro herede gerendo, ex aſſe fiat heres. Quod ſi neque creverit, neque pro herede geſſerit, ipſe excluditur, & ſubſtitutus ex aſſe ſit heres.* Sed bona fide agnoſco neceſſitatis eſſe nihil in ea conjectura: & Julianum ſpecies tractare potuiſſe (ut & caeteros Prudentes circa cretionem & alia ſui aevi jura, quas non reformaverint, ubi in alia inciderunt: ſed fingere cretionem aut aliud quidpiam jus obſoletum, aeque dico minime neceſſarium eſſe.

Admitto lubens exemplo ejus, qui olim creviſſet praeter voluntatem teſtatoris, ita & in eo, qui non plane ex voluntate teſtatoris adiret, ſubſtitutum in partem admittendum ſuſtinuiſſe veteres, ut ratio eorum ſic ab exemplo procederet. Quemadmodum in cretione ſi non ex voluntate teſtatoris cerneret hereditatem ſcriptus heres, ſubſtitutum in partem admittebat: ita in aditione, qui non ex voluntate teſtatoris adit, in partem ſubſtitutum admittere debet. Sed ea non placuit ratiocinatio Alexandro, *l.* 3. *Cod. de heredib. inſtit.* ubi ſubſtitutum omnino excluſum voluit aditione inſtituti. Ut mirum ſit Tribunianum alid Juſtiniano ſuggeſſiſſe, & ſententiam *d. l.* 40. & verba *legis* 41. expreſſiſſe §. *ult. Inſtit. de vulg. ſubſt.*

DISPUNCTIO XXXVIII.

An retineri vel expungi debeat clauſula [aliter ſi ejuſdem aetatis liberi, &c] in *fin. legis* 45. *D. de vulgari & pup. ſubſtit.*

PAulus libro 12. Reſp. *Lucius Titius legitimum filium & alterum naturalem heredes inſtituit, eoſque invicem ſubſtituit. Titius legitimus filius, quam pater annículum reliquit, poſt patris mortem impubes deceſſit ſuperſtite matre & fratre naturali, quem etiam coheredem habebat. Quaero, an hereditas ejus ad Titium naturalem fratrem ex cauſa ſubſtitutionis pertineat, an vero ad matrem? Reſpondi ad primum caſum non exiſtentium heredum ſubſtitutionem, de qua quaeritur, pertinere. non ad ſequentem, ſi quis eorum poſtea deceſſiſſet intra pubertatem: cum in naturalis filii perſona duplex ſubſtitutio locum habere non potuerit: & ideo ad matrem legitimi filii hereditas ab inteſtato pertinet.* [aliter ſi ejuſdem aetatis liberi inſtituti invicemque ſubſtituti fuiſſent; tunc enim altero defuncto intra pubertatem, ejus ſucceſſio non ad matrem ſed ad ſubſtitutum ejus devolvitur.]

Merillius variaſſe Cujacium ait, qui hanc clauſulam, *aliter ſi ejuſdem aetatis, &c.* modo rejecerit, modo retinuerit. Rejicit, inquit, *lib. 17. Obſerv. cap.* 26. & ad *tit. D. de vulg. & pupill ſubſt. l.* 4. & in *hac l.* 45. lib. 12. Reſp. Pauli. Ad *titulum* vero *Codicis de Inſt. & ſubſt.* agnoſcit ac retinet.

Non retinet, Merilli, ſi verum amamus: ſed ut fit, cum negotium habetur cum protervis, ut ſapiens cedat remittatque de jure ſuo nonnihil, & annuat concedatque quod non credit, ita Cujacius plane, eo loci, quem contra eum citas. Cujacius, *Expreſſa igitur pupillaris omnimodo excludit matrem, tacita vero nullomodo excludit. Neque huic definitioni quicquam obſtat, l. Lucius* 45. *in fin. illo loco.* [*Si ejuſdem aetatis liberi*] *Sane non obſtat ſi abeſſe debet ea extrema clauſula a l. Lucius* 45. *quemadmodum certe abeſt a Pandectis Florentinis*: attende hoc verbum, *certe*, mox ait, *& videtur ex ora libri irrepſiſſe in contextum.* Deinde adjicit (quo demonſtret & ea retenta clauſula, nihil eam obſtare theſi a ſe propoſitae) *Sed retineamus eam, quoniam & ratione ſubnixa eſt & proponamus ſpeciem illius.* Quis non videt & his Cujacium agnoſcere, abeſſe eam clauſulam a Florentinis libris, nec germanam eam eſſe? & quod eam retinet, non id ſe facere retinendi animo, ſed magis expediendi negotii, quod exhibere videatur? I modo, & ſincero magis ore quid renuntia! Atque haec de Cujacii opinione.

Quod ad rem attinet: placet Merillio, clauſulam illam retinere, & partem eam eſſe *d. l.* 45. quae ſane res cum in facto ſit, arbitrii eſt liberi: & fateor non difficile reſpondere rationi, quae Cujacium contra movit, quae haec eſt, vocem *aliter*, a qua incipit illa clauſula, prae ſe ferre contrarium caſum ſpeciei *d. legis* 4. nec tamen exhibere. Nimirum ſi dicamus ſupplendum eſſe verbum conditionis, quod eſt omiſſum: poſito enim quod fratres ejuſdem fuerint aetatis & conditionis, non videtur adnotatum fruſtra, fratrem ſuperſtitem praeferri matri vi & jure ſubſtitutionis reciprocae, licet & ab inteſtato eidem praefertur, §. 3. *verſ. Frater. Inſtit. de Senatuſconſ. Tertyll.* Scilicet ad honorem & utilitatem filii pertinet, ut ex teſtamento heredes habeat, *l. Julianus* 42. alias eſt, *l. Si pupillus. D. de acq. vel omitt. hered.* Et in hoc, non piget me ſuppetias aliquas ferre Merillio, quem nec exacte ſatisfacere cenſeo *legi Precibus* 8. *Cod. de Impub. & aliis ſubſt.* ex qua efficitur, primum caſum vulgaris ſubſtitutionis non porrigi ad ſecundum caſum pupillaris ſubſtitutionis, ſi mater intercedat. Differentiae enim rationem D. Merillius male ponit in po-

poteſtate verborum formulae ſubſtitutionis reciprocae. *Eosque invicem ſubſtituo*, *Invicem ſubſtituti ſunto*, quaſi hac formula uterque caſus expreſſus ſit. *Verbum ſubſtituo*, inquit Merillius, *commune eſt ad vulgarem & pupillarem.* Eſto! (longe accuratius rem expedit Cujacius, ſed mihi cum Merillio res eſt) non tamen exprimit per ſe verbum *ſubſtituo*, ac denotat caſum ſubſtitutionis pupillaris: ſed praeſumptio voluntatis teſtatoris inducitur ex pupilli aetate. Itaque & ſi impuberi filio ſoli heredi inſtituto extraneum pater ſubſtituerit, idem jus eſt, *l. Jam hoc jure 4. in pr. & §. 1. D. de vulg.* At differentia eſt, quod ejusmodi praeſumptio voluntatis teſtatoris non admittatur in gratiam extranei contra matrem filii: in gratiam tamen fratris admittatur, *d. l. 45.* illis verbis *aliter ſi ejusdem &c.* Quod confirmatur, *l. ult. Cod. de Inſtit. & ſubſtit.* ubi, mortua matre, ſubſtitutus admittitur ex tacita pupillari; matre vero ſuperſtite, ſubmovetur.

DISPUNCTIO XXXIX.

An res juris vel facti facilius per ratihabitionem confirmari potuerint, ante conſtitutionem Juſtiniani.

ORigo hujus quaeſtionis petenda eſt ex *l. Donationes 25. Cod. de donat inter vir. & ux.* quae cum dicat, morte donatoris tacite confirmari & retrotrahi inutiles donationes, inter conjuges vel a parentibus liberis in poteſtate factas; & omnimodo ratas haberi quae expreſſe teſtamento confirmatae ſint, ſed illas tantum retrotrahi, quae intra legitimum modum conſiſtunt; vel ſi excedant, quae inſinuatae ſint, Juſtinianus ait, *ſine ulla diſtinctione ratus haberi, nec in caeterum ſubtilem diviſionem facti vel juris introduci poſſe.* Eo referunt *l. 7. D. de jure codicillorum*: ubi Marcianus: *Quaedam*, inquit, *non referuntur ad confirmationem codicillorum: veluti, ſi ante captivitatem quis codicillos confirmaverit, & in captivitate codicillos ſcribat; nam non valent. Idem eſt, ſi aliquo modo jus teſtamenti faciendi deſierit habere. Praeterea in illis, quae non juris ſed facti ſunt, non eſt perinde habendum, quod codicillis ſcribitur, atque ſi, ubi confirmatio, ſcriptum fuiſſet: veluti ſi ita in codicillis ſcriptum erit, Veſtem quae mea eſt; codicillorum tempus ſpectandum, non quo confirmantur. Item, ſi Titius vivus eſt, vel, ſi tot annis eſt, codicillis legavit Sejo: tempus codicillorum, non quo tempore ſit teſtamentum, ſpectandum.*

Merillius ait Marcianum in *hac l. 7.* afferre differentiam inter res facti & juris, quae Codicillis ſcribuntur. Fateor, me obtuſo adeo ingenio eſſe, ut non agnoſcam differentiam inter res facti & res juris, quam D. Merillius ait Marcianum afferre in *hac l. 7.* Scio equidem alias eſſe res facti & juris. Non capio, Marcianum in ſententia *hujus legis* 7. inter eas differentiam conſtituere. Nec fugiunt tamen oculos haec verba meos, *praeterea in illis, quae non juris, ſed facti ſunt, &c.* Tantum vero abeſt, ut differentiam mihi videantur exprimere, quinimo convenientiam in argumento, quod tractat Marcianus, aptiſſimam referunt. Marciani quippe mens eſt, exceptionem dare regulae illi, quae dictat: *Quaecunque in codicillis ſcribantur, perinde haberi ac ſi teſtamento ſcripta eſſent*, *l. 2. §. 2. D. de jure codicill.* & oſtendere *quaedam*, ut loquitur, *non referri ad confirmationem codicillorum*, hoc eſt, quasdam diſpoſitiones codicillares non referri ad teſtamenta, licet in ipſis teſtamentis confirmentur codicilli. Hoc demonſtrat in cauſa juris, & in cauſa facti: primum exemplum ponit in eo, qui teſtamentum ſcripſerit in urbe, poſtea captus ab hoſtibus codicillos fecerit. Hos codicillos non valere Marcianus ait; nec movere, quod jam ante confirmati ſint: quaedam enim non pertinent ad confirmationem codicillorum. Hoc exemplum eſt in cauſa juris, ut &, quod generaliter addit Marcianus, *idem eſt, ſi aliquo modo jus teſtamenti faciendi teſtator deſierit habere:* puta, ſi furioſus factus ſit; conſtat enim furioſi codicillos non valere, *d. l. 2. §. 3. D. de Jure codicill.* Nec ad rem pertinet, quod in teſtamento, ante a ſanae mentis homine facto, confirmatio codicillorum habeatur; quaedam enim ſunt, quae non referuntur ad confirmationem codicillorum. In cauſa etiam facti hoc comprobat, hiſce verbis: *Praeterea in illis, quae non juris, ſed facti ſunt, non eſt perinde habendum, quod codicillis ſcribitur &c.* Et ſubjicit exempla cauſarum facti, Primum de eo, qui ita legavit in codicillis, *Veſtem quae mea eſt*: Alterum, de eo, qui etiam in codicillis legavit Sejo ſub conditione, *Si Titius vivit, vel ſi tot annorum eſt*; puta ſeptuaginta. Haec exempla docet Marcianus non referenda ad teſtamentum, ſive ad tempus teſtamenti, id eſt, ſpectandum eſſe tempus codicillorum, an eo tempore is, qui codicillos fecit, veſtem haberet, & an eodem tempore Titius in vivis eſſet, vel 70. annorum eſſet; alias non deberi legatum: ſcilicet quod tam in cauſis facti, quam in cauſis juris, quaedam non referantur ad teſtamentum, quamvis ex eo vim omnem ſumant codicilli. Ex quibus colligitur, in exceptione, quam Marcianus tradit, non differre cauſas juris a cauſis facti. Quid eſt igitur, quod Merillius ait, Marcianum hic afferre differentiam inter res facti & res juris? & quorſum iſta ad *hanc l. 7.* res facti eſſe, ut poſſeſſionem, traditionem, venditionem, ſolutionem; res juris, ut hereditatis aditionem & uſucapionem? quas & olim fruſtra Merillius *lib. 2. Obſerv. cap.* 38. O infelices agricolae, qui e male natis ſegetibus praeter culmos & paleas, nihil in horrea conferimus!

Nunc de vitio Cujacii, vel potius de fide Merilliana diſpiciamus! Merillius ait, Cujacium *tractatu 5. ad Africanum, & in Paratitlis Cod. de donat. inter vir. & uxor.* colligere ex *d. l. 7. D. de jure codicillor.* ante Juſtinianum res juris facilius, quam res facti per ratihabitionem confirmari. Eundem autem Cujacium *in recitat. Cod. ad S'Ctum Macedon.* contrarium dicere, nimirum res facti facilius, quam res juris per ratihabitionem confirmari potuiſſe. Falſum eſt, Cujacium *certo tractatu 5. ad Africanum*, hoc ſcribere quod ei Merillius tribuit. Cedo locum, Merilli, & paginam ſigna! De ratihabitione tractat ad *l. pen. D. Rem ratam haberi.* Memorat ibi contentionem Sabinianorum & Proculianorum *Plerique*, inquit, *dicebant, in iis, quae ſunt juris, ratihabitionem retrotrahi; in his, quae ſunt facti, non item.* Caeterum ibi, de ſua ipſius ſententia, nihil! denique falſum eſt, hoc eum colligere ex *hac l. 7. D. de jure codicillorum*, quam non laudat nec attingit ullo modo, ſed *l. 7. D. rem rat. hab.* quae ad rem noſtram non pertinet. Sed nec in *tit. Codicis ad S'Ctum Macedon. dictae leg. 7. D. de jure cod.* meminit Cujacius: nec quidquam illi loco contrarium profert, imo prorſus idem. *Inter juris auctores*, inquit, *hac in re non conveniebat: omnes generaliter ratihabitionem non retroagebant; plerique dicebant, ratihabitione confirmari quae ſunt facti, non quae ſunt juris.* Reſtat locus *Paratitlorum Cod. de Donationib. inter vir. & uxor.* in quo ſcripſit ille quidem ea, quae ſunt juris, retrotrahi olim, non ea, quae facti; arg. *d. l. 7. D. de jure codicill.* Peto edi mihi locum, in quo contrarium ſcripſerit: praeterea dico, ex veterum ſententia ſcripſiſſe quod ibi refert: *ſublata*, inquit, *veterum differentia inter ea, quae juris &c.*

Itaque ſi culpandus in aliquo Cujacius eſt, non in eo plane, in quo impetitur a Merillio; ſed in quo damnandus Merillius ipſe eſt. Hic enim ex profeſſo *legem illam 7. D. de jure codicill.* in eam ſententiam ſic interpretatur, quaſi Marcianus in ea, dif-

differentiam conſtituerit inter res juris & facti, ut res juris, in Codicillis ſcriptae, perinde habeantur ac ſi in teſtamento ſcriptae eſſent; quod Marcianus non cogitavit adſcribere, ſed exceptionem ei regulae, ut initio diximus, potius adjicere voluit.

De quaeſtione autem quid tandem ſtatuit Merillius? *Cujacius*, inquit, *ad tit. Cod. ad SCtum Macedon.* ait, *Res facti facilius, quam res juris, per ratihabitionem confirmari potuiſſe: quod & verius eſt.* Jam fidem feci non eſſe verum, quod de Cujacio narratur. An verius eſt, res facti facilius, quam res juris olim ratihabitione confirmari? Merillius, Auctores, inquit, utriusque ſcholae Sabiniani & Proculejani videntur in eo conveniſſe, ut res facti per ratihabitionem retrotraherentur, ſed Proculejani videntur ſubtilem diviſionem juris & facti introduxiſſe: puta an donatio facta eſſet traditione, quae facti eſt, vel mancipatione, quae juris eſt. Eadem eſſet mihi conjectura. Sed objicienti Conſtitutionem Juſtiniani in *d. l. Donationes 25. Cod. de donat. inter vir. & uxor.* quae non indicat, Proculus ne, an Sabinus diſtingueret ita ſubtiliter: non haberem quid reloqui poſſem, maxime cum ea ſubtilis diſtinctio Sabino potius accepto ferri videatur, *l. 1. §. 14. D. de vi & vi arm.* Ubi Ulpianus: *Sed etſi*, inquit, *quod alius dejecit ratum habuero, ſunt qui putent (ſecundum Sabinum & Caſſium, qui ratihabitionem mandato comparant,) me videri dejeciſſe interdictoque iſto teneri; & hoc verum eſt: rectius enim dicitur in maleficio ratihabitionem mandato comparari.* Apparet hic agi de re facti: porro commendatur, ut rectior opinio, quae cenſebat in hac cauſa ratihabitionem aequiparari mandato; quae cum referatur ad Sabinum & Caſſium, jam illa conjectura deſerenda eſt, & (niſi quid melius proferatur) contraria amplectenda. Rem autem facti facilius per ratihabitionem confirmari potuiſſe, quam rem juris, tanto magis ſtatuam, quod conſtituam, in rebus juris ratihabitionem proprie locum non habuiſſe: quia fieri non potuit, ut quod jure ab initio non valeret, privati hominis voluntate convaleſceret ita, ut retro valuiſſe intelligeretur. Atque ita nuptiae ex poſt facto convaleſcere poterant, ſed liberi juſti demum cenſebantur, qui ſuſcepti erant ex eo tempore, quo revaleſcere coeperant, *l. 65. §. 1. D. de ritu nupt. & l. 6. Cod. de nupt.* In cauſis facti obtinebat, ut res cenſeretur ab initio rite facta, *l. licet 56. D. de jud.* quia in his ſola voluntas ſpectatur, *l. Si fundus 16. §. Si neſciente domino 1. D. de pig. & hypoth.*

DISPUNCTIO XL.

An poſt legem Papiam ſublatum fuerit jus accreſcendi & conjunctionis.

Vel potius,

Cur poſt legem Papiam Jurecunſulti de jure accreſcendi diſputaverint.

JUs accreſcendi eſt incrementum partis ad partem, ſive acceſſio partis alicui delatae, quae, deficiente eo, alteri propter ſuam partem obvenit, vi conjunctionis, velut ex tacita quadam ſubſtitutione. Dixi eſſe incrementum partis, quia in proprietate relicta pluribus, portio deficiens accreſcit portioni ut alluvio, *l. Si Titio 33. §. uſumfructum 1. in fin. D. de uſufr.* Haec acceſſio fit vi & poteſtate conjunctionis; quia conjunctio jungit & colligat in unum conjunctos ita, ut pro uno habeantur, unius perſonae poteſtate fungantur, *l. Plane 34. in pr. D. de leg. 1.* quia in unum corpus redacti ſunt, *l. unic. §. His ita definitis 10. verſ. Sin autem ex his qui disjunctim Cod. de cad. toll.* itaque ex pluribus conjunctis quamdiu vel unus remanet, is ſolus omnium jura retinet. Denique tacita quaedam ſubſtitutio in conjunctis intelligitur, & conjunctus quaſi ſubſtitutus eſt, *l. 3. §. Haec autem 1. D. quibus modis uſufr.* Sed cum triplici modo conjunctio fiat, vel re tantum, vel re & verbis, vel verbis tantum. Re, cum eadem res ſeparatim ſive ſeparata oratione pluribus relinquitur. Re & verbis, cum plures ad eandem rem vocantur iisdem verbis ſeu conjuncta oratione, ut Titius & Maevius heredes ſunto, vel Titio & Maevio fundum illum do lego, vel Titio cum Maevio, vel Titio Maevioque, vel etiam non poſitis, ſed ſubintellectis his articulis, *&, que, cum.* Verbis tantum, cum ad res ſive partes diverſas, plures vocantur. Cum, inquam, tripliciter conjunctio fiat & conjuncti in triplici ſint differentia, ſciendum eſt, eum proprie ac ſimpliciter conjunctum dici, qui re & verbis conjunctus eſt. Paulus, *Nec dubium eſt quin conjuncti ſint, quos & nominum & rei complexus jungit*, & ideo maxime inter conjunctos verſari jus accreſcendi: *praefertur omnimodo caeteris qui re & verbis conjunctus eſt*, *d. l. 89. D. de leg. 3. & l. Sempronius 26. §. ult. D. de uſufr. leg.* Notandum quoque re conjunctos, licet disjuncti ſint, jus accreſcendi habere: quia voluntas teſtatoris in conjunctione reali deprehenditur, ut non fruſtra ad eandem rem plures conjunxerit, *§. Si eadem 8 Inſt. de leg.* Denique obſervandum inter verbis conjunctos non eſſe jus accreſcendi: conjunctionem ſine re non eſſe conjunctionem efficacem ad inducendum jus accreſcendi, *l. pen. D. de uſufr. accreſc.* quia ubi non eſt concurſus ad eandem rem, neque jus accreſcendi eſſe poteſt, *l. Si duobus 2. in pr. D. Quibus modis uſuf.* Portio, ut dictum eſt, accreſcit portioni; ubi igitur ad eandem rem ſive ad eandem portionem non eſt ſpes concurſus, neque eſt jus accreſcendi. At inter verbis conjunctos non eſt ſpes concurſus, *quoniam ſemper partes habent*, ut ait, *d. l. Re conjuncti 89.* Qui per concurſum partes habent ſolidum ab initio quodammodo habent. *Conjunctim heredes inſtitui, aut conjunctim legari, hoc eſt totam hereditatem & tota legata ſingulis data eſſe, partes autem concurſu fieri*, inquit *leu 80. D. de leg. 3*

Ab ea propoſitione (Inter conjunctos re & verbis & conjunctos re tantum eſſe jus accreſcendi) excipiendum eſt; niſi voluntas teſtatoris aliud ſuadere videatur: cujus valuntatis conjectura varie ducitur ex variis cauſis & legandi ſive loquendi modis; ut in legatis per damnationem, in alimentis legatis, in conditione adjecta; ut ſi diverſo jure legatarii ad idem legatum veniant, Ulp. *tit. 24. l. 21. §. ex duobus 2. D. de jure patr. l. 3. §. Sed & ſi conjunctim 3. D. de leg. praeſt. contr. tab.* Excipiendum & legis impedimentum, ut Senatusconſ. Claudian. & Libon. *l. 14. §. 1. D. ad L. Cornel. de falſis.* Sed & ab eo quod dicitur (Inter conjunctos verbis tantum non eſſe jus accreſcendi) excipienda eſt cauſa hereditatis: verborum nuda conjunctio in heredum inſtitutionibus jus accreſcendi non reſpuit, *l. Si ita quis 66. D. de hered. inſtit.* quod jus non decreſcendi potius dici debet; ut, ſi teſtator Primum & Secundum inſtituerit heredes ex aequis partibus, repudiante Primo, Secundus totam hereditatem habebit, ne pars Primi ad legitimos heredes tranſeat, quod jus civile non patitur, *l. Jus noſtrum 7. D. de regul. juris.* Sed & in legatis aliquando conjunctio verbis accipitur pro conjunctione re & verbis; ſcilicet quando juſta praeſumptio eſt, teſtatorem partes adſcripſiſſe, non ut partes quidem conſtitueret, ſed tantum ut oſtenderet, quas per concurſum legatarii haberent; ut ſi Titio & poſtumis pro virilibus partibus legatum ſit relictum: argumentum eſt ideo virilium mentionem feciſſe teſtatorem, quia, ſi plures poſtumi naſcerentur viriles, ferre deberent, ideoque nullis natis poſtumis totum Titio debetur, *l. Si duobus 16. D. de leg. 1. l. 7. & l. 8. D. de reb. dub.*

Tale fuit jus accreſcendi, quod cum, eadem lege, ſublatum ſit in teſtamentariis cauſis ad augenda fiſci commoda, quaeritur, cur, poſt legem Papiam, Jureconſulti anxie adeo atque accurate de eo jure diſpu-

Digitized by Google

diſputent? Cujacius *lib.* 24. *Obſervat. cap.* 34. *Paulus*, inquit, *ſcribens ad legem Juliam & Papiam tractavit de conjunctis heredibus legatariisve, quia fiſco, cujus gratia potiſſimum illae leges perlatae ſunt, ſi moriatur heres vel legatarius vivo teſtatore vel ante apertas tabulas (quae ex cauſa teſtamento relicta in cauſa caduci vel caduca plerumque fiunt) praefertur is, qui mortuo re conjunctus fuit.* Quid valeat haec vox, *plerumque* omnes intelligunt; ſcilicet notat & continet exceptionem quandam ejus, quod vulgo dicitur, legem Papiam abrogaſſe jus accreſcendi. Lex Papia non omnino jus accreſcendi expunxit; utpote quae non habuit locum in pro non ſcriptis, id eſt, in iis, quae relicta eſſent perſonis, jam mortuis tempore conditi teſtamenti, nec in reliquis exceptis perſonis, id eſt, parentibus & liberis usque ad tertium gradum, *l. unic. in pr. Cod. de Caduc. toll.* Quis vero citra calumniam dicere audeat, praeſtantiſſimum Cujacium aut de eo addubitaſſe unquam, aut his contraria docuiſſe?

Merillius tamen contendit, cum tribus in locis dicere jus accreſcendi per L. Papiam ſublatum fuiſſe. Primum locum indicat *lib.* 12. *Obſerv. cap.* 11. Ubi explicans *l. Si ex pluribus* 9. *D. de ſuis & legit.* ſcribit Legem Juliam & Papiam abrogaſſe jus accreſcendi: & addit, Nec enim hanc collationem jus novum patitur, quo inter heredes ſcriptos non verſatur jus accreſcendi. Secundum locum profert ex *Paratitlis Cod. de Caduc. toll.* Ibi *Paulus* (inquit Cujacius) *ſcribens ad L. Papiam de conjunctis tractat. l. Re conjuncti* 89. *D. de leg.* 3. *l. Triplici* 142. *D. de verb. ſignif. Lex Papia tollebat jus antiquum, id eſt, jus accreſcendi, jus conjunctionis ſimplex, exceptis certis caſibus fiſco praelato.* Tertium locum citat ex *Recit. ad eundem Tit. de Cad. toll. in §. His ita defunctis* 10. Ubi iiſdem prope verbis idem Cujacius ait, *Paulus ipſe ſcribens ad l. Pap. accurate tract. de conjunctis in l. Re conjunct.* 89. *D. de leg.* 3. *& l. Triplici* 142. *D. de verb. ſignif. Lex Papia tollebat jus antiquum, id eſt, jus accreſcendi, jus collegii: & recte non tollebat jus ſubſtitutionis.*

Quis ſtatim ad ea, pro Cujacio, non reſpondeat, cum dixit legem Papiam ſuſtuliſſe jus accreſcendi, reſpexiſſe eundem ad finem & ſententiam legis Papiae? Ergo ne ſi regulae cuipiam generali ſubſit exceptio, toties exceptionis mentio fieri debebit, quoties regula proferetur? O miram delatoris curioſitatem! niſi ſciant boni, in generali ſermone pleraque & ſi non dicantur tacite excipi, & ſi quod ſimplicius dictum, civilem adhibendum eſſe interpretationis modum. Sed tractemus ſingula ſigillatim. Quod ad primam objectionem attinet; quid opus fuit in explicanda *d. l. Si ex pluribus* 9. aliud dicere praeter ea, *Lex Papia jus accreſcendi abrogabat, non jus ſubſtitutionis heredibus ſcriptis, non legitimis*: Cujacio ſcilicet, qui artem interpretandi callebat, qui hoc unum demonſtrare volebat, legem Papiam non pertinere ad legitimas hereditates? In quo demonſtrando, qui ſi vel laciniam Rhetoricae teneat, non intelligit nihil attinere, imo multum officere, ſi, quae ad rem non faciunt, exprimantur? Non eſt igitur quod imputetur Cujacio, quaſi variaverit, quod legem Papiam jus accreſcendi heredibus ſcriptis abrogaſſe dixerit. Quis vero non miretur vel audaciam vel caecitatem Accuſatoris in penultimo loco, quem protulit? In quo non pepercit his verbis, *exceptis certis caſibus praelato fiſco.* Quid hoc, *exceptis certis caſibus*? nonne idem atque illud obſervationum, *plerumque*? Quorſum igitur haec commutere! Denique quare non aeque verecundus ac bonae fidei fuit, Merillius, in referendo poſtremo loco ex *recitationibus, ad tit. de Caducis in d. §. His ita defunctis* 10. ubi peraeque Cujacius dixit, *exceptis certis caſibus, praelato fiſco coheredi vel collegatario?*

Ex his porro conſtat, non apte ſatis hoc modo propoſitam abs Merillio quaeſtionem eſſe, An L. Papia jus conjunctionis inter collegatarios ſublatum fuerit. vel An poſt L. Papiam conjunctus fiſco praeferretur. Longeque aptius ita concipi, Cur poſt L. Papiam, de jure accreſcendi Juriſconſulti diſputaverint. Cui ſane quaeſtioni ſtatim ea congruet reſponſio: quia plerumque vel (quod idem eſt) quia certis caſibus jus conjunctionis etiam poſt *d. legem* perſeveraret. Liceat igitur ſubridere ad illa contradictionis verba, *Idem tamen tribus aliis locis ait, jus accreſcendi L. Papia ſublatum fuiſſe!* Imo liceat intercedere huic electioni, *Quod verius eſt!* Falſum etenim eſt, in totum ſublatum fuiſſe jus accreſcendi L. Papia: & illa verba Ulpiani, *Poſt legem Papiam, non capientis pars caduca fit*, non pertinent ad caſus exceptos, exceptasque perſonas; ſpectant ad non capientes, non ſpectant ad capientes. Quaſi vero lex ipſa Papia exceptionem non contineret, ut probat *d. l. unica in pr. Cod. de Cad.* his verbis: *Et cum lex Papia jus antiquum, quod ante tamen omnibus ſimpliciter verſabatur ſuis machinationibus & anguſtius circumcludens, ſolis parentibus & liberis usque ad tertium gradum ſi ſcripti fuerunt heredes, ſuum imponere jugum erubuit.* & infra in §. 3. *In primo quoque ordine, ubi pro non ſcriptis efficiebantur ea, quae perſonis, jam ante teſtamentum mortuis, teſtator donaſſet, ſtatutum fuerat, ut ea omnia manerent apud eos, a quibus fuerant derelicta, niſi vacuatis vel ſubſtitutus ſuppoſitus &c.* Merillius ait: Ideo Paulus de conjunctis egit, quia in aliis caſibus, qui ad leges iſtas non pertinebant, jus conjunctionis remanſerat. Atqui hoc recidit in id, quod Cujacius docuit! cum dixit Paulum & alios Juriſconſultos poſt leg. Papiam de jure accreſcendi diſputaſſe, quod lex Papia certis caſibus illud non abrogaſſet; niſi quod hoc ſermone non eſt uſus [*in aliis caſibus, qui ad leges iſtas non pertinerent*] cum ſciret exceptionem omnem eſſe de regula, qui ſaepius Tullianum illud in *Orat. pro Balbo*, uſurpavit, *Si exceptio facit ne liceat &c.*

Supereſt, ut de *lege Re conjuncti* 89. *D. de leg.* 3. quam hic tractavit Merillius, & nos diſſeramus. Textus eſt: *Re conjuncti videntur non etiam verbis, cum duobus ſeparatim eadem res legatur, item verbis non etiam re, Titio & Sejo fundum aequis partibus do lego; quoniam ſemper partes habent legatarii. Praefertur igitur omnimodo caeteris, qui & re & verbis conjunctus eſt. Quod ſi re tantum conjunctus ſit; conſtat non eſſe potiorem: ſi vero verbis quidem conjunctus ſit, re autem non; quaeſtionis eſt, an conjunctus potior ſit? Et magis eſt, ut & ipſe praeferatur.* In ea verro explicanda, quid non peccatur vulgo, dum verbis conjunctum volunt eſſe re & verbis conjunctum? quo confictu, certam definitionem occultant, verba mentemque Jureconſulti contorquent ac deſtituunt. Parcant mihi manes magni Cujacii, qui ſubtiliter admodum, forte non ita vere, & poſt eum Merillius, quos primo facit conjunctos verbis tantum, poſtmodum re & verbis conjunctos fingit! *Si vero*, inquit Merillius, *legatarii ſunt conjuncti verbis tantum, aliis praeferuntur hac l.* 89. *veluti cum teſtator ita legaverit; Titio & Maevio fundum Cornelianum do lego: Sejo fundum Cornelianum do lego: Cajo & Sempronio fundum Cornelianum aequis partibus do lego. Si Sempronius defecerit, in parte Sempronii Cajus caeteris praefertur; quia alii tantum re conjuncti ſunt cum Sempronio, hic autem re conjunctus eſt & praeterea verbis.* Ecce, dicit Cajum cum Sempronio conjunctum re & verbis, quem ante dixit verbis tantum conjunctum! Et cum efficit ex *d. l.* verbis tantum conjunctum caeteris potiorem eſſe (quo in errore fuerunt Zaſius, Alciatus, Duarenus & alii plerique) aperte impugnat *d. leg. Re conjuncti* 89. cujus ſcopus ac ſententia eſt, demonſtrare conjunctum, id eſt, re & verbis conjunctum potiorem eſſe verbis conjuncto.

Dicat forte Merillius, ſe non ſimpliciter conſtituere verbis conjunctum potiorem eſſe re & verbis con-

conjuncto, quem optime omnium ſciat ſimpliciter conjunctum eſſe ac dici: ſed hoc ſe aſſerere, verbis conjunctum in ſpecie *d. legis Re conjuncti* 89. habendum eſſe pro conjuncto re & verbis; quod ſubfugium & ab aliis eſt quaeſitum fruſtra. Enimvero, licet interdum eveniat conjunctionem verbis haberi pro duplici, hoc tamen ita non eſt ſemper: nec niſi ubi ex mente teſtatoris id colligi poteſt, ut in ſpecie *legis Si duobus* 16. §. *ult. D. de leg.* 1. Profecto ita non eſt in quaeſtione propoſita a Jureconſulto, citra ſcripturam ullam teſtatoris; cujus dubiis mentis ſententia varias judicum conjecturas ciere poſſit. Cum in verbis nulla ambiguitas eſt, non debet admitti voluntatis quaeſtio, *l.* 25. *in fin. D. de leg.* 3. Non eiſdem loris & fraenis reguntur pariter omnes equi. Non ubicunque verbis conjunctos videas, ſtatim dicendum, eſſe re & verbis conjunctos, utjus accreſcendi habeant: alioquin expungendum ſit illud axioma, verbis conjunctos non habere jus accreſcendi, *l.* 1. *in pr. & l. pen. D. de uſufr. accreſ.* In *d. l. Re conjuncti* 89. propoſitus tribus conjunctionis generibus, alienum ab arte fuit, de tertio genere nihil dicere: quod tamen factum debent fateri, ſi quod de tertio illo genere, id eſt, de verborum conjunctione dicitur, referant ad conjunctionem re & verbis. Vis videre, quam ſit hoc non tantum ſterile, ſed etiam dictu ridiculum? Liquebit, ſi quaeſtionem Pauli ita reſolvas: An conjunctus re & verbis potior ſit re & verbis conjuncto; quod ridiculum eſt.

Nam verbis conjunctum Merillius & caeteri cum hic habeant pro conjuncto re & verbis, conſequens eſt quaeſtionem ſecundum eos ita proponi, An conjunctus re & verbis re & verbis conjuncto potior ſit. Itaque quod Paulus ſibi vult hoc ſermone, *Si vero verbis quidem conjunctus ſit, re autem non, quaeſtionis eſt an conjunctus potior ſit*, nihil aliud eſt, quam quaerere, An conjunctus, id eſt, re & verbis conjunctus, potior ſit verbis conjuncto. Et quia praemiſerat Paulus re & verbis conjunctum omnimodo praeferri caeteris: ita hoc abſolvit *magis eſſe ut & ipſe praeferatur*, id eſt, praeferatur verbis tantum conjuncto. Apage ergo gloſſema iſtud (verbis conjunctum hic habendum pro re & verbis conjuncto) cum Paulus aperte loquatur de eo, qui conjunctus ſit verbis, re autem non! Denique hanc noſtram expoſitionem tria confirmant. 1. Quod verbum conjunctus, ut jam praemiſimus, in jure ſignificet re & verbis conjunctum. 2. Quod propoſita, ut volunt, quaeſtione de verbis conjuncto, recta ratio haec verba deſiderat *quaeſtionis eſt an ipſe potior ſit*, non iſta, *an conjunctus potior ſit*. 3. Poſtremum, quod falſa ſit ſubjecta reſponſio in conjuncto verbis: qui cum interpretative tantum ſit re & verbis conjunctus, non poteſt intelligi potior eſſe ei, qui palam ſit re & verbis conjunctus, propter vim expreſſorum, quae tacita ſemper vincunt, ut expreſſa ſubſtitutio praevalet tacitae & excludit jus accreſcendi, *l. qui plures* 23. *D. de vulg. & pup. ſubſt.* Quod ſi Merillio haereat ſcrupulus de verborum nuda conjunctione, quae dicitur non parere jus accreſcendi, ut nulla videatur ſubfuiſſe dubitandi ratio: cogitet (me admonente) Tribonianum *hanc leg. Re conjuncti* 89. transtuliſſe ab hereditatibus ad legata, ut docet inſcriptio & collatio *d. legis* §. *Triplici modo* 142. *de verb. ſig.* ut omnino ſpeciem fingere debeamus hoc modo. Teſtator, id eſt, pater filios inſtituit ita: Primus & Secundus heredes ſunto: Secundus & Tertius heredes ſunto ex aequis partibus. Quartus heres eſto. Quaeritur de parte ſecundi, quia deficit, cui accreſcat? Paulus demonſtrat ſoli Primo accreſcere. Theſim ac regulam ſive definitionem praemiſerat, *Praeferri omnimodo caeteris, qui & re & verbis conjunctus eſt.* Hanc commonſtrat & in hypotheſi verum eſſe. Movebat quod omnes pariter re conjuncti viderentur, quia de hereditate agitur. Planum hoc erat, Quartum non poſſe praeferri caeteris. *Quod ſi re tantum conjunctus ſit*, inquit Paulus, *conſtat non eſſe potiorem.* At ſaltem dubium erat an cum caeteris admittendus eſſet, quia pariter cum iis re conjunctus eſſet. Sed ratio facit, ut conjunctus, id eſt, Primus, qui Secundo conjunctus erat, re & verbis illi Quarto praeferatur. Quid vero de Tertio dicetur, quem verbis tantum conjunctum Paulus dicit, quia partem a parte ſecundi diviſam accepit? Quaeſtionis eſt, An & conjunctus, id eſt ille idem Primus potior ſit eo. Paulus ait, *li magis eſſe ut & ipſe praeferatur.* Dubitatio erat, quia verborum nuda conjunctio in hereditatibus teſtamentariis non ſit ſine effectu. Ratio vero decidendi eſt in potiore jure duplicis conjunctionis.

Caeterum ne movearis, quod conjunctiones explicuerit Paulus vel Tribonianus in exemplis legatorum, ſpeciem vero poſuerit in hereditate teſtamentaria: non eſt novum, non dicam Tribonianum, ſed & ipſos etiam auctores continuam varia permiſcere, & ſub titulis legatorum, de hereditatibus addere nonnihil, ut *l.* 80. *D. de leg.* 3. *l.* 52. *D. de leg.* 2.

DISPUNCTIO XLI.

De interpretatione *l. legata* 41. *D. de condit. & demonſt.* An in ea verbum, *delegari*, tranſmitti ſignificet, vel cedi.

TExtus *legis* habet: *Legata ſub conditione relicta non ſtatim, ſed cum conditio extiterit, deberi incipiunt; ideoque interim delegari non potuerunt.*

Hujus legis ſententia, quia multiplices effectus habet, variis etiam ſpeciebus inſervire poteſt. ut contingit in ſimilibus regulis, quae cum generales ſint, ad plures hypotheſes referuntur. Non mirum igitur, ſi praeſtantiſſimus Antecesſorum magiſter, *hac l.* 41. uſus ſit ad diverſa comprobanda. Uſus ea eſt in *l.* 3. *D. de regul. Catonian.* ut ex ea probaret, ad heredem non tranſmitti legatum conditionale. *Eadem l.* vir doctiſſimus uſus eſt in enarratione *legis Quae legata* 18. *D. de reg. jur.* (cujus loci non meminit accuſator) ut ex ea obiter comprobaret, patri per filium legatum conditionale ſtatim non acquiri. Ea inſuper uſus eſt ad *l. unic.* in §. *Sin autem* 7. *Cod. de cad. toll. Legatarius*, inquit, *moriens pendente conditione legati, heredi ſuo nihil relinquit, & hoc Graecis viſum eſt velle legem Legata* 41. *D. de cond. & dem.* Pergit Cujacius: *Graeci*, inquit, *qui d. l. interpretantur* παραπέμπεσθαι, *ita videntur verſum illum accepiſſe, ut interim tranſmitti non poſſint legata conditionalia in heredem. Verum melius eſt, ut verbum, delegari, accipiamus proprie, ut ſcilicet conditionalia legata, dum pendet conditio, non poſſint cedi.* Dico, nullam hic variationem eſſe, cum ex duabus interpretationibus melior aeſtimatur variationem tunc tantum eſſe, ſi antea Cujacius dixiſſet, melius eſſe, ſi verbum delegari, pro tranſmitti, accipiendum.

Merillius autem, quia data opera facit interpretationem illius verſiculi, *Ideoque interim delegari non potuerunt*, quid praeſtet, videamus. Et hoc, inquit, magis probarem; ſcilicet verbum delegari accipi proprie, pro cedi, & mandari. tum quia verbum delegari proprie ſumitur, tum quia major ſubeſt dubitatio. Quibus enim ſub conditione legatum eſt, hi in poſſeſſionem mittuntur legatorum ſervandorum cauſa. Item legatum quamvis conditionale, in ſtipulationem Aquilianam deduci poteſt; item novari poteſt. Sed (ita ſibi ſatisfacit Merillius) ideo non fit miſſio in poſſeſſionem quaſi debeatur, & tale quale eſt in ſtipulationem deducitur: at cum alii legatum conditionale delegatur, quaſi jam debitum delegatur, *l.* 11. *D. de novat.* Placet electio & diſplicet,

diſplicet ratio. Quis enim Merillio renunciavit legatum conditionale cum delegatur, quaſi jam debitum delegari? Non hoc docet *l.* 11. *D. de novat. Delegare*, inquit, *eſt vice ſua alium reum dare creditori*, quaſi vero, & non reus ille dicatur, qui ſub conditione debet? *l.* 7. *D. de duob. reis conſtit.* Quaſi & qui nihil debet, non poſſit delegari? *l.* 9. §. *Si quis* 1. *D. de condict. cauſa data.* Ego vero cenſeo, id, quod ſub conditione debetur, poſſe volenti creditori delegari. Finge; debeo Titio centum, & quidem pure: Sejus mihi centum debet, verum ſub conditione: volenti Titio delegavi Sejum; Sejus ſtipulanti Titio centum promiſit & quidem animo novandi. Sane delegatio valet, licet non ſtatim novatio fiat, ſed tunc, cum conditio exiſtet, *l. quoties* 14. §. 1. *D. de novat.* At ſtipulatio pura eſt? ita quidem ex verborum figura, ſed ad conditionem redigetur, ut plerumque fideicommiſſum purum ad conditionem redigitur, *l.* 44. *D. de bonis libertorum.* Ex delegatione mea poteſt is, qui mihi pure debet, creditori meo ſub conditione promittere, *l. Pecuniam* 36. *D. de reb. cred.* quare igitur, qui debet ſub conditione, ex delegatione mea idem non faciet? At forte aliud in legatis conditionalibus? Non aliud fere. Nam & legata conditionalia in ſtipulatum deducta novantur aeque, id eſt, non ſtatim, ſed cum conditio exiſterit, *l. Si Stichum* 8. §. 1. *D. de novat.* Quid igitur eſt quod Ulpianus in *d. l.* 41. *D. de condit. & demonſt.* ait, *delegari non potuerunt?* Accurſius; *Non potuerunt*, inquit, *ut ſtatim delegatio ac per eam novatio ſortiretur effectum.* Optime! Itaque in *d. l.* 41: advertendum eſt his verbis, *delegari non potuerunt*, ineſſe facti ſpeciem de debitore Maevii, cui cum teſtamento Seji varia ſub conditione legata relicta eſſent, iſque heredem Seji Maevio creditori ſuo delegaſſet, heres autem ſtipulanti Maevio novandi animo quantitates omnes, quae legatis continebantur daturum ſe promiſiſſet, mortuo legatario pendente conditione legatorum; quaeſitum eſt, an heres teneretur? Reſponſum eſt non teneri. Dubitationem faciebat, quod jure novationis ex nova ſtipulatione deberi videbantur quae ex veteri cauſa, id eſt, ex teſtamento olim debita erant, *l. Cum filius* 76. *D. de leg.* 2. At ratio decidendi eſt, quod conditio legatorum ineſſe intelligitur illi ſtipulationi, *d. l. Si Stichum* 9. §. 1. *D. de novat.* proindeque, mortuo ante conditionem exiſtentem legatario, quae ab herede promiſſa ſunt, non debentur, quia non potuerunt delegari cum effectu ut delegatio pro pura haberetur.

An vero idem eſt, ſi Titius creditor debitorem ſuum, qui ſub conditione ei debebat, Primo creditori ſuo delegavit, idemque ante quam exiſteret conditio, deceſſerit; mox vero conditio extiterit? Dico fere idem. Idem enim eſt, ut non niſi exiſtente conditione perficiatur novatio & delegatio, *l. Qui decem* 72. §. 1. *D. de ſolut.* At non idem, ut extinguatur nova ſtipulatio morte Titii; quia perinde apud ejus heredem ſtipulationis conditio exiſtere poteſt, *l. Novatio* 24. *D. de novat.* Ergo utroque caſu, exiſtente conditione vivo legatario vel creditore, qui delegationem fecerit, expeditum eſt novationem ac delegationem perfici, & verum eſt, legata ac fideicommiſſa conditionalia hoc ſenſu delegari poſſe: ne ſi hoc negamus, omnium utilitates impediamus. In ſumma, inutilis eſt delegatio legatorum, moriente legatario pendente conditione, quia mors legatarii contingens ante conditionem exiſtentem legatum extinguit, *l.* 1. *D. de cond. & dem.* Non moriente, non eſt inutilis: quia dominium ei acquiritur & delegatio convaleſcit, ut dicitur convaleſcere pignus rei alienae dominio, poſtea debitori quaeſito, *l.* 1. *D. de Pignorib.*

DISPUNCTIO XLII.

An patronus poſſit remittere debitam portionem in bonis liberti.

PAulus in *l. Patronus* 60. *D. ad SCtum Trebell.* ait: *Patronus ex debita portione heres inſtitutus, ſextam partem reſtituere rogatus, reſtituit: non tranſeunt ex Trebelliano actiones, quoniam non fuit debitum, quod reſtituit. Et ideo ſi per errorem fecit, etiam repetitur.*

Quaeſtio eſt, an poſt mortem liberti teſtati patronus debitam ſibi portionem remittere poſſit? Nullus ne Merillius quidem dubitat, quin ſolutum repetere non poſſit: cautam vero, an ſolvere teneatur, hoc unum quaeritur. Finge patronum a liberto inſtitutum ex ſemiſſe (quae pars ei juribus debetur, qua non relicta, bonorum poſſeſſionem patronus habet contra tabulas liberti) rogatum unicam reſtituere, eam unicam ſtipulanti fideicommiſſario poſt mortem liberti promiſiſſe. An tenetur ex ea ſtipulatione; an non tenetur, ita ut cautionem ejuſmodi condicere poſſit? Cujacius putat non teneri in *expoſit. Novellae* 1. *de heredib. & falc.* Debetur, inquit, haec portio reverentiae patroni: idcirco non eſt arctandus, ut eam invitus omittat, etiamſi promiſerit.

Merillius hanc ſententiam amplectitur. Hoc, inquit, expreſſum eſt, *l. Si patronus* 20. *D. de donat.* Et ut videatur de ſuo aliquid conferre, reſpondet ad *l.* 46. *D. ad L. Falcid.* quae ait: *Qui quod per Falcidiam retinere poterat, voluntatem teſtatoris ſecutus ſpopondit ſe daturum, cogendus eſt ſolvere.* Reſpondet, legem Falcidiam reſpicere tantum privatam utilitatem heredis: at reverentiam patronalem ſpectare ad jus publicum, quod privata cautione remitti non poteſt. Mihi contra videtur. Et ut Merillianam potiſſimum inſectetur rationem, dico. Heres ſi caverit ſe non uſurum Falcidia, ex ſua promiſſione tenetur, *d. l.* 46. *D. ad l. Falcid.* At in l. Falcidia non tantum juris publici ratio verſatur, atque ac in Edicto Praetoris & in L. Papia (jus publicum verſatur in omnibus legibus) imo longe latius patet, *l. Quod bonis* 15. §. 1. *D. ad l. Falcid.* ubi Papinianus: *Frater*, inquit, *cum heredem ſororem ſcriberes, alium ab ea, cui donatum volebas, ſtipulari curaſti, ne Falcidia uteretur, & ut certam pecuniam ſi contra feciſſet, praeſtaret. Privatorum cautione legibus non eſſe refragandum.* Ex hoc textu apparet, jus publicum verſari in l. Falcidia. At poſt mortem teſtatoris ubi jus delatum eſt heredi, quemadmodum jam non publici juris ratio habetur, ſed privati: ita poſt mortem liberti ubi ſemis patrono debetur, jam legis Papiae publica ratio ceſſat, & privata ratio ipſius patroni agitur de qua, ut de re alia quacunque ſua ſtatuere poteſt, cum unicuique liceat ſui juris perſecutionem, aut ſpem futurae perceptionis deteriorem conſtituere, *l. Pactum* 46. *D. de pactis.* Ergo ne patronus invitus ſuſcipiet legis beneficium? & quod ei lex, ſua cauſa dat, non licebit ei, eo non uti? Heredi, qui conſulto Falcidiam non detraxit, non datur indebiti condictio, *l. Error* 9. *Cod. ad l. Falc.* Idem eſt in patrono, qui ſciens prudens ex parte ſua aliquid reſtituit, *d. l.* 60. *D. ad SCtum Trebell.* non autem hoc, alia ratione, quam illa generali, quod liceat unicuique de ſuo commodo detrahere. Nullus legis in fraudem fit, ſi quod adquiri poteſt omittitur; quanto magis ubi acquiſitum eſt, quidni liceat erogare, donare, perdere, pro derelicto habere? Dicat Cujacius, dicat & Merillius, quod a ſciente ſolutum ſit, ſe concedere, id non poſſe repeti: non eſſe idem in cautione. Sed audiant Maecianum! *Fideicommiſſum*, inquit, *in ſtipulatione deductum tametſi non debitum fuiſſet, quia tamen a ſciente fides explendae cauſa promiſſum eſſet, debetur*, *l.* 62. *D. de condict. indeb.* Rurſus dicat Merillius: haec

in herede, ut quartam ſuam, quam ex l. Falcidia habet, aut quartae partem, per fideicommiſſum relictam ſtipulanti fideicommiſſario promittat: non vero in patrono admittendum. Rurſus audiat Juriſconſultum in *l.* 40. §. 1. *D. de jure fiſci: Patronus ſi tacite in fidem ſuam recipiat, ut ex portione ſua praeſtet, ceſſare fraudem dicitur, quia de ſuo largitur.* Ex hoc loco efficio & probo, quod praemiſi, in lege Falcidia latius patere juris publici rationem, quam in lege Papia. Non poteſt enim heres in tantum obſequioſus eſſe teſtatori, ut in fraudem legis Falcidiae teneatur ei morem gerere, jubenti non retinere Falcidiam: *privatorum cautione legibus non eſſe refragandum conſtitit.* At vero patronus, vivo teſtatore, fidem ſuam aſtringere poteſt de praeſtando fideicommiſſo; nec intelligitur contra legem facere, quia de ſuo largitur. Ergo non magis; imo minus publica ratio eſt in patrono, quam in herede. Et ſane, in portione reverentiae patronali debita, juris publici ratio, quae eſt, ſolos ſpectat patronos: in l. Falcidia, teſtatorum atque heredum omnium cauſa verſatur. Patronus quisque poteſt inter vivos jus ſuum remittere, *l.* 3. *Cod. de bonis libert. ut liberti a jure patronatus liberentur*, inquit Juſtinianus: quem locum cum verſaret aliquando magnus magiſter, haec dicebat [*Remitto jus patronatus*] *oratio eſt privati hominis propria. lib.* 8. *Obſerv. cap. illo* 32. quod incipit a formidoloſa hac increpatione, *Accepi dergos neſcio quos imitatores, qui ſcribendi prius, quam diſcendi celeritate praecipiti miſere volvuntur, &c.* quam objurgationem ſcio, nonnullos a ſcribendo deterruiſſe Deceſſores noſtros, qui tamen hodiernis multis ſcriptoribus meliores erant. Si jus patronatus remittere patronus poteſt, dubio procul ſemiſſem ei debitum aut ſemiſſis partem donare poterit, interveniente ſtipulatione, qua confirmandae liberalitatis ſuae cauſa ad dandum ſe adſtringat: nec enim minus conſulto dare intelligitur, qui ſtipulanti promittit, quam qui accipienti tradit. Porro cujus per errorem dati repetitio eſt, ejus conſulto dati repetitio non eſt, quia donatio eſt, *l. Cujus* 53. *D. de reg. jur.* Sed & adverſus Cujacium idoneum niſi fallor argumentum deſumi poteſt ex *l. Si quando* 35. §. *Illud etiam* 1 *Cod. de inoff. teſtament.* ubi nec filius quidem teſtatoris admittitur, ſi poſt mortem ejus cum heredibus extraneis pactum fecerit, quo patris judicium agnoſceret; non admittitur, inquam, ad querelam inofficioſi teſtamenti. Non eſt patroni perſona favorabilior perſona filii. Ergo ſi poſt mortem liberti ſtipulatione ſe patronus adſtrinxerit, contra pactionem ſuam venire non poterit. Non eſt melior cauſa patronorum, quam filiorum, niſi ſicubi patronis jure ſingulari proſpectum eſt, ut l. Aelia Sentia, & Edictis Fabiano & Calviſiano.

Non moveor *l. Si patronus* 20. *D. de donat.* in qua Marcellus; *Si patronus*, inquit, *ex debita parte heres inſtitutus, & libertus ſibi ejus commiſit ut quid daret, & hoc ſtipulanti fideicommiſſario promiſerit, non erit cogendus ſolvere, ne pars ex legibus verecundiae patronali debita minuatur.* Dico enim *hanc legem* intelligendam eſſe de patrono, qui non poſt mortem liberti, ſed vivo atque exorante eo, ut caveret confideicommiſſario de praeſtando fideicommiſſo, verecunde non eſt auſus coram in os id recuſare liberto ſuo: quapropter, ei poſtea ſubvenitur, & ejus verecundiae parcitur, ut non cogatur ſolvere. Hoc ſuadet verbum *verecundiae*. Pudor enim, timiditas, ac verecundia maxime apparent in colloquendo & in conſpectu eorum, qui a nobis quid flagitant. Senec. *Ep.* 1. *Locutus eſt mecum amicus tuus bonae indolis. Ubi ſe collegit, verecundiam (bonum in adoleſcente ſignum) vix potuit excutere.* Ita vero magnum Cujacium exaudiſſe aliquando & enarraſſe *d. l. Si patronus* 20. (ſi pura eſt ejus recitatio ex *libro* 11. *quaeſt. Pauli*) agnoſco: ſed inde nefas mihi & Merillio dicere eum variaſſe, quia pura ne ſit illa, neſcimus; non vulgaſſe eum, certo ſcimus.

DISPUNCTIO XLIII.

An ob ſcientiam tutoris, dies petendae bonorum poſſeſſionis cedant pupillo.

CErta praefinita ſunt tempora petendae bonorum poſſeſſionis, liberis, anni: extraneis, centum dierum; non ex quo is, de cujus bonis agitur, mortuus eſt, ſed ex quo ſcivit is, ad quem bonorum poſſeſſio pertinet, *l.* 2. *Cod. qui admitti ad bon. poſſeſſion.* Quaeritur de impubere patrefamilias & de impubere filiofamilias, quibus tutores & parentes (in quorum ſunt poteſtate) bonorum poſſeſſionem petere poſſunt & ſolent; An ob ſcientiam tutoris aut patris, dies petendae bonorum poſſeſſionis eis cedant. In *l.* 7. §. 1. *De bon. poſſ.* Ulpianus ait: *Impubes nec bonorum poſſeſſionem admittere, nec judicium accipere ſine tutoris authoritate poteſt: quia tutor pupillo & pater infanti filio bonorum poſſeſſionem petere poſſunt. Dies, quibus tutor aut pater ſcit, cedere placet:* hic aenigma; quale illud,

Ajo te, Aeacida, Romanos vincere poſſe.

Nam ambiguum eſt, cedant ne dies impuberi, an patri & tutori. Neque tamen opus vate. Ulpianus enim, cum de patre & de tutore loquatur, quos ait petere poſſe bonorum poſſeſſionem pro filio & pro infante, conſequenter videtur ſcribere, dies cedere, quibus tutor aut pater ſcivit, ut ſcientia ſua excludantur ab ea facultate petendae alii bonorum poſſeſſionis. De quaeſtione tandem quid dicendum? An ſcientia patris nocebit filio? an tutoris nocebit pupillo? Hic invocandus Apollo! Merillius enim varium nobis Cujacium facit, dum ſcribit eum *in recitationib. tit. de bon. poſſ. ad d. leg.* 7. §. 1. dicere, neque pupillo neque filio nocere ſcientiam patris aut tutoris, nec diſtinguere inter tutorem & patrem; alibi vero tribus in locis, dicere ſcientiam tutoris nocere pupillo, non patris, filio, *lib.* 14. *Obſerv. cap.* 8. *ad l.* 1. *in fin. D. de bon. poſſ.* lib. 15. Quaeſt. Pap. *& ad l. ult. de jure & facti ign.* lib. 6. reſp. Pap. Imo vero ubique locorum mens Cujacii eadem fuit, ſed ut menda pleraque obrepſerunt *in recitationibus*, non eſt dubitandum inconſulta alicujus opera haec verba *in d. recitatione ad l.* 7. *D. de bon. poſſeſſion. ſub finem, non pupillo* adjecta fuiſſe. Cujacius ibi: *At ex quo tempore cedant centum dies petitionis patri vel tutori? Cedent ex eo tempore, quo ſciverit pater vel tutor, praeteritis centum diebus non petent. Cedent autem patri vel tutori, non filio:* adjectum eſt *non pupillo*, proſequitur Cujacius: *Nam ſcientia patris non nocet filio, l.* 3. *D. Quis ordo in bon. poſſ l.* 1. §. 1. *tit. ſecundo infra. Sic eſt finis hujus legis accipiendus, accedere patri videlicet vel tutori, non filio. Hic mihi non Delius natator, non Δήλιος κολυμβητὴς* invocatur. Te unum volo Merilli,

Si capias noſtram deriſo numine mentem.

Capies. Capient & qui naſum Rhinocerotis habent. Si pupilli parem Cujacius facere voluit cauſam cum filiofam; cur poſt haec, *nam ſcientia patris non nocet filio*, ſubſtitit? nec adjecit, nec ſcientia tutoris nocet pupillo? Cur authoritatem ad unum confirmandum quaeſivit, ſi de utroque dictum voluit? Denique in hac concluſione: *Sic eſt finis hujus legis accipiendus, cedere patri videlicet vel tutori, non filio:* cur non meminit pupilli? Sint haec argumenta adjectitiorum illorum verborum *Non pupillo.*

Quae vero argumenta ſunt Cujacii, ut adprobet tutoris ſcientiam nocere pupillo? Tutor, inquit, (1) comparatur actori Civitatis & Reſpublica pupillo, *l.* 78. §. 2. *D. de legat.* 2. *l.* 3. *Cod. de jure Reip.* At dies, quibus actor ſcivit, cedunt municipibus, *l.* 14. *D. ad municip.* (2) Impuberes ſine tutore agentes nihil

hil

hil ſcire dicuntur, *l. ult. D. de jur. & facti ignor.* ergo cum tutore agentes intelliguntur ſcire ea, quae tutor ſcit. (3) Scientia tutoris in pleriſque aliis cauſis pupillo nocet, *l. 4. D. de tribut. act. l. non ſolum 22. §. pen. D. de liberali cauſa. l. 4. §. illa 23. D. de doli mali & met. except.* (4) Poſtremo: Non ſcriptum ſemel, patris ſcientiam non nocere filio, quod ad differentiam tutoris notatum ſatis videtur.

Merillio, qui in alia ſententia eſt, & confidenter ſcribit neque patris neque tutoris ſcientiam nocere filio & pupillo, nonne incumbebat Cujacianis hiſce rationibus occurrere? Porro ipſi Merillio reſpondere facile eſt, cum hoc unum objicit, ſcientiam alterius non nocere, nec in petendis bonorum poſſeſſionibus ignorantiam prodeſſe, quod confirmat, *l. 5. D. de juris & facti ign.* Primum enim dici poteſt, tutoris ſcientiam eſſe ipſam pupilli ſcientiam, arg. *leg. ult. D. eod. tit.* Deinde regulam illam *legis 5.* non pertinere proprie ad bonorum poſſeſſiones: ſed referendam ad l. Juliam & Papiam de maritandis ordinibus; ut ſuadet Epigraphe, quae monſtrat deſumptam eſſe ex libro 2. Terentii Clementis ad l. Juliam & Papiam. Extant legis Juliae capita in *l. 44. D. de ritu nupt.* Ne Senatores, neve Senatorum per maſculos liberi ſponſalia vel nuptias ſcientes haberent cum iis, qui artem ludicram facerent, aut feciſſent, parentesve eorum. In his cauſis non debuit patris ſcientia nocere filio, nec ignorantia prodeſſe, ut in Edicto Praetoris de iis, qui notantur infamia: ſi intra luctus tempora filiusfam. duxerit uxorem, notatur infamia pater aut filius, qui ſcivit, *l. liberorum 11. §. ult. D. de iis qui not. inf.* At iniquum fuit, ſcientiam alterius alteri nocere: & ita recte Terentius Clemens in *d. l. 5. Iniquiſſimum videtur, cuiquam ſcientiam alterius quam ſuam nocere: vel ignorantiam alterius alteri profuturam.* Si extra proprios caſus regulam trahas, facile perdit officium ſuum, ut *l. 2. in pr. D. de litigioſ. & l. 16. § 3. D. de liberali cauſa.* Nihil igitur ad quaeſtionem facit illa regula, quae non magis pertinet ad ſcientiam tutoris in iis, quae pupillum contingunt, quam ad ſcientiam ſervi aut filiifam. in iis, quae patri vel domino acquiruntur.

DISPUNCTIO XLIV.

An Magiſtratus municipales habuerint pignoris capionem.

Cujacius (inquit Merillius) ait *in Paratitlis Cod. de modo mulctar.* omnes magiſtratus, qui publice judicium exercent, mulctae dictionem & pignoris capionem habere. Non excipit magiſtratus municipales, ſed tantum defenſores plebis. Ergo ſentit magiſtratus municipales mulctae dictionem & pignoris capionem habere.

Quid opus eſt operoſiore Dialectica ei, cui non imparis ſunt auctoritatis opera Cujacii poſtuma, ac priora? Hoc *ad Papinianum 1. ad l. 1. D. de off. ejus cui mand. &c.* aſſeruit his verbis: *Non poteſt etiam magiſtratus municipalis jurisdictionem ſuam tueri poenali judicio, quod proponitur in Tit. Siquis jus dicenti &c. fateor haec ei denegantur: ſed an ideo eſt expers mixti imperii? minime! Nam pignoris habet capionem & modicam coercitionem &c.* Nec eſt, quod ei opponantur Notae illae nuperae, quas, ut alias diximus, Bibliopolae ab aliis collectas Accurſianis gloſſis admiſcuerunt. Sed nec ſi dicamus eas germanam eſſe Cujacii prolem, quidquam continent, quod non poſſit componi cum priore dicto Cujacii. Nam qui hoc dicit, magiſtratui municipali non eſſe jus capiendi pignoris, hoc ſe intelligere dicere poſſit, non ei eſſe ejus, ſi ei denegatum ſit: ut eſt in *l. 25. D. ad municipalem: Omnia habet magiſtratus municipalis, cui nominatim nihil denegatum*; vel hoc dicere, non eſſe ei jus capiendi pignoris ſine juſſu Praeſidis, ut ipſe docuit Cujacius in *l. Nominatori 11. Cod. de pig.* idque ſecundum verba *d. l. Nominatori pignori capere ſine Praeſidis auctoritate res nominati non licet.* Caeterum ſatis abundeque ſufficere poſſint quae de hoc argumento ſupra diſputata ſunt, *diſp. 3. & 4.* neque his conditionibus utor, ut iterum ad Pythum viam rogitem: αὖθις αὖ πάλιν ἰδ.

DISPUNCTIO XLV.

An nota ſit Marcelli vel Triboniani in *l. Duobus 30. D. de liberali cauſa.*

Julianus ait: *Duobus petentibus hominem in ſervitutem pro parte dimidia ſeparatim, ſi uno judicio liber, altero ſervus judicatus eſt; commodiſſimum eſt, eo usque cogi judices donec conſentiant. Si id non continget, Sabinum refertur exiſtimaſſe, duci ſervum debere ab eo, qui viciſſet. Cujus ſententiae Caſſius quoque eſt, & ego ſum. Et ſane ridiculum eſt arbitrari, eum pro parte dimidia duci, pro parte libertatem ejus tueri. Commodius eſt autem favore libertatis, liberum quidem eum eſſe; compelli autem pretii ſui partem viri boni arbitratu victori ſuo praeſtare.*

Quaeſtio facti haec eſt, An haec verba, *Commodius eſt autem, &c.* Marcello, qui notas ad Julianum ſcripſit; An Triboniano, cui novum non eſt ex Juſtiniani Conſtitutionibus vetera interpolare jura, accepta referri debeant. Merillius putat, in hac facti quaeſtione Cujacium variaſſe & modo dixiſſe notam eſſe Marcelli, *in explicatione l. 26. D. de except. rei jud.* modo adjectionem Triboniani, *in Paratitl. Cod. de com. ſervo manum.*

Sciendum eſt, ante Juſtinianum, inter juris auctores non ſatis conſtare, an ſocius communi ſervo libertatem teſtato vel inteſtato ſolus inconſulto ſocio donare poſſet: quibusdam, jus vetus adhuc retinentibus, quo pars manumittentis (maxime ſi per vindictam, cenſum, & teſtamentum manumiſiſſet) ſocio, hoc eſt, inhumaniori domino accreſcebat, *§. Erat olim 4. Inſt. de donat. §. Communem 18. tit. de libertis* apud Ulpian. Nam licet Severi conſtitutio de ea re extaret, non tamen generalis erat, ſed ad milites tantum pertinebat, *l. 1. Cod. de com. ſerv. man.* Et divorum Severi & Antonini Conſtitutionem licet generalis erat, & ad paganos etiam pertinebat, de teſtati tamen cauſa tantum fuiſſe, verba Juſtiniani ſignificant, *d. l. 1.* Sed & ſi inter antiquos prudentes Sextus Aelius hoc jam definierat, Sabinianis tamen diſplicebat, adeoque Juliano, quem Sabinianum fuiſſe conſtat: Sabiniani non patiebantur ſocio in re communi, quidquam inconſulto ſocio, licere. Necdum igitur apud omnes invaluerant illae Conſtitutiones; ut Juſtiniano viſum ſit neceſſarium, rem omnem plenius ſua Conſtitutione decidere, ut patet *d. l. 1. Cod. de com. ſerv. man.* Ex illo fonte, ex illa Sabinianorum opinione, manaverat & illud; Si duabus ſententiis idem homo pronuntiatus eſſet, una quidem liber, altera ſervus, duobus ſcilicet dominis, ſeparatis judiciis, pro parte vindicantibus eum in ſervitutem, una ſententia dicta contra unum, altera ſecundum alium, ut ſententia, pro libertate dicta, praejudicium non faceret ei domino, cujus pro parte ſervus pronuntiatus eſſet: quod tamen aliis Jureconſultis non placuit, iis nimirum, quibus favorabilis magis libertatis cauſa viſa eſt, quorum ſententia perſtringitur in praeſcripta *lege 30.* hiſce verbis, *commodius autem eſt favore libertatis &c.* Et veriſimile eſt, Marcellum hoc aliquando adnotaſſe ad Julianum, quem certum eſt ad eundem Julianum adnotaſſe, ſocium cogi partem in ſervo communi ſocio manumittere volenti vendere, favore libertatis, *d. l. 1. Cod. de com. ſerv. manumiſſ.*

Nunc, ut ad variationis Cujacianae diſpunctionem

nem redeamus & ſcopas Merillianas diſſolvamus! Quid intereſt (cum inter bonos bene agi conveniat) ſive dicamus, clauſulam ac notam illam *commodius, &c.* Marcelli notam eſſe, ſive Triboniani adjectionem ex Marcello? Et utique Cujacius cum Triboniano eam adtribuit, in ſupra dicto Paratitlorum loco; non tamen omiſit Marcelli notas ad Julianum commemorare; laudato ſcilicet Juſtiniano, qui & eas laudaverat. Ibique addit Cujacius: *Et ejus notae partem (ut ſcio miſceri Juliani ſcriptis Marcelli notas, Marcelli nomine ſuppreſſo) opinor eſſe in l. Si ſervus* 18. *D. de vulg. Eſt & haec Marcelli ſententia in l. domino* 16. *D. de SCto Silan.* Adverte porro, quid contineat *l. d. Si ſervus* 18. in qua proponitur communis ſervus ab uno ex dominis filio ſubſtitutus: *Ratio*, inquit, *ſuggerit, ut ipſe pretium partis ſuae domino offerens &c.* Vide quid & *d. lex domino 16. Domino*, inquit, *a familia occiſo ſervus communis necem ejus detexit; favore libertatis liber quidem fieri debet, pretii autem partem ſocium conſequi oportet.* Ex his, non tantum Marcelli ſententia, ſed & illud apparet, laudatis a Cujacio his legibus eodem Paratitlorum loco, quo Tribonianum dixit Juſtiniani conſtitutionem ad ſpeciem *l. duobus* 30. traduxiſſe, omnino ejus ſententiae auctorem ſenſiſſe Marcellum.

DISPUNCTIO XLVI.

An ſpecies *legis Id tempus* 14. *D. de uſucap.* referenda ſit ad longi temporis praeſcriptionem, an ad uſucapionem.

Lex eſt Pauli libro 13. ad Plautium. Textus eſt: *Id tempus venditionis prodeſt emptori, quo antequam venderet poſſedit: nam ſi poſtea nactus eſt poſſeſſionem venditor, haec poſſeſſio emptori non proficiet. In re legata, in acceſſione temporis, quo teſtator poſſedit, legatarius quodammodo quaſi heres eſt.* Huic textui conjungendus eſt §. *Diutina* 12. *Inſt. de uſuc.* ubi Juſtinianus: *Diutina*, inquit, *poſſeſſio, quae prodeſſe coeperat defuncto, & heredi & bonorum poſſeſſori continuatur, licet ipſe ſciat praedium alienum eſſe. Quod ſi ille initium juſtum non habuit, heredi & bonorum poſſeſſori licet ignoranti poſſeſſio non prodeſt. Quod noſtra Conſtitutio ſimiliter & in uſucapionibus obſervari conſtituit, ut tempora continuentur. Inter venditorem quoque & emptorem, conjungi tempora Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt.*

Sentio quod Merillius, *dictam l.* 14. referendam eſſe ad uſucapionem: adeoque tempora, complendae uſucapionis gratia, jam ante Juſtinianum conjungi ſolere inter emptorem & venditorem. Nec quidquam obloqui (quam pro ſua opinione Cujacius laudat) *l. Si aedes* 32. §. *libertas* 1. *D. de ſerv. urb.* utpote quae de acceſſione poſſeſſionis nihil contineat. Sed in variatione Cujacii, non aeque mihi cum Merillio convenit. Et quidem certum eſt Cujacium palam tradidiſſe, inter uſucapionem & longi temporis praeſcriptionem hanc fuiſſe differentiam, quod in hac tempora inter emptorem & venditorem conjungerentur; non item in illa. An contrarium uſpiam docuerit, non video ſatis a Merillio probatum; nec poſſum non mirari fiduciam accuſatoris, cum ſcribit: *Idem tamen Cujacius in l.* 2. §. *emptori* 20. *D. pro emptore, ait, in uſucap. tempora conjungi inter venditorem & emptorem.* Tantum enim abeſt, ut aliud ibi habeat Cujacius, quam in *d. l.* 14. quin quod ſe, adea, quae ibi conſcripſerat, referat. Textus *legis* eſt in *d.* §. *emptori* 20. *Emptori tempus venditoris ad uſucapionem procedit.* Cujacius, *Haec*, inquit, *Tribonianus inſeruit ex Juſtiniani Conſtitutione, quod illa indicant, quae nos ad l. Id tempus* 14. *ſup. tit. prox. conſcripſimus.* Non curo caeteros Poſtumorum locos, in queis uſucapionem a praeſcriptione longi temporis hac in re non diſtinxit: ut nec Latini interpretes paſſim, & Graeci quoque, qui generaliter ita tradunt ἐπὶ τῆς χρονίας νομῆς καὶ ὁ χρόνος τοῦ προκτήτορος συμψηφίζεται. Harmenop. *lib.* 2. *tit.* 1. §. 72. & *lib.* 50. Baſilic. *tit.* 11. Et Juſtinianus, cum Papinianum ſcripſiſſe ait, bonis vacantibus fiſco nondum nunciatis emptorem ex his aliquid uſucapere poſſe: *uſucapere* ponit pro longa poſſeſſione quaerere; arg. *l.* 18. *D. de uſucap.* unde non poteſt dici Cujacius variaſſe. An paululum a via deflexiſſe videri poſſit, videamus! Doctrina Cujacii de temporum acceſſionibus & conjunctionibus haec fuit: In quibusdam, nec tamen in omnibus, ſeparandam eſſe uſucapionem a longi temporis poſſeſſione, tamque in hac, quam in illa, jura juribus ſucceſſiſſe. Et primo quidem aſſumit, tum in longi temporis poſſeſſione, quam in uſucapione, jam olim inter defunctum & heredem conjungi tempora ſolere, non vero inter emptorem & venditorem: ſed hoc factum eſſe reſcripto Severi & Antonioi, idque Juſtinianum ad uſucapionem triennii traxiſſe, *d.* §. *Diutina* 12. unde cenſet haec verba, *Quod noſtra conſtitutio*, loco mutata eſſe & reducenda ad *finem* §. id eſt, poſt verſiculum, *Inter venditorem.* Quibus verbis multa perſtrinxit vir ſtupendae doctrinae. Nam, cum ait Juſtinianum ad uſucapionem triennii ſive rerum mobilium traxiſſe reſcriptum Severi & Antonini, dixit ſatis: nec habuit neceſſe, addere quidquam de uſucapione rerum immobilium; qua, producta uſucapione ex biennio in decennium, ſponte ad uſucapionem vis reſcripti, quod erat in longa poſſeſſione, deſcendit. Et quod idem ſcripſit, tum in uſucapione, quam in longi temporis praeſcriptione, continuari tempora in heredes, eo ſpectat, ut doceret (quod ipſe putabat) Juſtiniani Conſtitutionem pertinere ad conjunctionem temporum inter venditorem & emptorem, non etiam inter defunctum & heredem, qui ſenſus eſt horum verborum *in prioribus notis Inſtit. tit. de Uſucap. ad verſic. Quod noſtra. Hic verſus, ut puto, reponendus eſt poſt* §. *Inter. Nam in ſua conſtitutione Juſtinianus heredis aut teſtatoris nullam mentionem facit.* Quorum verborum ſententiam magnos clericos non omnino capere animadverti.

Enimvero, ſalva auctoritate praeſtantiſſimi Cujacii, mihi probabile videtur, longe ante Severum & Antoninum, uſu receptum fuiſſe, ut ſucceſſores ſingulares aeque ac heredes bonorumve poſſeſſores, auctorum ſuorum acceſſione uterentur. Hoc cum docet Ulpianus ex Labeonis & Pedii vetuſtiſſimorum Juriſconſultorum ſententia, in cauſa dandi atque inhibendi interdicti de itinere, *l.* 3. *in pr. &* §. 2. *D. de itinere actuque priv.* diſerte ſane ac perſpicue Venulejus ex Labeonis auctoritate in hoc ipſo argumento noſtro tradit *l. In uſucapione* 15. §. 2. *D. de diverſis temporalibus praeſcr.* Quid igitur, inquies, praeſtitit Juſtinianus, qui ſe jactat conſtituiſſe, *ut ſimiliter in uſucapionibus tempora continuentur?* Quid denique ſibi vult quod idem ait, *Inter venditorem & emptorem conjungi tempora, Severum & Antoninum reſcripſiſſe.* Haec ſibi cur non objecerit ac diluerit Merillius, neſcio. Quid ad haec reſpondeam, certum habeo. Scilicet Juſtinianus ſua illa Conſtitutione effecit, ut inter defunctum & heredem aliumve juris ſucceſſorem, tempora continuarentur in uſucapione rerum mobilium; in heredem, inquam, etiam non ignarum ejusmodi res alienas eſſe. Ante Juſtinianum tempora continuabantur in uſucapione rerum immobilium: non etiam mobilium, putantibus veteribus furtum facere heredem, qui ſciens rem mobilem alienam inciperet poſſidere. Atquin (ſcribit Cujacius) *In ſua conſtitutione: Juſtinianus heredis aut teſtatoris nullam mentionem facit!* Bona verba quaeſo: ſui ipſius interpres Juſtinianus eſto! *Diutina*, inquit, *poſſeſſio, quae prodeſſe coeperat defun-*

cto

lio, & heredi & bonorum poſſeſſori continuatur, licet ipſe ſciat praedium alienum eſſe. Ecce loquitur de praeſcriptione longi temporis rei immobilis, nimirum de praedio; loquitur inter defunctum & haeredem, & hoc addit, *licet ſciat alienum eſſe.* Mox ſubjungit, *Quod ſi ille initium juſtum non habuit, heredi & bonorum poſſeſſori licet ignoranti, poſſeſſio non prodeſt:* quibus verbis innuit malam fidem defuncti nocere heredi, etiam ignaro rei alienae. Cui tractationi (quae tota eſt de teſtatore & herede) cum ſubjiciat: *Quod noſtra conſtitutio ſimiliter & in uſucapionibus obſervari conſtituit, &c.* videtur ſatis innuere id, quod ſupra dixerat de teſtatore & herede, de eodem ſe in dicta Conſtitutione ſenſiſſe & produxiſſe ad uſucapionem triennii ſive rerum mobilium, ut ſine metu vitioſae contrectationis, heres perinde uſucapionem impleat rei mobilis, conjunctis temporibus ſuae poſſeſſionis (licet malae fidei) cum poſſeſſione anteceſſoris ſui, atque impleret uſucapionem rei immobilis. Severi autem & Antonini reſcriptum puto commode accipi poſſe de uſucapione, ut merito verſiculum illum, *Inter venditorem, &c.* Juſtinianus ſubjecerit conſequenter ei, quod de uſucapione dixerat ſe conſtituiſſe. Si quis tamen praefracte cum Cujacio vult hoc referre ad longi temporis poſſeſſionem, per me licet; & dicam non minus verſiculum illum, *Inter venditorem,* videri in ſua, ubi eſt, ſede conſtitutum; nec diſſimulabor, reſcripta nonnunquam fieri de iis, quae jam conſtituta vel uſu recepta ſint.

DISPUNCTIO XLVII.

An donator ex mora debeat uſuras vel fructus rei donatae?

PAulus in *l. Neſennius 41. §. fundum 1. D. de re judicata,* ita loquitur: *Fundum quis donavit: ſi non reſtituat, ut quivis poſſeſſor damnandus eſt. Si autem fundum reſtituat, fructuum nomine, ſi non eos conſumpſerit, in ſolidum condemnandus eſt: potuit enim non periclitari, ſi ſtatim reſtituiſſet. Si dolo deſiit poſſidere, in litem jurabitur, & tanti ſequetur condemnatio.*

Fingit Merillius diverſum a ſemetipſo Cujacium hac in quaeſtione: in qua proponenda varius ipſe Merillius videri poſſit, qui priore loco eam quaeſtionem ita concipit, *An donator ex mora debeat uſuras vel fructus rei donatae:* ſecundo vero loco; *An donator teneatur ad reſtitutionem fructuum, quos percepit poſt litem conteſtatam.* Quod ſi duas agitare quaeſtiones Merillius voluit; mirum, cur in epigraphe capitis non conjunxerit utramque, quam ſubinde ordinatius (videlicet pro more ſuo) repeteret! Proponit autem donatarium in donatorem egiſſe actione in perſonam, & condemnatum fuiſſe donatorem fundum reſtituere. Quaeritur, inquit, an etiam teneatur ad reſtitutionem fructuum, quos ex fundo donato poſt litem conteſtatam perceperit. Et ait Cujacium lib. 14. Quaeſt. Pauli dicere donatorem ex mora neque fructus neque uſuras debere: aliter vero in *l. 63. D. de reg. jur.* lib 17. D. Juliani. Quaero in quo aliter? Nimirum, inquit Merillius, divitit uſuras a fructibus: & dixit donatorem debere ſaltem fructus extantes. An aliud ſenſit illo loco lib. 14. Quaeſt. Pauli ad *hanc l. 41*? Quis credat? Τῶτο μὲν ὁδὶ κάτωθ λέγοντος πιθανὸν ἐστί. En locum ipſum. *Vel ſi reſtituat fundum, etiam fructuum nomine in ſolidum eſt condemnandus, ſi eos non conſumpſerit: ergo fructuum tantum extantium nomine.* Qui ita diſerte loquitur: *Ergo fructuum tantum extantium nomine,* an alio ore tibi loqui videtur, Merilli, ac qui dixit donatorem debere ſaltem fructus extantes reſtituere? Neſcio, quis nugas iſtas, non dolos cenſeat indigniſſimos, ne dicam turpiſſimos.

Sed quis non miretur tanti aevi tantaeque ſcriptionis Juriſconſultum Merillium ad *hanc l. 41. §. ult. D. de re jud.* ponere ſpeciem in actione in perſonam? quaſi donatarius in donatorem ad praeſtandum fundum ex ſtipulatione egerit: cum verba legis, undequaque, vindicationem perſonent, haec nimirum, *Si non reſtituat,* & haec, *ut quivis poſſeſſor damnandus eſt*; iterum iſta, *ſi autem fundum reſtituit,* & denique illa, *Si dolo deſiit poſſidere, in litem jurabitur.* Mirum ſane, eum, qui ex Cujacio multa, quae ſunt optima, ſtudioſe collegit, iisdem ipſis locis, ubi eum carpere non dubitat, non capere maxime, quae prae caeteris neceſſaria ſunt!

DISPUNCTIO XLVIII.

De interpretatione *legis In judicati 61. D. de re judicata.*

JUlianus ait: *In judicati actione non prius ratio haberi debet ejus, cui prior reus condemnatus fuerit.*

Incredibilem quandam laetitiae voluptatem, ut in *hoc caput* incidi, ſensi, Merillium ratus, qui diſſidia jam olim Fornerii ac Cujacii probe noſſet, depromturum hic quidquid de actione judicati reconditioris juriſprudentiae haberet. Nam ut militaribus hominibus jucundum eſt, in arcis alicujus obſidione, egregiorum ducum obſervare labores, ita Merillii nominatiſſimi Juriſconſulti operam in materia difficili nec vulgari non vulgarem deprehendere, mihi ſane pergratum fuiſſet.

Lex ait, *In judicati actione &c.* Quid eſt actio judicati? Eſt actio ſecunda, qua victor adverſus victum exequitur rem judicatam, & ad finem perducit. Quid inquies, Poſt actionem in judicium delatam & rem ſententia finitam, an actio datur ſecunda, qua iterum lis ex lite fiat, & obligatio, veluti ex obligatione naſcatur? Dico vero, actionem hanc ſecundam inſtitui, non litis ordinandae, ſed exequendae ſententiae gratia: & quamvis obligatio ſit ex obligatione, nimirum ex re judicata; tollendae tamen omnis obligationis cauſa ad ultimam hanc actionem perveniri. Itaque poſt dictam a judice datam ſententiam, aditur Magiſtratus, qui judicem dederat, atque ab eo petitur, ut ſententia, adverſus Titium data, executioni demandetur; adeoque, ut apparitores jubeat pignora debitoris condemnati capere victoris nomine, atque ea diſtrahere, ut ex pecunia redacta ex pignorum venditione, creditor idemque victor repleatur, *l. Praeſes 27. in fin. D. de re jud. l. Si pignora 50. D. de Evict.* Magiſtratus autem partes ſunt, pronuntiare debitorem condemnatum recte teneri ea ſententia, quae adverſus eum dicta eſt, & jubere, res ejus ab apparitoribus ſive executoribus pignori capi; mobiles quidem primum, & deinceps quae ſoli ſunt, *l. A divo Pio 15. §. 2. l. 31. eod. tit. de re jud. l. 1. Cod. de execut. rei jud.* Cauſas autem cognitionis quaſdam haec ſententia deſiderat, de quibus ſummatim Magiſtratus cognoſcit: veluti, An competat actio ei, qui agit judicati, An ei deneganda ſit, *l. 14. D. de noxalib. act. l. 6. §. pen. D. Quod cujuscunque univerſ.* Item ſi condemnatus dicat in ſolidum exigi ſe minime debere, *d. l. 21. l. 18. & l. 41. eod. tit. de re jud.* Item ſi diverſae ſententiae proponantur, *l. 28. & 38. eodem tit.* ut in ſpecie *legis Duobus 30. D. de liberali cauſa* · de qua diximus ſup. *diſp. 45.* Item ſi nondum effluxerint dies juſti, *l. 7. & 29. D. de re jud.* Si pignora capta ſint, quae capi minime debuiſſe dicat debitor, ut ſtipendia & commoda praemiorum, *l. 4. Cod. de exec. rei jud. l. 40. D. de re jud.* Si ſententia ipſo jure nulla dicatur, *l. 6. D. de feriis.* Si furioſo dicta ſit, *l. 9. D. de re jud.* Si ſententia contra plures indiſtincte lata ſit, ut ex ſua tantum perſona quis conveniatur, *l. 43. eod. tit.* Item ſi ante eum, qui judicati hodie agit, alius de-

nem redeamus & ſcopas Merillianas diſſolvamus! Quid intereſt (cum inter bonos bene agi conveniat) ſive dicamus, clauſulam ac notam illam *commodius, &c.* Marcelli notam eſſe, ſive Triboniani adjectionem ex Marcello? Et utique Cujacius cum Triboniano eam adtribuit, in ſupra dicto Paratitlorum loco; non tamen omiſit Marcelli notas ad Julianum commemorare; laudato ſcilicet Juſtiniano, qui & eas laudaverat. Ibique addit Cujacius: *Et ejus notae partem (ut ſcio miſceri Juliani ſcriptis Marcelli notas, Marcelli nomine ſuppreſſo) opinor eſſe in l. Si ſervus 18. D. de vulg. Eſt & haec Marcelli ſententia in l. domino 16. D. de SCto Silan.* Adverte porro, quid contineat *l. d. Si ſervus* 18. in qua proponitur communis ſervus ab uno ex dominis filio ſubſtitutus: *Ratio*, inquit, *ſuggerit, ut ipſe pretium partis ſuae domino offerens &c.* Vide quid & *d. lex domino* 16. *Domino*, inquit, *a familia occiſo ſervus communis necem ejus detexit; favore libertatis liber quidem fieri debet, pretii autem partem ſocium conſequi oportet.* Ex his, non tantum Marcelli ſententia, ſed & illud apparet, laudatis a Cujacio his legibus eodem Paratitlorum loco, quo Tribonianum dixit Juſtiniani conſtitutionem ad ſpeciem *l. duobus* 30. traduxiſſe, omnino ejus ſententiae auctorem ſenſiſſe Marcellum.

DISPUNCTIO XLVI.

An ſpecies *legis Id tempus* 14. *D. de uſucap.* referenda ſit ad longi temporis praeſcriptionem, an ad uſucapionem.

Lex eſt Pauli libro 13. ad Plautium. Textus eſt: *Id tempus venditionis prodeſt emptori, quo antequam venderet poſſedit: nam ſi poſtea nactus eſt poſſeſſionem venditor, haec poſſeſſio emptori non proficiet. In re legata, in acceſſione temporis, quo teſtator poſſedit, legatarius quodammodo quaſi heres eſt.* Huic textui conjungendus eſt §. *Diutina* 12. *Inſt. de uſuc.* ubi Juſtinianus: *Diutina*, inquit, *poſſeſſio, quae prodeſſe coeperat defuncto, & heredi & bonorum poſſeſſori continuatur, licet ipſe ſciat praedium alienum eſſe. Quod ſi ille initium juſtum non habuit, heredi & bonorum poſſeſſori licet ignoranti poſſeſſio non prodeſt. Quod noſtra Conſtitutio ſimiliter & in uſucapionibus obſervari conſtituit, ut tempora continuentur. Inter venditorem quoque & emptorem, conjungi tempora Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt.*

Sentio quod Merillius, *dictam l.* 14. referendam eſſe ad uſucapionem: adeoque tempora, complendae uſucapionis gratia, jam ante Juſtinianum conjungi ſolere inter emptorem & venditorem. Nec quidquam obloqui (quam pro ſua opinione Cujacius laudat) *l. Si aedes* 32. §. *libertus* 1. *D. de ſerv. urb.* utpote quae de acceſſione poſſeſſionis nihil contineat. Sed in variatione Cujacii, non aeque mihi cum Merillio convenit. Et quidem certum eſt Cujacium palam tradidiſſe, inter uſucapionem & longi temporis praeſcriptionem hanc fuiſſe differentiam, quod in hac tempora inter emptorem & venditorem conjungerentur; non item in illa. An contrarium uſpiam docuerit, non video ſatis a Merillio probatum; nec poſſum non mirari fiduciam accuſatoris, cum ſcribit: *Idem tamen Cujacius in l. 2. §. emptori 20. D. pro emptore, ait, in uſucap. tempora conjungi inter venditorem & emptorem.* Tantum enim abeſt, ut aliud ibi habeat Cujacius, quam in *d. l.* 14. quin quod ſe, ad ea, quae ibi conſcripſerat, referat. Textus *legis* eſt in *d.* §. *emptori* 20. *Emptori tempus venditoris ad uſucapionem procedit.* Cujacius, *Haec*, inquit, *Tribonianus inſeruit ex Juſtiniani Conſtitutione, quod illa indicant, quae nos ad l. Id tempus 14. ſup. tit. pron. conſcripſimus.* Non curo caeteros Poſtumorum locos, in queis uſucapionem a praeſcriptione longi temporis hac in re non diſtinxit: ut nec Latini interpretes paſſim, & Graeci quoque, qui generaliter ita tradunt ἐπὶ τῆς χρονίας νομῆς καὶ ὁ χρόνος τοῦ προκτήτορος συμψηφίζεται. Harmenop. *lib.* 2. *tit.* 1. §. 72. & *lib.* 50. Baſilic. *tit.* 11. Et Juſtinianus, cum Papinianum ſcripſiſſe ait, bonis vacantibus fiſco nondum nunciatis emptorem ex his aliquid uſucapere poſſe: *uſucapere* ponit pro longa poſſeſſione quaerere; arg. *l.* 18. *D. de uſucap.* unde non poteſt dici Cujacius variaſſe. An paululum a via deflexiſſe videri poſſit, videamus! Doctrina Cujacii de temporum acceſſionibus & conjunctionibus haec fuit: In quibusdam, nec tamen in omnibus, ſeparandam eſſe uſucapionem a longi temporis poſſeſſione, tamque in hac, quam in illa, jura juribus ſucceſſiſſe. Et primo quidem aſſumit, tum in longi temporis poſſeſſione, quam in uſucapione, jam olim inter defunctum & heredem conjungi tempora ſolere, non vero inter emptorem & venditorem: ſed hoc factum eſſe reſcripto Severi & Antonini, idque Juſtinianum ad uſucapionem triennii traxiſſe, *d.* §. *Diutina* 12. unde cenſet haec verba, *Quod noſtra conſtitutio*, loco mutata eſſe & reducenda ad *finem* §. id eſt, poſt verſiculum, *Inter venditorem.* Quibus verbis multa perſtrinxit vir ſtupendae doctrinae. Nam, cum ait Juſtinianum ad uſucapionem triennii ſive rerum mobilium traxiſſe reſcriptum Severi & Antonini, dixit ſatis: nec habuit neceſſe, addere quidquam de uſucapione rerum immobilium; quia, producta uſucapione ex biennio in decennium, ſponte ad uſucapionem vis reſcripti, quod erat in longa poſſeſſione, deſcendit. Et quod idem ſcripſit, tam in uſucapione, quam in longi temporis praeſcriptione, continuari tempora in heredes, eo ſpectat, ut doceret (quod ipſe putabat) Juſtiniani Conſtitutionem pertinere ad conjunctionem temporum inter venditorem & emptorem, non etiam inter defunctum & heredem, qui ſenſus eſt horum verborum *in prioribus notis Inſtit. tit. de Uſucap. ad verſic. Quod noſtra. Hic verſus, ut puto, reponendus eſt poſt §. Inter. Nam in ſua conſtitutione Juſtinianus heredis aut teſtatoris nullam mentionem facit.* Quorum verborum ſententiam magnos clericos non omnino capere animadverti.

Enimvero, ſalva auctoritate praeſtantiſſimi Cujacii, mihi probabile videtur, longe ante Severum & Antoninum, uſu receptum fuiſſe, ut ſucceſſores ſingulares aeque ac heredes bonorumve poſſeſſores, auctorum ſuorum acceſſione uterentur. Hoc cum docet Ulpianus ex Labeonis & Pedii vetuſtiſſimorum Juriſconſultorum ſententia, in cauſa dandi atque inhibendi interdicti de itinere, *l.* 3. *in pr. &* §. 2. *D. de itinere actuque priv.* diſerte ſane ac perſpicue Venulejus ex Labeonis auctoritate in hoc ipſo argumento noſtro tradit *l. In uſucapione* 15. §. 2. *D. de diverſis temporalibus praeſcr.* Quid igitur, inquies, praeſtitit Juſtinianus, qui ſe jactat conſtituiſſe, *ut ſimiliter in uſucapionibus tempora continuentur?* Quid denique ſibi vult quod idem ait, *Inter venditorem & emptorem conjungi tempora, Severum & Antoninum reſcripſiſſe.* Haec ſibi cur non objecerit ac diluerit Merillius, neſcio. Quid ad haec reſpondeam, certum habeo. Scilicet Juſtinianus ſua illa Conſtitutione effecit, ut inter defunctum & heredem aliumve juris ſucceſſorem, tempora continuarentur in uſucapione rerum mobilium; in heredem, inquam, etiam non ignarum ejusmodi res alienas eſſe. Ante Juſtinianum tempora continuabantur in uſucapione rerum immobilium: non etiam mobilium, putantibus veteribus furtum facere heredem, qui ſciens rem mobilem alienam inciperet poſſidere. Atquin (ſcribit Cujacius) *In ſua conſtitutione: Juſtinianus heredis aut teſtatoris nullam mentionem facit!* Bona verba quaeſo: ſui ipſius interpres Juſtinianus eſto! *Diutina*, inquit, *poſſeſſio, quae prodeſſe coeperat defun-*

cto

llo, & heredi & bonorum poſſeſſori continuatur, licet ipſe ſciat praedium alienum eſſe. Ecce loquitur de praeſcriptione longi temporis rei immobilis, nimirum de praedio; loquitur inter defunctum & haeredem; & hoc addit, *licet ſciat alienum eſſe.* Mox ſubjungit, *Quod ſi ille initium juſtum non habuit, heredi & bonorum poſſeſſori licet ignoranti, poſſeſſio non prodeſt:* quibus verbis innuit malam fidem defuncti nocere heredi, etiam ignaro rei alienae. Cui tractationi (quae tota eſt de teſtatore & herede) cum ſubjicit: *Quod noſtra conſtitutio ſimiliter & in uſucapionibus obſervari conſtituit, &c.* videtur ſatis innuere id, quod ſupra dixerat de teſtatore & herede, de iisdem ſe in dicta Conſtitutione ſenſiſſe & produxiſſe ad uſucapionem triennii ſive rerum mobilium, ut ſine metu vitioſae contrectationis, heres perinde uſucapionem impleat rei mobilis, conjunctis temporibus ſuae poſſeſſionis (licet malae fidei) cum poſſeſſione anteceſſoris ſui, atque impleret uſucapionem rei immobilis. Severi autem & Antonini reſcriptum puto commode accipi poſſe de uſucapione, ut merito verſiculum illum, *Inter venditorem, &c.* Juſtinianus ſubjecerit conſequenter ei, quod de uſucapione dixerat ſe conſtituiſſe. Si quis tamen praefracte cum Cujacio velit hoc referre ad longi temporis poſſeſſionem, per me licet; & dicam non minus verſiculum illum, *Inter venditorem*, videri in ſua, ubi eſt, ſede conſtitutum; nec diſſimulabor, reſcripta nonnunquam fieri de iis, quae jam conſtituta vel uſu recepta ſint.

DISPUNCTIO XLVII.

An donator ex mora debeat uſuras vel fructus rei donatae?

PAulus in *l. Neſennius* 41. *§. fundum* 1. *D. de re judicata*, ita loquitur: *Fundum quem donavit: ſi non reſtituat, ut quivis poſſeſſor damnandus eſt. Si autem fundum reſtituit, fructuum nomine, ſi non eos conſumpſerit, in ſolidum condemnandus eſt: potuit enim non periclitari, ſi ſtatim reſtituiſſet. Si dolo deſiit poſſidere, in litem jurabitur, & tanti ſequetur condemnatio.*

Fingit Merillius diverſum a ſemetipſo Cujacium hac in quaeſtione: in qua proponenda varius ipſe Merillius videri poſſit, qui priore loco eam quaeſtionem ita concipit, *An donator ex mora debeat uſuras vel fructus rei donatae:* ſecundo vero loco; *An donator teneatur ad reſtitutionem fructuum, quos percepit poſt litem conteſtatam.* Quod ſi duas agitare quaeſtiones Merillius voluit; mirum, cur in epigraphe capitis non conjunxerit utramque, quam ſubinde ordinarius (videlicet pro more ſuo) repeteret! Proponit autem donatarium in donatorem egiſſe actione in perſonam, & condemnatum fuiſſe donatorem fundum reſtituere. Quaeritur, inquit, an etiam teneatur ad reſtitutionem fructuum, quos ex fundo donato poſt litem conteſtatam perceperit. Et ait Cujacium lib. 14. Quaeſt. Pauli dicere donatorem ex mora neque fructus neque uſuras debere: aliter vero in *l.* 62. *D. de reg. jur.* lib 17. D. Juliani. Quaero in quo aliter? Nimirum, inquit Merillius, divisit uſuras a fructibus: & dixit donatorem debere ſaltem fructus extantes. An aliud ſenſit illo loco lib. 14. Quaeſt. Pauli ad *hanc l.* 41? Quis credat? Τοῦτο μὲν οὐδὲ κάτοχος λέγοιτο πιθανὸν εἶν. En locum ipſum. *Vel ſi reſtituat fundum, etiam fructuum nomine in ſolidum eſt condemnandus, ſi eos non conſumpſerit: ergo fructuum tantum extantium nomine.* Qui ita diſerte loquitur: *Ergo fructuum tantum extantium nomine*, an alio ore tibi loqui videtur, Merilli, ac qui dixit donatorem debere ſaltem fructus extantes reſtituere? Neſcio, quis nugas iſtas, non dolos cenſeat indigniſſimos, ne dicam turpiſſimos.

Sed quis non miretur tanti aevi tantaeque ſcriptionis Juriſconſultum Merillium ad *hanc l.* 41. *§. 1. D. de re jud.* ponere ſpeciem in actione in perſonam? quaſi donatarius in donatorem ad praeſtandum fundum ex ſtipulatione egerit: cum verba legis, undequaque, vindicationem perſonent; haec nimirum, *Si non reſtituat*, & haec, *ut quivis poſſeſſor damnandus eſt*; iterum iſta, *ſi autem fundum reſtituit*, & denique illa, *Si dolo deſiit poſſidere, in litem jurabitur.* Mirum ſane, eum, qui ex Cujacio multa, quae ſunt optima, ſtudioſe collegit, iisdem ipſis locis, ubi eum carpere non dubitat, non capere maxime, quae prae caeteris neceſſaria ſunt!

DISPUNCTIO XLVIII.

De interpretatione *legis In judicati 61. D. de re judicata.*

JUlianus ait: *In judicati actione non prius ratio haberi debet ejus, cum prior reus condemnatus fuerit.*

Incredibilem quandam laetitiae voluptatem, ut in *hoc caput* incidi, ſenſi, Merillium ratus, qui diſſidia jam olim Forneriii & Cujacii probe noſſet, depromturum hic quidquid de actione judicati reconditioris juriſprudentiae haberet. Nam ut militantibus hominibus jucundum eſt, in arcis alicujus obſidione, egregiorum ducum obſervare labores, ita Merillii nominatiſſimi Jureconſulti operam in materia difficili nec vulgari non vulgarem deprehendere, mihi ſane pergratum fuiſſet.

Lex ait, *In judicati actione &c.* Quid eſt actio judicati? Eſt actio ſecunda, qua victor adverſus victum exequitur rem judicatam, & ad finem perducit. Quid inquies, Poſt actionem in judicium delatam & rem ſententia finitam, an actio datur ſecunda, qua iterum lis ex lite fiat, & obligatio veluti ex obligatione naſcatur? Dico vero, actionem hanc ſecundam inſtitui, non litis ordinandae, ſed exequendae ſententiae gratia: & quamvis obligatio ſit ex obligatione, nimirum ex re judicata; tollendae tamen omnis obligationis cauſa ad ultimam hanc actionem perveniri. Itaque poſt dictam a judice dato ſententiam, aditur Magiſtratus, qui judicem dederat, atque ab eo petitur, ut ſententia, adverſus Titium data, executioni demandetur; adeoque, ut apparitores jubeat pignora debitoris condemnati capere victoris nomine, atque ea diſtrahere, ut ex pecunia redacta ex pignorum venditione, creditor idemque victor repleatur, *l. Praeſes* 27. *in fin. D. de re jud. l. Si pignora* 50. *D. de Evict.* Magiſtratus autem partes ſunt, pronuntiare debitorem condemnatum recte teneri ea ſententia, quae adverſus eum dicta eſt, & jubere, res ejus ab apparitoribus ſive executoribus pignori capi; mobiles quidem primum, & deinceps quae ſoli ſunt, *l. A divo Pio* 15. *§.* 2. *l.* 31. *eod. tit. de re jud. l.* 1. *Cod. de execut. rei jud.* Cauſis autem cognitionis quaſdam haec ſententia deſiderat, de quibus ſummatim Magiſtratus cognoſcit: veluti, An competat actio ei, qui agit judicati, An ei deneganda ſit, *l.* 14. *D. de noxalib. act. l.* 6. *§. pen. D. Quod cujuscunque univerſ.* Item ſi condemnatus dicat in ſolidum exigi ſe minime debere, *d. l.* 31. *l.* 18. & *l.* 41. *eod. tit. de re jud.* Item ſi diverſae ſententiae proponantur, *l.* 28. & 38. *eodem tit.* ut in ſpecie *legis Duobus* 30. *D. de liberali cauſa* · de qua diximus ſup. *diſp.* 45. Item ſi nondum effluxerint dies juſti, *l.* 7. & 29. *D. de re jud.* Si pignora capta ſint, quae capi minime debuiſſe dicat debitor, ut ſtipendia & commoda praemiorum, *l.* 4. *Cod. de exec. rei jud. l.* 40. *D. de re jud.* Si ſententia ipſo jure nulla dicatur, *l.* 6. *D. de feriis.* Si furioſo dicta ſit, *l.* 9. *D. de re jud.* Si ſententia contra plures indiſtincte lata ſit, ut ex ſua tantum perſona quis conveniatur, *l.* 43. *eod. tit.* Item ſi ante eum, qui judicati hodie agit, alius de

bitorem communem prius condemnaverit, hoc ipſum quandam cognitionis cauſam exigere videtur: ut finge; Maevius Titium condemnavit, deinde Sejus: at Sejus in cauſa judicati praevenit Maevium, hoc eſt, Seji nomine pignora Titii communis debitoris capta ſunt. An Sejus potior erit, an Maevius, cui priore loco Titius condemnatus eſt? Hanc Merillius exiſtimat quaeſtionem eſſe *d. legis De judicati actione* 61. Ego vero magis elegantem exiſtimo dubitationem eſſe, ſi ponamus, utrumque creditorem vel in capiendis per apparitores pignoribus, vel in ipſa judicati actione, dum petunt per apparitores pignora capi, concurrere: Maevium autem, anterioris temporis ſententia fretum, petere, ut ante ſui ratio habeatur, ut qui non vincatur diligentia adverſarii, ſed qui ipſe eum vincat, anterioris ſcilicet ſententiae praerogativa. Quae ſane ratio colorem habet: rejecta tamen eſt a Juliano, qui in actione judicati non putavit anterioris ſententiae rationem habendam eſſe: *In judicati actione*, inquit, *non prius ratio haberi debet ejus, cui prior reus condemnatus fuerit.* Tacita decidendi ratio eſt, quod ſententia lata ſive dicta de re, in judicium deducta, eo tantum pertinet, ut per eam jus actoris declaretur, an creditor ſit, an dominus; an reus debeat, an praeſtare quid vel reſtituere teneatur; quod recuperatores ſententia ſua definiunt, qua victori nullum jus tribuunt in bonis condemnati. Caeterum ut expediatur ſolutio, utque reſtitutio fiat, adeoque ut bona condemnati poſſideantur, vel ejus pignora capiantur, hoc poſtea fit extra ordinem imperio magiſtratus, quo jubente pignora capi, vel permittente poſſeſſionem bonorum, jam incipit victor in victi bonis aliquod jus habere, & hoc extremum juriſdictionis eſſe dicitur, *l. unic.* § 1. *D. Si quis jus dic. non obtemp.* Jus autem illud perficitur occupatione pignorum, vel ingreſſu poſſeſſionis, *l.* 26. *D. de pign. act.* nam in vicem juſtae obligationis ſuccedit, veluti ex cauſa contractus auctoritas jubentis, *l.* 1. *Cod. Si in cauſa judicati pign. capt. ſit.* Simile eſt pignus judiciale conventionali, & ſimilem exitum habet: *ἴσως τῷ ἀπὸ συμφώνου ἐνεχύρῳ καὶ ὁμοίαν τάξιν ἐπέχει.* Non ſufficit capi pignus & privata creditoris auctoritate detineri, *l. qui ratiario* 30. *D. pig. act.* ſed oportet illud capi juſſu ejus, qui jubere potuit poſt ſententiam, jure dictam: & ex pluribus creditoribus potior eſt is, in cujus perſona conſtitutum eſt, *l. Si & jure* 10. *D. qui pot. in pig.* Ergo ut in conventionali pignore, non utique potior eſt creditor, cui prius debitor obligatus eſt, ſed is, cui priore loco pignus datum eſt; ita in judiciali non habetur ejus ratio, cui prius condemnatus eſt reus, *hac d. l.* 61. *D. de re jud.*

Verum ei *l.* 61. objiciunt *l. Inter* 19. *eod. tit. Inter eos, quibus ex eadem cauſa debetur occupantis, melior conditio eſt: nec deducitur quod ejusdem conditionis hominibus debetur, ſicuti fit in de peculio actione; nam & hic occupantis melior eſt cauſa.* Occupantis, id eſt, ejus, qui prior ad ſententiam pervenit. Ergo in judiciali pignore ratio habetur ejus, cui prior reus condemnatus fuerit.

Merillius *d. l.* 19. ita exaudiendam eſſe cenſet, ut melior ſit conditio ejus, qui prior ad ſententiam pervenerit & eam executus fuerit; itaque accipit eam de cauſa judicati. Fornerius *lib.* 1. *Select. cap.* 18. pariter accipit eam de executione ſententiae, quae ſolutione conſummatur. *Occupare*, inquit, *dicitur, qui in executione judicati reliquos, quibus ex eadem cauſa debetur, vicerit; etſi forte poſteriore loco ſententiam obtinuerit: quamvis enim, in pignore judiciali, id eſt, in cauſam rei judicatae capto, aequa ſit omnium creditorum conditio, nec in actione judicati potior ſit is, qui prior vicit; tamen, in executione, meliore loco eſt diligentia ejus, qui caeteros praevenerit occupatione diſtractioneque pignorum, conſummata ſcilicet omni jam re eſt.* Non ego cenſeo, quod illi, *d. l.* 19. *D. de re judic.* eſſe de actione judicati ſimpliciter; imo, dico eam eſſe de aeſtimatione bonorum, in quae agit actor ille, qui ejusmodi eſt, ut non ſemper ſolidum conſequatur; veluti ſi agat in peculium, ſive de peculio: vel ſi agat adverſus exceptas perſonas; veluti parentes, patronos, ſocios, qui non condemnantur, niſi quatenus patiuntur eorum facultates: ſcilicet inſpicitur tempus, non inſtitutae actionis, non litis conteſtatae, ſed ſententiae dictae; ut ſi creditor ſervi filiive familias egerit in peculium, ſpectatur quantitas peculii, quae fuit tempore ſententiae, ſive peculium creverit, ſive decreverit, nec habetur ratio caeterorum creditorum, quibus ex ſimili cauſa, id eſt, ex cauſa peculiari debetur; ſpectatur tempus ſententiae, & judicati actio in tantam pecuniam competit, in quantam condemnatio facta eſt, *l. Sed ſi damnum* 9. § *ult.* juncta *l. ſeq. D. de pecul.* Finge ergo; ſociis duobus, Primo & Secundo, Tertius, qui ſocius atque fuerat totorum bonorum, dena debebat; Primus priore loco egit & litem conteſtatus eſt; egit ſecundo loco Secundus, debitoremque condemnavit: & quod obſervandum tempore condemnationis utique ſufficiebant Tertii facultates creduo Secundi. Quaeſitum eſt, an deduci deberet ſumma, quae Primo debebatur. Reſponſum eſt, non eſſe deducendam. Movebat, quod, cum ex ſimili cauſa deberetur, par ejus conditio eſſe debebat. At ratio in contrarium fuit, quod cum ſpectetur tempus condemnationis, ut quis, cui damnetur pro modo & ratione facultatum ſuarum, ſententiae, in ſingulis creditorum cauſis prolatae, conſiderantur ſeorſim. Itaque melior erit conditio ejus, qui priore loco ſententiam obtinuerit. Idemque erit, ſi ex pluribus libertis unus anteverterit patronum condemnare: non tamen erit idem, ſi ex pluribus donatariis unus donatorem condemnaverit: aes enim alienum deducetur, *d. l. Inter* 19. *cum tribus praeced. D. de re jud.*

Si quaeras uſum & effectum hujus rei; dico hunc eſſe: Quod futurum ſit, ut Tertius Primo in nihilum condemnetur, ſi, aeſtimatione facta bonorum ac facultatum ejus ex tempore ſententiae, inter eos dictae, appareat, nihil eum in bonis habere. Utar & exemplo peculii; Pater Titii filiifamilias, Maevio in centum condemnatus eſt, cum eſſet peculium centum & viginti. Deinceps egit Sejus in eundem patrem. Quatenus eum condemnabit? Certe in viginti, quia in peculio non plus eſſe intelligitur: coepit enim pater judicati teneri in centum, *d. l.* 9. § *ult. D. de pecul.* Eo reſpicit *d. l. Inter eos* 19. quae proinde longe diverſam ſpeciem habet a *l.* 61. *eod. tit. de re jud.* In hac enim agitur de praerogativa diligentioris creditoris, non in condemnando, ſed in exequendo; in illa vero, id eſt, in *d. l.* 19. agitur de quantitate condemnationis inter creditores, quibus ex ſimili cauſa debebatur. Porro ſi quaeras: is, qui ſententiam in viginti, poſteriore loco, reportavit, ſi occoeperit judicati agere, ejusque nomine pignora capta ſint, An potior futurus ſit eo, qui prior ad ſententiam pervenerit. Reſpondeo, id ita eſſe: hancque ſententiam confirmari arg. *legis, Si & jure* 10. *Qui potiores in pign.* quae nihil ad *d. l.* 19. pertinet, cum ait: *Si & jure judicatum & pignus in cauſa judicati ex auctoritate ejus, qui jubere potuit, captum eſt, privilegiis temporis fore potiorem heredem ejus, in cujus perſona pignus conſtitutum eſt.* Senſus eſt, conſtituto pignore judiciali (conſtituitur autem, cum per apparitorem capitur, jubente Magiſtratu, poſt ſententiam rite datam) juvari heredem creditoris & potiorem eſſe alio quolibet creditore, licet nondum ejusmodi pignus ſit diſtractum. Scilicet & defunctus, ſi viveret, potior ipſe eſſet privilegio temporis. Alia cauſa eſt pignoris judicialis; alia pignoris Praetorii, quod conſtituitur

mis-

miſſione in poſſeſſionem ex Edicto, bonis poſſeſſis ex Edicto. Haec miſſio prodeſt omnibus, & fit in omnia bona καθ' ὅλα τῶν δανειστῶν κοινῶς; pignus vero judiciale ſoli creditori proficit, qui ſibi vigilavit: certa perſona eſt ejus, qui judicati actione tenetur, *l.* 4. *D. de re jud.* certa quoque ejus, cui judicatum fieri deſideratur, *l.* 15. §. *Sed ſi emptor* 7. *eod. tit.* Itaque recta non eſt interpretatio Fornerii ad *d. l. qui potiores* 10. dum eam accipit de pignore conventionali, quem ob id, tacito tamen ejus nomine, Cujacius reprehendit merito, *lib.* 9. *Obſervation. cap.* 37. Satis autem ipſa *lex* 10. prodit ſe, cum has conditiones exigit, *Si & jure judicatum eſt*, *&c.* tractare de pignore judiciali, congruitque cum *l.* 1. *Cod. Si in cauſa judicati pig. captum ſit*, ut poſt praeſcriptas illas conditiones (quae in ſolo judiciali pignore poſſunt eſſe) incivile ſit, eam accipere de pignore conventionali: quomodo ſi certa lege quis amicum ad coenam opiparam invitet, illiberaliter prorſus fecerit, ſi eum mox ac legi paruerit, excludat. Sane ſi in *dicta l.* 10. pro his verbis, *Si & jure*, legeretur, *Et ſi jure*; rectiſſima eſſet Fornerii obſervatio, ut acciperetur illa *lex* 10. de pignore conventionali. Stat vero ſententia *d. legis* ut ſcripta eſt, qua edocemur heredem ſuccedere in cauſam pignoris judicialis, quod antea conſtitutum ſit in perſona defuncti. Et vero certum eſt, non tantum in cauſa pignoris conventionalis, ſed etiam Praetorii & judicialis, jure ſemper potiorem eſſe, qui tempore anteceſſerit, *l.* 2. 3. & 4. *Cod. Qui pot. hab.* Et quamvis in Gallia conſuetudinaria res mobiles pignorum perſecutionem non patiantur; judiciale tamen pignus admittunt, & temporis praerogativam, ut *Conſuetud. Pariſ. Articulo* 178.

Cujacius autem, ſupra dicto *lib.* 9. *Obſerv. c.* 37. negat adverſari *d. legem Si & jure* 10. *D. qui pot. dictae l. inter* 19. *D. de re jud.* & utrumque hoc velle ſcribit, potiorem eſſe creditorem, qui occupavit agere judicati, pignuſve capere in cauſam judicati, non qui prior ſententiam conſecutus ſit. Nec vero alibi faſſus eſt adverſari. Merillius tamen incuſat eum, quod *in recit. ad d. l.* 61. *D. de re jud.* lib. 45. D. Jul. admodum placere ſibi dixerit, quod Graeci in *d. l.* 61. negationem detraxerint. Sed illud *admodum*, non eſt omnino acquieſcere, ſed pro tempore. Denique ille locus (utpote ex poſterioribus) non fuit prioribus opponendus.

DISPUNCTIO XLIX.

An eadem ſit condictio, quae datur ex mutuo, & quae datur ex promutuo.

GAjus in *l.* 5. §. *Is quoque* 3. *D. de obligat. & act. Is quoque, qui non debitum accipit per errorem ſolventis, obligatur quidem quaſi ex mutui datione, & eadem actione tenetur, qua debitores creditoribus.*

Quid hic, Deus bone! peccavit Cujacius? Nimirum, inquit Merillius, ad *d. l.* 5. Scilicet *in Operibus poſt.* Dixit eum, qui indebitum accipit, teneri eadem actione, ac qui mutuum accipit, non quae ſit eadem ſpecie, ſed genere. Agnoſco loquentiam: tenetur eadem actione non ſpecie quidem prorſus; ſed genere eadem. Quid inde? At *lib.* 8. *Obſervat. cap.* 34. ſcripſit teneri eadem actione, nec diſtinxit, an eadem genere vel ſpecie: ergo variavit. Quid iſtuc peritiae Logicae artis? Nego Merilli, hoc ſequi, niſi rei intellectu in diverſum coacto, ut Quintilianus ait. Imo, probe magis inferam ita: non diſtinxit; ergo non variavit. Et hoc ſimile vero eſt, ſubintellexiſſe Cujacium, quia, *dicto Obſervationum loco*, non ſimilitudines tantum, ſed etiam diſſimilitudines mutui & promutui notavit; quod faciunt, qui generis & ſpeciei ἀναλογίαν tradunt, dum quaerunt diſſimilitudinum ſimilitudines & ſimilitudinum diſſimilitudines. Dixit condictionem ex promutuo dari ex bono & aequo tantum, non ex contractu: indebiti enim ſolutionem diſtractum eſſe & ideo actionem ex promutuo non dari, niſi in id, quo locupletior factus eſſet, qui indebitum accepit, *l.* 8. § 22 *D. de tranſact.* Dixit & in ignorantem non dari, ut ſi hominem indebite ſolutum ignorans manumiſerit, *l. In ſumma* 65. §. *pen. D. de cond. ind.* Qui differentias notavit, non tibi videtur ſpecies diſtinxiſſe? Ergo ubique ſenſit Cujacius (contra Merillium) actionem mutui ac promutui eandem eſſe genere quidem, non vero ſpecie. Et recte quidem, & ex Philoſophorum arte, qui ſpecies a ſpeciebus norunt dividere ex differentiis ſingularum: invicem autem conjungere per convenientiam generis. Ita plane differt actio tutelae ſubſidiaria, quae in magiſtratum datur, ab actione tutelae, quae contra tutorem competit; quae tamen eadem dicitur, *l. ult. D. de Magiſtratibus conv* Braſſica eſt omne genus braſſicae: at quae flore, caule, odore, guſtu, vel quo alio differunt, genere etſi conveniant, ac nomine, ſpecie tamen, o Merilli! differunt.

DISPUNCTIO L.

De interpretatione *legis Actio* 28. *D. de oblig. & act.*

PApinianus lib. 1. Definitionum. *Actio*, inquit, *in perſonam infertur; petitio in rem; perſecutio in rem vel in perſonam, rei perſequendae gratia.*

Quaeſtio eſt, an abundent haec verba, *rei perſequendae gratia?* Breviter, nec minus vere dici poteſt, admodum ſuperflua haec verba eſſe videri, ſi Papiniani definitio generaliter accipiatur, & ad certam ſpeciem non referatur: contra, ſi ad caſum certum inflectatur (puta ad tractatum de perſecutionibus, quatenus adverſus defunctum & adverſus heredem vel bonorum poſſeſſorem competunt) dici poteſt, non videri ſuperflua. Et ita Cujacius, *in Recit. ad d l.* 28. Papinianum dixit, videri ſimpliciter ſcripſiſſe, actionem proprie eſſe in perſonam; petitionem vero eſſe actionem in rem, perſecutionem denique eſſe commune nomen actionis & petitionis: perſecutionem dici, tam in rem, quam in perſonam; & conſequenter, quae poenae perſequendae gratia eſt actio, perſecutionem eſſe. Et hoc ſenſu videri abundare haec verba, *rei perſequendae gratia.* Alio vero loco, id eſt, *Obſerv. lib.* 22. *cap.* 21. idem Cujacius poſſe eſſe dixit, ut Papinianus lib. 1. Definitionum (unde ſumpta eſt illa regula) cum propoſuiſſet veterem illam regulam, *Qua de re actio, petitio, perſecutio adverſus defunctum fuerit, & adverſus ejus heredem eſſe, &c.* eam interpretatus ſit, ut diceret accipiendam eſſe de actione, petitione, perſecutione, quae rem perſequitur non poenam; & hoc ſenſu non abundare ſupra dicta verba, *rei perſequendae gratia.* Hoc appellat Merillius variare: puto ego, hoc eſſe, rem accurate explicare;

DISPUNCTIO LI.

An fidejuſſor acceptus in majorem ſummam, quam reus principalis debeat, nullo modo vel ad ſummam debitam obligetur.

ULpianus in *l. Graece* 8. §. *Illud* 7. *D. de fidejuſſ. Illud commune eſt in univerſis, qui pro aliis obligantur, quod ſi fuerint in duriorem cauſam adhibiti, placuit eos omnino non obligari.*

Vetus quaeſtio, quae nos etiamnum exercet hodie! Scripſit Cujacius (inquit Merillius) *in poſterioribus notis Inſt. tit. de fidejuſſ.* magis eſſe, ut fidejuſſor, qui acceptus eſt in majorem ſummam, quam

reus principalis, ſaltem teneatur in debitam a reo ſummam, arg. *legis Si a reo 70. D. de fidejuſſ.* Legenda & perlegenda ſunt verba Magiſtri, ne nos fugiant vel etiam decipiant. Si reus (inquit Cujacius) decem aureos promiſerit, fidejuſſor in quinque recte obligatur. Contra vero obligari non poteſt, in majorem ſummam ſcilicet; in debitam enim ſummam obligari magis eſt. Variavit (inquit Merillius) utpote qui in *Recitationib. ad lib. 9. Reſp. Pap. in l. pecuniae 9. D. de uſur.* probat ex *l. 8. D. de fidejuſſoribus*, fidejuſſorem, qui promiſit quindecim pro debitore obligato in decem, nulla ex parte teneri.

Dico ſupra ſcripta Cujacii verba *ad tit. Inſt. de fidejuſſ.* quibus ait magis eſſe, in debitam ſummam fidejuſſorem obligari, deſiderare ſpeciem certam: hanc ſcilicet, ſi ponamus reum debere x. fidejuſſorem interrogatum eſſe in eandem quantitatem, id eſt, in x. porro fidejuſſorem reſpondiſſe, ſe daturum xx. Ita ipſe Cujacius in *l. Rogatus 33. D. Mandati* ad lib. 4. Juliani ex Minicio (quem locum retulit Merillius, nec ſatis attendiſſe videtur) *Ex hoc loco* (inquit Cujacius) *perquam evidenter apparet, quod dicitur in d. §. Illud 7. fidejuſſorem, qui ſe obligavit in duriorem cauſam omnino non obligari, ſic eſſe accipiendum, ut omnino non obligetur, quatenus ſe obligavit, ſed quatenus duntaxat rogatus eſt.* Liceat hoc ſepties repetere, ut placeat aut ſaltem retineatur!

Sed & ſi ſtricto jure rem aeſtimet: nihilo magis argumentis Merillianis tenebitur. Non *l. 33. D. Mandati.* In qua, non quatenus obligetur fidejuſſor, quaeritur, ſed quatenus mandati actionem habeat qui rogatus de minori ſumma, majorem ſpoponderat; qui quidem dicitur mandati actionem habere, quatenus rogatus ſit. Non *l. 11. §. 1. D. de conſtitutu pec.* Nam dici poteſt errore plus conſtitutum, quam debitum eſſet, proinde non tenere conſtitutum, in quo erratum eſt; tenere autem quatenus erratum non eſt, quia ibi conſenſus non eſt, ubi error eſt: & econtra ibi error non eſt, ubi conſenſus eſt, *l. 4. §. ult. D. ſi quis caut.* Porro conſtituta non quemadmodum ſtipulationes ex ſtricto jure, ſed ex conſenſu valent, *l. 1. in pr. D. de conſtit. pec.* Non obſtabit etiam quod dicitur in majori ſumma minorem ineſſe, & utilo per inutile non vitiari, *l. 1. §. Si ſtipulanti 4. D. de verbor. obligat.* Etenim in ſpecie §. *Illud 7. d. l. Graece* 8. creditor, qui reum habebat in x. fidejuſſorem interrogavit in xx. & fidejuſſor ſpopondit xx. ſicque non occurrit comparatio minoris ſummae cum majori. Nec aliud hac in ſpecie efficiet illa regula, *Utile per inutile &c.* quam obligationem rei non vitiari propter vitioſam obligationem fidejuſſoris. Itaque fatendum eſt, fidejuſſorem, qui ſe in plus obligavit, nullo modo obligari: & ea verba, *omnino non obligari*, metateſim reſpuere, nec debere ita converti, *non omnino*, hocque voluiſſe Graecos, qui (omnino non) recte verterunt οὐδ᾽ ὅλως, quod & ipſum recte reddidit Cujacius, *nullo modo*, Merillius perperam *non omnino*, teſte Graecorum eruditiſſimo Euſtathio, in illud Homeri *Iliad.* ἰστι οὐδέν τι τάρπαν ἀμύνειν νωῒ θεοῖς *fol.* 761. τὸ δὲ οὐδέν τι τάρπαν, inquit, ἴσον ἐστὶ τῷ οὐδαμῶς, ἢ οὐδ᾽ ὅλως.

DISPUNCTIO LII.

An *Lex 12. D. de Muneribus & honoribus*, intelligenda ſit de collatione, vel de cura viae publicae muniendae.

MUnerum civilium alia ſunt perſonalia; alia patrimonialia; alia mixta. *Perſonalia ſunt, quae animi proviſione & corporalis laboris intentione, ſine aliquo gerentis detrimento perpetrantur, ut tutela, vel cura.* Ex hac Arcadii Chariſii definitione intelligimus, quamlibet curam atque ſollicitudinem, publice injunctam, circa rem pertinentem ad civitatis adminiſtrationem utilitatemque publicam, perſonale munus eſſe, ſi ex reditibus civitatis curatori pecunia ſubminiſtratur, ut non de ſuo faciat ſumptum: adeoque munitionem viarum, ſi qui huic rei praefectus eſt, de ſuo in hoc munus conferat nihil, *l. ult. usque ad §. 18. D. de mun. Patrimonalia ſunt, quae ſumptibus patrimonii, & damnis adminiſtrantis expediuntur:* & quaedam ex his dicuntur munera poſſeſſionis; quia hoc genus collationis poſſeſſionibus indicitur, non habita ratione, an poſſeſſores municipes ſint, & incolae. *Mixta denique ſunt, quae corporale miniſterium habent, & non ſine detrimento gerentis adminiſtrantur, qualia ſunt munera decaprotiae & icoſaprotiae: nam decaproti & icoſaproti, tributa exigentes, defectorum fiſcalia detrimenta reſarciant, d. l. ult. a §. 17. usque ad* 28. ubi, pro eo, quod in Florentinis legitur *defunctorum*, legendum *defectorum*, quia defectorum detrimenta decaproti farciebant, *Ils faiſoient bons les nonvaloirs, ou les nonvaleurs.* Hi erant ſimiles iſtis, quos novitas per imitationem quandam vocitat, *les cocqs de Paroiſſe.* Ejusmodi detrimenta aequiſſima ſua conſtitutione anni 1543. Franciſcus I. noluit in privatum quenquam rejici, quae tamen Graeci juniores Imperatores, Nicephorus Logotheta, & Baſilius Porphyrogeneta, rejicienda in ditiores ſanxerant, idque onus ἀλληλέγγυον appellabant, ut apud Cedrenum & Zonaram *lib. 3. Annal.* videre eſt. His ita praelibatis videamus de *l. 12. D. de muneribus.* Jabolenus lib. 6. Ex Caſſio.

Cui muneris publici vacatio datur, non remittitur ei, ne Magiſtratus fiat, quia id ad honorem magis, quam ad munera pertinet. Caetera omnia, quae ad ſemous extra ordinem exiguntur, veluti munitio viarum, ab hujusmodi perſona exigenda non ſunt.

Contendit *hoc capite* Merillius, Cujacium variaſſe in exponenda *d. l. 12.* quod haec verba, *Munitio viarum* modo pro munere perſonali, modo pro munere patrimoniali habuerit. Dubitationis eſt, inquit Merillius (meminerit ſuae dubitationis) An quod ſubjicit Jabolenus de munitione viarum, referendum ſit ad collationem viae, vel ad curam. Cura munus eſt perſonale; collatio patrimoniale. Aſſumit autem Merillius Cujacium, *lib. 5. Sentent.* Pauli *hunc l. 12.* intellexiſſe de collatione viae, ſeu de munere patrimoniali: alibi vero aliter, nimirum ad *l. 6. D. de vacat. & excuſ. mun. & ad l. 8. §. qui 3. eod. tit.*

Quid ſi ad *lib. 5. Sentent.* Pauli *munitionem* Cujacius non accepit eo ſenſu, quo putat Merillius? Textus quidem Pauli ſubobſcurus eſt, nec Cujacii ſententia omnino plana atque aperta. Paulus ait *tit. 6. §. 2. Ut interdictum, ita & actio proponitur. Ne quis via publica aliquem prohibeat, cujus rei ſollicitudo ad viarum curatores pertinet, a quarum munitione nemo exceptus eſt.* Haec verba, *a quarum munitione*, ambigua non immerito videri poſſint: nam poſſunt hoc ſignificare a collatione viarum, neminem, qui praedia habeat ſecundum vias publicas, immunem eſſe; poſſunt & aliud: nimirum, curandae viae munus detrectare neminem poſſe. Quidni? Hermogenianus munitionem viae ponit hoc ſignificatu; pro cura ſcilicet muniendae viae, *l. 1. §. 2. D. de munerib.* Nec diffiteri poteſt Merillius, qui dubitationem adfingit ipſe in *d. l. 12.* de ejusdem verbi acceptione. Potuit & Paulus, dum ſcripſit, neminem exceptum eſſe a munitione viae, hoc intelligere, a cura viae muniendae. Potuit igitur & Cujacius eodem ſignificatu accipere, cum notavit neminem exceptum eſſe a viarum munitione, niſi qui muneris publici vacationem impetravit. Verba ejus ſunt: *Hujus rei cura mandata eſt Viocuris ſeu curatoribus viarum, a quarum munitione nemo excuſatur, niſi qui muneris publici vacationem impetravit, l. cui ma-*

neris

neris 12. *D. de munerib.* Hoc ſi ita eſt (ut tam eſſe poteſt, quam quod gratis opinatur Merillius) quo tandem abit levis illa alieni dicti interpretatio!

DISPUNCTIO LIII.

De verbo *Deteſtationis*, in *l.* 40. *D. de verb. ſignif.*

VErbi, *deteſtationis*, varia eſt ſignificatio, vel certe una, quae variis caſibus aptari poteſt. Nam deteſtari eſt, denuntiare non tantum praeſenti, ſed etiam abſenti. In *l.* 39. *D. de verb. ſignif.* Paulus, cum ſignificationem tradit horum verborum *Subſignatum*, *Bona*, *Deteſtari*, & *Incertus poſſeſſor*. *Deteſtari*, inquit, *eſt abſenti denuntiare*. Sequitur ex Ulpiano in *l.* 40. *Deteſtatio eſt denunciatio, facta cum teſtatione*. Sumpta eſt *d. lex* 40. ex Ulpiani lib. 56. ad Edictum: ubi interpretatus eſt Edictum de vi bonorum raptorum; quo loco & quid *Deteſtatio* eſſet, oportuit eum explicare, eo, quod, vim facere videatur, qui contra deteſtationem aliquid faciat, *l.* 1. §. 7. *D. Quod vi aut clam*: quod monuit obiter Cujacius *ad lib.* 5. *Sentent. Pauli tit.* 6. *de interd.* §. *non tantum* 3. Diximus, verbum *deteſtationis* olim aptari ſolere ſacris familiae. Certum eſt enim calatis comitiis & teſtamenta & ſacrorum deteſtationem primis temporibus fieri, auctore Gellio *libro* 15. *cap.* 27. Haec cum meminiſſet Cujacius in enarranda *d. l.* 39. *de verb. ſignif.* docebat Paulum his verbis, *Deteſtari eſt abſenti denuntiare*, hoc voluiſſe, Deteſtari eſſe abſenti teſtato denuntiare & prodere ſacra, ut ea ſuſcipiat & faciat, quod ſit heres defuncti, vel quod ex legato tantam partem habeat, quantam omnes heredes, vel quod de bonis defuncti uſuceperit plurimum: ut eſt apud Tullium *lib.* 2. *de Legib.*

Quid iſtic variationis? Nonne eodem illo loco ad *d. l.* 40. *D. de verb. ſignif.* vir emunctiſſimae naris ſeparavit *l.* 39. a *d. l.* 40. *dicto tit. de verb. ſignif.* id eſt, Pauli tractationem ab argumento Ulpiani? *Ad eandem*, inquit, *partem juris Pontificii de ſacris deteſtandis, poſſet referri initium legis* 40. *ubi eodem modo definitur. Propius tamen eſt, ut oſtendi, in Pauli Sententiis, ut referamus totam l.* 40. *ad Edictum vi bonorum rapt.* Quare igitur Merillius Cujacium in Sententiis Pauli, opponit Cujacio, in *d. l.* 39? Ex his apparet, inutilem eſſe & *in hoc extremo capite* operam, irritumque conamen Merillii, adnotantis fruſtra, deteſtationem in *d. l.* 40. non pro ſacrorum deteſtatione, ſed pro qualibet denuntiatione, poni; quod extra controverſiam fuit. Nec ſiquidem Ulpianus aut Paulus dicatur deteſtationem hoc ſignificatu explicaſſe, reprehendendum eſt; quaſi vero antiquitatis etiam exoletae veſtigia apud juris auctores eſſe non potuerint ulla: cum Juſtinianus, ut antiquitatis penitus nihil ignoraretur, ex fontibus ejus multa ad ſtudioſorum commodum putaverit deducenda.

INDEX

RERUM ET VERBORUM,

ſimul & quarundam Legum, quae hiſce *Diſpunctionibus LIII.* continentur, & aliqua ex parte exponuntur.

A.

ACceſſiones temporum in uſucapionibus & longi temporis praeſcriptionibus. 799
Accreſcendi jus an & quatenus ſublatum L. Papia. Et de jure Accreſcendi obiter. 787
Inter verbis conjunctos non eſt jus Accreſcendi. *ibid.*
Inter re & verbis conjunctos aliquando non eſt jus Accreſcendi. 788
Actiones ab actionibus diſtinguendae ſunt, cum plures de eadem re dantur; ut, in cauſa emptionis, empti actio ab actione ex ſtipulatu de evictione. 774
Concurrunt ſimul plures plerumque Actiones. 764
Bonae fidei Actioni locus non eſt, niſi intereſt. 774
Actio in perſonam, petitio in rem, perſecutio tam in rem quam in perſonam: an addendum rei perſeq. gratia. 800 *f.*
In factum Actio Praetoria, ſubſidiaria & dolo proxima ſemper. 772
In factum utilis ex L. Aquilia, an civilis ſit an Praetoria. 769
Inſtituendarum Actionum diligens obſervatio apud Romanos. *ibid.*
Multiplex ex eodem negotio Actio. 764
Multiplicandae non ſunt Actiones ſine neceſſitate. 708
Ordo Actionum eſt, ut primo loco ſint civiles nominatae, &c. 775
Praetoriae Actiones ſunt omnes ex Juriſdictione. 772
Adminiſtrationem rerum, contemplandi cauſa relinquerunt docti. 733
Aequalibus aequalia junguntur naturaliter, ut ſpiritalia ſpiritalibus. 714
Aeſtimatio rei petitae cur aliter fiat in bonae fidei judiciis, aliter in ſtrictis. 734, 748
Aetas certa definita humanis obeundis actionibus, ad procedendum in publicum: ad ſubeundam obligationem. 741
Agri diſtinguuntur ſuperficie. 724
Certo generi Agrorum acquiri ſervitus poteſt. *ibid.*
Aſtu corrupta actio populus. 709
Alea judiciorum. 721
Ἀλλαλίγγυον. 800 *b.*
Alluſio myſtica in verbo [illegible]. 798
Aliena res quae dicatur. 767
Ambigua fata cauſarum. 721
Argumentum cui plus licet, conſequens eſſe ut minus liceat, fallax. 699
Argumentum a ſenſu compoſito ad diviſum non valet. 763
Ariſtoteles emendatus authoritate Euſtathii. 761

B.

BOdinus reprehenſus a Cujacio quod ei adſcriberet pravam lectionem in *l. Apud eum* 14. *D. de manumiſſ.* 706
Bonae fidei judiciorum & ſtricti juris differentia in pactis adjectis ex continenti. 714. Item eorum differentia in aeſtimatione facienda. 734, 748
Bonorum poſſeſſiones ſunt omnes ex Juriſdictione Praetoris. 772. *ſeq.*
Bonorum poſſ. ut ex Legibus. 773
Tempus petendae Bonorum poſſeſſionis, & ex quo cedat. 796
Tempus ex quo actor municipii ſcivit, nocet municipibus, & ex quo Tutor, nocet pupillo: non ex quo pater, filio. *ibid.*
Braſſica eſt, omne genus braſſicae. 800 *f.*

C.

CAſus unus non ſemper ad alterum trahitur. 708
Cauſa omnis praeſtanda poſt litem conteſtatam. 697
Cauſarum ambigua fata. 721
Cedere de jure ſuo ſapientis eſt. 784
Cenſuarius. 757
Certo generi agrorum acquiri poſſe ſervitutem quid. 733
Certi condictio, v. infra, Condictio.
Chriſtianis nulla non inflicta poenarum genera ex mandatis Principalibus. 698
Coaleſcunt facile quae ſunt ejuſdem naturae. 714
Codicilli ex ſuggeſtione & ex authoritate Prudentum. 697
Codicillis quaecunque ſcribuntur perinde eſt ac ſi in teſtamento. Quaedam tamen non referuntur ad confirmationem Codicillorum: ad eſt quaedam diſpoſitiones non referuntur ad teſtamenta. 714
Columbus medicus quare male audiat. 67. Καλομβῖνος ὄϊλιος. 796
Commune plurium, eſt ſingulorum pro parte, quam quiſque intellectu habet. 725
Compenſationis eſt ſubtiliſſimus effectus. 743
Concubina & concubinatus. 779

Conditio. Ante conditionem exiſtentem mortuo legatario, legatum deficit. 793
legata Conditionalia an delegari poſſint. 792
legata Conditionalia interim heredis ſunt. 728
Condictio. Certi condictio, an ſit ſpecialis aliqua, an tantum generalis 729. Specialis, quo verbo in *rubrica de Rebus creditis* deſignetur. 730
Concurrit Condictio cum nominatis etiam contractibus. 768
ex promutuo quae datur Condictio, an ſit eadem genere vel ſpecie, ac quae ex mutuo. 800 *e.*
triticaria Condictio petit, quod non eſt in obligatione. 733
Condictio furtiva an morte furis intereat. 785
Conjuncti utrius loco ſint. 787
tacita ſubſtitutio intelligitur inter Conjunctos. *ibid.*
triplex Conjunctio : re, verbis, re & verbis : haec autem potior eſt. 788
Conjunctio verbis habetur aliquando pro duplici. 791
Conſiſtunt ſervitutes in utriſque praediis, tam ſervientibus, quam quibus ſerviunt, debentur. 724
Conſiſtit tutela tam in pupillo, quam in tutore. 725
Conſtitutum ex conſenſu valet: non tenet in eo, in quo erratum eſt. 800 *g.*
Conſul relegare non poteſt; qui poteſt tamen gladio punire. 699
Contractus unus eſt ſtipulatio & numeratio : ut & pactum & ſtipulatio. 713
Contrectatio pro litis conteſtatione in perſona furis 745
Contumax quis : & an poena contumacis vindicetur fiſco vel adverſario. 708
Conventio genus eſt ad pacta & contractus. 710
eadem Conventio, aliquo adjecto vel detracto contractus eſt, vel non eſt. 711
Coqs de Paroiſſe. 800 *b.*
Crediti appellatio proprie ad mutuum pertinet. 730
Cretioni hereditatis locus non fuit niſi inſtitutus eſſet heres ſub expreſſa cretione. 783
Cujacii locus emendatus in *Poſt. ad tit. de Jurisd.* in *l.* 14. 706
notae Cujacii, ſeu quae Cujacii nomine vulgatae ſunt, non ſunt ejus. 720

D.

DAre eſt dominium transferre. 766
Debere. Aliud eſt non debere aliquid fieri : aliud non poſſe. 720
Decaproti hodie dicuntur vernacule, *coqs de Paroiſſe.* 800 *b.*
Delegari an poſſint conditionalia legata. Et quomodo in *l.* 41. *D. de cond. & dem.* verbum *delegari*, accipiendum. 792
Delegari poteſt qui nihil debet. 793
Deteſtari, & deteſtatio quid. 800 *i.*
vim facit qui contra Deteſtationem facit. *ibid.*
Differentia qui tradunt generis & ſpeciei : inquirunt ſimilitudines & diſſimilitudines 800 *e.*
Differentia ſpeciem conſtituit : & eſt prior ſpecie. 765
Diſputatio fori, & jus, quod ſine ſcripto venit, an ad mores pertinet, in *l.* 2. §. *his legibus* 5. *D. orig. jur.* 697
Diſſimilitudines & ſimilitudines noſſe oportet, ut ſciatur genus & ſpecies. 800 *e.*
Divinatio ſive electio in accuſationibus : & electio ſive praelatio in actionibus popularibus. 708
Diviſiones fiunt in iis, quae in ſubſtantia. 735
Dolus de dolo agi poteſt ſtricto judicio, etiam poſt rem peremptam apud emptorem. 774
exceptio Doli neceſſaria, &c. vide Exceptio.
Dominium rei communis. vide Commune.
Dominium duplex tantum in jure conſideratur : juris gentium & juris civilis. 767
Donatio inter conjuges vel a parentibus liberis in poteſtate facta, confirmatur morte donatoris. 785
Donator an debeat uſuras & fructus rei donatae. 800 *a.*
Dupla repromittenda emptori. 758
Duumviri. 700

E.

EI *& in eum*, haec verba referenda ad juriſdictionem contentioſam. 707, 711
Elliberitani Concilii locus expoſitus. 702
Emptori de dupla repromittendum. 758
Emptio perfecta, quando. 761
perempta re ante traditionem, pretium nihilominus debetur. 762
vera ratio cur in *l. ſi fundus* 33. *D. Locati.* publicato fundo reſtituitur pretium Emptori. *ibid.*
Emptor pretii, id eſt, pecuniae, dominium transferre tenetur : venditor, rei venditae, non item. 766
Ἐμφυτεία inſitio : ἐμφυτευτικὴ inoculatio. 714
Eritudo, ſervitudo. 729
Error contrarius eſt conſenſui. 800 *g.*
Eventus. Ab eventu pleraque aeſtimantur. 741
Evictio. In evictione partus & acceſſionum, diſtinguenda eſt actio empti ab actione ex ſtipulatione duplae. 774
mortuo ſervo qui traditus eſt cum alienus eſſet, an eſt de Evictione actio. *ibid.*
Euſtathius citatus ad illuſtrandum Leges Georgicas. 752
Item ad emendandum Ariſtotelem, 765. Item ad reprehendendum Meurſium, qui male ὑπὸ χεῖρα vertit, *ſub manu*, in expoſitione *l. Gracchus* 8. §. *illud* 7. *ad leg. Jul. de adult.* 800 *f.*
Exceptio pacti vel doli neceſſaria ubicunque pactum, quod adjectum eſt ſtrictis judiciis, eſt contra naturam obligationis; ut dabis decem quo ad vivam. 715
Exercitionem publicorum judiciorum nemo habet jure Magiſtratus. 704
Exheredatio reſcinditur per querelam ea ſola, quae facta eſt notae cauſa. 712
Expreſſa nocent tacita. 791
Extremum juriſdictionis, miſſio in poſſeſſionem vel pignorum occupatio. 800 *c.*

F.

FActi quaeſtio nulla eſt, ſi verba plana ſunt, 791. facti & juris, an per ratihabitionem confirmentur. 785
Falcidia non utitur heres, qui poſt mortem teſtatoris cavit, ea ſe non uſurum. 794
Faſces, ſignum Juriſdictionis. 704
Fidejuſſor ſimpliciter acceptus an in omnem cauſam cenſendus ſit fidejuſſiſſe. 753
Fidejuſſor acceptus in majorem ſummam an aliquatenus obligetur. 800 *f.*
Fieri aliquid non debere, vel non poſſe, aliud eſt. 720
Filiusfamilias litem habere poteſt. 719
Forenſes homines ad Juriſprudentiam apti. 733
Formulae actionum jurisjurandi & cautionum certae, veritatis explicandae gratia. 769
Fratrerius notatus. 800 *e.*
Fur a mora non excuſatur. 750
Furti actio non eſt de eo, quod eſt factum inter furandum. 773
Furtiva Condictio. 782

G.

GEnus poteſt eſſe quod ſpecies dicitur ſub genere generaliſſimo. 710
Genus & ſpeciem ut teneamus, ſimilitudines & diſſimilitudines dignoſcere debemus. 800 *e.*

H.

HArmenopolus emendatus. 760
Hereditatis cretio. Vide Cretio.
Hereditas cur diviſa inter heredem inſtitutum & ſubſtitutum in *l.* 41. *D. de her. inſt.* 782
aditione Heredis inſtituti excluditur ſubſtitutus. 782

I.

ICoſptôti qui. 800 *b.*
Idem aliquid dicitur, quia genere idem. 800 *f.*
Imperium, & de mero Imperio. 698 *ſeq.*
Imperii mixti partes. 704
an in mixto Imperio quaedam ſint magis imperii, quam juriſdictionis. 702
Impuberum ſubſtitutio. v. Subſtitutio.
Injuria non fit volenti. 715
Injuſta uxor, non eſt noverca. 780
Inoculatio ſpecies inſitionis. 714
Inofficioſum teſtam. & inoff. querela. Agi poteſt de inofficioſo licet per errorem filius a matre ſit omiſſus. 712
An in ſpecie legis *Cum mater* 28. *D. de inoff.* filius egerit de Inofficioſo. 712
lis Inofficioſi improba & difficilis. 712
nihil praeſtatur ex teſtam. Inofficioſo, *ibid.* In lite de inofficioſo pronunciatur de jure teſtamenti. *ibid.*
Inſitionis effectus. 714
Intereſt. Niſi Interſit, actio bonae fidei non datur. 774
Judex & magiſtratus qui differant, 719. Affines in cauſis affinium ne Judicent, 750. Pater filium & contra Judicem habere poteſt. 719
Judicare & jus dicere aliud, 719. Judices dare moribus competit urbanis magiſtratibus, 704. Judices, ibique nihil habere debent exempli. 720
Judicati actio quid ſit: ſingularia nonnulla de ea. 800 *b.*
Judicatis, tempus humanitatis gratia datum, 775. Improbis litigatoribus non indulgetur, 776. Regula, quae ait vigilantibus jura ſuccurrere, locum habet in actione praeſertim judicati. 800 *c.*
Judiciale pignus, ſimile conventionali, ut in eo potior ſit, &c. 800 *c.* & *e.*
Jura vigilantibus non dormientibus ſubveniunt. 800 *c.*
Jurisjurandi formulae certae. 769
Jurisjurandi diſtinctio in voluntarium, neceſſarium & judiciale ex nova Diſpunctoris opinione explicata. 734 *ſeq.*
Jus non ſcriptum quid ſit, 696. duplex, 697. Juris partes ſummae duae, imo tres, 696 Jus omne fecit conſenſus aut conſuetudo. 696
an Juris & facti an per ratihabitionem confirmentur. 785
Jus gladii. 697 *ſeq.*
Jus accreſcendi. Vide Accreſcendi jus.
Juriſdictio duplex, voluntaria & contentioſa, 706. An aequalis aequali poſſit ſe ſubjicere in hac & illa Magiſtratus. *ibid.*
an imperium mixtum habeat omnis Juriſdictio. 700, 701 *ſq.*

Sine imperio nullam eſſe Juriſdictionem, quomodo exaudiendum. 702
Juriſdictionis quae ſint. 704
Et & in eum: haec verba ad Juriſdictionem contentioſam pertinent. 707
Jus dicere alicui & in aliquem quid ſit, 721. Qui Juriſdictioni praeeſt, neque ſibi neque ſuis jus dicere debet. 720
Juſtum ac legitimum diverſa ſunt, aliquando tamen pro eodem. 779
Naturales liberi Juſti aliquando dicuntur, ſi. v. gr. cum vulgo quaeſitis conferantur. ibid.

L.

LEgata conditionalia. vid. Conditio.
Legatorum genera varia diverſam teſtantium voluntatem oſtendunt. 727

Leges obiter expoſitae aliqua ex parte.

ad Municipalem lex 26. 703
de Auro & argent. &c. lex 34. 766, 767
de Condict. cauſa data lex ult. 739
de Condict. furtiva lex 9. 745
de Condict. & demonſtr. lex. 41. 793
de Contrah. empt. lex 72. 757
de Euictionibus lex 21. 773
de Fidejuſſoribus lex 8. §. 7. 800 *f.*
de Heredib. inſtit. lex 41. 782 *ſeq.*
de Inoffic. teſtam. lex 28. 741
de Judiciis lex 1. 702
de Juriſdict. lex. 2. 701
eod. tit. lex 3. 700
eod. tit. lex 4. 703
eod. tit. lex 14. 706
de Legatis 3. *lex* 89. 787
de Legibus lex penult. 695
de Liberali cauſa lex 30. 798
Locati. lex 33. 762
de Obligation. & act. lex 28. 800 *f.*
de Origine jur. lex 2. §. 5. 697
de Offic. ejus cui mand. eſt juriſd. lex ult. 703
de Pact. Cod. lex 27. 713
de Poenis lex 6. §. *ult.* 698
de Procuratoribus lex 68. 717
pro Socio lex. 52. §. 1. 757
Quando dies leg. ced. lex 25. §. 1. 742
de Rebus creditis lex 26. 731
eod. tit. lex 22. 733
eod. tit. lex 40. 711
de Re judic. lex 61. 800 *b.*
de Servit. ruſtic. lex 13. 734
de Tutelae & rat. diſtrah. lex 10. 747
de Verb. ſignif. lex 131. 702
de Uſucapion. Inſtit. §. 12. & 13. 799
eod. tit. Dig. lex 14. *ibid.*
de Uſuris. lex 3. 775
eod. tit. lex 34. 778
de Vulg. & pupill. ſubſtit. lex 45. 784
Legis virtus eſt etiam in permittendo, 780. in Legibus omnibus jus publicum verſatur. 794
Legitimum eſt, quod eſt ex lege, & ex ſententia legis. 771
Licet] de regula ſive argumento cui plus Licet, &c. 699
Lis de inofficioſo, improba. 722
Lites ſine ſuſpicione procedere debent. 720
Litis conteſtationem imitatur contrectatio in perſona furis. 745
Locatio an ſit vel ſocietas, cum colono partiario. 755
Locatio eſt, ſi animus eſt contrahendae locationis. ibid.
Actio ex Locato an ſit, onere vehendo conducto praerogata vectura, non ſecuta vectione. 763

M.

MAgis, an poſitive, an comparate accipiendum ſit, in *l.* 4. *de Juriſd.* ubi dicitur jubere caveri &c. *magis eſſe imperii, quam juriſdictionis.* 703, 704
Magiſtratus manumittere an poteſt apud collegam. 706
Magiſtratuum majorum & minorum communia. 703
Magiſtratus proprie dicuntur Urbani. 702
Magiſtratus municipales an haberent imperium mixtum, 701. poteſtatem faſcium, 704. an mulctae dictionem, 702. an pign. capionem. 797
Magiſtratus municipales abſtinere ab Eccleſia juſſi, anno Duumviratus. 702
Magiſtratum qui gerit, Rempub. adminiſtrat. 709
Populum laedit, qui Magiſtratui non obtemperat. ibid.
Publicum jus in Magiſtratibus verſatur. 710
Ejerare Magiſtratum ſine populi conſenſu nemo poteſt. 709
Manumittere apud collegam an quis poſſit. 706
Matthaeus Magnus Antecesſor Aurel. 714
Menander natus eſt ſub Soſigene Archonte, & mortuus Archonte Philippo Coſſ. quibus. 696
Menandri verba expoſita, omnia fieri neceſſitate, lege vel conſuetudine. ibid.
Mercis appellatione homo non continetur. 752
Mercatores primi, qui luxum invexerunt in urbem, Phoenices. 765
Merum imperium quid, 698, 704. plures partes habet, 698. Jus gladii, praecipua quidem, ſed non continet omnes. ibid.
Mixtum imperium quid, 700. ad finem accedit meri, & partes habet, 704. quaecunque ſunt Mixti imperii non ſunt aeque juriſdictionis. 705
Modeſtinus unde ſumpſit hoc, omne jus aut conſenſum aut neceſſitatem aut conſuetudinem feciſſe. 695
Modus aequiſſimus partitionis fructuum cum cenſoatus. 757
Mora cuique ſua nocet. 751
Creſcit aeſtimatio propter Moram debitoris. ibid.
Propter Moram debitoris condictio triticaria redigitur ad actionem bonae fidei. 749
Judicium accipere paratus, non videtur Moram facere. 750
Fructus & uſurae debentur ex Mora praeſtandorum legatorum & fideicommiſſ. 776
Mora ſit, cum poſtulanti non datur. ibid.
Mores non ſunt jus a Prudentibus compoſitum. 697
Μεγαρεὺς quis. 757
Mulctae dictionem qui habeant. 702
Munera civilia ſunt in triplici differentia. 800. *g.*
De interpretatione *legis* 12. *D. de muneriB.* ibid.

N.

NAm, particula, *nam*, diverſam plerumque ſpeciem inducit. 723
Naturales liberi collati cum ſpuriis juſti dicuntur. 779
Neceſſitas quodnam jus conſtituit. 695
Neceſſitati quod ſubjicitur ut judex facere non debeat, an ſubjiciatur neceſſitati, ut facere non poſſit. 720
Νόμῳ, hoc verbo cum dicitur omnia fieri νόμῳ, decreta etiam magiſtratuum comprehendantur. 696
Nouvaleurs ou nouvalites rejettez ſur les principaux. 800 *b.*
Novantur legata conditionalia, cum conditio extiterit. 793
Jure Novationis debentur, ex nova ſtipulatione, quae ex teſtamento debebantur. ibid.
Numeratio juncta ſtipulationi unum efficit contractum. 713

O.

OBligatio ad tempus eſſe non poteſt. 715
Naturalis Obligatio aeſtimatur ex facto & ex futura ſolutione. ibid.
Obligationis jure: & officio judicis, diverſa ſunt. 753
Officium judicis eſt extra obligationem. ibid.
Omnino non, an debeat converti & reſolvi in non omnino, *l. Graece* 8, §. *Illud* 7. *D. de fidejuſſ.* 800 *g.* ἐν ὅλῳ. ibid.

P.

PActum an ſit genus vel ſpecies conventionis, 710, adjiciens & detrahens. 757
Pactum & de contractibus dicitur. 719
Contractuum vis major, quam Pactorum, 714. format actionem adjectum contractui ex continenti, ſi contractus ſit bonae fidei. 714
Strictis contractibus adjectum ex continenti Pactum, an inſit ad agendum. 712
Ineſt ad inhibendam actionem. 715
Παρεῖναι καὶ ἀθρυμαῖς καὶ ἐν ὅλῳ aequivalentia facit Euſthatius. 800 *g.*
Pater in cauſa filii an judicare, an jus dicere poſſit. 719
Patronus an portionem debitam remittere poſſit. 794, 795
Peccata paria Stoici faciunt. 714
Pecunia numerata res certiſſima. 730
Perempta re poſt traditionem an ſit actio adverſus eum, qui rem alienam tradiderat. 774
Periculum rei venditae nec traditae an ſit emptoris. 760
Permutatio an dominii tranſlationem deſideret. 765
Ex Permutatione non eſt ſemper actio praeſcriptis verbis, 738. ſed aliquando ſola datur condictio. 739
Petere quid ſit proprie. 748
Phoenices primi mercaturam genere permutationis exercuere. 765
Pignus judiciale res mobiles recipiunt in Gallia. 800 *e.*
Pignus judiciale & Praetorium differunt, 773. Pignus convaleſcit domino quaeſito, 793. potior eſt in Pignore judiciali, qui tempore praevenit Pignus occupare. 800 *e.*
Placitum. 712
Plus cui licet an continuo, quod eſt, minus liceat. 763
Pontes urbis Regioni XIV. adſcripti. 716
Popularis actio, 709. ubi corrupti actio Popularis, *ibid.* In factum actio ex Edicto, *ſi quis jus dicenti non obtemp.* Popularis eſt, *ibid.* An poena dividatur aliquando in Popularibus actionibus. ibid.
Poſſe & debere diviſa. 720
Potior eſt jure, qui prior eſt tempore. 800 *e.*
Praeſcriptis verbis actio unde dicta. 768
Praeſides, qui jus gladii habuerunt, an alias coërcitiones habuerint, 697. an confiſcare potuerint. 699
Praetor viva vox juris civilis, 771. Praetorium non recte dicitur, quidquid fit a Praetore. 773
Pretia ſervorum varia ab aetate, ſexu & arte. 752
Procurator an ex re domini, ſibi ſtipulando, actionem acquirat domino, 716. utilem quando, 718. Invito Procura-

curatore, an dominus petere poſſit, 717. cedere actiones aliquando cogitur Procurator. *ibid.*
Pubertatis aeſtimatio in foeminis ex annis tantum, nunc & olim facta eſt. 742
Pubertati proximus an ſit pupillus, in ſolis delictis attenditur contra Meriſſium. 741
Publica judicia: Publicorum judiciorum exercitio non eſt jurisdictionis. 704
Publicato fundo ante traditionem cur reſtituatur pretium, 762.
Publicum jus verſatur in omnibus legibus. 794
Pupillus ex dolo tutoris an conveniatur, 780. Pupillus an naturaliter obligetur abſque tutoris auctoritate. 740
Scientia tutoris an noceat Pupillo. 796
Reſpublica comparatur Pupillo. *ibid.*

Q.

QUerela inofficioſi. Vide Inofficioſum.

R.

RAtihabitio in maleficiis comparatur mandato. 787
Ratihabitione an res facti potius confirmentur, quam res juris. 785
Rationum ac differentiarum libri Modeſtini deſiderati. 714
Receptum eſt: id eſt, poſt dubitationem aliquam placuit tandem. 708
Recuſatio ſive refutatio judicum. 720
Relativa ſeu τὰ πρός τι naturam habent reciprocam, 725
Renunciare ſuo juri quiſque poteſt. 794
Repetitio non eſt conſulto dati. 795
Reſcripta nonnunquam de iis, quae jam conſtituta ſunt, fiunt. 800 *a.*
Res juris & facti diſtinguuntur in quaeſtione, utrae per ratihabitionem confirmentur. 785
Reſponſa Prudentum non confundenda cum jure moribus recepto. 697
Reſponſa Prudentum ad jus ſcriptum pertinent. *ibid.*
Reſpublica pupillo comparatur. 796
ῥόπος quid & ῥοπή. 765

S.

SApiens de jure ſuo cedit aliquando. 784
Sata cur proveniant. 714
Scientia patris an noceat filio: & tutoris pupillo, & generaliter alterius alteri. 796
Sententia declarat jus actoris, non dat jus in bonis debitoris: ſed capio pignorum vel miſſio in poſſ. 800 *c.*
Servitudo, 725. Servitutes ſunt qualitates praediorum. 726
Sunt actionum inſtar. *ibid.*
Servitutes aditione hereditatis an confundantur. 727
Ubinam conſiſtant Servitutes an in praedio ſerviente, &c. 723
In ſolo & ſuperficie quomodo conſiſtant. *ibid.* Ad tempus an conſtitui poſſint. 715
Heredis an legatarii ſit electio, qua parte fundi conſtituatur Servitus; ſervitute puta viae ſimpliciter legata. 726
Servorum pretia varia. 752
Simplex & indefinita locutio generalis eſt. 755
Sobrini ne judicent in cauſis ſobrinorum. 720
Societas an ſit cum colono partiario. 755
Socius omnium bonorum an habeat propriam pecuniam & eam alienare poſſit. 731
Societas eſt, ſi animus fuerit contrahendae ſocietatis. 755
Si convenerit cum paſtore ut poſt tempus certum grex vendatur & pretium dividatur, Societas eſt. 757
Socius ſi libertatem ſervo communi dederit, quid juris inter veteres. 798
Solidum. Teneri in Solidum & pro parte hereditaria an recte dicatur. *ibid.*
Species ſub certo genere, poteſt alias & generis rationem habere. 710
Spiritalia ſpiritalibus adhaerent recte. 714
Stipulatio ſeu praecedat ſeu ſequatur pactum, unus contractus eſt. 713
Stricta natura eſt Stipulationum. 714
Strictorum contractuum & bonae fidei differentia. 714
Subſtitutio. In Subſtitutione facta filio impuberi receptum eſt, ut uno caſu expreſſo ſuppleatur alius: non eſt receptum, ut in inſtitutione poſtumi caſus ille, *ſi vivo me natus ſit*, trahatur ad alium caſum, *ſi poſt mortem natus ſit.* 708
De Subſtitutione facta fratribus imparis aetatis aut conditionis. 784
Frater excludit matrem in Subſtitutione reciproca. *ibid.*
Ad honorem filii impuberis pertinet habere heredem teſtamentarium. *ibid.*
Mortua matre Subſtitutus admittitur ex tacita pupillari. 785
Inter Subſtitutum & inſtitutum cur diviſa ſit hereditas in *l.* 41. *de heredib. inſtit.* 782
Subſtitutus omnino excluditur aditione inſtituti. 783
Sumendi verbum in legatis quam vim habeat 727
Superficiarius. 723
Suſpicio a judicibus amovenda. 720

T.

TAilles] *nonvaleurs des Tailles, ſur qui rejettez.* 800 *b.*
Temporum acceſſiones inter poſſeſſores. 799
Ad Tempus obligatio eſſe non poteſt. 715
Teneri, in jure quid. 780, 781
Triticariae condictionis uſus. 733
Aeſtimatio in Triticaria, ex quo tempore fit. *diſp.* 22. redigitur ad conditionem bonae fidei propter moram debitoris. 749
Transactio eſt ſpecies pacti, 710. quomodo de lite, pacto Tranſigitur. 711
Tutela, in tutore & in pupillo eſt. 725
Tutoris datio neque imperii neque juriſdictionis. 704
Ex dolo Tutoris an teneatur pupillus. 780
Tutor comparatur actori civitatis. 796
Tutelae actio quoties uberior eſt, toties aliarum actionum in eam ſit converſio, 747. In eo notanda differentia actionis tutelae, & negotiorum geſtorum. *ibid.*
Scientia Tutoris. vid. Scientia.

V.

VAriare non eſt, aliorum opinionem ſimpliciter proferre. 695
Verba ubi plana, quaeſtio nulla voluntatis. 798
Viae muniendae cura an ſit munus perſonale. 800 *b.*
Videtur, modeſta vox dubitantis magis quam affirmantis plerumque. 713
Vigilantibus non dormientibus jura ſuccurrunt. 800 *e.*
Vim facit qui contra deteſtationem facit. 800 *i.*
Virgilius illuſtratus. 780
Volenti non fit injuria. 715
Uſucapere pro longa poſſeſſione quaerere. 800
A longa poſſeſſione Uſucapio diſtinguenda in continuatione ſive acceſſione temporis. *ibid.*
Uſurae in bonae fidei judiciis non tam ex obligatione veniunt, quam officio judicis. 755
Uſurae vicem fructuum obtinent. 777
Actio legatorum Uſuras recipit ex mora. 778
Uſufructus eſt quaſi uſusfructus. 779
Donator an debeat Uſuras. 800 *a.*
Utilitas. Cum Utilitate poteſt concurrere Juriſprudentia. 697
Uxor injuſta non eſt concubina. 779

FINIS.

GUI.

Google

GUILIELMI BARCLAJI, JCti,

Antehac Sereniſſimi Lotharingiae &c. Ducis Conſiliarii, Supplicumque libellorum Magiſtri, atque in celeberrima Academia Pontimuſſana J. V. Profeſſoris ac Decani, Nunc vero in nobiliſſima Andegavenſi Univerſitate Anteceſſoris primarii,

in Titulos Pandectarum

DE REBUS CREDITIS,

ET

DE JUREJURANDO,

COMMENTARII.

GULIELMI BARCLAJI, JCti,

ad titulum Pandectarum

DE REBUS CREDITIS, COMMENTARIUS.

PAuci ſunt in Jure noſtro tituli celebriores, aut pluribus & prolixioribus commentariis illuſtrati, quam hic primus tertiae partis Digeſtorum. Nec tamen eruditis hominibus materia deeſt, plura indies in eum dicendi ſcribendique: tam eſt omni ex parte juris quaeſtionum ac difficultatum foecundus. Inſcriptio autem, ſive rubrica, eſt: *De rebus creditis ſi certum petetur & de condictione* (addebatur in vulgaribus libris, *certi*, ſed perperam, ut mox apparebit) quam non omnes tamen eodem modo intelligunt: diſſenſionem difficultas genuit; difficultatis vero duplicem cauſam invenio. Una ex Pandectis Florentinis naſcitur, quorum ſcripturam, ut multo caeteris antiquiorem, caſtigatiorem, & magis authenticam, plurimum ſequimur. Nam & veteres etiam Juris interpretes ad illorum librorum fidem confugiebant, quoties magna aliqua Juris controverſia ex varietate lectionis oriebatur, ut patet ex Bart. *ad l. ſi creditor 7. §. quaeritur 2. D. de diſtr. pign.* & *l. ea lege 3. num. 4. C. de condict. ob cauſ.* & aliis, quas notat Ant. Auguſt. *lib. 4. Emend. cap.* 17. In illis enim Pandectis cum ſententiae nullis colis aut commatibus interpungerentur (ſicut nec in aliis ejus ſeculi libris, exceptis Ciceronis & Demoſthenis operibus, ut indicat D. Hieronymus in *epiſt. 117. ad Paulam & Euſtochium tom. 3.* & Caſſiodorus *lib. de divin. lection. cap. 12.*) data eſt occaſio legentibus diſtinguendi omnia punctis & pauſis, prout materiae ſubjectae ratio, aut verborum ſenſus, aut ſententiae integritas poſtulare videbatur. Unde quia haec rubrica conjunctim ſcripta erat ſine ullo commate aut puncto, dubitari potuit, an tota inſcriptio, pro uno titulo ſpeciali, ad ſequentem tractatum pertinente, accipi debeat: an vero aliquid amplius in ea contineatur. Altera difficultatis atque adeo diſſenſionis cauſa procedit ex interpretatione verborum, *Si certum petetur & de condictione*; aliis ea aliter atque aliter accipientibus. Ad rem vero quod attinet: exiſtimo equidem ſententiam eorum veriſſimam eſſe, qui duas hujus rubricae partes ſtatuunt, quarum prior (nempe *de rebus creditis*) generalem titulum continet totius tertiae partis Digeſtorum. Nam ipſemet Juſtinianus appellat octo libros, qui in hac tertia parte ſunt, libros de rebus, in *procemio Digeſt. §. in ſecundo 3. & §. tertii 4.* & in *Conſtit. ad Senat. & omnes populos §. in tertia 4.* quod totidem verbis repetitum eſt *l. 2. C. de vet. jur. enucl.* Eadem ratione moveor, ut exiſtimem retinendam eſſe vulgarem inſcriptionem 1. *tit. 5. part. Digeſt.* hoc modo, *de teſtamentis & qui teſtamenta facere poſſunt*, ut prior ejus pars titulum generalem contineat totius quintae partis, *dict. Conſtit. ad Senat. §. quintus* 6. Scio hanc Cujacio ſententiam diſplicuiſſe *in paratit & lib. 7. Obſerv. c.* 31. aſſerenti, nullos eſſe titulos in Digeſtis tam generales, ut univerſam aliquam partem comprehendant: ſed cum ipſe ſolus fere in ea ſit opinione, nobis integrum relinquitur alios omnes, tam veteres quam recentiores juris interpretes, in hac re concordes ſequi. Nam quod ipſe hanc rubricam ita diſtinguit, ac diſpungit, ut totum hoc, *de rebus creditis ſi certum petetur*, conjunctim legat, deinde verba illa, *& de condictione*, ſeparatim, ideo minus mihi placet; quia in principio *lib. 4. C.* qui condictiones & contractus complectitur, ſcriptum eſt, *de rebus creditis, & jurejurando.* Deinde *titulo ſequenti*, *Si certum petetur.* Si enim pars illa, *de reb. creditis*, non eſſet generalis titulus, pertinens ad omnes contractus, de quibus illo libro agitur, ſequeretur profecto eum ſuperfluum & ſupervacaneum eo loco eſſe, quandoquidem in legibus, ſub illa rubrica poſitis, nihil niſi de jurisjurandi ratione & effectu agitur. Noſtram ſententiam juvat, imo confirmat Ulpianus *l. 1. D. hoc tit.* ubi docet, Praetorem in ſuo edicto generalem titulum poſuiſſe, de rebus creditis, ſub quo & de commodato & de pignore edixit. Quod autem reliquum eſt in hac rubrica, ſpecialem titulum conſtituit, ad ea pertinentem, quae ſequentibus legibus ſive capitibus tractantur; nempe *ſi certum petetur & de condictione*: ut is ſit ſenſus, qui transpoſitis verbis conficitur evidentius hoc modo, *& de condictione ſi certum petetur*; quae verba oſtendunt ſub hoc titulo tractari *de certi condictione, quae competit ex omni cauſa & obligatione, ex qua certum petitur*, *l. certi condictio 9. D. eod.* licet praecipue ſub eo agatur de mutuo, & certi condictione, quae ex mutuo datur. Non me latet Bartol. & alios multos poſt gloſſam dividere rurſus hanc ſecundam partem in duas, & per illud, *ſi certum petetur*, intelligere mutuum, ſeu certi condictionem, quae pro mutuo competit; per illud vero, *& de condictione*, generalem certi condictitiam actionem, quae ex aliis cauſis datur: ſed hanc interpretationem ideo non ſequimur, quia non cum Bartolo admittimus duas eſſe certi condictiones, unam ſpecialem ex mutuo, alteram generalem ex omni alia cauſa: ſed unam tantum, quae competit, quoties certum petitur, ex aliqua obligatione aut cauſa, ut docebimus ad *d. l. certi 9. D. hoc tit.*

Sed, dicet aliquis: cur hac ſerie conceptus eſt titulus, *ſi certum petetur & de condictione*; ac non potius hoc modo, *& de condictione ſi certum petetur*, ſi unus utrobique ſenſus eſt? reſpondeo, quia verba illa, *ſi certum petetur*, erant prima verba edicti Praetoris: nam, ut alibi oſtendimus, multi in libris noſtris tituli ex primis edicti verbis deſcripti ſunt; ita enim veriſimile eſt Praetorem edixiſſe: *Si certum petetur condictione, ſive id mutuum ſit, ſive certa ſpecies quantitasve alioquin dari oportere dicatur, certi condictitiam actionem dabo*: ut docte colligit Baro *lib. 3. Manualium.*

Senſus ergo ſecundae partis noſtrae rubricae hic eſt, tractatur ſub hoc titulo, quid juris ſit *ſi certum petetur, & de condictione*, quae eo nomine datur. Admonendi itaque ſumus, *ſi certum petetur*, non eſſe nomen proprium actionis, quamvis id prima fronte appareat in *l. 1. D. de cond. trit.* & aliqui ita exiſtimabant, ut refert Accurſius in *fin. glo.* ad hanc rubricam. Nam ibi verba illa, *ſi certum petetur*, poſita ſunt ad oſtendendum caput edicti tantummodo, ex quo actio competit ad repetitionem mutui, quemadmodum ſimili forma loquendi dicimus, actio vel interdictum, *uti poſſidetis*, *actio quorum bonorum*, *l. 1. §. eſt igitur 4. D. uti poſſid. l. 1. in fin. D. quor. bon.* ut recte adnotavit Alciatus in explicatione hujus rubricae.

De ordine autem & ſitu hujus tituli, cur ſcilicet

hoc loco poſitus eſt, facile reſponderi poteſt. Nam Juſtinianus promittit ſe ſequuturum ordinem edicti perpetui in horum Digeſtorum compoſitione, ut primum tractet de perſonis, deinde de rebus, poſtremo de actionibus, *l.* 1. *&* 2. *D. de ſtat. hom.* quod & facit. De perſonis enim egit ſub *tit. D. de ſtatu hom. & dua. b. ſeqq.* De rebus vero in *tit. D. de diviſ. rer.* Caetera autem omnia, quae his libris continentur, de actionibus, aut certe actionum cauſa, ſcripta ſunt. Et quia actiones omnes apud magiſtratus vel judices exercentur, ideo de variis magiſtratuum officiis, imperio, & juriſdictione praemittitur tractatio. Deinde quia principium omnium actionum eſt in jus vocatio, *§. omnium* 3. *Inſtit. de poen. tem litig.* quam ſequitur libelli editio, atque variae cautiones & ſatiſdationes judicio ſiſtendi cauſa: ac lites inſtitutae, vel pactorum exceptionibus eliduntur in judicio, vel tranſactionibus aliquando intra privatos parietes componuntur, & ſi ita ſopiri non poſſunt, apud judices exercentur per procuratores, actores, negotiorum geſtores: & interdum actiones ipſo jure extinctae, in integrum beneficio Praetoris reſtituuntur. Ideo de his omnibus tractatum eſt in primis quatuor libris, qui vocantur τὰ πρῶτα. Rurſus quia actiones in judiciis exercentur, *in princ. Inſt. de act.* propoſitus eſt titulus generalis de judiciis; poſt quem continuo ſubjecti ſunt tituli ſpeciales de actionibus in rem: quibus explicatis in ſecunda parte Digeſtorum, reliquum fuit tractare de actionibus in perſonam, quod *hoc titulo primo, hujus tertiae partis* aggreditur. Et quia omnis actio in perſonam naſcitur ex obligatione, *§.* 1. *Inſtit. de act.* omnis vero obligatio ex contractu vel quaſi, maleficio vel quaſi, *Inſtit. de obligat.* prius dicere voluit de obligationibus ex contractu, id eſt, ex credito, ſive re credita, tanquam nobilioribus propter expreſſum contrahentium conſenſum. Denique quia tunc dicitur unusquisque maxime credere, quando res intervenit, cujus vel dominium, vel poſſeſſio, vel uſus, aut detentio ad alium transfertur, ut in mutuo, pignore, depoſito, commodato; ideo ab actionibus, quae inde proficiſcuntur, initium fecit: & primum a certi condictione, quae datur ex mutuo; de qua ſub *hoc tit.*

Haec cum ita ſe habeant, quaeri poteſt cur hic titulus conceptus ſit, de rebus creditis, & non de rebus debitis: reſpondetur, tum quia denominatio fieri debet a nobiliori parte; beatius eſt enim dare quam accipere, teſte ipſomet Salvatore, ut refert D. Paul. *Act. cap.* 20. *v.* 35. tum etiam, quia hic de actionibus praecipue agitur, quae creditori competunt; non de exceptionibus, quae competunt debitori. Rurſus quaeri poteſt, cur prius tractavit de mutuo, quam de aliis contractibus, qui re perficiuntur. Reſpondeo, id duplici de cauſa: Primum quia, licet certi condictio detur ex omni obligatione, ex qua certum petitur, *d. l. certi condictio* 9. *D. h. t.* tamen proprie datur ex cauſa mutui, adeo ut actio ex mutuo nullum aliud nomen habeat, niſi certi condictionem, *§.* 1. *Inſtit. quib. mod. re contr. obl.* ſicut nec actio ex ſtipulatione, in qua certum deducitur, *l. ſi quis* 24. *D. hoc tit.* Altera cauſa, quia ex contractu mutui ſemper petitur certum quid, & determinatum pondere, numero, vel menſura; verſatur enim in eo contractu quantitas & genus, quae perire non poſſunt, *l. incendium* 11. *C. ſi certum petatur.* At ex aliis contractibus, qui re ineuntur, petitio reduci poteſt ad incertum aliquando, veluti re perempta poſt moram, ut docet Bartol. ad *l. in re furtiva* 8. *D. de condict. furt.* nec obſtat *l. ſi ſervum* 91. *§. effectus* 6. *D. de verb. obl. & l. pen. D. de cond. cauſ. data*, in quibus docetur rem peremptam peti poſſe, quia illud verum eſt in obligationibus dandi; at nos loquimur de obligationibus, quae in faciendo conſiſtunt, ut res ſcilicet reſtituatur (veluti in depoſito, commodato, pignore) quae quoniam in facto conſiſtunt, ſuccedit obligatio in id, quod intereſt *l. ſtipulationes non dividuntur* 72. & *l. ſi inſulam* 84. *D. de verb. obl.* ad id autem, quod intereſt, conſequendum agitur incerti, *l. ult. D. ſi quis in jus voc. non ierit.* Tertio quaeri poteſt, cur non dixit in rubrica, *Si mutuum petetur*, potius quam *ſi certum petetur*; cum praeſertim de mutuo potiſſimum hic agatur. Reſpondeo, quia quaedam generaliter hic tractantur de certi condictione ex aliis cauſis, unde convenientius viſum eſt generalia edicti verba retinere. Accedit etiam, quod mutuum apud veteres id proprie dicebatur, quod gratis & ſine foenore concedebatur, ut ille Plauti locus nos monet, in *Aſinar. Act.* 1. *ſc.* 3. *v. ult. Si mutuas non potero*, inquit, *certum eſt ſumam foenore.* At certi condictio, de qua hoc loco, non minus ex mutuo ſub uſuris, quam ex mutuo gratis dato competit.

LEX I. ULPIANUS lib. 20. ad Sabinum.

E Re eſt, priusquam ad verborum interpretationem perveniamus, pauca de ſignificatione ipſius tituli referre. Quoniam igitur multa ad contractus varios pertinentia jura ſub hoc titulo Praetor inſeruit, ideo rerum creditarum *titulum praemiſit. Omnes enim contractus, quos alienam fidem ſecuti inſtituimus, complectitur: nam, ut libro primo quaeſtionum Celſus ait*, credendi *generalis appellatio eſt. Ideo ſub hoc titulo Praetor & de commodato & de pignore edixit: nam cuicumque rei aſſentiamur alienam fidem ſecuti, mox recepturi quid ex hoc contractu*, credere dicimur. *Rei quoque verbum ut generale Praetor elegit.*

Inſtitutum Ulpiani *hoc capite* eſt, docere titulum, *de rebus creditis*, recte praepoſitum eſſe omnibus partibus edicti ad contractus pertinentibus: cujus rei cognitionem apprime utilem eſſe admonet, eoque praemittendam explicationi ſingularum partium ipſius edicti. Nam, ut docet Ariſt. *cap.* 1. & 7. *lib.* 1. *Phyſ.* ab univerſalibus & communioribus incipiendum eſt, atque inde ad particularia & ſpecialia progrediendum; & hoc eſt, quod dicit Bartolus hic, ad cognitionem ſpecierum debet praecedere cognitio generis. Ait igitur, *e re eſt*, id eſt, utile eſt, expedit: formula loquendi Latinis authoribus familiari, qua & idem Ulpianus alibi etiam utitur, *l.* 1. *§.* 1. *D. de public. & vect. l.* 1. *in fin. princip. D. ſi is qui teſtam. liber.* ex quo perſpicuum eſt, alias omnes lectiones eſſe explodendas. Ait, *Priusquam ad verborum interpretationem* (intelligit verba edicti, &, ut vulgo dicunt, nigri) quaſi diceret, priusquam ad explicationem verborum edicti perveniamus, operae pretium erit, nonnihil dicere de ſignificatione ipſius tituli, ſive rubricae. Quid ita? quia *credendi* verbum, ex quo creditores & creditum deſcendunt, ſimpliciter pro mutuare accipitur, *l.* 1. *in princ. l.* 3. *§. ult. & l. ſeq. D. de SCto Maced.* Et creditores proprie dicuntur, quibus ex mutuo debetur; argumento *tituli C. ſi advers. credit.* Ne quis igitur exiſtimaret, titulum, *de rebus creditis*, anguſtiorem eſſe, quam qui generaliter praefigatur omnibus contractibus, neceſſarium fuit docere verba tituli eſſe generalia, quod facit hic Ulp. & ratione & authoritate, dicens *credendi* verbum generale eſſe ad omnes contractus, quos alienam fidem ſecuti inſtituimus, *mox recepturi quid ex eo contractu. Mox*, id eſt, paulo poſt ſive poſtea, ne excludantur contractus, ex quibus debitum in diem differtur. Nam is, cui in diem vel ſub conditione debetur ex contractu, creditor cenſetur; licet is, cui legatum eſt ſub conditione, creditor non ſit, *l. is, cui* 42. *D. de obl. & act. l. creditores* 10. *D. de verb. ſign* Et ſi quis dicat eum, cui ſub conditione debetur non eſſe mox recepturum, quia fieri poteſt, ut deficiat conditio: Reſp. verbum *recepturi* in *hac lege* non ad eventum & effectum conditionis, qui incertus eſt, ſed ad affectum ſive opinionem & voluntatem ejus, qui

alio-

alienam fidem ſequitur, eſſe referendum. Nam is ea mente & voluntate eſt, ut aliquid poſtea recipiat, licet forte aliter evenire poſſit propter defectum conditionis: atque eam eſſe naturam participii futuri temporis docet Valla, *lib. 1. Eleg. cap.* 34. quod & *gloſſ.* 1. *l. 2. D. hoc tit.* notat. Unde mirum eſt, antiquos omnes Juris interpretes aſſerere, eum, cui ſub conditione vel in diem debetur, non eſſe creditorem, neque ex proprietate verborum, neque ex uſu loquendi, quos ſequitur Jaſon ad *hanc. l. num.* 48. ea ratione ſcilicet, quod creditor & debitor ſunt relata; at debitor non eſt (inquiunt) is, qui debet in diem vel ſub conditione; ſed is ſolus, a quo invito exigi pecunia poteſt, *l. debitor* 108. *D. de verb. ſign.* Sed pace ipſorum dixero; errant largiter: ſiquidem in contrarium textus eſt expreſſus, *l. ſi cum fideicommiſſa* 16. *§. pen. D. qui & a quib. manum* ubi praeciſe vocatur debitor, qui ſub conditione debet. Nec obſtat *d. l. debitor* 108. quam allegant: non enim illic negatur eum, qui ſub conditione debet, eſſe debitorem; ſed aſſeritur, eum eſſe debitorem, a quo invito pecunia exigi poteſt ex quacunque cauſa, id eſt, licet ex contractu non debeat. Adhaec negari poteſt creditorem & debitorem eſſe ſimpliciter relata: fur enim ſimul atque meam rem contrectat, efficitur vere & proprie debitor, quia ab eo invito pecunia exigi poteſt, *d. l. debitor* 108. at ego tamen, qui nihil ei credidi, minus proprie creditor dici poſſum; credere enim, creditum, & creditores conjugata ſunt: quo fit ut creditores tantum videantur, quibus aliquid ex contractu debetur; quia ii ſoli alienam fidem ſequuntur. Nec obſtat *d. l. creditores* 10. *cum* 2. *ſeq. D. de verb. ſig.* quia in illis non dicitur eum eſſe creditorem, cui ex delicto debetur; ſed creditoris loco poſſe accipi: ut leges nimirum loquentes de creditoribus, quoties de ipſorum commodo agitur, ad hos etiam extendantur, veluti in ſpecie *l. non poſſunt* 11. *D. de jure fiſc. & l. juriſgentium 7. §. ult. D. de pact. & tit. D. quae in fraud. credit. & d. l. ſi cum fideicommiſſa 16. §. ne quis 2. D. Qui & a quib. manum.*

Haec quamquam ſufficiunt ad explicationem ſententiae Ulpiani *hac lege*; tamen quia multa huc congeruntur ab interpretibus velut conſequentia quaedam, partim ex interpretatione verborum, partim ex ratiocinatione Juriſconſulti: nos quaedam eorum tanquam flores ex ſpinis delibabimus. Primum igitur, quod ait hic Ulpianus, *e re eſt*, Bartolus ita interpretatur, *id eſt ex re*, hoc eſt, ex materia noſtra eſt, non eſt extra materiam, tractare de ſignificatione tituli. Ex quo colligit, quod licet non credatur teſti, niſi de iis, ſuper quibus juravit ſe dicturum veritatem, *l. juriſjurandi 9. C. de teſtib. cap. de teſtibus 29. extra. de teſtibus.* & ſi aliquid dixerit ultra articulos, illud dictum nihil probat, *gloſſ. ult. l. ult. C. qui legit. perſ. ſtand. in jud. gloſſ. ult. l. ſi quis 7. D. de pet. haered.* tamen ſi juravit ſimpliciter, ſe dicturum veritatem ſuper articulis, & aliquid dixerit ad declarationem articulorum, illud admitti debet, & fidem facere judici ſecundum qualitatem dicentis; nec putandus eſt id injuratus dixiſſe: quia ex re eſt, id eſt, ut Bartolus ait, non eſt extra materiam & propoſitum, ſive articulum. Idipſum docet etiam ad *l. Si duo patroni 13. §. idem Julianus 2. D. de jurejurand.* omnis enim digreſſio non impertinens admitti debet, ut ait Paul. Caſt. argumento *l. jam dubitari* 86. *§. non ab re 1. D. de haered. inſtit.* Verum nos jam ſupra oſtendimus, aliam eſſe ſignificationem illorum verborum, *e re eſt*. Atque ita licet ſuperior illa Bartoli ſententia in ſe vera ſit, tamen ex illis Ulpiani verbis non neceſſario elicitur.

Secundo colligunt ex *hac l.* quod ſi is, adverſus quem teſtes producuntur in actione mutui, commodati, vel ſimili, dederit interrogatoria judici, per quae poſtulat, ut judex teſtem interroget, quid ſit mutuum, quid commodatum &c. Debet judex admittere ejuſmodi interrogatoria: quia non poteſt teſtis ſcire mutuum datum eſſe, niſi ſciat, quid ſit mutuum; quandoquidem cognitionem ſpeciei praecedere debet cognitio generis, *l. 1 D. de juſt. & jur.* & ita Ulpianum ratiocinari dicunt *hac lege*, ſupprimendo propoſitionem, quod eam facile quilibet ſupplere poſſet tanquam notiſſimam; nempe, ut ſpecies cognoſcatur, generis notionem prius eſſe neceſſariam. Sed hoc non ita accipiendum eſt, quaſi teſtis de mutuo, commodato, vel aliis rebus interrogatus, debeat perfectam earum rerum definitionem dare; cum hoc ad Juriſconſultum pertineat: ſed ſatis eſt, ſi declaret, quomodo ipſe intelligat mutuum fieri &c. Judicis enim arbitrio hoc committitur, *l. 3. D. de teſtib.* cujus eſt examinare interrogatoria, & reſecare ea, quae ſunt ſuperflua, *cap. licet 9. extra. de prob. cap. cum cauſam 37. ext. de teſtib. cap. praeſentium 2. de teſtib. in 6.*

Tertio colligunt, rubricam ſive titulum debere eſſe generalem ad nigrum, ut loquuntur; quod verum eſt, ſi conferatur cum iis, quae praecipue tractantur ſub illa rubrica. Nam cum titulus nihil aliud ſit, niſi quaedam ſuperſcriptio, indicans materiam, de qua agitur, non opus eſt eum eſſe generalem ad omnia, quae quovis modo proponuntur ſub titulo, ſed ſatis eſt eum comprehendere ea, quae principaliter ibi tractantur. Et ubi aliquid in legibus obſcure definitum eſt, id interpretationem ex rubrica capere debet, *gloſ. ad l. unic. in verb. retractare. C. ne liceat tertio provocare:* & contra rubricae generalitas & amplitudo declarationem & reſtrictionem recipit a legibus; veluti ſi rubrica hoc modo generaliter concepta ſit, de filiabus dotatis, ne ſuccedant; & in conſtitutione ſeu legibus, ſub rubricis poſitis, ſcriptum ſit, filias dotatas non ſuccedere matri vel aviae maternae. Non debemus argumentum ducere ex generalitate tituli ad excludendas filias dotatas a ſucceſſione paterna, ut Decius & Jaſon recte ſentiunt; quamvis Bald. *conſil.* 76. *volum. 5. incip. an ſtatutum*, & Paul. Caſtr. *conſil.* 334. *incip. praeſens caſus*, in contraria ſententia ſint: nam ſequi debemus poſterius ſcriptum, *l. ult. D. de conſtit. Princ. l. pacta noviſſima 12. C. de pactis.* Quod autem quidam notant, quaſdam rubricas inveniri de iis rebus ſcriptas, de quibus nihil in ſubjectis capitibus tractatur; ut rubrica *C. de ſponſ. & arr. ſponſ. & proxenet.* ſub qua ne verbum quidem de proxeneticis (Sic rubrica *C. de relig. & ſumpt. fun. & aleae luſu, & aleatoribus*) id certe inde accidit, quod Graecas conſtitutiones, quae iis de rebus factae erant, temporum injuriis interciderunt: quarum nonnullae a Contio, Cujacio, & aliis doctis viris aut integrae aut per epitomen reſtitutae ſunt.

Quarto colligunt, argumentum validum duci poſſe ex ordine rubricarum, atque ita tutorem confirmatum debere praeferri tutori legitimo; quia titulus *de confirmando tutore* ponitur ante titulum *de legit. tutorib.* ſed ego non video, quomodo id ex *hac l.* colligi poteſt.

Quinto colligitur ex *hac l.* argumentum ab authoritate firmum eſſe in jure, eo quod Ulpianus ad ſuae ſententiae confirmationem adducit Celſum authorem. Et quidem jus totum ab authoritate pendet: itaque leges nulla alia ex cauſa nos tenent, quam quod ab habentibus poteſtatem latae ſunt, & a populo receptae, *l. de quibus 32. D. de legib.* De illis *ll.* loquor, quae non ſunt omnino naturales aut divinae. Verum quidem eſt, legem omnem debere eſſe fixam & fundatam ratione; quae eſt veluti anima legis, & verba veluti corpus & ſuperficies, ut ait Bald. ad *l. ſi quis ſervo 20. C. de furtis.* & *l. 1. coll. ult. D. ſol. matr.* & *l. ult. in 14. q. C. de haered. inſtit.* Melius dixiſſet ſententiam legis eſſe veluti corpus, & verba veluti ſuperficiem. Et proinde lex ad eos caſus non porrigitur, ad quos ratio ejus non pertinet, *l. quod dictum 32. D. de pactis. l. adigere 6. §. quamvis 2. D. de jure patron.*

tron. ſed non eſt ſingulorum aut privatorum hominum, legum rationes anxius exigere, quaſi legibus nolint parere, niſi cauſas & rationes earum cognoverint: ſatis eſt, eas legiſlatoribus fuiſſe perſpectas, *l. non omnium* 20. *D. de legib.* exemplum eſt in *l. liberorum* 9. *D. de relig. & ſumpt. fun.* Itaque licet judici videatur legis ſententia paulo durior, & a ratione aliena, non tamen debet ab ea recedere, *l.* 1. *C. de leg. l. proſpexit* 12. *D. qui & a quibus manum. lib. non fi. l. nemo* 13. *C. de ſent. & interloc.* Utitur autem Ulpianus hic authoritate Celſi; quia is poteſtatem habebat publice reſpondendi de jure *l.* 2. *in fin. D. de orig. jur.* & talium veterum Juriſconſultorum reſponſa vim legis obtinebant, *§. reſponſa prudentum* 8. *Inſtit. de jur. natur. gent.* Non ita ſe res habet in Juris interpretibus & Doctoribus noſtris: nam horum reſponſa, & ſententiae non concludunt neceſſario; ideoque non reſponſa, ſed conſilia vocantur: quia judex non tenetur neceſſario illa ſequi. Tamen ubi multi celebres Doctores in unam ſententiam conveniunt, receptum eſt, non licere judici aliter judicare, niſi propter evidentem aliquam rationem, Bartol. ad *l.* 2. *num.* 5. *C. de poen. jud. qui male jud.* Panorm. & alii *in cap.* 1. *ext. de conſtit.* facit *l. Athletas* 4. *D. de his qui not. infam.* ibi, *Et generaliter ita omnes opinantur.* & *l. unic. D. de off. quaeſt.* ibi, *Sane crebrior apud veteres opinio eſt.* Allegari etiam poſſunt authoritates ſanctorum Patrum ad deciſiones cauſarum; & vero *gloſſ. in can. de libellis* 1, 20. *diſt.* ait, Dictum alicujus ſancti, fulcitum authoritate ſacrae ſcripturae veteris vel novi Teſtamenti, praeferendum eſſe conſtitutioni Papali in deciſionibus cauſarum; quam refert & ſequitur Panorm. *in cap. qualiter & quando* 24. *de ſent. exco.* ſed arbitror hoc dictum non eſſe verum: quia ad ſummos Pontifices tantum pertinet, conſtitutiones cauſis decidendis promulgare. Allegari poſſunt etiam annales & chronica; ſi talia ſint, quibus fides ſine contradictione retro habita eſt, *l. cenſus* 10. *D. de prob. cap. cum cauſam* 13. *de prob.* Monumenta autem vix eſt ut fidem faciant, *l. monumentorum* 6. *C. de relig. & ſumpt. fun.*

LEX II. Paulus lib. 28. ad Edictum

M*Utuum damus recepturi non eandem ſpeciem, quam dedimus; alioquin commodatum erit aut depoſitum, ſed idem genus: nam ſi aliud genus, veluti ut pro tritico vinum recipiamus, non erit mutuum.*

Diximus, certi condictionem ex mutuo praecipue tractari ſub *hoc tit.* unde quid ſit mutuum primo conſiderandum. Id docet *hac l.* Paulus, non quidem per certam & expreſſam aliquam mutui definitionem, ſed per explicationem eorum, quae ad mutuum conſtituendum requiruntur: ex quibus aliquis, difiniendi peritus, bonam mutui definitionem facile poteſt conficere. Unde Bartol. ad *hanc l. in fin.* ex praedictis, inquit, liquere poteſt tibi, quid eſt mutuum, atque ita definit: Mutuum eſt contractus celebratus datione vera vel ficta rei conſiſtentis in pondere, numero, vel menſura, cum ſpe recipiendi tantundem in genere ſuo: quae definitio utique bona eſt, ſicut & illa Cujac. *lib.* 2. *Obſerv. cap.* 37. (licet brevior) hoc modo: Eſt creditum quantitatis datae ea lege, ut eadem ipſa quantitas reddatur in genere, non in ſpecie eadem. Utraque definitio in idem recidit, & ex dictis Pauli *hoc cap.* depromitur. Nam primum, quod genus mutui ſit *creditum*, ſive *contractus* docetur in *§. creditum* 3. *hac l.*: *Creditum*, inquit, *a mutuo differt, qua genus a ſpecie.* Deinde quod ſit creditum quantitatis, docetur hic in §. 1. ubi dicitur *mutuum conſiſtere in iis rebus, quae pondere, numero, & menſura conſtant*, cujuſmodi res omnes quantitatis verbo comprehenduntur *l. plane* 34. *§. ſi non corpus* 3. *D. de leg.* 1. ubi quantitas corpori opponitur; non quod ea, quae in quantitate conſiſtunt, non habeant corpora (ſunt enim res corporales, quia cerni tangique poſſunt, *l.* 1. *§. quaedam* 1. *D. de diviſ. rer. Inſtit. de reb. corp. & incorp.*) ſed quod in iſtis rebus conſideratur magis quantitas, quam corpus, & ideo a corporibus diſtinguuntur, *l.* 1. *§. non ſolum* 6. *D. ad l. Falc. l. talis ſcriptura* 30. *D. de leg.* 1. Prima igitur particula differentiae, quae mutuum a caeteris contractibus diſtinguit, eſt, quod conſiſtit in quantitate; quod autem reliquum eſt in his Bartoli & Cujacii definitionibus, id totum exprimitur in principio *hujus l. Mutuum damus recepturi &c.* Ut igitur mutuum recte contrahatur, colligimus quatuor requiri, ex doctrina Juriſconſulti *hac l.* Primum, ut res interveniat, *d. §.* 1. quia hic contractus ex eorum numero eſt, qui re fiunt, *Inſt. quib. mod. re contr. obl.* Alterum eſt, ut ſit res, quae pondere, numero, vel menſura continetur, *d. §.* 1. *hac lege*, ubi id explicabitur. Tertium, ut dominium rei mutuatitiae transferatur in accipientem: ideo Paul. dixit *Mutuum damus.* Dare eſt dominium transferre, *§. ſic* 14. *inſtit. de action. l. ubi autem* 75. *§. ult. D. de verb. obl.* Fit autem translatio dominii per traditionem *l. traditionibus* 20. *C. de pactis*; ergo oportet mutuantem tradere rem ei, qui mutuum rogat, idque numerando, metiendo, aut appendendo, *Inſtit. quib. mod. re contr. oblig.* & hoc eſt, quod Paul. dicit, *mutuum non poteſt eſſe niſi proficiſcatur pecunia*, *d. §. creditum* 3. *hac l.* Exceptio eſt niſi is, qui mutuum rogat, rem mutuatitiam habeat jam apud ſe ex alia cauſa, *l. certi condictio* 9. *§. ult. D. hoc tit. §. interdum* 44. *Inſtit. de rer. diviſ.* Hinc ſequitur mutuum non contrahi, niſi is, qui rem tradit, ſit dominus aut domini voluntate tradat; quod expreſſe docet Paul. *in §. penult. hujus cap. In mutui datione oportet dominum eſſe dantem*, inquit; ratio eſt, quia nemo plus juris &c. *l. traditio* 20. *D. de acq. rer. dom. l. nemo plus juris* 54. *D. de reg. jur.* Quartum, ut aliqua intercedat conventio vel expreſſa vel tacita de re ejuſdem generis reddenda: niſi enim is animus ſit & dantis & accipientis, non perficitur contractus mutui, *l. Si ego* 18. *D. hoc tit.* neque enim actus agentium operantur ultra ipſorum voluntatem, *l. non omnis* 19. *D. eod.* Nec obſtat, quod quidam contractus dicuntur re celebrari & perfici, *Inſtit. de oblig. in fin. cum tit. ſeq.* Nam hoc non ita intelligendum eſt, quaſi ſolo rei interventu contractus ineatur (omnis enim contractus requirit conventionem & conſenſum contrahentium, *l.* 1. *D. de pactis*) ſed quod in illis contractibus, qui re fiunt, praeter conſenſum, opus eſt etiam re, per quam ſubſtantia obligationis expletur, *l. contra* 6. *D. de SCto Maced.*

Ait igitur Paulus, *mutuum damus recepturi*, id eſt, animo recipiendi: nam quando damus non recepturi, ſive animo non recipiendi, non eſt mutuum, ſed donum. Hinc Ariſtot. *lib.* 4. *Top. cap.* 4. ſcribit, dationem eſſe genus donationis; quia non omnis datio eſt donatio. *Eſt enim donatio*, inquit, *largitio, quae reddi non debet*; ſive (ut vertit Argyropylus) *donum eſt datio irreddibilis.* Ait, *non eandem ſpeciem; alioquin commodatum erit aut depoſitum*: quod exempli gratia accipiendum eſt, quaſi dixiſſet, alioquin non erit mutuum, ſed alius contractus, veluti commodatum aut depoſitum. Nam fieri poteſt, ut ſit precarium, locatum, vel pignus, ſed in his omnibus non eſt proprie datio, id eſt, translatio dominii. Itaque commodans rem aliquam, non dicitur ſimpliciter dare, ſed conjunctim, dare commodato; & ſic de caeteris: quia dare eſt dominium transferre, ut dictum eſt. Ait, *ſed idem genus.* Juriſconſulti vocant genus, quod Ariſtoteles ſpeciem ſpecialiſſimam ſive infimam, quam & ſpeciem communem etiam appellant, *l. cum Stichus* 29. *D. de ſolut.* Quod autem Ariſtoteli ἄτομος dicitur, id Juriſconſultis vulgo ſpecies eſt. Quando igitur aliquis rem dat, ut eandem ipſam rem, id eſt, ipſum individuum recipiat,

cipiat, non eſt mutuum: quia, ut ait Theoph in *paraphraſi Inſtit. tit. quib. mod. re contrah. obl.* aliter ſtatuamus, tolletur omnis utilitas mutui: nam unusquisque mutuatur rem, ut eam in ſuos uſus convertat. Idem ergo genus reddendum eſt, id eſt, res ejusdem generis & naturae. Nam ſi detur aliquid, ut aliud alterius generis reddatur, erit permutatio, id eſt, contractus innominatus, do ut des. Hinc quaeri poteſt, an liceat debitori, qui rem mutuam accepit, eandem ipſam rem, quam accepit, id eſt, ipſum individuum reddere creditori. Et videtur quidem prima facie non licere ex eo, quod hic dicitur, *mutuum damus recepturi non eandem ſpeciem*, quaſi id tacite inſit naturae mutui, ne eadem ſpecies reddatur, quaſi, inquam, ita conveniſſe intelligantur perpetuo contrahentes; ac proinde haec conventio ſervanda eſt, *d. l. 1. D. de pact.* contrarium tamen verius eſt: licere nimirum debitori eandem ſpeciem reddere non deteriorem factam, idque duplici ratione. Prior, quia in mutuo perſolvendo requiritur, ut reddatur res ſimilis, id eſt, ejusdem bonitatis & naturae, *l. cum quid 3. D. hoc tit.* At nihil poteſt eſſe magis ejusdem bonitatis & naturae, quam ipſamet res data, quamdiu naturam & qualitates ſuas omnes retinet. Ergo debitor maxime fidem ſuam liberat, quando eandem rem, quam accepit, non deteriorem factam, reddit. Altera, quia ex eo, quod dicitur res mutuatitias functionem recipere in genere per ſolutionem magis, quam in ſpecie, *§. 1. D. hac l.* Conſequens eſt, eas recipere functionem etiam in ſpecie per ſolutionem; alioqui impropria eſſet comparatio. Non obſtat argumentum in contrarium ex initio *hujus l.* quia, quod ibi dicitur, *Mutuum damus non recepturi eandem ſpeciem*, favore debitoris dictum eſt, ne ſcilicet ipſe cogatur eandem ſpeciem reddere; quia tunc ceſſaret omnis utilitas mutui: quaſi diceret, mutuum damus eo animo, ne accipiens teneatur eandem ſpeciem nobis reddere, ſed liceat ei rem mutuatam conſumere, ſi velit. Ergo accipiens non debet cogi ea uti, cum liceat unicuique conventionem ſui gratia factam reſpuere, *l. penult. C. de pact. l. nulla juris 25. D. de legib.* Simile eſt de die appoſito obligationi: nam creditor quidem ante diem exigere non poteſt, *§. omnis 2. Inſtit. de verb. oblig. §. plus autem 33. Inſtit. de act.* at debitor poteſt ante diem ſolvere, ſi voluerit; quia dies adjecta eſt ejus cauſa, *l. cum tempus 17. D. de reg. jur. l. Stipulatio iſtu 38. §. inter incertam 16. & l. continuus 137. §. cum ita 2. D. de verb. obl. l. quod certu 70. D. de ſolut.*

§. 1.

MUtui datio conſiſtit in his rebus, quae pondere, numero, menſura conſiſtunt: quoniam eorum datione poſſumus in creditum ire, quia in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem, quam ſpecie: nam in caeteris rebus ideo in creditum ire non poſſumus, quia aliud pro alio invito creditori ſolvi non poteſt.

Pars differentiae mutui, a reliquis contractibus ſumitur ex rebus, in quibus verſatur mutuum. *Mutui datio*, inquit, *conſiſtit in his rebus, quae pondere, numero, menſura conſiſtunt* (ſubaudi, *ſolis*) ut ſit ſenſus, in his rebus ſolis conſiſtit, & extra has res non conſiſtit: atque ita a caeteris contractibus differt, qui & in his rebus & extra has res locum habent. Deinde quod dicit, *quae pondere, numero, menſura conſiſtunt*, ſic accipiendum eſt, quae per appenſionem, numerationem, vel menſuram dantur & accipiuntur; ne forte quis objiciat res omnes corporales his verbis contineri: quaelibet enim proprium pondus habet, proprium etiam menſuram, & proprium numerum. Quippe Deus omnia diſpoſuit in pondere, numero, & menſura, *Sap. cap. 11. v. 21.* ſed non omnes tamen res in commercio hominum dantur & accipiuntur per pondus, numerum, vel menſuram.

Cur autem hae res ſolae ad mutuum conſtituendum aptae ſint, rationem adſcribit hic: quia nimirum ejusmodi res *functionem recipiunt per ſolutionem in genere, quam ſpecie*, ſubaudi, *magis*, ut ſit Graeca vel Hebraica loquendi figura; cujusmodi non paucas in ſcriptis veterum Juriſconſultorum notavit Ant. Auguſtin. *lib. 4. Emend. cap.* 8. Una plane ſimilis eſt in *l. pro haerede 20. §. ult. D. de acq. her.* Recipere autem functionem per ſolutionem, idem eſt, quod admittere ſatisfactionem; quaſi diceret, in ſolutione iſtarum rerum, una ſpecies ſubit & ſupplet vicem alterius, & eam repraeſentat: veluti ſi quis mutuatus eſt cadum vini, licet ei reddere alium cadum ejusdem menſurae & bonitatis, nec intelligitur aliud pro alio ſolvere, quia in his rebus quaelibet ſpecies alterius ſpeciei vice fungitur, & ita dicuntur hae res functionem recipere in genere. At res aliae, quae uno nomine corpora vocantur (*d. l. talis ſcriptura 30. D. de leg. 1.*) hanc repraeſentationem & viciſſitudinem non admittunt, quia unaquaeque certis quibusdam qualitatibus & proprietatibus conſtat, quarum collectio eadem nunquam in alia ſpecie ſimiliter reperitur, ut ait Porphyr. *in cap. de ſpecie.* Itaque in his ſpeciebus locus eſt regulae hic poſitae, *aliud pro alio invito creditori ſolvi non poteſt*: aliud numero ſecundum Philoſophos, ſive aliud ſpecie ſecundum Juris authores; veluti ſtipulatus ſum a te Stichum, non potes mihi invito ſolvere Pamphilum, quamvis aequalis aut majoris pretii ſervum. Dicitur invito creditori, ex quo intelligimus, aliud pro alio recte ſolvi poſſe volenti creditori, *l. Si quis alium 46.* quia ſatisfactio omnis pro ſolutione eſt, *l. ſatisfactio 52. D. de ſolut.* Eſt igitur notanda haec regula, *aliud pro alio, &c.* ad cujus confirmationem gloſſa multas leges accumulat, quae, ſi bene perpendantur, nihil ad hanc regulam pertinent: neque enim agitur in illis de ſolutione unius rei pro alia, ſed de ſatisfactione unius obligationis ex alia. Veluti ne is, cui res debetur ex cauſa judicati, cogatur accipere expromiſſorem, *l. 4. § uit praetor 3. D. de re jud.* vel is, cui res pignerata eſt, cogatur pro pignore accipere ſatisdationem, *l. quod ſi 10. D. de pig. act. l. item liberatur 6. §. 1. D. quib. mod. pign. vel hyp. ſolv.*

Superiorem regulam, *aliud pro alio, &c.* multis exceptionibus limitant Doctores; adeo ut quidam plusquam viginti fallentias, ut ajunt, enumerent. Verum nos, facilioris doctrinae cauſa, omnes illas fallentias ad tres generales exceptiones revocabimus: quarum Prima eſt, quando res, quae debetur, praeſtari non poteſt: tunc enim neceſſitas cogit nos admittere aeſtimationem. Atqui aliud eſt aeſtimatio rei, aliud res ipſa, *l. nemo 82. D. de verb. obl. l. ult. C. de fideicomm. libert.* Exempla hujus exceptionis paſſim occurrunt, *l. qui reſtituere 68. D. de rei vind. in re furtiva 8. D. de cond. furt. l. promiſſor hominis 23. D. de conſtit. pec. Auth. hoc niſi. C. de ſolut.* Altera exceptio, quando res quidem praeſtari poteſt, ſed adeo tamen difficilis praeſtatio eſt, ut reputetur quodammodo impoſſibilis; veluti ſi teſtator rem alienam legavit, & dominus illius rei nolit eam vendere haeredi niſi immenſo pretio (tunc enim haeres liberatur, praeſtando juſtam aeſtimationem officio judicis) vel ſi haeres juſſus eſt ſervum haereditarium alicui dare, quem dare non poteſt ſalva pietate & ſalvo honore, forte patrem aut matrem, vel fratres naturales, *l. ſi domus 71. §. qui confitetur 3. D. de leg. 1.* Nam quae facta laedunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, ea nec fieri poſſe credendum eſt, *l. filius 15. D. de cond. inſtit.* Tertia exceptio, ſi debitori facultas data ſit alterius rei ſolvendae, ſive lege aliqua, ſive teſtamento, ſive conventione & pacto; Lege veluti cum aliquis ex noxali cauſa tenetur (nam obligatur quidem in aeſtimationem damni dati, verumtamen hoc beneficium habet a lege, ut liberetur noxae deditione, *l. miles 6. §. 1. D. de re jud.*) Teſtamento,

mento, ut in ſpecie *l.* 1. *D. de pena legat.* & *l. cum fine* 19. *D. quando dies leg. cedat. l.* 1. §. *ult.* & *l. cum certum* 9. *D. de aur. arg. leg.* Conventione, quia, poſtquam convenit inter creditorem & debitorem, ut aliud pro alio liceat ſolvere, non poteſt creditor mutare voluntatem in alterius praejudicium, *cap. quod ſemel* 21. & *cap. mutare* 33. *de reg. jur. in* 6. Regula igitur noſtra has patitur exceptiones; extra eas firma eſt. Nam quod attinet ad obligationes faciendi, in quibus pecunia ſolvi poteſt pro facto promiſſo, etiam invito creditori, *l. ſi quis ab alio* 13. *D. de re jud. l. ſtipulationes non dividuntur* 72. *D. de verb. obl.* non recte excipiuntur ab hac regula, *aliud pro alio, &c.* quia in illis non ſolvitur aliud pro alio, ſed idipſum quod debetur, id, inquam, quod eſt in obligatione; propterea quod in ejusmodi obligationibus poſt moram ſuccedit obligatio natura ſua in id, quod intereſt, & ideo id, quod intereſt, debetur, *l. ſi poenam* 68. *l. quoties quis* 81. *D. de verb. obl.* Exiſtimabant enim veteres, incivile eſſe, imo ſervile, cogi aliquem aliquid facere. Sed hoc tamen in contractibus: in ultimis autem voluntatibus cogitur haeres praeciſe facere, nec auditur volens pecuniam dare, cum teſtator per ipſummet juſſerit opus fieri, *l. fideicommiſſa* 11. §. *ult. D. de leg.* 3. ubi Bart. id notat.

Ex iis, quae diximus, ſpeciem unam fungi vice alterius, & pro alia ſolvi, in rebus, quae pondere, numero, menſura conſtant, quaeſtio proponi poteſt, de legato relicto hoc modo. Centum, quae habeo apud collybiſtam, do lego Titio, & ſi haeres ea non dederit, fundum meum Cornelianum dato. An ſcilicet haeres teneatur praeciſe hoc caſu dare Titio ipſa eadem corpora nummorum, quae erant apud collybiſtam, vel fundum Cornelianum; An vero liberetur dando alios centum ejusdem generis nummos. Dubitandi cauſa eſt, quia demonſtratio appoſita quantitati, facit ex quantitate corpus, ſive ſpeciem certam, *l. talis* 30. *l. plane* 34. §. *ſed hoc ita* 4. *D. de leg.* 1. & ideo nummi hoc modo legati non recipiunt permutationem *l. ſed ſi* 51. *D. de leg.* 1. Quemadmodum igitur in caeteris rebus aliud pro alio ſolvi non poteſt, ut dictum eſt: ita nec hic videtur licere haeredi alia centum ſolvere invito legatario, quibus conſequens eſt, quod ſi haeres non dederit illa ipſa centum, teneatur dare fundum Cornelianum. Quapropter ſi illa centum perierint ſine culpa haeredis, perinde liberatur ac ſi ſpeciem certam debuiſſet, *l. ſi ex legati cauſa* 23. *l. ſi certos* 37. *D. de verb. obl. d. l. ſed ſi* 51. & *l. ſi ſervus* 108. §. *qui quinque* 10. *D. de leg.* 1. Exiſtimo tamen inquirendum eſſe, qua mente teſtator dixit illa centum eſſe apud campſorem, & ſecundum ipſius voluntatem eſſe diſtinguendum; utrum ſcilicet id dixit animo deſignandi certa corpora nummorum, quae habuit apud collybiſtam; an vero admonendi haeredem, unde poſſet facile illam ſummam accipere: argumento *l. Jurisgentium* 7. §. *paſtorum* 8. *verſ. utrum autem. D. de pact. l. ſi decem* 48. *D. de verb. obl. l. muto* 6. §. 1. *D. de tutel.* Verſatur ergo hic quaeſtio voluntatis, quae conjecturis deprehendi poteſt: nam ſi teſtator pecuniam in ſacco depoſuit apud campſorem, quam poſtea legavit, quidam exiſtimant eſſe legatum ſpeciei; ſin vero eam numeravit, eſſe legatum quantitatis. Utroque tamen caſu videtur aequum eſſe, ut legatarius, contentus tanta ſumma, quanta legata eſt, alterius legati petitione abſtineat: eſt enim haec quaeſtio de bono & aequo, in quo genere plerumque ſub authoritate juris ſcientiae pernicioſe erratur, ut ait Celſus, *l. ſi ſervum* 91. §. *ſequitur* 3. *D. de verb. obl.*

Rurſus circa eandem regulam *aliud pro alio, &c.* quaeri poteſt, an debitor ſolvendo aliud pro alio perſonae adjectae ſolutioni, volenti & acceptanti, invito tamen creditore, liberetur. Dubitandi cauſa eſt, quia conſtat inter omnes debitorem recte ſolvere adjectae perſonae id, quod debetur, *l. quod ſtipulatus* 10. & *l. vero procuratori* 12. §. *ſed etſi* 4. *l. aliud* 106. *D. de ſolut.* §. *plane* 19. *Inſtit. de inutil. ſtipul.* Contrarium tamen reſpondendum eſt. Nam ſi non liberatur debitor ſolvendo adjectae perſonae alio loco, quam qui deſtinatus eſt ſolutioni, *l.* 2. §. *idem Julianus* 7 *D. de eo quod cert. loc.* multo minus admittendum eſt, ut ſolutione unius rei pro alia liberetur. Ad cauſam dubitandi reſpondendum eſt; quod dicitur liberari debitorem per ſolutionem factam adjectae perſonae, intelligendum eſt, ſi ſecundum formulam contractus & conventionis ſolutio facta ſit, *d. l. quod ſtipulatus* 10. *D. de ſolut.*

§. 2.

A*Ppellata eſt autem mutui datio ab eo, quod de meo tuum ſit, & ideo ſi non fiat tuum, non naſcitur obligatio.*

Paulus, volens nos quaſi manu ducere in cognitionem mutui, non ſatis putavit ea tradere, ex quibus mutui definitionem aliquis colligere poſſit; ſed voluit praeterea quandam velut etymologiam, & notationem verbi, *mutuum*, proponere, mutuum inde dictum oſtendens, quod de meo tuum fit; mutuum ergo dicitur per contractionem duorum verborum, *meum tuum*. Accurſius tamen putat eſſe alluſionem ad ſonum vocabuli, ea ratione, qua Juſtinianus dicit Teſtamentum appellatum eſſe ex eo, quod ſit teſtatio mentis, *pr. Inſtit. de Teſtam.* cujus ſententiam non improbo; eſt enim utrobique pulchra quaedam paronomaſia. At Varro *lib.* 4. *de lingua Lat.* ſcribit mutuum derivatum a verbo Siculo μοῖτον. Utut autem res ſe habet, conſtat, hanc ſive notationem ſive alluſionem indicare nobis naturam mutui; ita ut Paulus inde argumentum ducat, in hunc modum, ſi non fit de meo tuum, id eſt, ſi non transferatur dominium rei a me in te non naſcitur mutuum. Hinc notant Doctores, argumentum ab etymologia recte concludere negative, ut, ſi non eſt teſtatio mentis, non eſt teſtamentum; ſi non fit de meo tuum non eſt mutuum: non autem affirmative, ut quilibet ratiocinandi peritus facile intelligit. Non obſtat *l. ſi a furioſo* 12. *in fin. cum l. ſeq. D. hoc tit.* aut *l. ſi quis* 56. §. *nummos* 2. *D. de fidejuſſ. & mand.* ubi datur condictio ei, qui alienos nummos dedit mutuos, ſi is, qui accepit, conſumpſit acceptos. Nam reſpondetur hoc introductum eſſe jure ſingulari, propter conſumptionem, quae facit, ut res recte dicatur perveniſſe ad accipientem, cum ſit in ejus uſus converſa: ante conſumptionem vero, accipiens nulla actione tenebatur ei, qui dedit; ſed vero domino tenebatur rei vindicatione, *l. rogaſti* 11. §. *ult. D. h. t.* Magis obſtare videtur *l. in contractibus* 14. *C. de non numer. pec.* ubi conſtitutum eſt, aliquem teneri certi condictione poſt biennium, perinde ac ſi pecuniam accepiſſet, licet revera nihil acceperit; ergo falſum eſt, quod Paulus hic dicit, non naſci obligationem mutui, niſi de meo tuum fiat. Haec objectio coëgit Accurſium, ut conſtitueret duplex mutuum, aliud naturale, aliud civile. Hoc verum eſt, inquit, quando eſt mutuum civile, ſed nos loquimur de mutuo naturali. Verum haec falſa & inepta diſtinctio Accurſii eſt, quam ponit ad *d. l. in contractibus* 14. & in *gl. ult. hujus l.* ut recte primus animadvertit Fulgoſius ad hunc locum; quia per illam confunditur obligatio mutui, quae re contrahitur, cum obligatione, quae literis aut verbis fit; quae tamen toto genere diſtinguuntur, §. *ult. Inſt. de obl. l.* 1. §. 1. *D. de obl. & act.* Reſpondendum ergo eſt in *d. l. in contractibus* 14. agi de obligatione literarum, qua quis confitetur ſe mutuum accepiſſe, ex qua datur actio poſt biennium, licet nihil acceperit; cui actioni non poteſt opponi exceptio non numeratae pecuniae: non ergo ex mutuo datur ibi actio, ſed ex obligatione literarum. Nec ſequitur, agitur illic condictione certi eodem modo ac ſi mutuum datum eſſet;

eſſet; ergo eſt mutuum (quod tamen enthymema pleroſque veterum feſellit, qui proprie condictionem dici putarunt actionem ex mutuo) nam, ut in explicatione Rubricae docuimus, certi condictio competit ex omni cauſa & omni obligatione, quoties certum petitur: eodem modo reſpondendum eſt ad *l. 2. C. ſi certum petetur*; ubi certi condictio datur ex ſtipulatione.

Ad §. Creditum 3. & duos ſeqq.

Ex iis, quae dicta ſunt, colligit Paulus creditum differre a mutuo, ſicut genus differt a ſpecie: omne ergo mutuum eſt creditum; ſed non e diverſo, omne creditum eſt mutuum. Quod autem ita res ſe habeat, probat his verbis: creditum conſiſtit extra eas res, quae pondere, numero, & menſura continentur; adde, & etiam in iis rebus. Et eſt optima probatio; quia generis ratio omnibus ſpeciebus convenit aequaliter, & ejus natura latius ſe extendit quam natura ſpeciei. Quod autem creditum genus ſit, probat multis exemplis *hoc §. & ſequentib.* usque ad *finem hujus legis. Primum*, quia mutuum non conſiſtit, niſi in iis rebus, quae pondere, numero, vel menſura conſtant; creditum vero conſiſtit extra eas res, *hoc §. Secundum*, mutuum non fit, quando convenit, ut eandem rem, id eſt, idem individuum recipiamus; mutuum ſcilicet non admittit talem conventionem, *hac l. in princ.* at creditum eſſe poteſt, cum res eadem redditur; ut in depoſito, pignore, locato. *Tertium* exemplum: mutuum non poteſt fieri, niſi proficiſcatur pecunia, id eſt, niſi res mutuatitia tradita fuerit accipienti; at creditum eſſe poteſt, etſi nulla pecuniae numeratio intervenerit, *ut ſi poſt nuptias dos promittatur*, inquit; quae ſententia ambiguitatem habet ex verbo, *poſt*, an ſcilicet intelligatur poſt nuptias contractas, an vero poſt nuptias ſolutas; & utrum verbum, *promittatur*, ad virum, an ad mulierem referri debeat. Sed ſequenda eſt Joannis ſententia, quae poſteriore loco in gloſſa relata eſt, ut ſcilicet poſt nuptias ſolutas intelligatur maritus promiſiſſe uxori dotem, cum illa nihil in dote haberet, *l. ſi divortio 21. D. de verb. obl. Quartum* exemplum: mutuum non contrahitur niſi is, qui mutuat, ſit dominus, *§. penult.* hic. At creditum eſſe poteſt, etſi dominus non ſit is, qui tradit, ut in commodato, *l. commodare 15. cum l. ſeq. D. commodati, & in emptione, l. rem alienam 28. D. de contrah. empt.* Sed hic objici poteſt: filiusfamilias & ſervus poſſunt mutuum contrahere in rebus peculiaribus, & tamen non ſunt domini earum rerum, ſed tantum conniventibus oculis patrum aut dominorum eas tenent, *l. non ſtatim 8. in fin.* & *l. depoſiti 5. §. ult. D. de pecul.* Huic objectioni occurrit Paulus *in verſ. Nec obeſt:* dicens, filium & ſervum dantes pecuniam peculiarem obligare accipientem ea ratione, qua extraneus aliquis dando pecuniam meo nomine, *l. certi 9. §. ſi nummos 8. D. eod. l. qua ratione 9. §. hae quoq. res 3. D. de acq. rer. dom. l. ſi ita ſtipulatus 126. §. Chryſogonus 2. verſ. Plane. D. de verb. obl. Quintum* exemplum eſt in *§. ult.* mutuum non fit niſi re; at creditum fit etiam verbis, *quodam actu ad comparandam obligationem interpoſito, veluti ſtipulatione.* Ubi locus eſt ſingularis, quo docemur ſtipulationem non eſſe obligationem; quemadmodum nec ullus contractus obligatio eſt, ſed parit obligationem, *l. 5. verſ. Conventionales. D. de verb. obl. l. licet 42. §. ea obligatio 2. D. de procurat.* Bart. ad *d. l. 5. §. ſtipulatio 1. D. de verb. obl.* Eſt autem inventa ſtipulatio ad firmandas alias obligationes, ut docet Paulus *lib. 5. Sentent. tit. 7. de oblig.* Et ideo ſi poſt numerationem ſtipulatio incontinenti interpoſita eſt, non agitur ex numeratione, ſed ex ſtipulatione, *l. ſi ita fuero ſtipulatus 6. cum l. ſeq. D. de novat. d. l. ſi ita 126. §. Chryſogonus 2. D. de verb. obl.*

Ex eo autem quod diximus mutuum non contrahi niſi re & numeratione, quaeſtio inter Interpretes multum agitata eſt: an procurator, quem dominus juſſit, mutuam pecuniam accipere, ex chirographo, quo ſe mutuam accepiſſe fatetur, obliget dominum, etiam ſi non appareat vere eam fuiſſe numeratam; an, inquam, obliget dominum, poſtquam ipſi procuratori non competit exceptio non numeratae pecuniae; nam quamdiu procuratiori danda eſt exceptio, nemini dubium eſt, eam etiam domino competere, *l. penult. C. de non numer. pec.* Nonnulli, quorum Bartolus princeps eſt poſt Jacobum de Aretino, exiſtimant dominum non obligari ex hac confeſſione procuratoris, facta in chirograpo; atque his praecipue argumentis nituntur. Primum, quia haec confeſſio videtur quaedam donatio; argumento *l. 1. §. ſi mutuam 17. in fin. D. ſi quid in fraud. patr.* At donandi facultas non cenſetur permiſſa procuratori, quantumvis libera adminiſtratio ei conceſſa ſit, *l. creditor 60. §. Lucius Titius 4. D. mandati.* quia donare perdere eſt, *l. contr. 28. §. ult. D. de pact. l. 3. in fin. princ.* alias, *l. 4. D. de SC. Maced. l. filiusfam. 7. D. de donat.* Deinde, quia is, qui mandatum habet ad recipiendam ſolutionem a debitore, non poteſt liberare debitorem, niſi per ſolutionem naturalem, *l. non abſtulit 4. C. de novat.* hoc enim proprie eſt ſolvere, *l. ſolutam 49. D. de ſolut.* Ergo e diverſo conſtitutus ad accipiendum mutuum non poteſt obligare dominum, niſi per numerationem. Eo accedit, quod ſi juſſero, debitorem meum tibi ſolvere, non poteſt promittendo tibi novare obligationem meam, nec alias liberatur a me, quam ſi tibi ſolvat, *l. ſi debitorem 21. D. de novat.* Poſtremo diſerte ſcriptum eſt, procuratoris, tutoris, aut curatoris confeſſionem domino non nocere, *l. certum 6. §. penult. D. de Confeſſis* Sed his & ſimilibus non obſtantibus multi doctiſſimi interpretes contrariam ſententiam tuentur, nempe dominum ex ejusmodi confeſſione poſita in inſtrumento obligari, quorum rationes certiores ſunt & magis me movent, quam illae ſuperiores. Nam quaeſtio noſtra non in eo vertitur, an ex ſola confeſſione procuratoris obligetur dominus, etiamſi conſtet non eſſe numeratam pecuniam; quandoquidem certum eſt tunc dominum non teneri, quia procurator non ex mandato id fecit, *l. diligenter 5. D. mandati:* & eo pertinent leges omnes pro Bartoli ſententia citatae, ſi bene inſpiciantur. Sed nos quaerimus quid juris ſit, cum dubitetur, an numeratio facta fuerit; quo caſu tutius videtur reſpondere, dominum obligari ex confeſſione procuratoris, niſi ipſe probaverit contrarium, *l. verius 21. D. de probationib.* propterea quod ejusmodi confeſſio videtur eſſe facta ex vera numeratione, *l. Lucius 46. §. tutelae 5. D. de admin. & peric. tut.* & major fides adhibenda eſt confeſſioni collatae in inſtrumento, quam chirographo reddito, *l. pecuniae 14. C. de ſolut.* Adde quod praeſumitur procurator geſſiſſe negotium ſecundum formam mandati, *l. qui negotiationem 58. D. de adminiſtr. & pericul. tut.* atque hac ratione onus probandi merito rejici debet in dominum, ut oſtendat numerationem non eſſe factam procuratori; & ſi ex ea cauſa condemnatus fuerit, ſalvam habet actionem adverſus procuratorem ſuum, *l. poteſt 41. D. mandati. d. l. Lucius 46. §. Tutelae 5. D. de adm. & per. tut.* Quod ſi procurator non ſit ſolvendo, aequius eſt, ut dominus ferat potius ejus rei jacturam, qui potuit diligentiorem eligere, quam creditor, qui bona fide contraxit; argumento *l. quod ſervus 11. D. depoſ.* Et, hercle! longe aequius eſt hoc ordine procedere, quam cogere creditorem docere pecuniam fuiſſe numeratam, qui ſecutus eſt fidem procuratoris; ne ſi aliter conſtituamus, praebeatur occaſio malis hominibus laedendi creditores per interventum procuratoris, contra *l. debitorum 25. C. de pact.* Sic confeſſio creditoris prodeſt fidejuſſori, ut poſ-

ſit repetere a debitore id, quod pro eò ſolvit, argum. *l. in duobus* 28. *D. de jurejur.*

LEX III. Pomponius Lib. 27. ad edictum.

C*Um quid mutuum dederimus, etſi non cavimus*, ut aeque bonum nobis redderetur; *non licet debitori deteriorem rem, quae ex eadem genere ſit, reddere: veluti vinum novum pro vetere*; nam, in contrahendo, quod agitur pro cauto habendum eſt: *id autem agi intelligitur, ut ejusdem generis & eadem bonitate ſolvatur, qua datum ſit.*

Multae ſparſim in libris noſtris regulae proponuntur praeter illas, quae ſub Rubrica *de reg. jur.* comprehenſae ſunt; ut *l. juriſgentium* 7. §. *quinimo* 5. *D. de pact.* ex pacto non naſci actionem, dicitur regula juris: & *l.* 1. *D. de aut. & conſ. tut. In rem ſuam auctorem tutorem fieri non poſſe*, juris civilis regula eſſe traditur: & *hac lege*, quam Bartolus propterea merito notabilem eſſe dicit. Continet enim duas juris regulas; unam generalem de contractibus univerſe; alteram de mutuo ſpecialem. Generalis haec eſt, *in contrahendo, quod agitur, pro cauto habendum eſt*: quod agitur, id eſt, quod cogitatur, quod animo tacite volvitur & concipitur ab utroque contrahentium; argumento *l. ſed Celſus* 6. §. 1. *D. de contrab. empt.* & *l. qui cum tutoribus* 9. §. *ult. D. de tranſact.* Senſus itaque regulae eſt, in omni contractu id, quod cogitatum eſt a contrahentibus, & de quo tacite videntur conveniſſe, perinde ſervari debet ac ſi eſſet cautum, id eſt, verbis expreſſum. Hinc eſt, quod vulgo dicitur, Par virtus eſt taciti & expreſſi; quod tamen axioma non recte deſumitur ex hoc loco, niſi quantum ad ea, quae lex praeſumit ex natura contractus inter partes acta eſſe, ut in *l. hueriditatem* 28. *D. de donat.* in aliis enim ſaepiſſime experimur falſum eſſe illud axioma: nam expreſſa ſubſtitutio pupillaris excludit matrem pupilli a triſti ſucceſſione, *l. Papinianus* 8. §. *ſed nec* 5. *D. de inoff. teſt.* tacita vero pupillaris, qua in vulgari continetur, non excludit matrem, *l. precibus* 8. *C. de impub. & al. ſubſtit.* Sic conditio expreſſa, ſi ſine liberis deceſſerit, naturales liberos includit, *l. ex facto* 17. §. *ſi quis rogatus* 4. *D. ad SC. Trebell.* At tacita conditio, ſi ſine liberis deceſſerit, *l. cum avus* 102. *D. de cond. & dem.* de juſtis tantum, hoc eſt, legitimis liberis intelligitur, *l. generaliter* 6. *verſ. Cum autem. C. de inſtitut. & ſubſtitut.* Sic pactum expreſſum, ne dolus praeſtetur, non valet; pactum tacitum valet, *l. ſi unus* 27. §. *illud* 3. *D. de pact.* Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent, *l. nonnunquam* 52. *D. de cond. & dem. l. expreſſa* 195. *D. de reg. jur.* Regula igitur noſtra locum habet, quando lex praeſumit aliquid ex natura ipſius contractus: quo caſu nihil intereſt, utrum illud fuerit expreſſum, an tacitum; quia eadem eſt vis taciti atque expreſſi.

Altera regula. In mutuo non licet debitori reddere rem deteriorem, quam fuit illa, quam accepit; tametſi tempore contractus nihil expreſſum ſit de re aeque bona reddenda. Quod enim ait Pomponius, *etſi non cavimus ut aeque bonum nobis redderetur*, perinde eſt ac ſi diceret, etſi non proſpeximus nobis aperta conventione, ut aeque bonum redderetur; argumento *l. ſi mercedem* 53. §. *ſi eum fundum* 1. & §. *ſeq. D. de act. empt.* cavere enim eſt proſpicere ſibi contra periculum & damnum futurum, *l.* 3. *D. de tranſact.* Hinc ille locus Ciceronis ad Trebatium *lib.* 7. *epiſt.* 6. Hanc autem ſpecialem regulam de mutuo confirmat Pomponius per ſyllogiſticam rationem, ducto argumento ex altera regula generali; ita ut *tota haec lex* ad unum ſyllogiſmum hoc modo revocetur: In omni contractu id, quod actum eſt, non minus ſervari debet, quam ſi eſſet cautum, id eſt, verbis expreſſum. At in contractu mutui ſemper praeſumitur eſſe actum, ut res eadem bonitate reddatur. Ergo id obſervandum eſt, & per conſequens non licet rem reddere deteriorem. Major propoſitio eſt regula generalis. Aſſumptio probatur ex certiſſima conjectura voluntatis contrahentium: nam qui mutat, id agere videtur, ne ſuum ei officium damnoſum ſit, *l. ſi ſervus* 61. §. *quod vero* 5. *D. de furtis.* quandoquidem nemo praeſumitur jactare rem ſuam, *l. cum de indebito* 25. *D. de prob.* at certe jactaret rem ſuam, ſi mutuum daret animo recipiendi rem non aeque bonam. Ergo praeſumitur ita animo affectus, ut velit rem aeque bonam reddi. Praeſumitur & accipiens huic creditoris voluntati tacite conſenſiſſe, cùm ſciat neminem res ſuas aliter facile conceſſurum. Atque ita id agi dicitur in mutuo ab utroque contrahentium, ut res eadem bonitate reddatur, propter naturalem aequitatem, quae in negotiis contrahendis ſpectanda eſt, *l. nam hoc natura* 14. *D. de cond. indeb.* nam ne deterior reddatur, facit dicta praeſumptio voluntatis creditoris, nolentis rem ſuam jactare: ne vero res melior neceſſario reddatur, impedit praeſumptio uſurae, *l. ſi tibi* 20. *D. hoc tit.* In dubio enim quod aequius & humanius eſt praeſumi debet, *l. merito* 51. *D. pro ſoc.*

Quid ſi aperte convenerit, ut liceat debitori rem deteriorem reddere; eritne contractus mutui? etiam certe, quia datur quantitas, ut eadem quantitas in genere reddatur: quod ſatis eſt ad conſtituendum mutuum, *l.* 2. *D. h. t.* Bonum enim vel malum, ſive magis aut minus, non mutant genus, ut notum eſt. Nec obſtat quod *hac l.* dicitur, non licere debitori rem deteriorem reddere: quia hoc nimirum favore creditoris conſtitutum eſt, ne invitus cogatur recipere rem deteriorem; quemadmodum favore debitoris, ne eadem ſpecies reddatur, ut diximus ad *l.* 2. *D. h. t.* Ergo creditor huic beneficio renunciare poteſt, & contraria pactione efficere, ut liceat debitori reddere rem deteriorem, *l. penult. C. de pact.* quia invito beneficium non datur. Nec me movet contra ſentientium ratio, quaſi ſit de ſubſtantia mutui, ut res aeque bona reddatur, per *hunc legem*; ac proinde pactionem, in contrarium factam, vel nullius eſſe momenti, vel facere, ut alius oriatur contractus, ſi verba conventionis hoc patiuntur, *l. cum precario* 12. *D. de precar. l. ubi ita* 27. *D. de mort. ca. don.* Nam verum non eſt, tacitam illam conventionem, ut res aeque bona reddatur, eſſe de ſubſtantia mutui, ſed tantum de iis, quae interpretes vocant naturalia contractus. Nos qualitates comitantes, ſive accidentia inſeparabilia contractus, facilioris doctrinae cauſa appellare poſſumus, quae intelliguntur contractui ineſſe ſecundum ipſius naturam; veluti ut in emptione praeſtetur evictio, *l. ſi in venditione* 60. *D. & l. non dubitatur* 6. *C. de evict.* in depoſito, ut dolus tantum praeſtetur, §. *praeterea* 3. *Inſtit. quib. mod. re contrah. oblig. l. ſi ſine* 20. *D. depoſ.* Ex haec accidentia, ſive naturalia, ut vocant, mutari poſſunt ex conventione partium, ſine contractus interitu, *l. pacta conventa* 72. ubi id notatur in *gloſſ. D. de contrah. empt.* Quemadmodum igitur nigror eſt accidens inſeparabile corvo (ut docet Porphyr. *in cap. de accidente*) tametſi reperiantur aliquando corvi albi, ut quidam teſtantur; ita ut corvus poſſit ſine nigrore conſiſtere. Sic haec poſſunt dici accidentia inſeparabilia contractuum; licet inveniantur aliquando ſeparata.

Regula igitur hic poſita de mutuo, quia ineſt naturae contractus, tunc locum habet, cum nihil expreſſum eſt a contrahentibus in contrarium. Hinc quaeri ſolet, an liceat debitori reddere rem meliorem invito creditori? Dubitatio inde naſcitur, quod res aeque bona reddi debeat. At quemadmodum, res minus bona, non eſt aeque bona; ita nec res etiam; magis bona ſive melior, eſt aeque bona. Deinde quod datur invito, id, licet in ſe pretioſius ſit, tamen ejus reſpectu vilius eſt & deterius, *l. ult. D. de uſu & hab.* §. 33. *in fin verſ. Praeterea ſi quis. Inſtit. de act.* Contrarium tamen verum eſt; rem ſcilicet meliorem reddi poſſe, non ſolum ea ratione, quam reddunt DD.

quia

quia ſcilicet quod optimum eſt, id utique bonum eſt: ſed quia Pomponius per illa verba, *eadem bonitate ſolvatur*, excludit tantum res minus bonas, ut ex *principio legis* conſtat: nec ſunt captanda verba juris civilis, *l. pen. D. ad exhib.* Et vero ſi non liceret rem meliorem reddere, id utique non omiſiſſet Pomponius; cum tractet ex profeſſo de qualitate, & aequalitate bonitatis, rei reddendae: at dicit tantum non licere debitori reddere rem deteriorem, *veluti vinum novum pro vetere* inquit. Exiſtimat ergo vinum vetus eſſe melius novo, quod & tota antiquitas pro certo affirmavit. Unde Pindar. *in Olympiis* ᾨδ. θ. *αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων.* id eſt, *lauda vinum vetus, & flores hymnorum* (hoc eſt novas cantilenas) Horatius ad Aug. *lib.* 2. *Epiſt.* 1. *v.* 34.

Si meliora dies, ut vina, poemata reddit.

Sed & ipſemet Salvator, *Nemo bibens vinum vetus*, inquit, *ſtatim vult novum, dicit enim vetus melius eſt*, Luc. *cap.* 5. *v.* 39. Huc pertinet *l. jubemus* 10. *C. de erogat. milit. annon. lib.* 12. quae jubet vinum novum dari militibus; quia diſpendioſa eſt erogatio vini veteris. Sed hoc intelligendum eſt de vinis generoſis, cujusmodi ſunt Syriaca, Graeca, Falerna, Chia, Rhodia, Lesbia, & alia, quae in multos annos conſervantur, non autem referendum ad noſtratia vina, quae ſaepe poſt annum aut biennium aceſcunt. Itaque quando debeat dici vinum vetus, ex more cujusque regionis ſtatuendum eſt; argumento *l. legatis* 65. *§. ult. D. de leg.* 3. & ſi non apparet de conſuetudine regionis, vetus dici debet, quod annum unum ſervatum eſt, *l. vetus* 11. *D. de tritico vin. ol. leg. d. l. jubemus* 10. dummodo ſcilicet poſt annum fiat aptum potui; alioqui ſi tale vinum eſt, quod non niſi poſt multos annos potui tempeſtivum eſt, ut Falernum, quod non ante annum decimum, Surrentinum ante vigeſimum quintum redditur aptum potui, teſte Galeno, aliaque, de quibus Athenaeus *lib.* 1. *Deipnoſoph.* merito ante illud tempus non debet dici vinum vetus. Fertur Sylla epulo publice praebito, praeter omnis generis condimenta, vinum ſupra quadragenarium populo dediſſe. Sed ad regulam *l. noſtrae* revertamur; adverſus quam objicitur primum: Ex omni contractu mutui naſcitur certi condictio, qua certum petitur, *Inſtit. quib. mod. re contrab. obl.* At certum deſignari non poteſt per adjectionem boni, *l. ubi autem* 75. *D. de verb. obl.* Ergo in mutuo caveri non poteſt, ut aeque bonum reddatur. Reſpondeo: licet boni appellatio, ſimpliciter, non ſit certae rei ſignificativa, tamen aeque bonum rem certam deſignat, propter relationem ad rem illam, cui aequiparatur: ſi ergo bonitas rei mutuatae certa eſt, verbum, *aeque bonum*, certam & definitam rei qualitatem deſignat.

Rurſus objicitur *l. quicquid aſtringendae* 99. *D. de verb. obl.* ubi dicitur, *quod quicquid aſtringendae obligationis eſt*, id eſt, ad onerandum debitorem pertinet, *id niſi palam verbis exprimitur, omiſſum intelligendum eſt.* Ergo male hic dicitur habendum pro cauto, id eſt, expreſſo: nam, ut aeque bonum reddatur, id onerat debitorem. Gloſſa dat duas ſolutiones; ſed neutra bona eſt. Reſpondetur ergo, quod in omni contractu id, quod agitur, pro cauto habendum eſt, dummodo conſtet eſſe actum, *l. ſemper* 34. *D. de reg. jur.* Hinc *tit. C. plus valere quod agitur, quam quod ſimulate concipitur.* Nec adverſatur *d. l. quicquid* 99. quia in ſtipulationibus ideo oportet omnia exprimere, quia nullam certam & propriam naturam habent, ex qua poſſimus certo praeſumere, quid in illis actum ſit, aut non actum: nam aptantur fere omnibus negotiis, adeo ut tot dicantur eſſe genera ſtipulationum, quot pene rerum contrahendarum, *l.* 5. *in pr. verſ. Conventionales. D. de verb. obl.* & ob eam cauſam id ſequimur, in illis quod verbis expreſſum eſt, niſi forte aliud ſuadeat qualitas & natura negotii, cui ſtipulatio adhibetur, non quod in iis non ſequamur regulam, *Quod agitur pro cauto habendum eſt*; ſed quod neſciamus, an ſit actum, nec poſſimus aliunde ſcire, quam ex verbis ipſius ſtipulationis. Quod ſi forte aliter appareat, quid actum ſit, id obſervatur, etiamſi non ſit verbis expreſſum, *l. triticum* 94. *D. de verb. obl. l. qui ſibi aut Titio* 33. *D. de ſolut.* Si ergo poſt traditionem ex cauſa mutui creditor ſtatim ſtipulatus fuerit, tantundem ſibi reddi (quo caſu non ex mutuo, ſed ex ſtipulatione agitur, *l. ſi ita* 6. *cum l. ſeq. D. de novat.*) id quod actum eſt, haberetur pro expreſſo in ſtipulatione, quaſi ſcilicet ſtipulatus eſſet rem eadem bonitate reddi.

Superiori regulae perperam objicitur *l. vinum* 22. *D. hoc tit.* ubi traditur, ſpectandam eſſe aeſtimationem, quae fuit tempore litis conteſtatae, quando res mutuata repetitur, non autem aeſtimationem, quae fuit tunc, cum mutuata eſt. Perperam etiam ad *illam l.* vulgo reſpondetur; ibi ſcilicet agi de bonitate extrinſeca, hic vero de bonitate intrinſeca: omnis enim bonitas eſt intrinſeca. Reſpondendum ergo, *l. vinum* 22. nihil pertinere ad deciſionem *hujus legis*: nam in illa tractatur de aeſtimatione; in hac vero de bonitate, quae multum diverſa ſunt & ſeparata, *l. nemo* 82. *D. de verb. obl. l. ult. C. de fideic. libert.* Aeſtimatio creſcit & decreſcit, manente eadem bonitate, ut ipſa nos experientia docet, *l. pretia rerum* 63. *§. ult. D. ad l. Falc.* Quod cum ita ſit, ſequitur profecto eum, qui dolium vini mutuum accepit, cum valeret 20. reddendo aliud ejusdem bonitatis liberari, licet tunc non valeat, niſi decem: quia reddit eadem bonitate, qua datum eſt, quod ſufficit ad liberationem debitoris, propter naturam mutui. Sequitur etiam e diverſo, quod ſi vini aeſtimatio aucta eſt eo tempore, quo reddi debet, non liberatur debitor, volens tantum reddere, quanti valebat vinum tempore, quo fuit mutuum datum; utrumque optima ratione: quia in mutuo id agitur, ut res eadem bonitate reddatur, licet non eadem aeſtimatione. Et ideo neque creditor intelligitur fraudatus, qui ſciens prudens ita rem ſuam tradidit, *l. nemo videtur* 145. *D. de reg. jur. l. in traditionibus* 48. *D. de pactis*; neque debitor laeſus, qui nihil aliud ſolvit, niſi id, ad quod ſe obligavit; unde ei non fit injuria. Et haec quidem vera ſunt, niſi mora intervenerit; de qua infra ſuo loco dicetur.

Supereſt tamen quaeſtio, non inelegans neque inutilis, de moneta mutuata, cujus aeſtimatio poſtea crevit vel decrevit. Exempli gratia: mutuavi tibi centum florenos Rhenanos, cum ſinguli valerent triginta groſſos, & poſtea tempore ſolutionis ſinguli valent 40. groſſos; utrum teneris mihi reddere centum ſimiles florenos nummos, an vero ſatis eſt, re mihi dare tot florenos, quot expleant valorem & aeſtimationem ejus temporis, quo illos florenos accepiſti? Vel contra, ſi quando mutuavi tibi, ſinguli valebant 40. groſſos, & nunc cum debes reddere non valent niſi triginta; an liberaris ſolvendo totidem florenos, an vero debes adhuc amplius ſolvere, ſecundum valorem, qui fuit florenorum tempore contractus? Multis quidem viſum eſt utroque caſu ſolvendos eſſe centum florenos, nec plus aut minus; inter quos ex recentioribus eſt Navarrus, qui Bartolum inconſiderate ſequitur in *cap. ult. de uſur. & in manuali cap.* 17. *num.* 284. I. Eorum ratio haec eſt; quod, manente ſcilicet eadem rei bonitate, ejus valor intenditur vel remittitur; nec contingit hic variatio circa bonitatem rei intrinſecam, ſed tantum circa bonitatem extrinſecam, ut loquuntur. Ac pro firmamento quidem & fundamento hujus deciſionis dicunt, quod in omni genere metalli inſpicitur materia principaliter; & materia magis trahit ad ſe formam, quam forma materiam, *l. quaeſitum* 78. *§. illud* 4. *D. de leg.* 3. Sed horum ſententia neutiquam mihi placet, quod eam neque ſolida ratione niti, neque certa juris authoritate firmari videam. Ad planiorem igitur hujus quaeſtionis explicationem, conſiderandum in primis

Digitized by Google

eſt, in quo conſiſtat bonitas nummi, utrum in materia, an in forma & quantitate, id eſt, aeſtimatione, quae ei indita eſt; quo cognito facile erit ad quaeſtionem reſpondere. Nam regula *legis noſtrae* ſemper habet locum: nempe rem ejuſdem generis ſolvi debere, & eadem bonitate, qua fuit data. Conſtat autem bonitatem nummi conſiſtere in ejus quantitate, id eſt, aeſtimatione, quam accipit ex impreſſione formae publicae, *l.* 1. *D. de contrab. empt.* ubi Paulus diſerte ſcribit, materiam forma publica percuſſam, uſum dominiumque non tam ex ſubſtantia praebere, quam ex quantitate, id eſt, aeſtimatione, ut dictum eſt. Itaque florenum habere intelligitur, qui habet 40. groſſos; & aureum ſolarem, qui habet 60. aſſes Gallicos: & centum aureos in bonis habere dicitur, qui habet valorem 100. aureorum §. *ſed noſtra* 3. *Inſtit. de ſucceſſ. libert. l. tantum* 88 *D. de verb. ſig.* Quod autem bonitas nummi conſiſtat in aeſtimatione, non in materia; inde etiam perſpicuum evadit, quod ſi publica authoritate cuderetur aereus nummus eadem magnitudine cum aureo ſolari, & ei inderetur par aeſtimatio, eundem nobis uſum praeberet, quem nunc praebet aureus, & diceretur ejuſdem bonitatis. Exemplum eſt apud Plutarchum *in vita Lycurgi*; ſcribit enim Lycurgum, ut avaritiae occaſionem Lacedaemoniis eriperet, monetam communem auream & argenteam antiquaſſe, & ejus loco ferream ſubſtituiſſe; idque ita, ut ferrum illud ad nullum alium uſum poſſet accommodari; utpote quod candens aceto reſtinguebatur, atque ita propriam naturam & vim amittebat. Sed & Numa Pompilius ſcorteos & ligneos aſſes congiarium populo dediſſe fertur. Hinc Seneca *lib.* 5. *de Benef. cap.* 14 *Aes alienum habere dicitur*, inquit, *& qui aureos debet, & qui corium forma publica percuſſum.* Sequitur ergo bonitatem nummi eſſe in aeſtimatione ſeu valore, ex quo infertur neceſſario, quod, aucta vel minuta aeſtimatione, augetur vel minuitur bonitas floreni etiam intrinſeca, ut loquuntur. Atque ita refellitur ratio opinionis aliorum, & noſtrae ſententiae firmiſſimum ſternitur fundamentum. Dicimus enim, ſpectandam eſſe aeſtimationem florenorum, quae fuit tempore contractus; & liberari debitorem priore caſu, ſolvendo tot florenos, quot explent valorem florenorum ejus temporis, quo dati erant. Similiter poſteriore caſu non liberari debitorem ſolvendo 100. florenos, niſi addat praeterea, quod deeſt ex juſta aeſtimatione florenorum, quae fuit tempore contractus. Utraque autem deciſio pendet ex regula *legis noſtrae*; qua dicitur rem eadem bonitate reddendam: redditur autem nummus eadem bonitate, cum redditur eadem aeſtimatione; quia bonitas in aeſtimatione eſt, ut diximus.

Non obſtat fundamentum illud Bartoli, & aliorum, ſuperius relatum, ex natura metalli, cujus materia trahit ad ſe formam: nam illa ratio non habet locum in pecunia ſignata; quia materiae nomine non comprehenditur, *l. cum aurum* 19. & *l. Quintus Mucius* 27. §. 1. *D. de aur. arg. leg.*

Quod ſi quis objiciat, eum, qui centum florenos mutuavit, debere accipere totidem florenos; alioqui minus accipiet, quam dedit, quod eſt contra naturam contractus mutui, & etiam contra omnem rationem. Reſpondeo; non minus accipit, quam dedit; ſi modo debitor ei ſolverit aeſtimationem florenorum, quae fuit tempore contractus. Nam qui dat florenos, non tam intelligitur dare ipſa corpora nummorum, quae manu tractantur, quam valorem ipſorum; veluti qui dat aureum ſolarem, intelligitur dare tres francos Gallicos; & qui accepit, liberanir ſolvendo tres francos. Idque ex eo probatur, quod licet debitori pro illis florenis reddere Philippicos taleros, vel aliam monetam probam & uſitatam, usque ad ſummam debitam; ſi nullum damnum inde creditor paſſurus eſt ex mutatione formae, *l. debitorem*, alias *l. Paulus reſpondit* 99. *D. de ſolut.* omnis enim moneta, quaetenus moneta, eſt ejuſdem generis: & ideo qui, pro unius formae nummis, ſolvit alterius formae nummos, non dicitur ſolvere aliud pro alio, ſed rem ejuſdem generis. Idem etiam probatur ex eo, quod ſi ante tempus ſolutionis omnes floreni eſſent antiquati (id eſt, ut vulgo loquuntur, curſus illorum eſſet totaliter reprobatus) debitor teneretur ſolvere aeſtimationem illorum florenorum in alia moneta, ut ipſimet adverſarii fatentur, *l. eleganter* 24 §. *qui reprobos* 1. *D. de pig. act. cap. olim* 20. & *cap. pen. ubi bona gl. extra. de cenſib. exactionib. & procurationib.* quod neutiquam facere cogeretur, ſi bonitas eſſet in corporibus nummorum, & non in aeſtimatione: vel ſi debitor intelligeretur eſſe mutuatus ipſa corpora, & non valorem ſive aeſtimationem; quia ſolvendo ipſa corpora ſeſe liberaret, per regulam *hujus legis.* Praeterea ſequeretur debitorem omnino liberari, ſi omnes floreni in maſſam, aut aliam formam monetae eſſent conflati, quaſi debitor ſpeciei extincta ſpecie, *l. ſi ex legati cauſa* 23. *D. de verb. obl.* quo nihil abſurdius: nam cum non liberetur reddendo ipſam monetam antiquatam, *d. l. eleganter* 24. §. *qui reprobos* 1. *D. de pig. act.* multo minus liberaretur reddendo nihil.

Rurſus ſi quis objiciat, ex deciſione noſtra ſequi, debitorem in priore caſu noſtro non reddere integros centum florenos; & tamen accepiſſe integros centum florenos, ergo non tantum reddere, quantum accepit: quod eſt contra naturam mutui. Reſpondeo, non reddere integros centum, qui nunc ſunt; ſed reddere integros centum, qui fuerunt tempore contractus: ſive (quod idem eſt) non reddere florenos eadem bonitate, qua nunc ſunt; ſed eadem bonitate, qua fuerunt tunc cum eos accepit: quemadmodum non tenetur reddere vinum eadem bonitate, qua nunc eſt; ſed qua fuit eo tempore, quo datum erat; hoc enim ſufficit ad ſolutionem mutui; ut ex ſupra dictis patet.

Objicitur *l. cum certam* 9. *D. de aur. arg. leg* ubi dicitur, quod quando certum pondus auri vel argenti legatum eſt (ſi non ſpecies deſignata ſit) haeres non tenetur dare ipſum aurum vel argentum legatario, ſed tantum aeſtimationem praeſentis temporis; ergo in ſpecie noſtra non debet conſiderari aeſtimatio, quae fuit tempore contractus, ſed aeſtimatio praeſentis temporis, quo redditur. Reſpondeo aliam legati; aliam mutui rationem eſſe. In legato non poſſumus conſiderare aliam aeſtimationem, quam praeſentis temporis; quia nihil prius a legatario profectum eſt, cujus aeſtimationem ſequamur. At in mutuo pecunia prius data eſt a creditore, quae certam tunc aeſtimationem habuit, & ideo illam ſequimur.

Objicitur *l. vinum* 22. *D. hoc tit.* & *l.* 3. §. *in hac* 2. *D. commodati.* in quibus traditur, ſpectandam eſſe aeſtimationem, quae fuit tempore litis conteſtatae; ergo male refertur aeſtimatio nummorum ad tempus contractus. Reſpondendum eſt ll. illas & ſimiles ad pecuniam numeratam non pertinere; tum quia nummorum certa ſemper eſt aeſtimatio, *l.* 3. *D. de in litem jur.* nec ulla cadit in pecuniam aeſtimatio, praeter eam, quae publica authoritate indita eſt, *l. ſi ita* 42. *D. de fidejuſſ.* tum etiam, quia qui res alias accipit, intelligitur accipere ipſa corpora, quae ſi non reddantur, veniunt aeſtimanda. At qui nummos accipit, intelligitur accipere eorum aeſtimationem; & ideo illa aeſtimatio reddi debet.

Objici etiam poteſt, aequum eſſe creditorem id habere, quod habiturus fuiſſet, ſi pecuniam apud ſe retinuiſſet; at ſi retinuiſſet, haberet nunc praeſentem aeſtimationem florenorum. Reſpondeo, ejus, quod in incerto eſt, rationem non eſſe habendam, *l. quemadmodum* 29 §. *item Labeo* 3. *D. ad l. Aquil.* Fortaſſis retinuiſſet, fortaſſis non retinuiſſet, ſed in alios uſus expendiſſet; & quod dici ſolet, fortaſſis ita ſolvitur per fortaſſe non.

Po-

Poſtremo objicitur, nummi majores auri & argenti aeſtimantur per pecuniam minutam; ut docet Bartol. ad *d. l. Paulus reſpondit* 99. *D. de ſolut. num* 7. *verſ. breviter mihi videtur.* Ergo bonitas pecuniae non eſt in aeſtimatione; quia aliud eſt bonitas, aliud aeſtimatio, ut dictum eſt. Reſpondetur, bonitas in nummis, cujuſcunque generis ſint, nihil aliud eſt, quam illa eadem aeſtimatio; ut ſatis jam ſupra oſtendimus.

LEX IV. Ulpianus lib. 34. ad Sabinum.

Si quis nec cauſam nec propoſitum foenerandi habuerit, & tu empturus praedia deſideraveris mutuam pecuniam, nec volueris creditae nomine antequam emiſſes ſuſcipere, atque ita creditor quia neceſſitatem forte proficiſcendi habebat, depoſuerit apud te hanc eandem pecuniam, ut ſi emiſſes, crediti nomine obligatus eſſes: *hoc depoſitum periculo eſt ejus, qui ſuſcepit. Nam & qui rem vendendam acceperit,* ut pretio uteretur, *periculo ſuo rem habebit.*

Species, ex qua quaeſtio hic oritur, adeo clare ab Ulpiano propoſita eſt, ut non ſit opus aliam fingere. Depoſui apud te pecuniam rogatu tuo, ut eam, cum velles, mutuam haberes; ſi ea pecunia amiſſa fuerit, utri pereat, tibi an mihi? Dubitandi cauſa permagna eſt; quia revera hic eſt contractus depoſiti, non mutui. Quandoquidem convenit inter nos, ne tu illam creditae nomine ſuſciperes, antequam tibi ea opus eſſet: ante illud tempus ergo erat mere depoſitum, & ita vocatur *hac l.* Atqui in depoſito praeſtatur tantum dolus & lata verſutiae culpa, quae dolo comparatur; extra quam ſi res perierit, perit ei, qui depoſuit, & ſibi imputet, qui eam negligenti amico commiſit; *§. praeterea* 3. *Inſtit. quib. mod. re contr. obl. l.* 1. *§. ult.* & *l. quod Nerva* 32. *D. depoſ. l. ſi ut certo* 5. *§. nunc videndum* 2. *D. commod.* Aequum enim eſt, periculum caſus fortuiti ſpectare ad dominum, *l. pignus* 9. *C. de pign. act.* niſi culpa alterius is caſus intervenerit, *l. in reb.* 18. *D. commod.* Contrarium tamen hoc loco reſpondet Ulpianus, nempe pecuniam hujus pecuniae, apud te hoc modo depoſitae, ad te pertinere: *Hoc depoſitum*, inquit, *periculo eſt ejus, qui ſuſcepit*; id eſt, caſum etiam fortuitum praeſtabit, ut rectiſſime Joannes ſenſit in gloſſa, a cujus interpretatione perperam receſſerunt Azo, Accurſius, Bartolus, & tota ſequentium Interpretum turba, dicentes hunc locum intelligendum de culpa leviſſima, non autem de caſu fortuito. Nam periculi verbum, ſimpliciter poſitum, caſus fortuitos proprie comprehendit, *l. ſi gratuitam* 17. *§.* 1. *&* 2. *D. de praeſc. verb. l. cum qui* 10. *§. ult. D. commod. l.* 1. 3. *&* 4. *D. de naut. foen. l.* 1. *l. neceſſario* 8. *l. lectos* 12. *& l. quod ſi* 14. *& paſſim. D. de per. & comm. rei vend.* Et quod illi dicunt appellatione periculi venire culpam leviſſimam, non etiam caſus fortuitos, id nullo teſtimonio probant: quinimo leges, quas allegant, magis contra eos, quam pro iis faciunt. Nempe *l. opus* 36. *D. loc. & l.* 1. *§. ſaepe* 35. *D. depoſ.* de qua Jaſon gloriatur ſe ultra alias allegare meliorem textum de jure, & eſt quidem bonus textus, ſed contra illum, non pro illo. Nam in *d. §. ſaepe* 35. *& in d. l. opus* 36. Ulpianus & Florentinus, poſtquam mentionem periculi fecerunt, ſtatim excipiunt caſus fortuitos, propter naturam negotii, de quo agitur: quod veriſimile eſt eos feciſſe, ne quis alioqui exiſtimaſſet depoſitarium & conductorem ad fortuiti caſus praeſtationem in illis ſpeciebus obligari, propterea quod periculi verbo uſi erant. Quorſum enim caſus fortuitos excepiſſent iis locis, ſi periculi nomine non fuiſſent comprehenſi? annon perinde hoc eſſet, ac ſi quis, cum hominem dicat, *ſimium* excipiat? Confirmatur autem noſtra ſententia per *l. rogaſti* 11. *D. hoc tit.* ibi, *ſine tua culpa.* Nam dicere illic leviſſimam culpam interveniſſe, ut volunt Azo & Bartolus, eſt mera divinatio, & nimis audax reſtrictio atque interpretatio verborum Ulpiani, qui generaliter & indefinite loquitur. Leviſſima enim culpa, eſt culpa, & ideo qui dicit ſine culpa aliquid factum, non poteſt non leviſſimam iis verbis comprehendere: ſiquidem in materia naturali propoſitio indefinita aequipollet univerſali; ut notum eſt. Eſt ergo in ſpecie propoſita depoſitum quidem, ſed tale depoſitum, quod excedit notiſſimos fines & terminos depoſiti? ſiquidem depoſitarius non praeſtat caſus fortuitos, ut dictum eſt; at in hoc depoſito praeſtat. Ratio autem decidendi non eſt illa, quam quidam putant, nempe quia res hoc caſu depoſita fuit ſolius depoſitarii cauſa: nam ſi haec ratio vera eſſet, ſequeretur commodatarium teneri de fortuitis caſibus, quia ejus cauſa res plurimum commodatur: at hoc falſum eſt, *d. l. ſi ut certo* 5. *§. quod vero* 4. *D. commod.* Sed ratio eſt, quia cauſa finalis hujus depoſiti erat mutuum, quod tu me rogaſti: pecunia enim depoſita fuit, ut converteretur in mutuum, ubi primum tibi placeret; & mutuum ab initio fuit rogatum; & quod ego mutuum diſtuli, id in tui gratiam feci. Aequum igitur eſt, ut haec res (quod ad ejus cuſtodiam attinet) mutui naturam indueret; atque ita accipiens recipit in ſe periculum, quemadmodum ſi ab initio facta fuiſſet mutua. Ne ſi aliter ſtatuamus, officium meum, tui ſolius cauſa ſuſceptum, fiat mihi damnoſum, contra *l. ſi ſervus* 61. *§. quod vero* 5. *D. de furt.* Si haec pecunia ſtatim facta fuiſſet mutua, certum eſt, quod ejus periculum ſpectaſſet ad debitorem, *l. incendium* 11. *C. ſi certum petatur.* Ergo ſimiliter ejuſdem pecuniae depoſitae periculum ad eundem ſpectare debet; quia mutui cauſa depoſita eſt. Unde principaliter hic de mutuo inter nos agebatur. Nam uniuſcujuſque contractus initium ſpectandum eſt, & cauſa, *l. ſi procuratorem* 8. *D. mand.* Ex hujus autem legis deciſione Doctores generalem doctrinam colligunt, in omni ſcilicet negotio ſpectandum eſſe id, quod principaliter agitur; cujus ſententiae exempla extant, *l. ult. D. quod quiſque jur. in al. ſtat. l. non ſolum* 6. *in fin. D. de in integr. reſtit. l.* 1. *§. unde quaerit Ofilius* 9. *D. de exercit. act.* Quae tamen doctrina non ita intelligenda eſt, quaſi non debeat haberi ratio eorum, quae minus principaliter aguntur in aliquo negotio. Nam re vera quaecunque in contractibus geruntur, ſive principaliter ſive minus principaliter & per conſequentiam, ſpectanda ſunt; veluti emi a te equum ephippiatum, deinde tu cum detractis ornamentis mihi tradis; poſſum agere redhibitoria adverſus te propter non tradita ephippia, *l. Aediles* 38. *D. de Aedilit. edict.* & tamen conſtat principaliter actum fuiſſe de equo emendo: ephippium enim acceſſio eſt. Quod ergo dicimus ſpectandum eſſe id, quod principaliter agitur, ita exaudiendum eſt: ſi principale & minus principale repugnant, & non poſſunt ſimul conſiſtere (ut in ſpecie noſtra mutui & depoſiti) effectus repugnant.

Non obſtat *l. qui ſaccum* 77. *D. de furt.* quae totidem verbis eſt canonizata, *diſt.* 50. *cap.* 45. ubi dicitur ſacci furtum fieri, licet fur non habuit animum furandi ſaccum. Nam idem conſtitutum eſt ratione acceſſionis in eodem genere delicti, licet enim non habebat animum furandi ſaccum per ſe, ſed tantum pecunias; tamen ratione pecuniae intelligitur etiam furatus ſaccum. Aliter autem dicendum eſt, quando delinquitur in diverſo genere; quia tunc inſpicitur id, quod principaliter actum eſt, *l. ſi quid fur* 22. & *l. verum* 39. *D. de furt.*

Hanc deciſionem de pecunia depoſita, mutui cauſa, probat Ulpianus in *verſiculo. Nam & qui rem.* Eſt autem argumentum Ulpiani a minore ad majus, hoc modo: Si ego rem vendendam tibi dedero, ut pretio ejus utaris, & illa res ſine tua culpa perierit, id eſt, fortuito caſu; tibi perit, non mihi. At minus probabile eſt rei, eo modo traditae, periculum ad te

Digitized by Google

pertinere, quam pecuniae, quae cauſa mutui depoſita eſt; quia pecunia facilius converti poteſt in mutuum, quam ſpecies vendenda data. Ergo ſi admittimus periculum rei, ita datae, ad accipientem pertinere, multo magis admittere debemus periculum pecuniae, mutui cauſa depoſitae, ad accipientem pertinere. Haec tamen ſententia de re vendenda data, ut eam accipiens pretio ejus utatur, licet ſimpliciter hic poſita ſit, temperamentum capit ex Nervae diſtinctione, quam ipſemet Ulpianus alibi refert, & approbat, *l. rogaſti* 11. *D. hoc tit.* ut ſcilicet ſi eam rem venalem habui, mihi pereat, perinde ac ſi eam alteri vendendam tradidiſſem: ſi vero non habui venalem, ſed ideo vendendam dedi, ut tibi in hoc amice gratificarer, concedendo uſum pretii, tibi pereat, qui mutuum rogaſti. Non abſimilis diſtinctio eſt, *ſi gratuitam* 17. §. 1. *D. de praeſc. verb.*

§. 1.

R*Es pignori data pecunia ſoluta condici poteſt: & fructus ex injuſta cauſa percepti condicendi ſunt. Nam & ſi colonus poſt luſtrum completum fructus perceperit, condici eos conſtat; ita demum ſi non ex voluntate domini percepti ſunt: nam ſi ex voluntate, proculdubio ceſſat condictio.* §. 2. *Ea, quae vi fluminum importata ſunt, condici poſſunt.*

Certi condictio competit ex omni obligatione & cauſa, ex qua certum petitur, *l. certi condictio* 9. *D. h. t.* Unde ſub hoc titulo multa tractantur de certi condictione ex variis cauſis, licet principaliter ſub eo tractetur de certi condictione ex mutuo; ut admonui in explicatione Rubricae ſupra. Exempla ſparſim & hic & alibi *hoc titulo* proponuntur: ex quibus generaliter colligi poteſt, quod quicquid certum aliqua actione in perſonam peti poteſt, id certi condictione peti poteſt; ſi juſta cauſa ſubſit. Dico, ſi juſta cauſa ſubſit, quia non ſemper concurrit condictio ſtatim cum alia actione in perſonam, ſed tunc demum, cum nova cauſa ſupervenit, nempe dolus; qua in re fallitur Hotoman. *in tractatu de condict. ſine cauſa.* nam ex contractu nominato condictio ſine cauſa nunquam habet locum, niſi nova cauſa superveniat; ut jam dixi. Itaque exempla, hic poſita, pertinent ad condictionem furtivam: nemo enim condicit rem ſuam, niſi a fure, *l. ult. D. uſufr. quemadm. caveat.* Quod autem dico, manifeſtius ex declaratione primi exempli *hujus* §. apparebit. Creditor, qui pignus accepit, tenetur illud reddere ſoluto debito: competitque debitori eo nomine pignoratitia actio; competit & condictio. Sed pignoratitia quidem ſtatim; condictio vero non ſtatim, ſed tunc demum, ubi dolo creditoris factum ſit, quo minus reſtituatur: ſicut de depoſito conſtitutum eſt, *l. ſi quis inficiatus* 13. §. 1. *D. depoſ.* alias ſufficit pignoratitia, *l. ſi rem* 9. §. *omnis* 3. *D.* & *l. pignoris* 11. *C. de pign. act.* Poſtquam ergo creditor dolo fecit, quo minus reſtituat, competit debitori & pignoratitia & condictio: ſed ita, ut non utramque intentare poſſit, ſed alteram tantum, quia una alteram conſumit, *l. in duobus* 28. §. *exceptio* 4. *D. de jurejur.* Multum autem intereſt inter has actiones; pignoratitiam ſcilicet & certi condictionem. Nam hac non tenetur creditor, niſi poſtquam moram commiſit in pignore reſtituendo; & tunc tenetur etiam re perempta, quia moroſus indiſtincte tenetur de periculo, ut ait *gloſſ. magna*, *l. mora* 32. *D. de uſur.* Pignoratitia vero tenetur ſtatim ſoluto debito, &, ſi res fato perierit ſine ſua culpa, liberatur, §. *ult. Inſtit. quibus mod. re contrah. obl.* Aliud exemplum eſt de fructibus, ex injuſta cauſa perceptis; puta perceptis ex re aliena a malae fidei poſſeſſore. Nam cum pertineant ad dominum illius rei, *l. qui ſcit* 25. *D. de uſur.* conſequens eſt, illum, qui eos percipit lucri faciendi gratia, furtum committere, *l.* 1. §. 1. *D. de furt.* §. *furtum* 1. *Inſtit. de obl. quae ex delicto.* Res autem furtivae condici poſſunt, §. *ſic itaque* 14. *Inſtit. de act. l. ult. D. uſufr. quemadm. cav.* ergo certi condictione peti poſſunt, *d. l. certi* 9. §. 1. *D. hoc. tit.*

Aliud exemplum eſt de rebus, quae vi fluminis transferuntur ab uno fundo in alium. Si enim detentae fuerint a domino fundi, in quem tranſlatae ſunt, certi condictione peti poſſunt; quia detineri aut contrectari nequeunt ſine furto: quippe manent in dominio ejus, a quo transvectae ſunt, *l. hoc amplius* 9. §. 1. *D. de damn. infect.* Alia ratio eſt eorum, quae per alluvionem praediis noſtris accedunt, §. *praeterea* 20. *Inſtit. de rer. diviſ.*

LEX V. Pomponius lib. 22. ad Sabinum.

Q*Uod te mihi dare oporteat, ſi id poſtea perierit, quam per te factum erit, quo minus id mihi dares, tuum fore id detrimentum conſtat. Sed cum quaeratur, an per te factum ſit, animadverti debebit, non ſolum in poteſtate tua fuerit id, necne, aut dolo malo feceris, quo minus eſſet vel fuerit, necne: ſed etiam ſi aliqua juſta cauſa ſit, propter quam intelligere deberes te dare oportere.*

Hoc Pomponii reſponſum praeclaram deciſionem continet, ideoque Bartolus illud valde commendat: *iſta eſt bona lex,* inquit, *notabilis, magiſtralis, & ſolemnis.* Quaeſtio autem, quae *hac lege* deciditur, eſt, an perempta re debita liberetur debitor, an vero maneat nihilominus obligatus, ita ut in rei aeſtimationem condemnari poſſit. Ad cujus planiorem intellectum praecognoſcendum eſt, quod in obligationibus aliquando verſatur quantitas, *l. plane* 34. §. *ſed ſi non corpus* 1. *D. de leg.* 1. aliquando genus; aliquando vero ſpecies, *l. in ſtipulationibus* 54. *D. de verb. obl.* Quando autem quantitas eſt in obligatione, fruſtra quaeritur, an debitor interitu rei liberetur, quia quantitas perire non poteſt, *l. in ratione* 30. §. *invertae* 5. *D. ad l. Fa.c. l. incendium* 11. *C. ſi cert. pet.* & hoc eſt, quod dicunt interpretes, *hanc legem* nihil facere ad ſecundam partem hujus tituli, id eſt, ad mutuum. Idem juris eſt, quando genus eſt, in obligatione; quia genus perire non poteſt, teſte Philoſopho. Ad iſtas igitur obligationes *lex noſtra* non pertinet: neque etiam ad obligationem disjunctivam ſive alternatim conceptam, id eſt, in quam deducuntur ſpecies ſub disjunctione: veluti, Stichum aut Pamphilum dare ſpondes? niſi poſt interitum omnium ſpecierum ſub disjunctione debitarum: quia una ſpecie perempta, altera manet in obligatione, *l.* 2. §. *Scaevola* 3. *D. de eo quod cert. loc. l. Stichum aut Pamphilum* 95. *D. de ſolut.* Ideo comparatur haec obligatio disjunctiva cum obligatione generis, *l. cum is qui* 32. §. *ult. de cond. ind. l.* 2. §. 1. *D. de verb. oblig.* Quae cum ita ſint, ſequitur *hanc legem* pertinere tantum ad illas obligationes, in quibus certa ſpecies comprehenditur, quae dari debet; exceptis certis caſibus, quos infra proponemus. Quod autem ad quaeſtionem attinet: docemur, hoc Pomponii reſponſo diſtinctionem eſſe adhibendam; utrum ſcilicet per debitorem factum eſt, quo minus eam daret creditori; an vero per eum factum non ſit. Prior pars diſtinctionis expreſſe hic poſita eſt; Altera colligitur a contrario ſenſu. Si ergo res debita perierit, poſtquam per debitorem factum eſt, quo minus eam daret creditori, non liberatur debitor, ſed perinde tenetur, ac ſi res debita extaret: idque conſequens eſt regulae veterum, qua traditur, culpam debitoris perpetuare obligationem, *l. ſi ſervum* 91. §. *ſequitur* 3. *D. de verb. obl.* Et haec eſt prima ſententia Pomponii *hac lege*, & prima pars diſtinctionis noſtrae; ex qua colligitur pars altera a contrario ſenſu, ut dictum eſt: nempe ſi res perit, antequam per debitorem factum eſt, quo minus eam daret creditori, liberatur debitor, *l. is qui ex ſtipulatu* 45. *D. de obl. & act. l. ſi ex legati* 23. *D. de verb. obl.* Idem eſt, etſi non periit; ſed tantum exempta eſt e com-

Digitized by Google

commercio hominum, *l. ſi mihi alienum* 92. *D. de ſolut.* nec refert ex quo contractu res debeatur, nominato an innominato, quantum ad ſpeciem & deciſionem *hujus legis*; ut infra ſuo loco apparebit. Si itaque cognoverimus, quando dicitur per debitorem fieri, quo minus rem det creditori; cognoſcemus facile, quando liberatur interitu rei, & quando non liberatur. Per debitorem autem fieri poſſe duobus modis ſciendum eſt. Uno quidem, ſi ipſe rem debitam perimit, aut aliquo modo facit, ut deſinat eſſe in rebus humanis, *d. l. ſi ex legati cauſa* 23. & *d. l. ſi ſervum* 91. *in princ.* ubi aurea Pauli diſtinctio eſt inter culpam debitoris, quae in faciendo conſiſtit, & eam, quae conſiſtit in non faciendo, quantum ad perpetuandam vel diſſolvendam obligationem attinet per interitum rei debitae. Si debitor ſervum occidit, tenetur; quia culpa eſt in faciendo: ſi aegrotum neglexit aut ei medicamenta non praebuit, & ob eam cauſam ſervus mortuus eſt, non tenetur; quia culpa eſt in non faciendo; *qui enim ſe daturum promiſit, ad dandum tenetur*, inquit, *non ad faciendum*: non omnem igitur culpam praeſtat debitor. Poſſeſſor tamen, contra quem agitur rei vindicatione, non ſolum culpae, ſed etiam negligentiae nomine tenetur poſt litem conteſtatam, *l. qui petitorio* 36. §. 1. *l. ſi homo* 45. *D. de rei vind. l. ſi quid poſſeſſor* 31. §. *factus* 2. & *l. ei qui* 54. §. *ult. D. de petit. haered.* Differentiae ratio eſt, quia in re noſtra licet nobis negligentius verſari, quamvis eam alteri debeamus, dummodo abſit dolus vel lata culpa, *l. venditor ex haereditate* 21. *verſ. Quemadmodum. D. de haered. vel act. vend.* At in re aliena cuſtodienda, quae ab alio vindicatur, debemus eſſe diligentiores, & ideo culpa praeſtanda eſt non ſolum, quae faciendo committitur, ſed etiam quae non faciendo; quo pertinet vulgata *l. in rem mandata* 21. *C. mandati.* Hinc eſt, quod haeres in legato cuſtodiendo non ſolum dolum, & latam culpam, ſed etiam negligentiam praeſtat, *l. cum res* 47. §. *culpa* 5. *D. de leg.* 1. cum tamen haeres fiduciarius non teneatur fideicommiſſario, niſi de dolo & lata culpa, *l. mulier* 22. §. *ſed enim* 3. *D. ad SCtum Treb.* quia fiduciarius haeres eſt dominus & vere haeres, & fideicommiſſi univerſalis dominium non tranſit in fideicommiſſarium, antequam haereditas fuerit reſtituta, *l. facta* 63. *D. ad SCtum Treb.* At legati dominium tranſit recta via in legatarium, *l. legatum* 80. *D. de leg.* 2. *l. a Titio* 64. *D. de furt.*

Altero modo per debitorem fieri dicitur, ſi in re praeſtanda moram fecit, & res poſt moram periit. Et hoc eſt, quod dicit *hac l.* Pompon. *in verſ. Sed cum quaeratur*, nempe per debitorem fieri, non ſolum ſi ipſe dolo malo fecerit, quo minus res ſit in ſua poteſtate; ſed etiam ſi aliqua juſta cauſa ſit, propter quam intelligere debet ſe dare oportere. Haec enim pars poſterior ad moram referenda eſt. De ea igitur hic aliquid dicendum. Eſt autem mora (quantum ad praeſens inſtitutum attinet) ſolvendi vel accipiendi debiti injuſta dilatio (alias generali ſignificatione omnem retardationem & cunctationem, ſive dilationem ſignificat, *l. etiam* 15. *D. ut leg. ſeu fideic. ſerv. cauſa caveatur*) dico ſolvendi, propter moram debitoris; & accipiendi, propter moram creditoris: nam non minus hic, quam ille, moram committere poteſt, *l. qui decem* 72. *D. de ſol.* Et quamvis generaliter definiri non poſſit, quando mora dicatur committi, quia facti magis quaeſtio eſt, quam juris, ſcire an ſit injuſta dilatio, necne; quippe non niſi ex facto & facti circumſtantiis deprehenditur, *l. mora* 32. *D. de uſur.* tamen in ejus cognitionem melius deducimur per adnotationem eorum, ſine quibus mora non ſit. Mora igitur committi non poteſt ſine interpellatione, *l. Titiae textores* 36. §. *ult. D. de leg.* 1. *d. l. ſi ex legati* 23. *D. de verb. obl.* & niſi interpellatio facta ſit congruo tempore & loco, *l. cum filiusfamilias* 49. §. *ult. D. de verb. obl. l. ſi ſoluturus* 39. *D. de ſolut. d. l. mora* 32. *D. de uſur.* Et praeterea niſi is, qui interpellatus eſt, ſciat, aut ſcire debeat ſe dare facere oportere, *hac l. in fin.* Nam ſi ignorat jus petitoris, aut non cognoſcit eum, qui ex perſona creditoris interpellat, & ea de cauſa ſuſtinet ac differt ſolutionem, non intelligitur moram committere, *l. illud* 40. *verſ. Nec enim. D. de pet. haered. l. ſi quis* 24. *D. de uſur. l. ſi in Aſia* 12. §. *ult. cum l. ſeq. D. depoſiti.* juncta *l. qui in alterius* 42. *D. de reg. jur.* Adhaec, ut mora fieri intelligatur, opus eſt, rem, quae petitur, plane deberi, id eſt, ita deberi, ut actio aliqua eo nomine competat, quae nulla exceptione elidi poteſt, *cap. non eſt in mora* 60. *de reg. jur. in* 6. hoc eſt, quod dicitur, *nullam moram intelligi ibi fieri, ubi nulla petitio eſt*, id eſt, nulla actio, *l. nulla* 88. *D. de reg. jur.* id enim ſignificat verbum petitio eo loco, ut apparet ex *l. ſi pupillus* 127. *D. de verb. obl.* & *l. amplius* 15. *D. rem ratam haberi.* Poſtremo moram non intelligitur committere is, qui differt ſolutionem, donec ſibi eo nomine cautum ſit; vel ni donec teſtes adſint, vel apocham accipiat, vel donec admoneantur fidejuſſores, *l. ſciendum* 21. *D. de uſur.*

Quidam tamen caſus excipiuntur, quibus mora committitur ſine interpellatione hominis. Primus, quando obligatio facta eſt in diem, tunc ipſe dies ſatis interpellat & admonet debitorem officii ſui, ut non ſit opus alia interpellatione, atque ita eo elapſo conſtituitur in mora; ex communi omnium Interpretum ſententia, *l. magnam* 12. *C. de contrah. & com. ſtip. l. ad diem* 77. *D. de verb. obl.* Cui tamen ſententiae Aemil. Ferretus fortiter contradicit in ſuo tractatu de mora; motus ea ratione, quod, cum alibi dicatur mora fieri ex perſona, *d. l. mora* 32. *D. de uſur.* alibi vero ex re *l.* 3. *in fine princip. D. de adim. vel transfer. leg. l. in minorum* 3. *C. in quib. cauſ. in integ. reſt. non eſt neceſſ.* tamen nullibi in jure noſtro ſcriptum reperitur, moram fieri ex tempore; ergo quod ſcriptum non eſt, pro jure ſcripto uſurpare non debemus. Deinde quia tempus ſive dies adjicitur favore promiſſoris, §. *omnis* 2. *inſtit. de verb. obl.* (ne ante diem ſcilicet conveniri poſſit) ergo quod ejus favore conſtitutum eſt, non debet ad ipſius laeſionem quibusdam caſibus pertinere, *l. quod favore* 6. *C. de leg. l. nulla juris ratio* 25. *D. eod.* At haec diei adjectio ad laeſionem debitoris pertineret, ſi lapſu diei conſtitueretur in mora ſine ulla interpellatione, quia tunc periculo rei ſtatim fieret obnoxius *hac l.* Nec valet reſponſio, quam vulgo adhibent; nempe non eſſe iniquum, ut is, qui temporis intermedii commodum ſenſit, hoc incommodo afficiatur, *l. eum qui* 30. *D. de jurejur. l. ſecundum naturam* 10. *D. de reg. jur.* Nam id quidem admittendum eſt in certis caſibus, ubi lege aliqua invenitur expreſſum, non autem generaliter concludendum, quod ubicunque eſt aliquod commodum, ibi debeat eſſe aliquod incommodum; idque ex noſtro cerebro ſine ulla lege fingendum, ut ibidem Ferretus *num.* 21. Tertio, allegat *l. trajectitiae* 23. *verſ. De illo. D. de act. & obl.* ubi obligatio eſt in diem, & tamen mora dicitur fieri per interpellationem. Ad leges autem, pro communi ſententia adductas (nempe *d. l. magnam* 12. & *d. l. ad diem* 77.) reſpondet ſubtiliter, in illis poenam deberi ex conventione, ſive a conſenſu, non a mora. Haec Ferretus clariſſimus Juriſconſultus, & quem Cujacius ſupra omnes noſtri ſeculi Interpretes extollit. Et vero ita ſe res habet, ut utrobique, in *utraque* inquam *lege*, exprimatur, quod, niſi ad diem id, de quo convenit, datum vel factum ſit, certa poena detur; atque ita elapſo die committitur poenae ſtipulatio propter conventionem, & non propter moram. Idque ex eo apparet, quod poena peti hoc caſu poſſit, etiamſi debitor poſtea offerat rem promiſſam, *d. l. trajectitiae* 23. *verſ. De illo.* At ſi ex mora tantum poena eſſet debita, debitor poſtea offerendo debitum ante judicium acceptum, ſive litem conteſtatam ex ſtipulatione poenali, poſſet moram purgare, ſi jus actoris non ſit factum

de

Digitized by Google

deterius ex illa mora, *l. ſed etſi* 17. *D. de conſtit. pec. l. ſi inſulam* 84. & *l. qui Romae* 122. §. *Flavius Hermes* 2. *D. verb. obl.* Praeterea, idem Pomponius, qui *hujus legis* author eſt, cum vult oſtendere quibus ex cauſis mora committatur, duas tantum cauſas proponit, *d. l. ſi ex legati* 23. nempe factum debitoris, quo res extinguitur, & interpellationem creditoris; de tempore ſeu die ne verbum quidem: quod inſcite ab eo praetermiſſum eſſet, ſi mora ex die fieret. Sed ad hoc reſpondent Interpretes, diem interpellare pro homine; & ideo quod dicitur in *d. l. ſi ex legati* 23. *aut interpellatus non dediſti*, de utraque interpellatione accipiendum, hominis ſcilicet & diei. At ego repono, nullibi ſcriptum eſſe moram ex die fieri, ſive diem loco interpellationis eſſe ad gignendam moram. Nam leges, in quibus conſtituitur fundamentum communis opinionis, loquuntur tantum de poena debita ex lege contractus, ſive expreſſa formula conventionis, non autem ex mora. Veluti: ſi fundus lege commiſſoria venit, id eſt, ut ad diem certum non ſoluta pecunia ſit inemptus; elapſo die fundus efficitur inemptus, ſi venditor voluerit, non ex mora quidem emptoris, ſed ex lege contractus, *l.* 2. 4. *& paſſim D. lege comm.* Nam ſi ejuſmodi pactum non eſſet adjectum, emptoris mora, qui ad diem certum promiſit pretium, non faceret rem inemptam, *l. venditi* 6. *C. de act. empt.* mora enim non diſſolvit obligationem, ſed perpetuat, *d. l. ſi ſervum* 91. §. *ſequitur* 3. *D. de V. O.* Sic in *d. l. magnam* 12. is, qui promiſit ſe daturum vel facturum aliquid ad diem certum, & niſi dederit aut fecerit ſtatuto tempore, certam poenam ſe daturum, elapſo die incipit ſtatim debere poenam; non ex mora, ut dictum eſt, ſed ex conventione & expreſſo conſenſu. Similiter cum dies & poena a lege apponuntur, ut *l.* 2. *C. de jure emph. cap. ult. de loc. & cond.* interpellatione quidem opus non eſt, ſed lapſu diei committitur poena ex lege, ſicut committeretur ex conventione, ut perſpicue appareat has ſpecies ad moram, proprie dictam, non pertinere. Haec & ſimilia faciunt, ut, quae olim mihi placuit, communis opinio nunc diſpliceat, eoque Ferreti ſententiam veriorem arbitrer, & minore cum difficultate in ſcholis defendi poſſe; diem ſcilicet non interpellare pro homine ad effectum morae producendum, ac proinde die elapſo periculum rei non pertinere ſtatim ad debitorem ſine alia interpellatione. Veruntamen tanta vis eſt praejudicatae opinionis in contrarium, ut haec ſententia nullum jam fere in foro & judicis locum obtineat. Nam non ſolum veteres, ſed etiam recentiores omnes interpretes celeberrimi communem ſententiam amplectuntur: ut Duaren. ad *tit. de ſtipul. ſerv. cap.* 8. Cujac. *tract.* 7. *ad Africa. ind. l. trajectitiae* 23. & alii multi. Itaque conſentiens tot tantorumque virorum opinio efficit, ut locus ſit communi ſententiae, *Communis error jus facit*, *l.* 3. §. *ult. D. de ſupell. leg.* Et haec de die.

De conditione vero, in cujus eventum ſuſpenditur obligatio, nulla eſt controverſia; omnes enim fatentur, & eſt veriſſimum, conditionem, licet extiterit, non facere, ut aliquis ſit in mora: quia, ut ajunt Doctores, idem actus non poteſt inducere obligationem, & conſtituere aliquem in mora, *l. quod dicimus* 105. *D. de ſol.* Dies non differt obligationem, ſed tantum ſolutionem; eſt *enim praeſens obligatio & in diem dilata ſolutio*, inquit Juſtin. *d.* §. *omnis* 2. *de verb. oblig. l. centeſimis* 46. *D. de verb. obl.* Conditio vero ipſam obligationem differt & ſuſpendit, *l. conditionales* 54. *l. cedere diem* 213. *D. de verb. ſign.* §. *ſub conditione* 4. *Inſtit. de verb. oblig.*

Alter caſus eſt, quo non requiritur interpellatio, quando res debetur ex maleficio; veluti ſi ſubrepta ſit aut abrepta: fur enim, qui non reſtituit rem domino, hoc ipſo eſt in mora, quod rem furatus eſt, & ideo dicitur hoc caſu mora fieri in rem, *l. ut C. de cond. ob. turp. ca. l. in re furtiva* 8. §. *penult.* & *l. ult. D. de condict. furtiva. l.* 1. §. *rectiſſime* 34. & *l. penult. D. de vi, & de vi arm.*

Tertius caſus eſt, quando non extat qui conveniatur, *l. ſed etſi reipublicae* 23. *in fin. D. de uſur. l.* 2. *D. de naut. foen.* cui conſentaneum eſt ex contrario eum, qui tenetur rem offerre vel ſolvere ſine interpellatione, non dici moram committere, ſi neminem invenerit, cui offerat, *l. ſi fundus* 4. §. *ult. D. de leg. commiſſ.*

Quartus: in cauſis minorum; quod ſingulari favore receptum eſt & non ſemper, ſed *in bonae fidei judiciis, & legatis, ac fideicommiſſis*, *d. l. in minorum* 3. *C. in quib. ca. in integ. reſt. non eſt neceſſ. d. l.* 3. *D. de adim. vel transf. leg. l. Titia* 87. §. 1. *D. de leg.* 2. actio de legatis bonae fidei naturam ſapit, *l. uſurae* 34. *D. de uſur.* Exemplo minoris idem de Eccleſia judicandum eſt, quae pupillo & minori comparatur, *cap.* 1. *& cap. auditis* 3. *de in integ. reſtit.*

Quintus ſingulari etiam favore introductus eſt, in fideicommiſſariis libertatibus, *l. cum vero* 26. §. *apparet* 1. *& §. ſed. D. de fideic. libert.*

Sextus eſt, quando obligatio confirmatur juramento, ſecundum communem DD. opinionem, per *cap. brevi* 17. *de jurejur.* in quo tamen capitulo id non expreſſe dicitur, imo potius contrarium dicitur, tam in quaeſtione, quam in deciſione; utrobique enim habetur, *requiſitus*; quod quid aliud eſt quam interpellatus? Sed obtinuit haec ſententia communi Interpretum opinione, cui libens aſſentior: ratio eſt, quia jusjurandum habet vim litis conteſtationis, *l. nam poſtea* 9. §. *ſi is qui* 3. *D. de jurejur.* Hanc deciſionem impugnat Ferretus, quaſi ea vis ſit jurisjurandi tantum in judicio delati, non etiam jurisjurandi conſtituentis aut confirmantis obligationem; de quo nos loquimur. Sed errat in eo Ferretus: nam neceſſe eſt intelligamus *d.* §. *ſi is qui* 3. de jurejurando voluntario, ſive de eo jurejurando, quod a parte parti extra judicium defertur, & non de jurejurando delato & praeſtito in judicio; alioqui fruſtra illic quaeſitum eſſet de ejus vi & poteſtate in perpetuanda actione, propterea quod ſatis perpetuatur eo caſu per litis conteſtationem; ſine qua jusjurandum non defertur in judicio: omnes enim actiones temporales judicio ſemel incluſae efficiuntur perpetuae, *l. omnes* 120. *D. de reg. jur. l. ult. C. de praeſcr.* 30. *vel* 40. *an.* excepta actione de dolo, *l. ult. C. de dolo.*

Eſt & alius caſus ſingularis, quo non requiritur denunciatio vel interpellatio, nempe quando vaſallus ſcit dominum obſideri, vel aliter ei mortem aut magnum periculum imminere: tunc enim debet ei ultro auxilium praebere, &, niſi fecerit, privatur feudo, *tit. Si de feud. def. content. ſit inter dom. & agn. vaſal.* 26. §. *licet vaſallus. & tit. hic finitur lex.* 28. §. 1. *verſ. tu tamen ſcias. lib.* 2. *Feud.* qui caſus cum ſit ſpecialis, ut ſunt pleraque feudorum jura & conſuetudines, teſte Bartolo ad *l. ut jurisjurandi* 7. §. *ſi liberi* 6. *num* 5. *D. de operis lib.* non debet trahi ad conſequentias, *l. jus ſingulare* 16. *D. de legib.* Itaque non recte ex eo colligitur unumquemque, qui promiſit alium defendere, teneri hoc facere, ſine ulla denunciatione, admonitione, aut nuncio; licet quidam Canoniſtae id putent ad *d. cap. brevi* 17. & *ad can. de forma* 22. *q.* 5. Voluit praeterea Bald. ad *d.* §. 1. *d. tit. hic finitur lex* 28. interpellationem non eſſe neceſſariam, quando quis permiſit ſe facturum, curaturum. Sed quia haec ſententia ſolius fere Baldi opinione, ſine ullo Juris teſtimonio nititur, ideo eam ab hoc exceptionum catalogo removemus.

Caeterum unus caſus eſt, quo traditur moram fieri non poſſe, niſi interpellatio facta ſit per judicem; quando ſcilicet in ſolutione facienda opus eſt decreto judicis: ut in rebus minorum, quae ſine decreto alienari non poſſunt, *l. lex quae* 22. *C. de adm. tut.* Ita Joann. Andr. *ad cap. conſtitutus* 8. *extra. de in integrum*

grum reſtitutione. Tentari etiam poteſt debitorem pupilli non committere moram, ſi interpellatus non ſtatim ſolverit, ſed expectet ſententiam ſive praeceptum judicis, per quod pleniſſimam ſecuritatem conſequitur, *l. ſancimus* 25. *C. de adm. & per. tut.* §. *nunc admonendi* 2. *Inſtit. quib. alt. licet vel non. argumento d. l. ſtiendum* 21. *D. de uſur.*

Permittitur autem ei, qui moram commiſit, offerendo id, in quo mora facta eſt, purgare moram ante litem conteſtatam, ſi jus actoris non ſit factum deterius, *l. interdum* 73. §. *ult. & l. ſi inſulam* 84. Id enim ex bono & aequo introductum eſt, *d. l. ſi ſervum* 91. §. *ſequitur* 3. *D. de verb. obl. d. l. qui decem* 72. *D. de ſol.* Hinc Jaſon ad *l. etſi poſt tres* 8. *num.* 4. *D. ſi quis caut.* & *d. l. ſi inſulam* 84. *num.* 5. *D. de verb. obl.* contendit, Judaeum nunquam poſſe moram purgare, quia Judaeo non debet ſervari aequitas, ſed rigor juris; ut eſt *gloſſ. ad cap.* 2. in verbo, *juris ſeveritate, extra. de Judaeis:* ſecundum quam gloſſ. Felinus Sandaeus ad *d. cap.* 2. dicit, ita fuiſſe de facto conſultum, quod ſcilicet Judaeus non poſſit moram purgare. Sed obſtat *l. Judaei* 8. *C. de Jud.* ubi expreſſe conſtitutum eſt, Judaeos conferre & excipere omnes actiones Romanis legibus, & communi Romano jure vivere: *cui legi* non ſatisfacit reſponſio Jaſonis, qua dicit, hunc caſum purgationis morae exceptum, quia ſpecialiter fundatur ſuper aequitate; & Judaeis non debet ſervari aequitas. Nam duplex in eo reſponſo vitium eſt; Unum, quod dicit, aequitatem non eſſe ſervandam Judaeis: nam aequitas ſervanda eſt bonis juxta ac malis, a qua ſi quis vel tantillum declinat, iniquitas eſt. Hinc Bartol. dicit remedium appellationis non eſſe denegandum diabolo, ſi litigaret, propter ſummam aequitatem, in qua fundatur. Alterum vitium eſt, quod opinatur purgationem morae non eſſe de rigore juris: nam licet ratio aequitatis praebuit initio cauſam, ut admitteretur purgatio morae, *d. l. ſi ſervum* 91. §. *ſequitur* 3. tamen ex quo legibus latis admiſſa eſt, & confirmata, ſequitur eam eſſe de rigore juris, & non ſolum de aequitate, ideoque non poſſe impediri in caſibus a lege approbatis; cum lex non perſonae qualitatem, ſed cauſae aequitatem conſideret in hac re. Itaque fur (cujus perſona propter delictum odioſa eſt) oblatione rei furtivae purgat moram, *l. parum refert* 17. *D. de cond. furt.* ita ut ſi res poſtea interierit, non teneatur condictione; ſed talis oblatio non liberat eum a poena furti, quia haec adhaeret oſſibus delinquentis, nec mutatione voluntatis eluitur, *l. quis ſit fugitivus* 17. §. 1. *D. de Aedil. edict. l. qui ea mente* 65. *D. de furt.* ex quo ſequitur furem tranſigentem cum domino, cui furtum fecit, nihilo magis liberari a poena conſtituta in fures, ſive illa ſit pecuniaria ſive corporalis. Eadem ratione evertitur quod Aug. Imo. Alex. Lud. Rom. & alii ex eodem principio colligunt, nempe purgationem morae non admitti, ſi ex forma ſtatuti in deciſionibus cauſarum rigor ſit ſervandus. Nam ex quo conſtitutum eſt, ſcriptis legibus purgationem morae admitti, eſt de rigore juris ut admittatur, licet ex aequitate rigor ille principio deſcendat.

Oblatio autem rei debitae non ſolum purgat praecedentem moram offerentis, ſed etiam conſtituit in mora non accipientem, *l. ſemel* 26. *D. ſol. matr.* niſi juſta non recipiendi cauſa ſubſit, veluti ſi non opportuno loco aut tempore offeratur, vel jam auctoris coeperit intereſſe, rem citius fuiſſe traditam. Hinc dicitur *aequum eſſe poſteriorem moram nocere*, *l. illud* 17. *D. de peric. & com. rei vend. l. ſi & per emptorem* 51. *D. de act. empt.*

In ſumma; de purgatione morae ſic vulgo diſtinguitur: Si pure contracta eſt obligatio, ſive poena adjecta ſit, ſive non; debitor, offerendo id, quod principaliter eſt in obligatione, moram purgare poteſt ante litem conteſtatam, *d. l. ſi ſervum* 91. §. *ſequitur* 3. *& d. l. qui Romae* 122. §. *Flavius* 2. *D. de verb. obl. l. ult. D. de recept.* niſi cauſa actoris facta ſit ex mora deterior; tunc enim non liberatur oblatione rei principalis, niſi offerat ſimul & damnum, quod creditor ex mora paſſus eſt, *l. quia tamen* 21. §. *ult. cum l. ſeq. D. de recept.* poſt litem vero conteſtatam ſuper poena, vel ſuper eo, quod intereſt, non amplius liberum eſt debitori purgare moram oblatione rei debitae, ut evitet poenam. Non obſtat *l. hoc edicto* 5. *D. de publican.* ubi rei reſtituendae facultas usque ad ſententiam conceditur. Quia hoc ideo fit, quoniam reſtitutio in id tempus conceſſa eſt expreſſe in edicto Praetoris, *l.* 1. §. *& reſtituendi* 4. *illo tit.* Non obſtat etiam *l. fidejuſſ.* 15. *D. de doli except.* quia, ut recte Bartolus, illa lex non loquitur de morae purgatione, ſed de totius debiti ſolutione, hoc eſt, ipſius rei principalis, & praeterea ejus, quod intereſt, quo caſu abſolvendus eſt debitor, §. *ult. Inſt. de perp. & temp. act.* Denique non obſtat *l.* 3. §. *ult. D. judic. ſol.* quia ibi non liberatur fidejuſſor per ſeipſum, ſed per reum principalem, cum quo nondum lis erat conteſtata, ut ait Cujacius, & ante eum Jaſon ad *d. l. ſi inſulam* 84. *num.* 25. Pactum enim & factum rei principalis prodeſt fidejuſſori, *l. & poſt.* 7. §. *ſi fidejuſſor* 1. *D. de transact. l. & haeredi* 21. §. *ult. D. de pact. l. idemque* 10. §. *pen. D. mandat.* & ita conſequitur per alium, quod per ſe non poteſt; ut alias frequenter fit, *l.* 3. *in fin. D. quae res pign. obl.* ut ait Duarenus & poſt eum Cujacius ad *d. l. ſi inſulam* 84. Idem de obligatione in diem obtinet, ut ſcilicet admittat morae purgationem usque ad judicium acceptum, ſive litis conteſtationem, ſi poenam non habet annexam, *d. l. ſed etſi* 17. *D. conſt. pec. l. ſi ita* 135. §. *Seja* 2. *D. de verb. obl.* At ubi & dies & poena obligationi inſunt, non admittitur morae purgatio, *d. l. ad diem* 77. *& d. l. magnam* 12. *C. de cont. & comm. ſtip.* Sed jam dixi, non propter moram id fieri, ſed propter expreſſum conſenſum contrahentium, qui facit, ut elapſo die committatur poenae ſtipulatio, quam reſolvi poſtea oblatione rei principalis, invito adverſario, aequum non eſt; ſed ſi eam rem creditor aut petierit, aut oblatam acceperit, poenam ſponte ſua remiſiſſe intelligitur, *l. Celſus* 23. *D. de recept. l. ult. D. de eo quod cert. loc.*

Non obſtat *l. Lucius* 47. *D. de act. empt.* in illis verbis, *neque haeres ejus reliquam materiam exhibuerit*, quaſi a contrario ſenſu, ſi haeres reliquam materiam exhibuiſſet, purgaſſet moram a defuncto commiſſam in eo praeſtando, quod ſub certa poena certo die promiſerat. Nam illa verba *neque haeres, &c.* ſunt verba ejus, qui Paulum conſuluit, non ipſius Pauli, & verba quidem ſuperflua, qualia ſaepe conſultores ſolent effundere. Ex illis igitur verbis nullum neque a proprio, neque a contrario ſenſu, argumentum ſumi debet ad juris conſtitutionem. Faceſſat ergo Baldi opinio ad *l. cum allegas* 15. *C. de uſuris*, & Pauli Caſtr. ad *l. etſi poſt tres* 8. *D. ſi quis caut. jud. ſiſt.* & ad *d. l. Lucius* 47. aſſerentium, diem & poenam certam, in bonae fidei contractibus, non impedire, quo minus poſt diem admittatur morae purgatio ad evitandam poenam conſtitutam; cum nihil, quo ſe tueantur habeant, praeter *d. l. Lucius* 74. ex quo nullum, ut admonui, firmum ejus rei argumentum duci poteſt. Et ideo Imp. Alex. & alii eam ſententiam perſpicuis adeo rationibus refutarunt, ut mihi eam non ſit opus hic pluribus convellere.

Magis obſtare videtur *l. etſi poſt tres* 8. *D. ſi quis caut.* quae vult, ſtipulationem judicio ſiſti, licet diem & poenam contineat, admittere morae purgationem poſt diem, ſi promiſſor intra modicum tempus ſecum agendi poteſtatem fecerit, nec jus actoris ex mora factum ſit deterius, ſecundum Bulgari interpretationem, relatam in gloſſ. cui prorſus aſſentior. Reſpondet Duaren. ad *l. ſi inſulam* 84. *D. de verb. obl.* (ut & communiter reſponderi ſolet) ſuperiorem diſputationem de mora ad ſtipulationes conventionales, non ad praetorias pertinere; cujusmodi eſt ſtipulatio

latio judicio ſiſti, quia horum quam conventionalium benignior interpretatio admittitur ex mente Praetoris, *l. in conventionalibus* 52. *D. de verb. obl. l. in Praetoriis* 9. *D. de Praet. ſtip.* Hujus reſponſionis laus Bartolo omnium juris Interpretum principi debetur: ejus enim haec doctrina eſt ad *d. l. etſi poſt tres* 8. & *d. l. ſi inſulam* 84. licet Duarenus eum ibi non laudet authorem. Cujacius vero ad *d. l.* 84. *D. de verb. obl.* ſcribit, hanc ſibi ſententiam aliquando placuiſſe, poſtea vero diſplicuiſſe, ea ſcilicet ratione, quod viderit ſtipulationes quaſdam praetorias ſemel commiſſas ſolvi non poſſe; veluti ſtipulationem duplae, *l. habere licere* 57. *D. de evict.* & ſtipulationem judicatum ſolvi, *l.* 3. *§. ult. D. jud. ſol.* Ipſe igitur aliter reſpondet in *tractatu* 7. *ad Africanum d. l. trajectitiae* 23. *D. de obl. & act.* & in explicatione *d. l.* 84. *D. de verborum oblig.* nempe *dictam l. etſi poſt tres* 8 non intelligendam eſſe de poenali ſtipulatione, ſed de ſtipulatione quanti ea res eſt, qualis ſolet ſubjici ſtipulationi judicio ſiſti; idque ex veteribus Bulgarum notaſſe ait. Atque inter illas ſtipulationes longam vult eſſe differentiam: *nam ſi poenalis eſt*, inquit, *qui ſe ſiſti promiſit certo die, etiamſi poſt diem ſecum agendi poteſtatem faciat, non evitat poenam, cum fuerit ei facile ſe ſiſtere condicto die, aut excuſationis cauſas allegare per alium. Sin autem fuerit ſtipulatio quanti ea res eſt, ab ea liberatur, ſi ſiſtat ſe poſt tres aut quinque pluresve dies.* Quam vellem equidem Cujacium firmiores hujus novae reſponſionis & diſtinctionis ſuae rationes nobis reddidiſſe! Nam primum, quod ſcribit, Bulgarum notaſſe in ſpecie *d. l. etſi poſt tres* 8. non fuiſſe ſubjectam poenam, id unde habuerit Cujacius non video; imo contrarium plane Bulgarus, ſi gloſſae creditur, in qua ex Bulgaro haec ſunt: *Si autem eſſet poenalis, tunc non licet purgare, ut l. magnam* 12. *C. de contrah. & committ. ſtip.* & *l. trajectitiae* 23. *D. de act. & oblig. niſi circa judicia, ut hic.* id eſt in ſpecie, *d. l. etſi poſt tres* 8. notat ergo Bulgarus poenam in ea fuiſſe ſubjectam, quod valde Cujacio adverſatur. Deinde quod pro certo & ſolido fundamento ponit, ſtipulationem ſcilicet in id, quod intereſt, conceptam non committi ex die, ſed tantum ex lite mota vel conteſtata, *l. cum quaerebatur* 13. *verſ. Proinde. D. jud. ſol. l.* 5. *C. de contrah. ſtip.* id neque rationem habet, neque legibus iſtis, ab eo allegatis, ullo modo comprobatur; in neutra ſiquidem illarum de die fit mentio, & addi per interpretationem ſine vitio nequit: pura igitur utrobique promiſſio, quae impedit, ne vel poenae vel quanti ea res eſt ſtipulatio committatur ante litem conteſtatam. Adhaec nulla videtur ſubeſſe ratio, cur poenae ſtipulatio ex die committatur, ſtipulatio autem quanti ea res eſt non item; quin potius contra, ſi verum fateri volumus, haec quam illa meliore ratione committi debet, & facilius concedi, ut promiſſor culpam ex mora eluat ad evitandam poenam, quam ad evitandum id, quod intereſt ſtipulatoris, quamvis verum ſit hoc ipſum, quod intereſt, quatenus juſtam rei principalis aeſtimationem excedit, poenam eſſe reſpectu dantis, & ita vocari, *l.* 1. *§. ſi plures* 4. *D. de eo per quem fact. e t. l. ult. D. de eo quod cert. loc.* Dixi ad *l. unic. C. de ſent. quae pro eo quod inter.* Communis itaque ſolutio tutior eſt, nec fuit, cur ab ea recederet Cujacius; quia, ut praeclare docet Bartolus, non omnes praetoriae ſtipulationes, ſemel commiſſae, admittunt morae purgationem, ſed eae demum, quae talem ex mente Praetoris legem acceperunt; ut ſtipulationes judicio ſiſtendi cauſa, quae ad litis ordinationem pertinent: & vero benignius cum eo agendum eſt ad evitandam poenam, qui ne traheretur importuno tempore in judicium, velut quadam neceſſitate & vi externa impulſus atque coactus poenam ſpopondit, quam cum eo, qui ſponte in ejuſmodi promiſſionis laqueos ſe conjecit: judicium quippe redditur in invitum, *l. inter ſtipulantem* 83. *§.* 1. *D. de verb. obl.* Commiſſa igitur poenalis ſtipulatio judicio ſiſti reſolvi hac ratione poteſt, *d. l. etſi poſt tres* 8. Commiſſa autem ſtipulatio duplae reſolvi contraria ratione non poteſt *d. l.* habere, quia nimirum appendix eſt ſeqoela voluntariae & ſpontaneae venditionis: nemo enim ad duplae cautionem compellitur, niſi qui ſponte ſua diſtrahit, *l. qui erat* 49. *D. fam. hercisc.* Juriſconſulti ergo, qui mentem Praetoris propius ſunt aſſequuti, praetorias ſtipulationes nunc hoc, nunc illo modo interpretati ſunt, prout cogitaſſe Praetorem veriſimile illis viſum eſt. Haec de morae purgatione pauca ſufficiant, in qua me diutius paulo, quam ſperavi, iſta opinionum detinuit varietas. Illud autem hic generaliter tenendum eſt, morae purgationem valere quidem ad juris quaeſiti conſervationem, & damnum evitandum, non etiam ad lucrum & emolumentum per novam actionem quaerendum, *l. Thais* 41. *§. intra* 12. *D. de fideic. libert.*

Effectus morae multiplex proponitur in *gl. magna d. l. mora* 32. *D. de uſur.* primus conſiſtit in rei debitae aeſtimatione facienda, ſive eo quod intereſt actoris circa rem, *l. ſi ſterilis* 21. *§. cum per venditorem* 3. *D. de act. empt.* de quo effectu dicetur uberius in explicatione *l. vinum* 22. *D. hoc tit.*

Alter effectus eſt fructuum praeſtatio, qui in contractibus bonae fidei debentur ex mora, ut vult *d. gl. ſſ. l. mora* 32. item in legatis & fideicomm. *l. equis* 8. & *l. equis* 39. *l. reſpondit* 14. *D. de uſur. l.* 1. *§. belliſſime* 13 *D. ut leg. ſeu fideic. ſerv.* Sed obſtare videtur *l.* 1. & *l. ult. C. de uſur. & fruct. leg.* quae volunt fructus legatorum & fideic. deberi tantum ex tempore litis conteſtatae, cum quibus conſentit *l. quaeſitum* 91. *§. ult. D. de leg.* 1.

Sunt, qui putent *d. l.* 1. & *d. l. ult.* loqui de fructibus percipiendis, *l.* vero, *equis* 8. & *ſimiles*, de fructibus perceptis: ſed nihil in illis legibus eſt, ex quo illa diſtinctio peti poſſit. Alii dicunt deberi fructus poſt litem conteſtatam, ſi mora ante facta non ſit; ſi vero mora praeceſſit, ex mora deberi; & ita Duarenus ad *l. cum ſervus* 39. *§. fructus* 1. *D. de leg.* 1. Atque ita Impp. in *d. l.* 1. & *d. l. C. de uſur. leg.* cum dicunt fructus praeſtari ex tempore litis conteſtatae, id dicunt ad excludendum tempus mortis teſtatoris, non autem ad excludendum tempus morae. Nam conſulebantur, ut apparet, an a die mortis teſtatoris fructus deberentur, licet mora nulla interceſſit; quo caſu recte reſponderunt, fructus praeſtandos eſſe a tempore litis conteſtatae. Nec ſequitur, fructus exigi poſſunt a tempore litis conteſtatae; ergo non poſſunt exigi a tempore morae. Et horum ego ſententiam ſequor: nam conſtat, Imperatores ſaepe ſolitos reſpondere praeciſe ad libellos conſultantium, & ad ea, quae de facto proponebantur. Cujacius etiam in *Parat. C. tital. de uſur. & fruct. leg.* ſimili fere modo reſpondet, hoc addito, quod licet Imperatores mentionem litis conteſtatae fecerint; tamen id trahi commode poteſt ad motam controverſiam inſtantem & continuam, antequam ad judicem eatur, ſicut de SCto Adriani temporibus facto ſcriptum eſt, *l. ſed etſi lege* 25. *§. ſi ante litem conteſtatam* 7. *D. de petit. haered.* Sed hic rurſus alia exoritur difficultas: nam *l. Herennius* 42. *D. de uſur.* vult fructus praeſtari legatario ex tempore acquiſiti dominii, id eſt, aditae haereditatis, *l. legatum* 80. *D. de leg.* 2. *l. a Titio* 64. *D. de furt.* cum *l. Herennius* 42. conſentit, *l. quaeſitum* 40. *verſ. Quia etſi fundum. D. de acq. rer. dom.* Harum legum conciliandarum cauſa Accurſius diſtinguit inter legatum rei teſtatoris & legatum rei alienae, ut de illo intelligatur *l. Herennius* 42. & *d. l. quaeſitum* 40. *D. de acq. rer dom.* de hoc vero intelligantur *dictae ll. equis* 8. & 39. *cum ſimilibus.* In ſumma igitur ex hac diſtinctione & reliquis, ſupra relatis, ſic ſtatuendum eſt: In legato rei teſtatoris veniunt fructus

ctus ex tempore aditae haereditatis, ſi haeres ſcit eſſe legatum, *d. l. Herennius* 42. in legato vero rei alienae veniunt fructus a tempore morae, *d. l. equus* 39. &, ſi mora non eſt commiſſa, a tempore litis conteſtatae, *d. l.* 1. & *l. ult. C. de uſur. leg.* Nam litis conteſtatio facit, fructus deberi in utroque genere legati, & hoc eſt, quod dicitur in *d. l. ult. ſive in rem, ſive in perſonam agatur*: agere enim in rem legatarius non poteſt, niſi res legata fuerit teſtatoris. Nec ſequitur: fructus debentur poſt litis conteſtationem, ergo non debentur poſt aditam haereditatem, ut dictum eſt. Caeterum quando fructus veniant in actione perſonali, & quando non, declarat copioſe Paulus, *l. videamus* 38. *D. de uſur.*

Tertius effectus eſt praeſtatio uſurarum, ſiquidem in bonae fidei contractibus ex mora uſurae debentur, *d. l. mora* 32. §. *in bonae fidei* 2. *l. in bonae fidei* 13. *C. eod.* in contractibus vero ſtricti judicii non debentur, ne quidem poſt litem conteſtatam, niſi in ſtipulationem fuerint deductae, *l.* 3. *C.* Nam quod dicitur *lite conteſtata uſurae currunt*, *l. lite conteſtata* 35. *D. de uſur.* id nihil aliud ſignificat, niſi litis conteſtationem non ſiſtere curſum uſurarum, aut efficere, ut deſinant deberi, quae antea debebantur, vel ex ſtipulatione in ſtricti juris contractu, vel ex mora in contractu bonae fidei; quem ſenſum cum non animadvertiſſet Accurſius, putaſſetque illis verbis, *uſurae currunt*, ſignificari, *uſurae deberi incipiunt*, perperam interpretatus eſt legem illam de bonae fidei judiciis tantum.

Quartus effectus eſt, periculum interitus rei, de quo *hac l.* Mora enim facit debitorem teneri, re poſt moram perempta. Ad textum igitur *legis noſtrae* redeamus, in qua Pomponius ſimpliciter definit, *ſi id, quod te mihi dare oporteat, poſtea perierit quam per te factum eſt, quo minus id mihi dares, ejus interitus detrimentum ad te pertinere*: cum quo conſentit Ulpianus, *l. cum ſervus* 39. §. 1. & Africanus *l. ſi ſervus* 8. §. *ſi ſervus* 11. *D. de leg.* 1. Unde quaeri ſolet, an generalis ſententia *hujus legis* ſemper locum habeat, an vero diſtinctionem admittat, utrum res eodem modo fuiſſet peritura apud petitorem, necne: veluti ſi natura aut fato res perierit, quam creditor acceptam vel noluiſſet, vel non potuiſſet diſtrahere. De hac quaeſtione magna fuit diſſenſio, tam inter veteres Juriſconſultos Sabinianos & Proculianos, cujus veſtigium extat in *l. illud* 40. *D. de pet. haer.* quam etiam inter antiquos juris Interpretes Joan. & Martin. in *gl. hujus l.* Ad rem vero quod attinet: Proculianorum diſtinctio ſequenda eſt, ut ſi petitor rem debitam vel detentam vendere & pretium conſequi potuerit, teneatur debitor vel detentor, etiamſi res natura aut fato conſumpta ſit poſt moram; nullo diſcrimine habito inter actiones in rem & actiones in perſonam, vel inter contractus nominatos & contractus innominatos, *l. cum res* 47. §. *ult. D. de leg.* 1. *l. item ſi verberatum* 15. §. *ult. D. de rei vind.* *l. de eo* 12. §. *ſi poſt* 4. *D. ad exhib.* *l. ſi pecuniam* 5. §. *ult. D. de cond. ca. dat.* Si vero res eodem modo fuiſſet interitura apud petitorem, liberatur debitor ſive reus, *l. ſi plures* 14. §. *ult. D. depoſ.* ubi verbum, *utique*, poſitum eſt a Cajo, non pro ratione ſententiae Sabini & Caſſii, ſed pro temperamento illius ſententiae. Cum enim dixiſſent Sabinus & Caſſius, reum eſſe abſolvendum, ſi res ſua natura perierit ante rem judicatam: Cajus reſtringit illud dictum ex ſententia Proculianorum his verbis, *utique cum res eſſet interitura apud actorem, etſi eſſet reſtituta*; quaſi diceret: tunc demum Sabini ſententia admittenda eſt, quando res, quae petitur, fuiſſet eodem modo peritura apud actorem, quo nunc perit apud reum. Utraque diſtinctionis pars, una, eaque optima, ratione nititur; quod ſcilicet aequum eſt, creditorem, re non reſtituta, habere id, quod habere potuiſſet, ſi eam habuiſſet tunc, cum petiit; atque ob eam cauſam, cum fundus vel res alia petitur, fructus reſtituendi ſunt, non ſolum quos reus percepit, ſed quos actor percipere potuit, *l. fructus* 33. *l. ſi navis* 62. *D. de rei vind.* Atqui priore caſu, quando ſcilicet petitor rem acceptam vendere potuiſſet, haberet nunc pretium, unde & rem ipſam habere videretur, *l. quia qui pretio* 39. *D. de uſufr.* *l. Labeo* 14. *D. de verb. ſign.* Ergo aequum eſt, eum nunc tantundem percipere, re poſt moram perempta. Rurſus poſteriore caſu, cum ſcilicet res fuiſſet eodem modo interitura apud petitorem, nihil ejus loco nunc haberet, ac proinde nihil ei debitor praeſtare debet. Dicet aliquis: quomodo intelligi poteſt, an res fuiſſet eodem modo peritura, necne, apud petitorem ſi eam accepiſſet? Reſpondeo, id in ſingulis quaeſtionibus & cauſis ex facti circumſtantiis deprehendi a prudente & perito Judice poſſe: veluti, exempli gratia, ſi res a prodigo fuit petita, quae paulo poſt fato interiit: nam is eam acceptam alienare non potuit, *l. is cui bonis* 6. *D. de verb. obl.* vel ſi fundus, a minore 25. annis petitus, chaſmate periit, eodem modo periiſſet apud minorem, quia eum ſibi traditum alienare ſine decreto non potuiſſet, *tot. tit. C. de praed. & al. reb. minor. ſine decr. non alien.* Non obſtat *l. ſi filiofamilias* 25. §. *ſi poſt* 2. *D. ſol. matr.* ubi dicitur, *Si poſt divortium res dotales deteriores factae ſint, & vir in reddenda dote moram fecerit, omnimodo detrimentum ipſe praeſtabit*; quia verbum illud, *omnimodo*, non ad hanc diſtinctionem noſtram pertinet, de re eodem modo vel non eodem modo interitura apud petitorem: ſed ad reſtrictionem §. *maritum* 1. *illa l.* ubi dictum fuit, maritum praeſtare dolum & culpam: hoc enim verum eſt, ſi non in reddenda dote moram commiſit. Nam poſt moram omnimodo detrimentum praeſtabit, id eſt, interitum rei, cum hac tamen diſtinctione, ſuperius propoſita, ſi non fuiſſet apud mulierem eodem modo peritura. Caeterum haec diſtinctio Proculianorum non porrigitur ad fures, praedones, abactores, & eos, qui vim & metum intulerunt, ut docte Jaſon annotavit ad *hanc l. num.* 28. & poſt eum Cujac. *tract.* 5. *ad Afric. ad l. ſi ſervus* 108. §. *ſi ſervus legatus* 11. *D. de leg.* 1. ſed indiſtincte condemnantur re perempta, *l. ſubtracto* 9. *C. de furt.* ſunt enim pluſquam fruſtratores, *l. merito, pen. D. de vi & de vi arm.* Sed quid ſi debitor rem, uni debitam, alienaverit alteri dolo malo, & ea poſtmodum interierit ante moram factam in ea tradenda priori creditori? Reſpondetur, liberari etiam hoc caſu debitorem, *l. venditor ex haereditate* 21. *D. de hered. vel. act. vend.* *l. is qui ex ſtipulatu* 45. *D. de obl. & act.* niſi res petitur reſtitui, quae ante fuit petitoris: tunc enim contrarium reſpondendum eſt, *l.* 1. *hanc actionem* 23. *D. depoſ.*

Admonui ſuperius nullum diſcrimen eſſe inter contractus nominatos, & innominatos, quantum ad ſpeciem & deciſionem *hujus l.* attinet; id nunc examinandum eſt: videtur enim obſtare *l. ult. D. de cond. ca. dat.* ubi dicitur, *Si dedi tibi pecuniam ut mihi Stichum dares, mortuo Sticho repetere poſſum quod dedi*: ergo debitor ex contractu innominato non liberatur interitu ſpeciei. Hic locus coëgit quoſdam, ut exiſtimarent non liberari debitorem in contractibus innominatis, re ante moram perempta. Sed contrarium diſerte ſcriptum eſt, *l.* 3. §. *ſed ſi tibi dedero* 2. *D. illo tit.* & *l. naturalis* 5. §. 1. *verſ. Sed ſi ſcyphos. D. de praeſc. verb.* ex quibus apparet, *d. l. ult.* intelligendam eſſe vel de re perempta poſt moram (quae prima ſolutio gloſſae eſt) vel de repetitione, quae datur ob poenitentiam, *d. l.* 3. §. *ſed ſi tibi dedero* 2. & *l. ſi pecuniam* 5. *D. de cond. ca. dat.* Nam quod Cujac. *tract.* 8. *ad Afric. ad l. ſi fundus* 33. *D. locat.* & *ad l. quae fundum* 50. *D. de jure dot.* ſcribit, pecuniae repetitionem eſſe in ſpecie *d. l. ult.* exemplo emptionis, in qua contendit emptorem repetere poſſe pretium a venditore, ſi res ante traditionem interierit, etiam ſine culpa vel mora venditoris; id certe ei conceden-

dum non eſt, niſi pariter concedamus fas illi eſſe, jus apertiſſime conſtitutum non interpretatione modo deflectere, ſed propria etiam authoritate penitus abrogare. Et vero tam multis in locis ita perſpicue traditum eſt, poſt perfectam venditionem periculum fortuiti caſus, ante moram contingentis, ad emptorem pertinere, & venditorem nihilominus pretium petere poſſe, *l. ſi in emptione* 34. §. *ſi emptio* 6. & *l. quod ſaepe* 35 §. *ſi res* 4. *D. de contr. empt. l. neceſſario* 8. *D. de peric. & comm. rei vend. l. Lucius* 11. *D. de evi.* 7. §. *cum autem* 3. *Inſt. de empt. & vend.* ut mirum ſit, Cujacium exiſtimare venditorem non ſolum non habere actionem ex vendito ad pretium conſequendum hoc caſu, ſed teneri praeterea actione ex empto, ut pretium, quod accepit, reſtituat. Nam quod ad *d.* §. *cum autem* 3. (cujus manifeſto ſenſu ſe ſenſit conſtrictum) reſpondet, Juris regulas in Inſtitutionibus proponi, quae omnes ſunt ex ſummo jure, & rudimenta: in Digeſtis vero incrementa Juris, & diligentius exactas res ad aequitatem: id certe admodum puerile eſt & leve, & haud dignum Cujacio reſponſum, quaſi vero non conveniant Digeſta cum Inſtitutionibus, & ſicubi non conveniunt, id nobis Juſtinianus non aliquo indicio ſignificaverit. Sed demus ita eſſe, in Digeſtis omnia ad aequitatem diligenter exacta: ipſa certe Digeſta cum Inſtitutionibus in hoc conveniunt, ut ex legibus inde allatis patet. Deinde vero quid ad jus Codicis reſpondebit? quid, inquam, ad Diocletian. & Maximian. reſcriptum, *l. ult. C. de pericul. & comm. rei venditae?* illudne etiam a jure Digeſtorum & rebus ad aequitatem exactis abhorrere dicet? verba *ejus l.* haec ſunt: *Mortis caſus ancillae diſtractae, etiam ante traditionem ſine mora venditoris dilatam, non ad venditorem, ſed ad emptorem pertinet: & hoc non ex praeterito vitio rebus humanis exempta, ſolutionem pretii emptor non recte recuſat.* Hujus legis aut non meminit tunc Cujacius; aut certe advertit, eam usque adeo ſententiae ſuae eſſe contrariam, ut quod ei reſpondeat nec ipſe, nec alius quisquam potuerit invenire. Non adverſatur autem huic Diocletiani & Maximiani reſcripto, atque adeo communi Juris regulae *dicta l. ſi fundus* 33. *D. locat.* nec Cujacius movere debuit, ut ab apertiſſimis legum deciſionibus, & recepta ubique ſententia recederet. Speciem namque diverſam, non contrariam continet: ibi enim de re publicata reſponſum eſt; hic de re perempta & extincta loquimur. Publicatio difficultatem tantum; interitus ſive peremptio impoſſibilitatem praeſtandi affert. Res publicata ad eum ſtatum revocari poteſt, ut tradi poſſit: perempta vero minime. Rem igitur publicatam aut redimat venditor & tradat emptori, aut reddat pretium: quod idem de re extincta & perempta dici non poteſt; cum nemo ad impoſſibile obligetur, *l. impoſſibilium* 185. *D. de reg. jur.* Contrarium eſt in locatione & conductione: quia locator tenetur facere, ut conductor frui poſſit re conducta; quae res tractum temporis habet: tamdiu enim frui debet, quamdiu durat conductio. Quocunque igitur modo impeditus fuerit conductor, quominus frui poſſit, locator ei repraeſentatam mercedem reſtituere tenetur: eſt enim hoc aequiſſimum. Nec ei ſimile, quod de emptore Cujacius: hic enim ideo nihil pretii conſequitur a venditore, quia res, quae perempta eſt, ejus periculo erat, venditore prorſus obligatione liberato. Sed de hac re ſatis! eſt enim hic naevus quidam in illo pulchro corpore Operum Cujacii, viri caeteroquin Juris peritiſſimi, & qui paucos imo vix ullos ſua aetate pares habuit. Apparent & alii acutius intuentibus: nec mirum! haud ullus eſt multarum rerum ſcriptor, quem non ſua aliquando fefellerit opinio. Teſtes advoco antiquos Juriſconſultos, ex quorum [illegible]ſcriptis Pandectae juris ſunt concinnati: eorum alii [illegible] ſaepe reprehendunt; nec ullus fere ubique feliciter reſpondet. Sed ad rem! *dicta l. ult. C.* dat actionem venditori ad pretium conſequendum, ſicut & *d. l. ſi in emptione* 34. §. *ſi emptio* 6 [illegible] reliquis ibi citatis; ergo multo magis pre[illegible] ſoluti retentionem, ex vulgati juris regula, *l. invitus* 156 §. 1. *D. de reg. jur. cap. Qui ad agendum* 71. *eod. in* 6 Nonne igitur ſatius eſt ita interpretari [illegible] *fundus* 3[illegible], ut cum clara & aperta caet[erarum] legum deciſione conveniat, quam ita explicare, ut ejus ſententia caeterae leges explodantur? At *aequius eſt*, inquit, *ut qui rem non eſt nactus emptor pretium non ſolvat.* N[illegible]tur id quidem, quinimo aequius eſt, ut [q]ui ex re [illegible] commodum percepiſſet, is ejus fortuito amiſſae damnum ferat, *l. ſecundum naturam* 10. *D. de reg. jur.* Et vero ſi aequius eſſet, emptorem hoc caſu pretium non ſolvere, Imperatores quibus mos erat aequitatem ſummo juri praeferre *l.* 5. *C. ſi aliena res pign. data ſit. l. placuit* 8. *C. de jud. l. Aemilius* 38. *D. de minor. l. ult. D. quod cum eo qui in alien.*) non [illegible]ſcripſiſſent utique de ea ipſa re conſulti, *emptorem non recte recuſare ſolutionem pretii, d. l. ult. C. de per. & com. rei vend.*

Supereſt nunc diſpiciamus de eo, quod di[illegible]mitio: *legem hanc* non pertinere ad obligationem quantitatis, generis, vel disjunctivam. Eſtne id perpetuo verum? Traduntur certe exceptiones quaedam. Una eſt, ſi quantitas debetur reſpectu ſive occaſione certae ſpeciei, ita ut illa ſpecies ſolvi poſſit invito creditori: tunc enim perempta ſpecie ante moram, liberatur debitor etiam ab obligatione quantitat[is] *l. quidam* 96. §. *ſi tibi* 2. *l. filiusfamilias* 114 §. *ult. D. de leg.* 1. Nec obſtat *l. vir uxori* 8. *D. de dote prael.* quia ibi teſtator, poſt extinctas res dotales, manſit in eadem voluntate; alias vero non fuiſſet haeres obligatus peremptis rebus dotalibus, *l.* 1. §. *adeo* 5. *ill*[illegible]*it.* Alia exceptio eſt in ſpecie & caſu [illegible] *Titius* 24. *D. de praeſcr. verb.* Alia in *l. qui decem* 72. *D. de ſolut.* cum ſcilicet creditor oblatam ſibi a debitore quantitatem accipere recuſat ſine juſta cauſa: ea enim ipſa quantitate ſine dolo & culpa debitoris amiſſa contingit liberatio. Et eſt quidem caſus hic obiter notandus, quo liberatur debitor, etiam exiſtente quantitate oblata; nimirum quando reſpublica debet frumentum, & [i]llud creditor oblatum noluit accipere, ſed poſtea petit, ubi annona coepit eſſe carior: nam neque frumentum, quod prius recuſavit, neque ejus pretium conſequitur, *l. nulli* 7. *C. de erog. mil. ann. lib.* 12. Eſt & alius caſus *l. ult. C. de cond. inſert. tam in legat.* ſi haeres recuſaverit accipere pecuniam [a] ſervo, quam explendae conditionis cauſa pro libertate offert. Alia exceptio, quando ſpecies certa ex certo & determinato genere debetur; veluti ſi quis promittat unum ex ſervis ſuis: nam, mortuo uno aut altero, non liberatur, ſed mortuis deinde omnibus, tunc liberatur. Idem obtinet in obligatione alternativa, ſive disjunctiva; veluti Stichum aut Pamphilum dare ſpondes: prioris enim mors ad debitorem (quia alter manet in obligatione) poſterioris ad creditorem pertinet, *d. l. ſi in emptione* 34. §. *ſi emptio* 6. *D. de contr. empt.*

LEX VI. Paulus lib. 28. ad Edictum.

Certum eſt, cujus ſpecies vel quantitas, quae in obligatione verſatur, aut nomine ſuo, aut ea demonſtratione, quae nominis vice fungitur, qualis quantaque ſit, oſtenditur. Nam & Pedius libro primo de ſtipulationibus nihil referre ait, proprio nomine res appelletur, an digito oſtendatur, an vocabulis quibusdam demonſtretur, quatenus mutua vice fungantur, quae tantundem praeſtent.

Tractatur *hoc tit.* de condictione ſi certum peta[tur], & de ea i[illegible]btur poſterior pars Rubricae ſupra: non ſine cauſa ergo docetur hic quid certum, ne in principiis erremus. Eſt autem certum, ut Paulus definit, *cujus ſpecies vel quantitas qualis quantaque ſit oſtenditur, ſive id proprio nomine fiat, ſive demonſtratione aliqua, quae nominis vice fungitur.* Species opponitur quan-

quantitati, ut ſaepius jam dictum eſt. Sunt qui putant verbum *qualis* ad ſpeciem, & verbum *quanta* ad quantitatem hic referri: verum nihil obſtat, quominus *qualis* ad quantitatem etiam referri poſſit. Qualitatis enim demonſtratio facit certum aliquando, quod alias eſſet incertum, etiam cum quantitas verſatur in obligatione, *l. ſtipulationum 74. cum l. ſeq. D. de verb. obl.* Ait *certam fieri proprio nomine vel ea demonſtratione, quae nominis vice fungitur.* Hujus loci intellectus juvatur cognitione eorum, quae de individuis tractantur a Dialecticis. Aliud enim conſtituunt proprium, aliud ex demonſtratione, aliud ex hypotheſi, aliud vagum. Individuum proprium eſt, quod certo nomine deſignatur, ut Petrus, fundus Cornelianus; & nomina quidem propria mutari ſine vitio poſſunt, *l. un. C. de mut. nominis*, & ideo error in nomine proprio non vitiat legatum, vel contractum, vel haeredis inſtitutionem; ut oſtendi ad *l. 4. D. de leg. 1.* Individuum, ſive certum demonſtratione fieri poteſt duobus modis, Uno per digitalem demonſtrationem, ut, hic homo, *hac l. & l. nominatim 34. D. de cond. & dem. l. nemo dubitat 58. D. de haered. inſtit.* Altero per relationem ad aliquid certum, *l. ait Praetor 5. §. ſi judex 1. & l. in ſententiis 59. D. de re jud. l. pen. C. de ſent. quae ſine cert. quant.* Vel per deſignationem alicujus certae notae, qua res, quam volumus demonſtrare, diſcernitur ab aliis; & hoc eſt quod *hac l.* dicitur, *vel vocabulis &c.* veluti, ille latro filius meus exhaeres eſto, *l. 2. & l. 3. D. de lib. & poſth.* & facit quidem haec demonſtratio individuum ex hypotheſi. Individuum autem vagum vix noſtra agnoſcit Juriſprudentia, *l. ſi quis de pluribus 27. D. de reb. dub. l. cum ex pluribus 31. D. de manum. teſtam.* Haec cum ita ſint, ſequitur, certum ſemper eſſe quod petitur ex mutuo; quia tale petitur, quale datum eſt, & tale reddi debet, *l. 3. D. hoc tit.* At conſtat jam quale & quantum fuit datum. Ergo relatione ad id facta certum eſt, quod petitur. Illud autem ſeparatim hic notandum eſt, quod licet quantum ad deſignationem res nihil interſit, utrum proprio nomine, an ea demonſtratione, quae nominis vice fungitur, ſit demonſtrata; tamen multum intereſt aliquando, cum agitur de onere vel commodo perſonae, utrum ſuo proprio nomine oſtendatur, an vero aliis vocabulis deſignetur, veluti ſi teſtator juſſerit haeredes dare. Nam ſi omnes, ſuis ſingulos nominibus, juſſerit dare, tenentur pro virilibus partibus; ſi vero juſſerit eos ſub nomine haeredum, tenentur tantummodo pro portionibus haereditariis, *l. ſi haeredes 124. D. de leg. 1. l. nonnunquam 24. D. ad SCtum Trebel.* Quae etiam diſtinctio obſervatur, cum ſervus communis ſtipulatur dominis ſuis, *l. communis ſervus 37. D. de ſtip. ſerv.* Per expreſſionem ergo perſonarum, fit diviſio pro numero perſonarum; per expreſſionem vero juris perſonae, fit diviſio pro eo jure, quod quiſque habet in re. Sed hanc diſtinctionem tamen videtur confundere *l. ſive a certis 17. D. de duob. reis*; niſi dicamus cum gloſſa, illic haeredes nominatos fuiſſe nominibus appellativis; quae ſolutio etiam Bartolo probatur.

LEX VII. Ulpianus lib. 26. ad Edictum.

Omnia, quae inſeri ſtipulationibus poſſunt, eadem poſſunt etiam numerationi pecuniae, & ideo & conditiones.

LEX VIII. Pomponius lib. 6. ex Plautio.

Proinde mutui datio interdum pendet, ut ex poſtfacto confirmetur: veluti ſi dem tibi mutuos nummos, ut ſi conditio aliqua extiterit, tui fiant, ſitque mihi obligatus. Item ſi legatam pecuniam haeres crediderit, deinde legatarius eam noluerit ad ſe pertinere. quia haeredis ex die aditae haereditatis videntur nummi fuiſſe, ut credita pecunia peti poſſit. Nam Julianus ait & traditiones, ab haerede factas, ad id tempus redigi, quo haereditas adita fuerit, cum repudiatum ſit legatum aut adpoſitum.

Quaeſtio eſt, an mutuum contrahi poſſit ſub conditione, ita ut tunc demum is, qui accepit, obligetur, cum conditio aliqua extiterit. Dubitandi cauſam forte praebuit, quod conditiones ex conſenſu & conventione contrahentium procedunt & valent. Mutuum vero non conſenſu, ſed re, contrahi dicitur, *Inſtit. quib. mod. re contr. obl.* & ejus ſubſtantia numeratione expleri, *l. contra 6. D. de SCto Maced.* ex quo ita colligi videbatur, ubi praeſens numeratio eſt ex cauſa mutui, ibi praeſens eſt mutuum: & ubi nulla eſt numeratio, ibi nullum mutuum. Ergo mutuum non recipit conditionem. Fovet hanc dubitationem *l. rogaſti 11. §. ſi tibi 1. D. hoc tit. & l. ſi tibi 17. D. de pact.* Si dedi tibi decem, ea lege, ut undecim mihi debeas, non contrahitur obligatio, niſi in decem: quia re contrahi obligatio non poteſt, niſi quatenus datum eſt. Ex quo ſequitur mutuum non ex voluntate & conſenſu contrahentium, ſed ex rei mutuatitiae interventu naſci & conſiſtere, & per conſequens non admittere conditionem. Contrarium tamen reſpondet *hac leg.* Ulpianus, & Pomponius, *l. prox. ſeq.* Ait igitur Ulpianus contractum mutui admittere omnes adjectiones, quas admittit ſtipulatio. *Omnia*, inquit, *quae inſeri ſtipulationibus poſſunt, eadem poſſunt etiam numeratione pecuniae.* Stipulationibus autem inſeri poſſunt, dies, modus, locus, conditio, *§. omnis 2. & §. loca 5. Inſtit. de verb. obl.* Ratio decidendi eſt, quia licet mutuum re contrahitur, tamen habet in ſe conſenſum, ſine quo nullum eſt mutuum, *l. ſi ego 18. l. non omnis 19. D. hoc tit. l. 1. §. 3. D. de pact.* Nam ſi mutuum ideo non admitteret conditionem, quia non dicitur conſenſu contrahi, ſed re, ſequeretur ſtipulationem non admittere conditionem, quia non dicitur conſenſu contrahi, ſed verbis, *l. 1. §. verbis 7. D. de obl. & act. l. continuus 137. §. 1. D. de verb. obl.* Ex his patet ſolutio ad cauſam dubitandi: quia licet mutuum re contrahitur, tamen ex conſenſu & conventione vim capit, & regulatur, ut & omnes caeteri contractus. Non obſtant *d. l. rogaſti 11. D. h. t. & d. l. ſi tibi 17. D. de pact.* quia loquuntur de obligatione augenda; nos autem agimus de obligatione ſuſpendenda in eventum conditionis. Verum quidem eſt, non naſci obligationem ex mutuo ultra quantitatem datam, ut *iis ll.* dicitur. Sed bene pendet obligatio mutui ex eventu conditionis, quod *hac l.* docet Ulpianus, ita ut non prius obligetur accipiens, quam extiterit conditio, *l. potior 11. ſecundo reſponſo. D. qui pot. in pign.* Pendet ergo hoc caſu mutuum, ut ex poſtfacto confirmetur, idque Pomponius docet exemplis, *l. prox. ſeq.* quorum Alterum eſt de conditione expreſſa; veluti ſi navis ex Aſia venerit, ſi Titius Conſul factus fuerit. Alterum de conditione tacita, ut *ſi legatam pecuniam haeres crediderit*, inquit, intellige, certam; veluti centum aureos, quos habet in arca, ut ſit legatum ſpeciei, non quantitatis, *l. ſed ſi certos 51. D. de leg. 1.* Hoc caſu, deliberante legatario an velit repudiare vel conſequi legatum, pendet contractus mutui. Nam ſi legatarius voluerit legatum ad ſe pertinere, mutuum nullum eſt; quia pecunia aliena fuit, quam haeres numeravit, nempe legatarii a tempore aditae haereditatis, *l. legatum 80. D. de leg. 2. l. a Titio 64. D. de furt.* Si vero legatarius repudiavit legatum, confirmatur mutuum datum ab haerede; quia retro intelligitur pecunia ejus fuiſſe, *l. quaedam 15. D. de reb. dub. l. ſervum filii 44. §. 1. l. ſi tibi 86. §. cum ſervus 2. D. de leg. 1.* & hoc illud nimirum eſt, quod Pomponius refert ex Juliano *verſ. Nam Julianus.* traditiones ab haerede factas (ſubaudi rerum legatarum) retrotrahi & redigi ad tempus aditae haereditatis, *cum repudiatum ſit legatum aut adpoſitum*; quia haeres eo caſu cenſetur retro dominus fuiſſe ex tempore, quo adita eſt haereditas. Sunt qui pro ad-

dum non eſt, niſi pariter concedamus fas illi eſſe, jus apertiſſime conſtitutum non interpretatione modo deflectere, ſed propria etiam authoritate penitus abrogare. Et vero tam multis in locis ita perſpicue traditum eſt, poſt perfectam venditionem periculum fortuiti caſus, ante moram contingentis, ad emptorem pertinere, & venditorem nihilominus pretium petere poſſe, *l. ſi in emptione* 34. §. *ſi emptio* 6. & *l. quod ſaepe* 35. §. *ſi res* 4. *D. de contr. empt. l. neceſſario* 8. *D. de peric. & comm. rei vend. l. Lucius* 11. *D. de evict.* §. *cum autem* 3. *Inſt. de empt. & vend.* ut mirum ſit, Cujacium exiſtimare venditorem non ſolum non habere actionem ex vendito ad pretium conſequendum hoc caſu, ſed teneri praeterea actione ex empto, ut pretium, quod accepit, reſtituat. Nam quod ad *d.* §. *cum autem* 3. (cujus manifeſto ſenſu ſe ſenſit conſtrictum) reſpondet, Juris regulas in Inſtitutionibus proponi, quae omnes ſunt ex ſummo jure, & rudimenta: in Digeſtis vero incrementa Juris, & diligentius exactas res ad aequitatem: id certe admodum puerile eſt & leve, & haud dignum Cujacio reſponſum, quaſi vero non conveniant Digeſta cum Inſtitutionibus, & ſicubi non conveniunt, id nobis Juſtinianus non aliquo indicio ſignificaverit. Sed demus ita eſſe, in Digeſtis omnia ad aequitatem diligenter exacta: ipſa certe Digeſta cum Inſtitutionibus in hoc conveniunt, ut ex legibus indeallatis patet. Deinde vero quid ad jus Codicis reſpondebit? quid, inquam, ad Diocletian. & Maximian. reſcriptum, *l. ult. C. de pericul. & comm. rei venditae?* illudne etiam a jure Digeſtorum & rebus ad aequitatem exactis abhorrere dicet? verba *ejus l.* haec ſunt: *Mortis caſus ancillae diſtractae, etiam ante traditionem ſine mora venditoris dilatam, non ad venditorem, ſed ad emptorem pertinet: & hac non ex praeterito vitio rebus humanis exempta, ſolutionem pretii emptor non recte recuſat.* Hujus legis aut non meminit tunc Cujacius; aut certe advertit, eam usque adeo ſententiae ſuae eſſe contrariam, ut quod ei reſpondeat nec ipſe, nec alius quisquam potuerit invenire. Non adverſatur autem huic Diocletiani & Maximiani reſcripto, atque adeo communi Juris regulae *dicta l. ſi fundus* 33. *D. locat.* nec Cujacius movere debuit, ut ab apertiſſimis legum deciſionibus, & recepta ubique ſententia recederet. Speciem namque diverſam, non contrariam continet: ibi enim de re publicata reſponſum eſt; hic de re perempta & extincta loquimur. Publicatio difficultatem tantum; interitus ſive peremptio impoſſibilitatem praeſtandi affert. Res publicata ad eum ſtatum revocari poteſt, ut tradi poſſit: perempta vero minime. Rem igitur publicatam aut redimat venditor & tradat emptori, aut reddat pretium: quod idem de re extincta & perempta dici non poteſt; cum nemo ad impoſſibile obligetur, *l. impoſſibilium* 185. *D. de reg. jur.* Contrarium eſt in locatione & conductione: quia locator tenetur facere, ut conductor frui poſſit re conducta; quae res tractum temporis habet: tamdiu enim frui debet, quamdiu durat conductio. Quocunque igitur modo impeditus fuerit conductor, quo minus frui poſſit, locator ei repraeſentatam mercedem reſtituere tenetur: eſt enim hoc aequiſſimum. Nec ei ſimile, quod de emptore Cujacius: hic enim ideo nihil pretii conſequitur a venditore, quia res, quae perempta eſt, ejus periculo erat, venditore prorſus obligatione liberato. Sed de hac re ſatis! eſt enim hic naevus quidam in illo pulchro corpore Operum Cujacii, viri caeteroquin Juris peritiſſimi, & qui paucos imo vix ullos ſua aetate pares habuit. Apparent & alii acutius intuentibus: nec mirum! haud ullus eſt multarum rerum ſcriptor, quem non ſua aliquando fefellerit opinio. Teſtes advoco antiquos Juriſconſultos, ex quorum ſcriptis Pandectae juris ſunt concinnati: eorum alii alios ſaepe reprehendunt; nec ullus fere ubique feliciter reſpondet. Sed ad rem! *dicta l. ult. C.* dat actionem venditori ad pretium conſequendum, ſicut & *d. l. ſi in emptione* 34. §. *ſi emptio* 6 cum reliquis ibi citatis; ergo multo magis pretii ſoluti retentionem, ex vulgati juris regula, *l. invitus* 156. § 1. *D. de reg. jur. cap. Qui ad agendum* 71. *eod. in* 6. Nonne igitur ſatius eſt ita interpretari *l. fundus* 33. ut cum clara & aperta caeterarum legum deciſione conveniat, quam ita explicare, ut ejus ſententia caeterae leges explodantur? At *aequum eſt*, inquit, *ut qui rem non eſt nactus emptor pretium non ſolvat.* Negatur id quidem, quinimo aequius eſt, ut qui ex re ſalva commodum percepiſſet, is ejus fortuito amiſſae damnum ferat, *l. ſecundum naturam* 10. *D. de reg. jur.* Et vero ſi aequius eſſet, emptorem hoc caſu pretium non ſolvere, Imperatores (quibus mos erat aequitatem ſummo juri praeferre, *l.* 5. *C. ſi aliena res pign. data ſit. l. placuit* 8. *C. de jud. l. Aemilius* 38. *D. de minor. l. ult. D. quod cum eo qui in alien.*) non reſcripſiſſent utique de ea ipſa re conſulti, *emptorem non recte recuſare ſolutionem pretii*, *d. l. ult. C. de per. & com. rei vend.*

Supereſt nunc diſpiciamus de eo, quod dixi initio: *legem hanc* non pertinere ad obligationem quantitatis, generis, vel disjunctivam. Eſtne id perpetuo verum? Traduntur certe exceptiones quaedam. Una eſt, ſi quantitas debetur reſpectu ſive occaſione certae ſpeciei, ita ut illa ſpecies ſolvi poſſit invito creditori: tunc enim perempta ſpecie ante moram, liberatur debitor etiam ab obligatione quantitatis, *l. quidam* 96. §. *ſi tibi* 2. *l. filiusfamilias* 114. §. *ult. D. de leg.* 1. Nec obſtat *l. vir uxori* 8. *D. de dote prael.* quia ibi teſtator, poſt extinctas res dotales, manſit in eadem voluntate; alias vero non fuiſſet haeres obligatus peremptis rebus dotalibus, *l.* 1. §. *adeo* 5. *illo tit.* Alia exceptio eſt in ſpecie & caſu *l. Titius* 24. *D. de praeſcr. verb.* Alia in *l. qui decem* 72. *D. de ſolut.* cum ſcilicet creditor oblatam ſibi a debitore quantitatem accipere recuſat ſine juſta cauſa: ea enim ipſa quantitate ſine dolo & culpa debitoris amiſſa contingit liberatio. Et eſt quidem caſus hic obiter notandus, quo liberatur debitor, etiam exiſtente quantitate oblata; nimirum quando reſpublica debet frumentum, & illud creditor oblatum noluit accipere, ſed poſtea petit, ubi annona coepit eſſe carior: nam neque frumentum, quod prius recuſavit, neque ejus pretium conſequitur, *l. nulli* 7. *C. de erog. mil. ann. lib.* 12. Eſt & alius caſus *l. ult. C. de cond. inſert. tam in legat.* ſi haeres recuſaverit accipere pecuniam a ſervo, quam explendae conditionis cauſa pro libertate offert. Alia exceptio, quando ſpecies certa ex certo & determinato genere debetur; veluti ſi quis promittat unum ex ſervis ſuis: nam, mortuo uno aut altero, non liberatur, ſed mortuis deinde omnibus, tunc liberatur. Idem obtinet in obligatione alternativa, ſive disjunctiva; veluti Stichum aut Pamphilum dare ſpondes: prioris enim mors ad debitorem (quia alter manet in obligatione) poſterioris ad creditorem pertinet, *d. l. ſi in emptione* 34. §. *ſi emptio* 6. *D. de contr. empt.*

LEX VI. PAULUS lib. 28. ad Edictum.

CErtum eſt, cujus ſpecies vel quantitas, quae in obligatione verſatur, aut nomine ſuo, aut ea demonſtratione, quae nominis vice fungitur, qualis quantaque ſit, oſtenditur. Nam & Pedius libro primo de ſtipulationibus nihil referre ait, proprio nomine res appelletur, an digito oſtendatur, an vocabulis quibusdam demonſtretur: quatenus mutua vice fungantur, quae tantundem praeſtent.

Tractatur *hoc tit.* de condictione ſi certum petatur, & de ea inſcribitur poſterior pars Rubricae ſupra: non ſine cauſa ergo docetur hic quid certum, ne in principiis erremus. Eſt autem certum, ut Paulus definit, *cujus ſpecies vel quantitas qualis quantaque ſit oſtenditur, ſive id proprio nomine fiat, ſive demonſtratione aliqua, quae nominis vice fungitur.* Species opponitur quan-

quantitati, ut ſaepius jam dictum eſt. Sunt qui putant verbum *qualis* ad ſpeciem, & verbum *quanta* ad quantitatem hic referri: verum nihil obſtat, quominus *qualis* ad quantitatem etiam referri poſſit. Qualitatis enim demonſtratio facit certum aliquando, quod alias eſſet incertum, etiam cum quantitas verſatur in obligatione, *l. ſtipulationum 74. cum l. ſeq. D. de verb. obl.* Ait *certum fieri proprio nomine vel ea demonſtratione, quae nominis vice fungitur.* Hujus loci intellectus juvatur cognitione eorum, quae de individuis tractantur a Dialecticis. Aliud enim conſtituunt proprium, aliud ex demonſtratione, aliud ex hypotheſi, aliud vagum. Individuum proprium eſt, quod certo nomine deſignatur, ut Petrus, fundus Cornelianus; & nomina quidem propria mutari ſine vitio poſſunt, *l. un. C. de mut. nominis*, & ideo error in nomine proprio non vitiat legatum, vel contractum, vel haeredis inſtitutionem; ut oſtendi ad *l. 4. D. de leg. 1.* Individuum, ſive certum demonſtratione fieri poteſt duobus modis, Uno per digitalem demonſtrationem, ut, hic homo, *hac l. & l. nominatim 34. D. de cond. & dem. l. nemo dubitat 58. D. de haered. inſtit.* Altero per relationem ad aliquid certum, *l. ait Praetor 5. §. ſi judex 1.* & *l. in ſententiis 59. D. de re jud. l. pen. C. de ſent. quae ſine cert. quant.* Vel per deſignationem alicujus certae notae, qua res, quam volumus demonſtrare, diſcernitur ab aliis; & hoc eſt quod *hac l.* dicitur, *vel vocabulis &c.* veluti, ille latro filius meus exhaeres eſto, *l. 2.* & *l. 3. D. de lib. & poſth.* & facit quidem haec demonſtratio individuum ex hypotheſi. Individuum autem vagum vix noſtra agnoſcit Jurisprudentia, *l. ſi quis de pluribus 27. D. de reb. dub. l. cum ex pluribus 31. D. de manum. teſtam.* Haec cum ita ſint, ſequitur, certum ſemper eſſe quod petitur ex mutuo; quia tale petitur, quale datum eſt, & tale reddi debet, *l. 3. D. hoc tit.* At conſtat jam quale & quantum fuit datum. Ergo relatione ad id facta certum eſt, quod petitur. Illud autem ſeparatim hic notandum eſt, quod licet quantum ad deſignationem rei nihil interſit, utrum proprio nomine, an ea demonſtratione, quae nominis vice fungitur, ſit demonſtrata; tamen multum intereſt aliquando, cum agitur de onere vel commodo perſonae, utrum ſuo proprio nomine oſtendatur, an vero aliis vocabulis deſignetur, veluti ſi teſtator juſſerit haeredes dare. Nam ſi omnes, ſuis ſingulos nominibus, juſſerit dare, tenentur pro virilibus partibus: ſi vero juſſerit eos ſub nomine haeredum, tenentur tantummodo pro portionibus haereditariis, *l. ſi haeredes 124. D. de leg. 1. l. nonnunquam 24. D. ad SCtum Trebel.* Quae etiam diſtinctio obſervatur, cum ſervus communis ſtipulatur dominis ſuis, *l. communis ſervus 37. D. de ſtip. ſerv.* Per expreſſionem ergo perſonarum, fit diviſio pro numero perſonarum; per expreſſionem vero juris perſonae, fit diviſio pro eo jure, quod quisque habet in re. Sed hanc diſtinctionem tamen videtur confundere *l. ſive a certis 17. D. de duob. reis*: niſi dicamus cum gloſſa, illic haeredes nominatos fuiſſe nominibus appellativis; quae ſolutio etiam Bartolo probatur.

LEX VII. Ulpianus lib. 26. ad Edictum.

Omnia, quae inſeri ſtipulationibus poſſunt, eadem poſſunt etiam numerationi pecuniae, & ideo & conditiones.

LEX VIII. Pomponius lib. 6. ex Plautio.

Proinde mutui datio interdum pendet, ut ex poſtfacto confirmetur: veluti ſi dem tibi mutuos nummos, ut ſi conditio aliqua extiterit, tui fiant, ſisque mihi obligatus. Item ſi legatam pecuniam haeres crediderit, deinde legatarius eam noluit ad ſe pertinere: quia haeredis ex die aditae haereditatis videtur nummi fuiſſe, ut credita pecunia peti poſſit. Nam Julianus ait & traditiones, ab haerede factas, ad id tempus redigi, quo haereditas adita fuerit, cum repudiatum ſit legatum aut adpoſitum.

Quaeſtio eſt, an mutuum contrahi poſſit ſub conditione, ita ut tunc demum is, qui accepit, obligetur, cum conditio aliqua extiterit. Dubitandi cauſam forte praebuit, quod conditiones ex conſenſu & conventione contrahentium procedunt & valent. Mutuum vero non conſenſu, ſed re, contrahi dicitur, *Inſtit. quib. mod. re contr. obl.* & ejus ſubſtantia numeratione expleri, *l. contra 6. D. de SCto Maced.* ex quo ita colligi videbatur, ubi praeſens numeratio eſt ex cauſa mutui, ibi praeſens eſt mutuum: & ubi nulla eſt numeratio, ibi nullum mutuum. Ergo mutuum non recipit conditionem. Fovet hanc dubitationem *l. rogaſti 11. § ſi tibi 1. D. hoc tit.* & *l. ſi tibi 17. D. de pact.* Si dedi tibi decem, ea lege, ut undecim mihi debeas, non contrahitur obligatio, niſi in decem: quia re contrahi obligatio non poteſt, niſi quatenus datum eſt. Ex quo ſequitur mutuum non ex voluntate & conſenſu contrahentium, ſed ex rei mutuatitiae interventu naſci & conſiſtere, & per conſequens non admittere conditionem. Contrarium tamen reſpondet *hac leg.* Ulpianus, & Pomponius, *l. prox. ſeq.* Ait igitur Ulpianus contractum mutui admittere omnes adjectiones, quas admittit ſtipulatio. *Omnia*, inquit, *quae inſeri ſtipulationibus poſſunt, eadem poſſunt etiam numerationi pecuniae.* Stipulationibus autem inſeri poſſunt, dies, modus, locus, conditio, *§ omnis 2. & §. loca 5. Inſtit. de verb. obl.* Ratio decidendi eſt, quia licet mutuum re contrahitur, tamen habet in ſe conſenſum, ſine quo nullum eſt mutuum, *l. ſi ego 18. l. non omnis 19. D. hoc tit. l. 1. §. 3. D. de pact.* Nam ſi mutuum ideo non admitteret conditionem, quia non dicitur conſenſu contrahi, ſed re, ſequeretur ſtipulationem non admittere conditionem, quia non dicitur conſenſu contrahi, ſed verbis, *l. 1. §. verbis 7. D. de obl. & act. l. continuus 137. §. 1. D. de verb. obl.* Ex his patet ſolutio ad cauſam dubitandi: quia licet mutuum re contrahitur, tamen ex conſenſu & conventione vim capit, & regulatur, ut & omnes caeteri contractus. Non obſtant *d. l. rogaſti 11. D. h. t.* & *d. l. ſi tibi 7. D. de pact.* quia loquuntur de obligatione augenda; nos autem agimus de obligatione ſuſpendenda in eventum conditionis. Verum quidem eſt, non naſci obligationem ex mutuo ultra quantitatem datam, ut *d. ll.* dicitur. Sed bene pendet obligatio mutui ex eventu conditionis, quod *hac l.* docet Ulpianus, ita ut non prius obligetur accipiens, quam extiterit conditio, *l. potior 11. ſecundo reſponſo. D. qui pot. in pign.* Pendet ergo hoc caſu mutuum, ut ex poſtfacto confirmetur, utique Pomponius docet exemplis, *l. prox. ſeq.* quorum Alterum eſt de conditione expreſſa; veluti ſi navis ex Aſia venerit, ſi Titius Conſul factus fuerit. Alterum de conditione tacita, ut *ſi legatam pecuniam haeres crediderit*, inquit, intellige, certam; veluti centum aureos, quos habet in arca, ut ſit legatum ſpeciei, non quantitatis, *l. ſed ſi certos 51. D. de leg. 1.* Hoc caſu, deliberante legatario an velit repudiare vel conſequi legatum, pendet contractus mutui. Nam ſi legatarius voluerit legatum ad ſe pertinere, mutuum nullum eſt; quia pecunia aliena fuit, quam haeres numeravit, nempe legatarii a tempore aditae haereditatis, *l. legatum 80. D. de leg. 2. l. a Titio 64. D. de furt.* Si vero legatarius repudiavit legatum, confirmatur mutuum datum ab haerede; quia retro intelligitur pecunia ejus fuiſſe, *l. quaedam 15. D. de reb. dub. l. ſervum filii 44. §. 1. l. ſi tibi 86. §. cum ſervus 2. D. de leg. 1.* & hoc illud nimirum eſt, quod Pomponius refert ex Juliano *verſ. Nam Julianus.* traditiones ab haerede factas (ſubaudi rerum legatarum) retrotrahi & redigi ad tempus aditae haereditatis, *cum repudiatum ſit legatum aut adpoſitum*; quia haeres eo caſu cenſetur retro dominus fuiſſe ex tempore, quo adita eſt haereditas. Sunt qui pro ad-

adpoſitum emendare velint *adquiſitum*, alii *adquoſitum*, alii *agnitum*. Sed nihil opus mutatione eſt, cum habeat lectio vulgaris ſenſum egregium & elegantem. quod docemur eandem vim eſſe repudiationis legati, & repudiationis oneris ejus, quod eſt appoſitum legato: veluti ſi teſtator dederit legatarium tutorem, & legatarius tutelae onus recuſaverit, amittet legatum, *l. Neſennius* 32. *§. ult. cum l. ſeq. D. de excuſ. tut. l. qui tutelam* 28. *D. de teſtam. tut. l. etiam* 111. *D. de leg.* 1. Sive igitur recuſat legatum, ſive adpoſitum legato, nihil intereſt. Et ita hunc locum interpretati ſunt Salic. Lud. Rom. Jaſon, & alii; quorum mihi probabilis videtur & non contemnenda ſententia: nec mutanda lectio, niſi ubi urget neceſſitas.

LEX IX. ULPIANUS lib. 26. ad Edictum.

Certi condictio competit ex omni cauſa, ex omni obligatione, ex qua certum petitur: ſive ex certo contractu petatur, ſive ex incerto. Licet enim nobis ex omni contractu certum condicere, dummodo praeſens ſit obligatio. Caeterum ſi in diem ſit vel ſub conditione obligatio, ante diem vel conditionem non potero agere.

Oſtendimus ſupra in explicatione rubricae, tractari ſub hoc titulo de certi condictione, ſed potiſſimum de ea, quae datur ex cauſa mutui. Docet itaque Ulpianus *hoc capite*, quanta ſit amplitudo & generalitas certi condictionis. *Competit*, inquit, *ex omni cauſa, & ex omni obligatione, ex qua certum petitur*. Ubi primum convellenda eſt eorum opinio, qui aſſerunt, duplicem eſſe certi condictionem: Unam generalem, de qua *hac l.* Alteram ſpecialem, quae datur ex mutuo. Nam cum nuſquam ſpecialis certi condictionis mentio fiat, & Ulpianus *hac l.* generaliter definiat, certi condictionem competere ex omni cauſa & obligatione, ex qua certum petitur, conſequens profecto eſt, certi condictionem, de qua hic loquitur, dari ex obligatione mutui; alioqui falſum eſſet quod dicit, dari ex omni cauſa & ex omni obligatione. At hic loquitur de certi condictione generali; ergo illa datur ex cauſa mutui. Quod ſi quis hanc cauſam excipere velit, neceſſe habet & oſtendere, Ulpianum hic errare, & locum alibi in libris noſtris annotare, ubi illa diſerte excipiatur. Eſt igitur re vera una tantum certi condictio, quae datur ex omni cauſa & ex omni obligatione, ex qua certum petitur, quaecunque illa fuerit. Alioqui ſi dixerimus, ſpecialem eſſe condictionem, quae datur ex cauſa mutui: cur non ſimiliter dicemus, tot eſſe ſpeciales condictiones, quot ſunt cauſae petendi certum? Nam ſi quis reſpondeat, ideo condictionem ſpecialem eſſe, quae datur ex mutuo; quia actio, quae inde oritur, nullum aliud nomen habet, §. 1. *Inſtit. quib. mod. re contr. obl.* replicari poteſt, quod actio ſimiliter, quae competit ex ſtipulatione certa, nullum aliud nomen habet, niſi certi condictionem, *l. ſi quis certum* 24. §. 1. *hoc tit. princ. Inſtit. de verb. obl.* Et tamen nemo unquam dixit, actionem, quae ex ſtipulatione certa oritur, eſſe certi condictionem ſpecialem: & ſi eſſet quidem, eſſent duae ſpeciales condictiones, quod iſti non concedunt, & ſi duae, cur non totidem ſpeciales, quot ſunt cauſae petendi certum? Nec obſtat illud eorum argumentum, qui contra ſentiunt; nempe cum ex omni contractu nominato prodita ſit aliqua actio ſpecialis, abſurdum eſſe exiſtimare, hunc contractum ita neglectum eſſe a veteribus juris prudentibus, ut nullam ex eo ſpecialem actionem darent: cum ſit praeſertim adeo frequens, nobilis, & antiquus, §. *ſi nummos* 8. *hac l.* Nam, ut recte Fulgoſius, ideo non eſt prodita alia actio ex mutuo, quam certi condictio generalis; quia ſemper certum eſt quod petitur ex illa cauſa, propter relationem ad id, quod fuit datum; ut oſtendi *ad l. certum* 6. *D. h. t.* At ex aliis contractibus ideo certae & propriae actiones dantur, quia non ſemper ex illis petitur certum; quod etiam docui ad *rubr.* ſupra. Non obſtat etiam *l.* 1. *D. de cond. trit.* quia illic verba, *Si certum petetur*, non ſignificant certam ſpeciem actionis ex mutuo, ſed oſtendunt ex quo capite edicti agendum ſit, nempe ex illo, quod incipit, *Si certum petetur*. Sub illa enim parte Edicti Praetor promittit, ſe certi condictionem daturum. Caetera nunc videamus. Ait Ulpianus *certi condictionem competere ex omni cauſa, ex omni obligatione*. Conjunxit itaque haec duo, cauſam & obligationem, & recte quidem: nam neque cauſa ſine obligatione, neque obligatio ſine cauſa, efficacem condictionem parere poteſt. Cauſa eſt ſpecies omnis facti vel negotii, quae cadere poteſt in obligationem: ſecundum factorum autem & negotiorum differentias, aliae & aliae conſtituuntur obligationes, quae in quatuor genera dividuntur, *Inſtit. de oblig.* Scio cauſam obligationis alia ſignificatione accipi, *l. obligationum* 44. *D. de obl. & act.* Ex contractibus igitur, & quaſi contractibus omnibus, competit certi condictio ſi certum petitur, *l. ſi quis* 5. *§. pen. D. eod. l. in duobus* 28. *§. exceptio* 4. *D. de jurejur.* Item ex maleficiis *d. l.* 5. *§. ult. D. de obl. & act.* §. 1. *huc. l.* cui conſequens eſt, ut multo magis competat ex quaſi maleficio. Ait praeterea Ulpianus, *ſive ex certo contractu petatur, ſive ex incerto*, quorum verborum non idem omnibus ſenſus videtur. Quidam per certum contractum ſignificari putant hoc loco contractum nominatum; per incertum vero contractum innominatum, ex quo etiam datur certi condictio, *l. naturalis* 5. *§. ut cum do* 2. *& l. ſi tibi decem* 7. *D. de praeſcr. verb.* Alii, quorum probabilis Sententia eſt, incertum contractum intelligunt proprie, ut dicatur contractus incertus ea ratione, qua dicitur obligatio incerta, aut incerta ſtipulatio, *l. ubi autem* 75. *D. de verb. obl. princ. Inſtit. eod.* Nam ex ejuſmodi obligatione datur certi condictio, ſi modo certum petitur. Veluti, exempli gratia, cum quis ſtipulatur fructus naſcituros, incerta ſtipulatio eſt, *d. l. ubi autem* 75. *§. illud* 4. ſed quia poſtquam naſcuntur certi ſunt, ideo ex ea ſtipulatione certum peti poteſt: cui conſequens eſt, certi condictionem competere ex illa ſtipulatione incerta. Nec obſtat *l.* 4. *D. de uſur.* ubi dicitur fructus, in ſpecie illic propoſita, nos conſequi poſſe incerti actione. Nam reſpondetur, ideo dici fructus obtineri incerti actione in ſpecie, *d. l.* 4. quia creditor ſtipulatus erat vacuam poſſeſſionem tradi, ex qua ſtipulatione agitur in id, quod intereſt vacuam poſſeſſionem fuiſſe traditam, & in eo, quod intereſt computantur fructus. Ergo non per ſe illic petebantur fructus, aut certum quid fructuum nomine, ſed tantum id, quod intereſt: id autem, quod intereſt, petitur ſemper incerti actione, *l. ult. D. ſi quis in jus voc. non ierit.*

Ut igitur ſciamus, certi condictionem competere vel non competere, ſpectanda eſt formula petitionis: quod docet Ulp. illis verbis *ex qua certum petitur*. & ideo ſi quis ex certo contractu incertum petit, veluti quod ſua intereſt, hanc actionem non habet, *d. l. ult. D. ſi quis in jus voc.* ſi vero certam ſummam petit, huic condictioni locus eſt, licet poſtea condemnatio ſequatur in id, quod intereſt, ut ex lege Aquilia. *l. ait lex* 21. *in fin. l. Stichum* 45. *D. ad L. Aquil.*

Quaeret fortaſſe quiſpiam: quorſum haec certi condictio datur de iis rebus, de quibus aliae certae & nominatae actiones proditae ſunt? reſponderi poteſt, id factum a Praetore, tum propter commodum creditorum, ut ipſi ejuſdem rei nomine plures habeant actiones (veluti is, cui certum aliquid debetur ex cauſa tutelae, depoſiti, negotiorum geſtorum, vel alia quavis, ſive ex contractu, ſive ex maleficio, poterit vel actionem propriam ex ipſo contractu, aut maleficio intendere, vel hanc generalem certi condictionem; ſed ita tamen ut altera alteram conſumat, *d. l. in duobus* 28. *§. exceptio* 4. *D. de jurejur.*) tum etiam in favorem & gratiam debitorum; quia haec

Digitized by Google

haec actio, quae vocatur certi condictio, mitior eſt aliquando, quam eſt propria actio, quae oritur & nomen habet ex obligatione, ex qua agitur. Nam condemnatus actione tutelae, mandati, depoſiti, furti, efficitur infamis, *l.* 1. *D. de his qui not. infam.* at condictio nunquam infamat, licet ex famoſa cauſa procedat, *l. ceſſat* 36. *D. de obl. & act.*

§. Quoniam 3. & §. Numerari 4.

QUoniam igitur ex omnibus contractibus haec certi condictio competit, ſive re fuerit contractus factus, ſive verbis, ſive conjunctim, referendae ſunt nobis quaedam ſpecies, quae dignum habent tractatum, an haec actio ad petitionem eorum ſufficiat. §. 4. *Numeravi tibi decem, & haec alii ſtipulatus ſum: nulla eſt ſtipulatio; an condicere decem per hanc actionem poſſim, quaſi duobus contractibus intervenientibus: uno, qui re factus eſt, id eſt, numeratione: alio, qui verbis, id eſt, inutiliter, quoniam alii ſtipulari non potui, & puto poſſe.*

Ex generali definitione certi condictionis, propoſita in *principio hujus l.* conſtat, eam competere, quoties certum petitur, ex quacunque obligatione. Inde Ulpianus occaſionem captat tractandi de quibusdam ſpeciebus, in quibus dubitari potuit, an haec condictio locum haberet: imo an ulla omnino actio ex illo negotio naſceretur. Prima ſpecies eſt: *Numeravi tibi decem, & haec alii ſtipulatus ſum*, id eſt, ſtipulatus ſum te alii ea redditurum; quaeritur an ulla ex hac numeratione actio naſcitur? Dubitandi cauſa eſt, quia quoties pecuniam mutuo damus & ſtipulamur eam reddi, non ſunt duo contractus, unus ex numeratione, alter ex ſtipulatione: ſed unus tantum, qui verbis & ſtipulatione conficitur, *l. ſi ita fuero* 6. *in fin.* & *l. ſeq. D. de novat. l. ſi ita* 126. §. *Chryſogonus* 2. *D. de verb. obl.* At in propoſita ſpecie nulla poteſt dari actio ex ſtipulatione; quia eſt inutilis: alteri enim ſtipulari nemo poteſt, §. *ſi quis alii* 4. & §. *alteri* 19. *Inſtit. de inutil. ſtipul. l. ſtipulatio iſta* 38. §. *alteri* 17. *D. de verb. obl.* nec etiam videtur poſſe dari actio ex numeratione, quia id actum eſt, ut ſola ſtipulatio teneret, *l. cum enim* 7. *D. de novat.* Nec obſtat quod ego putavi, me utiliter ſtipulatum eſſe: nam hoc ipſo, quod ſum ſtipulatus, videor noluiſſe agi ex numeratione; argumento *l. quod meo* 18. §. *ſi furioſo* 1. *D. de acq. poſſeſſ.* Contrarium tamen hic reſpondetur, dari ſcilicet mihi condictionem ex numeratione. Aequitas decidendi eſt; quia utilis numeratio non debet vitiari per adjectionem inutilis ſtipulationis: argumento *l.* 1. §. *ſed ſi mihi* 5. *D. de verb. obl.* ubi notatur vulgare dictum, *utile per inutile non vitiatur.* Ad cauſas autem dubitandi reſpondendum eſt, quod dicitur unum eſſe contractum ſtipulationis; quoties ante vel poſt mutui dationem interponitur ſtipulatio, intelligi debet, ſi ſtipulatio illa utilis eſt ad actionem: alioqui manet contractus mutui ex numeratione. Qui ergo, pecunia mutuo data, ſtipulatur illam reddi, eo animo eſt, ne ex numeratione naſcatur obligatio, ſed ſub conditione tamen, dummodo ſcilicet naſcatur obligatio ex ſtipulatione. Hanc autem conditionem tacitam ineſſe facile apparet, eo quod creditor ex illa ſtipulatione vult ſibi pecuniam reddi; unde conſequens eſt, ut omni caſu velit ſibi reddi: at ex ſtipulatione non poteſt, quia eſt inutilis: ergo ex numeratione ſaltem reddi oportet. Adverſus deciſionem tamen Ulpiani objicitur *d. l. ſi ita* 126. §. *Chryſogonus* 2. ubi in ſimili ſpecie, adjecta ſcilicet poſt numerationem inutili ſtipulatione, datur actio ex numeratione non ei, qui numeravit, ſed ei, cui numerans ſtipulatus eſt. At hic Ulpianus ſcribit, mihi competere condictionem, non ei, cui ſtipulatus ſum. Reſpondendum eſt, quod in *d.* §. *Chryſogonus* 2. ideo datur actio ei, cui ſtipulatus eſt is, qui numeravit; quia mutuum dedit non ſuo nomine, ſed ejus nomine, cui ſtipulatus fuit. §. *ſi nummos* 8. *hac l.* At in ſpecie *hujus legis* dedi nummos meo proprio nomine, & ideo non poteſt actio acquiri alteri ex numeratione. Nec obſtat, quod hoc non dicitur hic, quia ex eo, quod non exprimitur, quo nomine facta fuit numeratio, intelligitur proprio nomine facta, *l. & magis* 4. *D. de ſolut.*

§. Idem erit 5.

IDem erit, ſi a pupillo fuero ſine tutoris authoritate ſtipulatus, cui tutore auctore credidi: nam & tunc manebit mihi condictio ex numeratione.

Altera ſpecies eſt in *hoc* §. Numeravi pupillo decem tutore authore, & eadem a pupillo ſtipulatus ſum ſine tutoris authoritate; ſtipulatio quidem inutilis eſt, §. 1. *Inſtit. de auth. tut.* & §. *pupillus* 9. *Inſtit. de inutil. ſtip. l. obligari* 9. *D. de auth. & conſenſu tut.* Manet tamen actio ex numeratione, nec vitiatur utile mutuum per inutilem ſtipulationem. Non obſtat *l.* 1. §. 1. *D. de novat.* ubi dicitur, *pupillum novare poſſe, ſi ſine tutoris authoritate promiſerit*: quod ſi novatio hic interceſſit, ſublata eſt prior obligatio qualiscunque fuit. Nam reſpondendum eſt, nullam in hac ſpecie novationem eſſe; quia novatio etiam jure veteri, quo tempore Ulpianus haec ſcripſit, non intelligebatur fieri, niſi interveniret nova perſona, aut aliquid novi in poſteriore ſtipulatione, §. *praeterea* 3. *Inſtit. quibus mod. toll. oblig.* Hic eaedem perſonae ſunt, & res eadem.

§. Item Quaeri 6.

ITem quaeri poteſt, & ſi quod tibi numeravi, ſub impoſſibili conditione ſtipuler, cum enim nulla ſit ſtipulatio, manebit condictio.

Tertia hic ſpecies: Numeravi tibi decem, & ea ſtipulatus ſum ſub impoſſibili conditione; ſtipulatio quidem inutilis eſt: nam impoſſibilis conditio vitiat omnem contractum, cui adjicitur, §. *ſi impoſſibilis* 11. *Inſtit. de inutil. ſtipul. l. non ſolum* 31. *D. de obl. & act.* Et in eo differunt contractus ab ultimis voluntatibus, in quibus conditio impoſſibilis nihil operatur, *l.* 3. *D. de condit. & demonſtr. l.* 1. *D. de condit. inſtit.* Nec ulla hic novatio eſt, quia per adjectionem conditionis ita demum fit novatio, ſi conditio extiterit, *d.* §. *praeterea* 3. *verſ. Quod autem. Inſt. quib. mod. toll. obl.* At certum eſt, impoſſibilem conditionem nunquam extituram; manet ergo pura obligatio ex numeratione, nec utile per inutile vitiatur.

§. Sed etſi. 7.

SEd & ſi ei numeravero, cui poſtea bonis interdictum eſt, mox ab eo ſtipuler; puto eum pupillo comparandum, quoniam & ſtipulando ſibi adquirit.

Quarta ſpecies eſt de prodigo, quem Ulpianus pupillo comparat in ſpecie hic propoſita: utputa; numeravi ei decem, antequam declaratus eſſet prodigus, poſtea, cum interdictum eſt ei bonis, ſtipulor illa decem ab eo, inutilis eſt ſtipulatio, *l. is cui* 6. *D. de verb. obl.* ſed manet actio ex mutuo, eſtque in eo ſimilis pupillo, cui alibi etiam comparatur, *l. Fulcinius* 7. §. *adeo* 9. *D. quib. ex cau. in poſſ. eatur.*

§. Si nummos. 8.

SI nummos meos tuo nomine dedero veluti tuos abſente te & ignorante, Ariſto ſcribit adquiri tibi condictionem. Julianus quoque, de hoc interrogatus, libro decimo ſcribit veram eſſe Ariſtonis ſententiam; nec dubitari quin ſi meam pecuniam tuo nomine voluntate tua dedero, tibi adquiritur obligatio: cum cottidie creditori pecuniam mutuam, ab alio poſcimus, ut noſtro nomine creditor numeret futuro debitori noſtro.

Quinta ſpecies eſt in *hoc* §. Mutuavi pecuniam meam

meam tuo nomine veluti tuam, te abſente & ignorante; quaeritur, an certi condictio ex hac numeratione naſcitur: Dubitandi cauſa multiplex eſt; nam primum non videtur poſſe dari mihi certi condictio, quia id non actum eſt inter nos, ut debitor mihi obligetur; argumento *l. non omnis* 19. *D. h. t.* neque etiam videtur tibi dari poſſe, variis de cauſis: obſtat enim primum regula Juris, qua traditur, *per liberam perſonam quae alterius juri non eſt ſubjecta, nihil poſſe acquiri alteri praeter poſſeſſionem*, *l. 1. C. per quas perſon. nob. acquir. l. quaecunque gerimus* 11. *D. de obl. & act.* Deinde quia tu dominus nummorum non eras, nec ullum adhibuiſti conſenſum, ſine quo contractus perfici non poteſt, *l. 1. D. de pact.* proponitur enim, me dediſſe pecuniam te abſente & ignorante. Contrarium tamen hic reſpondetur, nempe acquiri tibi condictionem, cujus nomine dedi: cui ſimile eſt, quod reſcripſerunt Impp. *l. ſi per ignorantiam* 6. *C. de condict. indeb.* Quod intelligendum tamen eſt, ſi modo tu admonitus ratum habueris quod a me geſtum eſt: nam tunc ratihabitio retrotrahitur, ut confirmet omnia, quae ante geſta ſunt, perinde ac ſi voluntas praeceſſiſſet, *l. ult. C. ad SCtum Maced. l. licet.* 56. *D. de judic.* Ideo autem tibi acquiritur eo caſu condictio, quia perinde eſt ac ſi ego juſſu tuo & tuo nomine dediſſem pecuniam; quia ratihabitio mandato & juſſui comparatur, *l. 1. §. ſi ratum* 6. *D. Quod juſſu. d. l. ult. C. ad SCtum Maced.* quod autem ego mandatu & juſſu tuo feci, id perinde habendum eſt ac ſi tu ipſe feciſſes, per regulam, *qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur*, *l. 1. §. 1. D. de eo per quem factum eſt quo min. quis in jud. ſiſt. l. ſi quis id quod* 7. *in fin. D. de juriſd. l. 5. §. geſſiſſe* 1. *D. de adm. tut. l. 1. §. dejeciſſe* 12. *D. de vi & de vi armat. l. 3. in princ. D. quod vi aut clam. cap. qui per alium* 72. *de reg. jur. in* 6. Unde ad cauſas dubitandi facilis reſponſio eſt, nempe non obſtare regulam *l. 1. C. per quas perſonas*: quia in ſpecie noſtra acquiritur tibi actio per te ipſum, non per me, propter regulam jam traditam. Ego ſiquidem dando meos nummos tanquam tuos, hoc ipſo profeſſus ſum & conſtitui me eos poſſidere tuo nomine, ac proinde acquirebatur ſtatim tibi volenti poſſeſſio, & per poſſeſſionem dominium, *l. traditio* 20. *§. ult.* & *l. ea quae* 53. *D. de acq. rer. dom.* unde tu intelligeris fuiſſe dominus nummorum. Denique cenſetur interveniſſe conſenſus propter ratihabitionem, ut dictum eſt. Quid ergo ſi tu non habueris ratum? certe tunc non acquiritur tibi condictio, *l. invito* 69. *D. de reg. jur.* ſed mihi eo caſu dabitur, vel utilis condictio ex numeratione, *l. ſi abſentis* 4. *C. eod.* vel condictio cauſa dat. arg. *l. ſi extraneus* 6. *D. de condict. cau. dat.* & *l. 1. C. de condict. ob cau. dat.* nam in propoſita ſpecie ego dedi pecuniam, ut tibi quaeratur obligatio, tu noluiſti eam tibi acquiri, aequum eſt ad me pecuniam reverti. Et quia hoc caſu acquiritur obligatio ei, cujus nomine pecunia data eſt, Juſtinianus, ſingulari ratione motus, ſtatuit ut pignoris etiam obligatio ex hac cauſa quaeratur eidem, *l. 2. C. per quas perſ. nob. acq.* licet regulariter contra *l. ſolutum* 14. *§. ult. D. de pign. act.* & hoc eſt aliud ſingulare, quod notari poteſt ad *l. ſingularia* 15. *D. h. t.*

§. ult.

D*Epoſui apud te decem; poſtea permiſi tibi uti: Nerva, Proculus, etiam antequam moveantur, condicere quaſi mutua tibi haec poſſe, ajunt; & eſt verum, ut & Marcello videtur: animo enim coepiſti poſſidere: ergo tranſit periculum ad eum, qui mutuam rogavit; & poterit ei condici.*

Quaeſtio eſt: depoſui apud te pecuniam, & poſtea roganti tibi conceſſi, ut ea utaris; an mutuum ſtatim contrahitur? Dubitandi cauſa eſt, quia hic nudus tantum videtur eſſe conſenſus nudaque pactio, ex qua mutuum non poteſt oriri: debet enim in mutuo res, quae mea eſt, tua fieri, *l. 2. §. appellata* 2. *D. hoc tit.* At hic pecunia, de qua agitur, non fit tua: duo enim impediunt; Unum, quia tradita tibi non eſt, ſed tantum depoſita cauſa apud te collocata: at in acquiſitione dominii opus eſt traditione, *l. traditionibus* 20. *C. de pact. §. per traditionem* 40. *Inſtit. de rer. diviſ.* Deinde, quia dominium, jure gentium, non niſi ex poſſeſſione naturali acquiritur, *l. 2. D. de acq. poſſ.* at tu non poſſediſti hanc pecuniam; quia hic proponitur te tantum animo coepiſſe poſſidere: at ſolo animo acquiri poſſeſſio non poteſt, *l. 3. §. 1.* & *l. quemadmodum* 8. *D. de acq. poſſ. l. licet* 4. *C. de acq. & ret. poſſ.* Ex quibus effici videtur, hanc pecuniam non fieri mutuam, ſed manere depoſitam. Contrarium tamen hic reſpondetur; nempe mutuum hoc caſu recte contractum eſſe. Ratio decidendi eſt, quia hoc pactum non eſt nudum, ſed habet adjunctam ſecum traditionem. Ex eo enim, quod volui pecuniam eſſe tuam, habetur pro tradita, cum tu jam eam apud te habeas, *l. ſi rem* 62. *D. de evict. §. interdum* 44. *Inſtit. de rer. diviſ.* Unde patet reſponſio ad cauſam dubitandi propter traditionem, ac proinde ad eam, quae ducitur ex *d. §. appellata* 2. Ad alteram autem dubitandi cauſam reſpondendum eſt, verum quidem eſſe poſſeſſionem non acquiri, niſi animo & corpore; ſed hoc nihil huic Ulpiani reſponſo adverſatur. Nam tu coepiſti eodem momento poſſidere corpore & animo: animo quidem, quia eo animo fuiſti, ut velles tibi habere pecuniam illam meam, quae apud te depoſita erat (hoc enim eſt animo poſſidere) corpore vero, quia eam ipſam pecuniam jam tenebas corporaliter, licet ex cauſa depoſiti: unde mutata cauſa tenendi coepiſti tenere corporaliter ex cauſa mutui, atque ita poſſidere: nam poſſidere eſt rem corporaliter tenere cum animo habendi ſibi, ut ad *tit. de acq. poſſ.* oſtendimus. Nec obſtat quod hic tantum dicitur, te coepiſſe animo poſſidere, nec quicquam de corporali poſſeſſione traditur; quia id hoc loco ponitur, quod erat praecipuum, & in quo maxima vis deciſionis conſiſtebat. Sed quorſum haec diſputatio? Reſpondetur; quia magni refert, utrum maneat depoſitum, an vero in mutuum convertatur. Priore enim caſu praeſtabis mihi dolum tantum, *l. 1. §. ult. D. depoſ. §. praeterea* 3. *Inſtit. quibus mod. re contrah. obl.* Poſteriore caſu, omne periculum, & omnis fortuitus caſus ad te pertinet, *l. Incendium* 11. *C. ſi cert. pet.*

LEX X. IDEM lib. 2. ad Edictum.

Q*Uod ſi ab initio, cum deponerem, uti tibi, ſi voles, permiſero, creditum non eſſe, antequam mota ſit: quoniam debitum iri non eſt certum.*

Depoſui apud te pecuniam, & cum deponerem, permiſi tibi uti ea ſi voles; an mutuum hoc pacto contrahitur? Dubitandi cauſa eſt ſuperioris quaeſtionis deciſio. Reſpondetur tamen hic, mutuum non contrahi hoc caſu, antequam loco moveas pecuniam: id eſt, non fit mutua pecunia, antequam tu ea utaris. Id enim intelligit Ulpianus, cum dicit, antequam mota ſit: quia nempe non poſſumus pecunia uti, niſi eam loco moveamus. Alioqui ſi ex una arca in aliam tranſtuleris, diligentioris cuſtodiae cauſa, diceretur mutuum contractum, quod perabſurdum eſt, non ſunt enim captanda verba Juriſconſultorum, *l. penult. D. ad exhib.* Decidendi autem atque adeo diverſitatis ratio haec eſt; quia in hac ſpecie permitto tibi uti ſub conditione ſi voles; expectandus eſt ergo eventus conditionis, ex qua mutuum pendet, *l. proinde* 8. *D. h. t.* Neque dicendum eſt, obligationem hanc collatam eſſe in arbitrium debitoris; quo modo nulla contrahi poteſt, *l. ſub hac* 8. *D. de obl. & act.* Nam licet conferatur quidem uſus rei in alterius arbitrium hoc caſu, non tamen confertur obligatio, quae naſcitur ex uſu: quaſi dicas, permiſi tibi uti ſi voles, non autem permiſi tibi obligari propter illum uſum,

ſi

ſi voles. At in ſuperiore quaeſtione ideo ſtatim fit mutuum, quia tu jam declaraſti voluntatem tuam, rogando mutuum, ut illic proponitur, hic vero non rogaſti, & ideo neſciebatur, an tu velles mutuum habere; & ideo obligatio eſt in ſuſpenſo, quamdiu non uteris depoſito. Ait Ulpianus, *permiſero*, quia qui re depoſita invito domino utitur, furtum committit, §. *furtum 6. Inſtit. de oblig. quae ex delicto.*

LEX XI. Idem lib. 26. ad Edictum.

R*Ogaſti me ut, tibi pecuniam crederem: ego cum non haberem, lancem tibi dedi, vel maſſam auri, ut eam venderes, & nummis uterens. Si vendideris, puto mutuam pecuniam factam. Quod ſi lancem vel maſſam ſine tua culpa perdideris, priuſquam venderes, utrum mihi an tibi perierit, quaeſtionis eſt. Mihi videtur Nervae diſtinctio veriſſima, exiſtimantis multum intereſſe, venalem habui hanc lancem vel maſſam, necne: at ſi venalem habui, mihi perierit, quemadmodum ſi alii dediſſem vendendam: quod ſi non fui propoſito hoc ut venderem, ſed haec cauſa fuit vendendi, ut tu utereris, tibi eam periſſe, & maxime, ſi ſine uſuris credidi.*

Quaeſtio eſt, ſi quis, cupiens mutuam dare pecuniam, dederit roganti lancem vel maſſam argenti, vel aliam rem vendendam, ut pretio ex ea redacto utatur, an mutuum contrahatur. Dubitandi cauſa tanta eſt, ut Africanus ab Ulpiano in hujus quaeſtionis deciſione diſſentiat. Nam Ulpianus *hac lege* ſcribit, ſe putare pecuniam mutuam factam: quod intelligendum eſt, ſi is, cui res vendenda data eſt, pecuniam ex venditione accepit. Nam ſi rem non vendidit, aut vendidit quidem, ſed pretium non accepit, non naſcitur mutuum, ſed contractus innominatus, ex quo datur actio praeſcriptis verbis; ut idem Ulpianus ex Labeonis ſententia fatetur, *l. rogaſti* 19. *D. de praeſcr. verb.* Africanus vero in *l. qui negotia* 34. *D. mandati.* dicit, *Eum, qui cum mutuam pecuniam dare vellet, argentum vendendum dediſſet, nihilominus pecuniam creditam recte petiturum.* Sunt, qui exiſtimant hos Juriſconſultos ex profeſſo diſſenſiſſe in hac ſpecie; unde Fulgoſius, Cujacius, & alii, putant, hanc eſſe antinomiam intractabilem, quemadmodum & illam, quae de pecunia ex cauſa mandati debita inter eundem Ulpianum & Africanum controvertitur: de qua videbimus in *l. ſingularia* 15. *D. h. t.* Et vero Ulpianus hic dubitanter & verecunde reſpondit per verbum *puto*. Africanus vero audentius, quaſi id explorati juris eſſet: Africano ſuffragatur natura mutui, quae eſt, ut ex meo tuum fiat, §. *appellata* 2. *l.* 2. ſupra; at in propoſita ſpecie non fit de meo tuum: nam pecunia, ex maſſa vel lance redacta, nunquam fuit mea; & ſi fuiſſet mea, tamen neque ego illam tibi tradidi, neque alius meo nomine, &, quod caput eſt, non accepiſti eam ab emptore ut mutuam, ſed ut pretium. Quibus omnibus concurrentibus perſpicuum eſt impediri mutuum. Atque haec quidem cauſa dubitandi adverſus Ulpianum in *hac lege* eſſe poteſt. At Ulpiani ſententiam ſuſtinet benigna quaedam fictio brevis manus; quaſi tu illam pecuniam, ex pretio redactam, ad me detuliſſes, & ego acceptam tibi numeraſſem: ut eſt in *d. l. ſingularia* 15. *D. h. t.* & *l. licet* 43. §. 1. *D. de jure dot.* Idque valde conſentaneum eſt aequitati: quid enim intereſt, tunc pecuniam ad me deferas, & eam rurſus a me accipias, an vero voluntate mea eam retineas? fruſtra enim fit per plura, quod aeque per pauciora fieri poteſt: unde idem Ulpianus refert, *Celeritate conjungendarum inter ſe actionum unam actionem occultari, l.* 3. §. *ſed ſi debitorem* 12. *D. de donat. inter vir & uxor.* Sunt tamen, qui nituntur Ulpiani & Africani reſponſa conciliari, aſſerentes diverſas eſſe ſpecies, quae ab Ulpiano & Africano referuntur. Nam Ulpianus perſcribit, conveniſſe, ut accipiens rem vendendam, utatur pretio: ait enim, *ut eam venderes & nummis uterers.* At apud Africanum non adjicitur, ut accipiens rem vendendam nummis uteretur; & ideo ſine hac conventione merito dicendum eſt, mutuum non contrahi. Sed haec quam recta ratio conciliandi ſit, videant alii! mihi certe non videtur veriſimile hanc ſolam fuiſſe cauſam diſſidii, & ſi fuiſſet, eam aut Africanus aut Ulpianus expreſſiſſet: ſed ea de re dicemus ad *d. l. ſingularia* 15. Quod autem ſequitur *hac l.* de periculo rei, ſine culpa accipientis perditae, antequam venderetur, expoſitum eſt ad *l.* 4. *ſupra.*

§. Si Tibi. 1.

S*I tibi dedero decem ſic, ut novem debeas, Proculus ait, & recte, non amplius te ipſo jure debere, quam novem; Sed ſi dedero, ut undecim debeas, putat Proculus amplius, quam decem condici non poſſe.*

Duplex hic quaeſtio proponitur. Prior; numeravi tibi decem ea lege, ut novem mihi reddas; quaeritur an novem tantum debeas, ita ut ea tantum petere poſſim, an vero tota decem. Dubitandi cauſa eſt ex natura mutui, quae vult, ut res ejuſdem generis & bonitatis reddantur, *l.* 3. *D. h. t.* nam hic contractus re & numeratione perficitur, *l. contra* 6. *D. ad SCtum Maced.* unde cum decem mutua acceperis, videtur quod non poſſis non debere decem. Contrarium tamen hic reſpondetur, nempe, te non amplius ipſo jure debere, quam novem; hoc eſt, obligationem non eſſe natam in amplius, quam novem, (id eſt enim ipſo jure non debere) ad differentiam ejus, qui pacto liberatur: is enim ipſo jure debet, ſed pacti exceptionem opponendo liberatur. Cauſa autem decidendi in hac quaeſtione eſt, *quia pacta incontinenti facta ſtipulationi & caeteris contractibus ineſſe creduntur, l. lecta* 40. *D. h. t.* id eſt, perinde continentur ſtipulatione ac ſi inter ſtipulandum id fuiſſet expreſſum, ita ut non opus ſit opponere exceptionem, quia ipſo jure formant & reformant contractum; unde dicuntur dare legem contractui, ſi in ingreſſu contractus facta ſunt, *l. juris gentium* 7. §. *quinimo* 5. *D. de pact.* Praeterea quodcunque pactum appoſitum in traditione rei noſtrae valet, *l. in traditionibus* 48. *D. de pact.* Nec obſtat, quod in mutuo id obſervatur, ut res ejuſdem bonitatis reddantur; nam hoc verum eſt, niſi ipſe mutuans eam neceſſitatem debitori remiſerit: eſt enim arbiter rei ſuae, & praeterea paciſci poteſt, ut minus vel deterius accipiat, videturque quod amplius eſt donare, *l. donari* 82. *D. de reg. jur.* hinc aliud pro alio volenti creditori ſolvi poteſt, ut docui ad *l.* 2 §. 1. *D. h. t.* denique licet hic contractus re & numeratione perfici dicatur; tamen non ſola re perficitur, ſed opus eſt etiam conſenſu, *l. non omnis* 19. *D. h. t.* & *l.* 1. §. 3. *D. de pact.*

Altera quaeſtio eſt; dedi tibi decem, ut undecim mihi debeas, id eſt, pactus ſum, ut reddas mihi undecim: quaeritur; utrum teneris mihi tantum in decem, quae numeravi tibi, an in undecim, quae pactus ſum mihi reddi? Ambigui cauſa eſt ex deciſione ſuperioris quaeſtionis. Sed reſpondet tamen Ulpianus hoc loco, te non teneri mihi in amplius, quam decem. Idem reſpondet Paulus, *l. ſi tibi* 17. *D. de pact.* & addit rationem, quam hic omiſit Ulpianus; nempe *quia re non poteſt contrahi obligatio, niſi quatenus datum eſt.* Ad cauſas autem dubitandi, ortas ex deciſione ſuperioris quaeſtionis, reſpondetur, quod dicitur pacta incontinenti facta ineſſe ſtipulationi; id de pacto detrahente, non autem de pacto adjiciente intelligendum eſt, id eſt, de eo pacto, quod ineſt ex parte rei, non autem ex parte actoris, ut pluribus dicetur ad *d. l. lecta* 40. Quod vero objici poteſt ex *d. l. in traditionibus* 48. id ita diluendum eſt: fateor pactum in traditione rei noſtrae factum valere, niſi tale ſit, quod vel jure aliquo improbatur, vel contra bonos mores eſt, contraque natu-

Digitized by Google

naturam rei, de qua agitur. At pactum hoc, ut undecim reddantur, eſt contra naturam mutui, quia nummus nummum non gignit. Deinde juris auxilio deſtituitur, ſeu potius jure improbatur: vult enim jus uſuras non deberi in ſtricti juris contractibus ex pacto, ſed tantum per ſtipulationem, *l. 3. C. de uſur.* nam procul dubio quod ultra decem, quae credita ſunt exigitur, id uſura eſt; quocunque colore & ſpecie talis acceſſio veletur. Atqui uſura expreſſe pacto conſtituta non deberetur, *d. l. 3. C. de uſur.* neque igitur valere debet clam & circuitione quadam petita Nam *quod una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti, cap. cum quid* 84. *de reg. jur. in* 6. Quae cum ita ſint, neſcio, quo pacto conſiſtere poſſint cautiones iſtae foeneratorum apud nos.

§. Ultimus.

SI fugitivus ſervus nummos tibi crediderit, an condicere tibi dominus poſſit, quaeritur: & quidem ſi ſervus meus, cui conceſſa eſt peculii adminiſtratio, crediderit tibi, erit mutua. Fugitivus autem vel alius ſervus contra voluntatem domini credendo, non facit accipientis. quid ergo? vindicari nummi poſſunt, ſi extant: aut ſi dolo malo deſinant poſſideri, ad exhibendum agi: quod ſi ſine dolo malo conſumpſiſti, condici tibi poterunt.

Cum *hoc* §. conjungendum eſt *principium legis, Nam & ſi.* 13. *D. h. t.*

LEX XIII. ULPIANUS lib. 26. ad Edictum.

NAm & ſi fur nummos tibi credendi animo dedit, accipientis non facit, ſed conſumptis illis naſcitur condictio. §. 1. *Unde Papinianus libro octavo quaeſtionum ait, ſi alienos nummos tibi mutuos dedi, non ante mihi teneris, quam eos conſumpſeris: quod ſi per partes conſumpſeris, an per partes tibi condicam, quaerit, & ait condicturum, ſi admonitus alienos nummos fuiſſe; ideo per partem condico, quia nondum tuos conſumptos comperoram.*

Sedes *hujus legis* magis propria eſt ad finem *ſuperioris* §. quam poſt *l. ſi a furioſo* 12. *D. h. t.* ut apparet tum ex inſcriptione horum locorum, quae ſunt ex eodem Ulpiani libro, tum ex ſerie & contextu orationis, & ratione reddita in *d. l. nam & ſi* 13. reddit enim Ulpianus rationem ejus, quod ipſe dixit, non quod Pomponius ſcripſit. Quaeſtio autem generaliter proponi poteſt, an ſi quis pecuniam alienam ſuo nomine mutuandi animo dederit, mutuum contrahitur. Dubitandi cauſa eſt ex ſimilium comparatione: nam qui ſuam pecuniam alieno nomine dat, facit eam mutuam, *l. certi* 9. §. *ſi nummos* 8. *D. h. t.* Ergo qui alienam dat ſuo nomine veluti ſuam, videtur eam facere mutuam. Reſpondetur tamen ſub diſtinctione, nempe ſi is, qui alienam pecuniam ſuo nomine dat, domini voluntate id facit, pecunia ſtatim fit mutua, & ideo ſi liber eſt, acquirit ſibi condictionem, ſi ſervus domino: transfertur enim dominium in accipientem, perinde ac ſi ipſe dominus tradidiſſet, *l. qua ratione* 9. §. *hae quoque res* 3. *D. de acq. rer. dom.* Semper autem intelligitur ſervus ex voluntate domini tradere, quando habet liberam peculii adminiſtrationem, *l.* 1. §. *acquirimus* 5. *D. de acq. poſſ.* Si vero is, qui dat alienam pecuniam, eam contra voluntatem domini dat, non fit pecunia ſtatim mutua; idque evidente ratione conſtat, propterea quod eo caſu non transfertur dominium in accipientem, quia dans non erat dominus, *l. nemo plus juris* 54. *D. de reg. jur.* Ex hac diſtinctione infertur primum id, de quo *hoc* §. quaeritur, quod ſcilicet ſervus fugitivus dando pecuniam non facit eam mutuam: quia facit furtum ſui ipſius, *l.* 1. *C. de ſerv. fugit.* & ſtatim atque incipit eſſe fugitivus, amittit liberam adminiſtrationem peculii, ac proinde non intelligitur domini voluntate id facere, *l. libera* 48. *D. de pecul.* Deinde infertur, quod dicitur in *iſta lege, Nam & ſi fur* 13. furem nempe dando nummos credendi animo, non facere eos mutuos, quia non facit accipientis. Unde conſequens eſt utroque caſu, ut quamdiu nummi extant vindicari poſſint a domino: vel etiam, ſi conſumpti ſunt aut deſinant poſſideri dolo: nam par ratio eſt ejus, qui poſſidet, & qui dolo deſiit poſſidere, *l. parem* 150. *D. de reg. jur. l. qui petitorio* 36. *D. de rei vindic. l. ſed etſi* 25. §. *perinde* 8. *D. de petit. haered.* Ab eo autem, qui dedit, vindicari nullo modo poſſunt; quia in rei vindicatione oportet actorem probare, ſe eſſe dominum, *tit. Inſtit. de act. l. actionum* 25. *D. de obl. & act.* Utroque etiam caſu, ſive extent ſcilicet, ſive dolo deſinant poſſideri, ad exhibendum agi poteſt, *l.* 3. §. *ult.* & *l. Julianus* 9. *D. ad exhib.* Itaque verba Ulpiani *hoc* §. non ita intelligenda ſunt, quaſi uno caſu tantum daretur vindicatio (nempe ſi extant) & altero caſu actio ad exhibendum; nempe ſi dolo deſinant poſſideri: nam utroque caſu & vindicatio, & ad exhibendum actio competunt, ut ex *legibus ſupra citatis* patet. Quid ergo ſi neque extant, neque dolo malo conſumpti ſunt nummi, ſed bona fide? Reſpondet Ulpianus *hoc* §. & *hac l.* 13. naſci tunc condictionem: ex quo conſtat conſumptionem nummorum bona fide, inducere mutuum, quod ab initio non conſiſtebat; & hoc eſt, quod vocant Interpretes mutuum reconciliatum. Non obſtat regula Juris, *Quod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere, l. quod initio* 29. *D. de reg. jur.* Reſpondetur enim, regulam illam non habere locum in hac ſpecie, quia mutuum hoc ab initio non fuit vitioſum, ſed nullum: tunc enim primum coepit eſſe mutuum, cum pecunia conſumpta eſt: itaque cauſa ſuperveniens fecit mutuum, ſive conciliavit mutuum. Poteſt & aliter reſponderi; nempe quod, quemadmodum regula illa non pertinet ad legata conditionalia, *l.* 1. *D. de reg. Caton.* ita neque ad contractus conditionales; at mutuum, de quo nos loquimur, tacitam in ſe habet conditionem, quae eſt de natura mutui; nempe ſi nummi ad accipientem pervenerint, id eſt, ejus facti fuerint; hoc eſt enim pervenire, ut patet ex *l. non omnis* 19. §. *ſi pupillus* 1. *D. h. t.* pervenerunt autem per conſumptionem, quia eo modo convertit eos in ſuos uſus. Caeterum haec condictio non domino nummorum datur, ſed ei qui numeravit *l. non omnis* 19. *in fin. D. hoc. tit.* quia neque dominus, neque alius ejus nomine contraxit cum accipiente; neque poteſt debitor hoc caſu opponere exceptionem dominii ſuri condicenti, ut colligitur ex *hac l. Nam & ſi* 13. ubi gl. & Doctores id tradunt. Quaerit autem gloſſa, quid, ſi accipiens non vult conſumere, quo modo conſuletur ei, qui alienam pecuniam dedit? cui quaeſtioni melius, quam per gloſſam, reſpondendum eſt, condici poſſe nummos, tanquam ob cauſam datos, cauſa non ſequuta: ſunt enim dati ut mutui fierent, quae cauſa non eſt ſequuta; & erit condictio ad hoc utilis, ut poſſeſſio eorum nummorum reddatur; arg. *l. indebiti* 15. §. 1. *D. de condict. indeb.*

LEX XII. POMPONIUS lib. 6. ex Plautio.

SI a furioſo, cum eum compotem mentis eſſe putares, pecuniam quaſi mutuam acceperis, eaque in rem tuam verſa fuerit, condictionem furioſo adquiri Julianus ait: nam ex quibus cauſis ignorantibus nobis actiones adquiruntur, ex hiſdem etiam furioſo adquiri. Item ſi is, qui ſervo crediderat, furere coeperit, deinde ſervus in rem domini id verterit, condici furioſi nomine poſſe. Et ſi alienam pecuniam credendi cauſa quis dederit, deinde furere coeperit, & conſumpta ſit ea pecunia, condictionem furioſo adquiri.

Tria exempla conciliati mutui per conſumptionem *hoc capite* proponuntur, non alia ratione, ut apparet, quam ut confirmetur ſententia §. *ult. l. Rogaſti* 11. ubi dicitur, quod ſi ſervus meus fugitivus crediderit tibi pecuniam, & tu eam ſine dolo malo, con-

Digitized by Google

conſumpſiſti, condici tibi poterit, a domino ſervi ſcilicet: nam quod mox dictum a nobis eſt, condictionem nummotum propter conſumptionem non dari domino, ſed ei, qui numeravit, *l. nam & ſi*, 13. § *unde Papinianus* 1. & *hac l. in fin.* & *l. non omnis* 19. *in ſi. D. h. t.* locum habet quando libera perſona dat pecuniam alienam, ſecus ſi ſervus, quia quicquid ſervus acquirit, domino acquirit, *Inſtit. per quas perſon. nob. obl. acq. l. placet* 79. *D. de acq. haered.* Sed ad *hanc legem* redeamus! Tres in ea ſpecies proponuntur, in quibus datur furioſo condictio propter conſumptionem. Prima eſt: accepi decem a furioſo, quem putavi eſſe ſanae mentis, & ea bona fide conſumpſi; quaeritur an naſcitur condictio furioſo. Dubitandi cauſa eſt, quia hic nullum ab initio mutuum conſtitit, nec ullus omnino contractus, quia furioſus nullum habet conſenſum, nullam voluntatem, *l. in negotiis* 5. *l. furioſi* 40. *D. de reg. jur.* Itaque ſemper *abſentis & quieſcentis loco habetur l.* 2. §. *penult. D. de jure cod* licet ubi neque requiritur expreſſus conſenſus, neque tacitus, ſed ſufficit tantum non contradicere aliquem, aut non habere juſtam cauſam contradicendi, furioſus habeatur pro conſentiente, *l.* 2 § *ult. D. de ſolut. matrim.* Alias vero neque tacitus, neque expreſſus conſenſus eſt in furioſo, *l. qui ad certum* 14. *D. locati.* quamvis gloſſa videatur innuere, tacitum conſenſum eſſe in furioſo. Sed male, & contra *d. l. qui ad certum* 14. quam ipſa allegat. Si itaque nullus conſenſus eſt in furioſo, & nullus contractus ſine conſenſu, *l.* 1. §. 3. *D. de pact.* ſequitur, nullum hic fuiſſe contractum. Reſpondet tamen Pomponius, *conſumptis nummis condictionem acquiri furioſo, ut Julianus ait.* Conſumptio igitur conciliat mutuum & parit condictionem, quam veteres Juriſconſulti vocarunt condictionem de bene depenſis, id eſt, de bona fide conſumptis; unde Graeci vocant condictionem *ἀπὸ καλῆς δαπανήματος*, ut notat Cujacius, *ad Africanum*, *l. pen. hoc tit.* Certe haec condictio ex aequo & bono eſt, ne alioqui accipiens lucro verſetur cum alterius damno, *l. Caſſius* 17. *D. de ſolut. l. ſi & me & Titium* 32. *D. h. t.*

Altera ſpecies eſt: Quidam dedit ſervo meo pecuniam, & poſtea furere coepit, antequam ſervus eam pecuniam conſumpſit. Servus deinde illam pecuniam convertit in rem meam. Hic mutuum quidem fuit ab initio; ſed ego tamen non obligabar ex illo mutuo, niſi poſt conſumptionem, id eſt, converſionem in rem meam. Alias enim, ſi ſervus eam pecuniam non convertiſſet in rem meam, tenebar tantum ſervi nomine de peculio, §. *praeterea* 4. *Inſtit. quod cum eo qui in alien. pot. &c.*

Tertia ſpecies eſt: Si is qui alienam pecuniam dedit, poſtea furere coepit, & pecunia ab accipiente bona fide coosumpta eſt, adquiritur condictio furioſo propter conſumptionem. Harum omnium deciſionum in perſona furioſi una ratio eſt; nempe, quia ejuſmodi condictiones etiam ignorantibus acquiri poſſunt, & *ex quibus cauſis ignorantibus &c.* ut hic dicitur, & *l. ſi a furioſo* 24. *D. de obl. & act.* quae regula intelligenda eſt tam active, quam paſſive, *l. furioſus* 46. *D. de obl. & act.*

LEX. XIII.

PRincipium *hujus legis* & §. 1. explicatum eſt cum §. *ult. l.* 11. *D. h. t.* excepto eo, quod dicit ibi Ulpianus ex Papiniani ſententia, cum, qui alienos nummos mutuos dedit, poſſe illos per partes condicere, ſi admonitus ſit alienos nummos fuiſſe: ut quaeque igitur pars pecuniae conſumpta fuerit, eam condicet; quia per conſumptionem incipit is, qui accepit, teneri ex mutuo; ut pluribus ſupra declaratum eſt: nec ante poteſt totam condicere quam tota fuerit conſumpta. Sic cur dicit, *ſi admonitus alienos nummos fuiſſe?* quia quamdiu putavit pecuniam fuiſſe ſuam, potuit totam condicere, tanquam ſtatim ex oumeratione factam mutuam. De eo igitur, qui bona fide alienos oummos mutuavit, hic locus intelligendus eſt.

§. Si ſervus communis 2.

S*I ſervus communis decem crediderit, puto, ſive adminiſtratio ſervo conceſſa eſt, ſive non, & conſumantur nummi, quinum competere actionem: nam & ſi communes tibi nummos credidero centum, poſſe me quinquaginta condicere, libro octavo quaeſtionum Papinianus ſcribit: etiam ſi ſingula corpora communia fuerint.*

Servus quomodo condictionem acquirit domino ſatis dictum eſt in §. *ult. l. Rogaſti* 11. Hic autem proponitur quaeſtio de ſervo commuoi; cujus ſpecies eſt. Servus communis, meus & tuus, dedit decem mutua, eaque conſumpta ſunt. Hic certum eſt naſci dominis condictionem, ſive liberam habuit adminiſtrationem peculii, ſive non. Nam ſi habuit liberam adminiſtrationem, ſtatim pecunia mutua facta eſt. Si vero non habuit, conciliatum eſt mutuum per conſumptionem; ut ſuperioribus legibus dictum eſt. Quaeſtio ergo hic non eſt, an dominis acquiratur condictio, ſed quantum ſinguli condicere debeant. Dubitandi cauſa eſt, quia ſingulorum nummorum corpora communia erant pro indiviſo §. *quod ſi frumentum* 28. *Inſtit. de rer. diviſ. l. idem Pomponius* 5. *D. de rei vindic. l.* 1. §. 1. *D. pro ſocio*, ex quo videtur quilibet dominorum poſſe & debere condicere mediam partem ſiogulorum oummorum, quia uterque eſt dominus illorum decem pro media parte ſingulorum. Contrarium tamen reſpondetur, nempe *quinum competere actionem*, id eſt, quinorum nummotum; quaſi dicat, ſinguli dominorum quinque tantum condicere debent. Aequitas decidendi eſt, quia in nummis & aliis rebus, quae pondere, numero, menſura conſtant, & communi ſpecie continentur, commodior diviſio fit per numerum, pondus, aut menſuram, quam per ſectionem corporum, *l. cum Stichus & Pamphilus* 29. *D. de ſolut. l. in ſtipulationibus* 54. *D. de verb. obl. l. ſi poenae* 19. §. *ult. D. de condict. indeb.* Nam ſi aliter conſtituamus in nummis, & aliis rebus ſimilibus, erit prorſus ridicula & inutilis diviſio, imo non diviſio, ſed deſtructio; ut pulchre docent Imperatores, *l.* 2. *C. quando & quib. quarta pars debetur. lib.* 10. quandoquidem corrumpitur tunc forma nummi, in qua tota ipſius bonitas & ſubſtantia conſiſtit, *l.* 1. *D. de contrab. empt.* Ad cauſam dubitandi reſpondendum eſt, uniuſcujusque rei dimidium duobus modis intelligi, numero ſcilicet, ſive quantitate diſcreta; & quantitate continua, ſive proportione corporea, *d. l. cum Stichus & Pamphilus* 29. Ex hac autem ambiguitate duplicis ſignificationis exiſtunt interdum calumniae quaedam, malitioſa juris interpretatione, quemadmodum in illo foedere inter Romanos & Antiochum; ut eſt apud Valer. Maxim. *lib.* 7. *cap.* 3. ubi ſcribit: *Q. Fabium Labeonem pactum fuiſſe ex foedere cum Antiocho ut acciperet mediam partem navium, & ex eo pacto omnes naves medias ſecuiſſe, ut Antiochum tota claſſe privaret*: cum tamen alia longe fuerit mens ipſius Antiochi, atque etiam ratio communis iotellectus, ut anus quaedam docuit Jacob. Butrigarium, & ejus diſcipulos; qui cum redeundo a lectione *hujus* §. Bononiae emiſſent ab illa mediam partem ficuum, quas habebat in foro, ut vetulae illuderent, dicebant ſe velle omnes ficus medias ſecare: quibus illa, Vendidi vobis mediam partem omnium numero, noo ſingulorum corporum quantitate.

LEX XIV. ULPIANUS Lib. 29. ad Edictum.

S*I filius familias contra Senatuſconſultum mutuatus pecuniam ſolverit, patri nummos vindicanti nulla exceptio objicietur. Sed ſi fuerint conſumpti a creditore num-*

Digitized by Google

tiis, Marcellus ait, ceſſare condictionem: quoniam toties condictio datur, quotiens ex ea cauſa numerati ſunt, ex qua actio eſſe potuiſſet, ſi dominium ad accipientem tranſiiſſet; in propoſito autem non eſſet. Denique per errorem ſoluti contra Senatusconſultum crediti magis eſt ceſſare repetitionem.

Ad hujus reſponſi planiorem intellectum praecognoſcere oportet vetitum eſſe Senatusconſulto Macedoniano, ne mutua pecunia filiisfamilias detur; & ſi data fuerit, denegatur actio petitioque creditori, tam vivo, quam mortuo patre, ut ſciant foeneratores non poſſe morte patris fieri bonum nomen, id eſt, efficacem obligationem filii, quae ab initio inutilis fuit, *l. 1. D. de SCto Maced.* Quod ſi actionem denegat creditori, multo magis exceptionem tribuere debitori credendum eſt, *l. item ſi filiusfamilias 7. §. 4. & §. quamquam 10. l. tamen 11. & l. penult. D. de SCto Maced.* quod uſque adeo obtinet, ut ne quidem adverſus patrem detur actio de peculio, tametſi filius pecuniam acceptam habeat in peculio, aut in cauſam peculiarem convertit, *l. ſed ſi paterfamilias 9. §. hoc Senatusconſultum 2. D. & l. penult. C. ad Maced.*

Deinde praecognoſcendum eſt, quod ſi filiusfamilias bonam fidem agnoſcens, ſolverit creditori pecuniam, quam accepit mutuam, non repetet eam ut indebitam, ſive juris ſive facti errore ſolvit; exceptionem enim tantum habet ad retinendum, non etiam actionem ad repetendum: licet contrarium obſervetur in omnibus aliis exceptionibus perpetuis, *l. qui hominem 34. §. ult. D. de ſolut.* ut ſcilicet qui earum aliquam habet, ſi ſolvit, repetat. Haec enim una excipitur exceptio, quia non conceditur in favorem ejus, cui competit, ſed in odium ejus adverſus quem competit, *l. qui exceptionem 40. D. de condict. indeb. d. l. ſed ſi paterfamilias 9. § non ſolum 3. in fin. cum l. ſeq. D. de SCto Maced.*

Quae cum ita ſint, quaeſtio *hac lege* proponitur, ſi filiusfamilias mutuam pecuniam contra Senatusconſultum acceptam ſolverit, an patri ipſius detur extantium nummorum vindicatio, & conſumptorum condictio. De patre hic tantum quaeritur, non etiam de filio; qui ex iis, quae diximus, certum evadit, filio neque vindicationem, neque condictionem pecuniae ita ab eo ſolutae dandam eſſe. Nam ſi illa pecunia ipſius fuit (puta de caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi peculio) tranſtulit ſtatim dominium in accipientem per traditionem; quia ſolvendi animo tradidit, & ex juſta cauſa (naturalis ſcilicet obligationis, *l. quia naturalis 10. D. de SCto Maced.*) ac proinde vindicationem non habet, quia ea ſoli domino datur, *l. in rem 23. D. de rei vindic. l. actionum 25. D. de obl. & act.* Multo minus datur ei vindicatio, ſi pecuniam alienam dedit, non ſuam; veluti peculii profectitii aut adventitii; quia ejus pecuniae dominus non eſt, ut mox demonſtrabitur. Condictionem autem nullo modo ejus pecuniae habet filius, quia eam dedit, non ut alium ſibi obligaret, ſed ut ſe ab alio liberaret; *l. non omnis 19. D. h. t.* & idem actus non poteſt contrarios effectus producere reſpectu unius & ejuſdem; veluti liberationem ab obligatione, & dati repetitionem, ſive condictionem indebiti; *l. qui hominem 34. §. ult. D. de ſolut. l. cum is qui 32. §. fidejuſſor 1. D. de condict. indeb.* nec obſtat *l. in numerationibus 44. D. de ſolut.* quia ibi effectus non ſunt contrarii reſpectu unius & ejuſdem. Liberatur enim haeres ex teſtamento, ſive reſpectu teſtatoris, & obligat ſibi legatarium: ergo liberatio eſt reſpectu unius; obligatio reſpectu alterius. Et id, quod ſolvit filiusfamilias, naturaliter debuit, ideo non repetit, *l. naturaliter 13. D. de condict. indeb.* Merito igitur de patre tantum hic quaeritur. Cauſam autem dubitandi in propoſita quaeſtione praebet *§. ult. l. rogaſti 11. D. h. t.* ubi cum ſervus citra voluntatem domini pecuniam credit, dominus poteſt vindicare nummos, ſi extant, vel eos condicere, ſi bona fide conſumpti ſunt, ut etiam oſtendimus ad *l. ſi a furioſo 12. D. h. t.* Unde idem de patre videtur eſſe dicendum, qui jure veteri eandem poteſtatem in peculio filii habebat, quam dominus in peculio ſervi, excepto peculio caſtrenſi vel quaſi, *l. 1. §. poteſtatis 5. & l. curator 24. D. de pecul. l. pater 12. D. de caſtrenſ. pecul.* Et quamvis Juſtinianus in *l. cum oportet. 6. C. de bonis quae liber.* & in *§. 1. Inſtit. per quas perſ. cuique acq.* ſtatuerit, adventitia omnia acquiri filio, non patri, praeter uſumfructum; tamen hoc non obſtat, quo minus pater dominus ſit nummorum peculiarium, etiamſi aliunde acquiſiti ſint, quam ex re patris. Nam ex quo uſusfructus patris eſt, conſtat ipſam pecuniam ejus eſſe, quia earum rerum, quae uſu conſumuntur, uſusfructus conſtitui non poteſt, niſi domini efficiantur uſufructuarii, cautione praeſtita de re ejuſdem generis & bonitatis reddenda, *toto tit. D. de uſufr. ear. rer. quae uſu conſum.*

At Ulpianus tamen, ex Marcelli ſententia, patri hoc caſu dat tantum vindicationem nummorum, ſi extant; non etiam condictionem, ſi conſumpti ſunt. *Patri,* inquit, *nummos vindicanti nulla exceptio objicitur,* ne ea quidem, per quam creditor dicit filio conceſſam fuiſſe liberam adminiſtrationem peculii: nam ea conceſſione non comprehenditur alienatio, donationis cauſa facta, *l. 3. D. de Maced. l. filiusfamilias 7. D. de donat.* Atqui haec ſolutio a filio facta donatio eſt, *l. donari 82. D. de reg. jur.* Ratio autem decidendi (cur pater ſcilicet hoc caſu vindicare poteſt nummos extantes) perſpicua eſt, quia nummi, quamdiu extant, manent ipſius patris, *l. ſi alieni 78. D. de ſolut.* Rurſus denegatur patri condictio nummis conſumptis (ſubaudi, bona fide ex *l. rogaſti 11. §. ult. D. h. t.* nam mala fide conſumpti pro extantibus habentur; ut ibi oſtendimus, ejusque deciſionis ratio additur ab Ulpiano iis verbis, *quoniam toties condictio datur &c.* quaſi diceret, toties naſcitur condictio ex conſumptione, quoties naſci potuiſſet, ſi ex numeratione pecuniae dominium tranſiiſſet in accipientem. At in ſpecie propoſita, ſi filiusfamilias tranſtuliſſet dominium in accipientem (velut ſolvendo ex caſtrenſi peculio aut voluntate patris, aut pecuniam, ſibi datam ea lege, ut eam ſolveret) nulla nata fuiſſet condictio: quia non numeravit animo acquirendae obligationis, ſed acquirendae liberationis; ut *initio* diximus.

Ad cauſam vero dubitandi reſpondetur: In *d. l. rogaſti 11. §. ult.* numeratio facta ſuit obligationis cauſa; hic vero liberationis. Ibi, ſi nummi ſtatim facti fuiſſent accipientis, dominus habuiſſet condictionem; hic, ſi nummi ſtatim ad accipientem perveniſſent, patri nulla actio nata fuiſſet: ergo ne nunc quidem, quando per conſumptionem ad accipientem pervenerunt. Cum enim conſumptio ſit ficta quaedam tranſlatio dominii, non debet plus operari, quam vera dominii translatio. Non obſtat huic deciſioni, quod idem Ulpianus ex Juliani ſententia alibi ſcribit, *condictionem patri ex omni eventu competere,* ſi filiusfamilias ſolverit pecuniam, quam contra Senatusconſultum accepit: nam locus ille ſatis indicat, Ulpianum & Julianum ibi loqui de eo, qui mala fide pecuniam accepit, cum ſciret nimirum eam eſſe patris, atque ita alienam pecuniam contrectando contra voluntatem domini furtum commiſit. Id autem inde colligitur, quod dicant ex omni eventu condictionem competere, id eſt, ſive extet, ſive conſumpta ſit pecunia. At ſatis conſtat, pecuniam illam, quamdiu extabat, manſiſſe in dominio patris, & neminem poſſe rem ſuam condicere, niſi a fure, *l. ult. D. uſufruct. quemadmodum caveat. §. ſic itaque 14. Inſtit. de act.*

LEX XV. IDEM lib. 30. ad Edictum.

Singularia quaedam recepta ſunt circa pecuniam creditam: nam ſi tibi debitorem meum juſſero dare pecuniam,

Digitized by Google

obligaris mihi, quamvis meos nummos non acceperis. Quod igitur in duabus perſonis recipitur, hoc & in eadem perſona recipiendum eſt: ut cum ex cauſa mandati pecuniam mihi debeas, & convenerit, ut crediti nomine eam retineas, videatur mihi data pecunia, & a me ad te profecta.

Propoſitum Ulpiani eſt, *hoc capite* docere ſingularia quaedam eſſe recepta in mutuo, quae, ſi naturam reſpiciamus, & veram rationem mutui traditam *lege* 2. ſupra, nullo modo admitti poſſunt. Ex his quaedam in ſuperioribus occurrunt; ut in *l. certi* 9. §. *ſi nummos* 8. & in *l. rogaſti* 11. *D. h. t.* quaedam vero hic proponuntur; de quibus Ulpianus ex profeſſo diſſerit, quia majorem videntur habere dubitationem. Obiter autem notandum eſt, recte in Pandectis Florentinis legi *ſingularia recepta*, non, ut in aliis libris, *praecepta:* hic enim nullum praeceptum eſt, ſed receptum. Senſus autem eſt: quaedam in mutuo praeter rigorem & regulas juris recepta ſunt, ut explicant Graeci, id eſt, paulatim & quaſi per manus propter benignitatem admiſſa ſunt, jure quodam ſingulari, *l. jus ſingulare* 16. *D. de legibus.* Ideoque quod Ulpianus hic vocat *ſingulare receptum*, Africanus appellat *benigne receptum*, *l. qui negotia* 34. *D. mandati.*

Prior ſpecies ſingularis recepti, ſive benigne recepti, hic poſita, eſt hujusmodi: Rogaſti me mutuam pecuniam; ego juſſi debitorem meum tibi dare, ut tu mihi eam debeas tanquam creditam, id eſt, mutuam. Hic nullum eſt mutuum, ſi naturam mutui ſtricte & ex rigore juris conſideremus: nam tu nihil a me accepiſti; pecunia enim illa non fuit mea, ſed debitoris, *l. quintus* 27. §. *argento* 2. & *l. ſcribit* 34. *D. de aur. arg. leg.* nec data fuit tanquam mea, ſed tanquam ipſius debitoris, ut is liberetur propter juſſum meum. Debitor enim ſolvendo pecuniam creditoris non liberatur, *l. qui decem* 72. §. *Stichum* 4. & *l. Caſſius* 17. *D. de ſolut.* His tamen & ſimilibus Juris rationibus neglectis, benigne receptum eſt, & jure quodam ſingulari, pecuniam hoc modo fieri mutuam, teque mihi obligari ex numeratione facta per debitorem meum. Deque eo ſatis convenit inter omnes, *d. l. qui negotia* 34. *D. mandati.* Videtur autem hoc admiſſum & receptum eſſe ex frequenti conſuetudine eo modo mutuandi; argument. *d. l. certi* 9. §. *ſi nummos* 8. *D. h. t.* Ratio autem, cur id receptum eſt, inde ducitur, quod in ejusmodi ſpecie fingitur pecunia a debitore meo mihi ſoluta, & a me ad te profecta, quae fictio brevis manus dicitur; de qua in *l. rogaſti* 11. diximus.

Altera ſpecies ſingularis recepti majorem difficultatem habet: Debes mihi 10. ex cauſa mandati: puta, cum eſſes procurator meus, exegiſti illa 10. a debitoribus meis. Convenit inter nos, ut tu eam pecuniam crediti, id eſt, mutui nomine retineas; quaeritur, an hoc caſu efficitur pecunia mutua, quaſi cauſa mandati converſa in cauſam crediti. Et Ulpianus id quoque admittit *hac l.* argumento ſuperioris recepti: *quod igitur in duabus perſonis recipitur, hoc & in eadem perſona recipiendum eſt*, inquit: quaſi diceret, ſi fictio brevis manus recipitur in duabus perſonis, nempe debitore meo, ut is videatur mihi pecuniam dediſſe, & eam iterum accepiſſe. Eſt igitur argumentum hoc Ulpiani a minore ad majus, a minus probabili ad magis probabile: facilius enim & citius videtur aliquis tibi ſolvere & numerare, quam alii; quemadmodum a ſe exigere, *l. ſi pupilli* 6. §. *ult. D. de negot. geſt.* Ulpiani ſententiam juvat, quod ſi debes mihi nummos ex cauſa depoſiti, & convenit, ut ſint tibi mutui, convertitur cauſa depoſiti in cauſam mutui, *d. l. certi* 9. §. *ult. D. h. t.* Cum hac tamen Ulpiani ſententia ex diametro pugnat deciſio Africani, in *d. l. qui negotia* 3. *D. Mand.* ubi reſpondet pecuniam debitam ex cauſa mandati non fieri mutuam in ſpecie propoſita; & reſpondet ad argumentum ex cauſa depoſiti ſuperius adductum. Fatetur quidem Africanus in priore ſpecie pecuniam recte effici mutuam (quando ſcilicet jubeo debitorem meum tibi dare) & addit rationem; *quia id benigne receptum eſt:* quo verbo oſtendit, in altera ſpecie id non eſſe receptum. Unde pro Africano argumentum efficax hoc modo ducitur: Si dicimus, mutuum contrahi, quando convenit, ut pecunia ex cauſa mandati debita fiat mutua; aut id dicimus, quia ita fit ex natura & ſtricta ratione mutui, aut quia propter aliquam fictionem id admittitur. At certum eſt non ex natura mutui, neque etiam ex fictione aliqua; quia id nondum eſt receptum. Ergo nullo modo fit mutua. Sunt qui putant, ex profeſſo diſſenſiſſe hos authores; alii diverſas eſſe ſpecies, quae ab ipſis proponuntur. Hic enim ideo mutuum fieri reſponſum eſſe ajunt, quia pecunia parata erat apud debitorem, & is praeſens, unde facile potuit mihi ſolvi, & a me iterum numerari. At in ſpecie Africani abſens fuit debitor, qui per epiſtolam tantum ſignificabat, pecuniam apud ſe eſſe, id eſt, ſe tantum debere ex cauſa mandati. Unde non tam facile ab illo mihi, & a me illi tradi potuit, ac proinde ne fingi quidem debuit, quod re vera fieri non potuit, *l. qui ad certum* 14. *D. locati.* Cujacius Africanum ait multo tempore ante Ulpianum ſcripſiſſe, & Africani tempore hanc poſteriorem ſpeciem nondum fuiſſe receptam, & Ulpianum hoc loco contendere eam eſſe recipiendam: Africanum proponere juris ſententiam; Ulpianum vero ſuam opinionem, nondum receptam, quam recipi cupit. Ut ut eſt, haec Ulpiani ſententia praevaluit. Cui non obſtat *l. ſi ex pretio* 6. *C. ſi cert. pet.* imo multum ſuffragatur. Ibi enim pecunia ex cauſa venditionis ideo non convertitur in mutuam; quia ſimulate hoc factum erat: ergo, a contrario ſenſu, ſi ſine ſimulatione ita conveniſſet, in mutuum fuiſſet converſa. Et univerſe ita definiri poteſt, pecuniam debitam ex quolibet contractu converti poſſe in mutuam ſola conventione, per fictionem brevis manus, *arg. hujus l.* & *d. l. ſi ex pretio* 6. a contrario ſenſu, *C. eod.*

Sed quaeri poteſt non inſubtiliter hoc loco: ſi res ita eſt, quod Africani tempore benigne receptum fuit, ut is, cui juſſi debitorem meum dare pecuniam mihi obligaretur ex cauſa mutui, cur non etiam receptum fuit, ut ipſe debitor, quem juſſi retinere pecuniam, tanquam mutuam, mihi eiusdem nomine obligaretur. Quid enim impedimenti eſt, quo difficilius hoc, quam illud recipiatur: cum potius videatur recipi debere facilius? Reſponderi poteſt, facilius admitti converſionem in priore ſpecie, propter quod omnia, quae in mutuo requiruntur, ibi interveniunt, excepto uno, *quod non fit de meo tuum:* fit quidem *tuum*, ſed non de meo. Hunc defectum facile ſupplet fictio brevis manus, *l. licet* 43. §. 1. *D. de jure dot.* caetera adſunt; vera ſcilicet numeratio pecuniae, conſenſus, tranſlatio dominii: tua enim fit pecunia; quae tua non fuit. At in poſteriore ſpecie contra prorſus eſt: omnia enim, quae requiruntur in mutuo, deſunt in illa, praeter unum, ſcilicet conſenſum. Nam ipſe, qui mutuum rogabat, jam dominus erat pecuniae, quam rogabat, atque ita ejus amplius fieri non potuit, §. *ſic itaque* 14. *Inſtit. de act.* & nulla vera intercedebat numeratio, nulla traditio. Ergo in hac poſteriore ſpecie longe plura fingenda erant, quam in altera, eoque receptu difficilior viſa eſt.

LEX XVI. Paulus lib. 32. ad Edictum.

SI ſocius propriam pecuniam mutuam dedit, omnimodo creditam pecuniam facit, licet caeteri diſſenſerunt. Quod ſi communem numeravit, non aliàs creditam efficit, niſi caeteri quoque conſentiant: quia ſuae partis tantum alienationem habuit.

Gloſſa recte admonet, agi hic de ſocio omnium bonorum: alioqui nulla ſubeſſe potuiſſet dubitandi cauſa, cum ſatis conſtet licere unicuique de re propria diſponere, *l. in re mandata* 21. *C. mandati. l. ſed et ſi*

Digitized by Google

25. §. *conſuluit* 11. *D. de petit. haered.* De eo autem, qui omnium bonorum ſocius eſt, ideo dubitari potuit; quia *in ſocietate omnium bonorum omnes res, quae coeuntium ſunt, continuo communicantur, licet nulla interveniat traditio*, *l.* 1. §. 1. & *l.* 2. *D pro ſocio.* Non videtur ergo unus ex ſociis, dando pecuniam propriam, facere eam mutuam, omnimodo, id eſt, in totum, diſſentientibus aliis ſociis, ſed tantum partem ſuam, *arg. l. nam etſi* 13. §. *ult. D. h. t.* imo ne propriam quidem pecuniam habere videtur, cum res omnes jam ſint communicatae. Contrarium tamen *hac lege* reſpondit Paulus: nempe, *ſi ſocius propriam pecuniam mutuam dedit, omnimodo creditam facit, licet caeteri diſſenſerint.* Sciendum igitur eſt de illa pecunia Paulum loqui, quam ſocius acquiſivit poſt contractam ſocietatem: nam illa pecunia manet propria ejus, qui eam acquiſivit, ſed tenetur ſocietatis judicio eam communicare, *l. ſi quis ſocietatem* 74. *D. pro ſocio.* Interea ergo ejus eſt, & eam alienare poteſt: nam perſonalis actio non impedit dominii tranſlationem, *l. ult.* §. *ult. D. de contrab. empt. l. quoties* 15. *C. de rei vindic.* Cum autem pecuniam communem dat, non conſentientibus ſociis, non alienat niſi ſuam partem; ut in fine hujus reſponſi dictum eſt: pars autem quomodo intelligi debeat eo caſu, dixi ad *l. nam & ſi fur* 13. §. *ult. D. h. t.*

LEX XVII. Ulpianus lib. Diſputationum.

CUm filius familias viaticum ſuum mutuum dederit, cum ſtudiorum cauſa Romae ageret, reſponſum eſt a Scaevola, extraordinario judicio eſſe illi ſubveniendum.

Quaeſtio eſt, an ſi filius familias a patre, ſtudiorum cauſa, aliquo ablegatus, viaticum ſuum mutuum dederit, aliqua ei actione ad id repetendum ſuccurratur. Dubitandi cauſa eſt, quia actio ſi certum petatur, ſive certi condictio, quae ex mutuo oritur, eſt directa & ordinaria actio, certa quadam & ſolemni formula & conceptione verborum conſtans: ita enim videtur definiri actio directa, *l. actio, antepen. D. de neg. geſt.* At filius familias tres tantum actiones directas, & unum interdictum ſuo nomine exercere poteſt; nempe injuriarum, depoſiti, & commodati, & interdictum quod vi aut clam, *l. filius familias* 9. *D. de obl. & act.* neque eas ſemper, ſed cum pater abeſt; ita ut non poſſit agere, *l. ſed ſi unius* 17. §. *ait Praetor* 10. *D. de injur.* Patri vero ſemper acquiritur per filium actio, excepta cauſa caſtrenſis peculii, ſive contrahat filius, ſive maleficium patiatur, etiamſi ex cauſa peculii adventitii nata ſit, *Inſtit. per quas perſ. nob. obl. acq. l. ult.* §. *ubi autem* 3. *C. de bon. quae liberis. cap. ult. in fin. de Judiciis in* 6. Reſpondet tamen Scaevola, *ſubveniendum eſſe filiofamilias extraordinario judicio* in hac ſpecie; cui conſentit Ulpianus *hac lege*, quod idem uberius tractat, *l. ſi longius* 18. §. *ſi filius fam.* 1 *D. de jud.* ubi & hujus deciſionis rationem aſſignat, nempe ne ſi filio non detur aliqua actio, *futurum ſit, ut impune fraudem patiatur, & egeſtate Romae laboret, viaticulo ſuo non recepto.* Hujus ergo deciſionis ratio eſt ex ipſa aequitate, quae facit ut Juris ſcrupuloſitas aliquando negligatur, *l. poſthumus* 12. *D. de injuſt. rupt. teſt.* Proponitur enim hic filiusfamilias Romae agere, abſente patre, & agere quidem ſtudiorum cauſa, quae valde favorabilis eſt, *Authent. Frederici*, quae incipit *Habita. C. ne filius pro patre*; & proponitur viaticum ſuum dediſſe, vel ut in *d. l. ſi longius* 18. *ἐπιφορισμὸς* dicitur, *viaticulum*, id eſt, pecuniam ad ſuos ſumptus neceſſariam; quod Graeci *ἐφόδιον* vocant. Obſervandum autem eſt, quod hic dicit Ulpianus, *extraordinario judicio.* Verba enim illa ſatis indicant, directam actionem non dari filio; propter ea, quae dixi in cauſa dubitandi; ſed actio utilis datur ex aequo & bono, ex mente & ſententia legis, ceſſantibus ejus verbis, §. *caeterum* 19. *Inſtit. de lege Aquil.* Ea hoc loco extraordinaria actio vocatur, quia praeter ordinem uſitatum conceditur, nec ex legibus aut jure directo procedit, ſed ex benignitate interpretationis propter aequum & bonum, & utilis appellatur, *d. l. ſi. longius.* 18. Hinc reſponſum eſt, actiones in factum a filiisfamilias exerceri poſſe, *l. in factum* 13. *D. de obl. & act.* quia dantur propter utilitatem, & quaſi extra ordinem concipiuntur, praeſcriptis in factum verbis: ideo extraordinaria actio, utilis actio, in factum actio, pro eodem hoc loco accipi poſſunt; licet alibi ſtrictioribus quibuſdam & propriis ſignificationibus ſeparentur. Caeterum filiusfamilias poteſt ſemper patris nomine experiri, tanquam procurator, etiam ſine expreſſo mandato, *l. ſed & hae* 35. & *l. Pomponius* 40. §. *ult. D. de Procurat.*

Sed quaeri poteſt: quorſum de hac ſpecie hic quaeritur, in qua filiusfamilias viaticum ſuum mutuum dedit? nonne ſufficit generalis illa ſententia *d. l. in factum* 13. *D. de obl. & act?* Reſpondeo: *illa lex* loquitur de actionibus in factum, quae dantur ex contractibus, ex quibus non oriuntur aliae directae civiles actiones, quae propriè actiones in factum civiles praeſcriptis verbis appellantur; cujuſmodi ſunt quae ex contractibus innominatis dantur, *l.* 1. & 2. *D. de praeſcr. verb* At in ſpecie noſtra contractus erat, ex quo propria, directa & civilis actio naſcitur; ut *initio* dictum eſt. Unde obiter notandum eſt, actionem in factum ſive utilem eſſe duplicem; Unam, quae ſola eſt, non habens directam, cujus reſpectu datur; ut illa ex contractibus innominatis: Alteram, quae ex aequo & bono datur, ſive ex mente & interpretatione legis, ex qua naſcitur directa; ut in ſpecie hic propoſita, & utraque civilis utraque utilis dicitur. Sunt & actiones in factum praetoriae, *l. quia actionum* 11. *D. de praeſcr. verb.* §. *ult. in Inſtit. de l. Aquil. l. & eleganter* 7. §. *idem Labeo* 7. *D. dolo.*

LEX XVIII. Idem lib. 7. Diſputationum.

SI ego pecuniam tibi quaſi donaturus dedero, tu quaſi mutuam accipias, Julianus ſcribit donationem non eſſe. Sed an mutua ſit, videndum. Et puto nec mutuum eſſe: magiſque nummos accipientis non fieri, cum alia opinione acceperit. Quare ſi eos conſumpſerit, licet condictione teneatur, tamen doli exceptione uti poterit, quia, ſecundum voluntatem dantis, nummi ſunt conſumpti. §. 1. *Si ego quaſi deponens tibi dedero, tu quaſi mutuum accipias, nec depoſitum nec mutuum eſt. Idem eſt & ſi tu quaſi mutuam pecuniam dederis, ego quaſi commodatam oſtendendi gratia accepi. Sed in utroque caſu, conſumptis nummis, condictioni ſine doli exceptione locus erit.*

Ex diſputatione Ulpiani, & exemplis hic poſitis, colligitur haec ſententia: Diſſenſus in ſpecie contractus, ſive in cauſis dandi accipiendique, impedit contractum & dominii tranſlationem. Adjuvatur haec ſententia per regulam *l. in omnibus* 55. *D. de obl. & act. In omnibus rebus, quae dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utraque parte contrahentium:* nullus enim contractus ſine conſenſu eſſe poteſt, *l.* 1. §. 3. *D. de pact.*

Primum exemplum: Numeravi tibi decem, quaſi donaturus; tu ea accepiſti, quaſi mutua mihi debiturus. Hic neque donatio eſt, neque mutuum, inquit Ulpianus. Quod autem non ſit donatio, probat authoritate Juliani; qua de re nulla ſubeſſe potuit dubitatio: quod vero neque mutuum, id ſua ſententia & opinione firmat; & hoc amplius, non transferri eo caſu dominium in accipientem; nec quicquam de Juliano dicit; ex quo apparet Julianum in alia fuiſſe ſententia: & certe fuit, ut mox declarabitur.

Ex hac deciſione Ulp. ſequitur, me poſſe vindicare nummos ſi extant; quia cum tui facti non ſint, mei manent: idque fatetur tacite Ulpianus, dum ait condici poſſe conſumptos, ſed eam condictionem elidi exceptione doli mali, *ſi non ſecundum voluntatem dantis*

Digitized by Google

dantis conſumpti ſunt nummi. Nam cum is, qui dedit, voluntatem donandi non revocavit ante conſumptionem, ſatis videtur conſenſiſſe, ut conſumerentur, & omnino fierent accipientis ſine aliqua eos reddendi neceſſitate. Accurſius ait, eandem exceptionem opponi poſſe, etiam ſi nummi extent, & dans velit eos vindicare; quod verum quidem eſt, ſi accipiens conſtituat, ſe velle eos habere ſecundum voluntatem dantis, priusquam ille coeperit eos vindicare: nam tunc concurrit utriusque affectus & voluntas, licet ex poſtfacto, quod ſufficit ad perficiendum contractum, *arg. l. ſi ſtipulor* 35. §. *ult. D. de verb. obl.* At ſi dans coeperit vindicare, priusquam accipiens adhibuerit conſenſum de donatione, nulla exceptione videtur repelli poſſe donator, quandoquidem nullum accipienti jus adhuc quaeſitum eſt, manente eo in primo diſſenſu; & ideo dans poteſt revocare voluntatem ſuam re integra, & repetere quod dedit, *l. ult. D. de legatiou.* Donatio enim nulla eſt ſine acceptione, ut ait Cicero *in Topic. cap.* 8. Haec ex Ulpiani doctrina *hoc capite*: ubi illud praecipue notandum eſt, quod ſtatuit, dominium rei non transferri per traditionem, quando diſſentiunt contrahentes in cauſis dandi & accipiendi; quamvis utraque cauſa per ſe ſufficiens ſit ad transferendum dominium: ut in ſpecie propoſita. Nam ſi in ſola donatione, aut in ſolo mutuo conſenſiſſent, proprietas transiiſſet in accipientem; quae non transit, ſecundum eum, quando dans putat ſe donare, & accipiens putat ſe mutuum accipere.

Cui ſententiae Ulpiani objicitur deciſio Juliani, *l. cum in corpus* 36. *D. de acq. rer. dom* ubi in eadem omnino ſpecie, ut apparet, contrarium reſpondetur. Verba Juliani haec ſunt: ***Si pecuniam numeratam tibi tradam donandi gratia, tu eam quaſi creditam accipias; conſtat proprietatem ad te transire, nec impedimento eſſe, quod circa cauſam dandi atque accipiendi diſſenſerimus.*** Videmus hic pugnare non ſolum deciſiones horum authorum, ſed etiam deciſionum rationes. Ulpianus dicit, dominium non transferri; Julianus dicit transferri. Ulpianus addit rationem; quia alia opinione acceperis, id eſt, diſſenſiſti in cauſa dandi: Julianus addit contrariam rationem; quia diſſenſus in cauſa dandi & accipiendi non obſtat. Scio quas perfugii latebras alii quaerunt, ut hanc antinomiam evitent. Quidam ajunt, reſponſum Juliani intelligendum eſſe de acceptione ex cauſa praecedentis mutui, id eſt, ex cauſa ſolutionis; quia *principium illius legis* de ſolutione loquitur: ut ſit ſenſus, ***tu eam quaſi creditam***, id eſt, ex cauſa crediti redditam & ſolutam, a debitore *accipias*. At in omni ſolutione conſtat transferri dominium, etiamſi non conveniat inter dantem & accipientem de cauſa ſolvendi, ut patet ex *tot. tit. de condict. indeb.* & *primis* 7. *aut* 8. *ll. D. de ſolut.* At Ulpianus hic loquitur de acceptione ex cauſa futuri contractus, id eſt, mutui conſtituendi. Haec communis ſolutio eſt, quam poſt Accurſium tenent Bartolus, Baldus, Alexander, Jaſon, Alciatus, & alii multi. Verum haec expoſitio textum Juliani deſtruit & pervertit; cum interpretantur *accipere pecuniam creditam*, id eſt, *accipere pecuniam debitam*. Alii dicunt, Julianum intelligendum eſſe de diſſenſu, qui procedit ex errore; Ulpianum de aperto diſſenſu, qui fit ex certa ſcientia: cum ſcilicet ego ſcio te velle mihi donare, ſed nolo accipere dono, ſed tantum mutuo; & tu ſcis me habere velle mutuo: non vis autem dare mutuo ſed dono, ac proinde ex cauſa mutui non poteſt ad me dominium transire, quia non vis mutuam, neque ex cauſa donationis, quia ego nolo donum. Bona quidem conciliatio, ſi ex horum authorum ſcriptis iſta diverſitas elici poſſet; ſed nihil eſt in eorum reſponſis, quo tale quid indicetur, ac proinde mera divinatio eſt. Nam neque Julianus de errore quoquam loquitur, neque Ulpianus de diſſenſu manifeſto: & certe poteſt aliquis contendere, Ulpianum potius intelligere diſſenſum, qui gignitur ex errore; cum ait, *alia opinione acceperit*: opinio enim de re incerta eſt, ut ajunt Philoſophi. Denique qui errat, non dicitur proprie diſſentire, ſed non conſentire, *l. ſi per errorem* 15. *D. de Juriſd.* Poteſt aliquis non conſentire, & tamen non diſſentire, ut abſens, furioſus, errans. Sic inter fateri & negare eſt quoddam medium: poteſt enim aliquis neque fateri, neque negare, *l. qui tacet* 142. *D. de reg. jur.* neque conſentire, neque diſſentire, *l. ſicut* 8. §. *non videtur* 15. *D. quib. mod. pign. vel hypot. ſolv.* neque velle, neque nolle, licet ſciat, *l.* 1. §. *licet* 20. *D. de exercitor. l.* 1. §. 1. *D. de tribut.* Ego mehercle! inanem eſſe operam exiſtimo, quae collocatur in eorum ſcriptis conciliandis, qui ex profeſſo diſſenſiſſe deprehenduntur; nam cum id faciunt, ſimiles ſe reddunt Poëtarum interpretibus, qui multa authoribus affingunt, de quibus nunquam cogitarunt. Nam ſatis conſtat, Ulpianum alibi Juliano contradicere ex collatione, *l. ſi non fortem* 26. §. *pen.* & *l. cum is qui* 32. §. *ult. D. de condict. indeb.* Juliani & Celſi frequens pugna eſt. Ulpianus vero, quo longo poſt intervallo floruit, nunc hunc, nunc illum ſequitur, ut in *d. l. ſi non fortem* 26. Celſum ſequitur contra Julianum, in *d. l. cum is qui* 32. At in *l.* 1. § 1. *D. de uſufr. accreſc.* ſequitur Julianum contra Celſum, in *l.* & *Proculo* 20. *D. de leg.* 2. Pro Juliano facit, quod qui donat, multo magis videtur velle mutuare, quia, qui conſentit in eo, quod plus eſt, conſentit in eo, quod minus, *l. diem proferre* 27. §. *ſi plures* 3. *D. de recept.* Ergo uterque in mutuo videtur conſentire.

Secundum exemplum: Dedi tibi pecuniam, quaſi illam apud te deponens; tu eam accepiſti quaſi mutuam; neque depoſitum eſt, neque mutuum; quia ego ex una cauſa dedi; tu ex alia accepiſti.

Tertium: Dedi tibi pecuniam quaſi mutuam, tu quaſi commodatam oſtendendi vel oſtentandi cauſa accepiſti (*l.* 3. §. *ult. cum l. ſeq. D. commod.*) neque mutuum eſt, neque commodatum.

Conveniunt autem haec tria exempla in eo, quod in illis omnibus & ſimilibus impeditur contractus, propter diſſenſum in cauſis dandi & accipiendi. Differunt vero in eo, quod in prima ſpecie exceptio doli mali opponi poteſt condicenti nummos conſumptos, *quia ſecundum voluntatem dantis conſumpti ſunt*, idque ſine ulla reddendi obligatione: donatio enim eſt largitio, quae reddi non debet, ut definit Ariſtoteles *lib.* 4. *cap.* 4. *Topic. l.* 1. *D. de donat.* At in duabus poſterioribus ſpeciebus locus non eſt exceptioni doli adverſus condicentem nummos conſumptos; quia in altera earum dici non poteſt, nummos eſſe conſumptos ſecundum voluntatem dantis: depoſiti enim erant, ut conſervarentur, non ut conſumerentur, *l.* 1. *D. depoſ.* In altera vero licet id quidem dici poſſit (creditor enim mutuando nummos cenſetur velle debitorem iis arbitratu ſuo uti) tamen quia cauſa, propter quam dati ſunt, parit obligationem & condictionem, *Inſtit. quib. mod. re contr. obl.* doli exceptio opponi non poteſt. Atque ita *in utroque caſu*, ut ait Ulpianus, ***conſumptis nummis condictioni ſine doli exceptione locus erit.***

LEX XIX. JULIANUS lib. 10. Digeſtorum.

NOn omnis numeratio eum, qui accepit, obligat: ſed quotiens id ipſum agitur, ut confeſtim obligaretur. Nam & is, qui mortis cauſa pecuniam donat, numerat pecuniam: ſed non aliter obligavit accipientem, quam ſi exſtitiſſet caſus, in quem obligatio collata fuiſſet: veluti ſi donator convaluiſſet, aut is, qui accipiebat, prior deceſſiſſet. Et cum pecunia daretur, ut aliquid fieret, quamdiu in pendenti eſſet, an id futurum eſſet, ceſſabit obligatio. Cum vero certum eſſe coepiſſet, futurum id non eſſe, obligabitur, qui accepiſſet: veluti ſi Titio decem dedero, ut Stichum intra Calendas manumitteret, ante Calendas nullam actionem habebo: poſt Calendas ita demum agere potero, ſi manumiſſus non fuerit.

Re-

Digitized by Google

Regula, quae hic ponitur, generalis eſt, & intelligi debet non ſolum de iis rebus, quae mutuo dari poſſunt, ſed de omnibus, quae in commercio noſtro ſunt, & quarum datione alios nobis obligamus: nam numeratione & traditione earum rerum non aliter obligatur accipiens, niſi idipſum agatur, ut obligatio naſceretur. Regula ergo haec procedit negative hoc modo: Numeratio non obligat accipientem, quando non agitur ut confeſtim obligetur. Affirmative vero ſic: Numeratio obligat accipientem, quando id agitur, ut obligetur: ſed tunc addenda eſt exceptio, ſi nihil aliud impediat; veluti ſi pecunia eſt aliena, aut data a pupillo, furioſo, prodigo, *l. ſi a furioſo* 12. *D. h. t.* §. *ſi pupillus* 1. *hac l.* Ex hac definitione procedit illud vulgare axioma Interpretum: Actus agentium non operantur ultra eorum intentionem. Quod autem dicitur, *quoties id ipſum agitur*, intelligendum eſt, expreſſe vel tacite. Nam aliquando extra id, quod aperte agitur, tacite aliquid convenit, ex quo naſcitur obligatio, ut cum ſolvitur indebitum, *l. is qui commodatum* 13. *in fin. D. commodati.* Sic dicimus, *in contrahendo quod agitur, pro cauto habendum eſt*, *l.* 3. *D. h. t.*

Sic itaque in univerſum ſtatuere licet; numeratione interdum obligatur accipiens ſtatim, cum ſcilicet id agitur, & nihil extrinſecus impedit, ut in mutuo. Interdum nullo modo obligatur, nec obligari ſperatur, ut in donatione ſimplici inter vivos (quae non obligat accipientem, niſi naturaliter ad remunerandum, *l. ſed etſi* 25. §. *conſuluit* 11. *D. de petit. haered.*) & in numeratione ſolutionis cauſa. Interdum vero non obligatur ſtatim, ſed ex eventu; cujus partis duo hic exempla ſubjicit Julianus. Prius eſt, de donatione mortis cauſa, quae non ſtatim obligat donatarium ad rem reddendam, ſed in duobus caſibus hic expreſſis, & tertio, qui additur in gloſſa ex §. 1. *Inſt. de donat.* nempe ſi poenituit donatorem. Poteſt tamen fieri donatio mortis cauſa, ut nullo caſu obligetur accipiens, *l. ſi alienam* 13. *in fi. D. de mort. ca. donat.* Poſterius exemplum eſt de numeratione facta ob cauſam, veluti ſi 10. tibi dedero, ut Stichum tuum intra Calendas manumittas. Nam quamdiu in pendenti eſt an id futurum ſit, id eſt, quamdiu incertum eſt, an tu manumittas Stichum ante Calendas, ceſſat obligatio, id eſt, mihi non obligaris; ſubaudi, niſi poeniteat me, quo caſu repetere poſſum quod dedi, *l.* 3. §. *ſed ſi tibi dedero* 2. & *l. ſi pecuniam* 5. *D. de condict. ca. dat.* Quod ſi praeterierunt Calendae, nec manumiſſus eſt Stichus, mihi obligaris, ita ut poſſim condictione cauſa data repetere quod dedi; vel, ſi malo, agere praeſcriptis verbis ut damneris quanti mea intereſt id, quod convenit factum eſſe, *d. l.* 3. §. *ſed ſi tibi* 2. & *l. naturalis* 5. §. 2. *verſ. Quod ſi tale. D. de praeſcr. verb.*

§. Si Pupillus 1.

SI pupillus ſine tutoris auctoritate crediderit, aut ſolvendi cauſa dederit, conſumpta pecunia condictionem habet vel liberatur: non alia ratione, quam quod facto ejus intelligitur ad eum qui acceperit, perveniſſe. Quapropter ſi eandem pecuniam is, qui in creditum vel in ſolutum acceperat, alii porro in creditum vel in ſolutum dederit, conſumpta ea, & ipſe pupillo obligatur, vel eum a ſe liberabit; & eum cui dederit, obligatum habebit, vel ſe ab eo liberabit: nam omnino qui alienam pecuniam credendi cauſa dat, conſumpta ea habet obligatum eum, qui acceperit. Item qui in ſolutum dederit, liberabitur ab eo qui acceperit.

Pupillus, prodigus, furioſus, alienandi res ſuas poteſtatem non habent, §. *nunc admonendi* 2. *Inſt. quib. lic. alien. vel. non. l. ii cui* 6. *D. de verb. obl.* ideoque non transferunt dominium in accipientem; ac proinde extantes nummi vindicari poſſunt, unde conſequens eſt quod *hoc* §. traditur: nempe quod ſive pupillus pecuniam mutuam dederit, ſive ſolutionis cauſa, non obligat ſibi debitorem, neque liberat ſe a creditore, quamdiu nummi extant; quia non facit eos accipientis. Quod ſi accipiens bona fide eos conſumpſerit, tunc propter conſumptionem naſcitur pupillo condictio, vel liberatio. Haec vis eſt conſumptionis, de qua ſatis diximus ad *l. rogaſti* 11. §. *ult.* & *l. ſi a furioſo* 12. & *l. ſi filiusfamilas* 14. *D. h. t.* Porro autem tenenda eſt regula Juliani in *fine hujus* §. *Qui alienam pecuniam in creditum vel ſolutum dat, conſumpta ea acquirit actionem vel liberationem.* Quae regula certiſſima eſt, & ſine exceptione procedit.

LEX XX. Idem lib. 18. Digeſtorum.

SI tibi pecuniam donaſſem, ut tu mihi eandem crederes; an credita fieret? dixi in hujuſmodi propoſitionibus non propriis verbis nos uti: nam talem contractum neque donationem eſſe, neque pecuniam creditam: donationem non eſſe, quia non ea mente pecunia daretur, ut omnimodo penes accipientem maneret; creditam non eſſe, quia exſolvendi cauſa magis daretur, quam alterius obligandi. Igitur ſi is, qui pecuniam hac conditione accepit, ut mihi in creditum daret, acceptam dederit, non fore creditam: magis enim meum accepiſſe intelligi debeo. Sed haec intelligenda ſunt propter ſubtilitatem verborum: benignius tamen eſt, utrumque valere.

Hoc reſponſo pulchre oſtendit Julianus, contractus ſuſtinendos eſſe ex aequitate & benigna interpretatione, qui alioqui ſecundum ſtrictam verborum ſignificationem, & ſubtilitatem juris corruerent. Unde ex hoc loco notant Bartolus & alii, verba, quae non poſſunt accipi in contractibus ſecundum propriam ſignificationem, accipi ſecundum impropriam: ſubaudi; dummodo conſtet de voluntate contrahentium: facit *l. inſulam* 6. *D. de praeſcr. verb. ſi tam anguſti* 13. *D. de ſervit.* Dixi, dummodo conſtet de voluntate contrahentium; quia ſi contrahentium voluntates non convenerunt, id eſt, ſi diſſenſerunt in cauſis contractus, tunc contractus nullus eſt, *l. ſi ego* 18. *D. h. t.* Exemplum hujus rei hic ponitur in hujuſmodi ſpecie. Donavi tibi pecuniam, ut tu mihi eandem mutuares; proprie loquendo neque donatio eſt, neque mutuum. Non eſſe donationem probat Julianus, ex eo, quod donatio proprie dicitur, quando pecunia ita ad accipientem tranſit, ut dans nullo caſu velit eam ad ſe reverti, *l.* 1. *D. de donat.* Adde, quod qui ita dat ut ſtatim recipiat, non transfert dominium, *l. qui ſic* 55. *D. de ſolut.* At per traditionem ex cauſa donationis transfertur dominium. Ergo non poteſt dici donatio, cum id agitur ut res tradita ſtatim redeat ad eum, qui donavit, id autem agitur in propoſito, quando accipiens pecuniam ex cauſa donationis, eam ſtatim retradit ex cauſa mutui. Rurſus, quod non ſit mutuum hac ratione confirmat, quia qui accepit pecuniam ea lege, ut eam crederet, ſi eam poſtea credit, id facit liberandi ſui cauſa; quia ad hoc erat obligatus ex pacto adhibito in traditione, *l. in traditionibus* 48. *D. de pact.* Quod ſi ita eſt, non videtur dediſſe alterius obligandi cauſa, quia ſolvere & obligare contrarii effectus ſunt, *l. qui hominem* 34 §. *ult. D. de ſolut.* & ideo gigni ab eodem actu non poſſunt. Et haec quidem ita eſſe Julianus fatetur, ſi adhaeremus ſubtilitati verborum, ſed benignius tamen eſſe utrumque valere, id eſt, donationem & mutuum. Idem reſpondit Hermogenianus, *l. qui id quod* 33. §. 1. *D. de donat.* Sed cur benignius? Reſpondeo, non ſolum, quia ea mens & voluntas fuit contrahentium; ſed etiam, quia aliis juris fictionibus fictis videntur illi contractus perfici & ſuſtineri in propoſita ſpecie. Nam cum pecunia donata mutuatur donatori, non videtur ad eum reverti, quia obligatus eſt de ea reddenda; & res nobis abeſſe videtur, cujus nomine alteri ſumus obligati,

l. ſi

l. ſi quis mandata 28. *D. de negot. geſt.* & rurſus videtur illa pecunia donata ſemper manere apud donatarium, quia *is rem habere videtur, qui actionem habet ad eam recuperandam, l. is qui actionem* 15. *D. de reg. jur.*

Haec deciſionis hujus ratio eſt, fundata quidem in aequitate, quae ſtricto jure potior habetur, *l. placuit* 8. *C. de Judiciis.* Cur autem verba a propria ſignificatione flectenda ſunt ad impropriam, in hujuſmodi ſpeciebus, ratio eſt, quia verba intentioni, non intentio verbis, ſervire debent, *cap. intelligentia* 6. *& cap in his* 15. *de verb. ſign.* & leges imponuntur rebus, non verbis, *l. 2. in fi. C. communia de legat.* Non obſtat *d. l. qui ſic* 55. *D. de ſolut.* quia lex illa intelligi debet, ſi nulla utilitas ex datione maneat apud accipientem; ſecus eſt, quando aliquid manet vel ſperatur manere, ut in ſpecie *l. ſervus* 58. *D. ſolut. matr.* Ad objectionem autem ex *l. qui hominem* 34. reſpondetur, numerationem poſſe producere diverſos effectus diverſo reſpectu, ſive alia & alia ratione; veluti cum jubeo debitorem meum tibi dare pecuniam, una numeratione contingit liberatio & obligatio; nam liberatur a me debitor, & tu mihi obligaris, *l. ſingularia* 15. *D. h. t* Sic in propoſito tu credendo mihi pecuniam liberaſti fidem tuam, & me tibi obligaſti. Quod autem ſolet hic quaeri a quibuſdam; ſi ego dono tibi domum, aut rem aliam, & poſt aliquandiu eam rem mihi redonas, an poterit haec poſterior donatio revocari propter ingratitudinem, non pertinet ad praeſens inſtitutum, ſed potius ad tractatum de donationibus. Quod tamen ad quaeſtionem attinet: recte ſentiunt, qui ejuſmodi donationem ſeparant ab aliis donationibus, quantum ad revocandi rationem & cauſas attinet: haec enim non eſt pura donatio, ſed potius remuneratio, ad quam donans naturaliter obligabatur, *l. ſed etſi* 25. *§. conſuluit* 11. *D. de petit. haered. Can. quicunque ſuffragio* 66. *cauſ.* 12. *q.* 2. *l.* 1. *in princ. D. de donat.* ubi dicitur proprie donatio eſſe, *quae fit ob nullam aliam cauſam, quam ut donator liberalitatem & munificentiam ſuam exerceat*; at in remuneratione cauſa juſta ſubeſt, propter quam etiam res Eccleſiaſticae alienari poſſunt, *cap. per tuas* 5. *D. de donat. d. Can. quicunque ſuffragio* 66. Et ſi is, qui beneficium ab aliquo accepit, aliquid poſtea eidem dederit, cenſetur remunerationis cauſa id feciſſe, niſi aliud nominatim expreſſum ſit, *l. ſi vero non remunerandi* 12. *§. inde Papinianus* 8. *in fin. D. mandati.* Quapropter redonatio ejuſmodi merito non eſt ſubjicienda legibus donationum, quae revocantur propter ingratitudinem, *l. ult. C. de revoc. donat. cap. ult. de donat. gloſſa in l. ſi pater* 34 *§.* 1. *D. de donat.*

LEX XXI. Idem lib. 48. Digeſtorum.

QUidam exiſtimaverunt, neque eum, qui decem peteret, cogendum quinque accipere, & reliqua perſequi, neque eum, qui fundum ſuum diceret, partem duntaxat judicio perſequi. Sed in utraque cauſa humanius facturus videtur Praetor, ſi actorem compulerit ad accipiendum id, quod offeratur: cum ad officium ejus pertineat, lites diminuere.

Quaeſtio eſt, ſi debitor conventus in judicio fateatur, ſe debere partem ejus, quod petitur, eamque offerat, an creditor cogendus ſit, eam partem accipere, & de reliquo, ſi voluerit, litigare. Dubitandi cauſa tanta eſt, ut teſte Juliano, quidam exiſtimarent contrarium ejus, quod hic reſpondetur. Movit eos, credo, primum, quia Juris rationi repugnat compelli creditorem remittere par partes obligationem, quae ſemel & ſimul in ſolidum contracta fuit, *arg. l. nihil tam naturale* 35. *D. de reg. jur.* Deinde, quia, ſi cogeretur creditor ad hoc, manifeſta ei fieret injuria: nam particularis ſolutio magna affert incommoda, *l. 3. D. fam. herciſc.* Idem probatur, *arg. l. ſi debitor* 30 *D. de ſolut.* ubi dicitur, *ſi debitor offerret pecuniam, quae peteretur, creditor nollet accipere, Praetor denegat ei actiones*; ergo a contrario ſenſu ſi debitor non offert, Praetor non denegat actionem. At non offert pecuniam petitam, qui partem tantum offert. Praeterea Paulus in *l. cum heres* 4. *§. item ſi decem* 6. *D. de ſtatulib.* dicit, *Si ſtatuliber juſſus ſit decem dare haeredi haeres cogendus eſt per partes accipere favore libertatis*; unde cum illud ſingulari favore receptum ſit propter libertatem, ut aliquis cogatur admittere particularem ſolutionem, ſequitur aliter jure communi obſervandum eſſe, *l. jus ſingulare* 16. *D. de legib.* Simili ratione ſtatutum eſt de eo, qui dedit duos fidejuſſores, ut poſſit partem ſolvendo liberare unum fidejuſſorem, ergo alias non poterit partem ſolvere, *l. 5. §. 1 D. de ſolut.* Contrarium tamen hic reſpondet Julianus, nempe humanius facturum Praetorem, ſi actorem compulerit ad id accipiendum, quod offertur. Ubi primum notandum eſt, quod ait *humanius facturum Praetorem*; quae verba ſatis oſtendunt, hanc compulſionem magis procedere ex aequo & bono & authoritate Praetoris, quam ex mero jure civili. Id etiam indicat ratio ſubjecta; quia ſcilicet *ad officium Praetoris pertinet lites deminuere.* Similis locus eſt in *l. 1. §. & poſt. 9. D. de oper. nov. nunciat.* Praetor ſemper ſtudet litibus & controverſiis minuendis & dirimendis. Sed cur humanius id facit Praetor? Reſpondeo; quia id ſine ulla actoris injuria fit. Neque enim ex eo minuitur quicquam de jure ipſius, imo juvatur potius, quia partem habet ſine lite, ſine controverſia, & habet quod petiit, licet non totum: nam petendo totum petiit etiam partem, quia in toto ineſt, *l. ſi quis cum totum* 7. *D. de except. rei judic.* Ad cauſas autem dubitandi reſpondendum eſt, argumenta illa, in contrarium adducta, tunc locum habere, cum debitor totum fatetur, & partem tantum offert. Nam tunc revera Praetor non debet partes ſuas interponere, ut cogat creditorem accipere portionem oblatam, ne ex ea acceptione damnum aliquod patiatur; facit *l. debitorem* 99. *D. de ſolut.* quamvis Alciatus contra ſentiat, ductus quibuſdam rationibus, quae facile refelli poſſunt. Nam quod ait, ſi non licet ei, qui totum fatetur, ſolvere partem invito creditori, melioris conditionis erunt negantes, quam confitentes; id nihil ad hanc rem facit: qui enim totum fatetur, ideo juſte cogitur totum ſolvere; quia certum eſt, eum totum debere, & ſimilis eſt judicato, *l. 1. D. de confeſſ. & l. unic C. h. t* qui vero negat, ideo non poteſt cogi totum ſolvere, quia nondum eſt condemnatus, *l. negantes* 9. *C. de obl. & act. l. 1. C. de executione rei judicat.* Neque abſurdum eſt, ut ille putat, melioris conditionis eſſe negantem, quam confitentem in hoc caſu; nam & qui totum negat, aliquatenus meliore loco eſt, quam qui totum fatetur: confeſſus enim pro judicato habetur, ut dictum eſt; at negans non ita. Cum igitur negans offert partem, quam fatetur, totum illud offert, quod fatetur; imo totum, quod conſtat eum debere, & ideo creditor illud accipere tenetur, & de reliquo litigare. At quando confitetur totum, & partem ejus tantum offert, creditor recte recuſat illam partem, quia plus fatetur & minus ſolvit: non ſolvit, inquam, id totum, quod conſtat eum debere: totum debitum hic eſt liquidum, illic pars debiti eſt liquida, pars non eſt.

Non majoris momenti eſt illud, quod adducit ex *l. placuit, penult. C. de coll. fund. patrimon. & emphyteut. lib.* 11 ubi conceſſum eſt poſſeſſoribus fundorum patrimonialium & emphyteuticorum, ut per partes ſolvant canonem, dummodo non amplius, quam in tribus vicibus per ſingulos annos. Unde ille ratiocinatur, ſi id in fiſci praejudicium inductum eſt, cur non magis in privati? Nos contra: ſi id nominatim conſtitutum eſt de poſſeſſoribus patrimonialibus, ſive debitoribus fiſci ex ea cauſa, manifeſtum eſt aliud juris eſſe debitoribus privatis; alioqui illa conſtitutio nihil operaretur: nihil inquam novi in-

duceret. Fiſcus enim utitur jure privati, niſi in caſibus nominatim exceptis, *l. item veniunt 20. §. in privatorum 9. & ibi gloſſ. D. de pet. haered.*

Quod denique ex *l. 2. §. ex his 2. D. de verb. obl.* proponit, facile dilui poteſt. Ibi dicit, conditionem obligationis non immutari ex perſona haeredum, ex quo infert hoc modo: At haeres partem pro portione haereditaria ſolvere poteſt, *l. 1. C. ſi cert. petat. l. 2. & l. penult. C. de haered. act.* ergo defunctus potuit. Vitioſa collectio eſt: nam *lex 12.* ipſo jure diviſit obligationem inter cohaeredes, *l. ea quae 6. C. famil. herciſc. l. ult. C. de haered. act.* alia ergo ratio eſt in haerede, alia in principali debitore defuncto. Alioqui ſequeretur eadem forma ratiocinandi, debitorem ſolvendo partem in totum liberari, quia haeres partem ſolvendo ſuam in totum liberatur; quod dictum eſt abſurdiſſimum. Liberatur autem haeres ſolvendo partem; quia pars illa eſt totum, quod debet. Unde quemadmodum dicimus, creditorem non cogi partem debiti accipere ab eo, qui totum fatetur, ſic nec partem partis ab haerede. Porro quod dicitur, obligationis conditionem non immutari ex perſona haeredum, *d. l. 2. §. ex his 2. D. de verb. obl.* ita intelligendum eſt, haeredum perſonae non poſſunt efficere, ut fiat individua obligatio ex dividua, vel contra.

Illud ſupereſt, ut videamus quo ſenſu accipiendum ſit, quod dicitur, *compelli* actorem ad accipiendum id, quod offertur, cum ſolius creditoris commodum hic vertatur, & *invito non detur beneficium*, *l. invito 69. D. de reg. jur.* Et quidem non naturalis compulſio aut coactio hic intelligi debet (id enim perquam iniquum eſſet & inhumanum, *l. creditor 20. C. de pignor.*) ſed compulſio, quae oblique per denegationem actionis procedit: nam Praetor denegat ei poſtea actionem in eam partem, quae oblata eſt, *d. l. ſi debitor. 30. D. de ſolut.* Haec autem denegatio actionis tantundem operatur reſpectu debitoris, quantum ſi revera compulſiſſet actorem accipere. Liberatur enim debitor, *l. ſi ſoluturus 39. D. de ſolut.* Compellitur ergo creditor accipere vel carere.

LEX XXII. Idem lib. 4. ex Minicio.

Vinum, quod mutuum datum erat, per judicem petitum eſt: quaeſitum eſt, cujus temporis aeſtimatio fieret; utrum cum datum eſſet, an cum litem conteſtatus fuiſſet, an cum res judicaretur. Sabinus reſpondit, ſi dictum eſſet quo tempore redderetur, quanti tunc fuiſſet; ſi non, quanti tunc cum petitum eſſet. Interrogavi, cujus loci pretium ſequi oporteat: reſpondit, ſi conveniſſet ut certo loco redderetur, quanti eo loco eſſet: ſi dictum non eſſet, quanti ubi eſſet petitum.

Lex haec Juliani, quam vulgo Doctores ſubtilem, famoſam, utilem & repetibilem eſſe dicunt, tota eſt de ratione ineunda aeſtimationis rei debitae, & difficilis videtur eo, quod alia multa Juris reſponſa de eadem re extent, quae partim convenire cum hoc reſponſo, partim ab eo diſſentire videantur prima facie. Ait ergo Julianus, quaeſtionem eſſe cujus temporis aeſtimatio fieri debet, quando vinum, quod mutuum datum erat, per judicem petitum eſt. Ubi inquirendum inprimis eſt, quorſum ejuſmodi quaeſtionem nobis propoſuit: videtur enim inanis & ſupervacanea. Nam cum vinum, quod mutuo datum eſt, petitur, vinum reddi debet, non aeſtimatio; quia aliud eſt res, aliud aeſtimatio; adeo ut Juſtinianus putet, judicem eſſe ſtultum, qui profert condemnationem in aeſtimationem rei & non in rem ipſam, *l. ult. C. de fideicomm. libert. l. nemo 82. D. de verb. obl.* At aliud pro alio ſolvi invito creditori non poteſt, *l. 2. §. 1. D. hoc. t.t.* Sed reſpondetur, ideo non eſſe inutilem hanc quaeſtionem, quia vel vinum forte non erat, quod ſolveretur; vel erat quidem, ſed deterius, quam vinum ſuperioris anni, quod mutuatum fuit, vel quia (ſecundum quorundam ſententiam) debitor mercis, ſive ejus rei, quae pondere, numero, & menſura conſtat, liberatur ſolvendo aeſtimationem, *l. quotiens 59. D. de verb. obl. l. ult. D. de condict. tritic.* Nam quemadmodum Philoſophi ſtatuunt, tempus eſſe menſuram rerum ſecundum prius & poſterius; ita Politici homines pecuniam voluerunt eſſe menſuram earum rerum, quae mercis numero habentur, ut per eam res ejuſmodi aeſtimentur ſecundum melius & deterius, *l. ſi ita fidejuſſorem 42. D. de fidejuſſ. l. 1. D. de contrah. empt.* Unde conſentaneum rationi eſt ejuſmodi aeſtimationem ſuccedere loco rei; quandoquidem nulla inde captio eſt nullaque jactura creditoris, qui, accepta pecunia, facile ſibi comparare poteſt rem ejuſdem generis optimam: nam aeſtimatio ad eam ſummam redigi debet, qua res vendi & comparari poſſit, *l. 1. §. ſi haeres 16. D. ad SCtum Trebell.* Haec ſententia fuit Jac. Aretini, a qua Bartolus ſine ratione receſſit in interpretatione *l. 2. §. 1. D. h. t.* Si tamen vinum, quod debetur non poſſit facile comparari, aequum eſt debitorem cogi praeciſe dare, ne creditor nimia quaerendi moleſtia & ſollicitudine fatigetur: atque ita officium illi ſuum, quod mutuando praeſtitit, fiat damnoſum. Caetera nunc conſideremus!

Dicitur, in ſpecie hic propoſita, vinum, quod mutuum datum erat, fuiſſe petitum. At id contra rationem mutui eſt; nam reddi debet non res eadem, ſed ejuſdem generis, *l. 2. D. h. t.* Reſpondeo: dicitur id, quod mutuo datum eſt, peti, non quod res eadem numero ſit, ſed quod, quantum ad functionem, uſum, & poteſtatem attinet, eadem cenſetur propter omnimodam ſimilitudinem; qua de re ſatis multa diximus ad *d. l. 2. D. h. t.* Dicitur deinde vinum hoc per judicem petitum eſſe, id eſt, in judicio, *l. 3. §. ſi liber homo 5. D. de condict. cauſ. dat.* quo pacto ſublata eſt ambiguitas de genere & modo petendi. Nam petendi verbum generale eſt, tam ad petitionem in judicio, quam extra judicium, *l. ſi decem cum petiero 48. D. de verb. oblig. l. amplius non peti 15. D. rem rat. haberi.* Quaeſtio ergo hic eſt de vino petito apud judicem, ſive in judicio. De cujus aeſtimatione non immerito quaeſitum eſt, quod tempus ſpectari debet in ea ineunda, id eſt, ſecundum cujus temporis rationem, item ſecundum cujus loci pretium, vinum illud ſit aeſtimandum. Sunt enim ſex temporum differentiae, quae in conſiderationem aeſtimationis rerum venire ſolent. De omnibus hic non quaeritur; ſed tantum de tribus, ſcilicet contractus, litis conteſtatae, & condemnationis, ſive rei judicatae: quibus Julianus in reſponſione & deciſione quaeſtionis adjicit quartam temporis differentiam, nempe tempus ſolutioni praeſtitutum. De tempore autem morae ideo non eſt quaeſitum, quia nulla forte mora interceſſit, quod ſi interveniſſet mora, & de eo quaereretur, quid reſpondendum eſſet paulo poſt tractabitur. De tempore etiam interitus rei, quae ſexta temporis differentia eſt, ideo nihil hic dicitur; quia vinum cum ſit genus, perire non poteſt.

De hac re itaque conſultus Julianus reſpondit, inſpiciendum eſſe in primis ſi conveniat inter contrahentes de die certo, quo vinum illud redderetur. Nam tunc ſpectandam eſſe aeſtimationem illius temporis, quod poſitum fuit in obligatione. Idem confirmatur *d. l. quoties 59.* Si vero nullus dies a contrahentibus deſtinatus eſt ſolutioni; tunc Julianus ait, vinum tanti aeſtimandum eſſe, quanti fuit cum petitum eſſet, id eſt, aeſtimationem vini faciendam eſſe ſecundum tempus litis conteſtatae, cui ſuffragatur Ulpianus, *l. 3. §. in hac 2. D. commod.* ubi id non ſolum in hac condictione, ſed in omni actione ſtricti judicii obtinere ait. Idem etiam Cajus in ſimili ſpecie reſpondit, *l. ult. D. de condict. tritic.* Atque haec quidem Juliani ſententia de tempore in hac ſpecie. Adverſus quam multi, eaque fortiſſi-

Digitized by Google

tiſſima argumenta, ut apparet, objici poſſunt. Nam primum videtur tempus contractus eſſe ſpectandum, quia vinum debet reddi eadem bonitate, qua datum eſt, idque intelligitur tacite actum eſſe, *l.* 3. *D. h. t.* Non enim videtur res reddita, quae deterior reddita eſt, *d. l.* 3. §. 1. *D. commod. l. mulieris* 13. §. 1. *D. de verb. ſign.* Reſpondetur: verum eſt, rem reddi debere eadem bonitate, & ſi quaeſtio eſſet de bonitate, inſpici deberet tempus, quo mutuum datum eſt. At nos hic non de bonitate, ſed de aeſtimatione diſputamus, quae mutari poteſt manente eadem bonitate; ut oſtendimus ad *l.* 3. *D. h. t.*

Sed replicatur ex *l. cum quis* 22. *D. de obl. & act.* ubi dicitur, *cum quis in diem mercem ſtipulatus, fidejuſſorem accepit, ejus temporis aeſtimatio ſpectanda eſt, quo ſatis accepit.* Reſpondeo, ibi agi de fidejuſſore, & ideo dicitur inſpici tempus fidejuſſionis, ut intelligamus, fidejuſſorem non in majorem aeſtimationem obligari, quam quae fuit tempore fidejuſſionis, idque rectiſſime: nam non in id totum ſe obligavit, quod tunc debebatur, quantum ad aeſtimationem; ſed in eam ſolum aeſtimationem fidejuſſit, quae tunc fuit, cum de ea tantum cogitaret, licet forte major fuit tempore contractus. Nam ſatis conſtat fidejuſſorem in leviorem cauſam accipi poſſe, *l. Graece* 8. § *illud* 7. *D. de fidejuſſ.* nec ejus obligatio propter moram rei augetur, *l. centum Capuae* 8. *D. de eo quod cert. loc.*

At rurſus adverſus hanc ſolutionem objicitur *l. fundum Cornelianum* 28. *in fin. D. de novat.* ubi idem de reo principali ſcriptum eſt, nempe conſiderandam eſſe aeſtimationem, quae fuit tempore contractus. Reſpondendum eſt, ibi aeſtimationem fuiſſe promiſſam: & ideo recte petitur ea, quae fuit promiſſa, quia ea erat, de qua contrahentes cogitabant. Multum ergo intereſt, utrum res ipſa debeatur, an aeſtimatio. Cum res debetur, ejus aeſtimatio ineunda eſt ſecundum deciſionem *hujus legis*, idque ibi Papinianus docet in *verſ. Denique meliore.* At cum aeſtimatio debetur, conſideratur illa aeſtimatio, quae fuit tempore contractus: quia ea promiſſa eſt, non alia, ut ibi ſtatim ſubjicit Papinianus, *verſ. In altera.*

Secunda objectio eſt de tempore rei judicatae: nam illud videtur hic ſpectandum, *l. penult. D. de condict. tritic.* ubi dicitur, *in condictione triticiaria ſi quaeratur, cujus temporis aeſtimationem recipit res petita, verius eſt condemnationis tempus eſſe ſpectandum.* Reſpondendum eſt, illic agi de certa ſpecie petita, quae extabat condemnationis tempore non deterior facta, ut ſatis indicant ea, quae ſequuntur apud Ulpianum *eo loco.* Et quando quis debet ſpeciem, obligatur praeciſe ad eam dandam, *l. ubi autem* 75. §. *ult. D. de verb. obl.* quapropter recte reſpondetur, rei judicatae tempus ſpectandum, ſi de aeſtimatione quaeratur; veluti quia res extat, licet debitor eam in ſua poteſtate non habeat, ita ut neceſſe ſit aeſtimationem ſolvere: ideo enim tunc conſideratur tempus rei judicatae, quia ſi condemnatus ſolviſſet ipſam ſpeciem, creditor eam habuiſſet talem, qualis tunc erat; ac proinde cum eam ipſam habere non poſſit, aequum eſt, ut juſtam ejus aeſtimationem habeat, quae nunc eſt, non quae fuit aut quae futura eſt; quia per rerum naturam fieri poteſt ut ſpeciem ipſam habeat. Atque hanc eſſe illius deciſionis rationem apparet ex eo, quod ibidem Ulpianus tradit: ſi res petita deſierit eſſe in rebus humanis, non amplius conſideratur tempus rei judicatae; quia tunc per rerum naturam res ipſa praeſtari non poteſt, ſed ſpectatur tempus mortis, ἐν πλάτει.

Sed numquid idem dici poteſt de vino? nempe ſi condemnatus ſolviſſet vinum, creditor habuiſſet illud tale, quale tunc eſt; ergo praeſentis temporis aeſtimationem habere debet. Reſpondeo aliam eſſe rationem ſpeciei certae, quae una & eadem manet, & litis conteſtatae, & rei judicatae tempore; aliam mercis. Nam ad illam dandam praeciſe obligatur debitor, *d. l. ubi* 75. §. *ult.* Pro hac vero aeſtimationem dando liberatur, ut ſupra ex Aretini ſententia docuimus. Cum itaque petitur vinum, debitor poteſt offerre pretium, ut creditor ejus generis quam optimum emat: at non ſimiliter poteſt dicere, cum Stichus, aut alia ſpecies petitur: en aeſtimationem! compara tibi alium ſimilem Stichum! quia ille unicus eſt, qui debetur, & ſolus in toto mundo, conſtansque ex iis proprietatibus, quarum collectio nunquam eadem reperietur in alio, ut ait Porphyrius; & ideo Africanus ſcribit mercis appellatione homines non contineri, *l. mercis* 207. *D. de verb. ſig.*

Sed videtur alia ratione probari tempus rei judicatae eſſe ſpectandum, ſi pluris tunc res fuit, quam tempore litis conteſtatae; quia pro regula traditum eſt, poſt litem conteſtatam cauſam omnem eſſe praeſtandam, id eſt, omne, quod habiturus fuiſſet petitor, ſi litis conteſtatae tempore ſoluta res fuiſſet, *l. cum fundus* 31. *D. hoc tit. l.* 2. *D. de uſur. l. praeterea* 20. *D. de rei vindic.* at ſi creditor accepiſſet vinum, tunc, cum litem conteſtatus eſt, reſervaſſet in illud tempus, quo carius vendebatur: ergo aequum eſt, eum habere ejus temporis aeſtimationem. Reſpondetur, regulam ſuperiorem pertinere ad acceſſiones certas, quas certum eſt creditorem fuiſſe habiturum, & quas reus ipſe percepit, veluti fructus & partus: non autem ad acceſſiones incertas; quale eſt pretium rei eventu temporis auctum. Nam fieri poteſt, ut ipſe actor illud non habuiſſet, etiamſi res illi ſoluta fuiſſet, vel quia vinum ebibiſſet, vel quia tunc ſtatim vendidiſſet, metuens, ne poſtea decreſceret aeſtimatio, vel forte reſervatum acuiſſet. Ideo ejuſmodi pretium cum incertum ſit, non venit in conſiderationem aeſtimationis, *l. quemadmodum* 29. §. *idem Labeo* 3. *in fin. D. ad l. Aquil.*

Sed quid, ſi cautus debitor, praevidens futuram caritatem vini, noluit tunc ſolvere, ſed reſervavit, ut poſtea venderet, ſciens ſe debiturum tantummodo pretium temporis litis conteſtatae? an ſi probatus fuerit tunc habuiſſe, & poſtea vendidiſſe, tanti facienda ſit aeſtimatio, quanti vendidit, quaſi lucrum illud ex re petita perceperit, ſimiliſque ei ſit, qui fructus perceptos reſtituit? quae ſententia rationem habet.

Tertia objectio, adverſus deciſionem *hujus legis*, ducitur ex *l.* 3. §. *ſi per venditorem* 3. *D. de act. empt.* ubi dicitur, *Si per venditorem vini mora fuerit, quominus traderet, condemnari eum oportet, utro tempore pluris vinum fuit, vel quo venit, vel quo lis in condemnationem deducitur.* Reſpondeo, ita reſponſum eſſe in illa ſpecie, quia intelligitur fuiſſe debitor in mora a tempore contractus (nec anxie nobis inquirendum eſt, quo modo fuit in mora ab eo tempore; qua tamen in re Doctores ſe torquent: ſatis eſt ſcire eum fuiſſe in mora, quod lex docet) unde quia liberior judicandi facultas conceſſa eſt judici in bonae fidei judiciis (quale illud eſt ex empto) poteſt condemnare ex bono & aequo in aeſtimationem ejus temporis, quo plurimi fuit vinum a tempore morae, uſque ad tempus rei judicatae: quod ſi nulla mora interceſſit, totum judicis arbitrium refertur ad tempus rei judicatae, *d. l.* 3. §. *in hac* 2. *D. commod.* At in ſpecie *legis noſtrae* agitur de actione ſtricti judicii, in qua judex non habet eam libertatem, ſed aſtringitur formulae petitionis, & ideo debet condemnare in id, quod petitum eſt, & ut petitum eſt: petitur autem res uti nunc eſt. Idem reſponderi poteſt ad ſimilem objectionem ex *l. ſi ſterilis* 21. §. *cum per venditorem* 3. *D. de act. empt.* Cavendum ergo eſt, ne ex verbis illis legis colligamus, tempus contractus conſiderandum eſſe indiſtincte in bonae fidei judiciis, ut Martinus hic in gloſſa: hoc enim manifeſte falſum eſt. Nam, ut bene animadvertit Bartolus, ex eo ſequeretur, periculum deteriorationis pertinere ad venditorem,

Digitized by Google

etiam ante moram, quod eſt contra regulas emptionis & venditionis, *l. 1. §. neceſſario 8. & paſſim. D. de peric. & commod. rei vend.* Hugo Donellus, unus ex praeceptoribus meis (vir civilis diſciplinae peritus, ſed malus, quia haereticus Calviniſta) aliter hanc objectionem ſolvebat, dicens nullam in hac re differentiam eſſe ſtatuendam inter contractus bonae fidei & ſtricti judicii. Atque ita defendebat ſolutionem Dyni, Petri, & aliorum, recitatam ſecundo loco a Bartolo, & rejectam: nempe in *d. §. ſi per venditorem 3.* non agi de tempore contractus, ſed de tempore, quo tradi debuit vinum, interpretando verba illa, *tempus quo venit*, tempus quo ex venditione tradi debuit, ut conveniat cum hoc reſponſo; quia utrobique conſideratur tempus quo dari debuit, ſecundum illam interpretationem, quam confirmat ex eo, quod Pomponius comparat ibi tempus quo vinum venit, cum loco quo venit, & paulo poſt oſtendit ſe intelligere per locum quo venit, locum quo tradi debuit; ergo tempus quo vinum venit, eodem modo interpretari debemus: alioqui inepte compararetur locus quo vinum tradi debet cum tempore, non quo vinum tradi debet, ſed quo venditum eſt. Haec ille, ſed prior tamen ſolutio tutior eſt. Nam hac poſteriore admiſſa manebit nihilominus differentia adhuc in *illa l.* inter bonae fidei & ſtricta judicia; quia creſcit ibi aeſtimatio uſque ad tempus rei judicatae incluſive, quod in ſtrictis judiciis non obtinet.

De tempore morae nunc videamus. Nam vulgo receptum eſt, aeſtimationem deducendam eſſe ad illud tempus, atque ita *hujus legis* deciſionem plerique Doctorum intelligunt, interpretantes verbum *petitum*, generaliter, ut ad petitionem etiam extra judicium factam referatur. Unde compendium nobis ſive ſummam *hujus legis* hanc proponunt: Aeſtimatio vini debiti incipit creſcere a tempore morae, & ſic interpellationis etiam extrajudicialis; quia talis interpellatio moram inducit, *l. ſi ex legati 23. D. de verb. obl. l. mora 32. D. de uſur.* Ajunt igitur Accurſius, Bartolus, & caeteri eorum ſequaces, tempus interpellationis extrajudicialis conſiderari, & ex eo tempore aeſtimationem fieri, ſi tunc vinum plurimi fuerit; quod ſi charius poſtea vaenierit, augeri debere aeſtimationem, & litis conteſtatae tempus ſpectari: imo putant, aeſtimationem creſcere poſſe uſque ad tempus condemnationis incluſive. Sed hanc quidem interpretationem plane ridiculam eſſe quis non animadverterit? Nam ſi ita res ſe habet, inepte hic a Juliano reſponſum eſt, tempus litis conteſtatae eſſe ſpectandum; ſimiliter a Cajo in *d. l. ult. D. de condict. tritic.* cum ſecundum illos interpretes Juriſconſulti rectius dixiſſent, illud tempus conſiderandum quo vinum plurimi fuit. Cajus & Julianus unum tempus certum deſignant, nempe litis conteſtatae, iſti infinita, prout quoque tempore creſcat aut decreſcat aeſtimatio. Illi ſimpliciter diem conſtitutum ſolutioni, & tempus litis conteſtatae nominant; iſti non niſi ſub conditione ea ſtatuunt, ſi modo tunc vinum plurimi fuerit. Breviter: ſi hos Interpretes ſequamur, ſtulti dicentur Julianus & Cajus, qui petitionis meminerunt potius, quam rei judicatae, aut alterius temporis, quo vinum fuit plurimi; imo ſtulti omnes Juriſconſulti, qui nunc judicii accepti, nunc condemnationis tempus ajunt eſſe inſpiciendum, cum uno verbo potuiſſent dicere attendi tempus, quo res plurimi valuit. Sed eorum rationis aciem facile retundit, quod diſerte ſcriptum, eſt bonae fidei judicia a ſtrictis in eo differre, quod in illis condemnationis, ſive rei judicatae; in his vero litis conteſtatae tempus ſpectatur, quando de rei petitae aeſtimatione quaeritur, *ut l. 3. §. in hac 2. D. commodat.* Adde quod, quando ex die mora committitur, aeſtimatio refertur ad illum diem, nec poſtea ulterius augetur, *l. ſi calendis 11. D. de re judicat.* Et apponitur ibi ratio, quia *eo tempore quoque aeſtimatur, quo noviſſime ſolvi poterit*: quae ratio ad hunc locum optime accommodari poteſt; nam tempus litis conteſtatae eſt tempus, quo noviſſime ſolvi poterit, cum poſt illud tempus non admittatur amplius morae purgatio, *l. ſi inſulam 84. D. de verb. obl.*

Praeterea in eo, quod ſtatuunt de mora, non eſt omnino illis aſſentiendum: exiſtimant enim morae tempus eſſe ſpectandum, ut aeſtimatio ad illud referatur; & ideo, ſi interpellatus fuerit debitor extra judicium, ineundam eſſe aeſtimationem ſecundum tempus interpellationis; inque eam ſententiam variis utuntur argumentis.

Primum: quando dictum eſt, quo die res ſolvi debeat, ejus diei aeſtimatio attenditur, ut *hac l. & d. l. ult. D. de condict. tritic.* id autem non alia ratione, quam quia dies interpellat pro homine, *l. magnam 12. C. de contrah. & commit. ſtip.* atque ita debitorem conſtituit in mora, *l. mora 32. D. de uſur. l. ſi ex legati 23. D. de verb. obl.* ergo multo magis, facta interpellatione vera, debet aeſtimatio illius temporis iniri, quo debitor eſt interpellatus; quia non debet plus operari fictio in caſu ficto, quam veritas in caſu vero, *l. filio quem 23. D. de lib. & poſt.* Reſpondetur hanc collectionem ex comparatione parium eſſe vitioſam. Nam etſi mora naſcatur ex utraque, die ſcilicet & interpellatione (ut vulgo nunc receptum eſt; licet nos contrarium de die ad *l. 5.* defendimus) tamen, quantum ad aeſtimationem rei debitae, magis attendi debet dies, majoremque vim habet, quam interpellatio, propterea quod dies ponitur in obligatione ex utriuſque conſenſu, & tempus certum deſignat, in quod debitor ſe praeparare poſſit ad ſolvendum, cum ipſe ſibi illum diem ab initio praefixerit, & cum in futurum praeviderit, atque in memoria ſua ſervare debuerit, *l. magnam 12. C. de contrah. ſtipul. l. quoties 59. D. de verb. obl.* At quando nullus certus dies eſt appoſitus obligationi, non poteſt aeque praevideri tempus, quo creditor interpellaturus eſt: imo interpellatio facta debitori non ſtatim conſtituit eum in mora, ſed cum aliquo intervallo commoditatis temporis, ut poſſit praevidere ſolutioni, ut Baldus notat ex *gl. in Aemilius 38. D. de minor.* & colligitur ex *l. ſi decem cum petiero 48. D. de verb. obl.* ubi illa adjectio, *cum petiero*, continet admonitionem, quo res celerius reddatur, & quaſi ſine mora; ergo promiſſio, facta ſine illa adjectione, admittit quandam moram temporis etiam poſt interpellationem, ut debitor ſolutioni ſe praeparet.

Secundum argumentum eſt ex *l. in re furtiva 8. §. 1. D. de condict. furt.* ubi fur dando rem deteriorem factam, non liberatur; & additur ratio, quia *ſemper moram fur facere videtur*; ergo tempus morae ſpectandum eſt, ſi res tunc plurimi fuit. At mora committitur per ſimplicem interpellationem, *d. l. mora 32. D. de uſur.* Ergo ejus temporis ſpectanda eſt aeſtimatio. Alciatus ait, hoc ſingulariter receptum eſſe adverſus furem in ejus odium, *l. ult. D. de rer. amot.* quam ſolutionem merito reprehendit Duarenus; quia idem reſponſum eſt de condictione triticiaria, *l. penult. in fin. D. de condict. tritic.* ubi dicitur *ad morae tempus reducendam eſſe aeſtimationem, & ſi poſt moram res deterior facta eſt, habendam aeſtimationem, quanto deterior ſit facta.* Quae ſententia fortiter pugnare videtur pro opinione Doctorum, hic a nobis reprobata. Nam ex illo loco apparet condemnandum debitorem, utro tempore res pluris fuit, morae, vel rei judicatae. Sed reſpondendum eſt, ibi agi de ſpecie certa & re, quae praeciſe dari debuit, & deterior facta fuit poſt moram: atque ideo recte reſponſum eſſe, aeſtimationem ineundam eſſe, quae fuit tempore morae, quia aeſtimatio damnum aſt poſtea propter ſtatum rei mutatum, id eſt, ejus deteriorationem. At aequum eſt, creditorem habere rem eadem bonitate, qua fuit cum dari debuit, *l. mulieris 13. D. de verb. ſign.* & per conſequens eadem aeſtimatione, quandoqui-

dem

dem illa aeſtimatio deminuta eſt propter deminutam bonitatem. Unde in *d. l. penult.* non dicitur ſimpliciter aeſtimationem, quae fuit tempore morae ſpectandam, ſi forte minor fuerit poſtea aeſtimatio; ſed ita demum, ſi poſtea res debita deterior facta ſit, ut intelligamus, hanc mutationem aeſtimationis natam eſſe ex mutatione bonitatis rei: ac proinde ita reſpondere oportuit: alioqui manifeſta iniquitas ſequeretur; nempe, debitorem dando rem deteriorem factam poſt moram liberari. At nos loquimur de rebus conſtantibus pondere, numero, & menſura, quarum aeſtimatio creſcit aut decreſcit ſecundum diverſitatem locorum & temporum, manente eadem bonitate: de quibus regulam Juliani, hic poſitam, obſervamus; nempe earum aeſtimationem conſiderandam, quanti fuerunt tempore litis conteſtatae. Multum ergo intereſt, utrum de aeſtimatione quaeratur, quae creſcit vel decreſcit, propterea quod res deterior vel melior facta eſt; an vero de aeſtimatione, quae augetur & minuitur, re in eodem ſtatu manente. Ad prioris partis deciſionem pertinet *d. l. penult. D. de condict. tritic.* ad poſterioris vero *lex noſtra.*

Tertium argumentum eſt: Mora debitoris debet nocere ipſi debitori, non creditori, *l. in condemnatione 173. §. unicuique 2. D. de reg. jur. l. hominem 27 D. mandati. cap. mora 25. de reg. jur. in 6.* At ſi non ſpectatur aeſtimatio, quae fuit tempore morae, ſequetur moram illam nocere creditori, ſi poſtea decreverit aeſtimatio. Nam ſi debitor interpellatus ſolviſſet, creditor vinum vendere potuiſſet, & ejus temporis pretium habere; ergo & nunc quoque aequum eſt, illud habere. Reſpondeo: quod dicitur moram ſuam cuique nocere, verum eſt in hoc, ut perpetuetur obligatio, *l. ſi ſervum 91. §. ſequitur 3. D. de verb. obl. l. ſi quis 24. in fi. D. de uſur.* non autem ut novam obligationem inducat. At ita ſi interpellatus non dedit, vinum propter moram ſuam perpetuo debebit, donec illud ſolverit; quia illud ab initio debebat: hoc eſt enim perpetuari obligationem. At aeſtimationem ejus temporis non debet, quia cum certi temporis aeſtimationem ab initio non debebat, mora non efficit, ut nova obligatio inducatur. Deinde non eſt verum, quod creditor debet habere id, quod habiturus eſſet, ſi res illi ſoluta fuiſſet eo tempore, quo mora commiſſa eſt: argumento ſunt fructus, qui non praeſtantur ante litem conteſtatam, & tamen creditor eos habuiſſet, ſi rem accepiſſet, cum interpellaret debitorem, *l. videamus 38. §. ſi actionem 7. D. de uſur.*

Quartum argumentum eſt ex *d. l. 3. §. ſi per venditorem 3* & *d. l. ſi ſterilis 21. §. cum per venditorem 3. D. de action. empt.* ubi ſpectatur tempus morae. Sed jam reſponſum eſt, id fieri propter liberam judicandi poteſtatem, quam habet judex in actionibus bonae fidei, & propter naturam earum actionum, in quibus veniunt uſurae & fructus a tempore morae, *d. l. videamus 38. §. in caeteris 15. D. de uſur. l. in bonae fidei 15. C. de uſur. l. 2. C. depoſiti*; quod non ſimiliter in ſtrictis judiciis admiſſum eſt.

Quintum argumentum ducitur ex verbis *hujus legis*, ubi dicitur vinum tanti aeſtimandum, quanti fuit cum petitum eſt: at verbum petere includit etiam petitionem extrajudicialem, *d. l. ſi decem cum petiero 48. D. de V. O.* Sed jam initio oſtendi, verbum *petitum* hoc loco accipiendum eſſe de petitione in judicio; quia quaeſtio de illa petitione mota fuit, ut veriſimile non ſit Julianum, de uno conſultum, de alio reſpondiſſe. Ex his alia, ſi quae apud illos ſunt argumenta, facile dilui poſſunt.

Synopſis de aeſtimatione rei petitae.

Ut itaque brevem eorum, quae tota hac diſputatione a nobis concluſa ſunt, ſynopſin aliquis habeat, ſic accipito. Quoties quaeritur de aeſtimatione rei petitae facienda, ſi bonae fidei judicium eſt, & nulla mora praeceſſit, ſpectatur tempus rei judicatae, *d. l. 3. §. in hac 2. D. commodat.* At nonne ſemper motam facit, *qui litigare mavult, quam reſtituere?* *l. nemo 82. §. 1. D. de verb. obligat.* quomodo ergo dicimus, ſi mora non intervenit ante rem judicatam? Reſpondeo; quod dicitur *d. l. nemo 82.* cum exceptione intelligendum, niſi juſtam cauſam litigandi habeat, *l. ſi quis ſolutioni 24. D. de uſur. l. qui in alterius 42. l. qui ſine dolo 63. D. de reg. jur.* Si vero mora intervenit, conſideratur tempus morae, ſi pluris tunc res fuit, vel rei judicatae ſi minoris, *d. l. 3. §. ſi per venditorem 3.* Quod ſi ſtrictum judicium eſt, ſive ſtricti juris actio, ex qua res petitur, diſtinguendum eſt inter ſpeciem certam petitam, & alias res, quae mercium numero continentur. Si enim ſpecies certa petitur, & debitor nullam moram commiſit, ſpectandum eſt tempus condemnationis, ſive rei judicatae; vel tempus mortis, ſi ante condemnationem deſiit eſſe in rebus humanis. Quod ſi moram fecit debitor, & poſtea res deterior facta eſt, reducenda eſt aeſtimatio ad tempus morae, quia propter deteriorationem rei aeſtimatio decrevit, *d. l. penult. D. de condict. tritic. d. l. in re furtiva 8. §. 1. D. de cond. furt.* & *d. l. penult. D. de act. rer.* At ſi res eſt, quae mercium numero habetur, ſive quae pondere, numero, & menſura conſtat, conſideratur tempus litis conteſtatae, ſi non eſt dies appoſitus obligationi. Quod ſi dies adjectus eſt, id eſt, ſi convenit quo tempore ſolveretur, illud tempus ſpectandum eſt de quo convenit, ſecundum deciſionem *hujus legis* & *d. l. ult. D. de condict. tritic.* quod & in ſuperioribus obligationibus, quae diem habent, obſervari debet. Harum omnium diverſitatis cauſas & rationes in ſuperioribus ad *hanc legem* ſingillatim perſtrinximus.

Atque haec quidem ad Juliani reſponſum de tempore ſufficiant. Sequitur de loco; ait enim: *ſi convenisſet, ut certo loco redderetur quanti eo loco eſſet; ſi dictum non eſſet, quanti ubi eſſet petitum.* Priore caſu fit actio arbitraria propter locum, ſi alibi petatur, quam ubi reddi promiſſum eſt, *l. 1. 2. & paſſ. D. de eo quod cert. loc.* dummodo res non debeatur ex bonae fidei contractu, *l. in bonae fidei 7. D. de eo quod cert. loc.* Poſteriore caſu conſideratur ſimpliciter aeſtimatio loci, ubi petitur; debet autem peti in foro rei, *l. 2. l. in criminali 5. C. de juriſd. omn. jud. l. ult. C. ubi in rem act. l. haeres abſens 19. D. de judic.* Quemadmodum ergo ſi dictum fuit, quo die redderetur, tanti aeſtimatio facienda eſt, quanti fuiſſet eo die, quo dari debuit: ita etiam ſi dictum fuit, quo loco reddi deberet, quanti eſſet, eo loco aeſtimatio ineunda eſt, ut hic dicitur, & *l. ult. D. de cond. tritic.* Idque obſervari debet, non ſolum quando ad implendum contractum agitur, ut hic, ſed etiam cum agitur ad eum reſcindendum, ut volunt Cyn. Alber. Alexander, Decius, Alciatus, & alii nonnulli; veluti ſi quis dicat, ſe deceptum ultra dimidium juſti pretii, aeſtimandum id pretium eſſe ex communi opinione & pretio loci, ubi res vendita tradi debuit; quam ſententiam videtur confirmare, quod *unusquisque intelligitur contraxiſſe in eo loco, in quo ut ſolveret ſe obligavit, l. contraxiſſe 21. D. de obl. & act.* At cavendum tamen eſt, ne huic eorum opinioni temere aſſentiamus, propter magnam inter has ſpecies aequitatis & rationis diverſitatem. Cum enim agitur ad implementum contractus, pretium ex loco deſtinato ſolutioni ideo ſumendum eſt, quia ſi ibi res ſoluta fuiſſet, ut ſolvi debuit, emptor pretium illud habere potuiſſet. Quae ratio ceſſat, cum ad diſſolvendum contractum agitur propter errorem juſti pretii: non enim ideo petitur reſciſſio, quia venditor, ſi ad hunc vel illum locum rem tranſtuliſſet, plus duplo pretii accepiſſet, ſed quia res duplo pluris & amplius valebat, cum eam venderet, ſive tempore venditionis, *l. ſi voluntate 8. in fin. C. de reſcind. vend.* Debet igitur in hac ſpecie attendi & conſiderari potius pretium loci, in quo res erat cum venderetur, & ejus temporis, quo venderetur: nec enim ſubſequens incrementum pretii ad vendito-

Digitized by Google

ris commodum ſpectare debet, ut ejus reſpectu reſcindatur contractus, *l. id quod 7. D. de peric. & commod. rei vend. l. 1. C. eod. d. l. ſi voluntate* 8. Debet, inquam, conſiderari pretium loci, in quo res tunc erat, cum venderetur, ſive ibi contractum fuit, ſive non; cum ſoleant plurimum venditores ad id pretium reſpicere, nec fraudari videantur, ſi rem communi pretio loci in quo ſita eſt, vendant, licet duplo vel triplo pluris alibi vaeneat. Ac proinde ſi rem hic Pontimuſſi vendidero, quae jam eſt Leodii, tradendam Antverpiae, moxque reſcindi contractum petiero, quod minus dimidio juſti pretii acceperim, aeſtimandum id pretium eſt ex foro Leodienſi, ſeparatis & ſeorſim computatis ſumptibus, ad rem illinc Antverpiam uſque transferendam neceſſariis, quod una illa ſumma & pretium rei & vecturae merces contineatur. Finge itaque centum modios frumenti, qui ſunt Leodii, venditos eſſe 100. aureis, cum ibi valeant 150. tradendos vero Antverpiae, ubi communiter vaeneunt 200. ac non minus 20. aureis pro vectura impendendum. Hic ſi de reſcindendo contractu agatur propter errorem ſupra dimidium juſti pretii, ſeparandus in primis eſt ſumptus vecturae, quem facere debet venditor, & deducendus ex illa ſumma 100. aureorum, nempe 20. aurei: ita ut in pretio maneant tantum aurei 80. qui ſecundum commune pretium loci, in quo erat frumentum, fori nempe Leodienſis, ſuperant adhuc dimidium juſti pretii, quod eſt tantum 75. aureorum, ex quo ſequitur contractum ea de cauſa non eſſe reſcindendum. Sin vero ſpectetur aeſtimatio ſeu pretium loci, in quo tradi debuit, fori ſcilicet Antverpienſis, quod eſt 200. aureorum, ſumma illa 80. aureorum multo inferior eſt dimidio juſti pretii, ut inde reſcindi poſſe contractus videatur. Sed hoc certe poſterius iniquitatem continet; tum quia, ut diximus, contrahentes ſolent plurimum de pretio loci, in quo res eſt, cogitare; venditor quidem, quod ſciat ſe amplius ibi pro ea re conſequi non poſſe: emptor vero, quod rem ejuſdem generis eodem in loco pari pretio comparare ſe poſſe arbitratur; unde merito id pretium conſiderari debet in judicio reſciſſionis, de quo veriſimile eſt utrumque cogitaſſe, *l. ſemper 34 D. de reg. jur* cum in dubio ita facienda ſit interpretatio, ut contractus valeat potius, quam pereat, *l. quoties* 80. *D. de verb. obl. l. quoties 12. D. de reb. dub.* tum etiam, quia negotiationem & mercaturam Reipublicae neceſſariam valde impediret. Quippe ad illam exercendam homines ea potiſſimum de cauſa invitantur, quod ſperent ſe merces, alibi vilius comparatas, alibi magno pretio poſſe divendere, & earum rerum, quibus civitates abundant, exportatione; earum vero, quibus egent, invectione, compendium & quaeſtum uberrimum facere. Ac proinde aequiſſimum videtur, ut fori utilitas, ad quod emptor rem transvehi curavit, ejus commodo cedat, cujus damno futurum eſt, ſi minimo ibi pretio revendatur, *l. ſecundum naturam 10. D. de reg. jur. cap. qui ſentit 55. de reg. jur. in 6.* Nam licet Doctores communiter extendant *legem 2. C. de reſcind. vendit.* ad emptorem deceptum (quod recte ne, an ſecus fecerint, alibi examinabimus) tamen iidem fatentur mercatori decepto in actibus mercantiae ſuae non ſubveniri, ut notat M. de Mant. *ſingul.* 520. Nec quemquam movere debet, quod venditor in ſpecie propoſita rem alio transfert, & ibi tradit, ubi pretium auctum eſt; nam ad id ſe obligavit, & aut charius propter transvectionem vendidit, aut certe ſtultus venditor fuit. Hinc eſt quod, ut diximus, quando agitur de reſcindenda venditione ejus rei, quae alio loco tradi debet, quam ubi tunc eſt cum venditur, id tantum in pretio computari debet, quod, ſubductis impenſis, ad eam transportandam neceſſariis ſupereſt, quaſi haec non tam pretii pars, quam transvectionis merces cenſeantur. Atque haec ita ſe habere arbitror, etiamſi venditor ſit, qui alias ipſe ſimilem negotiationem ſoleat exercere: quid enim ſi maluit modicum, ſed certum lucrum ſequi, quam incertum alterius fori eventum expectare?

Sed ad textum noſtrum nunc redeamus, in quo Julianus comparat tempus, quo vinum ſolvi debuit, cum loco, ubi ſolvi debuit, ut ſicut diei, ita & loci aeſtimatio conſideretur; ex qua convenientia & ſimilitudine reſponſorum de die & de loco Bartolus, & alii Doctores colligunt, valere argumentum a tempore ad locum, & contra: quod tamen non usquequaque verum eſt, ſed tunc demum, cum utrobique ratio cernitur, ut in ſpecie *legis noſtrae.* Et ideo licet is, qui certa die rem dare promiſit, ſolvendo ante diem ſive alio die, liberetur, *l. quod certa 70. D. de ſolut. l. continuus 137. §. cum ita 2. D. de verb. obl. l. cum tempus 17. D. de reg. jur.* tamen qui certo loco dare promiſit, non liberatur ſolvendo alibi, quam ubi promiſit; quia actio propter locum fit arbitraria, ut dictum eſt. Quapropter merito ab aliis reprehenditur Jaſon, qui ex ſuperiore temporis & loci ſimilitudine contendit, quod ſicut debitor, ſuſpectus de fuga, capi poſſit die ſacro ſeu feriato, per gloſ. ſingularem & approbatam in *l. dies feſtos 11. C. de fer.* ſic etiam capi poſſit in aede ſacra: tum quia longe major reverentia eſt loci, quam temporis (ille enim aſylum praebet, unde extrahi violenter nemo debet, *cap. inter alia 6. de immun. Eccleſ. l. quod ſit fugitivus 17. §. apud Labeonem 12. D. de Aedilit. edict. l. 2. & l. praeſenti 6. C. de his qui ad Eccl. confug.*) tum etiam, quia minus periculum eſt, faciliusque cuſtodri poſſunt homines, ne de Eccleſia exeant, quam ne die feriato aufugiant. Ratio igitur & cauſa ſimilitudinis, aut diverſitatis in unaquaque ſpecie, diligenter conſideranda eſt. Ex ea enim jus idem vel diverſum inducitur, *l. idem 32. D. ad. l. Aquil. l. non ſolum 67. §. 1. D. de rit. nupt.*

LEX XXIII. AFRICANUS lib. 2. Quaeſtionum.

SI eum ſervum, qui tibi legatus ſit, quaſi mihi legatum poſſederim, & vendiderim, mortuo eo poſſe te mihi pretium condicere Julianus ait: quaſi ex re tua locupletior ſim.

Quaeſtio eſt, an is, qui rem mihi legatam, quaſi ſibi legatam poſſederit, & vendiderit, re perempta, aliqua mihi actione teneatur. Dubitandi cauſa eſt, quia, quantum ad rei vindicationem attinet, ſecurus eſt, qui neque poſſidet, neque dolo deſiit poſſidere, *l. qui petitorio 36. D. de rei vind.* quantum vero ad actionem in perſonam, ideo non videtur ea teneri, quia non competit niſi adverſus eum, qui nobis obligatus eſt ex contractu, vel quaſi, maleficio, vel quaſi *§. 1. Inſtit. de act.* At hic nullum inter nos negotium geſtum eſt, nullus tractatus habitus, nulla vel ficta contrahendi voluntas adhibita, nulla numeratio aut traditio, nullum maleficium, vel quaſi maleficium, ab eo commiſſum; ita ut ceſſet omnis color, & cauſa illa dandae conditionis deficiente vindicatione, quae proponitur in *l. rogaſti 11. cum duab. ll. ſeqq.* & *l. non omnis 19. §. ſi pupillus 1. D. h. t.* Contrarium tamen hic reſpondet Africanus ex Juliani ſententia; nempe me poſſe condicere illi pretium rei ab eo venditae: quod paradoxon videri poteſt propter ea, quae diximus de cauſa actionis in perſonam. Et quidem ratio, hic ſubjecta ab Africano, oſtendit id ſingulari aequitate obtinere per regulam juris naturalis, *neminem cum alterius jactura fieri debere locupletiorem, l. nam hoc natura 14. D. de condict. indeb.* qua ratione reſponſum eſt, venditorem re evicta debere pretium reſtituere emptori, licet aperte pactus ſit, *nihil evictionis nomine praeſtatum iri, l. ex empto. alias l. emptorem 11. § ult. D. de act. empt.* Non pertinet autem haec condictio ad tractatum de mutuo; non enim eſt ex mutuo, ſed ex bono & aequo. Unde quidam exiſtimant eſſe con-

condictionem ſine cauſa, quae continetur ſub certi condictione generali, *l. certi condictio* 9. *D. h. t.* conſtat enim ſub hoc titulo tractari de variis cauſis condicendi certum, quae omnes ſub generali condictione certi comprehenduntur, ut de condictione cauſa data, *l. non omnis* 19. *D. de condict.* ex injuſta cauſa, *l. ſi. quis nec cauſam* 4. §. 1. *D. hoc tit.* de condictione ex ſtipulatione, *l. prox. D. h. t.* Id enim condictione ſine cauſa peti poteſt, quod vel non ex juſta cauſa ad aliquem pervenit, vel redit ad non juſtam cauſam, *l.* 1. §. 3. *D. de condict. ſine cauſa*, *l. perpetuo* 6. *D. de condict. ob turp. cauſ.*

Obſervandum autem eſt, Africanum hic loqui de eo, qui bona fide rem poſſedit & vendidit, putans eam ſuam eſſe: nam malae fidei poſſeſſor teneretur rei vindicatione etiam poſt alienationem, *l. Julianus* 17. *D. de rei vindic.* Deinde notandum eſt, quod dixi, *re perempta*, pro quo Africanus dixit in ſpecie *hujus legis, mortuo ſervo*; quia quamdiu res extat apud emptorem, vindicare eam poſſum non reddito pretio, *l.* 3. & *l. ſi mancipium* 23. *C. de rei vindic.* Tertio notanda eſt ratio decidendi, ex qua colligitur, nullam mihi adverſus eum, qui rem meam bona fide poſſedit, actionem competere, ſi non eſt locupletior factus; veluti ſi rem meam ab aliquo bona fide emiſti, & rurſus vendidiſti, eaque perempta eſt. Hic enim deſinit rei vindicatio, quia res apud bonae fidei poſſeſſorem perit, deſinit & actio in perſonam adverſus te, quia non es locupletior factus, niſi forte pluris vendidiſti, quam emiſti: tunc enim in id, quod plus eſt, mihi condictio competit ex deciſione hujus loci. Quod autem de re perempta dictum eſt, idem intelligi debet de re uſucapta, quia perinde eſt ac ſi periiſſet, quantum ad hoc ne vindicari poſſit, *l.* 1. *C. de reb. alien. non alienan. l. ſi id quod* 10. *D. ſi quid in fraud. patron.* Poſtremo ſciendum eſt, in hac eadem ſpecie me poſſe agere negotiorum geſtorum, ſi ratam habuero venditionem factam ab eo, qui rem meam poſſedit, quaſi meo nomine vendidiſſet, *l. ult. D. de negot. geſt.* Nam licet ille exiſtimabat, ſe ſuum negotium gerere, re vera tamen geſſit meum negotium, & haoc veritatem ſpectamus, contempta falſa opinione, *l. ſi pupilli* 6. §. *ſed ſi hominis* 7. *D. de negot. geſt.* quo caſu non datur condictio ſine cauſa, de qua hic, quia ea datur deficiente alia certa & nominata actione: at ſufficit negotiorum geſtorum, in qua ex bono & aequo fit condemnatio.

LEX XXIV. ULPIANUS lib. ſing. Pandectar.

S*I quis certum ſtipulatus fuerit, ex ſtipulatu actionem non habet: ſed illa condictitia actione id perſequi debet, per quam certum petitur.*

Hunc locum explicat Juſtinianus in *princ. tit. de verb. obl. in Inſtit. Ex verborum obligatione* (inquit) *quae proficiſcuntur actiones, tum condictio certi, ſi certa ſit ſtipulatio, quam ex ſtipulatu, ſi incerta.* Quantum ergo ad ipſam obligationem, & ejus conſtituendae modum, & denominationem, nulla eſt differentia: dicitur enim aliquis ex ſtipulatione obligatus. Sed in ratione agendi haec differentia obſervatur; ut quando certa eſt ſtipulatio, agatur certi condictione, quae quidem certi condictio eſt ex ſtipulatu, id eſt, contractu ſtipulationis (ita enim illud verbum accipitur aliquando, ut in *l. praedia* 28. *D. de act. empt.*) veruntamen non appellatur actio ex ſtipulatu, ſed certi condictio. Quando vero incerta eſt ſtipulatio, tunc agitur ea actione, quae proprio nomine vocatur actio ex ſtipulatu: quapropter in *d. l. praedia* 28. quod dicitur *ex ſtipulatu*, interpretandum eſt, ex contractu ſtipulationis, & ſimiliter in *l. ſi pacto* 14. *C. de pact.* quia poenalis ſtipulatio certa eſt, *l. ſi poenam* 68. *D. de verb. obl.* Nam ſtipulatus pro ſtipulatione ponitur interdum, ut *l.* 3. *C. de inutil. ſtipul. l. uxori* 33. §. *cum Sejus* 2. *D. de leg.* 3. *l. pecuniae* 9. *D. de uſur.* Quae autem dicatur certa ſtipulatio, quae incerta, docetur, *l. ſtipulationum* 74. cum. *l. ſeq. D. de verb. obl.*

LEX XXV. IDEM lib. ſingulari de officio Conſularium.

C*Reditor, qui ob reſtitutionem aedificiorum crediderit, in pecuniam, quam crediderit, privilegium exigendi habebit.*

Is, qui ob reſtitutionem aedificii pecuniam mutuam dedit, vel redemptori, id eſt, artifici, qui aedificium extruendum ſuſcepit, mandante domino pecuniam ſolvit, habet privilegium perſonale & hypothecarium. Perſonale quidem inter creditores chirographarios, ut praeferatur privilegium non habentibus, de quo hoc loco, & *l.* 1. *D. de ceſſ. bon. l. ſi ventri* 24. §. *divus* 1. *D. de reb. auth. jud. poſſid.* Hypothecarium vero, ut praeferatur aliis creditoribus hypothecariis tempore prioribus, *l.* 1. *D. in quib. cauſ. pign. l. interdum* 5. cum *l. ſeq. D. qui potior in pign. hab.* ubi non ſolum ob reſtitutionem aedificiorum, ſed etiam navium, & ſimilium rerum, privilegium iſtud hypothecarium competit: & redditur ratio, quia qui ad reficiendam & reſtituendam rem ejuſmodi, pecuniam ſuam dedit, fecit pecunia ſua, ut totius pignoris cauſa ſalva eſſet & ſibi & caeteris. Pignoris autem privilegium in hoc prodeſt creditori, quod non ſolum adverſus debitorem, ſed omnem aedificii poſſeſſorem agere poſſit hypothecaria actione, *l. ſi fundus* 16. §. *in vindicatione* 3. & *l. ſequent. D. de pignor. l. ſi eum venditor* 66. *D. de evict.* quod chirographarius creditor facere non poteſt, *l. ſi ſolvere, penult. C. de novat.* quemadmodum nec poſſeſſorem illius rei alienatae convenire, *l. ult.* §. *ult. D. de contrah. empt.*

Sunt, qui reſponſum hoc de credita pecunia ob reſtitutionem aedium, putant ſpeciali ratione niti, propter aedificia, ne eorum ruinis deformetur civitatis aſpectus, *l.* 2. *C. de aedif. privat.* unde domini cauſa cognita cogendi ſunt lapſa reficere, & diruta extruere, *l. praeſes* 7. *D. de offic. praeſ. l. ad curatoris* 46. *D. de damn. infect.* Sed videmus idem eſſe de navi, & per conſequens de caeteris rebus, quae per refectionem & reſtitutionem in ſua integritate conſervantur.

Quid autem ſi is, qui pecuniam accepit ad reſtituendum aedificium, eam in alios uſus convertit, aut perdidit, aut prodegit; an mutuans nihilominus hoc privilegium habebit? Et quidem ſi creditor, cum pecuniam daret, certo ſcivit, domum in ea cauſa eſſe, ut reſtitutione indigeret, debitorque cavit nominatim ſe pecuniam illam in refectionem ejus domus accipere? Dicendum eſt ſententiae *hujus legis* locum eſſe: id enim in ſimili ſpecie diſerte ſcriptum eſt, *l. ult. D. de exercit. act.* ut mirum ſit, Jaſonem diſſentire per *l. quod ſi ſervus* 3. §. *ſed ſi ſic* 9. *D. de in rem verſ.* cum tamen locus ille ſpeciem ab hac diſſimilem contineat, ex quarum diverſitate jus diverſum oritur. Nam in ſpecie noſtra, & *d. l. ult. D. de exercit. act.* agitur de re certa, quam conſtabat refectione vel reſtitutione indigere; ac in *d. l.* 3. §. *ſed ſi ſic* 9. nulla res certa erat, in cujus conſervationem pecunia accepta impendatur: tantum proponitur ſervum ſic accepiſſe pecuniam, quaſi in rem domini verteret. Merito igitur in ea ſpecie reſpondetur, creditorem debere eſſe curioſum, quo vertatur pecunia: nam ſi alio, quam in rem domini verſa ſit, dominus non tenetur, *ne credulitas creditoris domino obſit, vel calliditas ſervi noceat.* Nihil ergo locus ille Jaſonem juvat.

Sed finge, me centum crediſſe Titio, & domum pignori accepiſſe; ac te deinde illa centum ad ejuſdem domus refectionem ei dediſſe, domumque poſtea terrae motu, vel alio caſu collapſam & dirutam eſſe: certe ego praeferar in pignore areae. quia tu in eam conſervandam nihil impendiſti, ceſſatque ratio *l.* 6. *qui pot. in pign.* Finge rurſus, domum, quae nulla

Digitized by Google

mihi prius obligata erit, tua pecunia eſſe reſtitutam. Nonne aequum eſt, me tibi praeferri, quatenus ſola area valeret, ſi domus eſſet diruta: & te rurſus mihi preferri in eo, quod ſupereſt, quo pluris ſcilicet valet aedificium, quam ſola area; veluti ſi tota domus non valeat niſi centum, area autem diruto aedificio valeret 40? Aequum certe hic eſt, concurſum fieri, ut neuter noſtrum integra centum habeat: non ego quidem, quia tu mihi praeferendus es in hypotheca aedificii; non tu, quia potior ſum in hypotheca areae: partes igitur fient; tuque 60. ego 40. auferam. Hoc juſtitiae & aequitatis ratio poſtulat, & jovatur argumento, *l. idemq. 7 in princ. verſic. Quod ſi res. D. qui pot. in pign.* & *l. qui res* 98. *D. de ſol.*

LEX XXVI. Idem lib. 5. Opinionum.

SI pecuniam militis procurator ejus mutuam dedit, fidejuſſoremque accepit, exemplo eo, quo ſi tutor pupilli aut curator juvenis pecuniam alterutrius eorum creditam ſtipulatus fuerit, actionem dari militi, cujus pecunia fuerit, placuit.

Satis conſtat, proponi nobis *hoc capite* quoddam militis privilegium, quo per procuratorem actio ei acquiratur. In quo autem ſit illud privilegium, non ſatis convenit inter Interpretes; aliis aliter hoc reſponſum interpretantibus. Verum cum Ulpianus dicat, privilegium iſtud militi competere exemplo pupilli & minoris, quorum tutor vel curator pecuniam alterutrius eorum creditam ſtipulatus fuerit, non obſcure, ut mihi videtur, indicat, de quo privilegio loquatur: remittit enim nos ad privilegium pupillorum & minorum. Illud eſt, de quo idem Ulpianus agit in *l. cum qui* 5. §. *ſi actori* 9. *D. de conſtit. pecun.* ubi favore pupilli & adoleſcentis receptum eſt utilitatis gratia, ut ſi eorum tutor aut curator ſtipulationem concipiat, in perſona eorum valeat ſtipulatio; cum tamen regulariter *alteri ſtipulari nemo poſſit*, *l. ſtipulatio iſta* 38. §. *alteri* 17. *D. de verb. obl. l. quaecunque gerimus* 11. *D. de obl. & act.* Idem ergo militi concedendum eſt ex *hoc capite*. Finge ergo, procuratorem militis dediſſe pecuniam militis domini ſui mutuam, & ſtipulatum eſſe eam pecuniam reddi nominatim domino ſuo; haec ſtipulatio inutilis eſſet, ſi procurator alterius ita ſtipulatus fuiſſet, *l. certi condictio* 9. §. *nummos* 4. *D. h. t.* ſed propter favorem militis dicitur eſſe utilis, exemplo pupilli aut adoleſcentis, quibus eodem modo actio datur, *d. §. ſi actori* 9. Quod ſi de hoc caſu non intelligitur hic locus, non video, in quo poteſt conſiſtere hoc privilegium militis, de danda ei actione. Nam ſi procurator militis dedit pecuniam militis mutuam ipſius militis nomine, acquiritur quidem actio militi, ſed ſine ullo privilegio; quia idem obſervatur jure communi circa omnes, *d. l. certi* 9. §. *ſi nummos* 8. *D. h. t.* Et rurſus, ſi procurator dedit pecuniam, & eam ſibi reddi ſtipulatus eſt, acquiritur quidem actio militi, ſed in eo nihil eſt ſingulare; quia idem fieret, ſi alicujus alterius procurator pecuniam domini mutuam dediſſet, & eam reddi ſibi ſtipulatus eſſet: generaliter enim traditum eſt, *quod procurator ex re domini mandato non refragante ſtipulatur, id dominum petere poſſe invito procuratore*, *l. quod procurator* 68. *D. de procur.* Sunt tamen, qui de actione adverſus fidejuſſorem intelligunt hoc reſponſum: nam obligatur fidejuſſor ex mera ſtipulatione, *l. blanditus* 12. *C. de fidejuſſ.* unde non videtur poſſe acquiri domino per procuratorem actio adverſus fidejuſſorem, ſine ceſſione, *l. poſſeſſio quoque* 49. §. *ult. D. de acq. poſſ.* Sed id receptum eſt, dicunt, favore pupillorum & minorum, atque etiam militum hac lege, ut agere poſſint adverſus fidejuſſorem non ceſſis a procuratore actionibus. Sed poteſt dici haec fidejuſſio eſſe ex re domini, ac proinde etiam cuilibet domino dari actionem, tanquam acceſſoriam adverſus fidejuſſorem, ita ut non ſit ſpeciale in perſonis, hic enumeratis, *arg. l. 2. C. per quas perſ. nob. acq.* ubi datur hypothecaria ſine ulla ceſſione ei; cui competit perſonalis. Alii intelligunt hunc locum de eo procuratore, qui pecuniam militis ſuo proprio nomine mutuam dedit, quo caſu regulariter conſumpta pecunia acquiritur actio non ipſi domino, cujus erat pecunia, ſed ei, qui numeravit, *l. ſi a furioſo* 12. *in fin. l. nam etſi fur* 13. §. *unde Papinianus* 1. *l. non omnis* 19. *in fin. D. h. t.* Sed favore pupilli, minoris, & militis, datur actio ipſi domino: nam & quod majus eſt illis conceditur, nempe ut res empta pecunia eorum efficiatur ipſorum, *l. ſi ut proponis* 8. *C. de rei vindic. l. 2. D. quand. ex fact. tutor. vel curat.* licet alia res empta ex pecunia noſtra non ſit noſtra, *l. ex pecunia* 12. *C. de jure dot.* Sed poſtrema haec interpretatio procedit ex divinatione; quia non exprimitur hic, quo nomine procurator dedit pecuniam; ſed tantum, quod dedit pecuniam militis, & ut procurator, unde apparet illum dediſſe nomine domini ſui. Et ideo tutius eſt manere in prima explicatione.

LEX XXVII. Idem lib. 10. ad Edictum.

CIvitas mutui datione obligari poteſt, ſi ad utilitatem ejus pecuniae verſae ſunt: alioquin ipſi ſoli, qui contraxerunt, non civitas, tenebuntur.

Quaeſtio eſt, an mutui datione obligetur civitas perinde ac privatus aliquis. Dubitandi cauſa eſt, quia civitas dicitur privati loco eſſe, *l. eum qui vectigal.* 16. *D. de verb. ſign.* & jus privatorum ſubit, quando mutuum dat, *l. nihil intereſt* 15. *D. de SCto Maced.* Praeterea ſatis conſtat, civitatem ex delicto obligari ut privatum, *l. metum* 9. §. *animadvertendum* 1. *D. de eo quod met. cauſ.* Contrarium tamen hoc reſponſo concluditur, nempe non omnino parem & aequalem cauſam eſſe civitatis & privati, quantum ad mutui obligationem conſtituendam attinet. Privatus enim, ſi procuratori aut auctori ſuo mandavit, ut pecuniam mutuam accipiat, tenetur creditori, etiamſi pecunia in rem ipſius verſa non ſit, *l. liberto* 31. *D. de negot. geſt. l. ult. C. quod cum eo qui in alien. pot.* At civitas non ſimiliter ſola pecuniae acceptione obligatur. Sciendum eſt itaque, receptum eſſe utilitatis cauſa ut civitas & dare & accipere mutuum poſſit; quamvis ſtricto jure id non videatur poſſe fieri, quia mutuum numeratione & conſenſu fit. At impoſſibile eſt, totam civitatem conſentire poſſe, cum ſint in ea multi aliquando furioſi, infantes, prodigi, pupilli, fatui, & aliae etiam perſonae, quorum omnium conſenſum exquirere difficile eſſet, *l. univ. D. de libert. univerſ.* Sed quia deligi ſolent certae perſonae, quarum conſilio caeteri regantur, fit, ut quod civitatis nomine ab iis datum aut acceptum eſt, id civitas dare aut accipere dicatur. Ideoque ſi adminiſtrator aut actor, ſive ſyndicus civitatis, juſſus, mutuam pecuniam acceperit nomine civitatis, obligatur quidem ipſa civitas, ſed non ſimpliciter & praeciſe, quemadmodum privatus ex contractu procuratoris, ut dictum eſt; ſed ita demum, ſi duo concurrant: nempe ſi creditor dedit contemplatione civitas (alioqui enim ipſe ſolus, qui accepit, non civitatis, obligatur, *l. cum qui* 13. *C. ſi cert. pet.*) & ſi pecunia in rem civitatis verſa eſt, ut in reſponſo *hujus capit.* Ratio decidendi eſt favor civitatum, ne adminiſtratorum culpa detrimentum patiantur, *arg. l. ult. C. de vendend. reb. civit. lib.* 11. Dicitur enim *respublica minorum jure uti*, *l. penult. C. ex quib. cau. major.* ubi reipublicae verbo civitates intelligendae ſunt, *l. Titio* 36. *D. ad Municip.* Atqui minoribus tributum eſt ne obligentur ex mutui contractu inito per curatores aut tutores, niſi pecunia in rem ipſorum verſa ſit, *l. 3. C. quand. ex fact. tut. vel curat. l. 2. in fin. C. de curat. furioſ. l. debitores* 28. *D. de ſolut.* Qua ratione etiam dici poteſt, quod, quemadmodum minores ipſi accipiendo pecuniam, reſtitui poſſunt in inte-

Digitized by Google

integrum, niſi creditor doceat, pecuniam eſſe verſam in rem ipſorum, *l. 1. & 2. C. ſi adverſ. credit.* Ita etiam reſpublica, quando non per adminiſtratorem aliquem accepit pecuniam, ſed per ſeipſam, id eſt, per concilium generale, quod in ea civitate exercetur, aut per ſolennem ordinum conventionem, ut fieri ſolet interdum: nam licet hoc caſu obligetur quidem civitas ipſo jure, reſtitutionem tamen petere poteſt, *d. l. penult. C. quib. ex cauſ. major l. unic. C. de ſolut. & lib. debitor. civitatis. lib. 11.* Ad cauſas autem dubitandi reſpondendum eſt, quod dicitur, civitates privatorum loco eſſe, id in adminiſtratione rerum fallit; in aliis vero multis caſibus verum eſt, ut ibidem notat gloſſa.

Quid ſi pecunia non eſt verſa in rem civitatis, ſed, cum actor eam ferret, caſu amiſſa eſt? certe probabilis eſt ſententia eorum, qui dicunt tunc teneri civitatem, *arg. l. is verum 11. §. ſciendum 3. D. de minor.* & *l. in pupillo 47. D. de ſolut.* Quod autem de civitate, pupillo, & minore diximus, idem de Eccleſia cenſendum eſt, *cap. quod quibusdam 4. extra. de fidejuſſ.*

LEX XXVIII. Gajus lib. 21. ad Edictum provinciale.

CReditor qui non idoneum pignus accepit, non amittat exactionem ejus debiti quantitatis, in quam pignus non ſufficit.

Quaeſtio eſt, an creditor, qui pignus non idoneum accepit, id eſt, minoris valoris, quam eſt ſumma debita, habeat actionem ad petendum reſiduum illius debiti, ad quod pignus non ſufficit. Dubitandi cauſa eſt, quia creditor accipiendo pignus ſatis ſibi proſpexiſſe videtur, ideoque eo contentus eſſe debet, quemadmodum ſi volenti creditori delegatus eſt debitor, qui ſolvendo non eſt, *l. inter cauſas 26. §. abeſſe 2. D. mandati.* Praeterea in *l. a divo Pio 15. §. ſi pignora 3. D. de re judicat.* Ulpianus ait reſcriptum eſſe creditorem, qui contentus fuit pignus poſſidere, non poſſe ſuperfluum, id eſt, quod amplius ſibi debetur, petere. Contrarium tamen hic reſpondetur, & aliis locis in *gloſſ. citatis:* ſupereſſe nimirum creditori actionem ejus quantitatis, in quam pignus non ſufficit. Decidendi aequitas illa eſt, quod pignus creditori datur, non ut detrahat quicqum obligationi, ſed potius ut eam juvet, *l. ſi ſe non obtulit 4. §. ſi eu conventione 4. D. de re judicat.* nec ut noceat creditori, ſed ut proſit, *§. ult. Inſt. quib. mod. re contrah. oblig.* Et ideo creditor, qui ſine culpa ſua pignus amiſit, non impeditur petere debitum, *l. pignus 8. C. de pignorat. action.* ſed ſi ſua culpa amiſit, doli exceptione repellitur, *l. apud Celſum 4. §. item quaeritur ſi uniones 8. D. de dol. except.* quemadmodum nec is prohibetur petere debitum, qui ſciens volens reddidit pignus debitori, *l. 3. D. de pact.* nec is, apud quem pignus interiit *l. ſervo 25. C. de pignor.* multo ergo minus is, qui non idoneum pignus accepit.

Huic ſimile eſt, quod ubi quis aliquid ſibi dari fierive, & niſi datum factumve fuerit poenam ſtipulatur, ſi poena minor eſt, quam principale debitum, non liberatur debitor ſolvendo poenam, niſi id, quod intereſt, praeterea exolvat; non, inquam, praejudicat ſibi creditor ſtipulatione poenae, quo minus quod plus eſt in debito principali, ſive quod pluris ejus intereſſuerit, petere poſſit, *l. praedia 28. D. de act. empt. l. ſi quis 41.* & *l. ſeq. D. pro ſocio l. apud Celſum 4. §. item quaeritur ſi cum eo 3. D. de dol. except.* Ratio ea eſt, quod poenae ſtipulatio favorem reſpiciat creditoris, & ſecuritatis cauſa interponitur, quemadmodum de pignore dictum eſt: ac proinde non debet ad ejus odium & incommodum retorqueri. Licet igitur poenae ſtipulatio committatur debitore, non dante vel faciente quod promiſit, tamen in creditoris arbitrio eſt, an poenam petere velit, an vero ex principali obligatione id, quod ſua intereſt, potius conſequi. Nec debet haec ſpecies comparari cum obligatione alternativa, veluti Stichum aut Pamphilum dare: ibi enim una obligatio eſt, ex qua duae res disjunctim debentur, quarum alterutrius electio promiſſoris voluntati committitur, *§. 33. verſ. Huc autem. Inſtit. de action. l. eum qui certarum 138. §. 1. D. de verborum oblig. l. ſi ſterilis 21. §. 1. D. de act. empt.* At in ſpecie noſtra duae ſunt obligationes, una principalis, altera acceſſoria, quae poenam continet, & ad creditoris ſecuritatem adjecta eſt. Non obſtat, quod dicitur, proviſionem hominis facere ceſſare proviſionem legis, *l. & habet 15. §. cum quis 3. D. de precario. l. ult. C. de pact. convent.* quaſi hac ratione ceſſet obligatio principalis, quod creditor ſatis ſibi praevidit per ſtipulationem poenalem. Nam reſpondetur, dictum illud intelligi de proviſione legis ſpeciali & extraordinaria; nam proviſio legis ordinaria non tollitur per proviſionem hominis, *l. 2.* ubi Bartolus id notat, *C. de jure emphyt.* Ad cauſas autem dubitandi reſpondendum eſt, eas pertinere ad eum creditorem, qui pignus in ſolutum accepit, eoque contentus eſt: non autem ad eum, cui pignus obligatur tantum ſecuritatis cauſa. Si enim creditor ſolutionis nomine pignus admittit, eoque contentus eſt, non poteſt amplius quicquam petere, ſive pignus idoneum fuerit, ſive non; exemplo ejus creditoris, cui debitor delegatus eſt, *d. l. inter 26. §. abeſſe 2. D. Mandati.* vel potius exemplo ejus, cui totum debitum ſolutum eſt: *ſatisfactio* enim *pro ſolutione eſt, l. ſatisfactio 52. D. de ſolut.*

LEX XXIX. Paulus lib. 4. ad Plautium.

SI inſtitorem ſervum dominus habuerit, poſſe dici Julianus ait, etiam condici ei poſſe: quaſi juſſu ejus contrahatur, a quo praepoſitus ſit.

Ex contractu inſtitoris Praetor dat actionem adverſus dominum, quae vocatur inſtitoria; nam qui praeponit ſervum ſuum tabernae, aut alicui alii negotiationi, videtur tacite jubere contrahere cum illo ſervo, ac ſi diceret; hunc ego praepoſui, qui volet cum eo contrahito; ut bene explicat Theophilus *ad tit. Inſtit. quod cum eo qui in alien. pot.* Quapropter dificiente actione quod juſſu, quae competit tantum ex juſſu expreſſo, datur actio inſtitoria, quaſi ex tacito juſſu. Additur *hac lege*, ultra actiones illas Praetorias dari etiam directam actionem, nempe certi condictionem, adverſus dominum, qui ſervum praepoſuit, non quaſi ex contractu ſervi, ſed quaſi ex contractu inito cum ipſo domino. Nam qui ita contraxit, magis domini, quam ſervi fidem ſequutus intelligitur, cum ſervus domini voce loqui videatur, *§. poſt mortem 13. Inſtit. de inutil. ſtipul.* id indicat verbum *etiam* hic poſitum. Intelligendus autem eſt hic locus de directa actione, & ideo ſervi mentio fit, *§. ult. Inſtit. quod cum eo qui in alien. pot.* Nam ex contractu liberae perſonae inſtitoris non datur directa actio adverſus dominum, ſed tantum utilis; ut bene hic notat Alciatus ex *l. Julianus 13. §. ſi procurator 25. D. de action. empt.* & *l. liberto 31. D. de negot. geſt.*

LEX XXX. Idem lib. 5. ad Plautium.

QUi pecuniam creditam accepturus ſpopondit creditori futuro, in poteſtate habet, ne accipiendo ſe ei obſtringat.

Quaeſtio duplex eſt *hac l.* Una; an is, qui ſpe numerationis futuro creditori ſtipulanti promiſit, ſe redditurum ſummam, quam ſperabat ſe accepturum, teneatur ex illa ſtipulatione, & conveniri poſſit. Dubitandi cauſa eſt, quia ſtipulatio eſt actus quidam, jure civili introductus ad comparandam obligationem, *l. 2. in fin. D. h. t. §. de conſtitut'a 9. Inſtit. de action.* & *in princip. Inſtit. de verb. obl.* & modus firmiſſimus obligandi, ita ut ſtipulationes aliarum obligationum firmandarum gratia introductae ſint,

teſte Paulo *lib. 5. Sent. tit. 7.* & quoties ſtipulatio interponitur ante vel poſt numerationem, non naſcitur obligatio ex numeratione, ſed ex ſtipulatione, *l. ſi ita 6. in fin. cum l. ſeq. D. de novat.* ubi dicitur *numeratio fieri tantum implendae ſtipulationis gratia.* Reſpondetur teneri quidem hoc caſu promiſſorem certi condictione, vi ſtipulationis interpoſitae; ſed teneri ſummo jure tantum: ac proinde ſubvenitur illi per exceptionem non numeratae pecuniae, quam opponere poteſt agenti ex illa ſtipulatione, ſi velit, *§. idem juris 2. Inſtit. de except.* Qua in re lapſus videtur Alciatus ad hunc locum, dum ait, exceptionem non numeratae pecuniae non oriri, quando ſola ſtipulatio interponitur; quaſi non competeret illa exceptio, niſi contra literarum obligationem, *Inſtit. de liter. obligat.* ſed ſatis liquet ex *d. §. idem juris 2.* exceptionem non numeratae pecuniae dari etiam adverſus agentem ex ſtipulatione. Habet etiam promiſſor alias exceptiones; puta exceptionem doli mali, quia dolo facit, qui petit ex ea ſtipulatione, quae facta eſt ob cauſam, quae non eſt ſequuta, *l. 2. circa primam 3. D de dol. except.* & exceptionem in factum, *l. cum ultra 9. C. de non numer pecun.* Promiſſor ergo adverſus ſummi Juris rigorem hac exceptionis aequitate defenditur.

Altera quaeſtio, quae propria eſt *hujus legis*, eſt, an in ſpecie ſuperius propoſita ſtipulator poſſit, offerendo pecuniam, cogere promiſſorem accipere, ut ita incipiat & re & verbis obligari. Dubitandi cauſa eſt ex illa Juris ratione, quae jubet conventiones ſervari, *l. 1. D. de pact.* Convenit enim, ut ſtipulator pecuniam daret, promiſſor acciperet: quapropter ſi per promiſſorem ſtat, quod minus accipiat, videtur perinde obligari debere ac ſi accepiſſet propter juris regulam, qua traditur conditionem haberi pro impleta, quando per eum ſtat, cujus intereſt conditionem non impleri, *l. in jure 161. D. de reg. jur. l. jure civili 24. D. de condit. & demonſtr.* ubi in Pandectis Florentinis deeſt negatio. Contrarium tamen hic reſpondetur, nempe liberum eſſe promiſſori, ne accipiendo pecuniam ſe obſtringat, ſcilicet efficaciter, ut bene Accurſius; nam antea quidem ex ſola ſtipulatione obſtringebatur, ſed non efficaciter propter exceptiones, ut dictum eſt. Ratio autem decidendi eſt, quia conventio iſta de mutuanda pecunia facta fuit promiſſoris ſive debitoris cauſa; ideo licet illi eam ſpernere re integra, *l. ſi judex 41. D. de minor. l. penult. C. de pact.* Nec obſtat d. Juris regula, quae intelligenda eſt de iis conditionibus, quarum commodum refertur ad alium, quam ad illum, qui impedit eas impleri: veluti ſi teſtator mihi inſulam legavit, ſi haeredi decem, dedero, & haeres noluerit accipere illa decem, habetur conditio pro impleta, quia per eum ſtat, cujus intereſt conditionem non impleri. Ex hac decidendi aequitate ſequitur, quod ſi ex illa promiſſoris recuſatione ſtipulator damnum aliquod paſſus ſit, teneatur ei promiſſor in id, quod intereſt, *arg. l. ſi pecuniam 5. D. de condict. ca. dat.* & *l. ſi poenam 68. D. de verb. oblig.*

LEX XXXI. Idem lib. 17. ad Plautium.

Cum fundus, vel homo per condictionem petitus eſſet, puto hoc nos jure uti, ut poſt judicium acceptum cauſa omnis reſtituenda ſit: id eſt, omne quod habiturus eſſet actor, ſi litis conteſtandae tempore ſolutus fuiſſet.

Quaeſtio eſt, an is, a quo ſpecies aliqua certa, veluti fundus aut homo, petitur certi condictione, aut alia actione perſonali ſtricti juris, teneatur praeſtare aliquid ultra ipſam rem principalem, aut ejus aeſtimationem. Dubitandi cauſa eſt, quia in ſtrictis judiciis judex aſtringitur formulae petitionis, & ſecundum eam debet condemnare vel abſolvere, *l. 2. §. nunc de officio 8. D. de eo quod cert. loc.* Nec poteſt videri in judicium deductum id, quod poſt acceptum judicium accidit, *l. non poteſt 23. D. de judic.* Contrarium tamen hic reſpondetur, nempe reſtituendam eſſe omnem cauſam poſt judicium acceptum, id eſt, quicquid ex ea re ſive occaſione ejus rei ad debitorem pervenit poſt litem conteſtatam: haec enim omnia cauſae nomine continentur, ut liquet ex definitione cauſae, hic poſita, & in *l. praeterea 20. D. de rei vindic.* & *l. qui teſtum 91. §. ult. D. de legat. 1.* Aequitas decidendi haec tradita eſt a Papiniano, quia ſcilicet res dari debet talis, qualis eſt, cum petitur, *l. 2. D. de uſur.* Idque naturae ſtricti judicii maxime congruit; in quo judex inſervit petitioni, ut dictum eſt. Unde ad cauſas dubitandi reſpondendum eſt: quod dicitur in ſtrictis judiciis non venire, niſi quod petitum eſt; id quidem etſi verum ſit; tamen *hujus legis* ſententiae non adverſatur. Nam fatemur rem tantum petitam eſſe dandam, ſed ita dandam ut erat petita, id eſt; ut habeat actor, quod habiturus fuiſſet, ſi eam accepiſſet eo tempore, quo fuit petita; veluti ſi ancilla, quae forte praegnans petebatur, tradita tunc fuiſſet cum peteretur, haberet nunc petitor ancillam, & ex ea editum partum; ergo ſi apud debitorem pendente judicio editus eſt partus, debet reſtitui petitori una cum ipſa ancilla, tanquam cauſa. Et ad *d. l. non poteſt 23. D. de judic.* reſpondendum, quod ibi dicitur *non venire in judicium id, quod poſt judicium acceptum accidit*, intelligi debet de re aliqua principali per ſe exiſtente, & ad quam petendam nova interpellatione, novaque inſtantia opus eſt; non autem de acceſſionibus, quae rem principalem ſequuntur, ut bene gloſſa ibi notat. Haec cum ita ſint, obiter quaedam notanda ſunt *hac lege.* Primum, quod dicitur, *cum fundus vel homo*; quibus verbis admonemur hoc reſponſum pertinere ad ſpeciem certam; & recte, quia, quando quantitas petitur (ut vinum, triticum) nihil praeſtatur niſi aeſtimatio; quemadmodum ſupra dictum eſt ad *l. vinum 22.* Idem ſi ad id, quod intereſt agatur. Secundo, quod dicitur *per condictionem*, ita accipiendum eſt, quaſi diceret, per actionem in perſonam ſtricti juris, *d. l. 2.* & *l. videamus 38. §. ſi actionem 7. D. de uſur.* & in eo differunt actiones ſtricti juris ab actionibus bonae fidei, in quibus veniunt fructus, & alia multa etiam ante litem conteſtatam percepta, *d. l. videamus 38. §. in caeteris 15.* & *l. mora 32. §. in bonae fidei 2. D. de uſur.* quemadmodum in actionibus in rem, *l. certum 22. C. de rei vindic.* & *d. l. praeterea 20. D. eod.* Tertio, verba illa, *poſt judicium acceptum* (id eſt, poſt litem conteſtatam) non eſſe referenda ad verbum, *reſtituenda*, ſive, ut Grammatici dicunt, non determinare verbum, *reſtituenda*, quaſi ſenſus eſſet, cauſa reſtituatur poſt litem conteſtatam; ſed ad verbum, *percepta*, quod ſubaudiendum eſt, ut ſit ſenſus, omnis cauſa percepta poſt judicium acceptum reſtituatur. Sed cur de iis tantum, quae percepta ſunt poſt judicium acceptum, tenetur reus? Ad hoc reſponſum eſt ex Papiniano *d. l. 2. D. de uſur.* Cui adde, quod poſt litem conteſtatam reus malae fidei poſſeſſor eſt, *l. ſed etſi 25. §. ſi ante 7. D. de petit. haered.* Poſtremo notanda eſt definitio cauſae, hic poſita. Caeterum in quibuſdam ſtrictis judiciis veniunt etiam fructus ante litem conteſtatam percepti, & caſus illi numerantur in *d. l. videamus 38. D. de uſur.*

§. Servum Tuum. 1.

Servum tuum imprudens a fure bona fide emi: is ex peculio, quod ad te pertinebat, hominem paravit, qui mihi traditus eſt. Sabinus, Caſſius, poſſe te mihi hominem condicere. Sed ſi quid mihi abeſſet ex negotio, quod is egiſſet, invicem me tecum acturum, & hoc verum eſt. Nam & Julianus ait, videndum ne dominus integrum ex empto actionem habeat, venditor autem condicere poſſit bonae fidei emptori. Quod ad peculiares nummos attinet, ſi extant, vindicare eos dominus poteſt. Sed actione de peculio tenetur venditori, ut pretium ſolvat. Si conſumpti

ſint

Digitized by Google

ſint, actio de peculio evaneſcit. Sed adjicere debuit Julianus, non aliter domino ſervi venditorem empto teneri, quam ſi ei pretium ſolidum, & quaecunque ſi cum libero contraxiſſet deberentur, dominus ſervi praeſtaret. Idem dici debet, ſi bonae fidei poſſeſſori ſolviſſet. Si tamen actiones, quas adverſus eum habeat, praeſtare domino paratus ſit.

Cum *hoc* §. jungenda eſt *l. ſi ſervus* 24. §. *ſervum tuum* 1. *D. de act. empt.* Paulus enim hoc loco Juliani ſententiam ibi propoſitam ad verbum recitat, usque ad illum locum *hujus* §. *Nam & Julianus.* Species autem eſt ejusmodi: Servum tuum Stichum una cum ſuo peculio imprudens & bona fide emi a fure, qui eum tibi ſurripuit, isque mihi traditus eſt; atque ita factus ſum bonae fidei poſſeſſor illius ſervi, ſed non dominus; quia tuus ſemper manſit cum ſuo peculio. Poſtea hic Stichus ex illo ſuo peculio hominem paravit, id eſt, emit alium ſervum (puta Pamphilum) qui Pamphilus mihi traditus fuit a venditore animo transferendi in me dominii, quia putavit me eſſe dominum Stichi; atque ita meus factus eſt Pamphilus, non tuus, licet ex re tua emptus, *l. ex pecunia* 12. *C. de jure dot.* §. *per traditionem* 40. *Inſt. de rer. diviſ.* De hac ſpecie, ita propoſita, quaeſitum eſt, an aliquo remedio ſuccurratur tibi vero domino Stichi, vel adverſus me, qui poſſideo ſervum emptum ex peculio ſervi tui, vel adverſus venditorem, qui Pamphilum emptum a ſervo tuo mihi tradidit. Et videtur quidem nullum ſupereſſe remedium. Nam primum nulla tibi adverſus me actio videtur competere: Non rei vindicatio; quia ille ſervus emptus ex peculio nunquam tuus fuit, & ego dominus factus fui per traditionem, *l. ſi rem* 23. *D. de rei vindic.* Non condictio, ſive actio in perſonam; quia illa oritur ex contractu vel delicto, *l.* 1. *D. de obl.* & ubi nullum negotium geſtum eſt, ibi nulla eſt obligatio, *l. ſi in area* 33. *D. de condict. indeb.* At hic nullum negotium geſtum eſt inter me & te, ſed inter me & venditorem Pamphili. Nec etiam adverſus venditorem agere potes; quia venditor ſine ſua culpa Pamphilum amiſit; nam juſto errore lapſus eum mihi tradidit, cum putaret me eſſe dominum Stichi; ideo ſecurus eſſe debet, §. *cum autem* 3. *in fin. Inſtit. de empt. & vendit.* Contrarium tamen nihilominus *hoc* §. reſpondetur, in quo Paulus docet ex Sabino, Caſſio, Juliano, quotuplex tibi auxilium competat hoc caſu. Primum, omnes illi dant tibi condictionem adverſus me, non quidem indebiti, ut vulgo interpretantur, quia tu mihi illum hominem non ſolviſti, *d. l. ſi in area* 33. ſed condictionem ſine cauſa, ex aequo & bono, quia ex re tua locupletior factus ſum, *l. prox. in fin.* & quaſi ex negotio geſto: ego enim cum Pamphilum mihi traditum accepi, re vera tuum negotium geſſi, licet putavi me geſſiſſe meum, *l. ult. D. de negot. geſt.* (Dixi ad *l. ſi eum ſervum* 23. *D. h. t.* ubi ob ſimilem aequitatem datur in alia ſpecie condictio) ſed cum tibi hoc remedium dederint, rurſus mihi in eo ſuccurrunt, ut habeam viciſſim actionem de peculio adverſus te, ad id conſequendum, quod mihi abeſt ex negotio, quod Pamphilus mihi geſſit; veluti ſi credidit pecuniam meam homini non ſolvendo, aut emit rem aliquam, vendiditve, aut quia aliquid ultra peculium Stichi impendi in emendo Pamphilo, ut arrae aut inſtrumentorum nomine, aut vectigalis alicujusve tributi cauſa. Atque haec in prima parte *hujus* §. Progreditur deinde Paulus in *verſ. Nam & Julianus*, & integrum Juliani tractatum de ea re nobis narrat. Secundum ergo remedium, quod dat tibi Julianus, eſt, ut poſſis agere ex empto adverſus venditorem Pamphili, ad hoc ut tradatur tibi Pamphilus. Nam certum eſt, Stichum tibi acquiſiſſe hanc actionem emendo Pamphilum, *vulg. l. placet* 79. *D. de acq. & omitt. her. Inſtit. per quas perſon. nobis obl. acq.* nec videtur liberatus venditor ſolvendo Pamphilum mihi, quia alii ſolvit, quam vero creditori, *l. ſolutam* 49. & *l. qui hominem* 24. §. *ſi nullo* 4. *D. de ſolut.* Sed venditori hoc caſu ſalva erit condictio indebiti adverſus me, per quam repetet Pamphilum indebite mihi traditum, errore facti, eo quod putavit me eſſe dominum Stichi, cum non eſſem; & repetet quidem ſi volet; nam ſi nolit, non eſt cogendus repetere a me, ut eum tibi tradat; ſed liberabitur cedendo tibi actiones, quas habet adverſus me, ut dicitur in *fine hujus* §. & hoc a Juliano omiſſum fuit, quod Paulus hic ſupplet. Sed nonne habet dominus Stichi condictionem ſine ceſſione, ut jam dictum eſt? quid ergo ei prodeſt ceſſio actionum facta a venditore? multum ſane! Nam in condictione indebiti, quam habet venditor, veniunt fructus & acceſſiones a tempore morae; quia petit rem, quae antea ejus fuit, *l. videamus* 38. §. *item ſi indebitum* 2. *D. de uſur.* In condictione vero, quam habet dominus Stichi, fructus & acceſſiones non veniunt ante litem conteſtatam, *d. l. videamus* 38. §. *ſi actionem* 7. Praeterea fieri poteſt, ut alias etiam actiones habeat. Aliud quoque hic ſupplet Paulus, quod etiam Julianus omiſit, nempe venditorem iſtum non aliter teneri tibi, vero domino, actione ex empto, quam ſi tu pretium integrum ei ſolvas, & omnia alia, quae ei praeſtanda eſſent, ſi cum libero homine, non cum ſervo, contraxiſſet; & ratio eſt, quia qui petit emptionem vel alium contractum impleri ſibi ab adverſario, aequum eſt, ut ipſe quoque ex ſua parte eundem impleat, per regulam vulgarem, quod quisque juris in alium ſtatuit, ut ipſe eodem jure utatur, *l.* 1. *D. quod quisque juris.* Alioqui doli mali exceptione merito repelli poteſt, *l. Julianus* 13. §. *offerri* 8. *D. de actio. empt.*

Tertium auxilium dat tibi Julianus, ut, ſi non vis ratam habere emptionem Pamphili, poſſis vindicare nummos peculiares Stichi, ſi extant; quia ſervus ille, furto ſubtractus, non habebat liberam adminiſtrationem peculii, *l. libera* 48. *D. de pecul.* & ideo non potuit facere eos accipientis, *l. rogaſti* 11. §. *ult. D. h. t.* Sed rurſus eo caſu venditor aget contra te, verum dominum, actione de peculio ex contractu ſervi tui, ut ſolvas ei pretium, quatenus eſt in peculio, §. *actiones autem de peculio* 10. *Inſtit. de action.* Sed nunquid venditor poſſit retinere nummos illos peculiares jure compenſationis, cum tu illi tenearis actione de peculio? Reſpondetur, non poſſe; propter *l. ult. C. de compenſ.* quae prohibet admitti compenſationem, cum cauſa, ex qua compenſatur, liquida non eſt: talis eſt actio de peculio, quia neſcitur quantum eſt in peculio, donec deducatur id, quod domino debetur, *l. depoſiti* 5. §. *ult.* & *l. ſed ſi* 9. §. *peculium* 2. *D. de pecul.* Sed ſi nummi conſumpti ſunt, tunc actio de peculio evaneſcit, id eſt, venditor non habet amplius actionem de peculio; nummi enim illi, bona fide conſumpti, ipſius facti ſunt; unde nec tu, qui dominus es Stichi, potes eos nummos condicere: nam ſi Stichus ab initio transtuliſſet dominium, in venditorem ceſſaſſet condictio; ergo nunc quoque, cum bona fide conſumpti ſunt, per regulam, cujus pecuniae in dominium accipientis ab initio tranſlatae condictio non eſt, ejus pecuniae, ab initio non tranſlatae, ſed poſtea bona fide conſumptae, etiam condictio nulla eſt, *l. ſi filiusfamil. D. hoc tit.* Supereſt ergo, reſpondeamus ad cauſam dubitandi ex *d.* §. *cum autem* 3. *Inſtit. de empt. & vendit.* & quidem dicendum eſt liberari venditorem Pamphili hoc caſu, ſecundum ſententiam *illius* §. ita ut hoc tantum praeſtet emptori, quod apud ſe habet ex ea venditione, & ſine ſuo incommodo praeſtare poteſt: id autem eſt condictio indebiti adverſus me, ut dictum eſt, ergo illud cogitur tibi praeſtare cedendo tibi condictionem, *l. quod debetur* 51. *D. de pecul.* Et rurſus quod dicitur non liberari debitorem ſolvendo alii, quam vero creditori, *d. l. qui hominem* 24. §. *ſi nullo* 4. *D. de ſolut.* intelligendum eſt, quando de-

bitor ſcit verum creditorem, non autem quando neſcit, & juſto errore decipitur, ut in caſu *legis noſtrae*, & caeteris ſimilibus, ubi debitor ſpeciei tradit eam alii, quam cui debet. Liberatur enim cedendo creditori actiones ſuas: & eſt notabilis exceptio. Caeterum Bartolus, & alii nonnulli exiſtimant, id, quod hic de ſervo dicitur, ad monachos transferri poſſe, ut ſi monachus unius monaſterii bona fide detentus ſit in alio monaſterio, & emerit aliquid ex pecunia, quam ſecum attulit, proprius Abbas poterit rem illam condicere monaſterio, a quo detentus eſt. Sed videndum, ne non ſit opus condictione in hac ſpecie; propterea quod res empta pecunia Eccleſiae, cujus pecunia fuit, *cap. 1. extra. de pecul. cleric.* & ideo vindicari poteſt exemplo rei, emptae pecunia militis, *l. ſi ut proponis* 8. *C. de rei vindic.* vel pecunia minoris, *l. 2. D. quando ex fact. tutor.*

LEX XXXII. Celsus lib. 5. Digeſtorum.

SI & me & Titium mutuam pecuniam rogaveris, & ego meum debitorem tibi promittere juſſerim, tu ſtipulatus ſis, cum putares eum Titii debitorem eſſe; an mihi obligaris? Subſiſto: ſiquidem nullum negotium mecum contraxiſti; ſed propius eſt ut obligari te exiſtimem: non quia pecuniam tibi credidi: hoc enim niſi inter conſentientes fieri non poteſt, ſed quia pecunia mea, quae ad te pervenit, eam mihi a te reddi bonum & aequum eſt.

Meminiſſe oportet, mutuum contrahi poſſe per delegationem, veluti ſi cum tu me mutuum rogas, jubeo debitorem meum tibi dare: numeratio enim, facta a debitore meo, perinde te mihi obligat, eo caſu, ac ſi a me ipſo accepiſſes, *l. ſingularia* 15. *D. h. t.* Sed tamen per delegationem ita demum fit mutuum, ſi eam delegationem conſenſus & etiam numeratio ſequuta ſit. Unde dubitatio oritur in ſpecie *hujus legis.* Rogaſti me & Titium mutuam pecuniam, & ego juſſi debitorem meum tibi promittere, atque ita eum delegavi, *l. delegare* 11. *D. de novat.* Tu ab eo ſtipulatus es eam pecuniam, & etiam accepiſti (id enim hoc loco ſubaudiendum eſt, alioqui non naſceretur obligatio ex mutuo, *l. qui pecuniam* 30. *D. h. t.*) Sed ſtipulatus es & accepiſti pecuniam, cum putares, illum non eſſe debitorem meum, ſed debitorem Titii; atque ita non conſenſiſti ut mihi obligeris. Hinc tota difficultas naſcitur in hac quaeſtione. Quaeritur enim, an ego aliquam adverſus te actionem habeam. Non enim videor habere, eo quod nullum negotium mecum contraxiſti, ut hic dicitur: contractus enim ſine conſenſu nullus eſſe poteſt, *l. 1. §. 3. verſ. Adeo. D. de pact. l. ſi ego* 18. *D. h. t.* errantis autem nullus eſt conſenſus, *l. ſi per errorem* 15. *D. de juriſd. l. ad probationem* 23. *C. locat.* Et revera quidem ita ſe res habet, ut nulla mihi actio detur eo nomine; ſi ſtrictam juris rationem & rigorem ſequamur. Unde Celſus, de hac re interrogatus, dicit ſe ſubſiſtere, id eſt, dubitare: ex una parte enim pugnabat juris ſtricti formula, quae obligationem non inducit, niſi inter conſentientes; ex altera vero parte aequitas naturalis & juſtitiae conſideratio ſuum cuique tribuentis, *l. bona fides* 31. *D. depoſit.* quae potior Celſo viſa eſt, ac proinde reſpondit, me tibi condicere poſſe hanc pecuniam, *quia pecunia mea, quae ad te pervenit, eam mihi a te reddi bonum & aequum eſt*, propter regulam juris naturalis: neminem cum alterius jactura lucrum quaerere debere, *l. ſi quis mancipiis* 17. *§. Proculus* 4. *D. de inſtit. act. l. nam hoc natura* 14. *D. de condict. indeb.* Datur ergo haec condictio ex ſola aequitate: quam quidam certi condictionem generalem eſſe putant; alii condictionem ſine cauſa, in quam ſententiam proclivior ſum. Nam licet aliqua ſuberat cauſa ab initio, cur ego eam pecuniam apud te vellem eſſe (nempe ut mihi ex mutuo obligeris) tamen poſtea, cum tu alio animo accepiſti, incepit eſſe apud te ſine cauſa, unde incipis mihi teneri condictione ſine cauſa, *l. 1. & l. nihil intereſt* 4. *D. de condict. ſine cauſ. l. haec condictio* 66. *D. de condict. indeb.* Notanda ergo haec lex eſt eo praecipue, quod dat actionem ex contractu ſtricti juris adverſus eum, quicum nullum negotium geſtum eſt, propter aequitatem; unde Baldus in quodam conſilio dicit *hanc legem* debere ſcribi aureis literis, & Jaſon vocat moralem & aequiſſimum textum, in cujus ratione fundantur deciſiones multarum quaeſtionum, cujusmodi ſunt, quae proponuntur in *l. naturaliter* 13. *§. ult. D. de condict. indeb. l. 3. D. commod. d. l. ſi quis mancipiis* 17. *§. ultim. l. reſcriptum* 12. *§. ſi aliena* 1. *D. de diſtract. pign. l. et qui* 7. *§. ult. C. quod cum eo qui in ali. poteſt*, cum ſimilibus.

LEX XXXIII. Modestinus lib. 10. Pandectarum.

PRincipalibus conſtitutionibus cavetur, ne hi, qui provinciam regunt, quive circa eos ſunt, negotientur, mutuamve pecuniam dent, foenusve exerceant.

LEX XXXIV. Paulus lib. 2. Sententiarum.

PRaeſidis provinciae officiales, quia perpetui ſunt, mutuam pecuniam dare, & foenebrem exercere poſſunt. Praeſes provinciae mutuam pecuniam foenebrem ſumere non prohibetur.

Proponitur *hoc capite* jus ſingulari, quod Imperatores conſtituerunt de rectoribus provinciarum, ne ſcilicet vel ipſi, vel qui circa eos ſunt, negotientur, id eſt, aliquid emant aut vendant, neve mutuam pecuniam dent, aut foenerentur; ubi obiter notandum eſt, id proprie mutuum dici, quod gratis & ſine uſuris conceditur. Ex eo autem, quod loquitur lex generaliter de iis, qui provincias regunt, intelligimus, conſtitutionem pertinere ad omnes indifferenter, qui ſummum Imperium poſt principem in aliqua provincia habent, ſive Proconſules, Praeſides, Legati, Comites, Praefecti auguſtales, aut aliis nominibus appellentur, *l. & ideo* 8. *D. de offic. Proconſ. l.* 1. & *l. 4. D. de offic. praeſid.* Ratio & cauſa hujus conſtitutionis eſt, ut auferatur omnis occaſio magiſtratibus provinciales ſuos ſpoliandi ſub honeſto commercii & negotiationis velamine. Si enim liceret rectoribus provinciarum, more privatorum, contractus celebrare & negotiari, facile dicerent, res ſponte oblatas, aut per rapinam ablatas, ſibi deberi ex aliquo negotio geſto. Eodem forte reſpexerunt Thebani, qui lege lata ſtatuerunt, ne quis magiſtratum gereret, qui non deſtitiſſet annis 10. negotiari, ut ſcribit Ariſtoteles *lib. 3. Polit. cap. 3.* Prohibentur ergo primum negotiari. Quo verbo non ſolum interdicitur illis mercatura, id eſt, ne res emant & vendant, & inde quaeſtum faciant (hoc enim per ſe turpe eſt viris, in ea dignitate poſitis) ſed prohibentur omnino aliquid emere, quod ſibi retineant, *l. non licet* 46. & *l. qui officii* 62. *D. de contrah. empt.* Deinde prohibentur domum vel munus capere, excepto poculento & eſculento, quod in proximos dies prodigatur, *l. plebiſcito* 18. *D. de offic. praeſ. l. ſolent* 6. *§. ult. D. de offic. proconſ.* Tertio prohibentur uxorem ducere ex ea provincia, vel ipſi, vel filii eorum, ne in matrimonium, quod liberum eſſe debet, vi & terrore poteſtatis ſuae mulieres trahant, *l. ſi quis in officium* 38. & *l. qui in provincia* 57. *D. de ritu nupt.* Quarto prohibentur foenus exercere. Quinto prohibentur mutuum etiam ſine uſuris dare, *hac l.* Quod poſtremum videtur prima facie iniquum, quandoquidem mutui datio liberalitatem dantis, non avaritiam arguit, impediturque hoc modo ipſum humanitatis officium, & poteſtas benefaciendi aliis. Sed cauſa prohibitionis eſt, ne eo nomine occultent ſuas concuſſiones, & cum acceperint pecuniam, fingant eam ſibi debitam eſſe ex mutuo. Unde e diverſo non prohibentur mutuam pecuniam vel foenebrem accipere a provincialibus,

l. prae-

Digitized by Google

l. praeſidis 34. *hic.* quia nulla inde occaſio malefaciendi proficiſcitur: accipiendo enim ſe obligant aliis, non ſibi alios. Sexto prohibentur domum extruere in ea provincia, ne ea, quae edificationi neceſſaria ſunt, a provincialibus accipiant, *l. unic. C. de contract. jud.* Atque hac conſtitutiones pertinent non ſolum ad ipſos rectores provinciarum, ſed ad eos etiam, qui circa rectores ſunt, id eſt, ad domeſticos & conſiliarios eorum, & alios, quorum opera & miniſterio utuntur in privatis ſuis negotiis, *d. l. unic.* ubi domeſtici vocantur, quos inſcriptio vocat eos, qui ſunt circa magiſtratus. Facit *l. qui juriſdictioni* 10. *D. de juriſd.* Nam & hi quoque metuuntur a provincialibus propter potentiam magiſtratuum, cum quibus ſunt. Sed haec ita ſe habent adverſus magiſtratus, qui ad tempus tantum in provinciis ſunt cum imperio. Officiarii autem magiſtratuum, id eſt, miniſtri & apparitores, qui in *Novellis ταξεῶται* vocantur, non prohibentur ſuperiora omnia facere, *l. praeſidis* 34. *hic.* ubi differentiae ratio redditur, nempe *quia perpetui ſunt*, id eſt, non ad tempus exercent munus ſuum, ſed quamdiu vivunt: unde ſi illis quoque ſuperiora interdicerentur, in miſerrima eſſent poſiti conditione, & quaſi de numero civium Romanorum ejecti. Diſtinguendum ergo eſt inter eos, qui officia gerunt, & officiales; nec ſequitur, gerit officium, ergo eſt officialis: eſt enim hoc proprium nomen executorum, ſive apparitorum & miniſtrorum, ut dixi. Hinc cauſa a quibuſdam redditur, cur haec lex non habet locum in Gallia, qui ibi ſolent eſſe magiſtratus perpetui, ſed potius corruptela cauſa eſt, ut olim dicebat praeceptor meus Anton. Contius; nam antiquitus locum habebat, & magiſtratus ibi non erant perpetui, ſed temporales, & unicuique dabatur ſucceſſor arbitrio Regis, ut notavi *lib.* 4. *cap.* 18. *contra Monarchom.* Caeterum non obſtat deciſioni hujus legis *l. quiſquis* 16. *C. eod.* ubi graviter punitur qui foenebrem pecuniam mutuat judici; intelligitur enim de eo, qui dat foenebrem pecuniam judici, apud quem litigat, quia tunc videtur fieri fraus legi XII. tabul. quae capitis poenam ſtatuit in judices, qui pecuniam ob rem judicandam accepiſſent, teſte Gellio *lib.* 20. *cap.* 1.

LEX XXXV. Modestinus lib. 3. Reſponſorum.

P*Ericulum nominum ad eum, cujus culpa deterias factum probari poteſt, pertinet.*

Nomen in uſo loquendi Juris authorum ſignificat ſcripturam, qua debitoris nomen & ſumma debiti continentur, ex qua naſcebatur obligatio, quae nominibus fieri dicebatur, *Inſtit. de liter. oblig.* unde & nomen pro ipſa obligatione ponitur, *l. cum quaeritur* 16. *D. de adminiſtr. tutor. l.* 1. *D. de SCto Maced. l. ult. C. de pact.* (inde nomina facere, nomina diſſolvere apud Ciceronem *lib.* 3. *Offic. cap.* 14. & *pro Planc. cap.* 28. nomina ſectari apud Horat. *lib.* 1. *Serm. ecl.* 2. *verſ.* 16.) & pro eo quod debetur ex obligatione, *l. qui chirographum* 59. *D. de legat.* 3. *l. inter cauſas* 26. §. *abeſſe* 2. *D. mandat.* ut & *hac l.* ubi agitur de periculo nominum ad quem ſpectet. Pertinet autem *haec lex* ad eos, qui aliena negotia adminiſtrant, cujusmodi ſunt tutores, curatores, procuratores, actores civitatis, ſive ſyndici; nam hi omnes poſſunt dominorum loco deducere res in judicium, & exigere debita, *l. tutor* 22. *D. de adminiſtr. & peric. tutor. l.* 3. *& paſſim. D. quod cujusque univerſit. toto tit. D. & C. de procurat.* Quaeſtio itaque eſt, an pericula nominum, quae culpa iſtorum adminiſtratorum facta ſunt deteriora, ad eos pertineant, an vero ad ipſos dominos. Nomen dicitur fieri deterius, quando debitor, qui ab initio fuit ſolvendo, interea dum is, qui debuit exigere, nimis diu diſtulit petitionem, efficitur non ſolvendo; unde foenerator Alphius apud Columellam fertur dixiſſe, optima nomina non appellando mala fieri. Dubitandi autem cauſa eſt, quia non debet officium cuiquam ſuum eſſe damnoſum, *l. ſi ſervus* 61. §. *quod vero* 5. *D. de furt.* praeſertim cum tutelae, curationis, procurationis, & ſimilia officia gratuita ſint §. *ult. Inſtit. de mandat.* Contrarium tamen hic reſpondetur; nempe periculum ad iſtos pertinere, quaſi diceret Modeſtinus, ſi culpa iſtorum factum ſit, ut minus conſequi poſſit dominus a debitoribus ſuis, id ipſi de ſuo inferant. Aequitas perſpicua eſt: nam qui ſuſcipiunt illa officia, debent ſincere & fide bona ſe gerere in adminiſtratione, alioqui non pecuniae ſolum, ſed etiam exiſtimationis jacturam patiuntur, *l.* 1. *D. de his qui not. infam. l. in re mandata* 21. *C. mandat. Adjuvari quippe nos non decipi beneficio oportet, l. in commodato* 17. §. *ſicut* 3. *in fin. D. commodat.* Nec obſtat *d. l. ſi ſervus* 61. §. *quod vero* 5. quia quod quis ex ſua culpa damnum ſentit, non intelligitur damnum ſentire, *l. quod quis* 203. *D. de reg. jur. cap. damnum* 86. *D. de reg. jur. in* 6. facit *l. qui proprio* 46. §. *procurator* 4. *in fin. D. de procurat.* Quaerit Alciatus; de qua culpa intelligi debet *haec lex?* cui quaeſtioni ſimpliciter reſponderi non poteſt, ſed diſtinctione opus eſt pro varietate contractuum, ex quibus conveniri poteſt adminiſtrator; aliquando enim tutelae, aliquando mandati, aliquando negotiorum geſtorum, vel pro ſocio, actiones competunt, in quibus varie, pro natura cujusque, culpa praeſtanda eſt. Tutores enim & curatores, qui non ſponte, ſed coacti neceſſitate muneris alias res adminiſtrant, non tenentur de periculo nominum, niſi lata ipſorum culpa nomina facta ſint deteriora, *l.* 2. *C. arbitr. tutel.* veluti ſi a propriis debitoribus exegerunt pecunias, & neglexerunt exigere a pupillaribus, *l. chirographis* 57. *D. de adminiſtr. & peric. tut.* Nec obſtat *l. quicquid* 7. *C. arbitr. tutel.* quia ibi levis culpa praemittitur in non faciendo, ſive ceſſando & negligendo. Conſtat enim non exigi majorem diligentiam a tutore, quam quantam adhibet rebus ſuis, *l.* 1. *D. de tutel. & rat. diſtrah.* & vero iniquum eſſet ad majorem diligentiam cogere hominem invitum. At procurator, quia volens ad aliena negotia accedit, negligentiae ſuae rationem reddere debet, *l. a procuratore* 13. *l. procuratorem* 11. & *d. l. in re mandata* 21. *C. mandat.*

LEX XXXVI. Javolenus lib. 1. Epiſtolarum.

P*Ecuniam, quam mihi ſine conditione debebas, juſſu meo promiſiſti Attio ſub conditione: cum pendente conditione in eo ſtatu ſit obligatio tua adverſus me, tanquam ſub contraria conditione eam mihi ſpopondiſti: ſi pendente conditione petam, an nihil acturus ſum? reſpondit, non dubito quin mea pecunia, quam ipſe ſine conditione ſtipulatus ſum, etiam ſi conditio in perſona Attii, qui ex mea voluntate eandem pecuniam ſub conditione ſtipulatus eſt, non extiterit, credita eſſe permaneat: perinde eſt enim ac ſi nulla ſtipulatio interveniſſet. Pendente autem cauſa conditionis idem petere non poſſum: quoniam cum incertum ſit, an ex ea ſtipulatione debere non poſſit, ante tempus petere videor.*

Quaeſtio eſt, ſi pecuniam, quam mihi pure & ſine conditione debes, alteri juſſu meo, id eſt, me delegante, promiſeris ſub conditione, an pendente illa conditione petere nihilominus eam a te pecuniam poſſim. Hic duae ſunt ſtipulationes, una pura; altera ſub conditione novandi animo facta. Dubitandi cauſa eſt, quia, quamdiu pendet conditio poſterioris ſtipulationis, tamdiu non contingit novatio, *l. quoties* 14. *D. de novat. & ſi omnino defecerit conditio, pecunia manet credita, priorque* obligatio perinde in ſuo vigore conſiſtit ac ſi poſterior ſtipulatio non fuiſſet interpoſita, ut *hac l.* expreſſum eſt, in *verſic. Reſpondit.* Unde conſequens eſt non aliter tolli vim prioris obligationis, quam ſi poſterioris ſtipulationis con-

ditio extiterit. Atqui purae obligationis ea natura eſt, ut debitum ex ea ſtatim peti poſſit, *§. omnis 2. Inſtit. de verb. obl.* Auget dubitationem *l. pure 5. D. de dol. except.* ubi dicitur, ſi pure mihi debes decem, & ea tibi ſub conditione lego, haeres meus pendente conditione petere poteſt, oblata cautione de iis reddendis, ſi conditio extiterit; & *l. cum qui 56. §. alt. D. de verb. obl.* ubi ſcribitur: *ſi hominem, quem a Titio pure ſtipulatus fueram, Sejus mihi ſub conditione promiſerit, & is pendente conditione poſt moram Titii deceſſerit, confeſtim cum Titio agere petero.* Ergo in ſpecie *hujus legis* non videtur mihi impedimento eſſe poſterior conditionalis ſtipulatio, quominus debitum petam ex priore pura obligatione. Contrarium tamen hic reſpondetur, nempe non poſſe me petere pendente conditione. Ratio decidendi redditur hic in *princip. verſic. Cum pendente*: quia ſcilicet cum is, qui pure obligatus eſt, alteri ſub conditione promittit, delegante creditore, perinde ſe res habet ac ſi ſub contraria conditione promiſerit priori creditori; quae ſententia notanda eſt: nusquam enim alibi in toto Jure ſcripta extat; veluti exempli gratia, ſi decem, quae mihi pure debes Attio, juſſu meo promiſeris ſub conditione, ſi navis ex Aſia venerit, prior obligatio, qua mihi tenebaris, in contrariam conditionem tranſlata eſt, ſi navis non venerit: nam ſi navis venerit, mihi non teneris, ſed Attio; ſi non venerit, mihi teneris, perinde ac ſi ſecunda ſtipulatio non interveniſſet.

Ad cauſas autem dubitandi reſpondendum eſt, primum verum quidem eſſe, quod, pendente conditione non ſit novatio, ſed tamen ſuſpenditur vis & effectus prioris obligationis in eventum conditionis; non tollitur, dico, ſed ſuſpenditur. Habet & aliam utilitatem debitoris haec delegatio; nam per eam purgatur mora praecedens, *l. qui decem 72. §. cum Stichum 1. & §. D. de ſolut.* dummodo praeſens ſit res tempore ſecundae ſtipulationis: nam ſi abſens fuit res tempore poſterioris ſtipulationis, non purgatur mora praecedens: & ita intelligenda eſt *l. ſi rem 31. D. de novat.* Deinde ad *d. l. pure 5. D. de dol. exc.* reſpondendum eſt, diſſimilem prorſus illic ſpeciem referri: nam per novationem liberatur ipſo jure debitor, *§. praeterea 3. Inſtit. quibus mod. toll. oblig.* At per legatum liberationis non liberatur legatarius ipſo jure, ſed tantum per exceptionem, *l. 3. nunc de effectu 3. D. de liberat. legat.* Poſtremo, ad *d. l. cum qui 56. §. alt. D. de V. O.* reſpondeo, diverſam etiam ibi ſpeciem proponi: hic unus & idem eſt, qui promittit pure & ſub conditione; hic unus obligatur duobus, illic duo uni: hic promiſſor novandi animo erat alteri antea obligatus de eadem re, illic non erat: ac propterea prior debitor non coepit ſub contraria conditione obligari: nam id receptum eſt tantum, quando debitor quod uni pure debet, alteri ſub conditione promittit, volente ſeu delegante creditore. At illic nihil promiſit debitor alteri, & ideo manebat ipſe pure obligatus, unde & moram committere potuit poſt ſecundam ſtipulationem. Et haec differentiae ratio eſt, ex qua intelligi poteſt *§. ille ult. l. cum qui ita 56.* qui ſatis alioqui difficilis eſt, &, ut Bart. ait, horribilis videri ſolet ſcholaribus.

LEX XXXVII. PAPINIANUS lib. 1. Definit.

CUm ad praeſens tempus conditio confertur, ſtipulatio non ſuſpenditur: & ſi conditio vera ſit, ſtipulatio tenet, quamvis tenere contrahentes conditionem ignorent, veluti, ſi Rex Parthorum vivit, centum mihi dare ſpondes? eadem ſunt & cum in praeteritum conditio confertur.

LEX XXXVIII. SCAEVOLA lib. 1. Quaeſtion.

REſpiciendum enim eſſe, an quantum in natura hominum ſit, poſſit ſcire eam debita irt.

LEX XXXIX PAPINIANUS lib. 1. Definit.

ITaque tunc poteſtatem conditionis obtinet, cum in futurum confertur.

Satis conſtat mutui obligationem contrahi poſſe vel pure, vel in diem, vel ſub conditione, *l. omnia 7. D. h. t.* & ſi ſub conditione contrahatur, ſuſpenditur obligatio in ejus eventum, ut *ſupra l. prox.* Unde non abs re adjicitur his legibus diſcrimen conditionum, quantum ad effectum ſuſpendendi, & differendi obligationem pertinet. Ait ergo Papinianus, conditiones, quae in praeſens vel praeteritum tempus conferuntur, non ſuſpendere ſtipulationem: quod idem de caeteris contractibus dicendum eſt, *§. conditiones 6. Inſtit. de verb. obl. l: conditio 100. D. de verb. obl.* ſed ſi ejuſmodi conditio vera eſt, ſtatim contrahitur obligatio, etiamſi contrahentes ignorent ejus veritatem; ſi falſa eſt, ſtipulatio eſt nulla, ut idem Papinianus alibi docet, *l. ſi ita ſtipulatus 120. D. de verb. oblig.* Sed hic ſtatim objici poteſt, Papinianum perperam diſtinguere conditiones in veras & falſas, quandoquidem, ut vulgo dici ſolet, conditionalis nihil ponit, id eſt, neque affirmat, neque negat; & per conſequens neque verum neque falſum ſignificat. Quid ergo, eſt, quod dicit, *ſi conditio vera ſit?* Reſpondetur, conditionem dici veram, uſitata loquendi formula, quando ſubtracta nota conditionali propoſitio, quae ramanet, eſt vera, & ſimiliter de falſa: ut haec conditio, *ſi Rex Parthorum vivit*, ideo dicitur vera vel falſa, quia rejecta particula, *ſi*, illud, *Rex Parthorum vivit*, eſt neceſſario verum vel falſum. Ratio igitur hujus reſponſi, cur ſcilicet non ſuſpenditur obligatio propter ejusmodi conditiones, eſt, quia neceſſe eſt, enunciationes de iis, quae ſunt vel fuerunt, eſſe determinate veras, vel determinate falſas, ut docet Ariſtoteles *lib. 1. περὶ ἑρμηνείας. cap.* 8. Nec obſtat, quod contrahentes ignorent veritatem vel falſitatem earum: reſpiciendum enim eſt tantum, an per naturam rerum ſciri poſſit earum veritas vel falſitas, ut ait *l. reſpiciendum 38. hic.* exempli gratia promittis mihi centum ſi Rex Parthorum vivit, vel ſi Titius Conſul factus fuit, obligatio aut ſtatim contrahitur, aut omnino non contrahitur, nec contrahi poteſt: tametſi ignoremus, utrum vivat Rex Parthorum, necne, vel utrum Conſul factus fuerit Titius necne. Haec ideo, quia tu promiſiſti, non ſi nobis conſtat Regem Parthorum vivere, ſed ſi vivit: vivere autem eum per ſe verum eſt aut falſum, licet nos ignoremus. Objicitur adverſus hanc ſententiam *l. ſed etſi reſtituatur 28. §. alt. D. de judic.* ubi traditur ea, quae apud nos incerta ſunt, morari & ſuſpendere petitionem, tametſi per rerum naturam certa ſint; & additur praeterea, non eſſe inſpiciendam rerum naturam, ſed noſtram inſcientiam. Reſpondetur ibi de petitione agi; hic de obligatione: ibi recte reſponſum eſſe, incertitudinem noſtram morari petitionem, quia in petitione & judiciis non ſolum rei veritas, ſed etiam ejus veritatis probatio exigitur ab eo, qui petit, *l. nimis grave 7. C. de teſtib. vulg. l. qui accuſare 4. C. de edend. l. dote 9. C. de. rei vindic.* probatio autem fieri non poteſt niſi per ea, quae nobis nota ſunt. At in obligatinne conſtituenda veritas ſola ſpectatur, quae eſſe poteſt, etſi a nobis ignoretur; ut in ſimili ſpecie reſponſum eſt, *l. cum quidam 30. §. ſuum 6. D. de acquir. haered.* Ex his infert Papin. in *l. itaque 39.* conditiones, ad praeſens vel praeteritum tempus collatas, non proprie eſſe conditiones, ſed eas tantum, ſiuae in futurum tempus conferuntur. Siendum ergo eſt, quasdam eſſe obligationes vere conditionales re & verbis; illas nimirum, quae concipiuntur ſub conditione, in futurum collata: alias vero, quae ſecundum formulam verborum conditionales videntur, vi tamen & effectu purae ſunt; ut illae, de quibus hic tractatur, quae ob id non merentur dici conditionales, *l. inſtitutio 10. in fin. D. de condit;*

dit. inſtit. quia continent figuram tantum, non etiam vim conditionis, ut ait *l. Cornelius 69. D. de haeredibus inſtit.* Alias denique verbis quidem puras eſſe, ſed vi & effectu conditionales, ut cum ſtipulamur fructus naſcituros: ineſt enim conditio ipſa natura, ſi naſcantur, *l. 1. in fin. D. de condit. & demonſt. l. interdum 73. D. de verb. obl.* Aliquando tamen ea, quae in futurum collata ſunt, non faciunt proprie conditionem, ut cum quis promittit centum ſi ſol cras orietur; adjectio enim haec cum ſummam certitudinem habeat, nullo modo ſuſpendit obligationem. Caeterum, an iſtae conditiones de praeterito vitient actus legitimos, quaeri ſolet. Placet Alciati diſtinctio, ut inſpiciamus An prohibita ſit in iis conditio propter incertitudinem & inſcientiam noſtram: & tunc ne conditionem quidem ad praeſens tempus collatam poſſe adjici; quia ea nobis incerta eſſe poteſt: exemplum eſt in *l. eam qui 51. in fin. D. de acq. haered.* An vero prohibita ſit, quia ſuſpendit actum, & tunc non nocere conditionem collatam in praeſens tempus; veluti ſi decretum a judice interponatur ſub hac formula ſive conditione, *ſi, & quantum poſſum.* Bartol. ad *l. ambitioſa 4. num. 33. D. de decret. ab ord. faciend.* Sic inſtitutio filii prohibetur eſſe ſub conditione, quae non eſt in ejus poteſtate, *l. ſi pater 4. C. de inſtit. & ſubſtit. ſub condit.* quia pendente conditione ſuccederet cohaeres pure ſcriptus, quod fieri non poteſt; niſi prius ſublata illa continuatione dominii per ſucceſſionem naturalem & legitimam, *l. in ſuis 11. D. de liber. & poſthum.* Quia ergo prohibitio iſta ſit ne ſuſpendatur actus, non erit inutilis inſtitutio filii ſub conditione, ad praeſens vel praeteritum tempus collata, *d. l. inſtitutio 10. in fin. D. de cond. inſt.*

LEX XL. Paulus lib. 3. Quaeſtionum.

L*Ecta eſt in auditorio Aemilii Papiniani Praefecti praetorio Juriſconſulti cautio hujuſmodi. Lucius Titius ſcripſi me accepiſſe a Publio Maevio quindecim mutua numerata mihi de domo: & haec quindecim proba recte dari kalendis futuris ſtipulatus eſt Maevius Publius, ſpopondi ego Lucius Titius. Si die ſupraſcripta ſumma Publio Maevio, sive ad quem ea res pertinet, data, ſoluta, ſatiſve eo nomine factum non erit, tunc eo amplius quo poſt ſolvam, poenae nomine in dies triginta, inque denarios centenos, denarios ſingulos dari ſtipulatus eſt Publius Maevius, ſpopondi ego Lucius Titius: convenitque inter nos uti pro Maevio ex ſumma ſupraſcripta menſtruos refundere debeam denarios trecenos, ex omni ſumma ei haeredive ejus. Quaeſitum eſt de obligatione uſurarum: quoniam numerus menſium, qui ſolutioni competebat, tranſierat. Dicebam quia pacta in continenti facta ſtipulationi ineſſe creduntur, perinde eſſe ac ſi per ſingulos menſes certam pecuniam ſtipulatus, quoad tardius ſoluta eſſet, uſuras adjeciſſet. Igitur finito primo menſe primae penſionis uſuras currere: & ſimiliter poſt ſecundum & tertium tractum uſuras non ſolutae pecuniae penſionis creſcere: nec ante ſortis non ſolutae uſuras peti potuiſſe, quam ipſa ſors peti potuerat. Pactum autem, quod ſubjectum eſt, quidam dicebant ad ſortis ſolutionem tantum pertinere, non etiam uſurarum, quae priore parte ſimpliciter in ſtipulationem veniſſent: pactumque id tantum ad exceptionem prodeſſe: & ideo non ſoluta pecunia ſtatutis penſionibus ex die ſtipulationis uſuras deberi, atque ſi id nominatim eſſet expreſſum. Sed cum ſortis petitio dilata ſit, conſequens eſt, ut etiam uſurae ex eo tempore, quo moram fecit, accedant, etſi, ut ille putabat, ad exceptionem tantum prodeſſet pactum, quamvis ſententia diverſa obtinuerit, tamen uſurarum obligatio ipſo jure non committetur: non enim in mora eſt is, a quo pecunia propter exceptionem peti non poteſt. Sed ſi quantitatem, quae medio tempore colligitur, ſtipulamur, cum conditio extiterit, ſicut eſt in fructibus, idem & in uſuris poteſt exprimi: ut ad diem non ſoluta pecunia, quo competit uſurarum nomine, ex die interpoſitae ſtipulationis praeſtetur.*

Qui *hanc legem* difficilem eſſe dicunt, recte dicunt; at qui non intellectam dicunt, perperam dicunt: idque ut nos non verbo, ſed re ipſa oſtendamus, ſingulas ejus partes examinabimus, &, ſi quid obſcurum & involutum in ea eſt, evolvemus. Difficultas autem tota naſcitur ex cautione, quam Paulus ſcribit lectam fuiſſe in Auditorio Papiniani. *Cautio* idem hoc loco eſt, quod tabula, ſive ſyngraphum, aut chirographum, aut inſtrumentum, continens cautionem & ſcripturam obligationis, *l. emptor 47. §. Lucius 1. D. de pact. l. qui tabulas 27. D. furt. l. ſi quae ſunt 5. D. fam. hercisc. l. penult. §. ult. D. ad l. Falcid.* Haec cautio lecta fuit, quia tota diſceptatio, in quaeſtione propoſita, ex verbis ejus naſcebatur, & *lecta* quidem *in auditorio Aemilii Papiniani Praefecti praetorio Juriſconſulti*, id eſt, in eo loco, ubi Papinianus cauſas audire & jus reddere ſolebat: id enim *auditorium* ſignificat, *l. 1. D. an per alium cauſ. appell. redd. poſſ. l. minor. 18. D. de minor. l. mulier 22. D. ad SCtum Trebell. l. contra 54. §. 1. D. de re judic.* Hinc *auditorium ſuſcipere*, pro cognitionem cauſae ſuſcipere, poſuit Calliſtratus, *l. cum lege 41. D. de recept.* fuit autem Papinianus Advocatus fiſci, ut patet ex *l. ult. D. de jure fiſci*; & Magiſter ſupplicum libellorum, *l. reſcriptum 12. D. de diſtr. pign.* Poſtremo, Praefectus praetorio, ut hic, quae ſumma dignitas eſt: unde Principes in ſuis reſcriptis ſolebant appellare Praefectum praetorio parentem, *4. C. de locat.* alios vero magiſtratus amicos vel chariſſimos. Additur *Juriſconſulti*, ut intelligamus juris ſcientiam ornamento eſſe tantae dignitati. Has autem circumſtantias proponit, ut intelligamus difficultatem magnam fuiſſe, eo quod ad Praefectum praetorio quaeſtio deferebatur.

Sequuntur *hac l.* verba cautionis recitatae, ibi *Lucius Titius, &c.* qua cautione tria praecipue capita continentur, duae ſcilicet ſtipulationes, & unum pactum nudum. Prior ſtipulatio eſt de ſorte promiſſa reddenda ſimul uno die: poſterior de uſuris centeſimis ſolvendis, ſi mora facta fuerit in ſolutione ſortis; quibus ſubjicitur pactum, quo minuitur prior ſtipulatio de ſorte tota ſimul reddenda, conventque ut per partes ſolutio fiat. Prima ergo ſtipulatio ſic ſe habet, *Lucius Titius ſcripſi me accepiſſe a Publio Maevio quindecim mutua numerata mihi de domo, & haec quindecim proba recte dari kalendis futuris ſtipulatus eſt Maevius Publius, ſpopondi ego Lucius Titius.* Ait, *ſcripſi*: ſcribere apud Latinos, quo tempore literarum obligationes in uſu erant, ſignificabat mutuum accipere, & reſcribere mutuum reddere. Horat. 2. *Serm. ſatyr. 3. verſ. 69. Scribe decem a Nerio.* Terentius in *Phorm. act. 5. ſcen. 7. verſ. 28. Sed tranſi ſodes ad forum, atque illud mihi argentum jube rurſus reſcribi Phormio.* ubi Acro & Donat. haec docent.

Ait, *quindecim mutua*, at non exprimit quae; unde quaeri ſolet, de quo genere monetae loquitur: quidam ſubaudiunt *ſeſtertia*, ut Alciatus *hic*, & *lib. 3. Diſpunct. cap. 2.* quem ſequuntur Connanus, Baro, Balduinus, Duarenus. Seſtertium enim in neutro genere ſignificat mille ſeſtertios nummos, ut docet Budaeus *lib. 2. de Aſſe*; nummi autem 4. denarium unum conficiunt; atque ita unum ſeſtertium comprehendit 250. denarios, & 15. ſeſtertia 3740 denaria. Sed horum interpretationi obſtat quod Juriſconſulti in ſummis pecuniariis ſignificandis non utuntur ſeſtertiaria ratione, ſed denariaria. Unde alii ſubaudiunt hic verbum *millia*, ut ſit ſenſus, ſcripſi me accepiſſe quindecim millia denariorum (quae faciunt ſummam ſexaginta millium nummorum) argumento *l. ſi ita ſtipulatus 126. §. Chryſogonus 2. D. de verb. obl.* & *l. Publia 26. §. 1. D. depoſit.* & haec ſubauditio videtur vero propior; quia poſtea in hac eadem cautione mentio ſemper fit denariorum in ſubductione ſortis & ſolutione uſurarum. Sed haec obſcuritas nihil incommodi habet, neque adfert neque detrahit quicquam difficultati hujus reſponſi: proinde enim ſe habebit

quaeſ-

Digitized by Google

quaeſtio, ſi quamlibet aliam ſummam fingamus, quae dividi poſſit ſecundum proportionem expreſſam in hac cautione. Illud certiſſimum eſt, per verbum, *quindecim*, intelligi eam ſummam, quae ſaepius in ſe continet trecenos denarios; ut patet ex pacto ſubjecto ſtipulationi, ubi ex his quindecim reddebantur ſingulis menſibus treceni denarii. Ait, *de domo*; ad differentiam pecuniae numeratae in foro apud argentarios. † Moris enim fuit, ut qui pecunias mutuabant, eas apud argentarium numerarent, qui data & accepta in ſuis rationibus diligenter perſcribebat, quae ſcriptura publicam fidem faciebat, *l. Praetor ait* 4. & *l. argentarius* 10. *D. de edend.* & tunc in tabulis ſcribebatur, pecuniam numeratam eſſe de menſa, vel de menſae ſcriptura; quod ſi ad argentarios itum non erat, addebatur numeratam eſſe de domo, ſive de arca, ut *hic*, & *l. quidam* 26. *D. de pecun. conſtit.* Priore caſu publica erat ſcriptura, publica fides; poſteriore privatum chirographum, privata cautio. Quod ſi ad hujus ſeculi mores haec transferamus, videtur ea differentia, quae nunc eſt inter privatum chirographum mutui, & inſtrumentum a tabellionibus confectum. Et aliquando malunt homines mutuum accipere vel dare de domo, quam de menſa; cum cupiunt ſcilicet alios ignorare ſe mutuum accepiſſe vel dediſſe. Ait *probu*; ſolet cautionibus adjici nummos reddi probos, id eſt, veros, non adulterinos, *l. Titius* 24. *D. de pecun. conſtit.* quae expreſſio majoris declarationis cauſa facta eſt, non neceſſitatis; quia idem jus eſt, etſi ſine illa expreſſione pecunia promittatur, *l. eleganter* 24. §. *qui reprobos* 1. *D. de pignorat. action. l. cum quid* 3. *D. h. t.* Ait, *recte dari*, verbum *recte* ſolenne eſt in veteribus formulis, ut colligimus ex *l. qui Romae* 122. §. 1. *D. de verb. obl.* & Varrone *lib. 2. de re ruſtic. cap.* 2. 3. 4. & Catone *de re ruſtic. cap.* 144. *l. aliud* 71. §. *haec verba* 1. *D. de verb. ſignif.* idemque valet quod arbitratu boni viri, ut in cautione judicatum ſolvi, *recte defendi*, *l. jam tamen* 5. §. *videmus* 3. & §. *ult.* juncta *l. clauſula* 19. & *l. ſeq. D. judicat. ſolvi.* & *l. ſervum* 33. §. *ait Praetor.* 3. *D. de procurat.* Unde in emptione animalium ſtipulari ſolebant *recte eſſe*, id eſt, comedere; vel, *eſſe bibere ut oportet*, *l. ex empto* 11. §. 1. *D. de act. empt.* Ait, *Kalendis futuris*, id eſt, proximis, *l. cum qui Kalendis* 41. *D. de verb. oblig.* Admittamus ergo doctrinae cauſa ex hac priore ſtipulatione demonſtratum eſſe, 15. millia denariorum fuiſſe mutata, ut reddantur Kalendis proximis, ſive proxime ſequentibus illam ſtipulationem.

Sequitur deinde in ea cautione ſtipulatio uſurarum, quae incipit ibi, *ſi ea die ſupraſcripta ſumma* &c. qua ſtipulatione comprehenſum eſt, quod ſi die ſupraſcripta, id eſt, dictis Kalendis proximis, ſumma illa quindecim millium denariorum non fuerit ſoluta, debitor poſtea incipiet debere uſuras ejus temporis, quod ſequitur Kalendas, quas quidem uſuras ſolvet pro rata & pro portione temporis, quo pecuniam poſtea tenebit. Singula nunc videamus.

Ait, *ſi die ſupraſcripta ſumma* Haec conditionalis vocula, *ſi*, indicat ſtipulationem hanc uſurarum factam fuiſſe in caſum morae, ut metu earum debitor induceretur ad ſolvendum ſortem ſua die: unde vocatur poena hoc loco. Verbum autem, *ſupraſcripta*, cum ſit medium inter *die*, & *ſumma*, ad utrumvis referri poteſt, imo ad utrumque. Ait, *Pub. Maevio, eive, ad quem ea res pertinebit*: poſteriora haec verba propter haeredem addita ſunt, ut ſcriptum eſt in pacto, poſtea adjecto, & etiam propter bonorum poſſeſſorem, qui haeredis loco eſt, §. *quos autem* 2. *Inſtit. de bon. poſſ. l.* 2. *D. de bon. poſſ.* & quemvis alium ſucceſſorem univerſalem, *l. ſciendum* 70 *in fin. D. de verb. ſign.* poſſumus etiam extendere ad ſucceſſorem particularem, cui nomen venditum eſt, & ceſſae actiones, *l. ex nominis* 8. *C. de haered. vel act. vend.* eſtque eadem haec clauſula cum ea, quam Pragmatici apud nos hodie in inſtrumentis ſemper apponunt, *ſes hoirs et ou ayans cauſe.* Ait, *data ſoluta.* Data ad translationem dominii; ſoluta ad liberationem referuntur: quaſi diceret, data ſolutionis nomine; quia aliis etiam de cauſis pecunia dari poteſt. Verbum, *data*, tamen abundat hic ſecundum quoſdam: nam non intelligitur pecunia ſoluta ad hoc, ut debitor liberetur, niſi data ſit, id eſt, in dominium accipientis translata, *l. ſi alieni* 78. & *l. Caſſius* 17. *D. de ſolut.* Sed certe non abundat; quia dari poteſt in ſolutum res aliena; quo caſu verum eſt dicere, ſolutam eſſe pecuniam, quia numerata eſt creditori, *l. ſolutam* 49. *D. de ſolut.* at non eſt data, id eſt, ejus dominium non eſt translatum, §. *ſic itaque* 14. *Inſtit. de action. l. non omnis* 19. *in fin. D. h. t.* nec ſequitur, datur in ſolutum, ergo datur; vel, datur mutuo, ergo datur: non magis quam, eſt homo mortuus, ergo eſt homo: quia in ejuſmodi locutionibus *dare* ſignificat *tradere*. Videtur ergo hoc caſu creditor ſibi proſpicere, in hoc, ne impediantur uſurae, ſi alieni nummi ſoluti ſint; cum ex formula cautionis teneatur debitor non ſolum ſolvere, ſed & dare.

Ait; *ſatisve eo nomine factum non erit.* Quid ſatisfactionem inter & ſolutionem intereſt, docet *l. ſi rem* 9. §. *omnis* 3. *D. de pignor. act.* & *l. item liberatur* 6. §. 1. *D. quib. mod. pign. vel hypoth. ſolvitur. l. ſatisfactio* 52. *D. de ſolut. l.* 1. *D. qui ſatisd. cogant.*

Ait; *tunc eo amplius quo poſt ſolvum.* Haec verba oſtendunt, nullas deberi uſuras ejus temporis, quod intercessit inter hanc ſtipulationem & Kalendas proximas, quibus ſolvi & reddi debuit pecunia; ſed ejus temporis, quo debitor iſte poſt Kalendas diſtulerit ſolutionem.

Ait; *poenae nomine.* Haec verba indicant, uſuras debitas eſſe poenae nomine propter moram hoc caſu, ut dictum eſt; licet alias poſſent etiam abſque mora deberi ex ſtipulatione.

Ait; *in dies triginta*, id eſt, in menſem, recte: non autem, ut in quibuſdam libris ſcriptum eſt, dies 25. quem errorem mirum eſt Alciatum non animadvertiſſe; cum ſatis conſtet moris fuiſſe apud Romanos, ut foeneratores darent pecunias Kalendis, & rurſus Kalendis, id eſt, initio cujuſque menſis, exigerent uſuras, licet qui benigniores videri volebant, differrent petitionem in Idus: utrumque exprimit Horatius *Ode* 2. *Epod. in fin.* his verbis.

Omnem relegit Idibus pecuniam;
Quaerit Kalendis ponere.

Unde & Kalendae triſtes ab eodem dictae, quia triſtitiam afferunt debitori, qui neceſſe habet ſolvere ſortem & uſuras, vel ſaltem uſuras. Idem *lib.* 1. *Satyr.* 3. *v.* 86.

Odiſti, & fugis, ut Druſonem debitor aeris,
Qui niſi cum triſtes miſero venere Kalendae
Mercedem aut nummos unde unde extricat.

Mercedem dixit pro uſuris, ut alibi *Satyr.* 2. *v.* 14. eſt enim merces pecuniae mutuatae.

Ait, *inque denarios centenos denarios ſingulos.* Hic deſcribitur centeſima uſura, quae eſt, quando ſingulis menſibus pro centum ſolvitur unum. Vocatur etiam as uſurarum; quia eſt ſumma & maxima uſura, *l. qui ſine* 38. *D. de negot. geſt. l. tutor qui repertorium* 7. §. *idem ſolent* 8. & §. *ſeq.* & *l. non exiſtimo* 54. *D. de adminiſtr. tutor* Theophil. in §. 33. *verſ. Plus autem. Inſtit. de act.* & dividitur ſecundum partes aſſis, inde unciarium foenus apud Cornel. Tacitum *lib.* 6. *Annal. cap.* 16. & unciariae uſurae, *l. Titium* 47. §. *praefectus* 4. *D. de admin. & peric. tutor.* & bes centeſimae, *l. eos* 26. §. 1. *C. de uſuris.* & uſura quincunx, *l. cum quidam* 17. *D. de uſur.* & uſura triens, *l. firmio* 26. §. 1. *D. quando dies legat. cedat. l.* 3. §. *ult. D. ad l. Falcid.* & uſura quadrans, *l. liberto* 22. §. *Largius* 4. *D. de annu. legat.* Ut autem haec nomina ad rationem & ſupputationem noſtram gallica interpretatione deducamus, uſura centeſima, ſive as uſurarum ſignificat *douze*

pour

† Donatus in locum Terentii, *ſupra notatum.*

pour cent. Unciaria uſura; *un pour cent.* Uſura ſextans; *deux pour cent.* Uſura quadrans; *trois pour cent.* Uſura triens, *quatre pour cent.* Uſura quincunx; *cinq pour cent.* Uſura ſemis; *ſix pour cent.* Uſura ſeptunx; *ſept pour cent.* Uſura bes, ſive bes uſurarum; *huict pour cent.* Uſura dodrans; *neuf pour cent.* Uſura dextans; *dix pour cent.* Uſura deunx; *unze pour cent.* Ratio autem ineunda eſt in ſolvendis minoribus iſtis uſuris menſtruis, per minutiora pondera; veluti ſiliquas, ſcrupula, drachmas.

Ait, *ſtipulatus eſt* &c. quia uſurae in ſtricti juris contractibus non debentur ſine ſtipulatione, *l. 3. C. de uſur.*

Sequitur pactum nudum, quod incontinenti additum fuit iſtis ſtipulationibus, in *verſic. Conventique:* ex quo tota difficultas & diſputatio orta eſt. Eo autem pacto comprehenſum fuit, ne debitor iſte neceſſe haberet tota 15. millia ſolvere proximis Kalendis, licet id priore ſtipulatione dictum fuerat, ſed ut liceat illi perpenſiones & partes ſolvere illam ſummam, nempe per menſtruos denarios trecenos, id eſt, ut primis Kalendis ſolvat trecenta, & ſecundis Kalendis alia trecenta, & ita deinceps. donec totam ſummam compleret. Hoc autem pactum nudum eſt, nudaque conventio; quia nulla ſubeſt cauſa praeter meram paciſcentium voluntatem, ut definit Ulp. *l. jurisgentium 7. §. ſed cum nulla 4. D. de pact.* id eſt. quia neque propter rei traditionem, neque propter viciſſitudinem obligationis, neque propter factum aliquod interponitur; nec audiendi ſunt, qui pactum veſtitum dicunt, quando contractui adjectum eſt: nam revera omne pactum eſt nudum, ex doctrina Ulpiani *d. l. jurisgentium 7. §. ſed cum nulla 4. & §. ſeq. D. de pact.* ubi id plane & perſpicue demonſtravi) omnis, inquam, privata conventio aut legitima eſt, aut jurisgentium; omniſque conventio jurisgentium eſt vel contractus, vel pactum nudum. Quod cum antiqui Interpretes non animadverterent, ineptam, & incognitam Juriſconſultis pactorum diviſionem commenti ſunt, in pacta nuda, & pacta veſtita. De quo libuit hic iterum Juris ſtudioſos admonere; quod videam ſciolos quoſdam, & in Juris authorum ſcriptis nec diu nec multum verſatos, dicendi provinciam in quibuſdam Academiis oppido quam arroganter ſibi aſſumere; & cum ipſos Juris authores aut non legant, aut non intelligant, in gloſſarum & vulgarium Interpretum fictionibus & commentis, a Juriſconſultorum verbis, mente & ſententiis interdum alieniſſimis, ſine ullo delectu vel judicio, conquieſcere; quibus non ſatis eſt ſeipſos decipi, niſi & alios in errorem trahant. Nam cum parum aut nihil ipſi de ſua penu promere & conferre ad juris cognitionem poſſint, aliorum ſeu recte ſeu perperam dictis tanquam ſcopulo adhaereſcunt. Veteribus certe & primis illis Interpretibus ignoſcendum eſt quicquid per ignorantiam antiquitatis, aut linguarum & Latine loquendi proprietatis deliquerunt: quinimo illorum conatus laudandi, venerandaque memoria, quod ipſi ſibi duces fuerint, primique, ut dicitur, glaciem fregerint; &, quod caput eſt, infelici rudique literarum ſeculo nati, multa feliciter & erudite conſcripta ad poſteros transmiſerunt, quae magnum nobis adjumentum lumenque quotidie afferunt. At iſtis non item danda venia, qui poſt illuſtratam infinitis excellentium virorum, & omni ſcientiarum genere inſignium commentariis Juriſprudentiam, usque adeo adhuc caecutiunt, ut manifeſtos errores non videant & vitent. Sed ad inſtitutum!

Propoſita & lecta cautione, ut dictum eſt, ſuccedebat dubia juris quaeſtio, de qua apud Papinianum diſceptabatur, quam Paulus incipit tractare in *verſ. Quaeſitum.* Nam ita res ſe habebat, quod omnes menſes jam praeterierant, intra quos tota ſors ſolvi potuit & debuit per penſiones. Praeterierant nempe 50. menſes, ſive quatuor anni & duo menſes, in quos 15. millia denariorum per trecenos menſtruos dividuntur; atque ita praeterierant hi menſes, ut debitor iſte nihil ex omnibus penſionibus conſtitutis ſolviſſet: quo fit, ut illa jam quindecim millia cum uſuris debeantur. Ait ergo, *quaeſitum eſt de obligatione uſurarum.* Quid autem quaeſitum fuit non exprimit in quaeſtione, ſed colligi poteſt ex ejus reſponſo & ſequenti diſputatione: nempe quaeſitum fuiſſe ex qua die commiſſa eſſet ſtipulatio uſurarum totius ſortis, utrum ſcilicet ex die non ſolutae primae penſionis, uſura totius ſortis deberetur pro rata temporis, id eſt, unius menſis, an vero uſura tantum illius primae penſionis, ſive quinquageſimae partis, & rurſus ſecunda penſione non ſoluta, an non niſi uſurae ſimiliter ejus penſionis, & ſic deinceps, ita ut totius ſortis uſura peti non poſſit ante quinquageſimum menſem.

Dubitandi autem cauſa tanta fuit in hac quaeſtione, ut quidam ex aſſeſſoribus Papiniani, contraria a Paulo ſententia dicerent, in quorum numero fuit Ulpianus, quem hoc loco tacite indicari quidam putant: nam licet videatur oſtendere plures fuiſſe in contraria ſententia, tamen poſtea docet, ſe de uno praecipue intelligere, cum ait, *ut ille putabat.* Horum rationes Paulus hic proponit & diluit. Prior ratio eſt ejusmodi: Pactum hoc, quod ſubjectum fuit ſtipulationibus, factum erat tantum ſuper ſorte ſolvenda per penſiones, quae alias vi ſtipulationis ſolvi debuit ſimul. At pactum, ſuper una re vel cum una perſona factum, non debet extendi ad aliam rem vel perſonam, *l. ſi unus 27. §. pacta quae turpem 4. verſ. Ante omnia. D. de pact.* ergo cum uſurae ſimpliciter promiſſae eſſent in ſecunda ſtipulatione, ſi tota ſumma proximis Kalendis non ſolvatur, & nihil pacto expreſſum eſſet de iis minuendis, dividendis, aut differendis, non videtur receſſum eſſe a ſtipulatione earum; proinde, non ſoluta prima penſione, totius ſortis uſura debebatur, quia poena individua eſt, *l. ſtipulationum 5. §. ult. D. de verb. oblig. l. haeredes 25. §. idem juris 13. D. famil. herciſc.* Altera ratio eorum, qui diſſenſerunt a Paulo, eſt, in *verſic. Pactumque id.* & eſt ejusmodi: pactorum ea vis eſt, ut pariant tantum exceptionem, id eſt, non tollant & elidant actionem ipſo jure, ſed tantum per exceptionem, *l. jurisgentium 7. & paſſim. D. de pact.* At agenti ex ſtipulatione uſurarum non poteſt exceptio opponi ex eo pacto, quod tantum de diviſione ſortis factum eſt, & nullum de uſuris verbum continet: ergo manebit valida illa ſtipulatio uſurarum, non deminuta exceptione pacti. Huc accedit, quod in ſtipulationibus non conſiderantur niſi ea, quae lingua nuncupata ſunt, *l. quicquid aſtringendae 99. D. de verb. obl.* Contrarium tamen Paulus reſpondet hoc loco, cujus ſententia obtinuit apud Papinianum, nempe propter ceſſationem ſeu moram unius menſis poſt primas Kalendas, non deberi uſuras totius ſortis, ſed tantum uſuras ejus penſionis, quae ſolvi debuit primo menſe (ſcilicet trecentorum denariorum) & ſimiliter finito ſecundo menſe uſuras ſecundae penſionis, & ejus, quae praeceſſit (nempe ſexcentorum) & ſic in reliquis: atque ita rem totam in hac ſpecie perinde ſe habere dicit, ac ſi creditor ſeparatim ſtipulatus fuiſſet, ſingulas penſiones ſingulis menſibus, & earum uſuras poenae nomine quoad tardius ſolverentur: nec ante deberi uſuras cujusque penſionis, quam ipſa penſio peti poſſet. Haec Pauli deciſio eſt, cujus rationem reddit, quia ſcilicet *pacta incontinenti facta ſtipulationi ineſſe creduntur:* ex quo ſequitur, pacta ejusmodi formare & reformare ipſo jure ſtipulationem & actionem ex ea: quod intelligendum utique eſt de pactis, incontinenti adjectis, poſt ſtipulationem. Nam pacta, quae ſtatim ante ſtipulationem fiunt, non ſunt pacta nuda aut pacta appoſita, ſed partes ſtipulationis, quia intelliguntur eſſe repetita in ipſa ſtipulatione, *l. Titia 134. §. idem reſpondit 1. D. de verb. oblig. l. 4. in fin. D. de pact.* Ineſſe autem pacta, ex continenti facta ſtipulationi,

aſſumit Paulus pro jure certo & indobitato, ac veluti regula notiſſima; unde ita colligit. Per pactum ſubjectum in hac cautione eo res reducitur, ut perinde ſe habeat ac ſi ab initio creditor ſtipulatus fuiſſet, totam ſummam mutuatam ſibi reddi per penſiones (videlicet menſtruos denarios trecenos) quo concesſo & illud ſequi oportet, ſtipulationem uſurarum non committi niſi ſingularum penſionum per ſingulos menſes; quia ſtipulatio uſurarum in hac ſpecie pendet a ſtipulatione ſortis, propter illa verba, *ſi die ſuprascripta ſumma data ſoluta non ſit.* Cum itaque diviſa jam ſit ſolutio in plures dies, elapſo primo die ſolutionis, non poteſt dici pecuniam ſuo die non eſſe ſolutam, niſi de parte tantum, quae illa die ſolvi debuit, quoniam aliarum partium dies nondum venit, & ideo non poteſt quoque dici totius pecuniae uſuras deberi. Haec Pauli deciſio ſummam habet aequitatem in hac ſpecie, ubi uſurae debentur in caſum morae, tanquam poena dilatae ſolutionis. At nemini dubium eſt, recedendum eſſe ab ea in aliis caſibus, in quibus non poenae nomine promiſſae ſunt uſurae, ſed propter uſum ſortis: veluti ſi mutuaſti mihi duodecim millia, & ſtipulatus es uſuras illius ſummae, quoad tardius ſolveretur; deinde convenerit, mei forte commodi cauſa, ut hanc ſummam per millenarias penſiones menſtruas ſolvam, ita ut ultima penſio in fine anni ſolvatur; finito certe primo menſe, debeo tibi non ſolum uſuras primae penſionis, ſed etiam totius ſummae pro ratione illius menſis; &, ſoluta prima penſione ac finito ſecundo menſe, debebo uſuras undecim partium, quae ſuperſunt ratione ſecundi menſis: atque ita deinceps, donec tota ſumma completa fuerit, ut earum tantum partium uſurae ſublatae intelligantur, quae ſolutae ſunt, *l. ſi ita* 135. *D. de verb. obl.* Et hoc etiam Paulus ſatis indicat *in fine hujus l. verſic. Sed ſi quantitatem.*

Sed quaeri hoc ſolet, quomodo inſunt pacta, poſtea facta, ſtipulationi? Accurſius ad *l. jurisgentium* 7. *§ quinimo* 5. *D. de pact.* putat pactum ineſſe eodem modo ſtipulationibus & ſtricti juris contractibus, quemadmodum contractibus bonae fidei; quem caeteri veteres Interpretes ſequuntur. At recentiores melius reſpondent, pactum ineſſe ſtipulationi ex parte rei, non ex parte actoris, id eſt, ſi eſt pactum detrahens obligationi, non autem adjiciens: ac (ut vir Juriſconſultiſſimus Antonius Contius dicere ſolebat) planius & intelligentius loqueremur hoc caſu, ſi diceremus pacti exceptionem ineſſe ſtipulationi, ita ut non ſit opus reo opponere exceptionem: multum enim intereſt utrum exceptio inſit ipſi contractui, an non. Nam poſteriore caſu reus neceſſe habet eam opponere; priore caſu, minime, ſed ipſo jure tollit aut minuit actionem: quod diſcrimen eleganter docet Paulus *l.* 3. *D. de reſcind. vend.* vendidi tibi equum meum decem, & ea decem ſtipulatus ſum: poſtea convenit ex intervallo, ut equus ſit inemptus. Si ago actione ex vendito ad pretium, non eſt neceſſe tibi opponere exceptionem pacti; quia pactum illud ipſo jure abrogavit contractum emptionis, *l. pacta conventa* 72. *verſ. Avidem. D. de contrah. empt. l. ab emptione* 58. *D. de pact.* At ſi ago ex ſtipulatu ad pretium, neceſſe eſt tibi opponere exceptionem; quia pactum illud ex intervallo factum non ineſt ſtipulationi. Breviter ergo dicendum eſt, pacta conventa ex continenti facta, ineſſe bonae fidei contractibus, ſive adjicientia ſint, ſive detrahentia, id eſt, tam ex parte actoris, quam ex parte rei, *d. l. jurisgentium* 7. *§. quinimo* 5. *l. in bonae fidei* 13. *C. de pact. l. Publia* 26. *§. Lucius* 1. *D. depoſit.* ubi pactum uſurarum, incontinenti additum contractui bonae fidei, informat actionem ex eo contractu, ut & in ſpecie *l. qui negotia* 34. *D. mandat.* At in ſtricti juris contractibus ea tantum pacta ineſſe, quae minuunt, non quae augent obligationem, *l.* 3. *C. de uſur. l. rogaſti* 11. *§. ſi tibi* 1. *D. hoc. tit. l. ſi tibi* 17. *D. de pact.* ubi Stephanus, optimus & antiquiſſimus Graecus Interpres, id docet. In bonae fidei judiciis actor agere poteſt ex pacto incontinenti appoſito contractui (aget, inquam, ex illo contractu juxta formam & praeſcriptum illius pacti) *d. l. pacta conventa* 72. In ſtrictis judiciis agere non poteſt, *d. l.* 3. *C. de uſur.* Denique pactum, de quo hic quaeſtio eſt, ſoit pactum detrahens, non adjiciens, ideo ex parte rei ineſt: quae ſententia obtinuit apud Papinianum.

Superiori doctrinae non adverſantur, quae ſub *tit. de praeſcript. verb.* paſſim tradita ſunt, in quibus videtur ex pacto oriri actio; veluti, dedi tibi Stichum, ut Pamphilum manumittas: pactum hoc, ut Pamphilum manumittas, adjectum rei traditioni, parit actionem praeſcriptis verbis. Nam reſpondetur, nullum pactum nudum eſſe, ſed totum hoc eſſe *συνάλλαγμα* & contractum innominatum, ex quo oritur vel dati repetitio, vel actio in id, quod mea intereſt factum eſſe, quod promittitur, *l. naturalis* 5. *§. at cum do* 2. *D. de praeſcript. verb.* Idem de caeteris judicium eſt: nam ubicunque ſubeſt cauſa, propter quam fit conventio (veluti rei traditio, vel viciſſitudo obligationis, aut factum praeſtandum) ibi contractus eſt, ex quo naſcitur obligatio; ut belliſſime definit Ulpianus *d. l. jurisgentium* 7.

Sequitur *verſic. Sed cum ſortis.* in quo Paulus reſpondet duabus objectionibus adverſariorum, ſupra relatis in cauſa dubitandi; atque ita reſpondet, ut ſua illis principia concedat, & tamen oſtendat, non eſſe iis conſequens, quod illi concludunt. Nam primum, quod dicunt, pactum, de una re factum, ad aliam non extendi; id verum quidem eſt, niſi una illarum rerum alterius acceſſio ſit, & per conſequens veniat, quae notabilis exceptio eſt: qua de cauſa pactum, cum reo principali factum, fidejuſſori prodeſt, *l. & haeredi* 21. *§. ult.* & *l. ult. D. de pact.* & pactum, de ſorte principali factum, liberat acceſſiones; ut pignora & fidejuſſores, *l. in omnibus* 43. *D. de ſolut. l. ſolvitur* 5. *D. quib. mod. pign. vel hypot. ſolv.* atqui ſic eſt in propoſito: nam uſurae, de quibus quaeritur, debentur propter moram ſortis non ſolutae; unde cum dilata ſit ſolutio ſortis per pactum, incontinenti additum, conſequens eſt, uſuras non deberi ante illum terminum ſive diem, in quem per pactum dilata fuit ſolutio. Conſequentia probatur hoc modo: uſurae non debentur hoc caſu, niſi ex tempore morae, ſive poſt moram, ut jam ſaepius dictum eſt. At mora nulla committitur ante diem ſolutionis, idque certum eſt & indubitatum. Ergo nec uſurae quidem debentur ante illum diem. Secundo argumento reſpondet in hunc modum: licet concederemus pactum iſtud valere tantum ad exceptionem (quod falſum eſt, quia ipſo jure differt petitionem ſive actionem ex ſtipulatione) tamen uſurarum obligatio ipſo jure non committetur; id eſt, uſurae ipſo jure non debebuntur, quia *non eſt in mora is, a quo pecunia propter exceptionem peti non poteſt.* Ubi obiter notandum eſt, Paulum hic interpretari nobis regulam Juris, traditam in *l. ſi pupillus* 127. *D. de verb. obl.* & *l. nulla* 88. *D. de reg. jur.* Ut intelligatur habere locum, etiamſi ſit quidem petitio, ſed ea petitio, quae per exceptionem eliditur; quia in effectu nihil intereſt inter petitionem nullam, & petitionem, quae exceptione ſummovetur, *l. nihil intereſt* 112. *de reg. jur.*

Poſtremo fatetur Paulus, in *verſ. Sed ſi quantitatem*, ſuperiorem ſuam deciſionem locum habere tantum in hac ſpecie & ſimilibus, in quibus uſurae promiſſae ſunt propter moram; & ideo, ſi quis nominatim ſtipulatur, pecuniam cum uſuris ſibi reddi certo die, vel ſub conditione, adveniente conditione, vel ad diem non ſoluta pecunia, uſurae debentur a die interpoſitae ſtipulationis, *l. hujuſmodi* 64. *D. de verb. obl.* quo confirmatur, quod ſuperius dixi de uſuris promiſſis propter uſum ſortis; in iis nempe non valere deciſionem *hujus legis.*

LEX

Digitized by Google

LEX XLI. Africanus. lib. 8. Quaeſtionum.

Ejus, qui in provincia Stichum ſervum kalendario praepoſuerat, Romae teſtamentum recitatum erat, quo idem Stichus liber & ex parte haeres erat ſcriptus, qui ſtatus ſui ignarus, pecunias defuncti aut exegit aut credidit: ut interdum ſtipularetur, & pignora acciperet: conſulebatur, quid de his juris eſſet. Placebat debitores quidem ei qui ſolviſſent, liberatos eſſe: ſi modo ipſi quoque ignoraſſent dominum deceſſiſſe; earum autem ſummarum, quae ad Stichum perveniſſent, familiae herciſcundae quidem actionem non competere cohaeredibus: ſed negotiorum geſtorum dari debere: quas vero pecunias ipſe crediſſet, eas non ex majore parte, quam ex qua haeres ipſe ſit, alienatas eſſe. Nam & ſi tibi in hoc dederim nummos, ut eos Sticho credas, deinde, mortuo me, ignorans dederis, accipientis non facies: neque enim ſicut illud receptum eſt, ut debitores ſolventes ei liberentur, ita hoc quoque receptum eſt, ut credendo nummos alienaret: quare ſi nulla ſtipulatio interveniſſet, neque ei creditam pecuniam pro parte cohaeredis peti poſſe, neque pignora teneri: quod ſi ſtipulatus quoque eſſet, referret quemadmodum ſtipulatus eſſet. Nam ſi nominatim, forte Titio domino ſuo mortuo jam, dari ſtipulatus ſit, procul dubio inutiliter eſſet ſtipulatus: quod ſi ſibi dari ſtipulatus eſſet, dicendum haereditate eam acquiſiſſe: ſicut enim nobiſmet ipſis ex re noſtra per eos, qui liberi vel alieni ſervi bona fide ſerviunt, adquiratur, ita haereditati quoque ex re haereditaria acquiri: poſt aditam vero a cohaeredibus haereditatem, non aeque idem dici poteſt: atque ſi ſcierint eam ſibi cohaeredem datum: quoniam non poſſunt tunc videri bonae fidei poſſeſſores eſſe, qui nec poſſidendi animum haberent. Quod ſi proponatur cohaeredes ejus id ignoraſſe, quod forte ipſi quoque ex neceſſariis fuerint, poteſt adhuc idem reſponderi: quo quidem caſu illud eventurum, ut ſi ſuae conditionis cohaeredes iſte ſervus habeat, invicem bona fide ſervire videantur.

Species hic ponitur ab Africano, ex qua plures naſcuntur quaeſtiones: eſt autem ejuſmodi: Titius cum Romae ageret, ſervum ſuum Stichum kalendario praepoſuit in Provincia, id eſt, praepoſuit pecuniis foenerandis & exigendis: nam kalendarium ſignificat codicem ſive librum rationum, in quo nomina & cautiones foeneraticae, ipſaeque pecuniae, foenori deſtinatae, perſcribuntur, *l. qui filium 64. D. de leg. 3. l. Sticho 40. §. item quaero 4. D. de ſtat. lib.* Cujus appellatio inde tracta eſt, quod per menſes & kalendas pecunia foenebris dari exigique ſolebat; ut docui ad *l. prox. ſupra*. Unde exercere kalendarium dicebantur, cum foenerarent, *l. uxorem 41. §. legaverat 6. D. de leg. 3.* Hic Titius poſtea Romae deceſſit, facto teſtamento, in quo ſervum iſtum Stichum liberum & ex parte haeredem ſcripſit; forte in hunc modum: Stichus meus, quem kalendario praepoſui in provincia, ex triente haeres & liber eſto: qua ratione Stichus ſtatim haeres & liber factus eſt poſt mortem teſtatoris, etiam ante apertas tabulas teſtamenti, *l. 3. §. ult. D. de haered. inſtit. l. ex parte 58. D. de acquir. haered. Inſtit. de haered. qual. & differ.* Poſt mortem Titii deinde hoc ejus teſtamentum apertum & recitatum fuit Romae (ſicut moris erat, ut docet Paulus *lib. 4. Sentent. tit. 6.*) & recitatum quidem apud magiſtrum cenſus, ubi & reſervari debet, *l. teſtamenta 18. & l. conſulta 23. C. de teſtam.* Quae quidem recitatio facta fuit, non ut Stichus iſte aliquid juris ex illa tabularum apertura acquireret (quia, ut dictum eſt, ipſe ante apertas tabulas liber & haeres erat) ſed ut voluntas defuncti cognoſceretur, poſtulantibus id forte caeteris haeredibus aut legatariis, fideicommiſſariis, ſubſtitutis, aliiſve, quorum intereſſet voluntatem teſtatoris cognitam eſſe, *l. 1. & paſſim, D. teſtament. quemadm. aperi.* Interea hic Stichus, rerum omnium, quae geſta erant, ignarus (dominum ſcilicet deceſſiſſe & ſe liberum atque haeredem eſſe) perſeveravit exercere kalendarium, quemadmodum ſolebat, putans ſe eſſe in eodem ſtatu, in quo fuit antea. Atque ita pecunias defuncti partim exegit, partim credidit (inquit Africanus) id eſt, pecunias, quae olim erant defuncti: nam, ſi velimus ſtricte loqui, & aucupari verba, hae pecuniae tunc non erant defuncti, ſed haeredum: poſtquam enim defunctus eſt, aliquis nihil habet. Dicitur ergo pecunia defuncti ἀναφορικῶς, relatione facta ad id, quod fuit, quo modo tutor dicitur finita tutela, licet jam amplius tutor non ſit, *l. 1. & paſſim D. de tutel. & rati. diſtr.* & inſula dicitur, quae olim fuit, licet nunc non ſit, *l. inſula 56. in fin. D. de acq. rer. dom.* Et eſt hic obiter notandum argumentum adverſus haereticos, qui dicunt verum corpus Chriſti non eſſe in Euchariſtia, quia eam D. Paulus vocat panem, *1. ad Corinth. 11. v. 24.* nam id ab eo dictum eſt eadem loquendi figura & conſuetudine, facta ſcilicet relatione ad id, quod ante fuit: quo modo & virgam Aaron, poſtquam verſa fuit in colubrum, Scriptura nihilominus vocat virgam, *Exod. cap. 7. vſ. 15.* Sic Matthaeus vocatur publicanus, non quod & Apoſtolus permaneat publicanus, ſed quod priſtinum vocabulum teneat, inquit D. Hieronymus in *cap. 27. Matth.*

Ex hac ſpecie propoſita duae naſcuntur quaeſtiones: Una de pecuniis exactis, id eſt, quas Stichus recepit a debitoribus; Altera de pecuniis creditis, id eſt, quas foeneravit poſt mortem domini ſui. Et rurſus de exactis pecuniis duo quaeruntur: Alterum, an debitores ſolventes pecuniam Sticho liberentur. Dubitandi cauſa eſt, quia morte domini finitum erat mandatum, eoque magis, quod manumiſſus fuerit hic diſpenſator: unde duo concurrebant, & mors ſcilicet mandantis, & manumiſſio ſervi, *§. recte 9. Inſtit. de mandat. l. diſpenſatorem 62. D. de ſolut.* Ac proinde non videbantur liberati debitores, ſolventes ei, qui neque creditor erat, neque mandatum exigendi a creditore amplius habebat, *l. qui hominem 34. §. ſi nulla 4. & l. ſi quis offerenti 58. D. de ſolut.* Contrarium tamen reſpondet Africanus; nempe debitores liberatos eſſe hoc caſu, ſi modo & ipſi ignorabant dominum eſſe mortuum: id enim benigne receptum eſt utilitatis cauſa, ne alioqui juſta & probabilis ignorantia damnum illis afferat, *d. §. recte 9. l. inter cauſas 26. §. 1. D. mandat.* Ex eo autem, quod dicit Africanus, *ſi modo ipſi quoque ignoraſſent dominum deceſſiſſe*, ſatis patet, eum velle non liberari debitores, ſi cum ſcirent dominum deceſſiſſe, ſolverunt diſpenſatori, *d. §. recte 9.* Cui ſententiae objicitur *l. ſi quis mancipiis 17. §. ſi impubes 2. D. de inſtit. act.* ubi ſcriptum eſt, recte contrahi cum inſtitore poſt mortem ejus, qui illum praepoſuit, & ex eo contractu dari actionem inſtitoriam adverſus pupillum haeredem defuncti, qui praepoſuit. Reſpondendum eſt, id certa quadam & ſingulari ratione admiſſum eſſe in inſtitore, propter utilitatem promiſcui uſus, ut illic dicitur. Ibi agitur de contrahentibus cum inſtitore; hic de ſolventibus diſpenſatori. Ibi ideo admittitur contractus factus cum inſtitore, ab iis, qui ſciebant dominum eſſe mortuum; quia & utilitas haeredis & neceſſitas contrahentium id ſuadet: haeredis quidem, quia expedit ei commercium exerceri ab inſtitore, ut res quae conſervari non poſſunt diſtrahantur, & aliae emantur: contrahentium vero neceſſitas, quia plerumque homines mercis comparandae neceſſitate coacti contrahunt cum inſtitore. At in ſpecie noſtra nihil tale eſt, quod ſuadeat liberationem: nam qui ſolvunt Sticho, ſcientes, dominum eſſe mortuum, non faciunt meliorem conditionem haeredum, imo vero deteriorem; quia eximunt ſe obligatione, qua tenebantur haeredibus, ſi modo dicamus eos ſolutione liberatos eſſe. Deinde nulla neceſſitate id faciunt, quia ſciunt, Stichum non amplius habere jus exigendi finita diſpenſatione, & ſatius illis eſt priva pecunia uti interea, quam ſolvere. Denique licet diſpenſator ſit inſtitor, *l. 5. & l. penult. §. ult. D. de inſtit. act.* tamen magna ratio eſt ſeparandi diſpenſatorem, cui pecu-

pecuniae diſpenſatio creditur, ab inſtitore, qui mercibus praepoſitus eſt: unde dici recte poteſt, mandatum inſtitoris non finiri morte domini, qui eum praepoſuit, propter dictam utilitatem promiſcui uſus, ſed tamdiu durare, donec removeatur ab haerede vel ejus tutore, *l. ſed ſi* 11. *D. de inſtit.* Itaque recte Accurſius, *vel aliud in inſtitore*, inquit.

Altera quaeſtio de pecuniis exactis eſt: Si liberati ſunt creditores, qui ignorantes dominum deceſſiſſe ſolverunt Sticho; qua ergo actione tenetur Stichus cohaeredibus? Dubitandi cauſa eſt, quia inter cohaeredes reddi ſolet judicium familiae herciſcundae, ut res communes ex haereditate dividantur, *§. quaedam* 20. *Inſtit. de action.* paſſim *tit. D.* & *C. famil. herciſc.* Contrarium tamen reſpondetur hoc loco, *non ſcilicet actionem familiae herciſcundae, ſed negotiorum geſtorum eo nomine competere.* Ratio eſt, quia familiae herciſcundae actio tunc competit, quando aliquis geſſit ut haeres id, quod pro ſua parte gerere non potuit, niſi partes etiam cohaeredum attingeret, *l. in familiae* 20. *C. famil. herciſc. l. & puto* 16. *§. ſed etſi* 4. *l. haeredes* 25. *§. ſi unus* 15. *D. famil. herciſc. l. fiſtulas* 78. *§. qui fundum* 2. *D. de contrah. empt.* At negotiorum geſtorum actio locum habet, quoties revera negotium geſtum eſt, *l. ult. D. de negot. geſt.* Non obſtat, *l. Maevius* 52. *§. ſervus* 1. *D. famil. herciſc.* ubi dicitur, *ſervus liber & haeres eſſe juſſus, id quod ex rationibus, quas patrifamilias geſſiſſet, & penes ſe retineret; judicio familiae herciſcundae cohaeredibus ſuis praeſtabit.* Reſpondendum enim eſt, illic non agi de re geſta a ſervo poſt mortem teſtatoris, ſed de pecunia vere haereditaria, id eſt, quae fuit in bonis defuncti tempore mortis ex negotio geſto a ſervo, vivente domino, & ideo communicanda eſt judicio familiae herciſcundae. At in ſpecie noſtra agitur de pecunia, quae nunquam fuit haereditaria: quippe quae mortis tempore debebatur; & quod nobis debetur, noſtrum non eſt, *l. Quintus* 27. *§. argento* 5. & *l. ſcribit* 34. *D. de aur. arg. legat.* Et ita ſtatuendum eſt, actionem familiae herciſcundae & actionem negotiorum geſtorum nunquam concurrere de una & eadem ſpecie, reſpectu unius & ejuſdem. Nec adverſatur *l.* 3. *C. de negot. geſt.* quae prima fronte videtur ſtatuere harum actionum concurſum: ſed non ita eſt. Si enim haeres ſolvit totum debitum, nulla neceſſitate urgente, quia potuit ſolvere partem ſuam tantum, agit negotiorum geſtorum: ſin vero cogitur totum ſolvere, quia negotium erat individuum (veluti, ut vitet venditionem pignoris, *d. l. haeredes* 25. *§. ſi unus* 15. vel aliud quidpiam faciat, quod pro parte expediri non poteſt) habet familiae herciſcundae actionem, *d. l. fiſtulas* 78. *§. qui fundum* 2. & *l. his conſequenter* 18. *§. penult. D. famil. herciſc.* dummodo illud judicium non fuerit antea redditum; quia regulariter judicium familiae herciſcundae bis agi non ſolet, *l. ſi filia* 20. *§. familiae* 4. *D. famil. herciſc.*

Altera quaeſtio principalis eſt de pecuniis creditis in *verſic. Quas vero.* An ſcilicet Stichus credendo pecunias poſt mortem domini, quem ignoravit deceſſiſſe, eas alienavit, & fecit accipientium atque mutuum contraxit. Dubitandi cauſam praebet deciſio ſuperioris quaeſtionis, qua traditur debitores ſolventes Sticho liberatos eſſe, & per conſequens tranſtuliſſe dominium in accipientem, *l. non omnis* 19. *§. ult. D. hoc tit. l. Caſſius* 17. *D. de ſolut.* quaſi eadem ratione dicendum ſit, accipientes obligari; quia una & eadem cauſa eſt liberandi & obligandi, *l. inter ſtipulantem* 83. *D. de verb. obl.* Contrarium tamen reſpondetur, nempe pecunias creditas a Sticho non majore ex parte alienatas eſſe, quam ex qua ipſe Stichus haeres eſt, quo reſponſo omnes ad unum Interpretes exiſtimant, Africanum duo definire. Alterum pecunias cohaeredum, quas Stichus credidit, non eſſe alienatas: ac proinde neque mutuum in iis conſiſtere, neque pignus eo nomine teneri, *l. nihil dolo* 129. *D. de reg. jur.* Alterum, partem pecuniarum, quae ad Stichum pertinebat, alienatam eſſe, & mutuum pro ea parte contractum: pars autem pecuniae communis quo modo intelligatur, dixi ad *l.* 13. *§. ult. D.* Sed hoc poſterius de parte Stichi maximam habet dubitationem propter eas objectiones, quas ponit Accurſius in *gl. in l. procurator meus* 35. *D. de acq. rer. dom. l.* 3. *§. ſubtilius* 8. *D. de condict. ca. dat. l. etſi conſenſum* 15. *§.* 1. *D. de contrah. empt.* quibus in locis diſerte ſcriptum eſt, neminem errantem alienare rem ſuam; veluti ſi, rem ſuam tradat, cum putet eſſe alienam: cujus rei ratio perſpicua eſt: nam ad transferendum dominium per traditionem opus eſt conſenſu, *l. ſi ego* 18. *D. h. t. §. per traditionem* 40. *Inſtit. de rer. diviſ.* at nihil eſt tam contrarium conſenſui, quam error, *l. ſi per errorem* 15. *D. de juriſdict.* Atqui ſic ſe res habent in ſpecie propoſita, quandoquidem hic Stichus dedit pecuniam ſuam (quia tunc liber & haeres erat) putans eam eſſe domini alterius, nempe domini ſui, quem neſcivit obiiſſe. Multae afferuntur ſolutiones: quidam dicunt, errorem impedire translationem dominii, quando is, qui tradit, non habet cauſam ab eo, cujus rem eſſe putavit; ſin vero cauſam habeat, non impediri translationem dominii propter errorem. Alii errorem tunc impedire translationem dominii ajunt, quando non eſt conſultum ei, qui tradidit per aliquam actionem: at quando ſatis conſultum eſt aliqua actione, tunc non impediri, *arg. l. ſi ſervum* 49. *D. mandat.* quemadmodum fit in hac ſpecie noſtra: Stichus enim hoc caſu habet certi condictionem ſuo nomine atque ita ſatis ei conſultum eſt hac certi condictione. Alii ideo hic transferri dominium ajunt, quod perſona haeredis prope eadem ſit cum perſona teſtatoris, cujus nomine pecunia data eſt; atque ita dans non multum aberraverit. Sed haec ſolutio minime omnium mihi ſatisfacit, ſiquidem hac cauſa diverſitatis admiſſa ſequeretur, eadem ratione partes etiam cohaeredum eſſe alienatas: nam & ipſi ſimiliter fictione juris cenſentur eadem perſona cum defuncto, *Novell. de jurejur. a morient. praeſt.* 48. *coll.* 5. quaſi hac ratione, quod teſtatoris nomine datum fuerit, id ex haeredum perſona firmamentum capiat; quod plane falſum eſſe hic locus declarat.

Sed mihi Africanum propius intuenti non videtur is verborum ejus ſenſus, qui vulgo putatur: Stichum nempe credendo pecunias poſt mortem domini, quem ſuperſtitem eſſe credebat, eas alienaſſe pro ea parte, ex qua ipſe haeres erat. Id enim non expreſſe dicit Africanus, neque ſatis firmiter ex ejus verbis colligi poteſt. Hoc tantum dicit, *pecunias, quas Stichus credidiſſet, non ex majore parte, quam ex qua ipſe haeres ſit, alienatas eſſe.* Inde illi, ergo ex illa ſaltem parte, ex qua haeres eſt, alienatae ſunt; vitioſa, inquam, certe non neceſſaria collectio. Veriſimile eſt, conſultum fuiſſe Africanum de effectu hujus crediti, & jure cohaeredum; an ſcilicet Stichus diſpenſator credendo pecunias defuncti potuerit eas alienare, atque ita praejudicare cohaeredibus, qui forte praeſentis pecuniae indigebant; & reſpondiſſe in hunc modum ſuccincte (ut illi Juriſconſultis mos eſt) pecunias illas non eſſe alienatas *ex majore parte, &c.* quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Stichum non potuiſſe alienare pecunias illas ultra ſuam partem, etiamſi id maxime voluiſſet. Ex quo hoc tantum infertur, potuiſſe eum alienare partem ſuam, ſi ita voluit: id eſt, ſi, admonitus conditionis ſuae, voluit partem ſuam manere apud eos, quibus credidit: quamdiu enim ſtatus ſui ignarus erat, non intelligebatur velle partem ſuam alienare, quam ignorabat ſe habere, *l. ad probationem* 23. *C. loc. l. ſi quis ita* 26. *§. ſi quis cum* 3. *D. de teſtam. tutel.* Haec faciunt, ut exiſtimem, hoc reſponſum de parte Stichi nullo modo repugnare aliis, in contrarium citatis; ac proinde inanem eſſe operam, quae in illis ad concordiam revocandis conſumitur. Nam quod aliis legibus generaliter traditum eſt, nemi-

nem

nem errantem alienare rem ſuam; id non negat hic Africanus (neque enim de ea re erat quaeſtio) ſed negat tantum, alienatas eſſe pecunias pro parte cohaeredum, de qua probabiliter dubitari potuit propter officium diſpenſationis, Sticho commiſſum a teſtatore. Unde dicendum eſt, hunc Stichum non alienaſſe partem ſuam, quamdiu ignorabat ſe eſſe haeredem, ea ratione, qua dicitur errorem impedire tranſlationem dominii; ſed tunc demum, ubi certior factus ſe eſſe haeredem, voluerit pecuniam pro parte ſua manere creditam apud eos, quibus eam numeravit, quo ſenſu omnis ſublata eſt contradictio. Jam vero quod ad cauſam dubitandi attinet, ex comparatione liberationis, quae contingit per ſolutionem, & obligationis, quae inducitur per numerationem, credendi animo factam, reſpondet Africanus in *verſ. Neque enim*; docetque, argumentum illud, ex comparatione ſeu ſimilitudine ductum, non recte concludi propter diverſitatem rationis. Nam debitores, ſolventes huic Sticho poſt mortem domini, ideo liberantur; quia hoc benigne receptum eſt. At non eſt receptum, ut idem Stichus credendo pecuniam poſt mortem domini, eam alienet, & obliget ſibi accipientes. *Neque enim*, inquit, *ſicut illud receptum eſt, ut debitores ſolventes ei liberentur, ita hoc quoque receptum, ut credendo nummos alienaret.* Similem plane ſolutionem affert in *l. qui negotia* 34. *D. mandat.* Sed cur illud receptum eſt; hoc vero non eſt? Quia nimirum ſi de debitoribus ſolventibus aliter ſtatuamus, eveniet ut juſta & probabilis ignorantia illis damnoſa ſit, quod fieri non debet, *§. recte* 9. *Inſtit. de mandat.* At metuendum non eſt, ne accipientes ex ipſa acceptione damnum patiantur, niſi obligentur: non eſt, inquam, metuendum ne ea ignorantia illis noceat: & ideo non eſt receptum ut obligentur. Reliqua videamus! Probat Africanus partes cohaeredum non eſſe alienatas, hoc argumento: *ſi tibi in hoc dederim nummos, ut eos Sticho credas, deinde mortuo me ignorans dederis, non facies accipientis.* Objicitur *l. hoc jure* 19. *§. ſi quis dederit* 3. *D. de donat.* & *l. fundi* 37. *D. de acq. poſſeſſ.* quarum ſpecies hae ſunt: Mandavi tibi, ut pecuniam Titio dares, cui donare volebam; ſi me mortuo ei dederis ignorans me deceſſiſſe, ejus ſit pecunia, & tu ages adverſus haeredes meos actione mandati. Similiter vendidi fundum, & mandavi procuratori meo, ut induceret emptorem in poſſeſſionem; ſi ignorans me mortuum induxerit emptorem, recte implevit mandatum, & poſſeſſio in emptorem transfertur. Reſpondetur, has objectiones non infirmare, ſed potius confirmare quod hic dicitur, quia utroque caſu mandatum ſpectat liberationem mandatoris, & ideo ad ſolutionem refertur. Utraque enim traditio eſt quaſi complementum inchoatae donationis & venditionis. Sed replicatur adverſus ſolutionem ex *l. 2. §. ſed ſi quis donaturus* 6. *D. de donat.* ubi qui voluit donare pecuniam Titio, dedit eam perferendam ad eum; ſi poſt mortem ejus, qui miſit, pecunia perferatur, non fit accipientis. Reſpondetur, illic non fuiſſe inchoatam donationem, manente adhuc dominio penes donatorem: nam qui voluit donare, miſit per miniſtrum ſuum pecuniam. At in priore ſpecie qui voluit donare, mandavit alteri ut ſuam det; unde ille, qui ex mandato dedit, dominus erat, & ideo transtulit dominium in accipientem. Et ita Graeci *lib.* 47. *Baſilicon*, conciliant *d. l.* 2. & *l. ſed interim* 11. *§. idem Marcellus* 7. & *§. ſeq. D. de donat. inter vir. & uxor.*

Ex his ſequitur in ſpecie ſuprapoſita, quod ſi nummi extant, vel mala fide conſumpti ſunt, agi poſſit rei vindicatione, vel ad exhibendum; ſi vero bona fide conſumpti ſunt, certi condictione, ex mutuo reconciliato, *l. rogaſti* 11. *§. ult. cum duabus ll. ſeq. D. h. t.* unde & fidejuſſores & pignora poſt conſumptionem obligantur, *l. ſi quis pro eo* 56. *§. ſi nummos* 2. *D. de fidejuſſ.*

Sed ſuperiora omnia dicta ſunt de pecuniis creditis ſine ſtipulatione: quid ergo ſi Stichus ſtipulatus eſt eas reddi? quo caſu una obligatio eſt unaque actio ſive certi condictio ex ſtipulatione, *l. ſi quis certum* 24. *D. h. t. l. ſi ita* 6. *cum l. ſeq. D. de novat.* Reſpondet Africanus, referre multum, quomodo ſtipulatus eſt; utrum ſcilicet ſtipulatus eſt ſibi reddi, an domino ſuo Titio: nam ſi ſtipulatus eſt nominatim reddi domino, inutilis eſt ſtipulatio; quia jam dominus mortuus eſt, nec fieri poteſt per rerum naturam, ut res ei detur. At impoſſibilium nulla eſt obligatio, *l. impoſſibilium* 185. *D. de reg. jur. l. ſi ſtipulor* 35. *D. de verb. obl. in princ. Inſt. de inutil. ſtip.* Quid ſi ſtipulatus eſt ſibi reddi, valet quidem obligatio, & pro qua parte haeres eſt, acquirit ſibi obligationem: pro partibus vero cohaeredum diſtinguendum eſt, utrum ante aditam haereditatem ſtipulatus eſt, an poſt; ſi ante, tunc Stichus ſibi ſtipulando acquirit haereditati jacenti, quae tanquam domina eſt, & per haereditatem acquirit cohaeredibus, ut *hic* dicitur, & *in princip. Inſtit. de ſtipul. ſerv.* Idem eſt ſi impersonaliter eſt ſtipulatus, *§. 1. Inſt. de ſtipul. ſerv.* Si vero poſt aditam haereditatem ſtipulatus eſt, cum ii, qui adierunt, ſcirent eum eſſe cohaeredem, non acquirit illis obligationem, ut *hic* docetur; & ratio redditur in *verſ. Poſt aditam.* & *verſ. ſeq.* quia ſcilicet tunc deſinunt bona fide poſſidere: at per liberas perſonas nobis ſervientes non acquirimus, niſi eas bona fide poſſideamus, *§. item 1. Inſtit. per quas perſ. nob. obl. acq.* Ideo autem de aditione haereditatis loquitur; quia adiri non potuit haereditas ab haeredibus, ex parte inſtitutis, tempore Africani ante aperturam tabularum. Atque ita ſcire potuerunt, hunc Stichum liberum eſſe & cohaeredem: quod diſcrimen Juſtinianus ſubſtulit, *l. unic.* §. & §. *in noviſſimo* 5. *C. de caduc. tollend.* Quod ſi proponantur cohaeredes iſti ejuſdem fuiſſe conditionis cum ſervo (id eſt, neceſſarii haeredes) & id ſimiliter ignoraſſe, Africanus ait, Stichum illis acquiſiſſe actionem, tanquam dominis, licet ignotis ſibi. Unde infert evenire hoc caſu id, quod mirabile videtur & paradoxon; ut ſcilicet hi omnes haeredes videantur ſibi invicem ſervire: idem autem mirabile hoc eſt, quia ſervire & dominari ſunt relata, nec poſſunt dici de uno & eodem reſpectu unius & ejuſdem: non magis quam pater & filius eſſe poteſt reſpectu unius & ejuſdem. Sed dixit Africanus, *videantur*, propterea quod quantum ad effectum acquirendi idem praeſtant inter ſe, ac ſi invicem ſibi ſervirent. Nec verum puto, quod quidam colligunt ex hoc loco, nempe acquiri nobis per eos, qui bona fide nobis ſerviunt, quamvis eos non poſſideamus; quaſi haeredes iſti non poſſideant, quia animum poſſidendi non habent, qui ignorant ſe eſſe liberos: nam qua ratione finguntur nobis ſervire, eadem ratione fingimur eos poſſidere. Quod ſi eorum ſententiam admittamus, male *hic* ab Africano reſponſum eſt; quia cauſa acquiſitionis noſtrae per liberam perſonam, quae bona fide nobis ſervit, eſt poſſeſſio noſtra, non illius ſubjectio aut ſervitus; hoc enim eſt commodum poſſeſſionis, §. 4. *verſ. Idem placet. Inſtit. per quas perſ. cuique acquir.* At poſſidere non poſſunt, dicis, quia non habent animum poſſidendi, ſed potius ſerviendi, *l. 3. D. de acq. poſſ.* Reſpondeo; hic ſufficit ficta poſſeſſio, ut in haereditate: nam revera haereditas non poſſidet, *l. 1 §. Scaevola* 15. *D. ſi is qui teſtam. lib.* ideo non requiritur, ut haeredes iſti habeant novum animum poſſidendi ad retinendam iſtam neceſſariam poſſeſſionem, ſed ſatis eſt, ſi non habeant animum contrarium. Id eſt, definendi poſſidere: nam haereditas intelligitur Stichum poſſidere *hac eadem l. ſupra*; & tamen non habet animum poſſidendi. Sed quia continuatur in ea poſſeſſio defuncti non interrupta, *l. nunquam* 31. *§. ult. D. de uſurp. & uſucap.* quemadmodum ergo non poſſunt dici cohaeredes proprie poſſidere ſe invicem; ita ne-

que ſervire ſibi invicem proprie dicuntur, quod indicat verbum illud, *videantur.*

LEX XLII. CELSUS lib. 6. Digeſtorum.

S*I ego decem ſtipulatus a Titio, deinceps ſtipuler a Sejo, quanto minus conſequi poſſim, ſi decem petiero a Titio, non liberatur Sejus: alioquin ne quicquam mihi cavetur: at ſi judicatum fecerit Titius, nihil ultra Sejus tenebitur. Sed ſi cum Sejo egero, quantumcunque eſt, quo minus a Titio exigere potuero eo tempore, quo judicium inter me & Sejum acceptum eſt, tanto minus a Titio poſtea petere poſſum.*

Species eſt; ſtipulatus ſum a Titio decem, deinde ſtipulatus ſum a Sejo, *quanto minus conſequi poſſim a Titio.* Quaeritur de natura & effectu hujus poſterioris ſtipulationis, utrum ſcilicet faciat Sejum correum debendi, an expromiſſorem, an fidejuſſorem. Et quidem non eſſe Sejum correum, manifeſte traditur, *l. decem* 116. *D. de verb. obl.* Nec etiam expromiſſor dici poteſt, quia per expromiſſorem fit novatio; ita ut expromiſſor ſolus obligetur, & liberetur is, pro quo expromiſit, *l. qui libertinus* 37. *in fin. D. de oper. libert.* Unde reus vocatur, *l. & eleganter* 7. *§. ſervus pactionis* 8. *D. de dolo.* At in hac ſpecie noſtra non liberatur Titius propter promiſſionem Seji, ut hic dicitur. Reliquum eſt ergo, ut Titius ſit adpromiſſor ſeu fidejuſſor, ſub conditione in id, quod non poſſum conſequi a Titio. Nam ita fidejuſſor accipi poteſt, *l. ſi fidejuſſores* 41. & *l. amiſſi* 52. *D. de fidejuſſor. l. ult. C. de fidejuſſ. Tutor.* Ex quo recte infert Celſus, quod ſi decem petiero a Titio, non idcirco liberatur Sejus. At quando duo ſunt correi, ſola petitione & electione unius liberabatur alter, Celſi temporibus & usque ad Juſtiniani imperium, *l. 2. D. de duob. reis. l. qui ſervum* 20. *D. de interrog.* niſi in bonae fidei judiciis, *l. 1. §. ſi apud duos* 43. *D. depoſ. l. ſi ut certo* 5. *in fin. D. commodat.* aut actione ex teſtamento, ne impediatur voluntas defuncti, *l. ſi ex toto* 8. *§. 1. D. de legat.* 1. Sed Juſtinianus in univerſum huic rei modum impoſuit, *l. ult. C. de fidejuſſ.* Ratio autem, cur non liberatur Sejus per petitionem factam a Titio, eſt, quia acceptus fuit in ſubſidium, ut ipſe id praeſtet, quod Titius ſolvere non poteſt. Unde, ſi fingamus Sejum liberatum eſſe cum primum creditor petierit a Titio, ſequeretur fruſtratoriam eſſe & inanem hanc cautionem Seji; & hoc eſt, quod dicit Celſus, *alioquin nequicquam mihi cavetur*, id eſt, fruſtra; quaſi diceret, nihil prodeſt mihi promiſſio facta a Sejo: idque probatur hoc modo. Non poſſum petere a Sejo, niſi prius conſtet, me non poſſe conſequi a Titio; quia Sejus promiſit in ſubſidium & defectum Titii, quo minus ſcilicet a Titio conſequerer. At non poteſt ſciri, quantum a Titio conſequi poſſum, niſi prius facta petitione & excuſſione facultatum Titii. Ergo nunquam Sejus conveniri poterit. Non enim antequam petatur a Titio, ut dictum eſt; non etiam poſt, ſi dicamus ea petitione liberari Sejum. Recte ergo dictum eſt, ſi a Titio petatur, Sejum non eſſe abſolutum; quia debemus interpretari ſtipulationes, ut valeant, potius quam ut ſint inutiles, ſi id praeſertim actum eſt, *l. quoties* 12. *D. de reb. dub. l. quoties* 80. *D. de verb. obl. l. ſemper* 34. *D. de reg. jur.* Quod autem dicitur Sejum non liberari, non abſolvi, hoc caſu, ex eo, quod a Titio petitum eſt, improprie dictum videtur; quomodo enim poteſt dici ſolutus, qui non erat obligatus? nam non ante obligatur Sejus quam ſi conſtet, quantum Titius ſolvere poteſt *d. l. decem* 116. *D. de verb. obl.* Reſpondeo, quod dicitur non eſſe abſolutum aut liberatum, non intelligendum eſſe de obligatione jam contracta, quia tunc non recte diceretur, ſed intelligendum de obligatione futura; quaſi diceret, non eſt liberatus Sejus a metu obligationis futurae, quae pendet ex incerto conditionis eventu. Ideo ſi ſtipulator partem tantum a Titio conſequi poteſt, aget adverſus Sejum pro reliqua parte. Vel ſi nihil a Titio aſſequi poteſt, Sejum conveniet in totum, quia verbum, *quanto minus*, ſignificat etiam *nihil*, *l. verbum omnino* 82. & *l. ſi ita* 150. *D. de verb. ſign. d. l. amiſſi* 52. *D. de fidejuſſ.* Atque haec in prima parte hujus reſponſi.

Sequitur altera pars in verſ. *Sed ſi cum Sejo:* cujus quaeſtio eſt, quid ſi, cum non potui conſequi tota decem a Titio, egi cum Sejo; an Titius liberatur? Quaeſtio in eo eſt, ſi Sejus non eſt ſolvendo, & Titius poſtea pervenerit ad pinguiorem fortunam; an iterum cum eo experiri poſſum: & quidam exiſtimant, me non poſſe propter verba *hujus legis: Sed ſi cum Sejo egero:* & addunt rationem; quia ſcilicet adveniente conditione, ſub qua Sejus fuit obligatus, videtur jam factus expromiſſor, & in ſe tranſtuliſſe obligationem Titii, atque ita quaſi novatione facta liberatur Titius. Sed haec ratio non eſt bona; non enim eo caſu fit novatio, *l. ſi ita* 6. *D. de novat.* Alii ideo, quia Sejus ex eventu conditionis incipit debere, atque ita conſtituuntur duo rei, quo poſito ſequitur, ut altero convento liberetur alter, *d. l. 2. D. de duob. reis.* quamvis aliud ſit jure novo, *d. l. ult. C. de fidejuſſ.* Nec obſtat, quod Paulus in *l. ſi decem* 21. *D. de ſolut.* dicit, *ſi cum Sejo prius egero, Titius in nullam partem liberatur*, quia ibi proponitur Sejus conventus tunc, cum nihil debebat, nempe ante excuſſum Titium, atque ideo non liberabatur Titius, *d. l. decem* 116. *in fin. D. de verb. obl.* Sed haec mihi non probantur, propterea quod (ut initio dixi) Sejus neque correus eſt, neque expromiſſor in ſpecie noſtra. Exiſtimo igitur, Titium non liberari, & recte poſtea conveniri poſſe, locupletiorem factum, in id, quod a Sejo haberi non poteſt, ut & Joann. *in gloſſ.* ſentit; idque confirmatur exemplo rei & mandatoris, aut rei & fidejuſſoris, *l. ſi mandatu* 13. *D. de fidejuſſ.* Nec obſtat, quod *hic* dicitur, *Sed ſi cum Sejo egero*; quaſi ſufficiat egiſſe me, licet nihil ſim conſequutus; quia verbum, *egero*, plene & cum effectu intelligendum eſt. Et haec ſententia majorem habet in ſe aequitatem, & tandem Juſtiniani conſtitutione omnino admiſſa eſt & confirmata, *d. l. ult. C. de fidejuſſ.*

Illud hic praetermittendum non eſt, fidejuſſorem ſub conditione accipi poſſe alio modo; nempe ita, ſi Titius non ſolverit, ego ſolvam, & tunc ſi Titius moram fecerit in ſolvendo, ego ſtatim teneor; vel ſi Titius moriatur, antequam ſolvat, quia verum eſt eum non ſolviſſe, *l. fidejuſſor obligari* 16. *§. ult. D. de fidejuſſ.*

§. Labeo 1.

L*Abeo ait, cum decem curari ſtipulatus ſis, ideo non poſſe te decem dari oportere intendere, quia etiam reum locupletiorem dando promiſſor liberari poſſit: quo ſcilicet ſignificet non eſſe cogendum eum accipere judicium, ſi reum locupletem offerat.*

Hujus §. ſententia repetita eſt ab Ulpiano, *l. illa ſtipulatio* 67. *D. de verb. obl.* ubi hunc Celſi locum citat. Quaeſtio eſt, an is, qui ſtipulatus eſt decem ſibi curari, ſive (ut eſt in *d. l. illa* 67) decem dari ſibi curari, poſſit ea decem certi condictione petere. Dubitandi cauſa eſt, quia, quando quis promittit ſe facturum ut decem dentur, recte ab eo peti poſſunt, *§. ſi quis alium* 3. *Inſt. de inut. ſtipul. l. ſi haeres* 73. *D. de leg.* 1. ubi dicitur: *Si haeres juſſus ſit facere ut Lucius centum habeat, cogendus eſt haeres centum dare, quia nemo facere poteſt, ut ego centum habeam, niſi mihi dederit*; unde ſimiliter judicandum videtur de illa ſtipulatione, qua quis promittit ſe curaturum, ut alius det. Contrarium tamen *hic* reſpondetur; nempe ex hac ſtipulatione non poſſe peti centum certi condictione, ſed tantummodo agi incerti ex ſtipulatu: quia ſtipulatio haec eſt faciendi, & ideo incerta, *l. ubi*

75. §.

Digitized by Google

75. §. qui id quod 7. D. de verb. obl. & hoc tantum conſequetur ſtipulator, ut promiſſor curet, decem dari ſecundum formulam ſtipulationis: curare autem ſatis videtur ſi reum locupletem dederit, id eſt, expromiſſorem, atque ita liberatur, ut Labeo hic ait, & in *d. l. illa* 67. §. 1. Ratio decidendi eſt ex eo, quod qui ſe curaturum promittit, hoc promittit, ſe curam & ſolicitudinem adhibiturum, ut ſtipulator habeat; hanc autem curam expleviſſe videtur, cum idoneum & locupletem reum dederit, unde ſequitur eum liberari. Ad cauſam autem dubitandi reſpondendum eſt, aliud eſſe promittere ſe facturum; aliud promittere ſe curaturum: qui promittit ſe curaturum, diligentiam tantum ſuam promittit, ut dictum eſt. At qui promittit ſe facturum, promittit ſe perducturum rem ad effectum: atque ideo merito non debet liberari, niſi ipſe decem dederit, quia non ante res effectum conſequuta eſt. Sed nonne haec ſtipulatio, qua quis promittit ſe facturum ut detur, eſt faciendi? quomodo ergo poſſum certi condictione ex ea agere, cum omnis ſtipulatio faciendi ſit incerta? *d. §. qui id quod 7. l. 75. D. de V. O.* Reſpondeo, hanc ſtipulationem eſſe certam ideo, quia in effectu hoc continet, ut decem dentur; & perinde eſt, promittere ſe facturum ut decem dentur, & promittere ſe daturum decem, *d. l. ſi haeres 73. D. de l g.* 1. neque aliter liberatur promiſſor. Unde ſtipulator non nudum promiſſoris factum in judicium deducere, ſed etiam decem ſibi dare oportere intendere poteſt. Itaque Accurſius hic non bene reſpondet ab objectione *l. ſi haeres* 73. ſed melius reſpondet in gloſſa *l. illa ſtipulatio 67. D. de V. O.* Caeterum quod de ſtipulatione impersonali ſub *hoc capite* tractant Interpretes, nihil ad praeſens inſtitutum attinet.

F I N I S.

GUILIELMI BARCLAJI, JCti,

Ad Titulum Pandectarum

DE

JUREJURANDO,

COMMENTARIUS.

Praefatio Authoris, cum hunc Titulum praelegeret.

Cum nemo rem alicujus momenti & ponderis aggredi debeat, de qua non prius diſpexerit, ſitne honeſta, utilis, & digna, in quam operae curaeque aliquid conferatur: temerarii profecto & praecipitis conſilii eſſe videtur, non in eam cogitationem incumbere eos, qui ad aliquod ſcientiae ſtudium, ſive diſcendo, ſive docendo, animos applicant; ne vel diuturnos in re parum jucunda labores exantlent, vel in minime frugifera & fructuoſa opes ſuas facultateſque conſumant. Praeclare Cicero lib. 1. Offic. cap 21. In omnibus negotiis prius, quam aggrediare, adhibenda eſt praeparatio diligens: *ut nimirum conſideres an & quibus modis effici poſſit quod animo meditaris, & an ipſe efficiendi habeas facultatem; ne vel temere deſperes propter ignaviam, vel nimium confidas propter cupiditatem; neve nimis magnum ſtudium multamque operam in res manes vel obſcuras ac minime neceſſarias contuleris. Nec id ſolum apud prudentes in disquiſitionem deliberationemque cadit, ſed ſolent praeterea ex multis utilibus propoſitis quid utiliſſimum factuque facillimum ſit, perquiſitius inveſtigare: quo in genere noſtra nunc conſultatio plurimum verſabatur. Nam licet nulla Juris ſcripti pars ſit, quae omni prorſus utilitate vacet; aliae tamen aliis ad uſum vitae & forenſes concertationes ſunt fertiliores magiſque accommodatae. Qua de cauſa vicit apud me ratio, quae hunc vobis Titulum* de Jurejurando, *poſt ſuperiorem* de Rebus creditis, *explicandum ſuaſit: non ſolum quod ſerie & ordine compoſitionis eum proxime ſequatur, quodque jusjurandum frequentius deferatur in controverſiis de mutuo, quam in aliis (ut recte Cujacius* in Paratitl. *licet alii ſine cauſa diſſentiant) ſed etiam quod ejus uſus in judicialibus & extrajudicialibus negotiis (veluti contractibus, pactis, transactionibus, aliiſque promiſſis) frequens & pene quotidianus ſit, magnamque vim habeat,* l. ſi quis major 41. C de tranſact. l. ſi quis pro eo 56. D. de fidejuſſ. Auth. Sacramenta puberum. C. ſi adverſ. vend. cap. debitores 8. cum ſequentib. de jurejur. *& quod in maximis publiciſque negotiis (veluti in pace componenda & foedere icendo) tanquam ſolidiſſimum promiſſi firmamentum interponi ſoleat*, can. omne quod 1. cau. 22. qu 1. *Verum enimvero non eſt, cur immoremur in hujus Tituli commendatione, cum habeat ſuae utilitatis graviſſimos praecones, Cajum Juriſconſult.* in l Maximum, *inquit*, remedium expediendarum litium in uſum venit jurisjurandi religio: *& Sanctos Patres in Concilio Toletano VIII.* d. Can. Omne quod 1. *Si itaque media & remedia expediendarum litium inveſtigare, Juris ſtudioſis utile ſit & neceſſarium, non poteſt non videri e re illorum eſſe jurisjurandi naturam, vim, & rationem exquirere: de quibus eadem brevitate & facilitate, qua in ſuperioribus uſi ſumus, ſub hoc Titulo diſſeremus: operae pretium tamen me facturum arbitror, ſi priuſquam ad legum ſingularum explicationem accedam, nonnulla, facilioris doctrinae gratia, de Jurejurando in genere praeloquar. Animos igitur advertite!*

CA-

CAPUT I.

De Definitione juriſjurandi, & quomodo jurandum.

Rubrica eſt, *De jurejurando, ſive voluntario, ſive neceſſario, ſive judiciali.* De verbo Juriſjurandi nolo hic anxius inquirere, utrum rectius dicatur, jusjurandum, an jusjuratum, ut Azo *in Summa. C. tit. de reb. cred. & jurejur.* Satis eſt nos ſcire vim & ſignificationem nominis: ſignificat autem idem, quod juramentum. Sunt etiam, qui putant idem ſignificari, ſimplici verbo, jurandum: allegantque illud Plauti in *Ciſtellaria act.* 2. *ſc.* 1. *v.* 18. *Verum haud metuo, ne jurandum noſtrum quiſquam culpitet.* Sed video, in emendatis codicibus ſcriptum eſſe eo loco, *Jusjurandum.* Magis me movet quod Aelius Spartianus in *vita Aelii Veri cap.* 3. eodem verbo uſus ſit, niſi forte corruptum quoque Spartiani locum exiſtimemus: eſt certe ſuſpectus. Verum, hiſce λογομαχίαις ad Grammaticos relegatis, quae inſtituti noſtri propria ſunt propius intueamur!

Duo igitur hic primum de Jurejurando inquiremus: Unum, quid ſit jusjurandum ſive juramentum. Alterum, an liceat jurare. Quod ad ejus definitionem attinet: licet eam alii aliis verbis efferant; ſenſu tamen inter ſe ſatis conveniunt. Omnis enim *religioſam affirmationem eſſe* fatentur, ſive *affirmationem* ſeu *atteſtationem, cum divina veneratione factam*, ut Ariſtot. in *Rhetoricis ad Alexandrum. cap. de Jurejur.* Cic. *lib.* 3. *offic.* Philo apud Anton. Monachum *in collectaneis.* Clemens Alexandrinus, Placentinus, & alii. Definiri igitur jusjurandum meo judicio commode poteſt, ut ſit *oratio, qua quis vel atteſtatione Dei, vel devotione ſui utitur ad fidem alteri faciendam ejus rei, de qua dubitatur.* Orationem poſui ut genus, quemadmodum Gregor. Nyſſenus apud eundem Antonium ὅρκ☉ ἐσὶ λόγ☉. Dixi atteſtatione Dei vel devotione ſui, ut duplicem jurandi modum comprehendam, quos notat D. Thom. 2. 2. *q.* 82. *art.* 1. *ad* 3. Addidi poſtremo, ad fidem alteri faciendam, &c. ut ſolam & ſolidam jurandi cauſam deſignem: continet ergo haec definitio & modum jurandi & cauſam; modus & forma jurandi per atteſtationem eſt, ut per Deum juretur ſolum, non etiam per creaturas, niſi intuitu Dei id fiat, ut cum per ſancta Euangelia juratur, *can. & jurabunt* 7. *can. conſidera* 8. *can. clericum* 9. *can. ſi quis per capillum* 10. *can. movet* 16. §. *ſed objicitur. can.* 22. *queſt.* 1. *cap. etſi Chriſtus* 26. *de jurejurand.* Exempla hujus rei habemus, *Geneſ. cap.* 14. *in fin.* & *cap.* 21. Qui autem jurat per Deum, atteſtatur Deum, id eſt, vocat Deum in teſtem ejus, quod affirmat, Deumque in eo honorat, quod fateatur & agnoſcat ejus cogitionem eſſe, ut ita loquar, omniſciam, cunctaque oculis ejus nuda & aperta eſſe, ſecundum illud, *ſcrutatur corda & renes Deus.* Qua de cauſa S. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 4. dicit *jurare eſſe actum latriae*: qui igitur pejerat, is, quantum in ſe eſt, Deum teſtem mendacii, imo plane mendacem vocat & facit. Hinc apud Ethnicos Ζεὺς ὅρκι☉ καὶ θεοὶ ὅρκιοι, dicebantur. Thucydides θεοὺς τοὺς ὁρκίους μάρτυρας ποιούμενοι. Eſchines ἐπομόσας τοὺς ὁρκίους θεούς. quod nimirum juriſjurandi tutores & perjurii vindices eſſent. Ob eamque cauſam Imp. Alexander, *Juriſjurandi contempta religio*, inquit, *ſatis Deum ultorem habet*, *l.* 2. *C. de rebus cred. & jurejur.* Huc pertinet quod ſcribit Paulus ad *Hebr.* 6. *verſ.* 16. *homines per majorem ſui jurant.* Itaque Deus, promittens Abrahae ſe multiplicaturum ſemen ipſius ſicut ſtellas coeli, & velut arenam, quae eſt in littore maris; *cum neminem haberet majorem, per quem juraret, juravit per ſemetipſum*: ut illic ait Apoſtolus *verſ.* 13. Legimus ſaepe, Deum juraſſe in Veteri Teſtamento, ut *Geneſ.* 22. *Pſal.* 94. & 109. *Amos* 8. Eſt autem peculiare Dei jusjur. *Vivo ego. Ezechiel* 16. *vſ.* 48. Ideo autem hanc formam jurandi ſolus Deus ſibi vendicat, quia ipſe ſolus vivit, ita ut ejus comparatione omnes mortui ſint: in ipſo enim & per ipſum vivunt; ipſe ſolus per ſe, teſte Apoſtolo 1 *Timoth. vſ.* 15. 16. & ad *Coloſſ.* 3. *vſ.* 4. eſtque ipſa vita Deus, *Joan.* 14. Angeli enim, & caeterae creaturae omnes olim non fuerunt, &, ſi Deus voluerit, in nihilum reduci poſſunt: idque Plato conſideraſſe & intellexiſſe videtur *in Timaeo*, ſive *libro de natura*; ubi inducit mundi genitorem, alloquentem deos, id eſt, (ut recte interpretari poſſumus, eſt enim divinus Philoſophus) Deum Omnipotentem alloquentem Angelos & coeleſtes intelligentias in hunc modum, Τάδε, θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς, πατήρ τε ἔργων, &c. id eſt, ut eleganter Ficinus: *Dii orti ex diis, quorum opifex & pater ego ſum, haec attendite: quae a me facta ſunt, me ita volente, indiſſolubilia ſunt: omne ſiquidem quod vinctum eſt ſolvi poteſt; ſed mali eſt, quod pulchre compoſitum eſt, ſeque habet bene, velle diſſolvere. Quapropter quia generati eſtis, immortales quidem & indiſſolubiles omnino non eſtis: nec unquam tamen diſſolvemini, nec mortis fatum ſubibitis, Nam voluntas mea majus praeſtantiusque vobis eſt vinculum ad vitae cuſtodiam, quam nexus illi, quibus eſtis colligati tunc cum gignebamini.* Deus igitur ſolus vivit, & ideo per vitam ſuam jurat: ipſe etiam ſolus eſt, *ego ſum qui ſum*, inquit. *Exod. cap.* 3. *vſ.* 14. Sed & Ethnici etiam deos ſuos jurare finxerunt: erat autem maximum deorum jusjurandum per Stygem, ſive Stygis aquas. Homer. *Odyſſ.* E. & *Iliad.* Ξ. & in *Hymno in Apoll.* Virgil. *lib.* 6. *Aeneid. verſ.* 323.

Cocyti ſtagna alta vides, Stygiamque paludem,
Dii cujus jurare timent & fallere numen.

Cur autem per Stygem jurabant, docet Ariſtot. *lib.* 1. *Metaphyſ. cap.* 3.

Ad formam etiam & ſolemnitatem juriſjurandi aliquando pertinet, ut tactis ſacroſanctis Euangeliis juretur, cum ſcilicet id lege aliqua ſpecialiter in certis caſibus cavetur, *l. rem non novam* 14. §. *patroni* 1. *C. de judic. Novell. ut judic. ſine quoquo ſuffrag. fiant.* 8. *Coll.* 2. *l.* 1. *C. ſi adverſ. vend.* Sic in bulla aurea Caroli IV. praecipitur civibus Francfordenſibus, ut jurent ad ſancta Euangelia. Qui autem ita jurant, dicuntur corporaliter jurare, *l.* 3. *C. ſi minor ſe major. dix. d. l.* 1. *C. ſi adverſ. vend.*

Modus alter jurandi eſt per execrationem ſive devotionem ſui, cum quis nempe ſe ſuosve ad aliquam poenam obligat, niſi verum ſit quod dicit, ut ſcribit S. Thom. *dict. art.* 1. atque ita accipit jusjurandum illud D. Pauli 2. *Cor.* 1. *verſ.* 23. *Deum invoco teſtem in animam meam. art.* 6. hoc modo: Judaei devovebant ſe ſuosque, ni vera eſſet eorum accuſatio adverſus Chriſtum, dicentes: *ſanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros.*

Non abſimilis jurandi diverſitas apud Ethnicos obſervabatur: nam aliquando jurabant atteſtando deos ſuos, ſive per Deum, *l.* 3. §. *ult. D. hoc tit.* veluti, ἴστω νῦν Ζεὺς πρῶτα θεῶν ὕπατ☉ καὶ ἄριστ☉, jusjurandum eſt Agamemnonis apud Homerum *Iliad.* T. *verſ.* 258. Plaut. *in Amphitr. Act.* 1. *ſc.* 1. *verſ.* 279. *per Jovem juro me eſſe, neque me falſum dicere.* Aliquando vero jurabant per execrationem, devovendo ſe ſuaque. Feſtus in verbo, *Lapidem*: Polyb. *lib.* 3. Plutarch. *in vita Syllae.* Quod autem jurans ſe poſterosque ſuos vinculo execrationis aliquando obſtringebat, ſatis apparet ex iis, quae Dionyſ. Halicarn. de Lyſia, antiquiſſimo Oratore Graeco, ſcribit.

Rurſus aliquando jurabant ſimplici tantum ſermone; aliquando vero corporaliter, ſive tactis aris: ut Annibal adhuc puer. Livius *lib.* 21. *cap.* 1. vel ſuper ardentes in aris victimas: ut Tarquinius in foedere cum Gabinis. Dionyſ. Halicarn. *lib.* 4. *Antiq.* vel ſuper exta. idem *lib.* 5. *in princip.* vel ſuper arma, ut Franci & Germani. Aimonius *lib.* 4. *cap.* 26. quod idem de militibus Romanis tradit Aurel. Victor, in *libro de Caeſarib. cap.* 39. & Ammian. Marcellin. *lib.* 21.

ſole-

Digitized by Google

ſolebant & accepto cultro per Martem jurare, idem Halicarn. *lib.* 4. vel aliqua alia ſolemnitate adhibita: ut in eo quod Syracuſanis magnum jusjurandum dicebatur. Plutarch. *in vita Dionis.* Priſcis autem regibus jurisjurandi formula erat per ſceptri extenta manu elevationem; ut tradit Ariſtotel. *lib.* 3. *Polit. cap.* 10.

Haec cum ita ſint, objici ſolet adverſus id, quod diximus, jurandum eſſe per Deum tantum; Joſephum ſanctiſſimum Patriarcham juraſſe per ſalutem Pharaonis, *Geneſ.* 42. *vſ.* 15. & bonum Uriam juraſſe per ſalutem Davidis, 2 *Samuel.* 11. *vſ.* 11. Reſpondetur ex ſententia S. Thomae, *d. art.* 6. talia juramenta utroque modo intelligi poſſe; vel ſcilicet, quod ſint per execrationem, quaſi ita jurando Pharaonis aut Davidis ſalutem obligaverint Deo: vel per atteſtationem, quaſi hoc ipſo atteſtati ſint veritatem divinae juſtitiae, ad cujus executionem Principes terrae conſtituti ſunt: hanc ſolutionem probat Gratianus *cau.* 22. *qu.* 1. *can. movet* 16. §. *ſed objicitur.* Etenim profecto quaedam divinae majeſtatis imago in Principibus relucet: unde & Dii vocantur, *Pſal.* 81. *v.* 1. *Deus ſtetit in ſynagoga deorum.* & *verſ.* 6. *Ego dixi quia Dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Idem dicendum de jurejurando per Sanctos & Angelos: hi enim ut Dei ſervi & amici in teſtimonium vocantur: principaliter vero Deus ipſe, cujus ſunt ſervi, *d. Auth. Jusjurand. quod praeſtatur. coll.* 8. Atque haec breviter de modo & forma jurandi tam apud Chriſtianos, quam Ethnicos

Quod ad cauſam attinet: illa etiam exprimitur in definitione, ſuperius tradita: cauſa enim jurisjurandi praeſtandi eſt, ut per illud fides alteri fiat ejus rei, de qua dubitatur, ſive quae aliter probari vel demonſtrari nequeat: unde φωνὴ ἀναπόδεικτος vocatur ab Ariſtotele *in Rhetoricis ad Alexandrum.* Permiſſum namque & introductum eſt jusjurandum propter hominum incredulitatem, cum utile ſit aliquid eis perſuadere, quod ſine aliqua religioſa affirmatione nolint credere, *can. non eſt* 2. *can. ita ergo* 5. *& ſeq. cau.* 22. *quaeſt.* 1. Unde S. Hieronym. in *commentario ad cap.* 8. *Prophetiae Amos: Homines juramentum tunc aſſumant, cum ſimplicibus eorum verbis non creditur,* inquit. Id ipſum confirmat Apoſtolus *cap.* 6. *ad Hebr verſ.* 16. cum ait, *omnis controverſiae finis inter homines ad confirmationem eſt juramentum.* Inde eſt, quod Donatus *in Andriam* Terent. *act.* 5. *ſcen.* 4. ponat jusjurandum inter modos teſtimonii caeci: *Teſtimoniorum,* inquit, *modus eſt duplex, manifeſtus & caecus: manifeſtus, qui certos teſtes & praeſentes habet; caecus, in quo multitudinem aut civitatem ſcire dicimus. Eſt etiam in caeco jusjurandum, tabulae, abſentesque perſonae.* Huc videtur alludere Plaut. *in Amphitr. act.* 1. *ſcen.* 1. *verſ.* 281. cum dicit: *nam injurato, ſcio, plus crederet mihi, quam jurato tibi.* Certe jurejurando magna ſemper fides habebatur, qua de cauſa Menenius Agrippa vocat jusjurandum τελευταίαν πίστιν ἅπασιν ἀνθρώποις Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, id eſt, *ultimam fidem omnibus hominibus, Graecis ac barbaris*; ut refert Dionyſ. Halicarnaſ. *lib.* 6. *antiq.* Sic legati Romanorum dixerunt jusjurandum eſſe ſupremum ac firmiſſimum fidei pignus inter homines, teſte Procopio *lib.* 2. *de bell. Perſ.* quibus conſentit illud Ciceronis *lib.* 3. *de Offic. cap.* 31. *Nullum,* inquit, *vinculum ad aſtringendam fidem jurejurando majores noſtri eſſe voluerunt. Indicant id leges* 12. *tab. indicant ſacra; indicant foedera, quibus etiam cum hoſte devincitur fides.* Mirabile quiddam eſt, quod de Saxonibus quidam ſcribunt, tanti ſcilicet apud eos momenti fuiſſe jusjurandum, ut conſuetudine invaluerit, furem, qui rem furtivam una manu ſub pallio teneret, abſolvendum; ſi cum altera manu extenta juraſſet, ſe neque rem illam habere, neque ſcire ubi eſſet; nec audiendum eo caſu adverſarium petentem, ut inſpiceretur quid altera manu geſtaret: & hoc ſe habere dicebant ex lege ipſis data a Carolo Magno; ut refert ex Hoſtienſe Panormitanus ad *cap.* 12. *in fin. de probat.*

Illud certum eſt, male ſemper audiiſſe apud omnes nationes eos, qui jurisjurandi religionem negligebant; qualis erat Lyſander, qui dicere ſolebat, pueros talis; viros jurejurando eſſe fallendos. Plutarch. *in ejus vita.* Alexander ab Alexandro tribuit hoc dictum Dionyſio Tyranno *lib.* 5. *cap.* 10. ſed neminem laudat authorem: qualis etiam Philippus Macedonum Rex, ut ſcribit Athenaeus *lib.* 6. *Dipnoſophiſtarum,* & Pauſanias *in Arcadicis,* ſive *lib.* 8. Idem Pauſanias author eſt *lib.* 5. fuiſſe Elide in curia ſignum Jovis poſitum terribili aſpectu & formidoloſum hominibus perfidis ſeu perjuris, cui cognomen ὅρκιος, quod eſſet arbiter & vindex juri jurandi. Apud Romanos autem templum erat Dii Fidii, teſte Halicarnaſſeo *lib.* 4. & 9. *antiq.* Idem tradit patrium Romanis ſacramentum fuiſſe, ejusque vim maximam, cum quis juraſſet, *bona ſua fide.* Ex his & ſimilibus patet, definitionem jurisjurandi recte a nobis traditam, ut ſit *atteſtatio Dei, vel devotio ſui, ad fidem alteri faciendam ejus rei, de qua dubitatur.*

CAPUT II.

An licitum ſit jurare.

SEquitur videamus, an liceat Chriſtiano homini jurare: quae quaeſtio etſi multis ſanctorum Patrum teſtimoniis, atque etiam Eccleſiae judicio jampridem deciſa ſit, tamen non inelegantem habet tractatum. Nam in primis quantum attinet ad jus civile Romanum: ſtatim nobis occurrit, quod Praetor, cui ſumma aequitatis naturalis cuſtodiendae cura eſt, remittat jurisjurandi conditionem alicui impoſitam, ut perinde haereditatem vel legatum conſequatur, ac ſi juraſſet, *l. quae ſub conditione* 8. *D. de condit. inſtit.* Cujus rei ratio eſt, quia, ut ait Ulpianus, *nonnulli hominum faciles ſunt ad jurandum contemptu religionis; alii perquam timidi metu divini numinis usque ad ſuperſtitionem: adeo ut ne verum ſacramentum praeſtare velint, l. penult. verſ. Quod ſi praedictum. C. de fid. inſtrum.* Hinc Plato *lib.* 12. *de Legib.* ſcribit, prudentem legislatorem non debere admittere jusjurandum litigantium in judiciali diſceptatione: quia, inquit, *ſi jurandi licentia cuique dabitur, cum multae controverſiae ad judicem quotidie deferantur, omnes pene erunt perjuri.* His accedit, quod qui permittit alteri ut juret, is videtur cauſam perjurii & perfidiae praebere: ob eam cauſam largiter peccat, qui defert jusjurandum ei, quem ſuſpicatur pejeraturum, *can. ille* 5. *cau.* 22. *quaeſt.* 5. *cap. clerico* 3. ubi Panormitanus id notat, *de cohabit. cleric. & mulier.* ex quo ſequi videtur, quod cum mentes & cogitationes hominum ſint occultae, nemoque ſcire poſſit, quid animi alius habet, & an ſit pejeraturus necne, in dubio tutiorem partem amplecti debemus, & nullo modo jusjurandum exigere, ne facilem peccandi anſam alteri tribuamus: idque etiam hoc dilemmate probari videtur. Quilibet aut vir bonus eſt, aut malus: ſi bonus, ejus ſimplici verbo credendum eſt, *cum omnis ſermo fidelis pro jurejurando ſit,* ut ait S. Hieronymus in *cap.* 5. *Evangelii Matth.* & B. Gregor. Nyſſenus in *principio ſui operis.* Si eſt malus, ne jurato quidem credendum eſt, juxta illud Phocylidis, ἀνδρῶν δὲ φαύλων ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφε. *malorum hominum jusjurandum ſcribe in aqua.* Ergo jusjurandum nullo modo eſt exigendum.

Quod autem boni & probati homines jurare non teneantur, ſatis indicat pars illa edicti Praetoris, in qua ſcriptum eſt, *Sacerdotem Veſtalem & Flaminem Dialem, in omni mea juriſdictione jurare non cogam.* Gell. *lib.* 10. *cap.* 15. quia indecorum eſt non habere fidem ei, cui res ſacrae commiſſae ſunt. Plutarch. *in quaeſtion. Rom. quaeſt.* 44. Idipſum in republica Chriſtiana obſervatur, ne ſcilicet perſonae Eccle-

ſiaſticae cogantur jurare, *l. cum clericis* 25. *C. de Epiſcop. & cleric. can. ſacramentum* 1. *can. ſi quis* 4. *can.* 2 *quaeſt.* 5. *can. ult. can.* 22. *quaeſt.* 5. *cap.* 1. *de juram. calum.* Si igitur neque bono injurato diffidendum, neque malo jurato credendum, iis conſequens videtur, a nemine jusjurandum eſſe exigendum. Nam ut ait Aeſchylus, *οὐκ ἀνδρὸς ὅρκοι πίστις, ἀλλ' ὅρκων ἀνήρ, juramentum non affert fidem viro, ſed vir juramento.* Huc pertinet celebre illud Periandri, *ὅρκῳ μὴ χρῶ, jurejurando ne utaris.* Atque hae quidem rationes humanae ſunt.

Quod autem attinet ad Jus divinum: videtur jusjurandum omnino prohiberi, *Matth.* 5. *verſ.* 34. *Ego autem dico vobis non jurare omnino*, inquit Chriſtus: & Apoſtolus Jacobus *cap. ult. Epiſtolae ſuae Catholicae*, prohibet nos jurare per coelum vel terram, vel aliud quodcunque juramentum. Nec obſtat quod legitur Deum juraſſe in Veteri Teſtamento; nam id nihil aliud ſignificat, quam Deum confirmaſſe, ut docet Caſſiodorus *de divinis lectionibus cap.* 15.

His tamen non obſtantibus jusjurandum permiſſum eſt, *Deuter.* 6. *verſ.* 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen illius jurabis:* dummodo jusjurandum habeat tres comites, veritatem ſcilicet, judicium, & juſtitiam, *can. animadvertendum* 2. *cau.* 22. *quaeſt.* 2. quod & Apoſtolus confirmat, *cap.* 6. *ad Hebr.* ut ſupra oſtendimus. Ubicunque ergo res exigit, cogendi ſunt homines jurare, *cap. ad abolendam* 9 §. *quis vero* 4. *cap. excommunicamus* 13. §. *moneantur* 3. *de haeret.*

Ad argumenta autem in contrarium adducta reſpondendum eſt: Ad primum quidem, Praetorem ea ſola juramenta improbare & remittere, quae teſtamentis & ultimis voluntatibus adſcribuntur, atque in futurum tempus concipiuntur; non ea, quae ad praeteritum tempus referuntur, vel ex conventione aut in judicio extra teſtamenta exiguntur, *l. ſi cum patruo* 6. *C. commun. utriuſque judic. l. ſi quis* 39. *D. hoc tit.* Ad dilemma autem & quae illud ſequuntur, reſponderi poteſt: metum Numinis impellere homines alioqui malos ad confeſſionem veritatis. Unde Virgil. *lib.* 1. *Aeneid. verſ.* 542.

Si genus humanum & mortalia temnitis arma;
At ſperate Deos memores fandi atque nefandi.

Eſtque veriſſimum illud, quod ex Sophocle citat Stobaeus: *Appoſito jurejurando cautior & diligentior animus fit; a duobus enim ſibi tam cavet, & ne laedat amicos, & ne peccet in deos.* Ad argumenta autem ex ſacra ſcriptura, multae egregiae & copioſae reſponſiones Patrum referuntur a Gratiano *cau.* 22. *quaeſt.* 1. quibus addi poteſt quod ſcribit D. Ambroſius *ſermone* 14. *in Pſal.* 118. nempe Chriſtum voluiſſe illic docere infirmos, quia non ad ſolos Apoſtolos loquebatur, ſed ad turbas; *Voluit enim te non jurare, ne pejeres*, inquit: quod optime convenit cum ſententia S. Auguſt. *can. non eſt* 2. *can. ita ergo* 5. *can.* 22. *quaeſt.* 1.

CAPUT III.

De Diviſione jurisjurandi.

JUsjurandum duplex eſt, unum quod vulgo promiſſorium vocatur; alterum quod aſſertorium, ut tradit D. Thom. 2. 2. *quaeſt.* 89. *art.* 4. Promiſſorium juramentum dicitur, quo ea, quae pacſcimur promittimusque, ita ut promiſimus, ſervanda religioſe confirmamus: & ſemper reſpicit tempus futurum, ſive in futurum confertur. Ac de hoc quidem juramento loquitur D. Gregor. *lib.* 32. *cap.* 2. *Moral. expoſ. in Job.* cum ait, *Juramentum proferre, eſt voto nos divinae ſervitutis alligare.* Aſſertorium vero eſt, quo id, quod dictum factumve eſt, ita dictum factumve eſſe affirmamus, & ad praeſens vel praeteritum tempus refertur. De promiſſorio juramento tractant potiſſimum canones & reſcripta Pontificum; ut e diverſo Juris civilis authores de jurejurando aſſertorio, paucis exceptis, de quibus dicemus. Cur autem jure Pontificio tractatur potiſſimum de jurejurando promiſſorio, ratio eſt: quia jusjurandum ejusmodi non ſemper praeſtandum eſt, ſed potius perjurium ſubeundum, quam ut iniquo ſcelere juramentum impleatur, *can. ſi publicus* 3. *can. quod David.* 3. *& paſſim. can.* 22. *q.* 4. nemo igitur praeſtare tenetur, quod tali juramento promiſit; ſed poenitentiam agere debet de temerario & impio jurejurando, *can. qui ſacramento* 11. *can. ſi quis praeventus* 19. *can.* 22. *quaeſt.* 4. *in malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum: impia eſt promiſſio, quae ſcelere adimpletur, can. in malis* 5. *can. diffinito* 17. *d. quaeſt.* . In ſumma omnis promiſſio juramento confirmata ſervanda eſt, niſi vergat in diſpendium ſalutis aeternae ejus, qui juravit, aut etiam ſalutis corporalis ſive temporalis, *cap. cum contingat* 28 *de jurejur. cap. licet* 2. *de jurejur. in* 6. Unde & metu extortum jusjurandum ſervari debet, ſi modo id, quod promittitur, ſine ſcelere praeſtari poſſit, qua de re tamen digladiantur inter ſe Canoniſtae: ſed verius eſt ejuſmodi juramento promittentem obligari, *can. merito* 1. *can.* 15. *quaeſt.* 1. *can. qui compulſus* 1. *can. ſi quis coactus* 3. *cau.* 22. *quaeſt.* 5. Nec obſtat quod in *cap. quamvis* 2. *de pact. in* 6. & in *d. cap. cum contingat* 28. (in quibus de juramento ſervando agitur) additum ſit, *ſine vi & dolo ſponte praeſtitum:* hoc enim ideo adjectum videtur, quia Pontifices ibi, ut ſaepe alias, reſcripta ſua accommodant ad quaeſtiones, de quibus conſulebantur. Conſulebantur autem, ut apparet de juramentis ſponte factis, verum ſuper ejuſmodi conventionibus, quae jure civili improbantur. Nam in *d. cap. cum contingat* 28. agitur de conſenſu mulieris, adhibito in alienatione rei dotalis, qui jure civili nullius eſt momenti, *Auth. ſive a me C. ad SCtum Velley.* & in *d. cap. quamvis* 2. agitur de pacto filiae ut eſſet contenta dote, nec amplius quicquam ex bonis paternis poſt mortem patris peteret: quod ſimiliter jure civili improbatur, *l. pactum dotali* 3. *C. de collat.* Quod autem jusjurandum metu factum ſervari debeat, niſi in detrimentum animae tendat, perſpicue docetur in *cap. ſi vero* 8. *de jurejur.* ubi *gloſſ.* addit, *vel niſi vergat in perditionem vitae temporalis:* quod verum eſt, ut ante admonui, *can. ult.* §. *quisquis ergo* 4. *cau. quaeſt.* 4. & ratione ſumma nititur. Nam ſi juramentum non eſt ſervandum, quo caedes alterius promittitur, multo minus, quo nobis ipſis interitum afferamus: ſceleratior enim homicida eſt, qui ſeipſum occidit, quam qui alium, *can. ſi non licet* 9. *cum tribus ſeqq. can* 23. *quaeſt.* 5. Nec puto diſtinctionem gloſſae admittendam eſſe: ait enim jusjurandum, quod tendit ad interitum corporis, non eſſe ſervandum, *ſi directe tendat:* ſed ſi oblique, ſive per occaſionem tantum mortis cauſam praebeat, tunc ait eſſe ſervandum; & dat exemplum de Ultramontano, qui juravit ſe Romae moraturum menſe Auguſto, quia licet febri corripiatur, non poteſt illinc recedere ſine perjurio: non puto, inquam, hanc diſtinctionem gloſſae bonam eſſe. Nam ſi manifeſte appareat, id quod juramento promiſſum eſt, mortem afferre, licet non directe, ſed per occaſionem ſive occaſionaliter, ut vulgo barbare loquuntur, juramentum non eſt ſervandum, ut ait Joan. Andreas: eamque ſententiam latius proſequitur Panormitanus *ad d. cap. ſi vero* 8. At ſi incertum ſit, utrum mors ſequatur necne, tunc fateor locum diſtinctioni gloſſae. Jusjurandum igitur promiſſorium promittentem ligat, niſi fuerit ex eorum genere, de quibus dictum eſt.

De jurejurando autem aſſertorio Jus Pontificium ideo pauca tractat, quia de omnibus ejuſmodi juramentis unum praeceptum unaque ratio proponitur: nempe veritatem ſemper eſſe dicendam, adeo ut ne quidem pro vita hominis conſervanda perjurium ſubiri debeat, *can. ne quis* 14. *can faciat* 15. *can. ſi quis adſit* 17. *can.* 22. *quaeſt.* 2 At licet certa unicuique celare verum aliquando, & aliqua diſſimulatione tege-

tegere, cum id nemini noceat, & alicui proſit: ut docet B. Auguſtinus *libro de mendacio cap.* 10. & poſt eum S. Thomas 2. 2. *quaeſt.* 110. *art.* 3. Mentiri vero nunquam licet, quantumlibet pro noſtro vel alterius commodo id fiat.

Rurſus e diverſo Juriſconſulti plurimum agunt de jurejurando aſſertorio: quia promiſſorium juramentum non inducit obligationem jure civili; niſi cum libertus donum, munus, aut operas ſe daturum patrono juraverit, ut ſcribit Cajus *lib. 2. Inſtit. tit. 9. l. ut juriſjurandi 7. D. de oper. libert. l. ult. D. de liber. cauſ. l. ſi quis pro eo 56. D. de fidejuſſor.* Non obſtat *Auth. Sacramenta puberum. C. ſi adverſ. vendit.* quae ſtatuit contractum factum a minore 25. annis ſuper venditione rerum ſuarum, interpoſito juramento, eſſe inviolabiliter cuſtodiendum. Nam jusjurandum eo caſu non inducit per ſe obligationem: ſed accedit ad obligationem conſtitutam, & eam confirmat, ne ſolvatur ſcilicet per in integrum reſtitutionem. Nam venditio, facta a minore, non habente curatorem, eſt ipſo jure firma & valida, *l. 3. C. de in integr. reſtit. minor.* ſed ſi captus fuerit, ſuccurritur ei per reſtitutionem in integrum, ut reſcindatur contractus; ſi vero non petierit reſtitutionem intra annos lege praefinitos, aut ſilentio vel alio modo probaverit contractum poſt legitimam aetatem, petenti poſtea denegabitur, *l. 3. §. ſi quis cum minore 1. D. de minor.* Silentio autem comprobatur contractus, ſi poſt legitimam aetatem quadriennium effluxerit, *l. ult. C. de tempor. in integr. reſtitut.* Hac ratione merito contendet aliquis, jusjurandum in ſpecie propoſita non proprie dici firmare contractum, quoniam ipſo jure valet; ſed auferre beneficium reſtitutionis, atque ita impedire, ne contractus ſemel perfectus diſſolvatur, ac proinde non dari eo caſu actionem ex jurejurando, ſed ex ipſo contractu; ut bene notat gloſſ.

Sed hic longe difficilior quaeſtio ſuboritur; an jusjurandum, oppoſitum contractui, per ſe invalido, & ipſo jure nullo, ſit ſervandum, & an ipſum contractum roboret: qua de re Bart. Angel. Panormitanus, aliique tam civilis quam Pontificii Juris Interpretes multum & copioſe diſſerunt, variisque diſtinctionibus eam proſequuntur; nec ſatis tamen inter ſe conveniunt. Ut igitur paucis complectar, quae multis Interpretum paginis continentur: Primum ſcire oportet, aliud eſſe juramentum ſervari debere, aliud juramentum conſervare, ſeu corroborare contractum, cui apponitur: non ſi juramentum ſervandum ſit, ei illico conſequens eſt, contractum, cui acceſſit, hoc ipſo valere. Exempli gratia, juramentum de ſolvendis uſuris obligat promittentem, & omni jure ſervandum eſt: at non firmat tamen pactum & contractum uſurarium cui adjicitur: nam poſtquam debitor ſolverit uſuras, atque ita praeſtitit, quod promiſit, poterit eas repetere ex conſtitutione Pontificia, *cap. debitores 6. de jurejur.* Aſt, ubi contractus firmatur juramento, is, qui juravit, poſtquam implevit, quod promiſit, non poterit amplius movere controverſiam ſuper contractu principali, *cap. 2. de pact. in 6. cap. licet 2. de jurejur. in 6. d. cap. cum contingat 28. de jurejur.*

Deinde conſiderandum eſt, qua ratione contractus prohibitus ſit, cui juramentum accedit: utrum ſcilicet ratione publicae utilitatis & honeſtatis, eo quod bonis moribus adverſatur; an vero non ea de cauſa principaliter, ſed ſecundario, ut loquuntur, ac per conſequentias aliquid prohibitum ſit. Priore caſu, jusjurandum factum in contrarium non valet; quia ejus obſervatio ducit hominem ad peccatum mortale ex inobedientia, quod neque legibus neque Principi pareat, *cap. 13. ad Rom. vs. 2. de Majorit. & obed. cap. non eſt obligatorium 58. de reg. jur. in 6.* Poſteriore vero caſu, in diſquiſitionem venit, utrum in favorem quorundam, an in odium aliquid prohibitum ſit. Si odio quorundam aliquid conſtitutum eſt (veluti ne uſurae ſolvantur; ne filiusfamilias cogatur mutuatam ſibi pecuniam reddere) jusjurandum in contrarium factum ſervari debet, ſi nulla promittentis in eo verſetur turpitudo. At tale tamen jusjurandum nihilo magis reddit contractum validum, ut ſupra diximus: unde & repeti poteſt quod datum eſt, ſi nihil de non repetendo juratum ſit, & ſi repetitionem lex non prohibeat. Sin vero favore alicujus lex aliquid prohibeat, jurans contrarium, promiſſi conſtantia tenetur fidem liberare, ac praeſtare quod promiſit: eoque praeterea juramento firmatur contractus contra legis prohibitionem factus, & eſt ratio, quia licet unicuique beneficio pro ſe introducto renunciare, *l. pen. C. de pact. l. ſi judex 41. D. de minor.* Nec admittenda eſt Bartoli diſtinctio, in *l. Si quis pro eo 56. num. 9. D. de fidejuſſor.* Referre ſcilicet, utrum lex dirigat verba in rem (veluti ne fundus dotalis alienetur) an vero in perſonam (veluti ne mulier alienet) & priore caſu juramentum in contrarium valere, contractumque firmare, poſteriore autem minime: quaſi vero non idem utroque modo lege comprehenſum ſit quantum, ad effectum prohibitionis attinet: leges enim non verbis, ſed rebus imponuntur, *l. 2. C. commun. de legat.* Quapropter hanc Bartoli diſtinctionem Panormitanus egregie refutat, in *d. cap. cum contingat 28. num. 6.* docetque praeclare, non peccare eum, qui contra prohibitionem legis factam principaliter in ipſius favorem aliquid facit, neque videri legem & legiſlatorem contemnere; argumento *l. 1. §. & poſt 9. D. de oper. novi nunciat.* Eſt igitur doctrina haec generalis tenenda, quam Panormitanus ibidem recte tradit, jusjurandum omne quantumvis temerarium, dummodo non ſit contra bonos mores, nec in ejus obſervatione immineat peccatum, eſſe ſemper ſervandum. Unde & juramentum metu factum obligat, quia metus non excludit conſenſum, *can. merito 1. cau. 15. qu. 1. cap. ſi vero 8. de jurejur. l. ſi mulier 21. §. ult. D. quod met. cauſa. l. interpoſitas 13. C. de tranſact.* Verum ne quis inique privetur bonis ſuis, cum neceſſe habeat ſervare jusjurandum, quod coactus vi aut metu fecit: remedia quaedam jure Pontificio comparata ſunt, quibus juranti, partim per retentionem, partim per repetitionem, ſuccurrit. De quibus alibi commodius dicetur.

Supereſt nunc, ut de jurejurando aſſertorio (quod, ut dixi, a Juriſconſultis potiſſimum ſpectatur) generalia quaedam paucis annotemus. At in primis quidem monendi ſumus, Doctores vulgo ita diſtinguere hoc jusjurandum, ut *aliud ſit de veritate; aliud de credulitate; aliud de affectione.* Quae diſtinctio non ita intelligenda eſt, quaſi aliquod jusjurandum ſit, quod veritatem continere non debeat, aut in quo liceat juranti mentiri, *Linguam enim mendacem odit Dominus: & os quod mentitur occidit animam, Proverb. 6. verſ. 17. Sapient. 1. verſ. 11.* Non eſt, inquam, haec diviſio jurisjurandi aſſertorii intelligenda ſecundum diſtinctionem veri & falſi; ſed ſecundum modos ſeu formas fidei faciendae juramento, quae ſunt vel ſcientia, vel credulitas, vel affectio, in quibus labi, errare, decipi vel bonus poteſt: mentiri vero nunquam. Jusjurandum igitur de veritate appellant, quando non ſatis eſt, eum, qui jurat, aſſerere ſe credere vel putare, ſed oportet eum ſimpliciter ac praeciſe jurare, ita eſſe vel non eſſe; alioqui ejus jusjurandum nihil operatur. Itaque cum ad cauſae deciſionem juramentum alicui defertur, nihil agit ſi dicat, ſe credere vel putare ſibi deberi, vel putare ſe non debere: quemadmodum nec teſtis, eo modo jurans, facit fidem, *l. teſtium 18. C. de teſtib.* etiamſi dicat ſe certo credere, *cap. tertio loco 13. verſ. A quo producti teſtes. de praeſumpt.* Juramentum autem de credulitate appellant, in quo ſufficit jurare ſe credere, vel putare, ut eſt jusjurandum, quod propter calumniam praeſtatur, *C. de jurejur. propter cal. dand. & extra de juram.*

Digitized by Google

cale, quam. & jusjurandum judicis vel advocati, de quo in *l. rem non novam 14. C. de judic.* tametſi hoc jusjurandum promiſſorium ſit potius, quam aſſertorium. Juramentum denique affectionis vocant, in quo permittitur, ultra rei veritatem, ex affectione jurare; quale eſt jusjurandum in litem, de quo infra *tit. proximo.* Nam quamvis pretia rerum non affectione cujusquam, ſed ex communi hominum opinione iniri debeant, *l. pretia rerum 63. D. ad leg. Falcid.* tamen propter contumaciam non reſtituentis, aut non exhibentis rem, de qua agitur, permitti ſolet actori rem jurejurando ultra verum ejus pretium propter affectionem aeſtimare; ut infra *tit. prox.* dicetur.

Haec cum ita ſint, priusquam ad alia progrediamur, notandum eſt, quod diximus in primo ſuperioris diſtinctionis membro, teſtes dicentes ſe certo credere, non facere fidem, id ita intelligendum eſſe, niſi rei fides, ad cujus teſtimonium vocantur, ab opinione & judicio hominum pendeat, propterea quod difficilis, obſcura, & pene impoſſibilis eſt ejus veritatis inveſtigatio; veluti ſi controverſia fuerit, an filius ſit necne, & ad eam rem probandam teſtes producantur: tunc enim ſufficit eos jurare, ſe firmiter credere eum eſſe filium, vel contra, *arg. l. Imperatores 29. D. de prob.* quia ipſius filiationis, ut loquuntur, perfectum teſtimonium nemo reddere poteſt, niſi mater: ideoque dicitur non eſſe in poteſtate fibi probare ſe eſſe filium, *l. Lucius Titius 83. D. de cond. & demonſt.* ſed tamen judicatur eſſe is, quem nuptiae demonſtrant, *l. 5. D. de in jus voc.* quo pertinet quod dicit Telemachus apud Homerum.

Matris vero teſtimonium, quia unicum eſt & ſingulare, neque prodeſt neque obeſt partui, *l. 3. §. unde Marcellus 3. D. hoc tit. d. l. Imperatores 29. §. mulier 1. cap. per tuas 12. qui fil. ſunt legit.* imo licet vir & mulier conſentiant & conſpirent in teſtimonio dicendo de filiatione, recedi tamen poteſt ab utriusque teſtimonio propter teſtes, qui de credulitate deponunt, *cap. tranſmiſſa 23. qui fil. ſunt legit.* alias creditur viro & mulieri, ſi conſentiant de partu: quod ſi ſemel recognoverint & admiſerint aliquem ut filium, non audiuntur poſtea dicentes contrarium, *d. cap. per tuas 10. de prob.*

Simili ratione admittitur teſtimonium de credulitate, quando agitur de adulterio, *cap. literis 12. de praeſumpt.* quoniam alioqui valde rara & difficilis ejus rei probatio inveniri poterit, ut ait Bartol. ad *l. 2. §. idem Labeo ait cum quaeritur 8. D. de aq. & aqua pl. arcend.* & ad *l. 2. §. ult. D. ad leg. Jul. de adult.*

Simili etiam ratione admittitur teſtimonium de credulitate, quando interrogatur aliquis de eo, quod cognoſci non poteſt, niſi per artis alicujus peritiam, quae circa difficilia & obſcura verſatur: qua ratione Medicis & obſtetricibus fides adhibetur jurantibus per verbum, *credo*, vel *videtur mihi*, *l. 1. D. de inſpic. ventre.* Finge hominem ab aliquo vulneratum, eumque paulo poſt, antequam vulnus ſanaretur, mortem ſibi ex intemperantia, vel alio modo acceleraſſe: credi debet Medicis & Chirurgis aſſerentibus, ſe certo exiſtimare, ac firmiter credere, vulnus illud non fuiſſe lethale. Sed iſta ſubtilius & minutatim exquirere, non eſt praeſentis inſtituti: atque hactenus de primo *hujus tituli* verbo, *Jurejurando*, nempe.

Sequitur in Rubrica, *ſive voluntario*, *ſive neceſſario*, *ſive judiciali*; quibus verbis alia jurisjurandi diviſio in tres ſpecies nobis proponitur: ſed in earum tamen explicatione & intellectu non omnes Interpretes conveniunt. Communis opinio eſt, Voluntarium jusjurandum dici illud, quod ex conventione partium, quaſi per tranſactionem, extra judicium, defertur: & ideo voluntarium dici, quia ab initio liberum fuit ei, qui ſuſcepit, an vellet de eo praeſtando conventionem inire: licet, poſteaquam convenit, praeſtandi neceſſitate teneatur, *l. jusjurandum 17. D. hoc tit. l. ſicut 5. C. de obl. & act.* Neceſſarium vero, quod judex propter inopiam probationis alteri litigatorum defert, *l. 3. C. de reb. cred. l. admonendi 31. D. hoc tit.* idque duplici ratione; tum quia non niſi probationum neceſſitate cogente defertur; tum etiam quia recuſari non poteſt ab eo, cui defertur, ſed neceſſe habet jurare, niſi juſtam recuſandi cauſam proponat, alioqui condemnabitur, *l. generaliter 12. §. 1. C. de rebus cred. cap. ult. de jurejur.* Judiciale denique jusjurandum, quod a parte parti in judicio defertur, idque licite recuſari & referri poteſt, *l. delata 9. C. de reb. cred. l. jusjurandum 34. §. datur 7. & §. ult. hoc D. tit. d. cap. ult. ext. eod.* Poteſt ergo hoc jusjurandum nunc Voluntarium, nunc Neceſſarium dici, alia & alia ratione: Voluntarium quidem, quia is, cui defertur, non cogitur jurare, ſi malit referre jusjurandum deferenti, ut dictum eſt: Neceſſarium vero, quia cogitur alterum e duobus facere, vel jurare ſcilicet vel referre, alioqui condemnabitur, *l. illud autem 25. §. 1. D. de pecun. conſtit. l. manifeſtae 38. D. hoc tit.* at ex parte ejus, cui refertur, omnino eſt neceſſarium, *d. §. datur 7. l. 34. D. h. t.* Non enim debet ei diſplicere conditio jurisjurandi, quam ipſe detulit, juxta illud vulgare, *patere legem quam ipſe tuleris.* Interdum tamen cogitur aliquis praeciſe & ſimpliciter jurare, ſublata facultate referendi jusjurandum: interdum vero nec jurare nec referre cogitur. ut oſtendam ad *d. l. jusjurandum 34. §. datur 7.* Scio Cujacium *in Paratitl.* aliter has ſpecies accipere, & Voluntarium intelligere, quod a parte parti in judicio vel extra judicium defertur: Neceſſarium, quod ab eo, cui delatum eſt, refertur: Judiciale denique, quod a judice defertur. At non puto tamen a communi opinione eſſe recedendum, quae etiam Balſamoni placet. Caeterum Judiciale jusjurandum generali verbo vocatur omne jusjurandum, quod judicii cauſa interponitur, quo modo jusjurandum judicis & advocati vocatur judiciale, *d. l. rem non novam 14. C. de judic.* eaque ratione tres iſtae ſpecies ſuperiores Judicialis jurisjurandi nomine continentur: quia judicii & litium finiendarum cauſa interponuntur.

Illud nunc poſtremo inſpiciamus, quae ſynechia ſit *hujus Tituli* & ſuperioris; qua, inquam, ratione Titulus hic *de jurejurando* in hunc locum conjectus ſit, ubi de condictionibus coepta eſt tractatio: videtur enim debuiſſe potius conjungi cum iis titulis, qui de probationibus ſunt. Nam teſte Paulo *lib. 5. Sentent. tit. 15. §. ult. de teſtib.* lis pecuniaria teſtibus, inſtrumentis, aut jurejurando explicatur. Hinc Plutarchus, *in lib. de quaeſt. Romanis*, vocat jusjurandum tormentum liberorum hominum: quia quemadmodum a ſervis veritas in teſtimonio dicendo exprimitur tormentis, ita a liberis hominibus extorquetur per jusjurandum. Placet Cujacii reſponſio, ideo ſcilicet poſt titulum *De reb. cred.* poſitum eſſe *hunc tit. de jurejur.* quia in controverſiis de mutuo frequentius defertur jusjur. quam in aliis: & ob eam cauſam idem Paulus *lib. 2. Sent. tit. 2.* conjunxit haec duo, *de reb. cred. & jurejur.* ut & in *C.* conjunguntur. Quam quidem connexionis rationem reprehendit, ſine ratione juſta, Hotomanus ad *hunc tit.* eo quod, ut ille putat, jusjurandum non datur frequentius de pecuniis creditis, quam ex aliis cauſis, *l. 3. §. 1. l. jusjurandum & ad pecuniis 34. D. hoc tit. § eque 4. Inſtit. de except.* Sed, pace Hotomani dixero, fallitur: nam quod dicitur illis locis, jusjurandum praeſtari ex aliis cauſis, non recte ex eo concluditur, jusjurandum non dari frequentius de pecuniis creditis: fatemur quidem & de aliis etiam rebus jusjurandum exigi praeſtarique, ſed ſaepius tamen de pecuniis creditis ſive de mutuo. Unde Laberius apud Gell. *lib. 16. cap. 7.* vocat *Jusjurandum emplaſtrum aeris alieni*: hac credo allegoria, quod quemadmodum emplaſtris ſanantur, & cooperiuntur vulnera, ne amplius appareant, ita

etiam

Digitized by Google

etiam efficitur interdum, ut pecuniae, re vera debitae, non amplius appareant eſſe debitae, propter jusjurandum; quo pertinet illud Pacuvii apud Feſtum in verbo, *Mantile: Jusjurandum eſſe mantile, quo quotidianae noxae abſterguntur*. Solent enim non raro debitores, cum ab eis pecunia petitur, mendacio atque adeo perjurio ſe liberare: ut ait Ariſt. *lib. 1. Rhet. ad Theodect. cap. ult.* Unde primum delictum apud Perſas credebatur, *eſſe debitorem*; & ſecundum delictum, *mentiri*: propterea quod qui debent ſaepe, mentiri cogantur; ut ſcribit Plutarch. in *libello, quod non oporteat foenerari, ſive de vitanda uſura.*

LEX I. Cajus lib. 5. ad Edictum Provincial.

MAximum remedium expediendarum litium in uſum venit, jurisjurandi religio: qua vel ex pactione ipſorum litigatorum, vel ex authoritate judicis deciduntur controverſiae.

Commendat *hoc capite* Cajus edictum Praetoris de jurejurando. Eſt autem commendatio ab utilitate; quia utile eſt, lites quam citiſſime terminari, *l. properandum* 13. *C. de judic.* & Praetoris curae incumbit lites & controverſias diminuere, *l. quidam* 21. *D. de reb. cred. l. 1. §. & poſt operis* 9. *D. de oper. nov. nunciat.* Id autem hoc edicto eum facere docet, cum dicat, *Jurisjurandi religionem eſſe maximum remedium expediendarum litium.* Et laudatur quidem hoc nomine Rhadamanthus apud Platonem *lib. 12. de Legib.* quod ſimpliciter & velociter judicia peragerent: *Jurejurando*, inquit, *a partibus requiſito, cito ſimul ac tuto judicabat.* Eumque morem Numa Pompilius ſervaſſe fertur, teſte Dionyſ. Halicarn. *lib.* 2. ut ſi quando cives ſine teſtibus inter ſe pepigiſſent, controverſia jurejurando dirimeretur.

Sed cur Jusjurandum maximum remedium dicitur? Bartolus dicit, reſpectu transactionis & rei judicatae, quae etiam ſunt finiendae litis remedia. Neque tamen cauſam oſtendit Bartolus, quare dicatur maximum. Eam addit Jaſon: *quia*, inquit, *per jusjurandum momento fere lis expeditur.* At vero poteſt aliquis objicere, transactionem quoque parvo momento fieri poſſe; ergo hac ratione jusjurandum non eſt maximum remedium. Melius igitur reſpondendum eſt, quod per jusjurandum cito lis terminetur, idque velit nolit adverſarius; ut ex verbis edicti Praetoris mox patebit. At transactio, niſi utroque conſentiente, fieri non poteſt, *l. 1. D. de pact. l. qui juraſſe* 26. *§. ult. D. h. t.* res judicata vero non niſi tota cauſa examinata fieri poteſt. De jurejurando igitur, quod eſſet celerrimum & tutiſſimum finiendarum litium remedium, Praetor edictum propoſuit, cujus ſententiam colligimus ex variis *hujus tituli* capitibus, ſcilicet ex *l. ait Praetor.* 7. *l. nam poſtea* 9. *l. jusjurandum* 34. *§. ait Praetor* 6. *l. in duobus* 28. *§. ult. l. eum qui* 30. *D. h. t.* & *l. actori* 8. *C. de reb. cred.* & *§. item ſi quis poſtulante* 11. *Inſt. de act.* Eſtque ad ſummam ejusmodi:

Si is, cum quo agetur, conditione delata juraverit, aut, cum paratus eſſet jurare, jusjurandum ei remiſſum ſit; ejus rei, de qua jusjurandum delatum fuit, neque in ipſum, neque in eum, ad quem ea res pertinet, actionem dabo. Si controverſia fuerit, an ſit juratum, adjiciam exceptionem. Eum, a quo jusjurandum petetur, ſolvere, aut jurare, aut adverſario jusjurandum referre cogam extra quam ſi cum paratus ſit jurare, jusjurandum ei remiſſum ſit. Si actor conditione delata juraverit, vel, cum paratus eſſet jurare, jusjurandum ei remiſſum ſit, ejus rei, de qua jusjurandum delatum aut remiſſum eſt, in factum ei actionem dabo.

Haec cum ita ſint, objicitur adverſus ſententiam *hujus capitis*, hoc modo: Si jurejurando expediuntur, & finiuntur lites, ſequitur poſt jusjurandum praeſtitum non debere ferri ſententiam, neque ea opus eſſe, quia lite finita nulla res ſubeſt, *l. cum lite* 2. *D. de judic. ſolvr.* ac proinde nulla inſtantia. At poſt peremptam inſtantiam non poteſt ferri ſententia, ut docet Bartol. ad *l. 2. num. 2. C. de fruct. & lit. expenſ.* & tamen poſt jusjurandum praeſtitum neceſſaria eſt ſententia, quae condemnationem vel abſolutionem contineat, prout juratum eſt, *l. jusjurandum* 34. *§. ult. D. hoc tit.* Reſpondendum eſt, quod dicitur hic *expediendarum litium*, intelligi debere, quantum ad probationem attinet, non quantum ad inſtantiam. Sed reponi poteſt adverſus ſolutionem, quod ne eo quidem modo jusjurandum eſt maximum remedium. Nam jusjurandum non eſt liquida probatio, *arg. l. ſi quando* 9. *C. unde vi.* & ibi notat Salicetus. Probatio enim teſtibus & fide tabularum conſtat, *cap. forus* 10. *extra. de verb. ſign.* ubi notant Interpretes, probationem proprie dici eam, quae fit per teſtes, vel inſtrumenta; ergo tabulae vel inſtrumenta ſunt majus remedium. Reſpondetur, fatendo jusjurandum non eſſe liquidam, neque perfectam & legitimam probationem; ſed tamen probationis perfectae vicem ſuſtinere, quantum ad effectum: non quod natura ſua tale ſit, ſed propter conſenſum adverſarii, qui jusjurandum detulit: hoc enim ipſo oſtendit ſe contentum eſſe, ut lis eo modo decidatur; & volenti non fit injuria, *l. 1. §. usque adeo* 5. *D. de injur. l. quamvis* 11. *in fin. D. de in jus vocando.* & nos loquimur de jurejurando, quod a parte parti defertur vel refertur. Ideo parum obſtat *d. l. ſi quando* 9. *C. unde vi.* quia loquitur de juramento delato a Judice propter inopiam probationis. Itaque in *l. non erit* 5. *§. dato* 2. & in *l. ſed ſi poſſeſſori* 11. *§. ſi cum de haereditate* 3. *D. h. t.* dicitur quaſi probatio jusjurandum. Eſt igitur jusjurandum hoc modo maximum & promptiſſimum remedium. Nam adverſus teſtes & tabulas aliquid objici poteſt; adverſus jusjurandum vero nihil, propter conſenſum deferentis, *l. 1. C. de reb. cred.*

LEX II. Paulus lib. 18. ad Edictum.

JUsjurandum ſpeciem transactionis continet; majoremque habet authoritatem, quam res judicata.

Confirmatur hic, quod *primo capite* dictum eſt, *jusjurandum eſſe maximum remedium &c.* Confert enim Paulus jusjurandum cum transactione & re judicata: ubi primum animadvertendum eſt, ſupervacaneum eſſe vulgarium Interpretum laborem, quo nituntur oſtendere transactionem eſſe genus, & ejus ſpeciem eſſe jusjurandum. Errorem illis peperit ſermonis Latini, & loquendi proprietatis ignorantia. Continere enim, vel habere ſpeciem alicujus rei, idem eſt, quod habere imaginem quandam, & eſſe ſimile; ut paſſim apud Ciceronem, & alios authores, legitur. Quod igitur, *hac lege*, dicitur *jusjurandum continere ſpeciem transactionis*, nihil aliud ſignificat, quam jusjurandum habere ſimilitudinem transactionis; & ita ſpeciei verbo utitur idem Paulus, in *l. non diſtinguemus* 32. *§. cum quidam* 14. *in fin. D. de recept.* & Julianus in *l. ſi legationis* 25. *D. de Judic.* Nec tamen inficior transigendi verbum generale eſſe ad omnia, de quibus nihil amplius agendum eſt. Unde apud Terent. *in Andria act. 1. ſc. 5. verſ. 14. facta transacta omnia.* Unde & dicitur negotium jurejurando transigi, *l. admonendi* 31. *D. h. t.* Similitudo autem quadruplex inter transactionem & jusjurandum eſt. Prima; quod quemadmodum transactione, ita & jurejurando lis finitur. Altera; quod quemadmodum adverſus transactionem, bona fide factam, non admittitur querela propter nova inſtrumenta reperta, ita neque adverſus jusjurandum ſemel praeſtitum, *l. ſub praetextu* 19. *C. de transact. l. 1. C. de reb. cred. l. poſt rem judicatam* 56. *D. de re judic.* loquor autem hic de jurejurando, a parte parti delato, extra judicium vel in judicio. Nam cauſa deciſa jurejurando, a judice delato, retractari poteſt novis inſtrumentis, poſtea repertis, *d. l.*

admonendi 31. *D. h. t.* Sed de eo jurejurando nihil videtur comprehenſum in edicto Praetoris: venit enim ex conſtitutionibus Principum. Idque fatetur Baro, quamvis (neſcio qua ratione) illam particulam addiderit, edicto Praetoris. Tertio, ſimiles in eo ſunt, quod, ut tranſactio, ita etiam jusjurandum, a conventione proficiſcitur, *l. qui juraſſe* 26. §. *ult. D. h. t.* quod intellige, cum uterque conſentit, ut jusjurandum praeſtetur; quod ſi is, cui delatum eſt, noluerit jurare, ſed illud referat etiam invito, tamen recte dici adhuc poteſt ex conventione praeſtari propter primam voluntatem deferentis: & hoc eſt, quod dixi ad *l.* 1. nolente interdum adverſario litem jurejurando decidi. Quarto, conveniunt etiam in eo, quod utraque tollit naturalem obligationem, *l. Stichum* 95. §. *naturalis* 4. *D. de ſolut.* ſed neutra tollit obligationem civilem §. *praeterea* 3. & §. *aeque* 4. *Inſtit. de except.*

Secundo notandum eſt, quod hic dicitur jusjurandum habere majorem authoritatem, quam habeat res judicata: ratio, quia plus eſt, aliquem ſuo conſenſu quam invitum damnari; at qui Jusjurandum defert, ipſe aſſentit condemnationi ſuae, *arg. l.* 1. *D. quar. rer. actio non datur.* Judicium autem in invitum redditur, *l. inter ſtipulantem* 83. §. 1. *D. de verb. oblig.* Porro quod *hujus legis gloſſa* dicit, Jusjurandum poſſe retractari per nova inſtrumenta, & hac ratione minoris eſſe authoritatis, quam ſententiam, falſum eſt in juramento delato a parte parti, ut ex ſupra dictis patet. Adde quod majorem authoritatem habet, quam res judicata; quia non admittitur appellatio poſt cauſam deciſam juramento, a parte parti delato, *l. penult.* §. *ſed juramento* 1. & §. *ſive autem* 3. *C. de rebus credit.*

Sed hic oritur quaeſtio multum controverſa; an ſcilicet Jusjurandum habeat executionem promptam & paratam, ſicut ſententia. Quaeſtio in eo poſita eſt, an poſt Jusjurandum praeſtitum neceſſaria ſit ſententia judicis, ut ex ea mandetur res executioni, an vero ſufficiat conſtare juratum eſſe, ita ut ſequatur executio ſine ulla ſententia. Multi putant ſemper opus eſſe ſententia, propter *l. Jusjurandum* 34. §. *ult. D. h. t.* & quod dicit *gloſſa ad hanc l.* Jusjurandum & rem judicatam paria eſſe in agendo, ſic intelligunt, ut, quemadmodum ex re judicata, ita etiam ex Jurejurando oriatur actio in factum, *l. actori* 8. *C. de reb. cred.* Pro iſtorum opinione facit, quod etſi confeſſus habeatur pro judicato, *l.* 1. *l.* 3. *in fin* & *l. certum* 6. *D. de confeſſ. l. unic. C. de confeſſ.* tamen poſt confeſſionem damnari debet, *d. l.* 3. & *l. qui Stichum* 5. *D. de confeſſ.* Nec obſtat, quod dicitur, nullas eſſe partes judicantis in confitentes, *l. proinde* 25. *in fin. D. ad l. Aquil.* hoc enim intelligendum eſt, quantum ad cognoſcendum attinet; quia jam explorata res eſt propter confeſſionem, ſed remanent adhuc Judicis partes in pronunciando, & ita bene ſolvit gloſſ. ad *l. unic. C. de confeſſ.* Alii contrarium aſſerunt, quorum princeps eſt Bartolus; nempe Jusjurandum habere executionem paratam. Pro iis facit ſententia *hujus legis*, ubi dicitur *Jusjurandum habere majorem authoritatem, quam res judicata*: rei enim judicatae authoritas maxime conſiſtit in executione, unde & vigor rei judicatae dicitur, *l. executorem* 8. *C. de exec. rei judicat.* Item facit *l. poſt rem* 56. *D. de re judicat.* Allegant etiam pro ſe *d. l. actori* 8. *C. de reb cred.* ubi diſtinguitur actio ex jurejurando ab actione judicati; ergo non opus eſt ſententia, ubi juratum eſt: alioqui non eſſet actio ex jurejurando, ſed ſemper ex ſententia, quae videtur actio rei judicatae. Praeterea in *l. tutor* 35. §. 1. *D. hoc tit.* dicitur *jusjurandum cedere pro judicio*, id eſt, loco judicii eſſe. Ego tamen in hac quaeſtione diſtinguendum puto inter jusjurandum ex conventione extra judicium, & jusjurandum delatum in judicio. Si enim, deferente debitore, creditor extra judicium juraverit ſibi dari oportere, illud jusjurandum judicii vim habere debet, & paratam executionem, ſine ulla litis conteſtatione, aut ſententia judicis, arg. *l. ſi debitori* 21. *D.* de *judic.* ubi ei, qui confeſſus eſt ante litem conteſtatam ſe debere, datur tempus ad ſolvendum, quemadmodum ſi eſſet condemnatus. Et ita intelligi debet, quod dicitur in *l. certum* 6. §. *ult. D. de confeſſ.* de iis ſcilicet, qui ante litem conteſtatam confeſſi ſunt. At ſi poſt litem conteſtatam jusjurandum delatum ſit, verius eſt ſequi debere ſententiam, *l. de qua re* 74. *D. de judiciis*, idque propter formam & ordinem judiciorum, arg. *l.* 1. *C. de exec. rei judicat.* atque hoc caſu liberum eſſe ei, qui jusjurandum praeſtitit, utrum velit agere actione in factum ex jurejurando, an vero actione rei judicatae: utramque enim ejuſdem rei nomine habet, ſed alterius electione alteram conſumit, *l. quod in haerede* 9. *D. de trib. act.* Et ita loquitur *d. l. jusjurandum* 34. § *ult. D. hoc tit.* Caeterum in Gallia receptum eſt, ut quaelibet cautio extrajudicialis, a tabellionibus conſcripta, paratam habeat executionem: licet Jus civile in contrarium ſit, *l. minor annis viginti quinque* 40. *D. de minor.*

LEX III. Ulpianus lib. 22. ad Edictum.

Ait Praetor, ſi is, quo agetur, conditione delata juraverit; eum, cum quo agetur, accipere debemus ipſum reum: nec fruſtra adjicitur, conditione delata. Nam ſi reus juravit, nemine ei jusjurandum deferente, Praetor id jusjurandum non tuebitur: ſibi enim juravit. Alioquin facillimus quiſque ad jusjurandum decurrens, nemine ſibi deferente jusjurandum, oneribus actionum ſe liberabit.

Interpretatur *hoc capite* Ulpianus prima verba edicti Praetoris de jurejurando: cui conjungenda eſt etiam *l. ait Praetor* 7. *D. h. t.* quae ex hoc eodem Ulpiani libro eſt, & ejuſdem partis interpretationem continet. Quod autem ad explicationem attinet: Primum notandum eſt, reum proprie dici eum, cum quo agitur, ſive adverſus quem intenditur actio vel accuſatio; atque ita actori opponitur *l. in exceptionibus* 19. *D. de probat. l.* 1. *D. de except. cum ſimill. paſſim D. & C. de public. judic. de Accuſat. de Exhib. & tranſmitt. reis. de Cuſtod. & exhib. reor.* licet aliquando rei nomine uterque contrahentium ſignificetur, *Inſtit. de duob. reis. l.* 1. *& paſſim. D. & C. de duob. reis.* Secundo, notandum eſt jusjurandum nullius eſſe momenti, quod quis praeſtat, nemine illud deferente: *ſibi enim jurat*, id eſt, fruſtra jurat, & nullo ſuo commodo, quaſi ſecum ſecreto juraret. Et addit Ulpianus rationem, quia ſcilicet, ſi ejuſmodi jusjurandum admitteretur, quilibet ſe facile liberaret oneribus actionum, & quo quisque nequior eſſet, eo citius liberationem acquireret, praeſtito juramento. Pertinet autem hoc ad locum communem de auferenda occaſione delinquendi. Nec obſtat, quod aliquis forte veritatem juraturus ſit nemine deferente, perinde ac ſi aliquis detuliſſet; quia leges feruntur de iis, quae frequenter eveniunt, *l.* 3. *D. de legib.* Et ideo quamvis contingat interdum, ut conjuges, ſummo amore & conjugali affectione ducti, ſibi temperate donent; tamen, ne ſub eo praetextu aliquid deterius ſequeretur, inhibita eſt omnis donatio inter conjuges, niſi quae refertur in tempus divortii vel mortis, *l.* 1. 2. 3. & 9. *in fin.* & *l.* 11. *in fin.* & *l. ſeq. D. de donat. inter vir. & uxor.* Similiter de dolo futuro paciſci non licet, *l. ſi unus* 27. §. *illud* 3. *D. de pact.* Itaque, licet poſt furtum aut ſimile flagitium factum paciſci liceat, tamen, antequam factum ſit, pactio non admittitur; quia hac ratione invitaretur aliquis ad delinquendum, *l. illud.* 5. *D. de pact. dotal. d. l. ſi unus* 27. §. *pacta quae turpem* 4. Quod autem hic dicitur, jusjurandum nemine deferente praeſtitum, nullius eſſe momenti, intelligi debet ad hoc, ut alii praejudicet, vel ut ipſi juranti proſit; poteſt tamen juranti nocere, ut *l. ſi legatarius* 23. *D. de dolo.* Quod autem vulgares Interpretes fallentias quaſdam ab hac Ulpiani ſen-

ſen-

centia excogitant, ridiculum eſt, &, ut plane dicam, ſunt verae fallentiae, quia fallunt incautos lectores. Nam in *l. ſi ſine* 9. *D. de interrog.* quis non vidit confeſſionem illam contra confitentem eſſe? obligat enim eum oneribus haereditariis. Rurſus cum judex in definitiva ſententia praecipit jusjurandum praeſtari, ut colligunt ex *l. cum Judex* 11. *C. de ſentent. & inter loc.* nonne hoc ipſo ſatis defertur jusjurandum? Caeterae fallentiae eodem modo falli & refelli poſſunt. Eas vide apud Jaſonem *hic num.* 6.

Cum igitur nunc conſtet, jusjurandum nullo deferente praeſtitum non habere vim transactionis aut rei judicatae Proxima queſtio eſſe debet, an ergo ſufficiat jusjurandum eſſe delatum: ad cujus deciſionem pertinent quae tractantur in *l. nam poſtea* 9. §. *ſi minor* 4. & *l. jusjurandum quod ex conventione* 17. *cum quatuor ſeqq. l. jusjurandum & ad pecunias* 34. §. *defenſor* 1. & *l. tutor* 35. *D. hoc tit.* Ex quibus docemur non omnes perſonas, quarum cauſa agitur, habiles eſſe ad deferendum jusjurandum. Et primum quidem, pupillus, ſi ſine tutoris authoritate detulerit, non proderit juranti, *d. l. jusjurandum quod ex conventione* 17. §. 1. & *l. ſi ad excludendam* 4. *C. eod.* & eſt ratio, quia jusjurandum ſuccedit in locum ſolutionis *l. in duobus* 28. §. 1. *D. h. t.* & habet vim contractus, *l. depoſiti* 5. §. 1. *D. de pecul.* At ſolvens pupillo ſine tutoris authoritate non liberatur, §. 2. *verſ. At ex contrario. Inſtit. quib. alien. licet vel non. l. pupillo* 15. *D. de ſolut.* Similiter pupillus obligari alii ſine tutoris authoritate non poteſt, & ſolvens non facit nummos accipientis, *l. obligari* 9. §. *pupillus* 2. *D. de author. & conſenſ. tutor.* niſi *quando ex re actio venit*, *l. furioſus* 46. *D. de obl. & action.* Etenim ſolvere ad bonorum adminiſtrationem pertinet, quae pupillo interdicta eſt, *d. l. jusjurandum quod ex conventione* 17. §. 1. ex quo ſequitur eum, qui jus rerum adminiſtrandarum non habet, non poſſe deferre jusjurandum, *arg. d. l. jusjurandum* 17. §. *ult. D. h. t.* Ac proinde prodigus, volens deferre, non eſt audiendus, *d. l. tutor* 35. §. *prodigus* 1. Quae cum ita ſe habeant; poteſt is, cui eo modo delatum eſt jusjurandum, illud licite recuſare, nec referre: & eſt bona exceptio ab ea parte Edicti, *eum, a quo jusjurandum petitur, ſolvere aut jurare cogam*, *l. jusjurandum & ad pecanias* 34. §. *ait Praetor* 6. *D. h. t.*

Sed adverſus id, quod dicitur jusjurandum, delatum a pupillo, non prodeſſe juranti, objicitur hoc modo: Jusjurandum ſuccedit in locum ſolutionis, ut dictum eſt. At ſolutio facta authore judice valet, & ſolvens pleniſſimam liberationem conſequitur, *l. ſancimus* 25. *C. de adminiſtr. tutor.* Ergo jusjurandum eo modo delatum valere debet. Reſondet gloſſa variis modis; ſed breviter dicendum eſt, non eſſe haec ſimilia. Loquitur lex de ſolutione, facta tutori ex ſententia judicis; non autem de ſolutione facta pupillo. Praeterea loquitur de vera & naturali ſolutione, cum res debita praeſtatur, *l. ſolutam* 49. *D. de ſolut.* non de ficta aut imaginaria ſolutione, qualis eſt acceptilatio aut jusjurandum. Tametſi enim ſolutionis verbo continentur, *l. ſolutionis* 54. *D. de ſolut.* tamen magis proprie liberationes dicuntur. Denique *l. ſancimus* 25. requirit ſententiam judicis: at jusjurandum in judicio deferri poteſt ex voluntate litigantium, ſine ullo praecepto judicis. Illud majorem difficultatem habet, quod dicitur *l.* 17. §. 2. *D. h. t. ſi pupillus ſine tutoris authoritate jusjurandum detulerit*, obſtabit exceptio: ergo deferre poteſt; alioqui non fuiſſet ullum jus acquiſitum juranti. Reſpondeo, quod dicit Paulus obſtare exceptionem, hoc ſenſu accipiendum eſſe, ut is, qui juravit, ſi poſtea de eadem re conventus fuerit, poſſit opponere exceptionem jurisjurandi; quia revera juravit. Sed quia is, qui detulit, non habebat deferendi poteſtatem, contra exceptionem competit replicatio.

De minore, quaeritur, an jusjurandum deferre poſſit. Diſtinguendum eſt: nam ſi habet curatorem, ſimilis eſt pupillo & prodigo, quantum ad bonorum adminiſtrationem, *l.* 3. *C. de in integr. reſtit. minor.* & ideo jusjurandum deferre non poteſt. Si vero non habet curatorem, ipſo jure valet delatio jurisjurandi ab eo facta; ſed a Praetore in integrum reſtituitur, ſi ſe captum eſſe doceat, *l. nam poſtea* 9. *ſi minor* 4. *D. hoc tit.* Ubi notandum eſt, non ſemper concedi reſtitutionem minori, ſed cauſa cognita, ſi deceptum eſſe appareat, *l. non omnia* 44. *D. de minor.*

Tutor vero pupilli, & curator furioſi vel prodigi poſſunt jusjurandum deferre, idque probat Paulus hoc modo: poſſunt *res alienare, & ſolvi iis poteſt, & agendo rem in judicium deducunt*, *l. jusjurandum* 17. §. *ſi tutor* 2. Quibus verbis confirmatur, quod ſuperius diximus, eum, qui res ſuas adminiſtrare non poteſt, non poſſe jusjurandum deferre. Sed tamen tutor vel curator ita demum jusjurandum deferre poteſt, ſi omnes aliae probationes deficiant, *l. tutor* 35. *D. hoc tit.* quia non tantam libertatem adminiſtrationis habent, quantam is, qui vere dominus eſt, *l. Lucius Titius* 46. §. *ult. D. de admin. & peric. tutor.* Itaque ſi tutor vel curator eo modo jusjurandum detulerit, obſtabit exceptio jurisjurandi pupillo, nec ullum aliud remedium ſupereſt, niſi reſtitutio in integrum, ſi doceat ſe eſſe captum, *l.* 2. & *l.* 3. *C. ſi tutor vel curator intervenerit.*

Poſtremo de procuratore & defenſore civitatis, aut cujusvis corporis videndum, & procurator quidem tribus caſibus jusjurandum deferre poteſt; videlicet, *ſi aut univerſorum bonorum adminiſtratio ei conceſſa eſt, aut hoc* ſpecialiter & *nominatim ei mandatum ſit, aut procurator in rem ſuam ſit conſtitutus*, *d. l. jusjurandum* 17. § *ult.* Alias vero procurator eam poteſtatem non habet, etiamſi cum mandato generali ad agendum datus ſit, *l. mandato generali* 60. *D. de procuratorib.* Et ratio redditur in *l. alias* 18. *D. hoc tit.* ne ſcilicet *reus, qui ſemel juravit, a domino poſtea conveniatur*, quo caſu *cogetur* ſolvere domino, aut docere ſe *liquido*, id eſt, vere *juraſſe*: id enim verbum *liquido* ſignificat, ut eleganter docet Duarenus *lib.* 1. *Diſput. cap.* 2. Nec proderit ei multum cautio, de rato praeſtita a procuratore: nam ſi victus a domino agat adverſus procuratorem, ex illa ſtipulatione rem ratam haberi, neceſſe habebit oſtendere ſuum ipſius perjurium: juravit enim ſe non debere id, quod poſtea dominus probavit illum debere. Et hic eſt ſenſus verborum Ulpiani in *d. l. alias* 18

Defenſor vero, qui & ſyndicus appellatur, *l. ult.* §. *defenſores* 13. *D. de muner. & honor.* non aliter jusjurandum deferre poteſt, niſi nominatim hoc ei mandatum ſit, *l. jusjurandum & ad pecanias* 34. §. *defenſor* 1. *D. hoc tit.* Ratio eadem eſt, quia ſcilicet non habet liberam rerum adminiſtrationem. Idem de ſervo & filiofamilias dicendum eſt, *l. nec filius* 7. *C. eod. l. ſervus* 20. *D. hoc tit.*

§. 1. 2.

QUacunque natem actione quis conveniatur, ſi juraverit, proficiet ei jusjurandum: ſive in perſonam, ſive in rem, ſive in factum, ſive poenali actione, vel quavis alia agatur: ſive de interdicto. §. 2. Sed & ſi de conditione perſonae fuerit juratum, Praetor jusjurandum tuebitur; ut puta detuli jusjurandum, & juraſti in poteſtate mea te non eſſe, tuendum erit jusjurandum.

Proſequitur Ulpian. interpretationem Edicti, & docet verbum *agetur*, in eo poſitum, generaliter eſſe accipiendum, ut comprehendat omnem actionem tam in rem, quam in perſonam, etiamſi poenalis ſit; veluti actio furti, *l. ſi quis uxori* 52. §. *ſi quis juraverit* 27. *D. de furt.* aut praejudicialis, qualis eſt ea, qua de ſtatu & conditione perſonae quaeritur, §. *praejudiciales* 13. *Inſtit. de act.* in quibus omnibus ſi jusjurandum delatum fuerit, proficiet juranti ad actionem vel ad exceptionem; proficiet, inquam, ut ſecundum

Digitized by Google

dum illud jusjurandum lis decidatur. Idem obſervandum docet & ſi interdicto agatur: nam interdictum actionis verbo continetur, *l. actionis* 37. *D. de oblig. & act.* Idem etiam in populari actione, ſi modo is, qui detulit, non per colluſionem, ſed bona fide detulerit, hoc eſt (ut ego interpretor) ſi deficientibus aliis probationibus *l. eum qui* 30. §. *in popularibus* 3. *D. hoc tit.* ſuſpicione enim non caret, qui cum ad manum habet probationes, jusjurandum defert, *arg. l. tutor* 35. *D. hoc. tit.*

Sed quaeri poteſt, cur Ulpian. iſtas actionum ſpecies numeret, cum ſatis eſſet quod dixit, *quacunque actione ſive in rem ſive in perſonam*: ſunt enim illa duo prima & ſuprema actionum genera, *l. actionum genera* 25. *D. de act. & obl.* §. 1. *Inſtit. de act.* Reſpondeo, Ulpianum quasdam hic nominatim expreſſiſſe, de quibus facilius dubitari potuit; quia nonnihil differunt a natura aliarum, & majorem cognitionem requirunt, quam caeterae actiones: ob eamque cauſam compromiſſum factum de cauſa ſtatus, aut populari actione non valet, *l. non diſtinguemus* 32. §. *de liberal. cauſa* 7. *D. de recept. qui arbitr. recep.* Quaerit gloſſa, quid de criminali cauſa; an in ea jusjurandum deferri poſſit. Criminale judicium dicitur, quod inſtituitur, ut injuria reipublicae facta vindicetur, non ut accuſatori aliquid praeſtetur; nec refert utrum poena pecuniaria ſit an civilis, ut docet Duarenus *lib.* 1. *Diſp. cap.* 35. Variae porro ſunt Doctorum de hac quaeſtione opiniones. Sed ut paucis perſtringam, videtur Praetoris Edictum de civilibus tantum cauſis eſſe propoſitum, quibus actionis nomen proprie accommodatur, licet minus proprie aliquando actio criminalis dicatur, *l. unic. C. quando civilis actio crimin. praejud. l.* 1. *D. de crimine ſtellion.* nec ullum extat exemplum jurisjurandi delati in cauſa criminali: eſſet enim hoc valde periculoſum. Nam ſi reo deferretur, isque taedio vitae aut impatientia dolorum, jurando faſſus ſit crimen, ſequeretur condemnationem faciendam, contra ſententiam *l. non tantum* 6. *D. de appel.* aut ſi jurejurando negaverit crimen, ſequeretur eum eſſe abſolvendum, eoque modo praejudicium fieret publicae accuſationi. Et rurſus e diverſo, ſi accuſatori deferretur, isque juraret reum commiſiſſe crimen, cujus accuſatur, ſequeretur condemnationem eſſe faciendam, quod periniquum eſſet, & contra *l. ſciant* 25. *C. de probat.* Certe uno caſu reo jusjurandum deferri poteſt, quod fit antequam abſolvatur; cum ſcilicet accuſator non poteſt probare quod intendit, *Authent. novo jure. C. de poena judicis qui male judicav.* Non obſtat iis, quae diximus, *l. furti* 6. §. *ſed etſi jurejurando* 4. *D. de his qui notant. infam.* ubi dicitur furi jusjurandum deferri, cumque innocentiam ſuam jurejurando probare: quia ibi agebatur civiliter, non criminaliter, ut ex *principio illius legis* patet.

§. Unde Marcellus 3.

U*Nde Marcellus ſcribit, etiam de eo jurari poſſe, an praegnas ſit mulier, vel non ſit, & jurijurando ſtandum. Denique ait, ſi de poſſeſſione erat quaeſtio, ſervari oportere: ſi forte quaſi praegnas ire in poſſeſſionem volebat, & cum ei contra diceretur, vel ipſa juravit ſe praegnatem, vel contra eam juratum eſt: nam ſi ipſa ibit in poſſeſſionem ſine metu; ſi contra eam, non ibit, quamvis vere praegnas fuerit: proderitque inquit Marcellus, mulieri juranti jusjurandum, ne conveniatur quaſi calumniae cauſa ventris nomine iverit in poſſeſſionem, neve vim patiatur in poſſeſſione. Sed an jusjurandum eousque proſit, ut poſt editum partum non quaeratur ex eo editus, an non ſit, cujus eſſe dicitur, Marcellus tractat: & ait veritatem eſſe quaerendam; quia jusjurandum alteri neque prodeſt, neque nocet: matris igitur jusjurandum partui non proficiet, nec nocebit, ſi mater detulerit, & juretur ex eo praegnas non eſſe.*

Sciendum eſt, Praetorem ex omnibus Edicti partibus mittere mulierem in poſſeſſionem ventris nomine, id eſt, ratione fructus, qui eſt in utero, *l. ult. D. de ventr. in poſſeſſ. mitt.* Sed, ut teneat datio bonorum poſſeſſionis, oportet eam fuiſſe praegnantem, & mortis tempore, & quando miſſa fuit in poſſeſſionem, *l.* 1. §. *praegnantem* 1. *illo tit.* quod ſi mulier, ſciens ſe non eſſe praegnatem, dolo malo in poſſeſſionem veniat, notatur infamia, & etiam pater, in cujus poteſtate fuit, ſi eam calumniae cauſa paſſus eſt in poſſeſſionem mitti, *l. notatur* 15. & *l. non alia* 19. *D. de his qui notant. infam.* & tenetur etiam mulier actione in factum in id, quod intereſt ejus, ad quem ſucceſſio pertinebat, *l. unic.* §. *compoſiti* 6. & §. *ſeq. D. ſi mulier ventr. nom. in poſſeſſ. calumn. ca. eſſe dicetur.* Sed ab utraque poena liberatur, ſi juraverit ſe eſſe praegnantem, deferente eo, qui controverſiam movet, ut hic declarat Ulp. ex Marcello, & in *dicta l. unic. Si mulier ventr.* &c. eſt autem hoc jusjurandum de credulitate, non de veritate; nam ſufficit ſi mulier dicat ſe credere ſe eſſe praegnatem, *arg. l.* 1. *D. inſpic. ventr.* Quod autem in *fine hujus* §. dicitur, mulieris jusjurandum partui nec prodeſſe nec obeſſe, de eo jam nonnihil dixi ſupra, de jurejur. aſſertorio. Sed traditur hoc loco regula haec generalis, jusjurandum ab uno praeſtitum alteri neque nocere neque prodeſſe. Exemplum eſt & ratio poſita in *l. nam poſtea* 9. §. *ult.* cum *l. ſeq. D. h. t.* a qua tamen regula exceptiones variae *hoc tit.* proponuntur. Prima eſt ex ipſis Edicti verbis, in *l. ait Praetor* 7. *D. h. t.* ſi nempe unus in alterius locum ſuccedat. Nec refert utrum ſuccedat in jus, ut haeres bonorumve poſſeſſor, *l.* 3. §. *haereditatis* 1. *D. de bonor. poſſeſſ. l. haeres* 22. *D. de uſurp. & uſucap.* an vero in rem, ut legatarius, donatarius, emptor. Secunda exceptio eſt, jusjurandum ejus, qui in poteſtate eſt ei prodeſt, cujus eſt in poteſtate, *l. ſi ſervus* 23. & *l. ſeq. D. hoc tit.* quia patris vel domini voce loqui videtur, §. *poſt mortem* 13. *Inſtit. de inutil. ſtipulation* licet eis nocere non poſſit. Tertia exceptio eſt de Procuratore, jusjurandum deferente, de quo diximus ſupra *hac lege* & *l. reſcriptum* 10. §. *ult. D. de pact.* Quarta exceptio eſt de patre jurante filium non debere, *l. qui juraſſe* 26. §. *ſi pater* 1. *D. h. t.* Quinta eſt, de duobus reis credendi, quorum alterius jusjurandum alteri nocet, *l. in duobus* 28. *D. h. t.* nec refert, utrum ſocii ſint, necne; licet gloſſa & Doctores id putent; quia natura obligationis, quae fit duobus reis ea eſt, ut ſolutio uni facta liberet debitorem ab alterius petitione, *l.* 2. *D. de duob. reis.* at *jusjurandum loco ſolutionis eſt*, *l. jusjurandum* 27. *D. hoc tit.* Sexta exceptio eſt, quod jusjurandum fidejuſſoris proſit reo, ſi jusjurandum exactum ſit de re ipſa, id eſt, de obligatione, an ſcilicet reus debeat: nam ſi tantum de perſona jurantis agitur, an ſcilicet ipſe fidejuſſerit, illud jusjurandum nihil prodeſt reo, *d. l. in duob.* 28. §. 1. & *l. ult.* §. *ſi fidejuſſor* 1. *D. h. t.* Nec obſtat *l. fidejuſſoris* 23. *D. de pact.* quia de perſonali pacto fidejuſſoris loquitur, ne ab ipſo petatur; hoc autem reum principalem nihil juvat, quemadmodum nec ſi fidejuſſor juraverit, ſe non interceſſiſſe, id quicquam reo prodeſt, ut dictum eſt. Poteſt huc addi & alia exceptio; nam ſi quis juraverit ſe eſſe obligatum alteri, quam ei, qui jusjurandum refert, ille alter poteſt ex eo jurejurando agere, *l. ſi duo* 13. §. *Marcellus* 5. *in fin. D. h. t.*

§. Jurari 4.

J*Urari autem oportet ut delatum eſt jusjurandum: caeterum ſi ego detuli, ut per Deum jurares, tu per caput tuum juraſti.*

Lex IV. Paulus lib. 18. ad Edictum.

V*El filiorum suorum.*

LEX V. Ulpianus lib. 22. ad Edictum.

Non erit ratum habendum juſjurandum: quod ſi exegi ut per ſalutem tuam jurares, & juraſti, ſtabitur. Omne enim omnino licitum juſjurandum per quod voluit quis ſibi jurari, idoneum eſt: & ſi ex eo fuerit juratum, Praetor id tuebitur. §. 1. Divus Pius jurijurando, quod propria ſuperſtitione juratum eſt, ſtandum reſcripſit. §. 2. Dato jurejurando, non aliud quaeritur, quam an juratum ſit: remiſſa quaeſtione, an debeatur: quaſi ſatis probatum ſit jurejurando. §. 3. Sed ſi quis illicitum juſjurandum detulerit, ſcilicet improbatae publicae religionis, videamus an pro eo habeatur, atque ſi juratum non eſſet: quod magis exiſtimo dicendum.

Dictum eſt in *princ. hujus legis* 3. juſjurandum fruſtra praeſtari ab aliquo, niſi ei delatum ſit ab eo, qui jus & poteſtatem deferendi habet. Sed hoc tamen adhuc non ſufficit: oportet enim eum, cui delatum eſt, jurare ut delatum eſt. Id oſtendit Ulpianus *hoc* §. 4. *l.* 3. & *hac l. non erit* 5. jurare autem ut eſt delatum, eſt jurare eo modo, eaque verborum formula, quae ab adverſario concipitur. Solebant enim ii, qui juſjurandum deferebant plerumque jurisjurandi formulam praeſcribere. Unde conceptis verbis jurare vel pejerare, aut juſjurandum dare, toties apud Plautum legitur, ut in *Teuculento act.* 4. *ſcen.* 2. *verſ.* 54. & *in Baccbidibus act.* 4. *ſcen.* 9. *verſ.* 105. & *in Aſinaria act.* 3. *ſcen.* 2. *verſ.* 16. & alibi. Cicero *pro Cluent. cap.* 48. & *Offic. lib.* 3. *cap.* 29. Valer. Maximus *lib.* 4. *cap.* 1. Quod ſi jurisjurandi formula nulla ab adverſario eſſet concepta, tunc ſolemni & uſitata loquendi formula utendum erat; ea olim fuit per Jovem, lapidem tenendo, ut tradit Polybius *lib.* 3. & Feſtus in verbo *Lapidem.* Ita Plutarchus *in vita Syllae, Cinnam lapidem tenendo juraſſe* ait. Jurare etiam coeperunt poſtea *per genium Principis, l. ſi duo* 13. §. *ult. D. eod.* & *per ſalutem* aut *venerationem Principis l.* 2. *C. eod. l. ſi quis* 41. *C. de tranſact.* §. 1. *verſ. Poſtea. Inſt. de fideicomm. haered.* cujus generis juſjurandum Imperatoribus perquam gratum ſolebat eſſe, eo quod hac ratione videbantur quaſi numina quaedam adorari: nam qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem jurat, ut ait D. Thomas 22. *quaeſt.* 89. *art.* 4. Unde Caligula ſupplicium de quibuſdam ſumpſiſſe dicitur, eo *quod nunquam per genium ſuum dejeraſſent.* Sueton. *in ejus vita cap.* 27. Antiquiſſima certe fuit jurandi formula, per ſalutem Principis. Ita jurat Urias Davidi, 2. *Sam. cap.* 11. & Joſephus per ſalutem Pharaonis, *Geneſ.* 42. Caeterum quam varius & multiplex jurandi modus fuerit apud alias & alias gentes, videre licet apud Alexandr. ab Alexand. *lib.* 5. *genial. cap.* 10. Quod autem dixi uſitatam jurisjurandi formulam obſervandam, ſi adverſarius nullam certam detulerit, intelligendum eſt, niſi jurans aliqua aut ſuperſtitione aut religione certam jurandi formulam obſervare ſolitus ſit: permittitur enim ei ita jurare, dummodo publice damnata ea ſuperſtitio non ſit, *d. l. non erit* 5. §. *Divus Pius* 1. *D. h. t.* Quod ſi inter litigatores de formula jurandi non poterit convenire, judex ſuo arbitrio conceptionem praeſcribet, *l. juſjurandum & ad pecunias* 34. §. *ſi de qualitate* 5. & §. *non ſemper* 8. *D. h. t.* Et quidem magis nunc receptum eſt in foro & in judiciis, ut judice ſemper praeeunte, & formulam jurandi concipiente, litigator juret, etiamſi ab adverſario juſjurandum delatum ſit. Formula autem communis & uſitata eſt per Deum, elevata manu; ut juravit Abraham *Geneſeos cap.* 21. *verſ.* 23. 24. aut tactis ſacroſanctis Euangeliis, *l. eum non novam* 14. §. *patroni* 1. *C. de Judic. l. generaliter* 12. §. *ult. C. de reb. cred.* quemadmodum apud Ethnicos tactis aris Deorum; eoque modo dicitur juſjurandum corporaliter praeſtari, *l.* 3. *C. ſi minor ſe major. dixer.*

§. Si neque 4.

Si neque juratum eſt, neque remiſſum juſjurandum, pro eo debet haberi, atque ſi res in juſjurandum admiſſa non eſſet. Proinde ſi poſtea jurare paratus ſit, nihil ei hoc juſjurandum proficiet: quia ex eo, quod delatum eſt, juratum non eſt.

LEX VI. Paulus lib. 19 ad Edictum.

Remittit juſjurandum, qui deferente ſe, cum paratus eſſet adverſarius jurare, gratiam ei facit, contentus voluntate ſuſcepti jurisjurandi. Quod ſi non ſuſcepit juſjurandum, licet poſtea parato jurare actor nolit deferre, non videbitur remiſſum: nam quod ſuſceptum eſt remitti debet.

Quod dicitur in edicto Praetoris, *eum, a quo juſjurandum petetur, ſolvere aut jurare cogam, l. juſjurandum* 34. §. *aut Praetor* 6. *D. h. t.* id cum duplici temperamento intelligendum eſt, niſi ſcilicet is, cui juſjurandum delatum eſt, illud referat deferenti: de quo in *d. l. juſjurandum* 34. §. *datur autem* 7. vel cum paratus eſſet jurare, jurandi neceſſitas ei remiſſa ſit ab adverſario, qui illud detulit; de quo in *l. remittit* 6 & *l. ſi non fuerit* 37. *D. hoc tit.* remiſſo enim jurejurando perinde res ſe habet ac ſi eſſet juratum, *l.* 1. *C. eod.* Hinc quaeſtio tractatur de ratione ſuſcipiendi jurisjurandi, in §. *ult. hujus legis* 5 Actor detulit juſjurandum reo, ut juret ſe non debere: is oblatam ſibi conditionem jurisjurandi neque accepit, neque retulit ex tempore, ſed poſtea ex intervallo, cum ſecum forte aliquandiu deliberaſſet, dixit ſe admittere conditionem, & paratum eſſe ad jurandum. Actor reſpondit ſe nolle rem amplius committere ejus fidei & jurijurando. Quaeritur, an reo proſit iſta jurandi voluntas, & an actor hoc caſu intelligatur juſjurandum remittere. Dubitandi cauſa eſt, quia in ſpecie propoſita, docetur juſjurandum ſemel delatum eſſe ab actore, atque ita poteſtatem jurandi eſſe factam reo. At jus ſemel acquiſitum alicui non debet ei invito auferri, *l. ſi eum ult. D. de pact. l. quoties* 29. *D. ſoluto matrim.* Ergo videtur rei juſjurandum hoc caſu eſſe recipiendum, aut ſi actor eum jurare non patitur, videtur ei remittere, quia per eum ſtat quominus juretur. Contrarium tamen *hoc* §. reſponſum eſt, & *hac l.* 6. *in fin.* & redditur ratio, *quia ex eo, quod delatum eſt, juratum non eſt*, id eſt, non ſtatim atque delatum eſt juſjurandum, ſuſceptum eſt. Itaque Praetoris edictum ſic accipiendum eſt, ut in verbo *juraverit* intelligatur ex continenti, non ex intervallo. Quod ſi quis ulterius progrediatur, & rationem hujus interpretationis quaerat, reſponderi poteſt, ideo ex continenti ſuſcipiendum eſſe juſjurandum; quia contingit aliquando eum, qui ex tempore non niſi verum juraret, poſtea ſi cogitandi daretur ſpatium, aut avaritia, aut ſuaſu aliorum, aut aliis illecebris perjurium ſubire; & ideo actor ei juſjurandum defert, quia videt eum ita eſſe affectum, ut ex tempore non facile pejeret. Sed objicitur adverſus hanc ſententiam, ex *l. juſjurandum* 34. *verſic. Quid tamen. D. h. t.* ubi datur ſpatium reo, ut certioretur, an Stichus, quem debet vivat, & ita juret. Communis Doctorum reſponſio eſt, quod ibi reus acceptavit juſjurandum, & petiit dilationem, ut deliberet quid juret: ex quo hanc velut regulam tradunt, quod ſufficit ſi is, cui juſjurandum delatum eſt, conditionem recipiat, licet non ſtatim juret; & ita interpretantur hunc locum. Mihi vero valde ſuſpecta haec interpretatio eſt, utpote quae anſam malis moribus praebere poteſt: quippe deliberando quid juret poterit variis ſuaſionibus deflectere a vero, ut dictum eſt. Praeterea haec interpretatio deſtruit textum, eique manifeſto repugnat. Nam Ulpianus requirit aut juratum eſſe, aut remiſſum juſjurandum. Hi vero ſufficere ajunt, licet non ſit juratum; modo fuerit acceptatum. Quapropter

non poteſt conſiſtere haec interpretatio. Poſſumus igitur reſpondere ad ſuperiorem objectionem ex *d. l. jusjurandum* 34. quod ibi ſpatium cogitandi jure optimo datum eſt, ne reus anceps ſubiret perjurium, quia de re ſibi ignota jusjurandum delatum fuit, *l. videamus* 4. *D. de in lit. jur.* Nam fatebatur Stichum fuiſſe debitum, ſed dixit putare ſe eum eſſe mortuum, atque ita extinctam eſſe obligationem, *l. ſi ex legati* 23. *D. de verb. oblig.*

Ad cauſas autem dubitandi reſpondendum eſt, nullum jus acquiſitum eſſe per ſolam delationem jurisjurandi, niſi ab altera parte ſtatim ſuſceptum fuerit: pendet enim ex conventione, quae debet ex continenti fieri, non ex intervallo; & ita ſtipulationi ſimilis eſt, *l. continuus* 137. *D. de verb. obl.* Nec poteſt dici actor hoc caſu jusjurandum remittere: remittit enim qui contentus eſt voluntate jurantis, *l. hac.* & remitti non poteſt, niſi quod ſuſceptum eſt, ut *ibidem* dicitur. At hoc jusjurandum non fuit ſuſceptum a reo. Revocat igitur actor jusjurandum in hac ſpecie, non remittit: revocare autem poteſt ſemper re integra. Ac de revocatione quidem jurisjurandi eſt nova Juſtiniani conſtitutio, *l. ſi quis jusjurandum* 11. *C. eod.* ubi ſtatuit, jusjurandum delatum libere revocari poſſe usque ad definitivam ſententiam, non ſolum ſi non eſt ſuſceptum ab adverſario, ut in ſpecie *hujus legis*; ſed etiam ſi eſt ſuſceptum, & nondum praeſtitum ab eo, qui ſuſcepit. Sed hanc revocandi libertatem alio veluti incommodo compenſat; quod ſcilicet is, qui ſemel revocavit jusjurandum, ſi poſtea non poterit probare, non admittitur iterum ad jusjurandum deferendum. Haec Juſtinianus in *d. l. ſi quis jusjurandum* 11. inter cujus conſtitutionis & *hujus legis* ſententiam hoc intereſt, quod in ea agatur de revocando jurejurando, etiam ſuſcepto, antequam fuerit juratum; hic vero de revocando jurejurando, quod nondum eſt ſuſceptum. Sed haec Juſtiniani conſtitutio videtur primo aſpectu Juris regulis adverſari, & naturali aequitati, comprehenſae in edicto Praetoris. Praetor edicit ſe pacta conventa ſervaturum, *l. jurisgentium* 7. *§. ait Praetor* 7. *D. de pact.* & regulae Juris dictant, a conventione ſemel facta non licere alteri, invito altero, recedere, *l. ſicut* 5. *C. de oblig. & act. l. ab emptione* 58. *D. de pact.* Sed reſpondendum eſt, ideo revocandi jurisjurandi licentiam iſtis regulis non repugnare: quia is, qui jusjurandum ſuſcepit, videtur dolo malo conventionem retinere, cum vult jurare de eo, cujus contrarium actor eſt probaturus. At Praetor non tuetur conventiones dolo malo factas, *d. l. jurisgentium* 7. *§. ait Praetor* 7. & *l. pacta quae contra* 6. *C. de pact.* Nec multum refert, utrum ab initio aliquis dolo contrahat, an in ea re dolo malo verſari poſtea incipiat, *arg. l. ſed & ſi* 25. *§. de eo* 5. *D. de petit. haered.* & *l.* 2. *§. circa* 3. *D. de doli mali except.* Haec cum ita ſint, notanda breviter eſt differentia inter remiſſum jusjurandum & revocatum jusjurandum. Etenim ſi remiſſum eſt jusjurandum, perinde habetur ac ſi eſſet juratum, & ſtatim deciditur controverſia, *l. nam poſtea* 9. *in fi. princip. D. h. t.* Si vero revocatum eſt jusjurandum, perinde eſt ac ſi non fuiſſet delatum: & ideo is, qui detulit, poteſt aliis uti probationibus: illo tantum incommodo afficitur, quod (ut dictum eſt) non poterit iterum ad jusjurandum adverſarii recurrere; ſibi enim imputare debet, qui revocavit.

LEX VII. Ulpianus lib. 22. ad Edictum.

AIt Praetor, ejus rei, de qua jusjurandum delatum fuerit, neque in ipſum, neque in eum, ad quem ea res pertinet, actionem dabo. EJUS REI, ſic erit accipiendum, ſive de tota re, ſive de parte ſit juratum: nam de eo, quod juratum eſt, pollicetur ſe actionem non daturum, neque in eum, qui juravit, neque in eos, qui in locum ejus, cui jusjurandum delatum eſt, ſuccedunt.

LEX VIII. Paulus lib. 18. ad Edictum.

ETiam ſi in rem ſucceſſerint.

Harum legum interpretatio conjuncta eſt cum interpretatione *l.* 3. *D. h. t.* Illud tantum ſupereſt hic notandum, quod dicitur in edicto Praetoris, *ejus rei*, id ita eſſe accipiendum, ut ſi de tota re juratum ſit, jusjurandum ad totam pertineat; ſin vero de parte tantum, ad eam partem, de qua juratum eſt. Quod itaque de toto eſt conſtitutum, idem etiam de parte judicandum, *l. quae de tota* 76. *D. de rei vindic. l. appellatione* 72. *D. de verb. ſignif. l. dotale* 13. *§.* 1. *D. de fund. dotal.* quo pertinet quod de apertura teſtamenti ſcriptum eſt, *l. ſi quis in gravi* 3. *§. ſi quis tabulas* 23. *D. de SCto Silan.* Si quis igitur de toto fundo jusjurandum detulerit, & reus jurarit tantum de parte, non audietur actor, ſi dicat reum non juraſſe, uti jusjurandum fuit delatum: ſe namque de toto detuliſſe, & reum de parte tantum juraſſe. Non audietur, inquam, quia pars in toto ineſt, *l. in toto* 113. *D. de regul. jur.*

LEX IX. Ulpianus lib. 22. ad Edictum.

NAm, poſteaquam juratum eſt, denegatur actio; aut ſi controverſia erit, id eſt, ſi ambigitur, an jusjurandum ſit, exceptioni locus eſt.

Quod dicit hic Ulpianus, *poſteaquam juratum eſt denegari actionem*, id juris rationi obſtare videtur. Nam Praetor quidem actionem denegare non ſolet, quamdiu civilis obligatio durat, etſi naturalis obligatio ſublata ſit, ut conſtat de eo, qui pactus eſt a ſe non peti: nam, licet eo pacto tollatur naturalis obligatio, *l. Stichum* 95. *§. naturalis* 4. *D. de ſolut.* tamen durat adhuc adverſus eum actio propter civilem obligationem, quae non eſt ſublata, *§. praeterea* 3. *Inſt. de except.* exceptis paucis actionibus, quae per pactum tolluntur ipſo jure, *l. legitima* 6. & *l. ſi tibi* 17. *§. quaedam* 1. *D. de pact.* Quapropter cum per jusjurandum non tollatur civilis obligatio, *d. l. Stichum* 95. *§. naturalis* 4. conſequens eſt non denegari actionem, idque diſerte ſcriptum eſt in *§. aeque* 4. *Inſt. de except.* Hujus objectionis timore Accurſius exponit *denegatur*, id eſt, exceptione repellitur. Sed verius eſt, locum hunc ſimpliciter intelligendum eſſe, ut ſi conveniat inter partes jusjurandum eſſe praeſtitum, Praetor eo caſu omnino deneget actionem, tametſi jure civili competat: eſt enim major vis & authoritas jurisjurandi, quam pacti. Ex jurejurando oritur actio in factum, *l. actori* 8. *C. eod. §. item ſi quis poſtulante* 11. *Inſtit. de Act.* ex pacto vero nulla oritur, *l. jurisgentium* 7. *§. quinimo* 5. *D. de pact.* Et ita neceſſe eſt, hunc locum interpretari; alioqui fruſtra adjeciſſet Ulpianus, *ſi ambigitur, an jusjurandum datum ſit, exceptioni locus eſt*: quaſi dicat, ſi convenit inter litigantes jusjurandum eſſe praeſtitum, Praetor non dabit actionem; ſed ſi non convenit (quia alter dicit eſſe juratum, alter negat) tunc Praetor adjicit exceptionem, nempe, niſi juratum ſit; cujus exceptionis veritas apud judicem datum a Praetore inveſtigatur. Sed hoc magis ad veterem dandorum judiciorum morem ſpectat, quam ad uſum forenſem: nam parum intereſt, utrum actio non competat ipſo jure, an vero per exceptionem elidatur, *l. nihil intereſt* 112. *D. de regul. jur.*

§. Jurejurando 1.

JUrejurando dato vel remiſſo, reus quidem adquirit exceptionem ſibi aliisque; actor vero actionem adquirit. In qua hoc ſolum quaeritur, an juraverit ſibi dari oportere; vel cum jurare paratus eſſet, jusjurandum ei remiſſum ſit.

Primum hic notandum eſt, eandem eſſe vim jurisjurandi dati, id eſt, praeſtiti, & jurisjurandi remiſſi,

de

Digitized by Google

de quo diximus ſupra ad *§. ult. l. 5.* Deinde videndum eſt, quibus & adverſus quos competat iſta actio, aut exceptio: de quo etiam dixi ad *l. 3. §. unde Marcellus 3. D. h. t.* Egregium exemplum eſt in *§. ult. hujus leg.* ubi is, qui juravit rem ſuam eſſe, deferente poſſeſſore, actionem habet adverſus eum, qui detulit, aut ejus ſucceſſores. Sed ſi alius forte ejus rei poſſeſſionem ex juſta cauſa adeptus ſit, non poterit is, qui juravit, uti praerogativa jurisjurandi adverſus illam.

§. Si damnetur 2.

SI damnetur quis poſt jusjurandum ex famoſo judicio, famoſum eſſe magis eſt.

Titius, conventus actione depoſiti directa, negavit ſe depoſitum accepiſſe. Actor illi jusjurandum detulit: ille noluit jurare, ſed retulit jusjurandum actori. Actor juravit ſe depoſuiſſe, & Titium ex cauſa depoſiti res ſuas tenere. Judex condemnavit Titium ſecundum jusjurandum actoris: quaeritur, an condemnatus hoc modo notetur infamia. Dubitandi cauſa eſt, quia ſententia illa non videtur eſſe lata, eo quod revera reus depoſitum dolo malo retineat, ſed quia actor ita juravit, *arg. l. eum qui 30. D. h. t.* Ubi *licet adverſus inficiantem detur actio in duplum* ex l. Aquilia *l. 2. §. 1. D. ad leg. Aquil.* tamen ſi actor juraverit, aliquid ſibi deberi ex ea cauſa, non duplum, ſed ſimplum tantum conſequitur, ut dicitur in *d. l. eum qui* 30. ergo, quemadmodum illic poena dupli; ita hic poena infamiae remitti debet. Contrarium tamen reſpondetur *hoc §.* & eſt ratio, quia poena infamiae procedit ex ipſo facto, ita ut damnatus infamis fiat, ſive neget ſive fateatur delictum, *l. 1. D. de his qui notant. infam.* At poena dupli ex lege Aquilia adverſus confitentem non datur, ſed tantum adverſus negantem; & datur ideo, quia onerat actorem neceſſitate probandi: at cum defert actori jusjurandum, liberat illum ea neceſſitate, ac proinde ceſſante cauſa ceſſat effectus, vulg. *l. in omni 13. D. de adopt. cap. cum ceſſante 60. extra de appel.*

Eſt & alius *hujus §.* intellectus; ſecundum quem ſpecies ita conſtituenda eſt. Titius conventus actione depoſiti, in quo dicebatur dolum malum commiſiſſe, negavit aliquid apud ſe eſſe depoſitum; idque actore deferente confirmavit jurejurando. Judex nihilominus condemnavit eum, eo quod in depoſito doloſe verſatus eſſet, nec reus ab ea ſententia provocavit. Quaeritur, an propter hanc ſententiam fiat infamis. Dubitandi cauſa eſt: Primum; quia videtur haec ſententia expreſſum juris errorem continere, eo quod judex ſequi debeat jusjurandum, rite delatum, & praeſtitum, *l. jusjurandum 34. §. ult. D. h. t. hac l. in princ.* & *l. poſt rem 56. D. de re judicat.* quia judex ſecundum allegata & probata judicare debet, *l. illicitas 6. §. veritas 1. D. de offic. praeſid.* At ſententia, quae expreſſum juris errorem continet, eſt ipſo jure nulla, *l. 1. §. 1. D quae ſent. ſine appellat. reſcind. l. 2. C. quand. provocar. non eſt neceſſe.* Deinde; quia jusjurandum dicitur habere majorem authoritatem, quam res judicata, *l. 2. D. h. t.* At ſententia lata contra aliam ſententiam, quae tranſivit in rem judicatam, eſt nullius momenti, *l. 1. C. quand. provoc. non eſt neceſſ.* Contrarium tamen hic reſpondetur: nempe condemnationem, ita factam, in judicio famoſo valere, & reddere damnatum famoſum. Ratio decidendi eſt, quia res judicata pro veritate habetur, *l. ingenuum 25. D. de ſtat. hom.* Itaque ſciendum eſt in ſpecie propoſita, non fuiſſe appellatum ab ea ſententia: nam provocationis remedio condemnationis extinguitur pronunciatio *l. 1. §. ult. D. ad SCtum Turpill. l. ſi quis 6. §. Si autem 2. D. de injuſt. rupt. teſt. l. 2. §. ultim. D. de poen.* Imo & ſi oppoſita fuiſſet exceptio jurisjurandi, ſententia contra eam lata valuiſſet, poſtquam tranſivit in rem judicatam; quia licet erit iniqua, non tamen erat nulla, ſi non continebat expreſſum juris errorem.

Ad cauſas autem dubitandi ita reſpondendum eſt: ad Primam quidem fateor, ſententiam, quae expreſſum juris errorem continet, ipſo jure nullius eſſe momenti, ita ut non opus ſit ab ea appellare. Sed in propoſita ſpecie ſententia non continebat expreſſum errorem: non enim locutus eſt judex quicquam de jurejurando in ea ſententia; id eſt, non ita dixit judex. Licet Titius actore deferente juraverit, ſe nihil dolo malo feciſſe in depoſito, eum tamen condemno in centum eo nomine. Tunc enim ſententia continuiſſet expreſſum juris errorem; ſed condemnavit eum ſimpliciter hoc modo: Titium ex cauſa depoſiti, in quo doloſe verſatus eſt, in centum condemno Sempronio. Haec ſententia licet tacite & in effectu idem contineat, quod ſuperior & proinde injuſta ſit, tamen non eſt ipſo jure nulla: & ideo neceſſe eſt ab ea appellare intra ſtatuta tempora, ſcilicet, 10. dierum a recitatione ſententiae, *Novell. de appellat. & intra quae temp. 23. §. 1. coll. 4.* Alioqui ſi tranſeat ſemel in rem judicatam, omnes effectus producit, quos produceret ſententia juſtiſſima, *l. praeter 27. D. de re judicat.* ubi id docui. Ad Poſteriorem vero dubitandi cauſam reſpondetur; minorem eſſe vim jurisjurandi, quam rei judicatae, in hoc: jusjurandum enim nunquam tranſit in rem judicatam, ut ait gloſſa, quemadmodum nec tranſactio; & ideo ſententia etiam adverſus tranſactionem lata valet, *l. eleganter 23. §. ſi quis 3. D. de condict. indeb.* & ratio diverſitatis videtur, quia, qui acquieſcit ſententiae, videtur eam ſua taciturnitate approbare; atque ita, propter ſolemnitatem & ordinem judiciorum, non permittitur eam retractare, ne lites ex litibus ferantur, & unius finis alterius principium ſit.

§. Si is qui 3.

SI is, qui temporaria actione mihi obligatus erat, detulerit jusjurandum, ut jurem eum dare oportere, egoque juravero, tempore non liberatur, quia poſt litem conteſtatam cum eo perpetuatur adverſus eum obligatio.

Praecognoſcendum eſt, quod Juſtinianis tradit *de perpet. & tempor. act. in Inſtit.* quasdam actiones eſſe perpetuas, quasdam vero temporales. Perpetuae actiones inde dictae ſunt, quod eas olim perpetuo intendere potuerit is, cui ſemel competebant, nec ulla temporis praeſcriptione ſummoveretur: cujusmodi erant omnes actiones, que ex Legibus, Senatusconſultis, aut Conſtitutionibus oriebantur. Ex Legibus, ut actio damni injuria, noxalis, de pauperie, familiae herciſcundae, cum ſimilibus. Ex Senatusconſultis, ut petitio haereditatis ex SCto Orficiano aut Tertuliano Ex Conſtitutionibus, ut actio de pio legato, actio de ſportulis, *§. 19. verſ. Item miſta. & §. tripli 24. Inſt. de act.* Sed poſtea conſtitutum eſt, ut ejusmodi actiones triginta annorum ſpatio concluderentur, vel ad ſummum 40. *l. ſicut 3. & l. omnes 4. C. de praeſcript. trigint. vel quadrag. annor.* Temporales vero dicebantur, quae ad tempus, ſcilicet ad unum tantum, durabant, cujuſmodi erant fere omnes, quae ex Praetoris juriſdictione deſcendebant; ut actio injuriarum, de dolo, & ſimiles: quod de actionibus in perſonam intelligendum eſt. Nam actiones praetoriae in rem, ſive quae rei perſecutionem continent, perpetuae erant, perinde ut illae, quae ex legibus aut Senatusconſultis deſcendebant, *l. in honorariis 35. D. de oblig. & act. l. ſi mulier 21. §. quod metus 1. D. quod met. cau.* Quae cum ita ſint, illud etiam ſcire oportet, actiones iſtas temporales ſemel incluſas judicio fieri perpetuas, *l. omnes 139. D. de reg. jur. l. ult. C. de praeſcript. 30. vel 40. annor.* Perpetuantur enim per litis conteſtationem. Eſtque hic litis conteſtatae effectus magnus. Excipitur actio de dolo, quae per litis conteſtationem non perpetuatur, *l. ult. C. de dolo.* His ita praecognitis, facilior erit *hujus §.* intellectus: comparatur enim hic jusjurandum

randum cum litis conteſtatione, in eo quod, quemadmodum per litis conteſtationem ex temporali actione fit perpetua, ita etiam per jusjurandum de ea delatum; quia jusjurandum ſuccedit in locum litis conteſtatae, *l. ſed etſi* 28. §. *ex quibus* 2. *D. de judic.* Itaque ſi injuria alicui facta fuerit, & is, deferente adverſario, juraverit ſibi injuriam eſſe illatam, tametſi injuriarum actio poſt annum iotendi non poſſit, *l. ſi non convicii* 5. *C. de injur.* tamen eo caſu recte aget usque ad 30. annos. Eſt autem *hic* §. intelligendus de jurejurando voluntario, ſive de eo jurejurando, quod ex conſenſu partium extra judicium interponitur: nam ſi loquamur de jurejurando, quod in judicio praeſtatur, fruſtra quaeremus de ejus vi in perpetuanda actione; quandoquidem eo caſu ſatis perpetuatur actio per litis conteſtationem, ut dictum eſt.

Sunt, qui ex *hoc* §. colligant per jusjurandum conſtitui aliquem in mora, atque ita periculum interitus rei ad eum pertinere, quemadmodum ſi lis eſſet conteſtata, *l. illud* 40. *D. de haered. petit. l. item ſi* 15. §. *ult. D. de rei vind.* quia jusjurandum ſuccedit in locum litis conteſtationis, *l. ſed etſi* 28. §. *ex quib.* 2. *D. de judiciis*

Eadem ratione poſſumus dicere, jusjurandum facere, ut aliquis ex bonae fidei poſſeſſore fiat malae fidei poſſeſſor, & proinde omnes fructus partus, & acceſſiones reſtituere debeat, *l. certum* 22. *C. de rei vindic. l. eum fundus* 31. *D. de reb. cred. l. quaeſitum* 91. §. *ult. D. de legat.* 1.

§. Si minor 4.

SI minor vigintiquinque annis detulerit, & hoc ipſo ſe captum dicat, adverſus exceptionem jurisjurandi replicari debebit, ut Pomponius ait. Ego autem puto hanc replicationem non ſemper eſſe dandam, ſed plerumque ipſum Praetorem debere cognoſcere, an captus ſit: & ſic in integrum reſtituere: nec enim utique qui minor eſt, ſtatim & circumſcriptum ſe docuit. Praeterea exceptio iſta, ſive cognitio ſtatutum tempus poſt annum vicenſimum quintum non debet egredi.

Vide quae diximus ad *princ. l.* 3. *D. h. t.*

§. Sed & ſi quis 5.

SEd & ſi quis in fraudem creditorum jusjurandum detulerit debitori, adverſus exceptionem jurisjurandi replicatio fraudis creditoribus debet dari. Praeterea ſi fraudator detulerit jusjurandum creditori, ut juret ſibi decem dari oportere, mox bonis ejus venditis experiri volet, aut denegari debet actio, aut exceptio opponitur fraudatorum creditorum.

Elegans *hic* §. eſt, & ab Interpretibus male tractatus: continet autem exceptionem ab ea regula, quae proponitur in *princ. hujus l.* §. *jurejurando* 1. & in *l. non erat* 5. §. *dato* 2. *D. h. t.* & *l. poſt rem* 56. *D. de re judicat.* nempe poſt jusjurandum delatum, & praeſtitum, vel remiſſum, nihil amplius quaeri, nec ullum locum eſſe retractationi, *l. admonendi* 31. *in fin. D. h. t.* Hujus regulae, inquam, exceptio hic proponitur, de jurejurando ſcilicet fraudandorum creditorum cauſa praeſtito vel ab ipſo debitore, vel ab alio, qui fingit ſe eſſe creditorem. Itaque ad planiorem hujus loci intellectum praecognoſcendum eſt, quod cum debitores latitant nec defenduntur, boni viri arbitratu creditores mittuntur ex decreto judicis in bonorum poſſeſſionem, ut ea cuſtodiant: olim quidem in poſſeſſionem omnium bonorum, ſed Juſtiniani conſtitutione pro modo tantum & portione debiti. *Novell. de exhib & introd. reis* 53. §. *igitur ne latente* 1. *coll.* 5. Et ſi debitores, hac veluti contumelia tacti, nihilominus in ſua contumacia perſeverarint, tunc Praetor ſecundo decreto jubet, ea bona a creditoribus poſſideri, & vendi, *l. Fulcinius* 7. §. 1. *D. ex quib. cau. in poſſ. eat.* Primo decreto cuſtodes tantum & obſervatores fiunt, *l. cum. legatorum* 12. *D. illo tit.* Per ſecundum vero decretum dominii jure, id eſt, tanquam domini, incipiunt poſſidere, *l. ſi finita* 15. §. *Julianus* 16. *D. de damn. infect.* itaque tunc utiles actiones iis competunt adverſus debitores debitorum ſuorum. Quod ſi quis forte metuens, ne bona ſua poſſideantur & diſtrahantur a creditoribus, res ſuas quasdam alienet in fraudem creditorum, Praetor huic rei proſpiciens, dat actionem creditoribus (quae vocatur Pauliana ab eo, qui primus eam inſtituit) dat inquam ad eas res revocandas ab iis, qui fraudis conſcii eas a debitore acceperunt, *l.* 1. & *l. quod autem* 6. §. *hoc edictum* 8. *D. quae in fraud. credit. l. ult. C. de revoc. quae in fraud. credit.* §. *item ſi quis* 6. *Inſtit. de act.* Inde quaeſtio proponitur *hoc* §. quae duplicem ſpeciem continet. Prior eſt ejusmodi: Debitor, cupiens fraudare creditorem, detulit jusjurandum debitori ſuo, quem certo ſciebat juraturum ſe non debere, cum tamen haberet ad manum alias probationes. Debitor, fraudis conſcius, juravit ſe nihil debere: poſtea cum non eſſet ſolvendo iſte, qui jusjurandum detulit, ejus bona poſſeſſa ſunt a creditoribus, qui iſtum debitorem debitoris ſui conveniunt. Ille opponit exceptionem jurisjurandi. Quaeritur an illa exceptione excludantur creditores. Dubitandi cauſa ea eſt, quam dixi initio; ſcilicet, quia poſt jusjurandum praeſtitum nihil amplius quaeritur. Contrarium tamen hic eſt reſponſum: nempe adverſus hanc exceptionem competere replicationem fraudis. Aequitas perſpicua eſt; nemo enim debet ex ſuo dolo lucrari, *l.* 2. *D. de eo per quem fact. erit. l. ne ex dolo* 12. *D. de dolo.*

Altera ſpecies eſt, debitor ſuppoſuit falſum creditorem, & detulit ei jusjurandum, qui juravit ſibi deberi centum, & deinde, cum bona iſtius debitoris eſſent poſſeſſa, venit iſte falſus creditor ut admitteretur in partem propter jusjurandum. Dicitur, quod eo caſu denegari ei debet actio, *l. ait Praetor* 25. *D. de rebus author. jud. poſſidend.* Aut ſi forte data ſit actio, opponi debet exceptio fraudationis. Cauſa dubitandi & decidendi eadem eſt, quae in ſuperiori ſpecie. Illud autem ſcire oportet, exceptionem hanc fraudationis perpetuam eſſe, licet actio illa Pauliana, & etiam interdictum fraudatorium intra annum tantum durat, *l.* 1. & *l. ait Praetor* 10. *D. quae in fraud. credit. l. pure* 5. §. *ult. D. de doli except.*

§. Jusjurandum 6.

JUsjurandum defenſoris vel procuratoris ei ab adverſario delatum prodeſſe, exceptionemque domino parere Julianus ſcribit. Idem ergo dicendum erit, et ſi datus ad petendum procurator reo deferente juraverit dari mihi oportere: nam actionem mihi parit; quae ſententia habet rationem.

Procurator aut defenſor non niſi certis caſibus jusjurandum deferre poteſt: ut docui ad *l.* 3. ſupra. An autem iis recte deferatur jusjurandum, quaeritur. Dubitandi cauſa eſt, quia jusjurandum ab uno praeſtitum alteri obeſſe aut prodeſſe non poteſt, *l.* 3. §. *penult. in fin. D. h. t.* & *l. prox. ſeq.* Procurator autem extranea perſona vocatur, *l. Procurator* 11. *D. de doli except.* Contrarium tamen hic reſpondetur, ſcilicet jusjurandum procuratoris delatum ei ab adverſario prodeſſe domino, & ei parere exceptionem vel actionem; exceptionem quidem, ſi procurator aut defenſor rei eſt, & jurat dominum nihil debere, aut dare oportere: actionem vero, ſi eſt procurator actoris, & deferente reo juraverit domino dari oportere. Aequitas decidendi eſt, quia procurator ſuſtinet perſonam domini, unde a Cicerone *pro Cecinna cap.* 20, dicitur *quidam quaſi dominus, & alieni juris vicarius.*

Huic tamen ſententiae objicitur *l. non ſolum* 39. §. 1. *D. de Procur.* ubi idem Ulpianus ſcribit, ſi procurator

Google

rator juravit abſenti domino dari oportere, actionem domino non poſſe competere, ſed ipſi procuratori. Accurſius tres dat ſolutiones; ſecunda tantum bona eſt: nempe quod *d. l. non ſolum* 39. intelligenda eſt de directa actione, quam procurator ſuo nomine exercet: *hoc* autem §. agitur de actione utili, quae acquiritur domino ex jurejurando procuratoris. Nam quod attinet ad directam actionem; ea per procuratorem, aliamve extraneam perſonam alii non acquiritur, praeterquam ex cauſa creditae pecuniae, *l. 1. & 2. C. per quas perſ. nob. acquir.* Sed rurſus objicitur: dicit hic Ulpianus ſimpliciter jusjurandum procuratoris parere actionem domino. Contra, utilis actio per procuratorem domino non acquiritur, niſi eam procurator cedat, *l. poſſeſſio quoque* 49. *§. etſi poſſeſſio* 2. *D. de acq. poſſ.* Reſpondetur: utilem actionem per procuratorem non acquiri ſine ceſſione verum eſſe, quando procuratori extra judicium directa acquiritur. At quando in judicio acquiritur directa procuratori, eadem opera acquiritur utilis domino ſine ceſſione, *l. in cauſae* 27. *§. ult. D. de Procurat.* At jusjurandum habet vim litis conteſtationis & inſtar judicii, *§. ſi is qui* 3. *ſupra hic l.* & *l. qui juraſſe* 26. *§. ult. D. h. t.* ergo per jusjurandum acquiritur utilis domino ſine ceſſione.

Quaeri poteſt, quid e diverſo ſi procurator juraverit dominum dare oportere, an hoc caſu adverſus dominum actio competat: aut ſi juraverit domino dari non oportere, an proderit exceptio reo. Reſpondeo, id duobus tantum caſibus eſſe receptum. Videlicet, ſi habeat ſpeciale mandatum ut juret: aut ſi univerſorum bonorum adminiſtrationem ſuſtineat: tunc enim ejus pactum domino obeſſe poteſt; ergo multo magis ipſius jusjurandum.

§. Si petitor 7.

SI petitor juravit poſſeſſore deferente, rem ſuam eſſe, actori dabitur actio: ſed hoc duntaxat adverſus eum, qui jusjurandum detulit, eosque qui in ejus locum ſucceſſerant. Caeterum adverſus aliam ſi velit praerogativa jurisjurandi uti, nihil ei proderit.

Ulpianus *hoc §.* & *l. ſed ſi poſſeſſori* 11. *ſupr.* tractat de effectu jurisjurandi delati & praeſtiti ab actore vel reo, & variis actionum exemplis ejus naturam oſtendit. Primum exemplum eſt de jurejurando, delato petitori in rei vindicatione. Ait enim: *ſi petitor juravit poſſeſſore deferente rem ſuam eſſe, dabitur ei actio.* idque veriſimile eſt in edicto Praetoris fuiſſe comprehenſum, ut oſtendimus ad *l. 1. ſupra.* Sed addit Ulpianus, actionem hoc caſu competere tantum adverſus eum, qui jusjurandum detulit, & eos, qui in ejus locum ſucceſſerunt. Ratio ponitur in *l. prox. ſeq.* his verbis.

LEX X. Paulus lib. 18. ad Edictum.

QUia non deberet alii nocere quod inter alios actum eſſet.

Quod idem traditur *l. 3. §. unde Marcellus* 3. *in fin. ſupra hoc tit. l. 1. & paſſim. C. inter al. act. vel judicat. aliis non noce.* Haec Ulpiani ſententia eſt, in qua haec quaeri poſſunt. Primum, quae actio petitori danda ſit ex jurejurando hoc caſu, & reſpondendum eſt utilem rei vindicationem, ſive Publicianam actionem competere; ut idem Ulpianus ſcribit, *l. ſed etſi* 7. *§. ſi petenti* 7. *D. de Public. in rem act.* competit etiam actio in factum, *l. ſed ſi poſſeſſori* 11. *§. proinde* 1. *D. h. t.* Nec verum eſt tamen, quod gloſſa dicit, Publicianam hoc caſu competere adverſus quemlibet poſſeſſorem; id enim directe repugnat ſententiae Ulpiani in *d. l. ſed etſi* 7. *§. ſi petenti* 7.

Nec obſtat quod natura Publicianae actionis ſit, ut adverſus quemcunque poſſeſſorem competat ad inſtar directae rei vindicationis, praeterquam adverſus dominum, *l. ult. D. de Public. §. namque* 4. *Inſtit. de act.* quia eſt hoc verum, quando cauſa, ex qua datur Publiciana actio, apta eſt quae adverſus omnes competat; veluti ſi ex titulo emptionis aut donationis aliquis rem nactus ſit bona fide a non domino, & ejus poſſeſſionem amiſerit. At hic datur Publiciana ex cauſa jurisjurandi, quod non extenditur adverſus alium, quam eum, qui detulit, aut ejus ſucceſſores, *l. ait Praetor* 7. & *l. ſeq. D. h. t.* ergo nec actio, quae inde oritur.

Quod ſi quis objiciat; quaecunque ſunt juſtae cauſae acquirendarum poſſeſſionum, ſi ex his cauſis nacti fuerimus poſſeſſionem, & rem amiſerimus, dabitur nobis Publiciana, *l. quaecunque* 12. *D. de Public.* Reſpondendum eſt, jusjurandum non eſſe juſtam cauſam usquequaque niſi reſpectu deferentis. Et ideo datur quidem Publiciana, ſed adverſus deferentem tantum. Deinde quaeri poteſt de quibus ſucceſſoribus hic loquatur Ulpianus: nam tametſi exceptio jurisjurandi detur ſucceſſoribus ejus, qui juravit, etiamſi in rem ſuccedant, *d. l. ait Praetor* 7. *in fin.* & *l. ſeq. ſupra.* tamen non idem dicendum videtur de actione in factum; quia perſonalis actio rem non ſequitur, *l. 1. §. ſi haeres* 16. *D. ad SCtum Trebell.* Verum quia Ulpianus generaliter hic loquitur de ſucceſſoribus, veriſimile eſt de omnibus ſucceſſoribus locum eſſe intelligendum. Cum enim haec actio in factum ſuccedat in locum rei vindicationis, non mirum, ſi aliquid de ipſius natura retineat.

LEX XI. Ulpianus lib. 22. ad Edictum.

SEd ſi poſſeſſori fuerit jusjurandum delatum, juraveritque rem petitoris non eſſe, quamdiu quidem poſſidet, adverſus eum, qui detulit jusjurandum, ſi petat, exceptione jurisjurandi utetur; ſi vero amiſerit poſſeſſionem, actionem non habebit, ne quidem ſi is poſſideat, qui jusjurandum detulit. non enim rem ſuam eſſe juravit, ſed ejus non eſſe. §. 1. Proinde ſi cum poſſideret, deferente petitore rem, ſuam juravit, conſequenter dicemus, amiſſa quoque poſſeſſione, ſi is, qui detulit jusjurandum nactus ſit poſſeſſionem, actionem in factum ei dandam: & fructus perceptos ex re, quam meam eſſe juravi, reſtitui mihi placuit: ſed & partum editum, foetusque pecorum reſtituendos, conſtat poſt jusjurandum delatum.

Alterum exemplum eſt de jurejurando, delato poſſeſſori in rei vindicatione, de quo diſtinctionem ponit Ulpianus in *d. l. ſed ſi poſſeſſori* 11. aut enim poſſeſſor, cui jusjurandum a petitore delatum eſt, jurat rem non eſſe petitoris, aut jurat rem eſſe ſuam. Priore caſu habet exceptionem jurisjurandi, quamdiu poſſidet adverſus petitorem: quia poſſeſſoris conditio potior eſt, licet nullum jus, nullamve juſtam cauſam tenendi habeat, *l. uti frui* 5. *in fin. princ. D. ſi uſufr. petat. l. res alienas* 28. *C. de rei vindicat.* & generaliter in pari cauſa melior eſt conditio poſſeſſoris, *l. 2. C. de condict. ob turp. cauſ.* In actione enim reali ſemper repellitur petitor, ſi conſtet, rem ipſius non eſſe; quia illa actio ſoli domino competit, *l. in rem* 23. *D. de rei vindicat.* at per jusjurandum poſſeſſori delatum & praeſtitum hoc ſatis probatur, *d. l. ſed ſi poſſeſſori* 11. *§. ſi cum de haereditate* 2. Quod ſi poſſeſſor eam rem amiſerit, non prodeſt illi jusjurandum ad eam recuperandam, ne quidem adverſus eum, qui detulit jusjurandum, ut aperte hic docet Ulpianus, idque perſpicua aequitate. Poſteriore caſu (cum ſcilicet poſſeſſor jurat rem eſſe ſuam) habet non ſolum exceptionem adverſus petitorem, ſed etiam actionem ad rem recuperandam, ſi forte petitor ejus poſſeſſionem nactus ſit, ut docet Ulpianus in *§. proinde* 1. Adverſus alium vero, quam petitorem, neque exceptionem neque actionem habet, quia jusjurandum alteri &c. Sed adverſus poſteriorem partem hujus diſtinctionis objicitur hoc modo: Actus agentium non operantur ultra eorum intentionem, *l. non omnis*

omnis 19. *D. de reb. credit.* At hic intentio deferentis & jurantis fuit, ut jusjurandum prodeſſet tantum ad exceptionem. Ergo non debet plus operari, & prodeſſe ad actionem. Minor probatur hoc modo: jusjurandum hic fuit delatum poſſeſſori; at poſſeſſori non datur actio in controverſiis rerum corporalium; ſufficit enim quod poſſideat, *l.* 1. §. *interdictum* 6. *D. uti poſſidetis.* §. 2. *in fin. Inſt. de act.* Reſpondendum eſt, quod jusjurandum hoc caſu defertur de eo, quod eſt cauſa actionis in rem, nempe dominio: juravit enim ſe dominum eſſe, atque ita habuit actionem aptitudine, ut loquuntur. Nemo enim habet rei vindicationem actu, quamdiu poſſidet, ſed tantum potentia & aptitudine; & ita recte ſolvit Bartol. ad hunc locum. Ubi etiam argumentum ducit, quod ſi ex ſententia judicis rem tibi reſtitui, & tu poſtea poſſeſſionem amiſiſti, eaque ad me pervenit, potes judicem adire, ut is tibi denuo eam rem reſtitui faciat; quia jus duplex ex illa ſententia oritur: primum, ut res reſtituatur; deinde ut victor in poſſeſſione defendatur, arg. *l.* 1. §. *eſt autem generale* 2. *D. ne vis fiat ei qui in poſſeſſ. miſſ. erit. l.* 3. §. *miſſum* 13. *D. de Carbon. edict.* Sed hoc locum habet in judice ordinario; nam judex delegatus, vel is, cui executio tantum mandata eſt, eam poteſtatem non habet, *l. a divo Pio* 15. §. *ſi poſt addictum* 6. *D. de re judicat.*

§. Item ſi 2.

ITem, ſi juravero uſumfructum alicujus rei vel meum eſſe, vel dari mihi oportere, eatenus mihi competit actio, quatenus ſi vere uſumfructum haberem duraret: quibus vero caſibus amitteretur, non competit mihi actio. Sed ſi rerum, in quibus uſusfructus propter abuſum conſtitui non poteſt, juraverit uſumfructum ſe habere, vel ſibi deberi, effectum jurisjurandi ſequendum arbitror: ideoque tunc quoque videri eum recte juraſſe puto: & ex eo jurejurando poſſe petere uſumfructum, cautione oblata.

Tertium exemplum eſt in petitione uſusfructus. Petitur autem uſusfructus vel actione in rem confeſſoria adverſus quemcunque poſſeſſorem, ſi quis prohibitus ſit uti frui, vel dejectus ſit, §. *aeque* 2. *Inſt. de act. l.* 5. §. *utrum autem* 1. *D. ſi uſufr. petat.* vel actione perſonali ex contractu vel teſtamento, ſi uſusfructus conſtitutus ſit alicui, & nondum eum adeptus eſt, *l.* 1. §. *ſed ſi uſusfructus* 2. *D. ſi uſufr. petat.* vel etiam condictione triticiaria *l.* 1. *D. de condict. tritic.* Utramque actionem Ulpianus hic complectitur, cum ait, *vel meam eſſe, vel dari mihi oportere.* Prior pars ad rei vindicationem pertinet; poſterior ad actionem perſonalem, *l.* 3. *D. de obl. & act.* §. *ſic itaque diſcretis* 14. *Inſt. de act.* quod enim mihi debetur meum non eſt, *l. Quintus Mucius* 27. §. *argento* 5. *D. de aur. arg. legat.* Summa autem ſententiae *hujus* §. eſt, eum, qui juravit uſumfructum ſuum eſſe, vel ſibi deberi, tantum conſequi, quantum ſi revera uſusfructus ejus eſſet, aut ei debitus; reſpectu ſcilicet ejus, qui jusjurandum detulit: nam, ut ſaepe dictum eſt, alii neque nocet neque prodeſt jusjurandum. Ex quo notant Interpretes, actum fictum & praeſumptum tam diu durare, quam actum verum; cujus rei exempla paſſim inveniuntur. Quaecunque enim fictiones aut praeſumptiones a jure civili introducuntur, pro veritate habentur; ut fictio legis Corneliae aut poſtliminii, item fictiones illae, de quibus in *l. qui duos* 9. §. *cum bello* 1: & §. *ſi maritus* 3. & *l. ſi fuerit* 10. §. *plane* 1. *cum ſimilibus. D. de reb. dub.* Praeſumitur enim jusjurandum ſemper verum eſſe; & ideo, quae interpoſito jurejurando debita eſſe dicuntur, ut vere debita peti poſſunt. Secundo, ex *hoc* §. *in verſ. Sed ſi rerum.* colligitur verba eſſe interpretanda ſecundum eam ſignificationem, in qua poſſunt aliquem habere effectum; id eſt, ita interpretanda ſunt, ut congruant intentioni proferentis. Nam hic juravit quidam, ſibi deberi uſumfructum pecuniae, aut alterius rei, quae uſu conſumitur. Unde non videbatur jusjurandum illud valere; quia contra naturam eſt uſumfructum earum rerum poſſe conſtitui, *l.* 2. *D. de uſufr. ear. rer. &c.* Sed tamen, quia verbum uſusfructus improprie & καταχρηστικῶς etiam quaſi uſumfructum complectitur, ideo ejus ſignificatio illuc trahenda eſt. Pro hac ſententia facit *l. quoties* 12. *D. de reb. dub. l. ſi quis intentione* 66. *D. de judic.* Ex quibus Pragmatici illud ſaepe in ore habent, verba poſſunt improprie ſumi, ut ſuſtineatur libellus Exempli gratia; ſi quis dixerit ſe eſſe in poſſeſſione alicujus ſervitutis, quia res incorporales non poſſidentur, *l.* 3. *D. de acq. poſſ. l. ſervus* 43. §. *incorporales* 1. *D. de acq. rer. dom.* intelligendus eſt de quaſi poſſeſſione. Sic cum emphyteuta dicit ſe eſſe dominum, intelligi debet de utili dominio, quamvis qui utile dominium habet, non proprie dicatur dominus, *l.* 1. *D. ſi ager vectigal.* Sunt & alia infinita ejus generis exempla, quae legenti occurrunt. Sed hic admonendi ſumus, ita demum ejusmodi interpretationes admittendas, ſi vox, de cujus ambiguitate quaeſtio eſt, eam ſignificationem aliquo modo patiatur. Nam non eſt ferendus, qui ad ſignificationem prorſus alienam velit aliquod verbum trahere, arg. *l.* 4. 2. *reſponſo. D. de legat.* 1.

§. Ultim.

SI cum de haereditate inter me & te controverſia eſſet, juravero haereditatem meam eſſe, id conſequi debeo, quod haberem, ſi ſecundum me de haereditate pronuntiatum eſſet, & non ſolum eas res reſtituere debes, quas tunc poſſidebas, ſed & ſi quas poſtea coepiſſes poſſidere. Perindeque haberi quod juratum eſt, atque ſi probatum eſſet: idcirco utiles actio mihi competit. Quod ſi ego ex ea haereditate poſſiderem, tuque coepiſſes petere eam a me, cum adverſus te juraſſem, exceptione me uti debere jurisjurandi. Plane ſi alius a me haereditatem petere coeperit, dubium non erit, ut & Julianus ſcribit, nihil mihi jusjurandum prodeſſe.

LEX XII. Julianus lib. 9. Digeſtorum.

IDem eſt & ſi ego a quolibet alio poſſidente res haereditarias petere velim, quia, etſi petiiſſem a te haereditatem, & probaſſem meam, nihilominus ab altero petendo, id ipſum probare neceſſe haberem.

Poſtremum exemplum eſt hic de jurejurando, delato in petitione haereditatis. Eſt autem petitio haereditatis mixta actio, licet magis in rem, quam perſonam, *l. haereditatis* 7. *C. de petit. haered. l. ſed etſi* 25. §. *petitio* 18. *D. h. t.* Et miror Jaſonem dicere, petitionem haereditatis eſſe actionem mere realem, ad *rubr. tit. de reb. cred. ſupra;* cum contrarium diſerte ſcriptum ſit, *d. l. haereditatis* 7. niſi forte intelligat de origine illius actionis. Nam quantum ad ejus initium attinet; eſt mere realis: oritur enim ex cauſa dominii, quod eſt penes verum haeredem, *l. nihil eſt aliud* 24. *D. de verb. ſignificat. l. legatum* 80. *D. de legat.* 2. & ideo in diviſione actionum inter reales numeranda eſt. Docet autem Ulpianus, jusjurandum praeſtitum ab eo, qui petit haereditatem, efficere ut ea omnia conſequatur, quaecunque haberet, ſi probaſſet haereditatem ad ſe pertinere, & ſecundum eum ſententia lata eſſet: quo caſu ſi bonae fidei poſſeſſor fuerit, a quo petita eſt haereditas, res haereditarias extantes, & pretia etiam alienatarum, quatenus locupletior factus eſt, reſtituere debet, de aliis vero a ſe bona fide conſumptis non tenetur, *d. l. ſed etſi* 25. §. *conſuluit.* 11. & *ſeq. D. de her. pet.* Malae fidei vero poſſeſſor, contra, omnes res cum fructibus reſtituere debet, *l.* 2. *C. de petit. haered. d. l. ſed etſi* 25. §. 1. §. 2. *verſ. Etſi haeredit. Inſtit. de offic. Judicis.* Illud autem ſingulariter notandum eſt, quod qui in uno judicio probavit rem ſuam eſſe, ſi ab alio

eam

eam rem poſtea petierit, neceſſe habet iterum probare rem eſſe ſuam; adque ex illa regula pendet, inter alios acta vel judicata aliis non nocere, *C. inter alios acta &c.*

LEX XIII. Ulpianus lib. 22. ad Edictum.

SI duo patroni eſſent, & libertus, altero deferente, juraſſet ſe libertum ejus non eſſe, utrum alteri totius debitae patronis portionis, an vero dimidiae debitae eis partis bonorum poſſeſſio competeret: & ait, ſi is, cui juratum eſt, patronus fuiſſet, alteri ſuae partis bonorum poſſeſſionem competere; nec ei prodeſſe quod adverſus alterum libertus juraſſet, multam tamen fidei & authoritatis apud judicem patronum habiturum, quo magis ſolum ſe patronum probaret, quod libertus juraſſet alterum patronum non eſſe.

Lucius Eros habebat duos patronos, Titium & Maevium; ſed negabat, Titium eſſe ſuum patronum; ob eamque cauſam Titius litigavit adverſus eum de jure patronatus, & detulit illi jusjurandum; juravit Eros, ſe non eſſe libertum Titii. Poſtea moritur hic libertus nullo relicto ſuo haerede, quo caſu ad patronum haereditas pertinet, *l. 3. D. de ſuis & legit.* Itaque Maevius totam haereditatem petit, quaſi ſolus patronus, cum jam Titius jurejurando excluſus ſit. Haeredes liberti contra offerunt Maevio tantum mediam partem, quaſi non ſolus patronus ſit. Quaeritur, an Maevio tota debeatur haereditas. Dubitandi cauſa eſt propter jus accreſcendi, quia, cum alter ex patronis jus patronatus amittit, illud jus alteri accreſcit, *l. communi liberta* 24. *D. de bon. libert.* Non enim poteſt eſſe aliquis pro parte libertus, & pro parte ingenuus, non magis, quam pro parte ſervus, & pro parte liber, *l. ſi pariter* 9. *in fin. D. de lib. cauſ.* Contrarium tamen hic reſpondet Ulpianus, licet obſcure, hoc modo, ſi Titius, qui jusjurandum detulit, fuit patronus, Maevio non competit niſi ſua propria portio: ſi vero non fuit patronus, ſed Maevius ſe ſolum patronum doceat, tunc integram habebit haereditatem. Adverſus quam reſponſionem objicitur, quod jam ſatis probatum eſt, Titium non eſſe patronum per jusjurandum liberti, *§. ſi cum de haereditate* 3. *ſupra. l. ſed ſi poſſeſſore* 12. Huic objectioni occurrit Ulpianus, licet ſubobſcure, *in verſ. Nec ei prodeſſe.* Eſt autem ſolutio formanda hoc modo: in propoſita ſpecie quaeſtio eſt, an Maevius ſit ſolus patronus: hoc niſi probaverit, non habebit niſi partem: vult autem probare per jusjurandum liberti adverſus Titium. Sed illa probatio non ſufficit, quia jusjurandum alteri neque nocet, neque prodeſt, *l. 3. in fin.* & *l. 9. in fin. ſupr.* Sed adhuc remanet ille ſcrupulus in reſponſo Ulpiani, quod ait, ſi is, qui jusjurandum detulit, fuit patronus, alteri competit tantum patris bonorum poſſeſſio; cum videretur contrarium eſſe reſpondendum, eo quod hoc caſu pars ejus, qui jusjurandum detulit, deberet accreſcere alteri, ut oſtenſum eſt in cauſa dubitandi. Varie reſponderi ſolet ab Interpretibus, adeo ut quidam, teſte Bartolo, ut hanc objectionem evitarent, illa verba; *nec ei prodeſſe*, interpretati ſint de liberto, idque abſurdiſſime. Sed reſpondendum eſt, quod hoc caſu pars Titii non accreſcit Maevio, quia, ut jusjurandum non facit aliquem eſſe patronum, *l. ſi juravero* 14. *D. de jure patron.* ita neque facit aliquem non eſſe patronum, qui fuit patronus, tametſi propter jusjurandum denegantur patrono ea, quae habuiſſet, ſi jusjurandum non fuiſſet praeſtitum, *l. eum qui* 30 *§. penult. D. h. t.* qui §. cum initio *hujus legis* jungendus eſt *l. adoptivum* 8. *§. patronum* 1. *D. de in jus vocand.*

§. 1.

JUlianus ait, eum, qui juravit fundum ſuum eſſe poſt longi temporis praeſcriptionem, etiam utilem actionem habere debere.

Difficultas in *hoc §.* eſt propter amphibologiam, quae oritur ex diſpunctione, utrum ſcilicet poſt *eſſe*, an poſt *praeſcriptionem*, oratio commate interſecetur. Senſus tamen planior, & ad hunc locum accommodatior hic eſt: ſi is, qui longi temporis praeſcriptione tutus eſt, detulerit jusjurandum petitori, isque juraverit fundum ſuum eſſe, dabitur illi petitori actio in factum, ſive Publiciana, adverſus deferentem. Praefertur enim hoc caſu is, qui poſteriorem cauſam habet: quemadmodum, cum uterque jurat, debitor & creditor, potior eſt ejus cauſa, qui poſtremo juravit, *l. in duobus* 28. *§. ult. D. h. t.*

§. Idem Julianus 2.

IDem Julianus ſcribit, eum, qui juravit furtum ſe non feciſſe, videri de toto juraſſe: atque ideo neque furti, neque condictitia tenetur; quia condictitia, inquit, ſolus fur tenetur. Numquid ergo qui juravit, ſe furtum non feciſſe, hoc ſolo nomine, condictione ſi conveniatur, exceptione utatur? caeterum ſi contendat qui condicit, quaſi cum haerede ſe furis agere, non debet repelli, & quaſi [illegible] *condictio dari debet adverſus furis haeredem: nec pati eum judex debet, ſi coeperit temptare probare furem.*

Praecognoſcendum eſt, furem quatuor actionibus teneri, actione furti ſcilicet, quae mere poenalis eſt, *§. ult. Inſt. de oblig. quae ex delict. naſc.* actione ad exhibendum, rei vindicatione, & condictione furtiva, *l. ſi pro fure* 7. *§. furti actio* 1. *D. de condict. furtiv. §. ſic itaque diſcretis* 14. *Inſt. de act.* Itaque ſi furti actum ſit, & dupli aut quadrupli poena ſoluta, nihilominus durat vindicatio & condictio; & e diverſo, ſi condictione aut vindicatione res recepta ſit, furti actio non tollitur, *l. ſi pignore* 54. *§. cum furti* 3. *D. de furt.* quod ſi per vindicationem dominus rem receperit, ceſſat condictio, & e diverſo, *l. ſive manifeſtus* 10. *D. de condict. furtiv.* Hinc quaeritur, an is, qui deferente adverſario juravit ſe furtum non feciſſe, poſſit conveniri condictione furtiva. Dubitandi cauſa eſt, quia, diximus, diſtinctae ſunt hae actiones, nec altera per alteram tollitur: unde in *d. l. ſi pro fure* 7. dicitur, *ſi pro fure dominum deciſum ſit*, id eſt, ſi de furto pactus ſit is, qui furtum fecit; ut docte notat Cujacius *lib.* 10. *Obſerv. cap.* 11. condictio furtiva non impeditur. Et in *l. ſi quis uxori* 52. *§. ſi quis juraverit* 27. *D. de furt. Si quis juraverit, ſe furtum non feciſſe, deinde rem furtivam contrectet, furti quidem actio perimitur, ſed rei perſecutio domino ſervatur:* rei autem perſecutio eſt in condictione furtiva, *d. l. ſi pro fure* 7. *§.* 1. Unde colligi videtur, quod ſi quis juraverit, ſe furtum non feciſſe, etſi ab actione furti liberatur propter jusjurandum, tamen condictio adverſus eum duret. Contrarium tamen hic reſponſum eſt; nempe condictionem furtivam hoc caſu extingui: & additur ratio, quia condictitia ſolus fur tenetur, *d. §. ſic itaque diſcretis* 14. At is, qui detulit jusjurandum, non poteſt amplius contendere alterum eſſe furem; quia jurejurando innocentiam ſuam approbavit, *l. furti* 6. *§. ſed etſi jurejurando* 4. *D. de his qui not. infam.* Ergo ſublato fundamento hujus condictionis, nempe ipſo furto, ſequitur, actiones, quae inde oriuntur, non poſſe durare, *l. nihil dolo* 129. *§. cum principalis* 1. *D. de reg. jur.* Hinc ſummarium Bartoli; *quando juratur ſuper facto, tollitur omnis actio, quae ex illo facto, oritur.* Ad cauſas autem dubitandi reſpondendum eſt: ad primam quidem, quid, licet iſtae actiones diſtinctae ſint, tamen omnes ex eodem fonte manant, ex delicto nempe, quo ſublato tolluntur actiones. Ad *l. ſi pro fure* 7. reſpondendum eſt, quod ibi qui furtum fecit, pactus erat de furto, quo facto tollebatur ipſo jure actio furti, *l. ſi tibi* 17. *§.* 1. *D. de pact.* ſed, quia illo caſu furtum factum eſſe conſtat (nam *qui paciſcitur videtur crimen confiteri*, *l.* 5. *D. de his qui not. inf.*) ideo durat adhuc condictio furtiva, quae

quae ſeparata eſt ab actione furti. At hic non conſtabat furtum eſſe factum, imo potius conſtabat furtum non eſſe factum; quia de eo juratum eſt. Denique ad *l. ſi quis uxori* 52. reſpondendum eſt, Ulpianum ibi loqui de rei vindicatione, quae competit adverſus quemcunque poſſeſſorem, licet condictio furtiva non niſi adverſus furem vel furis haeredem detur, *d. l. ſi pro fure* 7. §. *ult.* Haec cum ita ſint, tamen ſi quis juraverit ſe furtum non feciſſe, poteſt nihilominus conveniri condictione furtiva, quaſi haeres furis, id eſt, ex furto ejus, cui ſucceſſit. Nec obſtat hoc caſu jusjurandum, inquit Ulpianus, quia non convenitur de eo, quod in jusjurandum deductum fuit.

§. Si quis juraverit 3. 4. & §. Marcellus 5.

SI quis juraverit, vendidiſſe me ei rem centum, ex empto agere poterit ut et caetera praeſtentur: id eſt, res tradatur, & de evictione caveatur: an tamen ad pretium conſequendum ex vendito conveniri poſſit, videndum. Et ſi quidem & de hoc ipſo juratum eſt, quod pretium ſolutum eſt, nulla pro pretio actio ſupereſt: ſi vero hoc non fuerit juratum, tunc conſequens eſt de pretio eum teneri. §. 4. *Idem dicemus, & ſi quis ſocietatem feciſſe juraverit: nam & is pro ſocio poterit conveniri.* §. 5. *Marcellus etiam ſcribit, ſi quis juraverit, ob decem pignori dediſſe fundum, non alias eum pigneratitia agere poſſe, quam ſi decem ſolverit. Sed & illud adjici, fortaſſis eum etiam in decem ex jurejurando ſuo poſſe conveniri: quod magis probat, cui Quintus Saturninus conſentit, argumentoque utitur ejus, qui juravit eam, quae uxor ſua fuerit, rem ſibi in dotem dediſſe: nam & hic uxori ait utilem de dote actionem dandam. Quae non eſſe extra aequitatem poſita, non negaverim.*

Regula eſt, jusjurandum alteri neque prodeſſe neque nocere; cujus exempla jam multa audivimus. Exceptio ex *his* §§. colligitur, niſi ſcilicet natura obligationis, ſuper qua juratur, poſita ſit in relatione ad aliud, & mutuas praeſtationes exigat; ut ſunt contractus illi, qui ultro citroque obligationem pariunt, & συναλλάγματα vocantur, *l. Labeo* 19. *D. de verb. ſign.* Exemplum eſt de eo, qui juravit Titium ſibi vendidiſſe fundum centum aureis. Eo enim jurejurando videtur fateri ſe debere 100. aureos Titio pro fundo. Itaque, quemadmodum per illud jusjurandum acquiſivit ſibi jus petendi fundum, ita etiam venditori quaeſitum eſt jus petendi pretium, propter illam mutuam & reciprocam naturam obligationis: niſi forte de pretio ſoluto juratum ſit. Emptio enim ſine pretio eſſe non poteſt, §. *pretium* 1. *Inſt. de empt.* nec aliter fit res emptoris, niſi ſoluto pretio, *l. quod vendidi* 19. *D. de contrah. empt.* § *venditae* 41. *Inſt. de rer. diviſ.* quapropter ſi ex ejusmodi jurejurando perveniatur ad executionem (ut ſcilicet res empta tradatur) quaeri ſolet an venditor opponere poſſit exceptionem pretii non ſoluti, & verius eſt eum poſſe; licet Bartolus contrarium ſentiat. Nec obſtat quod dicitur, exceptionem peremptoriam non poſſe opponi poſt ſententiam vel jusjurandum, *l. 2. C. de ſent. reſc. non poſſ.* quia hoc verum eſt, ſi ſit exceptio, quae impugnat ſententiam, ſed ſi ſit exceptio, quae non impugnat ſententiam, ſed impedit tantum executionem, poteſt opponi *l. Neſennias* 41. §. *ult. D. de re judicat.* & cui damus actionem, multo magis damus exceptionem.

Alterum exemplum eſt de ſocietate. Nam ſi quis jurat alium ſibi eſſe ſocium, competit actio non ſolum ei, qui juravit, ſed ei, adverſus quem juratur. Idem & de pignore tractatur in *hoc* §. *Marcellus* 5. Ex quibus omnibus ſingulariter notandum eſt, quod, quando aliquis jurat ſibi deberi, expreſſa cauſa propter quam debetur (quem tunc formaliter jurare dicunt Interpretes) habet utilem ex ea cauſa actionem, ut hic utilis ex empto, utilis pro ſocio, utilis pigneratitia datur, cum ex iis cauſis aliquid deberi juratur. Sed ſi juratur deberi ſimpliciter, non addita cauſa (quod Interpretes vocant informe jusjurandum) tunc datur tantum actio in factum, *l. actori* 8. *C. de reb. cred.* §. *item ſi quis poſtulante* 11. *Inſt. de act.*

§. Ultim.

SI quis juraverit in re pecuniaria per genium Principis, dare ſe non oportere, & pejeraverit: vel dari ſibi oportere, vel intra certum tempus juraverit ſe ſoluturum, nec ſolvit; Imperator noſter cum patre reſcripſit, fuſtibus eum caſtigandum dimittere, & ita ei ſuper dici, προπετῶς μὴ ὄμνυε. id eſt, perperam ne jurato.

Moris olim fuiſſe, ut per genium Principis juraretur, oſtendi ad *l.* 3. §. *ultim. D. h. t.* Quid ergo ſi quis juraverit per genium Principis, & pejeraverit, an poenam aliquam ſubibit? Et docet hic Ulpianus, quod ſi in re pecuniaria aliquis ita pejeraverit, fuſtibus caſtigandus eſt, & admonendus, ne temere iterum juret. Ex quo primum intelligimus, ſi non ſit cauſa pecuniaria, ſed aliqua forte gravior, in qua pejeratum eſt, majorem poenam pro qualitate delicti eſſe infligendam. Non enim credendum eſt, Ulpianum fruſtra adjeciſſe *in re pecuniaria.* Sed objicitur adverſus Ulpianum hoc loco: ait enim, *ſi juraverit, ſe dare non oportere & pejeraverit. &c.* At dictum jam ſaepe eſt, non eſſe quaerendum de perjurio, poſtquam aliquis deferente adverſario juravit, *l.* 5. §. *dato* 2. & *l. nam poſtea* 9. *D. h. t. l. in duobus* 28. §. *ult. D. h. t.* Reſponderi poteſt, quod quantum ad eum attinet, qui jusjurandum detulit, non admittitur volens probare perjurium, ſed lis omnino jurejurando decidetur. Verum hoc non impedit, quo minus ab alio perjurium probari poſſit, licet illa probatio nihil proſit ei, qui jusjurandum detulit, *l. quod ſi deferente* 21. *D. de dolo.* Poſſumus etiam aliter reſpondere; nempe Ulpianum hic loqui de jurejurando, a judice delato propter inopiam probationis: quo caſu licet de perjurio ejus quaerere qui juravit, & jusjurandum retractare, *l. admonendi* 31. *D. h. t.* Notandus praeterea hic locus de jurejurando promiſſorio, ex quo non naſcitur obligatio jure civili, ut dixi ad *principium hujus tit.* & tamen is, qui promittendo per Principis ſalutem, neglexit fidem, fuſtibus caſtigandus eſt. Quaeritur autem hic percommode, an perjurii poena aliqua ſit conſtituta, & an legibus perjurium vindicetur: & videtur quidem eſſe perjurii poena, cum ex hoc loco, tum ex *l. nam ſufficit* 22. *D. de dolo.* item ex *l. ultim. D. de crimine ſtellion.* Sed profecto nulla reperitur certa poena legibus conſtituta in perjuros. Sufficere enim viſa eſt divini numinis vindicta, *l. 2. C. de reb. cred.* Unde apud Eliacos Jovis ſignum poſitum erat in curia, ſpecie perfidioſis hominibus formidanda; isque vocabatur Ζεὺς ὅρκιος, Jupiter Horcius, atque utraque manu fulmen tenens, ut refert Pauſanias *in Eliac. prior.* praeterea graviſſima poena eſt,

Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

ut ait Juvenalis *Sat.* 13. *v.* 198. Nec obſtat *d. l. ult. D. de crimin. ſtellion.* Ibi enim poena eſt ſtellionatus, non perjurii; & eandem poenam ſubiiſſet, ſi ſine jurejurando alienam rem ſciens pignori dediſſet, *l. 2. C. de crimin. ſtellion. l.* 1. *in fin. D. de pign. act.* Non obſtat etiam *d. l.* nam ſufficit, quia fatemur eſſe poenam perjurii, ſed eam eſſe divinam ultionem. Non obſtat denique hic locus; quia hic vindicatur majeſtas Principis, per cujus genium juratum fuit. Nec mirum! cum etiam in crimen laeſae majeſtatis incidat, qui conſulto per Principem pejerat; argum. *l. 2. C. ad l. Jul. Majeſt.* Si itaque per Deum pejeratum ſit, Deus, ſi per Principem, Princeps vindex eſt. Certe unus caſus ſpecialis eſt, quo perjurus notatur infamia, aliasque poenas patitur, ſi per Deum vel ſalutem Principis pejeravit, *l. ſi quis major* 41. *C. de tranſact.* Neque enim, quod illic ſtatutum eſt

Digitized by Google

eſt de perjurio commiſſo in pactis & tranſactionibus ad alios caſus extendi debet, ut eleganter docet Alciatus ad *illam l.* Non obſtat ſuperioribus, quod Cicero *lib.* 3. *Offic. cap.* 31. dicit, Cenſores nulla de re diligentius judicaſſe, quam de perjurio; & *lib.* 2. *de Legib. cap.* 19 *Perjurii poena divina, exitium; humana, dedecus eſto.* Nam ſatis conſtat, Cenſores animadvertere ſolitos etiam in eos. qui nihil adverſus leges committebant. Exemplum eſt apud Plutarchum *in vita Catonis Majoris*, quem ſcribit moviſſe Senatu Manlium, qui ſequentis anni Conſulatum ſperabat, eo quod uxorem interdiu inſpiciente filia fuiſſet oſculatus; ſunt & alia apud Valer. Maximum *lib* 2. *cap.* 9. de cenſoria ſeveritate. Loquitur ergo Cicero de dedecore & probro, quo afficitur perjurus apud bonos, τῷ αἰσχρῷ ἀνδρὸς (fit enim interdum, ut quamvis aliquis verbis edicti non habeatur infamis, re tamen ipſa & opinione hominum non effugiat infamiae notam, *l. honori* 2. *D. de obſeq. parent.*) idque alibi idem Cicero oſtendit, cum ait *Cenſoris judicium nihil ferre damnato, niſi ruborem*, ut refert Non. Marcellus in verb. *Ignominia*; ex Ciceronis *lib.* 4. *de Republ.* Fateor quidem hoc dedecus, quod ex perjurio procedit, hanc vim habere, ut quibus in cauſis perſonae turpes non admittuntur, nec admitti etiam debeant, qui docebuntur pejeraſſe, ut ad teſtimonium, arg *l. quaeſitum* 13. *D. de teſtib.* vel ad dignitates, *l.* 2. *C. de dignit. lib.* 12. vel ad haereditatem ejus, qui tales inſtituit praeteritis fratribus conſanguineis, *l. fratres* 27. *C. de inofficioſ. teſtam.* Certe, jure Pontificio, qui pejerant, ipſo jure infames ſunt, *can. infames* 17. *can.* 6. *qu.* 1. *can. parvuli* 14. *cau.* 22. *qu.* 4. Caeterum quod quidam ajunt, ſi is qui pejeravit, alterum perjurio laeſerit, teneri ei in cujus fraudem juravit, hoc nihil quidem ad poenam perjurii, atque adeo ad hanc diſputationem pertinet; quia perinde teneretur, etſi ſine perjurio aliquid feciſſet in fraudem alterius, *l. ſi quis affirmavit* 9. §. 1. *D. de dolo.*

LEX XIV. PAULUS lib. 3. ad Edictum.

QUotiens propter rem juratur, nec parenti nec patrono remittitur jusjurandum. Propter rem autem jusjurandum exigitur, veluti de pecunia credita cum jurat actor ſibi dari oportere: vel reus ſe dare non oportere idem eſt, cum de pecunia conſtituta jusjurandum exigitur.

Quaeſtio eſt, an jusjurandum deferri aut referri patrono vel parenti poſſit. Dubitandi cauſa eſt, quia jusjurandum introductum eſt ob hominum incredulitatem, quod tunc aliquis ſubire cogitur cum ſimplici ejus verbo, non creditur. Itaque dicitur jusjurandum eſſe a malo, non ejus, qui jurat, ſed ejus, qui jurisjurandi neceſſitatem imponit, & ſine jurejurando non credit, *can. tu malum* 8. *cau.* 22. *quaeſt.* 1. At parentis & patroni perſona ſemper honeſta & ſancta filio & liberto videri debet; & in omnibus edicti partibus honor iis habendus eſt, *l. licet* 7. & *l. liberto* 9. *D. de obſeq. parent. & patron.* Itaque ne vocari quidem in jus poſſunt ſine venia Praetoris, *l.* 4. & *paſſ. D. de in jus voc.* ergo ſimplici eorum aſſertioni credendum eſt, ac per conſequens remittendum jusjurandum. Contrarium tamen hic reſpondetur: nempe cogendum eſſe parentem vel patronum jurare, quoties propter rem jusjurandum exigitur. Quid autem ſit propter rem jurare, exemplis hic docet Paulus; ex quibus intelligimus propter rem jurari tunc, quando de re, an debeatur necne, jusjurandum praeſtatur. Aequitas decidendi eſt, quia cum hoc jusjurandum ſit tantum quaedam confirmatio veritatis, & ſine ulla fraudis vel doli mentione praeſtetur, non praeter officium ſuum facit filius vel libertus, qui id exigit a parente vel patrono, poſtquam ſcilicet ei permiſſum ſit judicio experiri. arg. *l.* 5. *in fin. D. de obſeq. &c.* At ſi vel minima ſuſpicio aut mentio doli, fraudis, vel ignominiae ſubeſt, nullum exigi jusjurandum a parente vel patrono poteſt; quemadmodum nec tunc quidem, cum cauſa, ex qua juratur, procedit ex delicto, quia eo caſu non datur actio adverſus ejuſmodi perſonas, *l. ſed etſi* 10. §. *Praetor ait* 12. *D. de in jus voc. l. D. de obſeq.* Quicunque enim non cogitur judicium ſuſcipere, nec jurare cogendus eſt. Exemplum proponitur in *l. inter* 35. §. *ult. D. hoc tit.* quia jusjurandum in locum litis conteſtatae ſuccedit, *l. ſed etſi reſtituatur* 28. § 1. *D. de judic.* Aliud exemplum eſt in *l. ſi patronus* 16. *D. h. t.* Quod ut intelligamus, ſcire oportet rerum amotarum actionem competere non ſolum viro adverſus mulierem, ſed etiam mulieri adverſus virum, *l. contra nurum* 6 §. 1. & *l. ſeq. D. de act. rer. amot.* & ſi in eo judicio jusjurandum delatum fuerit ei, qui res amoviſſe dicitur, cogitur omnino jurare, nec permittitur jusjurandum referre; *l. Marcellus* 11. §. 1. & §. *ult. cum duab. ll. ſeqq. D. illo tit.* Quod cum ita ſit, quaeritur de patrono qui libertam ſuam uxorem duxit, & res quaſdam amovit, an deferente liberta jusjurandum ea de cauſa praeſtare cogatur: & reſpondet Ulpianus non eſſe compellendum. Ratio decidendi eſt, quia haec actio ex delicto naſcitur, & pendet ex furto, *l. ſi mulier* 21. §. *penult.* & §. *ult. D. de act. rer. amot.* quamvis ob honorem matrimonii, lenitate verbi, triſtitia rei mitigetur, ut res amotae dicantur, cum furtum factum ſit; quemadmodum fertur Solon blandis & benignis verbis aſperitatem rerum contexiſſe. Et ideo licet verbis edicti non habeantur infames ita condemnati, tamen opinione hominum non effugiunt infamiae notam, quod ſatis eſt ad hoc ne eo nomine conveniatur patronus vel parens, *d. l.* 2. *D. de obſeq.* Cum itaque non cogatur judicium eo nomine ſuſcipere, nec jurare cogendus eſt, ut ſupra diximus. Sed ſequitur in *d. l. ſi patronus* 16. Si patronus libertae jusjurandum detulerit, & ipſa rogat, ut prius ille juret de calumnia, non cogetur de calumnia jurare. Idem traditur in *l jusjurandum* 34 §. *qui jusjurandum* 4. *D. h. t.* ubi perperam in Pandectis Florentinis addita eſt negatio, ut vel ex hoc loco patet, & *l.* 7. *D. de obſeq.* & *l. de die* 8. §. *jubetur* 5. *D. qui ſatiſd. cog.* Sed objicitur adverſus hanc ſententiam, *l.* 2. §. *ſed quia veremur.* 4. *C. de jurejur. propter calumn. dando.* ubi ſtatuit Juſtinianus jusjurandum calumniae minime poſſe remitti. ſed omnino praeſtandum tam ab actore, quam a reo, & addit rationem, quia hoc ad publicam utilitatem ſpectat. At ubi de publico commodo agitur, non attenditur jus patriae poteſtatis, aut reverentia patronis debita, *l. ille a quo* 13. §. *ult.* & *l. ſeq. D. ad SCtum Trebell.* Exemplum eſt illuſtre apud Valer. Maximum *lib.* 2. *cap.* 2. Haec objectio movit quoſdam, ut putarent *hanc legem* eſſe correctam per *d. l.* 2. §. *ſed quia veremur* 4. (ut docet *gl. ibid.*) ſed falſo; quia quoties certarum perſonarum conditioni conceditur privilegium, non debent eo privilegio privari, niſi id poſtea nominatim cautum ſit, ut docet gloſſa notabilis ad *cap ult. in verb. ex vi, extra de jure patronat.* Leges enim, quae corrigunt ad ea tantum extendi debent, de quibus nominatim loquuntur, *l. praecipimus* 32. *in fin. C. de appellat.* Nec obſtat, quod Juſtinianus illic generaliter loquatur, quia locus intelligi debet de iis, qui jurare de calumnia tenentur. Ut enim privatio praeſupponit habitum, teſte Philoſopho; ſic remiſſio debitum: nec enim ſolvi poteſt, niſi quod ante ligatum fuit; ergo fruſtra quaeritur de remittendo juramento calumniae patrono; cum ad id non teneatur

LEX XV. IDEM lib. 6. ad Edictum.

AD perſonas egregias, eoſque, qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet ad jurandum.

Egregiae perſonae ſunt, quas alibi ſpecioſas vocat Ulpianus *l. ſpecioſas* 100. *D. de verb. ſignif.* Ejuſmodi vero perſonae non coguntur ad judicem ire teſtimonii dicendi cauſa, quemadmodum nec valetudine impediti, *l.* 2. *§. ſi quis judicio* 3. *D. ſi quis caut.* nec mulier quaelibet honeſta, *l.* 2. *§. ſin autem vel dignitas* 1. *& Authent. ibid inſerta. C. de jurejur. propter calumn. dando. cap. mulieres* 2. *de judici. in* 6. *l.* 1. *C. de offic. diverſ. judic.* Quod autem dicitur, *valetudine impediti*, intelligendum eſt non de quolibet levi morbo (cujuſmodi eſt vetus quartana vel levis febricula, vel levis lippitudo, aut levis dentis auriculaeve dolor, *l.* 1. *§. proinde* 8. & *l.* 4 *§. ult. D. de aedilit. edict.* ſed de eo morbo, qui gravius languentem vexat, quem communi nomine Juriſconſulti ſonticum vocant, *l. quaeſitum* 60. *D. de re judicat.* An autem beneficio *hujus legis* renunciari poſſit, quaeri ſolet; & verius eſt non poſſe renunciari, quia publicae honeſtatis & utilitatis cauſa conceſſum eſt, arg. *l. alia* 14. *§.* 1. *D. ſolut. matr.* & *l. ſi quis patronorum* 3. *verſ. reverentia. C. de bon. libert.* Sed hoc beneficium tamen, quo ad egregias perſonas mittitur, locum habet tantum in cauſis civilibus. In cauſis enim criminalibus examinatio teſtium non debet committi executori, ſed per ipſum judicem fieri, *Authent. apud eloquentiſſimum, inſerta poſt l. judices* 17. *C. de fide inſtrum. gloſſ. fin. ad cap.* 1. *extra. de teſtibus cogend. vel non.* Caeterum quod quaeri ſolet, cujus ſumptibus mitti debeat ad egregiam perſonam, vel infirmam; ſupervacaneum nunc videtur, cum conſuetudine receptum ſit, cum facere debere impenſas, qui teſtes producit, ſive cujus rogatu teſtes examinantur, quas quidem impenſas, ſi victor in cauſa fuerit, pronuntiatione judicis recuperabit, *l.* 3. *&* 4. *C. de fructibus & lit. expenſ.* Idque nominatim jure Pontificio conſtitutum eſt, *cap. ſtatutum* 11. *§. pro ferendo quoque teſtimonio* 8. *de reſcript. in* 6.

LEX XVI. Ulpianus lib 10. ad Edictum.

SI patronus libertum ſuam uxorem duxerit, non compelletur jurare de rerum amotarum judicio, ſed & ſi ipſe deferat jusjurandum libertae ſuae, de calumnia non debet jurare.

Hinc legi ſatisfecimus ad *l. quoties* 14. *ſupr.*

LEX XVII. Paulus lib. 18. ad Edictum.

JUsjurandum, quod ex conventione extra judicium defertur, referri non poteſt.

Jusjurandom ex conventione *hic* dicitur, quod voluntarium vocatur in rubrica ſive inſcriptione *hujus tituli*; ut ibi oſtendi. Quaeritur autem, an is, cui ejusmodi jusjurandum defertur, illud referre poſſit. Dubitandi cauſa eſt, quia in *l. jusjurandum* 34. *§. datur* 7. & *§. ult. D. h. t.* traditur; quod facultas referendi jusjurandum datur ei, cui jusjurandum delatum eſt. Contrarium tamen hic reſpondetur; nempe jusjurandum conventionale, ſive voluntarium, non poſſe referri. Ratio decidendi eſt, quia ejusmodi juramentum ex conſenſu & voluntate partium defertur & ſuſcipitur. Itaque licet ab initio liberum fuerit, illud jusjurandum ſuſcipere, vel non ſuſcipere, tamen poſtquam jam convenit ut praeſtetur, amplius recuſari non poteſt: obſtat enim conventio *l. in commodato* 17. *§. ſicut* 3. *D. commodat. l. ſicut* 5. *C. de oblig. & act.* nec repugnat quod dicitur in *d. l. jusjurandum* 34. *§. datur* 7. & *§. ult.* quia ibi agitur de jurejurando judiciali, quod etiam invito defertur; unde nihil obſtat, quo minus is, cui defertur, illud referat, exceptis quibuſdam caſibus, quos recenſebimus ad *l. jusjurandum* 34. *§. ait Praetor* 6. *D. t. h.*

An autem valeat conventio facta in inſtrumento, qua quis promittit ſe ſtaturum jurejurando adverſarii, de damnis & intereſſe, ſi quae fuerint, multum ab Interpretibus diſputari ſolet. Eorum mihi videtur opinio verior, qui ejusmodi conventionem valere tradunt; nec video quid illam conventionem labefactare poſſit. Nam quod quidam dicunt, eam praebere anſam malis moribus, & invitare ad delinquendum, atque ideo improbandam, *l. ſi unus* 27. *§. illud* 3. *D. de pact. l. illud convenire* 5. *D. de pact. dotal.* id omnino falſum eſt, imo potius a delinquendo deterret, propter religionem. Si enim de damno jam facto jusjurandum deferri poteſt, cur non & de damno futuro conveniri poſſit, ut juretur? atque enim illo caſu atque hoc vere vel falſo jurari poteſt; & utroque modo de jurejurando futuro ſemper agitur. Non magis igitur invitat haec conventio ad delinquendum, quam ulla alia per quam defertur jusjurandum alicui ad decidendum negotium. Itaque multum abeſt, ut haec ſpecies ſit ſimilis conventioni factae, ne de dolo futuro agatur. Deinde quod quidam ajunt, illam conventionem ideo non valere, quia non poteſt conveniri, ut fides adhibeatur uni teſti, *l. jurisjurandi* 9. *C. de teſtib. l. ubi numerus* 12. *D. de teſtib.* vel ut aliquis ſit judex in ſua cauſa, *C. ne quis in ſua cauſ. jud.* aeque frivolum, imo ridiculum eſt, ut patet ex *l. ult. C. de fideicomm.* Poſtremo quaeri poteſt, an iſta conventio revocari poſſit, antequam juratum ſit: nam jusjurandum judiciale revocari poteſt, *l. ſi quis ju jurandum* 11. *C. de reb. cred.* Sed hic tamen obſtat conventio: ideo non puto revocari poſſe, niſi evidens cauſa intervenerit; veluti ſi is, qui jusjurandum ſuſcepit, infamis & perfidus factus eſt, cum talis ab initio non appareret. Et ita intelligi debet quod Bartolus tradit ad *l. ult. D. de Praetor. ſtipul.*

§. Pupillus. 1.

PUpillus tutore autore jusjurandum deferre debet: quod ſi ſine tutore autore detulerit, exceptio quidem obſtabit, ſed replicabitur, quia rerum adminiſtrandarum jus ei non competit. §. 2. Si tutor, qui tutelam gerit, aut curator furioſi prodigive, jusjurandum detulerit, ratum id haberi debet: nam & alienare res, & ſolvi eis poteſt. & agendo rem in judicium deducunt. §. 3. Procurator quoque quod detulit, ratum habendum eſt, ſcilicet ſi aut univerſorum bonorum adminiſtrationem ſuſtinet, aut ſi id ipſum nominatim mandatum ſit aut ſi in rem ſuam procurator ſit.

LEX XVIII. Ulpianus lib. 26. ad Edictum.

ALias autem procuratorem, deferentem jusjurandum, non eſſe audiendum Julianus libr. decimo Digeſtorum ſcribit, ne poſtea reus qui ſemel juravit, a domino convenatur: nec multum ei proficere, ſi fuerit ei de rato cautum: ſive enim dominus petat, cogetur docere reus, liquido ſe juraſſe, poſita ſcilicet exceptione: ſive ex ſtipulatione de rato agat, neceſſe habebit ipſe, de perjurio ſuo docere.

LEX XIX. Idem lib. 26. ad Edictum.

SI itaque mandatum fuit procuratori ut petat, ille jusjurandum detulit, aliud fecit, quam quod mandatum eſt.

LEX XX. Paulus lib. 18. ad Edictum.

SErvus quod detulit, vel juravit, ſervetur, ſi peculii adminiſtrationem habuit.

LEX XXI. Gajus lib 5 ad Edictum provinciale.

HUic enim ſolvi quoque recte poteſt: & novandae obligationis jus habuit.

His omnibus ſatisfactum eſt ad *l.* 3. *D. eod.*

LEX XXII. Paulus lib. 18. ad Edictum.

Quidam & de peculio actionem dandam in dominum, ſi actori detulerit ſervus jusjurandum. Eadem de filiofamilias dicenda ſunt.

LEX XXIII. Ulpianus lib. 26 ad Edictum.

Si ſervus juraverit dominum dare non oportere, exceptio domino indulgenda eſt, ſibique adverſarius imputabit, qui ſervo detulit jusjurandum.

LEX XXIV. Paulus lib 28. ad Edictum.

Multò magis proderit patri religio filii, cum quo etiam judicium conſiſtere poteſt: ipſi autem vicereates conditionem eorum, quibus ſubjecti ſunt, non faciant deteriorem.

LEX XXV. Ulpianus lib. 26 ad Edictum.

Sed & ſi ſervus meus delato vel relato ei jurejurando juravit rem domini eſſe, vel ei dari oportere; puto dandam mihi actionem, vel pacti exceptionem propter religionem & conventionem.

Quae de ſervi & filiifamilias jurejurando his legibus continetur, paucis in hunc modum explicari poſſunt. Aut agitur de proprio ipſorum debito, aut de debito domini vel patris. Si de proprio debito ipſis delatum fuerit jusjurandum ab actore, & juraverint ſe nihil debere, competit exceptio jurisjurandi, & ſibi imputet, qui jusjurandum detulit, arg. *l. qui juraſſe* 26. *D. h. t.* Si vero ipſi detulerint jusjurandum, & actor juraverit ſibi deberi, datur actio in dominum vel patrem de peculio; in patrem quidem, omni modo, *l. depoſiti* 5. *D. de pec. al.* in dominum vero non aliter, quam ſi ſervus, qui detulit jusjurandum, habuit liberam adminiſtrationem peculii, *l. ſervus quod detulit* 20. *D. hoc tit.* non enim ſi ſervus habet peculium, ilico intelligitur habere liberam ejus adminiſtrationem; quia ſpecialiter concedi debet, *l. quam Tuberonis* 7. *in fin. princ. D. de pecul.* Si vero de debito aut negotio domini vel patris juraverint, datur domino vel patri actio vel exceptio ex eo jurejurando, *l. ſi ſervus* 23. & *l. ſed etſi* 25. *hic.* & eſt ratio, quia voce domini vel patris loqui videntur, §. 4. *verſ. Et vero.* & §. *poſt mortem* 13. *Inſt. de inutilib. ſtip. l. ult. C. de impub. & al. ſubſt.* ſed hoc quantum ad commodum, & acquirendam obligationem attinet, *l. placet* 79. *D. de acq. haered. Inſt. tit. per quas perſ. cuique acquir. lib.* 2. & *tit. per quas perſon. nob. oblig. acquir. lib.* 3. id eſt, cum jurant patrem vel dominum non debere, vel patri aut domino deberi. At ſi juraverint patrem vel dominum debere, non ideo magis obligant patrem vel dominum; quia non poſſunt eorum conditionem deteriorem facere, *l. multo magis* 24. *hic. l. nec filius* 7. *C. eod. l.* 3. & *l. filius* 23. *C. de pact.*

LEX XXVI. Paulus lib. 18. ad Edictum

Qui juraſſe dicitur, nihil refert, cujus ſexus aetatiſve ſit: omni enim modo cuſtodiri debet jusjurandum adverſus eum, qui contentus eo cum deferret fuit: quamvis pupillus non videatur pejerare, quia ſciens fallere non videatur.

Non omnes perſonae jusjurandum deferre poſſunt, ut oſtendi ad *l.* 3 *D. h. t.* An autem omnibus deferri poſſit jusjurandum *hac l.* quaeſitum eſt. Dubitandi cauſa non mediocris videtur ex eo, quod (ut Paulus nominatim *hic* tradit de pupillo) non omnes perſonae videntur pejerare, ergo nec jurare poſſe credendum eſt. Conſequentia probatur hoc modo: perjurium eſt falſum jusjurandum, ſive jusjurandum violatum. In perjurio enim contemptus religionis; in jurejurando vero metus & reverentia ineſt. Haec circa idem tantum verſantur. Ubi igitur nullum perjurium eſſe poteſt, ibi nec jusjurandum, & e diverſo: quemadmodum ubi jus nullum eſſe poteſt, ibi nec etiam injuria, *l.* 1. §. *ait Praetor* 3. *D. ſi quadrupes pauper.* Praeterea qui nulla religione tenentur, iis deferre jusjurandum non poteſt, & ideo Judaeo per Chriſtum jusjurandum non defertur, quia praeſumeretur potius in contemptum nomen illud ſumere, quam in honorem, arg. *l. Judaeos* 11. *C. de Judaeis & coelic.* At in puero quae poteſt eſſe religio? qui fidei dogmata nondum didicit, & plerumque actum rei non intelligit, *l. in negotiis* 5. *D de reg. jur.* Contrarium tamen *hac l.* reſpondet Paulus, non referre ſcilicet cujus ſexus aut aetatis ſit is, qui jurat. Cujus ſententiae ratio eſt propter conſenſum & voluntatem deferentis, cui nulla fit injuria, quia ſua quodammodo culpa damnatur: facit enim pupillum judicem in ſua cauſa, *l.* 1. *D. quar. rer. act. non datur.* Conſiderandum igitur eſt, quod hic Paulus ait, *cuſtodiri debet jusjurandum adverſus eum, qui contentus eo cum deferret fuit.* Ex quo intelligimus jusjurandum pupillo delatum valere quidem pro pupillo, ſed non adverſus pupillum, quia non poteſt facere ſuam conditionem deteriorem, aut ſeſe obligare ſine tutoris authoritate, *l. more* 8. *D. de acq. haered. l.* 5. §. *pupillus* 1. & *l. obligari* 9. *D. de auth. & conſenſ. tutor.* At jusjurandum obligationem inducit, *l. depoſiti* 5. *D. de pecul.* Eadem ratio eſt, cur pupillus jusjurandum deferre non poſſit, quia jusjurandum cedit in locum ſolutionis, ut docui ad *d. l.* 3. *ſupra.* Pupillus igitur, etſi per ſe conſideratus non videatur ſatis idonea perſona, quae juret, arg. *l. videamus* 4. *D. de in lit. jurand.* tamen, propter conſenſum & voluntatem adverſarii deferentis, admittitur ad juramentum. Hinc vulgo dici ſolet, quod quilibet poteſt inhabilem contra ſe, ſive ad ſuum damnum, habilitare; & mala electio imputatur eligenti in damnum ſuum: & ideo ſi quis eligat minorem procuratorem ſuum, ſibi imputet ſi laedatur, *l. cum mandatu* 23. *D. de minor.* vel ſi eligat negligentem depoſitarium, §. *praeterea* 3. *Inſt. quib. mod. re contrah. oblig.* vel negligentem ſocium, §. *ult. Inſt. de ſocietate. l. ſocius* 72. *D. pro ſocio.*

Illud etiam ex hoc loco colligitur, quod, quoties in favorem alicujus conſtitutum eſt, ne contractus cum eo factus valeat, id ſemper intelligi debet de contractibus, quibus laedi poteſt illa perſona: & ideo ſi contrahendo aliquid acquirit, non intelligitur fieri adverſus ſtatutum, arg. *l. neque* 7. *C. de contrah. & commit. ſtip.*

Ad cauſam nunc dubitandi reſpondendum eſt, perjurium quidem in pupillum cadere poſſe, *cap.* 1. *extra. de delict. puer.* quemadmodum & alia multa delicta, *l. impuberem* 23. *D. de furt.* Nec hoc negat Paulus *hic*: non enim dicit pupillum non poſſe pejerare, ſed dicit, pupillum non videri pejerare; quaſi dicat, etſi pupillus falſum jurat, non tamen videtur eſſe perjurus: quia praeſumitur potius per ignorantiam juraſſe falſum, quam ſciens dolo malo fefelliſſe. Alludit autem Paulus ad veterem jurandi formulam, *ſi ſciens fallo &c.* De qua Feſtus Pompejus in verb. *Lapidem.* Aliud eſt falſum jurare; aliud pejerare: illud temeritatis eſt; hoc malitiae, *can. homines* 3. *can.* 22. *qu.* 2. quemadmodum aliud eſt mentiri; aliud mendacium dicere, Gell. *lib.* 11. *cap.* 11.

§. Si Pater 1.

Si pater filium dare non oportere juraverit, Caſſius reſpondit & patri & filio dandam exceptionem jurisjurandi. Si pater juraverit in peculio nihil eſſe, filius conveniri poterit: ſed & pater ita convenietur, ut poſt acquiſiti peculii ratio habeatur. §. 2. *Jurisjurandi conditio ex numero eſſe poteſt videri novandi, delegandive: quia proficiſcitur ex conventione, quamvis habeat & inſtar judicii.*

LEX XXVII. GAJUS lib. 5. ad Edictum provinciale.

J*Uſjurandum etiam loco ſolutionis cedit.*

Sententia horum omnium, & §. *quod reus* 1. *legis in duobus* 28. *D. h. t.* unam eandemque rationem habet, quae traditur in *d.* §. & *hac l. jusjurandum* 27 nempe *jusjurandum ſuccedere in locum ſolutionis.* Ut igitur ſolvens pro alio etiam ignorante vel invito liberat eum, pro quo ſolvit, *l. ſolvendo* 39. *D. de negot. geſt.* ita etiam jurans pro alio deferente creditore; quia cedit loco ſolutionis. Itaque non obſtat quod pactum patris vel fidejudeſſoris non prodeſt filio vel reo principali, *l. & haeredi* 21. §. *nos autem* 2. & *l. fidejuſſoris* 23. *l. idem in duobus* 25. §. *perſonale* 1. *D. de pact.* quia pacti non tanta vis eſt atque jurisjurandi, ut liquet ex variis *hujus tit.* locis. Si pater igitur jurat filium non debere, liberat filium; ſed ſi jurat filium nihil habere in peculio, non liberat eum: paupertas enim non eximit aliquem obligatione debiti, *l.* 1. *C. qui bonis cedere poſſ.* & ideo ſi aliquod poſtea acquiſierit peculium, pater conveniri poteſt actione de peculio; ut dicitur in *hoc* §. *ſi pater* 1.

LEX XXVIII. PAULUS lib. 18. ad Edictum.

I*N duobus reis ſtipulandi ab altero delatum jusjurandum etiam alteri nocebit.*

Duo rei ſtipulandi dicuntur, cum una eſt obligatio, id eſt, cum poſt duorum interrogationem promiſſor una reſponſione utrique rem dare ſpondet, *Inſt. tit. de duob. reis ſtip. & promitt.* quemadmodum e diverſo duo ſunt rei promittendi, cum duo eandem rem promittunt: & priore caſu ſolutio facta uni, poſteriore caſu ſolutio facta ab uno, tollit totam obligationem, *l.* 2. *De duob. reis.* Non mirum igitur ſi jusjurandum, praeſtitum ab uno ex reis promittendi alterum liberet, vel delatum ab uno ex reis ſtipulandi alteri noceat, cum jusjurandum, ut ſaepe dictum eſt, habeat vim ſolutionis. Sed cum ita res ſe habeat, quod fidejuſſor, ſolvens pro reo principali, id repetere poſſit actione mandati, *l. idemque* 10. §. *fidejuſſores* 11. *D. mandati* §. *ſi quid.* 6. *Inſt. de fidejuſſ.* & unius ex correis debendi ſolvens ſolidum, partem a correo repetere poſſit, *l.* 2. *C. de duob. reis ſtipul.* quaeri poteſt, an cum fidejuſſor liberat reum per jusjurandum, vel correus correum, habeat eo nomine actionem mandati. Et verius eſt, eum non habere, quia ei hoc caſu nihil abeſt; eſt enim jusjurandum non vera, ſed imaginaria quaedam ſolutio. Actio autem mandati tunc demum competit, cum fidejuſſori ex ſolutione ſua aliquid abeſt, arg. *l. vero* 12. & *l. inter cauſas* 26. §. *abeſſe* 2. *D. mandati.* nec obſtant, quae traduntur in *d. l. idemque* 10. §. *ult.* & *l. ſeq* & *d. l. inter cauſas* 26. §. *ſi is qui* 3. *D. mandati.* quia in omnibus illis caſibus aliquid aberat fidejuſſori, quod habere potuiſſet, ſi non liberaſſet debitorem.

§. Quod reus 1.

Q*Uod reus juravit etiam fidejuſſori proficit: a fidejuſſore exactum jusjurandum prodeſſe etiam reo Caſſius & Julianus ajunt: nam quia in locum ſolutionis ſuccedit, hic quoque eodem loco habendum eſt: ſi modo ideo interpoſitum eſt jusjurandum, ut de ipſo contractu & de re, non de perſona jurantis ageretur.*

Huic §. ſatisfactum eſt ad §. *ſi pater* 1. *l. qui juraſſe* 26. *D. h. t.*

§. Si ei 2.

S*I ei, qui debitorem meum in judicium exhibere promiſit, jusjurandum detulerim, isque juraverit ſe omnino exhibitionem ejus non promiſiſſe, prodeſſe debitori meo id non debet. Si vero juraverit, ſe nihil mihi praeſtare oportere, diſtinguendum ſit, & replicatione emendandum, utrum ideo juraverit, an quia poſt promiſſionem exhibuerit, an vero quia ſolverit: quod & in fidejuſſorem debiti diſtinguendum eſt.*

Notandus hic locus eſt ob id maxime, quod quis tenetur interpretari ſuum dictum, & ejus generalitatem reſtringere dicendo cauſam, ex qua liberatus eſt.

§. Ex duobus 3.

E*X duobus reis promittendi ejusdem pecuniae alter juravit: alteri quoque prodeſſe debebit.*

Vide quae diximus ad *initium hujus legis.*

§. Exceptio 4.

E*Xceptio jurisjurandi non tantum ſi ea actione quis utatur, cujus nomine exegit jusjurandum, opponi debet: ſed etiam ſi alia: ſi modo eadem quaeſtio in hoc judicium deducatur. Forte ſi ob actionem mandati, negotiorum geſtorum, ſocietatis, caeteraſque ſimiles jusjurandum exactum ſit: deinde ex iisdem cauſis certum condicatur, quia per alteram actionem altera quoque conſumitur.* §. 5. *Si quis juraverit ſe non rapuiſſe, non debet adjuvari hoc jurejurando in actione furti, aut condictione: quia aliud eſt furtum feciſſe, quod vel clam fieri poteſt.*

Cum quaeritur, an obſtet exceptio jurisjurandi, Praetor non conſiderat, an eadem actione ante actum fuit, cum juraretur, ſed an ex eadem cauſa agebatur, licet alia actione, idem traditur de exceptione rei judicatae, *l. cum quaeritur* 12. & 2. *ſeqq. D. de except. rei judicat.* Unde quaeſitum eſt, an is, qui juravit ſe non rapuiſſe, poſſit poſtea conveniri actione furti. Videtur non poſſe; quia raptor omnis eſt fur, *l.* 1. *D. vi bon. rapt.* Contrarium tamen verum eſt; quia, licet omnis raptor ſit fur, non tamen omnis fur eſt raptor: & ideo non ſi quid negatur de ſpecie, id etiam de genere negari neceſſe eſt, ut tradit Philoſophus: ergo ex alia cauſa hic convenitur, quam in priore actione.

§. Colonus 6.

C*Olonus cum quo propter ſucciſas forte arbores agebatur ex locato, ſi juraverit ſe non ſuccidiſſe, ſive e lege duodecim tabularum de arboribus ſucciſis, ſive e lege aquilia damni injuria, ſive interdicto quod vi aut clam poſtea convenietur, per exceptionem jurisjurandi defendi poterit.*

Qui jurat ſuper facto, liberatur ab omni actione, quae deſcendit ex illo facto; ut oſtendi, ad *l. ſi duo* 13. §. *idem Julianus* 2. *D. h. t.* & ideo qui jurat ſe non ſuccidiſſe arbores, nulla earum actionum tenetur, quae ex cauſa arborum caeſarum datur.

§. Quae juravit 7.

Q*Uae juravit divortii cauſa rem ſe non amoviſſe, non debet defendi per exceptionem; ſi eum ea in rem agatur, & ſi contendat ſuam eſſe, alio jurando opus eſt. Contra ſi juraverit ſuam eſſe, debet in actione rerum amotarum defendi. Et omnino hoc obſervandum eſt, licet per aliam actionem eadem quaeſtio moveatur, at exceptio jurisjurandi locum habeat.*

Actio in rem, quae & rei vindicatio dicitur, a perſonali actione ſive condictione ſeparata eſt. Haec enim datur adverſus eum, qui obligatus eſt: illa ex dominio naſcitur, & competit adverſus eum, qui nullo jure eſt obligatus, §. 1. *Inſt. de act.* Si quis igitur conventus perſonali actione, ſive ex contractu, ſive ex maleficio, juraverit, ſe non debere rem, quae petita eſt, habet jurisjurandi exceptionem, ſi ex ea cauſa de eadem re iterum fuerit conventus. Sed ſi is, qui jusjurandum detulit, agat poſtea rei vindicatione, juris-

Digitized by Google

riſjurandi exceptio nihil proderit reo. Ratio eſt, quia tunc agitur ex alia cauſa. Et hic eſt ſenſus *hujus* §. cum quo concordat *l. ſi quis uxori 52. §. ſi quis juraverit 27. D. de furt.*

§. Igitur ſi quis 8.

I*Gitur ſi quis juravit ſe non eſſe condemnatum, etiam ſi ex ſtipulatu judicatum ſolvi ob rem judicatam convenietur, defendetur per exceptionem. Contra, ſi cum ex ſtipulatu judicatum ſolvi conveniretur, juravit ſe dare non oportere, agenti judicati non utique obſtabit exceptio: poteſt enim fieri, ut non ſit commiſſa ſtipulatio, licet res judicata ſit; niſi ideo juraſſet, quod nec damnatum ſe eſſe diceret.*

Ex *hoc* §. generalem hanc ſententiam elicere poſſumus, quod, quoties juratum eſt ſuper eo, quod cauſa eſt alterius, exceptio jurisjurandi ad illud, cujus eſt cauſa, extenditur; ut rem eſſe judicatam, cauſa eſt cur agi poſſit ex ſtipulatu judicatum ſolvi, *l. 1.* & *l. judicatum 9. D. judicat. ſolvi. in princ. Inſtit. de ſatiſd.* Ergo ſi juratum fuerit non eſſe judicatum, jurisjurandi exceptio opponi poteſt volenti agere ex ſtipulatu judicatum ſolvi: quia agi non poteſt, niſi fuit judicatum; at jam juratum eſt non eſſe judicatum. Sed res non ita ſe habet e diverſo: non enim ſi juratum fuerit nihil deberi ex ſtipulatione judicatum ſolvi, illa exceptio proderit ſi conveniatur actione judicati: quia fieri poteſt quod fuerit judicatum, licet nulla ſtipulatio judicatum ſolvi fuerit interpoſita. Caeterum, quod hic dicitur de ſtipulatione judicatum ſolvi, a Juſtiniano correctum eſt, §. *ſed hodie 2. Inſt. de ſatiſd.* ubi ſtatuit neminem, qui ſuo proprio nomine convenitur cogi, ſatiſdare judicatum ſolvi, ſive pro litis aeſtimatione.

§. Item Pomponius 9.

I*Tem Pomponius ait eum, qui furtum ſibi factum alicujus rei juravit, non ſtatim etiam condictionis cauſam nanciſci.*

Qui juravit furtum ſibi factum eſſe, vi ejus jurisjurandi non acquirit condictionem furtivam. Rationem hic appoſite reddit gloſſa: nempe quia *condictio furtiva ſoli domino competit, l. 1. D. de condict. furt.* At jusjurandum non facit aliquem eſſe dominum, licet tribuat ei actionem adverſus eum, qui detulit.

§. Ultim.

I*Tem cum ex hac parte jusjurandum & actionem & exceptionem inducat, ſi forte reus extra judicium actore inferente juraverit ſe dare non oportere, & actor reo deferente dari ſibi oportere, vel contra: poſterior cauſa jurisjurandi potior habebitur: nec tamen praejudicium perjurio alterius fiet; quia non quaeretur, an dare eum oporteat, ſed an actor juraverit.*

Lex XXIX. Tryphoninus lib. 6. Diſputationum.

Q*Uod ſi juravi te deferente, non juraſſe te dare tibi oportere, & adverſus utilem actionem, qua hoc quaeritur, an juraveris tibi dari oportere, opponenda eſt exceptio jurisjurandi pertinentis quaeſtionem actione comprehenſam.*

Cum uterque tam actor, quam reus jurat de eadem re, alter ſibi dari oportere, alter ſe non debere, quaeritur utrius jusjurandum ſequendum ſit. Dubitandi cauſa eſt, quia neſcitur uter verum juravit, & in dubio debemus magis favere reo quam actori, *l. Arrianus 47. D. de oblig. & act. l. favorabiliores 125. D. de reg. jur.* & *in obſcuris quod minimum eſt ſequimur. l. ſemper in obſcuris 9. D. de reg. jur.* Contrarium tamen hic reſpondetur, nempe ſemper ejus jusjurandum ſequendum, qui poſterius juravit, idque propter voluntatem & conſenſum deferentis. Prioris igitur jurisjurandi vis per poſterius jusjurandum tollitur, quemadmodum & prius pactum per poſterius, *l. ſi unus 27. §. pactus ne peteret 2. D.* & *l. pacta noviſſima 13. C. de pact.* Sic leges & conſtitutiones poſteriores derogant prioribus, *l. ult. D. de conſtit. Princ.* & in teſtamentis inſpicitur ultima voluntas, *l. 4. D. de adim. vel transfer. leg.* Quod autem ait Paulus, hoc caſu non fieri praejudicium perjurio alterius, hanc rationem habet, quia neſcitur uter pejeravit, & ideo propter incertitudinem neuter punitur. Unde colligunt Interpretes, quod, etſi teſtes inter ſe contraria dicant, propter incertitudinem tamen nullus poſſit falſi poena plecti: quae ſententia habet rationem; quia ſatius eſt impunitum relinquere facinus nocentis, quam innocentem puniri, *l. abſentem 5. D. de poen.*

LEX XXX. Paulus lib. 18. ad Edictum.

E*Um, qui juravit ex ea actione, quae inficiando creſcit, aliquid ſibi deberi, ſimpli non dupli perſecutionem ſibi acquirere Pedius ait: abunde enim ſufficere, exonerare debitorem probandi neceſſitate; cum omiſſa hac parte edicti dupli actio integra maneat. Et poteſt dici hoc judicio non principalem cauſam exerceri, ſed jusjurandum actoris conſervari.*

Sciendum eſt naturam quarundam actionum eam eſſe, ut ſi is, qui aliqua illarum pulſatur, negaverit intentionem actoris, & actor probaverit, condemnetur reus in duplum, id eſt, in veram aeſtimationem litis, quae obligatione comprehenſa eſt, & adhuc in tantundem propter inficiationem: unde dicitur *hic* lis inficiatione creſcere, id eſt, aeſtimatio litis augeri propter negationem. Ejusmodi eſt actio depoſiti miſerabilis, *l. 1. §. 1. D. depoſiti. §. ſed furti 26. Inſt. de act.* & actio legis Aquiliae, *l. 2. D. ad l. Aquil.* actio ex cauſa legati relicti venerabili loco, *§. omnes autem 21. in fin. Inſt. de act. §. ex quibusdam 7. Inſt. de oblig. quae quaſ. ex contract.* Tamen ſi quis conventus ejusmodi actione detulerit jusjurandum actori, liberatur a poena dupli; ut hic reſpondet Paulus: cujus aequitatis rationem docui ad *l. 9. §. ſi damnetur 2. D. h. t.*

§. Si juravero 1.

S*I juravero te Stichum mihi dare oportere, qui non ſit in rerum natura, nec aeſtimationem praeſtare mihi reus debet, niſi ex cauſa furtiva, vel propter moram; tunc enim etiam poſt mortem ſervi aeſtimatio praeſtatur.*

Regula Juris eſt, quoties ſpecies aliqua certa eſt in obligatione ex contractu vel quaſi, perempta ea ſine mora vel culpa debitoris, extinguitur obligatio, *l. ſi ex legati 23.* & *l. inter ſtipulantem 83. §. Stichum 7. D. de verb. oblig. l. quod te 5. D. de reb. credit.* At ſi poſt moram debitoris ſpecies interierit, durat quidem obligatio, & ipſa res peti poteſt, *l. ſi ſervum 91. §. ult. D. de verb. oblig.* Sed quia impoſſibile eſt, ut aliquis ſolvat rem, quae non eſt in rerum natura, ideo officio judicis ſit condemnatio in aeſtimationem, *l. promiſſor hominis 23. D. de conſt. pecun.* Moram autem facere ſemper intelligitur fur, qui ne a principio quidem rem retinere debuit, *l. in re furtiva 8. §. 1.* & *l. ult. D. de condict. furtiv.* Hinc dicitur mora fieri in rem, *l. ult. C. de condict. ob turp. cau.* Quae cum ita ſint, quaeritur, an is, qui juravit Stichum ſibi deberi, qui jam mortuus eſt, poſſit ex eo jurejurando conſequi ejus aeſtimationem. Dubitandi cauſa permagna eſt ex eo, quod poſt jusjurandum nihil amplius quaerendum ſit, nec ulla exceptio opponenda, *l. 5. §. dato 2.* & *l. in duobus 28. §. ult. D. h. t.* Reſpondet tamen Paulus nihil eum hoc caſu conſequuturum, niſi forte mora vel culpa debitoris praeceſſerit. Decidendi ratio haec eſt, quia cum jusjurandum veritatis loco habeatur, id tantum conſequi debet is, qui jurat,

Digitized by Google

quod haberet, ſi revera ita res eſſet ut juravit, *l. ſed ſi poſſeſſors* 11. §. *item ſi juravero* 2. *D. h. t.* At ſi revera Stichus fuiſſet debitus, & ante moram peremptus, nihil habuiſſet, ut dictum eſt; ergo nec nunc quidem cum juravit eum deberi, qui revera mortuus eſt. Jusjurandum enim hic interpoſitum fuit de obligatione (quia reus forte negavit ſe debere) non autem de eo, an Stichus mortuus deberetur.

§. Si mulier 2.

SI mulier juraverit decem dotis ſibi deberi, tota ea ſumma praeſtanda eſt. Sed ſi juravit decem ſe dediſſe in dotem, hoc ſolum non erit quaerendum, an data ſint: ſed quaſi data ſint, quod ex eo reddi oportet, praeſtandum erit.

Soluto matrimonio dos reddi mulieri debet, *l.* 2. *D. ſolut. matrim.* Et ſi in actione de dote jusjurandum delatum fuerit mulieri, ipſaque juraverit, non dubium eſt, quin ſecundum ipſius jusjurandum lis decidatur. Sed hic admonet tamen Paulus conſiderandum eſſe, quo modo mulier juret, utrum ſuper debito & obligatione, veluti ſi jurat *decem dotis ſibi deberi*; an vero juret ſuper facto, veluti *ſe decem in dotem dediſſe*. Licet enim utroque caſu nihil a marito opponi poſſit, quod jusjurandum infirmet; tameo quantum ad effectum attinet, magna inter utrumque differentia eſt. Priore enim caſu maritus cogetur omnino decem ſolvere, nec audietur volens opponere aliquam exceptionem, praeter illam, quae competit marito ut condemnetur pro modo facultatum in id, quod facere poteſt, *l. maritam* 12. *D. ſolut. matrim. l. patronus* 17. *D. de re judicat.* Haec enim exceptio, quatenus facere poteſt, omni tempore opponi poteſt, etiam poſt ſententiam in ipſa executione rei judicatae, *l. Neſennius* 41 §. *ult. D. de re judicat.* ergo & poſt jusjurandum. Poſteriore caſu, cum ſcilicet jurat ſe decem dediſſe, multae exceptiones opponi poſſunt: non quae impugnant jusjurandum, ſed quae effectum petitionis impediunt; ut exceptio pacti facti poſt divortium, *l. ob res* 20. *D. de pact. dotal.* aut exceptio impenſarum neceſſariarum, *l. quod dicitur* 5. *D. de impenſ. in res dotal. fact.* & ſi quae ſunt ſimiles. Eſtque haec de modo jurandi notanda differentia, non ſolum in hac ſpecie, ſed etiam in omnibus aliis controverſiis pecuniariis: multum enim intereſt, utrum quis juret decem ſibi deberi ex mutuo, an vero decem mutua ſe dediſſe. Priori jurijurando nulla exceptio opponi poteſt; poſteriori vero multae: quia fieri poteſt quod decem quidem mutuata ſunt, ſed quod poſtea ſoluta, aut pactum de non petendo interceſſerit.

§. In popularibus 3.

IN popularibus actionibus jusjurandum exactum ita demum adverſus alios proderit, ſi bona fide exactum fuerit: nam & ſi quis egerit, ita demum conſumit publicam actionem, ſi non per colluſionem actum ſit.

Dictum eſt in *l.* 3. §. 1. *D. h. t.* quod *quacunque actione agatur, ſi quis juraverit proficiet ei jusjurandum*: quem locum de civili tantum actione intelligendum eſſe admonui, ac proinde etiam de actione populari. Popularis enim actio civilis eſt, licet ex crimine & delicto deſcendat: nam appellamus civilem actionem omnem, quam aliquis inſtituit ad commodum rei familiaris, ut ſibi ſcilicet aliquid adjudicetur, non ut fiſco poena inferatur, *l. interdum* 36. *D. de public. judic. l. ult. D. de furt. l.* 1. *D. de incend. ruin. naufrag.* ejuſmodi eſt popularis actio, *l. ſi quis id quod* 7. *D. de jurisd.* Vindicatur autem hac actione vel injuria principaliter facta reipublicae, ut cum agitur de Albo corrupto, *d. l. ſi quis* 7. vel injuria principaliter facta privato; per conſequens vero toti Reipubl. ut cum agitur de ſepulchro violato, *l.* 3. *D. de ſepulch. viol.* Priore caſu admittitur quilibet indiſtincte, ſi integra perſona eſt, *l.* 4. *D. de popul. act.* & qui primus agit & litem conteſtatur, excludit alios, *l. at ſi cui* 12. *D. de verb. ſign.* Poſteriore caſu admittitur prius is, cui injuria principaliter facta eſt, quo nolente alius admittitur, *d. l.* 3. §. *ſi is cujus intereſt* 10. *D. de ſepulch. viol. l.* 3. *D. de popular. act.* Utroque caſu jusjurandum delatum & praeſtitum a reo prodeſt ei, ad hoc ne iterum ab alio repetatur; prodeſt, inquam, niſi per colluſionem delatum fuerit, ut hic dicitur: per colluſionem autem videtur deferri, ſi actor, cum probationes ſufficientes ad manum habeat, detulerit jusjurandum, arg. *l. tutor.* 35. *D. h. t.*

§. Si libertus 4.

SI libertus deferente patrono juraverit ſe libertum non eſſe, ratum habendum eſt jusjurandum: ut nec operarum petitio, nec bonorum poſſeſſio contra tabulas dari debeat.

Vide quae diximus ad *l. ſi duo patroni* 13. *D. h. t.*

§. Ultim.

SI juravero uſumfructum mihi dari oportere, non aliter dari debet, quam ſi caveam boni viri arbitratu me uſurum, & finito uſufructu reſtiturum.

Fundamentum & ratio ſententiae *hujus* § in eo eſt, quod qui jurat uſumfructum ſibi deberi, neque plus neque minus conſequitur, quam ſi res vere deberetur, *l. ſed ſi poſſeſſors* 11. §. *item ſi juravero* 2. *D. h. t.* inde conſequens eſt, ut ipſe quoque ad eas praeſtationes obligetur, quas verus uſufructuarius debet. Debet autem verus uſufructuarius cavere de utendo fruendo boni viri arbitratu; & cum finitus fuerit uſusfructus ſe reſtiturum quod inde extabit, *l.* 1. *D. uſufr. quemadmod. caveat.* Ergo & is quoque, qui jurat uſumfructum ſibi deberi, eodem modo cavere debet.

LEX XXXI. GAJUS lib. 30. ad Edictum Provinciale.

ADmonendi ſumus, interdum etiam poſt jusjurandum exactum, permitti conſtitutionibus Principum ex integro cauſam agere, ſi quis nova inſtrumenta ſe inveniſſe dicat, quibus nunc ſolis uſurus ſit. Sed hae conſtitutiones tunc videntur locum habere, cum a judice aliquis abſolutus fuerit: ſolent enim ſaepe judices in dubiis cauſis exacto jurejurando ſecundum eum judicare, qui juraverit; quod ſi alias inter ipſos jurejurando tranſactum ſit negotium, non conceditur eandem cauſam retractare.

Locus hic unicus eſt ſub *hoc tit. de jurejurando*, delato a judice alteri litigatorum; quod jusjurandum neceſſarium vocant, quia recuſari aut referri non poteſt ab eo, cui defertur. Non enim referri poteſt adverſario, quia adverſarius non detulit; non judici, quia judex non poteſt eſſe teſtis & judex in eadem cauſa *cap. dilecto* 40. *extra. de teſtib.* De hujus igitur jurisjurandi deferendi cauſa, & delati effectu ac vi dicendum eſt. Cauſa deferendi eſt inopia probationum, *l. in bonae fidei* 3. *C. h. t.* cum ſcilicet dubia cauſa eſt, ut dicitur *hac l. in verſic. Solent:* non enim propter quamlibet inopiam probationum judex devenire poteſt ad hoc jusjurandum; quia ſi actor nihil probaverit, reus eſt abſolvendus, *l. qui accuſare* 4. *C. de edend.* ſed propter eam inopiam, quae reddit cauſam dubiam. Dubiam cauſam vocant DD. poſt gloſſam, quando non eſt probatum plene; ſed ſemiplene: veluti ſi per unum teſtem, omni exceptione majorem; quia licet ejus ſolius dicto non credatur, *l. jurisjurandi* 9. *C. de teſtib.* tamen ſemiplenam ut ajunt probationem facit, in iis cauſis, in quibus duo tantum teſtes requiruntur. Nam ubi tres aut quinque teſtes requiruntur, ut in ſpecie *l. ult. & authent. ſeq. C. ſi. cert. petatur*, unus teſtis quantumvis integrae fidei, non facit ſemiplenam probationem, ſe-

cun-

Digitized by Google

cundum rationem gloſſae; quia ſcilicet duo non faciunt plenam. Haec communis opinio eſt, quam Duarenus nititur refutare *lib. 2. Diſput. anniv. cap.* 33. hac ratione: quia regulae Juris docent reum eſſe abſolvendum, ſi actor non probaverit, *ad l. qui accuſare* 4. & *l. actor.* 23. *C. de probat.* At non probat qui ſemiplene probat: probare enim eſt intentionem implere, *l. 1. C. de teſtib. l. alt. C. de rei vindic.* Cum itaque actor probat per unum teſtem, non videtur judex poſſe deferre jusjurandum: nam ſi deferat actori, & is juraverit, condemnabitur reus, *verſ. Soleat. hac. l.* Hoc autem iniquum eſt, & contra dictam regulam, *l. qui accuſare* 4. *C. de edend.* Si vero deferat reo, ſuperfluum eſt; quia etiam ſine jurejurando abſolvi debuit. Eſt etiam injurioſum, quia ſi ſine jurejurando abſolutus eſſet, cauſa non poſſet retractari praetextu novorum inſtrumentorum, *l. Imperatores* 35. *D.* & *l. ſub ſpecie* 4. *C. de re judicat.* At cum per jusjurandum a judice delatum abſolutus eſt, cauſa retractari poteſt, ut *hac. l.* dicitur. Dubiam igitur cauſam vocat Duarenus, cum judici non liquet in quam partem inclinet propter paritatem probationum, quae allatae ſunt tam ex parte actoris, quam ex parte rei. Sed certe ejus ſententia facile convelli poteſt iiſdem argumentis, quibus ipſe adverſus alios utitur: nam ſi paritas probationum eſt, abſolvi debet reus; tum quia favorabilior eſt, *l. Arrianus* 47. *de oblig. & act.* & teſtes ex ejus parte praeferri debent teſtibus actoris, licet teſtes actoris ſint aliquotenus magis idonei, ut notat Panorm. in *cap. ad noſtram* 12. *num. 4. extra. de probat.* tum quia quando eſt paritas rationum, res eo recidit, ut nihil videatur eſſe probatum, atque ita abſolvendus eſt reus. Praeterea raro admittuntur probationes rei adverſus plenas & ſufficientes probationes actoris, *cap. ad noſtrum* 12. *extra. de probat.* Tutius igitur eſt communi opinioni adhaerere, ut ſcilicet, cum ſemiplene probatum eſt, judex deferat jusjurandum actori, pro conditione & qualitate perſonae, & cauſae, *cap. ult. extra. de jurejurand.* Caeterum, quaeri poteſt, an judex in dubiis cauſis cogatur jusjurandum deferre, an vero poſſit non deferre: & verius eſt, quod non cogatur, quia dicitur hic, *ſolent. arg. l. unic. C. quomod. & quando judex.* Non obſtat *d. l. in bonae fidei* 3. *C. eod.* ubi dicitur *oportet*: nam verbum illud referri debet ad illa verba *cauſa cognita*, non autem ad verbum *decidi*; ut ſit ſenſus: cum per judicem cauſa jurejurando deciditur, oportet, id fieri cauſa cognita.

Vis autem & effectus hujus jurisjurandi eſt, ut lis decidatur ſecundum eum, qui juravit, ſed ita ut cauſa poſſit retractari propter nova inſtrumenta, poſtea reperta. Itaque non tanta vis eſt hujus jurisjurandi, atque jurisjurandi voluntarii, aut judicialis. Nec obſtat *d. l. Imperatores* 35. & *d. ſub ſpecie* 4 quia hic caſus ſpecialiter exceptus eſt conſtitutionibus Principum, idque propter perjurium pejurantis, ne ex ſuo perjurio lucrum quaerat.

LEX XXXII. Modestinus lib. Different.

JUrisjurandi gratiam facere pupillus non poteſt.

Facere gratiam jurisjurandi eſt remittere jusjurandum ei, qui paratus eſt jurare, *l. remittit.* 6. *D. h. t.* & facta gratia vel remiſſione jurisjurandi perinde res ſe habet, ac ſi eſſet juratum. Unde ratio patet, cur pupillus jurisjurandi gratiam facere non poſſit; quia nec deferre quidem poteſt, ut docui ad *l. 3. D. h. t.*

LEX XXXIII. Ulpianus lib. 28. Sabinum.

QUi per ſalutem ſuam jurat, licet per Deum jurare videtur; reſpectu enim divini numinis ita jurat: attamen ſi non ita ſpecialiter jusjurandum ei delatum eſt, juraſſe non videtur: & ideo ex integro ſolemniter jurandum eſt.

In jurejurando olim attendebatur conceptio verborum praeſcripta a deferente: neceſſe enim habebat is, qui juraret eodem modo jurare, quo delatum eſſet, *l. 3. in fin. cum duab. ſeq. D. h. t.* id eſt eadem formula verborum, quae erat a deferente concepta, ut illic oſtendi. Quid ergo ſi non iiſdem verbis jurat, ſed aliis forte idem ſignificantibus? videtur quidem valere, quia plus valet, quod agitur quam quod ſimulate concipitur, *C. plus valere quod agitur.* & ſenſus potius ſpectandus eſt, quam verba, *l. ſi quis* 3. *§. conditio* 9. *D. de adim. vel transfer. legat l. permittendo* 41. *D. de jure dot. l. ſed Celſus* 6. §. 1. *D. de contrah. empt.* Contrarium tamen hic reſpondet Ulpianus; formulam nempe delati jurisjurandi ſtricte eſſe ſequendam. Ratio haec meo judicio videtur, quia quaedam ſunt verba, quae majorem continent reverentiam, & velut ſtuporem quendam, ac timorem incutiunt proferenti vel audienti, cujuſmodi uti ſolebant primi illi haereſiarchae, ut teſtatur D. Irenaeus *lib. 1. cap.* 18. & D. Auguſt. *adverſus Fauſtum Manichaeum.* Plura hac de re dixi ad *l. 3. in fin.*

LEX XXXIV. Idem lib. 26. ad Edictum.

JUsjurandum & ad pecunias, & ad omnes res locum habet: etiam de operis jusjurandum deferri poteſt. Nec de injuria queri adverſarius poteſt, cum poſſit jusjurandum referre. Quid tamen ſi ideo dicat reus ſe liberatum, quoniam Stichum, quem promiſerat, putat deceſſiſſe? non erit tutus per relationem: & ideo ex hac cauſa putat Marcellus, & recte, aut remittendum ei jusjurandum, aut ſpatium dandum ut certioretur, & ſic juret.

Dictum eſt, quod quacunque actione conveniatur quis, proficiet ei jusjurandum, *l. 3. §. 1. h. t.* Admonet etiam hic Ulpianus nihil referre, de qua re quaeſtio ſit: aeque enim de omni re jusjurandum deferri poteſt. Nec recte tamen ex hac ſententia colligitur, jusjurandum non frequentius dari de pecuniis creditis, quam de aliis rebus. Eſt enim haec vitioſa collectio, jusjurandum deferri poteſt de omnibus rebus; ergo non frequentius de pecuniis creditis, quam de aliis rebus, Nam revera videmus jurisjurandi uſum frequentiorem in repetitione pecuniae creditae, quam aliarum rerum: unde *emplaſtrum aeris alieni* dicitur apud Gellium *lib. 36. cap. 7.* ac proinde Cujacii ſententiam veram eſſe *in Paratitlis* arbitror, & male ab Hotomanno reprehenſam *in ſuis commentationibus*, ſtatim *in princip.*

§. Defenſor. 1. &c.

DEfenſor municipium, vel cujuſvis corporis, jusjurandum deferre poteſt, ſi ſuper hoc mandatum habeat. §. 2. Pupillo non defertur jusjurandum. §. 3. Procurator non compellitur jurare, nec defenſor: & ita Julianus ſcribit lib. decimo Digeſtorum, defenſorem jurare non compelli, ſufficereque ad plenam defenſionem ſi paratus ſit judicium accipere.

De his, nempe procuratore & defenſore, quibus caſibus jusjurandum deferre poſſint, diximus ad *l. 3. D. h. t.* Quod autem dicitur hic pupillo jusjurandum non deferri, id ita intelligendum eſt, non deferri ſcilicet, ut cogatur jurare, vel referre; nam ſi velit, poteſt: & valebit jusjurandum ad commodum pupilli, ut pluribus docui ad *l. qui juraſſe* 26. *D. h. t.* Praeterea notandum eſt, quod hic dicitur procuratorem vel defenſorem non compelli jurare, quod Bartolus ait intelligendum eſſe de juramento deciſivo totius litis: ſecus vero in juramento particulari poſitionum, vel alicujus interrogatorii, *arg. l. non ſolum* 39. *D. de Procurat.* Quaeritur de tutore, & Bartolus diſtinguit, ut ſi ſit juramentum affectionis, non cogatur tutor illud ſubire, *l. videamus* 4. *D. in lit. jurand.* Si vero ſit juramentum calumniae, omnino teneatur, *l. 2. §. quod obſervari* 2. *C. de jurej. propt. calum. dand.* ſin denique

Digitized by Google

niquę ſit juramentum veritatis, & tutor ſciat, tenetur jurare, *l. cum etiam* 5. *C. hoc tit.*

§. Qui jusjurandum 4.

QUi jusjurandum defert, prior de calumnia debet jurare, ſi hoc exigatur: deinde ſi ei jurabitur. Hoc jusjurandum de calumnia neque patrono neque parentibus remittitur.

Jusjurandum de calumnia exigi ſolet ab eo, qui jure judicioque aliquid poſtulat, ſi dubitetur de ejus fide & animi integritate, ut cum quis poſtulat ſibi caveri damni infecti, *l. Praetor* 7. & *l. qui bona fide* 13. §. *qui damni* 3. *D. de damn. infect.* vel cum quis nunciat novum opus, *l. de pupillo* 5. §. *qui opus* 14. *D. de oper. nov. nunciat.* vel cum poſtulat remitti in ſuum municipium, ut ibi ſatisdet, *l. de die* 8. §. *ult. D. qui ſatiſd. cogantur.* vel cum rationes poſtulat ab argentario ſibi edi, *l. ſi quis ex argentariis* 6. §. *exigitur* 2. *D. de edend.* aut ſibi permitti effodere theſaurum ſuum in alieno agro, *l. theſaurus* 15. *D. ad exhib.* vel teſtamentum alterius ſibi aperiri, *l.* 3. *C. quemadm. teſt. aperiantur.* aut inſtrumenti iterum exemplar ſibi dari, cujus antea unum accepit, *l. cum plures* 15. §. *ult. D. de reb. auth. jud. poſſid.* aut iterum proferri inſtrumentum, ut illud falſi arguat, *l. ult. C. de fid. inſtrum.* & in ſumma de quacunque cauſa certatum fuerit, hoc jusjurandum habet locum, *l.* 1. *C. de jurejurand. propt. calumn. dand.* Cum igitur quis defert jusjurandum alteri, debet prius jurare de calumnia, id eſt, quod non calumniandi ſive vexandi adverſarii cauſa jusjurandum defert: id enim eo jurejurando continetur. Atque hoc quidem adeo ſtricte in hac ſpecie obſervatur, ut ſi deferens jusjurandum noluerat jurare de calumnia, perinde habeatur ac ſi remiſiſſet jusjurandum, *l. ſi non fuerit* 37. *D. h. t.* ergo condemnabitur perinde ac ſi eſſet juratum, *l.* 1. *C. de reb. cred.* Reliqua huc pertinentia diximus ad *l. quoties* 14. *D. h. t.*

§. Si de qualitate 5.

SI de qualitate juramenti fuerit inter partes dubitatum, conceptio ejus arbitri judicantis eſt.

Vide quae dixi ad *l.* 3. §. *ult. D. h. t.*

§. Ait Praetor 6. &c.

AIt Praetor, eum, a quo jusjurandum petetur, ſolvere, aut jurare cogam: alterum itaque eligat reus, aut ſolvat, aut juret: ſi non jurat, ſolvere cogendus erit a Praetore. §. 7. *Datur autem & alia facultas reo, ut ſi malit, referat jusjurandum: & ſi is qui petet, conditione jurisjurandi non utetur, judicium ei Praetor non dabit: aequiſſime enim hoc facit, cum non deberet diſplicere conditio jurisjurandi ei, qui detulit. Sed nec jusjurandum referenti de calumnia defertur: quia non eſt ferendus actor, ſi conditionis quam ipſe detulit, de calumnia velit ſibi jurari.* §. 8. *Non ſemper autem conſonans eſt per omnia referri jusjurandum quale defertur: forſitan ex diverſitate rerum vel perſonarum quibusdam emergentibus quae varietatem inducunt: ideoque ſi quid tale inciderit, officio judicis conceptio hujuſcemodi jurisjurandi terminetur.*

Is, cui jusjurandum defertur, in electione habet, utrum velit jurare, an jusjurandum referre. Alterum enim facere cogitur, niſi malit ſolvere, *l. delata* 9. *C. de reb. cred.* & additur ratio in *l. manifeſtae* 38. *D. h. t.* modeſtius tamen facit, qui refert jusjurandum, quam qui ſuſcipit, *l. illud aut illud* 25. §. 1. *D. de pecun. conſtit.* Nec poteſt is, qui jusjurandum detulit relatum recuſare, alioqui denegabitur illi judicium, ut hic dicitur. Imo pro convicto habendus eſt, & abſolvendus is, qui retulit perinde ac ſi ipſe juraſſet, & ita quidem abſolvendus eſt, ut ne licentia provocandi detur ei, qui recuſavit jurare, *l. generaliter* 12. §. 1. *C. eod.* §. *ult. hac l.* Errant autem valde, qui putant huic juri derogatum eſſe per *d. l. generaliter* 12. §. *ſin autem* 2. Nam licet illic ſcriptum ſit, eum, cui jusjurandum defertur, licentiam habere illud recuſandi, tamen additur, ſi judex illud praeſtandum exiſtimaverit, eum, qui recuſavit eſſe damnandum, & ſententiam a judice appellationis eſſe confirmandam, ſi bene illatum jusjurandum fuit: ex quo intelligimus delatum jusjurandum recuſari non poſſe ſine cauſa, niſi referatur. Adde quod Juſtinianus in *d. l. generaliter* 12. *in fin.* teſtatur ſe nolle quicquam derogare antiquioribus legibus, quae de jurejurando conſtitutae ſunt. Secundum hanc ſententiam intelligendum eſt, quod dicitur *cap. ult. extra. de jurejur. Juramentum, a parte partis in judicio delatum, recuſari poteſt licite ac referri.* Conjunctim enim dicitur recuſari poſſe ac referri: quaſi dicat, recuſari quidem poteſt, ſed ita ut referatur. Nam diſſimilitudo illic proponitur inter jusjurandum neceſſarium & judiciale: neceſſarium recuſari aut referri non poteſt, ut oſtendi ad *l. admonendi* 31. *D. h. t.* judiciale recuſari quidem poteſt, non autem ſimpliciter, ſed ita ſi referatur; & hic eſt verus ejus loci intellectus, quicquid dicat Panormitanus. Non enim ſequitur; poſt matrimonium contractum poteſt quis relinquere uxorem, & ingredi monaſterium, *cap. commiſſum* 16. *extra. de ſponſal. can.* 6. *de ſacram. matrim. ſeſſ.* 24. *Concil. Trident.* Ergo poteſt relinquere ſimpliciter.

Superior tamen regula de referendo jurejurando exceptiones habet, ut interdum cogatur aliquis praeciſe jurare, & non referre; cum ſcilicet jusjurandum defertur alicui de proprio ſuo facto, *l. Marcellus* 11. §. *ult. & duab. ll. ſeq. D. de act. rer. amot.* ſi tale factum eſt ſcilicet, quod deferenti non aeque notum ſit atque ei, cui defertur: nam ſi aeque notum eſt utrique, referri poteſt jusjurandum; veluti, ſi de injuria facta deferatur: & ita intelligi debet *l. lex Cornelia* 5. §. *hoc lege* 8. *D. de injur.* ut docet Bartolus ibi. Interdum neque jurare neque referre quis cogitur, ut cum agitur de re ſibi ignota, & in qua non poteſt eſſe tutus per relationem, ut ſupra *hac l. in princip.* 2. *reſponſ.*

§. Ultim.

CUm res in jusjurandum demiſſa ſit, judex jurantem abſolvit; referentem audiet: & ſi actor juret, condemnet reum: nolentem jurare reum ſi ſolvat, abſolvit; non ſolventem condemnat: ex relatione non jurante actore, abſolvit reum.

Agitur hoc §. de judicis officio circa condemnationem vel abſolutionem in delato vel relato jurejurando; de quo abunde ſupra.

LEX XXXV. PAULUS lib. 28. ad Edictum.

TUtor pupilli omnibus aliis probationibus deficientibus jusjurandum deferens audiendus eſt: quandoque enim pupillo denegabitur actio. §. 1. *Prodigus ſi deferat jusjurandum audiendus non eſt. Idemque in caeteris ſimilibus ei dicendum eſt: nam ſive pro pacto convento, ſive pro ſolutione, ſive pro judicio hoc jusjurandum cedit, non ab aliis delatum probari debet, quam qui ad haec habiles ſunt.* §. 2. *Qui non compelluntur Romae judicium accipere, nec jurare compellendi ſunt: ut legati provinciales.*

Expoſita eſt ſub *l.* 3. *D. h. t.*

LEX XXXVI. ULPIANUS lib. 27. ad Edictum.

SI actor deferat jusjurandum de ſolu conſtituta pecunia, & reus juraverit, exceptione utetur ſi de conſtituto conveniatur: ſed ſi de ſorte, id eſt, de priore obligatione conveniatur, exceptio ceſſabit; niſi de hac quoque juraverit adverſario deferente.

Praecognoſcendum eſt, quod qui nudo pacto promittit ſe ſoluturum quod ipſe vel alius debet, dicitur pecuniam conſtituere, & ex conſtituto obligatur: nec tamen tollitur prior obligatio, *l. ſi filiusfam.*

15,

Digitized by Google

15. *D. in rem verſo. l. ubi autem* 28. *D. de pecun. conſtit.* eaque prior obligatio vocatur ſortis obligatio, *hac l.* & in *l. item illa* 18. §. *vetus* 3. *D. de pecun. conſtit.* eo quod prima & principalis obligatio eſt, cui altera accedit, quemadmodum ſors dicitur ſumma illa principalis, cui accedunt uſurae, *l. ſi non ſortem* 26. *D. de condict. indeb. l. penult.* §. *filiae* 1. *D. ad l. Falcid.* Alia igitur obligatio eſt, ex qua debetur initio res; alia, quae oritur ex conſtituto: nec altera alteram conſumit. Quod cum ita ſit, facile eſt intelligere rationem hujus reſponſi: qui enim agit conſtitutoria actione, & defert jusjurandum reo, ſi poſtea agat ex priore obligatione, non obſtabit ei exceptio jurisjurandi praeſtiti in actione conſtitutoria: quia fieri poteſt nullum fuiſſe factum conſtitutum, quemadmodum reus juravit, & tamen nihilominus rem deberi ex priori obligatione. Agitur ergo hic ex alia cauſa: ſimile habuimus in *l. in duobus* 28. §. *exceptio* 4. *D. eod.*

LEX XXXVII. Ulpianus lib. 33. ad Edictum.

SI non fuerit remiſſum jusjurandum ab eo, qui detulerit, ſed de calumnia non juratur, conſequens eſt, ut debeat denegari ei actio: ſibi enim imputet, qui proceſſit ad delationem jurisjurandi, nec prius de calumnia juravit, ut ſit iſte remittenti ſimilis.

Explicata eſt ad *l.* 34. §. *qui jusjurandum* 4. *D. eod.*

LEX XXXVIII. Paulus lib. 37. ad Edictum.

MAnifeſtae turpitudinis & confeſſionis eſt, nolle nec jurare, nec jusjurandum referre.

Explicata eſt ad §. *ait Praetor* 6. *d. l.* 34. Caeterum admittenda non eſt illa limitatio, ut vocant, Hippolyti de Marſiliis, quam ponit in ſuis ſingularibus *ſingul.* 83. nempe legem hanc non habere locum, niſi quando actor aut ſemiplene probavit, aut vehementem pro ſe praeſumptionem habet: nam cum Paulus hic non diſtinguat, nec nos diſtinguere debemus. Praeterea aequitatis ratio poſtulare videtur, ut aut reus juret, aut jusjurandum referat: niſi in caſu, de quo dixi ad §. *ait Praetor* 6. *l.* 34. *D. h. t.*

LEX XXXIX. Julianus lib. 10. Digeſtorum.

SI quis cum debitore ſuo pepigerit, ne ab eo pecunia peteretur, ſi juraſſet ſe Capitolium non aſcendiſſe, vel aliud quodlibet feciſſe vel non feciſſe, iſque juraverit, & exceptio jurisjurandi dari debebit, & ſolutum repeti poterit: eſt enim juſta conventio, ſi quaelibet cauſa in conditione jurisjurandi deducta fuerit.

Illud tantum hoc loco notandum eſt, non improbari conditionem jurisjurandi de praeterito, imo ne de futuro quidem in contractibus: quod etiam confirmatur ex *l. ſi cum patruo* 6. *C. commun. utriusq. jud.* ſed reprobatur quidem conditio jurisjurandi de futuro, *l. quae ſub conditione* 8. *D. de condit. inſtit.* De factis enim praeteritis tuto jurare poſſumus; de futuris non item. Si quis igitur promittat, ſe non petiturum ſi debitor juret, ſe nunquam intraſſe Capitolium, & debitor juraverit, petente poſtea creditore obſtabit exceptio jurisjurandi, inquit Julianus; ubi certe improprie aut nimis conciſe loquitur Julianus: non enim per ſe obſtat exceptio jurisjurandi; quid enim ad rem pertinet, ſi conventus debitor reſpondeat tantummodo, ego juravi me nunquam aſcendiſſe Capitolium? nihil enim hoc ad minuendam petitionem debiti. Intelligendus igitur Julianus eſt, quaſi diceret; exceptio ex pacto convento dari debet propter praeſtitum juramentum. Addit & ſolutum hoc caſu repeti poſſe; id eſt, ſi debitor poſt jusjurandum praeſtitum per errorem ſolverit, poterit repetere, quia quod quis tutus exceptione perpetua ſolvit, repetere poteſt, *l. ſi non ſortem* 26. §. *indebitum* 3. & *l. qui exceptionem* 40. *D. de condict. indeb.*

LEX XL. Idem lib. 3. Digeſtorum.

JUsjurandum a debitore exactum efficit, ut pignus liberetur: eſt enim hoc acceptilationi ſimile. perpetuam certe exceptionem parit. Idcirco pactum quoque petentem creditorem exceptione ſummoveri oportet: & ſolutum repeti poteſt: utpote cum interpoſito eo ab omni controverſia diſcedatur.

In contractibus eadem ratio eſt dandi pignoris & fidejuſſoris; nempe ut hoc modo ſecurus ſit creditor, ſi forte debitor facultatibus labatur, *l.* 1. *D. qui ſatiſd. cog. princip. Inſtit. de fidejuſſ.* §. *ult. Inſt. quib. mod. re contrah. oblig.* & ideo pro pignore vel hypotheca accipi poteſt fidejuſſor, & e diverſo: & ſi pro hypotheca acceptus ſit fidejuſſor, liberatur hypotheca; ſi pro fidejuſſore hypotheca, liberatur fidejuſſor, *l. ſolvitur* 5. §. *ſi convenerit* 2. *D. quib. mod. pign. vel hypoth. ſolvit.* Ambo enim, pignus ſcilicet & fidejuſſor, acceſſiones ſunt principalis obligationis, & ideo, ſublata principali cauſa, conſiſtere non poſſunt, *l. nihil dolo* 129. §. 1. *D. de regul. jur. l. eos* 26. *C. de uſur. l. item liberatur* 6. *D. quib. mod. pign. vel hypoth. ſolvit.* ubi dicitur *pignus liberari ſi quo ratio ne obligatio ejus finita eſt.* Ergo qui jurat ſe non debere, efficit ne pignus obligetur, vel ne fructus peti poſſint, quemadmodum & e diverſo, qui jurat rem ſuam eſſe, petere poteſt fructus & partum, *l. ſed ſi poſſeſſore* 11. §. *proinde* 1. *D. h. t.* Huc pertinet *l. ſi deferente* 13. *D. quib. mod. pign. ſolvit.*

LEX XLI. Pomponius lib. Singulari regularum.

LAbeo etiam abſenti, & ignoranti jurisjurandi gratiam fieri poſſe reſpondit. Sed & per epiſtolam gratia jurisjurandi fieri poteſt.

Remiſſio jurisjurandi pendet ex voluntate deferentis, quemadmodum & delatio: ut igitur deferri poteſt abſenti, *l. generaliter* 12. § [illegible] *C. eod.* ita etiam & remitti aequum eſt: veluti ſi ei, cui delatum eſt jusjurandum, datum ſit ſpatium deliberandi ut juret, *l. jusjurandum* 34. *D. h. t.* poteſt interea is, qui detulit facere gratiam jurisjurandi, etiam abſenti, ſive per nuncium ſive per epiſtolam, ex Labeonis ſententia hic. Et eſt ratio, quia, ut idem Labeo docet, pacta & conventiones fieri poſſint iis modis, *l.* 2. *D. de pact.* Notandum igitur eſt ex hoc loco, eum poſſe liberare, qui obligat. Unde ſi quis me poſtulante juraverit ſe mihi ſoluturum decem cal. April. ſi ego illi poſtea terminum prorogavero, libero illum a perjurio, ut non neceſſe habeat ſolvere. Unde dici ſolet, quemlibet vim habere Apoſtolicam in relaxando juramento, quod ejus ſolius gratia interpoſitum eſt, *arg. cap.* 1. *extra.* [illegible] Et quae impediunt moram liberant a perjurio, *l. qui decem* 72. §. *cum Stichum* 1. *D. de ſolut. cap. brevi* 17. *extra. de jurej.* Nam, ut ait Bartolus, licet Deo quaeſita ſit obligatio ex jurejurando, tamen non principaliter, ſed parti: & ideo hoc maxime reſpicit Deus, ut partes inter ſe conveniant. Nec obſtat quod matrimonium mea remiſſione diſſolvi non poſſit; quia continet myſterium Eccleſiae cum Chriſto, & ideo non ſolius hominis gratia vinculum illud indiſſolubile eſt.

LEX XLII. Idem lib. 18. Epiſtularum.

CReditore, qui de mutua pecunia contra pupillum contendebat jusjurandum deferente, pupillus juravit ſe dare non oportere: eandem pecuniam a fidejuſſore ejus petit. An excludendus ſit exceptione jurisjurandi? quid tibi placet reſcribe mihi. Eam rem apertius explicat Julianus: nam ſi controverſia inter creditorem & pupillum fue-

Digitized by Google

rit aa omnino pecuniam mutuam accepiſſet, & convenit ut ab omni conditione diſcederetur, ſi pupillus juraſſet, iſque juraverit ſe dare non oportere, naturalis obligatio hac pactione tolletur: & ſoluta pecunia repeti poterit. Sin vero creditor quidem ſe mutuam dediſſe contendebat, pupillus autem hoc ſolo defendebatur, quod tutor ejus non intervenisſet, & hoc tale jusjurandum interpoſitum eſt, hoc caſu fidejuſſorem Praetor non tuebitur. Si autem liquido pro'ari non poteſt, quid actum ſit, & in obſcuro erit, ut plerumque fit, de facto an de jure inter creditorem & pupillum controverſia fuerit, deferente creditore pupillum juraſſe, intelligere debemus, id actum inter eos, ut ſi juraſſet ſe dare non oportere, ab omni conditione diſcederetur: atque ita & ſolutam pecuniam repeti poſſe: & fidejuſſoribus exceptionem dare debere exiſtimabimus.

Titius mutuam pecuniam dedit pupillo ſine tutoris authoritate, eamque a fidejuſſore ſtipulatus eſt: deinde cum eam pecuniam a pupillo peteret, detulit ei jusjurandum. Pupillus juravit ſe dare non oportere: quaeritur, an ejus jusjurandum proſit fidejuſſori, ſi ob fidejuſſionem ſuam a Titio fuerit conventus. Haec eſt ſpecies & quaeſtio *hujus legis*, quam Pomponius per ſententias & diſtinctiones explicat. Ut igitur tota res planius intelligatur, ſcire oportet, duplicem in jure conſiderari obligationem; unam naturalem, alteram civilem; quas Papinianus *naturale vinculum & civile vinculum* vocat, *l. ſi fidejuſſor. 56. D. de condict. indeb.* Naturalis obligatio ſola non parit actionem, ſed tantum exceptionem; & ideo minus proprie deberi dicitur quod naturaliter tantum debetur, quia exigi non poteſt, *l. fidejuſſor 16. §. fidejuſſor 3. D. de fidejuſſ.* Sed ſi quod naturaliter debetur ſolutum fuerit, repeti non poteſt, *l. naturaliter 13. D. de condict. indeb.* Civilis vero obligatio etſi pariat actionem, tamen ea obligatio plerumque eliditur per exceptionem, & ita redditur inefficax; praeter admodum paucas obligationes civiles, quae abſque ullo naturali vinculo gignunt actiones efficaces, id eſt, cum executione, ut obligatio ex ſententia, inique lata, quae tranſivit in rem judicatam, *l. 4. D. de re judicat.* Tunc igitur dicitur aliquis efficaciter obligari, quando obligatur naturaliter & civiliter: atque ejuſmodi obligatio eſt, quae definitur *in princip. Inſt. de oblig.* Deinde ſciendum eſt, pupillum ſine tutoris authoritate mutuam pecuniam accipiendo nunquam civiliter obligari, *l. obligari 9. D. de author. & conſenſ. tutor. §. nunc admonendi 2. Inſt. quib. alien. licet vel non.* Naturaliter vero interdum obligatur pupillus, interdum non. Obligatur quidem ſi locupletior factus ſit, *d. l. naturaliter 13. §. ult & l. ſeq. D. de condict. indeb. l. 1. D. de novat.* quamvis hoc caſu ſint, qui putant pupillum civiliter obligari; quod videtur probari per *l. 5. D. de author. & conſenſ. tutor.* ſed verius eſt, utilem illic actionem dari ex naturali obligatione, ex reſcripto divi Pii. Si vero non factus fuerit locupletior, ne naturaliter quidem obligatur, *l. pupillus 59. D. de oblig. & act. l. quod pupillus 41. D. de condict. indeb.* Tertio ſciendum eſt, quod ubicunque naturalis eſt obligatio, ibi fidejuſſor accipi poteſt; ita ut conveniri poſſit fidejuſſor, quamvis is, pro quo fidejuſſit, nulla actione teneatur, *d. l. fidejuſſor obligari 16. §. fidejuſſor 3. D. de fidejuſſ. l. ſi pupillus 127. D. de verb. oblig. d. l. naturaliter 13. verſic. Et ob id. D. de condict. indeb.* His ita cognitis ad quaeſtionem in principio poſitam redeamus, ubi dubitandi cauſa haec videtur, quod jusjurandum rei prodeſt etiam fidejuſſori, *l. in duobus 28. §. 1. D. h. t.* & ſublata principali obligatione tollitur acceſſio (ut ſupra diximus) nec poteſt fidejuſſor obligari ei, apud quem reus obligatus non eſt, *d. l. fidejuſſor 16. in princip. D. de fidejuſſ.* At non eſt amplius obligatus pupillus, quia naturale vinculum, quo ſolo tenebatur, per jusjurandum ſublatum eſt, *l. Stichum 95. §. naturalis 4. D. de ſolut.*

In ſolutione igitur hujus quaeſtionis Pomponius, ex Juliani ſententia, adhibuit diſtinctionem, utrum ſcilicet de jure, an de facto, controverſia fuerit, id eſt, utrum ideo pupillus juravit ſe dare non oportere, quia pecunia ei credita fuit ſine tutoris authoritate (hoc enim eſt jurare de jure: quia ita jure civili conſtitutum eſt in negotiis contractis cum pupillo ſine tutoris authoritate) nam tunc non liberatur fidejuſſor, quia manet naturalis obligatio, cui acceſſit; nam fatetur pupillus ſe pecuniam accepiſſe. An vero ideo juravit ſe non debere, quia non contraxit cum creditore: & tunc quia de facto, id eſt, de contractu ipſo jurat, liberatur fidejuſſor exceptione jurisjurandi. Quod ſi incertum ſit, utro modo juraverit, praeſumendus eſt potius juraſſe ſuper tota quaeſtione, propter favorem reorum, vulg. *l. Arrianus 47. D. de oblig. & act.* quod ſingulariter eſt notandum.

§. Si Fidejuſſor. 1. &c.

SI fidejuſſor juraverit ſe dare non oportere, exceptione jurisjurandi reus promittendi tutus eſt: atquin ſi quaſi omnino idem non fidejuſſiſſet juravit; non debet hoc jusjurandum reo promittendi prodeſſe. §. 1. Sed & ſi actore deferente defenſor abſentis vel praeſentis juravit, eum, quem defendit, dare non oportere, exceptio jurisjurandi ei, cujus nomine jurandum fuerit, dari debebit. Eadem ratio eſt & ſi fidejuſſoris defenſor juraverit: reo enim detur exceptio. §. 3. Item ſi reus juravit, fidejuſſor tutus ſit: quia & res judicata ſecundum alterutrum eorum utrique proficeret.

Agitur hic de jurejurando fidejuſſoris, an & quatenus reo proſit. In qua re haec diſtinctio ponitur, ut ſi fidejuſſor juraverit de ipſo contractu & re, ſcilicet aut nullum fuiſſe contractum, aut ipſum eſſe ſublatum, proſit illud jusjurandum reo: ſi vero juraverit de ſua perſona, id eſt, ſe non fidejuſſiſſe, illud jusjurandum non proſit reo; quia fieri poteſt quod reus teneatur, licet iſte non fidejuſſerit. Simile traditur *l. in duobus 28. §. 1. D. h. t.*

F I N I S.

MAR.

Digitized by Google

MARCI VERTRANII MAURI

DE

JURE LIBERORUM

LIBER SINGULARIS.

AD

JANUM ANGELUM PAPIUM

Neapolit. JCtum, Profeſſorem apud Cavares Primarium,

P. BUGNONIUS, *Matiſcenſis JCtus.*

Q *Bruxam Veteres dederunt operam, Magnifice Papi, ut matrimoniis imperia & Reſpublicas* hominum adjectione potius, quam pecuniarum copia *replerent*, l. 7. §. 3. D. de bon. damn. *ne ſi pars civium major connubiis abſtineret, vel genus humanum prorſus intercideret, vel urbes perpetuo moeſtitia elangueſcerent. Ita cum civilis ratio ac diſciplina nihil ab iis egregium fieri nanciſceretur, neque experiretur ipſa, qui domos ſine uxoribus habitarent, quive nullum vel perquam ſane rarum commercium cum familiis haberent, maluit ea quidem nuptias celebrari, quam multos ſolitario ac coelibes vivere. Nec tantum laudavit eos, qui nuptias contraxiſſent, ſed etiam maximis honoribus, & praemiis ampliſſimis afficere ſtuduit. Cujus rei Julius Caeſar teſtis eſt locupletiſſimus, qui autore Appiano* lib. 2. Bell. civil. *in agrorum diviſione, eos, qui circa Capuam erant, quod aliis eſſent foecundiores, trium liberorum patribus dividi juſſit: qui triplicem antea frumenti teſſeram accipiebant, Suetōn* Auguſt. cap. 40. *& in magiſtratuum petitione longe caeteris praeferebantur. Ejus item teſtis edita eſt lex Julia de maritandis ordinibus. Contrahuntur itaque matrimonia, cum propter affinitates ac amicitias, Sueton.* Jul. Caeſ. cap. 21. *quae hominum animos inter ſe colligant & vinciunt, tum etiam* ad ſobolem procreandam, replendamque liberis civitatem, l. aſſiduis 12. §. 1. C qui potior. in plg. l 1. D. ſolut. mat. *Plutarch.* Apophth. Lacon. de Lycurg. *Ariſtot.* 1. Polit. 7. *Sed nihil jucundius eſt in nuptiis, nihil gratius, quam pulcherrimam habere prolem, in eaque alenda ſtrenuam operam navare: nihil infoelicius, quam ſine foetu conjuges ſteriles vivere: nihil denique odioſum magis, quam prae orbitate extraneos adoptare liberos cogi, qui ut plurimum familiae nomen impoſitum moleſte ferunt, nec ita pie Manes patrum adoptantium venerantur, atque ſi veri & proprii nati eſſent.*

Circa ergo procreationem liberorum majus ſemper fuit priſcorum ſtudium, quod maxime vererentur, ne civitates ſuas abſque civium copia & multitudine tueri ab hoſtibus non poſſent. Verum liber hic ſingularis, quem Marcus Vertranius Maurus, diſcipulus quondam Aemylii Ferreti, & auditor tuus, fideliſſimusque ſtudiorum meorum comes, in aeternam poſteritatis memoriam edidit, de iis omnibus pertractat ampliſſime, quae tu calles apprime omnia. Nec is ſane es, cui in legendis noſtris remorandum ſit: niſi te forſan benevolentia in nos tua ad id currentem jam, valdeque incitatum trahat, inter occupationes illas graves, quae alio in dies te ſubinde ſubindeque rapiunt. Illud mihi quam notiſſimum eſſe nihilo plus dubitas, quam me eum eſſe, qui ſemper fuerim, id eſt, tui ſtudioſiſſimum, exiſtimationisque tuae fautorem. Qua de re ſub tuo nomine, Papi ornatiſſime, operae pretium exiſtimavi novos Juſtinianeos certiores reddere hujus inſtituti, tituliique de liberorum Jure, *quo qui olim frui liberis nixi ſunt, ne a principe impetrarent, ex legis praeſcripto voluntarie nupſerunt*, l. libera 2. C. de inutil. ſtipul. c. Gemma 29. de ſponſ. & ſimil. *Lugdun. Calend. Octob. anno Chriſti* 1558.

MAR-

MARCI VERTRANII MAURI

AD

PHILIBERTUM BUGNONIUM,

Matiſc. JCtum.

P R A E F A T I O.

MAgni viri noſtri majores ex Urbis moribus & modo Reſpubl. orbis Romani politice fundaturi, ornatiſſime Bugnoni, nihil ſe potius mentibus cogitando veriaſſe(?) teſtati ſunt, quam ut hominibus replerent & popularent civitates. Quibus enim cordi curaeque fuit in oras orbis extremas imperii fines proferre, conſilium experientia laudandum in animum inductum erat, ſe multitudine hominum libertatis in hoſtes ſeveros aſſertores, & dignitatis ac ſplendoris autores, exteros debellantes glorioſiſſime forte futuros, aliterque non poſſe. Hinc a Cadmo per manus acceptum jus aſyli, hinc leges tutelares, quibus peregrinos Romae fovebant, ut olim jam olim Athenis, Epheſi, Thebis, Trojaeque. Nec ſolum hoc priſcis ſtudium fuit alienigenas aſciſcendi, aſcitos receptosque fovendi in ſinu civitatis, cum & civibus inter eos liberis replentes civitatem, honores ampliſſimos contulerint, privilegia tribuerint, immunitates conceſſerint. Ita ne quando matrimoniis ſpretis & nuptiis abjectis Urbs orbisque Romanus populi paucitate, hominumve penuria, dereretur, Coelibatum veteres inſtar Platonis *de Legib. lib.* 4. *&* 6. viri divini ſpiritus, prohibuerunt. Cujus rei ergo lata fuit tandem lex Julia de maritandis ordinibus, quam Julius Octavius Caeſar ex Metelli Cenſoris oratione de prole augenda integram in ſenatu recitavit. Illa uxores ducere omnes omnino coacti ſunt, ne orbitas in Urbe praevaleret. Verum habendi cupidine quoniam velis & remis, ut ita dicam, ad aureum vellus per aequora ferimur, ſicut commoti ſpecie utilitatis, hallucinamur, ſi non eſt educatio ſine curis, oneribus, laboribusque maximis, opus certe fuit ad prolem populi frequentandam, & ſobolem propagandam, honoribus, praemiis, & invitamentis animos civium allicere, & in ſententiam commoditatis reique publicae trahere, allectosque tandem in utili jure, non verbis, ſed re ipſa commoditatibus retinere, quas *Jus liberorum* antiqui nuncupaverunt. De quo tractaturus, commendationis nomine quaedam ſcriberem, niſi vererer rei magnitudini ex ſe ipſa commendatae verbis exilibus detrahere, & claritudini, quam quisque a natura deſiderat, obſcuris verbis nubilum obducere. Julii Pauli ingenio florentiſſimi Juriſconſulti, hac de re liber ſingularis argumento non diſſimili fuit, quem *de Jure libellorum* & alibi *l ſi abſentis* 11. *D. de legation.* & in Digeſtorum Indice non intelligentes appellant: & proculdubio ſi is in manus aut noſtras, aut patrum incidiſſet, humeris noſtris labor leviſſimus impenderet. Sed, ut a Triboniano poteſtatis fiducia magis, quam fide conſilii, Juriſconſultorum libri dilacerati, dilaniati, & varie diſſecti nobis per manus traditi ſunt, cum graviter moleſteque ferrem tot tantorumque virorum nullis ſedibus poſitis, nullo occupato loco, errare vagarique ſententias, ad praeſens me opus accinxi, & meliore parte mei majoreque ad *Jus liberorum* explicandum libere ſcilicet, moreque meo, tetendi arcum cogitationis meae. Eſt autem creba illius in claſſicis autoribus mentio, & crebrior in libris ſtudii noſtri, cum liberorum gratia ſolvuntur legibus parentes, etſi non ſatis id noſtra minusque patrum memoria, intellectum aut explicatum fuerit. Quisque vero ſentiet excurſu tractationis, quae commoda, quae item emolumenta ſequantur cauſam, quam Adrianus Imperator apud ſe favorabilem fore reſcripſit, ut in Pandectis relatum legimus & ſcimus, *l. cum ratio* 7. §. 3. *D. de bonis damn.* Hac de re, mi Bugnoni, tota quaeſtio futura eſt, ingenioſorum ſtudiis civilioribus excitandis non incommoda, & ad juris tum veteris tum novi cognitionem, ni fallor, non inutilis: quae libentius a me inſtituitur, quod illius autor approbando, & cenſor judicando: niſi fortaſſe nimium amicus, dum parum iniquus) fuiſſe videaris: interea hujus mihi conſcius ſum, nulla niſi antiqua proferre me, vel ab antiquis tradita, ex quorum ſcriptis tota pendet noſtra & ratio, & oratio. Tu qui me tibi comitem & ſtudiorum & laborem ſoles honoris mei cauſa dicere, ſi quae inter nos conjunctio animorum eſt, & conſiliorum communicatio, pro tua prudentia videns, & caveris utrique noſtrum: quod ſcribo ſciens cum Catullo, *Tibi haec fuiſſe & eſſe cognitiſſima.*

INDEX CAPITUM.

CAP. I. Quid ſit Jus liberorum, & definitionis explicatio.

II. Quotuplex ſit Jus liberorum, & diviſionis explicatio, conſtitutione Honorii enucleata.

III. De Juris Dativi origine, & ſenectati habita reverentia.

IV. De Jure unici filii in decimis percipiendis, & ſolidi capacitate: Tertullianus, Plinius explicati: item & tractatus de infirmandis poenis coelibatus & orbitatis.

V. De retentionibus ex dote, diſſoluti matrimonii ſpecies explicatae, & inibi Jus unici filii gratia datum ex veteri Jurisprudentia.

VI. De unico liberti, deque operis impoſitis, & impoſititiorum differentia.

VII. De filio unico Latini, & de Jure Latii & Civitatis.

VIII. De unico Decurionis filio, & obiter de Decurionum origine.

IX. Ad Jus duorum liberorum quaeſtio.

X. De duobus liberis Decurionis: ſubinde de auro coronario, & glebali praeſtatione.

XI. De duobus liberis libertini: explicatum legis Juliae caput de operis impoſitis, obiterque de infamibus & onerata libertate: varii Juris autores in variis elucidati.

XII. Quando Jus natorum liberto inutile ſit, & de operarum delegatione, deque expromiſſore & reis pluribus debendi: Pomponii ſcriptum enucleatum.

XIII. De Jure duorum, & lege Voconia reſtituta, Ciceronis & Plinii locis emendatis & explicatis.

XIV. De duobus liberis patronae, & lege Papia, Ulpiani ſcripto luce donato: deque patronae & patroni discrimine.

XV. De Jure trium liberorum ex lege Julia agraria.

XVI. De Jure trium in alimentis e publico percipiendis, & de frumentatione: Suetonius & Plutarchus repugnantes, collati.

XVII. De tribus liberis tutoris ſe excuſantis, Severi & Antonini conſtitutione, & Pauli reſponſo, explanatis.

XVIII. De patris excuſatione nodi ſoluti, Antonini reſcripto, & Ulpiani ex Opinionibus ſcripto, emendatis & reſtitutis.

XIX. De forma Juris trium in tutelae excuſatione proponendi, notatoque Scaevolae reſponſo & explicato.

XX. De tribus liberis legati, deque legationis & tutelae diſcrimine.

XXI. De tribus liberis liberti centenarii ex lege Papia, & liberti a Jure patronatus liberatione triplici.

XXII. De Jure trium verſus Juvenalis explicati.

XXIII. De tribus liberis Decurionis, deque Balentarum ſtata, & ſuper eo variis principis reſcriptis: obiterque de ordine Senatorum Pomponii ſcriptum explanatum.

XXIV. De Jure trium matribusfamilias dato; & earum ornamentis.

XXV. De matris patronae Jure trium ex lege Papia.

XXVI. De Jure trium filiabus patroni & patronae liberis competente, Caji explanata ſententia.

XXVII. De materno Jure trium in filiorum ſucceſſione, deque Senatusconſulto Tertulliano, Jure manumiſſorum parentum, & bonorum poſſeſſione. Unde x. perſonae, variis Diocletiani, Theodoſii & Juſtiniani, Ulpiani, Modeſtini, Paulique placitis luci priſtinae reſtitutis.

XXVIII. De Jure trium ex Tertulliano, Juſtiniani legibus una & altera ſublato, ſubindeque poſterioris Conſtitut. Cod. de jure liberorum explanatio.

XXIX. De Jure trium Latinae Junianae civitatem dante, & modis civitatis adipiſcendae, Ulpianus, Tranquillus, & Juſtinianus explicati.

XXX. De Jure teſtandi filiae, eidemque matri conceſſo liberorum gratia, deque veteri nuptiarum ritu & matrefamilias: inde Martiani, Modeſtini, Pauli, Marcelli, Cajique ſcripta veteri priſtinoque honori interpretatione reſtituta.

XXXI. De tutelae liberatione ex Jure trium, deque veteri jure tutelae perpetuae mulierum, varia Jurisprudentum ſcripta illuſtrata.

XXXII. De Jure quatuor liberorum gladiatori primum conceſſo, explicatus Suetonius in Tiberio & Claudio, & Rudis ſignificatio expreſſa.

XXXIII. De Jure quatuor, patrem in Italia a tutela excuſante.

XXXIV. De matre libertina filio ex SCto Tertulliano ſuccedente.

XXXV. De liberta Jure quatuor a tutela patroni exiliente.

XXXVI. De Jure quinque liberorum, & patris excuſatione a tutela, deque inter Romam, Italiam & provincias ratione diſcriminis.

XXXVII. De ſacerdotiis provinciarum, deque priſcis ſacerdotibus, & Jure liberorum eos excuſante, ex Ulpiano, Papiniano, Hermogeniano, Modeſtino, Plinio, Cicerone, Suetonio, Iſidoro loci illuminati: Inſcriptiones veteres & conſtitutiones ex Theodoſiano relatae & explicatae.

XXXVIII. De Jure quinque in remiſſione perſonalium munerum, deque operibus publicis, & muris reficiendis, Marcellus & Ulpianus elucidati: itemque de munere ſitoniae, & Trajani ad Plinium epiſtola obiter explanata.

XXXIX. De matrum ob quinque natos excuſatione, Gordiani & Philippi conſtitutiones declaratae, & illis Ulpianus conciliatus.

XL. Deprecatio culpae pro Jure ſex, ſeptem, octo, novem, decem, & undecim liberorum omiſſo: inibi quaedam Beroaldi relata.

XLI. De Jure XII. XIII. & XVI. natorum, Claud. Juliani A. reſcriptum caſtigatum & evolutum, itemque Aelii Pertinacis, & ſubinde Ulpiani regula juris.

XLII. De liberis & filiis, qui eorum appellatione contineantur, enucleata Jurisprudentum ſcripta varia, & ſententiae conciliatae, Juliique Pauli locus emendatus ex literis Antonii Vaccae Juriſconſulti.

XLIII. De varia & multiplici filiorum ſpecie, Ulpiani, Pauli & Javoleni ſcriptis enucleatis, & quaeſtione de nepote, avo paterno in adoptionem dato, item & de illegitimis, qui fiant juſti principis reſcripto, explicata.

XLIV. Liberos incolumes eſſe ad Jus natorum oportere: & in obſidione mortui qui intelligendi apud Ulpianum: an item religioni addicti aut poenae proſint, & quo tempore vivos filios exigant leges, quove mortuos negligant, vetus quaeſtio tractata; & Ulpiani ſcriptum Conſtantinique reſcriptum explanatum.

XLV. De natorum Jure Impetratitio, ejusque & Dativi diſcrimine, deque forma impetrandi, & ejus prima in uſum deductione.

XLVI. De Impetrativo Jure communi, explicatus Ulpiani locus, & Iſidori alter, agitataque Honorii & Theodoſii conſtitutio.

XLVII. Impetrativum Jus trium olim ut fuit conceſſum, hodie quoque dari poſſe, & an perpetuum viventi fuerit, ponſitata Epigrammata Martialis.

XLVIII. Fueritne Jus quatuor exoratum a principibus, expenſus Claudius Tranquillo: Statius quoque, & ſuper eo Julii Pauli ſententia.

MAR-

MARCI VERTRANII MAURI
DE
JURE LIBERORUM
LIBER SINGULARIS.

CAPUT I.

Quid ſit Jus liberorum, & definitionis explicatio.

QUamquam inauditae & minus uſitatae rei definitorem ſe praebere, uſum meliore per omnia ingenio & animo virum deceat; ne tamen lateat propoſiti ſignificatio, & nomen & famam in diſcrimine periculoque verſari malo, quam juris quaeſtionem, utilitate percelebrem & tractationis novitate pleriſque commendabilem, in ſomno a tot ſeculis oblitam, & in pulvere ſemiſepultam, pro nihilo aut pro derelicto habere. Sic igitur definio Jus liberorum, ut ſit *Privilegium publicae foecunditatis, quod parentibus reſcripto principali, aut legibus conceditur.* *Privilegium* dico, ut ſingulis duntaxat hominibus, non univerſis, competat Juris liberorum uſus, in privatorum ſolatium prodito jure ſingulari: *priva* enim Antiqui *ſingula* dicebant, ut ex Lucilio Marcellus, Feſtus, & Gellius *lib.* 10. *cap.* 20. ſcribunt: quo ſenſu Horatius alicubi [*l.* 2. *Serm. ecl.* 5. *verſ.* 11.] & Livius *lib.* 30. *cap.* 44. id nomen uſurparunt. Unde *privilegium*, ſicut *ſpicelegium* Varronis & *aquilegium*, *Epiſt. Theodorici regis*; item & *collegium* dicimus, pro jure ſpeciali de multis in alicujus gratiam collecto. *Privilegiorum* autem quoniam alia cauſae ſunt, quae res affectas reddunt; alia perſonae, quae cum perſonis extinguuntur, *l. privilegia* 196. *D. de regul. jur.* horum alia atque alia conſideratio eſt. *Privilegia* namque *perſonalia* dicuntur, & quae nominatim legibus aliquem ſolvunt, illique ſoli competunt, *l.* 15. *C. Th. de extra. & ſord. mun.* item & illa, quae perſonis conceſſa primum, in eadem cauſa ſimiles quoque complectuntur, Zaſ. *reſp.* 2. *cap.* 4. ſingulis tamen, non univerſis diſſimilibus data. Hujuſmodi quando ad ſingulos ſpectant, & ſingulorum perſonae, ut individua numquam deficiunt, ex formula conceſſionis perpetuitatem continent. Unde ſunt militibus, tam tironibus, quam veteranis, pupillis, fiſco, mulieribus, & juris ſtudioſis conceſſa privilegia, quae & poſt illos, quibus conceſſa primum, eadem vigente ratione in poſteris locum habuerunt: qua in re non diſtinguo ut veteres, tam Galli quam Itali, Petr. & Cin. *l. haeredes* 20. *C. ad Senatuſc. Vellejan.* Bal. *conſ.* 355. *lib.* 2. Bartol. *l.* 1. *de conſt. princ.* inter quos numquam, ut ſunt homines, conveniet. Principio igitur jus natorum non alicui nominatim ut proprium conceſſum fuit, ſed ſingulis ſimilibus, qui liberos ſuſtuliſſent, illorum gratia honores, aut ab oneribus vacationes, conceſſae fuerunt. *Publicae* vero *foecunditatis* privilegium dicitur, quod ob ſobolem procreatam parentibus utriusque ſexus, Reipublicae charis, &, ut ajunt Caeſares, *l. deportato* 8. *l. ſi aliquis* 9. *C. Th. de bon. proſcript.* gratioſis conceſſum fuiſſe legimus, in reliquiis Theodoſiani. Nihil enim ducunt Reſpublicae melius, nihil habent antiquius aut gratius, nihil civitates honoratius, quam ut populo frequentatae, repleant ſedes ordinum, & augeant imperium hominibus liberis, *l.* 1. *D. ſoluto matr. l. hoc modo* 64. §. 1. *D. de condit. & dem. l. cum ratio* 7. §. 3. *D. de bon. damn.* Ideo quoniam praemio & poena in officio retinetur ſtatus Platonicae civitatis, quo magis in orbe Romano ad matrimonia prorumperent ſinguli cives, & ad ſobolem procreandam excitarentur, fuere inter veteres conſtitutae leges, honores & onerum immunitatem parentibus proliſeris, qui reſpublicas foecundarent, concedentes. De illis legibus Socrates Soſomenus ita ſcribit: Ἔθεντο δὲ τῦτον οἱ παλαιοὶ Ῥωμαῖοι, πολυάνθρωπον ἐθέλοντες τὴν Ῥώμην, καὶ τὴν ὑπήκοον οἰόμενοι, καθότι ὀ πρὸ πολλῦ τῶν ἔτυχον ἀποβαλόντες τὰ σώματα ἐν ἐμφυλίοις πολέμοις. Quae verba *Tripartitae lib.* 1. *cap.* 9. voluit Latina feciſſe Caſſiodorus, hoc modo: *Caeterum has leges priſci Romani poſuerunt, frequentatam hominibus Romam, & illius ſubdita ditioni fore arbitrantes, propterea quod non multum ante plurimos in bellis inteſtinis amiſiſſent.* Hinc promitur Juris liberorum inveniendi cauſa, & introducendi ratio, *quod parentibus reſcripto principali, aut legibus conceditur*: quae verba ſunt in definitione poſita, ut ſignificent ſimul & exprimant duplex eſſe *Jus hoc natorum*, de quo loquimur: quod ita Martialis vocat, ut *Jus Coloniarum*, *Jus Latinorum*, *Quiritium*, *Civitatis*, *Suffragii*, & *Poſtliminii* ab antiquis dictum ex ſcriptis novimus.

CAPUT II.

Quotuplex ſit Jus liberorum, & diviſionis explicatio, conſtitutione Honorii enucleata.

SCiendum itaque, Jus liberorum in duo genera diduci ex duplici cauſa efficiente: unum eſt, quod *Dativum*, alterum, quod *Impetratitium* factitiis verbis dixerim. Illud ſiquidem leges tam veteres, quam novae tribuunt, foecundiſque parentibus concedunt: & quoniam iis, qui liberos ab uno ad ſexdecim ſuſtulerunt, legibus latis ſcriptum & datum eſt, *Dativi* nomen habet, quod ab antiquis legibus datum, & deinde a Theodoſio liberos habentibus conceſſum, amplius nec petere, nec exorare oporteat. Adeo ut cum favorem liberorum ſentiendi ſe offert occaſio, nihil jam amplius parentibus opus ſit, quam de liberis excipere, & eorum nomine opponere ad onerum vacationem, aut honores obtinendum: quo jure Romani veteres utebantur, non quidem paſſim, aut ſine judice, ſed cum cauſae cognitione, ſi modo excuſatio muneris, aut commodi affectatio ſua aequitate nitebatur: quo caſu Jure liberorum vacationes, aut favores per judicem parentes conſequebantur, ſi vera Ulpianus ait *l.* 1. *D. de vac. mun.* Succeſſu tamen temporis cum imperio rebusque Romanis, in civium libertatem Imperatorum ditione incrementum recipiente, ut principes occaſionem beneficiorum, & numeroſam obligandi imputandique materiam nacti a civibus rogari geſtiebant (ut inquit Plinius *in Panegyrico cap.* 39.) paulatim Jus liberorum peti, & deinde orari coepit: adeo ut quod priſcis civibus ipſo jure competebat, & ipſi ſuo jure ſibi vindicabant, fuerit tandem ut beneficium a Caeſaribus indultum, & poſtulatum: quod ex epiſtola Conſtantini ad Dalmatium in promptu eſt & patet *l.* 1. *C. Th. de his qui num. liber.* & *l. ult. C. Juſt. eod.* Verum enim vero ad faſtigium imperii Honor. & Theod. evecti, inanem & non neceſſariam diſcernentes impetrationem juris, quod ex legibus communique jure compete-

peteret, quodque veteres ſibi, liberis ſuperſtitibus, per judicem vindicaſſent, & iniquum judicantes ſuaque juſtitia indignum ab homine peti, quod Deus dediſſet, legibusque jus antea tributum, non niſi praemiis, aut precibus concedere: eos, qui legitimum natorum numerum haberent, ſublata in poſterum impetrationis ſolemnitate, voluerunt Jure patrio praemia, honores, item & vacationem onerum, cum priſca priſtinaque libertate, ſibi poſſe vindicare, ex latis jam ante legibus & principum reſcriptis. Auguſtorum autem verba ſunt, *l. 1. C. de jure lib. §. ult. Novel. at liberti de caeter. nun. Nemo poſthac a nobis Jus liberorum petat: quod ſimul hac lege omnibus concedimus.* Unde, jure parentibus natorum gratia conceſſo, impetratione opus non eſſe quis non videt? Debet enim communiter omnibus conceſſum intelligi, qui liberos Imperatorum conſpectui offerentes, eorum & propriorum nomine idipſum Jus natorum petere potuiſſent; de cujus aequitate cognoſcet Juridicus: haec ita, ut generalis conceſſio juris gratioſa intelligatur, duntaxat in eorum favorem, qui idonei erant juris ex impetratione recipiendi, *arg. l. adigere 6. §. quamvis 2. D. de jure patr.* gloſſ. & Bart. *l. 1. C. de ſacr. eccl. l. ut gradat. 11. §. etſi 1. D. de muner.* Quod voluerunt Impp. conſtituere, non ut quibusdam placuit, Jus liberorum etiam orbis communicare, & tollere: ſi enim generaliter ſuſtuliſſent, inanis & evanida Juſtiniani conſtitutio fuisſet, qua mulieres ſteriles multis poſt annis, proliferis exaequavit, ut de Jure materno trium liberorum ſubjicimus; quae ante nos dotibus ingenii florentiſſimus Duarenus, idem argumentum tractans *libro priore Diſputationum cap.* 40. enucleavit. Et haec ſint προλεγόμενα de *jure Dativo*. Aliud *Jus* natorum *Impetratitium* diximus, quod ſolitarii, vel orbi liberis, ſterile parumque foelix experti matrimonium, impetrabant: etſi principes non niſi parce & cum delectu, fortunae (ut dicebant) malignitati indulgentia peculiari ſubvenientes, & bene in aliquem affecti, optime de eo mereri volentes, honoris cauſa concederent: quare Jus hoc apud Romanos *Honorarium* dictum quidam (Longol. *ad Plutarch. περὶ φιλοστοργίας*) ſcriptum reliquit. Porro qui obtinebant, ſummum ſe pretium conſequi exiſtimabant, & juris impetrati, ut magni beneficii maximam habebant gratiam, vel Plinio ad Trajanum in teſtem citato, *libro Epiſtolarum* 10. *Epiſt.* 2. 95. & 96. At neſcio, cur nihil fere niſi de *jure trium Impetratitio* in claſſicis autoribus legamus, apud Plinium non uno loco *in Epiſtolis lib.* 2. 7. & 10. apud Martialem ſaepiſſime, ut cum *lib.* 2. *Epig.* 92. a Caeſare jus petit natorum, & de eo exorato *lib.* 3. *Epig.* 94. in Naevolum gloriatur, & ad uxorem ſe obtinuiſſe ſcribit,

Natorum mihi jus trium roganti
Muſarum pretium dedit mearum
Solus qui poterat.

Equidem cogitationes meas excurrens, animadverti Jus liberorum ſimpliciter & indefinite petitum a veteribus, & a principibus indultum fuiſſe, cujus rei in poſterum Ulpianum autorem laudabo: ſed nominatim duorum, quatuor, quinqueve, &c. natorum jus exoratum aut petitum non memini legere: niſi de jure ſex liberorum obtento a Julio Menecrate Neapolitano Statius Papinus gratulabundus hos verſus ediderit, *Sylvarum* 4. *Sylv.* 8. *verſ.* 20.

—— Auſoniae pater auguſtiſſimus urbis
Jus tibi tergeminae dederat laetabile prolis.

Quod enim Martialis *libro Epigrammatῶn* 11. *Epig.* 13. in Zoilum ſcribit, per alluſionem & joculatorie ab urbano facetoque viro dictum puto,

Jus tibi natorum vel ſeptem Zoile detur.

Alibi autem non ſum memor, quae ſententiam noſtram labefaciant, reperiri. Illi viderint, quibus ex parte probari noſtra cupimus, quique politiori & foeliciori ingenio nati, melioribus tincti imbutique literis ſplendidiorem doctrinam colunt, quibus magis quam pragmaticis vigilo, ut eorum potius ſtudioſae voluntati inter Philologos benevole & amanter inſerviam, quam ut forenſibus negotiis ſuccurrere doceam cautores Gallicanarum, ſi Diis placet, formularum. Dixerim autem Jus trium natorum orarum ſaepius olim fuiſſe, quod plenior eſſet illius, quam caeterorum favor & indulgentia, quod excurſu tractationis notius apertiusque fiet. Haec ſi ratio non eſt (quod vereor) trium impetrationis principum auribus inculcatae, cogitare quidem amplius, ut debemus, poſſumus, at dicere nondum: & haec quaſi in quibuſdam Muſarum latebris aut Apollinis adytis relinquens ad reliqua percurro, *jus Dativum* ex ordine explicaturus.

CAPUT III.

De juris Dativi origine, & ſenectuti habita reverentia.

PRincipio placet *juris Dativi a* capite Romanarum antiquitatum originem arceſſere, quod cum hominum penuria jam res Romanae laborarent, ſimul cum ſobole neceſſaria civitati & deſiderio Reipublicae crevit, ubi fortiores imperii vires hominum adjectione, cives avere coeperunt. Fuerat enim tempus, etiam ante mores, a Lycurgi legibus in Latium Lacedaemone translatos, cum neque pecuniae, neque generis ratio, ſed aetatis duntaxat habebatur: adeo ut qui conſilio, ſententia, & ratione praepollerent, quia ſenes, in ſummum conſilium & ſenatum, ut γέροντες in Laconum γερουσίαν, ampliſſimis honoribus, diis & hominibus foeliciter victuris chari, ut Plato *de Legibus lib.* 9. volebat, in magiſtratus legerentur. Tunc *a* convivio, vel Gellio *lib.* 2. *cap.* 15. teſte, ſeniores a junioribus domum reducebantur: tunc majoribus loco cedebant minores natu: qui deûm prope & parentum vice, illos obſervarent, diligerent, vererentur & colerent, ſicut honos major rerum omnium, majori aetati habebatur, Ovid. *lib.* 5. *Faſt.* concinente, *verſ.* 57.

Magna fuit capitis quondam reverentia cani,
Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat.

& deinde, *verſ.* 63.

Nec niſi poſt annos patuit tum curia ſeros:
Nomen & aetatis mite ſenatus habet.
Jura dabat populo ſenior; finitaque certis
Legibus eſt aetas, unde petatur honos.

Ad quae reſpexit Calliſtratus *l. ſemper 5. pr. D. de jure immun.* dicens, ſemper in civitate ſenectutem venerabilem fuiſſe, & honore cum magiſtratibus pene pari. Sed cum urbis ſplendidae novitati finitimorum animos, exterorumque manus, & orbem inſenſum vererentur, UT EMINENTIA nunquam invidia carent, idem mores edocti peregrinos, de civibus illos, qui uxorem non duxiſſent, honores nullos *a* junioribus conſequi voluerunt (Platonis *de Legibus lib.* 6. exemplo) dum illos, qui liberos haberent, ſenioribus neque uxores, neque liberos habentibus praetulerunt: & honoribus ampliſſimis, & muneribus honorificentiſſimis ad Urbis multitudinem amplificandam, homines natur φιλοτίμως pellexerunt. Adeo vero ſobolis praemium extitit honor, ut ex *lege priori. C. de Conſulibus* regios faſces (de quibus Livius *lib.* 2. *cap.* 1.) poteſtas ſumendi fuerit, non plures annos natu, ſed qui liberos plures, quam collega, aut ſuperſtites, aut bello amiſſos haberet: item & de magiſtratibus lex lata, *ut numerus liberorum in candidatis praepolleret*, Tacitus *lib.* 2. *Annal. cap.* 51. Qua forte de cauſa Caleſtrius in Tribunatu liberorum jure praeceſſit Plinium, qui id ad Fabatum *lib.* 7. *Epiſtolarum, Epiſt.* 16. ſcribit. Hinc Papiniano *l. ſpurii 6. §. ult. D. de decurion. Qui plures liberos habet, in ſuo collegio primus*

ſen-

Digitized by Google

ſententiam rogatur: caeteroſque filios non habentes, in albo decurionum honoris ordine praecellit, *l. in albo 9. C. de decurionib.* Sic exemplis Reipublicae ſalutaribus, de ſimilibus ad ſimilia, Jus liberorum legibus eſt datum, & placide a civibus acceptum in orbe Romano. Supereſt igitur, ut ex Jure civili illius favores numero componamus.

CAPUT. IV.

De Jure unici filii in decimis percipiendis, & ſolidi capacitate: Tertullianus, Plinius explicati: item & tractatus de infirmandis poenis coelibatus & orbitatis.

REligio & ſanctimonia, qua unitatem numeri ſub nomine patris & matris Arith. maris item & foeminae, Arithmetici colunt, ad Deum Optim. Maxim. cogitatione referentes, facit in praeſentiarum, ne Jus unius liberi ſilentio ducam tranſmittendum. Ab illo enim ut a foote manabunt caetera, de quibus tractatio ex antiqua Juriſprudentia futura eſt, cum ad ſepultae vetuſtatis cognitionem, tum ad juris novi interpretationem non omnino inutilis. Primum itaque videamus de Jure liberorum, & commodo, quod unici filii gratia parentes ſenſerunt, tam in decimarum ratione, quam in ſolidi capacitate. Exordior ab illo legis Juliae capitulo, quod elicitur & aliunde, & ex his Tertulliani *lib. de monogam. cap.* 16. verbis: *Aliud eſt*, inquit, *ſi & apud Chriſtum legibus Juliis agi credunt, & exiſtimant coelibes & orbos ex teſtamento Dei ſolidum capere non poſſe.* Hinc fuit tempus, cum exiſtimarem lege Julia coelibes & orbos e teſtamento civis Romani capere prohibitos, & peraeque uni ac alteri relictum fiſco vindicatum fuiſſe: in qua ſententia perſtant magni nominis magnique plauſus interpretes quidam Juris civilis. Sed ubi curioſe penſitavi, quae Ulpianus hac de re non in uno loco ſcribit, diverſum jus in orbo & coelibe magis placet conjectari. Ille enim, quem in tota tractatione Juris liberorum potiſſimum autorem habemus, *De his qui haeredes inſtitui poſſint, tit. 22. Inſt.* §. 3. *in fin.* coelibem ita eſſe ſcribit, ſi tempore mortis teſtatoris vel intra diem cretionis legi Juliae paruerit: at orbi nullam mentionem facit. Idem *de caducis tit. 17. inſt.* §. 1. tractans, in caſum cadere relictum ait, ſi coelibi legatum fuerit, neque intra centum dies uxore ducta legi morem geſſerit: at de orbo nihil expreſſit, imo nec ſignificavit quidem. Inde vero, ſi deducta domum uxore intra cretionis, id eſt, centum dierum tempus; cujus ſpatio liberos tollere non potuit, qui coelebs fuerat, cepit ex teſtamento; quis dicet (orbum liberis, non uxore intelligo) teſtamento civis Romani capere non potuiſſe? Juſtior proculdubio contra coelibes ferendae legis occaſio fuit, qui ſtudioſe & conſulto a nuptiis abſtinerent, quam adverſus orbos fuiſſet, qui ſterile matrimonium experti, malignitati fortunae, ſive potius Dei voluntati orbitatem imputarent. Unde quod Plinius dixit, *Panegyr. cap.* 26. *Locupletes ad tollendos liberos, ingentia praemia, & pares poenae cohortantur, pauperibus, educandi una ratio eſt bonus princeps*, non intelligo quicquam attinere ad orbos illos locupletes, qui ab haeredipetis captabantur, quo tempore orbitas Romae in ſumma potentia (Plin. *lib.* 14. *Hiſt. Nat.*) & in eximia autoritate fuit. Etſi enim invitamenta ad liberos tollendos uxores habentibus poſita eſſent, illud tamen, quod habet Plinius, *pares poenae*, &c. orbis accommodari nolo, qui non niſi raremter a relictis arcebantur; ut mox enarraturus ſum. Coelibes autem & illi, qui nunquam uxorem duxiſſent, & illi, qui defuncta uxore ſine matrimonio vixiſſent, coelibes dicti Suetonio, *Claud. cap. 26. Galb. cap. 5.* ſunt illi ipſi locupletes, de quibus Plinius cogitavit: *Pares enim poenae*, id eſt, commodorum, quae obvenirent, averſiones cotidianae, illos ad nuptias contrahendas, & liberos ſuſcipiendos invitabant, pungebant, & excitabant: quo ſenſu poenae nomen uſurpant Ulpianus, & Tryphoninus, *l. ſed ſi 9.* §. *ult. D. ad Senatuſconſ. Maced. l. 22.* §. *ult. D. de his quae ut indig. l. ſi is qui 6. D. de vulg. ſubſt.* ita quoque a Julio Paulo acceptum autumo. Illis autem cum facultas non eſſet capeſſendi, quae judicio & voluntate defunctorum meruiſſent, dum ſignis benevolentiae, relictis quampluribus, amici grate pieque fidem amicitiae facerent, alios plerumque ſupponebant, ſi quando illicite legatum fiſco applicari vererentur, quos tacitam fidem interponere, accommodare, tacitum miniſterium ſuſcipere dicebant Latini Prudentes. Nec conturbari debemus in conjectatione noſtra de orbi capacitate, citato ſcripto Tertulliani; qui, non neſcius e nullius teſtamento coelibes honorari poſſe, orbos item ex uxorum teſtamentis quandoque ſolidum capere non poſſe, alluſit ad incapacitatem ex teſtamentis hominum, loquens de teſtamento Dei. Porro coelibes e teſtamento ut ſolidum non capiebant, ita nec partem relicti: ſolidum enim capere, *l. 60. D. de cond. & demonſtr.* ſolidum relinquere, ſicut in ſolidum condemnari, *l. 17.* §. *ult. D. ſolut. mat.* ſolidum beneficium conſequi, ad ſolidum pretium teneri, *l. 9. D. quae in fr. cred.* ſolidum dominium habere, *l. 1. C. de bon matern.* ſolidum ſolvere, *l. 18.* §. 1. *D. ſolut. matr.* pro toto & integro dicimus. Sed qui totum capere non poteſt, non ideo partis eſt capax: unde non capienti indigno ablatam ex aſſe haereditatem, integrum legatum, totumque fideicommiſſum legimus, *l. 1. 2. D. de iis quae ut ind.* Senſere tamen gratiam abrogatis legibus factam coelibes illi, quibus dono Dei Optim. Maxim. continentia tributa fuit, edita conſtitutione a filiis Conſtantini, *l. 1. C. de infirm. poen. coelib.* qua legum antiquarum vinculis continentes a re uxoria liberati ſunt, & per omnia maritis (non tamen patribus) exaequati ſunt: at illis, utpote qui ſolidum capere plerunque ex alienis teſtamentis ſolebant. Orbi enim mariti ex teſtamentis amicorum honore illo relicti, quem tanti vel ipſe Octavius Caeſar facit, Sueton. *Auguſt. cap. 66. l. nec adierit 9. D. pro ſocio. l. 10. C. Th. de poſt. l. 36. D. de exc. tut.* quique ob merita conferri ſolet, indiſcriminatim afficiebantur, dum leges non prohibebant. Sed illis ex ſupremis uxorum non ſemper ſolidum capere licuit, ſicut neque foeminis orbis e virorum teſtamentis. Caſus autem complurimi praeſcripto legis Juliae & Papiae e corpore ſcriptorum Ulpiani in Epitomen *titul.* 16. §. 1. collati ſunt, quibus fuit jus ſolidi capiendi inter virum & uxorem, quos illinc ſibi quiſque promet. In praeſenti duntaxat ad nos attinent, quae inibi de liberis ſic ſe habent: *Si filium filiamve communem habeant: aut quatuordecim annorum filium, vel filiam duodecim amiſerint: vel ſi duos trimos, vel ſi tres poſt nonum diem amiſerint: ut intra annum & ſex menſes etiam unus cujuſcunque aetatis impubes amiſſus, ſolidi capiendi jus praeſtet. Item ſi poſt mortem viri intra decem menſes uxor ex eo pepererit, ſolidum ex ejus bonis capit.* Quae hic conjunctim recito, neque particulatim executurus ſum de jure unius liberi, matri, vel de jure duorum aut de jure trium, patri ſimul & matri conceſſo: licet in aliis ex ordine commoda diſtributio, nobis ſat familiaris ſit. Verum priuſquam explanem ſententiam Ulpiani, inveſtiganda legis eſt ratio, quae ſolidum capere conjuges prohibuerit, nec niſi enumeratis certis caſibus conceſſerit. Equidem moribus receptum apud Romanos accepimus, *l. 1. 2. 3. D. de don. int. vir.* ne inter virum & uxorem donatio valeret, niſi ex certis cauſis, ut puta mortis, *l. 9.* §. *ult. & ll. ſeqq. D. eod. l. 39. D. de mort. cauſ. don.* quo eſſet conjugibus ſtudium animos pignoribus natorum potius, quam donis & muneribus colligandi. Ad cujus recepti juris exemplum lex Julia conjuges orbos (Ulpian. *Inſtit. tit.* 15.) praeter decimam, matrimonii nomine, capere prohibuit ex co-

eorum teſtamentis: & cum e jure vulgato vivi non niſi raremter ſibi invicem donarent, cavit lex illa, ne ſe invicem captarent morituri. In eo tamen foecunditatis rationem habuit, quod ſi ex alio ante contracto matrimonio liberos ſuperſtites habuiſſent, dum conjunx decederet, praeter decimam bonorum omnium, quam matrimonii nomine cepiſſent, totidem decimas pro numero liberorum accipiebant: qua in re jus unius aut plurium liberorum parentes primum ſenſerunt. Item ſi communis filius aut filia poſt nonum a nativitate diem exceſſiſſet e vivis, parentibus decimam adjiciebat, & poſt nonum diem duo filii filiaeve mortui, duas decimas adjiciebant illi, quam matrimonii nomine alter conjugum a deficiente percepiſſet. His decimis adjectis Jus liberorum proditur: quod habuiſſe uxorem illam oportet dicere, cui maritus bonorum ſuorum *decimam, & mancipia, & ſpecies argenti, quas expreſſerat, annulos, & veſtem, &c.* apud Scaevolam *l. qui uxori* 18. *D. de aur. & arg. leg.* legavit: alioquin relicta plusquam potuiſſet uxor capere, ſibi fiſcus vindicaſſet, nec de his uxoris & haeredis contentio, niſi inutiliter Scaevolae propoſita fuiſſet: cum ea in illicite relicto utilius multo ſe Officio nuntiaſſet, & apud acta detuliſſet, *l.* 1. *C. de his qui ſe defer. Th. & Juſt.* ut partem illiciti electura, quae integrum oppoſito fiſco amiſiſſet. Ita decimarum obſervatio fecit antiquis, ne quod extraneis ac ſaepe ignotis donatione ſucceſſioneque tribueretur, conjuges obtinerent, *l. ult. C. Th. de leg. haer.* adeo ſanctitatem foederis conjugalis a viliſſima bonorum aucupatione retrahebant. Ex his vero expoſui quid ſentiam de decimis: diſſentiens a Joannis Britannici ad Juvenalem, & a Cuſpiniani ad Euſebium, ſequiorumque traditione, qui volunt lege Papia cautum, ut ſi conjuges filios non haberent, eorum, quae alter alteri reliquiſſet, pars decima fiſco applicaretur. Equidem melius fecerint illi, ſi finibus contenti ſuis, in alienas poſſeſſiones temere non irruerint. Enimvero in diverſo latere Ulpianus decimam non a fiſco, ſed a conjugibus inter eos nominatim accipi ſcribit, Scaevola a viro uxori legati: & ſcitum eſt illud Trachali oratoris contra Spartalem: *Placet*, ait, *hoc ergo leges diligentiſſime pudoris cuſtodes decimas uxoribus dare, quartas meretricibus.* Hoc amplius Honorius & Theod. AA. *l.* 2. *C. de inf. poen. coel. Inter virum & uxorem ceſſare rationem decimarum ex lege Papia, & quamvis non interveniant liberi, ex ſuis quoque teſtamentis ſolidum eos capere, niſi forte lex alia, puta Falcidia, imminuerit relicta*, decreverunt: quod ſi decimam fiſcus percepiſſet, inter ſuperſtitem e conjugibus & fiſcum, rationem decimarum, non inter virum & uxorem ceſſare praecepiſſent. Proinde conſtitutionis verba, ſi non ſpecialiter exprimunt, certe hoc ingenioſis indicant, ob liberos matrimonio ſuſceptos, conjuges ſolidum veteri jure cepiſſe: ſicut ante illos Caeſares Conſtantinus Magnus, *l.* 7. *C. Th. de navic.* edictum Claudii renovans, navicularis conceſſerat. Suet. *Claud. cap.* 18. *ut vacantes a lege Julia & Papia, etiam nullis intervenientibus liberis, & viri ex teſtamento uxorum ſolidum caperent, & ad uxores eorum integra voluntas perveniret.* Itaque ut jam Ulpiani mens aperiatur, pervenere parentes ob Jus liberorum ad capacitatis privilegium, & liberam teſtamenti factionem (ſicut ipſe ille loquitur) qua alteri ex alterius teſtamento ſolidum & integrum capere licuit, nec ut illicite relictum, ſuperſtes parens liberorum, ſicut orbus, quod teſtamento meruiſſet, amiſit. Jus autem hic liberorum in utroque parente ſimile fuit & idem, vel ob liberos ſuperſtites, vel ob amiſſos. De illis unicus filius communis unicave filia ſupervivens morienti ex parentibus, fecit alterum ex defuncti teſtamento ſolidum capere poſſe, qui non niſi bonorum partem decimam ſine jure liberorum matrimonii nomine percepiſſet, fiſco caeterum, in quo plus decima relictum fuiſſet, vindicante. Jus vero quod unicus importavit, a pluribus quin auctum fuerit, nulla dubitatio eſt. Amplius tamen quiddam accepi, ubi foemina e conjugibus ſuperavit, quae licet orba tempore mortis mariti fuiſſet, ſi ab eo tempore intra decem menſes filium filiamve peperiſſet, jus ſolidi capiendi habuit. De liberis amiſſis item unicus profuit, ſi impubes filius aut filia intra ter ſenos menſes a contracto matrimonio deceſſit, vel ſi pubes filius natus annos XIV. vel filia XII. obierit. Quo jure ſi filius unicus, unicave filia, pubes, impubesve, parenti vivo ſolatium capacitatis attulit, multo magis idem jus ob duos treſve liberos antiqui parentes uſurpaſſent: at ex duobus filiis quemque triennio vixiſſe voluerunt, etiamſi novem dies cujuſque liberorum trium ſuffecerint. Fuerunt haec quidem recepti juris: ſed differentiae diverſitatisque ratio nos, ut vetera pleraque, fugit. An non aequius vel lex Julia, vel ejus interpretes, analogiam ſecuti fuiſſent? Si intra annum ſexque menſes poſt celebratas nuptias filium unicum deceſſiſſe oportuit, profuturum alteri ex parentibus, alteri ſucceſſuro; nonne conquievit ratio, quae patres foecundos vel matres proliferas praemiis afficiebat, in duobus ſuſceptis liberis, quorum quisque nono menſe deceſſiſſet? Quid ergo cauſae fuit, quod triennio quemque ex duobus natis ſuperſtitem oportuit? *E tenebris tantis* (ait Lucretius *init. lib.* 3.) *clarum extollere lumen* quis jam poterit, neſcio. Multa ſine dubio antiquitati danda ſunt, cujus reliquias venerantur literarum amantes. Itaque Jus liberorum Dativum parentibus ad ſolidi capacitatem profuit: item & ad ejus exemplum, Impetratitium: ſed infra de poſteriore. Prius in hac ſpecie fere explicatum eſt, quod tandem non neceſſarium Honor. & Theod. AA. exiſtimaverunt, cum recepto coelibatu, nemine ad liberorum ſtudium coacto, ab orbis nuptiarum infelicitate, natos requirere iniquum cernerent, quos coelibibus remiſiſſent. Unde ſic habet eorum conſtitutio, *d. l.* 2. *C. de inf. poen. coel. Tantum igitur poſthac maritus vel uxor ſibi invicem derelinquant, quantum ſuperſtitis amor exegerit:* non exinde fiſcus verendus fuit, cui qualiacunque matrimonii jura praeponi ſanctius habuerunt Imperatores, *d. l. ult. C. Th. de legat. haered.* Illi tamen Caeſares, qui rationem decimarum nominatim ſuſtulerunt, non primi fiſco parentes orbos praepoſuerunt: Conſtantinus enim junior cum fratribus ante multos annos ad populum urbis Conſtantin. ita dixerant, *d. l.* 1. *C. de inf. poen. coel. Nec vero quisquam orbus habeatur, & propoſita huic nomini damna non noceant. Quam rem & circa foeminas exiſtimamus, earumque cervicibus impoſita juris imperia, velut quaedam juga ſolvimus promiſcue omnibus.* Quibus ex verbis non exaudias coercitos orbos notis, quas priores illi Caeſares, Cenſorum uſurpata poteſtate, infligebant, & exemplorum plena ſunt omnia, ſed duntaxat damna propoſita, ne orbis nocerent, cautum edicto: non quod ante illud tempus diminutionem patrimonii, quae damnum eſt, *l.* 3. *D. de damn. infect.* orbitas afferret, ſed cum praemiis conjugii maritus vel uxor gaudere prohiberentur, qui omnium bonorum communicationem & ſocietatem contraxerant nuptias celebrantes, & nihilomagis ſi liberos non habuiſſent, plus decima e deficientis ſupremis non capiebant, averſione commodi, quod teſtatoris voto meruiſſent, damnum pati dicebantur. Sic quoque nomen poenae in rubrica. *De infirmandis poenis coelibatus & orbitatis*, ſuperius expoſui, ut ex Ulpiano, *l.* 2. *§. quid ſi pater* 25. *D. ad SCtum Tertul.* video matrem puniri, quae filii haereditatem capere prohibetur, etiamſi nihil ei de ſuo decreſcat aut diminuatur. Strictius tamen Modeſtinus, *l.* 2. *§.* 1. *qui pet. tut. vel cur.* de eadem & libertus filii defuncti ait, *Ex his quidam damnum patiuntur, quidam vero puniuntur.* Sed quamvis diverſe puniri verbo utantur autores, damnum patitur

mu-

Digitized by Google

mulier, quae legibus acquirere vetatur, & ita in edicto *propoſita damna* interpretor. Quod vero ſe orbitatis juga foeminis impoſita ſolviſſe edicto videri voluerunt AAA. fratres, ideo ſcriptum fuit, quod ubi leges exigerent liberos, mulieribus parturiendi pariendique conceptos onus erat, cum viri ante liberorum inſtitutionem non aeque laborem impenderent: adeo, ne a viris in eas collata pudicitiae praemia ſine liberis caperent *l. 1. C. Th. de bon. proſc.* dura erant legum imperia, quod fortunae caſus orbis non eſſent imputandi; ut latius alibi demonſtrabo. Sane leges, quarum dura imperia tollere ſe Caeſares ajunt, putem fuiſſe varia capita Papiae legis. Illa enim orbas eorum, quae in teſtamentis relinquerentur, ſemiſſe multabat, cum deforme ducerent liberos non habere, ut quidam retulerunt. Ex his jus unici filii in decimis & ſolidi capacitate planum feciſſe mihi videor: obiterque de jure duorum & trium per acceſſionem attigi, quod repetitio tractationis admodum difficilis & involuta in ordine duorum aut trium, faſtidium ſine fagiſtio peperiſſet. Promiſcue vero patris & matris hoc loco jura deduxi, quod eorum duram & iniquam ſeparationem leges exiſtimarint, *l. 1. C. Th. com. divid. l. poſſeſſ. 11. C. Juſt.* & ita nobis materiae dignitas & conjunctio viſa eſt quodammodo poſtulare.

CAPUT V.

De retentionibus ex dote, diſſoluti matrimonii ſpecies explicatae, & inibi Jus unici filii gratia datum ex veteri Jurisprudentia.

ACcedit alius favor liberorum, quem maxime pater ſenſit ante Conſtantini legem de bonis maternis, quo tempore omnia, quae filiifamilias acquirerent, pater ab eis ſibi ſuo jure vindicabat, *l. 1. D. ſi a par. quis manum.* ſenſit item & poſtea, quo jure adhuc utimur, ſaltem in uſufructu bonorum, quae ad filios ex matris ſucceſſione pervenerunt. Diem enim uxor inteſtata ſuperſtite marito functa, vel materfamilias, vel filiafamilias in patris poteſtate moritur. Si materfamilias, aut orba, aut relictis liberis. Illo caſu fuit tempus, cum maritus ob jus ſocietatis, & ob facultates communicatas in ſolidum uxori ex ratione legis Regiae ſuccederet: poſtea ſi emancipata fuiſſet illa, cui pater emancipator ſupereſſet, ut manumiſſor, potior jure mariti fuit, in bonorum poſſeſſione ex edicto Praetorum, at, illo deficiente, maritus & agnatis & cognatis fuit potior. Quod ſi deficienti ſuperfuiſſent liberi communes, cum jure poteſtatis impediente incapaces acquiſitionis forent, pater rerum, quae quondam uxoris fuiſſent, per liberos ſolidum perfectumque dominium accipiebat, in quo favor & gratia illorum, vel illius, ſi unicus fuiſſet, diſcernitur. Sed ubi Conſtantinus Imperator *l. 1. C. de bon. mat.* decrevit res, quae a matre filiis omnimodo obvenirent, ad eorum dominium pertinere, patri duntaxat relicto uſufructu (quod deinde ad omnia bona materni generis Arcadius, & Honorius produxerunt *l. 2. C. eod*) favor liberorum tali caſu pater uſumfructum percipit, qui liberis orbus careret & proprietate & uſufructu. Si verò filiafamilias in matrimonio decedit, aut ei nati ſuperſunt, aut liberis caret: hoc caſu quam dotem pater dedit, ſalva eſſe debet, ait Africanus *l. ult. D. rem. rat. hab.* cui Julius Paulus favet *l. 17. D. ad Senatuſc. Maced. l. pater 71. D. de evict. l. 6. D. de jure dot.* Jurèque ſuccurſum patri ſcribit Pomponius *l. 7. ext. D. de pact. dot.* ut filia amiſſa, ſolatii loco cederet, ſi redderetur ei dos ab ipſo profecta, ne & filiae amiſſae & pecuniae damnum ſentiret. Ita in libris Conſtitutionum principalium Alexander A. intelligit dotem ad patrem redire, qui ſic *l. 13. C. de negot. geſt. l. 4. C. ſol. mat.* Apollonio reſcribit, *Dos a patre profecta, ſi in matrimonio deceſſerit mulier filiafamilias, ad patrem redire debet.* Haec vero ita ſe habent, etiamſi filia non in poteſtate patris, ſed in hoſtium manu, ab eis intercepta moriatur: illam enim captivitatis hora prima defunctam finxerunt Juriſprudentes, & ita in ſacris deceſſiſſe, *l. ſi ab hoſtib. 10. D. ſolut. matr.* ut patri repetitionem ſervarent. Non tamen id eſt, quod repetat pater, ſi dotem dederit, & pactus ſit, ut, mortua in matrimonio filia, dos apud virum maneret: Paulus enim putat *l. ſi pater 12. D. de pact. dot. pactum ſervandum, etiamſi liberi non interveniant*; cum placita ſervari aequitas naturalis ſuadeat, etſi nulli ſuperſint ex conjugio liberi: quorum jure favorabili gratioſus pater non retinet dotem, ſicut Martinus ille doctor antiquus exiſtimavit, ſed quintas ex dote duntaxat, ut nos Ulpiani ſcriptum docet. Hinc ab orba matre ad proliferam perveniamus. Cum defunctae filiaefamilias eidemque matri liberi ſupervivunt, aut pacto conventum eſt, quid de tota dote ſoluto matrimonio fieri placeat, aut nulla conventio niſi vulgaris dotis reddendae adhibita intervenit. De poſteriore ſcitum eſt illud, matrimonium dirimi divortio, morte, & ſervitute filiae, vel neceſſaria, cujus formae ſunt, captivitas & addictio poenae; vel voluntaria, ut poenae participatio: quae licet propoſiti noſtri non ſint omnia, conjunctio tamen ſuggerit nobis morti conſimiles ſolutionis ſpecies adjungere. Itaque divortio ubi matrimonium dirimitur, *propter liberos retentio fit, ſi culpa mulieris aut patris, cujus in poteſtate fuit, divortium factum ſit: tunc enim*, ait Ulpianus *Epit. tit. 6. de dot. §. 10. ſingulorum liberorum nomine ſextae retinentur ex dote.* Culpam uxoris aut ſoceri ex veteribus Conſtitutiones *l. conſenſu 8. l. penult. §. inter culpas 2. C. de repud.* explicant, ut ad mores referant & graviores & leviores. Sed cum morum nomine, ſive graviorum ſextae, ſive leviorum octavae, a marito retinebantur ante judicium de moribus ſublatum, multo utilior fuit propter liberos retentio, iis partibus facta, quarum ſex dotem ſolidam abſumerent: *non plures tamen*, habet Ulpianus, *quam tres ſextae in retentione ſunt, non in petitione*, ut ſive tres ſive plures filii ſuperſint, tres ſextas duntaxat, & ita dimidiam dotis tantum, jure liberorum retineat pater: dimidia namque dotis maternae ſatis fuiſſe videtur ad liberos apud patrem educandos, maxime ante conſtitutionem *C. divort. fact. apud quem lib.* quae apud locupletiorem parentem, divortio facto, liberos educari jubet. Illa vero retentione conſequebatur pater plures ob liberos ſextarum emolumentum, vel ob unicum ſaltem unius ſextae: cum adhuc juris antiqui vigerent ex dote retentiones, quas ſervari juſſerunt in antiquitatis honorem Imperatores Honorius, & Theodoſius *l. 2. §. ult. C. Th. de repud.* Sed Juſtinianus retentionibus ſilentium tandem injunxit, & ubi ob res donatas, ob amotas, ob impenſas, ob mores, retentiones ſuſtulit, propter liberos retentionem antiquavit, cum ex eo, quod naturalis ſtimulus patres ad liberorum educationem & curam ſine dotis maternae ſubſidio ſatis moveat, tum ne varium culpae genus mariti contra mulieres excogitantes, allecti commodo retentionis, ludibrio matrimonia haberent. Alia & Juſtinianus *§. taceat 5. C. de rei uxor. act.* quae argumentum praebent, cum non indiſtincte, & generaliter liberorum rationem, ad pop. Urb. Conſtant edita lege ſuſtuliſſe, ut circumſpecti quidam ex veteribus animadverterunt. Morte verò ſoluto matrimonio, Ulpianus ſcripſit *d. tit. 6. de dotib. §. 4. mortua in matrimonio muliere, dos a patre profecta, ad patrem revertitur, quintis in ſingulos liberos in infinitum relictis penes virum:* verbi gratia, ſi c. in dotem data reſtitui oporteat, maritus unici filii nomine, XX. duorum, XL. trium, LX. quatuor, LXXX. retineat, & quinque filiorum nomine, aſſe dotis in quin-

quintas diſtributo, c. ipſe eorum nomine percipiat, ſocero penitus excluſo: ita ut a quinario citerior filiorum numerus, eorumavo materno det locum, in reliquo retentis quintis repetendo, & ulterior faciat, ne quicquam ex dote ad illum revertatur. Quae ſi fideliter retulit epitomator Ulpiani, non uſquequaque Martini ſententia vera fuit: licet contra jus ſcriptum conniventia & errore primum introducta, cauſam inveteratae conſuetudini dederit, a primis illis temporibus reviviſcentis Juriſprudentiae. Inde tamen notandum illud, tunc maxime, cum filiifamilias proprium non haberent, patrem in hac ſpecie commodum Juris liberorum percepiſſe, qui dominus quintarum fieret, quas filiorum nomine percipiebat. Sed &, poſt Conſtantioi legem de rebus maternis, illorum uſumfructum pater habuit: multis namque poſt annis *in dote reddenda retentiones ex veteri jure* ſervari Juliano A. *l. 1. C. Th. de dotib.* placuit. Quae ita conjicio fuiſſe: niſi proclivius ſit, quoniam filiafamilias non habet haeredem, licet unum aut duos liberos pepererit, matrem eandemque filiamfam. in retentis quintis ex dote reſtituenda haeredes filios non habuiſſe: unn illas patrem foecunditate ſua gratioſum Reipublicae, Jure liberorum in ſolidum dominium & ex integro putem fuiſſe conſecutum. Plane in nova legiſlatione haec tacuiſſe & praeteriiſſe miror Concinnatores; & certi proculdubio juris ſunt, recepti non item: ideo nec quis adhuc ante ora patrum protulerit. Servitute praeterea ſoluto matrimonio tres caſus exequendi ſunt, ut quorum alterutro nupta deſinit eſſe mulier, ſive capiatur ab hoſtibus, ſive deportetur, ſive ancilla fiat. Capta uxore maritus degens in civitate, poſt tempus legitimum licentiam habuit ad alias migrare nuptias, ait Julianus, *l. uxores 6. D. de divort.* ita tamen ut diſſolutum matrimonium bona gratia, id eſt, communi conſenſu, tam viri quam mulieris, & unanimi voluntate videatur, *l. 9. C. de repud. l. 14. D. qui & a quib. manum.* dum ſibi unusquisque jus ſuum habeat imminutum. Exinde igitur nullum Jus natorum, nulla ob liberos retentio fuit, nec eſſe jam nunc poſſet, ſed integram pater captivae potuit repetere dotem. *Deportata mulier ſi in animum induxerit a marito diſcedere*, autore Marcello Calliſtratus *l. 5. §. 1. D. de bon. damn.* ait, *tunc de dote patrem acturum.* Ancilla item majore XX. annis filiafamilias facta, & ita ſoluto matrimonio, idem dixeris. Ego utrobique arbitror retentionem quintarum in ſingulos liberos locum habuiſſe: non enim plus agenti patri quam propter mortem hoc caſu reſtituitur, ut Julio Paulo *l. ſi quis ſic 56. D. ſol. matr.* placuit: filia vero mortua, ut diximus, quintae liberorum nomine retinebantur. Sed haec omnia magis ingeniorum excitationem, & interpretamentum Prudentium habent, quam exercitationis forenſis, luciſve politicae documentum. De illo prius omiſſo, ſi dictum fuerit, quid ſoluto matrimonio de dote fieri placeat, ex pactis conventis, quae ante nuptias vel poſt nuptias interponi ſolent, alia ad jus, alia ad factum pertinent. Quae factum & voluntatem reſpiciunt, veluti, ut mulier aliunde quam ex re viri ſe ſuosque alat tueaturve, univerſa onera ſua expediat, donec nupta ſit, nihil a patre petatur, aut ut certa ſumma viro praeſtetur, & is uxorem alat, item his ſi quae pacta ſimilia ſunt, valent *l. 4. §. ult. l. 11. extr. l. 20. D. de pact. dot.* ut ſi quidem vivo patre deceſſerit filia, aut ſine culpa diverterit, omnino dos peti non poſſit. In tali caſu ſi liberorum nomine pater uti retentione velit, non poteſt: neque enim qui non habuit prius, antea ve tenuit, retinere dicitur. Quae vero pacta ad jus pertinent, aut jus commune laedunt, aut minus. Laedunt fere haec, ne ob mores agatur, vel plus vel minus exigatur, ne ob res amotas, vel donatas, ne ob impenſas neceſſarias agatur, ne dos omnino non reddatur *l. 5. 12. 16. D. eod.* in quibus & ſimilibus non utique voluntas contrahentium ſervatur. Non laedunt haec, ut citeriore die dos reddatur, & priore tempore quam legibus eſt conſtitutum: vel ut plus aut minus quintis in ſingulos liberos retineatur: maritus enim, cujus praemio & emolumento ad educandos liberos retentio quintarum cedit, poteſt favori ſuo renuntiare, utpote liberis tollendis ſine retentione ſoffecturus *l. 7. l. 20. §. 1. D. eod.* item & pater, qui dat dotem, legem rei ſuae poteſt, quam voluerit, dicere. Ad haec ſpectat reſponſum illud ex 8. *Quaeſtionum* Africani *l. 23. D. eod. Pater, cum pro filia dotem daret, pactus eſt, ut ea mortua, uno pluribuſve ex eo matrimonio ſuperſtitibus liberis, deducta tertia parte, reliqua dos ſibi, aut, ſe mortuo, filiis suis emancipatis redderetur*: ut pactis ſubjici ſtipulationem oportuit. Paul. *lib. 2. Sent. tit. 22. § 2.* In eo movit patrem ad eam legem dicendam, quod cerneret nuptura liberos ex novo matrimonio ſuſceptos, ſi plures fuiſſent, dotem ſolidam exhauſturos, ubi quintas detraherent. Superiori quoque addendus ille caſus eſt, quo *dotali inſtrumento*, Calliſtrato referente *l. ſi dotali 48. D. ſol. matr. ita ſtipulatio interpoſita fuit, ut liberorum nomine dos apud maritum reſideat, ubi nepotum quoque nomine dos retinebitur*: ſicut enim dotem totam & integram percepturus pater *d. l. 12. D. de pact. dot.* nullis a filiafamilias relictis liberis ſibi conventione praejudicavit, ita quoque liberis ſuſceptis a defuncta filia, potuit ſibi in dotis parte quintarum reliqua ſibi ipſi nocere, ſive defunctae filii, ſive nepotes ex filius ſuperſint: omnes enim in infinitum deſcendentes, liberorum appellatione continentur, *l. 220. D. de verb. ſign.* Illo quoque reſpicit conventio, qua apud Papinianum *l. 26. §. cum inter 2. D. de pact. dot. inter ſocerum & generum, ut in matrimonio ſine liberis defuncta filia dos patri reſtituatur, id actum intelligitur, ut liberis ſuperſtitibus filiae defunctae dos integra retineatur*, ita ne ſeparetur dotis additamentum, quod principalis dotis jure cenſetur. Ad idemque ſpectant ſpecies illae, quae in Praetorum Juniani & Petronii *l. 2. & 30. eod.* cognitionem inciderunt, & alia multa, quae voluntate duce, & diligentia comite, juris ſtudioſus conſequetur. His caſibus favor liberorum magis ex facto & induſtria & contractu patris, quam ex Jure natorum cernitur. Ego vero quod putavi in retentionibus explicandis juris eſſe veteris aut novi, & ad jus unius filii, & conſequenter plurium attinere, mihi videor ſatis abunde exquiſiviſſe.

CAPUT VI.

De unico liberti, deque operis impoſitis, & impoſititiorum differentia.

Caſus item juris unus hic eſt, quo filium ob unicum gratioſe & favorabiliter onus patri remittitur, ex verbis legis Juliae de maritandis, quae retulit Julius Paulus *l. qui libertinus 37. de oper. liber.* & nos infra ſubjungemus. Cum igitur e juſta ſervitute ſervus manumittebatur, illi patronus operas, donum, munus, aliudve quicquam libertatis cauſa imponebat, quae dare, facere, praeſtare libertus ſtatim factus ſolemni ſtipulatione, *l. ut jurisjur. 7. §. jurare 3. & 4. D. eod. tit. l. ult. D. de liber. cauſa.* vel jurejurando promittebat, & iis patrono ſuam devinciebat fidem: de quo ſi habuerit filium aut filiam, ait lex, *quinquennem, liberabitur operarum obligatione*, ſive officiales, ſive fabriles impoſitae fuerint, ut ſunt indefinita, dum legem refert, Juriſprudentis verba. Sane quamvis *operas* in libris hujus ſtudii, Zaſius *Reſponſ. 1. cap. 3. num. 40. officiales* per excellentiam interpretetur, & explicet, conſultosque veteres locupletiſſimos teſtes proferat ad faciendam interpretationis fidem; aliter multo ſe res habet, cum *operae* generaliter imponuntur, aut indicuntur: tam enim *fabriles*, quam *officiales* exaudiendum eſt impoſitas indi-

Google

indictasve fuiſſe, quod ipſe Zaſius non improbat, *l. operae 1. d. l. ut jur. 7. §. jurare 3. l. ejus artificii 16. D. eod. tit. Zaſ. ibid. num.* 31. & 32. Nolim autem fallaci teſtimonio errorem Accurſii confirmare *Gloſſ. l. 4. §. 6. & 7. eod. tit. l. ſi non fortem 26. §. libertus 12. D. de condict. indeb.* cum ſub *operarum* nomine incertas quaſdam operas paſſim exaudit, vocabulo in *Operarum* quaeſtione legibus & prudentibus inviſo. Hinc obligationis *operarum*, tam *fabrilium* quam *officialium*, quae generaliter impoſitae fuerant, generalis quoque favore quinquennis unigeniti apparet liberatio propalam ex verbis legis. Quaeſtione tamen una & altera, ſcrupulus, qui male haberet ingenioſum, ex animo evellendus eſt: primoque videndum cur potius in quimatu, quam in bimatu, trimatu, aut quadrimatu filius in ſacris paternis ſuperſtes, patri ad operarum obligationis liberationem proſit. Equidem Jure civili in annis numero diſcriminandis, ſpecieque non diſſimili, poſitivam quandam juſtitiam Accurſius *Gloſſ. l. 1. §. 3. D. de poſtul.* comminiſcitur, cujus commentum Aldobrandino ad §. 1. *Inſt. de excuſat. tut.* placuit, illi, cui tantum ab Italis tribui, & a doctiſſimis concedi ſcio: ego vero de illa juſtitia nihil ſtatuo, qui exiſtimarim hunc de multis unum eſſe caſum, quo mens quidem legis Latine ſcientibus perſpecta eſt; ejus vero ratio vix legiſlatori nota, nulli praeterea cognita. Sed rationes omnium, quae jure ſunt conſtituta, nec reddi, nec inquiri oportere ait Neratius *l. non omnium 20. l. & ideo 21. l. minime 23. D. de legibus*, ne quae certi receptique juris ſunt, mutentur, aut ſubvertantur: & huic ſimiles caſus obſervavit quamplurimos noſter VACCA, praeſes Provinciae Venayſſinae, ad *d. l. non omnium* 20. in quibus ſatis ſuperque ſit dicere, quod Ulpianus alibi *l. proſpexit 12. §. 1. D. qui & a quib.* dixit, *Ita lex ſcripta eſt*. Sequens quaeſtio intercidit, an pater libertus, quinquennis filii gratia, ſicut ab operarum, ita a doni & muneris obligatione liberetur, ut operis legis gratia exſolutis caetera non deſiderentur, *arg. l. ſaepe ita 35. D. de verbor. ſign.* Julia lex duntaxat operarum meminit: num bona occaſio erit, liberationem a dono & munere, ut Paedius dicebat *l. nam ut ait 13. D. de legib.* interpretatione ſuppleri? maxime cum operarum vel naturaliter patrono debitarum obligatio diſſolvatur, *l. ſi non fortem 26. §. libert. 12. D. de cond. indeb.* quae nexum quendam fortiorem, ſtrictumque multo magis, quam aut doni aut muneris promiſſio, continet. Nihilo tamen minus jus aliud in operis, aliud in dono & munere dixerim. Siquidem libertus memor beneficii a patrono accepti, gratum in illum animum munificentia teſtaturus, donationem ob patroni meritum, at ſine alia expreſſa cauſa (ne ſibi ipſi repugnet Ulpianus *l. inter donum 194. D. de verb. ſignif. l. nec adjecit 9. D. pro ſocio*) in ſe recipit, & promittit, itemque munus & donum, cum expreſſa cauſa: utroque dono, recipiens libertus, & recepta perſolvens, quae fuere a patrono libertatis cauſa impoſita, genus liberalitatis exercet, & ut ſymbolo gratitudinis, fidem patrono facit animi obſequentiſſimi. Quo ſenſu ea verba Julii Pauli accipienda, ubi donum aut munus, quae liberti praeſtant, non donari ſcribit, quando rem ſummi pretii libertatem pro his ante a patrono acceperunt, *l. quae liberti 8. D. de donation.* Ne igitur Prudentes liberalitatem averſarentur, a liberto ſive orbo, ſive patre, omnimodo promiſſum donum, munus, aliudve ſimile impoſitum exſolvi voluerunt. Diverſum autem jus ideo in operis eſt, quod laboris manuarii tractum, taedium, & moleſtiam ut plurimum contineant, *l. 1. & 2. D. de oper. lib.* primum impoſitae, ut libertinas perſonas onerarent, & premerent: quae ſi favorabiliter jure unius nati privilegiario, & ſingulari, a tabulis, rationibusque patroni circumductae, & cancellatae ſunt, fieri non poteſt interpretatione noſtra, *l. jus ſingulare 16. D. de legib. l. ſi vero 64. §. de viro 9. D. ſol. mat.* ut ad conſequentias producantur, in quibus ſimul cum ratione verba Juriſprudentis defecerunt.

CAPUT VII.

De filio unico Latini, & de jure Latii & Civitatis.

Similis quoque adjicitur unici filii favorabilis ſpecies, ex jure veteri quidem illa, ſed eo, quod non minus in haec ſtudia incumbentibus, quam jus novum tenendum eſt, propter reliquias antiquitatis venerandae, & juris utriuſque cognitionem, *§. illud 3. Novell. de appell. §. 1. Inſt. de tedam.* Ulpianus autem hujus gratiae autor eſt patri, ubi *in Inſtit. tit. 3. §. 3. de Latinis*, ſic ait, *Liberis jus Quiritium conſequitur Latinus, qui minor 30. annorum manumiſſionis tempore fuit. Nam lege Junia cautum eſt, ut, ſi civem Romanam vel Latinam uxorem duxerit teſtatione interpoſitu, quod liberorum quaerendorum cauſa uxorem duxerit, poſtea filio filiave, nato natave, & anniculo facto, poſſit apud Praetorem, vel Praeſidem Provinciae cauſam probare, & fieri civis Romanus, tam ipſe quam filius filiave ejus, & uxor, ſcilicet ſi ipſa Latina ſit.* Porro ſciendum eſt, hominum ditionis Romanae alios fuiſſe cives, alios ſocios & foederatos. Illi jus civitatis habentes, quod Ulpianus Quiritium vocat, maxime ſi cum ſuffragio [a] honoris cauſa dato, ſive in Urbe, ſive in Italia, ſive in Provinciis eſſent, magiſtratus creabant, petebant, leges ferebant, judicia faciebant, in cenſum deferebantur, &, ſi voluiſſent, Romae habitabant, jus connubii & in filios poteſtatis habebant, jureque gentilitatis, agnationis, togae, militiae, & ſimilibus utebantur, Plin. ad Traj. *lib. 10. epiſt. 6.* Socii vero & foederati moribus & legibus propriis plerumque vivebant, quo jure Latium prius uſum, & Provinciae tandem, ubi in eas uſque propagatum, & eis communicatum fuit. De illis familiares hiſtoriae ſunt: de his videamus quid ſubſerviat ſpeciei noſtrae. Ego reperio veteres Latinos nec Pop. Rom. legibus obſtrictos, neque eorum jure uſos fuiſſe, &, qui ex foedere effigiem quandam & umbram ſocietatis retinerent, neque jus connubii, nec patriae poteſtatis habuiſſe, nec jus capiendi ex teſtamento, nec teſtamentum faciendi, fortaſſe ne contra leges propriae civitatis teſtarentur: hique tandem Latini Colonarii dicti. Ad eorum inſtar [b] ſervi, qui a domino Bonitario [c], non etiam Quiritario, id eſt, qui in bonis haberet, non item ex jure Quiritium, vel qui a domino inter amicos [d], etiam majores 30 annis manumittebantur, vel qui minores 30 annis vindicta, aut domini teſtamento liberi fiebant, cum obeſſet lex Junia Norbana eorum integrae, ex omnique parte perfectae libertati, inter cives Romanos jus ſimile priſco illi ſociorum nanciſcebantur, & nomine communicato Latini dicti, ad Colonariorum diſcrimen, a lege Juniani fuerunt. Inde Latinus (Junianum vero ſemper leges exaudiunt) excluſus jure civitatis, vel potius ad id nunquam admiſſus, & quod omnium maxime movit, ſervus patroni moriturus, jus illud Quiritium proprium civium Romanorum conſequi ſtudebat, & ad id variae patebant viae: Beneficium, principaleve reſcriptum, militia inter vigiles triennalis, navis frumentaria, iteratio manumiſſionis, item & mulieri trinus partus, viroque filius unicus, ſi quid Ulpiano credimus. Ad rem vero is ait, *Lege Junia cautum eſt:* de minore lex Junia Norbana loquitur, at idem fuit juris in majore, puta dum in bonis tantum eſſet a domino manumiſſus, qui ex Senatusconſulto Largiano, ni fallor, liberis jus Quiritium & civium conſequitur. Amplius habet Ulpianus, *Teſtatione interpoſita:* quae mentis declaratio eſt apud acta magiſtratus facienda, qua ſe libertus profitebatur

(a) Adr. Tranq. *Aug. cap. 46.* (b) *l. 1. C. de lat. lib. toll* (c) Ulpian. *tit. 1. Inſt. §. 16 de Libert.* (d) §. 10. & 12. *eod.*

tur, non niſi ſobolis procreandae cauſa uxorem ducere, eoque animo, quem in Athenienſibus Solon deſideravit, Plutarch. *eod.* Plane teſtationem putem non ſine judice factam, cum intervenire juramentum debuerit ab ipſo magiſtratu, ad quem ex lege notio pertinebat, deferendum. Deinde ſubjicit, *Nato natave*, quo dubitationem tolleret eorum, qui verba legem verentur producere, etſi familiare id Praetorum interpretibus fuerit, totoque jure receptum, maris nomen & foeminam continere, *l. ſed etſi* 9. *§. hoc SCtum* 2. *D. ad Maced. Anniculo facto.* Oportuit quoque annum exceſſiſſe [a] filium aut filiam, quem natum natamve non ſuffecit, ſed per anni ſpatium ſuperfuiſſe, licet pauculorum dierum non nocuiſſe putem interſtitium, quod alterius quaeſtionis [b], nec hujus ſpeculationis eſt. Obſervandum tamen hic eſt, annum coeptum, pro exacto non haberi (quod in aliis juris Romani partibus magno uſui eſſe poteſt) *l. non putabam* 38. *D. de cond. & demonſtr. l. qui filium* 74. *D. ad Trebell. l. ad rempubl.* 8. *D. de muner. & hon.* & ex iis apertum fit, quo pacto Latinus pater unius filii gratia jus civitatis nanciſcatur, quod & matri communicatum eodem favore fuiſſe arguunt illa, *& uxor ſcilicet, ſi & ipſa Latina ſit. Nam* (inquit Ulpianus) *ſi uxor civis Romana ſit, partus quoque civis Romanus eſt, ex Senatuſconſulto quod autore D. Adriano factum eſt*: recteque illud intervenit SCtum. Status enim controverſiam moviſſet, & patrui negotium faceſſiſſet lex Menſia, *quae ex alterutro peregrino natum deterioris parentis conditionem ſequi jubet*, eodem referente *tit.* 5. *§. connubio.* 8. At peregrinos pro Latinis quidam exaudiunt, in reatu peregrinitatis ex *Claudio* Suetonii *cap.* 16. ſed magis eſt, ne obſit nato lex Menſia, cum multum inter Latinos & peregrinos eſſe conjiciam, ex eo quod copula conjungat apud Ulpianum *d. tit.* 5. *§. connubium* 4. ſi Jua connubii impetrandum ſit, quodque peregrini non amplius legibus ſuis utentes, *ἀπόλιδες*, & ſine populo ſint; Latini vero ſtatum qualemqualem retineant: ex quibus natus conditioni matris accedit, ſic ut ex cive Romano patre *d. tit.* 5. *§. ex cive Rom.* 9. qui Jus connubii (a pontificibus fortaſſe, vel deinde [c] a principibus, qui fuere Pont. Maximi) non poſtulaſſet, &c, matre Latina, Latinus erat proculdubio: & illo caſu matri natus non acquirebat, neque ſibi ipſi jus Quiritium, quoniam ter enixam oportuit Latinam ad jus civitatis conſequendum; ut in tempore demonſtrabo. Equidem ſi Latinus fuiſſet pater; & mater civis Romana, neque filio, neque matri Latini patris minor ſtatus nocebat: naſcebatur enim civis Romanus, ſed & patri jus Quiritium quaerebat ex Senatuſconſulto, dicente Ulpiano, *ſi civem Romanam vel Latinam uxorem duxerit.* Ubi vero & mater & pater erant Latini, patri, matri, ſibique & poſteris quaerebat natus civitatem.

(a) *l. anniculus* 132. *& l.* 134. *D. de verbor. ſig.* (b) *l. qua aetate* 5. *D. qui teſtam. fac. poſſ.* (c) Boët. 2. *Topic.* Cic.

CAPUT VIII.

De unico Decurionis filio, & obiter de Decurionum origine.

SUpereſt alius caſus, quo filius unicus prodeſt, eo memorabilior, quo in ejus cognitione plurimum antiquitatis latet. Iſque de Decurione eſt in difficili ſatis obſcuroque poſitus, ut Decurionatus tractationem cum politiae veteris imagine veneranda, a luce & civium oculis Tyrannorum imperia removerunt. Praecipiendum ergo, & ante conſtituendum eſt, ad urbis inſtar in coloniis plebem a Patribus diſcriminatam, *l.* 2. *§. in filiis* 2. *l. honores* 7. *§. is qui* 2. *D. de decurion.* & ad exemplum Senatus ampliſſimi ordinis Decurionum ordinem (quem & Senatum dictum in lege Pompeja de Bithynis ad Trajanum Plinius *lib.* 10. *Epiſtol. epiſt.* 83. ſcribit) in civitatibus orbis Romani, ex decima parte colonorum conſilii publici gratia conſcribi ſolitum fuiſſe a Triumviris, *l. pupillus* 239. *§. decuriones* 5. *D. de verb. ſignific.* quos S. P. Q. R. creabat ad colonias, aut Latinorum, aut Civium deducendas: cumque in coloniis, veluti in ſpeculo, effigies Reipublicae Romanae cerneretur, ſimulachrum quoddam Senatus in illis, & demum in municipiis, ex Decurionum ordine fuit: quod licet Pompejus in lege de Bithynis nomine Senatus ornaſſet, Curiam minores poſterique dixerunt, & Decurionibus, a Curia, nomen Curialium indiderunt. De illis videbit ſtudioſus quid alii: interea quod inſtat, agamus. Si Decurio adminiſtrationibus, aut ſuffragiis emendicatis, quae ſunt Janitores dignitatum, ad Senatorium ordinem pervenit, orbus filiis & ſolitarius non potuit in tam honorifico dignitatis gradu conſiſtere, & glebae ſenatoriae brevibus eximendum Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. conſtituerunt *l.* 74. *C. Th. de decur.* Iniquum enim ducebant eum inter Senatores ſplendere, qui honoribus propriis ſtudens, patriae ſedes vacuas, & parens genitaleque ſolum deſereret, cum ejus vice civica munera ſubiret nemo, aut patriae, ſi quando foret opus, auxiliaretur: & hac ratione Curialem a Senatu movendum iidem AAA. reſcripſerunt, niſi jus gladii vel praeconum habuiſſet, id eſt, ſublimem quandam eminentia poteſtatem, libero meroque imperio fulgentem, quam Vacca noſter eſt proſequutus ad *l. illicitas* 6. *§. qui univerſ.* 8. *D. de offic. praeſ.* Tu idem putes, ſi faſces habuerit Decurio, non Duumviratus, ſed maximi cujuſdam magiſtratus, ut proconſule, aut legationis cum imperio proconſulari: vel niſi Praetor, aut Tribunus plebis ſive defenſor civitatia fuiſſet: vel per multos annos Senatui antiquitate participaſſet: vel clariſſimatus dignitate potitus, & Senator ſuperfuiſſet ante XL. annos a Conſtantii X & Juliani III. conſulatu. Tanta fuit antiquitatis autoritas & praerogativa, ne diuturnitatis ratio negligi videretur, *l.* 88. *C. Th. de decur.* vel, quae ultima exceptio eſt, niſi filium, unicum ſaltem, ſuſtuliſſet. Is enim ſolus in cauſa erat, cur pater nec gradu dejiceretur, nec in curiam rediret, in quo Jus liberorum verſatur, & cernitur: cum filii gratia, patris ſalva & illaeſa dignitas eſt, & a curiae moleſtiis quaſi immunitas tributa. Ad haec duo notanda ſunt, nec tranſcurſu praetereunda, ut maxime ad rem pertinent: Primum, quod patrem Senatorem creatum, muneribus & honoribus propriae civitatis ex ordine functum oportuit: ſecus erat legibus (*l.* 29. *l.* 58. *&* 65. *l.* 94. *&* 184. *C. Th. eod.*) ad Senatoriam claritatem vetitus aſcenſus, & intercluſa via. Alterum eſt, quod filius iſte, unicus fortaſſe, debuit natus ſuperſteſque fuiſſe, antequam pater e Decurione Senator crearetur, ex eoque tempore in curia loco patris ſubrogari, periculo bonorum fortunarumque patris curiae munera ſubiturus *d. l.* 74. quamvis non ſatis ſciam, impubesne filius ante XXV. annos (quod tempus curiam ingreſſuris legitimum fere fuit, ut voluere JCti, *l. non tantum* 11. *D. decur. l. ad rempubl.* 8. *D. de mun. & honor.*) aggredi Reipubl. adminiſtrationem, patriſque locum in Republ. ſubire, & munera ejus vice obire potuerit. Haec ex aliis autoribus alias *l. Lucius* 21. *§. Imperator* 6. *D. ad municip.* interea non minus libenter, quam expoſitiones, profero dubitationes meas. Ad ſummum illa duo neceſſaria fuere, ſi locum ſibi voluit Decurio inter Senatores facere, nomenque (ut ajunt Caeſares) *glebae Senatoriae brevibus* dare: quam nihil aliud putem, niſi matricem, chartam ab aliis dictam matriculam, cui Senatorum nomina, aliquandoque cenſus addebantur, ſimulque quid ſoli, quod poſſiderent, cauſa, ab eis aequo jure perſolveretur, ſub penſionis glebalis verbo. Eam vero mox explicaturus ſum, & ex parte Decurionatus quaeſtionem, ſi quid magiſtra lectione & obſervatione didici.

CAPUT IX.

Ad Jus duorum liberorum quaeſtio.

HIs duntaxat caſibus, ſi filium ob unicum legum ſit gratia patri, de qua mentionem habuimus (nec amplius ullo caſu ſcio in libris tum juris veteris, tum novi, Jus unius filii reperiri tributum: alii ingenio meliore nati, feliciore induſtria plura fortasſe) nihil magis parentibus duorum pluriumve natorum concedendum videtur. Juris namque civilis antiquiſſima eſt regula: Conjuncta illa inutilia, quae, ſeparata, nihil proficiunt. Exemplo eſt Diocletiani & Maximiani conſtitutio, *l. a muneribus* 13. *D. de decurion.* qua reſcribunt *a muneribus decurionatus nec ſententiam praeſidis*, prece vel praemio eblanditam, *nec annos quinquaginta, nec podagrae valetudinem excuſare.* Simile eſt *ex Opinionibus* Ulpiani *l.* 1. §. *ult. D. de vac. mun.* in eo, *qui* LXV. *annos natus, tres liberos habet, & a muneribus civilibus in Provincia non liberatur*: & qui plures excuſationis cauſas habet, quae per ſe auxilium non ferrent, nihilomagis, eas ſi jungat, proderunt aut juvabunt, autore Modeſtino *l.* 15. §. *ὁ πολλὰ* 11. *D. de excuſation. tutorum.* Sic imperfectae diverſae vocationis ſpecies, licet permiſtae, ad excuſationem non valent, ut Severus & Antoninus Pompejano reſcripſerunt, *l.* 1. *C. qui num. tutel.* Quoniam igitur modo cum Ovidiana Byblide quaerentes, an quae non proſunt ſingula, multa juvent, plurium liberorum nomine favores ob ſingulos denegatos conſequemur? Tres tutelae aut tres liberi in Urbe civem excuſabant, *l.* 2. §. *ult. l.* 3. *D. de excuſ. tut.* ubi duo filii cum tot tutelis vocationem non praeſtitiſſent. Verum hoc ſimilitudini ſpecierum tribuendum eſt, quae ſi ſingulae conſimiles in unum coaleſcant, concurſus earum utiliter & ſpectabitur, & proderit; ut non uno loco elucidavit Accurſius, ſcriptor ingenii judiciique dexteritate, ſi ſeculi ſui peccata cernimus, non levi honore proſequendus. Quare in vocatione parentibus concedenda, praemiove adipiſcendo, licet unius liberi ratio niſi rarenter admodum non habeatur, ſi cum uno alter, aut plures conjungantur, videamus quid dicendum ſit.

CAPUT X.

De duobus liberis Decurionis: ſubinde de auro coronario, & glebali praeſtatione.

EQuidem ſicut unitas numerus dicitur non eſſe, ſed numerorum origo, primusque numerus in duitate cernitur; ita licet unius filii gratia nulli fere, niſi admodum pauci, favores relati fuerint, a ſingulorum tamen in unum conjunctione & conventu, parentibus primum incipiunt adjumenta & commoditates importari. De caeteris caſus nobiliſſimus eſt hujusmodi; ſi Decurio filium unicum ſuſtuliſſet, & eo ſuperſtite curiae muneribus perfunctus, in collegium ordinis ampliſſimi perveniſſet, patri quidem in Senatu locus erat, at filius curiae functionibus adſtrictus, non poterat ſe filium Senatoris praedicare, & a numero Curialium exilire: quamvis pater ſe ad curiae munera regreſſurum reciperet, filium in Senatorum ordinem adlegi ex voto poſtulans, ut Valentin. & Valens & Gratianus conſtituerunt, *l.* 74. *l. quia ſplendidiſſ.* 155. *C. Theod. de decur. Quod ſi ei* (ajunt iidem de Decurione patre) *gemina vel numeroſa proles erit, tunc diſcrimen adhibendum eſt, ut de duobus ejus liberis ac pluribus, ſortiendi unius filii ad collegium Senatus habeat optionem: ita ut ei, qui cum patre, vel poſt patrem ad conſortium Senatus legetur, diviſio cum fratribus per ſortem ſucceſſionis patrimonii idonea ſolius glebae ſubſtantiam congregetur.* Ita duorum filiorum patri ex iis unum a curiae oneribus eximendi, & civem patriae utilitatibus auferendi facultas olim jam olim fuit, cum Senatus minores in coloniis Romanorum, municipiisque vigerent. Neque parvi aut pretii aut ponderis eſt, filium e βουλῇ coloniae & parvae plerumque civitatis, in ſummum conſilium urbis maximae, patriaeque communis, & e Dicurionatus honore municipali in Senatoriae claritatis faſtigium eminentiſſimum, adeo ut Imperatorii corporis pars efficeretur, *l. quiſquis* 5. *C. ad leg. Jul. majeſt.* potuiſſe extollere & provehere: extollere, inquam, in culmen honorificentiſſimum juris & autoritatis ampliſſimi illius ordinis, cui annumerari Imperatores non dedignantur, *l. jus ſenat.* 8. *C. de dignit. l.* 1. *C. Th. de exhib. reis* Sane qui de filiis in Senatum lectus erat, patre diem functo, fratribus ſorte patrimonium diviſuris, honoris, ut ita dixerim, cauſa, in fidem grati erga caeteros animi, ex ſubſtantia patris duntaxat, quod ad glebam ſenatoriam exſolvendam, & juſtum cenſum ſufficeret, percipiebat, ut reſcriptum AAA. interpretor. Verum ſi portio quandoque minor Senatori in diviſione paternae haereditatis obveniebat, cum honore commodum ex alio latere ſentiebat, idem, qui in ampliſſimum ordinem cooptatus, & municeps eſſe deſinebat, & a muneribus vacabat, *l. municeps* 23. *D. ad municip. l. honorem* 10. *D. de mun. & honor.* fortaſſe quia honorem ſuſtinenti munus non imponebatur. Sic ab originis & curiae moleſtiis liberatus, aurum coronarium principio munus voluntarium, *l.* 1. *C. Th. de aur. coron.* (quod ut veniretur de gramine ad aurum, obſoleta laurea, in aureis corollis, ſignisque diverſis, aut alia non diſſimili materia, *l.* 4. *&* 6. *eod.* Spartian. *Adrian. cap.* 6. Gellius *lib.* 5. *cap.* 6. triumphalis, honoris cauſa, Imperatoribus mittebatur; non ut quibusdam placet, in nummis coronatis) deinde pro bonorum facultate, ut onus neceſſarium poſſeſſoribus a Valentiniano & Valente *l.* 2. *&* 3. *eod. tit.* imperatum, ad eum nihil quicquam attinebat. Senatores enim, praeterquam glebariae praeſtationis, caeterarum omnium functionum exſortes erant, ut iisdem Caeſaribus *d. l.* 2. placuit, cum ordines curiarum admoniti, *d. l.* 4. 5. *&* 6. *C. Th. l.* 1. *C. Juſt. eod.* aut ex conſuetudine veteri, animis Auguſtae Majeſtati faventibus, in indulgentiarum laetitia, rebusve proſpere geſtis, de propriis facultatibus, ut conſuetudo mater eſt obligationis, ad collationem auri coronarii cogerentur. Admonebantur autem Decuriones & Satrapae, ubi neceſſitas urgeret, & illis princeps ex arbitrio pecuniam, quanta opus erat, imperabat: ut captivis, quibus ob gratiam vitae factam, pretium redemptionis jure militari, a victoribus olim imponebatur; quo jure adhuc utimur, utrumque aurum ſubinde coronarium dictum Servius Maurus ad Virgilii *lib.* 8. *Aeneid. verſ.* 721. annotavit. Interea dum aurum & ſimilia Decuriones & poſſeſſores pendebant, glebalis duntaxat praeſtatio pro agri menſura, annis ſingulis a Senatoribus, non item a buleutis, *l.* 138. *C. Th. de decur.* primum (licet jus in eo mutatum *Conſtit.* 186. *C. Th. de decur.* ſolvebatur, munus & collationis genus, pro ſolo impoſitum & datum, quod *Solarium* cum Ulpiano *l. ult.* § *praeterea* 25. *D. de munerib. l.* 2. §. *ſi quis* 17. *D. ne quid in loco.* rectius Caeſares nuncupaſſent. Senſere tamen cum tempore Senatores poſſidentes gratiam, conſtitutionibus factam, primumque intra Italiam ſi poſſiderent ex reſcripto Arcadii & Honorii AA. ad Theodorum PP. his verbis *Conſt.* 4. *C. Th. de indul. debit. Ab omni intra Italiam jugatione, quam munere annonariae functionis abſolvimus, etiam glebalem penſionem jubet Serenitas noſtra removeri. D. id. Sept. Med. Baſſo & Philippo Coſſ.* Deinde & ſub eodem anno, qui ultimus eorum imperii fuit, capientes exemplum de Italicis iidem Caeſares, ab omnibus perſonis, rebus ac praediis onus glebarum aboleverunt, edita conſtitutione hujusmodi, Impp. Arcad. & Honor. AA. *l.* 2. *C. Juſt. de praet. & bon. praet. Glebam vel follem, ſive* 7. *ſolidorum functionem, ſive quamlibet* bu-

Digitized by Google

hujuſmodi collationem, tam circa perſonas, quam circa res ac praedia funditus jubemus aboleri, ut omnis hujuſmodi ſopita perpetuo conquieſcat exactio. At his verbis nullus dies ſubjicitur, nulli Conſules ſubjunguntur: ſuperſcriptio tamen conſtitutionis eoſdem, qui & ſuperioris ſunt, hujus autores facit: & quo me inclinat conjectura, eo me dare ſi velim, hanc poſterius recitatam, editam quoque ab iiſdem Auguſtis epiſtolam dixerim poſterius, ne poſt generalem principum affatum, emiſſum ſpeciale ſuperfluo & inaniter exiſtimetur. Unde liquido cognoſcitur, quantopere dignitatem Senatoriam fautrices leges adjutarint, & quantis eam commoditatibus honoraverint, quas & pater Decurio & alter ex filiis ejus ſentiebat in Senatum allectus.

CAPUT XI.

De duobus liberis libertini: explicatum legis Juliae caput de operis impoſitis, obiterque de infamibus & onerata libertate: varii Juris autores in variis elucidati.

ALius caſus eſt, quo pater duorum liberorum leges propitias experitur, ſi libertinus, de quo ſupra mentionem feci, duos aut plures filios habeat, quorum favore libertatis cauſa impoſitas operas lex Julia remittit, his verbis *l. 37. D. de oper. libert. Qui libertinus duos pluresve a ſe genitos, nataſve in ſua poteſtate habebit, praeter eum, qui artem ludicram fecerit, quive operas ſuas, ut cum beſtiis pugnaret, locaverit, itemque qui eorum operas, donum, munus, aliudve quicquam libertatis cauſa patrono, patronaeve, liberiſve eorum, de quibus juraverit, vel promiſerit, obligatuſve erit, dare, facere, praeſtare debet, etſi non duos eodem tempore in poteſtate habuerit, ſed vel unum quinquennem, liberabitur operarum obligatione.* Ita ex lege Julia de maritandis ordinibus, cui Alexander A. reſcripto ad Minutium *l. nec patronis 6. C. de oper. libert.* ſubſcripſit, liberto duo liberi proſunt: de quibus ait lex, *genitos, nataſve* (ſi vera eſt lectio libri Florentini, quam utilitatis gratia probarim) nec opus ſit legem interpretatione ſuppleri, quae maſculinum genus ad foemininum trahit, adeo ut foeminae, ſicut maſculi, patri liberationem procurent. Adjicitur in lege, *in ſua poteſtate habebit.* Unde conſequens eſt, amiſſum jam filium ad operarum, quae poſtea imponuntur, diſſolvendam obligationem non prodeſſe, contra quam Julianus *d. l. 37. §. 1. & l. ſequent.* & Pomponius exiſtimarint: at ex verbis legis noviſſimis ſciendum eſt, duos filios aut plures patri, eos in poteſtate habenti, ſed & illi, qui habuerit, commoditatem abſolutionis importare: quod Alexander eo reſcripto ad Minutium ſignificat magis, quam exprimit, & lex Julia ibi, *etſi non duo eodem tempore in poteſtate habuerit.* Verum quod ait lex, *praeter eum, qui artem ludicram fecerit,* non otioſum eſt: qui enim poſt ludos ſcenicos & ludiones ex Hetruria, ut in *lib. 7. cap. 3.* refert Livius, accitos, artis ludicrae, pronuntiandive cauſa prodiit in ſcenam, ſpectaculum ſui praebiturus, ſive illa in publico privatove fuerit, loco paſſim & ſine delectu ſpectandi cauſa homines admittente, formae notam inuſſit, *l. 2. ult. D. de iis qui not. infam.* Ideoque ut novi homines libertini filios artificiis liberalibus inſtruerent, & a ſordidis miniſtriſque voluptatum avocarent, quod ad amplitudinem patronorum quodammodo pertinebat, conjicio lege Julia ſcenicos, utpote famoſos, Jus liberorum patri non procuraſſe, qui ſui juris in eos exercendi negligens fuerat: & diſſoluta negligentia, qui filium cum viliſſimis ſcenicis conflictantem non vetuiſſet, *l. humilem 7. C. de inceſt. nupt.* ex libertino obſcuroque genere natum, eo humiliorem & ſordidiorem voluiſſe videbatur. Idem dicendum, ex lege, de eo, qui *operas ſuas, ut cum beſtiis pugnaret, locaverit:* nihil enim quicquam patri proficiet ad impoſititias operas elevandas, & Jus duorum ſupplendum: quoniam qui pretio operam locantes, venalem ſanguinem habent, & quaeſtus cauſa cum feris in certamen deſcendunt, vel prodituri mercede conveniunt duntaxat, nec in publicum exeunt, ut ait Ulpianus *l. 1. §. 6. D. de poſtul. l. 2. §. ult. D. de iis qui not. infam.* ex Senatusconſulto ignominiae & infamiae labem a cervicibus avertere non poſſunt, vel eo ſolo, quod vitae periculum, ſi ſpes nummuli refulſerit, ſubire non verentur. In hac ſpecie is, qui ſolummodo convenit, etiam notatur infamia ex Senatusconſulto, quod edicto de infamibus negatum mirantur Patritii doctores: ſed de iis Praetor *l. 3. D. de iis qui not. infam.* loquutus eſt, *qui in ſcenam prodierint,* facta, non voluntatem, conſilium, aut cogitationem arguens. Senatus autem decreti verba, Ulpiano referente, *operas locari ad feras depugnandas* prohibuit: ideo non modo pugnae factum non vetavit, ſed etiam conventionem de pugna, & conſenſum qui locationem perficit. Nihil autem edicto repugnans Senatus decrevit, nihil adverſum ſtatuit, ſed duntaxat addidit, & infamiae vela explicavit. Quod ſi pro patritiis factioſi quidam adhuc obſtinatiores renituntur, nec facile manus dant, dum rationem diſcriminis ex Apollinis adytis quaerunt, &, cur tam varie? inquiunt: amplius ipſi viderint, ita leges ſcriptae ſunt. Illud quaeſitum ſcio *d. l. 1. §. 6. D. de poſtul.* an qui non pretio aut mercede, ſed Satrapae cujuſdam magnifici prece, vel in illius gratiam gratuito, & voluntaria opera virtutis ſpecimen oſtenſurus, vitam in diſcrimen dubii certaminis conjecit, & ut arenarius in amphitheatri cavea, quam arenam vocant, cum feris depugnaverit, infamia quoque notetur: quod nuſquam relatum eſt, nec unquam receptum: ludicra enim miniſteria in pugna nulla ſunt, ludicrae artes nullae, ſed virtutis duntaxat ſignificatio, & quoddam elucens ſimulachrum. Itaque famae notam inurit, qui ſanguinem, uno, ne quid amplius dicam, nummo venalem exhibet, non qui ſe pugnae periculo ſubjicit: de quo & toto genere pugnandi implicato illo, & non paſſim ab autoribus explicato, eleganter Aurelius Caſſiodorus *Variarum lib. 5.* De illo vero, qui pretio operas locavit (aliter enim locatio non ſubſiſtit, *l. 2. D. locat.*) Julia lex tantum loquitur: de illo, qui ingenii & ſtudii gratis pugnavit, nihil in lege ſcriptum, nihil expreſſum, nihil ſignificatum eſt, ideoque, lege deficiente, omiſſum interpretor. Adeo ut, quemadmodum legis Juliae verbis a ſupplemento Juris duorum, aut trium non avocatur, qui (ante venationem ab Honorio ad Maurianum Com. Dom. prohibitam *l. 1. C. Th. de ven. ferar.*) locaverit operas ut feras venaretur, aut regioni nocuas occideret, & ita cum illis pugnaret, ſic neque illum, qui virtutis cauſa pugnavit, removerim, niſi ſe in arena honorari paſſus fuiſſet, *l. 1. §. 6. D. de poſtul.* tunc enim infamiae nota afficitur, virtute locum praemio & muneribus concedente. Ex iis Philologus, niſi patiatur ingenii aciem hebeſcere, ſubſiſtens paululum, dubitationem proferet in ſuperiori, an is duntaxat, qui opera locata, ludicrae artis cauſa prodiit in ſcenam, infamis fiat, an & is quoque, qui gratis & ſine mercede exiit. Illud proculdubio eſt edicto Praetoris & prudentum reſponſis firmatum & conſtitutum, *l. 2. § ult. l. 3. D. de his qui not. infam.* Hoc a conſultis veteribus praetermiſſum eſſe miror: verum idem, quod de alio caſu dixerim *arg. l. palam 43. §. 3. D. de rit. nupt.* &, niſi φιλαυτία fallor, bona ratio eſt: cum enim artis ludicrae, & virtutis gratia in publicum & in ſcenam exire, pugnantia diſcernat Ulpianus *l. 4. D. de his qui not. infam.* qui ſe miniſteriis ludicris & ſcenicis officiis maculaverit, non poteſt virtutis ergo ſe proditum cauſari, ne notetur infamia. Nihil igitur impedit & cum edicti verbis contineri, ex eo *d. l. 2. §. ait praetor 5. & l. 1. eod,*

eod. Qui in ſcenam prodierit, infamis eſt, & ex lege Julia patri libertino, ad ſupplendum Jusduorum inutilem dicere. Amplius, ſi judicio interpoſito veram lectionem comperi, habet lex Julia, *Itemque qui eorum operas, donum, manus, aliudve quicquam*, &c. non filios libertinorum cogitans, qui impoſititia libertatis cauſa promiſiſſent (neque enim potuiſſent ſine juſta manumiſſione exuere vincula ſervitutis, & fuiſſent parentibus colliberti) ſed ex libertinis illis duntaxat lex repetit, qui liberos ſuſtuliſſent, in quorum gratiam caput legis id eſt. Itaque ex libertinis, qui donum, operas, munus, aliudve ſimile dare, praeſtare, facere libertatis cauſa promiſerit, juraverit, obligatusve fuerit, quod ampliter ſupra *cap.* 6. explicuimus, jure duorum gratiam impoſitorum, ſaltem operarum, ſentiet, ad quas tenebatur *patrono, patronae, liberiſve eorum.* Sed non ſine myſterio liberorum meminit lex. Novit enim Julius Paulus *l. filiusfam.* 13. *D. jure patr. l. ſi conſentiente* 16. *l. nepos* 22. *de manum.* ſervos peculiares a filiofamilias juſſu patris manumiſſos, ex patrisfamilias & patroni voluntate, filio manumiſſori caeteriſque liberis, qui in ejuſdem ſacris ſunt, operas & ſimilia promiſiſſe: ideoque ait idem *d. l.* 37. §. *nihil autem* 3. *D. de op. lib. Nihil intereſt utrum ipſi promittat patrono, an eis, qui in poteſtate ejus ſunt:* de liberto loquens, cujus obligationem diſſolvere Julia lex voluit, ſive patrono, ſive liberis patroni promiſiſſet: quibus ex ſponſu, & a liberto dato fide, emolumentum & commodum omni caſu patri quaerebatur *l.* 1. *D. ſi quis a parent.* & ea eſt Julii Pauli aptata ad verba legis interpretatio. Quod ſi per patientiam eruditiorum liceat (lividos enim, quos mihi nimium multos ſcio, aut nihili, aut flocci facio) aperte ſententiam dicere, de qua judicabunt ipſi, poſt veteratorem callidum & in arte prudendentem, novitius non vereбor, petita, neſcio an exorata venia, legis Juliae illa verba *patrone, patronae, &c.* cum alia explicatione referre, quae curioſis, & ſtudioſis, proferente me, multis placuit. Solebant autem priſci de ſervis liberos facturi, in lege manumiſſionis quandoque ſibi ipſis duntaxat, operas, donum, &c. ſtipulari, nec tabulae liberorum meminerant: quandoque item liberorum mentionem interponere, ſi quid lectione aut obſervatione Conſultorum, videor poſſe meo jure quodammodo vindicare: in quorum equidem conſuetudine notanda niſi plurimus fuiſſem, nunquam haec perſequendi mentem ſubiiſſet cogitatio. Illo caſu Cajus *l. cum patron.* 22. §. *cum libertus* 1. *l.* 7. §. *ſi liberi* 6. *D. de oper. lib.* obligationem liberti ad liberos patroni profert, & explicat, ſi patri haeredes per ſe nec per alium extiterint, nec aequalitas haereditariarum partium ſpectabitur in impoſititiis a liberto conſequendis, imo ex quantulacunque parte factus filius haeres ſit, idem dicitur, cum filius imaginaria quaedam perſona ſimul ſit cum defuncto, *l. ult. C. de impub.* §. 1. *Nov. de jurejur. a mor.* ne opus ſit dicere, homines plus ſaepe, quam ſui, poſteritatis amantes, non ſibi ſolis, ſed & haeredibus ex voto cavere, ſicuti veteres Conſulti conjecturis praeſumpſerunt, *l. ſi neceſſ.* 8. §. *de vend.* 4. *D. de pign. act. l. ſi pactum* 9. *D. de prob.* & nos re ipſa cernimus, modo nihil repugnans in contrarium agatur. Quod ſi liberos patronus in ſtipulatione adjecerat, in eo non ſimplex utilitas fuit. Primum enim pater filio, quantum legibus permittitur, *l. dominus ſervo* 39. *l. quod dicitur* 86. *D. de verb. oblig.* ſtipulans, ſibi ipſi acquirit quae juris ſunt, quaeque in commodum patris vergentia acquiri patri poſſunt, ut ſunt operae in peculio filii impendendo, & quod peculium augeat donum, munusve, &c. Deinde ſicut liberorum filiorumque nomine natos etiam patre mortuo poſthumos exaudimus, *l. nomen filiarum* 164. *D. de verb. ſign.* & patronus ſibi & poſt mortem ſuam, liberis operas, donum, &c. ſtipuletur, & libertus ſpondeat, *l. ſi quis operas* 5. *D. de oper. liber.* utilis actio in libertum patroni filiis competet, *licet ei haeredes non extiſtant*, ait Ulpianus *l. quodcunque* 45. §. *ſi quis ita* 2. *D. verb. oblig.* & ita obligatio liberti contrahitur cum patrono, patronave, liberiſve eorum (ut ego quidem interpretor) de cujus abſolutione duorum liberorum favore ex lege Julia contendimus. Remora tamen latet in ultimis verbis legis, *etſi non duo eodem tempore in poteſtate habuerit.* &c. quoniam in ejus fronte libertino, ab impoſitorum obligatione exilienti, neceſſe eſt filios in manu & poteſtate habere. Sciendum igitur pro veterum ſtudio, ne deficeret multitudinis ſoboles, in *calce legis* gratiam factam etiam iis, qui filios in ſacris non retinuiſſent, adeo ut & habentibus in manu & non habentibus, qui liberos ſuſtuliſſent, lex aeque faverit, ut initio diximus: & ita Alexander ad Minutium (aut illum non intelligo) legem intellexit, reſcribens *l. nec patronus* 6. §. 1. *C. de oper. liber. Qui duos filios in poteſtate vel diverſis temporibus habuit, lege Julia de maritandis ordinibus, obligatione operarum liberatur*: & ſicut in tutelae remiſſione patri procuranda filios in ſacris non exigimus, *l.* 2. §. *ἀφίεσι* 2. *D. de excuſ. tut.* ita nec in operarum obligatione Jure liberorum tollenda. At vero in tutelae remiſſione ſuperſtites filios oportet, dum tutela defertur, nec ante mortui proſunt, autore Modeſtino: quod in ſpecie noſtra jure diverſo receptum eſt, adeo lex libertinis favit. Obiter autem prius animadvertendum eſt, a ſervis manumittendis exactum jusjurandum, quo ſe operas, donum, munus, &c. domino, aliive, ejus voluntate, ſi liberi fierent, praeſtaturos promittebant, non ut obligatione, ſed ut religione adſtricti, poſteaquam ſui juris eſſe coepiſſent, jurandi neceſſitatem haberent, ſicut ait Venulejus *l. ult D. de lib. cauſ.* (*l. ſi quis ſervo teſtam.* 56. *D. de man. teſtam.*) *dummodo incontinenti, cum manumiſſus eſt, aut juret, aut promittat* ſervus, ne libertinus & novus homo factus, ex animo religionem eximat, qua ſe tangi cum tempore obliviſcatur: libertinus, inquam, qui ex poſteriori vel jurejurando, vel ſponſione obligabitur. Ita ſi prudens & cautus paterfamiliae a ſervo jusjurandum exigat, ſtatim poſt manumiſſionem curabit jurare libertum factum, ut obligetur: ſin minus, ut parum diligens dominus erit, quia nemo coget libertum poſt intervallum operas, etiam licitas promittere, *l. operis non impoſ.* 31. *D. de oper. liber. l.* 1. §. *in ſumma* 6. *verſ. Sed ſi poſt. D. quar. rer. act. non dat.* nec impoſitas principio, nec promiſſas, in arbitrio liberti eſt, cum recuſare poſſit, an ſe obligari patiatur: quod ſi juret poſt tempus, obligabitur, *d. l. ut jurisjur.* 7. §. *jurare* 2. *D. de oper. lib.* & jurejurando ad praeſtationem, jure licito, non onerandae libertatis cauſa impoſitorum, devincietur: quo ſenſu Ulpianum Venulejo conciliandum ſemper duxi: alii & peritiores, ſi pugna eſt, viderint. Ad rem ergo. Si antequam ex intervallo operae liberto conſentienti imponantur, idem liberos amiſerit, ubi illum impoſitionis poenitebit, proficient filii amiſſi ad impoſititia elevanda, quod ex Juliano Paulus ait *d. l.* 37. §. *amiſſi* 1. *& §. ſequen. D. eod.* Sed etſi uno amiſſo obliget ſe libertus, deinde alter naſcatur, multo magis ait idem ex Pomponio, amiſſum huic jungi, ut duorum liberorum jure abſolutio fiat: usquequaque enim verum eſt illum duos filios in poteſtate habuiſſe. Ideoque poſthumus liberti haeredes patris, qui ad impoſititia tenebatur, non relevat: quoniam (inquit Juriſprudens *d. l.* 37. §. *poſthumus* 7. *D. eod.*) *proficiſci libertatem a liberto debet, nec quiſquam poſt mortem liberari intelligi poteſt.* Inanis autem eſſet ex caſu mortis impoſitorum abſolutio, ut ſemel locus ſubobſcurus elucidetur, & a liberto inutiliter proficiſceretur, originemque duceret, cum mors exemplis magiſtris, & Plutarcho fautore *Conſolator.*

ad Apollonium, laborum, dolorum, ſolicitudinum, curarum & onerum ſolutionem & liberationem afferat, quae, ut ait Novella, omnia diſſolvit: ſitque libertus ab impoſititiis & a cuſtodia corporis liberatus. Hinc *genitos* initio *d. l. 37. D. eod.* pro filiis natis, non pro poſthumis, ut libertino illiusque haeredibus proſint, accipimus. Juvabunt autem ad operarum impoſitionem elevandam, non ſolum futurarum, ſed etiam praeteritarum, licet jam per judicem petitae fuerint: omnium enim, ut ex Juliano Paulus *d. l. 37. §. 6. D. eod.* abſolutio fiet, niſi condemnatio earum nomine ſequuta ſit, quoniam jam quaſi creditae fient ex litis aeſtimatione *arg. l. fabriles 6. D. eod. tit.* id eſt, ex condemnatione, pecuniam, nec operas officiales, aut fabriles libertus debet: qui caſus neque propalam verbis legis, neque ſententia continetur. Unum pene praeterii, quod minime fuit praetereundum: ſi ſervus & ancilla manumiſſi fuiſſent, adactique ſacramento ad impoſita ſuſcipienda, & eo momento, quo manumiſſi operas, nequid imminens ſit contra legem *d. §. in ſumma 6. l. 1. D. quar. rer. act. non det.* jurare deberent in poſterum ſe praeſtituros, liberta marito colliberto ſuo duos filios perperiſſet, etiam ex incontinenti operarum, quas libertus promiſiſſet, abſolvenda fuit Jure duorum obligatio. Idem dicendum, ſi ſtatim ac manumiſſus eſt libertus, impoſititia juret, aut promittat ſe ſoluturum, deinde liberos ſuſcipiat: illi enim a praeteritis, ſi quas debet, & a futuris operis Jure duorum liberatio continget. Nec debet libertus, qui juravit, moveri religione jurisjurandi, quod a Julia lege remittitur, ut Tiberius Caeſar *equiti Romano jurisjurandi gratiam fecit.* Sueton *in ej. vita cap.* 35. Id enim lex ſeculi inter Veteres potuit *l. 6. extr. D. de jure patr. l. ult. D. ad municipal.* Roman. *conſ.* 437. *num.* 10. *&* *conſ.* 12. Guidon. Pap. *deciſ.* 178 *&* 194. quod nos Apoſtolicae & Pontificiae tribuimus, ut noluere Sacratiſſimi Galliarum principes omnia pro ſuo jure agere, utive jure poteſtatis. Porro quod ait lex Julia, *liberabitur operarum obligatione*, explicat Juriſprudens, ut etiam fidejuſſori proſit, *l. 44. D. de oper. libert. l. quoties quis 8. de verb. oblig. gloſſ. l. ſi quis pro reo 56. D. de fidejuſſor.* qui operarum obligationi accedens illas praeſtari ſe curaturum promiſit, liberto in praeſtandis moram faciente, jure, & judicio agendus: nemo enim eſt, qui neſciat ſublato principalis rei nexu, acceſſionem fidejuſſionis tolli ex ſententia legis, ut Paulus ſcribit. At Julia lex fidejuſſoris non meminit; nihil item de eo ſignificavit: magis tamen eſt, ut propalam, abſoluto operarum obligatione liberto, ex conſequentia dicamus abſolutum fidejuſſorem, qui obligatione ſua viribus ſubſiſtente, exſolutum mandati judicio a reo debendi recuperaret, quem operarum obligatione, Julia rogatio tali caſu non liberaſſet, *l. ex mandato 20. l. qui ſine 53. D. mand. l. Julian. 131. §. 1. D. de verb. oblig.* & ſi parvi refert, protinus libertus patrono cogatur dare, an per interpoſitam fidejuſſoris perſonam, cum ſit legis propoſitum in hujusmodi impoſitorum liberatione reo ſuccurrere, *Arg. l. 1. §. exceptionem 8. & ſeq. D. quar. rer. act. non det.* niſi fidejuſſor quoque obligatione eximatur, non ſervabitur ejus voluntas. Verum ſi *operarum obligatione*, jure unius aut duorum libertus eximitur, videamus ne non idem ſit, cum disjunctim operas, aut in ſingulis certam ſummam promiſit, quod lex Aelia Sentia non vetuit *l. ult. §. is qui 2. D. qui & a quib. man. d. l. adigere 6. §. 1. D. de jur. patr.* & a quantitate, ſicut a facto, liberatio erit: quod & verum eſt, ſi ſponte ſua libertus ob venditionem operarum mercedem promiſerit. Solebat autem principio inter patronos & libertos convenire, ut aliquid pro operis praeſtaretur, quod Severus & Antoninus reſcripto teſtati ſunt, *l. 1. C. de oper. libert.* at conventio, qua negotium componeretur, a generali in aliud nomen non transibat, *arg. l. conventionis 1. & ſeq. D. de pact.* pretium itaque pro operis conſtitutum, non poterat ex anonyma conventione peti. Deinde fuere, qui de operis certo pretio convenirent, & venditio fiebat operarum, cujus meminit quaedam Antonini Caeſaris ad Valerianum conſtitutio, *l. 4. C. de oper. libert.* neque enim venditioni verba conſtitutionis Alexandrinae reſiſtunt *d. l. nec patronis 6. C. eod. nec patronis pro operis mercedem accipere licet*: quorum ſenſus eſt, non licere patronis, cum ſint in facultatibus, & libertorum operis uti poſſint, *l. patronus 25. D. eod.* eas aliis locare, ut libertis incommodent, cujus ex Juliano ſententiae Zaſius eſt *reſpon. cap. 3. num.* 50. & ego ſum. Igitur ſi libertus volens, ſe in certam ſummam operarum vice fungentem obligaverit, extendo legem, ut Jus quoque duorum interpretatione ei proſit, quod videatur de operis obligatus, qui eorum pretium debet, ſuccedens loco rei, *l. ſi rem & pret. 22. D. de pet. haer.* Uno tamen caſu exceptione juris noſtri non erit opus, ſi cum ſponte manumiſiſſet patronus, pecuniam liberto imperaverit (puta maximae cujusdam ſummae) non quidem illam exacturus, ſed libertum exactionis metu juſſurus quidvis ex praecepto ſuſtinere. Lex namque Aelia Sentia reſiſtit obligationi onerandae libertatis cauſa contractae, ex eaque actionem denegatam legimus, *l. 1. §. quae onerand. 5. l. 2. §. ult. D. quar. rer. act. non det. l. 32. D. de oper. lib.* etiam ſi verbis decoris velans obvolvensque dedecus (quod, ut graviſſime Baldus ait ad *l. 2. §. ult. D. ſi cert. pet.* non impedit conſcientiae teſtimonium) ſub operarum titulo, patronus grandem illam pecuniam ſtipulatus fuerit: id enim perinde contra legem fraude cogitata inductum licet cernere, ut ex Octaveno ſcribit Terentius Clemens *l. ult. §. ult. D. qui & a quib. man.* Sed in hac ſpecie, ad libertatem onere liberandam, arguere libertum onus & comprobare oportebit, cui ſe metu ſolo, vel nimia patroni reverentia ſubjecit; & hoc eſt, quod dixit Antoninus ad Valerianum *d. l. 4. C. de oper. lib. onerandae libertatis gratia emisſam eſſe cautionem probabitur.* Id fit in judicio, dum de cauſa certatur & ope exceptionis ONERANDAE LIBERTATIS cauſa, abſolvitur libertinus. Utrobique vero ſcilicet, hoc caſu ob onus libertati impoſitum, & in ſuperioribus ob favorabilem natorum cauſam, tollitur obligatio liberti. Sed & aliud commodum libertinis hominibus importatur, aut, quod magis eſt, eorum futuris haeredibus, quum a partis petitione, quae patrono in bonis liberti teſtato defuncti ex edicto debetur, liberatio fit. Si enim operas per judicem exigat patronus, ubi libertus de Jure liberorum excipiens, cauſa cognita, ut par eſt, judicio vicerit, obligatione operarum dimiſſus, liberam teſtamenti factionem aſſecutus eſt, & contra illius tabulas patronus praeteritus bonorum poſſeſſionem non habet, minusque partis ab inteſtato petitionem, ſicut a Papiniano reſponſum, & a Modeſtino ſcriptum eſt, *d. l. 32. & 41. D. de oper. lib. l. 33. & 37. D. de bon. lib. l. 20. D. de jure patr.* quodque Anaſtaſio A. placuiſſe video, *l. 2. C. de bon. poſſ. contra tab.* Quoniam electio, quae patrono manet jure ſuo, aut partis bonorum poſſeſſionem petendi, aut libertatis cauſa impoſita, exactione & petitione operarum conſumpta fuit. Itaque nihil eſt, quod ex liberti ſucceſſione patronus ſperare poſſit, etiam ſi non per judicem petierit, ſed impoſitas operas delegaverit, ut mox dicetur: eo enim exegiſſe Domitio Ulpiano placet, *l. verbum exactae 187. D. de verb. ſignific.*

CA-

CAPUT XII.

Quando Jus natorum liberto inutile ſit, & de operarum delegatione, deque expromiſſore & reis pluribus debendi: Pomponii ſcriptum enucleatum.

HIs conſequens eſt dicere, non uſquequaque libertinum ob unum aut alterum filium liberari, cum duos caſus Julius Paulus exceperit, *d. l. 37. §. ſed ſi creditori 4. §. ult. D. de oper. lib.* ſi ſe libertus creditori patroni ſui delegari paſſus fuerit, itemque ſi expromiſſorem impoſititiorum dederit: neutrobi enim Jure liberorum gaudebit. In priori ſpecie meminiſſe oportet ejus, quod Alexander A. Timotheo reſcripſit, *l. 1. l. nec creditor 6. C. de novat. Delegationem debiti niſi conſentiente debitore, & creditoris creditori ſtipulanti promittente, non perfici.* Ubi vero debitor conſenſum delegationi accommodat, is ſi libertus ſit, qui patrono quicquam debeat libertatis cauſa impoſitum, cavendum eſt ab operarum lubrica diverſitate. Officiales enim vult Marcellus, *l. ſi non ſortem 26. §. libert. 12. D. de cond. indeb.* non delegari: & cum proprietas earum in edentis perſona, & ejus, cui eduntur, conſiſtat, alii deberi non poſſunt, *l. 9. D. de oper. lib.* ne cum officii praeſtatione, quae miniſterio perſonae patroni accommodo circumſcribitur, operae officialium nomen amittant: quod maſcula ratione Zaſius *reſponſ. ſing. cap. 3. num.* 48. ita confirmat, & ejus ſententiae acquieſco. Fabriles autem *d. §. libert.* 12. & *l. 9.* aliaeve ejus generis, quas, ſi in artificio ſunt, artificiales non inepte ille nuncupat, a quocumque & cuicumque jubente patrono edi & exſolvi poſſunt. Artificium vero ſequutus, Veteres autores utilitatis aut voluptatis interpretor *l. 7. §. 5. verſ. Nam hujus. l. 16. 23. & 25. l. 38. §. ſi tamen 1. D. de oper. lib. l. ult. D. de lib. cauſ.* quod poſt manumiſſionem, vel ante, libertus didicerit, ſive faber, ſive pictor, ſive librarius, ſive calculator, ſive nomenculator, ſive medicus, ſive pantomimus, ſive archimimus, ſive muſicus, ſive ſaltator, ſive citharoedus fuerit. Itaque fabrilium & artificialium, omnium denique operarum praeter officiales, fieri poteſt ſicut locatio, ſi ſit inops patronus *d. l. 25.* ita & delegatio; quoniam recipiunt aeſtimationem *d. §. libertus* 12. & vice pecuniae creditori patroni ſui a liberto ex juſſu exſolventur. Nec me movet ſententia diſtinguentium, ex autoritate Papiniani, ab artificialibus operis eas, quae voluptariae ſunt, ne delegari poſſint: ſi enim patroni creditor, cui delegatae ſunt operae liberti, velit hiſtrionem ludere, non in loco ſine delectu homines admittente, ſed (poſt interdictam a Domitiano *hiſtrionibus ſcenam, & jus artem exercendi intra domum conceſſum*, Sueton. *in ejus vita cap. 7*) intra privatas cujuſdam aedes, cum quiſque ſpectatorum ſymbolum dederit; an non & voluptarii artificii erit aeſtimatio? contra quam Zaſius *d. cap. 3. num. 44. & 48.* ſentiat, dum percipiet creditor ſimul cum voluptate & delectatione lucrum. Quod autem Papinianus *l. ult. §. 2. D. de oper. ſervor.* ait, diverſum eſt, non repugnans: ut operae ſervi, quem dilexit, aut in deliciis habuit dominus, ex ejus, quam habuit quondam, affectione, aut ex ea voluptate, quam cepit, aeſtimentur, ne certo pretio delectionem taxemus, quae pretio nummario non ſolet aeſtimari. Sed id non facit, quo minus operarum liberti, qui forte ſcenicus in publicum prodire, & operas locare ſolitus fuiſſet (verbi gratia, citharoedus) habeatur aeſtimatio: habita enim & ſervi artificis fuiſſet, quod Mela ſcripſit, & Papiniano placet *d. l. ult.* Quare ſi voluptarium artificium, quod libertus novit, praeter voluptatem quaeſtui poſſit deputari, dixerim & illius a patrono delegationem factam recipiendam. Nunc de operis, quarum delegatio probatur, diſcriminatio eſt, ſintne poſt impoſitionem ex intervallo, an confeſtim delegatae: ſi poſt temporis ſpatium libertus in id, quod patrono promiſit, alii vice patroni detur, lex Julia, quae tollit operarum obligationem, ei proderit illo caſu. *Nam* (inquit Juriſprudens *d. l. qui libert. 37. §. 4. D. de op. lib.*) *verum eſt patrono eum promiſiſſe, quamvis patrono nunc non debeat:* & qui jam legis beneficio liberatus erat, non videtur ignorans juri ſuo renuntiaſſe, minuſque delegationi conſenſiſſe. Ideo patronum, qui libertum delegavit, eo caſu condictione ei teneri placuit, *d. l. 1. §. quod ſi patr. 10. D. quar. rer. act. l. ſi quis deleg. 12. D. de novat.* ne creditor juſtus ſuum recepturus exceptione repellatur, aut ſi acceperit, litis moleſtias ſubire cogatur. Habet autem & hac in ſpecie libertus Jus natorum favorabile. *Quod ſi ab initio delegante patrono libertus promiſerit* (ſtipulanti ſcilicet patroni creditori) *non liberari eum* ob jus, de quo quaerimus, Julius Paulus ſcribit: quum enim ſe libertus conſtituit patroni creditori ſoluturum, *ſolutionis vicem continet haec delegatio*, id eſt, patrono creditori ſuo libertum delegante, cum libertus in ſe obligationem ejus recipiat, brevi manu patronus debitum exſolvere, *l. qui debitorem 18. D. de fidejuſſor. l. quamvis 8. §. interdum 3. D. ad Vellejan.* & creditum recipere videtur: adeo ut ſolutione obligatio ſublata legis Juliae, neque verbis, neque ſententia contineatur, quae ab obligatione libertinum liberat, non ſoluti repetitionem inducit. Hic ergo natorum Jure indebiti nulla condictio eſt: adjicioque caſum diverſe quidem contingentem, ſed jure definitum perſimili, quo debitorem ſuum ab initio, & confeſtim poſt impoſitionem, ante duos natos liberos, libertus patrono delegaverit: ſolviſſe namque impoſita debitorem delegans videtur. Ideo neque ſuum exigenti patrono delegatus excipiet, neque lege Julia libertus patrono impoſitorum aeſtimationem condicet (*arg. l. 1. §. item ſi libertus 11. D. quar. rer. act. non det.*) SI NON ONFRANDAE, &c. Alia ſpecies eſt in hac quaeſtione de Jure filiorum ſterili, *Si libertus expromiſſorem dederit*, quo caſu, inquit Juriſprudens, *nihil hoc caput ei proderit:* intellige de capite legis Juliae de maritandis ordinibus, ad cujus ſingula verba, praeeunte Paulo, aptata fuit interpretatio. Expromiſſorem autem in Latino veterum ſermone exaudimus eum, qui rogatu liberti pro eo reus debendi factus eſt, & idem cum ſatiſdante liberto patrono ſatis accipienti, verborum obligatione promiſit, *l. 5. §. ſatis acceptio 2. D. de verb. obl. l. 7. §. ſervus pact. 8. D. de dolo. d. l. 8. §. ſi convenerit 8. D. ad Senatuſc. Vellejan. l. 110. D. de reg. jur. l. 53. D. de contr. empt.* Quare ſi in lege manumiſſionis, aut poſtea, libertus duorum aut plurium liberorum pater, pro impoſititiis reum dederit patrono, cujus intereſt debendi plures reos habere *l. 3. in fin. D. de liber. leg.* expromiſſor, quem patronus accepit, tenetur in ſolidum: & licet ubi duo rei facti ſunt, in cujuſque perſona, propria ſingulorum conſiſtat obligatio, *l. 2. l. 3. in fin. l. eandem 9. in fin. D. de duob. reis.* ex qua non ſolum para debiti, ut Papinianus reſpondit *l. inter 51. §. duo 2. D. de fidejuſſ.* ſed & totum exigi ab alterutro poteſt: electio tamen actori auferenda non fuit, etiam ubi omnes rei ſolvendo ſuot, quem voluerit convenire: quod juſtius cenſuit Marcellus, *l. cum apparebit 47. D. locati.* modo *actiones ſuas adverſus caeteros actor idem praeſtare non recuſet.* Judicio enim eodem, quo ab altero correorum debitum creditor exiget, judex providus ex officio reum, qui in ſolidum conventus exſolvit, actionibus in correos tranſlatis adjuvabit, ut a Diocletiano & Maximiano conſtitutum, *l. creditor 2. C. de duob. reis.* Quadrat autem iis aptiſſime quod Pomponius ad Q. Mutium ſcribit, *l. ult. D. eod. Cum duo eandem pecuniam debent, ſi unus capitis deminutione*, aliove ſimili, civilique caſu (puta legis Juliae beneficio, quo de agimus) *exemptus eſt obligatione, alter non liberatur: multum enim intereſt, utrum*

Digitized by Google

res ipſa ſolvatur, au perſona liberetur. Cum perſona liberatur, manente obligatione, alter durat obligatus. At ſi res ipſa ſolvatur, acceptilatione unius toti ſolvitur obligatio: olimque idem erat de petitione, ut Javolenus ait, *l. 2. d. tit. l. ſi ex pluribus* 16. *D. de acceptil.* ſed hodie diverſo jure utimur ex Juſtiniani lege novella, *l. ult. C. de fidejuſſ.* quae creditori ex unius rei electione praejudicium fieri negat, integris ejus actionibus, donec per omnia ſatisfiat. Ideoque ſi expromiſſor agatur pro liberto, ſive Jus liberorum habente, ſive non habente, recte patrono agenti ſolvet, & ſolutum actionibus legitimis a conreo conſequetur: quod expromiſſoriae obligationi cum fidejuſſoria commune eſt, quamvis in alio disconveniant, cum in debitoris & fidejuſſoris nexu, fortior & plenior obligatio dicitur rei principalis, & inter conreos promittendi aeque unum ac alterum nexu devincit Venulejus, *l. ſi reus* 13. *D. de duo. re. l. generaliter* 5. *D. de fidejuſſ.* Hinc ſi obligationum, cum ambae ejusdem poteſtatis ſunt, non poteſt reperiri alteram potius, quam alteram conſummari, ubi legis Juliae favore perſona liberti liberata eſt (quae voluit conreo obligationi addito de impoſitis patrono cavere) bona ratio in promptu eſt, cur expromiſſor non liberetur, etſi cum rei principalis obligatione, fidejuſſoria ſublata ſit Jure duorum, a nobis explicato. Nec moveor ſententia Domitii prudentis, *l. 1. §. exceptiones onerand.* 8. *D. quar. rer. act. non det.* onerandae libertatis cauſa impoſitorum exceptionem expromiſſori & fidejuſſori, ſicut liberto reo principali dantis, cum ait: *propoſitum Praetoris, in ejusmodi obligationibus reo liberto ſuccurrentis, non ſervari, niſi fidejuſſor, & is, qui rogatu liberti conreus ejus factus fuerit, adverſus patronum defendatur: quod parvi referat, protinus libertus patrono dare cogatur, an per interpoſitam fidejuſſoris reive perſonam.* Quod ita ſe habet, cum lex obligationis initio occurrit, obſtat & reſiſtit: *l. cum lex* 46. *D. de fidejuſſ. l. non dubium* 5. *C. de legib.* cui nihil niſi fruſtra & inutiliter adjicitur. Unde liquet liberti, expromiſſoris & conrei, item & fidejuſſoris onerans libertatem obligatio, ſic ex edicto reſciſſa, ut ope exceptionis reddatur inanis actio. Jus autem diverſum in noſtra ſpecie receptum eſt, quo lex Julia fidejuſſori a liberto duorum filiorum patre dato, proficit, quippe qui non debuit in duriorem cauſam, quam principalis obligari: at expromiſſor nullo legis Juliae favore juvatur, cum legibus non averſis a liberto volente datus, idem quod ille ſpoponderat, promiſſurus, a patrono acceptus eſt, quo magis ei caveretur. Ne igitur in vanum conventio intercesſerit, etſi perſona liberti liberata ſit, adhuc conrei ſuperſtes eſt obligatio. Unum porro literatis notum, avidioribus ſive juris, ſive loquentiae politioris, notandum eſt, legis Juliae caput, quod explicavimus, dum *Libertini* meminit, ſtatum illius duntaxat, qui manumiſſus fuit, *l. 6. D. de ſtatu hominum*, ſignificaſſe, ut ſub Auguſto ejus nominis fuerat acceptio mutata: primum enim vel temporibus Appii Claudii Caeci, & deinceps aliquandiu *Libertini* dicti fuere, non ipſi, qui manumitterentur, ſed qui ingenui ex ipſis procreati erant, ſi quid Suetonio antiquario & probatiſſimo ſcriptori *in Claud. cap.* 24. credimus: favetque Ciceronis illud de gentilibus *in Topic. cap.* 6. *quorum majorum nemo ſervitutem ſervivit*, adeo ut libertinorum nulla gentilitas eſſet, dum non manumiſſis ipſis inter ſe gentilitas denegatur, quam ſine gente habere non poſſunt, ſed eorum poſteris, qui majores habuerint macula ſervitutis foedatos. Itaque Libertini dicebantur ii, ex quorum majoribus aliqui ſervitutem ſervierant. At haec ſummo digito. Sane quae ſuperius diximus, ex legum fontibus puriſſimis hauſimus, Germanis, qui Zaſio doctore *d. cap.* 3. *Reſpons.* proprios homines jure non diſſimili, quam quo patroni olim libertos, tractant, non inutilia futura, ſi forte ſenſa noſtra ad eorum manus pervenient: licet pragmaticis ob Juris patronatus deſuetudinem, non tam ac ſtudioſis juris & rerum antiquarum, futurum ſit, ut placeant. Sed omnium votis & voluntati facere ſatis Dei proprium, non humani hominis eſt.

CAPUT XIII.

De Jure duorum, & lege Voconia reſtituta; Ciceronis & Plinii locis emendatis & explicatis.

FUit praeterea, ſi verum diſcernimus, Jus duorum liberorum patri contra legem Voconiam a veteribus uſurpatum, ſed quod abrogata lege, tenebrae oblivionis ſepelierunt. Verbis legis, quam de mulierum haereditatibus coërcendis Q. Voconius Saxa Trib. plebis tulit inter ſecundum & poſtremum bellum Carthaginienſe, ut ait D. Auguſtin. *de Civit. lib. 3. cap.* 21. primo capite ita cavebatur, *Ne quis cenſus haeredem foeminam, filiamve unicam facito*: quoniam elatae divitiis mulieres ſe viris aequaſſent, quae fortaſſe in eblandiendis haereditatibus nimiae tunc temporis erant, ſive uxores illae, veteri lege Regia abutentes, quae certam foeminis portionem e bonis mariti dabat, Dionyſ. Halicarn. *lib.* 2. Alex. *Genial. lib. 4. cap.* 8. ſive non uxores, ſed alio facto benevolentiae, aut conſanguinitatis affinitatisve conjunctae: quae legis ratio fuiſſe videtur; argumento illius Verris edicti, quo Voconium imitaturus, cupiditati hominum ſe obviam edixit iturum. De hac lege in illum *actione* 3. (*lib. 1. cap.* 42) Cicero dicebat, *imitatus eſſes illum ipſum C. Voconium, qui lege ſua haereditatem ademit nulli, neque virgini, neque mulieri: ſanxit in poſterum, qui poſt eos Cenſores eſſet, ne quis haeredem virginem, neve mulierem faceret.* quo in loco mendoſe C. pro Q. omnes codices habent. Unde verba legis interpretari licet, ut *foeminae* vocabulo *virginem* intelligamus: *l. argamento* 25. §. *muliebri* 9. *D. de auro & arg. leg.* & *mulieris*: ut *virginem & foeminam* exaudias, in recitando capite legis L. Florus *Epit. Liv.* 41. meminit; apud quem *volumnias* pro *Voconio* male ſcriptum, ante nos alii animadverterunt. Cenſum vero bonis, non capite, aut proletarium prohibuit lex, id eſt, pecunioſum, ait Paedianus, & eum, qui centum millia aeris in bonorum profeſſionem detuliſſet: quippe illos ut abjectos vilesque neglexit. Sane expreſſa fuit unica filia in lege, ne pietatis ratione, jus diverſum in illius, quam in caeterarum mulierum cauſa conſtitueretur: ſed quo motu, quave ratione, idipſum revelent Manes M. Catonis, qui ſenex legem ſuaſit, Q. Servilio Cepione & Q. Martio Philippo iterum coſſ. ut ait Cicero *de ſenectute cap.* 5. & Gellius *lib. 20. cap.* 1. confirmat: qui ubi dixit, *Quid utilius plebiſcito Voconii de coercendis mulierum haereditatibus?* iniat ſi voluerit pacem, animos componat cum Auguſtino, & eum repugnantem ſibi conciliet, ubi de Voconia inquit: *Qua lege quid iniquius dici aut cogitari poſſit, ignoro.* Neque enim me eum eſſe profiteor, cui omnia comperta ſint & pateant: contra, ſi quis eſt, qui ſe multa ignorare confitetur, is ego certe ſum, id uſurpans Telemachi, apud Homerum *Odyſſ.* Σ. *verſ.* 228.

—— ὀ δύναμαί τι πεπνυμένα πάντα νοῆσαι.

Unum tractari poteſt, an Voconius, ſive lege Tribunitia, ſive plebiſcito, cum voluit mulierum capacitatem & teſtantium libertatem coërcere, acerbus ne plus aequo, nimiumve rigidus videretur, in quota bonorum parte certum modum poſuerit, conſtitueritque ſummam, ad quam usque poſſet ad virginem mulieremve ex patris alteriusve inſtitutione pervenire. Dion *lib.* 56. refert, lege Voconia mulieres prohibitas, majorem C. M. HS. haereditatem adire, in quo a caeteris diſcrepat. Latinis ſcriptoribus magis placet, imo nec centum millium foeminam haeredem fieri potuiſſe. Itaque XCIX. millium capax ex

lege

lege mulier fuit. Sed dum haeres illius ſummae mulier eſſe nequibat, in fraudem legis, conſequi potuerit ex titulo legati an plus an minus, ſubdubitatio eſt ex M. Tullio *de Finib. lib. 2. cap. 17. Memini me*, inquit, *adeſſe P. Sextilio Ruffo, quum is ad amicos rem ita deferret, ſe eſſe haeredem Q. Fabio Gallo, cujus in teſtamento ſcriptum eſſet, ſe eſſe adeo rogatum, ut omnis haereditas ad filiam perveniret, id Sextilius factum negabat. Poterat autem impune: quis enim redargueret? nemo noſtrum negabat, eratque veriſimilius hunc mentiri, cujus intereſſet, quam illum, qui id ſe rogaſſe ſcripſiſſet, quod debuiſſet rogare. Addebat ſe etiam in legem Voconiam juratum, contra eam facere non audere, niſi aliter amicis videretur. Aderamus nos quidem adoleſcentes, ſed etiam multi ampliſſimi viri, quorum nemo cenſuit plus filiae dandum, quam poſſet ad eam lege Voconia pervenire.* At quantum illud eſſet, quoniam inſtituta non fuerat filia, in difficili eſt, ego teſtem produco *in Inſtitutionibus* Theophilum *de lege Falcidia*, & ejus verba de lege Voconia recito, ne nobis, quod ajunt, ſine pignore non credatur: *ἀλλ' ἐπειδὴ ἐν τρίτῃ τάξει ὁ Βοκώνιος νόμος, ὅτις ἐκέλευε μηδὲν πλέον λαμβάνειν τ̃ θυγατέρα τοῦ κληρονόμου.* Quae ſi nolunt legatarium plus habere, quam penes haeredem inſtitutum remaneat, filiae dimidiam ex bonis Q. Galli dandam cenſuiſſe illos putem, quando tantundem debuit & potuit P. Sextilius ex haereditate retinere, uti lege cautum fuiſſe Anteceſſor exiſtimat. Sic extrario haerede ſcripto, filiae alterive foeminae cum cenſus haereditatem non relinqueret, neque fideicommiſſum valebat, quo plus fideicommiſſarius, quam haeres fiduciarius habuiſſet emolumenti. Dimidiae igitur tantum capax erat foemina, Theophilo teſte. Quid ſi teſtatori CC. M. HS. in bonis fuiſſent, mulierine relictum C. M. valuiſſet? primum certe legis caput legatum non improbat, neque ſecundum, cujus verba fuiſſe conjicio, *Ne vir mulierve quo relicti jure, plus, quam haeres conſequitor.* Amplius vero ſi in re, tenebris antiquitatis obvoluta, per patientiam peritiorum nobis hariolari licet, tentabo dicere ſubjectam verbis legis, quae protulimus, poenae mentionem, quod Theophili poſt Cicer. autoritas evincit, his fere, *Neve id omne quod plus legatario legatariaeve, quam haeredi relinquetur, alterutrius commodo fit, ſed ut multatitium, aerario Quaeſtores vindicanto.* Equidem non is ſum, qui neſciam ante Caeſares rarenter admodum habitam in poenis aerarii rationem, niſi ob delictum in Reipubl. adminiſtratione fuiſſe: ſed me ad divinationem allicit, qui & conjectationem ſuadet, Plinius *in Panegyrico cap. 42.* dicens, *Locupletabant & fiſcum & aerarium, non tam Voconiae & Juliae leges, quam majeſtatis ſingulare & unicum crimen, eorum qui crimine vacarent.* Quibus verbis innuit Voconiam legem & Julias aerarii & fiſci vires adauxiſſe. De Juliis legibus nulla dubitatio eſt, *l. quidam teſtum. 96. §. quoties* 1. *D. de leg.* 1. *l.* 4. *§. eadem* 17. *D. de fideicom. libert.* quas in citandis coelibum poenis & aerario augendo ſanxerat Julius Octavius Auguſtus, Tacito *lib.* 3. *Annal. c.* 25. & 28. referente, tam *de maritandis ordinibus*, quam *de Caducis*, & *decimis*, quas exequutus ſum *c.* 4. & 5. Sed non video, quare Plinius Voconiae legis meminerit in numero multitudinis, nec poſſum mihi perſuadere, Voconiam illam Plinium cogitaſſe, quae uſucapionem ſuſtulit ſervitutem conſtituentem: *l. ſequitur* 4. *§. ult. D. de uſucapionib.* quid enim potuit ad fiſcum aerariumve hujuſmodi lege pervenire? Fortaſſis more Ciceronis ſui, quem idem *lib.* 9. (niſi memoria fallor) *Epiſtolarum* ſcribit in ſimili obſervaſſe ſe, nuperque facundiſſimus Paulus Manutius *de Legib.* amplificans ſermonem ſuum Plinius, coram Trajano, coramque Senatu, quo laus Imperatoris honoratior & amplior videretur, Voconias leges dixit, cum Voconiam dicere vellet idem, & poſſet: ſed neque temere in ejus poſſeſſiones irruerit lecturus, *Locupletabant & fiſcum & aerarium non tam Voconiae & Juliae leges*, &c. Qua de re aliorum eſto judicium: ego ſuſpenſa, quod ait ille, manu, & timida, aperui, quid ſentirem. Augebant itaque leges Juliae principis fiſcum, & aerarium populi lex Voconia, niſi nos conjecturae fallunt. Verum ubi metu publicationis teſtator ex lege Voconia, nec quam percupiiſſet, ſibi haeredem habere poſſet, nec ab haerede filiolae unicae legare quantum vellet, fraenum liberae natura voluntati quis a lege impoſitum non videt? ſupremi judicii libertatem ereptam quis non contemplatur? Si tanti faciunt leges ultimam illam libertatem, cujus, ubi deſierit, nulla teſtatio eſt, cautio nulla; ſi cupiunt leges liberum ultimum illud, quod amplius non redit, arbitrium, ſi tanti faciunt ſupremam illam cautionem, quae velut agmen caeteras cogit, cum duobus liberis (puta filia & filio, filiabusve una & altera) liberas habenas voluntatis, judicii, arbitrii facultatem recuperaret pater: an non Jus duorum liberorum hoc caſu maxime ſenſit? qui cum omnia filiae ſuae, ut ajunt, ex voto paraſſet, *l. pen. §.* 2. *D. de bon. libert.* alium ſibi habere haeredem, quam filiam, cogebatur. Si *defunctorum intereſt, ut ſucceſſores habeant*, quod Ulpianum dixiſſe lego *l. & quia* 6. *D. de interrogat.* intereſſe quoque videtur an habeant, quos ſibi ſuccedere velint, aut nolint. Quare ſi quiſquam eſt aut fuit, qui favorem ob liberos nactus fuerit, is certe pater duarum filiarum, filiaeve & filii olim jam fuit, cum legem eluderet Tribunitiam: quae ſi teſtandi facultatem ex animi ſententia, patri filiae unicae negaverat, per contrarium illi, qui plures habuiſſet, concedebat: & ita argumentantur & colligunt Juriſprudentes *l. cum praetor* 12. *D. de judic.* Idcoque duorum, ut diximus, pater contra legis Voconiae verba, foeminam, & extraneam, & filiam inſtituere poterat, ex lege XII. *Uti quiſque legaſſit ſuper pecunia, tutelave ſuae rei, ita jus eſto:* & ſi eum ea filia filium haberet aut filiam, illo caſu priſtinam recipiebat libertatem: ſed haec ſublata omnia Falcidii lege fuerunt, *l.* 1. *D. ad leg. Falcid.* Volui tamen eorum de induſtria meminiſſe, ut dibitationes illas in Ciceronis & Plinii libris proderem, & explicarem, in gratiam eorum, qui a profanis literis remotiſſimi, pervigili labore ſapienter ſapere ſtudent. Sane quod Jure natorum foeminas quaſdam ut capere poſſent, lege Voconia ſolutas ab Auguſto Dion ſcribit, ut incompertum, quod non plane conſtat, in medium relinquo.

CAPUT XIV.

De duobus liberis patronae, & lege Papia, Ulpiani ſcripto luce donato: deque patronae & patroni diſcrimine.

SEd caſus adhuc ex Jure patronatus ſupereſt, quo ingenuae patronae lege Papia conſultum ſcio, laudoque in *Inſtitutionibus* autorem aſſiduum & locupletem Ulpianum *titul.* 29. §. 6. *Lex Papia*, inquit, *patronae ingenuae duobus liberis honoratae, libertinae tribus, id juris, dedit quod patronus habet ex edicto.* De illo ſic habetur in juris elementis: §. *qua de cauſa* 1. *de ſucceſſ. libert. Praetoris edicto ſive faciebat teſtamentum libertus, jubebatur ita teſtari, ut patrono partem dimidiam bonorum ſuorum relinqueret: ſi aut nihil, aut minus parte dimidia reliquerat, dabatur patrono contra tabulas teſtamenti, partis dimidiae bonorum poſſeſſio: ſive inteſtato moriebatur, ſuo haerede relicto filio adoptivo, dabatur quoque patrono contra hunc ſuum haeredem partis dimidiae bonorum poſſeſſio.* Igitur ad Praetoris exemplum lex Papia, qua, ut inquit Juſtinianus §. *poſtea* 2. *eod.* adaucta ſunt jura patronorum (jus item patronarum auxit, non quidem aequali incremento, ſed omiſſis edicto mulieribus, dum illud patronis duntaxat putarent conſulere) in eo favit, quod edicti gra-

tiam ad patronas, & patronorum maſculum nomen ad foeminas, *l. patroni* 52. *D. de verb. ſignif.* explanatione prudentibus familiari explicavit, & potulit. Id Romanos forenſis uſus docuerat, & utilitatis neceſſaria ratio eorum ingeniis ſuggeſſerat, cum ex uſu quotidiano illa verba XII. *Inteſtato liberto mortuo primum ſui ſuccedunto, ſi ii affuerint patronus*, ad patronas porrigerent & extenderent, edictum vero diſſimillimo jure & ſtrictiori interpretarentur. Quare Papiam rogationem juris interpretum officio honeſtiſſimo ſapientiſſime fungi voluerunt, ut edicti verba ad patronas producerentur, & eas ac patronos indiſcriminatim ſignificarent, & continerent: ſi modo ingenuae patronae duobus liberis, aut libertinae tribus honoratae ſupereſſent. Verum expreſſius, ut nihil antiquitatis penitus ignoretur, ſciendum eſt, quo jure ante legem Papiam olim patronae fruerentur. Ego Ulpiani veſtigiis *tit.* 27. *Inſt.* indagavi, ſuis liberto deficientibus patronam eodem jure, quo & patronum ſucceſſionem occupaſſe, ſcilicet, ſi inteſtato libertus decederet. At ſi edita voluntate, licet ſine ſuo haerede, vel inteſtatus ſuo relicto, functus diem libertus fuiſſet nihil patrono, nihil patronae praeſtabant XII. tabulae. Ideoque illis mox edicto conſultum: ſed, ne dicam aſſeſſores hebetes Praetoris verba aut mentem non intellexiſſe, improbi diſſimularunt propoſitum Praetoris, & patronas in eo jure, quod lex XII. introduxerat, perſtantes pro derelicto habuerunt. Quamobrem Papia lex earum miſerta, exſpectatum diu & deſideratum rationis temperamentum adhibuit, quo dimidia pars bonorum omnium, quae liberti, dum moreretur, fuerint, omni modo & omni caſu patronae, ſicut patrono cum actionibus poſſeſſoriis ad debitam partem conceditur: intellige, ſi Jus liberorum habeat. Hic duplex quaeſtio intervenit, quid pro debita portione exaudiendum ſit in libris hujus ſtudii, *l. ſi libert.* 16. *D. de jure patron. l.* 3. *§. toties* 10. *l. libertinus* 5. *l.* 2. *§. ult. l. ſi libert. cum duos* 34. *D. de bon. lib.* & cur eam dimidiam interpretentur Juriſprudentes: ſed illud, utpote alterius ſpeculationis, nihil quicquam ad nos impraeſentiarum attinet. Sequens quaeſtio ad rem belliſſime facit, quomodo locus Ulpiani *l.* 17. *D. de bon. lib.* explanandus ſit, *ex libro* 7. *ad edictum*, cum ait, *Liberto ſine liberis mortuo, imprimis patronus & patrona bonorum poſſeſſionem accipere poſſunt, & quidem ſimul*; puta, ſi ſimul manumiſerint, an id ex Praetoris edicto intelligendum ſit ἐπιγραφῆς argumento, an ex legis Papiae voluntate: & quoniam illud nuſquam prolatum eſt, nec unquam probatum, magis puto de lege in commentario ad edictum tractaſſe Juriſprudentem. Is voluit ſine ſuis inteſtato liberto mortuo, patronum ex edicto & patronam (quoniam non ſolitae erant patronae ex edicto ſuccedere) ſi duos liberos ingenua, aut tres libertina haberet, ex Papia rogatione in jure ſuccedendi exaequatos, & viriles (*l.* 3. *§.* 4. *D. ſi quid in fraud. patr.*) ex inteſtati bonorum poſſeſſione Unde legitimi accipere, quamvis ex eadem lege in bonis liberti locupletioris auctum in aliquo jus patroni fuiſſet, *d. §. poſtea* 2. ſed cum ſimul patrona & patronus ſuccedebant, ſalvam ita fuiſſe ſcio virilem mulieri poſt legem Papiam, *d. l.* 3. *D. ſi quid in fraud. patr.* ut adverſus eam, beneficio novo a lege donatum, patronus, juris adaucti & amplificati non potuerit uti praerogativa, quae illi ſolum adverſus liberti liberos eſt, ne privilegiarius adverſus privilegiariam, &c. At Tribonianus Juſtiniani principis placito, aut propriae indulgens voluntati, ſciens Papiam legem abrogatum iri, *Juris liberorum* mentionem de verbis Ulpiani amputavit: quod Vivianus Bononienſis, dum ſe nimis argutum oſtentat, parum percepiſſe ſcripto teſtatus eſt; pace Manium dixerim, quibuſcum pugnare aut contendere nolim! Ex iis liquido conſtat differentia juris, quod olim habuerunt patronus & patrona, non quidem ex lege Decemvirali aut ex edicto, ſed ex uſu forenſi & lege Papia Poppaea: nullis enim ſuperſtitibus liberto ſuis, cum locus eſt legi XII. idem jus, quod patrono fuit & patronae, ſi non ex verbis legis, ſaltem ex prudentium Juris & juſtitiae conſultorum ad legem interpretamentis, & fori diſputatione; quam communi nomine jus civile anonymum, ut ait Pomponius *l.* 2. *§. his legibus* 5. *D. de orig. jur.* appellaverunt. Dein cum Praetor illis in caſu teſtati liberti laeſis ſuccurrere voluit, ſicut lex XII. Tab. patroni duntaxat, non etiam patronae meminerat, illius tantum edicens mentionem fecit, putans, exemplo interpretationis ad Legem, verba prudentes interpretatione ſuppleturos, quod in omnibus Praetorum edictis factum fere fuit, & ſtant in Pandectis fidiſſima teſtimonia, *l.* 3. *negot. geſt. l.* 1. *de conſt. pec. l.* 1. *de pecul. l. ait divus* 16. *de jur. fiſci.* Sed neſcio, qua de cauſa uſus judiciarius ſe intra cancellos edicti continuerit. Sane lex Papia mulieribus opem tulit, ad exemplum juris, quod patronus habebat ex edicto, patronae bonorum poſſeſſionis auxilium dedit, contra liberti tabulas, ſi aut nihil aut minus dimidia teſtamento reliquiſſet, ſine ſuis naturalibus decedens, qui & patronum & patronam excluderent, *l.* 21. *in fin. D. de jure patron.* item & dedit ſubſidium bonorum poſſeſſionis ab inteſtato contra ſuos haeredes non naturales, ut filius adoptivus, aut uxor, quae in viri poteſtatem venit: quam neſcio cur veriti ſint Juris concinnatores referre *in Inſtitutionibus §. qua de cauſa* 1. *de ſucceſſ. libert.* ubi filii adoptivi meminerunt. Non tamen jus hoc paſſim, aut ſine delectu foeminis patronis indultum eſt, ſed ita demum ingenuis ſi duobus, libertinis ſi tribus honoratae liberis eſſent, quos etiam S. P. & vulgo quaeſitos approbant leges, *l. patronae* 18. *D. de bon. libert.* quod ſemel de filiis matri proficientibus dictum ſit. Caeterum ad patronorum gratiam convertit ſe quoque lex Papia, cum ſuis liberto decedente & cavit, in bonis liberti centenarii, ſive teſtato, ſive inteſtato decederet, virilem aeque ac ſuis haeredibus patrono deberi: & ita accepi *d. §. poſtea* 2. niſi tres liberto ſupereſſent liberi, de quibus in poſterum agemus. Illo vero caſu, quo Praetor naturam reverebatur, patronae foeminae, quam patroni deterior conditio fuit; quod notandum data opera ſubjeci, Papiniani loco ſubſerviens, *l. in multis* 9. *De ſtatu hom.* Et haec ſunt breviter a nobis informata, neque placuit vagari longius in iis perſequendis, quae tractationis noſtrae propria minime ſunt: quia tamen disjuncta non videbantur, & quodammodo ad rem pertinere, haec attigimus. Quae de Jure duorum, ſatis ſuperque, claudant ſermones noſtros! Jam ad Jus trium, & hac gradientes, in hiſtoriam veſtigium ponamus.

CAPUT XV.

De Jure trium liberorum ex lege Julia agraria.

JUs trium liberorum, ut perſonae, quibus tribuitur, diſſimiles ſunt & diverſae, pro circumſtantiarum varietate fit diverſum & commutatur. Pater enim alia in re, & mater in alia favorabilem cauſam filiorum expertur: at prius de patre videndum. Inter cujus praemia exemplum memorabile ſeſe offert, quo utilis & proficuus trium filiorum numerus patribus fuit, cum agrum Capuanum Cajus Julius Caeſar lata lege diviſit iis, qui tres liberos incolumes haberent Erat Capua, olim jam olim ab Oſcis Oſcella dicta, ſi quid *Originum* autori credimus, in regione totius Italiae fertiliſſima, ob populi ineffabilem perfidiam, & immanem crudelitatem, ſpoliata omni jure civitatis, & in praefecturam redacta per Q. Fulvium Flaccum Proconſulem, ſecundo Punico bello: intereaque Capuanus ager Lucretia lege

a Cen-

Digitized by Google

a Cenſoribus locabatur, & ex eo annuum vectigal maximum, & ob loci commoditatem certiſſimum, ampliſſimo reditu Reſpublica percipiebat. Quum C. Jul. Caeſar, ut alterum lumen imperii Romani civium omnium excellentiſſimus, & munificentia effuſiſſimus, Conſul cum M. Bibulo (qui Plutarcho Calfurnius eſt) creatus U. C. DCXCVI. gloriam & potentiam aucturus, vireſque ſuas confirmaturus, ad largitiones impertiendas, & populi favorem magis magiſque conciliandum, animum ſuum appulit: qui ab adoleſcentia prima, foelicitate quadam gratum multitudini ſe praeſenſerat, Appiano *lib.* 2. *Civilium* referente. Itaque dum popularis benevolentiae mercedem cogitaret Caeſar, tenuiores homines ad multa millia in unum convenere, idem fere dicentes, quod Plinius ait, *in Panegyrico cap.* 27. *magnum educandi incitamentum tollere liberos in ſpem alimentorum, & in ſpem congiariorum*: cumque trium liberorum alimoniam e publico poſcerent, annonaeque largitionem illam, quae Romae pauperibus impendebatur, Caeſar de campo Stellate, fundamento, ut ait Cicero *in Rull. Or.* 1. *cap.* 7. vectigalium, horreo regionum, ſolatio annonae, deque agro Capuano toto fere dividendo, in illorum gratiam ad Senatum legem tulit. Qua in re quoniam ager ad ſubſidia Reipublicae vectigalis relictus, inquit Suetonius *Jul. Caeſ. cap.* 20. dividi, & Reſpublica reditus detrimentum ſentire videbatur, occaſionem arguendi Caeſaris nonnulla cauſa nactos ſe quidam putantes, livorem tacitum non cuniculis ſimultatis auxerunt, ſed invidia apertiſſima, & odio repentino detexerunt: cum non tam agrum populo quaeri dicerent, quam Caeſari faſtuoſam quandam autoritatem & potentiam, eo nomine legem Agrariam graviter moleſteque ferentes. Unus ex omnibus *Bibulus, Caeſaris collega*, cum agrum Capuanum Tribunorum poteſtate agitatum, & actionibus infeſtatum cerneret, *Caeſariſque actiones magis vellet impedire quam poſſet, majore parte anni domi ſe tenuit*, & intra privatos parietes de Republica conticuit: *quo facto*, habet Vellejus *lib.* 2. *cap.* 44. *dum augere vult invidiam, collegae auxit potentiam*, adeo ut, Caeſare rogante, lex tandem lata fuerit, populoque Capuana placuerit: quam quidam *Campanam* Ciceroni *ad Atticum lib.* 2. *Epiſt.* 18. autumant, ſicut *Campanus ager* Tranquillo *Caeſ. cap.* 20. pro *Capuano* dicitur. Equidem quod agrorum diviſionem contineret, eandem Juliam Agrariam dictam putem, cujus in Pandectis concinnatores fragmentum ex Calliſtrato *l. agraria* 3. *D. de term. moto.* retulerunt. Ea lege Jus civitatis coloniae novae reſtitutum, Capuanus ager dividi juſſus, & *civium* XX. M. *eo deductis* diſtribui, per XX. Viros, diviſioni deſtinatos & delegatos *poſt annos circiter* CLII. *quam bello Punico exciſa & a Romanis in praefecturae formam relata fuerat*, ut Vellejus Paterculus *lib.* 2. *cap.* 44. ſcriptum reliquit. Nullus tamen ex his, qui in coloniam exierunt, niſi trium liberorum pater, ſedes in agro Capuano locavit: quod notandum & memorandum eſt, cum ob favorem filiorum in novis ſedibus ponendis, tum ob numerum deductorum percelebrem, qui trium natorum omnes patres eſſe debuerunt.

CAPUT XVI.

De Jure trium in alimentis e publico percipiendis, & de frumentatione: Suetonius & Plutarchus repugnantes collati.

QUoniam vero trium liberorum alimoniae obiter mentio facta eſt, ne quid vetuſtatis lateat ad cognitionem hiſtoriarum, & ut intelligatur quemadmodum rerum publicarum ſit facies commutata, ſciendum eſt Tulli Hoſtilii temporibus, cum Romani & Albani de imperio, ingenti bello & exercitu numeroſo contenderent, ne hominum caede ſanguinaria, ſtrageve populorum victoria compararetur, Metium Suffetium pro rege Albano Dictatorem cenſuiſſe, rem, Marte judice, ferro per paucos decidendam. Quare icto foedere tres hinc inde, ut fors tulit, gemini lecti fuere, Horatii pro Romanis, & pro Albanis Curiatii fratres, qui vita & proprio ſanguine bellis aemularum civitatum finem impoſituri, eorum fortunae commiſſum eventum experirentur. Dictaque ſubinde facta hiſtorici principes, Livius *lib.* 1. *cap.* 24. & Dionyſius *lib.* 3. cupidis ob oculos ponunt. Tandem poſt diverſos certaminis caſus, cum Horatii foeliciter, & non minus viriliter pro urbe, pro imperio, pro libertate pugnaſſent, eorum foelici memoriae monumenta nobiliſſima Romani conſtruxerunt, & de ſpoliis Curiatiorum Horatiis Pila in virtutis teſtimonium erexerunt. Munus praeterea, cujus Dionyſius, non item Livius meminit, magnificentia extollendum, in Tergeminorum honorem, ſibique & poſteris injunxerunt, quo danda patribus filiorum trium ex publico alimenta ad filios, donec pubuiſſent, educandos, quamdiu res Romana duraret, edita ſacrataque lege ſanxerunt. Unde Jus liberorum principio manaſſe quibuſdam forte placebit, qui me non admodum repugnantem aut infenſum habebunt, niſi magis animus in ſententiam Ariſtotelis inclinat, *Politic.* 2. qui jus hoc a Lacedaemone deducit in civitates, ubi trium natorum pater a cuſtodia immunis erat, quatuor vero ab omnibus oneribus exuebat. Neque ſane de rebus, a literarum monumentis evulſis, & ab hominum memoria effluxis, aliud opinio, quam conjectatio eſt. Mihi ſatis eſt, originem Juris trium protuliſſe, vel hoc loco, quando hiſtoriam texere, aut chronologiam ſervare nobis non eſt inſtitutum. Porro lex illa, quam ſub Adriano vigentem uſu & honore florentem Dionyſius ait vidiſſe ſe, cauſam frumentariae, ni fallor, Romanorum legationi dedit, qua victus plebi ſine labore, ſumptu publico ſuppeditabatur, etſi primo his duntaxat faviſſet, qui Jure liberorum decorati tres liberos ſuſtuliſſent. Sed ut omnia exemplis in pejus ruere, plebejis tandem omnibus & patribus & orbis alimenta publica communicata ſunt, quod *aequum* diceret Gracchus, *inopem populum ex aerario ſuo vivere*, Florus *lib.* 3. *Hiſtor. cap* 13. Itaque frumentum e publico comparabatur, quod deinde viliſſimo pretio, ſingulis menſibus ſingulae tribus, in horreis publicis percipiebant. Tanta vero plebejorum confluebat ad frumentationem multitudo, *ut ex viginti trecentiſque millibus accipientium frumentum e publico, ad centum quinquaginta retraxerit* C. Caeſar, ſi qua Suetonio *in eod. cap.* 41. fides. Gratis autem primum largitio fiebat ex lege, quae per aliquot annos ob aerarii & pecuniarum exhauſtum ceſſaverat, donec C. Sempronius Gracchus, ut Semiſſibus & Trientibus in ſingulos modios frumentum plebi daretur, legem tulit: & quamvis in hominis odium fluctuarit legislatio, & ejus variaverit uſus, donec eam L. Apulejus Saturninus (ut credo) honori priſtino reſtituit, aut ſaltem conatus eſt, populus tamen (quae dulcedo victus parati ſine labore deſidibus eſt) nunquam Semproniam frumentariam aboleri permiſit. Interea vero & P. Clodius tribunitiam legem evulgavit, quam annonariam valde popularem dicit Aſconius, ut frumentum gratis plebi daretur, quod ducentis quinquaginta ſupra mille talentis Reipublicae quotannis ſtare ſolitum Plutarchum accepi dicere: qui frumenti menſtrui largitionem in plebem, ſuadente Catone, diſtributam ad tenuiorum animos, cibariis pro eo ac ſi ferae fuiſſent, demulcendos, caeteris annuis impenſis quinquies vicies ſeſtertium adjeciſſe ſcribit, *in Caeſare*. at nihil, quod meminerim praeterea. Utrum autem menſtrui quinquies vicies HS. in anno, ducenta quinquaginta ſupra mille talenta adaequarint, Calculatores explicent, ubi de decem anni, aut duodecim menſibus, ante Julium Caeſarem, inter ſcri-

ptores

ptores convenerit. Quippe menſtruum frumentum tanti aeſtimatum (neſcio an per id tempus annona cariore) noviſſe permagni refert, ad ſumptus publici diminutionem ab eo tempore laudandam & admirandam, quo C. Jul. Caeſar, ait Tranquillus *Caeſ. cap.* 41. *recenſum populi, nec more, nec loco ſolito, ſed vicatim per dominos inſularum egit: atque ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico, ad centum quinquaginta retraxit*: id eſt, non venientis in Campum Martium coram Cenſs. populi vires & cenſum recognovit, in vicos ſingulos Urbis poſſeſſoribus primariis viris, qui ad eum referrent, deſtinatis; in quo non eſt controverſia. Sed in ea, quod *ex viginti*, &c. *ad centum quinquaginta retraxit*, Tranquillo cum Plutarcho non convenit: quod non viderunt illius interpretes, dum in multis congerendis otio & literis abutuntur: hic enim ait (Plutarch. *in Caeſ.*) *Cenſu peracto centum & quinquaginta millia reperta, cum antea tercentum ac viginti fuiſſent. Tam magnam cladem, tantasve populi ſtrages inteſtina bella pepererunt.* Ampliorem vero multo fuiſſe numerum cenſui oportuit, in quo Senatorii, Equeſtris ordinis, & Plebeji viri omnes continebantur: aut eorum, qui frumento participarent, minorem multo quam refert Tranquillus. Veriſſime quidam habet, non oportere ſine examinatione ſequi ſententias antiquorum. Equidem unum ex omnibus ſcriptoribus, quotquot fuerunt, Plutarchum facio maximi: ex adverſo latere Tranquillo omnes eruditi, ut candidiſſimo ſcriptori, in hiſtoria praerogativam tribuunt. Ita in dubio eſt animus, cum in diverſa autores trahunt: & ſi conjectura praepollet autoritati, non deerunt, qui ſenſum numeroſiorem, quam Plutarchus, exiſtimabunt, etiam in Romanorum ſtrage immaniſſima, pro ea, quae fuit in Urbem gentium & nationum affluentia. Mihi vero, dum neutram in partem ſatis conſtat, hoc inter dubia referendum videtur. Illud notandum, ſi vere Tranquillus, jure Cenſorii magiſtratus retraxiſſe quamplurimos Caeſarem ab annona, quod magis deſides eſſent, quam pauperes, ait Appianus *lib.* 2. *bell. civil.* vel quod locupletiores eſſent, quam qui annonam percipere jure poſſent, ſolitam, inquit ille, tantum pauperibus diſtribui. Utut autem ſe numerus habeat: alimonia menſtrua principio dabatur, quod mutavit Octavius Caeſar Auguſtus, dicente Tranquillo *in eod. cap.* 40. *Pop. Rom. cenſum vicatim egit: ac ne plebs frumentationum cauſa frequentius a negotiis avocaretur, ter in annum quaternum menſium teſſeras dare deſtinavit: ſed deſideranti conſuetudinem veterem, conceſſit rurſus, ut ſui quisque menſis acciperet.* Verum ſi quisque ſui menſis accipiebat teſſeram, quam omnium optime in conflagratione Veſevi explicuit Dio, quid amplius patri liberorum trium (a quo in frumentationem exceſſeramus) quam caeteris datum arguas, ut ex veteri lege Jus liberorum conſervaretur? Quod etiam ſub Adriano viguiſſe ſignificat Dionyſius: vereor ne illum dicant, qui ad ſimilia nati ſunt, falſo teſtimonio poſteris impoſuiſſe. Dicere ſimplares teſſoras quibuscunque, & triplares patribus trium datas, ut quibusdam placet (Joan. Brit. *ad* 9. *ſat Juvenal. verſ.* 90) quousque amplius appareat, divinare eſt: quid teſſeram frumentariam eorum, qui acciperent, ex integro familiam non aluiſſe, & in alimenta patribus trium ad filios usque ad pubertatem educandos, neceſſaria omnia ex publico data? item plebejis duntaxat frumentum donatum, ſed alimenta pro filiis tribus cujuscunque ordinis patribus, qui petiiſſent, diſtributa ſiquidem panaria & teſſeras, quinquagenas aliquando, in ſingulis Theatri cuneis Equeſtres & Senatorii viri participarunt Sueton. *Domit. cap.* 4. Utrumque tentari certe poteſt, affirmari non poteſt. Pubertatem autem filiorum priſci Romani non annorum XIV. ſed plenam, quam vocat Modeſtinus *l. adrogato* 40 §. 1. *D. de adopt. l. Mela* 14. *D. de alim. & cib. leg. l.* 101. §. *conditionum* 2. *D. de cond. & demonſtr.* exaudiebant: quam & Homerus, cum primum ſub temporibus florent genae, in illis verſibus *Odyſſeae* Λ. *v.* 318.

Ἀμφοτέρω πρὶν σφῶϊν ὑπὸ κροτάφοισιν ἰούλους
Ἀνθῆσαι, πυκάσαι τε γένυς εὐανθέϊ λάχνῃ.

In qua ſententia Caſſiani fuerunt, ejusque veſtigia remanſerunt quaedam *in Inſtitutionibus*, quae ex corpore Ulpiani excerptae circumferuntur. Sed ea de re Prudentium διαφωνίαν Juſtinianus placito ſuo ſuſtulit, *l. ult. C. quando tut. vel cur. eſſe deſ.* magis, quam in conſonantiam redegit.

CAPUT XVII.

De tribus liberis tutoris ſe excuſantis; Severi & Antonini conſtitutione, & Pauli reſponſo, explanatis.

SEquitur, in Jure trium, tutelae aut curae vacatio, de qua ſic Severus & Antoninus *l.* 1. *C. qui num. lib. ſe exc. Qui ad tutelam vel curam vocantur, Romae trium-liberorum incolumium numero, de quorum ſtatu non ambigitur, habent excuſationem*: quae verba tutelae & curae vacationem arguunt πολυπαιδίας procuratam, ſi jam cum pater tutor curatorve, creatur, ſuperſtites liberi ſint, & vivant, *l.* 2. §. 4. *D. de excuſ.* Neque enim qui naſci ſperatur, in hac quaeſtione civiliumve munerum, ubi nihil de ipſius jure quaeritur, patri proficiet, *l. quod dicimus* 231. *D. de verb. ſign. l. qui in utero* 7. *D. de ſtatu hom.* quod verbo *Incolumium liberorum* ſignificant Caeſares: quamvis & potius velint, mortuos, antequam pater crearetur, liberis non connumerari, qui non proderunt, ſicut nec ii, qui poſt excuſationem deceſſerint e vita, nocebunt. De illis tamen in acie belli pro Republ. mortuos excipiunt leges, *l. bello amiſſi* 18. *D. de excuſ.* Generaliter autem qui ad tutelam aut curam ſive *ad alia munera vocantur, vivorum ſe liberorum numerum habere, tempore quo propter eos excuſari deſiderant, probare debent, l.* 2. §. *qui ad mun.* 3. *D. de vac. mun.* Verum amplius exigit conſtitutio ibi, *de quorum ſtatu non ambigitur*, ut de liberorum ſtatu, *l. ult. D. ſi tab. teſt. nul. extab.* id eſt, conditione liberi ſint an ſervi, legitimi an non, haeſitet dubitetve nemo, ambigatve ſint necne ſuperſtites. Si enim filiusfam. (*l.* 5. *D. de ſtatu hom.* ubi Vacca) longinquum iter acturus, ab hoſtibus captus, ſervus, ut putabant Conſulti, factus Jure gentium ſit, aut a praedonibus ſpoliatus in id egeſtate peſſum ierit, ut ſe vendi pateretur, & major XX. annis pretium participans, ſervus jure civili factus fuerit (quoniam ex regula Juris antiqui ſervitutem mortalitati comparamus) filius hujusmodi patri non proderit, ſicut Philippi Caeſares conſtituerunt, *l.* 2. *C. de his qui num. lib. exc.* Idem dicendum in filiis, de quibus, ſintne juſti an illegitimi, cauſae cognitor judex dubium comperiet teſtimonium: verbi gratia, ſi Jus liberorum allegans cum longo tempore abfuiſſet, & reverſus uxorem praegnantem, aut domi ſuae anniculum inveniſſet, vel cum infirmitate interveniente aliave cauſa ob valetudinem uxore abſtinuiſſet, mota partus quaeſtione tandem, quod non liqueret judicio ampliatione pendente, aut cum cauſa remiſſo, ſive nitida mulieris, ſive ſuſpecta pudicitia, filios idem, quos potuerat negaviſſe ad ſe pertinere, de induſtria & libenter agnoverit, & ut ſibi Satyrici curruca placet, alieno ſe oneri ferundo exhibuerit; certe neutrobi, Juliano *l. filium* 6. *D. de iis qui ſunt ſui l.* 1. §. *Julian.* 12. *D. de lib. agn.* judice, juſtus erit filius, ejusve ſtatus poterit non ambiguus exiſtimari. Minus patrem illi juvabunt, quorum apud extremas orbis regiones peregrinantium incerta vita & fortuna eſt, etiam intra XX. annos: quorum ſpatio elapſo, ut de rebus humanis variis & mutabilibus eſt judicium, filium mortuum Baldus *conſil.* 90. *num.* 2. conjicit, & praeſumit, *lib.* 2.

Reſpon-

Reſponſorum. Ex adverſo, ſi certum & non labaſcens teſtimonium juridicus in filiorum conditionem ſummatim inquirens, comperiat de ejus ſtatu legitimo & incolumi, ſive pater filios offerat judicis conſpectui in auditorio ex jure veteri, ſive non, e re erit vacationem edicere patri, & cum decernere Jure liberorum excuſatum ex ea, quam protulimus, conſtitutione Caeſarum Severi & Antonini: quam eandem eſſe negat Ant. Auguſtinus cum illa Severi ejuſdem ſenſus, cujus Herennius meminit, *d. l.* 2. *de excuſ.* ductus hoc argumento ſcilicet, quod illius & varia & multiplicia capita fuiſſe conjiciat, quum hujus noſtrae ad Herodianum conſtitutionis paucula verba ſint, quantumvis magni ponderis & pretioſa. Ego reperio Severi reſcriptum a Modeſtino *l.* 1. §. *ult. D. de excuſ.* produci, quod in libris Conſtitutionum Severus & Antoninus emiſerunt, *l.* 3. *C. eod.* ſimiliterque putem eum, ubi Severi in ſpecie noſtra meminit, illius & Antonini ad Herodianum conſtitutionem intellexiſſe. In rem quidem praeſentem Auguſtinum deducere injuria temporum non poſſum: ſed ſi conjecturis locus eſt, nihil moror multiceps Severi reſcriptum fuiſſe. Juſtinianus enim, ut ipſe ſibi teſtis eſt, *Orat. ad Codic.* 1. 2. & 3. adjici veteribus reſcriptis & detrahi juſſit: eorumque verba mutari, circumduci, repleri & transformari, ubi res ita poſtularet. Unde tot trunca reſcripta, tot conſtitutiones imperfectae, in ejus coucleato (ſi Dis placet) Codice reperiuntur, ex antiquis conſtitutionum libris excerptae, quas ſi autographis conferas, re ipſa diſcernes, Anteceſſores, quibus Juris P. R digeſtio commiſſa erat, Juſtiniani dicto audientes nimium fortaſſe, & obſequentes fuiſſe, dum non forent reviviſcentes principes leges editas agnoſcituri pro ſuis: quae latius libris poſterioribus Συνταγμάτων ſum proſequutus. Sed ad rem: in adverſo latere nullum eſt teſtimonium, aut argumentum, quo diverſae putentur Severi leges, illa *in Pandectis* relata, haec *in Codicem* tranſlata. Mihi de conſtitutione, quam laudat Modeſtinus, decerptum videtur reſcriptum, quod *in Codice* legimus, & jam ex bona parte explicuimus: ſicut ex Arcadii & Honorii literis video medium, ut ita dixerim, umbilicum detractum, & ex Theodoſiani tractatu *de Decurionibus conſtit.* 149. in juris deliberandi quaeſtionem, *l. nec emere* 16. *C. de jur. del.* eadem inſcriptione & ſubſcriptione non diſſimili tranſlatum a Concinnatoribus fuiſſe. Haec ſtudio veritatis, non Auguſtino obſtrigillandi, repugnandive cauſa, tantum ſcribo, qui magnis ingenio, doctrina & dignitate viris, illi conſimilibus, nefas & piaculum invidere ſemper duxi. Obex tamen excuſationis, cujus mentionem habuimus, erit in ſpecie, quam excipi rationi conſequens eſt, ſi filius emancipatus pubes curae paternae committur, ex Pauli reſponſo hujuſmodi, *l. amiciſſimos* 36. §. 1. *D. de excuſ.* *Lucius Titius ex tribus filiis incolumibus unum habet emancipatum, ejus aetatis ut curatores accipere debeat Quaero ſi idem Titius pater, petente eodem filio emancipato, curator a Praetore detur, an Jure publico uti poſſit, & nihilominus trium filiorum nomine vacationem poſtulare? Reſpondi, praemium quidem patri, quod propter numerum liberorum ei competit, denegari non oportet: ſed cum filio ſuo curator petatur, contra naturales ſtimulos facit, ſi tali excuſatione utendum eſſe putaverit.* Hoc caſu dictat ratio viva & ſpirans, iniquum eſſe praemium filiorum cauſa ad aliorum onera detrectanda patri conceſſum, eis eſſe detrimento. Ideoque pater adverſus alios quoſlibet, filiis exceptis, foecunditatis privilegio gaudebit, ſi Jus trium liberorum allegans ſe excuſet, *l. pen.* §. *ſi a praet.* 2. *D. de excuſ.* dum curator minori, aut mente capto, aut muto, ſive ventri, aut tutor pupillo datur. Aequiſſimum eſt enim parentes liberis, non dicam oneratos, ſed honoratos, in civitate libera coli, quo caeteri ad liberorum ſtudium excitentur. Sed ne filii tutelae laxamentum patri offerentes, eo ſibi ipſis incommodent, quo pater praemium conſequitur, magiſtratus cauſa cognita decernet, SALVO Jure vacationis in caeteros, patrem adverſus filium *jure publico uti* non poſſe. Porro quid ſit apud Paulum Jus hoc publicum, quaeſitum memini, quum ex ſtudioſis mei quidam non inargute retulit, conſultum fuiſſe Juriſprudentem, an pater, qui contracta fiducia filium emancipaverat (quo jure eo ſeculo & ſequentibus ante Juſtinianum §. *ult. Inſt. de legit. agn. ſuc.* utebantur) Jure publico & communi ſalvum ſibi jus ſucceſſionis in filii praemorientis bona deſiderans, de praeda ſolicitus duntaxat, juſte curam adulti filii dante Praetore recuſaret, cujus impuberis emancipati foret tutor legitimus, *Inſt. de leg. parent. tut. l.* 3. §. *ult. D. de leg. tut.* Sed laudata adoleſcentis patritii & nobilis, neque a literis abhorrentis argutia, nimium ſcrupuloſa ejus interpretatio viſa eſt, & non ſatis prudentiae communis, minuſque ſimplicitatis amica, cujus alibi veritatem excuſſi: interea *Juris publici* ſpeciem apud Suetonium lego, *in Tiber cap.* 50. & ea forma a Paulo quaeſitum puto, an pater *Jure publico* uti poſſet: qua Papinianus ait *l.* 30. §. *ult. D. de excuſat. Jure publico excuſari*, id eſt, ex juris Romani & communis forma & autoritate, ut loquuntur Caeſares, *l.* 1. *C. ut quae deſ. advoc. l.* 2. *C. qui mor. ſe exc. l. ſi quis homic.* 11. *C. de accuſat. l. Judaei communi* 8. *C. de Judaeis l.* 2. *C. Th. de decurion. l.* 42. *D. de oper. lib. & ſimil.* Amplius vero Pauli lubrica videntur verba, qui dum *contra naturales ſtimulos* facere patrem cenſet, ſi excuſatione privilegiaria contra filios utatur, nihil conſtituit, excuſeturne pater, an non: ita labaſcendi Accurſio ad §. 1. *inſtit. de excuſat.* gloſſ. & Angel. Cynus ad *d. l. amiciſſimos* 36. *D. de excuſ.* & ſequioribus argumentum necopinato dedit, in quorum nomenculatione manum ex more retineo, ne ambitioſus in teſtibus citandis eſſe videar, aut ſtudioſis ſine ulla utilitate afferre faſtidium. Ego Juriſprudentem reor ad conſultationem reſponſurum, ſcrupulum, in quo magis haeſitabatur, evulſiſſe, caetero neglecto: intuitus autem videtur id Papiniani, *l. nec in ea* 22. §. 4. *D. de adult. l. propter* 14. *C. qui accuſar. non poſſ.* quod plerumque pietas paterni nominis, conſilium pro liberis capiens, in patrem aculeos emittat, & bono pudentique parenti ſtimulos admoveat, qui naturali rationi, charitati, pudorique conjuncti, etiam infenſum patris in filium animum revocarent. Itaque ſi Deus Optim. Maxim. hominem animal ratione ornatum & civile, ad Juſtitiam legis, ut cenſuit Plutarchus, edidit, religionem & benevolentiam humanis animis infudit: illam, qua coleretur, & ab hominibus obſervaretur: hanc, qua coetus mortalium mutuis vinculis colligatus, ſe in unanimi concordia contineret. Hinc ſunt tot gradus humanae conjunctionis & ſocietatis, omnium optime deſcripti a Marco Tullio: de quibus ſi poſt communitatem primam, quae in ipſo eſt conjugio, proxima in liberis cernitur, ſicut natura φιλοστοργίαν & amoris quamdam flagrantiam in procreatos ingeneravit, eadem vi rationis excitat parentes, ſtimulat & pungit, ut natos charos habeant & tueantur, quorum communiter omnibus animantibus ingenita cura eſt. Ideo naturam ducem, nullo praeeunte, nullo praecipiente ſecuturum patrem J. Paulus exiſtimans, cum ars ſimia naturae nihil, niſi quod omnibus ratio ſuadet, illius menti ſuggereret, a reſponſo apertiori abſtinuit: cogitans, ſi quis pudor eſt patri, divina providentia conſtitutam naturae legem obſervaturum, quae Triumviris §. *ſed naturalia* 11. *Inſt. de jur. nat. gent.* *firma* & *immutabilis* dicitur, Ciceroni *conſtans* & *ſempiterna.*

CAPUT XVIII.

De patris excuſatione nodi ſoluti, Antonini reſcripto, & Ulpiani ex Opinionibus ſcripto, emendatis & reſtitutis.

DUbitatio tamen ex animis radicitus evellenda eſt, quam tacitus praeterire non poſſum, ſi tutela honor aut onus eſt. Hoc diverſimode pro tutorum detrectantium, aut affectantium proficuis emolumentis diſcernitur, & humeris ipſi ſentiunt. Si tutela honor eſt, ut eam ratione adminiſtrationis bonorum & rei tutelaris Baldus appellat, ad *l. tum quidam 4. C. de verbor. ſign.* & *conſ. 516. lib. 5.* non Jure trium, ſed neque ſedecim liberorum parenti remittetur, poſt Antonini A. placitum, *l. 1. C. de his qui num. lib. exc. Numerus liberorum ab honoribus non excuſat.* Sed honor ille adminiſtrandi, cujus Baldus ex Julio Paulo meminit, *l. 51. D. de manum. teſt.* inter ſervos rebus dominicis ex imperio magis quam ſtudio incumbentes, dignationis paululum quiddam habet, quae liberos homines rerum ſuarum adminiſtrationi intentos nihil movet, neque multo minus: quamvis honorarii & honoris cauſa dati tutores legantur in libris Juris civilis, *l. quod ſi forte 14. §. 1. D. de ſolut. l. 3. §. 2. D. de admin. tut. l. 26. §. 1. D. de teſt. tutel. l. ſi quis 60. §. quid ergo 2. D. de ritu nupt.* pro iis omnibus, non qui a Praetore dantur, ut Catanaeus Mediolanenſis ad Plinium *lib. 10. epiſt. 118.* putat, ſed qui ex abundanti adminiſtratione vacaturi conſtituuntur, quaſi caeterorum obſervatores & cuſtodes. Quod ſi onus eſt tutela, ut non affectata fere ſemper dicitur, *l. tria onera 3. & 5. D. de excuſ.* adhuc illius remiſſioni illa conſtitutio objicitur, ſi vera lectio vulgaris eſt *ab oneribus*, in eadem. Verum ſi ad propoſitum aciem cogitationis inclinamus, cum non ſit novum leges legibus explicari, recte contemporanea ex aequali recipiet interpretationem, & Antonini A. epiſtolae Ulpiani ſententia *ex Opinionum lib. 3.* conjungetur, *l. 2. §. 1. D. de vac. mun.* dum hic ait, *Numerus liberorum, aut* LXX. (ſic enim legendum, remoto v. quinarii nota ab Hervagii codicibus) *annorum ab honoribus vel muneribus his cohaerentibus excuſationem non praeſtat, ſed a muneribus tantum civilibus.* Quibus ex verbis, licet tutela ſit onus, legum disſidium compoſiturus foedere diſtinctionis, ex quo veritas illuceſcit, dixerim ab oneribus patrimoniorum, ſive indictitiis, *d. l. 2. §. quae patrimon. 4. l. 10. & 11. D. eod. l. reſcripto in fin. D. de mun. & honor.* ſive honorum comitibus, nihil excuſare, diverſum autem in iis, quae perſonalia ſunt, ut tutela. Neque tamen de illa conſtitutione ſatis certa opinio eſt, in qua libri variarunt, dum alii *muneribus*, alii *oneribus*, alii *honoribus* habent. Quo nomine re ipſa ſaepius quam vellemus, experti, quantum mendoſi codices noceant & bonis viris, & viribus ingeniorum, ſi fallimur & labimur, cum peccatum nec voluntarium ſit, ab aliis veniam petimus, damusque viciſſim. Sed neſcio quid aptius & ad rem convenientius habet honoris nomen, ſi apud Antonini reſcriptum in ſuo gradu retineatur: quoniam *honor*, ut Calliſtratus *l. 14. D. de mun. & honor.* dicebat, *eſt adminiſtratio reipublicae cum dignitatis gradu, ſive cum ſumptu, ſive ſine erogatione contingens.* Inde quam favorabiles Jurisprudentes fuerint rerum publicarum ſtatui & gubernationi, videre licet, cum nihil ab honoribus excuſet, *l. 8. D. de vac. mun.* etſi pediſſequam erogationem habeant. Porro Modeſtinus habet *l. 6. §. 15. D. de excuſ. Tutela non eſt reipublicae munus, nec quoad impenſam: ſed civile, nec provinciale videtur tutelam adminiſtrare.* At hinc remotione arguitur, ſi non eſt tutela munus, *quod in adminiſtranda republica cum ſumptu ſine titulo dignitatis ſubeatur*, *d. l. honor 14. §. 1. D. de mun. & honor. l. 1. & ult. C. eod.* a publicorum genere removetur: item ſi minime ſumptuoſum eſt, & periculo damnove patrimonii adminiſtrantis expediri non poſtulet, patrimoniale dici non poteſt: itemque, ſi provincialem ὑπηρεσίαν & miniſterium non habet tutela, non eſt de muneribus, quae publica aut perſonalia, aut patrimonialia, aut mixta munera ſunt omnia, *l. ult. illo ſit l. 1. §. ult. C. de veter. an.* Qua ratione igitur, *ſed civile*, id eſt, corporale, ait ipſe? qui fovet & adjuvat plurimum ſcripto diverſam ſententiam, *cap. 15. de excuſ.* dum eum, qui accepit, vel habet immunitatem civilium aut publicorum munerum, a tutela vel cura vacationem non habere cenſet: ſicut & collegia, quae muneribus municipalibus & civilibus obſtricta non ſunt, remiſſionem tutelae non habent, niſi nominatim id privilegium eis indultum ſit, dicebat Calliſtratus *l. non tantum 17. §. 4. D. de excuſ.* qui huic ſententiae addit (ſi vere negatione appoſita locum difficilem & ſubobſcurum reſtitui) *aedilitas inter eos magiſtratus non habetur, qui privatis muneribus excuſati ſunt*: ergo aedilis recte tutor datur, adeo ut excuſare ſe a tutela non poſſit, tanquam a munere privato. Erit ergo tutela quid amplius, Modeſtine? Tu qui civile dixeras eam eſſe munus, noluiſti civilium nomine in data immunitate exaudire. Calliſtratus ad idem privilegio concedi oportere cenſet, ut civilium verbo exaudiri poſſit, qui & amplius voluit illam privatum eſſe munus: ut etiam nullo exemplari adſtipulante & contendere & interpretari audeo, ne pugnantes ejusdem autoris ſententias contiguas, uno ſpiritu effatas & uno contextu ſcriptas dicam, & in Prioribus explicavi: facitque Pomponius, ne tutela munus publicum videatur, cum ita definit, *l. pupillus 239. §. 3. D. de verb. ſign. Munus publicum eſt officium privati hominis, ex quo commodum ad ſingulos univerſosque cives, remque eorum, imperio magiſtratus extraordinario pervenit.* Sed Hermogenianus & Chariſius *l. 1. §. atque 4. l. ult. §. 1. D. de mun.* inter civilia & publica munera ex adverſo latere onus tutelae referentes, Juſtiniano Caeſari autores fuere dicendi, *pr. Inſt. de excuſ. tutelam & curam placuit publicum munus eſſe*: hocque locus ille Calliſtrati ſine negatione ſignificat, *Aedilis inter eos magiſtratus habetur, qui privatis muneribus excuſati ſunt*: at aedilis tutela non excuſatur: ergo tutela privatum munus non eſt, ſed publicum: quod fortaſſe Concinnatores iidem & Inſtitutionum autores ita legi & intelligi voluerunt, quo magis ſibi conſtantes & ſimillimi viderentur, dum ſui diſſimillimum Jurisprudentem videri nec quiquam illis curae fuit. Jam vero ſi in gravium autorum diſſenſione difficillimum eſt internoſcere verum; quid dicemus in tanta ſententiarum varietate? Haec viſa fuere ſubobſcura Antonio Auguſtino, Jurisprudentiae lumini, in cujus fulgentiſſimis monumentis veterum conſultorum numen elucet: at (quae in homine ingenii comitas eſt) illum non puduit aciem retuſam animi, & hoc diſcrimen a ſe non intellectum confiteri. Dicere in ſingulis civitatibus *publicam tutelam minoribus deberi*, ut ait Conſtantinus *l. 19. C. Th. de decurion.* vel publice utilem eſſe tutelam, quae *ad curam publicam pertineat*, ex Severi Epiſtola *l. 2. §. D. qui pet. tut.* nihil aut paululum juvat, cum privatim duntaxat utilis & neceſſaria ſit: niſi quis eam ſecundario & quaſi per cognationem utilem publice contendat ex ſententia Accurſii nutantis, *gloſſ. §. 1. Inſt. de exc. l. 10. in fin. D. de teſt. tutel.* Sed ſi privatum aliquid aut publicum dicitur, eo quod primum & praecipue ſit privatim, aut publice utile, non eſt tutela publicum munus appellanda, quaſi populicum, ſi populi uſibus & commodis non inſervit, *l. 2. § ult. D. ad munic.* & hic plane non conquieſcit animi cogitatio. Fortaſſe rectior & probabilior opinio foret, tutelam publicum munus dici, non pro officio civili, ſed pro onere, quod paſſim, idoneis tamen, & publice datur, defertur, geriturque pu-

Digitized by Google

publicitus, *arg. l. 9. D. de iis qui ſunt ſui. l. 6. D. de contr. empt.* at hoc ſubtile nimis eſt, falſumque, & futile fortaſſis. Equidem ne Veritas, quae a Luciano fingitur fuſco & dubio colore, vix apparens ſubterfugiat ſemper & ſubterlateat, ut initium ejus inveſtigationi faciam, quae vepribus obductis occultata fuit, vereor ne principio tutela privatum munus in album civilium & publicorum munerum ex jure ſingulari, privilegiario, & impetratitio venerit, quod arguunt judicio ſcientibus & praeditis, illa Calliſtrati verba, *d. l. non tantum 17. §. 3. D. de excuſ. Ni nominatim id privilegium eis indultum ſit:* quae deinde ex multiplici aſſiduaque conceſſione, inter publica munera locum tandem ſibi vindicarit. Idem ſignificant illa verba in Juris elementis, *Tutelam & curam placuit*, &c. Id enim demum placuiſſe in libris hujus ſtudii exaudiunt Juris & eloquentiae conſulti, quod poſt varias concertationes cognita cauſa tandem obtinuit, & aſſenſione unanimi poſt varios diſputationis fluctus receptum & conſtitutum eſt, ut nobis pueris Stephanus Forcatulus, polyhiſtorum coryphaeus, e loco ſuperiore explanabat, Budaei autoritate *de Senato. in Prior.* motus, & multis argumentis, eoque fortaſſe, quod *Placere* ſolitum fuerit Senatusconſultis, *l. item veniunt 20. §. 6 D. de pet haered. l. 1. pr. D. ad SCtum Maced. l. 1. §. 2. D. ad SCtum Trebell. l. 28. §. 4. D. de fideic. lib.* cognitionibus Imperatorum, *l. ult. D. de jure patr. l. 10. D. de manumiſſ.* & diſputationibus Juriſprudentum adhiberi, *l. veterib. 39. D. de pact. l. 1. D. de manumiſſ.* Haec nos cunctanter & timide: illi viderint, quibus mens divinior, atque os magna ſonaturum eſt, curaeque veteres errorum foſſas expurgare. Sed ab illis ad operas noſtras revertamur. Ex his tutelam publicum & civile munus eſſe conſtat, ſed neque tamen adhuc patri ob tres liberos vacatio eſt, dicente Ulpiano *l. 2. §. 3. D. de vac. mun. Quamvis* LXV. *annorum ſit aliquis* (ut altero x. ſemoto legendum) *& tres liberos incolumes habeat, muneribus tamen civilibus propter has cauſas non liberatur.* Quod ſi eſt, ut eſt, pater trium non habet tutelae remiſſionem ex Severi & Antonini tot rationibus illuſtrata conſtitutione: an pugnantia, non dico *in Pandectas* tranſlata, ſed a veteribus prolata dicemus; viris divini ſpiritus, dotibus ingenii & ſtudiorum ſimillimis & convenientiſſimis, quodque pariter doctis & indoctis perſuaſum eſt, eminentiſſimis ſeculi ſui? Ego, ne de induſtria videar excitare *νομομαχίαν*, cum proſequamur Jus vacationis, quod Romae ſibi pater trium parabat, ut Triumviri poſt Severum & Antoninum diſtinguunt *in Inſtitutionibus d. §. 1. de excuſ.* dixerim Ulpianum agere de vacatione in provinciis conſequenda, quod ex ſpeciebus diſſimilibus & imperfectis, utpote ſi quis non LXX. annos, ſed LXV. natus ſit, nec V. liberos habeat, ſed III. duntaxat, a muneribus neutiquam liberatur: quod obiter ex Modeſtino in ſuperioribus *cap.* 9. attigimus. Cum autem Romae dico, ad Italiae & provinciarum diſcrimen accipi ſcriptum velim, cujus ratio vix ante cognita ſuo loco proferetur: ut interea remiſſio tutelae Jure liberorum ſit patri, & intra muros urbis, & in continentibus aedificiis, *l. 2. l. Alfenus 87. D. de verb. ſig. l. pen. §. Romae 3. D. de exc.* ſive a teſtatore, ſive a praefecto urbi, ſive a Praetore ſit tutor conſtitutus.

CAPUT XIX.

De forma Juris trium in tutelae excuſatione proponendi, notatoque Scaevolae reſponſo & explicato.

ITaque pater filiorum trium, tutor pupilli creatus a magiſtratu, aut a teſtatore datus, *Jure trium liberorum excuſatur, ſicut de curatore date mente capto, aut muto, ſive ventre*, dicebat Tryphoninus *d. l. pen. §. ſi a praetore 2. D. de exc.* Hic omitto dedita opera tutorem a lege factum, qui in jure, id eſt, in judicio, tutela foeminarum & virginum cedere quidem poteſt, ait Ulpianus *de tutel. titul.* 11. §. 8. maſculorum non item: ſed abdicare ſe, id eſt, excuſare, a tutela lege delata jure veteri non poteſt, quia ipſo jure tutor exiſtit; in qua ſententia Cujacius eſt, & ego ſum: niſi rectius facturi videamur, ſi mente illum & ſcripto quoque complectimur, quando Anaſtaſiana lege fratris excuſatio admittitur, *l. frater 4. C. de leg. tut. l. 2. verſ. His illud. C. quand. mulier. offic. tut. l. 7. §. 1. C. Th. de navicul.* ſi ea ſit, quae in alio probaretur. Ergo in omnimoda excuſatione proferenda, prudentium & conſultorum exequenda ſententia eſt. Primum igitur ubi ſe creatum fuiſſe, datumve tutorem pater trium cognoverit, certior a magiſtratibus aut coram, aut domi ſuae factus, *quinquaginta dierum ſpatium ad proponendas excuſationis cauſas habet, d. l. 13. l. quinquaginta 38. D. de excuſat l. 6. Cod. eod.* intra quod ſe apud tribunal ſiſtet, & aut viva voce apud acta, aut per ſupplices libellos remiſſionem conteſtabitur, & exponet, officio judicis mero poſtulato: explicabitque nominatim, & exprimet eam, quam habebit excuſationis cauſam: idemque, ſi plures habeat & diverſas, coram Jus dicente proponet, intra quinquaginta continuos dies a ſcientia numerandos. Quod ſi pluribus cauſis teſtatis in tempore legitimo, *de quibuſdam non probaverit, aliis uti intra tempora non prohibetur*, ait Martianus *l. propter litem 21. §. 1. D. eod. §. qui autem vult 16. Inſtit. eod.* Sed quae tempora intelligat Juriſprudens, dubitatum fuit, & in hoc rei cardo vertitur. Neapolitanus Nicolaus ad Martianum putat quinquaginta dies juſtum eſſe tempus, intra quod aliam exceptionem recte proponet, ab alia qui ſuccubuit: quod Bernardo illi Pontificio, equidem & doctiſſimo placuit, *gloſſ. cap. paſtoralis 4. verb. Audiantur. de exception.* Ego aliter totam quaeſtionem explico, penſitatis Martiani verbis: & tractans de illo, qui ſe cupiens excuſatum, cauſas, quibus remittendum onus tutelae ſibi praetendebat, non probaverit, non mihi videtur illum cogitaſſe, qui duntaxat quaſdam non omnes, quas habebat, excuſationis ſpecies teſtato & nominatim propoſuerit: aliud ſiquidem eſt nominare; aliud nominata probare: quod ſignificant illa verba, *de quibuſdam non probaverit.* Verum qui multis de cauſis excuſationem praetendit, & eas omnes ſimul nominatim exprimere intra quinquaginta debet, *d. l. 13. §. 9. D. de exc.* & quod amplius quiddam eſt perſequi (neque enim ſufficit ſe ſiſtere repraeſentareque judicio, & deſiſtere ab excuſationis probatione, quod ex Severi & Antonini conſtitutione improbat Modeſtinus *d. l. 13. verſ. διόπερ ἐὰν 7.*) ubi a probatione, quam proſequitur, quarundam ſpecierum ex nominatis ceciderit, *l. 3. in fin. D. de appellat. Aliis uti intra tempora non prohibetur*, ait Martianus, quod quod Triumviris placet, *d. §. qui autem vult 16. Inſt. de excuſ.* id eſt, intra continuos illos quatuor menſes, qui ex die nominationis peragendo negotio conſtituti ſunt, & controverſiae definiendae, *d. l. quinquaginta 38. D. de exc.* Sed qui ſint dies nominationis, non ſatis interpretibus liquet, poſtquam lumina veterum, magiſter & diſcipulus, Azo & Accurſius *gloſſ. d. l. propter litem 21. D. eod.* in pugnantes ſententias ierunt, & nos alibi compoſuimus. Interea qui ſe excuſaturus eſt a tutela, ubi de Jure liberorum exceperit, an falſis allegationibus vacationem affectet, tota res pendet ex officio judicis, qui ne liberis ſuppoſititiis decipiatur, cognoſcens de cauſa cavebit: & qui ſine fraude Jure liberorum ſibi vacationem vindicat, niſi allegationem ejus exaudiat Juridicus, Ulpiano conſultore, *l. 1. §. ſi quis tut. 2. D. quando ap. ſit.* appellationem juſtiſſime interponet: *hoc enim*, inquit, *divus Marcus effecit*, quod item retineo Modeſtinum, *d. l. 13. §. 7. l. tutores 18. C. de excuſ.* dice-

re a Severo & Antonino conſtitutum. Quae ſi percepiſſet *tutor ille teſtamento datus* (*l. qui teſtam.* 37. *D. de excuſ.*) *qui adito praetore dixit, ſe tres liberos habere, adjecit praeterea habenti patruum ſe vitioſe tutorem datum*, non eo moratus fuiſſet, quod patruus legitimus foret tutor ab inteſtato futurus: ſed in excuſatione petenda ob Jus trium liberorum perſtitiſſet, & in caſu depulſionis appellaſſet. Ejus vero, pro religione ſua, debuit inſcitiam Praetor circumſpicientia & accurata conſideratione ſuppleviſſe: niſi forte nugator quidam Tarentinus licentia joculari objiciat, non ſpectaſſe tunc ad religionem judicantis, aut juvare clientium & litigatorum jura, aut patronorum peccata corrigere & emendare, quod poſt Scaevolae tempora Dioclet. & Maxim. *l. un. C. ut quae deſ. adv. par.* praeceperunt. Quamobrem non ſine vitio decretum Praetoris habet, *Si legitimum tutorem habenti tutor datus es, non eſt tibi neceſſaria excuſatio*, *d. l.* 37. *D. de exc. quamdiu enim teſtamentaria tutela ſperatur, legitimam ceſſare*, pueri ſciunt, *l. ſi quis ſub cond.* 11. *l. idem fiet* 27. *D. de teſtam. tutel.* & hoc Praetorem latere non debuit, ſi putatur hominis cautio potior cautione legis: item, ſicut OPORTET praxeos uſuſque forenſis non eſſe ignarum eum, qui Tribunali praeficitur, debuit Praetor tutoris teſtamento dati neglecta allegatione, cauſantis patruum ſuperſtitem legitimum tutorem decernendum, excidiſſe illum ipſum teſtamentarium ab illo defenſionis capite pronuntiare, & certum ſe excuſaturo tempus praeſcribere, intra quod filios tres, quorum gratia ſibi excuſationem vindicabat, ejus conſpectui in auditorio obtuliſſet, aut die praetorio, *l. 6. D. de opt. leg.* ſive, ut loquimur, dicto, de eorum incolumitate fidiſſimum teſtimonium protuliſſet. Hinc apparet vitium pronuntiationis, cum, ubi patruus nemo impuberi tutor futurus eſſet, ſuper excuſatione ob Jus liberorum nihil decretum, nihil pronuntiatum fuerit. Ideoque Scaevola conſultus, an poſt decretum Praetoris illius modi remanſerit idem teſtamento tutor datus, reſpondit, *quamvis juſtas cauſas excuſationis haberet, non tamen eſſe excuſatum propter vitium pronuntiationis:* id ſcilicet, ne ad id, quod non cogitavit Praetor, verba ſententiae explicentur, de quibus ſemper ſtrictum eſt judicium, *l. 3. §. 1. verſ. Neque enim. D. de decurion.* Bartol. *l. ſi expreſſ.* 19. *num.* 2. *D. de appellat.* ut ajunt Parlamentares noſtri. Unde licet cernere, quantum privatorum interſit habere, qui fideliſſime eorum deſideria judicibus explicent, & clientium ſimplicitatem cautionibus & prudentia juvent: hujuſmodi enim ſi aliquis dato tutori adfuiſſet, neque Scaevolae, neque nobis labor fuiſſet impendendus. Inde quoque videre eſt, quantum Reipublicae interſit judicem veſtigia juris & juſtitiae ſequi: quantumque proſit aut obſit periti imperitive judicantis, cum illa in mortalium levamentum jus ſuum cuique diſtribuat, haec graviores inter homines injuriam ne diſcernat quidem, eo maxime culpae annumeranda, ut Celſus dicitur ſcripſiſſe. Cautus itaque & providus Praetor de tutoris excuſatione, ſine vitio pronuntiaturus, cognoviſſet; quam ubi neglexit inſcitia, neſcio an confidentia, utraque certe magiſtris & magiſtratibus turpiſſima & nocentiſſima, perinde in vitio fuit, ac ſi contra jus conſtitutum de illa pronuntiaſſet: adeo ut, ſi quid ea in re poteſt judicium meum, invalida & reſciſſa ipſo jure & ſine appellatione illa ſententia videatur, non ex capite, quod contra jus receptum de beneficio liberorum quicquam habuerit, de quo Aemylius Macer *l. 1. §. 2. D. quae ſent. ſine app. reſ.* ſcribit, ſed ex eo, quod finibus certis condemnationis aut abſolutionis concluſa minime fuerit, ut judici praecipitur mandatis Principum, *l. praeſes 3. l. ex ſtipul. 7. l. poſt ſententiam 9. D. de ſenten. & interl.* Neque enim Praetoris verba, *Si legitimum tutorem habenti*, &c. a delato munere tutorem teſtamentarium excuſant, non excuſandumve decernunt: ne dicam, omiſſa principio cauſae cognitione de liberis neceſſaria, in eo quod excuſationi ob liberos adjectitium ex ſuperabundanti fuerat, non debuiſſe Praetorem ſub conditione, multoque minus falſa, decernere; quae nullam efficit ſententiam ipſo jure, ſicut, Ulpiano duce, *l. 1. §. biduum 5. D. quando app. ſit. Scrib. l. qui Romae* 122. *§. duo frat. 6. D. de verb. oblig.* Angelus Peruſinus cenſuit; cujus opinioni Joannes Imolenſis favet. Potuit igitur is tutor, ſi juſto tempore intra legitimos L. dies Jus liberorum pro excuſationis cauſa propoſuerat, dum Praetor dubiam & incertam ſententiam protulit, quaſi pro beneficio liberorum ſpreto, ſi diſplicebat ſententia, auxilio appellationis uti, Severi & Antonini conſilium ſequutus, *l. 1. C. ſi ſaep. in integ. reſtit.* vel liberum illi fuit, mero Praetoris officio poſtulato, denuo tutelae remiſſionem in auditorium deducere, & cauſam eiſdem actis ut ab initio agitare, *l. ſi ut propon. 4. C. quomod. & quando jud.* quod familiariſſimum veteribus Romanis fuit, & inter patritios Doctores Bartolum *d. l. ſi expreſſ.* 19. *num.* 12. 13. 14. & ad *l. cum quaerebatur* 62. *D. de re jud.* & Balduin *d. l. ſi ut propon.* 4. *num.* 17. ex Butrii ſententia convenit: quorum recito teſtimonia, non equidem ut videar, ſed ne non videar protuliſſe. Litigatoribus enim non eſt prohibitum, ſive in primaria, ſive in accidentaria cauſa coram illo ipſo, qui decrevit, ſententiae vires excutere, & nullitatem, ſi ruſtice loqui per civiliores homines liceat, diſquiſitione redarguere, ſi modo judex jure magiſtratus & propriae juriſdictionis judicaverit: qui *repetitus*, ait conſtitutio *l. ſi praeſes 6. C. quom. & quand.* Bald. *conſ.* 442. & 517. *lib.* 5. *notionem ſuam exhibebit*, & ſi ex actis error aut iniquitas reſiliat, iterum de cauſa cognoſcens, in melius reformabit, quodque optimum putaverit, ſtatuet. Sed hic duo in quaeſtionem cadunt, nec ſatis adhuc explicata: unum, quod novitium inventum diſcernet ingenioſus: alterum ex reſponſo Scaevolae, quod explicamus, ſupereſt. In primo, ſi culpa & imperitia magiſtratus, apud cujus tribunal intra legitimos dies tutor datus cauſas excuſationis teſtatus eſt, quatuor menſes conſtitui negotio peragendo effluxerint, quos obſervat Paulus *d. l. quinquaginta* 38. *D. & C. de excuſ.* a nominatione tutoris, qui repetere excuſationem & cauſam retractare parat, quaero an res tutelares ſint in periculo tutoris teſtamento dati? Et ſententiam exequi poſſe debereque judicem, priuſquam ejus vires coram ſe agitari patiatur, ſummis ingenio & autoritate viris placuit, *Clem. 1. de ſequ. poſſ. & l. 1. de ſent. & re jud. auth. Quae ſupplicatio. C. de precib. Imp. offer.* qui in eventu revocationis executionem quoque decreti prioris retractari conſuerunt. Quae ſi vera ſunt, implicatus eſt tutor adminiſtratione, dum tutelae remiſſionem repetit. Sed iis conturbari non debemus, quando per judicem ſtetit, quominus cauſa intra juſtum tempus terminaretur, qui alibi ſaepe legitimam praeſtat cauſam ad dies fatales prorogandos (*auth. Ei qui. C. de temp. & rep. app.* Bald. *lib. 3. conſ.* 166. & ad *l. contra major 16. num. 4. C. de inoffic. teſtam.*) ut Baldus *lib.* 3. *Reſponſorum* exiſtimat, quod aequiſſimum videtur. Itaque, me judice, quadrimeſtre illud ſpatium periculo tutoris non liberetur, per quem non ſtetit, quominus excuſationis cauſa Praetoris definitione ſopiretur: ſed detrimentum rerum pupillarium, eo interſtitio repetitae quaeſtionis ad magiſtratum pertineret, *l. 1. §. magiſt. 6. D. de mag. giſt. conven.* niſi tutorem temporarium aut curatorem, ſaltem ex Pii reſcripto *l. 2. D. de tut. & cur. dat. ab iis. l. cum in una 17. D. de appell.* monitus, dediſſet. Sequens illa quaeſtio eſt Q. Cervidii Scaevolae, ſi tutor, quo de agimus, *acquieviſſet ſententiae*, nec intra fatalia tempora appellationis coram eodem Praetore de viribus ſententiae nullis quaeſtionem agitaviſſet, ad majoremve provocaſſet, conſenſum tacitinitate

nitate

nimiae ſententiae accommodans, *an ob id, quod non geſſit tutelam, utilis actio in hunc dari debeat.* Reſpondit: *Si errore potius, quo ſe pro Jure trium liberorum, quod allegabat, excuſatum crediderit, quam malitia ab adminiſtratione ceſſaſſet, utilem actionem non dandam.* Caeterum erroris a malitia diſcriminatio nunc erit in religione judicantis: olim erat in cognitione Praetoris, actionis formulam & judicem concedentis, aut denegantis: qui ſi non mala mente & malo animo ceſſaſſe tutorem opinabilem videret, illum ab utili, nedum a directa actione tutelae abſolvebat, vel potius ab actionem impetrante, negotii ſerie explanata, adverſum illum non concedebat: cum in eum duntaxat, qui tutelam gerere noluit, & ceſſavit, cum ſciret ſibi geſtionem incumbere, utilem dari placuerit, *l. 37. §. 1. D. de excuſation.* Quae Scaevolae reſponſum elucidant, nuper ab Hervagio obſcuratum, de verbis ultimis ſublata negatione: cum adverſus prudentis mentem, tum contra exemplarium fidem. Iſta culpa deprehenditur hominum, qui liberiori ſtylo in emendandis libris proruentes, de correctoribus plerunque corruptores fiunt. Caeterum non is ego ſum, qui reſponſo viri principis, & Juriſconſultorum prudentiſſimi (ſic enim illum AA. *l. 3. C. Th. de teſtam.*) vel cum Alciato Παρεργ. *lib. 4. cap.* 1. autoritatem imminuere & fidem elevare poſſim, aut velim etiam cum poſſem, magno illum ingenio virum Claudio Tryphonino aſſerente *l. a teſtatore* 109. *D. de cond. & demonſt.* cui plus injurato, quam mihi jurato, crederetur: nihilo tamen minus meam aperte ſententiam proferam: at eo cunctantius & timidius, quo mihi cum mortuo res eſt, ne manes illius e ſomno excitare, aut, quod ille vetat, dilaniare videar: & ſi mens cunctis impoſita manet, ut ait Jupiter Statianus, viderint meliore & feliciore ingenio nati, apud quos manſurum & non revocabile verum. Itaque non opus fuiſſe diſtinctione Cervidiana ad quaeſtionem terminandam magis puto, cum rei tutelaris periculum ad imperitiam & imprudentiam magiſtratus ſpectet. Nec ſententiae acquieviſſe tutor, de quo ſermo habetur, videri poteſt, a qua non debuit appellaſſe, ut erat ipſo jure inanis & evanida, lata contra formam juris manifeſti, *l. 2. C. quando prov. non eſt neceſſ.* Quod enim verbum vulgus habet in ore, & properant plerique dicere magis, quam diſcere, *Acquieſcentem & taciturnitate conſentientem videri probare ſententiam*, *l. 3. C. quom. & quand. jud.* ut citius is agat, qui denuo cauſam agitaturus eſt, dictum putem: & quod ſemel dicam, ſicut qui appellavit a nulla invalidaque ſententia, praeſcriptione fatalium temporum ſubmotus, ex eo non videtur ſententiam comprobaſſe: qui tacuit, cum non debuit appellare, neque videtur ſilentio ſententiam confirmaſſe, quod Modeſtino placuit *d. l. ſi expreſſ. 19. D. de appellat.* & ejus ſententiae doctorum hominum calculus & conſenſus acceſſit, Accurſ. Bartol. *l. 2. C. ſi ex falſ. inſtr.* Guid. Pap. *deciſ. 426. num.* 13. ne dicam ſententiam nullam confirmari non potuiſſe, ſi non exiſtenti qualitas non accedit. Quae non tam adverſus Scaevolam perſuadendi ſpe, quam experiundi voluntate producta, quo magis vulgaria ſunt ex regulis Juris antiqui, mirabundum animum meum remorantur, ut in oculos eruditos viri prudentiſſimi non incurrerunt. Ea nos certe fuſius & copioſius tractavimus, quod a noſtrorum temporum uſu & luce fori non abhorreant, licet ab elegantiorum eruditione vulgari fugiſſe quodammodo videantur.

CAPUT XX.

De tribus liberis legati, deque legationis & tutelae diſcrimine.

EXemplum quoque ex principalibus conſtitutionibus profero, ne helluo Pandectarum eſſe videar: quas tamen & auribus & oculis devorare doctos oportet. Illud vero ex placito Valentiniani & Gallieni AA. & Caeſarum ſic habet, *l. 1. C. de legation. Pater trium incolumium liberorum legationibus publicis liberatur.* Unde ſive in municipiis, ſive in Urbe a legationis munere Jure trium eximitur pater, etiamſi ex ordine ei obeundum eſſet (puta, quia priores, qui in Senatum electi ſunt, omnes jam functi fuere) idemque extra ordinem delegato munere (puta, ſi de primoribus viris & optimatibus legatio perſonas deſideret, ad quam non eſſet quis alias) ait Martianus, *l. ſciendum 4. §. 5. D. de legation.* compellendus. Sicut enim a perſonali munere tutelae tres liberi vacationem praeſtant, de quibus tam multa in ſuperioribus, ita in propoſito a legatione patri remiſſio eſt, quae ſolo perſonae miniſterio obitur, *l. filio 6. D. eod. tit.* & *perſonale munus* Hermogeniano & Arcadio dicitur *l. 1. & ult. D. de muner. & honor.* Adnotanda tamen obiter differentia eſt, quam ἀπροσδιόνυσοι non erit addidiſſe, & tranſire ſine admiratione non poſſum, cur mandatis principalibus diſcriminata fuerit Urbs ab Italia, & haec a Provinciis in tutelae excuſatione, & in legatione non item: licet & tutela & legatio civica perſonalia munera ſint. Equidem quantumvis in numerato habeas ingenium, diſſolutionis ratio ſtirpitus erui non poteſt, cum haec ſolemni potius antiquitatis autoritate, quam ratione conſtitutionis firmata liceat cernere. De quibus leges ſcriptas reperio *d. l. 1. C. de leg. l. 1. C. qui num. ſib. ſe exc.* quae vim, mentem, & poteſtatem in fronte promptam gerunt, ut rationem non item: & quaedam de Jur. quinque liberorum infra dicemus. Interea dum alii meliora docerent, quoniam legatio ex locupletiſſimo Juriſprudentum teſtimonio, autoritate & utilitate munus civicum eſt, ei fautum diligens & multiſcius amicus quidam noſter exiſtimavit, ſive in Italia, ſive in Provinciis, multo magis quam muneri tutelae: ut autoritate publicum quidem tutela munus eſt, ſed utilitate privatum diſcernitur: quae prius Accurſio ad Hermogenianum placuerant *ad l. 1. D. de muner.* Sed ratio illa differentiae mihi non fit veroſimilis, quae publicis municipiorum civitatum & provinciarum utilitatibus adverſatur: nec civici muneris utilitas quicquam ad rem facit, cur in legatione detrectanda patri faveatur magis, quam in onere tutelae ab humeris avertendo. Quocirca in vera diſcriminis ratione inveſtiganda, ab aliis laborem impenſum velim: ego, ut de quarundam rerum inſcitia confiteri ſummam ſcientiam exiſtimo, dicam primum cum Ovidio *lib. 5. Faſtor. v. 2.*

Non ſatis eſt liquido cognita cauſa mihi:

quod ſi me officio mero Praetoris aliquis premat, cogereque velit pronuntiare ſententiam, prudens inſcitiae jurabo de cauſa N. L.

CAPUT XXI.

De tribus liberis liberti centenarii ex lege Papia, & liberti a Jure patronatus liberatione triplici.

AMplius tres liberos aut plures ex lege Papia favorabiles fuiſſe reperio liberto centenario, adeo ut nihil quicquam ex ejus bonis petere patronus poſſet, ſive teſtato, ſive inteſtato libertus decederet. Cujus quidem capitis Triumviros indices habeo Juris *elementorum & Inſtitutionum lib. 3. de ſucceſſ. libert.* Ubi inter caetera, de quibus in Jure duorum mentio habita, ex jure veteri lege Papia dicitur conſtitutum, ut patronus liberto, qui c. mille ſeſtertios minores haberet, cum filio unico liberti ſucceſſurus, haereditatem aequilibrio divideret, quaſi reliquias vetuſti juris & antiquae ſocietatis retinens, cujus teſtis adhuc ſupereſt Ulpianus *l. 1. D. de bonis lib.* item ut cum duobus liberis ſuperſtitibus liberto, trientes aſſem diſpertiret, virilemque conſequeretur, dum

 tamen

Digitized by Google

tamen ne idem eſſet, tribus liberis a liberto ſuſceptis, & patrono ex lege XII. Tab. objectis. Illis enim antiquitus, vel eorum uni, facultas fuerat excludendi & arcendi patroni, quae ſupra explicata fuere. Sane ad legem Papiam ſciendum eſt, introductam illam fuiſſe in ſolatium patronorum, qui libertos aſſiduos & locupletes habebant, & a filiis naturalibus (intelligo, ut Suetonius *Tiberii cap.* 25. more Latinorum, natura filios juſtos & legitimos) ex quantulacunque parte ſcriptis a patre haeredibus, libertis ſuccedere prohibebantur. Sed neſcio, quid cauſae eſt, quod jus noviſſimum legis Papiae de Jure patronorum augendo in bonis libertorum, Concinnatores transferre in libros Juris civilis neglexerunt, tam multa de eo, quod ante illam vigebat, referentes, *l.* 21. *in fin. D. de jure patr. l.* 6. *D. de bonis libert.* Dum ita ſubſiſto ad legem Papiam, duo notanda animadverto: unum, mediocris fortunae liberti filios lege Papia non interpellatos: alterum, liberti locupletis liberos tres patri favorabiles fuiſſe. In Primo vel unicus liberti filius patronum excluſit ab haereditate, quam lex Papia ut ſummae minoris intactam & illibatam filio reſervavit, ſi is legitimus & naturalis eſſet ex jure conſtituto, cum minor libertus centenario. Sed hic tractari commodiſſime potuit quaeſtio, ſi duorum liberorum pater libertus, cum major eſſet centenario, *ſe minorem in fraudem legis Papiae fecerit*, ad hoc, inquit Ulpianus *l. ſi libert. num.* 16. *D. de jur. patr.* ut judicium legis everteret, intereaque tertio illi filio naſcente, ſi probaſſet patronus voluiſſe libertum legem circumvenire, an qui ob duos ſe legis vinculis non exuiſſet, detecta fraude in legem Papiam commiſſa, indignus legis beneficio, & Juris trium liberorm fuiſſet: quod mihi magis videtur, ne commodo legis gauderet, in quam ipſe nixus erat; cujus ſententiae multa ſunt ex Prudentibus in libris Civilibus *tit. D. de iis quae ut ab indig.* & opinioni noſtrae faveot. In Poſteriore, libertum locupletem ingenti praemio poſito lex Papia ad procreationem excitabat: cui ſi tres liberi ſupereſſent incolumes, cujuſcumque ſexus, teſtato vel inteſtato liberto invito patronus non ſucceſſiſſet, illumque tres liberi procul ab ejus bonis pepuliſſent: quae ſi non expreſſa, a Triumviris ſignificata §. *poſtea vero* 2. *d. tit.* ſcio. Fortaſſe tamen ſciolus obſtrigillabit, quod minus apta Juris trium in hac ſpecie tractatio illi videatur, cum praemium nullum liberorum gratia ſentiret pater libertus, ipſiſque filiis duntaxat lex commodaret ad patronum a paterna haereditate repellendum. Idem vero nobis hoc loco, quod & alibi, ſapiendum eſt: nempe favorabile fuiſſe patri liberto, qui omnia ſua ex voto liberis paraverat, *l. nihil intereſt.* 1. §. 1. *D. de bon. libert.* voto inquam omnibus parentibus communi, explicatam ex animi ſententia familiam relinquere: favorabile quoque (niſi idem recito) illi ob Jus trium fuiſſe, animi libertatem io ſupremis cautionibus habere, & ad debitam portionem, ſive dimidiae, ſive trientis, patrono ex legibus relinqoendam ſaepiſſime contra voluntatem, non teneri. Tam enim gravis & moleſta fuit antiquis inhiatio illa patronorum in libertorum fortunas, quam maximi beneficii looo habita fuit a Jure patronatus liberatio. Cujus tres modos fuiſſe comperio: Unus in natalibus reſtitutis cernitur, quibus non ſoliti fuere Imperatores reddere libertum, niſi patrono conſentiente: *Jus enim patroni*, ait Modeſtinus, *natalium jure impetrato amittitur*, *l.* 2. & 5. *D. de natal. reſt.* & patronus ad liberti ſucceſſionem venire non poteſt: quae fuit cauſa reſtitutioois natalium introducendae, ut libertus quaſi ingenuus mori poſſet, qui jure annulorum potuiſſet ingenui jure vivere, *l.* 3. *D. de bonis libert.* Alter modus fuit liberae teſtamenti factionis impetratio, cujus Ulpianus *d. l.* 3. §. 2. meminit. Libertus enim, niſi operarum obligatione dimiſſus (ſolutione puta, aut Jure liberorum) teſtamenti factionem liberam non habebat, quae fuere in ſuperioribus a nobis enucleata *cap.* 10. & 11. Verum callidus & prudens patronus, aut nihil manumittens, poſteave, liberto imponebat, aut ſi impoſuiſſet, cernens libertum amplificatione rei familiaris fore locupletiſſimum, nihil exigebat, & ita jus in liberti bona ſibi ſervari putabat: neque enim in hujusmodi ſimilive caſu natalium reſtitutioni conſenſiſſet. In eo contra patronos Jus liberae teſtamenti factionis impetratitium excogitatum fuit, ex quo teſtaturo liberto licebat patronum praeterire, ita ne contra tabulas ejus patronus uti auxilio Praetoris poſſet. Sic illum princeps jure ſpoliabat ſuo: rectene? quando quae ſunt recta & honeſta, liceant ſolum principi vere principanti, ait Livius; alii viderint: interea hic caſus obſervetur, Bald. *l.* 2. *C. de ſervit. & aqua.* Alius & Tertius modus fuit, Jus trium, de quo agimus: & ſine impetratione liberae teſtamenti factionis, teſtatus libertus trium pater impune praeterivit patronum, vel illibatas a patrono, inteſtatus, filiis reliquit facultates. Haec de jure priſco, pro eo ac ſi vigeret hodie, ad Pandectarum locos quamplures elucidandos, duximus legem Papiam reſpicere, in eo capite, quod miror legilegulos omnes & Gallos & Italos ſilentio praeteriiſſe, vel negligentia diſſimulaſſe: obſervatum autem reperi induſtria memorabili Alexandri Neapolitani ſcriptoris, cujus ſuper claſſicos autores Geniales caput extulerunt, *lib.* 4. *cap.* 22.

CAPUT XXII.

De Jure trium verſus Juvenalis explicati.

POſtquam vero in ſermonem de lege Papia venimus (ſive Julia & Papia conjunctim, ſive Papia Poppaea dicenda ſit, utpote lata *poſt Julias Rogationes*, Tacito *lib.* 3. *Annal. cap.* 25. ſub Auguſto Caeſare, M. Papio Mutilio & Q. Poppaeo ſecundo ſuffectis, non ordinariis Conſulibus, ut Iſidorus cenſuit *lib.* 5. *Orig. cap.* 15. cujus opinionem confirmat Dion. *lib.* 56. *pag.* 578.) volui, ad remoram accurens, ingenii vela contrahere, Satyrici locum explicaturus, quem vidiſſe quidem, ſed non pervidiſſe principes viros, juris & eloquentiae magiſtros, eorum ſcriptis comperimus. Verba Juvenalis ex *Sat.* 9. *verſ.* 86. & *ſeqq.* ſunt:

Jam pater es, dedimus quod famae opponere poſſis:
Jura parentis habes, propter me ſcriberis haeres,
Legatum omne capis, necnon & dulce caducum:
Commoda praeterea junguntur multa caducis,
Si numerum, ſi tres implevero, &c.

Ubi cum Cinaedus, vulgo pater creditus, liberos ſuſtuliſſet, ope & auxilio Naevoli, vicem illius cum uxore ſubeuntis. Poeta ſub Naevoli perſona turpitudinem Cinaedi ejus auribus inculcat, & objicit, dum jura paterna generaliter exprobrat, dumque ſeriatim commodis liberorum enumeratis inſeſtat: commemorans illi ſua opera jura parentis & civibus Romanis propriam poteſtatem in filios eſſe, itemque teſtamenti factionem, quam triviales magiſtri paſſivam dicunt, & honorem illum ſummum (de quo Plinius ſaepiſſime *Epiſt.* 20. *lib.* 1. & *epiſt.* 20. *lib.* 7. *ad Tacit.*) tanti a veteribus factum, percipiendi relicta alienis teſtamentis, quo ab uxoris teſtamento caperet, obveniſſe, *l. ſed & ſi ſuſc.* 52. *D. de judic. l.* 36. *D. de excuſ. tut. l.* 28. *D. de teſtam. tutel. l.* 10. *C. Th. de piſtorib.* cum ante liberis orbus & ſolitarius, non tutius quam coelebs (*Inſtit.* Ulp. *tit.* 22.) ex ſuprema civis Romani voluntate, ab ea haereditatis vel legati honore affici poterat, & , ut generaliter dicam, jus capiendi ex teſtamento uxorio non habebat, lege Julia & Papia praepedimentum objiciente: quod tamen Chriſtianiſmo indignum rati Con-

ſtan-

Digitized by Google

ſtantinus filius & Fratres edita lege aboleverunt, *tit. C. de infirm. poen. coelib.* Amplius quo jure Cinaedus haeres inſtitui, & legatum omnis generis capere poterat, eodem dulce caducum retinebat, & percipiebat dictum id omne, quod ab honorata perſona judicio defuncti, mortuoque teſtatore vel honorati morte vel alia incapacitate ceciderat, quod Jure antiquo, id eſt, ante leges Caducarias, Juliam ſcilicet & Papiam, apud haeredem remanebat. Illud vero, quoniam accreſceret & accederet haereditati, jam teſtatricis deſtinatione abalienatum, haeredisque cederet commoditati, dulce caducum dicitur: in quo explanando Commentarii non ſatisfaciunt. Sed de his quis contra nunc Rhynton non geſtit Satyricum ridere? qui caducum apud haeredem remanere intelligit, agens ſub Domitiano & Trajano, leg. Papia vigente, a tot annorum ſpatiis, ſiltem abiſſo tempore, quo latam eam fuiſſe diximus, aſſiduos auctores ſequuti, & fiſco principali caduca vindicante, ut ſignificant ea verba Plinii *in Panegyr. cap. 42. Locupletabant & fiſcum & aerarium, non tam Voconiae & Juliae leges*, &c. Equidem hoc nollem coryphaeos, majorumque gentium Doctores, diſſimulatione neglexiſſe: vellem autem Caelium Secundum in ſupplenda Commentarii ad Juvenalem diligentia animadvertiſſe. At ne jam naenias contendere videar, ſpectatae brevitatis memor, dixerim ad Jus antiquum, quod ante leges Julias vigebat, Poëtam reſpexiſſe, non neſcium, ut vir fuit, qui tot docta priſcaque norat, ſervatum duntaxat lege, Jus vetus caducarium liberis aut parentibus teſtatoris, a reliquis caduco confiſcato, *In l.* Ulp. *tit.* 17. & 18. *in Cod. de cad. tollend.* Id vero placuiſſe Juvenali ea libertate judicio, qua *Poëtae lineas impune tranſilire poſſunt*, ut ait Varro *de Analogia lib.* 2. [ſeu *princ. lib.* 8. *de Ling. Lat.*]

CAPUT XXIII.

De tribus liberis Decurionis, deque Buleutarum ſtatu, & ſuper eo variis principum reſcriptis: obiterque de ordine Senatorum Pomponii ſcriptum explanatum.

UT autem ad Jus patrium revertamur, ſpecies eſt nobiliſſima: de qua Valentin. Theod. & Arcadius ad Aurelianum, *l. ult. C. Juſt. & l. 132. Th. de decurion.* reſcripſerunt: *Si quis curialis tres mares filios ſusceperit, unum dare Senatui non vetetur.* Sed quo facilius reſcriptum intelligatur, memoria tenenda ſunt, quae fuere de Decurionibus relata, cum Jus quorum excuteremus, dilucidius fortaſſe quam L. Romanus, alioqui gentis Italiae memorabilis ſcriptor, *conſil.* 551. *num.* 9 aut illi quod nobis idem ſtudium non fuit. Amplius vero legimus in coloniis & in municipiis, item & in oppidis, populum in duos ordines generatim diſtributum, Plebejorum ſcilicet & Patrum. Illi variis corporibus & collegiis attributi, quorum ſpeciem artificum σωματεῖα gerunt (nullos autem vacantes a corporis ſocietate veteres ferebant *eod. tit. conſtit.* 179) cives duntaxat plebeji dicebantur: qui ſenſim per rei familiaris & facultatum incrementum, ſplendidioris fortunae, *conſt.* 53. 72. 96. & 133. & idoneiores ad munia ſubeunda facti, a Decurionibus adlecti, & in ordinem relati fuere. Cenſum tamen ex lege municipali cujusque Senatus perſcriptum fuiſſe & definitum putem, ut coloniae, municipii, aut oppidi, privatorum opes & facultates erant, ut item in ordine Decurionum plures aut pauci, qui munera ſubire cum impendiis poterant: & Calliſtratus *l. eos qui utrosq. 12. D. eod.* opinionem & conjecturam meam firmavit. Haec legi propriae, aut moribus cujusque civitatis tribuo, ne pro generali jure recipiamus c. m. ſeſtertium cenſeri Decurionem oportuiſſe, quod ad Romanum Plinius *Epiſtolarum lib.* 1. *Ep.* 19. ſcribit his verbis: *Eſſe autem tibi centum millium cenſum ſatis indicat, quod apud nos Decurio es.* Caeterum qui ejus cenſus eſſent, expenſis & aeſtimatis propriis, non etiam ex dote mulieris facultatibus, *l. Lucius 21. §. conſtante 4. D. ad municip.* patres & Decuriones, quod in hominum luce & civium conſpectu cum ordinis dignitate verſarentur, ſive curiae *conſt.* 85. & 108. *C. Th. l. omnes 23. Juſt. de decurion.* (quam promiſcue Senatum Plinius & Trajanus appellant) Senatores & erant, & dicebantur: quos item a conſilio *buleutas* vocabit Plinius, *lib.* 10. *Epiſtol. ep.* 48. & 113. Latio Graecum nomen pro ſua autoritate donaturus. Illis conceſſae fuere vacationes & immunitates multae, in ſolatium tot munerum & onerum, quibus pro ſalute patriae obnoxii tenebantur: quae omnia ex poſterioribus Codicis & Pandectarum familiaria ſunt ſtudioſis. Ut tamen hominum ingenia ſunt, ex Decurionum ordine complures, curiae moleſtias pertaeſi, cum vitae liberioris deſiderio tenerentur, honorariis dignitatibus ſe decorari, & in ampliſſimum ordinem adlegi curabant: de quibus ſic Hermogenianus, *l. 23. D. ad municip. Municipal-ſinit eſſe, Senatoriam adeptus dignitatem: hoc autem quantum ad munera: quantum vero ad honorem, retinere creditur originem.* Deſinere autem ita videtur Ulpiano *l. filii 22. §. Senatores 5. D. eod.* ut filios filiasque, nepotes pronepotesque ex filio, ſive ante Senatoriam dignitatem ſuſceptos, ſive poſtea, ordine municipum eximat, & originem eorum eludat. Quae ſub Latinis Caeſaribus fuerunt. Sed fracta deinde hujusmodi municipum conſilia, & deliberationes conturbatas, variis Graecorum Imperatorum ſcriptis legibus, ex reliquiis Theodoſii ſcimus: dum hae vetant generaliter, *conſt.* 129. 157. 170. *& ſeqq.* 172. 176. 178. ne quis ſe patriae utilitatibus auferat, vel ſubducat, & dum illae *conſtit.* 76. & 119. *buleutas* omnes ad curias redire jubent, utpote oppidaneis obſequiis (ſic eſt ſermo) & curiis ſorte nativitatis obnoxios. Adeoque Caeſaribus hoc curae fuit, qui ordinis ipſius detrimento, *l. generaliter 3. §. ult. D. de decurion. conſtit.* 32. *C. Th. eod.* & Reipublicae univerſae incommodo, curias hominum paucitate langueſcere cenſuerunt, ſibique ipſis cordi eſſe curiarum ſplendorem *conſt.* 66. edixerunt, ut etiam honore Perfectiſſimatus, Egregiatus, vel Clariſſimatus ornatum, amiſſis codicillis, privandum dignitate, & declinatae curiae reddendum tam Conſtantinus ad Bithynos, *conſt* 5. 15. 26. 27. 36. 42. 44. 82. 118. & 159. & 172. quam Arcadius & Honorius ad Eutychianum reſcripſerint: *quod curiae deſoleatur*, ait iſte, *ad diverſa officia currentibus iis, qui originem propriae civitati eludunt.* Hinc Decurioni curiam fugienti inquiunt, ad Senatum orbis inclytum vetitum aſpirare, *conſt.* 18. ad quem ſi jam perveniſſet, excidebat a gradu umbratilis dignitatis, & obſecundaturus functionibus, curiae mancipabatur, *conſt.* 13. 14. 48. 77. 93 & cum ipſo illius quoque ſoboles, quam eximebant codicilli dignitatis, ut nominatim cavetur conſtitutione ad Clearchum P. P. Oportuit enim ex ordine patriae munera obiiſſe illum omnia, *conſt.* 29. 57. *& ſeqq.* 65. 94. 182. qui e Decurionum conſortio exiliens, ad curiam (per eminentiam Senatoriam intelligo *d. c. p.* 48) exultabat: neque Provinciae muneribus functum ſatis fuit, niſi origini propriae civitatis debitum naturaliter exſolviſſet: *conſt.* 106. & *conſt.* 24. XXX librarum argenti multa in eos, qui contra feciſſent, conſtituta, id eſt, centum & quinquaginta aureorum, quorum quini librae argenteae aequipollebant, *tit. C. Th. & Juſt. de arg. praet. ad theſaur. inf.* Crevit autem & uſque ad XXX. libras auri interminatio, non adverſus privatos, ſed contra civitatum ordine emiſſa, *conſtit.* 110. *d. tit. C. Th. de decur.* niſi curiales repetiiſſent: quarum quaeque libra LXXII aureis ſolidis aeſtimabatur, *l. quotiescumque* 5. *de ſuſcep. C. Juſt. & Theod.* ſolidus autem aeris libris XX. *l.* 1. *C. de collat. aeris*.

aeris. Verum enimvero in his fluctuavit poſtmodum legiſlatio, & variarunt conſtitutiones pro Caeſarum alia atque alia voluntate, dum Valentinianus & Valens Decuriones, qui ordinis ampliſſimi facti fuisſent, patriae quoque ſubjici oneribus, & liberos, ante Senatoriam dignitatem ſuſceptos, curiae adſcribi voluerunt: *conſt.* 69. *C. Th. de decurion.* ex diametro vero repugnans illis ipſis cum Gratiano ſententia placuit, *conſt.* 74. §. *caeterum.* filio, qui curiae ſufficeretur, non ſuperſtite Decurioni jam facto Senatorio: illo enim caſu Decurio a brevibus glebae Senatoriae eximebatur. Hinc demum Decuriones, ad Senatum aſpirantes, loco proprio ſubrogaſſe quam maxime idoneos oportuit, dignos quibus munera civica & functiones committerentur, ut Gratian. Valentinus & Theodoſius Dario Conſulari reſcripſerunt, *conſt.* 90. *& ſeq.* Sed iidem Caeſares ſemel & iterum placita mutaverunt, cum illum, qui ſe ordini Senatorio implicat, filio, vel vicario obeundis muneribus ſubrogato, diſpendiis enormibus bonorum, & facultatum jacturae ſubjiciunt, reſcriptis uno & altero ad Cynegium P. Praetorio. *conſtit.* 111. *&* 118. Quod ita cum Arcadio iidem Valentin. & Theodoſius *conſt.* 123. quandoque probaverunt (ironicōs accipi velim) ut manente dignitatis imagine, patriae functionibus ſubſervire Senatores illos ipſos e Decurionibus factos praeceperint: deinde, in creatis jam Senatoribus duplicem perſonam probantes, in futurum vetuerint Curiales in Ordinem ampliſſimum adlegi, *conſt.* 129. At in Protei modum ſui diſſimiles & commutati, jus antiquum iidem AAA. amplexi ſunt, quo muneribus perfunctus Decurio potuit, idoneo ſubſtituto, de municipe fieri Senator, *conſt.* 130. *& ſeq.* 134. §. 1. *&* 155. *in fin.* quod iterum idem Arcadius cum Honorio fratre ad Florentinum reſcripſit. Neque tamen perpetua aut conſtans haec illis ſententia fuit, qui honore privandos jam Clariſſimatum conſecutos, & non ſolum ad curiam revocandos, ſed etiam in dimidia facultatum multandos edixerunt, *conſt.* 159. Quo quid iniquius? quid injuſtius? quidve inſolentius pro lege obtrudi potuit: cum illi ſcilicet, qui legibus obſervatis, & forma recepti juris conſervata, curiae nexibus ſoluti erant, ut ſontes multati in piſtrinum, e quo exilierant, retruduntur? An pro legitime facto poenas miſeri debebant? Si hoc contra jus non eſt, ſi hoc tyrannidem non ſapit; neſcio quid aequo juri juſtove principatui poſſit eſſe contrarium. Hac vero fortaſſe de cauſa Arcadius Imperator a familiaribus, ut probabile eſt, increpatus, quod leges ceteas fingeret & refingeret, intra paucos dies vincula legis novellae diſſolvit, in eoque capite, quo factum Senatorem de gradu clariſſimorum dejiciebat, illique mulctam irrogabat, denuo praecipiens Decurioni Senatori facto, de idoneo ſubſtituto dignoque, ſuo periculo, cavere, *conſt.* 160. At, poſteaquam Curialibus per ſuffectos patriae muneribus ſungi, ejuſdem cum Theodoſio Epiſtola ad Anthemium P. P. interdictum fuit, *conſt.* 167. & obiri non poſſe patrias functiones cum Senatoria dignitate ſibi perſuaſerunt, *conſt.* 180. mirum, quibus artibus ad Senatum fuerit occluſa via: mirandumque magis, quo pacto jam honore Senatorio florentes, regredi ad curias oportuerit, *conſtit.* 181. *C. Th. & l.* 54. *C. Juſt.* in eos, ut in ſervos vindicandos, conceſſa manus injectione. Magis tamen eiſdem placuit, patriae muneribus functo, qui omnia ordine excurriſſet, non claudi portas dignitatum, ut ad Monaxium P. P. reſcripſerunt, *conſtit.* 182. *& ſeq. C. Theod.* Ita quoque Aemilium L. F. Pap. Arcanum, non niſi omnibus honoribus in colonia ſua functum ab Adriano Imperatore in ampliſſimum ordinem adlectum ex ejus monumento & marmorea columna intra Narbonem legimus. At aliud tandem poſt vagos & errantes fluctus, id habentes in animo, quod ait Juriſprudentia, TURPE incerto jure vagari, Theodoſius & Valentinianus conſtituerunt, ut Decuriones in Senatus ordinem inferiorem admiſſi (puta titulos ex adminiſtratione ſpectabilium, ut tribunus, *l.* 2. *C. de primicerio.* judex, *l.* 2. *C. de proxim. ſac. ſcrin.* magiſter ſcriniorum, *l.* 1. *C. de magiſt. ſcrin.* & clariſſimorum, ut Praetor uſque ad illuſtres, conſequuti) per ſe tam curialia, quam Senatoria munera ſubirent: eorumque liberi poſt Senatoriam dignitatem nati, patrum tenerentur exemplo: nihil exprimentes de illis, qui a Decurione ſuſcepti fuerant, ut Curiae jam devinctis. Decuriones item, in Senatus ordinem ſuperiorem admiſſos, honorum titulis de illuſtribus, *l.* 60. 63. *&* 64. *C. Juſt. de decurion.* ad ſummum uſque gradum Imperat. majeſtatis, etiam ſine adminiſtratione codicillis honorariis elucentes, & ſuperioribus dignitatibus conſpicuos, *l.* 74. *in fin. C. Th. de decurion. l. ult. C. Juſt. eod.* Senatui per ſe reſpondere voluerunt: curiae autem noluerunt, ob dignitatem ordinis ampliſſimi, ne functionibus macularentur, eorum ſubſtitutos admittentes, *d. l.* 60. *C. Juſtin. eod.* ita tamen, ut poſt eos liberi aliis aſſimilati, fungi per ſe utroque tenerentur. Sic juris novi commiſſione ex legibus Juſtiniani *Novel.* 70. *ut ordin. praefectur. & Novell.* 71. *ut ab illuſtrib.* illorum conſtitutionem interpretor: vel ſummo digito indicaturus, hinc pendere Pomponianae ſententiae explicationem ex Variis lectionibus, *l.* 4. *D. de ſenator. Qui indignus eſt inferiore ordine, indignus eſt ſuperiore.* Neque vero inferiorem pro Equeſtri accepit Juriſprudens: fuit namque dictus ordo uterque ampliſſimus, ut in eo Suetonii *Veſpaſ. cap.* 9. *Ampliſſimos ordines & exhauſtos caede varia, & contaminatos veteri negligentia purgavit, ſupplevitque, recenſo Senatu & Equite.* Fortaſſe volebat Pomponius indignum remotumve ex cauſa ab ordine Decurionum, *l. divus* 40 *l. qui injuriarum* 43. *D. de injur.* qui minores Senatores erant extra urbem, non poſſe ad Senatum Urbis & orbis Romani aſpirare, *l.* 1. *D. ad l. Jul. de vi priv.* Sed ſi ad tempora Juſtiniani ſcriptum referatur, accipiendum id eſt de ordinibus Senatorum inferiori & ſuperiori; ut qui dignitatibus inferioribus functi, cum Senatores fieri ſolerent, *l. ultim. C. Juſt. de praep. ſacr. cub.* inferioris ordinis fiebant, & functi eminentibus, ordinis ſuperioris: quod ſi ex cauſa malae fortaſſe adminiſtrationis, ut ſaepe legimus, indignus quis ordinis loco judicabatur, quem antea munus functi ſimilibus erant conſequuti, indignus item & ſuperioris erat, *l.* 7. §. *ult. D. de interd. & relegat.* Haec obiter & παρέργως. Sic autem, ut deduximus, legiſlatio de Decurionibus ſe habuit, & in eo reſcripto, quod ultimum protulimus, conquievit. Manifeſtum eſt igitur, quam difficile fuerit Decurionibus in ordinem ſplendidiſſimum aſcendere: a quibus nati ſi patrum originem ſequentes, *conſt.* 14. 89. 98. 101. 172. *&* 178. *C. Theod. de decurion.* curiae nexibus ſorte nativitatis obligabantur, ſicut leges, quae patria parentes non concedebant excedere, *conſt.* 122. *&* 123. §. *ſuper filiis. l. in filiis* 35. *C. Juſt. eod.* filios a muneribus curiae non liberabant. Quiſque jam oculis cernit, a quot moleſtiis filius Decurionis exemptus fuerit, a quot oneribus liberatus, quantaſque commoditates ſenſerit, qui de tribus liberis Decurionis ab eo Senatui oblatus, ab ordine orbis inclyti ampliſſimo, in curia maxima complexibus exceptus, & honoratus fuit: quamvis hoc Juſtinianus antiquarit, *l. ult. verſic. Qualis erat. C. eod.* ab interpretibus ſuis non ſatis explicatus. Sed ſi haec ita ſe habent, idem lividi noſtris auribus inculcabunt, quod alibi diximus: Si unus filiorum Senator creari poteſt, quid ad Decurionem patrem liberorum trium? Eſt autem mortalibus innata cupiditas altum ſapiendi, & gloriae aucupandae, quam ſi quis pater eſt, qui filium inter purpuratos in ſupremis ſubſelliis cernat, & ſplendorem ordinis intentis oculis contempletur, omnibus bonorum praemiis facile filii honorem anteponat: quod proſpicientes

tes Caeſarea, in reſcripto, non de filio, ſed de patre dixerunt, *Si quis curialis*, &c. et Jus liberorum inde patribus diximus, de quo haec ſatis ſint: jam ad matres vultum & faciem convertamus.

CAPUT XXIV.

De Jure trium matribusfam. data, & earum ornamentis.

MAtres autem, ſicut & patres, ob liberos favores ſentiunt, de quibus ſecuturus eſt ſermo, ut initio polliciti ſumus. Cum enim exemplo Cyri ſolerent Perſarum reges urbem aliquam ingreſſuri, in ſingulas ejus mulieres ſingulos aureos erogare, quo ad liberorum ſtudium excitarent, Auguſtus Caeſar eorum largitionem imitatus, Italiae regiones recognoſcens, ſingulis e plebe liberos oſtentantibus, ſingula nummorum millia viritim, & in ſingulos diſtribuit, Sueton. *in Aug. cap.* 46. ampliore multo donativo, quam Alexander Macedo, qui cum mulieribus ſingulis dari ſingulos nummos juſſiſſet, praegnantibus binos dedit. Sed in alio ſenſiſſe liberorum gratiam ante Auguſtum matres reperio, vel ab eo tempore, quo C. Julius Caeſar *lecticarum uſum, item conchyliatae veſtis, & margaritarum, niſi certis perſonis & aetatibus, perque certos dies, ademit*, Sueton. *in ejus vita cap.* 43. adeo ut prohiberentur mulieres, quae quadraginta quinque annos natae non eſſent, neque viros neque liberos haberent, margaritis, purpura, & lecticis uti, ſi quid Euſebio Chronographo fidei damus. Neſcio tamen an gemmae & lapilli, ſicut margaritae prohibitae fuerint, cum diverſae materiae ſint Servio, *l.* 19. *§. ult. l.* 25. *§. ult. D. de auro & arg. leg.* aeque vero nomine ornamentorum contineantur. Equidem pro certo apud me eſt, auri uſu mulieribus non prohibito, fraudum omnium conſcias foeminas ornamentis muliebribus margaritis contexuiſſe, ita ut in his aſpectus auri potentior eſſet, & auro facto cederent & annumerarentur, *l.* 19. *§. perveniam* 13. *l.* 32. *§.* 1. *eod.* In quo fraudem legi facit principale, cui acceſſio, etſi pretioſior multo, ex juris ratione cedit. At tanto magis in hac ſpecie Jus liberorum foeminae cupierunt, quanto plus in corporis quam in animi dotibus poſuerunt, ut hodie quoque ponunt, ornamenti. Proh Dei atque hominum fidem, ſi tot peccatis inquinata ſecula nunquam circumvoluta fuiſſent, luxuriam ad poſteros non tuliſſet rerum viciſſitudo! Jam in animis accenſa eſt, quae gloria erat foeminarum, referente Plinio, *lib.* 9. *cap.* 35. *binos ac ternos uniones auribus ſuſpendere. Nec in aliam corporis partem foeminae magis, quam in aures impendunt, margaritis*, ait ille *lib.* 11. *cap.* 36. *Hiſt. Nat dependentibus:* quas orbiculatas proceriores, margaritas elenchos Scaevola de inauribus legatis conſultus intellexit, *d. l.* 32. *§. penult. D. de auro & arg. leg.* id eſt, de cellulis, quibus margaritae, elenchi & ſmaragdi incluſi in auribus penderent. Ambroſ. *de Abrahamo patriarch.* 1. *cap.* 9. Margaritarum ſane uſus in foeminis antiquiſſimus fuit, ut Valerius opinatur, at a Cajo Caeſare legis cancellis circumſeptus. De purpura, cujus ad Varronem totam rationem explicui, ſcitum eſt in Veturiae matris Coriolani, & Volumniae uxoris gratiam matronis omnibus uſum purpurae indiſcriminatim conceſſum: & in hoc nihil ambigui eſt. De lecticis unum ſcio, militarem, cujus meminit Q. Curtius *lib* 7. *cap.* 6. quando nihil ad mulieres pertinuit, prohibitione non contentam fuiſſe, quamvis lucubratoria lectica * & muliebris ſella continerentur. Communiter lectica Imperatores †, Conſulares & nobiliores viri & mulieres utebantur: ſed & illa muliebri ſella (ſi eadem ſunt, quae diverſa innuit Sueton. ex Claudii edicto *in ej. vita cap.* 25.) qua *matremfamilias lecticarii portabant*, *l. item legato* 49. *pr. D. de leg.* 3. & Sueton. *Oth. cap.* 6. abditus Otho propere in caſtra dicitur contendiſſe. Senſerunt igitur matres ornamentis decoratae, & veſtimentis ornatae, lecticarum uſu permiſſo, liberorum gratiam: adeo ut paſſim ad probroſas uſque foeminas (ob liberos exaudi; fuit enim alias vetitum) uſus purpurae, margaritarum & lecticae pervenerit, quas tamen a matronalibus decoramentis coërcuit Domitianus, Sueton. *Domit. cap.* 8. Verum hanc ſufficeret, an ter mulierem peperiſſe oportuerit, defectus teſtimonii pro certo affirmare non poſſum: conjecturam duntaxat habeo, quam ex Auguſto Dionis & Xiphilini, Catanaeus ad Plinium *epiſt. lib.* 2. prodidit. Hoc unum inter nos minime conſtat, quod ob Jus liberorum matres honoribus & privilegiis donatas ait, a quibus ſteriles arcebantur; cum enim *foeminis corporalia munera ſexus ipſe denegat*, *l.* 3. *§.* 3. *D. de muner. & hon.* remotaeque foeminae ſint ab omnibus officiis civilibus & publicis, quibus eas fungi iniquum eſſe fertur Senatuſconſulto, *l.* 2. *D. ad Senatuſc. Vellejan.* non video in Republ. Romanorum foeminas honores adeptas fuiſſe, quamvis oneribus patrimonii functas nulla dubitatio ſit, *l.* 1. *C. de mulier. in quo. l. patrimon.* 9. *C. de muner. patrim* Sed fortaſſe voluit ille, ne in aliena cauſa temere judicemus, matribus honores tributos dicere, ob honeſtiorem cultum & matronalem ornatum, qui prolifcris Jure natorum conceſſus, aut certe non vetitus fuit: & honores illos, privilegia quoque intelligit & nuncupat; & recte! quamvis Pontificales (Cardin *cap. privilegia* 3. *diſtinct* 3. Sebaſt. Derr. *in Juriſprud.*) ab ſcripto juris beneficio, privilegii nomen avocent, adverſus Latinum Juriſprudentium ſermonem, *tit. D. de privileg. credit.* nullo argumento, nullo ſigno, poſtquam Papinianus, *l.* 8. *§.* 2. *D. de vacat. muner.* dicit, *Vacationem privilegia*, &c. *l.* 1. & 7. *C. Th. de leg. haered.*

* Sueton. *Auguſt. cap.* 78. † Dio *lib.* 60.

CAPUT. XXV.

De matris patronae Jure trium ex lege Papia.

FUit item & caſus, quo tres filii matri patronae proderant, ſi libertini generis ipſa fuiſſet ex lege Papia Poppaea: de qua ſic habet Ulpianus, *Epit. tit.* 29. *§.* 6. *Lex Papia patronae ingenuae duobus liberis honoratae, libertinae tribus, id juris dedit, quod patronus habet ex edicto.* Ubi libertinam intelligo, non illam, cujus aliquando majores ſervi erant, ad differentiam gentilium ita dictam, ſed ipſam illam ex juſta ſervitute manumiſſam, *l.* 6. *D. de ſtatu homin.* ut ab ingenua diſcriminatur, quae ſi de ſervis ſibi libertos feciſſet, id juris ei in eorum bonis erat ex lege, quod patrono ex edicto. Sed quid illud, quale, quantumque fuerit, cum Jus duorum ingenuae patronae explicaremus, *ſupra cap.* 14. prodita fuere omnia, quae judicavimus neceſſario ad rem pertinere: quorum huc non incommoda tranſlatio cum aequam utilitatem afferat, labori ſuperſedebo, locum curſim contentus indicaſſe.

CAPUT XXVI.

De Jure trium filiabus patroni & patronae liberis competente, Caji explanata ſententia.

OBſervata quoque ex eadem lege Papia ſpecies fuit, cum liberi patroni virilis ſexus eadem jura in bonis libertorum parentum ſuorum haberent, quae & ipſe patronus, ſive hi filii, ſive nepotes eſſent, ſive in poteſtate parentis, ſive emancipati, ſive haeredes, ſive ab haereditate abſtinentes. Quod ſi eſt, ut Juriſprudentes, *l. jura* 4. *l. filii* 9. *l. Divi* 17. *D. de jure patron.* retulerunt, fortaſſe lege Papia, quae juri patronorum attulit incrementum, filii pa-

tronorum commodum auctae legitimae portionis in bonis liberti ſenſerunt: quae miror tacitum Tribonianum praeteriiſſe. Porro filiae *patronorum ex lege* XII. *Tabularum perinde jus habent atque maſculi patronorum liberi:* id eſt, quo caſu patronus ex XII liberto ſine ſuis inteſtato ſuccederet, deficiente patrono, vicem ejus filia tenebat, liberto patris ſucceſſura: & nihil quicquam minus habebat juris in liberti bonis, quam ſi filius extitiſſet, ex mente legis & per conſequentiam. Unum hic tractari potuit, an filiabus jus etiam cum filiis & fratribus fuiſſet, in quo nihil diſcriminis ponendum videtur. Verum ex edicto contra tabulas teſtamenti liberti, aut ab inteſtato contra ſuos haeredes non naturales, bonorum poſſeſſio foeminis non competit: *Sed ſi Jus trium liberorum habuerint, etiam haec jura ex lege Papia Poppaea naniſcuntur*, ut ex Ulpiani *fragmentis Epit. tit.* 29. §. 5. comperimus. Ita *liberi patroni quamquam in pleriſque cauſis*, inquit Modeſtinus, *l.* 8. *D. de aſſign. libert. manumiſſoris jure cenſentur*, id eſt, utuntur, non tamen aeque placentes juri publico fuerunt, quod diſſimiliter eis favet, & non ſimiliter eorum ſtudia amplectitur, ſine lege Papia Jus patronorum augente: quae ad filias quoque patronorum ſe gratioſe & favorabiliter convertit, ſi ante ex uſu forenſi, non perinde foeminis ac maſculis edicti beneficio ſuccurrebatur. Sed Jus trium liberorum in foeminis patronorum filiabus, caput illud legis deſiderat: quod quidam impetratitium exaudient requiri, ſed nunquam ante legem Papiam Jus liberorum oratum fuiſſe putem, & adfirmare auſim. In eo ſubſiſti poteſt, quod diximus, an lex Papia, quo capite Jus patronorum auxit, filiis maſculis profuerit, ſicut & foeminis favit; qua de re veſtigium nullum, aut argumentum reperio: alii dubitationem tollant, antiquitatem ſi cordi eſt e tenebris eruere. Equidem, ut mea fert opinio, & Juſtinianus *in orationibus ad Digeſta* ſignificat, ſententias virorum prudentum ad ſectam & mores ſuorum temporum Concinnatores in libris civilibus, maximeque in quaeſtione de libertorum bonis interpolarunt, legis Papiae, non ſine ingeniorum & ſtudiorum magno malo, praeterito jure, & nulla facta mentione: in quo neſcius conſilii, quod illorum in animis fuit, ſi quid erratum & peccatum eſt, id obſervaſſe magis, quam reprehendiſſe hoc loco videri volo. Eadem vero, quae de patroni liberis dicta ſunt, de liberis patronae dicenda fuiſſe videbuntur, vel ex eo, quod Jus patronatus legitimo jure, *l. ſatis conſtat.* 22. *D. de jure patron.* in liberos transferat patrona mater & Paulus dicat, *l.* 18. *D. de bon. libert. Patronae quidem liberi etiam vulgo quaeſiti, accipient materni liberti bonorum poſſeſſionem: patroni autem, non niſi jure quaeſiti.* Sed quoniam manumiſſoris liberi non in omnibus ipſi patrono aſſimilantur, ſicut de filia ſine Jure liberorum obſervandus eſt caſus ad Modeſtinum, *d. l.* 8. *D. de aſſign. libert.* liberi patronae, jure, quod mater in bonis manumiſſi haberet, uti non poterunt, niſi Jure trium liberorum ingenua mater fuiſſet decorata; quod extremum verſum *in Inſtitutionibus* Ulpiani claudit: & ut ex omni parte depravatus miſerrime libellus ille, & foediſſime corruptus eſt, mendum ſubeſſe, qui verba ſuperiora cum illis commiſerit, verebitur: aut, quod magis probo, caſum hunc ad Modeſtinum referet, quo liberi matris, quae manumiſit, jure minime ſemper utuntur. Itaque differentia inter patroni & patronae liberos, quae fuerit, anacephalaeoſi comprehendenda eſt: ut dicamus ex illis, maſculis jus integrum in libertorum paternorum bona omni caſu fuiſſe, & foeminis ſi Jus trium natorum habuiſſent: liberis vero patronae, nec maſculis nec foeminis Jure liberorum opus fuit unquam, ſi a matre Jus patronatus habuerunt: oportuit autem, ſi frui illo & gaudere voluerunt, Jure trium liberorum honoratam matrem ingenuamque fuiſſe, ex lege Papia, Ulpiano referente. At inde quis non colligit Caji prudentis illa verba, *l.* 22. *D. de jur. patron. Satis conſtat, etiamſi in poteſtate ſit parentis filius patronae, nihilominus legitimo jure ad eum pertinere haereditatem*, non ſic ab eo ſcripta, non ſic ab eo ſenſa fuiſſe? quibus ſignificatur generaliter & ſine diſtinctione, ſicut patronae liberis officium, *l.* 1. *D. illo tit.* & animi grati ſignificatio a liberto debetur, ita & liberti haereditas ex jure conſtituto illis legitime obvenit. Quod tamen olim jam olim non fuit, niſi mater patrona tribus liberis cohoneſtata fuiſſet, ex legis Papiae praeſcripto, quae poſt jus praetorium noviſſime rogata eſt, & viguit. Itaque memoria ejus deleta a libris & monumentis juris civilis, non ſatis ſcio, voluerintne Concinnatores juri Juſtinianeo quam maxime ſententias virorum prudentium accommodare: cum jus antiquum legesque veteres uſu judiciorum & Urbis approbatione florentes, qualis erat Papia, juſſerit Juſtinianus *Digeſt. conſtit.* 1. in Pandectarum opus transferri. Unum ſcio, quo tempori ſervirent, deformatas a Triboniano & ſociis veterum omnes pene ſententias fuiſſe: quas ſi reviviſcentes oculis autores cernerent, aut non internoſcerent, aut ſubinde illud efferretur, HEI MI QUALIS ERAT, nihilo tamen minus antiquitatis & autorum dignitatis habitam, a ſe rationem Juſtininianus *Digeſt. conſtit.* 3. videri voluit, in quem & ſuos invectivae, proprios libros exigunt.

CAPUT XXVII.

De materno Jure trium in filiorum ſucceſſione, deque Senatusconſulto Tertulliano, Jure manumiſſorum parentum, & bonorum poſſeſſione. Unde x. perſonae, *variis Diocletiani, Theodoſii & Juſtiniani, Ulpiani, Modeſtini, Paulique placitis luci priſtinae reſtitutis.*

VEteres ad puerperium diſcrimenque ſalutis, in quo mater liberorum cauſa verſatur, ubi ſemel reſpexerunt, praerogativam illi tribuerunt, immunitates praeſtiterunt, variaque variis caſibus privilegia conceſſerunt: quaedam ex iis enarrata ſunt: de reliquis videamus. Ulpianus *Epit. tit.* 26. §. 8. ait: *Inteſtati filii haereditas ad matrem ex lege* XII. *Tabularum non pertinet: ſed ſi Jus liberorum habet ingenua trium, libertina quatuor, legitima haeres fit ex Senatusconſulto Tertulliano.* Inteſtatorum ingenuorum haereditates pertinent primum ad ſuos haeredes, id eſt, liberos, qui in poteſtate, caeterosque, qui in eorum loco ſunt: ſi ſui non ſunt, ad conſanguineos, id eſt, fratres (§. 10. *l.* 1. *D. de ſuis & leg. haered.*) & ſorores ex eodem patre: ſi nec hi ſunt, ad reliquos agnatos proximos, *l.* 2. §. 1. *D. eod.* id eſt, cognatos virilis ſexus, per mares deſcendentes, ejusdem familiae, inquit Ulpianus. Sic enim lex XII. habet, *Si inteſtatus moritur, cui ſuus haeres nec extabit, agnatus proximus familiam habeto.* Ita jure civili, ſcilicet XII. Tabul. aut ejus forenſi recepta interpretatione, cum nihil filiifamilias habere poſſe viderentur, nihil de ſucceſſoribus eorum cautum fuit. Quod ſi de manu filii emiſſi fuiſſent, lex, ut neque omnia cogitaſſe potuit, de parentibus nihil caverat. Itaque poſt varia diſcrimina, ſicut autorem novae legis nova neceſſitas implorat, Claudius Caeſar edictum propoſuit, ex quo *in ſolatium liberorum amiſſorum, matres eorum legitimam haereditatem obtinuerunt*, ſi vera de eo retulit Tribonianus, §. 1. *Inſt. de SCto Tert.* Deinde ut liberis honoratiores foeminae pluribus commodis donarentur, quam eae, quae ſterileſcentes inveteraſcerent, de his, Tertullo & Sacerdote Conſſ. Imperator Caeſar Antoninus Pius maximusque princeps propoſuit, libello complexus, quid fieri placeret, D. Q. E. R. I. C. Patres, ingenuae ſcilicet

ma-

Digitized by Google

matri, ſi Jus trium liberorum habuiſſet, libertinae ſi quatuor, filiorum ſucceſſionem, non etiam aviae, transferendam: quod ex Conſulis Tertulli nomine ad Antoninum ab Adriano revoco, licet per conniventiam illi Triumviri Senatusconſultum Tertullianum tribuerint, §. 2. *Inſt. eod.* Id porro certi juris fuit in matre, quae civis Romana & nata & alta eſt, item & in ea, quae manumiſſione cum majore libertate civitatem adepta eſt, dummodo illa ter, haec quater vivos & pleni temporis liberos peperiſſent. At ſubſiſti potuit in matre Latina ingenua Jus Quiritum conſecuta, quis numerus liberorum exigeretur, inde mota dubitatione, quod ipſa Latinorum libertorum filia, generis libertini maculam retineret, videreturque ipſamet libertina, cujus majores ſervitutem ſervierant ex veteri Libertinorum acceptione, cujus in ſuperioribus fuit autor Suetonius: nihilo tamen minus illi ingenuae natae trinus partus ſufficit: *non eſt enim manu emiſſa*, inquit Paulus *lib. 4. Senten. tit.* 9. §. 8. ideoque ut a libertina liberi quatuor ab ea non exiguntur: quae ab Ulpiani verbis more ſuo reſcidit Tribonianus ibi, *pr. l. 2. D. illo tit. Sive ingenua ſit mater, ſive libertina, habebit Tertulliani commodum.* Plane matri Jus antiquum nihil deferebat, §. *liberi 6. d. l. 2. & l. 5. D. eod. l. 4. C. ad Senatusconſ. Orfit l. 3. C. Th. de leg. haered.* filioque defuncto, tam virilis ſexus quam foeminini, tam naturales quam adoptivi, tam ſui quam emancipati, ſi ſupereſſent liberi, ex lege XII. Tabul. matri obſtabant: *ita demum autem a Senatusconſulti beneficio excludebant, ſi legitimam haereditatem adiiſſent*: § *ita demum* 14. *l. 2. ad SC. Tert.* omittentibus enim illis, mater ex Tertulliano admittebatur Praeterea pater defuncti objiciebatur matri, ſive haeres, ſive bonorum poſſeſſor exiſteret, §. *objiciatur* 15. *l. 2. D. eod.* ſi naturalis, non etiam adoptivus fuiſſet, *l. 3. eod.* quod in avo & proavo non receptum arguunt Ulpiani verba §. 15. *l. 2. D. eod. Sed neque avus nec proavus in Tertulliano matri nocent, quamvis fiduciam contraxerint*, id eſt, quamvis nepotes aut pronepotes e manu trina venditione ſecundum legem emiſſuri, cum emptore avus aut proavus de remancipando mancipato convenerint, quo ſibi ipſis jus ſucceſſionis manumiſſorum acquirerent (ſic enim contractam fiduciam eruditis jam cognitum eſt, & curioſis omnibus edito libro ſingulari *de Fiducia* planum faciam) nihilo magis praetextu juris, quod manumiſſione ſibi comparare rati ſunt, avus & proavus in ſpecie Tertulliani Senatusconſulti matri nocent, inquit ille. Cur vero de patre & avo tam varia, non ab re fuerit rationem disquiſiſſe: ſi per methodicos hic omnia licent, aut decent. Jure conſtituto moerens pater, ordine mortalitatis perturbato, haeres filio, niſi emancipato, nunquam fuit. Qui enim erant in poteſtate parentum, non teſtabantur, quia nihil ſuum haberent, de quo teſtari poſſent, inquit Ulpianus, *tit. 20. de teſtam. l. 6. D. qui teſtam. facere poſſ.* Sueton. *Tiber. cap.* 15. unde colliget quidam Paradoxon, filiofamilias hodie teſtari licere, qui tam adventitia, quam quaſi caſtrenſia ſibi ipſi habeat. Caſtrenſia vero & olim habuit, quae patri non quaſi haereditas, ſed quaſi peculium, *l. 2. D. de caſtr. pec.* filio inteſtato defuncto deferrentur: & in illis pater obſtabat matri, *l. ult. D. ad Senatuſc. Tertul.* Cum itaque filiusfamilias omni ſibi pater ſuo jure vindicaret, non habuit eo caſu ſucceſſorem, neque alium, neque patrem: idemque dicendum in pronepote & nepote, ne proavum, aut avum haeredes habuerint. E diverſo filius, emancipatus manu emiſſione, *a parente beneficium habuit bonorum quaerendorum*, *l. 1. D. ſi a par. quis fuer.* unde vulgari forma toties ſub conditione emancipationis filiosfamilias haeredes inſtitutos legimus, ne patri quidpiam ex inſtitutione acquireretur, *l. 44. D. de haered. inſt. ll.* 68. 75. 90. 91. *D. de condit. & demonſt. l. 8. D. unde lib. l. 3. C. de cond. inſtitut. l. filiusf.* 114. §. 7. *D. de legat.* 1. *l. 21. D. de tut. & cur. dat. ab his. l. ita tamen* 27. §. *qui rogatus* 12. *D. ad Trebell.* Plin. *Epiſt. lib. 4. Ep. 2.* Hic operae pretium eſt mirari Jurisprudentium ſubtilem perſpicaciam. Filium enim pater emancipabat vel contracta fiducia, id eſt, poſt trinam venditionem manumiſſurus, recipiens illum ab emptore remancipatum; vel ſimpliciter ſineque fiducia, emptore ſcilicet imaginario illum e manu miſſuro. Illo caſu teſtamentum filius aut fecerat, aut minus. In priore, ſi pietatis oblitus, patrem aut exhaeredaverat, aut praeterierat, in arbitrio parentis erat querelam inofficioſi inſtituere, *l. pater* 14. *& ſeq. D. de inoffic. teſt.* aut ſi maluiſſet praeteritus, adverſus filii tabulas totorum bonorum conſtitutaeve partis poſſeſſionem petere, *l. 1. & 3. D. ſi a par. quis man. l.* 16. *D. de inoffic. teſt.* quam exemplo patroni manumiſſionis jure accepiſſet. Quod ſi filius ſine teſtamento deceſſiſſet, inſtar patroni ad patrem manumiſſorem filii inteſtati legitima haereditas perveniebat, matre defuncti ſubmota, ut cenſuit Modeſtinus, *l. 10. D. de ſuis & leg. haered.* Ita ex ordine legitimorum, interpretatione prudentum ad legem XII. de liberti ſucceſſione, aſſimulatus patrono parens manumiſſor, ſuccedendi filio emancipato jus habuit, §. *ult Inſt. de leg. agn. ſucceſſ.* Unde enucleatur Conſtitutio Dioclet. & Maximian. *l. 2. C. ad ſenatuſc. Tertull. In ſucceſſione filii vel filiae communis ſine liberis, & fratribus, & ſororibus morientis, pater manumiſſor, quia ei ſit vetus jus ſervatum, matri praefertur.* Haereditas enim ad patrem ex veteri Jure pertinet ab inteſtato, quod manumiſerit defunctum, ut Cajus *l. 1. & 3. D. de petit. haered.* eleganter probat. Dicitur autem Jus vetus a Caeſaribus, quod Jus antiquum Ulpiano, pro eo, quod prudentum interpretatio in hac quaeſtione, ad jus XII. Tabularum introduxit. Nec muto ſententiam, aut nuto in expoſitione mea, ob haec Ulpiani verba, *l. 1. § 6. D. ſi a par. quis manum. ſit. Patrem autem accepta contra tabulas bonorum poſſeſſione, & Jus antiquum, quod & ſine manumiſſione habebat, poſſe ſibi defendere, Julianus ſcripſit: nec enim nocere debet ei, quod Jura patronatus habeat, cum ſit & pater.* Quae, ut eſt in Hervagianis, copula transpoſita, patri ſine manumiſſione Jus antiquum ſucceſſionis innuunt. Verum & libri excuſſi & ſcripti vacui mendo ſic habent, *& Jus antiquum & quod ſine*: eo ſenſu, ut pater accepta bonorum poſſeſſione contra tabulas, & Jus antiquum ex manumiſſione per illam tueatur, & nihilominus ex alio capite (nempe legitimorum) integrum ſibi jus ſervet: quod ſcilicet invenit, vel potius detexit edicto Praetor, ut pater jure patrio & non manumiſſoris, filio poſſit ſuccedere, *d. l. 10. D. de ſuis & leg.* De illoque videamus. Cum pater filium ſimpliciter, ſineque fiduciae contractu emancipaverat, & imaginarius emptor manumiſerat, quaeſtionis eſſe potuit, hicne Jus patronatus haberet, vel ex eo ad ſimilitudinem patroni manumiſſo ſuccederet, an pater naturalis. Theophilus anteceſſor §. *ſunt autem* 3. *Inſt. de bon. poſſ.* ſcribit, fuiſſe tempus, quo jura legitimae ſucceſſionis, propter libertatis dationem, ad ſimilitudinem patroni extraneus manumiſſor liberi capitis haberet, qui, ſi contigiſſet manumiſſum inteſtato decedere, cognatis omnibus praeferebatur. Sed, ut ego puto, cum imaginaria emptio pro non facta ſit, *l. nuda* 55. *D. de contr. empt.* qua nec res alienata videtur, imaginarius emptor in emancipatione, pro non emptore habendus & exiſtimandus fuit, filiusque illi mancipatus, pro non alienato: adeo ne potuerit emptor in filium, de quo manumittendo cum patre convenerat, jactanter ſe beneficum praedicare, itaque nec conſequi jura ſucceſſionis legitimae. Inde Praetor bonorum poſſeſſionem UNDE X. PERSONAE edicto propoſuit, quae manumiſſori extraneo, in ſucceſſione emancipati defuncti ab inteſtato anteirent. Hac vero fuerunt omnes usque ad ſecundum gradum filius, filia, nepos, neptis, fi-

ve ex filio, ſive ex filia, pater, mater, avus, avia, ſive paterni, ſive materni, & frater & ſoror, quibus exceptis manumiſſori extraneo locus in ſucceſſione fuit. Plane haec neceſſe habui dicere cum Theophilo, quamvis in oſu communi minime verſentur, ut colligamus, quomodo ſine manumiſſione jus fuerit *patri naturali adverſus teſtamentum filii, in adoptionem dati, de inofficioſo agere*, quod Martianus *l. adverſus* 30. *D. de inoffic. teſt.* ſcriptum reliquit: item ut aperiamus ſtudioſis juris & juſtitiae, ſine manumiſſione quid pater juris habuerit in petenda contra filii tabulas, vel ab inteſtato, ut legitimus Unde x. perſonae, bonorum poſſeſſione, cujus meminerunt Ulpianus *d. l. 1. D. ſi a par.* & Modeſtinus in loco non nimium peregrino, ut loquuntur noſtri, at commentariis incognito, *l. 10. D. de ſuis & leg. haer.* illorum vero in exponenda voluntate, Gloſſularii magiſter & diſcipulus implicati, tanquam in ſalebris haeſerunt. Hic obiter ponendum eſt, ſi filius patri adgnatus & proximus eſt (ut quidam inſcienter & impudenter contendunt) proculdubio pater quoque filio agnatus erit: quod ſi eſt, quid opus fuit Prudentibus ad leges XII. exemplo patroni, Jus manumiſſoris patris in filii ma numiſſi bonis tam ſubtiliter excogitare? quid practo ri jus patrium, ſi extraneus manumiſiſſet, invenire, qui ut agnatus ex lege XII. vocatus ſuccederet? Reſtituatur itaque priſtino nitori honorique ſuo Modeſtini ſententia, *l. 12. praed. tit. Filius patri adgnatus proximus non eſt*, & negatio temere ab Hervagianis & ab aliis deſciſcens, redeat jam in locum ſuum! pro quo tam viriliter ante nos Alciatus magnus, & elegans Hotomanus inſudarunt, ille *Parergon tertio cap. penult.* hic *libro primo de gradibus cognationum.* Sed ut ad rem redeamus: *ſi non ſuus haeres pater eſt, quo jure haeres erit, qui ſine dubio non eſt agnatus?* in ſimili quaerit Papinianus, *l. ſcripto 7. D. ſi tab. teſt. nul. ext* equidem ſi quid ſentiam indicandum: habet juris indulgentiam pater, cum ſi bonorum poſſeſſionem accipiat, *mater defuncti ſubmovebitur*, inquit Modeſtinus, ſive Jus liberorum habuerit, ſive non habuerit; quoniam in patre manumiſſionis jure filio proprio ſuccedente, nulla ſanguinu miſeratio matrem admitrit, ſed Jus illud vetus Diocletiano, & antiquum Ulpiano, quo patrono parens exaequatus fuit: item in patre non manumiſſore excluſionis ratio eſt, quod edictum Unde x. perſonae juri paterno priori loco, & citius quam materno faverit, ſic ut plus multo, quam mater, ſibi pater in filiis juris poſſit vindicare. Quae producta ſunt de patre & matre, ut ille, undecumque acceperit bonorum poſſeſſionem, ſive ut legitimus ex x. perſonis, ſive contra tabulas matri praeferatur, *d. §. objicitur 15. l. 2. D. ad SCtum Tert.* Contrarium autem diximus in caeteris manumiſſoribus enumeratis edicto, §. *praeferuntur 3. Inſt. eod.* avo ſcilicet, & proavo, quos ad bonorum poſſeſſionem Ulpianus *d. l. 1. D. ſi a parent. quis.* admittendos cenſuit: illud enim vitiatur matre ſuperſtite, quae faciet regulam perdere officium ſuum: & hujus varietatis diſquiſitio non excurſus aut exceſſus, ſed operis progreſſus, nec inutilis ſcitu videri debet. Juris ſiquidem novi nirandi profeſſores, qui lingua ſpirituque venali opibus conflandis tantum ſtudentes, venalitiariam colunt prudentiam (neſcio dixerim, an impudentiam) hinc promant neceſſe eſt Juſtinianeae conſtitutionis rationem & interpretationem de haeredibus ab inteſtato venientibus, §. *conſequens. & auth. Defuncto. C. ad SCtum Tertull.* ubi *diem functo ſine liberis filio, parentes, ſi ſoli ſunt, ſuccedant, ſalva gradus praerogativa:* ut mater, inquit Accurſius, avum paternum excludit, cum pater non ſuperſit. Sed quare conſtitutum illud noviſſe virtutis opus eſt? & ſi amputatio Triboniani & Concinnatorum libertatem ſentiendi de veterum autorum ſcriptis non eripuit, quid mihi videatur, indicabo. Plane Senatus, ampliſſimus ordo, foecunditatis laetitia mulieres frui deſiderans, quae fontes humani generis eſſe videntur, liberorum multitudine conceſſit matribus beneficium, quo etiam avis & proavis defunctorum filiorum, eorumdemque nepotum & pronepotum, in ſucceſſione praeferrentur: etiamſi avus aut proavus manumiſſores defunctorum jus ſucceſſionis ex contractu fiduciae manumiſſioni adhibito, praetendiſſent. Adeo ut illis potiores matres ſemper fuerint, niſi deficientis pater, cum avo aut proavo ſuperfuiſſet: qui ejuſdem gradus cum matre, illi ipſi objectus, avo manomiſſori defuncti jus ſuum conſervaret, ut Julio Paulo *l. 5. D. ad Senatuſc. Tertull.* viſum eſt prudentiſſime. Quod ſi avus aut proavus ſimpliciter nepotem aut pronepotem, ſineque fiducia emancipaſſent, in bonis ab illo, dum viveret, quaeſitis, mater vidua marito non tam ex Senatusconſulti Tertulliani beneficio, quam ex ratione proximitatis praelata fuit in edicto Unde x. *perſonae.* Praetor namque peritiſſimus juris civilis, noverat ex XII. Tabulis legitimam haereditatem proximis quibusque deferri, *l. 10. D. de grad. & affinib.* & illarum exemplo, bonorum poſſeſſionem proximo cuique dedit. Ita matrem, quae primo gradu filium contingit, praetulit avo, qui ſecundo, multoque magis proavo, qui tertio illi & pronepoti gradu fuit: Jure autem liberorum opus illi fuiſſe, cum ex edicto ſuccederet *Unde* x. nondum comperi. Ex quibus liquido apparet, cur gradus praerogativa ſalva ſit parentibus inter ſe, etiam in Juſtiniani lege novella. Sed non perinde foeliciter ac avo & proavo, adgnatis defuncto filio fratribus ſeſe mater oppoſuit, quae ab illis excluſa fuit, poſt legis verba, *l. pronuntiatio 195. §. 1. D. de verbor. ſign. Adgnatus proximus familiam habeto:* idque malo Ulpiani, quam meis verbis referre, ubi ſic habet, *d. l. 2. §. 17. D. ad Senatusconſult. Tertull. Si ſit adgnatus defuncti, & naturalis pater in adoptiva familia ſit, & mater, matrem non admittimus: quoniam patrem agnatus excludit.* Agnatus enim proximus haereditatem ex lege conſequitur: ſed pater matrem, ut ſupra explicuimus, excludit: ergo & frater matrem, ſi conſanguineus ſit; puta etiam ex diverſis matribus: is enim in bonis defuncti fratris defunctaeve ſororis, matri ex diametro objicitur, ſicut in juris elementis Triumviri retulerunt *d. §. praeferuntur 3. Inſt. eod.* quorum ſi mentem Ulpiani verbis committas, qualia vulgo circumferuntur, peccatum hominum ſciolorum comprehendes, qui cuncta, quae non intelligunt, in emendandis autoribus delent: ego gloſſographum e veſtigio ſecutus, excidiſſe negationem ab orationis & rationis ſtylo, in codicibus omnibus, quos excuſſos videre licuit, graviter moleſteque tuli. Quae vero de fratribus conſanguineis, ex eodem ſanguine patris unius connexis & generatis diximus, ad adoptivos ita Julius Paulus *l. 7. D. ad Senatuſc. Tertull.* trahit: *Si quis inteſtatus deceſſerit, relicta matre, & fratre conſanguineo, vel ſorore, quamvis per adrogationem quaeſitis, eadem jura in perſona matris ſervantur, quae & naturalibus extantibus liberis.* Adoptio enim jus adgnationis familiam novam ingreſſis attulit, *l. 23. D. de adopt. l. 2. §. ult. D. de ſuis & leg. haered. l. 2. C. Th. de leg. haered.* ut jura ſucceſſionis legitimae non ſolum habuerint naturales, verum etiam adoptivi, ex jure conſanguinitatis cum his, qui in familia ſunt, contracto. Sed non idem jus in ſorore, ſive naturali, ſive adoptiva, ac in fratre ſervatum, magiſtra lectione didici, licet ſine differentia pereque verba Prudentis referuntur. Obfuit enim matri cum fratre defuncti ſoror, eo jure, ut nihil quicquam ad matrem pervenerit, ſi quid Triumviris credimus, *d. §. praeferuntur 3. in extrem.* Quod ſi ſorores ſine fratre ſuperfuiſſent diem functo fratri, functaeve ſorori, adhuc matris liberae ſucceſſioni ſaltem ex parte obſtiterunt. Fratre namque mortuo virilem tantum mater ob Jus liberorum & ex Senatusconſulto cum filiabus obtinuit,

Digitized by Google

nuit, ſicut Auguſtale reſcriptum ad Florum P. P. interpretari nobis placet, *l. foeminae* 3. §. *illud* 1. *de ſecund. nupt. C. Th. & Juſtin.* Diem vero functa ſorore, eademque filia, mater aequa lance cum ſororibus ſuperſtitibus diviſit haereditatem, dimidiam ſcilicet percipiens, altera ſororibus inter eas diſpertienda. Utrobique vero mater Jure liberorum plenum dominium rerum, quae ſibi in dimidiam obtigiſſent, conſecuta eſt, niſi ſecundo nupſiſſet: quo caſu illa, quae ab ipſo defuncto, ipſave defuncta quaeſita eſſent, pleno jure habitura mater, eorum, quae eisdem liberis a parte obveniſſent, uſumfructum duntaxat habuit. Proprietas vero ad ſuperſtites defunctorum ſorores rediit, quas Theodoſius & Valentinianus *l. 8. C. Th. de legit. haer.* ſub illis verbis ad Senatum Urbis Rom. intelligebant, *Proprietatem fratribus transmiſſura defuncti*; neque enim novum fuit ſorores fratrum appellatione exaudiri, *l. tres fratres* 35. *D. de pact.* Quod ubi Concinnatores juris novi non perceperunt, tranſlatum fuit in Codicem *conſtitutionum lib. 6. l. 5. C. ad Senatuſconſ. Tertull. Proprietatem & ſororibus & fratribus transmiſſura defuncti.* Id porro tranſcriptum ita non niſi ab oblitis & immemoribus fuit, cum *in Inſtitutionibus* relatum ex veteri jure legamus, *d. §. praeferuntur* 3. *Theoph.* extante aut cum, aut ſine ſororibus fratre, matris nullum eſſe ob liberos Tertulliani beneficium. At ſi verum id fuit; quo jure potuit mater ex filio, cui fratres ſupereſſent, ea conſequi, quorum proprietas ad alios ſe mortua pertineret? Fortaſſe Concinnatores quam juris antiqui veſtigiis inſiſtere, novo juri, ut alibi ſaepe diximus, ſubſervire maluerunt: in quo reverentiam illam, qua ſe majores coluiſſe Juſtinianus videri vult (quin rideant ſtudioſi) nihil impedio. Haec de fratribus & ſororibus oſitata fuere. Sed ſi Maſſilienſium exemplo, cujus Valerius *lib.* 11. *cap.* 6. *ex.* 7. meminit, vel in minimis quibusque rebus, omnia antiquae conſuetudinis monimenta obſervanda ſunt, non fuit frater emancipatus ſilentio praetereundus, cujus, quoniam agnationis jura emancipatione, *l.* 3. *de cap. minutis.* & capitis diminutione amiſiſſet, nulla ratio habebatur in fratris defuncti ſucceſſione, & qui ſi a patre communi nunquam emancipatus fuiſſet, matri penitus obſtitiſſet, ab ea omnino excludebatur. Ejus miſerti Theodoſius & Valentinianus, *l. 7. C. Th. de leg. haered.* neglecta agnationis ſublatae ſtropha, tertia portione fraternae haereditatis matrem illi cedere edita lege voluerunt. Verumtamen an non & alii fuere, qui agnationis jure matri objicerentur? Ex conſtitutionibus principalibus ſecerni duos caſus reperio: alter eſt, quo mater Jus liberorum habuit; alter quo liberorum ſuffragio caruit. In Primo ſi patruus, patruive filius, filiive eorum uſque ad nepotes extitiſſent, ſimul illis omnibus, vel ſingulis de gradus ordine convenientibus, adgnati defuncti mater, filii ſucceſſionem occupans, ex SCto tertiam portionem haereditatis juſſa fuit concedere. In Poſteriore jus e converſo receptum & conſtitutum eſt, quo patruum adgnatosve in infinitum, occupata ſucceſſione defuncti, matri, quae Jure liberorum careret, tertiam haereditatis partem dare juſſos fuiſſe, Conſtantini ad Baſſum epiſtola novimus, *l.* 1. cui primum Valentinianus & Valens ad Auxonium, *l.* 2. & Theodoſius deinde cum Valentiniano ad Albinum *l. 3. C. Th. eod.* ſubſcripſerunt. Quae omnia filio morte naturali diem functo viguerunt. Superaddendi porro ſunt caſus, unus & item alter, de morte civili, & violenta, quorum ne mentio quidem eſt in libris civilibus, &, niſi prorſus fallor, eorum contemptus arrogationis vice fuit. Studioſis tamen, qui idem cum doctiſſimis quibusque ſeculi noſtri probant, ex illorum ſe moribus & modo componentes, juris veteris inveſtigatio non diſplicebit, cujus novo juri interpretando non utilis tantum, ſed neceſſaria cognitio eſt. Agedum ex Gratiani, Valentin. & Theodoſ. epiſtola *l. 8. C. Th. de bonis proſcr.* diſpiciamus de filio mortuo civiliter, deportato, & proſcripto! cui ſi liberi ſui, vel emancipati, item & nepotes, ſive ex filio, ſive ex filia ſupereſſent, ſemiſſem bonorum capiebat fiſcus, *d. ult.* §. 1. *C. de bon. proſcr.* reliquo inter liberos pro eorum jure aequaliter, aut minus diſpertiendo: ita tamen ne minus ſextante proſcriptus retineret, quo ſe ab extremae inopiae miſeriis & calamitatibus vindicaret. Quod ſi deportatus ſine liberis patrem aut matrem habuiſſet ſuperſtites, vel etiam utrumque, beſſem facultatum fiſcus uſurpabat, reſiduo triente inter parentes & proſcriptum filium aequaliter dividendo: adeo ut illi ſextans, & utrique parentum uncia bonorum cederet: ac hic foecunditatis privilegio fruituram matrem, tres liberos oportuit peperiſſe. Favor enim liberorum illam marito exaequavit, jusque par & conſimile tribuit: quae niſi Jus liberorum (trium intelligo, matribus familiariſſimum, etſi non diſtinguant AAA) habuiſſet, patri & marito unciam alteram habenti, ſemunciam mater ex ſua concedebat. Cum vero deportati alteruter duntaxat parentum ſupereſſet, ſextantem capiebat ex triente diviſo, cum filio miſerrimo: at tunc matri Jus liberorum, ſi pater defeciſſet, opus non erat, ut iidem Imperatores conſtituerunt. Alter caſus eſt in filio, qui ultimo ſupplicio affectus, morte violenta raptus fuit. Illi ſi quidem imprimis deſcendentes ad tertium uſque gradum, ſervata cujusque praerogativa, poſt varios conſtitutionum fluctus ſuccedebant, *l. 2. 3. 4. 6. eod.* Ubi autem primi ordinis ſucceſſores deficerent, ſuperioribus patri, videlicet & matri, locus fiebat: & beſſe bonorum damnati publicato, iidem AAA. alia conſtitutione 9. *eod.* trientem parentibus conceſſerunt, ſextantibus inter eos aeque diſpertiendum, ſi mater Jus liberorum habuiſſet, ſine quo pater quadrantem, & mater duntaxat unciam percipiebat. Quod ſi pater ſolus ſuperfuiſſet, trientis eodem jure uti poterat: itemque & mater Jure liberorum decorata, tantum foecunditas mulieris valuit. Per contrarium mulier nec trino partu cohoneſtata, non trientem ex filii bonis, ſed ſextantem duntaxat conſequi potuit, ut *Papiae legis privilegiis deſtituta*, inquiunt Imperatores: pro ea, quae liberis careret, & quae Jus liberorum ex lege Papia celebri uſu receptum non haberet. Itaque ſine patre, ſineque fratribus, ſororibus, aliisve adgnatis, filio defuncto, mater ingenua Jure trium honorata, ſuccedebat. Sed cum nulli fratres defuncto ſuperabant, unde matri obveniebat Jus liberorum trium? proderantne filii, qui ante eum, cujus de bonis agerent, in fata conceſſerant? numerabanturne in liberorum albo, qui incolumes eſſe deſierant? quod magis placet ex his Pauli verbis, *Sent. lib. 4. tit. 9. §. 9. Jus liberorum mater habet, quae tres filios aut habet, aut habuit, aut neque habet, neque habuit. Habet, cui ſuperſunt: habuit, quae amiſit. Neque habet, neque habuit, quae beneficio principis Jus liberorum conſecuta eſt.* Poſtrema haec de Impetrativo natorum Jure ſuo in loco explanabo. Illa pertinent ad jus noſtrum, quod Dativum diximus, & datum in hac ſpecie fuit mulieribus ex SCto. Sane id eis adeo favit, ut etiam mortui liberi profecerint: quod aut rarenter, aut numquam alibi reperias receptum, aut conſtitutum. Neque ratione favor hujusmodi deſtituitur: ſi enim ter ingenuam, quater libertinam peperiſſe ſatis fuit, ſicut retulit Julius Paulus *lib. 4. Sententiarum*, nequicquam trinum partum impedivit natorum mors ſuperveniens. At vivos diximus, & pleni temporis naſci filios oportuit: id eſt, perfecte vivos, & in tempore, quod juſtum Ulpianus *l. 3. §. ult. D. de ſuis & legit. haered.* appellat. Tractari vero potuit, an partus vocem emittere neceſſe habuerit, ſicut in aliis juris articulis quaeſtionis olim fuit, at mutus naſcens vocem non emiſiſſet, dicebant Sabiniani, magis tamen eſt, niſi motitatio

pueri ſuffecerit, vagitum recte a veteribus deſideratum fuiſſe, *l. 3. C. de poſt. haered. inſt.* quod & mutis futuris, & omnibus naſcentibus, miſeriasque tenebrarum lucis hujus deplorantibus, humanae vocis initus vagitus dicta, communia ſint. Licet autem illico, poſtquam in terram de matre cadentem exceptiſſent, is vivus in manibus obſtetricis deceſſiſſet, nihilo ſecius proderat matri, *ad nullum interea declinans monſtrum*, ait Juſtinianus, *vel prodigium*. Qua de re meminit Gellius *lib. 3. cap.* 16. accurate quaeſitum Romae, negotio tunc rei non parvae poſtulante, & ſimul maturum, plenum, juſtum, legitimumque tempus naſcendi, eruditiſſime, moreque ſuo Cujacius ad Paulum *d. tit. 9. lib. 4. Sent.* perſecutus eſt: cujus ſcriptis, ut de alieno, infarcire noſtra neque volumus, neque decet, maxime cum ejus libri omnibus pateant, unde quod hic opus, haurire poterunt ingenioſi, & cupidi ſtudiorum ſitim explere. Amplius autem hoc unum adjiciam, habuiſſe Antoninum Pium autorem SCti Tertulliani, quos ſequeretur, quorumque veſtigia impleret. Primoque Jus civile, de quo Pauli ſententia eſt, *lib. 4. tit. 8. §. 22. Foeminae ad haereditates legitimae ultra conſanguineas ſucceſſiones non admittuntur: idque jure civili Voconiana ratione videtur effectum. Caeterum lex XII. Tabb. nulla diſcretione ſexus cognatos admittit.* Ex XII. Tabulis ſine ſexus diſcrimine locus eſt cognatis, ſive linea virili, ſive foeminea conjungantur, ut lex Decemviralis ſimplicitatis amica fuit, *§. caeterum 3. Inſt. de leg. agn. ſuc.* Verum Juriſprudentes ſubtilitatem commenti ſunt, qua intra conſanguineorum lege obvenientes haereditates mulieres continuerunt, quod Ulpianus *tit. 26. de legit. haer.* quoque retulit: & ita libertatem ſuccedendi, quam lex XII. dederat, ſapientum interpretatio & fori diſputatio foeminis eripuit, quae, ait Pomponius, *communi nomine appellatur Jus civile.* Inde Julius Paulus, ut receptum ſcribit, *idque juro civili Voconiana ratione*, &c. quoniam Juriſprudentes, quorum autoritate uſus forenſis Jus civile dictum eſt, ſimili ratione excitati fuere, qua Q. Voconius Saxa Trib. Pleb. legem tulit de mulierum ſucceſſione coërcenda, ne ſcilicet earum animi divitiis efferrentur, quibus tandem in viros ipſos ſuperbiſſent. Haec auſim ita interpretari, quod non liqueat ad inteſtatorum haereditates Voconii legem pertinuiſſe: emendationi vero noſtrae cum graves ſciam adverſarios conſtitutos, illorum, quibus ſine invidia ingenium ſublimius eſt, judicium rectum expecto. Sed jam ad Senatusconſultum Tertullianum revertamur! Antonino praeterea Pio Auguſto, conſilii exemplo fuit Claudii Caeſaris edictum, cujus meminimus ex Triumviris, *Inſtit. lib.* 3. licet nihil de illo Sueton. *Claud. cap.* 19. niſi ad illud, *Conſtituit pro conditione cujusque civis vacationem legis Papiae Poppaeae, Latinis Jus Quiritium, foeminis Jus quatuor liberorum, quae conſtituta hodie ſervantur*, Beroaldi interpretatione delectemur, cujus collectio eſt ex illorum verbis de SCto Tertulliano, pene conſimile Jus IV. liberorum pro beneficio foeminarum a Claudio inſtitutum fuiſſe, quod ab Adriano libertinis poſtea tributum accepimus. Sed cum Tranquillus in eo tam jejune & exiliter ſcripſerit, vereor ne commentum ſit hariolorum potius, quam interpretamentum, quicquid in medium expoſituri proferent. Illa ſane, *quae hodie conſtituta ſervantur*, niſi Trajano imperante paraverit Suetonius, qui magiſter epiſtolarum ſub Adriano floruit (cum hujus temporibus Jus quatuor in foeminis deſideratum non appareat, & receptum fere trium Jus ſufficeret) dubitationem augent, & uſus vigentis mentio autoris ſententiam implicat magis atque magis: ego exquirendam interpretationem aliis relinquo, & in ſequentia differo, quid ſentiam, exponere, dum perſequor inſtitutum.

CAPUT XXVIII.

De Jure trium ex Tertulliano, Juſtiniani legibus una & altera ſublato, ſubindeque poſterioris conſtitut. Cod. de Jure liberorum *explanatio.*

Diſplicuit vero Juſtinimo Caeſari tam anxia & ſollicita legum in matres miſerrimas obſervatio, quas cum ratio miſerationis ad liberorum bona vocaret, inde natorum paucitas orbitasve plerumque revocabat. Quod Imperator, a cujus nutu penderent omnia, nec ſine cauſa, aegre ferens, antea recepti juris autoritatem elevavit. Sicut autem ſunt res humanae, nihil eſt perpetuo datum, nihil quod eadem facie perſiſtat & non mutetur. Illum Ulpiani ratio movit, *l. quaeret* 135. *D. de verb. ſig. non imputandum matribus, quae qualiter potuerunt, coelitus ſtatutis obtemperaverunt: neque id quod fataliter acceſſit, damnum injungere debet.* Unde nefarium & impium ducens caſum fortuitum, ſic vocat ille, nec ex matris voluntate, in ejus converti detrimentum (*quid enim peccavit ſi non plures, ſed paucos peperit:* cum ſint οἱ παῖδες τὰ δῶρα θεῶν, dunoque divûm dicatur gratiſſima proles?) & iniquum idem exiſtimans non ter enixam liberorum ſucceſſione defraudari, duplici conſtitutione ad Mennam Pr. Pr. ſcrupuloſitatem nimiamque difficultatem juris antiqui ſuſtulit: quarum altera in Imperatoris Codicis *lib. 6. l. 7. C. ad Senatusc. Tertull.* commentariis notiſſima eſt: & eam ſi leguli operam induſtriamque venditantes percalluerunt, quanto magis familiariter cognitam judicemus ſtudioſis, qui politiorem & liberaliorem doctrinam colunt, nec putidam, affectatam, aut falſam, ſed nitidam, veram, & excelſam ſectantur philoſophiam? Ideoque miſſa de illa in praeſentiarum multa facio, quae ſibi quisque ex aliis venabitur. Hoc ſolum dico, proferri & poni jus in illa novum de bonis filiorum, quos naturali morte e vivis ſupradiximus exceſſiſſe: ad bona vero defunctorum civili duntaxat morte, aut violenta, nihil quicquam illa pertinet conſtitutio, quae nec nominatim Juris liberorum differentiam inter matres ſuſtulit. Sed altera plenius matribus favit, quae diſcrimen inter ingenuas & libertinas rejiciens, omnimodo, & omni caſu, quo de luctuoſis filii bonis agitur, ſive civiliter, ſive naturaliter, ſive violenter deſecerit, matrem legitima jura (non ſolum ex Tertulliano, ſed ex forma conſtitutionis, quae illi jus tribuit, etiam ſuperſtite filii patre maritoque) habere juſſit his verbis, *l. 2. C. de jure liberor. Illam injuriam, quae contra matrem defuncti, vel defunctae, praeteritis fiebat temporibus, pro juſtitiae ratione amputamus: & legitima jura, quae ex Tertulliano ei praeſtantur, omnimodo eam habere ſancimus, licet tres liberos ingenua aut libertina quatuor minime pepererit.* Sane Juſtinianus Caeſar, ſicut ſe duntaxat ad injuriam matribus illatam refert, qua dulcium liberorum triſti ſucceſſione denegata, matres iniquiſſime afficiebantur, aliis Juris liberorum ſpeciebus nihil derogat, obrogatve, nec quicquam de caeteris caſibus detrahit, ex parteve mutat, licet in liberorum omnimoda ſucceſſione, matres inter ſe, ſive unius, ſive duorum, ſive trium, &c. nolit in poſterum diſcriminari. Quae ut notiora ſunt, cum minus egeant ſtylo, faciunt, quo magis mirer non diſcreta fuiſſe ab Italis, judicio in literis & in ſtudiis ingenio ditiſſimis (libenter viventium nomini parco, libentius autem mortuorum) dum ſcribunt, *Jus liberorum pridem a Theodoſio, deinde etiam a Juſtiniano ſublatum eſſe:* quod ſi de re liberrima cum amiciſſimo Vacca *l. non ſunt lib. 14. D. de ſtat. hom.* libere contendere liceat, nulla ex parte verum conſtitutione jam explicata manifeſtiſſimum eſt. Sed inſipiens Homero nulliusque pretii vir eſt, qui cum amico aut re aut verbis pugnat: ad alia igitur tranſeamus!

CA-

CAPUT XXIX.

De Jure trium Latinae Junianae civitatem dante, & modis civitatis adipiſcendae, Ulpianus, Tranquillus, & Juſtinianus explicati.

LIbertinorum hominum genus, ſicut manumiſſio gentilis juris eſt, Romanorum, omniumque aliarum gentium uſu commune fuit: & apud omnes peraeque cuſtoditum ſcimus, ut e juſta ſervitute miſſi, libertati naturalique facultati redderentur: quo reſpiciunt autores, *l. 4. D. de juſt. & jure. §. 1. Inſtit. de libert.* ubi manumiſſionem e manu dationem pro conceſſione & miſſione dicunt. Inde qui per dominos, ubi velis gentium, extra civitatem Romanam liberi erant, priſtinae conditioni redditi, nihil a dominis ipſis differebant: & ſicut a Romanis domini peregrinae conditionis exiſtimabantur, ita & libertini. Inde quoque in orbe Romano, id eſt, in orbis partibus, quas P. Rom. poſſidebat, a dominorum manu emiſſi, libertatem recipiebant: ſed quod, ut illi dominis ſimillimi libertatis conceſſione fierent, Jus civile non probavit. Hinc tres veteribus libertinorum ſpecies in uſu fuere, *§. libertinorum autem 3. Inſtit. de libert.* cum alii Cives Romani, alii Latini, alii Deditítii eſſent & dicerentur. Poſterior nihil ad nos: de prioribus quaedam ſupra relata ſunt, ubi Latinos Jus Quiritium & civitatis liberorum gratia conſecutos diximus: ſed & hic amplius. Habet Ulpianus, *Epit. tit. 3. §. 1. Latini Jus Quiritium conſequuntur his modis: beneficio principali, liberis, iteratione, militia, nave, aedificio, piſtrino: praeterea ex Senatusconſulto velati quae ſit ter enixa.* Beneficio principali civitas Latinis libertis impetratione data fuit collataque diplomate Romanae civitatis: *§. ult. Inſt. de ſuc. libert.* neque iis ſolum, ſed & peregrinis libertis patuit illa via: quod ſignificat Plinius ad Trajanum pro libertis Antoniae Maximillae, & pro Harpocrate Medico *lib. 10. epiſt. 4.* ibi, *Rogo des ei civitatem Romanam: eſt enim peregrinae conditionis manumiſſus a peregrina.* Item liberis, ut civitas data, in ſuperioribus poſitum, ut iteratione manumiſſionis, Ulpiani lectio cupidis planum faciet, ut militia, Cujacius explicuit; ut nave, ponit Ulpianus *d. tit. 8. §. 6. Si non minorem quam x. mill. modiorum navem fabricaverit, & Romam ſex annis frumentum portaverit, ex edicto Divi Claudii.* Quum enim aſſiduis ſterilitatibus annona Pop. Rom. laboraret, in id egeſtatis anguſtiarumque redacta, ut vix xv. dierum frumentum Urbi reliquum eſſet, Claudius Imperator, ut inquit Oroſius *lib. 7.* correptus a populo conviciis, & fragminibus panis turpiſſime infeſtatus, nihil non ex eo cogitavit ad invehendos commeatus, etiam hiberno tempore, per quod ſuſceptionis *nulla neceſſitas fuiſſet* a III. Idus Novembr. ad VI. Id. Mart. *l. 3. C. de naufrag.* ut plerumque Vegetio ad Idus usque Majas maria clauſa, numquam, aut non niſi cum periculo navigabantur. De illo ſcribit Suetonius *Claud. cap. 18. Et negotiatoribus certa lucra propoſuit, ſuſcepto in ſe damno, ſi cui quid per tempeſtates accidiſſet: & naves mercaturae cauſa fabricantibus, magna commoda conſtituit, pro conditione cujusque, civibus, vacationem legis Papiae Poppaeae, Latinis, Jus Quiritium, foeminis, Jus quatuor liberorum, quae conſtituta hodie ſervantur.* Illos igitur lucris allexit, qui frumenta cibariaque ex provinciis frumentariis Sicilia, Sardinia, Hetruria, Hiſpania, Africa, Aegyptoque Romam deportari pecuniis ſuis curarent, quos adjuvaſſe urbis annonam dixit Calliſtratus, *l. 5. §. 3. D. de jur. immunit.* Naviculariis item, frumentationis & mercimonii cauſa naves habentibus, quae urbis annonae ſervirent, praemia pro cujusque ſtatu & conditione decrevit: Rom. civibus, qui a nuptiis abhorrerent (ad quas lege Papia cogebantur, exacta vacatione quam Auguſtus conceſſerat, Sueton. *Auguſt. cap. 34*) dum navem marinam, annonam populo praebentem haberent, legis Papiae Poppaeae immunitatem dedit. At *Latinis* non Colonariis, ſed Junianis (ſcilicet lata jam ante ſub Tiberio lege Junia Norbana) *Jus Quiritium* nave conceſſit, edicens illum navis modum, cujus Ulpianus meminit: quamvis immunitatem publicorum munerum omnium aventibus, aut quintuplo navis amplior, aut quinque illius amplitudinis neceſſariae fuerint, *l. 3. D de vac. mun.* Unde manifeſtariam inſcitiam nutantium commentariorum ad Suetonium ridere liceat. Amplius *foeminis Jus quatuor liberorum* edicto generali tribuit, quae marinas haberent naves, annonam Pop. Rom. praebentes: hoc ita, ſicut antea Jus trium, ſub Auguſto, mulieribus decretum fuerat, de quo in extremo de Impetratitio liberorum jure dicemus. Sed a Suetonio ad Ulpianum redeamus. Aedificium is poſt navem modis conſequendae civitatis connumeravit, ſed qui epitomen ex ejus monimentis compoſuit, hujuſmodi explicandi & duorum ſubſequentium oblitus eſt. Plane qui civitas aedificio obveniret, nundum comperi, & neſcire me ingenue confiteor. Id auſim unum affirmare, non dixiſſe Ulpianum aedificio civem Latinum fieri, ſi voluiſſet civitatem artificio ſtructoribus, id eſt, *l. penult. D. vac. mun. l. 1. C. de excuſ. artif.* aedificatoribus dari, quorum ſordidum munus Gratiani & ſociorum lege fuit, *l. 12. verſ. Publicis. C. de excuſ. mun.* licet illam Honorius & Theodoſius junior antiquarint, *l. ad inſtructiones 7. C. de ſacr. eccleſ. l. abſis 4. C. de privileg. domus Auguſt.* Neque vero certius mihi quicquam eſt de piſtrino Jus Quiritium adferente: haec tamen pro conjectura exhibuerim, Plinio ſeniori legiſſe me, piſtores Romae non fuiſſe, ad Perſicum uſque bellum: ſibi enim ipſis Romani panem faciebant, mulierumque id opus erat. Deinde piſtoribus ſervis uti coeperunt, a quibus ſenſim ad libertinos, & ab his ad ingenuos patresfamilias panificium pervenit, licet neque omnibus ſordidum fuerit piſtrinum, ſive per ſe, ſive per alios exercerent: unde M. Antonius, Auguſto *maternam originem objiciens, proavum ejus dicebat piſtrinum exercuiſſe*, Sueton. *Auguſt. cap. 4.* Piſtorii operis & panificii fere totam rationem ad Varronem *de lingua Latina lib. 1.* ex autoribus ſum executus: haec ex libris civilis ſtudii promo. Patresfamilias in piſtrino & loco, ubi piſeretur (ab eo, quod ibi agerent, ita Varroni dicto) piſtorium inſtrumentum habebant, *l. 15. pr. D. de inſtr. vel inſtrum. leg.* & molis, ut ex veteribus Javolenus refert, *l. 26. §. 1. eod.* aut manuariis, aut jumentariis utebantur, quas *machinas frumentarias* fortaſſe Ulpianus *l. 12. §. & molas 10. D. eod.* appellat. Illis piſtores ſervos familiae cauſa paratos frumento frangendo adhibebant, & his, ut ait Tranquillus *Calig. cap. 39. jumenta*: ut Plinius, *equi*: ut Pomponius *l. 15. eod. caballi*: ut Paulus *aſinae*, *d. l. 18. §. 2* ut Ulpianus *d. §. & molas 10. l. 12. aſini*, ſi machinarios illi machinae adſcriptos recte puto: qui tamen, ut mihi quidem videtur, & aliis molis, quam frumentariis (puta & oleariis) dedebantur: omnibus autem & ſervis, & jumentis nomen piſtrinenſium additum accepimus. De illis patribus familias fuere, qui non ſolum familiae cauſa piſtores haberent, vel vendendi panes & mellita (ideo ab Apulejo *lib. 10. Aſini*, & Martiali *lib. 14. epig. 222. dulciarii* dicti) ſed &, ex eo cum primum e publico vivere populus coepit, fuere qui per ſervos panifices ſumptibus publicis ſubvenirent annonae, panificiumque in urbe in piſtrinis publicis exercerent; quae domus erant in ſingularum regionum vicis ampliſſimae, Theodoſii praecepto dirutae, *Tripert. lib. 9. cap. 24.* Nec ſolum fuere ſub patribus illi, ſed etiam poſtquam a Senatu ad Imperatores cura frumentationis, & omnium rerum tranſlata fuit. In graviori namque annona difficilique remedio, tumultus principes metuentes, ut neſcit

Digitized by Google

neſcit Lucano plebs jejuna timere, quo ſterilitatibus occurrerent, *non minorem aratorum & negotiantium, quam populi rationem & numerum deduxerunt:* Sueton *Aug. cap.* 25. & 42. & ne panis Romae deficeret, tam per ſuos, quam per alios, obnixe & omni ſtudio caverunt. Ipſi enim de facultatibus rei dominicae & privatae, ad laetitiam in populo Romano ſaturitate retinendam, piſtrinum per ſervos & rerum actores exercuerunt (*piſtrinenſiumque principis* meminit alicubi Suetonius *Calig. cap.* 39) & imperio ſeneſcente quam maxime Caeſaribus alimonia paniſque gradilis curae fuerint, ſuperſunt memoriae in reliquiis Theodoſii *lib.* 14. *tit.* 3. *l.* 15. 16. 17. Verum cum ſervi rei dominicae panificio non ſufficerent ad piſtorium opus, & piſtrini obſequium, quamvis eſſet ſordidum munus, *l. ſordidorum* 13. *C. de excuſ. mun. l.* 1. *C. de perfectiſ. dign.* variis commoditatibus ſubditi a principibus invitati fuerunt, *l. ult. D. de excuſ. tut.* & ad urbis ſimilitudinem deinde in civitatibus piſtrina & piſtrinorum curatores eſſe coeperunt, *l. ult. §. legatis* 12 *D. de muner.* de quibus libri hujus ſtudii teſtabuntur: neque enim nos uno in loco omnia. Inter caetera, qui de ſervis Latini liberti facti erant, ut innuit Ulpianus, majorem perfectamque libertatem piſtrini privilegio conſequebantur, cum Jure Quiritium & civitatis; puta, ſi piſtorum corpori ſociati, publice neceſſariam operam panificio impendiſſent: quanto vero tempore, illud ipſum amplius quaero. Haec liberiore fortaſſe ſtylo emiſſa ſint, dum ſuſpicor, & conjicio ita ſe olim habuiſſe: non ante tamen quam eruditis probari intellexero, aut amabo opinionem meam, aut aſſeverationem adhibebo. Reſtat modus ultimus adipiſcendae civitatis, qui maxime ad nos attinet, ex Ulpiano quidem prolatus, ſed ab Epitomatore pro derelicto habitus & neglectus, quo liberta Latina, *quae ſit ter enixa*, ex SCto recepit Jus Quiritium. Ad haec lege Junia, quae Tiberii anno v. M. Junio Syllano, & C. Norbano Flacco Coſſ. Latinitatem libertorum introduxit, ſcitum eſt eos, qui minores xxx. annis, vel a domino Bonitario, qui naturale, non item legitimum dominium haberet, vel per naturales manumiſſionis modos, non item legitimos, manumiſſi eſſent, vixiſſe a domini poteſtate liberos, Theoph. *§. ult. de liber.* ſervos autem manumiſſorum vita exceſſiſſe: eademque lege ſcitum eſt, multiplici via Jus Quiritium Latinis acquiri potuiſſe. Deinde (quod non ſatis Juſtinianus ad Joannem P. P. *l.* 1. *§.* 1. *& ult. C. de Latin. liber.* animadvertit) Trajanus A. Latinis libertis omnibus Jus Quiritium edicto conceſſit, dum viverent: morientium conditionem intactam legi Juniae Norbanae relinquens, ut etiam iis, qui cives Romani vixiſſent, manumiſſores jure dominico ſuccederent. Tandem vero Antonini Pii temporibus, Largo & Meſſalino Coſſ. perlatum ad Senatum fuit, de Latinitatis difficultatibus remittendis, quo Latinis, majoribus quidem xxx. ann. aetatiſque legitimae, & a Quiritario legitimoque domino, naturali manumiſſionis modo per menſam, inter amicos, aut per epiſtolam, manumiſſis, idem jus fuit civitatem adipiſcendi, unici filii gratia, ac illi ex lege Junia, qui modo legitimo, a dominoque legitimo manumiſſus, minor xxx. annorum, aetatiſque naturalis tantum, non etiam legitimae fuiſſet. Liberis autem Latino illi datam ex Largiano civitatem interpretor, vel filium ob unicum, ſicut lex ipſa Junia liberis monens Jus Quiritium acquiri, uno ſoloque contenta fuit, *l. non eſt* 148. *D. de verb. ſign.* Illudque ſit unum Largiani Senatuſconſulti caput. De reliquis eſt & illud, quo de ſexennio militiae impenſo a Latino, legis Viſelliae praeſcripto, triennium remiſſum fuit, teſte Ulpiano. Illud praetermitto, quod Triumviri de ſucceſſione libertorum *§. ultim. Inſtit. de ſuc. libert.* referunt, & omnia recte, niſi dum edictum Trajani poſt Largianum editum putant, contra Annalium omnium fidem, nullo argumento nixi, niſi ſolius autoritatis. Quod vero de ter enixa protulimus, in illa, quae trino utero peperiſſet, planum eſt: at ſi tres ex uno utero, ſubſiſti potuit, quoniam *quae ſimul*, ait Paulus *lib.* 4. *Sentent. tit.* 9. *§.* 2. *uno partu tres filios edidit, Jus liberorum non conſequitur.* Sed cum partus perfectos exigat Juris ratio, & tres ſimul perfecti naſci non poſſint, poſtquam *natura ſimul uno impetu*, dicebat Tryphoninus *l. Areſcuſa* 15. *D. de ſtatu hom. duos infantes de uno utero matris excedere non permiſit*, ex uno utero *l.* 137. *D. de verb. ſign. ter enixa videtur, quae tergeminos peperit*, ſi inter naſcentes ſpatium & intervallum intercedat. *Non enim ter peperiſſe, ſed ſemel partum fudiſſe videtur, niſi forte per intervalla partus*, inquit Julius Paulus *Sent. lib.* 4. *tit.* 9. *§.* 2. Cujus ſententia, ut obiter moneam, in capite mendoſa eſt, ſi legatur ut excuſſi & exſcripti libri omnes habent, cum *ſimul uno partu*, non *ſemel* dixerit Paulus, ut, *ſimul uno impetu*, Tryphoninus. Perfectum autem partum exegerunt, Vita, ut animatus naſceretur, qui exanimis & mortuus non profuiſſet, *l. qui mortui* 129. *D. de verb. ſign.* Paulus *d. tit.* 9. ſicut neque abortus nec abactus: item perfectum Tempore legibus probato, aut decem menſium ex verſibus xii. Gel. *lib.* 3. *cap.* 16. aut ſeptem ex autoritate Hippocratis recepto jure: Paul. *ibid.* & *l. ſeptimo* 12. *D. de ſtat. hom.* item & perfectum Forma; nihil enim partus monſtroſus prodigioſusve profecit, ex Pauli ſententia *d. tit.* 9. *§.* 3. licet ei ex adverſo latere tota diametro repugnet ſcriptum Ulpiani: *l. quaeret* 135. *D. de verb. ſign.* ſed ea Cujacii ope & opera enucleata ſunt, cujus teſtimonio contentus ſenſa non recito, ne repetitione externorum perdat narratio dignitatem. At tres liberi, quae matribus Latinis adjumenta, quos favores importarent, ex ſuperioribus tenendum eſt, quae de jure civium Romanor. retulimus: & ita ſine beneficio, ſine iteratione, ſine nave, ſine aedificio, ſine piſtrino, quae lex Junia, & edicta Claudii & Trajani introduxerant, liberis ex SCto Largiano mater Latina, civis Romana facta fuit. Equidem non ignoro, plurimos civitatis conſequendae & alios fuiſſe modos, quorum brevia capita ſummatim contulit Juſtinianus, *in Conſtitutionem, qua Latinitatem ſuſtulit.* Inter caetera praecipue illud obſervandum antiquitatis ſuadet amor, quo ſi a tecto domini ſervus aeger expulſus fuiſſet, in libertate Latina permanebat, ex Claudii Caeſaris edicto, ut habet Juſtinianus *§. ſed ſcimus* 3. *C. de Lat. liber. tol.* De quo Suetonii Tranquilli verba ſunt *Claud. cap.* 25. *Quum quidam aegra & affecta mancipia in inſula Aeſculapii taedio medendi exponerent, omnes qui exponerentur, liberos eſſe ſanxit, nec redire in ditionem domini, ſi convaluiſſent: quod ſi quis necare mallet quem, quam exponere, caedis crimine teneri.* Exponendi mos efferus & immanis, tam liberos quam ſervos, vitiorum mater Graecia Romanos docuit: unde primis a Romulo temporibus, partus deformes in inſulas ablegare, & infantes abjicere invaluit. At ſervos, qui male affectos, ſive Romae, ſive in aliis civitatibus e domo ejicerent, & miſericordiae cauſa publicis locis exponerent, quam ipſi non habebant, quoniam necare videbantur, *l. necare* 4. *D. de lib. agn. l.* 2. & 3. *verſ. Neque enim. C. de inf. expoſit.* nec ſuum dicere poterant, quem pereuntem contempſiſſent, a dominico jure cadebant. Item & Romae ſi taedio medendi ſervos exponerent in inſula Tiberina (dicta Aeſculapii, quod illi ſub Epidaurii ſerpentis ſpecie templum ibi dicatum fuit, de quo Livius *lib.* 10. *in fin.* & *Epit.* 11.) ut ab Aeſculapio ob ſcientiam notiſſimam & humanitatis faſtigium excedentem, coelo donato, tamquam a medicinae Deo, ſalutem ſervi acciperent, cujus curandae nimium domini negligentes eſſent, ſervis contingebat libertas, ſi convaluiſſent, domini jugum merito detrectaturis. Quod ſi morbo langueſcentem ſervum domi-

Sss

mi-

minus occidiſſet, quaeſtionis eſſe potuit, caediſne crimine teneretur, pro eo ac ſi liberum, an pro eo ac ſi ſervum alienum enecaviſſet. Hoc conſtitutione Antonini cautum fuiſſe in Pandectis profertur, *l. 1. & 2. D. de iis qui ſunt ſui.* illud verius videbitur ex Martiani verbis, *l. 1. §. 2. D. ad leg. Corn. de ſic. Qui hominem*, inquit, *occiderit, punitur, non habita differentia, cujus conditionis hominem interemit.* In eo certe difficultas eſt, quae ad Tranquilli nimium conciſa verba elucidanda, alium locum & tractatum alium poſtulat. Verum acutius expendentibus, ubi fides autorum labat, vel Juſtiniani autoritas elevanda eſt, vel Tranquilli compendium reprehendendum. Illud primum ſtatuo, quod ab aliis accepi, in inſula Tiberina fuiſſe Romae, velut νοσοκομεῖον, languentium Hieronymo interprete villam, aegrotorumque domicilium, ubi ſi ab hominibus non refovebantur aegri, Deus ipſe manu praeſenti medicinam afferebat. Itaque Dei ope melius ſe ſervum habentem, edicto Claudii ait Tranquillus factum e ſervo liberum: ſed civemne Romanum, an Latinum duntaxat, nihil ſignificat; minus exprimit: Juſtinianus alios (juris puta) ſecutus autores, Latinum libertum factum ſcripſit: quid verum fuerit, Deus aliquis viderit! nihil enim mihi de duobus veroſimilius videtur. Porro Juſtinianus *de §. ſed ſcimus* 3. refert ad Latinitatem perveniſſe ſervum ejectum a domino, cui erat libera facultas, *ſi non ipſe ad ejus curam ſufficeret, in xenonem eum mittere, vel quo poterat modo, eum adjuvare.* Sed praeſentius remedium ullum ſervo ne procuraſſet dominus, quam ſi erat inſula plena Deo (ut error gentilibus jus faciebat) ſervum committendo Dei illius curae, a quo non languentes ſolum, ſed & valentes ſalutem expectabant? Potuiſſetne dominus ſervum in xenodochium mittere, in quo medicina paratior, auxiliumve promptius contigiſſet? Igitur in xenonem domino mittente ſervum, ſi Latinus is, nedum civis Romanus non fiebat, verum eſſe non poteſt quod ait Suetonius, Claudium ſanxiſſe, mancipia, in inſula Aeſculapii expoſita, a dominorum manu exiiſſe, aut falſum conſequitur quod habet Juſtinianus. Proculdubio ſi pietatis & religionis cauſa, non taedio medendi ſervum ſuum dominus in Aeſculapii aedem miſiſſet, nihil juris illi deperibat: qui ex adverſo, ſi ſpe mortis, non ſalutis, ſervum ſuum in xenodochium miſiſſet, dominio cadebat; ut mea fert opinio, cujus fautrix autorum Juſtiniani & Suetonii conſonantia eſt. Quae de Latinis ſatis ſint, deque modis adipiſcendae civitatis: non temere quidem illis otioſeve excogitatis, aut inventis, cum magni veteres exiſtimarent, ſincerum atque ab omni colluvione peregrini ac ſervilis ſanguinis incorruptum populum ſervare. *Unde parciſſime civitatem dedit peregrinis Auguſtus*, Suet. *c.* 40. quos ſe Quirites inſimulantes Claudius, Suet. *c.* 25. *ſecuri percuſſit*; ſimiliter quoque Galba, Suet. *c.* 14. non niſi rarenter conceſſit.

CAPUT XXX.

De Jure teſtandi filiae eidemque matri conceſſo liberorum gratia, deque veteri nuptiarum ritu & matrefamilias: inde Martiani, Modeſtini, Pauli, Marcelli, Caiique ſcripta veteri priſtinoque honori interpretatione reſtituta.

Superioribus accedit Jus item illud, quo matri filiorum trium, ejus vivo patre, teſtamenti factio a primis rei Romanae temporibus conceſſa fuit. Cum enim de honoribus a Numa Pompilio Veſtalibus tributis meminit Plutarchus, illis, quemadmodum matribus filiorum trium, conceſſum ſcribit, ut etiam vivo patre teſtamentum condere, ac caetera ſine curatore gerere poſſent. Illius verba ſunt, *in Numa*, Τιμὰς δὲ μεγάλας ἀπέδωκεν αὐταῖς, ὧν ἐστὶ καὶ τὸ διαθέσθαι ζῶντος ἐξεῖναι πατρὸς, καὶ τἆλλα πράττειν ἄνευ προστάτου διαγούσας, ὥσπερ αἱ τρίπαιδες. Quorum ſi quis interpres obſtinatior paulo reſiſtat, arguens nihil exprimi, quo jus hoc & commodum (de quo ſermo eſt) mulieribus tribuerit Numa, manus ei facile dederim; dummodo illud Plutarchi ſeculo viguiſſe idem mihi conceſſerit. Illi enim ſcriptori obſervatum magiſtra lectione familiare eſt, veteribus nova, & novis priſca, jucundiſſima commiſſione intermiſcere. Sane ſive reges olim jam olim, ſive ignotae nobis leges, ſive poſteriores principes, his honoribus liberorum matres ornarint, id in uſu floruiſſe, ſive quod ab ſcriptoribus acceperit, ſive quod oculatus viderit, credo Plutarcho, qui mihi unus eſt, qualis Ciceroni Cato, pro centum millibus, in tantum laudandus, in quantum intelligi eruditio poteſt. Ad rem autem primum firmumque ſit, quod M. Port. Cato pro lege Oppia apud Livium *lib.* 34. *cap.* 2. dicebat, *majores voluiſſe nullam, ne minimam quidem rem, ſine autoritate foeminas agere, ſed in parentum, fratrumve, aut liberorum poteſtate eas eſſe.* Eo reſpexit Plutarchus, *Veſtalibus honoris & favoris habiti religionis cauſa permiſſum* ſcribens, etiam patre ſuperſtite diſponere, & teſtari: at de quibus, non exprimit ille; neque nunc ego quaero: item & permiſſum cuncta ſine curatore facere, ſicut licuit matribus natorum trium. His igitur, ut eveniat quod volumus & quaerimus, ex jure privilegiario jam & illa licebant: & hoc ſat eſt, ut Veſtales ſacerdotes juris publici diſquiſitioni relinquamus. Cum mulier a parentibus nuptui marito tradebatur; deſueta Confarreatione ab Ulpian. *Epit. de his qui in manu ſunt. tit.* 9. explicata, quae uſu vivida Pontificalibus matrimoniis erat maxime propria, teſte Tacit. *lib. Annal.* 4. *cap.* 16. de tribus priſcis, duo tantum ſupererant modi, quibus nuptiae contrahentur, Coëmptio & Uſus. Coëmptionis ritu ſolemni vir ut filiusfamilias futurus, foeminam ita rogabat, *vis mihi materfamilias fieri*, ea reſpondente, *volo*: deindeque ut filiafamilias jus ingreſſura poteſtatis, *vis mihi paterfamilias fieri*, dicebat mulier. Unde quod antea vir vel pupillus, *l. pronuntiatio* 195. §. 2. *verſ. Denique. D. de verbor. ſign.* nomen patrisfamilias habuiſſet, non patrimonium conventio illa, ſed matrimonium, quaſi *matris nomium*, metatheſi dicta fuit, muliere matris nomen ex conventione conſecuta. Hoc modo nuptiis coëmptione contractis, conſortium communis vitae, bonorum ſocietatem, & mutua illa jura ſucceſſionis lege Romuli datae, vir & uxor ſibi quaerebant. Hinc ſuis haeredibus mulier connumerabatur, quae in familiam, poteſtatem, & manum viri coiſſet, & conveniſſet; ſicut Modeſtinum *l.* 27. *D. de don. int. vir. & uxor.* Paulum *l. Titia* 134. & Papianum *l. ex parte* §. 1. 21. *D. de verbor. oblig. l. uxorem* 15. *D. de rit. nupt. l.* 2. *C. de ſponſal.* divinamus ſcripſiſſe, licet ſibi temporique placens Tribonianus, in matrimonium retulerit coïre & convenire, inter verba Jurisprudentum, qua forma loquendi uſus eſt & Aulus Gellius *lib.* 18. *cap.* 6. Hinc, ne duplicis poteſtatis in eandem unam perſonam concurſum admittamus, ut nubens marito materfamilias fiebat, cadebant jure poteſtatis ejus parentes, qui filiam e manu miſerant, quae aliter velle ſe non potuiſſe dicere: quod arguunt illa Euripidis,

Γυνὴ μὲν ἐξελθοῦσα πατρῴων δόμων,
Οὐ τῶν τεκόντων ἐστὶν, ἀλλὰ τοῦ λέχους.

Alio modo veteribus Uſu nuptiae contrahebantur; convenientibus iis, quibus de agebatur, conteſtatione a viro & muliere interpoſita, quod ſobolis procreandae cauſa coirent: & eo modo nuptam Latine a concubio, Concubinam dicere potuerunt, licet generis ſolo nomine uxorem illam Tullius ad Trebatium nuncuparit. Conteſtationem principio, aut poſtmodum leges non exegiſſe verius eſt, in iis, quas concubinas ſine metu criminis habere licebat, *l.* 1 *&* 3. *D. de concub.* ut fuere liberta propria, liberta aliena, ingenua item foemina, quae vel obſcuro ignotoque loco nata erat, vel quae corpore quaeſtum fecerat, vel ex Octa-

veri recepta ſententia, *l. palam* 43. §. 3. *D. de ritu nupt. Quae ſine quaeſtu palam ſe proſtituerat*: eas etſi viduas & vacantes, qui cupidinis cauſa continebant, *d. l.* 1. *D. de concub. l. ſtuprum* 34. *D. ad leg. Jul. de adult.* ſtuprum non committebant. Sed cum ſe jure patrio fraudari illa coëmptione parentes ſaepius experti fuiſſent, hoc tandem nuptiarum modo filias in uxores dederunt, nulli quidem mancipio, ait ille, verum omnibus uſu, ſed teſtatione de liberis quaerendis exacta, quae, ut ſupra deduximus, in aliis quoque juris articulis neceſſaria fuit. Unde lucem accipiunt obſcura Martiani verba, *d. l.* 3. *Si honeſtae vitae & ingenuam mulierem in concubinatu habere maluerit*, quam in matrimonio, ex coëmptione contracto, *ſine conteſtatione hoc manifeſtum faciente, non conceditur: ſed neceſſe eſt ei, vel uxorem eam habere. vel hoc recuſante eo, ſtuprum cum ea committere*, quoniam ſine teſtatione ab initio liberam honeſtae vitae mulierem cupidinis cauſa habere per leges non licuit. Juris enim civilis eſt regula Modeſtini, *l.* 24. *D. de ritu nupt. In liberae mulieris conſuetudine, non concubinatus, ſed nuptiae intelligendae ſunt, ſi non corpore quaeſtum fecerit.* Nuptias illas autem Uſu contractas ſine tabulis & inſtrumentis nuptialibus intelligimus, pro eo ac ſi Coëmptio interceſſiſſet, *l. ſi vicinis* 9. *C. de nupt.* idem enim fuit quoad nuptiarum conditionem. Sane hoc caſu familiam manumve mariti non ingreſſa mulier (neque enim matrimonium dicebatur legitimum *l. pen. §. ult. D. ad municip.*) matrisfamilias nomen non habuit, neque jus ſui haeredis, quo neceſſario inſtitui debuiſſet, Ulpian. *Inſt. tit.* 22. neque jus ex lege Romulea inteſtato marito ſuccedendi: quoniam uſu, non mancipio uxor data, non emancipata in patris poteſtate retinebatur. At ubi ſocerorum commento Jus mancipii in uxores, ſi non ereptum, ſaltem non datum, & denegatum, mariti animadvertere graviterque ferre coeperunt, praeſentaneo remedio verſus ille XII. Tabul adſuit, *Si per trinoctium uxor a viro abſuerit, vir eam uſurpato*: id eſt, praeter jus moribus aut legibus antea receptum vindicato, capito, & ſibi habeto: ex quo capite, velut aquae nova reperta vena, ſine Coëmptionis ſolemnitate jus poteſtatis in uxorem marito reſtitutum fuit. Tum caute viri uxores ſuas obſervare, mulieres ne trinoctio abeſſent, curare, parentes illas ſedulo admonere, ne ſe a manibus, a quibus tam indulgenter, ingenue, liberaliter auctae & altae fuiſſent, gratia mariti ſubducerent. Plane quid temporum ſucceſſu habuerit legiſlatio poſt XII. Tabulas, de ea re nihil ex vetere memoria, tot ſcriptorum ruderibus, tot literarum monumentis, quicquam comperio: & quidem hoc ingenioſi aſſidua lectione ſciunt apud Venulejum *l.* 2. *D. de liber. exhib. l. filiae licet* 12. *l. ut liberis* 17. *C. de collation.* patrem, qui filiam in poteſtate habet, a marito de exhibenda recte conveniri: quod ſi eſt, uti eſt, aut jus poteſtatis duplex in eandem perſonam concedemus, aut maritum dicemus uxorem ſuam in poteſtate non habuiſſe. Poſt decemviralem, legem aliam ponere, quae jus parentum in priſtinum reſtituerit, opus harioli opera & induſtria eſt. Sed aleam de conjecturis ita jaciamus: Cum patresfamilias rem eo deduci legibus cernerent, unde callidis inventis ſe abduxiſſe exiſtimabant, hoc jure uſos veteres colligo, ut filii ducturi uxorem, vel filiae nupturae (Uſu, quo nuptias ante contrahebant, deſueſcente) in matrimonium convenerint, & haec in viri patrisfamilias manum, quod formae vulgares in Digeſtorum libris obſervatae probant. Porro filiofamilias, qui mulieri conventurae paterfamilias ex ritu nuptiarum fieri debuit, avo ſuperſtite, patreque vivo, illius autoritate & hujus conſenſu fuit opus, *l. oratione* 16. §. 1. *D. de ritu nupt. l. nec filium* 12. *C. de nupt.* & illo ſugente, patris autoritas, hocque furioſo, & ſapiente avo, ſufficit avi voluntas, *l.* 9. *D. de ritu nupt.* Ita vero neceſſaria iſthaec fuerunt, ut filiumfamilias, etiam militem, ſine patris voluntate matrimonium non contrahere, reſponderit Papinianus, *l. filiusfam.* 35. *D. eod.* Praeterea filiaefamilias nupturae, quae in manum conveniens matremfamilias fieri velle ſe marito diceret, avi ſuperſtitis voluntatem & autoritatem, patre neglecto, ſuffeciſſe accepi, *l. oratione* 16. Illo vero defuncto, patris conſenſum neceſſario leges exegerunt, *l.* 2. *l.* 20. *C. de nupt.* propter jus patriae poteſtatis moribus in id receptum, §. 1. *Inſtit. de nupt. l.* 8. *D. de iis qui ſui. intelligi tamen ſemper filiae patrem certioratum conſentire, niſi evidenter diſſentiat, Julianus ſcribit*, *l.* 7. *D. de ſponſ.* Quocirca parentum juſſus, conſenſus, voluntas, & autoritas, tam filiis, quam filiabusfamilias (emancipatis enim filiis & filiabus jure veteri pro extraneis habitis, non fuit neceſſarius patris aſſenſus, *l.* 10. *eod. tit.* & *l.* 25. & 55. *D. de rit. nupt. l.* 18. *C. de nupt.* licet in his quaedam Caeſares immutarint) ad nuptias neceſſaria viſa eſt, ne liberum arbitrium eſſet eis, qui alieno juri ſubeſſent: eoque reſpexit Julius Paulus ſcribens, *l.* 2. *D. de rit. nupt. Nuptiae conſiſtere non poſſunt, niſi conſentiant omnes, id eſt, qui coeunt, quorumque in poteſtate ſunt.* His obſervatis ſine emancipatione filiam pater ex animi ſententia locavit, maritus ſibi ex voto matremfamilias habuit, & nonnihil alteri quiſque de jure conceſſit ſuo: ut interim pater filiam natura in poteſtate retinuerit, maritus jure ſubjectam illam (*l. pronuntiatio* 195. §. 2. *D. de verb. ſign.*) in familia inter ſuos haeredes habuerit, ſi qua Ulpiano fides eſt, *d. tit.* 22. *Inſt.* qui ſubſcriptorem & approbatorem habet Gellium *lib.* 18. *cap.* 6. Item juris myſterio, ſicut res duplici jure cenſeri poteſt, *l. hinc quaer.* 19. §. 1. *D. de peculio.* perſona filiae nuptae in poteſtate patris & mariti videri coepit, argumento actionis injuriarum & patri & marito datae, *l. eum qui* 18. §. 2. *D. de injuriis. l. tutorem* 22. *D. de iis quae ut indign.* ſicut eadem filiafamilias & materfamilias fuit, duplici poteſtate in eandem concurrente, ut in Galliis approbatum ſcribit Joannes ille Faber §. 1. *Inſt. de SCto Tertull.* Neque vero duplex ſtatus contrarius in eadem perſona conſtituitur, qui magnis viris diſplicuit, *l.* 1. *verſ. Quis enim. C. de Lat. lib.* Bart. *l. feminum* 3. *C. qui teſt. fac. poſſ.* Barbat. *conſil.* 2. *num.* 31. *lib.* 2. ſed jus duplex poteſtatis, quae in manu ſemper retinet filiam & uxorem. Filiam autem familiae fuiſſe, matrimonii diſſolutio probavit ejus, quae inſcio patre non potuit, aut ex officio non debuit renovare nuptias, *l.* 18. *D. de ritu nupt. l.* 11. *D. de ſtat. hom. l.* 7. *C. de nupt.* Matrem vero familias fuiſſe, quae in mariti domo viveret, proculdubio eſt: ut enim dicitur paterfamilias, qui in domo dominium habet, quamvis filium non habeat, ita & materfamilias, quae in dominii conſortium & communionem venit, etiam non ſublatis liberis. Unde quae Gellio *d. lib.* 18. *cap.* 6. vana & inanis Helii Meliſſi videtur obſervatio, jam ridicula apertiſſime cernitur. Sed Gellius matronam, quae in matrimonium cum viro conveniſſet, quoad in eo maneret, etiam ſi liberos non tolleret, matrem vero familias eam ſolam, quae in mariti manum, mancipium, familiamque veniſſet, proprie dictam fuiſſe putat: ejuſque ſententiae ſuffragium Ciceronis accedit, qui Fabiae, ut matrifamilias, legatum, niſi per coëmptionem in viri manum veniſſet, ad Trebatium ſcripſit non deberi. Erant illa quidem vera ſuo tempore: at poſteaquam Uſus, de quo tam multa, per non uſum ſublatus eſt, & ex Coëmptione ſolemnium reliquiae duntaxat, quaſi ſcalmus e naufragio ſervatae ſunt, matronae & matriſfamilias (*l.* 1. §. *omnem* 2. *l.* 15. §. *ſi quis virginem* 19. *D. de injur.* Sueton. *Tib. cap.* 35.) promiſcuam acceptionem in autoribus legimus. Amplius, hujus familiarior & uſitatior uſurpatio, latior multo quam olim eſſet, cum tempore facta eſt. Habet enim Ulpianus *l. pronuntiatum* 46. §. 1. *D. de verb. ſign. Matremfamilias accipere debemus eam, quae non inhoneſte vixit: matrem enim familias a caeteris foeminis mores diſcernunt atque ſeparant.* Proinde nihil intererit, nupta ſit an vidua, ingenua

ſit

ſit an libertina: nam neque nuptiae, neque natales faciunt matresfamiliarum, ſed boni mores. Addo quoque Marcelli verba, *l. probrum* 41. §. 1. *D. de rit. nupt. Si qua ſe in concubinatum alterius, quam patroni tradidiſſet, matrisfamilias honeſtatem non habuiſſe eum dico.* Debuit enim pudica mulier ſe in matrimonium, non in concubinatum dare: niſi vir illam in concubinatu habere maluerit, vicinis aliisque ſcientibus, ſobolis procreandae cauſa, *d. l.* 3. *D. de concub. d. l. ſi vicinis* 9. *C. de nupt.* qua teſtata, etiam ſi nulla inſtrumenta nuptialia ſint, non tam concubinatus quam matrimonium, & nuptiae Uſu veteri contractae ſunt. Indeque liberi legitimi, & foemina honeſtae vitae matrisfamilias nomen habet: & notabiliter id ſignificant Ulpiani verba, *neque nuptiae.* Decenter vero liberta concubina patroni fuit, *quippe cum honeſtius ſit patrono, libertam concubinam, quam matremfamilias habere*, inquit Ulpianus *d. l.* 1. *pr. D. de concub.* libertam ſcilicet ſine teſtatione, aliam cum teſtatione, ut diximus. Ergo liberta a matrefamilias discriminatur, & ita ſe res habet: at nihilominus ſi cum patrono non inhoneſte vivat, materfamilias dicetur, cujus honeſtatem illi concedit Marcellus: *Neque nuptiae, neque natales, &c.* ait ille. Sed quid de Ulpiano, cum ſibi ipſi non ſatis conſtans, *matresfamiliarum* dixit, *l.* 4. *D. de his qui ſui: quae ſuae poteſtatis ſunt?* an ſui ipſius illum diſſimilem, immemoremque dicemus? Hoc verum eſſe liquido apparet, ſed admittit & illud, neque negat, de quo genere acceptionis diximus. Scioli vero de nominibus hic agi in vulgus efferent, proferent, dictitabunt: at, niſi livor & oculis & mentibus obſtet, inſpiciant autorum juris ſententias elucidatas, quas non intelligunt, &, quod pejus eſt, diſſimulatione negligunt. Velit Deus Optim. Max. doctorumque calculus faxit, ut conjecturae aut divinationes noſtrae tam amabiles probabilesque ſint, quam maxime cupimus, etſi veras minime contendamus! Equidem potui Feſti Pompeji, Servi Mauri, Severini Boetii, & complurimorum literas in teſtimonia ſuperiorum producere, ſed tot autorum nomenculatio ſtudioſis faſtidium ſine utilitate adſert, & putidae cujusdam diligentiae potius ſpeciem prae ſe fert, ineptaeque ambitionis, quam ingenii divitis ſpecimen, aut indicium eruditi maturive judicii. Conſtitutum eſt igitur ex illo priſco jure civili mulierem eſſe & in patris poteſtate, & in mariti manu: quod ſi eſt, filiafamilias nupta teſtari minime potuit, *l.* 6. *D. qui teſt. fac.* §. 1. *Inſt. de SCto Tertull.* ubi Aret. Tit. enim Cajus dicebat, *Qui in poteſtate parentis eſt, teſtamenti faciendi jus non habet*, quoniam teſtamentum eſt rerum ſuarum ordinatio atque diſpoſitio, inquit Theophilus §. 1. *quib. non eſt perm.* filia vero familias diſponere non poteſt, quae nihil proprium habere poteſt: & ea ratio quandoque Ulpiani *epit. tit.* 20. fuit: *adeo ut quamvis pater ei permittat, nihilomagis tamen jure teſtari poſſit.* Haec ex ſcripto Caji ſunt, cum quo idem Martianus *l. tum is* 25. *D. de donat. cauſ. mort.* ſentit: puta ſi de parte patrimonii ſui, pater filium teſtari velit, permittat & concedat (pro eodem enim ſunt licentia & conſenſus, a Tabulariis nimium repetita & diſtincta, ſicut eadem ſunt permittere patrem, & velle, *d. l. tam* 25. *l. filiusf.* 7. §. *ult. D. de don*) adhuc tamen filius teſtari non poterit jure, ſcilicet, ut ejus teſtamentum ratum habeatur: de facto vero lex non curat. Ejus ſententiae ratio inde promitur, quod teſtamenti factio ſit publici juris, *l.* 3. *D. qui teſt. fac* non illius, quod ad magiſtratus attinet, in quo non obtemperat filiusfamilias patri, *l. nam quod* 14. *D. ad Senatusc. Treb. l.* 9. *D. de his qui ſunt ſui vel alien. l.* 14. §. 4. *D. de munerib.* cujus poteſtas interquieſcit Tauro Philoſopho apud Gellium *lib.* 2. *cap.* 2. ſed juris communis publicitus recepti, *l.* 8. *D. de tutel. l.* 23. *D. de eo quod met. cauſ. l.* 29. *D. de teſt. tut.* Ideo ne oporteat dicere privati hominis voluntatem legum viribus praepollere, juris conſtitutio patris conſenſu non cenſetur: cujus habita ratione fieri poſſet, ut quidam filiifamilias teſtarentur, & quidam minus, pro diverſa parentum charitate & voluntate: ſed eſt TURPE incerto jure vagari, ait in Querela Jurisprudentia. Plane illo tam Ulpianus, quam Theophilus inclinaverunt, ut non teſtetur qui in poteſtate eſt, penuria defectuque rerum, de quibus ut ſuis diſponere ex voto poſſit: ſed & novi juris Doctores in eam ſententiam ierunt, Aret. §. 1. *num.* 5. *quib. non eſt per. fac. en l. ex qui ſolv.* 88. *D. de haered. inſtit.* ut dicerent eum, qui egeſtate inteſtabilis ſit, ceſſante impedimento teſtari poſſe. Equidem poſteaquam pagani filiifamilias certis caſibus proprium habent, *auth. excipitur. cum ſeq. C. de bon. quae lib.* in quibus nec uſusfructus eſt patris; quid obſtat cur non teſtentur? In adventitiis, quibuscunque filiofamilias lex haeredem dedit, *l. quod ſcitis* 2. *& ſeq. C. eod.* quid cauſae eſt, quod ipſe ſibi facere non poſſit? hic patris conſenſum non deſidero, ne filii voluntas poſtrema ex aliena pendeat: in quo ingenia noſtrorum defecerunt. Frenum autem eorum animis adhibuit Imperatoria conſtitutio, *l. penult. C. qui teſt fac. poſſ. l. ult.* §. 5. *verſ. Filiis autem. C. de bon. quae lib.* qua ſicut populus A. in ſuffragia ferens, dum antiquam approbaret legem, novam rejiceret, Juſtinianus per omnia antiquam legem voluit conſervari, quae filiorumfamilias teſtamenta niſi certis caſibus non accipiebat. Antiquitatis ratio ob oculos poſita eſt, & eam hodie ceſſare oculis, ni fallor, ſubjeci. Conſtitutionis Juſtinianeae rationem ſtudioſi juris novi quaeſierint! Sane durum & iniquum novum jus illud plerisque magni nominis videtur, ubi veritatem excutiunt, & hanc quaeſtionem tractant: Bartol. *ad d. l.* 6 & Scrib. *ad l. ſenium* 3. *& l. penult. C. qui teſt. fac. poſſ.* quorum non ab re erit ratiocinationem expendiſſe eos, qui ad unguem civilis diſciplinae rationem callere curdi habent: neque enim delicatorum votis jus favet, qui nihil niſi Ciceronianum legere vel audire poſſunt. *Sed nunc jam repetum*, ait Lucretius, *lib.* 1. *verſ.* 419. *coeptum pertexere dictis.* Nupta filiafamilias ex iis, quae diximus, fortaſſe tantum ſubjecta marito, quo ad juſta exhibenda, quo jure omnia, quae ſibi obvehiſſent, patri quaeſiſſet, teſtari non poterat: *l.* 1. *D. ſi a par. quis fu. man. l. ſi uxorem* 5. *C. de condit. inſert.* ſed ſi tres liberos ſuſtuliſſet, honoris cauſa, favoreque liberorum, vivo ſuperſtiteque patre, adverſus juris communis regulas recte teſtabatur, ſi qua fides Plutarcho habenda eſt in jure veteri referendo: quod ſi olim filiafamilias ut nunc eſt, capax acquiſitionis fuiſſet, de plano perciperetur. At ubi nihil habuit, an non inanis habita illi gratia, an non inutilis conceſſio privilegiarii juris fuit? quando ſcitum & tritum eſt illud Theophili, *extrem.* §. 1. *quib. non eſt perm. fac.* ſi is, cui novi juris quidpiam conceſſum eſt, eo non utatur, locum eſſe veteri legi. Igitur mater filiorum trium deceſſit rerum inopia inteſtata. An patrem coactum fuiſſe dicemus, ad conſentiendum filiae de dote teſtaturae? quid ſi filia indotata nupſiſſet? nondum vigente ſervatave Auguſtini ſententia, *can. nullum* 30. *quaeſt.* 5. matrimonium ſine dote nullum. Dicere filiaefamilias, nihil habenti, facultatem teſtandi inutilem, a vero non abhorret, aut certa a veriſimili: ſed filia dotata, quomodo ſe res habuit, non ita eſt expeditum. In aliis juris articulis ex Caſſio regula eſt, *l.* 2. *D. de jurisdict. Jurisdictione data, videri conceſſa eu quoque, ſine quibus jurisdictio explicari non potuit:* in ſimili, *teſtamenti factione data, conceſſa & ea videri debent, ſine quibus fruſtratoria & inutilis eſſet conceſſio.* Unde conjectura colligo, ſimul cum teſtandi facultate dotis filiaefamilias conſtitutae dominium eidem fuiſſe tributum, etiam patre ſuperſtite: indeque verbum Ulpiani, *l.* 3. §. *ergo* 5. *D. de minorib. l. pater* 71. *D. de evicton. maneſſe puto, Dos ipſius filiae proprium* patri-

patrimonium eſt, quod facilius reperias qui oſtentent, quam qui intelligant. Eo item & illud pertinet, quod ex Gordiani conſtitutione evincitur, *l. 7. C. de nupt.* filiam, quae nuptias inſcio patre renovaſſet, ob jura illius neglecta multari dotis amiſſione. Quid autem filiamfamilias attingeret repetitio dotis patri conceſſa, niſi a dotis dominio & jure cecidiſſet ea ipſa, quae adverſus patrem actione caret, ſi velit cum dote reiterare nuptias? Haec ejus reſcripti interpretes animadverterunt. Quae de jure teſtandi foeminis matribus natorum trium praeſtito ſatis erunt, ſi unum addidero, deficiente patre mulieris nuptae, neque nuptias, neque jus mariti, uxoris teſtamento praepedimentum objicere, quod priſci certique juris eſt, *l. ult. D. & C. ſi quis aliq. teſt.* de eoque non ſemel Baldus, *lib. 2. conſ.* 39 & 59. Alexander, *lib. 3. conſ.* 31. & L. Romanus ex facto conſulti reſponderunt. Galli Burgundiones ſine licentia mariti mulierum teſtamenta non probant ex jure moribus recepto, ut autor eſt Chaſſanaeus, *Conſuetud. Burg §. la femme ſoit. ver. ne peut faire.* Sed Licentiae nomen in quotidiano ſermone vulgatum, ut a Latino expromptum eſt, autoritatem non ſignificat, in quo a Tabulariis, qui plus ſibi ſapere videntur, plus peccatur, ſed conſenſum, ut jam diximus: idque Juſtiniani conſtitutio confirmat, *l. ult. §. ubi autem pueriles 6. C. de bon. quae lib.* ubi puerilem aetatem patri licentiam praeſtare continet, quibus exaudire autoritatem patri praeſtitam, plus quam ridiculum ſit. Haec autem ideo expendo, quod conſenſus praeponderat autoritati, ut Socino placuit, *lib. 4. conſil. 23. num.* 10. undeque puto minorem inter Burgundiones foeminarum libertatem, quam in Gallia Braccata, ubi jus ſcriptum in hac quaeſtione ſequimur, quod temporum ſuffragia confirmarunt.

CAPUT XXXI.

De tutelae liberatione ex Jure trium, deque veteri jure tutelae perpetuae mulierum, varia Juriſprudentum ſcripta illuſtrata.

His tempeſtivum eſt adjicere caſum, eo nobiliorem, quo poſitum in difficili cernimus ex ſcripto Plutarchi; ubi Veſtali, ſicut matri natorum trium, ſingula ſine curatore facere licuiſſe refert: ergo Jus trium matres a tutela curaque perpetua liberavit, cui ſubnixae, libertate naturali defraudatae fruſtrataeque videbantur. Erat autem perpetua tutela in jure veteri: quod ſi tam facile in uſum & commoditatem a mortalibus inter eos revocaretur, ac inter politioribus literis tinctos, vivae doctrinae compotes, in priſtinum eſt reſtitutum, meliuſcule reſpublicae ſe haberent, multoque melius cum privatis hominibus ageretur. Itaque jus erat antiquis, quantum ex Ulpiano ad nos pervenit, *epit. tit. 11. §. 1. de tutelis*, ut tutores conſtituerentur *tam maſculis quam foeminis: ſed maſculis quidem impuberibus duntaxat propter aetatis infirmitatem; foeminis autem tam impuberibus, quam puberibus, & propter ſexus infirmitatem, & propter forenſium rerum ignorantiam.* Quibus pro ratione accedit Baldi urbane faceteque dictum, *l. 4. C. de ſponſalib.* Bald. *lib. 3. conſil. 385. & alibi. Mulieres integrum conſilium non habent.* De maſculorum tutela, nihil eſt nobis propoſitum. De foeminarum tutela hoc primum videtur, illius, ut dativae, duntaxat habitam rationem, cum illi defeciſſent, qui moribus & legitimo jure in foeminas poteſtatem haberent; de quibus ſupra relata fuit Portii Caronis ſententia. Quod nunc profero, de Hiſpala libertina ſignificat Livius his verbis, *lib. 39. cap. 9. in fin. Quin eo proceſſerat conſuetudine capta, ut poſt patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutore a Tribunis & Praetore petito, cum teſtamentum faceret, unum Ebutium inſtitueret.* Ubi veſtigium priſci juris apparet; de quo ſic ex Ulpiano legimus, *d. tit. 11. §. 18. de tutel. Lex Attilia jubet mulieribus pupilliſve, non habentibus tutores, dari a Praetore & majore parte tribunorum plebis: quos tutores Attilianos appellamus. Sed quia lex Attilia Romae tantum locum habet, lege Julia & Titia proſpectum eſt, ut in provinciis quoque ſimiliter a praeſidibus earum dentur tutores.* Id porro, quod de lege Attilia ſcriptum eſt, ante DCLXVIII. Urb. cond. conſtitutum fuiſſe ex Livio temporum ratio ſuadet, quiſquis ex tot Attilis Conſulibus ex aliisve fuerit autor legis Attiliae. Sane ſecutis temporibus Imperator Claudius, Sueton. *Claud. c. 23. ſanxit ut pupillis extra ordinem tutores a Conſulibus darentur*, id eſt, quolibet loco quolibetque die, *l. 3. §. ult. D. de tutel. l. 8. D. de tut. & cur. dat.* Inde Cornutum a Conſulibus tutorem datum in Plinii *epiſtolis* legimus, *epiſt. 13. lib. 9. l. 1. D. de confir. tut.* & Conſularem poteſtatem, ſi quid deficeret in tutore non recte dato, repleviſſe ex principalibus reſcriptis in Modeſtino. At ſi de pupillis tantum edixit Claudius, de foeminarum tutela Praetoris adhuc & tribunorum cognitio fuit, niſi foeminarum tutelam, lege Claudia ſublatam, ex Ulpiano *d. tit. 11. de tut.* malumus, ſcripto ob varios codices ambiguo. Sed, deſueſcente lege Claudia, cum tempore nihilominus Romae, ſive a Praetore cum tribunis, ſive a Conſulibus, ſive poſt Antonini Philoſophi legem a Praetore tutelari vel in provinciis a proconſule, ſive ab ejus legato, ſive a praeſide, ſive a praefecto, ſive a judice, qui idem cum praeſide, rectore, & moderatore fuit, *l. 4. D. de tutor. & curat. l. 7. C. Th. de cenſu ſive adſc.* vel in municipiis a magiſtratibus, ut duumviris, ſive a decurionibus quandoque, tutor mulieri dabatur, cum illius e re erat, vel cum ipſa poſtulabat. Illi vero ſine lege, quae ad nos pervenerit, imo & contra Claudiam ipſam tutelae foeminarum dationem, de qua tam multa Ulpianus, uſurpabant: quorum tandem uſus lege Conſtantini approbatus fuit, *l. 2. C. Th. de tut. & cur.* his verbis, *in foeminis tutelam legitimam conſanguineus vel patruus non recuſet*: quibus pro antiqui juris autoritate ſublatam legem Claudiam reſcripſit Imperat. Leo, *l. 3. C. de leg. tut.* ad pupillas foeminas reſtringens, quod late & generaliter tam de puberibus, quam de impuberibus ſanxerat Conſtantinus. Proinde ante Conſtantinianam legem, adverſus Claudiam uſu recepto, non uno tantum caſu, nec uno duntaxat modo, tutores foeminis dati fuere: ſicut enim antiquis ex Ulpiani obſervatione tutores aut legitimi erant, aut Senatuſconſulto conſtituti, aut moribus introducti, mulier aut legitimum, aut ex Senatuſconſulto aut moribus tutorem naniſcebatur. Legitimum, id eſt, qui ex lege aliqua deſcenderet, habuit mulier aut lege Attilia, aut Julia de marit. ordinibus: Illâ, uti diximus, cum deficeret tutor, ſive teſtamento datus, puta ante vel poſt certum tempus, *l. 7. 8. 11. §. 1. & ult. D. de teſtam. tutel.* vel ante vel poſt conditionem, pendente jure legitimorum, dum teſtamentaria tutela ſperabatur, ſive deficeret tutor ex XII. Tabul. conſtitutus, ut agnatus aut patronus, *l. 3. in extr. & l. 6. in fin. D. de leg. tut.* vel qui erat vice legitimi, ut parens manumiſſor: deficeret autem ſive morte naturali, ſive civili, ut captivitate, aliove impedimento, *l. 14. & 15. D. de tutel.* quae omnia Triumviri ſatis diligenter proſecuti ſunt in Juris elementis, *lib.* 1. Ex lege Julia, habet Ulpianus, tutor datur a Praetore urbis ei mulieri virginive, quam ex hac ipſa lege nubere oportet, & ita pubes eſt, ad dotem dandam, dicendam, promittendamve, ſi legitimum tutorem illa non habeat. Haec vero tutoris loco, ſuppoſito curatore, ex Ulpiani *lib. 1. de omnibus Tribunalibus* in Digeſtis ita legas, *l. 7. de tut. & cur. dat. Non tantum ad dotem dandam nupturae curatorem dari oportet, verum etiam ei, quae jam nupta eſt: ſed & ad dotem augendam datur, & mutandae quoque dotis gratia, curator dari poteſt.* Unde

nam

Digitized by Google

cum permutatio dotium conventione fieri poſſit, ea ſcilicet forma ſervata, quam Modeſtinus *l.* 25. 26. *D. de jur. dot.* perſcripſit; quis non videt, ſi de nuptae mulieris dote mutanda quaeratur, quae xxx. annos nata ſit, vel duntaxat xxv. exceſſerit, etiam & illi majori curatorem conſtitutum? cujus ſive generalis, ſive dotis dandae cauſa conſtituti, adamuſſim Terentius Clemens *l.* 61. *D. eod. tit.* officium explicavit. Sed ne diverſos unum & idem munus obiiſſe, vel ne diverſa eosdem autores de uſu forenſi retuliſſe dicamus; an non probabilius eſt, pro tutore curatoris nomen eorum ſcriptis accommodaſſe Concinnatores? cum *tutorem* ab Ulpiano *l.* 11. §. *ult. D. de teſt. tut.* dictum, reperiam in epiſtola Imp. Alexandri *l.* 2. *C. in quib. caſ. tut. vel cur. hab. curatorem* vocatum, non ſine uſurpatione. Senatusconſulto mulier quoque tutorem habuit, qui dabatur a Praeſidibus in Provinciis, ad illius exemplum, quem ab Urbico Praetore ex lege Julia diximus dari, ſi legitimum tutorem illa non habebat. Praeterea in locum muti furioſive tutoris, alterum dandum eſſe tutorem ad dotem conſtituendam Senatus cenſuit. Eodem enim jure ſuccurſum oportuit illi, quae tutorem inutilem habuit, ac illi, quae tutore caruit, ad inſtar legis Juliae, ſive in Urbe, ſive in Provinciis: quod paria ſint non habere tutorem, & illum habere, qui tueri non poſſit: & ita *compluribus Senatusconſultis factum eſt, ut in locum muti & ſurdi tutoris, alii tutores dentur*, *l.* 17. *D. de tut.* ne ii retinerent tutelam, qui illum accipere vetarentur, *l.* 1. *D. eod. l.* 10. *D. de leg. tut.* Obſervandus itaque caſus hic eſt, libris Conſtitutionum *tit.* 36. *lib.* 5. *C. Juſt.* omiſſus, quo tutorem habenti tutor datur, adverſus regulam juris antiqui, *l.* 27. *D. teſt. tutel.* Tertio ex Senatusconſulto in omnem rem tutor datur mulieri ei, cujus tutor abeſt, inquit Ulpianus, ſive reipublicae cauſa abſit, *l.* 5. *D. de tut. & cur. dat.* ſive propria, neſciens ſe tutorem creatum, *l.* 2. *D. eod.* ſive alio modo abſit a civitate, *l.* 15. *D. de tutel.* & *l.* 11. §. 4. *D. de teſtam. tut. l.* 1. *C. in quib. cauſ. tut. vel cur. hab.* ut qui ab hoſtibus receptus ad eos transfugerit, quo quidem capto, tutor Atilianus dandus fuiſſet priori morte civili deficiente: ſed cum abſens tutor ſervus non efficitur, ait lex, tutor manet, & interim praeſides ex Senatusconſulto alium ejus loco ſufficient. In locum autem tutoris abſentis novum dari, decreto exprimendum fuit, ſi voluit magiſtratus cavere, ne datio nulla tamquam tutorem habenti facta diceretur: *l.* 10. *D. de tut. & cur. dat.* quod hodie quoque ſervandum eſt. Suffectus vero usque ad reditum tutoris abſentis tutor fuit, illoque non redeunte in tutela perſeveravit, *l.* 12. *D. de tutel* in impuberibus usque ad tempus pubertatis; ſed in puberibus, ut puto, non item, ne longior nec cogitantis implicatio recepta videatur. Fuit ergo illi magiſtratus officium merum poſtulandum, & ſupplici libello, ut conjicio, jus publicum & commune invocandum. Excipitur tamen a ſuperioribus ſpecies illa, qua patronus, ejusve filius, libertae tutor, ſi abfuit, non propterea in illius locum datus alter tutor fuit, *niſi ad adeundam haereditatem & nuptias contrahendas*, ut idem ſcribit. Hoc vero eo notandum eſt, quod vitiat regulam juris civilis, quae certae rei tutorem dari prohibet, §. *certae* 4. *Inſtit. qui teſt. tut. dar.* lex autem Julia primum ad dotem dandam, dicendam vel promittendam tutores admiſit, muliere tutorem nullum habente, quod Senatus ab Urbe ad Provincias extendit. Deinde cum vitio corporis tutorem inutilem habuit mulier, exemplo legis Juliae, certae rei nempe, doti conſtituendae Senatus tutorem dedit. Item cum abſens patronus, patronive filius mulieri inutilis tutor fuit, ſaltem ad rem certam, utpote nuptias contrahendas, & adeundam haereditatem, tutorem dari Senatus cenſuit: ſi non in omnem rem permiſit, honoris, ni fallor, eis habiti cauſa, ob Jus patronatus. Hique fere ſunt caſus ex veteri jure ſervati, quibus certae rei datos tutores legimus. Porro mulieri *impuberi tutorem ad adeundam haereditatem permiſſum ex cauſa* Marcianus ait, *l.* 9. *D. de tut. & cur. dat.* Sed Ulpianus vult idem in impubere & in majore: quod ex ratione fuiſſe puto, *quoniam curatoris autoritas ad adeundam haereditatem inutilis eſt*, inquit Modeſtinus *l.* 17. *D. de appell.* Ergo mulier cum curatore adire haereditatem non potuit. Jam ponas, puberem mulierem fuiſſe, & annos adoleſcentiae non exceſſiſſe, niſi per ſe adire potuerit, quod nequivit, certe tutori opus illi etiam puberi fuit. Amplius ad nuptias contrahendas tutorem mulieri datum quid ſit, Ulpiano in diſceptationem cadit. Nuptias contrahere, & matrimonium contrahere, pro eodem ſunt Julio Paulo, *l.* 10. *D. de ritu nupt.* ſed ad officium curatoris non pertinet, nuptiae contrahantur an non, *l.* 20. *D. eod. gloſſ l.* 4. *C. de ſponſal.* Unde non videtur Ulpianus ad matrimonium contrahendum exegiſſe tutorem, quem plerumque pro curatore in hac quaeſtione libri noſtri uſurparunt, *l.* 3. *C. de in lit. dan. tut.* nec reverentia patroni, quam Julianus *l.* 45. §. *ult. D. de ritu nupt. l. qui duos* 9. §. *ſi cum filio.* 2. *D. de reb. dub.* apud illum obſervat, efficit quo magis tutor extrarius matrimonio adhibeatur. Malim itaque *ad nuptias contrahendas* tutorem adhibitum exaudiri, pro eo, quem lex Julia ad dotem dandam, dicendam, promittendamque accommodavit: alii vero, qui melius conjecerit, erunt per me credita omnia. Alia quoque in ſpecie Senatus cenſuit tutorem pupillo pupillaeve dari in ejus locum, qui ut ſuſpectus remotus fuerat, *l.* 54. §. *praeterea* 4. *D. de tutel. l.* 11. *D. de teſtam. tut. l.* 2. & 4. *C. in qui cauſ. tut. vel cur. hab.* vel juſta excuſatione liberatus: ſed haec ad nos non pertinent, qui tantum de puberum mulierum tutela quaerimus. Moribus autem is tutor, quem introductum ex Ulpiano diximus, dabatur ab Urbico Praetore mulieri pupillove, qui cum tutore ſuo lege aut legitimo judicio agere vellent, eo autore ſolemnitate juris ſervata ubi tutor (a) exigitur acturi, (b) & is Praetorianus dictus fuit. Lege autem agebant, cum ex forma legis & poſitura conſtitutionis in jure experiebantur: legitimo judicio, cum formulam & judicium a Praetore ſecundum leges daturo impetraſſent: quae diſcrimina poſtquam extraordinaria omnia judicia facta ſunt, *d.* §. *ult. Inſt. de aut. tut.* ſublata quoque ſunt, & eo res judiciaria redacta, ut poſſimus cum Julio Paulo *l. actio* 47. §. 1. *D. de neg. geſt.* dicere, *in extraordinariis judiciis, ubi conceptio formularum non obſervatur, ſubtilitas ſupervacua eſt*: qua de re plura ad conſtitutiones *de formulis ſublatis*. Sed generale, in omni ſpecie tutorum, obſervatum ab Ulpiano diſcrimen fuit inter tutores, pupillis & mulieri datos: quod *impuberum tam pupilli quam pupillae tutores, & negotia gerunt, & autoritatem praeſtant*, inquit ille *tit.* 11. §. 25. *de tutel. ſed mulierum tutores duntaxat autoritatem interponunt*: & in his fere rebus, ſi lege aut legitimo judicio agant; ſi ſe obligent; ſi libertae ſuae in contubernio alieni ſervi morari permittant; ſi mancipia alienent. Pupillis autem hoc amplius etiam in rerum nec mancipi alienatione tutoris autoritate opus eſt, ut idem ſcriptum reliquit. In haec autem plerumque officium tutoris deducitur, quod de trium fontium ortum ex aliquo: neque enim facile in libris civilibus tutoris eſt mentio, qui non aut ex legibus, aut ex SCtis aut ex moribus, ſuperiorum collatione arguatur deſcendiſſe. Plane mulieres, ſi triplici modo ſubnixas tutelae probavi, condoleant nobiscum pragmatici Concinnatorum vicem, qui dum aeque & benigne ſe litium fomenta excidiſſe videri vellent, inique & maligne Tutelare jus antiquum a luce fori & civium aſpectu ſuſtulerunt: dum illud, ex unguibus cognito leone, quotidie Galliarum Senatus arreſtis ſuis deſiderant. Autoritatem mariti neceſſariam judicium ſuſcepturae mulie-

(a) *l.* 4. & 5. *C. de in lit. dand. tut.* [b] §. *ult. Inſt. de aut. tut. l. curatorem.* 19. *D. eod.*

mulieri litium eventus, & curiae Pariſienſis decreta docuerunt, Papon. *Areſt.* 10. *&* 11. *tit.* 1. *lib.* 7. Sed, marito forte latitante, quomodo potuit cum muliere judicio agi? Ampliſſimus ordo ſaepe mulieri praeſtitit autoritatem judicium ſuſcipiendi, *Areſt.* 12. 13. *&* 18 quam & Juridicus ex officio, recuſante marito, dediſſe poteſt. Sed ubi conficta abſentiae maritalis cauſa probabilis, vel ubi inopia mariti periculum executorii judicii ex juſſu judicis nuntiati, & comminationem eludit; an non proluſoria curiae ſacroſanctae decreta, & ludibrio habita judicum praecepta cernuntur? Quod ſi tutores adhuc puberibus foeminis darentur, tutore autore recte judicium ſuſciperent, neque tot litium incommodis res privatorum vexarentur. Imp. Juſtiniani qualisqualis legiſlatio, fortaſſe noſtrorum animis ſuggeſſit, maritum autorem uxori fieri poſſe: quod neque ille prodidit, neque ex jure mariti fuit. Socerum quandoque nurui curatorem datum, vivo filio maritoque, item & virum uxori curatorem conſtitutum, mandatis principum accepi, & alios eorum loco creatos curatores, *l.* 3. *C. de interd. matr. l.* 4. *&* 17. *C. de excuſ. tut.* Nunc vero quid cauſae eſt cur non dentur, ſi non priſci tutores, ſaltem ejusmodi curatores? Quid maritus rerum dotalium dominus eſt? Saltem in paraſernis, quare ubi mulier agitur, non dant tutorem aut curatorem pro ſua juriſdictione magiſtratus? Si Juriſprudentium teſtimonio etiam in libris civilis ſtudii recepto, *d. l.* 61. *D. de jure dot. & l.* 7. *D. de tut. & curat. dat.* ad dotem augendam ſimiliave facienda, aut indiſtincte generalis curator datur, nonne vel e Cimmeriis tenebris elucet, mulieres indiſtincte, ſive majores, ſive minores XXV. ſine curatore non fuiſſe? Sed inſtitutum noſtrum intentius perſequamur. Mulieribus tutores datos diximus, quos in Digeſtorum ſcriptis, ſi cum Ulpiani *Inſtitutionibus* conferas, dictos curatores videbis. Docebit autem ille hoc amplius, futilem & vanam obſervationem Theophili §. 1. *Inſt. de curat.* de differentia tutorum & curatorum, quod tutor ad certam cauſam non detur, curator econtra: ſed & illum ad certam cauſam datum ex Ulpiano ſupra demonſtravi, & hoc in facdi eſt. Quod autem Theophilus notat curatorem & puberibus & impuberibus dari, tutorem autem ſolis impuberibus, ex ſuperioribus corruit, ſi Ulpiani non elevatur autoritas, qui & puberibus foeminis tutores datos ſcribit. Sed puella XII. anno implente, tutorem deſinere Papiniano, *l.* 13 §. *ſi puellae* 2. *D. de tut. & cur. dat.* placuit; quoniam tunc curatores deſiderantibus & volentibus dari ſolerent. Equidem illa vera ſunt, nec a traditionibus noſtris abhorrent: pupillorum pupillarumque tutorem & negotia geſſiſſe, & autoritatem praeſtitiſſe dixit Ulpianus §. 25. *fragm. de Tutel.* idque munus anno duodecimo puellae finitum voluit Papinianus, nec Ulpianus repugnat, cum id non impediat, ad autoritatem mulieri praeſtandam etiam majori tutorem datum. Eo ſane, quod datum poſtulantibus majoribus XII. curatorem Papinianus voluit, non conturbari debemus, cum non impediat exinde quoque tutorem datum, ubi petitus fuit. Titi namque Livii teſtimonium protuli, ſi magis hiſtoria delectat, quo Hiſpala libertina mortuo patrono ex illius manu liberata, finita tutela, §. 1. *Inſtit. de leg. pat. tut.* quam ille ex XII. Tabulis habebat, tutorem ſibi dari petiit, quo autore ut ſuaſore teſtamentum faceret: ei vero etſi puberi teſtamenti factio fuiſſet, *l.* 6. *D. qui teſt. fac. poſſ.* exinde tamen teſtaturae tutoris neceſſaria erat autoritas. Ulpian. *extr. tit. Inſt. de teſtam.* Unde tentari poteſt puberem foeminam ſibi tutorem petiiſſe, ſine quo nihil agere, gerere nihil, aut contrahere poterat. Ea de re egrediens tutela, niſi me conjectura fallit, ab eo, qui impuberis tutor fuiſſet, admoneri ſolebat, de tutore, qui ei in poſterum autor fieret electione vel voluntate poſtulando: quod tutori, deficienti ex officio, adhuc non diſſimiliter incumbit, *l.* 5. §. *ſi tutor. pup.* 5. *D. de admin. tut.* Quo tamen caſu negligebat foemina tutorem ſibi habere & petere, cogi eam a Praetore potuiſſe, ubi aliorum interfuit, multa nobis argumento ſunt, *l.* 3. § *ſi pupill.* 2. *D. de tutel. l.* 2. §. *ſi quidem* 3. *D. qui petu. tut.* & tunc, ſicut impuberi, *l. D.* 6. *de tutor. vel cur. dat.* etiam invitae puberi ex juris ratione tutor erat. Hincque plus quam manifeſtum fit, quis ille fuerit antiquus mulieri contrahenti praeſtans autoritatem, cui neque tutoris officium, neque curatoris nomen, in libris hujus ſtudii aut dari poſſe, aut convenire Zaſius *lib.* 2. *reſponſ. cap.* 7. *& l.* 2. §. *bis leg.* 5. *D. de orig. jur.* ante nos animadvertit. Porro ſuſpectam totam hanc de tutela conjectationem reddit ſcriptum Scaevolae, *l.* 26. *D. de tut. & cur. dat.* his quae ſequuntur, *Sejae egreſſae annos* XII. *decreto praetoris ex inquiſitione datus eſt tutor, quaſi minori: quaero an excuſare ſe deberet? Reſpondi, ſecundum ea, quae proponerentur, neque excuſatione eum neceſſus eum eſſe, neque obligari quod non gereret.* Inde puberi foeminae minori XXV. ann. ex inquiſitione placet tutorem non recte dari. Namque foeminae puberis tutor nihil adminiſtrare ex officio debuit, ſed tantum autoritatem interponere, qui ex voluntate ut plurimum ipſius mulieris dari ſolebat: hujusmodi autem tutori, utpote nihil geſturo, excuſatione opus non erat. At ille, quem ex inquiſitione dederat Praetor, ſi recte datus fuiſſet, ex edicto ſatisdare tenebatur, *l.* 19. §. *hoc edictum* 1. *D. de teſtam. tutel.* ideo contra juris formam tutor datus, non habuit opus excuſatione; neque enim illa tutela oneri fuit, neque tutelae actionem directam, aut utilem, ſive ficititiam vereri debuit, quod nihil gerere, ſed tantum autoritatem praeſtare puberum foeminarum tutores ſolii fuiſſent. Quamvis curatores foeminarum adoleſcentum ſatisdediſſe non dubitem, ut ex Ulpiano conjicio, cujus ſententia propalam eſt in Pandectis, *l.* 4. §. 1. *& ult. D. rem pup. ſalv. for.* negligentesque rem adultarum gerere actionibus legitimis ſciam damnum ceſſationis reſarciſſe. Ex quibus ob oculos poſitum eſt jus tutelare, quo in foeminas uſi ſunt veteres, ut veriſſime liqueat dictum a Boëtio, foeminas in perpetua fuiſſe tutela: quod apertius Cicero *pro Muraena cap.* 12. illis verbis, *Mulieres omnes propter infirmitatem conſilii, majores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt.* Ut vero fuerint, ſive illae impuberes, ſive nuptae, ſive duitate vacantes, ex ſuperioribus innoteſcit. Inde quod mulieres in tutela ſint, in plano ratio ponitur, quare tutrices aliorum aut curatrices eſſe non poſſint, *l.* 2. *l.* 73. *D. de regul. jur. l.* 1. *C. quand. mulier. off. tut. l. ult. D. de tutel. l. jure noſt.* 26. *D. de teſt. tutel. l. ſcire* 21. *D. de tutor. vel. cur. dat.* & ita Papiniani, Ulpiani, Modeſtinique ſcripta elucidantur. Verum ut tandem poſt varios exceſſus ad Jus liberorum veniamus, ſi mulier tres liberos ſuſcepiſſet, tutela, cui ſubnixam docuimus, liberabatur, quae ſingula ſine tutore, & ſine curatore idonee agere, contrahere, gerere, facereque potuit: nec ei, ut minus rebus tractandis aptae, neceſſaria fuit ullius autoritas, ſive adire haereditatem, ſive nuptias contrahere, ſive dotem conſtituere, mutareve, ſive ſe obligare, ſive mancipia alienare, ſive lege agere, ſive teſtari voluerit. Itaque Jus trium liberorum naturalem mulieribus reſtituit libertatem, quam olim omiſerant, & ſexus infirmitate, & inopia conſilii, quo illas egere veteres exiſtimabant. Vindicationem porro liberae voluntatis, & naturalis facultatis, mulieribus, Plutarchi diligentia in *Numa* & Alex. *Genial. lib.* 4. *cap.* 8. & foelicitas in tot ſcriptorum naufragio reſervavit, cui conjectationem meam, & generali traditioni exceptionem ſimul ſubjicio. Ab autoribus enim accepi caſu complurimos, quibus ob liberos gratioſis matribus favores conceſſi, & privilegia irrogata fuerunt, ſed ita ut matres fere ſemper diſcriminatae

ſunt,

ſint, utpote cum ingenuae duo nati ſufficerent, & libertinam tres habere oporteret, exemplumque patuit ex lege Papia de ſucceſſione libertorum: *ſupra cap.* 14. & 25. item ubi tres ingenuae ſatis fuerunt, libertinae quatuor neceſſarios fuiſſe obiter attigimus ex Senatuſconſulto Tertulliano, *ſupra cap.* 27. & 28. Equidem in ſpecie noſtra liberationis a tutela, libertam quatuor liberorum Jure a tutela patroni excluſiſſe, autore Ulpiano didici, unde conjecturam capio, ingenuae foeminae tres natos a tutela volenti liberationem importaſſe: de qua ſatis haec ſuperque dicta & enarrata ſint!

CAPUT XXXII.

De Jure quatuor liberorum gladiatori primum conceſſo. explicatus Suetonius in Tiberio & Claudio, & Rudis *ſignificatio expreſſa.*

PErveniamus hinc ad Jus quatuor liberorum, quod patribus & matribus, ſicut & caetera, datum fuit. Illud porro Lacedaemoniorum legibus & moribus prius receptum comperio, apud quos trium liberorum pater a cuſtodia, & quatuor natorum pater ab omnibus muneribus erat immunis, ſive illa perſonalia, ſive patrimonialia eſſent, ſi vera Ariſtoteles *Politicῶn lib.* 2. Tiberius autem Caeſar Jus quatuor filiorum contempſit, cum paucorum *Senatorum inopia ſuſtentata, ne pluribus opem ferret, negavit ſe aliis ſubventurum, niſi Senatui juſtas neceſſitatum cauſas probaſſent. Quo peracto, pleroſque modeſtia & pudore deterruit, in quibus M. Hortalum Q. Hortenſii oratoris nepotem, qui permodica re familiari, autore Auguſto, quatuor liberos tulerat*, ut retulit Suetonius *Tiber. cap.* 47. Hic enim Hortalus, ut Tacitus *lib. 2. Annal. cap.* 37. ſcribit, erat illectus a Divo Auguſto, liberalitate decies ſeſtertiûm, ducere uxorem, ſuſcipere liberos, ne clariſſima familia extingueretur (non, ut quidam putant, coactus lege Julia de maritandis ordinibus) qui quatuor filiis ſublatis, ſaltem triplicem eorum nomine dum ſe teſſeram, ut ſupra diximus, percepturum mortuo Auguſto ſperabat, ab eo jure cecidit: & cum antea omnis ordinis patres trium liberorum, illa veteri munificentia gauderent, multo magis, ſi quis rationi locus, patri natorum quatuor, tribuenda largitio illa, & inopi Senatori concedenda fuit. Sed Tiberius de paupertate cauſam cognoſci a Senatu voluit, & ab eodem, cui alimenta eſſent danda, decerni. Sane Claudii Caeſaris laudabilior munificentia eſt, ubi hoc Jure Gladiaturae immunitatem dedit: &, *quum eſſedario, pro quo quatuor filii deprecabantur, magno omnium favore indulſiſſet rudem, tabulam illico miſit, admonens populum quantopere liberos ſuſcipere deberet, quos videret & gladiatori, praeſidio gratiaeque eſſe*, ut ille ipſe refert *Claud. cap.* 21. Omnium autem favore tribuit Caeſar Jure natorum vacationem gladiatori, quod omnes condolerent filiolis, quorum patris ſalus in tam manifeſto aſſiduoque periculo verſaretur: exitium namque & mors alterius depugnantium ut plurimum ludi finis erat, ſub *Marte judice*, ut Livius & Tertullianus deſcribunt, ille *lib.* 28. *cap.* 21. Urb. Cond. hic *conſolatoria ad Chriſtianos*, ob Verbum Domini noſtri in carcerem detruſos. Unde gladiatorum tandem ſpectacula, ut cruenta prohibuit Conſtantinus Magnus, *l. 1. de gladiator. C. Juſt. & Theod.* Inter caeteros eſſedarii fuerunt, qui ex eſſedo & curru Belgico vel Britannico depugnarent: quibus rudes indultas exaudimus pro conceſſa vacatione, ſicut in Ovidiano verſu,

Et me donari jam rude tempus erat.

Fuit autem *rudis* Priſciano *virga, qua gladiatores donati, a munere gladiationis ceſſabant, ut illa oblectarentur, qua maxime virtute & animorum ſpecimen edidiſſent.* Eo reſpexit Cicero in Antonium, 2. *Philip. cap.* 29. *in fin. Tam bonus gladiator rudem tam cito accepiſti.* Item *ad Octavium, in fin. Qui veteres gladiatores reliquias ludi Caeſaris ad* rudem *compuliſſet. Rudibus* vero gladiatores, & cum eis etiam Caligulam, & deinde Commodum Imperatores, depugnaſſe teſtes recepti ſunt Tranquillus, *in Calig. cap.* 32. & Lampridius *in Commod. cap.* 5. Sed eſſedario nec quis impetratitium Jus liberorum conceſſum putet, quod pro eo filii deprecati fuerint: oportuit enim, cum principes ad colligendam gratiam orari geſtirent, eorem vultibus & oculis ſubjici liberos: cujus vetuſti moris notae & veſtigia ſunt in lege Conſtantini, *l. 1. C. Th. de his qui num. lib. exc. mer. Impetratitium* autem dicemus *Jus natorum*, quod ſolitariis orbiſve & liberos non habentibus conceſſum fuit. Quod vero *tabulam* a Claudio *emiſſam* ait Suetonius, edictum interpretor, quo praemiis & invitamentis populum alliceret ad procreandos & tollendos liberos: nominatim vero quae praemia continerentur, nos equidem fugiunt: ab illo quippe alia quamplurima emiſſa, & effata novimus, quibus ſobolis gratia privilegia concederet: ſed ſi per peritiores licet, gladiatoribus omnibus quatuor liberis vacationem muneris datam, non inutile eſt conjectari.

CAPUT XXXIII.

De Jure quatuor, patrem in Italia a tutela excuſante.

ALter caſus eſt, quo proficuos quatuor liberos ſenſit pater in tutelae remiſſione, de qua Imperatoria conſtitutio eſt Severi & Antonini AA. Herodiano, *l. 1. C. qui num. lib. ſe excuſ. Qui ad tutelam vel curam vocantur, Romae quidem trium liberorum incolumium numero, de quorum ſtatu non ambigitur, in Italia vero quatuor, in Provinciis autem quinque habent excuſationem.* Filiorum vero qualem ſtatum exigit conſtitutio, ſi ſe pater Romanus excuſare voluit, denuo adjectum in Itali & Provincialis excuſatione interpretandum eſt, ut poſterior reſcripti pars ad priorem relata videatur: ne diverſa ſententia inducat, magis extra Urbem, quam Romae patribus principes faviſſe. Plane caetera, quae judicavi ad excuſationem ob Jus trium pertinere, in ſuperioribus executus ſum, *cap.* 17. & huic loco recte accommodari poſſunt. Ideoque a repetitione abſtineo, ne non modo aliis, verum ipſe mihi moleſtiam pariam. Cur autem Roma ab Italia, & Provinciis in conſtitutione diſcriminetur, tempeſtivius & aptius in ordine quinque liberorum explicabo. Et haec de Jure patrum.

CAPUT XXXIV.

De matre libertina filio ex SCto Tertulliano ſuccedente.

MAtribus autem, ſicut & patribus, nec uno caſu leges favent: quamvis in multis noſtri juris articulis earum, quam maſculorum, deterior ſit conditio. Quippe mater libertinae conditionis defuncti filii bona ex Senatuſconſulto Tertulliano percepit, ſi Jus quatuor liberorum habuiſſet, & ita Triumviri ex veteri jure retulerunt, & epitomator Ulpiani *de legitimis haeredibus, tit.* 26. §. 8. Neque tamen (in quo peccatur a multis) cuilibet hoc libertinae conceſſum fuit, ſed civi Romanae duntaxat, & Jus Quiritium conſecutae, ut ſignificat Julius Paulus *lib. 4. Sententiarum tit.* 9. §. 8. Si quidem dedititia libertina neque verae germanaeque libertatis ſpeciem habebat, umbra duntaxat & imaginibus utebatur. Latina vixiſſet quidem libera jugo ſervitutis, ſed ſerva deceſſiſſet, niſi ſemel peperiſſet: quo caſu tam maritus Latinus, quam ipſa, & partus filius filiave,

liave, Jus Quiritium ex lege Junia habebat. Inde ſolae cives Romanae filiis ſucceſſerunt, ſive juſte, ſive vulgo quaeſitis, ſive in ſervitute conceptis, & a libera editis: quae pluribus & curioſe Ulpianus *l. 2. D. ad SCtum Tertull.* tractat. Hac vero in ſpecie de avo paterno, de patre, deque fratribus & ſororibus filii defuncti, petenda illa omnia, quae ſuperius propoſui, & expoſui: item & illud ad Jus liberorum profuiſſe etiam natos ante defunctos, & juſtum numerum Impetratitio jure repletum quandoque, & ſuppletum fuiſſe. Verba tamen Senatusconſulti in matrum diſcrimine mihi injiciunt ſcrupulum, cur potius tres nati ingenuae, quam libertinae ſufficiant, cur potius quatuor a libertina, quam ab ingenua exigantur. Haec quidem obſervaſſe videri volo, ſed explanaſſe videri non poſſum: adeo fugit Antiquitatis ratio ab oculis noſtris remota in tenebras exteriores.

CAPUT XXXV.

De liberta Jure quatuor a tutela patroni exiliente.

OBſervavi praeterea ex Ulpiani epitome ſpeciem, qua matri libertinae quatuor nati profuerunt, ut a patroni tutela exiliret, & factionem teſtamenti ſine tutoris autoritate conſequeretur. Ulpiani vel Epitomatoris verba ſunt, *tit. 29. §. 3. Lex Papia Poppaea libertas quatuor liberorum Jure tutela patronorum liberavit: & cum intulerit jam poſſe eas ſine autoritate patronorum teſtari, proſpexit ut numero liberorum libertae ſuperſtitum, virilis pars patrono debeatur.* Explicui (*ſupra cap.* 31.) & oculis ingenioſorum ſubjeci fere omnia, quae de tutela foeminarum dici potuerunt in Jure natorum trium; ex quibus id unum firmatum eſt, etiam puberibus foeminis tutores datos: ſcitum autem ex aliis patronum fuiſſe libertae legitimum tutorem ex legis XII. Tab. mente, ſeu, ut ille loquitur, ex conſequentia. Ita, cum mulieres nec lege, nec legitimo judicio agere, nec ſe obligare, nec civile gerere negotium, nec alienare ſine tutore poſſent, ſicuti retulimus, excluſae quodammodo videbantur ab his fere omnibus, quae inter homines geruntur, contrahuntur, aguntur, fiunt, & quae liberis inter liberos licent. Sed ingenuam foeminam, quae ter peperiſſet, exemptam tutela, & omnia per ſe gerere potuiſſe diximus, illique amplius non opus eſſe tutoris autoritate, quod lege Papia conſtitutum non ſine conjectura dixerit ſtudioſus, verene, hariolus affirmaverit: ſed tamen neque ille jurare poſſet ita ſe rem habere, neque ego. Exegit autem eadem lex, ut aſſolet, prolem numeroſiorem a libertina, fortaſſe ſordidis natalibus multo minus grata, quam ingenua, ſubindeque illam quatuor liberorum Jure a legitima tutela patroni liberavit. Inde ſi generaliter & indiſtincte mulier exiluit a tutela, & autor ſibi ipſi ſufficere viſa eſt, conſequens fuit, libertam ſine legitimo tutore patrono ſuo, ut caetera omnia facere, ita quoque teſtari potuiſſe. Sane legis illius lator, ne ſibi ipſi diſſimilis, videretur, hoc capite Jus patronatus ſubvertere, quod aliis compluribus auxiſſet, cavit, ut pro *numero liberorum*, ait ille, *libertae ſuperſtitum, virilis pars patrono debeatur*. Haec vero notanda ſunt ideo, quod in Juris elementis § *poſtea 2. Inſt. de ſucc. libert.* tres natos liberti patronum excludere referatur, & libertum Jure trium libere teſtari poſſe ſupra diximus, nec legibus teneri quicquam patrono relinquere: ſed in liberta diverſum eſt, quae, etſi quatuor aut quinque liberos ſuſceperit, nihilomagis libere teſtari potuit: omni vero modo & omni caſu patrono in bonis libertae locus fuit, quem cum filiis in virilem partem admittebant ex lege Papia, niſi nos Epitomator Ulpiani fallat. Et haec fere ſunt, quae de Jure quatuor liberorum in autoribus reperio: qui poſt nos hac de re ſcribent, plura illi fortaſſe majoris ſtudii proferent, ſed non cupidioris voluntatis ſtudioſos in juris, cum veteris, tum novi cognitione ex facultate juvandi aut promovendi.

CAPUT XXXVI.

De Jure quinque liberorum, & patris excuſatione a tutela, deque inter Romam, Italiam & provincias ratione diſcriminis.

JUs quinque liberorum, quod legibus datum magiſtra lectio docuit, jam in illa ſpecie proditum eſt, qua diximus *cap.* 33. in Italia quatuor liberos, & in provinciis quinque, patri tutelae remiſſionem afferre: quae ſatis de plano poſita ſunt in legibus, neſcio an ita placide ſequantur, qui juriſdictioni praeſunt. Unum autem huc uſque diſtuli, quod explicare non cuivis, ut opinor, facillimum eſt, & ad ingenia excitanda adjungo, cum maxime quaeſtionibus poſitis extollantur, ſi diſputatio ad rationem referatur. Vetus quaeſtio eſt, & avorum & noſtra memoria, a magnis Viris tractata, *ad §. 1. Inſtit. de excuſ.* nec inutiliter agitata, cur Imperatoria conſtitutio Romae tres tantum, in Italia quatuor, in provinciis quinque liberos a patribus exigat. Movet dubitationem quod ait *orat. 3. in Verrem* [*ſeu lib. 1. cap.* 46.] Cicero, *An aliud Romae aequum eſt, aliud in Sicilia?* Ideo non eſſe e juſtitia temporis ſui ſignificavit Juſtinianus, *l. ult. C. de aediſ. priv.* aliud jus in regia civitate, aliud de eodem a provincialibus obſervari; cur ergo Romae ab Italia & Provinciis diſcrimen permiſit ipſe referri in Inſtitutiones civiles? Item cur ex Severo & Antonino, quos Triumviri autores habent, differentia relata eſt in Codicem Imperatorium, poſteaquam *in orbe Romano, qui ſunt ex conſtitutione Imperatoris Antonini cives Romani effecti ſunt, l. 17. D. de ſtatu hom.* id eſt, qui in terris, quas ex orbe Romani poſſident (eo ſenſu & in Lucae Evangelio *cap.* 2. orbis univerſi mentio eſt) ſi jus idem civium omnes habent, quare non eodem jure utuntur? ne opus ſit dicere in coloniis vel in provinciis, quae jus Italicum habuerunt, *l. 1. 6. 7. 8. D. de cenſib.* non provinciae, ſed Italiae jure uti debuiſſe liberorum patres. Aliter alii reſponderint: ego arbitror dici poſſe, principio Romanis patribus, qui ſe circa proprios liberos occupatos cauſarentur, ubi tutores dati eſſent ex Prudentum ſententia, tres natos neceſſarios fuiſſe: quatuor autem Italis, ad patrum Romanorum diſcrimen, ſed non tot ac provincialibus, *propter conjunctionem originis Romanae*, ut in ſimili Calliſtratus *l. non tantum 17. §. 1. D. de excuſat.* ait; & propter inclytam nobilitatem Italiae, quam dominam & principem Provinciarum vel ſuo tempore aſſeveravit Accurſius *gloſſ. authent. Qua in provinc. C. ubi de crim. agi oport. l. ult. C. ſine cenſ. vel rel. fun.* Quinque vero ſuſtuliſſe natos in provinciis, exigit conſtitutio, quoniam tutelam munus publicum eſſe & perſonale placuit, & munerum civilium perſonalium ut plurimum non niſi quinque liberi vacationem tribuunt. Plane tot natos habuiſſe, qui Romanorum jure viverent, patres oportuit: non qui, SALVIS LEGIBUS ET MORIBUS, in ditionem Popul. Rom. veniſſent; ut Siculos legimus in Pediano, Romano jure non tantum, ſed & cujusque civitatis propriis legibus vivere conſuevisse, & tamen Siciliam primam omnium provinciam appellitatam, autor eſt M. Tullius: qua de re multa Gellius *lib. 16. cap.* 13. Soboli ſane provincias numero locupletiores illi voluerunt, quo imperium firmius redderent, & ſeminarium juventutis, quaſi fontes hominum Romanis exercitibus miniſtrarent: quare non inconcinne civium numerum oppidi firmiſſimum ornamentum Plinius ad Fabatum *lib. 7. ep.* 32. ſcribit. Ita, quod

quod minus cum Urbe communitatis habent Provinciae quam Italia, non in hac ſolum quaeſtione, diſtinguuntur, ſed & in alio Severi reſcripto, *l. 1. D. de collect. illic.* & eum, cui provincia interdicitur, Italia quoque & Urbe ſummotum Claudius Imperator cenſuit: Sueton. *Claud. cap.* 23. Neque in propoſito diverſo jure Italia Romae & Provinciae utuntur: liberorum enim Jure utrobique excuſatio eſt, licet ſolemnitas varia juris diverſi umbram quandam inducat. Quod ſi, ut ille de petitione conſulatus, Roma eſt, inquit, civitas ex nationum conventu conſtituta, orbis univerſus civitate donatus eſt, id fuit, ut jure civium tam Italici, quam Provinciales uterentur; de quo tam multa diximus: non tamen quod in omnibus aut per omnia juris ſolemnibus exaequati ſint. Ita vero, ne Latii aut peregrinitatis eſſent veſtigia ſemper & notae, gentes univerſas, ſub Romanorum ditione poſitas, donatas jure civitatis interpretor: ſicut Italiae jure, in tractatione de cenſibus, colonias, municipia, & provincias, velut jure ſociali ne ſtipendia penderent, quae pro Romanorum libito populis, plerumque in annos ſingulos, imponebantur: ut omni Galliae, in provinciae formam redactae, exceptis ſociis & bene meritis civitatibus, imperaſſe ſtipendia Julium Caeſarem legimus: Sueton. *Jul. cap.* 25. Fructus autem & utilitas quaeſtionis in eo maxime cernitur, quod quibus in terris Jus Romanum & commune, quod vocant, *l. 7. C. de Judae. l. 10. C. Th. de jurisd.* in gradu retinetur, & ex ſcripto jus dicitur, ſi Romae jam nunc etiam excuſatio proponatur, quatuor aut quinque natis patri non erit opus, neque in Italia quinque. In provinciis vero tres nec ſatis eſſe poſſunt, nec debent: & judex, ne conniventia contra jus tam maniſtum, a publico munere promiſcuam admittat vacationem, pro religione cavebit. Res privatorum praetextu levidenſae excuſationis, & quandoque moratoriae negligendae non ſunt, ab eis oculos avertere non debent, qui Reipublicae praeſunt: domus enim incuria exhauriuntur, & ex domibus civitas conſtat, quae valere non poteſt, quaſi corpus aliquod membris male ſe habentibus & affectis. Hinc religioni ſuae & conſcientiae judices caveant, ne non illam, quae maxima pars juſtitiae eſt, perſpicientiam in cognitionibus adhibeant!

CAPUT XXXVII.

De ſacerdotiis provinciarum, deque priſcis ſacerdotibus, & Jure liberorum eos excuſante, ex Ulpiano, Papiniano, Hermogeniano, Modeſtino, Plinio, Cicerone, Suetonio, Iſidoro loci illuminati: Inſcriptiones veteres & Conſtitutiones ex Theodoſiano relatae & explicatae.

ALii quoque ſunt caſus, quibus Jus quinque liberorum inter veteres receptum fuit, in muneribus tam perſonalibus, quam patrimonialibus. De illis expeditiſſimum eſt, quod poſterius collocabo: de his, ſumptibus patrimonii & damnis adminiſtrantis expediuntur, ſcripſit Ulpianus, *l. 2. §. 4. D. de vac. mun. l. 6. §. quae munera 4. D. de muner. Quae patrimoniorum munera ſunt, numero liberorum non excuſantur. Sed in Aſia*, inquit Papinianus, *l. 8. D. de vac. mun. provinciae ſacerdotium ſuſcipere non coguntur numero liberorum quinque ſubnixi: quod Opt. Max. que princeps noſter Severus A. decrevit, atque poſtea in caeteris provinciis ſervandum eſſe conſtituit.* Sacerdotii autem munus patrimonii eſſe non ambigitur, ait Conſtantinus *l. 8. C. de mun. patr.* Quid proferemus? in autorum varietate difficile eſt diſcernere verum: & antequam profectam, hac in re, quod per caliginem video, conſtituendum eſt prius ex primo Commentariorum ad Varronem, quid de ſacerdotio referant autores, quod attinet ad Jus civile. Equidem in Urbe de eo, ut ad ſtatum rei Romanae, & ad jus publicum pertinente, acerrime controverſum, & variatum, qui Livii *decimum*, Paterculi *poſteriorem*, Plutarchi *Gracchos* legerint, ſatis ſciunt. Latam item inter caeteras legem Liciniam, qua ſacerdotes non collegium, ſed populus crearet. Sacerdotes univerſi Varroni *a ſacris* dicti ſunt, qui Pontifices, quod eos Dei ſacris vacare oporteret, ut ait Julius Paulus *l. 32. § ſacerdotio 4. D. de rec. arb.* Eorum princeps in Urbe & in provinciis *Pontifex* quidem dictus, ſed Romae *Pontifex Maximus*, & in provinciis *Maximus* item quandoque, ſed ſaepius *Pontifex* ſine addito, aut *Princeps ſacerdotum*: ut intelligo in inſcriptione, quam Viennae Allobrogum vidimus & legimus ſub iis [apud Gruter. *pag.* 283.]

VIRTVTE. FORTISSIMO. ET. PIETATE. CLEMENTISSIMO. D. N. FL. CONSTANTINO. MAXIMO. ET. INVICTO. AVG. M. ALFEVS. APRONIANVS. PP. P. VIENNE. DEV. N. M. Q. EIVS.

Dedicare vero & devovere ſi publice nemo praeter principem ſacrorum, & pontificem potuit, *arg. l. Sacra 9. D. §. ſacrae 8. Inſt. de rer. diviſ.* numini Conſtantiniano alius niſi flaminum princeps devoviſſe publicitus videri non debet. Uſurpationem autem illam, & conjectationem noſtram confirmat LXX. virorum interpretatio vetus, & Theologorum nova, dum ἀρχιερεῖα, *principem ſacerdotum* familiariter exponunt *Evang. Matth. cap* 21. & 26. *Marc. cap.* 14. item & *ſummum ſacerdotem* reddunt. Sed ex eorundem ſtylo obſervavi idem verbum, verbo *Pontificis* expreſſum, ubi Caiphas in divis Matthaeo & Marco, *princeps ſacerdotum*, & in divo Joanne *cap.* 18. *Pontifex* eſſe dicitur: quo ſenſu *Pontificis* Arcadius Chariſius meminit, *l. ult. §. 24. D. de mun. & hon.* Iſid. *Etym. lib. 7. cap.* 12. Sane Pontificis & ſummi provinciae ſacerdotis munus erat, ſacris praeeſſe, & religionis & ritus publici in tota provincia curam gerere. Unde *Pontificalis autoritatis* & *principalis* meminit Papinianus, *l. haeredit. 50. in extr. D. de pet. haered.* de monumento faciendo ſcribens, ut Princeps, qui Pontifex Maximus erat, cogeret haeredem in Urbe, & ſummus ſacerdos in provinciis compelleret ad monumentum extruendum: quo pertinet Bajis veteri Campaniae oppido monumentum, pauperibus P. Actilio Rufo & Actiliae Beronicae, etſi nihil bonorum ſupereſſet, cura Pontificis in memoriam humanae conditionis erectum, ubi legitur, INDULGENTIA PONTIFIC. LOCUS DATUS. Equidem tam inter ſacerdotes Urbanos, quam Provinciales, diſtinctum ordinem invenio, ut alii primi gradus, alii poſterioris fuerint: qui primi gradus, vel ad eum pervenere, cum flamines divorum omnium, vel Augures, vel II. III. V. VI. vel VII. viri vel inter octo Pontifices, quos Livius dicit minores, cooptati fuerant, vel qui apud ſuos (quod permagni fiebat) honores omnes geſſerant, quales ex Anconitanis Inſcriptionibus Titum Appalium & Q. Volcatium, & ex Lugdunenſibus Cajum Catullum & Q. Julium Severinum accepimus: vel in gradum ex beneficio & honoris cauſa aſcendebant, ut aenea tabula Lugduni manifeſtum facit ſub iis verbis [apud Gruter. *pag.* 502.]

. . DEX. QVA. COLONIA. INTER. PAVCOS. EQVESTRIS. ORDINIS. ORNAMENTVM. L. VESTINVM. FAMILIARISSIME. DILIGO. ET. HODIEQVE. IN. REBVS. MEIS. DETINEO. CVIVS. LIBERI. FRVANTVR. QVÆSO. PRIMO. SACERDOTIORVM. GRADV. POST. MODO. CVM. ANNIS. PROMOTVRI. DIGNITATIS. SVÆ. INCREMENTA

Quae de Viennenſium colonia & Veſtini liberis verba ſunt, ad Senatum Romanum Tib. Claudii Druſi F. Germanici Caeſaris, ut filii Veſtini ordo ſuperior ſacerdotiorum, ſolidi beneficii gratia, quaſi

honoraria dignitas tribueretur a Senatu, dum reverentiores Principes ejus omnino nondum autoritatem imminuiſſent. Similiter in municipiis patres & Decuriones inter primores ordinis Auguſtalium (qui ſacerdotes, ad Urbis ſimilitudinem, in civitatibus erant, Imperatoribus indigitatis decreti per Decuriones, quos ob merita honorem Auguſtalitatis gratuitum dediſſe nos Inſcriptio antiqua docuit) honoris cauſa adlegebant, ſicut Fauſtum inter primos Auguſtales Decurionum decreto cooptatum Mediolani, vetus monumentum arguit. Hos in provinciis *Principes ſacerdotum* ſacri Interpretes dixerunt, & *Protoflamines* Gratianus 21. *diſtinct.* appellatos refert: quorum argumento exaudire licet alterius ordinis & inferioris gradus, quaſi minorum gentium habitos illos, qui ſodalitiis duntaxat conſcripti, *ſacerdotum* nomen & nihil praeterea ſuſtinerent. Erat autem ſors eorum ejusmodi, ut ſacerdotes facti, & ſacerdotium nacti, diſcedere ab eo non poſſent *ſalva* religione (ſic ex ea in Rullum apud Ulpianum lego, *l. praetor* 13. *D. de vac. mun.* non *ſine*, S. nota dante cauſam errori) & in perpetuum collegio tenebantur, *l.* 2. *C. Th. quemadm. mun. civil. ind.* quod Plinius *lib.* 4. *Epiſt.* 8. ad Arrianum ita ſcribit, *Sacerdotium ipſum cum priſcum & religioſum, tum hoc quoque ſacrum plane & inſigne eſt, quod non adimitur viventi.* De filiis quoque eorum comperimus Hieroclem dicere, Stobae. *ſerm.* 73. *ὅθεν ὁ μὲν ἱερεὺς, ἔσω τῆ πόλει τῇ ἑαυτῆ ἱερέας ὠφείλων, at ſacerdos civitati ſuae ſacerdotes debuerit*; ita tamen ne duo ejusdem collegii eſſent: fuit enim Romanis lex quaedam, id aperte prohibens, ut refert *lib.* 39. Dio. Caeterum ex conſtitutionibus eſt hoc unum, ſacerdotales eos fuiſſe quidem, ſed invitos, non coactos ad ſacerdotium provinciae, *l.* 166. *C. Th. de decur.* ut innuit Arcadii & Honorii epiſtola ad Pompejanum Proc. Africae: ſacerdotalium item ſuperfluae turbae, aliis quaedam meminit conſtitutio, *l.* 176. *eod.* Verum quod omnium maxime celebrandum eſt, Principis ſacerdotum creandi, Pontificatus honorem obtinendi & conferendi liberior in provinciis, quam in Urbe poteſtas fuit. Enimvero deſiit Romae, etiam quatuor collegiis ſacerdotum, Pontific. Augurum, VII. vir. & XV. virorum ſuperſtantibus, ſummi Pontificis honor ex populi ſuffragiis dari, ex arbitriove Senatus, cum ex lege Regia de Imperio lata (quam ex Tabula aenea in Lateranenſi publicavit noſter Vacca) Imperatores Pontifices Maximi omnes fere fuerunt (quod poſt Dionem *lib.* 53. teſtantur hae PONT. MAX. item & hae P. M. uſitatiores notae in nummis aureis, argenteis & aeneis, quos vel habemus, vel vidimus) dum vel ſuo jure acciperent, Sueton. *Tit. cap.* 9. vel deſtinari ſe & deſignari pro imperio & autoritate operam darent. Tum ab illis ut honores caeteri, ſacerdotium quoque petitum in Urbe fuit: unde Plinius ad Trajanum *lib.* 10. *ep.* 8. *Rogo dignitati, ad quam me provexit indulgentia tua, vel Auguratum, vel VII. viratum, quia vacant, adjicere digneris, ut jure ſacerdotii precari Deos pro te publice poſſim.* Qui ſacerdotium petiiſſet a Principe, vel qui placuiſſet ei, in cooptandis per collegia ſacerdotibus, ab eo nominabatur, ut de jurato Claudio indicat Suetonius, *Claud. cap.* 22. item & ab aliis ſacerdotibus in deficientis locum ſufficiendus, quod fiebat certo & ſtato die: ita intelligo Plinii ſcriptum *Epiſtolarum lib.* 2. *epiſt.* 1. *Sic illo die, quo ſacerdotes ſolent nominare, quos ſacerdotio digniſſimos judicant, me ſemper nominabat.* Obſervandum praeterea unum ex Urbis ſtatu profero, dum jure Pontificis Maximi Imperatores uterentur, in collegiis ſacrorum & ſodalitiis Principes ſacerdotum fuiſſe, quorum annuum honorem in templo Caligulae dicato illa Suetonii docent, *Calig. cap.* 22. *Magiſteria ſacerdotii ditiſſimus quisque & ambitione, & licitatione maxima vicibus comparabant.* Similiter & illa, quibus in Albano Minervalibus inſtitutis a Domitiano, Sueton. *Domit. cap.* 4. ſorte ductos magiſterio functos claret. Et haec quidem Romae: ſed jam de provinciis dicamus. Callidum fuit Romae illud Caeſarum repertum, quo ne luminibus Imperatorii ſplendoris majorum gentium magiſtratus officerent, ſupremos honores omnes uſurpaverunt, ut fuere TRIB. P. ut in lege Regia belliſſime, & PONT. MAX. Sed cum in provinciis nihil ſimile vererentur, Pontifices Maximos creari inter Provinciales non prohibuerunt, quod Menteſcae in Hiſpania teſtatur priſcorum induſtria [apud Gruter. *pag.* 66.]

LIBERO. PATRI. SACRVM. IN. HONORE. PONTIFICATVS. L. CALPVRNIVS. L. F. GAL. SILVINVS. L. F. VRBIS. FLAMEN. SACRORVM. MVNICIPALIVM. PONTIFEX. MAXIMVS. AVGVR. D. S. P. D. D.

Is ſive Princeps ſacerdotum, ſive Pontifex, ſive ſummus ſacerdos provinciae, conventus extremo die, quo provinciae Conſilium habebatur, Theoph. *§. in fraudem* 3. *Inſt. quib. ex cauſ. manumit.* Vac. *l.* 2. *D. de offic. ejus cui mand.* noſtri Status vocant, in honorem flaminii, ut loquitur Conſtantinus *l.* 21. *C. Th. de decurion.* cooptabatur, populi ſuffragiis, inconſulto Imperatore, ad inſtar veteris legis Liciniae. Hic eſt ille mos in ſacerdotibus creandis; hic eſt ille publicus ex more tractatus in ſacerdotibus ordinandis, quem A.A. ſervari praeceperunt, *l.* 60. *l.* 148. *C. Th. eod.* Annuus autem plerumque & temporarius, non ad vitam perpetuus, honor ille ſacerdotali alicui decernebatur; unde Pontificem anni illius Caipham legimus, poſteaquam Judaea Pompejo Magno in provinciae formam redacta in P. R. ditionem venerat. *Antea autem Pontifices & reges erant*, ait Iſidorus *Etym. lib.* 7. *cap.* 12. *nam majorum haec conſuetudo fuit, ut rex eſſet Sacerdos & Pontifex.* Ita Archiflaminium & honorem ſacerdotii firmamentum potentiae aſſumebant Judaeorum reges, Tacito auctore, *lib.* 5. *Hiſt. cap.* 8. Plane e Protoflaminibus & primatibus ſacerdotum Pontifex Maximus creatus *ſponte provinciae ſacerdotium iterare non prohibetur*, ait Hermogenianus, *l.* 17. *D. de mun. & hon.* quae nimis conciſa ſunt. Juriſprudentis erat propoſitum ex jure conſtituto, neminem, licet in Concilio provinciae ſuffragiis populorum electum, cogi iterare Archiflaminium & Pontificatum, at ſponte & volentem, ſcilicet populo, qui jam ante in culmen illud evexerat, non repugnante, iterare, & iterum gerere non prohiberi: nec novum *ſponte*, eo ſenſu dictum putare, ut in Lucret *lib.* 3. *verſ.* 33.

Sponte *ſua volitent alterno percita motu.*

Quae ſi juſta non eſt, nulla certa alia illorum interpretatio eſt. Porro ſub Latinis Caeſaribus cum ſacrorum & ſacerdotiorum ratio, ut in Urbe, in municipiis adhuc extaret, ut plurimum Pontifices Maximi de ſodalitii numeroſioris principibus legebantur; puta qui Auguſtalium ſanctimonia meritiſſimus honoris inter Provinciales eluceret. Eo pertinent illa verba, quae Gebennae in monumento leguntur, PRÆF. FAB. FLAM. AVG. PONTIF. Sed tamen quandoque flamines Romanos, quum in provinciis vel ſtudioſe, vel aliud agentes eſſent, vel abeſſent (quoniam etiam abſentium in mandando ſacerdotio rationem habitam Cicero *ad Brutum epiſt.* 5. *Kal. Maj.* ſcribit) nuncupatos a Provincialibus Pontifices Maximos ſacrorum municipalium, ex Hiſpania veteris memoriae, quam retulimus, praeſtat firmiſſimum argumentum. Tum controverti poteſt, ſummum ſacerdotium petitumne fuerit, quia Modeſtinus ad legem Juliam de ambitu ait, *l. un.* §. 1. *D. ad leg. Jul. de amb. Si in municipio contra hanc legem magiſtratum aut ſacerdotium quis petierit, per Senatusconſultum &c. punitur.* Unde colligo in lege Julia, quam ad Brutum

Digitized by Google

tum refert M. Tullius, ſcriptum, PRAETER EUM, QUI PETIT, CUJUSVIS RATIO HABEBITUR: *quae aperte indicant poſſe*, ait ille, *rationem haberi*, *etiam non praeſentis*; intellige niſi petierit. Equidem eum, qui honores a populo petebat, in Provincialium aut Municipalium conventu ambitus reum minime factum exiſtimo, *arg. l. 12. §. 1. D. de decur. l. reus 7. extr. D. mun.* Laudandum enim & populare fuit, operam ſuam, magiſtratum aut curationem petendo reipublicae offerre, judiciumque de ſe faciendum populo permittere, ſine dolo malo. Hoc genus ambitionis nullis legibus prohibitum cenſet Cicero *in Salluſtium*, ſed ſemper ac a maximis & praeſtantiſſimis viris exercitum & approbatum. Neque vero Modeſtinus ait, omnimodo petentem puniri, ſed *petentem contra legem*: quae ubi voluit rationem haberi cujusvis (ſic contendo legendum in Tullio) excepit eum, ni fallor, qui petiiſſet contra legis cautionem. Petebatur autem contra legem hoc modo: Qui mille homines invitabant, aut plures, prandii modum excedentes (quos in ſpeciem Diamories & factionis Plinius *ad Trajan. epiſt.* 117. dicebat incidere) praeter morem nundinas & conciliabula obibant, ut ſibi populi favorem conciliarent, & ſuffragia peterent, in *lib. 7.* Livio referente: vel quid apud ſequeſtres depoſita pecunia, ſodalibus ſuffragia corrupturis operam dabant, ut per interpretes & diviſores populus venali & emendicato calculo faveret, cum in Urbe honor ambiretur: ita & in provinciis & in municipiis factum conjicio, & cum ad POPULI FAVOREM, dixit Modeſtinus, pertineret honores conferre, ita captantes popularem gratiam ſeorſim a conventu publico petiiſſe honores puto, & in laqueos legis Juliae incidiſſe. Sane virtute palam, non fautoribus & largitione per cuniculos Pontificatum & ſacerdotium petere licuiſſe inter Latinos, ex his videor comprobaſſe. Sub Graecis Imperatoribus obſervatum invenio, *l. 75. & 77. C. Theod. de decur.* ne niſi gradatim & ex ordine perfuncti patriae muneribus ſacerdotes, ſummi Pontifices in provinciis eligerentur, cum ante nihil hujusmodi praeceptum eſſet: item ut provectioris aetatis eſſent, qui Archiflamines crearentur, ſaltem non minores annis XL. neque enim minores ſacerdotium poterant inire, vel in coetum ſacerdotum cooptati ab Aedituis non admittebantur, quod Theophilus *§. 7. Inſt. de jure natur.* refert ad Aedilium Curulium ſolicitudinem pertinuiſſe. Amplius item, licet antea in ſacris diligentiſſimus e Protoflaminibus cujuſlibet ſodalitii ſive Auguſtalium, ſive aliorum ſacerdotum, Pontifex Maximus provinciae crearetur, *e ſolis advocatis*, *eorumque conſortio dari provinciae ſacerdotem*, Conſtantinus & Conſtans praeceperunt: quorum conſtitutio *l. 46. C. Th. de decur.* mendoſa in capite legitur ab omnibus, *a* pro *e*, in fronte gerens. In ea, ut erant Judaeis ſcribae, ex advocatione ſacerdotes Chriſtianis ne intellexerint Chriſtiani Imperatores, non ſatis conſtat. Illud aperte indicat conſtitutio, omnes qui ex origine Decurionum, negotiis apud judices tractandis operam darent, quive ad cauſas perorandas laudum atque induſtriae amore ducerentur, & oneribus patriae genitalis, & honoribus provinciae devinctos, cum res aut neceſſitas poſtularet. Illis igitur ex conſtitutione ſacerdotia provinciarum collata & eo exemplo exiſtimem, quo ſacerdotia ad ſenatorii ordinis homines deferri ſolita, Cicero in ea *pro Rabi. Poſth. cap. 7.* ſcripſit. Advocatos autem habet conſtitutio, oratores, patronos, & cauſidicos illo nomine exaudiens; quamvis *dialogo de Oratoribus cap.* 1. diſcriminet eos Tacitus, ut qui diverſis ſtudiis incumberent. Advocatus quidem eſt Aſconio, qui jus ſuggerit, aut praeſentiam ſuam accomodat amico, patroni & oratoris cuſtos, ne praevaricetur, & ne erret aut labatur adjutor. Porro qui ex advocatione, plebis ventoſae ſuffragia venari, populi favorem conciliare ſibi liberisve ſuis, & ſacerdotium nanciſci affectaret; ut munificentia & liberalitas aurae popularis captatrix ſemper fuit, eo nomine ſi honor decerneretur, pecuniam civitati, *l. ſi quis obl. 11. D. de pollicit. l. 1. C. de per. ſac. par. l. 145. C. Th de decur.* vel munus (puta ludorum) populo promittebat, judicium de ſe faciendum Provincialibus aut Municipalibus concedens. Gratioſos autem his artibus ſacerdotales viros, Archiflamines perpetuos in provinciis a populo decretos conjicimus. Sic a Lugdunenſibus olim Pontifex perpetuo creatus Sextius Ligurius, ſingulatim ordinibus & collegiis Denarios, & omnibus ſpectandos ludos Circenſes dedit, ut comperio memoria hujusmodi: [apud Gruter. *pag.* 431.]

SEX. LIGVRIVS. SEX. FIL. GALERIA. MARI-
NVS. SVMMVS. CVRATOR. C. R. PROVINC.
LVG. QIIVIRALIB. ORNAMENTIS. SVFFRAG.
SANCT. ORDINIS. HONORATVS. IIVIR. DE-
SIGNATVS. EX. POSTVL. POPVLI. OB. HONO-
REM. PERPETVI. PONTIF. DAT. CVIVS. DO-
NI. DEDICATIONE. DECVRIONIB. X. V. OR-
DINI. EQVESTRI. IIIIIIVIRIS. AVG. NEGO-
TIATORIB. VINARIS. X. III. ET OMNIB COR-
PORIB. LVG. LICITE COEVNTIBVS. X. II. ITEM.
LVDOS. CIRCENSES. DEDIT.

L. D. D. D.

Fuere tamen cum tempore reperti complures, qui Pontifices creati ſacerdotia recuſarent, & illos, ſi filii ſacerdotum fuiſſent, excuſavit Mecilianus legatus, *l. 166. C. Th. de decurio.* vel aditus Severus Auguſtus, *d. l. 8. D. de vac. mun.* ſi Jus quinque liberorum habuiſſent, munere liberavit. Cura ſane ſacrorum totius provinciae cum ad Pontifices pertineret, & illis ex ſacerdotii jure praeeſſent, gubernacula provinciae, quod attinet ad ſacra & templorum ritus, habuerunt, ut arguit principalis Conſtitutio *d. l. 77. C. Th. de decurio.* In quo inter flamines, municipales & ſacerdotes provinciae, muneris ſolicitudine; & honoris amplitudine diſcrimen erat. Caeterum Conſtantinus ad Gregorium *l. 1. C. de nat. lib.* Phoeniciae & Syriae ſacerdotia *Phoeniciarchias* & *Syriarchias* dicit: ut ante ſcripſerat Modeſtinus *l. 6. D. de excuſat.* *Ἔθνους ἱερωσύνη ὡς Ἀσιαρχία, Βιθυνιαρχία, Καππαδοκαρχία*, &c. Similiter *Lyciarchiae* Leo A. ad Urſejum *l. 1. C. de offic. com. orient.* meminit: cujus epiſtola argumento eſt, ludos a Pontificibus editos, & ab eis ſumptus eorum miniſtratos fuiſſe: intellige ſi antea promiſiſſent, cum a populo honores ſacerdotiorum peterentur, *l. 12. §. 1. D. de decur. l. reus 7. extr. D. de muner.* ſed etſi non promiſiſſent, poſtea quam nulli Decurionum, neque volenti, idem munus vel honorem obiiſſe licuit, quod ut caetera ad curam principis, non ad populi favorem, in provinciis, ſicut in Urbe, voluit idem ſpectare. Haec de ſacerdotiis & ſacerdotibus plana ſunt, niſi ſubſit in Plinio *ad Arrianum lib. 4. ep.* 8. ſcrupulus, de quo alias: ſimile vero, niſi fortaſſe foelicius huic noſtro, ſtudium fuit Auguſtini *libro ſingulari ad Modeſtinam.* Sed jam ad Jus liberorum revertamur. Si ſacerdotium munus dicam onerosum, quod illi mirum quam placeat, ab eo ut a patrimoniali munere, *d. l. 8. & l. 5. C. de mun. patr.* vacatio nulla fuit. Si honor & dignitas cum ſumptu dicatur, ut Plinii *ad Trajanum*, & Leonis *ad Urſejum* epiſtolae nominatim exprimunt, jam occurrit illud Ulpiani *d. l. 2. §. 1. D. de vac. mun. Numerus liberorum aut ſeptuaginta annorum ab honoribus aut muneribus his cohaerentibus excuſationem non praeſtat.* At hae procul dubio pugnantes ſententiae ſunt: ad concordiam igitur tempora diſtinguamus. Primo cum honor eſſet ſacerdotium, & neque major annis LXX. neque pater V. natorum excuſaretur, Severus Imperator *d. l. 8. D. de vac.* jure privilegiario in Aſia quinque liberis a ſacerdotio provinciae vacationem decrevit, & cum principis decretum Theophili teſtimonio *§. ſed quod principi 6. Inſt. de jur. nat.* ſimilem

cauſam quoquo tempore exortam dirimeret, idem in caeteris provinciis conſtitutum ab illo ipſo fuit. Deinde ſecuta Antonini conſtitutio, *l. 1. C. de his qui num. lib. exc. mer.* niſi conciſior juſto ad nos pervenit, neglecta ſacerdotii exceptione privilegiaria, *numerum liberorum ab honoribus non excuſare* ſine diſtinctione cavit. Poſtea vero cum erogationem & impenſam, quae ſacerdotio cohaerebat, pluris quam Pontificatus honorem facere, & muneribus patrimonii annumerare Provinciales acceperunt, Caro, Carino & Numeriano placuit *d. l. 5. C. de mun. patr.* neque aetate, neque liberis excuſationis a patrimonii muneribus, rationem haberi: qua in re jus antiquum renovarunt. Demum exorta de ſacerdotio quaeſtione, niſi animi fallor, cum vacationem ſibi ab honore Pontificatus, ſacerdotalis ex privilegio Severiano vindicaret, Conſtantinus *d. l. 8. eod.* ſacerdotium non honorem, ſed onus & munus patrimonialibus annumerandum voluit: cujus mendoſa conſtitutio ubique circumfertur, *ſacerdotiae* pro *ſacerdotii* nullo ſenſu ſcriptum habens, quod adoleſcens aperui, & Auguſtinus probat. Hic ſive generaliter patrimonialia intelligas, ſive diſtinguas in tributoria & cohaerentia, qua in re Tribonianus membrum diviſionis apud Chariſium praetermiſit, *d. l. 6. §. ſciendum 3. l. ult. §. patrimon. autem 21. D. de muner. l. 10. l. 11. D. de vac. mun.* licet in alio non ſatis inter auctores conveniat, hoc inter eos non diſcrepat, nullo privilegio nec aetatis nec liberorum tributam remiſſionem. Itaque Pontifices creati, ſacerdotium ſine remiſſione adminiſtrare cogebantur, quousque Gratian. Valentin. & Theodoſ. epiſtolam ad Proculum Com. Orientis emiſerunt, his verbis, *l. 103. C. Th. de decur. Voluntate propria unusquisque Syriarchiae munus ſuſcipere debet, non neceſſitate impoſita.* Unde exemplo ſumpto Aſiarchiae, Bithyniarchiae, Cappadocarchiae, Lyciarchiae ſacerdotia nemo coactus, nemo invitus, nemo niſi lubens geſſit. Tunc vero excuſatio neceſſaria non fuit, cum nemo cogeretur, & tunc deſiit Jus quinque liberorum exquiri. Sed & ipſum tandem ſacerdotium a populo dari deſiit, ut diximus, cujus tribuendi beneficii loco ad favorem colligendum nihil quicquam praetermittens Imperator Leo, *d. l. un. C. de offic. com. orient.* ſibi jure poteſtatis curam & creationem arrogavit.

CAPUT XXXVIII.

De Jure quinque in remiſſione perſonalium munerum, deque operibus publicis, & muris reficiendis, Marcellus & Ulpianus elucidati: itemque de munere ſitoniae, & Trajani ad Plinium epiſtola obiter explanata.

Videamus de publicis muneribus, quae perſonalia ſunt, & cum corporalibus, cum labore, cum ſolicitudine animi ac vigilantia, principaliter obeuntur: & ſic habet Gordiani conſtitutio, *l. 1. C. de ſumpt. recuper. Muneribus civilibus non fungeris, quae perſonis mandantur, ſi quinque filios incolumes habeas.* Quod ita placuit Ulpiano, ut & emancipatos liberos patri prodeſſe opinetur, *l. 2. §. incolumes 5. D. de vacat. l. 3. §. quamvis 6. D. de mun.* Specialiter autem jus quinque in civilium ſeu publicorum munerum excuſatione receptum fuiſſe, uno & altero exemplo confirmat idem. *Cura*, inquit *l. 4. de munerib. extruendi vel reficiendi operis in civitate, munus publicum eſt, a quo quinque liberorum incolumium pater excuſatur.* Operis intelligo publici, ſive veteris, ſive novi. Sed idem dicendum, *l. ult. §. hi quoque 10. D. de mun.* ſive publica aedificia, ſive palatia, ſive navalia, ſive manſiones extruendae vel reficiendae & reparandae deſtinentur. Olim tamen priusquam munus hujuſmodi deferretur, ſive in muris, ſive in portis, ſive in aliis publicis rebus, aut locis opus faciendum foret, *l. 6. D. de oper. pub.* ex divi Marci reſcripto praeſes provinciae adeundus erat, qui principem conſuleret ea de re, quid fieri placeret: unde clareſcit intellectus illorum Marcelli, *l. 3. §. 1. D. eod. Publico ſumptu opus novum ſine principis autoritate fieri non licere*, cum ob ſanctitatis ſpeciem, tum ne pecuniae publicae interciperentur. Inde & illorum Ulpiani, *l. ſacra 9. §. 4. D. de rer. diviſ. Muros municipales nec reficere licet, ſine principis, vel praeſidis autoritate, nec aliquid eis conjungere, vel ſupponere.* Sed Impp. Arcadii & Honorii ad Caeſarium conſtitutio ordinibus civitatis & municipiorum novos muros facere, & veteres renovare permiſit, *l. 11. & 15. C. de oper. publ. l. 11. 16. 17. 19. 27. 31. 34. 37. C. Th. eod* Papo. *lib. 6. tit. 1. areſt. 9.* quod deinde & ex alia in aedibus quibuslibet, vetuſtate ruinam minantibus, etiam inconſulto principe licuit, & illo jure utimur. Sane remiſſio publici operis patri Jure liberorum conceſſa, non levis momenti aut parvi emolumenti eſt. Tuetur moleſtiam & faſtidium coactae voluntatis, ſolitarii ad id munus vocati. Hoc tantum recenſeo, omnes, quibus vel cura publicorum operum mandata, vel pecunia ad eorum extructionem tradita eſt, usque ad annos xv. cum ſuis haeredibus operis periculo devinciri: quos, ſi quid intra id tempus acciderit (niſi fortuito) reparare teneri, certi & recepti juris eſt, *l. 8. D. eod. l. ult. §. 2. D. de admin. rer. ad civit. pert.* An non multo melius fuiſſet patris publicis abſtinuiſſe, quam implicatam ita & ſuam habere rationem, & involutam haeredibus tradere? Poſtremo, pater hic natorum quinque, qui curator ſtruendi vel reficiendi operis creatur, pro ſtructore & aedificatore accipiendus non eſt, cujus ſordidum olim habitum munus, ſuperius poſuimus *cap. 28. l. 12. verſ. Publicis. C. de exc. mun. l. ult. D. de vac. mun.* huic namque patri, quo de agimus, vacationem Jus liberorum; illi vero gravior & vilior conditio tribuit. Alterum exemplum idem Ulpianus ponit his verbis, *d. l. 3. §. 12. D. de muner. Cura frumenti comparandi munus eſt: & ab eo aetas LXX. annorum, vel numerus quinque liberorum incolumium excuſat.* Sicut in Urbis, ita in civitatum, & municipiorum alimentaria ratione, frumentatio publica, & pecunia frumentaria fuit, *l. 3. C. de compenſat. l. 2. §. frumentar. 3. D. de admin. rer. ad civit.* quae ſitonis & frumentatoribus ſive curatoribus frumenti dabatur, ut patriae neceſſitati ſuccurreretur, & tenuioribus e publico ſubveniretur. Sitonas quidem indemnes eſſe oportere, ex comparatione niſi fraudem commiſiſſent, ſecundum literas Hadriani Papinius *d. l. ult. §. item reſcripſ. ſitonas 6. D. de admin. rer.* ait. Sed tamen cum haec cura munus perſonale fuerit, *l. 1. §. 1. l. ult. §. cura quoque 5. D. de muner.* quae ſolicitudo & vigilantia animi, quod ſtudium, & miniſterium ei impenſum oportuit, id pater quinque natorum favorabili jure potuit recuſare. Ex his exempla propoſita in plano poſita ſunt, eodem jure in reliquis muneris perſonalibus conſtituendo: haec vero de pluribus enumeraſſe ſufficiat! Illud prius uſu percelebre fieri poteſt, ſi Decurionum, quos Conſules vocant, decreto, publici operis cura patri quinque liberorum defertur. Poſterius, ne hoc taceam ſtudioſis, quidam legibus Aureliani & Anaſtaſii Impp. ſublatum exiſtimaverunt, dum ille *l. 1. C. de quibus mun. vel praeſt. nem.* comparationem & transvectionem ſpecierum ad neceſſitates Illyricanas univerſis praecepit, nullius privilegii excuſationem admittens: ergo Jus quinque liberorum inutile illo caſu fuit. Anaſtaſius *l. 1. C. ut ne. lic. in empt. ſpec.* ſimiliter urgente neceſſitate, comparationes frumenti vel hordei aliarumve ſpecierum ab omnibus obiri juſſit, excuſatione privilegii cujuscunque abrogata: ergo & Juris liberorum, quod quinque natorum pater ſibi praetenduſſet. In contrariis legi-

legibus utra poſterius lata ſit, conſiderare oportet: nam *poſtrema quaeque graviſſima eſt*, ait Cicero *lib. 2. de Inventione*. Sed hic Caeſaribus cum Juriſconſultis nulla pugnantia, ſed ſola diverſitas eſt. Prudentes de muneribus in civitatibus & municipiis ex decreto ordinem obeundis tractant. Auguſti vero de his, quae Illyrico & *quibuſlibet provinciis indicuntur*, ut de indictitia publica frumenti comparatione, & transvectione, quam exercitu intra provinciam conſiſtente, obiri a Provincialibus opus fuit, *l. 2. de indictiv. l. 2. C. Th. de pub. comp. Indictiones autem non perſonis, ſed rebus indici ſolitas* principalis conſtitutio docet, *l. 3. C. de annon. & trib.* Sic univerſae provinciae indictio publicae comparationis, & ſitoniae in uſum civitatis vacatio, ſe non impediunt. Plane de hac, quod non alio loco ſcriptum legi, unum addam ex Trajani Imperatoris ad Plinium epiſtola. Is de Maximo liberto ſuo cum ad frumentum comparandum iiſſet in Paphlagoniam, *Fungebatur*, inquit, *lib. 10. ep. 37. enim & ipſe extraordinario munere*: ergo ſitoniam & curam frumenti extraordinarium munus & ſordidum eſſe dicemus? At cum non perſonis, ſed poſſeſſionibus indicta extraordinaria munera doceant reliquiae Theodoſii, *l. 2. tit. 16.* rectius perſonale publicum munus ſitoniam diximus. Libertus autem Maximus cum eſſet Caeſaris procurator, qui ob dignitatem civilibus muneribus ut indulgentia principali (*l. 41. D. de excuſ. tut. l. 1. C. de excuſ. mun. l. 12. extrem. D. de vac. mun.*) ante Diocletiani legem, excuſaretur, ex Trajani praecepto, non ex ordine dignitatis ſuae, curam gerebat extra ordinem imperatam: licet *muneris publici vacationem habentes, ad ea compelli non ſoleant, quae extra ordinem imperantur*, *l. 6. D. eod.* Haec de patribus.

CAPUT XXXIX.

De matrum ob quinque natos excuſatione, Gordiani & Philippi conſtitutiones declaratae, & illis Ulpianus conciliatus.

FOeminis vero ſicut & maribus, ob quinque liberos, ſi quinquies pepererint, tributum & datum favorem juris noſtri Diocletianus & Maximianus reſcripſerunt his verbis, *l. 5. C. de his qui num. lib. De perſonalibus muneribus, quae foeminis pro ſexus conditione indicuntur, exemplo marium, quinque ſuperſtitum numero liberorum eas excuſari divos parentes noſtri conſtituerunt.* Ajunt Caeſares, *De perſonalibus*, ad differentiam patrimonialium: quae non ſolum viri, ſed etiam mulieres privilegiis ceſſantibus ſuſtinere debent, *l. pen. & ult. C. de mun. pat. l. 1. extr. C. de mulierib.* & merito ab omnibus agnoſci, in quibus eſſe Reipublicae nervos nemini dubium eſt, *l. 1. §. in cauſa 20. D. de quaeſtionib.* quibus neceſſitatibus ſuccurratur, & obſequiis publicis pareatur: qua de cauſa ſervos Auguſtus & foeminis & viris pecunioſioribus indixit, quos ſine mora manumiſit, ait Suetonius, *Auguſt. cap. 25.* Neque ſunt diſtinguenda cohaerentia munera propriae rei & poſſeſſionibus indicta, a tributoriis, *l. 10. & 11. D. de vac. mun. l. 5. ext. l. ult. §. patr. autem 21. D. de muner. l. 22. extr. D. ad municip.* quae vel non poſſidentibus ut foeneratoribus intribuuntur (ita diviſionis membrum praetermiſſum a Concinnatoribus appello) a neutris enim liberorum, aetatis, ſexus, militiae, ullumve aliud privilegium excuſationem tribuit. Perſonalium autem matribus quinque natorum, non ſine ratione conceſſa vacatio eſt: *corporis namque debilitas eorum munerum excuſationem praeſtat, quae corpore implenda ſunt*, ait Ulpianus *l. 2. §. 7. D. de vac. mun.* item quae conſilii infirmitas eſt in ſexu muliebri, eorum vacationem affert, quae animo gerenda ſunt. Inde latiora lumina illius ſcripto aperiuntur, ibi, *l. 3. §. 3. D. de muner. Corporalia munera foeminis ipſe ſexus denegat: quo minus honores vel munera ipſis injunguntur.* Dixerit ingenioſus non ſatis feliciter colligere Ulpianum, eo quod mulieres functas muneribus divi fratres Marcus Anton. & L. Verus reſcripſerant, *l. pen. extr. l. ult. §. item 2. D. ad municip.* antequam ille ſcriberet, unde & eas ad honores gerendos cogi potuiſſe veroſimile eſt. Ulpianus illud ſcripſit ſententiae perſeverantia, qua foeminas ab omnibus officiis civilibus & publicis removet, *l. 2. D. de regul. jur.* & ab honoribus arcet, & ab oneribus prohibet: dum, quae ut plurimum contingerent, ſolummodo ſpectavit, ea, quae minus ſaepe, neglexit. Divi fratres etiam de eo, quod perraro eveniret, jus conſtituerunt, quamvis neceſſe non eſſet: unde anſa praebita fuit Philippo A. dicendi, *d. l. 1. C. de mulierib. & in quo loc. mun.* etiam *apud incolatum mariti ad honores ſeu munera, quae perſonis cohaerent, quorumque is ſexus capax eſſe poteſt, compelli poſſe foeminas.* Qui locus ſatis obſcuritatis habet, & in eo interpretes nutantes tamquam in ſalebris haeſerunt. Illud plus quam ridiculum eſt, Philippum, de muneribus municipii tractantem, de honoraria dignitate, quae principali beneficio tribuitur, *l. imperial. 23. §. ſimiles 4. C. de nupt.* extra propoſitum cogitaſſe. Minus illud recipiendum, foeminas coactas, ut vult conſtitutio, ad honores, quibus ex maritorum gloria ſplenderent, *l. ult. C. de incol. l. mulieres 13. C. de dignit.* Ego non poſſum oculis animove cernere, quomodo quandove foeminae honores ſuſceperint, ſi id non fuit ex uſu longa conſuetudine, vel ex legibus civitatum: neque me pudet in re, praeſertim non vulgari, de ignoratione confiteri. *Seu munera* dixit Caeſar Philippus, ampliandi gratia, *l. 31. D. de aur. arg. leg.* ut & ad munera foeminas compellendas poneret: *quorumque is ſexus*, &c. puta ſi calefactio publica balnei publico ſumptu fuit curanda, quae munus perſonae dicitur, ſive aliud ſimile diligenti & vigilanti cura factum oportuit, a quibus etiam poſtea tandem immunes fuiſſe foeminas accepimus, *l. 137. C. Th. de decur.* Sed niſi in civium paucitate factum id credibile non eſt, & rarenter contigiſſe divinat Accurſius, *gloſſ. d. l. 5. C. de his qui num. lib.* cujus opinio non parum nobis adjicit ornamenti. Verum mandata illa & Divorum fratrum & Philippi ceſſaverunt, & adhuc ceſſarent, ubi quaeſtio in cognitionem incideret, ſi foemina, de qua agitur, quinquies enixa, tempore excuſationis liberos haberet ſuperſtites. In Tertulliano habere deſiiſſe ſatis fuit, & mortui profuerunt, quando mortuorum ſucceſſio ex illo Senatusconſulto matri deferenda erat. Hoc vero caſu ad inſtar maſculorum, foeminis jure tributo, ſicut a maſculis vivos, de quibus diximus, *l. 3. & d. l. 5.* ita & a foeminis liberos incolumes, conſtitutiones exegerunt. Illis ejuſmodi gratiam munerum matres ſenſerunt, Jure liberorum ſalubriter pro earum utilitate inducto: quod ſi eſt, uti eſt, inepta cauſatio fuit ejus, qui matrem quinque liberorum nondum annos XXV. egreſſam pro majore contra ipſius commodum aſſerebat: *l. 2. C. de in integ. reſt.* nulla enim juris ratio aut aequitatis benignitas patitur, favoris cauſa producta in invidiam converti. Porro niſi patimur aciem ingeniorum hebeſcere, ſi viribus ſcriptum illud Ulpiani ſubſiſtit, ſi veritate nititur, quo ſenſu interpretati ſumus, an non haec juris liberorum tractatio inanis, diſputatio vana, diſquiſitio inutilis, Gordianique reſcriptum futile & ſuperfluum videtur? Fruſtra a principe deſiderantur, *l. 14. D. de privil. cred.* quae jure publico & communi competunt: igitur non opus fuit perſonalium munerum vacationem a Gordiano poſtulare foeminas, quam ſibi ex autoritate Ulpiani illuſtris ingenii Juriſconſulti vindicaſſent: vel ſi non oportuit aditum Imperatorem, is ad preces non neceſſarias, ſupervacuum reſponſum accommodavit. Quid conſtituendum? quid efferendum eſt? ego arbitror, ut rem in pauca conferam, & verum ſcri-

ptum Ulpiani, & neceſſariam Gordiani conſtitutionem fuiſſe, & eſſe, ſi quando in virorum paucitate munera foeminis delata fuerint, quae, Jure quinque natorum patrocinante, beneficio epiſtolae Gordiani potuerint recuſari.

CAPUT XL.

Deprecatio culpae pro Jure ſex, ſeptem, octo, novem, decem, & undecim liberorum omiſſo: ibi quaedam Beroaldi relata.

HActenus compoſuimus numero Jus filii unius, duorum liberorum, trium, quatuor, & quinque, ex reliquiis vetuſtatis & ex autorum monimentis: nunc Jus natorum ſex, ſeptem, octo, novem, decem, undecim, exquirit ordo; quem inſtituimus, & polliciti ſumus. Sed neque ſtipulatione devinctus, neque pollicitatione obſtrictus, ex liberalitate ſua tenetur in plus, quam facere poſſit. Equidem quotquot inveni ſcriptores, qui mihi copiam ſcientiae & conſilii facerent, in rem praeſentem deduxi, protuli, & recta ſentientes ingenue teſtatus ſum: quorum veſtigia implens ex antiquitate repetita ſatis multa, in quantum in me fuit, reſtitui nitori ſuo: bene an male, ſcriptum indicabit, & ſine invidia judicabit poſteritas. Quid autem calami aviditati nunc reſiſtat, quid manum retineat, pergo dicere. Quemadmodum urbium, gentium, Imperiorum, ita & literarum nunc naſcitur, nunc floret, nunc perit honos & fortuna. Incunabula Imperii Romani loquentiam, rerum cognitionem, Juriſprudentiam, naſcentem viderunt, & faventibus animis auxerunt. Optimus rei Romanae ſtatus, & Imperii culmen cum eloquentia, melioribus literis, Juriſprudentiam ſupra faſtigium humanae diſciplinae florentem in Republica, ſubſelliis, & civium luce coluit honorificentiſſime. Deinde, imperio decreſcente, & ſeneſcentibus literis, intereuntem & ſenſim labentem ex oculis ſanctiſſimam civilem ſapientiam viri prudentes, veri philoſophi, ſtudiis ne deperiret, laborarunt, & monimentis curarunt. Illa ſi carioſa vetuſtas non ſepeliſſet, ſi tempus edax non intercepiſſet, meliuſcule ſtudia noſtra ſe haberent: quantum oculis luſtrare, mente concipere, lectione percipere vellemus, nobis e penu antiquitatis in facili eſſet promere: nec partes Oedipi tam ſaepe, in tam frequenti literatorum amphitheatro, ſine perſona ſubire oporteret: Graeculorum & leviculorum hominum verba, pro verbis gravium & Latinorum obtruſa; ſciolorum monſtra, pro ſenſis juris & juſtitiae antiſtitum accommodata & ſuppoſita, minus ſaepe negotium nobis faceſſerent, & quaeſtiones juris civilis foelicius tractarentur. Ad Jus liberorum autem ut redeam, extarent conſultorum ſcripta, ſi Imperatorum conſtitutiones, omiſſi numeri, ordinis interrupti culpam non deprecarer: qua mihi vacare jam videor, ut ſunt libri ſtudii civilis: non quod eam in alios transferam, ſed quod in plus non tenear, quam vel ab ſtudioſiore fieri poſſet. Contendam vero, niſi ut Plinius Spurinae *lib. 4. ep. 17. magis in ſtudiis homines timor quam fiducia decet*, neque in Pandectis, neque in Juris autorum fragmentis, neque in libris conſtitutionum Juſtiniani, neque in reliquiis Theodoſii, de jure ſex, ſeptem, octo, novem, decem, undecim liberorum mentionem factam reperiri, ſi libri fideles ſunt, quos habuimus, & dum noctes ſerenas vigilamus, in manibus trivimus. Non ſum neſcius me non eſſe eum, qui omnes ſermones malignorum evadere poſſit: ſed ſi quos juvat clariores accedere fontes, atque haurire, juvatque novos decerpere flores ex aliis autoribus, interdum conatus noſtros minus probant, ſi meliora, veriora, & ampliora proferant, & nobis & rei literariae commodum gratificabuntur. Ponatur hoc interim tamen ſine dubitatione recipiendum, illa omnia emolumenta, quae minore liberorum numero data ſunt, in majori locum habere, ut favores quinque natorum gratia enumeratos, tributos maxime ſex liberos habentibus colligamus, numero invaleſcente ſimiliter in caeteris. Beroaldus Bononienſis ad Sueton. *Claud. cap.* 19. cenſuit, eſſe *Jus liberorum pro numero nobilius, ad majores pertinere immunitates, ut inquit Juriſconſultus:* ait ille, dum Ulpianum *l. 2. §. 1. D. de vac. mun.* laudare vult autorem. Sed neque quiſquam Juriſprudens illud unquam expreſſit, neque is, quem ille citat in teſtem, ſignificatum voluit. Quod idem ſcribit, ad Sueton. *Galb. cap.* 14. *Bononiae qui decem liberos habet, a publicis oneribus immunis eſt:* verum necne ſit, facti quaeſtio eſt: quae nihil ad Gallum, Bononienſes viderint; qui ſi illo jure utuntur, ſibi Jus liberorum & gratiam legum factam placide gratulentur. Hinc ego ad Jus XII. XIII. & XVI. natorum tranſeo.

CAPUT XLI.

De Jure XII. XIII. & XVI. *natorum, Claudii Juliani A. reſcriptum caſtigatum & evolutum, itemque Aelii Pertinacis, & ſubinde Ulpiani regula juris.*

ANtequam legiſlatio Juſtiniani in orbe evulgata fuiſſet, Juliani A. viguit uſu recepta conſtitutio, quae in reliquiis Theodoſii *l. 55. C. Th. de decurion.* extat: Imper. JULIANUS A. Leontio Conſul. Palaeſtinae, *Qui pater ſit* XIII. *liberorum, non modo ad curiam non vocetur, verum etiam, ſi ſit Decurio, honoratiſſima quiete donetur. Dat. Kal. Mart. Antiochiae, Juliano A.* IV. *& Saluſtio Conſſ.* Eadem vero, inſcriptione & ſubſcriptione non diſſimili, Juſtinianei juris concinnatores in Codicem Imperatorium his verbis transſcripſerunt, *l. 24 C. Juſt. eod. Si quis Decurio pater ſit* XII. *liberorum, honoratiſſima quiete donetur.* Jam collatio ambarum conſtitutionum fidem facit, aequius multo & benignius Juſtinianeum eſſe jus, ubi dempſit e filiis tredecim unum, & duodecim liberis foecunditatem parentum probans, antiquam rigiditatem lenit, & ſeveritatem remiſit. Ex Juliani lege tredecim nati ad curiam invitum patrem vocari prohibebant, & in libertate ex voto retinebant, ſi plebejus pater auctis facultatibus, rei familiaris amplificatione inter poſſeſſores conſpicuus eſſe coepiſſet; uti ſupra *cap.* 23. diximus. Sed quamvis multa probentur facta, quae non utique fieri liceret, non ſolum in Decurionum ordinem adlegi vetabatur pater, ſed etiam jam nominatione cooptatus, *l. 19. C. Th. eod.* favore liberorum ab oneribus & honoribus honeſtiſſime vacabat, quae ſine jure privilegiario municipalis ratio & civilis neceſſitas ab illo poſtulaſſet *l. 41. eod.* Sane Concinnatores Decurionem creatum quiete donari ex Juliano retulerunt: at creari, & in conſortium Decurionum adlegi non vetuerunt, forte ut ex animi ſententia liberum eſſet patri, in ordine ſcribi, & honoris cauſa inter Decuriones praeſidere. Quae cum ita ſint, appoſite & pertinenter poſuit Accurſius & a patrimonialibus ob duodecim, patrem excuſatum. Habuit autem ille in ſuis nomen *Munerum*, quod in vulgaribus libris ſuperfluum edocebo. Cum ſtudioſorum voluntate, ut neque hodie coaleſcunt, opes olim non concurrebant: adeo ut Plinius Secundus quendam *in Epiſtolis* laudaverit, quod cum in facultatibus eſſet, amaret ſtudia; *ut ſolent pauperes*, inquit. Sic temporibus reviviſcentis juriſprudentiae, in Italia tot Langobardis regibus & legibus miſere tractata & perdita, qui pro ſeculi calamitate legum Romanarum ſuavitatem oboluiſſent, quo auditores, quo ſpectatores renovatae prudentiae trahentes, ut illos in verae philoſophiae ſtudiis retinerent, publice & e loco ſuperiore verba legum excipientibus dictabant, cum pauciſſimis ratio faculta-

tum

rum libros civiles exſcribere permitteret, & fere omnibus res anguſta domi prohiberet. Exceptores illi ſub antiquis doctoribus minus vel dictata exaudientes, vel excepta percipientes (ut fere fit) ad libitum & ingenii captum recognoſcebant: poſt illos ſimiliter librarii peccabant: ſicque tam multa menda in tam multis locis juris autorum obſervata & ſpectata ſunt. Caetera ſilentio praetereo. Hoc tantum de Juliani conſtitutione ad nos impraeſentiarum pertinet: Docentes Decurionem Jure liberorum & ab honoribus & ab oneribus ſive muneribus conquieſcere, meminerunt *Munerum*, & ſubito in contextum irrepſit illud. Ego ita conjicio, primum quod a complurimis manu fideliter ſcriptis abſit, deinde quod Juliano A & Concinnatoribus vero ſimilius ſit placuiſſe, honores ſicut munera patri remitti, ſi quiete donandus fuit, cum jure civili muneris publici vacationem habens, honorem accipere gerereque compellatur, *l. cui muneris 12. D. de muner.* Hic enim honoris gerendi ſolicitudo, niſi remiſſa dicatur, non erit honoratiſſima quies, non erit pleniſſima beneficii principalis interpretatio, contra rationem juris antiqui, *l. pen. D. de conſt. princ.* Conſequens item eſſet, ſi patri duodecim honor gerendus incumberet, ut non ſemper a muneribus patrimonii vacaret; illo puta caſu, quo cum erogatione obitur honor, cui munera cohaerent, *l. honor. 14. D. de mun. l. 2. §. 1. D. de vac. mun.* Hic obiter referendum eſt, quod ex Calliſtrato *l. ſemper 5. §. 2. D. de jur. immun.* Concinnatores obiter retulerunt, dum ille reſcriptum profert Aelii Pertinacis ad Salvium Candidum, *εἰ καὶ μὴ παιδῶν λειτουργιῶν*, &c. Quo etſi numerus filiorum omnia munera, ut quae ſunt perſonalia, patri non remittat, *l. 3. §. quamvis 6. l. 6. §. quae munera 4. D. de mun. & ſimil.* favorabiliter tamen & privilegiario jure, ſexdecim liberorum patri Salvio Candido, otiari & ceſſare a muneribus permiſit, quo liberorum educationi ſtudioſius operam impenderet. Inde fortaſſe exemplo moti (nam & principum decreta in aliis & ſimilibus cauſis obtinent, ſi vera Theophilus *§. ſed quod 6. pr. Inſt. de jure natur.*) ſub ipſo Pertinace & ſub aliis Caeſaribus patres in orbe Romano Jure XVI. liberorum uti coeperunt, & omnium munerum ſibi vacationem vindicare: quouſque Claudius Julianus Imperator factus (niſi tot intercedentes principes leges quoque de eodem evulgarint) tredecim liberos ſufficere foecundis patribus ſanxit, & non ſolum a muneribus, ſed & ab honoribus liberavit Julianus, ut docui, dum ante a muneribus duntaxat dimitteret Aelius Pertinax. Scitum eſt ex literis Antonini *l. 1. C. de his qui nu. lib.* liberorum numerum ab honoribus non excuſare, quod Ulpianus *d. l. 2. §. 1. D. de vac. mun.* opinatus eſt. Verum obtinuerit illud apud eos Caeſares, non impediam: at favorabilior videtur poſterior a Juliano emiſſa conſtitutio, ſi dicamus eam honorum, ſicut munerum, patribus tot liberorum remiſſionem adjeciſſe. Placet autem ita reſcriptum explicare, & producere, quoniam legem utilem reipublicae, & ſobolis procreandae & provocandae cauſa latam, adjuvandam interpretatione a Terentio Clemente *l. 62. D. de cond. & demonſtr.* accepi. De honoribus quod pono, tentare duntaxat volo, ubi conticuere omnes: ſed de muneribus quod ſentio, majorum gentium doctores, Accurſius *d. l. ſemper 5. D. de jur. imm.* & Bartolus ſentiunt, ut ab intributione municipii vel civitatis patres XII. liberorum abſolvant. Baldus in diverſo latere diſtinguit ad *l. ſi quis decur. 24. C. de decur. & conſil.* 312. *num.* 1. *lib.* 3. aut pater Decurio eſt, & nati duodecim ei proſunt, quod idem *Reſponſorum libro* 3. exiſtimavit, aut pater Decurio non eſt, & ei ad omnium munerum excuſationem ſexdecim liberis eſt opus. Sed Imperatorem Julianum e veteri obſervatione remiſiſſe ita planum feci, ut diſtinctio Baldi ſupervacua diſcernatur: quae vel eo evaneſcit, quod non ſatis liqueat, quibus Decurionum appellatio hoc tempore conveniat. Fovet autem aſſeverationem noſtram, quod Arrianus ſuadet, ut faciliores ad liberationem ſimus: item & illud, quod optima legum interpres forenſis conſuetudo, indiſtincte munera patrimonii in contradicto judicio, patribus duodecim natorum remiſerit, Florentiae & Bononiae jus ſuggerente Angelo Aretino, § 1. *verſ. Ex quo infert. Inſt. de excuſ.* item & Aquis Sextiis ex uno & altero decreto Provincialis Senatus ampliſſimi. Cum vero Juris liberorum impetratio non ſit neceſſaria liberos habentibus, poſt Honorii & Theodoſii reſcriptum, non laudo quorundam ex noſtris ſententiam, qui patribus duodecim natorum diplomate principali utendum eſſe cenſuerunt. Nulle ſane ratio eſt, cur potius reſcriptum exigat hic caſus, quam tutelae excuſatio: & quoniam ſuperfluum ait Imperator, a principe poſtulare, quod jam lege permiſſum eſt, magis puto Galliarum vulgato jure, libello ſupplici adeundos Proſeneſarchos, vel Praeſidiales, vel Regales judices, qui vocatis quorum intererit, ſi non ſit legitima contradictio, vacationem pro Tribunali cauſa cognita edicent poſtulanti. Nec cautioni noſtrae reſiſtit Ulpiani regula, *l. nec quicqu. 9. §. 1. D. de offic. proconſul. l. omnia 71. D. de reg. jur. Quae cauſae cognitionem deſiderant, per libellum expediri non poſſunt*: quibus in verbis latet ille mos ſubſcribendi libellis: at ex ſubſcriptione, ut in ſpecie, de qua agimus, neque petenti jus conferri potuit, neque a petito auferri quod eſſet, *Expedire*. Debuit vero commonitus vocari reus apud Ulpianum, ut ego vocandos cenſeo illos, quorum intererit, vel ex ſubſcriptione magiſtratus, vel ex mandato vulgaris formulae, ſicut Gallorum ſcriptorum principes viri foeliciter & viriliter tractaverunt, Fab. §. 3. *verſ. Sed debet. Inſtit. de poen. tem. lit.* Imbert. *Forenſ. Inſtit.* 1. *cap.* 2. *extr. gloſ.* Ex his fere poſita ſunt omnia, quae a nobis conquiſita reperiri potuerunt, ad Jus liberorum datum vel legibus, vel Senatuſconſultis, vel principum placitis evolvendum. In quo nec me animi fallit quam ſint obſcura permulta, & ſi cuiquam, mihi incognitiſſima: ſed de illis congruo loco & tempeſtive confeſſus ſum, & ſtudioſe proferens dubitationes meas, aliis Democriti puteum indicavi. Faxit Deus Optim. Maxim. inde foelicius veritatem expiſcentur! Non deerunt tamen qui corruptis moribus potius, quam ſuppleant jus ſitientibus, ſi quae praetermiſi (ſunt autem plura) notabunt, & reprehendent, omiſiſſe me Jus unius liberi, in ſucceſſione inteſtati liberti, viam patrono intercludentis, item & Jus duorum, trium, pluriumve patri virginis, quae in Veſtalem caperetur, de qua Gellius *lib.* 1. *cap.* 12. aut primipilaribus Oſdroenis conceſſum. Verum in illis caſibus, nec quicquam pater ſenſit vacationis honoris, favoris, aut gratiae: in hoc vero tacui, quod principalis ad Modeſtum conſtitutio *l. 79. de decur. C. Th.* ... ſit & localis, ſi cum Juſtiniano *l. ult C. de aedif. privat.* ita per elegantiores loquimur. Equidem Nobis non licet eſſe tam diſertis, Qui Muſas colimus ſeveriores. Quod ſi reſponſum ſatis non facit, quando non mihi omnia Deus dedit intueri, ut neque Druſo Caeſari, & in eo, & in ſimilibus ſubeant illi vicem meam.

CAPUT XLII.

De liberis & filiis, qui eorum appellatione contineantur, enucleata Juriſprudentum ſcripta varia, & ſententiae conciliatae, Juliique Pauli locus emendatus ex literis Antonii Vaccae Juriſconſulti.

His conſequens eſt ſubjicere, toties liberorum facta mentione, qui & quales parentibus ſuffecerunt.

Digitized by Google

runt. Cum lex unico libero contenta fuit, Jus liberorum ſermone multitudinis nihilominus diximus: enuntiatio enim liberorum plurativo numero profertur, *l.* 148. & 149. *D. de verb. ſign.* quae antiquis oratoribus, hiſtoricaeque aut carminum ſcriptoribus, etiam in filio ſolo vel filia, vera exiſtimata fuit, & ita in complurium veterum libris ſcriptum aliquoties Aulus Gellius animadvertit, *lib.* 2. *cap.* 13. videndusque de eo Divus Auguſtinus *de civitat. lib.* 16. *cap.* 40. Sed & illo caſu, & cum duo, aut plures liberi exiguntur, nepotes vero tantum ſuperſunt, videamus quid dicendum ſit: e ſeſſione Aemylii Ferreti viri principis, omnium ſeculorum perpetuis laudibus excipiendi, ante quadriennium publicavi de liberis ſententiam meam, ad illud Calliſtrati *l.* 220. *D. de verb. ſign. Liberorum appellatione nepotes, & pronepotes, caeterique, qui ex his deſcendunt, continentur.* Si quidem eo ſenſu id nomen in XII. Tabulis uſurpaverant Decemviri: quorum exemplo moti Juriſprudentes, cum ſe obtulit, idem cenſuerunt: de reliquis Papinianus, & Modeſtinus, *l.* 56. & 104. *D. eod. l.* 10. §. *liberos* 5. *D. de in jus voc. l.* 10. §. *parentes* 7. *D. de grad. & aff.* In hujus tamen ſententia, Τῶν τέκνων προσηγορία, &c. debuit interpres reddere *liberos*, non *natos*, autoris indolem ſervaturus, ut Alciatus primum poſuit, & Auguſtinus *lib. ad Modeſt. l.* 2. *D. de excuſ.* probat. Quod ad rem attinet: ſi liberi deficiant patri, quo minus honore commodove gaudeat, aut a muneribus vacet, & ex ſe relictis natis deceſſerint, nepotes eorum locum ſubeunt & ſupplent avo; qui licet plures ſint ex uno filio, pro uno numerantur, *l.* 2. §. εἰ μόνον 5. *D. de excuſ. l.* 3. *C. de his qui num. lib.* §. 1. *Inſt. de excuſ.* Diverſum tamen in natis ex filia arguit Modeſtinus: qui ſicut non avo materno, ſed patri oneri ſunt, ita illi non, ſed huic tantum prodeſſe debent; & quo caſu (puta egente patre, *l. pen. D. de lib. agn.*) filiae nati, avo materno oneri eſſent, perinde eſt, ut ei non proſint, quia numquam in ejus poteſtate fuerunt. Sed exoritur dubitatio ex Severi & Antonini ad Claudiae libellum epiſtola, *l.* 1. *C. de condit. inſer. l. ult. de pollic.* relicto fideicommiſſo ab haerede, ſi ſine liberis diem obiiſſet, & is ex filia nepote inſtituto deceſſerit, conditionem adſcriptam fideicommiſſo defeciſſe, manifeſtum ajunt CC. Jam ſi non dicitur ſine liberis decedere, qui nepotem ex filiis relinquit, quid eſt, quod in Juris liberorum quaeſtione nepos ex filia non proſit? Imperatoria conſtitutio habet rationem, quod filia, in qua defecerat conditio mortua, cum perpetuo per natum vivere intelligatur, *d. l.* 220. §. *ult.* nepote ſuperſtite, avus non dicitur ſine liberis: quae ad Papinianum *d. l.* 56. *extr.* referenda ſunt omnia, ubi ex foeminis ſicut ex maſculis deſcendentes enuntiatione liberorum exaudit. Inde vero non commovemur in propoſito, lege liberos, vel qui ſint in poteſtate, vel qui fuerint, exigente, *d. l.* 2. §. εἰ μόνον 7. cujus ratio, ut nec omnium a majoribus conſtitutorum, requirenda non videtur. Sane liberorum nominis rationem inveſtigavit Antonius Vacca, amicus noſter, & juris civilis praeter veterem & bene fundatam peritiam anxie diligens, quam, dum Provinciae Venayſſinorum praeſideret, nobis Avenione communicavit. Liberi, dicebat, antiquitus appellati ſunt tam filii, quam nepotes, & deinceps fere qui in poteſtate eſſent, ad ſervorum differentiam: & cum idem prope jus vitae & necis Romani veteres haberent in utroſque, filios a ſervis, liberorum nomine, diſtinxerunt, quod utrique in poteſtate eſſent, licet ut plurimum filiis ut liberis hominibus, ſervis ut animalibus, juſta diverſe praeberentur. Sunt enim non diverſa tantum, ſed ex diametro oppoſita, liber & ſervus, *l.* 182. *D. de verb. ſign.* unde Julio Paulo *l. ſi filius* 8. *D. de probat.* filius, qui ſe extra patris poteſtatem contendit, *ſe liberum eſſe quodammodo contendit.* Haec ille poſtea in expoſitiones *Obſcuriorum ad* 1. *Pandectãn ad l.* 3. *D. de his qui ſu. ſui.* retulit. Obſervabit ergo ingenioſus *liberorum* nomen, quaſi collectivum eſſe, quod ſuo ſignificatu omnes omnino deſcendentes comprehendat, & ſemel poſitum ſignificet idem, quod filius, nepos, pronepos, &c. nominatim expreſſi. Verum ſi quae fuere leges, ſi quae Senatusconſulta, ſi quae principum placita, in quibus pro liberorum nomine filiorum mentio facta fuiſſet, an illa ſe ad nepotes extenderit, diſquiſitio non inutilis eſt, & quae in fideicommiſſorum tractatu accuratiſſime ſolet a viris praeſtantibus diſputari. FILII *appellatione*, ait Paulus, *l.* 84. *D. de verb. ſign. omnes liberos intelligimus:* ſed *liberi* in infinitum deſcendentes omnes dicuntur; ergo & hi *filiorum* enuntiatione exaudiendi. Inde juſta interpretatione recipiendum cenſet Julianus, filii nomine nepotem comprehendi, *l.* 201. *D. eod. l. filium* 14. *D. ad Maced. l.* 60. *D. de rit. nupt.* ut in Macedoniano, & alterius cujuſdam Senatusconſulti explicatione, legimus. Inde quoque *legatis ſervo villica & filiis, nepotes ex iis contineri* Papirius Fronto reſpondit, *d. l.* 220. §. *ſed & Papir.* 1. & ſibi *filii appellatione ſaepe & nepotes accipi, multifariam placere.* Diverſae factionis Ulpianus autor ſcribit, tutores non ſolum *filiis*, ſed & *nepotibus* poſthumis a teſtatore datos videri, *ſi modo* LIBEROS *dixit: caeterum ſi* FILIOS, *non continebuntur: aliter enim* FILII, *aliter* NEPOTES *appellantur*, *l.* 6. *D. de teſtam. tut.* §. *ult. Inſt. qui teſt. tut. dat.* quae verba Triumviri in Inſtitutiones retulerunt. Hic ſi veritas diſputatione limanda eſt, an ad opinionem, quae plurimos autores habet (unde communis Plutarcho *in Rom.* * dicitur) Ulpiani ſcriptum reducemus. Accurſius putat, propriam ſignificationem illos in interpretatione juſta & legibus accommodata ſcrutari, ut ſit illis alia ſubtilitas, alia Ulpiano & ſubſcriptoribus Triumviris: quorum traditione ad communem uſum hominum, tota accommodatur oratio, in qua popularia & uſitata verba exacte expendiſſe Ulpianus exiſtimatur. Sed haec, quorum ſuſpecta veritas eſt, Aldobrandino minime placent, dum aliam ipſe conciliationem comminiſcitur & ponit: quod ſcilicet *filiorum* enuntiatio *nepotes* complectatur apud juris autores, & Ulpianus a communi traditione recedat, ne videatur avus (qui nullo caſu, §. *permiſſum* 3. *Inſt. de tut.* niſi quo *nepotes* in filii poteſtatem, ſe mortuo, recaſuri non eſſent, tutores eis dare potuit) in caſu ſpecialiter a lege conceſſo, *l.* 4. *antr. D. de vulg. & pup. ſubſt.* ſine expreſſa mentione, tutorem *nepotibus* ſub *filiorum* appellatione dediſſe: quae ratio acutiſſimi ingenii eſt, ſed ſubtilis magis, quam vera. Accurſii ſenſus non recipitur, quod plures autores potius, quam Ulpianus, conſuetudinem loquendi, & communem uſum nominis *filii*, perpendiſſe videantur. Aldobrandini quoque eliditur opinio, ex eo quod non dentur tutores in Ulpiani ſcripto, ab avo *nepotibus*, qui patrem eundemque *filium* ſuperſtitem habeant. Hoc autoris conjunctae ſententiae, *l.* 5. & 6. *D. de teſt. tut.* continuata verba, in fronte promptum gerunt: ſed ſi, quod ille ait, verum eſſet, non magis tutores *nepotibus* darentur ab avo, qui *Liberos* diceret, quam ab eo, qui *filiorum* meminit: & tamen Ulpianus diverſum nominatim ſcribit. Alciatus Magnus *libro Paradoxõn* 3. *cap.* 14. idem habens propoſitum, *filii* uſurpationem diſtinxit, ut aliud ſit in verbis legis, aliud in cautionibus hominum: in illis, ſi non ex vi verbi, ſaltem ex rationis ſimilitudine, extenſio in facili eſt, ut ipſe cenſet: at in cautionibus hominum, ex integro voluntas ſervanda eſt, quam ſibi ipſo jure antiquiorem Plinius ad Calviſium ſcribit, *lib.* 5. *ep.* 7. adeo ut ad eam debeat verborum aptari & accommodari interpretatio. Sed variae conjecturae, & praeſumptiones, voluntatis, nihil quicquam juris certi relinquunt, aut tradunt, quod ſequantur interpretes conſulti: ut apud Papirium reperitur caſus, quo, ne dura

* Bath. *conſ.* 8. *num.* 64. *lib.* 2.

filio-

Digitized by Google

(a) *filiorum* a genitoribus inducatur ſeparatio, villico & *filiis* legatis, *nepotes* villici veniunt: at dato *filiis* tutore, *nepotibus* datus non videtur Ulpiano. Cur haec tam varie? non docet Alciatus: minus Germani ponunt, qui illum auctorem habent & ſequuntur, Cantiunc. *d. §. ult. Inſtit. qui teſt. tut. dar.* Ideo non ſatis placent, quae diſſidentiam non componunt. Haec & ejusdem argumenti ſimilia multa cum eo loco ſuperiori Avenione prodidiſſem, & nihil praeterea poſuiſſem ad virorum prudentium διαφωνίαν conciliandam, notatus in illo quidem non fui, ut ore veridico quidam retulerunt, ſed in hoc quorundam reprehenſionem incurri. Depravatis enim moribus eo ventum eſt, ut turpe exiſtimetur docentem de quopiam, licet in apicibus juris, dubitare: adeo qui genti ad fingendum paratae monſtro ſimilia mendacia aſſueti ſunt, inſcitiae ſtatim illum damnant, ſi novum non prodiderit, non conjecerit, vel, ut uno verbo revelem, non divinaverit. Sic alter Lactantius Firmianus, licet disparis eloquentiae, brevi dictus ſui, in refutando ſubtilis, in conſtituendo parum vehemens. Aderas tu, Bugnoni, aliique docti complures, & honoris mei cauſa aderat tuus, vel noſter potius Angelus ille Papius, incomparabilis memoriae Jurisconſultus, cui ingratus ſum, niſi honoris delati ſummam ſemper habeo gratiam. Quid cum, ingenii velo contracto, libere profeſſus ſum, tot ingenio florentibus & praeſtantibus doctrina viris, meipſum mihi plus ſapere non videri, ille de me judicaverit, permulti ſciunt: quid tu, ipſe ſcis: ego retineo me dixiſſe, aut mendum in conſultorum ſcriptis, aut implacabilem & manifeſtiſſimam eſſe inter Ulpianum & caeteros antinomiam. Subinde ad Praeſidem Antonium Vaccam V. Cl. ſcripſi foeliciſſimas literas, quae mihi illius amicitiam conciliarunt: & quaerenti quid ſibi de quaeſtione expoſita placeret, humaniſſimas reſcripſit, & officii & amoris pleniſſimas. Ita vero literas ſuas ad meam ſuſpicionem, & mendi conjectationem accommodavit, ut diceret in Pauliano loco principe disputationis, foedatos libros & mendoſos in eo circumferri, quod legitur vulgo, *Filii appellatione* omnes *liberos intelligimus*, *d. l.* 84. *D. de verb. ſign.* contendens ita ponendum, *Filii appellatione* homines *liberos intelligimus*: eo ſenſu, ne vernae ex ancilla & domino nati, *filii* generali & indiſtincta enuntiatione exaudiantur. Qui piſtrinis ingeniorum dediti ſunt, audaciam culpabunt, conatus reprehendent: ſed viri eruditiſſimi conjectura inſolens videri non debet, cum apud Ulpianum *l. 2. D. de jure patr. liberti omnes*, pro *Libertini homines*, ad Hervagium usque libri fere omnes habuerint. Hoc modo ſeducitur Paulianum illud a propoſita quaeſtione, ne pronepotes, aut trinepotes, & alios deinceps filii nomine intelligere neceſſe ſit. Sunt autem aliorum ſententiae componendae, Juliani ſcilicet, Papirii, & Calliſtrati, & illiusdem Pauli, qui *d. l.* 220. *§. ult.* praeeunte natura, & pietate paterna duce, *filiorum* appellationem ad *nepotes* extendunt: & cum *filii* & *nepotis* nomen gradus liberorum diſtinguant, & diſcernant, non ex vi verbi, filius nepotem comprehendit, ſed ex rationis ſimilitudine ad illud extenditur, quod prudentium ad Senatusconſulta interpretationes arguunt, *d. l. filium* 14. *D. ad Mac.* & *l.* 60. *D. de rit. nupt.* Sane Ulpianus in alia ſententia non eſt, neque Triumviri ſunt: natos enim & ſuperſtites *nepotes* non negant *filii* ſimplici enuntiatione contineri, ſed poſthumos *nepotes*: ſic qui *filiis* dat tutores, explicatione Jurisprudentis *l. nomen filior* 164. *D. de verb. ſign.* dare *poſthumis* videtur: ne vero duplex productio in idem nomen concurrat, Guil. Cugn. *l. ub emtione* 58. *D. de pactis. filii* productio, ad poſthumos, qui *nepotes* ſint, Ulpiano inviſa fuit, *liberorum* non item: quod nomen ex vi ſua nepotes & caeteros, non minus quam extenſione comprehendat, *d. l.* 164. *D. de V. S.* ideoque facilior ad *poſthumos nepotes* productio, & explicatio eſt. Obſervandum autem in Graeco Modeſtini verbum ἐκτείνεται, quod *extenditur* & *porrigitur* ſignificat, non ſatis recte locatum, aut cum aliorum juris autorum ſcriptis ſententiis admodum convenire, dum nomen *liberorum* continere *nepotes* ajunt, *d. l.* 56. & 220. *D. eod.* non ad illos produci, porrigi aut extendi. Notandum illud quoque, non legi in libris civilibus *filii* nomen, ad pronepotes aut caeteros deſcendentes extenſum, ſed ad *nepotes* duntaxat. Unde leges, Senatusconſulta, Principum placita, Praetorum edicta, Conſultorum reſponſa, quae vel de *liberis*, vel de *filiis* loquuntur, in plano poſitam interpretationem habent. Plane ſi quae *Jus liberorum* tribuunt, & *filios* vel *liberos* exigunt, qui utraque appellatione contineantur, & legibus ſuffecerint, expoſiti ſunt ex uſu Juris civilis.

CAPUT XLIII.

De varia & multiplici filiorum ſpecie, Ulpiani, Pauli & Javoleni ſcriptis enucleatis, & quaeſtione de nepote, avo paterno in adoptionem dato, item & de illegitimis, qui fiunt juſti principis reſcripto, explicata.

Videamus jam quales liberos exigant leges, & id ſciri fere non poteſt, niſi liberorum ſpecies multiplices excutiamus. Animadvertendum igitur eſt, quo loco & qua ratione liberorum mentionem habeant autores. Ubi de procreatis liberis & adoptatis ſermo fit, illi naturales tantum; hi adoptivi & legitimi dicuntur, ut apud Suetonium, *Tiber. cap.* 52. Tiberius *filiorum neque naturalem Druſum, neque adoptivum Germanicum patria charitate dilexit.* Hic per eminentiam *legitimus* etiam Latinis dicitur, quod legis puro ſoloque miniſterio, nihil cooperante natura, filius creatus ſit: ſicut Ulpiano *Inſt. tit.* 11. *D. de tutel. tutor legitimus*, qui ex lege deſcendit: & *jus legitimum*, *l.* 11. 22. *D. de jur patr. l. 3. §. de illo 2. D. pro ſocio. l. 90. extr. D. de legat.* 2. & *haereditas legitima*, quae legis conſtituto defertur: ita *uxor legitima* alludenti ad legem Juliam Martiali *lib. 5. Epig.* 76.

Quae legis cauſa nupſit tibi Laelia, Quinte,
Uxorem *potes hanc dicere* legitimam.

Similiter *naturalis* nomen habet, quod natura filius ſit, lege, quae matrimonia confirmat, naturae locum, ob ſanguinis rationem, concedente. Hoc ſenſu *patris* & *filii naturalis*, *patris* item & *filii legitimi*, ſaepiſſime juris autores meminerunt, *l. 6. 7. 8. D. de in jus voc. l. 14. §. nam 4. l. 60. §. quid ergo 6. D. de rit. nupt. l. 29. 31. 40. D. de adopt. l. 5. D. de his qui ſu. ſui. l. 7. D. ad SCtum Tertul. l. 1. & 5. unde cogn.* Alia item uſurpatio *filii legitimi*, & *naturalis* eſt, cum *legitimum* pro *juſto filio* accipimus, qui ex *legitimis nuptiis*, tollitur: vulgus *legitimum* & *naturalem* appellitat, & νόμιμον Modeſtinus. *Legitimum* ea forma dicimus, qua *legitima conventio* eſt ea Paulo, *l. 6. D. de pactis.* quae lege aliqua confirmatur. Huic e regione ponimus *naturalem filium*, apud profanos literatores dictum *naturalem tantum*, quem ſola natura genuit, non honeſtas conjugii, ut ſcripſit Iſidorus. *Naturalis* tamen *filius* ſine figura matrimonii ſuſcipitur, & dicitur in libris hujus ſtudii potiſſimum duobus modis. Primo, ſi ex domino & ancilla, quae in illius manu eſt, naſcatur filius, is *naturalis*, cujus tam frequentem Jurisconſulti mentionem faciunt, *l. natural. 5. D. de praeſcr. verb. l. denique 8. D. de pign. l. 17. §. Lucius 1. D. quae in fr. cred.* filius ſimul & ſervus eſt, qui matris conditionem ſequitur, ubi defecit connubium, *l. 6. de decur. l. 3. de liber. cauſ. C. Th.* Unde mirum videtur apud Ulpianum, ubi *mulieri, volenti filium naturalem ſuum manumittere*, permiſſum

(a) *l. poſſeſſio* 11. *C. commun. utriusque jud. l. 1. C. Th. com. vid.*

ex Marcello *l. ſi rogatus* 20. §. 3. *D. man. vind.* exiſtimat. Si partus ventrem ſequitur, qua ratione filius naturalis mulieris liberae ab ea manumittendus eſt? Obiter ingenioſos monitos velim, mulierem illam ex ancilla factam libertam fuiſſe, & patroni teſtamento filium communem legato, *l. ult. C. com. de manum.* conſecutae matri, jamque dominae, permiſſum filium & ſervum e manu ſua mittere. De hujusmodi filorum ſpecie ſignificat Julius Paulus *l.* 84. *D. de verb. ſign.* non accipiendum ſi *filio* legetur, ſi *filius* naſcatur; cum ait, Interprete Vacca noſtro, *Filii appellatione homines liberos intelligimus*, & non ſervilis conditionis. Ut enim liberi ex libero matrimonio, liberorumve copula deſcendunt, ex ea conjunctione, cui libertas deficit, *cun. liberi* 15. *cun.* 32. *quaeſt.* 4 non eſt exaudiendus *liber filius*, cujus per excellentiam acceptio de *filio juſto*, & *libero* ſaltem *conditionis* eſſe debet. Altero modo *naturalis filius* ſuſcipitur, *l.* 7. *D. de confirm. tut.* de his, quae ſunt extra poteſtatem, ex quavis muliere, quae juſta non eſt uxor: ex qua natus liber a patre, & ſui juris eſt, nec invitus in patriam poteſtatem redigitur, auctore Modeſtino, *l. ult. D. de his qui ſu. ſui.* ubi Vacca. Hujus acceptionis permultas ſpecies Baldus 5. *conſ.* 68. & Alciatus *lib.* 4. *Parerg. cap.* 5. obſervarunt. Sed dum extra poteſtatem eſt filius, nec principis beneficio jus patrium ſibi quaeſivit pater libertinus (*l. ult. D. de adopt.* ubi Vacca) qui filium ex contubernali in ſervitute ſuſtuliſſet, a domino vel ſimul cum patre, vel poſtea manumiſſum, an filii appellatione exaudierint veteres, quaeri poteſt, & monumentum Piſauri vetus extat [ap. Gruter. *pag.* 752.]

AGABORIUS. FELIX
VIVOS. SIBI. FECIT. ET
MINDIÆ. EPITEVXI
CONIVGI. KARISSIMÆ. ET
INCOMPARABILI. ET
MINDIÆ. CLAVDIANÆ
FILIÆ. NATVRALI
LIBERTIS. LIBERTABVSQ.
ET. POSTERIS.

Quo exſcripto manifeſtum fit, liberam non fuiſſe Agaborio ab Epiteuxi conjuge natam Claudianam, cui ſuperfluo *naturalis* nomen additum fuiſſet. Unde colligo, creatam in contubernio, & a patrono vel ante patrem, vel poſt patrem, vel cum patre manumiſſam dici *naturalem*: & ad idem Trebatius, *l. ult. D. de jure delib.* dicebat, *filii* appellatione *naturalem libertinum* contineri, cum quo Papinianus, *l. cum pater* 77. §. *volo* 13. *l.* 88 §. *Damae* 12. *D. de leg.* 2. *l. ex facto* 17. §. *ſi quis rogat.* 4. *D. ad SCtum Trebell.* & Tryphoninus ſentiunt. Labeo contra: cum filio libertino & impubere, inſtituto, Dama liber eſſe a teſtatore juſſus fuiſſet, ea conditione, *Si mihi filius nullus erit, qui in ſuum tutelam veniat: quia eo loco verum filium accipi oporteret*, inquit. Ideoque Jabolenus, ſi non appareat quid ſenſerit teſtator, Labeoni ſubſcribit, ut Dama libertatem conſequatur: quod male Caſtrenſis accepit, & pejus interpretatus eſt. Sane id illo in caſu probant, ne libertatis exitus impediatur, quae non privata, ſed publica res eſt: *l.* 53. *D. de fid. lib. l.* 10. *D. de teſt. tut.* alibi vero ipſemet Labeo *l.* 4. §. 4. *D. de in jus vocan.* parentes, qui in ſervitute ſuſceperint, nomine parentum exaudit: ergo & in filiis idem probat, uti reciproca ſunt & relata pater & filius. Ego vero arbitror, verbis legis aut Edicti, non niſi ex ſimilitudine rationis, *d. l.* 4. hujusmodi filios ſub enuntiatione *filii* contineri: at in cautione hominum voluntatis quaeſtionem puto, & ex dignitate, & ex voluntate, & ex conditione perſonarum conjiciendum, Ulpianus non diſſimiliter ſcribit, *d.* §. *ſi quis rogatus* 4. *l.* 17. *D. ad SCtum Treb.* Aliis placuit diſtinguere favorem ab odio, ut in re favorabili benigne *naturalis* pro *filio* accipiatur, Papon. *lib.* 21. *tit.* 3. *Areſt.* 2. in odioſa non item: qua de re, cum pompa ampliſſima, longiſſimi tractatus extant ſcriptorum, qui dum ex legibus ſapere tantum debuerunt, in opinionum ambages ſeſe, & alios in ſupervacuas difficultates conjecerunt. Nunc de multiplici filiorum ſpecie, ex ordine colligamus, quos approbarint leges, qualesque ad Jus liberorum profuerint. Primum, *adoptivi* ſive *legitimi filii*, quos ſibi quivis adquiſititios parat, an Jus liberorum ſuppleant, ſi in diſceptationem cadat, tenenda ſunt menti verba Taciti *lib.* 15. *Annal. cap.* 19. *Percrebuerat* (inquit) *ea tempeſtate praviſſimus mos, cum propinquis comitiis, aut ſorte provinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adſciſcerent filios, praeturasque & provincias ſortiti, ſtatim emitterent manu, quos adoptaverant. Qui magna*, &c. *Factum ex eo Senatusconſultum, ne ſimulata adoptio in ulla parte muneris publici juvaret, ac ne uſurpandis quidem haereditatibus prodeſſet.* Verum in Senatusconſulto adoptionis verae nulla facta mentio eſt: at de utraque generaliter Ulpianus *l.* 2. §. 2. *D. de vacat. mun.* dixit: *Adoptivi filii in numerum non proficiunt eorum liberorum, qui excuſare parentes ſolent.* Inde in tutelae remiſſione non proſunt adoptivi liberi apud Triumviros *princ. verſ. Sed. adoptivi Inſt. de excuſ.* Ita vero ſe excuſaturo patri ſunt inutiles, ut legati commodum *in tempus liberorum* percepturo non proſunt, *l.* 53. *extr. D. de leg.* 2. Unde neutri conſulum prius datos faſces ob adoptivos liberos putem, neque praerogativam candidatus. Ratio vero, cur excuſationem non adjuvent, ponitur a quibusdam in eo, quod Reſpublica munificibus fraudari poſſet, adoptionis commento, ut loquitur Papinianus *l.* 76. *D. de cond. & d. monſtr.* id eſt, factitiis ex arte, & fictitiis liberis. Mihi videntur adoptivi liberi, extra legis propoſitum, quae liberis hominibus repleri, & ampliari imperium deſiderat: *l. ult. D. de bon. damn.* & ideo legitimo patri non prodeſſe, *arg. l. his* 5. *C. qui milit. poſ.* qui naturali faveant. Uno caſu an adoptivus proſit, ſubſiſti poteſt: cum avus paternus, qui filium emancipavit, nepotem ex eo ſibi adoptione fecit filium, ubi naturalia ſanguinis & civilia adoptionis jura concurrunt, nepotem hujusmodi avo acquirere, *quae poſſunt acquiri, & prodeſſe*, conſtitutio Juſtiniani principis ait *l. pen. princ. verſ. Si vero. C. de adopt.* ſed magis eſt, quoniam lex nepotem filium efficit, licet non repugnante natura, ut avo ad Jus liberorum non proficiat. Et hoc habet rationem, ne idem duos, patrem naturalem, & avum, patrem factitium adjuvet, neve fraudibus ad commoda percipienda, & onera fugienda aperiatur via, qua filius & nepos Jus liberorum afferrent: ne item nepos inter natos vivo patre, eodemque filio in hac quaeſtione proſit avo, quod nusquam proditum eſt, *l.* 2. §. 7. *verſ.* Βοηθεῖν. *D. de excuſ. d. l.* 2. *C. qui num. lib. ſe excuſ.* imo contrarium praeceptum. Sane imprudentem orbum exiſtimabat Sophocles (Stobaei *Serm.* 74.) qui alienos liberos in domum aſciſceret ſuam: eorum etenim nullum jus, nulla vis, nulla utilitas erat; quo verſus Euripidis:

Θετῶν γὰρ παίδων ποῦ κράτος; τὰ φύντα γὰρ
Κρείσσω νομίζειν τῶν δοκησίμων χρεών.

Igitur ad Jus natorum *naturalibus* liberis opus eſt, quos & *legitimos* diximus, ubi *illegitimis* opponuntur. Teſtem vero, qui elevari non poſſit, evoco Modeſtinum, ibi, *d. l.* 2. §. 3. νομίμους δὲ παῖδας εἶναι δεῖ πάντας, &c. quae ſic Latine redduntur, *Legitimos autem liberos eſſe oportet omnes, qui debent patri remiſſionem muneris afferre.* Multa hic cauſa brevitatis omitto, dum ita ex partium remotione colligo, Neque *adoptivi liberi*, neque *illegitimi* legibus probantur, ut patri proficiant: ergo *naturales & legitimos* eſſe oportet eos, quibus leges favent. De *adoptivis* diſputatum eſt: de *illegitimis*, quos & *naturales* diximus, paucis videamus. Si *liberos legitimos* exigit Modeſtinus, ergo *illegitimos* improbat: neque Juriſprudentem Sophocleum illud movit, *nothos* exaequans *legitimis*:

Ὁ δὴ

Ὁ δὲ νόθος τοῖς γνησίοις ἴσον σθένει.

Augeri etenim non incertis liberis rem publicam, ſed multis hominibus legitime progenitis frequentari leges noſtrae deſiderant, *l. 2. extr. C. de indict. vid. tol.* Quod ſi *illegitimi*, ſive quos vocant, *naturales tantum*, a ſola natura cogniti, ſubſequenti matrimonio, *l. cum quis 10. & ſeq. C. de nat. lib. legitim*, fiant, videtur proclivius ut patri proſint. Idem dicendum, ſi principis reſcripto fiant *legitimi*: modo ne hi ſint, qui nec nomen *naturalium* ex parentum nefario ſcelere mereantur, *auth. ex complex. C. de incest. nupt.* Vereor tamen, ne haec non vera ſint, eo ſolo quod leges nullae, ſive veteres, ſive novae, ubi Jus legitimorum *naturalibus* largiuntur, parentum rationem habent: & omne earum in eo ſitum eſt ſtudium, omnis legum mens & cogitatio, ut filiis nativitatis maculam abluant, & notam injuſtae procreationis tollant, ne filii, qui non peccaverunt, ab aliis discriminentur. Illud ſi propoſitum eſt legibus, vel in omnium ſilentio Juſtiniani *Novellis conſtit.* 74. & 89. indicatum, nulla occaſio eſt, cur *legitimos factos* adjumento aut levamento patri eſſe dicamus, qui liberos tollere ex peccato, & ex voluntate carnis maluit, quam nuptias legitimas contrahere: vel eo duntaxat ineundas, quod nuptiarum inexpertus Paſuncius confeſſor, *Tripert. lib. 2. cap.* 14. non minus honorabiles, non minus amabiles, quam coelibatum exiſtimavit, & caſtitatem cum propria conjuge dicens, concubitum, in Synodo Nicaena laudibus ampliſſimis in coelum ideo evectus fuit. Sane ſi probamus genitoribus ad Jus liberorum proficuos *illegitimos* natos, ubi princeps illis ſordes nativitatis ademerit, proruentes ad libidinem homines, in peccato deliteſcentes, & divitiis floreſcentes, ad negligenda matrimonia invitamus: eo fretos, ubi ex concubina filiis ſublatis, *Jus legitimorum* a Comite (ſi diis placet) Palatino aliove principe exoraverint, ſe juſtos filios & veros, ſine uxore, ſine matrimonii oneribus, & Jus liberorum, irritis legibus habituros. Hac de re videre eſt, quid Patritiis doctoribus *ad l. ſi quis ita. D. de legat.* 1. placuerit: ego contentus ſum meam ſententiam protuliſſe, de qua peritiores judicabunt.

CAPUT XLIV.

Liberos incolumes eſſe ad Jus natorum oportere: & in obſidione mortui qui intelligendi apud Ulpianum: an item religioni addicti aut poenae proſint, & quo tempore vivos filios exigant leges, quove mortuos negligant, vetus quaeſtio tractata, & Ulpiani ſcriptum Conſtantinique reſcriptum explanatum.

Conſtituti juris eſt igitur, filios, qui Jus liberorum parentibus afferunt, naturales & legitimos eſſe oportere, nec patribus alterutrius duntaxat ſpeciei ſufficere. Quod in matribus non ſemper verum eſt, & ut plurimum eis vulgo quaeſiti proſunt, & eas, ſive ex juſtis, ſive ex injuſtis nuptiis, ſatis eſt peperiſſe. Diſpiciamus autem, ne non ſatis ſit filium natura & lege ad parentes attinere, an quaedam amplius exigantur. Imprimis leges fere omnes, quae Jus liberorum tribuunt, ſuperſtites liberos deſiderant: quo illud Ulpiani *l. 2. §. 5. D. de vacat. mun. Incolumes liberi, etiamſi in poteſtate patris ſui deſierint eſſe, excuſationem a muneribus civilibus praeſtant.* Idem dixeris, ut in praerogativa honoris, aut commodi capeſſendi proſint, ſi de eo diſceptatio in cognitionem cadat. Haec vero in patre magis, quam in matre vera ſunt, ut plerumque foeminas ſufficit in hac quaeſtione peperiſſe: quandoque tamen patri gratiam leges fecerunt, *l. 37. §. 1. D. de oper. libert.* & amiſſi liberi adjumentum importarunt, & ſingula de ſuperioribus exempla obſervata, ſingula teſtimonia puto. Sed cum filios incolumes requirimus, excipere licet illos, qui in acie mortui ſunt, *l. bello 18. D. de excuſ. l. ult. D. de vac. mun.* qui pro Republica, pro patria cadentes, perpetuo vivere intelliguntur, & certe gloria immortales, volitant vivi per ora virûm. Ponas tamen indictum bellum civitati, & hoſtiles copias illam obſediſſe: an qui a muris, portis, domibus, delubris Divorum, ſacris tum publicis, tum privatis, hoſtem irrumpentem averterit, non debeat, ut bello juſtiſſimo amiſſus, parentibus ſuis prodeſſe? Et Ulpianus negat, fortaſſe quod non tam publicae ſalutis gratia, quam propriae tuendae cauſa, in obſidione pugnetur ab obſeſſis, indeque non tam pro re publica videntur interire, qui moriuntur, quam pro re familiari & privata tuenda. Alio quoque trahuntur verba Juriſprudentis, ut quaeratur in obſidione, ſi quis inter obſidentes ſtipendia merens, intereat, an ad parentum commodum vivere videatur: quod ſi in animo Ulpianus habuit, cur ipſe negaverit, peritiores explicent; mihi certe non liquet. Quin vero ſi filium religioni pater addixerit, an Benedictinus puta, vel Franciſcanus, dum rebus ſeculi mortuus dicitur, *d. c. diſtrahunt. 4. Nov. 22. de his qui iter. nuptiat.* dans ſacris operam, vivere patris emolumento intelligantur? Movet dubitationem, quod ſervis filii ſacris addicti aequiparentur, a primoribus autoritate & excellentibus prudentia viris, Innocent. *c. cum olim 14. de privileg.* Bald. *l. 4. C. commun. de ſucceſſ. ſcrib. §. 1. Inſt. de excuſat.* ſed magis puto, ut nihilo ſecius filius hujuſmodi patrem adjuvet: ſibi enim ipſi tantum mortuus fingitur, qui tacite, vel expreſſe ſeculo renuntiavit, at aliis non item. Licet vero ſervis comparetur, & filii ſervi facti non proſint, ut ſuperius in tutelae excuſatione *cap.* 17. diximus, quae ut ſimilia conferuntur, neque eadem, neque in omnibus ſimilia ſunt. Quid vero dicendum, ubi capitalis poena filium patri ſubduxit, & ſervum poena effecit, cui miſerrima relicta vita, libertatem eripuit, proficiat necne is filius, inter majorum gentium ſcriptores controverſae diſceptationis eſt: Bald. & ſeq. *l. deo nobis 56. C. de epiſc. & cler.* is mortui loco habetur. *l. 1. §. ult. D. de bon. poſ. cont. . ſi necem 4. D. de bon. lib.* is ſervus poenae dicitur, & filii ſervi facti non proſunt, quia liberi homines non ſunt: at neque vere mortuus eſt, neque ingenuus ſervus poenae fit amplius, *c. quod autem prius 8. Novel. 22. de his qui iter. nupt.* unde verius dixerim hoc caſu filium patri prodeſſe. Neque vero in Juris liberorum quaeſtione mares filios a foeminis leges diſtinguunt, *l. ult. C. de his qui num. lib. exc. mer.* nec eos diſtinguere debemus: etſi maſculos utiliores ſe praeſtare reipublicae ducat Theophilus, *§. caeterum 3. Inſt. de leg. agn. ſuc.* quod aut bella gerant, aut ſacra faciant, aut publicis muneribus fungantur: illis enim deficientibus, mulieres foecundae alios ſemper ſuppeditant & ſufficiunt. Generaliter autem illud probandum eſt, de incolumibus & ſuperſtitibus liberis non referre, ſint, dum de Jure eorum gratia ſavorabili agitur, anteve fuerint in poteſtate, *l. 2. D. de excuſ.* modo liberi, neque ſervitutem ſerviant. Plane ſi pater eos in adoptionem dederit, adhuc naturali patri, *§. 1. Inſt. eod.* non autem adoptivo proſunt. Haec vero nihil ad matres attinent, ſed enixae liberos fere ſemper nati indiſcriminatim proſunt illi, quae, quantum in ſe fuit, liberis hominibus replere voluit civitatem. Praeterea de incolumibus liberis eſt hoc ex jure conſtituto, *d. l. 2.* oportere jam tum eos eſſe, cum Jus natorum praetendit pater: neque enim proderunt, qui ante nati & mortui, vel poſtea ſuſcepti ſunt, autore Modeſtino. Verum qui filii Jus liberorum attulerunt, ſi poſt decretum moriantur, an pater nihilominus Jure Dativo potiatur, vetus quaeſtio eſt; quam Joannes An-

dreas tractavit pleniſſime, ad *c. decet 16. de reg. jur. 6.* Fab. *l. 1. C. qui num. lib.* Ego arbitror diſtinguendum, ſi commoda & honores percepit Jure liberorum pater, & liberi deficientes nihil mutant; data enim legibus ſervanda ſunt, *d. l. ult. C. de his qui num. lib. excuſ.* ſi munerum vacationem obtinuit ob liberos, invenio poſſe diſcriminari munera patrimonii & perſonae. Illorum excuſatio perpetua non eſt, *l. 4 §. 1. D. de mun. & hon. l. 10. §. auctis 3. D. de vac. mun.* ſed nuda tantum muneris vacatio, exiguior & temporaria. Perſonalium vero plenior vacatio eſt, qua donati, *quamdiu vixerint*, *l. eam 14. C. de exc. mun.* perfruuntur, & his facilius vel cum minore incommodo carere Reſpublica poteſt. Sane quotiens patri munerum proba excuſatio eſt, uoum obſervatur, an filii ſint aetatis legitimae, *l. 1. 2. C. qui aet. vel prof. l. ad remp. 8. D. de mun.* id eſt, XXV. ann. quales exigunt leges, qui munera pro patre obire poſſint: tum enim patri promiſſa legibus immunitas ſervatur, ut Conſtantinus Magnus ad Dalmatium reſcripſit, *l. ult. C. de his qui num. lib. excuſat. mer. l. 1. C. Th. eod.* & Reſpublica necquicquam detrimenti capit, cum ejus utilitates minime deſeruntur. Eo ſpectant illa Ulpiani, *l. 3. §. 6. D. de mun. Quamvis*, inquit, *major LXX. annis, & V. liberorum incolumium pater ſit, ideoque a muneribus civilibus excuſetur, filii tamen ejus ſuo nomine competentia munera agnoſcere debent. Ideo enim proprium praemium immunitatis propter filios patribus datum eſt, quod illi ſubibunt.* Inde patris vacationem filiis non prodeſſe, ut perſonalia non excedunt perſonam, Franciſcus Accurſius & Bartolus exiſtimaverunt: quod non omnino falſum eſt, ſed Ulpiani ſcripto minime accommodari poteſt. Quamobrem filiosfamilias patriae munera ſubire patrum nomine putem, & patrum periculo, utpote paternis facultatibus oneribus functionum obnoxiis; quae verba *ſuo*, & *proprium praemium*, Latine ſcientibus arguunt. Hoc caſu pater in filii perſona munera ſuſtinere compellitur, & muneribus filii & honoribus conſentire, itemque patrimonium oneri adminiſtrationis & functionis ſubjicere; quamvis alias non cogeretur, *d. l. 3. §. quod pater 9. § ſi duo 16. D. eod.* Quod ſi ſcripto prudentis alia aptetur interpretatio, ut filii ſuo nomine & proprio, munera impleverint; unde Reipublicae cautum fuiſſe dicemus, cum nec emancipati fuerint, nec pater, conſenſu adhibito, functionum oneribus patrimonium ſubjecerit? Placet igitur filios pro ſuo patre obeundis muneribus apud Ulpianum applicari, ſicut praecepit Conſtantinus. Equidem ex his, ut in Juſtinianeo Codice refertur, epiſtola Conſtantini ad umbilicum luce donata eſt: ſed quod in Theodoſiano caput habet, adjiciendum quoque videtur: ut ſcilicet, poſt tam multa legum reperta de liberorum ſtatu, a judice ne qui Jus liberorum praetendit ſibi vindicare, alienos liberos in judicium deducat pro ſuis. Qua de re Imperator ait, *l. un. C. Th. de his qui num. lib. exc. Quoniam cognovimus nonnullos vacationem a nobis perſonalium munerum impetraſſe, alienos pro ſuis liberis noſtris conſpectibus offerentes, jubemus eos, cum hoc probatum ſit, indulto beneficio privari*: ne ſcilicet fraus illi patrocinetur, & commodum afferat. Haec de liberis, Imperatorio conſpectui oblatis, ſcripta ſunt, cum a principibus, nihil ad gratiam colligendam praetermittentibus, Juris liberorum ſive vindicandi patres licentiam peterent: quod prae ſe ferunt illa ejuſdem conſtitutionis verba, *Impetratu ſemel vacatione potiri.* Sed iniquam & ambitioſam fuiſſe neceſſitatem Juris liberorum poſtulandi a principe diximus, *cap. 2. ſupra.* Honoriique & Theodoſii legem omnibus, qui liberos haberent (ſic Accurſium Gloſſ. *l. ult. C. ſine cenſ. vel rel. fun.* Barba. *conſ. 1. 1. numer. 58. lib. 2.* imitati, eam interpretati ſumus) impetrationem Juris natorum remiſiſſe. Licet vero ſublata ſit impetratio, non ideo magis ob ſoppoſititios liberos alienos; impoſtor ex fraude juris habebit: aequitatis enim & cauſae cognitio, citra caput Conſtantinianae legis, ex ſcriptis Ulpiani *l. 1. D. de vacat. mun.* adſueta jam & familiaris eſt judicibus, Jus liberorum decreturis. Quamobrem aut legitimum teſtimonium producendum eſt ad Tribunal de liberorum ſtatu & conditione, aut filii in conſpectum judicis deducendi: quo caſu ſicut Imperatori offerebantur olim, ita & nunc offeruntur judici, ne penitus deductio illa vetus interiiſſe dicatur: quod ſi nequitia vel teſtium perfidorum, vel alienae ſobolis, prudentia Judicis peſſimo exemplo circumſcribatur, adhuc definitioni Conſtantinianae locum putem, ne gaudeat privilegio, quod fraude nixus eſt conſequi, ſive jure, ſive injuria. Similia hic ſubjicerem multa, niſi jam rivulus claudendus & libellus concludendus eſſet: & adhuc aliqua reſtarent, quae fidei noſtrae exſolvendae & praeſenti operi ſunt magis neceſſaria. Sane ex his Jus Dativum, quod coeperam explicare, ad exodium deduxi, cujus colligens fragmina, quae vel hominum improbitas diſſiparat, vel, ut alio culpa derivetur, fortunae vis e gradu priſtino dejecerat, quaedam capita conſtitui, quae ſi ſequantur vel noo improbent, qui ſimile argumentum executuri ſunt (id autem ſperandum ſtudioſis & materiae ubertas ſuadet, & noſtrae ſterilitas tractationis) non omnino male oleum & operam mihi videbor collocaſſe. Aperui interea locos, unde alii ſumere, & ubi, pro ea, quae eſt in occultiſſimarum rerum indagatione oblectatio, ingenioſi ad Juris Pop. Rom. cognitionem accenſi, veteris politiae & peritiae ſtatum poterunt ſcrutari.

CAPUT XLV.

De natorum Jure Impetratitio, *ejusque &* Dativi *diſcrimine, deque forma impetrandi, & ejus prima in uſum deductione.*

D*Ativo Jure* liberorum axacto, pergo de *Impetratitio* dicere, memor pollicitationis meae: & hoc fere diximus eſſe, quod motu proprio, nulla ſuffragante veteri lege, his tribuebat princeps, quibus ſola ratio miſericordiae patrocinabatur, ſive ſolitarii, ſive orbi liberis eſſent. Equidem illud petitum, & oratum, multa ex ſuperioribus arguent, *d. l. 1. C. Th. de his qui num. lib. exc. mer.* quod preces a liberorum patribus funderentur; ſed non ideo minus *Dativum* dici debet, cum leges id darent: licet imperioſi principes, quo Majeſtas auguſtior eluceret, in omnibus & per omnia conſuli ſe vellent, legibus ante latis album calculum approbationis adjituri, in quorum placito vis legum, & juris autoritas reſideret. Illorum temporibus leges, quae multa coelibes notaveruot, parentes praemiis honoraverunt, dicebantur (& vere) fundamenta reipublicae; quia ſeminarium juventutis, & quaſi footem humani corporis, ſemper Romanis exercitibus miniſtrarent, ut legimus *in Panegyrico ad Conſtantinum*. Tum qui liberis carerent, vulgo noo ſolum contempti, deſpecti, & inviſi erant, quod de Galba refert Plutarchus, ſed & ſuis haeredibus, quos melius merentes oportuit: unde Statii ad Maximum *libro Sylvarum 4. Sylv. 7. verſ. 33.*

Orbitas omni fugienda viſu,
Quam praemit votis inimicus haeres.

Ad ea ſane, quamquam multa reſtent, ſunt a nobis multa profecta, & prius quam de *Impetratitio* natorum Jure tractaremus, ſicut prius *Dativum* in Republica Romana locum habuit; cui liberis ex mulieribus ſublatis conſultum eſſe voluerunt, ut ait Conſtitutio, *l. 178. extr. C. Th. de decurion.* Laudatur a Plinio *Epiſtol. lib. 4. ep. 15.* Aſinius Rufus, functus officio optimi civis, quod foecunditate uxoris large frui voluerit, cujus laudationis ſuaſiones compluri-

mas videris poſt Dionem *lib. 56. in Collectaneis* Stobaei: ſed qui, ut ipſe Plinius, duplici matrimonio aut multiplici, ſterilitatem expertus, foecunditate illa frui non potuerit, ei Jus liberorum *Impetrativum* reperio neceſſarium fuiſſe. Igitur infoelix deſolatus orbitate adibat principem, & ſupplicem illi porrigebat libellum: quod Martialis *ad Dentonem lib.* 8. *Epigram.* 31. expreſſit:

Neſcio quid de te non belle, Dento, fateris,
Conjuge qui ducta jura paterna petis.
Sed jam ſupplicibus dominam laſſare libellis
Deſine, & in patriam ſerus ab Urbe redi:
Nam dum tu longe deſerta uxore, diuque,
Tres natos quaeris, quatuor invenies.

Quod is ait *Conjuge ducta*, innuit maritis & uxorem habentibus non fuiſſe adeundum principem ad Jus natorum exorandum, & melius illos de liberis procreandis cogitaſſe. Sane Dentoni ridiculum fuit non prius Veneris dulcia dona experiri, & tentare foecundamne duxiſſet uxorem, quam ad *Impetrativum Jus* properaret: quod voluit Martialis, non maritos ab impetratione remotos ſignificare, illoque ſpectat *Epigramma ad Fabulum* 67. *lib.* 9.

Uxor cum tibi ſit formoſa, pudica, puella,
Quid tibi natorum jura, Fabule, trium?
Quod petis a noſtro ſupplex dominoque, deoque,
Tu dabis ipſe tibi, ſi potes arrigere.

Idem autem ad uxorem ſibi jus natorum roganti a Caeſare datum ſcripſit, cum vetaret illum fortuna e conjugio fieri genitorem, quare *lib.* 2. *Epig.* 91. (& 92.) *ad Caeſarem*:

Quod fortuna vetat fieri, permitte videri
Natorum genitor ut credar eſſe trium.

Sed ſi ſupplicibus libellis Domitianum laſſabat Dento, ſine cauſae cognitione *Impetrativus* favor concedebatur: neque vero negotiis, quae cauſae cognitionem deſiderarent, libelli ſubſcriptio ſatis erat, *gloſſ. omnia quae 71. D. de reg. jur.* & hoc eo mirandum magis, quod facilius, aut ſaltem cum minore ſolemnitatis umbraculo, Jus hoc natorum, quam *Dativum* illud tribueretur, in quo neceſſario diximus de cauſa cognoſcendum fuiſſe. Attamen ne facilitate nimia, aut paſſim & ſine delectu, jus hoc conceſſum orantibus putemus, facit placitum principis, qui in *Dativo* leges e veſtigio ſequebatur, & quamvis poſſet quicquid vellet, non volebat in illo tribuendo, niſi quod per leges liceret: nullae autem in *Impetratitio* praeibant principi leges, quarum veſtigia implere teneretur, ideo difficilius erat exoratu, cum ab ejus nuda voluntate penderet, composne fieret an impos voti, qui Jus, de quo agimus, poſtulabat. Haec vero illuminant Suetonii verba, *Galb. cap.* 14. ubi de Galba ſcribit, *Jura trium vix uni atque alteri, ac ne his quidem, niſi ad certum, praefinitumque tempus,* dedit. Verum *Impetrativi* exorandi, major quam *Dativi* difficultas, cum facilitate penſabatur, qua preces nixas veritate in hoc caſu, ſicut in illo, apud judicem docere non oportuit. Plane modo, quo retulimus, & ab illis, quos protulimus, peti ſolitum, & a principibus ex animo concedi *Jus Impetrativum*, ab Octavio Caeſare in foeminis primum coepit. Cum enim Urbis exhauſta frequentia, propter multitudinem eorum, qui bellis civilibus interierant, C. Julius Caeſar dictator perpetuo (ſic illum plumbeus nummus appellatum docet) praemia poſuiſſet iis, Dio, *lib.* 43. qui multos liberos procreaſſent, & nihilominus coelibes ſterilem patriam & infoecundam reddentes cuniculis proderent, viris & virilibus nullos gignentes orbarent, nec per nuptas foeminas ſtaret, quin liberorum matres fierent, Octavius Auguſtus poſt edictum a Julio evulgatum anno XXXVI. Druſo Tiberii & Liviae filio diem in germania functo, funere curato & collatis honoribus, Liviam jam conjugem, ſolatii cauſa, ſtatuis donavit, & in matrum, quae ter peperiſſent, numerum retulit: quibus enim refert Dio, *lib.* 55. vel viris vel mulieribus fortuna tertiam prolem non conceſſit, eorum nonnullis tamen lex quaedam a Senatu primum, nunc autem ab Imperature etiam lata Jus trium liberorum largitur, ut neque mulcta ea, quae ſterilibus eſt propoſita, teneantur, &, paucis duntaxat exceptis, copioſae proli conſtituta praemia omnia adipiſcantur: poſt haec ſequentia tempus edax corroſit, & trunca ſunt ſcripta Dionis, quae ad hoc ſeculum, & quae ad manus Xiphilini pervenerunt. Sane *Jus Dativum* ingenioſis ſpecies haec prae ſe feret: ideo vero *Impetratitio* accommodo, quod ex motu proprio principis, certo ſcientis Jus natorum illi non competere, in ſolatium tributum fuerit Liviae, ut orbatae Druſo filio ſuaviſſimo, nec juſtum numerum natorum habenti, cum Tiberius, qui deinde Imperator fuit, alter filiorum duntaxat ſuperviveret. Quod refert Dio antea Senatui placuiſſe, *nunc autem ab Imperatore*, &c. de Auguſto intellexerit, an de Alexandro, quo cum ipſe II. Conſul fuit, ut incompertum, in medium relinquam. Hoc unum ſcio, XXII. annis ante legem Juliam & Papiam, orbis & viris, & mulieribus, Jus trium liberorum conceſſum, qui Julio Caeſare auctore nupſiſſent, timentes legem, quae de conjugii expertibus lata fuerat. Similiter quoque eadem praemia, quae matribus liberorum iis, quae perpetuam virginitatem ſervarent, data accepi: Dio *lib.* 56. ſed haec plane *Jus Impetrativum* non conſtituunt. Ego arbitror in veteri Republica, cum *pleraque nitebantur, ut numerus liberorum in candidatis praepolleret, quod lex*, Tacito teſte, *lib.* 2. *Ann. cap.* 51. *habebat*, potitos primum honoribus, qui liberos ſuſtuliſſent. Deinde ſteriles mariti & honorum cupidi, commentitia adoptione & leges & patres candidatos circumvenerunt. Cui obviam ituri patres, magna cum invidia Senatum adeunt, jus naturae, labores educandi, adverſus fraudem & artes & brevitatem adoptionis enumerant. Satis pretii eſſe orbis, quod multa ſecuritate, nullis oneribus, gratiam, honores, cuncta prompta & obvia haberent: ſibi promiſſa legum diu exſpectata, in ludibrium verti, quando quis ſine ſollicitudine parens, ſine luctu orbus, longa patrum vota repente adaequaret. Factum ex eo Senatusconſultum, ne ſimulata patrum adoptio in ulla parte muneris publici juvaret, ac ne uſurpandis quidem haereditatibus prodeſſet. Quibus ſub Nerone (Tacit. *lib.* 15. *Annal. cap.* 19.) Romae agitatis, ſi non profuit adoptio ſimulata, vera igitur orbos adjuvit: ut jam naturalibus liberis opus non fuerit, cum adoptivi ſuffecerint. Inde ſi mortuae legis ſolemnitas foecundo patri ſterilem exaequavit, principi videtur ad gratiam colligendam aperta via: qui ſi lex viva, *Novell. de conſul. extr. l.* 5. *C. de jur. fiſc.* ſi vigor juſtitiae eſt, nihil minus (ne plus dicam) potuiſſe videri debuit, quam lex mortua, ſilens, & muta. Unde ſicut in caſibus Senatusconſulto aut legibus prohibitis, principale, quod ajunt divinum, impetrare beneficium licuit, *l. ſi tutor 7. C. de interdict. matrim. l.* 1. *extrem. D. de oper. publ.* in hac ſpecie conſimili jure frui debere, aequabiliter viſus eſt, a principe factus & factus pater, ac ille, qui ſibi fictitios liberos legis commento & adoptione adſcivit. Neque vero lex candidatis patribus praerogativam tribuens, principum voluntate poſteriore, quam legem nemo negaverit, *l.* 1. *D. de conſtit. princ.* primum agitari coepit, quae victa fuerat ſine dubio, in Senatus diſceptatione, cum Haterius Agrippa Germanico & Druſo fautoribus, in locum demortui Vipſanii praetoris ſuffectus fuit. Tacit. *lib.* 2. *Ann. cap.* 51. Sic ubi agere pro ſuo arbitrio, etiam praeter legum praeſcripta, principes potuerunt omnia, florentium legum aemuli, cum illis placito contenderunt, & facile certe fuit vincere non repugnantes: dum autem principes, voluntate duce, Jure natorum orbos donaverunt, ſicut leges, ratione duce, patribus ſobolis gratia faverant,

Impetratitium natorum Jus cum gliſcente Imperatorum faſtigio in uſum deductum conjicimus.

CAPUT XLVI.

De Impetrativo Jure communi, *explicatus Ulpiani locus, & Iſidori alter, agitataque Honorii & Theodoſii conſtitutio.*

SAne a principibus ſolitarii & orbi conjuges Jus liberorum exoraverunt, aut *Commune*, id eſt, numero filiorum addito nullo, & ſine diſtinctione liberorum duorum aut plurium, aut *Speciale* & nominatim expreſſum liberorum trium, de quo initio conqueſti ſumus: at ſingulatim unumquodque perſequamur. Illud ſimpliciter & indefinite poſtulatum & exoratum ſic appello, vetus monumentum ſecutus, cujus inter deficientes literas, haec Piſauri veſtigia reſtant, ſi recte ad nos exſcriptum pervenit [apud Gruter. *pag.* 322.]

. . . . . CVI IMP. . . . . .

. . . .

IVS COMMVNE LIBERORVM CONCESSIT.

L. D. D. D.

Sed non legitur in libris prudentum indiſtincte & generaliter natorum Jus petitum quin trium exaudiri debeat, praeterquam apud Ulpianum: *De ſolidi capacitate inter virum & uxorem, Epit. tit.* 16. *Aliquando*, inquit, *vir & uxor inter ſe ſolidum capere poſſunt: velut ſi uterque, vel alteruter eorum nondum ejus aetatis ſit, quae quidem liberos exigit: id eſt, ſi vir minor annorum* XXV. *ſit, aut uxor annorum* XX. *minor.* Item: *ſi utrique lege Papia finitos annos in matrimonio exceſſerint, id eſt, vir* LX. *annos, uxor* L. *item ſi cognati inter ſe coierint uſque ad ſextum gradum: aut ſi vir abſit, donec abeſt, & intra annum, poſtquam abeſſe deſierit, libera inter eos teſtamenti factio eſt, ſi Jus liberorum a principe impetraverint, aut ſi filium filiamve*, &c. Cum a coelibibus maritos mulcta relictorum ſecrevit Auguſtus Caeſar, teſte Dione *lib.* 56. annuo ſpatio praeſtituto, intra quod qui praeceptis ejus morem gerere coepiſſent, culpa vacarent, factum eſt quoque lege Julia & Papia (ſicut ex Tertulliano dicebamus, vel virorum prudentium ad eas interpretamentis) ut maritorum inter ſe diſcrimen eſſet: cum patres, liberos habentes, relicta quaecumque meruiſſent, ex uxorum teſtamento capeſſerent, & mariti ſolitarii, aut orbi decimas tantum pro numero liberorum, non item ſolidum capere poſſent, niſi puberem filium vel filiam, trimosve duos, aut novem dierum tres natos habuiſſent, quae ſuperius a nobis illuminata in lucem emergunt. Hinc ſciri poteſt, gratiſſimos liberos priſcis legibus, & eorum conjuges deſiderantiſſimos fuiſſe: pura vel tum maxime, cum Neroni ex Poppaea nata filia FOECUNDITATI Romae templum decretum a Senatu fuit, Memmio Regulo & Virginio Rufo Conſſ. Tacit. *lib.* 15. *Annal. cap.* 23. Verum legibus ſoluti principes, ſupplicibus gratificantes, jus proprium, quibus placuit, communicarunt, & legum gratiam, ſicut ſibi ipſis lege Regia facta fuerat, deprecatoribus favorabiliter fecerunt. Inde quamvis neque filium neque filiam novendio ſuperſtitem habuiſſet, qui Jus liberorum ſine liberis a principe impetraſſet, decimas potuit capere: item qui neque puberem filium, neque filiam, neque duos trimos, neque tres novendiales habuiſſet, ſi principem oraſſet de juris beneficio concedendo, & exoraſſet, potuit pro eo ac ſi pater fuiſſet, ſolidum ex uxoris teſtamento relictum capere. Quae vetuſti juris ambages dicuntur Theodoſio & Valent. II. AA. ad Albinum II. Praef. Praet. & Patritium *Novell. Valent. de teſtam.* 1. Ideoque in perſona Leontii Viri Spectabilis & Jucundae uxoris ejus, ad alios quoque idem explicantes, neceſſitatem impetrationis iidem Caeſares apertiſſime ſuſtulerunt, Actio 115. & Symmacho Conſſ. licet huic Tarianum Annales collegam tribuant. Porro cum de principis altaribus conjuges peterent, ut prius decedenti ſuccederet ſuperſtes, fuſis precibus petere Jus liberorum dicebantur. De illo ex Iſidori *lib.* 5. *cap.* 24. talia proferuntur, *Jus liberorum eſt conjugum ſine liberis invicem pro loco pignorum haereditatis alterna conſcriptio.* Quae definitio, niſi ad hoc *Jus commune Impetratitium*, de quo ſermonem habemus, reſtringatur, non ſubſiſtet, & ex ſuperioribus de *Jure Dativo* & ex ſequentibus de *Impetrativo ſpeciali*, minus proba curioſo videbitur. Sed fuerunt, quibus placeret Honorium & Theod. II. Jus illud emiſſa ad Iſidorum P. Urbi, conſtitutione antiquaſſe, licet Imperatorii reſcripti diſſecta verba, & in duos contiguos titulos collata ſint, *l. ult. C. de infirm. poen. coelib. l.* 1. *C. de jure lib.* quae ad eundem ſcripta, eodemque die, & ab eodem Conſule Varrone ſubſcripta legi poſſunt: ubi foediſſime *Varana* libri omnes habent, adverſus Annalium fidem. Equidem ſi temporum ratio in latis legibus exigatur, obſervavi ex Symmachi Conſulatu, veterem impetrationem ſolidi capienti a Valentiniano juniore & Theodoſio ſeniore ſublatam. *d. Novell. l.* 1. Poſtea anno undeviceſimo invenio Honorium & Theodoſ. juniorem *d. l.* 1. *de jur. liber.* Flavio Varrone & Tertullo Coſſ. omnibus, qui natos ſuſtuliſſent, & educaſſent ſine impetrationis ſolemnitate, Jus liberorum dediſſe, quale dari ante a principibus ſolebat, cum ſuo jure utendi licentiam patres peterent: quam quidem ſolemnitatem etiam ſub Conſtantino obſervatam ejuſdem epiſtola ad Dalmatium arguit, ſubſcripta a Chriſpo III. & Conſtantino II. Coſſ. *tit. C. Th. de his qui num. lib. excuſat. mer. l. ult. C. de Juſt. eod.* Quod autem iidem Caeſares inſcriptores, eadem dies, & idem Conſul ſubſcriptor, de duabus epiſtolis unam facere videntur, arguta ſane conjectura eſt, ſed non vera: fuiſſet enim poſt Valent. & Theod. I. reſcriptum vacua & inanis Honorii & Theodoſ. II. conſtitutio. Adjutrix praeterea eſt amici noſtri, hominis multi ſtudii, & antiquorum ſcriptorum exequentiſſimi, indagatio, qui ex vetere manu ſcripto codice Conſtitutionum Theodoſii, non unam, ſed duas numero diſtinctas *in libro* 8. *titulo* 16. epiſtolas ad Iſidorum indicavit: quarum ſecunda eſt poſterior *De infirm. poenis* in Juſtinianeo codice, & tertia prior tractatus Juris liberorum, quem pene jam explicuimus. Neque timendum eſt, quod alii verentur, ne ſuperflue & inutiliter altera conſtitutio cognominis tractatus in Imperatorio codice, lata a Juſtiniano videatur, quae duntaxat matribus in filiorum ſucceſſione gratiam fecit, at nihil praeterea, ut ſuperius expoſuimus. Itaque ob oculos ponitur, quomodo *Novella* Valentiniani derogarit *Impetrativo Juri communi*: apparet item unde illud *commune* dictum, quod communiter & ex aequo fingeret orbum, & filii quatuordecim annorum, aut filiae duodecim, & duorum bimorum, & trium novendialium eſſe patrem.

CAPUT XLVII.

Imperativum Jus *trium, olim ut fuit conceſſum, hodie quoque dari poſſe, & an perpetuum viventi fuerit, penſitata Epigrammata Martialis.*

ALterum genus *Impetrativi Juris* diximus *ſpeciale*, quod ſpecialiter & nominatim Jus trium, aut quatuor, deprecationis forma, in conceſſione expreſſum haberet. De Jure trium paſſim autores meminerunt: de caeteris ex profeſſo Julius Paulus in ea recepta ſententia, *lib.* 4. *tit.* 9. §. 9. *Neque habet, neque habuit, quae beneficio principis Jus liberorum conſecuta eſt.* Et ubi matrem peperiſſe ex verbis Senatusconſulti neceſſarium fuit, ſi naturae vicem principis

cipis reſcriptum ſubire potuit, in aliis ſpeciebus, ſive matri, ſive patri, liberi tres neceſſarii forent, idem ſentiendum videtur. Ut nihil impediat dicere a ſacratiſſimo Galliarum Imperatore peti Jus trium, & quatuor, &c. natorum poſſe, & ab eo recte concedi & tribui poſſe, quo liberis orbus, ut pater, excuſetur a tutela, & a muneribus caeteris. Plane Jus trium a Trajano pro ſe plinius oravit, & exoravit, cujus extat gratiarum actio, *lib. 10. epiſtol. 1.* item & pro Voconio Romano ſe conſecutum, ad Priſcum *lib. 2. epiſtol 13.* ſcribit, *Nuper ab optimo principe trium liberorum ei Jus impetravi, quod quamquam parce & cum delectu daret, mihi tamen tamquam eligeret, indulſit.* Martialis item familiariter Juris hujus mentionem habet, quod non ſatis accurate explicuit Domitius Calderinus *in Commentariis.* Unum porro ſignificant duo ejus epigrammata, quod nemo adhuc animadvertit, in iis *ad Naevolum, lib. 3. epig. 95.*

Praemia laudato: tribuit mihi Caeſar uterque,
Natorumque dedit jura paterna trium.

Et *ad Julium, lib. 9. epigr. 98.*

Rumpitur invidia, tribuit quod Caeſar uterque
Jus mihi natorum, rumpitur invidia.

Ex quibus elicio *Impetratitium Jus* liberorum trium cum vita principum expiraſſe, & perpetuum viventi privilegium minime fuiſſe: inſtituerat enim Tiberius, ut donata conceſſave beneficia a ſuperioribus principibus rata non eſſent, niſi inſequentes eadem confirmaſſent, novoque quodam quaſi beneficio iterum ipſi dediſſent, ut ait Sextus Aurelius Victor, a quo *in Tito cap.* 8. non diſcrepat Suetonius. Inde quod a Tito primum habuiſſet, a Domitiano Jus natorum orbus Martialis rogavit & obtinuit. Nos eo jure utimur, ut privilegia, quae quis habuit a principe, ſi aſſiduo uſu intercidere non ſiverit, perpetuo ſerventur & valeant, etſi ſpecialis nulla privilegii confirmatio ſecuta ſit, in qua niſi ob cauſam *reſcindere nunquam Diis licet acta Deûm*, ait Ovid. *Metam. lib. 14. v.* 784. Amplius cenſuit Faber ad *l. privilegia* 12. *C. de ſacroſ. eccleſ.* confirmatione (ſive generalem, ſive ſpecialem intelligas) non eſſe opus: tamen ut res ſit in tutiore loco & expeditior, alterutra confirmatio bona & utilis eſt, ut privilegiorum, quae princeps novus confirmavit, major ſit autoritas. Quae vero de nova conceſſione, aut confirmatione *ſpecialis Impetrativi* conjectamus, in *Communi* locum habuerunt, ſi Jure liberorum exorato ante mortem conjugis (ut aſſolitum docuit Valentiniani prolata conſtitutio, *Novel. 1. de teſtament*) interea princeps, qui tribuerat, interiiſſet: neque alias jam ſucceſſione conjungi ſuperſtiti applicata, neceſſaria confirmatio fuit: ſubitarium namque factum ut omne eſt, Scrib. *ad rubri. D. de acquir poſſ.* Jus liberorum ubi haereditatis aditione conſumptum fuit, nullus extitit ſub novo principe revocationi locus. Sane de *ſpeciali Jure trium* obſervatum eſt, Jus liberorum ſimpliciter & ſine addito quandoque dici, *l.* 8. *C. Th. de bon. proſc.* ſed materia ſubjecta ut accipiendum ſit, apertiſſime indicat: ubi autem patri aut matri legitur tributum fuiſſe, quod Imperatores ex electione concederent, exaudire debemus Jure hujusmodi honoratos, licet orbi & ſolitarii forent, iisdem privilegiis ornatos, & immunitatibus donatos, quibus liberorum patres in enumeratis caſibus & conſimilibus uſi fuiſſent. Illud juri *Impetrativo* quam proxime accedit, quod Octaviae ſorori & Liviae uxori conceſſit Auguſtus, ut ſine tutore ſuis ipſarum facultatibus uterentur, quod ob tres natos matribus datum protulimus.

CAPUT XLVIII.

Fueritne Jus quatuor exoratum a principibus? expenſus Claudius Tranquilli: Statius quoque, & ſuper eo Julii Pauli ſententia.

QUatuor vero natorum Jus orbis ac ſolitariis tributum non ita paſſim, ac Jus trium invenio. Haec tamen *in Claudio* Suetonii *cap.* 18. lego: *Naves mercaturae cauſa fabricantibus magna commoda conſtituit, pro conditione cujusque, civibus, vacationem legis Papiae Poppaeae, Latinis, Jus Quiritium, foeminis, Jus quatuor liberorum, quae conſtituta hodie ſervantur*, ait Suetonius: is quidem foede a librariis maculatus eo loco, & ineptiſſime a ſciolis dispertitus in delicatorum gratiam, cum perpetua & continua dictione ſcripſerit. Inibi ſteriles foeminas non ſolum matribus trium, ſed & genitricibus natorum quatuor exaequavit, quo beneficium amplius conferre videretur, & plures, ſive ingenuas, ſive libertinas, ad rem naviculariam alliceret. Sic ob navem, tam ingenuae, quam libertinae, potuerunt omnia matrum privilegia duorum, trium, quatuor liberorum omnine, ex Claudii conſtitutione adipiſci. Verum ſi acu tangenda res eſt, ſecure non admodum *Impetratitium Jus* hoc liberorum orbis mulieribus datum dici poteſt, vel ex eo, quod non oratum fuerit: neque ſecius *Dativum* videri poteſt, quod ob natos datum non ſit, ſed ob navem onerariam. Hoc equidem certum eſt, navis cauſa ſterili foeminae Jus quatuor tribuiſſe Claudium: neque enim foecundis opus fuit nave ad privilegia legum adipiſcenda. Utinam autem ſic pro certo ſciri poſſet, quomodo pater a judicandi publico munere vacationem haberet, *l. ult. §. judicandi* 14. *D. de muner. & hon.* an *Impetratitiu* juris, an *Dativi* eſſet illud beneficium, ſub eodem Claudio, *cap.* 15. cujus idem meminit! Si tamen expreſſior Juris, de quo ſit ſermo, quaeratur ſpecies, in foemina libertina inveſtiganda eſt, ubi ex Senatusconſulto Tertulliano Jus quatuor liberorum ei neceſſarium fuit. Prudentium enim interpretatione Jus liberorum habet mulier, & in illa ſpecie & in ſimilibus, *quae neque liberos habet, neque habuit, ſed principis beneficio conſecuta id eſt*, ut habere videretur, qua de re Pauli prolata ſententia eſt *cap. prox.* Caeterum niſi haec inductio quatuor natorum Jus exoratum arguat quod non ſatis eſt tutum, mihi de eo conſtat nihil amplius: & ita conſtat, ut fere audeam aſſeverare, nunquam id petitum, aut a principibus exoratum fuiſſe. Quod vero colligunt quidam ex mendoſo Statii verſu *Sylvarum lib. 4. ad Menecratem Syl.* 8. *v.* 20.

—— Auſoniae pater auguſtiſſimus urbis
Jus tibi ſex geminae dederat laetabile prolis.

caſtigati libri Veneti & Lugdunenſes commentitium oſtendunt, & ibidem *Tergeminae* omnes habent, quomodo verba Poëtae ſuperius retulimus, huc usque explicationem differentes: ut ſcilicet, Jus tergeminae prolis datum Julio Menecrati dicatur, id eſt, Jus natorum trium. Sic tergeminos exaudimus eos, qui diverſo & multiplici nixu naſcuntur, ut Horatii & Curiatii tergemini, *l.* 3. *D. ſi pars haered. pet.* qui inter ſe fratres germani ſunt. Alio ſignificatu tergemini dicuntur, uno partu a muliere editi: quo ſenſu ait Paulus, *l.* 137. *D. de verbor. ſign. Ter enixa videtur etiam ea, quae tergeminos peperit.* Eodem item Lucretius *lib.* 5. *v.* 28.

Quidve tripectora tergemini vis Gerionai.

Neque ſane probandum eſt, ſexgeminae prolis habitam ab Statio mentionem, cum Jus quatuor aut plus eo impetratum literae nullae prodant, autores, quos legerim, ab aliisve acceperim, teſtentur nulli: at ſi quisquam ex iis, qui animum bonis artibus induerunt, plura obſervaverit, illius ſtudia laudabimus, & ſenſa placide faventibus animis accipiemus: non enim ego invideo aliis bonum, quo ipſe careo, ſed con-

contra ſenſum quendam & voluptatem percipio, ſi ea, quae mihi denegentur, ut ait Plinius, amicis video ſupereſſe. Sane deſperandum non eſt in tanta ingenioſorum & autorum multitudine, quin ſtudioſior aſſiduô labore & diligentia plura proferre poſſit ad Juris quaeſtionem, cujus ſtatus receptui nos canere jam imperat. Interea dum potius, quam materia ſterilis judicetur, ſi parum foelix ſcriptor ſum, nemo infirmitatem pro crimine poſuerit, ſi quod debui, non potuerim, cum quod potui, certe id omne avidioribus literarum communicatum eſſe voluerim.

OPERIS PERORATIO.

HAec ſunt de Jure liberorum, Philiberte Bugnoni, quae, longum jam ſomnum dormientia intra ſacraria veterum, excitavi: ea ſi ſaltem clandeſtina eruditiorum exiſtimatione probantur (quantum ingenua proborum apud me ſimplicitas valet) ſtudia, quibus veſtigiis ingreſſus ſum, proſequar laetius, libentiusque animos in officio literarum continebo. Quod ſi commodiſſime Dei Optim. Maxim beneficio dicere jam poſſumus, ut Trajanus ſcribit [ap. Plin. *lib.* 10. *ep.* 49.] *nulla provincia eſt, quae non peritos & ingenioſos homines habeat*, illis in lucem emergunt, quas literis cogitationes mandamus: eorum vero, qui dum neminem verentur, neminem imitantur, ipſi ſibi exempla ſunt, ita ſapiunt, nihil hic nobis curae eſt. Culpabunt factioſi, tamquam ex ſpecula proſpicio, nimis antiqua & jam obſoleta ſectari me, & in priſcis prudentibus notata iis Ammiani Marcellini verbis *lib.* 30. *cap.* 13. *Juriſperiti, at altius videantur jura callere, Trebatium loquuntur & Caſellium & Alphenum, & Auruncanorum Sicanorumque jamdiu leges ignotas, cum Euandri matre abhinc ſeculis obrutas multis.* Sed ſi ex antiquitate repetere militarem diſciplinam bonum putavit Tiberius Caeſar, Sueton. *Tib. cap.* 19. ejus aemulam civilem ex veteri memoria cur non in lucem deducemus? Hoc docti jam omnes praeclarae & eximiae virtutis exiſtimant: & cum eis ſi in hoc erro, libenter erro, neque mihi hunc errorem, dum vivam, extorqueri volo. At quotusquisque tam patiens, ut velit diſcere quod in uſu non ſit habiturus? Hinc rudes & imperiti deprehenduntur, ait Plin. Inculcabunt tamen iidem, etſi minus intelligantur, *tolerabilia eſſe, quae vetus conſuetudo comprobat*, Papirii autoritate abutentes *l.* 13. *extr. D. de pollicit. Qui autem mos fideliſſimae Vetuſtatis* ex Honoriana lege retinebitur, *l.* 18. *C. de teſtam.* niſi ejus liquido cognitio conſtet? Et ignaviae perfugium illud eſt hominum, qui in inſcitia volutati, peſſime optimis ingeniis utuntur. Verum

—— quoniam minui rem quamque videmus,
Et quaſi longinquo fluere omnia cernimus aevo,
Ex oculiſque vetuſtatem ſubducere noſtris.

ut cecinit Lucretius *lib.* 2. *verſ.* 67. *& ſeqq.* ab antiquis cogitata, & nobis per magiſtros cognita, ingenioſis exponere naeniae ſciolorum non impediunt: & ſicut gratias non mediocres, ſed infinitas agendas cenſemus majoribus, qui non invidioſe animi ſenſa ſiluerunt, pariter nobis quandoque poſteros relaturos ſperamus, quod ex autorum naufragio ſcalmos ſervaverimus, rei literariae commodum ſubſervituros. Sane non quod Domitianus, Suet. *Dom. cap.* 5. dum ampliſſima opera reſtituit *omnia ſub titulo ſuo, ac ſine ulla priſtini autoris memoria*, mente revolvebat, id unquam in animum induxi meum, doctos fraudare debito teſtimonio: ſed cum ingenui hominis ſit fateri, per quem didiceris, ſi quid anteriores recte ſenſerunt, eos teſtatus ſum: ſin minus, aut nomen reticui, aut leviter perſtrinxi. Quod occaſione datâ aliquando vagari placuit, & intra modum ſemper licet, propoſitum illuſtraturus, ſicubi incidi in florum varietatem, id opera conſulta praeſtiti: & proculdubio ridiculus ſit is, qui cum viridia floreant, latiora lumina non aperiat, ut eorum proſpectus ſint ſuaviores. Sed cum plura ſecum tulerit vetuſtas, ab auribus ſeduxerit, & ab oculis noſtris removerit, multa novis verbis & commentitiis agenda & explicanda fuerunt, ob linguae egeſtatem, & novitatem quaeſtionis, vel novationem potius. Priorum enim temporum ſervitus ut aliarum optimarum artium, ſic etiam multorum juris tractatuum oblivionem & ignorationem induxit: de qua ſi Plinius *Epiſt. lib.* 8. conqueritur, quid eſt, quod hodie non defleant literarum amantes? CANDIDA FVLVO NOBILIOR AVRO FELIX ANTIQVITAS, in marmore ſcriptum eſt Romae: *felix* inquam *antiquitas* & prior aetas tanto, quanto avorum & patrum infoelix & miſera dici potuit, noſtraque deberet, niſi magni dignitate & autoritate viri doctrinam amplexi fuiſſent: qui virtutem ſecuti ducem, comite fortuna, lumen nobis de ſuo lumine accenderunt, & commonſtraverunt viam apertam & facilem, ut commercio literarum & ſtudiorum, ſanctiſſimam civilem ſapientiam, veram nec ſimulatam Philoſophiam adiremus, profiteremur, & coleremus. Simile vero huic noſtro ſtudium fuiſſe Alpheno Varo Servii diſcipulo, quem rerum antiquarum non incurioſum vocat Gellius, *lib.* 6 *cap.* 5. Digeſtorum fragmenta in plano ponunt. Simile Maſurio Sabino fuiſſe indicat teſtimonium, quo in omni genere literarum ſui ſeculi eminentiſſimus proditur. Idem certe fuit Ariſtoni, cui ſemper curae Plinius ait, ſic jura publica ut privata, ſic antiqua ut recentia, ſic rara ut aſſidua tractare. Illos niſi autores habeant juri operam daturi, avii à vera diſcendi ratione videantur. Prudentum enim, quos praeterita omnis aetas admirata eſt, & omnis poſteritas colet, rectius ſcripta percipientur, ſi eorum ſimus quam ſimillimi, qui nullius ſcientiae expertes, iſta nobis monumenta reliquerunt: quorum ſi tantopere ſtudioſi volumus videri, cur non eorum ſtudia imitamur? adhibenda certe eſt cuique opera non ſegnis, & praeparatio diligens, ut libri civiles continue in manibus verſentur, & ſi quid reliquum eſt temporis, ut id omne in politioribus autoribus conteratur: eo pacto in receſſu ſtudiorum, exceſſus non inutilis erit, & ſubceſiva quae incurrent tempora, nemo praeterire patietur. Ego in pueritia iis artibus & diſciplinis inſtitutus, quae literis mandata cognitione & congreſſu familiaria faciunt, jam in Juris ſtudio multis tranſactis annis, eo primum animo civilem prudentiam attigi, duce & autore IOAN. GERALDO, Juris & juſtitiae conſulto, altero parente meo: cui ut omnibus virtutibus, ita humanitatis laudibus inſtructiſſimo, ſi mihi ingenium operibus & praemiis operarum foelix fuerit, librum *de Fiducia* jam amuſſitatum, intra paucos menſes paro, dum alios formandos foetus retineo noſtris hominibus aptiores: qui ſi Langobardorum leges Bald. *c. tranſlata* 3. *de conſtitut.* Barb. *conſ.* 3. *in fin. lib.* 2. propter rationem, quae in eis deliteſcit, in judicio proferre ſe poſſe exiſtimarunt Romanorum priſcis leges florente & ſpirante ratione, allegare fortaſſe non dedignabuntur. Interea ſuaſore te, mi Bugnoni, haec evulgari paſſus ſum, quae communicatione & commercio ſtudiorum noſtrorum & jure ſocietatis cum meliore parte mei tibi potes vindicare. Si eis inſunt quaedam ſimulachra virtutis, & foelicitas placato favore doceat converſa numina, gratiores nobis ad alia in poſterum vigiliae & laetiora erunt ſtudia, modo illud ipſum is, cui omnia accepta refero, conceſſerit Deus.

F I N I S

INDEX

RERUM AC VERBORUM

IN HOC LIBRO MEMORABILIUM.

A.

A. in ſuffragiis Pop. Rom. antiqua approbata 1046.
Abſens xx. ann. mortuus praeſumitur 1008.
Acceſſio etiam pretioſior cedit principali 1025.
Accurſius honore proſequendus 989 lapſus 985 & 1072.
Acquieſcit nemo ſententiae, a qua non ſuit appellandum 1017.
Actori contreorum electio non auferenda 998.
Advocatus proprie quis 1061.
Advocatorum numero qui contineantur *ibid.*
Aemilius Ferretus & ejus ſeſſio 1071.
Aeſculapius, ſcientia Medicinae creditus deus 1040.
Alciatus magnus 1031. & 1072.
Aldobrandinus 985, 1072.
Alexandri Magni largitio 1025.
Ambiendi modus lege Julia vetitus 1061.
Angelus Papius JCtus 1073.
Annales ſuſpecti 1083. emendati 1084.
Antiquitatis in lucem deducendae ſtudium 1088.
Antiquitatis praerogativa 988.
Antiquitatis ut habita ratio a Triboniano & ſociis 1028.
Antonius Auguſtinus Juriſprudentiae lumen 1012.
Antonius Vacca P. P. Venuſinae JCtus 985. 1071. Maini ad eum literae, & ejus reſponſoria epiſtola 1073.
L. Apulejus Saturninus 1006.
Archiflamines perpetui in Provinciis 1062.
Arena, cavea amphitheatri 991.
Argenti libra 1022.
Ars firmia naturae 1010.
Artificiales operae quae 997.
Aſinu machinarii 1038.
Aſinius Rufus quare a Plinio laudatus 1080.
Auditorum depravati mores in docentes 1073.
Auguſtales ſacerdotes qui, & quibus facti 1059.
D. Auguſtini a Gellio diſſenſio 1000.
Auguſtus Caeſar ſingulis liberis ſingula millia nummorum dedit 1025.
Aurum coronarium quid, & quibus imperatum 990.
Aurum coronarium voluntarium primo, deinde neceſſarium munus *ibid.*
Auri libra 1022.

B.

M. Bibulus coſ. Caeſaris collega 1005.
Bona gratia diſſolvere matrimonium 683.
Bonnatius dominus 986. 1039.
Bononiae Jus X. liberorum 1068.
Bonorum poſſeſſ. Unde X. perſonae 1030.

C.

CAduceum 1011.
Caeſar Cenſoria poteſtate uſus 1007.
Campanus ager locatus 1005.
Capere ſolidum inter conjuges, ex Jure liberorum fuit 979.
Capere ſolidum quare conjuges prohibiti *ibid.*
Capua in Praefecturam redacta quando, & a quo 1005.
Capua Oſcella dicta 1004.
Caſtrenſis peculii non erat haeres filio inteſtato 1019.
Cato Ciceroni pro centum millibus 1042.
Cauſae cognitio ut ſit in Jure liberorum 1008.
Cenſeri pro uti 1027.
Cenſus Decurionum 1021.
Cenſus vir qui 1000.
Civitas raro & parciſſime data 1041.
Civitatis adipiſcendae modi 1037.
Clariſſimatu decoratus, in Curiam retractus 1012.
Claudius Caeſar a populo Rom. infeſtatus 1037.
Claudii Caeſ. edictum de frumentariis *ibid.*
Claudii Caeſ. edictum de ſervis aegris non exponendis 1040.
Claudii Caeſaris pro matribus edictum 1028.

P. Clodius annonariae legis lator 1006.
Coelebs qui, & is teſtamento capere prohibitus 977. ſolidum & partem relicti, licet ei Conſtantii lege facta fuerit 978.
Coëmptionis nuptialis commoda 1042.
Coëmptionis ritus *ibid.*
Coire in manum & in matrimonium 1042.
Coloniae plebem & patres habuerunt 987.
Commentarii ad Varronem *de lingua Lat.* 1015. 1038. & 1058.
Communis opinio quae 1072.
Concionatorum Juris ſtudium 1027. propoſitum 1028. reticentia admirata 983. 1004. negligentia 1019. nimia diligentia 1009. oblivio 1033.
Concubina a concubio 1042.
Concubina materfam. non dicta 1043.
Concubinae licitae ſine teſtatione 1042.
Condictio indebiti nulla ob Jus liberorum 998.
Conditio, ſi filii emancipentur, quid contineat 1029.
Confarreatio Pontificum nuptiis propria 1042.
Conſularis poteſtas 1048.
Conſules tutores dederunt ex Claudii ſanctione *ibid.*
Convenire in manum & in matrimonium 1041.
Correctorum & corruptorum culpa 1017. audacia 1033.
Corruptae lectiones quomodo in libros Juris irrepſerunt 1069.
Cujacius 1035.
Curator ad adeundam haereditatem inutilis 1050.
Curia quandoque pro Senatu ampliſſimo 1023.
Curiae ut deſolentur 1022.
Curiales a Curia dicti 988.
Curiatii tergemini 1006.
Cur in Provinciis quam in Italia, & in Italia quam Romae, numerus amplior natorum exigatur a ſe tutela excuſante 1056.

D.

DAmnum dicitur ſine diminutione patrimonii averſio commodi 980.
Debitae portionis nomine quid exaudiatur 1003.
Decima bonorum matrimonii uxoribus debita 978. & alia Juris liberorum adjecta 979.
Decimae non a fiſco, ſed a conjugibus captae *ibid.*
Decurio unici filii gratia Senator permanebat 988.
Decurioni munera patriae obeunda 1023.
Decurioni Senatus ampliſſ. prohibitus *ibid.*
Decurioni, ſi ſuo loco idoneum ſubſtituiſſet, in Senatu ampliſſimo locus *ibid.*
Decuriones, buleutae 1022.
Decuriones manus injectione curiae vindicatae 1023.
Decuriones qui, & eorum ordo 987.
Decuriones, Senatores dicti 1022.
Decurionum curia, Senatus dicta *ibid.*
Decurionum liberi curiae obſtricti *ibid.*
Decurionibus difficile in Senatores adlegi 1024.
Democriti pōtens 1070.
Deus religionem & charitatem animis inſudit.
Dionis diſſenſio in Voconia lege a Latinis autorib. 1000.
Duarenus 975.
Duitas fons numerorum 989.
Dulciarii piſtores 1038.

E.

EGregiam ornatus, curiae ſuae redditus 1012.
Elenchi quid Scaevolae 1025.
Emancipatio, aut cum fiducia, aut ſimplex 1030.
Eminentia numquam invidia carent 976.
Emptio imaginaria 1030.
Error Catanaei 1011.
Error commentatiorum ad Sueton. Claud. 1038.
Error Cuſpiniani in lege Papia 979.
Error Joan. Britannici in lege Papia *ibid.*
Error Theophili §. 1. *inſt. de Curat.* ſi legiſlatio vetus ſpectetur 1051.

Error Triumvirorum *de SCto. Tertull. Inſt.* 1028. de ſucceſſione libertorum, 1039.
Eſſedarii qui 1054.
Exemplum *l. in multis* 9. *De ſtat. hom.* 1004.
Exemplum *l. liberi* 8. *D. aſſign. libert.* 1027.
Exemplum *l. non omnium* 20. *D. de legib.* 985.
Exemplum, quo certae rei tutor datus 1049.
Exemplum, quo tutorem habenti tutor datus *ibid.*
Exponendi liberos aut ſervos unde mos 1040.
Expromiſſor cur teneatur correo liberato 999.
Expromiſſor quis 998.

F.

FAtales dies prorogantur, ſi per judicem ſtet quominus appellatio definiatur 1016.
Fatalia damnoſe ſunt 1036.
Feras depugnantes, infames 992.
Fiducia ut contracta 1019.
Filiaſam. mater, trium natorum Jure teſtata 1041. 1046.
Filia nupturа, manu olim emittenda 1043.
Filiae cur mentio in lege Voconia 1000.
Filiaefam. nuptae qui ſuccederent 981.
Filiusfamil. teſtari poſſet hodie paradox. 1019. 1026.
Filii defuncti, potiores matre, ex l. XII. Tab. 1029.
Filiiſamil. quare non teſtarentur olim *ibid.* 1046.
Filiorum appellatio ad nepotes, non item ad pronepotes extenditur 1074
Foecunditati decretum Romae templum 1083.
Foederatorum libertas 986.
Foemina in perpetua fuit tutela 1052.
Foeminae puberi teſtaturae neceſſarius tutor *ibid.*
Foeminam teſtari nuptiae non impediunt 1047.
Foeminae an ad honores coactae ut ad onera 1066.
Foeminae Burgundionum ſine licentia virorum non teſtantur 1047.
Foeminae conſciae fraudum. 1015.
Foeminae plus corporis quam animi ſtudioſae *ibid.*
Foeminae remotae a corporalibus muneribus 1026.
Foeminarum gloria mariter 1015.
Foeminis turpibus matronalia ornamenta prohibita 1026.
Frumentatio gratis data 1006.
Frumentatio indicta quando 1065.
Frumentatio lege Gracchi ſemiſſaria & trientaria 1006.
Frumentationis Rom. origo *ibid.*
Frumentum annuum quanti Rom. ſteterit *ibid.*
Frumentum menſtruum quanti aeſtimatum *ibid.*

G.

GAlliarum principes omnia pro ſuo jure non egerunt 995.
Gladiatura a Conſtantino ſublata 1053.
Gleba ſenatoria quid 988.
Glebalis praeſtatio quid 990.
Glebaria praeſtatio ſublata *ibid.*
Gradus praerogativa cur inter aſcendentes. 1032.
Graecia mater vitiorum 1040.

H.

HErvagii lapſus 1011. 1017. 1030. 1031.
Hiſpala libertina 1047.
Hiſtrionibus a Domitiano ſcena interdicta 997.
Homo ad juſtitiam legis editus 1010.
Honorarii tutores qui 1011.
Honor percapiendi relicta alienis teſtamentis 1020.
Horatii tergemini 1006.
Hotomanus 1031.
Humanarum rerum nihil perpetuum 1036.

I.

IAnitores dignitatum ſuffragia emendicata aut adminiſtratio 988.
Imperatores Pontifices Max. facti, & quare 1059.
Imperatores rogari geſtientes 974.
Inaures quid Scaevolae 1025.
Inſipiens qui cum amico pugnat 1036.
Intereſt clientium fidos habere patronos cauſarum 1015.
Intereſt creditoris plures debendi reos habere 998.
Intereſt defunctorum habere ſucceſſores 1002.
Intereſt Reipub. peritos eſſe judices 1015.
Italia domina & princeps Provinciarum 1056.
Italiae jure donari quid 1057.
Judaea a Pompejo provincia facta 1060.
Judicandi munus liberorum Jure patri remiſſum 1086.
Judicem praxeos non ignarum oportet 1015.
Judicis religio. *ibid.* perſpicientia, maxima pars juſtitiae 1057.
C. Julius Caeſar alterum lumen imperii Rom. 1005.
Julii Pauli JCti liber de Jure liberorum 970. ad caput legis Juliae de marit. ordinib. interpret. & ei nova ſubjuncta 993.
Jus antiquum in caducis 1021.
Jus antiquum non minus tenendum, quam novum 986.
Jus antiquum quid 1030.
Jus aſyli 970.
Jus civile commune & anonymum 1004. 1035.
Jus gladii quid 988.
Jus Impetrativum commune quid 1083.
Jus Impetrativum cum vita concedentis finitum 1085.
Jus Impetrativum orbis duntaxat datum 1054.
Jus Impetrativum quid, undeque dictum 975. 1080. quomodo in lucem prodierit 1082.
Jus Impetrativum ſine cauſae cognitione datum 1081.
Jus Impetrativum ſpeciale quid 1084.
Jus liberorum 970.
Jus liberorum Dativum, quid ſit, undeque dictum 974.
Jus liberorum duplex, Dativum & Impetrativum *ibid.*
Jus liberorum indefinite dictum pro Jure trium Impetratitio 1085
Jus liberorum quando primum coeperit 976.
Jus liberorum trium & quatuor in Lacedaemone primum 1006. 1053.
Jus natorum orbis datum primo ab Auguſto Caeſare 1082. annis XXII. ante legem Juliam & Papiam *ibid.*
Jus publicum pro jure communi 1010.
Jus quatuor liberorum a gladiatura liberavit 1053.
Jus quatuor natorum a tutela excuſat in Italia 1054.
Jus quatuor natorum uno caſu impetratum 1086.
Jus Quiritium conſequendi viae 986.
Jus trium liberorum mulieres a tutela liberat 1052.
Jus vetus quid 1030.
Juris liberorum Dativi & Impetrativi differentia 1081.
Juris liberorum definitio 973.
Juris liberorum introducendi cauſa 974.
Juris liberorum in uſum deducendi via 1070.
Juris liberorum origo ſecundum quoſdam 1006.
Juris trium liberorum Impetratitii cur frequentior quam quatuor, &c. mentio 975.
Jure publico uti, quid 1010.
Jure quinque liberorum, civilium munerum remiſſio 1063.
Juſtiniani controverſia *C. de Latina libert. tollenda* 1039.
Juſtiniani praeceptum in antiquorum ſcripta 1009.

L.

LArgianum SCtum ſub Antonino Pio factum 1039.
Latina ingenua, quae 1029.
Latini colonarii 986.
Latini filius unicus patrem facit civem Rom. idem in matre 997.
Latini Juniani 986.
Latinorum jus *ibid.*
Lectica. militaris, lucubratoria 1025.
Lectica qui uſi *ibid.*
Lectica a muliebri ſella diverſam ſignificat Suetonius *ibid.*
Legulegulorum ſilentium de capitibus variis legis Papiae 1020.
Legiſlatio generalis Graecorum Imperatorum de Jure Dativo & Impetrativo obſervata 1084.
Legitima haereditas 1074.
Legitima uxor *ibid.*
Legitimum jus *ibid.*
Legitimus filius adoptivus per eminentiam, a lege creatus *ibid.*
Legitimus filius, pro ex juſtis nuptiis *ibid.*
Legitimus tutor *ibid.*
Legitimo judicio agere quid 1050.
Lex Atilia 1048.
Lex Capuana 1005.
Lex Claudia foeminarum tutelam ſuſtulit 1048.
Lex de alimentis ex publico dandis 1006.
Lex XII. Tab. inteſtati ſucceſſione 1028.
Lex XII. Tabul. de ſucceſſione liberti 1003.
Lex XII. Tabul. de teſtandi jure 1002.
Lex XII. Tabul. de uxore uſurpanda 1043.
Lex Julia agraria 1005.
Lex Julia de maritand. ordin. 970. liberto patri duorum filiorum favet 991. & jusjurandum remittit 995.
Lex Julia & Titia 1048.
Lex Julia Norban. quae Latinorum ſtatum introduxit. *& eisdem* aperuit civitatem, quando lata 1039.
Lex Papia ad minores centenario non pertinuit 1018. an filiis patronorum et ipſis patronis faverit 1026. in quo patronorum jus auxerit 1003. *ſeq.* & patronarum 1002. in libertinae trium natorum matri faverit 1026. ut liberto centenario trium natorum patri 1018. quando lata fuerit 1020.
Lex Regia foeminis favens 1000.
Lex Voconia ad Veſtales non pertinuit 1035.
Lex Voconia reſtituta 1000. ejusque poena 1001.
Lege agere quid 1050.
Lege Julia & Papia coelibi, ſolitario & orbo, diverſimode negatum jus capiendi 1020.
Lege Papia caduca confiſcata 1021.
Lege Papia conſtituta mulieris a tutela liberatio 1055.
Leges conjugia ſuadentes, fundamenta reipublicae 1080.
Liberi ab anno XXV. patris excuſati periculo munera ſubeunt 1079.
Liberi addicti religioni ſupplent Jus natorum 1078. idem, ſi poenae ex condemnatione dediti ſunt *ibid.*
Liberi, Dona Deorum 1036.

Libe-

Liberi, etſi mortui, patri liberto proſunt 994.
Liberi illegitimi patrem non juvant 1076. licet reſcripto principis fiant legitimi 1077.
Liberi in obſidione mortui cur non proſint patribus 1078.
Liberi nomen, filium juſtum per excellentiam ſignificat 1074.
Liberi ſimulata adoptione quaeſiti non proſunt patri, neque item vera 1076. & qua ratione *ibid.*
Liberi tam mares quam foeminae proficiunt, modo vivant, cum jus natorum ſibi vindicat pater 1078.
Liberorum nomen quaſi collectivum 1072.
Liberorum pluralitas appellatio uni convenienti 1071.
Liberorum pro filius appellatio unde 1072.
Liberis non annumeratur qui in utero eſt 1008.
Liberta mater natorum quatuor, e patroni tutela exit 1055. & ſine ejus auctoritate teſtata eſt *ibid.*
Libertas publica res 1075.
Liberti a jure patronatus liberati uno de tribus modis 1019.
Libertina in SCto Tertulliano intelligatur non deditita aut Latina, ſed civis Romana 1054. *ſeq.*
Libertina, quae manumiſſa eſt 1026.
Libertinus pro manumiſſo 999.
Libertini acceptio obſoleta *ibid.*
Libertinorum tres ſpecies 1037.
Licentia non ſignificat auctoritatem, ſed conſenſum 1045. 1047.
Laetae naſcuntur, florent, intereunt 1067.
Ludi ſcenici unde Romam venerint 991.
Luxuriam abſtulit rerum viciſſitudo 1025.

M.

MAchinae frumentariae 1038.
Magiſtris & magiſtratibus inſcitia & confidentia turpiſſ. 1015.
Manumiſſio juris gentilis 1037.
Manumiſſio pro e manu conceſſione *ibid.*
Manumiſſor extraneus liberi, habueritne jus patronatus 1030.
Manumiſſor liberi capitis, praelatus cognatis *ibid.*
Mare hyeme clauſum 1037.
Mariti coelibibus praepoſiti 976.
Maritis ſterilibus Jure natorum Impetratio opus 1081.
Mariti de dote in totum retinenda, ex parte exploſa ſententia 983.
Maſſilienſium exemplo antiqua perquirenda 1033.
Mater e fratribus adoptivia filii excluſa 1032. & a conſanguineis *ibid.* item & a patre, non autem ab avo 1029. & cur avo prior & jure potior 1032.
Materfamilias quae 1044.
Mater fratri defuncti emancipato tertia hereditatis ceſſit 1033.
Matri adverſus agnatos defuncti Jus trium profuit *ibid.*
Matri cum patre filio deportato ſucceſſurae Jure liberorum opus 1034.
Matri deportato filio ſucceſſurae, ſine marito Jure trium non opus *ibid.*
Matriſamilias quis olim ſuccederet 981.
Matri liberi etiam mortui ex Tertulliano ſupplent Jus trium 1034.
Matri non ita ac frater, defuncti ſoror obſuit 1032.
Matres libertina & ingenua cur diſcriminatae 1055.
Matribus cur immunitates datae 1028.
Matrimonium cur a matre dictum, non a patre 1042.
Metius Suffetius 1006.
Molae manuariae aut jumentariae 1038.
Mors curarum, onerum liberationem affert 994. *ſeq.*
Mors naturalis, civilis, violenta 1033.
Mortalibus innata cupiditas gloriae 1024.
Mulieri auctorem decernentia Judicum praecepta eluſa 1051.
Mulieres fontes generis humani 1032.
Mulieres integrum conſilium non habent 1047.
Mulieres lege Voconia ſolutae 1002.
Mulieres nihil olim per ſe poterant 1042.
Mulierum opus, panificium 1038.
Munera patrimonialia, aut cohaerentia, aut tributoria 1065.
Municeps deſinit eſſe Senator Curiae Maximae 1021.
Muros facere & renovare permiſſum 1064.

N.

NAtalibus diſſentiente patrono, liberti non reſtituti 1019.
Naturalis filius, pro nato ex legitimo matrimonio 1074.
Naturalis filii ſine conjugii honeſtate nati, uſurpatio duplex 1074.
Naturalium appellatio pro legitimis 1019.
Navicularium foeminarum Jus 4. liberorum 1038. 1086.
Navicularii qui 1037.
Naviculariorum civium praemium. L. Papiae gratia. *ibid.* qui ut ſolidi capaces eſſent etiam ſine liberis 979.
Naviculariorum Latinorum praemium, Civitas 1038.
Negotiatores qui 1037.
Nepotes loco filiorum Jus liberorum afferunt 1071.
Nullitas ſententiae ſuper principali aut incidenti coram eo, qui male judicavit, tractari poteſt 1016.
Nuptias & matrimonium contrahere pro eodem 1051.

O.

OBligationis expromiſſoriae & fidejuſſoriae ſimilitudo & differentia 999.
Obligationis ratio cum lex reſiſtit, fruſtra adjicitur illi quicquam *ibid.*
Occiſor ſervi proprii teneatur ne homicidio vulgari, an qualiſi ſervum alienum eneceſſet, quaeſtio 1041.
Officiales operae cur non delegentur 997.
Omnibus ſatisfacere, Dei, non hominis eſt 1000.
Onerandae libertatis cauſa imponere quid 996.
Operae fabriles & officiales exaudiendae, ſed quandoque per eminentiam officiales 984.
Operarum obligatione cur unicus filius liberet patrem, non item obligatione doni & muneris 985.
Operarum voluptuariarum aeſtimatio eſt, contra Zaſium 997.
Operas ſi exegerit patronus, nihil de liberti ſucceſſione conſequetur 996.
Opinio de rebus antiquis conjectura eſt 1006.
Oppidi ornamentum, civium numerus 1057.
Orbi capere non prohibiti 977. 978.
Orbi contempti 980.
Orbis Romanus quid 1037. 1056.
Ordines Patrum & Plebejorum in Coloniis & Municipiis 1021.
Ornamentorum nomine, gemmae, lapilli & margaritae 1025.

P.

PAfuncius cum uxore concubitum caſtitatem dixit 1077.
Pandectarum helio 1017.
Pater defuncti cur matre potior in ſucceſſione 1031.
Pater filio non ſuccedit ut agnatus *ibid.*
Pater manumiſſor filio ſuccedit, ut liberto patronus 1031.
Pater naturalis defuncti potior matre 1029.
Patri filius ſervus, ſonticus 1008.
Patri quando querela inofficioſa competebat 1030.
Patri qui emancipavit, nec manumiſit, quid juris in filii bonis *ibid.*
Patres liberorum trium xx. m. in coloniam exierunt 1005.
Patres quando primum orbos praecellerint 977.
Patronae & patroni liberorum differentiae 1027.
Patronus a quatuor filiis libertae non excluſus, etſi a tribus liberti ſucceſſione pelleretur 1055.
Patroni & patronae differentia in liberti ſucceſſione 1003.
Patrono, patronae, liberisve eorum promittere quid ſit, ex novata ſententia legis Juliae 993.
Pauli Caſtrenſis lapſus 1075.
Peregrinorum liberti manumiſſoribus exaequati 1037.
Peregrini ſe pro civibus gerentes, ſecuri percuſſi 1041
Peregrinus libertus civitas exorata 1037.
Perfectiſſimatu decoratus, curiae ſuae redditus 1022.
Perfecto partui quae neceſſaria 1040.
Perſarum reges aureos mulieribus elargientes 1025.
Perſona duplici jure cenſetur, diverſo non contrario 1044.
Pila de ſpoliis Curiatiorum 1006.
Piſtores Romae quando coeperint 1038.
Piſtorium inſtrumentum *ibid.*
Piſtorium opus ſordidum 1039.
Piſtrinenſes principis *ibid.*
Piſtrinenſes ſervi 1038.
Piſtrinum quid, & unde ita dictum *ibid.*
Piſtrinum ſordidum *ibid.*
Piſtrino Latini cives Rom. facti 1039.
Piſtrina a Theodoſio diruta 1038.
Piſtrina publica quae, & ubi *ibid.*
Placere quid in libris civilibus 1023.
Plebeji quomodo Decuriones facti 1021.
Plebs jejuna non timet 1039.
Plinii in aliorum doctrina oblectatio 1087.
Plutarchi & Suetonii diſſenſio 1007.
Poena pro averſione commodi 978. 980.
Poëtarum libertas 1021.
P. M. in nummis & inſcriptionibus 1059.
Pontifex libere in Provinciis creatus, non in Urbe *ibid.* & ratio diſcriminis 1060.
Pontifex Max. creatus in Provinciis quo tempore *ibid.*
Pontifex Maximus & Romae & in Provinciis Princeps ſacerdotum 1058.
Pontifices ludos ediderunt propriis ſumptibus 1062.
Pontificatus annuus 1060.
Pont. Max. in inſcript. & nummis 1059.
Princeps, lex viva, non minus quam lex mortua poteſt 1082.
Principes ſacerdotum Romae praeter Pontificem Maximum 1059.
Principale beneficium poſtulatum in caſibus lege aut SCto prohibitis 1082.
Privilegium etiam dicitur, quod ſcriptum in libris Civilibus 1026.
Privilegii etymolog. 973.
Privilegia cauſae aut perſonae *ibid.*
Privilegia in Galliis perpetua, nec confirmationem exigunt 1085.
Privilegia perſonalia duplicia 973.
Proſcripto ſextans bonorum relictus 1034.
Protoflamines qui 1059.

Provinciae conſilium, dictum Status 1060.
Provinciae reſcriptis Auguſtorum ab Italia diſtinctae 1057.
Pubertas Homero generum florentium 1008.

Q.

QUaeſtio de liberto in fraudem legis alienante, an Jure liberorum a lege dato frueretur 1019.
Quaeſtio de ſcenico gratis prodeunte, infamisne fuerit 992.
Quaeſtionibus ingenia excitata 1056.
Quintae liberorum nomine ut a patre retinentur 982. ſeq.
Quiritarius dominus 986. 1039.

R.

RAtio cur infames filii patri liberto non profuerint 992.
Regulae Acquieſcentem probare ſententiam, interpretatio 1017.
Regulae, Conjuncta inutilia, quae ſeparata non proſunt, explicatio 989.
Res privatorum praetextu excuſationis non derelinquendae 1057.
Rei principalis obligatione ſublata, fidejuſſoria tollitur 995.
Reipublicae nervi, tributa 1065.
Retentionis commodum ad patrem ſpectavit 983.
Rex, ſacerdos & Pontifex 1060.
Romanorum civium propria 986.
Roma quae civitas 1057.
Rudis quid 1053. ſeq.

S.

SAcerdotales perpetui 1059.
Sacerdotes a principibus aut ſacerdotalibus nominati ibid.
Sacerdotes cur ita dicti 1058.
Sacerdotes ejusdem collegii duo fratres non fuere 1059.
Sacerdotes ex advocatis electi 1061.
Sacerdotes non minores annis quadraginta ibid.
Sacerdotes quales Pontifices Max. facti ibid.
Sacerdotes ſummi gubernacula Provinciae habuere 1062.
Sacerdotum municipalium & archiflaminis differentia ibid.
Sacerdotum princeps habuit ſacrorum provincialium curam ibid.
Sacerdotum princeps, ſummus ſacerdos, & Pontifex, in Evangelio idem 1058. 1060.
Sacerdotum Urbanorum & Provincialium duo gradus. ibid. & primi ordinis qui. ibid. & qui inferioris 1059.
Sacerdotium a principibus petitum 1059.
Sacerdotium in municipiis a populo petitum 1062. deinde ab Imperatore ibid.
Sacerdotium munus patrimoniale 1057.
Sacerdotii excuſatio probanda ſit 1063.
Sacerdotium abſens recte petiit 1060.
Salvis legibus & moribus, qui Romanis ſuberant, legibus Romanorum invio non tenebantur 1056.
Scaevolae notata ſententia & reſponſum ad illius quaeſtionem 1017.
Scenici famoſi 991.
Scientia ſumma, inſcitiam fateri 1018.
Senatores functionum praeter glebariam expertes 990.
Senatus ordo inferior 1024.
Senatus ordo ſuperior ibid.
Senatus Romani ſimulachrum in Coloniis & Municipiis 988.
Senes honorati 976.
Sententiae antiquorum examinandae 1007.
Sententia Judicialis ſtricta interpretatio eſt 1015.
Seu, adverbium ampliandi &c. 1066.
Sicilia, prima omnium provincia dicta 1056.
Similes ſpecies l. non put. 48. D. de cond. & dem. 987.
Sobolis gratia parentes Reipublicae chari 973.
Sociorum libertas 986.
Solarium 990.
Solidus aureus 1022.
Solutionis vicem obtinet delegatio, quid ſibi velit 998.
Sponte, quid 1060.
Status liberorum quid 1008.
Stellas campus 1005.
Stephanus Forcatulus 1013.
Structorum & aedificatorum munus non ſordidum 1038.
Studioſi Juris veteris ſcrutatores 1033.
Suetonius Adriani magiſter epiſtolarum 1035.
Suetonius dilaniatus, qui continua oratione ſcripſerat 1086.
Sui haeredes, filius adoptivus, & uxor 1004.

T.

TErgeminorum duplex acceptio 1086.
Tertullianum SCtum ſub Antonino non ſub Adriano factum 1029.
Teſſerae frumentariae ſingulis datae 1007.
Teſtamenti factio libera impetratitia 1019.
Teſtatio quid 987.
Tiberina inſula cur Aeſculapii dicta 1040.
Tiberina inſula fuit velut νεώσοικος 1041.
Tiberius Caeſar jusjurandum remiſit 995.
Tiberii edictum de temporibus beneficiorum principalium 1085.
Trajani Caeſaris edictum de Latinis libertis 1039.
Triboniani confidentia 970. indulgentia 1003.
Tumultus principes metuentes 1038.
Turpe merito jure vagari 1023. 1046.
Tutela honor dicitur 1015.
Tutela libera ac Livia & Octavia ſine liberis ex privilegio 1085.
Tutela onus eſt 1011.
Tutela quare publicum munus dicatur, excogitata ratio 1012.
Tutelae adminiſtratio, cujus periculo ſit pendente cauſa nullitatis, nova quaeſtio 1016.
Tutor ad haereditatem adeundam puberi & impuberi foeminae neceſſarius 1050.
Tutor aut legitimus, aut ex SCto, aut moribus 1048.
Tutor dictus curator ibid.
Tutor ex Senatusconſulto mulieri quis, & quando datus ibid.
Tutor legitimus mulieris qui fuerit, & quando datus ibid.
Tutor moribus quando foeminae datus, & ad quid 1050.
Tutor omnis etiam legitimus excuſatur 1024.
Tutor puberis foeminae tantum autor ei fit 1051.
Tutor vel curator etiam jure Juſtinianeo nuptiae mulieri dari poteſt ibid.
Tutorem ad nuptias contrahendas datum mulieri, quid ſit 1050.
Tutorem habere mulier a Praetore coacta 1052.
Tutores foeminis puberibus & impuberibus dati, & quamobrem 1047.
Tutorum pupillis & foeminis puberibus datorum communia 1050.

V.

VAgitus naſcentium 1035.
Venalitatiae prudentiae cultores 1031.
Veritas dubio colore ſubterfugiens 1013.
Veſtalibus ſine curatore facere licuit omnia 1047.
Veſtalibus teſtari permiſſum, & cuncta ſine curatore facere 1042.
Virginitatem ſervantibus eadem, quae matribus privilegia irrogata 1082.
Unitas arithmet. 977.
Unitas non eſt numerus 989.
Q. Voconii lex 1035.
Votum parentibus commune 1019.
Urbs ab Italia cur non diſtincta in legationis, ſicut in tutelae excuſatione 1018.
Urbis & Municipiorum frumentaria ratio 1064.
Uſu quomodo contractae nuptiae 1042.
Uxor quae ſit Ciceroni ibid.

F I N I S.

IN-

INDEX

Legum in Corpore Jure Juſtiniani, in Codice Theodoſiano, & Fragmentis JCtorum Veterum, explicatarum obiter, vel emendatarum, quas ſtellula ſignificat.

ex Inſtitutionibus.

§. ult. Qui teſt. tutor dar. poſſ. 1072. 1073.
§. 1. de Excuſat. tutor. vel curat. 1012. 1056.
§. 16 eod. 1014
§. ult. de Legit. agnat. ſucc. 1010. 1030.
§. 1. de Succeſſ. libert. 1002. 1004.
§. 2. eod. 1002. 1019.

e Digeſtis.

l. 6. de Statu 999.
l. 17. eod. 1056
l. 4. §. 1. de His qui ſunt ſui vel al. &c. 1045.
l. ult. de Adoption. & emanc. 1075.
l. 9. de Diviſ. rer. & qual. 1058.
§. 4. eod 1064.
l. 4. de Senator. 1024.
l. 9. §. 1. de Off. Proconſ. 1070.
l. 1. §. 6. de Poſtulando. 992.
l. 2. §. ult. de His qui not. infam. 991. 992.
l. 3. eod. 992.
l. 3 §. 5 de Minoribus. 1046.
l. 3 . de Inoffic teſtam. 1031.
l. 5 . de Petit. hered. 1058
l. ult. § 2. de Oper ſervor. 997.
l. 71. de Evictionib. 1046.
l. 8 de Probationib. 1071.
l. 1 de Ritu Nuptiar. 1044.
l. 24. eod. 1043.
l. 41. §. 1. eod 1045.
l. 12. de Pactis dotal. 982.
l. 24. eod 984.
l. 10. Solut. matrim. 982.
l. 48. eod. 984.
l. 56 eod 983.
l. 1. & 3 de Concub. 1041. 1045.
l. ult. de Tutel. 1051.
l. 6. de Teſtam tut. 10 2.
l. 26. eod 1052.
l. 7. de Tutor. & curat. 1048.
l. 13. § 2. eod. 1051.
l. 21. eod 1052.
l. 2 . eod ibid.
l. 2. §. 7. de Excuſat. tutor. 1076.
l. 2. §. 5. eod 1071.
l. 6 §. 15. eod 1011.
**l. 17. §. 4. eod.* 1012.
l. 18. eod. 1078.
l. 21 § 1. eod. 1014.
l. 3 . § ult. eod 1010.
l. 36. §. 1. eod. 1009.
**l. 3 . eod.* 1015
l. 38. eod 1014
l. 3 Qui teſtam. fac &c. 1045.
l. 6. eod. ibid.
l. ult de Jure deliber. 1075.
l. 49 pr de Legat. 3. 1026.
l. 18. de Auro. arg. leg. 979.
l. 74 de Condit. & demonſtr. 1076.
**l. 1. §. 6. Si a par. quis man. &c.* 1030.
l. 2. de Jure patronat. 1073.
l. 6. eod 995.
l. 20. eod 995.
l. 22 eod. 1028.
l. 5. de Operis libert. 994.
l. 7. §. 2. eod. ibid.
§. 6. eod. 993.
l. 22. §. 1. eod. ibid.
l. 37 eod. 991.
§. 1. 2. eod. 994.
§. 3. eod. 993.
§. 4. eod. 997. 998.
§. 6. eod. 995.
§. 7. eod. 994. 995.
§. ult. 997.
l. 38. eod. 996.
l. 41. eod. ibid.
l. 3. de Bonis libert. 1019.
l. 17. eod. 1003.
ll. 33. & 37 eod. 996.
l. 8 de Adſignat. libert. 1027.
l. 10 de Suis & legit. hered. 1031.
**l. 12. eod* ibid.
l. 2. §. 15. ad SCtum Tertull. 1029.
* *§ 17 eod.* 1032.
l. 7. eod ibid.
l. 8. de Donation. 985.
l. 25. de Mort. cauſa donat. 1045.
l. ult de Liberali cauſa. 994
l. 1. §. 5. Quar. rer. act. non dat. 996.
§. 6. eod 995.
§ 8. eod. 999.
l. 2. § ult. eod. 996.
l. 5. §. 2. de Verbor. obligat. 998.
l. 45. §. 2. eod. 994.
l. ult. de Duobus reis. 998.
l. 3. de Termino moto 1005.
l. un. §. 1. ad L. Juliam de ambitu. 1066.
l. 23 ad Municipalem. 1022.
l. ult. eod. 995.
l. 3. § 3. de Munerib. & honorib. 1065.
§. 6. eod. 1079.
§. 12. eod. 1064.
l. 4. eod. 1063.
l. 17. eod. 1060.
**l. 1 § 3. de Vacat. muner.* 1013.
**l. 2. §. 1. eod.* 1011.
§. 2 eod 1076.
§ 5. eod. 1077.
§. 8. eod 1057. 1092.
**l. 13 eod.* 1059
l. ult. eod. 1078.
l. 5. de Jure immunit. 976.
§. 2 eod. 1069.
l. 3 §. 1. de Operib. publ. 1064.
l. 6. eod. ibid.
l. ult. de Pollicitat. 1071.
l. 45 §. 1. de Verbor. ſignif. 1044.
l. 56. eod. 1071.
**l. 84 eod.* 1073. 1075.
l. 104. eod. 1071.
l. 137. eod. 1046.
l. 201. eod. 1072.
l. 220. eod. 1071.
§. 1. 1072.
§ ult. 1074.
l. 239 § 5. eod. 988.
l. 2. de Regul. jur. 1052.
l. 71. eod 1070.
l. 73 eod. 1052.

e Codice.

l. unic. de off Comit. Orient. 1062. 1063.
l. 2. de in Integr. reſtitut 1066.
l. 7. de Nuptiis. 1047.
l. 1. § 5 de Rei uxor. act. 982.
l. 4. Solut matrim. ibid.
l. 1. de Natur liber 1062.
l. 3. de Legit tutela. 1048.
l. 1 quando mulier. off. tut. 1052.
l. 6. de Excuſat. tutor. 1014.
l. 1. qui num. liber ſe exc. 1008.
l. 1. de Operis libert. 995.
l. 4. eod 996.
l. 6. §. 1. eod 994. 996.
l. 2. de Bonor. poſſ cont. tab. ibid.
l. penult Qui teſtam. fac poſſ. 1046.
l. 16 de Jure deliber. 1009.
l. 1. de Condit. inſert. &c 1071.
l. 2. ad SCtum Tertull. 1030.
l. 5. eod. 1033.
l. un §. 1. de Lat. libert. toll. 1039.
§ 3 eod 1040. 1041.
§. ult. 1039.
l. penult. princ. de Adoptionib. 1076.
l. 1. de infirm. poenis coelib 980.

l. 2. *eod.* 979. 982.
l. 1 *Ut. nem. lic. in empt. ſpec.* 1064.
* *l.* 24. *de Decurionib.* 1068.
l. ult. eod. 1024.
* *l.* 8. *de muner. patrimon.* 1062.
l. 1. *de quib. munerib. vel praeſtat.* 1061.
* *l.* 1. *de his qui num. liber &c.* 1011. 1063.
l. 5. *eod.* 1065.
l. ult. eod. 1079.
l. 1. *de Mulierib. in quo loco &c.* 1066.
l. 2. *de Legationib.* 1018.
l. 1. *de ſumpt. recuperat.* 1063.
l. 3. *de Naufragiis.* 1037.
l. 2. *de Praet. & honor. praetur.* 990.

e Novellis.

Novell. CXVIII. *c.* X. *verſ. Conſequens.* 1031.

e Cadice Theodoſiano

l. 2. *de Tutor. & curat.* 1048.
* *l.* 46. *de Decurionib.* 1061.
l. 55. *eod.* 1068.
l. 60. *eod.* 1060.
l. 74. *eod.* 988. 989.
l. 77. *eod.* 1060.
l. 103. *eod.* 1063.
l. 132. *eod.* 1021.
l. 148. *eod.* 1060.
l. 155. *eod.* 989.
l. un. de His qui num. lib. exc. 1079.

e Sententiis Pauli.

* *lib.* IV *tit.* VIII. §. 22. 1035.
* *tit.* IX. §. 2. 1040.

e Fragmentis Ulpiani.

Tit. III. §. 1. 1037.
III. §. 3. 986.
V. §. 8. 987.
VI. §. 10. 982.
IX. 1042.
XI. §. 1. 1047.
XVI. §. 1. 978. 1083.
XXVI. §. 8. 1018.
XXIX. §. 6. 1002. 1026.
§. 3. 1055.

INDEX SCRIPTORUM VETERUM.

Cicero. 1000. * 1001. * 1062.
Iſidorus. 1084.
Juvenalis. 1020.
Martialis. 1031. 1084.
Plinius. * 977. 1001. 1022. 1056. 1065.
Plutarchus. 1008. 1042.
Statius Papinius. * 975. 1086.
Suetonius. 1007. * 1037. 1040. 1048. 1053.
Tertullianus. 977.

Inſcriptionum variarum.

Bajan. 1058.
Gebennenſ. 1060.
Lugdunenſ. 1058. 1062.
Meutefc. Hiſpan. 1060.
Piſaurenſ. 1076. 1083.
Viennenſ. 1058.

F I N I S.

CARO

CAROLI HANNIBALIS FABROTI,

Anteceſſoris Aquis-Sextienſis,

AD

TIT. COD. THEODOSIANI
DE PAGANIS, SACRIFICIIS, ET TEMPLIS,
NOTAE.

CLARISSIMO ET ORNATISSIMO VIRO,

NICOLAO FABRICIO,

DN. DE PETRISCO, REGIO IN AQUIS-SEXTIENSI CURIA SENATORI.

CAROLUS HANNIBAL FABROTUS, JCtus,

S.

Quod ante aliquot annos accidit mihi, V. CL. cum Graecorum proverbiorum editionem adornarem, idem prope contigit in publicandis ad Codicem Theodoſianum obſervationibus & notis: haec enim literarum monumenta poſteris tradere in animo erat mihi; adagiones inquam & notarum in eum Codicem quaſi libamenta emittere occuparunt alii, quorum commentationes ad me continuo pervenerunt. Verum cum haec ita ſe haberent, haec potiſſima mei ſolandi ratio fuit, quod a viris eruditione ſingulari praeſtitum id animadverti, quorum alter foeliciter opus ſuum confecit, alter affecit: certum eſt enim diſciplina juris civilis, & politioris humanitatis eruditiſſimum virum Jacobum Gothofredum ex notis ſuis, ad finem deductis, non modicam laudem conſecuturum. Quae cum ita ſint, omnino conſtitueram obſervationes in Codicem Theodoſianum ſcheda ſua premere, ſicut hactenus proverbiorum συλλογῇ cohibui, & fortaſſean aeterna nocte damnavi. Attamen cum hac de re cum neceſſariis meis egiſſem, ut fieri ſolet, impulerunt me omnes etiam vehementer obſiſtentem, ut depromerem Notas ad eundem titulum, quem jam Gothofredus ſuis illuſtraverat, eaſque juris publici fieri propediem efflagitarunt; novum non eſſe dictitantes, ut plures in eundem librum notas conſcriberent, quin etiam utiliſſimum id fore propter variam & miſcellam cujuſque conſcriptionem. Itaque cum familiares mei fragmentum hoc operis ſolidi reclamanti mihi extorſiſſent, ego tamen eam legem dixi, ut non ante prodiret, qualis qualis haec operula, quam Tibi perpendenda committeretur, quem equidem tanti facio, ut certo ſciam poſt Tuum examen in eruditorum manus eam pervenire poſſe. Mitto igitur ad Te vir CL. Notarum mearum hoc ἀπόσπασμα, & ad Tuum arbitrium confero, ut ſi hac luce videantur indignae, quamprimum Deo lucido, ſeu Vulcano mandes: quod ſi eſſe aliquid eas exiſtimes, vel praelo committi patiaris, vel certe Tibi ſerves: namque mihi ſatis eſt, eas Te legiſſe, cui lubens merito dedico, conſecroque. Vale, Aquis Sextiis Non. Majis. A. S. CIↃ. IↃ. C. XVII.

CA-

CAROLI HANNIBALIS FABROTI
AD
TIT. COD. THEODOSIANI
DE PAGANIS, SACRIFICIIS, ET TEMPLIS,

NOTAE.

Nonnulli rubricam diſtinguunt, De Paganis, Sacrificiis, et Templis: quod videtur confirmare titulus in Cod. Juſtin. conceptus a quibusdam hoc modo: *de Sacrificiis Paganorum, & Templis*, eamque ſcripturam ſecuti ſunt interpretes Graeci, qui verterunt περὶ Ἑλληνικῶν θυσιῶν καὶ ἱερῶν. Sed omnino melius De Paganis, Sacrificiis et Templis, ut disjunctim de Paganis agatur. Certe in Cod. Juſtin. libri mei calamo exarati habent, de Paganis & Sacrificiis, & Templis eorum: nam de Paganis agitur *l.* 20. *& ſeqq.*

Paganis.] Gentiles per initia dicti ſunt ſimulachrorum & daemonum cultores: & promiſcue Gentes ac Nationes: ut jure videri poſſit λεπτολογεῖν, qui contendit, an verae fidei propugnator Arnobius libros ſuos inſcripſerit, *Adverſus gentes, vel Nationes.* Hinc Gentilitas apud rerum ſacrarum ſcriptores. Poſt deinde Pagani coeperunt appellari: Gloſſae Graeco-Latinae, Ἕλλην τὴν θρησκείαν, *Paganus.* D. Auguſtinus *de opere Monachor. cap.* 11. *Quos utique non niſi Gentiles, quos Paganos dicimus, vult intelligi*: & *cap.* 13. *Si Graecos, quos etiam Paganos dicimus, &c.* addeſis *Concil. Carthag. Cod. Cann. Eccleſ. Afric. p.* 285. *& ſeq.* Hinc Paganitas, *l. ult. ſup. de ſpectac.* Graeci autem patres Ἕλληνας appellant & ἑλληνισμὸς in eorum ſcriptis eſt gentilitas. Quidam Ἕλληνας τὴν θρησκείαν, Gloſſae ſupra. Olympiodorus *in Excerptis Photianis.* Sub quo autem Imperatore coeperit Paganorum appellatio, mihi non ſatis liquet. Vir eruditus ad Imperii Valentiniani & Valentis principia refert, ſeu in annum CCCLXV. Sed tentari poteſt paulo antiquiorem eſſe: Marius enim Victorinus tanquam vocabulo pridem recepto utitur libro *de homoöuſio recip. Graeci*, inquit, *quos Ἕλληνας vel Paganos vocant, multos deos dicunt.* Unde autem nata ſit ejusmodi appellatio viri docti ſatis inquiſite, ſatisque ſolicite quaeſierunt. Enimvero Conſtantinus Imperator *de adminiſt. Imp. cap.* 29. *&* 36. ſcribit, eos, qui baptizati non ſunt, Paganos dici κατὰ τὴν Σκλαβῶν γλῶσσαν: quod ſi verum eſt, porro quaerere ſuperſedebimus. Addam tantum e vet. Gloſſario Graeco-Lat. quod Heſychii longe doctiſſimi Gloſſulae convenit, ἰδιώτης, ὁ κοινὸς, *privatus, paganus, plebejus.* Sane dici poteſt Chriſtianos, quos antea Gentes, ἀνθρώπους ἰδιώτας appellabant, ut Lucianus, feſtivo homo ingenio, ſed verae religionis acerbiſſimus inſectator, *in peregr.* elogium eis rependiſſe, & hanc Paganorum appellationem repoſuiſſe.

Sacrificiis.] De ſacrificiorum ritibus agetur ſuccinctim, ut occaſio dederit.

Templis.] Appellatio templi, delubri, fani Chriſtianis inviſa fuit, & Eccleſiae vocabulum uſurparunt. D. Auguſt. *de vera relig. cap.* 4. *Illi enim, ſi reviviſcerent quorum iſti nominibus gloriantur, & invenirent refertas Eccleſias, templaque deſerta.* D. Ambr. *lib.* 2. *contra relat. Symmachi. Poſſeſſio Eccleſiae ſumptus eſt egenorum: numerent quos redemerint templa captivos.* Optatus Milevit. *lib.* 6. *Quis enim noſtrum intravit templa? quis vidit ſacra ſacrilega?* Similiter templi voce in re Paganorum utitur *can.* 58. *Cod. Cann. Eccleſ. Afric.* Templum igitur, delubrum, aut fanum Paganicae ſuperſtitioni tribuuntur. Arnob. *adverſ. Gent. lib.* 6. *Nunquid enim delubris, aut templorum eum conſtructionibus honoramus?* Ambroſius *d. lib. Quod ſacerdotibus fani legaverit Chriſtiana vidua valet*; & mox: *Nemo tamen donaria delubris, & legata Haruſpicibus denegavit.* Sed Graeci magiſtri ſubtilius interdum haec diſtinguunt: in Gloſſ. enim Graeco-lat. *fanum* exponitur ἱερὰ τὰ ἄλση: ſacratiſſimi ſcilicet luci, Arnob. *lib.* 7. & in iis ſubſtructa fana. Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis *in librum* 4. *Reg. Solebant autem Pagani in lucis daemones conſulere, & reſponſa ab illis non ſignis, ſed vocibus accipiebant: unde & a fando fani ſunt appellati.* Gloſſae Latino-gr. *delubrum*, καθίδρυμα, ξόανον, ἀνάθημα. Verumtamen Chriſtiani Templorum appellationem, olim inviſam, tandem receperunt: hinc omnipotentis Dei templa *l.* 10. *C. Juſtin. de haereticis.* Eccleſiae certe nomen πολυώνυμον eſt: nam pro conventu fidelium uſurpatur. Cyrill. *Catech.* 18. *pag.* 493. Ἐκκλησία δὲ καλεῖται φερωνύμως διὰ τὸ πάντας ἐκκαλεῖσθαι καὶ ὁμοῦ συνάγειν. Iſidorus Peluſiotes *lib.* 2. *epiſt.* 246. τὸ ἄθροισμα τῶν ἁγίων τὸ ἐξ ὀρθῆς πίστεως καὶ πολιτείας ἀρίστης συγκεκροτημένον ἐκκλησία ἐστί. vocat autem *ibid.* ἐκκλησιαστήριον locum, in quem conveniunt fideles: ἡ μὲν γὰρ, inquit de Eccleſia, ἐξ ἀμώμων ψυχῶν συνέστηκε, τὸ δ' ἀπὸ λίθων καὶ ξύλων οἰκοδομεῖται; cumque locum laudat Zonaras *ad can. ſext. Synodi Gangrenſis.* Sed eam diſtinctionem non obſervant priſci rei Eccleſiaſticae Scriptores: hinc etiam *tit. C. Juſt. de ſacroſanct. Eccleſ.* Germanus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, *Eccleſ. hiſt. princ.* Ἐκκλησία ἐστὶ ναὸς Θεοῦ, τέμενος ἅγιον, οἶκος προσευχῆς, συνάθροισις λαοῦ, σῶμα Χριστοῦ, &c. Et mox, Ἐκκλησία ἐστὶν ἐπίγειος οὐρανὸς, ἐν ᾧ ὁ ἐπουράνιος Θεὸς ἐνοικεῖ, καὶ ἐμπεριπατεῖ, &c.

I. Imp. Constantinus *A. ad Maximum*

Si quid de Palatio noſtro, aut caeteris Operibus Publicis deguſtatum fulgore eſſe conſtiterit, retento more veteris obſervantiae, quid portendat, ab Haruſpicibus requiratur, & diligentiſſime ſcriptura collecta, ad noſtram ſcientiam referatur. Caeteris etiam uſurpandae hujus conſuetudinis licentia tribuenda, dummodo ſacrificiis domeſticis abſtineant, quae ſpecialiter prohibita ſunt. Eam autem denuntiationem atque interpretationem, quae de tactu Amphiteatri ſcripta eſt, de qua ad Heraclian. Tribun. & Magiſtr. Officiorum ſcripſeras, ad nos

ſcias eſſe perlatam. Dat. XVI. Kal. Jan. Serdicae A. cc. VIII. Id. Mart. Criſpo II. & Conſtantino II. Coss.

N O T A E.

Haruſpicum diſciplina multis retro ſaeculis comprobata, celebrataque eſt: usque adeo futurorum praeſenſio, vitio generis humani, ſemper accepta fuit. Quotus enim eſt, quem non tangit futurarum rerum ſcientia? quis adhuc repertus eſt, qui conſtiterit in rei praeſentis contemplatione? una futuri boni vel incerti cogitatio praeſentium malorum onere dejectis ſolatio eſt: & is, quem poſſeſſio bonorum beatum facit, futuri cogitatione ſpes ſuas erigit, & attollit. Ille quodammodo miſer eſſe deſinit: hic jam beatior evaſit. Ea certe res effecit, ut eſſent homines, qui publice arte quadam, non enim dicam inſtinctu, inflatuque divino, futura praenuntiarent. Illi ſunt augures, Haruſpices, conjectores, aliique, quos Divinos olim appellabant. Non eſt inſtituti noſtri docere, quam multis in rebus conſultatoribus ſe praeſtarent: quaedam tamen e multis ſublegiſſe juvabit. Erant enim, qui vates conſulerent, an parentibus heredes exiſtere deberent, & an obventura eis aliqua eſſet hereditas. Epictetus Arriani *lib. 2. cap. 7.* Τί οὖν ἡμᾶς ἐπὶ τὸ συνεχῶς μαντεύεσθαι ἄγει; ἡ δειλία, τὸ φοβεῖσθαι τὰς ἐκβάσεις. διὰ τοῦτο κολακεύομεν τοὺς μάντεις. κληρονομήσω κύριε τὸν πατέρα; ἴδωμεν, ἐκθυσώμεθα. ναί. Κύριε ὡς ἡ τύχη θέλει, ἐὰν εἴπῃ, κληρονομήσεις, ὡς παρ' αὐτοῦ τὴν κληρονομίαν εἰληφότες, εὐχαριστοῦμεν αὐτῷ. Marcus Tull. *lib. 2. de Divin. cap. 7. Qui theſaurum inventum iri, aut hereditatem venturam dicunt, quid ſequuntur.* De matrimoniis conſultos augures Porphyrius tradit περὶ ἀποχ. ἐμψ. qui *volentibus auſpiciis*, forte reſpondebant, in matrimonium coïri. Lapis antiq. COS. AVG. PVB. CLAVD. QVÆS. ÆR. ANTONINAM VOLVMNIAM. VIRGINEM. VOLENT. AVSPI. E. PARENT. SVIS. COEMIT. ET. IIII. FAC. IN. DO. DVXIT.

Nuptiis auſpices intereſſe ſolitos, notius eſt, quam ut plura in id verba ſumenda ſint. Videſis Juvenal. *Sat. 10. verſ.* 336. Gloſſae veteres, auſpex, pronubus παράνυμφος. Elegans eſt in primis locus Sixti PP. e libro *de Caſtitate: Neſandorum enim idolorum cultura omnis mali cauſa eſt, initium & finis. Haec in matrimoniorum celebratur auſpiciis, quando certus auſpicatur dies, quando conjunctionis hora ſignatur, quando ne quid infauſti ominis incurratur ſollicita, & diligenti cura ſervatur.* Immolatoribus & vatibus comitatos Imperatores ad bellum proceſſiſſe conſtat ex Onoſand. *Strateg. cap. 10. p. 45.* Μήτε δὲ εἰς πορείαν ἐξαγέτω τὸ στράτευμα, μήτε πρὸς μάχην ταττέτω, μὴ πρότερον θυσάμενος. ἀλλ' ἀκολουθείτωσαν αὐτῷ θύται καὶ μάντεις. Cicero *lib. 1. de Divin. Exactis Regibus nihil publice ſine auſpiciis nec domi, nec militiae gerebatur.* Verum procedente tempore tota res haec fallaciis ac nugis anilibus ſcatere, & ad quaeſtum & ſuperſtitionem excogitata videri coepit. Ipſi quoque Haruſpices, utique plani homines, de perfidia confeſſi, necati ſunt, referente A. Gelbo *lib. 4. cap. 5.* nec non Euſebio *demonſtrationis Evangel. lib. 4. p.* 81. ἐν δὲ τῷ προσθεῖναι τοῖς εἰρημένοις, μέγιστον ἂν εἴη καθαιρετικὸν κεφάλαιον, ὡς ἤδη καὶ τοὺς ἄγαν θεοφόρους, αὐτῶν δὴ τῶν μάλιστα ἱεροφαντῶν, θεολόγων τε αὐτοῖς καὶ προφητῶν ἀλλ' οὐ μόνον πάλαι, ἀλλὰ καὶ ἐναγχὸς καθ' ἡμᾶς αὐτοὺς ἐπὶ τῇ θεοσοφίᾳ ταύτῃ βοηθεῖντες διὰ βασάνων αἰκίας ἐπὶ τῶν ῥωμαϊκῶν δικαστηρίων τὴν πᾶσαν ἐξεφώνησαν πλάνην ἀνδρῶν ἀπάτας γίνεσθαι, καὶ γοητείαν τετεχνασμένην, τὸ πᾶν εἶναι ὁμολογήσαντες. εἶτα καὶ τὸν πάντα τρόπον τῆς κατασκευῆς, καὶ τὰς μεθόδους τῆς κακοτεχνίας, ταῖς πρὸς αὐτῶν ἐν ὑπομνήμασιν ἀφεθείσαις φωναῖς ἐνεγράψαντο. διὸ δὴ καὶ τὴν ἀξίαν τῆς ἀπεθοῦς πλάνης δίκην ἐκτίσαντες, πάντα λόγον ἀνακαλύψαι, αὐτοῖς ἔργοις τὴν τῶν δεδηλωμένων ἀπόδειξιν πεποιημένοι. Sed enim malum id, quod conſuetudine pridem obtentum eſt, & in vita hominum altas egit radices, non niſi longiſſimo temporis tractu poteſt obſoleſcere, extirparique. Et non vulgus ſolum aut proceres, ſed etiam Principes, atque illi quidem non rei modo Romanae, ſed totius orbis moderatores propagarunt: &, quod pejus eſt, & ei Conſtantius incubuit, ὁ πρῶτος ἐν τοῖς βασιλεῦσι διαλάμψας χριστιανὸς, ut eſt in epiſtola Gallae Placidiae Auguſtae ad Theodoſium Imperat. quae exſtat *Chalcedon. Conc. parte 1. cap. 26.* ſive ut loquitur Juſtinianus *Nov. 7.* ὡς τῆς χριστιανικῆς πίστεως ἐν βασιλεῦσιν ἀρχηγέτης exſtitit: cerűſſimum enim pollicentur incrementum delicta, quorum auctores ſunt Principes. Haruſpices igitur conſulere & interrogare Conſtantinus *hac l.* permittit: ipſe enim μαντείοις ἐπείθετο πεπειραμένος, ὡς ἀληθῆ προεῖπεν ἐπὶ πᾶσι τοῖς κατορθωθεῖσιν αὐτῷ, ut ſcribit Zoſimus *lib. 2. p.* 685. Sed eidem poſtea bonam mentem Deus dedit: ejus enim ſuperſtitionis ſtirpes omnes demum excidit, auctore eod. Zoſ. *d. lib. 2. p.* 686.

De Palatio noſtro.] Domo Dominica: S. Athanaſius *epiſt. ad ſolit. vit. agent.* Ἀλλ' ἐκ παλατίου μετὰ στρατιωτικῆς ἐξουσίας καὶ φαντασίας ἀπέσταλτο. Cum autem Palatium de coelo ictum eſſet, triſtia portendi reſponſum eſt. Zoſim. *lib. 4. p.* 745. Τούτου τελευτήσαντος, ἐμπεσὼν τῷ Σιρμίῳ σκηπτὸς, τὰ βασίλεια κατέφλεξε, καὶ τὴν ἀγοράν. ἔδοξέ τε τοῖς τὰ τοιαῦτα κρίνειν δυνατοῖς, οὐκ αἴσιον τοῖς κοινοῖς πράγμασιν εἶναι τὸ τέρας.

Aut caeteris.] veluti amphitheatris.

Deguſtatum.] Erudite Gothofredus Lucretium ad teſtimonium citat, ideoque vellem operarum mendum correctores ſuſtuliſſent, & pro Lucano, Lucretium ſubſtituiſſent: eſt enim *verſ.* 192. *lib. 2. de Rer. Nat.*

Fulgore.] pro fulmine: Gloſſae Latino-gr. *fulgor*, ἀστραπή, *fulgurat*, κεραυνοῖ, quod eſt, fulminat. Nonius tamen diſtinguit *de different. verb.* & Cic. *lib. 2. de Divin. c. ult. Si fulſerit, ſi tonuerit, ſi tactum aliquid erit de coelo.* Excerpta de veterib. Gloſſ. tonitrum, βροντή, *fulgur*, ἀστραπή, *fulmen*, κεραυνός. Fulminum genera varia ſunt, ut puta fulgur dium, fulgur ſubmanum in Gloſſ. Graeco-lat. Sed haec aliis fortaſſe tractata ſunt.

Vet. obſervant.] Haruſpicum vetus amicitia dicitur *l. 1. ſup. de Maleſic.*

Quid portendat.] Feſtus, *portenta, quae quid porro tendatur, indicent.* Gloſſ. Latino-gr. *portendit*, σημαίνει διὰ τέρας. Onom. vet. *portendo*, ἐπισημαίνω.

Ab Haruſpicibus.] Vetuſtiſſimis temporibus Decemviri ad libros Sibyllinos adibant. Varro de ſcenicis originibus, *lib.* 1. ut refertur a Cenſorino *de die Nat. cap. 17. p.* 80. *Cum multa portenta fierent, & murus ac turris, quae ſunt intra portam Collinam & Eſquilinam de coelo eſſent tacta, & ideo libros Sibyllinos Xviri adiſſent; renuntiarunt uti Diti patri & Proſerpinae, ludi Tarentini in Campo Martio fierent.* Marcus Tullius *de Divin. lib. 1. cap. 44. Quoties Senatus Decemviros ad libros ire juſſit?* &c. Sed Conſtantinus, ex veteris etiam obſervantiae more, jubet Haruſpices conſuli, ſi quid ex operibus publicis deguſtatum fuerit: intelligit autem fulguratores ἰδικῶς appellatos, ut apud Cic. & Non. Marcell. ex quorum diſciplina fulmina procurabantur. Valer. Max. *lib. 1. cap. 1.* Aul. Gellius *l. 4. cap. 5.* cujus Noctes illuſtriores a nobis factas, ducente Deo, proximis nundinis emittemus. Ergo ſi quid fulgore, ſeu fulmine *disjectum, transfixum, correptum, infixum eſſet*, Fulguratores conſulebantur, ut quid ſignificaret, pronuntiarent. Hinc fulgurales libri, qui ad eam artem pertinerent. Cicer. *lib. 1. de Divin. cap.* 33. Ammianus Marcell. *lib. 23. cap.* 13.

Et ſcriptura.] Mendum ſubeſſe putat Gothofr. ſed defen-

Digitized by Google

defendi poteſt, nihil mutandum: ſic infra, *quae de tactu Amph. ſcripta eſt.* Haruſpicum reſponſa ſcripto forte conſtabant, ideoque mandat Conſtantinus diligentiſſime ſcripturam collectam ad ſe referri. Non inficior tamen valde probabilem eſſe Gothofredi emendationem, ut pro *ſcriptura*, legatur, *ſtrictura*; ſtricturas, inquam, & fulminis reliquias ſumma diligentia colligebant, & ſepeliebant: nam ſolemne fuit κεραυνοπλῆγας ſepelire, non cremare, quod liquido conſtat ex his Euripidis verſibus *in Supplic.*

Αδ. Τὸν μὲν Διὸς πληγέντα Καπανέα πυρί.
Θη. Η χωρὶς, ἱερὸν ὡς νεκρὸς θάψαι θέλεις.

Quos didici nondum animadverſos ab iis, qui de fulguribus dicere occuparunt: & quoniam Artemidoro ſomniorum conjectori non parum allucent *cap.* 8. *lib.* 2. ideo praetermittere nec potui, nec debui.

Ad noſtram ſcientiam.] De locis tactis ad Senatum referri ſolebat, ut videre eſt in ea Cicer. quae eſt *de Haruſpic. reſponſ.* Idem *de Divin. lib.* 1. *c.* 40. *Delata etiam ad Senatum labes agri Privernatis.* Conſtantinus edicit ad notitiam ſuam perferri denuntiationem & interpretationem.

Caeteris.] Fulmina quaedam erant publica, quaedam privata: haec ſacrificiis domeſticis expiari prohibentur. Similiter Syn. Ancyr. *can.* 24. & Concilii Braccharenſ. *can.* 70. luſtrandae domus cauſa non licet aliquem appellare.

Eam autem denuntiationem.] Virg. *Aeneid. lib.* 3. *verſ.* 366.

Prodigium canit, & triſtes denuntiat iras.

Sen. *lib.* 2. *nat. quaeſt. cap.* 34. *Quidquid fulmine denuntiatum eſt.*

Atque interpretationem.] M. Tull. *lib.* 1. *de Divin. cap.* 6. *Quae eſt autem gens, aut quae civitas, quae non aut extis pecudum, aut monſtra, aut fulgura interpretantium*, &c. *praedictione moveatur?*

Quae de tactu.] Gloſſae Graeco-lat. κεραυνόβολος, *tactas.* Virg. *lib. Bucolicôn ecl.* 1. *v.* 17. *de coelo tactas quercus.* Cornel. Fronto: *bidental, locus fulmine tactus.* Ei convenienter gloſſae Latino-gr. *bidental*, τόπος κεραυνόπληξ. Icti quoque de coelo dicuntur, Cic. *lib.* 1. *de Divin.*

Ad nos ſcias.] Ad principem referebantur Haruſpicum interpretationes, ut ſupra *ad noſtram ſcientiam.*

II. Imp. Conſtantius A. ad Magdalianum agentem vicem P.F. P.

CEſſet ſuperſtitio, ſacrificiorum aboleatur inſania: nam quicumque contra legem Divi Principis parentis noſtri, & hanc manſuetudinis noſtrae juſſionem, auſus fuerit ſacrificia celebrare, competens in eum vindicta, & praeſens ſententia exaratur. Acc. Marcellino & Probino Coſſ.

N O T A E.

Deorum cultores, ut honorem iis haberent, ſacrificia faciebant caedebant hoſtias, & ſeuccenſis altaribus admovebant. Hoſtiam, victimam, recte Latini Grammatici exponunt Graece, ἱερεῖον. Sed jocularis eſt verſio horum verborum, Galeni τὸ κρέας τῶν εὐνουχισθέντων ἱερείων, *lib.* 1. περὶ σπέρματος, debuerant enim ita convertere, *caro caſtratorum animalium*, &c. non, *caſtratarum victimarum.* Itaque daemonibus, καὶ ἑκατόμβας καὶ χιλιόμβας κατέθυον, καὶ ποίμνια κατέσφαττον, καὶ βουκόλια, καὶ λιβανωτὸν προσέφερον, καὶ οἶνον ἔσπενδον, ὅτι μάλιστα πλεῖστον, καὶ ἕτερα ἄττα, ὧνπερ οἱ τούτων ΙΕΡΟΦΑΝΤΑΙ προσέταττον, ut ait Theodoretus *lib.* 7. *de Graecorum affectionib. curand.* Quin etiam idolis filios, & filias parentes immolaſſe feruntur, ut in ſacris Codd. legere eſt. Ejus autem immanitatis meminit Cyrill. *contra Julianum*, Baſilius Seleuc. *orat.* 40. *pag.* 378. Macarius *homil.* 11. *p.* 131. & quod miremur usque ad Conſtantini M. tempora Latiaris Juppiter homicidio colebatur. Lactant. *lib.* 1. *cap.* 21. *Latiaris Juppiter etiam nunc ſanguine colitur humano.* Minut. Fel. *in Octavio, cap.* 30. *Hodieque ab ipſis* (Romanis) *Latiaris Juppiter homicidio colitur.* Theophilus *lib.* 1. *ad Autolyc. p.* 76. & *lib.* 3. *p.* 122. Λατιάριον vocat. Tatianus *orat. contra Graec. p.* 165. & Porphyr. περὶ ἀποχ. ἐμψ. 2. Λατιάριον. Nec igitur Adriani lex humanas hoſtias prohibens, auctore Lact. *d. cap.* 21. rebus & factis recepta fuerat. Conſtantinus autem ſacrificia penitus ſuſtulit, ut nominatim *hac l.* continetur, quod etiam Conſtantius confirmat. Ea re Conſtantinum traducunt Zoſimus *lib.* 2. *p.* 686. & Eunapius Sardianus: auctor autem anonym. apud Suid. ait, Eunapium de Conſtantino, γράφειν φλαυράφως.

III. Idem A. ad Catullinum P. V.

QUamquam omnis ſuperſtitio penitus eruenda ſit, tamen volumus, ut aedes templorum, quae extra muros ſunt poſitae, intactae, incorruptaeque conſiſtant. Nam cum ex nonnullis vel Ludorum, vel Circenſium, vel Agonum origo fuerit exorta, non convenit ea convelli, ex quibus Populo Romano praebeatur priſcarum ſolemnitas voluptatum. Dat. Kal. Nov. Conſtantio IV. & Conſtante III. AA. Coſſ.

N O T A E.

Immolare quidem, & ſimulachra colere vetitum eſt, ſed fana convelli, deformarique prohibentur. Conſtantinus occludi juſſerat: imo, ſi fidem hic habiturus eſt Cedrenus haud quaquam ſpernendus auctor propter meliorum ſcriptorum ἀποσπασμάτια, Conſtantinus εὐσεβὴς, templa Chriſto verae religionis auctori addixit: ſic enim ait, *p.* 224. Γράφει δὲ καὶ πρῶτον νόμον, τοὺς τῶν εἰδώλων ναοὺς ἀποδοθῆναι τοῖς τῷ Χριστῷ ἀφιερωμένοις ναοῖς. Atqui Cedrenus idem *p.* 234. contraria dicere videtur hic omnino verbis: Τοὺς δὲ τῶν ἐθνῶν εἰδωλικοὺς ναοὺς προσέταξε καταλύεσθαι, καὶ ἐκκλησίας οἰκοδομεῖσθαι, καὶ τὰς τούτων προσόδους ταῖς ἐκκλησίαις δωρεῖσθαι. Quod pro ratione temporum fortaſſean erit intelligendum, ut Conſtantinus, Chriſtianorum fidem amplexus, non protinus aedes templorum everti juſſerit, ἀλλὰ τῇ ὑψηλῇ πολιτείᾳ βεβαιούμενος εἰς βάθος. cum Paganorum inſaniam aliter cohibere non poſſet. Verum omnis ſcrupulus nondum abſceſſit. Sic enim ſcribit Theodoretus *lib.* 5. *cap.* 20. de Conſtantino, Ναοὺς δὲ κατέκλεισεν, ἀλλ' ἀβάτους εἶναι προσέταξε. Et Conſtantinus Manaſſ.

Οὗτος κατεῖλε τοὺς βωμοὺς ἔκλεισε τοὺς ναοὺς,
Εν οἷς προσῆγον ἄθεοι δαίμοσι τὰς θυσίας,
Καὶ τῶν μιχρῶν ἐσπαργισμῶν καὶ ῥυπαρῶν ὀργίων.

Fortaſſe non male: quaſi Conſtantinus principio templa quaedam Chriſto dedicarit, quaedam claudi juſſerit, & poſtremo quaedam dejici voluerit. Templa cum clauſiſſe Freculphus etiam ſcribit *tom.* 2. *lib.* 3. *cap. ult.* & *cap. ult. lib.* 4. & Nicephorus *Eccleſiaſt. hiſt. lib.* 12. *cap.*

Digitized by Google

cap. 25. quem alii deinde Principes inſecuti ſunt. Divus Auguſtinus *epiſt. ad Maximum Madaurenſem: Videtis certe ſimulacrorum templa partim ſine reparatione collapſa, partim diruta, partim clauſa, partim in uſus alios commutata: ipſaque ſimulacra vel confringi, vel incendi, vel includi, vel deſtrui: atque ipſas hujus ſaeculi poteſtates, quae aliquando pro ſimulacris populum Chriſtianum perſequebatur, victas & domitas, non a repugnantibus, ſed a morientibus Chriſtianis & contra eadem ſimulacra pro quibus Chriſtianos occidebant, impetus ſuos legeſque vertiſſe.* Certe Julianus parabates conqueri videtur, quod Chriſtiani templa diruerint, & aras apud Cyrillum *lib. 6. contra Julianum p.* 607. & Conſtantinum lucos ſuccidiſſe, fanaque in his ſubſtructa depoluiſſe, Theodoretus auctor eſt *de Graecor. affect. curand. lib.* 10. *p.* 144. Gelazius autem Cyzicenus *act. Concil. Nic. lib.* 1. *cap.* 7. diſerte ſcribit, edictis Conſtantini Gentilium templa everſa fuiſſe: Τὰ τῷ Χριστῷ φρονῶν, inquit, τὰ πάντα Χριστιανὸς ὢν, ὡς Χριστιανὸς πάντα ἔπραττεν, ἀνεγείρων τὰς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ, καὶ πολυτελέσι τιμῶν ἀναθήμασιν. ἔτι δὲ καὶ τοὺς ἑλλήνων ναοὺς κατασείεσθαι, καὶ πυρὶ διαφθείρεσθαι προσάττων. Porro Conſtantius *hac. l.* templa deſtrui vetat. Occludi quidem juſſiſſe, ſed dirui prohibuiſſe patris exemplum ſecutos Conſtantium & Conſtantem ſcribit Nicephorus *d. cap.* 25.

Ludorum.] Templa corrumpi vetat Conſtantius, maxime quod eis debeatur vel Ludorum, vel Circenſium, vel Agonum origo: ſi quidem ob templa deorum honori dedicata Ludorum interdum celebritates inſtitutae ſunt, ex quibus voluptas populo quaeritur. Proinde rationem habere putabat Imperator, ut intemerata conſiſterent, ne ſqualerent & conſiderent ea loca, unde pridem Ludorum editiones, & populi ſolemnes laetitiae traherent ortum ſuum, quod luculente cum primis Dio Caſſius edocet *lib* 60. his admodum verbis: Ἐν γὰρ δὴ τῇ τοῦ Αὐγούστου ἱερομηνίᾳ, ἐν ᾗ ἐγεγένητο, ἠγωνίζοντο μὲν ἵππαι, οὐ διὰ τοῦτο δὲ, ἀλλ' ὅτι ὁ τοῦ Ἄρεως ναὸς ἐν ταύτῃ καθίδρυτο, καὶ διὰ τοῦτο ἐτησίοις ἀγῶσιν ἐτετίμητο. Videſis *lib.* 43. *p.* 225. His ludis praeerant Sacerdotes, ut non uno loco Tertullianus indicat.

Solemnitas voluptatum.] Unde ludi ſuum initium capiunt. Sic voluptas uſurpatur in *l.* 1. & 2. *C. Juſtin. de ſpectac.* & *infr. l. at profanos* 4. Trebellius Pollio *in Galienis, cap.* 9. *alios dies voluptatibus publicis deputabat.* Vide Tertull. Symmachum. Sed quoniam ſupradictum eſt, Conſtantinum M. templa Chriſto conſecraſſe, imo Cyrillus Hieroſolymit. *Catech.* 14. *p.* 349. ſcribit, cum Eccleſiam Hieroſolymis aedificaſſe; videamus cur ſanctitatis praecipuae patres Templorum ſubſtructionem improbare videantur. Cyprianus *de Idolor. vanit. Quod vero templum habere poſſit Deus, cujus templum totus eſt mundus? & cum homo latius maneat, intra unam aedicalam vim tantae majeſtatis includam? in noſtra dedicandus eſt mente, in noſtra conſecrandus eſt pectore.* Lactant. *lib.* 6. *cap.* 25. *Non templa illi congeſtis in altitudinem ſaxis extruenda ſunt, ſed in ſuo cuique conſecrandus eſt pectore.* Arnob. *lib.* 6. *Nunquid enim delubris, aut templorum enim ſubſtructionibus honoramus?* Quin imo Zeno etiam Citienſis templis opus non eſſe contendit, neque ſanctitate cenſeri poſſe, quod a fabris vel opificibus confectum ſit: ſic enim ſcribit libro de Repub. ut apud Originem relatum eſt *lib.* 1. *contra Celſum pag.* 7. quem errorem hauſit poſtea Petrus de Bruis. Vidend. Petrus Cluniacenſ. *lib.* 1. *epiſt.* 1. & 2. Iſidorus Peluſiotes *lib.* 2. *epiſt.* 246. ait, Apoſtolorum tempore nulla templa fuiſſe, ſive, ut ipſe loquitur, ἐκκλησιαστήρια. Chriſtiani tamen clanculo conveniebant, & plerumque in Coemeteriis. Clemens διαταγ. *lib.* 6. *cap. ult.* Ἀπαρατηρήτως δὲ συναθροίζεσθε ἐν τοῖς κοιμητηρίοις τὴν ἀνάγνωσιν τῶν ἱερῶν βιβλίων ποιούμενοι, καὶ ψάλλοντες ὑπὲρ τῶν κεκοιμημένων μαρτύρων καὶ πάντων τῶν ἀπ' αἰῶνος ἁγίων, καὶ τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν τῶν ἐν κυρίῳ κεκοιμημένων, καὶ τὴν ἀντίτυπον τοῦ βασιλείου σώματος Χριστοῦ δεκτὴν εὐχαριστίαν προσφέρετε ἔν τε ταῖς ἐκκλησίαις ὑμῶν, καὶ ἐν τοῖς κοιμητηρίοις. Coemeteria erant Martyrum ſepulchra, quaſi dormirent inibi Dei nutu rurſus excitandi, cum nihil aliud morte ſit, quam ſomnus μακρότερος ἢ συνήθους, ut eleganter ait D. Chryſoſt. *hom.* 5. *ad popul. Antiochenum.* D. Gregor. Nyſſ. *hom.* 10. *in Cantic. Cantic.* ὕπνος θανάτου ἐστὶν ὁμοίωμα. Cur ergo deinde templorum aedes excitarunt? & quidem ſuperbas, molibus marmoreis ſtructas, Iſidor Peluſ. *d. epiſt. in fin.* Sophronius ut refertur Synod. Nic. 2. *act.* 4. *p.* 489. auro & argento decoratas. Cyril. Hieroſol. *Catech.* 14. *p.* 338. Ego didici, Gentiles Deos ſuos delubris, & templorum conſtructionibus honoraſſe, ac ſi templa Divinitatis portionem conſtituerent, & velut majeſtatis imaginem referrent. Chriſtianorum autem templa, vel ut ipſi appellabant, κυριακά. Clemens *Conſtitut. lib.* 2. *cap.* 58. *p.* 48. ἀλλ' ἑκάστης ἡμέρας συναθροίζεσθε ὄρθρου καὶ ἑσπέρας ψάλλοντες, καὶ προσευχόμενοι ἐν τοῖς κυριακοῖς. Cyrill. Hieroſol. *Catech.* 18. *p.* 494. μὴ ἁπλῶς ἐξέταζε, ποῦ τὸ κυριακόν ἐστι. Adde Cod. Cann. Eccleſiae univerſae. Latini autem *Dominica* vocabant, Cyprianus, Hieronym. Rufinus Aquilejenſ. *hiſt. Eccleſ. lib.* 10. *cap.* 3. *Si haec ita eſſe credis, ſurge, & ſequere me ad Dominicum.* Itinerariom Hieroſolymit. *Dominicum mirae pulchritudinis.* Chriſtianorum inquam templa nihil aliod fuere, quam domus orationis, οἶκοι προσευχῆς. in quibus ſcilicet fideles Deum precarentur, venerarenturque, utique melius, quam in domibus privatis lociſve profanis. *Eſt quippe ibi*, ut admodum pie ſcribit Anaſtaſius *Biblioth. in Adriano* 2. *ſpecialiter reſpectus divinus: aſſiſtunt ubi Angelici ordines pro populo deprecantes, qui preces noſtras ad aures perferunt Domini Sabaoth.* Porro Chriſtianorum conventicula vel aedes erant oblongae, inſtar navis, & ad orientem converſae: Clemens *Conſtitut. lib.* 2. *cap* 37. *p.* 45. Καὶ πρῶτον μὲν ὁ οἶκος ἔστω ἐπιμήκης, κατ' ἀνατολὰς τετραμμένος. Videſis Nicaen. Syn. 2. *art.* 4. *p.* 477. Hygin. *de Limitib. conſtituend. p.* 163. Chriſtiani quoque ad orientem converſi preces ſuas ad Deum ablegabant, & rationes adfert Germanus Archiepiſcop. Conſtantinop. ἱστορ. ἐκκλησ. καὶ μυστικ. θεωρ. *p.* 6. Τὸ κατὰ ἀνατολὰς εὔχεσθαι παραδεδομένον ἐστίν, ὡς καὶ τὰ λοιπὰ ἐκ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, καὶ ἔστιν οὕτως. διὰ τὸ τὸν νοητὸν ἥλιον τῆς δικαιοσύνης Χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν ἐπὶ γῆς φανῆναι ἐν τοῖς μέρεσι τῆς ἀνατολῆς τοῦ αἰσθητοῦ ἡλίου, κατὰ τὸν προφήτην, τὸν λέγοντα, ἀνατολὴ ὄνομα αὐτῷ. καὶ πάλιν προσκυνήσατε τῷ κυρίῳ ἐπιβεβηκότι ἐπὶ τὸν οὐρανὸν τοῦ οὐρανοῦ κατὰ ἀνατολάς, καὶ προσκυνήσωμεν εἰς τόπον οὗ ἔστησαν οἱ πόδες αὐτοῦ, καὶ πάλιν στήσονται οἱ πόδες κυρίου ἐπὶ τὸ ὄρος κυρίου τῶν ἐλαιῶν κατὰ ἀνατολάς. ταῦτά φασιν οἱ προφῆται, καὶ διὰ τὸ ἀποκαραδοκεῖν ἡμᾶς πάλιν τὸν ἐν Ἐδὲμ παράδεισον κατὰ ἀνατολὰς ἀπολαμβάνειν, καὶ ὡς ἐκδεχομένους τὴν ἀνατολὴν τῆς φωτοφανείας τῆς δευτέρας τοῦ κυρίου παρουσίας καὶ παλιγγενεσίας. Clemens, *Conſtit. lib.* 2. *cap.* 37. *p.* 46. Hoc ſolum ait, id fieri debere in memoriam veteris poſſeſſionis Paradiſi ad Orientem poſiti, unde primus homo, poſtquam Dei praeceptum inſuper habuiſſet, exturbatus fuit. Videſis D. Baſilium.

IV. Idem A. ad Taurum PP.

PLacuit, omnibus locis atque urbibus univerſis claudi protinus templa; & acceſſu vetitis omnibus licentiam delinquendi perditis denegari. Volumus etiam cunctos ſacrificiis abſtinere. Quod ſi quis aliquid forte hujuſmodi perpetraverit, gladio ultore ſternatur; facultates etiam perempti fiſco decernimus vindicari; & ſimiliter adfligi Rectores Provinciarum, ſi facinora vindicare neglexerint. Dat. Kal. Dec. Conſtantio III. & Conſtante II. AA. Coſſ.

N O-

N O T A E.

Templa claudi jubentur in omnibus locis, qui Romano imperio gubernantur, & iterum ſacrificiorum inhibetur inſania.

Delinquendi.] Acceſſu templorum vetantur omnes, atque ita licentia delinquendi perditis denegatur: hoc eſt, generaliter adire templa non licet, unde perditis etiam delinquendi facultas eripitur. Non omnis fortaſſe, qui templum ingreſſus eſt, continuo Deorum ſimulachra veneratur, ſed ne, ſuperſtitionibus nondum ſoluti, peccandi rapiant occaſionem, templa claudi conſultius eſt.

Perditis.] Jul. Firmic. Matern. *de err. profan. relig. Annuis perditorum hominum commonitionibus*, &c. et ibid. *Sic ſunt ſacratiſſimi Imperatores clementia a perditis hominibus conſecrata.*

Sacrificiis abſtinere.] Qui ſacrificaverit gladio conſumetur, & perempti facultas addicetur fiſco. Victima nulla Deo gratior corde contrito, nec acceptior hoſtia pura mente. Auctor anonym. apud Suidam, *Χριστιανοὶ μὲν τότε ἱερῷ καλλιερῶσιν ὅταν ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ προσαγάγωσι, πνεῦμα γεγενημένοι συντετριμμένον, καὶ καρδίαν τεταπεινωμένην. Ἕλληνες δὲ τότε καλλιερεῖν νομίζουσιν, ὅταν τῷ δαίμονί τινι θύσαντες αἰσίων ἐπιτύχωσι σημείων ἐν τῷ ἥπατι τοῦ ἱερείου.* Eleganter Athenagoras πρεσβ. pag 13. *Ὁ τοῦ δὲ τοῦ παντὸς δημιουργὸς, καὶ πατὴρ οὐ δεῖται αἵματος, οὐδὲ κνίσσης, οὐδὲ τῆς ἀπὸ τῶν ἀνθῶν καὶ θυμιαμάτων εὐωδίας, αὐτὸς ὢν ἡ τελεία εὐωδία, ἀνενδεὴς καὶ ἀπροσδεής.* Quin etiam hoſtiarum immolationes adeo Chriſtianis inviſae, ut ſi Dei praecepto non commonerentur, animalium caedibus abſtinerent: nec tamen plane diffitetur Arnobius genere quodam eo nomine videri nos inhumanos, qui, vitae producendae neceſſitate ſubacti, de mortibus innoxiorum animalium auxilia quaerimus. Ex diverſo dicebant Pagani Deos ſuos, *Χαίρειν τῇ λοιβῇ, καὶ τῇ κνίσσῃ*, Theodoret *Curationum lib. 7. p.* 104 Arnobius diceret; *Nidorem conſectari, paſcique de cruſſis, lib.* 7 Caeterum haec lex *prima* eſt *Cod. Juſtin. ὅτι οὐκ ἔστιν εἰς τὰ βασιλικὰ*, ut ſcribit Photius, *Nomocan. tit.* 12. *cap.* 4. quod nulli fere Pagani ſupereſſent in orbe Romano: eſt tamen in paratitlis Graecorum *lib.* 1. *tit.* XI.

V. Idem A. ad Cerealem P. V.

ABoleantur ſacrificia nocturna Magnentio auctore permiſſa, & neſaria deinceps licentia repellatur, &c. Dat. VIII. Kalend. Decemb. Conſtantio A. VI. & Conſtante. Caeſ II. coss.

N O T A E.

Magnentius incubator Imperii ſacrificia nocturna permiſerat: Conſtantinus Imperii potitus aboleri praecipit. Quamadmodum autem Magnentius acie profligatus fuerit, narrat Julianus *Orat.* 3. Certe Chriſtiani ſolebant noctu convenire, cum prohiberentur interdiu: unde nocturnae eorum congregationes apud Minucium *in Octavio* & paſſim. In nocturnis illis ſacrificiis, ſcaeva omnia perpetrabantur, ut Zozimus *lib.* 4. *p.* 735. adſignificat, & *l. ne quis deinceps* 7. *ſupra de Malef.* In Chriſtianorum pernoctationibus Deus *φῶς ὑπάρχων ἀπρόσιτον* colebatur.

VI. Idem A. & Julianus Caeſ. ***.

POena capitis ſubjugari praecipimus eos, quos operam ſacrificiis dare, vel colere ſimulachra conſtiterit. Dat. XI. Kal. Mart. Med. Conſtantio A. VIII. & Juliano Caeſ. coss.

N O T A E.

Sacrificare & colere ſimulachra Conſtantius iterum vetat *hac lege*, cujus poena animae amiſſionem ſuſtinet. Pagani fere nulli ſupererant, & *brevi tempore*, ſicuti loquitur Arnobius, *totus mundus religione Chriſtiana completus eſt*, quod etiam Julianus ille rebellis, quique Caeſar erat, cum Conſtantius hanc ſanctiſſimam conſtitutionem emiſit, propalam fatetur in epiſtola ad Arſacium. Sed ut aboleretur in univerſam paganitas, ſacrificia rurſus inhibere placuit.

VII. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius. AAA Floro PF. P.

SI qui vetitis ſacrificiis diurnis, nocturniſque, velut veſanus ac ſacrilegus incertorum conſultorum immerſerit, fanumque ſibi aut templum ad hujuſcemodi ſceleris excuſationem adſumendum crediderit, vel putaverit adeundum, proſcriptioni ſe noverit ſubjugandum: cum nos juſta inſtitutione moneamus caſtis Deum precibus excolendum, non diris carminibus profanandum. Dat. XIII. Kal. Jan. Conſtp. Eucherio & Syagrio coss.

N O T A E.

Julianus, *ὁ παραβάτης καὶ ἀποστάτης*, veterum ſuperſtitionem revocavit, &, ut ſcribit ad Arſacium, quod nunc quidem optare quiſquam antea, Chriſtianis nempe Principibus orbi imperantibus, audebat, ipſe effecit: milites coegit *θύειν ἢ ἀποστρατεύεσθαι*, Suid. *in Joviano*, Ruffinus *hiſt. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 32. Chriſtianos (quos ille Galilaeos appellabat *d. epiſt.*) & videſis Gregorium Nazianz. *tom.* 1. *pag.* 79. & 81. & Cyrill. *contra Julian.* Chryſoſtomum *tom.* I. *ed. Morel. pag.* 727. *prohibitos ſunt docere literaturam & oratoriam*, ut ſcribit etiam D. Auguſt. *lib.* 8. *confeſſ. cap.* 5. Vid. Gregor. Presbyt. *in vita D. Gregor. Naz. pag* 11. & *ſeq.* & Gregor. Naz. *adverſ. Julian. Orat.* 3. *pag.* 51. Freculph. *Chronic. tom.* 2 *lib.* 2 *cap.* 9. Ea re Muſonius profeſſionem ſuam exercere prohibitus, Eunapius Sardianus *in Proaereſio pag.* 161. *Ἰουλιανοῦ δὲ βασιλεύοντος, τότε τῆς παιδείας ἐξειργόμενος, ἐδόκει γὰρ χριστιανός*, &c. Idemque violatae atque deſertae Chriſtianae Religionis reus poſſeſſione bonorum Chriſtianis interdixit. Martyrologium Notkeri, *donec Julianus apoſtata Caeſar effectus legem promulgaret, ut Chriſtiani nihil in hoc ſaeculo poſſiderent.* Denique ſub Juliano Chriſtianitate depreſſa, vireſcere coepit Gentilitas. Jovianus Chriſtianus quidem: cum enim Julianus

 im-

impius edixiſſet, ut milites ſacrificarent, aut militiae cingulum deponerent, ipſe maluit ζώνην ἀποθέσθαι, ut apud Suidam relatum eſt. Photius ex Athanaſii vita *pag.* 1447. *edit. poſt.* τότε δὴ τότε καὶ Ἰοβιανὸς καὶ Οὐαλεντινιανὸς οἱ μετὰ ταῦτα κατὰ διαδοχὴν βασιλεύσαντες, λύσαντες αὐτῶν τὰς ζώνας, τῷ τυράννῳ προσεῤῥίψαν, ἔχε, λέγοντες καὶ τὰς ζώνας, καὶ τὰς τιμάς. Idem Niceph. Callixt. *lib.* 10. *cap.* 23. Sed tamen liberam cuique poteſtatem fecit, quam vellet religionem profiteri, Socrat. *lib.* 3. *hiſt. Eccleſ. cap.* 21. quo nomine laudatur a Themiſtio, qui *orat.* 12. *pag.* 276. ait, quaedam eſſe, quae vim majorem fugiant, quaeque velut extra neceſſitatis tela poſita ſint: ejus generis, inquit, eſt religio erga Deum. Verum Gentilem errorem ſuſtinere & perferre, culpa carere fortaſſe non videbitur: in regno autem χριστιανισματα τα rei Gallicae ſtatus neceſſitas effecit, ut ſacratiſſimorum noſtrorum Principum edictis alienae ſectae hominibus κατ' ἐξουσίαν vivere concederetur. Huc referri poteſt Honorii lex, qua diſpoſuit, ut libera voluntate quisque cultum Chriſtianitatis exciperet, ut refertur in *Cod. Can. Eccleſ. Afric. pag.* 289. id eſt, ut nemo Chriſtianam religionem amplecti cogeretur. Vide Nicolaum *ad conſulta Burgarorum cap.* 41. Quin etiam perſecutiones ipſae magis incendunt tum eos, qui a vero tramite deerrant, quam eos, qui viam rectam ineunt, ut D. Greg. Naz. *adverſ. Julian. Orat.* 3. *p.* 72. ait, perſecutiones Chriſtianiſmum auxiſſe: quam enim de Deo quisque primitus opinionem hauſerit, vix eſt, ut tormentis etiam conſumptus deponat. Quis adeo pietatis expers non tangitur, cum beatiſſimorem Martyrum cruces & cataſtas legit? quem non commoveat feralis ignis, qui conſtantiam Chriſtianorum non excuſſit, adeo ut Galenus Chriſtiani nominis inſectator pertinaciam eis objectet, *lib.* 3. περὶ διαφορᾶς σφυγμ. θᾶττον γὰρ ἄν τις τοὺς ἀπὸ Μωϋσοῦ καὶ Χριστοῦ μεταδιδάξειεν, ἢ τοὺς ταῖς αἱρέσεσι προστετηκότας ἰατρούς τε καὶ φιλοσόφους. Vide Marcum Antonin. *p.* 292. gr. Unus Deus hominum mentes transformare poteſt: ſolus a Deo funis immiſſus in coelum trahit, nec ulla unquam bona ſpes affulget, Deo non praelucente: faxit Deus immortalis, ut unius paſtoris unum aliquando ſit ovile, idemque, qui Pacis Deus eſt, Gallicos motus componat! Valentinianum habemus confitentem, ſe leges dediſſe, quibus unicuique quod animo imbibiſſet, colendi libera facultas tributa eſt, *l. Haruſpicinam* 9. *ſup. de maleſic.* Quanquam moveor *oratione* Themiſtii 17. Valentem enim religionum diverſitatem invehentem collaudat. Valentem ceremonias patrum coluiſſe fragmentum a Suida relatum, comprobat & Epiphanius ex Theodoreto *Trip. lib.* 8. *cap.* 3. Sane Valentinianum & Valentem edixiſſe, ut monachi militarent, plerique tradiderunt. D. Hieron. *in Chron.* Gregor. Turon. *hiſt. lib.* 1. Freculphus *Chron. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 16. largius interpretari videtur: *Legem*, inquit, *dedit, ut monachi, hoc eſt Chriſtiani, &c. ad militiam cogerentur hiſt.* Miſc. *lib.* 12. Jornand. *de Regnor. ſucceſſ.* Collectio chronicorum ex Idacio *lib.* 2. *cap.* 47. Ado *in Chron.* Denique Gratianus Chriſtianos quidem extorres revocavit, ut referunt Suidas & Theodoretus: verum *lege lata, ut unaquaeque religio licite ſacra celebraret*, auctore Socrate, quem ſic interpretatus eſt Epiphanius *Tripart. lib.* 9. *cap.* 2. Idem Nicephorus *lib.* 12. *cap.* 1. 2. & 25. Itaque Juliani, Joviniani, Valentiniani, Valentis & Gratiani leges adverſus Paganos, nullae circumferuntur. Theodoſius M. vaeſanam ſuperſtitionem bona fide cogitavit abolere: & principio quidem diurna nocturnaque inhibuit ſacrificia curioſorum conſultorum, diraque carmina. Aelius Lampridius *in Juliano cap.* 7. *Nam & quaſi jam non convenientes Romanis ſacris hoſtias immolaverunt, & carmina profana incantaverunt.* De magica percontatione vidend. Nicet. Chron. *Theſ. orthod. lib.* 4. *pag.* 426.

VIII. Idem AAA. Palladio Duci Oſdroënae.

AEdem olim frequentiae dedicatam, coetui etiam populo quoque communem, in qua ſimulachra feruntur poſita, artis pretio, quam divinitate metienda, jugiter patere publici conſilii auctoritate decernimus (neque huic rei obreptivum officere ſinimus oraculum) ut conventu urbis, & frequenti coetu videatur **. Experentia tua omni votorum celebritate ſervata, auctoritate noſtri ita patere templum permittat oraculi, ne prohibitorum uſus ſacrificiorum, hujus occaſionis aditus permiſſus eſſe credatur.

N O T A E.

Vota publica citra vetita ſacrificia celebrare conceditur. Lubet autem addere, quoniam mihi ſemper impendio placuit, quod ſcribit Arrianus *in perip. Ponti Eux. p.* 2. ſe in ſacrificiis celebrandis primo ſolviſſe vota pro principe his fere verbis: ὅτῳ δὲ ἀμείνω τά τ' ἀγαθὰ ηὐχόμεθα, οὐ λανθάνομέν σε, ὅ τι τρόπον ἀμφότερον ὑπ' ἀγνοῶντα, καὶ ταῦτα συνειδότα ὅτι ἄξιος εἰ ὑπὲρ ὅτῳ πάντες εὔξαιντο τ' ἀγαθὰ, καὶ ὅσοι ἡμᾶς ἔλαττον ὑπὸ σοῦ εὖ πεπόνθασιν. Publica enim ſalus Principis ſalute continetur, & pietate Chriſtiana digniſſimum videtur, quod olim dixit Athenagoras cum legatione fungeretur, Chriſtianos vota pro Principibus, tametſi gentiles eſſent, ſuſcipere. Ejus verba ſunt *in fine*: Τίνες γὰρ καὶ δικαιότεροι ὧν δέονται τυχεῖν, ἢ οἵ τινες περὶ μὲν τῆς ἀρχῆς, τῆς ὑμετέρας εὐχόμεθα, ἵνα, παῖς μὲν παρὰ πατρὸς κατὰ τὸ δικαιότατον διαδέχηται τὴν βασιλείαν, αὔξην, καὶ ἐπίδοσιν, καὶ ἡ ἀρχὴ ὑμῶν, πάντων ὑποχειρίων γινομένων λαμβάνῃ. Et Theophil. *ad Autolyc. lib.* 1. *circa fin.* Gentiles etiam hortatur, ut pro Principe Deum precentur. Τὸν δὲ βασιλέα τίμα, τίμα εὐνοῶν αὐτῷ ὑποτασσόμενος αὐτῷ, εὐχόμενος ὑπὲρ αὐτοῦ, Videſis Tertull. *Apolog. cap.* 3. Arnobium *lib.* 4. *in fin Paſſion.* B. Cypriani. Publicorum votorum morem receperunt etiam Chriſtiani: ſed quoniam ludis, comeſſationibus, nepotationibusque celebrabantur, optimum factum viſum eſt ſanctiſſimis Patribus, ex fidelium converſatione ea tollere: & in eam rem adferri vulgo ſolet *can.* 62. Trullanus ex Harmenop. *Epitoma. Can. titul.* 3. *pag.* 39. Verum quoniam extant ſextae ſynod. Conſtantinop. Canones, non puto canonem epitomatum integro praeſtare. Itaque quoniam illuſtrare poſſumus, ne gravemur apponere ex *tom* 3. *Concil. pag.* 324. *edit. Rom.* Τὰς οὕτω λεγομένας Καλάνδας, καὶ τὰ λεγόμενα Βοτὰ, καὶ τὰ καλούμενα Βρουμάλια, καὶ τὴν ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ Μαρτίου (lege Maii ut in Epitoma) μηνὸς ἡμέρᾳ τελουμένην πανήγυριν καθάπαξ ἐκ τῆς τῶν πιστῶν πολιτείας περιαιρεθῆναι βουλόμεθα. ἀλλὰ μὴν καὶ τὰς τῶν γυναικῶν δημοσίας ὀρχήσεις, ὡς πολλὴν λύμην καὶ βλάβην ἐμποιεῖν δυναμένας. ἔτι μὴν καὶ τὰς ὀνόματι τῶν παρ' Ἕλλησι ψευδῶς ὀνομασθέντων θεῶν, ἢ ἐξ ἀνδρῶν ἢ γυναικῶν γινομένας ὀρχήσεις καὶ τελετὰς κατά τι ἔθος παλαιὸν καὶ ἀλλότριον τοῦ τῶν Χριστιανῶν βίου ἀπομιμούμεθα: ὁρίζοντες μηδένα ἄνδρα γυναικείαν στολὴν ἐνδιδύσκεσθαι, ἢ γυναῖκα τὴν ἀνδράσιν ἁρμόδιον. ἀλλὰ μήτε προσωπεῖα κωμικὰ ἢ σατυρικὰ, ἢ τραγικὰ ὑποδύεσθαι. μήτε τὸ τοῦ βδελυκτοῦ Διονύσου ὄνομα τὴν σταφυλὴν ἀποθλίβοντας ἐν τοῖς ληνοῖς ἐπιβοᾶν. μηδὲ τὸν οἶνον ἐν τοῖς πίθοις ἐπιχέοντας, γέλωτα ἐπικινεῖν, ἀγνοίας τρόπῳ ἢ ματαιότητι, τὰ τῆς μανιώδους πλάνης ἐνεργοῦντας. Illa verba, καὶ τὴν ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ Μαΐου μηνὸς ἡμέρᾳ τελ. πανήγυ-

ita

ita converterem, Majumae celebritatem, de qua Julianus Imper. *Miſopog. p.* 116. Τινὰς δ' ἑκασταχόθι εἰς τὰ θέατρα, καὶ τὰς ἑορτὰς τοῦ Μαϊουμᾶ χρήματα ἀναλίσαντας. Mulierculárum molles & libidinoſas ſaltationes Patribus Africanis auctoribus Imperatores data lege prohibuerunt; ut liquido conſtat ex *can.* 60. *Cod. Cann. Eccleſ. Afric. Quibus diebus* (natalibus Martyrum) *etiam quod pudoris eſt dicere, ſaltationes ſceleratiſſimas per vicos atque plateas exerceant: ut matronalis honor, & innumerabilium feminarum pudor devote venientium ad ſacratiſſimum diem, injuriis laſcivientium appetatur.* D. Auguſt. *epiſt.* 202. *Contra recentiſſimas leges Kalendis Janis feſtis Paganorum ſacrilega ſolemnitas agitata eſſe, nemine prohibente, tam inſolenti auſu, ut quod nec Juliani temporibus factum eſt, petulantiſſima turba ſaltantium in eodem prorſus vico ante fores tranſiret Eccleſiae:* μέχρι τοῦ βδελυκτοῦ Διονύσου. Veteres uvam in torcularibus exprimentes Bacchum invocabant, & cum primum vinum ſuperfunderetur in doliis eſſuſe ridebant. Hunc locum illuſtrabit Cyrillus Alexandrinus *in Oſeam cap.* 9. *pag.* 247. ἔθος ἦν, &c. *Mos erat inchoantibus agriculturam, & terram aratro proſciſſuris, victimas immolare daemonibus, & ab iis agrorum foecunditatem poſcere: rurſus ubi meſſis appeteret, ſegetem demetentes, atque etiam torcularibus racemos inferentes, libabant & ſacrificabant Heris, cantica torcularia modulabantur, & gratos gratiasque bibentes, gaudio ac laetitia elati totos dies tranſigebant.* Ergo illud ovA, quod Maſſiliae, qui noviſſimum e compreſſis uvis, & quaſi faece, vinum exprimunt, caeteris varia concinentibus, ingeminant, Graeco fonte cadit, ut pleraque alia, quae ſunt in ore vulg. Maſſilienſis: & profecto nihil aliud eſſe videtur, quam τὸ Βάκχε. His enim verbis Bacchum olim invocatum vetus Horatii commentator addocet: aut certe Euang. vid. Euſeb. *Demonſtrationis pag.* 39. *Gr. cod.*

Haec quidem longiuſcula ſunt, ſed tamen extra Bacchum non ſunt. Et quoniam de publicis votis agimus, voto quoque finiendus eſt ad hanc legem commentarius: voto, inquam, quod pro incolumitate ſacroſancti & invictiſſimi Regis noſtri ſuſcepimus, idque non verbis noſtris, ſed piiſſimi, doctiſſimique Imperatoris Conſtantini, *prooem. de admiſtr. imp.* ἀλλὰ σὺ κύριε ὁ θεός μου, &c. *Sed tu, Domine Deus, cujus regnum inexitiabile ſempiternum eſt, proſperam redde viam ei, & ſit ſuper eum facies tua, & auris tua ad preces ejus inclinetur: protegat eum manus tua, & regnet propter veritatem, ducat eum dextera tua, & dirigantur viae ejus in conſpectu tuo, ut ante oculos cuſtodiat juſtificationes tuas. Cadent hoſtes, & terram lingent inimici ejus. Adumbretur ſtirps ejus foecundae ſobolis foliis, & umbra fructus ejus occultet montes regios! Nam per te regnant Reges, glorificantes te in aeternum.*

IX. Idem AAA. Cynegio PF. P.

NE quis mortalium ita faciendi ſacrificii ſumat audaciam, ut inſpectione jecoris, extorumque praeſagio vanae ſpem promiſſionis accipiat: vel quod eſt deterius, futura ſub execrabili conſultatione cognoſcat: acerbioris enim imminebit ſupplicii cruciatus eis, qui contra vetitum, praeſentium vel futurorum explorare temptaverint veritatem. Dat. VIII. Kal Jun. Conſtp. Arcadio A. I. & Bautone v. c. coſs.

N O T A E.

Haruſpices futura providere facile crediderunt gentes. Nicephorus Gregoras in lib. Syneſii *de Inſomn. p.* 358. Οἱ σοφοὶ προφῆται καὶ μάντεις ἀναγινώσκοντες τὰ ἐν τῷ κόσμῳ πράγματα προορῶσι τὸ μέλλον. *Et pag. ſeq.* Οἱ δὲ ἐκ τῶν σπλάγχνων, τῶν ἀνατεμνομένων σφαγίων, ὃ δὴ θυτικὴ καὶ ἱστορία λέγεται πράγματος. ἐν πᾶσι δὲ τοῖς σπλάγχνοις οἱ μάντεις ἐχρῶντο πρὸς δήλωσιν τῶν ἐσομένων, ἀλλὰ τῷ ἥπατι μόνῳ. Verum ubi deſaecari coepit Chriſtianorum natio, ludibrium extis piſcina debuit, & legibus interdicta eo ſe recepit, unde prodierat. Daemon ἐπιθέτης diu ludum fecit humanum genus, ſed humanorum Soſpitator Deus Milum funditus proſtravit, impoſturam ejus propalavit, & κακοτεχνίας exterminavit. Enimvero jure demiremur Gentes tam longe de vicinia veritatis erraſſe, ut vates ſuos praeſenſionem, & ſcientiam rerum futurarum habere crederent, cum veriſſime καὶ ὥσπερ ἐξ ἀδύτου τινὸς χρησμὸν ἀποφθεγγόμενος (Galenus *lib.* 1. περὶ φυσικ. δυνάμ.) Anacreon cecinisset, τὸ δ' αὔριον τίς οἶδεν, certe fuerunt etiam ἐκ τῶν ἔξωθεν, qui χρησμολόγων θεῶν vanitatem refellerent, ut Diogenianus, quem Theodoretus citat περὶ χρησμῶν, *pag.* 138. Porro SS. Patres e fidelium politia eliminarunt, Clemens *Conſtit. lib.* 2. *cap.* 62 *pag.* 50. Cyrillus Hieroſol. *Catech.* 1. *myſtag. pag.* 513. ait, οἰωνοσκοπίαι, μαντεῖαι λατρεῖαι εἰσὶ διαβόλου. Trullano ſine fraude non licet vates conſulere: & videndum erit, quemadmodum conſtare poſſit, quod ſcribit Syneſius *de Inſomn. pag.* 135. μαντικῆς αἰνιγματώδους ἀποδέξασθαι. Atqui Prophetarum ſuorum oracula Chriſtiani venerantur, & Prophetica diſciplina ſuſpicitur: quoniam vere Deo plenos & θεοδιδάκτους καὶ ὄργανα θεοῦ γενομένους, ut Theophilus ait 2. *ad Autolycum* futurorum antecognitionem non malis artibus eos habuiſſe ſemper conſtitit. Origenes *libro* 4. *contra Celſum p.* 223. Τὸ δ' ἀληθὲς θεῖον οὐ τὴν τῶν περὶ μελλόντων γνῶσιν οὔτε τοῖς ἀλόγοις χρῆται ζώοις, οὔτε τοῖς τυγχάνουσι τῶν ἀνθρώπων. ἀλλὰ ψυχαῖς ἀνθρώπων ἱερωτάταις, καὶ καθαρωτάταις· ἅς τινας θεοφορεῖ καὶ προφήτας ποιεῖ. Athenagoras autem omnium elegantiſſime πρεσβείᾳ, *pag.* 9. de Prophetis ait, Οἳ κατ' ἔκστασιν τῶν ἐν αὐτοῖς λογισμῶν κινήσαντος αὐτοὺς τοῦ θείου πνεύματος, ἃ ἐνηργοῦντο ἐξεφώνησαν· συγχρησαμένου τοῦ πνεύματος, ὡσεὶ καὶ αὐλητὴς αὐλὸν ἐμπνεῦσαι. Haruſpices igitur, augures, arioli, vates & conjectores *hac lege* coërcentur, convenienter veterum prudentum definitionibus, quas videre poſſibile eſt apud Paulum *receptarum Sentent lib.* 5. *tit.* 21

X. Idem AAA ad Albinum PF. P.

NEmo ſe hoſtiis polluat, nemo inſontem victimam caedat, nemo delubra adeat, templa perluſtret & mortali opere formata ſimulachra ſuſpiciat, ne divinis atque humanis ſanctionibus reus fiat. Judices quoque hanc formam contineant, ut ſi quis profano ritu deditus templum uſpiam vel in itinere, vel in urbe adoraturus intraverit, quindecim pondo auri ipſe protinus inferre cogatur: nec non officium ejus parem ſummam ſimili maturitate diſſolvat, ſi non & obſtiterit Judici, & confeſtim publica atteſtatione retulerit: Conſulares ſenas, officium eorum ſimili modo: Correctores & Praeſides, quaternas: Apparitiones illorum ſimilem normam aequali ſorte diſſolvant. Dat. III. Kalend. Mart. Med. Tatiano & Symmacho Coſſ.

N O-

N O T A E.

Rem divinam facere, adire templa, ſimulachra colere nemini licet.

Inſontem victimam.] Arnob. *lib. 7. Poſtremo quod gaudium eſt innoxiorum animantium mactatione laetari?* Itaque παντελῶς etiam Porphyrius caedes animalium, atque immolationes hoſtiarum reprobat, huic innixus rationi, quod θύειν δεῖ ἐκεῖνα ἃ θύοντες, οὐδένα πημανοῦμεν· οὐδὲν γὰρ ὡς τὸ θύειν ἀβλαβὲς εἶναι χρὴ πᾶσι.

Mortali opere.] Seneca jam olim irriſit: ſic enim ait in fragmento quod extat apud B. Auguſtinum *lib. 6. de Civit. Dei: Sacros, immortales inviolabilesque deos in materia viliſſima atque immobili dedicant.* Lactant. *lib. 2. cap. 2. Nam iſta mortalium digitorum ludicra, & fragilia figmenta, ex quolibet materiae genere formata, quid aliud ſunt niſi terra, ex qua nata ſunt?*

Suſpiciat.] Lactantius *d. cap. 2. Et cum haec tantopere ſuſpiciant, fabros qui illa fecere contemnunt:* & in *l. ſeq. nemo delubra ſuſpiciat.*

Vel in itinere.] Aggenus Urbicus comment. in Frontinum *de limitibus agror. Nam lucos frequenter in triſinio & quadrifinio invenimus, ſicut in ſuburbanis & circa publica itinera conſtitutum eſſe perſpicimus.*

XI. Idem AAA. Euagrio PF. Aug. & Romano Com. Aegypti.

NUlli ſacrificandi tribuatur poteſtas, nemo templa circumeat, nemo delubra ſuſpiciat, interclusos ſibi noſtrae legis obſtaculo profanos aditus recognoſcant, adeo ut ſi quid vel de Diis aliquid contra vetitum, ſacriſque molietur, nullis exuendum ſe indulgentiis recognoſcant. Judex quoque ſi quis tempore adminiſtrationis ſuae, fretus privilegio poteſtatis, polluta loca ſacrilegus temerator intraverit, quindecim auri pondo: officium vero ejus, niſi conlatis viribus obviarit, parem ſummam aerario noſtro inferre cogatur. Dat. xv. Kal. Jul. Aquil. Tatiano & Symmacho Coſſ.

N O T A E.

Theodoſius M. non modo templorum aditum inhibuit, ſed dirui juſſit. Proſper *in Chron. Apud Alexandriam templa deſtructa, in quibus Serapis antiquiſſimum & notiſſimum templum, quod quaſi quaedam columnis ruentem ſuſtinebat idololatriam.* Idem praeter alios ſcribit Nicephor. Call. *hiſt. Eccleſ. lib. 12. cap. 25. In templorum*, inquit, *demolitione Theophilo plurimum debite operae navarunt, militarium in Aegypto dux Romanus, & Alexandrinae urbis praefectus Evagrius.* Socrates & Sozomen. Ἀλεξανδρείας ἔπαρχον vocant; Epiphanius autem vertit, praefectum Alexandriae *Tripart. lib. 9. c. 27.* quia ſedes Praefecti Auguſtalis Alexandria. In Menologio Graecorum dicitur αὐγουστάλιος Ἀλεξανδρείας, interdum ſimpliciter, αὐγουστάλιος, Pallad. *hiſt. Lauſ. cap.* περὶ Μελάνης. Anaſtaſius Bibliothecarius *in Chronica* (citat eam S. Anſelmus *lib. 2. contra Vuicbertum*) *Cum autem eſſet illic Theodoſius filius Calliopii Auguſtalis.* De Auguſtalibus vide *barbarum Chronic.* ab Illuſtriſſ. Joſepho Scaligero publicatum poſt Euſebium *pag. ult.* Praefectus Auguſtalis dicitur etiam praefectus Aegypti in libris noſtris, & ab Athanaſio *in vita S. Antonii p. 112.* ἔπαρχος τῆς Αἰγύπτου. Adiſis ad eund. Athanaſium *epiſt. ad Orthodox. p. 727.* Epiphan. *p. 35. Gr. Cod.* Huic ἡγεμονία τῆς Αἰγύπτου, Xiphilin. *in M. Antonino p.* 368. Praefectura Aegyptiaca Spartian. *in Adrian. cap. 7.*

XII. Imppp. Theodoſ. Arcad. & Honor. AAA. ad Rufinum PF. P.

NUllus omnino ex quolibet genere, ordine hominum, dignitatum vel in poteſtate poſitus, vel honore perfunctus ſive potens ſorte naſcendi, ſeu humilis genere, conditione, fortuna, in nullo penitus loco, in nulla urbe: ſenſu carentibus ſimulachris, vel inſontem victimam caedat, vel (ſecretiore piaculo Larem, ignem, erogenium: penates nidore veneratus) accendat lumina, inponat tura, ſerta ſuſpendat. Quod ſi quiſpiam immolare hoſtiam ſacrificaturus audebit, aut ſpirantia exta conſulere ad exemplum Majeſtatis, reus (licita cunctis accuſatione) delatus excipiat ſententiam competentem: etiamſi nihil contra ſalutem Principum, aut de ſalute quaeſierit: ſufficit enim ad criminis molem, naturae ipſius leges velle reſcindere, inlicita perſcrutari, occulta recludere, interdicta temptare, finem quaerere ſalutis alienae, opem alieni interitus polliceri. Si quis vero mortali opere facta, & aevum paſſura ſimulachra impoſito ture venerabitur, ac (ridiculo exemplo metuens ſubito quae ipſe ſimulaverit) vel redimita vittis arbore, vel erecta effoſſis ara ceſpitibus, vanas imagines (humiliore licet muneris praemio, tamen plena religionis injuria) honorare temptaverit, is, ut pote violatae religionis reus, ea domo ſeu poſſeſſione multabitur, in qua eum Gentilitia conſtiterit ſuperſtitione famulatum. Namque omnia loca, quae turis conſtiterit vapore fumaſſe, ſi tamen ea in jure fuiſſe turificantium probabuntur, fiſco noſtro adſociandа cenſemus. Sin vero in templis, faniſve publicis, aut in aedibus agriſve alienis tale quiſpiam ſacrificandi genus exercere temptaverit, ſi ignorante Domino uſurpata conſtiterit, xxv. lib. auri multae nomine cogetur inferre. Conniventem vero huic ſceleri per Judices ac Defenſores, & Curiales ſingularium urbium volumus cuſtodiri, ut ilico per hos comperta in judicium deferantur, per illos delata plectantur. Si quid autem ii tegendum gratia, aut incuria praetermittendum eſſe crediderint, commotioni judicariae ſubjacebunt. Illi vero moniti; ſi vindictam diſſimulatione diſtulerint, xxx. lib. auri diſpendio multabuntur, officiis quoque eorum damno parili ſubjugandis. Dat. vi. Id. Nov. CP. Arcadio A. II. & Rufino Coſſ.

N O T A E.

Sacrificia penitus & ubique prohibentur.

Senſu carentibus.] Ἀναισθήτοις θεοῖς, Origen. *cont. Celſ. pag.* 403. εἴδωλα ἄψυχα, Cyrill. Hieroſol. *Cath.* 1. *Myſtog. p.* 513. Lactant *lib.* 2. *cap.* 2. *Adorant ergo inſenſibilia qui ſentiant, irrationabilia qui ſapiant, exanima qui vivant, terrena qui oriuntur e coelo?* Arnob. *lib.* 6. *Non ignoraſſe antiquos, nihil habere numinis ſigna, neque ullum omnino ineſſe his ſenſum.*

Inſontem victimam.] Vide ad *l.* 10. *ſupr.*

Larem.] Jam dudum eruditiſſimi homines ſic emendaverant, *Larem igne, mero genium, pen. nid.* De Laribus pridem multis dictum eſt: addam tantum quod Arnobium illuſtret: ait enim *lib.* 3. ex Nigidio & Varrone Lares, Curetas, Larvas & Heroas appellari: Gloſſae Baſilicôn, λάρης, λάρβας, τὰς κυρίους, ὡς οἱ Ῥωμαῖοι, ex Heſychio, apud quem legendum ut heic: apud Phavorinum etiam corrupte, λάρης, λάρβεις, pro λάρβας, Gloſſae Graeco-Lat. ἥρωες, *Lares: dicitur & hic Lar.* eaedem Gloſſae κατοικίδιος θεὸς, *Lar.* Sic Tertull. *Apolog. cap.* 13. *Domeſticos Deos, quos Lares dicitis.* Huc autem pertinet ſcriptura Catonis *de re Ruſt. cap.* 143. *Villica focum purum, circumverſum quotidie, priusquam cubitum eat, habeat. Kalendis, Idibus, Nonis, feſtus dies cum erit, coronam in focum indat, perque eos dies Lari familiari pro copia ſupplicet.* Laribus vervece fiebat: Inſcriptio vetus, LARIB. VERB. N. II. MATRI LAR. OV. N. II. Nec verum igitur *domuum caſtodibus* veteres animatis non feciſſe: verveces enim Laribus immolatos praeter Plautum *Rud. act.* 4. *ſc.* 6. Horat. *oda* 23. *lib.* 3. & *ſat.* 3. *lib.* 2. Tibull. *lib.* 1. *El.* 7. haec inſcriptio luculente docet. Sed neque verum eſt, Larem porco duntaxat placari: namque matri Larium immolatas oves eadem fratrum Arvalium inſcriptio convincit, Laribus autem agnos Plaut. *d. ſc.* 6.

Genio merum.] Cenſorinus *de die Nat. cap.* 2. *Hic forſitan quis quaerat, quid cauſae ſit, ut merum fundendum genio, non hoſtia faciundum putaverit: quod ſcilicet ut Varro teſtatur in eo libro, cui titulus eſt, Atticus, & eſt de Numeris, id moris inſtitutique majores noſtri tenuerant, ut cum die Natali munus annale genio ſolverent, manum a caede ac ſanguine abſtinerent, ne die, qua ipſi lucem accepiſſent, aliis demerent.*

Penates nidore.] Gloſſae Latino-Gr. *Penates*, πατρῷοι θεοὶ, κατοικίδιοι. Graec-Lat. πατρῷοι θεοὶ, *penates*, Dionyſ. Halicarnaſſenſis *pag.* 54. & 55. τοὺς δὲ θεοὺς τούτους Ῥωμαῖοι μὲν Πενάτας καλοῦσιν· οἱ δὲ ἐξερμηνεύοντες, εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν τοὔνομα, οἱ μὲν πατρῴους ἀποφαίνουσι. Cur ſit *nidore?* an quod ſolerent ἐπὶ τοὺς θεοὺς κομίζειν τὰς ἀπὸ τῶν δείπνων ἀπαρχάς; Servius *pag.* 219. *edit. fol. Apud Romanos ſublatis menſis primus ſilentium fieri ſolebat, quod ea, quae de coena libata fuerant, ad focum ferrentur, & igni darentur, ac puer Deos propitios nuntiaſſet.* Vel quod nidore turis placarentur? Lar familiaris *prologo Adular. Aut ture, aut vino, aut aliqui ſemper ſupplicat.* Juven. *ſat.* 12. *v.* 89.

—— —— Laribusque paternis
Tura dabo.

Lares etiam inungebant: Tibull. *l.* 1. *Eleg.* 7.

Illius e nitido ſtillent unguenta capillo,
Et capite & collo mollia ſerta gerat.

Prudent. *lib.* 1. *contra Symmach. tmem.* 8.

—— unguentoque lares humeſcere nigros.

Lumina accendat.] Lactant. *lib.* 6. *cap.* 2. *Mactant hoſtias Deo tanquam eſurienti; profundunt vina tanquam ſitienti; accendunt lumina velut in tenebris agenti.* Fragmentum ἐκ τῆς Φιλοδημηγορίας περιόδων τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, quod exſtat in *Synodo Nic.* 2. *act.* 5. *pag.* 549. *ed. R.* Ὁ δὲ ζωγράφος τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ σκιαγραφήσας αὐτὸν ἀπηλλάγη, τῇ δ᾽ ἑξῆς καὶ τοῖς χρώμασιν αὐτὸν κατέγραψε, καὶ οὕτως τῷ Λυκομήδει χαίροντι τὴν εἰκόνα ἀπέδωκεν· ἣν ἀναθεὶς εἰς τὸ ἑαυτοῦ κοιτῶνα ἔστεφεν. ὡς ὕστερον γνόντα τὸν Ἰωάννην εἰπεῖν αὐτῷ· ἀγαπητὸν μοι τέκνον τί ἐστι ἀπὸ βαλανείου εἰσερχόμενος εἰς τὸν κοιτῶνα σὺ μόνος; οὐχὶ σὺ καὶ ἐγὼ καὶ τοὺς λοιποὺς ἀδελφοὺς εὔχεσθαι, ὁ ἡμᾶς κρίνοντι, καὶ ταῦτα λέγων, καὶ παίζων μετ᾽ αὐτοῦ εἰσελθεῖν εἰς τὸν κοιτῶνα. καὶ ὁρᾷ εἰκόνα περιεστεμμένην πρεσβύτου, καὶ παρακειμένους λύχνους, καὶ βωμὸν ἔμπροσθεν καὶ φωνήσας αὐτὸν εἶπε. Λυκόμηδες τί βούλεταί σοι τὸ τῆς εἰκόνος ταύτης; τίς τῶν θεῶν συντυγχάνει ὁ γεγραμμένος. ὁρῶ γάρ σε ἔτι ἐθνικῶς ζῶντα. Cyrillus Hieroſol. *Catech.* 1. *Myſt. pag.* 513. ſcribit λατρείαν εἶναι διαβόλου τὸ ἅπτειν λύχνους, ἢ θυμιᾶν παρὰ πηγὰς ἢ ποταμούς. Sed hoc alio pertinet: Pagani enim fluminum, paludum & fontium cultores, Fragment. auctoris *de Limitib. Plerisque ſuper ripam paludis ſacra paganorum inveniuntur:* & poſtmodum Chriſtiani, ea labe infecti, faculas accendere ibi ſoliti, quod in ſacris Patrum Conventibus prohibitum, damnatumque eſt. Concilii Toletani *lib.* 12. *cap.* 11. Gregorius PP. *in Epiſt.* quae eſt 128. inter epiſtolas S. Bonifacii Epiſcopi Moguntini: *Sacrificia mortuorum ſeu lucorum, vel fontium, auguria vel phylacteria & incantatores vel veneficos, id eſt, maleficos, & obſervationes ſacrilegas, quae in veſtris finibus fieri ſolebant, omnino reſpuentes atque abjicientes.* Sed *ſi lumine Dii non egent*, ut ait Seneca *epiſt.* 95. cur in domo Dei lumina accendimus? Balſamon ad *can.* 3. *Apoſtolor.* ait, incenſum & oleum propter ſacrificium non offerri, ſed ad templi illuminationem, & verae luci & Deo gratiarum exhibendam actionem. Zonaras autem: συγκεχώρηται δὲ προσάγεσθαι καὶ ἔλαιον, ὡς φῶς διὰ τούτου ἀνάπτεσθαι τῷ ἀληθινῷ φωτί. Certe novum non eſt in ſacroſanctis Eccleſiis lucernas accendi. Auctor vitae S. Patris Simeonis: exſtat autem in *Synod. Nic.* 2. *act.* 4. ἰδόντες δὲ αὐτὸν τινες τὸν ἄνθρωπον οὕτως ἐτίμων μετὰ φώτων καὶ θυμιαμάτων δοξάζομεν. Age vero, quis non miretur quod ſcribit Stephanus Papa Baſilio Imp. oleum ſe non habere lucernarum accenſioni? Περὶ δὲ τῶν λοιπῶν εἰπωμεν, inquit, ἐπεὶ οὐδὲ ἔλαιον εἰς φωταγωγίαν ἔχομεν τῆς ἐκκλησίας.

Imponat Tura.] Ovid. *Amor. lib.* 3. *eleg.* 3. *v.* 33.

Et quisquam pia thura focis imponere curat?

Serta ſuſpendat.] Valentinianus & Marcianus in *l. nemo* 7. *C. Juſt. cod. Abſit a ſaeculo noſtro infandis execrandisque ſimulachris honorem priſtinum reddi, redimi ſertis templorum impios poſtes, profanis aris accendi ignes, adoleri in hisdem tura, victimas caedi, pateris vina libari.* Arnob. *l.* 7. *Etiam Dii ſertis coronis afficiuntur & floribus?* Ipſi Lares corona exornabantur. Juven. *ſatyr.* 9. *verſ.* 137.

O parvi noſtrique Lares, quos ture minuto,
Aut farre, & tenui ſoleo exornare corona.

Vetus interp. legit, *exorare, id eſt*, inquit, *coronatis floribus precari:* ſed *exornare*, praefero. Plaut. *Trinum. act.* 1. *ſc.* 2. *in princ.*

Larem corona noſtrum decorari volo

Lar familiaris *d. prol.*

Dat mihi coronas, &c.

Idem Juvenal. interp. *ſatyr.* 12. *verſ.* 84.

Sertaque delubris, & farra imponite cultris.

ſic exponit: *coronas immolatis hoſtiis*; quod defendi poteſt. Hoſtiae ſcilicet corona decorabantur. Lucian. περὶ θυσιῶν· οἱ δὲ ἄγε θύοντες, στεφανώσαντες τὸ ζῶον &c. Tertull. *de Coron. milit. Ipſae denique fores, ipſae hoſtiae & arae, ipſi miniſtri & ſacerdotes eorum coronantur.* Serta & coronas non Protinus Eccleſia removit. Paulinus Epiſcopus Nolanus *Natal.* 3.

Clara coronantur denſis altaria lychnis:
Famina ceratis adolentur odora papyris,
Nocte dieque micant: ſic nox ſplendorque dies
Fulget, & ipſa dies coeleſti illuſtris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.
Ferte Deo pueri laudem, pia ſolvite vota,
Et pariter caſtis date carmina feſta choreis.
Spargite flore ſolum, praetexite limina ſertis, &c.

Quin etiam hodie apud nos D. Joannis Baptiſtae imaginem ſpicea corona videmus exornari, cum meſſis appetit (quod dubio procul ex veteribus ritibus attractum eſt) Lares enim horna fruge placari ſolebant, Horat. *d. od.* 23. *lib.* 3.

Spirantia exta.] Virgil. *lib.* 4. *Aeneid. v.* 64. *trepidantia conſulit exta.* Arrianus *Peripli Euxini p.* 2. καὶ ἐσπλαγχνευσάμεθα αὐτόθι, καὶ ἐπὶ τοῖς σπλάγχνοις ἐπεσκεψάμεθα.

Ad exemplum majeſtatis.] Tertull. *Apolog. cap.* 2. *In reos majeſtatis & publicos hoſtes, omnis homo miles eſt.*

Licita cunctis accuſatione.] Quia quod in religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam, *l.* 40. *ſupr. de haeretic.*

De ſalute quaeſierit.] Qui de ſalute Principis, ſive, ut loquitur Tertullianus *Apolog. cap.* 35. de capite Caeſarum vaticinatores conſulit, capite punitur, Paul. *recept. ſentent. lib.* 5. *tit.* 21. & ſuper Principis ſalute perſcrutari nunquam fuit ἀνεμέσητον, ut ex Joſepho liquet *lib.* 17. *Antiquit. cap.* 7. & utique feralibus flammis libri mancipandi, quos habebant Graeci & Saraceni, in quibus deſignabatur, in quot annos Imperatorum quiſque vitam eſſet producturus. Luitprandus *in Legat. Habent Graeci & Saraceni libros, quos* ὁράσεις, *ſive viſiones Danielis vocant; ego autem Sibyllinos, in quibus ſcriptum reperitur, quot annis Imperator quiſque vivat; quae ſint futura eo imperante tempora; pax an ſimultas; ſecundae Saracenorum res, an adverſae.*

Sufficit enim.] Hoſtiarum immolatio capitali poena propoſita inhibetur, & extorum conſultores tametſi contra ſalutem Principum, aut de ſalute nihil quaeſierint, ultimam poenam ſuſtinebunt: namque ipſa nefaria curioſitas atrocium criminum appellatione cenſetur.

Si quis vero.] Qui ſimulacra venerabitur, non continuo ſupplicio capitali ferietur, ſed aliter coërcebitur, ut ſubjicitur.

Aevum paſſura.] Arnob. *lib.* 6. *Ita enim non videtis ſpirantia haec ſigna, quorum plantas & genua contingitis & contrectatis orantes, modo caſibus ſtillicidiorum labi, putredinis modo carie relaxari.*

Ridiculo exemplo.] Ut olim exemplo contrario Theodora, Theophili Imperatoris uxor, cum prohibitus eſſet imaginum cultus, in ciſta τὰς τῶν ἁγίων εἰκόνων μορφὰς habuiſſe fertur, quas venerabatur, Cedren. *p.* 423.

Redimita vittis arbore.] Prudent. *lib.* 2. *adverſ. Symm.*

Et quae fumificas arbor vittata lucernas
Servabat, cadit ultrici ſucciſa bipenni.

Theon. ἐν ἐκφρας. γραφῆς ἐν βουλευτηρίῳ. in fin. ἄγαλμα δ' ἐν ἐδείκνυεν ἡ γραφὴ, ἴσως αὐτὰ τὰ δένδρα θεὸς ἐγένετο, καὶ ἐθεραπεύετο. D. Gregorius *lib.* 7. *Epiſtolar. cap.* 20. *Pervenit ad nos quosdam illic, quod dici nefas eſt, arbores colere, & multa alia contra Chriſtianam fidem perpetrare.* S. Wilibaldus *in vita S. Bonifacii cap.* 8. *Quorum conſultu atque conſilio arborem quandam mirae magnitudinis, quae priſco paganorum vocabulo appellatur robur Jovis, in loco, qui dicitur Gicesmere, ſervis Dei ſecum adſtantibus, ſuccidere tentavit.* Arborum cultus radices in Galliam egerat: Glaber Rodulphus *hiſtor. Francor. lib.* 1. *cap.* 4. *Contigit enim, ut die quadam praecipiente eodem Epiſcopo, quaedam profana arbor ſita juxta fluvium, cui etiam ſuperſtitioſe immolabat omne verſum vulgus, videlicet exciſa convelleretur.* Severus Sulpitius de S. Martino: *Item cum in vico quodam templum antiquiſſimum diruiſſet, & arborem pinum, quae fano erat proxima, eſſet aggreſſus excidere, tunc Antiſtes loci illius cum caetera gentilium turba coepit obſiſtere.* Et antiquiſſimis temporibus Celtas Jovem coluiſſe; Jovis autem apud eos ſignum celſam quercum fuiſſe, Maximus Tyrius auctor eſt *diſſert.* 38. *p.* 225. *edit. Gr.* ſubtus quercum & populum Nationes ſacrificaſſe, conſtat & liquidum eſt ex *Deut. cap.* 12. *vs.* 2 & *Oſeae Proph. cap.* 4. *vs.* 13. καὶ τὰς κορυφὰς τῶν ὀρέων ἐθυσίαζον, καὶ ἐπὶ τοὺς βουνοὺς ἔθυον ὑποκάτω δρυὸς καὶ λεύκης, καὶ δένδρου συσκιάζοντος· ad quem locum Cyrillus Alexand. *pag.* 143. ἔθυον γὰρ βουνοῖς τε, καὶ ὄρη καταλαμβάνοντες, καὶ γηΐνοις ὑψώμασι τὰ τῶν δαιμονίων χαμαιζηλεῖς θεραπεύοντες. εἶτα βωμοὺς ὑποκάτω δρυὸς, καὶ λεύκης ἐγείροντες, προσῆγον σπονδὰς νύμφαις, τάχα που ταῖς ἁμαδρυάσι κατὰ τοὺς Ἑλλήνων μύθους, τιμὰς ἀπονέμοντες. Serva quod ait divinus Propheta in jugis montium Gentes ſacrificaſſe (in ſummis montium templa diis ſubſtructa vid. Jul. Frontin. *de Colon. pag.* 90.) ſicut & feciſſe Perſas literis mandarunt Herod. *lib.* 1. Xenoph. 8. παιδ. Origines *contra Celſum lib.* 5. *pag.* 268. Horſum quoque trahi poteſt, quod ſcribit Theodoret. *Graecarum paſſionum curatione* 9. *pag.* 128. vertices montium veteri errore liberatos, & ibi Aſcetarum choros ſedere, qui Chriſtum crucifixum, Patrem & Spiritum S. collaudent. Paganos autem in arcibus, & munitiſſimis locis fana ſua dedicaſſe, ὥσπερ καὶ διὰ τῆς γῆς ὑψώματα, ſcriptum eſt in Theodoſii conſtitutione, quae nuper integrior edita eſt in calce Concilii Epheſini.

Ara ceſpitibus.] Silius Italic. *lib.* 16. *v.* 269.

Et ſimul extructis ceſpes ſurrexerat aris
Victimaque admotae ſtabat ſubjecta bipenni.

Calpurn. *Ecl.* 2. *v.* 62.

Saepe vaporato mihi ceſpite palpitat agnus.

Addeſis Heliodor. *Aethiop. lib.* 10. *cap.* 27.

Vanas imagines.] Arnob. *lib.* 6. *Vel ipſa vos ſaltem, quae in medio ſita ſunt, docere atque monere debuerunt, agere vos nihil, & circa res caſſas efficiorum impendere vanitates.*

Honorare.] Maximus Tyrius *diſſert.* 38. *in princ.* Ἀρωγοὶ ἀνθρώποις θεοὶ, πάντες μὲν πᾶσιν, ἄλλοι δὲ ἄλλοις ἐπεμελήθησαν, κατὰ τὴν φήμην τῶν ὀνομάτων, καὶ διένειμαν αὐτοῖς οἱ ἄνθρωποι τιμὰς καὶ ἀγάλματα. Honorem autem pro ſacrificio & litatione uſurpari paſſiva jam obſervatio eſt.

Conniventem vero.] Arnobius *lib.* 2. *adverſ. Gent. Cum non prohibendo quod oportuerat prohiberi, ceſſatione crimen fecerit proprium, & retentionis diſſimulatione permiſerit prius.* vid. Liban. *in Hector. vitup. pag.* 103. *& decl.* 3. *pag.* 254.

Diſſimulatione diſtulerint.] Magiſtratus, qui talia non vindicant, eorumque miniſteria plectuntur *l. pen. inf. l. nemo* 7. *C. Juſtin. eod.* Sed forſitan oppones in Chriſtianorum Eccleſiis repoſitas imagines, quas ſancte veneremur: & antiquiſſimis temporibus agnum, qui digito Praecurſoris monſtraretur, depictum, poſtmodum etiam ſextae Syn. Trullanae definitione, Chriſti Dei noſtri humana forma characterem etiam in imaginibus, pro veteri agno depictum. Ad hoc audies, *imagines Sanctorum non ut adorentur* (verba ſunt Jonae Aurel. Epiſcopi *de cultu imag. lib.* 1.) *ſed poſitae, ut quandam pulchritudinem reddant, & quarundam praeteritarum rerum memoriam ſenſibus imperitorum ingerant, in Eccleſiis depingi.* Eadem eſt ſententia *Can.* 82. *d. Syn.* S. Agobardus *lib. de pictur.* de imaginibus: *Habuerunt namque & antiqui Sanctorum imagines vel pictas vel ſculptas, ſed cauſa hiſtoriae ad recordandum, non ad colendum: ut verbi gratia, geſta Synodalia, ubi pingebantur catholica veritate fulti & victoris.* D. Gregor. *epiſt. lib.* 7. *indict.* 2. *cap.* 109. *Idcirco enim pictura in Eccleſiis adhibetur, ut hi, qui literas neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quae legere in codicibus non valent.* Addeſis Athanaſ..... *pag.* 285. *& ſeqq. edit. gr. lat.* Et calumniabatur olim Claudius Epiſcop. Taurinenſ. pietatem Chriſtianam his verbis traducens: *Sed iſti perverſorum dogmatum cultores, agnes vivos volunt vorare, & in pariete pictos adorare? unum quidnam Galli atque Germani, qui cuicumque picturae adorationem deferre detrectant, ſed & adorantibus libera voce reſultant, eosque quanta poſſunt invectione redarguunt, &, ut ad ſanam mentem redeant, toto conamine elaborant?* Et ita fortaſſe molliendum, quod de Gallis ſcribit Anaſtaſius *biblioth. praefat. ad* 2. *Synod.*

Ni-

Nicaen. Univerſalis, inquit, *Eccleſia ſemper venerata eſt, & hactenus veneratur: quibusdam duntaxat Gallorum exceptis, quibus utique nondum eſt harum* (imaginum) *utilitas revelata.* Niſi forte dixeris, non ſine quorundam reclamatione cultum imaginum in Gallia receptum. Sed magna & ineluctabilis vis eſt veritatis. Denique Gentiles aliquid habere numinis ſigna crediderunt, quod a Chriſtianorum fide mirum quantum alienum ſit. Elegans in primis eſt ſcholion, quod refertur in 2. *Conc. Nicaeno, act. 5. pag. 559.* Εἰ καὶ ποιοῦμεν ὁμοιώματα ἀνθρώπων θεοσεβῶν, οὐκ ἐπὶ τὸ προσκυνεῖν ὡς θεοῖς, ἀλλ' ἵνα ὁρῶντες αὐτοὺς εἰς ζῆλον αὐτῶν ἔλθωμεν. εἰ δὲ ποιοῦμεν ὁμοίωμα τοῦ Χριστοῦ, οὐχ ἵνα τῷ ὁμοιώματι προσκυνῶμεν, ἀλλ' ἵνα ὁ νοῦς διὰ τοῦ ὁρᾶν ἀναπτερωθῇ. οὐ γὰρ εἰκόνι φθαρτῇ φθαρτοῦ ἀνθρώπου προσκυνοῦμεν. ἀλλ' ἐπειδὴ ὁ Θεὸς ἠξίωσεν ἀτρέπτως γενέσθαι ἄνθρωπος, ποιοῦμεν αὐτοῦ τὴν εἰκόνα ὡς ἀνθρώπου. καίπερ εἰδότες αὐτὸν φύσει Θεὸν ὄντα. οὐκ αὐτὸν ὡς Θεὸν τὴν εἰκόνα λέγομεν, ἀλλὰ Θεὸν οἴδαμεν τὸν ἐν τῇ εἰκόνι γραφέντα οὗ τὸ ὁμοίωμα ἔχει ἡ εἰκών. Ἕλληνες δὲ πλανώμενοι τὰ ὁμοιώματα θεοὺς δοξάζουσιν, οἷς καὶ θύουσιν. Turcorum natio nec Gentilium ſuperſtitionem, nec Chriſtianorum devotionem amplectitur: nullas enim penitus habent imagines, & ad Deum ſolum preces allegant, ut tradit Laonicus Chalcondyl. *lib. 3. pag. 79.* Νομίζεται μηδενὸς, μήτε ἄγαλμα, μήτε ἄλλο τι τῶν γεγραμμένων προσλαβόμενον ὁφᾶν εἰς τὴν προσευχὴν ἐν τοῖς ναοῖς.

XIII. Impp. Arcad. & Honorius AA. Rufino PF. P.

STatuimus, nullum ad fanum vel quodlibet templum habere quempiam licentiam accedendi, vel abominanda ſacrificia celebrandi quolibet loco & tempore. Igitur univerſi, qui a Catholicae religionis dogmate deviare contendunt, ea, quae nuper decrevi, properent cuſtodire, & quae olim conſtituta ſunt vel de Haereticis vel de Paganis non audeant praeterire: ſcituri quidquid Divi genitoris noſtri legibus eſt in ipſos vel ſupplicii, vel diſpendii conſtitutum, nunc acrius exequendum. Sciant autem moderatores Provinciarum noſtrarum, & his apparitio obſecundans, primates etiam civitatum, defenſores nec non & curiales, procuratores poſſeſſionum noſtrarum (in quibus ſine timore diſpendii coetus inlicitos Haereticos inire comperimus, eo quod fiſco ſociari non poſſunt, quippe ad ejus dominium pertinentes) ſi quid adverſus ſcita noſtra tentatum, non fuerit vindicatum, atque in veſtigio ipſo punitum, omnibus ſe detrimentis & ſuppliciis ſubjugandos, quae ſcitis ſunt veteribus conſtituta. Speciatim vero hac lege in Moderatores auſteriora ſancimus & decernimus: namque his non cuſtoditis, omni induſtria atque cautela, non ſolum hanc multam, quae in ipſos conſtituta eſt, exerceri, verum etiam, quae in eos praefinita eſt, qui commiſſi videntur auctores, nec his tamen remiſſa, quibus ob contumaciam ſuam juſte eſt inrogata, inſuper capitali ſupplicio judicamus officia coërcenda, quae ſtatuta neglexerint. Dat. VII. Id. Aug. Conſti. Olybrio & Probino Coſſ.

N O T A E.

Ad fanum adeundi, ſacrificiis operam dandi licentia rurſum praeciditur. Quemadmodum autem lex 12. rituum Gentilitiorum pleniſſima eſt, ita haec jejuna & ſterilis eſt: occurrit autem haec inſpectio non incommoda: ſi Gentiles τοὺς περὶ θυσιῶν ἐν θείᾳ γραφῇ κειμένους νόμους objectent, quid dicendum? Oecumenius in *epiſt. Cath. Jacobi cap. ult. pag. 75. ed. Franc.* reſpondet veterem legem Deo ſacrificare juſſiſſe, ut Judaeos abduceret, ne idolis ſacrificarent: ἐρρύμεν ἂν ὡς ὁ παλαιὸς νόμος, ἀπάγων Ἰουδαίους, μὴ κατὰ τὴν εἰδώλων ἐμμονήν, προσέταξε κατὰ Θεοῦ ἐμμονήν: ὥσπερ κατὰ θύειν ἐκέλευε τῷ Θεῷ, ἀποσπῶν αὐτοὺς τῆς πρὸς τοὺς δαίμονας θυσίας. Idem fere Cyrillus *lib. 4. contra Julian. pag. 570.* Theodoretus autem *de Graecor. paſſionib. curand. lib. 7. pag. 105.* ait, Deum Judaeis conceſſiſſe ut ſacrificarent propter jamdiu receptum morem (Judaei ſiquidem ab Aegyptiis cultoribus animalium imbuti fuerant) ut intelligerent Deos non eſſe, quae tanquam victimas ipſi mactarent. Vide Euſeb. *Demonſt. lib. 1. cap. ult.*

Catholicae religionis.] Vincentius Lirinenſ. *Commonit. 1. In ipſa item Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt etenim vere proprieque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quae omnia fere univerſaliter comprehendit.* Iſidorus *de ſummo bono cap. 16. Sancta Eccleſia ideo dicitur Catholica, quod univerſaliter per omnem mundum ſit diffuſa: haereticorum enim Eccleſiae in partibus mundi coarctantur: haec vero in toto orbe diffuſa expanditur.* D. Auguſt. *epiſt. 152. Confeſſi ſunt contra Eccleſiam Catholicam, quae toto terrarum orbe diffunditur.* Gerbertus *epiſt. 88. Una quippe eſt Eccleſia Catholica toto terrarum orbe diffuſa.* Cyrillus Hieroſolymit. *catech. 18. p. 493.* Καθολικὴ μὲν οὖν καλεῖται, διὰ τὸ κατὰ πάσης εἶναι τῆς οἰκουμένης, ἀπὸ περάτων γῆς ἕως περάτων, &c.

XIV. Iidem AA. Caeſario PP.

PRivilegia ſi qua conceſſa ſunt antiquo jure ſacerdotibus, miniſtris, praefectis, hierophantis agrorum, ſive quolibet alio nomine nuncupantur, penitus aboleantur; nec gratulentur ſe privilegio eſſe munitos, quorum profeſſio per legem cognoſcitur eſſe damnata. Dat. VI. Id. Decemb. Conſtp. Arcadio. IIII. & Honorio III. Coſſ.

N O T A E.

Honor Sacerdotii praecipuus erat. Cenſorinus *de die Nat. cap. 15. Tu tamen officiis municipalibus functus, honore Sacerdotii in principibus tuae civitatis conſpicuus.* Minuc. *in Octavio cap. 8.* de Chriſtianis, *Templa ut buſta deſpiciunt, Deos deſpuunt, rident ſacra, miſerentur miſeri, ſi fas eſt, Sacerdotum honores & purpuras*

deſpiciunt ipſi ſeminudi. Et Sacerdotum nomen ſacroſanctum habitum. Clemens *Conſtit. lib. 2. cap. 28. p. 31. verſ.* Καὶ ἄνευ αὐτῷ ποιοῦσιν ἔθος καὶ τιμῶσιν αὐτὸν μητέρα, καὶ σεπτὸν αὐτῷ ἡγοῦνται τὸ ὄνομα εἰς τιμὴν τῶν ἀψύχων ξοάνων, καὶ εἰς λατρείαν τῶν πονηρῶν πνευμάτων. Ideoque Sacerdotia Nobilibus decernebantur: Symmach. *relat. ad Imperatores, decrevit nobilibus Sacerdotia.* Et privilegia Sacerdotibus concesſa; verbi gratia, militiae vacationem habuiſſe praeterquam tumultu Gallico auctores ſunt Plutarch *in Camillo,* Appian. *lib. 2. bell. civ.* De Veſtalium privilegiis D. Ambroſ. *libello 2. cont. relat.* Symm. *Vix ſeptem Veſtales capiuntur puellae. En totus numerus, quem infulae vittati capitis, purpuratarum veſtium murices, pompa lecticae miniſtrorum circumfuſa comitatu, privilegia maxima, lucra ingentia, praeſcripta denique pudicitiae tempora coegerunt.* Quae poſtrema verba non interpretatur Symmachi pereruditus Scholiaſtes. Quid autem velit vir ſanctus, intelligimus ex Dionyſio Halicarnaſſaeo, *Antiq. lib. 2. pag. 127,* Χρόνον δὲ τριακονταετῆ μένειν αὐτὰς ἀναγκαῖον ἁγνάς, γάμων, θυηπολούσας τὰ καὶ τὰ ἄλλα θρησκευούσας κατὰ νόμον. ἐν ᾧ δέκα μὲν ἔτη μανθάνειν αὐτὰς ἔδει. δέκα δὲ, τελεῖν τὰ ἱερά. τὰ δὲ λοιπὰ ἔτη, διδάσκειν ἑτέρας. ἐκπληρωθείσης δὲ τῆς τριακονταετίας, οὐδὲν ἦν τὸ κωλῦσον τὰς βουλομένας ἀποθεμένας τά τε στέμματα καὶ τὰ λοιπὰ παράσημα τῆς ἱερωσύνης γαμεῖσθαι. Sed poſtquam rerum facies mutata eſt, & aboleri coepit ſtolidae paganitatis error, jura etiam & privilegia ſublata ſunt. D. Ambroſius *d. lib. 2. Et certe ante plurimos annos templorum jura toto orbe ſublata ſunt.* Namque ut veriſſime dixit Papinius *praef. lib. 5. Sylv. Qui bona fide Deos colit, amat & Sacerdotes.* Itaque deorum aris everſis, conſentaneum fuit aboleri privilegia, miniſtris eorum conceſſa, & augeſcente Chriſtianitate, ſacerdotibus & miniſtris Dei indulgeri, de quib. ſup. *de Epiſc. Eccl. & Cleric.* Alytarchae non licet cupreſſum ex luco Daphnenſi excidere conſtitutione Theodoſ. & Valentiniani *l. ult. C. Inſt. de Cupreſſ. ex luco Daph.* Vellem & heic operae cautiores fuiſſent, in editione priore. Nec enim viro docto Jacobo Gothofredo patiar eam injuriam importari, ut pro Theodoſ. & Valent. Juſtinianum auctorem antiquati privilegii laudet.

Sacerdotibus.] ἱερεῦσι καὶ ἱερείαις.

Miniſtris.] Symmachus *d. relat. Honoraverat lex Patrum Veſtales virgines, ac miniſtros Deorum.*

Hierophantis.] Arnob. *lib. 5. Et qui poſtea fuerunt adaucatores, Hierophantae atque praecones.* Eucherius *lib. 3. in Geneſ. cap. 37. Tradunt Hebraei emptum ab hoc Joſeph, ob nimiam pulchritudinem in turpe miniſterium, & a Domino virilibus arefactis poſtea electum eſſe juxta morem Hierophantarum, in Pontificatum Heliopoleos.* Zoſimus *lib. 4. p. 745.* ἱεροφαντῶν τεταγμένος: apud Suidam, ἱεροφάντης Ἰάμβλιχος. Quinam autem eſſent Hierophantae, docet Theodoretus *Graecar. paſſionum Curatione 1. p. 18.* Οἱ δὲ προσαγορευόμενοι ἱερεῖς, τῆς τῶν ὀργίων ἐπιστατοῦσι θεσμῶν. ὁ δὲ ἱεροφάντης μόνος οἶδε τῶν γινομένων τὸν λόγον, καὶ οἷς ἂν δοκιμάσῃ καταμηνύει. Videſis Harpocrat. *in ea dict.* caeteroſque gloſſularum ſcriptores.

Agrorum.] Vir eruditus Jac. Gothof. expendat, *ſacrorum,* εὐστόχως, ut videtur, ſic μυστηρίων ἱεροφάντης dicitur Theodoreto *d. lib. 1.*

Penitus aboleantur.] D. Auguſtinus *epiſt. 180. Non enim quiſquam eſt, qui dicat miniſtros manere oportere, ubi jam non fuerint, quibus neceſſe ſit miniſtrare.*

XV. Idem AA. Macrobio PP. Hiſpaniarum & Procliano Vic. quinque provinciarum.

Sicut ſacrificia prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamenta ſervari, ac ne ſibi aliqua auctoritate blandiantur, qui ea conantur evertere, ſi quod reſcriptum, ſi qua lex forte praetenditur, erutae ejusmodi chartae ex eorum manibus ad noſtram ſcientiam * ſi inlicitis evectiones, aut ſuo aut alieno nomine potuerint demonſtrare, quas oblatas ad nos mitti decernimus. Qui vero talibus curſum praebuerint, binas auri libras inferre cogantur. Dat. Kal. Febr. Ran. Theodoro v. c. coss.

N O T A E.

Sacrificia quidem prohibentur, ſed publicorum operum ornamenta deſtrui vetantur.

Publicorum operum ornamenta.] Simulacra, quae in balneis, foro, plateis, & compitis. Theodoretus *lib. 7. de Graecor. affectionib. curand. p. 107.* Καὶ τῶν δὲ τῶν ἰνδαλμάτων οὐ μόνον τὰ τούτων τεμένη πεπλήρωκεν, ἀλλὰ καὶ τὰς ἀγορὰς, καὶ τὰς ἀγυιὰς, καὶ μέν τοι καὶ τὰς οἰκείας τὰς οἰκίας. Epiphan. Scholaſtic. *Tripart. lib. 2. cap. 20. Aliae v. imagines & ſtatuae* (imperante Conſtantino) *ex pretioſa confectae materia, igne crematae ſunt, & pecuniae publico ſociatae. Quae vero ex aere mirabiliter facta videbantur, ad Conſtantinopolim ſunt advecta ornatus cauſa, & hactenus in publico collocata, & per plateas, & in circo atque regalibus.*

Ornamenta.] Athenagoras πρεσβείας, *pag. 30.* Οἱ μὲν οὖν ἄλλοι ἀνδριάντες τοῦ Νηρυλλίνου, κόσμημά εἰσι δημόσιον (εἴπερ καὶ τούτοις κοσμεῖται πόλις) εἷς δὲ αὐτῶν καὶ χρηματίζειν καὶ ἰᾶσθαι νοσοῦντας νομίζεται. Julius Firmicus *de err. profan. relig. Tollite, tollite ſecuri, ſacratiſſimi Imperatores ornamenta templorum: Deos iſtos aut monetae ignis, aut metallorum coquat flamma.* Et Eccleſiae Africanae Patres decreverunt ab Imperatoribus poſtulare, ut templa, quae in agris, vel in locis abditis conſtituta nullo ornamento eſſent, juberent deſtrui, *can. 58. Cod. Eccleſ. Afric.*

XVI. Iidem AA. Eutychiano PP.

Si qua in agris templa ſunt, ſine turba ac tumultu diruantur: his enim dejectis atque ſublatis ſuperſtitionis materia conſumetur. Dat. III. Id. Jul. Damaſco. Theodoro v. c. cons.

N O T A E.

Sine turba ac tumultu dirui templa, quae ſunt in agris, jubentur: templis enim dejectis, expeditius delinquendi licentia tolletur. Huc pertinet quod ſcribit Proſper *in Chron. Toto orbe Romano antiquae ſuperſtitionis templa deſtructa.*

Sine tumultu.] Chriſtianis ſiquidem templa Gen-

tilium

cilium evertentibus, & ſimulachra confringentibus, ſecundum datam legem ante novennium male ceſſit, ut ex Socrate ſcribit auctor *Tripartitae, lib.* 9. *cap.* 7. & Nicephor. Callixt. *lib.* 12. *hiſt. Eccleſ. cap.* 25. Sane huc non aliter ſpectat *can.* 58. *Eccleſiae Afric.* quam ſi dicas Africae praeſules hac conſtitutione commotos de diruendis per Africam templis cogitaſſe: nam poſt conſulatum Stiliconis, hoc eſt, biennio poſt hanc legem, ſive poſt conſulatum Theodori, Patres Africani mandata dederunt ad Imperatores de templis, in agris conſtitutis, evertendis.

XVII. Iidem AA. Apollodoro Proc. Africae.

UT profanos ritus jam ſalubri lege ſubmovimus, ita feſtos conventus civium & communem omnium laetitiam non patimur ſubmoveri: unde abſque ullo ſacrificio, atque ulla ſuperſtitione damnabili exhibere populo voluptatis ſecundum veterem conſuetudinem, inire etiam feſta convivia, ſi quando exigunt publica vota, decernimus. Dat. III. Kalend. Sept. Patavio, Theodoro v. c. Conſ.

N O T A E.

Profani ritus *hac l.* ſubmoventur, non etiam feſti conventus civium, ſive publicae feſtivitates. Quam diligenter autem eas Gentiles celebrarent, ſcribit Clemens *conſtitutionum lib.* 2. *c.* 59. *p.* 48. *verſ.* Feſti igitur conventus civium non interdicuntur, nec convivia celebrandis publicis gaudiis iniri ſolita, de quibus Theodoret. *Graecar. affect. curatione* 7. *p.* 104. Τούτοις καὶ ἑορτὰς καὶ πανηγύρεις καὶ δημοθοινίας ἐπιτελεῖν ὁ τῶν ἀνθρώπων ἀλάστωρ ἐνομοθέτησε. Usque ad luxuriam ſcilicet exhibentur ejusmodi convivia: Origines *contra Celſ. lib.* 8. *p.* 405. Ἐν αἷς (ἑορταῖς) τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἑορτάζειν ἐξυβρίζει, ἐπὶ μέθας καὶ ἀκολασίας ἐκτρεπόμενον. Ad haec autem celebranda Chriſtiani cogebantur, donec terrae Africae patres haec aboleri deſideraverunt, ut conſtat ex *can.* 60. *Cod. Eccleſ. Afr.* & *Epitome Cann.* Conſtantini Harmenopuli *tit.* 2. *p.* 51. Certe non ubique reprobata ejusmodi convivia, ſed in melius converſa docemur ex Theodoreti *contra Gent. lib.* 8. *in fin.* ait enim iniri feſta convivia in honorem SS. Petri & Pauli, aliorumque Martyrum, Καὶ ἀντὶ, inquit, τῆς πάλαι πομπείας καὶ αἰσχρουργίας, καὶ αἰσχρορρημοσύνης, σώφρονας ἑορτάζοντας πανηγύρεις, οὐ μέθην ἔχουσαι καὶ κῶμον, καὶ γέλωτα, ἀλλ᾽ ὕμνους θείους καὶ ἱερῶν λογίων ἀκρόασιν. Quod etiam Gregorio Magno placuit, qui ſic ad Mellitum abbatem ſcribit *ep.* 71. *lib.* 9. *Et quia boves ſolent in ſacrificio daemonum multos occidere, debet iis etiam hac de re aliqua ſolemnitas immutari, ut die dedicationis, vel natalitio ſanctorum Martyrum, quorum illic reliquiae ponuntur, tabernacula ſibi circa easdem Eccleſias, quae ex fanis commutatae ſunt, de ramis arborum faciant, & religioſis conviviis ſolemnitatem celebrent*, &c. Sic etiam nonnulli voluere paganicas immolationes in melius commutare, quod tamen hautquaquam ferendum SS. Patres exiſtimarunt; ut conſtat ex fragmento cujusdam Concilii, quod indixit Carolus Magnus, & exſtat inter Epiſtolas D. Bonifacii Archiep. Mogunt. Ut populus Dei paganias non faciat: ſed ut omnes ſpurcitias gentilitatis abjiciat, & reſpuat, ſive ſacrificia mortuorum, ſive ſortilegos vel divinos, ſive phylacteria, auguria, ſive incantationes, ſive hoſtias immolatitias, quas ſtulti homines juxta Eccleſias ritu pagano faciunt ſub nomine Sanctorum Martyrum, vel Confeſſorum Deum, & ſuos ſanctos ad iracundiam provocantes. Sed cum ejusmodi feſta convivia intra ſobrietatem non conſiſterent, ut ſcribit B. Auguſtinus *epiſt.* 64. tandem exerceri deſierunt. Similiter agapae, ἡ συσσίτια μετὰ τὴν κοινωνίαν τῶν θείων μυστηρίων, fieri ſolita prohibita ſunt. Quod autem haeretici Montaniſtae, paganum in morem, vel certe ad exemplum vere Chriſtianorum, convivia celebrarent poſt communionem, frugalitate tamen exulare juſſa, & errori luxuria inſuper addita, ideo jubentur in poſterum iis abſtinere, *l.* 20. *C. Juſtin. de haeret.* Si modo legatur, ut apud Balſamonem ad Photii *Nomocan. tit.* 12. *cap.* 2. *pag.* 129. Μοντανοὶ ἐξαιρέτως μηδένα τῶν κληρικῶν παρ᾽ αὐτοῖς πατριαρχῶν, ἢ κοινωνῶν, ἢ ἐπισκόπων, ἢ πρεσβυτέρων, ἢ διακόνων ἐντὸς ἐχέτωσαν Κωνσταντινουπόλεως, κωλυέσθωσαν δὲ ἐντὸς πραγματεύεσθαι τῆς ἔξω αὐτῆς καὶ τὰ ἀγαλλίας συσσίτια, ἢ τὰ αὐτῶν συμπόσια ποιεῖν.

Communem omnium laetitiam.] κοινὴ καὶ πάνδημος πανήγυρις, Aſterius in relatione in Euphemiam martyrem: extat *Syn. Nic.* 2. *act.* 4. *p.* 467.

XVIII. Iidem AA. Apollodoro Proc. Afr.

AEdes inlicitis rebus vacuas noſtrarum beneficio Sanctionum, ne quis conetur evertere. Decernimus enim, ut aedificiorum quidem ſit integer ſtatus. Si quis vero ſacrificio fuerit deprehenſus, in eum legibus vindicetur, depoſitis ſub officio (diſceptatione habita) quibus etiam nunc patuerit cultum vanae ſuperſtitionis impendi. Dat. III. Kalend. Sept. Pat. Theodor. V. C. CONS.

N O T A E.

Sacrificia ſatis ſuperque prohibita ſunt: haec tamen rurſus inhibentur, & idola deponi jubentur, quibus immolare pagana dementia non deſinit. Aedes autem templorum everti prohibentur, cum deformarentur urbes ruinis.

XIX. Imppp. Arcad. Honor. & Theodoſ. AAA. Burtio PFP. poſt alia.

TEmplorum detrahantur annonae, & rem annonariam juvent, expenſis devotiſſimorum militum profuturae. Simulachra ſi qua etiam nunc in templis faniſque conſiſtunt,

 &

Et quae alicubi ritu vel accipiunt paganorum, ſuis ſedibus evellantur: cum hoc repetita ſciamus ſaepius ſanctione decretum. Aedificia ipſa templorum, quae in civitatibus vel oppidis, vel extra oppida ſunt, ad uſum publicum vindicentur. Arae locis omnibus deſtruantur, omniaque templa in poſſeſſionibus noſtris ad uſus adcommodos transferantur: domini deſtruere cogantur. Non liceat omnino in honorem ſacrilegi ritus funeſtioribus locis exercere convivia, vel quidquam ſolemnitatis agitare. Epiſcopis quoque locorum haec ipſa prohibendi, Eccleſiaſticae manus tribuimus facultatem. Judices autem xx. librarum auri poena conſtringimus, & pari forma officia eorum, ſi haec eorum fuerint diſſimulatione neglecta. Dat. xvii. Kalend. Dec. Romae, Baſſo & Philippo Coss.

N O T A E.

Annonae Templorum militaribus annonis ſociantur: ſimulachra & ſigillaria ſuis ſedibus evelluntur: uſui publico templa vindicantur: arae deſtrui jubentur: convivia in honorem ritus Gentilitii agitari tolita prohibentur.

Devotiſſimorum.] καθωσιωμένων, ut in Conciliis Graecis ſaepe. *Chalcedon. act.* 1. *ἐνδοξοτάτῳ κόμητι τῶν καθωσιωμένων δομεστίκων.* Valentin. Valens & Grat. in *l.* 6. *C. Juſt. de erog. milit. ann. fortiſſimi ac devotiſſimi milites.*

Solemnitatis.] Hinc *dies ſolemnitatis* apud Aggen. Urbic. comment. in Frontin *de Limit. agror.*

XX. Impp. Honor. & Theodoſ. AA. **.

SAcerdotales paganae ſuperſtitionis competenti coërcitioni ſubjacere praecipimus, niſi intra diem Kal. Novembrium de Carthagine decedentes, ad civitates redierint genitales: Ita ut ſimili quoque cenſura per totam Africam Sacerdotales obnoxii teneantur, niſi de Metropolitanis urbibus diſceſſerint, & remearint ad proprias civitates. Omnia etiam loca, quae ſacris error veterum deputavit, ſecundum Divi Gratiani conſtituta, noſtrae rei jubemus ſociari: Ita ut ex eo tempore, quo inhibitus eſt publicus ſumptus ſuperſtitioni deterrimae exhiberi, fructus ab incubatoribus exigantur, cum eo jure ubicumque ad ſingulas quasque perſonas, vel praecedentium Principum largitas, vel noſtra Majeſtas voluit pervenire, id in eorum patrimoniis aeterna firmitate perduret (quod non tam per Africam, quam per omnes regiones in noſtro orbe poſitas cuſtodiri decernimus) Ea autem, quae multiplicibus conſtitutis ad venerabilem Eccleſiam voluimus pertinere, Chriſtiana religio ſibi merito vindicavit: Ita ut omnis expenſa illius temporis ad ſuperſtitionem pertinens, quae jure damnata eſt, omniaque loca, quae Frediani, quae Dendrophori, quae ſingula quoque nomina, & profeſſiones Gentilitiae tenuerunt, ephotis vel ſumptibus deputata, fas eſt, hoc errore ſubmoto, compendia noſtrae domus ſublevare. Sane, quae quondam ſacratae ſacrificiis deceptionem hominum praeſtiterunt, ab uſibus lavacrorum, vel publicis affectibus ſeparentur, ne inlecebram errantibus praeſtent. Chiliarchas inſuper & Centenarios, vel qui ſibi plebis diſtributionem uſurpare dicuntur, cenſuimus removendos, ita ut capitalem ſententiam non evadat, ſi qui aut volens ad ejusmodi nomen acceſſerit, aut paſſus fuerit, vel invitum ſe hujusmodi praeſumptioni atque invidiae deputari. Dat. iii. Kal. Sept. Rav. Hon. x. & Theod. vi. Coss.

N O T A E.

Sacerdotes ad ſua redire jubentur, & multa Pagani moris tolluntur.

Sacerdotales.] Ammian. Marcell. *lib.* 28. *cap.* 33. *Inter quos Ruſticanus Sacerdotalis, & Nicaſius enitebat aedilis.* Victor Uticenſ. *perſecut. Africae lib.* 3. *Sacerdotales auri pondo tricena*, &c. Aliter apud Apollinarem Sidonium accipiuntur *epiſt.* 9. *lib.* 4.

Incubatoribus.] Sic Tyranni dicuntur incubatores, Servius in *lib.* 7. *Aeneid. v.* 266. D. Bernardus *epiſt. ad curiam Romanam. Sub incubatore illo deſtractio imminet*, & *epiſt. ad Pap. Eugen. Incubat terris bonisque Eccleſiarum, ſicut Leo paratus ad praedam.*

In noſtro orbe.] Orbe Romano *l.* 17. *D. de ſtat. homin.* orbem & mundum promiſcue dixerunt. Coripp. 1. *de laudib. Juſtiniani.*

Omnia vectantes geminis commercia mundi.

Sic Theodoretus *hiſt. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 22. ἐν τῷ Ῥωμαίων κόσμῳ.

XXI. Iidem AA. Aureliano PF. P. * *poſt alia.*

QUi profano Pagani ritus errore ſeu crimine polluuntur, hoc eſt, Gentiles, nec ad militiam admittantur, nec Adminiſtratoris vel judicis honore decorentur. Dat. vii. Id. Dec. nn. Theodoſio vii. & Palladio Coss.

N O T A E.

Militiae cingulum & honores non dantur, niſi Chriſtianis; quod Cedrenus ait etiam Conſtantinum M. cenſuiſſe *p.* 224. Χριστιανοὺς μόνους στρατεύεσθαι, ἐθνῶν τε καὶ στρατοπέδων ἄρχειν. Huc facit, quod ſcribit ex Sozomeno Epiphanius *Tripart. lib.* 1. *cap.* 9. Principes ut plurimum ſolent alterius ſectae homines a militia & digni-

dignitatibus arcere, ut Julianus parabates, de quo ſupra ad *l.* 7. & Juſtinus & Juſtinianus haereticos *l.* 12. *&* 18. *C. de haeretic.* & Hunerychus Wandalorum Rex, quem Victor Uticenſ. *perſecut. Afr. lib.* 2. ſcribit, *Cenſuiſſe primo juſſione terribili, at nemo in ejus palatio militaret, neque publicas egeret actiones, niſi ſeſe Arrianum feciſſet.*

XXII. Iidem AA. Aſclepiodoto PF. P. poſt alia.

PAganos qui ſuperſunt (quamquam jam nullos eſſe credamus) promulgatarum legum jamdudum praeſcripta compeſcant, &c. Dat. v. Id. April. CP. Aſclepiodoto, & Mariniano Coss.

N O T A E.

Leges retro principum adverſus paganos latae confirmantur.

Jam nullos.] Juſtinianus paganam ſuperſtitionem abolere voluit emiſſa conſtitutione. Hiſtoria miſcella *lib.* 16. *pag.* 442. *Tertio namque imperii ſui anno Juſtinianus Imperator promulgavit Legem, ut non eſſent pagani, nec haeretici, niſi ſoli orthodoxi Chriſtiani, datis illis induciis atque ad menſes tres ad converſionem.*

XXIII. Iidem AA. Aſclepiodoto PF. P. poſt alia.

PAganos qui ſuperſunt, ſi aliquando in exſecrandis daemonum ſacrificiis fuerint comprehenſi, quamvis capitali poena ſubdi debuerint, bonorum proſcriptione & exilio coërceri. Dat. vi. Id. Jun. CP. Aſclepiodoto & Mariniano Coss.

N O T A E.

Sacrificantes pridem capitali ſupplicio puniebantur: haec autem lex proſcriptioni bonorum & exilio eos ſubjicit.

XXIV. Iidem AA. Aſclepiodoto PF. P. poſt alia.

MAnichaeos, illosque, quos Pepuzitas vocant, nec non & eos, qui omnibus haereticis hac una ſunt perſuaſione pejores, quod in venerabili die Paſchae ab omnibus diſſentiunt, ſi in eadem amentia perſeverant, eadem poena multamus: bonorum proſcriptione, atque exilio. Sed hoc Chriſtianis, qui vel vere ſunt, vel eſſe dicuntur, ſpecialiter demandamus, ut Judaeis ac Paganis, in quiete degentibus, nihilque tentantibus turbulentum, legibusque contrarium, non audeant manus inferre religionis auctoritate abuſi. Nam ſi contra ſecuros fuerint violenti, vel eorum bona deripuerint, non ea ſola, quae abſtulerint, ſed conventi in triplum & quadruplum quae rapuerint, reſtituere compellantur. Rectores etiam Provinciarum, officia & Provinciales cognoſcant, ſe, ſi fieri permiſerint, & eos, qui fecerint, puniendos. Dat vi. Id. Jun. CP. Aſclepiadoto & Mariniano Coss.

N O T A E.

Paganos in quiete degentes, nihilque novum auſos inquietare non licet. Qua de re cum diſſertatiuncula nobis meditata praeparataque ſit, ſeorſim edenda, verbum heic non amplius addam.

XXV. Impp. Theodoſ. & Valent. AA. Iſidoro PF. P.

OMnibus ſceleratae mentis paganae, exſecrandis hoſtiarum immolationibus damnandisque ſacrificiis, antiquarum ſanctionum auctoritate prohibitis, interdicimus; cunctaque eorum fana, templa, delubra, ſi qua etiam nunc reſtant, integra, praecepto Magiſtratuum deſtrui, conlocationeque venerandae Chriſtianae religionis ſigni expiari praecipimus: ſcientibus univerſis, ſi quem huic legi, apud competentem Judicem idoneis probationibus, intuliſſe conſtiterit, eum morte eſſe multandum. Dat. xix. Kal. Decemb. CP. Theodoſio xii. & Valent. ii. AA. Coss.

N O T A E.

Hoſtiarum immolationes, & ſacrificia prohibentur ſub poena, quae veteribus ſcitis continetur: fana non diruta deſtrui, collocatione venerandae crucis expiari jubentur.

Deſtrui.] Divo Gregorio melior ſententia ſedit, cum expiari quidem, ſed non deſtrui fana jubet, *Epiſtolarum lib.* 9. *indict.* 4. *cap.* 71. *Cum vero vos Deus* (inquit) *omnipotens ad reverendiſſimum virum fratrem noſtrum Auguſtinum Epiſcopum perduxerit: dicite ei, quod diu mecum de cauſa Anglorum cogitans tractavi;* vide

videlicet quia fana idolorum deſtrui in eadem gente minime debeant: ſed ipſa, quae in eis ſunt, idola deſtruantur. Aqua benedicta fiat, in eiſdem fanis aſpergatur, altaria conſtruantur, reliquiae ponantur: quia, ſi fana eadem bene conſtructa ſunt, neceſſe eſt, ut, a cultu daemonum, in obſequium veri Dei debeant commodari: ut dum gens ipſa eadem fana ſua non videt deſtrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoſcens, ac adorans, ad loca, quae conſuevit, familiarius concurrat.

Signi.] βασιλικὸν σημεῖον vocat Cyrillus Hieroſol. qui multa praeclare de ſacroſancta cruce *catech.* 4. p. 80. Itaque ſignum crucis Chriſtianae religionis hominibus ſemper veritationi fuit: eoque rei alicujus novitate perculſos frontem communiiſſe, praeter alios, Theophylactus auctor eſt *hiſtor. Mauric. lib.* 5. *cap. ult.* Scitu digniſſimum videtur quod ſcribit Procopius in *Eſaiae cap.* 44. *p.* 496. Chriſtianos ſignata brachia, vel manus gerere: τὸ δὲ τῇ χειρὶ διὰ τὸ στίζειν ἴσως πολλοὺς ἐπὶ καρπῶν, ἢ βραχιόνων, ἢ τὸ σταυροῦ τὸ σημεῖον, ἢ τὴν Χριστοῦ προσηγορίαν. Certe ſi tirones manu ſignabantur, ut etiam apud D. Chryſoſtomum obſervare memini, devotiſſimis Chriſti militibus optimo jure ſignum Chriſti Salvatoris infligebatur. Et fortean, exemplo vere Chriſtianorum, vel certe initiatorum, Clementianus monachus, ſecta Manichaeus, deprehenſus eſt hoc habere ſcriptum in femore, *Manichaeus diſcipulus Chriſti Jeſu*, Victor Uticenſ. *perſecut. Afr. lib.* 2. *in princ.*

L. D. O. M.

CARO.

CAROLI ANNIBALIS FABROTI JC.
EXERCITATIONES XII.

Accedunt

LEGES XIV. QUAE IN LIBRIS DIGESTORUM
deerant, Graece & Latine, nunc primum ex
BASILICIS editae.

ILLUSTRISSIMO VIRO

D. D.

PETRO SEGUIERIO,

QUEM PROPTER AVITAM NOBILITATEM, SINGULAREM VITAE INTEGRITATEM, SUMMAM IN JURE REDDENDO CONSTANTIAM, EXIMIAM IN PRINCIPEM FIDEM, IPSE PRINCEPS FRANCIAE CANCELLARIUM, HOC EST, MAGISTRATUUM PRINCIPEM, DELEGIT, HAS EXERCITATIONES TESTANDO CULTUI DEDICAT, CONSECRATQUE

CAROLUS ANNIBAL FABROTUS JCtus.

APOLO-

APOLOGIA
PRO GRAECIS BASILICΩN
INTERPRETIBUS,
ET THEOPHILO ANTECESSORE.

EXercitationes edimus, Lector candide, quas dudum recitavimus in Schola juris Aquiſextienſi. Quoties ad dicendum ſurrexi, ſubtimui quidem, loci majeſtate nonnihil perterritus, & in tanta locorum, cum Latinorum, tum Graecorum varietate, lubricum memoriae ſubveritus. Lectorum autem judicium ſane pertimeſco: non enim clam me eſt, benignius audientis, quam legentis judicium eſſe; ſive quia dicentis impetus vitia dictionis obtegit, lectio vero detegit; ſive quia favor audientium de loquente ſecius judicare non ſinat. Edimus tamen, ea maxime fiducia freti, quod ut auditorum nobiliſſima corona dicenti mihi pepercit, quod erubui: ita legentis candor veniam eo quoque nomine mihi polliceatur. Varium, & miſcellum opus eſt, & in quo juris quaeſtiones non incelebres, fortaſſe nec indiligenter, nec inelaborate pertractantur. Utimur interdum libris veteribus, ac nondum in lucem editis, & maxime libris Baſilicῶn, qui nuper comparati juſſu Tuo, ILLUSTRISSIME CANCELLARIE; ſuaſu veſtro TRIUMVIRI advocationis Regiae, ac publicae integerrimi; cura veſtra, lectiſſimi PUTEANI fratres, quibusque auctior facta eſt incomparabilis Regis Chriſtianiſſimi bibliotheca. Quantum autem juris ſtudioſi Graecis ejusdem juris interpretibus debeant, qui non agnoſcit, vel ingratiſſimus eſt mortalium, vel jus, in quo verſatur, ignoret neceſſe eſt. Ain' tu, inquiunt? negas eos improſpere pleraque in Graecum vertiſſe, tanquam Latinae linguae rudes, & infrequentes vocum Latinarum? auctores enim juris verborum diligentiſſimi, puriſſime & integerrime loquuntur; ut eos, qui ejusdem linguae lepores, ac venuſtates non perbiberint, in jure populi Romani noſcendo, interpretandoque facile a recto deerrare, ac labi neceſſe ſit. Equidem non inficior, naevos eſſe quosdam, & παροράματα in Graecorum commentariis. Sed haec fere leviuſcula ſunt prae iis, quae veriſſime, & diligentiſſime Graeci nobis explanata reliquerunt. Et ut de caeteris taceam, quis nobis titulum *de fideicommiſſariis hereditatibus* fidelius, & doctius explicavit, quam Theophilus noſter? quis titulum *de literarum obligatione*, & *tit. 12, inſtitutionis tertiae* felicius enarravit, quam idem auctor graviſſimus, ut appellat Cujacius, interpretum facile praecipuus? quis Latinorum, quaeſo tecum, Lector, Inſtitutiones, hoc eſt, libellum aureum, accuratius interpretatus eſt? eo duce ſi ſtudioſa legum juventus utetur, optimum, longe doctiſſimum, & antiquiſſimum Antecesſorem nactus, ad juris cognitionem ſine magno labore perducetur. Antiquior eſt, quam hactenus quidem credideram, &, quantum conjicere eſt, vetuſtior ipſis Baſilicis, in quibus interdum totidem pene verbis habetur, quod apud eundem fideliſſimum interpretem legere eſt; ut ante annos octingentos floruiſſe neceſſe ſit. Abſit enim ut credamus, Theophilum Accurſio poſteriorem fuiſſe, quod tamen ſcripſiſſe Cujacium quidam referunt. Sed haec in libris emendatioribus non comparent: & nemo neſcit, opera Cujacii poſtuma ſtudioſorum negligentia parum fideliter excepta, mendas ſuas retinuiſſe. Viderint igitur, qui vetuſtiſſimi juris interpretis auctoritatem elevare conantur, quam caeci animi ſint, quamque judicii ſui prodigi! Politiani, Viglii, Auguſtini, Cujacii (quadriga praeſtantiſſimorum Jurisconſultorum) de Theophilo noſtro judicium verius & ſincerius eſt. Cujacius ille Jurisconſultorum phoenix meritiſſime Theophilum noſtrum laudibus extulit. Ille, ſol unicus Jurisprudentiae, prout ingenuum, ac liberalem hominem decebat, laude ſua non eſſe privandum Theophilum, aequum eſſe cenſuit. Viderint, inquam, qui tam eruditum interpretem tanquam errorum amaxarium, de manibus cupidae legum juventutis excutere conantur, quam male famae ſuae conſulant. Nunquam omnibus ſapere videbuntur, qui ſoli ſibi ſapere videntur. Imo Theophilus longe caeteris Graecis interpretibus eruditione praeſtat, ſi unum Thalelaeum excipias. Idem mecum ſentiunt plerique omnes clariſſimi juris interpretes, *Ut contra ſi quis ſentiat, nihil ſentiat*. Et nihil eſt, cur ejusmodi male hominum literatorum inanem, & turpem ignaviam moremur, qui quae haud videri volunt neſcire, diſcere tamen negligunt: nec ii ſunt, quorum conſilio, vel auctoritate facili genere moveri debeamus. Quantum profecerit Jacobus Cujacius oculus Jurisprudentiae legendis, & enucleandis Graecorum commentariis, ignorare non poteſt, niſi qui peregrinus eſt in ejus ſcriptis. Quam multa praeclara, neque in Scholis juris decantata, neque in doctorum commentariis protrita, hinc hauſerit, ſciunt aequi, & periti harum rerum judices: iniqui vero, & Graecae linguae neſcii, diſſimulant, aut, quod verius eſt, non vident: oculi eorum ad hunc Solem ſuffunduntur. Et Cujacium igitur injuria vellicant homunciones quidam, & viri praeſtantiſſimi manibus inſultant, quaſi Graecorum interpretationes ἀϊδίως, ut plurimum tueri voluerit: cum debuiſſent animadvertere (ſi modo mens & judicium eis conſtaret) magnum Cujacium non juraſſe in Graecorum verba, ſed, prout ſagaciſſimum virum decebat, ea tantum ſublegiſſe, quae Latinis auribus inaudita, & viris etiam doctiſſimis hactenus incognita fuerant. Hinc numeroſas conſtitutiones divini vir ingenii eruit, & in lucem protulit, quae non ſine labe & hiatu pudendo deerant in libris noſtris: hinc lacunam explevit, quae ipſis quoque pandectis Florentinis inerat, *tit. de bon. damnator.* & *tit. de interdict. & releg.* Quoniam autem legendi Baſilici facultas nobis data eſt, ab humaniſſimis, & omni laude majoribus Puteanis fratribus; hinc etiam leges quatuordecim, quas Latine tantum Cujacius praeter morem ſuum ediderat, deſcripſimus, &, ut Graece ac Latine ſimul ederentur, curavimus: putavi enim operae-pretium facturum, remque pergratam literarum, & juris ſtudioſis, qui ejuscemodi fragmenta tanquam auri ramenta colligunt: quo nomine φιλέλληνες quoque gratiam, opinor, nobis ſunt habituri. Caeteros autem nihil moramus, qui niſi meliorem mentem induant, ſane ſapere videri non poterunt. Nollem autem, inconſulto me primam, & alteram exercitationem Genevenſes edidiſſent: utique enim & auctiores, & emendatiores prodiiſſent. Tu vero, Lector candide, ſi quid in his, & caeteris inemendatum comperies, corrige & benigne condona. Nemo noſtrum non peccat.

Hactenus res mihi fuit cum gregariis juris interpretibus. nondum enim perſuaſum habebam, virum adprime doctum, quem equidem multis nominibus colo, & obſervo, tam male de Theophilo ſentire poſſe, ut erroribus eum ſcatere, ſcribere auderet: illud vero cui bono? ut in poſterum Theophilus pro imperito audiat; quem melior eruditorum pars, ex quo editus eſt, pro impenſe docto habuit. Et certe multa ſunt in Inſtitutionibus, quae abſque Theophilo foret, viris etiam doctiſſimis negotium poterant faceſſere. Ubi vero tandem errorum illa ſeges? quod nimirum ſcripſerit, teſtamentum origine juris gentium eſſe. Hereditas enim, inquit vir doctus, liberis debetur naturae ſimul, & parentum communi voto, ut teſtamento eis parentum bona deferri neceſſe non ſit: quinetiam teſtamentis hereditas ad extraneos, & ignotos pervenit, quod naturali rationi minime conveniens eſt. Atqui Noacus, ſi rem ab ultima origine repetas, teſtamento ſcripto tribus filiis orbem terrarum diſtribuit, κατὰ θεῖον χρησμὸν, ut literis proditum eſt: & naturae tamen jure rem obtinere poterant. Porto licet inteſtato parente mortuo prima naturali ratione liberorum cauſa ſit, &, pluribus liberis relictis, jure gentium quiſque partem petat, divina tamen providentia teſtamentorum jus inductum eſt, cum ut liberi, partem bonorum ex judicio parentum ſperantes, obſequiis, ac meritis eos provocarent; tum ut pecuniae, reique paternae diviſio nullas inter fratres diſcordias excitaret. Sed neque teſtamenta eo tantum pertinent, ut liberis hereditas teſtamento detur, aut adimatur, & ad alios in necem liberorum transferatur: nec enim ille ſolum jure gentium teſtandi facultatem habet, qui liberos ſuſtulit, ſed & illiberis & coelebs. Adde quod apud omnes gentes adeo libera teſtamenti factio conceſſa non eſt, ut quemlibet heredem facere liceat, aut impune liberos praeterire, vel exheredare. Imo, ne quid de jure Attico dicam, jure civili Romanorum inter caetera, quae ad ordinanda teſtamenta neceſſario deſiderantur, praecipuum jus eſt de liberis heredibus inſtituendis, vel exheredandis. Nec igitur teſtamenta naturalem aequitatem heic impugnant: imo liberi, naturae ſimul & juris ſuffragiis muniti rei paternae adminiſtrationem recipiunt. Ipſa quoque liberorum exheredatio a naturali ratione aliena non eſt: quid enim aequitati magis convenit, quam parenti liberorum ferociae coercendae poteſtatem concedi? Nec enim temere pater ad eorum exheredationem procedit: id non ſinit πατρικὴ σχέσις, & naturalis erga filios charitas: aut certe, ſi pater officium pietatis egreſſus ſit, liberis queri jure conceditur, & inofficioſi querela judicium patris quaſi dementis emendat; idque etiam naturalis ratio ſuadet. Denique aequitati conſentaneum eſt, ut quisque poſteritati ſuae conſulat: & ex hac animorum affectione orta eſſe teſtamenta recte Tullius ſcribit, & Cujacius eo teſte utitur. In ſumma nihil eſt, quod magis hominibus debeatur, quam ut ſupremae voluntatis liber ſit ſtilus, & licitum, quod iterum non redit arbitrium, ut reſcriptum eſt. Quae res aequitatem naturalem imprimis prae ſe ferre videtur. Sed & tutelae teſtamento mandantur, quo licet naturali juri vis quaedam fieri videatur, quia liberum caput alienae poteſtati ſubjicitur, & pupillus tutoris ſui quaſi quodammodo ſervus efficitur; tamen impuberes, parentibus deſtitutos, in tutela eſſe naturali jure conveniens eſſe, docent Inſtitutiones. Urget idem vir doctus: contra naturalem rationem eſſe, ut hominis voluntas poſt mortem valere incipiat: mortem enim omnia ſolvere: & ideo teſtamenta nominatim lege confirmari. Imo ratio ipſa naturalis, ex qua teſtamenta originem ducunt, ea quoque ſuſtinet: nec enim ubique gentium lex teſtamenta confirmat, ſed per ſe ipſa poſt mortem firma ſunt, nec legis auxilio firmandis eis indigent. Supremum cujusque judicium viva quodammodo defuncti vox eſt: & teſtator quaſi ſuperſtes res ſuas, quarum dominio non exciderit, heredi ſuo tradere videtur. Jus autem civile Romanorum anxium, & diligens multa deſiderat, quae caeteris gentibus incognita ſunt. Hinc tot juris commenta, fictioneſque: puta ut hereditas defuncti vicem ſuſtineat, & poſt aditam hereditatem heres, ut ita continuatio quaedam dominii inducatur. Urget iterum: quod Romani ea, quae ſunt origine juris gentium, peregrinis facile concederent, ut puta jus connubii, jus commercii, non tamen teſtamenti faciundi, quaſi id fuerit meri juris civilis. Atqui obſides, qui cives non ſunt, teſtari poſſunt, ſi modo eis permittatur, ut ſcribit Ulpianus: & mixto igitur jure teſtantur, id eſt, jure gentium per ſe, & jure civili Romanorum, quatenus eis conceditur. Addit: errare Theophilum, quod ad jus gentium referat, τὸ διαθήκας συγγράφεσθαι; nam hi, qui literas neſciunt, jure gentium teſtari non poterunt; quod perquam erit abſurdum. Quem tamen errore liberabimus, ſi pro διαθέσθαι poſitum illud dicemus: nec enim magis origo teſtamenti, quod ſcripto conſtat, quam quod ſine ſcripto a jure gentium repetenda eſt: eſt enim jus commune omnibus hominibus, qua literatis, qua literarum neſciis. Sed & ſi dices cum Theophilo eum, qui teſtamentum conſcribit, jure gentium teſtari, non continuo negabis, literas neſcientem eodem jure teſtamentum facere poſſe. Sola teſtandi facultas libera juris ſolemnibus, non modus & forma teſtamentorum inſpicitur: & quo magis legum nexibus teſtator adſtringitur, eo magis a libero jure gentium receditur. Ille vere naturali jure teſtari creditur, qui rationem animi ſui ſecutus nuda ſcriptura, vel voce teſtatur. Ejusmodi ſunt militum teſtamenta, quorum ſuprema voluntas qualis qualis pro teſtamento eſt: principes enim propter nimiam imperitiam militum, remiſſa diligenti obſervatione, voluntatem eorum fere ad merum jus gentium revocarunt, quod ut ſolutius, ita & aequius eſt. Nec alia ratione conſtare poterit, quod ſcribit vir doctus, militem poſſe deportatos, qui ad peregrinitatem redacti ſunt, heredes inſtituere, quam quod deportati ea, quae juris gentium ſunt, retinent. Imo & in paganorum teſtamentis vetus illa formalis obſervatio paulatim antiquata eſt, quod miſera, totque formulis obnoxia liberam cujusque voluntatem impediret: & eo tandem perventum eſt, ut codicillorum uſu recepto, qui nullam juris ſolemnitatem deſiderant, voluntas cujusque ſuprema citra verborum anxiam obſervationem non minus exitum habeat, quam teſtamentum, quod juriſperito dictante ſecundum regulas juris, ac leges teſtamentarias conditum eſt. Imo codicilli etiam ſine teſtamento conficiuntur, ut ſi legata, vel ſingularia fideicommiſſa, aut etiam hereditatem verbis precariis, quae jus gentium ſapiunt, relinquere velis, teſtamento ſolemni opus non ſit. Unde liquido conſtat, juris auctores, & Principes ſupremas hominum voluntates ad naturalem teſtandi facultatem pene revocaſſe, & commune jus gentium, auctoritate jura conſtituentium coanguſtatum, & fere conſopitum, in uſum retraxiſſe. Reſtat, Theophilum noſtrum non male teſtamentorum originem ad jus gentium referre: id eſt, nudam ſupremae voluntatis teſtationem: tametſi teſtamenti factionem juris eſſe civilis certiſſimum ſit: vix enim eſt, ut quaelibet civitas certam teſtandi legem non praeſcripſerit, qua praetermiſſa, merito non jure teſtatus quis dicetur. Libertas teſtandi non adimitur, ſed jure regitur: ſervatis legibus teſtamentariis, libertas legitima dicitur, non mere naturalis: & utique tamen naturalis: nec enim recte quis dicet, libertatem nobis ingenitam, ac naturalem extingui, quia vi majore, aut legibus quaedam facere prohibemur.

Ille autem Theophili multo graviſſimus error eſt,

cum

cum ſcripſit, colonum, qui mercede conducit, perceptione fructus ſuos facere, non etiam partiarium, ut conſequenter ſenſiſſe videtur: tam enim colonum partiarium perceptione fructus ſuos facere, quam eum, qui nummis colit. Videamus tamen, ne recte Theophilus, colonum, qui mercede conducit, ſeparet a partiario. Paulus enim cuſtodite ſcribere videtur, colonum, qui nummis colit, cum eo, qui fructus ſtantes ſubripuerit, acturum furti, quia ut primum decerptus eſſet, ejus eſſe coepiſſet. Partiarius autem, ut ait Cajus, quaſi ſocietatis jure, & quaſi dominus, fructus cum eo, qui partibus locavit, partitur: quanquam poſſit etiam quis apud Theophilum *μισθωσάμενον*, conductorem praediorum interpretari. Gloſſae Nomicae: *κολωνὸς, μισθωτής.* & ita *μισθωτὸς* exponi debuit alicubi apud Hermenopulum, non ſpernendum, ut alibi oſtendam, juris interpretem. Certe quod ait ibidem Theophilus, *τὸ fere, παραλαμβάνεσθαι*, verum eſt dumtaxat, quantum attinet ad naturalem adquirendi modum, de quo ibi agitur.

Quod autem curiae traditum decurionem fieri ſcripſerit Theophilus, largiter erravit: quid enim, inquit vir doctus, ſi curiae oblatus non erat idoneus, vel plenus eſſet numerus ordinis? quo caſu ſi pro Theophilo quis dicet, eum, vel in ſpem decurionatus curiae traditum (nam & minores vitintiquinque annis decuriones allecti, ſuffragium inter caeteros interim ferre non poſſunt) vel inidoneum curiae non jure offerri, Theophilus erroribus ſcatere deſinet, & legi cum ſtudioſorum commodo poterit, qui propter errorum graviorum cumulum ſtultitiae, ac imperitiae merito poterat inſimulari.

Actionem ſubſidiariam, qua magiſtratus municipales conveniuntur, negat recte appellari, *in factum*, a Theophilo, & poſſeſſionem, quae datur familiae patroni, perperam apud eum ita concipi: *Tum quem ex familia.* In duumviros utilis actio eſt, tutelae ſcilicet, ut putat vir doctus: *quoniam eadem in magiſtratibus actio datur, quae competit in tutores*: ſic Florentiae legitur. Ego didici, utili tutelae teneri tutorem, qui non geſſit, quia ſuo periculo ceſſavit. Magiſtratus autem actione utili, ſeu in factum tenentur: nec enim tutelae actione, etiam utili, teneri poteſt, qui nec adminiſtravit, nec adminiſtrare debuit. Actio haec quaſi ex contractu deſcendit; actio in factum ſubſidiaria ex culpa, & quaſi delicto magiſtratus: deficiente igitur directa, & utili tutelae actione, haec in ſubſidium competit, & utilis, ſeu in factum dicitur, quia ex SCto introducta eſt, ceſſante vulgari tutelae actione. Sic actio praeſcriptis verbis utilis, ſeu in factum dicitur, & pleniore appellatione, praeſcriptis verbis in factum actio. Et quoniam aliae quoque in factum ſunt actiones, videntur auctores diſtinctionis gratia ſubjicere interpretationem hoc modo: *In factum actionem dandam, id eſt, praeſcriptis verbis*; vel: *in factum dandum eſſe judicium, id eſt, praeſcriptis verbis.* Nec omnis tamen utilis actio eſt in factum. Quod autem ait JCtus, eandem *in Magiſtratibus* actionem dari, quae competit in tutores, ſic accipiendum videtur, ut *in magiſtratibus* ſit *ἐπὶ τοῖς στρατηγοῖς*, id eſt, cum magiſtratus conveniuntur actione in factum, cum uſuris ſors exigitur, ſicut cum tutores actione tutelae. Eadem actio eſt vi, & effectu, nomine diverſa. Vulgo legitur, *in magiſtratus*, id eſt, *μετὰ τὸς στρατηγὸς*. ſed Florentina lectio, ni fallor, verior eſt.

Utique autem rectius apud Theophilum ſcribi videtur, *Tum quem*; quia bonorum haec poſſeſſio datur, ſi non erunt liberi, aut patronus, & concinnior haec appellatio eſt: ſic enim alia dicitur, *Tum quibus ex legibus*, ut docent notae noſtrae ad Theophilum. Sed haec, & alia fuſius, & accuratius exequetur editio nova Theophili, ne longior heic ſim, quam par eſt: aut cum primum ſeſe obtulerit occaſio, quod equidem ſpero, vel potius opto.

Denique Cujacius, interpretum facile princeps, probat Theophili ſententiam exiſtimantis, teſtamentorum originem ex jure gentium eſſe: & Guillelmus Maranus, V. C. & juriſprudentiſſimus, in ea quoque ſententia eſt: & vir doctus igitur, qui Theophilum heic notat, *διδασκάλῳ κολάζειν ἔοικεν*: eſt enim a Marano profectus, ut ipſe ait. Idemque Cujacius ſcribit, naturales liberos decurionatu juſtos effici: & continuo igitur efficiebantur decuriones, curiae ſplendore honeſtabantur, ut eſt in Theodoſii conſtitutione, civitatis ordini adſcribebantur, civitatis decurionibus immiſcebantur, neque diutius expectabant, niſi ſi plenus eſſet ordinis numerus. Actionem illam ſubſidiariam Cujacius in factum appellat; imo etiam Gloſſa alicubi, & nonnulli veterum, qui Theophilum noſtrum ne de nomine quidem noverant, ut immerito vapulet, quaſi eorum agmen ducat, qui tam foedum errorem errarunt. Scripturam illam, *Tum quem ex familia*, Cujacius quoque tandem ſecutus eſt. Cujacium igitur erroribus, & ineptis interpretationibus ſcatere jure quis dicet? imo non alio magis nomine nugax videri poterit, *καὶ μὴ τὸν νοῦν ἔχειν.* Cujacius enim omnes retrojuriſconſultos aequat; ſuperſtites, quotquot ſunt longiſſimo intervallo vincit: & ſaeculum nova felicitate cenſeri poterit, quod juris interpretem Cujacio proximum feret. Blandiuntur ſibi, qui palmam improbo conamine praeripere Cujacio tentant: qui ſi in rebus humanis eſſet, ne hiſcere quidem auderent. Interpretum plerique, ſi verum amamus, ſine dubio caecutirent, ſi Cujacius facem non praetuliſſet, viam praemonſtraſſet, & digitum ad fontem intendiſſet. Non erat quidem Cujacius *ἀναμάρτητος*, qualem Stoici ſapientem ſuum fingunt: & fortaſſe quaedam ſunt apud eum adnotamentis digna. Sed haec imperitiae nemo ſanus adſcribet, ſed incogitantiae, vel certe humani generis vitio. Imperitorum errores fere craſſi ſunt, & pudendi. Viris magnis excidiſſe quid magis dicere ſolemus, quam erraſſe eos, ſi non ſimus prorſus *ἀνήμεροι.* Erravit etiam interdum Theophilus: fateor, homo erat, non Deus.

Atque haec anquirendae veritatis, non maledicendi ſtudio, ſcripſiſſe me velim vir doctus exiſtimet: nam & ipſe, ſi rationibus certet, aequiſſimo animo feram. Errores Theophili verecunde notemus, & quantum eruditioni ejus debeatur, candide profiteamur. Errores etiam cujusque noſtrum benigne patiamur emendari: ſic enim & attentiores & meliores evaſuri ſumus.

DEDICATIO,

ultimae duarum praecedentium Exercitationum Editioni praemiſſa.

CLARISSIMO VIRO
AEGIDIO MENAGIO,

S.

*P**Artus non juſto tempore editus* (Cl. Menagi) *naturae legibus vitalis non eſt: ut nec ipſe Deus Statanus pueritiae praeſes ſtatim atque in terram cecidit, & in ipſo lucis rudimento, morti eum poſſit eripere. Foetus vero ingenii, licet immaturus in lucem exierit, nec continuo interit, nec vivendi ſpe excidit, ſi parentis cura educetur, & quod naſcendo non habuit, tractu temporis reciperet: hoc eſt, ſi quis opus, quod nondum ſatis elimaviſſet, poſtea lectitando ſcribendoque recenſeat, & abſolvat. Idem mihi contigiſſe ſentio in hoc ingenii partu, quem primum magis effuſum, quam natum dixerim: tractando enim & commentando poſtea effeci, ut forte non imperfectus prodeat, & vitam diuturnam ſperare auſit.*

Hunc autem animi foetum offero tibi, Clariss. Menagi, *quicum olim haud vulgarem amicitiam contraxi: nec immerito, cum pauci ſint qui his ſtudiis colendis tecum poſſint contendere. Soles ipſe meliora concipere & edere, quae in lucem emitti publice intereſt: nam ſive Graeco ludas carmine, ſive Latino, ſive Gallico, ſpiritus altioris poeta diceris; ſive te ad ſtudia ſeveriora vertas, vix eſt ut quidquam politius ad nos perveniat. Jure autem noſtro non* ἀκροθιγῶς *imbutus es, ſed alte tinctus: ut vere liceat dicere, virum te eſſe undecunque doctiſſimum. Itaque factum laudabunt eruditi, quod hunc libellum tibi,* Clariss. Menagi, *nuncuparim. Tu, ſi quod ei dehoneſtamentum adhuc inerit, benignius te geras velim, quam olim cum monſtris ageretur, quae abjici ſolita, quaſi non ritu naturae nata. Vale* Cl. V. *Lut. Pariſ. Kalend. Jul.*

INDEX

EORUM, QUAE IN HOC LIBRO CONTINENTUR.

I. *De tempore humani partus; ſeu de Juſto partu.*
II. *De numero puerperii.*
III. *Error qualitatis matrimonium non dirimit.*
IV. *Aegritudo corporis, vel ſenectus teſtandi facultatem non adimit.*
V. *De morte voluntaria.*
VI. *Amatorium poculum ſine fraude ſua nemo dat.*
VII. *Maritus adulterii, inceſtique reus ab uxore.*
VIII. *An per ebrietatem admiſſa legibus impunita ſint.*
IX. *De delictis impuberum.*
X. *An filiusfamilias imperio patris uxorem ducere cogi poſſit, vel filiaf. nubere.*
XI. *An conſenſus matris, patre praemortuo, in nuptiis filii deſideretur.*
XII. *Recitatio ſolemnis pro cathedra vacante, ſive Exercitatio ad* L. transigere 18. D. de transact.
Leges XIV. *nunc primum Graece ex Baſilicis editae.*

CAROLI ANNIBALIS FABROTI

Anteceſſoris Aquiſextienſis

EXERCITATIONES XII.

EXERCITATIO I.

De tempore humani partus: ſeu de Juſto Partu.

VEteres ſapientiae ſectatores, Medici naturae antiſtites, Juriſconſulti Juſtitiae ſacerdotes, de tempore humani partus ſatis anquiſite, ſatisque ſollicite quaeſiverunt. Ego igitur virorum illuſtrium ſententiam de ea re conquiſivi, Juriſconſulti partibus functus, cujus eſt de juſto partu reſpondere; vel certe Philologi, qui quidem ut verbis utar Plutarchi, ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα τίθεσθαι, *pedem in alieno choro ponere*, nullo jure prohibetur.

Cujus autem momenti ſit ea pertractatio, omnes, opinor, intelligunt: nec enim aliud prope eſt, quam rem obductam, & in naturae penetralibus abditam promere, & in lucem educere. Sed & publice intereſt, gignendi finem non ignorari, ne forte ſubditiтius partus ei fraudi ſit, qui juſte conceptus eſt, & ordinum ac familiarum dignitas ſalva eſſe deſinat.

Sciendum igitur eſt, ὡς ἐν προθεωρίᾳ, *in modum praeviae inſpectionis*, ut praefari ſolet Theophilus noſter, tempora duorum eſſe generum, ut ſcribit Varro *primo de Re R. cap. 27. Unum annale, quod Sol circuitu ſuo finit: alterum menſtruum, quod Luna circumiens comprehendit.* Plutarchus *in Quaeſtionibus Romanis*: ποιεῖ δὲ ὁ μὲν ἥλιος τὸν ἐνιαυτόν, ἡ δὲ σελήνη τοὺς μῆνας: *efficit autem Sol annum, Luna vero menſes.* Minutius Felix *in Octavio c. 17 Vide & annum ut Solis ambitus faciat, & menſem vide ut Luna auctu, ſenio, labore circumagat.* Ammonius *in Categorias Ariſtotelis*: Μῆνα φαμὲν, ὅταν ἡ σελήνη εἰς τὸ αὐτὸ σημεῖον ἐπανέλθῃ ὅθεν καὶ ἤρξατο, καὶ ἐνιαυτὸν ὁμοίως, τὴν ἐπὶ τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου τοῦ ἡλίου περίοδον: *Menſem dicimus, cum Luna ad idem ſignum redierit, unde incoeperat: & annum ſimiliter Solis circuitum per Zodiacum circulum.* Itaque Luna dicitur *patrocinium menſium* a Varrone, referente Tertulliano *ad Nationes libro 2. cap. 5. menſtrua virgo*, a Virgilio *in Culice*, & *corpus menſis* a Martiano Capella *lib. 2.* ut ibi vetus gloſſa interpetatur, quia *Luna regit menſes*, Ovid. *lib. 3. Faſtorum.* Sive ut Galenus ait, τοὺς μῆνας διατάττει, *menſes conſtituit*, *de diebus decretoriis*, *lib. 3.* μηνὸς μέτρον ποιεῖ, *menſis menſuram conficit*, Alcinous *de doctrina Platonis cap. 14.* Secundus *in Sententiis*: Quid eſt Luna? menſtrua revolutio, μηνιαῖον ἀνακύκλωμα: a qua menſis nomen accepit. Sapientia Sirach *cap. 43. verſ. 9.* Μὴν κατὰ τὸ ὄνομα αὐτῆς ἐστι: *Menſis nomen ex ea accipit.* Luna enim a Graecis μήνη olim dicta, vel etiam μὴν, Cleomedes *lib. 2. cap. 5.* Varro *de Lingua Latina lib. 5.* Macrob. *in Somnium Scip. lib. 2. cap. 11.* B. Ambroſius *ep. 83. lib. 10.* Theodoretus *de Provid. Serm. 1.* τοὺς δὲ μῆνας ἐκ τῆς σελήνης τὸ μέτρον λαμβάνομεν. ἐντεῦθεν γὰρ καὶ τῆς προσηγορίας μετέλαχον· μήνην γὰρ ὀνομάζουσι τὴν σελήνην. *Luna menſem metimur; inde enim appellationem traxit: nam Lunam appellant Menen.* Idem ſcribi *in Quaeſtionibus in Geneſim, quaeſt. 15.* Theophilus Alexandrinus *in Prologo ad Theodoſium Imperatorem, de ſancto Paſcha: Menſis ſecundum Lunam dicitur, nomenque Achiva lingua Mene vocatur.* Theon *in Arati prognoſtica.* Itaque Lunam pro menſe, Solem pro anno, ſive duodecim menſibus accipimus. Manuel Moſchopulus: ἥλιος λέγεται καὶ δωδεκάμηνος χρόνος, ὅτι διὰ τῆς δωδεκαμήνου διέρχεται τὸν ἑαυτοῦ κύκλον ὁ ἥλιος. *Sol quoque dicitur ſpatium duodecim menſium, quia Sol duodecim menſibus curriculum ſuum perficit:* quanquam & menſis dicitur annus lunaris, vel annus Lunae, Servius *in lib. 1. Aeneidos.* Macrobius *d. cap. 11.* & *lib. 1. Saturnaliorum cap. 14.* Iſidor. *Origin. lib. 5. cap. 36.*

Rurſus annus vel Lunaris eſt, vel Solaris, quem Solſtitialem appellant Servius & Iſidorus *d. cap. 36.* Aegyptii annum Dei, τοῦ θεοῦ ἐνιαυτόν, referente Cenſorino *de die Nat. cap. 18. & 21.* ut Perſae Sal Chodai, annum Dei, *hoc eſt, Solis*, teſte Scaligero. S. Baſilius *homilia ſexta in Hexaem.* εἰς ἐνιαυτοὺς ἐτάχθησαν ἥλιος, καὶ σελήνη. σελήνη μὲν ἐπειδὰν δωδεκάκις τὸν ἑαυτῆς ἐκτελέσῃ δρόμον, ἐνιαυτὸς ἐστι σεληνιακὸς· ἡλιακὸς δὲ ἐστιν ἐνιαυτὸς, ὁ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ σημείου ἐπὶ τὸ αὐτὸ σημεῖον κατὰ τὴν οἰκείαν κίνησιν τοῦ ἡλίου ἀποκατάστασις. *Ad annos agendos Sol & Luna ſunt conſtituti: nam Luna cum duodecies ſuum peregit curſum, annum efficit. Solaris autem annus eſt, cum Sol ad idem ſignum, unde profectus eſt, motione ſua redierit.* Achilles Tatius εἰσαγωγῇ εἰς τὰ Φαινόμενα, *cap. 19.* Λέγεται δὲ ἐνιαυτὸς ἡ ἀπὸ τοῦ ζωδίου ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀποκατάστασις αὐτοῦ ἐν ἡμέραις τξε΄. καὶ ἐλαχίστῳ μορίῳ. *Annus Solis appellatur ab eodem ſigno ad idem redeuntis converſio in trecentis ſexaginta quinque diebus & exigua inſuper parte.* Plato in *Timaeo*: ἐνιαυτὸς δὲ, ὁπόταν ἥλιος τὸν ἑαυτοῦ περιέλθῃ κύκλον. *Annus Solaris, cum Sol ſuum peragravit orbem.* Itaque Manilius annum Solis luſtrum appellat, *Aſtron. lib. 3.* Annus Lunaris conſtat trecentis quinquaginta quatuor diebus, Epiphanius *adverſus haereſ. lib. 3. tom. 1.* Geminus εἰσαγωγῆς *cap. 6.* Maximus *in Computo Eccleſiaſtico cap. 7.* adde, cum triente, & paulo plus, quam duum trientum horariorum, ut placet iis, qui περιεργότερον haec putant. Solaris autem conſtat trecentis ſexaginta quinque diebus, & portione, neſcio qua, adhuc Aſtrologis inexplorata, ut ait Cenſorinus *cap. 22.* ſeu quadrante diei, qui annum verum ſupplet, ut idem ait *cap. 20.* Adde Ciceronem *de Nat. Deor.* Plutarch. *in Numa*, Chalcidium *in Timaeum Platonis*, Geminum εἰσαγ. *cap. 4.* Galenum *ad lib. 1. Hippocratis* ἐπιδημιῶν, & περὶ ἑπταμήνων: qui quidem Galeni liber periit: nec enim praeter interpretationem Joan. Bernardi Feliciani quidquam habemus. Imo majorem quarta partem habet: ἔχει μόριον ἡμέρας μεῖζον ἢ τέταρτον, Galenus *de diebus decretor. lib. 3.* Id etiam conſtat ex auctoribus noſtris in *l. ita vulneratus 41. §. aeſtimatio 2. D. ad leg. Aquil. l. cum heres 4. §. Stichus 5. D. de ſtatulib. l. anniculus 134. D. de verbor. ſignif.* quanquam Juriſconſulti praeciſe finiunt unum trecentis ſexaginta quinque diebus, & Galenus *de Criſibus lib. 2.* &, quod ad rem noſtram attinet, parum intereſt, ſi omittatur ἐλάχιστον τῆς ἡμέρας μέρος, ſive quadrans diei.

Menſis autem vel civilis eſt, vel naturalis. Civilis eſt numeri dierum, quos unaquaeque civitas ſuo inſtituto obſervat, ut nunc Roma a Calendis in Calendas, ut ait Cenſorinus *de die natali.* Naturalis vero duae ſunt ſpecies: vel enim Solaris eſt, vel Lunaris. Vitruvius *lib. 9. cap. 4. Luna die 8. & 20. & amplius circiter hora coeli circuitionem percurrens, ex quo coeperit ſigno ire, ad id ſignum revertendo perficit Lunarem menſem. Sol autem ſigni ſpatium, quod eſt duodecima pars mundi, menſe vertente vadens tranſit.* Menſis Solaris conſtat diebus triginta, horis decem, minutis triginta. Menſis vero Lunaris triplex eſt, periodicus, ſynodicus, & φάσεως, id eſt, primae viſio-

viſionis novae Lunae. Plutarchus *in Quaeſtionibus Romanis*. Periodicum intelligit Hyginus *de Planetis in fine: Menſem autem*, inquit, *conſtituerunt, quamdiu Luna Zodiacum circulum perducat.* Synodicum Ammianus Marcellinus *lib. 20. cap. 4. Et cum ad idem ſignum aequis partibus Soli concurrerit, obſcuratur, penitus hebetato candore, μήνη Graece σύνοδος dicitur.* Cleomedes periodicum, & ſynodicum, κύκλικ. θεωρ. μετεώρων *lib. 1. cap. 3.* his verbis: αὕτη τὸν ἴδιον ἀπαρτίζει κύκλον ἐν ἑπτὰ καὶ εἴκοσιν ἡμέραις, καὶ ἡμίσει. συνοδεύει δὲ τῷ ἡλίῳ διὰ λ': *Haec proprium orbem peragrat ſeptem & viginti diebus, ac unius dimidio, ſed cum Sole trigeſimo die coit.* Geminus εἰσαγωγ. *cap. 6.* μήν ἐστι χρόνος ἀπὸ συνόδου ἐπὶ σύνοδον, ἢ ἀπὸ πανσελήνου ἐπὶ πανσέληνον: *Menſis eſt tempus a conjunctione ad conjunctionem, aut a plenilunio ad plenilunium.* Ex qua menſium diviſione quidam tradunt Lunam orbem ſuum luſtrare ſeptem & viginti diebus. Chalcidius *in Timaeum Platonis: Ut Luna, quae juxta cubicum numerum viginti ſeptem diebus circulum ſuum luſtrat.* Hic eſt menſis periodicus. Alii quater ſeptenis, id eſt, octo & viginti, diebus. Vitruvius *loco ſupra citato.* Ariſtides περὶ μουσικῆς· Τὸν τῶν κη' ἀπαρτίσειεν ἀριθμόν, ἴσον ὄντα ταῖς σεληνιακαῖς φάσεσιν. ἑκάστου γὰρ μηνὸς τοσαυτάκις αὐτὴν ὁρᾶσθαι συμβαίνει. *Impleret numerum dierum viginti & octo, qui aequat lumina Lunae: cum ſingulis menſibus toties eam videri contingit.* Aulus Gellius, *lib. 1. cap. 20. & lib. 3. cap. 10.* Macrobius *in Somnium Scipionis*, Plutarchus *de Iſide & Oſiride*, Porphyrius περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, Horus Apollo *lib. 1. cap. 63.* Sunt qui ſynodicum menſem tricenarium faciant. Cleomedes *dicto cap. 4.* Ea ſententia annus Lunaris dierum triginta eſſe dicitur, Diodorus Siculus *Biblioth. lib. 1.* Horapollo *cap. 4.* Plutarchus *de placitis Philoſophorum lib. 2. c. ult.* Varro apud Lactantium *lib. 11. cap. 13.* Caſſiodorus *variarum lib 11. c. 36.* Iſidorus *Origin. lib. 5. c. 36.* Victorinus *de principio diei: Namque Sol quod per annum ambulat, Luna illud triginta diebus currere dinoſcitur.* Quos notat Dionyſius Exiguus *epiſt. 1. de ratione Paſchae: Nimis errant, qui Lunam peragere curſum ſui circuli triginta dierum ſpatiis aeſtimantes, duodecim Lunares menſes in trecentis ſexaginta diebus annumerant, quibus etiam quinque dies adjiciunt, quos intercalares appellavit antiquitas, ut Solarem annum adimplere videantur, cum diligens inquiſitio veritatis oſtenderit, in duobus Lunae circulis non ſexaginta dies, ſed LIX. debere numerari: ac per hoc in duodecim lunaribus menſibus CCCLIV. dierum ſummam colligi: cui epactas Aegyptii annuas, id eſt, undecim dies accommodant, ut ita demum lunaris emenſio rationi Solis adaequetur.* Sed ſi certiorem rationem ſequamur, menſis periodicus continet dies viginti ſeptem, horas octo. Plinius *lib. 2. cap. 9. Luna vicenis diebus ſeptenisque & tertia diei parte peragit ſpatia*, &c. Galenus *de diebus decretoriis lib. 3.* ὁ γὰρ ὅλης σεληνιακῆς περιόδου ἑπτὰ καὶ εἴκοσιν ἡμερῶν ἐστι, καὶ προσέτι τρίτου μέρους μιᾶς ἡμέρας &c. *Nam cum totus Lunaris curſus viginti & ſeptem diebus, & hoc amplius tertia diei unius parte perficiatur*, &c. aut ut alii ἀκριβέστερον putant, horas ſeptem, minuta quadraginta tria, ſecundas ſeptem: Menſis vero ſynodicus dies viginti novem cum ſemiſſe: aut ὁ τῶν τριάκοντα ἡμερῶν ὀλίγων ὡρῶν δεόμενος ἀριθμὸς πληροῖ: *triginta dierum numerum paucis horis demptis abſolvit*, ut ait Theodoretus *de Providentia oratione prima*, id eſt, ut idem ſcribit *in Danielem lib. 9.* ὁ τῆς σελήνης δρόμος ἐν εἴκοσιν ἐννέα ἡμέραις καὶ ὥραις ἓξ συμπληροῦται: *Lunae curſus viginti novem diebus ac horis ſex conficitur.* Idemque ſcribit *in Geneſin quaeſtione 15.* Procopius Gazaeus *in Geneſin cap. 1. Complectitur enim lunaris menſis dies viginti novem cum ſemiſſe.* Auctor argumenti in orationem Demoſthenis *adverſus Androtionem*, vel dies viginti novem, horas duodecim, minuta quadraginta quatuor, ſecundas tres. Apparitionis autem, ſive illuminationis, aut φάσεως, dies viginti ſex, horas ſex continet.

Scribit quidem Galenus *d. lib. 3.* nec annum, nec menſes ipſos integris diebus numerari poſſe. Ut igitur, inquit, annus ad CCCLXV. dies particulam diei majorem quarta adjectam habet: & menſis ad triginta dies implendos unius dimidium deſiderat; ſic & ſeptimana ſexta maxime diei parte, ut ſeptem integros habeat, indiget. Quamobrem fit, ut tres ſeptimanae, non unum & viginti dies integros, ſed minus fere tota dimidia parte unius conſequantur. Ob quod etiam numerum hujusmodi non magis XX. quam uni & viginti diebus vicinum, utrique parti convenire videas: nam cum totus lunaris circuitus VII. & XX. diebus, & inſuper tertia unius parte abſolvatur, ideoque ſeptimana quaelibet ſeptem diebus minus ſextante conſtet, tres ſeptimanae XX. dies & dimidium habebunt. Vulgo tamen Menſis appellatione intelligimus ſynodicum, vel tricenos dies. Cleomedes *lib. 2. cap. 5.* καλεῖται μὴν καὶ ὁ τριακονθήμερος χρόνος· *Appellatur quoque menſis tempus dierum triginta.* Chalcidius, Proclus *in Sphaera*.

Inter Medicos autem non convenit, quemadmodum menſes accipiendi ſint, hoc eſt, Solares, an Lunares. Et pleriſque placet alios, quam Lunares, accipiendos eſſe: quorum ſententiam adjuvat Oppianus κυνηγετ. 1.

> Ὡς δ' ὅτε τις κούρη δέκατον περὶ μῆνα σελήνης,
> Πρωτοτόκος λοχίῃσιν ὑπ' ὠδίνεσσι τυπεῖσα
> Λύσατο μαζῶν πλοκάμους.

Joannes Bodinus ſic vertit:

> *Non ſecus ac decimo Lunari menſe puella*
> *Primipara, extremo partus percuſſa dolore*
> *Carbaſa mammarum crines effuſa reſolvit.*

Ovidius *Heroidum* 11. *v.* 45.

> *Jam novies erat orta ſoror pulcherrima Phoebi,*
> *Denaque Luciferos Luna premebat equos:*
> *Neſcia quae faceret ſubitos mihi cauſa dolores,*
> *Et rudis ad partus, & nova miles eram.*

Et *lib. 2. Faſtorum v.* 447.

> *Luna reſumebat decimo nova cornua menſe,*
> *Virque pater ſubito, nuptaque mater erat.*

Certiſſimum tamen eſt Hippocratem, Medicorum principem, cujusque auctoritas omnibus antiſtat, Solarium rationem habere. Verba ejus haec ſunt in libro περὶ σαρκῶν· Ἔχει δὲ καὶ τὸ ἑπτάμηνον γενόμενον τρεῖς δεκάδας ἑβδομάδων, ἐς δὲ τὴν δεκάδα ἑκάστην ἑβδομήκοντα ἡμέραι. τρεῖς δεκάδες δὲ ἑβδομάδων αἱ σύμπασαι δέκα, καὶ διηκόσιαι: *At ſeptimo menſe editus partus tres hebdomadarum decurias obtinet, & ad unamquamque decuriam dies concurrunt ſeptuaginta. Tres itaque hebdomadarum decuriae in totum dies ducentos decem faciunt.* & libro *de octimeſtri partu:* ἐκ τοῦ ἡμίσεος τοῦ ἐνιαυτοῦ οἱ ἑπτάμηνοι γίνονται: *ex anni dimidio ſeptimeſtres fiunt.* Septem igitur menſes pleni ducentis decem diebus conſtant. Vide infra locum Favonii Eulogii *in ſomnium Scipionis*. Sic etiam apud Cenſorinum decem & ducenti dies ſeptimum menſem implent. Anni autem dimidium CLXXXII. diebus cum ſemiſſe conſtat, qui ſextum menſem complent, & dies duo ſeptimum inchoant: & convenienter menſis triginta diebus, qui Graecanicus & Solaris menſis eſt, ut enim conſtat ex *lib. 2.* ἐπιδημιῶν *ſectione* 3. Galenus περὶ κρίσεως *lib. 2.* καθάπερ γε καὶ τὸν μῆνα τριάκοντα ἡμερῶν εἶναι λέγομεν: *Sicut & menſem triginta diebus conſtare dicimus.* Et *lib. 1.* ἐπιδημιῶν· χρὴ δὲ δηλονότι τοὺς μῆνας οὐ πρὸς σελήνην ἀριθμεῖσθαι, καθάπερ ἐν ταῖς πλείσταις νῦν τῶν ἑλληνικῶν πόλεων, ἀλλὰ πρὸς ἥλιον, καὶ ὡς ἅπασαι τε τῶν ἀρχαίων, καὶ ἐν ἄλλοις τῶν ἐθνῶν ἀριθμοῦσι: *Menſes non ſunt pro ratione Lunae ſubducendi, quod multis nunc Graeciae civitatibus eſt ſolenne, ſed pro ratione Solis apud omnes antiquiores, & nationes complures numerantur.* Eaque putandi ratio magis placuit. Euphorion *apud Stobaeum:*

> Τίκτοις, μή σύ γε μητρὸς ἀπ' ἀνθερεῶνας ἀμήσῃς.
> Ἡλίας, ἥ τις σε τριηκοσίας ἐφόρησε
> Τίκτουσ' ὑπὸ ζώνῃ, Φοιβείαις δ' ὠδῖνας ἀνέτλη,
> Εἰς φάος ἐρχόμενον.

quae

quae ita vertit Hugo Grotius V. A. & longe doctiſſimus:

Nate, caput miſerae ferro ne deme parenti,
Hoc utero Soles, quae te geſtare trecentos
Suſtinui, triſteſque metus, ſaevoſque dolores
Te naſcente tuli.

id eſt, decem ſolidos & tricenarios menſes. Vide locum Avicennae ex *lib.* 3. *Canonis Fen.* 21. *tractatu* 1. *cap.* 2.

Nec moveri debemus auctoritate Hippocratis in libello περὶ ἑπταμήνων. Ἢν γὰρ, inquit, ἑξήκοντα μιῆς δεούσης ἡμέρῃς ἐγγένηται δύο μῆνες ἐκτελεῦνται: *Nam undeſexaginta diebus propemodum duo menſes perficiuntur.* Galenus in eum librum: *Annum trecentis & ſexaginta quinque diebus, & quarta inſuper diei parte conſtare dicunt, & menſtruum tempus viginti novem & dimidio: nam menſem nominari ſpatium, quod ab uno Lunae coitu cum Sole usque ad alterum intercedit, nemo eſt, qui neſciat.* Qui quidem loci pleroſque in contrariam ſententiam perduxerunt. Non eſt, inquam, cur his moveamur: non enim conſtat, an libellus *de partu ſeptimeſtri*, & Commentarius in eum, Hippocrati, & Galeno ſint adſcribendi; de quo poſtea plenius agitur.

Supereſt, ut quemadmodum dies accipiendus ſit, breviter exponamus. Dies igitur, aut naturalis eſt, aut civilis. Naturalis dicitur, χρόνος ὁ ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου μέχρι δύσεως: *Tempus illud, quod eſt ab ortu Solis usque ad occaſum.* Geminus εἰσαγωγῆς *cap.* 5. Excepta ex Theodoſio περὶ νυκτῶν καὶ ἡμερῶν *lib.* 1. Χρόνος ἡμέρας καλεῖ τὸν ἀπὸ ἀνατολῆς ἕως δύσεως, νυκτὸς δὲ ἀπὸ δύσεως ἕως ἀνατολῆς: *Diem vocat intervallum ab ortu Solis usque ad occaſum: noctem vero ab occaſu ad Solis ortum.* Gloſſarium manuſcriptum: ἡμέρα πορεία ἡλίου ἀπὸ ἀνατολῶν ἐπὶ δυσμὰς τὸ ἐναντίον τῇ νυκτί: *Dies eſt curſus Solis ab oriente ad occaſum, cujus contrarium eſt nox.* Addeſis Maximum Tyrium *Diſſert.* 29. Iſidorus *Originum lib.* 5. *c.* 30. *Abuſive autem dies unus eſt ſpatium ab oriente Sole usque ad occidentem.* Et conſtat horis duodecim *l.* 2. §. 1. *D. de verbor. ſignif.* Aſcon. *in Verr.* Cenſorinus *de die Natali, cap.* 23. Joannis *cap.* 11. οὐχὶ δώδεκα ὧραί εἰσι τῆς ἡμέρας: *Nonne duodecim horae ſunt diei?* Sextus Empiricus *adverſus Mathematicos*: Καὶ μὴν ἡμέρα λέγεται διχῶς· καθ᾽ ἕνα μὲν τρόπον, ἡ ἐκ τῶν δώδεκα ὡρῶν συνεστῶσα· καθ᾽ ἕτερον δὲ ὁ πεφωτισμένος ἐξ ἡλίου ἀήρ: *Praeterea dies dicitur duobus modis: uno quidem modo, qui conſtat duodecim horis: altero autem aer a Sole illuſtratus*: qua ratione hora dicitur δωδέκατον τῆς ἡμέρας, *dies pars duodecima*, Suidas. Secundus *in Sententiis*: τί ἐστιν ἡμέρα; δωδεκαώρος διαδρομή: *quid eſt dies? duodecim horarum decurſus.* Quod ait Sextus, diem quoque appellari τὸν πεφωτισμένον ἐξ ἡλίου ἀέρα, videtur exſcripſiſſe D. Baſilius *homilia* 6. *in Hexaem.* οὐκ ἂν τις ἁμάρτοι, inquit, ἡμέραν ὁρισάμενος εἶναι τὸν ὑπὸ τοῦ ἡλίου πεφωτισμένον ἀέρα: *nec quis erraverit, qui diem definierit, aërem a Sole illuminatum.* Ideoque Paulus Juriſconſultus ait, cujusque diei, ſive lucis majorem partem eſſe horarum ſeptem primarum, non ſupremarum in *l.* 2. *D. verbor. ſignif.* aut ut eſt in *Baſilicis*: Μεῖζον μέρος τῆς ἡμέρας εἰσὶν αἱ πρῶται ἓξ ὧραι, οὐ μὴν αἱ ὕστεραι: *Major pars diei eſt horarum ſex primarum, non ſupremarum.* Nam hora ſexta τὸ μέσον τῆς ἡμέρας, ἡ μεσημβρία, *meridies.* Plinius *lib.* 6. *cap.* 29. Item nox totidem horis conſtabat. Unde autem haec diei in horas duodecim diviſio orta ſit, tradit Marius Victorinus *in primum Rhetoricorum Ciceronis*, & Damaſcius *Cod.* 142. *Photii Bibliothecae.* Sed haec jocularia ſunt. Et horae quidem duodecim erant inaequales, praeterquam in aequinoctiis, quando

Χ᾽ ἁ νὺξ ἀνθρώποισιν ἴσα, καὶ ὁμοῖος ἀώς.
Et nox hominibus par, & par dies.

ut eſt *in Idyllio* quodam Bionis: prout enim dies augeſcebat, aut decreſcebat, horae quoque augebantur, & deminuebantur. Aeſtivae igitur horae diurnae longiores erant nocturnis, hibernae vero nocturnae diurnis. B. Auguſtinus *de vera religione*: *Hora brumalis, aeſtivae comparata, minor eſt*; etiam apud Graecos. Auctor anonymus *Antholog. lib.* 2. *cap.* 13. *Epigram. pen.* vide ibidem Joannem Brodaeum V. C. & de Anthologia Graecorum Epigrammatum optime meritum. Hinc horologium aeſtivum, & hibernum, Vitruvius *lib.* 9. *cap.* 9. De naturali die Romanorum videtur intelligendus Anaſtaſius Sinaita: *Anagogicarum contemplat. in Hexaem. lib.* 1. *Umbri*, inquit, *gens Italica, a meridie in meridiem dicunt eſſe diem. Athenienſes autem, & Romani ab ortu usque ad occaſum diem definiunt, ut dicit Cato, & Labeo.* Graeca verba ſunt haec in codice manu exarato Chriſtinae ſereniſſimae tam orbis litterati, quam Sueciae Reginae: Ὄμβροι δὲ ἔθνος Ἰταλικὸν ἀπὸ μεσημβρίας εἰς τὴν μεσημβρίαν τὴν ἡμέραν εἶναί φασιν· Ἀθηναῖοι δὲ καὶ Ῥωμαῖοι ἀπὸ ἀνατολῶν μέχρι δυσμῶν τὴν ἡμέραν ὁρίζονται, ὡς ὁ Κάτων φησὶ, καὶ ὁ Λαβεών. Verum eſt quod ſcribit de Umbris Joannes Lydus a Salmaſio citatus *de annis climactericis pag.* 180. περὶ φυσικῆς ἡμέρας, *de die naturali*; Οἵ γε μὲν Ὄμβροι ἔθνος Ἰταλικὸν ἀπὸ μεσημβρίας τὴν ἡμέραν ἔλαβον, ὥσπερ καὶ οἱ ἀστρολόγοι ἐν ταῖς γενέσεσιν: *Umbri gens Italica, a meridie diem incipiebant, ut Aſtrologi in Geneſibus.* Idem ſcribit Cenſorinus *de die Nat. cap.* 23. Aulus Gellius *lib.* 3. *cap.* 2. Quod de Athenienſibus, non item. Athenienſes enim ab occaſu Solis ad occaſum diem ſtatuebant. Sed neque quod de Romanis, qui a media nocte ad mediam noctem diem eſſe exiſtimaverunt, ut conſtat ex Plinio *lib.* 2. *cap.* 77. Cenſorino *de die Nat. cap.* 23. Plutarch. *quaeſt. Rom.* 84. Aulo Gellio *lib.* 3. *cap.* 2. Macrob. *lib.* 1. *Saturn. cap.* 4. Civilis autem dies conſtat horis viginti quatuor, *l. more* 8. *D. de feriis.* Iſidorus Peluſiotes *lib.* 2. *Epiſtolar.* 212. Μία ἡμέρα λέγεται τὸ τῶν δ΄. καὶ εἴκοσι ὡρῶν διάστημα: *Dies unus dicitur 24. horarum ſpatium.* Cenſorinus *cap.* 23. *Civilis dies vocatur tempus, quod ſit uno caeli circumactu, quo dies verus, & nox continetur.* Sive a media nocte usque ad inſequentem: ſive a Solis exortu ad exortum ejusdem diem conſtituas. Ammonius *in Ariſtotelis Categorias*: Ἡμέραν φαμὲν τὴν ἀπὸ ἀνατολῶν ἐπὶ ἀνατολὰς πάλιν τοῦ ἡλίου ἀποκατάστασιν: *Diem eſſe dicimus circuitum Solis ab exortu ad exortum ejusdem.* Geminus *d. cap.* 5. Καθ᾽ ἕτερον ἡμέρα λέγεται χρόνος ὁ ἀφ᾽ ἡλίου ἀνατολῆς μέχρις ἡλίου αὖθις ἀνατολῆς: *Altero modo dies dicitur tempus, quod eſt ab ortu Solis usque ad proximum ortum Solis.* B. Auguſtinus *Confeſſionum lib.* 11. *cap.* 23. *Nam quaero quoniam dies dicitur non tantum mora Solis ſupra terram, ſecundum quod aliud eſt dies, aliud nox: ſed etiam totus ejus circuitus ab oriente usque ad orientem, ſecundum quod dicimus, tot dies tranſierunt: cum ſuis enim noctibus dicuntur tot dies, nec extra reputantur ſpatia noctium.* Et *lib. imperf. de Geneſi ad literam cap.* 7. *Sed eo modo, quo dicimus, verbi gratia, triginta dies habere menſem: hic enim nomine diei noctes quoque includimus.* Et *epiſt.* 80. *Totus enim dies, totus circuitus Solis verius nuncupatur non ab oriente usque in occidentem, ſed ab oriente usque in orientem. Unde toto die peracto, id eſt, viginti quatuor horis rurſus exoritur.* Papias: *Dies legitimus* 24. *horarum eſt, usque dum dies & nox ſpatium ſuum perficiunt, id eſt, ab oriente ad occidentem, & iterum ad orientem.* Item fere Iſidorus *Origin. lib.* 5. *cap.* 30. Atque ita Babylonii diem numerabant, Gellius *d. cap.* 2. Cenſorinus *d. cap.* 23. Antillus apud Stobaeum *ſerm.* 99. ἡμέραν λαμβάνομεν σὺν τῇ νυκτί: *diem una cum nocte accipimus. Ut cum dicimus aliquem triginta tantum dies vixiſſe: relinquitur enim etiam noctes intelligere*, ut ait Cenſorinus *d. cap.* 23. Horus Apollo *lib.* 1. *cap.* 63. Vide Victorinum *de principio diei.* Itaque dies, non noctes numeramus. Euſtathius Antiochenus *in Hexaem.* Ἐν τῇ συμμετρήσει τῶν χρόνων ἡμέρας καὶ οὐχὶ νύκτας ἀριθμοῦμεν: *In commetiendis temporibus dies numeramus, non noctes.* Ex hoc ſpatium Hippocrates Solem ap-

pellat περὶ τροφῆς, & Euphorion ſupra. *Epigr.* incerti:

– εἰς ἑκατὸν σοι ἀέλιος ὑδροποτῶν πίομαι ἐκ λιβάδος.
– centum Soles de puro non niſi fonte bibam.

Epigramma penult. lib. 4. Antholog. cap. 17. – ἀελίοις ἐν τριακονταδύοις: *in diebus* 32. de quo vide Manuelem Moſchopulum in voce ἥλιος, a quo Thomas Magiſter exſcripſit. Lucanus *lib.* 8. *v.* 367.

Exegit aeſtivum calido ſub pulvere Solem.

& *lib.* 10. *v.* 227.

Ante parem nocti Libra ſub judice Phoebum.

Vet. Gloſſarium manu deſcriptum: *tres ſoles, tres dies.* Vide Servium in Virgilii *Eclog.* 9. & *lib.* 1. *Aeneid.* & Joannis Brodaei *annotationes ad lib. 7. Graec. Epigr. cap. 23. ep. 7.* Fulvium Urſinum *pag.* 74. Virgil. cum Graecis ſcriptoribus collati, *Indicem in Dracontium* Weitzii in verb. *Sol.* Civilem diem Ovidius *Faſtorum lib.* 3. *v.* 163. plenum appellat:

Is decies ſenos ter centum & quinque diebus
Junxit, & e pleno tempora quarta die.

Servius *in v.* 738. *lib.* 5. *Aeneidos: Dies eſt plenus, qui habet viginti quatuor horas.* Civilem igitur diem heic accipimus. Galenus *lib.* 2. *de Criſibus*: Ἡμέραν παρ' ὅλον τὸν λόγον εἰρησομένοις, οὐκ τῆς ἡμέρας αὐτῆς μόνης συνεσῶσαν, ἀλλὰ πᾶν τὸ νυκτὸς χρόνον: *Diem autem in toto hoc tractatu accipiemus, ut non ſolum lumen, ſed etiam noctem complectatur.* Adde eundem Galenum θεραπ. μεθ. *lib.* 9. Oribaſium *lib.* 9. *Collect. cap.* 4.

Similiter ſacra Scriptura diei & noctis ſpatium diem appellat, ἡμέραν μιαν οἶδεν ἡ γραφὴ καλεῖν τὸ ἡμερονύκτιον, ut ſcribit Olympiodorus *in Jobum*, & refertur *in Catena* Nicetae *cap.* 3. Joannes Philoponus *de mundi creatione lib.* 4. *cap.* 14. Auctor *commentarii ad d. lib.* περὶ ἰνδ. *Quatuor autem*, inquit, *& viginti horarum intervallum diem appello.*

Nunc ejus rei, quam ſuſcepimus, diſputationem aggrediamur. Ejus autem omnino quinque erunt capita, hoc eſt, de ſeptimo, octavo, nono, decimo; & undecimo menſe, quantum poteſt, dilucide tractabitur. Moneamus tamen, primo die mulierem utplurimum concipere, foetum autem formari diebus triginta, vel triginta quinque, vel ut maxime quadraginta quinque, ut placet Medicis, & Philoſophis. Theodorus Metochites *in hiſtoria Romana*: Ὁ θειότατος Κύριλλος ἐν ἡμέραις μὲν εἰδοποιεῖσθαι τὸ ἄρρεν φησὶ μ'. τὸ θῆλυ δ' αὖ ἡμερῶν π'. δεῖσθαι πρός γε τὴν εἰς εἶδος τὸ ἀνθρώπινον περίοδον: *Sanctiſſimus Cyrillus marem intra dies 40 formari, feminam vero octoginta dicit.* Addam locum ex Ariſtide Quintiliano *de Muſica*, quia nondum in lucem editus eſt. Hunc autem utendum mihi dederat Dn. Nicol. Fabricius Peireſcius Senator Aquiſextienſis V. Cl. Φέρε δὲ καὶ τὰς τῶν λοιπῶν ζώων γενέσεις, ὅπως ταῖς κατὰ μουσικὴν ἀναλογίαις συμπεπίεσθωσιν, ἐπιδείξωμεν. τὴν μὲν οὖν καθ' ἑπταμήνους περιφορὰς τελεσιουργημένην κατὰ τοὺς ἁρμονικοὺς θεωρήσωμεν γενομένην λόγους. εἰ γὰρ λαβόντες τὸν ἐξ πρῶτον ὄντα γενέσεως σύμβολον ἐφεξῆς συνθείημεν ἀριθμοὺς τοὺς τῶν ἁρμονικῶν ἀναλογιῶν πρὸς αὐτὸν ἐπιδεικτικοὺς ἐπιτρίτου τε καὶ ἡμιολίου καὶ διπλασίου, ἔσονται μὲν ἡμῖν κείμενοι κατὰ τὸ ἑξῆς ἀριθμοὶ οἵδε, ϛ'. η'. θ'. ιβ'. τούτους δὲ συνθέντες καὶ ποιήσαντες τὸν λε. καθ' ὅν φασι τὰ ἑπτάμηνα διαπλάττεσθαι. εἰ κατὰ τὸν ϛ'. πολυπλασιάσαιμεν αὐτὸν ἰσάριθμον ταῖς τῶν ἑπταμήνων περιόδοις ἡμερησίαις. πάλιν δὲ εἰ τοῖς αὐτοῖς ὅροις τοὺς ῥυθμικοὺς προσθέντες λόγους ἴσον τε καὶ διπλασίονα, καὶ ἡμιόλιον, καὶ ἐπίτριτον ἀπὸ μονάδος ἀρξάμεθα, συγκείσονται μὲν ἀριθμοὶ οἵδε, α'. β'. γ'. δ'. ὧν ὁ μὲν ὡς μονὰς προτεταγμένος ἔχων ἀριθμόν, τὸν ἴσον πρὸς ἑαυτὸν ἕξει λόγον· ὁ δὲ β'. πρὸς τὸν α. τὸν διπλασίονα: ὁ δὲ γ'. πρὸς τὸν δύο, τὸν ἡμιόλιον. ὁ δὲ δ'. πρὸς τὸν γ'. τὸν ἐπίτριτον. οὓς ἀλλήλοις μὲν παραθέντες, τὸν τῶν δέκα πληροῦμεν ἀριθμόν· τοῦτον δὲ τῷ λε. συνθέντες, ποιήσομεν τὸν με. καθ' ὅν φασι μορφοῦσθαι τὰ ἐννεάμηνα. τῷ δὲ ἐξ πάλιν ὡς τελείῳ τὸν με. πολυπλασιάσαντες, τὸν τῶν ἐννεαμήνων ἀριθμὸν ἕξομεν σ'. ο'. τοσαύταις γὰρ ἡμερῶν περιπολήσεσι ζωογονεῖσθαι συμβαίνει τὰς προειρημένας. τὰς δ' ὀκταμηνιαίους ἰδεῖν ἐστι γενομένους μέν, τῷ μετέχειν ἐλαχίστου λόγου. ὅτι δὲ μὴ πάντων, ἰδιαιμῶς ζωογονουμένους. Plura addi poſſent; ſed inſtituti noſtri non eſt, de his curatius diputare.

Ante menſem igitur ſeptimum, neque maſculus, neque femina ſalubriter, & ſecundum naturam naſci poteſt, ut ſcribit Aulus Gellius *Noctium Atticarum lib.* 3. *cap.* 10. Ariſtoteles *hiſt. de animalibus lib.* 7. *cap.* 4. Ὅσα μὲν οὖν γίνεται πρότερα τῶν ἑπταμήνων, οὐδὲν οὐδαμῇ δύναται ζῆν: *Qui ante menſem ſeptimum prodeunt, nulli ulla ratione poſſunt vivere.* Plinius *Natur. hiſt. lib.* 7. *cap.* 5. *Ante ſeptimum menſem haud unquam vitalis eſt.* Nec abſque divini numinis beneficio praeproperi partus vitales ſunt. Sanctus Auguſtinus *ſermone* 2. *de Perpetua & Felicitate: Felicitas vero etiam in carcere praegnans fuit. In parturiendo femineam conditionem feminea voce teſtata eſt. Non aberat Evae poena, ſed aderat Mariae gratia. Exigebatur quod mulier debebat: opitulabatur quem virgo pepererat. Denique debilis eſt partus; immaturo menſe maturus. Actum eſt enim divinitus, ut non ſuo tempore onus uteri poneretur, ne ſuo tempore honor martyrii differretur. Actum eſt, inquam, divinitus ut indebito die foetus ederetur, dum tamen tanto comitatui debita felicitas redderetur: ne ſi defuiſſet, non ſolum ſocia martyribus, verum etiam ipſorum martyrum praemium defuiſſe videretur.* Sicut & ante 7. menſem lac inutile eſſe ſcribit Ariſtoteles *de hiſtoria animalium lib.* 7. *cap.* 6. Et ideo, cum quaereretur, an centeſimo ſeptuageſimo octavo die natus juſte conceptus intelligeretur, reſpondi, non videri juſti partus compleviſſe tempora: nec enim ſeptimum menſem Solarem attingit, ſed Lunarem dumtaxat, ſi dies unus inchoando ſeptimo ſufficiat ex Accurſii ſententia in *l. ſeptimo menſe* 12. *D. de ſtat. homin.* cujus gloſſa, ut poſtea dicetur, mendo non caret. Quin immo licet mendo careat, admittendum non puto quod quibuſdam placet, inter ſeptimeſtres numerari eum, qui primo die menſis ſeptimi natus ſit. Eademque ratione poſtumus quinto, ſexto, vel octavo menſe editus non rumpit teſtamentum, licet vocem emiſerit, quia praecoquus, & abortivus vitalis non eſt: hoc eſt, quae abortum fecit, perperiſſe non videtur. Itaque non rumpit teſtamentum, niſi qui juſto partu editus eſt, *l.* 2. *C. de poſtum. hered. inſtit.* & in ea ſententia eſt Paulus Caſtrenſis ad *d. l.* 2. & Petrus Faber, magna vir eruditione, ad *l. non poteſt.* 208. *D. de regul. jur.* poſt Alciatum ad *l. qui mortui* 129. *D. de verb. ſign.* vide Socinum Juniorem *conſ.* 35. *num.* 15. *lib.* 2. Hic enim partus naturalis non eſt. Franciſcus Nunneſius *in lib. de partu humano*, Hiſpanice conſcripto: *El parto no natural ſe haze, quando la criatura nace en el tiempo, que no deve nacer, como ſi naciſſe en el octavo o ſexto mes, o dende ai abaxo.* Idemque juris eſt, ſi exſecto ventre editus ſit: nec enim aliter rumpit teſtamentum, quam ſi vitalis ſit, *l. quod dicitur* 12. *D. de liber. & poſtum.* id eſt, tempeſtivus partus extractus, ut Julius Caeſar, qui nono menſe ex utero matris exſectus eſt, ſi modo ſatis locuples auctor eſt Suidas *in* Καῖσαρ: Τῆς γὰρ μητρός, inquit, αὐτοῦ θανούσης ἐν τῷ θ'. μηνί, ταύτην ἀνατεμόντες ἐξέβαλον αὐτόν: *Mortua matre ejus nono menſe, enſecto ventre, extraxerunt eum.* Idem ſcribit auctor *Chronici Alexandrini*, Cedrenus, Theodoretus Metochites, Georgius Monachus, & alii. Adde Spartianum *in Aelio Vero*, & Servium in *lib.* 1. *Aeneidos.*

Inter omnes autem convenit, partum ἑπτάμηνον maturum eſſe. Certe ſic veteres tradunt Philoſophi: atque ita imprimis Pythagoras apud Diogenem Laërtium: Μορφοῦσθαι δὲ τὸ μὲν πρῶτον, παγὲν ἐν ἡμέραις τεσσαράκοντα. κατὰ δὲ τοὺς τῆς ἁρμονίας λόγους, ἐν ἑπτά, ἢ ἐννέα, ἢ δέκα τὸ πλεῖστον μησὶ τελεωθὲν ἀποκυΐσκεσθαι τὸ βρέφος: *Formari autem primo quidem concretum & compactum intra dies quadraginta; juxta vero rationem harmoniae, intra ſeptem, aut novem, aut decem utplurimum menſes conſummatum, atque perfectum infantem naſci.* Et hunc partum Pythagoras minorem vocabat, referente Cenſorino. Philo περὶ κοσμου. Γίνεται γὰρ τὰ ἑπτάμηνα γόνιμα, τῶν ὀκταμηνιαίων ἀσθενῶν

ζωογ-

Digitized by Google

ζωογονεῖσθαι μὴ δυναμένων: *Partus enim ſeptimeſtres vitales ſunt; octimeſtres autem ut plurimum vivere non poſſunt.* Et in *Allegoriis*: τίς γὰρ οὐκ οἶδεν, ὅτι τῶν βρεφῶν τὰ μὲν ἑπταμηνιαῖα γόνιμα; *Quis enim ignorat partus ſeptimeſtres vitales eſſe?* Empedocles apud Plutarchum *de Placit. philoſ. lib. 5. cap.* 18. τὰ δεκάμηνα γόνιμα, καὶ τὰ ἑπτάμηνα: *Partus decimeſtres, & ſeptimeſtres vitales ſunt.* Auctor incertus in libello, quem inſcripſit, τὰ θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς, de numero ſeptenario: καλεῖται καὶ τελεσφόρος· γόνιμα γὰρ τὰ ἑπτάμηνα: *Dicitur & perfectus; ſeptimeſtres enim vitales.* Olympiodorus nondum edito *in Alcibiadem Platonis commentario*: τιμία ἐστὶν ἡ ἑβδόμας ὡς κρίσιμος, καὶ ὅτι ἑπτάμηνα ζώσιμα: *Septenarius numerus venerabilis eſt, quia criticus, & quia partus ſeptimeſtres vitales ſunt.* Theon Smyrnaeus *Mathematicorum cap.* 46. γόνιμα δὲ γίνεται ἐν ἑπτὰ μησί: *Septimo menſe nati vitales ſunt.* Locum Hephaeſtionis Thebani, quem ibi adducit Iſmael Bullialdus vir eruditiſſimus, non gravabor heic adſcribere, quia non omnium manibus libri ejusmodi teruntur. Sic igitur Hephaeſtion, περὶ καταρχῶν cap. Περὶ σπορᾶς καὶ ἐκ τέξεως: τῶν δὲ ἀνθρώπων λέγουσι γίγνεσθαι ἐπὶ μὲν δεκαμηνιαίων ἐν τῷ ἐυωνύμῳ τετραγώνῳ τῆς ἀποκυήσεως ἡλίου· ἐκεῖ γὰρ ὄντος τοῦ ἡλίου ἡ σπορὰ ἐγένετο. ἐπὶ δὲ τῶν ἑπταμηνιαίων ἐν τῷ διαμέτρῳ· αὐτῶν δὲ δεκαμηνιαίων τοὺς μὲν τελειουργεῖσθαι τῆς μεγίστης ἀποκυήσεως διὰ ἡμερῶν σπή. καὶ ὡρῶν η'. τοὺς δὲ τῆς μέσης σογ'. καὶ ὡρῶν η'. τοὺς δὲ ἐλαχίστους διὰ σνη'. καὶ ὡρῶν η'. τῶν δὲ ἑπταμηνιαίων τοὺς μὲν τῆς μεγίστης ἀποκυήσεως ἡμερῶν ὄντι ος'. ὡρῶν η'. τοὺς δὲ τῆς ἐλαχίστης ρος'. καὶ ὡρῶν η'. τοὺς δὲ τῆς μέσης ρϟα'. ὡρῶν η'. Οἱ δὲ παλαιοὶ Αἰγύπτιοι οἱ περὶ Πετόσιριν διαβεβαιοῦνται λέγοντες, ὡς ὅπου ἡ σελήνη τυγχάνει ἐν τῇ ἀποκυήσει, ἐκεῖνο τῆς σπορᾶς ὡροσκόπησεν. ὅπου δὲ ἐπὶ τῆς σπορᾶς ἔτυχε, τοῦτο ἐν τῇ ἀποκυήσει ὡροσκοπήσει, ἢ τὸ τούτου διάμετρον: *Foetum, ſemine in uterum injecto, concipi dicunt, quando decimeſtris eſt partus, in quadrato ſiniſtro loci ſolis, quem tempore editi foetus tenet: illic enim exiſtente Sole ſemen in uterum infuſum eſt. In ſeptimeſtri vero Sol locum oppoſitum obtinet ei, quem pertranſibat in conceptione. Eorum autem, qui decimo menſe naſcuntur, in utero morae longiſſimus terminus eſt dierum* CCLXXXVIII. *horarum* VIII. *Mediocris dierum* CCLXXIII. *horarum* VIII. *Breviſſimus tandem, dierum* CCLVIII. *horarum* VIII. *Horum vero, qui ſeptimo menſe naſcuntur, longiſſima in utero mora eſt dierum* CCVI. *horarum* VIII. *Minima, dierum* CLXXVI. *horarum* VIII. *Mediocris dierum* CXCI. *horarum* VIII. *Petoſiris autem Aegyptius antiquiſſimusque adfirmat, quod locus ille in conceptione horeſcopum occupat, quem in partu Luna tenet. Locus autem ille, quem Luna conceptionis momento pertranſibat, tempore editi partus horoſcopum obtinet, vel illi oppoſitus.* Praetermitto ſciens Platonem *lib. 5. de Repub.* Ariſtot. *bis de animal. lib. 4. cap. 4.* & e Latinis M. Tull. *lib 10 ad Attic. epiſt.* 20. & alibi. Aul. Gell. *lib. 3. cap.* 10. Macrob. *lib. 1. in ſomn. Scip. cap.* 6. Martianum Capellam *lib. 2. & 7.* Donatum in *Hecyram act. 4. ſc.* 1. & B. Ambroſium *epiſt.* 29. Adponam duntaxat Chalcidii locum e libro commentario *in Timaeum Platonis*: *Septimani partus*, inquit, *ante caeteros legitimi ſunt ingeneris humani foetuus.* Et Favonii Eulogii *in ſomn. Scip. Hippocrates Cous naturae ſcrutator egregius hunc numerum in libris, quos* περὶ ἑβδομάδων *appellat, ait creandis ineſſe corporibus: nam ſemen fuſum, & fomite matris exceptum ſeptimo die in ſanguinem commutari, ſeptimo menſe perfici, ac plerumque naſci legitimam partus dinumerationem manſuram.* Vide an legendum ſit, *legitima partus dinumeratione manſura.* Et paulo poſt: *Nam 8. & 27. ſunt 35. hoc ſexies ducito, facies, ut ſupra propoſuimus* CCX. *qui dierum numerus ſeptem menſes abſolvit. Hac ratione partus ille ſeptimanus eſt plenus.*

Jam praeter Philoſophos illuſtres, Hippocratem, Medicinae parentem, ad teſtimonium citemus. Ejus igitur haec fere verba ſunt, in *lib. 1. de victus ratione*: θάλαττα καὶ γόνιμα γίνεται, τὰ μὲν, θᾶσσον ἑπτάμηνα τελείας· τὰ δὲ βραδύτερον, ἐννέα μηνὶ τελείως εἰς φῶς ἀναδείκνυται: *Eodem modo vitales naſcuntur, quidam citius, ſeptimo menſe perfecte, quidam tardius, nono menſe perfecto in lucem prodeunt.* Et περὶ σαρκῶν: τὸ παιδίον ἑπτάμηνον γίνεται γενόμενον, λόγῳ γεγένηται καὶ ζῇ, καὶ λόγον ἔχει τοιοῦτον, καὶ ἀριθμὸν ἀτρεκέα ἐς τὰς ἑβδομάδας: *Puer ſeptimo menſe natus certa ratione in lucem prodit, & vitalis eſt, cum is rationem & numerum exacte ad hebdomadas habeat reſpondentem.* Adde ſis eundem *lib. 2. ἐπιδημ. ſect.* 9. Denique ducenteſimo decimo die foetum perfectum eſſe ſcribit idem Hippocrates περὶ τροφῆς, id eſt, ſeptimo menſe pleno. Plutarchus dicto *cap.* 18. Ὁ δὲ Ἀριστοτέλης καὶ Ἱπποκράτης φασὶν, ἐὰν ἐκπληρωθῇ ἡ μήτρα ἐν τοῖς ἑπτὰ μησί, τότε προκύπτειν, καὶ γεγονέναι γόνιμα· ἐὰν δὲ προκύψῃ μὲν, μὴ τρέφηται δέ (ἀσθενοῦντος τοῦ ὀμφαλοῦ, διὰ τὸ ἐπίπονον αὐτὸν γεγονέναι τὸ βρέφος) τότε ἔμβρυον ἄτροφον εἶναι. ἐὰν δὲ μείνῃ τοὺς ἐννέα μῆνας ἐν τῇ μήτρᾳ προκύψαν, τότε ὁλόκληρον εἶναι: *Ariſtoteles vero & Hippocrates dicunt, ſi uterus impleatur ſeptem menſibus, tunc foetum ſe exerere, ac in lucem edi: quod ſi ſe exerens non alatur ob umbilici languorem laborioſe geſtato foetu, tunc eum non nutriri: ſi vero novem menſes in utero manent, tunc ſe promere, integrumque naſci.* Qui quidem locus in morbo cubat apud Stobaeum in *Eclogis Phyſicis*, & Mercurio neſcio cui tribuitur: poterit autem hic Mercurius Plutarchi beneficio priſtinam ſanitatem recuperare.

Sed nec ab ea ſententia veteres abierunt Theologi. Tertullianus *de Anima, cap.* 37. *Sed & cum ſeptimo menſe nativitatis plena eſt facilius, quam octavo*, &c. Petrus Chryſolog. *ſerm.* 56. *Hinc, quod homo ſaepe menſis decimi deſpiciens terminum, ſeptimo menſe anguſtias primae domus & arctas uteri abjicit, & deſerit manſiones, ut praeliator novus ante ſe tempus eviciſſe gaudeat, quam dependat ipſe ſuam temporibus ſervitutem.* Arnobius *lib. 3. adverſ. Gentes*: *Praepropero partu ſeptimanas edere aliquando foeturas.*

Denique Juris auctores eidem ſententiae, poſt magnas, ut videtur, varietates incubuere: Paulus enim ait, *ſeptimo menſe naſci perfectum partum, jam receptum eſſe propter auctoritatem doctiſſimi viri Hippocratis*, in *l. ſeptimo menſe* 12. *D. de ſtat. homin.* ut omnis ea de re quaeſtio propter Hippocratem praecipuae virum auctoritatis hodie ſit conſopita. Itaque *ſeptimo menſe natus matri prodeſt in Senatusconſulto Tertulliano*, ut ſcribit idem Paulus *Receptar. ſentent. lib. 4. tit. 9. §. 5.* In ſumma, gigni hominem ſeptimo receptum eſt. Itaque tradunt μυθολόγοι, Euriſtheum, Sthenelei filium, ſeptimeſtrem in lucem produiſſe, Apollodorus *Biblioth. lib.* 2. Joannes Diaconus in *Heſiodi Scut. Hercul.* Sed & Apollinem ſeptimanum Nationes crediderunt: ἑπταμηνιαῖος γὰρ ἐτέχθη ὁ Ἀπόλλων: *ſeptimeſtris natus eſt Apollo*, ut ſcribit vetus Scholiaſtes Callimachi ad illa *hymni in Delum*: ἑβδομάτῃ περὶ Δῆλον: niſi forte Callimachus Apollinem ſeptimo menſis die natum ſignificet, ut Gentibus creditum, Heſiod. ἐν ἠμέραις: quod, ut puto, verius eſt. Unde ἑβδομαγένης Apollo dictus apud Plutarchum *Sympoſiac.* 8. Proclum *commentario 3. in Timaeum Platonis.* ἑβδομαγέτας, Aeſchylus in *Septemtheb.* Sic τριτογενὴς Minerva, quia menſis die tertio nata eſt, ut quibusdam placet. Cedrenus: τὴν δὲ Σεμέλην Πολυμήδων ὁ υἱὸς τοῦ Αἰθερίωνος γήμας, ἐκ τοῦ γένους ὢν τοῦ Διός, ἀπὸ Σεμέλης ἑπταμηνιαῖον γεννᾷ βρέφος: *Semelen Polymedon Aetherionis filius duxit, en gente Jovis: atque ex ea prolem ſeptimeſtrem ſuſtulit. Quintus Septimius Florens Chriſtianus ſic dictus, quod numero quintus ex compluribus liberis ſeptimo menſe natus eſſet*, ut ſcribit vir illuſtris Jacobus Auguſtus Thuanus operis poene divini, ſive *Hiſtoriae lib.* 117. Joſias Mercerus *in vita P. Pithoei*: *Uxores duas duxit (Petri & Franciſci pater) e prima geminos tulit, Joannem & Nicolaum, qui annum agentes ſeptuageſimum tertium, etiamnum vivunt, inſignes tam longaeva aetate, quod*

Digitized by Google

varum in geminis, & habitum miraculo, praecipue ſeptimo menſe natis. Non puto hìc praetereundum, quod obſervant Judaeorum magiſtri, Moſen ſeptimeſtrem fuiſſe, ad imitationem Patriarcharum. Chronicon Judaïcum apud Ampliſſ. Gilbertum Gaulminum, praeſtanti virum eruditione: *Inveniantur omnes tribuum Patriarchae intra ſeptem annos procreati praeter Benjamin, ſinguli ſingulis ſeptem menſibus.* Quamquam traditionibus ejuſmodi Rabinorum an fides habenda ſit, valde dubito.

Porro videamus, quibus tandem rationibus opinio haec jam pro vero ſit recepta. Paulus JC. ait, rationem Pythagoraei numeri hoc videri admittere, dicto *titulo* 9. hoc eſt, ſeptenarii dignitatem, & plenitudinem: *Etenim*, ut ait Chalcidius, *ſeptenarius numerus laudatur a Pythagoreis ut optimus, & naturaliſſimus, & ſufficientiſſimus*, &c. Cenſorinus *de die Natali cap.* 7. *Septimo*, inquit, *partum jam eſſe maturum, eo quod in omnibus numeris ſeptenarius plurimum poſſit.* ὅτι γὰρ μυστικώτατος ἀριθμῶν: *hic enim numerus ſupra omnes myſticus eſt*, ut ait Gregorius Nazianzenus *orat.* 42. Alexander Aphrodiſaeus *Problemat. lib.* 2. *q.* 42. Διὰ τί τὰ ἑπταμηνιαῖα βρέφη ζώσιμα, τὰ δὲ ὀκταμηνιαῖα οὐκέτι; ὅτι ὁ ἑπτὰ ἀριθμὸς τέλειός ἐστι τῇ φύσει, ὡς μαρτυρεῖ Πυθαγόρας, καὶ οἱ ἀριθμητικοὶ καὶ οἱ μουσικοί. ὁ δὲ ὀκτὼ, ἀτελής: *Quare partus ſeptimeſtres vitales ſunt, non etiam octimeſtres? quia numerus ſeptenarius natura perfectus eſt, ut teſtatur Pythagoras, Arithmetici, & Muſici: octonarius autem imperfectus.* Fulgentius in *Virgiliana continentia*: *Nam & cum ſeptem navibus, quo oſtendatur ſecundum Arithmeticam numerum ſeptennem harmonicum eſſe partui.* Innocentius III. *in epiſtola ad Patriarch. Conſtantinopolit.* Exſtat autem in Geſtis ejuſdem nuper editis: *Septenarius univerſus eſt numerus, eo quod omne tempus ſeptenario dierum numero noſcitur comprehendi.* Nolo huc congerere quae περὶ τῆς τοῦ ἑπτὰ ἀριθμοῦ τιμῆς idem Gregorius *orat.* 44. Baſilius in *Pſalm.* 114. Gregorius Nyſſenus, Severus in *Catena in Joannem cap.* 8. *verſ.* 56. Philo Judaeus, Hierocles ad *aurea Pythgorae*, Proclus in *Timaeum Platonis*, caeterique, quorum antea memini, literarum monumentis tradidere. Monendus tamen Lector eſt, eos, qui numeris vim poteſtatemque tribuunt, derideri a Galeno *lib.* 2. *de Criſibus.*

Aſtrologi putant, Lunam, quae eadem eſt ac Diana, & Juno Lucina, ſeptimo menſi praeeſſe, & naſcentium ducem eſſe. Plutarch. Ῥωμαϊκ. *cap.* 2. *in fin.* & *Sympoſ. cap.* 3. *qu. ult.* Varro *lib.* 4. *de L. L.* Arnobius *lib.* 3. Macrobius *Saturnal. lib.* 7. *cap.* 16, Artemidorus *lib.* 2. *cap.* 35. Auguſtin. *de Civ. Dei, lib.* 4. *cap.* 11. Vetus auctor *Apoſt. hiſtoriae lib.* 3. Veſtius Valens *in Fragmentis Aſtrologicis cap.* 2. *de Luna*: *Luna, quae generatur ex Solaris luminis refractionibus, ideoque aliena luce fulget, in genituris hominum vitam, corpuſque ſignificat, matrem, conceptum foetum.* Veteris Homeri Scholiaſtae rationes heic tantum conſignemus, quibus inſtituit ſeptimani partus maturitatem comprobare ad *Iliad.* τ'. Πῶς τὰ ἑπταμηνιαῖα ζωογονοῦνται, τὰ δὲ ὀκταμηνιαῖα οὔ; καὶ λέγομεν τρεῖς κινήσεις ἔχειν τὸ βρέφος ἐν τῇ γαστρί. τὴν κατὰ δ'. μῆνα, καθ' ἣν τὰς φυσικὰς ἐμφαίνει κινήσεις· καὶ ἔτι τὴν καθ' ἕβδομον, καθ' ἣν ἔχει κίνησιν τοῦ εἰς φῶς προελθεῖν, ἀλλ' ἡ μήτηρ ἀδυνατεῖ, καὶ ἄωρος ἐστιν ἀποβάλλειν. διὰ τοῦτο γίνεται καὶ ἑτέρα κίνησις κατὰ τὸν θ'. καθ' ἣν ἔχει πλείους δυνάμεις, καὶ ἡ μήτηρ ἀποβάλλειν αὐτά. αἱ δὲ κινήσεις ἐντάκτως εἰς δ'. εἶτ' οὕτως εἰς τρεῖς, ὡς ἰσοσθενέστεραι, εἶτα εἰς δύο μῆνας, ὡς ἔτι ἰσοσθενέστεραι, ἐξ ὧν ἀποτελοῦνται τὸ ἐννεάμηνον, &c. *Quemodo qui ſeptimo menſe naſcuntur vitales ſunt, non etiam qui octavo? Reſpondemus foetum ter moveri in utero matris: primo circa quartum menſem, quo tempore naturales patefacit motus. Et rurſus circa ſeptimum, quo tempore motum habet prodeundi in lucem. Verum mater eniti non poteſt, nec matura eſt ad partum edendum: ideoque fit tertius motus circa nonum menſem, quo tempore mater poteſt eniti; ejuſmodi autem motiones ordinate fiunt quarto menſe, deinde tertio poſt* (id eſt ſeptimo) *tanquam robuſtiores. Denique ſecundo poſt menſe* (id eſt nono) *quo tempore longe firmiores validioreſque ſunt, ex quibus conficitur novem menſium ſpatium.* Caetera vero quae de numeris moroſius forte ſubjiciuntur, hinc putant harum rerum indagatores, & ab Ariſtide Quintiliano *de Muſica.*

Atque haec ſunt, quae de ſeptimo menſe pleno dicenda nobis videbantur, a quibus digrederemur ad octavum; niſi ſupereſſet haec inſpectio, an & is maturus credendus ſit, qui ad initia ſeptimi menſis natus dicitur. Certe Juriſconſultus refert Hippocratem ſcripſiſſe, & Divum Pium Pontificibus reſcripſiſſe, cum, *qui centeſimo octogeſimo ſecundo die natus eſt, juſto tempore videri natum, l.* 3. §. *ult. D. de ſu. & legitim. hered.* Verum eſt, ſcripſiſſe id Hippocratem περὶ ἑπταμήνου. Verba ejus haec ſunt: αἱ δὲ ἑπτάμηνοι γίνονται ἐκ τῶν ἑκατὸν ἡμερέων καὶ ὀγδοήκοντα, καὶ δύο, καὶ προσέτι μορίου: *Septimeſtres autem naſcuntur diebus centum & octoginta duobus, & inſuper accedente diei particula.* Sunt tamen, qui dubitent, an legitimus ille Hippocratis partus ſit, idque, ut mihi videtur, jure meritoque. Moveor, quod Plutarchus *lib.* 5. *de Placit. philoſoph. cap.* 18. hanc ſententiam adſcribit Polybo: quid enim erat, cur Polybum referre omiſſo coryphaeo Medicorum Hippocrate, cujus ea de re jam liber exſtaret, maxime poſt relatam ibidem ſuper hac ipſa re divini prope viri ſententiam? Clemens etiam Alexandrinus *Stromatum* 6. refert ex eodem Polybo *lib.* περὶ ὀκταμήνου (fortaſſe legendum, περὶ ἑπταμήνου) ſexto menſe foetum perfici, hoc eſt, centum octoginta duobus diebus, φασὶ δὲ καὶ τὸ ἔμβρυον ἀπαρτίζεσθαι πρὸς ἀκρίβειαν μηνὶ τῷ ἕκτῳ, τουτέστιν ἑκατὸν ἡμέραις καὶ ὀγδοήκοντα πρὸς ταῖς δύο καὶ ἡμίσει, ὡς ἱστορεῖ Πόλυβος μὲν ἰατρὸς ἐν τῷ περὶ ὀκταμήνου: *Ajunt foetum quoque perfici menſe ſexto, id eſt, centum & octuaginta duobus diebus cum ſemiſſe, ut ſcribit Polybus medicus in libro de octimeſtribus*, cujus verba mox ex Plutarcho referemus, &, quemadmodum Clemens accipiendus ſit, trademus.

At enim quid faciemus Ulpiano, qui in *d. l.* 3. auctorem ejus ſententiae facit Hippocratem? Ego didici, plures eo nomine ſcriptores, & Medicos pariter extitiſſe. Nec mirum igitur, ſi de Hippocratis ſcriptis inter veteres non ſatis conſtiterit diſſenſionis fons ἐκ τῆς ὁμωνυμίας, ut ſcribit auctor vitae Hippocratis. Quid ergo prohibet, niſi Polybus eſt, alium ab Hippocrate Medicorum principe, auctorem eſſe libelli περὶ ἑπταμήνου? Quanquam & ipſe Hippocrates Cous in eadem ſententia fuiſſe videtur, περὶ ὀκταμήνου. Οἱ δὲ δεκάμηνοι τῶν τόκων, καὶ ἑνδεκάμηνοι ἐκ τῶν ἑπτὰ τεσσαρακονθάδων τὸν αὐτὸν τρόπον γίνονται, ὡς καὶ ἐκ τοῦ ἡμίσεος τοῦ ἐνιαυτοῦ οἱ ἑπτάμηνοι: *Decimeſtres & undecimeſtres ex ſeptem quadragenariis eo modo fiant, quo ex anni dimidio ſeptimeſtres.* Nam ex ſeptem quadragenariis conſurgunt ducenti octuaginta dies, qui novem menſes tricenarios abſolvunt. decem autem, qui ſupererant, decimum attingunt. Similiter CLXXXII. dies ſex menſes tricenarios implent: duo vero, qui ſuperſunt, ſeptimum inchoant. Heic enim ſubobſcure innuit, quod σαφῶς explicatur in libello περὶ ἑπταμήνου. Nec magis Hippocrates contraria ſcripſiſſe videbitur, quam Paulus Jureconſultus *d. titulo* 9. & in *d. l.* 12. Niſi forte Digeſtorum concinnatores, propter *d. l.* 3. leviter *d. l.* 12. interpolarint: & quod de ſeptimo pleno ſcripſerat *in Sententiis*, in *d. l.* 12. immutarint, ut efficerent, non modo ſeptimo menſe pleno naſci juſtum partum, ſed etiam centeſimo octuageſimo ſecundo die. Septimo namque menſe ibi natus intelligitur, qui intra ſeptimum menſem natus eſt. Anonymus interpres ad *dict. l.* 12. *lib.* 46. *Baſilικῶν tit.* 1. Κἂν ἄλλως ἀφῆται τοῦ ζ. μηνός. ἔξω ὁ τῇ ρπβ'. ἡμέρᾳ τικτόμενος, οὐ δοκεῖ ἐν δουλείᾳ συλληφθῆναι, τῆς μητρὸς αὐτοῦ πρὸ ρπβ' ἐλευθερωθείσης: *Licet attigerit tantum ſeptimum*

mum

mum menſem: unde qui centeſimo octogeſimo ſecundo die natus eſt, non videtur in ſervitute conceptus, cum mater ipſius ante centeſimum octogeſimum ſecundum diem manumiſſa eſt. Ex *d. l. 3. §. ult.* εἰ δέ λέγοι τις ἄλλως, κατὰ Βακχυλίδην, πλατεῖα κέλευθος: *Si cui aliter videntur, lata eſt via.*

Agamus quod agimus! Immaturus non eſt, qui circa initia ſeptimi menſis natus eſt, hoc eſt, centeſimo octogeſimo ſecundo die. Hippocrates ait, καὶ προσιόντος μορίου: *accedente diei particula.* Polybus apud Plutarchum, & auctorem *lib. de hiſtoria philoſophica*, maturam naſci ducenteſimo ſecundo die cum ſemiſſe; hujus enim verba ſunt haec: ἑκατὸν ὀγδοήκοντα δύο, καὶ ἥμισυ ἡμέρας γίνεσθαι εἰς τὰ γόνιμα. εἶναι γὰρ ἑξάμηνον, ὅτε καὶ ὁ ἥλιος ἀπὸ τροπῶν ἐν τοσούτῳ χρόνῳ παραγίνεσθαι· λέγεσθαι δὲ ἑπταμηνιαίους, ὅταν τὰς ἐπιλοίπους ἡμέρας τοῦ μηνὸς ἐν τῷ ἑπτὰ προσλαμβάνεσθαι: *Vitulem prolem naſci diebus poſt conceptum centum octoginta duobus cum ſemiſſe: hoc enim eſſe ſex menſium tempus, quando etiam Sol a tropico ad tropicum decurrat: Dici autem ſeptimeſtres, cum dies, qui ſuperſunt, a ſeptimo adſumuntur.* Nec igitur Polybus vult, illum numerum centum & octoginta & duûm dierum ſexti menſis eſſe pleni, ſed ſeptimi ineuntis. Polybus enim ſeptimeſtrem dici ait eum, qui ſeptimum menſem attigit. Atque ita accipiendum eſt, quod Clemens Alexandrinus ex Polybo refert. Hic autem dierum numerus dimidiam anni partem efficit, ξὺν μορίῳ τῷ μέρει προσγινομένῳ: *Una cum aliquantula diei parte ad diei partem accedente*, ut ait Hippocrates, ſive is Polybus eſt, περὶ ἑπταμήνου: ſi modo menſem pro triginta diebus accipiemus, ut in *l. ubi lex* 101. *D. de diverſ. regul. jur. ant. l. venditor* 28. & *l. quod ſi nolit* 31. *§. ſi quid ita* 20. *D. de Aedilit. ed.* & *l. ult. C. de jur. deliber. N.* 115. *cap.* 2. *l.* 2. *C. Theod. de Decurionibus.* Quanquam in *l. ult. C. de temporib. appellat.* tres menſes latius accipiuntur pro nonaginta tribus diebus. Si, inquam, menſem pro triginta diebus accipiemus, centum octoginta duo dies ſeptimum menſem attingunt: ſex enim menſes centum octoginta dies efficiunt; qui ſuperſunt duo, ſeptimum inchoant, ut jam ſupra dictum eſt. Quam putandi rationem ſequutus eſt Accurſius ad *d. l.* 3. *ſecundo die*, inquit, *id eſt, ſexto menſe & duobus diebus tractis de ſeptimo* (melius quam ad *d. l. ſeptimo menſe* 12. niſi ibi mendum ſubeſt, & diem unum pro duobus librarius ſcripſerit) & Graeci Juris interpretes, quorum verba ſubjiciam ex *lib. Baſilicôn*: Ὡς ὁ ἑπτὰ μηνῶν ἐπιλαβόμενος· οὗτος γὰρ καὶ ἐν τῷ ιϛ. διγ. ὁ ι΄. τιτ. ὁ α΄. βιβ. φησὶ, ὅτι ὁ ἐν τῷ ζ. μηνὶ τικτόμενος, νόμιμος υἱός ἐστι. ἀλλ' ἐνδέχεται τὰς ρπβ. ἡμέρας μὴ ἅψασθαι τοῦ ζ. μηνός, μήτε τὸν ϛ΄. πληρῶσαι. ἀπὸ γὰρ τῆς α΄. τοῦ μαρτίου ἕως πληρώσεως τοῦ αὐγούστου ρπδ. εἰσίν. ἀλλὰ λέγομεν ὅτι κατὰ Ἱπποκράτην, ᾧτινι ὁ παρὼν νόμος ἠκολούθησε λ΄. ἡμερῶν πεπληρωμένας ἐστὶ μὴν τῆς σελήνης. *Utpote quod qui natus eſt, attigerit ſeptimum menſem: nam in l.* 12. *tit.* 5. *lib.* 1. (*Digeſt.*) *is, qui ſeptimo menſe natus eſt, juſtus filius eſt. Atquin interdum contingit, ut centum octoginta duo dies non attingant ſeptimum menſem, ſed neque ſextum menſem impleant. Verbigratia, a Calendis Martiis usque ad finem Auguſti, dies ſunt centum octoginta quatuor. Sed ſecundum Hippocratem, cujus auctoritate heic utitur Jurecomſultus, ſingulis menſibus triginta dies tribuuntur.* Et ſeptimo igitur menſe natus dicitur non modo, qui menſe abſoluto natus eſt, ſed & qui affecto, id eſt, ſeptimus menſis incoeptus habetur pro completo, ut de undecimo quoque ſcribit Hippocrates, ut poſtea dicetur, quod alias quoque prudentes admittunt.

Verum licet immaturus eſſe non dicatur ſeptimeſtris, vel qui centeſimo octogeſimo ſecundo die natus eſt, auctor tamen dicti *lib.* περὶ ἑπταμήνου, putat, ſeptimeſtres fere non eſſe vitales, his omnino verbis: ἔστι δὲ ἃ τούτων τῶν ἑπταμήνων, καὶ περιγίνονται ἐκ πολλῶν ὀλίγα: *Ex his, qui ſeptimo menſe nati ſunt, pauci e multis incolumes evadunt.* Huc facit, quod ſcribit Hippocrates *lib.* 4. ἐπιδημ. ἐξέβαλε θῆλυ ἑβδομάμηνον: id eſt, *puellum effudit ſeptimo menſe.* Nam quod ἐκβάλλειν vel ἀμβλίσκειν Graeci, effundere, projicere vel ejicere Latini dicunt. Hippocrates γυναικ. *lib.* 1. *comm.* 5. διαφθείρει καὶ ἐκβάλλει: *abortum facit & ejicit.* Galenus περὶ τῶν πεπονθ. ἐκβάλλειν τὸ κύημα: *foetum ejicere.* Ariſtoteles *hiſtor. de animal. lib.* 7. *cap.* 5. καὶ τὸ μὲν ἐξέβαλεν, τὸ δὲ ἔτεκεν: *alterum effudere, alterum peperere* Pomponius Jureconſultus in *l. Quintus* 39. *D. ad leg. Aquil. Quod praegnas erat, ejecit.* B. Auguſtinus *de Civit. Dei, lib.* 22. *cap.* 12. *Abortivi foetus non nati, ſed effuſi.* Juvenalis *ſat.* 2. *verſ.* 32.

Cum tot abortivis foecundam Julia vulvam
Solveret, & patruo ſimiles effunderet offas.

Quintilianus *Declamatione* 6. *Si adeo non genuit filium, ſed effudit.* Guntherus *Ligurini lib.* 10.

— *Medio projectus ventris aborſu.*

Quanquam & fundi dicitur partus, qui circumactis menſibus novem naſcitur. Sic loquitur Paulus Jureconſultus *Receptar. ſentent. lib.* 4. *tit.* 9. *§.* 2. Lucret. *lib.* 5. *v.* 823.

— *animal prope certo tempore fudit.*

Arnobius *lib.* 1. *adverſ. Gentes: Mercurius utero fuſus Majae.* B. Hieronymus *ad Oceanum: Virgo puerpera Deum fudit infantem* Gregorius Turonenſis *de Gloria martyrum cap.* 17. *Nam cum partus fuiſſet effuſus.*

Partus, inquam, ſeptimeſtres fere vitales non ſunt, aut certe imbecilles ſunt. Cicero *lib.* 10. *ad Attic. epiſt. ultima: Tullia mea peperit XIV. Kal. Jun. puerum* ἑπταμηνιαῖον. *quod* ηὔχουν*, gaudebam. quod quidem eſt natum, perimbecillum eſt.* Ariſtoteles *dicto cap.* 4. τὰ δ' ἑπτάμηνα, γόνιμα γίνεται πρῶτον, ἀσθενῆ δὲ τὰ πολλά: *Septimus mature oriundi principium eſt: verum pleriqne ſunt imbecilles.* Immo qui menſe ſeptimo eduntur, immaturi quodammodo videntur. Lucianus in *Dialogo Neptuni & Mercurii*: Ἐμὲ δὲ κελεύει ἀνατεμόντα τὴν γαστέρα τῆς γυναικὸς, ἀνακομίσαι ἀτελὲς ἔτι αὐτῷ τὸ ἔμβρυον ἑπταμηνιαῖον: *Me autem jubet, ut inciſa illius alvo foetum illum imperfectum, & ſeptimeſtrem ſibi afferam.* Et Critici Graeci ἠλιτόμηνον ſeu *immaturum*, τὸν ἑπταμηνιαῖον γεννηθέντα παῖδα, *puerum ſeptimo menſe natum* interpretantur, Etymologicum in voce ἠλιτόμηνος. Ex quo Bacchus, ut videtur, ἠλιτόμηνος dictus, id eſt, *immaturo partu editus*, Nicomachus apud Photium *Bibliothecae numero* 187. & Euriſtheus apud Heſiodum in *Scuto Herculis.* Quia ſaepe nono, ſaepenumero decimo menſe gignitur homo, ut ait Gellius, vel ut ait Ariſtoteles *dicto cap.* 4. δεκάμηνα τὸ πλεῖστον. Homerus ita videtur accipiendus, *Iliade* T. *v.* 117.

Ἡ δ' ἐκύει φίλον υἱὸν, ὁ δ' ἕβδομος ἑστήκει μείς,
Ἐκ δ' ἄγαγε πρὸ φόωσδε καὶ ἠλιτόμηνον ἐόντα,

Haec autem geſtabat utero charum filium: hicque ſeptimus erat menſis, eduxitque in lucem, licet partus immaturus eſſet. Ἠλιτόμηνον Graeci Grammatici interpretantur διημαρτηκότα τοῦ τελείου ἀριθμοῦ τῶν ἐννέα μηνῶν: *qui ante* IX. *menſem completum natus eſt.* Gloſſae juris ineditae: ἠλιτόμηνος, τὸ γεννηθὲν παρὰ μῆνα, ἢ τὸ ἁμαρτάνον τῆς γενέσεως τοῦ ἐνδεχομένου καιροῦ: *quod ante juſtum naſcendi tempus editum eſt.* Ita Ariſto Spartae Rex Demaratum non agnovit, quem intra ſeptimum menſem uxor ediderat: οὐκ ἔφη τῶν μηνῶν εἶναι, καὶ αὐτοῦ τὸν παῖδα: *Dixit eum non eſſe menſium, & ſuum*, ut ſcribit Pauſanias *in Laconicis.* Alii ſcribunt, agnoſcere noluiſſe, quod ante decem menſes a nuptiis natus eſſet, Herodot. *lib.* 6. Suidas in Δημάρατος.

A ſeptimo transfeamus ad octavum, quem inter genitales menſes quidam referunt. Plutarchus *d. cap.* 18. Πόλυβος, Διοκλῆς, οἱ Ἐμπειρικοὶ, καὶ τὸν ὄγδοον μῆνα ἴσασι γόνιμον, ἀτονώτερον δέ πως, τῷ πολλάκις διὰ τὴν ἀτονίαν πολλὰ φθείρεσθαι. καθολικώτατον δὲ μηδένα βούλεσθαι τὰ ὀκτάμηνα τρέφειν, γεγενῆσθαι δὲ πολλοὺς ὀκτα-

μηνιαίους ἀδρὰς. *Polybus, Diocles, Empirici etiam octavum menſem genitalem agnoſcunt, ſed foetum eſſe imbecillum, ideoque multos perire. At tametſi fere in univerſum nemo octavo menſe natam prolem alendam cenſet, tamen ſic natos multos in viros evaſiſſe.* Itaque non recte legitur apud Auctorem *lib.* περὶ Φιλοσόφω ἱςορίας: Διοκλῆς δὲ καὶ Ἐμπειρικὸς, pro καὶ οἱ Ἐμπειρικοὶ, ut interpres legit. Dioclis etiam Cariſtii meminit Cenſorinus *cap.* 7. & Ariſtotelis partum octimeſtrem recipientis. Aulus Gellius *lib.* 3. *cap.* 16. *Multa opinio eſt, eaque jam pro vero recepta, poſtquam mulieris uterus conceperit ſemen, gigni hominem ſeptimo raventer, nunquam octavo, ſaepe nono, ſaepius numero decimo menſe.* Videtur quidem legendum, *nonnunquam octavo*, ut paulo poſt: *menſe nonnunquam octavo editum eſſe partum.* Sed verior eſt edita lectio, quae confirmatur optimo Regio codice MS. & aliis; cum enim dixiſſet Gellius, ex Medicorum & Philoſophorum ſententia, *Gigni hominem ſeptimo raventer, nunquam octavo*, ſubjecit deinde: *Sed noſter Caecilius cum faceret eodem nomine, & ejuſdem argumenti comoediam, ac pleraque a Menandro ſumeret, in menſibus tum genitalibus nominandis non praetermiſit octavum, quem praeterierat Menander. Caecilii verſus hice ſunt:*

Inſoletne mulier decumo menſe parere?
Pol nono, etiam ſeptimo, atque octavo.

In tribus manuſcriptis codicibus ſic habetur:

Pol nonoque.

In quarto vero:

Pol nono quoque, & ſeptimo, atque octavo.

Immo & in Italia tales partus eſſe vitales quidam putabant. Denique Veſtiliam octavo menſe genuiſſe Caeſoniam, Caji principis conjugem, tradit Plinius *d. cap.* 5. Scitu dignum eſt, quod de Vincentio Pinello, altae eruditionis viro, ſcribit Paulus Gualdus in *ejus vita*, ſororis cum Corneliae geminum fuiſſe, & octimeſtrem creditum. Hippocrates vitalem non eſſe partum ſcribit περὶ σαρκῶν· ὀκτάμηνον δὲ γενόμενον οὐδὲν βιοῖ πώποτε: *Octimeſtris partus nunquam vitalis eſt.* Idem quoque ſcribit ἐπιδημ. *lib.* 2. *ſect.* 9. & περὶ τροφῆς apud A Gellium *dicto cap.* 16. & Auctor *lib.* περὶ Φιλοσόφω ἱςορίας, Philo Jud. περὶ κόσμου. τὰ ὀκταμηνιαῖα ὡς ἐπίπαν ζωογονεῖσθαι μὴ δυνάμενα: *Cum octimeſtres ut plurimum ne vivi quidem gigni poſſint.* Videndus idem in *Allegoriis*, & Ariſtides Quintilianus *loco ſupra citato.* Tertullian. *de Anima cap.* 37. Arabes quoque tradunt, non ſupervixiſſe partum octavo menſe editum praeter beatum Jeſum. *Traditur tempus, quo gravida fuit, ſeu menſium fuiſſe:* juxta alios, *ſeptem menſium:* vel, *ut alii volunt, octo: nec ſupervixit partus octavo menſe editus, praeterquam beatus Jeſus*; ut refert eruditus vir Levinus Warnerus in *Compendio hiſtorico* eorum, quae Muhamedani de Chriſto tradiderunt. Denique ſcribit Aſclepiades in Naxo, tantum mulieres octavo menſe parere ex Junonis beneficio, vel quod Bacchus eo menſe natus ſit. Stephanus *de Urbibus in* Νάξος: Ἀσκληπιάδης ἱςορεῖ τὰς Ναξίας γυναῖκας μόνας ὀκτάμηνα τίκτειν, ἢ διὰ τὸ τὴν Ἥραν φίλην γενομένην τῷ Διονύσῳ ταῖς Ναξίαις τοῦτο δῶρον παρασχεῖν, ἢ ὅτι καὶ αὐτὸς Διόνυσος οὕτως ἐτέχθη: *Aſclepiades narrat ſolas mulieres Naxias octavo menſe parere, vel propter benevolentiam Junonis erga Bacchum: vel quia Bacchus ita natus ſit.* Vide tamen, quae de Baccho dicuntur infra, ubi de partu decimeſtri. Sed haec hiſtoria fabularis eſt. Ariſtoteles quoque *dicto cap.* 4. & Plin. Secund. *lib.* 7. *cap.* 5. tradunt, octimeſtres in Aegypto gigni, & vivere regionis beneficio poſſe: at in terrae Graeciae regionibus paucos omnino ſupereſſe: imo ſi qui ſalvi ſint, inquit, credunt mulieres, octavo menſe natos non eſſe, & ſeſe tempus conceptionis ignoraſſe; & mox ſubdit: non ſolum foetus octimeſtres non vivere, ſed & parentes eorum in vitae diſcrimine verſari. Neque recte quis dicet, annum Aegyptiacum lunarem fuiſſe, ut quidam exiſtimant, qui ante nos hanc quaeſtionem pertractarunt: certum eſt enim, annum Aegyptiorum Solarem fuiſſe, & omnes menſes tricenum dierum. Herodot. *lib.* 2. Strabo *lib. ult. cap. ult.* Dio *lib.* 43. Diodor. Sicul. *lib.* 1. *Biblioth.* Lucian. *de Aſtrologia.* Geminus *in element. Aſtronom. cap.* 6. Theon. *in Aratum*, & libello εἰς τοὺς προχείρους κανόνας. Cenſorinus *de die Nat. cap.* 18. Theophilus Alexandrinus *in Prologo ad Theodoſium Imper. de ſancto Paſcha: Aegyptii enim primi propter Lunae celeritatem, in qua apud quoſdam dierum error naſci ſolebat, in Solis curſu menſes, ac dies ſupputandos facilius crediderunt, eo quod Sol tardius coelum, quam Luna circumeat, atque ideo poſſit facilius comprehendi.* Iſidor. *Orig. lib.* 5. *cap.* 33. Beda *de tempor. ratione, cap.* 9. Theodorus Gaza *de Menſibus c.* 9. Et cum omnes fere alii Lunares menſes, & annos ſequuti ſint, ipſi veterem conſuetudinem retinuerunt, & ad Solares circuitus annorum dies metiuntur, ut ſcribit Julianus Imp *Oratione* 4. Quinimo refert Nunneſius in libro *de partu humano*, mulieres quaſdam Aegyptias etiamnum octavo menſe juſte parere. Verba ejus haec ſunt: *Aunque dize Ariſtoteles, que en Egypto ſe hallan partos naturales en eſte mes, porque dize, que las mugeres deſta region ſon muy varoniles, y aun no eſta eſto muy fuera de experiencia en las mugeres Egypcias, que vulgarmente llaman Gitanas en eſta tierra: pues entre ellas ſe han hallado vivir criaturas nacidas en el octavo mes, ſegun lo han afirmado algunas perſonas curioſas fide dignas que lo han inquirido entre ellas, y no es de maravillar, pues vemos que algunas dellas han parido en los campos con grandes frios y vientos y nieves, criaturas que han vivido ſin abrigo: porque la razon entre otras que ay, porque no vive la criatura que nace en el octavo mes, es, porque el tal mes es de Saturno, Planeta muy frio, el qual con ſu frialdad mata a la criatura nacida en el.* Atque his rationibus permoti quidam autumant, partum octimeſtrem legitimum & vitalem eſſe. Scribit tamen Varro, veteres Romanos non recepiſſe hujuſcemodi quaſi monſtruoſas raritates, auctore Gellio *d. c.* 16. Plinius etiam *d. c.* 5. ad receptum ait, *contra veterum opiniones.* Et partus igitur octimeſtris non rumpit teſtamentum. Nec enim teſtamentum rumpit, niſi qui juſtô tempore editus eſt, ut jam ſupra dictum eſt. Cur autem partus octimeſtris vitalis non ſit, ratio aſſertur ab Hippocrate *in lib.* περὶ ὀκταμ. & Cenſorino *de die Nat. c.* 8. Quod autem ait Aſtrologorum natio, octavo menſe partus incolumes non eſſe, quod primo a conceptu menſi praeſit Saturnus, & decurſis ſeptem erraticarum ſtellarum ſpatiis octavus menſis redeat ad Saturnum, cujus ſtella nocens: totum nugatorium eſt.

Sed jam ab intempeſtivo partu ad tempeſtivum progrediamur, hoc eſt, ad eum, qui nono menſe gignitur, quem inter omnes conſtat vitalem eſſe. Machabaeorum *lib.* 2. *cap.* 7. Hipocrates *de vict. ratione.* τὰ δὲ βραδύτερον ἔνια μηνὶ τελείως εἰς φῶς ἐκδίδονται: *Quidam tardius nono menſe perfecte in lucem prodeunt.* Denique idem tradit περὶ φύσιος παιδ. περὶ τροφῆς, & ἐπιδημ. *lib.* 2. *ſect.* 9. Seneca *epiſt.* 102. *Quemadmodum novem menſibus nos tenet maternus uterus*, &c. Ovid. *Metam. lib.* 10. *v.* 295.

— jamque coactis
Cornibus in plenum novies Lunaribus orbem
Illa Paphum genuit.

Macrobius *in Somn. Scipionis lib.* 1. *cap.* 6. *Humano partus frequentiorem uſum novem menſium certo numerorum modulamine natura conſtituit.* Theodorus Metochites *in hiſtoria Romana*: ὁ τῆς κυοφορίας ἐννεαμηνιαῖος καιρὸς, ὁ τοῦ τικτομένου συνήθης ἔξοδος: *tempus novimeſtre ſolennis naſcituri exitus.* Favonius Eulogius *in Somn. Scip. Aliumque alii rei numerum convenire, ut Concordiae publicae nuptialem, at edendis partubus, cubicum*, id eſt, novenarium. Ammianus Marcellin. *lib.* 14. A. Gellius *d. cap.* 16. Auſonius *in Grypho.* Michael Pſellus *de Daemonibus*: τὴν δ' ἐννεάμηνον ὠδῖνα ἀναμένουσι

μείναντες, ὅτε καιρὸς ἐκτεχθήσεσθαι τὰ ἐξ ἀθεμίτων σπέρματος ἀθέμιτα ἔκγονα, κατὰ ταυτὸ ἀπαντῶσιν αὖθις: *Novem menſium decurſo ſpatio, imminenteque tempore, ut infandi foetus ex infando ſemine procreati naſcuntur, eundem in locum denuo conveniunt.* Atque nono menſe Jesus Christus, generis humani redemptor, fertur editus. B. Chryſoſtomus *Homilia Jeſu Chriſti diem natalem*: ἓξ μῆνας ἐν γαστρὶ ἐχούσης τῆς Ἐλιζάβετ τὸν Ἰωάννην, ἡ Μαρία ἤρξατο συλλαμβάνειν. ἂν τοίνυν μάθωμεν, ποῖος ἐκεῖνος ὁ μὴν ὁ ἕκτος ἦν, εἰσόμεθα καὶ πότε ἤρξατο συλλαμβάνειν ἡ Μαρία. εἶτα μαθόντες πότε ἤρξατο συλλαμβάνειν, εἰσόμεθα καὶ πότε ἔτεκεν, ἐννέα μῆνας ἀριθμήσαντες ἐκ τῆς συλλήψεως: *Quum menſes jam ſex Elizabeth Joannem in utero geſtaret, tum Maria concipere coepit. Itaque diſcamus, quisnam ſextus ille menſis fuerit, certo etiam ſciemus, quando coeperit Maria concipere. Deinde quum cognoverimus, quodnam conceptus ſui initium habuerit, utique quando pepererit cognoſcemus, novem menſes a conceptione numerantes.* Et *Homilia* in illud, *Pater ſi poſſibile eſt*: εἰς μήτραν ἐλθεῖν παρθενικὴν καὶ ἐνναμηνιαῖον κυοφορηθῆναι χρόνον: *In virgineum veniſſe uterum, & novem menſium ſpatio in ventre foiſſe geſtatum.* Stephanus Gobarus Photii *Biblioth. cod.* 232. Τίκτει δὲ τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν μηνῶν τελεσθέντων θ'. *Peperit vero D. noſtrum Jeſum Chriſtum novem menſibus completis.* Adde Nicephorum Calliſt. *lib.* 1. *cap.* 23. Theodorum Metochitam *in hiſt. Rom.* Michaëlem Glycam *pag.* 208. edit. Graeco-Latinae. Nono quoque menſe natum Joannem ſignificatur, *Lucae cap.* 1. *verſ.* 26. 56. & 57. Chronicon Alexandrinum: Εἰ δὲ θέλοντες γνῶναι καὶ ποίῳ τοῦ μηνὸς ἐτέχθη ὁ πρόδρομος, εὑρίσκομεν ὅτι ὁ ἐνναμηνιαῖος τέλειος χρόνος τῆς συλλήψεως τῆς Ἐλιζαβὲθ συμπληροῦται εἰς τὴν εἰκάδα τετάρτην τοῦ Ἰουνίου μηνός: *Deinde ſi lubet ſcire, quota die menſis praecurſor in lucem ſit editus, comperiemus a conceptione Elizabeth, novem menſibus expletis, natalem ejus in quartam & viceſimam Junii incidiſſe.* Petrus Damiani *lib.* 2. *epiſt.* 21. *Cum & B. Joannes Baptiſta, & ipſe auctor, & inſtitutor naturae Chriſtus, ſic intra novenarium nati fuerint menſium curſum, ut ex decimo menſe, ne tenuiſſimum quidem attigerint atomum.* Judaei partum abortivum eſſe putant, ſi ante nonum menſem editus ſit. Maimonides *tract.* רוצח *cap.* 2. אחד ההורג את הגדול או את הקטן בן יומו בין זכר בין נקבה הרי זה נהרג עליו אם הרג בזדון או גולה אם הרג בשגגה והוא שכלו לו חדשיו אבל אם נולד לפחות מט׳ חדשים הרי הוא כנפל עד שיעהה ל׳ יום וההורגו בתוך שלשים יום אינו נהרג עליו: *Sive quis natu majorem, ſive infantem, vel unum diem natum, maſculum aut foeminam occiderit, perinde eſt, & ſi conſulto occiderit, capitis ſupplicio: ſi imprudens, exilio punitur. Is autem infans eſſe creditur, cujus menſes fuerint completi. Quod ſi infra IX. menſes natus ſit, foetus abortivus intelligitur, donec ſit XXX. dierum. Talem qui occidit intra XXX. dies (a partu) morte non adficitur.*

Cur autem ἐννεάμηνος vitalis eſt? an propter numeri dignitatem? πᾶσι γὰρ διὰ στόματός ἐστι, καὶ πᾶσιν ὑμνούμενος ὁ ἐννεάδος ἀριθμός: *In ore enim omnes habent novenarium numerum, & nemo non eum praedicat,* ut ſcribit Plutarchus *Sympoſ.* 9. An quia, ut volunt Aſtrologi, nono menſi praeeſt Juppiter, quem Ζῆνα appellarunt, διὰ τὸ σώζειν καὶ αἴτια εἶναι τοῖς ζῶσι τοῦ ζῆν: *Quod ſtella ejus ſervet, ac vitae cauſa ſit animantibus,* ut ait Phurnutus περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσεως. Joſephus *ἀρχαιολογ. lib.* 12. *cap.* 2. Ζῆνα καλοῦντες αὐτὸν ἐτύμως, ἀπὸ τοῦ σύμπασιν ἐμφύειν τὸ ζῆν τὴν ἐπίκλησιν αὐτοῦ νοήσαντες: *Jovem appellantes, nimirum quod juvet vitam omnium.* Martianus Cappella *lib.* 2. *Nos a juvando Junonem, unde & Jovem dicimus, nominemus.* Julius Firmicus, *Matth. lib.* 2. *cap.* 15.

Decimum quoque menſem genitalem eſſe placet, Sapientiae *cap.* 7. Moſchus *Idyll.* 2.

— ἐπεὶ δέκα μῆνας ἔκαμνον.
— *quia decem menſium laborem tuli.*

Menander Plotio, γυνὴ κύει δεκάμηνος: *Mulier decimo menſe parit.* Hippocrates *libro de ſero partu*: εἰς εἶδος, ἥλιον ὀ'. εἰς πρώτην ἅλμα, ρ'. εἰς τελειότητα, τ'. *Ad formam, ſoles, ſive dies quinquaginta. Ad primum motum, centum. Ad perfectionem, trecenti.* Philo Judaeus: Αἱ κύουσαι μὲν βαρυτάτοις ἄχθεσι δέκα που μῆνας πιέζονται: *Quae gravidae valde onerantur per menſes ferme decem.* Plutarchus *d. cap.* 18. τὰ δεκάμηνα γόνιμα: *decimo menſe editi foetus vitales ſunt.* Oppianus *lib.* 1. *de venatione* jam ſupra relatus. Plautus in *Sticho Act.* 1. *ſc.* 3. *v.* 5.

- *Me illa* (mater) *in alvo menſes geſtavit decem.*

Varro *Myſteriis* apud Nonium Marcellum: *Naſcimur enim ſpiſſius, quam emorimur: vix duo homines decem menſibus edolatum unum reddunt puerum. Contra una peſtilentia, hoſtica acies, puncto temporis immanis acervos facit.* Terentius *Adelph. Act.* 3. *ſcen.* 4. *v.* 28.

— — *virgo ex eo*
Compreſſa gravida facta eſt, menſis hic decimus eſt.

Seneca *Controv.* 23. Calphurn. Flacc. *declam.* 23. Statius *Sylv. lib.* 1. *in Epithal. Stellae*, *v.* 268.

Acceleret partu decimum bona Cynthia menſem.

Ovidius *Metamorph. lib.* 8. *fab.* 4. *lib.* 9. *fab.* 5. *Faſtorum lib.* 1. & 3. Virgilius *Ecloga* 4. *v.* 61.

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

Ex quo Avitus Viennenſis *Poëmatum lib.* 6.

Et cum longa decem tulerint faſtidia menſes

Huc reſpicit Voluſianus *in epiſt. ad Auguſtinum*: *Mirum*, inquit, *utrum mundi dominus, & rector, intemeratae feminae corpus impleverit, pertulerit decem menſium longa illa faſtidia.* Sic Hieronymus dixit, *Faſtidia conceptuum*, contra Jovinianum. Servius *ad illum Virgilii locum*: *Mares in decimo naſcuntur menſe, feminae vero in nono.* Apulejus in *Apologia*: *O infelix uterum tuum Pudentilla! ô ſterilitas liberis potior! ô infauſti decem menſes!* Arnobius *lib.* 1. *adverſ. Gent.* *In utero matris ſuae formatus, abſolutus menſibus & conſummatus decem.* Et *lib.* 5. *Hanc petra concepit, & mugitibus editis multis prius menſe naſcitur decimo, materno ab nomine cognominatus Acdeſtis.* B. Hieronymus *de vitando ſuſp. contub.* *Decem menſibus utero clauſa vixiſti.* Avianus interpres Chryſoſtomi, vel potius Joannis Hieroſolymitani, ut editori nupero placet, *homilia* 48. *in Matthaeum*: *Mulier praegnans ſemper decimo menſe cogitat.* Avianum autem (niſi forte Anianum malis) harum homiliarum interpretem eſſe colligitur ex hac Iſidori gloſſa; *Agrarius: Avianus, qui agrum locat ut aguriam accipiat.* Legendum, *agrariam*, ut apud eundem interpretem *homilia* 37. & Promotum Grammaticum ms. in verbo *Agrarius*. Vide Petri Chryſologi, quem ſupra adduximus, locum in viſione de ſeptimo menſe. Sueton. *Auguſti cap.* 94. Quintilian. *lib.* 8. *cap.* 3. Ulp. *Regular. tit.* 16. §. 1. Gell. *lib.* 14. *cap.* 1. Emendemus obiter eundem Gellium *lib.* 7. *cap.* 1. ope Regii codicis ms. *Mulierem cepiſſe concepti foetus ſigna, atque ſenſum pati: exinde menſe decimo peperiſſe.* Edita lectio nauci non eſt. Itaque poëtae fingunt, Jovem decem continuos menſes Bacchum femori ſuo inſutum geſtaſſe, Lucian. *Dial. Neptun. & Mercur.* Ariſtides *in Bacchum oratione.* & Herculem δεκαμηναῖον, Joannes Diaconus in *Heſiodum*. Vide Theocriti *Idyll.* 24. Huc faciunt quae de Alexandro M. ſcribit Arrianus *expedit. lib.* 7. & de Stratonico cytharoedo, & Satyro ſophiſta, Athenaeus *δειπνοσ. lib.* 8. Denique huc referri poſſunt Homeri verſus, quos profert Gellius *d. cap.* 16. ſi dicemus annum apud Aeolas tempore Homeri decem menſium fuiſſe, de quo vide Joſephum Scaligerum *in Auſonianis lib.* 1. *cap.* 28. Alexander tamen Aphrodiſaeus decimeſtrem, βραδὺ, *tardum* appellat *problemate* 40. *lib.* 1. ut quidam putant. Ego vero lectionem veterum codicum amplector, in quibus βραχὺ legitur teſte Sylburgio. Alexandri verba ſunt haec: Ἐν μήτρᾳ δεκαμηνιαῖον βρέφος βραχὺ παραμεῖναν, μηδεμίαν αἴσθησιν βάρους παρέχει τῇ κυοφορούσῃ: *Foetus decimeſtris paulum per-*

Digitized by Google

permanet, nec allum oneris ſenſum praegnanti praebet. Hunc partum majorem appellabat Pythagoras, referente Cenſorino *de die nat. cap.* 11.

Belle autem quaeritur an decem menſes incoepti, an vero conſummati accipiendi ſint. Gellius quidem e *Ciſtellaria* Plauti *act.* 1. *ſcen.* 3. profert hos verſus:

— illa, quam compreſſerat,
Decumo poſt menſe exacto hic peperit filiam.

Euphorion ſupra relatus:

Hoc utero Soles qui te geſtare trecentos
Suſtinui.

Id eſt, decem ſolidos menſes. At idem Gellius *lib.* 2. *cap.* 10. ſcribit, *eos, qui juſtiſſime nati ſunt, poſt ducentos octuaginta dies* lege ex manuſcripto codice Bibliothecae Regiae, *ducentos ſeptuaginta tris.* Nam ſi dies ſeptem addideris, quibus ſemen genitale conglobatur, coagulaturque, ſumma dierum 280. colligetur. Caeterum 41. hebdomade naſceretur, id eſt, 287. die, quod Gellii ſententiae non convenit: vel, ſi mavis ſcripturam aliorum codicum ſequi, dele illa (*poſtquam ſunt concepti*) *poſtquam ſunt concepti, ſive 40. hebdomade naſci.* Ei adſtipulatur Hippocrates περὶ ὀκταμήνου. Τὰ δεκάμηνα καλεόμενα λέγω ἐν ἑπτὰ τεσσαρακοντάσιν ἡμέραις παῖδας τίκτεσθαι, καὶ μάλιστα ἀρτιώτατα ἐκτρέφεσθαι: *Decimeſtres nuncupatos ſeptem dierum quadrugenariis potiſſimum in lucem edi ſentio, maximeque ut educentur convenire.* Novem enim menſes & decem dies ducentos octuaginta dies efficiunt. Et libro περὶ σαρκῶν. Ἐννέα δὲ μηνῶν, καὶ δέκα ἡμερέων γόνος γίγνεται, καὶ ζῇ, καὶ ἔχει τὸν ἀριθμὸν ἀτρεκέα εἰς τὰς ἑβδομάδας: *Novem autem menſium, & decem dierum foetus editur, & vitalis eſt, numerumque ad hebdomadas exacte reſpondentem habet.* Auctor περὶ ἑπταμ. Τὰ ἐν ἑπτὰ τεσσαρακοντάσι τικτόμενα, τὰ δεκάμηνα καλεόμενα. &c. *Qui ſeptimo quadrugenario in lucem eduntur, decimeſtres appellati*, &c. Utique autem decem menſes exacti dies trecentos reddunt. Tertullianus quoque videtur id ſignificare *de Anima, cap.* 37. *Legitima*, inquit, *nativitas ferme decimi menſis ingreſſus eſt.* Plinius *lib.* 7. *cap.* 5. *Alius ſeptimo menſe, alius octavo, & usque ad initia decimi, undecimique.* Scribit quoque S. Auguſtinus, Chriſtum Servatorem noſtrum in utero geſtatum ducentis ſeptuaginta ſex diebus, hoc eſt, novem menſibus, & diebus ſex, *de Trinitate lib.* 4. *cap.* 5. Et Alcuinus *de divin. offic. cap.* 1. Claud. Taurinenſis *in Excerptis apud Dungalum: Vi enim ſex horis in cruce pependit, & tamen novem menſibus lunaribus, & ſupra undecim dies in utero virginis fuit, qui ſimul ſunt dies Solares ducenti ſeptuaginta ſex, id eſt, novem menſes, & ſupra dies ſex.* Et Chriſtus igitur decimeſtris. Ferrandus diaconus *Paraenetico ad Reginum: Alioquin ſi fabricavit ſibi creator creandus novi generis carnem, vel ex nihilo, vel unde voluit, apparere ſubito debuit oculis mortalium, quam decem menſibus tolerare parvi ventris hoſpitium, cujus magnitudini non ſufficit coelum.* Subaudiendum τὸ potius, ut in *epiſtola ad Anatolium: Ne viderentur intellectum loquentis adprobaſſe, quam verba.* Item illud *Sapientiae cap.* 7. Εἰμὶ μὲν κἀγὼ θνητὸς ἄνθρωπος, ἴσος ἅπασι, καὶ γηγενοῦς ἀπόγονος πρωτοπλάστου, ἐν κοιλίᾳ μητρὸς δεκαμηνιαίῳ παγεὶς ἐν αἵματι ἐκ σπέρματος ἀνδρός: *Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro, decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine.* Sic interpretatur idem Auguſtinus *apud P. Damiani lib.* 1. *epiſt. ult. Quadraginta & ſex annis aedificatum eſt templum hoc, & tu in triduo illud reaedificas? qui videlicet numerus, ſi per ſenarium ducitur, omne tempus, quo dominus in matris utero manſit, impletur: nam quadraginta ſexies ſeni, ducenti ſeptuaginta ſex dies, qui dierum numerus complet novem menſes & ſex dies: qui videlicet tanquam decem menſes parientibus feminis imputantur. In quibus nimirum verbis*, ait Damianus, *indubitanter oſtenditur, quod triginta ſolummodo dies quibusque menſibus adſcribuntur. Triginta quippe ſi novies multiplicentur, ducenti ſeptuaginta ſimul. In ducentis ergo ſeptuaginta tricenarius numerus invenitur, qui juxta beati doctoris hujus teſtimonium novem menſes fiunt. Quinque vero dies, qui reſidui ſunt, pro decimo menſe accipiuntur.* Atque ita Catholicus Armenius in *legatione Manuelis Comneni:* ἐννέμηνον, inquit, ἐν τῇ γαστρὶ τῆς παρθένου, &c. *Habitavit in utero virginis novem menſium, & quinque dierum ſpatio. Dixit ergo Theorianus: Unde quaeſo id habet, quod novem menſibus & quinque diebus habitaverit in caſtiſſimae virginis utero?* Catholicus: *Accepimus a doctoribus noſtris, primigenia quinque diebus in matrum ſuarum alvo diutius exiſtere, quam foetus non primigenios* (Joſephus Scaliger *Canonum Iſagogicorum lib.* 3. hoc deridet) *Atque huic opinioni fidem conciliavit ex illo ſapiente Salomone, de ſe ipſo dicente: decem menſium ſpatio defixus in corpore fui. Quibus verbis hoc indicare vult, quod non modo novem menſibus in utero matris ſuae fuerit, ſed etiam decimi partem aliquam ceperit. Noſter igitur Emmanuel tanquam foetus primigenitus par temporis ſpatium in utero matris exegit.* Theorianus tamen ibidem: *Salomo*, inquit, *Hebraeorum more tempora metiens, decem menſium ſpatio ſe in corpore defixum fuiſſe dicit: nam ſecundum Lunam menſes ſuos dimetiuntur; adeoque Lunae principium menſis principium faciunt: ac viciſſim Lunae finem, menſis ſui finem. Nunquam vero Luna dies 30. vel 31. ſicut noſtrorum menſium habet. Itaque juxta numerum Hebraeorum menſium Salomo dixit: decem menſium ſpatio defixus in corpore.* Veterum tamen Hebraeorum menſis tricenarius fuit, ut Graecorum, non ut poſtea Lunaris, & Synodicus. Theodoretus in *Danielem lib.* 9. Εἰδέναι χρὴ, ὡς Ἑβραῖοι, κατὰ τὸν τῆς σελήνης δρόμον ἀριθμοῦντες τὸν ἐνιαυτὸν, ἕνδεκα ἡμέρας περιττὰς ἀποφαίνουσιν, ἃς καὶ ἡμεῖς ἐμβολίμους καλοῦμεν: *Sciendum eſt enim, quemadmodum Hebraei ſecundum Lunae curſum numerantes annum, undecim dies ſupereſſe demonſtrant, quos etiam nos intercalares vocamus.* Hunc locum exſcripſit Georgius Monachus *in Chron.* Iſidorus *Originum lib.* 5. *cap.* 33. *Luna enim* μήνη *Graeco ſermone vocatur: unde & apud Hebraeos menſes legitimi non ex Solis circulo, ſed ex Lunae curſu enumerantur, quod eſt de nova ad novam.* Nicephorus Gregoras *lib.* 8. ἀπὸ γὰρ συνόδου πρὸς σύνοδον τῶν δύο φωστήρων τὰς τῶν μηνῶν ἀριθμοῦντες περιόδους, &c. *Nam a congreſſu ad congreſſum duorum luminum menſium circuitus Judaei numerant.*

Verum decimo quoque menſe exacto partum edi poſſe dubitari non debet. Hippocrates περὶ τροφῆς: ἄλλοι ν΄. ἐς ἰδέην, οἱ πρῶτον ἅλμα ρ΄. οἱ τελειότητα τ΄. *Alii ajunt; ad formam Soles, ſive dies 50. deſiderari, ad primum motum centum: ad perfectionem trecentos.* qui decimum ſolidum menſem reddunt. Nam & undecimo gigni hominem poſſe decreviſſe fertur Adrianus auctore Gellio, *dicto cap.* 16.

An ergo id quoque tribuendum erit occultae rationi numeri decumani? *& propter denarii numeri perfectionem, quod erat Pythagorae complacitus*, Boëtius *Arithmet. lib.* 2. *cap.* 41. quemque etiam Pythagorici appellant primam quadraturam, *propterea quod ex primis quatuor numeris conſtat, uno, duobus, tribus, quatuor*, ut ait Chalcidius: ὅς ἐστι τελειότατος ἀριθμὸς, ut ait Sextus Philoſophus, *qui perfectiſſimus numerus eſt.* Malchus etiam ſive Porphyrius *de vita Pythagorae* τέλειον ἀριθμὸν, *perfectum numerum* vocat. Vitruvius *lib.* 3. *cap.* 1. *Perfectum autem antiqui conſtituerunt numerum, qui decem dicitur.* Tertullian. *d. cap.* 19. *Qui numeros ratiocinantur, & decurialem numerum, ut exinde reliquorum parentum colunt: denique perfectorem nativitatis humanae.* Nec eſt, cur dicamus, breviores fuiſſe veterum menſes, quam noſtros, cum ad Lunae curſum eos metirentur, non Solis, ut ſcribit Turnebus & alii. Nam, ut jam ſupra dictum eſt, tricenarii menſes intelligendi ſunt, id eſt, Solares menſes, non Lunares.

Supereſt ut de eo, qui undecimo menſe natus eſt, dica-

dicamus. Et non eſſe partum legitimum multa opinio eſt. Cenſorinus *de die nat. cap.* 8. *Undecimo non putant naſci; multo minus duodecimo.* Scribit etiam Gellius, foeminam bonis, atque honeſtis moribus, non ambigua pudicitia, in undecimo menſe poſt mariti mortem peperiſſe, factumque eſſe negotium propter rationem temporis, quaſi marito mortuo, poſtea concepiſſet: quoniam Decemviri in decem menſibus gigni hominem, non in undecimo ſcripſiſſent. Quo etiam pertinet Galli Aquilii formula in *l. Gallus* 29. *D. de liber. & poſt. & l. ult. C. de poſtum. hered. inſtit. l. ult. D. de fideicommiſſar. libert.* Scribit etiam Plutarchus *in Alcibiade*, regem Agidem agnoſcere Leotychidem noluiſſe, quod poſt decimum menſem a viri concubitu cum mater edidiſſet, idque etiam tangit in *Lyſandro* & *Ageſilao*. Idem quoque ſcribit Xenophon Ἑλληνικῶν *libro* 3. Et ſi quae, ultra decem menſes, uterum geſtare ſibi viſae ſunt, falluntur, ut ſcribit Hippocrates περὶ φύσιος παιδίου, *de natura pueri*, ſi modo liber ejus eſt: nam in libro ms. Illuſtriſſ. Viri D. Henrici Memmii Senatus Pariſienſ. Praeſid. integerrimi & doctiſſimi, ſic titulus concipitur: Ἱπποκράτους ἢ Πολύβου μαθητοῦ περὶ φύσιος παιδίου. Galenus etiam *de ſemine cap.* 4. ut Hippocraticum laudat. Idem tamen *de foetus formatione cap.* 1. *Polybi nomine citat.* Diogenes Laërtius *in Pythagora*: Ἐν ἑπτὰ, ἢ ἐννέα, ἢ δέκα τὸ πλεῖστον μησὶ τελειωθὲν ἀποκυΐσκεσθαι τὸ βρέφος: *Intra ſeptem, aut novem, aut decem ut plurimum menſes perfectum infantem naſci.* Ariſtoteles *dicto cap.* 4. δεκάμηνα τὸ πλεῖστον: *Femina parit plurimum menſe decimo.* Caeſarius *dialogo* 3. ſive *reſponſione* 140. ἢ ἑπτὰ μηνῶν γυνὴ πολλάκις, ὡς ἐπὶ πολὺ δὲ ἐννέα, πολλάκις δὲ ι. προλαβοῦσα καὶ ἐκ τοῦ ια. μόλις ποτέ: *Mulier foetum geſtat ſaepe ad menſes ſeptem, ut plurimum autem ad novem, ſaepe ad decem: vix autem aſſumit ex undecimo.* Denique luctui peragendo decem olim menſes praeſtituti erant, auctore Plutarcho *in Numa, Coriolano, & Antonio.* Ovidio *lib.* 1. & 3. *Faſtor.* Seneca *conſolat. ad Helvium capite* 15. quod hoc eſſet legitimum pariendi tempus: ideoque poſt decem menſes mortis natus non admittitur ad legitimam hereditatem, *d. l.* 3. §. 11.

Quid ergo eſt, ultra decem menſes foetura mulierum protolli non poteſt? Atqui Gellius *d. c.* 16. locum profert e Marci Varronis ſatyra, quae inſcribitur, *Teſtamentum*, ex quo docet, in undecimo quoque hominem gigni. Nam quod ait Alciatus *Parergôn lib.* 1. teſtatorem his verbis non agnoſcere pro ſuo partum XI. menſium, ſed eodem loco habere cum eo, quem exheredem ſupra ſcripſit, mihi non probatur, & Gelliana interpretatio magis placet. Sed & idem Gellius ex Varrone refert, etiam XI. menſe aliquando naſci poſſe hominem, ejusque, inquit, tam de VIII. quam de XI. Ariſtotelem laudat (Varro) auctorem. Denique Suillium Rufum undecimeſtrem fuiſſe tradit Plinius *lib.* 7. *cap.* 5. Hippocrates quoque, ſive quis alius auctor eſt, ſcribit, mulieribus de partu fidem habendam eſſe, quae adferunt, partum ſeptimo menſe, octavo, nono, decimo, & undecimo in lucem prodire, *d. lib.* περὶ ἑπταμ. Unde videntur contraria ſcripſiſſe auctor περὶ φύσιος παιδίου ſupra relatus, qui mulierem ultra X. menſes uterum non geſtare ſcribit: οὐκ ἔστι χρονιώτερον δέκα μηνῶν ἐν γαστρὶ ἔχειν ἐγὼ φάσκω: & auctor libri περὶ ἑπταμ. ut eundem auctorem vix ſibi vindicare poſſint. Nec verum igitur eſt, quod ſcribit Cenſorinus *d. cap.* 7. ſolum Ariſtotelem undecimum menſem recipere, caeteros univerſos improbaſſe. Juſtiniano placet natum undecimo pleno a morte mariti, aut, ut ipſe loquitur, κατὰ τὸν ἑνδέκατον μῆνα παραμείναντα, &, πρὸς τῷ πέρατι τοῦ ἔτους, illegitimum eſſe, *Novella* 39. *c. ult.* & veriſimile eſt, Juſtinianum cum conſilio Medicorum collocutum ita ſtatuiſſe. Atque ita judicatum in principe regni curia, relatum eſt. Et juſtus igitur partus eſt, ſi edatur imminente menſe undecimo, id eſt, ſub initium menſis undecimi, non ſub finem, convenienter, ut videtur, Philoſophi ſententiae, qui *d. cap.* 4. ſcribit: ἔνιαι δ' ἐπιλαμβάνουσι, καὶ τοῦ ἑνδεκάτου μηνός: *Quaedam etiam inſuper ex undecimo etiam aliquid capiunt.* Omnino enim falluntur, qui putant, Juſtinianum definire, non eſſe juſtum partum, qui ineunte menſe undecimo editus ſit: & in eam ſententiam trahunt Ariſtotelem *dicto cap.* 4. quaſi tangere undecimum dicatur tantum, qui naſcitur exacto decimo, quos vel ipſe Juſtinianus refellit, qui de undecimo conſummato loquitur: ait enim partum editum ſub finem undecimi juſtum non eſſe; quibus verbis ſignificat, circa initium menſis juſte naſci. Denique Ariſtoteles ait, quaſdam parere menſe decimo, nonnullas etiam ex undecimo aliquid capere, ſive ἐπιλαμβάνειν τοῦ ἑνδεκάτου: quo loci τὸ ἐπι ſignificat acceſſionem; & poſuit in ſecundo caſu, quoniam partem notat τοῦ ἑνδεκάτου, ut ibi notat vir ſummus Julius Scaliger. Plinius *d. cap.* 5. *Alius ſeptimo menſe, alius octavo, & usque ad initia decimi, undecimique.* Accurſius videtur illos in eam ſententiam pertraxiſſe: ſcribit enim poſt decimum menſem legitimum partum non naſci ad *d. l. ſeptimo menſe* 12. Sed dudum haec exploſa ſententia eſt. Nec aliter videtur Hippocrates ſentire in περὶ ὀκταμήνου: Οἱ δὲ δεκάμηνοι, inquit, τῶν τόκων, καὶ ἑνδεκάμηνοι ἐκ τῶν ἑπτὰ τεσσαρακοντάδων τὸν αὐτὸν τρόπον γίνονται, ὡς καὶ ἐκ τοῦ ἡμίσεος τοῦ ἐνιαυτοῦ οἱ ἑπτάμηνοι: *Decimeſtres & undecimeſtres ex ſeptem quadrugenariis eo modo fiunt, quo ex anni dimidio ſeptimeſtres*; & auctor libelli περὶ ἑπταμήνου: Κατ' ἐμὲ, inquit, καὶ τὸ μέρος ἐν τοῖς ἕνδεκα μησὶ, μήν ἐστιν: *Mea ſententia pars in undecim menſibus menſis eſt*; ut puta, ſi trecenteſimo ſecundo die natus ſit, ut tradit gloſſa ad *dict. Nov.* 39. vel ſi trecenteſimo quinto die editus ſit, ut placet iis, qui locum Hippocratis περὶ τροφῆς, quem ſupra attulimus, ſic accipiunt, ut dies trecenti in quintum diem undecimi menſium Graecanicorum, ut ajunt, qui diebus XXX. & XXIX. alternatim conſtant, incurrant. Et ita fortean erit accipiendum Divi Adriani decretum, cujus meminit Gellius *dicto cap.* 16. ut tribus locis ſcribit Cujacius. Et mulieres igitur, quae poſt undecimum menſem peperiſſe putant, falluntur, ut ſcribit Ariſtoteles *d. cap.* 4. *in fin.* Grammatici tamen tradunt Gracchum *a gerendo dictum, quod mater ejus duodecim menſibus utero eum geſtaverit.* Soſipater Chariſius *Inſtit. Grammat. lib.* 1. Terentius Scaurus *de orthogr.* Sed & quaedam mulier tredecim menſes uterum geſſiſſe fertur, ut ex Plinio refert Gellius *d. cap.* 16. Quanquam Cujacius putat, Plinii locum in menda cubare, & ex libris veteribus ita legit: *Cum mulier partum ſe decem menſibus diceret tuliſſe.* Verum manuſcripti quatuor Gellii codices vulgatam retinent: & ita Gellium apud Plinium legiſſe non ambigitur. Quo loco fortaſſe motus Gentilis Medicus reſcripſit Cyno, mulierem interdum in duodecimo, & decimo tertio menſe parere, ut tradit Bartol. ad *d. l. Gallus* 29. Sed profecto, ſicut ait Tullius, *quod raro fit, portentum putandum eſt*: niſi forte praeſtat philoſophiae parentem ſequi, exiſtimantem, mulieres ignorare conceptus initium, cum poſt ſtatum pariendi tempus foetus editur: ſic enim ſcribit *dicto cap.* 4. τούτων πολλοῖς δοκεῖ λανθάνειν, καὶ ἴσα φαίνεται τίκτεσθαι πολυχρονιώτερα τῶν δέκα μηνῶν. καὶ γὰρ ταύτας ἡ τῆς συλλήψεως ἀρχὴ λανθάνει τὰς γυναῖκας, &c. *Eodem modo latuiſſe quoque eorum conceptio videtur, qui poſt undecimum menſem editi ſunt: illorum enim conceptus initium ignorant mulieres.*

Quod de partu duodecimeſtri ex Timaeo (Τίμων in Graeco codice legitur, non Τίμαιος) ſcribit auctor hiſtoriae philoſoph. vereor, ut verum ſit, propter id, quod ex eodem Timaeo refert Plutarchus, *dicto cap.* 18. Putabat enim partum ne decimo quidem menſe gigni. Plutarchus ait: Οὐ δέκα μῆνας φησὶν, ἐννέα δὲ νομίζεσθαι παρὰ τὰς ἐπιλήψεις τῶν μηναίων τῆς πρώ-

τῆς συλλήψεως. οὕτω καὶ τὰ ἑπτάμηνα νομίζεσθαι οὐκ ὄντα ἑπτάμηνα· ἔγκυοι γὰρ καὶ μετὰ τὴν σύλληψιν αἱ γυναῖκες καθαίρονται: *Non decem inquit menſes, ſed novem cenſeri ab inhibitione menſtruorum, poſtquam conceptus eſt foetus: ſic etiam ſeptimeſtres cenſeri, qui non ſunt, cum aliquando mulier poſt conceptum menſtruis purgetur.* Qui ergo Timaeus duodecimeſtrem agnoſcet, qui ne decimeſtrem quidem admittit? Poſtremo ſubjiciamus, Avicennae ſententiam de ſeptimo, octavo, nono, decimo & undecimo menſe natis. Sic igitur ſcribit *Canonis lib.* 3. *Fen.* 21. *tract.* 1. *cap.* 2. *Sextus tempus, quod efformando foetui definitum eſt*, XL. *dierum eſt; & moveri incipit die* XC. *naſciturque die* CCLXX. *qui dierum numerus efficit* IX. *menſes. In hoc autem numero rurſus incidit interdum nonnulla diverſitas, quoad dies (ita nimirum ut ex dictis tribus numeris pauci dies deſint, vel ſuperſint) ut paulo ante dictum eſt de numeris dierum ſeptimeſtris partus. Hoc autem (totum negotium de diebus, efformando foetui praefinitis, deque eorum duplatione, ad motum, & triplatione ad partum) qui affirmare voluerit, non poteſt id certo demonſtrare. De iis autem, qui naſcuntur* VIII. *menſe, quamvis perfectionem adepti ſunt, credunt plerique, ut plurimum ſic ſtatuendum, quod vivere nequeant, ut poſtea docebimus. Etenim foetus octimeſtres non ſunt adepti perfectionem ſuam juxta proportionem praedictam (id eſt, juxta neutram proportionum praedictarum) nec naſcuntur tempore perfectionis ſuae, ſiquidem ſpatia eorum ſimul non* XXXV. *aut* XLV. *&* LXX. *ac* XC. *dierum, ut debuerant, ſed* XL. *dierum pro efformatione, ac* LXXX. *dierum pro motu, &* CCXL. *dierum, ſeu* VIII. *menſium pro partu, paulo plus vel minus, prout didiciſti ex paulo ante dictis. Dicunt autem non inveniri in foetibus abortivis maſculum perfectum ante* XXX. *dies completos, nec feminam ante dies* XL. *Dicunt praeterea, foetui, qui naſcitur* VII. *menſe, accedere robur vireſque, cum pervenerit ad partus ſeptimeſtris tempus: & ſimiliter iis, qui naſcuntur* IX. *menſe, ac poſt* IX. *menſem, poſtque menſem decimum.* Idem *lib.* 3. *canon. Fen.* 21. *tract.* 2. *cap.* 1. *Et inde diſces, primum menſem genitalem eſſe ſeptimum, eoque tempore naſci foetum fortis conſtitutionis ac temperamenti, qui mature formatus fuit, matureque moveri coepit, ac mature quaeſivit exire. Ut plurimum autem moritur is, qui naſcitur intra hoc temporis ſpatium, qui perpetiendos habet motus vehementes, dum adhuc parum firmae eſt conſtitutionis; quamvis enim fieri poteſt, ut foetus, qui eo tempore naſcitur, ſit fortis in ſe ipſo, nimis tamen prope abeſt a tempore productionis ſuae. Quin & plerique eorum, qui naſcuntur octavo menſe intereunt, ac pauci vitales ſunt. Quod ſi quis eorum, qui octavo menſe nati ſunt, vivat, id valde rarum eſt, ac (praecipue) in ſexus feminei foetibus intra id tempus (natis) rariſſime contingit ut vivant. In quibuſdam autem regionibus nulli omnino foetus octavo menſe nati vivunt: quia non abeſt eorum diſpoſitio, quia tardiores fuerint in formatione & motu, ac in deſiderio partus uſque ad id temporis. Id quod indicio eſt, vires eorum non eſſe validas in ſe ipſis, ac incidiſſe eis motus expulſivos in principio temporis perfectionis: id eſt, quando recens perfectionem ſuam adepti, valde adhuc teneri ſunt, & invalidi.*

Imo quarto & decimo menſe feminam honeſtiſſimam peperiſſe ſcribit Avicenna, *lib.* 9. *de animalibus cap.* 5. Sed ex his, quae forte ſemel accidere poſſunt, jura non conſtituuntur. Haec fere dicere habui de tempore humani partus ex veterum ſententia. Ego tamen Medicorum, Philoſophorum, & auctorum noſtrorum relatis opinionibus, non puto relinquendum in medio, quid ſentiam. In primis igitur animadvertendum putem, an femina, cui negotium fiet propter rationem temporis, ambiguae pudicitiae ſit: alia enim honeſtiſſimae feminae ratio habenda eſt, alia feminae ſuſpectae pudicitiae: tum videndum opinor, num propter morbum, vitiumve mulieris partus ſerius editus ſit. *Cum honeſtae mulieres* (ut ait Ivo Carnotenſis *epiſtola* 205.) *& veteranae cauſa veritatis inquirendae a nobis interrogatae manifeſte reſponderint, non ſemper intra eundem terminum dierum contingere ſolere puerperium, cum ſecundum alacritatem naturae, vel imbecillitatem, nunc paulo celerius, nunc paulo tardius poſt conceptum ſoleant contingere partus. Quod ex ratione ſeminum facile colligi poteſt, cum ſecundum aeris temperiem, vel intemperiem quibuſdam annis celerius, quibuſdam tardius ſegetes matureſcant ad meſſem.*

Huc quodammodo pertinet quod legitur apud Godefridum monachum Clarevallenſem *lib.* 2. *cap.* 2. *de vita ſancti Martin.* de muliere quadam, quae poſt annum peperit ejuſdem viri ſancti apud Deum interceſſione: *Caſtrum Villanum accolae vocant, quod a Claravalle, ut ajunt, ſex milliaribus diſtat: ibi mulier praegnans tempus omne tranſierat pariendi, & aliquantis menſibus jam decurſis cum necdum pareret, amplius mirabatur. Cujus eo uſque dilatus eſt partus, ut morbus potius videretur, nec jam crederetur eſſe praegnans, ſed tumens. Quis enim credere poſſet, infantulum anno integro intra viſcera poſſe materna teneri? Deſperata igitur mulier ad monaſterium viri Dei ducitur ſic ſe habens. Sistitur ad portam miſera, & portario fratri cauſa tam miſerabilis intimatur. Rogatus ille & inaudito compaſſus incommodo, ſupplex adiit Patrem S. fideliter ei neceſſitatem indicans mulieris, fideliter explens negotium ſuſceptae legationis. Et, ô mira divinae virtutis operatio mirabilius accelerantis, quod mirabiliter tardabatur! Tanquam enim hoc ſolum, tanto tempore naſciturus infans exſpectaverit, hora eadem femina peperit, & praecurrente remedio ad portam rediens frater ille, incommodum, quod nuntiaverat, non invenit.* Huc etiam referri poteſt, quod ait Galenus in librum Hippocratis *de Alimentis*, foetibus non eſſe praeſtitutum terminum, neque formationis, neque partus: οὔτε διαπλάσεως, οὔτε τῆς ἀποκυήσεως.

Denique pro varia feminarum exiſtimatione, & habitu, juſtiſſime natus interdum intelligetur, qui prima facie degener, & nothus videri poterat: Εἴ τίς με ἐλέγξαι, καὶ παραστῆσαί μοι ὅτι οὐκ ὀρθῶς ὑπολαμβάνω, ἢ πράσσω, δύναται, χαίρων μεταθήσομαι· ζητῶ γὰρ τὴν ἀλήθειαν, ὑφ' ἧς οὐδεὶς πώποτε ἐβλάβη. βλάπτεται δὲ ὁ ἐπιμένων ἐπὶ τῆς ἑαυτοῦ ἀπάτης, καὶ ἀγνοίας: *Si quis me arguere poteſt, & oſtendere, quod non recte ſentiam, aut agam, lubens ſententiam mutabo: veritatem enim quaero, quae nemini unquam damno fuit: damnum autem facit, qui in errore, & ignorantia ſua permanet.* Marcus Antoninus *libro* 6. *de vita ſua.*

EXERCITATIO II.

De Numero Puerperii.

SI quis deceſſerit, relicta uxore praegnante, quaeri ſolet, quae pars interim hereditatis adſignari debeat filio, qui in rebus humanis eſt, in *l.* 3. *D. ſi pars hered. pet.* Quid dicemus? an ſemis hereditatis, quaſi uxor unum paritura ſit? atqui duo pariter naſci poſſunt, imo tres, imo quatuor, imo quinque. Scribit enim Ariſtoteles, περὶ θαυμασ. ἀκουσμάτ. & ex eo Stephanus περὶ πόλεων, in terra Umbria, τὰς γυναῖκας εἶναι πολυγόνους· σπανίως γὰρ ἓν τίκτουσι, τὰς δὲ πλείστας δύο, ἢ τρία: *Mulieres eſſe foecundas: raro unum enim pariunt: plures autem duos, vel tres.* Cedrenus: *Leda tres uno partu infanu*

infantes edidit: τίκτει βρέφη τρία ἐν ἑνὶ τοκετῷ, Κάστορα, Πολυδεύκην, καὶ Ἑλένην. Idem Ariſtoteles *hiſtor. de animalibus lib. 7. cap. 5.* Πολλάκις δὲ καὶ πολλαχοῦ δίδυμα, οἷον περὶ Αἴγυπτον. τίκτουσι δὲ καὶ τρία, καὶ τέτταρα ποιεῖ ἐν ἐνίοις καὶ σφόδρα τόποις, ὥσπερ εἴρηται πρότερον: *Multae & multis locis gemellos pariunt, ut toto ambitu terrae Aegypti: quin etiam ternos, quaternosque quibusdam locis non pauces, ut ſupra dictum eſt.* Cedrenus: τῷ ε΄. ἔτει Θεοδοσίου, ἐν Ἀντιοχείᾳ ἔτεκε γυνὴ ἐν ταυτῷ παιδία τέσσαρα ἀῤῥενικά: *Quinto anno imperii Theodoſiani, quaedam mulier Antiochene uno partu quatuor mares edidit.* Strabo *lib.* 15. Τάς τε γυναῖκας ἐσθ' ὅτε καὶ τετράδυμα τίκτειν τὰς Αἰγυπτίας: *Aegyptiae quoque mulieres interdum quater geminos pariunt.* Solinus *cap.* 2. *Fauſta quaedam ex plebe partu uno edidit quatergeminos, mares duos, feminaſque totidem.* ex Plinii *lib. 7. cap.* 3. Columella *lib. 3. de re ruſt. cap.* 8. *Quibusdam gentibus numeroſam progenerandi ſobolem dedit, ut Aegyptiis & Afris, quibus gemini partus familiares, ac pene ſolennes ſunt. Sed & Italici generis eſſe voluit eximiae foecunditatis Albanas, Curiatiae familiae trigeminorum matres.* Paulus *d. l.* 3. *Sed & tregeminos Senatores cinctos vidimus Horatios.* Mendum, quod hunc locum occupavit, plerique eluere conati ſunt. Ludegarius a Quercu legebat, *Cincios*: ſic etiam Cujacius. Deſiderius Heraldus Vir Cl. *Obſerv. lib. cap.* 39. pro *Senatores*, &c. legebat, *ſervatores cunctis vidimus Horatios*: cum enim Paulus Horatios vidiſſe non potuerit, putabat aliquem ſcripſiſſe, *pictos*, quaſi non ipſosmet Paulus viderit, ſed pictos, unde factum, *cinctos.* Sed tamen ſcriptum fortaſſe a Paulo, *cunctis vidimus*, id eſt, omnes novimus, omnes ſcimus, ut res ea certa ſit, & omnibus nota, & ideo non fabuloſa, aut incerta. Non probat Salmaſius in *Obſervationibus ad jus Atticum & Rom. cap.* 15. & legi mallet: *Sed & trigeminos ſenatores Quintilios vidimus.* Neutra emendatio placet. Onneſius Hiſpanus *Obſervationum c.* 24. probabilius emendabat hoc modo: *Sed & trigeminos eſſe natos Curiatios videmus & Horatios.* Videmus, inquit, eſt, ſcimus, novimus, & certum eſt. Atqui Paulus non vidit, inquiunt, Horatios. Quid ſi pro, *vidimus*, legas, *audivimus*, id eſt, legimus, accepimus, didicimus. Non videtur improbabilis emendatio. Cum haec ſcripſiſſem, beneficio mihi amiciſſimi doctiſſimique & in Senatu Pariſienſi togati Ludovici Nublaci nactus ſum praelectiones viri, nunquam ſatis laudati, Jani a Coſta, ad titulum Decretalium *de Judiciis*; unde quod ad rem noſtram facit, exſcripſi. Sic igitur ait ad *capitulum* 4. Hujus diſquiſitionis occaſione rapta, obiter illuſtranda eſt *lex* 3. *D. ſi pars her. pet.* de mendo merito ſuſpecta: *Sed & tergeminos ſenatores cinctos vidimus.* Ubi primum diſplicet Cujacio quod ait, *ſenatores cinctos*: cingebantur enim, inquit, milites, non ſenatores. Et quia ex Feſto & aliis conſtat, fuiſſe Romae nobiliſſimam familiam Cinciorum, hac leviſſima conjectura ductus, legendum eſſe cenſet, *ſenatores Cincios vidimus*, exploſa illa voce, *Horatios.* Sed quosdam libros habere Gloſſa adnotavit, tergeminos ſenatores cunctos vidimus oratores, quod in quibusdam Mſs. memini me legere. Cauſa hujus variae lectionis haec fuit, quod negotium facesſeret obſcura vox, *cinctos*, pro cujus interpretatione adnotatum fuerat ab erudita manu vel in margine, vel in gloſſa interlineari verbum in hanc rem elegantiſſimum, *cinctos, id eſt, honoratos*, dignitatibus ſcilicet praeditos, vel civilibus vel militaribus honoribus functos, ut vir eruditus docuit ad illum Lampridii locum in *Alexandro Severo c.* 40. *Honoratos, quos ſumptus vere, non per luxuriam, aut ſimulationem vidit*, &c. Cum autem compendio ſcriptum eſſet, *horãtos*, titulo ſuperpoſito, vel ſine aſpiratione, ut plerumque in veteribus libris, *orãtos*, alii legendum eſſe putarunt, *Horatios*: alii vero, *oratores*, & pro *cinctos*, *cunctos* repoſuerunt. Ex compendioſa ergo ſcriptura gloſſematis hoc loco facta labes; quam ita eluendam eſſe cenſeo, ut remoto corrupto illo emplaſtro, *Horatios*, eleganter ſcripſerit Paulus, tanquam de re notiſſima, nomine proprio non addito: *Sed & tergeminos ſenatores*, addito ſcilicet, *cinctos*, id eſt, non ſolum ſenatores, ſed etiam dignitatibus functos, &, ut loquitur Sylveſter in *d. decreto*, *cinctos judices* vel magiſtratus, vel, ut gloſſa erudita habuit, *honoratos*, qui in decurionatu dignitatibus municipalibus functi ſunt. Nec enim omnis decurio honoratus, ſicut nec omnis ſenator cinctus, ſed is tantum, qui magiſtratus eſt, vel fuit. Et ita ſeparandum eſſe ſenatorem, qui magiſtratus non fuit, ab eo, qui dignitate functus eſt, ipſe Cujacius docuit ad *tit. Cod. ubi ſenat. vel clar. in Paratitl.* Quod autem Cajus, nos Francice diceremus, *que nous avons veus en charge.* Aliquando exiſtimavi legi non incommode poſſe, *cunctos vidimus honoratos*, ex quo dubio procul ſunt conflatae voces ſuppoſititiae, *Horatios*, vel *oratores*: & obſcuram vocis eſſe gloſſam, quae, ut Quintilianus loquitur, verbum pro verbo reddit. Utut ſit, quod recte Cujacius advertit, non potuit Paulus ſua aetate videre illos veteres Horatios notiſſimos, qui tamen ait, ſe vidiſſe tergeminos ſenatores: eodem plane ſenſu, ut in *eadem lege* ſubjicit, Laelium ſcribere, ſe vidiſſe in Palatio Alexandrinam mulierem quinionem enixam filiorum, ut Tertullianus de eadem re loquitur libro *de Anima.* Concludamus ergo, non tantum milites, ſed etiam judices & magiſtratus cinctos fuiſſe. Hactenus a Coſta. Quoniam autem nondum ſanam praeſtare auſim *dictam legem* 3. videamus, an pleniorem ad ſanitatem perduci poſſit. Verba ejus haec ſunt in Pandectis Florentinis: *ideo quia non poterant ſcire, quod naſci poſſunt, ideo num multa de ejusmodi re tam varia & incredibilia creduntur.* Heraldus autem ſcriptum fuiſſe exiſtimat a Paulo: *Adeo tam multa de ejusmodi re.* Quid ſi legas? *Ideo quia non poterant ſcire quot naſci poſſint: nam multa de ejusmodi re, & tum varia*: poſtremum enim *ideo*, vel, ut habent libri quidam, *ideo quod multa*, irrepſit ex varia lectione, quam librarius, vel quis alius adſcripſerat ad verba illa, *ideo quia non poterant*, quaſi alias ſcriptum eſſet, *ideo quod. Creduntur* autem ferri poteſt: ſic enim Apulejus *in Apologia: innumerabilia piſcium genera enumerat*; ut ibi notavit Scipio Gentilis alloquo hoc loco *legis* 3. quanquam & verbum, *traduntur*, in quibusdam libris eſt, & magis placet. Poſtea ſequitur: *alioquin tradidere.* Heraldus legit, *alii quoque* Quaedam editiones habent: *aliqui trad.* Poſtremo verba illa, *ſed & tergeminos*, &c. putat tranſpoſita, & loco ſuo reponenda hoc modo: *quia fieri poterit ut tergemini naſcerentur: nam & tergeminos*, &c. recte, ut opinio mea eſt; nam primo loquitur de quatuor pariter natis: tum de Alexandrina muliere, quinionem filiorum enixa, ut non ſatis ex ordine interſeruiſſe videatur trigeminos natos. Recte autem omnino poſtquam dixit, *prudentiſſime juris auctores medietatem quandam ſecutos eſſe, ut quod fieri non rarum (al. rara) admodum poteſt, intuerentur*, ſubjicit: *nam & tergeminos natos Curiatios & Horatios.* Hoc ordine Paulus legi debet, maxime quod ejusmodi μετάθεσις legis ſententiae non adverſetur, imo eam adjuvet. Locum integrum praeſtat adſcribere, ut emendationis, & rectae ſcripturae ratio melius conſtet. *Ubi autem eodem gradu ſunt caeteri; quod & venter, tunc quae portio in ſuſpenſo eſſe debeat, quaeſierunt, ideo quia non poterant ſcire, quot naſci poſſunt: nam multa de hujusmodi* rET (ſic in Flor. ſcriptum fuerat, pro re &) *tum varia & incredibilia traduntur, ut fabulis adnumerentur. Nam traditum eſt & quatuor pariter puellas a matrefamilias natas eſſe. Alii quoque non leves auctores tradidere quinquies quaternos enixam Peloponneſi, multas Aegypti uno utero ſeptenos. Sed & Laelius ſcribit, ſe vidiſſe in palatio mulierem liberam, quae ab Alexandria perducta eſt, ut Hadriano oſtenderetur*

cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa, inquit, dicebatur, quintum poſt diem quadrageſimum. Quid ergo eſt? prudentiſſime juris auctores medietatem quaeſitam ſecuti ſunt, ut quod fieri non rato admodum poteſt intuerentur: id eſt, quia fieri poterat, ut tergemini naſcerentur: nam & tergeminos natos Curiatios audivimus & Horatios, quartam partem ſuperſtiti filio adſignaverunt. Julius Scaliger in *librum* 3. Ariſtotelis *de hiſt. anim. cap.* 2. ſcribit, Agenni Nitiobrigum mulierem ter peperiſſe quaternos, quem refert Joannes Gerardus Voſſius *de Origine Idololatriae lib* 3. *cap.* 22. additque, cum ipſe Dordrechti degeret, mulierem quatuor enixam eſſe filios. Philippus Jacobus Maſſiacus Vir Clar. *in Animadverſionibus* ad Ariſtotelem *de Animalibus* refert, mulierem ex honeſta familia oriundam, cum ipſe hoc ſcriberet, ſuperſtitem adhuc, duos primum, tres ſecundum, quatuor tertium peperiſſe. Idem Paulus in *d. l.* 3. *Nam traditum eſt, quatuor pariter puellas a matrefamilias natas eſſe: alioquin tradidere non leves auctores quinquies quaternos enixam Peloponneſi.* Vide an legendum ſit, *quinquies quater enixam*, auctore Plinio *d. cap.* 3. *Reperitur*, inquit, *in Peloponneſo quinos quater enixa, majoremque partem ex omni ejus vixiſſe partu.* Niſi forte malis ex Pauli ſcriptura Plinium emendare. Similiter tamen Antigonus Caryſtius *Hiſtoriarum admirabilium cap.* 119. mulierem quandam quater quinos edidiſſe refert, his verbis: καὶ μνημονεύεσθαι ἐν Ἀλεξανδρείᾳ (ſic hiatum ſupplevit Joannes Meurſius) μίαν ἐν τέτταρσι τόκοις εἴκοσι τετοκυῖαν: *Traditumque mulierem Alexandrinam quatuor partubus viginti enixam.* Phlegon Trallianus *rer. admirab. cap.* 28. Καὶ Ἀντίγονος δὲ ἱστορεῖ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μίαν γυναῖκα ἐν τέτταρσι τοκετοῖς εἴκοσι τεκεῖν, καὶ τὰ πλεῖστα τούτων ἐκτραφῆναι. *Antigonus narrat, Alexandriae mulierem quandam quatuor partubus viginti foetus edidiſſe, pleroſque autem ſublatos, atque educatos;* & Ariſtoteles *hiſtor. de animal. d. lib.* 7. *cap.* 4. μία δέ τις ἐν τέτταρσι τόκοις ἔτεκεν εἴκοσιν. *Mulier quaedam quater quinos edidit* Auctor Vet. & Nov. Teſtam. *quaeſt.* 115. *Legitur etiamque enatum in quodam juris libello, aliquando mulierem quinque peperiſſe.* Citatur a Nicolao Rigaltio V. Cl. ad *d. cap.* 6. Tertullianus *de Anima cap.* 6. *Invenitur etiam in jure civili Graeca quaedam quinionem enixa filiorum.* Paulus Aegineta *lib.* 3. *cap.* 76. διὰ τὸ πλείονα τυγχάνειν ἔμβρυα· πέντε γὰρ ἱστόρησεν Ἡρόφιλος: *Quod plures ſint foetus: quinque enim viſos prodidit Herophilus.* Subjicit Paulus in *d. l.* 3. Laelium ſcribere, ſe vidiſſe in Palatio mulierem liberam, quae ab Alexandria perducta eſt, ut Adriano oſtenderetur, cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa, inquit, dicebatur, quintum, poſt diem quadrageſimum. Non ſatis emendate ſcriptum eſt in *Baſilico:* ἑπτὰ γὰρ ἅμα ἐτέχθησαν, ὧν ὁ εἷς ἐξ ἐπικυήσεως μετὰ τεσσαράκοντα ἡμέρας: *Septem enim pariter editi ſunt, quorum unus ex ſuperfoetatione poſt quadraginta dies, lib.* 42. *tit.* 2. quem errorem ſequitur auctor *Enantiophanῶn lib.* 48. *tit.* 5. Idem fere ſcribit Phlegon *Mirabil.* 29. his verbis: Καὶ ἑτέρα τις γυνὴ κατὰ τὴν αὐτὴν πόλιν πέντε ἐν ἑνὶ τοκετῷ ἀπεκύησε παῖδας, τρεῖς μὲν ἄῤῥενας, δύο δὲ θηλείας, οὓς αὐτοκράτωρ Τραϊανὸς ἐκέλευσεν ἐκ τῶν ἰδίων χρημάτων τρέφεσθαι. *Eademque in urbe alia mulier quinque infantes una peperit, tres maſculos, duas feminas, quos ſuis ſumptibus ali juſſit Trajanus Imperator.* Capitolinus in *Antonino Pio. cap.* 9. *Natus eſt & biceps puer, & uno partu mulieris quinque pueri editi ſunt.* Vide an errore labatur Capitolinus, qui ad Antoninum Pium mulierem perductam ſcribit. Quod ſi verum eſt, in eundem errorem Capitolinus perduxit R. Davidem Gaum, qui eundem partum numeroſum in Antonini tempora confert. Locum profert Samuel Petitus *Obſervat. lib.* 2. *cap.* 3. Item an ſcripſerit Phlegon, Ἀδριανὸς, ἀντὶ τοῦ, Τραϊανὸς, quorum nominum mutatio in facili eſt. Neque ſolus Laelius id vidit: nam idem quoque Cajus Juriſconſultus teſtatur in *l. atrum* 7. *D. de reb. dub. Noſtra*, inquit, *aetate Serapias, Alexandrina mulier, ad divum Adrianum perducta eſt cum quinque liberis, quos uno foetu enixa eſt.* Julianus autem ait *hoc & in Aegypto affirmatum eſſe ſibi, in l. ſi pater* 36. *D. de ſolut. & liberat.* quin imo referente Plinio *dicto cap.* 3. & Solino *d. cap.* 3. Trogus auctor eſt, in Aegypto ſeptenos uno utero ſimul gigni: quem videtur intelligere Paulus *in d. l.* 3. cum ait, non leves auctores tradidiſſe, multas Aegypti uno utero ſeptem enixas, ubi foetifer potu Nilus, ut ait Plin *d. cap.* 3. Seneca *natural. quaeſt. lib.* 3. *cap.* 25. *Aqua Nilotica foecundiores feminas facit.* Scholiaſtes Apollonii ἀργῶν 4. γονιμώτατον εἶναι τὸ τοῦ Νείλου ὕδωρ. Proclus Diadochus *lib.* 2. *Paraphr.* in Ptolemaeum *de ſiderum effectionibus, cap.* 4. Εἰσὶ δὲ καὶ πολύσπερμοι οἱ ἄνδρες, οἷς δὲ τὸ συλλαμβάνειν αἱ γυναῖκες κάλλισται, κατὰ τὸ καρποφόρον τῆς χώρας αἰτιολογικῶς: *Viri in procreando foecundi, mulieres in concipiendo aptiſſimae, eadem ratione, qua & regio illa ferax ac foecunda eſt.* & appellat non levem auctorem, ut Proculus Juriſconſultus, non levis juris auctor dicitur in *l. Divus* 17. *D. de jur. patron.* Sed & Ariſtoteles ſcribit, καὶ ἑπτάδυμά τινα τετοκέναι, *mulierem quandam ſeptem geminos peperiſſe*, ut refert Strabo *dicto lib.* 15. Caſaubonus tamen τὸ ἄλφα τῶν κριτικῶν, putabat, apud Strabonem eſſe γραφικὸν ἁμάρτημα, & legendum, πεντάδυμα, *quinque.* Certe Gellius ita ſuadere videtur *N. A. lib.* 10. *cap.* 2. & Julian. JCtus *in d. l.* 36. Antigonus *d. cap.* 119. γυναῖκα τίκτειν πλεῖστα πέντε: *Mulierem non ultra quinque uno ſtrata edere.* Imo Ariſtoteles ipſe *d. cap.* 5. ait, πλεῖστα τίκτεσθαι πέντε τὸν ἀριθμόν: id eſt, *cum eſſe ſinem multijugae hominum partionis*, ut loquitur Gellius *d. cap.* 2 apud quem relatum quoque eſt, D. Auguſto imperante ancillam Caeſaris Auguſti in agro Laurente peperiſſe quinque pueros: deque eodem numero puerperii graviſſimus auctor Plutarchus περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων. Sed & in *Quaeſtionibus Rom.* ait, in nuptiis de more quinque faces accendi, quoniam mulier ut maxime quinque parit: *quia vulvae mulierum totidem receptacula habere poſſunt*, ut ait Julianus in *d. l.* 36. Quod quidem, pace diligentiae ejus dixerim, verum non eſt, ut ſciunt Medicorum filii: Εἰ δὲ πέντε κόλπους ἔχει, πῶς δύναται ἅμα τεκεῖν ἑπτά; *Si quinque receptacula habet, qui ſimul poteſt ſeptem edere*, ut ait Graecus interpres ad *d. l.* 3. *d. lib.* 42. *Baſilic. tit.* 2. Verum, ne quidquam in ſupra dicto Strabonis loco immutem facit Euſtathius, qui ad Dionyſii περιήγησιν, idem, ut liquido conſtat, ex Strabone refert: διὸ καὶ τὰς γυναῖκας ἔσθ' ὅτε τετράδυμα τίκτειν, ἤδη δὲ κατὰ τὸν Ἀριστοτέλους ἱστορίαν, ἑπτάδυμα: *Ideoque mulieres interdum quatergeminos parere, imo ut refert quoque Ariſtoteles, ſeptemgeminos.* Apud Strabonem igitur, τὴν γραφὴν οὐκ ἀνάγκη κινεῖν, ut verbis ejuſdem Strabonis utar: niſi & Euſtathius ipſe in mendoſos Strabonis codices inciderit. Quinimo refert idem Euſtathius ad *Iliad.* ι΄. Γυναῖκα ἐπιφανοῦς ἀνδρὸς εἰς ἐννέα ἐκβεβληκέναι βρέφη καθ' ἕνα τοκετόν: *Viri cujuſdam illuſtris uxorem uno partu novem enixam.* Paulus Warnefridus *de geſt. Longob. lib.* 1. *cap.* 15. *His temporibus quaedam meretrix uno partu ſeptem puerulos enixa; belluis omnibus mater crudelior in piſcinam projecit necandos. Hoc ſi cui impoſſibile videtur, relegat hiſtorias veterum, & inveniet, non ſolum ſeptem infantulos, ſed etiam novem unam mulierem ſimul peperiſſe.* Celebrantur quoque apud nos Porcelleti, quos e noveno partu originem ducere conſtans fama eſt. Quid dico novem? Scribit Plinius *lib.* 7. *cap.* 2. *uno abortu XII. puerperia egeſta.* Caelius Rhodiginus *lib.* 4. *cap.* 23. mulierem quamdam duo & viginti ejeciſſe; aliam ſeptuaginta effudiſſe. Picus etiam Mirandulanus auctor eſt, Dorotheam quamdam Germanam mulierem duplici foetu viginti liberos edidiſſe: primo quidem undecim, ſecundo novem. Udalricus Zaſius in *d. l.* 3. teſtatur, mulierem quandam duodenos uno partu vivos edidiſſe. Imo plures quoque naſci poſſe, non male quis fortaſſe dicet ex Tatiano vetuſtiſſimo

Digitized by Google

ſimo Theologo, περὶ Ἑλλήνων quem locum Vir Clar. Dionyſ. Gothofredus obſervaverit ad *d. l.* 36. tamen non pigebit αὐτολεξεὶ heic adſcribere: Τί μοι διὰ τ᾽ Περικλυμένου, γύναιον, ὅπερ ὠδίνεσι τριάκοντα παῖδας, ὡς θαυμαστὸν ἡγεῖσθαι καὶ κατασοφὸν ποίημα; πολλῆς γὰρ ἀκρασίας ἀποτετυγμένη τὰ ἀφροδίσια βδελύττεσθαι καλὸν ὄν, τῇ κατὰ Ῥωμαίους σὺν παρεικαζομένη, ἥτις καὶ αὐτὴ διὰ τὸ ὅμοιον, μυστικωτέρας, ὥς φασι, ἠξίωται θεραπείας: *Quid ad me Periclymeni opus muliercula, quae uno partu infantes triginta peperit: quod plerique miraculum putant? cum potius magnae intemperantiae fructus hic exiſtimari deberet, & illa abominabilis videri, utpote ſimilis ſcrophae Romanae, quae itidem propter eventum ſimilem ſacrum quendam cultum conſecuta fertur.* Id, quod ait Tatianus de triginta porcis, ſcripſerat quoque Caſſius Hemina *in ſecundo hiſtoriarum: Monſtrum fit,* inquit, *ſus porcos parit triginta, cujus rei fanum fecerunt Laribus Grandalibus*, ut refertur a Diomede *Artis lib.* 1. Vide Non. *in Grundules*; Diodor. Sicul. *in fragm. lib.* 7. Quod ſi cui fabuloſum videatur, is meminerit, uxorem Virboſlai Comitis in Cracovia triginta ſex uno partu edidiſſe, ut refert Joannes Herburtus *hiſtor. Polon. lib.* 7. *cap.* 13. In ſumma, de hujuſmodi re tam varia, & incredibilia traduntur, ut fabulis proxima ſint. Itaque juris auctores medietatem quandam ſecuti ſunt, a Stoicis imbuti, quos *erciſcundos* appellat Servius *ad tertiam Aeneidem*: & mediam illos quoque viam ſcribit Theodoretus, *Graecarum paſſionum curatione duodecima.* Quae vero medietas illa eſt, quam ſequuntur juris conditores? Paulus dixerat, multas in Aegypto uno partu ſeptem enixas: tres igitur, qui ſimul gigni poſſe conceditur, medietatem ſequi creditur. Atque haec mihi videtur eſſe Pauli ſententia. Plane quod idem ait ex Theophraſto, Legiſlatores ea praetermittere, quae ſemel, iterumque contingunt, refertur ex eodem in *l.* 6. *D. de legib.* Ariſtotel. *lib.* 4. *Ethicor. Eudem. cap.* 8. τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον λαμβάνει ὁ νόμος: *quod plerumque contingit, lex ſequitur*; quae totidem verbis exſtant *Ethicor. Nicom. lib.* 5. *cap.* 14. Heliodorus Pruſaeus *in Paraphraſi cap.* 16. τὰς ἐπὶ τὸ πλεῖστον συμβαίνοντα οἱ νομοθέται στοχάζονται: *quae ut plurimum accidunt Legiſlatores reſpiciunt.* Proclus *in Parmenidem Platonis*: Καθάπερ δὲ ἅπαντας νομοθέτας οὐκ ἐπὶ τὸ πλεῖστον στοχαζομένους ὁρῶμεν, ἀλλ᾽ οὐ τὰ σπανιώτατα συμπίπτοντα. *Videmus enim, Legiſlatores omnes ea reſpicere, quae ut plurimum accidunt; non ea, quae rariſſime.* *Baſilica lib.* 45. *tit.* 1. οὐ δεῖ γὰρ ὑπὲρ τῶν σπανίως συμβαινόντων τίθεσθαι νόμους. *Ex his, quae raro contingunt, jura conſtitui non oportet.* Libanius *declamat.* 31. Τοὺς νόμους οἱ γράψαντες, ἐπὶ τῶν πραττομένων ἑκάστως συμβαινόντων ὥρισαν, οὐδαμοῦ περιεδίωσαν: *Legumlatores de his quae facile non contingunt nihil definiunt.* Similiter ſcribit B. Gregorius Nazianz. *orat.* 39. *Legis venia Eccleſia non obtinet id, quod raro fit*: ὁ νόμος τῆς ἐκκλησίας τὸ σπάνιον; ex quo Euſtathius *de Iſmeniae & Iſm. amoribus lib.* 4. ὁ νόμος τὸ σπάνιον, *quod raro fit, legem non conſtituit.* Nicetas Chon. *in Joann. Comneno*: ὁ νόμος τὸ σπάνιον ἡγούμενος: *quod raro fit, pro lege habendum non erit.* Anaſtaſius Sinaita Ὁδηγῷ *cap.* 11. τὰ σπανίως, καὶ ἐξ ἀνάγκης λεγόμενα, οὐδὲ εἰς νόμον γίνονται: *Ea quae raro, & quaſi ex neceſſitate dicuntur, in legem non tranſeunt.* Caeterum idem jus cum Paulo ſequuntur Sabinus, & Caſſius in *l. ſed. etſi* 28. §. *ult. D. de judic.* Atque haec ſunt, quae de numero puerperii dicendi videbantur. Nam quod de CCCLXV. uno partu editis, memoriae traditum eſt, plerique vanitatis inſimulant. Sed etſi quis ea facile credat, quae de numeroſiore partu dicta ſunt, ejuſmodi tamen raritates non ſtatim ad generalem formulam referri debent, quas veteres quoque inſuper habuiſſe ſatis ſuperque conſtat: *Non enim a parte minima* (ait Caſſianus *Collat.* 19. *cap.* 8.) *id eſt, de conſideratione paucorum, ſed de his, quae multorum, imo omnium ſubjacet frequentati, univerſalis eſt regula proponenda.* Imo Cajus in *d. l.* 7. quod ultra tres naſcitur, fere portentoſum videri, ſcribere non dubitavit, cui Plinius adſtipulatur, *d. cap.* 3. *Tergeminos,* inquit, *naſci certum eſt, Horatiorum, Curiatiorumque exemplo, ſupra inter oſtenta ducitur.* In ſumma: ἐν τοῖς σπανίως γινομένοις τὸ θαυμαζόμενον ἐστί: *In his, quae raro accidant, oſtenti quoddam genus, & admiraculum eſt, Nov.* 105. *cap.* 2.

EXERCITATIO III.

Error qualitatis matrimonium non dirimit.

NOn ignorabilis quaeſtio, an conjugem, ante nuptias vitiatam, liceat ei dimittere, qui ut virginem, & intemeratam duxit. Quid enim ſi dolum expendes improbae meretriculae, quae ſecura libidinis ſuae nuptias caſtitatis certiſſimum confugium appetit? adeone pudorem abjecit, ut matrimonium, rem ſine dubio ſanctiſſimam, ſpurcitie ſua polluere tentet? adeone frontem perfricuit, ut ementitae virginitatis coemptorem quaerat, quae olim virum paſſa eſt? inter cellulam & mariti cubiculum, inter obſcoenum lectulum & thorum genialem multum intereſt: nuptias merito ambit, quae pura eſt, & jure nomen uxoris accipit: impura ibi proſtet, unde pudicitia exulat, viris porrectura, quod cupiatur. Quaenam iſta haec audacia proſtitutae, ut in coetum matronarum adduci ſeſe patiatur, & jam ſibi quaeſitum putet, *quod prima pro nocte datur?* Haec ſunt pudicarum praemia, non mulieris quaeſtuariae: haec ſunt dona, quae caſtas decent, non vde ſcortum: haec ſunt munera delibatae virginitatis, non illicitarum libidinum. Quid ſi hoc ipſum vir concupivit, quod virgo eſſes? ſi φιλοπάρθενος [vid. *lib.* Chryſoſt. *de non iterando conjugio*] At tu forte deducta in fornicem quaeſtui ſediſti, & nundinato pudore ſtetiſti cum meretricibus [Ovid. *Heroid. epiſt.* 17. *v.* 107.]

Ad poſſeſſa venis, praereptaque gaudia ſerus:
Spes tua lenta fuit: quod petis, alter habet.

Virgo formoſa, etſi ſit oppido pauper (verba ſunt Apuleji ex ejus *Apologia*) *tamen abunde dotata eſt: adfert quippe ad maritum novum animi indolem, pulchritudinis gratiam, floris rudimentum. Ipſa virginitatis commendatio jure, meritoque omnibus maritis acceptiſſima eſt: nam quodcumque aliud in dotem acceperis, potes cum libuit, ne ſis beneficio obſtrictus, omne ut acceperas retribuere, pecuniam renumerare, mancipia reſtituere, domo demigrare, praediis cedere. Sola virginitas, cum ſemel accepta eſt, reddi nequitur.* Ovid. *Heroid. epiſt.* 5. B. Hieron. *ad Euſtoch. l.* 1. *C. de rapt. virg. Sola apud maritum ex rebus dotalibus remanet.* Sappho apud Demetrium *de Eloc.* Παρθενία, παρθενία ποῖ με λιποῖσα οἴχῃ; οὐκέτι ἥξω πρὸς σε, οὐκέτι ἥξω: *Virginitas, Virginitas, quo abis me relicta? non amplius veniam ad te, non amplius veniam.* Argivi facile credebant, Junonem, quae quotannis in fonte Canatho lavaret, denuo virginem fieri, ἀμφίαν παρθένον γίνεσθαι: ut ſcribit Pauſanias. Quid ergo, ſi errorem propones ejus, qui duxit? nuptiae conſenſu conſtant, *nuptias* 30. *D. de div. R. J. non videntur autem conſentire, qui errant, l. nihil tam conſenſui* 116. §. 2. *D. eod.* Ecce, ſi quis per errorem ancillam uxorem duxerit, quam exiſtimabat eſſe liberam, vel ſi, qui nupſerit ſervo, cognito errore, licet ab eo, cave divertere, *cap.* 2. *ext. de conj. ſerv. Si enim divortium facimus inter liberum & ancillam, non*

conjugium ſolvimus, ſed contubernium male conjunctorum diſſolvimus & diſſociamus, Ivo Carnotenſ. *epiſt.* 242. adde *epiſt.* 221. Hugon. a S. Victore, *de Sacrament. cap.* 30. nec enim matrimonium eſt, *Nov.* 22. *cap.* 10. Item ſi quis virginem ſe emere putaſſet, cum mulier veniſſet, ex empto competit actio ad reſolvendam emptionem, ut ait Ulpian. in *l. ex empto* 11. §. 5. *D. de action empt.* Scribit quidem idem Ulpian. in *l. alioquin* 11. §. 1. *D. de contrah. empt.* emptionem valere: in ſexu enim erratum non eſſe. Sed Ulpianum ab Ulp. non diſſidere certiſſimum eſt: putat enim, emptionem quidem valere, nec ob id redhibitioni locum eſſe, quod mulier vitiata venierit: hoc enim Aedilitio edicto non contineri, ſed tamen jure civili actionem competere ad diſtrahendam emptionem, *d.* §. 5. Quid ſi fidem mariti ſinceram expendes? Certe matrimonium praecipuam fidem deſiderat, quae ſanctiſſimum humani pectoris bonum eſt, ut ait Seneca *epiſt.* 88. Quid autem bonae fidei tam contrarium eſt, quam dolus? Quid haeremus? Conſtantinus Harmenopulus *Epitomarum lib.* 4. *tit.* 12. §. 10. refert Patricii ſententiam, exiſtimantis, nuptias diſſolvi, ſi vir liquido probaverit, mulierem ante nuptias virum expertam, ac devirginatam fuiſſe: quae Conſtantinus exſcripſit ex his Baſilici *lib.* 60. *tit.* 37. *in fin.* Ἐνεκάλεσέ τις ὡς εὗρε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ διεφθαρμένην ἐν τῷ καιρῷ τοῦ γάμου, καὶ διὰ τοῦτο ἀπεδίωξεν αὐτήν· ἡ δὲ ἀρνεῖται· καὶ ἐψηφίσατο ὁ Ῥωμανὸς οὕτως. Εἰ μὲν ἐν αὐτῇ τῇ νυκτὶ εὐθὺς ἐξῆλθε τῆς κοίτης ὁ ἀνὴρ, καὶ διεμαρτύρατο τοῖς οἰκείοις, καὶ συγγενέσι τῆς γυναικὸς διαπαρθενευμένην εἶναι αὐτὴν, κρίνεσθαι ἄλλως τὸ πρᾶγμα. Εἰ δὲ μὴ ἐν τῷ καιρῷ τοῦ γάμου τοῦτο ἐποίησε, μηδὲ περὶ τῆς φθορᾶς εἶπεν, ἀλλ' ἐσιώπησε, μὴ ἔχειν αὐτὸν ἐξουσίαν ἐκδιώκειν τὴν γυναῖκα. & mox: Εἰ κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ γάμου δῆλον ἐποίησε τὸ εἶναι τὴν γυναῖκα ἐφθαρμένην, ἀνάγκη λύεσθαι τὸν γάμον, μὴ καταπειθομένης τῆς γυναικὸς ἐπὶ μοιχείᾳ, διὰ τὸ πρὸ τοῦ γάμου πεπλημμεληκέναι τὸ ἁμάρτημα; quae Cujacius ita in Latinum convertit: *Egit quis ſtatim ac invenit uxorem ſuam corruptam die ſolenni nuptiarum, & eam expulit: illa vero negat. Romanus ita decrevit: Si ipſa nuptiarum nocte ſtatim lecto exierit vir, & teſtatus ſit domeſticis, atque cognatis mulieris, devirginatam eſſe eam, rem aliter judicari. Sed ſi die nuptiarum hoc non fecerit, nec quidquam dixerit de vitio, ſed obmutuerit, non eſſe ei jus expellendi eam. Quod ſi die nuptiarum manifeſtum fecerit, vitiatam eſſe eam, ſolvi matrimonium debere, adulterii muliere haudquaquam condemnata, quia ante nuptias peccavit*: in qua etiam ſententia eſt vetus quidam gloſſator Gallicus, ut didici e manuſcripto Codice conſuetudinum Andegavenſium & Cenomanenſium, apud Vir. Clar. & eruditiſſ. Chriſtoph. Juſtellum. Ejus verba ſunt haec: *& en pourroit eſtre au mariage departy pour la fornication.* Conjugii quidem nexus inexplicabilis eſt, ſed juſti. Societas & conſortio perpetua coitur, ſed cum notae pudicitiae femina. Nimis humanum eſt, & ſolutior lenitas, illegitimam conjunctionem ſolum dirimi: nec enim ſere puniri pro meritis poteſt, quae quod male coeperat, cupit hoc remedio temperare. Haec ei ſecunda poſt naufragium tabula eſt, hoc tandem effugium quaerit. Sed maritus culpae ignarus contumelioſam humanitatem commodare ei merito recuſat. Nuptias diſſolvi petit, quae legibus non conſtant. Diſplicet ei ſocietas mulieris obſcoenae. Id vigor publicae diſciplinae poſtulat: alioquin ad peccandi audaciam procedet, & impune cum amatore colludet, quae propter metum exempli deterreri poterat. Praetermiſſa animadverſio culpam provocat, & peccandi illecebra eſt; non praetermiſſa, prohibet: deteriores enim ſumus licentia. Magna eſt in ipſa ſeveritate pietas, per quam tollitur peccandi libertas. Si res exemplis dirimenda eſt, ſcimus, Ricardum, primum Angliae regem, Adelam non multo poſt nuptias, propter ſuſpicionem imminutae virginitatis, repudiaſſe, ex Polydoro Virgilio *Hiſt. lib.* 14. *in princ.* Henricus quoque, octavus Angliae Rex, Catharinam Havardam capite plecti juſſit, quod illam integram a viro non fuiſſe comperiſſet, auctore Sleidano *lib.* 14. Eodem jure utuntur Feſſenſes, apud quos omnis caſtitatis diſciplina afflicta non eſt: nam ſi conjux recens a viri compreſſu pudoris exuvias, & παρθένια, ſive interfectae virginitatis argumenta, palam, atque aperte non proferat, continuo dimittitur, & ſummo cum dedecore ejicitur, ut ſcribit Leo Africanus *libro tertio.* Imo lege Moſaica λιθόλευστος θάνατος proponebatur: corrupta enim in domo patris ſui, quaeque maritum deceperat, lapidibus obruebatur, Deuteronomii *cap.* 22. *vs.* 20. 21.

Quod ſi nuptias diſſolvi concedes, fortius dicetur, ſponſalia quoque dirimi, quae ſunt ſperatae tantum nuptiae, *l.* 5. *C. de ſponſal.* idque nominatim cavetur Leonis Imp. *Novella conſtit.* 93. Et jure divino eadem fortaſſe poena ſponſam manebat, quae conjugem adulteram: ejuſque rei argumentum eſt, quod Joſephus ſacratiſſimam virginem, pudicitiae verum exemplum, cogitabat dimittere, ne legibus ſubderetur: *Joſeph autem vir ejus cum eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam*, Matthaei *cap.* 1. *verſ.* 19. Cum eſſet juſtus, inquit, πρᾶος, χρηστὸς, ἥμερος, ἐπιεικὴς, ut interpretatur Chryſoſtomus *homil.* 4. *in d. cap. Matth.* id eſt, *manſuetus, clemens, mitis, humanus.* Quid eſt traducere, ſive παραδειγματίσαι, ut habet Graecus interpres Matthaei. B. Chryſoſtomus in *d. homil* 4. ſcribit, Joſephum virum juſtum noluiſſe eam traducere: ex quo enim in jus eam traheret, poenam capitis ſubire continuo neceſſe fuiſſe: τὸ δὲ ἐκπομπεῦσαι, καὶ εἰς δικαστήριον ἄγειν, θανάτῳ παραδοῦναι ἠνάγκαζεν. Cui interpretationi convenit textus Hebraicus, quem edidit Mercerus: Matthaeum enim Hebraice ſcripſiſſe convenit, ut praeter alios teſtatur, qui Novum Jeſu Chriſti Teſtamentum in linguam Arabicam convertit: quanquam non ſatis conſtat, an Euangelium, quod Mercerus in lucem dedit, aut Munſterus, ſit ipſamet ſcriptura Matthaei. Sic autem Latine efferri poteſt: *Non noluit eam tradere morti, neque revelare eam.* Syriaca autem converſio, & Arabica eodem recidunt: traducere enim ibi exponitur, *publicare, manifeſtare, & ventilare*, quod Theophylacto eſt, φανερῶσαι, καὶ κολάζεσθαι *in d. cap. Matth.* Eo ſenſu Petronius dixit, *cap.* 17. *nocturnas religiones traducere*; Horatius autem in Canid. *vulgare.* Hiſpanica verſio non improprie extulit verbum traducere verbo, *infamar*, cui convenit Gallicus interpres. Eſt autem proprie traducere apud Livium, Suetonium, Senecam, Martialem, & alios, quod Graece θεατρίζειν, ἐκπομπεύειν Chryſoſtomo, & Nicephoro Calliſto *lib.* 1. *cap.* 8. ἀτιμοῦν apud Harmenopulum *lib.* 6. *tit.* 3. §. 8. *Voluit*, ait Matthaeus, *occulte eam dimittere. Aeſtuabat animus ſanctus negotii novitate perculſus. Stabat ſponſa praegnans: ſed virgo. Stabat plena pignore: ſed non vacua pudore. Stabat de conceptu ſollicita: ſed de integritate ſecura. Stabat veſtita materno more, ſed non honore virginitatis excluſa. Sponſus quid faceret ad iſta? accuſaret de crimine? ſed erat ipſe innocentiae teſtis. Culpam diceret? ſed erat ipſe cuſtos pudoris. Urgeret adulterium? ſed erat ipſe virginitatis aſſertor. Quid faceret? cogitat dimittere, quia non poterat vel foris prodere, vel intus quod evenerat, continere.* Sic affectum viri juſti expreſſit veterum Patrum diſertiſſimus Petrus Ravennas in *ſermone* 145. *de generatione Chriſti.* Quomodo vero Joſeph cuſtos erat pudoris, & virginitatis aſſertor? quia ſecundum morem Judaeorum ſponſa in tempus nuptiarum a die deſponſationis ſponſo cuſtodienda tradebatur, ut teſtatur B. Chryſoſtomus in *d. homil.* 4. & Euthimius in *Matth. cap.* 1. Volebat igitur vir juſtus, & pius occulte dimittere eam. Graecus interpres Matthaei, λάθρα ἀπολῦσαι αὐτήν: qua voce utitur in *cap.* 5. *Omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam excepta cauſa fornicatio-*

tionis: ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα παρεκτὸς λόγου πορνείας. Itaque libellus repudii, ἀποστάσιον, ſive βιβλίον ἀποστασίου, Matth. *c.* 5. *v.* 31 & 19. *v.* 3. *ſeqq.* & Deuteron. *c.* 24. *v.* 1-5. Theophylacto eſt, γράμμα ἀπολυτικόν, ut ἀπόλυσις γαμετῆς, ἢ μονῆς, exponitur *repudium* in Gloſſis Graeco-latinis. Iſidorus Peluſiotes *lib.* 4. *epiſt.* 129. eadem in re utitur verbo ἐκβάλλειν, quod eſt ejicere, domo dimittere, de ſua protrubare domo, ἐξαποστέλλειν ἐκ τῆς οἰκίας, *d. c.* 24. Sic, apud Jureconſultum, dimittere eſt repudiare in *l. auxil.* 37. *§. ult. D. de minor.*

Ex diverſo, cogitemus quaeſo, quam facile matrimonium, id eſt, convictus, & individuus uſus diſtrahatur, ſi maritis eam poteſtatem fecerimus, ut de pudicitia pulſa, deque virginitate clam ab aliis interfecta querantur. Improbiſſimus quisque contendet, alium expugnaſſe decus muliebre, & florem virginis eripuiſſe, virginem deintegraſſe, pudicitiam imminuiſſe. Quid prodeſt matris cuſtodia diligens, & curioſus oculus pro puella bene, ac pudice educanda, quam ne quidem oculis omnium contrectari paſſa eſt? quo puellae pertinax pudor, & verecundia, quae pudicitiam oſculo quoque delibari crededit, ut non ſolum virginitatem illibatam, ſed etiam oſcula ad virum ſincera perferret? [Ovid. *ad Liviam Aug. v.* 41.]

Quid tibi nunc mores proſunt, actumque pudice
Omne aevum?

Ite nunc virgines ſpectatae innocentiae; ite infelices puellae! fruſtra virginitati metuentes, nuptiarum nomen expaveſcitis: fruſtra rubor ille virgineus os veſtrum decorat, ſimul atque nuptiarum mentio injecta eſt: denique fruſtra eſt tenor vitae ſine labe, & dignitatis maſcula. Imminet famae labes, & exiſtimationis, quae pretioſiſſimus cujusque cenſus eſt: imo occidit, interiit, perit omnis dignitas, ſi ſtupratorem, non maritum; ſi pudicitiae veſtrae inſidiatorem, non conjugem, judicem, arbitrumve acceperitis: qui nuptias contraxit, ut illico diſtraheret: qui divortium, non nuptias animo conceperat: qui lucrum dotis captabat, non matrimonium; cujus obtentu, ſine ullo reſpectu pudoris, nomen veſtrum dilacerat. Si propoſitum ejus, ſi votum ſpectemus, tantum aberat a nuptiis, & nexu inſolubili, quantum eſt inter coelum, & haec cituma. Interrogate illum, quaeſo, num liberorum quaerendorum cauſa nuptias contraxerit? aut frontem non habet, & depudere didicit, aut alienum a nuptiis animum non diffitebitur. Utinam arcana mentis denudari contingeret; utinam animi cogitationes imitus erumperent, ſeque ipſas proderent! feciſſet rerum natura, ut ſecreta judiciorum non eſſent in abſcondito! oculis veſtris occurrerent nequiſſimi hominis conſilia, fraudes, colluſiones, & impoſtura callida.

Videor equidem mulieris ingemiſcentis vocem audire: Juſtum repudium non eſt, niſi meruit id, quae repudiatur. Qui virginitatem deſiderat, eripuit: qui pudicitiam pepulit, repoſcit: qui caſtam uxorem efflagitat, ipſe ſpolium virginitatis habet [Ovid. *Heroid. Epiſt.* 6. *v.* 41.

Heu ubi pacta fides, ubi connubialia jura,
Faxque ſub arſuros dignior ire rogos.
Non ego ſum furtim tibi cognita: pronuba Juno
Adfuit, & ſertis tempora vinctus hymen.

Sed jam verborum ſatis eſt. Audite modo, quid de ejusmodi planis hominibus in jure Moſaico cautum ſit, *Deut. cap.* 22. *v.* 13-19. *Si duxerit vir uxorem, & poſtea odio habuerit eam, quaeſieritque occaſiones, quibus dimittat eam, objiciens ei nomen peſſimum, & dixerit: uxorem hanc accepi, & ingreſſus ad eam non inveni virginem: tollent eam pater, & mater ejus, & ferent ſecum ſigna virginitatis ejus ad ſeniores urbis, qui in porta ſunt. Et dicet pater: filiam meam dedi huic uxorem, quam quia odit, imponit ei nomen peſſimum, ut dicat: Non inveni filiam tuam virginem: & ecce haec ſunt ſigna virginitatis filiae meae: & expandent veſtimentum coram ſenioribus civitatis, apprehendentque ſenes urbis illius virum & verberabunt illum, condemnantes inſuper centum ſiclis argenti, quos dabit patri puellae, quoniam diffamavit nomen peſſimum ſuper virginem Iſrael: habebitque eam uxorem, & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitae ſuae.*

Audiſtis, ut animadverſum ſit in impoſtores ejusmodi? ſemper igitur exoſi, ſi ſemper inviſi, ſemper improbi, & inteſtabiles habiti ſunt. Sed ne ſilentio ſuo cauſa videantur cecidiſſe, & nos, inaudita parte altera, ſecundum ſequiorem ſexum ſententiam dixiſſe, ſuſtinete vos. Habent forte, unde ſeſe tueri poſſint: invenient etiam latibulum improbitati ſuae. Quaerunt virginitatis ſigna, quae calumniatori os obſtruunt in lege Moſaica *d. cap.* 22. *vſſ. d.*

Scribit Clemens Alexandrinus *Stromate* 7. & Suidas, in voce Ἰησοῦς, ſacratiſſimam virginem, quae humani generis redemptorem, ſalva virginitate, edidit, ſicut ſalva virginitate conceperat, propter rei novitatem juſſu eorum, qui tantae rei fidem detrahebant, inſpectam, & virginem certiſſimis notis probatam. Sed pedem hinc referamus, & deſinamus ſacra miſcere prophanis! Qui nomen inane virginitatis ad ſe perlatum queruntur, notas ruptae virginitatis quaerunt, nullae comparent: hinc illae lachrimae! ajunt ſemper creditum, maritum ἐκ ἀναιμωτὶ σφαγ. Apulejus *Metamorphoſeῶs lib.* 5. *Novam nuptam interfectae virginitatis curant.* Hincmarus Rhemenſis *de devortio Hlotharii & Tetbergae. Virgineum quippe, ut legimus, unde virgines, quae carne integrae ſunt, vocitantur, id eſt, pellicula, quae in eis in concubitu primo corrumpitur,* &c. Longus ποιμενικῶν *lib.* 3. Χλόη δὲ συμπαλαίσασά σοι ταύτην τὴν πάλην, οἰμώξει, καὶ κλαύσεται, καὶ αἵματι κείσεται πολλῷ, καθάπερ πεφονευμένη. Nonnus Dionyſiac. *lib.* 32.

Εἶχε δὲ ποικίλον αἷμα παλαίτατον, ᾗ χύτο νύμφης
Κυνταδίῃ φιλότητι κασιγνήτων ὑμεναίων,
Νυμφίος ἀρχαίης ἔτι λείψανον αἷμα κορείης,
Κυπρίδιος φιλότητος, ἵνα μνήσειεν ἀκοίτην.

Itaque Thyamis apud Heliodorum *Aethiop. lib.* 1. ſomnium de caede Charicleae benignius interpretatur eam, quae ſit ἀφροδίτης νόμῳ, οὐ ξίφει.

Quid ſi Moyſes ad morem gentis reſpexerit, qui hodieque apud Judaeos ſervatur? hinc enim virginum nomen puellae perdidiſſe creduntur. Sed Medicorum filii τὸ ὑμένα παρθένιον non omnes admittunt Non Oribaſius e veteribus *Collectaneor.* 24. *c. pen.* Soranus περὶ γυναικείων αἰδοίων· Τὸ γὰρ οἴεσθαι διαπεφυκέναι λεπτὸν ὑμένα διαφράσσοντα τὸν κόλπον, τοῦτο δὲ ῥήγνυσθαι κατὰ τὰς διακορεύσεις, καὶ ὀδύνην ἐπιφέρειν, εἰ θᾶττον, καὶ θαρσίως ἡμαῖον. τὸ δὲ καὶ σωματοποιηθέντα τὸ ἄτρητον λεγόμενον πάθος ἀποτελεῖν, ψεῦδος ἐστίν. Plerique e recentioribus nugas putant eſſe muliebres.

Sed etſi concedemus, pugnam hanc ἐκ ἀναιμωτὶ pugnari, & non eſſe ἀναίματον τρόπαιον, qui error Feſſenſes etiam occupavit, ut ſcribit Leo Africanus, *d. libro* 3. tamen pro comperto eſt, virginem τὴν ἐπιμήνιον κάθαρσιν καθαιρομένην, γυναικὸς ἤδη διαφέρειν. Ergo ſi per id tempus, quo juſta feminarum manant, eam duxeris, acta, & transacta res eſt, depudicata eſt, devirginata eſt. At tu, qui tam levibus, tamque evanidis argumentis, virginitatem adſeris, quae facilius eripitur, quam probatur, audiſtin', quibus technis, quibusve fraudibus, incautos, bene credulos, & minime malos homines ludos faciunt feminae, quibus furtim zona ſoluta eſt. Vin' tibi nequitiarum parentes ad teſtimonium citari? Ariſtenaetus locupletiſſimus teſtis eſt, *epiſt.* 6. *libri* 1. μηδὲν δείσῃς ὦ παῖ. ἐγώ σε τοιαῦτα διδάξω πῶς ἂν ἡ πρὸ γάμου γεγονυῖα γυνὴ, παρθένος ἔτι δόξῃ τῷ νυμφίῳ. Vin' tibi Medicos harum rerum arbitros advocari? plerique omnes ab ea ſententia ſtant. Scribit Pauſanias, virgines ante nuptias ex more zonam Apaturiae Minervae dicaſſe. An quia tota ea res interdum fraude non caret, ἐκ ἄνευ ἀπάτης ἐστί? Sed in re tam magni momenti fortaſſe provocas ad teſtes, omni exceptione majores. Panormitanus, Cardinalis eminentiſſimus, ali-

aſſiduus, & locuples teſtis eſt *in c. fraternitatis 6. & c. ult. ext. de frigid. & malef.* quibus omnibus adde, ſi lubet, auream coronidem, hoc eſt, *c. 30. Proverb.* Salomon. *v. 18. 19. Tria ſunt difficilia mihi*, & quae ſequuntur ad rem noſtram pertinentia. Non equidem inficior eſſe quaedam τῆς παρθενίας σημεῖα, ſed lubrica fides eorum eſt, & probatio ſatis illiquida, *can. nec aliqua 4. & ſeq. cau. 27 q. 1. c. pen. ext. de probat.* B. Ambroſius *ep. 64. l. 8. Quid quod etiam ipſi archiatri dicunt, non ſatis liquide comprehendi ſuſpectionis fidem, & ipſis medicinae vetaſtis doctoribus id ſententiae fuiſſe? Nos quoque aſa hoc cognovimus, ſaepe inter obſtetrices obortam varietatem, & quaeſtionem excitatam.* Praeclare Cujacius *Obſerv. l. 17. c. 27. Addendum, obſtetricum eſſe arbitrium aeſtimandi, an mulier praegnans ſit. An ſit virgo, eſt in difficili, nec huic rei uſquam legitur obſtetricibus delatum arbitrium.* Vide tamen *epiſtolam* Cypriani 62. In ſumma, propter rei gravitatem, publicam utilitatem, & nonnullorum forte perfidiam, placet auctoribus noſtris, errorem qualitatis nuptias non diſſolvere: ac per hoc eum, qui meretricem duxit, vel corruptam, quam putabat eſſe caſtam, aut integram, dimittere eam non poſſe, & ad aliud matrimonium migrare, ut tradit Gratianus noſter *cau. 29. q. 1. in fine.* & in eam ſententiam ivit divini, ac humani juris peritiſſimus Ivo Carnotenſis *epiſt. 188. Tutius*, inquit, *mihi eſſe videtur, ut vir mulierem, quam duxit, licet neſciens impudicam, retineat uxorem, quam ſuo divortio, & illam fornicariam, & ſe faciat fornicatorem.* Et hoc certiſſimum eſt: nam quod ſcribit Nicolaus I. PP. *epiſt. 59.* Sponſam ante nuptias corruptam dimitti non poſſe, ſi maritus poſt nuptias, & dotalia inſtrumenta interjecto tempore conqueſtus ſit, ſignificare videtur, nuptias non conſiſtere, ſi ſtatim ea de re querelam detulerit, ut ſupra ex Patricio relatum eſt, & ſuperiore caſu injuriam diſſimulatione aboleri. Sed nec utemur Concilii Compendienſis, *canone 7.* ibi enim ſi quis uxorem invenerit a fratre ſuo cognitam, eaque dimiſſa aliam acceperit, quam item vitiatam compererit, aliam ducere prohibetur: haec enim ei juſta uxor eſt, *propterea, quia nec ipſe virgo fuit illo tempore.* Videtur enim innuere, nuptias dirimi poſſe, ſi virgo maritus, mulierem & virum expertam ignarus domum duxerit.

Nec ab eo dimoveri poſſumus propter Patricium, & Harmenopulum, quorum ſententia non obtinuit, nec in Eccleſia Romana, quae caeterarum omnium caput, ac mater, uſu comprobata eſt. Nec etiam conturbari debemus exemplis Richardi, & Henrici Angliae Regum: abſit enim, ut tam male cum genere humano agatur, ut exempla rationem vincant, aut legem! Sola igitur ſponſalia dirimi conſtans omnium ſententia eſt, ſi ſponſa ante nuptias ſtupro cognita ſit, de quo tamen conſtare, & liquere debet; puta ſi praegnans ſit, ut in ſpecie dictae Leoninae conſtitutionis, & Joannis VIII. *epiſtola 148. ad Walam Epiſcopum Metenſem:* vel ſi aliter probari poterit, nuptias eam feciſſe: maxime ſi ſponſus vitiatam ignoraverit: nec enim injuria ſcienti fieri creditur, *cap. quemadmodum 25. ext. de jurejur.*

Auribus veſtris honorem habitum velim, quod neceſſe fuit in hac quaeſtione quaedam dicere, a verecundia veſtra aliena. Qui culpam agnoſcit, gratiam commeruit.

EXERCITATIO IV.

Aegritudo corporis, vel ſenectus teſtandi facultatem non adimit.

Eleganter quaeri poteſt, an aegritudo corporis teſtamenti factionem adimat: quemadmodum enim teſtamentum dicetur, quod forte ſeminecis & balbutiens lingua profudit? aut qui teſtamentum ordinabit, quod mentis noſtrae conteſtationem appellamus, cujus *turbida vis morbi ſenſum, atque intelligentiam depulit*, ut loquitur Arnobius *lib. 5. adverſus Gentes*, Lucretium, ut ſolet, imitatus: ſic enim ait *lib. 3. de rerum natura v. 491.*

— vis morbi diſtracta per artus
Turbat agens animam.

Idem autem mirabiliter expreſſit alienationes mentis, quae per morbos incidunt, hiſce verſibus *eod. lib. v. 464.*

Quin etiam morbis in corporis avius errat
Saepe animus: dementit enim, deliraque fatur;
Interdumque gravi lethargo fertur in altum,
Aeternumque ſoporem, oculis, nutuque cadenti:
Unde neque exaudit voces, nec noſcere voltus
Illorum potis eſt, ad vitam qui revocantes,
Circumſtant, lacrumis rorantes ora, genasque.
Quare animam quoque diſſolvi fateare neceſſe,
Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi.

Vetus Poëta ſub nomine Auguſti de Virgilio, qui divinum opus flammis aboleri mandaverat:

— — — ſi forte furenti
Erravit in morte dolor; ſi lingua locuta eſt
Neſcio quid titubante animo, non ſponte, ſed altis
Expugnata malis, odio languoris iniqui.
Si mens laeva fuit.

Alii jam in ipſo finitae lucis limine conſtituti nec animo, neque lingua ſatis compotes, propter linguae impedimentum, & impromptam loqutionem, aut vix, aut nullo modo ſenſus ſuos explicant, & jam fere animae vacui, vix tertiata proferunt, τὰ ἐξόδια ῥήματα, ut extrema verba jamjam morituri appellat Gregorius Nazianzenus: quanquam vix eſt, ut increſcentis morbi contagio, in ipſo vitae forſitan exceſſu, mens ſedibus ſuis non emoveatur. Salluſtius *in Jugurthino: Morbis confectus, & ob eam cauſam mente paululum imminuta.* B. Auguſtinus *libro ſingulari contra Felicianum: Afficitur in corpore mens doloribus corporis.* Plato *de Legibus lib. 11.* ἐὰν δέ τις τινὰ νόσος, ἢ γῆρας, ἢ καὶ τρόπων χαλεπότης, ἢ καὶ ξύμπαντα ταῦτα ἔκφρονα ἀπεργάζηται: *At vero, ſi quem morbus aliquis, aut ſenectus, aut morum acerbitas, aut haec omnia ſimul in dementiam dederint praecipitem.* B. Chryſoſtomus *homilia 2. in Acta Apoſtolorum:* οὐκ ἀκούεις ἰατρῶν λεγόντων, νόσος γὰρ παροῦσα δεινῶς ψυχὴν ἀμαυροῖ: *An non audiſti Medicos dicentes? cum morbus accedit, vehementer obſcurat animae vires.* B. Gregorius Nyſſenus: Ἐγὼ δὲ τὸ μὲν ἐπιταράσσεσθαι πολλάκις πρὸς τὰς τῶν παθημάτων ἐπικρατήσεις τὸ διανοητικὸν τῆς ψυχῆς, καὶ ἀμβλύνεσθαι τὴν κατὰ φύσιν ἐνέργειαν τὸν λογισμὸν ἔκ τινος σωματικῆς περιστάσεως ἀληθὲς εἶναι φημί: *Ego vero non diffiteor, facultatem animi intelligentem ſaepe a morborum violentia victam perturbari, & ex cauſa externa partem ratiocinatricem in actu ſuo naturali quaſi hebetem reddi.* Euſtrathius ad *ſextum Ethicorum Nicomachiorum, cap. 1.* Διότι δὲ πολλὰ τὰ πάθη, καὶ πολλαὶ αἱ νόσοι αἱ τοῖς ἀνθρώποις συμβαίνουσαι, αἱ μὲν τὰ σώματα παρὰ φύσιν διατιθέμεναι, αἱ δὲ καὶ αὐτῶν ψυχῶν ἐφαπτόμεναι, ὡς καὶ τὰς δυνάμεις αὐτῶν ἐνίοτε βλάπτεσθαι: *Quoniam multi affectus, ac multi morbi, qui hominibus contingunt, quorum nonnulli corpora praeter naturam afficiunt, nonnulli etiam ipſas animas attingunt, adeo ut facultates ipſarum interdum laedant, &c.* (vid. Laërt. lib. 2.) Tertullianus *de Anima: Nam & cum dementit homo, dementit anima.* Ulpian. in *l. 1. §. apud Vivianum 9. D. de Aedilit. ed. Interdum tamen, inquit* (Vivianus) *vitium corporale usque animum pervenire, & eum vitiare, veluti contingeret* φρενιτικῷ. Innocentius III. *in cap. pen. ext. qui matrim. acc. poſſ. Si animae infirmitatis fervore laborans ſanae mentis patiebatur exilium.* Denique, praeterquam quod mens in aegris labat, ſive, ut ait Arnobius, *animus aeger in aegris eſt*, ipſa cogitatio mortis, quae diſſociationem ſpiritus, corporiſque adfert, ſive, ut loqui-

loquitur, Olympiodorus *in Phaedonem Platonis*, τὰς πρὸς ἄλλα κρίσεις σώματος, τε καὶ ψυχῆς διακόπτει; ipſa inquam cogitatio mortis quoſdam exanimat, pleroſque de ſanitate ac mente deturbat, &, ut cum veteri Tragico loquamur, *ſapientiam omnem ex animo expectorat. Nam & idipſum vident, qui ſunt morbo gravi, & mortifero affecti, inſtare mortem*, ut ait Cicero *lib. 1. de Divin. c.* 30. Plato *de Legibus lib.* 11. ἀνοήτως, καὶ διατεθρυμμένως διά τρόπον τινὰ ἔχομεν οἱ πλεῖστοι, ὅταν ἤδη μέλλειν ἡγώμεθα τελευτᾶν. *Amentia, & delicata quadam moroſitate affecti ſumus, cum paulo poſt nos morituros exiſtimamus.* Plutarchus *de Fortuna Alexandri*: Πέρας μὲν ἐστιν ἅπασιν ἀνθρώποις ὁ θάνατος, ἀλλὰ θραύουσι οἱ καιροὶ παρὰ τὰ δεινὰ τοὺς λογισμοὺς, καὶ τὰς κρίσεις ἐκκρίνουσι αἱ φαντασίαι τῶν κινδύνων ἐγγὺς γενομένων. *Finis omnibus eſt mors. Sed ratio periculo imminente frangitur, ac imaginationibus judicium expellitur, ubi prope adſunt res terribiles.* Juſtinus *in l. hac conſultiſſima* 8. *C. qui teſtam. fac. poſſ. humana fragilitas mortis praecipue cogitatione perturbata.* Juſtinianus *Nov.* 18. *cap.* 6. ὑπὸ τῆς ἐν τῷ θανάτῳ ταραχῆς συνεχομένους: *mortis perturbatione oppreſſas. Mors enim ultimum malum eſt, & a naturae appetitione humanae mentis alienum*, ut ait Emporius rhetor.

Itaque negabat olim Antipater poſteriore teſtamento, quod Herodes ſcripſiſſet jam ſenſu prae valetudine imminuto, &, in ipſo veluti dijugio corporis & animae, ſuperius rumpi, quod a ſano, & in bona valetudine poſito conditum eſſet, apud Joſephum ἀρχαιολογίας *lib.* 17. *cap.* 11. Egeſippum *excid. Hieroſolymit. lib.* 2. *cap.* 1. & legibus tamen Ebraeorum potior eſt heredis inſtitutio, quae ab aegrotante fit, quam quae ab homine ſano. [Vid Selden. *de ſucceſſion. ad leges Ebr. cap.* 24.] Sed profecto cautius omnis humanitatis expertes, ac juris & legum ignari Turcae teſtamentorum fraudibus obviam ivere, quantum equidem didici, ex epiſtola manuſcripta MURATH BEG, interpretis primarii Imperatorum Muſulmannorum ad Claudium Perrotum V. C. quae hodie penes Chriſtophorum Perrotum Regium in Senatu Pariſienſi Conſiliarium integerrimum & doctiſſimum: in qua poſtquam dixit, Chriſtianos, qui Turcarum imperio obnoxii non ſunt, ſecundum leges patrias teſtamenta ſua condere, haec continuo ſubjicit: *Vulgare, ut apud Judicem, quem Cadi vocamus, ſani homines praeſentibus duobus teſtibus teſtamentum conficiunt, cujus inſtrumentum ibidem ſcribitur, & ſubſignatur a judice, teſtibus & teſtatore, quem neceſſe eſt vitam agere poſt teſtamenti confectionem per quadraginta dies; alias teſtamentum eſt irritum: quod ſi morbo aegrotet in aedibus vicarius judicis ad aedes teſtatoris pergit, praeſentibusque rurſus duobus teſtibus fit teſtamentum. Sed & tunc, qui teſtari vult, oportet ut de lecto ſurrectus quatuor pedes deambulando cameram circumeat, & pedes teſtamentum condat.*

Auctores noſtri ſic definiunt, ut in adverſa valetudine integer mentis recte teſtetur: mente autem captus eo tempore teſtamentum facere non poſſit, Paul. *Sentent. lib.* 3. *tit.* 4. *l. in adverſa* 17. *D. qui teſt. fac. poſſ.* integritas mentis, non ſanitas corporis exigitur, *l.* 2. *cod. l. ſenium* 3. *C. eod.* videas enim interdum corpus annis hebere, animum prudentia vigere: videas corpus ſenſim tabeſcere fervido adhuc, & compote mentis pectore. Atque ita videtur exaudienda lex Solonia, quam refert Demoſthenes *ſecunda in Stephanum.* Iſaeus *oratione* 3. Δῶναι μὲν γὰρ ὁ νόμος οὐδενὶ ἐᾷ τὰ ἑαυτοῦ, ἐὰν ὑπὸ γήρως, ἢ ὑπὸ νόσου παρανοῇ· *Non enim lex permittit donare ſua, ſi aut ſenectute, aut morbo deſipiet.* Idem ſcribit *oratione* 5.

In ſumma, qui jam rebus humanis valere dicit, & plaudere, ſi modo compos animi teſtamentum fecerit, utique recte teſtatus eſſe dicetur. Eodemque modo placet aegrum corpore, ſi modo mente ſanus ſit, recte tranſigere, *l. ſanum* 27. *C. de tranſact.*

Certe merito dubitari poteſt de iis, qui labente jam ſpiritu vi medicaminis ad modicum tempus, veſpillonum prope manibus extorquentur, &, velut ab inferis, poſtliminio vitae quodammodo reſtituuntur, ut ſuprema ſua ordinare poſſint, de quibus Anaſtaſius Sinaita, *quaeſtione* 127. Φάσκει τις τῶν φιλοσοφούντων, εἰ καταλάβοι τις ἀποθνήσκοντα πρὸ τοῦ ἀπολέσαι τὸν νοῦν, δύναται διά τινος κατασκευῆς ἀρωμάτων ἐπὶ ἡμιλίτρου αὐτῷ τηρῆσαι ἀσφαλῆ τὸν λογισμὸν, ὅπως καὶ τὰ καθ᾿ ἑαυτὸν διαθέσθαι δυνήσεται. *Ait quidam philoſophus: ſi incideris in morientem, priusquam ſenſum ac intellectum amittat, poterit quibusdam aromatis ad ſemiboram mens & ratio ejus illaeſa ſervari, ut res ſuas ordinare poſſit* Quoties enim aliquid captatur, fraus plerumque ſubeſſe ſolet. Hoc enim verius inumbratum, quam ſtabile mentis judicium eſt, quod tamen in condendis teſtamentis jure noſtro deſideratur.

BElle etiam quaeritur, an ſenex teſtandi facultatem habeat: Sive quia ſenectus ipſa morbus eſt, ut vulgo dicitur, Ariſtoteles *de generat. animal. lib.* 5. *cap.* 4. Terent *Phorm. act.* 4. *ſc.* 1. Seneca *epiſt.* 108. Heliodorus *Aethiop. lib.* 5. *cap.* 13. Galenus *lib.* 1. ὑγιεινῶν. B. Hieronymus *in Pſalm.* 89. *Quem enim invenies octogenarium eſſe, & ſanum? dicit & Graeca ſententia: Senectus ipſa morbus eſt.* Sive quia perraro contingit, ut quibus corpus ſenectum, & annis infirmum eſt, ingenium ſapientia validum ſit: namque in praecipiti aevo, & occidua ſenectute animus fere defectus delirat, ὑποληρήσας ἤδη τι αὐτῷ, καὶ τῆς γνώμης διὰ τὸ γῆρας. *Animo jam fatiſcente aevo delirante*, ſeu loquitur Aelianus *variarum lib.* 3. *cap* 37. Plaut. *Mercat. act.* 2. *ſc.* 2. *v.* 24.

Senex extemplo eſt, jam nec ſentit, nec ſapit,
Ajunt ſolere eum rurſum repueraſcere.

Lucretius *libro* 3. *de rerum Nat. v.* 452.

Poſt ubi jam validis quaſſatum eſt viribus aevi
Corpus, & obtuſis ceciderunt viribus artus:
Claudicat ingenium, delirat linguaque mensque.

Laevius Poeta vetus apud Aul. Gell. *lib.* 19. *c.* 7.

Corpore, pectoreque undique obeſo
Mente exſenſa, tardigrade genulo (al. *tardigemulo*)
Senio oppreſſum.

Salluſtius *in Jugurth. c.* 11. *Confectum annis Micipſam parum animo valuiſſe.* Livius *lib.* 5. *c.* 11. *Vires corporis affectae, ſenſus oculorum, atque aurium hebetes, memoria labat, vigor animi obtuſus:* & *lib.* 6. *c.* 23. *Cum corporibus vigere, & deflorescere animos:* & *lib.* 9 *c.* 3. *Filius ipſe imprimis jam animum quoque patris conſenuiſſe in affecto corpore rebatur.* Tacitus *Annal. lib.* 6. *c.* 38. *Ipſi* (Tiberio) *fluxam ſenio mentem, & continuo abſceſſu velut exilium objectando.* Cenſorinus *de die Natali c.* 14. *Caeterum poſt annos* 84. *a mente ſua homines abire.* Apulejus *in Apolog. Quaſi jam per aetatem deſiperet.* Plutarchus *in Lucullo*: Νέπος δὲ Κορνήλιος οὐχ ὑπὸ γήρως φησὶν, οὐδὲ νόσου παραλλάξαι τὸν Λεύκολλον. *Cornelius Nepos ait Lucullum neque ſenio, neque morbo alienata mente fuiſſe.* B. Chryſoſtomus *homilia* 56. *in Matthaeum*: Ἡ δὲ πρὸς τὸ γῆρας ἐλθοῦσα πάλιν πᾶσαν τὴν ἐν ἡμῖν αἴσθησιν καταμαραίνει. *Provectior aetas ſenſus aciem hebetiorem reddere ſolet.* Plato *lib.* 11. *de Leg.* quem ſuperiore diſſertatione protuli. Libanius *declamat.* 16. Gregorius Palamas *declamat.* 1. ἠγάπων δ᾿ ἄν, εἰ μὴ προσανεμάττετό μοι λῆρον λέγω, καὶ παρανοίας, καὶ ληθαργεῖν· εἴπερ γάρ τι ἀληθὲς τῶν συγγηρᾶν τῷ Τιθωνῷ, καὶ δὶς τοὺς γέροντας παῖδας γίνεσθαι, ὡς τὸ εἰκὸς τοίνυν διὰ τῆς περιόδου τῶν ἡλικιῶν ἀνακάμπτομεν: *Praeclare vero mecum ageretur, niſi etiam ſuas calamitates ingereret, & quibus abundat ſenilibus malis me refarciret. Delirio, inquam, errore & veterno: nam, ſi verum eſt mentem Tithono conſeneſcere, & bis pueros ſenes fieri, ad repueraſcendum profecto aetatum converſione revertimur.* Verba ſunt animi conquerentis de damnis, vitiisve, quae corporis ſenium, aevitasve infert. Unde natum proverbium, *bis pueri ſenes.* Vetus auctor apud Stobaeum, λογ. 115. de homine ſenectu-

nectu-

nectute conſito: τῇ δὲ ψυχῇ κατὰ τὴν παροιμίαν, παῖς πάλιν γεγονώς: *Animo vero, ſicut vulgo dicitur, puer iterum factus.* Lucian *in Saturnalibus*, Julian *epiſt.* 59. Clemens Alexandrinus, Auſonius *epiſt. ad Heſper.* Atque his fortaſſe rationibus defendi poteſt, teſtamenti factionem in extrema ſenectute concedendam non eſſe. Jure tamen civili Romanorum ſenium aetatis ſanitatem mentis tenentibus teſtamenti factionem non aufert, *l. ſenium* 3. *C. qui teſtam. fac. poſſ.* Cuſtodite reſcriptum eſt, ſanitatem mentis deſiderari: id eſt, ſenectus teſtandi facultatem non adimit emeriti aevi hominibus, *ſi modo mens ſine injuria eſt, & integri ſenſus animum ſervant, nec defectum, & praemortuum corpus eſt*, ut Senecae verbis utar, *epiſt.* 58. Et in eum modum emollienda videtur lex Solonia, a Demoſthene prolata 2. *in Stephanum*, quae teſtandi facultatem ſenibus creditur ademiſſe: eamque interpretationem adjuvat Iſaeus, *oratione tertia*, ſuperiore diſſertatione relatus. In ſumma, ſenex ſuprema ſua dictare non prohibetur, niſi ſit ἐσχατογήρως, καὶ ταῖς ὅλαις αἰσθήσεσι διὰ τὸν χρόνον παραλελυμένος: ut ait alicubi Diodorus Siculus; & jam ſenio confecto, emortuoque corpore ſenilis ſtultitia, *quae deliratio appellari ſolet*, ut ait Cicero *de Senect. cap.* 11. impedimento ſit. Item ſenecta aetas donationem non impedit, *l. ſenectas* 16. *C. de donat.* Senectus, inquam, cruda adhuc, & viridis, aut certe, quae mentem non deintegrat: annis enim defectiſſimus, quem mens, & ratio reliquit, non magis donare poterit, quam ſupremo judicio res ſuas ordinare.

EXERCITATIO V.

De morte voluntaria.

TItio & Maeviae conjugibus non bene conveniebat. Maevia inter ſacra menſae maritum potione ſuſtulit. Filius communis eodem veneno periit. Cum Maevia maritum ſciens, filium imprudens junctis pene funeribus extuliſſet, accuſator veneficii apud Praetorem Maſſilienſem ream peregit: triſtem ſententiam paſſa, Senatum Aquenſem appellavit: interim, ut pudorem damnationis effugeret, decrevit media mori, & ſemianimis decreto Senatus in furcam ſublata eſt. Quaeritur, an liceat mortem ſibi conſciſcere.

Olympiodorus, *in Phaedonem Platonis*, quinque fere cauſas enumerat, propter quas liceat fati diem occupare. Verba ejus heic apponam e Regis Chriſtianiſſimi codice manu exarato: neque pigebit, quia nondum Olympiodorus in lucem editus eſt, paulo longiorem locum adſcribere. Plato ait: οὐ μέντοι ἴσως βιάσεται αὑτόν. οὐ γάρ φασι θεμιτὸν εἶναι: *non tamen fortaſſe ſibi manus adferet.* Olympiodorus, ubi dixit, ἀνόσιον εἶναι τὸ ἐξαγαγεῖν ἑαυτόν, *non ſine ſcelere mortem adſciri*, haec in contrariam ſententiam ſubjungit: Τί οὖν; ὃ δεῖ συνηγορῆσαι καὶ τῷ ἀντικειμένῳ, καὶ δεῖξαι, ὅτι δεῖ ἐξάγειν ἑαυτούς; πρῶτον μὲν λέγων. οὐ μέντοι ἴσως βιάσεται ἑαυτόν. τὸ γὰρ ὑπόνοιαν δίδωσιν, ὅτι ποτὲ καὶ δεῖ ἐξάγειν ἑαυτούς· καὶ πάλιν ἐφεξῆς φησίν, ὅτι οὐ δεῖ ἐξάγειν ἑαυτούς, εἰ μὴ μεγάλην ὁ Θεὸς ἀνάγκην ἐπιπέμψοι, οἵαν τὴν νῦν παροῦσαν. δεύτερον ἐπιχείρημα· εἰ αὐτὸς ὁ Πλάτων φησὶν ὅτι ἐξάγειν ἑαυτὸν ἐπιτρέπει καὶ τῷ σπουδαίῳ, καὶ τῷ μέσῳ, καὶ τῷ πολλῷ, καὶ φαύλῳ ἀνθρώπῳ. τῷ σπουδαίῳ ὡς ἐνταῦθα. τῷ μέσῳ, ὡς ἐν τῇ πολιτείᾳ λέγων. ὅτι δεῖ τὸν νόσῳ ἀνιάτῳ, καὶ μακρᾷ κατεχόμενον ἐξάγειν ἑαυτόν, ὡς ἄχρηστον ὄντα τῇ πόλει. διότι βούλεται ὁ Πλάτων τοὺς ἑαυτοῦ πολίτας, τῇ πόλει χρησίμους εἶναι, καὶ οὐχ ἑαυτοῖς. ἐν δὲ τοῖς νόμοις τῷ πολλῷ ἀνθρώπῳ λέγων, ὅτι δεῖ τὸν ἀνιάτοις πάθεσι κατεχόμενον, οἷον ἔρωτι μητρὸς, ἢ ἱεροσυλίας, ἢ τῶν τοιούτων τινί, καὶ μὴ δυνάμενον κρατεῖν ἑαυτοῦ, ἐξάγειν ἑαυτόν. τρίτον ἐπιχείρημα. εἰ Πλωτίνῳ γέγραπται περὶ εὐλόγου ἐξαγωγῆς, δεῖ ἄρα ποτὲ ἐξάγειν ἑαυτόν· τὸ τέταρτον. εἰ οἱ Στωικοὶ πέντε τρόπους ἔλεγον εὐλόγου ἐξαγωγῆς· ἀπείκαζον γὰρ τὸν βίον συμποσίῳ, καὶ ἔλεγον. ὅτι δι' ὅσας αἰτίας λύεται τὸ συμπόσιον, ἢ διὰ χρείαν ἄφνω μεγάλην ἐπιστᾶσαν, οἷον διὰ παρουσίαν φίλου ἄφνω ἐλθόντος, ἢ διὰ τοὺς ἐπικωμάζοντας αἰσχρορρημονοῦντας, ἢ διὰ καταλαβοῦσαν μέθην λύεται τὸ συμπόσιον, καὶ διὰ τὰ παρατιθέμενα νοσερὰ ὄντα. ἔτι μὴν καὶ διὰ πέμπτον τρόπον δι' ἔνδειαν τῶν παρατιθεμένων. καὶ τὸν βίον δὲ λυτέον διὰ πέντε τρόπους. οἷον διὰ χρείαν λύεται τὸ συμπόσιον, δεῖ λύειν τὸν βίον, καὶ διὰ μεγάλην χρείαν ὡς Μενοικεὺς ἀποσφάξας ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς πατρίδος. ἀλλὰ καὶ δι' αἰσχρορρημοσύνην, οὕτω δεῖ λύειν καὶ τὸν βίον διὰ τύραννον ἀναγκάζοντα εἰπεῖν τὰ ἀπόρρητα. ὃ καὶ Πυθαγορικὴ τις γυνὴ πεποίηκεν ἀναγκαζομένη εἰπεῖν, διὰ τί οὐκ ἐσθίει κυάμους· ἔφη γάρ, φάγοιμι ἄν, ἢ εἴποιμι ἄν. οὕτω ἀναγκαζομένη φαγεῖν, ἔφη. εἴποιμι ἄν, ἢ φάγοιμι ἄν. καὶ τέλος ἀποτεμοῦσα τὴν γλῶτταν, ὡς καὶ διαλεκτικὸν, καὶ γευστικὸν ὄργανον. ἀλλὰ καὶ διὰ μέθην λύεται τὸ συμπόσιον. οὕτω καὶ τὸν βίον λύειν δεῖ διὰ τὸν παρεπόμενον τῷ σώματι λῆρον. φυσικὴ γάρ ἐστι μέθη ὁ λῆρος. ἀλλὰ καὶ διὰ τὰ παρατιθέμενα νοσερὰ ὄντα καὶ τὸν βίον λυτέον· οὕτω καὶ διὰ τὸ σῶμα νόσοις ἀνιάτοις κατεχόμενον, καὶ ἀνεπιτήδειον πρὸς τὸ ὑπουργεῖν τῇ ψυχῇ. ἀλλὰ καὶ δι' ἔνδειαν τῶν προσαγομένων λύεται τὸ συμπόσιον. οὕτω καὶ διὰ πενίαν δεῖ ἐξάγειν ἑαυτούς, ἐὰν μὴ πάρεστιν ἀπὸ ἀγαθῶν λαμβάνειν. οὐ γὰρ λυσιτελεῖ ἀπὸ φαύλων· μιαρὰ γὰρ ἀπὸ μιαρῶν δῶρα, καὶ οὐ δεῖ τούτοις μολύνειν ἑαυτόν. τί οὖν ἡμεῖς φαμέν; ὡς ἀντίφρασιν γὰρ περίεισι ὁ λόγος. πῶς γὰρ καὶ ἀθέμιτον τὸ ἐξάγειν ἑαυτὸν καὶ εὔλογον. ἢ οὐ δεῖ μὲν ἐξάγειν ἑαυτὸν ὅσον ἐπὶ τῷ σώματι· πρὸς κακῷ γάρ ἐστι τούτῳ τῷ σώματι. ἀλλὰ καὶ εὔλογον ἐξάγειν ἑαυτὸν διὰ μεῖζον ἀγαθὸν συντελοῦν τῇ ψυχῇ, οἷον ὡς ἔνια βλάπτεται ὑπὸ τοῦ σώματος· ὥσπερ γὰρ ὁ βουλευόμενος ἐκεῖνα αἱρεῖται, οἷς ἐλάσσονα μὲν κακὰ ἕπεται, μείζονα δὲ ἀγαθά. καὶ ὥσπερ αἰνέσαι μὲν φίλῳ τυπτομένῳ μὴ ἀμύνειν, εἰ δὲ τύπτοιτο, ὑπὸ πατρὸς οὐκ εὔλογον ἀμύνειν, οὕτω καὶ ἐνταῦθα, καὶ ἀθέμιτον ἐξάγειν ἑαυτὸν διὰ τὸ σῶμα, καὶ εὔλογόν ποτε διὰ τὴν ψυχήν, λυσιτελοῦντος αὐτῇ ποτὲ τούτου. *Quid ergo? num oportet contrariae ſententiae patrocinium praeſtare & oſtendere, quod liceat mortem adſciſcere? cujus quidem rei argumenta ex hac ipſa diſſertatione elicimus, in qua Plato tradit, non licere mortem ſibi conſciſcere: & primum quidem ex eo, quod ait, non tamen fortaſſe ſibi manus adferet: nam illud fortaſſe ſuſpicionem injicit, aliquando licere ſibi manus inferre. Rurſus deinde ait, non oportere mortem adſciſcere, niſi Deus ſummam neceſſitatem impoſuerit, ut puta eam, qua de ibi agit. Secundum argumentum hoc eſt: ipſe etiam Plato dicit, ſe ut ſibi mortem conſciſcat, ſuadere viro bono, medio, & pravo, & viro quidem bono, ut hic; medio, ut in libro de Rep. quo loco ait, ei qui morbo inſanabili, & peremptorio teneatur, licere mortem arceſſere, quod ſit inutilis civitati. Itaque Plato vult, cives utiles eſſe civitati, non ſibi ipſis. In libris vero de Legibus de homine pravo ait, eum, qui teneatur affectionibus inſanabilibus; puta amore matris, vel ſacrilegii admittendi deſiderio, aliiſque ejuſmodi, quibus ferendis ſeſe imparem eſſe intelligat, debere ſibi mortem inferre. Tertium argumentum hoc eſt: Plotinus librum ſcripſit de juſtis cauſis ſibi conſciſcendae mortis.* (Pſellus *in oracula Chaldaica* citat Plotinum ἐν τῷ περὶ ἀλόγου ἐξαγωγῆς: vide, an legendum ſit, εὐλόγου, niſi & idem ſcripſerit, περὶ ἀλ. ἐξ. Quod ipſe Plotinus ſuadere videtur, *Ennead.* 1. *lib.* 9. tametſi titulus ſimpliciter concipiatur, περὶ ἐξαγωγῆς) *Licet igitur aliquando mortem praecipere. Quartum argumentum: Stoici philoſophi ajunt, quinque modis jure quem ſibi manus adferre: vitam enim comparant convivio, dicuntque, ex quot cauſis convivium ſolvitur, ex totidem cauſis ex hac vita migrandum eſſe. Diſceditur igitur a convivio, Vel propter magnam aliquam neceſſitatem repente ſubortam, veluti propter ſubitarium adventum amici; Vel propter comiſſantes, obſcoena loquentes; Aut propter quorum-*

Digitized by Google

rundam ebrietatem. Item abitur a convivio, ſi ea, quae in menſam illata fuerunt, noxia erant. Quinto denique propter penuriam. Similiter e vita migrandum eſt ob quinque cauſas: verbi gratia, ſolvitur convivium propter neceſſitatem; ſic etiam vita diſſolvenda eſt propter ingentem neceſſitatem; quod feciſſe dicitur Menoeceus, qui pro patria ſe ipſum interfecit. Sed & propter obſcoena ſolvitur convivium: quam etiam ob cauſam e vita exeundum eſt; verbi gratia, ſi tyrannus cogat nos dicere nec dicenda, ſicut mulier quaedam Pythagorica feciſſe traditur, cum cogeretur dicere, quamobrem fabulo non veſceretur: dixit enim, comederem citius, quam dicerem. Deinde cum comedere cogeretur, dixit, dicerem citius, quam comederem. Denique linguam ſibi praeſcidit, tanquam fandi, & guſtandi inſtrumentum. Sed & ficus propter ebrietatem diſceditur a convivio, ita & vita excedendum eſt propter animi delirium: deliratio enim eſt ebrietas naturalis. Denique propter cibos noxios a convivio receditur: ſimiliter moriendum eſt propter inſanabiles corporis morbos, cum jam animo ſuo ſubſervire quis non poteſt. Poſtremo propter penuriam, & paucitatem ciborum abitur a convivio. Similiter etiam propter paupertatem mors acceleranda eſt, niſi aliquid viri boni corrogent: prava enim ſunt pravorum munera, neque ſe illis contaminare oportet. Quid ergo dicemus? hae ſiquidem res invicem contrariae eſſe videntur, nefas eſſe mortem ſibi conſciſcere, & ex juſta cauſa licere. Non aliud certe dicemus, quam non licere fata properare corporis reſpectu. Hoc enim praeterea mali accederet corpori: cum ratione tamen vim vitae adferet quis, ſi exinde majus bonum obveniat animo; verbi cauſa, cum animus a corpore laeditur. Haec enim tanquam deliberans eligit, quae minora mala conſequuntur, utique autem majora bona: & quemadmodum impium eſt vapulanti amico opem non ferre, niſi pater ſit, qui faciat: ita etiam heic impium eſt ſibi manus adferre propter corpus; aliquando autem propter animum merito fata properamus. Ex quibus Olympiodori verbis diſcimus, quibus ex cauſis Stoici exiſtimarent licere ſibi manus adferre. Id autem, quod ait, poſſe quem ſibi mortem irrogare, ſi ſit male affecto corpore, confirmat Plutarchus, περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν πρὸς τοὺς Στωικούς, his fere verbis: Καὶ λέγουσιν ὅτι χρὴ νόσον φεύγοντα μεγάλην, καὶ ἀλγηδόνα σύντονον, ἐὰν μὴ παρῇ ξίφος, ἢ κώνειον εἰς θάλατταν ἀφεῖναι καὶ κατὰ κρημνῶν ῥίπτειν ἑαυτὸν, ὧν οὐδέτερον βλαβερὸν, οὐδὲ κακὸν, οὐδὲ ἀσύμφορόν ἐστιν, οὐδὲ κακοδαίμονας ποιεῖ τοὺς περιπίπτοντας. Et ajunt, eum, qui morbum praegravem fugiat, & dolorem acerbum, niſi gladius praeſto ſit, aut cicuta, in profundum & ſaxa ſeſe dejicere, quorum neutrum noxium ſit, aut malum, vel inutile, nec calamitoſos faciat eos, qui ſeſe dejiciunt. Et generaliter in Stobaei *Eclogis Ethicis* de Stoicis relatum eſt: Φασὶ δὲ ποτὲ καὶ τὴν ἐξαγωγὴν ἐκ τοῦ βίου τοῖς σπουδαίοις καθηκόντως κατὰ πολλοὺς τρόπους, &c. Ajunt virum bonum variis ex cauſis jure ſibi manus inferre poſſe. B. Auguſtinus *lib. 19. de Civ. Dei cap. 4.* Quae mala Stoici philoſophi miror, qua fronte mala non eſſe contendant, quibus fatentur ſi tanta fuerint, ut ea ſapiens vel non poſſit, vel non debeat ſuſtinere, cogi eum mortem ſibimet inferre, atque ex vita emigrare. Hanc deinde ſententiam alii propagarunt, Seneca *epiſt. 58. 69. & 77.* Auctor *Thebaid.* jus vitae & necis meae penes me eſt. Libanius *declamat.* 8. Ὅστις φησὶ βαρὺν τὸ ζῆν, ἀποθνησκέτω. περιπλέκεται κακοῖς, πινέτω κώνειον. πιέζῃ συμφοραῖς, ἀπιθι. λεγέτω μὲν ὁ δυστυχῶν τὰ πάθη. διδότω δὲ ἡ βουλὴ τὸ φάρμακον, λυέσθω δὲ ἡ λύπη τῷ θανάτῳ: Quiſquis es, cui vita gravis eſt, emorere; malis immergeris? hauri venenum cicuta temperatum; cladibus opprimeris? abi & tu de vita: dicat infelix aerumnas ſuas: det ei Senatus venenum, & morte dirimatur moeſtitia. Obſerva Senatum venenum dare: nec enim cuiquam licebat ſibi mortem inferre ſine venia Principis, aut Senatus, Xiphilinus *in Adriano*. Quintil. *declam.* 337. Huc pertinet quod de Maſſilienſibus ſcribit Valerius Maximus, *lib. 2. c. 6. §. 8. & 9.* Exempla eorum, qui ſe vita abdicarunt, poſſent ex facili quamplurima proferre: quis enim, quaeſo, neſcit Zenonem Stoicae ſectae ἀρχηγὸν, Chryſippum philoſophum ſummae Stoicae ſapientiae, Cleantem Empedoclem, Euphratem philoſophum, Demoſthenem, Catonem, Porcium Latronem, ſponte deceſſiſſe. Ejus rei auctores ſunt Diogenes Laërtius *in Zenone*, Alexander Aphrodiſaeus *in ſecundum de anima*, Lucianus *in Macrob.* Galenus 5. *de locis affectis*. Lactant. *de falſ. ſapient. cap.* 18. Plutarchus, Pauſan. Euſeb. *Chron. lib. poſteriore*, Xiphilinus *in Adriano*. Ariſtarchum & Anaxagoram inedia vitam finiiſſe tradit Suidas, & Plutarchus *in Pericle*. Cornelium Rufum, & Silium Italicum Plin. *Epiſt. lib. 1. ep. 12. & lib. 3. ep. 7.* Atticum, Cornel. Nepos *in ejus vita cap. ult.* Id Graeci ἀποκαρτερεῖν dicunt. Demetrius Phalereus *de elocut.* ὑδέδετο μὲν αὐτῷ ἀποκαρτερεῖν. Apud Indos occupare fati diem pulchrum, & glorioſiſſimus exceſſus, ut ſcribit Quintus Curtius *lib. 8. cap. 9.* Strabo *lib. 15.* Olympiodorus *in Phaedonem Plat.* Porphyrius *lib. 4.* περὶ ἀποχ. ἐμψ. Germanorum pleroſque laqueo vitam finire refert Euſebius. Caeſarius ἀποκρ. 109. Γερμανῶν δ' οἱ πλείους ἀγχόνῃ τὸ ζῆν ἀμείβονται: *Germanorum complures laqueo vitam cum morte commutant.* Equidem pleroſque alios recenſere poſſem, qui voluntaria morte obierunt, niſi mali res eſſet exempli.

Quid autem auctoribus noſtris ea de re proditum ſit, jam videamus. Scribit Ulpian. in *l. ſi quis 6. §. ejus qui 7. D. de inj. rupt.* teſtamentum ejus in irritum non conſtitui, qui faſtidio vitae, vel impatientia doloris alicujus (aut pudore aeris alieni, addit Paulus *lib. 5. Sent. tit. 12.* aut furore, *l. omne 6. §. pen. D. de re milit.*) vel qua alia juſta cauſa necem ſponte ſibi comparaverit. Quo colore ſub Tiberio, *eorum, qui de ſe ſtatuebant, humabantur corpora, manebant teſtamenta, pretium feſtinandi*, ut ſcribit Tacitus, *Annal. lib. 6. cap.* 29. id eſt, mortis honore non carebant, nec eorum teſtamenta in irritum conſtituebantur, quod imminentem damnationem voluntario fine praeverterent. Caeterum ſi reus poſtulatus, aut in ſcelere deprehenſus propria animadverſione mori magis, quam damnari maluerit, pudorem damnationis morte fugiens, ut ait Plinius *epiſt. lib. 3. ep. 9.* teſtamentum ejus irritum eſſe. Sed & qui angore, ac taedio vitae manus ſibi attulerunt, lugeri ſolent, *l. libertorum 11. §. 3. D. de his qui notant. infam.* quaſi mors eſſet perfugium aerumnoſae vitae, malorum terminus, & laborantium portus. Denique Papinianus reſcripſit, auctore Marciano in *l. ult. §. 3. D. de bon. eor. qui ante ſent. mort. ſibi conſ.* bona ejus. qui ſibi manus intulit, fiſco non vindicari, ſi non eſſet in reatu (ſerva, eo tantum caſu, bona ejus, qui mortem accivit, in fiſcum redigi, quod confirmat Valerius M. *lib. 9. c. 12.* & benignius eſt) malam enim conſcientiam poenae obnoxiam eſſe, *non facti ſceleritatem*. Ita legitur tam in Pandectis Florent. quam in libris veteribus. Gloſſae graeco-lat. ἀτοπία, *ſceleritas*: quae quidem diſtinctio in militis quoque teſtamento locum habet, *d. l. 6. l. ejus militis 34. D. de teſtam. mil. d. l. omne 6.* Certe qui, nullam cauſam moriendi nactus, manus ſibi attulit, punitur: qui enim ſibi non pepercit, multo minus alii parcet, *d. l. ult. §. 6.* quia dominus membrorum ſuorum nemo videtur, *l. liber homo 13. D. ad l. Aquil.* Juriſconſultus autem in *l. ſed ſi damnum 9. §. ſi ipſe 7. D. de pecul.* ait, *licere etiam ſervo naturaliter in ſuum corpus ſaevire*, quaſi tam liberis hominibus, quam ſervis id liceat. Imo Jureconſultus voluit, etiam ſervo, id eſt, quamvis in mancipio ſit, ei tamen licere naturaliter in ſuum corpus ſaevire. Non tamen conſequenter dixeris, id homini quoque libero licere ſine cauſa: nec enim ſervorum eadem, quae liberorum hominum eſt ratio habita, quoniam intereſt reipubl. liberum corpus illaeſum ſervari: ſervile autem corpus pro nullo fere habitum eſt. Haec eſt vis, & poteſtas ȝ *etiam*, quod eſt in Pand. Florent. In

ſumma Cocceius Nerva omnis humani, divinique juris ſciens ſponte vita exceſſit, ut ſcribit Tacitus *Annal. lib. 6. cap. 26.* Quintilianus *d. decl. 337. Nullam tam inhumanam quiſquam crediderit eſſe legem, ut hominem innocentem, & invitum detineat in luce.*

Verum eam ſententiam, quam adſeruerunt auctores noſtri, & Stoici, multis retro ſaeculis damnatam fuiſſe comperio, & ab ipſo jam Poëtarum praecipuo, *Iliad.* 2. apud quem Helena, ὡς ὄφελεν, inquit, θάνατός μοι ἁδεῖν κακός: *Utinam mors mihi placuiſſet mala!* Quod in hunc modum enarrat Euſtath. ὄφελεν ἀρεσὸς, καὶ ἡδύς μοι δόξαι ὁ θάνατος, ὡς ἂν αὐτόχειρ ἐμαυτὴν τοῦ βίου ἐξήγαγον: *Utinam placuiſſet, & jucunda mihi mors viſa haec fuiſſet, ut ſponte eam acceriviſſem!* Plato ipſe, quem in priorem ſententiam trahebat Olympiodorus, nefas eſſe ait *in Phaedone*, ſpiritum ſponte deponere: & in eam rem citatur a Theodoreto, *Graecarum affectionum lib.* 8. Macrob. *lib. 1. in ſomn. Scip. cap.* 13. Libanius etiam, *de vita ſua*, ſcribit, lege Platonica ultroneam mortem prohiberi; & Apul. *lib. 2. de philoſophia morali*; in quam ſententiam auctorum pleriquc pedibus iverunt. Ariſtot. *lib. 9. Ethic. c. ult.* Polybius *in excerptis libri* 28. Ἀγεννίας σημεῖον, τὸ μηδὲν αὐτῷ συνειδότα μοχθηρὸν προεξάγειν ἐκ τοῦ ζῆν αὑτόν; *Degeneris animi argumentum eſt, integrum vitae, ſceleriſque purum mortem ſibi conſciſcere.* Galenus: Ἀνὴρ δ' οὐδεὶς μεγαλόψυχος, οὔτ' ἐπὶ λύπαις, οὔτ' ἐπὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσα λύπης ἰσχυρότερα θανάτῳ περιπίπτει· ὅτι γὰρ τόνος τῆς ψυχῆς αὐτοῦ ἰσχυρός ἐστι, τὰ παθήματα σμικρά: *Vir magnanimus, nec in moerore, neque in aliis, quae moerorem ſuperant, mortem ſibi conſciſcet: cum enim vis, ac vigor animi conſtans eſt, affectus imbeciles ſunt, & impotentes.* Cicero *lib. 1. Tuſcul. quaeſt. c.* 30. *Vetat enim dominans ille in nobis Deus injuſſu hinc nos ſuo demigrare*; & in *ſomnium Scipionis cap.* 3. *Niſi Deus is, cujus hoc templum eſt omne, quod conſpicis, iſtis te corporis cuſtodiis liberaverit, in caelum aditus tibi patere non poteſt.* In eandem ſententiam ivit, quod mireris, Hierocles Stoïcus, ad carmina Pythagorae. Joſephus *belli Judaici lib. 3. c.* 25. Γενναῖος γὰρ ἀνελεῖν ἑαυτὸν φήσει τις. οὐ μὲν οὖν, ἀλλ' ἀγεννέστατος, ὡς ἐγώ γε καὶ κυβερνήτην ἡγοῦμαι δειλότατον, ὅστις χειμῶνα δεδοικὼς πρὸ τῆς θυέλλης ἐβάπτισεν ἑκὼν τὸ σκάφος. ἀλλὰ μὴν αὐτοχειρία, καὶ τῆς κοινῆς ἁπάντων ζώων φύσεως ἀλλότριον, καὶ πρὸς τὸν κτίσαντα Θεὸν ἡμᾶς ἐστιν ἀσέβεια. τῶν μὲν γε ζώων οὐδέν ἐστιν, ὃ θνήσκει μετὰ προνοίας ἢ δι' αὐτοῦ. φύσεως γὰρ νόμος ἰσχυρὸς ἐν ἅπασι τὸ ζῆν ἐθέλειν. διὰ τοῦτο καὶ τοὺς φανερῶς ἀφαιρουμένους ἡμᾶς τούτου πολεμίους ἡγούμεθα, καὶ τοὺς ἐξ ἐνέδρας τιμωρούμεθα. τὸν δὲ Θεὸν οὐκ οἴεσθε ἀγανακτεῖν ὅταν ἄνθρωπος αὐτοῦ τὸ δῶρον ὑβρίζῃ. καὶ γὰρ εἰλήφαμεν παρ' ἐκείνου τὸ εἶναι, καὶ τὸ μηκέτι εἶναι πάλιν ἐκείνῳ δίδομεν. Ruffini verſio: *At viri fortis eſt ſemet occidere: imo vero ignaviſſimum quantum opinor. Nam & gubernatorem timidiſſimum puto, qui tempeſtatem metuens, ante vim turbinis navem ſponte ſubmergit. Quinetiam propria manu perire, a communi omnium animalium natura diſcrepat, eoque modo in creatorem noſtrum Deum ſummum ſcelus admittitur. Nullum eſt animal quod ex induſtria, vel per ſe moriatur: ſiquidem naturae lex validiſſima, ut velint vivere, in omnibus ſita eſt: idcirco & qui nobis adimendum id putant, hoſtes ducimus, & quos noſtros inſidiatores putamus, poena perſequimur. Deum vero indigne ferre non arbitramini, cum donum ejus homo deſpiciat: ab illo enim accepimus ut eſſemus: rurſumque ut eſſe deſinamus, illi reddendum eſt.* Pſeudo-hegeſippus *excidii. Hieroſolym. lib. 3. cap. 17. Quis animam ſuam nolit ipſo corpore mortis ſi liceat abſolvi? ſed non licet ſolvere, niſi ei, qui ligaverit: naturae vinculo conjuncta eſt anima corpori. Quis auctor naturae niſi omnipotens Deus? quis hoc animae & corporis noſtri Deo placitum contubernium interrumpere ac diſſociare audeat? Si quis impoſita manibus ſuis praecepto herili vincula ſine arbitrio domini ſui detrahat; nonne is gravi pulſoſſe injuria ſuum dominum condemnabitur? Dei poſſeſſio ſumus, Deo ſervitium debemus, quaſi ſervi exſpectemus imperia, quaſi vincti reſervemus vincula, quaſi fideles bonum depoſitum cuſtodiamus. Non recuſemus vitae iſtius munus, quod dedit nobis, non refugiamus donum coeleſte: ſi hominis dona rejicias, contumelioſus es, quanto magis ſervare debemus, quod a Deo noſtro accepimus? quod ſumus, ipſius quoque debet eſſe, ut, quamdiu velit, ſimus. Utrumque enim ingrati eſt, & citius deſcedere, quam velit, & diutius vivere, quam voluerit ipſe, qui vitam donavit.* Nicephorus Blemmidas *Epit. Log. cap.* 4. Οὐδὲ γὰρ βούλεται ὁ φιλόσοφος περὶ τῆς ἀναιρέσεως αὐτοῦ μελετᾶν· οὕτω γὰρ ἂν τοὺς δημιουργικοὺς ἀνατρέψει νόμους. εἴγε ὁ μὲν δημιουργὸς συνέδησε τῷ σώματι τὴν ψυχὴν, ὁ δὲ βούλεται τὸν τοιοῦτον ἀναλύειν δεσμὸν, παρὰ τὴν τοῦ συνδήσαντος κέλευσιν: *Nec enim philoſophus meditari vult, quomodo ſibi manus adferat: ſic enim conditoris leges everteret, ſiquidem conditor animam cum corpore copulavit, ille autem injuſſa ejus, qui copulavit, ejuſmodi copulam dirimere vult.* Emporius rethor: *Mortem vero ultimum malum, & a naturae appetitione humanae mentis alienum, & ab ipſis quodammodo diis immortalibus adeo udcer ſi vetitum.* Plutarchus *loco citato* ſcribit, abire Stoicos a ſenſu communi, quod ei ſententiae, quae naturam ipſam impugnet, incumbant. Heliodorus *Aethiopicae lib.* 2. τὸ δὲ θεήλατον τοῦ κακοῦ μὴ φέρων, ἐμαυτὸν μὲν οὐκ ἐξάγω τοῦ βίου τοῖς θεολογοῦσιν ὡς ἀθέμιτον τὸ πρᾶγμα πειθόμενος: *A diis immiſſo malo ferendo impar mortem mihi non irrogo, iis obſequens, qui de rebus divinis diſſerentes, nefas id eſſe ajunt.* Equidem decretum illud nec philoſopho, nec ſtoa dignum eſſe judico, & conſtantiam in Stoicis heic deſidero: formidines enim patiuntur, qui metu mortis ipſam mortem occupant,

> —— —— *Mortiſque timorem*
> *Morte fugant, ultroque vocant venientia fata.*

Ovid. *Metam. lib. 7. v.* 604. Quid enim aliud hoc eſt, quam πρὸ τοῦ ναυαγίου ναυαγίῳ περιβάλλειν ἑαυτὸν, *ante naufragium naufragio perire*; καὶ πρὶν δέξασθαι πληγὴν ἀποθνήσκειν τῷ δέει: *Et ante vulnus acceptum metu emori*; ut verbis utar ſanctiſſimi patris Chryſoſtomi. B. Auguſtinus *epiſt. 45. Et mortem dum declinant, accelerant: veluti ſi quiſquam fluvio rapiendas irruat, latronem beſtiamve fugiendo.* Denique hoc eſt facere *de funere remedium*, ut alicubi loquitur Quintilianus; & ne moriare mori. Sane poenae πρὸς τὸν αὐτοχειρίᾳ φονέας, *adverſus ſui interemptores*, ubique fere gentium conſtitutae, ſatis ſignificant, rem eos illicitam facere. Servius enarrans illud Virgilii *lib. 12. Aeneid. v.* 603.

> *Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.*

Sane ſciendum, inquit, *quod cautum fuerat in Pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finiſſet, inſepultus abjiceretur: unde bene ait, informis leti, quaſi mortis infamiſſimae. Ergo cum nihil ſit hac morte deformius, poetam etiam pro reginae dignitate dixiſſe accipimus. Caſſius autem Hemina ait, Tarquinium Superbum, cum cloacas populum facere coëgiſſet, & ob hanc injuriam multi ſe ſuſpendio necarent, juſſiſſe corpora eorum cruci affigi. Tunc primum turpe habitum eſt, mortem ſibi conſciſcere. Varro ait ſuſpendioſis, quibus juſta fieri jus non ſit, ſuſpenſis oſcillis, velut per imitationem mortis parentari.* Ex quo Servii loco diſcimus, αὐθέντας jam ab ultima antiquitate inſepultos abjici, quod apud omnes fere gentes cuſtoditum didici. Cujus rei teſtes, quantum memoria repeto, acciri poſſunt Joſephus *belli Jud. lib. 3. cap.* 29. Egeſippus *excid. lib. 3. cap.* 17. Dio Chryſoſtomus *orat.* 64. Artemidorus Daldian. *lib. 1. cap.* 5. Heſiodorus Pruſaeus *in paraphraſi Ethicor. Nicomach. lib. 5. cap.* 17. Cedrenus, Quintilianus *declam.* 337. Gildas ſapiens, ſi modo auctor eſt Queroli, quod equidem non puto. Michael Epheſius *in Ethic. Ariſt.* Τίς δὲ ἡ ζημία τῷ ἑαυτὸν ἀποκτείναντι, καὶ μηκέτι ὄντι; τὸ μηκέτι συγχωρεῖν ἐν μνήματι τεθῆναι, ἢ ἄλλην τινὰ τοιαύτην τιμωρίαν: *Quaenam vero poena conſtituta in eum, qui ſibi manus attulit? ut inſepultus abjiciatur, aut alia ſimilis animadverſio.* Aeſchynes *contra Cteſiphontem*, ait, manum

ejus,

Digitized by Google

ejus, qui ſibi mortem adſcivit, ſeorſim a caetero cadavere ſepultam. Joſephus, *libro citato*, manum abſcindi defuncto, *quod adverſus corpus ſuum veſano militaverit furore*, ut verbis utar Egeſippi. Ipſis denique SS. Patribus damnata mors ea, quae naturalis & fatalis non eſt; imo praeter naturam, contra ſenſum, judiciumque commune: namque ſui cuique amor eſt, & conſervandi ſe, permanendique ingenita voluntas, ut ait Joſephus *loco citato*. Natura enim, quae nos genuit, induit nobis, inolevitque in ipſis ſtatim principiis, quibus nati ſumus, amorem noſtri, & caritatem. B. Gregorius Nyſſenus *Jamb.* 18. δεῖ γὰρ ἀθλῆσαι, μέχρι ἐκλύσῃ Θεός: *decet eſſe vinctos atque, dum ſolvat Deus*. Expectandus eſt exitus, quem natura dederit. In ſumma, qui τὴν ὑπάρχουσαν πᾶσιν ἔμφυτον τοῦ ζῆν ὑπερβολὴν ἐπιθυμίαν, ut loquitur Demoſthenes *in orat. fun.* *Vivendi deſiderium omnibus ingenitum nihili fecerunt*, crimen atrocius contrahunt, quam hi, qui alium occidunt. Beatus Chryſoſtomus *in epiſt. ad Galathas, cap. 1.* Νῦν δὲ καὶ ὁ Θεὸς τοὺς τοιούτους κολάζει τῶν ἀνδροφόνων μᾶλλον, καὶ πάντες βδελυττόμεθα καὶ εἰκότως· εἰ γὰρ ἑτέρους ἀναιρεῖν, οὐ καλόν, πολλῷ μᾶλλον ἑαυτόν: *Nunc vero Deus ſeverius in eos, quam in homicidas animadvertit, & omnes eos abominamur, idque jure meritoque: ſi enim alium occidere nefas eſt, quanto magis ſeipſum?* B. Auguſtinus *lib. 1. de Civit. Dei, cap. 17.* *Qui ſe ipſum occidit, homicida eſt.* Lactantius *de falſ. ſap. cap. 18.* *Nam ſi homicida nefarius eſt, qui hominis extinctor eſt, eidem ſceleri obſtrictus eſt, qui ſe necat, quia hominem necat. Imo vero majus eſſe id facinus exiſtimandum eſt, cujus ultio Deo ſoli ſubjacet: nam ſicut in hanc vitam non noſtra ſponte venimus; ita rurſus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis aſſignatum a Deo eſt, ejusdem juſſu recedendum eſt, qui nos in hoc corpus induxit, tandiu habitaturos, donec jubeat emitti.* Olympiodorus apud Nicetam *Cat. Graecorum Patrum in Job. cap. 6. ne me tollat:* Ὁ δὲ λέγει τοιοῦτόν ἐστι· μία μοι λύσις τούτων ἐστὶ δεινῶν θάνατος, καὶ ἀνάπαυσις. αὐτὸς μὲν οὖν ἐμαυτὸν ἐξαγαγεῖν, οὐ δύναμαι, παρακαλῶ δὲ τὸν κύριον, ἵνα ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα, καὶ μαστιγώσας, ἀπαγάγῃ: *Quod autem ait, tale eſt. Mors unicum mihi eſt remedium horum malorum, & requies: me ipſum tamen ex hac vita educere non poſſum, dominum autem imploro, ut manum mihi injiciens, & flagellans, hinc abducere velit.* Adde eundem *in pretheoria capitis* 20. & ad illa *cap. 30.* *Novi enim quod mors me conteret*, & ipſum Nicetam *in Catenae procemio.*

Reſtat, ut breviter videamus, qua poena hodie plectendi ſint, qui ſibi manus attulere,

—— —— vitamque peroſi
Projecere animas.

ut ait Virgil. *Aeneid. lib. 6. v. 435.* & vetuſtiſſimo illo jure utimur, quo inſepulti abjiciebantur: nam plerumque poſt ſuſpendium feris objiciuntur ἄταφοι, ut caeteri conſpectu deterreantur ab eodem facinore. Sepultura tamen non eſſe prohibendos eos, qui ſua manu cadunt, reſcripſit Nicolaus primus *ad conſulta Bulgarorum cap. 98.* *Sepeliendus eſt quidem*, inquit, *ne viventium odoratus moleſtiam ingerat.* Et ita obrutos, ac ſepultos quidem obſervo, ſed incendi, & igne cremari nefas habitum. Philoſtratus *Heroicis*, in Ajace Telamonio. Plato ſtatuit, ſeorſim ab aliis ſepeliendos, *lib. 9. de Legib.* *Non tamen eſt*, addit Nicolaus, *ut aliis pavor incutiatur, ſolito cum obſequiis more ad ſepulchra ferendus.* Ut puta cum Pſalmis ad ſepulturam cadavera eorum non deducuntur, Concilii Bracharenſis *cap. 34.* oblationibus, & miſſis carent, *Capit. Caroli Magni, lib. 6. cap. 70.* Concilium Tricaſſinum *in excommunicatione Joann. PP. adverſus pervaſores rerum Eccleſiaſticarum.* *Sacri antiquorum patrum canones de his, qui ſibi mortem voluntarie inferunt, & qui pro ſuis ſceleribus puniantur, ſancto inſpirante Spiritu, decreverunt, ut cum hymnis & pſalmis eorum corpora non deferantur ad ſepulturam.* Capitula Erardi Turonenſis *cap. 134.* niſi ſi furore correpti mortem ſibi conſciverint, ut in rebus judicatis Joannis Galli *quaeſt. 127.* Matthaeus Blaſtares *ſtoιχ. τοῦ β. cap. 12.* Τοὺς βιοθανεῖς ὁ Ἀλεξανδρείας Τιμόθεος ἐν ιδ. κανόνι, τῆς ἀναθείας ὑπὲρ τῶν εὐσεβῶν προσφορᾶς, καὶ εὐχῆς, καὶ ψαλμῳδίας, καὶ τῆς νομιζομένης ὁσίας, εἴργεσθαι ἀξιοῖ. ὅσοι δηλαδὴ τὸν λογισμὸν ὑγιᾶ κεκτημένοι, καὶ μὴ τὰς φρένας ὑπὸ νόσου παρατραπέντες, διὰ λύπην, ἢ μικροψυχίαν, ἐκ φόβου, ἢ ἐπηρείας ἡττηθέντες ἑαυτοὺς διεχειρίσαντο, ὁ ἑαυτὸν ἀνελών, ἢ ἀνελεῖν ἐγχειρήσας, διὰ φόβον ἐγκλήματος, καὶ μὴ διὰ νόσον τιμωρεῖται, ὡς ἄλλον ἀνελὼν ἕτερον, καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ δημοσιεύεται. Hunc calamo exaratum, ex bibliotheca Thuana commodarunt mihi praeſtantiſſimi fratres Puteani. Eccleſia tamen factum virginum non improbavit, quae ſe in profluentem conjecerunt, ut virginitatem intemeratam ſervarent, ut eſt apud Euſebium *hiſt. Eccleſ. lib.* 8. *cap.* 24. Nicephorum *lib. 7. cap. 12.* Aldhelmum *de laudib. virgin.* *Sed Spiritus latenter hoc juſſerat, qui per illum miracula faciebat*, ut de Samſone ſcribit Auguſtinus *lib. 1. de Civit. Dei, cap. 21. & 26.* Virgines quoque non ſine Dei monitu, ut pudoris pulſationem effugerent, vivere non ſuſtinuerunt, ut eidem patri ſanctiſſimo placet. Quis autem obedientiam in crimen vocet; quis obſequium pietatis accuſet? ſcribit etiam B. Hieronymus, Malchum monachum, cum captivitatis tempore juſſu domini ſui ad ancillae contubernium cogeretur, in haec erupiſſe: *Quid agimus anima?* ſed nos heic fortaſſe plus aequo commorati ſumus: itaque hinc ſecedamus, & ad paulo amoeniorem quaeſtionem delabamur!

EXERCITATIO VI.

Amatorium poculum ſine fraude ſua nemo dat.

Memoria proditum eſt [a], mulierem quandam, in Areopago ſanctiſſimo Athenarum concilio [b], cauſam dixiſſe, quod amatorium poculum viro, quem efflictim amabat, dediſſet, quo ille periiſſe dicebatur.

Objiciebatur mulieri, legibus veneficii ream eſſe: amatorium enim veneni nomine contineri [c]; novum genus eſſe crudelitatis, eos veneno tollere, quos ames, infamem voluptatem eſſe, quae malis artibus expletur. Nec mulierem juvare, quod deſiderii poculum [d] dediſſe videbatur, ut in amorem ſui virum pelliceret, non ut vitae ejus inſidiaretur: nec enim citra culpam amori vim fieri, qui liber eſt [e]: affectus ultro ingenerari, non imperari: ſenſim conciliari, non malo more: legibus vero tam exitus, quam hominum conſilia vindicari: ignorantiam, vel caſum recte non praetendi: crimina enim, quae caſu, vel ignorantia contrahuntur, etiam coërceri [f]. Novum eſſe, ut reus admiſſi criminis interpres ſit: neminem ſuo judicio nocentem eſſe: periculi ſui quemque judi-

a. Ariſtot. *magn. Moral. lib. 1. cap. 17.*
b. Valer. Max. *lib. 2. cap. 6.* Lyſ. *orat. 5.* ἐν Ἀρείῳ πάγῳ ἐν τῷ ... [illegible]
c. *L. 3. §. 2. D. ad leg. Corn. de ſicar.* vet. Horat. Schol. philtrum, amoris venena.
d. Horat. *ep. in Canid.*
e. Xenoph. *παιδ. 5.* Τὸ δ' ἐρᾶν ἐθελούσιόν ἐστι.
f. *L. 2. D. de legib.* Porphyr. *περὶ ἀποχ. ἐμψ.* [illegible]

dicem aequiorem eſſe: conſtare de hominis nece, deque necis auctore: de mulieris animo non liquere [a]: utique tamen occidiſſe dolo malo, quae mortis cauſam inuſitato more praebuiſſet, mulierem hanc periculoſius amare, quam odiſſe: amorem eſſe delinimentis [b] noxium: odium impotens, & ſine re: hanc mulierum intemperantiam coërcendam eſſe, ut impotenti animali fraenos adderent, & muliebrem nequitiam, faciles voluptates, & meretricularum illices blanditias [c] cohiberent: caeterum pudicos animos hiſce artibus in libidinem facile deflecti, ac fortiſſimum quemque peſſimo publico libidine frangi, expugnarique. Animadverteret Senatus, juris religioſiſſimus, ſalutem cujuſque ex arbitrio victae libidine mulierculae pendere, cui, pudore projecto, viliſſimus erit civis cujuſque ſanguis, ut votum ſuum acceleret, & inconceſſa Venere potiatur: amorem improbum peſſima quaeque audere [d]. In ſcortum igitur exempla ederet: peccandi libidinem impunitate provocari: conſtantes, & rectos judices nocentium precibus non inlacrimari: reos facinorum etiam gemitibus concuſſos judicum religionem non delibare: his mulierum artibus [e] judices ſanctos, ſeveros, & incorruptos non moveri, tametſi lacrymae, praeſertim muliebres [f], ad movendam miſericordiam efficaciſſimae ſint: hoc expectare feminas honeſtiſſimas, quae pudicis, ac bonis moribus conditionem ſibi quaerunt, non aſtu meretricio, & legibus vindicando.

Addebatur, opinor, veneficos, peſſimum genus hominum, impunius abituros, ſi liceat ſceleri poculum amoris [g] obtendere: eo cautius ſuccurrendum eſſe, quo turius ad delinquendum invitamur.

Pro muliere dicebatur: legum poenis adfici eos, qui venenum malum habuerint, dederint hominis necandi cauſa [h]: mulierem hanc vi majore [i] compulſam, & amore deperditam amatorium dediſſe, non ut hominem occideret, ſed velut irritamen amoris [k], citra ſcelus eam peccaſſe: multa miſeros etiam ſine ratione tentare [l]: ſed amantes imprimis, quaeque miſere moliri: inſanire omnes, qui infeliciter amant [m]: amorem quidem non diffiteri, qui deos etiam tangit [n], ſed blanditiis eam impetrare non potuiſſe, quod cuperet: credidiſſe autem animos intractabiles, & crudos viros hiſce poculis molliri, & in amorem induci: mulierem infelicitate plenam potionem excogitaſſe, ut pertinaciam ejus expugnaret, quam impotente amore deperibat, amoris vulneri remedium quaereret, & finiret hunc ignem [o]: nec enim quos amor ſauciat, inopes ſunt conſilii [p]: herbas, & philtra miſerorum amantium eſſe confugium [q]: conſilium cujuſque, non factum puniendum eſſe [r]: delicta, quae inconſulto contrahuntur, videri ab invitis profecta [s]: leges autem armari tunc ſolere, cum voluntate delinquitur [t]: illam quidem mori velle, poſtquam is vivere deſiit, ſine quo vivere non poterat [u]: ſupereſſe diu non poſſe ſublatum animae dimidium ſuae [x]: ſed injuria commori prohiberi: ſatius eſſe ei non vivere, quam vivere ſine vita: poſtulare eam, ut ſanctiſſimi judices exorari ſeſe ſinerent, & mortis arbitrium permitterent: mortem ei munus futuram: felicem eſſe ſi ſuo arbitrio moreretur: ipſam factum vindicaturam, abjecta etiam innocentiae fiducia, ſeque ſibi ſua manu mortem illaturam: nec ultra Reipublicae intereſſe, quam ut infeliciſſima mulier moreretur: eriperetur vili carnificis manui, non morti: triſti ſententiae, non poenae, ſi quam leges amantibus irrogant: ſi amare mulieri non licet [y]: ſi crimen eſſe incipit, amori ſuo non imperare [z]: ſi res diis, & hominibus acceptiſſima legum poenis vindicetur: ſi morte dignum putetur, quod immortalitatis cauſa natura comparatum eſt. Cogitaret tamen Senatus, viris [α] impune licere, malis etiam artibus ad vota properare: memoria repeteret, quot bella indicta, quot ſtrages editae, quot urbibus aratrum impreſſum ob muliercula raptum, & inconceſſas virorum libidines: aequa lege mulieri cum viro licere debere, niſi ſi omnia miſceri, & civitatem legibus fundatam everſam velint, quorum opera regi poterat, & ſervari. In ſumma viros fere propoſito labi, mulieres ſexus infirmitate [β], quae etiam conſtantes judices ad miſericordiam ſolet perducere.

Areopagitae, inquit Ariſtoteles [γ], mulierem caedis abſolverunt.

Videamus quid legibus noſtris conſtitutum, quidve moribus receptum ſit. Verum etiam olim quaeſitum didici, an philtra quicquam poſſint ad res Venereas. Affectus enim hic a voluntate proficiſcitur, quam nulla res amatoria poſſit cogere: non herbarum ingeniis [δ], aut medicamentis efficies, ut abſentem, turpem, vel moribus indignum amare compellar: arbitrii noſtri res eſt: herbarum venena deſpicit animus contumax. Haec nugis anilibus, haec amantium ſomniis proxima ſunt: ejus rei auctor mihi Graecus juris interpres [ε]: *Philtra*, inquit, *ſunt amatoria, quae amorem conciliant, quibus, ut quidam nugantur, poteſt quis quempiam in amorem ſui pellicere.*

Ama-

a. Ὁ γὰρ νοῦς ἄδηλος. Achilles Tat. *lib.* 6.
b. Veneus, poculis amatoriis. Aſtran.
c. Ἑταιρῶν τὰς ἐρωτικὰς γοητείας. Philo.
d. Ovid. *lib.* 2. *Faſt.* v. 331.
—— *quid non amor improbus audet?*
& *lib.* 6. *Metam.* v. 465.
Et nihil eſt, quod non effraeno captus amore,
Auſit.
e. Schol. Apollon. in 2. Ἀργ. Διὰ τὸ ἀσθενὲς ἡ γυναικεία φύσις πάντα ἐπὶ τῷ τεχνᾶσθαι τρέπεται.
f. Achil. Tat. *lib.* 6. Δάκρυα γὰρ καὶ λοιπὰς αἰσχύνεται. & *lib. eod.* Ἔτι μὲν γὰρ φύσει δάκρυον ἐπαγωγὸν ἐλέους τοῖς ὁρῶσι, τὸ δὲ τῶν γυναικῶν μᾶλλον.
g. Plaut. Truc. *act.* 2. *ſcen.* 1.
h. *d. l.* 3. §. 2.
i. Lucian. ὁ δὲ ἔρως βίαιος τί ἐστι. Donat. *Amor vocatur vis major.* Ovid. *lib.* 7. *Metam.* v. 19.
Sed trahit invitam nova vis: aliudque cupido,
Mens aliud ſuadet.
Vide Simm. Rhod. *in Alis*, & Not. Claud. Salmaſii V. Cl. Xenoph. Κυρ. π. 5. *princ.*
k. Οἷα ἐπὶ θανάτῳ φάρμακον διδόναι, ἀλλ' ἐπὶ φίλτρῳ. Achill. Tat.
l. Quintil. *declam.* 385.
m. Achill Tat. *lib.* 5. ἔρως ἀτυχῶν, καὶ μαίνεται. Tit. liv. *lib.* 3. c. 47. *Tanta vis amentiae verius, quam amoris mentem turbaverat.* Philo περὶ Ἰωσήφ. Μισοπόνηρος μὲν πάλαι τοῦ κόσμου ἔρως, ὃς ἐξέμηνεν ἐπ' αὐτὸν γυναῖκα.
n. Petron. Xenoph. παιδ. 6. Ἐγὼ γὰρ θεούς τε ἀνάγκῃ ἔρωτος ἡττᾶσθαι. Lucian. Longus *lib.* 2.
o. Urit amor. Achill. Tat. *lib.* 5. Πίμπραμαι, Κλειτοφῶν, καίομαι, &c. Long. *lib.* 2.
p. Ariſtaenet. *ep.* 7. *lib.* 2. Οὐ γὰρ ἀμήχανον αὐτὸν ἀφεῖναι ἔρωτα.
q. Achill. Tat. *lib.* 6. Τί γὰρ ἐδυνάμην ποιεῖν ἀποτυγχάνουσα, ἢ βοτάνας ζητεῖν, καὶ φάρμακα; αὕτη γὰρ τῶν ἐν ἔρωτι δυστυχούντων καταφυγή.
r. Paul. *Recep. ſent. lib.* 5. *tit.* 23. Dionyſius Sophiſta *epiſt. ad Ilei.* Βουλῇ δὲ ἴσως ἅπαντα κρίνεται.
s. Xenoph. παιδ. 3. Ὅσα δὲ ἀγνοίᾳ ἄνθρωποι ἐξαμαρτάνουσι, πάντ' ἀκούσια ταῦτ' ἔγωγε νομίζω. Antiphon. *orat.* 7. Οἵ τε γὰρ ἀφαμαρτάνοντες ἀκουσίως, εἴ τι δρῶσιν, οὐ πράττουσι τῶν ἀκουσίων εἰσί. Ariſt. *Ethicor. Nicom. lib.* 2. *cap.* 1. & *d. c.* 17. Theon. c. *de Narrat.* Τὸ μὲν ἀκούσιον διαιρεῖται εἰς ἄγνοιαν, καὶ τύχην, καὶ ἀνάγκην. Proclus *in Parmenid. Platon.* Πᾶν γὰρ τὸ δι' ἄγνοιαν ἁμαρτανόμενον, κατὰ ἄκουσίν ἐστι, καὶ γνώμης ἄξιον.
t. Philo *de nomin. mut.* τῶν δὲ ἀκουσίων, ἐλέου ἐπαινετέον.
u. Alciphron. Ζῆν γὰρ χωρὶς ἐκείνου μὴ δύνασθαι.
x. Heliodor. *lib.* 2. Οἱ ὀφθαλμοὶ ἐγὼ καὶ ψυχή, καὶ πάντα ἐμαυτῷ νενόμικα.
y. Ariſtaen. *epiſt.* 2. *lib.* 7. ἐπιτεθύμηκα ἔξεστι γάρ. Lyſ. Apol. *in Sim.* ἐπιθυμεῖν μὲν ἅπαντας ἀνθρώπους οἶμαι.
z. Ovid. *lib.* 10. *Metam.* v. 202.
Niſi culpa poteſt & amaſſe vocari.
Terent. *in Andr. act.* 5. *ſc.* 4.
α. Juven. *ſat.* 2. *v.* 44.
—— *Reſpice primum.*
Et ſcrutare viros faciunt hi plura.
β. Ulpian. *Reg. tit.* 11.
γ. *d. cap.* 17.
δ. Tertull. *lib.* 1. *de cultu femin. Herbarum ingenia traduxerant, & incantationum vires provulgaverant.*
ε. Conſtantin. Harmen. *lib.* 6. *tit.* 10. §. 8.

Digitized by Google

Amatoria tamen medicamenta vim, ac poteſtatem habere vetuſtas credidit [a]. Omitto poëtarum, qua Graecorum [b], qua Latinorum teſtimonia, & quibus rebus [c] uterentur ad philtra, paſſim obſervare eſt: quanquam ſi verum amamus, herbarum radices, & circaea gramina [d], non tam amoris illices ſunt, quam Veneris irritamenta. Et puto quidem, promiores ad Venerem iis homines fieri [e], aut etiam remiſſiores [f]. Sed haec ad animum pervenire, & amorem conciliare, nolim equidem aſſerere: idque ſatis evincit, quod magicam ei rei poteſtatem adjungerent [g], quaſi propria vis amatoriis non ineſſet: quo crimine quisquis ſeſe impiat, flammis feralibus merito conſumitur. Sed nos heic aliud quaerimus: an ſcilicet aliquo poenae genere coercendi ſint, qui philtra dederint vi amoris ſubacti citra magiae crimen: & verum quidem eſt, dolo eos non facere [h]: nec enim Herculi Dejanira [i] nocere voluit, cum tunicam ei ſanguine Centauri tinctam dedit. Itaque apud Graecum poëtam [k] Hillus Herculis filius Dejanirae factum praetexit nomine peccati non ſpontanei: exiſtimabat ſcilicet, re ipſa poculum amoris eſſe ſanguinem, quem e Neſſi vulnere collegerat [l]. Non videtur autem jure in eum animadverti, qui dolo caret, quive inconſulto deliquit: nec enim proprie delictum appellari poteſt, quod ſponte non admittitur [m]. Ancilla ſceleri ſeſe obligavit, quam vinum mortiferum domino ſuo dediſſe ferunt, ne ſtuprum invita pateretur, tametſi dominus epoto vino, eo, quo laborabat, morbo convaluerit [n]. Affectu enim ſuſtulit, quem effectu ſanavit. Tyrannicidium feciſſe videtur, qui Prometheum percuſſit, ut occideret, licet vomicam ejus aperuerit, & ſanarit [o]: nunquam enim mens exitu, ſed propoſito aeſtimanda eſt [p]. Amoris autem poculum in culpam recte non deducitur, cum ex bona mente proficiſci videatur.

Videamus tamen, ne optima ratione poena legibus ei rei conſtituta ſit: ſcribit enim Paulus Jureconſultus [q], eos, qui poculum amatorium dant, etſi dolo non faciant, tamen, quia mali exempli res eſt, ſi humiliores ſint, in metallum, honeſtiores in inſulam, amiſſa parte bonorum, relegari: quod ſi eo mulier, aut homo perierit, ſummo ſupplicio adfici. Ait peſſimi rem exempli eſſe cum declamatore [r]. Et publice igitur intereſt, admiſſa haec non manere impunita: quamvis enim ſcelus citra exitum ſubſederit, nec amatorium aliquid valere poſſit, quia tamen corpori nocere, atque animum demutare poteſt, recte placuit, non oportere impunitum relinqui: interdum enim poculum amatorium in furorem adigit [s], ut de Tito Lucretio [t], de Lucullo [u], de Caligula [x], aliiſque proditum eſt. Et utique legum poenae exaſperandae ſunt in eos, quorum facto mens, qua nihil praeſtantius mortalium generi a Deo conceſſum eſt, aufertur, &, ut ita dicam, transfugit citra ſpem reditus, brutam, & deteriorem animae partem corpori relinquens, mutis animalibus communem [y]: quisquis enim ratione, quae animae longe ſanctiſſima pars eſt, privatur, in feram demigrat, nec in eo quidquam hominis ſupereſt praeter figuram, & ſpeciem.

Illos quoque ſeveriſſime plectendos placuit, qui magicis artibus accincti pudicos animos [z] in libidinem inflectere [α] conantur. Sic apud poëtam [β] infelix Dido ſacra inferna facit ad Aeneam pelliciendum in amorem ſui.

Videtur autem lenius animadverſum in Sclerum [γ], qui malis artibus puellam quandam in amorem ſui induxerat, & ſtuprarat: oculis enim, quos in amore duces habuerat [δ], orbatus eſt [ε]. Igne autem perire debuerat, qui nefarium amoris ignem accenderat.

a. Sophocl. *in Trachin.* καλὰς δ' ὕλησας &c. Xenoph. ἀπομνημ.

b. Caelius Aurelian. *tard. paſſ.* 1. *cap.* 5.

b. Theocrit. *Idil.* 2. νῦν δ' τοῖς φίλτροις καταδήσομαι. Schol. τοῖς φαρμάκοις, τοῖς εἰς φιλίαν κακῶν καταγωγικοῖς.

c. V. Apul. *Apolog.* Nonni Dionyſ. 32. Heſych. περὶ σοφ. in Aeſopo, a quo Suid. in v. Αἴσωπος. Schol. Pind. *Pyth. od.* & *Nem. od.* 4. Magn. Etymolog. in v. ἴυγξ.

d. Propert. 2. 1.

e. V. Athen. & Iſaac. Caſaubon. *cap.* 15. Colum.

Excitet ut Veneri tardos eruca maritos.

Aetius *lib.* 1. v. interpretes ad illud Petronii *cap.* 8. *Omnes mihi videbantur Satyrion bibiſſe.*

f. Xiphilin. *in Avito* de Hierocle & Zotico: *ut eis contingit, qui cicutam bibunt.* Gloſſae vet. Perſ. *Sat.* 5. B. Hieron. 1. *adverſ. Jovinian.*

g. *l.* 4. C. *de maleſ.* Nov. Leon. 65. Philo περὶ τῶν ἐν εἰδ. νομ. Arnob. *lib.* 1. *adverſ. gent.* Simeon Metaphraſtes *in Hilarione*: Παρθένον τινὰ κατατεινῶς ἀπολέσθαι ... (ſic legitur in manuſcripto Cod. V. C. Nicol. Fabricii Peireſcii Senatoris Aquiſextienſis; in Regio autem Cod. ἐν αὐτοῖς) ... καὶ ἔλιπεν τῷ ἔρωτι τῆς παιδός.

h. *l.* 38. §. *qui abort.* 5. D. *de poen.*

i. Cic. *lib.* 5. *cap.* 28. *de Nat. Deor.*

k. Sophocl. *in Trachin.*

l. Apollodor. *bibl.* 2. Zenob. *Cent.* 1. 33.

m. Baſilius tamen inter voluntaria refert, ſi quis eum occiderit, quem incantationibus, & Veneris vinculis ad ſui amorem pellicere conabatur, ad Amphiloch. *can.* 8. vide *lib.* 60. *Baſilic. tit.* 39.

n. Galenus.

o. Plutarch. *de cap. ex inim. utilit.* Simplicius in 2. φυσ. ἀκροασ. Ὁ τὸν τύραννον Προμηθέα πλήξας μετὰ τοῦ ἀνελεῖν, διαλύσας δὲ τὸ φῦμα, καὶ ἰασάμενος.

p. Simplic. ad *cap.* 34 *Enchir. Epict.* οὐκ ἐν τῇ πράξει, ἀλλ' ἐν τῇ προαιρέσει τῶν ἀνθρώπων τὸ κατορθοῦν ἐστὶ καὶ ἁμαρτάνειν. Iſidor. Peluſ. *Epiſt.* 399. Vellejus Paterculus *lib.* 2. *cap.* 8. *Facta majores noſtri ad conſilia dirigebant.*

q. *d. l.* 38.

r. *Malo exemplo datum eſt*, *d. declam.* 385. v. etiam *d. l.* 3. §. 2. ibi: *Malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit.*

s. Ovid. *Art. Am. lib.* 2. v. 106.

Philtra nocent animis, vimque furoris habent.

Achill. Tat. *lib.* 4. τὸ φίλτρον εἰς μανίας ... Apul. *Apol. Confeſſa eſt ſeſe mea magia in amorem inductam dementare.* Nov. Leon. 65.

t. Euſeb. *Chron. priora.*

u. Plin. *lib.* 25. *cap.* 3.

x. Joſeph. *Antiq. lib.* 19. *cap.* 2. Sueton. *Calig. cap.* 60. Juven. *Sat.* 6.

y. Philo περὶ τῶν ἐν εἰδ. νομ.

z. *l.* 4. *Cod. de maleſic. & math.*

α. Ἕλκειν εἰς ἔρωτα, *lib.* 60. *Baſilic.* ut apud Nonn. Dion. 16. εἰς γάμον ἕλκειν.

β. Virgilius *Aeneid. lib.* 4.

γ. Nicetas Chron. *Manuel. Comn.* 4.

δ. Maxim. Tyr. *diſſert.* 9. Achill. Tat. *lib.* 1. Nonn. Dionyſ. 41. ὀφθαλμοὶ γελόωντες ἀκοντιστῆρες ἐρώτων. Oecumen. *in* 1. *epiſt. Joann. cap.* 4. ὀφθαλμοὶ γὰρ ἔρωτος πρὸς ἀγάπην.

ε. Ut qua parte peccaverat, mulctaretur. Galenus *lib.* 3. & 6. *de Hippocrat. & Platon. placit.*

EX-

EXERCITATIO VII.

Maritus adulterii, inceſtique reus ab uxore.

LUcius Titius adulteria diu ſub oculis uxoris exercuerat, domumque tribus pellicibus illectis, ſacrarium libidinum fecerat. Crimen augebat filia matris facta pellex. Maevia cum videret, peregrina libidine maritum averti, adulterii, inceſtique reum facere voluit. Tractatum eſt, an poſſet. Maritum ab uxore non jure accuſari Senatus Aquenſis cenſuit.

Pro Uxore.

Nihil tam aequitati naturali, vel civili rationi convenit, quam accuſationem ei permitti, cujus injuria eſt: non enim citra contumeliam uxoris a geniali toro maritus avocatur. *Graviſſimum injuriae genus eſt, habere pellicem* [a]. Si contemptae uxori non liceat injuriam lecti ſui perſequi, maritus luxuriae plenus cum pellicibus obſcoenis concubitus impune miſcebit, & fidem ſcelere violabit. Verum uxorem furtiva libidinis commercia non commovent, at foeda domi laſcivia: quibus enim oculis uxor meretriciis ſordibus mariti cubiculum inquinari conſpiciet?

—— —— —— pro divûm fidem!
Meretrix; & materfamilias una in domo? [b]

Non in aedes mariti, ſed in fornicem ſe deductam putabit:

Auſus es ante oculos adducta pellice noſtros,
Tam bene compoſitum ſollicitare torum?

Imo nec in loco tam deformi diutius commorabitur. Pellices uxorem non thoro modo, ſed & mariti aedibus pellent. Ipſa Jovis ſoror, & conjux pellicibus coelo ceſſit:

Locumque coelo pulſa pellicibus dedi.
Tellus colenda eſt, pellices coelum tenent. [d]

Uxori enim juſtae, & probroſis mulieribus convenire non poteſt. At foeditatem omnem ſuperat inceſtus conciliante matre: Titius enim in filiam exarſit [e], exoleta, & marceſſente jam matre, ipſaque filia paſſura, quae mulieres pati conſueverunt. Maritus igitur in omnem libidinem effuſus, totque flagitiis contaminatus, Legum poenas eludet, vel quia maritum uxor adulterii reum facere non poteſt: vel quia moribus noſtris publicum adulterii crimen non eſt. Leges igitur omnes caſtitatis vindices dormient: judices facinorum ultores conticeſcent: & adulterium, crimen omni poena digniſſimum, probrumque natura turpe [f] legum poenis non erit obnoxium. Verum eſto! alienae pudicitiae temeratori crimen inferre uxor non poſſit: injuria, patribus illata, patribus curae ſit: nemo tamen maritum ſtupri crimine, poenaque liberabit, quod adulterio proximum eſt. Philo Jud. ὁ ἀδελφὸς μὲν, καὶ συγγενὴς ἀδίκημα μοιχείας, φθορά. Et ideo lex Julia de pudicitia hoc verbo promiſcue utitur [g]: hoc eſt, ſi vir cum muliere vacante fuerit, crimen ex lege quidem Julia non vindicatur ut adulterium: utique tamen velut ſtuprum vindicari placet, auctore Zonara, & Balſamone [i]. Imo maritum uxor longe graviſſimi criminis, id eſt, inceſtus, reum peraget: nec enim ſimplex adulterium eſt, ſed crimen auget inceſtus ſeveriſſime vindicandus, etiam uxore deſerente: quid enim diu juſtum accuſatorem quaerimus hominis, quem dudum ad poenam perduci publicae diſciplinae vigor poſtulat?

Illud vero naturali rationi cum primis adverſatur, quod ad libidinem proniores ſuam uxoribus ſanctitatem ſtrictius conſervari deſiderant, more hominum, qui in ulciſcendis vitiis, quibus ipſi vehementer indulgent, acres ſunt, ut de Plautiano ſcribit Dio [k]: ipſe enim libidinum omnium ſervus, ne quidem uxori ſuae concedebat, ut quemquam aſpiceret, aut ut ab aliquo conſpiceretur: Καὶ τοῖς μειρακίοις ταῖς τε κόραις οὐκ ἄνευ διαβολῆς χρώμενος, τῇ γυναικὶ τῇ ἑαυτοῦ οὔθ' ὁρᾶν τινὰ, οὔθ' ὁρᾶσθαι τὸ παράπαν, οὔθ' ὑπὸ τοῦ Σεβήρου, ἢ τῆς Ἰουλίας ἐπέτρεπεν: *Scis enim improbum eſſe, qui ab uxore pudicitiam exigit, ipſe alienarum corruptor uxorum. Scis ut illi nil cum adultero, ſic nihil tibi eſſe debere cum pellice, & non facis* [l]. vel ut Antonini verbis utamur, *periniquum videtur eſſe, ut pudicitiam ab uxore exigat, quam ipſe non exhibet* [m].

Mulieres autem pudice vivere, & matrimonio fidem ſervare cogentur, voluptatem earum praeſcripto lectuli lege finiente, cum viri ſanctitatem mutuam non exhibent, & devorato pudore coeno ſe voluptatis immergunt. Imo feminae, quas ſexus infirmitas gravioribus poenis eximere debuerat, probri accuſatae continuo plectentur: quibus aegre conceſſum eſt, ut adulterii crimen referre poſſint, vel lenocinium, non ut legitimae poenae ſeſe eximant, ſed ut maritos onerent [n]. vel ſi maritus in iram propenſior, reique indignitate commotior, injuriam ſuam vindicabit, & uxorem in ipſa turpitudine deprehenſam occiderit; lenius in eum animadvertetur [o]. Ad ſummam, in multis juris partibus deterior eſt conditio feminarum, quibus in liberos poteſtatem nec jura concedunt: imo viri legum conditores jus vitae, & necis jure praecipuo ſibi vindicant [p]: & ut uno verbo dicam, uxores divinae, ac humanae rei ſocias, propter acerbam virorum dominationem, non multum a ſervientium ſpecie differre videbuntur.

Pro Viro.

Ex diverſo: muliebrem quaeſo levitatem expendite, & quam periculoſae plenum aleae ſit, accuſationem impotenti ſexui concedere. Mulier inverecunde prodibit in forum, magiſtratum inquietans, & incondite interpellans, ac primo quoque animi motu, maritum per lupanaria volitare, & bacchari clamitabit. Uxor zelotypa contra pudorem ſexui congruentem in publicum procedet, ut virum etiam inculpatum in periculum famae, vel etiam vitae deducat, & plusquam hoſtili more animo male ſano de morte mariti remedium quaeret. Sed haſce mulierum intemperies quis feret, ſi modo conditionis earum gnarus erit? Maritus uxori domini loco eſt: Σάῤῥα ὑπήκουσε τῷ Ἀβραὰμ κύριον αὐτὸν καλοῦσα. *Sarra obediebat Abrahae, dominum eum vocans* [q]:

Γυναῖκές ἐσμεν ἀθλιώτατον φυτόν.
Ἃς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ
Πόσιν πρίασθαι, δεσπότην τε σώματος
Λαβεῖν.

-- Ma

a. Sen ep. 95.
b. Terent. *Adelph. Act. 4. Sc. 7. v. 29.* Andocid. *orat. 4.* ὅσον ὕβρισεν, εἰσαγαγὼν εἰς τὴν αὐτὴν οἰκίαν ἑταίρας.
c. Ovid. *Faſt. lib. 3. v. 483.*
d. Sen. *Herc. fur. Act. 1. v. 4.*
e. Andocid. *orat. prima*, καὶ συνῴκει ὁ πάντων σχετλιώτατος ἀνθρώπων τῇ μητρὶ, καὶ τῇ θυγατρί. Vide Macrob. *Sat. l. 2. c. 2.*
f. *l. 42. D. de V. S.* B. Hilarius *in Pſalm.* 118.
g. *De ſpecialibus LL.*
h. *l. 101. pr. D. de V. S.*
i. Ad *can. 48. Apoſt. & ad epiſt. S. Baſil.* ad Amphilochi *cap. 2. & ad cap. 88. Syn. 6. in Trul.*
k. *In Excerpt. Xiphilin. in Severo.*
l. Sen. *ep. 94.*
m. Apud B. Auguſtinum *2. de adult. conjug. ad Pollent. l. 13.* §. *judex 5. D. ad leg. Jul. de adult.*
n. *d. l. 13.*
o. *l. 15. D. ad leg. Cornel. de ficar.*
p. B. Gregor. Naz. *orat. 31.*
q. *1. Petr. cap. 3. v. 6.*

— — — nihil eſt femina infelicius.
Primum maritus dote magna, & ſplendida
Emendus: hanc neceſſe dominum corporis accipere.[a]

B. Auguſtinus[b]: *Tradita viro ſervivit veluti domino.* & paulo poſt: *Graviter admonens, ex quo illas tabulas, quae matrimoniales vocantur, recitari audiſſent, tanquam inſtramenta, quibus ancillae factae eſſent, deputare debuiſſe.* Itaque lege Attica, cum uxor in jus vocaretur, maritus etiam ejus vocabatur tanquam dominus, ut ſcribit Ariſtophanis Scholiaſtes[c], ὅτι γὰρ προσκαλεῖσθαι εἰώθασιν ἐν τῷ δικαστηρίῳ· ἡ δεῖνα, καὶ ὁ κύριος, τουτέστιν ὁ ἀνήρ. Quo jure igitur uxor in dominum ſuum inſurget? quo ore accuſationem inſtituet, quae vice ancillae eſt? uxorem vir diligere, virum uxor timere debet. Titus Boſtrenſis[d]. Καὶ τὸ ἀγαπᾷν τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας τοὺς ἄνδρας, καὶ τὸ τὰς γυναῖκας τοὺς ἑαυτῶν ἄνδρας φοβεῖσθαι ὁ θεῖος ἀπόστολος εἰσηγήσατο. Imo vir ab uxore timebit, quem poterit judicio capitis arceſſere. Omnem denique juris rationem evertes, ſi mulierem, quae vix modum vindictae cogitat, modis omnibus accuſatione non repelles: Mulieribus enim accuſationem adulterii adverſus viros non concedi nominatim conſtitutum eſt[e]. Nolo equidem illaudatae rei, & viris libidini deditis juris obtentu defenſionem praeſtare: ſed ſive id lege conceſſum ſit, ſive privilegium indultum ſit, longa inter mares & feminas ſemper differentia fuit. Peryctione Pythagorica[f]: Φέρειν δὲ χρὴ τὰ ἀνδρὸς πάντα, κἢν ἀτυχῇ, κἢν ἁμάρτῃ κατ' ἄγνοιαν, ἢ νοῦσον, ἢ μέθην, ἢ ἄλλῃσι γυναιξὶ συγγίνηται· ἀνδράσι μὲν γὰρ ἐπιχωρέεται ἁμαρτίη αὕτη· γυναιξὶ δὲ οὐκέτι, τιμωρίη δὲ ἐφίσταται: *Ferendi ſunt omnes caſus viri, etſi infortunatus ſit, aut delinquat per ignorantiam, morbum, aut ebrietatem, aut cum aliis mulieribus fuerit: viris enim hoc peccatum permittitur, mulieribus non item, ſed poena eis irrogatur.* Marcus Cato[g]: *In adulterio uxorem tuam ſi prehendiſſes, ſine judicio impune necares: illa te, ſi adulterares, non auderet contingere.*

Ecaſtor lege dura vivunt mulieres,
Multoque iniquiore miſerae, quàm viri:
Nam ſi vir ſcortum duxit clam uxorem ſuam,
Id ſi reſcivit uxor, impune eſt viro.
Uxor viro ſi clam domo egreſſa eſt foras,
Viro fit cauſa, exigitur matrimonio.
Utinam lex eſſet eadem, quae uxori eſt, viro!
Nam uxor contenta eſt, quae bona, uno viro.[h]

&c. Aſterius, Amaſeae Epiſcopus[i]: Οἱ δὲ τοῦ βίου τούτου νομοθέταις προσέχοντες, ἀνεύθυνον καταλείπουσι τὴν πορνείαν, τοῖς ἀνδράσι τὴν ἐξουσίαν, σφοδροὶ μὲν εἰσιν κριταὶ καὶ διδάσκαλοι τῆς τῶν γυναικῶν σεμνότητος· οἱ δ' ἐν πολλοῖς ἀναιδῶς ἐπιμαίνονται σώμασιν, ἄλλων ἰατροὶ, κατὰ τὴν παροιμίαν, μυρίοις βρύοντες ἕλκεσιν: *Haec pudicitiae lex non feminis tantum, ſed etiam viris a Deo lata eſt, qui tamen legibus adhaerentes humanis, quibus eis ſcortari conceditur, ſeveri quidem judices ſunt, & pudicitiae muliebris magiſtri: ipſi vero improbe in plures inſaniunt, &, quod dicitur, alterum medici infinitis ulceribus ſcatent.* Denique vetus haec inter mares, & feminas differentia legibus Eccleſiaſticis non fuit incognita: uxor enim propter ſtuprum nuncium viro remittere non poterat: vir autem uxorem adulteram jure domo exigebat.[k] Et ratio illius inter marem ac feminam differentiae, haec vulgo adfertur: viri, inquiunt, nullum familiae damnum, aut dedecus inferunt: mulieres autem heredes extrarios in familias inducunt, & domos dedecore, atque infamia pleniſſimas reddunt, aut, ut verbis utar Aſterii[l], Οἱ μὲν γὰρ ἄνδρες, φησὶ, κἂν πάνυ πολλαῖς γυναιξὶ πλησιάζωσιν, οὐδὲν τῇ οἰκίᾳ λυμαίνονται. αἱ δὲ γυναῖκες ἐξ ὧν ἁμαρτάνουσι, κληρονόμους ἀλλοτρίους ταῖς οἰκίαις, καὶ ταῖς γένεσιν ἐπεισάγουσιν. Atque his fortaſſe rationibus motus Senatus uxori virum adulterii reum facere non permiſit.

Verum aliud humanae leges, aliud Chriſtus praecipit (quanquam ex juniorum Principum conſtitutionibus virorum adulterium duodecim allactis, ſive ictibus, & percuſſionibus coërceri relatum eſt[m], & exſcripſit Harmenopulus[n]: Ὁ ἔχων γυναῖκα, καὶ πορνεύων, διὰ ιβ΄. ἀλλακτῶν σωφρονιζέσθω) & hanc effuſam virorum licentiam, & ineffraenatas voluptates Eccleſia non minus damnavit, quam mulierum probra, vel libidines inconceſſas. Audite, ſi placet, Eccleſiae patres ſanctitatis, & doctrinae praecipuae. B. Gregorius Nazianzenus[o]: Οὐ δέχομαι ταύτην τὴν νομοθεσίαν· οὐκ ἐπαινῶ τὴν συνήθειαν. & mox: πῶς ἂν σωφροσύνην μὲν ἀπαιτεῖς, οὐκ ἀντεισφέρεις δέ· πῶς ὃ μὴ δίδως αἰτεῖς: *Non probo hanc legem, non laudo conſuetudinem: quomodo igitur pudicitiam exigis, & non refers; quomodo poſcis, quod non praeſtas?* B. Chryſoſtomus[p]: Ἐν μὲν γὰρ τοῖς ἄλλοις πλεονεκτείτω, φησὶν, ὁ ἀνήρ· ἔνθα δὲ σωφροσύνης λόγος, οὐκέτι: *In aliis quidem plus ſibi maritus vindicet: ubi autem de pudicitia, & caſtitate agitur, non aeque.* Et ibidem ſanctiſſimus pater: Μὴ γάρ μοι τοὺς ἔξωθεν νόμους εἴπῃς νῦν, οἳ τὰς μὲν γυναῖκας μοιχευομένας εἰς δικαστήριον ἕλκουσι, καὶ εὐθύνας ἀπαιτοῦσιν, ἄνδρας δὲ γυναῖκας ἔχοντας, καὶ θεραπαινίσι προσφθειρομένους, οὐκ ἀπαιτοῦσιν εὐθύνας. ἀλλ' ἐγώ σοι τὸν τοῦ Θεοῦ νόμον ἀναγνώσομαι, ὁμοίως καὶ ἐπὶ τῆς γυναικὸς, καὶ ἐπὶ τοῦ ἀνδρὸς ἀγανακτοῦντα, καὶ μοιχείαν εἶναι τὸ πρᾶγμα λέγοντα, &c. *Non enim mihi leges externas objicere, quae mulieres quidem, adulterium committentes, in judicium pertrahunt, deque ipſis poenas repetunt. At ego legem Dei tibi recitabo, quae pari ratione in mulierem & in virum excandeſcet, & rem adulterium appellat.* Lactantius Firmianus[q]: *Non enim ſicut publici juris ratio eſt, ſola mulier adultera eſt, quae habet alium: maritus autem, etiam ſi plures habeat, a crimine adulterii ſolutus eſt. Sed divina lex ita duos in matrimonium, quod eſt in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur, quiſquis compagem corporis in diverſa diſtraxerit.* Et mox: *Servanda igitur fides ab utroque alteri eſt; imo exemplo continentiae docenda uxor, ut ſe caſte gerat: iniquum eſt enim, ut id exigas, quod ipſe praeſtare non poſſis.* B. Auguſtinus[r]: *Sufficiant vobis uxores veſtrae, quia ſufficere vos vultis uxoribus veſtris. Non vis ab illa fieri aliquid praeter te: noli facere aliquid praeter ipſam. Tu dominus es, illa ancilla. Deus fecit utrumque. Sarra, inquit ſcriptura, obſequebatur Abrahae, dominum eum vocans. Verum eſt: iſtis tabulis ſubſcribit Epiſcopus. Ancillae veſtrae ſunt uxores veſtrae; domini eſtis uxorum veſtrarum. Sed quando venitur ad illud negotium, quo ſexus diſcernitur, & ſexus ſibi uterque miſcetur, uxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir,* &c. B. Hieronymus[s]: *Aliae ſunt leges Caeſarum, aliae Chriſti; aliud Papinianus, aliud Paulus noſter praecipit. Apud illos viris impudicitiae frena laxantur: &, ſolo ſtupro, atque adulterio condemnato, paſſim per lupanaria, & ancillulas libido permittitur, quaſi culpam dignitas faciat, non voluntas: apud nos, quod non licet feminis, aeque non licet viris, & eadem ſervitus pari conditione cenſetur.* Inno-

a. Euip. *Med.* ex verſ. Hugon. Grotii viri Ampliſſ.
b. *Confeſſ. lib. 9. cap. 9.*
c. *Ad Equit.*
d. Ad *cap.* 14. Luc.
e. *l.* 1. C. *ad leg. Jul. de adult.* Conſt. Harmen. *Epitom. lib.* 6. *tit.* 2. §. 2.
f. Apud. Stob. *cap.* 83.
g. Apud. Aul. Gell. *lib.* 10. *cap.* 23.
h. Plaut. *in Mercat. Act.* 4. *Sc.* 6.
i. *Homil.* 5.
k. Baſil. *d. c.* 21. Aliae differentiae colliguntur ex *c. uxor* 17. & *c. hi vero* 22. *cau.* 32. *q.* 7.
l. In *d. hom.*
m. Baſilic. *lib.* 60. *tit.* 37.
n. *lib.* 6. *tit.* 3. §. 6.
o. *d. Orat.* 31.
p. *Homil.* 18. *in cap.* 7. *Ep.* 1. *ad Corinth.*
q. *Lib.* 6. *cap.* 23.
r. *Serm. in Natali Martyrum.*
s. *Epiſt.* 30. *ad Ocean.*

EXERCITATIO VII.

Maritus adulterii, inceſtique reus ab uxore.

LUcius Titius adulteria diu ſub oculis uxoris exercuerat, domumque tribus pellicibus illectis, ſacrarium libidinum fecerat. Crimen augebat filia matris facta pellex. Maevia cum videret, peregrina libidine maritum averti, adulterii, inceſtique reum facere voluit. Tractatum eſt, an poſſet. Maritum ab uxore non jure accuſari Senatus Aquenſis cenſuit.

Pro Uxore.

Nihil tam aequitati naturali, vel civili rationi convenit, quam accuſationem ei permitti, cujus injuria eſt: non enim citra contumeliam uxoris a geniali toro maritus avocatur. *Graviſſimum injuriae genus eſt, habere pellicem* [a]. Si contemptae uxori non liceat injuriam lecti ſui perſequi, maritus luxuriae plenus cum pellicibus obſcoenis concubitus impune miſcebit, & fidem ſcelere violabit. Verum uxorem furtiva libidinis commercia non commovent, at foeda domi laſcivia: quibus enim oculis uxor meretriciis ſordibus mariti culiculum inquinari conſpiciet?

—— —— —— pro divûm fidem!
Meretrix; & materfamilias una in domo? [b]

Non in aedes mariti, ſed in fornicem ſe deductam putabit:

Auſus es ante oculos adducta pellice noſtros,
Tam bene compoſitum ſollicitare torum?

Imo nec in loco tam deformi diutius commorabitur. Pellices uxorem non thoro modo, ſed & mariti aedibus pellent. Ipſa Jovis ſoror, & conjux pellicibus coelo ceſſit:

Locumque coelo pulſa pellicibus dedi.
Tellus colenda eſt, pellices coelum tenent. [d]

Uxori enim juſtae, & probroſis mulieribus convenire non poteſt. At foeditatem omnem ſuperat inceſtus conciliante matre: Titius enim in filiam exarſit [e], exoleta, & marceſſente jam matre, ipſaque filia paſſura, quae mulieres pati conſueverunt. Maritus igitur in omnem libidinem effuſus, totque flagitiis contaminatus, Legum poenas eludet, vel quia maritum uxor adulterii reum facere non poteſt: vel quia moribus noſtris publicum adulterii crimen non eſt. Leges igitur omnes caſtitatis vindices dormient: judices facinorum ultores conticeſcent: & adulterium, crimen omni poena digniſſimum, probrumque natura turpe [f] legum poenis non erit obnoxium. Verum eſto! alienae pudicitiae temeratori crimen inferre uxor non poſſit: injuria, patribus illata, patribus curae ſit: nemo tamen maritum ſtupri crimine, poenaque liberabit, quod adulterio proximum eſt. Philo Jud. [g] ἀδελφὸν μὲν, καὶ συγγενὲς ἀδίκημα μοιχείας, φθορά. Et ideo lex Julia de pudicitia hoc verbo promiſcue utitur [h]: hoc eſt, ſi vir cum muliere vacante fuerit, crimen ex lege quidem Julia non vindicatur ut adulterium: utique tamen velut ſtuprum vindicari placet, auctore Zonara, & Balſamone [i]. Imo maritum uxor longe graviſſimi criminis, id eſt, inceſtus, reum peraget: nec enim ſimplex adulterium eſt, ſed crimen auget inceſtus ſeveriſſime vindicandus, etiam uxore deferente: quid enim diu juſtum accuſatorem quaerimus hominis, quem dudum ad poenam perduci publicae diſciplinae vigor poſtulat?

Illud vero naturali rationi cum primis adverſatur, quod ad libidinem proniores ſuam uxoribus ſanctitatem ſtrictius conſervari deſiderant, more hominum, qui in ulciſcendis vitiis, quibus ipſi vehementer indulgent, acres ſunt, ut de Plautiano ſcribit Dio [k]: ipſe enim libidinum omnium ſervus, ne quidem uxori ſuae concedebat, ut quemquam aſpiceret, aut ut ab aliquo conſpiceretur: Καὶ τοῖς μοιχικοῖς ταῖς τε κολάσεσιν οὐκ ἄνευ διαβολῆς χρώμενος, τῇ γυναικὶ τῇ ἑαυτοῦ οὐδ᾽ ὁρᾶν τινά, οὐδ᾽ ὁρᾶσθαι τὸ παράπαν, οὐδ᾽ ὑπὸ τοῦ Σεβήρου, ἢ τῆς Ἰουλίας ἐπέτρεπεν: *Scis enim improbum eſſe, qui ab uxore pudicitiam exigit, ipſe alienarum corruptor uxorum. Scis ut illi nil cum adultero, ſic nihil tibi eſſe debere cum pellice, & non facis* [l]. vel ut Antonini verbis utamur, *periniquum videtur eſſe, ut pudicitiam ab uxore exigat, quam ipſe non exhibet* [m].

Mulieres autem pudice vivere, & matrimonio fidem ſervare coguntur, voluptatem earum praeſcripto lectuli lege finiente, cum viri ſanctitatem mutuam non exhibent, & devorato pudore coeno ſe voluptatis immergunt. Imo feminae, quas ſexus infirmitas gravioribus poenis eximere debuerat, probri accuſatae continuo plectentur: quibus aegre conceſſum eſt, ut adulterii crimen referre poſſint, vel lenocinium, non ut legitimae poenae ſeſe eximant, ſed ut maritos onerent [n]. vel ſi maritus in iram propenſior, reique indignitate commotior, injuriam ſuam vindicabit, & uxorem in ipſa turpitudine deprehenſam occiderit; lenius in eum animadvertetur [o]. Ad ſummam, in multis juris partibus deterior eſt conditio feminarum, quibus in liberos poteſtatem nec jura concedunt: imo viri legum conditores jus vitae, & necis jure praecipuo ſibi vindicant [p]: & ut uno verbo dicam, uxores divinae, ac humanae rei ſocias, propter acerbam virorum dominationem, non multum a ſervientium ſpecie differre videbuntur.

Pro Viro.

Ex diverſo: muliebrem quaeſo levitatem expendite, & quam periculoſae plenum aleae ſit, accuſationem impotenti ſexui concedere. Mulier inverecunde prodibit in forum, magiſtratum inquietans, & incondite interpellans, ac primo quoque animi motu, maritum per lupanaria volitare, & bacchari clamitabit. Uxor zelotypa contra pudorem ſexui congruentem in publicum procedet, ut virum etiam inculpatum in periculum famae, vel etiam vitae deducat, & plusquam hoſtili more animo male ſano de morte mariti remedium quaeret. Sed haſce mulierum intemperies quis feret, ſi modo conditionis earum gnarus erit? Maritus uxori domini loco eſt: Σάῤῥα ὑπήκουσε τῷ Ἀβραὰμ κύριον αὐτὸν καλοῦσα. *Sarra obediebat Abrahae, dominum eum vocans* [q]:

Γυναῖκές ἐσμεν ἀθλιώτατον φυτόν.
Ἃς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ
Πόσιν πρίασθαι, δεσπότην τε σώματος
Λαβεῖν.

Ma

a. Sen. *ep.* 95.
b. Terent. *Adelph. Act.* 4. *Sc.* 7. *v.* 29. Andocid. *orat.* 4. ὅτι ὑβριστὴς ὤν, ἐπεισάγων εἰς τὴν αὐτὴν οἰκίαν ἑταίρας.
c. Ovid. *Faſt. lib.* 3. *v.* 483.
d. Sen. *Herc. fur. Act.* 1. *v.* 4.
e. Andocid. *orat. prima*, καὶ τολμᾷ ὁ πάντων σχετλιώτατος ἀνθρώπων τῇ μητρὶ, καὶ τῇ θυγατρί. Vide Macrob. *Sat. l.* 2. *c.* 2.
f. *l.* 42. *D. de V. S.* B. Hilarius *in Pſalm.* 118.
g. *De ſpecialibus LL.*
h. *l.* 101. *pr. D. de V. S.*
i. Ad *can.* 48. *Apoſt.* & *ad epiſt. S. Baſil.* ad Amphilochi *ep.* 2. & ad *cap.* 88. *Syn.* 6. *in Trul.*
k. *In Excerpt. Xiphilin. in Severo.*
l. Sen. *ep.* 94.
m. Apud. B. Auguſtinum 2. *de adult. conjug. ad Pollent. l.* 131 §. *judex* 5. *D. ad leg. Jul. de adult.*
n. *d. l.* 13.
o. *l.* 15. *D. ad leg. Cornel. de ſicar.*
p. B. Gregor. Naz. *orat.* 31.
q. 1. *Petr. cap.* 3. *v.* 6.

Digitized by Google

—— —— —— nihil eſt femina infelicius.
Primum maritus dote magna, & ſplendida
Emendus: hunc neceſſe dominum corporis accipere.[a]

B. Auguſtinus[b]: *Tradita viro ſerviit veluti domino.* & paulo poſt: *Graviter admonens, eo quo illas tabulas, quae matrimoniales vocantur, recitari audiſſent, tanquam inſtrumenta, quibus ancillae factae eſſent, deputare debuiſſe.* Itaque lege Attica, cum uxor in jus vocaretur, maritus etiam ejus vocabatur tanquam dominus, ut ſcribit Ariſtophanis Scholiaſtes[c], ἔθος γὰρ προσκαλεῖσθαι εἰώθασιν ἐν τῷ δικαστηρίῳ· ἡ δεῖνα, καὶ ὁ κύριος, τουτέστιν ὁ ἀνήρ. Quo jure igitur uxor in dominum ſuum inſurget? quo ore accuſationem inſtituet, quae vice ancillae eſt? uxorem vir diligere, virum uxor timere debet. Titus Boſtrenſis[d]. Καὶ τὸ ἀγαπᾶν τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας τοὺς ἄνδρας, καὶ τὸ τὰς γυναῖκας τοὺς ἑαυτῶν ἄνδρας φοβεῖσθαι ὁ θεῖος ἀπόστολος εἰσηγήσατο. Imo vir ab uxore timebit, quem poterit judicio capitis arceſſere. Omnem denique juris rationem evertes, ſi mulierem, quae vix modum vindictae cogitat, modis omnibus accuſatione non repelles: Mulieribus enim accuſationem adulterii adverſus viros non concedi nominatim conſtitutum eſt[e]. Nolo equidem illaudatae rei, & viris libidini deditis juris obtentu defenſionem praeſtare: ſed ſive id lege conceſſum ſit, ſive privilegium indultum ſit, longa inter mares & feminas ſemper differentia fuit. Perictione Pythagorica[f]: Φέρειν δὲ χρὴ τοῦ ἀνδρὸς πάντα, κἢν ἀτυχῇ, κἢν ἁμάρτῃ κατ᾽ ἄγνοιαν, ἢ νόσον, ἢ μέθην, ἢ ἄλλαις γυναιξὶ συγγίνηται· ἀνδράσι μὲν γὰρ ἐπιχωρέεται αὕτη ἡ ἁμαρτίη· γυναιξὶ δὲ οὐκέτι, τιμωρίη δὲ ἐφίσταται: *Ferendi ſunt omnes caſus viri, etſi infortunatus ſit, aut delinquat per ignorantiam, morbum, aut ebrietatem, aut cum aliis mulieribus fuerit: viris enim hoc peccatum permittitur, mulieribus non item, ſed poena eis irrogatur.* Marcus Cato[g]: *In adulterio uxorem tuam ſi prehendiſſes, ſine judicio impune necares: illa te, ſi adulterares, non auderet contingere.*

Ecaſtor lege dura vivunt mulieres,
Multoque iniquiore miſerae, quàm viri:
Nam ſi vir ſcortum duxit clam uxorem ſuam,
Id ſi reſcivit uxor, impune eſt viro.
Uxor viro ſi clam domo egreſſa eſt foras,
Viro fit cauſa, exigitur matrimonio.
Utinam lex eſſet eadem, quae uxori eſt, viro!
Nam uxor contenta eſt, quae bona, uno viro.[h]

&c. Aſterius, Amaſeae Epiſcopus[i]: Οἱ δὲ τοῦ βίου τούτου νομοθέται προεῖχοντες, ἀνέδην καταλείπουσι τῆς πορνείας, τοῖς ἀνδράσι τὴν ἐξουσίαν, σφοδροὶ μὲν εἰσιν κριταὶ καὶ διδάσκαλοι τῆς γυναικῶν σωφροσύνης· αὐτοὶ δ᾽ ἐν πολλοῖς ἀνυποδήτοις ἐμμαίνονται σώμασιν, ἄλλων ἰατροὶ, κατὰ τὴν παροιμίαν, μυρίοις βρύοντες ἕλκεσιν: *Haec pudicitiae lex non feminis tantum, ſed etiam viris a Deo lata eſt, qui tamen legibus adhaerentes humanis, quibus eis ſcortari conceditur, ſeveri quidem judices ſunt, & pudicitiae muliebris magiſtri: ipſi vero improbe in plures inſaniunt, &, quod dicitur, aliorum medici infinitis ulceribus ſcatent.* Denique vetus haec inter mares, & feminas differentia legibus Eccleſiaſticis non fuit incognita: uxor enim propter ſtuprum nuncium viro remittere non poterat: vir autem uxorem adulteram jure domo exigebat.[k] Et ratio illius inter marem ac feminam differentiae, haec vulgo adfertur: viri, inquiunt, nullum familiae damnum, aut dedecus inferunt: mulieres autem heredes extrarios in familias inducunt, & domos dedecore, atque infamia pleniſſimas reddunt, aut, ut verbis utar Aſterii[l], οἱ μὲν γὰρ ἄνδρες, φασὶ, κἂν πάνυ πολλαῖς γυναιξὶ πλησιάζωσιν, οὐδὲν τῇ οἰκίᾳ λυμαίνονται. αἱ δὲ γυναῖκες ἐξ ὧν μοιχεύουσι, κληρονόμους ἀλλοτρίους ταῖς οἰκίαις, καὶ ταῖς γένεσιν ἐπεισάγουσιν. Atque his fortaſſe rationibus motus Senatus uxori virum adulterii reum facere non permiſit.

Verum aliud humanae leges, aliud Chriſtus praecipit (quanquam ex juniorum Principum conſtitutionibus virorum adulterium duodecim allactis, ſive ictibus, & percuſſionibus coërceri relatum eſt[m], & exſcripſit Harmenopulus[n]: Ὁ ἔχων γυναῖκα, καὶ πορνεύων, διὰ ιβ. ἀλλακτῶν σωφρονιζέσθω) & hanc effuſam virorum licentiam, & ineffraenatas voluptates Eccleſia non minus damnavit, quam mulierum probra, vel libidines inconceſſas. Audite, ſi placet, Eccleſiae patres ſanctitatis, & doctrinae praecipuae. B. Gregorius Nazianzenus[o]: Οὐ δέχομαι ταύτην τὴν νομοθεσίαν· οὐκ ἐπαινῶ τὴν συνήθειαν. & mox: πῶς ἂν σωφροσύνην μὲν ἀπαιτοίης, οὐκ ἀντεισφέρεις δέ· πῶς ὃ μὴ δίδως αἰτεῖς· *Non probo hanc legem, non laudo conſuetudinem: quomodo igitur pudicitiam exigis, & non refers; quomodo poſcis, quod non praeſtas?* B. Chryſoſtomus[p]: Ἐν μὲν γὰρ τοῖς ἄλλοις πλεονεκτείτω, φησὶν, ὁ ἀνὴρ· ἔνθα δὲ σωφροσύνης λόγος, οὐκέτι: *In aliis quidem plus ſibi maritus vindicet: ubi autem de pudicitia, & caſtitate agitur, non aeque.* Et ibidem ſanctiſſimus pater: Μὴ γάρ μοι τοὺς ἔξωθεν νόμους εἴπῃς νῦν, οἳ τὰς μὲν γυναῖκας μοιχευομένας εἰς δικαστήριον ἕλκουσι, καὶ εὐθύνας ἀπαιτοῦσιν, ἄνδρας δὲ γυναῖκας ἔχοντας, καὶ θεραπαινίσι προσφθειρομένους, οὐκ ἀπαιτοῦσιν εὐθύνας. ἀλλ᾽ ἐγώ σοι τὸν τοῦ Θεοῦ νόμον ἀναγνώσομαι, ὁμοίως καὶ ἐπὶ τῆς γυναικὸς, καὶ ἐπὶ τοῦ ἀνδρὸς ἀγανακτοῦντα, καὶ μοιχείαν ὄντως τὸ πρᾶγμα λέγοντα, &c. *Non enim mihi leges externas objicere, quae mulieres quidem, adulterium committentes, in judicium pertrahunt, deque ipſis poenas repetunt. At ego legem Dei tibi recitabo, quae pari ratione in mulierem & in virum excandeſcit, & rem adulterium appellat.* Lactantius Firmianus[q]: *Non enim ſicut publici juris ratio eſt, ſola mulier adultera eſt, quae habet alium: maritus autem, etiam ſi plures habeat, a crimine adulterii ſolutus eſt. Sed divina lex ita duos in matrimonium, quod eſt in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur, quiſquis compagem corporis in diverſa diſtraxerit.* Et mox: *Servanda igitur fides ab utroque alteri eſt; imo exemplo continentiae docenda uxor, ut ſe caſte gerat: iniquum eſt enim, ut id exigas, quod ipſe praeſtare non poſſis.* B. Auguſtinus[r]: *Sufficiant vobis uxores veſtrae, quia ſufficere vos vultis uxoribus veſtris. Non vis ab illa fieri aliquid praeter te: noli facere aliquid praeter ipſam. Tu dominus es, illa ancilla. Deus fecit utrumque. Sarra, inquit ſcriptura, obſequebatur Abrahae, dominum eum vocans. Verum eſt: iſtis tabulis ſubſcribit Epiſcopus. Ancillae veſtrae ſunt uxores veſtrae; domini eſtis uxorum veſtrarum. Sed quando venitur ad illud negotium, quo ſexus diſcernitur, & ſexus ſibi uterque miſcetur, uxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir,* &c. B. Hieronymus[s]: *Aliae ſunt leges Caeſarum, aliae Chriſti; aliud Papinianus, aliud Paulus noſter praecipit. Apud illos viris impudicitiae frena laxantur: &, ſolo ſtupro, atque adulterio condemnato, paſſim per lupanaria, & ancillulas libido permittitur, quaſi culpam dignitas faciat, non voluntas: apud nos, quod non licet feminis, neque non licet viris, & eadem ſervitus pari conditione cenſetur.* Inno-

a. Eurip. *Med.* ex verſ. Hugon. Grotii viri Ampliſſ.
b. *Confeſſ. lib.* 9. *cap.* 9.
c. *Ad Equit.*
d. Ad *cap.* 14. Luc.
e. *l.* 1. *C. ad leg. Jul. de adult.* Conſt. Harmen. *Epitom. lib.* 6. *tit.* 2. §. 2.
f. Apud. Stob. *cap.* 83.
g. Apud. Aul. Gell. *lib.* 10. *cap.* 23.
h. Plaut. *in Mercat. Act.* 4. *Sc.* 6.
i. *Homil.* 5.
k. Baſil. *d. c.* 21. Aliae differentiae colliguntur ex *c. uxor* 17. *c. hi vero* 22. *cau.* 32. *q.* 7.
l. In *d. homi.*
m. Baſilics *lib.* 60. *tit.* 37.
n. *lib.* 6. *tit.* 3. §. 1.
o. *d. Orat.* 31.
p. *Homil.* 18. *in cap.* 7. *Ep.* 1. *ad Corinth.*
q. *Lib.* 6. *cap.* 23.
r. *Serm. in Natal. Martyrum.*
s. *Epiſt.* 30. *ad Ocean.*

nocentius PP[a]. *Chriſtiana religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat.* Denique maritus non minus velut in manum uxoris, quam uxor in manum viri convenit; nec uxor ancilla eſt, ſed ſocia: κοινωνὸς τῦ βίυ, καὶ ἐλευθέρα καὶ ὁμότιμος, *ſocia vitae, libera, & honore par*, ut ait Chryſoſtomus[b]: aut alter alteri libera quadam ſervitute ſubjicitur, ex quo invicem corporis ſui poteſtatem faciunt, veteri Eccleſiae more, ac inſtituto[c]: cumque duo ſint in carnem unam, vir, pellicibus & amiculis mancipatus, in uxorem, hoc eſt, in proprium corpus peccare: & mulier adultero in proprium corpus, ſive in virum, peccare intelligitur[d]. Sed nec ipſa aequitas patitur, habere plus auctoritatis maritum, quam uxorem.

Verum quidem eſt, in domum mulieris adulterae liberos inſititios, & adulterinos pro juſtis, ac legitimis obrepere, ac per hoc familiarum decus interire[e]. Sed egregiam hanc, ſi diſplacet, virorum allegationem, & criminis purgationem diluit idem Aſterius: omnino enim, inquit, vel uxor alterius temeratur, vel filiae pudicitia expugnatur; & ita ſubſeſſor, & adulter alienam quoque domum evertit: aut patri, qui filiam ſuam in hanc usque aetatem bene, ac pudice educarat, ut nuptum eam bono publico collocaret, injuria fit, quorum utrumque ſeveriſſime vindicari, & ratio poſtulat, & utilitas publica ſuadet.

Deſinant igitur blandiri ſibi, qui voluptatibus ſuis hanc cauſam praetendunt: vel enim Deus marem, ac foeminam ad caſtitatem genuit, aut voluptas intra praeſcriptum legitimae conjunctionis cohibenda eſt.

Sed & jure populi Romani cum meretricibus impune licebat libidinem explere[f]: nobis autem, qui Chriſtianorum appellatione cenſemur, non ſolum alienis thoris, ſed publicis etiam, vulgatisque corporibus abſtinendum Deus praecepit[g].

a. In *can. ult. cau.* 32. *q. ult.* adde *ca. nemo* 4. *q.* 4. & Zonar. ad *d. can. Apoſt.* 48.

b. *d. hom.* 18.

c. Apud Machar. *hom.* 32. Cui non abſimile eſt quod ait Clitophon mox Leucippem ducturus, Achil. Tat. *lib.* 1. Δοῦλον δέ με σταυρῶν ἀπὸ ταύτης τῆς ἡμέρας νόμιζε, καὶ τὸ πρῶτον ἐπιδέδωκα, τὸ μὴ πρῶτον ἐρασθῆν. ſic ms. Reg.

d. Iſid. Peluſ. *lib.* 4. *ep.* 129.

e. Philo *de Dec.* Iſid. Pel. *ep.* 76. *lib.* 3. & *d. ep.* 129.

f. *l. ſi ea quae* 22. *C. ad leg. Jul. de adult.* Plaut. *in Curcul. Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 35. *Nemo ire quenquam, &c.* Vide Ter. *Adelph. Act.* 1. *ſc.* 2. & 1. *Cor. cap.* 6. *v.* 15. *& ſeq.* Theoph. noſtrum, §. 4. *public. jud.*

g. Lactant. *d. cap.* 23.

EXERCITATIO VIII.

An per ebrietatem admiſſa legibus impunita ſint.

ADmiſſa per ebrietatem παροινίας Graeci vocant. Heſychius: Παροινία, ἡ ἐκ τῦ οἴνυ ὕβρις, καὶ οἱαδήποτε ἁμαρτία: *Paroenia, injuria, quae per ebrietatem fit, & quodlibet delictum, quod ebrietatem ſequitur.* Puta caedes, & vulnera, quae fere ebrietatem comitantur. Ea re Bacchi nutrices pingebantur, Κατέχουσαι χερσὶν, αἱ μὲν ἐγχειρίδια, αἱ δὲ ὄφεις. τῦτο δὲ πρὸς αἴνιγμα τῦ θηριώδεις, καὶ φονικὸς εἶναι τὺς μεθύοντας: *Habentes in manibus pugiones, vel ſerpentes, quod ſignificat, ebrios homines belluinos eſſe, & homicidas*, ut ſcribit Euſtathius *ad Iliad.* ξ. Gemara *Sanhedrin cap.* 8. *Ne ſpectes vinum, quia rubeſcit. Rabba ait: Ne ſpectes vinum, cujus finis eſt ſanguis*, id eſt, caedes. Videamus igitur, an per ebrietatem admiſſa legibus impunita ſint. Marcian. in *l. perſpiciendum* 11. §. 2. *D. de poen.* ait, *impetu delinqui, cum per ebrietatem ad manus, aut ad ferrum venitur.* Baſilica *lib.* 60. *tit.* 51. ἐξ ὁρμῆς, ὡς θυμούμενος. Gloſſa interlin. καὶ ὁ μεθύων. *impetu, ut iratus, & ebrius.* Sed quam poenam ebrietas irroget, non tradit. Quid ſi vinum largius crimine liberemus? Certe veniam mereri ſignificat Lyſias *oratione ſecunda & tertia*; quaſi alienata mente vino: ebrioſus enim paullum illud, quod habet reliquum mentis, ac ſenſus, poculis extrudit. Ariſtoteles *Problemat. ſect.* 30. ἔτι δὲ μᾶλλον πινόμενος. (οἶνος) ὑβριστὰς (ποιεῖ) ἔπειτα μανικούς: *Deinde vinum plenius epotum contumelioſos facit, demum furioſos.* Philo περὶ φυτουργ. Ἐπεὶ μανίας, καὶ παραφροσύνης αἴτιος τοῖς ἀπλήστως ἐμφορουμένοις ὁ οἶνος: *Quandoquidem furoris, & dementiae materies eſt vinum iis, qui eo ſe obruunt.* Hippocrates *Aphor.* 7. 7. Ἐκ τῆς πολυποσίης ῥῖγος, καὶ παραφροσύνη, κακόν: *Ex multa vini potatione rigor, & deſipientia, malum.* Vide Gal. *comm.* Caelius Aurelianus *acut. lib.* 3. *cap.* 17. de vino: *Quod ſaepe in ſanitate conſtitutas alienari mente perficit.* Aretaeus περὶ χρονίων 1. *cap.* 6. ἐκφλέγει γὰρ καὶ οἶνος ἐς παραφορὴν ἐν μέθῃ: *Nam & vinum in ebrietate ad mentis perturbationem accendit.* Scholiaſtes Aeſchyli *in Eumenid.* οἰνωθέντες τρόπον τινὰ γίνονται ἐμμανεῖς: *Temulenti quodammodo fiunt furibundi.* Celebre dictum eſt Anacharſ. Ὁ τεταρταῖος μανίας: *quarta cratera ad inſaniam pertinet*, apud Anton. & Maxim. *tit.* 68. Apulej. *in Florid.* vide Athen. x. 7. Stob. *tit.* 18 Lucret. *lib.* 3. *v.* 481.

— — — *vehemens violentia vini*
Conturbare animam conſuevit corpore in ipſo.

Videntur, inquam, qui ſe largius invitant, culpa carere. B. Chryſoſtomus *in epiſt. Pauli ad Corinth. homil.* 12. Τὸ μεθύειν, καὶ τὸ γαστρίζεσθαι, ὐ μόνον ὐκ ἔστιν ἔγκλημα, ἀλλὰ κατόρθωμα παρὰ πολλοῖς εἶναι νενόμισται. & mox: καὶ τῶν νομοθετῶν ὐδεὶς τῦτο ἐκόλασε τὸ ἁμάρτημα: *Inebriari & ſaginari, non ſolum crimen non eſt, ſed etiam inter fortia facta a plerisque connumeratur, & nulla lege punitur*; quaſi per imprudentiam deliquerint. Martianus Capella *libro* 5. *Imprudentia eſt, cum a voto ſcientiaque noſtra aliquid dimovemus, quae pars error dicitur, atque ei ſubduntur ignoratio, vinolentia*, & inviti. Euripides *Auge*:

Νῦν δ' οἶνος ἐξέστησέ μ', ὁμολογῶ δέ σε
Ἀδικεῖν. τὸ δ' ἀδίκημ' ἐγένετ' ὐχ ἑκούσιον.
Vino coactus nempe feci injuriam
Fateor, ſed illud crimen haud ſpontis meae eſt.

Itaque Plautinus adoleſcens, qui virginis pudicitiam imminuerat, factum per ebrietatem excuſat *in Aulularia, Act.* 4. *Sc.* 7. *v.* 7.

Et cauſa juſta eſt, ſiquidem ita eſt, ut praedicas,
Te eam compreſſiſſe vinolentum virginem.

Et *ibid. ſcen.* 10. *v.* 17. fur improbus, qui conſilium rapiendi ſuſcipit, inquit:

Nam ſi iſtuc jus eſt, ut tu iſtuc excuſare poſſies,
Luce clara deripiamus aurum matronis palam.
Poſt id ſi prehenſi ſumus, excuſemus ebrios nos feciſſe.

Denique levior eſt injuria, quam ebrius intulit, ut ſcribit Demoſthenes *in Midiana*, & ei condonandum, qui temulentia turbulentus principi maledixerit, reſcriptum eſt, *l. un. C. ſi quis Imp. mal.* quaſi de ſtatu mentis ſuae deturbatus non ſatis conſiperet.

Sed tamen verius eſt, τὴν μέθην ἁμαρτητικόν τι περιέχειν, ut eſt in *Stobaeanis Excerptis: Ebrietatem aliquid peccati in ſe habere.* Etſi enim vinum, largius ſumptum, tentet mentem, eſt tamen ebrietas additamentum culpae. Sulpitius Victor *in Inſtitut. orator. Duplicari enim crimen pulſationis crimine ebrietatis.* Apuleji *fab.* 3. *Nam cum a coena me ſerius aliquanto recipe-*

rem

rem; petulcatas alioquin, quod plane verum crimen non diffitebor. Plautus *Trucul. act. 4. ſc. 3. v. 52.*

—— —— —— —— *per tua obſecro*
Genua, ut tu iſtac inſipienter factum ſapienter feras,
Mihique ignoſcas, quod animi impos vini vitio fecerim.
CA. *Non places in mutum culpam confert, quod nequit loqui:*
Nam vinum, ſi fabulari poſſet, ſe defenderet.

Et ebrietas *voluntaria inſania eſt*, Senec. *epiſt.* 83. αὐθαίρετος μανία, Iſidorus Peluſiot. *lib.* 1. *epiſt.* 203. *furoris voluntaria ſpecies*, Ammian. Marcell. *lib.* 15. *c.* 29. B. Chryſoſt. *homil. de reſurrect. Chriſti*: ἑκούσιος μανία μέθη, δαίμων αὐθαίρετος: *Spontaneus furor ebrietas, daemon voluntarius.* S. Baſilius *homil. in ebrietatem & luxur.* Μέθη, ὁ αὐθαίρετος δαίμων ἐξ ἡδονῆς ταῖς ψυχαῖς ἐμβαλλόμενος: *Ebrietas, voluntarius daemon, quem voluptas in animum injicit.* Videtur igitur ebrius, quique mertit in pocula mentem, ſponte deliquiſſe, & culpa neſciviſſe. Auctor *ad Herennium lib.* 2. *cap.* 16. *Nam qui ſe propter vinum, aut amorem, aut iracundiam fugiſſe rationem dicit, is animi vitio videbitur neſciſſe, non imprudentia. Quare non imprudentia ſe defendet, ſed culpa contaminabit.* Ariſtoteles *magnorum Moral. lib.* 1. *cap.* 34. Οἱ γὰρ μεθύοντες, καὶ πράξαντές τι κακὸν, ἀδικοῦσι· τῆς γὰρ ἀγνοίας αὐτοὶ εἰσὶν αἴτιοι· ἐξῆν γὰρ αὐτοῖς μὴ πίνειν τοσοῦτον, ὥστ' ἀγνοήσαντας τύπτειν τὸν πατέρα: *Vino namque ebrii ſi quid mali patrarint, ſine dubio injuriam inferunt: ignorantiae enim ipſi ſibi occaſionem praebuerunt: licebat enim ipſis vino non immergi, ut ignorantes patres caederent.* Alexander Aphrodiſ. ἀπορ. *lib.* 4. 29. Διὰ ταύτην γοῦν τὴν αἰτίαν οὐδὲ τὰ περὶ τὰς μέθας ἁμαρτανόμενα ἀκούσια, καίτοι ὑπὸ ἀγνοούντων γινόμενα. ἀλλ' ἐπεὶ αὐτοὶ οἱ μεθύοντες αἴτιοι τῆς ἀγνοίας τῆς παρὰ τὴν μέθην, οὐκ ἐν τοῖς ἀκουσίοις ἁμαρτανομένοις ταῦτα τίθεται. *Ob eam igitur cauſam, neque ea, quae ebrii admittunt, involuntaria ſunt, licet ab ignorantibus fiant: nam quoniam ipſi ſibi ignorantiae cauſam praebuerant, quae ab ebrietate proficiſcitur, non referuntur inter ea, quae ab invitis fiant.* Adde Nemeſium *de Nat. homin. cap.* 31. Itaque plectendum quidem ebrium exiſtimo, ſi quid deliquerit, ne res omnium contemptiſſima ebrietas, quae labefacere, & imminuere hominum mentes ſolet, impunita diſcedat. Sed an moderatius, & in quantum ebrietas meruit, videndum eſt. Libanius *declamat.* 22. Καὶ γὰρ τις ἐς τινα ἁμαρτάνει τι μέγα, πολλάκις ἀθῷος ἀπῆλθεν εἰς οἶνον καταφυγὼν, ἢ θυμὸν, ἢ προπέτειαν, ἢ λήθην, ἤτοι τοιοῦτον: *Sed enim cum quis in quempiam graviter deliquit, ſaepenumero impune tulit, indemniſque abiit, quod ad vinum, aut iram, aut proterviam, aut oblivionem, aut tale quid confugiſſet.* Theodoretus *in Geneſ. qu.* 59. τὸ δὲ τῆς μέθης ἔχει τινὰ μέμψιν κεκραμένην συγγνώμῃ: *Ebrietas vero nonnullam habet reprehenſionem, venia tamen temperatam.* Arrius Menander in *l.* 6. § 7. *D. de re milit. Per vinum, aut laſciviam lapſis capitalis poena remittenda eſt.* Miles, qui temulentus cuſtodiam ſibi creditam dimiſit, militiam mutat, *l. milites* 12. *D. de cuſt.* Immo Pittaci lege, qui per ebrietatem aliquem pulſaſſet, altero tanto plectebatur, ac ſi ſobrius id commiſiſſet, ut refert Ariſtot. *Politic. lib.* 2. *cap. ult.* Plutarch. *in conviv. ſept. Sapient.* Diogenes Laërt. *in Pitt.* Alexand. Aphrodiſienſis *loco citato.* Verum dura, & aſpera eſt Pittaci lex. Scholiaſtes Baſilic. ex Romano hoc refert: Ὁ φόνος τριχῶς γίνεται, ἢ ἀπὸ μελέτης, ἢ ἀπὸ τύχης, ἢ ἀπὸ μέθης· καὶ ὁ μὲν ἐκ μελέτης ἀσύγγνωστος· ὁ ἀπὸ μέθης, πενταετίας ἐξορισμῷ καθυποβάλλεται· ὁ δὲ ἀπὸ τύχης ἀνεύθυνος: *Homicidium tripliciter fit, vel conſulto, vel caſu, vel ebrietate primo non ignoſcitur; tertius quinquennii relegationi ſubjicitur; ſecundus culpa vacat, lib.* 60. *tit. de ſicar. & venef.* Ad ſummam, ebrietate diſcuſſa, & exhalata vi meri, mitius puniendum eſt, quod male ſobrius admiſit, tanquam ſeceſſu mentis, atque animi facto a corpore. Certe gravius erit animadvertendum, ſi propoſito deliquerit: ut puta, ſi quis ideo vino ſeſe obruerit, ut majore fiducia ſcelus perficeret: cujus rei exemplum exſtat apud Manuelem Palaeologum *oratione* 3. Ἔλεγε γὰρ, ἐπιθυμῆσαι τινα, ἀπὸ θυμοῦ τὸ πρῶτον ἀρξάμενον, εἰς τὸν αὐχὴν μείζονα ἐξυβρίσαι καὶ δεδιὼς τὸ ἰσχυρὸν τἀνδρὸς, οὐκ ἐτόλμα. ἐξεῦρε δὲ ὅπως ἐξοίσει εἰς παραφορὰν ἑαυτὸν, καὶ θρασύτητα ἀκαθεκτον· ἐμφορηθεὶς γὰρ ἀκράτου πολλοῦ, ἐπὶ τῷ τὰς φρένας διαφθαρῆναι, καὶ ταύτῃ γε θράσος λαβεῖν, καὶ τὸ μὲν πρὸ ὑπάρχοντα τιμῇ, ταῖς ὕβρεσιν ἀπεπλήρωσεν, ἔχων δὲ ἀναχώρησιν, τὴν οἰστ' ἀναισθησίαν, εἴτε Βακχείαν φίλον τινὶ λέγειν. πρᾶττειν μὲν τὸ δόξαν ἀδεῶς, παρήνεγκε δὲ πολλῷ πάντα ἐμβρόντητον, καὶ τετυφωμένον: *Quendam enim commemorabat exorſum ab ira cupiiſſe, contumelia majorem ſe virum adficere: cumque viri formidaret potentatum, id non auſum aggredi: tandem inveniſſe rationem, qua raperetur ad inſaniam, & indomitam quandam ferociam: namque vino largiore uſus, ut mentis vim perderet, atque hoc modo ſibi conciliaret audaciam, quo tam ſumma dignitate viro contumeliam inferret, tam effugii loco haberet, ſuam illam ſive ſtuporem, ſive bacchationem quis dicere malit, peregit intrepide, quod decreverat, cum longe quamvis inſanum, atque lymphaticum ſuperaret.* Et ibidem ſcribit Palaeologus, poena eum adfici, qui mentis impos a vino, contumeliam alteri fecerit, tametſi vino ſeſe non oneraverit, ut eo gravis injuriam faceret, damnumve daret.

EXERCITATIO IX.

De delictis impuberum.

QUod infans corrupit, impunitum eſt: quid enim haec aetas committere poteſt animadverſione dignum? Sicut infirma, ita innoxia eſt. Et infans conjungitur furioſo, *l. quod infans* 60. *D. de rei vind. l. infans* 12. *D. ad leg. Cornel. de ſicar.* infans enim non multum a furioſo diſtat, *§. pupillus* 9. *Inſt. de inut. ſtip.* & ſicut furioſi ſentire non dicuntur, *l. Divus* 14. *D. de offic. praeſid. l. ſi tibi* 8. *§.* 2. *D. de opt. leg. l. ſi cum dotem* 22. *§. ſi maritus.* 7. *D. ſol. matr.* ita & infantis nullum eſſe ſenſum, ait Paulus in *l. quamvis* 32. *§.* 2. *D. de adquir. poſſ.* uterque non ſentire dicitur, *l.* 3. *§.* 2. *D. de injur.* conjuncta Graecorum interpretatione: Ἐπεὶ γὰρ ἀπὸ διαθέσεως ἡ ὕβρις συνίσταται, ἀκολούθως λέγομεν τὸν μαινόμενον, καὶ τὸ νήπιον, οἱ καὶ ὑβρίσωσί τινα, ἢ διὰ λόγων ὑβρίσωσι, μὴ κατέχεσθαι, διὰ τὸ δοκεῖν διάθεσιν ἔχειν ὑβρίζοντα μὴ αἰσθανόμενον: *Quia enim injuria ex affectu conſiſtit, conſequenter dicimus, furioſum, & infantem, etiamſi quem pulſaverint, vel cui convicium dixerint, non teneri, quod non videantur affectum habere injuriae faciendae, qui nihil ſentiant, lib.* 60. *Baſil. tit.* 21. Plin. *lib.* 7. *cap.* 50. *Nec reputantur infantiae anni, qui ſenſu carent.* B. Auguſtinus *epiſt.* 57. *Puerorum ſenſus in qualiacumque verba prorumpens, qui certe ad ea, quae majores ſapiunt, pene nullus eſt.* Juſtinianus autem ait, *nullum impuberum animi judicium eſſe*, *§. praeterea* 1. *Inſtit. quibus non eſt permiſſ. fac. teſt.* Paulus: impuberem judicio carere, *l. cum Praetor.* 12. *§.* 2. *D. de judic.* Arnobius *lib.* 2. *adverſus Gentes*: *animam in infantibus ſtolidam* eſſe ait. Alii mentem impuberis ſopitam, B. Auguſtinus *l.* 14. *de Trinit. c.* 14. Fulgentius *lib.* 1. *de verit. praedeſtin.*

In aetate tenera torpet ratio conſopita. Georgius Palamas *declam.* 1. Ὅτε μὲν τὸ σῶμα τὸ παιδικὸν ὑπὸ βρεχμῷ πλαδαρῷ ὑδαρῆ φορεῖ τὸν ἐγκέφαλον, ὡς νήπιον ἀξύνετον φρονῶ: *Quando puerile corpus ſub humido ſincipite cerebrum geſtat aquoſum, ut imprudens infans ſapio.* Verba ſunt Mentis, quae cum corpore colloquitur. Immo Stoici negabant, infantes rationales eſſe. Galenus *de Hippocratis & Platonis placitis:* Τὸ μὲν δὴ μὴ χρῆσθαι λογισμῷ, μήτε τὰ θηρία, μήτε τὰ βρέφη, καὶ πρὸς τῶν περὶ τὸν Χρύσιππον ὡμολόγηται: *Beſtias quidem, & infantes ratione non uti, conſtat inter omnes Chryſippeos.* Item *ibid.* Οὕτω μέχρι τοσούτου φιλονεικίας ἥκουσιν, ὥστε ἐπειδὴ τῆς λογικῆς δυνάμεως ἔφασαν εἶναι τὰ πάθη, τοῖς ἀλόγοις ζώοις μὴ μετέχειν αὐτῶν συγχωρεῖν· οἱ πλεῖστοι δὲ, οὐδὲ τοῖς παιδίοις, ὅτι δηλαδὴ καὶ ταῦτ᾽ οὐδέπω λογικά: *Quiquidem* (Stoici) *adeo contentioſi ſunt, ut quoniam rationalis facultatis eſſe perturbationes dixerunt, eas in mutis animalibus, pluresque etiam in infantibus, quippe qui etiam ipſi nondum rationales ſint, eſſe non concedant.* Adeo ut exiſtimarent, animam inſinuari tantum circa annum decimum quartum, ut tradit Jamblichus in Stobaei *Phyſicis Eclogis.*

Verum haec Stoicorum παραλογίσματα merito jam olim exploſa ſunt, & infantes animam rationalem genere recte aſſertum eſt. B. Gregorius Nyſſenus *de Anima:* Εἰ γὰρ καὶ νομαδικὴ εἶναι δοκεῖ τοῖς βρέφεσιν, ἡ ἄλογος μόνη κίνησις πρόσεστιν, ἀλλὰ ψυχὴν λογικὴν φαμὲν ἔχειν αὐτά. ἐπειδήπερ αὐξανόμενα καὶ τὴν λογικὴν ἀναδεικνύουσιν ἐνέργειαν: *Etſi enim in infantibus ſolus rationis expers motus ineſt, tamen anima rationis compote praeditos eos eſſe dicimus: cum enim adoleverint, rationis uſum declarant.* Quae ipſiſſima verba leguntur apud Nemeſium Gregorii coaetaneum *de Nat. hom. cap.* 2.

Ex Juriſconſultis autem noſtris illi mihi ſapere videntur, qui dicunt, impuberum nondum plenum animi judicium eſſe, ut Ulp. *Reg. tit.* 20. §. *impubes* 12. pupillum nondum ſtabilem mentem adeptum, ut in *l. ult. C. de teſtam. milit.* ut Cicero *pro Cluentio cap.* 4. *Animum adoleſcentis nondum conſilio, ac ratione firmatum.* Infantes igitur ſunt ἀτελεῖς τὴν διάνοιαν, *ſenſu imperfecti,* ut loquitur B. Gregorius Nyſſenus *tract. in Pſalm.* 2. *cap.* 10. οἷς μήπω τὸ φρόνημα πάγιον, *quibus nondum ſolidum judicium eſt,* ut ait Zonaras *ad cap.* 144. *concilii Carthag.* Cum corpore enim augetur & ipſe animus, vel animi vires. Hippocrates *lib.* 1. *περὶ διαίτης, cap.* 5. *in fine:* ἀνθρώπου ψυχὴ ἐν ἀνθρώπῳ αὔξεται: *animus hominis in homine augetur.* Idem *lib.* 6. ἐπιδημιῶν· ἀνθρώπου ψυχὴ ἀεὶ φύεται ἄχρι θανάτου: *Anima hominis ſemper naſcitur uſque ad mortem.* Cujus loci interpretatio veteres Medicos, & Galenum ipſum valde exercuit, *comment. in d. lib.* 6. Euſtathius *ad Odyſſ.* Β. Ἕτεροι δὲ ἐπὶ ψυχῆς τὸν θυμὸν ἐκλαμβάνονται χρώμενοι συνηγόρῳ τῷ Γαληνῷ εἰπόντι ἐν τοῖς εἰς Τίμαιον, ὅτι αὐξανομένῳ τῷ σώματι, συναυξάνονται, καὶ τῆς λογικῆς ψυχῆς αἱ δυνάμεις. λέγει δὲ καὶ Ἡρόδοτος, ὅτι αὐξανομένῳ τῷ σώματι συναυξάνονται καὶ αἱ φρένες: *Alii vero θυμὸν heic accipiunt pro animo, ad patrocinium ſuum Galenum advocantes, qui in Commentariis in Timaeum ait, ut corpore creſcente, etiam creſcere animae rationalis facultates. Herodotus quoque ait, una cum corpore mentes creſcere.* Lucretius *lib.* 3. *v.* 448.

Nam velut infirmo pueri teneroque vagantur
Corpore: ſic animi ſequitur ſententia tenuis.
Inde ubi robuſtis adolevit viribus aetas,
Conſilium quoque majus, & auctior eſt animi vis.

Quod quidem Lactantius perſtringit *de divin. praem. cap.* 12. *Quoniam creſcit,* inquit, *ſenſus in pueris, & in juvenibus viget, & in ſenibus diminuitur, apparet eſſe mortalem.* Stoicos autem non aliud voluiſſe puto, quam infantem nec rationis, nec conſilii participem eſſe ante annum decimum quartum completum; ſic enim Poſſidonius vel omnium maximus Stoicorum ajebat: Μικρὸν μὲν γὰρ τὰ πρῶτα, καὶ ἀσθενὲς ὑπάρχειν τοῦτο (λογιστικὸν) μέγα δὲ καὶ ἰσχυρὸν ἀποτελεῖσθαι περὶ τὴν τεσσαρεσκαιδεκαέτη ἡλικίαν: *Tenuis a principio rationalis facultas, & imbecilla eſt; magna poſtea, ac fortis evadit circa annum decimum quartum,* ut refert Galenus *lib* 5. *de Hippocrat. & Platon. placit.* Diogenes Laertius *in Zenone:* ἀπὸ δεκατεσσάρων ἐτῶν τελειοῦσθαι: *ab anno decimoquarto completur.* Plutarchus *de placit. philoſoph. lib.* 5. *cap.* 24. οἱ Στωϊκοὶ ἄρχεσθαι τοὺς ἀνθρώπους τελειοῦσθαι περὶ τὴν δευτέραν ἑβδομάδα, περὶ ἣν ὁ σπερματικὸς κινεῖται ῥοῦς: *Stoici ſub annum quartum decimum hominem perfici dicunt, in qua etiam aetate vim genitalem habent.*

Jam unde digreſſi ſumus redeamus! Infans non tenetur injuriarum, *d. l.* 3. §. 2. nec vi bonorum raptorum *l.* 2. §. *vi bonorum* 19. *D. vi bon. rapt.* Lege Cornelia nummaria, *l.* 1. *C. de falſ. mon.* Lege Cornelia de falſis *l. impuberem* 22. *D. de lege Cornel. de falſ.* Lege Cornelia de ſicariis: illum enim innocentia & neceſſitas conſilii tuetur, *d. l. infans* 12. ſive *innocens aetatula,* ceu loquitur Prudentius *in agone Romani:* nec injuriam facere creditur. Marcianus in *l. pen. D. de fideicommiſſ. libert. in parvulis nulla deprehenditur culpa.* Aeſchines *epiſtola ad Athenienſes:* ὡς ἀδικήσοντες παῖδες ὄντες: *Injuriam non inferentes, ut laedentes cum pueri ſint.* Itaque impubes nec torquetur, nec graviore poena adficitur, *l.* 1. §. 33. *D. de ſenat. Sillan.* &, ut loquitur Apulejus, *cum venia perniciofus eſt.* Lacedaemoniorum etiam lege, cujus Aelianus meminit, *Variar. lib.* 3. *cap.* 10. τῷ νεαρῷ τῆς ἡλικίας, in delictis venia dabatur.

Videamus autem quemadmodum accipiendum ſit quod dicitur, infantibus ἀναιτίοις οὖσι, poenam non irrogari, ac innocentibus eorum erroribus veniam dari, & quaenam aetas legibus ſit obnoxia. Andiximus infantes ad annum uſque decimum quartum, ut pueros Hippocrates. Galenus *in lib.* 6. *Hippocrates de morb. vulg. com.* 1. παιδία λέγει τὰ μέχρι ἥβης: *infantes appellat uſque ad pubertatem.* Sic Mela Juriſconſultus putabat, puero vel puerae alimenta relicta uſque ad pubertatem deberi, *l. Mela* 14. *pr. D. de alim. leg.* Sed impuberes quoque puniri placet. Baſilica *lib.* 60. *tit.* 39. Οὔτε ὁ μὴ ὢν ἑπταετὴς, οὔτε ὁ μαινόμενος φονεύων ὑπόκειται τῷ περὶ ἀνδροφόνων νόμῳ: *Neque qui ſeptuennis non eſt, neque furioſus, ſi occiderint, lege de ſicariis tenentur.* Gloſſa: ὁ μὲν γὰρ ἔμφαντα, τὸ μὴ ἔχειν πονηρὸν, ἡ βουλὴν τοῦ ἀδικῆσαι ἀπαλλάττεται τῆς τιμωρίας: *Infans enim poena liberatur, quod animum, vel conſilium nocendi non habeat.* Excerpta manuſcripta: Οὔτε ὁ ἔμφαντος, τουτέστιν, ὁ ἑπταετὴς, οὔτε ὁ μαινόμενος φονεύων ὑπόκειται τῷ θανάτῳ: *Nec infans, id eſt, ſeptuennis, nec furioſus, ſi quem occiderint, capite plectuntur.* Sic etiam Michael Attaliotes *tit.* 71. quod tamen ita intelligendum eſt, ut poſt ſeptimum completum impubes puniatur. Graeci: Οἱ πληρώσαντες τὸν ἕβδομον ἐνιαυτὸν ἁμαρτάνοντες τιμωροῦνται: *Qui compleverunt annum ſeptimum, ſi deliquerint, puniuntur.*

Verum infantem, aut etiam infanti proximum doli potentes dici non puto: admodum enim impuberes doli capaces non ſunt, *l. praetor* 3. *D. de ſep. viol.* nam doli capaces tantum creduntur, qui prope pubertatem ſunt, *l.* 4. §. 26. *D. de dol. except.* cum quibus & furti, & Aquilia agi poteſt, *l. impuberem* 23. *D. de furt. l.* 5. §. 2. *D. ad l. Aquil. l. pupillum* 111 *D. de reg. jur.* atque ita Graeci *d. l.* 5. interpretantur, quae ait, infantem Aquilia non teneri, impuberem autem, ſi ſit jam injuriae capax, id eſt, ſi proximus ſit pubertati. Quod quemadmodum accipiendum ſit, diſpiciamus: quibuſdam enim placet, ex annis duodecim id aeſtimandum eſſe. Leo *in Epit. leg. tit. ult. num.* 21. ubi de his, qui cum maſculis nefandam libidinem exercent: *Sin is, qui patitur,* inquit, *minor duodecim annis inventus fuerit, ſine fraude eſto, quum aetas ipſa argumento ſit, neſcire eum, quid patiatur.* Matthaeus Blaſtares: Οἱ ἀσελγεῖς, ὅ τε ποιῶν, καὶ ὁ πάσχων, ξίφει τιμωρείσθωσαν· εἰ μὴ ἄρα ὁ πάσχων ἐλάττων εἴη τῶν δώδεκα ἐτῶν· τοῦτο γὰρ δηλοῖ τῆς ἡλικίας τὸ τοιαῦτα ἀγνοεῖν πάσχοντα. Lex Salica *tit.* 26. *Si quis per* in-

infra duodecim annos aliquam culpam commiſerit, fredus ei non requiratur. Similiter ex anno duodecimo, *ἐν δωδεκαετεῖ*, interdum peccata apud Deum aeſtimari ſcribit Anaſtaſius Sinaïta *quaeſt.* 84. Quidam annum decimum quartum expectandum eſſe tradunt. B. Auguſtinus *lib.* 10. *de Geneſi ad litt. cap.* 13. *Non enim de pueris grandiuſculis agimus, quibus quidem peccatum proprium nolunt attribuere quidam, niſi ab anni quarti decimi articulo, cum pubeſcere coeperint: quod merito crederemus, ſi nulla eſſent peccata, niſi quae membris genitalibus admittuntur.* Cui ſimile eſt, quod ſcribit Papinianus, *Si minor annis adulterium commiſerit, lege Julia teneri, quoniam tale crimen poſt pubertatem incipit, l. ſi minor* 36. *D. ad leg. Jul. de adulter.* ante pubertatem igitur intempeſtivum adulterium dicitur.

Ego vero puto cum impubere doli capace, & pubertati proximo agi poſſe, id eſt, ſi is, qui deliquit, annum agat decimum tertium, ex definitione Servii ad *octavam* Virgilii *Eclogam*: quod ſine dubio Grammaticus habet ex aliquo juris auctore, ut alias utitur Cajo teſte: vel ſi annum decimum tertium compleverit. Atque ita Graeci pubertati proximum interpretantur in *l.* 13. §. 1. *D. de dol. mal. libro* 10. *Synopſ. tit.* 3. vel etiam ſi prope pubertatem ſit, ita ut tantummodo ſemeſtre tempus reliquum ſit, *l. non tantum* 17. *D. de excuſat.* Hi ſunt, de quibus capienda lex duodecim tabularum, qua cavetur auctore Plinio *lib.* 18. *cap.* 3. ut impubes, qui frugem aratro quaeſitam furtim noctu paviſſe, ac ſecuiſſe dicetur, Praetoris arbitratu verberetur. Adde Gellium *lib.* 11. *cap.* 18. & quod ait Libanius *declamat.* 21. Ἀλλὰ παῖδές γε ὦ ἄνδρες δικασταί. τοῦτο δὲ ἐστὶ τοὔνομα τῆς οὐ πάντως ἀναμαρτήτου, καὶ πόῤῥω μέμψεως ἡλικίας. *Verum pueri quidem, judices: hoc autem nomen eſt aetatis, non utique a peccato liberae, & a reprehenſione prorſus alienae.* Atque ita recte Theophilus ad §. 1. *quib. mod. tut. fin.* cum dixiſſet Juſtinianus, deportatione impuberis tutelam finiri, de pubertati proximo id accepit. Ante illam igitur aetatem poterit magiſtratus de poena legitima diſſimulare. Itaque Triumvirorum dirum facinus notat Dio *libro* 47. qui puerum quendam in viros retulerunt, virili toga illi maturata, ut jure poſſet occidi. Non ſolum enim innocentibus annis ſubvenitur, ſed & in ſupplicio eis parcimus: ut puta habena, & ferula caedi poterunt, *l.* 1. §. *impuberi* 33. *D. de ſenat. Silan. habena*, id eſt, σκυτάλῃ. Scholiaſtes Oppiani *Hali.* 1. σκυτάλαις, ἀβενταις λεγομέναις. Theophanes: δι' ἀβεντῶν μαστιγοῦσαι. Quemadmodum autem interdum furoris allegatio non admittitur, Aelianus *variarum lib.* 5. *cap.* 17. ita nec infantiae: ſcribit enim idem Aelianus *d. lib.* 5. *cap.* 16. infantem etiam poena capitis affectum tanquam ſacrilegum: quaſi quae Diis immortalibus injuriae fiunt, in aetatula quoque innocente vindicari debeant.

EXERCITATIO X.

An filiusfamilias imperio patris uxorem ducere cogi poſſit, vel filiafamilias nubere.

F*iliusfamilias uxorem ducere non cogitur, l. non cogitur* 21. *D. de rit. nupt.* quae pertinet ad leges Juliam, & Papiam, ut ejus inſcriptio docet. Filius igitur, qui in ſacris patris eſt, ex mente Jureconſulti, quamvis uxorem non duxerit, non committit in leges. Belle autem quaeritur, an qui legibus ad uxorem ducendam non compellebatur, imperio patris parere cogendus ſit. Eſt enim patria majeſtas inaeſtimabilis, & praecipua poteſtas, quam Theophilus ἄκραν ἐξουσίαν appellat ad §. 1. *de his qui ſui vel al. jur. ſunt.* Pater enim filio magiſtratus, & natura dominus eſt: ſive ut ait Manuël Palaeologus *oratione* 7. Ἄρχων ὁ πατὴρ ἐστὶ τῷ παιδί, καὶ δεσπότης ἐξ αὐτῆς τῆς φύσεως; & ſatis incivile videtur, liberos mandatis parentum obſequi detrectare. Tacitus *Annal. lib.* 3. *cap.* 17. *Patris quippe juſſa non potuiſſe filium detrectare.* Ennodius *declamat.* 10. *Non invenio qua novum facinoris genus explicem novitate ſermonum, quibus fuit ſacrilegium non parere:* de parentibus loquitur, quorum ne nutus quidem impune filius contemnet. Denique parentum nudae etiam preces cum neceſſitate videntur eſſe conjunctae: preces enim ejus, qui jubere poteſt, vim neceſſitatis adferunt, quia quod jubere poteſt, ſuadere dignatur: ipſe pater, cum precatur, blando cogit imperio. Auſonius *epiſt. ad Paulum*: *Juſſum eras, quodque eſt potentiſſimum imperandi genus, rogabat, qui jubere poterat.* Julianus Imper. *orat.* 2. Οἷς γὰρ ἂν ἐξῇ πράττειν, ὅτι ἂν ἐθέλωσι σὺν βίᾳ, ἤτοι δεόμενοι δυσωποῦν, καὶ πείθειν ἀρκοῦσιν: *Quibus enim licet vi facere, quae voluerint; ſi quando orant, exorare, & perſuadere facile poſſunt.* Imo ſi verum amamus, ejus adſenſus explorari non debet, qui velle non creditur: *Nam qui ſunt in alterius poteſtate, quamvis* (verba ſunt Agobardi *in ſerm. de Trinit.*) *volentes agant, quod agant, illius tamen voluntas eſt, a quo & praeparatur, & jubetur, quod volunt.* Et ut uno verbo dicam, filius in poteſtate conſtitutus, *non velle, non nolle de ſuo habet*, ut loquitur Tertullianus *libro de Reſurrect.* Laudatur Abramius, quod patri obſecutus uxorem duxerit, & ejus magis arbitrio, quam ſuo Simeo Metaphraſtes *in Abramio*: Καὶ τὸν ὡς γάμου ζυγὸν καταδέχεται, μόνον τὴν ἐντολὴν καὶ τοῦτο εἰδὼς, τῷ πατρὶ, καὶ μητρὶ πείθεσθαι, ἐπεὶ καὶ πρὸς ἐκεῖνον ἤδη τὴν τιμὴν διαβαίνειν πρὸς ὃν, καὶ ἡ ἐντολὴ, κοινὸς ἐστὶ πάντων, καὶ πρῶτος πατὴρ καὶ δημιουργὸς, καὶ τοῦ εἶναι, καὶ τοῦ ζῆν αἰτιάτος: *Et ſociari conjugio non recuſavit, cum inter divina praecepta hoc quoque numerari ſciret, patri & matri parere, & animadverteret honorem, qui parentibus exhibetur, referri ad eum, qui praecepit, quique eſt communis, & primus omnium pater, & opifex, & ejus quod ſumus, vitaque prima cauſa.*

Verum multa ſunt, quae reclamare videntur. Quid enim ſi turpem, ac deformem ducere jubeatur; filius autem formoſam ſociari conjugio ſuo malit, ὃ τῷ ἀνδρὶ ἥδιον; ut ille ait apud Xenoph. Ἱέρων. 4. quid ſi filiusfamilias nuptiis aptum ſe non eſſe dicat? Seneca *Controverſ.* 1. 6. *Solent, qui coguntur a patribus, ut uxores ducant, illa dicere; Non ſumus etiam nunc apti nuptiis:* perperam enim ad nuptias compelletur, qui nuptias facere non poteſt. Quid ſi coelibem vitam vivere malit? ſumma ratio eſt, quae pro religione facit. Et ideo Baſilii Novella conſtitutione cavetur, ne filiusfamilias uxorem ducere a patre cogatur, Matthaeus monachus *in quaeſtionibus matrimonialibus*; Conſtantinus Harmenopulus *Breviarii lib.* 4. *tit.* 4. §. 25. niſi ſi luxurioſe vivere dicatur, §. 26. *ibid.* Sed & nuptiae conſenſu contrahuntur & diſtrahuntur, *l. ſponſalia* 11. *D. de ſponſal. l.* 2. *l. ſi patre* 22. *D. de rit. nupt. l. nuptias* 30. *D. de R. J. l. neque* 14. *C. de nupt.* Joannes monachus *Gaufridi Ducis Normannorum hiſt. lib.* 1. *Traditur itaque nuptui filia Regis Andegavorum comitis filio: fit ab Epiſcopis mutui conſenſus ſcrutinium: in conſenſu ſiquidem conjugii tota vis, & efficacia conſiſtit: conſenſus etenim conjugium facit.* Quibus conſequens eſt, filium familias jure cogi non poſſe, ut nuptias contrahat, *cap.* 1. *ext. de deſponſat. imp.* quae inter invitos non contrahuntur: & ideo Graeci *dictae legi, neque* 14. ex qua nemo matrimonium contrahere cogitur, ſubjiciunt *legem, nec filium* 12. *C. eod.* ex qui-

In aetate tenera torpet ratio conſepita. Georgius Palamas *declam.* 1. Ὅτε μὲν τὸ σῶμα τὸ παιδικὸν ὑπὸ ὑγρῷ πλαδαρῷ ὑδαρῆ φέρει τὸν ἐγκέφαλον, ὡς νήπιος ἀξύνετος φρονῶ: *Quando puerile corpus ſub humido flaccipite cerebrum geſtat aquoſum, ut imprudens infans ſapio.* Verba ſunt Mentis, quae cum corpore colloquitur. Immo Stoici negabant, infantes rationales eſſe. Galenus *de Hippocratis & Platonis placitis*: Τὸ μὲν δὴ μὴ χρῆσθαι λογισμῷ, μήτε τὰ θηρία, μήτε τὰ βρέφη, καὶ πρὸς τῶν περὶ τὸν Χρύσιππον ὁμολόγηται: *Beſtias quidem, & infantes ratione non uti, conſtat inter omnes Chryſippeos.* Item *ibid.* Οἵγε μέχρι τοσούτου φιλονεικίας ἥκουσιν, ὥστε ἐπειδὴ τῆς λογικῆς δυνάμεως ἔφασαν εἶναι τὰ πάθη, τοῖς ἀλόγοις ζώοις μὴ μετέχειν αὐτῶν συγχωροῦσιν· οἱ πλεῖστοι δὲ, οὐδὲ τοῖς παιδίοις, ὅτι δηλαδὴ καὶ ταῦτ' οὐδέπω λογικά: *Quiquidem* (Stoici) *adeo contentioſi ſunt, ut quoniam rationalis facultatis eſſe perturbationes dixerunt, eas in mutis animalibus, pluresque etiam in infantibus, quippe qui etiam ipſi nondum rationales ſint, eſſe non concedant.* Adeo ut exiſtimarent, animam inſinuari tantum circa annum decimum quartum, ut tradit Jamblichus in Stobaei *Phyſicis Eclogis.*

Verum haec Stoïcorum παραδοξήματα merito jam olim exploſa ſunt, & infantes animam rationalem gerere recte aſſertum eſt. B. Gregorius Nyſſenus *de Anima*: Εἰ γὰρ καὶ παραυτίκα οἷον ἐν τοῖς βρέφεσιν, ἡ ἄλογος μόνη κίνησις πρόσεστιν, ἀλλὰ ψυχὴν λογικὴν φαμὲν ἔχειν αὐτά. ἐπειδήπερ αὐξανόμενα καὶ τὴν λογικὴν ἀναδείκνυσιν ἐνέργειαν: *Etſi enim in infantibus ſolus rationis expers motus ineſt, tamen anima rationis compote praeditos eos eſſe dicimus: cum enim adoleverint, rationis uſum declarant.* Quae ipſiſſima verba leguntur apud Nemeſium Gregorii coaetaneum *de Nat. hom. cap.* 2.

Ex Juriſconſultis autem noſtris illi mihi ſapere videntur, qui dicunt, impuberum nondum plenum animi judicium eſſe, ut Ulp. *Reg. tit.* 20. §. *impubes* 12. pupillum nondum ſtabilem mentem adeptum, ut in *l. ult. C. de teſtam. milit.* ut Cicero *pro Cluentio cap.* 4. *Animum adoleſcentis nondum conſilio, ac ratione firmatum.* Infantes igitur ſunt ἀτελεῖς τὴν διάνοιαν, *ſenſu imperfecti*, ut loquitur B. Gregorius Nyſſenus *tract. in Pſalm.* 2. *cap.* 10. οἷς μήπω τὸ φρόνημα τέλειον, *quibus nondum ſolidum judicium eſt*, ut ait Zonaras *ad cap.* 144. *concilii Carthag.* Cum corpore enim augetur & ipſe animus, vel animi vires. Hippocrates *lib.* 1. περὶ διαίτης, *cap.* 5. *in fine*: ἀνθρώπου ψυχὴ ἐν ἀνθρώπῳ αὐξάνεται: *anima hominis in homine augetur.* Idem *lib.* 6. ἐπιδημιῶν· ἀνθρώπου ψυχὴ ἀεὶ φύεται ἄχρι θανάτου: *Anima hominis ſemper naſcitur uſque ad mortem.* Cujus loci interpretatio veteres Medicos, & Galenum ipſum valde exercuit, *comment. in d. lib.* 6. Euſtathius *ad Odyſſ.* Β. Ἕτεροι δὲ ἐπὶ ψυχῆς τὸν θυμὸν ἐκλαμβάνονται, χρώμενοι συνηγόρῳ τῷ Γαληνῷ εἰπόντι ἐν τοῖς εἰς Τίμαιον, ὅτι αὐξανομένῳ τῷ σώματι, συναυξάνονται, καὶ τῆς λογικῆς ψυχῆς αἱ δυνάμεις. λέγει δὲ καὶ Ἡρόδοτος, ὅτι αὐξανομένῳ τῷ σώματι συναυξάνονται καὶ αἱ φρένες: *Alii vero* θυμὸν *hic accipiunt pro animo, ad patrocinium ſuum Galenum advocantes, qui in Commentariis in Timaeum ait, ut corpore creſcente, etiam creſcere animae rationalis facultates. Herodotus quoque ait, una cum corpore mentes creſcere.* Lucretius *lib.* 3. *v.* 448.

Nam velut infirmo pueri teneroque vagantur
Corpore: ſic animi ſequitur ſententia tenuis.
Inde ubi robuſtis adolevit viribus aetas,
Conſilium quoque majus, & auctior eſt animi vis.

Quod quidem Lactantius perſtringit *de divin. praem. cap.* 12. *Quoniam creſcit*, inquit, *ſenſus in pueris, & in juvenibus viget, & in ſenibus diminuitur, apparet eſſe mortalem.* Stoicos autem non aliud voluiſſe puto, quam infantem nec rationis, nec conſilii participem eſſe ante annum decimum quartum completum; ſic enim Poſſidonius vel omnium maximus Stoicorum ajebat: Μικρὸν μὲν γὰρ τὰ πρῶτα, καὶ ἀσθενὲς ὑπάρχειν τοῦτο (λογιστικὸν) μέγα δὲ καὶ ἰσχυρὸν ἀποτελεῖσθαι περὶ τὴν τεσσαρεσκαιδεκαέτη ἡλικίαν: *Tenuis a principio rationalis facultas, & imbecilla eſt; magna poſtea, ac fortis evadit circa annum decimum quartum*, ut refert Galenus *lib.* 5. *de Hippocrat. & Platon. placit.* Diogenes Laertius *in Zenone*: ἀπὸ δεκατεσσάρων ἐτῶν τελειοῦται: *ab anno decimoquarto completur.* Plutarchus *de placit. philoſoph. lib.* 5. *cap.* 24. οἱ Στωϊκοὶ ἄρχεσθαι τὸν ἄνθρωπον τελειοῦσθαι περὶ τὴν δευτέραν ἑβδομάδα, περὶ ἣν ὁ σπερματικὸς κινεῖται ὀρρός: *Stoici ſub annum quartum decimum hominem perfici dicunt, a qua etiam aetate vim genitalem habent.*

Jam unde digreſſi ſumus redeamus! Infans non tenetur injuriarum, *d. l.* 3. §. 2. nec vi bonorum raptorum *l.* 2. §. *vi bonorum* 19. *D. vi bon. rapt.* Lege Cornelia nummaria, *l.* 1. *C. de falſ. mon.* Lege Cornelia de falſis *l. impuberem* 22. *D. de lege Cornel. de falſ.* Lege Corneliа de ſicariis; illum enim innocentia & neceſſitas conſilii tuetur, *d. l. infans* 12. ſive *innocens aetatula*, ceu loquitur Prudentius *in agone Romani*: nec injuriam facere creditur. Marcianus in *l. pen. D. de fideicommiſſ. libert. in parvulis nulla deprehenditur culpa.* Aeſchines *epiſtola ad Athenienſes*: ὅτε ἀδικήσαντες παῖδες ὄντες: *injuriam non inferentes, nec laedentes cum pueri ſint.* Itaque impubes nec torquetur, nec graviore poena adficitur, *l.* 1. §. 33. *D. de ſenat. Sillan.* &, ut loquitur Apulejus, *cum venia perniciоſus eſt.* Lacedaemoniorum etiam lege, cujus Aelianus meminit, *Variar. lib.* 3. *cap.* 10. τῷ νεωρῷ τῆς ἡλικίας, in delictis venia dabatur.

Videamus autem quemadmodum accipiendum ſit quod dicitur, infantibus ἀνευθύνους εἶναι, poenam non urogari, ac innocentibus eorum erroribus veniam dari, & quaenam aetas legibus ſit obnoxia. Audicemus infantes ad annum uſque decimum quartum, ut pueros Hippocrates. Galenus *in lib.* 6. *Hippocrates de morb. vulg. com.* 1. νήπια λέγει τὰ μέχρι ἥβης: *infantes appellat uſque ad pubertatem.* Sic Mela Juriſconſultus putabat, puero vel puellae alimenta relicta uſque ad pubertatem deberi, *l. Mela* 14. *pr. D. de alim. leg.* Sed impuberes quoque puniri placet. Baſilica *lib.* 60. *tit.* 39. Οὔτε ὁ μὴ ὢν ἑπταετής, οὔτε ὁ μαινόμενος φονεύων ὑπόκειται τῷ περὶ ἀνδροφόνων νόμῳ: *Neque qui ſeptuennis non eſt, neque furioſus, ſi occiderint, lege de ſicariis tenentur.* Gloſſa: ὁ μὲν γὰρ ἔμφαντα, τὸ μὴ ἔχειν σκοπὸν, ἢ βουλὴν τοῦ ἀδικῆσαι ὑπεξαιρεῖ τῆς τιμωρίας: *Infans enim poena liberatur, quod animum, vel conſilium nocendi non habeat.* Excerpta manuſcripta: Οὔτε ὁ ἔμφαντος, τουτέστιν, ὁ ἑπταετής, οὔτε ὁ μαινόμενος φονεύων ὑπόκειται τῷ θανάτῳ: *Nec infans, id eſt, ſeptaennis, nec furioſus, ſi quem occiderint, capite plectuntur.* Sic etiam Michaël Attaliotes *tit.* 71. quod tamen ita intelligendum eſt, ut poſt ſeptimum completum impubes puniatur. Graeci: Οἱ πληρώσαντες τὸν ἕβδομον ἐνιαυτὸν ἁμαρτάνοντες τιμωροῦνται: *Qui compleverunt annum ſeptimum, ſi deliquerint, puniuntur.*

Verum infantem, aut etiam infanti proximum doli potentes dici non puto: admodum enim impuberes doli capaces non ſunt, *l. praetor* 3. *D. de ſep. viol.* nam doli capaces tantum creduntur, qui prope pubertatem ſunt, *l.* 4. §. 26. *D. de dol. except.* cum quibus & furti, & Aquiliae agi poteſt, *l. impuberem* 23. *D. de furt. l.* 5. §. 2. *D. ad l. Aquil. l. pupillum* 111. *D. de reg. jur.* atque ita Graeci *d. l.* 5. interpretantur, quae ait, infantem Aquilia non teneri, impuberem autem, ſi ſit jam injuriae capax, id eſt, ſi proximus ſit pubertati. Quod quemadmodum accipiendum ſit, diſpiciamus: quibuſdam enim placet, ex annis duodecim id aeſtimandum eſſe. Leo *in Epit. leg. tit. ult. num.* 21. ubi de his, qui cum maſculis nefandam libidinem exercent: *Sin is, qui patitur*, inquit, *minor duodecim annis inventus fuerit, ſine fraude eſto, quum aetas ipſa argumento ſit, neſcire eum, quid patiatur.* Matthaeus Blaſtares: Οἱ ἀσελγεῖς, ὅ τε ποιῶν, καὶ ὁ πάσχων, ξίφει τιμωρείσθωσαν· εἰ μὴ ἄρα ὁ πάσχων ἐλάττων εἴη τῶν δώδεκα ἐτῶν· τότε γὰρ ἐνδείκνυσι τῆς ἡλικίας τὸ τοιαύτης ἀναισθησίαν νομίζει. Lex Salica *tit.* 26. *Si quis puer in-*

infra duodecim annos aliquam culpam commiſerit, fredus ei non requiratur. Similiter ex anno duodecimo, *ἐκ δωδεκαέτους*, interdum peccata apud Deum aeſtimari ſcribit Anaſtaſius Sinaïta *quaeſt.* 84. Quidam annum decimum quartum expectandum eſſe tradunt. B. Auguſtinus *lib.* 10. *de Geneſi ad litt. cap.* 13. *Non enim de pueris grandiuſculis agimus, quibus quidem peccatum proprium nolunt attribuere quidam, niſi ab anni quarti decimi articulo, cum pubeſcere coeperint: quod merito crederemus, ſi nulla eſſent peccata, niſi quae membris genitalibus admittuntur.* Cui ſimile eſt, quod ſcribit Papinianus, *Si minor annis adulterium commiſerit, lege Julia teneri, quoniam tale crimen poſt pubertatem incipit, l. ſi minor* 36. *D. ad leg. Jul. de adulter.* ante pubertatem igitur intempeſtivum adulterium dicitur.

Ego vero puto cum impubere doli capace, & pubertati proximo agi poſſe, id eſt, ſi is, qui deliquit, annum agat decimum tertium, ex definitione Servii ad *octavam* Virgilii *Eclogam*: quod ſine dubio Grammaticus habet ex aliquo juris auctore, ut alias utitur Cajo teſte: vel ſi annum decimum tertium compleverit. Atque ita Graeci pubertati proximum interpretantur in *l.* 13. §. 1. *D. de dol. mal. libro* 10. *Synopſ. tit.* 3. vel etiam ſi prope pubertatem ſit, ita ut tantummodo ſemeſtre tempus reliquum ſit, *l. non tantum* 17. *D. de excuſat.* Hi ſunt, de quibus capienda lex duodecim tabularum, qua cavetur auctore Plinio *lib.* 18. *cap.* 3. ut impubes, qui frugem aratro quaeſitam furtim noctu paviſſe, ac ſecuiſſe dicetur, Praetoris arbitratu verberetur. Adde Gellium *lib.* 11. *cap.* 18. & quod ait Libanius *declamat.* 21. Ἀλλὰ παῖδές γε ὦ ἄνδρες δικασταί. τοῦτο δὲ ἐστὶ τοὔνομα τῆς ἡλικίας οὐχ ἁμαρτίας, καὶ πόῤῥω μέμψεως ἐλάσσονος. *Verum pueri quidem, judices: hoc autem nomen eſt aetatis, non utique a peccato liberae, & a reprehenſione prorſus alienae.* Atque ita recte Theophilus ad §. 1. *quib. mod. tut. fin.* cum dixiſſet Juſtinianus, deportatione impuberis tutelam finiri, de pubertati proximo id accepit. Ante illam igitur aetatem poterit magiſtratus de poena legitima diſſimulare. Itaque Triumvirorum dirum facinus notat Dio *libro* 47. qui puerum quendam in viros retulerunt, virili toga illi maturata, ut jure poſſet occidi. Non ſolum enim innocentibus annis ſubvenitur, ſed & in ſupplicio eis parcimus: ut puta habena, & ferula caedi poterunt, *l.* 1. §. *impuberis* 33. *D. de ſenat. Silan. habena*, id eſt, σκυτάλη. Scholiaſtes Oppiani *Halı.* 1. σκυτάλαι, ἀδέσμοι λεγόμεναι. Theophanes: δι᾽ ἀδέσμου μαστιγοῦσαι. Quemadmodum autem interdum furoris allegatio non admittitur, Aelianus *variarum lib.* 5. *cap.* 17. ita nec infantiae: ſcribit enim idem Aelianus *d. lib.* 5. *cap.* 16. infantem etiam poena capitis affectum tanquam ſacrilegum: quaſi quae Diis immortalibus injuriae fiunt, in aetatula quoque innocente vindicari debeant.

EXERCITATIO X.

An filiusfamilias imperio patris uxorem ducere cogi poſſit, vel filiafamilias nubere.

F*iliusfamilias uxorem ducere non cogitur, l. non cogitur* 21. *D. de rit. nupt.* quae pertinet ad leges Juliam, & Papiam, ut ejus inſcriptio docet. Filius igitur, qui in ſacris patris eſt, ex mente Jureconſulti, quamvis uxorem non duxerit, non committit in leges. Belle autem quaeritur, an qui legibus ad uxorem ducendam non compellebatur, imperio patris parere cogendus ſit. Eſt enim patria majeſtas inaeſtimabilis, & praecipua poteſtas, quam Theophilus ἄκρον ἐξουσίαν appellat ad §. 1. *de his qui ſui vel al. jur. ſunt.* Pater enim filio magiſtratus, & natura dominus eſt: ſive ut ait Manuel Palaeologus *oratione* 7. Ἄρχων ὁ πατήρ ἐστι τῷ παιδί, καὶ δεσπότης ἐξ αὐτῆς τῆς φύσεως; & ſatis incivile videtur, liberos mandatis parentum obſequi detrectare. Tacitus *Annal. lib.* 3. *cap.* 17. *Patris quippe juſſa non potuiſſe filium detrectare.* Ennodius *declamat.* 10. *Non invenio qua novum facinoris genus explicem novitate ſermonum, quibus fuit ſacrilegium non parere*: de parentibus loquitur, quorum ne nutus quidem impune filius contemnet. Denique parentum nudae etiam preces cum neceſſitate videntur eſſe conjunctae: preces enim ejus, qui jubere poteſt, vim neceſſitatis adferunt, quia quod jubere poteſt, ſuadere dignatur: ipſe pater, cum precatur, blando cogit imperio. Auſonius *epiſt. ad Paulum*: *Juſſum erat, quodque eſt potentiſſimum imperandi genus, rogabat, qui jubere poterat.* Julianus Imper. *orat.* 2. Οἷς γὰρ ἂν ἐξῇ πράττειν, ὅτι ἂν ἐθέλωσι σὺν βίᾳ, ἥκιστα δεόμενοι δυνατοῖεν, καὶ πείθειν ἀρκοῦσιν: *Quibus enim licet vi facere, quae voluerint; ſi quando orant, exorare, & perſuadere facile poſſunt.* Imo ſi verum amamus, ejus adſenſus explorari non debet, qui velle non creditur: *Nam qui ſunt in alterius poteſtate, quamvis* (verba ſunt Agobardi *in ſerm. de Trinit.*) *volentes agunt, quod agunt, illius tamen voluntas eſt, a quo & praeparatur, & jubetur, quod volunt.* Et ut uno verbo dicam, filius in poteſtate conſtitutus, *non velle, non nolle de ſuo habet*, ut loquitur Tertullianus *libro de Reſurrect.* Laudatur Abramius, quod patri obſecutus uxorem duxerit, & ejus magis arbitrio, quam ſuo Simeo Metaphraſtes *in Abramio*: Καὶ τὸν τοῦ γάμου ζυγὸν καταδέχεται, μίαν τῶν ἐντολῶν καὶ τοῦτο εἰδὼς, τῷ πατρὶ, καὶ μητρὶ πείθεσθαι, ἐπεὶ καὶ προσέκεισο ἤδη τὴν τιμὴν διαβαίνειν πρὸς ὃν, καὶ ἡ ἐντολὴ, καὶ ὅς ἐστι κοινὸς ἁπάντων, καὶ πρῶτος πατὴρ καὶ δημιουργὸς, καὶ τοῦ εἶναι, καὶ τοῦ ζῆν αἰτιάτατος: *Et ſociari conjugio non recuſavit, cum inter divina praecepta hoc quoque numerari ſciret, patri & matri parere, & animadverteret honorem, qui parentibus exhibetur, referri ad eum, qui praecepit, quique eſt communis, & primus omnium pater, & opifex, & ejus quod ſumus, vitaque prima cauſa.*

Verum multa ſunt, quae reclamare videntur. Quid enim ſi turpem, ac deformem ducere jubeatur; filius autem formoſam ſociari conjugio ſuo malit, ὃ τῷ ἀνδρὶ ἥδιον; ut ille ait apud Xenoph. ἑλλην. 4 quid ſi filiusfamilias nuptiis aptum ſe non eſſe dicat? Seneca *Controverſ.* 1. 6. *Solent, qui coguntur a patribus, ut uxores ducant, illa dicere; Non ſumus etiam nunc apti nuptiis*: perperam enim ad nuptias compellitur, qui nuptias facere non poteſt. Quid ſi coelibem vitam vivere malit? ſumma ratio eſt, quae pro religione facit. Et ideo Baſilii Novella conſtitutione cavetur, ne filiusfamilias uxorem ducere a patre cogatur, Matthaeus monachus *in quaeſtionibus matrimonialibus*; Conſtantinus Harmenopulus *Breviarii lib.* 4. *tit.* 4. §. 25. niſi ſi luxurioſe vivere dicatur, §. 26. *ibid.* Sed & nuptiae conſenſu contrahuntur & diſtrahuntur, *l. ſponſalia* 11. *D. de ſponſal. l.* 2. *l. ſi patre* 22. *D. de rit. nupt. l. nuptias* 30. *D. de R. J. l. neque* 14. *C. de nupt.* Joannes monachus *Gaufridi Ducis Normannorum hiſt. lib.* 1. *Traditur itaque nuptui filia Regis Andegavorum comitis filio: fit ab Epiſcopis mutui conſenſus ſcrutinium: in conſenſu ſiquidem conjugii tota vis, & efficacia conſiſtit: conſenſus etenim conjugium facit.* Quibus conſequens eſt, filium familias jure cogi non poſſe, ut nuptias contrahat, *cap.* 1. *ext. de deſponſat. imp.* quae inter invitos non contrahuntur: & ideo Graeci *dictae legi, neque* 14. ex qua nemo matrimonium contrahere cogitur, ſubjiciunt *legem, nec filium* 12. *C. eod.* ex

Digitized by Google

quibus efficitur, ne quidem filiumfamilias invitum cogi poſſe ad uxorem ducendam. Denique utitur jure communi, quo vis omnis inhibetur in conjunctionibus. Quid enim tam contrarium conſenſui, quam patris imperium μεμιγμένον ἀνάγκῃ, *quod cum neceſſitate conjunctum eſt?* Euſtathius *ad Iliad. α.* Ἰστέον δὲ ὡς τρεῖς εἰσὶ τρόποι καθ' οὓς ἐξίσταταί τις τῆς οἰκείας βουλήματος· ἢ γὰρ πειθόμενος, ἢ ἀπατώμενος, ὅπερ ὁ ποιητὴς παρελεύσεσθαι λέγει, ἢ ὅπως ἐν τῷ κελεύεσθαι: *Sciendum eſt, tres eſſe modos, quibus quis velle non creditur: vel enim perſuaſus eſt, vel circumſcriptus, vel quid facere juſſus.* Dio Coccejus 44. Ἔς τε γὰρ τὰς μάχας ἐθελονταὶ (εἴγε ἐθελοντὰς τοὺς ἀναγκασθέντας φόβῳ καλεῖν δεῖ) ᾖλθον: *Volentes ibant ad praelia, ſiquidem is velle dici debet, qui metu cogitur.* B. Auguſtinus *libro de duabus animabus: Voluntas*, inquit, *eſt animi motus cogente nullo ad aliquid, vel amittendum vel adipiſcendum.* Idem *lib. 3. de libero arbitrio, cap. 3. Voluntas igitur noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate.* B. Chryſoſtomus *homil. 38. in Joan.* τὸ γὰρ θέλειν ἐξουσίας: *velle poteſtatis eſt*, ſive voluntas ex arbitrio procedit. Damaſcenus *contra Manichaeos:* αὐτεξούσιον δὲ, ὅτι μὴ ἐξ ἀνάγκης: *liberum eſt, quod ex neceſſitate non proficiſcitur.* Eſt enim voluntas, αὐτεξούσιος ὄρεξις, *liber, & omni vinculo ſolutus appetitus*, ut ait idem Damaſcenus *homilia de Sabbato S.* Immo ſi Philoſophorum ſchola intranda eſt, filiusfamilias cogi non poterit, ſicut nec alius quiſquam velle cogitur. Ariſtoteles *Ethicorum Nicomach. lib. 10. cap. ult.* Ἡ μὲν οὖν πατρικὴ πρόσταξις, οὐκ ἔχει τὸ ἰσχυρὸν, οὐδὲ τὸ ἀναγκαῖον: *Paternum imperium neque vim habet, neque neceſſitatem.* Heliodorus Pruſaeus *in paraphraſi:* Τὰ μὲν οὖν τῶν πατέρων πρὸς τοὺς παῖδας προστάγματα τὴν ἰσχὺν οὐχ οὕτω μεγάλην ἔχουσιν, ὥστε βιάζεσθαι: *Et patrum quidem praecepta in liberos non ita vim magnam habent, ut cogere eos poſſint.* Cicero *lib. 3. de Offic. cap. 30. Quaſi vero forti viro vis poſſit adhiberi.* Marcus Antoninus *lib 11.* λῃστὴς προαιρέσεως οὐ γίνεται, τὸ τοῦ Ἐπικτήτου, *Nemo voluntatis praedo eſt, ut ait Epictetus.* Arriani ſcilicet *lib. 3. cap. 22.* adde eundem *lib. 1. cap. 17.* & *lib. 4. cap. 5.* Lucianus *in Dialog. meret.* Οὐδὲ νῦν γεγάμηκεν, ἀλλὰ καταναγκαζόμενος, καὶ βιαζόμενος ἐξενήνοχε: *Neque nunc uxorem duxit, ſed cum* (a patre) *cogeretur, & vim prope pateretur, tamen recuſavit.* Et recte igitur dicetur, καὶ τοὺς πατρονομίας ἀναγκαις ὑποκειμένους: *etiam paterno imperio obnoxios*, ut idem loquitur in Demoſthenis *encomio*, cogi non poſſe: nulla ſiquidem vi cujusquam voluntas, & animi propoſitum expugnari poteſt.

Sed etſi filiusfamilias matrimonium quidem contrahere velit, non tamen cum ea, quam pater deſtinavit, ei quoque diſſentiendi facultas conceſſa eſt, ut non obſcure ſignificat *d. l. ſi patre 22.* ac per hoc, quam voluerit, accedente patris conſenſu, ducere ei conceditur, *l. nec filium 12. C. de nupt.* Quintilianus *declamat.* 376. *Uxorem, inquit, non ducis quam volo. Quid tam? neſcis noſtri arbitrii eſſe matrimonia? affectus noſtri vobis non ſerviunt. Non poteſt efficere imperio, ut vel amem quam velis, vel oderim: matrimonium vero tum perpetuum eſt, ſi mutua voluntate jungitur. Cum ergo quaeratur mihi uxor ſocia thori, vitae conſors, in omne ſeculum mihi eligenda eſt: alioquin, quid proficis invitum cogendo? repudiabo.* Adde ejusdem *declamat.* 257. & Caſſiodor. *variar. lib. 7. epiſt.* 40. Terent. *in Andr. act. 1. ſc. 5. v. 3.*

— — — *nonne oportuit*

Praeſciſſe me ante? nonne prius communicatum oportuit?

Ad quem locum Donatus: *Quia nuptiarum*, inquit, *non omnis poteſtas in patre eſt.* Eugraphius: *Conſtat enim circa nuptias eſſe filiis liberam voluntatem: ideo ſervata tamen pietatis communicatum oportuit.*

Quid ergo, ſi filiusfamilias uxorem patre cogente duxerit, quam non duceret, ſi ſuae ſpontis eſſet? utique matrimonium contraxiſſe intelligetur: hoc enim maluiſſe videtur, *d. l. ſi patre 22.* Hoc eſt, cogi quidem non poteſt, ſed ſi cogi patiatur, aliquo genere voluiſſe creditur: eique objici poterit Terentii illud *in And. act. 4. ſc. 1. v. 34.*

— — — *tu coactus tua voluntate es.*

Eſt enim quaedam mera voluntas, & quaedam remiſſa, ſive coacta, quae etiam voluntas eſt. B. Hieronymus *epiſtola ad Gerontiam: Aliud eſt, quod vult Apoſtolus, aliud quod cogitur velle.* B. Auguſt. *libro ſingulari ad Marcellin. de Spir. & litt. Neque enim dici ſolet quiſpiam voluntate feciſſe, ſi quod fecit invitus: quanquam ſi ſubtilius advertimus, etiam quod quiſque invitus facere cogitur, ſi facit, voluntate facit: ſed quia mallet aliud, ideo invitus, hoc eſt, nolens facere dicitur.* Idem *lib. 1. contra Gaudentium cap. 25. Quod autem vobis videtur invitos ad virtutem non eſſe cogendos, erratis, neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei, qui eos volentes facit, dum coguntur inviti.* Simplicius *in Epictetum:* Ἀδύνατον ποιῆσαί τι μὴ πρότερον ἐπινεύσαντα πρὸς τὸ ποιῆσαι. Et mox: διὸ καὶ ἄκοντες ποιῶμεν, ἀλλ' αἱρούμεθα, ὅμως καὶ οὕτως ποιεῖν: *Nec quicquam a te fieri intelligi poteſt, niſi prius aſſenſus fueris te facturum: quare licet inviti agamus, tamen ſic agere eligimus.* Sicut ille ſponte ſequi dicitur, qui terga revinctus ſequi compellitur, ut eſt apud Maximum Tyrium *diſſertat. 3.* Καὶ ὥσπερ φαμὲν, ἕλκουσιν οἱ βόες τὴν ἅμαξαν, καὶ τὸ ἄροτρον· οὐ γὰρ ἑκούσῃ γνώμῃ ταῦτα σύρουσιν, ἀλλ' ὑπὸ ἀνάγκης: *Et quemadmodum dicimus, ducunt boves plauſtrum & aratrum: non enim ſponte haec trahunt, ſed vi neceſſitatis*; quae verba Maximi philoſophi Scholiaſtes Euripidis exſcripſit *ad Oreſtem.* Publicae igitur utilitatis cauſa filius maluiſſe videtur, & matrimonium contraxiſſe, ἑκὼν, ἀέκοντί γε θυμῷ, ut loquitur Homerus, *ultro & invitus*, quem deinde auctorum plerique imitati ſunt Adamantius *Phyſiognomicῶν*, *lib. 1.* Libanius *declam. 16.* Heliodorus *Aethiop. lib. 1.* Nonnus *paraphraſ. Evang. Joan.* Julianus Imp. *orat. 2.* Simplicius *loco citato.* Euſtathius *ad Iliad. δ.* Δῆλον γὰρ ὡς πολλάκις μὴ προηγησαμένης προαιρέσεως γίνεταί τι, ὃ πῆ μὲν ἐθέλομεν, πῆ δ' οὔ. οὕτω καὶ οἱ τὰ φορτία ἐν κλύδωνι ἀποβάλλοντες, πῶς μὲν ἄκοντες δρῶσι τῷ δέει τοῦ κινδύνου. πῶς δὲ ἑκόντες ἵνα γὰρ σωθῶσι, καὶ ἑκόντες μὲν ἀποβάλλουσιν, ἄκοντες δὲ ζημιοῦνται: *Conſtat autem non praecedente voluntate plerumque aliquid fieri, quod partim volumus, partim autem nolumus. Sic qui merces projiciunt laborante nave, genere quodam inviti id faciunt, ob metum nimirum praeſentis periculi: & quodammodo volentes, nimirum ut ſaluti conſulant: & volentes quidem dejiciunt, inviti autem damnum patiuntur.* Quae quidem Euſtathius exſcripſit ex antiquo Homeri Scholiaſte. Et cum hoc ἐναντιοφανὲς non ſatis concoqueret Tryphon grammaticus, ſic Homeri verſum legebat: καὶ γὰρ ἐγὼ σοὶ δῶκα ἑκὼν, ἀέκοντί γε θυμῷ: *Ego tibi dedi volens, & invito animo.*

Videamus, an ſequior ſexus ſequioris etiam ſit conditionis: quod quidem prima facie negari poſſe videtur. Priſcus *in Eclogis Legationum:* οὐ γὰρ θέμις παρὰ Ῥωμαίοις ἄκουσαν γυναῖκα κατεγγυᾶσθαι ἀνδρί: *Nefas enim eſt apud Romanos mulierem invitam deſpondere viro.* Sed profecto pudicitiae periculum & mulierum animi mobiles ſuadent, *faciendum id eis, quod parentes imperant*, ut eſt in Plauti *Sticho act. 1. ſc. 1. v. 53.* Qua tamen in re diſtinguendum videtur: aut enim filia in patris poteſtate eſt, aut ſui juris. Filiamfamilias contradicere non poſſe ſcribit Graecus interpres *lib. 28. Baſil. tit. 1.* Σημείωσαι ὅτι ἡ μὲν θυγάτηρ ἐκ μόνων τῶν εἰρημένων αἰτιῶν ἀντιλέγειν δύναται τῷ πατρὶ βουλομένῳ αὐτὴν κατεγγυῆσαι, ὁ δὲ υἱὸς, αἰδιακρίτως, καὶ πάσης αἰτίας ἐκτὸς ἀντιλέγειν δύναται τῷ πατρί· ἄκων γὰρ οὐκ ἀναγκάζεται ὁ ὑπεξούσιος λαβεῖν γαμετήν: *Nota, filiam ex ſupradictis tantum cauſis a patre diſſentiri poſſe: filium autem indiſtincte, & extra illas etiam cauſas; filiusfamilias enim uxorem invitus ducere non compellitur.* Emancipatam autem cogi etiam poſſe tradit Graecus interpres ad *l. viduae 18. C. de Nupt.* his omnino verbis: Δῆλον ἐκ τούτου, ὅτι τῷ πατρὶ ἐναντιοῦσθαι οὐ δύναται.

ται, εἰ μὴ ἄρα κατὰ τὸ κείμενον ἐν τῷ *de dotibus* μονοβίβλῳ, ἀνάξιον ποι τρόποις ἄνδρα βούλεται αὐτῇ συνάψαι, ἢ αἰσχρόν: *Manifeſtum eſt ex eo, quod patri contradicere non poteſt, niſi ut eſt in libro ſingulari de dotibus, moribus indignum, aut turpem ei virum matrimonio conjungere pater velit.* Movetur ex eo, quod in Baſilico ita ſcriptum ſit: Ἡ ἐλάττων τῶν εἴκοσι πέντε ἐτῶν αὐτεξουσία, μέλλουσα δευτερογαμεῖν, γνώμῃ τοῦ πατρὸς γαμείσθω: *Mulier minor annis 25. quae ſui juris eſt, ſecundo nuptura ex ſententia patris nubat.* Rectius autem interpres alius ad *l.* 20. *eod.* putat, ipſius quoque filiae emancipatae conſenſum explorandum eſſe, aliter quam in nuptiis filiaefamilias. Ejus verba appoſui fugientibus, & exeſis fere literis in Regio codice exarata. Baſilicus ait: Ἐὰν αὐτεξουσία ἐστὶν ἡ ἀφῆλιξ, οὐ μόνον τῇ βουλῇ τοῦ πατρὸς πιστεύομεν, ἀλλὰ καὶ τὴν αὐτῆς τῆς κόρης ἐπιζητοῦμεν προαίρεσιν: *Si minor ſui juris ſit, non ſolum voluntati patris nuptias committimus, ſed & ipſius puellae adſenſum deſideramus.* Interpres: Εἴσω κοινῇ γνώμῃ, καὶ τὸν πατέρα, καὶ αὐτὴν συναινεῖν εἰς τὸν γάμον. μᾶλλον δὲ καὶ ἡ κ. διάταξις κατὰ ταύτην ὀφείλει νοεῖσθαι. σημειῶσαι δὲ ὅτι ἡ παροῦσα διάταξις κατά τι παραχαράττει τὴν ιη. τὴν διάταξιν, μάλιστα δὲ ἑρμηνεύει αὐτήν. ἐκείνης γὰρ εἰπούσης μὴ γαμεῖσθαι τὴν αὐτεξουσίαν ἀφήλικα χωρὶς γνώμης πατρός, ἠδύνατό τις λέγειν, ὅτι μᾶλλον ὡς ἐπὶ τῆς ὑπεξουσίας, οὕτω καὶ ἐπὶ τῆς αὐτεξουσίας λέγομεν. ἀλλ' αὐτὴ ἡ διάταξις ἐκείνην ἑρμηνεύουσα, λέγει τὰ ἐν τῷ βασιλικῷ κείμενα: *Ita ut ſimul, & patrem & filiam nuptiis conſentire oporteat. Itaque conſtitutio* 18. *potius ſecundum hanc intelligenda eſt. Nota autem hanc conſtitutionem nonnihil dictam conſtitutionem immutare: nam cum illa dixiſſet, minorem, quae eſt ſui juris, non nupturam ſine conſenſu patris, poterat quis dicere: imo vero, quod de filiafamilias diximus, idem quoque de filia, quae ſua eſt, dicemus. Sed haec conſtitutio illam interpretans, dicit ea, quae ſunt in Baſilico.* Ait igitur ex eo, quod in 18. *conſtitutione* ſcriptum ſit, mulierem ſui juris conſtitutam ex ſententia patris nubere, dici potuiſſe, idem jus ſtatui in filia ſui juris, quod in filiafamilias, id eſt, illius adſenſum non magis explorari, quam filiaefamilias, ſed in *d. l.* 20. apertius contineri, filiae emancipatae conſenſum requiri, aliter, quam in filiaefamilias nuptiis, quae tunc diſſentire tantum poteſt, cum turpem, vel moribus indignum ſponſum ei pater eligit. Et hanc inter filiamfamilias, & emancipatam differentiam adſtruunt quidam ex Latinis, ut refert Gloſſa ad *l. ſed quae patris* 12. *D. de ſponſal.* Certe filiamfamilias cogi poſſe, argumento eſt *d. l. non cogitur* 21. quaſi contraria ratione filiafamilias cogi poſſit nubere, quia per ſe imbecilla res eſt femina. Denique, filiofamilias diſſentiente, ſponſalia nomine ejus contrahi non poſſunt, *l. filiofam.* 13. *D. de ſponſal.* hoc eſt, filio quidem familias omnimodo diſſentiendi a patre licentia conceditur, ſed ejuſmodi facultas filiae conceſſa non eſt. Sponſalibus quidem filiamfamilias conſentire oportet, ſed quae patris voluntati non repugnat, conſentire creditur, *l. ſponſalia* 11. *& l. ſeq. eod.* & quae tacet, conſentire videtur. Concilium Chalcedonenſe *actione* 1. ὁ μεγαλοπρεπέστατος Πατρίκιος εἶπεν. ἐν αὐτῷ σιωπᾶν, συγκατατίθεσθαι φαίνονται: *Magnificentiſſimus Patricius dixit: in hoc ipſo quod tacent, conſentire monſtrantur.* B. Gregorius Nazianzenus 2. *de Pace.* S. Baſilius *in octavum cap. Iſaiae in pr.* Diſſentire autem tunc ſolum poteſt cum indignum moribus vel turpem ſponſum ei pater eligit, *d. l. ſponſalia* 11. *& l. ſeq.* Quintilianus igitur rhetorice magis, quam juridice, *declamat.* 259. *Abdicari propter matrimonium non poteſt: paulo fortior recuſaret etiam nubere, niſi cui voluiſſet.* Sane illo caſu patri non eſſe parendum placet Philoſophis apud A. Gellium *Noct. Attic. lib.* 2. *cap.* 7. Turpem vero ſponſum intelligemus, infamiae, & turpitudinis macula adſperſum: honeſtioris perſonae decore, & jure privatum: non eum, qui ſpecioſus, ἢ εὐειδὴς non ſit, quem etiam turpem appellamus. Lucianus *in Charidemo:* Μόνους γοῦν τοὺς μὴ καλοὺς ὀνομάζομεν αἰσχρούς: *Solos eos, qui pulchri non ſunt, turpes vocamus.* Ut ex diverſo honeſtum pro pulchro poni nemo, opinor, ignorat. Moribus autem indignum accipiemus, talem moribus, ut diſſentiendi puella juſtiſſimam rationem habeat. Denique vita, & moribus imparem. Et perperam igitur Matthaeus monachus, *legem, ſed quae patris* 12. *D. de ſponſal.* in Graecum ſermonem convertit hoc modo: Τότε δὲ μόνον ἀντιλέγειν δύνανται οἱ ὑπεξούσιοι, ὅτε τοῖς τρόποις ἀνάξιον, καὶ αἰσχρὸν αὐτοῖς μνηστεύονται οἱ γονεῖς· Ὑπεξουσίων enim verbo tam filius, quam filia intelliguntur. Conſultius autem Baſilica *lib.* 28. *tit.* 1. & Harmenopulus *breviarii lib.* 4. *tit.* 1. §. 6. Τότε δὲ μόνον ἀντιλέγειν δύναται (ὑπεξουσία) ὅτε τοῖς τρόποις ἀνάξιον, καὶ αἰσχρὸν αὐτῇ μνηστεύονται: *Tunc autem tantum diſſentire poteſt, cum moribus indignum, vel turpem ei ſponſum pater eligit.* Utique enim eo loci, ni fallor, Juriſconſultus filiumfamilias a filia ſeparare voluit, ut ſupra dictum eſt: & cuſtodite videntur auctores loqui ſeparatim de filio & filia, *d. l.* 11. *& ſeq.* Non obſtat, *Nov.* 115. *cap.* 3. §. *alicui* 11. ubi dicitur, juſtas iraſcendi cauſas patrem habere, ſi filia patri, volenti eam in matrimonium collocare, non conſenſerit, ut turpiter, & luxurioſe viveret: hoc enim ita accipiendum eſt, ut pater quidem filiam, morem ei gerere nolentem, potuerit cogere, ſed patriam poteſtatem non exercuerit. Denique parens, qui pudori filiae dulciſſimae proſpicit, jure civili vim neceſſitatis adferre poteſt, licet perquam durum videatur: & ideo malim Heliodori ſcriptoris elegantiſſimi ſententiam, quam ſummi juris duritiem amplecti. Εἰ μὲν γὰρ ἔδει τῷ τῆς ἀρχῆς ἀποχρήσασθαι νόμῳ, πάντως ἐξήρκει μοι τὸ βούλεσθαι· βιάζεσθαι γὰρ οἷς ἔξεστι, τὸ πυνθάνεσθαι περιττόν. εἰ δὲ γάμος τὸ γινόμενον, τὸ καὶ ἀμφοτέρων βούλημα, συνετὸν ἀναγκαῖον: *Si enim imperii lege abutendum eſſet, utique mihi velle ſuffeciſſet: quibus enim vim facere licitum eſt, percunctari ſupervacuum eſt. Sin autem matrimonium contrahendum ſit, utrumque conſentire par eſt.* Sed & ſi filia maluerit in inuxora virginitate permanere, καὶ τὴν ὑψηλὴν πολιτείαν conſectari, puto non temere cogendam ad nuptias, ut in filiofamilias religioſiſſima Baſilii Macedonis Novella lege ſancitum eſſe, ſupra commonuimus.

Certe non magis filiam cogi poſſe, quam filiumfamilias non immerito dices ex Philoſophorum diſciplina. Sed eam vim intelligunt auctores noſtri, quae non tamen animo, quam corpori fieri videtur: & quantumvis filia nolit, ſi quidem meram voluntatem ſpectes, tamen hoc ipſo, quod tacet, conſentire creditur: & vis paterna, ſi filia nominatim non contradicet, non efficiet, quin filia maluiſſe intelligatur.

EXERCITATIO XI.

An conſenſus matris patre praemortuo in nuptiis filii deſideretur.

Non ſatis eſt, eos, qui coëunt, conſentire, ſed etiam neceſſarius eſt eorum adſenſus, quorum in poteſtate ſunt, *l.* 2. *D. de rit. nupt.* Euſtathius *ad Odyſſ.* 2. Χρήσιμον δὲ εἰς θέλημα πατρικὸν ἐπὶ γάμῳ τὸ, ὡς αὐτὸς ἐκδώσεται θυγατέρα, *id quod ait, ut ipſe dotet filiam, docet parentis conſenſum in filiae nuptiis neceſſarium eſſe.* Seneca *Controverſ. libro* 3. *c.* 5. *Appellare de nuptiis debui patrem.* In tantum, ut juſſum parentis praecedere debeat, ut ait Juſtinianus *de Nupt. in princ.* Εἰ δὲ μετὰ

Digitized by Google

μετὰ ϑ γάμον ὁ πατὴρ συναινέσει, ἀπὸ τότε, καὶ οὐκ ἄνωθεν, ὁ γάμος βεβαιοῦται, ὡς ἐςὶ γνῶναι ἐκ τ͂ ε'. ϑέμ. τ͂. ιγ. διγ. τ͂ ς'. τιτ. τ͂ μη'. βιβ. παρόμοιον βιβ. ε'. τ͂ κωδ. τ. δ. ut ajunt Graeci ad *l.* 2. *D. de rit. nupt. lib.* 28. *Baſil. tit.* 4. *Si vero pater poſtea conſentiat, ab eo tantum tempore nuptiae convaleſcunt, ut diſcere eſt ex* §. 6. *legis* 13. *tit.* 5. *lib.* 48. *cui ſimile eſt. quod legitur libro* 5. *Cod. t.* 4. ante patris igitur ratihabitionem nuptiae non ſunt, *l. dotis* 68. *D. de jur. dot.* nec ratihabitio retrotrahitur, ut ait Auctor *Enantiophan.* ad *d. l.* 68. Ἔκτοτε καὶ οὐκ ἄνωθεν ὁ γάμος βεβαιοῦται, καίτοιγε ἡ ῥατεχαβιτίων ἑαυτὴν ἀνακλᾷ, καὶ ἐξ ἀρχῆς κυροῖ τὸ γεγονός. ἀλλὰ δεῖ εἰπεῖν, ὅτι εἰκὸς ἐπὶ τ͂ γάμου μὴ ἀνακλᾶσθαι, ὡς ἐπὶ ἑτέρα θέματος εἴρηται, βιβ. γ. τ. α. διγ. ιγ. & ut, ajunt Graeci: ἔρρωται ὁ γάμος ἐξ ἀποτελέσματος. Nec mutat *l.* 5. *C. de nupt.* ex qua recte non colligitur, patris conſenſum id efficere, ut liberi retro procreati legitimi fiant, ſi poſtea conſenſerit: ſed potius, patrem tacite conſentire videri, ſi reſciverit filium cogitare de nuptiis, nec evidenter contradixerit, ut recte Theodorus ad *d. l.* 5. Φησὶ δὲ καὶ, inquit, ἡ ε'. Διάταξις τ͂ παρόντος τίτλου, ὅτι δοκεῖ συναινεῖν ὁ πατὴρ τῷ γάμῳ, ἐὰν μόνον μὴ ἐναντιῶται. Similiter in *l.* 6. *C. de nupt.* Si Praeſes provinciae in ea mulierem ea conſentiente duxerit, interim quidem matrimonium non conſiſtit; ſed ſi mulier poſt depoſitum officium in eadem voluntate perſeveraverit, juſtae nuptiae efficiuntur, & liberi poſtea concepti, natique legitimi ſunt. In Baſilico ſic habetur: Οἱ μετὰ ταῦτα τικτόμενοι παῖδες. At in τῷ κατὰ πόδας: συλληφθέντες, καὶ τεχθέντες: *concepti, natique.* καὶ φησὶν ὁ Θαλέλαιος σημειοῦσαι· δηλοῖ γὰρ, ὅτι εἰ, πρὶν ἀποθῆται τὸ ὀφφίκιον, συλληφθῶσιν, ἐκ παρανόμων γάμων δοκοῦσιν εἶναι; ut ibi adnotatur. Ergo qui, antequam officium deponeret, concepti ſunt, ex ſententia Thalelaei illegitimi ſunt. Cum Graecis ſentit Cujacius V. Cl. *in Not. poſterior. ad Inſtitut. de Nupt.* Non inficior quidem, id perquam durum eſſe, ut ex eadem conjunctione alii ſint liberi juſti, alii injuſti: nam & liberi ex concubinatu ſuſcepti legitimi fiunt, & eodem jure cenſentur cum his, qui poſtea nati ſunt, *l.* 10. *C. de nat. lib.* ſed ita poſtulabat Romanae diſciplinae dignitas, ne quid e parentum ſumma poteſtate deliberetur. In quaeſitis autem ex concubinatu illud ſervari placuit, quia concubinatus eodem jure non erat illegitima conjunctio, ut non immerito liberi juſti fierent, accedente matrimonii dignitate, & maritali adfectione. Parentum igitur juſſum praecedere debet: *Nam hoc fieri debere, & civilis, & naturalis ratio ſuadet*, ut ait idem Juſtinian. ὁ νόμος, καὶ ἡ φύσις κελεύει, ut loquitur Lucianus *in pat. encom.* & naturalis quidem, propter pietatem, quae parenti debetur, qui vitae, luciſque beneficium praeſtitit: ὅς τ͂ ζῆν, καὶ σώζεσθαι παρέσχε τὰς ἀρχὰς, ut ait Ariſtides: *qui vitae & ſalutis initium praebuit.* Hic honor parentibus debetur a liberis, quos, ut ait Xenophon. 2. *ἀπομν.* Οἱ γονεῖς ἐκ μὲν οὐκ ὄντων ἐποίησαν εἶναι, τοσαῦτα δὲ καλὰ ἰδεῖν, καὶ τοσούτων ἀγαθῶν μετασχεῖν, ὅσα οἱ θεοὶ παρέχουσι ἀνθρώποις: *Cum antea non eſſent, parentes effecerunt, ut exiſterent, atque ut tot res praeclaras cernerent, totque bonorum participes fierent, quot hominibus dii ſuppeditant.* Civilis autem, propter ſummam in liberos poteſtatem, cum patri lex Regia dederit in filios vitae, neciſque poteſtatem, Papinianus apud *collatorem Moſaici & Romani juris, tit.* 3. Sopater *in Hermogenem:* ἐξῆν πατρὶ ὄντι τοὺς παῖδας ἀποκτείνειν: *Licebat patri liberos occidere.* Caeterum ſi filius, filiave-familias inconſulto patre nuptias contraxerint, juſtum non erit matrimonium, *l.* 18. *D. de rit. nupt. l.* 7. *C. de nupt.* οὐκ ἔρρωται ὁ γάμος, *matrimonium non valet*, ut vertunt Baſilica: non eſt matrimonium, ſed πορνεία, *fornicatio*, D. Baſilius *epiſtola* 1. *ad Amphilochium, can.* 42. ad quem vide Zonaram. Nec tamen contractae ſolventur, publicae utilitatis reſpectu, Paul. *lib.* 2. *receptar. ſentent. tit.* 19. Formula vetus ſecundum legem Romanam: *Viventibus patribus inter filiosfamilias ſine voluntate eorum matrimonia non legitime copulantur, ſed contracta non ſolvuntur*, quae ſunt veteris Scholiaſtae verba *ad Paulum.* Et merito igitur *imperfecta lex dicetur, quae vetat aliquid fieri, &, ſi factum ſit, non reſcindit*, ut ait Ulpianus, *Regularum tit.* 1. §. 2. vel etiam, ut ait Tertullianus, divinae & humanae ſapientiae callentiſſimus, 1. *adverſus Marcionem: Tacite permiſſum eſt, quod ſine ultione prohibetur.* Jure Francico matrimonium non infirmatur, ſed juſta cauſa exheredationis eſt, niſi perfectae aetatis ſint. *Sententiam, neceſſitate cenſuſam! paret, & tacet. diſſimulat, & animadvertit*; ut ejuſdem Tertulliani verbis utar. Parentum autem heic utriuſque ſexus non accipimus, quia mater liberos in poteſtate non habet §. *feminae* 10. *Inſt. de adopt.* quod mihi videtur Euſtathius ſignificare, *Ismeniae & Ismenes quinto:* Οὐκ ἐξουσία πατρὸς, οὐ μητρὸς πειθὼ οὐδ᾽ εἰ τὴν ἀφροδίτην ἀγάγωνται: *Non poteſtas patris, non ſuadela matris ipſam etiam Venerem mihi deſtinarint*; quaſi mater ſuadere tantum poſſit, non cogere.

Verum, quia pietas aequa matri debetur, *l.* 4. *D. de curat. fur.* & omnibus parentibus una reverentia ſervanda eſt, fortaſſe defendi poteſt, matris quoque conſenſum deſiderari. Cyrus apud Xenophontem, *παιδ.* 8. Βούλομαι δὲ, ἔφη, σὺν τῇ τ͂ πατρὸς γνώμῃ καὶ τῇ τ͂ μητρὸς, ταῦτα σοι συναινέσαι: *Volo autem in his de ſententia patris, ac matris tibi adſentiri.* Catullus, *eleg.* 58. *in fin.*

At tu ne pugna cum tali conjuge virgo.
Non aequum eſt pugnare, pater cui tradidit ipſe.
Ipſe pater cum matre, quibus parere neceſſe eſt.
Virginitas non tota tua eſt: ex parte parentum eſt.
Tertia pars matri data; pars data tertia patri;
Tertia ſola tua eſt.

Cyrillus Alexandrinus *Glaphyrorum in Geneſ. lib.* 4. Ὁ δὲ ϑ τ͂ φύσεως νόμον ἐποιεῖτο παραχρῆμα τ͂ πρέποντος βραβευτὴν, καὶ ϑ ἀνεβίλητον τῇ μητρὶ γάμου παραιτεῖσθαι προσέταξε τῷ υἱῷ: *Hic vero naturae legibus convenienter, ut a nuptiis, quae matri ſane diſplicerent, abſtineret, praecepit.* Certe ſi pater praemortuus ſit, matris conſenſum expectari debere nominatim cavetur lege Wiſigothorum, *lib.* 3. *tit.* 1. §. 7. his omnino verbis: *patre mortuo, utriuſque ſexus filiorum conjunctio in matris poteſtate conſiſtat.* Filius igitur, in gremio, ac ſinu matris educatus, qui nuptias matre nolente contrahet; haſcine gratias bonus filius matri rependet ob datam vitam, ob tot annorum alimonias?

Ex diverſo, matris conſenſum non deſiderari certiſſimi juris eſſe filius contendit: *filius enim emancipatus etiam ſine conſenſu patris uxorem ducere poteſt, l. filius* 25. *D. de rit. nupt.* tametſi minor ſit annis viginti quinque. Errat enim Accurſius, qui *dictam legem* ſic accipit, quaſi filio emancipato majori viginti quinque annis uxorem ſine conſenſu patris liceat ducere, non etiam minori. Eidem errori ſeſe Conſtantinus obligavit *breviarii lib.* 4. *tit.* 4. §. 13. ſic enim *d. legem* in Graecum convertit: Ὁ αὐτεξούσιος τέλειος ἄγων ἡλικίαν, καὶ χωρὶς συναινέσεως τ͂ πατρὸς γαμεῖν δύναται: *Filius emancipatus ſi perfectae aetatis ſit, etiam ſine conſenſu patris uxorem ducere poteſt.* Et Matthaeus monachus eundem errorem hauſit, *in quaeſtionib. matrimonialib.* Nam perfectam aetatem pro 25. ann. uſurpari pluſquam manifeſtum eſt, §. *ult. Inſtit. de fiduc. tut.* Aliud juris eſt in virgine emancipata, aut etiam vidua: conſtat enim eis intra quintum, & viceſimum annum conſtitutis, & patris, & earum adſenſum explorari, *l. viduae* 18. & *l. in conjunctione* 20. *C. de nupt.* quod etiam obſervant Graeci ad *l.* 10. *D. de ſponſalib. lib.* 28. *Baſil. tit.* 1. Μὴ νόμιζε δὲ ὅτι ὥσπερ αὐτεξουσίας γενομένης ἀναγκαία τ͂ πατρὸς ἡ συναίνεσις, οὕτω καὶ αὐτεξουσίου γαμοῦντος· ὁ γὰρ αὐτεξούσιος καὶ δίχα τ͂ τ͂ πατρὸς συναινέσεως καλῶς συναλλάττει γάμον: *Noli exiſtimare, neceſſarium eſſe conſenſum*

patri

Digitized by Google

patris in nuptiis filii emancipati, ſicut in nuptiis filiae emancipatae: ille enim ſine patris conſenſu recte quoque nuptias contrahit. S. Baſilius *epiſt. canon.* 3. ἡ ἐν τῇ χηρείᾳ ἐξουσίαν ἔχουσα ἑαυτῆς, συνοικοῦν ἀνέγκλητος, εἰ μηδείς ἐστιν ὁ διασπῶν τὸ συνοικέσιον: *Quae in viduitate ſui poteſtatem habet, & connubio jungitur, ab omni occaſione libera eſt, ſi nemo eſt, qui conjugium divellat:* id eſt, ſi nulli ſint, qui illam in poteſtate ſua habeant; pater nimirum, aut avus, qui etiam matrimonium dirimere poſſunt, niſi in illud conſenſerint. Zonaras *ibid.* qua de re locus eſt elegans apud Euſtathium *ad Odyſſeam ſecundam:* Τὸ δὲ, ᾧ πατὴρ κέλεται, καὶ ἁνδάνει αὐτῷ, πρὸς ἀκρίβειαν ἐῤῥέθη πολιτικήν· οὐ γὰρ δουλικῶς ὁ πατὴρ τῇ θυγατρὶ τὰ τοιαῦτα κελεύσει, ἀλλ᾽ αἱρήσεται καὶ αὐτή. σημείωσαι δὲ ὅτι καὶ πρὸ ὀλίγον ἐν τῷ, δότω δ᾽ ᾧ κ᾽ ἐθέλῃ, καὶ οἱ κεχαρισμένος ἔλθῃ, διὰ τὸν θυγατέρα, ἵνα λέγῃ, καὶ ὃς. ἂν τῇ Πηνελόπῃ χαρίεις δόξει: *Hoc autem, quod ait, cui pater juſſerit, & ipſi placuerit, dictum eſt ſecundum meram rationem civilem: non enim ut ſervis praecipi ſolet, jubebit pater, ſed ipſa etiam eliget. Nota ergo ubi paulo ante dictum eſt (det vero, cui voluerit) reſpectu patris dici: illa autem (& placuerit ipſi) reſpectu filiae, quaſi diceret, qui Penelope placebit.* Poſt annum autem quintum & viceſimum feminae, quae ſui juris ſunt, patris non exſpectant arbitrium: immo nec juſta patris erit indignatio, ſi filiaefamiliarum inconſulto patre nupſerint, aut etiam peccaverint, *Nov.* 115. *cap.* 3. §. 11. qua *d. legis* 20. initium abrogatur: filia enim in ſacris patris poſita, debebat arbitrium patris expectare: ideoque pars illa legis non eſt in Baſilicis. Pater igitur de ſe quaeri debet, quod filiam domi marceſſere paſſus ſit. *An ſedere oportuit domi virginem tam grandem?* πᾶσι γὰρ ἀνθρώποις αἴσχιστον δέδοκται, καὶ νὴ Δία ἐστὶ, παρὰ τὸν φύσεως χρόνον θυγάτηρ οἰκουρεῖσα: *Omnibus enim hominibus peſſimum viſum eſt, & per Jovem ita eſt, ſi praeter naturae tempora filia domi ſedeat.* Phalaris, aut Lucianus *epiſt.* 143. Gemara Sanhedrin *cap.* 9. *Ne proſtituas filiam tuam, at illam ſcortari facias. R. Eliezer, id in eum convenit, qui filiam collocat vetulo. R. Akiba, in eum, qui domi retinet filiam nubilem.* Itaque ſi filius emancipatus jure ſuo, & citra parentis auctoritatem nuptias contrahit, fortius dicetur, etiam ſine conſenſu matris nuptias filium contrahere poſſe, quod pater, licet filium emancipaverit, quaedam tamen priſtinae poteſtatis veſtigia, & auctoritatis reliquias retinere videtur. Ea ratione licet pater emancipato filio non jure tutorem det, *l.* 3. *D. de confirm. tit.* tamen confirmatur ſine inquiſitione: datus autem a matre cum inquiſitione, *l.* 1. §. 1. & 2. *eod.* quia mater nunquam habuit in poteſtate. Denique pater impuberi filio jure poteſtatis pupillariter ſubſtituit, non mater, *l.* 2. *D. de vulg. & pup.* filius adquirit patri, non matri. Seneca *lib.* 7. *de Benef. cap.* 4. *Omnia patris ſunt, quae in liberorum manu ſunt.* Non inficiatur quidem filius, matris conſenſum interdum neceſſarium eſſe. Sed hac in re ſeparandos eſſe mares a feminis conſtat: id eſt, ſi pater deceſſerit, filius quidem pubes nullius expectat arbitrium: filia vero matris, & propinquorum, *l. filia* 20. *C. de inoffic. teſtam. d. l.* 18. & *d. l.* 20. Sic enim editor Codicis Theodoſiani, & Baſilica *lib.* 28. *cap.* 4. Conſtantinus Harmenop. *Epitom. lib.* 4. *tit.* 7. §. 12. interpretantur, ut nimirum in *d. l. viduae* 18. verſ. *quod ſi*, ponamus, patrem diem ſuum obiiſſe: ſic enim ibi legitur: εἰ δὲ ἐτελεύτησεν ὁ πατὴρ, γνώμῃ τῶν συγγενῶν: *Si vero pater deceſſerit, ex ſententia cognatorum.* Quod ſi impubes puella ſit, tutoris quoque conſenſus exquiritur, *l.* 1. *C. de nupt.* non quod impubes jure nubat: ſed quaſi viripotens eſſet, de nuptiis agitur: quod autem impubes ſit, exploratur conſenſus tutoris, & nuptiae in tempus pubertatis conferuntur, ſive ut ait Thalelaeus ad *d. l.* 1. Περὶ ἀνήβου κόρης νοητέον, ἵνα χρῆναι, λαβῇ ἡ περὶ τῶν ἐπιτρόπων ζήτησις, οὐχ ἵνα ἄνηβος οὖσα γαμηθῇ, ἀλλὰ περὶ μόνου τοῦ αὐτὴν μετὰ τὸ ἡβῆσαι ἀγαγέσθαι, ὡς οἱ ἔφηβος ᾖ. De tutoris auctoritate Philo περὶ τῶν ἐν εἴδει νόμων. Quod ſi ipſi invicem diſſentiant, judex partes ſuas interponet, & in pari cauſa judicium matris ſequetur. Tit. Liv. *lib.* 4. *cap.* 9. *Poſtulatu audito matris, tutorumque, magiſtratus ſecundum parentis arbitrium dant jus nuptiarum.* B. Auguſtinus *ep.* 233. *Fortaſſis enim, quae nunc non apparet, apparebit & mater, cujus voluntatem in tradenda filia omnibus ut arbitror natura praeponit: niſi eadem puella in ea jam aetate fuerit, ut jure licentiore ſibi eligat ipſa, quod velit.* Quod ſi in viri delectu, puellae aut viduae voluntas, matris & propinquorum repugnet ſententiae, & pares erunt moribus, & forte naſcendi petitores, is potior habebitur, quem ſibi mulier delegerit. Denique ſi filia utroque parente orba ſit, & cultu verecundiae voluntatem ſuam coram propinquis depromere nolit, judex prout aequius, melius ei videbitur, jus nuptiarum dabit, *d. l.* 18 & 20. Non enim eſt virginalis pudoris eligere maritum, ut ex Euripide docet B. Ambroſius *libro de Abrah. cap. ult.* quoniam ipſum nuptiarum nomen bene moratis, & indelibatis virginibus ſanguinem diffundit. Homer. *Odyſſ.* 3. Αἴδετο γὰρ θαλερὸν γάμον ἐξονομῆναι πατρὶ φίλῳ: *Pudebat enim ipſam floridas nuptias nominare.* Quibus verbis notat Euſtathius, Σώφρονος παρθένου ἦθος δηλοῦσθαι: *Pudicae virginis mores deſcribi, ſignificarique.* Ariſtenaetus *lib.* 1. *epiſt.* 10. Καὶ ἡμίφωνος καταλέλοιπε λέξιν ἐπ᾽ ἐσχάτῳ κειμένην, ἅτε διαμνημονεύσασα γάμον, ὃν σεμνὴ παρθένος, κἂν ἑτέρων λεγόντων, ἐρυθριάσει: *Semivocalis obmutuit, quippe nuptiarum mentio incidiſſet, quas etiam aliis commemorantibus erubeſcit pudica virgo.* Theon. παραδειγμ. χρεία α᾽. Τίς γὰρ οὐκ οἶδεν, ὅτι δεῖται μὲν γυναικὸς ἀνὴρ κατὰ τὸν Ἡσίοδον, αὐτοὶ δ᾽ οἱ γαμεῖν μέλλοντες ἐρυθριάσειαν ἂν ὑπὲρ τοῦ γάμου διαλεγόμενοι: *Quis enim ignorat, viro opus eſſe uxore, ſecundum Heſiodum? ipſi autem nuptias contracturi, pudore perfunderentur, ſi de iis verba facienda eſſent.* Nec obloquitur quod antea dicebatur, matris etiam adſenſum requiri, prolatis in eam rem auctoribus ex ultima antiquitate: naturalem enim rationem, & pietatem parentibus debitam ſequi videntur, non meram juris civilis rationem, ex qua liberi patris imperio, non matris arbitrio reguntur. Wiſigothorum autem leges juris auctoritate non cenſeri, indubitatum eſt. In ſumma matris requiri judicium in filiae nuptiis, legibus cautum eſt, *d. l.* 20. ſed nulla lege mater filii nuptias impediet, aut divellet.

RECITATIO SOLEMNIS PRO CATHEDRA VACANTE,

Sive

EXERCITATIO XII.

Ad L. Tranſigere 18. *C. de Tranſaction.*

Principes utriusque Senatus Illuſtriſſimi, Senatores Clariſſimi, Anteceſſores Eruditiſſimi, caeterique Auditores Ornatiſſimi.

NEſcio, quo fato mihi contigit, ut Curatores Academiae noſtrae poſt vicennium, quod erudiendae ſtudioſae legum juventuti impenderam, publicae mihi diſputationis onus imponerent una cum his, qui cathedram ambiunt a prima proximam: videbam enim liberalium ſtudiorum Profeſſores poſt annum viceſimum Comitivam olim praemii loco meruiſſe, & quietem ſtudiis ſuis impetraſſe. Quid facerem? de fati iniquitate conquererer? imo laetus, lubens onus ſubeo, munus amplector, & manum cum hoſte conſero, ſed ut ille apud Comicum, *in Equit.* τῇ γλώττῃ πολεμιζων: *lingua pugnaturus.* Ejusdem opinor fati decreto juſſus ſum a vobis *de Tranſactione* diſputare, quae ſolet eſſe diſſidiorum finis, ut a pactione nomen pacis deduci placet auctoribus noſtris. Denique, ubi caeteri conquieſcunt, & emeritis fruuntur, ad dicendum ſurgendum eſt mihi: & ubi caeteris litium finis eſt, ibi mihi contentionis initium eſt. Agamus igitur quod agimus, & tot arbitris, praeſtanti dignitate atque eruditione viris, de juris articulo longe difficili, qua poterit interpretandi ſubtilitate diſſeramus.

Tranſactionem non eſſe contractum, ſed pacti ſpeciem, dudum probavit ſummus juris interpres ad *l. juriſgentium* 7. *D. de pact.* ex *l. contractus* 17. *C. de fid. inſtrum.* ſi modo veterum codicum lectionem ſequamur, quam etiam confirmant Baſilica *lib.* 22. *tit.* 1. his verbis: Ἡ διάταξις κελεύει, τὰς πράσεις, καὶ ἐναλλαγὰς, καὶ δωρεὰς ἐλάττω τῶν φ. νν. καὶ δόσεις ἀῤῥαβῶνων, καὶ πάντα τὰ ἐγγράφως γινόμενα συναλλάγματα, καὶ τὰς ἐγγράφως διαλύσεις, ἐὰν μὴ εἰς καθαρὸν ἀποχθῶσι, καὶ ὑπογραφῶσι παρὰ τῶν μερῶν, &c. Eſt autem tranſactio, ἀμφιβαλλομένου πράγματος τομὴ, *rei dubias deciſio*, ut definit Harmenopulus, *Epitomarum libro* 1. *tit.* 10. §. 4. ex *lib.* 11. Βασιλικ. *tit.* 2. *cap.* 1. vel litis, aut rei dubiae pactitia deciſio, *l.* 19. & *l.* 33. *h. t.* id eſt, mutuo partium conſenſu facta. Hinc decidere pro tranſigere poſitum in *l.* 3. §. 1. *D. ad leg. Falcid.* Baſilica: ἐὰν διαλυσάμενος. Scholiaſtes: κατὰ διάλυσιν χρέα ἀποκόψῃ. Vel, ut plenius definiamus: eſt conventio, qua lis incerta, praeſens, vel futura, vel res aliqua dubia, aliquo dato, retento, vel promiſſo dirimitur: litem enim eſſe oportet, & quidem incertam, *l.* 1 *D. eod.* ſive dubiam, *l. praeſes* 12. *h. t.* eſt autem lis incerta, cujus incertus, & dubius eſt eventus propter rei, ſeu litis ambages, & ancipitem rationum circumſtantiam: quanquam &, citra ſinuoſae quaeſtionis periculoſum exitum, aliqua ſolent eſſe fata cauſarum. Petronius *cap.* 14. *In ambiguam litem deſcendere.* Symmachus 7. *epiſt. ad incerta litis attrahitur.* Iſidorus Peluſiotes *epiſt.* 104. *lib.* 5. Ἄδηλον γὰρ τὸ πέρας· καὶ πολλοὶ μυρίοις ἀχυρωμένοι δικαίοις, ὡς οὐδὲν ἔχοντες ἰσχυρὸν, ἐπλήθησαν: *Incertus eſt enim exitus, & multi infinitis rationibus ſubnixi quaſi parum firmo jure niterentur, victi ſunt.* Litem inquam exigimus,, vel certe metum litis, *l.* 2. *h. t.* non modo lis praeſens, ſed & imminens juſta cauſa tranſigendi eſt: & ideo tranſactio rata non eſt, ſi remiſſum ſit id, quod indubitate deberi poterat, *d. l. praeſes* 12. Denique tranſactio eſt de cauſa, vel lite, *l. cauſas* 16. Cauſa eſt hypotheſis, ex qua actio eſſe poteſt, ut ſcribit Cujacius, interpretum praecipuus, ad *l.* 1. *D. de in integr. reſtit.* edoctus, opinor, ab Harmenopulo, *d. t.* 10. §. 10. qui cauſam hypotheſim vertit, in *d. l.* 16. ut caeteri Graeci, *Baſil. d. lib.* 11. *tit.* 1. rectius, quam hi, qui cauſam a lite non diſtinguunt. Iſidorus *Originum lib.* 18. *cap.* 15. *Cauſa eſt materia, & origo negotii, necdum diſcuſſionis examine patefacta.* Speciem videtur Ulpianus in *l.* 18. §. 1. *D. de minor.* pro lite dixiſſe. Sed & fruſtra de re judicata tranſigitur, quia lis finita eſt: tranſactio enim non fit, niſi de re nondum finita, *l.* 1. *D. eod.* Res vero dubia eſt, cujus eventus in incerto eſt; puta, ſi tranſactum ſit de conditionis incerto, *l.* 1. *ſupra de pact.* & *l. de fideicommiſſo* 11. *C. h. t.* Poſtremo dixi, tranſactionem fieri aliquo dato, retento, vel promiſſo, ex *l. cum ea* 21. & *l. tranſactio* 38. *h. t.* Pſellus *Synopſ. LL. verſu* 1158.

> Ὁμολογίας δ' ἄνευθεν, ἢ δόσεως πραγμάτων
> Διάλυσις οὐκ εἴωθε προβαίνειν κατὰ νόμους.
> *Tranſactio abſque promiſſione, vel datione non ſolet procedere.*

Ex quibus intelligimus, quid inter pactum, & tranſactionem interſit. Tranſactio enim fit de re incerta; pactum autem etiam de re certa, & indubitata, donationis cauſa: Σύμφωνον μὲν ἐστιν ὁμολογουμένου χρέους συγχώρησις· διάλυσις δὲ ἀμφιβαλλομένου χρέους συμβιβασμός: *Pactum eſt conventio de debito certo, atque indubitato: tranſactio vero de jure incerto,* ut ajunt Graeci; veluti pactum de non petendo debito, *l.* 1. *D. eod.* quae uti dudum obſervatum eſt, ita legenda eſt, ut ſcilicus apponatur poſt dictionem, *cauſa*, non poſt verbum, *paciſcitur*: hoc eſt, ut qui paciſcitur donationis cauſa, differat ab eo, qui proprie tranſigit, qui nunquam gratuito, & donationis cauſa tranſigit. Vellem autem, Conſtantinus Harmenopulus in *d. tit.* 10. §. 14. non omiſiſſet vocem φιλοτίμως, quae exſtat in Baſilicis, *d. c.* 1. quae res interpreti Conſtantini fraudi fuit, cum exiſtimavit, quemlibet paciſcentem rem certam & indubitatam, donationis cauſa, remittere: cum hoc tantum voluerit Juriſconſultus, donationis cauſa paciſcentem, rem certam, & indubitatam liberalitate, id eſt, gratuito, & φιλοτίμως remittere. Sic ergo diſtinguendum, & vertendum: Ὁ δὲ συμφωνῶν κατὰ δωρεὰν, πρᾶγμα δῆλον, καὶ ἀναμφίβολον φιλοτίμως συγχωρεῖ: *Qui vero paciſcitur donationis cauſa, rem certam, & indubitatam gratuito remittit.* Michael Pſellus *verſu* 1151.

> Σύμφωνον κατὰ δωρεὰν δήλων ἐστὶ πραγμάτων·
> Τῶν ἀμφιβόλων δὲ ἐστιν ἡ διάλυσις λύσις.
> *Pactum donationis cauſa fit de rebus certis: tranſactio vero eſt rerum incertarum, ac dubiarum deciſio.*

Atque haec proſpexiſſe ſufficiat! Nunc *legis ipſius* interpretationem aggredimur, quae dividitur in duas partes. Primae partis regula haec eſt: de crimine capitali tranſigere, vel paciſci licere. Ei regulae ſubjicitur exceptio: de adulterio, tametſi capitale ſit, tranſigere, aut paciſci non licere. Secundae partis regula haec eſt: de crimine non capitali tranſigere non licere. Ei quoque regulae ſubditur exceptio: de crimine falſi, licet non capitale ſit, tranſigere licere. Excutiamus verba ſingula! Capitalia crimina dicuntur, quae ultimo ſupplicio reos afficiunt, §. 2. *Inſtit.*

Inſtit. de public. jud. τουτέστιν, ἀπώλεια τῆς ψυχῆς, ut ibi Theophilus, & Graecus Scholiaſtes *ad hanc legem:* id eſt, *animae amiſſione*, ut §. 3. *eod.* ſic loquuntur Latini & Graeci. Lucanus *lib.* 4. *v.* 796.

Non tuis afflictis animam producere rebus.

Oecumenius *in epiſtolam Judae*: εἴπομεν γὰρ ἤδη, ὅτι ψυχὴν πολλάκις, καὶ τὴν ζωὴν εἴωθε καλεῖν ὁ θεῖα γραφή: *Jam diximus in Scriptura ſacra, animam ſaepe pro vita poni ſolere.* Hinc capitalis ſententia. Julius Firmicus, *Matt. lib.* 3. *cap.* 5. *Contra eum capitales ſententiae proferuntur: aut eum beſtiis objicitur, aut per praecipitia jactatur.* Et morbus capitalis, Gellius *lib.* 16 *cap.* 13. id eſt, aegrotatio gravis, & θανατώδης. Recte autem Theophilus ultimum ſupplicium interpretatur animae, ſeu vitae, amiſſionem: *ultimum enim ſupplicium, ſolam mortem interpretamur*, *l. ultimum* 21. *D. de poen.* quoniam ſumma, ultima, extrema poena eſt, & ſupplicium extremum, quod exigi poteſt. Lycurgus *adverſus Leocratem*: Τὸ μὲν γὰρ μέγιστον, καὶ ἔσχατον τῶν τιμημάτων, θάνατος: *Mors enim ſumma, & ultima poenarum eſt.* Lyſias: Μέχρι γὰρ τούτου νομίζω χρῆναι κατηγορεῖν, ἕως ἂν θανάτου δόξῃ τῷ φεύγοντι ἄξια εἰργάσθαι· ταύτην γὰρ ἐσχάτην δίκην δυνάμεθα παρ' αὐτῶν λαβεῖν: *Mors eſt extrema poena, quae ſumi poteſt.* Sed & capitalia crimina dicuntur, quae reos afficiunt aquae, & ignis interdictione, ſeu deportatione, vel metallo, *d.* §. 2. *l. edicto* 13. *D. de bonor. poſſ.* Graeci ibidem: Κεφαλικὴ ἐστὶ καὶ ἡ ἐπάγουσα πολιτείας ἔκπτωσιν, ὁποία ἐστὶν ἡ δηπορτατίων. Gloſſae juris Vaticanae nondum in lucem editae: Κεφαλικὰ μὲν λέγομεν, ἃ τῇ ἐσχάτῃ ὑποβάλλει τιμωρίᾳ τὸν ἐναγόμενον, τουτέστιν, ἀπωλείᾳ τῆς ψυχῆς, ἢ τῷ περιορισμῷ: *Ex quibus poena mors eſt, vel deportatio: Per has enim poenas eximitur caput e civitate*, ut ait Jureconſultus in *l.* 2. *D. de public. judic.* Imo deportatio morti comparatur, *l.* 1. §. *pen. D. de bonor. poſſeſſ. cont. tab.* Philo Jud. *de Abrahamo*: Οἱ νομοθέται τὴν δευτερεύουσαν θανάτου τιμωρίαν κατὰ τῶν ἐπὶ τοῖς μεγίστοις ἑαλωκότων ὁρίζοντες φυγήν: *Legiſlatores graviorum criminum reos exilio puniunt, quod eſt ſecundarium mortis genus.* Denique capitalis cauſa dicitur, quae damnatis irrogat infamiam, *l. licet* 103. *D. de verb. ſignificat.* Theodorus Hermopolites ms. ad *l.* 131. *D. eod.* Ὅταν ἐπάγῃ τινὶ ἀτιμίαν ἀπό τινος ἁμαρτήματος, τότε λέγεται ἡ ποινὴ κεφαλική: *Cum his propter aliquod delictum infamia notatur, poena dicitur capitalis*; quo ſenſu Gloſſae veteres, *capitalem*, exponunt, ἀτιμωτικόν: eſt enim infamia quaſi capitis deminutio. Suidas: ἀκέφαλος, ἄτιμος. Hinc Tertullianus *ad Nationes cap.* 10. *famoſum, & deminatam caput*, dixit. In qua igitur ſignificatione capitale crimen heic accipiemus? De ea quidem re non conveniebat inter Graecos interpretes. Heros Eudoxius de crimine etiam, cujus poena eſt inſulae deportatio, capiendam legem putabat. Heros Patricius de eo tantum, cujus poena mors eſt: ut conſtat ex hoc Scholio ad *hanc legem*: Ἡ διάταξις αὕτη τὴν τοῦ Ἥρωος πατρικίου ἑρμηνείαν ἐδέξατο. καὶ γὰρ ὁ Ἥρως Εὐδόξιος λέγει, ὅτι, ἐπὶ μὲν πάντων τῶν κεφαλικῶν, καθ' οἷς δηπορτατίονα, ἤγουν ἐξορίαν, καὶ τοῖς μέταλλον ἔχουσι τὴν τιμωρίαν, ἔξεστι διαλύσασθαι. ὁ δὲ Ἥρως πατρίκιος ἔλεγεν, ὅτι ἐπὶ τῶν δι' αἵματος ἐχόντων τὴν καταδίκην ἔξεστι διαλύσασθαι. αὕτη δὲ ἡ διάταξις, τῶν δι' αἵματος ἐχόντων τὴν καταδίκην προφανῶς ἐδέξατο, καὶ ἐβεβαίωσεν τὴν τοῦ Πατρικίου παράδοσιν. Recte! nam & verba conſtitutionis ſuadent, capitale crimen ut accipiamus, pro mortali, & ſanguinario, id eſt, eo, quod poenam ſanguinis ingerit. Sic Graecus interpres ad *l.* 10. *C. ad leg. Jul. de adult.* ſcribit ex *l* 18. *C. de tranſact.* licere, *de criminibus, quae poenam ſanguinis inferunt, tranſigere*: ἐπὶ τῶν δι' αἵματος ἐγκλημάτων διαλύσασθαι. Per contrarium non capitalia crimina dicuntur, quae poenam ſanguinis non ingerunt. Graeci ad *l.* 1. §. 3. *D. de calumniat.* ἐφ' ὧν οὐκ ἔξεστι διαλύσασθαι τῶν μὲν ἀτιμωτικῶν, καὶ μὴ δι' αἵματος ἐκδικουμένων. Denique tranſigere, vel paciſci conceſſum eſt de crimine capitali, id eſt, ex quo poena mors eſt, quae poena capitis dicitur in *l. relegati* 4. *D. de poen.* atque ita poena capitalis opponitur deportationi, *l. pen. C. de bon. proſcript. l. ubi* 22. *C. ad leg. Cornel. de falſ.* & *l. ult. C. ſi re. vel. accuſ. mort. fuer.* ad quam Thalelaeus Graecorum interpretum doctiſſimus recte notat, capitalem poenam ibi eſſe poenam ſanguinis: τὴν δι' αἵματος ἐσομένην κεφαλικήν, *lib.* 60. *Baſilic. tit.* 56. eamque interpretationem adjuvat vetus verſio Gallica, quam ex manu deſcripto codice referemus ad ſecundum legis noſtrae partem. De crimine, inquam, capitali, tranſigere, vel paciſci licet: verbi cauſa, de crimine majeſtatis, quod ſummum. & principale crimen eſt, tranſigere licet, ut ſcribit Cujacius *Obſerv. lib.* 6. *cap.* 11. de quo tamen non conſtat inter juris interpretes. Sed Cujacius Graecos ſequitur, qui in ea ſententia ſunt, *Baſilic. lib* 60. *tit.* 26. *in fine.* περὶ καθοσιώσεως, ἐφ' ᾧ καὶ ἔξεστι διαλύσασθαι: *De crimine majeſtatis, de quo etiam tranſigere licet.* Movebat, quod aliter ſuadere videbatur publicae diſciplinae vigor: quo enim tot leges latae de coërcendis facinoroſis hominibus, ſi tranſactione, & colluſio quodam vim legum eludant? num publice intereſt admiſſa vindicari, & peccandi licentiam adimi, dum caeteri terrentur exemplo, *l. ita vulneratus* 51. *D. ad leg. Aquil. l. Stichum* 95. *D. de ſolut. l. qui ſervum* 20. *D. de interrogat. in jur. fac. l. ſi a reo* 70. §. 4. *D. de fideic. Nov.* 16. *cap. r.* Denique animadverſio ad vindictam, & ſecuritatem pertinet. Sed & alia coërcitionis cauſa eſt: nocens enim & attentior in poſterum, & bono fortaſſe publico correctior fiet, ſi modo ei poena noviſſima non infligetur. Plato *lib.* 2. *de LL.* Τὸν γὰρ κακὸν ἀεὶ δεῖ κολάζειν, ἵνα ᾖ ἀμείνων: *In improbum ſemper animadvertere oportet, qua melior fiat.* Omitto locum ejuſdem *in Gorgia*; quo in hanc rem utitur Gellius *Noct. Attic lib.* 6. *cap.* 14. Sed & qui ab accuſatione citra abolitionem deſtitit, incidit in Senatuſconſultum Turpillianum, *l.* 1. §. 4. *D. ad SCtum Turpill* & conſequenter, tam ex parte rei, quam ex parte accuſatoris tranſactio de crimine capitali videtur eſſe juri contraria.

Contra movet, quod ſanguinem ſuum qualiter qualiter redimere licet, *l.* 1. *D. de bon. eor. qui ant. ſent. mort. ſibi conſc.* &, ut ait M. Tullius in ea *pro Milone*, *cap.* 4. *Omnis honeſta ratio eſt expediendae ſalutis*: & perhumanum eſt, reis tuendi corporis viam non praecludere, quos conſtat eſſe favorabiliores, quam actores, *l. favorabiliores* 125. *D. de reg. jur.*

Nec mutat, quod ſupra dicebatur, admiſſa non debere eſſe impunita, ne impunitate adoleſcant, quae etiam prohiberi publicitus intereſt, ut ait Gellius *d. c.* 14. licet enim reus maximus tranſactione, vel pacto videatur ſecuritatem ſibi peperiſſe, non tamen per omnia ſecurus eſt: & accuſatio quidem ab actore repeti non poteſt, ſed quia tranſactio, inter alios facta, aliis non nocet, *l.* 2. *C. int. al. act.* Conſtans Latinorum opinio eſt, accuſationem, tranſactione ſopitam, publicae utilitatis reſpectu ab alio repeti poſſe; quod etiam tradit Graecus Scholiaſtes ad *hanc legem* his verbis: Ἐφ' ὧν μὲν ἁμαρτημάτων ἐπιτρέπει τὴν διάλυσιν, αὐτὸς ὁ διαλυσάμενος οὐκέτι δύναται κινεῖν· ἑτέρῳ δὲ βουλομένῳ κινῆσαι οὐδὲ ὃν γίνεται πρόκριμα, ἐξ ὧν ὁ ἕτερος περὶ τοῦ αὐτοῦ ἐγκλήματος διελύσατο: *In criminibus, de quibus tranſigere licet, ipſe qui tranſegit, accuſationem rurſus movere non poteſt: alii vero tranſactio non praejudicat, quo minus accuſationem intendere poſſit*; quamvis diſſentiat alius Scholiaſtes ad *l. accuſationem* 6. *C. qui accuſ. non poſſ.* Scribit enim ab eo, qui tranſegit, refricari quidem accuſationem, non poſſe, ſive licita tranſactio ſit, ſive illicita: ab alio vero, ſi tranſactio permiſſa non ſit, accuſationem in eundem inſtaurari poſſe: ſi vero permiſſa ſit, non poſſe. Scholiaſtae verba ſunt haec: Πρὸς αὐτὸν τὸν ἀποταξάμενον εἶπε τι, οὐκέτι δύναται κινῆσαι. εἰ μὲν ἔστι τὸ ἔγκλημα, ἐφ' ᾧ δύναται πακτεύειν, οὐδ' ἕτερός τις κινεῖν δύναται τὸ ἔγκλημα. εἰ δὲ δυνατὸν πακτεύειν, τό-

τὸ ἔγκλημα κατ' αὐτὸν δὲ ὁ δύναται κινεῖν, *libro 60. Baſilic. tit.* 34. a quo diſſidet alius Scholiaſtes *ad hanc legem*, qui putat, ei, qui licito non tranſegit (puta, ſi non ſit capitale crimen) accuſationem denegari non debere: nec enim ei obeſſe poſſe tranſactionem, quae jure non valet. Ejus verba ſunt haec in Regio codice: Ἔνθα μέντοι ἀδίχαστον τὸ σύμφωνον, ὁ διαταχθεὶς ἐρρῶσθαι, διότι τῇ μὴ κεφαλικῇ, τότε καὶ αὐτὸς ὁ πακτεύσας οὐ κωλύεται μετὰ τὸ πάκτον κινῆσαι τὸ ἔγκλημα. καὶ γὰρ ἐπὶ πάσης ἀχρήστου διαλύσεως, καὶ αὐτὸς ὁ διαλυσάμενος δύναται κινεῖν, ὡς μὴ ἀντιπιπτούσης αὐτῷ τῆς ἀνυποστάτου διαλύσεως. Nec tamen, licet alteri conceſſa ſit accuſatio, quod equidem facile non conceſſerim, alioquin tranſactio legibus permiſſa efficax erit prorſus, atque ἀνόνητος, ſubinde alio, atque alio accuſatore ſuperveniente: cui etiam ſententiae Cujacius videtur incumbere, *Obſerv. lib. 6. cap.* 11. cum ait, *reum tranſigentem crimine liberari*: licet, inquam, accuſatio ab alio repeti poſſit, ex veterum interpretum ſententia; non tamen inanis, ac inutilis ob id reo videtur eſſe tranſactio, cum neque temere quiſquam ad accuſationem proſiliet propter metum poenae reciprocae; neque cuilibet probationes in manu ſint. Adde, quod invidioſum eſt, ſepultum negotium, ſeu accuſationem, tranſactione finitam, reſtaurare. Item non mutat id, quod dicitur, accuſatorem in Turpillianum incidere, qui aliter, quam abolitione facta, deſtitit: nec enim poenam meretur, qui lege permittente tranſigit, vel paciſcitur, *L. Gracchus* 4. *C. ad leg. Jul. de adulter.*

Atque haec de prima legis noſtrae regula, a qua excipitur adulterium, de quo tranſigere, & paciſci non licet: *Et par delictum eſt, accuſatoris praevaricatoris, & defugientis veritatis inquiſitionem*; ut eſt in *l. de crimine* 10. *eod.* Vir praeſtantiſſimus emendabat: *& rei fugientis veritatis inquiſitionem, Obſerv. d. cap.* 11. Baſilica tamen nihil mutant. Accuſator igitur, qui praevaricatur, & is, qui tranſigit, in pari delicto verſantur: licet enim in aliis criminibus, quae poenam ſanguinis ingerunt, par delictum non ſit, praevaricari, ſeu cauſam ſuam prodere, & de inſtituta accuſatione tranſigere, quia proditio cauſae legibus coërcetur, non tranſactio, quae licita eſt: in adulterio tamen praevaricatio, & tranſactio par delictum eſt, & ſimiliter coërcetur, ut ſcribunt Graeci, *d. tit.* 37. Horum verba ſunt haec: Οὐτωσὶ εἰπὲ ἵνα ἴξεσι διαλύεσθαι ἐπὶ μοιχείᾳ· εἰ γὰρ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἐγκλημάτων τῶν δι' αἵματος ἐχόντων τὴν τιμωρίαν, οὐχ ὅμοιόν ἐστι τὸ προδοῦναι τινὰ τὴν ἰδίαν δίκην, καὶ πραιβαρικατεῦσαι, καὶ τὸ διαλύσασθαι ἐφ' ᾗ ἐκίνησε κατηγορίαν. ἀλλὰ τὸ μὲν προδοῦναι βασανίζεται· τὸ δὲ διαλύσασθαι οὐ κολάζεται, ἀλλ' ἀεὶ καὶ ἐπιτρέπεται. οὐ μήν γε ἐπὶ τῇ μοιχείᾳ, καὶ τὸ προδοῦναι τὴν δίκην, ἤτοι πραιβαρικατεῦσαι, καὶ τὸ διαλύσασθαι ἴσον ἁμάρτημά ἐστι, καὶ ὁμοίως ἀμφότερα κολάζονται.

Verum, quae ratio fuit, cur lege Julia, vel principalibus conſtitutionibus de adulterio tranſigere non liceret? veteres interpretes referunt ad frequentiam delicti. Quod quidem mihi in memoriam revocat illud Senecae *lib.* 3. *de Benef. cap.* 16. *Nunquid jam ullus*, inquit, *adulterio pudor eſt? poſtquam eo ventum eſt, ut nulla maritum habeat, niſi ut irritet adulterum*; & illud ejuſdem: *Infruniſa & antiquaria eſt, quae neſciat, matrimonium vocari unum adulterium.* Sed ea ratio frivola & inanis eſt: hoc enim caſu poena magis aſperanda fuit, & ſeverius adulterii foeditas coërcenda, quam tranſactio prohibenda. Interpretes autem nataſe enunciationis tradunt, legem Juliam impedire tranſactionem, quia ſecundum eam adulterium non erat capitale. Licet autem adulterium capitale fecerint Imperatores; nihilomagis tamen tranſigere licere; quia novae conſtitutiones, quibus exceptio illa abrogata non eſt, ſtrictius accipiendae ſunt. Sed nec illa ratio vera, & probari non poteſt: ex quo enim adulterium capitale factum eſt, continuo ſtatuendum eſt, de eo licito tranſigi potuiſſe: alioquin adulterium partim capitale, & partim non capitale foret. Sed lex tranſactionem impedit, licet capitale ſit, quia non ſine lenocinii ſuſpicione tranſactio ejuſmodi fieri poteſt, cum ſit in eum poena conſtituta, qui de adulterio uxoris ſuae quid ceperit, lucrifecerit, ut Eratoſthenes mariti thorum maculaſſe deprehenſus orabat, ne occideretur, ſed pecuniam potius maritus acciperet, apud Lyſiam, ἱκέτευε, μὴ αὐτὸν κτεῖναι, ἀλλ' ἀργύριον πράξασθαι; vel qui pretium turpiter depectus fuerit. In ſumma, non poteſt non eſſe turpis pactio, vel tranſactio de adulterio; quia maritus adulterium uxoris fatetur, vulgat, deque eo non ſine reprehenſione patientiae, palam componit, remque facit lenonis, ut loquitur Quintilianus, *declam.* 275. Caeterum, qui gratis adulteram dimittit, integris, inviolatiſque manibus, lenocinii reus non eſt, *l. mariti* 29. §. 2. *D. ad leg. Jul. de adult.* ſicut nec is, qui matrimonium ſuum contemnit, quique contaminatione genialis lecti non indignatur, *l.* 2. §. 2. *eod.* quae quidem emendatius legitur in Pandectis Florentinis & Baſilicis, quam vulgo, hoc ſenſu: ei, qui non indignatur, non infligi poenam *adulterium*, pro adulterorum: corruptae enim ſunt editiones, in quibus adfirmative legitur, quamvis eam lectionem ſecutus ſit Graecus interpres, *Baſilic. lib.* 60. *tit.* 37. ἐμπίπτει τῇ τῶν μοιχῶν τιμωρίᾳ: *incidit in adulterorum poenam.*

Sed, quia diximus obiter, adulterium eſſe crimen capitale; operae pretium eſt ſcire, an ſemper capitale fuerit: aut quibus legibus, quibuſve conſtitutionibus effectum ſit capitale. Ante Auguſtum, Juliae legis auctorem, quae fuerit adulterii poena, non eſt proclive dicere. Scribit quidem vetus Horatii Scholiaſtes *ad ſatiram* 2. *lib.* 1. adulterii poenam primo pecuniariam fuiſſe; mulieres autem dote mulctatas. Quod ait de dote, confirmat Valerius *lib.* 8. *cap.* 2. Sed quia memoria repeto, ante legem Juliam, aliquot matronas ſtupri damnatas, pecunia mulctatas; quaſdam vero in exilium actas, auctore Livio, *lib.* 10. *&* 25. non puto rem certo definiri poſſe: niſi quis dicat, ex ſpeciali cauſa matronas aliquot, quae turpiſſimo ſe dedecore foedaverant, apud populum exilio damnatas, quod ſatis probabile eſt. Utique tamen conſtat, nullas morte damnatas, ex Auguſtini *lib.* 3. *de Civit. Dei, cap.* 5.

Lege Julia de adulteriis coërcendis, adulterii poenam relegationem fuiſſe, colligitur ex *l. ſi quis viduam* 5. *D. de quaeſtion.* ut praeſtantiſſ. Cujacius obſervavit; nam in ea duplex crimen, id eſt, inceſtus, & adulterium, vel ſtuprum, deportatione tantum vindicatur. Taciti *Annal. lib.* 3. *c.* 24. *& lib.* 4. *cap.* 42. & Plinii junioris *epiſt.* 31. *lib.* 6. & certiſſimum eſt ex Paulo *Receptarum ſentent. lib.* 2. *tit.* 26. §. 14. cujus verba ſunt haec: *Adulterii convictas mulieres dimidia parte dotis, & tertia parte bonorum, ac relegatione in inſulam placuit coërceri: adulteris vero viris, pari in inſulam relegatione, dimidiam bonorum partem auferri, dummodo in diverſas inſulas relegentur.* Atque ita capiendum, quod dicebat Portius Latro apud Senec. *Controv.* 7. *lib.* 2. *Mulierem adulteram dotem perdere*: & Horat. *d. ſatira* 2. Exempla relegatorum extant apud Tacitum, & alios. Quod igitur ſcribit Suetonius, *Auguſto cap.* 5. de C. Lectorio, *qui graviorem adulterii poenam deprecabatur*, ſic accipi poſſe videtur, ut deprecaretur poenam relegationis, non etiam publicationem dimidiae partis bonorum. Viris magnis aqua haeret in ejus loci interpretatione. Ego id, quod dixi, puto defendi poſſe. Certe Auguſtus adulteros fuga, ſive exilio, & deportatione puniviſſe dicitur, Taciti *Annal. lib.* 3. *cap.* 24. quamquam autem, Julium Antonium morte. Sed praeterquam quod Antonius cum Julia Auguſti filia ſolebat, violatae majeſtatis reus dicebatur, quod imperium occupare ſtuderet, ut eſt apud Dionem *lib.* 55. Caeteri autem, vel ſpeciali motu Principis, vel ex cauſa, morte damnati, aut denique legum poenas Princeps

egreſ-

egreſſus eſt. Quod cum forte Lectorius animadverteret, graviorem adulterii poenam deprecabatur, ſi minus placet ſuperior interpretatio.

Verum, procedente tempore, crimen adulterii capitale effectum eſt, ut, apud Graecos, Lyſias contra Agoratum: quorum autem principum conſtitutionibus incertum eſt. Ecce enim Cujacius contendit, verba illa, *excepto adulterio*, a manu Tribuniani eſſe: alii vero putant, emplaſtrum eſſe imperiti interpretis. Denique ſunt, qui dum ſtudent conſtitutionem emendare, eam malo more corrumpunt. Quid ergo? dici quidem poteſt, multo ante Diocletianum & Maximinnum auctores *legis noſtrae* adulterii poenam capitalem fuiſſe, quod probare videtur Apuleji locus, *Metamorphoſeωs lib. 9. Ac ne juris quidem ſeveritate*, inquit, *lege de adulteriis ad diſcrimen vocabo capitis tam venuſtum, tamque pulcellum puellum*. Ego tamen vix crediderim, Apuleji temporibus adulterium mortale crimen fuiſſe: videtur enim maritus adulterii poenam augere, quo puer poenae capitis ereptus, voluntati ejus non invitus ſuccumberet, & gratiſſima, ut ait Apulejus, corruptarum nuptiarum vindicta perfrueretur: hoc eſt, intempeſtivum adulterium ἀφροντιστίᾳ vindicaret. Relegatio enim non eſt poena capitis, quia nec civitatem, nec libertatem adimit. Itaque Antoninum Caracallam, adulterium praeter jus, & aequum, *παρὰ τὰ νενομισμένα*, capite vindicaſſe, ſcribit Dio Coccejanus *in Excerptis lib. 77.*

Verum eſto; demus, adulterium Apuleji temporibus, hoc eſt, ſub Divis fratribus, & Caracalla, capitale non fuiſſe! de Alexandri tamen conſtitutione, id eſt, *l. 9. C. ad leg. Jul. de adulter.* qui caſtitatem temporum ſuorum collaudat, minus dubitari poſſe videtur, ut quidam exiſtimant. Imo ſatis ego mirari non poſſum, magnum juris antiſtitem non obſervaſſe, vocem *capitalem* ibi a compoſitoribus additam fuiſſe: & fortean ex alicujus ſcioli Scholio in contextum irrepſit, quod videret, in nuptiarum ſacrilegos poenam gladii conſtitutam in *l. quamvis 30. eod.* In ſumma, ſententia *d. legis* haec eſt: adulterii damnatam in poenis legitimis perſeverare debere: id eſt, pati relegationem, & dotis amiſſionem: ſed nec alii jure nubere, uti lege Julia cautum eſt. Sed ſi quocumque modo (puta gratia, & ambitione) poenam legis evaſerit, & quis ſciens uxorem eam duxerit, vel reduxerit, eadem lege Julia ex cauſa lenocinii puniri, ut in *l. mariti 29. §. 1. D. eod. & l. 1 §. 1. D. de concubin.*

Certe fortius defendi poteſt, ipſius quoque Diocletiani temporibus adulterium capitale fuiſſe ex Arnobii *lib. 4. adverſus Gentes*, quem tunc floruiſſe non ambigitur, & medio tempore poenam capitalem effectam, id eſt, ab Alexandro ad Diocletianum. *Ad libidinem*, inquit Arnobius, *proni, utque ad voluptatum blanditias naturae infirmitate proclives, adulteria tamen legibus vindicant, & capitalibus afficiunt eos poenis, quos in aliena comprehenderint foedera genialis ſe lecti expugnatione jeciſſe*: nec enim opinor, aliam, quam gladii poenam intelligit.

Nec igitur lege Conſtantini adulterii poena capitalis effecta eſt: nam, quod dicitur in *d. l. 30.* ſacrilegos nuptiarum gladio puniri oportere, Tribuniani ſcriptura eſt, ut conſtat ex *l. 2. C. Theod. ad leg. Jul. de adult.* Cum autem jam dictae legi Conſtantinianae poſtremum verſum Tribunianus intexuiſſet; non eſt, cur miremur, Conſtantinum auctorem poenae capitalis laudari in *Nov. 134. cap. 10.* Denique retro principes adulterium poena capitis vindicarunt, quae nec Conſtantini temporibus immutata fuit.

Quae cum ita ſint, videamus, quemadmodum accipiendum ſit, quod ſcribit Julius Firmicus, qui imperante Conſtantino M. vixit, *Math. lib. 2. cap. 32. ob adulterii crimen*, inquit, *in exilium ſimiliter datus*. an Firmicum ad poenam legis Juliae de pudicitia reſpicere, non ad juniorum principum conſtitutiones: & exilium accipi pro relegatione, ut in *l. 4. C. ad leg. Jul. de adult.* & *l. 2. C. ut int. cert. temp. crimin. qu. term.* ſic videtur. Reſtat, poenam capitis non recte tribui Conſtantio, & Conſtanti a viro praeſtantiſſimo, ſed ante Diocletianum quoque ſtatutam fuiſſe, & non immerito tentari, non eſſe ſubdititia verba haec legis noſtrae, *excepto adulterio.*

Nec obloquitur *lex 4. C. Theodoſ. quorum appell. non recip.* nec enim ibi Conſtantius, & Conſtans quidquam de poena definiunt, ſed tantum appellationem non eſſe recipiendam: imo recte colligitur ex eo, poenam capitis antiquiorem eſſe. Caeterum alieno loco legeretur ejusmodi conſtitutio; quam tamen non immutarunt poſteriores principes, imo pro ſecta, innocentia, & caſtitate temporum ſuorum merito comprobaverunt.

Itaque teſtantur auctores multi, qui ſub Imperatoribus fuerunt, poenam adulterii capitalem fuiſſe. Ammianus *lib. 28. cap. 5. Cethegus Senator adulterii reus delatus, cervice periit abſciſſa.* D. Hieronymus *1. adverſ. Jovinianum. Quotidie moechorum ſanguis effunditur: adulteria damnantur, & inter ipſas leges, & ſecures, ac tribunalia, flagrans libido dominatur.* Adde eundem in *Naum. cap. 3.* &, *de muliere ſepties icta.* B. Chryſoſtomum *homil. 3. de verbis Eſaïae, vidi dominum.* Theodoretum *1. Graecarum paſſionum curatione 3.* Syneſium *in calvitii encomio*, quod & obtinuiſſe videtur in Gallia. Ivo Carnotenſis *epiſt. 10. Si enim aliqua veſtram eſſet alicui nuptiali foedere ſociata, & ad aliam tranſiret, nonne adultera judicaretur, nonne capitali ſententia a judicibus puniretur?*

Videamus breviter, quid ex hoc jure Juſtinianus immutaverit. In maſculis quidem poena capitis durat: in feminis autem adulterii poenam emollivit, *Nov. 134. cap. 10.* ex qua deſumpta eſt *authent. Sed hodie. C. ad leg. Jul. de adult.* Quaenam igitur poena eſt mulieris adulterae? in monaſterium mittitur, *competentibus vulneribus ſubacta*: ſic enim vertit Berguntio Piſanus vetus Novellarum interpres, *d. cap. 10.* Irnerius ait, *adulteram verberatam in monaſterium mitti*, *d. auth. Sed hodie.* Vetus igitur interpres ibi legit: *ταῖς προσηκούσαις πληγαῖς ὑποβαλλομένην*: quae res fortaſſis effecit, ut pleraeque mulieres adulterae, bene virgis caeſae, truderentur in monaſterium: ut olim, apud Germanos, maritus adulteram, acciſis crinibus nudatam, per omnem vicum verbere agebat, auctore Tacito, *libro de moribus Germanorum cap. 19.* quod Saxones retinuerunt, ut refert Bonifacius *epiſtola ad Ethobald. Anglorum R.* Atqui Juſtiniani longe alia mens fuit, neque illa verberum animadverſio usquam exſtat in emendatioribus Novellarum codicibus, in quibus, *ποιναῖς* legitur, non *πληγαῖς*, ut jam olim obſervavit ampliſſimus P. Faber Sanioranus, *Semeſtrium lib. 3.* cujusmodi ſcripturam confirmat Photius Patriarcha, *Nomocanonis tit. 11. cap. 1.* quem e bibliotheca Palatina dedit in lucem Chriſtophorus Juſtellus V. C. & longe docti ſſimus. Sic etiam legitur in manuſcripto Photii Codice, quem utendum mihi dedit vir ampliſſimus Nicolaus Fabritius Peireſcius, Senator Aquiſextienſis, bono Reipublicae literariae natus: & in ms. Syntagmate § *στοιχεῖον* Matthaei Blaſtaris *cap. 14.* § *στοιχεῖον μ.* Denique non aliter legitur *libro 28. Baſilicῶν tit. 7. c. 1.* tam in Regio, quam Herveti codice, & in Scholiis Theodori Balſamonis *ad Nomocanon. Photii, tit. 1. cap. 32.* Sic igitur vertendum erat in *d. cap. 10. adulteram vero mulierem competentibus poenis ſubditam in monaſterium mitti.* Quae vero ſunt poenae illae competentes? maritus dotem lucratur, & donationem propter nuptias retinet: ex caeteris autem bonis uxoris, tantum ei addicitur, quantum facit tertia pars dotis, & adultera truditur in monaſterium, *Nov. 117. cap. 8.* & poſt biennium citra ſuſpicionem lenocinii maritus mitigatus eam reducere poteſt, *d. cap. 10.* Non ablu-

 dit

dit quod de Cephalo & Procride conjuge ſcribit Ovidius, *Metam. lib. 7. v. 751.*

Haec mihi confeſſo, laeſum prius alta pudorem,
Redditur, & dulces concorditer exigit annos.

Poſt biennium, ſi vir uxorem non receperit, ibi permanere cogetur, donec advivet: quanquam aliud judicium fuit Philoni *de ſpecialibus legibus.* Maritum enim, qui uxorem adulteram reducit, duplicem ſcribit ſibi notam inurere, id eſt, adulterii, & lenocinii: & reconciliationes ejuſmodi a ſuſpicione inſidiarum, ac mortis alterutrius non vacare: αἱ γὰρ αὖθις καταλλαγαὶ μηνύτριαί εἰσι τῆς ἑκατέρου θανάτου. Sed Juſtinianus mitius agendum cenſuit cum ea, quae poena depenſa ac domum reducta, meliorem vitae frugem, & ſanos mores in poſterum polliceri praeſumitur. Ex Leonis quoque philoſophi *Novellis conſtitutione 32.* nares adulteris abſcinduntur, maritus dotem lucratur, adultera in monaſterium conjicitur. Pſellus *in verſibus Politicis:*

Ἡ μὲν εἰς μοναστήριον ἐν δίκαις διαγέτω·
Μελαμφορεῖσα πάντοτε κατὰ τὰς κεκαρμένας.

ait μελαμφορεῖσα, quia monachorum olim pulla veſtis. Nec tamen invita tondetur, ut colligitur ex *d. Nov. 32.* Mattheus Blaſtares *d. cap. 14.* αὐτὴν δὲ ἐν μοναστηρίῳ παραπέμπεσθαι, καὶ ἄκουσαν μὴ ἀποκείρεσθαι. & corrigendus igitur Theodorus Balſamon *ad can. 87. Synodi 6. in Trullo*, in ms. Codice V. C. Nic. Fabricii Peireſcii nunquam ſatis laudati viri; Perperam enim ibi ſcriptum eſt: καὶ ἄκουσαν αὐτήν. & idem, quod de poena gladii dicitur in *d. l. quamvis* 30. omiſſum eſt in Baſilicis, *dicto tit. 37.*

Hactenus de prima regula conſtitutionis noſtrae, deque ejus exceptione dictum ſit: nunc de ſecunda regula compendio dicamus. De crimine non capitali tranſigere, vel paciſci non licet, ne publica coërcitio privata pactione tollatur. Non capitale crimen dicitur, ex quo pecuniaria, aut in corpus aliqua coërcitio poena eſt, *l. 2. D. de public. judic.* veluti fuſtium admonitio, *l. 6. in fi. cum l. ſeq. D. de poen.* alioquin reus habetur pro convicto: *In omnibus enim cauſis praeterquam in ſanguine, qui delatorem corrupit pro victo habetur.* ut ait Ulp. in *l. ult. D. de praevaric.* hoc eſt: χωρὶς τῶν δι' αἵματος ἐχόντων τὴν κατάδικην, ut eſt in Baſilicis, *exceptis his, quae poenam ſanguinis ingerunt, lib. 60. tit. 15.* namque ei tantum ignoſcitur, qui ut ſanguinem ſuum qualitercumque redimeret, delatorem corrupit, *l. 1. D. de bon. eor. qui ant. ſentent. mort. ſibi conſciv.* καὶ τὸν δικαστὴν, *& judicem*, ut addit Stephanus, *Baſilic. lib. 60. tit. 52.* Idem ad *l. 3. D. de condict. ob turp. cauſ. Baſil. lib. 24. tit. 2. Qui judicem*, inquit, *corruperit, lege Cornelia de falſis tenetur, l. 1. §. 2. D. de leg. Cornel. de falſ. & cauſa cadit, l. 1. §. 3. D. de calumn. Licet autem lege Cornelia de falſis teneatur, qui judicem corrupit, non tamen legis Corneliae poena ei irrogatur, ſed lenius punitur: ad tempus enim relegatur, l. 21. D. de leg. Corn. de falſ.* Subjicit: Πάντα δὲ τὰ ὧδε εἰρημένα νόησον, ὅτι μὴ ἐγκλήματι τῷ τυχόντι, ἀλλὰ τῆς ψυχῆς κίνδυνον ἔχοντι τὸ ἀντίδικον ὑποτιθέντος τοῦ λαοῦ, ὁ καὶ τὸν δικαστὴν· τοῦτο γὰρ δηλοῖ Καφὰς ὁ Οὐλπιανὸς ἐν τῷ μη. βιβ. τιτ. κ. διγ. α'. λέγων, ἐπὶ τῶν τοιούτων συγχωρεῖσθαι τὸ ὁποιῳδήποτε τρόπῳ σπουδάσαντα τὸ οἰκεῖον αἷμα, ἤτοι τὴν ψυχὴν ἀγοράσαι τὴν αὐτοῦ. Haec, inquit, non de quolibet crimine accipienda ſunt, ſed de crimine mortali: tunc enim licet quocumque genere ſanguinem ſuum redimere, & delatorem, ac judicem corrumpere. In eadem ſententia ſunt Latini quidam, ut Ludovicus Romanus *ad hanc legem.*

Excipitur crimen falſi, quod primo quidem capitale fuit, *l. 1. & 5. C. ad leg. Cornel. de falſ.* hoc eſt, honeſtiores quidem deportabantur: humiliores autem, aut in metallum damnabantur, aut cruci ſuffigebantur, Paul. *Sentent. lib. 5. tit. 25.* Julius Firmicus, *Matth. lib. 6. cap. Mitugendum falſi crimen impinget: ſed in ipſo facinore detectos facit, aut in cuſtodia conjici, aut in carcerem trudi: ſeu vincula, aut exilium publicae ſententiae animadverſione ſubire.* & *c. 31. Propter falſi crimen*, inquit, *publicas decernunt mortis exitium:* & mox: *Faciunt in crimine falſi comprehenſos in crucem tolli.* Huc referri poteſt illud incerti Poëtae in tabellionem falſarium:

Τὰς χεῖρας εἰ κρατεῖς, καὶ χεῖρας οὐκ ἀπωλέσεις,
Οὐκ ἂν τὴν κεφαλὴν εἶχες τοιαῦτα γράφων.

Omnino enim capitis amputationem, non capitis deminutionem intelligit; tametſi Jureconſultorum omnium longe praeſtantiſſimus aliter exiſtimarit. Quibus convenit edictum Theodorici *c. 41.* & Conſtitutiones Neapolitanae, *tit. 92. cap. 2.* Ego etiam didici, falſariis praeciſas manus veteri Aegyptiorum lege, auctore Diodoro, *Biblioth. lib. 1. ſect. 2.* & decreto Claudii apud Sueton. *in Claudio cap. 15.* Valerianus Cemelienſis, *homilia de bono diſciplinae: Nemo, cum ſanam dexteram videt falſificatis reo, debita jure ſupplicia judicet fuiſſe conceſſa.* Lex Longobardica *lib. 1. tit. 29. §. 1. & lib. 2. tit. 51. §. 10. & 11. & tit. 55. §. 33.* vel inciſos digitorum nervos, ut ſcribit Lampridius *in Alexandro c. 28.* aut denique pollicem abſciſſum, ut in *lege Ripuariorum tit. 59. §. 3.* ut qua parte quis peccavit, eadem multetur. Galenus *lib. 3. de Platonis, & Hippocratis placitis*, ex Chryſippo: Διότι ἐπεθύμησεν ὁ Τιτυὸς ὑβρίσαι τὴν Λητώ, διὰ τοῦτο γῦπες αὐτῷ κείμενοι τὸ ἧπαρ, ὡς εἰς αὐτὸ μάλιστα τιμωρούμενοι τὸ κατάρξαν τῆς ὕβρεως: *Quia Titius concupivit injuria Latonam afficere, ideo vultures arrodunt jecur ejus, ut in eo plectatur, quod injuriae cauſam dedit.*

Verum juniorum principum conſtitutione crimen falſi non capitale fecerunt, *l. ubi 22. C. ad leg. Cornel. de falſ.* ut ſentit Cujac. *Obſervat. lib. 19. c. 39.* niſi ſi magnitudo criminis noviſſimam poenam exigat, *d. l. 22.* ut ſi quis falſum fecerit, quo alius veniret in vitae periculum, *Nov.* Leonis 77. Finge, eum dixiſſe, quem adverſus principem aliquid molitum, atque ut id probaret falſum inſtrumentum protuliſſe, ſive, ut ajunt Graeci: Ἔλεγεν αὐτὸν κατὰ βασιλέα μελετῆσαι, καὶ σπεύδων αὐτὸν συστῆσαι, ἔγγραφον πλαστὸν ὑπεδείκνυεν, *lib. 60.* Βασιλ. *tit. 41.* Nollem autem, excidiſſet viro praeſtantiſſimo, falſariis ex Leonina conſtitutione manus praeſcindi, maxime, ut ipſe ait, quod ejuſmodi membrorum mutilationes Leonis temporibus in uſu fuerint, ut conſtat ex *d. tit. 41.* ubi manus abſcinduntur eis, qui nummos radunt, circumcidunt, vel fingunt: & Harmenop. *lib. 6. tit. 14. §. 3.* Etenim ibi Leo *d. l. 22.* duntaxat interpretatur, nimirum, quod dicitur falſario poenam capitis imminere, ſi id exigat magnitudo commiſſi: id eſt, ex Leonis interpretatione, ſi quis falſum fecerit, quo adverſarius morte plecteretur, morte puniendus eſt: Δεῖ τὸν πλαστογραφήσαντα ἀποτέμνεσθαι, καὶ τῇ αὐτῇ παραδίδοσθαι τιμωρίᾳ, ἣν καθ' ἑτέρου ἐσκευωρήσατο, ut eſt in *Eclogis Baſilicῶν.* ἀποτέμνεσθαι eſt ἀποκεφαλίζεσθαι, *decollari*, ſeu *capite truncari*, non mutilari. Quamvis autem falſi crimen capitale non ſit, de eo tamen tranſigere licet ex ſententia Latinorum, & Graecorum interpretum, *lib. 11. Baſilic. tit. 2. cap. 35.* qui verba illa legis noſtrae, *citra falſi accuſationem*, ſic interpretantur: χωρὶς τοῦ τῆς πλαστογραφίας ἐγκλήματος, id eſt, *excepto crimine falſi.* Et continuo item apertius declarant his verbis: Τὸ γὰρ τῆς πλαστογραφίας ἔγκλημα, εἰ καὶ μὴ ἔχει δι' αἵματος τὴν τιμωρίαν, ὅμως ἔξεστιν ἐπ' αὐτῷ διαλύεσθαι. ἀλλὰ ἂν ἐναντίον σεαυτὸν κατὰ τὴν διάταξιν, ὅτι τὰ μὲν τὰ δι' αἵματος ἐπιφέροντα τὴν τιμωρίαν, καὶ ὡς διαλυόμεθα, ὑπεξῃρημένου τοῦ τῆς μοιχείας ἐγκλήματος. ὅσα δὲ μὴ ἔχει δι' αἵματος τὴν τιμωρίαν, ἐπὶ τούτοις οὐκ ἔρρωται ἡ διάλυσις χωρὶς τοῦ τῆς πλαστογραφίας ἐγκλήματος: *De crimine falſi, licet poenam ſanguinis non ingerat, tamen tranſigere licet. Hanc tibi ergo regulam ſtatue: de crimine capitali tranſigere licere, excepto adulterio; de crimine vero non capitali, non licere, excepto crimine falſi.* Pſellus, *Synopſ. LL. verſ. 1154.* eadem ſententia:

Ἐπὶ

Ἐπὶ μὲν τ' δι' αἵματος ἐχόντων τιμωρίαν
Ἔξεστι διαλύεσθαι, ἔξωθεν τ' μοιχείας.
Ἐπὶ τ' ἀναιμάκτων δὲ χωρὶς πλαστογραφίας,
Οὐκ ἔξεστι διάλυσιν τὰς ἀντιδίκους γράφειν.

Sic etiam Graece vertit Harmenopulus, *lib.* 1. *tit.* 10. & Mich. Attaliotes, *Synopſ. tit.* 6. Denique vetus verſio Gallica non aliter legis noſtrae ſententiam expreſſit: quam ideo lubens exſcripſi e manuſcripto codice Joann. Monſigotii, cauſarum patroni clariſſimi, & conſultiſſimi, & juris publici feci: *Se aucun eſt accuſé de crime, dont il doit recevoir mort, il ne l'y eſt mie defendu qu'il ne puiſſe faire paix a ſon adverſaire, comment qu'il puiſſe, fors en adultere: mais és autres crimes, qui ne portent peine de ſang, ne doit mie faire paix pour donner riens a ſon adverſaire, fors en accuſation de faucenerie.* Neque novum eſt, ut citra accipiatur pro, praeter, ut in *l. unica.* §. 13. *verſ. Extraneam. C. de rei uxor. act.* ut obſervavit Cujacius: quod nec ignorant Graeci, *lib.* 29. *Baſil.* Nam quod ait Juſtinianus in *d. verſ. extraneum intelligi omnem citra parentem*, ipſi ſic efferunt: Ἐξωτικὸν δὲ νόει πάντα πρόσωπον, χωρὶς τ' ἐξ ἀῤῥενογονίας ἀνιόντων, καὶ ἐχόντων ὑπεξουσίαν τὴν προικιζομένην: *Extraneum intellige omnem, praeter parentem per virilem ſexum aſcendentem, & in poteſtate dotatam habentem.* Gloſſae veteres *citra*, δίχα, χωρὶς, ἐκτὸς. Caeterum quod veteres omnes, qua Latini, qua Graeci, putant, de falſo tranſigi poſſe, confirmatur, *l. pen. h. t.* & *l.* 7. *C. ad l. Corn. de falſ.* conjuncta interpretatione Graecorum, *lib.* 60. *tit.* 41. Ratio haec adfertur a Cujacio, quia falſi crimen plerumque ad privatam cauſam pertinet, ſive, ut loquitur Azo ad *hanc legem*, ad pecuniarium commodum, de quo licito tranſigi certum jus eſt. Dixi.

Celebrata per triduum diſputatione, in locum D. Honorati a S. Marco Senatoris Aquiſextienſis Clariſſimi, & Antecesſoris longe Doctiſſimi delectus ſum, Curatorum Academiae conſenſu conſpirante. Anno ſalutis humanae 1633.

LEGES XIV. Quae in Libris Digeſtorum deerant, Graece & Latine, nunc primum ex *lib.* 60. *Baſilicῶν, tit.* 52. & 54. editae.

§. 4. *l. ult.* 7. *D. de bon. damn.* Εἰ δὲ καὶ ὑπεξούσιος ἀνέλῃ τὸν γράψαντα αὐτὸν κληρονόμον καὶ κελεύσει τοῦ πατρὸς ὑπεισέλθῃ τὴν κληρονομίαν, ἐκδικεῖ τὴν κληρονομίαν ὁ δημόσιος.

§. 5. Τὰ μετὰ τὴν καταδίκην ἐπικτώμενα, εἰ μὲν εἰς ἐξορίαν ὁ δημευθεὶς κατεδικάσθη, τοῖς γραφεῖσι παρ' αὐτοῦ κληρονόμοις, ἢ τοῖς ἐξ ἀδιαθέτου ἁρμόζουσιν· ὁ γὰρ εἰς νῆσον ἐξορισθεὶς ἔχει τοῦ διατίθεσθαι ἄδειαν, ὡς καὶ τὰ λοιπὰ δίκαια. εἰ δὲ περιορισμένος γένηται, ἐπειδὴ τὴν πολιτείαν ἀπολλύει, οὐ δύναται κληρονόμον ἔχειν, καὶ τὰ ἐπικτηθέντα ὁ δημόσιος λαμβάνει.

l. 8. ΜΑΡΚΙΑΝΟΥ. Ἐὰν ὑπάρχῃ υἱὸς πάτρωνος, οὐκ ἔχει παντελῶς ὁ δημόσιος πάροδον εἰς τὰ
§. 1. πράγματα τοῦ κατακριτοῦ ἀπελευθέρου. Εἰ δὲ καὶ αὐτὸς ὁ ἀπελεύθερος ἔχει υἱὸν, αὐτὸς μὲν τὸν υἱὸν ἀποκλείει τοῦ πάτρωνος· ὁ δὲ υἱὸς τοῦ πάτρωνος τὸν δημόσιον.

§. 2. Εἰ δὲ καὶ μὴ βουληθῇ διακατοχὴν αἰτῆσαι ὁ υἱὸς
§. 3. τοῦ πάτρωνος, οὐ χώρα τῷ δημοσίῳ. Δημεύεσθαι μὲν τὸν ἐξόριστον ἐξ ἰδικῆς ψήφου δύναται· οὐ μὴν καὶ ἀφαιρεῖσθαι αὐτοῦ τὰ τῶν ἀπελευθέρων δίκαια
§. *ult.* παρὰ κέλευσιν βασιλέως. Εἰ δὲ ὁ πατὴρ ὑπὲρ τῆς θυγατρὸς ἐπιδοὺς προῖκα κατακριθῇ, οὐδὲν ἁρμόζει τῷ δημοσίῳ, κἂν ἐν τῷ γάμῳ ὕστερον ἀποθάνῃ ἡ παῖς.

l. 9. ΚΑΛΛΙΣΤΡ. Εἰ μὴ δειχθῇ ὁ πατὴρ φόβῳ τῆς καταδίκης πρόνοιαν τῶν παίδων ποιησάμενος.

l. 10. ΜΑΡΚ. Εἰ δὲ ὁμολογήσας ὁ πατὴρ προῖκα ὑπὲρ τῆς θυγατρὸς καταχριθῇ, ἀπαιτεῖ αὐτὴν ὁ ἀνὴρ ἐκ
§. 1. τῶν πραγμάτων αὐτοῦ τὸν δημόσιον. Ἐὰν μετὰ διάλυσιν τοῦ γάμου τῆς θυγατρὸς ὁ πατὴρ καταχριθῇ, εἰ μὲν μετὰ τὸ συναινέσαι αὐτῷ τὴν θυγατέρα ἐπὶ τῇ ἀπαιτήσει τῆς προικὸς, ὁ δημόσιος αὐτὴν ἀπαιτεῖ τὸν ἄνδρα. εἰ δὲ πρὶν συναινέσει αὐτῷ κατεδικάσθη, τὴν ἀπαίτησιν αὐτὴ ἔχει.

l. ult. ΜΑΡΚ. Ὁ κατακριθεὶς, καὶ ἐκκαλεσάμενος, εἰ καὶ ἀποθάνῃ, τῆς ἐκκλήτου ἠρτημένης, οὐ δημεύεται. τοῦ γὰρ τοιούτου δευτέρα ἡ διαθήκη ἔῤῥωται τὸ αὐτό ἐστι καθὸ ἡ ἔκκλητος αὐτοῦ μὴ προσεδέχθη

§. 1. Ὁ κατηγορούμενος, πλὴν καθοσιώσεως ς δύνα-

VERSIO JACOBI CUJACII.

Sed etſi filiusfamilias interemerit eum, a quo erat haeres ſcriptus, & juſſu patris adierit, fiſcus hereditatem vindicat. §. 4. *l. ult.* 7. *D. de bon. damn.*

Poſt condemnationem adquiſita, ſi is cujus bona publicata ſunt, relegatus ſit, ad heredes ejus pertinent teſtamento ſcriptos, vel ad heredes ab inteſtato: nam relegatus in inſulam teſtamenti factionem habet, ſicut reliqua jura. Quod ſi deportatus ſit, quia civitatem amiſit, heredem habere non poteſt, & adquiſita fiſcus accipit. §. 5.

Marciani. Si ſit filius patroni; fiſco non patet aditus ad bona damnati liberti. *l.* 8.
Sed ſi ipſe libertus habeat filium, ipſe quidem excludit filium patroni, filius patroni fiſcum. §. 1.

Sed etſi nolit filius patroni bonorum poſſeſſionem petere, fiſco locus non eſt. Bona relegati publicari poſſunt ex ſententia ſpecialiter, non etiam auferri jura libertorum citra juſſionem Principis. Si pater, qui pro filia dotem dedit, damnetur, nihil competit fiſco, etiamſi in matrimonio poſtea filia deceſſerit. §. 2. §. 3. §. *ult.*

Calliſtr. Niſi probetur, patrem metu condemnationis filiis proſpexiſſe. *l.* 9.

Marc. Sed etſi pater dotem pro filia promiſerit, & damnatus ſit, viro dotis petitio ex bonis ejus in fiſcum datur. *l.* 10.

Si ſoluto filiae matrimonio pater damnatus ſit, ſiquidem poſteaquam filia ei conſenſit, ut dotem repeteret, fiſcus eam repetet a marito: ſin vero antequam conſentiret, ipſa repetitionem habet. §. 1.

Marc. Condemnatus ſi appellaverit, & deceſſerit pendente appellatione, bona ejus non publicantur: nam & hujus ſecundum teſtamentum valet; id eſt, ſi appellatio ejus non admittatur. Reus, praeterquam majeſtatis, bona *l. ult.* §. 1.

κεται διοικεῖν τὰ ἴδια πράγματα, καὶ διδόναι, καὶ λαμβάνειν χρέα, ἐὰν καλῇ πίστει αὐτῷ καταβάλωσι. μετὰ δὲ τὸ καταδικασθῆναι, ἀνακαλεῖται ὅσα ἐπ' περιγραφῇ ἐξεποίησε.

l. 10. D. de interd. & releg. ΜΑΡΚ. Οὐ μὴν μὴ κεχρῆσθαι τοῖς ἀναγκαίοις δαπανήμασι.

l. 11. Ἔστιν ὅτι καταδικάζονται χρηματικῶς οἱ τοὺς ἐξορίστους ὑποδεχόμενοι.

l. 12. ΜΑΡΚ. Ὁ τῆς ἰδίας πόλεως ἐξορισθεὶς, καὶ μὴ ἐξελθὼν, προσκαίρως τῆς ἐπαρχίας ἐξορίζεται.

l. 13. ΠΑΥΛ. Ὁ ἐλευθερωθεὶς ὑπὸ ἐξορίστου, οὐ δύναται ἐπιβῆναι τῆς Ῥώμης, ὅπερ οὐδὲ τῷ πάτρωνι αὐτοῦ ἔξεστιν.

l. 14. ΟΥΛΠ. Ἐξόριστός ἐστιν, ὁ κωλυόμενος ἐπαρχίας, ἢ Ῥώμης, ἢ τοῦ περὶ τὸ τεῖχος αὐτῆς τόπου
§. 1. διηνεκῶς, ἢ προσκαίρως. Πολλὴ διαφορὰ ἐξορίας καὶ περιορισμοῦ· ὁ μὲν γὰρ περιορισμὸς, καὶ τὴν πολιτείαν, καὶ τὴν οὐσίαν ἀπόλλει. ἡ δὲ ἐξορία, ἑκά-
§. 2. τερον φυλάττει· εἰ μὴ ειδικῶς δημευθῇ. Ἐξορίζεταί τις ἀπὸ βασιλέως, καὶ συγκλήτου, καὶ ἐπάρχων, καὶ ἀρχόντων τῶν ἐπαρχιῶν, οὐ μὴν ἀπὸ τῶν ὑπά-
§. ult. των. Ὁ τῆς πολιτείας ἐκπεσὼν, καὶ τὴν οὐσίαν κατασχὼν, οὐτιλίαις ἀγωγαῖς ὑπόκειται.

l. 15. ΜΑΡΚ. Ὁ περιοριζόμενος τὴν πολιτείαν ἀπόλλει, οὐ μὴν τὴν ἐλευθερίαν, καὶ τῶν μὲν ἰδικῶν νόμων τῆς πολιτείας στερεῖται· τοῖς ἐθνικοῖς δὲ κέχρηται· ἀγοράζει γὰρ, καὶ πωλεῖ, μισθοῖ, καὶ μισθοῦται, καὶ καταλλάσσει, καὶ δάνειον πράττει, καὶ τὰ λοιπὰ τὰ παραπλήσια, καὶ τὰ ἐπικτηθέντα ἐνεχυράζει, εἰ μὴ ἐπὶ περιγραφῇ τοῦ δημοσίου τοῦ μέλλοντος αὐτὸν τελευτῶντα διαδέχεσθαι, ἐνεχύρασιν. τὰ γὰρ πρότερα πράγματα τὰ καὶ δημευθέντα, ἐκποιεῖν οὐ δύνα-
§. 1. ται. Ὁ χωρὶς βασιλέως ὑπὸ ἄρχοντος περιορισθεὶς, καὶ κληρονομεῖ, καὶ δωρεὰς κατὰ διαθήκης λαμβάνει.

l. 16. Τοῦ αὐτοῦ. Οἱ περιορισμένοι, οὐδὲ κληρονομίαν, οὐδὲ ληγάτα λαμβάνουσι. καταλιμπάνεται δὲ αὐτοῖς ἐν διαθήκαις τὰ πρὸς ἀποτροφὴν, καὶ τὰς ἄλλας ἀναγκαίας χρείας ἀρκοῦντα.

l. 17. ΠΟΜΠΩΝ. Ὁ ἐξόριστος οὐ κωλύεται στήλαις
l. 18. καὶ εἰκόσι τιμᾶσθαι. Τοῦ αὐτοῦ. Ὁ ἐξόριστος ἀκεραίαν τὴν οἰκείαν ἔχει κατάστασιν, καὶ τὴν δεσποτείαν τῶν αὐτοῦ πραγμάτων, καὶ τὴν ὑπεξουσιότητα τῶν παίδων, εἴτε προσκαίρως, εἴτε διηνεκῶς ἐξορισθῇ. περιορισμὸς δὲ πρόσκαιρος οὐκ ἐστί.

l. 19. ΚΑΛΛΙΣΤΡ. Ὁ ἐξόριστος οὐ δύναται διάγειν ἐν Ῥώμῃ, κἂν μὴ προσθεθῇ τοῦτο τῇ ψήφῳ· ἐπειδ' πάντων ἐστὶ πατρίς. ἀλλ' οὔτε ἐν τῇ πόλει, ἐν ᾗ διάγει ὁ βασιλεὺς, ἢ δι' ἧς παρέρχεται· μόνοις γὰρ ἔξεστι τὸν βασιλέα βλέπειν τοῖς δυναμένοις εἰς Ῥώμην εἰσιέναι· πατὴρ γάρ ἐστι τῆς πατρίδος ὁ βασιλεύς.

§. 1. Οἱ ἐλεύθεροι τιμωρούμενοι, καὶ δημευόμενοι, ἅμα τῷ ψηφισθῆναι, τὴν προτέραν ἀπολλύουσι κατάστασιν, καὶ παραδίδονται τῇ ἰδίᾳ τιμωρίᾳ· εἰ μὴ ἄρα διὰ καθωσίωσιν δεῖ γένεσθαι ζήτησιν, καὶ τραχυτέραν ἐξέτασιν.

bona ſua adminiſtrare poteſt, & debita ſolvere, & accipere, ſi bona fide ei ſolvantur: poſt condemnationem vero revocantur, quae in fraudem fiſci alienavit.

Marciani. Non etiam ne utatur neceſſariis impenſis. l. 10. D. de interdict. & releg.

l. 11. Ulp. Interdum pecuniariter damnantur, qui relegatos ſuſcipiunt.

Marc. Sua civitate relegatus ſi non excedat, ad tempus provincia relegatur. l. 12.

Paul. Manumiſſus a relegato non poteſt Romam accedere, quod nec patrono ejus licet. l. 13.

Ulp. Relegatus eſt is, cui provincia, vel Roma, vel continentibus ejus perpetuo, vel l. 14.
ad tempus interdicitur. Magna differentia §. 1.
eſt inter deportationem, & relegationem: nam deportatio civitatem, & bona adimit: relegatio utrumque conſervat, niſi ſpecialiter bona publicentur. Relegatur quis a principe, §. 2.
& Senatu, & Praeſectis, & Praeſidibus provinciarum, non a Conſulibus. Qui civitatem §. ult.
amiſit, & bona detinet, utilibus actionibus tenetur.

Marc. Deportatus civitatem amittit, non l. 15.
libertatem, & ſpeciali quidem jure civitatis non fruitur, jure tamen gentium utitur: emit enim, & vendit, locat, & conducit, & permutat, & foenus exercet, & caetera ſimilia, & poſtea quaeſita pignori obligat, niſi in fraudem fiſci, qui ei mortuo ſucceſſurus eſt, ea obliget: priora enim bona, quae publicata ſunt, alienare non poteſt. Deportatus a §. 1.
praeſide ſine principe & haeres exiſtere, & legata ex teſtamento capere poteſt.

Idem. Deportati neque hereditatem, ne- l. 16.
que legata capiunt: relinquuntur tamen eis teſtamento, quae ad victum, & alios uſus neceſſarios ſufficiunt.

Pompon. Relegatus ſtatuis, & imaginibus l. 17.
honorari non prohibetur.

Idem. Relegatus integrum ſuum ſtatum l. 18.
retinet, & dominium rerum ſuarum, & patriam poteſtatem, ſive ad tempus, ſive in perpetuum relegatus ſit. Deportatio autem §. 1.
ad tempus non eſt.

Callistr. Relegatus non poteſt Romae l. 19.
morari, licet hoc ſententia comprehenſum non ſit, quia omnium eſt patria. Sed neque in civitate, in qua verſatur princeps, vel per quam tranſit: eis enim dumtaxat principem intueri licet, qui Romam ingredi poſſunt: eſt enim princeps pater patriae. Li- §. 1.
beri homines damnati, & proſcripti ſtatim a ſententia priorem ſtatum amittunt, & ſuae poenae traduntur: niſi ob majeſtatis cauſam quaeſtionem, & graviorem examinationem fieri oporteat.

F I N I S.

IN

INDEX AUCTORUM,

Qui citantur, aut illuſtrantur.

A.

ACcurſius Pag. 1156. 1161. 1170.
Achilles Tatius 1150. 1198. 1203.
Adamantius 1212.
Aelianus 1186. 1208.
Aeſchynes 1192. 1208
Aeſchylus 1158.
Aetius 1197.
Agobardus 1209.
Alciphron 1196.
Alcuinus 1167.
Aldhelmus 1194.
Alexander Aphrodiſaeus 1159. 1166. 1190. 1105. 1206.
Ambroſius 1149. 1183. 1218.
Ammianus Marcellinus 1151. 1164. 1205. 1226.
Anacharſis 1103
Anaſtaſius Sinaita 1154. 1178. 1185. 1209.
Andocides 1199.
Anianus 1166.
Anthologia 1154. 1228.
Antigonus Cariſtius 1175. 1197.
Antillus 1154.
Antiphon. 1196.
Apollodorus 1158. 1197.
Apulejus 1166 1178. 1182. 1186. 1191. 1197. 1198. 1204. 1208. 1225.
Aretaeus 1103.
Ariſtenaetus 1182. 1196. 1213.
Ariſtides 1166 1215.
Ariſtides Quintilianus 1151. 1155. 1160. 1163.
Ariſtoteles 1156. 1157. 1162. 1163. 1169. 1170. 1173. 1175. 1176. 1177. 1186 1281.
Arnobius 1158. 1162. 1166. 1183. 1206. 1225.
Arrianus 1211.
Artemidorus 1159. 1192.
Aſconius 1153.
Aſterius 1201. 1202.
Athenaeus 1166.
Auctor ad Herennium 1205.
Auctor περὶ φιλοσόφω ἱστορίας. 1163.
Auguſtinus 1154. 1159. 1162. 1167. 1184. 1189. 1192. 1193. 1194. 1200. 1201. 1232. 1206. 1209. 1211. 1212. 1218. 1224.
Aul. Gellius 1151. 1154. 1156. 1157. 1162. 1163. 1164. 1166. 1169. 1170. 1176. 1186. 1201. 1210. 1214. 1221. 1222.
Auſonius 1186. 1209.

B.

BAlſamo 1199.
Bartolus 1170.
Baſilica 1153. 1160. 1161. 1175. 1176. 1178. 1179. 1198. 1202. 1203. 1206. 1208. 1209. 1212. 1213. 1214. 1215. 1216. 1218. 1219. 1220. 1221. 1222. 1223. 1224. 1227. 1228. 1229. 1231.
Baſilius 1153. 1159. 1197. 1201. 1205. 1213. 1215. 1217.
Beda 1164.
Bion 1153.
Boetius 1168.
Bonifacius 1226.

C.

CAelius Aurelianus 1197. 1203.
Caeſarius 1169. 1190.
Calphurnius Flaccus 1166.
Capitolinus 1175.
Capitula Erardi 1194.
Capitula Caroli Magni *ibid.*
Caſſianus 1178.
Caſſiodorus 1151. 1211.
Catullus 1216.
Cedrenus 1192.
Cenſorinus 1150. 1152. 1153. 1154. 1156. 1159. 1164. 1186.
Chalcidius 1150. 1151. 1152. 1157. 1159. 1168.
Chronicon Alexandrinum 1156. 1165. Judaicum 1159.
Chriſtophorus Juſtellus 1226.
Chryſoſtomus 1165. 1180 1184. 1186. 1192. 1193. 1202. 1203. 1204. 1205. 1211. 1226.
Cicero 1150. 1157. 1162. 1155. 1188. 1191. 1197. 1207. 1211. 1222.
Clemens Alexandrinus 1160. 1182. 1186.
Cleomedes 1151 *ſeq.*
Concilium Bracharenſe 1194. Chalcedonenſe 1213. Compendienſe 1184. Tricaſſinum 1194.
Columella 1173.
Cornelius Nepos 1190.
Cujacius 1215 1220. 1222. 1223. 1224. 1225. 1228. 1230.
Cyrillus Alexandrinus 1216.

D.

DAmaſcenus 1211.
Damaſcius 1153.
Demetrius Phalereus 1190.
Demoſthenes 1185. 1187. 1193. 1204.
Deuteronomium 1181.
Dio 1164. 1211. 1224 1225.
Dio Chryſoſtomos 1192.
Diodorus Siculus 1151. 1164. 1177. 1188. 1228.
Diogenes Laertius 1156. 1169. 1190. 1206. 1208.
Diomedes Grammaticus 1177.
Dionyſius Exiguus 1151.
Dionyſ. Gothofredus 1177.
Dionyſ. Sophiſta 1196.
Donatus 1157. 1195. 1211.
Dungalus 1167.

E.

EGeſippus 1185. 1191. 1193.
Emporius 1185. 1192.
Ennodius 1209.
Epiphanius 1150.
Etymologicum M. 1197.
Eugraphius 1211.
Euphorion 1152. 1155. 1167.
Euripides 1201. 1204.
Euſebius 1190. 1194. 1198.
Euſtathius 1176. 1178. 1191. 1203. 1207. 1211. 1212. 1213. 1216. 1217.
Euſtrathius 1184.
Euthymius 1180.
Excerpta ms. 1208.

F.

FAvonius Eulogius 1157. 1164.
Ferrandus Diaconus 1167.
Fulgentius 1206.

G.

GAlenus 1150. 1153. 1155. 1186. 1190. 1191. 1198. 1207. 1205. 1228.
Gemara 1203. 1217.
Geminus 1150. 1151. 1153. 1154. 1164.
Gildas 1192.
Gloſſ. vett. 1155. 1221.
Gratianus 1183.
Gregor. Naſianzenus 1159. 1178. 1184. 1200. 1202 1213.
Gregor. Nyſſenus 1184. 1193 1207.
Gregor. Palamas 1186. 1207.

H.

HArmenopulus 1179. 1196. 1208. 1210. 1214. 1216. 1218. 1219. *ſeq.* 1228 1229.
Heliodorus 1182. 1186. 1192. 1196. 1212. 1214.
Heliod. Pruſaeus 1177. 1192 1211.
Herodotus 1162. 1164.
Heſiodus 1158. 1161.
Heſychius 1197. 1203.
Hierocles 1152.
Hieronymus 1162. 1166. 1186. 1197. 1202. 1212. 1226.
Hilarius 1199.
Hincmarus Rhem. 1182.
Hippocrates 1152. 1153. 1157. 1158. 1160. 1161. 1162. 1163. 1164. 1167. 1168. 1169. 1170. 1203. 1207.
Homerus 1162. 1191. 1210.
Horatius 1194. 1224.
Horus Apollo 1151. 1154.
Hugo a S. Victore 1179.
Hugo Grotius 1153.
Hyginus 1151.

I.

JAcobus Auguſt. Thuanus 1158.
Jamblichus 1207.
Innocentius PP. 1159. 1185. 1203.
Joannes Diaconus 1158. 1166.
Joann. Herburtus 1177.
Joannes Meurſius 1175.
Joannes Monachus 1210.

Joſephus 1165. 1185. 1191. 1192. 1198.
Joſephus Scaliger 1168
Iſacus 1185. 1188.
Iſidorus Hiſpalenſis 1150. 1151. 1154. 1164. 1168. 1220.
Iſidorus Peluſiotes 1154. 1181. 1198. 1204. 1205. 1219.
Julianus Imp. 1164. 1186. 1209. 1212.
Julius Firmicus 1165. 1221. 1225. 1227.
Jul. Scaliger 1170.
Ivo Carnotenſis 1172. 1179. 1183. 1226.
Juvenalis 1162. 1196. 1198.

L.

LActantius 1190. 1193. 1202. 1207. 1228.
Lampridius 1168.
Legatio Man. Comneni 1208.
Leo 11 0.
Leo Africanus 1208.
Lex Salica
Libanius. 1186. 1189. 1191. 1205. 1210. 1212.
Livius 1186. 1195. 1218. 1224.
Longus 1182. 1195.
Lucanus 1221.
Lucianus 1162. 1164. 1166. 1186. 1190. 1195. 1211. 1214. 1215.
Lucretius 1183. 1186. 1204. 1207. 1221.
Lycurgus
Lyſias 1193. 1196. 1224. 1225.

M.

MAcarius 1203.
Macchabaei 1164.
Macrobius 1149. 1151. 1157. 1159. 1164. 1191.
Manuel Palaeologus 1206. 1209.
Marcianus Capella 1149. 1157. 1165. 1204.
Marcus Antoninus 1172. 1218.
Marius Victorinus 1153.
Matthaeus Blaſtares 1194. 1208. 1226. 1227.
Matthaeus monachus 1210. 1214. 1216.
Maximus 1150.
Maximus Tyrius 1198 1212.
Michael Attaliotes 1208. 1229.
Michael Epheſius 1192.
Moſchopulus 1149. 1155.
Moſchus 1165.

N.

NEmeſius 1205. 1207.
Nicephorus Blemmidas. 1192.
Nicephor. Calliſtus 1165. 1194.
Nicephor. Gregoras 1168.
Nicetas Choniat. 1198.
Nicolaus Fabricius Peireſcius 1226. 1227.
Nicolaus PP. 1183. 1194.
Nicomachus 1162.
Nonius Marcell. 1177.
Nonnus 1182. 1197. 1198. 1212.

O.

OEcumenius 1128. 1221.
Olympiodorus 1157. 1186. 1187. 1190.
Oppianus 1152. 1166.
Oribaſius 1182.
Ovidius 1149. 1152. 1155. 1164. 1166. 1169. 1177. 1192. 1195. 1196. 1198. 1199. 122.

P.

PApias 1154.
Paulus Aegineta 1175.
Paulus Caſtrenſis 1156.
Paul. Gualdus 1163.
Pauſanias 1162. 1178. 1182. 1190.
Petronius 1195. 1219.
Petrus Chryſologus 1158. 1160. 1180.
Petrus Damianus 1165.
Petrus Faber 1156. 1226.
Phalaris 1217.
Philo 1156. 1163. 1166. 1195. 1196. 1198. 1203. 1204. 1221. 1227.
Philoſtratus 1194.
Plegon Trallianus 1175.
Photius 1226.
Phurnutus 1165.
Plato 1150. 1184. 1185. 1186. 1194. 1222.
Plautus 1186. 1195. 1201. 1204. 1205.
Plinius 1153. 1154. 1163. 1164. 1167. 1169. 1170 1176. 1178. 1190. 1198. 1206. 1209. 1224.
Plutarchus 1149. 1150. 1151 1154. 1157. 1158. 1159. 1160. 1162. 1165. 1166. 1169. 1170. 1185. 1186. 1189. 1190. 1192. 1198. 1206. 1208.
Polybius 1191.
Polybus 1161.
Polydorus Virgilius 1179.
Porphyrius 1151. 1194.
Priſcus 1212.
Proclus 1152. 1158. 1178. 1196.
Procopius Gazaeus 1151.
Propertius 1197.
Prudentius 1208.
Pſellus 1188. 1220. 1227. 1229.

Q.

QUintilianus 1162. 1166. 1189. 1191. 1192. 1211. 1214. 1224.
Quintus Curtius 1190.

S.

SAlluſtius 1188. 1156.
Sapho 1178.
Scholiaſtes Aeſchyli 1203. Apollonii 1176. 1195. Ariſtophanis 1201. Callimachi 1158. Euripidis 1212. Homeri 1159. 1212. Horatii 1193. 1124. Oppiani 1210. Perſii 1197. Pindari 1197.
Seneca 1164. 1166. 1169. 1176. 1179. 1186. 1199. 1205. 1210. 1214. 1217. 1223. 1224.
Servius 1150. 1155. 1166. 1192. 1109.
Sextus Empiricus 1153. 1168.
Simeo Metaphraſt. 1197. 1210.
Simplicius 1198. 1212.
Sleidanus 1180.
Solinus 1173. 1176.
Sopater 1215.
Sophocles 1197.
Soranus 1182.
Soſipater Chariſius 1170.
Stephanus 1163. 1172.
Stephanus Gobarus 1165
Stobaeus 1158. 1201. 1204.
Strabo 1164. 1173. 1176. 1190.
Suetonius 1166. 1195. 1224. 1218.
Suidas 1153. 1156. 1168. 1190.
Sulpitius Victor 1204.
Symmachus 1219.
Syneſius 1226.

T.

TAcitus 1186. 1190. 1191. 1209 1224. 1226.
Tatianus 1177.
Terentius 1166. 1186. 1196. 1199. 1204. 1211.
Terentius Scaurus 1170.
Tertullianus 1149. 1158. 1167. 1178. 1175. 1196. 1209. 1216. 1221.
Theocritus 1197.
Theodoretus 1149. 1177. 1191. 1205. 1226.
Theodorus Gaza 1164.
Theodor. Hermopolites 1221.
excerpta ex Theodoſio 1153.
Theon 1149. 1164. 1194. 1218.
Theophanes 1210.
Theophilactus 1181.
Theophilus 1149. 1209. 1210. 1221.
Theophilus Alexandr. 1149. 1164.
Thomas Magiſter 1155.
Titus Boſtrenſis 1201.

V.

VAlerianus Cemelienſ. 1228.
Valerius Maximus 1189. 1193. 1224.
Varro 1149. 1151. 1159 1166.
Vellejus Paterculus 1198.
Veſtius Valens 1159.
Vetus auctor Apoſtolicae hiſt. ibid.
Victorinus 1151. 1154.
Virgilius 1149. 1166. 1198.
Vitruvius 1150. 1154.
Voluſianus 1166.

X

XEnophon 1169. 1194. 1195. 1196. 1200. 1210. 1215. 1216.
Xiphilinus 1189. 1197. 1198.

Z.

ZEnobius 1197.
Zonaras 1199. 1203. 1207. 1215.

F I N I S.

C A

CAROLI ANNIBALIS FABROTI JC.

REPLICATIO

ADVERSUS

CLAUDII SALMASII

REFUTATIONEM.

In qua Mutuum alienationem eſſe oſtenditur; de dominio dotis & de condictione tractatur:

Item Leges pleraeque & alia Auctorum loca emendantur, & explicantur.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO
FRANCIAE
CANCELLARIO
PETRO SEGUIERIO,
JURIS VINDICI
ACERRIMO,
ET
CONDITORI AEQUISSIMO,
HOC OPUS,
QUO JUS
A SINISTRA INTERPRETATIONE IN VERAM ASSERITUR,
DICAT, SACRATQE
CAROLUS ANNIB. FABROTUS.

Digitized by Google

CAROLI ANNIBALIS FABROTI

E P I S T O L A

AD AMICUM.

M*Agnae quaeſtionis eſt, inquis, an mutuum alienatio ſit, nec addis, in quam partem incumbas; ſed hoc tantum ſignificas te pervelle ſcire, cui ſententiae accedam. Ego didici, inter Prudentes convenire,* Mutuum alienationem eſſe pecuniae, quae fit ſub lege reddendae quantitatis ejuſdem. *Vide quam minime malo ingenio ſim. Quid ſentiam ſtatim mihi excidit. Tu vero ſecreta pectoris tui non aperis. Verum fidem heic exhibe, & ſolens tuo more feceris. Hoc eſt, cum primum legeris quodcumque hoc ſcripti eſt, igni exure. Nec enim in vulgus edi cupio, ne apud viros doctos invidiae ſit, quod alia nobis, quam ipſis ſententia ſedeat. Nam nec clam me eſt, animoſius eam quaeſtionem agitatam fuiſſe, nec probris temperatum. Quod equidem factum nollem.*

1. *Illud autem quod dixi evincere non multi laboris erit.* Eſt enim mutuum ex eo appellatum, quod de meo tuum fiat, l. 2. §. 2. D. de reb cred. *Quae quidem originatio licet magis ſcita, quam vera ſit, ſatis tamen ſignificat id, quod de meo tuum ſit, alienatum intelligi.*

2. In mutui datione oportet, dominum eſſe dantem, d. l. 2 §. 4. & l. 13. eod. *& non requiritur*, unde originem habeat pecunia; ſed qui contraxit, ſi propriam numeravit, *in* l. 7. C. ſi eert. pet. *Sic enim ibi ex veteri codice legendum eſt: quod confirmat* τὸ κατὰ πόδας, *in quo ſic habetur:* ἀλλ' ἐὰν ὁ συναλλάξας ἴδια ἠρίθμησεν. *Sed & obiter monendum eſt, in* d. l. 7. τὸ ſi, *poni,* ἀντὶ τοῦ *an, Graecorum more, ut apud Petronium, Tacitum, Terentium, Horatium, Tibullum. Quod quidem eo pertinet, quod cum mutuum alienatio ſit, non aliter contrahi intelligatur, niſi creditor dominus ſit. Regulariter enim definitur.* Neminem plus juris in alium transferre poſſe, quam ipſe haberet, l. 54 D. de reg. jur. *Baſilica ſic efferunt* §. 3. d. l. 2. Διαφέρει τὸ δάνειον τοῦ χρέους, ὅτι τὸ μὲν χρέος γενικόν ἐστι τὸ δὲ δάνειον μετατίθησι δεσποτείαν. Creditum a mutuo differt, quoniam crediti nomen generale eſt: mutuum autem dominium transfert. *Cyrillus* ibidem: δάνειον οὐ συνίσταται εἰ μὴ ἐκποιηθῇ νομίσματα: Mutuum non contrahitur, niſi nummi alienentur.

3. *Ex mutuo condictio naſcitur, non vindicatio, hoc eſt, creditor non petit, rem ſuam eſſe, quae vindicationis formula eſt, & ſoli domino competit, ſed condicit, id eſt, intendit ſibi dari oportere. Condictio autem domino non datur, niſi ex cauſa furtiva,* l. 1. D. de eond. furt. Quo magis pluribus actionibus fures teneantur, §. 14. verſ. Plane. Inſtit. de act. *Per enim abſurdum eſſet dominum experiri actione, qua ſibi dari intenderet, cum dare ſit dominium transferre,* l. ubi autem 75. §. ult. D. de verb. oblig.

Atque haec rata quidem ſunt, & certiſſima juris principia, quibus tamen neſcio an moveri poſſint, qui contra ſentiunt. Teſtes igitur audiantur omni exceptione majores.

4. *Juſtinianus ait*, Pupillum ſine tutore nihil alienare poſſe, ideoque, ſi mutuam pecuniam ſine tutoris auctoritate alicui dederit, non eontrahit obligationem, pecuniam non facit accipientis, ideoque vindicari nummi poſſunt, ſicubi extant, §. 2. quib. alien. liceat. *Theophilus* ibidem: ὅρος δανείου ἐστὶ, τὸ τὸν λαβόντα γίνεσθαι δεσπότην. *Similiter Ulpianus ait*, Mutuam pecuniam non fieri, quam ſine tutoris auctoritate pupillus dat, §. 2. l. 3. D. de SCto Maced. *quia nimirum pupillo rerum ſuarum alienatio adempta eſt: quibus conſequens eſt, eum non recte mutuum contrahere: mutuum enim alienatio ſequitur. Veriſſime Cujacius* ibidem: Mutuum ſpecies eſt alienationis: aut ſi ex eo non ſequatur alienatio, certe non eſt mutuum.

5. *Africanus ait :* Nec huic ſimile eſſe, quod ſi pecuniam apud te depoſitam convenerit, ut creditam habeas, credita fiat, quia tunc nummi, qui mei erant, tui fiunt, l. qui negotia 34. D. mand. *Atque his rationibus, e medio jure petitis, putabam profligatam novam quaeſtionem in* enarrat. ad Parat. Cujac. lib. 4. tit. 2. *in qua perturbate vitio typographico citatur* l. 13. de SCto Maced. *pro legum capitibus, quae ſequuntur.*

6. *Scaevola in* l. penult. in fine D. de pign. An corpora pecuniae, quam idem debitor ab alio mutuam accepit, tum in bonis ejus facta ſint. *Baſilica :* Ἐὰν ὑποθῇ μοι γενικῶς, ὑπόκειταί μοι καὶ τὰ χρήματα, ἅπερ ἐξ ἑτέρου δανείζῃ ὡς γενόμενά σα. Si generaliter bona mihi obligaveris, pecuniae quoque, quas ab alio mutuas accepiſti, obligantur, cum tuae factae ſint. -

7. *Paulus in* l. 16. D. de reb. cred. Si ſocius communem pecuniam mutuam dederit, non alias eam creditam facit, niſi caeteri quoque conſentiant, quia ſuae partis tantum alienationem habuit.

8. *Ulpianus in* l. 19. §. 3. D. de Donat. Si quis dederit pecuniam mutuam Titio, reddendam Sejo, cui donatam volebat; deinde Titius, mortuo donatore, Sejo dediſſe proponatur; erit conſequens dicere pecuniam Seji fieri, ſive mortuum ſcivit, ſive ignoravit is, qui dabat, quia pecunia fuit dantis. Baſil. Ἐὰν βουλόμενός σοι δωρήσασθαι δανείσω Πέτρῳ ἐφ' ᾧ καταβαλεῖν σοι, καὶ μετὰ τελευτήν μου καταβαλῇ σοι, δεσπότης γίνῃ τῶν νομισμάτων, ἐπειδ' ἀπὸ δεσπότου ἔλαβες. Si tibi donare volens, mutuam pecuniam Petro dedero, ut tibi ſolvat: & poſt mortem meam tibi ſolverit: efficeris dominus pecuniae: quoniam accepiſti a domino. *Scholiaſtes:* Δεσπότης γὰρ ὢν ὁ Τίτιος ὧν ἐδωρήσατο, δεσπότην ποιεῖ καὶ τὸν Σεῖον: Nam cum Titius dominus eſſet eorum, quae donavit, Sejum quoque eorum, quae ſolvit, dominum faciat.

9. *Hermogenianus in* l. 33. §. 1. eod. Ea lege donationis cauſa pecunia numerata, *ut ſtatim donatori mutuo detur*, non impeditur dominii translatio: ac propterea iiſdem nummis donatori creditis novum dominium in his quaeritur. *Baſil.* Ἐὰν δωρήσομαί σοι νομίσματα, ἵνα παραχρῆμα δανείσῃς μοι αὐτὰ, καινὴν ἐπ' αὐτοῖς δεσποτείαν κτῶμαι. Si tibi pecuniam ea lege donavero, ut ipſam ſtatim mutuo mihi des, in ea novum dominium adquiro. *Schol.* Ὅθεν ἐὰν ἀντιδανείσῃς μοι τὰ νομίσματα, καινὴν δεσποτείαν κτῶμαι ἐπ' αὐτοῖς, ἀποκτησάμενος μὲν τὴν προτέραν δεσποτείαν διὰ τῆς δωρεᾶς, κτησάμενος δὲ τὴν καινὴν διὰ τοῦ δανείου· Unde ſi eosdem mihi credideris, novum dominium in his adquiro, dominio quidem priore per donationem amiſſo, novo autem ex cauſa mutui quaeſito.

Plura congerere non erat in difficili, quae perſequi animus non fuit. Nam quidquid demonſtratae rei additur ſatis demonſtratae, fruſtra eſt, ut ait Ulpianus noſter.

CL. SALMASII EPISTOLAE DE MUTUO REFUTATIO.

CL. SALMASIUS ÆGIDIO MENAGIO S D.

Quae heſterno die mihi redditae fuere, Eruditiſſime Menagi, cum Epiſtola Clariſſimi viri Caroli Annibalis Fabroti, qua conatur firmare jam labantem de Mutuo vulgarem opinionem, quae hactenus tenuit, *Mutuum, id eſt, mutui contractum, eſſe alienationem.* Poteram quod jam actum eſt non agere, & ſuperſedere retundis argumentis, quae eadem omnino, ab aliis allata, jam a nobis alibi confutata ſunt. Sed ne in contemptum ſui accipiat noſtrum ſilentium, viſum eſt & hunc illi honorem habere optimo & amiciſſimo viro, ne inſuper habeantur ejus pro doctrina communi contra no-

CAR. ANN. FABROTI REPLICATIO ADVERSUS CL. SALMASIUM.

CAROLUS ANNIBAL FABROTUS CL. SALMASIO S.

Epiſtolam ad amicum feceram, igne ſimulatque legiſſet abſumendam. Eam priusquam tabellario Aquas-ſextias perferendam traderem, Aegidio Menagio eruditiſſimo viro amico noſtro legendam dedi: ille, cognito quod ad quaeſtionem de Mutuo nuper ventilatam pertineret, facile impetravit ut exſcriberetur, & Tibi mitteretur. Tu, Clariſſime Vir, effeciſti, ut Vulcano ſacrata in humaniorem lucem emitteretur, & viveret: quanquam vixiſſe videri haud poteſt, quam ſtatim refutaſti, & ingenii tui acumine confodiſti, ac penitus exanimaſti: non magis, quam *qui illico, poſtquam in terram cecidit, vel in manibus obſtetricis deceſſit.* Caeterum legi avide Refutationem tuam; qua perlecta longe aliter de te ſentire coepi, quam mihi & his, qui te obſervant, perſuaſum volebant invidi & maligni. Te enim admirabilia quaedam, contraque opinionem omnium adoriri, non ſine magno veteris prudentiae damno. Atqui potes illos reos falſi facere vel refutatione epiſtolae de Mutuo prolata; in qua non is inficias rem mutuo datam alienari, & eum, qui accepit, dominus fieri. Quod neque novum eſt, neque inter res inopinabiles connumerari poteſt, ut adverſarii invidioſius objectant. Hoc vetus ſapientia definivit, deque eo inter omnes juris interpretes convenit: δῆλα γὰρ μὴ τυφλοῖς ταῦτα. Hoc tantum negitas & conſtanter defendis, *Mutuum, id eſt, mutui contractum alienationem eſſe.* Quod ut verum fatear, animum meum non explet: & dubitatio non mediocris remanet. Nam haec inter ſe conſtare non videntur, ut alienetur res mutuo data, & qui accipit, rei mutuo datae dominus efficiatur, nec tamen mutuum alienatio ſit, neque adquirendi dominii modus. Earum, inquam, rerum inter ſe naturaliter pugna eſt, alienari, & non alienari & debitorem dominum rei effici, neque quidquam eundem adquirere: non enim ſimul in eodem contraria conſiſtunt: ſive, ut ait Sextus Empiricus *adverſus Mathem.* Οὐχὶ δέχε τἀναντία ἐφ᾽ ἓν ἐν τῷ αὐτῷ & Alexander Aphrod. *Problem.* 1. τὰ δὲ ἐναντία κατὰ τὸ αὐτὸ τόπον καὶ χρόνον οὐκ ἐνομοθέτησεν ἡ φύσις ἅμα μένειν. In promptu eſt quod reſpondeas: in plenum pecuniam non alienari, id eſt, corpus alienari a creditore, & penes eundem dominium quantitatis remanere. Illud facile concedam: manere autem dominium quantitatis, quae non extat (mutuum enim in rebus conſiſtit, quae in abuſu & abſumptione ſunt) quaeque juris tantum intellectum habeat, propter ſpem pecuniae reciperandae, concedere non poſſum. Jus quidem obligationis creditoris eſt, *l. non ſolum* 8. *§. ſi heres* 6. ſive jus debiti, *l. Aurelius* 28. *§ Sticho* 7. *D. de liberat. leg.* Debitores autem utique domini ſunt eorum, quae debent, ut ait JCtus in *l.* 1. *eod. Si tibi debitorem meum juſſero dare pecuniam, obligaris mihi, quamvis meos nummos non acceperis.* Verba ſunt Ulpiani in *l. ſingularia* 15. *D. de reb. cred.* ex quibus etiam tibi conſtare puto, id, quod mihi debeatur, non continuo meum eſſe. Boetius *in Topicis: Pecunia quae eſt in nominibus, non eſt noſtra.* Nec igitur creditor ejusdem quantitatis dominus dici poteſt: civilis enim ratio non patitur, ut duo ejusdem quantitatis domini ſint. Quid ergo, res perit creditori? ex contractibus actiones in perſonam naſcuntur, quibus intendimus nobis dari oportere: poſſeſſio autem adverſarii in rem actionem parit, qua quis rem ſuam eſſe affirmat. Ex contractu igitur mutui naſcitur condictio, quae in perſonam actio eſt: eaque creditori ſufficit ad perſequen-

noſtram ſententiam objectiones. Quae ut omnibus innoteſcant, edendam etiam curavi ipſam Epiſtolam, quod ipſo volente, teque non nolente, me facturum eſſe credidi. Sic bona me fide agere omnes agnoſcent, qui vim argumentorum ejus ſuppreſſam celatamque noluerim, nec timuerim, ne reſponſionis meae infirmitas oppoſita in comparationem diluceſceret. Sed nec invi-

REPLICATIO.

quendum quod ſibi debetur. Itaque inane eſt dominium quantitatis: aut certe, ſi efficax eſt, in rem actionem creditori parat; quod abſurdum & minime juri civili conveniens eſt. Caeterum nullam utilitatem haberent actiones in perſonam, ſed ſola vindicatio creditoribus ſufficeret, qua res ſuas eſſe peterent: unde foeda actionum confuſio naſceretur.

Atqui ſi ſtatuas (inquis) mutuum alienationem eſſe, conclamatum eſt, hoc eſt, contractum, ſine quo ſocietas hominum conſiſtere non poteſt, de rebus tollis: nec enim in facultatibus poſitus propitiis auribus audiet mutuam pecuniam rogantem, ne ex rei ſuae alienatione bonorum diſpendium patiatur. Longe minus parcus & tenax petenti pecuniam numerabit, quam forte an

Suum defrudans genium comparſit miſer.

Ipſum alienationis nomen *ampliter nummato, & aerugini intento*, ceu loquitur Apulejus, & deparco formidinem incutiet. Per contrarium, ſi eis perſuaſum erit, mutuum non eſſe alienationem, ſecundis auribus audient mutuam rogantes, commercium & mutuus uſus diurnabit, nec ſocietas generis humani diſrumpetur. At enim utriſque abunde conſultum eſt: nam ſi tenues & exhauſti ſint, qui pecuniam rogant, illis non creditur, ſed *colliculis, arboribuſque*: aut creditores fidejuſſores accipere ſolent, dum ſtudioſe curant, ut diligentius ſibi cautum ſit. B. Chryſoſtomus diceret, egenti non credi, ἄνευ ἀσφαλείας, ἢ ὑποθήκης, ἢ ἐνεχύρου, ἢ ἐγγύης: *Sine cautione, aut hypotheca, aut pignore, aut fidejuſſore*, homilia de Eleemoſyna *in Eclogis* Theodori Magiſtri. Imo nec hodie honeſtus & locuples aliter pecuniam fere impetrabit, niſi rebus ſuis in ſecuritatem creditoris oppoſitis. Denique ſi metuas, ne debitor conturbet, aut evertatur facultatibus.

— — — — addo Cicutae

Nodoſi tabulas centum, mille adde catenas.

Quod ſi creditor praedam vademque habeat, tutius et ſine dubio conſuletur, quam dominii illa retentione: ſin autem inconſulte crediderit, cogitatio illa dominii non abalienati rem ſuam ei non ſervabit, καὶ ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, poſtquam creditor bene vel male pecuniam ſuam collocavit, nihil ei proderit φαντασιώδης τῆς δεσποτείας κατάληψις. Vin' ſcire, quanti momenti ſit opinio non alienatae quantitatis? id te docebit ſanctus Baſilius: *homilia ſecunda in Pſalmum* 14. ait, Foeneratorem non ſevera fronte pecuniam rogantem excipere, ſi pignora idonea vel hypothecas offerat, ſi uſuras ei ſtipulanti promittat. Caeterum frontem trahere, nec cum eo nomina facere velle, ſi neque praedia, neque praedes habeat. Verba Patris facundiſſimi haec ſunt: Ἐπειδὰν δὲ ὁ ζητῶν τὸ δάνειον τόκων μνησθῇ, καὶ ὑποθήκας ὀνομάσῃ, τότε καταβαλὼν τὴν ὀφρῦν προσεμειδίασε: *Poſtquam vero qui pecuniam quaerit, uſurarum meminerit, & pignora ſive hypothecas nominarit, tunc ſupercilium remittens, ridere coepit.* Eadem verba exſtant apud Gregorium Nyſſenum *homil.* 4. *in Eccleſiaſtem* apud Auctorem Catenae *in Lucam*, ſed apud ipſum Nyſſenum non exſtant. *Foenus denique copioſum ſub arrabone auri & argenti crebriter exercens* (ut verbis utar Apuleji) tutius ita ſibi cautum putabit, quam luſoria dominii retentione. Vide B. Chryſoſtomi *ſerm. in illud Pſalm.* 38. *Verum tamen fruſtra* & caet. *tom.* 6. *edit. Pariſ.*

Verum antequam ulterius progrediamur, venia a te, Clariſſime Vir, mihi impetranda eſt, quam pro ſumma tua humanitate, certo ſcio, non denegabis, ut quem ex Refutatione tua honorem habere mihi voluiſti, eundem hac Replicatione tibi exhibeam. Bonum autem factum, quod quadrigam, non Tyrannorum, ceu loquitur Vopiſcus tuus, quomodo & Themiſtius τέτρωρον βασιλέων, *quadrigam Imperatorum* dixit *Orat.* 11. ſed Profeſſorum docendam ſuſcepit, *de Mutuo*, quid jam opinandum ſit. Certe feliciore ſaeculo nati ſumus, quam tot retro-Anteceſſores, quod, te docente non e *Sede celſa*, ſed de plano, nobis ſcire liceat *de Mutuo* quid ſentiendum ſit. Caeterum quam habeas ſtudiorum tuorum fiduciam ſatis conſtat, qui haut *novellos & incipientes* docere, ſed tot Anteceſſores invectae nuper opinionis velut hoſtes proturbare inſtituas. Nam quod *te non eſſe Juriſconſultum* profiteris, ſane modeſtiae tuae certiſſimum argumentum eſt. Caeterum ferendum non eſſet, ut hoc ſtudiorum rudes, quique juris peritos ſe non eſſe dicerent, juris Anteceſſores docere tentarent. Qui ſe philoſophum eſſe negat, ait Simplicius *in Enchiridion* Epicteti, nec in ordinem & numerum philoſophi ſeſe redigit; num docere inſtituet? Ὁ δὲ μὴ λέγων ἑαυτὸν φιλόσοφον, οὐκ ὤν, οὐδ' ἐν τῇ τάξει τοῦ φιλοσόφου τάττων ἑαυτὸν τῇ φιλοσοφίᾳ, διδάσκειν ἐπιχειρεῖν. Romanorum leges non percipiuntur ſine labore improbo ac moleſtia, ἀταλαιπώρως, ut ait Gregorius Thaumaturgus *Paneg. ad Origenem.* Itaque jus reſpondere vel docere non e trivio Juriſconſultus poſſit, ſed qui in libris Juris verſandis conſenuerit. Quem enim *invenias, qui docere poſſit, quod ipſe non didicit?* Quadrigam igitur Anteceſſorum docendam ſuſcepiſti, qui pluſquam Herculeus labor eſt: nam ut vulgo jactatur, ne quidem Hercules contra duos, aut, ſi Graeca facundia magis placeat, Πρὸς δύο οὐδ' Ἡρακλῆς λέγεται οἷός τε εἶναι.

Certe qui non modo Philologos, ſed etiam Philoſophos, Medicos, Theologos, prorſus Juriſconſultos docendos recipit, Herculi proximus eſt, qui in Olympicis *omnis generis certaminum victor exſtitit*, ut loquitur Vellejus *lib.* 8. *cap.* 2. Heic enim, ut opinor, mecum ſenties: nempe Vellejanam lectionem non eſſe ſollicitandam, aliter quam viro πρεσβυτάτῳ placuit, maxime cum Dionis Chryſoſtomi auctoritate firmetur, ut alibi doceo. Idque hactenus nondum animadverſum mirum eſt. Sed & *leo binos non invadit*, quod in ore Hebraeorum eſt.

Hoc autem quam in partem accepturi ſint Germani Profeſſores, & Belgae, non multum mea intereſt ſcire. Ego vero maximas ago tibi gratias, quod tam prono in me animo ſis, ut mihi operam tuam heic deeſſe nolis: *omnes homines ſcire natura appetunt*, ſive, ut ait Philoſophus, πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. *Sed & ego diſcendi cupiditate, quam ſolam vivendi rationem optimam in quinquageſimum quintum annum aetatis duxi, memor ſum ejus ſententiae, qui dixiſſe fertur*, κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω, προσμαθεῖν τι βουλοίμην. Non abludit Arabicum adagium: *Quaere ſcientiam a cunis ad ſepulcrum.* Serius quidem haec πρόσφατος δόξα, *opinio recens*, ad nos pervenit. Sed & Socrates cum annis defectus ad Lamponem ventitaret, dicere ſolebat, melius eſſe ſero didiciſſe, quam nihil omnino didiciſſe. Quanquam poſtquam altas in animis noſtris radices egit vetus Conſultorum omnium definitio, vereor ne operoſius ſit μεταπαιδεύειν ἢ παιδεύειν, dedocere inquam diſciplinam, quam excepi a praeceptoribus meis, quam novum docere.

invidiae fore apud doctos ſpero, quod ei alia, quam nobis ſententia ſederit. ¹ Non etiam probra aut convicia formidare debet, quae ſolis imperitis, ² & contumacibus debentur, cum ipſe juris non ſolum gnariſſimus ſit, quod & publice profeſſus eſt in Academia celeberrima, ſed etiam bonarum litterarum in primis cognitione imbutus. Accedat igitur quartus Profeſſoribus Germanis Belgisque Gallus, ut * quadrigam expleat, non inferior juris utriusque Doctor, qui doceantur *de Mutuo* quid ſit opinandum. A definitione ipſa incipit, de qua inter prudentes convenire ait, *Ut Mutuum ſit alienatio pecuniae, ſub lege reddendae quantitatis ejusdem.* Qui ſint illi prudentes neſcio, qui mutui contractum definierunt eſſe alienationem. Non puto apud veteres Jurisconſultos talem reperiri, ſed nec fortaſſe apud neotericos Juris Doctores.

³ Com

REPLICATIO.

¹ *Non etiam probra, aut convicia formidare debet.*] Certe omnes, qui integrae frontis, quique honeſtae & inculpatae vitae ſunt, probra aut convicia formidare ſolent, quaſi fama eorum hiſce probris quodammodo delibetur. Quid? ſi quem honeſtiorem verbis laeſero, dicam ille mihi ſcribet: nam de atrocioribus injuriis formulae compoſitae ſunt. Si quis autem mecum non ſentiat, ſine fraude mea illum proſcindam, & ex eruditorum albo nomen ejus eradendum cenſoria mente edicam? atquin injuriarum illa congeries & probrorum acervus litteratos homines, ut equidem ſentio, haut decet. Ipſae litterae humaniores feroces animos mulcere, & moroſiores homines lenire, & ad humanitatem inflectere omnino debent: aut certe litterati nomen deponendum eſt, quod viri boni, verecundi, ac innocentis nomen eſt, improbi, inverecundi, & litterarum profani adſumendum eſt, ut ſunt procacia imperitorum ingenia. Ad ſummam: verborum intemperies infimarum muliercularum proprium peculium eſt. Equidem ſi reus inſcientiae hic poſtuler, facile feram, quod ipſe mihi conſcius ſim, ſi modo abſit contumelia. Caeterum hoc tantum reponam, me nec injuriis factum, nec doctum probra aggerere, facilius poſſe linguae procaciam perferre, aut etiam modeſto ſpretu negligere, quam injuriae vicem exſolvere, & impenſiore famae damno vindicare. Veteres juris conditores ad Papinianum, & alios ſine omni contumelia notas ſcripſerunt. Inter Sabinum & Proculum vix unquam convenit, quorum diſſidia perſpicaciores tantum adgnoſcunt, quae ſi non abeſſet verborum acerbitas, imperitiſſimus quisque pervideret. Sic Alexander Grammaticus referente M. Antonino, ſi quis ſoloecum, aut barbarum protuliſſet, verbis meſis eum non objurgabat, ſed latenti quadam correctione, ipſe, uti dicendum fuerat, enunciabat.

² *Et contumacibus debentur.*] Contumaces, opinor, eos appellas, quibus alia, quam tibi ſedet ſententia. Vin' me tecum ſentire? aliorſum me trahit mea mens, ratio, vel etiam libido. An ergo me velut in ordinem coges, aut ſequi nolentem in jus rapies? meus ſum, meae ſpontis ſum. Sed & liber animus eſt, vim pati neſcit. Quaeſo igitur tecum ejuscemodi contumacibus deſine probra & convicia ingerere: nihil enim tam rationi naturali conveniens eſt, quam quemque arbitrio ſuo relinqui. Per ego te litteras, inquam, precor, quaeſoque, ſi quos velis arguere, ut tuus eſt mos, utere verborum caſtigatione Juris Auctoribus ad modeſtiam compoſitis familiari, veluti: Ego dicerem; ego contra puto; magis eſt; verius eſt; cui non conſentio. A quibus longe abſunt verba, quibus uteris in notando Cujacio. Ridicule, inquis, Cujacius, *de modo uſur. p.* 671. quaſi vero ſummus ille vir quidquam ſcripſerit inconditum aut ridiculum. Quin imo ſi me audies, deſine inclementer dicere in tot viros eruditione claros. Nam quae malum ratio eſt, ut aculeos tuos non effugiant ignoti, noti, prorſus, nemo. Quid dicent poſteri? quid nunc homines? Itaque *lites*, [illegible], *tricas*, forenſibus rabulis relinquamus, quas profecto qui modeſtiori cauſidicinae nomen dederunt, exhorrent; & merito! *Nam qui gloriosae vocis confiſi munimine laborantium ſpem, vitam, & poſteros defendunt*, non re modo, ſed neque verbis licentius quemquam debent laedere. Verum quo me impulit haec conviciorum commemoratio? Rem igitur aggrediamur, initio ducto a definitione mutui.

³ *Mutuum eſt alienatio pecuniae, quae fit ſub lege reddendae quantitatis ejusdem.*] Hujus definitionis, ne me ejus artificem putes, aut apud recentiores Juris Interpretes non reperiri, auctor eſt *in* [illegible], ſed Cujacius ſummus Juris Antiſtes, *Paratitlis in Codicem*; quo opere nihil divinius. Non te latet, Cujacium peritiſſimum conficiendarum definitionum fuiſſe: qui & ipſe profitetur, ſe jus definitionibus auxiſſe permultis, *quarum*, inquit, *homines noſtri erant indigentiſſimi*: nec tamen, Prudentiſſime Vir, ea definitio ſatis probe videtur tibi: adeo verum eſt, quod ait Philoſophus, *definitionem refutare perfacile eſſe*, [illegible]. Sic Auctores noſtri tradidere, omnem Juris definitionem, ſive regulam periculoſam eſſe: nam parum eſſe, ut ſubverti non poſſit. Quamvis autem idem magnus Anteceſſor alias quoque definitiones attulerit; nam ejusdem rei plures definitiones confici poſſunt, ſi modo ſenſu non differant, tamen haec prae aliis mihi ſemper placuit, quia mutui naturam optime declarat. Nam qui mutuum alienationem eſſe dicit, hoc ſignificat, mutuum non conſtare, niſi dans dominus ſit, & accipiens dominus efficiatur.

Ait *pecuniae*. Pecuniae autem appellatione non omnes res heic ſignificantur, ut in *l. cum pater* 77. *§. mando* 24. *D. de leg.* 2. & *l. teſtando* 13. *Cod. de teſtam.* & paſſim in libris Juris. Et Plato etiam, ex quorundam interpretum ſententia, *χρήματα* vocat, *πάντα τὰ κτήματα*, referente Olympiodoro *in Phaedonem* Platonis, ut plenius ad Theophilum notavi, id eſt, verbis Auguſtini, *quidquid homines poſſident in terra.* Sic etiam Eccleſiaſtici, ſive Sapientiae Syracidis *cap.* 14 *verſ.* 5. [illegible] *Non delectabitur pecuniis*; pro quibus alii Codices habent: [illegible] *Non delectabitur de bonis ſuis.* Atque ita pecuniam videtur accepiſſe, qui pro his Vegetius *de re militari lib.* 2. *cap.* 20. *in quibus ſuam poſitam ſcit eſſe pecuniam*, uti legitur in veteri Codice Nicolai Peireſcii [illegible], quem cum editis contuli, repoſuit, *in quibus ſuam videt poſitam eſſe ſubſtantiam.* Neſcio, an veniam hoc loco mihi daturus ſis, ut obiter moneam, Vegetium ibidem aliter in veteribus legi, quam vulgo: nam ubi caſtigatiores etiam editiones habent, *Haec ratio apud ſignifera, ut nunc dicunt, in cophino ſervabatur*: ſic in manu exarato Codice legitur, *in fiſco ſervabatur.* Cujusmodi lectio confirmari poteſt Taciti *Annal. lib.* 1. *cap.* 37. *Cum fiſci de Imperatore rapti inter ſigna, interque Aquilas veherentur.* Nec tamen auctor ſum, ut quidquam mutetur, propter illa, *ut nunc dicunt*. Vegetii nempe aevo; cophinum dixerunt pro fiſco: & ita Auctores Baſilicon *lib.* 20. *tit.* [illegible] *cap.* 1 § 2. fiſcos vertere [illegible]. Gloſſae Baſilic. [illegible]. Si quid mutandum eſſet, ita legi vellem, *in cophino, ut nunc dicunt, ſervabatur.* Tuum eſto judicium! En quia pau-

la-

latim creſcit audacia, videamus etiam, an ſcripta lectio verior ſit, quam edita in *dict. cap. Nam cum publica ſuſtententur annona*: non improbo lectionem. Cujus in *l. curator 5. D. de vent. in poſſ. mitt. unde ſuſtentare non poſſit*, ſic in *l. 3. Cod.* ne uxor pro marito, *ad ſuſtentandum eam.* Tacitus *Annal. lib. 4 cap. 13. mutando ſordidas merces ſuſtentabatur.* Sed neque diſplicet vetus ſcriptura, *Nam cum publica ſuſtinentur annona.* Paulus in *l. mutus 73. § 1. D. de jur. dot. ut egentem virum, fratrem, ſororemve ſuſtineat.* Trajanus ad Plinium *Ad ſuſtinendam tenuiorum inopiam.* Apulejus dixit, *vitam ſuſtinere.* Haec quidem velut recto itinere depulſus adjeci: ſed quoniam excellius ejuſmodi tibi non diſplicere comperi, nec ſemper intra fines tuos te contines, haec ſuſtinui ſcribere. Nunc ad ordinem redeo. Sed neque pecuniam pro nummis accepit, ut plerumque uſurpatur, ut in *l. 2. 5. 7. 10. D. de uſufr. ear. . liberas 79. D. de leg. 3. & l. 1. D. rer. divis.* conjuncta Graecorum interpretatione, & Theophil. *inſtit. lib. 2. tit. 2.* Fallitur autem Graecus Interpres *Nov. 136. cap. 3.* qui χρήματα, non pro nummis, ſed pro rebus aliis accepit. Χρήματα, inquit, ἐνταῦθα μὴ νόμει τὰ ν. ἀλλ' ἕτερα πράγματα, deceptus, opinor, mendoſo Codice: nam Juſtinianus ait, χρήματα ἢ εἴδη τινα, *Pecunias aut ſpecies quaſdam, non autem*, καὶ ἕτερα εἴδη, *& alias ſpecies.* Sic ἀργύριον, ſtricte pro pecunia & nummis apud Graecos ſumptum. Julius Pollux *lib. 3. cap. 10.* τὸ δὲ ἀργύριον καλεῖται χρήματα καὶ νομίσματα, *argentum pecunia vocatur & nummi.* & *lib. 7. cap. 24.* καὶ ἀργύριον, τὸ νόμισμα, *argentum, nummus.* Scholiaſtes Thucydidis: πιπράσκει δ' ὁ κακὸς πάντα πρὸς ἀργύριον: *Improbus omnia argento venalia habet.* Amos Proph. *cap. 8.* καὶ ἀργυρίῳ, vetus interpres, quem viri eruditi laudant, *in pecunia.* Gloſſae Graecolat. ἀργύριον, *haec pecunia.* Livius *lib. 21. Qui pecuniam quam agrum maluiſſet, ei ſe argento ſatisfacturum.* & *lib. 22. Si quibus argentum in praeſentia deeſſet, dandam ex aerario pecuniam mutuam.* ut & apud Gallos argentum pro qualibet pecunia ſumitur: nam argentum non habere dicitur, qui pecuniam in numerato non habet. Sic ἀργυροπράτης dicitur tam argenti, quam auri ſeu pecuniarum venditor, ut vertit Anaſtaſius Biblioth. *in hiſt. Eccleſiaſtica* (quae brevi ex Vaticana Biblioth. opera noſtra in lucem prodibit) & ἀργυροπρατεῖον, taberna argentaria. Joannes Malela nondum excuſſus: καὶ λάθρα ἐνέχυρα τὰ ἀργυροπράτα. Pecunia igitur in hac definitione accipitur pro rebus, quae pondere, numero, menſura conſiſtunt, ut in *l. talis ſcriptura 30. D. de leg. 1. l. 2. §. 3. D. de rebus credit.* ibi *niſi profeſſicatur pecunia.* Vid *l. 2. Cod. de conſt. pecun.* Pondere, ut argentum infectum. Numero, ut argentum ſignatum. Menſura, ut oleum, *l. 5. §. ſiet 14. D. de inſtit. act.* Cato *de re ruſt. cap. 5. ſatui ſemen, cibaria, far, vinum, oleum mutuum dederit nemini.* Theophraſtus *Charact.* περὶ ἀναισχ. δανείζεσθαι κριθάς, ποτὲ δὲ ἄχυρον· *mutuari hordeum, & aliquando paleam.*

Ait *ſub lege reddendae quantitatis ejuſdem.*] Nam ea lege & conditione in creditum itur, ut quod datur repoſcibile ſit; & ideo mutuum etiam crediti appellatione continetur: *non enim creditum duntaxat dicitur, cum dominium non transfertur, ſed etiam cum transfertur, ut in mutuo: creditum enim & mutuum ſignificat, & contractum omnem, ex quo ſpes eſt id, quod datur reſtitui. & donatio igitur creditum non eſt: donator enim ſic dat, ut nullo caſu ad ſe reverti velit.* Haec tradunt Graeci ad *l. 2. §. 3. D. de reb. credit.* Οὔτε γὰρ ἐκεῖνα μόνον μὴ μετατίθεται δεσποτεία ... ἀλλὰ καὶ ἐκεῖνα δεσποτεία μετατιθέμενα, ὡς ἐπὶ τοῦ δανείου. τὸ γὰρ κρέδιτον καὶ τὸ δάνειον καὶ πάντα σημαίνει συναλλάγματα, ἐξ ὧν ἐλπὶς ... ἀναλαμβάνειν διὰ τὴν δωρεάν (videtur legendum, δίχα τῆς δωρεᾶς) ὁ γὰρ δωρούμενος ... τούτῳ δίδωσιν ἵνα ...

Reddendas.] Huc alludit Auctor incertus *Panegyrici Maximiano & Conſtantino dicti*, his admodum verbis: *Quid enim putas tibi, Maximiane, Jovem ipſum reſpondiſſe, cum tu ingenti animo diceres, Recipe, Jupiter, quod commodaſti? H c ... ille reſpondit, non mutuum illud tibi tradidi, ... d aeternum non recipio, ſed ſervo.* Nam aeternum vocat, quod re... non debet. Donatus juris non ignarus, tametſi Grammaticus, in illud Terentii, *in Andr. Act. 5. ſc. 5. ver. 3.*

Ego Deorum vitam propterea ſempiternam eſſe arbitror,
Quod voluptates eorum propriae ſunt,

Omne quod habemus, inquit, *aut mutuum eſt, aut proprium. Mutuum eſt, quod habemus ad tempus, ... poſtmodum noſtrum futurum eſt.* Et m x. *propriae ſ ... t perpetuae, ſempiternae, quae non ſunt commodatae ad tempus, ut mutuae.* Sic legendum puto: quod neſcio, an tibi, hoc eſt, Critico ſummo probaturus ſim. Sic proprium accipiendum eſt in Gn. Gelli Annal. 3. quem refert A. Gellius *lib. 1 . cap. 21.* Mutuum igitur ad tempus noſtrum ...: hoc eſt, quantitas. Nam res mutuo datae propriae ... unt ac perpetuae. Nec creditor quantitatis dominium retinu...

Reddendae.] Pecuniam reddere vel ἀποδοῦναι debitor dicitur, non tanquam no... alienatam, ſed tanquam debitam *l. 6. C. de jur. & fact. ignor* & *l 4. C ...* vel reſp. Euſtathius ad *Iliad. ἐ. p. 591. edit. Rom.* τὸ δὲ ἀπόδωκε, τὸ χρεωστικῶς δοῦναι δηλοῖ. *Reddidit autem hic ſignificat dare ſeu exſolvere debitum.* & ad *Iliad ἐ. Licet*, inquit, *alias differant dare, & reddere; hic tamen utrumque uno eodemque ſignificatu ponitur.* Verba ejus haec ſunt *p. 666.* εἰ καὶ ἐν ἄλλοις διαφορά ἐστι τοῦ δοῦναι καὶ τοῦ ἀποδοῦναι, ἀλλ' ἐνταῦθ' ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ σημαινομένου κεῖνται ἀμφότερα. Scio aliud eſſe reddere, aliud quaſi de ſuo dare *l. 1. §. 21. D. depoſ.* Id luculenter oſtendit Demoſthenes in ea pro Haloneſo in ſola mihi *pag. 30. b.* quam Libanius Egeſippo tribuit, Euſtathius autem Demoſtheni adſcribit in 1. *Iliad. p. 62.* Heic autem reddere eſt dare, vel perſolvere, ut jam dixi. Reddere uſuras, eſt ſolvere in *l. cum quidam 17. D. de uſur.* Graeci utuntur verbo ἀποδοῦναι vel ἀποδιδόναι. Juriſconſulti etiam, Paulus in *l Publica 26 §. 1. D. dep.* μέχρι τῆς ἀποδόσεως. Ariſtophanes ἐν νεφέλαις. Iſocrates in *Areopagitico*: ἐκκλησίας γενομένης περὶ ἀποδόσεως τῶν χρημάτων, καὶ λεγόντων πολλῶν ὡς δίκαιόν ἐστι διαλῦσαι τὰ πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους, μὴ τοὺς πολιορκουμένους, ἀλλὰ τοὺς δανεισαμένους: *Indicta concione de reddenda pecunia, cum multi bonum & aequum eſſe dicerent, ut Lacedaemoniis ſatisfacerent, non qui obſidionem tuliſſent, ſed qui mutuum ſumpſiſſent.* Simplicius in Epicteti *Enchirid. cap. 37.* Καὶ ὡς δανεισαμένους παρὰ τῶν γονέων τὴν ἐπιμέλειαν, ἀποδιδόναι μετὰ τόκου αὐτοῖς ... προσήκει: *quaſi curam noſtram, quam parentes egerunt, mutuam ab eis acceperimus, cum foenore eis bona fide reddenda eſt.*

Reddendae.] Praeſtituta die. Quid ſi ſine die creditum ſit? Accurſius putat, ſtatim pecuniam repeti poſſe (quod rationem non habet) Graeci ante diem tertium agi non poſſe, ut alibi obſervavi; cujuſmodi laxamentum vix debitori proderit. Dicebam ante diem decimum praematurius agi, argumento conſtituti: nam cum ἀπροθέσμως & ſine die conſtituitur, tacite decem dies inſunt, *l promiſſor 21. §. 1. D. de pecunia conſtituta*: nec enim arctandi ſunt debitores, qui, nonniſi urgente neceſſitate, mutuantur, ne beneficio creditoris magis laedantur, quam juventur. Quod igitur ait Accurſius confeſtim peti poſſe, cum aliquo temperamento temporis intelligendum eſt, quod debitor pecuniam explicare poſſit: nam ſi ... *avarus creditor ad horam & diem appellat*, ut ait Seneca, quanto minus ferendus erit creditor, qui debitorem ſuum ita urgere velit, ut magis dare quod ſtatim recipiat, quam credere videatur: & debitor pecuniam magis renumerare, quam utendam accipere. Modicum igitur tempus ſtatuendum eſt non minus decem dierum conquirendae & conficiendae pecuniae gratia. Viri docti notant ex jure Hebraeorum, creditorem ante triceſimum diem debitorem ex cauſa mu-

mutui exigere non poſſe, ad Codicem Machoth, *cap.* 1. §. 2. quod ſi verum eſt, ſatis humanum eſt. Diſpar cauſa eſt debitoris & creditoris: debitor enim confeſtim poteſt ſolvere: nam & quod in diem debetur, ante ſolvi poteſt, licet peti non poſſit *l. continuus* 137. §. *cum ita* 2. *D. verb. oblig.* qua de re Iſidorus Peluſiotes *lib.* 2. *epiſt.* 212. Theophanes Tauromenitanus *homilia* 42. Καὶ χρεωφειλέτης εὐχάριςτος μηδεμίαν ὑπὸ τοῦ δανειστοῦ φέρων τὴν ὄχλησιν, ὁμως ὑπὸ τοῦ συνειδότος ὀνττόμενος μελετᾷ τὸ χρέος, καὶ σπεύδει πρὸς τὴν ἀπόδοσιν. ἥκω τοιγαροῦν κἀγὼ τοὶ ἀποδώσων ὑμῖν ὑπερήμερον: *Gratus debitor etiam ſi non convenitur a creditore, tamen a conſcientia ſtimulatus de debito cogitat, ſolutionemque maturat. Ego igitur etiam debitum ſoluturus venio, cujus ſolvendi jam praeteriit dies.* Verum locus hic magis pertinet ad eum qui ſua die ſolvit, non exſpectata admonitione ſeu in jus vocatione, & debitor, ſolutum ante diem repetere non poteſt, *l. in diem* 10. *D. de cond. indeb.* & *l. ſi fidejuſſor* 6. *C. mand.* Creditor autem antequam dies ſolvendi venit, petere non poteſt: illud favor liberationis meruit.

Reddendae. Huc quodammodo pertinet inſpectio de erano, de quo nonnihil etiam dicendum eſt. Priſco Graecorum inſtituto ſi quis facultatibus lapſus eſſet, & creditoribus obnoxius impar eſſet ſolvendo, ſolebant amici conferre aliquid, quo obaeratior pecunia collatitia aes alienum, quod contraxerat, diſſolveret. Amici ἐρανίζειν dicebantur: ipſe qui facultatibus defectus erat ἐρανίζεσθαι. Hinc per translationem ἐρανίζεσθαι dicti, qui libros ſuos ex variis ſcriptoribus contexuiſſent. Adamantius *Phyſiognom.* 1. Τὴν φυσιογνωμονικὴν μέθοδον, ἀπό τε Ἀρι[illegible] ἀναλεξάμενος, καὶ ταύτην [illegible] ἐξ ἄλλων ἐρανισάμενος: ait, ſe ex variis Auctoribus librum ſuum concinnaſſe more ἐρανιζομένων. Eodem verbo Cedrenus utitur, qui hiſtoriam ſuam ingenue fatetur ex variis Auctoribus conſarcinatam. An autem quem fortunis omnibus adeſis amici ſtipe collectitia juverant, poſtea reparata re familiari ad pecuniae ſolutionem urgere poſſent, quaſi mutuo quodam genere contracto, non ſatis convenit. Viro ſummo Iſaaco Caſaubono ad Theophraſti *Characteres* placebat, ſi poſtea fortuna aſpirante facultates patrimonii auctae eſſent, pecuniam in rebus adverſis collatam reddendam, non minus, quam ſi ex cauſa crediti deberetur: eamque ſententiam amplecteris *libro de uſuris*, & *in obſervat. ad jus Atticum*, ac neceſſario jure pecuniam reddendam, quam amici benigne contuliſſent: collationem enim ejuſmodi mutuo fuiſſe proximam contendis. Deſiderius Heraldus, amicus noſter, vir optimus & doctiſſimus, contra putat, ut ſcilicet non ultra teneretur, quam ut ſi mitiores fortunae vices expertus eſſet, amicum iniquiorem fortunam paſſum mutuo auxilio juvaret ad ejus inopiam ſuſtinendam, quod Graecis eſt, ἀντερανίζειν, ſed nullo jure eum vicem rependere coactum, ſed humanitatis officio ductum collatoris inopiae ſubvenire debuiſſe. Ego in hanc ſententiam proclivior ſum. Moveor primo quod Heſychius ἔρανον interpretatur ἡ συνεισφορὰ δῶρον: nec enim donari dici poteſt, quod ita proficiſcitur ab aliquo ut ad eum redeat. Donare eſt perdere, ut ait Juriſconſultus, & donatio Platoni δόσις ἀνανταπόδοτος, ſeu *liberalitas irrepoſcibilis*. Qui ergo dici poteſt, hoc genus φιλανθρωπίας repeti potuiſſe a collatore? At tu fortaſſe dices, donationem eſſe, ſi tam egens ſit, ut amico in rebus arctis ſubvenire non poſſit, quod ſatis abſurdum mihi videtur: nam qui ἔρανον interpretatur, eam interpretationem adferre voluit, quae generaliter & in omnem eventum accipi poſſet. Nec mutat quod idem Heſychius ἔρανον interpretatur ἀνταπόδοσιν, ſive *retributionem*: nam qui ſtipem collatitiam ab amicis acceperat, eandem conferre debebat, ſi forte facultatibus exuti eſſent: aequiſſimum enim erat, ut quod in rei familiaris anguſtia accepiſſet, idem divitior factus rependeret. Sed & Ariſtides *Platonica* 1. ſic de erano loquitur, quaſi pereat ei, qui dedit. Mutuum autem creditori non perit, ἐκ ἀπόλλυται, ſed ſua die reddendum eſt. Ergo aliquid eſt inter eranum & mutuum: illud non ſemper redditur, hoc redditur a debitore, cum a creditore appellatur. Locum Ariſtidis profert Cl. Heraldus propter verba poſtrema, & aliud probet, quam heic nos inſtituimus. Addamus, quod ſi ſolvendi neceſſitate obſtringeretur debitor, duplex ei onus impoſitum videretur, ſolutionis & collationis, amico ad egeſtatem perducto. Denique ſi ἔρανος quaſi mutuum eſſet, dura videri poterat Platonica lex, qua tolluntur ἐρανικαὶ δίκαι: actionem enim collatori erani repetendi gratia Plato dari non vult. Ergo in necem collatoris lata lex, qua jus ſuum perſequendi ei adimitur, quod, opinor, Platoni propoſitum non fuit. Quid ergo eſt? haec ſine dubio Platonis ſententia fuit, ut qui humanitate ſuggerente, nec ulla impendente neceſſitate, aliquid contulerat amici ſublevandi cauſa, ne quidem ſi collator ad inopiam perductus eſſet, ad collationem compelleretur. In ſumma; debitum ex humanitate contractum eadem humanitate ſuadente diſſolvi debet: id eſt, quem amicus in re anguſta benigne juvit, is, ſi ejus ope ille indigeat contraria fortuna uſus, benigne quoque citra juris neceſſitatem ei mutuum auxilium ferre non recuſabit. Ante Platonem autem inſtitutae erant actiones eranicae; ut mutua collatio in re adverſa collatoris juris vinculo adſtringeretur: quod ut a benignitate penderet Platoni magis placuit. Si liceret mihi, quaedam etiam adderem de erano conviviali, de quo Euſtathius in Homerum *pag.* 1412. *num.* 60. *editionis Romanae*, quem tu Cl. Vir inemendatum citaſti *pag.* 67. *obſervationum ad jus Atticum*. Puto autem legendum apud eum, οἱ παλαιοὶ, non οἱ πολλοί. Nonnihil etiam adderem de collegiis eraniſtis, ad quos pertinere videtur hic locus Apſini *in arte Rhetor.* συνεισφέρειν, inquit, ὡς εἰς κοινὸν ἔρανον ἀναγκαῖον: quo loco an κοινὸν poſſit accipi pro collegio vel corpore eraniſtarum, vel pro arca communi, tu videris. Certe pro collegio non poteſt, vel *communi*, ut κοινὸν τῶν Θεσσαλῶν in *l.* 37. *D. de judic.* & *l.* 5. §. 1. *D. ad leg. Jul. de vi publ.* ut in nummo Domini, κοινὸν τῶν Μακεδόνων, & in nummo M. Antonini κοινὸν Κυπρίων, & Juliani [illegible] 25. κοινὸν Ἰωνίων. Verum hae partes ſunt viri Cl. Deſiderii Heraldi, cujus diligentiae malo haec relinquere, quam extra oleas vagari.

Quantitatis. Mutuum enim conſiſtit in his rebus, quae magis quantitate valent, quam corpore, *l.* 1. §. *non ſolum* 6. *D. ad leg. Falcid.* *l. ſi is cui nummos* 94. *D. de ſolut.* In commodato idem corpus redditur; in mutuo eadem quantitas. Commodatum uſui eſt, *abuſui vinum, oleum & caetera hujuſmodi*, ut ait Donatus *Prologo in Andriam*. Item ſi idem creditori ſolvendum eſſet, mutuum debitori inutile eſſet, qui urgente neceſſitate mutuatur.

Ejuſdem.] Lucae *cap.* 6. *verſ.* 34. δανείζουσιν ἵνα ἀπολάβωσι τὰ ἴσα: *Mutuum dant, ut recipiant aequalia. Nam ſi nummos centum mutuos mihi dederis, eoſque velim tibi reddere, eodem pondere, quo accepi, reddere debeo, tuque eodem, non alio, recipere debes:* Εἰ γὰρ εἶεν ἑκατὸν παρά σου χρυσίνους [illegible], θέλοιμι δὲ σοι τούτους ἀποδοῦναι, τῷ ζυγῷ ᾧ [illegible] εἴληφα, ἐκείνῳ καὶ σὺ παρ' ἐμοῦ, οὐχ ἑτέρῳ ἀπολαβεῖν, ὀφείλεις. Verba ſunt Theodori Abucarae ex Dialogo quodam. Res autem non eadem quantitate tantum, ſed etiam eadem qualitate reddi debet: nam ſilentio videtur conveniſſe, ut res ejuſdem qualitatis reddatur, *l.* 3. *D. de reb. cred.* Baſilica: Ἐν τῷ δανείῳ σιωπηρῶς συμφωνεῖται, τὸ δεῖν ἀποδοθῆναι τοῦ αὐτοῦ γένους, καὶ τῆς αὐτῆς ποιότητος: *In mutuo tacite id agitur, ut res ejuſdem generis & bonitatis reddatur.* Itaque probam pecuniam qui accepit, non liberatur ſi aeroſam ſolvat, cui nimirum aes aliave com-

commiſſa ſit materia : ὑπὸ χαλκοῦ καλοῦται νόμισμα τὸ ἀδόκιμον καὶ ὕλην ἑτέραν ἐπιμιξίαν δεξάμενον, ut ait Theodoretus *in Ezechielem*. Item, vinum novum pro vetere reddi non poteſt, *d. l. 3.* nam vinum, quod vetuſtatem imbuit, purius & melius fit, ſive ut ait Columella *lib. 3. fere omne vinum vetuſtate adquirit bonitatem*. Hoc ſignificat Pindarus *Olymp. 9.* & Eccleſiaſtici *cap. 9. verſ. 7.* aperte autem dicitur Lucae *cap. 5. in fine*, ὁ παλαιὸς (οἶνος) χρηστότερός ἐστι: *Vinum vetus melius eſt*. Ariſtides *oratione Aegyptiaca*, Lucian. *de merc. cond.* Horat. *Epiſt. lib. 2. ep. 1. v. 34.*

Si meliora dies, ut vina, poemata reddit.

Fronto. *Vinum hoc melius eſt, quo fit vetuſtius.* B. Auguſtinus *lib. 2. de morib. Manich. cap. 16. Vinum vero vetuſtate purius meliusque fieri quis ignoret?* vide Euſtathium ad *Odyſſ.* β' & ι.

Quid ſi nummi aurei crediti ſint? aurei etiam reddendi ſunt. Quid ſi debitor nummos aureos ejuſdem facultatis & bonitatis, ut Cedreni *p. 656. aedit. nuae*, velit reddere, alterius tamen formae, an audiendus eſt? In nummis tria ſpectantur, materia, puta aurum; forma ſive character, puta vultus principis; & facultas, ſeu quantitas. Hieronymus Graec. Theol. *in Dial. de Trin.* ὥσπερ τὸ νόμισμα ἔχει χρυσὸν καὶ εἰκόνα, καὶ λόγον τοῦ βασιλέως. οὕτως ἐν τῇ ἁγίᾳ τριάδι ἀσύγχυτος ἡ ἑνότης ἐν τρισὶ προσώποις μιᾷ οὐσίᾳ καὶ θεότητι· *Quemadmodum nummus habet aurum & imaginem & aeſtimationem a principe impoſitam: ita in ſanctiſſima Trinitate unitas inconfuſa in tribus perſonis diſtincta una eſſentia & deitate.* Uſus ſum verbo *quantitatis* cum Paulo JCto in *l. 1. D. de contr. empt.* Quam facile autem te ab ea lege expedias, conſtat ex libro *de Uſuris, p. 442. & tribus ſequentibus*: ubi bene longa oratione novam Paulo ſententiam adfingis. Omnino tamen Cujacii ſententia quantitatem pro facultate & aeſtimatione accipientis verior eſt: in eadem opinione eſt Simeo Boſius, vir doctiſſimus, ad *epiſtolam 5. lib. 12. ad Atticum*. quibus adſentior. Ad rem! Paulus ait, *creditorem non eſſe cogendum in aliam formam* (Baſilica, ἄλλου τύπου) *nummos accipere l. creditorem 99. D. de ſolut.* & merito! nam ejuſdem generis & qualitatis res reddi debet *l. 1. D. de obligat. & act.* ejuſdem naturae, *Inſtit. quibus mod. re contr. oblig.* & nummi ὁμοειδεῖς, *en meſmes eſpeces*. Paulus addit: *ſi ex ea re damnum aliquod paſſurus ſit*. Itaque ſi ſine damno ſuo nummos in aliam formam accipere recuſet, non erit ferendus creditor. Et longe minus nummos argenteos creditor accipere cogetur: uſurpatum tamen eſt, tametſi nullo jure, ut nummi argentei pro aureis ſolvi poſſint; quod ego ſic admittendum cenſeo, ſi creditoris nihil interſit: nam ſi creditor pecuniam auream in aliam formam accipere non cogitur, quam dederit, ſi damnum faciat: fortius dicetur non eſſe cogendum, ut pro aureis argenteos accipiat, ſi damnum exinde paſſurus ſit. Fac te Maſſiliae Regales Hiſpanicos accepiſſe: non ſine damno creditoris, qui negotiationes tranſmarinas exercet, aliam ei pecuniam reddes: uno mercatores eos & Biniones Hiſpanicos coëmere ſolent a menſariis & argenti diſtractoribus, cum toto orbe Turcico nulla aeque proba moneta cenſeatur. Et rationem igitur non habet ut debitor pro Regalibus aliam pecuniam exſolvat cum diſpendio creditoris. Niſi aliud actum ſit, hoc eſt, ut argentea vel aerea pecunia redderetur pro aurea, vel aliter poſtea convenerit: & in ſuo ſtatu remanet mutui ſubſtantia, ſive, ut ajunt Graeci, μόνον δάνεισμα τὸ συνάλλαγμα. *l. 10. C. ſi cert. pet.* Nam aliud pro alio volenti creditori citra injuriam ejus ſolvi poteſt. Titius Livius *lib. 38. cap. 11. Pro argento*, inquit: *ſi aurum dare mallent, darent convenit* (ex conventione igitur aurum pro argento datum) item quod Seneca ſcribit *lib. 6. de Benefic. cap. 5. Pecuniam ſe non reddidiſſe, quamvis numeraverimus pro argento aureos.* Sic accipiendum eſt, ut conſentienti creditori adnumerati ſint aurei, vel alius generis nummi. Denique in ſumma plebis Romanae paupertate, propter magnitudinem aeris alieni, argentum aere ſolutum eſſe ſcribit Salluſtius *in Catilinario. cap. 33.* Ad ſummam, pro aureis nummis aurei reddi debent, & poſſunt etiam alterius formae, ſi nihil creditoris interſit; puta ſi pluris hodie ſint, quos dedit. non etiam argentei; niſi ita convenerit, aut publica utilitas id extorqueat. Quod ſi ex abundanti placuerit, ut ejuſdem formae & naturae reddantur, non dubito, quin aurei pro aureis vel argentei pro argenteis omnino reddendi ſint. Nec poteſt videri futurum debitum ſi pecunia creverit; nam ſi decreverit, periculum creditorem reſpicit. Itaque propter mutuum periculum creditoris & debitoris pactum ſervandum puto. Fugerat me monere apud Paulum in *d. l. 99. formam* eſſe characterem, aut charagma, ſeu ſignum nummi, quae & moneta dicitur. Joannes Hieroſol. in Matth. *cap. 21. Sicut nummus habet charagma Caeſaris: ſic homo habet charagma Dei. Et quemadmodum ſolidus, qui non habet charagma Caeſaris, reprobus eſt: ita & homo, qui non oſtendit in ſe imaginem Dei, reprobus aeſtimatur*, id eſt, παραχάραγμά ἐστι. B. Ignatius *epiſt. ad Magneſ.* Ὁ πιστὸς ἄνθρωπος νόμισμά ἐστι ὑπὸ Θεοῦ χαραχθέν. ὁ ἄπιστος, ψευδώνυμον, κίβδηλον, νόθον, παραχάραγμα. Curius Fortun. JCtus *artis rhet. lib. 3. Vir perfectiſſimus dixit. verbis utendum eſt, ut nummis publica moneta ſignatis.* B. Hieronymus *epiſtola ad Minervium & Alexandrum: Nec ſignatus eſt moneta publica.* Falluntur, qui ibi reponunt, *nota*: moneta etiam dicitur, ut ait Harmenopulus *Proch. lib. 6. tit. 14. §. 3.* Τὸ ἀρχέτυπον σφραγιστήριον, ὃ βαλλωτήριον, μεθ' οὗ ὁ τῶν νομισμάτων διαχαράσσεται: *Principale ſignaculum, ſeu iconium, quo nummorum forma exprimitur*: Gloſſae Baſilicon: Μονήτα τὸ χαλκοῦν νόμισμα: *Moneta, aeneus nummus.* Denique moneta eſt ἀργυροκοπεῖον, & locus, in quo moneta cuditur; & nummus ipſe. Onomaſticon: *moneta*, νόμισμα. Apud Paulum, inquam, *forma* eſt character nummi, ſive nota, qua nummus ſignatur. Sic accipitur in *l. ſacrilegii 6. §. 1. D. ad leg. Jul. pecul. l. 1. D. de contr. empt.* Seneca *lib. 5. de Benefic. cap. 14. Corium forma publica percuſſum.* Q. Curtius *lib. 5. c. 2. Quinquaginta millia talentum non argenti ſignati forma, ſed rudi pondere.* Addeſis Voluſium Maecianum & Quintilianum. Haec ἐπεξεργαστικώτερον exſecuti ſumus, ut per omnia Cujacii definitioni patrocinium praeſtaremus. Porro neſcio, an idem Cujacius felicius mutuum definierit, *Creditum quantitatis datae ea lege, ut eadem ipſa quantitas reddatur in genere, non in ſpecie eadem. Paratitlis Dig. & Obſervat. lib. 11. cap. 36.* quanquam eodem pene recidit: nam quantitatem dare, eſt alienare. Caetera autem verba hujus definitionis, breviter illis ſuperioris, *quantitatis ejuſdem*, complexus eſt. Obſervemus ibidem τὸ creditum, quod *de Mutuo* proprie dicitur. Terentius *Phorm. Act. 2. ſc. 1. verſ. 72.* Cornelius Fronto: *committimus conſilia, credimus pecuniam.* Sicut creditores proprie dicuntur, quibus debetur ex cauſa mutui, *l. ſicut abſentis 5. §. is quoque 3. D. de obligat. & act. l. 10 & 11. D. de verb. ſign.* Theodorus Hermopolites, qui in locupletiſſima Bibliotheca illuſtriſſimi viri Petri Seguerii Franciae Cancellarii, τὸ δανειστὴς καὶ χρεώστης ὄνομα, ἡ συνήθεια καὶ ἡ κοινή, γλῶττα οἶδεν ἐπὶ τὸ πολλὰ δανείζοντος, καὶ δανειζομένου παραλαμβάνει καὶ λέγει: *Creditor & debitor conſuetudine loquendi, & vulgi ſermone dicitur, qui mutuum dedit & accepit.* Gloſſae Iſidori, *danus, foenerator*, neſcio an legi poſſit, *danus, foenus, daniſta, foenerator.* Danus autem eſt a Graeco δάνος, ut *foenus* Iſidorus interpretatur. Interpretes autem Eccleſiaſtici *cap. 29. verſ. 4. mutuum*: an quia foenus & mutuum promiſcue acceperunt, ut *d. cap. 29. foeneratur proximo*, δανείζει τῷ πλησίον, id eſt, *mutuum dat*. B. Auguſtinus *ibidem: Foenerator dicitur & qui dat mutuum, & qui accepit.* & in *Pſ. 37. v. 21. Si foeneraveris homini, id eſt, mutuam pecuniam tuam dederis.* denique Locut. *de Deut. c. 25 v. 8.*

Foe-

[1] Cum enim omnis definitio conſtare debeat genere, & differentia, ex hac definitione conſequeretur, genus mutui eſſe alienationem. [2] Atqui ſub obligationum, quae re contrahuntur, genere comprehenditur in jure. Nam inter ſpecies obligationum, quae re contrahuntur, prima numeratur in Inſtitutis *Mutui datio.* Aliud eſt obligatio, aliud alienatio. [3] Si mutui datio eſſet alienatio, omnes aliae obligationes generis ejuſdem definiri etiam deberent per alienationem loco generis, ut depoſitum, commodatum, pignus, & indebiti ſolutio. Nam quae ratio, ut ejuſdem generis aliqua ſpecies ad aliud referatur genus? Cum depoſitum & commodatum inter obligationes recenſeantur, quae re contrahuntur, haud ſecus ad mutuum, cur non ſolum mutuum definietur alienatio, cum illae caeterae ejuſdem cum mutuo generis ſpecies, obligationes re contractae definiri ſoleant, & ad illud genus debeant referri? Et Doctores quidem hodierni, quibus inſedit mutui contractum eſſe alienationem, in eo definiendo [4] ſolent pro genere ponere *contractus* nomen, ne ſi *obligationem* dicerent, id videretur, eorum opinioni prorſus refragari. [5] Quid enim tam contrarium alienationi, quam obligatio ad reddendum? [6] Alienatione quacunque, qui accipit & adquirit ſibi rem alienatam, non obligatur ad eam reddendam. At in omnibus obligationibus, quae re contrahuntur, ille, qui dat obligat, accipientem ad eam ſibi poſtmodum reſtituendam. Quod abeſt longiſſime ab animo & propoſito alienandi. Ut enim res alienetur, debet concurrere in eo, qui dat, animus alienandi, & in eo, qui accipit, ex eadem cauſa accipiendi. Qui autem ſic dat, ut obliget accipientem ad redditionem, nihil minus cogitat quam alienationem. [7] Qui vero rem accipit, & ejus datione obligatur ad eam reddendam, non ex cauſa alienandi illam accipit. In omni ergo obligatione, quae re contrahitur, res datur ut reddatur. Mutui vero haec differentia eſt ab aliis ejuſdem generis obligationibus, quod in eo res quantitatis ejuſdem reddatur, in reliquis illa ipſa ſpecies, quae data eſt

[8] Mu-

REPLICATIO.

Foenerationem Scriptura dicit mutuo datam pecuniam, etiam ſi uſurae non accipiantur. unde eſt & illud in Pſalmo: Beatus qui miſeretur & commodat: hoc enim maluerunt interpretari noſtri, qui ſententiam potius, quam verba ſequenda putaverunt: nam in Graeco habet, δανείζει, quod eſt foeneratur. & Matthaei *cap. 5. v. 42. τὸν θέλοντα ἀπὸ σοῦ δανείσασθαι, volenti mutuari abs te.* Theophylactus: *δάνειμα δὲ, οὐ τὸ σὺν τόκῳ λέγει, ἀλλὰ τὴν ἁπλῶς χρῆσιν.* Cujacii igitur definitiones abſolutiſſimae ſunt tanquam confectae ab eo, qui nihil reliquit *ἀσκέπτον καὶ ἀδιεξέταστον.*

[1] *Cum enim omnis definitio conſtare debeat genere & differentia.*] Alienationem genus eſſe quid vetat? venditio, donatio, permutatio, dos, adjudicatio, ſolutio, noxae deditio, legatum, manumiſſio, uſucapio, & ſi res ex cauſa judicati tradita ſit, alienationis ſpecies ſunt, *l. 1. & 6. & ſeq. D. de public. in rem act.* Differentia continetur his verbis, *quae ſit ſub lege recipiendae quantitatis ejuſdem:* mutuum enim alienatio eſt, quae hanc legem continet, ut par quantitas reddatur in genere, non in ſpecie eadem.

[2] *Atqui ſub obligationum, quae re contrahuntur, genere comprehenditur in jure.*] Mutuum, inquis, alienatio non eſt, ſed obligatio: nam mutuum refertur inter obligationes, quae re contrahuntur. Ego accepi a praeceptoribus meis, mutuum non eſſe obligationem, ſed contractum, ex quo obligatio naſcitur: nam haec duo, contractus & obligatio, ut optime ſcis, diſtant inter ſe. Si me pecuniam mutuam rogaveris, negotium mecum contraxiſti, ex quo naſcitur obligatio: & ideo Graeci contractum definiunt conſenſum duorum pluriumve ad conſtituendam obligationem. Mutuum igitur contractus eſt, ex quo naſcitur obligatio *μονόπλευρος*: debitor enim obligatur, non creditor. Itaque melius opinor mutuum definietur contractus, quam obligatio: niſi obligationem accipiamus pro contractu, ut in §. *temporales* 10. *Inſtit. de except.* ſed neque per te licet: nec ego etiam hoc concederem.

[3] *Si mutui datio eſſet alienatio, omnes aliae obligationes generis ejuſdem definiri etiam deberent per alienationem loco generis.*] Si verum ſit, inquis, mutuum alienationem eſſe, caeteras obligationes, quae re etiam contrahuntur, neceſſario alienationes eſſe dicendum erit. Hoc pernegandum eſt; nec enim quod de mutuo & promutuo ſeu indebito ſoluto dicitur, ad caeteras obligationes produci debet. Hoc tantum commune eſt caeteris obligationibus cum mutuo, quod re contrahuntur, ſive facto. Rem dari in omnibus neceſſe eſt: hoc in mutuo & promutuo ſingulare eſt, ut ex his ſequatur alienatio, *l. dominus 53. D. de cond. indeb.* eo enim animo in creditum itur, ut alienatio celebretur, & eo animo ſolvitur, ut nummi fiant accipientis. Commodator & depoſitor dominium rei commodatae & commendatae retinent. Similiter obligationes, quae conſenſu contrahuntur, multum inter ſe differunt (nam venditio alienatio eſt, locatio non item) & tamen omnes conſenſu perfici dicuntur, & recenſentur inter ejuſdem generis obligationes, *tit. inſtit. de conſenſu obligat.* Denique ex eo, quod mutuum definitur alienatio, alias etiam obligationes alienationes eſſe *κατὰ παρακολούθησιν*, & ſequelam quandam neceſſariam recte quis non dicet? Vide quam evanidum ſit argumentum a mutuo ad caeteras obligationes, quae re contrahuntur. Hoc ſi alius dixiſſet, ſcutica dignum ſine dubio cum cenſeres. Ego *παρόραμα* non *ἁμάρτημα* eſſe judico.

[4] *Solent pro genere ponere contractus nomen.*] Optime illi: contractus enim appellatione intelligimus negotium. Obligationis autem nomine, juris vinculum, quo quis obligatur & adſtringitur.

[5] *Quid enim tam contrarium alienationi, quam obligatio ad reddendum?*] Creditor rem alienat non in totum, ſed in diem ſolutionis, nec praemature petere poteſt, ne incidat in periculum plus petitionis. Cum autem dies venit, dominium non adſerit, quaſi res ejus manſerit, ſed vi & poteſtate obligationis debitorem ſuum interpellat, remque ejuſdem naturae & qualitatis ſibi dari oportere intendit.

[6] *Alienatione quacunque qui accipit, & adquirit ſibi rem alienatam, non obligatur ad eam reddendam.*] Debitor, qui rem alienatam adquiſivit, eam non reddit, ſed aliam ejuſdem generis & qualitatis. Iſidorus *lib. Differentiarum. Qui mutuum dat, aliud recepturus eſt. Qui commodat, utique idem ſibi reddi deſiderat.* Per contrarium fundus dotalis in bonis mariti fit: idem tamen, ſoluto matrimonio, eundem reddit. Sed hac de re poſtea plenius agetur.

[7] *Qui vero rem accipit, & ejus datione obligatur ad eam reddendum, non ex cauſa alienandi illam accipit.*] Si dicas, mutuum alienationem non eſſe; dicam ego, id, quod mutuo datur, alienatum non intelligi: *alienatum*

enim

[1] Mutuum igitur *obligatio eſt, re contracta ad idem in genere, non in ſpecie, reddendum.* Hanc definitionem opponimus definitioni doctiſſimi Fabroti. Quam ſi poteſt negare veram, aut minus poteſt plenam dicere, tum illi concedam, [2] eamdem eſſe obligationem & alienationem. [3] Ὀξύμωρος plane eſt ejus definitio, quae Mutuum ſtatuit *alienationem eſſe pecuniae, ſub lege reddendae in eadem quantitate.* Alienatio datae eſt, non reddendae. Quod reddi debet in eadem quantitate, non poteſt videri alienatio. Alioquin & depoſitum eſſet alienatio, & locatum. [4] Nam in altero genere depoſiti etiam tantundem redditur, & in genere locati, ut conſtat ex *leg* 31. *D. locati.* Non ſolent autem Juriſconſulti veteres ita diſtinguere illa duo genera locati, & illa duo genera depoſiti, ut alterum ſit obligatio in quo idem redditur: alterum vero alienatio, in quo tantundem. Poſt definitionem mutui addit Vir doctiſſimus, non multi laboris futurum illud evincere, quod dixit. Quid? Mutuum definiendum eſſe per alienationem? Videamus ergo quomodo id evincat. [5] Eſt enim, inquit, *Mutuum ex eo appellatum, quod de meo tuum fiat.* Scio quidem, ita Juriſconſultos tradere *lege*, quae citatur. Sed illud aeque non ignoro, nihil plus eos ſic dicere, quam pecuniam, quae mutuo datur, fieri accipientis: An uſpiam hoc negavi? Quinimmo certum eſt, niſi pecunia ipſa, quae datur, fiat accipientis, & alienetur a dante, non poſſe mutuum conſiſtere. Sed illa pecunia, quae data eſt, non

REPLICATIO.

enim *non proprie dicitur, quod adhuc in dominio creditoris manet*; argumento *l. alienatum 67. D. de verb. ſign.* nam partim aliquid alienari, partim non alienari jura non ſinunt, ſi quantitatem a corporibus ſegregandam dicas. Qui tamen mutuum dat, eo animo & propoſito dat, ut ſibi non pereat; alioquin donatio eſſet: donare enim eſt perdere, nec quidquam juris apud donatorem remanet. Creditor quidem totum dominium a ſe abjudicat, ſed jus debiti retinet, quod nec alienationem impedit, neque plenam in debitorem dominii tranſlationem. Itaque nec creditori rem mutuo datam revocare licet; nec debitor abuti prohiberi poteſt: nec ſi ipſe eandem pecuniam alteri crediderit, aut ex ea creditores ſuos impleverit, vel etiam genero ſuo in dotem dederit, jus ullum actiove ulla eſt antiquiori creditori in novum debitorem, vel in creditorem qui ſuum recepit, vel in generum: ut plane nudum & inane ſit nomen dominii, quod retineri placet. Quod ſane ſi retineretur, in alium pecunia tranſiret cum ſua cauſa, & novo quodam pignoris jure poſſeſſoribus a creditore avocaretur. Denique ſi debitor creditoribus ſuis decoxerit, ſi bonam copiam ejurarit, rem creditor deperdet cum dominio ſuo ſine re, & non minus imaginario, quam olim eſſet dominium ex jure Quiritium: & actio deperibit. Actio enim intercidere videtur, quoniam inanis eſt, *l. nam is 6. D. de dol.*

Debet enim, ſi quis ſolvere, Sexte, poteſt.

Arnulphus Lexovienſis: *Sed etſi tenuerit actio, ipſam procul dubio inopia debitoris elidet.* Sidonius Apollinaris: *Ut quod mihi inſolubile videtur, tibi quoque ſit irrepetibile.* Apulejus *lib. 1. Metamorph. Nudum nec a decem palaeſtritis deſpoliari poſſe.* ὁ γὰρ οὐκ ἔχει, τοῦ ἄντις τοῦτο ἀφῄρητο; ut verbis utar M. Antonini.

[1] *Mutuum igitur obligatio eſt.*] Mutuum contractus eſt §. 2. *verſ. Et ex hoc jure Inſtit. de jur. natur.* ex quo naſcitur obligatio: contractus enim cauſa eſt, obligatio effectus. Sic JCti diſtinguunt.

[2] *Eamdem eſſe obligationem & alienationem*] Heic tibi conſentire non poſſum; nam haec ita ſeparantur: Alienatio rei datae praecedit obligationem reddendae, aut certe concurrit alienatio cum obligatione tam animo dantis, quam accipientis: & dantis quidem, qui numeratione rem pleno jure facit accipientis: accipientis autem, quia pecuniam accipit quandoque eandem quantitatem redditurus. Denique dominium creditoris interim intercidit, & evaneſcit: ſolutione autem debitoris renaſcitur, & integratur. Ad quam ſolutionem, neceſſi[illegible] [illegible]igationis cum adſtringit, non jus dominii, quod integrum & intactum remanſ[illegible]it penes creditorem.

[3] *Ὀξύμωρος plane eſt ejus definitio.*] Ὀξύμωρος tibi eſt Cujacii definitio, & forsitan prudentiſſimus Cujacius acute-ſtultus etiam, imo ſi memoria tenuiſſes hanc Cujacii definitionem eſſe, ſine dubio tibi haec non excidiſſent. Caeterum Cujacius voluit, mutuum alienationem eſſe pecuniae, quae ita ſit, ut eadem ipſa quantitas reddatur: non autem alienationem pecuniae reddendae. Jacobi Cujacii memoria ſancta tibi eſſe debet: niſi velis omnium virorum doctorum animos tibi ſuperſtiti & humana ſorte conſumpto, ſeu famae tuae poſtumae infenſos reddere.

[4] *Nam in altero genere depoſiti etiam tantundem redditur, & in genere locati l. 31. D locati.*] Quaſi mutuum eſt, cum res ita locatur, vel deponitur, ut non eadem res, ſed ſimilis reddatur: & tamen rei locatae dominium mutatur, ut ibidem ait Ulpianus. *Ex ſuperiore cauſa*, inquit, id eſt, ſi hoc actum ſit ut idem reddatur, *rem domini manere*: nec enim locatione dominium mutatur. *Ex poſteriore in creditum iri*, id eſt, mutuum contrahi, ac per hoc rem domini non manere; quod eſt alienari.

[5] *Eſt enim, inquit, mutuum appellatum, quod de meo tuum fiat.*] Placet tibi in *Diſquiſit.* ut a mutando potius mutuum dicatur: & olim etiam Cujacio haec nominis origo verior viſa eſt, *Obſervation. lib. 11. cap. 37 Mutuum*, inquit, *ſi verum amamus a mutatione potius nomen habet, quod mutetur hoc genere pecunia cum pecunia, dum par quantitas accipitur & recipitur, quodque conſiſtat in his rebus, quae facile mutationem & promiſcuum uſum recipiunt. Haec nominis origo verior, quam quae traditur a Juriſconſultis.* Mutuum igitur inde dictum putabat Cujacius, quia mutatio intercedit, & reciprocatio quaedam. Cicero *de Fato cap. 2. Orator ſubtilitatem ab Academia mutuatur, & eis viciſſim reddit ubertatem orationis, & ornamenta dicendi.* Et hac ratione proprium auctores ſeparare a mutuo: proprium eſſe quod reddendum non ſit; mutuum quod reddendum. Huc alludit Auctor incertus *Querolo* his verbis: *Furta omnes facimus, fraudem tamen nemo patitur, quoniam totum hoc mutuum eſt.* Huc etiam pertinet illa Philoſophorum vox: *nihil eſſe homini proprium*: ſive, ut aiebat Marcus Antonin. *de vita ſua lib. 12.* [illegible] *nihil unquam proprium eſſe.* A Cujacio igitur ſtas (ſi mutui definitionem excipias, quam ὀξύμωρον videris appellare non ſine virorum doctiſſimorum indignatione) apud quem etiam extant loca Plauti, Attii, Ovidii, Ciceronis a te prolata *de Uſuris pag. 15.* & *Diatriba de mutuo p. 43 & ſeq.* & alibi. Ex quibus efficis, mutuum dici propter vices dandi & reddendi, *Ut niſi ſit qui reddat, quod accepit, non fiat mutuum. Vices enim habet ſignificationem: nec enim qui dat aut credit alteri pecuniam ſuam, ut eam recipiat, mutuam eam dare proprie dicendus eſt, ſed qui reddit.* Agnoſcis verba tua ex libro *de Uſuris pag. 15.* Atqui falſi ſunt, qui putant, mutui con-

A

non facit mutuum, nec in ea conſiſtit mutui obligatio. [1] Cum dicit Paulus *mutuum* ex eo dici, quod de meo fiat tuum, per mutuum non intelligit mutui contractum, ſed ipſam pecuniam, quae mutuo datur. [2] Ita paſſim *mutuum dari* dicitur, & *mutua pecunia dari.* Eam pecuniam alienari a dante, & ab accipiente conſumi, nunquam negavi. [3] Non tamen inde ſequitur, mutuum, hoc eſt, mutui contractum, cum obligatio ſit ex earum genere, quae re contrahuntur, eſſe alienationem. Nec enim ad eam pecuniam, quae mutuo data eſt, obligatio contrahitur. Quippe illa ipſa reddenda eſſet, ſi teneretur accipiens ex obligatione eam reddere. Ergo ad eamdem quantitatem contrahitur obligatio mutui, & proinde non alienatur quantitas, cum reddi eadem debeat.

Pro

REPLICATIO.

contractum conſiſtere in pecunia, quae vice mutua redditur, & inde mutuum proprie dictum. Sic enim eveniet, ut non antea mutuum dicatur, quam creditor mutuo ſeu viciſſim tantundem receperit; atque ita, cum ſolutione tollitur obligatio, proprie contractus denominationem accipiet; negotium inquam ejuſmodi ex diſtractu magis, quam ex contractu nomen accipiet. Sed & ſi creditor fruſtretur, nec reſpondeat ad tempus, creditor aget ex contractu, qui nomen non habet, priuſquam creditori ſatisfactum ſit. Denique ſi debitor facultatibus defectus ſit, mutuum retro contractum non dicetur, quia viciſſim debitor fidem ejus non implet. Dixiſſent ſaltem, naturam contractus magis ſpectandam quam factum debitoris, hoc eſt mutuum inde dici quod per reddi debeat, tametſi non reddatur, fortaſſe ferri poſſet, ſed ex facto & ipſa redditione dictum volunt mutuum. Sed & quod proprium Auctores a mutuo ſeparent, colligis id, quod mutuum datur, uſu tantum dari, non mancipio & nexu, ſeu proprietate & dominio, hoc eſt, χρήσει οὐ κτήσει, ut in epiſtola Man. Curii ad Ciceronem *lib. 7. epiſt. ad familiares* 29. Sic etiam Clemens Alexandrinus *Strom.* 4. *Quae mundi ſunt*, inquit, *aliena dicimus, quia proprietate ſunt aliena, uſu vero uniuscujusque noſtrum:* κτήσει ὄντα ἀλλότρια, χρήσει δὲ ἑκάστῳ ἡμῶν ἴδια. Firmandae autem ſententiae tuae Nonium laudas *de uſuris p.* 201 quod ſcripſerit, *beneſicus mutuum eſſe, quod ſub amico affectu fiat meum tuum uſu temporis neceſſariis.* Si dixiſſet, meum tuum fieri proprietate, non uſu; ſine dubio exciperes, ineptiſſimi Grammaticorum non eſſe juris quaeſtionem dirimere; Grammatici eſſe rem Grammaticam tractare, non quae juris ſunt: nec enim ad ſacra Juriſconſultorum, ἃ τῷ δικαιοσύνης ἔργῳ χαμαιδιδασκάλοις & infimi ſubſellii Grammaticis ineptias ſuas adferre liceret. Nunc quia favere videtur ſententiae tuae, laudas eum, quod adjecerit, *uſu temporis neceſſarii.* Quid ſi dicamus, quod tu de Juſtiniano legumlatore, ridiculum, aut falſum eſſe, quod Nonius ſcripſit: levis auctor, ut ſcis, nec tanti faciendus, ut a Juriſconſultis deficere debeamus, & ad eum tranſire? Hoc forte exiſtimavit Nonius, haut melior Juriſconſultus, quam Grammaticus, meum quidem tuum fieri, ſed quia mutuum quandoque reddendum ſit, id ipſum non proprietate, ſed uſu tantum meum fieri videri: quaſi id, quod tuum ſit, uſu tantum fieri tuum poſſit. Sic enim eveniet, ut ipſa res mutuo data reddenda ſit, cujus ſolum uſum creditor conceſſerit, cum tamen debitor non cogatur eamdem ipſam pecuniam reſtituere, ſed aliam tantumdem: & cum ad tempus res utenda datur, magis commodatum eſt, quam mutuum. Verius igitur eſt, quod mutuum datur non modo uſu, ſed & proprietate alienari, ita tamen ut in eadem ejuſdem generis ſpecie reddatur: *Id enim cujuſque eſt proprium, quo quiſque fruitur atque utitur*, ut Cicero Curio reſpondet *epiſt.* 30. *d. lib.* 7.

[1] *Cum dicit Paulus mutuum ex eo dici, quod de meo fiat tuum; per mutuum non intelligit mutui contractum, ſed ipſam pecuniam, quae mutuo datur.*] Dubitari autem poteſt, an hoc verum ſit. Nam Paulus ait, appellatam eſſe mutui dationem ab eo, quod de meo tuum fit. Et mutui datio nihil aliud eſt, quam mutuum, id eſt, mutui contractus, ut in §. 1. *Mutui datio conſiſtit in his rebus, quae pondere, numero, menſura conſtant.* Baſilica: Τὸ δάνειον ἐν τοῖς ζυγιζομένοις, ἀριθμουμένοις, μετρουμένοις συνίσταται· *Mutuum conſiſtit in rebus, quae pondere, numero, menſura conſtant.* Mutuum, id eſt, mutui contractus, & in §. 4. *in mutui datione*, id eſt, in mutuo; & in §. 3. *d. l.* colligit Ulpianus; creditum a mutuo differre: creditum enim conſiſtere extra eas res, quae pondere, numero, menſura continentur. Nec enim, opinor, dices creditum heic accipi pro rebus creditis, ut mutuum vis accipi pro rebus mutuo datis. Sic etiam accipitur mutui datio in *l.* 8. & 27. *eod.*

Quid haeremus? Juſtinianus ait, *mutuum appellatum eſſe, quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat*, id eſt, mutui contractum: nec aliter etiam mutui dationem accepit Theophilus. Poſtquam enim dixit, re contrahi obligationem, veluti mutui datione, ſubjicit definitionem mutui, & Juſtinianus ipſe, locutus tantum de mutui datione, ex eo contractu ait naſci condictionem: ſed neque mutui dationem ab eo recte appellatam dices, quod de meo tuum fiat, niſi pro mutuo accipias.

[2] *Ita paſſim mutuum dari dicitur, & mutua pecunia dari in d. l.* 2. *Mutuum damus recepturi non eandem ſpeciem, quam dedimus: alioquin commodatum erit aut depoſitum.*] Fortaſſe non male Paulum ſic accipies, mutuum damus, id eſt, mutuum contrahimus, non idem corpus recepturi, caeteroquin commodatum erit, aut depoſitum, non mutuum. Baſilica. Δανείζει τις οὐχ ἵνα λάβῃ τὸ αὐτό, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ γένος: *Mutuum dat quis non idem recepturus, ſed ejuſdem generis.* Si tamen mutuum tibi malis accipere pro ipſa re, quae mutua datur, lis nulla mihi tecum erit. Nam & Catonem ita locutum invenio. Seneca *ep.* 119. *Catonianum illud, a te mutuum ſumes*; mallem, *ſume.* Caetera Catonis non ſunt. Quo loco neſcio, cur illud, *Catonianum*, viri docti immutent. Eſt enim idem cum eo, quod ex Catone refert idem Senec. *lib.* 5. *de Benef. cap.* 7. *Quid tibi deerit, a te ipſo mutuare.* Plinius *Praef. ad Veſpaſ. Deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere.* Pomp. in *l.* 80. *D. de ſol. veluti cum mutuum dedimus.* Purius ac melius locutos veteres ſcribis, qui dicebant, *mutuo dare pecuniam & ſumere, de Uſuris p.* 13. quod quam verum ſit, videamus. Terentius, *Heautont. actu* 3. *ſc.* 3. *v.* 41. *Drachmarum argenti haec mille dederat mutuum.* Marcus Cato, ut ait Ampelius tuus, *omnium rerum peritiſſimus*, & ut *Salluſtio Criſpo videtur* (*hiſtor. primo*) *Romani generis diſertiſſimus* (*de re Ruſt. cap.* 5.) *Oleum*, inquit, *mutuum dederit nemini.* Varro *de re Ruſt. lib.* 3. *c. ult. Duo millia muraenarum mutua dediſſe.* Hi omnes purius, opinor, loquuti ſunt: & veterum exemplo dicamus, rectius legi, *Mutuae datae quantitati*, in *l.* 6. *C. de reb. cred.* quam *mutuo.* & in *l.* 12. *C. de uſur. frumenti vel hordei mutuo dati.* Sic enim legitur in veteri Codice V. C. & celeberrimi fori Pariſienſis patroni Juliani Brodaei; quem ipſe mihi utendum dedit.

[3] *Non tamen inde ſequitur, mutuum, hoc eſt, mutui contractum, eſſe alienationem.*] Mutuum ita datur & acci-

Pro ſecunda ratione adfert Clariſſimus Juris Profeſſor, in mutui datione oportere dominum eſſe dantem. Quid inde concludit? An mutuum eſſe alienationem? [1] Hoc eodem argumento diceretur & qui pecuniam deponit, eam alienare, quia dominus eſt pecuniae depoſitae. Et qui eamdem commodat, ſimiliter alienationem ejus facere, cum dominus rei ſit commodatae. [2] Pari quoque ratione qui aurum dat aurifici, ad annulos faciendos in eodem pondere recipiendum, aurum ſuum alienare, qui dominus ejus eſt. *Quod quidem*, inquit vir doctiſſimus, *eo pertinet, quod cum mutuum alienatio ſit, non aliter contrahi intelligatur, niſi creditor dominus ſit.* Quid

REPLICATIO.

accipitur ut alienetur. In id animus utriuſque conſenſit, ut dominium in accipientem tranſeat: a quo debitoris dominio ſi ſeparemus dominium quantitatis, neceſſe eſt, dominium aliud in concreto; ut ita dixerim, aliud in abſtracto conſtituere, quod ſatis novum eſt, & a juris ratione abſonum. Tu autem dominium illud videris excogitaſſe, & eodem modo accipere, quo Arithmetici abſtracte numerum, & Geometrae lineam & angulum accipiunt: & ut *Antiſthenes genera & ſpecies in nudo intellectu poſitas eſſe dicebat, equum inquiens video, equinitatem non video: hominem video, non humanitatem.* Ὁ Ἀντισθένης ἔλεγε τὰ γένη καὶ τὰ εἴδη ἐν ψιλαῖς ἐπινοίαις εἶναι, λέγων ὅτι ἵππον μὲν ὁρῶ, ἱππότητα δὲ οὐχ ὁρῶ, ut ſcribit Ammonius *in Porphyrium.* Quantitatis igitur dominium non eſt ſeparandum a dominio rerum corporalium, nec enim alterum ab altero ſeparationem recipit: &, alienata re, quae mutuo datur, nullum dominium per ſe ſupereſſe intelligi poteſt. Ex mutuum igitur alienatio eſt.

[1] *Hoc eodem argumento diceretur, & qui pecuniam deponit, eam alienare, quia dominus eſt pecuniae depoſitae.*] Non puto dici poſſe. Hoc igitur ex natura contractus cujuſque definiendum eſt. In mutui datione exigitur, ut qui dat, dominus ſit; quia neceſſario ſequitur ex eo alienatio ex mente utriuſque contrahentis. Itaque ſi heres legatam pecuniam crediderit, non ante ut credita pecunia peti poteſt, quam legatarius eam repudiaverit, quia tunc heredis ex die aditae hereditatis videtur pecunia fuiſſe, *l. 8. D. de reb. cred.* ἐξ ἀποτελέσματος, ex eventu, ut ajunt Graeci. Si vero legatarius legatum agnoverit, mutuum infirmatur; niſi pecunia conſumpta ſit: mutuum enim conſumptione conciliari tradit ibidem Graecus Interpres. Ex depoſito & commodato non ſequitur alienatio, licet is, qui commodat aut deponit, dominus ſit; quia natura horum contractuum hoc non patitur, & neuter contrahentium hoc agit, ut dominium transferat, vel adquirat. Cur igitur qui mutuum dat, dominus eſſe debet? id exigit dominii transferendi neceſſitas: nam praedo & non dominus mutuum non contrahit; non ſervus, non filiusfamilias; qui peculium habent, licet quodammodo ejus domini ſint: niſi eis conceſſa ſit peculii adminiſtratio, *l. 11. §. 2.* & *l. 17. D. de reb. cred.* in qua obiter notandum eſt, quod ait Ulpianus *filiusfamilias, qui viaticum ſuum mutuum dedit, extraordinario judicio ſubveniendum eſſe*, hoc eſt, utilem actionem dandam, ut recte Graecus Interpres: τὸ ἔξτρα ὀρδίνεμ, inquit, οὐτιλίως νόμιζε ἐνταῦθα, *extra ordinem hoc pro utiliter accipiendum eſt*; & alius ibidem: τουτέστιν οὐτιλίως, καὶ καλῶς· πᾶν γὰρ οὐτίλιον ἐξτραορδινάριον, hoc eſt, *utilem, & recte: omne enim utile extraordinarium.* Agit autem utiliter ex aliis quibuſdam cauſis, ut ait Theodorus Hermopolites, τουτέστι καταχρηστικῶς, hoc eſt, *improprie, quoniam actiones proprie & directe patri competunt, non filio: ut autem filiusfamilias in dimas ſit, ſi viaticulo ſuo carendum habeat, & forte egeat, ſi alteo creditae pecuniae ei denegetur, ſubvenitur ei data utili actione.* Haec pluribus exequitur Hermopolites ad *l. ſi longius 2. §. 1. D. de judi.* cujus verba, quia nondum editus eſt, adſcribere heic non gravabor: [illegible] κατὰ τὸ [illegible] μετ' αὐτοῦ οὐτίλιος τουτέστι καταχρηστικῶς, [illegible] ἔχοντος τοῦ παρόντος, [illegible] τὰ πράγματα [illegible] καὶ κατὰ [illegible] καὶ κατὰ τὸ [illegible] ἐξωνεῖσθαι τὰ βιβλία, [illegible] οὐτιλίως, διότι κυρίως καὶ ἐξ εὐθείας τῷ πατρὶ [illegible] αἱ τοιαῦται ἀγωγαί. καὶ [illegible] αὐτοῖς, [illegible] ἵνα δὲ μὴ [illegible] ὁ υἱὸς μὴ λαμβάνων τὰ πεμπόμενα [illegible] δαπανήματα παρὰ τοῦ πατρός, [illegible] [illegible] γένηται, [illegible] αὐτὰ [illegible] καὶ [illegible], [illegible] δύναται κινεῖν ὁ υἱὸς διὰ τὸ ἀνήκειν τὰς περὶ τούτων ἀγωγὰς τῷ πατρὶ αὐτοῦ, βοηθεῖ αὐτῷ ὁ νομοθέτης, καὶ ἐπιτρέπει κινεῖν οὐτιλίως, τουτέστιν, [illegible] αὐτοῦ τὰ πράγματα. Qui, inquam, mutuam pecuniam dat, ejus dominus eſſe debet; alioquin obligatio non naſcitur: commodat autem etiam non dominus, *l. commodare 15. D. de commod.* aut deponit, *l. 1. §. ſi praedo 39. l. bona fides 31. D. depoſiti.* Atque illa ratio eſt, cur veteres prudentes definierint, in mutui datione oportere dominum eſſe dantem. Res etiam aliena vendi poteſt, *l. rem alienam 28. D. de contrah. empt.* mutuo autem dari non poteſt. Itaque minime mirum eſt, quod dicitur, dominum eſſe debere eum, qui in creditum it, quod in caeteris, quos dixi, contractibus, neceſſe non eſt. Atqui tibi adquiritur condictio, ſi meos nummos tuo nomine tanquam tuos credidero, *l. certi 9. §. penult. D. de reb. cred.* ergo & mutuum eſt, tametſi non tui nummi crediti ſint, & non domino per liberam perſonam condictio adquiritur. Verum id in ſolo mutuo receptum eſt, *in quo numerationem ſpectamus non ex ſummo jure, ſed ex naturali aequitate*: τοῦτο δὲ ἐπὶ τοῦ [illegible] καὶ μόνης [illegible], [illegible] τὰς [illegible], ut ajunt Graeci ad *d. l. 9.* Et ex conſtitutione Juſtiniani pignoris etiam obligatio ipſo jure tibi adquiritur, *l. 2. Cod. per quas perſ.* Itaque ad illud Pauli in *l. procuratorem 72. D. de procurat. per procuratorem non ſemper adquirimus actiones*, Graeci notant, καλῶς τὸ οὐκ ἀεί. δανείζων γὰρ ὁ [illegible] [illegible] οὐ μόνον τὴν [illegible] ἀλλὰ καὶ τὴν ὑποθηκαρίαν ἀγωγήν, τουτέστι τὴν [illegible]: *Recte ait, non ſemper; procurator enim, qui nomine principalis mutuam dat, non ſolum condictionem ex mutuo, ſed etiam hypothecariam ei adquirit.* Et alius: τὸ οὐκ ἀεὶ διὰ τὴν [illegible], καὶ τὴν [illegible]. *Dixit; non ſemper propter actionem condictitiam & hypothecariam.* Haec Auctor innominatus in Commentario pereruditо ad *tit. de procurat.* quod nondum in lucem prodiit. Exſtat autem in Bibliotheca, V. C. Alex. Petavii Senatoris Pariſienſis.

[2] *Pari quoque ratione qui aurum dat aurifici, &c.*] Cum id agitur in locatione, ut non idem, ſed tantumdem reddatur, auri dominium transfertur in fabrum, & quodam genere mutuum contrahitur: non auſim dicere mutuum abſolute, ait Cujacius, propterea quod opera merces intercedit. Quamobrem locatio conductio potius eſt, ex qua dominium mutatur, quia locationis contrahendae animus fuit. Graeci: κἂν ἡ δεσποτεία τοῦ πράγματος εἰς ἕτερον ἐξ ἑτέρου μεταβάλληται, καὶ οὕτως [illegible] ἐστὶ τὸ συνάλλαγμα: *Licet rei dominium ex alio in alium transferatur, ejuſmodi tamen negotium locatio eſt.* Vide Graecos ad *l. 2. D. de reb. cred.* Si vero id actum ſit, ut idem reddatur, nullo genere mutuum contrahitur, *l. in navem 31. D. locati*; de qua jam ſupra actum eſt: & videſis Cujacium Obſervat. lib. 7. cap. 39.

[a] Quid

[1] Quid ſi mutuum non alienatio ſit, an concluſum inde habebitur contrarium, nempe dominum non eſſe oportere eum, qui dat mutuo? [2] Quis aedes locat, niſi dominus, aut qui a domino mandatum habet procurator? Quis pecuniam deponit niſi dominus, aut ejus nomine ſervus diſpenſator? [3] Idem de mutuo. [4] Non bona igitur conſequentia, in mutuo dominum eſſe dantem oportere, & proinde mutui contractum eſſe alienationem. *Regulariter enim*, inquit, *definitur, neminem plus juris in alium transferre poſſe, quam ipſe habet*, *leg.* LIV. *D. de regulis juris.* Ergo ego ex *hac lege* conſequi ajo, mutuum non eſſe alienationem. Nam qui rem alienat, ut non plus juris transfert in aliam, quam ipſe habet, ita prorſus tantum juris transferre intelligitur quaotum habet. [5] At hoc in mutuo non fit. Creditor quamdiu rem ſuam penes ſe habuit, nemini eam tenebatur reddere. Eam vero ſic dat mutuam, ut recipiat. Non igitur tantumdem juris in accipientem transfert, quaotum ipſe habuit, nec cum eadem caoſa dominium ejus in accipientem transmittit. Rem ipſam dat, manet dominus quantitatis. [6] Ut & uxor, quae marito dat dotem, eam receptura, domina manet quantitatis, ſpeciem facit accipientis mariti in iis rebus, quae pondere, numero, menſura continentur. Quae ſubjiciuntur ex Scholiaſte Graeco Baſilicorum, nihil noceot opinioni noſtrae, τὸ δάνειον οὐ συ-

REPLICATIO.

[1] *Quid ſi mutuum non alienatio ſit?*] Fac mutuum alienationem non eſſe; etiam qui dominus non eſt, hanc obligationem contrahet: ſed quia nummi fieri accipientis debent, dantis quoque eſſe debent.

[2] *Quis aedes locat niſi dominus, aut qui a domino mandatum habet?*] Atqui res aliena locari poteſt citra domini mandatum, *l. ſi tibi alienam 7. D. loc.* ſed & conductor dominus non eſt, & tamen aedes conductas locare poteſt, quod Latini ablocare dicunt; Graeci Interpretes, μεταμισθοῦν, *l. nemo 6. Cod. loc.* Deponit etiam non dominus, ut jam ſupra dictum eſt.

[3] *Idem de mutuo.*] Ergo te auctore non magis creditor pecuniae creditae, quam locator rei locatae, vel depoſitor rei depoſitae dominus eſſe debet. Atqui Juriſconſulti de locatore & depoſitore non ſolent dicere, quod de creditore, *in mutui datione oportere dominum eſſe dantem*, *l.* 2. §. 4. *D. de reb. cred.* & *non ſatis eſſe dantis eſſe nummos, & fieri accipientis; ut obligatio naſcatur*, *l.* 3. §. 1. *D. de oblig.* Itaque qui dominus non eſt, mutuum contrahere non poteſt, & qui contrahit, omnino dominus eſt. Qui autem locat vel deponit, non continuo dominus eſt: nam locatione vel depoſito non dominium mutatur.

[4] *Non bona igitur conſequentia, in mutuo dominum eſſe dantem oportere, & proinde mutui contractum eſſe alienationem.*] Bona tamen conſequentia eſt, ex mutui cauſa transfertur dominium: ergo dominus eſſe debet, qui dat: dominium enim nonniſi dominus transferre poteſt. Nec aliam ob cauſam exigitur, ut creditor dominus ſit, quam quod mutui datio non aliter conſiſtat, quam ſi dominium transferatur, & alienatio celebretur. Rogo te, clariſſime Vir, cur prudentes hoc praeſertim exigant in mutuo, non in caeteris contractibus. Nunquid aliquid proprium eſt in mutuo, ut hoc nominatim deſiderent in creditore, quod in aliis contrahentibus praetermiſerunt? Hoc quo? quia cum mutuum alienatio ſit, non aliter hoc negotium contrahi poteſt, quam ſi creditor dominus exſtat. Hoc ſciunt περὶ τὰ πρῶτα γεγυμνασμένοι.

[5] *At hoc in mutuo non fit.*] Creditor, inquis, non tenebatur reddere (ſicut debitor) & quod dedit, recipit (a debitore) Non igitur tantumdem juris in accipientem transfert, quantum ipſe habuit. Sane in hoc caſu deterior eſt condicio debitoris, quam creditoris: debitor enim obſtrictus creditori, reddere quod accepit, condictitia compellitur, & cum ſolutione defungitur, nihil recipit, ſed quod ſolvit, ei abeſſe incipit. Quod ſi conſtitui poſſet, ut debitor eodem jure uteretur, quo creditor, qui reddere non tenebatur, priusquam numeraret, ſane mutuum alienatio eſſet, & multo plures mutuam pecuniam rogarent, quam crederent. Tunc equidem credam, locupletem hominem non facile nummos numeraturum, & multo minus tenuiorem hominem, quem etiamnum alienationis nomen deterret a beneficio. Sed neque creditor, inquis, cum eadem cauſa dominium rei ſuae in accipientem transmittit. *Rem enim ipſam dat, manet dominus quantitatis.* Ita ut ſi mutuo dentur nummi, creditor dominium quantitatis adrodere videatur (ἵνα τι καὶ παίξωμεν, *lubet enim pauliſper jocari*) eorum fere more, qui ſolidorum circulum exteriorem adrodunt: in auro autem adpendendo, vel vino, aut frumento metiendo, iniqua pondera (quaſi aediles non metuat) vel menſuras reprobas adhibuiſſe detracta quantitate, ut propter falſum menſurarum modum creditor coërcendus ſit. An cavillamur? nos de dominio loquimur, quod non dominus in alium non transfert: nec enim dominum efficere poteſt, qui ipſe dominus non ſit, cum nemo ſecundum juris definitionem plus juris in alium transferre poſſit, quam ipſe haberet. Ergo ut transferatur dominium, quod mutui ſubſtantia poſtulat, neceſſario dominus eſſe debet: nec alia fini creditor dominus eſſe debet, quam quod abſoluta fiat alienatio, hoc eſt, non retento quantitatis dominio. Non enim creditor dominium quantitatis retineret, ſicut commodator rei commodatae poſſeſſionem & proprietatem, *l.* 8. *D. commod.* vel depoſitor rei depoſitae, *l. licet* 17. §. *D. depoſ.* ſed pecuniam abalienat, ſeu in totum in accipientem transfert, quandoque eandem quantitatem recepturus.

[6] *Ut & uxor, quae marito dat dotem eam receptura domina manet quantitatis, ſpeciem facit accipientis mariti in iis rebus, quae pondere, numero, menſura continentur.*] Haec paulo accuratius explicanda ſunt, quia non inidoneum argumentum hinc duci putas, ad opinionem tuam adſtruendam. Res dotales vel mobiles ſunt, vel immobiles; eaeque vel aeſtimatae, vel inaeſtimatae. Res mobiles non aeſtimatae, vel ſe moventes, πρόβασιν Homerus appellat, ut ſcribit Euſtathius ad *Odyſſ.* β' *pag* 1433. *num.* 50. ἅπερ ἡμεῖς φαμὲν αὐτοκίνητα, τὰ διὰ ποδῶν προβαίνοντα, *quae nos ſe moventia dicimus, quae pedibus gradiuntur.* Et ita Grammaticorum doctiſſimus Heſychius πρόβασιν exponit, βοσκημάτων κτῆσιν, *pecorum poſſeſſionem.* Res, inquam, mobiles vel moventes fiunt mariti, easque alienare poteſt: nec enim lex Julia ad res mobiles vel ſe moventes pertinet, ſed ad res ſoli. Sic legendum putas apud Juſtinianum, *in princip. tit. quib. alien. licet.* poſt Cujacium, ut conſtat ex editione Nivelliana: & perperam correctores in editione, quam curavimus, addiderunt ſibilum. Rerum autem aeſtimatarum dominium maritus conſecutus, ſummae, id eſt, quantitatis *velut* pretii debitor efficitur, *l. quotiens* 5. *C. de jur. dot.* Eſt enim *quaſi* emptor, *l unica.* §. *tumque ex ſtipulatu* 9. *Cod. de rei uxor. act.* ὡς ἀγοράσας. Graeci dicebant τὸ *velut*, & *quaſi*, in *dictis legibus* veritatem exprimere, ut Joannis *cap.* 1. *verſ.* 14. de μονο-

οὐ συνίσταται, εἰ μὴ ἐκποιηθῇ νομίσματα. *Mutuum non conſiſtit, niſi alienetur pecunia.* [2] Hoc verum eſt, nec de eo unquam dubitavi. Jam dixi in illis corporibus nummorum, quae dantur, & alienantur, non conſiſtere mutuum, ſed in pondere, numero ac menſura, quae non alienantur, cum in dantis dominio maneant. [3] Ea eſt quantitas.

Pro tertia ratione additur, vel argumento, *ex mutuo condictionem naſci, non vindicationem.* Creditorem enim non petere rem ſuam eſſe, quae vindicationis formula eſt, ac ſoli domino competit, ſed condicere, id eſt, intendere, ſibi dari oportere. Condictionem non dari domino niſi ex cauſa furtiva *leg.* 1. *D. de condictione furtiva.* Haec omnia veriſſima ſunt, nec unquam aliter dixi, ſcripſi, aut prae me tuli. Sed quid ex iſtis pertendit conficere? An, mutuum eſſe alienationem? Nihil minus poteſt. [4] Quod valeret ſi in omni vera alienatione condictio competeret. Hoc eſt, ſi quod donatum, legatum, venditum, in jure ceſſum, mancipatum, aut quocumque alio civili aut naturali modo traditum eſt atque alienatum repeti condictione poſſet. Tunc ſane cum eidem condictioni etiam in mutui datione ad rem repetendam quae mutuo data eſſet, locus foret, ut in alienatione, eam competere dici poſſet. E[illegible] con-

R E P L I C A T I O.

μονογενοῦς, *quaſi unigeniti.* B. Chryſoſtomus apud Auctorem *Catenae Graecorum Patrum in Joannem:* Τὸ δὲ, ὡς ἐνταῦθα οὐχ ὁμοιώσεώς ἐστιν, οὐδὲ παραβολῆς ἀλλὰ βεβαιώσεως, καὶ ἀναμφισβητήτου διορισμοῦ: *Vox autem quaſi heic non ſimilitudinis eſt, neque parabolae, ſed confirmationis ac certiſſimae definitionis.* Theophylactus *in Paulum* hoc Olympiodori profert in illud *Paralipom. Eram in medio eorum ſicut rex in acciactis:* τὸ, ὡς, οὐχ ὁμοιωματικῶς εἴρηται ἀλλ' ἐπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας, ὅτι βασιλεὺς ἐτύγχανε: *Vox ſicut, non ad ſimilitudinem, ſed ad rem ipſam exprimendam uſurpatum eſt, quod rex revera eſſet.* Nam fit vera venditio, *l. plerumque* 10. §. *ſi ante* 4. *D. eod. l. D. locat* quin etſi mulier eas in uſu habeat, viri dominium eſt, *l. cum poſt.* 69. §. *penult. D. de jur. dot.* & ideo rebus evictis marito adverſus uxorem actio eſt, *l.* 1. *Cod. eod.* & ad eundem velut emptorum periculum & commodum pertinet, *l. cum dotem* 10. *C. eod.* Quia tamen non ſimplex venditio eſt, ſed dotis cauſa, *l. quotiens* 16. *D. de jur dot.* dici poteſt, maritum emptorem imitari, μιμεῖσθαι ἀγοραστήν, cum Theophili Scholiaſte ad *tit. quib. alien. lic.* & Graecis ad *l. ult. D. ſolut. matrim* & ad *leg quod ſi is, D. de jur. dot.* & *l.* 10. *Cod. eod.* Rerum igitur aeſtimatarum dominium ſoli marito pleno jure adquiritur ex cauſa emptionis, a quo dominium ſine facto ejus diſcedere non poteſt: & ſoluto matrimonio liberatur ſolutione pretii vel aeſtimationis condictae: niſi convenerit, ut aut aeſtimatio aut res praeſtentur: *Et ſi quidem fuerit adjectum, utrum mulier velit, ipſa eliget utram malit petere rem, aeſtimationem. Verum ſi ita fuerit adjectum, utrum maritus velit, ipſius erit electio: aut ſi nihil de electione adjiciatur, electionem habebit maritus, utrum malit res offerre, an pretium earum, d. l.* 10. §. 6. Verba integra protuli, uti Florentiae leguntur, ut ea leviter emendarem. Sic enim puto in autographo ſcriptum eſſe, *aeſtimationemVerum,* pro, *aeſtimationemve. Verum,* &c. Nam ſic antiquarii ſcribere conſueverant: quo ſyllabarum compendio quidam ſcriptum putant in *l.* 19. §. 5 *D. loc. arcaMeratam*, id eſt, *arcam cameratam*, pro quo mendoſe ibidem legatur, *arcam aeratam.* Sed Baſilica nihil mutant, in quibus ita legitur: κιβωτὸν κεχαλκωμένην: ſic etia in Gloſſis Graecorum. Certe in *l.* 8. *D. de leg.* 2. pro *uni Contentum*, ut hodie legitur, *uniContentam* ſcriptum fuiſſe nemo ambiget, pro, *unico contentum*; & in *l. qui mihi* 13. *D. de donat. quid agere. & placet.* ſic Flor. pro, *quidagerEt placet*, id eſt, *quid ageret. & p.* Res autem in dotem datae, quae pondere, numero, menſura conſiſtunt, marito etiam pleno jure adquiruntur, &, ut loqui ſolent interpretes Graeci, δικαίῳ ἀναφαιρέτῳ, *jure irrevocabili*, & ſolius mariti periculo ſunt, ut in rebus mutuo datis contingit: & ideo in eadem cauſa ſunt, qua res aeſtimatae, ſive, ut ajunt Graeci Interpretes, τὴν τῶν διατετιμημένων τάξιν ἐπέχουσι *quae in hoc dantur, ut eas maritus pro arbitrio ſuo diſtrahat, &* *quandoque ſoluto matrimonio, ejuſdem generis & qualitatis reſtituat*; *l. res in dotem* 42. *D. eod.* Tu vero ſicut uxor, inquis, domina manet quantitatis, ſpeciem autem facit accipientis mariti: ita etiam creditor rem ipſam dat, & manet dominus quantitatis. Sed ego proclivior ſum, ut putem, uxorem non magis dominium rerum ejuſmodi retinere, quam creditorem pecuniae creditae, & maritum ejuſdem tantum quantitatis debitorem effici. De rebus ſoli ſive immobilibus poſtea agetur.

[1] Εἰ μὴ ἐκποιηθῇ νομίσματα, *niſi alienetur pecunia.*] Nec Graeci, nec Latini unquam dixerunt, mutuum non eſſe plenam alienationem: hoc eſt, pecuniam alienari, quantitatis autem dominium apud creditorem remanere: ſed qui pecuniam alienari dicit, ne quidem unquam cogitavit, quantitatem a corporibus avelli & abſtrahi; corpora autem ad creditorem pervenire.

[2] *Hoc verum eſt.*] An conſtans ea tua ſententia fuerit, poſtea anquiremus.

[3] *Ea eſt quantitas.*] Cujacii definitionem ἐξύμωρον appellare videris ſupra, quem omnes, qui boni & aequi notitiam profitentur καὶ οἱ ἐπὶ τέχνῃ λαμπροὶ adeo ſuſpiciunt, ut ei ſe totos dedant. Heic vero, Doctiſſime Vir, in ejus ſententiam pedibus te ire video. Scripſerat ille *Obſervation. lib.* 11. *cap.* 37. nos non tam corpus earum rerum, in quibus mutuum conſiſtit ſpectare, quam quantitatem; quoniam quae pondere, numero & menſura conſtant, quantitate valent potius, quam corpore: & ideo Cujacius ait, eſſe creditum quantitatis *Paratitlis Digeſtorum, ſi certum pet. & d. Obſ. lib.* 11. *cap.* 37. Nec ſeparanda eſt quantitas a rebus creditis, id eſt, quae mutuo dantur, & de manu in manum transferuntur: in corpore quidem conſiſtunt; ea tamen ut quantitatem ſpectamus tam in dando, quam in reddendo. Et hoc eſt, quod dicitur, mutui dationem conſiſtere in his rebus, quae pondere, numero & menſura conſtant. Sed neque pondus, neque menſura, neque numerus ſeorſim intelligi poteſt ab eo, quod adpenditur, metimur, vel numeramus, ut, alienatis nummis, numerus quoque alienatus ſit, id eſt, quantitas. Nam ſi mutuum in quantitate conſiſtit, qui poteſt intelligi contractum, niſi a creditore proficiſcatur. Aut certe duplex ſtatuenda erit ejuſdem rei quantitas, una, quae tranſit in debitorem; alia, quae apud creditorem remanet. Denique ſi non alienaretur quantitas, clauderet mutui contractus: nam qui quantitatem a debitore recipit, eandem neceſſario recipit, quam alienavit, ſive tantandem pecuniam.

[4] *Quod valeret, ſi in omni vera alienatione condictio competeret.*] Non ex omni alienatione condictio competit. Fruſtra enim quid donaretur, legaretur, venderetur, in jure cederetur, aut manciparetur, ſi id condictione repeti poſſet. Alienationes ejuſmodi, ſemel perfectae, nulla ratione repeti poſſunt. Ex mutuo
an-

contrario non datur condictio, niſi ei, qui intendit ſibi dari oportere. Nemo autem hoc intendere poteſt, niſi is, cui res debetur, & cui dari reddive debet. Non igitur tanquam in alienata re ad eam repetendam condictio datur, ſed in ea, quam ex eo, quod repeti jure poteſt, conſtat non eſſe alienatam. [1] Qui actionem habet, *rem ipſam habere videtur*, ut eſt in regulis juris. Condictio eſt actio. Ergo qui condictionem habet ad eam repetendam, rem ipſam habere videtur. Non igitur alienata ea res cenſetur, quae condictione repeti poteſt, cum ipſam rem habere videtur, qui actionem habet ad eam repetendam. Alienationis itaque impedimentum & obſtaculum unicum haberi debet condictio, per quam fit, ut res in dominio dantis manſiſſe videatur. [2] At condictio domino non datur, niſi ex cauſa furtiva. Contra rei ipſius, quae data eſt, non datur condictio creditori, quia dominus ejus amplius non eſt, ſed datur ad eamdem quantitatem repetendam, cujus dominus manſit. Sic tanquam domino datur ea condictio, qua id, quod ſuum manſit, repetit. [3] In dote quae numero, menſura ac pondere continetur, ſpeciem ipſam, quae datur, in dominium mariti transfert uxor, ſed domina manet quantitatis ejusdem, hoc eſt, numeri, ponderis ac menſurae: quae quantitas ipſi reſtitui debet & ad quam repetendam actionem habet divortio facto, aut ejus haeredes diſſoluto morte matrimonio. [4] Si in rebus ſoli dos ſita eſt, maritus fructuarius tantum dominus conſtituitur, proprietatis jure na-

REPLICATIO

autem condictio eſt; quoniam haec alienatio fit ſub ſpe reciperandae quantitatis ejusdem. Et quia ceſſat vindicatio, cum dominium diſceſſerit ab eo, qui dedit, datur actio condictitia, qua cum domino experimur.

[1] *Qui actionem habet, rem ipſam habere videtur, ut eſt in regulis juris.*] Paulus ait: *Is qui actionem habet ad rem reciperandam, ipſam rem habere videtur, l. 15. D. de reg. jur.* Verbum *videri*, aut δοκεῖν apud Graecos, alias ponitur ἐπὶ τοῦ ἀληθεύειν, alias ἐπὶ ἀμφιβόλῃ; ut ajunt Grammatici Graeci. Heic autem nec pro eo, quod revera eſt, nec pro eo, quod anceps & dubium eſt, ſed pro eo, quod eſſe fingitur, accipi oportet. Juris fictio eſt, non quod vere rem habeat is, qui actionem habet. Sic Ulpianus in *l. bonorum* 49. §. 1. *D. de verb. ſign.* id, quod in actionibus eſt, in bonis eſſe videri: nam revera non habet, qui petere neceſſe habet. Itaque Pomponius ait, *minus eſſe actionem habere, quam rem*, in *l. minus* 204. *D. de reg. jur.* Rectiſſime vetus Interpres, ſive is Martinus, ſive Bulgarus, ſive Placentinus eſt, ad *d. l.* 204. *Qui enim*, inquit, *actionem habet, rem habere videtur: veruntamen non habet*; & magnus Anteceſſor ibidem: *Qui actionem habet, videtur rem habere, l. 15. ſup. videri eſt* πλασμα: *nam revera minus eſt habere actionem, quam rem.* Quid enim ſi debitor parere debito non poſſit, ſi ſolvendo non ſit? creditor non modo rem ipſam non habet, *cujus enim debitor ſolvendo non eſt, tantum habet in bonis, quantum exigere poteſt, l. pretia* 63. §. 1. *D. ad leg. Falcid.* Sed *nec ullam actionem videtur habere, l. 6. D. de dol. mal.* hoc eſt, quae inanis & inefficax actio eſt, pro nulla habetur: & liberatur quodammodo debitor, qui impar ſolvendo eſt. Sua ei egeſtas ad liberationem prodeſt. Tu vero, Doctiſſime Vir, fictionem juris heic non admittis, & eum, qui actionem habet, rem quoque ipſam habere contendis: & ideo creditorem, qui condictionem habet, fictitium non eſſe dominum, ſed verum. Quod ſi verum eſt, & quantitatis, quam retinuit, dominus eſt & corporum, quae habet, quod actionem habeat, ut nulla alienatio interveniſſe videatur. Sed profecto multum intereſt, an quis actionem habeat, an rem ipſam: nam qui actionem habet praeter jus perſequendi nihil habet, & ex eventu judicii pendet: interim autem ejus, quod ſibi debetur, proprie dominus non eſt, ſed debitor, ut jam ſupra docuimus ex *l. 8. D. de liberat. legat.* Qua de cauſa in petitione hereditatis, qui actionem habet, non in rem condemnatur: ſatis namque eſt actionem cedi, *l. item veniant* 20. §. *ait Senatus* 17. *D. de petit. hered.* ut ſcribit Cujacius ad *d. l.* 204. id eſt, poſſeſſor non condemnatur in rem, ſeu pretium rerum ex hereditate venditarum: *Quantum quidem ad verba Senatusconſulti attinet, pretium deberet praeſtare: verum ubi nondum rerum venditarum pretium exigit, quia habet actionem, ſufficit eum actori actionem praeſtare.* Sic Graeci ad *d.* §. 14. *Baſilicῶn lib. 42. tit.* 1. Ad ſummam: condictio non impedit alienationem, nec per eam efficitur ut res ipſa in dominio creditoris remanſiſſe videatur. Condictio enim ex natura contractus recipiendae quantitatis cauſa datur, non retinendi dominii gratia, & effectus eſt obligationis, non dominii retentionis; de quo poſtea agetur.

[2] *At condictio domino non datur niſi ex cauſa furtiva.*] Imo, inquis, datur ad eandem quantitatem repetendam, cujus creditor dominus manſit: ac per hoc tanquam domino datur ea condictio, per quam id, quod ſuum manſit, repetit: quod nec usquam relatum eſt, nec unquam receptum. Abſoluti namque juris eſt, neminem rem ſuam niſi furi condicere poſſe, *l. 1. D. de cond. furtiv. l. ult. D. uſufruct. quemadmod. cav.* & ſimiliter Ulpianus ait, *Rem ſuam per condictionem triticariam neminem petere, niſi ex cauſis quibus poteſt: veluti ex cauſa furtiva, vel vi mobili abrepta, l. 1. §. 1. D. de condict. tritic.* Nec igitur creditor dominium quantitatis, quod retinuit, condicere poterit. Hoc condictionis natura non fert: nec video quomodo haec conſtare poſſint, neminem rem ſuam condicere poſſe, & condictionem ei competere, in cujus dominio res manſit: quod nihil aliud eſt, quam dominum rem ſuam condicere. Creditor enim quantitatis dominus manet, & quantitatem condicit.

[3] *In dote, quae numero, menſura ac pondere continetur.*] Videnda, quae ſupra diximus.

[4] *Si in rebus ſoli dos ſita eſt, maritus fructuarius tantum dominus conſtituitur, proprietatis jure naturali domina remanet uxor.*] Maritus, ut quidam tradunt, rerum omnium, quas uxor in ejus domum intulit, dominus efficitur. Achilles Tatius *de Clitoph. & Leucip. am. lib.* 5. Ὠμνύομεν, ἐγὼ μὲν ἀγαπήσειν ἀδόλως· ἡ δὲ ἄνδρα ποιήσασθαι, καὶ πάντων ἀποφῆναι δεσπότην: *Juravimus, ego quidem bona fide me illam amaturum; illa vero me ſibi conjugem habituram, rerumque ſuarum omnium dominum effecturam.* Lucianus in *Rhetorum praeceptis*: νόμῳ ἅπαντα γίνεται τοῦ γεγαμηκότος: *Lege omnia mariti fiunt.* Jure vero civili rerum quoque omnium dominus fit, citra ea, quae uxor recepit, vel alias extra dotem ſunt. De mobilibus non aeſtimatis, vel aeſtimatis, deque his, quae pondere, numero, menſura conſtant, jam ſupra diximus. Videamus, quid juris ſit in immobilibus, quae Homerus κειμήλια vocat, ἃ ἐστι παρ' ἡμῖν ἀκίνητα, ut ait Euſtathius, *Quae apud nos*, inquit, *ſunt res immobiles.* Res igitur immobiles, ſeu fundus dotalis, id eſt, non aeſtimatus, qui & dotalis proprie nuncupatur, *l. unic. §. Et cum lex* 15. *C. de rei uxor. act.* & ideo conſtanter Graeci fundum dotalem, [illegible], *ingeſtimatum* interpretantur: fundus, inquam, dotalis in mariti dominio effi-

efficatur. Et utique maritus eum jure dominii alienare poſſet, niſi lex Julia alienationem, invita muliere, obligationem autem, etiam conſentiente ea, impediret: nova autem Juſtiniani Conſtitutio tam alienationem, quam pignerationem omnimodis inhiberet. Alienandi enim & obligandi facultas tam civili, quam naturali ratione domino permiſſa eſt, ſive, ut vulgo jactatur, *ſuae quiſque rei moderator atque arbiter eſt*, *l. in re mandatu* 21. *C. mandat.* Dio Chryſoſtomus *Rhodiaca*: ἕκαστος κύριος ἐστι τῶν ἑαυτοῦ: *rerum ſuarum quiſque dominus eſt.* Phurnutus, περὶ τῶν χαρίτων· κυριεύουσι γὰρ τῶν ἰδίων οἱ ἄνθρωποι: *Homines rerum ſuarum domini ſunt.* Adde Simplicium in Epictetum *cap.* 260. & Andocidem *pag.* 260. & merito Theophilus ait παράδοξον eſſe, ut qui dominus ſit, alienare non poſſit. Imo per legem Juliam effectum eſt, ut praedium dotale quodammodo mariti non ſit: *id enim cujuſque proprium eſt, quod ab eo alienari poteſt. Alienationem autem voco donationem & venditionem.* Τὸ δὲ οἰκεῖον εἶναι, ἢ μὴ ὅταν ἐφ' αὐτῷ ᾖ ἀπαλλοτριῶσαι. λέγω δὲ ἀπαλλοτρίωσιν, δόσιν καὶ πρᾶσιν, ut ait Ariſtot. *lib.* 1. *Rhetor. c.* 5. Sic alienare pro vendere dixit Varro, *lib.* 2. *de R.R. cap.* 1. quanquam *argumentum non eſt ſatis idoneum, ideo aliquid tuum non eſſe, quia vendere id non potes*, ut ait Seneca *lib.* 7. *de Benefic. cap.* 12. Verum mulieribus hoc favorabiliter praeſtatur, ut quamvis dotis datione dominium mutetur, *l. quotiens* 47. *D. de pecul.* tamen dotale praedium, etiam volente ea, nec alienari, nec obligari poſſit, ne ſexus mobilitate rem ſuam pernicioſe alienari, vel obligari patiatur. Κοῦφον γάρ ἐστι καὶ εὐπαράδεκτον, καὶ εὐπαραγωγὸν ἡ γυνή: *Mulier enim levis eſt, & facile ſuſcipit, & ad circumſcriptionem proclivis eſt*, ut ait Theophylactus *in primam Pauli ad Timotheum.* Vide *Nov.* 97. *cap.* 3. & maritus igitur praedii dotalis dominus eſt citra alienandi facultatem: κύριος πλὴν τοῦ πιπράσκειν, ut verbis utar Strabonis. *Quamvis autem dos in bonis mariti ſit, mulieris tamen eſt*, ut ait Tryphoninus in *l.* 75. *D. de jur. dot.* nam dotis emolumentum ad uxorem redit, quam maritus exhibere debet, & liberos ex ea conjunctione quaeſitos, *l. ſi maritus* 46. *D. famil. erciſc. l. ſi is qui Stichum* 56. §. 2. *D. de jur. dot.* non modo in tempus pubertatis, ut in lege, cujus meminit Socrates, aut Sophiſta, neſcio quis, Socraticorum *epiſt.* 6. ὁ νόμος μέχρις ἥβης κελεύει παῖδας ἐκτρέφεσθαι ὑπὸ γονέων: *Jubet lex, ut ad pubertatem uſque filius a parentibus alatur*; quaſi filius poſſit ſe tueri, cum ad eam aetatem pervenit. Sed & ſi filius pubertatem exceſſerit, cauſa cognita, judex ei alimenta decernet, *l.* 5. §. 2. *D. de agnoſc. & al. lib.* Juriſconſultus igitur duos ejuſdem rei dominos admittit, maritum & uxorem, quemadmodum Simplicius in Epicteti *Enchiridion cap.* 20. ait, *Nos in re qualibet binos dominos habere, alterum intus, alterum foris*, ſive ut ipſe loquitur: ἐφ' ἑκάστῳ διπλοῦς ἔχομεν τοὺς δεσπότας· τὸν μὲν ἔνδον, τὸν δὲ ἔξω. Duo, inquam, dotis domini ſunt, maritus & uxor, *quod emolumenti poteſtas uxoris eſſe credatur.* Quae verba peſſime accipiunt Graeci de acceſſione fundi; puta ſi quid per alluvionem agro mulieris flumen adjecerit. Hoc autem vult JCtus dotem mulieris eſſe, quia dotis emolumentum effectu ad eam redit, cum maritus ex dotis fructibus eam exhibeat: & ideo in dote utriuſque utilitas verti dicitur in *l.* 5. §. 2. *D. commod.* Harmenopulus *lib.* 4. *tit.* 8. §. 30. ἡ προὶξ διὰ τὰ βάρη τοῦ γάμου δίδοται, καὶ διὰ τοὺς παῖδας· ἐκεῖνος γὰρ λαμβάνει τὴν προῖκα ὁ μέλλων ἔχειν τοὺς παῖδας ὑπεξουσίους, κἂν τε πατὴρ ἐστι, κἂν τε πάππος: *Dos propter onera matrimonii datur, & propter liberos: ille enim dotem accipit, qui liberos in poteſtate habiturus eſt, ſive is pater ſit, ſive avus.* Haec fruſtra quaeres in libris editis: ſunt autem in MS. Bibliothecae Regiae. Juſtinianus in *l. in rebus* 30. *C. eod.* ait, *dotem naturaliter in uxoris dominio permanſiſſe*; naturaliter, id eſt, vere; ſic naturale pro vero dicere ſolet Cyrillus Alexandrinus, auctore Anaſtaſio Synaita, ut dixi ad Theophilum. Quod de Cyrillo ait Anaſtaſius, verum eſt. Cyrillus ipſe in *explanatione* XII. *Capitum declar. Anathematiſmi* 3. Οὕτω γάρ που φησὶ καὶ ἡ θεία γραφή. καὶ ἤμεθα τέκνα φύσει ὀργῆς, ὡς καὶ οἱ λοιποί, τὸ φύσει, ἀντὶ τοῦ ἀληθῶς λαμβάνουσα: *Sic enim alicubi etiam ſacra Scriptura ait, & eramus natura filii irae, ſicut & caeteri, verbum natura accipiens, pro vere.* Legum autem ſubtilitate in patrimonium mariti fieri. *Non enim*, inquit, *quod legum ſubtilitate tranſitus earum in patrimonium mariti videatur fieri, ideo rei veritas deleta, vel confuſa eſt.* Ludovicus Ruſſardus notat, in multis exemplaribus legi *delata*; peſſime! nam *deleta* rectum eſt, & ita τὸ κατὰ πόδας habet, ἐξηλείφθαι. Theodorus, Graecus Interpres, ſcribit, dominium mariti intra fructuum perceptionem conſiſtere: Ἡ ἀδιατίμητος προὶξ κἂν κατὰ δεσποτείαν οὐχ ἁρμόζει τῷ ἀνδρί, ἀλλ' οὖν ἡ χρῆσις αὐτῆς αὐτῷ διαφέρει: *Dos inaeſtimata, licet jure dominii mariti non ſit, fructus tamen ejus ad eum pertinet.* Alius autem ad *l.* 65. *D. de jur. dot.* maritum inſtar fructuarii eſſe; ἐπὶ τῶν ἀδιατιμήτων ἰσοφρουκτουαρίῳ μιμεῖται ὁ ἀνήρ: *In rebus inaeſtimatis maritus uſufructuarium imitatur*; & adfert *l.* 10. §. 2. *eod.* & in eadem opinione eſt Fulgoſius non levis Juris Interpres. Idem tentavit Gloſſa ad *l. unic.* §. *& cum ex ſtipulatu* 9. *C. de rei uxor. act.* verum maritus plus quam fructuarius eſt: eſt enim dominus, id eſt, proprietarius. Dominium rei dotalis marito quaeritur, *l. dotale* 13. §. 2. *D. de fund. dotal. l. ſi praedium* 23. *C. de jur. dot.* res in dotem data in bonis mariti fit, *l. dotis* 7. §. *ſi res* 3. *D. eod. l. Lucius* 21. §. 4. *D. ad munic.* Boetius *in Topicis.* & Graeci dicere ſolent, τὴν προῖκα ἁρμόζειν αὐτῷ κατὰ δεσποτείαν: *dotem jure dominii ad eum pertinere.* Ecce enim, ſi uxor indemnis damno ex bonis mariti ſervari poſſit, alienatio fundi dotalis, accedente mulieris conſenſu, non impeditur, ſecundum *Novell.* 61. adhibito Juliano Antecеſſore, & venditio rata eſt, ſi modo mulier poſt biennium conſenſum ſuum iteraverit. Quod autem de biennio dicitur, non eſt, cur ratione carere videatur: nam ad exemplum exceptionis non numeratae pecuniae, quae biennio extinguitur, hoc introductum eſt; ut quemadmodum tranſacto biennio confirmatur obligatio, quae ab initio non valebat; ita etiam heic alienatio, quae ab initio non conſtitit, poſt biennium repetito conſenſu convaleſcat, niſi minor ſit, quam viginti quinque annis, cui ſuccurritur. Haec Scholiaſtes Harmenopuli ad *tit.* 9. §. 18. *lib.* 4. Verba ejus haec ſunt in manu exarato Codice Bibliothecae Regiae (nam in editis non exſtant) Μὴ δόξῃ σοι ἄλογος ὁ χρόνος τῆς διετίας. ἐξ ἀποδείγματος γὰρ τῆς ἀναργυρίας εἰσήχθη, ἵνα ὥσπερ ἐπ' αὐτῆς ἡ τῆς διετίας παραδρομὴ βεβαιοῖ τὴν ἐξ ἀρχῆς ἀνυπόστατον ἀγωγήν, οὕτω καὶ ἐνταῦθα, εἰ τελείας ἡλικίας ἐστὶν ἡ γυνή. ὁ φύλαξ γὰρ ἔσω καὶ οὕτω βοηθεῖται. Fructuarius autem dominium tantum uſusfructus habet, ut nullo genere alienatio rei, in qua uſumfructum habet, ei permiſſa eſt, ut ne quidem ſervum manumittere poſſit, *l.* 2. *D. de man. vind.* Item fructuarius utitur fruitur rebus alienis; maritus fundi dotalis dominus eſt, dotis cauſa. Denique fructuarius defruitur, id eſt, omnes omnino fructus percipit; uxor autem una cum marito fruitur: nam dotis fructus propter onera matrimonii ad maritum perveniunt. Et penſior igitur conditio eſt mariti, quam fructuarii: nam pro domino fere agit omnia; res dotales vindicat, *l. doce* 9. *C. de rei vind.* ſervos dotales manumittit, *l.* 3. *C. de jur. dot.* ubi bonorum raptorum actionem habet, *l.* 3. & *l. dubus* 21. *C. de jur. dot.* Graece *ibidem*: ἐπειδὴ γὰρ αὐτὸς ἐστὶ δεσπότης, αὐτὸς καὶ τὴν *bonorum raptorum* ἀγωγὴν κινεῖ. ὅπου γε εἰ καὶ μὴ ᾖ δεσπότης, πᾶς ὁ διαφέρων σώζεσθαι τὰ πράγματα τοιαύτην ἀγωγὴν κινεῖν δύναται: *Nam quoniam ipſe dominus eſt, ejus eſt actio vi bonorum raptorum: cum licet ipſe dominus non eſſet, quilibet, cujus intereſt res ſalvas eſſe, poſſit eam actionem intendere.* Nec igitur recte quis dixerit, dotem non in bonis, ſed ex

naturali domina remanet uxor. [2] Quod autem condictio atiam adverſus furem domino datur, ex eo liquet, condictioni locum non eſſe in rebus vere alienatis, ſed in rebus, quarum, etſi conſumptae ſint, dominus tamen intelligitur ille, cui ſubreptae fuere. Fur non fit dominus rei, quam furatus eſt, etſi eam conſumpſerit. Plerumque enim dominium rei adquiritur ipſa conſumptione ab eo, qui bona fide conſumpſerit, ſed nihilominus condictione tenetur is, qui eam conſumpſit. In mutuo ea condictio competit creditori, quia rem, mutuo datam, ut ſuam factam, bona fide conſumpſit debitor, qui cum rem ipſam non poſſit reddere, eam in alia ſpecie

cie

REPLICATIO.

ex bonis mariti eſſe, quod ut vi bonorum raptorum actio competat, ſufficiat rem ex bonis actoris eſſe *§. 2. Inſt. de bonis vi raptis.* Non enim bona conſequentia eſt, dotem ideo mariti eſſe, quod actione vi bonorum raptorum agere poſſit. Cum ergo maritus & uxor ſimul domini ſint, ut Auſonius ait, patrem & filium eſſe ſimul dominos, ratio ſuadet, ut nec maritus, invita muliere; nec uxor, invito marito, fundum dotalem alienare poſſit, *l. ſi praedium 23. C. de jur. dot.* ὁ γὰρ ἀνὴρ ἐστι δεσπότης, ut eſt in Baſilicis: *maritus enim dominus eſt.* Et ad eam Graeci notant, ante novi juris conſtitutionem non aliter, niſi utriuſque conſenſu praedium dotale alienatum: τὸ μὲν γὰρ παλαιὸν (ſic legitur in Codice D. Ribierii, conſiſtoriani comitis viri & humaniſſimi & doctiſſimi: omnino autem legendum eſt, αὐτοῦ τε γυναικὸς) ἐπιπράσκετο ὁ δοτάλιος ἀγρός: *Antea enim, utroque conſentiente tam viro, quam uxore, venundabatur praedium dotale.* Nota obiter, perperam legi in *d. l. 23. ſponte necne contractum ratum habuerit.* Itaque Cujacius delet illud *ratum*, ex fide veterum Codicum in recitationibus ad eundem titulum; & τὰ κατὰ πόδας illud non agnovit: ſic enim legitur, αὐτόματος ἢ ἀκουσίως τὸ συνάλλαγμα ἔσχεν: *ſponte necne contractum habuerit.* Item ſoluto matrimonio actio in rem mulieri competit, quaſi res dotales permanſerint in ejus dominio, & hypothecaria eaſdem perſequi poteſt, quaſi res mariti, *d. l. in rebus. 30.* nam res mea pignori mihi nexa non eſt. Itaque belle obſervat Thalelaeus ad *§. taceat 5. l. unic. C. de rei uxor. act.* maritum, qui in res dotales ex voluntate mulieris impenſas fecerit, mandati actionem habere ex Conſtitutione Juſtiniani, quae adverſus alium non competet, ſi quid mandatu ejus impendero in rem meam. Dotem enim mariti eſſe, ἐπειδὴ γὰρ δεσπότης ἐστὶν ὁ ἀνὴρ τῶν προικιμαίων πραγμάτων, καὶ περὶ τὰ ἴδια δαπανᾷ, πῶς δύναται εἶναι μανδάτι ἐξ ὧν τις αὐτοῦ περὶ τὰ ἴδια πράγματα· διὰ τοῦτο δὲ ὡς ἐξ αὐθεντίας ἰδίας εἶπεν ἡ διάταξις. Quamobrem maritus & uxor invicem ſe dominos appellare conſueverunt. Maritus dominus dicitur, in *l. ea quae 57. D. de donat. int. vir & uxor.* Sarra de marito ſuo: ὁ δὲ κύριός μου πρεσβύτερος: *dominus autem meus ſenex eſt, Gen. c. 18. v. 12.* B. Chryſoſt. in *Pſal. 5.* καὶ κύριον τὸν ἄνδρα καλεῖ ἡ γυνή: *uxor maritum dominum vocat.* & uxor domina in *l. Titia 19. §. 1. D. de ann. leg. l. uxorem 41. D. de leg. 3. l. ult. D. de aur. arg. leg.* Notiſſimus eſt locus Epicteti Arriani *lib. 2. cap. 62.* Αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ ιδʹ. ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κύριαι καλοῦνται: *Uxores ſtatim ab anno 14. a viris ſuis dominae vocantur.* Mariti tamen dominium potentius eſt: mulier enim δευτέρα ἀρχή ἐστι, καὶ πλέον ἔχει ὁ ἀνήρ, *ſecundus dominatus eſt: vir autem habet aliquid amplius*, ut ait Theophylactus in Paulum *cap. 5. epiſt. ad Galatas.* In ſumma maritus jure naturali dotis dominus eſt, *§. per traditionem 40. Inſt. de rer. diviſ.* & legis ſubtilitate. Uxor autem ex naturali jure, ſive naturaliter & revera, nec juris civilis arceſſito colore.

Et niſi fallor igitur, collectio tua haec eſt, uxorem dominium quantitatis & proprietatis retinere (ne novum videatur quod adſeris, & nimia diligentia defendis) dominium datae quantitatis alienari, recipeandae non item: ut eodem tempore creditor dominium quantitatis retineat: & proinde duo ejuſdem quantitatis emergant domini ad exemplum mariti & uxoris. Uxorem enim quantitatis dominam eſſe, ſi res pondere, numero, menſura conſtent: ſi vero res ſoli ſit, uxorem proprietatem retinere, maritum autem fructuarium eſſe. Ego puto verius dici, uxorem nec quantitatis dominium retinere (ut jam ſupra docuimus) nec maritum fructuarium eſſe: nam duos ejuſdem fundi condominos, & veluti compoſſeſſores eſſe expeditiſſimum eſt: rerum autem aeſtimatarum, & rerum, quae pondere, numero, & menſura conſtant, uxor domina eſſe deſiit omnimodo, actione ex empto ei quaeſita, vel marito ejuſdem quantitatis debitoris conſtituto.

[2] *Quod autem condictio etiam adverſus furem domino datur, ex eo liquet, condictioni locum non eſſe in rebus vere alienatis, ſed in rebus, quarum, etſi conſumptae ſint, dominus tamen intelligitur ille, cui ſubreptae fuere.*] Quoniam dominus rem ſuam furi condicit, ex eo, Clariſſime Vir, liquere putas, condictionem competere, cum res vere alienata non eſt. Nec enim fur rei furtivae dominus efficitur, licet conſumpta ſit, aliter quam bonae fidei poſſeſſor, qui conſumptione rei dominus effectus intelligitur, & nihilominus condictione tenetur. Denique debitor ex cauſa mutui condictione tenetur, quia rem, mutuo datam, ut ſuam factam, bona fide conſumpſit: qui cum rem ipſam non poſſit creditori reddere, eam in alia ſpecie reddit. Tres igitur condictione tenentur, fur, bonae fidei poſſeſſor, & debitor qui mutuum accepit. Nos diſpiciamus, ne aliter haec accipienda ſint. Nam qui mutuum accepit, actione creditae pecuniae tenetur, ſive condictione: bonae fidei poſſeſſor condictione tenetur, quaſi ex cauſa mutui. Ille numeratione, non conſumptione dominus factus eſt; hic conſumptione, non numeratione. Fur autem neque numeratione, neque conſumptione dominus efficitur. Nam, & in rem actione tenetur: & tamen heic ab jure diſceſſum eſt, & adverſus furem inducta eſt condictio, qua is, cui furtum factum eſt, intendit eum ſibi dare oportere. Ut debitor, & bonae fidei poſſeſſor dent, ſive dominium transferant, juris ratio facit: ut fur det, nulla ratio facit. Quid ergo eſt? dominium rei penes furem eſſe fingimus, propter quod dare eum oportet. Condictio quidem furtiva de re noſtra eſt, & dominii jure competit, ſed non aliter dare intelligi poteſt fur, quam ſi rei ſubreptae quaſi quodammodo dominium in furem translatum comminiſcamur. Hanc formam juris odium in fures extorſit. Jus civile (ut optime noſti) fictionibus plenum eſt. Querela inofficioſi, actio Publiciana, jus poſtliminii, tutores dati poſtumis, eorumque inſtitutiones fictionibus adſcitis nituntur; ne quid dicam de fictione brevis manus. Et condictio igitur furtiva fictionem ſuam habet, ne prudentes a juris regula, qua definitur, neminem rem ſuam condicere, ſine colore diſcederent. Sic memini, me ad Theophilum Anteceſſ. adnotaſſe. Imo relatum eſt mihi, Dominum Maranum, Anteceſſorem doctiſſimum, ſelectiſſimaeque virum eruditionis, in ea ſententia fuiſſe in *Paratitlis ad libros Digeſtorum.* Nec igitur eſt, cur verear eam ſententiam adſerere, quam antea ſubtimide in medium protuleram. Itaque non ſatis liquere puto, quod ais; vel ex eo condictioni locum non eſſe in rebus vere alienatis liquere; quia res furtiva condicitur a fure, qui rei furtivae dominus non eſt.

Nec

cſe reddit. [1] Condictio enim earum rerum eſt, quae non extant; vindicatio rerum, quae extant. Vindicatio autem rei mutuo datae ideo non datur creditori, [2] quia res, quam dedit, facta eſt accipientis, ſed habet condictionem ad eam repetendam, quam ea conditione dedit, ut ſibi redderetur. Ea vero condictio etſi non competit tanquam domino rei, quae data eſt, quia non amplius ejus dominus eſt, [3] competit tamen tanquam domino rei, quae repetitur, id eſt, alterius ſpeciei in eadem quantitate reddendae. [4] Nulli enim condictio competit, niſi ei, qui jus in re habet. Jus autem nullum habet in re, quae alienata eſt, is, qui alienavit: hoc eſt, donavit, legavit, in jure ceſſit, vendidit, mancipavit, aut alio genere quocunque in alium rei ſuae dominium jusque tranſtulit. Furi ipſi rem ſuam dominum etiam condicere poſſe, [5] jure ſancitum eſt, hoc eſt, ipſam illam ſpeciem, quam ſurripuit, [6] & quam conſumpſit, quia non facta eſt accipientis, nec bona fide eam conſumpſit. Cur hoc in fure conſtitutum ſit praeter communem regulam, quae non dat condictionem domino rei ipſius, quae conſumpta eſt ac non extat, quia dominus ejus dici non poteſt, hanc rationem attulit *in Inſtitutis* Juſtinianus, id odio furum inſtitutum eſſe, quo pluribus actionibus teneantur. Sed aqua hic haeret Doctoribus, nec expediri poſſe fatentur, quomodo furi res condici queat, id eſt, eum fure ſic agi, ut intendamus eum, quod noſtrum eſt dare, nobis oportere. Utique eo ſenſu, quo verbum *dare* in formula propoſita accipitur, nempe pro dominium transferre. Fieri enim non magis hic poſſe, ut quod meum eſt mihi detur, & amplius meum fiat, aut ut dare vel dominium transferre poſſit, qui dominium non habet, quam ſi res condicatur alii ex alia cauſa. [7] Nodum hunc, indiſſolubilem eſſe, Doctores affirmant. Mihi aliter videtur. Certe, ut etiam Theophilus notavit in *eo loco Inſtitutorum*, non poteſt actor eam rem, cujus dominus ſit, actione in perſonam petere, & dicere, *ſi paret, adverſarium hanc rem meam mihi dare oportere.* Nam ut in ipſis Inſtitutis ſcribitur, res, quae jam actoris eſt, magis ejus fieri non poteſt. Sed excipiendam ait Theophilus condictionem furtivam, quam movere poſſum adverſus furem de rebus, furto mihi ſublatis. Condictio fere non datur, niſi de rebus conſumptis & non amplius extantibus. Nam ſi res extaret, non actio in perſonam daretur, ſed in rem ipſam, ſi ſuam eſſe intenderet actor. Si quae extat, aut bona fide conſumpta eſt, quia facta eſt accipientis, ut

REPLICATIO.

Nec enim, quod contra rationem Juris receptum eſt odio furum, legem dare poteſt ei, quod ſecundum merum jus conſtitutum eſt: hoc eſt, condictio furtiva, quae ſoli domino competit, efficere non poteſt, ut condictio ſpecialis etiam ei competat, qui dominus ſit, quantitatis nimirum creditae, ac per hoc nulla in mutuo alienatio celebrata ſit Per contrarium recte ducitur argumentum a ſpeciali condictione ad condictionem furtivam, ut quemadmodum intendimus, debitorem ex cauſa mutui dare oportere, ſic etiam furem eadem actione teneri dicamus, quaſi dominum, commentitio jure.

[1] *Condictio enim earum rerum eſt, quae non exſtant; vindicatio rerum, quae exſtant.*] Hoc in mutuo verum non eſt: non enim condicuntur res, quae non exſtant ſeu conſumptae ſunt; ſed quantitas, quae perire non poteſt. Ideoque incendium aere alieno non liberat debitorem, quia genus perire non creditur: *πρότερα τῇ φύσει τὰ γένη ὡς συναναιροῦντα, ἀλλ᾽ οὐ συναναιρούμενα: Priora ſunt natura genera, quod perimant, non autem perimantur*, ut ait Porphyrius *in Inſtitutione*. Quin imo creditor aget condictitia, tametſi res exſtet. Pone enim, res mutuo datas nondum abſumptas a debitore: condictio nihilominus creditori competit, non vindicatio, ſi ſua die res ejusdem generis & qualitatis ſoluta non erit. Sed & furi rem exſtantem dominus condicit; ut poſtea dicetur. Denique ſi generaliter ſtatuas, condictionem earum rerum eſſe, quae non exſtant, non facile quisquam id tibi concedet. Scio, Clariſſime Vir, te in animo habuiſſe *§. ſi tamen 26. Inſt. de rer. diviſ.* aut *l. 3. C. de condict. ex lege:* Dico igitur, res quidem exſtinctas vindicari non poſſe: nam quod exſtinctum eſt, demonſtrari non poteſt: ſic enim dominus petit, hanc rem meam eſſe ajo; condici tamen poſſe, id eſt, aeſtimationem condici furi & quibusque poſſeſſoribus; *§. ſi tamen 26. Inſt. de rer. diviſ.* Nec tamen ut condictioni locus ſit, continuo rem exſtinctam eſſe neceſſe eſt. Ecce! ſpe numerationis cavi pecuniam me accepiſſe, quae numerata non eſt; condicam chyrographum, *l. 7. C. de non num. pecun.* & *l. 3. C. de cond. ind.* Item chyrographum condicam exſoluto debito *d. l. 3.* nec tamen chyrographum exſtinctum eſt. Sed & quod ex cauſa permutationis traditum eſt, ſi alter placiti fidem non ſervet, condici poteſt, *l. 4. C. de rer. permut.* Denique, ſi quid ob cauſam donatum ſit, nec impleatur lex donationi dicta, condictio eſt. Imo interdum condictio & vindicatio concurrunt, *l. 24. & 26. D. rer. amot.* Utique autem vindicatio non concurreret, ſi res non exſtaret. Cur ergo chyrographum condicitur? quia ſcilicet debitor dominus ejus eſſe deſiit: alioquin daretur ei vindicatio. Et merito igitur condicitur a creditore, qui debitoris voluntate dominus ejus effectus eſt. Idemque de caeteris dicendum eſt: nam res ex cauſa permutationis tradita ejus fit, cui tradita eſt; & ſimili modo res donata. Hoc tamen inter res exſtantes & non exſtantes diſcrimen eſt, quod vindicari non poſſunt, niſi exſtantes: condici autem poſſunt tam exſtantes, quam non exſtantes.

[2] *Quia res, quam dedit, facta eſt accipientis.*] Etiam heic repetendum eſt, quod diximus, non haberi rationem rei, quae mutuo data eſt, ſed quantitatis, cujus dominium, ſi creditor retineret, ſine dubio vindicare eam poſſet.

[3] *Competit tamen tanquam domino rei, quae repetitur.*] Ergo condictio domino competit, quod in jure proditum non eſt.

[4] *Nulli enim condictio competit, niſi ei, qui jus in re habet.*] Aliud eſt jus in rem habere, aliud actionem habere, *l. 20. D. de leg. 3.* Creditor nullum jus habet in re, non magis quam qui donavit, legavit; & ideo non agit in rem, ſed in perſonam.

[5] *Jure ſancitum eſt.*] Sancitum vero? An Conſtitutione principali? nequaquam. An inductum interpretatione prudentium ad legem XII. tabularum de furto?

[6] *Et quam conſumpſit.*] Imo rem etiam exſtantem dominus furi condicit, ut poſtea dicetur.

[7] *Nodum hunc indiſſolubilem eſſe Doctores adfirmant.*] Et nodus igitur Gordius, ut Doctoribus placet. Tibi vero, Clariſſime Vir, aliter videtur. Videamus autem, quemadmodum hunc nodum ſolvas!

[2] Si

in mutuo: aut mala fide; ut furtiva. Ejus, quae accipientis facta eſt & bona fide ab eo conſumpta, qui ad hoc acceperat, ut uteretur; uſus autem ſine abuſu talis rei non conſtat. condictio competit ei, qui dedit, quia ad hoc dedit, ut reciperet, cujus vindicationem non haberet; tametſi ea ipſa res, quam dedit, extaret; quia accipientis fecit, & in eum dominium rei ſuae transtulit. Quia autem dedit ut reciperet, in alia ſpecie eam recipit, & condictionem habet ad eam repetendam. Tunc in formulae verbis; [1] *ſi pareat dari oportere*, illud *dari* pro *reddi* accipiendum eſt. Nam pecuniam mutuo datam ſibi dari oportere non contendit actor, ſed *reddi*, *reſtitui*. Nam, *ſi datur ut reddatur*, inquit Varro, *mutuum eſt*. *Leg.* 111. *D. de rebus creditis. Cum quid mutuum dederimus, etſi non cavimus, ut aeque bonum nobis redderetur, non licet debitori deteriorem rem, quae ex eodem ſit genere, reddere.* [2] In ipſa re furtiva, cujus condictio domino datur, *ſi pareat dari oportere*, omnino illud *dari* pro *reddi* accipiendum eſt. Nam ſua res domino dari non poteſt; reddi poteſt. Sic nodus ille inſolubilis ſolvi debet. Et quamvis fur dominium rei furtivae non adipiſcatur, ubi ab ipſo conſumpta eſt, reipſa tamen dominium ejus amittit dominus, haud ſecus quam ſi igne abſumpta foret, aut aqua merſa, vel alio quo caſu deperdita. [3] Si extantem adhuc vindicaſſet dominus,

REPLICATIO.

[1] *Si pareat dari oportere, illud dari pro reddi accipiendum eſt.*] Unde efficis pecuniam reddi ex cauſa mutui quaſi domino. Terent. *Adelph. Meum mihi reddatur.* Cujacii notam ſine dubio legeras ad *tit. Quib. mod. re contr. oblig.* & *in comment. ad l.* 54. *D. de verb. oblig.* adeo nihil ſine auctore dicis. Sed & illud, quod tanto opere defendis, mutuum ſcilicet alienationem non eſſe, tu primus non invexiſti, ſed e penu Molinaei eſt. Vide quos Auctores ſequaris, Jacobum Cujacium, virum ſine exemplo maximum, & Carolum Molinaeum, virum tribaciſſimum. Cujacius ait: *Quum vinum pro vino datur aeque bonum, eademque menſura, redditur vinum verius, quam datur.* Dandi quidem verbum recipit & reddendi ſignificationem, *l. ſi mulier* 25 *& l. ult. C. de jur. dot.* Graeci vertunt, ἀποδοῦναι, & in *l. poſt. dotem* 40. *D. ſol. matrim.* Per contrarium reddendi verbum & dandi ſignificationem habet, *l. verbum* 94. *D. de verb. ſign.* Haec tamen inter ſe differunt, *l. Stichum* 39. §. *ſi haeres* 2. *D. de ſtatul. l. cum pater* 77. §. *fidei tuae* 12. *D. de leg.* 2. Seneca *lib.* 7. *de Beneſic. cap.* 20.

In formula tamen conditionis, ſi paret, eum dare oportere, dare pro reddere accipiendum non eſt; ſed dare eſt dominium transferre, ut docet Juſtinianus *Inſtitutionis quartae tit.* 6. §. 14. Nec veriſimile eſt, Auctores in concipiendis formulis *dandi* verbum uſurpare pro *reddendi*, qui verborum diligentiſſimi fuere. Aut igitur ex mutuo condictio non eſt, aut qui condictione tenetur, dare neceſſe habet. Cur heic haeremus? ad juris principia decurrendum eſt. Condictio ut plurimum datur adverſus dominum: vindicatio domino competit, ſive, ut ajunt Graeci, ad *l.* 7. §. 3. *D. de jur. dot.* ὁ κονδικτίκιος ἐπὶ τὸ πλεῖστον κατὰ δεσπότου κινεῖται, τὴν *in rem* δεσπότης κινεῖ. & ad *l.* 9. ὁ κονδικτίκιος ὁ εἰωθότα κινεῖσθαι κατὰ τῶν δεσποτῶν: *condictionem intendi ſolitam adverſus dominos.* Eleganter idem ad *l.* 50. *D. eodem*: Φύσις καὶ ἰδιότης τῷ κονδικτικίῳ κατὰ δεσπότου κινεῖσθαι: *Natura & proprietas actionis condictitiae haec eſt, ut adverſus dominum moveatur.* Cum ergo is, qui mutuam pecuniam accepit, condictione teneatur, neceſſe eſt, eum dominum effici, non modo corporum, ſed & quantitatis, ſi quidem non condicuntur corpora, ſed quantitas: nec enim convenitur haec formula, ſi paret dare oportere, niſi qui dominus eſt; cum nemo dare ſive dominium transferre poſſit, niſi qui dominus eſt. Itaque differunt haec, meum eſſe, & dari mihi oportere. Qui vindicat, ſuum eſſe ait: qui ſibi deberi dicit, dari ſibi oportere intendit, *l. ſed ſi poſſeſſori* 11. §. 1. *D. de jurejur.* Videris igitur, Eruditiſſime Vir, an *dari* accipi poſſit pro *reddi*, aut *reſtitui*; cum actio intenditur adverſus dominum, quem conſtat dare, non reddere.

Atqui, inquis, ſi datur, ut reddatur, mutuum eſt, ut ait Varro *lib.* 4. *de L. L.* & Pomponius in *l.* 3. *D. de reb. cred.* eodem verbo utitur. Addo Juſtinianum *Inſtitutionibus Quib. mod. re contr. oblig.* & Scaevolam in *l. Lucius Titius* 93. §. 1. *D. de leg.* 3. Denique non aliter Auctores loquuntur. M. Tullius *ad Attic. lib.* 10. *ep.* 11. *Si mihi Quintus Axius in hac mea fuga HS.* XIII. *non reddit, quae dedi filio mutua.* Plato *in Timaeo*: πυρὸς καὶ γῆς ὕδατός τε καὶ ἀέρος ἀπὸ τοῦ κόσμου δανειζόμενοι μόρια, ὡς ἀποδοθησόμενα πάλιν. Cicero ita reddidit: *particulas ignis & terrae & aquae & aeris a mundo, quas rurſus redderent, mutuabantur.* Plinius *Praefatione ad Veſpaſianum: Deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere.* Mamertinus *Panegyrico Maximiano dicto c.* 18. *Quis debitor verecundus ita mutuum ad diem reddit, ut tu quod promittis appendis?* Nec tamen inde recte colliges, *dare* accipiendum pro *reddere*. Nam qui dicit, ſi datur, ut reddatur, mutuum eſſe, reſpicit ad naturam contractus: mutuum enim damus tantamdem pecuniam recepturi, non ad condictionem, qua creditor intendit ſibi dari oportere: & debitor ſolvendo tam reddere, quam dare dicitur; & quidem *reddere*, quia ſic accepit ut redderet: *dare* autem, quia pecunia ſic ab eo proficiſcitur, ut fiat accipientis. Mutuum igitur datione contrahitur, & datione diſtrahitur.

[2] *In ipſa re furtiva, cujus condictio domino datur, ſi pareat dari oportere, omnino illud dari pro reddi accipiendum eſt.*] Odio furum effectum eſt, *ut fures etiam hac actione teneantur, ſi paret, eos dare oportere*, ut ait Juſtinianus *d. tit.* 6. §. 14 Poteſtne aliquid exſertius dici? Ait, actorem non poſſe ſuam rem ita petere, ſi paret, eum dare oportere; quia ſcilicet dari cuiquam id intelligitur, quod ita datur, ut ejus fiat. Nec rem, quae jam actoris eſt, magis ejus fieri poſſe: odio tamen furum receptum eſſe, ut fures etiam hac actione teneantur, ſi paret eos dare oportere. In condictione igitur tam certi, quam furtiva, dare eſt dominium transferre, quod Theophilus etiam fideliter expoſuit. Gloſſae Baſilic. δοῦναι τὸ ποιῆσαι δεσπότην: *dare eſt dominium transferre.* Sane ſine calumnia aliter interpretari non poſſumus. Nobis non licet eſſe tam improbis, ut pro libidine legum verba in aliam atque aliam ſententiam pertrahamus.

[3] *Si exſtantem adhuc vindicaſſet dominus, non poterat actione uti in perſonam, ſive condictione, ad eam repetendam.*] Non ſatis intelligo, quae horum verborum ſententia ſit. *Si extantem vindicaſſet, non poterat condicere*: cur enim dominus rem condiceret, quam jam antea conſecutus eſſet? utique enim vindicatio condictionem abſumeret, ut fieri conſuevit, cum plures actiones de eadem re concurrunt. Certe ſi rem conſecutus non fuerit, altera per alteram ipſo jure non tollitur, *l. ei qui furti* 9. *D. de furt.* & quam rem igitur dominus vindicare poteſt, id eſt, exſtantem,

can-

tius, non poterat actione uti in perſonam, ſive condictione, ad eam repetendam. [1] Actione quidem dupli aut quadrupli poterat rem ſuam a fure conſequi, [2] ſed in odium furum, quo pluribus actionibus tenerentur, & vindicatio in eos dabatur, ſi res extaret, [3] & condictio, ſi conſumpta eſſet; poena etiam dupli aut quadrupli tenebantur. [4] Ea condictione, ſi paret dari oportere, *dari* illud pro *reddi ac reſtitui* omnino intelligendum. Non enim dari poteſt domino, quod ſuum eſt, ſed reddi. In mutuo etiam revera non datur, quod condictione repetitur, ſed redditur. [5] Nam quod nobis debetur, *noſtrum eſſe*, regula juris eſt, ut habetur in *leg.* CCXIII.

REPLICATIO.

tandem etiam condicere poteſt. Neſcio, an ſcriptum volueris: *ſi extantem adhuc non vindicaſſet dominus:* nec enim aliter rem condici poſſe arbitraris, quam ſi conſumpta ſit, quod a juris ratione perquam alienum eſt, ut poſtea dicetur.

[1] *Actione quidem dupli aut quadrupli poterat rem ſuam a fure conſequi.*] A poena decemvirali in fures manifeſtarios ſtatuta diſceſſum eſt, & Praetores eam in quadruplum mutaverunt: poena nec manifeſti furti legitima, id eſt, dupli remanſit Cato *de re R. prooem. Furem dupli condemnari.* Quintilianus *Inſtitutionum lib. 7. cap. 5. Cum duo fures pecuniam abſtulerunt, ſeparatim quadruplum quisque, an duplum debeat?* de quo *cap. 7. lib. ejusdem.* Quintilianus alter *decl.* 320. *Non eſt tale quale ſi in furto deprehenſus quadruplo damnatus eſſem.* Agobardus *de diſpenſatione contra ſacrilegos: Si cuicumque hominis de rebus humanis furatus aliquid fuiſſet, praecepto legis dupli aut quadrupli reſtitutione multaretur.* Adde S. Ambroſ. *Off. lib. 3. cap. 3.* ſed & apud Graecos furtum, in privata domo factum, dupli poena luebatur. Fur ſcilicet cogebatur διπλῆν τὴν ἀξίαν τοῦ κλέμματος ἀποτίνειν, ut ait Ariſtoteles *in Problem.* Sed eo tandem perventum eſt, ut de omni furto criminaliter agatur, *l. ult. D. de furt.* Et fures quidem Romanorum legibus exilio puniri ſcribit Oroſius, *lib. 4. cap. 13.* fuſtibus caedi Bardeſanes apud Euſebium: παρὰ Ῥωμαίοις πληγαῖς αἰκίζεται: *Fur apud Romanos fuſtibus caſtigatur.* Huc facit *l. 8. C. ex quib. cauſ. inf. non irrog.* B. Chryſoſtomus in *Pſal. 8.* ὅπερ ποιοῦσιν οἱ δικασταὶ κελεύοντες ἕπεσθαι τοῖς μαστιγουμένοις τοὺς ἐπιβοῶντας καὶ λέγοντας τὴν μάστιγος τὰς αἰτίας, μὴ κλέπτε, μὴ ἅρπαζε: *Quod faciunt judices jubentes, ut eos, qui fuſtibus caeduntur, ſequantur, qui inclament & cauſam dicant, cur caedantur, ne de caetero furtum aut rapinam admittas.* Serva illud, μὴ κλέπτε. Aut enim ſententiam paſſis ſuperſcribebatur titulus, qui poenae cauſam contineret. Non recte, ut videtur, Stephanus *in Comm.* nondum vulgato ad *lib. 1. Rhet. Ariſt.* Ἐπίγραμμα, inquit, ἡ αἰτίασις, καὶ ἡ κατηγορία. διὸ καὶ ὁ Πιλᾶτος, φασὶν, ἔθηκε τὴν αἰτίαν αὐτοῦ γεγραμμένην, ἤγουν τὸ ἐπίγραμμα: *Inſcriptio, accuſatio: ideo Pilatus, ajunt, poſuit cauſam ipſius ſcriptam, ſive inſcriptionem*: nam titulus jam damnatis ſuperſcribebatur (Ariſtoteles autem loquitur de accuſatoris inſcriptione, ſeu accuſatione, quam γραφὴν alii vocant) aut cauſa a praecone ſuperdicebatur. Vide Suidam in πυθίῳ, & Dionem *lib.* 54. Apud Graecos etiam fures flagellis caſtigabantur. Michael Epheſius ad *lib. 5. Ethicorum*: ὁ κλέψας ἀντὶ τῶν κλεμμάτων ὅτε μὲν δίδωσι ἑτέρα τινα; ὅτε δὲ μαστιγοῦται. *Fur pro rebus furto ſubtractis interdum alia quaedam praeſtat: interdum flagellis caeditur.* Sed ad rem! *Furti actio ad poenae tantum perſecutionem pertinet. Nam ipſius rei perſecutionem extrinſecus habet dominus, quam aut vindicando, aut condicendo poteſt auferre, §. ult. Inſt. de oblig. quae ex del. naſc.* adde §. 18. *Inſt. de action.* Verum igitur non eſt, actione dupli aut quadrupli dominum potuiſſe rem ſuam a fure conſequi: nam meram poenam perſequitur, qui actione furti agit, id eſt, in actionem poenalem non venit ipſa res ſubrepta: ſed vindicatio vel condictio ſupereſt, *l. qui vas* 48. & *l. ſi pignore* 54. §. 3. *D. de furt. l. ancillae* 12. *C. de furt. l. ult. C. de noxal. act.* Per contrarium, ſi quis condictione vel vindicatione rem conſecutus fuerit, ſalva ei eſt furti actio *d.* §. 3. In ſumma, *neque furti actio per condictionem, neque condictio per furti actionem conſumitur, l. ſi pro fure 7. §. 1. D. de condict. furt.*

[2] *Sed in odium furum, quo pluribus actionibus tenerentur, & vindicatio in eos dabatur ſi res extaret.*] Nusquam lectum, nusquamve auditum vindicationem odio furum comparatam eſſe. De condictione quidem hoc proditum eſt, *Inſt. lib 4. tit.* 6. quoniam condictio contra juris regulas datur, ut poſtea dicetur. De vindicatione autem nullibi hoc ſcriptum eſt. Verum prudentes actionem praetoriam in quadruplum, vel legitimam in duplum ſic acceperunt, ut praeter poenam darent rei vindicationem ex juris regulis: nam vindicatio domino competit, & condictionem contra juris rationem: ſed hoc extorſit in fures odium.

[3] *Et condictio ſi conſumpta eſſet.*] Imo licet conſumpta non eſſet, ut inferius dicetur.

[4] *Ea condictione, ſi paret dari oportere.*] In condictione furtiva, & certi condictione dare eſt dominium transferre; & in condictione indebiti: nam ei, qui indebitum accepit, perinde condici poteſt, ſi paret eum dare oportere, ac ſi mutuum accepiſſet, §. 1. *Inſtit. quib. mod. re contr. oblig. l. 5. §. is quoque 5. D. de obligat. & act.* Quemadmodum igitur mutuum alienatio eſt; ita & indebiti ſolutio: eſt enim quaſi mutui datio; ſi ea nimirum ſolvantur, quorum datione in creditum itur: ſi vero aliae res ſolvantur, condictio indebiti eſt ex bono & aequo, ut ſummus juris Antiſtes primus obſervavit. Illa κονδικτίκιος δανειακὸς, haec κονδικτίκιος ἰνδεβίτος dicitur. Denique haec condictio adverſus dominum datur; ut ex formula, qua convenitur, ſatis conſtat. Nec igitur verum eſt, quod ait *Disquiſitio de Mutuo*, indebitum ſolutum non eſſe alienationem.

[5] *Nam quod nobis debetur, noſtrum eſſe, regula eſt.*] Non puto juris regulam eſſe, quod ad verbi ſignificationem pertinet in *l. 213. D. de verb. ſign.* tametſi *ea lex* deſumpta ſit ex Ulp. lib. 1. Reg. Caeterum tres juris regulae in *ea lege* proponerentur, quod de ceſſione diei dicitur, quod de aere alieno, & lata culpa, quod abſurdum eſt. Ait igitur Ulp. aes ſuum eſſe, quod alii nobis debent; aes autem alienum, quod nos aliis debemus. Sic Lucillius *lib. 29. Age nunc ſummam ſumptus ducas aeri ſimul atque alieni.* Ego in ora libri mei ſcriptum inveni,

—— —— —— — age ſummam,
Nunc ſumptus ducas privi ſimul atque alieni
Aeris.

ut privum aes, ſive proprium, opponatur alieno. Gloſſae veteres, χρέος, *debitum, aes alienum.* Aliae: *aes alienum*, ὀφεῖλος, δάνειον. Ex quibus emendandae Graecolatinae; ubi legitur, δάνειον, *mutuum, alienum.* Legendum enim, *aes alienum.* Sic aes alienum pro aere alieno ex mutuo contracto accipitur, in *l. 1. D. de Senatuſc. Macedon.* ibi, *aes alienum adhibuiſſet.* Sic etiam aes alienum accipitur pro mutua pecunia, in *l. incendium 11. C. ſi cert. petat.* Cyprianus (quod nec ipſe diffiteris) in *Disquiſitione de Mutuo*, prout ingenuum & liberalem hominem decet (qualis es tu) *l. qui ſic 55. D. de ſolution.* tibi ſuppeditavit, qua praecipue ſententiam tuam firmari ac ſtabiliri credis. Haec tibi eſt veluti arx novae opinionis, ut liceat tibi, dicere, Σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν ἡμῶν, καὶ ἐκ χειρὸς πάντων τῶν μισούντων ἡμᾶς: *Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium*

ccxiii. *D. de V. S.* [1] Praeterea *meorum* & *tuorum* appellatione actiones quoque continentur, *leg.*

REPLICATIO

omnium, qui oderunt nos. Ego vero contendo, legem illam nec firmandae opinioni tuae quidquam prodeſſe, nec eam paſſim ab omnibus perceptam: quin imo vel *hujus legis* argumento ſententiam tuam convelli. Atque ita intelliges, quam verum ſit quod in Ajace Lorario eſt, ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα, *inimicorum donum, non donum.* Verum hac de re poſtea dabitur agendi locus. Quin etiam forte, an ego aliquid contuliſſe videbor conſtabiliendae opinioni tuae, hoc eſt, quod de aere alieno dixi, quatenus ſcilicet aes alienum pro mutuo accipitur in Gloſſis veteribus, & *d. l.* 1. *&* 11. quibus adde ſis Cornel. Nepot. *in Att. cap.* 2. *Nam neque indulgendo inveteraſcere eorum aes alienum patiebatur, neque multiplicandis uſuris creſcere.* Hoc, inquam, argumento tentari poteſt, mutuum non eſſe alienationem, cum aes alienum pro mutuo ſumi conſtet. Quod ſi tibi non diſplicet, hoc tamen a te poſtulo, ut hoc ei acceptum referas, qui te non modo diligit, ſed etiam obſervat & colit tanquam optime de ſe, deque literis meritum. Quanquam ſi verum volumus, neque ruentem opinionem tuam hoc novo ſubſidio fulcire potes: nam haec in ſpeciem tantum tibi patrocinari videntur. Aes igitur alienum dicitur, quod nos aliis debemus. Hinc aes alienum luere vel diſſolvere apud Q. Curtium *lib.* 3. *cap.* 8. *& lib.* 10. *cap.* 2. ut διαλύειν τὰ χρήματα apud Demoſthenem, exſolvere apud Juriſconſultos; exire aere alieno, apud Tullium. Idque extra bona eſſe dicitur, *l.* 39. *D. de verb. ſign. l. non poſſunt* 11. *D. de jur. fiſc.* Quintilianus *declamat.* 273. *Bona porro quae ſunt? at opinor, ea, quae detractis alienis deprehenſa ſunt*

Quod igitur ex patrimonio reſiduum eſt, *quod liberum in patrimonio meo eſt, id proprie meum eſt*, ut ait *ibidem* Quintilianus. Sic loquitur Paulus in *l.* 55. *D. de donat. int. vir. & uxor.* quid deducto aere alieno liberum habeat. Graeci juris Interpretes καθαρὰν οὐσίαν, *puram ſubſtantiam* vocant, καθαρὰν χρεῶν, *Novell.* 22. *cap.* 18. Quod autem aliis debeo, id aes alienum eſt. An ergo meum aes alienum (ſic enim praeter Ciceronem & Senecam loquitur Ulpianus in *l. profectitia* 5. §. *ſi filiusfamilias* 10. *D. de jur. dot.*) id eſt, quod tibi debeo ex cauſa mutui, tui dominii eſt? minime! alioquin dominii vindicatione uti poſſes. Itaque cum dicimus aes alienum meum, non hoc ſignificamus, id in dominio creditoris eſſe, ſed minus proprie in bonis meis eſſe propter ſolvendi neceſſitatem, qua obſtrictus ſum, *l. pater* 54. *D. ad leg. Falcid.* & tamen quodammodo meum: debitor enim ejus, quod debet, dominus eſt, *l.* 1. *D. de liberat. leg.* Eſt quidem actio in bonis creditoris, *l. qui ſolidum* 78. *D. de leg.* 2. ſed haec actio obligationis, non dominii, jure intenditur.

[1] *Praeterea meorum & tuorum appellatione actiones quoque continentur.*] Idem ait Marcianus *l.* 30. §. 1. *D. ad SC. Trebellian.* Hinc petenda eſt ambigui ratio in *l. ſcribit* 34. *D. de auro arg. leg.* Q. Mucius ait, *Si aurum ſuum omne paterfamilias uxori ſuae legaſſet, id aurum, quod aurifici faciundum dediſſet, aut quod ei deberetur, ſi ab aurifice ei repenſum non eſſet, mulieri non deberi.* Non improbabiliter ita legis, *faciundum dediſſet, ſi ab aurifice ei repenſum non eſſet, aut quod ei deberetur.* Quanquam trajectiones ejusmodi non infrequentes ſunt in libris juris. Ecce heic quod ſuum eſſet opponitur ei, quod in actione haberet: ergo id quod in actione eſt, proprie noſtrum non eſt. Reſpondes in *Diſquiſitione de Mutuo, hanc legem* accipiendam eſſe de eo, quod deberetur ex ſtipulatu, quod quidem ſtipulatoris non ſit, priusquam tradatur: in credito autem idem non eſſe: mutuum enim ſuum creditori cenſeri, alienum autem debitori. Itaque ex Pomponii ſententia, inquis, ſi paterfamilias aurum ſuum omne uxori legaſſet, id quod deberetur ex cauſa mutui, legato contineretur. Heic ſcilicet te benignum praebes in ſequiorem ſexum, &, ſi pateretur Ulpianus, laudarem te humanitatis tuae. *Argento omni legato quod ſuum eſſet*, inquit Ulpianus, *ſine dubio non debetur id, quod in credito eſſet: hoc ideo, quia non videtur ſuum eſſe, quod vindicari non poſſit*, *l. Quintus* 27. §. 2. *D. eod.* Reſpondes, hoc accipiendum eſſe de corporibus: id eſt, reſpectu corporum, quae in creditum iverunt, ſuum non eſt, quod ei debetur. An hoc probaturi ſint, qui eas leges tibi objectant, equidem ambigo: nam quantum conjicere eſt, Lucius ille Verus (vereor ne in ejus nomine errem, neve larvam induerit) juris peritiſſimus eſt. Simplicius quoque Verinus larvam ſumpſit, ut perſonatus Hugonem Grotium, virum ampliſſimum, & in litteris dum adviveret nulli ſecundum, per ora hominum traduceret. Idque vel eo turpius eſt, quod libri auctori, ut didici, cum D. Grotio amicitia fuerit:

> Οὐκοῦν τόδ' αἰσχρὸν εἰ βλέποντι μὲν φίλῳ
> Χρώμεσθ', ἐπεὶ δ' ὄλωλε, μὴ χρώμεσθ' ἔτι.

Ut ait Euripides, quae ipſe Grotius amicus noſter ita vertit:

> *At nonne amicum turpe ſit jam mortuum,*
> *Vivente quo ſit uſus, haud agnoſcere.*

Imo licet cum eo inimicitias exercuiſſet, parcendum tamen erat ei, qui exceſſit; nam ut ait Sophocles:

> — — Ἄνδρα δ' οὐ δίκαιον, εἰ θάνοι,
> Βλάπτειν τὸν ἐσθλόν, οὐδ' ἐὰν μισῶν κυρῇς.
> — — *Nam viro forti nefas*
> *Emortuo inſultare quamvis oderis.*

Uſi & heic ſumus verſione ejusdem viri praeſtantiſſimi: & multo magis dicemus homine Chriſtiano prorſus indignum hoc eſſe. Itaque, cum Serapion rogaſſet Athanaſium, ut certiorem ſe faceret de exitu Arrii; vir Sanctus ei reſcripſit, ſe primum ſubſtitiſſe, quod vereretur, ne quis cum homini mortuo inſultare exiſtimaret: εὐλαβούμενος μή τις ἐπεμβαίνοντά με τῷ θανάτῳ τοῦ ἀνθρώπου λογίσηται. Ad ſummam, cum mortuis nonniſi larvae luctantur. Cur autem nomen ſuum reticet? Mutatio quidem nominis periculoſa non eſt, ſi fraude careat; ſed heic prope fraudem eſt: ſicut enim *qui vultum permutat, fraudem parat*, ut ait Arbiter, ita fere & qui nomen mutat. Ita eſt: mutatio nominis eo ſpectat, ut impune ei ſit, qui non librum, ſed libellum ad infamiam alicujus ſcribit. Quod tu, Clariſſime Vir, nomen immutes, non conqueror: ſive enim liber nomen tuum praeferat, ſive non, latere non potes: καὶ γάρ ἡ λαλιά σου δῆλόν σε ποιεῖ. Equidem lecta *Diatriba de Mutuo*, continuo dixi, Salmaſii ſcripturam eſſe. *Diſquiſitio de Mutuo* etiam tua eſt: & tamen in fronte libri Sigla lego, non nomen tuum. Nemo neſcit, te ejus auctorem eſſe: nec profecto liber te indignus eſt, hoc eſt, viro conſultiſſimo. Cur igitur nomen tuum fama notiſſimum nobis invides? Scripſiſti ſaepe adverſus larvatos, & tu ipſe agnoſci ne vis? Verum hanc ἐκβολὴν τοῦ λόγου, ſive exceſſum, ut loquitur Marcianus, mittamus, & an ſolutiones tuae probabili ratione nitantur ἐξεταστικῶς anquiramus.

Maritus aurum ſuum omne uxori legavit. Q. Mucius putabat id aurum, quod ei deberetur, mulieri non deberi. Pomponius, qui ad Q. Mucii libros quaeſtionum ſcripſit, de hoc conſentit: *ut puta*, inquit, *ſi auri libras ſtipulatus fuerit, hoc aurum, quod ei deberetur ex ſtipulatu, non pertinet ad uxorem: cum illius adhuc factum non ſit: id enim quod ſuum eſſet, non quod in actione haberet, legavit.* Tu, prudentiſſime Vir, putas hoc verum eſſe in actione ex ſtipulatu: quod enim ex cauſa ſtipulationis mihi

leg. XCI. *D. eodem.* [1] Et in *bonis noſtris* computantur *leg.* XLIX. [2] Et *habetur quod peti poteſt, leg.* CXLIII. *D. eodem. Id apud ſe quis habere videtur, de quo habet actionem. Habetur enim quod peti poteſt.* Et alibi, *rem ipſam habere videtur, qui actionem habet.* [3] Item *ſuum recipit*, qui quod ſibi debetur recipit, *leg.* VI. π'.VI. *D. quae in fraudem creditorum*, & alibi. [4] Ergo condictio datur ad ſuum recipiendum. Nam qui condictionem habet, rem ſuam non amittit. Noo ergo alieoata ceoſeri debet, quae repeti condictione poteſt. Noo habet vindicatiooem rei, quam mutuo dedit creditor, quia facta eſt accipientis, ſed habet condictionem ad repetendam ejuſdem quantitatis ſpeciem, cujus dominus manſit. [5] In condictione igitur mutui, *ſi paret dari oportere*, *dari* reddi eſt quod ſuum eſt. [6] In re quoque furtiva, quae

REPLICATIO.

debetur, meum non eſt, *l. videamus* 38. §.4. *D. de uſur.* & ſtipulatoris non fit, priuſquam tradatur. Ergo ſuum videri non poteſt ante traditionem, & merito mulieri non debetur. Atqui Pomponius ait, *ut puta, ſi auri libras ſtipulatus fuerit*; & exempli cauſa igitur adſert, id quod ex ſtipulatione debetur: nam idem juris eſt in credito, *l. Quintus Mucius* 27. *eod.* Scriptura Q. Mucii haec eſt: *Argento omni legato quod ſuum eſſet, ſine dubio non debetur id, quod in credito eſſet.* Subjicit Ulpianus: *Hoc ideo, quia non videtur ſuum eſſe, quod vindicari non poſſit.* Placebat tibi ut legeretur, *in credito eſſet, & hoc ideo.* Cujuſmodi emendatio nullo modo neceſſaria eſt: nam & ſine ea ſententia conſtat, imo concinnior eſt (ut legitur) Ulpiani nota. *Hanc legem*, ut jam dictum eſt, ſic eludis, ut ſuum non ſit reſpectu corporum, quae accipientis facta ſunt, ſed reſpectu quantitatis, quae alienata non eſt, ſed ejus manſit, qui in creditum ivit. Verum, pace tua dixerim, in totum ab Ulpiani mente diſſidet haec interpretatio. Quaero enim de te, quid putes ſenſiſſe patremfamilias, quidve legaſſe, cum aurum vel argentum omne, quod ſuum eſſet, legavit. Certe videri non poteſt legaſſe aurum, quod ad debitorem pervenit (corpora enim facta ſunt accipientis) dices quantitatem. Atqui Juriſconſultus ait, quod in credito eſt, ſuum non eſſe: in credito autem eſt quantitas, non corpora. Aliter igitur prudentes hanc legandi figuram acceperunt: hoc eſt, legato non cedere, quod ſuum non eſſet, crediderunt. Ad ſummam; ſic acceptum eſt hujuſmodi legatum, ut tantum, quod ſuum eſſet, legato contineretur: id eſt, ſi vel jam traditum eſſet, quod ex ſtipulatione deberetur, ut in *d. l.* 34 vel vindicari poſſet, ut in *d. l.* 27. Id enim meum eſt, cujus vindicandi jus habeo, *l.* 49. *D. de rei vind.* καὶ ὡς αὐτὸς εἰπεῖν, quod jam ſuum factum eſſet traditione, vel jure dominii vindicari poſſet. Haeſitatio incurrebat, quod, ut paulo ante diximus, meorum appellatione actiones quoque contineantur. Verum aliter placuit Juriſperitis in hoc genere legati, id eſt, ſuum accipiendum eſſe, quod proprie ſuum eſſet, & cujus vindicandi jus haberet, non abuſive. Certe, ſi quis interpretationi tuae locus daretur, continuo dicendum eſſet, quantitatem vindicari poſſe a legatario: quod quam abſurdum ſit nemo non videt; cum definiat Ulpianus, non videri ſuum eſſe, quod vindicari non poſſit, ac per hoc nec legato contineri, quod in credito eſſet: nam quod in nominibus eſt, actione in perſonam petitur, non vindicatur. Caeterum heic praetereundum non eſt, quaeſtionem hanc, ex veteris juris ratione deciſam, proponi a Cicerone *in Topicis, cap.* 3. *Non ſi uxori*, inquit, *vir legavit omne argentum, quod ſuum eſſet, idcirco quae in nominibus fuerunt, legata ſunt. Multum enim differt in arcane poſitum ſit argentum, an in tabulis habeat.* Itaque ſui appellatione non continetur, quod in nominibus eſt; nec ullum heic dominium quantitatis comminiſci poſſumus, quo efficiatur, mutuum alienationem non eſſe.

[1] *Et in bonis noſtris computantur l.* 49. *eod.*] Et ideo nomina jure pignoris capi poſſunt, *l. a Divo Pio* 15. §. *ſic quoque* 8. *D. de re jud.* Actiones autem merito bonis noſtris adnumerantur, quoniam ex obligationibus deſcendunt, quas contrahentes nobis adquirimus. Caeterum multum refert utrum quis argentum, quod ſuum eſſet, legaverit, an bonorum ſuorum uſumfructum. Nam priore caſu, quod debetur, legato non continetur. Poſteriore vero etiam nominum uſusfructus legatus intelligitur, *l.* 37. *D. de uſu & uſuf. leg.* Strictius eſt prius legatum; poſterius autem plenius.

[2] *Et habetur quod peti poteſt.*] Haec lex pertinet ad ea, quae quis reſtituere compellitur, ut non tantum quod poſſidet reſtituat, ſed etiam id, de quo actionem habet, quaſi & hoc habeat. Simili modo rem habere videtur, qui actionem habet: ut ſcilicet caveat reſtitui, quaſi haberet. Sed ex his non recte colliges creditorem quantitatem habere videri, quod ei actio creditae pecuniae competat, aut dominium retinere creditae quantitatis (illud enim efficit neceſſitas reſtitutionis, cui obſtrictus eſt) heic nihil obtendi poteſt, quo ad juris fictionem decurrendum ſit, & apud ſe rem habere videatur, qui de mutua pecunia me habeat obligatum.

[3] *Item ſuum recipit, qui quod ſibi debetur recipit.*] *l. ſi quis* 12. *D. de novation.* Quintilianus dicta *declam.* 273. *Recepturus tamen ſuum creditor fuerit.* Nihil frequentius in libris juris occurrit. Creditor igitur ſuum recipit, id eſt, quod ſibi debetur (ut *ibidem* ait Ulpianus) ſive debitum ſuum recipit, ut in §. 3. *ibidem.* debitam pecuniam, non quod dominus ejus eſſet, ſed quod debitor ei obſtrictus eſſet. Similiter qui mutuum dedit, debitum ſuum recipit: nam pecuniam ſuam alienavit ſub lege recipiendae quantitatis ejuſdem, vel repetit; & qui ſolvit, alienum reddit. Plautus *Pſeudoli actu* 1. *ſc.* 3. *verſ.* 62. *Qui ſuum repetunt, alienum reddunt nato nemini.* Alioquin indebitum ſolutum eſſet. Sic accipiendum illud M. Tullii *lib.* 4. *in Verr. c.* 6. *Non modo in aere alieno, ſed in ſuis nummis multis eſſe.* Nam ſui nummi ſunt, qui nobis ab aliis debentur: & illud Matthaei *cap.* 25. *verſ.* 27. καὶ ἐλθὼν ἐγὼ ἐκομισάμην ἂν τὸ ἐμὸν σὺν τόκῳ: *Et veniens recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura.* Recipiunt igitur vel repetunt jure obligationis, non dominii.

[4] *Ergo condictio datur ad ſuum recipiendum.*] Debitum ſuum; jus ſuum.

[5] *In condictione igitur mutui, dari reddi eſt quod ſuum eſt.*] In hujus formulae interpretatione tibi adſentiri non poſſum: heic igitur de condictionibus paulo accuratius agendum eſt. Condictionis, latiore ſignificatione, omnem actionem in perſonam intelligimus, ut ait Theophilus in §. *praeterea* 31. *D. de actionibus.* & Cyrillus in Gloſſis v. παραγγελία quod tam ille, quam Juſtinianus ex Gaji Inſtitutis ſumpſiſſe videntur. Magis tamen placuit, ut condictionis nomine actionem intelligeremus, qua intenditur dari oportere, §. *ſic itaque* 14. *Inſt. de Action.* qua ſententia actio creditae pecuniae condictio, vel condictitia actio dicitur, *Inſtitut. quib. mod. re contrah. oblig. in princ.* & §. 1. eſt autem dare dominium transferre, ut Theophilus ex juris ratione interpretatur, & confirmatur, *l. ubi autem* 75. *D. de verb. oblig.* Abſit enim ut credamus, Juriſconſultos in formulis componendis non proprie locutos.

[6] *In re quoque furtiva, quae domino datur, dari non poteſt*

quae domino datur, *dari* non poteſt aliter accipi, quam pro *reſtitui.* Vice verſa *reddere* ponitur pro *dare.* [1] Rerum amotarum actio condictio eſt, ut conſtat ex *lege* XVI. *D. de rerum amotarum actione*, quae tamen alia eſt a condictione furtiva. Ob res amotas etiam vindicatio dabatur, ut liquet ex *leg.* XXIV. *D. eodem. Ob res amotas vel proprias viri, vel etiam dotales, tam vindicatio, quam condictio viro adverſus mulierem competit, & in poteſtate eſt, qua velit actione uti.* [2] Actiones commodati, & omnes omnino, quae in perſonam dabantur,

REPLICATIO.

poteſt aliter accipi, quam pro reſtitui.] Atqui contra juris regulas effectum eſt, ut fures hac actione teneantur: *ſi paret dare oportere.* Et in eo odium in fures verſatur, quod dominus tantum condictione teneatur; fur autem dominus non ſit. Aut igitur res furtiva exſtat, aut exſtincta eſt. Si exſtet, vindicari poteſt: imo & condici, *l.* 7. §. 1. *l.* 8. & *l. ult. D. de condict. furt.* ſi exſtincta ſit, condici, non vindicari: nam furi condici poteſt etiam res exſtincta, *l.* 46. *D. de furt.* condicitur ſcilicet aeſtimatio, *d. l.* 8. Prudentes autem induxerunt, ut res etiam, quae exſtaret furi condici poſſet, quod ſatis novum eſt, ut cui ſcilicet competat vindicatio tanquam domino, eidem ac ſi ſua res non eſſet, & tanquam non domino condictio competat: nec enim quod actoris eſt, id ei dari oportet. Rationem jam ſupra attulimus, quod furi condicatur tanquam domino: quo colore defenditur furem condictione teneri. Faceſſat igitur quod tam ſaepe ſcriptum eſt in Refutatione Epiſtolae, & in Disquiſitione, condictionem earum rerum eſſe, quae non exſtant, & condictionem dari, ſi res conſumpta ſit. Nam res etiam exſtantes furibus condicuntur: res autem exſtinctae & furibus & quibusque aliis poſſeſſoribus condici poſſunt, §. *ſi tamen* 26. *Inſtit. de rerum diviſ.* quo loco, non *quibusdam*, ſed *quibusque*, pro quibuscumque legendum eſſe conſtat, etiam ex Gloſſis Graecorum ad *tit. de condictione furtiva, lib.* 60. *Baſilicῶν.*

[1] *Rerum amotarum actio condictio eſt.*] Maritus aut uxor amoviſſe dicitur: quo verbo Praetores in edicto ſuo uſi ſunt, ἀφαιροῦντες τὸ πικρὸν τῆς προσηγορίας, *detrahentes acerbitatem verbi*, ut alicubi loquitur Scholiaſtes Ariſtophanis, ut honeſtiore verbo rem turpiſſimam tegerent. Nam veritate, πρὸς τὴν ἀλήθειαν, furtum fit, *l. pen. D. rer. amotar.* Eodem verbo utitur Horatius, *lib.* 1. *Carm. Ode in Mercurium* 10.

Te, boves olim niſi reddidiſſes
Per dolum amotas.

Ejusmodi ὑποκορισμοῖς utitur etiam Demoſthenes, atrociora delicta verbis lenioribus tegens, ut obſervat Syrianus, Hermogenis Interpres, *pag.* 211. Καὶ Δημοσθένης τὰ ἁμαρτήματα τὰ μέγιστα πρᾳοτέροις ὀνόμασι συνεσκίασε, τὸ μὲν λῃστεύειν, ἀπαίρειν πραγματικὰ, τὸ δὲ ἁρπάζειν, προσαιτεῖν καὶ δανείζεσθαι. καὶ ὁ Πλάτων δὲ πεποίηκε Κρίτωνα συμβουλεύοντα φυγὴν καὶ ὅμως οὐ φυγὴν, ἀλλ' ἀναχώρησιν καλοῦντα τὸ πρᾶγμα. Sic etiam D. Paulus *epiſt. ad Philemon. v.* 15. ait, Oneſimum ſervum diſceſſiſſe; non fugiſſe. Huc etiam pertinet quod ſcribit Ariſtoteles de his, qui, ut minuatur culpa, negant factum ſuum tale eſſe, quale ipſis objicitur; *verbi cauſa, cepiſſe quidem ſe, ſed furatos non eſſe: & priores verberaſſe, neque tamen contumeliam feciſſe: & miſcuiſſe quidem corpus, ſed adulterium non admiſiſſe: aut furatos eſſe, ſed ſacrilegium non feciſſe: neque enim quidquam abſtuliſſe quod Deo ſacrum eſſet: aut coluiſſe quidem, ſed non agrum publicum: aut collocutos quidem cum hoſtibus, ſed non prodidiſſe:* οἷον, λαβεῖν μὲν, ἀλλ' οὐ κλέψαι· καὶ πατάξαι πρότερον, ἀλλ' οὐχ ὑβρίσαι· καὶ συγγενέσθαι μὲν, ἀλλ' οὐ μοιχεῦσαι. ἢ κλέψαι, ἀλλ' οὐχ ἱεροσυλῆσαι· οὐ γὰρ θεοῦ τι. ἢ ἐπεργάσασθαι μὲν, ἀλλ' οὐ δημοσίαν· ἢ διειλέχθαι μὲν τοῖς πολεμίοις, ἀλλ' οὐ προδεδωκέναι. *Rhetorices lib.* 1. *cap.* 3. Actio igitur rerum amotarum condictio eſt, *l. rerum* 26. *D. eod.* id eſt, maritus aut uxor, cui divortii cauſa res amotae ſunt, utitur hac formula, ſi paret dare oportere. Sed & ei vindicatio competit tanquam domino, quemadmodum & ei, cui furtum factum eſt. Atqui condictio domino non competit, ſed adverſus dominum. Qui ergo maritus aut uxor ſic agent, ſi paret eas res te mihi dare oportere? Sed excipitur condictio rerum furtivarum, ut jam ſupra dictum eſt, & condictio rerum amotarum, quam contra juris regulas Praetor in edicto propoſuit, ut notant Graeci ad *tit. D. rer. amotar.* Et uxor igitur aut maritus, qui res amoverunt, proximi ſunt furibus, & adverſus eos ſic agitur, ſi paret res, quas amoviſti te mihi dare oportere, detracta furti mentione propter honorem matrimonii, *l.* 2. *D. rer. amot.* propter pudorem matrimonii, *l. ult. C. de furt.*

[2] *Actiones commodati, depoſiti.*] Actiones commodati & depoſiti condictiones non ſunt: non enim quisquam hoc ipſo, quod depoſitum accipiat, condictione obligatur, *l. ſi quis inficiatus* 13. §. 1. *D. depoſ.* quia poſſeſſionem naturalem revocant, *l. videamus* 38. §. *ſi poſſeſſionem* 10. *D. de uſur.* id eſt, non dari, ſed reſtitui oportere intendunt. Sed neque ex horum contractuum cauſa condictio competit. Verba ſunt magni Anteceſſoris ad *tit. D. de reb. cred.* Ego Cujacii verbis praeter morem meum *lubentiſſimo corde atque animo* heic utor, quia tu, diſertiſſime Vir, Carolum Molinaeum αὐτολεξεὶ retuliſti in *Disquiſitione de Mutuo*, cujus ſalebroſam & nimis inconditam orationem notat Cujacius alicubi: quem tamen pluris facio, quam Antonius Faber in libris *de erroribus pragmaticorum.* Sic enim de Molinaeo loquitur: *qui ſi cum Cujacio comparetur, homo nullus eſt.* Fortaſſe an erciſcundus aliquis diceret, Carolum Molinaeum clariſſimum fori lumen fuiſſe, Jacobum Cujacium veteris Jurisprudentiae columen. Ad rem! Ex commodati, depoſiti, & pignoris cauſa condictio non competit: ſub hac tamen exceptione, niſi dolo malo vel depoſitum depoſitarius, commodatum commodatarius, vel creditor pignus, ſoluta omni pecunia, inficietur, *d. l.* 13. & *l.* 4. §. *res* 1. *D. de reb. credit.* Quod cum non ſatis perciperent quidam ex Graecis Interpretibus, putabant, *aeſtimationem pignoris condici, non rem. Quemadmodum enim*, inquiunt, *dominus pignoris condictionem intendet, dicetque, ſi paret te dare oportere? dare enim eſt dominum facere.* Interpretis Graeci verba ſunt haec: Τινὲς μὲν οὖν ἐπεχείρησαν ὅτι τὸ κονδικτίκιον ἐνταῦθα κινεῖ ὁ ὑποθέμενος, καὶ οὐκ ἐπ' αὐτῷ τῷ ἐνεχυρασθέντι πράγματι, ἀλλ' ἐπὶ τῇ διατιμήσει αὐτοῦ. πῶς γὰρ οἷόν τε ἐστι φάναι, δεσπότου ὄντος τοῦ ἐνεχύρου κινεῖσθαι τὸ κονδικτίκιον, καὶ εἰπεῖν, *ſi paret dare oportere. dare* γάρ ἐστι τὸ δεσπότην ποιῆσαι. Sed notantur ab aliis, & addunt, condictionem quatenus ſervat naturam & proprietatem ſuam, nec furtivae condictionis, aut ſine cauſa, vel ex injuſta cauſa, tanquam generalis exiſtens nomen adſumit, intendi adverſus dominum: verum ſi condicatur ex his cauſis, etiam dominum condicere: tunc enim condictionem naturam ſuam mutare & egredi notiſſimos condictionis terminos: & ideo ex dolo depoſitarii condictionem depoſitori dari, licet dominus ſit: & ſimili modo creditori, qui pignus inficiatur, condicitur. Haec edentuli non tam facile enuclearint, quam ἀμύγδαλα comederint.

Concludamus! Incubatori condicitur, id eſt, furi, raptori, & ei, qui vi aliquem dejecit, *l.* 1. §. *ult.* & *l.* 2. *D. de condict. tritic.* Marito aut uxori, qui rem

bantur, [1] generali *condictionum* nomine veniebant, ut conſtat ex *leg. XXV. D. de obligationibus.* [2] Ex quibus tamen concludere non liceat, commodatum & depoſitum eſſe alienationes. Cum igitur condictio non competat, niſi ad repetendum, *quod pareat dari, aut reddi oportere* ei, qui petit, non ex eo argumentum duci poteſt ad alienationem in mutui obligatione adſtruendam, cum potius contrarium inde plane pateſcat. *Atque haec*, inquit, *rata quidem ſunt & certiſſima juris principia, quibus tamen neſcio, an moveri poſſint, qui contra ſentiunt. Teſtes igitur audiantur omni exceptione majores.* [3] Jocari credamne, an ſerio haec dicere doctiſſimum juris Anteceſſorem? [4] Sane idem cum caeteris nugatoribus ſentit, qui mihi objectarunt: [5] quod fundamenta juris everterim & principia ſubruerim in aſſerenda ea ſententia, qua ſcripſi; [6] *Mutuum non eſſe alienationem.* Ego vero haec ipſiſſima juris principia una cum illis rata & certiſſima me habere profiteor. Sed an faciunt contra eam opinionem, quam tueor? Immo pro me potius, quam pro illis, ab his principiis petitae rationes militant. Condictio vel

con-

REPLICATIO.

rem divortii conſilio amoverunt. Denique id, quod ex injuſta cauſa apud aliquem eſt, condici poteſt, *l. perpetuo 6. D. de condict. ob turp. cauſ.* nam *jure gentium condici poteſt res ab his, qui non ex juſta cauſa poſſident*, ut ait Marcianus in *l. rerum 25. D. rer. amotar.* jure gentium, id eſt, naturali ratione, φυσικῷ τινι λόγῳ, ut ajunt Graeci. Non ſemper jus gentium id ſignificat, quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, ſed interdum ſumitur pro eo, quod naturali rationi atque aequitati convenit. Hinc indebita jure gentium pecunia dicitur, *l. indebitam 47. D. de condict. indeb.* Hi omnes condictione tenentur, id eſt, hac formula, ſi paret dare oportere, quia furibus proximi ſunt.

[1] *Generali condictionum nomine.*] Latius accepto nomine actiones in perſonam condictiones appellantur: nec tamen actio depoſiti aut commodati per ſe ita appellari poteſt, nec generaliter quidem accepto nomine, ut recte ſcribit conſultiſſimus vir Guilielmus Maranus *in Paratitlis Digeſtorum.* Ac de condictione ejusque formula dixiſſe abunde ſit.

[2] *Ex quibus tamen concludere non liceat, commodatum & depoſitum eſſe alienationes.*] Ex mutuo creditor intendit ſibi dari oportere, quoniam alienatio praeceſſit: ex cauſa commodati vel depoſiti non ſemper ita agitur, ſi paret dare oportere: quia poſſeſſio tantum naturalis revocatur. Cum autem condicitur inficiatori, neceſſe eſt, jure commentitio alienationem obtendi, & ita agi, ſi paret dare oportere.

[3] *Jocari credamne, an ſerio haec dicere doctiſſimum juris Anteceſſorem?*] Haut jocans haec ſcripſi: nec enim jocos ſeriis permiſcere ſoleo, ſed quia neceſſe ſit, eum, qui negat mutuum alienationem eſſe, haec penſi non ducere. Itaque teſtium fidem adhibendam putavi, qua nulla firmior probatio eſt.

[4] *Sane idem cum caeteris nugatoribus ſentit.*] Certe nugator eſt, qui tempora in res nugatorias conſumit: qualis fortaſſe videri non poſſum, qui poſtquam omnem diem exegi melioribus curis, otium corpori non do conſumpto die, ſed animum ſomno relaxandum his oblectamentis opprimo, non reficio. Caeterum tecum expoſtulo, ſine labe tamen amicitiae, quod ultro me injuria laceſſiſti immerentem. Semper enim dedi operam, ne cujus animum offenderem; & non remorſurum: *ego ſum animo leni natus, non poſſum adverſari cuiquam:* nec ἀντιλαλεῖν, vel eo maxime, quod nemo ſit inter tot literatos homines, quem prae te diligam.

[5] *Quod fundamenta juris everterim.*] Per me licet dicas cum Tertulliano tuo: *Jura non conturbo, cauſas non elatro.* Nam & cauſſas te non elatrare dixiſti: quod tamen a te dictum nollem. *Male*, enim *dicitur, quod in plures convenit, ſi aut nationes totae inceſſantur, aut ordines, aut conditio, aut ſtudia multorum*, ut ait Quintilianus *l. 6. cap. 3.* de ſeminario illo dignitatum cautius loquendum fuit.

[6] *Mutuum non eſſe alienationem.*] Scripſiſti *libro de uſur. pag. 217. lin. penult. Sic rem fieri accipientis, ut uſus in ejus ſit poteſtate. Non ea tamen mens eſt mutuum dantis, ut rei ſuae proprietatem amittat, & eam alienet, cujus uſum tantum concedere vult.* Et *pag. 119. lin. 5. Atque hae quidem quodammodo fiunt accipientis, & non fiunt. Fiunt accipientis propter uſum, qui non poteſt aliter procedere. Non fiunt accipientis, quia redire ad dominum debent, quandocunque ea repetet in eadem natura & qualitate, qua data ſunt, ex eodem genere.* & *lin. 15. Non alienari proprietatem in mutuo, uſura quaſi merces, quae pro uſu ejus domino ſolvitur ab eo, qui mutuum accepit, ſatis indicat. Nemo enim mercedem pendit pro uſu rei ſuae. Qui penſionem praeſtat pro uſu aedium, eo ipſo ſatis oſtendit aedes ad eum pertinere, cui eam penſionem penſitat. Idem & in mutuo.* Proprietatem ſcilicet ſeparas ab uſu rei, quaſi proprietas rerum, quae uſu conſumuntur, poſſit ſeorſim intelligi. Quod quidem admitterem in uſufructu rerum, quae uſu non extinguuntur: uſusfructus enim a proprietate ſeparationem recipit. In rebus vero, quarum uſus in abuſu eſt, proprietas ſeparationem non recipit: & ideo ſi earum uſusfructus legatus ſit, res fiunt legatarii, cavetque de tanta pecunia reſtituenda. Similiter ſi pecuniae uſusfructus legetur; pecunia legatarii fit, neque poſt mortem eandem debet, ſed ejuſdem generis & bonitatis, Graeci ad *leg. 12. D. de uſufr. ear. rer. lib. 16. Baſilic. tit. 5.* Δεσπότης ὁ ληγατάριος γίνεται τῶν νομισμάτων, καὶ οὐ τὰ αὐτὰ χρεωστεῖ μετὰ θάνατον, ἀλλὰ τοῦ αὐτοῦ γένους, καὶ τῆς καλλονῆς. Quid ergo? pecunia fiet legatarii, dominio quantitatis etiam in hoc caſu penes heredem remanente? ſed ita eveniet, ut ex cauſa legati dominium nobis pleno jure non adquiramus, quod legi duodecim tabularum refragatur. Quae igitur in uſufructu pecuniae diximus, eadem & in mutuo dicenda ſunt: hoc eſt, ſicut in uſufructu earum rerum, quae uſu continentur, res ejuſdem qualitatis reddi poteſt, *l. ſi vini 7. D. eod.* vel ſi pecuniae uſusfructus relictus ſit, ejuſdem generis & bonitatis pecunia redditur: ita & in mutuo, alienatione utrinque interveniente. Argumentum ab uſuris non probat neceſſario mutuum alienationem non eſſe; pecunia enim alienatur: ſed quia datur ſub lege recipiendae quantitatis ejuſdem, non quaſi non alienatae, ſed ut quandoque reddendae quantitatis ejuſdem, uſura ex ſtipulatione praeſtatur. Multum intereſt inter aedes conductas, & pecuniam foenore conductam: nec enim dominus animo alienandi aedes ſuas locat. Pecunia autem utriusque animo alienatur, & uſura quantitatis ſua die ſolvendae merces eſt. Pecunia ſic alienatur, ut *reditus medii temporis* (ut Suetonius loquitur) ad creditorem perveniat.

In Diatriba *pag. 18. ad finem*, ſic ſcriptum eſt: *Oſtendat diſcipulus, quod magiſter non potuit, in aliquo auctore vel juris, vel alio, alienatam dici pecuniam, quae mutua data ſit.* Non potes apertius negare pecuniam alienari, quae mutuo data ſit. Non eſt igitur, cur mireris, quod in *epiſtola de Mutuo* probare inſtituerim, pecuniam mutuo datam in bonis eſſe accipientis. Caeterum alienationis verbo utitur Paulus in

l. 16.

condictitia actio creditori datur ad repetendum, quod mutuo dedit. [1] In nulla alienatione vera, ſive civili, ſive naturali, condictio competit ad repetendum, quod eſt alienatum: ergo mutuum, in quo condictioni locus eſt, non eſt alienatio. [2] In mutui datione oportet domioum eſſe dantem. Etiam in depoſito, in locato, in commodato, qui rem ſuam locat, deponit, commodat, ejus dominus habetur. Nuoquid propterea locatum, depoſitum & commodatum alienationes ſunt? Res mutuo data fit accipientis, & alienatur: nec cooſtare poteſt mutuum, niſi ejus dominium transeat. Ao ideo mutui contractus alienatio erit, quia corpora nummorum, quae dantur mutuo, alienantur, cum in his mutuum non conſiſtat, ſed in quantitate, quae eadem reddenda eſt, & quam proinde alienatam eſſe nemo unquam dixerit? in genere depoſiti & locati idem fit. Duplex autem ejuſdem generis ſpecies in mutuo intervenit, altera datur, altera redditor. [3] Utrum in ea, quae datur, mutui contractus conſiſtit; an in ea, quae redditur: an vero in utraque? Quae datur, omoino alienatur. Si io hac mutuum conſiſtit, aut ſi datio ipſa pro mutui forma accipitur, ut quidam Doctores ſentiunt, non diſtabit mutui obligatio ab omnimoda alienatione, ot eſt dooatio. Nam ſpecies illa nunquam redit ad eum, qui dedit, & irrevocabiliter manet apud accipieotem. Non igitur ea mutuum continetur. [4] Nunc videndum, utrum in ea, quae redditur, conſiſtat, an in utraque; id eſt, tam ea, quae datur, quam ea, quae redditor. Dici non poteſt io utraque cooſiſtere: obligatio enim ad reddeodum non cootrahitur ad eam, quae data eſt. Nam ſi hoc eſſet, ea omnino reddi deberet. Non contrahitur ad utramque. Nam pro centum aureis deberent reddi ducenti. Ergo contrahitur duntaxat ad eam, quae eſt reddeoda, & quae reddi poteſt. In ea itaque ſola mutuum conſiſtit. Ergo non poteſt eſſe alienatio, cum in re, quae redditur, conſiſtat, & ad quam obligatio contracta eſt. Etenim ſi ſolutio eſt alienatio ſolventis, non eſt ejus, cui ſolvitur. Speciei, quae data eſt, eadem quaotitas redditur in alia ſpecie. Ergo illa quantitas, quae redditur, non alienatur; quia idem genus reſtituitur, hoc eſt, idem numerus, idem pondus, eadem menſura, quibus mutuum continetur. Si ea quantitas, quae redditur, alienaretur, duplex in mutuo intervenirer alienatio. Nam, ut datio alienatio eſt, ita etiam eſſet ſolutio. Sie duo viderentur contractus. At onus eſt, & una obligatio. Nam in ea contrahenda crediti obligatione de eo, quod datur, reddendo convenit. [5] Ergo non eſt alieoatio quod agitur, quia nec animo ſit alienan-

REPLICATIO.

l. 16. *D. de reb. credit.* & in *l. ex facto* 52. *D. de petul.* Gaj. in *l.* 9. *D. de auctor. tutor.* Ulp. in *l. qui ſic ſolvit* 55. *D. de ſolut. & liber.* African. in *l. pen. D. de reb. credit.* Jam vero aliud effugium quaeris, hoc eſt, corpora nummorum alienata intelligi, non quantitatem: & tamen vis mutuum in quantitate conſiſtere. Paulus ait, mutui dationem conſiſtere in his, quae pondere, numero, menſura conſiſtunt. Ego dicerem, in rebus ipſis, quae pondere, numero, menſura continentur, mutuum conſiſtere: nam quantitatis, quae in jure conſiſtit, non in corpore, nullus uſus eſt. Quia tamen haec, non ut corpora, ſed ut quantitatem ſpectamus, mutuum videri in quantitate conſiſtere: id eſt, res, quae corpore praeditae ſunt, muoto dantur, ſed tamen quia res ejusmodi in abſumptione ſunt, quantitatem ſpectamus, non corpora, *l. qui heredes* 46. *D. de condict. indeb. l. ſi is cui nummos* 94. *D. de ſolut. l.* 1. §. *non ſolum* 6. *D. ad leg. Falcid. l.* 1. *D. de contrah. empt.* In his, inquam, cogitamus quantitatem, non corpora: ita tamen ut quantitas cogitatione magis, quam re ſeparetur, & qui dicit corpora in mutuo alienari, quantitatem quoque alienari per conſequentias dicat. Quantitas corpora ſequitur. Ceterum neceſſe eſſet, duas ejuſdem rei quantitates ſtatuere, aliam quae maneat penes creditorem; aliam quae transeat ad debitorem.

[1] *In nulla alienatione vera, ſive civili, ſive naturali, condictio competit ad repetendum, quod eſt alienatum: ergo mutuum, in quo condictioni locus eſt, non eſt alienatio.* Imo condictione tenetur, quem dare oportet, quod eſt dominium transferre; & praeceſſit igitur alienatio: nec enim alienare poſſum, niſi prius dominium ad me pervenerit. Juris principium eſt, condictionem adverſus dominum dari. Ergo pecunia vere alienata eſt.

[2] *In mutui datione oportet dominum eſſe dantem. Etiam in depoſito,* &c.] Pro natura contractuum haec diſcernenda ſunt. Si nummi mei ſint, in creditum itur: ſi alieni, non itur, quia non alienantur. Res locata, commodata, aut depoſita non alienatur, quia locationis, commodati, aut depoſiti natura id non patitur, licet locator dominus ſit. Non dominium tantum, ſed affectus & natura contractus alienationem inducit.

[3] *Utrum in ea, quae datur, mutui contractus conſiſtit.*] Obligationis ſubſtantia, quae ex mutuo naſcitur, numeratione completur, *l. contra* 6. *D. de Senatusconſ. Maced.* Mutui igitur contractus conſiſtit in pecunia, quae datur; & numeratio initium praebet obligationi, hoc eſt, ſtatim a numeratione debitor adſtringitur ad dandum.

[4] *Nunc videndum, utrum in ea, quae redditur, conſiſtat.*] Obligatio contrahitur ad dandum, non id, quod datum eſt (id enim vel in dominio debitoris eſt, vel forte conſumptum eſt) ſed id, quod ejuſdem generis ſit. Id autem etiamnum alienatur. Itaque duplex alienatio in mutuo intervenit: quae fit ex parte creditoris numeratione, & quae ex parte debitoris ſolutione. Nec tamen duo contractus ſunt, ſed obligatio numeratione contrahitur, & ſolutione diſtrahitur. Neque novum eſt, ut duae alienationes interveniant ex uno contractu. Nam dominus, qui rem ſuam vendit, utique eam alienat, & emptor, qui ſolvit pretium, etiam alienat: nummos enim venditoris facere cogitur, *l. ex empto* 11. *D. de action. emp.* & *l.* 1. *D. de perm.* alioquin judicio venditi non liberatur, *l. cum ſervus* 54. *D. mand.* Ecce, duae alienationes ſunt, rei & pretii: quid ergo? duos contractus videri dices, quia duae ſunt alienationes? Non puto: hoc enim nimis abſurdum eſſet, & alienum a juris ratione: unicus contractus eſt, & una obligatio. Et duplex igitur in mutuo intervenit alienatio, mutuum dantis, & mutuum ſolventis, ad inſtar rei & pretii ſoluti: & tamen unus contractus eſt.

[5] *Ergo non eſt alienatio quod agitur,* &c.] Mutuum omnimodo alienatio eſt, cum hoc animo datur & accipitur, ut obligatio conſtituatur, *l.* 1. §. 1. *D. de obligat. & act.* quae quidem in dando conſiſtit, hoc eſt, re ejuſdem naturae & qualitatis ſolvenda.

 Hae

nantis ab eo, qui dat, nec ex ea cauſa is, cui datur, accipit. [1] Hae ſunt rationes ac definitiones, quas ex ipſis juris principiis petitas eſſe negare non poſſunt, niſi qui omnia manifeſta negare parati erunt. [2] Et haec tanquam levis armatura praemiſſa eſt ab Anteceſſore Aquiſextienſi. Sequitur grave peditum ac ſtabile agmen, *teſtes*, ut ait, *omni exceptione majores*. Eos igitur audiamus. Juſtinianus ait, Pupillum ſine tutore nihil alienare poſſe, ideoque mutuam *pecuniam non facit accipientis, ideoque vindicari nummi poſſunt, ſicubi extent, lib.* 11. *Inſt. tit.* 11. *Quibus alienare licet.* [3] Haec alienatio pecuniae mutuae pertinet tantum ad ipſam pecuniam, quae datur mutuo, & quam certum eſt alienari, non ad ipſam obligationem, quae ex contractu mutui oritur, vel ad ipſum contractum, qui non poteſt alienationis nomine definiri. Alienare non poteſt pupillus ſine tutoris auctoritate. Ergo nec mutuam dare pecuniam, niſi eo auctore; quia pecunia, quae ſic datur, alienatur, dum fit accipientis. Et hoc eſt, quod ait Theophilus ibidem, ὅθεν δάνειόν ἐϛι τὸ τὸν λαβόντα γίνεσθαι δεσπότην. Nec nos unquam negavimus fieri dominum mutuae pecuniae eum, qui accipit; ſed ſemper negavimus, etiamque nunc negamus, in ea pecunia vel in his corporibus nummorum, quae mutuo dantur, conſiſtere mutui obligationem, cum Juriſconſultis auctoribus mutui datio conſiſtat in his rebus, quae pondere, numero & menſura continentur. Ea vero certum eſt non alienari, in quibus mutuum conſiſtit,

REPLICATIO.

[1] *Hae ſunt rationes ac definitiones, quas ex ipſis juris principiis petitas eſſe negare non poſſunt, niſi qui omnia negare parati erunt.*] Quae hactenus dixi juris abſolutiſſimi ſunt, καὶ πάσης ἀμφιβολίας καὶ ζητήσεως ἄγνωστα. Tu vero, conſultiſſime Vir, ſententiam tuam ratam eſſe putas, deque hac quaeſtione adire arbitros non recuſas. Quis autem arbitros inter nos dabit? an juris Profeſſores? atqui omnes tibi iniquos ejuraſti. Togatos forte malis? ſed nec ipſos, ut audio, favitores habiturus es: ut tibi verendum ſit, ne ſi in jus adeas, indefenſum te deſerant, niſi Praetor hanc tibi humanitatem exhibeat, ut advocatum det. Quin imo quovis etiam pignore contendere vis adverſus omnes, qui contra ſentiunt.

—— τί δὲ τὸ πλέον ἕξει ὁ νικῶν;

—— *Quod munus victori cedet?*

At tu interim mediam litis manum elige; ego de pignore videro.

[2] *Et haec tanquam levis armatura praemiſſa eſt.*] Non magis te gravis, quam levis armatura terret: adeo impavidus dimicas, & tanta mole ſententiam Molinaei defendis, ut parum abfuerit, quin pro victo fugerem. Verumtamen quibus potero juris rationibus propugnare malo, quam turpi fuga mihi conſulere: nam etiam te victore cecidiſſe non erit inglorium,

Magnaque dat nobis tantus ſolatia victor.

[3] *Haec alienatio pecuniae mutuae pertinet tantum ad ipſam pecuniam, quae datur mutuo.*] Juſtinianus, aut certe Gajus, vel quis alius: ſcis enim qui doctrina cenſeris, Inſtitutiones Juſtiniani ex veterum Juriſconſultorum Commentariis, & praecipue Gaji compoſitas. Juſtinianus, inquam, ait obligationem non contrahi, quia pecuniam non facit accipientis. Et perinde igitur eſt, ac ſi diceret, mutuum non contrahi, quia mutuum ſine alienatione non intelligitur: nec ait ſimpliciter nummos non alienari, ſed obligationem non contrahi, quia nimirum alienandi poteſtatem, quae ad mutui obligationem conſtituendam neceſſaria eſt, non habet. Certe ſi quantitas non alienaretur, ſatis ei conſultum videretur retentione illa dominii, qua pupillo pecunia ſalva eſſe non deſineret, nec ei pecuniam exſtantem vindicare neceſſe eſſet, qui dominus permanſiſſet, ac etiam ſuum perſequi poſſet actione condictitia. Verum pene praeterii, quod ais alibi, *ridiculum eſſe* quod ait Juſtinianus, ideo mutuam pecuniam dare pupillum non poſſe ſine tutoris auctoritate, quia nullam rem pupillus alienare poſſit. *Quaſi vero*, inquis, *alienet pupillus pecuniam, qui condictionem habet, & vindicationem & actionem ad exhibendum. Ridiculum* vero! videris mihi ſecurius de Imperatore loqui. Sed videamus, quemadmodum riſu dignum ſit, quod ait Juſtinianus. Pupillo non datur condictio ex mutuo, quia non contraxit obligationem: & ideo ſi nummi exſtent, vindicantur, quia dominium ab eo non receſſit. Quod ſi bona fide conſumpti ſint, datur condictio non crediti, ſed de bene depenſis; ut a Graecis juris Interpretibus didicimus, id eſt, quod bona fide conſumpti ſint: quum ſcilicet is, qui accepit, exiſtimaret eum, qui mutuum dabat, mutuum poſſe contrahere. Non enim bene depenſum ideo dicitur, quod bona & utiliter impenſum ſit, ſed quod ſine dolo malo nummi conſumpti ſint. Sic enim Graeci interpretantur. Stephanus: Ἡ δὲ καλὴ δαπάνη οὐ πρὸς τοῦτο ὁρᾷ, ἵνα καλῶς καὶ δεόντως δαπανήσῃ τὰ νομίσματα ὁ λαβών, ἀλλ᾽ ἡ καλὴ δαπάνη τοῦτο δηλοῖ ἵνα ὁ δανειζόμενος νομίζῃ τὸν δανείζοντα καλῶς δύνασθαι δανείζειν, καὶ συνιϛᾷν δάνειον. Itaque quae ex numeratione non datur, datur ex conſumptione; & velut ex mutuo igitur. Si vero mala fide conſumpti ſint, datur actio ad exhibendum. Mala fides ei pro poſſeſſione eſt: ὁ δόλῳ δαπανήσας ἀντὶ μηδὲ δαπανήσαντός ἐστιν. Sic etiam tradit Theophilus ex mera Juriſprudentia. His omnibus actionibus ſubvenitur pupillo, ne rem ſuam perdat, & in perniciem ejus vertatur, quod favore ejus introductum eſt; quod eveniet ſi actione deficiatur, id eſt, ſi pecuniam, quam ſine tutore mutuam dedit, condicere non poſſit; tamen, etſi ex juris regulis actio ei non ſit, ſive certi condictio, quod obligatio contracta non ſit; & vindicatio quidem ei datur tanquam cuilibet domino: nec enim pecuniam alienavit. Condictio autem φιλαγαθῶς & ex bono & aequo, quaſi contracta ſit obligatio, & pecuniam alienarit. Nam longe eſt ab aequitate, ut pupillus quid patiatur detrimenti, in cujus perſona ſolutius aequitatem ſequimur. Eo decurrendum fuit, re jam conſumpta, quae vindicari non poterat: & quia aequum non erat, eum, qui bona fide conſumpſit, actione ad exhibendum teneri, quae adverſus mala fide poſſeſſores dari ſolet. In ſumma pupillus mutuum non contrahit, quia alienandi jus ſine tutore non habet: rerum adminiſtrandarum jus non habet, *l.* 17. *D. de jurej.* aut certe ſi bona fide conſumpta ſit, fingitur alienaſſe, quia ea actione experitur, quae competit his, qui per ſe alienandi facultatem habent. Serva condictionem de bene depenſis non dari, niſi pecunia conſumpta ſit; & quidem bona fide. Imo, inquis, *in Diſquiſ.* Julianus non diſtinguit, utrum bona an mala fide pecunia conſumpta ſit, in *l. non omnis* 9. §. 1. *D. de reb. credit.* Verum eſt. Sed Julianus loquitur ex jure recepto: neque novum eſt, ut Juriſconſulti reticeant quod ex aliis ſupplendum ſit: hoc eſt, bona fide pecuniam conſumptam, quod etiam monuerent Graeci, ad *d. l.* Σημείωσαι πανταχοῦ ὅτι τὴν καλὴν δαπάνην δηλοῖ, οὐ τὸ νομίσαι ὅτι ὁ ἀπαριθμήσας καὶ δεσπότης ἦν τῶν νομισμάτων τῶν ἀπαριθμηθέντων καὶ ἠδύνατο καλῶς ἐκποιεῖν. *Nota in* *ultra-*

ſiſtit. [1] Sed ille ipſe Juſtinianus, *leg. ult. Cod. de rebus alienis non alienandis*, mutuum inter eos contractus non recenſet, quos alienationis vel lege vel pacto vel teſtamento inhibitae appellatione comprehendi voluit. Et tamen in *ea lege* pignoris nexum prohiberi ſancit, *Cum lex alienationem inhibuerit, ſive teſtator hoc fecerit, ſive pactio contrahentium hoc admiſerit.* Cujus rei rationem ubi mihi reddiderit Clariſſimus Anteceſſor, tum ipſi permittam auctoritatem Juſtiniani nobis opponere, ut probet, mutui contractum ab eo inter alienationum genera eſſe numeratum. Quod hic ſubjicit, veriſſime Cujacium ibidem affirmaſſe, *mutuum ſpeciem eſſe alienationis, aut ſi ex eo non ſequatur alienatio, certe non eſſe mutuum:* [2] ſi Cujacius id intellexit de toto mutui contractu, ſpeciem eſſe alienationis, tota certe ille regione

R E P L I C A T I O.

utraque ſpecie, inquiunt, *Juriſconſultum ſignificare pecuniam bona fide conſumptam, quod qui accepit exiſtimaret eum, qui numerabat pecuniae numeratae dominum eſſe, & jure alienare poſſe.* Ergo neceſſario ponendum eſt, pecuniam bona fide conſumptam eſſe, ut concilietur mutuum, & conductioni locus ſit. Sic in *l. ex facto 52. §. 1. D. de pecul.* nummos, bona fide conſumptos, accipi oportet, quia condictio datur: & in *l. ſi ego 18. D. de reb. cred.* ex qua negationem deles in Confutatione Theſium *de Mutuo pag.* 98. ſiniſtra diligentia. Finge: Ego pecuniam tibi quaſi donaturus dedi; tu quaſi mutuam accepiſti. Julianus ſcribit, donationem non eſſe. Sed an mutua ſit, videndum. Addubitabat, nempe Julianus. *Et puto*, inquit, *nec mutuam eſſe, magiſque nummos accipientis non fieri, cum alia opinione acceperit:* niſi enim concurrat affectus utriuſque, nihil agitur, *l. in omnibus 57. D. de obligat.* Baſilica nihil mutant, in quibus ita legitur: Ἐὰν ἐγὼ ὡς δωρούμενος δώσω, σὺ δὲ δέξῃ ὡς δανειζόμενος, οὐδέτερον ἐῤῥωται· καὶ οὐ γίνεται μὲν σὰ τὰ νό: *Si ego quaſi donaturus dedero, tu quaſi mutuam acceperis, neutrum valet: & nummi tui non fiunt.* Cyrillus: Εἰ δωρήσομαί σοι δέκα νομίσματα, σὺ δὲ δέξῃ ὡς ἀπὸ δανείου, οὐ μεταφέρεται δεσποτεία: *Si donavero tibi decem nummos, tu vero acceperis quaſi mutuos, dominium non transfertur.* Si tamen conſumpſeris, bona fide ſcilicet, condictio datur, nimirum de bene depenſis. Nam ſi mala fide conſumpta eſſet, non daretur condictio, ſed actio ad exhibendum, quae praeparatoria vindicationis eſſe ſolet. Idemque juris eſt in ſervo fugitivo, qui nummos mihi credidit, cum ante fugam ei conceſſa eſſet peculii adminiſtratio. Nec enim mutuum eſt, quod peculii adminiſtratio adempta eſſe intelligatur: nam peculii adminiſtratio conceditur propter benevolentiam ſervi erga dominum, & mutuam domini voluntatem in ſervum, ut ajunt Graeci ad *l. 11. §. 2. D. de reb. cred.* Quid ergo? vindicantur nummi ſi exſtant: bona fide conſumpti condicuntur: de mala fide conſumptis agitur ad exhibendum *d. §. 2.* Cur ergo mutuum heic non conſiſtit? quia ſervus fugitivus, poſtquam peculii adminiſtrationem habere deſiit, jus etiam alienandi peculii amiſit. Similiter pupillus mutuum non contrahit, non quod plenum animi judicium non habeat, ſed quia ſine tutoris auctoritate nihil alienare poteſt. Quod autem ais, pupillum minime alienare, cum condictionem habeat, vindicationem, & ad exhibendum actionem, aliter ſe habet: idque ex mente Juſtiniani ſic accipiendum eſt, ut, quia pupillus nihil alienare poteſt, nec ex mutui cauſa alienare poſſit: & quia nec ex ea cauſa alienat, vindicatio ei competat, vel condictio, vel ad exhibendum actio. Dicis etiam, falſum eſſe quod ait Juſtinianus, pupillum nummos non facere accipientis: nam & accipientis facere, ſi conſumpti ſint, nec poſſe aliter eos recipere, quamvis mala fide conſumpti ſint: ac per hoc aliam quaerendam eſſe rationem, cur pupillus mutuum contrahere non poſſit ſine tutoris auctoritate. Itaque Juſtinianus & γελοιάζων, & ψευδολόγος tibi eſt, cum & ridicula & falſa in eo §. proferat: ac illum veram rationem doces, quaſi juris publici conditor juris rationes non calleat; pupillum ſcilicet ſine tutoris auctoritate mutuum contrahere non poſſe propter fragile ejus conſilium & judicium. Verum eſt, impuberis nondum plenum animi judicium eſſe: ſed quia proximus pubertati intelligit, quid loquatur, & quid agatur, fortaſſe dici queat, obligationem eum contrahere, ſi mutuam ſine tutore dederit. Nam ex aliis etiam cauſis ſibi obligare poteſt. Sed hoc juris ratio non patitur, & placet Juſtiniani ratio, qua etiam Gajus utitur in *l. obligari 9. D. de auct. tut.* pupillus *credendo ſibi obligare non poteſt, quia ſine tutoris auctoritate nihil alienare poteſt.* Tu vero prudentiſſime Vir, putas, ita Gajum ſcripſiſſe: *quia ſine tutoris auctoritate nihil alienare poteſt.* Sed quia Juſtinianus & Gajus eadem ratione utuntur, Gajus videri non poteſt in menda cubare. Item Juſtinianus ait, pupillum, ſi mutuam pecuniam dederit, non contrahere obligationem. Gajus, credendo obligare ſibi non poſſe, quod idem eſt, ut veriſimile ſit, utrumque ejuſdem auctoris eſſe. Hoc igitur ait Gajus, pupillus credendo obligare ſibi non poteſt, non propter lubricum conſilii ſui, ſed quia ſine tutoris auctoritate nihil alienare poteſt. Utique autem credendo alienaret: ratio petitur ex prohibita alienatione, ut qui prohibeatur alienare, nec poſſit credere, quod qui mutuum contrahat, alienet. Haec eſt vera Gaji mens Ulp. in *l. 3. §. 2. D. de SC. Mac.* ait, mutuam pecuniam non fieri, quam ſine tutoris auctoritate pupillus dat, quia nimirum jus alienandi non habet.

[1] *Sed ille ipſe Juſtinianus*, &c.] Atqui dos eſt alienatio, item donatio propter nuptias, permutatio; nec tamen enumerantur in hac conſtitutione. Sed fortaſſe quis dicet, eas contineri verbis illis, *dominii alienationem:* imo & alienationem ex cauſa mutui: nam eſſe dominii alienationem: quod ſecus eſt. Nam in *d. l.* agitur de plena & abſoluta alienatione, non de alienatione ex cauſa, quae ita fit, ut eadem quantitas recipiatur. Certe in *l. 6. §. his illud 1. in fine. C. de ſecund. nupt.* dici poteſt, mutuum poni inter ſpecies alienationis. Res mobiles, quae matri obvenerunt a priore marito, aeſtimantur: aeſtimatae autem traduntur ei, ſi ſatisdato caveat ea vel pretium earum ſe reſtituturam liberis prioris matrimonii, qui ſibi ſupervixerint. Interim autem mater his *uti frui poteſt, eaſdemque dare mutuo, vel obligare, vel vendere.* Fidejuſſores exiguntur, quia dominium rerum creditarum alienatur: & ſi liberi fidejuſſores non acceperint, inane erit auxilium, quod ſibi quaerent ex dominio quantitatis, a matre retento. Sed & mater ſatisdat, quod eas res obligare poſſit, quia pignus magis creditoris eſſe dicitur, quam debitoris propter nexum; ut alibi docui ex Philone.

[2] *Si Cujacius id intellexit de toto mutui contractu, ſpeciem eſſe alienationis, tota certe ille regione veri aberraverit.*] Idem Cujacius ſcribit alibi, creditum fieri re, id eſt, datione, numeratione, alienatione dominii: & ad *l. 55. D. de obligat. & act.* & *l. 2. D. de reb. cred.* mutuum eſſe ſpeciem alienationis. Quoniam autem in mutuo contrahendo quantitas ſeparari non poteſt a corporibus, non eſt cur diſtinguamus, ut corpora alienari dicantur, quantitas non item. Nec Cujacius unquam ejuſmodi diſtinctionem in animo habuit. Imo Juſtinianus in §. 2. *Quibus alienlic,*

gione veri aberraverit. Nam quae ſpecies erit alienationis mutuum? [1] civilis, an naturalis? Civiles alienationes, quae ex jure Quiritium cum ſolemnitate celebrabantur, duas tantum fuiſſe obſervavimus, mancipationem ſive rradionem uexu, & in jure ceſſionem: quibus tertiam uſucapionem adjunxere noonulli. Nihil in his alienationibus mutuum loci habuit. Nec ſane in illis, per quas naturali tradirione rerum dnminia adqniruntur ex aliqua juſta cauſa praecedente. Nam non adquiritur ullum dominium per mutui dationem ab eo, qni accipit. [2] Ille contra, qui dat, obligationem ſibi adquirit, nnn is, qui accipit; ut perſpicuum eſt ex *leg.* XXII. *D. de ſolutionibus.* Etenim ſi ex parre dantis mutuum eſſet alienario, ex parte accipientis nmuino cnnſequeretur eſſe adquiſitionem dominii. Cum itaque non ſit civilis neque naturalis alienatin mutuum, nulla eſt. Non enim ex ntroque genere alienationis mixtum eſt genus. [3] Nec audiendi Doctores, qui comminiſcunrur mutuum quoddam civile, cui cooperatur natura. Qnod eſt ridiculum. Sed palam eſt, Cujacium de alienatione corporum, quae mutuo dantur, iorellexiſſe, cum dixit, [4] *Mutuum eſſe ſpeciem alienationis.* Et per *mutuum* ſignificaſſe rem, quae mutuo datur. Quod ex iis, quae ſubjunxit, clarum eſt; *aut ſi ex eo non ſequatur alienatio, certe non eſt mutuum.* Nam ſi nnn alienetur ea res, quae mutuo datur, id eſt, ſi non fiat accipientis, non poteſt conſiſtere mutuum. Quippe mutuum non eſt, niſi reddatur alia ſpecies generis ejusdem, hoc eſt, par pari. Hoc ut fiat, debet alienari ſpecies, qnae data eſt, [5] ut per ſuffectionem alia ſolvatur, & ſic mntuum fiat. Et ſane recte ille dixit, mntuum, hnc eſt, rem, quae mutun datur, ſpeciem eſſe alienationis. Quo ſenſu accipitur *alienatio* latiſſima ſignificatione prn quacunque dominii tranſlatione. Non enim ea alienatio civilis eſt, nec naturalis. In nulla quippe naturali alienatinne aut civili aliquid datur & alienatur, nt eadem quantiras reddatur. Si per eam autem ſpeciei alienationem, quae mutuo datur, mutuum, id eſt, mutui contractus, eſſet alienatio, nnn differret a mera, plena, & abſoluta alienatione. Praeterea ineptum eſſet dicere, ſi ex ea mutui datinne nnn conſequeretur alienario, [1] mu-

REPLICATIO.

lic. loquitur de pecunia ſeu nummis a pupillo datis, negatque mutuum contrahi, quia jus alienandi non habet, quaſi mutuum in alienatione nummorum conſiſtat, non in quantitate.

[1] *Civilis, an naturalis?*] Mutuum contractus eſt, quem juri gentium adſcribit Theophilus; & naturalis igitur alienatio eſt, & quia numeratione completur, ſeu per traditionem fit, juris gentium adquiſitio eſt, aut certe mixta, ut mox dicetur.

[2] *Ille contra, qui dat, obligationem ſibi adquirit, non is, qui accipit; ut perſpicuum eſt ex l. 22. D. de ſolution.*] *Lex* 22. ait, filiumfamilias patri obligationem adquirere, quod magis pertinet ad omnes cauſas, quam ad cauſam mutui; hoc eſt, ad *tit. Per quas perſonas obligatio nobis adquiritur*, non ad obligationem, quae ex mutuo naſcitur.

[3] *Nec audiendi Doctores, qui comminiſcantur mutuum quoddam civile, cui cooperatur natura.*] Jus gentium aut merum eſt, aut jure civili temperatum, *l. bona fides* 31. *D. depoſ.* Obligationes igitur mero quidem jure gentium introductae ſunt, §. 2. *verſ. Ex hoc jure Inſtit. de jur. nat.* ſed tamen, quatenus jure civili comprobatae ſunt, civiles dicuntur §. 1. *Inſtit. de obligat.* & actiones pariunt. Nam quae ſolo jure gentium ſuſtinentur, proprie obligationes non ſunt, *l.* 16. §. 2. *D. de fidejuſſ.* Mutuum igitur origine quidem juris gentium eſt, ſed quia jure civili comprobatum eſt, & nomen ab eo accepit, neque in totum naturale eſt, nec in totum civile, ſed quodammodo miſtum & bipartitum.

[4] *Mutuum eſſe ſpeciem alienationis, & per mutuum ſignificaſſe rem, quae mutuo datur.*] Imo quia mutuum vel creditum dixit, certum eſt, eum contractum intelligere, non res, quarum datione in creditum imus. *Variae ſunt cauſae, varii tituli, ex quibus per traditionem dominium transfertur in accipientem. Cauſa ſive titulus venditionis, cauſa donationis, cauſa permutationis, cauſa dotis, cauſa mutui (nam & mutuum ſpecies eſt alienationis) cauſa judicati, cauſa adjudicationis, cauſa ſolutionis, cauſa noxae deditionis, cauſa legati*, ut idem Cujacius ſcribit ad *d. l.* 55. Contractum, opinor, intelligit, noo res, quae mutuo dantur.

[5] *Ut per ſuffectionem alia ſolvatur.*] Non poſſum probare emendationem tuam, ut pro *functionem*, reponamus, *ſuffectionem.* Non ignoro, ſufficere poni pro ſubſtituere, & in locum alterius ſubrogare, ut apud Auctorem *Dialogi de Orat.* Tacitum, Aurelium Victorem, Juſtinum, Virgilium. Sic *ſufficere magiſtratus* apud Pomponium, & *ſuffecti* exponuntur ὑποκατασταθέντες in Gloſſis Philoxeni, id eſt, ſubſtituti, ſubrogati: & in mutuo igitur ſuffici, ſubrogarive in vicem conſumptorum genus idem potius, quam eandem ſpeciem. Nihil tamen mutandum cenſeo: res enim, quae pondere, numero, menſura continentur, mutua vice funguntur, non caeterae res, cum, inquam, res ejusdem generis redditur, ſolutum rei creditae vice facile fungitur, & tantundem reddi creditur; ut latius expoſui ad *Paratitla* Cujacii in *Cod. lib.* 4. *tit.* 2. Symmachus *epiſt.* 3. 50. *Vicem ſermonis tui veterum ſcripta funguntur.* Ex hoc eſt, quod ait Paulus in *l.* 2. §. 1. *D. de reb. cred. quia in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem, quam ſpecie*, eſt eſt, magis in genere ſuo, quam in ſpecie, & individuo Philoſophorum permutationem recipiunt. Quae autem corpore valent, functionem non recipiunt: corpus enim corpori perſimile non eſt, & ideo mutuom in his noo conſiſtit, qooniam aliud pro alio reddi foret neceſſe, quod mutui natura non patitur. Ait autem Paulus in genere ſuo: nam mutuum contrahitur ἐπὶ τῷ λαβεῖν ὁμογενές, ut ait alicubi Balſ. ut res ejusdem generis recipiatur, & ideo res alius generis reddi non poteſt. Paulus igitur ſic intelligendus eſt, quaſi ſcripſiſſet, *quia magis in genere ſuo*, &c. ſic praeter Juriſconſultos Paulum & Ulp. in *l.* 49 §. 3. *D. de leg.* 1. & vetuſtae latinitatis Auctores, loquitur Lucifer Caralit. libro *de non parcendo in Deum delinq. Illo gladio occidit Regis miniſtrum, ſed & eum, quem viderat de populo ſuo Regis edicto quam Dei obtemperaſſe*: pro magis Regis edicto quam, &c. et Vigilius in *Diſputatione inter Sab. Phot.* &c. *Homouſii quoque vocabulum tanquam peregrinum, & ab ſcripturis divinis alienum, nuperque apud Nicaenum argumento quam auctoritate repertum, penitus repudiandum uſebat*, pro magis argumento, quam, &c. Apud Graecos etiam τὸ μᾶλλον ſubauditum ſaepiſſime invenire eſt. Septuaginta Seniores Tobiae *c.* 6. *v.* 12. τὴν κληρονομίαν σοι καθήκει λαβεῖν ἢ πάντας ἀνθρώπους: *hereditatem tibi conveniat accipere, quam omnem homi-*

[1] mutuum non eſſet, id eſt, non eſſet alienatio. Ut mutuum ſit, hoc eſt, ut mutui obligatio contrahatur, debet praecedere rei mutuo datae alienatio, ſed illud ipſum mutuum, ſive mutui contractus, [2] non eſt alienatio, [3] nec alienatorius. Quam ridiculum enim illud foret; ut mutuum, id eſt, contractus mutui, ſit alienatio? debet mutuum, id eſt, res mutuo data etiam eſſe alienatio? At ita eſt alienatio rei, quae mutuo datur, ut ipſum tamen mutuum non ſit alienatio; quia idem genus vel eadem quantitas, in qua conſiſtit mutuum, redditur, nec mutuum eſt, niſi idem genere & quantitate reddatur, cum id, quod redditur, nullo modo ſic alienetur.

[4] Quae ſequuntur leges Africani, Scaevolae, Pauli, Ulpiani, nihil plus nos docent, quam pecuniam eam, quae datur mutuo, alienari, & accipientem dominum ejus fieri. Quae nihil prorſus nocent aſſertioni noſtrae, & tantum eas curare debemus, [5] quantum aut numerum lupus aut edentuli nuces ἀμύλου παρόντος.

His propoſitis, Doctiſſimus Anteceſſor ptu clauſula ponit, plura congerere in difficili ſibi non fuiſſe, quae perſequi animus ipſi non fuerit. Utinam ea omnia, quae potuit, congerere etiam

REPLICATIO

hominem: & apud Clementem Alexandr. idem duobus locis obſervare memini. Joannes Scylitzes Curopalates: οἷς δὴ καὶ εἰς τὴν βασιλείαν ἀναχθεὶς ἀρχὴν ἐσεμνύνετό τε ἠγάλλετο καὶ τῷ διαδήματι καὶ τῇ ἁλουργίδι. Sic legitur in veteri Codice Biblioth. Regiae, pro, ἢ τῷ διαδ. *Quibus etiam rebus ad imperium evectus magis gloriabatur, quam diademate & purpura.* Nec aliter legitur apud Cedrenum, cujus per omnia ſimia eſt idem Curopalates.

[1] *Mutuum non eſſet, id eſt, non eſſet alienatio.*] Ex Cujacii ſententia, ſi ex mutuo non ſequatur alienatio, mutuum non eſt, id eſt, non contrahitur obligatio.

[2] *Non eſt alienatio.*] Alienatio recte dicitur inſpecto animo contrahentium, & exitu.

[3] *Nec alienatorius.*] Sic locuti juris Doctores ineruditis retro ſaeculis, quae pene ad internecionem litteras perduxerant, non facundiae conditores poſt eas renatas, aut politiores juris interpretes. Verum, inquiunt, ut mente concepta promamus, interdum aliter, quam cum eloquentiae magiſtris loqui neceſſe eſt: qui tamen naevi ſcripta Jacobi Cujacii non dehoneſtant, quo nemo purius ſenſa animi expreſſit. Mutuum igitur eſt contractus, ut ita dixerim, alienatorius, quoniam alienandi cauſa & propoſito fit.

[4] *Quae ſequuntur leges Africani*, &c.] Africanus ait, nummos, quos mihi debes ex cauſa depoſiti creditos fieri, ſi ita convenerit inter nos: id eſt, deberi ex cauſa mutui, non ex cauſa depoſiti, quia nummi, qui mei ſunt, tui fiunt. Quibus verbis ſubſtantia mutui continetur: nam & creditor dominus eſſe debet, & dominium in accipientem transferri. In mutuo autem contrahendo, erat prorſus incognita veteribus auctoribus diſtinctio rerum mutuo datarum, & quantitatis, a rebus ipſis diſcretae. Heic enim hoc tantum quaeritur, an pecunia credita fieri poſſit, quam mihi debes ex cauſa depoſiti, hoc eſt, an mutuum contractum ſit fictione brevis manus adhibita.

Scaevola ait, corpora pecuniae fieri in bonis ejus, qui mutuam pecuniam accepit: & ideo eadem obligata eſſe creditori, qui pignori accepit a debitore quidquid in bonis habet, habiturusve eſſet. Itaque ſi pecunia eidem creditori pignori eſſe coeperit, quaero de te, quid proderit dominium illud quantitatis, ablata pecunia, jure pignoris? an potior erit dominus imaginarius quantitatis creditore pigneratitio? eſt igitur dominium ſine re inefficax & inane.

Paulus in *l. 16. D. de reb. credit.* proponit, ſocium pecuniam communem credidiſſe inſcio vel invito ſocio; aitque, non alias creditam effici, niſi caeteri quoque conſentiant, quia ſuae partis tantum alienationem habuit. Qui dicit, nummos fieri debitoris, vel corpora pecuniae fieri in bonis accipientis, & partem ſocii alienari, nec aliud addit; poteſtne dominium aliquod quantitatis animo concepiſſe, quod penes creditorem remaneret alienatis nummis? poteſtne aliquis e toto juris corpore locus proferri, quo dominium illud quantitatis ſeorſim a dominio rei creditae ſpectetur, ut dominium quantitatis non abſcedat a creditore; dominium autem pecuniae ad debitorem tranſeat? Non puto: aut ſi quis eſt, ſubvenu: nam fugit me memoria. Tu, qui oculatiſſimus es, bene de nobis, bene de omnibus juris Profeſſoribus mereri potes, ſi eum nobis ex abdito fortean in medium proferas. Ego fateor hactenus inviſum penituſque incognitum.

[5] *Quantum aut numerum lupus.*] Auctor *Diatribae de mutuo* Dominus de Sancto Lupo: nam tecum heic jocari libet, Africanum, Paulum, Ulpianum juris auctores, & omnes Anteceſſores non pluris facit, quam numerum lupus. Unde auguror illis tecum diſcordiam fore

Lupis & agnis quanta ſortito obtigit.

Prudentibus quidem ſecundum plurium ſententiam reſpondere ſolemne eſt, ut in *l. 17. D. de jure patronat.* quaſi indubium ſit, quod plurium auctoritas & conſenſus commendat. Romuli lex eſt, τὰ πλείοσι δόξαντα ἐπιτελεῖν, *id ratum eſſe, quod a pluribus probatum eſt.* apud Dionyſium Halicarnaſſenſem *lib. 2.* Tu vero, prudentiſſime Vir, *non ex multitudine auctorum, quod melius & aequius eſt, judicandum* cenſes, ut etiam monet alicubi Juſtinianus, ὅτι ἐνδέχεται ἕνα τῶν πολλῶν φρονιμώτερον εἶναι: *quoniam fieri poteſt, ut unus multis ſit prudentior*, ut ait Sextus Empiricus *Pyrrh. hypot. lib. 2. cap. 5. Plus eſſe in uno ſaepe, quam in turba, boni*, ait Phaedrus: ideoque unum Molinaeum novae opinionis auctorem ſequeris; quaſi ſit πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Nec tamen ſatis mirari poſſum, quod movearis argumento Molinaei plane futili: ait enim mutuum alienationem non eſſe, ſed adminiſtrationem ex *l. 11. §. 2. D. de reb. cred.* Haec eſt facti ſpecies: Servus nummos mihi credidit; quaeritur, an dominus mihi condicere poſſit. Scribit Ulpianus: Si ſervus, cui conceſſa eſt peculii adminiſtratio, mihi crediderit, mutuum eſſe. Hinc colligit Molinaeus, mutuum non eſſe alienationem, ſed adminiſtrationem. Ulpiani autem ſententia in *d. §.* haec eſt: Servus nummos peculiares credere non poteſt, niſi libera peculii adminiſtratio ei conceſſa ſit: licet enim peculii quodammodo dominus ſit, id tamen alienare non poteſt. Conceſſa autem adminiſtratione alienare ei conceditur, ac per hoc mutuum contrahere: nam mutuum alienatio eſt. Itaque mutuum adminiſtratio non eſt, ſed conceſſae adminiſtrationis effectus. Quid ſi liber homo crediderit, cui neceſſe non eſt liberam adminiſtrationem concedere, an dicetur adminiſtratio? minime! Nam qui pecuniam credit, per ſe & jure ſuo credit, non ex alienandi facultate. At Molinaeus quantum verborum fudit, ut novam neque probabilem opinionem adſtrueret?

gione veri aberraverit. Nam quae ſpecies erit alienationis mutuum? [1] civilis, an naturalis? Civiles alienationes, quae ex jure Quiritium cum ſolemnitate celebrabantur, duas tantum fuiſſe obſervavimus, mancipationem ſive tradionem nexu, & in jure ceſſionem: quibus tertiam uſucapionem adjunxere nonnulli. Nihil in his alienationibus mutuum loci habuit. Nec ſane in illis, per quas naturali traditione rerum dominia adquiruntur ex aliqua juſta cauſa praecedente. Nam non adquiritur ullum dominium per mutui dationem ab eo, qui accipit. [2] Ille contra, qui dat, obligationem ſibi adquirit, non is, qui accipit; ut perſpicuum eſt ex *leg.* XXI. *D. de ſolutionibus.* Etenim ſi ex parte dantis mutuum eſſet alienatio, ex parte accipientis omnino conſequeretur eſſe adquiſitionem dominii. Cum itaque non ſit civilis neque naturalis alienatio mutuum, nulla eſt. Non enim ex utroque genere alienationis mixtum eſt genus. [3] Nec audiendi Doctores, qui comminiſcuntur mutuum quoddam civile, cui cooperatur natura. Quod eſt ridiculum. Sed palam eſt, Cujacium de alienatione corporum, quae mutuo dantur, intellexiſſe, cum dixit, [4] *Mutuum eſſe ſpeciem alienationis.* Et per *mutuum* ſignificaſſe rem, quae mutuo datur. Quod ex iis, quae ſubjunxit, clarum eſt; *aut ſi ex eo non ſequatur alienatio, certe non eſt mutuum.* Nam ſi non alienetur ea res, quae mutuo datur, id eſt, ſi non fiat accipientis, non poteſt conſiſtere mutuum. Quippe mutuum non eſt, niſi reddatur alia ſpecies generis ejusdem, hoc eſt, par pari. Hoc ut fiat, debet alienari ſpecies, quae data eſt, [5] ut per ſuffectionem alia ſolvatur, & ſic mutuum fiat. Et ſane recte ille dixit, mutuum, hoc eſt, rem, quae mutuo datur, ſpeciem eſſe alienationis. Quo ſenſu accipitur *alienatio* latiſſima ſignificatione pro quacunque dominii tranſlatione. Non enim ea alienatio civilis eſt, nec naturalis. In nulla quippe naturali alienatione aut civili aliquid datur & alienatur, ut eadem quantitas reddatur. Si per eam autem ſpeciei alienationem, quae mutuo datur, mutuum, id eſt, mutui contractus, eſſet alienatio, non differret a mera, plena, & abſoluta alienatione. Praeterea ineptum eſſet dicere, ſi ex ea mutui datione non conſequeretur alienatio, [1] mu-

REPLICATIO.

lic. loquitur de pecunia ſeu nummis a pupillo datis, negatque mutuum contrahi, quia jus alienandi non habet, quaſi mutuum in alienatione nummorum conſiſtat, non in quantitate.

[1] *Civilis, an naturalis?*] Mutuum contractus eſt, quem juri gentium adſcribit Theophilus; & naturalis igitur alienatio eſt, & quia numeratione completur, ſeu per traditionem fit, juris gentium adquiſitio eſt, aut certe mixta, ut mox dicetur.

[2] *Ille contra, qui dat, obligationem ſibi adquirit, non is, qui accipit; ut perſpicuum eſt ex l. 22. D. de ſolution.*] *Lex* 22. ait, filiumfamilias patri obligationem adquirere, quod magis pertinet ad omnes cauſas, quam ad cauſam mutui; hoc eſt, ad *tit. Per quas perſonas obligatio nobis adquiritur*, non ad obligationem, quae ex mutuo naſcitur.

[3] *Nec audiendi Doctores, qui comminiſcuntur mutuum quoddam civile, cui cooperatur natura.*] Jus gentium aut merum eſt, aut jure civili temperatum, *l. bona fides* 31. *D. depoſ.* Obligationes igitur mero quidem jure gentium introductae ſunt, §. 2. *verſ. Ex hoc jure Inſtit. de jur. nat.* ſed tamen, quatenus jure civili comprobatae ſunt, civiles dicuntur §. 1. *Inſtit. de obligat.* & actiones pariunt. Nam quae ſolo jure gentium ſuſtinentur, proprie obligationes non ſunt, *l.* 16. §. 2. *D. de fidejuſſ.* Mutuum igitur origine quidem juris gentium eſt, ſed quia jure civili comprobatum eſt, & nomen ab eo accepit, neque in totum naturale eſt, nec in totum civile, ſed quodammodo miſtum & bipartitum.

[4] *Mutuum eſſe ſpeciem alienationis, & per mutuum ſignificaſſe rem, quae mutuo datur.*] Imo quia mutuum vel creditum dixit, certum eſt, eum contractum intelligere, non res, quarum datione in creditum imus. *Variae ſunt cauſae, varii tituli, ex quibus per traditionem dominium transfertur in accipientem. Cauſa ſive titulus venditionis, cauſa donationis, cauſa permutationis, cauſa dotis, cauſa mutui (nam & mutuum ſpecies eſt alienationis) cauſa judicati, cauſa adjudicationis, cauſa ſolutionis, cauſa noxae deditionis, cauſa legati*, ut idem Cujacius ſcribit ad *d. l.* 55. Contractum, opinor, intelligit, non res, quae mutuo dantur.

[5] *Ut per ſuffectionem alia ſolvatur.*] Non poſſum probare emendationem tuam, ut pro *functionem*, reponamus, *ſuffectionem.* Non ignoro, ſufficere poni pro ſubſtituere, & in locum alterius ſubrogare, ut apud Auctorem *Dialogi de Orat.* Tacitum, Aurelium Victorem, Juſtinum, Virgilium. Sic *ſufficere magiſtratus* apud Pomponium, & *ſuffecti* exponuntur ὑποκατασταθέντες in Gloſſis Philoxeni, id eſt, ſubſtituti, ſubrogati: & in mutuo igitur ſuffici, ſubrogarive in vicem conſumptorum genus idem potius, quam eandem ſpeciem. Nihil tamen mutandum cenſeo: res enim, quae pondere, numero, menſura continentur, mutua vice funguntur, non caeterae res, cum, inquam, res ejusdem generis redditur, ſolutum rei creditae vice facile fungitur, & tantundem reddi creditur; ut latius expoſui ad *Paratitla* Cujacii in *Cod. lib.* 4. *tit.* 2. Symmachus *epiſt.* 3. 50. *Vicem ſermonis tui veterum ſcripta funguntur.* Et hoc eſt, quod ait Paulus in *l.* 2. §. 1. *D. de reb. cred. quia in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem, quam ſpecie*, eſt eſt, magis in genere ſuo, quam in ſpecie, & individuo Philoſophorum permutationem recipiunt. Quae autem corpore valent, functionem non recipiunt: corpus enim corpori perſimile non eſt, & ideo mutuum in his non conſiſtit, quoniam aliud pro alio reddi foret neceſſe, quod mutui natura non patitur. Ait autem Paulus in genere ſuo: nam mutuum contrahitur ἐπὶ τῷ λαβεῖν ὁμογενές, ut ait alicubi Balſ. ut res ejusdem generis recipiatur, & ideo res alius generis reddi non poteſt. Paulus igitur ſic intelligendus eſt, quaſi ſcripſiſſet, *quia magis in genere ſuo*, &c. ſic praeter Juriſconſultos Paulum & Ulp. in *l.* 49 §. 3. *D. de leg.* 1. & vetuſtae latinitatis Auctores, loquitur Lucifer Caralit. libro *de non parcendo in Deum delinq. Ille gladio occidit Regis miniſtrum, ſed & eum, quem viderat de populo ſuo Regis edicto quam Dei obtemperaſſe*: pro magis Regis edicto quam, &c. et Vigilius in *Diſputatione inter Sab. Phot.* &c. *Homouſii quoque vocabulum tanquam peregrinum, & ab ſcripturis divinis alienum, nuperque apud Nicaeam argumento quam auctoritate repertum, penitus repudiandum ajebat*, pro magis argumento, quam, &c. Apud Graecos etiam τὸ μᾶλλον ſubauditum ſaepiſſime invenire eſt. Septuaginta Seniores Tobiae *c.* 6. *v.* 12. τὴν κληρονομίαν σοι καθήκει λαβεῖν ἢ πάντας ἀνθρώπους: *hereditatem tibi convenit accipere, quam omnem homi-*

[1] mutuum non eſſet, id eſt, non eſſet alienatio. Ut mutuum ſit, hoc eſt, ut mutui obligatio contrahatur, debet praecedere rei mutuo datae alienatio, ſed illud ipſum mutuum, ſive mutui contractus, [2] non eſt alienatio, [3] nec alienatorius. Quam ridiculum enim illud foret; ut mutuum, id eſt, contractus mutui, ſit alienatio? debet mutuum, id eſt, res mutuo data etiam eſſe alienatio? At ita eſt alienatio rei, quae mutuo datur, ut ipſum tamen mutuum non ſit alienatio; quia idem genus vel eadem quantitas, in qua conſiſtit mutuum, redditur, nec mutuum eſt, niſi idem genere & quantitate reddatur, cum id, quod redditur, nullo modo ſic alienetur.

[4] Quae ſequuntur leges Africani, Scaevolae, Pauli, Ulpiani, nihil plus nos docent, quam pecuniam eam, quae datur mutuo, alienari, & accipientem dominum ejus fieri. Quae nihil prorſus nocent aſſertioni noſtrae, & tantum eas curare debemus, [5] quantum aut numerum lupus aut edentuli nuces ἀμύλων παρόντος.

His propoſitis, Doctiſſimus Anteceſſor pro clauſula ponit, plura congerere in difficili ſibi non fuiſſe, quae perſequi animus ipſi non fuerit. Utinam ea omnia, quae potuit, congerere etiam

REPLICATIO

hominem: & apud Clementem Alexandr. idem duobus locis obſervare memini. Joannes Scylitzes Curopalates: εἰς δὲ καὶ εἰς τὴν βασιλείαν ἀναχθεὶς ἀρχῇ ἐπεμβαίνοντά τε ὡραΐζετο καὶ τῷ διαδήματι καὶ τῇ ἁλουργίδι. Sic legitur in veteri Codice Biblioth. Regiae, pro, ἢ τῷ διαδ. *Quibus etiam rebus ad Imperium evectus magis gloriabatur, quam diademate & purpura.* Nec aliter legitur apud Cedrenum, cujus per omnia ſimia eſt idem Curopalates.

[1] *Mutuum non eſſet, id eſt, non eſſet alienatio.*] Ex Cujacii ſententia, ſi ex mutuo non ſequatur alienatio, mutuum non eſt, id eſt, non contrahitur obligatio.

[2] *Non eſt alienatio.*] Alienatio recte dicitur inſpecto animo contrahentium, & exitu.

[3] *Nec alienatorius.*] Sic locuti juris Doctores ineruditis retro ſaeculis, quae pene ad internecionem litteras perduxerant, non facundiae conditores poſt eas renatas, aut politiores juris interpretes. Verum, inquiunt, ut mente concepta promamus, interdum aliter, quam cum eloquentiae magiſtris loqui neceſſe eſt: qui tamen naevi ſcripta Jacobi Cujacii non dehoneſtant, quo nemo purius ſenſa animi expreſſit. Mutuum igitur eſt contractus, ut ita dixerim, alienatorius, quoniam alienandi cauſa & propoſito fit.

[4] *Quae ſequuntur leges Africani*, &c.] Africanus ait, nummos, quos mihi debes ex cauſa depoſiti creditos fieri, ſi ita convenerit inter nos: id eſt, deberi ex cauſa mutui, non ex cauſa depoſiti, quia nummi, qui mei ſunt, tui fiunt. Quibus verbis ſubſtantia mutui continetur: nam & creditor dominus eſſe debet, & dominium in accipientem transferri. In mutuo autem contrahendo, erat prorſus incognita veteribus auctoribus diſtinctio rerum mutuo datarum, & quantitatis, a rebus ipſis diſcretae. Heic enim hoc tantum quaeritur, an pecunia credita fieri poſſit, quam mihi debes ex cauſa depoſiti, hoc eſt, an mutuum contractum ſit fictione brevis manus adhibita.

Scaevola ait, corpora pecuniae fieri in bonis ejus, qui mutuam pecuniam accepit: & ideo eadem obligata eſſe creditori, qui pignori accepit a debitore quidquid in bonis habet, habiturusve eſſet. Itaque ſi pecunia eidem creditori pignori eſſe coeperit, quaero de te, quid proderit dominium illud quantitatis, ablata pecunia, jure pignoris? an potior erit dominus imaginarius quantitatis creditore pigneratitio? eſt igitur dominium ſine re inefficax & inane.

Paulus in *l. 16. D. de reb. credit.* proponit, ſocium pecuniam communem crediediſſe inſcio vel invito ſocio; aitque, non alias creditam effici, niſi caeteri quoque conſentiant, quia ſuae partis tantum alienationem habuit. Qui dicit, nummos fieri debitoris, vel corpora pecuniae fieri in bonis accipientis, & partem ſocii alienari, nec aliud addit; poteſtne dominium aliquod quantitatis animo concepiſſe, quod penes creditorem remaneret alienatis nummis? poteſtne aliquis e toto juris corpore locus proferri, quo dominium illud quantitatis ſeorſim a dominio rei creditae ſpectetur, ut dominium quantitatis non abſcedat a creditore; dominium autem pecuniae ad debitorem tranſeat? Non puto: aut ſi quis eſt, ſubveni: nam fugit me memoria. Tu, qui oculatiſſimus es, bene de nobis, bene de omnibus juris Profeſſoribus mereri potes, ſi eum nobis ex abdito forte in medium proferas. Ego fateor hactenus inviſum penituſque incognitum.

[5] *Quantum aut numerum lupus.*] Auctor *Diatribae de mutuo* Dominus de Sancto Lupo: nam tecum heic jocari libet, Africanum, Paulum, Ulpianum juris auctores, & omnes Anteceſſores non pluris facit, quam numerum lupus. Unde auguror illis tecum diſcordiam fore

Lupis & agnis quanta ſortito obtigit.

Prudentibus quidem ſecundum plurium ſententiam reſpondere ſolemne eſt, ut in *l. 17. D. de jure patronat.* quaſi indubium ſit, quod plurium auctoritas & conſenſus commendat. Romuli lex eſt, τὰ πλείοσι δόξαντα ἐπιτελεῖν, *id ratam eſſe, quod a pluribus probatum eſt.* apud Dionyſium Halicarnaſſenſem *lib. 2.* Tu vero, prudentiſſime Vir, *non ex multitudine auctorum, quod melius & aequius eſt, judicandum* cenſes, ut etiam monet alicubi Juſtinianus, ὅτι ἐνδέχεται ἕνα τῶν πολλῶν φρονιμώτερον εἶναι: *quoniam fieri poteſt, ut unus multis ſit prudentior*, ut ait Sextus Empiricus *Pyrrh. hypot. lib. 2. cap. 5.* *Plus eſſe in uno ſaepe, quam in turba, boni*, ait Phaedrus: ideoque unum Molinaeum novae opinionis auctorem ſequeris; quaſi ſit πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Nec tamen ſatis mirari poſſum, quod movearis argumento Molinaei plane futili: ait enim mutuum alienationem non eſſe, ſed adminiſtrationem ex *l. 11. §. 2. D. de reb. cred.* Haec eſt facti ſpecies: Servus nummos mihi credidit; quaeritur, an dominus mihi condicere poſſit. Scribit Ulpianus: Si ſervus, cui conceſſa eſt peculii adminiſtratio, mihi crediderit, mutuum eſſe. Hinc colligit Molinaeus, mutuum non eſſe alienationem, ſed adminiſtrationem. Ulpiani autem ſententia in *d. §.* haec eſt: Servus nummos peculiares credere non poteſt, niſi libera peculii adminiſtratio ei conceſſa ſit: licet enim peculii quodammodo dominus ſit, id tamen alienare non poteſt. Conceſſa autem adminiſtratione alienare ei conceditur, ac per hoc mutuum contrahere: nam mutuum alienatio eſt. Itaque mutuum adminiſtratio non eſt, ſed conceſſae adminiſtrationis effectus. Quid ſi liber homo crediderit, cui neceſſe non eſt liberam adminiſtrationem concedere, an dicetur adminiſtratio? minime! Nam qui pecuniam credit, per ſe & jure ſuo credit, non ex alienandi facultate. At Molinaeus quantum verborum fudit, ut novam neque probabilem opinionem adſtrueret?

etiam ei collibuiſſet, congeriem eam tam [1] nullo negotio diſſlare nobis licuiſſet, quam facile ab eo coacumulata eſſet. [2] Fortaſſe an imprudens & *legem* omiſit LV. *D. de ſolutionibus:* quae dicit, *Eum, qui ſic ſolvit ut reciperet non liberari, quemadmodum non alienantur nummi, qui ſic dantur, ut recipiantur.* [3] Multum certe opis contuliſſet ad ſtabiliendam communem Doctorum opinionem, cui patrocinari hic voluit clariſſimus Anteceſſor. Miror etiam, eum putaſſe, tam facile ſe defungi poſſe iſta probatione, [4] non ante refutatis argumentis omnibus, quibus contrarium probare inſtitui. Cur plura non congeſſerit, hanc rationem ſubjicit, quod quidquid demonſtratae rei additur ſatis demonſtratae, fruſtra ſit, [5] ut ait Ulpianus ſuus. Ergo perſuaſit ſibi primo, ſatis a ſe hanc rem demonſtratam fuiſſe iis argumentis, quae in ejus epiſtola leguntur, & deinde nobis hoc idem perſuadere conatur. Ego vero quid demonſtraverit, paucis hic aperiam, de quo ſane nihil inter nos controverſum fuit: *Rem mutuo datam fieri accipientis,* [6] *atque alienari. In mutui datione oportere dominum eſſe dantem. Condictione vel condicticia actione mutuo datam rem repeti. Dominum rei, mutuo datae, qui eam accepit, fieri.* Certe mihi haec ſatis demonſtrata videntur, de quibus nunquam dubitavi, &

R E P L I C A T I O.

Legeram & ipſe Molinaeum, conatu magno ſententiam ſuam infeliciter probantem; & profecto parum abfuit, quin de Molinaeo idem dicerem, quod de Origene Euſtathius Antiochen. *Mihi heic demirari ſubit, quo pacto apud pluримos hic ſapientiae gloriam adeptus ſit quaſi prudens ſimul eſſet, & de rebus optime ſentiret:* Ἀλλ' ἔμοιγε θαυμάζειν ἐπεισιν ὅπως οὗτος ἀποφέρεται δόξαν ἐπ' ἐμβελείᾳ παρὰ τοῖς πολλοῖς ὡς ἔμφρων ἅμα καὶ γνώμης ἄριστος. Verum memoria conditionis humanae me revocavit: *Nam penitus in nullo peccare divinitatis magis, quam mortalitatis eſt.* Themiſtius diceret, τὸ μηδὲν ἁμαρτάνειν ἔξω τῆς φύσεως κεῖται τῆς ἀνθρωπίνης. & tamen Molinaeus fautores ſuos invenit, ſed oppido paucos, cum peritiſſimi quique in alia omnia diſcedant.

[1] *Nullo negotio diſſlare.*] Quemadmodum caeterorum Anteceſſorum *Tu legiones difflaviſti ſpiritu.*

[2] *Fortaſſe an imprudens & legem omiſit 55. D. de ſolutionibus.*] Imo ſciens prudens, quoniam ἐξ ἀντιδιαστολῆς, *ex contrario ſenſu*, tantum alienatio probatur.

[3] *Multum certe opis contuliſſet ad ſtabiliendam communem Doctorum opinionem.*] Nil verius: *& ridendo dicere verum quid vetat?* nam communem auctorum ſententiam *hac* quoque *lege* confirmari certum eſt. Quod ſi verum eſt, ut mox pateſcet, imprudenti telum manu fugit, quo te confodiant adverſarii tui, tametſi perſuaſum tibi ſit, vel *hac lege* ſtabiliri opinionem tuam, & nullis artibus, nullove molimento vim ejus eludi poſſe: in tantum ut tutiorem te praeſtes, quam olim fuerit

— *clypei dominus ſeptemplicis Ajax.*

Videamus igitur, quae *hujus legis* ſententia ſit. Ulpianus ait: *Qui ſic ſolvit, ut reciperet, non liberatur, quemadmodum non alienantur nummi, qui ſic dantur, ut recipiantur*, hoc eſt, qui ſic ſolvit, ut eoſdem nummos recipiat, ejuſmodi ſolutione non liberatur; nec enim ſolutio prodeſt, niſi nummi ita dentur, ut fiant creditoris: quemadmodum non alienantur nummi, qui ea lege dantur, ut iidem ipſi reddantur. Nec igitur mutuum contrahitur: mutuum enim alienatio eſt. Ergo ſi ea lex numerationi data non ſit, ſi non convenerit, ut iidem nummi renumerentur, neceſſario conſequitur, nummos alienari, hoc eſt, mutuum contrahi. Argumenta a contrario ſenſu jus non improbat, ſive, ut ajunt Graeci ad *leg. ex eo* 18. *D. de teſtibus. lib. 21. Baſilic.* δέχονται οἱ νόμοι τὰς ἀντιδιαστολάς; quod etiam notant ad *leg. 3. D. de cauſ. ex quib. infam. non irrog.* Haec lex male te habuit, eruditiſſime Vir, ita ut per nummos, modo ipſa corpora, modo quantitatem intelligas. Cujuſmodi inconſtantia, καὶ μὴ ὁμολογούμενος λόγος ſatis prodit te in *ejus legis* interpretatione haerere. Res eſt, ut dixi. Quod ſi mihi fidem non habeas, concede mihi, ut Cujacii verba referam, cum Molinaeus unam aut alteram libri tui paginam impleat. Summus juris interpres in recitatione ad *l. 2. D. de reb. cred.* ſic ait: *Si nominatim hoc agatur ab initio, ut iidem ipſi nummi reddantur poſt tempus, non eſt mutuum; ſed eſt commodatum potius, nec alienati eſſe intelliguntur, quandoquidem in iis videtur ſpectatum corpus ipſum nummorum, non quantitas, cum ita actum eſt, ut iidem ipſi reddantur poſt tempus, l. qui ſic ſolvit 55. D. de ſolution. Qui ſic ſolvit, ut recipiat, non ſolvit: & retro, inquit, qui ſic alienat, non alienat: ergo mutuum non contrahit. Nam mutuum eſt ſpecies alienationis.* Commodatum eſſe ait, non mutuum: id enim, quod uſu conſumitur, ad pompam vel oſtentationem commodari poteſt: etiam pecuniae, *l. 3. §. ult. & l. ſeq. D. Commod. l. ſi ego* 18. *D. de reb. cred.* ὅπερ ἐπὶ τῶν πανηγύρεων καὶ προπομπῶν εἴωθε γίνεσθαι καὶ τῶν ἀνοίξεων τῶν δημοσίων λουτρῶν: *Quod in nundinis, & proceſſionibus fieri ſolet, & in aperiendis publicis balneis*, ut ajunt Graeci ad *tit. D. de reb. credit.* Vivianus ſic *dictam legem* accepit, ut cum debitor ſic ſolvit, ut recipiat, non liberetur, quia non alienantur nummi, qui ſic dantur, ut recipiantur. Auctores Baſilic. ſic converterunt: Ὁ καταβαλὼν ἐφ' ᾧ ἀναλαβεῖν, οὐκ ἐλευθεροῦται. ὥσπερ τὰ νομίσματα οὐκ ἐκποιοῦνται, ἃ τινά τις ἐπὶ τῷ ἀναλαβεῖν καταβάλλει: *Qui ſic ſolvit ut recipiat, non liberatur. Quemadmodum non alienantur nummi, quos quis ita ſolvit, ut recipiat.* Sive igitur vera eſt Viviani ſpecies, & Graecorum converſio, ſive Cujacii interpretatio, quam etiam alibi adfert, actum eſt de nova opinione, quam *d. l.* fortiter defendi poſſe contendis. Certe nullo modo interpretatio tua ferri poteſt: ponis enim ibi mutuum contractum. Atquin Ulpianus ait, neque hujuſmodi ſolutionem prodeſſe ad liberationem, neque numerationem ad mutuum contrahendum: utroque caſu nihil agitur; id eſt, neque liberatio procedit, neque mutuum contrahitur.

[4] *Non ante refutatis argumentis omnibus, quibus contrarium probare inſtitui.*] Nunquam mihi propoſitum fuerat, clariſſime Vir, refutare quae ea de re ſcripſeras, *ut ingenia humana prompta ad arguendum eſſe omnibus liquet*, ſed tantum amico conſulenti reſpondere. Nam ita comparatus non ſum, ut ex aliorum obtrectatione famam velim mihi aucupari. Sed neque penſi habeo, quid alii de re aliqua ſentiant; ſed quibus poſſum rationibus, ex ipſa Juriſprudentia petitis, firmare ſententiam meam connitor. Utrum Lectoreum velit admittere, vel minus probabilem omittere, habet arbitrium. Mihi vero nulla curatio eſt, ſi deteriora ſequatur, qui meliora non videt.

[5] *Ut ait Ulpianus ſuus.*] Cujus eſſent verba non indicaram in Epiſtola, ſed cum ea doctiſſimo viro Aegidio Menagio impendio placerent, dixi Ulpiani eſſe in *l. 1. §. 2. D. de dote prael.* Ille jure ſuo & pro mutua inter nos amicitia auctori ſuo reddenda exiſtimavit. Caeterum ſic etiam loquitur Cujac. *ad Nov.* 14.

[6] *Atque Alienari.*] Atqui vel non alienari, vel non proprie alienari alibi ſcribis: aut naturaliter alienari, civiliter non item.

[7] *Ut*

& quae veriſſima eſſe nunquam negavi. Sed magnae molis erit, ſi nobis oſtendere aggreſſus fuerit, obligationem, quae re contrahitur ad reddendum, quod datum ſit, non in obligationum numero & genere reponi debere, ſed in cenſu alienationum civilium aut naturalium, & inter adquirendi dominii modos eſſe numerandam. Haec habui, quae Epiſtolae viri Clariſſimi rependerem, doctiſſime Menagi. In bonam partem ea te accepturum eſſe non diffido: ſed etiam rogo, amico tuo meoque velis perſuadere, [1] ut ea non aliter accipiat, [2] & me in numero ſuorum habeat. Vale. Leydae Kal. Martiis CIƆ. IƆ CXLV.

REPLICATIO

[1] *Ut ea non aliter accipiat.*] Et in bonam partem accepi, & ego te conſtantius amo, quam ut verear, ne aliter ac velim accipias; ac ſummopere cupio inter nos haec potius cum bona componantur gratia, quam cum mala: nam fere evenit, ut velitationes iſtae ad rixam procedant, *καὶ τὴν ὕβριν ἐκ βραχείας ἀρχομένην αἰτίας εἰς μέγαν λήγειν κακόν*, ut verbis utar Hephaeſtionis Scholiaſtae: quod equidem abominor. Rixentur inter ſe *ἐριστικοὶ ἄνθρωποι καὶ φιλόνεικοι*, quibus ego *inſana jurgia* relinquo: hoc enim ab hominibus litteratis, & maxime ab his, qui aequi & boni notitiam profitentur, alieniſſimum puto. Nam nec Muſae inter ſe rixantur, *καὶ ἰδίᾳ αὐτῶν ἀγανακτεῖ πρὸς τὰς ἄλλας*, ut ait Philoſtratus. Itaque a te contendo, ut eodem animo *Replicationem noſtram* accipias, quo a me profecta eſt; idque ſecurus amicitiae tuae auſim mihi polliceri. Nam neque propter naturalem hominum ad diſſentiendum facilitatem, ut ait Ulpianus, & Theodorus Metochites, nondum in lucem editus, in *Capitibus philoſophicis cap. 54. πολὺ γὰρ ἀνθρώποις τὸ ἐναντιολογεῖν κειμήλιον, καὶ ὡς οἶμαι, ὑφίσταται* Sed, ne viderer *indiligentia veri* indefenſum id relinquere, quod ſemper animis jus reſpondentium inſedit: haec una ratio eſt, cur opinioni novae non ſuccumbam, & in lubricam ſententiam non eam, quam pertinaci diligentia tueris; nec unquam tamen conſequeris ut obtineat vel tua, vel Molinaei ſententia. Quin imo, ut audio, novae hujus opinionis propagator exoritur, ut *triga* expleatur: nec mirum eſt; plerumque enim *falſum magis animum oblectat, quam verum. ψυχαγωγεῖ μᾶλλον τὸ ψεῦδος ἢ τ' ἀληθές*, ut ait Sextus Empiricus *adverſus Mathematicos.*

[2] *Et me in numero ſuorum habeat.*] Ab ineunte fere aetate hoc egi, ut inirem ſummam gratiam cum eruditis omnibus. Te vero, eruditione clariſſimum, mihi conciliari ſemper concupivi, & officia etiam te invito ſervabo, hoc eſt, licet amicitiam depoſueris: & quod tecum mihi amicitia fuerit, aeternum gloriae ducam.

Haec ſunt, Cl. Salmaſi, quae pro tuenda Conſultorum omnium ſententia dicenda habui. Tarde quidem, imo ſero ad te perveniet *haec Replicatio*, quam tamen intra paucos dies, quibus operae typographicae ceſſarunt, peregi. Nam Baſilicorum verſio occupatiorem me habebat: adeo ut nec manus ultima huic opuſculo acceſſerit, ne feſtinandi voluptas mihi periret. Quamobrem vereor ne ſit * *ἐκτρωμάτιον γράμμα*, neve in eo propter praecipitem feſtinationem multa peccarim: *plena enim periculi res eſt ſubito evomere, quod diu non concoxeris; μέγας ὁ κίνδυνος εὐθὺς ἐξεμέσαι ὃ μὴ ἔπεψας*, ut ait Epictetus: ſive ut Ariſtoteles *in Problematib.* duobus locis, *celeritate plerumque delinquitur, ἐν τῷ τάχει ἡ ἁμαρτία πλείων.* At tu forte repones, nec enim a verborum acerbitate temperaſti in aſſerenda opinione tua, & aliorum refellenda, me quoque viduum mente, quod jam labantem opinionem firmare conatus ſim: nam eos, qui ad veterum auctorum ſententiam abeunt, a communi ſenſu abiiſſe conſtanter cenſes. Ego vero puto eos, qui tecum non ſentiunt, nec alienatae mentis eſſe, nec communi ſenſu carere, ſed *ſapere de publico ſenſu*, & communes notiones noſſe. *Communes autem notiones ſunt, quas univerſi homines, ſi perquirantur, confitebuntur*, ut ait Salluſtius philoſophus in libello *de Diis & mundo: κοιναὶ δέ εἰσιν ἔννοιαι, ὅσας πάντες ἄνθρωποι ἐρωτηθέντες ὁμολογήσουσιν.* Communibus autem notionibus proximum id eſt, de quo univerſi Juriſconſulti una mente ac voce conſentiunt, ut puta *mutuum alienationem eſſe.* Quin imo, ut audio, adverſus Juriſconſultos, veteris ſapientiae aſſertores, librum paras, cui titulum indidiſti, *Juriſconſulti inſanientes*, quo modo ex prudentibus nullus librum hactenus inſcripſit. In ſumma ſententiam tuam obtinere vis, aut adverſus contumaces dementiae judicium inſtitues. Quid alii reponent, curae mihi non eſt: ego in injuriis excogitandis ingenioſus non ſum. Verum hoc potius age, ut me, juris rationibus convictum, ad meliorem ſententiam perducas: *& ſi quid eſt peccatum a nobis, profer, aut ea refellendo, aut purgando vobis corrigemus, te judice ipſo.* Ac ſi argumenta quibus moveor pro felicitate ingenii potis es diluere, erit quod † *ἐκπληκτικὸν ἐρεῖν* celebres: ego vero *δύσμορος αἰπόλος ὤν.* Vereor tamen ut de caetero novam opinionem tueri poſſis: *mutuum* enim *alienationem eſſe* incunctabile eſt. Vale Cl. Vir, & me mutuo ama.

* Eutocius *in Archimedem.* † Longus.

DEFENDITUR CUJACIUS.

LEX 43. D. SOL. MATRIM. EMENDATUR.

JUs ἐνδιάθετον, & ratio ἐνδιάθετος, *hominibus cum brutis communis eſt: προφορικὸς, hominum propria.* Cujacii nota eſt ad *titulum Inſtitutionum de jure nat. gent. & civ.* Cl. Salmaſius Cujacium notat libro *de uſuris p.* 245. Ego vero firmandae praeſtantiſſimi Cujacii ſententiae Quintilianum & Menodotum, ſive Galenum protuli ad *d. titulum.* Nunc autem novo eam ſubſidio ſtabilire lubet, praemiſſa verbi utriusque interpretatione. Theon Smyrnaeus *Mathematicorum capite* 18. λόγος δὲ κατὰ μὲν τοὺς περιπατητικοὺς λέγεται πολλαχῶς· ὅ, τε μετὰ φωνῆς, προφορικὸς ὑπὸ τῶν νεωτέρων λεγόμενος, καὶ ὁ ἐνδιάθετος, καὶ ὁ ἐν διανοίᾳ κείμενος ἄνευ φθόγγου καὶ φωνῆς. λόγος *ſecundum Peripateticos multifariam uſurpatur: dicitur enim ſermo vocalis, quem recentiores pronuntiatum appellant: & intrinſecus, qui in mente reconditus eſt, ſine ſono & voce.* Imo bruta nec enuntiativi ſermonis expertia quidam exiſtimant. Sextus Empiricus, *Pyrrhoniar. hypotyp.* 1. Ὥστε διὰ ταῦτα εἰκότως λέγοιτ᾽ ἄν, καὶ τοῦ προφορικοῦ μετέχειν λόγου τὰ καλούμενα ἄλογα ζῶα· εἰ δὲ μήτε ἀκριβείᾳ τῶν αἰσθήσεων λείπεται τῶν ἀνθρώπων ταῦτα, τῷ ἐνδιαθέτῳ λόγῳ (ἐκ περιουσίας δὲ εἰπεῖν) μηδὲ τῷ προφορικῷ, οὐκ ἂν ἀπιστότερα ἡμῶν εἴη κατὰ τὰς φαντασίας. Gentianus Hervetus ita vertit: *Itaque merito his de cauſis animalia, quae irrationalia appellantur, ſermonis enuntiativi non expertia eſſe dicuntur. Jam vero ſi & tam exactis praedita ſunt ſenſibus, quam homines, & aeque pollent ſermone intrinſeco ac illi, & (ut ex abundanti dicam) etiam enuntiativo: ea iis certe, quae ex phantaſia pendent, nihilominus quam penes nos fides eſſe poterit.* Ex *adverſus Mathematicos:* Εἰ γὰρ ὑπάρχει αὐτοῖς ὁ προφορικὸς λόγος, ἀνάγκη καὶ τὸν ἐνδιάθετον αὐτοῖς ὑπάρχειν· δίχα γὰρ τούτου ἀνυπόστατός ἐστιν ὁ προφορικός: *Nam ſi eſt eis, quae profertur oratio, neceſſe eſt, eis etiam eſſe internam rationem. nam ſine ea non poteſt conſiſtere, quae profertur oratio.* Porphyrius etiam hac de re diſſerit *libro* 3. *de abſtinendo ab eſu animalium: ipſo fere initio, & ſequentibus.* Cujacius igitur non ſine teſte ſcripſit, rationem ἐνδιάθετον hominibus cum brutis communem eſſe. Qua de re nolo cum Philoſophis longiorem diſputationem inſtituere: ſufficit enim probaſſe Cujacium opinionem hanc non invexiſſe.

Scaevola ait *l.* 43. *Si maritus in id, quod facere poteſt, condemnatus ſit, & nomina ſint ad dotis quantitatem, neque amplius, neque habebit mandare actiones.* Nemo non vidit mendum ibi latere: quemadmodum autem locus corruptus ad ſanitatem perduci poſſet, nemo hactenus vidit. Baſilica verae cum lectioni, tum interpretationi indagandae viam praemonſtrarunt: in quibus ſic habetur, *libro* 28. *tit.* 8. *cap.* 41. Μέχρι εὐπορίας ὁ ἀνὴρ καταδικαζόμενος, καὶ χρεώστας ἔχων, ἀναγκάζεται μέχρι τοῦ ποσοῦ τὰς κατ᾽ αὐτῶν ἐκχωρεῖν ἀγωγάς: *Maritus in id, quod facere poteſt condemnatus, ſi debitores habeat, cogitur usque ad quantitatem adverſus eos mandare actiones.* Legendum igitur, *neceſſe habebit mandare actiones.* Graeci ſic acceperunt Scaevolam, ut maritus ad dotis tantum quantitatem actiones mandare compellatur, ſi amplius ſit in nominibus quam in dote. Itaque ſic erit diſtinguendum: *& nomina ſint, ad dotis quantitatem, neque amplius, neceſſe habebit mandare actiones.* Quod ſi vulgatam lectionem malis, ſic erit lex intelligenda, ut ſi non amplius ſit in nominibus, quam in dote, maritus actiones mandare compellatur.

FINIS.

CON.

CONSTANTII LANDI,

Caſelarum Padi Comitis, Patriciique Placentini,

Ad Titulum Pandectarum,

DE JUSTITIA ET JURE,

ENARRATIONUM

LIBER.

Ejusdem in *l.* 1. *&* *l. Legis eſt virtus* VII. *D. De Legibus.* Interpretatio.
Ejusdem in *l. Quod meo nomine* 18. *D. De acq. & amitt. poſſ.* Breviſſima declaratio,

EJUSDEM

IN JUS CIVILE

SPARSIM CONTENTARUM EXERCITATIONUM

LIBELLUS.

EJUSDEM.

PRAETERMISSORUM

LIBELLUS.

CLARISSIMO AC REVERENDISSIMO

D. P. DONATO A CAESIS,

EPISCOPO NARNIENSI DIGNISSIMO

CONSTANTIUS LANDUS, *Comes Placentinus. S.*

EA inter nos fuit Amicitiae converſatio, Antiſtes optime, cum una in ſtudiis legalibus ſub D. Andreae Alciati praeclariſſ. Juriſconſulti vexillo militaremus: ut utriusque noſtrum nos poeniterèt unquam talem ambos ſortitos fuiſſe fraternitatem. Si quidem cum ego recte perpenſo judicio interius perſcrutatus eſſem: quantum ad te pertineret non poenitendam ſocietatem me contraxiſſe certo ſciebam, an tu vero quantum ad me intererat parem eſſes nactus, tuaque praeſtantia, & ſingulari virtute dignam, non audebam, nec audeo dicere, ſed nec in animo excogitare. Mehercule illud non reticeam, me ſummo in Te amore propenſum ſemper fuiſſe: ut nunquam tui (dum mei memor ero) ſim obliturus. Sed ſatis ac ſuper confidebam (utinam & in caeteris) amicitiam noſtram non minus amori tuo erga me, quam tuum amorem Amicitiae noſtrae erga te reſpondere poſſe. Hinc factum eſt, ut in praeſentia me quatuor impulerint ad dedicandum has meas Tibi lucubrationes. In primis humanitas tua ſingularis, qua uti in omneis ſoles, probitasque tua nunquam ſatis laudata. His acceſſit & dignitas epiſcopatus, propter quam ancipites hominum mentes relinquis, an per Te illa magis ſit illuſtrata: dum gravem, ſanctum, ſeverum, inviolabilem, incorruptum, irreprehenſibilem Te in ea virum praeſers, an vero tu ab ea ſplendorem, gratiam, authoritatem ſis conſecutus. Illud & poſtremo movit me: nempe ut rationem ſtudiorum meorum aliquam Tibi, ut Amico optimo, poſt abſentiam noſtram oſtenderem & redderem. Accipe itaque, Praeſul Reverende, haste meas quales quales elaboratas in Jus Civile vigiliolas humano vultu: quas ideo & nomini tuo nuncupavimus, ut ſcilicet, propter ejusdem tui nominis celebritatem, lux illis clarior, conſpicuaque laus aliquatenus accederet: utque venenatos vitilitigatorum morſus removeret, ſi aliquid more canum in nos oblatrare id hominum genus vellet. Cujus, ut illud Catulli Poetae imprecor, Lingua avido ſit data vulturio! *Interim tuae erunt partes, Auguſtiſſime Praeſul, libelli noſtri patrocinium ſuſcipere, & tanquam Ajax ille Homericus me periclitantem ſub clypeo tuo protegere. Quod ſi effeceris, hasque lucubrationes Adoleſcentiae noſtrae ſpecimen probaveris, mihi, ſi aliunde provenerit commoditas, alacriorem ad caetera proſequenda animum feceris. Vale.*

PLACENTIAE XII. *Cal. Julii.* M. D. XLIX.

ALFONSUS MAYANTHUS
CONSTANTIO LANDO,
ILLUSTRI COMITI PLACENTINO.

QUI recondita ſenſa juris, & qui
Atras concupit explicare leges,
Hos legat lepidos duos libellos,
Levi pumice quos modo polivit,
Luſtra cum quaſi quatuor videret,
Landus ſtemmate clarus, & Minerva:
Cui favent Charites; novem ſorores
Ornant cui variis caput corollis.
Docte hi diſcutiunt malas tenebras,
Juris abdita ſenſaque ad nitorem
Antiquum revocant ſuo lepore.
Feliciſſime ter quaterque *Lande*,
In te nil tetricum, trium ſororum
Vigent ſtamina, dura lexque fati.

LILIUS GREGORIUS GIRALDUS,
Ferrarienſis,
CONSTANTIO LANDO,
COMITI PLACENTINO.

HAEC ſunt ſtemmata, Laureae, Tropaea;
Hae virtutis adoreae; hi Triumphi;
Quae de Barbarica refers Paleſtra,
Vix lanugine veſtiente malas,
Dum legesque, ſacrumque jus repurgas,
Illuſtrans tenebras tua lucerna,
Et reddis proprio ſuo nitori!
Ergo unus decoris referre Lande,
Plusquam mille domum mihi videris;
Quod ſi Dei dederint dies ſenectae,
Fies par ducibus Cato Alciato &.

Ἀντιμάχου.

Εἰς τοὺς ἐντυχόντας ἀναγνώστας.

Ἐνθάδε πυκνὰ βλέψεις, αὐτὰρ πάνυ χρήσιμα γράψει
Ἅττα καὶ σώφρων, ἔντε νόμοισι σοφός.
Ὅσγ᾽ ἐπόνησε πόνοι τούτων Κωνστάντιος ἥρως
Λανδὸς ἀριζήλων ὄρπος ἐὼν προγόνων.
Τοῖς ἐνὶ πολλὰ λύει μάλα δύσκολα, μυστάτε γρίφων
Ἀ᾽ οὐδὲν οἰδιπόδου δευομένων τὰ πάλαι
Ἀλλὰ νέφος ζοφερὸν νῦν αὐτὸς τῆλε σοβήσας
Ἠελίου δῆλον πᾶσιν ἔθηκε φάος.

DE CONSTANTIO LANDO, COMITE,
BARTH. BORSANI
CARMEN.

HUC huc ex biferis novem ſorores
Hortis, & Charites vocate veſtras
Illuſtrem viridi ſimul Poëtam
Lauro cingite, quem ſonantiores
Nuper copia ſandi: honosque clarus
Traxit ad numeros, Apollo ſancte,
Delphon, Cecropias Minerva Magni
Jovis filia, quas tueris, Arces
Tuque pulchra Venus Gnidon: Paphonque
Colles Delia Cynthios relinque
Omnes; nam decet, huc adeſte, veſtro
Huic numine plaudite: & favete.

CON-

CONSTANTII LANDI,

Caſelarum Padi Comitis, Patriciique Placentini,

Ad Titulum Pandectarum Juris Enucleati,

DE JUSTITIA ET JURE,

ENARRATIONUM LIBELLUS.

CAPUT I.

Juſtinianum Caeſarem vetuiſſe commentarios in Jus Civile noſtrum ſcribi; Azonemque primum legem contempſiſſe Votumque eſſe noſtrum, ut aliquando CAROLUS V. CAESAR poſt bellicos ſudores, tot ſcripturientium Commentarios reſecet, & juri civili aequum modum imponat; & qui animus noſter in his ſtudiis civilibus fuerit.

EXtant in Pandectarum auſpiciis duae Juſtiniani ſacratiſſimi principis Conſtitutiones; quarum altera ad Tribonianum virum eminentiſſimum ſcripta eſt, *De libris veterum Juriſconſultorum in quinquaginta digerendis*: altera, quae Senatui, omnibusque populis inſcripta, *De librorum legalium partitione* loquitur. Quae quidem conſtitutiones in illa Juſtiniani Codicis, quae eſt *De vetere jure enucleando l. 1. & 2. C. de vet. jur. enucl.* particula inſertae ſunt. Vetuit igitur in illis duabus conſtitutionibus Juſtinianus: Ne quis juriſperitus in futurum legibus commentarios applicare auderet: Ne juriſprudentia per contrarias interpretantium ſententias, quae magis legum perverſiones ſunt, conturbaretur: & Ne ex nimia verboſitate dilucidatum jus in quinquaginta librorum compendium confunderetur. His Juſtiniani Imperatoris maximi, principisque religioſiſſimi mandatis parere noluerunt poſteriores: etſi per ſeptingentos annos obſervata fuerint poſt Juſtinianum, quod magnus ALCIATUS meminit *lib. Parerg. 9. cap. 16.* Illi enim aemulari id voluerunt, quod olim fecerat Octavianus Auguſtus in Virgiliana *AEneide*: ut ſcilicet cum totius orbis principe (quaſi hoc illis homunculis idem permitteretur) verſus illos intonarent:

Frangatur legum potius veneranda poteſtas,
Quam tot congeſtos noctesque, diesque labores
Hauſerit una dies!

Sed nec forte legerant nimium elati homines, vel potius eorum memoria exciderat id, quod tantopere ab eodem Juſtiniano monemur, & repetitur, *l. 2. §. 21. verſ. Si quid vero. C. eod.* ut ſcilicet, *ſi quid ambiguum viſum fuerit, hoc ad imperiale culmen per judices referatur, & ex auctoritate Auguſta manifeſtetur: cui ſoli leges condere, & interpretari conceſſum eſt, l. ſi imperialis 12. §. 1. verſ. Si enim. C. de legibus & conſtit.* Primus omnium Azo contemſiſſe videtur Juſtiniani edictum: nam non κατάτιτλα, id eſt, ſummaria per titulos, quae utique ſcribi permittuntur, compoſuit, *d. l. 2. §. hoc autem 21.* ſed plurimas leges eſt interpretatus, & in Digeſtorum & Codicis libros. Hujus exemplo ſubnixi, qui ſubſecuti ſunt, Accurſius, Bartholus, Baldus, Albericus, Caſtrenſis, Alexander, Jaſon, multique alii innumerabiles adeo variis opinionum ſimplegadibus juri tenebras offuderunt (*ipſo nomina pene timenda ſono*) ut recte illa Juſtiniani verba recitari hoc loco poſſint Hoc idem noſtris temporibus eſſe factum, quod in antiquis edicti perpetui commentatoribus, qui opus moderate confectum huc, atque illuc in diverſas ſententias producentes, in infinitum detraxerunt: ut pene omnem Romanam ſanctionem eſſe confuſam cernas, adeoque confuſam, & diſtortam, ut in infinitum extendatur: ut nullius humanae naturae capacitate concludatur: ex quo efficitur, ut plerumque viros tenuiores, ſummo tamen ingenio a natura praeditos, multitudo librorum, qui eorum maximum ſit pretium, ad legalem ſapientiam adipiſcendam avertat: cum Juſtinianus voluerit poſſe homines, non mole divitiarum ſupervacuae legum multitudinis adipiſci volumina: ſed ut, per viliſſimam pecuniam, facilis eorum comparatio pateret, tam ditioribus, quam tenuioribus: utque minimo pretio magna prudentia comparari poſſet. Namque *multitudine ac varietate rerum oneratus animus juvenum, aut ſtudiorum deſertorem efficit, aut cum magno labore, ſaepe etiam cum diffidentia (quae plerunque juvenes avertit) ſerius ad id ſtudium perducitur, ad quod levi, ac ſimplici via perduci potuiſſet, § his igitur 2. Inſtit. de juſtit. & jure*, & praeſtat, *pauca idonee effingere, quam multis inutilibus homines praegravari, l. 2. §. ſed etſi 16. C. de vet. jur. enucl.* Sed aliquando faxit Deus immortalis, ut Invictiſſimo CAROLO V. CAESARI in mentem veniat: ut poſt tot bellicos ſudores; ut, poſt innumeras provincias imperio ſuo additas; ut poſt omnes hoſtes ſuperatos; ut tandem, poſt univerſum orbem devictum, legali ſapientiae aequum modum imponat, juſtitiaeque Romanae templum validioribus fundamentis aedificet: ne paulatim injuſtis oneribus innumerabilium interpretum depreſſum concidat, corruatque: & ne priſtinum Romanae majeſtatis ſplendorem amittat: utque tot reſectis demum ſcripturientium commentariis, tam juris religioſiſſimus princeps, quam devictis gentibus triumphator magnificus exiſtat. Verum accedet forte huc aliquis male feriatus, qui auſit me in umbratili pugna provocare. Quod cum alios, qui commentarios faciant, reprehendam, ego vero in eodem errore permanſerim. Sed hi ſciant velim, me non commentarios, non interpretationes in jus facere; ſed nec de jure diſſerere, ut ſuperiore aetate maximo cum opprobrio, & dedecore totius Romani nominis & ſplendoris, factitatum eſt. Porro ea duntaxat loca, quae ad humaniora ſtudia pertinerent, quaeque amoenioribus literis conjungerentur, mihique ſe ultro offerrent, explicare. Nam is animus ſemper fuit meus: ut non illas tetricas, ſalebroſasque juris quaeſtiones ſequerer, quas interpretes legum ambagibus ſuis obſcuriores fecerunt: ſed ea tantummodo libuit attingere, ſtudioque meo ſectari, quae illi veteres, ac ſapientiſſimi Juriſconſulti ſcripta reliquerunt. Exiſtimavi enim non tam audacter ab ea ſtudendi methodo, quam inclytus Juſtinianus docuerat,

rat, recedendum: & ſi quidem non veram, ac inſinceram indocti, inculti que leguleji, & tanquam abortivam rejecerint. Verum hos jam relinquamus pertinaciter in errore ſuo perſiſtere, qui & jura vendunt, &, ut ait ille *l. qui tabulam* 8. *ff. ad L. Jul. pecul.* & Virgil. *lib. Æneid.* 6. leges nummario pretio figunt, & refigunt, falſam non veram philoſophiam adfectantes. Nos noſtra qualitercumque ſint placituta feliciter ſequamur.

CAPUT II.

Quaedam vocabula in inſcriptionibus Juſtiniani emendata per Alciatum: & in illa dictione Flavius *recepta Accurſii ſententia, non tamen prorſus Alciati ſpreta. Defenſus Accurſius in verbo* Auguſtus *contra Nicolaum Perottum: & cur Placentia aliquando ſit appellata Auguſta: & de obeliſco Caeſaris Julii.*

JUſtinianus *hoc titulo* ſe inſcribere ſolebat *: *Imperator, Caeſar, Flavius, Juſtinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Atticus, Africanus, Vandalicus, &c. ſemper Auguſtus.* Quo quidem titulo conſtat maximum fuiſſe Imperatorem: ut merito ob devictas tot gentes pluribus nominibus inſigniri meruerit: illudque Ovidianum Carmen de ipſo dici poſſit, quod de Germanico ille ſcripſit *lib.* 1. *Faſtorum v.* 599.

Si petat a victis tot ſumet nomina Caeſar,
Quot numero gentes maximus orbis habet.

Sed notandum eo titulo bis ineſſe mendam, quam admonuit Andreas Alciatus Praeſtantiſſimus, *lib. Parerg.* 5. *cap.* 3. Nam non *Flavius*, ſed *Slavius* legendum putat: a Slavis nempe barbaris populis devictis (ut ait ille) veriſimile eſt fuiſſe Baſternas. Nihilominus ego *Flavium* legendum, ſicque primam lectionem, & vulgatam admitti poſſe (venia viri tanti) arbitror, eo nempe argumento, quod in antiquis Codicibus ita ſcriptum repetitur, quodque idem cognomen multi veteres habuerint: ut Flavius Vegetius Renatus, qui *libros de re militari quatuor* ad Valentinianum Auguſtum ſcripſit, ut Veſpaſianus Auguſtus, qui authore Tranquillo Suetonio ex gente Flavia, obſcura illa quidem, ac ſine ullis majorum imaginibus, oriundus fuit. Hinc & Conſtantinus Magnus Flavius appellatus eſt. Quapropter non male Accurſius expoſuit Flavius, quia eſſet de familia Flaviorum, vel quia deviciſſet Flavios: utraque tamen ſententia, Accurſii & Alciati, accipi poteſt, illa ſimplex & pura, haec magis ingenioſa & veriſimilis perſtat. Idem Alciatus *eodem loco* mavult legi Francus quam Francicus, & Africus quam Africanus; Vandalus quam Vandalicus; Anticus quam Atticus ab Antis populis, Hiſtri fluminis accolis, Sclavinis populis congeneribus, quos Juſtinianus per Childibium ducem repulit, cum in Romanas provincias incurrerent, & ad internecionem delevit, ideo ab eis devictis ſibi nomen aſſumpſit †. Hi Antae inſtitutis & moribus, non videntur multum diverſi ab iis, quos nunc Cingalos vocamus. Nam Antae a veteribus vocati ſont Spori quaſi ſparſim, & vulgo errantes. SEMPER AUGUSTUS. Octavianus Caeſar hoc ſibi primus cognomen Auguſti vendicavit ſententia Munatii Planci, ut tradit Suetonius Tranquillus *in ejus vita cap.* 7. *Non at cum novo, ſed etiam ampliore cognomine Auguſtus vocaretur, cum loca quoque religioſa, & in quibus augurato quid conſecratur Auguſta dicantur ab aucta vel ab geſta, guſtuve, ſicut etiam docet Ennius ſic ſcribens.*

Auguſto augurio poſtquam inclyta condita Roma eſt.

Ovidius etiam in *Faſtis libro* 1. idem ſentit his carminibus, *v.* 609.

Sacra vocant Auguſta patres: Auguſta vocantur
Templa, ſacerdotum rite dicata manu.
Hujus & augurium dependet origine verbi
Et quodcunque ſua Juppiter auget ope.
Augeat imperium noſtri ducis: augeat annos:
Protegat & noſtras quercus coronas fores.

Accurſius, illud verbum *Auguſti* declarans, exponit, Auguſtus, quia hujus debet eſſe propoſiti, & ejus intentionis quilibet Imperator, ut imperium ſuum augeat, non autem minuat, licet non ſemper augeat: ſicut patet in definitione matrimonii, §. 1. *Inſtit. de patria pot.* & juſtitiae, *princ. Inſtit. de juſt. & jur.* Hinc orta eſt inter interpretes contentio, de donatione Imperatoris Conſtantini facta divo Sylveſtro Pontifici Romano, an ille potuerit donare, & an hujusmodi donatio valeat ſecundum leges. Qua de re Juriſconſultorum eloquentiſſimus Alciatus *lib. Parerg.* 7. *cap.* 19. eleganter & ſubtiliter, adverſus Laurentium Vallam, diſputat, cum nunquam hanc donationem factam declamaſſet, ſed falſam & commentitiam aſſereret, & ab aliquo imperito confictam. De ea porro donatione ipſius Conſtantini fit mentio in Decretis Canonicis, *Diſt.* 96. *cap. Conſtuatinus* 14.

SEMPER AUGUSTUS. Cum Accurſius loco ſupraſcripto (ut dixi) exponeret, quid ſibi haec dictio *Auguſtus* vellet, inſurrexit adverſus illam expoſitionem Accurſii noſtri Nicolaus Perottus & alii quidam addititi Gloſſatores; nec illis arriſit, quod ab augendo Auguſtum deductum eſſe Accurſius interpretaretur. Cum etiam expoſitio Accurſii (ni fallor) accipi poſſit. Nam cum Suetonius, ut ſupra notavi, *loca religioſa auguſta* vocari dixiſſet, ab auctu deduci expoſuit: hoc eſt, quod augerentur caeremoniis & donariis, intelligi voluit, quod & Ovidius videtur innuere in illis duobus verſibus, a me ſuperius citatis, videlicet:

Et quodcunque ſua Juppiter auget ope.
Augeat imperium noſtri ducis: augeat annos.

Huic meae opinioni adſtipulatur Egeſippus ‡, qui ſic ſcribit in *lib.* 5. *belli Judaici.* *Auguſtum apud Romanos nomen imperii eſt, quod augeat ſuos: non quod alienos opprimat.* Hic poſtquam locuti ſumus de hoc cognomine Auguſti, me rapit amor patriae, ut de ea aliquid dicam. Nam olim Placentia aliquando Auguſta appellata fuit ab Auguſto quodam fonte, qui etiamnum extra muros civitatis alluit, corrupto hunc vocabulo Fudeſtam vocitant, ſicque dicta fuit civitas noſtra, quod ille ſons non multum diſtaret a templo, quod Minervae olim a Treveris Galliae populis dicatum fuiſſet apud Oppidum Trevianum, quodque ſacer fuiſſet fons ille, propterea quod emanaret ab eo ſaluberrimus quidam liquor, qui variis hominum morbis mederetur. Extat etiamnum (ut illud obiter narrem) Romae memorabilis ille obeliſcus Auguſti Caeſaris in Vaticano, qui cernitur ad Baſilicam divi Petri in ſiniſtro latere, dum aditur templum, his literis inſculptus ac exornatus:

DIVO. CAESARI. DIVI. IVLII. F. AVGVSTO
TI. CAESARI. DIVI. AVGVSTI. F. AVGVSTO SACRUM.

In alia etiam parte ejuſdem obeliſci eaedem literae leguntur; obeliſcus autem a duabus aeneis pilis, ut conjicere potui, ſuſtinetur. Sunt, qui etiam putent eundem obeliſcum tantumdem in terram defixum eſſe, quantum ſupra terram emineat, quod non temere auſim affirmare, etiamſi eum obeliſcum, cum Romae agerem 1545. pluries obmiratus ſim.

CAPUT. III.

In omnibus ſtudiis Inſtitutiones ſibi primum locum vendicare; & cur juvenes olim novi Juſtiniani vocarentur; quaeque ſit differentia inter Inſtitutiones *&* Inſtituta *declaratum, quae non ſat recte a noſtris Doctoribus citantur.*

Cum

* Diaconus *in libro regum Langobardorum.* † Eguinarius Baro Juriſconſ. *in proemio Inſtit. ſuarum.*

‡ Et Eutropius *in libro belli vandalici.*

CUm Juſtinianus, poſt perfectam Digeſtorum ſeu Pandectarum, & Inſtitutionum conſummationem, omniumque librorum, qui ad jus pertinent, reformationem, aliquam methodum legalis ſcientiae ſtudioſis tradi vellet, primum in omnibus ſtudiis Inſtitutiones ſibi locum vendicare admonuit, utpote cujuscunque ſcientiae prima rudimenta, & incunabula veſtigia tradentes: ibi juſſit etiam, ut hi, qui ad legitimae ſcientiae capeſſenda ſtudia adhuc rudes adſpirarent, primo anno quatuor Inſtitutionum libros haurirent, eosque auditores Imperatorio nomine nempe Juſtinianeos novos nuncupari voluit, ut ſcilicet legentibus primum volumen, quod authore Imperatore emanaverat, clariſſimum cognomen mererentur. Inſtitutiones igitur, quas dixerat Juſtinianus primum locum obtinere in ſtudiis, accipi oportet pro principiis, & animadvertendum eſt, ne in communem errorem incidamus, qui paſſim ſcatet, ne cum volumus aliquid ex Inſtitutionum libris allegare, Inſtituta dicamus, cum conſtet, apud authores Latinos non modicam inter *Inſtitutiones* & *Inſtituta* eſſe differentiam. Author eſt Cornelius Fronto, *Inſtitutiones*, praeceptiones, ſeu introductiones quarumlibet artium dici, *Inſtituta* vero decreta ſeu edicta, licet Valerius Probus Grammaticus probatiſſimus obſervationes ſuas *Inſtituta* artium inſcripſerit. Apud Valerium Maximum *Inſtituta* ſunt boni mores, conſilio & ratione ſumpti. Apud Plinium pro principiis ſumuntur, hoc eſt, rerum principiis & naturae inſtitutis. *Inſtitutiones* etiam ſunt praecepta, quibus homines inſtituuntur atque docentur. *Inſtitutio* eſt actio ipſa, id eſt, inſtructio. Fabius Quintilianus opus ſuum *Inſtitutiones Oratorias*, hoc eſt, praecepta artis oratoriae inſcripſit, etſi me non lateat in Pandectis Graecis ſic legi, τὰ ἰνστιτοῦτα ἐγράψατο, & Martianum JCtum xvi. libros Inſtitutorum conſcripſiſſe, & Ulpianum duos Inſtitutorum, Paulum quoque duos Inſtitutorum. Sed haec jam Grammaticis relinquamus, quos in hac re ſequi magis nos oporteat.

CAPUT IV.

Quid ſit Edictum perpetuum, de quo ſaepe in jure noſtro fit mentio; & inibi Aſconii & Gellii citatis locis de eodem.

IN Epiſtola Juſtiniani ad Theophilum & Dorotheum, caeterosque viros juris compoſitores, leguntur haec verba: *Et primo quidem anno hoc opus tradebatur legentibus, non ſecundum Edicti perpetui ordinem, &c.* Quandoque dubitavi, quid ſibi vellent illa verba, *Edicti perpetui*, quorum etiam mentio fit apud Hermogenianum Juriſconſultum, *l. cum igitur 2. D. de ſtatu. hom.* & in Codice Juſtiniani *l. 2. C. de vet. jur. enuc. & l. edita actio 3. C de edendo.* Aſt audiamus Aſconium Pedianum, Ciceronis interpretem, & *in oratione pro Cornelio*, & deinde ſciemus, quid ſit Edictum perpetuum. Ejus haec ſunt verba: *Aliam deinde legem Cornelius, etſi nemo repugnare auſus eſt, multis tamen invitis tulit, ut Praetores ex Edictis ſuis perpetuis jus dicerent, quae res gratiam ambitioſis Praetoribus, qui varie jus dicere ſolebant, ſuſtulit.* Erat igitur *perpetuum Edictum* immutabilis lex, quae per ſucceſſionem praetorum annuam mutari non poterat. Annua enim olim apud Romanos fuiſſe praetorum edicta conſtat. Lucius Cornelius, cum ob varia ambitioſorum praetorum edicta res male agi perſpexiſſet, legem ſancivit, ne praetores varie amplius jus dicerent, ſed per ea edicta, quae per ſuperiores praetores edita fuiſſent, jus dicerent, eaque obſervarent in perpetuum. Hinc igitur emanavit edictum perpetuum praetorium, quod multo poſt tempore, imperante Hadriano principe, Salvius Julianus juriſperitiſſimus (ut eſt author Eutropius *lib.* 8.) in unum collegit, & collecta in ordinem per titulos interpretatus eſt. De Salvio & Hadriano in Codice Juſtiniani fit mentio, *l. 2. §. ſed quia divinae 18. C. de vet. jur. enucl.* Apud Aulum quoque Gellium de Edicto perpetuo haec ſunt verba, *lib. Noct. Attic. 10. cap. 15.* *Verba* (inquit) *Praetoris ex Edicto perpetuo de flamine Diali, & de ſacerdote Veſtae adſcripſi.* Hunc locum non me praeterit, virum illum, omnium hujus aetatis Juriſconſultorum principem, Andream Alciatum eleganter & divinitus, ut omnia ſolet, declaraviſſe, *lib. Diſpunct. 3. cap. 27.* Cagnola *in rubric. D. de reg. jur.* & Gulielmum Budaeum, virum eruditiſſimum, in ſuis annotationibus docte annotaſſe. Sed cum tantorum virorum volumina nondum perlegiſſem, & Aſconium ad manus haberem, tum lectione conjectura ductus intellexi, quid ſibi illa verba vellent, marginibusque meorum Codicum adſcripſi, ut etiam pene omnia, quae in hoc uno libello ſum dicturus, ſi quidem (ut opinor) non penitus inutilia. Scripſerunt multi multa, hac noſtra aetate, pertinentia ad leges, non tamen omnia: reliquerunt etiam nobis aliqua, more veterum agricolarum, qui poſt ſegetes demeſſas etiam aliquot ſpicas relinquebant, non ut ſibi tantum, ſed etiam pauperioribus victum praeberent, *Levitici cap. 19. v. 9. & cap. 23. v. 22.* juxta illud adagium: *Homo non tantum ſibi, ſed caeteris quoque nascitur, l. 1. §. & generaliter 15. D. de vent. in poſſeſ. mittend.*

CAPUT V.

Neque principium neque finem ullum in jure noſtro hodie reperiri, cum Juſtinianus tamen dixerit a ſe inventum, nec caeteras artes, quae ad jus noſtrum pertinent, eſſe viles; & quaedam in laudem legum.

VErba ſunt haec *in prooemio Digeſtorum* & quod pene in nulla alia arte evenit, cum etſi viliſſimae omnes, infinitae tamen ſint (*In prooemio. Inſtit. §. cumque 3. verſ. Ut & initium: in prooemio D. § 5. verſ. Quibus ſi bene*) *Haec ſola ſcientia finem habeat mirabilem praeſenti tempore a nobis ortum.* Cum haec verba legerem valde ſum admiratus, potuiſſe Juſtinianum reperire finem legibus, cum res infinita ſit juris civilis ſcientia, *l. 2. § ſed quia divinae 18. C. de vet. jur. enucl.* cum variis hominum opinionibus conſtet, & ſi per ſe ſtare oporteat, cum *ſit humanarum divinarumque rerum, juſti atque injuſti ſcientia*, ut ait Ulpianus, *l. juſtitia. 10. in fin. D. de juſtit. & jur.*

Nec ego quidem hoc loco cum Juſtiniano ſum diſputaturus, eumque interrogaturus, ubi ſit iſte finis, quem dicit eſſe a ſe inventum in jure mirabilem. Hoc tantummodo dicturus, me neſcire in jure ullum finem reperire: nec principium hoc praecipue tempore, in quo plusquam mille interpretum deliramenta leges confuderunt, foedarunt, conſpurcarunt. Memini equidem Neratium Priſcum Juriſconſultum, quem Trajanum Imperatorem magnopere amaſſe ferunt, libro Membranarum 5. ſcriptum reliquiſſe, *l. in omni parte 2. D. de jur. & fact. ignor. jus finitum eſſe poſſe, & debere, cum factum plerumque etiam prudentiſſimos fallat.* Quod vero appellat caeteras ſcientias, & artes viliſſimas, & infinitas, hoc an probem ſubſiſto. Illud tamen non inficior, nullam excellentiorem ac praeclariorem artem eſſe, quam juriſprudentiam, cujus authoritate recte res publicae gubernantur, & omnes iniquitates expelluntur, & denique univerſus orbis ſtare creditur: caeteras artes vero non omnes viliſſimas eſſe: cum *juriſprudentia* (ut definit Ulpianus *d. l. juſtitia 10. D. eod.*) *ſit divinarum & humanarum rerum notitia.* Si conſtet igitur ex divinis & humanis rebus tanta prudentia, multaque ſit neceſſe Juriſperitum ſcire, & pene omnia; quia variae hominum actiones varios pariunt caſus. Quomodo erunt viliſſimae; ſi ad legalem ſpectent ſapientiam, imo eam perfectam faciant? nempe

pe ſi viles ſint, ab ea illuſtrabuntur; ſed quomodo illuſtrabuntur? ſi illa ipſa non ſit juriſprudentia, quae non conſtet ex divinis & humanis rebus; ſi igitur artes caeterae viliſſimae ſunt, ipſa juriſprudentia viliſſima eſſet, eo quod ex viliſſimis conſtaret; quod neutiquam dicendum eſt: cum ſit donum & inventum deorum: cum *ſit regina omnium rerum divinarum & humanarum*, *l. 2. D. de legib. & ſenatuſconſ.* Igitur caeterae artes non erunt viles, quia juriſprudentia ex illis conſtet. Non mirum, ſi majores noſtri collectos a Juriſconſultis legum libros *πανδέκτας* appellavere, in quibus omnis omnium rerum peritia contineretur. Nullo enim nobiliore aut lautiore nomine legales illi libri, quam inſcripti ſunt, inſigniri poterant. Sed quis mihi reſpondeat, quomodo ſciet Juriſconſultus de fontibus, de aqua haurienda, de rivis reſpondere? niſi Vitruvii, *Architectonicam*, legerit. Quomodo in AEdilitio edicto? ubi de multis corporum vitiis fit mentio, niſi aliquid medicinae deliberaverit? Quomodo mores? niſi in Poëtarum voluminibus & hiſtoriis ſit mediocriter verſatus. Quomodo de divinis? de aequitate? niſi in literis Theologicis aliquod tempus impenderit. Eſt enim, ut mihi videtur, Theologia ceu quoddam ſeminarium juris noſtri, ac veluti fons & origo, ex quo veluti ex Oceano quodam omnes leges, cunctaque inſtituta humana promanarunt, & ſcaturierunt. Si quis leges, a Deo Moyſi datas, & ab Moyſe Hebraeis promulgatas legerit; proh dii immortales, quam conſentanea jura divina humanis juribus eſſe didicerit! nihilque a noſtris ſapientiſſimis Juriſconſultis conſtitutum, quod non a jure divino prius acceperint! mehercule (ut libere dicam quod ſentio) nullus ad ſtudia haec legalia manus porrigere deberet, qui non ante quinque Moyſis libros perlegiſſet: ſunt enim illi divini libri tanquam legum fontes, & veluti quidam elices, e quibus omnia jura noſtra eliciuntur & cooriuntur. Sed de his ſatis plusquam animo conceperam: ad alia progrediamur!

CAPUT VI.

De alearum ludis, a Juſtiniano vetitis, & usque ad quam ſummam liceat ludere; & an quod amittitur in ludo poſſit repeti; quique uſum alearum primus reperit, addita in fine hiſtoria, quae declarat, quam periculoſa res ſit alea, & quam infelicem exitum ſaepe ſortiatur.

IN *eodem proemio §. 9.* cujus ſupra mentionem feci, prohibuit Juſtinianus maxima cum interminatione his, qui legitima ſtudia peragunt, hisque, qui rudes ad recitationem legum veniunt, * ludos exercere, tanquam indignos, peſſimos & ſerviles, & quorum pro majori parte effectus injuriae ſunt: *A viliſſimis enim ſaepiſſime hominibus quod graviter ferendum corporales injurias perferant, cum vitam ſuam multis periculis exponunt. Auth. Habita C. ne fili. pro patr.* Et recte quidem providit Imperator, ne Scholaſtici & tempus in re ſimili, & ſervili ſimul & pecunias maximo cum dedecore, & damno contererent, ne & ſtudia ſimul earum contemnerent. Nam multos ſaepiſſime a ſtudiis legum alearum uſus avocavit, cum noctu diuque in eo ſtuduiſſe nimiamque operam locaſſe ſit compertum. Plures etiam, dum nocte dieque plusquam oporteat ludunt, omnia bona ſua, pecunias, agros, apparatus amiſerunt. Non mirum, ſi apud veteres Juriſconſultos id genus ludi damnatum fuerit. Siquidem extat titulus in Pandectis, *de aleatoribus*, ubi vetat Praetor (ut exponit Ulpianus *l. 1. §. ait D. de aleat.*) ne quis aliquem ludere compellat, & ſi compellat, multa multetur, aut in latumias ſeu vincula publica detur. *Solent enim quidam* (ut ait Paulus *l. Solent 2. D. eod.*) *ad luſum cogere, dum victi victorem retinere volunt.* Quodam Senatusconſulto nihilominus decretum eſt, ut virtutis tantummodo cauſa (ſi qui ludere cupiant) in pecuniam ludant, aliter non permittitur in pecuniam ludere. Permiſit etiam Juſtinianus *l. alearum 3. C. de aleat.* recreandi animi gratia quinque quibusdam ludis poſſe ludere usque ad unum ſolidum, ſeu aureum †. Ludi vero hi ſunt, Comonbelon, Comondiaulomelon, Rhindaca, Kayron, & Ecperuſan, de quibus meminit eloquentiſſimus Alciatus, *libro praetermiſſ. 2. in verb. Luſum aleae.* quos & ſubtiliſſime exponit, licet dicat ibi ſe nihil decernere, quia locus ille ſit ſalebroſiſſimus. Ego quandoque putavi, eos ludos, quos ibi connumerat Juſtinianus, fuiſſe eos, quos apud Simonidem Poëtam Graecum refert Gulielmus Philander, Vitruvii interpres doctiſſimus; ſed facillime ab hac opinione ſtatim diſceſſi, poſtquam Alciati locum legi, quem (non credo) verſus Simonideos latuiſſe, cum in literis Graecis ſit abunde verſatus. Indixit etiam Innocentius ejus nominis Pontifex tertius clericis, *cap. clerici 15. de vi. & ho. cler. & cap. 41. in canonibus Apoſtolorum.* non tantum aleas & taxillos, ſed ne intereſſent ludis, ex quo, qui aleator eſt, repellitur a promotione, *cap. inter dilectos 11. de excaſ. praelat.* Quod intereſſe ludis clerici non poſſent, nec eorum inſpectores eſſe, vetuit Juſtinianus *Auth. de ſanct. epiſc. cap. interdicimus 19. Coll. 9.* eosque tribus annis a ſacratiſſimo miniſterio arceri juſſit. Sed hinc oriri poſſet quaeſtio, nunquid poſſit repeti, quod perditur in alea. Alii dicebant quod non, ſed pauperibus erogandam pecuniam illam, *Arg. cau. 14. q. 5. cap. Non ſane 15.* Alii dicebant contra, & melius, quod poſſit repeti, quia apud Paulum Juriſconſultum legitur, *l. fin. D. de aleat.* Si ſervus vel filiusfamilias amiſerit pecuniam, patri vel domino dari repetitionem, etiam usque ad quinquaginta annos, *d. conſt. alearum 3. & l. ſicut 3. C. de praeſcr. xxx. ann.* ſed & ſi quis exiſtens in alea rem ſuam vendiderit, de evictione non tenebitur, *l. 2. §. 1. D. quarum rer. actio non datur & d. conſt. alearum 3.* ubi ſervandum omne, quod ibi dicitur & Alciat. *lib. Parerg. 8. cap. 16.* Poſtquam hoc loco de aleis fit mentio, aliqua ex humanioribus libris referamus, ut manifeſtior & patentior fiat verborum legalium abſconditus theſaurus, & ut aliquibus Floſculorum ornamentis decoretur haec juris civilis prudentia, tantopere a Gothis interpretibus obſcurata. Sciendum igitur, alearum uſum rem antiquam eſſe, excogitatam a Lydis, Aſiae populis, relaxandi animi gratia inventam, Herodoto teſte *libro 1.* licet a Palamede fuiſſe excogitatum apud Trojam Euſtathius author Graecus prodiderit, quod & Plinius meminit *libr. Natural. Hiſtor. 7. cap. 56.* Nonnulli ab AEgyptiis volunt repertum luſorium id genus, quod & refert Caelius Rhodiginus, *libro lection. antiq. 20. cap. 14.* Apud Homerum luſu alearum oblectantur proci, praeterque conjugii Penelopes omen ca-

* *Ludos exercere*] Adde hic quod annotavit Barth. quod ludus eſt crimen, quia textus dicit: Quis enim ludos appellet eos, ex quibus crimina oriuntur? quod valet ad ſtatutum dicens, quod bannitus de crimine poſſit impune offendi & occidi, & cum quidam fores occiſus, quia luſit, nunquid puniatur occidens? Et dicit Bart. quod fuit iſta quaeſtio Piſis ſeu Peruſii tempore Domini Nicolai de Armanis, & quod tandem noluit aſſentire, & quod poſtea doctor Bononienſis breviter dixit, quod per hunc textum talis occidens puniri non debebat, cum immo videatur puniendus aliquo modo. Ludus enim tam periculoſus non debet eſſe impunitus, & ſi hoc non fecit cauſa occidendi, *arg. l. in furti 50. in fin. D. de furt.* ubi loquitur textus de illo, qui oſtenſo panno rubeo fugaverat pecus, ut in fures incideret, unde videtur puniri poſſe hoc argumento, ſtatutum eſt, quod bannitus propter crimen poſſit offendi: quidam puniatur ſuper pro ludo, & ludus eſt crimen, ergo poterit offendi. Bene tamen, quod dicit Bald. *in Rubr. C. de cond. ex. ob turp. cauſ.*

† Aureus vetus, ſi ad noſtram aeſtimationem referatur, ſeptuaginta unum habet, id eſt, nummos ſeſtertios mille, quae ſumma aureos noſtrates quinque & xx. complectitur. *Coel. Calogr.*

capiunt. Rurſus, apud Platonem *in Phaedro*, legimus, quendam Deum fuiſſe, qui Theut ſive Theutates, quem plerique volunt fuiſſe Mercurium, cui dicabatur avis, Ibis . . . Hic omnium princeps talorum, aleaeque luſus reperit ea tempeſtate, qua AEgypti Rex fuerit Thamus, quem nonnulli vocant Ammonem. Sed qualis apud veteres fuerit alearum uſus, & taxillorum, & calculorum, vide apud Alexandrum Neapolitanum *lib. Genialium* 3. *cap.* 21. ibi enim elegantiſſime omnia ad plenum genera commemorat & declarat. Olim putabatur fuiſſe maximum vitium & opprobrium, ſi quis aleis oblectaretur. Unde legimus apud Ulpianum *l. Sciendum* 19. §. 1. *D. de aed. edict.* ſi venditor ſervum aleatorum non eſſe dixerit, id eum, quod dixit, praeſtare oportere. Pomponius ait: *Quod in alea vel adulterio perdiderit ſocius, medio non eſt laturus*, *l. Adeo multo* 59. *ff. pro ſocio.* Hinc & Catullus poeta de homine improbo dixit *Carm.* 29. *v.* 2. *niſi impudicus, & vorax: & aleo*, licet corrupte legatur *Eluo.* Quin & quidam, nomine Cobilon, Lacedaemonius legatus Corinthum miſſus, jungendae ſocietatis cauſa, cum duces ac ſeniores Corinthiorum inveniſſet in alea ludentes, infecto negotio rediit, dicens nolle ſe Spartanorum gloriam hac infamia maculare, ut dicerentur cum aleatoribus ſocietatem contraxiſſe. Aureos taxillos Demetrio Regi in levitatis opprobrium Parthorum Regem quendam miſiſſe in hiſtoriis nonnunquam legimus. Ovidius *lib. Triſtium* 2. etiam hoc genus ludi Auguſto Caeſari objicere videtur, cum inquit *v.* 471.

Sunt aliis ſcriptae, quibus alea luditur, artes:
Haec eſt ad noſtros non leve crimen avos.

Hoc credo vitium exprobraſſe Caeſari Ovidium, quia non modice alea oblectaretur Auguſtus, ut ſcribit Suetonius *in ejus vita cap.* 70. *Notatus eſt* (inquit) *ut pretioſae ſupellectilis: Corynthiorumque praecupidus, & aleae indulgens.* Et paulo poſt *cap.* 71. *Aleae rumorem nullo modo expavit, luſitque ſimpliciter, & palam, oblectamentique cauſa etiam ſenex, ac praeterquam Decembri menſe, aliis quoque feſtis, profeſtiſque diebus.* Et inferius: *Nec id dubium eſt autographa quadam Epiſtola ad Tiberium, Coenavi (ait) mi Tiberi cum iiſdem: acceſſerunt convivae Vinitius, & Silvius pater: inter coenam luſimus γεροντικῶς*, id eſt, ſeniliter, *& heri & hodie; talis enim jactatis, ut quiſque canem, aut ſenionem miſerat in ſingulos talos ſingulos denarios in medium conferebat, quos tollebat univerſos, qui Venerem jecerat.* Et rurſus in alia Epiſtola, ſe oblectatum ludo aleatorio demonſtrans, inquit enim: *Nos, mi Tiberi, Quinquatrus ſatis jucunde egimus: luſimus enim per omnes dies: forumque aleatorium calefecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem geſſit, ad ſummam tamen perdidit non multum, ſed ex magnis detrimentis praeter ſpem paulatim retractus eſt. Ego perdidi viginti millia nummûm meo nomine; ſed cum effuſe in luſu liberalis fuiſſem, ut ſoleo plerumque: nam ſi quas manus remiſi cuique, exegiſſem: aut retinuiſſem, quod cuique donavi, viciſſem vel quinquaginta millia. Sed hoc malo: benignitas enim mea me ad coeleſtem gloriam efferet, &c.* Et alibi [*cap.* 70.] *aliquando, ut vincat, ludit aſſidue aleam.* Domitianus quoque Imperator, ut refert idem Suetonius *in ejus vita c.* 21. *quoties otium eſſet, alea ſe oblectabat.* Etiam pro feſtis diebus matutiniſque horis, aleam (quod ſupra demonſtravimus) legibus Romanorum vetitam, idetiam Horatius quodam carmine oſtendit, dicens [*lib.* 3. *Od.* 24. *v.* 58.]

Seu mavis vetita legibus alea.

Hinc etiam Cicero ſcripſit [*Philipp.* 3. *cap.* 23.] Lenticulum colluſorem Antonii de alea condemnatum fuiſſe. Apud Grammaticos ille dicitur aleam jacere, qui ſe periculis fortunaeque committit. Unde Caeſar Julius, cum dubitaret, an copias ultra Rubiconem trajecturus eſſet, adverſus Pompejum, tandem relicta cunctatione, *Eatur* (inquit) *quo deorum oſtenta, & inimicorum iniquitas vocat. Jacta eſt alea*; quod refert Suetonius in *ipſius Caeſaris vita c.* 32. Hoc loco libet addere hiſtoriam brevem, poſtquam de luſu loquimur, ut admoneam in futurum profeſſores alearum, quam periculoſa ſit res alea, & quam ſaepe infelicem exitum ſecum afferat. Scribit igitur Maximus Valerius *lib. Memorabilium* 9. *cap.* 9. Cum Lartes Tolumnius, Vejentum princeps, forte aleis luderet, in proſperoque jactu per jocum colluſori dixiſſet: Occide, & tum forte ſupervenissent legati Romanorum, pacis conditionem afferentes: tum principis miniſtri adſtantes, errore vocis decepti, exiſtimarunt imperari ſibi, ut legatos occiderent, huncque luſum ad imperium tranſtulerunt. Quamvis non me latet aliter ſenſiſſe hiſtoriae parentem Livium [*lib.* 4. *cap.* 17.] hoc non per errorem, ſed . . udem factum, hocque a Rege fictum, ut ſe purgaret, & ſub ludi ſimulatione clamaſſe: Occide. Caeterum haec de aleis a nobis dicta ſint ſatis; & copioſe ad alia accedamus.

CAPUT VII.

Multum conferre in ſtudiis literarum veteres Codices, & nonnullorum Doctiſſimorum Virorum citata nomina, qui olim & hodie Romanas literas incolumes ſervant.

QUantum prodeſſe ſoleat veterum Codicum lectio iis, qui ſacroſancta legum myſteria tractaturi ſint, nemo eſt, qui non videat; cum praecipue librariorum incuria in manus hominum ſaepiſſime corruptiſſimi libri veniant. Unde factum eſt, ut juris interpretibus, noſtris obortae ſint aliquando denſiſſimae tenebrae, ut, plusquam non oportuiſſet, verboſa & pene inutilia commentaria compoſuerint, cum rem lectam non ſatis intelligerent. Rectius mea quidem ſententia olim Tribonianus vir ille excellentiſſimus fecit, cum in componendis Digeſtorum libris juſſu Juſtiniani omnem curam, omneisque (ut dicitur) nervos adhibere vellet. Antiquae enim ſapientiae librorum copiam ſibi prius comparaſſe dicitur, quam ad tantam molem fabricandam, digerendamque ſe . . ingereret, *l.* 2. §. 17. *verſ. Antiquas. C. de veter. jur.* . . . Animadvertebat ille ſapientiſſimus vir, niſi perlectis vetuſtis Codicibus rem tantam non poſſe ad optimum finem redigi. Quod etiam in humanioribus literis quandoque contigit. Videmus enim pleroſque reſtitutos locos ab eruditis . . bus, olim Gellio, Macrobio, hac aetate Alexandro Neapolitano, Caelio Rhodigino, Crinito, Calcagnino, Egnatio, Gregorio Gyraldo (& quis omneis enumeret?) tum veterum Codicum lectione adjutis, tum antiquorum marmorum inſcriptionibus lectis. Teſtes ſunt etiam Pandectae Florentinae, quae hodie in ea civitate adſervantur; teſtes ſunt Medicei Codices, teſtis & Vaticana bibliotheca. Ex quibus omnibus, & hac aetate, & patrum memoria non infeliciter plures locos reſtituere ſunt conati Viri doctiſſimi P. litianus, Beroaldus, Sabellicus, Budaeus, Alciatus, Zaſius, Haloander, Salomonius, Auguſtinus; ſed ad quid hos commemoro? Cum propediem mihi ſit recentiſſimus teſtis futurus hac in re Vir doctiſſimus Laelius Taurellus Fanenſis, qui, ut audio, Florentinas Pandectas immenſo labore, & acri diligentia etiam ſenex aſſidue legendo verſat, brevi emendatiores nobis Digeſtorum libros daturus. Sed ne quis haec fruſtra me dixiſſe putet, ſciat velim, me tantum admonere voluiſſe Lectorem, ne & in legendis Juriſconſultis & amoenioribus libris craſſa (ut ajunt) Minerva utatur. Sed jam ad expoſitiones Pandectarum veniamus!

CAPUT VIII.

Maxime neceſſarium eſſe juvenibus, ſcire originem juris, & de definitione juris: & quid ſit aequitas; emendatus locus apud Suetonium in Caligula; & quibus modis aequitas in jure noſtro accipiatur.

ULPIANUS LIBRO I. INSTITUTIONUM.

JURI OPERAM DATURUM. Admonet Ulpianus hoc loco juri operam dare volentem in primis oportere ſcire, unde hoc nomen juris originem habeat. Siquidem non penitus illotis (quod ajunt) pedibus ad hanc legalem ſcientiam, & rudes adire debemus, ideo dixit Juriſconſultus: *prius noſſe oportet*, prius noſcat ſubſtantiam juris per diviſiones, quae poſtea dicuntur, §. *hujus ſtudii* 2. Nec obſtare videtur quod ſupra *in prooemio* §. *diſcipuli* 6. dicitur: *oportet* improprie, id eſt, decet, interpretatur hoc loco Accurſius: ſic enim alibi accipitur, *l. cum oportet* 6. *C. de bon. quae lib. l.* 1. §. 1. *verſ. Oportet enim. C. de rapt. virg.* Contra *decet* pro *oportet* nonnunquam ponitur, *l. fin. D. de capt. & poſtlim. red.* Sed melius hoc loco *oportet*, id eſt, neceſſarium eſt, explicatur, nec ſatis Accurſii placet interpretatio, cum maxime ſit neceſſaria cognitio juris. Nam nullus unquam recte operam juri Romano dabit, niſi fontes & principia ejus noverit: nam, ut ait Cicero *lib.* 1. *de legibus cap.* 6. *Conſtituendi juris ab illa ſumma lege capiamus oportet exordium, quae ſeculis omnibus ante nata eſt, quam ſcripta lex ulla, aut quam omnino civitas conſtituta.* Et idem poſtea, *Visne, Quinte, ergo ipſius juris ortum a fonte repetamus?*

UNDE NOMEN JURIS DESCENDAT. Id eſt, unde emanet jus: poterat enim dubitari, unde jus ſuam traheret originem, cum dixerit Iſidorus, *Juſtitiam eſſe juris ſtatum, cap. forus* 10. *de verbor. ſign.* Nam ſi juſtitia eſt juris ſtatus, prius igitur fuiſſet jus, quam juſtitia; unde conſtaret falſam eſſe etymologiam Ulpiani, dicentis jus a juſtitia appellari. Non tamen arbitror temere ab Ulpiano noſtro recedendum; quem ut intelligamus, ſcire oportet, Juſtitiam dictam eo, quod vim ſiſtat, alioquin ſi vim non ſiſtat, cum vis ſuperſit, nullus erit legis vigor, ut in proverbiali eſt carmine. Jus igitur in juſtitia pro vi appoſitum erit per antitheſin, ſeu per contrariam elementi tranſpoſitionem, quam antitheſin Graeci vocant. Lege apud praeclariſſimum Alciatum *lib. Parerg.* 1. *cap.* 29. qui ad plenum hunc locum examinat, & eleganter adverſus Rodulphum Agricolam diſſerit.

JUS EST ARS BONI ET AEQUI. Haec eſt juris definitio, quam ponit hic Ulpianus, prout definivit eleganter Celſus. Apud Ariſtotelem aequum & bonum appellatur *τὸ ἐπιεικές*: & eſt quaedam naturalis moderatio, quae in pectoribus hominum reſidet, nec ſatis lege praeſcribi poteſt. Suetonius *in Caligula cap.* 34. de aequo & bono mentionem facit his verbis: *De juris quoque conſultis quaſi ſcientiae eorum omnem uſum abolitur us ſaepe jactavit, ſe mehercle effecturum, ne quid reſpondere poſſent praeter aequum.* Hactenus Suetonius; licet ibi corrupte legatur *per eum*, ut eſt in meo Codice, quem reſtitui cum legerem, quamvis alias aliqua ratione poſſit ſuſtineri illa lectio, *per eum*, quam adducturus ſum ſuo loco. De aequo & bono meminit etiam Pomponius, *l. jure ſuccurſum* 6. §. 2. *D. de jure dotium.* Ait enim: *Quia bono & aequo non convenit, aut lucrari aliquem cum damno alterius, aut damnum ſentire per alterius lucrum.* Apud praecipuum Poëtarum, dum Troja capitur, moritur Riphaeus quidam Teucer, qui obſervantiſſimus aequi fuit, his verſibus [*lib.* 2. *AEneid. v.* 426.]

—cadit & Riphaeus juſtiſſimus unus
Qui fuit in Teucris, & ſervantiſſimus aequi.

Cicero *pro A. Cecinna cap.* 27. de C. Aquilio loquens inquit: *Quapropter hoc dicam nunquam ejus auctoritatem nimium valere, ejus prudentiam Populus Rom. in cavendo, non in decipiendo perſpexerit; qui juris civilis rationem nunquam ab aequitate ſejunxit.* Et idem in *Bruto cap.* 53. *Deinde aequum bonum teſtamentorum ſententias voluntateſque tutatus eſt.* Idem Cicero, de aequitate in *Partitionibus cap.* 37. ſic dicit: *AEquitatis vis eſt duplex, cujus altera directi & veri, & juſti, & (ut dicitur) aequi & boni ratione defenditur, altera ad vicissitudinem referendae gratiae pertinet, &c.* Sed nunc quae ſit natura ipſius aequi & boni ſecundum Ariſtotelem, & qualis ſit ejus definitio, & quot modis in jure noſtro ſumatur aequitas, videamus. Ariſtoteles igitur inquit: *Natura ipſius aequi & boni haec eſt, emendatio legis ea ex parte, qua deficit ob univerſale.* Haec enim eſt cauſa, cur etiam non omnia ſint lege, quia de quibuſdam ferre eſt impoſſibile. Videamus modo definitionem ipſius aequitatis: *AEquitas* igitur, authore Oldendorpio, *cap.* 3. *de jure & aequitate, eſt judicium animi ex vera ratione petitum de circumſtantiis rerum, ad honeſtatem vitae pertinentium, cum incidunt, recte diſcernens quid fieri, aut non fieri oporteat.* Habes aequitatis definitionem: ſequitur, ut quibus modis aequitas in jure noſtro capiatur, videamus. Bona fides pro aequitate accipitur, *l. bona fides* 57. *D. de reg. jur.* & *l. bona fides* 31. *D. depoſit.* Ulpianus *l. ſi fidejuſſor* 29. §. *quaedam* 4. *D. mand.* *De bona fide* (inquit) *agitur, cui non congruit de apicibus juris diſputare, ſed de hoc tantum debitor fuerit, nec ne.* *Naturalis Juſtitia* a Modeſtino pro aequitate dicitur, *l. ſcire oportet* 13. §. 7. *D. de excuſ. tut.* *Aequa lance jus ſervari* pro aequitatem exercere dicimus, *l. non tantum dotis* 20. *D. de re jud.* *arbitratu boni viri aliquid fieri* etiam dicimus pro aequitate, Ulpianus, *l.* 1. *D. uſufructus quemadm. cav.* *Cavere autem debet* (ait) *boni viri arbitratu perceptuгum in uſumfructum.* *Simplicitas* etiam *legum* aequitatem ſignificat, §. *ſed quia ſtipulationes* 7. *Inſtit. de fideic. her.* ait enim Imperator, *& nobis in legibus magis ſimplicitas quam difficultas placet.* Papinianus graviſſime aequitatem ſignificans ait, *l. quaeſitum* 13. *D. de teſtibus.* *Verumtamen quod legibus omiſſum eſt non omittetur religione judicantium.* Sed multis aliis modis in jure noſtro ſignificatur aequitas. Nos quia in infinitum res produceretur, & per ſe poterit, Lector, in Juriſconſultorum libris diu verſatus, ea colligere, ad alia, quae modo declaranda ſunt, pergamus.

CAPUT IX.

Quod jus per ſe ſit expetendum, non noſtro merito: authoritate Ciceronis adducta. Et quomodo accipiendum ſit verbum Sacerdotes; *declarati duo loci apud Virgilium; & quot* Sacerdotum *genera apud veteres fuerint, nonnullaque ex* XII. *tab. citata.*

CUJUS MERITO QUIS NOS SACERDOTES APPELLAT. *Merito*, non noſtro merito intelligendum, ſed merito virtutis boni & aequi, quod per ſe expetendum eſt. Ait enim Cicero *lib.* 1. *de legibus cap.* 18. *Omnes boni viri ipſam aequitatem, & jus ipſum amant, nec eſt viri boni errare, & diligere quod per ſe non ſit diligendum. Per ſe igitur jus eſt expetendum & colendum.* Cujus igitur, ſcilicet aequi & boni merito, vel cujus artis, ut ſit ablativus caſus, non autem adverbium. *Sacerdotes appellet*, eos vere ſacra facere, qui juſtitiam colunt Eſaias *cap.* 1. & 58. & Plato *in Alcibiade*, ſcripſerunt. Quis inquit Ulpianus, ars boni & aequi merito ſuo nos adeo bonos & probos facit, ut aliquis poſſit nos appellare ſa-

ſacerdotes, quia Juriſconſulti, uti ſacerdotes, eſſe debent viri ſanctiſſimi, cum ipſa *civilis ſapientia*, ut ait idem Ulpianus *l. 1. §. proinde 5. D. de extraor. cognit. ſit res ſanctiſſima, ſed quae nummario pretio non ſit aeſtimanda, nec dehoneſtanda.* Quis forte juriſconſultus hoc loco vult intelligi Virgilium, qui dixit in *lib. 6. AEneid. v. 661.*

Quique ſacerdotes caſti, dum vita manebat.

Et haec mea non tantum eſt opinio, ſed etiam eruditioris viri Coelii Calcagnini: *Sacerdotes.* Accurſius more ſuo hunc mehercule locum ita ridicule exponit, ut abſolute dicat: *Sacerdotes sot, qui ad poenitentiam adhiberi ſolent, intellt,* & ut ait ipſe, *poenitentiam dantes.* Cum conſtet Ulpianum religionem Chriſtianam non coluiſſe, & penitus ignoraſſe. Sciendum igitur apud antiquos praeſcriptas ſacerdotibus tempora, ut certis ſacrificiis ac diebus, ſingulis conſecrarent diis. Nam primus hoc Numa introduxit, ut ſinguli diis ſingulos haberent ſacerdotes, utque non ſecundum cujuſque arbitrium variis modis, ſed ad formam inſtitutam ſolemniter ficrent immolationes & ſacrificia. Quem etiam morem lex XII. tab. oſtendit, cum dicit: DIVISQUE ALIIS, ALII SACERDOTES, OMNIBUS PONTIFICES, SINGULIS FLAMINES SUNTO. Item *alio loco*: CERTAS FRUGES, CERTASQUE BACCAS SACERDOTES PUBLICE LIBANTO, HOC CERTIS SACRIFICIIS, AC DIEBUS. Apud veteres haec fere ſacerdotum genera ſunt recepta: videlicet pontifices, flamines, virgines veſtales, augures, & caetera genera; eligebantur etiam ex Philoſophis ſacerdotes, & ex ſacerdotibus Reges, Tanta erat eorum dignitas, quod apud Platonem legimus, & innuit Maro in illo verſu [*lib. 3. AEn. v. 80.*]

Rex Anius, rex idem hominum, Phoebique ſacerdos.

Nam veterum haec conſuetudo fuit, ut rex eſſet ſacerdos, & pontifex, unde Pontifices Romani Imperatores appellabantur; de quo etiam in pontificio jure fit mentio, *diſt. 21. cap. cleros 1.*

Sic Chriſtum Servatorem noſtrum David in ſpiritu ſacerdotem aeternum vocat, *Pſalm. 110. vi. 4.* quem & Paulus futurorum bonorum pontificem exiſtere appellat, *Hebr. cap. 3. 4. 5. & 7.* Regem etiam vocat ſcriptura ſacra. Sacerdos veterum Romanorum temporibus publica perſona fuit, Ang. Aretit. *in §. hujus ſtudii 4. Inſtit. de juſtit. & jur.* vide Azo. *in ſumma de ſacroſanct. eccl. & in cap. dudum 20. de conver. conjug.* & Jo. And. *in cap. ſicut 8. ne cler. vel monach.* Ideo hunc oportebat ignaros rectam viam docere, ſi quidem haec lex eſt XII. tab. QUOQUE, ET PRIVATIM ET PUBLICE MODO RITUQUE. DISCUNTO IGNARI A PUBLICIS SACERDOTIBUS. Quod & Ulpianus oſtendit hic, cum dicit *Publicum jus in ſacris, in ſacerdotibus conſiſtit.* Unde Virgilius pontificii juris peritiſſimus de ludo loquens, de ſacerdotibus innuit:

Fraude carete graves: ignari credite doctis.

Ibi enim dixit *doctis* Poëta (ut obiter locum explicem) hoc eſt ſacerdotibus: nam, ut ſupra diximus, ſacerdotes non niſi ex Philoſophis eligebantur; ideo Poëta dixit *doctis.* Sic Mercurius dictus eſt Trimegiſtus, id eſt, ter magnus, Philoſophus, & Pontifex, & Rex. Duorum ſacerdotum genera ponit lex XII. tabul. in haec verba: EORUM AUTEM DUO GENERA SUNTO: UNUM QUOD PRAESIT CAEREMONIIS ET SACRIS: ALTERUM QUOD INTERPRETATUR FATIDICORUM: ET VATUM EFFATA INCOGNITA, CUM SENATUS POPULUSQUE ASCIVERIT. Praeter alia multa, quae ſacerdotibus fieri permittebantur: hoc praecipue (quod & Cicero, *In oratione ad pontifices pro domo ſua* refert) fuit conceſſum, ut & juris reſpondendi, *lib. 2. §. 6. verſ. Omnium tamen. D. de Orig. jur.* & conſtituendarum religionum facultatem haberent. Iſidorus, unde dicatur ſacerdos, ſic exponit, *lib. Etym. 7 cap. 10. Sacerdos autem,* inquit, *nomen habet compoſitum ex Graeco & Latino, quaſi ſacrum dans: ſicut enim rex a regendo; ita ſacerdos a ſacrando dictus eſt; conſecrat enim & ſacrificat.* Sed de ſacerdotibus haec pauca. Nam brevi *libri decem* Lilii Gregorii Gyraldi Ferrarienſis viri, & Graecae & Latinae linguae peritiſſimi, *de rebus ſacerdotalibus veterum* in lucem exibunt, quae maximam utilitatem ſtudioſis juris allaturae ſunt. Caeterum, ut tandem hunc locum, qui inter manus eſt, expediamus, dicendum eſt, Ulpianum non aliter hoc verbum *ſacerdotes* accepiſſe, quam quod voluerit intelligere, Juriſconſultos ſacerdotes poſſe vocari, eo quod imitentur illos veteres ſacerdotes, qui, ut ſupra diximus, certis diebus ſingulis diis ſacra facerent, quique de futuris & caeteris agendis rebus conſulentibus reſponſa darent. Ita illi venerandi Juriſconſulti, in omni genere literarum inſtructiſſimi, gratuitam, non quaeſtuariam juriſprudentiam habentes, in publicum quotidie prodeuntes, unicuique civi conſulendos ſe antiquo inſtituto praebebant, & tanquam oracula juſtitiae; Themidiſque promebant: hoc eſt, reſponſa boni & aequi plena. Hinc Servius Sulpicius juris antiſtes appellatus eſt, id eſt, ſacerdos. Quintiliano authore.

CAPUT X.

De Juſtitia dea veterum, quomodo apud illos pingeretur: & quod apud AEgyptios Octonario numero ſignificatur juſtitia; & quod eidem veteres templum aedificaverint.

JUSTITIAM NAMQUE COLIMUS. Et quidem recte *colimus* dixit. Nam ſemper in magno pretio habita eſt juſtitia apud Romanos, quae fuit dea, quam Chryſippus concinne apud Gellium depingit, *lib. 14. cap. 4. Facit* (inquit) *quippe imaginem Juſtitiae fierique ſolitam eſſe dicit, a pictoribus Rhetoribusque antiquioribus ad hunc ferme modum: forma atque filo virginali, aſpectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis neque atrocis, ſed reverendae cujuſdam triſtitiae dignitate; ex imaginis autem iſtius ſignificatione intelligi voluit judicem, qui juſtitiae antiſtes ſit, oportere eſſe gravem, ſanctum, ſeverum, incorruptum, inadulabilem, contra improbos nocentesque immiſericordem, atque inexorabilem erectumque, & arduum, ac potentem, vi & majeſtate aequitatis veritatiſque terrificum.* Apud Graecos juſtitia δίκη vocatur, ut eſt apud Heſiodum *in Ergis*: & δικαιοι judices appellantur. De juſtitia Valerius Maximus meminit, *lib. 6. cap. 5. Juſtitiae tempus eſt* (inquit) *quoque ſancta penetralia adire; in quibus ſemper aeque & probi facti reſpectus religioſa cum obſervatione verſatur.* Juſtitiae ſimulachrum apud AEgyptios ſine capite pingebatur. Plato *de Legibus lib. 9.* juſtitiam omnium ſpeculatricem, atque vindicem appellat, & ita dici a priſcis ſacerdotibus tradit. Juſtitiam rurſus AEgyptii numero octonario ſignificant: *Cum enim juſtitia ſit aequalis pro cujuſque meritis diſtributio, civitatiſque ſolidum fundamentum juſte per octonarium deſcribitur numerum, qui & ſolidorum primus eſt: primuſque omnium in numeros ita ſolvitur pariter pares, hoc eſt, in bis quaternos, ut nihilominus in numeros aeque pariter pares diviſio quoque ipſa ſolvatur, id eſt, in bis binos. Rurſuſque qua qualitate reſolvitur, eadem quoque contexitur. Nam bis bini, bis octonarium conſtituunt. Hinc Orphaei inſtitutum, amplius propagatum, per numina octo jurantis ſi cubi divinam obteſtari juſtitiam vellet; eorum vero nomenclatura haec, ignis, aqua, terra, coelum, luna, ſol, phanes, & nox.* Plutarchus etiam ait, Pythagoricos juſtitiam Triada nuncupare ſolitos. Quod refert Caelius Rhodiginus *Lectionum antiq. lib. 22. cap. 13.* Hinc Romanos templum conſtituiſſe juſtitiae putaverim, quamvis, me nullibi legiſſe recorder, nec ſciam; et-

ſi anxius de hoc veterum & neotericorum ſcriptorum volumina perquiſiverim. Scio tamen, cum Juſtinianus Pandectas, ſeu Digeſtorum libros, in unum colligere vellet, ſe *quaſi proprium & ſanctiſſimum templum juſtitiae conſecrare velle*, dixiſſe, *l. 1. §. cumque 5. C. de veter. jur. enucl.* & alibi, *in proœmio Digeſtorum §. 20. Ne autem incognitum ſit vobis, ex quibus veterum libris haec conſummatio ordinata ſit, juſſimus & hoc in primordiis Digeſtorum noſtrorum inſcribi, ut manifeſtiſſimum ſit, ex quibus legiſlatoribus quibusque libris eorum, & quot millibus hoc juſtitiae Romanae templum aedificatum ſit.* Sed de juſtitia infra, in definitione ejus, plura dicemus: haec ſatis hoc loco, quae pauci attigerint, dixiſſe ſufficiat!

CAPUT XI.

In republica duo potiſſimum contineri, praemium, & poenam; treisque eſſe cauſas puniendis peccatis: nec bonos aliquo praemio vere bonos effici, & quaedam Demonactis Philoſophi rejecta ſententia de legibus.

BONOS NON SOLUM METU POENARUM, VERUM ETIAM PRAEMIORUM QUOQUE EXHORTATIONE EFFICERE CUPIENTES. Sumpta eſt clauſula haec haud dubie procul ex Solonis inſtituto, quem ſemper dicere ſolitum ferunt duabus potiſſimum rebus *rempublicam contineri praemio, & poena*; quod & Cicero in quadam Epiſtola *ad Brutum, Epiſt. 15.* refert. Id propterea lex XII. tab. jubebat, ut unusquisque, qui ad militiam proficiſceretur, domum cum laude rediret his verbis: DOMVM CVM LAVDE REDEVNTO, ut ſcilicet caeteri ad imitationem virtutis allicerentur, cum viderent praemia merentibus tribui. Nam Imperatores Theodoſius & Valentinianus dixerunt *convenire virtutum praemia tribui merentibus, l. & virtutum 4. C. de ſtatu. & imag.* Cicero autem *lib. 1. in Oratore cap. 58.* ait: *Quid vero viros bonos jure civili fieri putas? quia legibus & praemia propoſita ſint virtutibus, & ſupplicia vitiis, equidem putabam virtutem hominibus (ſi modo tradi ratione poſſit) inſtituendo & perſuadendo non minis, aut vi, ac metu tradi. nam ipſum quidem illud etiam ſine cognitione juris, quam ſit bellum cavere malum, ſcire poſſumus.* Hinc illud oraculum tritiſſimum: *Nullum bonum irremuneratum; nullum malum impunitum apud Deum remanebit.* Et innumerabiliter Chriſtus Servator noſter bene operantibus vitam aeternam pollicetur, peccatoribus autem ſupplicium minatur. Hinc caput illud *de poenis, lib. Digeſtorum. 48.* affixum eſt, ut ſcilicet metu poenarum boni efficiantur homines, & improbi, in ſcelere perſiſtentes, puniantur. Nam ut ajebat Tryphoninus juriſconſultus, *l.* [illegible] *31. D. depoſiti. Male meritus publice, ut* [illegible] *ad deterrenda maleficia ſit, etiam egeſtate* [illegible] *debet.* Hinc & Aulus Gel. *lib. 6. cap. 14.* treis eſſe cauſas puniendis peccatis exiſtimavit. Unam, quae pertineret ad gratiam, quam Graeci νουθεσίαν, hoc eſt, commonitionem, vel κόλασιν, id eſt, animadverſionem; alteram τιμωρίαν, id eſt, poenam; Tertiam παράδειγμα, id eſt, exemplum, a Graecis nominatur, *cum punitio propter exemplum neceſſaria, ut caeteri a ſimilibus peccatis, quae prohiberi publicitus intereſt, metu cognitae poenae deterreantur.* Hujus rei exemplum eſt apud Ulpianum *l. ſi duo 13. in fin. D. de jurejur.* qui ſic ait: *Si quis per genium principis juraverit in re pecuniaria, & pejeraverit, nec ſolvit, fuſtibus eum caſtigatum dimitti*; & reſcripto Alexandri principis, *ita ei ſuper audici* [illegible] *μὴ ὄμνυε, id eſt, petulanter ne jurato.* Veteres enim cum de aliquo damnato homine ſupplicium ſumerent, in ſupplicii loco conſpicuo ἐπιγραφὴν, ſeu, ut vocant, titulum affigebant, ut aliis terrori eſſet, ne ſic peccarent. Suetonius *in Domitiano cap. 10. Patremfamilias (inquit) qui Thracem mirmilloni parem diceret, canibus objecit, cum hoc titulo, Impie loquutus parmularius.* Sed & Judaei Chriſti regis titulum hujusmodi crucis ligno affixerunt. I. N. R. I. ſcilicet in contumeliam ejus, quem accuſaverunt ſe Regem feciſſe: ſed de hac re loco ſuo pinguius narrabimus. Ad rem noſtram veniamus! Plato in *Gorgia* duas tantum cauſas, ut idem ait Gellius, commemorat, τιμωρίαν ſcilicet, & παράδειγμα. Exhortatione praemiorum ad bonum accendimur, cum videmus caeteros propter virtutem ad aliquam dignitatem acciri, ut cum Juſtinianus dixit: *In proœmio Inſtit. in fine. Has leges noſtras accipite, & vosmet ipſos ſic eruditos oſtendite, ut vos ſpes pulcherrima foveat toto legitimo opere perfecto, poſſe etiam noſtram rempublicam in partibus ejus vobis credendis gubernari.* Ecce ibi pollicetur praemium laborum dignitatem rerum publicarum regendarum. Sed quando exhortatione praemiorum fient homines boni? ſi ut ait ille Horatius *lib. 1. in epiſtol. 16. v. 52.* (*& cap. cum qui 18. §. inſuper. verſ. & ſi non virtutis. de praebend. in 6.*)

> *Oderunt peccare boni virtutis amore.*
> *Oderunt peccare mali formidine poenae.*

Videretur dicendum potius, malos fieri bonos metu poenarum; bonos ipſa propria bonitate, effici bonos viros, nulla praemiorum exhortatione: cum dicat Cicero, *Virtus ipſa ſibi ingens eſt praemium.* Nam bonitas ex ſe pura eſſe debet, nullisque moveri praemiis, praemiorumque allectamentis: &, ſi ſit bonitas naturalis, nulla eget praemiorum exhortatione. Hinc emanavit illa Demonactis ſententia, quam neſcio an probare debeam, quae dicebat, omneis leges inutiles eſſe, & ſupervacuas, ut quae, nec bonis, nec malis regentur, cum illi non egeant legibus; hi vero per easdem nihilo fiant meliores: quod tamen falſum eſſe omnino exiſtimo. Ad quid enim leges ſcripſiſſet Deus digito proprio in monte Sinai Moyſi? *Exod. cap. 34. v. 1. & Deut. cap. 10. v. 2.* ad quid Moyſes praecepto Dei illas Hebraeis promulgaſſet? ſi nihil humanis rebus proficerent. Sed certe (ut in vetere eſt oraculo) *humana ſapientia ſtultitia eſt apud Deum.* Profecto meminiſſe oportet, ut in ſinu ſemper illud aureum dictum geſtemus: *Ne ſacra manu temere attrectata.*

CAPUT XII.

Cognitionem jurisprudentiae a Philoſophia petendam eſſe, teſte Cicerone: & quam Philoſophiam intelligat Ulpianus hic. & quae ad mores pertinet, non eſſe certam; nonnulla contra Philoſophos citata loca ex jure noſtro: & ex hiſtoriis; & quaedam de Angelo Palitiano.

VERAM (NISI FALLOR) PHILOSOPHIAM NON SIMULATAM ADFECTANTES. Cicero *de legibus lib. 1. cap. 5.* videtur jus noſtrum Philoſophiam appellare. *Non ergo* (inquit) *a Praetoris edicto, ut plerique nunc: neque a XII. tabul. ut ſuperiores, ſed penitus ex intima Philoſophia hauriendam juris diſciplinam puto.* Idem in *Oratore lib. 1. cap. 43. Sive* (inquit) *quem iſta praepotens, & glorioſa philoſophia delectat, dicam audacius, hosce habet fontes omnium diſputationum ſuarum, qui & jure civili, & legibus continentur; ex his enim & dignitatem maxime expetendam videmus, cum verus, juſtusque labor, honoribus, praemiis, atque ſplendore decoratur: vitia autem hominum atque fraudes, damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte multantur; & docemur non infinitis, concertationumque plenis diſputationibus, ſed auctoritate, nutuque legum domitas habere libidines; coercere omneis cupiditates, noſtra tueri; ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere: fremant omnes licet, dicam

um, quod ſentio. Bibliothecas mehercule omnium Philoſophorum unus mihi videtur XII. tabul. libellus, ſi quis legum fontes, & capita viderit, & authoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperare. Quintil. *lib.* 12. *cap.* 2. *Quid? non quaeſtio juris omnis, aut verborum proprietate, aut aequi diſputatione, aut voluntatis conjectura continetur? Quorum pars ad rationalem, pars ad moralem philoſophiam redundat.* Apud Gellium *lib. Noct.* 20 *cap.* 1. inquit Favorinus philoſophus *non minus cupide ſe* XII. *tab. legiſſe, quam decem libros Platonis de Legibus*, & poſtea. Sextum Caecilium juriſconſultum (inquit Gellius) dixiſſe ad Favorinum. *Quis enim Philoſophorum disciplinae ſuae leges tam ſcite atque docte callet, quam leges tu noſtras decemvirales percaluiſti? Veram* igitur *Philoſophiam* vult hoc loco intelligere Ulpianus moralem, quae ad mores pertinet, & Ethica dicitur. *Azo in rubr. D. vetor. & in proœmio Inſtit. in fine.* quae tamen non eſt vera Philoſophia, cum pro temporum, locorum, hominumque opinione mutabilis eſſe poſſit, inquit Lactantius Firmianus. Tota moralis Philoſophia falſa eſt, & inanis nec inſtruens ad juſtitiae munera, nec officium hominis rationeſque confirmans. Belliſſime itaque & modeſte dixit Juriſconſultus (niſi fallor) *non ſimulatam autem philoſophiam adfectantes dixit.* Propterea quod Juriſconſulti id, quod dicunt, praeſtant, & ex animi ſui recta ſententia id, quod in jure explanandum ſit, reſpondeant, rationis naturalis, & aequitatis judicium ſequentes: *ſimulatamque* ideo dixit, quia fingunt omnia contemnere, omnia poſſidentes. Quid mirum? ſi Papiniano, *l. honoribus* 8. §. *philoſophis* 4. *D. de vac. & excuſ. muner.* non placuit illis ea remitti munera, quae ſumptibus expedirentur; cum vere philoſophantes pecuniam contemnere debeant, ut idem ait, *cujus retinendae cupidine fictam adſeverationem detegunt. Sed rari*, inquit Modeſtinus (*l. ſi duas* 6. §. *de philoſophis* 7. *D. de excuſ. tut.*) *ſunt, qui philoſophantur, & Philoſophorum non eſt conſtitutus numerus*; ideo videri eos non excuſari a tutelae munere. Siquidem & Ulpianus Profeſſorum numero non habendos Philoſophos exiſtimavit, *l.* 1. §. *an & Philoſophi* 4. *ff. de extraor. cogn. Non, quia non religioſa res ſit philoſophia, ſed quia hoc primum profiteri eos oportet mercenariam operam ſpernere.* Hinc & Valentinianus Imperator, cum, *qui habitum philoſophiae indebite & inſolenter uſurpare cognoſcatur, reddi patriae*, nullaque immunitatis praerogativa jovari mandavit, *l. reddatur* 8. *C. de prof. & med. lib.* 10. *his* tantummodo *exceptis, qui a probatiſſimis probaretur; turpe enim eſſe*, inquiens, *eos patriae functiones ferre non poſſe, qui ſe fortunae vim ferre profiterentur.* Unum tantum & Theodoſius Imperator Philoſophum admitti voluit in urbe Romana, *l.* 1. *verſ. Habeat. C. de ſtud. liber. Romae lib.* 11. & Conſtantinopolitana, qui ſcilicet philoſophiae arcana rimaretur, cum oratores treis, grammaticos X., V. numero ſophiſtas ſupra legere permiſiſſet: nempe opinatus raro Philoſophos non ſimulare, & qui aliter viverent, quam pollicerentur coſtum habitus, de quibus Valerius Maximus ita loquitur [*lib.* 8. *cap.* 14.] *Caeterum gloria nec ab iis quidem, qui contemptum introducere conantur, negligitur: quoniam ipſis voluminibus nomina ſua diligenter adjiciunt, ut quod profeſſione elevant, uſurpatione memoriae conſequantur.* Sic & Cic. *in oratione pro Archia poeta cap.* 11. inquit: *Et ipſi illi Philoſophi, & illis libellis, quos de contemnenda gloria conſcribunt, ſuum nomen inſcribunt, in eo ipſo, in quo praedicationem, nobilitatemque deſpiciunt, praedicari de ſe nominarique volunt.* Rurſus *in lib.* 1. *Tuſculanarum quaeſtionum cap.* 15. *Quid noſtri*, inquit *Philoſophi? nonne in libris, quos ſcribunt de contemnenda gloria, nomina ſua inſcribunt?* ergo Philoſophi gloriam verbis contemnunt, re autem concupiſcunt. De his poteſt dici illud Satyricum [Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 3.]

— *Curios ſimulant, & bacchanalia vivunt.*

Gellius *lib.* 10. *cap.* 22. ex Platonis *Gorgia* multa de falſae philoſophiae probris aggregat, quae in praeſentia omitto ne longior ſim. Olim inviſa & odio habita a pleriſque philoſophia fuit. Agrippina illa Auguſta Neronem filium dicitur ob id a Philoſophiae ſtudio revocaſſe, quod inutilis eſſet imperantibus. *Domitiano imperante Senatusconſulto ejecti ſunt, atque urbe, & Italia interdicti Philoſophi, qua tempeſtate Epictetus quoque Philoſophus propter id Senatusconſultum Nicopolim Roma deceſſit*, quod Aulus Gellius *Noct. Atticarum lib.* 15. *cap.* 11. meminit. Et nullum ob aliud crimen pulſi tunc fuere, niſi quod eſſent Philoſophi. Athenienſes cicuta Socratem ipſum philoſophiae parentem ſuſtulerunt. Fortunatiſſima olim civitas Antiochia maledictis inſectata, & cavillis eſt Romanum principem Julianum, nihil ob aliud, niſi quod erat Philoſophus, ac barbam (qui mos erat veterum Philoſophantium) nutribat. Quid? quod & libros omneis comburere Philoſophorum tyrannus olim barbarus deſtinaverat, & feciſſet, niſi cum Algazeles pio quodam commento, ſed tamen parum ſpecioſo revocaſſet ab incoepto. Tempeſtate patrum noſtrorum conviciis, & maledictis Angelum Politianum, virum doctiſſimum, turba indoctorum inſectata eſt, nihil ob aliud; quam quod creditus fuiſſet Philoſophus: de qua re & ipſe quodam libello, qui *lamia* inſcribitur, conqueritur. Sed jam ad finem hujus capitis, ne verboſos commentarios facere videamur, deſcendamus.

CAPUT XIII.

Publicum jus & privatum quid ſignificet: & quod alio modo poſſit dici, quam vulgo dicatur; & quid differat Theſis ab Axiomate: declaratumque illud verbum, cenſeri, apud Ulpianum.

PUBLICUM *JUS ET PRIVATUM.* Appellare jus publicum poſſumus, quod vulgo canonicum, Latine pontificium vocatur, cum ibi tractentur & ſacra, & de ſacerdotibus, & nonnulla de magiſtratibus. Jus privatum jus civile dici poteſt, cum partim ex naturalibus praeceptis, partim gentium, partim civilibus conſtet, quod quidem jus civile a pontificio ſeparari non debeat; cum breviter, & eleganter praecipuus Poëtarum conjungat, dicens in *lib.* 6. *Aen. v.* 620.

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere divos.

Hujus ſtudii duae ſunt poſitiones; apud Graecos vocant Theſeis. Theſis quomodo ab Axiomate differat docte declarat Joannes Grammaticus, Ariſtotelis interpres. Axioma omnino eſt ἀναπόδεικτον, id eſt, non demonſtrabile, quales ſunt propoſitiones immediatae, & communes animi conceptiones, quas naturae ſponte, vel naturali dictamento tenemus, domoque in ſcholam afferimus. Theſes vero, id eſt, poſitiones, ex praeceptoribus diſcimus in ſingulis diſciplinis. Convenit autem axioma, id eſt, proloquium, vel, ut Cicero *lib.* 4. *Quaeſt. Acad* vertit, enunciatum & Theſin, quod nec haec, nec illud demonſtratur. Sed tamen Theſes aliqua exhortatiuncula indigent, ut fidem diſcipulo faciant, cujus rei propoſitionem erudite ponit vir maximi nominis Budaeus, hunc locum latius explicans, quid ſignificet axioma, ſeu, ut Varro, alias profata, alias proloquia appellat. Aulus Gellius *lib.* 16. *cap.* 8. *Noct. Attic.* erudite declarat, ejusque exemplum ponit hujuſmodi: *Hannibal Poenus fuit. Scipio Numantiam delevit. Milo caedis damnatus eſt. Neque bonum eſt voluptas, neque malum, & omnino quicquid ita dicitur, plena atque perfecta verborum ſententia, ut id neceſſe ſit, aut verum, aut falſum eſſe; id a dialecticis ἀξίωμα, id eſt, propoſitio, id eſt oratio, verum aut falſum plene ſignificans, appellatum eſt a Marco Varrone, ſicut dixi proloquium; a Marco autem Cicerone* (ut ſupra dixi) *pronunciatum*: & multa alia apud ipſum Gellium, quae Budaeus forte ab ipſo acceperat. *Feras etiam iſtius juriſperitia cenſeri,*

ri. Hic qualiter accipiatur iſtud verbum *cenſeri*, exponit Budaeus dupliciter, citans locum Ciceronis *pro Archia poeta cap. 7. Cenſetur, id eſt, pretium & aeſtimationem meretur, & in primis laudatur*, vel *cenſetur, id eſt, nobis admirationi ſunt animalia prae caeteris, ut eſt Elephas*, de quo Plinius *lib. 8. cap. 1.* & Petrus Crinitus *lib. de honeſta diſciplina 6. cap. 13.* mirabilia comminiſcuntur. Sed tandem *hujus primae legis* interpretatio *hoc capite* concludatur.

CAPUT XIV.

*In omnibus a divinis incipiendum eſſe: & quaeſtio illa trita interpretum juris, an omiſſio divini nominis * inſtrumentum vitiet, ſoluta; quodque veterum mos fuerit in orationibus divinum invocare numen, multaque alia non injucunda.*

L. II. POMPONIUS LIBRO SINGULARI ENCHIRIDII.

V*ELUTI ERGA DEUM RELIGIO.* Recte poſt factam definitionem juris, & diviſionem ab Ulpiano, Pomponius a religione Dei exorſus eſt. Si quidem merito a divinis incipiendum eſt, utpote dignioribus, *l. juſtiſſime 44. de aedil. edict.* & *§. fin. & ibi glo. Inſtit. de juſtit. & jur.* Sic omnis pene veterum virorum doctorum academia incoepit. Sic hiſtoriarum egregii ſcriptores, ſic eloquentiſſimi oratores, ſic praeſtantiſſimi poëtae, ſic ſapientes Philoſophi a Deo initia ſumpſerunt. Non mirum ſi noſter & Pomponius, veteres imitatus, in praeſentia exemplum primum ex jure gentium ſumens, ad Deum retulit, tanquam ad eum, qui omnium ſit auctor, ſine quo omnia humana caduca & fragilia ſunt, & mortales nihil operari poſſunt; quod & Juſtinianus Imperator in compilandis Digeſtorum libris ſenſit, qui inquit, *l. 1. §. 2. C. de veter. jur. enucl. Res quidem difficillima, immo magis impoſſibilis videbatur, ſed manibus ad coelum erectis, & aeterno auxilio invocato, eam quoque curam noſtris animis repoſuimus, freti Deo, qui & res penitus deſperatas donare, & conſummare virtutis magnitudine poteſt, &c. Vide* (inquit) *erectis ad coelum manibus:* nam prius imploravit divinum auxilium, quam rem tantam aggrederetur, prudenter ac ſapienter, Chriſtianiſſimus princeps, qui nihil ſine numine effici poſſe animadvertebat. Hinc etiam in ſuo Codice primum ad Deum caput retulit: *De ſumma trinitate* ſcilicet, *& fide catholica*, jam naſcente veri Dei cognitione. Hinc & apud noſtrates interpretes exorta eſt illa trita quaeſtio, *an Tabellionis documentum ſine invocatione divini nominis conſcriptum valeat.* Et fuere, qui putarent non valere, ea ratione moti, quod novella Juſtiniani conſtitutione cautum ſit, ut inſtrumento omnino nomen Imperatoris praeponatur. Alii contra ſcripſerunt valere, quia Imperatorium nomen ad divinum extendi nomen debeat, & divinum ſemper tacite ſubintelligatur, *cau. 26. qu. 5. cap. non liceat 3.* Ego nihilominus attendendam eſſe conſuetudinem in hac re verius opinor, dummodo credamus, ſi Tabellionis negligentia divinum nomen in inſtrumento omiſſum ſit, non eouſque pollere vim conſuetudinis, ut propter hujusmodi omiſſionem inſtrumentum vitietur. Sed haec in hujusmodi rebus ſe cruciantibus, verbòſoſque nuper commentarios evomentibus relinquamus, nos noſtra ſequamur. Hinc & Virgilius, licet non Chriſtianus, cecinit in *lib. 11. AEn. v. 301.*

Praefatus divos ſolio rex infit ab alto.

Quo loco interpres honoratus inquit, *more antiqui. Nam majores nullam orationem, niſi invocatis numinibus, inchoabant.* & Virgil. *in Georgicis lib. 1. v. 338. In primis venerare Deos.* Igitur religio prima, hoc eſt, Deum ipſum adorare, & colere, ex jure gentium emanavit, id eſt, a jure naturali, ut *§. venditae vero res 41. & §. ſingulorum 11. Inſtit. de rerum diviſ.* Sic enim exponi debere hunc locum intelligit Oldendorpius in illa ſua *divinarum tabularum interpretatione.* Haec enim prima naturae lex eſt omniumque maxima, ut verum Deum noſtrum amemus, & amando timeamus, illique ſoli, nec alii confidamus. Quam legem apud Moyſen *Exod. cap. 20. & Deut. cap. 5. 6. & 11.* Deus ipſe his verbis ſervari praecipit: *Non habebis deos alienos coram me: ego dominus Deus tuus.* Chriſtus etiam apud Matthaeum *cap. 22.* jubet, ut Deum amemus his verbis: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus unus eſt. Et diliges Dominum Deum ex tota corde tuo, & ex tota anima tua, & tota mente tua, & ex tota virtute tua, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Hinc de religione Dei promanarunt illae leges XII. tabul. quae in *primo capite* continentur. AD DIVOS (ſcilicet) CASTE ADEUNTO, PIETATEM ADHIBENTO, OPES AMOVENTO, & *de religione*, & *de caeremoniis*, & *de jurejurando*, & *de templis*, & *de feriis* capita, quae & in jure Civili & Pontificio continentur. Nam licet illi veteres verum Deum non agnoſcerent, naturali tamen lumine intelligebant: clamitante etiam conſcientia hominum, unum Deum eſſe omnium rerum conditorem, cui ſit obediendum, qui ſit invocandus. Unde Cicero & orator diſertiſſimus, virque ſuo tempore religioſiſſimus, *in oratione de reſponſis Haruſp.cam*, luculenter & divinitus, de Deo loquens, ait *cap. 9. Etenim quis eſt tam vecors, qui aut cum ſuſpexerit in coelum, Deos eſſe non ſentiat? & ea, quae tanta mente fiunt, ut vix quiſquam arte ulla ordinem rerum, ac viciſſitudinem perſequi poſſit, caſu fieri putet? aut, cum Deos eſſe intellexerit, non intelligat eorum numine hoc totum imperium eſſe natum? & auctum? & retentum?* Haec verba Theodoſius & Valentinianus, AA. pene in ſuum Codicem tranſtulerunt, *l. inter caeteras. nunc. C. Theod. de Judae & Samar.* Quae quia ſunt pulchre ex Ciceronis ſententia deſumpta, hoc loco libet referre: *Quis* (inquiunt) *tam mente captus, tantae feritatis immanitate damnatus eſt, ut, cum videat coelum divinae artis imperio, incredibili celeritate intra ſua ſpatia metas temporum terminare: cum ſyderum motum, vitae commoda moderantem, dotatam meſſibus terram, mare liquidum, & immenſi operis vaſtitatem finibus naturae concluſam, tanti ſecreti, tantaeſ abricae non quaerat auctorem.* Hinc & Cicero, de communitate loquens, *libro Officiorum 1. in fine.* primum in republica officiorum gradum ad Deum ſpectare dixit his verbis: *In ipſa autem communitate ſunt gradus officiorum, ex quibus quid cuique praeſtet, intelligi poſſit, ut prima diis immortalibus, ſecunda patriae, tertia parentibus, deinceps gradatim reliquis debeantur.* Valde igitur ad rem dixit Pomponius hoc loco, cum inter exempla juris naturalis (ſic enim hic intelligi debet jus gentium, ut ſupra admonui) referret religionem erga Deum, de qua ſolos epiſcopos convenit judicare, *l. quoties 1. C. de religione. lib. 16. Theodoſi.*

CAPUT XV.

Quod de jure divino tenemur parere parentibus, quodque permiſſum ſit illis filios necare, & vendere: & an ſemper teneamur illis parere; an alendus pater, qui filio nullam artem dedit, explicatusque locus Ulpia-

* An in fronte cuſusque operis ponenda ſit divini nominis invocatio. Vide per Alciatum & alios in rub. *de Operis novi nunc.* & per eundem in *Parerg. lib. 9. cap. 6.* per Rhodig. *lib. Lect. antiq. cap. 1. & 2.* & per Eraſm. proverb. *Adſint dii beati* & alibi, *Dii facientes adjuvant.* & in *Cum Minerva manum move.* & alibi, *Bene ſit.*

piani in l. ſi quis a liberis 5. D. de agnoſcendis [illegible]eris : *ubique Vitruvii quadam poſita ſententia.*

PARENTIBUS PAREAMUS. Haec lex non tantum eſt naturalis, ſed etiam divina, ut filii parentibus pareant : praecepit enim apud Moyſen *Exod. cap.* 20. *v.* 12. Deus, ut filii parentibus obediant, eoſque honorent, his verbis: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longaevus ſuper terram.* Et Chriſtus *in Evangelio* hanc ipſam legem ordinavit, & ſecutus eſt, *Matth. cap.* 15 *v.* 5. *& Marci. cap.* 7. *v.* 10. Quam & divus Paulus obſervavit. Hac enim lege praecipimur honorare patrem & matrem, hoc eſt, timere, & amare parentes. Siquidem illis [illegible]bditi ſumus, ſicut fuit & Chriſtus, dicente Luca, *cap.* 2. *v.* 51 *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.* Qua de re cum ſubditi ſint filii parentibus, imo ipſos necare permittitur. Exempli gratia, ſi filiam pater in adulterio reperiat, *l. patri* 20. *D. ad legem Jul. de adult. &* [illegible] 2. *§ & cum placuiſſet* 24 *D. de orig. jur.* tunc occidi filiam cum adultero jus ſibi datur, ſi eam in poteſtate habeat eo tempore, nec quiſquam ex ejus parentibus idem jure facere poteſt, ſed nec filius tam [illegible]as pater. Hinc emanarunt illa legum capita, *De his qui* [illegible] *ſui vel alieni juris: De patria poteſtate: De patribus, qui filios ſuos diſtraxerunt (gl. in §. jus autem* 2. *Inſtit. de patr. pote*[illegible] *& Cod. Theod. eod. titulo) De his qui liberos occiderunt: De adoptionibus & emancipati*[illegible]*bus: item De agnoſcendis liberis & De liber. exhib. & de aliend. liber. ac par.* & ſi qua ſimilia. Hinc & in hiſtoriis legimus de pietate erga parentes, de parentum ſeveritate erga liberos, de indulgentia & amore parentum. Sed videamus, an filiis ſit conceſſum aliquando parentibus ſuis non parere, & recepta eſt ſententia concedi * in his, quae adverſus patriam facerent, vel adverſus majeſtatem principis, vel erga honorem Dei ſpectarent : nam tunc parentibus parere nullo modo cogimur, immo ſi parentes intolerabili injuria adfecerint liberos (quamquam actione injuriarum non teneantur, *l. praetor edixit.* 7. *§. praeterea* 2. *D. de injur.*) poſſunt tamen liberi officium judicis invocare, ut compellantur tam iniqui parentes ad emancipationem, *l. fin D. ſi quis a parentibus manum. fuer.* Solum enim parentes honeſta relinquitur emendatio, & ex maxima cauſa exhaeredatio, ut *C. de emend. propinq. & §. aliud quoque* 3. *Novella* 115. *ut cum de app. cognoſc. Patria enim poteſtas in pietate debet, non in atrocitate conſiſtere*, ut inquit Marcianus, *l. divus Adrianus* 5. *D. ad leg. Pomp. de parric.* Hinc non teneri filium, patrem ſuum alere lex. XII. tab. inſtituit, ſi incuria patris nullam artem filius didiciſſet, quaſi filium, ex ſe genitum, tam turpiter contemneret, & obbruteſcere fineret. Legis XII. tabul. verba haec ſunt: FILIVS ARTE CARENS PATRI INCVRIA, EIDEM NECESSARIA VITAE SVBSIDIA NE PRAESTATO. Optimi enim auctores definiunt prope modum necari filios, qui nulli imbuantur diſciplina juxta *legem illam Necare* 4. *D. de agnoſcendis & alendis liberis.* Hinc dixit Ulpianus, *l ſi quis a liberis* 5. §. 7. *D. de agnoſc lib. Si in ea valetudine ſit filius, ut ſufficere operis non poſſit, cum ſe opificem dixerit, cogi a judicibus eius patrem pro facultatum modo eum alere.* Animadverte illud (ut obiter locum illum explicem) *cum opificem ſe eſſe dicas*, quaſi ſi non eſſet artifex, abſque ullo dubio teneretur eum pater alere. Ideo ſubjunxit Juriſconſultus, *ſi in ea valetudine, ut operis ſufficere non poſſis*, & ita intelligere voluit, ſi poſſet filius labore, & opera ſua ſe alere, non debere ali a patre; cum pater illi non defui[illegible] in tribuenda aliqua arte, ut per ſe filius aleretur, quod ſi per aliquam aegritudinem opera uti ſua non poſſet, & ideo nec ſe alere, patrem ejus cogi poſſe, ut ſe alat. Hoc loco me hercule! quadrat illud Vitruvii in *lib. Architectonic.* 6. quod *in proaemio* in laudem Athenienſium ſcripſit Scilicet Athenienſes ideo oportere laudari, quod omnium Graecorum leges cogunt parentes ali a liberis; Athenienſium non omneis, niſi eos, qui liberos artibus erudiſſent. Sed jam quomodo patriae ſit parendum videamus.

* Gellius *lib.* 2. *cap.* 7. ubi diſputat hoc copioſe.

APPENDIX

An [illegible] ur mittit [illegible] expenſas filio ſtudenti, item ad compa[illegible] ad expen[illegible] filii primarium literarum, ut puta, ut d[illegible] legere, ſcribe[illegible], & gra[illegible]ram, ſine quibus commode, & honeſte homo vivere non [illegible]. dicas ſecundum Bart. in *l. de ho*[illegible] *non ſe*[illegible] *edicto &* [illegible] in *l. qui filium* 4. [illegible] *ſimil. D. ub*[illegible] *tocatus porgio.* & DD. in *l. Ma*[illegible] 5. [illegible] *l. cum quidam cum filium* 131. *in ult. col. D. de verbor. oblig.*

CAPUT XVI.

Quid ſit parere patriae, & quomodo ei parendam, nonnullae divinae leges ad hanc rem citatae, & declaratus locus in XII. *tab. & in fine acclamatione quadam facta.*

ET PATRIAE PAREAMUS. Optimo ordine poſt religionem, & pietatem in parentes, tractat Juriſconſultus graviter de ma[illegible]ratibus. Quid eſt enim patriae parere aliud, quam his, qui eam gubernant, modeſte obedire? tunc vere patriae obedimus, cum regum & magiſtratuum; cum poteſtatum praeceptis obtemperamus: hi enim a Deo dati ſunt, & imperia Deus approbat, dicente Apoſtolo, *omnis poteſtas a Deo eſt* (*ad Roman. cap* 13. *v.* 1. *& cap. movet* 16. *diſt.* 22. *qu.* 2.) *ſine qua nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum nat*[illegible]*a omnis, nec ipſe mundus poteſt*, ut Cicero *de Legibus lib.* 3. *cap.* 1. tradit. Porro non magis ſine magiſtratu civitas, quam navis ſine gubernatore ſalva eſſe poteſt. Merito dixit divus Petrus in *Epiſt.* 1. *cap.* 2. *v.* 13, & *can.* 11. *q.* 1. *cap. magnum* 28. *Subjecti eſtote omni humanae creaturae propter dominum, ſive regi, quaſi praecellenti, ſive ducibus, tanquam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Et paulo poſt. 17. *omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorificate.* Paulus Apoſtolus ait *ad Epheſ. cap.* 6. *v.* 5. *Populi, obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſtus*, qui Caeſari cenſum ſolvit. Apud Homerum, poëtarum principem, reges Diotropheas appellari ſolitos legimus, quaſi divinitus enutritos, & ad mortales gubernandos eximium decus, graduumque ſortitos eſſe. Apud Philoſophum Iſocratem Semideos reges appellari conſueſſe legimus. *Nam* (inquit) *ſi ad horum opes, honores, gloriam, te convertas, Semideos eſſe judicabis quibus contigerit, populis & civitatibus imperare* Eleganter itaque M. Tullius dixit *lib* 3. *de Legib cap* 1 *magiſtratum legem eſſe loquentem, legem vero mutum magiſtratum.* Et profecto quid profuerit multas habere leges, niſi ſint, qui moderentur, ac recte diſtribuant? quo circa Pomponius, de magiſtratibus loquens, *l.* 2. *§. poſt originem* 13. *D. de orig. Jur.* dixit ad rem, *Quia ut expoſuimus per eos, juri dicundo praeſunt, effectus rei accipitur. Parum eſt enim, jus in civitate eſſe, niſi ſint, qui jura reddere poſſint.* Hinc in lege XII. tabul. illa lex ſcripta ex-

AUCTARIUM.

An patriae magis ſit parendum, quam parentibus. Vide quod dicit Bald. in *l. qui necessario* 2. *C. de advoc d*[illegible] *jud.* ubi ait, *quod advocatus debet potius advocare pro patria, quam pro patre;* per *l. poſtliminium* 15 *§ filius* 7. *D. de capt* Adde, quod, ſi cives derelinquat civitatem periclitantem, perdit jus civitatis. ſecundum Bald. in *l.* 2. *C. de infant. expoſ* [illegible] meo judicio plus parentibus debemus, quam patriae. Pomponius [illegible] po[illegible] parentes, dein ſubjecit patriam: quamvis Ovidius occinit, *lib.* 1. *de Pont. epiſt.* 3. *v.* 35.

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Attrahit immemores non ſinit eſſe ſui.

extat: IVSTA IMPERIA SVNTO. HISQVE CIVES MODESTE AC SINE RECVSATIONE PARENTO. vide, quam pulchre hoc loco lex XII tab. verbis *noſtrae legis* conveniat: nempe ut modeſte & ſine recuſatione imperiis pareamus. Hinc & in *Authentico* praefixa eſt illa conſtitutio valde praeclara, *Ut omnes provinciarum magiſtratibus obtemperent*; qua mehercule! nulla in toto *Authentico* illuſtrior, & ſanctior eſt, nempe quia ibi juſtitia clementiſſime, & juſtiſſime de clementia, & magiſtratuum integritate tractetur. Hinc ſunt omnes illi tituli in jure noſtro, *De conſtitut. princip. De ſenator. De officio conſulis: De praeſidibus: De juriſdict. omn. jud. Si quis jus dicen. non obtemper.* & in pontificio *de major. & obedien.* & ſimilia. Hinc & exempla illa memorabilia, de pietate erga patriam, proceſſerunt, quae mehercule! omnes charitates in ſe continet [Cicero *lib. 1. Offic. cap. 17*] *Chari ſunt filii* (ut ait ille) *chari parentes, ſed omnes charitates in ſe patria complexa eſt*. Unde merito dixit quidam Sapiens pro patria pugnandum eſſe, gl. hic & Bart. cum, ut ait Cicero *Philippica 9. cap. 2. His, qui ob rempublicam obierant majores noſtri, pro brevi vita diuturnam memoriam reddiderunt*. Hinc & Juſtinianus dixit, *in fin. princ. Inſtit. de excuſ. tut. Eos, qui pro republica occidiſſent, in perpetuum per gloriam vivere intelligendum*; ideo ſi haeredes reliquiſſent, eis prodeſſe poſſe, ut a munere tutelae & curae excuſarentur. Quis igitur tam immanis? quis tam barbarus? qui auctoritate omnipotentis Dei, qui amore patriae, qui, ipſa juſtitia ductus, jus dicenti non pareat? Nec vero ſolum requiritur, & ut magiſtratibus obediamus, ſed etiam ut eos colamus, & diligamus. *Nam*, ut ait Cicero *lib. 3. de Legib. cap. 2. qui imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt, & qui modeſte paret; videtur quod aliquando imperet, dignus eſſe*. Quod & Ariſtoteles *libro Politicorum 3. cap. 3.* his verbis refert: *Quamobrem recte dicitur, neminem bene imperare poſſe, quod non ipſe prius ſub imperio fuerit*. Dii immortales quam ſunt dignae hujuſmodi voces? quam divinae ſententiae huic loco commodiſſimae, ut ſemper meditemur. Mehercule! plus haec lucis ad civilem diſciplinam conferre valent, quam omnes Interpretum juris verboſi commentarii.

CAPUT XVII.

Natura ita comparatum, ut unusquisque ſe tueatur; & quid ſit vis; & quando dicatur inferri; & ex vi naſci injuriam; & pluribus modis fieri injuriam. Et de talione apud Moyſem, & Gellium; & quae poena inferatur his, qui faciunt injuriam.

L. III. FLORENTINUS LIBRO I. INSTITUTIONUM.

UT *VIM* *, *ATQUE INJURIAM* † *PROPULSEMUS*. Breviter, & elegantiſſime Florentinus, quartum exemplum adducens, eſſe ex jure gentium inquit, vim & injuriam propulſare, ſi quidem ita a natura comparatum eſt, ut unusquisque ſe tueatur, nec vim, aut injuriam ſibi inferri patiatur. Cicero *in Milone cap. 4. Eſt* (inquit) *enim, judices, non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, verum ex natura ipſa arripuimus*. Et ibidem: *Certe non modo illud juſtum, verum etiam neceſſarium eſt, cum vi vis illata defenditur*. Unde Ovidius, cum judex aliquando ſediſſet, & cauſarum actor, illud ex intima [illegible] philoſophia arripiens, carmini ſuo adjecit, *Art. Am. lib. 2. v. 491.*

Judice me fraus eſt conceſſa repellere fraudes, *
Armaque in armatos ſumere jura jubent.

Hinc Ulpianus *l. 1. §. vim vi 27. D. de vi & vi armat.* dixit, Caſſium juriſconſultum ſcripſiſſe, *Vim vi repellere licere, idque jus natura comparari: [illegible] apparere arma armis repellere licere*. [illegible] tum dixit, *l. itaque 4. D. ad leg. Aquil. Me ſecurum fore, ſi aliquem [illegible], aut latronem inſidiantem mihi occidero, ideo quia adverſus periculum naturalis ratio permittat me defendere*. Hinc nata eſt illa lex talionis, quae jubebat idem per idem reddi, ut eſt apud Moyſen, *Exod. cap. 21. v. 23. 24. 25.* Inquit enim Deus: *Sin autem mors ejus fuerit ſubſequuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore*. Cui quidem legi Moſaycae lex XII. tab. affabre quadrat; ait enim, SI MEMBRVM RVPERIT MEVM E PACTO TALIO ESTO. Cui & lex Longobardica ſuffragatur; & Caecilius juriſconſultus apud Gellium, *lib. 20. cap. 1.* adverſus Favorinum philoſophum graviſſime de talione diſſerit his verbis: *Sed quoniam acerbum quoque eſſe putas hoc genus poenae; quae, obſecro te, iſta acerbitas eſt: ſi idem fiat in te, quod tu in alios feceris?* Ex hoc fonte promanarunt illi notiſſimi tituli, *De vi & vi armata. Unde vi. Vi bonorum raptorum. Ne vis fiat ei, qui in poſ. miſſ. erit. Quod vi aut metus cauſa. Quod vi aut clam*, & ſimilia. Sed hic, poſtquam de vi mentio facta eſt, videamus, quid ſit vis. *Vis igitur*, Paulo auctore *l. vis autem 2. D. quod met. cau. eſt majoris rei impetus, qui repelli non poteſt*. Unde eleganter Calliſtratus *l. creditores 7. D. ad leg. Jul. de vi privata*. & *l. extat enim 13. D. eod. quod met.* & glo. in verbo *ad judicem, cap. ſex. 1. can. 23. q. 3.* refert, divum Marcum Marciano reſcripſiſſe: *Vim non ſolum eam dici, ſi homines vulnerantur, ſed eam quoque, quoties quis id, quod ſibi deberi putaret, non per judicem repoſceret*. Ex vi naſcitur injuria, quae alicui non jure infertur, *ideo ex eo dicta injuria*, ut ait Ulpianus *l. 1. D. de injur.* & *Inſtit. eod. Omne enim, quod non jure fit, injuria fieri dicitur*, & hoc generaliter: ſpecialiter autem injuria dicitur contumelia. Interdum accipitur injuria pro damno, culpa dato, ut eſt in lege Aquilia; alias pro iniquitate dicitur, ut cum inique, vel injuſte ſententiam dixerit, ex eo tunc dicitur injuria, quod jure & juſtitia careat, quaſi non juria. Aliquando ſignificat contumeliam, dictam a contemnendo. Injuriam autem fieri Labeo dicit, aut re, aut verbis, & omnem quidem injuriam, aut in corpus, aut ad dignitatem, aut ad infamiam pertinere, item per noc-

* *l. in cauſae cognitione 16. §. idem Pomponius 4. D. de minor. 25. comparantur.*

* PARERG. Si aliquis occupat aliquam terram, vel poſſeſſionem per vim, & facit poſtea ſibi a ſuperiore concedi non prodeſt ſibi, quia ſpoliatus ſit reſtituendus: ut dicit Bart. in *l. authoritatem 3. C. unde vi*. Vide text. & ibi Bart. in *l. ſi quis unquam 3. C. ne vel domi. vel templor.* & quae notant Jo. And. & Dominic. poſt eum in *cap. eum qui 18. de praeb. lib. 6.* Item ſecundum dictum ſimatur Imol. in *d. c. eum. qui 18.* vide Bald. in *l. 2. C. de legib.* in *cap. 1. de natur. feud.* & in *cap. 1. per quos fiat inveſt.* per Salic. in *l. 2. C. ne vel domin.* per Ang. in *l. Paulus 22. §. qui pignus 1. D. quib. mod. pig. vel hyp. ſolv.* & Salic. in *d. l. authoritatem 3.* Per Ludov. in *l. juſſu 11. D. de acquir. poſ.* per Bald. in *l. decernimus 16. C. de ſac. ſan. eccleſ.*

† APPENDIX.

Actio injuriarum qualiter aeſtimetur, vide glo. in *l. injuriarum aeſtimatio 21. D. de injur.* & *titulum Inſtit. de injur.* Si ille, qui recepit injuriam ab aliquo, dixerit, ego faciam vindictam, ſi poſtea ſit inventus injurians interfectus, tunc non eſt praeſumendum ſupra injuriatum, cum vindicta poſſit inſtitui accuſando ſecundum Gul. per gl. illam in *l. 2. C. de his quib. ut indig.* & vide gl. & DD. in *l. metum 6. C. de his quae vi metuſve cauſa geſta ſunt*. Negari tamen non poteſt, quin dicta verba faciant indicium ſufficiens ad torturam: erit tamen magis vel minus ex qualitate perſonae dicentis, ſecundum Angel. in *d. l. 1. C. de his quib. ut indig.*

Injuria publica dicitur illa, quae omnibus fit ſub ratione pacis, ut Haereſis, Blaſphemia, ut dicit Bald. in *l. 1. colum. 8. D. de juſtitia & jure*.

Levis injuria quae dicatur, item & atrox, vide *Inſtit. de injur. in §. atrox 9. in cap. pervenit 17. de ſenten. excom.* in *cap. 1. de calumnia.* per Jo. Calder. in *cap. cum illorum 32. de ſenten. excom.*

Renuncians [illegible] non videtur remittere jus conſequendi damnum, quod ex [illegible] paſſus eſt, *l. ſed ſi unius 17. § ſi ante. 6. D. de injuriis.* & [illegible] Dyn. & in *l. ſi pro fure 7. D. de cond. furt.* quem ſequitur ibi Bald. Not. etiam Bald. in *l. ſi tibi 17. § 1. D. de pact.* Bald. in *l. ſi domus 23. D. de ſervit. urban. praed.* Per Sicculum in titulo *de accuſ. §. 1. verſ. Sed ſi vulneratum*.

noſmetipſos, aut per alias perſonas alicui fieri injuriam. quae omnia Ulpianus diligenter & exacte examinat. Poena vero injuriarum ex XII. tabul. lege deſcendit, *§. poena autem 7. Inſtit. de injur.* Haec ſunt legis verba: SI INIVRIAM ALTERI FAXIT XXV. ASSES AERIS POENAE SVNTO, RE, PERSONA, TEMPORE, LOCO, ATROCIORES INIVRIAE, IVDICANTOR. Hinc *De injuriis* tituli in *Digeſtis & Inſtitutionibus* Juſtiniani, & in *Codice* ſcripti ſunt, & *Poenarum* tituli, juxta uniuscujusque erratum, & noxae aeſtimationem, progreſſi ſunt. Vide igitur, quot res in praeſentia parturiat *haec lex* noſtra, valde praegnans; quae ſi hoc ordine declararetur, plusquam mille interpretum commentarios, illos quidem nugaciſſimos, hodie non haberemus.

CAPUT XVIII.

Quod omnes homines ab initio ſeculi liberi naſcerentur; & quis ſervitutis extiterit actor; & ex qua re inducta ſit; declaratumque quomodo ſit intelligendum illud, ſervitutem ex jure gentium *deſcendiſſe.*

L. IV. ULPIANUS LIB. I. INSTITUTIONUM.

CUM *SERVITUS ESSET INCOGNITA.* Adducit quintum exemplum, quod eſt ex jure gentium, hoc loco Ulpianus, de ſervitutibus & manumiſſionibus diſſerendo, & quidem recte (inquit Ulpianus) *incognita ſervitus, utpote, cum jure naturali, omnes homines ab initio liberi naſcerentur, §. 1. Inſtit. de libertin. & hic.* Nam ab Adam, usque ad Noë tempora, intacta & illibata fuit libertas, omnesque, qui naſcebantur, ingenui erant. Primus omnium mortalium ſervitutis auctor extitit Noachus, cum vino inebriatus eſſet, & nudatus a minore filio Chamo, perſpectus fuiſſet; animadvertens enim in eum Noachus, filio maledixit, cumque fratribus ſuis ſervire juſſit, *Geneſ. cap.* 9 Unde divus Ambroſius in ſermone *de jejunio* inquit, *Diſt. 35. cap. ſexto die* § *Manebat autem, antequam vinum inveniretur, omnibus inconcuſſa libertas: nemo ſciebat a conſorte naturae ſuae obſequia ſervitutis exigere. Non eſſet hodie ſervitus, ſi ebrietas non fuiſſet.* Hinc & divus Auguſtinus, *lib. 19. de civitate Dei: Servitutem primum culpae non naturae impoſitum eſſe*, dicit; cum Noe *animadvertens* in filium *ſervire eum fratribus ſuis juſſit.* At videtur ſervitus ex praeſcriptione ſeptennii inducta fuiſſe: non autem ex jure gentium, nec ab ebrietate, cum apud Moyſen legatur *Exod. c. 21. v. 2. & ſeqq. & Deut. c. 15. v. 12. & ſeqq Jerem.* 34. *v. 9. 10. & diſtin.* 4. *Si emeris ſervum Hebraeum, ſex annis ſerviet tibi, in ſeptimo egredietur liber gratis, cum quali veſte intraverat, cum tali exeat. Si habens uxorem, & uxor egredietur ſimul, ſin autem dominus dederit illi uxorem, & pepererit filios, mulier & liberi erunt domini ſui, ipſe vero exibit ſolus cum veſtitu ſuo. Sed ſi elegerit ſervus manere cum domino, & conſtanter dixerit, diligo herum meum, uxorem meam, & liberos meos, non egrediar liber, offeret eum dominus deis,* id eſt, judicibus, *& applicabit ad oſtium tabernaculi, & perforabit aurem ejus ſubula, in ſignum perpetuae ſervitutis, & ejus erit ſervus usque dum vivet, vel usque ad annum Jubilaei.* Lex tamen Imperatoria aere alieno redemptos captivos jubet per quinquennium tantum ſervire, incolumem poſt hac habere libertatem, *l. fin. C. de poſtl. redempt. ab hoſtib.* Porro hic annotandum cum dicimus ex jure gentium emanaſſe ſervitutem, non intelligimus proprie, ſed improprie, hoc eſt, quia jus gentium eam approbavit, jam inductam, non quod eam primo invenerit. Si ergo bellum juſtum erit, qui capietur, fiet ſervus capientis, ut *cap. dicat. 25. cau. 23. q. 5.* & ſecundum hoc peccat taliter captus, ſi recedat a domino ſuo, *cau. 17. q. 4. cap. ſi quis ſervum 37.* ſed ſi bellum non eſſet juſtum, licitum eſſet ei fugere, dum poſſet, *l. nihil intereſt 26. D. de captiv. & poſtlim. glo. in verbo.* Servitutes. *diſt. 1. cap. jus gentium 9.* Sed tunc videamus, quomodo dixit Ulpianus *incognita.* Videtur igitur ſervitutem fuiſſe, ſed incognitam: & ſubtiliter quidem erat ſervitus per ſe, ſed non in effectu, & quaſi in nube abſcondita, quae propter culpam unius hominis, ſubire jugum multos coëgit. Sed nonne caetera animantia ſervire dicebantur homini? cum dixiſſet Deus hominibus *Geneſis in cap* 1. *& 9. Pſal.* 8. ſubjicite terram, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus coeli, & univerſis animantibus, quae moventur ſuper terram. Servitus igitur jure naturali, non jure gentium fuiſſe videretur. Non cenſeo tamen a Juriſconſulti noſtri ſententia ſic temere recedendum. Dicendum igitur eſt, recte dixiſſe Ulpianum a jure gentium ſervitutem originem ſumpſiſſe. Servitutem ſcilicet hominum, quae incognita hominibus fuiſſet a creatione orbis usque ad Noë tempus; ut ſupra diximus: & recte incognita, quae etſi erat, nondum cognoſcebatur, ab amantibus ratione carentibus, & quae a jure gentium emanans per rationem hominum, poſtea ſit agnita, & detecta, *arg. l. adeo quidem 7. §. 7. verſ. Cum enim grana. D. de acquir. rer. domin.*

CAPUT XIX.

Quid ſit ſervitus, undeque appellati ſervi: tria eſſe ſervorum genera, & quomodo manumitterentur; multaque genera manumittendi connumerata; & quaedam ex lege Langobardorum de manumiſſionibus: & unde dicti ſervi Dedititii: & excuſſus locus Perſii, Plauti, & Annaei Senecae, nonnullaque alia.

SERVITUS Auctore Florentino Juriſconſulto *l. libertas 4. §. 1. D. de ſtat. hom.* & *§. ſervitus 1. Inſtit. de jur. perſon. eſt conſtitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubjicitur: ſervorum autem appellatio*, teſte Pomponio, *ex eo fluxit, quod Imperatores noſtri jubent captivos vendere, & per hoc ſervare, nec occidere ſolent, l. pupillus 239. §. ſervorum 1. D. de verb. ſig. & d. l. libertas 4. §. 2. D de ſtatu homin. & §. ſervi 4. Inſtit. de jure perſon.* Jure enim gentium introductum eſt, ut quae in bello capiuntur, efficiantur capientis, *l. naturalem 5. §. fin D. de acquir. rer. domin:* Caeterum quoniam multi hoſtili odio in captivos deſaeviebant, eosque trucidabant, Romani Imperatores id prohibuerunt, juſſeruntque vendi, non autem occidi: unde ſervi dicti ſunt, quod ſervarentur. Hincque apparet non licere nobis hoſtem noſtrum, poſtquam captus eſt, interficere, quamvis hoc aliter ab interpretibus limitatum ſit, qui malint non licere occidi a nobis tum captivos, cum intra praeſidia noſtra deducti ſunt, ante vero, quam deducti ſint jure occidi poſſe; cum (ut ajunt) multa interim evenire poſſint, *Arg. l. in laqueum 55. D. de acquir. rer. dom.* quod etiam ad eos trahitur, qui fugiunt a dominis, vel qui cum hoſtibus rurſum congregantur, & ſe dedere nolunt: tunc enim illos in ipſa acie occidere tantum permittitur. Servorum tria genera apud veteres habita ſunt, *§. libertinorum 3. Inſtit: de libert.* Alii Romani cives; alii Latini; alii Dedititii. Romani, qui fiebant cives, tribus modis, id eſt, teſtamento, aut in eccleſia, aut ante Conſulem manumittebantur. Latini, qui Juniani, ex lege Junia Norbana, vocabantur; hi aut per epiſtolam, aut inter amicos, aut convivii adhibitione manumittebantur, quod & Plinius Secundus in Epiſtola ad Fabatum his verbis ſignificat: *Spero* (inquit *lib. 7. epiſt.* 16.) *imo confido facile me impetraturum, ut ex iti-*

nore deflectas ad te, ſi voles vindicta liberare, quos proxime inter amicos manumiſiſti: hactenus Plin. Tertio Dedititii, qui ab lege AElia Sentia introducti ſunt, hi poſt admiſſa crimina, ſuppliciis ſubditi, & publice pro criminibus caeſi ſunt, aut in facie, & in corpore ferro notabantur. Sed Dedititiorum & Latinorum ſublatae à Juſtiniano ſunt libertates, ut *C. de dedit. liber. toll. & Latin. lib. tol.* Inter haec tamen tria genera libertorum, meliorem ſtatum cives Rom. habent, quia & teſtamenta facere & ex teſtamento quibuscunque perſonis ſuccedere poſſunt; & hi quidem dicuntur juſtam nanciſci libertatem, & majorem; *d. §. libertinorum* 2. Nam Latini, & Dedititii nec teſtamenta condere, nec ſibi ex teſtamento aliorum aliquid dimiſſum poſſunt ullatenus vindicare. Latini tamen certis rebus privilegia civium Rom. libertorum conſequi poſſunt. At Dedititii nulla ratione poſſunt ad privilegia civium Roman. libertorum ordinis beneficio, pervenire. Nam Libertini ſi a patronis iterum, aut teſtamento, aut in eccleſia, aut ante conſulem manu mittantur, tunc civium Romanorum privilegiis gaudent, quod idem in Dedititiis nullo modo (ut ſupra dixi) accidere poteſt. Dicti autem ſunt Dedititii ad exemplum peregrinorum (ut obiter hoc declaremus) nam quondam peregrinorum aliqui cum Romanis vectigal penderent, ſublatis adverſus Romanos animis, arma in eos ſumpſere, quos collata acie, & dato congreſſu Romani vicerunt. [Politianus *cap.* 84. *miſc.*] Etenim cum impetum, fortitudinemque eorum peregrini ſuſtinere non poſſent, abjectis armis ſeſe dediderunt. At Romani, cum his humane agentes, vitam quidem iis conceſſere, ſed hujus appellationis ignominia affectis, ut quia ſe dediſſent, Dedititii vocarentur. *Servi autem olim, aut fiebant, aut naſcebantur. Naſcebantur ex ancillis, fiebant ex jure gentium, id eſt, ex captivitate, aut jure civili, cum homo major 20. ann. ſe ad pretium participandum vendi patiebatur*, *§. ſervi autem* 4. *Inſti. de jur. perſon. Manumittebantur olim & ſervi multis modis, aut ex ſacroſanctis conſtitutionibus, aut in ſacroſanctis eccleſiis, aut vindicta, aut cenſu, aut teſtamento, §. multis* 1. *Inſtit. de libertin* [*tit. C. de his qui in eccleſ. manumittuntur*] de quibus, treis tantummodo attingit poeta Auſonius illo in verſiculo, *Edyll.* 11.

Triplex libertas, capitisque minutio triplex.

Duas tantum ſpecies manumittendi ponit, & Corn. Tacitus *lib.* 13. *cap.* 27. cum dicit: *Non fruſtra majores cum dignitatem ordinum dividerent, libertatem in communi poſuiſſe, quin & manumittendi duas ſpecies inſtitutas, ut relinqueretur poenitentiae, aut novo beneficio locus. Quos vindicta patronus non liberaverit, velut vinculo ſervitutis teneri.* Fiebat & alio modo diviſio, quam Boethius in *Topica Ciceronis* tradit, eos, qui prius ſerviſſent, tribus modis ad libertatem pervenire, cenſu, vindicta, teſtamento, eosque interpretatione proſequitur: ad quos forte alluſit Plautus *in Caſina* cum dixit, *Act.* 2. *ſc.* 8. *v.* 70.

Tribus conduci non poſſum libertatibus.

Quod & egregius juris illuſtrator Alciatus annotavit *lib. Parerg.* 10. *c.* 7. Alio modo & feſtuca ſervos manumittere, morem fuiſſe apud veteres Romanos legimus, ut ejus corpori, quem manumittere vellent, tenuem feſtucam injicerent. Quem morem Perſius poeta, *Satyra* 5. illo verſu attigiſſe videtur (*v.* 174.)

Non in feſtuca lictor, quam jactat ineptus.

Nam *per lictorem manumiſſionem fieri* ſcripſit Hermogenianus, *l. manumiſſio* 23. *D. de manumiſſ. vindict. Expedirique tacente domino, & licet non dicantur verba ſolemnia, ut dicta accipi*, ſine etiam lictoris praeſentia, Ulpianus ait, *l. ego* 8. *D. eod. Se, cum in villa eſſet, cum Praetore, apud eum manumitti, poſſum eſſe:* unde videtur manumiſſio lictoris fuiſſe munus. Ad hunc morem alluſiſſe putaverim Plautum *in Milite*, cum dixit, *Act.* 4. *ſc.* 1. *v.* 15.

Quid ea? ingenua, an feſtuca facta? ſerva, an libera eſt?

Mos fuit & circumagi ſervos, cum manumitterentur, quod & idem Perſius innuit illo verſu [*Sat.* 5. *v.* 78.]

Verterit hunc dominus momento turbinis exit.
Marcus dama:

quod Politianus annotavit, *Miſcel. cap.* 98. Ad hunc morem, & Seneca *in octavo primi libri ad Lucillum Epiſtola* alluſit: *Philoſophiae ſervias (inquit) oportet, ut tibi contingat vera libertas, non differtur in diem, qui ſe illi ſubjecit & tradidit, ſtatim circumagitur.* Quod ſervi circumagi ſolerent, cum manumitterentur, indicat & lex Langobarda; *l. ſi quis ſervum proprium, De manumiſ.* quam, dum haec ſcriberem, quotidie legebam. Sic igitur inveni ibi ſcriptum: *Si quis ſervum ſuum proprium, aut ancillam ſuam liberum dimittere voluerit, ſit ei licentia, qualiter illi placuerit, & a ſe extraneam facere voluerit, hoc ordine utatur: ipſe prius per manum capiat, & tradat eum in manum alterius hominis liberi, & per ipſum confirmet; & ille ſecundus tradat eum in manum tertii hominis eodem modo; & tertius tradat eum in quartum; & ipſe quartus ducat eum in quadrivium, & thingat in gaudia, id eſt, ab obligatione ſolvat, & ibi ſint giſſiles teſtes, id eſt, liberi, & dicant ſic: de quatuor viis, quo volueris ambulare, liberam habeas poteſtatem, & ſic perfecto ordine ei manebit certa libertas, & paulo poſt nullam repetitionem patronus adverſus ipſum, aut filius ejus habebit poteſtatem requirendi*, diximus genus manumittendi per quartam manum. Nunc ad rem redeamus de his, qui circumaguntur: in eadem lege Langobarda ſic legimus, *l. ſi quis ſervum in manu. de manumiſ. Si quis ſervum, aut ancillam in manu regis dederit, & ipſe princeps eos per manus ſacerdotis circa ſacrum altare liberum, vel liberam dimiſerit, ſic ei maneat libertas, ſicut ei, qui in manu quarta liber factus eſt.* & Rex Aſtulphus *ibidem l. in anterioris. eod. Si quis Langobardum ſervum in quarta manu tradiderit, aut circa altare ducendum ſacerdoti tradiderit, ſolutus ab omni conditione ſervitutis permaneat*, & ibidem pluries. Hinc clarior fit ſenſus ejus Perſiani verſiculi, quem paulo ante citavimus; nimirum, ſi ſupra diximus, qui fiebant cives Romani, aut teſtamento, aut in eccleſia, aut ante conſulem manumitti ſolere: in eccleſia ecce dixit, & Cajus *primo Inſtitutionum.* Et forte idem mos tunc temporis obſervatus eſt, ut *in C. de his qui in eccl. manumit.* ut circum altare per manum ſacerdotis is ageretur, qui liber eſſet futurus. Plautus ad hoc alluſit proculdubio, cum dixit *in Bacchidibus, Act.* 5. *ſc.* 2. *v.* 64. *Quadringentis Philippis filius me, & Chryſalus circumduxerunt*, hoc eſt, manumiſerunt: & *in Aſinaria, Act.* 1. *ſc.* 3. *v.* 83. *Qua me, qua uxorem, qua tu ſervum Sauriam, potes, circumduce, aufer, promitto tibi non obſuturum, ſi id hodie effeceris*, & alibi. [*in Bacchid. Act.* 2. *ſc.* 3. *v.* 76.] *Nae illi hercle mihi ſit multo tanto carior, ſi me illoc auro tanto circumduxerit.* Quem locum miror Politiano doctiſſimo, cum locum Perſii explicaret, ſubterfugiſſe. Sed verum eſt Juſtiniani oraculum *l.* 2. *§. ſi quid autem* 14. *C. de jur. vet. enucl. Omnium habere memoriam, & penitus in nullo peccare, divinitatis magis, quam mortalitatis eſt.* Sed ad rem noſtram: licebat olim dominis & ſervos ſuos in teſtamento cum libertate haeredes inſtituere. §. 1. *Inſtit. quibus ex cauſ. manum.* modo illi eſſent ſolvendo, tunc enim non licebat, cum in fraudem creditorum aequum non ſit, dominos ſervos ſuos manumittere. Praeterea nec dominis minoribus xx. ann. ex lege AElia Sentia ſervis ſuis libertatem dare permittebatur, niſi cauſae manumiſſionis fuiſſent juſtae, exempli gratia, ſi patrem, aut matrem, aut fratres, aut ſorores, aut paedagogum, aut collactaneum, & id genus ſimilia manumittere velit, quod tamen apud conſilium fieri mos erat, *l. poſtlus qui* 24. *D. de manum. vind.* & *l. ſervus communis* 6. *D. eod.* ſicut & illud ex lege Caninia, quod poſtea ſublatum eſt a jure Juſtinianeo; quae lex morientibus dominis teſtamento manumit-

ten-

tendi ſervos licentiam adimebat, *tit. Inſtit. de lege Fuſia Caninia toll.* At Cajus *libro* 1. *Inſtitutionum tit.* 2. conſtitutum apud veteres fuiſſe ait, *Quantum ſervorum numerum de quanta familia liceat manumitti, hoc ordine, ut ſi quis duos ſervos habet, ambos manumittere poſſit; qui vero treis, duos teſtamento manumittat; qui quatuor, ſimiliter duos; qui ſex, treis; qui octo, quatuor; qui decem, quinque; qui* 11. 12. 13. 14. 15. 16. *decem & ſeptem, ſimiliter* 5. *qui* 10. & 8. *ſex: & ab hoc numero uſque ad triginta, tertiam partem manumittere liceat: qui amplius quam triginta habuerit, uſque ad centum, quartam partem de numero ſervorum manumittere poteſt. Sed & illud ſtatutum*, inquit, *fuit, ut, de quamlibet grandi familia, nulli amplius quam centum, teſtamento manumittere liceat. Nam qui voluerit, aut in eccleſia, aut ante conſulem, aut inter amicos, aut per epiſtolam manumittere, poteſt his manumiſſionibus omnem familiam jugo ſervitutis abſolvere. Nam ſi aliquis teſtamento plures manumittere voluerit, quam continet numerus ſupra ſcriptus, ordo ſervandus eſt: ut illis tantum libertas valeat, qui prius manumiſſi ſunt, uſque ad illum numerum, quem explanatio continet, ſuperius comprehenſa. Qui vero poſtea ſupra conſtitutum numerum manumiſſi leguntur, integre in ſervitute eos decretum eſt permanere. Quod ſi non nominatim ſervi vel ancillae in teſtamento manumittantur, ſed confuſe omnes ſervos ſuos & ancillas is, qui teſtamentum facit, liberos facere voluerit, nulli penitus firma eſſe jubetur, hoc ordine data libertas, ſed omnes in ſervili conditione, qui hoc ordine manumiſſi ſunt, permanebunt. Nam etſi in teſtamento ſervorum manumiſſio adſcripta fuerit, id eſt, in circulo, ut qui prior, qui poſterior nominatus ſit, non poſſit agnoſci, nulli ex iis libertatem valere manifeſtum eſt, ſi agnoſci non poteſt, quis prior, qui poſterior manumiſſus fuerit. Nam ſi aliquis in aegritudine conſtitutus in fraudem hujus legis, facere voluerit teſtamentum, & epiſtolis, aut quibuscunque aliis rebus, ſervis ſuis pluribus, quam per teſtamentum licet, conferre voluerit libertates, & ſub tempore mortis hoc fecerit, hi, qui prius manumiſſi fuerunt, uſque ad numerum ſuperius conſtitutum, liberi erunt. Qui vero poſt ſtatutum numerum manumiſſi fuerint, ſervi ſine dubio permanebunt. Nam ſi incolumis quoscunque diverſo in tempore manumiſit, inter eos, qui per teſtamentum manumiſſi ſunt, nullatenus computentur.* Et haec quidem Caji omnia ſunt in *primo* (ut ſupra dixi) *Inſtitutionum libro tot. tit.* 2. Quae quidem hoc loco libuit referre, propterea quod nec in *Inſtitutionibus* Juſtiniani, nec in *Pandectis* (ſi recte memini) ulla de quantitate ſervorum in teſtamento manumittendorum habetur mentio. Ex hac igitur ſervitute illa in jure capita emanarunt, in Digeſtis, & Codice: *De jure perſonarum. De his qui ſunt ſui vel alien. jur. De manumiſſion. De manumiſ. vindicta. De manumiſ. quae ſervis. De manumiſ. teſtam. De ſtatuliberis. Qui & a quibus manum liberi non fiant. De fideicommiſ. libertatibus. De ademptione libertatis. Qui ſine manumiſſione ad libertatem perveniunt*, & hujusmodi reliqua, quae ad ſervitutes pertinent, & quae hoc tempore in reliquiis illis legum XII. tabul. ſcripta non ſint. *Cum* (ut ait Oldendorpius) *haud dubie multa de jure perſonarum, & ſervitute ibi eſſent, quae nos totas non habemus.* Videant igitur ſtudioſi, ex quantulo fonte quam multi promanaverint rivuli legum, quae ſuccedentibus ſaeculis, docente experientia, ſint determinatae, atque in certam formam definitae. Nunc ea, quae ſuperſunt in jure loca de ſervis, attingamus!

CAPUT XX.

Quae, & qualis poteſtas dominorum eſſet in ſervos; & quae beneficia domini per ſervos haberent; & quae poſſunt facere ſervi, eorumque conditio qualis eſſet. Virgilii locus excuſſus; & declaratum quid ſit venire ſub corona, *ex Gellio; & quis ſit neceſſarius haeres in jure; & quaedam alia ad ſervos pertinentia.*

IN *poteſtate olim dominorum fuiſſe ſervos, quae quidem poteſtas ſit juris gentium*, jam pro comperto eſt, *l.* 1. *D. de his qui ſunt vel alien. jur.* & §. 1. *Inſtit. eod.* cum *eorum poteſtatem in ſervos ſuos illibatam eſſe oporteat; nec cuiquam hominum jus ſuum detrahendum ſit, l.* 2. *D. eod.* Sed cum omnem poteſtatem in ſervos ſuos habere dominis, & in eos diſtringendi permittatur, occidendi tamen eos licentiam domini non habent, & ſupra modum, & ſine cauſa, in eos ſaevire, ex Conſtitutione Divi Antonini non licet. Hinc *Divus Hadrianus Umbriciam quandam Matronam in quinquennium relegavit, quod ex leviſſimis cauſis ancillas ſuas atrociſſime tractaſſet, l.* 2. *in fin. D. eod.* Hinc & Ulpianus dixit, *ſi dominus in ſervos ſuos ſaeviat, vel ad impudicitiam, turpemque violationem compellat, eſſe praeſidis partes*, de querelis eorum cognoſcere, eosque venire jubere: ita ut in prioris domini poteſtatem non revertantur. Quam igitur poteſtatem habebit dominus erga ſervum? & plurimam, ſed levi caſtigatione animadverteret in eum, cum plurima ſint beneficia, quae ab ipſo ſervo dominus ſit habiturus, ex quibus nonnulla in praeſentia in medium afferre operae pretium eſt. *Quodcunque igitur per ſervum acquiritur, id domino acquiri* certiſſimum eſt, *l.* 1. §. 1. *D. eod.* & §. 1. *Inſtit. eod.* & §. *item vobis* 3. *Inſtit. per quas perſon.* & *l. placet.* 79. *D. de acquir. haered.* & eſt ratio, quia non videtur aliquid ſibi poſſe acquirere, qui ab alio ſit acquiſitus: ut quis ſuus non eſt, ſicut hi, *neque poſſunt videri aliquid poſſidere, qui ab alio poſſideantur, l. cum haeredes* 23. §. 1. *D. de acquir. poſſ.* Item dominus *per ſervum poſſeſſionem acquirit, l.* 1. §. *item acquirimus* 5. *D. de acquir. poſſ*, ſicut & per eum, quem bona fide poſſidet, licet alienum, vel liberum. Item per eum, in quo uſumfructum habet, dominus poſſeſſionem acquirit, ſicut & domino idem ſervus operis ſuis acquirere ſolet, *l.* 1. §. *per eum* 8. *D. eod.* Item *quod ſervus ex traditione naniſcitur, ſive quid ſtipuletur, vel ex qualibet alia cauſa acquirat: id domino acquirit: ipſe enim ſervus, qui in poteſtate alterius eſt, nihil ſuum habere poteſt, l. acquiruntur* 10. §. *igitur* 1. *D. de acquir. rer. domin.* Hinc illud procedit, ſi haeres inſtitutus ſit, niſi juſſu domini adire haereditatem non poſſe; quod ſi juſſu domini adierit, haereditas domino acquiretur, perinde atque ſi ipſe dominus haeres fuiſſet inſtitutus; item & ſi quid legatum ſit ſervo, domino per eundem acquiretur: unde & proprietas, & poſſeſſio etiam per eosdem domino acquiri ſolet, ut ſupra diximus; ſervos a domino adoptatos liberari poſſe. Apud Catonem bene ſcriptum refert antiquitas, illumque ſervum, quem dominus, actis intervenientibus, hoc eſt, coram judice, filium ſuum appellaverat, liberum eſſe, per Conſtitutiones Juſtiniani ſancitum eſt, *l. unica* §. *ſimili quoque modo* 4. *C. de liber. Latin. toll.* Servi poenae effecti filios ſuos in poteſtate habere deſinunt (*Servi autem poenae efficiantur, qui in metallum damnantur, aut beſtiis ſubjiciuntur*, §. *poenae* 3. *Inſtit quib. mod. jus patr.*) ſervum ſuum dominus teſtamento cum libertate recte tutorem dare poteſt, ſed ſi ſcripſiſſet in teſtamento talia verba: CUM LIBER ERIT, inutiliter data erit tutela; ſed ſi ſcripſiſſet eundem ſervum tutorem in teſtamento, nullam de libertate mentionem faciens, benignius interpretandum eſt, tacitam videri datam libertatem, ideo eum recte tutorem accipi debere. *Servus item, manumiſſus a domino, capite non minuitur, quia nullum habet caput*, hoc eſt, ſtatum, § 4. *Inſtit. de capit. dimin.* Proinde ſervus dicitur, non minui capite, quia nullum habet; hoc eſt, nec libertatem, nec civitatem, nec familiam; quibus ſi quis exuatur, maxima dicitur capitis di-

 mi-

Digitized by Google

minutio, *ut acciſit iis, qui ſervi poenae efficiuntur atrocitate ſententiae, vel libertis, nomine ingratitudinis in patronos condemnatis, vel qui ſe ad pretium participandum venundari paſſi ſunt*, §. *maxima* 1 *Inſtit. eod.* Item ſervi in teſtamento in numerum teſtium adhiberi non poſſunt, §. *teſtes* 6. *Inſtit. de teſtam. ord.* licet aliquis cum ſervus eſſet, liber exiſtimaretur tempore teſtamenti, taleque teſtamentum valere ex reſcriptis divi Hadriani, & divorum Severi & Antonini (ac ſi ut oportebat, factum eſſet) receptum ſit, §. *ſed cum* 7. *Inſtit. eod.* & *l. Barbarius Philippus* 3. *D. de offic. praet.* quia eo tempore, quo ſignaretur tale teſtamentum, omnium opinione tanquam liber, teſtis ſit admiſſus. Item ſervum facere teſtamentum non poſſe, non eſt dubitati juris, *princ. Inſtit. quib. non eſt permiſſ. fac. teſt.* & §. 4. *verſ. Licet. Inſtitut. de haered. qualit.* cum in aliena poteſtate ſit conſtitutus, nec ea, quae non habet, in teſtamento relinquere poſſit. Servum ex perſona domini jus ſtipulandi habere, *Rubrica De ſtipulatione ſervorum* indicat, *princ. Inſtit. de ſtipul. ſerv.* Hinc neque mutum, neque ſurdum, neque infantem lex ſtipulari permittit, niſi per ſervum praeſentem ſtipulantem, qui & acquirit eis ex ſtipulatu actionem, *l. 1. in princ. D. de verb. obl.* Item ſi ſervus pro domino negotium geſſit cum aliquo, Praetor actionem adverſus dominum in ſolidum pollicebatur, hac ratione, quia is, qui ita contraxit, fidem domini ſecutus fuiſſe videtur, §. *ſi igitur* 1. *Inſtit. quod cum.* Item dominus, ſervi ſui nomine conventus, noxali judicio ſervum ſuum actori noxae dedendo liberatur, non tamen in perpetuum dominium a domino transferri videtur ſervus, ideo ſi damnum actori ſarcire ſervus noxae deditus ſit paratus, juſſu Praetoris adverſus voluntatem domini manumittetur, §. *dominus* 3. *Inſtit. de noxal. action.* *Lege Aquilia cavetur, capite primo: Qui ſervum, ſervamve; alienum, alienamve; quadrupedem, vel pecudem injuria occiderit: Quanti id in eo anno plurimi fuit, tantum aes dare domino damnas eſto:* inde videtur ſervis quadrupedes exaequare, *l. 2. D. ad legem Aquil.* Item ſervos appellare non poſſe, reſpondit Macer *l. ſervi appellare* 15. *D. de app.* Item ſervi *ab omni militia prohibentur, alioquin capite puniuntur*, *l. ab omni militia* 11. *D. de re milit.* & *l. ſuper ſervos* 6. & *l. ſi quis ſervus* 7. *C. qui milit. poſ. lib.* 12. Corn. Tacitus *lib.* 2. meminit. Hinc Sapientiſſimus Poetarum *lib.* 9. *AEneid.* in Helenore morem militantium monſtravit, cum ſic cecinit, v. 546.

Quem ſerva Licinia furtim
Suſtulerat, vetitiſque ad Trojam miſerat armis, ...
Enſe levis nudo, parmaque inglorius alba,

Morem hunc innuit & C. Plin. *lib.* 10. in *Epiſtola* 38. ad Trajanum, ubi de ſervis inter tirones inventis, meminit: quod & Cicero *in Dejotarana* ſignificat. Quanquam jure naturali primaevo ſervos militaſſe legimus, *c.* 14. *Geneſeos.* Quin etiam, decedente domino ſine filiis, ſuccedebant, *Geneſ. c.* 15. *v.* 4. Bonaque poſſidebant, *lib.* 2. *Regum cap.* 9. & *cap.* 16. & ſi paulo honeſtiores erant, ad munera publica aſſumebantur, quod Ariſtoteles *lib.* 4. *c.* 15. *Politices* atteſtatur. Sed apud veteres Germanos, qui jure gentium vivebant, non multum a liberis ſervi diſtabant, quod Cornelius Tacitus tradit in *libello Germanorum.* Aliquando etiam propter neceſſitatem, ut notatur apud Max. Valer. *lib.* 7. *cap. de neceſſitate* 6. qui ait, Senatum auctore Tiberio Graccho Conſule conſtituiſſe, ut quatuor, & viginti millia ſervorum compararentur, ad ſuſtinendum impetum Poenorum. Item *adverſus dominum, quaeſtio de ſervis habenda non eſt, nec interrogatio quidem valere debet, & multo minus judicia ſervorum contra dominos admittenda ſunt*, *l. divus Pius* 9. §. 1. *D. de quaeſtion.* & *arg. l. ſi liberti* 21. *C. qui accuſ. non poſ.* & *l. ... tit. de quaeſtion. l. 2. C. ... ejus voc.* & *C. Theod. ... crim. maje. l. ... dom. ... patron. lib. ſea famil. accuſet.* Quod & Cicero in oratione pro Dejotaro rege *cap.* 1. affirmat, in haec verba: *Nam cum more majorum de ſervo in dominum, ne tormentis quaeri liceat.* Legimus tamen aliquando antea, in illa prima aetate hominum, in qua plures quam retro inveniebantur ſancti homines, dominos etiam ſolitos ſubire judicium cum ſervis ſuis, cum illi diſceptarent adverſus dominos. Job itaque Rex, *cap.* 31. *v.* 13. ſic innocentiam ſuam apud Deum teſtatur: *Si contempſi ſubire judicium cum ſervo meo, & ancilla mea, cum diſceptarent adverſum me.* In AEdilitio edicto, qua parte de mancipiis cautum eſt, ſic ſcriptum fuit, quod Aulus Gellius refert, *lib. Noct. Attic.* 4. *cap.* 2. *Titulus ſervorum ſingulorum, ut ſcriptus ſit, curato: ita ut intelligi recte poſſit, quid morbi vitiive cuique ſit, quis fugitivus, errove, noxave ſolutus non ſit, &c.* Quae Ulpianus ad verbum copioſius proſequitur, *l. 1. D. de aedilit. edicto.* Quis ſit fugitivus; & ſervus declarat, *l. quis ſit* 17. *D. eod.* & tenetur venditor praeſtare, ne ſervus ſit levis, protervus, deſidioſus, ſomniculoſus, piger, tardus, comeſſator, ſed ex diverſo, ut is ſit conſtans, laborioſus, curax, & vigilax. *Non tamen ut amare exigatur ab emptore, ſed cum quodam temperamento, ut non exacta gravitas, & conſtantia, quaſi a philoſopho deſideretur, ſi laborioſum & vigilacem affirmaverit: non continuus labor per dies, noctesque ab eo exigitur, ſed omnia ex aequo, & bono modice deſiderentur*, *l. ſi quid venditor* 18. *D. eod.* Item venditor praeſtare tenetur emptori. *Servum non aleatorem, nec furem eſſe, ad ſtatuam nunquam confugiſſe*, *l. ſciendum* 19. § 1. *D. eod.* & ſimilia. Sed *ſi ſervus ſolitus ſit, ludos aſſidue ſpectare, aut tabulas pictas ſtudioſe intueri* (Cicer. *in paradox.*) *ſive ſit mendax, aut ſimilibus vitiis teneatur, animi potius, quam corporis, vitium eſſe* exiſtimavit Venulejus, *l. fin. D. eod.* ideo non teneri venditorem id praeſtare debere. Sed jam videamus, qualis ſit ſervorum in jure conditio; & ſciendum (quod ad jus civile attinet) ſervos pro nihilo ſemper reputatos eſſe, *l. quod attinet* 32. *D. de reg. jur.* & *l. 1. in princ. D. de jur. delib.* & ideo exiſtimatum, nullam inter eos agnationem, *l. is qui* 7. *D. unde cogn.* nullum conjugii jus eſſe. Quod ſi manu a domino mitterentur, novos homines cenſeri, & ad id, quod in ſervitute fuiſſent, nihil attendi, quod etiam in ſervis poenae proditum eſt. Unde ſi quis in metallum datus ſit, ſtatim intercidit, quod ei legatum eſt, *l. intercidit* 59 *in fin. D. condit. & demonſt.* §. *quod autem* 6. *Inſtit. de capit. dimin.* nec quicquam refert, quod indulgentia principis reſtitui poſſit: etenim reſtitutus, alius homo cenſetur, quatenus princeps etiam jura proximitatis ei reſtitueret, *l. 1. §. filio 4. D. ad SCtum Tert.* Cajus cum ſervis nullam actionem eſſe voluit. Ulpianus in perſonam ſervilem nullam obligationem cadere docuit, § *item inutilis* 6. *Inſtit. de inutil. ſtipul.* Paulus dixit *ſervum reipublicae cauſa abeſſe, non poſſe*, *l. ſervus ult. D. de reg. jur.* cui ſervitus contingit, ille rei capitalis damnatus eſſe dicitur, teſte Ulpiano, *l. 2. D. de poenis.* Servum nec arbitrum, nec arbitratorem eſſe poſſe, placet Ulpiano, *l. illa verba* 68. *D. de ... b. ſign.* quia ad ea, quae juris ſunt, ſervos admittendos jura noluerunt: tum quod in perſonam ſervi jus reſidere nequit, ſed merum factum, §. *ſed cum factum* 2. *Inſtit. de ſerv. ſtip.* tum quod quo ad ea, quae juris civilis ſunt, ſervi pro nihilo habentur. Servus etiam in jure noſtro tabellio eſſe non poteſt, &, ſi tabellio dicatur ſervus publicus a ſerviendo, *l. nec ei* 17. & *l. non enim aliter* 18. *D. de adopt.* & *l. 2. D. rem pup. ſalvam fore.* Non tamen eſſe poteſt ſervus, *l. generali* 3. *C. de tab. lib.* 10. & *gl. in l. fin. C. de ſervis reipub. manum.* ... verb. *Tabularium*, ſervi fidejubere non poſſunt, *l. ſervus inſcio* 19. & *l. ſeq. D. de fidejuſſ.* Sed quoniam jam diu cum ſervis agimus, & de conditione eorum loquimur: age! videamus, quae ſit mali ſervi conditio ultima; &, Quintiliano teſte in *Declamationibus*, ea erat, cum ſine exceptione venales

ſes proponebantur, cujuſmodi fere ſunt pileati ſervi, quorum nomine venditor nil praeſtaret, ut *lib. 7. Noctium Atticarum c. 5.* A. Gellius meminit *Ejus rei cauſa erat, quod illiuſmodi mancipia inſignia eſſe in vendendo deberent, ut emptores errare, & capi non poſſent, ſtatui etiam antiquitus jure belli capta mancipia coronis induta venibant, imo ſub coronis venire dicebantur. Namque ut ea corona ſignum erat captivorum venalium, ita pileus impoſitus demonſtrabat ejuſmodi ervos venundari, quorum nomine emptori venditor nihil praeſtaret.* Sed quis ſit ſervus haeres neceſſarius in jure, obeſſe non poteſt, ſi in praeſentia declaremus: erat igitur haeres neceſſarius ſervus, ſic dictus, quia aut vellet, aut nollet, neceſſe eſſet, domino haeredem eſſe, §. 1. *Inſtit. de haered. qual.* Et eſt haec ratio: nam qui tenebantur creditoribus obnoxii, & putabant ſe non tantum in ſubſtantia, quantum in debitis relinquere, ipſi ſervos ſuos manumittebant, & haeredes neceſſarios faciebant, ut quo magis haeres, quam dominus infamiam incurreret, cum res ejus, id eſt, haereditas domini pro debitis vendebatur, & creditoribus dabatur. Illud etiam ex lege Julia & Papia de libertis annotavero, quae prohibebant, Senatores eorumque liberos, libertinas ducere uxores; ita ut nec virum ſenatorium, & libertam, aut libertini ſtatus mulierem, nullum matrimonium cenſuerint eſſe, *l. lege Julia 44. D. de ritu nupt. & l. fin. C. de nupt. l. cum ancillis 3. C. de ſucceſſ. nupt.* Unde etiam in lege XII. tab. id prohibitum fuit illis verbis: MATRIMONIA INTER PATRES ET PLEBEIOS SEPARATA SVNTO. Legimus aliquando Claudium Caeſarem adeo liberarum mulierum, quae ſervis nuberent, conjugium odio proſequutum fuiſſe, ut praeter legem ingenuitatis, praeterque inſtituta majorem, filios inde editos, non ingenuae conditionis, ſed libertinos eſſe, juraque libertorum nanciſci, & ingenuitatis amittere, lege ſanciverit, ipſaque, ſi maritus ignoraſſet, ſerva eſſet; ſi vero conſcius fuiſſet, liberta. Quod etiam Senatusconſulto cautum eſt (§. *erat* 1. *Inſtit. de ſucceſſ. ſubl. quae fieb. per vend. bon. ex ſenatuſconſul. Claud.*) ut refert Cornelius Tacitus; *lib. 12. Annal. cap. 53.* cujus verba hic placet ſubſcribere, ut manifeſtius intelligatur, quam ſevere in ſervilem conditionem animadverſum ſit a Romanis: *Inter quae* (ait) *refertur ad patres de poena foeminarum, quae ſervis conjungerentur, ſtatuit ut ignaro domino ad id prolapſa, in ſervitutem ſui conſenſiſſet, & qui nati eſſent pro libertis haberentur,* &c [*l. 1. C. de mulier. quae ſe propr. ſer. junx.*] Legimus etiam Veſpaſianum Edicto conſtituiſſe, ut, ſi liberta ſervo alieno ſe junxiſſet, ancillam cenſeri. Quod & in Langobardorum legibus non ſemel a nobis perſpectum eſt, dum eas legeremus. Sic enim Rex Lotharius in ſervum, qui liberam mulierem uxorem duxerit, animadverti juſſit, *l. 2. ſi ſervus liberam puel. vel mul. in conjug. accep. lib. 2. Si ſervus,* inquit, *liberam mulierem, aut puellam auſus fuerit, ſibi conjugio ſociare, animae ſuae incurrat periculum, & eam, quae ſervo fuerit conſentiens, habeant parentes poteſtatem occidendi, aut foris provinciam transvendi, & de rebus ipſius mulieris faciendi, quod voluerint, & , ſi parentes hoc facere diſtulerint, tunc liceat Gaſtaldo, id eſt, actori regis, in ipſam aulam regis ducere, & intra penſiles ancillas conſtituere.* Rurſus idem Lotharius inquit: *Jube[illegible] ſi cujuſcunque ſervus liberam foeminam ſibi cum [illegible]tientem in conjugio ſociaverit, & intra unum ſpatium ſecundum leges ad vindictam traditi non fuerint, ſicut lex tales perſonas noſtro fiſco ſociat, ita noſtra liberalitate concedimus, ut in poteſtate, & in ſervitio domini illius, cujus ſervus fuerat, ambo revertantur.* Legimus etiam apud Paulum Jureconſultum, *libro Sententiarum receptarum 2. titulo 19. de nuptiis, §. 6. inter ſervos & liberos matrimonia contrahi non poſſe, contubernium poſſe.* Sed jam ad ſpecies ſervorum, quae in jure noſtro habentur, veniamus: ut varia animos legentium lectione detineamus.

CAPUT XXI.

Connumerantur ſpecies ſervorum, quae in jure noſtro ſunt. Perpenditur locus Vitruvii, nec non & Apuleji, aliaeque ſpecies ſervorum, quae in noſtro jure non ſunt, enarrantur.

QUoniam de ſpeciebus ſervorum, quorum frequens mentio eſt in jure noſtro, ſumus dicturi: nonnulla huic rei neceſſaria praemittenda ſunt. Sciendum igitur, *Qui mancipia vendere volunt, nationem cujuſque in venditione pronunciare debere. Plerumque enim natio ſervi aut provocat, aut deterret emptorem, idcirco intereſt noſtra ſcire nationem. Praeſumptum enim eſt quosdam ſervos bonos eſſe, quia nationis ſunt non infamatae; quosdam malos videri, quia ex natione ſunt, quae magis infamis eſt:* quod Ulpianus admonuit *l. quod ſi nolit 31. §. qui mancipia 21. D. de Aedil. edict.* Illud etiam animadvertendum erga ſervos, alios eſſe viri, alios eſſe uxoris ſervos, *l. 1. §. ſi vir aut uxor 15. D. ad Senatusconſ. Silan.* quod Gellius meminit *lib. Noct. Attic. 17. c. 6.* cum dicit, *Non enim ſervo mariti imperare hoc mulierem fas erat, ſed proprio ſervo.* Igitur habenda eſt conſideratio diligens in illis, ne ſpecies confundamus, quamvis cum de eis quaeſtio habetur, ſenatus cenſuit ita judicandum, *d. l. 1. & d. §. 15. D. ad SCtum Sil. l. proſpexit 12. D. qui & a quib. manumiſ.* atque in propriis ſervis, non habito reſpectu differentiae. Nunc ſpecies ſervorum aggrediamur. Oſtiarii apud Africanum fit mentio his verbis: *Textoribus omnibus, qui ſui eſſent, cum moreretur legatis, quaeſitum eſt, an is, quem poſtea ex his oſtiarium feciſſet, legato contineretur, & reſpondit contineri; non enim ad aliud artificium, ſed ad alium uſum traductum eſt, l. textoribus 61. D. de leg. 3.* & *l. quaeſitum 12. §. ſi aliquis 8. D. de fund. inſtruct.* Oſtiarius igitur videtur is eſſe ſervus, qui cuſtodit ipſius domini oſtium ſeu cubile. Appellatur etiam admiſſionalis, quaſi admittat adire volentes principem, Lampridio *in Alexandro* Caeſare *c. 4.* Vel verius oſtiarii hi ſunt, qui habent curam veſtibuli, ſeu portae domus, quos vulgo portinarios vocamus. Joannes *in Evangelio, c. 18. v. 16. 17. Petrus autem ſtabat ad oſtium foris: exivit ergo diſcipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit oſtiariae, & introduxit Petrum; dixit ergo Petro ancilla oſtiaria. Numquid ex diſcipulis ejus es, & tu,* &c. Sunt & ſervi negotiatores Marciano, *l. legatis 65. D. de leg. 3.* qui praepoſiti dicuntur eſſe negotiis emendi, locandi, conducendi, ideo videri exceptos legato. Sunt & eidem Marciano, cubicularii ſervi & obſonatores, & piſcatores: appellamus cubicularios eos, qui cubilia domini cuſtodiunt, *arg. l. excipiuntur 14. D. de Senatusconſ. Sil.* quos vulgo nuncupant camerarios, & pene ſunt oſtiariis ſimiles. Obſonatores vero ſervos eos vocamus, qui obſonia emunt domino, ut praeter panem amplius comedat; non, ut ridicule exponit Accurſius pro eis, qui cuſtodiunt dominum, ſomno operam dantem, vel qui ſonant & cantant in menſa domino. Piſcatores autem apud eundem Marcianum non ſunt, qui piſcantur, ut apparet: nam non negotiationis vocabulo hi continentur, ſed dicuntur, qui piſcatoribus, & praepoſiti ſunt, & honoratiores hi ſunt ſervis illis, qui rete negotiantur. Apud Marcianum de lecticariis ſervis etiam habetur mentio; & hi ſunt ſervi, qui lecticam domini ſequuntur, vel eam gubernant. Apud Ulpianum lecticarii ſunt ſervi etiam matrisfamilias, qui eam ſolam portabant. Apud eundem *l. item legato 49. D. de leg. 3.* etiam Coſmetae ſervae dicuntur, quae mulieres exornabant; de quibus Juvenalis ait, *Satyra. 6. v. 476.*

——— ——— ——— Ponunt
Coſmetae tunicas

& de quibus intellexit Marcianus *l. legatis ſervis 65. §. ornatricibus 3. D. eod.* cum dixit, *Ornatricibus legatis, quae duos tantum menſes apud magiſtrum fuerint,* lega-

legato non cedere: nam *corpulo* ſignificat *orno*. Apud eundem Ulpianum, *l. in inſtrumento fundi* 8. §. 1 *D. de fund. inſtru.* & Cicer. *in Parad.* 5 ſunt atrienſes, qui majores & honoratiores erant in domo apud dominum; dicti etiam Columellae, ut eſt in Lucilii verſiculo: *Columella hic Situs Etrophanes*, ubi Columella pro ſervo honoratiore accipitur. Sunt & ſcoparii, qui mundiorem reddunt domum, puta & perticis araneas detergunt; item qui ſpongiis columnas, pavimenta, podia extergunt, & hujuſmodi levia tractant. Sunt & viridarii, qui curant viridia: iſte enim Javoleno ſunt viridia arboribus virentibus loca conſita. Sunt & topiarii, *l. quaeſitum eſt* 12. §. 41. *D. eod.* & *l. in inſtrumento fundi.* 8. §. 1. *eod.* qui arbuſculas, virgultaque ductilia facili flexu in varias formas, & figuras vario, & ſolerti ingenio (quales nunc videmus in hortis principum) effingunt, concinnantque: de his Vitruvius *libro Architectonicoes* 7. his verbis meminit. *Ambulationibus vero propter ſpatia longitudinis, varietatibus topiorum ornarent, ab certis locorum proprietatibus imagines exprimentes.* Sunt & ſiltuarii, qui ſaltus, & nemora cuſtodiunt: ne quis furtim arbores, virgultave caedat, deglabretve. Sunt & piſtorii, & tonſorii ſervi, qui familiae ruſticae cauſa parati ſunt *d. l. quaeſitum* 12. Item Panariae mulieres, quae panem coquant, quaeque villam ſervent. Item Focariae, quae & mediaſtinae ſunt, quae abjectiſſima munia inter ſervos exercebant. Item Lanificae ſunt, quae ruſticam familiam veſtiunt, & coquunt pulmentaria ruſticis. Sunt & aquarii ſervi, qui aquantur, & aquam hauriunt: quemadmodum feciſſe Cleantem philoſophum legimus. Sunt & vicarii: hi dicuntur, qui ſerviunt ordinatis. Et ſunt viliores ſervi, qui majoribus, & lautioribus ſerviunt ſervis; de quibus plurima in jure noſtro fit mentio, *l. ſi peculium* 5. §. *ſi ſervus* 3. *D. de pecul. legat.* & *l. urbana familia* 166. *D. de verb.* & *rerum ſign.* & apud oratores, & poetas. Martialis *lib.* 2. *Epig.* 18.

Eſſe ſat eſt ſervum, jam nolo vicarius eſſe:
Qui rex eſt, regem Maxime non habeat.

Item ſunt & ſacculari, *l. ſaccularii* 7. *D. de extraord. crim.* & directarii ſeu dietarii, qui vetitas exercent artes, ac in ſacculos partem ſubducunt, partem ſubtrahunt. Directarii ſunt, qui ſe dirigunt in aliena coenacula, furandi animo, qui & graece τοιχωρύχοι vocantur: qualis eſt ille fucus Virgilianus, *lib.* 4. *Georg. v.* 243.

Immunisque ſedens aliena ad pabula fucus.

Sunt & monitores ſervi, *l. in inſtrumento* 8. *D. de fund. inſtrum. legat.* qui praepoſiti ſunt his, qui exercent terram, & agrum colunt; dicti & villici, *l. urbana familia* 166. *D. de verb.* & *rerum ſign.* & ii ſunt, qui praeſunt negotiis domini: quamvis alio modo intelligi eos non me latet, qui ſuppeditabant voces artis muſicae his, qui eſſent oraturi, ut Quintil. meminit: & aſſerit Valer. Maxim. de pronuntiatione, exemplo C. Gracchi, quem, *ſervum poſt ſe muſicae artis peritum habuiſſe* refert *lib.* 8. *cap.* 10. *qui occulte eburnea fiſtula, pronunciationis ejus modos formaret, aut nimis remiſſos excitaret, aut plus juſto concitatos revocaret.* Eſt & actor ſervus eidem Ulpiano, *d. l. quaeſitum* 12. & eſt is, qui agit pro domino, & mittitur foras in aliquam provinciam ad negotiandum pro domino, puta merces. De hoc ita §. 38. Papinianus comminiſcitur: *Praediis inſtructis legatis, actorem ex his in provinciam miſſum, ut ordinatis negotiis, ad priſtinum actum rediret, legato praediorum cedere, quamvis nondum redierit.* Apulejus in *lib.* 8. *Aſini aurei*, de hoc intellexit, cum ait: *Si civem tibi Romanum vendidero pro ſervo, quem emis bonum, & frugi mancipium: quod te & foris, & domi poterit juvare.* De eodem ſervo actore meminit Paulus, *l. fin. D. de offic. praeſid.* fit mentio apud Juſtinianum §. *poena* 7. *Inſtit. de injur.* Item apud Columellam *lib. de re ruſtica* 1. *cap.* 7. *Nam* (inquit) *& ipſi diripiunt, & ab aliis furibus non cuſtodiunt: ſed nec conditum cum fide, rationibus inferunt: ita ut* [illegible]*, ut & alter; &* [illegible] *peccent, & a* [illegible] *infamentur*: & ibi plura. Sunt & balneatores [illegible] Paulo Juriſconſulto hi, qui curant balnea: hi poſſunt dici & capſarii, qui ſub [illegible] veſtimenta ſervanda in balneis; quamvis illi poſſint eſſe balneis [illegible], hi [illegible] tantum ad ſerviendum parati. Sunt & Scaevolae Arcarii, qui in arca rationes dominicas adſervant, dicti & cellarii: ſunt &, qui faciunt arcas Arcarii. De capſ[illegible] Suetonius *in Nerone cap.* 36 *Conſtat* (inquit) *quoſdam cum paedagogis, & capſariis, uno prandio pariter necatos.* Paulus alio ſenſu accipit *l. nam* [illegible] *autem* 3. *in fin. D. de offi. praefect.* [illegible]. Eſt & capſarius, *qui portat libros*, apud Ulpianum, *l. ſi collactaneus* 13. *D. de manum. vind.* & *l. fin. D. de jur. immun.* Sunt qui vocentur ſupellectiCarii ſervi, *l. quaeſitum* 12. §. *Idem* [illegible] 31. *D. de fund. inſtruct.* Hos ego ſic dictos opinor, quia ſupellectilem domus cuſtodiunt, & eſſe illos, quos vulgo diſpenſatores vocamus. His adjunguntur ſymphoniaci, comoedi, *l. proinde ſi ſervum* [illegible] *D. ad leg. Aquil.* fornicarii, non (ut ibi corrupte legitur *fornicarii*) & ploſtrarii, victores, qui vaſa vinaria religant, & ſtipant. Sed quis omnes enumeret? Qui multas, & pene infinitas ſervorum ſpecies legere velit, adeat Caelii Rhodigini *Lectionum ant.* [illegible] *lib.* 25 & Alexandri Neap. *Dierum genialium l.* 3 qui viri & ſcientiſſimi & locupletiſſimi, ſcientiſſime ac locupletiſſime de his tractarunt. Nos interim ne quis putet [illegible] accepiſſe iſta, quae modo ſcripſimus [illegible] ſciat, multum laboraſſe, ut ea apud Juriſconſultos colligeremus: quod factitatum eſt a nobis, cum legeremus leges, ut, aſperſis aliquibus notulis in marginibus noſtrorum Codicum, haec poſtea habuerimus praeparata ad hunc praeſentem laborem: quae & indicabunt aliae ſpecies ſervorum, a nemine (quod adhuc ſciam) declaratae: quas in praeſentia nolui ſilentio involvere, ne quis prae me edat; dicantque poſtea malevoli: en fur! en alienorum ſcriptorum compilator, qui ex alienis racemis ſibi vindemiam vendicat! en, qui aliena vivit quadra! En immuniſque ſedens aliena ad pabula fucus! En directarius! Sed hi ſciant, velim, me nuſquam auctorem, per quem profecero, latenter praeterire velle: cum hoc non ſat ſani, & candidi hominis ſit ingenium. Scio, hiſque auribus audivi quandoque, quendam Neapolitanum, paulo ante a me relatum, a multis bene doctis, & eruditis viris reprehendi: quod auctores, a quibus ea, quae ſcripſit, ſumpſerit, ſubticeat, rarenterque, & pene nunquam nominet. Caeterum jam ſervorum eas ſpecies, quae ab aliis nobis, ceu quaedam ſpicilegia relicta ſunt, demonſtremus. Sunt apud Ulpianum, *l. aut damnum* 8. §. *quicunq* 11. *D. de poenis* quidam ſervi, qui in ludum venatorium damnantur: & hi ſunt juniores ſervi, qui quidem amittunt libertatem; cum & iſti poenae efficiuntur, hi appellari poſſunt ſervi venatorii. Ludus enim, ut ait Paulus *libro receptarum Sententiarum* 5. *titulo de Abolitionibus. Una eſt ex mediocrium delictorum poenis: ſicut metallum, deportatio**. Item Pyrrhicharii apud eundem Ulpianum ſunt ſervi, ſic dicti, quaſi ſaltatores. Pyrrhicha enim eſt genus ſaltationis bellicoſae, a Laconibus inventa, qu[illegible]orum filii, a quinto anno aetatis condiſcentes, [illegible] ſolebant: ſuo loco uberius declarabimus. Sunt & alii ſervi Marciano Juriſconſulto *ἀτιμώδεις* dicti, *l. ſunt quidam ſervi* 17. §. 1. *D. eod.* Hi ſunt ſerviles, qui ſine civitate in opus publicum perpetuo dantur, in inſulam deportantur, ſeu in miniſterium mo-

* De his meminit Plin. *in Epiſt. ad Trajanum*, *lib.* 10. *epiſt.* 40. h[illegible] verbis: *Quidam, vel in opus damnati, vel in ludum (ſimilia in his genera poenarum) publicorum ſervorum officio funguntur.* Strabo *lib.* 10 & Solinus, Plato *lib.* 7. *de legib.* Dionyſius Halicarnaſſeus *lib. Antiquitatum* 7. & Apul. *in Metamorph. lib.* 10.

metallicorum : hi poſſunt dici inſulares. Sunt in feudis & ligii ſervi, ſic dicti, quia illos princeps, pollices eorum ſuis ligans, fidei, imperiiſque ſuis vincit, ac obnoxios facit : hinc ligium ſervitus eſt dicta. Quo vocabulo Franciſcus Petrarcha in quadam Cantione utitur : & Jovianus Pontanus in *ſecundo libro de bello Neapolitano* comminiſcitur. Legimus aliquando & in lege Langobardorum quoddam genus ſervorum, quod hoc loco putavi non omittendum : quia forte non omnibus ſtudioſis prae manibus ſunt Langobardorum leges : igitur non obfuerit (ut puto) illa ſuperpondii loco hic addere. Erant ſervi Aldii apud Langobardos dicti, *l. de manumiſ. lib.* 2. qui caeteris digniores habebantur : qui cum manumittebantur non in quadrivium per quartam manum ducebantur, ſicut illi, qui amond, ſulphreal, & impans nominabantur. Erat & apud eoſdem denarialis ſervus, qui cum manumitteretur, liber per manum regis, cum denario in manu fiebat : is poterat acquirere usque dum perveniret ad tertiam generationem. Erat & chartularius ſervus †, qui forte chartas faciebat, non is (quod non eſt putandum) qui documenta conſcribit : cum is non eſſet in numero ſervorum, ut ſupra *cap.* 20. dixi; nec ſervus eſſe poſſit tabellio, ut ſupra diximus. Sunt apud Marcianum (ut illud etiam hoc loco ex abundanti adnotemus) *Veterana & novitia mancipia. Veterana dicta*, ut ait ille, *quae anno continuo in urbe ſervierunt*, *l. interdum* 16. *§. quoties* 3. *D. de publican. Novitia autem intelliguntur*, *quae anno nondum ſervierunt*. De his meminit & Venulejus Juriſconſultus *l. animi potius* 65. *§.* 2. *D. de AEdil. edict.* Sed *jam* copioſiſſime declaratis a nobis ex fertiliſſimo juris civilis campo ſervorum ſpeciebus, transeamus ad illam amoenioris prudentiae virentem ſylvulam; ut ex variis ibi decerptis arbuſculis, delicatis animis, quietis umbratilem ſedem contexamus : utque jam diu in ſtatu ſervorum conſtituti, hoc *ſequenti* prius *capite* expedito, quod de ſervis reliquum eſt, manumiſſi evadamus.

† APPENDICULA.

De chartulatio, vid. Alc. *in rub. de offic. or. in jure canonico*, & Pyrrhum Anglebermeum *lib.* 1. *de quaeſtoriis magiſtrat.* Erant chartularii, qui tractores a Juſtiniano dicuntur : quibus tractus mercium ad finitimas erat conceſſus : hi etiam ſerviebant Quaeſtoribus, & tabularii grammates vocabantur, qui tabulis nomina recepta, & impenſa deſcribebant : etiam & chartopatti chartae publicae aſſervatores.

CAPUT XXII.

Quis ſit ſervus receptitius, qui literatus, qui Brutiani fuerint; quis ſit ſervus de lapide emptus; quis dotalis ſervus; excuſſus Plauti, & Columellae locus; declaratus Modeſtini Juriſconſulti locus; & quid ſit ferratile genus Plauto; enumerata poenarum genera, quibus ſervi afficiebantur, multaque alia ad ſervos pertinentia.

QUum multa ex latinitatis electiſſimis auctoribus, quae ad ſervos pertinerent, me lectitaſſe meminerim : operae pretium facturum me arbitratus ſum, ſi in praeſentia nonnulla in medium ſtudioſorum animos recreandi, & jucundandi gratia afferrem. Nam ſatis, ſupra, quae de ſervitutibus ad jus ſpectarent, me dixiſſe reor. Eia igitur ex ſupellectile Latinorum librorum aliqua depromamus! Scribit A. Gellius *lib. Noct. Attic.* 17. *cap.* 6. receptitium dici ſervum, qui ſit flagitator ejus pecuniae, quam mulier, cum dotem marito daret, retinuit, contra ſententiam Verrii Flacci, exiſtimantis, *Servum receptitium nequam, & nullius pretii, qui cum eſſet venundatus redhibitus ob aliquod vitium receptusque ſit, &c.* Legimus & apud veteres cervos pro ſervis accipi ſolitos : a celeritate enim ſic dictos, quia fugitivi pro majori parte eſſent ſervi, meminit Crinitus *libro de honeſta diſciplin.* 19. *cap.* 8. ubi Martialis locum reſtituit, & Sexti Pompeji *librum* 19. *de verbor. ſignific.* citat : meminit & Caelius Rhodig. *Lectionum antiquarum lib.* 25. *cap.* 24. Sed & ſervos olim fures appellatos legimus. Virgilius in Palemone, *Eclog.* 3. *v.* 16.

Quid domini facient, audent cum talia fures?

Quo loco vide quae ſcribit interpres, qui etiam annotavit. Erant ſervi & literati, qui notas in fronte exuſtas gerebant, propter aliquod crimen admiſſum, ſicuti Syracuſanos, Samios, & Athenienſes fuiſſe notatos, Alexander Neapolitanus *libro Genial.* 5. refert. Hinc dixit Apulejus *libro* 9. *Aſini aurei* frontes literatos : quod etiam annotavit Beroaldus Philippus, vir in re litteraria & doctiſſimus, & diligentiſſimus. His ſunt & addendi Brutiani, qui ſervi & dicebantur Lorarii, qui magiſtratus ſequebantur, & quos erant juſſi, vinciebant, aut verberibus afficiebant. Vide Aulum Gellium, Virum prope unum, linguae Romanae delicias, *lib. Noct. Attic.* 10. *cap.* 3. & Crinitum *de hon. diſciplin. lib.* 2. *cap.* 7. & Caelium Rhodiginum, omnis antiquitatis peritiſſimum, *lib.* 25. *cap.* 19. & Beroaldum *in annotationibus* Apuleji *De Aſino aureo lib.* 9. Legimus etiam illud, apud veteres ſervos ſale commutatos fuiſſe a mercatoribus, & vino quaeſitos, argentoque coëmptos. Apud Ulpianum, *l. aut damnum* 8. *§. in miniſterium* 8. *D. de poenis. Foeminae in perpetuum, vel ad tempus, & in ſalinas damnari ſolent.* Sed videamus, qui ſint ſervi de lapide empti apud Columellam, *libro quarto*. in cujus explicatione quique viri eruditiſſimi deſudarunt, ut ait Rhodiginus : de lapide igitur empti ſervi hi dicebantur, qui aliquibus flagitiis, aut mortiferis criminibus digni eſſent, ut praecipitarentur, quique redempti ſint, & a faucibus ſupplicii liberati, quamvis alii (ut idem refert Rhodiginus) aliter ſenſerint, ut ad Tarpejum ſaxum referatur; quae expoſitio mihi maxime arridet, licet non ipſi Rhodigino : cum Modeſtinus ajat, *l. ſi diutino* 25. *§.* 1. *D. de poenis. non poſſe aliquem ſic damnari, ut de ſaxo praecipitetur.* Quem locum ſic intelligo (ut illum obiter exponam) ut nullus poſſit damnari longo tempore, ut de ſaxo praecipitetur, qui in recenti, id eſt, ſtatim, & ſine mora poſt perpetratum flagitium ſit ſententiam excepturus, ut ibidem dicitur. Solent enim quidam inveniri aliquando, qui adeo ſic flagitioſi ſunt, & criminoſi, omniumque ſcelerum imbuti, facinoroſi, homicidae, ut ſtatim nulla dicta in longum damnatione, ſint aut capite amputandi, aut cremandi, aut furca figendi, quales eſſe ſolent famoſi latrones, *l. capitalium* 28. *§ famoſos* 15. *D. eod.* quamvis in ſervos ſeverius, quam in liberos famoſos, veteres animadvertiſſe Calliſtratus ferat, *d. l. capitalium* 28. *in fin. D. eod.* Recte igitur ad rem dixit Venulejus *IN RECENTI, & non poſſe quem ſic damnari, ut de ſaxo praecipitetur*, cum ipſa poena praecipitationis de ſaxo ab eo ſtatim, & in recenti, qui crimen praeter modum admiſit, ſit luenda. De lapide emptis tribunis ſit mentio apud Ciceronem in *oratione contra Lucium Piſonem*

APPENDIX.

Apud Juriſconſultos ſit mentio de ſervis dotalibus, qui, ut ex ipſo vocabulo apparet, dicuntur illi, quos uxor cum dote ad maritum attulit. Paul. lib. 6 ad Sabinum ait, *l. ſi id quod* 28. *§.* 1. *D. de donat. inter vir. & uxor. Si quid in pueros ex ancillis dotalibus natos maritus impenderit, aut in doctrinam, aut alimenta, non ſervatur marito : quia ipſe miniſteriis eorum utitur. Sed illud ſervatur, quod nutrici datum eſt ad educandum : quia pro capite id dedit, quemadmodum ſi a praedonibus redemiſſet ſervos dotales.* De his Apul. *lib. Aſini aurei* 10 mentionem facit his verbis : *Et aſſumpto ſtatim nequiſſimo, & ad omne facinus emancipato quodam dotali ſervulo perfidiae ſuae conſilia communicat.* Plaut. *in Aſinaria Act.* 1. *ſc.* 1. *v.* 72. *Dotalem ſervum Sauream uxor tua adduxit, cui plus in manu ſit, quam tibi.* Papinianus etiam titulo *de manumiſſ.* meminit, in *l. ſervum dotalem* 21.

ſionem cap. 15. his verbis: *De me, cum omnes magiſtratus promulgaſſent, praeter unum Praetorem, a quo non fuit poſtulandum, fratrem inimici mei, praeterquam duos de lapide emptus tribunos plebis*; quem locum Aſconius Pedianus refert. Ad hoc alluſiſſe Plautum *in Bacchidibus* crediderim, cum dixit, *Act.* 4. *ſc.* 7. *v.* 16.

C. *O ſtulte ſtulte, neſcis nunc venire te.*
Atque in eo ipſo aſtas lapide, ubi praeco praedicat.
N. *Reſponde, quis me vendit?*

Meminit & Apulejus in *lib.* 2. *Aſini aurei* his verbis: *Conſpicor medio foro procerum quendam ſenem, taſiſtebat lapidem, claraque voce praedicabat, ſi qui mortuum ſervare vellet, de pretio liceretur, &c.* quem locum interpres diligenter obſervavit. Nunc videamus, quid ſit genus ferratile Plauto *in Moſtellaria* in illis verſibus, *Act.* 1. *ſc.* 1. *v.* 17.

Cis hercle, paucas tempeſtates, Tranio,
Augebis ruri numerum genus, ferratile.

In quo loco videntur ſervi eſſe, qui & annulati & compediti dicuntur. Martialis de ſervo manumiſſo, qui Saturno dedicabat compedes, mentionem facit de annulatis ſervis his verſiculis, *lib.* 3. *epig.* 29.

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoïlus annulos priores.

& Tibullus *lib.* 2. *eleg.* 7. *v.* 7.

Spes etiam valida ſolatur compede vinctum,
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

& Juvenalis in *Satyra* 11. *v.* 77.

Haec olim noſtri jam luxarioſa Senatus
Coena fuit. Curius parvo quae legerat horto,
Ipſe focis brevibus ponebat olaſcula, quae nunc
Squalidus in magna faſtidit compede foſſor.

Ubi notandum eſt (ut ex abundanti illud adjiciam hoc loco) Juvenalem dixiſſe *magna compede*, quam Tibullus dixerat *validam*; quod idem eſt, & eſt ea, quae cataſta dicitur. Hinc etiam dixit Apulejus *lib.* 9. *frontes literatos*, & *capillum ſemiraſum*, & *pedes annulatos*; quem locum & ibi interpres ſatis docte (ut ſolet) interpretatur. Hinc & in Aulicos dicimus, eos ferre auratas compedes; quam rem Alciatus ita eleganti emblemate commonſtravit:

Vana palatinos, quos educat aula clientes,
Dicitur auratis nectere compedibus.

Semiraſi erant & ſervi, qui non penitus a ſervitute erant liberati, quibus, cum relaxarentur ex ergaſtulo, aut vinculis, cathenas a manibus pedibusque, quibus vincti erant, dominus incidebat, & vinculorum pars in corpore manebat; cujus rei Perſius poëta his verſibus effigiem quandam ponit, *Sat.* 5. *v.* 157.

Nec tu, cum obſiteris ſemel, inſtantique negaris
Parere imperio, rapi jam vincula dicas.
Nam luctata canis nodum arripit: aſt tamen illi
Cum fugit a collo trahitur pars longa cathenae.

Ad rem dixit etiam Apulejus (ut ſupra notavit) *capillum ſemiraſum*, quaſi quod totus non eſſet liber. Nam qui manumittebantur prorſus calvos fieri, &, raſo toto capillitio, pileum capere, tanquam ſervitutis tempeſtatem effugiſſent, ut naufragio liberati ſolebant. Hic poſtquam de pileo feci mentionem (quod ſupra, de pileatis loquendo, a calamo aufugerat) annotandum eſt obiter, Brutum olim, cum ab eo & Caſſio, Julius Caeſar tribus & viginti plagis (ut ait Suetonius) confoſſus eſſet, ut patriam ab ſe, & Caſſio liberatam ſignificaret, numiſma hac imagine caelatum percuti juſſiſſe, pileo ſcilicet duobus pugiunculis ſuperpoſito. Quam rem Vir maximus Politianus in *Miſcellaneorum cap.* 70. comminiſcitur. Et Alciatus, Vir aeterni nominis, & Juriſconſultorum eloquentiſſimus, in *Emblematum libellum* retulit quatuor verſibus: quos quia ab immortali, & divino viri ingenio emanarunt, ſub cujus glorioſa militia per multos annos militavi, hic ſubſcribere placuit:

Caeſaris exitio, cen libertate recepta,
Haec ducibus Brutis caſa moneta fuit,
Enſiculi imprimis, quos pileus inſuper adſtat,
Qualem miſſa manu ſervitia accipiant.

In *eodem libello* Alciati, quem paulo ante citavi, veteres ignavi ſervi mores ardeolae imagine ſignificaſſe legimus his verſibus:

Ignavi ardeolam ſtellarem effingere ſervi
Et ſtudia & mores, fabula priſca fuit.
Quae famulum Aſteriam volucris ſumpſiſſe figuram
Eſt commenta, fides ſit penes Hiſtoricos.
Degener hic veluti qui ſaevit in aere falco,
Dictus ab antiquis vatibus ardelio.

Sciendum & illud obſervatum apud antiquos, qui ſervi eſſent, unico tantum nomine appellari ſolere (puta Stichum, vel Erotem, vel Damam) quod ſi quandoque manumitterentur, praenomen & cognomen patroni aſſumebant, & tum demum fiebant trinomines; quod ipſum Juvenalis oſtendit illo verſu, *Sat.* 5. *v.* 127.

Tanquam habeas tria nomina.

Quem locum Politianus in *Miſcel. cap.* 31. exponit. Id & innuit Diocletianus in Codice Juſtiniani, *l. cum precum* 9. *C. de lib. cau.* ubi dicit: *Cum precum tuarum conceptio, licet eum, contra quem ſupplicas, ex ancilla tua natum expreſſerit, tamen nomini cognomen, quo liberi duntaxat nuncupantur, addiderit, & non ſervum eſſe, ſed ſervili macula adſperſum comprehenderit: contra eum, qui ſervus non eſt, ſupplicaſſe te intelligis.* Quod & Alciatus animadvertit, *libro Paradox.* 5. *cap.* 5. De ſervis illud etiam legimus amplius ſervos, qui erga dominum ſuum fideles fuiſſent, una cum domino eodem ſepulchro ſepeliri ſolitos, quod Virgil. in *lib.* 5. *AEneidos* innuiſſe videtur, cum dixit *v.* 95.

Incertus geniumne loci, famulumne parentis
Eſſe putet.

Apud Oſcos ſervus dicebatur famul; ideo Virgilius dixit *famulum*. Sed jam ſervum in curru triumphantem videamus: & is quidem ſervus erat, qui cum triumphante Imperatore in curru poſt ducebatur; isque geſtabat lauream ſupra triumphantis verticem, ne ſcilicet oneri ferundo, qui triumphabat, fatigaretur, vel (quod eſt verius) ne nimium inſoleſceret in tam propitia fortuna, aſſidentem in curru prope ſervulum conſpiciens, qui & in magnificentiſſimo triumphantis convivio, quod in Capitolio fiebat, illi has contumelias diceret: Magis ſervo tuo pareo, quam tibi. Hoc expedito, videamus, qui ſint ſervi in Saturnalibus. Sciendum itaque eſt, in Saturnalitiis diebus (quod Macrobius refert) ſolitos eſſe ſervos myſteria ingenuorum ſumere, pilea occupare, veſtes dominorum induere, & ſervos dominis aequales eſſe, ſervosque a liberis nullo diſcrimine differri. Quem morem Martialis poëta ſic attingit, *lib.* 14. *epig.* 1.

Syntheſibus dum gaudet eques: dominisque Senatus
Atque deceat noſtrum pilea ſumpta Jovem.

Quem locum prius corruptum, mox reſtituit praeceptor meus ubique colendus Andreas Alciatus *libro Praetermiſſorum* 1. Nunc genera poenarum nobis enumeranda ſunt, quibus ſervi adficiebantur, ſi quandoque contumaces in dominos fuiſſent. In primis igitur fuit lignum plauſtri, cui temo affigebatur, quae furca dicta; ſervus contumax illam collo ferebat, & eo quaſi jugo ſubactus, manus poſt terga revinctus, per ora omnium circumferebatur, furciferque ab ſingulis nominabatur. Fuit & Pauſicape quaedam machinula orbicularis, quae collo ſervorum circumpoſita, ne manus ori admovere poſſent, prohibebat, ne farinam vorarent (quod καπτειν dicunt) intus dum operantur. Ad hoc alluſit Alciatus *in Emblemate*, cui titulus eſt *Captivus ob gulam*. Notabantur etiam ſervi candenti lamina, aut compedibus vinciebantur, aut in opus metalli, vel ad beſtias mittebantur, aut piſtrino detrudebantur, aut ob improbitatem inſignes de ſaxo praecipitabantur; veluti illi, qui in manifeſto furto deprehenſi fuiſſent: ex lege enim XII. tabul. (ut iſtud adjiciam) praecipitur, ut

ta-

tales de ſaxo praecipitentur, inquit lex. SERVOS AUTEM MANIFESTO FURTO PREHENSOS VERBERIBUS AFFICITO, ET E SAXO PRAECIPITATO. Denique poſt verbera cruciatus, vinculis, nuditate, fame, ſiti, numellis, cathenis, nervis, pedicis, bois, affici ſolebant. Alii muraenis vorandi in piſcinis dabantur; ut apud C. Plinium, de Vedio Pollione, hoc genere ſaevitiae in ſervos ſuos abutente, me legiſſe quandoque memini. Iſtae fere ſunt poenae, quae ſervis injungi ſolebant. Si quis copioſius ſcire cupiat, adeat Alexandri Neapolitani *librum Dierum genialium* 3. & *caput* 20. Fuit olim & apud veteres conſtitutum, ne ſervi uterentur veſtibus liberorum; ut ſcilicet diſtinctio & gradus perſonarum magis dignoſceretur: itaque nec colobia, nec calceos habere; nec crepidis, aut mulleis, quas nobiles Senatores induebant, uti poſſe permittebantur. Ad mulleas alluſit Alciatus *in Emblemate* illo eleganti: NOBILES ET GENEROSI. *Geſtatur patribus Mullea Romulidis.* Multa ſimilia vide apud eundem Alexandrum, *lib.* 5. *Dierum genialium*. Ex Capadocia olim optimos ſervos venales deportatos fuiſſe, apud Plinium legimus. Unde non mirum, ſi Ulpianus juriſconſultus dixit, *l. quod ſi nolit* 31. §. *qui mancipia* 21. *D. de Aedil. edict. Qui mancipia vendere vellent, nationem cujusque praenunciare debere*, tanquam ſciens Capadoces ſervos caeteris meliores. Hinc Apulejus *lib.* 8. dixit: *Is nimio praeſtimandi ſtudio praeconem rogat, cujatis eſſem; at ille Capadocum me, & ſatis fortiuſculum denunciat*: quem locum diligenter interpres exponit. Legimus & apud eundem Plinium *lib.* 16. *cap.* 18. ſervorum veſtes in Gallia vacciniis purpureis tingi ſolere. Artemidorus refert purpuream veſtem ſervis bonam eſſe, propterea quod alias jus geſtandi non habent libertatem, & manumiſſionem ſignificat. Idem etiam ait, ſervis Romanorum ſolitis, qui recte agunt, alba veſtimenta conferre, reliquis mala eſſe. Item Plinius *libro Naturalis hiſtoriae* 35. *cap.* 17. legimus (inquit) majores inſtituiſſe, ſervorum pedes viliſſima creta infici, ut venales denotarent, ad quem morem alluſiſſe Poëtam Tibullum reor, cum ſic cecinit, *eleg.* 6. *in fin.*

Nota loquor, regnum ipſe tenet, quo ſaepe coëgit
Barbara gypſatos ferre catasta pedes.

Plura de ſervis & memorabilia ſi intelligere cupis, quicunque haec noſtra legeris, vide ea de ſervis, quae per praetextatum apud Macrobium *in Saturnalibus* connumerantur; ne videar hic velle omnia congerere. Sed jam de ſervis haec dicta ſint ſatis, & ſuper. Nunc poſtquam manumiſſi ſumus, & jam a ſervitutibus recedimus, ad bella, ex jure gentium introducta, armati transeamus, ut peditibus, & equitibus noſtram aciem inſtruamus.

CAPUT XXIII.

Propoſita quadam Quaeſtione, quae a nullo adhuc tractata fuit; & ſoluta a nobis, quid ſit juſtum bellum; *& an de jure divino bella ſint licita; & qui mos eſſet indicendi bellum apud Romanos; & qui bellum facere poſſunt. Pomponii locus in D. elucidatus, & in fine quaedam exhortatio ad pacem, laudesque CAROLI V. CAESARIS, & nonnulla ad pacem pertinentia.*

L. V. HERMOGENIANUS LIB. I. JURIS ἐπιτομῶν.

EX HOC JURE GENTIUM INTRODUCTA BELLA. Quartum, & ultimum ex jure gentium exemplum ponit hic Hermogenianus de bello, quod quidem ab ipſo praepoſtere videtur poſitum, cum prius de bello, poſtea de ſervitute loqui debuiſſet. Conſtat ſiquidem propter bellum ſervitutes exortas eſſe. §. 2. *verſ. Bella. Inſtit. De jure naturali.* Sed ſolvo, & mea quidem ſententia recte. Nam cum Juriſconſultus primo infra de ſtatu hominum ſit tractaturus (& merito, quia omne jus eſt hominum cauſa conſtitutum) poſtea ſit de rebus & actionibus diſſerturus, ideo hoc loco de ſervitute & manumiſſionibus recte exemplum praemiſit; nec neceſſe fuit Juriſconſulto ordinem ſervare, cum exemplum eſſet tantum traditurus, non autem etiam in praeſentia doceret, ſed ut quaedam principia terminorum ob oculos diſcentium poneret. Sed jam quaeſtiones omittamus! dicit hic Jureconſultus ex jure gentium orta eſſe bella. Idem dicitur in jure pontificio, *diſtinct.* 1. *cap. jus gentium* 9. Sed quomodo introducta ſunt bella ex jure gentium? Si iniqua bella eſſe, nemo eſt, qui non fateatur. Lucanus:

Nulla fides, pietasque viris, qui caſtra ſequuntur.

& *l.* 1. *C. de caduc. tollend.* videretur ergo jus gentium iniquum, quia iniqua inducat. Sed hoc recte diſtinguendum eſt, ne fallamus. Intelligendum eſt itaque, Juriſconſultum in praeſentia non de eo bello, quod licitum non eſt, loqui: porro de eo tantum intelligere voluiſſe, quod a populo Rom. ad injuriam publice propulſandam indicitur, *l. Hoſtes* 24. *D. de captiv.* quod quidem tunc juſtum eſſe, nulli dubium eſt, cum jure naturae inducatur juſtum illud, ut vi vis illata defendatur, *l. ut vim* 3. *D. de juſtit. & jur.* Nec quidem credendum eſt, jus gentium aliud bellum induxiſſe, praeter juſtum: aliter inde injuriae orietur occaſio: paſſimque & ſine humanitatis nomine res ageretur; multorumque incommodo, & periculo, cumque AEnea Virgiliano, tunc merito clamare poſſemus, *lib.* 2. *v.* 314.

Arma amens capio, nec ſat rationis in armis.

Porro nunc videamus, quod ſit bellum juſtum, &, auctore Iſidoro, *libro Ethymologiarum* 18. *cap.* 1. *can.* 23. *q.* 2. *cap. juſtum* 1. *Juſtum eſt bellum, quod ex Edicto geritur de rebus petendis, aut propulſandorum hominum cauſa.* Vel bellum juſtum dicitur, ſi princeps, vel populus indixerit, vel reſpublica, vel major ſubditis, cum ipſius tamen principis reſcripto, ſi fieri poſſit, *cau.* 23. *q.* 1. *cap. quid culpatur* 4. & *tit. Domino guerram* 28. *lib.* 2. *de Feud. hic finitur lex in uſib. feud.* Alii duo belli juſti genera propoſuerunt, alterum quod ſit Imperatoris libido; alterum tutio patriae. Nam pro patria pugnandum ſemper eſt, & licitum eſt, *l. veluti* 2. *D. de juſtitia.* & glo. ibi in verbo *Patriae.* & *cap. fortitudo* 5. *cau.* 23. *q.* 3. & *cap. omni timore* 9. *cau.* 23. *q.* 8. & *cap. ſi nulla* 15. *cau.* 23. *q.* 8. & *cau.* 23. *q.* 1. *cap. nob.* 3. §. *pacem.* Cicero autem *in Officiis*, inſpecta penitius bellorum cauſa, pulchre diſſeruit, *lib.* 1. *cap.* 23. *Ut bellum ita ſuſcipiatur, ut nihil aliud, niſi pax quaeſita videatur.* Et idem *lib.* 1. *cap.* 11. *Quare ſuſcipienda quidem bella ſunt? ob eam cauſam, ut ſine injuria in pace vivatur.* Et profecto bellum cum ſuſcipiendum eſt, neceſſitatis tantum eſſe debet: oportet etenim illud ex jure naturae metiri, hoc eſt, ex defenſione neceſſaria, *d. l. ut vim* 3. *D. de juſtit. & jur.* Nam, ut ait idem Cicero *lib.* 1. *Offic. cap.* 23. *cum tempus, neceſſitasque poſtulat, decertandum manu eſt*: &

APPENDIX.

Bellum civile dicitur, quod inter ſe populus movet, ſecundum Bald. in *l.* 5. *in prin. C. de cad. toll.* & capti in illo bello non fiunt ſervi capientium, quia non ſunt hoſtes, ſed partiales, *l. ſi quis ingenuam* 21. §. *in civilibus* 1. *D. de captiv.* Bellum autem eſt perditio animae, & corporis, ut not. glo. in *l.* 1. *C. publicae laetit. lib.* 12. & operatur dolores, ut in authent. 89. *de armis.* homines etiam facit pauperes: ut ibi not. glo. in *cap. in fin. princ. verſ. Publicas vero peritia functiones,* & bella calamitates inducunt, & maxime bella inteſtina civium contra cives, quia ex eo partialitates, & diviſiones oriuntur: & dicit Bald. in *d. l.* 5. *in princ. de caduc. tollend.* quod quidam Genuenſis ſibi dicebat, quod diviſio in civitate eſt veluti ingreſſus in caſo.

& mors ſervituti, & turpitudini anteponenda. Auguſtus Caeſar (ut refert in ejus vita Suetonius *cap. 25.*) *praelium quidem aut bellum ſuſcipiendum omnino negabat, niſi cum major emolumenti ſpes, quam damni metus, oſtenderetur. Nam minima commoda non minimo ſectantes diſcrimine ſimiles ajebat eſſe aureo hamo piſcantibus: cujus abrupti damnum nulla captura penſari poſſet.* Ad idem in lege XII. tab. lex erat in hunc modum, ut ſcilicet bella eſſent juſta: DVELLA IVSTA IVSTE GERVNTO. Etiam bella geruntur juſte, cum *parta victoria conſervantur illi, qui nec crudeles, nec immanes fuerunt:* ut ait idem Cicero, *lib. 1. Offic. cap.* 11 quod a nobis ſupra oſtenſum eſt, *cap.* 19. Ideo ſociis lex alia XII. tab. jubet parcendum eſſe his verbis: SOCIIS PARCVNTO. Unde illud apud praecipuum Poëtarum in *lib. 6. AEneid. v.* 854.

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Quam quidem rem Romani duces ſemper humane obſervarunt, ut in hiſtoriis non ſemel a nobis perſpectum eſt. Quin etiam divus Ambroſius, ad Bonifacium ſcribens, inquit: *ſicut bellanti & reſiſtenti violentia redditur, ita victoriis capto miſericordia jam debetur, maxime in quo pacis perturbatio non timetur.* Item bellum eſſe & ex jure divino permiſſum ex verbis Evangelii facillime intelligimus; cum Chriſtus dixit: *Reddite, quae ſunt Caeſaris, Caeſari; & quae ſunt Dei, Deo, Matth. c. 22. v. 21. & can. 23. qu. 8. c. ſi in morte* 20. item & alibi, cum milites interrogaſſent Joannem dicentes: *Quid faciemus & nos?* Quibus reſpondit, *neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, ſed eſtote contenti ſtipendiis veſtris, Luc. c. 3. v. 14. can. 23. q. 1. c. militare 5. & diſt. 86. c. in ſingulis* 19. Bellum gerebat & David, & in bello ſanctus erat. Bellum gerebat & Moyſes, Deo tamen nullus charior fuit. Sic & ille Centurio, cujus puerum dominus ſanabat, *Matth. c. 8. V id. v.* 10. bellum faciebat, & bellicam artem tractabat; in illa tamen ſanctus erat. Item Cornelius Centurio erat religioſus, & Deum timens, nihilominus Italicae cohorti praeerat. *Act. Apoſtol. c. 10. v. 1.* Neceſſitas bellum juſtum inducit: non autem bellum tunc juſtum eſt, cum, ut crudelitate, nocendi cupiditate, & rapacitate, libidine dominandi, & feritate rebellandi utimur, illud ſumimus: ea enim in bellis jure culpantur, *can. 23. q. 1. cap. Quid culpatur* 4. Sed forte quis dixerit hoc loco, ſi quisquam juſta arma induat: num neceſſe erat, eum, qui contrariae ſit factionis, injuſtum bellum agere? & ſic videtur, quod bellum illud ſit injuſtum; quod quidem non ſequitur, nec abſurdum eſt, propter ancipites ſententias, utroſque non injuſte belligerare: quam rem quibusdam, reconditis exemplis, & argumentis ex ipſis legibus ſumptis (ne in praeſentia omnia dicam) praeſtantiſſimus Alciatus eleganter, & fortiter adjuvat, *lib. Parad. 2. cap.* 21. Nunc videamus, quot modis bellum eſſe injuſtum dicatur; & receptum eſt quinque modis bellum injuſtum appellari: Primo, ratione perſonae, ſi fuerit perſona eccleſiaſtica; nam non licet ſacerdoti emittere ſanguinem, *cap. his a quibus* 30. *can. 23. qu.* 8. Secundo, rei ratione bellum injuſtum dicitur; cum de repetendis rebus, vel pro tutanda patria non fit, *can. 23. qu. 2. cap. juſtum* 1. *& can. 23. qu. 8. cap. ſi nulla* 15. Tertio, ſi nulla cauſa, ſed pro voluntate propria, nec pro neceſſitate quis pugnare voluerit *can. 23. qu. 1. cap. noli 3. §. pacem.* Quarto, injuſtum bellum facit ulciſcendi animus, *can. 23. qu. 1. cap. Quid culpatur* 4. cum injurias pati oporteat Chriſtianum jubente domino: *Si quis percuſſerit nos in unam maxillam, ut alteram ei praebeamus: & qui angariaverit nos mille paſſus, cum eo duo millia vadamus, Matth. cap. 5. v. 39. & Luc. cap. 6. v. 29.* & ſi quis petierit veſtem, ei & pallium concedamus. Quinto & ultimo: injuſtum bellum dicitur, quotiescunque ſine juſſu principis pugnetur, *d. cap. juſtum.* 1. nam ordo ille naturalis, mortalium paci accommodatus, hoc poſcit: ut ſuſcipiendi belli auctoritas, atque conſilium penes principes ſit, *d. cap. quid culpatur 4. §. ordo autem* Nullus igitur belli in gerere poteſt ſine principis auctoritate. Qua de re Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius Caeſares conſtituerunt: *Ut nullis prorſus ipſis inſciis; atque inconſultis armorum movendorum copia tribuatur, l. 1. C. ut armorum uſus. lib.* 11. Similiter ſummum Pontificem bellum gerere, & indicere poſſe exiſtimaverim; cum penes ipſum ſit utriusque gladii poteſtas: & eo maxime tempore, cum contra Sarracenos, & Chriſti inimicos oporteat, neceſſeque ſit bellum gerere: ut Chriſtiana fides, & catholica conſervetur, *can. 23. qu. 8. cap. igitur 7. & cap. omni* 9. Sed videamus in praeſentia, quot genera decertandi ſint: & Cicero duo eſſe inquit *lib. 1. Offic. c. 11. Unum quidem per diſceptationem, alterum per vim; illud proprium hominis, hoc belluarum eſt.* cum prius eſt, confugiendum ad poſterius, ſi uti ſuperiore non licet. Idem Cicero *ibid.* mea quidem ſententia rectiſſime: *Belli aequitatem ſanctiſſime a populo Romano Foeciali jure perſcriptam eſſe exiſtimavit: ex quo intelligitur nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod, aut rebus repetitis geratur; aut ante denunciatum ſit, & indictum:* quod quidem ad id, quod ſuperius diximus, belliſſime applicatur. Hic poſtquam mentionem feci de bello juſto, & de Foeciali, illud amplius non inutile addendum opinor ex lege XII tab. Si quidem lex erat ſcripta in haec verba: BELLA DISCEPTANTO. Augurum ſcilicet erat munus, & cognitio, ut ipſi cenſerent, num bella, quae populus Romanus movere parabat, eſſent juſta. Foecialium vero munus erat indicendi bellum: ſine quibus bella alioqui juſta non putabantur: neque alius, aut de judiciis, aut de foedere percutiendo tractandi jus erat, quam Foecialibus. Formulam autem verborum indicendi bellum hanc refert Titus Livius, *lib. 1. Dec. 1. cap. 32. Foecialis haſtam ferratam, praeuſtam, aut ſanguineam, ad fines eorum, quibus bellum indicit, defert: & non minus tribus puberibus Romanis praeſentibus, haec dicit. Quod populi priſcorum Latinorum, hominesque priſci Latini, adverſus populum Romanum, Quiritium fecerunt, deliquerunt: Quod P. R. Quiritium bellum cum priſcis Latinis juſſit eſſe, Senatusque populi Romani. Quiritium cenſuit, conſenſit, conſcivit: at bellum cum priſcis Latinis fieret: ob eam rem ego, P. Q. R. populis priſcorum Latinorum, hominibusque, priſcisque Latinis, bellum indico, facioque: id ubi dixit* (inquit Livius) *haſtam in fines eorum emittit.* Et hic quidem veterum Romanorum fuit mos indicendi bellum, quem etſi ſciam a multis auctoribus referri: non tamen in hoc tractatu de bello a me omittendum eſſe cenſui. Indicebatur etiam apud Romanos bellum per Conſulem. Ad Jani templum, quod ad forum olitorium ſtabat, bellum ſuſcepturus conſul, frequenti Senatu, primoribus patrum, ac militibus comitatus accedebat: ipſe incinctus ritu Gabino, ſolenni more fores templi recludebat (is vero amictus erat toga ſuper tergum ſic rejecta, ut lacinia revocata hominem cingeret) inde e columella, quae pro Bellonae templo ſita erat, haſtam conſul jaciebat: ſic acerrima bella, & maxima pro aris, focisque, proque imperio indicebat. Quem morem & Ovidius *libro Faſtorum 6. v.* 205. his verſiculis eleganter attingit:

Proſpicit a tergo ſummum brevis area Circum.
Eſt ubi non parvae parva columna notae.
Hinc ſolet haſta manu belli praenuntia mitti
In regem, & gentes: cum placet arma capi.

Hunc morem maximus Poëtarum, *lib. 7. AEneid.* hunc in modum executus eſt, *v. 607. ſeqq.*

Sunt geminae belli portae (ſic nomine dicunt)
Religione ſacrae, & ſaevi formidine Martis:
Centum aerei claudunt vectes, aeternaque ferri
Robora: nec cuſtos abſiſtit limine Janus.
Has, ubi certa ſedet patribus ſententia pugnae,

Ipſe.

Ipſe Quirinali trabea, cinctuque Gabino
Inſignis reſerat ſtridentia limina Conſul.
Ipſe vocat pugnas: ſequitur tum caetera pubes,
Æreaque aſſenſu conſpirant cornua rauco.

Illud etiam hoc loco addendum puto, per legatos olim bella indici ſolere, quibus proficiſcentibus ad id munus a Praetore, Conſuleve quaedam ſagmina ex loco ſancto accepta tradebantur, ne quis eos violaret; quam rem apud Marcianum Jurisconſultum legimus, *l. ſanctum eſt* 8. *D. de rerum diviſ. & qual.* nec non apud Sextum Pompejum *libro de verbor. ſignific.* 19. ſcriptum extat. Hinc etiam apud Juſtinum, *lib.* 34. *cap.* 3. & apud Valer. Maximum *lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 3. legimus, Antiochum regem a Marco Popilio, legato populi Romani, virga, quam in manu geſtabat, circumſcriptum: licet Plinius hoc factum fuiſſe a Cajo Octavio in legatione ad regem Antiochum ſcripſerit, Plin. *lib. Nat. hiſtor.* 34. *cap.* 6. Teſſerulas etiam quaſdam legatos, cum bellum indictum eſſent, ſecum ferre ſolitos, aliquando apud Jurisconſultos legimus. Pomponius enim ſcribit, *l.* 2. §. 37. *verſ. Deinde. D. de orig. jur. Cum Quintus Fabius ad Carthaginenſes miſſus legatus eſſet, duaeque teſſerae proponerentur, una pacis, altera belli, ebuſio ibi dato, utram vellent, referret, Romam utramque ſuſtuliſſe: dixiſſeque Carthaginenſibus, eos petere debere, ut eam mallent, acciperent.* Quam rem Gellius, in veterum pertractandis monumentis Vir diligens, in *Atticis noctibus* eleganter exequitur, *lib.* 10. *cap.* 27. licet ibi dicat, *caduceum, & haſtam populum Romanum ad Carthaginenſes miſiſſe.* Marci Varronis tamen potior fuiſſe videtur ſententia, qui duas teſſeras, in quibus inciſa fuerint caducei, & haſtae ſimulachra, miſſas fuiſſe, ſuis libris inſcripſerit: in cujus ſententiam & Pomponius Jureconſultus inclinarit. Animadvertendum inſuper & illud apud Pomponium, Raphaelem Volateranum, Virum literariae diſciplinae ſpecioſiſſimum, non *Q. Fabium*, ſed *Q. Mucium* legiſſe, *Philologiae lib.* 29. & Pomponium Laetum, Virum omnis antiquitatis ſcientiſſimum in libello *de Magiſtratibus* idem ſcripſiſſe, quibus Budaeus, humanarum literarum tanquam flumen aureum abundantiſſimum, aſtipulatur: inquit enim Pomponium Jureconſultum eo loco hallucinatum eſſe. Nam Publii Mucii Q. Mucius filius fuit, quem Cicero Jurisconſultorum diſertiſſimum, in *Oratore* appellat. Zaſius tamen, Vir inter eruditos eruditiſſimus, & juriconſultiſſimus, legi maluit *Quintus Fabius*: nam dicit de Mucius tempora non quadrare, & ita ſe invenisse ſcriptum poſtea in textu Norico. Titus Livius appellat, *lib.* 1. *Decad.* 3. *cap.* 18. *Q. Fabium*: ſed omnes Codices veteres Pandectarum, quos viderim; *Q. Mucium*, non *Q. Fabium* habent. Quam lectionem magis probat Alciatus noſter, literarum Phaenix, *libro Parerg.* 4. *cap.* 17. cum aliquando ipſum percunctatus eſſem, quid in hac re ſentiret. Cujus ſententiae, ut accedam, duo faciunt, viri in primis maximi ſpectatiſſima auctoritas; dein quod conſtet, ipſum Q. Mucium jurisconſultum fuiſſe, quem Pomponius inter veteres connumerat, qui legatione functi ſint. Apud Cincium in libro tertio de re militari (ut refert Gellius) extat formula illa belli indicendi, quam ſupra ex Livio retuli, ubi pene ſunt eadem verba, quae foecialis profert. Hoc etiam nolui obiter ſilentio involvere, propterea quod (ut exiſtimo) auctor ille Cincius, quem citat Gellius, *lib.* 16. *cap.* 4. fuerit auctor antiquiſſimus, quem hodie non habemus: unde facile in id adducor, ut credam, Livium multa ab eo in opus ſuum tranſtuliſſe. Sed jam aliqua ex legum campis ad rem noſtram depromamus, ut hunc belli tractatum expediamus, pugnaeque finem imponamus. Sciendum itaque in primis quae in bello capiuntur, ſtatim effici capientium, *l. naturalem* 5. §. *fin. D. de acquir. rerum domin.* & *l.* 1. §. *verſ. item bello. D. de acquir. poſſeſſ.* idque ex vetuſtiore jure gentium permiſſu. Nam videntur in nullius bonis eſſe, quae a dominis pro derelicto habentur: puta, dum pila, id eſt, milites fugiunt, vel cum dominus fugit, & pro derelicto habet: quod contingere ſolet in his, qui λωποδύται, id eſt, veſtium raptoribus fugiunt, pro derelicto habentes pallia ſua, *l.* 1. §. *expoliatores* 1. *D. de effractor.** de quibus Tibullus videtur intellexiſſe illis verſibus, *lib.* 1. *eleg.* 2. *v.* 25.

Securum in tenebris me facit eſſe Venus.
Nec ſinit occurrat quiſquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta praemia veſte petat.

Hanc rem conſtat tamen a jure civili temperatam eſſe aliquatenus, & a Pontificibus confirmatam, ut nempe, quamvis res captae efficiantur capientium, nihilominus milites, quae in bello ceperint, ad ducem ſuum referre teneantur, *argum. l.* 1. *qui praedam* 13. *D. ad l. Jul. pecul.* & *cap. dicat aliquis* 25. *cau.* 23. *qu.* 5. cum de publico ſalaria habeant: unde illud apud Joannem in *Evangelio*: *Milites contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Habent tamen Praetores facultatem aliquid donationis cauſa militibus relinquendi, & eorum fortem remunerandi operam, *cap. jus militare* 10. *ad fin. diſt.* 1. & *l. divus Hadrianus* 8. *D. de bon. damnat.* Quandoque etiam ad accendendos militum animos, pronunciabant praedam ipſorum fore: cujus rei exempla plura ponit Titus Livius, *Decad.* 3. *lib.* 1. *cap.* 43. ut in oratione Annibalis ad milites ſuos, cujus verba ſunt haec: *Quicquid Romani tot triumphis partum, congeſtumque poſſident, id omne noſtrum cum ipſis dominis futurum eſt: in hanc tam opimam mercedem agite, cum Diis bene juvantibus arma capite*, & paulo poſt: *tempus eſt jam opulenta vos, ac ditia ſtipendia facere, & magna operae pretia mereri*, & caetera. Transfugam jure belli nos recipere poſſe jure conſtat, & quae res hoſtiles penes nos ſunt, noſtrae efficiuntur, non publicae, *l. transfugam.* 51. *D. de acquir. rer. dom.* quia lex non dat actionem hoſti ad eam recuperandam: & ideo ſequitur, ut in ejus bonis amplius non ſit, *l. rem in bonis* 52. *D. eod.* & quod quaſi nullius in bonis ſit, merito occupanti conceditur, *l.* 3. *D. eod.* Item, *captus in bello, ſi poſtea reverſus fuerit, poſtliminium habet: hoc eſt jura poſtliminii ei reſtituuntur, ac ſi captus ab hoſtibus non fuiſſet*, *l. poſtliminii* 5. §. 1. *D. de capt.* Item *qui ſe in bello dediderunt, hoſtibus armis victi, carere poſtliminio*, Paulus refert, *l. poſtliminio* 17. *D. eod.* Item qui in bello ad hoſtes transfugit, is nullum poſtliminium habet, *l. poſtliminium* 19. *D. eod. Nam qui malo conſilio, & proditoris animo patriam relinquit, is numero hoſtium habendus eſt.* Item, *ſi quid bello captum in praeda ſit, nec poſtliminio redire*, Labeo, ait. Paulus contra: *imo ſi in bello captus pace facta demum fugit, deinde revocato bello capitur, poſtliminio redit ad eum, a quo priore bello captus erat: ſi modo non convenerit in pace, ut captivi redderentur*, *l. ſi quid in bello* 28. *D. eod. Si in bello miles arma amiſit, vel alienavit, capite punitur, humane militiam mutat*, *l.* 3. §. *miles* 13. *D. de re militar.* Nam ſine flagitio arma non amittuntur: ideo Marcellus ait, arma, quae turpiter amittuntur, jus poſtliminii non habere, *l.* 2. *in fin. D. de capt. In bello qui rem prohibitam a duce fecit, aut mandata non ſervavit, capite punitur, etiamſi res bene ceſſerit*, *l. deſertorem* 3. §. *in bello* 15. *D. de re milit.* Exemplum ejus rei apud Valer. Max. *cap.* 7. *lib.* 2 ponitur, de Poſthumo Dictatore, & Manlio Torquato, qui filios ſuos victores ſecuri feriri juſſerunt: quia ad dimicandum illis inſciis ad bellum profecti fuerant. Quod etiam Virgilius in *lib.* 6. *Æneid.* oſtendit, cum cecinit, *v.* 824.

— — — ſaevumque ſecuri
Aſpice Torquatum.

Diſciplina enim caſtrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quam charitas liberorum, *l. poſtliminium* 19. §. *filius quoque* 7. *D. de capt. & poſtlim. rev.* Hic poſtquam plura ſuggerunt lecta a me in Sacris Bibliis, non praetermittenda eſſe omnino volui, quia interim

* Alciat. lib. Parerg. l. 6. 12.

ſim me magnopere delectant, dum ſcribo, aliiſque (ut puto) delectationem legendi paro. Loquitur apud Moyſen, *in Deuteronomio c. 20. vſ. 4-5.* Deus Iſraëlitis hoc modo: *Si exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus, & currus, & majorem, quam tu habeas, multitudinem adverſarii exercitus, non timebis eos: quia Deus tuus tecum eſt - Appropinquante praelio ſtabit ſacerdos ante faciem, & verba faciet ad populum hujuſmodi: Audi Iſrael, vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis, non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere, nolite cedere: quia Deus in medio veſtrum eſt, & pro vobis contra adverſarios veſtros pugnabit, & eruet vos de periculo. Jubet & duces iterum inter turmas proclamare, & talia dicere, audiente exercitu: Quis eſt homo, qui aedificat domum, & non dedicavit eam? vadat, & revertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello, & alius dedicet eum.* Deinde multa dicunt duces, quibus dictis alia verba addunt: quibus omnibus demum concionibus a ducibus relatis, *vſ. 8. ſeqq.* jubet Deus ducibus, ut unuſquiſque ſuos ad bellandum cuneos praeparet. Item idem Deus, ad populum Iſraël loquens, *iisdem vſſ.* jubet, ut cum acceſſerit ad bellum, & ad expugnandam civitatem, ut primum ei offerat pacem, quam ſi receperit, & portas vobis adaperuerit, cunctus populus ejus urbis ſalvetur, nec occidatur, ſed ſerviat ei ſub tributo: quod ſi noluerit inire foedus, & coeperit contra Iſraël bellum, oppugnet eam civitatem: cumque, Dei auxilio, urbem illam captam habuerit Iſrael, omneque, quod in ea erit, gladio percutiat, omnemque exercitui dividat, & de ſpoliis hoſtium ſuorum comedat. Haec, & plura alia jubet fieri ibidem Deus in bello, quae a me in praeſentia non referuntur: propterea quod ad *finem hujus capitis* finium regundorum Deus Terminus jam dudum me vocat. Sciendum igitur breviter ex hoc bello, omnes titulos illos deſcendiſſe, *De capt. & poſtlim. rever. De re milit. De caſt. pecul. De acquir. rerum domin. De acquir. poſſ.* Hinc etiam tot armorum genera, tot duelli conditiones, tot ſcripta hiſtoriographorum, & hujuſce rei ſimilia innumerabilia emanaſſe. Sed jam libet hoc loco cum Martiale poëta illud carmen intonare, *lib. 6. epig. 25.*

Bella velint, Mortemque ferum rationis egentes.

Et quidem merito! nam hodie bella quis juſte gerit? Quis non latro potius, quam miles? Quis non potius tyrannus, quam civitatum rector, ac moderator optimus? Qui principes tam fideles; qui inter ſe foedera obſervent? Qui reges; Qui Caeſares; Qui recte dominentur? Qui libentius bella in Sarracenos, in Turcas, in Chriſti inimicos ſuſcipiunt, quam in Chriſtianos, quam in eccleſiam Dei, hoc eſt, fidelium Dei congregationem? Haec omnium malorum radix eſt injuſta bellandi ratio: quae non tantum homines, belluas, pecora, armenta occidit, ſed univerſam orbis machinam confundit. Haec (heu, heu miſerabile!) famem horridam, Bald. *in l. 2. in 2. column. C. de patr. qui fil. diſtrax.* haec diram peſtem; haec dolores; haec cruciatus; haec omnia denique morborum genera parit. Qui ſapiens eſt, hanc, ut ſerpentem, ut rabidam tygridem, ut furias, fugiet. Quis non in bello peccat feriendo; caedendo; alios ad occaſionem concitando? quis non gemit, jam jam ferro cervicem praebiturus? quis non miſereatur, tot cadentium voces audiendo? quis non commoveatur, magnum exercitum virorum videndo, qui tam brevi tempore, qui momento ſit moriturus; cujus numeri nullus ſuperfuturus etiam ſit, qui victoriam nuntiet? Deſiſtant igitur mortales inter ſe pugnare! Deſiſtite jam Chriſtiani principes incendium bellorum parare! inter vos ne pugnetis amplius! Ne tanta animis aſſueſcite bella! Neu Patriae validas in viſcera vertite vires! Pugnate potius cum vitiis; reſiſtite voluptatibus. Praelia, quae vobis hoſtes Dei movent, in illos retorquete. Pugnandum pro Chriſto in Turcas; pro fide in Sarracenos; jam tempus poſtulat. Jam [illegible] pro fide Chriſti ſuſ[illegible] eſt [illegible] Chriſtus favet voto [illegible] hoc bellum lex [illegible] permittit. Jam armate [illegible], jam parate [illegible] Chriſtiani crux [illegible]tur; in hoc [illegible] ſtat omnis bel[illegible] [illegible] erit, pro vobis [illegible] Chriſtus, [illegible] nos [illegible] ſtros amore fidei accenſos [illegible] tranquilla poſſidebimus. Tellus [illegible] temporibus [illegible] fru[illegible] reddet: *cap. 11. vſ. 14. & ſeqq. Deuteronom* (*Authent. de monach. & aſcet.* [illegible]) omnia redibunt ſemina, & uberiora: Pluvias dabit dominus in tempore: nec civitates aratrum patientur, nec uſumfructum quaſi mortuae habere deſinent, *l. uſusfructus 2. D. quibus mod. uſusfruct. amittat.* omniaque armorum genera in fal[illegible] vertent [illegible] Et juxta Eſaiam *cap. 2. v. 4. conflabunt gladios [illegible] in vome[illegible], & lanceas ſuas in falces · non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad praelium* & denique pax in omni orbe aurea naſcetur: totoque ſurget gens aurea mundo. [illegible] igitur, Inviciſſime Carole [illegible] tecum pauca loqui) in Turcas jam acies inſtrue, jam claſſes armatas praepara! tibi vincendum eſt, Deo auſpice, tibi immortalis honos, tibi corona immarceſſibilis paratur: tibi uni, ut praecellentiſſimo, ac omnium mortalium ſanctiſſimo, CHRISTUS Deus noſter libenter favorem ſuum praeſtabit. Surge igitur, jam in hoſtes pugnas ſuſcipe! Victor eris, nomenque tuum ſuper aethera tolles. Nos vero interim, ſacra literarum colentes, in otioque literario degentes, tuas laudes, praecelſaque facta (ſi Deus ſinat) altiſono carmine narrabimus, illicitaque bella damnabimus, quae alii tyranni adverſus tuam clementiam immerito perpetrare auſi fuerint: illaque Tibulli poetae cultiſſimi carmina memoria ſaepe repetemus, quae admonent, maximum eſſe furorem mortalium, ſi in bellum progrediantur, cum mors omnibus horis immineat · quae quidem carmina adeo mentem meam imbellem, & penitus inermem efficiunt (ut ita loquar) ut me abſtinere nequeam, quin hoc loco ſubſcribam. Audi igitur Tibullum, equitem Romanum, loquentem ſic, *lib. 1. Eleg. ult. v. 33.*

Quis furor eſt atram bellis accerſere mortem,
Imminet, & tacito clam venit illa pede.
Non seges eſt infra, nec vinea culta, ſed audax
Cerberus, & Stygiae navita puppis aquae.
Illic percuſſiſque genis, uſtoque capillo
Errat ad obſcuros pallida turba lacus.

En maxime Caeſar, quam hi verſus bellum belle vituperent! Sed quid dignius in Chriſtiana religione ſanctiſſima pace: quae omnia laeta reddit, quae Dei immortalis honorem inviolatum conſervat, quae ſanctiſſima templa intemerata cuſtodit; quae ſacerdotes in integritate, & probitate ſua continet; quae Veſtales Deo conſecratas, caſtas, & inculpatas, ab omni ſuſpicione turpitudinis removet; haec civitates condit, ſemidirutas reficit, auget & locupletat: haec regna ſuſtinet, alit pauperes, divites conſervat, mediocres erigit, egentes ſublevat: omnibus chara, & quae omnibus populis ob ceſſationem malorum affert publicam laetitiam, *l. 1. C. de publ. laetit. conſ. lib.* 12. ubi Lucas a Penna, & Matthaeus ab Afflictis, *in titul. de pac. jur. firm. in uſ. feud.* in omni aevo laudabilis; quae terras, campos, vineas fructuoſas facit, quae rura pinguiſſima reddit, omniumque rerum copiam mortalibus ſuppetit; quae, ut leges ab omnibus cuſtodiantur, adhibet pervigilem cauſam, utque nemini fiat injuria, providet. Haec, unicuique ſuum ut reddatur, magiſtra juſtitia efficit; haec puras, & mundas manus eſſe judicum, ut a xeniis, & ſordibus abſtineant, auctoritate legum praecipit, *l. ſolent etiam 6. in fin. D. de offic. proconſ. & l. plebiſcito* 18. *D. de offic. praeſid. l. eadem 6. D. ad leg. Jul. repetundar. & l. 1. D. de extraordin. cogn. & Authent. ut omnes provinc. magiſt. obe. §. nam qui Authent. de pleb.* prae-

praetor. §. *quae omnia.* & *authent. de quaeſtore.* §. *enim vero. can.* 11. *q.* 3. *cap. qui recte* 66. & Corn. Tacit. *lib.* 1. Hac denique duce univerſus orbis recte gubernatur: hanc Chriſtus ille Dei veri unigenitus, cum ſub Octaviano Auguſto ad ſalutem totius humanae carnis natus eſſet, in hunc mundum attulit, coeleſti choro plaudente, & verba divina canente, tum ad gloriam maximi Dei, tum ad pacem hominum, qui in terris degunt pertinentia, *Luc. cap.* 2. *v.* 13. 14. *diſt.* 1. *cap. Nocte ſancta* 48. *de conſec.* quique cum ab humanis diſcederet, pacem diſcipulis ſuis reliquit. O dulciſſimam pacem, quae ſola homines foelices, ac immortales efficis, quae poëtam cultiſſimum Tibullum, ut illam ſententiam praeclaram graviter caneret, admonuiſti, *lib.* 1. *eleg. ult. v.* 39.

Quam potius laudandus hic eſt, quem prole parata
Occupat in parva pigra ſenecta caſa.
Ipſe ſuas ſectatur oves, at filius agnos,
Et calidam feſſo comparat uxor aquam.

Hanc utinam mihi vitam tribuat, & Chriſtus, quam foeliciſſimam etiam optavit noſter Tibullus: cum illud cecinit, *lib.* 1. *eleg. ult. v.* 43.

Sic ego ſim, liceatque caput candeſcere canis,
Temporis & priſci facta referre ſenem.

Illudque a Deo flagitem, ut nobis concedat, quod Tibullus etiam expetendo poſtulat, id eſt nempe, pacem, in hunc modum:

At nobis pax alma veni, ſpicamque teneto,
Perfluat & pomis candidus ante ſinus.

Sed, poſtquam jam pacem precati ſumus, bello derelicto; tuto nunc ad agros noſtros accedamus, terminoſque noſtros agnoſcamus: eoſque hujuſmodi concordibus muniamus, ne laſcivus praeteriens ullo modo effodere valeat.

CAPUT XXIV.

Declarata quaedam verba legis XII. *Tab. de poena moventium terminos; & cur termini poſiti; quiſque auctor eos inſtituerit; & quaedam verba Julii Frontini appoſita. Deque Deo termino nonnulla ex auctoribus recepta; & quae poena a Juriſconſultis noſtris his, qui terminos fodiunt, ſit conſtituta; & lege Solonis de finibus regundis citata; & an termini ſint vere de jure gentium, an civili, declaratum.*

AGRIS TERMINI POSITI. Lex eſt in XII. Tab. poenam his, qui lapides finium gratia locatos ſuſtulerint, imponens, in haec verba: QVI TERMINVM EXARASSIT, IPSVS, ET BOVES SACRI SVNTO. EXARASSIT, hoc eſt, arando exceſſerit; SACRI SVNTO, hoc eſt, ultimo ſupplicio afficiuntor: nam, tanquam victimae, ſacrificabantur, ut, me deſtinat arae. & Virgil. *in lib.* 6. *AEneid. v.* 243.

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Conſtituit, frontique invergit vina ſacerdos.

Et mos fuit aſpergi ſale, & farre, & vino, frontem victimarum, quod ſaepe in morte alicujus facinoroſi factum fuit: unde illud Sinonis Virgiliani, *lib.* 2. *AEneid. v.* 132.

Jamque dies infanda aderat, mihi ſacra parari,
Et ſalſae fruges, & circum tempora vittae.

AUCTARIUM.

Judex non poteſt prorogare terminum banni a ſtatuto limitatum praeciſe ſecundum Bald. *in l. fin.* § *& haec quidem* 13. *argument. illius text. C. de jur. delib.* de quo per eundem in *authent. Jubemus. ad fin. C. de judiciis. & l. de die* 8. *in princ. D. qui ſatisdar. cog. & in l.* 1. *de requir. reis. & in auteni. Qui ſemel in* 4. *col. C. quomodo & quando jud. & in l. fin. in ult. col. D. de fer. & in l. ſi eu* 7. *in penult. qu. C. qui accuſare.* per dominum Alex. *in l.* 2. *D. de re judic.*

Ubi conſtat etiam faſcia ligari ſolitos, & infula: ut eſt apud Suetonium *in Caligula c.* 27. *Curatorem muneris traditum verberatum, infulatumque:* IPSVS, antiquum pronomen eſt, Plauto, & Terentio, & vetuſtioribus: BOVES SACRI SVNTO. Ut etiam iſtud obiter declaremus; ſciendum, apud veteres Romanos nihil in majori pretio, quam boves fuiſſe. Unde apud Homerum hi, qui rapuiſſent boves, maxima afficiebantur poena: ſicuti apud Virgilium *lib.* 8. *AEneid.* de Caco, rapiente boves Herculis, legimus, quam poſtea poenas dediſſe conſtat: & in hiſtoriis Romanis lectum eſt de quodam, qui bovem necavit, ut pueri votis, quem turpe amabat, ſatisfaceret, cumque ſtatim a judicibus ſuppliciis affectum. Val. Max. *lib.* 8. *cap.* 1. & Plin. *lib. Natur. hiſtor.* 8. *cap.* 45. Conſtat etiam in ſacrificiis miro honore habitam carnem bovis: ut eo verſu Virgilii *lib.* 8. *AEneid. v.* 183. apparet: cum apud Evandrum ſacra Herculis fiunt:

Perpetui tergo bovis, & luſtralibus extis.

Illud etiam adjectum eſt religioni de bobus: Argivam ſacerdotem junctis bobus vehi ſolitam ad templa Junonis; quem morem apud maximum Poetarum, *lib.* 3. *Georgicorum, v.* 531. ſic reperies:

Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quaeſitas ad ſacra boves Junonis, & uris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.

Unde & Virgiliana Cyrene Ariſtaeum ad recuperandas apes docet, ut quatuor tauros, ſeu boves deligat, qui Lycaeum montem depaſcant, Napaeiſque ſacrificet, a quibus facile veniam impetraturus eſſet. Tanta fuit veneratio erga boves in prima aetate hominum, quam, aureum ſaeculum fabulantur poetae, ut nulla vis illis afferretur: ſi credimus Marco Ciceroni in *lib.* 2. *de Natura deorum cap.* 63. haec narranti: *Tanta putabatur utilitas percipi e bobus, ut eorum visceribus veſci, ſcelus haberetur:* etſi poſtea mos ſit immutatus, ferrea aetate exoriente, quod idem Cicero pulcherrimo verſu quorundam poetarum refert:

Ferrea tum vero proles exorta repente eſt:
Auſaque funeſtum prima eſt fabricarier enſem,
Et guſtare manu vinctum, domitumque juvencum.

Cui ſententiae alluſit Tibullus noſter, *lib.* 1. *eleg.* 3. cum ſic cecinit, *v.* 35. *ſeqq.*

Quam bene Saturno vivebant rege prius, quam
Tellus in longas eſt patefacta vias.
Nondum caeruleas pinus contempſerat undas,
Effuſum ventis praebueratque ſinum:
Nec vagus, ignotis repetens compendia terris,
Preſſerat externa navita Merce ratem.
Illo non validus ſubiit juga tempore taurus:
Non domito frenos ore momordit equus:
Non domus ulla fores habuit. non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipſae mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia ſecuris ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella, nec enſes
Immiti ſaevus duxerat arte faber.
Nunc Jove ſub domino caedes, & vulnera ſemper:
Nunc mare, nunc lethi mille repente viae.

Illud etiam amplius de bobus aliquando legimus apud Suetonium in *vita Domitiani cap.* 9. Cum aliquando Domitianus illius verſiculi Virgiliani recordatus eſſet; qui is eſt:

Impia quam caeſis gens eſt epulata juvencis.

Edictum ſtatim publicaſſe, *Ne boves immolarentur;* quod factum ejus clementiae tribuitur. Id etiam addendum puto in praeſentia (etſi parum fide dignum videatur) quod ſaepe memini audiſſe ruſticos ſenes ita dicentes: Si quis e collo bovum jugum detraxiſſet, in ignemque conjeciſſet, ut illud combureret, illo in anno ipſum maximos labores ſubiturum, quos vix ferre poſſit. Tanta apud eos ruſticos adhuc viget erga boves reverentia, aut potius vana quaedam ſuperſtitio, ut penitus veterum deorum ignara non ſit. Sed haec

Digitized by Google

haec de bobus pauca, praeter inſtitutum noſtrum, dicta ſiot, ut illam legem XII. tab. explicaremus: Plura alias de bobus, quae in animo habemus, & apud Latinos auctores legimus, dicemus. Nunc ad rem noſtram veniamus. Hic dicit Hermogenianus, *Agris termini poſiti.* Termini qua de cauſa figebantur, clarum eſt ex eo verſu Virgiliano dignoſcere, *lib.* 12. *AEneid.* in quo legitur Turnum in AEneam ſaxum torſiſſe, quod Poëta ſic canit, *v.* 897.

Saxum antiquum, ingens, campo qui forte jacebat
Limes agro poſitus, litem ut diſcerneret arvis.

Patet igitur luce clarius poſitos terminos, ut lites removerentur: quam rem etiam Ovidius poëta *lib. Faſt.* 2. ad Terminum Deum loquens, demonſtrat, cum eleganter ſic dicit, *v.* 659.

Tu populos, urbes, & regna ingentia finis,
Omnis erit ſine te litigioſus ager.

Hinc unusquisque, quod ſuum eſt, cognoſcit: unde nos Julius Frontinus, ad Celſum Peneſtum ſcribens, admonet: ut unusquisque fines ſuos diligenter cuſtodiat, non alienos laceſſat. *Nam*, ut inquit idem, *limes agro poſitus eſt, ut litem diſcerneret arvis. Nam ante Jovem limites non parebant, qui dividerent agros; vicinorum autem exempla ſumite, de quibus poſſitis inculpabiles proferre ſententias: nam ideo ager pedibus menſuratur, ut veritas declaretur.* Hactenus Frontinus *in libro de menſuris*: quae ſententia mehercle facit cum lege Moſis: ioquit enim Deus, *Deut. cap.* 19. *v.* 14. *Non aſſumes, & transferes terminos proximi tui, quos fixerant priores in poſſeſſione tua*: & Salomon *Proverb. cap.* 22. *v.* 28. io eandem ſententiam rurſum admonet nos, *ne praetereamus terminos antiquos, quos poſuerunt patres noſtri*: quam ſententiam & Pontificii libri referunt, *cau.* 7. *qu.* 1. *cap. ſi quis epiſcopus* 31. Sed quis primus terminos agris figi inſtituit, videamus. Conſtat ante Numam nullos poſitos agris terminos: nec in illo aureo ſaeculo uſus terminorum fuiſſe, ex illis Virgilianis carminibus *libro Georg.* 1. *v.* 125. patet:

Ante Jovem nulli ſubigebant arva coloni:
Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat.

Quod & Tibullus noſter *lib.* 1. *Eleg.* 3. de Saturni aetate loquens confirmat, cum dicit, *v.* 43

Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.

Rex igitur Numa primus terminorum inventor fuit, ante viros decem, qui & poenam conſtituit, ut hi, qui limites moviſſent avellendo, ac transferendo, ultimo ſupplicio plecterentur. Deo termino idem Numa feſta, quae quotannis celebrarentur, inſtituit, quae terminalia appellabantur: fiebant autem x. Kal. Mart. hoc eſt xx. die Februarii; ut Acron ſcribit, & eſt auctor Dionyſius Halicarnaſſeus *lib.* 2. *Romanarum antiquit.* Huic Deo templum conſtituiſſe Numam, auctor eſt Plutarchus in *Quaeſtionum libro*, ac ſacros lapides finium Jovi terminali dicaviſſe: quod idem Dionyſius refert. Nihil animatum, idem Plutarchus ait, eidem Deo ſacrificari vetuiſſe Numam, eo quod pacis cuſtos, & juſtitiae teſtis eſſet. Nam Terminum amicitiae, ac pacis cuſtodem ab omni caede, ac ſanguine incontaminatum conſervari oportere pulcherrimum, ac ſanctiſſimum eſſe exiſtimavit. Formulam ſacrificii, quod Deo Termino fiebat, deſcribit pulchre Ovidius in *Faſtorum lib.* 2. quam ſi quis cupiat legere, illum adire poterit. Hic, poſtquam de Termino Deo loquimur, illud Auli Gellii aenigma * recitemus, quod ſenariis tribus compoſitum, a ſe vero inventum fuiſſe comminiſcitur, *lib.* 12. *cap.* 6.

Semel, minus ne, an bis, minus non ſit, ſat ſcio:
An utrunque eorum, ut quondam audivi dicier.

Ipſe Jovi regi noluit concedere: & hic quidem eſt Terminus Deus, qui adeo apud antiquos in magna exiſtimatione habitus eſt, ut finium Deus putaretur, & in cujus tutela agri eſſent. huic etiam Deo Romani multo poſt tempore templum condiderunt, cui loco ſuper tectum foramen ingens factum eſt, eo quod Terminum intra tectum conſiſtere nefas arbitrarentur. De hoc Deo mentionem facit Livius *lib.* 5. *Decad.* 1. *cap.* 55. his verbis: *Nam cum omnium ſacellorum exaugurationes admitterent aves, in Termini fano non addixere.* Multa etiam graviter, & copioſe a Platone de hoc Deo diſſeruntur; quae, quia nimis eſſem prolixus, ſciens omitto. Nihilominus ſi quis volet ſcire, & quaerere, ne diutius vagetur; adeat Platonis *dialogum de Legibus octavum*, ubi mentio habetur. Libet hoc loco (ut appendicem quandam) ponere emblema, ab Alciato noſtro, principe hujus aetatis Juriſconſultorum, compoſitum, ut appareat quantum Vir ille omnis antiquitatis peritiſſimus ſit. Ejus igitur emblematis tale eſt elegantisſimum carmen:

Quadratum infoditur firmiſſima teſſera ſaxum,
Stat cirrata ſuper pectore imago tenus.
Et ſeſe nulli profitetur cedere, talis
Terminus eſt, homines qui ſcopus unus agit.
Eſt immota dies, praefixaque tempora fatis,
Deque ferant primis ultima judicium.

Sed jam videamus, quam poenam noſtrates Juriſconſulti poſt XII. tabulas his, qui terminos amoverint, conſtituant: & conſtat in eum, *qui per vim terminos dejecerit, vel amoverit, extra ordinem animadverti*, §. *in eum* 1. *titul.* 16. *finium reg. lib.* 1. *Sent.* Pauli. Et ſiquidem ſi ſervus ſit, qui effoderit, vel exararit lapides, arboresve terminales ſubverterit, & hoc ſua ſponte fecerit, damnabitur in metallum: quod ſi humiliores ſint, in opus publicum; honeſtiores in inſulam miſſa tertia parte bonorum relegantur, *tit.* 22. §. 2. *lib.* 5. *Sent.* Pauli. Item Modeſtinus ait, *l.* 1. *D. term. moto: Terminorum avulſorum non multam pecuniariam eſſe, aſt pro conditione admittentium id ſcelus coërcendum eſſe.* Hadriani conſtitutionem eleganter refert in haec verba de poena avulſorum terminorum Calliſtratus, *l.* 2. *D. eod. Qui* (inquit) *terminos finium cauſa poſitos protulerunt, dubitari non poteſt, quin peſſimum eorum ſit factum, tamen pro conditione perſonae, & mentis facientis, de poena modus magis ſtatui debet. Nam ſi ſplendidiores ſint perſonae, poſſunt ad tempus puniri (puta relegari) ut cujuscunque aetas patietur, ſi junior in longius, ſi ſenior receſſius, ſi vero ſint aliae perſonae biennio ad opus dari, & puniri poſſunt. Si vero ignoranter quis lapidem agri terminum conſtituentem ſit furatus, ſat erit illum verberibus afficere*, *l.* 2. *in fin. D. eod.* vel in eam ſummam, quam actor in litem juraverit, condemnare, *Gloſſ.* §. *ſi finium* 6. *Inſtit. de Offic. judic.* vel criminaliter punire eum in quinquaginta aureis, hoc eſt, in quingentis liberis ex noſtratibus: & hoc cautum eſt ex lege Agraria, quam C. Julius Caeſar tulit, de qua apud M. Ciceronem pluribus in locis fit mentio; ut *de lege Agraria* contra P. Servilium Rullum oratio habita in Senatu, ut in eundem tribunum plebis, ut ad Pop. Romanum contra eundem. Hanc legem Agrariam Calliſtratus refert in haec pene verba, *l.* 3. & *ult. D. eod.* Nam in terminos ſingulos, quos ejecerint, locove moverint, quinquaginta aureos in publicum dari, & ejus actionem ei, qui volet, eſſe jubet: aliaque (inquit idem Juriſconſultus) lege Agraria cavetur, quam Nerva tulit, ut ſi ſervus dolo malo, inſciente domino, terminum ab agro moverit, ei capitale ſit: niſi dominus dominave malum ſufferre maluerint: hi quoque, qui finalium quaeſtionum obſtruendarum cauſa faciem locorum convertunt (utputa ex arbore, arbuſtum; ex ſylva, novale) poena plectendi ſunt pro perſona, & conditione, & factorum violentia: & haec quidem Calliſtrati ſunt. Introductus eſt etiam a legiſlatoribus in *D. titulus Finium regundorum*, qui ad rem, qua de loquimur, plurimum facit; quemadmodum illud Pauli *l. ſed & loci* 4. §. *ſi dicantur* 4. *D. finium regund. Si dicantur termini dejecti, vel exarati, judex, qui de crimine cognoſcit, etiam*

* Politianus *cap.* 36. hoc aenigma ſolvit.

Digitized by Google

etiam de finibus cognoſcere poteſt: ex quibus verbis elicitur, quod judex, qui de maleficio cognoſcit, civiliter etiam cognoſcere poſſit. Sicuti eos terminos (quantum ad dominii quaeſtionem pertinet) obſervari oportere fundorum, quos demonſtraverit is, qui utriusque praedii dominus fuerit, cum alterum eorum venderet: non enim termini, qui ſingulos fundos ſeparabunt, obſervari debent; ſed demonſtratio affinium, quae novos fines inter fundos conſtituit. Lex etiam Solonis affabre ad rem noſtram facit, quam Cajus Juriſconſultus in hunc prope modum citat, *l. fin. D. eod. Si quis ſepem ad alienum fundum fixerit, infoderitque, terminum ne excedito: Si maceriam, pedem relinquito: Si vero domum, pedes duos: Si ſepulchrum, aut ſcrobem fodierit, quantum profunditatis habuerint, tantum ſpatii relinquito: at vero oleam, aut ficum ad pedes novem plantato: caeteras arbores ad pedes quinque.* Hanc legem Plutarchum de jure uſucapionum commemorat, & lex XII. tab. ex Solonis lege tranſtulit in haec verba: *SI QUI SEPEM, vel maceriam, junta alterius regionem effoderint, terminum ne excedunto: Si autem murum, pedem unum: Si domum, duos pedes relinquunto: Si vero ſepulchrum, aut foveam effoderint, quantum ſit profundum, tantamdem relinquunto. Si puteum, paſſum*, vel, ut legit Alciatus, *ulnam, lib. Diſpunct. 2. cap. 6. Olivum autem, aut ficum, novem pedes ab extranea regione plantanto: in caeteris autem arboribus, quinque pedes ſervanto.* Quam legem hoc loco libuit referre, ut clarius noſtri Juriſconſulti Caji verba (ſi modo ea ſunt Caji verba) Lector intelligeret, & originem, & ejus fontem perciperet: etſi ſcitam a pluribus relatam maximis quidem modis omnibus viris incomparabilibus, Crinito, Alciato, & Rhodigino. Sed nunc videamus breviter, an poſitio terminorum ſit vere de jure gentium, an de civili: & quidem dicendum inventam fuiſſe a jure gentium, ſed primaevo. Nam, ut ſupra diximus, jubet Deus in lege Deuteronomii *cap. 19. v. 14. Ne quis aſſumat terminos proximi ſui, & transferat, quos poſuerunt priores in poſſeſſione ſua*: & Salomon in *Proverbiis* (ut ſupra dictum eſt) & ex noſtra lege, ex hoc jure, ſatis manifeſtum conſtat: cum (ut Virg. *Georg. lib. 1. v. 127.* dixit)

In medium quaerebant mortales, ipſaque tellus
Omnia liberius nullo poſcente ferebat.

quod eſt contra legem noſtram. Conſtat enim jure naturali omnia communia eſſe debere, & aequalia, *l. quod attinet 32. D. de reg. jur.* Sed videretur contrarium dicendum eſſe, quon non de jure gentium termini ſint poſiti, cum a jure civili introductum ſit, ut quisque terminos in confinio ſuo habeat, & ſi quis amoverit, avulſeritve, puniatur pro conditione perſonae, *l. 1. D. de term. moto.* & Legislatores tractatum finium regundorum induxerint, quod omnino adverſari opinioni noſtri Jureconſulti, hoc loco videretur. Solvi tamen hoc pacto poſſe exiſtimare: verum quidem eſt, quod gentes repererunt limites, & unusquisque propriam ſibi rem, vel poſſeſſionem conſtituit de jure gentium, ex textu noſtro, ibi diſcretae gentes, & dominia diſtincta: actus tamen ponendi terminos, & formam conſervandi fines, a jure civili introductus eſt, ac inventus. Nam teſtibus opus erit, ſi quis vendiderit fundum, qui fidem faciant venditoris fuiſſe tunc temporis, cum vendidit, & qui dicant terminos non alterius tranſire, & arbitri ſint conſtituendi, qui judicent, *l. de modo 7. D. finium reg.* Igitur talis facienda eſt diſtinctio, ut termini poſiti de jure gentium inventi ſint: a jure civili autem introducta ſit regula, & forma, quomodo eos tueri, & quibus locis poſſimus, *arg. ll. toto titulo D. finium regund.* Alio autem pacto videtur ex jure civili emanaſſe terminorum poſitio, quia poena conſtituta ſit illos moventibus, *toto titulo D. de termino moto*: & reſtricta poſtea a noſtris Jureconſultis. Sed in hac re amplius deliberandum. Hoc enim caput a me (ut obiter Lectorem admoneam) cum adhuc novus Juſtinianus eſſem, compoſitum fuit: quare ſi aliquid minus arriſerit, aetati noſtrae condonare velit, cui etiam noſtrates Juriſconſulti aliquid remitti voluerunt, *l. ſi adulterium 38. §. fratres denique 4. D. ad legem Jul. de adulter. coerc. l. fere 108. D. de reg. jur. & l. qui cum 4. in fin. D. de re mil. cap. 1. de delict. puer.* & conſtitutiones Imperatorum indulſerunt. Nam ſi matronae, etiam cum factae ſunt matresfamilias, crepundia ſua obſervant, & diligunt, neque interire ſinunt; quis nobis, earum imitatione, haec, quantumvis levia, a pueritia noſtra conſcripta, ut hoc loco reponantur, nolit concedere?

CAPUT XXV.

Jus Civile tripartitum eſſe, triplicemque naſci in homine conſiderationem; jus commune quid ſit.

L. VI. ULPIANUS LIB. I. INSTITUTIONUM.

JUS CIVILE EST, QUOD NEQUE IN TOTUM A NATURALI JURE, VEL GENTIUM RECEDIT, NEQUE EI PER OMNIA SERVIT. Jus civile tripartitum intelligit Ulpianus, propter quod triplex in homine naſcitur conſideratio. Prima eſt, quia homo conſideratur, ut animal; unde jus emanat naturale. Item ut homo; unde jus gentium, ſeu humanum appellatur. Tertio conſideratur, ut civis; a quo jus civile. Ideo merito jus civile participat, ſeu capit partem a jure naturali, & a jure gentium, ex quo efficitur jus civile. Recte itaque dixit Ulpianus: *cum aliquid addimus, vel detrahimus juri communi*, id eſt juri gentium, *jus proprium, id eſt, civile jus efficimus*: detrahendo enim vel addendo ceſſat eſſe jus commune, & efficitur jus civile: quando enim civile quod poteſt, addit, fit civile; quod ab interpretibus recte animadverſum eſt (Jaſon. *l. 5. D. de verb. oblig.*) pertinetque id jus tantum ad Romanae reipublicae ſtatum. Siquidem jus commune, ex quo jus conſtituit ſibi quisque populus, duplex eſſe, nemo eſt, qui ignoret, unum latiſſimum, quod gentium dicitur, alterum Romanum, quod eſt commune inter omnes Romani imperii populos. Quoties igitur his aliquid additur, detrahiturve, fit quoddam jus proprium, appellaturque jus civile, ſive municipale ejus civitatis, in qua conſtituitur. De hac re latius vide apud Marium Salomoneum, Jureconſultum Romanum, & Budaeum *in annotationibus ad Pandectas*; qui Viri doctiſſime *hanc legem* explicaverunt. Nos interim inſuper illud addamus, quod a Marco Cicerone in *oratione pro A. Caecinna cap. 25.* ſatis eloquenter pro jure civili habitum eſt. Ejus haec ſunt verba: *Qui jus civile contemnendum putat, is vincula revellit non modo judiciorum, ſed etiam utilitatis vitaeque communis. Qui autem interpretes juris vituperat, ſi imperitos juris eſſe dicit, de hominibus, non de jure civili detrahit: ſin peritis non putat eſſe obtemperandum, non homines laedit, ſed leges ac jura labefactat.* Idem *cap. 2. Topic.* de jure civili in hunc modum exequitur: *Jus civile eſt aequitas conſtituta his, qui ejusdem civitatis ſunt ad res ſuas obtinendas. Ejus autem aequitatis utilis eſt cognitio: utilis ergo eſt juris civilis ſcientia.* Ab eodem plurima *in Officiis* & aliis locis, de jure civili copioſe referuntur. Nos ad *legem ſequentem* acceleremus, ut aliquid in ea breviter annotemus.

CAPUT XXVI.

Majorem partem juris, cognitionemque ejus, in 2. lege D. de origine jur. *verſari: exemplaque ſuper illis verbis* adjuvandi, ſupplendi, *&* corrigendi *appoſita.*

L. VII. PAPINIANUS LIB. II. DEFINITIONUM.

J*US AUTEM CIVILE EST, QUOD EX LEGIBUS, PLEBISCITIS, SENATUSCONSULTIS, DECRETIS PRINCIPUM, AUCTORITATE PRUDENTIUM VENIT.* Hanc legem ſatis conſtat eſſe claram, ſi quis inſra *legem ſecundum ſequenti titulo* lectitaverit, in qua major pars cognitionis juris verſatur, *l. 2. D. de orig. jur.* Hinc quantum damnandus ſit Juſtinianus, qui reciſas nobis leges tulerit; quique potius centones juris, quam Digeſtorum libros ediderit, in quibus nec ſatis pes, nec caput appareat, judicent viri peritiores! Non decet enim in hac mea aetate, in qua mihi nondum πρωλυτῶν nomen adeptus ſum, de re tanta meam proferre ſententiam. Sed quid aliud potuiſſet facere princeps ἀναλφάβητος, ne quid interim de Triboniano loquar. Verum quod attinet hoc loco: quodque Jureconſultus hic de jure praetorio inquit, *quod Praetores introduxerunt adjuvandi, vel ſupplendi, vel corrigendi juris civilis gratia propter utilitatem publicam,* examinandum nobis eſt id omne per partes ſuas. Praetor igitur introduxit legem adjuvandi gratia: puta, cum dat bonorum poſſeſſionem emancipatis liberis, §. *emancipati 9. Inſtit. de haered. quae ab inteſt.* jure enim civili, & lege XII. tab. nihil juris habent in haereditatibus, ſuccurrit tamen eis Praetor quadam naturali aequitate motus. Introduxit etiam Praetor aliud Edictum in favorem ſervorum, & ſic adjuvandi eos gratia, cum *juſſu domini aliquid negotium cum ſervo geſtum ſit, adverſus dominum actionem pollicere,* §. *ſi igitur 1. Inſtit. quod cum eo, qui in alien. poteſtat.* & §. *minus ergo 11. Inſtit. de haered. quae ab inteſt.* motus etiam naturali ratione, ſcilicet quia is, qui ita contrahit, fidem domini ſequi videtur. Adjuvat etiam Praetor naturales filios emancipatos, ut gradum liberorum retineant, cum jure civili eum perdant, & quidem recte: *Naturalia enim jura civilis ratio perimere non poteſt,* §. *minus ergo 11. Inſtit. eod. tit. de her. quae ab int.* Introduxit etiam actiones, exercitoriam, inſtitoriam, Tributoriam, & de peculio, quae in favorem contrahentium Praetor omnino introduxit, *Inſtit. eod. tit. per totum.* Permittit item Praetor aliquando in rem agere, ut vel actor dicat, ſe quaſi uſucepiſſe, quod non uſuceperit: vel ex diverſo poſſeſſor dicat, adverſarium ſuum non uſucepiſſe quod uſuceperit, §. *ſed iſtae quidem 3. Inſtit. de action.* Supplet Praetor in eo, quod juri civili deeſt: puta, cum in lege Aquilia actiones in factum accommodatas illi legi reddit; *quia plerumque* (ut ait Pomponius) *in factum deſiderantur, l. quia actionum 11. D. de praeſc. verb.* ideo ſupplere ibi dicitur. Nonnunquam jus civile & Praetor corrigere ſolet: vel quia nimis durum eſt, vel quia iniquum inducit, vel quia anguſtum, ut *in princ. Inſtit. de Senatusconſ. Tert.* durum, exempli gratia in Publiciana actione, quam Praetor Publicius in Edicto ſuo propoſuit eis, qui poſſeſſionem amiſiſſent, *d.* §. *ſed iſtae quidem 3. in fin. Inſtit. de action.* Nam ſi mihi ex juſta cauſa res aliqua tradita fuiſſet (puta donationis aut dotis, aut legati, aut emptionis, cujus dominium nondum naniſcerer) ſi interim ejus rei caſu poſſeſſionem amiſiſſem, ad eam perſequendam, directam actionem jus civile mihi adimebat: quod quia nimis durum videbatur, quod eo caſu actionem ad perſequendam rem meam non haberem, inventa a Praetore eſt actio, in qua is, qui poſſeſſionem amiſit, eam rem ſeu ſucepiſſe, quam uſu non cepit, & ita rem ſuam vendicat: & ſic hoc caſu jus civile corrigit Praetor, quia ſit durum & aſperum, §. 3. *verſ. Media autem juriſp. Inſtit. de legit. agn. ſucceſ.* emendat & corrigit, cum eſt & iniquum: *in princ. Inſtit. de ſucceſ. lib.* & *l. 3. D. quod quiſque jur.* Verbi gratia, liberto licebat ex jure civili olim patronum ſuum impune teſtamento praeterire: lex enim XII. tab. ad haereditatem liberti patronum demum vocabat: ſi inteſtatus libertus moreretur, nullo haerede relicto, itaque, inteſtato liberto mortuo, & relicto haerede, Patrono nihil in bonis ejus juris erat, quod aperte iniquum erat. Ideo a Praetore hoc ſic emendatum fuit, ut ſive libertus teſtamentum faciebat, dimidiam partem bonorum ſuorum patrono relinqueret: & ſi haeredem inteſtatus mortuus reliquiſſet, aeque dimidiae bonorum ſuorum partis poſſeſſio patrono daretur contra haeredem, dummodo non eſſet reſtitutus natalibus: tunc enim is (quantum ad totum jus pertinet) perinde habebatur, atque ſi ingenuus natus eſſet. Hincque *nec patronus ejus poterat ad ſucceſſionem venire, l. 2. D. de natal. reſt.* Scribit Pomponius Juriſconſultus, *l. 2.* §. *poſtea 4. D. de orig. jur.* Romanos olim conſtituiſſe decemviros, per quos peterentur leges a Graecis, eiſque ſummum jus datum, ut leges corrigerent & interpretarentur. Sed Livius & Feneſtella non decem, ſed treis viros fuiſſe aſſerunt Sp. Poſthumium, Spur. Sulpicium, & Aulum Manlium. Haec tria adjuvandi, ſupplendi, & corrigendi juris civilis Praetoris munera qui volet latius legere, ad Pandectarum libros ſe conferat, in quibus ſimilia exempla ſparſim poſita reperiet. Caeterum haec, a nobis in *hac lege* ſummatim annotata, ſufficiant.

CAPUT XXVII.

De Praetoribus Urbano, & Peregrino, & quot Praetores Romae fuerint: Praetores provinciales qui fuerint.

L. VIII. MARCIANUS LIB. I. INSTITUTIONUM.

N*AM ET IPSUM JUS HONORARIUM VIVA VOX EST JURIS CIVILIS.* Praetorum enim Edicta vim legis obtinere non modicam veteres voluerunt, §. *Praetorum quoque 7. Inſtit. de jur. natur.* Si quidem olim, cum non eſſent, qui in civitate jus redderent, *l. 2.* §. *Cumque 27. D. de orig. jur.* creatus eſt Praetor, qui Urbanus dicebatur, eo quod in urbe jus diceret, qui & appellabatur major: ſicut conſul major, quem Virg. inſignem appellat in *lib. 7. AEneid. v. 613.*

Inſignis reſerat ſtridentia limina conſul.

Deinde alius, qui peregrinus vocabatur, creatus eſt: quia multa peregrinorum turba in civitatem veniebat, quibus urbanus Praetor non ſufficiebat, ideo peregrinus creatus fuit; iſque ex minoribus erat Praetoribus. Sed multo poſt tempore decem & octo creati ſunt Praetores, qui partim rebus urbanis, partim provincialibus praeeſſent, §. *capta 32. D. eod.* Nam plerumque uſu veniebat, ut, urgentibus hinc inde hoſtibus, & multiplici bello ingruente, ferro & armis decernendum foret: ideo Praetores, ſicut Coſſ. provincias ſortiebantur, nuncupabanturque Praetores provinciales, ab affectu rei: hi etiam jus in civitate dicendi & reddendi auctoritatem habebant. Parum enim veteres exiſtimabant jus in civitatibus eſſe, niſi eſſent poſtea, qui jus redderent, *l. 2.* §. *poſt originem 13. D. eod.* & *cap. ubi periculum 3.* §. *praeterea 3.* & *cap. commiſſa 35. de elect. in 6.* Ideo dixit ad rem Marcianus JCtus, Praetorem eſſe juris vocem; nam, ut ait quidam, vox viva magis afficit, magiſtratusque eſt lex loquens; lex vero mutus magiſtratus. Sed de his hactenus.

CAPUT XXVIII.

Reprehenſus Accurſii error: & qui dicantur vivere moribus, & legibus; perpenſusque locus in l. 2. D. de legibus; *necnon verbum* reguntur *in* hac lege *obſervatum.*

L. IX. CAJUS LIB. I. INSTITUTIONUM.

OMNES POPULI, QUI LEGIBUS, ET MORIBUS REGUNTUR. Accurſius hallucinatur hoc loco, cum interpretatur inveniri ſylveſtres homines, qui neque moribus, neque legibus regantur; cum meo judicio videatur impoſſibile, ut non aliqua ratione regantur: videmus enim jure naturali omnes homines duci, & etiam latrones (ut ait Cicero *de Officiis, lib. 2. cap.* 11) vivere nequirent, ſine certis inter ipſos inſtitutis, maxime de quaerenda & partienda praeda. Verum tamen eſt, quod non ratione intellectuali omnes ſylveſtres regantur, tamen juris naturalis periti cenſentur, *l. 1. §. 4. D. de juſt. & jur.* Sed verbum *reguntur* conſideremus: nam reguntur omnes pene homines ratione illa naturali, quae juſtiſſima eſt, quae nullo movetur (ut ſic loquar) ventorum turbine, quae non flectitur in ſiniſtram, ſed quae recte judicat, quaeque nihil temere, & fruſtra operatur, & omnia aequa lance librat. Ex hac leges & mores (quod utrumque eſt honeſtum & incorruptum) ſanctae & bonae oriuntur: his ergo qui reguntur populi omnes, partim ſuo jure, partim illa ratione, quae eſt commune jus, quam dixi, utuntur, *§. jus autem civile* 1. *Inſtit. de jure natur.* Rurſum animadvertendum hoc verbum *reguntur*, quo nec otioſe (ut hic ait Salomonius) uſus eſt Juriſconſultus; nam videtur dirimere quandam veterem inter ſapientes quaeſtionem: quidam enim disputabant, utrum a legibus, an hominibus regi conveniat, id eſt, magiſtratus praeſint legibus, an leges magiſtratibus, quae quaeſtio Chryſippeis verbis ſolvitur, *l. 2. D. de leg.* dum dicitur: *Lex eſt omnium divinarum, & humanarum rerum regina: oportet autem eam etiam praeſtare & bonis, & malis, & principem & ducem eſſe.* Obſerva verba illa, *oportet eam praeſtare & bonis, & malis*: & ita hoc capite tota lex noſtra concludatur.

CAPUT XXIX.

De Juſtitia, & quotuplex ſit, ejusque definitio ſecundum Ciceronem poſita: quomodo intelligenda ſint illa verba Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas, *rejectis interpretum ambagibus, multaque alia non inutilia.*

L. X. ULPIANUS LIB. I. REGULARUM.

JUSTITIA EST CONSTANS, ET PERPETUA VOLUNTAS, JUS SUUM CUIQUE TRIBUENS. Haec Ulpianus primo regularum. Duplex eſt juſtitia; generalis, & ſpecialis. Generalis eſt, quae verſatur in hominum ſocietate tuenda: Specialis dividitur in commutativam, & diſtributivam. Commutativa conſiſtit in emendo, vendendo, locando, conducendo: Diſtributiva eſt, quae communi utilitate ſervata jus ſuum unicuique tribuit ex dignitate cujusque, de qua hic noſter Juriſconſultus loquitur. Nam in ea probitas, aequitasque verſatur Ideo juſtitia dicitur eſſe perfecta virtus Ariſt. in *primo Magnorum moralium*, quae media ſit inter exceſſum & defectum, & multum & paucum: cum enim juſtus afficiendo injuria plus habet, & affectus injuria in afficiendo injuria minus, tum horum fuerit medium juſtum. Cicero ſic definit *libro de Inventione 2. cap. 52. Juſtitia eſt habitus animi, communi utilitate ſervata, ſuam cuique tribuens dignitatem, ejus initium eſt ab natura profectum, deinde quaedam in conſuetudinem ex utilitatis ratione venerunt. Poſtea res, & ab natura profectas, & ab conſuetudine probatas, legum metus, & religio ſanxit.* Juſtitia ut in proverbiali eſt carmine, in ſe ſe virtutes continet omnes. Nam ipſa virtutis non eſt pars, ſed tota virtus, ex qua caeterae omnes naſcuntur, id eſt, ipſi virtutum actus. Hanc juſtitiam Juſtinianus ait, omnium perfectiſſimam virtutum eſſe, *Authent. 69. Ut omnes magiſtrat. obtemp.* ejus haec ſunt verba: *Una* (inquit) *omnium perfectiſſima inter homines virtus cenſenda eſt, quae jus ſuum cuique tribuit, & ex re ipſa nomen trahit, appellaturque juſtitia. Niſi enim caeteras omnes virtutes hujus bona concomitentur, fieri non poteſt, ut recte aliquid geratur, & ex officio, &c.* Juſtitia itaque ex ſe tota eſt rotunda, tota perfecta, tota teres, tota ſancta. Merito ab Ulpiano appellata eſt hoc loco *conſtans, perpetua voluntas*, ſcilicet quae in homine conſiſtat. Nam cum vir incipit eſſe juſtus voluntate quadam naturali impellente, ſe ſe omnino in juſtum, & perfectum bonum transformare, ac immutare vehementiſſime deſiderat: quod etſi impoſſibile homini videatur, ut hoc perfecte in quacunque re perficiatur; nihilominus voluntate conſtanti, & firma ſe aſſequi illud perfectum bonum poſſe ſperat. Unde illud tritum dictum circumfertur, *in magnis & voluiſſe ſat eſt.* Sola ſiquidem perfectio Dei eſt: homo tantum poteſt illud cupere velle, quod aſſequi non poteſt: licet illud legatur apud Euangeliographos, Matth. *c. 5. v. ult. Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter coeleſtis perfectus eſt.* Et *cap. 19. v. 21. Si vis eſſe perfectus, vade & vende omnia, & da pauperibus*; quod ego tantum putarem in voluntate perfecta intelligendum eſſe: nam perfectus nemo poteſt eſſe, ſicuti Deus. Recte itaque dixit Ulpianus juſtitiam eſſe perpetuam & conſtantem voluntatem; reſpiciens ea, quae in homine cadere poſſunt. Poteſt enim cadere voluntas conſtans & perpetua in homine; non tamen, ut id omne, quod ex voluntate proceſſerit, ſemper & perpetuo juſte factum fuiſſe dici poſſit. Ideo in omnibus merito ſpectatur voluntas, *l. 2. C. ad legem Corn. de ſicar. & l. qui injuriae* 53. *in princ. D. de furtis*, quae ſi videatur, ex ſe nil niſi bonum & perfectum cupere, tunc non dicitur id, quod ex ea producitur, injuſtum eſſe, ſed bonum & honeſtum. Et perraro viſum eſt, juſtum virum erraſſe, qui ſi aliquando erraverit, id non voluntate, ſed potius quadam imbecillitate humana factum intelligendum eſt, *l. 2. §. ſi quid autem* 14. *C. de vet. jur.*

APPENDICULA.

Qui non loquitur, & obmuteſcit, juſtitiam denegare videtur: ita dicit Bald. in *cap. 1. in 1. col. de mil. vaſſ. qui contum. eſt in feud.* Quomodo provideatur perſonae, ſi incepit cauſam coram uno judice, qui ei denegat facere juſtitiam: dicas quod poteſt a ſuperiore alium impetrare, *in authent* 86. *ut differ. judic. per totum cap. ex conqueſtione* 10. *extra de reſtitut. ſpol.* & quod ibi not. Innoc. in prima gloſſ. & vide Bart. *D. de damno infect.* Vide etiam in materia Bart. in *l. de pupillo 5. §. ſi quis ipſi praetori 7. D. de novi oper. nunc.* & vide gloſſ. in *l. certum 6. D. de confeſſ.* vide Gul. in *l. ait praetor. 2. D. quibus ex cauſſis in poſſ. eat.*

Qualiter probetur juſtitiam denegatam, vide Bald. in *titul. ſi de feudo fuit controv. 26. lib. 2. §. ſi quis per triginta* 4.

Si Papa delegavit cauſam alicui, & juſſit ipſum juſtitiam facere, quid dicatur ſibi mandatum per haec verba. Vide Angel. in *authent. 1. de haered. & falcid. cap. 1. §. exhaeredatos.*

Judex, qui denegat juſtitiam facere, eſt excommunicandus, *cau. 23. q. 5 cap. adminiſtratores* 26. & Archidiac. in *cap. 1. in verbo Compellatur, de except. in 6.* & *cap. fin. de judic.* & in *cap. cum ſit generale 8. de foro compet.* ubi gloſſ. quod etiam per negligentiam ſuam facit litem ſuam, *cau. 23. q. cap. dominus noſter.* 2.

An & quando propter juſtitiam a judice ſaeculari neglectam, vel denegatam poſſit adiri judex eccleſiaſticus, ut cogat eum. Vide in *authent. 86. ut differ. judic. §. 2.* & not. gloſ. in *cap. licet 10. & cap. ex tenore 11. de foro compet.* Innoc. in *cap. ſignificantibus 38. de offic. deleg.*

jur. enucleand. Hinc tribuere vir juſtus unicuique, quod ſuum eſt, vult, cum quadam naturali ratione, & potius aequitate motus bene reſpicit, & examinat ex propria mentis conſcientia, cui juſte, quod ſuum eſt, adjudicari debeat. Hinc admonet Ulpianus, *judicem aequitatem ante oculos ſemper habere debere*, *l. quod ſi Epheſi* 4. *D. de eo quod certo loco.* Officium boni viri, & qui ſit juſtitia praeditus, Horat. *in arte Poetica* hunc in modum deſcribit, *v.* 312.

Qui didicit patriae, quid debeat, & quid amicis;
Quo ſit amore parens, quo frater amandus, & hoſpes;
Quod ſit conſcripti, quod judicis officium: quae
Partes in bellum miſſi ducis: ille profecto
Reddere perſonae ſcit convenientia cuique.

Multa exempla de juſtitia ponit Val. Max. *Dictorum factorumque memorabilium lib.* 6. Multa etiam ad eam pertinentia refert Raphaël Volateranus in *tractatu Philologia.* Multa etiam Plato *de Republ. lib.* 3. & Ariſtot. *lib. Ethicorum* 5. & *primo magnorum Moralium.* Plurima etiam a nobis ſupra relata ſunt, aliqua Cicero in *lib.* 1. *Officiorum* tractat. Budaeus etiam, Galliae ornamentum, in illis ſuis immortalitate dignis annotationibus perſpicue de juſtitia ſcripſit: necnon noſter Alciatus multa diſſeruit, Ulpianum in definitione juſtitiae defendens *lib.* 1. *Parerg. cap.* 31. quod etiam a me ſupra relatum eſt. Salomon ſapientiſſimus *Sapient. cap.* 1. admonet magiſtratus his verbis, ut juſtitiam diligant: *Diligite* (inquit) *juſtitiam, qui judicatis terram*; & alibi: *Juſtitia enim perpetua eſt, & immortalis; injuſtitia autem mortis acquiſitio.* Impii autem manibus & verbis accerſierunt illam, & aeſtimantes illam amicam defluxerunt, & ſponſiones poſuerunt ad illam; quoniam morte digni ſunt, qui ſunt ex parte illius. David etiam *Pſalm.* 85. cum de Chriſto intelligeret (inquit, *v.* 11.) *juſtitia & pax oſculatae ſunt. Veritas de terra orta eſt, & juſtitia de coelo proſpexit, etiam dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum: juſtitia coram eo ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos.* Si quidem Chriſtus nos ex injuſtis, juſtos efficit, & Deo reconciliavit: ideo ſubjunxit veritatem orituram e terra, id eſt, mortales Euangelium, & veram religionem amplexaturos, & juſtitiam e coelo proſpecturam, hoc eſt, Deum illos in gratiam recepturum, & vera juſtitia donaturum. Juſtitiam enim coeleſtem vocat juſtitiam fidei, per quam Deus hominibus non ſolum omnia peccata condonat, ſed etiam ſuum Spiritum Sanctum impartitur, eosque ſibi filios adoptat, & promptos, alacres, ac paratiſſimos ad omnia virtutum officia reddit: & haec explanatio quidem M. Flamminii ſuper eis verbis Davidis. Virgilius etiam ait, Juſtitiam olim e terris diſceſſiſſe, & per agricolas tranſiiſſe, his carminibus, *lib.* 2. *Georg. v.* 473.

Sacra Deum, ſanctique patres, extrema per illos
Juſtitia excedens terris veſtigia fecit.

Aratus etiam juſtitiam, primo & in urbibus, poſtea in agris tantum fuiſſe ſcribit: ubi etiam inducit eam loquentem, cur abſcedat e terris. Virg. in *l.* 6. *AEneid.* exemplo eorum, qui apud inferos torquentur (Theſei ſcilicet, & Phlegiae) admonet, ut juſti ſint homines: huncque in modum canit, *v.* 620.

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere divos.

Et de juſtitia ſatis & abunde a nobis ſit dictum! alia proſequamur.

CAPUT XXX.

An ſemper jus error faciat; remque judicatam retractari poſſe, exemplo juris quintae relationis.

L. XI. PAULUS LIB. XIV. AD SABINUM.

J*US PLURIBUS MODIS* DICITUR.* Clarum eſt reliquum usque ad id, quod incipit: *Praetor quoque jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit, relatione ſcilicet facta, non ad id, quod Praetor ita fecit, ſed ad illud, quod Praetorem facere convenit*, quod etiam ad illud trahitur, *ſi per errorem Praetor, cauſa cognita, vel ſi ambitioſe haereditatem ex fideicommiſſo reſtitui juſſerit, publice intereſt propter rerum judicatarum auctoritatem illam haereditatem reſtitui*, *l. ſervo invito domino* 65. §. *cum Praetor* 2. *D. ad Senatusconſ. Treb.* & ſic parendum eſſe judicis ſententiae, licet injuſtae, videtur. Ulpianus etiam notat, *l. ingenuum* 25. *D. de ſtatu homin. Ingenuum rurſum accipi debere eum, de quo jam ſententia lata fuerit, quamvis libertinus fuerit, quoniam res judicata pro veritate accipiatur*, *l. res judicata* 207. *D. de reg. jur.* & *divi fratres Italicenſi Vetinae reſcripſerunt, ſuam mutare ſententiam neminem poſſe, idque inſolitum eſſe fieri*, Calliſtratus reſpondit, *l. divi fratres* 27. *D. de poenis.* Ego juxta illud Horatii dixiſſe Calliſtratum opinor ex *Poetica v.* 390.

— *Neſcit vox miſſa reverti.*

gloſſ. in *c. diſpenſatio* 5. verbo *Irrevocabile, diſtinct.* 43. Et quidem rebus judicatis ſtandum eſt: nam exemplo res judicatas reſtaurari grave Gordianus reſcripſit, *l. ſub ſpecie* 4. *C. de re judic.* nec finita inſtaurari rerum judicatarum patitur auctoritas, *l. ad ſolutionem* 4. *C. eod.* Nihilominus ſi circumventus fuerit judex falſis inſtrumentis, & manifeſtis probationibus id fuerit oſtenſum, crimine falſi poſtea illato, ſuſpendi executio judicati ſolet, & dari repetitio ſoluti, ſicque ſententia judicantis retractari quodammodo videtur, *l. fin. C. ſi ex fal. inſtr. vel teſt. jud. fuer.* Unde etiam Imperatores de re judicata & perfecta referre ad ſenatum poterant, aeque ac nihil judicatum foret. Hinc jus Quintae relationis, quam quinquies illi habebant poteſtatem referendi ad ſenatum, ut ait Egnatius; licet Alciatus aliter ſentiat, *lib. Parerg. cap.* 22. qua in re tamen amplius deliberandum cenſet. Sed de his alias latius a nobis referretur. Faciunt hoc loco (ſi quis videre cupiat) omnes tituli *D. de re judic. D. ad Senatusconſ. Turp. & C. de re judic.* cum nonnullis ſequentibus, & hujusmodi ſimilibus, ubi materia judicati pinguius refertur: illa vero, quae in *hac lege* noſtra ſunt ſcripta (*ubicunque Praetor ſalva majeſtate imperii ſui, ſalvoque more majorum*) nos propterea inenarrata hoc loco tranſimus, quod a Mario Salomoneo, Romano viro, eleganter, & erudite ſint explicata. Non enim noſtrum eſt in praeſentia telam eandem textam retexere, eandemque cantilenam canere.

* JUS dicitur 22. modis, ut not. Joan. And. *in rubr. de re jud. in Novel. lib.* 6. & Car. *de elect. cap. cupientes* 6. *eod. tit.* & Azo *in Inſtit. tit. de juſtit.* & Plac. *in ſumma eod. tit.*

CAPUT XXXI.

Jus multis modis dici, pro poteſtate etiam ſumi; jusque, non vis legendum eſſe apud Paulum & in Inſtitutionibus, ex Theophilo.

L. XII. MARCIANUS LIB. I. INSTITUTIONUM.

N*ONNUNQUAM JUS ETIAM PRO NECESSITUDINE DICIMUS, VELUTI EST JUS COGNATIONIS, VEL AFFINITATIS:* quod dicitur jus naturae etiam: *Naturalia enim jura civilis ratio perimere non poteſt*, §. *minus ergo* 11. *Inſtit. de haered. quae ab inteſt.* id eſt, jura ſanguinis tollere non poteſt civilis ſcientia. Item jus pro poteſtate accipitur, ut cum dicimus, alieno juri ſubjecta eſt perſona, §. 2. *Inſtit. ad Senatusconſ. Tertul.* puta uxor marito, filia parenti. Jus pro poteſtate in jure multoties ſumitur, ut cum dicimus: *tutela eſt jus in capite libero*, *l.* 1. *D. de tutelis.* & §. *eſt autem* 1. *Inſtit. eod.*

acci-

accipitur enim pro poteſtate, licet nonnulli legant, *vis eſt*; cum potius videatur dicendum, *jus ac poteſtas*, ut etiam Theophilo viſum eſt: τὸ δίκαιον τὶ καὶ ἐξουσία, non *vis*: & Doctorum ſublatae ambages ceſſabunt in verbo *vis*. Sic enim ex Theophilo vertit & interpres non *vis*, ſed *jus* ſcribens. Nihilominus Alciati noſtri opinio ſtat contra: is enim non *jus*, ſed *vis* legendum arbitratur, *lib. Parerg.* 1. *cap.* 28. quoniam veteres jure gentium ex viribus jura metiebantur: unde idem in *libro Paradoxorum* 2. *cap.* 21. eleganter ſcribit: *Bella inde nata, quod potentior minus potentem ſuperaret, quia plus virium habeat, dicteriumque refert Brennus barbari hominis, qui Senonum regulus fuit: libet igitur in praeſentia illud dicterium referre, quia ad rem facias belliſſime. Is, interrogantibus Romanorum legatis, quanam ratione Cluſium Hetruriae urbem obſidione premeret: jure* (inquit) *naturali hoc facio, quo is, qui minus fortis ſit, potentiori cedere jubetur: nam ea etiam pecudes, & bruta animalia uti deprendimus: cum tauros, leones, aquilas, caeteraque animantia, idcirco dominari videmus, quoniam alios viribus praecellant: quod & vos Romani ſecuti eſtis, cum Fidenates, Ardeatas, Vejos, Volſcos, non alia ſubegiſtis ratione, quam quod illis praeſtantiores virium virtute habebamini, &c.* Alciati igitur auctoritas apud me plus quam ſexcentorum interpretum Commentarii valet: cujus ſententiam & ego ſequor, ſed nec primam omnino ſperno. Et haec quidem jam ſufficiant in hunc tractatum *de juſtitia, & jure*, a me ſucciſivis horis ſcripta, cum Ticini, ſtudii gratia, coenaculum conduxiſſem in Turre illa perveneranda vetuſtate, in qua Severinum Boethium maximum Philoſophum habitaſſe tum ferunt, & ibi libellum illum de *Philoſophiae conſolatione* compoſuiſſe; cum a Theodorico, Gothorum rege, Ticinum in exilium peſſimorum delatorum criminibus circumventus, pulſus fuiſſet.

F I N I S.

CONSTANTII LANDI,

Comitis, & Patricii Placentini,

Ad leges Primam & Septimam Digeſtorum

D E L E G I B U S,

C O M M E N T A R I U S.

PAPINIANUS LIB. I. DEFINITIONUM.

LEX EST COMMUNE PRAECEPTUM: VIRORUM PRUDENTIUM CONSULTUM: DELICTORUM, QUAE SPONTE, VEL IGNORANTIA CONTRAHUNTUR, COERCITIO: COMMUNIS REIPUBLICAE SPONSIO. Haec Papiniani definitio non ſolum per ſe pleniſſima eſt, ſed & veriſſima. Nam lex, omnibus neceſſaria, eis non communis ſolum eſt, qui in aliquod crimen incidunt; verum & his, qui bonum ſemper agunt. Providet enim bonis & malis. Cicero, *libro de Legibus* 2. *cap.* 5. igitur in hunc modum definit: *Lex eſt juſtorum, injuſtorumque diſtinctio ad illam antiquiſſimam, & rerum omnium principem expreſſa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quae ſupplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos.* Idem *lib.* 1. *de Legibus cap.* 6. ita definit: *Lex eſt ratio ſumma, inſita in natura, quae jubet ea, quae facienda ſunt, prohibetque contraria: eadem ratio cum eſt in hominis mente confirmata & confecta, lex eſt.*

VIRORUM PRUDENTIUM CONSULTUM. Recte inquit Papinianus, *legem eſſe conſultam virorum prudentum* Siquidem (ut ait Cicero *eodem loco*) doctiſſimi viri *arbitrantur prudentiam eſſe legem, cujus ea vis ſit, ut recte facere jubeat, vetet delinquere, eamque rem illi Graeco putant nomine, ſuum cuique tribuendo appellatam: ego noſtro a legendo. Nam ut illi aequitatis, ſic nos delectus vim in lege ponimus: & proprium tamen utrumque legis eſt. Quod ſi ita recte dicitur* (*at mihi quidem plerumque videri ſolet*) *a lege ducendum eſt juris exordium: ea enim eſt naturae vis; ea mens ratioque prudentis; ea juris atque injuriae regula.* Aulus Gellius *lib. Noct. Attic.* 10. *cap.* 20. refert Attejum Capitonem hiſce verbis legem definiviſſe: *Lex* (inquit) *eſt generale juſſum populi, aut plebis rogante magiſtratu.* Juſtinianus hoc modo definit, §. *lex eſt* 4. *Inſtit. de jur. natur. Lex eſt quod populus Romanus ſenatorio magiſtratu interrogante veluti conſule conſtituebat.* Accurſius, Gloſſ. in verbo *Lex eſt. Inſtit. eod. & l.* 2. verbo *Non faciendorum. D. de legib.* Vide. Bald. in definitione *legis* 1. §. *fin.* qui incipit *in hujus operis. in tit. de pace conſtant.* Aliter ſic definit: *lex eſt ſanctio ſancta jubens honeſta, prohibens inhoneſta; bonos praemiis malos poenis afficiens.*

LEX EST COMMUNE PRAECEPTUM. Hoc eſt, commune omnibus hominibus, toti mundo. Dicitur praeceptum a praecipiendo, quia qui poteſtatem habet a populo, & quem elegit Imperatorem regio, illi ſubdita eſſe debet. Nam populus ei, & in eum omne imperium ſuum, & poteſtatem contulit, *l.* 1. *D. de conſtit. princ.* §. *ſed quod principi* 6. *Inſtit. de jur. natur. & l.* 1. *C. de vet. jur. enucl.* §. 7. *verſ. Cum enim lege antiqua.* Et eſt notandum, quod hic dum dicit Papinianus, *Lex eſt commune praeceptum*, quod Imperator ſancit, omnibus ſancit: quia ipſe ſolus poteſt legem condere, *l.* 2. §. 21. *verſ. Si quid vero. C. eod.* idemque illam abrogare; quia quod & illi placuerit, legis habet vigorem, *l.* 1. *D. de conſtit. princ.* & §. *ſed qui* 6. *Inſtit. de jure nat.* Sed videamus obiter apud Ciceronem *lib.* 2. *de Legibus cap.* 5. ob quam cauſam conditae fuerint leges: *Conſtat* (inquit) *profecto ad ſalutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum, & quietam, & beatam, inventas eſſe leges: eoſque, qui primum ejuſmodi ſcita ſanxerint populis oſtendiſſe, ea ſe ſcripturos atque laturos, quibus illi aſcriptis, ſuſceptiſque homines honeſti, beatique viverent, quae cum ita compoſita, ſanctaque eſſent, eas leges videlicet nominarent.* Et idem Cicero *eodem lib cap.* 6. *Non ſtudii, non delectationis, ſed reipublicae cauſa leges civitatibus ſuis ſcripſerint.* De Charonda, & Zaleuco, legum conditoribus loquens, quos dicit imitatum fuiſſe virum diviniſſimum Platonem, eundemque graviſſimum Philoſophorum omnium, qui princeps de

Republica ſcripſerit. Idemque ſeparatim *de Legibus* ejus ſolitum dicere hoc, *videlicet quoque legis eſſe aliquid perſuadere: non omnia vi, ac minis cogere.* Nunc videamus, quot modis in jure ſumatur lex, & pluribus conſtat modis accipi. Modo pro eo, quod jubetur, vel pro eo, quod eſt ſcriptum, accipitur: ut ſunt omnes leges in jure noſtro: modo legem interpretamur ſic, quod ſit conſuetudo, & aliquando mos; ut eſt apud Ulpianum, *l. diuturna* 33. *D. eod.* Lex etiam pro conſtitutione accipitur Ulpiano, *l.* 1. *D. de conſtit. princ.* Lex eſt vis & poteſtas quaedam, tradita a populis uni, qui omneis recte regat, & jubeat quae facienda ſunt, quae non facienda prohibeat: qui bonis praemia, malis autem poenas, juxta cujusque commiſſa tradat: qui omnibus provideat; qui juſtitia moderetur cives ſuos; qui frenet ſuperbos, ac debellet rebelles, ſubjectos amet, & gubernet: & ſic ſe gerat, ut ſubjecti ſub omni quiete conſiſtant, ſollicitudine liberati, & in ſemetipſum pro omnibus cogitationes ſuſcipiat, *Authent* 8. *in princ. Ut jud. ſin. quoquo ſuffrag. fiant.* lites dirimat, partes ſeu factiones in populo reſecet, & tandem omnibus neceſſariis provideat: *leges etiam* (ut eſt in veterum ſcriptis) *pri plebiſcitis & privilegiis translato nomine appellaverunt. Salluſtius quoque, proprietatum in verbis retinentiſſimus, conſuetudine conceſſit, & privilegium, quod de Cnei Pompeji reditu ferebatur, legem appellavit: verba ex ſecunda ejus hiſtoria haec ſunt. Nam Sullam conſulem de reditu ejus legem ferentem ex compoſito trib. pleb. C. Herennius prohibuerat.* Aul. Gel. *lib. Noct. Attic.* 10. *cap.* 20. multis deniquemodis lex in jure accipi ſolet; quos, qui ſcire amplius volet, in libris Pandectarum uberrime inveniet. Non modicum igitur fuerit onus principis, qui ſemper aures habeat patentes, qui oculos vigiles teneat, nec per totam (ut Homerus ajebat) ſtertat noctem. Sic & Virgilius AEneam vigilantem facit, cum navigat, oſtendens principem vigilantem, & ad ſalutem populorum ſuorum ſemper eſſe debere paratum. Carmen Poetae tale eſt, *lib.* 10. *v.* 217.

AEneas (neque enim membris dat cura quietem.)

Et in *lib.* 4. vigilantiam principis denotat hoc modo, *v.* 571.

Tum vero AEneas, ſubitis exterritus umbris
Corrigit e ſomno corpus, ſociosque fatigat.
Praecipites vigilate viri.

Et in *lib.* 5. *AEneidos*, ita canit, *v.* 700.

At pater AEneas, caſu concuſſus acerbo,
Nunc huc ingenteis, nunc illuc pectore curas
Mutabat verſans.

Sed nec illud Dionyſii Syracuſarii factum, jam ubique notum, parvum eſſe principis munus ſignificabat: Cum enſem nudatum ſupra cujusdam caput, filo ſuſpenſum multis dapibus munificentiſſime appoſitam ad menſam invitavit, ut regnaret jam, ſi ſibi luberet: qui cum ſederet, enſem illum ſemper ſuſpicere ſolitum fuiſſe ajunt, & magis laudaviſſe illorum vitam, qui agello paterno contenti eſſent, quam principem tot theſauris, tot epulis refertum, ſed infeliciter, anxieque viventem: rogaſſeque Dionyſium, ut illum liberaret, nec ibi morari diutius ſineret. Quod exemplum etiam a M. Cicerone in *lib.* 5. *Tuſculanarum quaeſtionum cap.* 21. elegantiſſime relatum eſt: & innuit Perſius poeta illis verſibus, *Sat.* 3. *v.* 40.

Et magis auratis pendens laquearibus enſis
Purpureas ſubter cervices terruit.

Nec illud regis ſapienter dictum * eſt praetereundum, qui cum diadema in terra dejectum reperiſſet: O diadema, inquit, honorificum, ſed magnis & turbulentis fortunae ictibus ſubjectum! quis te jam, ſi recte ſentiat, humi pronus ſuſcipiat? quis te capiti ſuo niſi ſortis ſuae ignarus imponat? hoc dicto, diadema illud in manus accepiſſe fertur, iterumque ad ſolum miſiſſe, ac multa objurgatione ſpreviſſe, graviſſimorum non immemor malorum, quae in principibus continuo remorantur. Non illi dominantur ut principes, imo ut viliſſimi famuli, qui tergunt, qui polliunt, & ancillantur. O infelicem regum vitam, & inſtabilem fortunam, caducumque illorum dominium, quos cum vult ſors ejicere poteſt, & infimos facere ex magnis! unde illud Juvenalis *Sat.* 7. *v.* 197.

Si fortuna volet, fies de Rhetore Conſul:
Si volet haec eadem, fies de Conſule Rhetor.

Et Ovidius in ponto, *lib. epiſt.* 3. *v.* 43.

Ludit in humanis divina potentia rebus;
Et certam praeſens vix habet hora fidem.

Caeterum jam ad illud deveniamus, quod ad legis noſtrae pertinet interpretationem. Proſequitur Papinianus, LEX EST VIRORUM PRUDENTIAM CONSULTUM. Optime Juriſconſultus exponit *virorum prudentium.* Nam in viro prudenti ineſt ingenii perſpicuitas, & judicium boni & mali, ex quo novit juſtum & injuſtum, aequum & iniquum: & melius per virum prudentem aguntur res, quam imprudentem: & prudentis eſt viri praevidere, & providere. Hinc canit eximius Poëtarum, *Georg. v.* 373.

—— Nunquam imprudentibus imber
Obfuit.

hoc eſt, ſemper prudentibus, cum dicat interpres *in*, id eſt, valde, vel nunquam obfuit, non ante proviſus, quia qui praevidit coelum nubibus tectum, & obſcurum tempus: ut canit Tibullus, *lib.* 1. *Eleg.* 4 *v.* 37.

—— Praetexens picta ferrugine coelum
Venturam admittit imbrifer arcus aquam.

Rebus ſuis providere ſolet, ne moriantur: puta, cum agricolae vident pendentes pluvias, dum area meſſes teret calente ſole, illico grana ab area amovere ſolent, ne madefacta computreſcant (igitur prudentes, quia provident rei futurae) & eſt propriae prudentis providere, & praevidere, & conſulere: unde hic dicitur *conſultum virorum*: & belle Juriſconſultus *virorum prudentium*, qui vere prudentes eſſe debent, quod facit Virgilius in *lib.* 5. *AEneid.* his verſibus (*v.* 704.)

Tum ſenior Nautes unum Tritonia Pallas,
Quem docuit, multaque inſignem reddidit arte;
Haec reſponſa dabat, vel quae portenderet ira
Magna Deûm, vel quae fatorum poſceret ordo.

En quam eleganter & breviter prudentem virum deſcribat Poëta, qui praevideat futura & cognoſcat, & moneat! Praedicit Nautes, quae ventura ſunt; ut AEneas rectius ſe gubernet, & omnibus provideat. Praedicit Chriſtus Apoſtolis ſuos mortem ſuam, praecipit ut vigilent, quia cum venerit, inveniat eos non dormientes: & quia beatus ille ſervus, quem cum venerit ejus dominus, invenerit vigilantem, & ſic facientem: quia neſcitis neque diem, neque horam. Igitur ſi prudentes nos erimus, evitabimus, ne in tenebras exteriores, ubi fletus & ſtridor dentium moratur, dejiciamur: evitabimus mala, quae multa in vita commiſimus: & ſic prudentes, ut ſerpentes, erroribus noſtris providebimus, ut coeli aeternam ſedem adipiſcamur, ibique quiete cum Rege Coelorum, Angelorum, omniumque rerum factore habitemus, qui ſplendore immenſo radiorum Majeſtatis ſuae, & benignitate, clementiaque nos proteget, in perpetuumque vivificet. Prudentium ergo virorum conſultum eſt lex, quae a viro prudente in omni parte perfecto, & ſapiente ſit condita. Reſponſa enim prudentum faciunt legem, §. *reſponſa* 8. *Inſtit. de jure nat.* Hi enim antiquitus, *qui fiduciam ſtudiorum ſuorum habebant, conſulentibus reſpondebant*, *l.* 2. §. 47. *verſ. Et ut obiter. D. de orig. jur.* Sed jam videamus, an foeminae poſſint leges condere; & fuere, qui dicerent, poſſe porro de rebus muliebribus tantum; puta de lanificiis, de veſtiariis: & ſic de ſimilibus. Nonnulli recte poſſe condere leges putaverunt; quia lex nullam faciat mentionem de hoc, eo argumento uſi, cum lex nullam faciat mentionem, an foeminae condere legem poſſint. Videtur permiſſum illis, ut poſ-

ſint

* *Val. Max. lib. Dict. factorumque memorabil.* 7. *cap.* 2. *Ex.* 5.

ſint condere, quia nec expreſſa eſt lex, quae illis hoc prohibeat, *Arg. l. nec non 28. §. quod ejus 2. D. ex quib. cau. major.* & gloſſ. not. in *Authent. 89. quib. mod. nat. effic. ſui. prope fin.* Bart. in *l. multis 9. D. de ſtatu homin.* At ego crediderim, foeminas nullas leges condere poſſe, Bart. & Ang. in *hac lege* & gloſſ. in *l. princeps 31. infra eod.* & Decius in *l. foeminae 2. D. de reg. jur.* facit *can. 15. qu. 3. in ſumma.* cum in jure noſtro multa videamus mulieribus vetita a lege; puta, ne pro aliis poſtulent, *l. 1. §. ſecundo loco 2. D. de poſtul.* & *l. foeminae 2. D. de reg. jur.* ubi Decius & Cagnola: ne virilibus officiis fungantur; ut Affrania improbiſſima foemina, quae inverecunde poſtulans, & magiſtratum inquietans, cauſam dedit Edicto: ſicuti *nec eſt permiſſum mulieri publico judicio quenquam reum facere*, *l. 1. D. de accuſ.* *Major enim dignitas eſt in virili ſexu, quam foeminino*, *l. 1. D. de ſenat.* *In multis deterior eſt foeminarum, quam maſculorum conditio*, *l. in multis 9. D. de ſtatu homin.* Azo *in ſin. Inſtit. de libertin.* & *foeminis dignitatem clariſſimam tribuunt mariti*, *l. foeminae 8. D. de ſenator.* & *l. mulieres 13. C. de dig.* & *Authent. 105. de conſulib. §. itaque ibi uxores.* & *l. mulieres 7. de juriſdict.* & *ubi quis conv. deb. lib. 2. C. Theod.* Ad opinionem meam accedit noſter textus praeſens, dum dicit *virorum prudentium conſultum*, ſi intellexiſſet foeminas, maluiſſet dicere Juriſconſultus hominum; ut ſub vocabulo iſto compleцteretur etiam genus muliebre, *l. hominis 152. D. de verb. ſig.* poſſe legem ſancire, & conſulere: ergo dixit *virorum*, quo vocabulo non comprehenduntur foeminae. Vir enim a virtute, & praeſtantia hominis dictus eſt; vel, ut ait Cicero *lib. 2. Tuſcul. quaeſt. cap. 18.* *appellata eſt ex viro, virtus.* Unde in initio operis magni canit ſublimis Poëta, *Arma virumque cano.* *l. quae extrinſecus 65. D. de verb. oblig.* virum non intelligit, niſi fortem, & magnanimum, & prudentem, & praeſtantia animi ornatum: & *lib. 1. AEn. v. 546.*

Quem ſi fata virum ſervent, ſi veſcitur aura.

Et *in Georgicis* de laudibus Italiae praedicans, & viris Romanis inquit, *lib. 2. v. 173.*

Salve magna parens frugum Saturnia tellus;
Magna virum.

Et paulo ſupra *v. 167.*

Haec genus acre virûm Marſos: pubemque Sabellam.

En igitur viros homines tantum fortes, & prudentes intelligit Poëta, non foeminas! & ſic in pluribus locis Virgilius. Sed facillime & illis reſponderim, qui ajunt, foeminas de rebus muliebribus leges condere poſſe; hoc nempe non contemnendo argumento: itaque in hunc modum argumentabor: videmus in jure noſtro titulos quam plurimos, qui mulierum rebus provident; & latae a Juriſconſultis noſtris ſunt leges, foeminis jubentes. Num in jure noſtro legitur titulus *de ventre inſpiciendo*, ad quem pertinet inſpicere ventrem? num obſtetricibus? num hujusmodi munus ſpectat ad mulieres? num eliguntur matronae quinque liberae? num duae obſtetrices? num decem liberae mulieres? Ad plurimum ancillae ſex in eodem conclavi, in quo inſpiciendus eſt mulieris venter, eſſe permittuntur, *l. 1. §. de inſpiciendo 10. D. de inſpic. ventr. cuſt. quae parta.* Num in domo honeſtiſſimae foeminae conſtituta eſt lex, ut tali loco perſpiciatur a quinque foeminis liberis venter? a quibus lex eſt condita? Num a Juriſconſultis viris prudentibus Ulpiano, Juliano, Paulo, & Scaevola, caeteriſque prudentibus viris? nihilominus officium mulierum eſt; & lex a viris non a foeminis ſancita eſt. Cur non igitur mulieres legem *de ventre inſpiciendo* ſanxerunt? & *de ventris nomine mulier. in poſſeſ. mitt.* & *ſi mulier ventris nomine in poſſeſ. calum. cauſ. eſſe dicat.* & ſi qua ſimilia. Reſpondeant illi nunc, qui ſic mulieribus adulantur, ut etiam argumentis levibus, & glacie fragilioribus, & illas leges condere poſſe contendunt. Unde valde demiror hanc quaeſtionem a muliebris nobilitatis ſcriptore praetermiſſam, qui ſuperioribus menſibus volumen in laudem ſexus fragiliſſimi muliebris integrum edidit. Poſſent & igitur, ſi illis liceret, legem conſtituere, prout ſibi placeret. Matrimonium ſolverent, & ſoluto matrimonio dotem ſibi pinguiorem facerent, quod a viris prudentioribus lege lata ſancitum eſt cautius, *toto titulo D. ſoluto matrim.* ut petere quidem ſoluto matrimonio illis liceat dotem ſuam, ſed cum moderamine. Nempe munus erat foeminarum; nihilominus a viris lex eſt conſtituta, *D. ſoluto matrimon. quemadmod. dos pet.* Nec non & nuptiae ad mulieres attinent: a viris tamen leges ſunt ſancitae, titulo *de nupt.* Etiam *de dote praelegata* mulieribus pertinet; illae tamen nihil ſanxerunt. Eſt & titulus in *D. de auro & argent. leg.* nec non *de mundo & ornamentis, unguentis, veſtimentis, & veſtibus*, quae res niſi ad muliebre ornamentum pertinent: illae quidem leges, quae nunc leguntur, non a mulieribus, ſed a viris ipſis foeminabus prudentioribus ſancitae ſunt. Sunt hujusmodi innumerabilia in Pandectis, quibus ſi mulieribus liceret leges ſancire, non hoc virorum labore factum eſſet, nec opus fuiſſet noſtris Juriſconſultis de illis quicquam tractare, quae potius ad mulieres, quam ad viros ſpectarent. Sed forte objicient mihi, qui pro mulieribus ſunt, illos verſus Virgilii *lib. 1. AEneid. v. 507.*

Jura dabat, legesque viris, &c.

de Didone loquens poëta: & illud *lib. 4. AEneid. v. 57.*

— Mactant lectas de more bidentes
Legiferae Cereri.

Sed hi ſciant velim aliud eſſe, dare leges ſcriptas ab aliis; aliud condere de novo, & novas ſancire leges. Dido non ſanciebat leges, ſed reddebat jus: & ſcriptas leges in jure reddendo ſervabat, & ſervari jubebat: quo loco interpres docte ait, *jus generale eſt; ſed lex juris eſt ſpecies: jus ad non ſcripta etiam pertinet; leges ad jus ſcriptum.* Quod vero dixit Poëta *Legiferae Cereri*, fictum & fabuloſum eſt; ut ait interpres. Invenit quidem frumentum Ceres, propter quod homines, ex horridis & feris facti manſueti, coeperunt de diviſione agrorum jura & leges conſtituere; quod etiam fabularum ſcriptoribus non eſt credendum. Sed jam ad textum noſtrum revertamur, ne videamur tempus libenter conterere in adverſariorum confutandis argumentis! Proſequitur hic Papinianus: LEX EST DELICTORUM, QUAE SPONTE VEL IGNORANTIA CONTRAHUNTUR, COERCITIO. Facit ad idem definitio Demoſthenis in *ſequenti lege*: lex eſt correctio voluntariorum, & non voluntariorum peccatorum; cui videtur contraria *lex finalis, D. de decret. ab ord. fac.* ubi dicit: lege municipali cautum erat, ſi quis extra collegium experiri voluerit, judicio ipſo collegio prohibeatur: ubi Juriſconſultus reſpondit, ſi ignoranter fecerit, nullam poenam ſuſtinere, id eſt, ſi adverſus decretum ignoranter fecit, cum poenae hujusmodi adverſus ſcientes paratae ſint. Ulpianus, *l. 1. D. ad leg. Faviam de plag.* etiam inquit: *Si liberum hominem emptor ſciens emerit, capitale crimen adverſus eum, ex lege Favia de plagio, naſcitur*: unde videtur dicere voluiſſe Juriſconſultus, ſi ignorans liberum eſſe emerit hominem, tunc non eſſe in poena legis Faviae; quod etiam apud Paulum notatur, *l. ſi in emptione 34. §. liberum hominem 2. D. de contrah. empt.* & apud Moyſem in lege Deuteronomii prohibitum eſt, *Deut. cap. 24. vs. 7.* tenetur etiam ex lege Favia, qui ſciens hominem liberum donaverit, & in dotem dederit: quod ſi ignorans hoc fecerit tali poenae non ſubjicietur. At magis ad rem noſtram facit, quod Marcianus dicit, *l. legis Faviae 3.* bona fide poſſeſſor, id eſt, qui ignorabat ſervum alienum, Edicto legis Faviae non tenebitur: unde ſubjicit Juriſconſultus anctoritatem Imperatorum Divi Severi, & Antonini, ne bonae fidei poſſeſſores lege Faviae teneren-

nerentur conſtitutum eſſe, quod omnino adverſum eſt contra legem noſtram. Igitur hoc loco mitius verba Papiniani interpretanda ſunt, ut *coercitio* ſit admonitio; quia legis eſt admonere, ne quid ignoranter fiat: nam punire ignoranter peccantem potius eſſet injuſtitiae, quam juſtitiae lex. Sed ſi ea ſit ignorantia, quae in ſupinum hominem cadere non ſolet, punitione carere non debet: nam ut ait Quintilianus *lib.* 9. *cap.* 3. odioſa eſt omnis ſupinitas, *l. nec ſupina* 6. *D. de jur. & facti ignor.* En! quid praedicet Apoſtolis Chriſtus Joannis *cap.* 15. *v.* 22. *Si non veniſſem, & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent*: ergo qui ante adventum Chriſti peccaverunt, ignoranter peccaverunt: igitur peccatum non habebunt, quia nondum venerat. Ecce qui ignorat peccaſſe, non punitur; unde ſequitur Jeſus verba ſua: *Nunc autem non habent, quod praetexant peccato ſuo.* Nihilominus dicit Chriſtus alibi, cum pateretur in cruce: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Accurſius tamen contra ſuprafcriptas & allegatas meas leges opponit, exemplum ejus dando, qui projecit lapidem, & praetereuntem caſu percuſſit, *l. ſcientium* 45. *§. qui cum aliter* 4. *verbo Sed ſi. & l. ſi ex plagis* 52. *§.* 3. *D. ad legem Aquil.* item obſtant contra textum noſtrum & multae aliae leges, quae ab eodem Accurſio citantur, *l. carceri* 8. *& l. milites* 12. *D. de cuſt. reor. §. In tamen* 1. *Inſtit. de vi bon. rapt. & l. perſpiciendum* 11. *§. delinquitur* 2. *D. de poenis. l. Servius* 4. *D. quod vi aut clam. & l. lege* 4. *§. cum quidam* 1. *D. ad L. Cornel. de ſicar.* Quibus non obſtantibus reſpondeo; dico ego, quod ſi quis caſu aliquid mali fecerit, non punitur: reſpicitur enim voluntas & propoſitum delinquentis, *l. ſi quis uxori* 52. *§. ſi quis aſinum* 20. & *l. qui injuriae* 53. *D. de furt. l. quod reipublicae* 33. *D. de injur. l. ſi fidejuſſor.* 29. *§. ſi cum debitor* 2. *D. mandati.* nec niſi animum habuerit nocendi, punitur, *l. ſi ex plagis* 52 *§. cum pila.* 4. *D. ad legem Aquil.* Nam dicit Alfenus Juriſconſultus in hoc caſu, cum plures pila luderent, & ſervus alicujus percuſſus eſſet, & cadendo crus fregiſſet, dominum agere non poſſe, cum magis caſu, quam culpa videretur factum; &, cum divinare (ut inquit Paulus Juriſconſultus) ſemper non poſſit, ideo, an quis ſit tranſiturus, culpa ab eo exigenda non eſt, *l. ſi putator* 31. *in fine. D. ad legem Aquil. & l. ſi cum ſervo* 4. *D. de injur. & famoſ. lib. l. non poteſt videri* 208. *D. de regal. jur. & l. item Mela* 11. *D. ad legem Aquil.* Quid ergo erit dicendum? anne ſibi contrariari leges videbuntur? quod in jure noſtro praeſumendum non eſt, *l.* 2. *§. contrarium* 15. *C. de veter. jur. enucleand.* Ergo ſic ego ſolutioni manus darem, ut quae caſu & inopinato eveniunt, in nullo punienda ſint; argumento ſupra ſcriptarum legum. Ea vero, quae ignorantia, quae in ſupinum hominem cadere non ſolet, committuntur, recte puniri convenit: nam talis imperitia culpae annumerari debet, *l. imperitia* 132. *D. de regulis juris.* ſed mitior poena dari ſolet. Nam *benignius interpretandae ſunt leges, ut voluntas earum conſervetur, l. benignius* 18. *infra eodem titulo de legibus.* Sed jam quartam & ultimam partem *legis noſtrae* abſolvamus! Inquit Papinianus: LEX EST COMMUNIS REIPUBLICAE SPONSIO, hoc eſt, conſenſu populi: *nam leges nulla ex alia cauſa nos tenent, quam quae judicio populi receptae ſunt, l. de quibus* 32. *§.* 1. *D. eodem de Legibus. diſtinct.* 93. *cap legimus* 24. *diſtinct.* 17. *cap. concilia* 6. ubi gloſſ. in verbo *juſſione domini*, & omnium, qui jura conſtituunt, prima poteſtas apud populum erat. Hunc igitur in modum lex conſtituebatur. Senatorio magiſtratu, veluti conſule interrogante an illa conſtituenda eſſet; & annuebat populus, *§. lex eſt* 4. *Inſtit. de jure natur.* Sed &, quod Accurſius hoc loco dicit, non omittendum eſt, quod interrogationi ſubſequitur reſponſio: interrogat populus illum, qui futurus eſt Imperator, an placeat creari rex, & interrogatur a conſule, populus an talem eligat in principem ſuum, & ſi ſpondet parere illi, cui reſpondet populus invicem ſe pariturum, & *ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conferre, l.* 1. *D. de conſtitut. principum.* Caeterum an Rex ſive Imperator legi ſit ſubditus videamus, & ſolutum legibus eſſe refert Ulpianus, *l. princeps* 31. *D. infra eodem de legibus*: quinimmo & ejus uxor Auguſta legi ſubdita non eſt, propterea quod princeps idem privilegium illi tribuit, quod ipſe habet. Ariſtoteles tamen *lib.* 3. *Politicorum cap.* 10. ait, *tertium eſſe ſpeciem tyrannidis, quae maxime proprie videtur, id nomen habere, quae oppoſita ſit regiae poteſtati abſolutae, hanc neceſſe eſſe tyrannidem, unius principatum eſſe, qui nullis ſubjaceat legibus,* &c. Paulus Juriſconſultus decere ait, tantam majeſtatem ſubditam eſſe legibus, quibus ſoluta eſſe videatur, *l. ex imperfecto,* 23. *D. de leg.* 3. *& l. digna vox* 4. *C. de legib. & conſtit. & l. ex imperfecto* 3. *C. de teſtament. §. eadem oratione* 8. *Inſtit. quib. mod. teſtam. infir. & argum. l.* 1. *D. quod quiſque in alter. jur. ſtat. ipſe eod. jur. utat.* Sed in hanc ſententiam praeclare Plutarchus conſcripſit his verbis, *libro de Doctrina principum*: *Quis igitur* (inquit) *imperabit principi? nempe lex omnium regina, & mortalium & immortalium* (ut ait Pindarus) *non iſta quidem lex foris, in libris, aut tabulis ſcripta ligneis, ſed viva illa inſita ratio, ſemper convivens, & familiaris principi.* Et haec quidem ſufficiant ad expoſitionem *hujus legis*, quae a me cum Papinianiſta eſſem, conſcripta ſunt: nempe Ferrariae, anno partae ſalutis quadrageſimo tertio, ſupra milleſimum quingenteſimum.

Ad Legem VII. *D. de Legibus.*

MOdeſtinus libro primo Regularum: LEGIS VIRTUS EST IMPERARE, VETARE, PERMITTERE, PUNIRE. idem *diſt.* 3. *cap. omnis* 4. Quintilianus, *libro Inſtitutionum oratoriarum* 7. *cap.* 5. in eandem ſententiam inquit: *Lex omnis, aut tribuit, aut adimit, aut punit, aut jubet, aut vetat, aut permittit.* Quatuor igitur haec lex noſtra ponit neceſſaria in republica: Primo quis oportet ſit, qui imperet, & cui obediant caeteri. Nam ut Ariſtoteles ait *lib.* 4. *Politicorum cap.* 10. & apud barbarorum quoſdam eliguntur aliqui ad gubernandum ſoli, cum abſoluta omnimodaque poteſtate, *l.* 2. *§. noviſſime* 11. *D. de orig. jur & cau.* 7. *q.* 1. Plato *de republica, Dialog.* 8. Et olim apud vetuſtos Graecos eodem modo quidam eligebantur, qui ſoli gubernarent, quos vocabant Aeſmnetas. Opus erit, etiam qui regnabit, ut vetet quae non ſunt facienda, & quae ſunt in animo excogitata ad perniciem alicujus prohibeat. Permittat quae ſunt honeſta, nec ſit tanta ſeveritate, quin aliquod concedat, quod ſit futurum modici momenti. Puniat, malos afficiat poenis: nam improbos punire eſt bonis ſecuritatem praeſtare, & meliores tutos reddere; & vir bonus inter malos veluti lucens lapis & pretioſus in coeno dejectus reſplendet, *cap. factae* 1. *diſtinct.* 4. *& cau.* 23. *q.* 5. *cap. non fruſtra* 18. Quod dicit Juriſconſultus *Legis eſt virtus*; intelligit non ſolum virtutem exiſtere in animo, ſed ut eam operemur, & exerceamus ea, quae in illa didicimus bonum operando. Sicuti enim Chriſtianum, non ſolum oportet credere ea, quae in lege divina ſunt ſcripta: verumetiam operari ea, quae in ea lege jubentur, neceſſe eſt, ſi velit animae ſuae ſalutem adipiſci: Apoſtolus enim Jacobus *cap.* 21. *v. ult.* dictitare ſolebat, *fidem ſine operibus mortuam eſſe.* Et ut anima ſine corpore in homine ſperabilis eſſe non poteſt, dum vivit, & altero altero indiget: ita fidem ſine operibus nullo modo conſiſtere poſſe, nec ſeparari debere. Virtus igitur eſt operatio boni in animo jam concepta, ad illud ſolum efficiendum, quod bonum, & aequum eſt; & quidem recte! Nam Cicero *lib. Officiorum* 1. *cap.* 6. ait, laus omnis in actione conſiſtit. Nec ſufficit abſtinere a malo, ni-

ſi

ſi fiat, quod bonum eſt, *lib. Feudorum 2. tit. de forma fidelitatis 6. cap. 6. & diſt. 86. cap. non ſatis* 14. Ideo ſi legis eſt virtus imperare, eſt juſte imperare, & non tyrannidem affectare, illamque exercere. Nam virtus nil niſi quod eſt bonum facit; imperare vero juſte erit virtus. Ob hoc lex ſcribitur a Romanis in XII. tabul. in hunc modum: IUSTA IMPERIA SUNTO. Et tunc juſta dicuntur, & ſunt imperia, cum ipſi reges a volentibus populis eliguntur; unde Ariſtot. *dicto libro Politicorum, & dicto capite* ait: *Habent vero hae inter ſe differentias quasdam. Erant enim regiae ex eo, quia ſecundum leges, & ex eo, quia volentibus imperabant. Tyrannicae autem ex eo, quia pro ſuo arbitrio dominationem exercebant.* Hinc & poëtarum maximus in *lib.* 4. *Georg.* ad juſtum Auguſti Caeſaris imperium alludens canit, *v.* 561.

— — *Victorque volenteis*
Per populos dat jura.

Imperare igitur eſt jubere juſte: jubet autem *lex Julia de adulteriis, l. poſtulaverit* 27. multis modis & prohibet, *l. ſi maritas* 15. §. *lex Julia* 16. haberi jubet quaeſtionem de ſervis ancillisve, de quo, de quave quaereretur, parentisve utrius eorum: ſi qua mancipia ad uſum ejus a parentibus data ſint. Jubet eos homines, de quibus ita quaeſtio habita ſit, publicos eſſe. Prohibet de adulteriis ſpecialiter quosdam adulterii accuſare; ut minores XXV. annis & qui nondum robuſtae aetatis ſit.

Vetare dicitur, cum quae fienda ſunt illis reſiſtimus: ut, cum Lucius Catilina Romano imperio incendium in animo parare conſtituiſſet, urbemque incendere decreviſſet, a Cicerone proviſum eſt, & a Romanis vetitum, ne incenderetur. Nam Lucii Catilinae conjurationem Fulvia mulier detexit, & M. Tullium conſulem in indicium ejus inſtruxit; ut eſt apud Papinianum, *l. in quaeſtionibus* 8. *D. ad leg. Jul. majeſtat.*

Permittere, quod eſt tertia legis virtus. Permittere dicimus indulgere. Quandoque accipitur permittere in malam partem: ut eſt apud Virgil. in *lib.* 1. *Aeneidos v.* 543.

— *Quaeve hunc tam barbara morem*
Permittit patria?

Permittit Princeps, cum aliquid indulget; puta, cum quis ob excellentiam ingenii vel artificii, *l. ad beſtias* 31. *D. de poenis*. vel quia fuerit Imperator fortis, & pluries ſuperior in bello fuerit; vel quia excellens pictor, animoſus miles, vel tandem ob merita ſua aliquid in legem commiſit. Ob hoc permittet illi nonnulla princeps, quod aliis non permitteret in re nulla egregie excellentibus. Nam ob merita alicujus principes indulgere ſolet, *l.* 1. *D. de conſtit. princ.* & §. *ſed quod principi* 6. *Inſtit. de jure natural.* Alciatus *lib. Parerg.* 9. *cap.* 25. & poenam irrogare illi, qui forte in leges commiſit; non tamen egredi debet illam perſonam, quia ſi illi indulſit, non omnibus idem permittet. Ob merita igitur aliqua concedenda ſunt: unde Azonem, juris interpretem, qui ſuo tempore vir magnus habitus fuit, nempe vas electionis, lucerna juris, cum ab Antiſophiſta quodam ſuo in diſputatione provocatus eſſet, cultroque eum appetiiſſet, capitali crimine damnatum clamaſſe, Ad beſtias, ad beſtias (legis nempe initium) quam ſupra citavimus, ferunt: ſe tueri poſſe, exemplo ejus legis exiſtimando. Permittit etiam lex hoc modo; puta militi veterano, ne ſit gravatus ad ſumendum onus tutelae nec curae. Permittit habenti XII. filios vivos non poſſe cogi in ſenatum accerſiri, *l. ſi quis decurio* 24. *C. de decurion. lib.* 10. & multa alia, quae in eodem titulo *de decur.* & *lib. eod. de excuſ. munerum.* ubi inquit Diocletianus *l.* 2. *Certis dignitatibus data a nobis indulgentia eſt munerum civilium perſonalium, in his, aut ex protectoribus ſunt, aut ex praepoſitis, hi ergo ad munera perſonalia, aut civilia non vocabuntur*: unde conſtat, principem multa indulgere, & permittere. Sunt & hujusmodi permiſſiones, quae plurimae in jure noſtro ſparſae; quas qui ſcire velit Juriſconſultos adeat: etſi Cicero in praeſentia praetermittendus non eſt, qui *lib.* 1. *Rhetoric. ad Herenn. cap.* 11. haec ad rem ponat: *Ex contrariis legibus controverſia conſtat, cum alia lex jubet, aut permittit, alia vetat quippiam hoc modo, lex eſt, quae vetat eum, qui de pecuniis repetundis damnatus ſit, in concione orationem habere, &c.* Subſequitur quarta & ultima legis virtus, quae eſt, *Punire*, *l.* 1. *C. de veter. jur. enucl. in princ.* & *Inſtit. in epiſtola Juſtiniani*. Et omnes punire malefactores & facinoroſos homines utile eſt rebus publicis: nam vivente improbo, timet bonus, nec tutum eſt vivere; ob hoc virtus eſt punire, quia boni tuti fiunt, *Diſt.* 4. *cap. factae* 1. & *can.* 23. *q.* 5. *cap. non fraſtra* 18. Ideo caput *de poenis* inſcriptum eſt in legibus Digeſtorum, ut malos terreat, & ut poenam unicuique juxta crimen Praetor imponat. Nam omnia crimina inaequalia eſſe conſtat; licet aliter ſenſerit M. Cicero *in Paradoxis*. Plus enim committit parricida, quam homicida: plus delinquit aliquis in majeſtatem principis, quam in privati perſonam: plus in Deum, quam in homunculum, *l. aut facta* 16. *D. de poenis*. Unde divus Hadrianus non puniri in capite decurionem, niſi parricidium commiſiſſet, voluit, quod, ſi alium occiderit, non puniendus eſſet, *cap. ſicut* 12. *can.* 17. *q.* 4. *d. l. divus Hadrianus* 15. *D. de poenis*. & hoc eſt, quod lex reſpicit perſonam delinquentis. Nam alii in metallum; alii ad beſtias damnantur; alii in inſulam relegantur; alii alia patiuntur: ut in eodem titulo *de poenis* expreſſim continetur. Caeterum de his dixiſſe ſufficiat!

CONSTANTII LANDI

Ad L. Quod meo nomine 18. *D. de acquir. vel. amitt. poſſeſſ.*

INTERPRETATIO.

JULIUS JUBENTIUS CELSUS
LIB. 23. DIGESTORUM.

Quod meo nomine poſſideo, poſſum & alieno nomine posſidere: nec enim muto mihi cauſam poſſesſionis, ſed deſino poſſidere, & alium poſſeſſorem miniſterio meo facio, nec idem eſt posſidere, & alio nomine posſidere. Nam is poſſidet, cujus nomine poſſidetur. Procurator alienae poſſeſſionis praeſtat miniſterium.

Poſſidet quis ſuo nomine rem ſuam, & alieno nomine poſſidere poteſt, ſi rem illam (puta fundum) vendiderit; poſtea cum conduxerit: vel ſic poſſum poſſidere agrum campanum: & meo nomine & alieno, ſi hoc in animo mihi perſuadeam. Nam conſtat, me nomine conſtituti poſſe fingere, agrum meum alieno nomine poſſidere, *l.* 1. *C. de ſuffr.* ubi Bald. licet Bartolus cenſuit veram poſſeſſionem eſſe, transferri-

Digitized by Google

ferrique, quamvis per modum, a jure fictum, inducatur, Bart. *l. ſi is qui pro emptore 15. in fin. D. de uſurpat.* lex enim eum, qui per conſtitutum poſſidet, proprie poſſidere ait, *l. certe 6. §. ſi procurator 1. D. precario.* Quod & in *hac noſtra lege* ſatis probatur, & per hoc, ſi hoc mihi in animo fixum eſt me alieno nomine poſſidere, ob hoc non cauſam illius poſſeſſionis mutare, vel quia alium meo nomine poſſeſſorem conſtituo; puta miniſtrum vel procuratorem. Nam & ſi non ſum in poſſeſſione, vere poſſidere deſino, quia ibi perſonaliter, vel corporaliter non inſiſto: civiliter tamen & quodammodo jure meo abſens poſſidere dicor. Nam qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, *l. 1. §. dejeciſſe 12. D. de vi & vi arm. & §. nihil autem 42. Inſtit. de rer. diviſ. & §. non ſolum 11. Inſtit. de injur. & l. item apud 15. §. feciſſe 8. D. de injur. & l. ita autem 5. §. geſſiſſe 1. D. de admin. tut.* Unde in caſibus, quibus abſenti quaeritur, ſemper clauſula illa intelligitur, ſi voluerit, *l. certi condictio 9. §. ſi nummos meos 8. D. ſi cert. pet. & l. ea quae 53. D. de acquir. rer. dom.* Quod vero ad illud pertinet: quod, nec idem eſt poſſidere, & alio nomine poſſidere, optime interpretatur Celſus. Nam qui poſſidet vere, ſi pro illo quis poſſederit, illius voluntate dicitur vere poſſidere. Procurator vero alienae poſſeſſionis praeſtat miniſterium, quia exercet nomine procuratorio, hoc eſt, alieno nomine: unde ſequitur, quod eum res miniſtrare oportcat, qui de poſſeſſione aliena pendet, & de vero dominio conſtat: & is tenetur domino fundi, &(ut vocant) proprietario rationes reddere, & tenetur, quod magis eſt, de cautione rerum tractatarum. Qua ratione ſi univerſorum negotiorum adminiſtrationem illi permiſerim, iſque vel vendiderit, vel quid tradiderit, accipientis, & emptoris facit, *§. venditae res 41. Inſtit. de rerum diviſ.*

§. *Si furioſo 1.*

SI furioſo, quem ſuae mentis exiſtimaſti eo, quod forte in conſpectu inumbratae quietis fuerit conſtitutus, rem tradideris; licet ille non erit adeptus poſſeſſionem, tu poſſidere deſinis; ſufficit quippe dimittere poſſeſſionem, etiam ſi non transferas: illud enim ridiculum eſt dicere, quod non aliter vult quis dimittere, quam ſi transferat, imo dimittere vult, quia ſe transferre exiſtimat.

Spicies talis eſt: Exiſtimabat Sempronius, Titium ſanae mentis eſſe; cum fortaſſe per tranſitum apparuiſſet ſibi quietis inumbratae illum conſtitutum, hoc eſt, hominem quietum & non amentem, rem tradidit; puta librum, cum ipſe Titius furioſus eſſet. Quaeritur hic, an Sempronius videatur transferre poſſeſſionem, an non ipſi Titio furioſo, cum conſtet furioſum non poſſidere, nec eundem quicquam acquirere poſſe, niſi per ejus tutorem, *l. 1. §. furioſus 3. ſupra eod.* vel curatorem, ejusque agnatos gentilesque, penes quos in eo, pecuniaque ejus eſt poteſtas, ut ait Cic. *lib. 1. Rhetor. ad Heren. cap. 13.* quia affectionem tenendi non haberet: licet rem ſuo corpore maxime contingeret: nam eſſet, ſicuti ſi quis dormienti aliquid in manu poneret. Reſpondet itaque Celſus, quod licet ille furioſus non adipiſcatur poſſeſſionem, ſic a Sempronio dimiſſam translatamque, quod nihilominus Sempronius poſſidere deſinet: quia qui dimittit poſſeſſionem a ſe, illam videtur transferre, & ſufficit dimittere, hoc eſt, rem ſuam relinquere, & in numero rerum ſuarum amplius habere nolle, quamvis non transferat, *§. 47. verſ. pro derelicto. Inſtit. de rerum diviſ.* Nam ſequeretur abſurdum dicere, illum, qui dimittit ſic, non aliter videri velle dimittere, ob hoc ſolum, quam ſi transferat; quod non eſt omnino admittendum: quia qui dimittit rem ſuam a ſe, & abdicat, ea mente eſt, ut in numero ſuarum rerum amplius illam nolit eſſe; quia ſe ita transferre poſſe exiſtimat: igitur Titius rei dominus efficietur, & ſi ſit furioſus auctore curatore, cum res traditae jure naturali acquirantur, *l. qua ratione 9. §. hae quoque res 3. D. de acquir. rer. dom. & §. per traditionem 40. Inſtit. de rerum diviſ.* Sed quod hic textus dicit *ſuae mentis*, poteſt legi & *ſanae mentis*. Ut illud etiam obiter declaremus, ſciendum eſt, illa verba (quod forte in conſpectu inumbratae quietis fuerit conſtitutus) ita ab Accurſio expoſiti; quia videbatur ſanus & non erat. Ego aliter accipio, ut inumbratam quietem dicat Celſus, quae per quosdam acceſſus illi ſolebat contingere, ut non videretur furioſus, vel quia intervallis quibusdam (ut plerumque adſolet) ſenſu ſanior erat, *l. divus Marcus 14. verſ. Si vero. D. de offic. praeſid.* Quo dicto nihil inveniri poſſe ſignificantius, ac magis proprium exiſtimat vir prudentiſſimus Alciatus, *Lib. 1. de verb. ſig. in princ.*

§. *Si venditorem 2.*

SI venditorem, quod emerim, deponere in domo mea juſſerim: poſſidere me certum eſt quanquam id nemo dum attigerit, aut ſi vicinum mihi fundum mercato venditor in mea turre demonſtret, vacuamque poſſeſſionem tradere dicat: non minus poſſidere coepi, quam ſi pedem finibus intuliſſem.

Species ita poteſt formari: Sejus, cum mercatus eſſet modios decem tritici Africi, juſſit Stichum venditorem, ut in ejus domo deponeret. Dubitabatur, an, cum nemo in Sejana domo illud attigiſſet, vel, cum ipſe Sejus triticum non attigiſſet, an poſſidere illud diceretur. Reſpondit Celſus, Sejum absque dubio poſſidere. & Priſcus ait, *l. 1. §. ſi juſſerim 21. ſupra eod. Non eſſe neceſſe corpore & actu adprehendere poſſeſſionem, ſed etiam oculis, & affectu; & argumento eſſe eas res, quae propter magnitudinem ponderis moveri non poſſunt, ut columnas: nam pro traditis habentur, cum in re praeſenti utraque pars conſenſerit. Vina quoque tradita videri*, idem Priſcus ait, *cum claves cellae vinariae emptori traditae fuerint.* Subeſt alia ſpecies in noſtro textu ejusdem pene argumenti, quae talis eſt: Stichus forte fundum Tuſculanum domui Sejanae proximum ſeu vicinum habebat, cum Sejus emere illum vellet; Stichus ei vendidit, & cum forte in domum Seji veniſſet, aſcendit turrim vel tectum domus ejus, vicinumque fundum Stichus Sejo demonſtravit, hisque verbis illum vendidit Sejo: SEJI QUEM FUNDUM VICINUM DOMUI TUAE VIDES, ILLUM TIBI VENDO, VACUAMQUE POSSESSIONEM TIBI TRADO. Quaerebatur, an Sejus poſſeſſionem illius fundi haberet, dominiumque nactus eſſet, cum poſſeſſio ab eo ſit appellata, *l. 1. in princ. ſupra eodem. & Deut. cap. 11. Joſuae cap. 14.* quod in ea pedibus (vel ut Alciatus, litterarum Phaenix, *l. Diſpunct. 1. cap. 1.* tradit) eo quod ſedibus inſiſtamus, vel ſedes ponamus, Alciat. *in l. 1. in etymologia Poſſeſſio. ſupra eod.* Sejusque non inſtitiſſet, nec naturaliter poſſeſſionem cepiſſet. Reſponſum eſt a Celſo breviter, Sejum non minus poſſidere coepiſſe dictum fundum Tuſculanum, quam ſi pedem finibus intuliſſet, hoc eſt, omneis glebas ejus fundi, ut mos eſt, circumambulaſſet, ſed tantum nonnullas. Nihil enim refert, dum ea mente, ac cogitatione fuerit, ut poſſidere velit, univerſum fundum usque ad terminum, ſeu totum fundum usque ad terminum circumambulaſſet, & ſic civiliter Sejus poſſidere dicitur, hoc eſt, animo & corpore, quamquam ambarvalium morem non ſervarit, hoc eſt, non circumdederit fundum: ci-

civiliter tamen intelligitur animo & corpore poſſidere, cum ea ſit mente, ut poſtea velit usque ad terminum poſſidere, & ſedem finibus inferre. Uude recte Paulus ſcribit, *l. poſſideri 3. §. in amittenda 6. ſupra eod. In amittenda quoque poſſeſſione affectio ejus, qui poſſidet, tuaenda eſt, ut, ſi cum in fundo ſim, & eum nolim amplius poſſidere, protinus poſſeſſionem amittere dicor, arg. verſ. Procurator alienae. in princ. h. leg. Nam amitti ſolo animo poteſt, l. licet poſſeſſio 4. C. eodem. & ſi ſolo animo acquiri non poteſt d. l. poſſideri 3. §. Neratius 3. Sed ſi ſolo animo poſſideo, licet alius in fundo ſit, adhuc tamen poſſideo*, quia animo poſſeſſionem retineo, quod eſt civiliter. Nam cum ſemel animo & corpore fui in poſſeſſione, hoc eſt, civiliter utroquemodo poſſidens, id eſt, animo & corpore, quamvis poſtea alius poſſeſſionem meam ingreſſus ſit; tamen dicor, ut prius recte poſſidere: propterea quod eo animo ſum ſemper, ut velim poſſidere. Nec quis dicitur recte poſſeſſionem amittere, cum eo animo ſit, ut velit illam retinere. Igitur qui peregre profectus ſit, eo animo eſt ſemper, ut velit poſſeſſionem ſuam permanere. Nec ideo ſi quis eam occupaverit, ob hoc qui peregre profectus eſt, amittere dicetur; quod & Ulpianus affirmat, *l. clam poſſidere 9. §. qui ad nundinas 1. ſupra eod.* Sed quaero hic in textu noſtro, dicit, quod ſi demonſtret fundum Stichus Sejo, quod Sejus acquirit poſſeſſionem illius fundi, & ſi non intulerit pedem in illo. cum ſupra dixerit, in *l. poſſideri 3. & l. licet poſſeſſio 4. C. eod.* animo poſſeſſionem nos nequaquam acquirere poſſe: quod hic adverſari videtur, cum ſufficiat illum Sejum vidiſſe fundum, & eo eſſe animo, ut accipiat poſſeſſionem ſibi venditam; quod ego ſic ſolvo, *arg. §. item ſi quis 45. Inſtit. de rerum diviſ. & l. clavibus 74. D. de contrah. empt.* & eſt a contrario argumentum; ſicuti qui vendiderat merces, horreo poſitas, & tradidit claves horrei, transferre dominium in emptorem mercium dicitur; ita qui vendidit agrum, & accepit pecuniam, & emptori agrum demonſtravit videtur illi dediſſe dominium, quia in re praeſenti eſt uterque emptor & venditor, & tunc videtur dominium transferre, ut etiam Paulus eleganter tractat, *l. 1. §. ſi juſſerim 21. ſupra eod. nam ſi juſſerim venditorem procuratori meo rem tradere, cum ea in praeſentia ſit, videri mihi traditam ait Priſcus, & non ſolum corpore & acta neceſſe eſt poſſeſſionem apprehendere, ſed etiam oculis & affectu; & argumento hae res ſunt, quae propter rei magnitudinem moveri non poſſunt (puta columnae) nam pro traditis eſſe conſtat, ſi in ea re praeſenti partes conſenſerint, & quia vina videri tradita, cum cellae vinariae traditas claves a venditore empter acceperit:* igitur etiam oculis poſſeſſionem acquirere poſſumus, ſi ſit in proximo. Hinc mihi ridiculum illud Accurſii videtur, *gloſſ. l. 1. in princ.* verbo *quia naturaliter*, ibi primis duobus caſibus, *ſupra eodem*; dum dicit, non amitti poſſeſſionem, etiam ſi ſit in conſpectu per decem milliaria: cum conſtet, neminem vel pauciſſimos per decem milliaria fundum aliquem proſpicere poſſe, niſi illum Lynceum fuiſſe maluerim credere, quem Solinus ex teſtimonio M. Varronis centum triginta quinque millia paſſuum proſpexiſſe aſſerit: & quem Maximus Valerius tradit a Lilybeo portu Carthaginenſium egredientes Claſſes intueri ſolitum; quod & teſtatur Plinius *lib. Natur. Hiſtor. 7.* Satis igitur conſtabit in textu noſtro, Sejum poſſeſſionem fundi Tuſculani acquirere potuiſſe, cum etiam oculis (modo ſit res praeſens) rerum dominium nanciſci poſſibile ſit, *d. §. ſi juſſerim 21. ſupra eod. & d. l. clavibus 74. de contrah. empt. d. §. ſi quis merces 45. Inſtit. de rerum diviſion.*

§. Si dum in Alia 3.

SI dum in alia parte fundi ſum, alius quis clam animo poſſeſſoris intraverit; non deſiſſe illico poſſidere exiſtimandus ſum, facile expulſurus finibus, ſimulatque ſciero. §. 4. Rurſus ſi cum magnus ingreſſus eſt exercitus; eam tantummodo partem, quam intraverit, obtinet.

Thema tale eſt: Cum eſſem in plaga parteve mei fundi, quem poſſidebam naturaliter, & civiliter, ſupervenit quidam, clam occupans aliam partem fundi, & ſic animo poſſidendi, ſi poſſet, intravit. Quaeritur an dicar illico amittere poſſeſſionem, cum ille animo ingreſſus ſit poſſidendi gratia: reſpondetur per Celſum, quod exiſtimandus ſum non deſinere poſſidere, propter quod illum facile e finibus ſim expulſurus, ſtatim ac ſciero; & ſic non videor amittere poſſeſſionem, cum ſit in me animus talis, ut illum expellere omnino velim, unde aliter non repugnans ei, viderer illum facere poſſeſſorem, cum permitterem illum ſic ingredi; nec enim metus quemquam in poſſeſſionem reſtituere ſolet, *l. qui nolit 7. ſupra eod.* niſi quis majore vi (puta exercitu) ſit ingreſſus: tunc enim dicor poſſeſſionis eam plagam amittere, quam ille vi majore obtinet. Nam *vis majoris rei impetus eſt, qui repelli non poteſt, l. vis autem 2. D. quod met. cau.* Nec mirum videri debet, quod lex dicit, quod repelli non poteſt, cum quandoque leges armis ceſſerint. Nam, auctore Cicerone, jura armis ceſſerunt; quod ille in luculentiſſima illa *oratione pro Milone c. 4.* atteſtatus eſt, ſic dicens, *Silent leges inter arma:* quam ſententiam praecipuus poetarum Virgilius in Maeride in ſuis carminibus inſeruit his verbis, *eclog. 9. v. 11.*

— — — Sed carmina tantum
Noſtra valent, Lycida, tela inter martia, quantum
Chaonias dicunt, Aquila veniente, columbas.

Unde Servator noſter Chriſtus dixit, Lucae *cap. 11. v. 21. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum in pace ſunt ea, quae poſſidet: ubi vero fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus aufert, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuit. L. de acceſſionibus 14. §. 3. verſic. Nam qui. D. de diver. tempor. praeſ.* Ergo major vis obtinet poſſeſſionem, & id eſt, quod Juriſconſultus Paulus in illis verbis, *Impetus qui repelli non poteſt*, ſignificat. Nihilominus non amitto jus meum, ſi poſtea poſſim reſiſtere illius viribus, & ſic injuſtam, id eſt, naturalem poſſeſſionem retineo animo. Nam juſta poſſeſſio Juſtiniano pro civili accipitur, *§. ex his itaque 5. Inſtit. per quas perſ. nob. acquir.* Injuſta pro naturali, quae & corporalis appellatur poſſeſſio Marcello, *l. quod ſervus 24. infra eod.* apud Paulum ſumitur, *l. ſi duo. 3. D. uti poſſid.* Sed de his hactenus.

F I N I S.

D. ANDREAS ALTIATUS RECOGNOVIT.

INDEX CAPITUM.

CAP. I. J*Uſtinianum Caeſarem vetuiſſe commentarios in Jus Civile noſtrum ſcribi; Azonemque primum legem contempſiſſe; Votumque eſſe noſtrum, ut aliquando* CAROLUS V. CAESAR *poſt bellicos ſudores, tot ſcripturientium Commentarios reſecet, & juri civili aequum modum imponat; & qui animus noſter in his ſtudiis civilibus fuerit.* Pag. 1309

II. *Quaedam vocabula in inſcriptionibus Juſtiniani emendata per Alciatum; & in illa dictione* Flavius *recepta Accurſii ſententia, non tamen prorſus Alciati ſpreta: Defenſus Accurſius in verbo* Auguſtus *contra Nicolaum Perottum; & cur Placentia aliquando ſit appellata Auguſta; & de obeliſco Caeſaris Julii.* 1311

III. *In omnibus ſtudiis inſtitutiones ſibi primum locum vendicare; & cur juvenes olim novi Juſtiniani vocarentur, quaeque ſit differentia inter* Inſtitutiones & Inſtituta *declaratum, quae non ſat recte a noſtris Doctoribus vitantur.* 1312

IV. *Quid ſit edictum perpetuum, de quo ſaepe in jure noſtro ſit mentio: & ibi Aſconii & Gellii citatis locis de eodem.* 1313

V. *Neque principium neque finem ullum in jure noſtro hodie reperiri, cum Juſtinianus tamen dixerit a ſe inventum; nec caeteras artes, quae ad jus noſtrum pertinent, eſſe viles, & quaedam in laudem legum.* 1314

VI. *De alearum ludis a Juſtiniano vetitis; & uſque ad quam ſummam liceat ludere; & an quod amittitur in ludo poſſit repeti; quique uſum alearum primus repererit; addita in fine hiſtoria, quae declarat quam periculoſa res ſit alea, & quam infelicem exitum ſaepe ſortiatur.* 1315

VII. *Multum conferre in ſtudiis literarum veteres Codices, & nonnullorum Doctiſſimorum Virorum citata nomina, qui olim & hodie Romanas literas incolumes ſervant.* 1318

VIII. *Maxime neceſſarium eſſe juvenibus ſcire originem juris, & de definitione juris; & quid ſit* aequitas; *emendatus locus apud Suetonium in Caligula; & quibus modis* aequitas *in jure noſtro accipiatur* 1319

IX. *Quod jus per ſe ſit expetendum, non noſtro merito; authoritate Ciceronis adducta. Et quomodo accipiendum ſit verbum* Sacerdotes; *declarati duo loci apud Virgilium; & quot* Sacerdotum *genera apud veteres fuerint, nonnullaque ex* XII. *tab. citata* 1320

X. *De Juſtitia Dea veterum, quomodo apud illos pingeretur; quod apud Aegyptios Octonario numero ſignificatur juſtitia; & quod eidem veteres templum aedificaverint.* 1322

XI. *In republica duo potiſſimum contineri, praemium, & poenam; treſque eſſe cauſas puniendi peccatis; nec bonos aliquo praemio vere bonos effici; & quaedam Demonactis Philoſophi rejecta ſententia de legibus.* 1323

XII. *Cognitionem juriſprudentiae a Philoſophia petendam eſſe, teſte Cicerone; quam* Philoſophiam *intelligat Ulpianus hic; & quae ad mores pertinet, non eſſe certam; nonnulla contra Philoſophos citata loca ex jure noſtro; & ex hiſtoriis: & quaedam de Angelo Politiano.* 1324

XIII. *Publicum jus & privatum quid ſignificet; & quod alio modo poſſit dici, quam vulgo dicatur; & quid differat Theſis ab Axiomate; declaratumque illud verbum,* cenſeri, *apud Ulpianum.* 1326

XIV. *In omnibus a divinis incipiendum eſſe: & quaeſtio illa trita interpretum juris, an amiſſio divini nominis inſtrumentum vitiet, ſoluta; quodque veterum mos fuerit in orationibus divinum invocare numen; multaque alia non injucunda.* 1327

XV. *Quod de jure divino tenemur parere parentibus; quodque permiſſum ſit illis filios necare, & vendere; & an ſemper teneamur illis parere, an alendus pater, qui filio nullam artem dedit; explicatuſque locus Ulpiani in* l. ſi quis a liberis 5. D. de agnoſcendis liberis: *inibique Vitruvii quaedam poſita ſententia.* 1329

XVI. *Quid ſit parere patriae, & quomodo ei parendum; nonnullae divinae leges ad hanc rem citatae; & declaratus locus in* XII. *tab. & in fine acclamatione quadam facta.* 1330

XVII. *Natura ita comparatum, ut unuſquiſque ſe tueatur; & quid ſit vis, & quando dicatur inferri; & ex vi naſci injuriam; & pluribus modis fieri injuriam; & de talione apud Moyſem, & Gellium, & quae poena inferatur his, qui faciunt injuriam.* 1331

XVIII. *Quod omnes homines ab initio ſeculi liberi naſcerentur; & quis ſervitutis extiterit auctor; & ex qua ea inducta ſit, declaratumque quomodo ſit intelligendum illud,* ſervitutem ex jure gentium deſcendiſſe. 1333

XIX. *Quid ſit ſervitus, undeque appellati ſervi; tria eſſe ſervorum genera, & quomodo manumitterentur; multaque genera manumittendi connumerata; & quaedam ex lege Langobardorum de manumiſſionibus; & unde dicti ſervi Dedititii; & excuſſus locus Perſii, Plauti, & Annaei Senecae, nonnullaque alia.* 1334

XX. *Quae & qualis poteſtas dominorum eſſet in ſervos; & quae beneficia domini per ſervos haberent; & quae poſſunt facere ſervi; eorumque conditio qualis eſſet. Virgilii locus excuſſus: & declaratum quid ſit* venire ſub corona, *ex Gellio: quis ſit neceſſarius haeres in jure: & quaedam alia ad ſervos pertinentia.* 1338

XXI. *Connumerantur ſpecies ſervorum, quae in jure noſtro ſunt: Perpenditur locus Vitruvii; nec non & Apuleji; aliaeque ſpecies ſervorum, quae in noſtro jure non ſunt, enarrantur.* 1342

XXII. *Quis ſit ſervus receptitius; qui liberatus; qui Bruttiani fuerint; quis ſit ſervus de lapide emptus, quis dotalis ſervus: excuſſus Plauti, & Columellae locus, declaratus Modeſtini Juriſconſulti locus; & quid ſit ferratile genus Plauti; enumerata poenarum genera, quibus ſervi afficiebantur, multaque alia ad ſervos pertinentia.* 1345

XXIII. *Propoſita quadam Quaeſtione, quae a nullo adhuc tractata fuit, & ſoluta a nobis, quid ſit* juſtum bellum, *& an de jure divino bella ſint licita; & qui mos eſſet indicendi bellum apud Romanos; & qui bellum facere poſſint. Pomponii locus in D. elucidatus, & in fine quaedam exhortatio ad pacem; laudeſque* CAROLI V. CAESARIS; *& nonnulla ad pacem pertinentia.* 1349

XXIV. *Declarata quaedam verba legis* XII *Tab. de poena moventium terminos; & cur termini poſiti; quiſque auctor eos inſtituerit, & quaedam verba Julii Frontini appoſita. Deinde Deo Termino nonnulla ex auctoribus recepta; & quae poena a Juriſconſultis noſtris his, qui terminos fodiunt, ſit conſtituta; & lege Solonis de finibus regundis citata; & an termini ſint iure de jure gentium, an civili, declaratum.* 1357

XXV. *Jus Civile tripartitum eſſe, triplicemque naſci in homine conſiderationem; jus commune quid ſit.* 1362

XXVI. *Majorem partem juris cognitionemque ejus, in* 2. lege D. de origine jur. *verſari: exemplaque ſuper illis verbis* adjuvandi, ſupplendi, & corrigendi *appoſita.* 1363

XXVII. *De Praetoribus Urbano, & Peregrino; & quot Praetores Romae fuerint: Praetores provinciales qui fuerint.* 1364

XXVIII. *Reprehenſus Accurſii error; & qui dicuntur vivere moribus & legibus: perpenſuſque locus in* l. 2. D. de legibus. *nec non verbum* reguntur *in hac lege obſervatum.* 1365

XXIX. *De juſtitia & quotuplex ſit; ejuſque definitio ſecundum Ciceronem poſita: quomodo intelligenda ſint illa verba,* Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas; *rejectis interpretum ambagibus, multaque alia non inutilia.* ibid.

XXX. *An ſemper jus error faciat, remque judicatam retractari poſſe, exemplo juris quintae relationis* 1367

XXXI. *Jus multis modis dici, pro poteſtate etiam ſumi,* juſque, *non* vis, *legendum eſſe apud Paulum & in Inſtitutionibus, ex Theophilo.* 1368

CONSTANTII LANDI,

Comitis, Patriciique Placentini,

IN JUS CIVILE,

SPARSIM CONTENTARUM

EXERCITATIONUM

LIBELLUS.

FEDERICO SCOTO,

Comiti, & Juris utriusque Conſulto,

CONSTANTIUS LANDUS

S. D.

QUI praecipuo laborem hunc noſtrum dedicarem, haudquaquam facile mihi virum reperiri idoneum videbatur, Comes Illuſtriſſime, idemque Juriſconſulte eloquentiſſime; niſi tu unus tandem & aurium clementia, & optimarum artium ſtudiis praeſtantior caeteris occurriſſes: qui quanti te faciam, hinc jam vel cognoſcere potes, tum harum mearum Exercitationum libelli examen tibi potiſſimum in praeſentia dare deſtinaverim: cujus vel induſtria promptius ſuffragium, vel benignitas veniam ſpondebat faciliorem. Librum igitur hunc ex variarum rerum lectione in compendium redegimus; quantumque paſſa eſt ratio, ita moderate repreſſimus, ut nec in eo prodigam ineſſe copiam, nec damnoſam concinnitatem quiſquam poſſit dignoſcere, vel carpere. Qui ſi animum propius intenderis, veritatemque rei animi libra judicare volueris, ei velut cognitionis eruditionisque fermentum quoddam magis ineſſe, quam bracteas eloquentiae deprehendes. Scias igitur velim ex voluminibus exquiſitiſſimis non nulla accepta me fateri, ideo compendio ſtuduiſſe, ut a notioribus referrem pedem; & remotioribus liberalius immorarer. Inſeruimus etiam pleraque indifferenter congruentia, ut ſi nihil aliud, ſaltem varietas ipſa (qua nihil in ſtudiis literarum ſuavius eſſe poteſt) legentium taedio mederetur. Nonnulla etiam addidimus, quae memoratu digna videbantur, & curioſis Romanae vetuſtatis (ut puto) placitura, quarum rerum auctoritas (quod Tibi in primis notum eſſe velim) de ſcriptoribus manat opinatiſſimis. Sed jam hoc praeſertim tempore noſtro noſtrum eſſe poterit, cum hujus ſaeculi admiranda diligentia, incredibile ſtudium eo uſque pervenerit, ut nihil inenarratum, nihil inexcogitatum, nihil denique in omni aevo elaboratum reliquerit, omiſeritve. Quapropter Te ſummopere rogatum volo, ne quicquam a me novum (paucula praeter) exſpectes: nec de praeſenti tempore editionis iſtius fidem libres. Quandoquidem veterum numiſmatum imagines, veſtigiaque ſectantes, Doctiſſimorum Virorum ſententias arripere maluimus potius, quam novas inducere: itaque ſi qua ex iſtis tibi in mentem venerint ſecus, quam ego opto, hoc mihi condonabis ex humanitate tua. Nam ſolidam veritatem conſtat penes eos auctores exiſtere, quos nos ſecuti ſumus. Hoc igitur, doctiſſime Federice, qualecunque non aſpernaberis levidenſe munus, quod Tibi velut monumentum amicitiae noſtrae, jamdiu inter nos ſpectatae probataeque, dono, dicoque. Et ſi nihil, vel parum in eo reperies, quod nomini meo novum praeconium ſuſcitare, gratiamque mihi apud te comparare poſſit (praeterquam, quod nominis tui titulum fixum prae ſe ferat, ut tanquam vela regia, quae poſſeſſionibus praetenduntur adverſus Iſauros raptores, tuto non attinguntur) ita ſub auctoritate tua conſtitutum, eaque fultum opuſculum iſtud meum a maledicis, conviciatoribusque inviolatum, intactumque remaneat! Vale. Placentiae. Quarto Cal. Novembr. M. D. XLIX.

BENEDICTI LABADINI,

Varſienſis Placentini,

AD CONSTANTIUM LANDUM,

Comitem Illuſtrem.

QUAE eſt longiſſima, lege & inſtitutis
Naturae data vita, ſub polo iſto,
Ærumnoſo homini, brevis, nihilque eſt,
Ut inſectile punctum, & ut minutal,
Quam longam facias tamen colendo.
Nam quod fata negant, negant planetae,
Coelorum imperium, artifexque rerum
Natura omnipotens, ferunt labores.
Cultus ingenii, vigil lucerna.
Ingens nobilitas decus. Decorem
Acervique ferunt potentis auri,
Auri principis, omnium & Tyranni.
Poſſunt plurimum & illa, forma, honores,
Sceptra regia, conſulum & ſecures.
Comparare noto tamen licebit.
Volant, & revolant, fugant, fugantur,
Per coelum, ut volucres, per alta navis
Et fati accelerant nigras tenebras:
Tantum abeſt homini, hoc modo ut perennet
Vis fatum domat una litterarum.
Vitam ſic tibi, LANDE, prorogaſti.

CON-

CONSTANTII LANDI,

Comitis, Patriciique Placentini,

IN JUS CIVILE,

SPARSIM CONTENTARUM

EXERCITATIONUM

LIBELLUS.

EX PROOEMIO DIGESTORUM.

U*Teſſet vobis aliquid amplius diſcipulorum peritia.* Ex hoc textu illud notatu dignum collige, quod magiſter peritior eſſe debet diſcipulo. Idem habetur in *l. ſi quis* 6. §. *praetor ait* 8. *D. de edendo.* & in Euangelio dicitur: *non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum.* Et tamen apud Graecos quidam proverbialis verſiculus in uſu ſaepius, Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων, hoc eſt, *multos diſcipulos peritiores eſſe magiſtris.* Cicero *in Epiſtol.* 7. *lib.* 9. *Famil. ad Varron.* Hinc juvenalis in 14. *Satyra. v.* 212.

> —— —— *Meliorem praeſto magiſtro*
> *Diſcipulum. ſecurus abi: vinceris, ut Ajax*
> *Praeterit Telamonem, ut Pelea vicit Achilles.*

Illis etiam maxima debetur reverentia, ceu ſi parentes noſtri eſſent: unde legimus, Alexandrum Imperatorem Domitium Ulpianum parentem ſuum appellare ſolitum fuiſſe, *l. ex divi* 4. *C. locat.* Verus Commodus, & M. Antoninus Caeſares, Voluſium Maecianum, juris civilis diligentem; & Salvium Julianum, virum clariſſimum, amicos ſuos dicere non ſunt dedignati, *l. divi fratres* 17. *D. de jure patron.* Aliqua ope etiam ſuſtentandi ſunt. Quemadmodum de Sabino Maſurio, qui ab auditoribus ſuis plurimum adjutus eſt, refert Pomponius in *l.* 2. §. *ult. de orig. jur.* Papinianus etiam notat, *officium Magiſtri quadam mercede remuneratum iri, ſi eloquentia, & diligentia ſua meliorem diſcipulum reddiderit, l. Aquilius Regulus* 27. *D. de donat.* ubi elegans thema.

Vide apud Crinitum, *lib. de hon. diſcipl.* 24. *cap.* 1. quanto honore Ariſtoteles praeceptorem ſuum Platonem affecerit. Vide eundem *lib.* 4. *cap.* 4. Quantum bonis praeceptoribus diſcipuli debeant. Vide *l. qualem* 19. *D. de arbit.* ubi Caſſius ſententiam magiſtri ſui bene excuſat.

Ex eodem.

Quarto anno ſtudioſos Graeco, & conſueto vocabulo λύτας *appellari ſolitum eſt:* id eſt, ſolutores legum, & ſcribendum lytas per ὑψιλόν. Nam λιταὶ preces deſignant. Unde λιτανεία, & litanus ſervus apud Plautum *in Aſinaria.* Hinc etiam Prolytae, id eſt, licentiati, ſeu anteceſſores, qui lytis preſtant. Politianus *cap. Miſcell.* 93. & Alciatus *lib. Praetermiſſor.* 2. reſtituerunt. Adde quod quaternis annis Juſtinianus ſtatuit, quadragenos libros juris in ſcholis legendos a *principio inſtitutionum* usque ad titulum *Digeſtorum de bonor. poſſeſ.* Merito hic lytas, id eſt, ſolutores legum quarto anno appellat. Unde ipſe ſupra dixit, *ſufficere ad expoſitionem, & eruditionem juventutis ea libris Digeſtorum ſex & triginta*: additis nempe illis quatuor inſtitutionum libris, qui numerus quadragenarius eſt.

Ex eodem.

Oportet prius animis, & poſtea linguis fieri eruditos. Hoc aureum dictum ex oraculo Iſocratis deſumptum, memoria tene. Sola enim virtus, ſolae literae, ἀθάνατον κτῆμα literis, vel etiam corporis exercitiis conſpicuum eſſe parum eſt: at literis, & ſimul moribus ornatum eſſe, conſummatum reddit hominem. Prius igitur animum colere bonis moribus, deinde eloquentia exornare linguam debemus. Nam juxta Sapientis verbum, *difficile in malevolam animam ingreditur ſapientia.* Facit ad hanc ſententiam *l. magiſtros ſtudiorum* 7. *C. de profeſſ. lib.* 10. & *l. ſcire oportet.* 21. §. *fin. D. de tut. & cur. dat. ab his.*

Ex eodem Prooemio.

Sed quia ſolitum erat anni quarti ſtudioſos Graeco, & conſueto quodammodo vocabulo hircos appellari Accurſius hunc locum ita exponit, hircos, quod idem eſt, quod ſuppliter videns. Politianus λύτας ex archetypo mavult, *Miſc. cap.* 93. Nihilominus ego hircos cum Accurſio poſſe legi putarim, cum hirci, ut ait Plinius *lib.* 8. *cap.* 50. *Natural. Hiſtor. non minus nocte, quam interdiu cernant*: vel accipitur hircos pro oculis ſeu oculorum angulis. Nam illi magis ſtudio dediti eſſe creduntur, qui oculis & luminibus vident, quod diſcere eos oporteat, quam hi, qui tantum auribus ad audiendum intenti ſunt. Conferunt enim plus ſtudiis literarum oculi, quam aures: & oculorum certior eſt ſenſus, quam aurium praeterfluens ſonitus: quod vero pro oculis hirqui dicantur, Virgil. *in Bucol*, in Palemone. *v.* 8. *eclog.* 3.

> —— *transverſa tuentibus hircis.*

Ubi interpres Servius ait, *alii hirquis legunt; hirqui autem ſunt oculorum anguli ſecundum Suetonium Tranquillum, in vitiis corporalibus*; quo morbo ſaepe literati, quique incumbunt literis homines laborare ſolent; ſicuti audiendi, & loquendi facultate privari, §. *item ſurdus* 3. *Inſtit. quib. non eſt permiſſ. facere teſt.* Hinc hircoſum apud Ulpianum morboſum eum eſſe conſtat, ut propterea fieri non poſſit redhibitio, ſicuti nec Strabonem: hircoſum enim (non ut Budacus ibi accipit pro male olente) ſed pro vitio oculorum ſumendum eſt, hoc eſt, viſu in naſum propenſo. Hic igitur hircos intelligit juvenes, quibus jam ſub alarum valle olidus habitat caper. Nam hujusmodi odor juvenibus primae lanuginis prurientibus ineſſe conſtat. Unde in numiſmate vetuſto, quod apud me eſt, hircus cum his verbis, PRINCEPS JUVENTUTIS inſcribitur; etſi ſciam aliud ſignificare poſſe. Nempe hircus apud veteres ſymbolum eſt libidinis, quae quidem libido in juvenibus (ut plurimum) in pubertate regnare ſolet. Hinc Pierius Valerianus antiquarius in expoſitione illius verſus.

> —— *Transverſa tuentibus hirquis.*

Dixit *hirquos per q, & a, ſcripſiſſe antiquos; quos nos hircos dicimus, eamque ſcripturae rationem remanere adhuc in derivatione nominis: quod hinc tractum eſt, ut hirquitallos eos vocamus, qui jam coeperint adultioris aetatis eſſe: propterea quod axillas olere incipiant hircorum more.* Ariſtot. *lib.* 7. *de hiſtor. animalium.* Tragizontes pueros vocat, qui pubeſcentes Venerem agno-

ſce-

ſcere incipiant. Τραγῶντας ſeu hircos igitur intelligit juvenes, qui jam pubeſcere, & prurire incipiunt, aliud per ſemetipſos addiſcere poſſunt, & forte legendum hirquitallos.

Ex eodem Procemio.

¶ ***Et in quinti anni metas, quo loritae vel coloritae nuncupantur.*** Hic nihil decerno, cum in praeſentia menti nihil dignum ſuccurrat. Si tamen divinare nobis licet, poſtquam Accurſius ita legit, & poſtquam ſuperiorem locum veriſimiliter, ſi tamen non fortaſſe vere, expoſuimus: dicemus *loritas* vocatos quaſi a loris liberatos, ut qui ad hujusmodi ſtudii metam jam perveniſſent, eamque contigiſſent, non amplius timerent a loris, nec verberibus; recitabant ſiquidem magiſtris ſuis leges ea tempeſtate ſcholares, ut ſupra oſtenditur in *hoc procemio*. Sic pueri olim ante aetatem Ciceronis leges XII. tab. ut neceſſarium carmen diſcebant & recitabant, ut Cicero *de legibus* teſtatur. Solebant etiam leges cantari (ut ex Ariſtotelis *problematis* conſtat) qui hoc feciſſe homines priusquam literas ſcirent, ne eas oblivioni mandarent: eundemque morem eſſe apud Agathyrſos ait. Sic apud Juvenalem Comoediae recitabantur. Unde ille *in principio* ſui operis exclamat:

Impune ergo mihi recitaverit ille togatas.
Hic elegos?

& paulo poſt. *v.* 15.

Et nos ergo manum ferulae ſubduximus, & nos
Conſilium dedimus Syllae.

Nec aliquis penitus ridiculum putet, juvenes tum ſub ferula praeceptorum ſuorum profeſſos fuiſſe: cum nec tironibus in militia peccantibus ſemper remitti delictum ſoleret, magiſtrique in diſcipulos non modicam poteſtatem haberent, *l. ſed & ſi* 5. *in fin. D. ad l. Aquil. & l. item quaeritur* 13. §. *item Julianus.* 4. *D. locat.* & gloſſ. in *l. profeſſores. in hoc procemio. in fin.* §. 10. Nec enim apud veteres auditoribus, & ſcholaribus tanta inerat laſcivia, & petulantia, quantum hodie in ſcholis in juventute noſtra conſpici videmus. Venerabantur illi magiſtros ſuos, ac amore proſequebantur, imitarique eorum veſtigia, & tramites conabantur; illosque non modico quodam timore reverebantur. Illinc Papiniani, Pauli, Ulpiani, Scaevolae, totque legum antiſtites, & vertices proceſſerunt. Unde non miremur, ſi paucos haec aetas noſtra illis ſimiles ferat, cum proclivis in pravos mores progenies, vitioſior mox naſci ubicunque cernatur. Sed his relictis Parergis, quid ſi nos *colobitae* legamus? ut hi, qui metas quinti anni exceſſiſſent, colobiis uterentur. Colobia enim apud veteres erat quoddam genus veſtis, quod ſine manicis fuerat, & quaſi mutilum. Haec appoſui, non ut Politiani jam approbatam de prolytis ſententiam convellerem, ſed ut Accurſii lectionem aliqua veriſimili inventione fulciremus: propterea quod in Pandectis Florentinis *prolytas* eſſe ſcriptum, vix eſt quod credam. Non ſi reviviſcens Politianus juratus hoc mihi dicat, quem credibile eſt falli potuiſſe ex carioſa ſcriptura, ipſumque, prout ſibi in mentem venerat, locum correxiſſe: quae correctio quidem tanti viri auctoritate, plauſu doctiſſimorum virorum digna ut exciperetur, mereri potuit.

De Juſtit. & Jur. D.

In *l. Ut vim.* 3. ait Florentinus: ***Nam jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur.*** In hanc ſententiam. M. Cicero ita venit: *Principio generi animantium omnium eſt a natura tributum, ut ſe, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quae nocitura videantur.* Iterum Florentinus ait, *& cum inter nos cognationem quandam Natura conſtituerit, &c.* Ciceronianae ſententiae, quae eſt in *lib.* 1. *Offic. cap.* 4. convenit: Unam eſſe hominum inter ipſos parem communemque rationem vivendi. Deinde omnes inter ſe naturali quadam indulgentia, & benevolentia, tum etiam ſocietate juris contineri.

Ex l. Jus Civile 6.

Ulpianus: *jus noſtrum conſtat, aut ex ſcripto, aut non ſcripto; ut apud Graecos* τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι οἱ δὲ ἄγραφοι, *quod idem eſt, quod jus ſcriptum, & non ſcriptum, in Inſtitutionibus in* §. *conſtat* 3. *de jur. natur.* utrumque hic & ibi convenit, niſi legas φωνῇ μόνῃ, quod tamen Alciato non ſatis placet. Mavult enim integra verba Graece apponi, ut utrunque ſignificent, *lib. Praetermiſſ.* 2. Plato in *lib.* 7. *de Legibus* jus non ſcriptum patrias leges nuncupat.

De Orig. jur. ex l. 1.

Cajus in *l.* 1. *& certe cujusque rei potiſſima pars principium eſt.* Ariſtoteles *lib. Ethic.* 1. *cap.* 7. *in fin.* de principio ita dicit. Principium enim plusquam dimidium totius eſſe videtur, & eorum, quae quaeruntur complura per ipſum manifeſta fieri ſolent. Inter placita divini Platonis ſancitur, omne principium eſſe divinum, & cenſeri: quod Cael. Rhodiginus refert. Horatius Poeta *in Epiſtolis lib.* 1. *ep.* 2. *v.* 40. *Dimidium facti, qui coepit habet.* Principium aliquando pro fine poni Alciatus, praeceptor noſter, *lib. Exceſſ.* 5. *c.* 15. oſtendit; quod *lib.* 3. τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ proſequitur Ariſtoteles. Auſonius Gallus *epigr.* 80.

Incipe, dimidium facti eſt coepiſſe, ſuperſit
Dimidium, rurſum hoc incipe, & efficies.

APPENDIX.

Facit *l. Rutilia Polla.* 69. *D. de contrahen. emption.* neque Natura, neque ars poteſt aliquid facere ſine principio, ut dicit Baldus in *l. ſervis* 4. *D. de legat.* Deſtructo principali vel principio deſtruuntur ea, quae poſt principium ſunt, *l. in univerſis* 11. *C. qui dare tutor. poſ.* unde ſive quis deſtruat principium, ſive deſtruat finem, deſtruit totam rem, ſecundum Bald. in *l. ſervis* 4. *C. de legat.* qui allegat textum in *l. uſusfructus* 26. *D. de ſtip. ſervor.* & *l. fin. D. communia praed.* Principium an ſit inſpiciendum, vide in *l.* 3. §. *ſcio* 2. *& l. ſi apud* 12. & ibi gloſſ. *D. de minor.* & gloſſ. in *cap. dudum* 22. *de elect.* & *cap. ſcientes* 3. *de conſib. cap.* 1. *de aetat. & qualitat. in ſexto.*

Aliquid licet a principio, quod non licet ex poſtfacto, *l. quod autem* 6. §. *ſecundum* 7. *D. quae in fraudem cred.* & *l. ſi unus* 26. §. *pacta* 4. *D. de pact. l. eandem* 9. §. 1. *D. de duobus reis.*

Principium · iſta dictio quantam habet vim, & quae myſteria in lege Moſis Geneſeos, dum creatio rerum deſcribitur, ſatis profunde, & ſubtiliter ab eminente divinoque Viro Joan. Pico Mirandulano in ſuo *Heptaplo* declaratur, ubi parvus mundus, & magnus mundus quid ſit didicimus: & quomodo tres partes in homine tribus mundis ſignificantur.

Nota, quod Cicero in *oratione pro Aulo Cluentio cap.* 4. inquit, quod *cognitis principiis caetera facillime cognoſcuntur*, & cujusque rei optima pars principium eſt: & nota, quod non poteſt bene res intelligi, niſi a capite incipiatur, *l. ſi quis ex argentar.* 6. §. *edi* 7. *in fine. D. de edendo.*

Ex l. 2. §. 2. Eodem titulo.

Pomponius ait: *Quae omnes conſcriptae extant in libro Sents Pupyrsi: qui fuit illis temporibus, quibus Demarathi Corinthii filius, ex principalibus viris, &c.* Laurentius Valla in confutatione quadam in Morandum Bononienſem *hoc loco* ſubeſſe mendam admonet: quod mihi veriſimile ideo videtur, propterea quod Codices variant. Nam nonnulli illam dictionem *Superbus* habent; alii non, ut in Norico, qui Codex caeteris caſtigatior habetur. Porro, ut ego exiſtimo, is filius Demarathi fuit Lucius Tarquinius cognominatus Superbus, ideo quia invaſiſſet regnum occiſo Servio Tullo. De Demaratho meminit Val. Max. *lib* 3. *cap.* 4. *de his, qui humili loco nati ſunt:* ubi dicit, eundem fuiſſe mercatorem. Sed videtur dicendum, filium Demarathi fuiſſe Tarquinium Priſcum,

Digitized by Google

ſcum, ex quo natus eſt poſtea Superbus, ut ex eodem Valerio pater, & ut ibi interpres intelligit. Zaſius tamen, hunc locum explicans, accipit *filium* pro nepote: nam (ut inquit ille) appellatione filiorum veniunt nepotes, *l. liberorum* 220. *D. de verb. ſign. l. filii* 84. *eod. tit.* & ita ſibi placere dicit, dum materiae ſubjectae ratio nihil diverſum exigat. Hunc locum ideo volui hic apponere, ut forte fortuna aliquem maximum virum excitem ad eruendum hunc locum, ad tollendumque ſemel hunc ſcrupum, qui a nemine (quod ſciam) adhuc exemptus eſt, & ne amplius anſa praebeatur Grammaticis ſuperbientibus ad carpendum noſtros Juriſconſultos.

Ex eadem l. 2. §. 2.

Iſque liber, ut diximus, appellatur jus civile Papyrianum. De jure Papyriano meminit Macrobius in *lib. 3. Saturnal. c.* 11. his verbis: *Ego autem* (inquit) *quod mihi magiſtra lectione compertum eſt, publicabo. In Papyriano enim jure evidenter relatum eſt. Arae vicem praeſtare poſſe menſam dicatam, ut in templo* (inquit) *Junonis Populoniae Auguſta menſa eſt, &c.* Leviuſcula haec utique annotatio, ſed quae quandoque nobis profuerit, dum quendam locum ſubobſcurum non intelligeremus.

Ex eadem l. 1. §. 4.

Placuit publica auctoritate decem conſtitui viros &c. Livius & Feneſtella tantummodo treis fuiſſe aſſerunt. Sp. Poſthumium, P. Sulpicium, & Aulum Manlium. Quod animadvertit etiam doctiſſimus Zaſius. Decemviri, qui jura condiderunt, & in XII. tab. compoſuerunt, hi fuerunt, Appius Claudius (de quo Pomponius *hac in lege* §. 36. his verbis meminit: *Fuit autem in primis peritus Sextus Papyrianus, qui leges regias in unum contulit; ab hoc Appius Claudius unus ex decemviris, cujus maximum conſilium in* XII. *tab. ſcribendis fuit*) fuit & Titus Genutius, Publius Feſtius, Lucius Veturius, Cajus Julius, Aulus Manlius, Publius Curiatius, Titus Romulius, SP. Poſthumius. De quibus *in Decretis* apud Iſidorum fit mentio; *diſtinctio. 7. can. fuerunt* 2.

Ex eadem l. 2. §. 7.

Cnaeus Flavius ſcriba Appii. De hoc Cneo Flavio Cicero *pro Murena cap.* 11. his verbis meminit: *Inventus eſt ſcriba quidam Cneus Flavius, qui cornicum oculos confixerit, & ſingulis diebus ediſcendis faſtos populo propoſuerit, & ab ipſis chartis Juriſconſultis eorum ſapientiam compilarit.* De hoc etiam meminit Valer. Max. *lib. 1. cap. 5. n. 2.* Vide etiam Livium ab urbe condit. *lib. 9. c.* 46. & Gellium *lib. 6. c. 6.* & denique Plinium *lib. 33. Natur. hiſt. c. 1.* Nolui hunc locum praeterire, quamvis ſciam a multis viris eruditis annotatum. Non quia libenter ex dictis alienis mihi opus conficiam, ſed ut, quae non potui, cum a me ſcriberentur, ſtatim edere, nunc labore & vigiliis noſtris conſtent.

§. 21. ***Item ut eſſent, qui aedibus praeeſſent, qui etiam aediles appellati ſunt.*** Hi appellantur aeditui in *Inſtitutionibus* Juſtiniani. §. *tutores* 2. *Inſtit. de tutel.* Vide Gellium *Noct. Attic. lib. 12. cap.* 10.

§. 24. ***Ita populi conſenſu partim decemviris in carcere necatis, partim in exilium actis.*** Budaeus in *annotationibus* ſuis adjecit illud, *partim in exilium actis*; quod tamen non utique probat Alciatus *lib. 7. obiter dictorum, cap.* 20. Nam antiquos Codices illam dictionem *partim* non bis iterare refert, & apud aliquos auctores idoneiores reperiri, *partim* non repetitum eſſe. Cicero *contra Rullum cap. 14. Sacella, quae majores in urbe partim perfugia periculi eſſe voluerunt.* & Hirtius *lib. 4. commentarior. Alexandrini belli.* & Caeſar in *Commentariis civilis belli* eodem modo loquuntur.

Centumviri litibus judicandis conſtituti ſunt. Budaeus hunc locum reſtituit. Nam prius legebatur *decemviri.* Martialis ad Plinium *lib. 10. epigr. 19. vſ.* 15.

Dum centum ſtudet auribus virorum.

Et *lib. 7. epigr. 62. vſ.* 7.

Centum gravis haſta virorum.

De quibus apud auctores multa eſt mentio. Haſta vero centumviralis dicebatur, quod poſita in ſuo foro haſta judicabant.

§. 36. ***Et de Pyrrho in urbem non recipiendo ſententiam tulit.*** Ovid. in *lib. 6. Faſt. v.* 203.

Appius eſt auctor, Pyrrho qui pace negata.
Multum animo vidit, lumine captus erat.

Val. Max. *lib. 7. cap.* 2. meminit de Appio, & Cicero *de Senectute.* Fit etiam mentio in *l. 1. de poſtul.*

§. 37. ***Sed & Cajus Scipio Naſica.*** Hujus meminit Plinius *lib. 7. Natur. Hiſtor. cap.* 34. quem etiam optimum appellatum eſſe dicit.

Duae teſſerae poſitae. Vide in hunc locum Gellium *lib. 10. cap.* 27. Vide etiam in *Enarrationibus noſtris cap.* 23. ubi diffuſius dixi.

§. 43. ***Aut certe poſt M. Tullium obtineret.*** Alias legitur, aut *pro certo*; & male! Legendum enim eſt, *aut certe*, pro *aut ſaltem*; uſitatior enim locutio eſt apud opinatiſſimos auctores. Cicero *in Bruto cap.* 73. *Quo enim* (inquit) *uno vincebamur a victa Graecia, id aut ereptum illis eſt, aut certe nobis communicatum*: locum reſtituit Budaeus, & ideo illi habenda eſt gratia.

§. 47. ***Poſt hunc maximae auctoritatis fuerunt Attejus Capito,*** &c. Putavi quandoque legendum *Fontejus Capito*: niſi mihi obſtetiſſet Gellii auctoritas & lectio, ejusque Juriſconſulti apud eum multa mentio. Nihilominus corruptam eſſe poſſe Gellii *lib. 10. cap.* 20. lectionem arbitrabar, & forte a nemine animadverſam. Ego enim in marmore vetuſto, quod in caſtro Sebrio Mediolanenſi extat, haec verba legeram [apud Gruter. *pag.* XV. 3.]

IOVI. O. M. L. CAECILIVS. NYMPHEROS. V. S. L. M.
POSVIT. C. FONTEIO. CAPITON. COS.

Illud etiam me valde movebat, quod *Fontejus* legerem. Nam Livius *lib. 3. Decad.* 1. de P. Fontejo Capitone meminit, cui ſorte obtigit Sardinia. Movebar etiam alia ratione, quia hic dicitur, quod fuerit conſul, ut etiam in ſupra ſcripto marmore patet: fuit etiam, ut quandoque putarem, legendum, *Anius Capito*, ſeu *Anienſis*, ex Anienſi ſcilicet tribu; de qua meminit Cicer. *lib. Epiſt. Caelii, lib. 8. Fam. ep.* 8. Sed cum ad Alciatum, tanquam ad oraculum terreſtre humanae ſapientiae me contuliſſem, rogaſſemque eum, ut, an ita legendum cenſeret, mihi declararet, quod ut ejus eſt humanitas, paucis ſic rem mihi aperuit: Merito, Conſtanti, videris ambigere in nomine Atteji Capitonis Conſulis, ut ex multis auctoritatibus oſtendiſti. Nihilominus ſcire debes, hunc Attejum Capitonem, de quo hic Pomponius mentionem facit, longe poſteriorem fuiſſe illis, quos tu nominaſti. Nam conſtat hunc Attejum Capitonem conſulatum iniviſſe, Anno Chriſti 68. qui fuit penultimus imperii Neronis.

§. 45. ***Nam ante eum Servius duos libros ad Brutum perquam breviſſimos ad Edictum ſubſcriptos reliquit.*** Sic legendum eſt, non autem, *quam breviſſimos.* Eſt enim locutio elegans perquam breviſſimus, quamvis Grammaticis habeatur pro ſpuria; hi enim has duas particulas *per quam* tantum jungi poſitivo aſſerunt. Hinc codex Noricus, & Pariſini emendandi ſunt. Q. Curtius *lib. 6. cap.* 4.

ſcriptor elegantiſſimus, hoc genere dicendi utitur: *Bellum*, inquit, *quoque Braſlianorum Ducem, perquam maximo poſſet exercita coacto deſcendere ad ſe jubet.* Apul. *lib.* 11. *Aſini aurei. Tucetum perquam ſapidiſſimum*: quem locum interpres animadvertit. Omnes Codices antiqui, quos viderim, lectionem *perquam breviſſimos* habent. Ex hoc ideo colligo non in omnibus, quae ſcripſerunt Grammatici, ſtandum eſſe; cum videamus illos regulas ſuas fulcire Poetarum, & Oratorum veterum fulturis.

De Legibus, ex l. 1. D.

Lex eſt commune praeceptum. Vide Aul. Gellium *lib.* 10. *cap.* 20. ubi definitionem legis & plebis, & plebiſciti, ſecundum Atejum Capitonem publici, privatique juris peritum ponit. Vide, quae in *Enarrationibus noſtris* plenius annotavi.

Ex l. & ideo 11.

Et ideo de his, quae primo conſtituuntur, aut interpretatione, aut conſtitutione optimi principis, certius ſtatuendum eſt. *Interpretatione*, ut ſupra *l.* 2. *§. poſtea* 4. *D. de orig. jur.* ubi dicitur, *auctoritate publica decemviros conſtitutos, qui a Graecis leges acciperent. Datumque eis, ut & eas leges corrigerent, & ſi opus eſſet interpretarentur.* Facit *l.* 1. *& l.* 11. *§. appellata eſt* 2. *D. ſi certum pet.*

Conſtitutione optimi principis, ut *l. penult. C. de verb. ſign.* & *l. cum acutiſſimi* 30. *C. de fideicommiſſ.*

Ex l. Incivile eſt 24.

Incivile eſt, niſi tota lege perſpecta. &c. Notabilis lex eſt, quae ſi hodie ſervaretur, non tam temere judices proferrent ſententias: inſpicerent enim originem cauſae totius, &, penitius cauſa cognita, rectius judicarent. Hinc Bartol. ſapienter, propoſita ſibi quaeſtione, *an pars legis municipalis in cauſa produci poſſet, reſpondit poſſe, modo ejus legis integrum caput producatur: propterea quod in fine capitis extaret forte aliqua clauſula, quae corrigeret, vel limitaret praecedentia.* Bart. in *rub. D. de oper. nov. nunc.* Hinc Cajus dixit in *l. argentarius* 10. *§. edi* 2. *D. de edendo: Edi rationem ita intelligi, ſi a capite edatur. Nam ratio niſi a capite inſpiciatur, intelligi non poteſt.*

Ex l. Fraus 30.

Et quod diſtat. Politianus ex archetypo Piſano, reſtitutis verbis Graecis, ῥητὸν ἀπὸ διανοίας legendum ſcribit, *& quod diſtat dictum a ſententia.* Accurſius admonuit Graece loquutum fuiſſe Juriſconſultum Ulpianum; non tamen locum expoſuit. Hunc locum Alciatus animadvertit *lib. Praeterm.* 2. & Budaeus ex Petri Criniti haereditaria bibliotheca nobis manifeſtavit.

Ex l. Princeps 31.

Ulpianus ait: ***Princeps legibus eſt ſolutus.*** AUGUSTA AUTEM LICET LEGIBUS SOLUTA NON EST, ***Principes tamen illi privilegia tribuunt, quae & ipſi habent.*** Noricus Codex, & Pariſinus ſine gloſſa emendari ſic debent. *Princeps tribuit, quae & ipſe habet*, ut textura verborum concinnius ſequatur. Animadverte ex iſto textu, quod uxor Imperatoris eſt privilegiata, legibusque ſoluta. Nam Imperator Juſtinianus Theodoram quoque conjugem ſuam conſilii participem in condendis legibus ſumpſiſſe refert; ut in *Authent.* 8. *ut jud. ſine quoquo ſuffr. fiant* habetur, *cap. haec autem omnia* 1. AUGUSTA AUTEM LICET. Scribit Boccatius in libello *de claris mulieribus*, Fauſtinam Antonini Pii Caeſaris Auguſti filiam, ex Fauſtina conjuge, & M. Antonio junctam ex Senatusconſulto Auguſtam fuiſſe appellatam, quod eo tempore mulieri non modicum decus fuerat. Nam & ſi praecedentibus ab Auguſtis viris, Auguſtarum cognomen eſſet, nulli ante hanc Senatusconſulto fuiſſe conceſſum invenio.

De Conſtitutionibus Principis.

Quod principi placuit, legis habet vigorem. Sueton. *in Calig. cap.* 29. ait: Cum Antonia avia monuiſſet Caligulam, *tanquam parum eſſet, non obedire*, *Memento* (inquit) *omnia mihi & in omneis licere*: vox potius tyranni, quam principis! Nota principum placita tum vim legis habere, quando cum honeſtate ſunt conjuncta; ideo Ulpianus, ſupra *de juſtit. & jur.* dixit, *Oportet noſſe jus a juſtitia deſcendere*, quaſi a non potentioris commodis, & arbitrio, ſed ab juſtitia: & hoc a nobis contra illos dictum volumus, qui putant jus eſſe quicquid principi, & potentiori placet, & utile eſt. Recte, & probe dixit ad hoc Juſtinianus in *l.* 1 *§.* 14. *C. de cad. tollend. Quod communiter prodeſt omnibus, hoc privatae noſtrae utilitati anteponendum cenſemus, noſtrum eſſe proprium ſubjectorum commodum imperialiter exiſtimantes.* Noluit itaque princeps optimus pro libito ſuo commodum & utilitatem ſuam communi praeponere, quod eſt proprium juſtitiae, ipſiusque aequitatis. Apud veteres principem ſubditorum incolumitatem magisque propriam procurantem, Delphin anchoram amplectens deſignabat; quam rem Alciatus noſter in *libello Emblematum* hoc carmine depinxit:

Titanii quoties conturbant aequora fratres,
Tum miſeros nautas anchora jacta juvat;
Hanc pius erga homines Delphin complectitur: imis
Tutius ut poſſit figier illa vadis.
Quam decet haec memores geſtare inſignia Reges?
Anchora quod nautis, ſe populo eſſe ſuo?

De Statu hominum, ex l. Libertas 4

Libertas (inquit Florentinus) ***eſt naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet.*** Perſius poeta eleganter in eandem ſententiam, *Satyr.* v. cecinit, *v.* 81.

—— —— Aſſigna Marce tabellas.
Haec mera libertas; hanc nobis pilea donant.
An quiſquam eſt alius liber, niſi ducere vitam
Cui licet, ut voluit?

Cicero *in Paradoxis, par.* 5. *Quid enim eſt libertas? poteſtas vivendi ut velit. Quis igitur vivit ut vult? niſi qui recta ſequitur?* &c. Plato etiam in *lib.* 3. *de Legibus*, quae vera ſit libertas docet: brevis annotatio ſane; ſed quae non fuerit omittenda!

Ex l. In multis 9.

In multis (inquit Papinianus) ***noſtri juris articulis deterior eſt conditio foeminarum, quam maſculorum:*** & in tantum eſt deterior, ut neque appellatione filiarum contineantur filii in legato, ut ait Pomponius in *l. ſi ita ſcriptum ſit* 45. *D. de leg.* 2. Nam ſi ita legatum ſit, *FILIABUS MEIS C. aureos do*: legatum in maſculini generis liberis non procedit. Si vero ita ſcriptum ſit *FILIIS MEIS hoſce tutores do*: utique procedere legatum in filiabus reſponſum eſt, ut praevaleant maſculi foeminis. Exemplo enim peſſimum eſt, Foeminino vocabulo etiam maſculos contineri. Unde Modeſtinus in *l. ſervis legatis* 81. *D. de leg.* 3. ait: *Ancillis legatis, maſculos non deberi nemo dubitat, & pueris etiam legatis puellae debentur, id non*

aequi

aeque in puellis dicendum eſt. Quod deteriores ſint foeminae maſculis id multis exemplis probari poteſt, quae patent in *l. foeminae* 2. *D. de reg. jur.* puta in juriſdictione, arbitrio, tutelae vel curae ſuſceptione, poſtulatione in judicio, procuratione, tabularum diſpoſitione, interceſſione, adoptione, teſtamentaria teſtificatione, in poteſtate patria vel materna, quam non habet, & in officio argentariae: ut *l. cum Praetor* 12. *§. non autem* 2. *D. de judic.* & *l. ſancimus* 6. *C. de recept. arbitr.* & *l. ſi de tabulis* 6. *D. de fid. inſtrum.* & *l. ult. D. de tutel.* & *l.* 2. *D. de re judic.* & *l.* 1. *C. ad SCtum Vellej.* & *l. qui accuſare* 8. *D. de accuſat.* & *l. deferre* 18. *D. de jure fisci.* & *l. foeminae* 12. *D. de edendo.* & *§. ſed & illud* 9. *Inſt. de adopt.* & *§. teſtes* 6. *Inſtit. de teſtam.* & idem in populari actione, ut *l. mulieri* 6. *D. de popul. actio.* & de his hactenus, ut etiam in aliquibus ſatis legulejis facimus.

Ex l. Quaeritur 10.

Quaeritur, ait Ulpianus, *Hermaphroditus cui comparari debeat, & magis puto* (inquit) *ejus ſexus exiſtimandum, qui in eo praevalet*, ut *l. repetundarum* 15. *in fin. D. de teſtib.* ubi quaeritur, *an ad teſtamentum adhiberi poſſit hermaphroditus*: reſpondit Paulus *ſexum incaleſcentis oſtendere.* Martialis Poëta in *Apophoretis*, de marmoreo hermaphrodito; qui tunc Romae in conſpectu habebatur, ſic meminit:

Maſculus intravit fontes, emerſit utrumque:
Pars eſt una patris; caetera matris habet.

Et forte alluſit Juriſconſultus ad illum hermaphroditum marmoreum, qui Romae tum habebatur. Et ego cum eſſem Romae M. D. XLV. vidi quendam marmoreum ex illo confectum lapide, quo aurifices aurum probare ſolent. Hermaphroditos Androgynos apud Graecos appellatos fuiſſe, aſſerit Gellius *Noct. Attic. lib.* 9. *cap.* 4. quod & teſtatur Plinius *lib.* 7. *cap.* 3. *Natur. Hiſt.* Idem Plinius refert, Policletum inter ſtatuarios inſignem nobilem hermaphroditum Romae feciſſe. Illud etiam non omittendum, quod idem Plinius *lib.* 11. *cap.* 48. de hermaphroditis mirabile ſcripſit: nam *principatu Neronis accidiſſe* (inquit) *hermaphroditas quadrupedum generi ineſſe utrunque ſexum*; & paulo poſt ſubjungit: *oſtentabat certe hermaphroditas ſubjunctas carpento ſuo equas in Treveriso Galliae agro repertas, ceu plane viſenda res eſſet, principem terrarum inſidere portentis.* De hermaphrodito extat elegans Pulicis Epigramma, quod hujuſmodi eſt:

Cum mea me genitrix gravida geſtaret in alvo,
Quid pareret fertur conſuluiſſe Deos.
Mas eſt Phoebus ait, Mars foemina, Junoque neutrum.
Cumque forem natus, hermaphroditus eram.

Macrobius *lib.* 3. *Saturnalium*, *cap.* 8. ſuper illo Virgilano verſu, *lib.* 2. *AEneid. v.* 632.

Diſcedo ac ducente Deo.

ait, *hermaphroditi ſignum etiam eſt Cypri barbatum corpore, ſed veſte muliebri cum ſceptro ac ſtatura viri, & putant eandem marem ac foeminam; Ariſtophanes* ἀφρόδιτον *appellat.* Illud etiam annotatu dignum amplius hoc loco addendum cenſeo, quo ſcilicet ſidere prodeant hermaphroditi, ab Julio Firmico *lib.* 3. *Matheſeos* his verbis oſtenditur: *Si a Venere defluens luna in nocturna genitura feratur: minuta luminibus ad Saturnum, aut ſteriles, aut eunuchos, aut archigallos: aut hermaphroditos faciet, aut certe tales, qui muliebria pati miſerae libidinis cogantur ardore: erunt ſane oligochronii, aut biothanati.* Hermaphroditarum ſpecies quatuor commemorat Cael. Rhodig. *lib. Lect. antiq.* 15. *cap.* 10. atque ideo illuc recurrendum eſt.

AUCTARIUM.

Sententia lata ſuper ſexu (puta quem eſſe hermaphroditum) an faciat jus quo ad omnes, Bald. in *l. fin. C. de ſuis & leg. in fin.* dixit quod non, allegat *l. ſi Titius* 48. *D. de fidejuſ.* & d. Alex. in repet. *l. ſaepe* 63. *in* 34. *col. D. de re jud.*

Ex l. Septimo menſe 12.

Ait Paulus: *Perfectum partum cenſeri ſeptimo menſe natum, propter receptam auctoritatem viri doctiſſimi Hippocratis, ideo filium natum ſeptimo menſe juſtum filium eſſe.* Idem *lib.* 4. *Sententiarum receptarum ad filium*, *titulo* 9. *§.* 5. *ad SCtum Tertul.* ſcribit: *Septimo menſe filium natum matri prodeſſe, quia ratio Pythagorei numeri hoc videtur admittere, ut aut ſeptimo pleno, aut decimo menſe partus maturior videatur.* Quinetiam lex XII. tab jubet in decimo menſe legitimum naſci filium his verbis: IN X. MENSE LEGITIMVS INFANS NASCITOR. Scribit Ulpianus titulo *de ſuis & legit. l. inteſtato* 3. *§. poſt decem* 11. *&* 12. *Ad legitimam haereditatem natus poſt decem menſes mortis non admitti debere, qui centeſimo octogeſimo ſecundo die natus eſt*. Scripſit Hippocrates admitti, & divus Pius pontificibus reſcripſit: juſto enim tempore videri natum, nec videri in ſervitute conceptum, cum mater ipſius ante centeſimum octogeſimum ſecundum diem eſſet manumiſſa*, hoc eſt, ante ſextum menſem & duos dies. De humano partu varias opiniones refert Gellius *lib.* 3. *c.* 16. Multa etiam a Plinio *lib.* 7. *c.* 5. *Natur. Hiſtor.* referuntur, ad quos Lector ſtudioſus ſe conferat. Nos interim breviter aliquid de ſeptenario numero, quia hic locus expoſtulat, dicamus. Sciendum, numerum ſeptenarii praecipue religionibus aptiſſimum, quod divinus ille Pythagoras prodidit. Unde Apulejus ait *lib.* 11. *Aſini aurei, ſe purificandi ſtudio a pigra quiete exſurgiſſe: & marino lavacro tradidiſſe, ſepties ſubmerſo fluctibus capite, ut quandam deam apprecaretur.* Similiter *lib.* 2. *Regum cap.* 5. *v.* 10. Heliſeus Propheta dixit leproſo: *Vade & lava te ſepties in Jordane, & recipiet ſanitatem caro tua, & mundaberis.* Item paulo poſt *v.* 14. *Lavit*, inquit, *ſepties in Jordane juxta ſermonem Prophetae, & mundatus eſt.* Refert etiam Gellius *lib.* 3. *cap.* 12. de numero ſeptenario multa ubi inter alia: illud notatu dignum eſt, quod ait: *Ad homines quoque naſcendos vim numeri iſtius porrigi, pertinereque, Nam cum in uterum mulieris genitale ſemen datum eſt, primis ſeptem diebus conglobatur, coagulaturque, fitque ad capiendam figuram idoneum. Poſt deinde quarta hebdomade, quod ejus virile foetus futurum eſt, caput, & ſpinam, quae eſt in dorſo informatur. Septima autem fere hebdomade, id eſt nono & 40. die totus* (inquit) *homo in utero abſolvitur. Illam quoque vim numeri hujus obſervatam refert, quod ante menſem* VII. *neque maſculus, neque foemina ſalubriter, ac ſecundum naturam naſci poteſt, quod hi, qui juſtiſſime in utero ſunt, poſt* 273. *dies, poſtquam ſunt concepti, quadrageſima denique hebdomade ita naſcuntur.* Ita in *Numeris cap.* 19. 11. legimus, *Qui tetigerit cadaver hominis, & propter hoc* VII. *diebus fuerit immundus, aſpergatur de hac aqua die* 3. *&* 7. *& ſic mundabitur.* quod etiam *diſtinct.* 4. *de conſecration. cap. nec quenquam* 127. relatum eſt. Legimus etiam apud Valer. Max *lib.* 2. *cap.* 6. *Perſarum olim fuiſſe inſtitutum, ut liberos ſuos non prius aſpicerent, quam ſeptimum annum impleſſent*, ad numerum perfectum attendentes, *ut aequiore animo mortem eorum ſuſtinerent.* Juſtinianus etiam Imperator prudentiſſ. cum conſentaneam diviſionem Pandectarum conficere vellet, *in* 7. *partes eas digeſſiſſe* ait, *non perperam, neque ſine ratione, ſed in numerorum naturam & artem reſpicientes*, *l.* 2. *§.* 1. *verſ. Quod coeleſti. C. de jur. enucl.* † Quid amplius dicendum eſt? cum & 7. teſtes in teſtamento requirantur, *§. ſed cum paulatim* 3. *Inſt. de teſtament. ord* aliter teſtamentum irritum ſit. Sed denique, ut reſecemus prolixitatem, docet Macrobius in *lib.* 1. *in ſomnium Scipionis.* Septenarium rerum omnium fere nodum eſſe, & totius fabricae diſpenſatorem ac dominum: re-

* *Authent. de reſtit. ver. dot. §. ſi quidem mulier.* Hippocr. *lib.* περὶ φύσιος παιδίου, & *lib.* περὶ τροφῆς contra Ariſtot. 11. menſe hominem naſci.

† Vide hunc in locum Azonem *in ſumma.*

referſtque Pythagoricos, quaternarium, & ternarium, ex quibus ſeptenarius conſtat, inter arcana venerari: ut ex quaternario jurisjurandi religionem ſibi facerent, ut ternario ad ſanctificationes Deorum uterentur, quod & Ariſtot. tradit in *lib. 1. de Coelo.* Sed ſi quis latius videre velit de ſeptenario, adeat lib. Corn. Agrippae *de occulta philoſophia*, adeat Macrobium, & Gellium, & Cael. Rhodig. *Lect. antiq. lib. 22. cap. 12.* De ſeptenario Alciatus prope diem, ut ſpero, *Parerga* editurus eſt. Nec non amiculus meus quidam libellum *de ſeptenario* confecit, qui forte non inutilis futurus eſt legentibus.

Ex l. Non ſunt 14.

Non ſunt liberi, qui contra formam humani generis converſo more procreantur. Idem *lib. 4.* Pauli *Sententiarum receptarum, titul. 9. §. 3. ad SCtum Tertull.* ubi dicitur, *ſi monſtroſum, aut aliquid prodigioſum mulier enixa ſit, nihil proficere mulieri.* Ulpianus tamen in *l. quaeret aliquis 135. D. de verb. ſign. Si portentoſum, vel monſtroſum vel debilem mulier ediderit, vel viſu inaequalem, vel vagitu novum, vel non humanae figurae, vel alterius magis animalis, quam hominis prodeſſe magis exiſtimat: quia quod fataliter acceſſit matri damnum injungere non debet.* Hinc ſibi adverſari hae duae leges videntur, cum una non proficere, altera vero prodeſſe dicat. Solve igitur, ut hic Bart. ſolvit, & gloſſ. videlicet quantum ad hoc, ut conditio matri appoſita videatur impleta, hoc eſt, ſi relictum eſſet legatum matri ſub hac conditione, ſi pareret, ut impleatur legatum, non nocere partum monſtruoſum, dicique filium, ſed non quantum ad ſucceſſionem paternam liberi dicuntur. Quod vero loquitur hic Paulus de monſtroſo partu, ſciendum monſtrum eſſe, ut cum magnitudine corporis nimia, vel parvitate quis naſcitur, ut Nani, vel Pygmei; idem ſi ſuperfluis membrorum partibus, ut bicipites, & trimani; vel deficientibus aliquibus, ut qui unica tantum manu prodeunt; vel qui ſine capite; itemque in quibus ſuo loco membra non ſunt, ut qui oculos in pectore, vel in frontis medio habent, qui appellantur Arimaſpi, qua facie fuiſſe κύκλωπας, hoc eſt, *monoculos* Poëtae ferunt; itemque qui nullis cervicibus naſcuntur, qui oculos in humeris habent. Itemque pro monſtro habentur, qui caninis capitibus & latrantibus prodeunt, de quibus multa meminit Gellius *lib. 9. cap. 4.* Legimus etiam apud Plinium *lib. 7. Natur. Hiſtor. cap. 3.* Alcippen elephantum ediidiſſe, & ancillam quandam inter initia Marſici belli ſerpentem peperiſſe. Scribit Valer. Max. *lib. 1. cap. 6. de prodigiis.* Cajo Volumnio, & Servio Sulpitio Coſſ. *Puerum ſemeſtrem in foro Boario triumphum proclamaſſe, aliumque puerum cum elephantino capite natum.* Hujusmodi igitur monſtra pro liberis habenda non erunt, ſicuti inter liberos poterit connumerari is, cui natura duplicavit officia membrorum, *l. idem Offilius 10. §. ſed ſi quis 2. D. de Aedil. edict.* puta ſex digitos, vel treis teſticulos, qualem ferunt fuiſſe Philelphum, aetate ſua virum doctiſſimum, vel qualem Pruſiam, regis Bithyniae filium, fuiſſe legimus, qui pro ſuperiori ordine dentium unum os aequaliter extentum habuit, nec ad ſpeciem deforme, ut ait Valerius, nec ad uſum ulla ex parte incommodum. Vel etiam qualem filiam Mithridatis fuiſſe, auctor eſt idem Valerius, quae duplicem ordinem dentium habuit. Sed nec minus inter liberos connumerandum eſſe eum, qui cum uno teſticulo natus ſit crediderim, cum conſtet talem neque vitioſum neque morboſum eſſe, ut *l. Pomponius 6. §. 2. D. de Aedil. edict.* neque enim tales prohibentur militare, ut *l. qui cum uno 4. D. de re mil.* Nam & duces Sylla & Cotta memorantur eodem habitu fuiſſe naturae. Sed nec minus inter liberos illum, qui ſine aliquibus digitis naſcatur crediderim, dummodo aliquos habeat, quibus officia operari poſſit. Sed in hanc legem haec ſatis.

AUCTARIUM.

* *Officia membrorum*] Bart. hic inducit in argumentis quaeſtionem, ſi ſtatuto caveatur, quid ſi aliquis amputaverit alicui membrum, quod idem ſibi membrum amputetur, & alicui abſciſſus ſit digitus, an ſtatuto comprendatur, & puniatur. Et reſpondit quod non; quia digitus non eſt membrum, ſed officium membri, ut in *l. idem Offilius 10. in princ. D. de Aedil. edict.* Ego tamen putarem aliqua poena talem puniri debere: quia forma manus mutatur: ut hic not. gloſſ. & talis ſanus non eſt, ut Offilius Catonem ſcribere, ait. Si eo conſolidato minus uti poſſit, quod aliud eſt, ſi plures digitos habeat: nam talis ſanus eſt, ſi ſine impedimento uti poſſit. *Si vero pictori pretioſo pollex fuerit praeciſus, & intra annum, quo digitus praeciderettur, fuerit occiſus, poſſe Aquilia agi, eoque pretio aeſtimandum, quanti fuit prius, quam artem cum pollice amiſiſſet,* Julianum ſcripſiſſe Ulpianus refert, *l. Inde Neratius 23. §. idem Julianus 3. D. ad leg. Aquil.*

Ex l. Areſcuſa 15.

Areſcuſa, ſi treis peperiſſet, &c. Alii codices habent *Arethuſa*; ſicque nonnulli legunt, eo quod apud Virgilium ejus nominis legatur. Virgil. *lib. 4. Georg. v. 344.*

Et tandem poſitis velox Arethuſa ſagittis.

Alii quod fuerit Nympha in fontem commutata. Virgil. in Bucol. *ecl. 10. v. 1.*

Extremum hunc Arethuſa mihi concede laborem.

Mihi tamen magis placet, ut legatur Areſcuſa; ut etiam extat apud Plinium *lib. 7. cap. 4.* ubi dicit, *quod Licinius Mutianus prodidit viſum a ſe Argis Areſcontem, cui nomen Areſcuſae fuiſſet, nupſiſſe etiam, mox barbam & virilitatem provenisſe, uxoremque duxiſſe*; ut hic noſter Tryphoninus alludat ad hiſtoriam, cum ſupra de prodigiis, & monſtris facta ſit mentio: vel verius, quia eſt nomen mulieris apud veteres, ut in quodam antiquo marmore Romae legi in hunc modum [apud Gruterum *pag.* DCXLIV. 1.] DIS. MAN. COSSVTIAE. ARESCVSAE. F. CN. COSSVTIVS. AGATHANGELVS. CONIVGI. SVAE. BENE. MERENTI. VIXIT. ANNIS. XXXXV. Areſcuſa igitur ſi liberos treis peperit uno partu, vel treis per intervalla idem eſſe dicetur, ut libera ſit, & jus liberorum conſequatur, eumque, qui ultimus naſcetur tribus editis, licet non ſequenti partu, liberum naſci incerti juris non eſt. Nec enim natura permiſit, uno impetu duos de uno matris utero excedere, ut propter hoc incertus ſit ordo, an in ſervitute ſeu libertate quis naſcatur, non apparare poſſit.

Si treis peperiſſet. Sciendum morem fuiſſe apud veteres, ſi quae mulieres foecundiores fuiſſent, his praemia conſtitui; puta ſi ancilla eſſet, libertatem nanciſceretur, ut *hac lege* patet. Si vero ingenua treis liberos enixa eſſet dummodo vivos, & pleni temporis pareret, jus liberorum conſequeretur. Hinc Senatusconſulto Tertulliano cautum eſt, ut *quae mater ingenua treis liberos enixa eſſet, libertina quatuor, ad bona filiorum filiarumve admittatur inteſtatorum mortuorum. §. 2. Inſtit. ad Senatusconſ. Tertul.* qua de re etiam Paulus *lib. 4. Sententiarum* meminit, *tit. 9. ad SCtum Tert. §. matres 1.* Nec reſpicitur, quod ingenua tergeminos peperit; ter enim ſic enixa, peperiſſe videtur, *l. ter enixa 137. D. de verb. ſign.* Lucius Columella auctor eſt, etiam morem fuiſſe veterum, ut ancillis, quae treis liberos peperiſſent, vacationem, quae plures, libertatem concederent, quae res ab Alciato eloquentiſſimo animadverſa eſt, in *d. l. ter enixa 137.* Sed conditio, quam hic ponit Tryphoninus, videtur eſſe contra bonos mores, ideo rejici debere: nam *conditiones, quae contra bonos mores inſeruntur, remittendas eſſe,* ait Paul. in *l. conditiones quae 9. D. de condit. inſtit.* ſi quidem cum liberi ancillas uxores habere non poſſint, *l. cum ancillis 3. C. de inceſt. nupt.* & *l. Julia 44. D. de ritu nupt.*

nupt. & *l. fin. C. de nupt.* Sed licet non poſſint liberi tales uxores ducere, contubernium tamen permittitur; *inter enim ſervos & liberos licet matrimonia contrahi non poſſint, contubernium poteſt.* Paulus *lib. 2. recept. ſent. tit. 19. de nupt. §. inter ſervos* 6. Igitur filii, qui ex ea naſcentur, ſuccedent, *princ. inſtit. de ſervil. cogn.* Quod ſequitur, *ſi per alium impleverit conditionem.* Nota ex hoc textu, *quod quis per alium facit, per ſe ipſum videtur facere,* ut *l. 1. §. dejeciſſe 12. D. de vi & vi arm.* & *l. ita autem 5. §. geſſiſſe 1. D. de adminiſtr. tut. & Inſtit. de rerum diviſ. §. nihil autem 42.* & *l. item apud. 15. §. feciſſe 8. D. de injur.* ubi gloſſ.

Ex l. in Orbe Romano 17.

In Orbe Romano, inquit Ulpianus, ***qui ſunt, ex conſtitutione Imperatoris Antonini cives Romani effecti ſunt.*** Alciatus *lib. 2. Diſpunct. cap. 21.* locum reſtituit: nam prius in *urbe Romana* legebatur, nullius ſenſus lectio. Sic & in Ethruſcis Pandectis lectum eſt. Et in *l. fin. C. de teſtam.* nos legimus, ubi jubetur, ut in caſtris orbis Romani ea, quae in corpore juris cauta ſunt, in condendis teſtamentis obſerventur.

Ex l. Imperator Hadrianus 18.

Quae praegnans ultimo ſupplicio damnata ſit, liberum parere, & ſolitum ſervari eam, dum partum ederet. Collige ex his verbis, quod quis plus habet per alium, quam per ſe habere poſſit, ut *l. Ariſto 3. in fin. D. quae res pigno.* ubi dicitur: *Saepe enim quod ex ſua perſona non habet, hoc per extraneum habere poteſt.* ubi gloſſ. multa ſimilia aggregat.

Solitum ſervari dum partum ederet. Ratio eſt, quia non debet calamitas matris nocere ei, qui in ventre eſt: ut ſupra *ead. l. & ſervorum 5.* Sic *negat lex regia mulierem, quae praegnans mortua ſit, humari, antequam partus ei excidatur, l. negat. 2. D. de mort. infer.*

Ex l. Vulgo concepti 23.

Vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonſtrare non poſſunt, qui & ſpurii* appellantur παρὰ τὴν σπορὰν. Sic *in Inſtitution. titul. de nuptiis. §. ſi adverſus 12.* ubi illud Graecum amlius eſt: & ἀπάτορες, quaſi ſine patre filii: σποράδην, id eſt, ſparſim, & vulgo, ac paſſim concepti. Hi etiam olim filii terrae nominabantur, ut eſt apud Perſium, *Sat. 6. v. 56.*

— Prueſte mihi Manias haeres
Progenies terrae, terrae eſt jam filius.

Etiam in tritiſſimum abiit proverbium de ignobilibus. Sciendum vero, quod Plutarchus, vir doctiſſimus *in Romanis quaeſtionibus cap.* 103. de origine ſpuriorum exponit. Cum veteres (inquit) Romani nomina per quaſdam notas ſcriberent (puta P. GN. Ser. & Sex. hoc eſt, Publios, Gneos, Servios, & Sextos, quae patrum forent praenomina) Spurium & idem duabus notis ita notabant SP. quae deſcriptio & orbatos parentibus deſignabat; quoniam ſi quos ſine parentibus judicare vellent, S. P. tantum ſcribebant. Hinc factum eſt, ut ſpurios etiam vocarent eos, qui incerto genere naſcerentur. De qua re etiam Crinitus *lib. 11. de hon. diſciplina cap. 5.* vir diligens meminit. Nec ſpurii quaſi de ſpuma rivalium nati, vocari debent, ut voluit Gloſſularius addititius in gloſſ. in *cap. liberi 15. cau. 32. q. 4.* ubi quatuor genera filiorum connumerantur.

APPENDIX.

* *Spurii*] An ſpurius ſit in poteſtate patris videamus: & dic quod non, quia naturalis filius non eſt in poteſtate patris; multo minus ſpurius, ut in *Authent. 89. quib. mod. nat. effic. ſui. §. fin.* nec ſpurius fieri poteſt ſubſtitutio pupillaris, ut *de vulg. & pup. ſubſtit. l. Lucius 45.* nec pater poteſt dare tutorem ſpurio, niſi confirmetur: ut in *l. fin. C.* olim. *de confir. tut.* & *l. 1. in princ. de teſtam. tut.* Nam ſpurius non dicitur filius, *Authent. Ex complexu. C. de inceſt. nupt.* quia patrem demonſtrare non poteſt. De ſpurio not. Bart. in *l. item in poteſtate 3. D. de his qui ſunt ſui vel alien. jur.* Si ſpurius ſive baſtardus genuit baſtardum, nec ſupereſt alius, nunquid ille baſtardus ſuccedat patri ab inteſtato, vide Bald. in *l. fin. in 7. colum. C. unde legitimi.* Spurii ſive baſtardi an intelligantur eſſe de familia vel de domo, vide notabiliter per Bart. Bald. & DD. in *l. fin. C. de verb. ſig.* per Bart. in *l. pronuntiatio 195. §. familiae 1. D. eod. tit.* & Bald. in *l. libertinum 4. C. de interd. matrim* & in *l. generaliter 6. verſ. cum autem. C. de inſtit.* & in *l. cum acutiſſimi 30. C. de fideicomm.* vide in *cap. ſi pater 1. de teſtam. in 6.* & in *l. Julia 44. D. de ritu nupt.* Azo *in ſumma C. de natur. lib.* dixit baſtardos eſſe infames. Si conceſſum eſt alicui a principe, ut poſſit inſtituere filium ſpurium; an poſſit inſtituere ipſum coram duobus teſtibus, vide Bald. & Salic. in *l. ſi quando 35. in fin. C. de inoffic. teſtam.* Statutum municipale diſponens, quod baſtardi, ſeu de inceſtuoſo matrimonio, vel alias illegitime nati poſſint ex teſtamento ſuccedere, non valet. Et epiſcopus poteſt judici ſaeculari inhibere, ne tale teſtamentum executioni demandetur, ſecundum Dominum Laur. de Rodulphis in *repetit. cap. conſuluit 10. de uſuris in q. 134. in fin.* & per Bald. in *l. conſulta divalia 23. C. de teſtament.*

Spurius licet a patre ſuo capere non poſſit haereditatem (ut in *Authent. Ex complexu. C. de inceſt. nupt.*) non eſt tamen prohibitus capere ab extraneo, ut inquit gloſſ. *not. in Authent. Quib. mod. natur. effic. ſui. §. fin. in verbo Participium.* ubi dicitur, *quod omnia, quae prohibita expreſſe non ſunt, licent,* ut *l. nec non 28. §. quod ejus 1. D. ex quib. cau. major.* Spurii etiam de jure digeſtorum in ordinem decurionatus eligi poſſunt, ut *l. generaliter 3. §. ſpurios 2.* & *l. ſpurii 6. D. de decur. & eor. fil.*

Ex l. Qui in utero ſunt 26.

Qui in utero ſunt, in toto pene jure civili intelliguntur (ait Julianus) ***in rerum natura eſſe.*** Sed an conceptus poſt mortem avi, moriente patre ſit haeres: dic, quod non, per *l. Titius exhaeredato filio 6. in fin. D. de ſuis & leg.* Ratio, quia non fuit in rerum natura, & quia hi tantummodo intelliguntur eſſe in rerum natura, qui in utero ſunt, vivente eo, de cujus bonis quaeritur: ut *hac lege* patet.

Adde *§. Et licet 8. verſ. Plane.* & ibi gloſſ. in verb. *attigit. Inſtit. de haered. quae ab inteſt.*

Ex l. 1. De his qui ſunt ſui vel alien. jur.

Nam ſi cognoverimus (ait Cajus) ***quae iſtae perſonae ſunt, ſimul intelligemus, quae ſui juris ſunt.*** Facit *Inſtit. eodem titul. in princip.* concordat gloſſ. in *Clem. 1. de ſentent. excommun.* in gloſſ. in verbo *Obſervare.* Hic notat Alexand. quod contrariorum eſt eadem diſciplina, & uno contrariorum cognito, cognoſcitur & reliquum. Alexand. in *rubric. D. de acquir. & amit. poſeſſ.* Facit *Inſtit. de tutel. in princ:* & quodcunque per ſervum acquiritur, id domino acquiri. Facit *Inſtit. eod. & §. item vobis 3. Inſtitut. per quas perſon.* & *l. placet 79. D. de acquir. haered.*

De Rerum diviſ. ex l. in tantum 6. §. ult.

Cenotaphium quoque magis (inquit Marcianus) ***placet locum eſſe religioſum, ſicut teſtis eſt in ea re Virgilius.*** Nota quod Virgilii auctoritas allegatur, ſicut & Homeri in *l. aut facta 16. §. eventus 8. D. de poenis.* & *in procemio §. 11.* de permutatione Glauci & Diomedis. Sic *Inſtit. de jur. naturali, §. ſed jus 2.* & in multis locis. Quamvis alias *Poëtae nulla praerogativa immunitatis juventur, l. poetae 3. C. de profeſſor. & medicis. lib. 10.* Sed nec hoc loco redarguitur Virgilii auctoritas, ut habetur in *ſequenti lege.* Sed Juriſconſultus, qui non recte uſus eſt ea, & ſuo loco. Vel potius intelligendum eſt, legem ſequentem

non debere eſſe contrariam. Cum Marcianus intelligat non de ſimplici & inani tumulo tantum, ſed de illo, apud quem geminae arae conſtructae erant. Et quem ſacrificiis factis, eliciti vocatique erant manes Hectorei, qui quidem tumulus erat religioſus, ut ex Virgilii verſibus conſtat: qui *lib.* 3. *Aeneid. v.* 301. 303. *ſeqq.* habentur tales:

Solennes tum forte dapes & triſtia dona
Libabat cineri Andromache maneſque vocabat
Hectoream ad tumulum, viridi quem ceſpite inanem
Et geminas cauſam lacrimis ſacraverat aras.

Sed videtur obſtare *l. monumentum* 42. *D. de relig. & ſumpt. funer.* ubi dicit Florentinus: *Monumentum eſſe rem factam memoriae cauſa, in quod ſi inferatur cadaver vel reliquiae, fiet ſepulchrum, quod ſi nihil inferatur eorum, erit monumentum memoriae tantum, quod Graeci κενοτάφιον appellant:* κενὸς enim inanis eſt τάφος ſepulchrum. Hunc locum Alciatus *lib. Parerg.* 10. *cap.* 12. & Budaeus annotaverunt; nos tamen non ob hoc praeterire voluimus, ne ſcilicet Poetae ſingularem locum videamus ignari contempſiſſe, cum nonnulla noſtra addiderimus.

Ex l. Sanctum 8. §. 1.

Sunt enim ſagmina quaedam herbulae, &c. Petrus Crinitus, homo occultae eruditionis non ignarus, hunc locum recitat eleganter. Ideo ibi vide, Lector optime, quae ad hanc rem pertinent, *lib. de honeſt. diſciplin.* 7. *cap.* 3. Quod vero ſpectat ad illud Graecorum κηρυκεῖα, pro caduceis accipe. Nam ferre ſolebant Graeci caducea in legationibus, ne violarentur; ſicuti verbenas Romani. Unde apud Juſtinum Hiſtoricum de M. Pompilio legimus *lib.* 34. *cap.* 3. quod miſſus ad Antiochum legatum virga, quam in manu geſtabat, Regem circumſcripſit: ut ſcilicet reſponderet Antiochus, an bellum, an pacem cum Romanis eſſet habiturus.

Ex l. Si quis violaverit 11.

Nam Romuli frater Remus occiſus traditur. Varia Hiſtoricorum eſt opinio in hac re. Ovid. tamen hanc rem luculenter verſibus exornat, *lib. Faſt.* 4. *v.* 829. hunc in modum;

Neve quis aut muros, aut factam vomere foſſam
Transeat: audentem talia dede neci.
Quod Remus ignorans humiles contemnere muros
Coepit; & his populis dicere tutus erit?

Et *lib.* 3. *v.* 69.

Moenia conduntur: quae quamvis parva fuerunt,
Non tamen expedit tranſiliiſſe Remo.

De Senatoribus, ex l. 1.

Quia major dignitas in ſexu virili. Ariſtot. *lib. Politic.* 1. *cap.* 8. inquit in hanc ſententiam: *Maſculus enim quam foemina natura principalior eſt, niſi aliter conſtiterit, quod & antiquius eſt, & imperfectius juniore & imperfecto.* Hunc locum (niſi fallor) non ſat recte Accurſius explicat, cum dicit praefectorium virum privilegio ſexus praeferendum eſſe; cum, ſi ſic eſſet, etiam conſequens foret, ut unuſquiſque vir ſine aliqua dignitate praeferri deberet; & fruſtra Ulpianus quaereret, an praeferendus ſit vir praefectorius conſulari mulieri, ſi ſine dignitate viri praeferendi forent. Ob hoc quod potior ſit dignitas in virili ſexu, & ideo intelligenda ſunt verba: *Quia major eſt dignitas in ſexu virili*, praefectoria ſcilicet, quam in muliebri conſularis. Conſtat enim conſularem dignitatem excellentiorem praefectoria: hinc merito dubitaſſe videtur Juriſconſultus.

Ex l. foeminae nuptae 8.

Ait Ulpianus: ***foeminis etiam dignitatem clariſſimam mariti tribuunt.*** Sic habetur in *Authent.* 105. *de conſul. cap.* 2. *in princ.* ibi *uxores coruſcant radiis maritorum.* & *l. mulieres* 13. *C. de dignitat.* & *l. mulieres* 7. *C. Theodoſ. de juriſdict. & ubi quis conv. deb. lib.* 2.

De officio Conſulis, l. 1.

Conſules, ut ex ipſo vocabulo patet, videntur dicti eſſe ex eo, quod reipulicae conſulerent: nam exactis regibus conſtituti duo ſunt conſules, penes quos ſummum jus eſſet: tamen lege lata factum eſt, ne per omnia regiam poteſtatem ſibi vendicarent; ab eis etiam erat provocatio. Hi neque poterant in caput civis Romani injuſſu populi animadvertere: ſolum illis hoc erat conceſſum, ut coërcere poſſent, & in publica vincula duci juberent, ut *l.* 2. §. *exactis deinde regibus conſules* 16. *D. de orig. jur.* habetur. Conſules XII. faſcibus utebantur, ſed nec aliis magiſtratibus tot uti faſcibus permiſſum erat: erant autem faſces quaedam virgae, intra quas ſecuris ponebatur in ſignum dignitatis. Hujuſmodi faſces in veterum marmoribus, cum Romae eſſemus, ſaepe vidimus, praecipue in palatio Reverendiſſimi Cardinalis Caeſii, cujus probitas, & virtutum merita illum inter ampliſſimos ſupremi ordinis patres annumerari fecerunt, ut merito ejus nepos ex fratre Petrus Donatus Caeſius, juvenis praeſtantiſſimus & literatiſſimus, literatorumque virorum amantiſſimus, inſigne epiſcopatus galerum tanquam ad cardinei culminis, deinde Pontificii gradus poteſtatem ſuſciperet. Si quis ergo latius, qui eſſet conſul, & quae ejus poteſtas eſſet, ſcire deſiderat, legat Alexandrum Neapolitanum *lib.* 2. *Genial. dierum*, *cap.* 27. & *lib.* 3. *cap.* 3. Legat etiam Feneſtel. in *lib. de magiſtratibus*, etſi is non ſit ille, de quo Ulpianus titulo *de officio Quaeſtoris* meminit.

De officio Praefecti urbi.

In hunc titulum (ſi placet) vide, quae pulchre faciunt ad rem ex Gellio *lib. Noct. Attic.* 14. *cap.* 8. ubi dicit: *Praefectum urbi Latinarum cauſa relictum, ſenatum habere, Mucius negat, quoniam ne ſenator quidem ſit.* Vide etiam Crinitum *lib.* 1. *de hon. diſciplina cap.* 12.

De officio Praetoris, ex l. Barbarius 3.

Communiter haec lex allegatur ab interpretibus juris, ut error jus faciat. Hincque quaſi quaedam in jure noſtro inducta eſt regula, quam tamen fuit difficile introducere, cum Praetor etiam quicquid inique decernat, jus dicatur, *l. jus pluribus* 11. *D. de juſt. & jur.* Nam ſi Praetor jus facere dicitur, cum inique judicat: quanto magis ſi quis Praetor, qui erat ſervus, juſte decernens jus, & quae dixit, quaeque decrevit maximum fore momenti propter utilitatem eorum, qui apud ipſum egerunt, vel lege, vel alio quo jure, putandum eſt! Si enim majora admittimus, multo magis ea, quae ſunt minora, *l. non debet cui* 21. *D. de reg. jur.* Error igitur hujuſmodi praeturae in ſervum fuit minimus, qui adeo non ſit pro regula generali admittendus, niſi in ſimili accidente: ut *l.* 3. *in fin. D. de ſup. leg.* & §. *ſed cum aliquis* 7. *Inſtit. de teſtam. ord.* & *l. ſi librarius* 92. *D. de reg. jur.*

Et verum puto nihil eorum reprobari. Nota, quod, quae bene geſta ſunt etiam per ſervos, non debent retractari, ex alio eventu ſuperveniente, *l. ſancimus* 28. *C. de adminiſtr. tutor. & diſtinct.* 26. *cap. deinde* 31 *in fin.*

[1] Bart. *l.* 2. D. *de ſupellect. leg.* & in *l.* 1. C. *ne teſtib.*

Ex l. Pluribus 2. De officio praefect. vig.

Ulpianus: ***Pluribus uno die incendiis exortis.*** Plura incendia Romae fieri ſolita, & aſſidue domos ardere aſſerit Gellius, *lib. Noct. Attic.* 15. *c.* 1. ubi dicit, etiam Alumen contra ignem potiſſimum remedium eſſe, recitatque ex Quadrigarii lib. 19. verba de quadam turre lignea Archelai regis Mithridatis praefecti, quae alumine oblita nunquam incendi potuerit. Hinc non eſt mirum, ſi conductores in locatione conveniebantur his verbis: IGNEM NE HABETO. Quibus verbis meminit Ulpianus, infra titulo *locati, l. videamus* 11. §. *ſi hoc* 1. ubi ignem non habere intelligit nocentem, & noxium. Extinguebant veteres ignem aceto, ut Ulpianus meminit in *l. quae penum* 3. §. *penori* 5. *D. de penu leg.* ubi inquit: *acetum extinguendi ignis paratum penori non cedere.* Item in *l. quaeſitum eſt* 12. §. *acetum* 18. *D. de fund. inſtrum. legato.* inquit Ulpianus, *Acetum quoque, quod incendii extinguendi cauſa paratur*, inſtrumenti legati appellatione venit. Sed an incendii arcendi gratia vicinas quis aedes intercidat, an Aquilia teneatur? & Celſus ſcribit in *l. ſi quis fumo* 49. *in fin. D. ad legem Aquiliam. Ceſſare legis Aquiliae actionem; juſto enim metu ductus, qui, ne ad ſe ignis perveniat, vicinas aedes intercidit.*

Nam tua res agitur paries cum proximus ardet.

Et Virgilius *lib.* 2. *Aen. v.* 311.

— — Proximus ardet
Ucalegon —

AUCTARIUM.

Olim Veſta fuit ignis Dea, cujus ſacris virgines Veſtales dictae praeerant, quae perpetuum ignem cuſtodiebant, qui, ſi ſemel extinctus fuiſſet, amplius reparari non poterat, niſi coeleſti igne, ideoque, ſi virginis negligentia extingueretur, flagro caedebatur. Vide Livium *lib.* 8. *ſecundi belli Punici.* Cur vero ſervaretur ignis a Veſtalibus, id in cauſa fuit, ut ad ſimulachrum coeleſtium ſiderum cuſtos imperii flamma vigilaret. Alii vero dicunt, ut ſicut ignis purus eſt, ita ſe puras & inviolatas perpetuo eſſe debere: ſicuti Aemiliae Veſtalis virginis exemplo conſtitit, quam injecto foculo extincto carbaſo, igne ſtatim emicante, caſtam Veſtae numen praeſtitit. Hinc Propertius, *lib.* 4. *eleg.* 11. *v.* 53.

Vel cui commiſſos cum Veſta repoſceret ignes,
Exhibuit vivos carbaſus alba focos.

Ex l. ſolent 6 §. 3. de Officio Proconſ.

Quantum ad xenia pertinet, audi quid ſentimus. Verba ſunt Divi Severi & Antonini Impp. in quadam epiſtola, ubi vetus proverbium eſt: οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων. Politianus reſtituit ex archetypo *Miſcel. cap.* 95. ſicque interpretari nos poſſe Graeca verba docet: *Nec omnia, nec paſſim, nec ab omnibus.* Facit ad hanc *l. plebiſcita* 18. *D. de offic. praeſid.* Quod non capiantur munera ab magiſtratibus, lex XII. tab. hunc in modum prohibet, DONUM NE CAPIUNTO, neve danto, neve petenda, neve gerenda, neve geſta poteſtate. Olim lata fuit lex, quae Titia appellabatur, quam Titius tulerat: hac cavebatur, ne quis orator, aut judex, aut juriſconſultus pecuniam donave acciperet. De qua Cornelius Tacitus *lib.* 2. *Annal. cap.* 5. his verbis meminit: *Conſurgunt patres, legemque Titiam flagitant: qua cavetur antiquitus, ne quis ob cauſam orandam pecuniam, donumve accipiat;* licet apud eundem Tacitum *eod. lib. cap.* 7. quidam cauſidicus exemplis comprobare conetur: *ſublatis ſtudiorum pretiis etiam ſtudia peritura, ut minus decora.* De lege Titia meminit Auſon. illo verſiculo *epigr.* 88.

Scatiniam metuens non meruit Titiam.

Quod Proconſul non debeat accipere munera, Gellius innuit *lib.* 15. *cap.* 12. de Gracho loquens. Jubetur etiam a Deo in lege Moyſis, ne quis dona capiat, Exod. *cap.* 23. *v.* 8. ubi dicitur: *Non accipies munera, quae etiam excaecant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum.* Item Deuter. *cap.* 16. *vſ.* 19. & Eccleſ. *cap.* 20. & *cau.* 11. *q.* 3. *cap pauper* 72. annotatur. Facit etiam aptiſſime quod Venulejus Saturninus ad *leg. Jul. repetund. D. l. eadem* 6. §. 2. ſcripſit: inquit enim, *Cavetur lege Julia repetundarum, ne quis ob militem legendum, mittendumve aes accipiat, neve quis ob ſententiam in ſenatu conſiliove publico dicendam pecuniam accipiat, vel ob accuſandum, vel non accuſandum: utque urbani magiſtratus ab omni ſorde ſe abſtineant, neve plus doni, minusve in anno accipiant, quam quod ſit aureorum centum.* Extat etiam elegans Emblema Andreae Alciati ad hoc, quod xenia magiſtratus capere non debeat, quod a Thebanis repertum demonſtrat hac effigie. Bonum magiſtratum innuere volentes Thebani, ita pingebant manibus truncis ſedentem; principem vero clauſis oculis: ſine manibus magiſtratum, quod xenia nulla caperet, nec flecti muneribus ſe ſineret; ſedentem vero principem, quod gravis & mente quietus eſſet, nec animo levis: caecumque, quod ſolis auribus nullo ſequente affectu magiſtratus juſſa ageret. Memini, cum Romae agerem, me quamplurimas marmoreas vidiſſe arulas, quarum ab una parte urceus ſeu gutturnium, ab altera pollubrum, vel, ut Homerus vocat, λέβης (nos vulgo abacillam dicimus) ſculptum extabat. Quae, ut conjicere potuimus, innocentiam abſtinentiamve, id eſt, manuum munditiem ſignificaſſe videntur. Noſque non multo poſt tempore tali carmine, cum otioſi eſſemus, ad illud alluſimus, quod in praeſentia ſubſcribere, ut Lectorem detineamus, placet. Nos igitur hunc in modum luſimus in libris noſtris:

En quam conſpicue eſt pario de marmore ſtructa
Arula, cui in medio ſtat cavus orbe locus!
Urceus ex una ſculptus tibi parte notatur;
Malluviae ex alia cernitur effigies.
Haec mundas dextras ſacra ante altaria divûm
Eſſe monent, ſancte juſque dediſſe virum.

In fano Divi Simpliciani extat Mediolani talis formae marmorea columna (nunc vas ſacrae aſperſionis eſt) quam ſupra recenſui; ibi tale elogium inſcriptum omnibus conſpicuum eſt [apud Gruterum *pag.* CDXIII, 6.]

D. M.
M. MESTRI. M. L. CENSORINI. PATRONI. OPTIM. ET
M. FVLVIO. PHILLIO. VI. VIR. SEN. AMICO.

Hoc etiam, etſi parum ad rem faciat, ut nihil Lectorem celemus, hoc loco reponere voluimus. Nam, cum haec ad eruditionem non modicum ſpectent, omittere nefas videbatur.

Ex l. Legatus 12.

Legatus mandata ſibi juriſdictione, judicis dandi jus habet. Politianus *Miſcel. cap.* 78. *hanc legem* ex Pandectis Florentinis reſtituit. Nam prius legebatur *judicis dandi non habet*, cum negatione, cum videtur ſuperflua. Accurſius tamen utramque lectionem agnoſcit, & pro utraque ponit exempla. Noricus Codex ſine negatione legitur, cui Pariſini conſentiunt.

Ex l. Proconſules 14.

Proconſules (inquit Ulpianus) ***non amplius, quam ſex facibus * utuntur.*** Nam Proconſul eſt

* *Sex faſcibus*] Alii codices habent *facibus*, ſed hoc loco non quadrat; legimus enim apud Vopiſcum *in Aureliano cap.* 13. quod quotienscunque aliquis conſul crearetur, dari ſibi baculum, & facem. Quam rem & Alciatus in *lib.* 12. *C.* animadvertit. Verba autem Vopiſci haec ſunt: *Te conſulem hodie deſigno, ſcripturus ad ſenatum ut tibi deputet Scipionem, deputet etiam faces.* Alciatus corruptum codicem exiſtimat; legendumque *faſces*, ut in Ammiano *lib.* 21. etſi moris fuerit Imperatoribus ignem praeferri ſolitum, ut *lib.* 7. ſcribit Herodianus.

eſt minor conſule; meminiſſe enim debet proconſul, ſe juſtum non eſſe conſulem. Nihilominus legimus, quandoque exaequatam fuiſſe poteſtatem proconſulis una cum conſule. Nam & cum T. Claudio Coſ. qui Africam provinciam ſortitus erat P. Corn. Scipionis, qui illam proconſul adminiſtrabat, aequatum imperium fuit: & cum urbs ab Annibale, admotis hoſtiliter legionibus, premeretur, metusque de ſumma rerum eſſet, Q. Fulvium proconſulem, Capua profectum, ne ei imminueretur imperium, quod urbem iviſſet, exaequato cum conſulibus imperio, ubi praefuiſſe legimus.

Faſcibus. Accurſius, hunc locum exponens, dicit *falcibus*, id eſt, vicilius vel menſibus; ſed nihil ad rem praeſentem facit. Sciendum ideo eſt, Proconſulem eadem inſignia, quae & conſul, habuiſſe. Nam & lictores, faſces, ſecures, praetextam, curulemque ſellam in provincia ſibi decreta velut conſul retinebat, quibus inſigniis pro imperii majeſtate, proque ſplendore dignitatis conſpicuus erat. Proconſulum magiſtratus annuus erat, jusque milites decimandi, civicaque corona donandi proconſulibus fuiſſe Corn. Tacit. *lib.* 3. atteſtatur. Illud quoque admonitu in praeſentia non inutile duxerim, quasdam provincias proconſulares fuiſſe, ad quas ſoli mittebantur proconſules ad eas regendas: aliae conſulares; aliae praeſidiales; aliae praetoriae fuerant; quibus conſules, praeſides, praetores praefecti erant. Proconſulares provincias fuiſſe Carthaginem, Libyam, & Aſiam citra Taurum auctor eſt Strabo. Numidiam, & Cyrenen conſulares, Tripolim & utramque maritimam, AEgyptum ſub praeſidibus fuiſſe conſtat. Cyprus, Iberia, Sardinia, Sicilia, Illyricus, Achaja, Creta & Bithynia praetoriae fuere. Sardinium & Corſicam olim praetorias, poſtea ſub praeſidibus fuiſſe comperimus. Qui vult haec latius cognoſcere, adeat libellum *de Magiſtratibus, civilibusque officiis* praeclariſſimi viri Andreae Alciati, alterius Scaevolae noſtro ſaeculo. Haec dum cudebam, reperta eſt in foro boario Romae Marmorea tabula de nominibus Magiſtratuum veterum, quam ſplendidiſſimae, ac omnium virtutum fautrici Illuſtriſſimorum principum Farneſiorum familiae debemus. Quorum inſigni opera, ac liberali ſtudio quamplurima monumenta veterum, e ruinis tenebrisque eruta, lucem aſpiciunt: quae magnopere literatos viros adjuvant. Hanc mihi tabulam, Romae poſtea impreſſam, cum Ferrariae litterarii ſtudii cauſa agerem, oſtendit vir longe doctiſſimus, meique amantiſſimus Lilius Gregorius Gyraldus, cujus doctrinam omnes bene literati viri plurimi faciunt, cujusque canitiem venerari viventis mihi adhuc imberbi contigiſſe ſummo gaudio fuit, & dantem oracula ſenem audiſſe ſaepiſſime profuit.

Ex l. Obſervandum 19. de Offic. praeſid.

Nam ex converſatione aequali contemptio dignitatis naſcitur. Dicterium vetus eſt, ſeu ex adagio Terentiano excerptum: *Nimia familiaritas parit contemptum, cap. & ſi Judaeos* 13. & ibi gloſſ. in verb. *familiaritate, de Judae. & Sar. cap. quondo* 4. & ibi gloſſ. in verbo *frangatur. diſtin.* 86. Val. Max. *lib.* 2. *cap.* 6. *Quicquid in excelſo faſtigio poſitum eſt humili ac trita conſuetudine, quo ſit venerabilius, vacuum eſſe convenit*: quod a Gellio habetur, cum deſcribit imaginem Juſtitiae.

Ex l. Si uſusfructus 21 Quib. mod. uſusfruct. amitt.

Aratrum in ea ducatur. Cael. Rhodig. *Lect. antiq. lib.* 26. *cap.* 5. *inducatur* legit; ubi hunc locum erudite & eleganter excutit, dicens: *Non tempero mihi, quin vetuſtatis morem ſubſcribam, quo evertendis urbibus aratrum inducebatur, ſicut in condendis idem adhiberi conſueverat.* Seneca *de clementia lib.* 1. *cap. ult.* his verbis oſtendit morem. *Deinde* (inquit) *caedibus in exitia gentium ſerpere, & injicere tectis ignem, aratrum vetuſtis urbibus inducere*: etiamſi *apatrum* ibi legatur nullo ſenſu. Horatius etiam *Carminum lib.* 1. *od.* 16. *v.* 20. morem hunc ponit:

—— —— Imprimeretque muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.

Item Propertius *lib.* 3. *eleg.* 7. *v.* 41.

Moenia cum Grajo Neptunia preſſit aratra
Victor Palladiae ligneus artis equus.

De condendis & deſignandis urbibus aratro, Virgil. in *lib.* 5. *AEn. v.* 755.

Interea AEneas urbem deſignat aratro.

Civitas igitur, paſſa aratrum, amittit uſumfructum, inquit Modeſtinus, *quia civitas deſinit eſſe.* Nam *in condenda civitate aratrum adhiberi ſolere*, Pomponius in *l. pupillus* 239. §. 6. *D. de verb. ſign.* dicebat: ita in evertenda civitate aratro, quod finis & principium fuerit civitatis, illa civitas merito uſumfructum amiſiſſe videtur.

De Servitute urb. praed. ex l. Lumen 16.

Paulus ait: ***Nam proſpectus etiam ex inferioribus locis eſt.*** Virg. in *lib.* 2. *Georg. v.* 284.

Omnia ſint paribus numeris dimenſa viarum.
Non animum modo uti paſcat proſpectus inanem.

& ſic eo loco eſt ex inferioribus.

Si ſervitus vendicetur, ex l. Si quando 17.

Neque non labra, crateras, cucumellas poſitas haberet. Sunt vaſa ad lavandum apta. Cucumellas tamen rarum inventu vocabulum putavit Politianus *cap. Miſcel.* 30. ſuper illo verſu Martialis, *lib.* 10. *epig.* 79.

Cucumam fecit Otacilius.

Baptiſta Pius *in annotationibus poſterioribus, cap.* 41: vaſa aenea fuiſſe diſſerit. Budaeus aliter ſentit, eſſe ferrum acutum. Si recte recordor: de cucuma fit mentio ad *leg. Corn. de ſicar. l.* 1. §. 3. ubi inquit Marcianus: *Sed ſi clavi percuſſit, aut cucuma in rixa quamvis ferro percuſſerit, tamen animo non occidendi, leniendam poenam ejus, qui in rixa magis caſu, quam voluntate homicidium admiſerit.* Quo loco videtur cucuma accipi pro ferro, ſeu baculo ſerrato. Ego nihilominus exiſtimo vas eſſe, quo ſolent uti cinerarii, & in quo reponatur lixivium. Sic enim, cum eſſem Ferrariae, audivi a tonſoribus vas idem appellari vulgari ſermone, quod vas praecipue circumferunt una cum lixivio, cum alicujus nobilis domum concedunt, ad rutilandos ejus capillos. Hinc eſt, quod apud Arrianum *in libris de Epicteto* inclinatum diminutivum *cucumion* legimus, eo maxime capite, in quo *de Cynica profeſſione* loquitur. Ejus verba in hunc ſenſum e Graeco in Latinum tralata habemus: *Habere* (inquit) *eum cucumion oportet, ubi calfectet puero, qua ipſum lavet.* Cucumion dixit Graeca conſuetudine, quod hic Alfenus dixit cucumellas non inconcinne.

Ex l. 1. *§.* 4. *Si quadrupes paup. feciſſ. dic.*

Aut bos cornu petere ſolitas petierit. Ad hoc facit illud Exod. *cap.* 21. *v.* 28. *Si bos cornu percuſſerit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedent carnes ejus.*

Ex eadem l. 1. *§.* 11.

Cum arietes vel boves commiſiſſent, & alter alterum occidiſſet, &c. Facit illud Exod. *cap.* 21. *v.* 35. *Si bos alienus bovem alterius vulneravit, & ille mortuus fuerit, vendent bovem vivum, & dividen*

dent pretium, cadaver autem mortui inter ſe dispertien-tur.

Ad leg. Aquil. ex l. itaque 4.

Lex XII. *tab. furem nocturnum deprehenſum occidere permittit*, &c. Gell. *lib.* 20. *cap.* 1. meminit: & Moyſes Exod. *cap.* 22. & *l. aut facta* 16. *§. eventus* 8. *D. de poen.* & *cap. ſi perfodiens* 3. *de homic.* & *l. ſi pignore* 54. *§. furem* 2. *D. de furt.* & *l. furem nocturnum* 9. *D. ad leg. Corn. de ſicar.* Gellius *lib.* 11. *cap.* 18. *Permittit occidere, ſi is ſe telo defendat*, ſcilicet permittere occidere, id eſt, ſi occidat furem ſe defendentem, vel ſi ipſe ſe defendens a fure, occidat furem; quia tunc nulla eſt poena, cum ſe defendens occidat furem: vi enim vim repellere licet, *l. ut vim* 3. *D. de juſtit. & jur.* & *l.* 1. *§. vim vi* 27. *D. de vi & vi armat.* & *hac lege.* ibi, *nam adverſus periculum. Si is ſe telo defendat:* is, ſcilicet latro, defendat ſe telo, qui alias ut eſt in *l.* 1. *D. de fur. balnear.* ſi nullum percuſſerit, metalli poena adficitur. Ideo hoc loco permittit lex XII. tabul. *occidere deprehenſum, ſi is ſe telo defendat*, quia videtur cauſa occidendi hominem veniſſe: quod ſequitur in textu, *ut cum clamore id ipſum teſtificetur.* Idem etiam apud Virgilium Menalcas paſtor facit, cum Damaetas ſuſtuliſſet Tityri caprum his verbis, *ecl.* 3. *v.* 19.

Et cum clamarem: quo nunc ſe proripit ille?
Tityre coge pecus: tu poſt carecta latebas.

APPENDIX.

An vero liceat furem diurnum occidere? & videtur quod ſic, per text. alleg. in *l. itaque* 4. ſed ſi ſe defendat telo fur, & clamore dominus teſtificetur. Bart. in *l. furem* 9. *D. ad leg. Corn. de ſic.* addit, quod ſi interdiu furem cognoſcere nequeo propter loci obſcuritatem, quod poſſum occidere illum, perinde ac nocturnum eadem ratione. Sed ego dubito. Adde etiam latrones, id eſt, aggreſſores, qui itinera obſident, ut viatores occidant, & ſpolient, occidi permiſſum eſſe, *l. ſi ut allegas* 4. *C. ad leg. Corn. de ſic.* Nam ut canit Ovid. *lib.* 2. *Triſt. v.* 271.

Et latro, & cautus praecingitur enſe viator:
Ille ſed inſidias; hic ſibi praeſtat opem.

hos latrones, qui viatores aggrediuntur, famoſos vocat Calliſtratus in *l. capitalium* 28. *§. famoſos* 15. *D. de poen.* qui furca figendi ſunt in illis locis, ubi graſſati ſunt, ut conſpectu deterreantur alii ab iiſdem facinoribus. Qui igitur tales occidat, non tenebitur, quia conſervandae ſalutis ſuae cauſſa feciſſe videtur, *l. pen. in fin. D. ad leg. Jul. de vi pub.* neque ut in fure expectandum eſt, ut ſe defendat telo, ſi loca inſidiis frequentata obſidat, quia *praeſtat occurrere in tempore, quam poſt exitum vindicare*, *l.* 1. *C. quando liceat unicui.* Et ſatis eſt, inquit Juſtinianus, cito praecavere, quam remedium vulneri illato quaerere, *l. fin. C. in quib. cauſ. in integr. reſtit.*

Ex l. Si ſervus 27. §. 14.

Et ideo Celſus quaerit, ſi lolium aut avenam in ſegetem alienam injeceris, quo eam inquinares, &c. Facit hoc loco pulchre, quod per Parabolam CHRISTUS Servator humani generis ſcriptum reliquit Matthaei *cap.* 13. de illo, qui Zizania in medio tritici noctu ſuperſeminaverat.

Ex eadem l. §. 22.

Si mulier pugno, vel equa ictu a te percuſſa ejecerit. Idem conſtitutum Exod. *cap.* 21. *v.* 22. ibi, *ſi rixati fuerint.*

Ex eadem l. §. 25.

Si olivam immaturam decerpſerit. Oleam negant Graeci ab impudicis plantatam, aut creſcere, aut fructum ferre, ideo a virginibus, & caſtis inſeri jubent. Stirpes oleae arbores eſſe magis placet Ulpiano, ſive jam egerint radices, ſive nondum, *l. vitem* 3. *D. de arb. fur. caeſ.* Jabolenus, in *l. penult. D. de uſufruct.* inquit, oleam immaturam plus olei reddere, quam eam, cujus naturalis maturitas expectata eſt. Ei omnes de agricultura auctores conſentiunt.

olivis Picenis, & fidicinis Romani ab initio coenae ad finem usque utebantur. Unde Martialis ait *in Xeniis, epig.* 36.

Haec quaque Picenis venit ſubducta trapetis
Inchoat, atque eadem finit oliva dapes.

De olivis vide apud Macrobium, & Plinium: de earum conditura lege M. Catonem, Columellam, & Palladium.

Ex l. Quis occidit 30. § 3.

Ideo ſi quis in ſtipulam ſuam vel ſpinam comburendae ejus cauſa ignem immiſerit, & ulterius evagatus, & progreſſus ignis, alienam ſegetem, vel vineam laeſerit: requiramus num imperitia ejus aut negligentia id acciderit, ſiquidem die ventoſo id fecerit, culpae reus eſt. Nam & qui occaſionem praeſtat, ipſe damnum feciſſe videtur: in eodem crimine eſt, & qui non obſervavit, ne ignis longius procederet. At ſi omnia, quae oportuit, obſervavit, vel ſubita vis venti longius produxit ignem, caret culpa. Haec verba ſunt Pauli Juriſconſulti, quae adeo oblectant animum meum, ut nequiverim abſtinere, quin hoc loco integra ſcriberem: cum praecipue cum lege Moyſis faciant, Exod. *cap.* 22. *v.* 6. ubi dicitur: *Si egreſſus ignis invenerit ſpicas, & comprehenderit acervos frugum, ſive ſtantes ſegetes in agris, reddet, qui ignem ſuccenderit.* Virgil. in *lib.* 2. *Georg.* admonet agricolam, ne velit tronchos ſylveſtres inſerere tempore, quo flant venti: hocque propter incendium, quod ſaepius contingere ſoleret, his carminibus, *v.* 303. *ſeqq.*

Nam ſaepe incautis paſtoribus excidit ignis,
Qui furtim pingui primum ſub cortice tectus
Robora comprendit, frondesque elapſus in altas
Ingentem coelo ſonitum dedit. Inde ſecutus
Per ramos victor, perque alta cacumina regnat,
Et totum involvit flammis nemus, & ruit atram
Ad coelum picea craſſus caligine nubem:
Praeſertim ſi tempeſtas a vertice ſylvis
Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.

En quam belle Poëta deſcribat incendium ſylvae; quod non inconcinne a Juriſconſulto noſtro minusque eleganter expreſſum eſt, quamvis alter ſylvae, alter agri incendium deſcribat. Sed jam collige ex textu noſtro, qui occaſionem praeſtat in aliqua re, ipſe videtur damna facere, ut *l. nihil intereſt* 15. *D. ad leg. Corn.* & *l. quoniam* 6. *C. ad leg. Jul. de vi pub.* & *l. ſi ego* 6. *D. quod vi.* Illud etiam adnota in textu, quod qui non obſervat, quae obſervare debuit, eſt in culpa.

Ex l. Si ſervum meum 33.

Si ſervum meum occidiſti (inquit Paulus) *non affectionem aeſtimandam eſſe puto, veluti ſi filium tuum naturalem quis occiderit, quem tu emptum magno velles: ſed quanti omnibus valet.* Elegans textus eſt; illaque clauſula, *quem tu magno emptum velles*, Poëtica ſane eſt, & ex maximi Poëtarum *lib.* 10. *Aen. v.* 503. deſumpta his pene verbis:

Turno tempus erit magno cum optaverit emptum
Intactum Pallanta.

Ex l. Quintus Mucius 39. §. 1.

Pomponius: *Quamvis alienum pecus in agro ſuo quis deprehendit, ſic tamen illud expellere debet, quomodo ſi ſuum deprehendiſſet.* Nota, quod in re aliena facere debet, ut in ſua

propria, quod etiam habentur in *l.* 1. *verſic. Enim. D. de ſolut*, & *liberat.* In lege Moyſis de laeſione agri ſic ſcriptum invenitur: *Si quiſpiam agram vel vineam laeſerit & dimiſerit jamentum ſaum, at depaſcatur aliena, quicquid optimam babuerit in agro ſuo, vel in vinea pro damni aeſtimatione, reſtituet*, Exod. *cap.* 22. *v.* 5. Spectat etiam ad hanc legem Exod. *cap.* 23. *v.* 11. Deuter. *cap.* 22. *v.* 9.

Ex l. Si quis teſtamentum 41. *in fin.*

Cum facto enim etiam aaimum furis furtum exigit. Furtum exigit factum, non tantum animum furis, ut puniatur, quia *cogitatio furti faciendi non facit quem furem*, ut *l.* 1. §. *ſola tamen* 1. *D. de furtis.* Gellius tamen *lib.* 11. *cap.* 18. *in fine* contradicit, quod animus punitur, his verbis: ſed *meminiſſe debemus furtum ſine ulla quoque adtrectatione fieri poſſe, ſola mente atque animo ut furtum annitente.*

Ex l. Si plagis 52.

Elegans thema dignumque annotatu; ſed ibi mendoſe legitur verbum *dolor*, cum ſcribi debeat *dolon.* Verba ſunt Alſeni Juriſconſulti hoc modo: *illi flagello, quod in manu bubebat, in quo dolon inerat.* Servius Virgilii interpres illuſtris ſuper illo verſu Virgiliano 664. *lib.* 7. *AEneid.*

Pila manu ſaevosque gerunt in bella dolones.

ait, *Dolonem eſſe flagellum, intra cujus virgam latet pugio, vel, ſecundum Varronem, ingens contus cum ferro breviſſime. Dolon autem a fallendo dictus eſt, quod decipiat ferro, cum ſpeciem praeferat ligni.* Animadverſus locus eſt a Beroaldo primum; deinde ab Alexandro Neapol. recitatus; poſtremo a Budaeo *in annotationibus* palam factus.

De Noxalibus actio. ex. l. 2.

Ait Ulpianus: ***Sed ſi placeat, quod Julianus lib.*** 86. ***ſcribit. Si ſervus furtum fecit, ao xamve nocuit.*** Adverte genus loquendi, apud auctores Latinos non facile inventu. Paulus in *l. in delictis* 4. *D. eod. Quod ſi contemnat dominum? vel cam trans flumen ſit ſervus, vidente quidem, ſed invito domino noxam noceat?* Paulus in *l. pretia rerum* 63. *D. ad legem Falcid.* Sic Quintil. *lib.* 7. *Orat. inſtit. cap.* 3. *Antiqui dixerant* (inquit) *qui ſervitutem ſervit.* Eodem genere dicendi uſus eſt Cicero *in Topicis*, & *pro Murena.*

Ex l. Si quae ſunt cautiones 5. *Famil. herciſc.*

Si omnes (inquit Cajus) ***iisdem ex partibus baeredes ſint, nec inter eos conveniat, apud quem potius eſſe debeant: ſortiri eos oportet, aut ex conſenſu, vel ſuffragio eligendus eſt amicus, apud quem deponantur, vel in aedem ſacram deponi debent.*** Animadverte hoc loco ſortiri eſſe permiſſum, quod de jure canonico prohibetur, *cau.* 26. *q.* 2. *cap. Non exemplo* 4. gloſſ. in verbo *ſortes cap.* 1. *cau.* 26. *q.* 1. Neceſſitatis cauſa ſortiri licere ait; illam videto. In Actis Apoſtolorum *cap.* 1. *v. ult. Cecidit ſors ſuper Matthiam.* Burchardus epiſcopus Warmocienſis *lib. Decretorum ſuorum* 19. his verbis de ſortibus meminit: *Requiſiſti ſortes in Codicibus, vel in Tabulis, ut plures ſolent, qui in Pſalteriis, & in Euangeliis, vel in aliis hujusmodi rebus, ſortiri praeſumunt: ſi feciſti, decem dies poeniteas in pane & aqua.*

Vide *l. ſi duobus* 3. *verſ. Sancimus. C. commun. de leg.* ubi inquit Imperator, quod in optione relicta, *ſors inter altercantes adhibenda eſt ut quem ſors praetulerit, is habeat eligendi poteſtatem.*

Ex l. 1. *Si menſor falſum modum dix.*

Ulpianus: ***Adverſus menſorem agrorum Praetor in factum actionem propoſuit, a quo falli nos non oportet; nam intereſt noſtra, ne fallamur in modi renunciatione, ſi forte vel de finibus contentio ſit, vel emptor ſcire velit, vel venditor, cujusmodi ager veniat.*** Ut ſciamus quid ſit *modus* hoc loco, operae pretium eſt, verba Julii Frontini *libro de controverſiis* referre. *Modus igitur eſt, Genus controverſiae. Genera enim controverſiarum ſunt numero* 15. *De poſitione terminorum ſcilicet, De rigore, De fine, De loco, De modo, De proprietate, De poſſeſſione, De alluvione, De jure territorii, De ſubſecivis, De locis publicis, De locis relictis & extraclusis, De locis ſacris & religioſis, De aqua pluvia arcenda, De itineribus. De modo controverſia eſt in agro aſſignato. Agitur enim de antiquorum hominum propria defenſione, ut ſi L. Titius dextra decumanum, tertium citra cardinem quartam acceperit, ſortis ſuae partes treis, ſive quod huic ſimile, quartam habeat in quacunque proxima centuria, huic enim univerſitati, limes finem non facit, etiam ſi publico itinere ſerviat. Nam in caeteris agris de modo ſit controverſia, quoties promiſſionis modus non quadrat.* Libet ſubſcribere, etiam hoc loco, interpretationem Ageni Urbici in Frontinum, quia ea verba Frontini obſcura eſſe mihi videntur. *De modo*, inquit igitur Agen. *quaeſtiones fere in agris diviſis, & aſſignatis naſcuntur. Item quaeſtoriis, & vectigalibus ſubjectis, quoniam ſcilicet in aere ſcripturas modus comprehenſus eſt. Quod ſemper erit ad formam reſpiciendum, & hoc ſi duobus poſſeſſoribus conveniat, alioqui eo modo illo, qui aere ſcriptura continetur forma liquebit, etiam ſi dominus aliqua vendidiſſet. Namque hoc comperi in Samnio, ut agri, quos Divus Veſpaſianus veteranis aſſignaverat ab ipſis, quibus aſſignati erant, jam aliter poſſideri. Quidam enim emerunt, adjeceruntque ſuis finibus, & ipſa vel via finiente, vel flumine, vel alio quolibet genere, ſed nec vendentes ex acceptis ſuis, aut ementes, adjicientesque ad acceptum ſuas certum modum taxaverunt. Sed ut quisque modus aliquis, ut dixi, aut via, aut flumine, aut aliquo genere finiri potuit, ita vendiderant, emeruntque. Ergo ad aes commodi revocari poteſt. Si duobus, inter quos controverſia eſt, convenit. In iis autem, qui vectigalibus ſubjecti ſunt, proximus quisque poſſeſſioni ſuae junxit. Nam ſoliti erant antiqui in conductiones & in emptiones modum comprehendere, atque ita cavere fundum illum, jugera tot in ſingulis jugeribus. Tantum itaque ſi in ea regione agitur, ubi erit haec conſuetudo aut cautiones, ſcilicet, aut emptiones intuendae erunt. Inter quos diſputabitur, acta utriusque menſura, ſi nihil ad cautionem conveniat, & neutrius poſſeſſio modum cautione comprehenſum impleat, magna erit rei confuſio. Quaerendumque tunc, quomodo in univerſa regione magis opinione, quam menſura modum complecti ſoliti ſint.* Hactenus Agen. cujus verba hoc loco retuliſſe placuit, quia ille liber paucis prae manibus haberi poteſt.

APPENDIX.

De ſubſecivis. Meminit Sueton. *in Domitiano* his verbis *cap.* 9. *Subſeciva, quae diviſis per veteranos agris carptim ſuperfuerunt, veteribus poſſeſſoribus, ut uſucapta conceſſit.* Ager ſubſecivus eſt Boëthio is, qui ſecundum proprias determinationes adſcriptus in finibus ſuis tabulario Caeſaris infertus, & qui beneficio conceſſus, aut aſſignatus Coloniae fuerit; ſive is proximus, ſive longius poſitus: quem colonia in tabulario Caeſaris manu conditoris ſubſcriptum habere debet. Vide Egnatium *in annot. ad Sueton.*

De Religioſis & ſumpt. funer. ex l. familiaria 5.

Familiaria ſepulchra dicuntur (inquit Cajus) ***quae quis ſibi familiaeque ſuae conſtituit.***

Hae

haereditaria, quae quis ſibi, haeredibusque ſuis conſtituit. Nam, ut habetur *in Decretis*, filii cum patribus in uno ſepulchro ponendi ſunt, *caa.* 13. *q.* 2. *cap. Ebron.* 2. & *cap. anaquaeque* 3. Mulier etiam in ſepulchro viri ſepelienda eſt, *cap. is qui* 3. §. *mulier. De ſepul. lib.* 6. Sed an impuberibus permiſſa ſit electio ſepulturae, videamus; & dicendum quod non, quia, ſicut nec teſtamenti factio conceſſa eſt, *l. qua aetate* 5. *D. de teſtam.* ita non debet concedi jus eligendi ſepulturam, *cap. licet.* 4. *de ſepul. lib.* 6. cum funerandi jus de jure parochiali ſit, ſicut eſt ſacramentorum exhibitio, *Clem. dudum* 2. §. *veram. de ſepul. cap. eccleſiarum. cau.* 14. *q.* 1. Hac ratione in eccleſia parochiali, vel in ſepulchro majorum ſuorum, * quisque debet ſepeliri, *cap.* 1. *de ſepul.* Quaeramus & illud, an deportati, ſeu relegati intra fines territorii civitatis, a qua exules per ſententiam ſunt facti, ſepeliri poſſint: & videtur non poſſe, quia poena, eis indicta, etiam poſt mortem remanet, *l.* 2. *D. de cadaver. puait.* & ibi Bar. Abb. & Fely. in *cap. a nobis* 28. 2. *de ſent. excom.* Sed forte id a principe impetrari poſſet, quod maxime cognatis negari non debet, cum id ſe obſervaſſe etiam Divos Auguſtus *lib.* 10. *de vita ſua* ſcribat, *l.* 1. *D. de cadav. punit.* Sed majeſtatis eam damnatis nonnunquam non permittitur. His vero, qui in Duello examinantur, non eſt permiſſa ſepultura, cum ſacer & abominabilis eucharistia privetur: neque enim religioſo loco ſepeliri, aut myſtico pane ali hosce pugnatores leges ſinont, *cap. Monomachiam* 22. *caa.* 2. *q.* 6. imo canibus communem ſortitur tumulum Alciat. in *tract. Duelli. cap.* 16. Sed quid, ſi quis excommunicatus ab eccleſia ita decedat? Hic carere ſepultura omnino debet, nec tumulari in loco ſacro; qui enim excommunicatus in religioſo loco ſepultus fuerit, ſtatim exhumari debet, & ab eccleſia projici; *cap. ſacris* 12. *de ſepult.* Sed quid de haereticis dicemus? Haereticorum quicunque in eccleſia ſepulti fuerint, ſtatim extumulari debent publice, ſi publice ſepulti fuerint, & locus ille perpetua debet carere ſepultura, & ille, qui ſepelierit haereticum excommunicatur, nec abſolvetur. *cap. quicunque* 2. *de haeret. in* 6. De ſepulchris ſeu rebus ſepulchralibus, & vario ſepeliendi ritu, qui latius videre velit, legat libellum ſane quam elegantem, mirificaque eruditione repletum, quem ſuperioribus annis edidit vir literatiſſimus, & Ferrarienſium oraculum, Lilius Gregorius Gyraldus, amicus noſter perquam venerandus.

* Ita obſervatur, ut in patris, & avi conditorium quis potius deferatur, quam in eorum, qui deinceps fuerunt, locum, *l. lex quae* 22. *verſ. Nec vero. C. de adminiſtr. tut.* Oldr. *conſil.* 25. Alciat. *l. appellatione parentis* 51. *D. de verb. ſignific.*

PARERGON.

An teſtator, ſi mandavit haeredi ſub poena, ut conſtitui faciat monumentum, & deceſſit haeres, haereditate non adita: tamen per jus deliberandi tranſmiſit illam haereditatem ad haeredem ſuum, juxta *l. cum antiquioribus* 19. *C. de jur. delib.* Iſte ſecundus haeres, qui haereditatem ad eum tranſmiſſam adivit, incidit in dictam poenam, ſi illud monumentum non fecit. Bald. in *l. fin. C. de haered. inſtit.* in 22. *q.* concludit, quod non. Sed vide Bart. in *conſil. incip. Andreas Martini cum quo pertranſit. D. Alexan.* in *d. l. fin.* An inſcriptiones factae in ſepulchris fidem faciant. Vide *text.* & ibi Bart. in *l. monumentorum* 6. *C. de relig.* gloſſ. in *l. teſtamento quidam* 27. *D. de condit. & demonſt.* Vide per Bart. in *l.* 1. *de albo ſcrib.* & Jaſ. in *l. col.* 5. *D. ſi cert. pet.* & *l. vel quod.* 6. *verſ. Liberti. D. eod.* Monumentum & ſepulchrum differunt, quia monumentum eſt, antequam corpora inferantur; & ſic non eſt religioſum: ſed poſt illata corpora dicitur ſepulchrum & religioſum: ita dicit gloſſ. in *l. monumenta* 14. *C. de legat.* Jura ſepulchrorum non tranſeunt in fideicommiſſarium, quia ſunt quid religioſum, *l.* 2. §. *ſepulchrum* 5. *cum ſimilibus. D. de religioſ.* Si teſtator reliquit eccleſiae centum, ſi fratres ſepelirent in tali loco in eccleſia; ſi ille non potuit ibi ſepeliri, quia erat excommunicatus; vel quia ſeipſum occidit, an debeatur legatum. Vide Bart. poſt Dyn. in *l. miles* 11. §. *fin. D. ad leg. Jul. de adult.* per Bald. in *l.* 1. *C. de inſtit. & ſubſtit.* in *l.* 1. *C. de his qui poenae nomine.* in *ho.* per Joan. de Imol. in *l. in teſtamento* 31. *D. de condit.* &

demonſt. per Joan. Calder. in *diſput. ſua, incip. Rector eccleſiae,* per Pet. de Anch. & Imol. in *cap. filius* 5. *de teſtament.*

Ex l. Ne corpora 38.

Ne corpora, aut oſſa mortuorum detineantur, &c. Sic lex XII. tabularum conſtituit: DEFVNCTI INIVRIA NON AFFICIVNTOR. Facit *Authent. Ne defuncti, ſeu reliq. eor.* Hinc etiam prohibentur in jus vocari hi, qui mortuis juſta faciunt, quive funus ducunt, *l.* 2. *D. de in jus vocando.* Facit *l. fin. C. de ſepulc. viol.* ubi dicit, *Injuſtam eſſe, injuriam reliquiis defunctorum fieri impedirique ſepulturam.*

De Rebus credit. ex l. lecta eſt 40.

Paulus, *Lecta eſt in auditorio AEmilii Papiniani praefecti praetorio Juriſconſulti cautio hujusmodi*, &c. *Auditorio*] hoc loco Auditorium accipe pro loco, in quo judicia exercentur, cauſae controvertuntur, & audiuntur; non ut paſſim ab interpretibus pro ſcholis receptum eſt. Intellige & eodem modo in *l. minor autem* 18. §. *alt. D. de minor.* 25. *an.* & *l.* 1. *D. ne de ſtatu defunct. poſt quinquen. quaeratur.* Ubi ait Marcianus: *ego quoque in auditorio publico idem ſecutus ſum*, auditorium videtur alio nomine appellari. In *Codice Theodoſiano* titulo *de exactione. l.* 20. ubi ſunt haec verba: *conſtituto tempore publice apud Carthaginem in ſecretario*, &c. Secretarium enim ibi pro auditorio accipi puto.

Ex l. final. §. 1.

Cum decem dari curari (inquit Labeo) ſtipulatus, ideo non poſſe te praeciſe decem dari oportere intendere Budaeus hic, putat locum hunc depravatum eſſe, ſicque reſtituendum: *cum decem tu danda curari ſtipulatus ſis.* Nam latinitas ſermonis non patitur hanc loquendi conſuetudinem, *ideo non*; expone, id eſt, pro non continuo.

De Jurejurando. ex l. ſi duo 13. *in fin.*

Siquis juraverit per genium principis. Scribit Suetonius *in Caligula cap.* 27. multos eſſe ſolitum Caligulam ad metalla, ad monitiones viarum, aut ad beſtias condemnare levibus de cauſis, vel quod per genium ſuum nunquam dejeraſſent, vel male opinatos de munere ſuo. Sic etiam D. Auguſtus, rogatos per ipſius ſalutem fideicommiſſa reſtituere, quia jusjurandum ſuum contemnebant, juſſit auctoritate conſulum ad reſtitutionem cogi, §. 1. *verſ. poſtea D. Auguſtus. Inſtitut. de fideicommiſſ. haered.*

Ex eadem l.

Et ita ſuperindici ϖροπετῶς μὴ ὄμνυε. Caligula ut eſt apud eundem Suetonium, *eod. cap.* 27. cum carius vendi pecudes vidiſſet, quae in ſaginam ferarum muneribus deſtinatarum emebantur, noxios aliquos adnotavit, & nullius inſpecto elogio duci juſſit a calvo ad calvum Solebant enim veteres cauſam mortis alicujus facinoroſi aliquo elogio, altiori loco affixo demonſtrare. Unde Modeſtinus titulo *de re militari in l. deſertorem* 3. ait: *Praeſes auditum deſertorem ad ſuum ducem cum elogio mittit*, quod in *Enarrationibus* noſtris ſatis expoſuimus. Hinc & apud Euſebium Caeſarienſem *lib.* 5. *cap.* 3. legimus, Attalum quendam martyrem per amphiteatrum circumductum fuiſſe prae ſe ferentem tabellam collo alligatam, in qua inſcripta erat cauſa mortis, verbis: ATTALUS CHRISTIANUS.

Ex l. Juſjurandum 34. §. 5.

Inquit Ulpianus: ***Si de qualitate juramenti* fuerit inter partes dubitatum, conceptio ejus in arbitrio judicantis eſt.*** Nota adverſus Grammaticos vocabulum, qui dicunt nuſquam apud auctorem probatum repperiri, nec eſſe verbum Latinum; cum tamen hoc loco Ulpianus, vir doctiſſimus, purique ſermonis amantiſſimus utatur, licet in Syria Phenice ſplendidiſſima Tyriorum colonia oriundus fuerit, *l.* 1. *D. de cenſib.* Paulus tit. *qui ſatiſd. cog. l. fin.* inquit: *Qui juramento promiſit judicio ſiſti, non videtur pejeraſſe, ſi ex conceſſu cauſa hoc deſeruerit.* Sic Seneca *lib.* 2. *de Clementia*, utitur: licet objiciant iſti nimis religioſi & moroſi in re Latina, Senecam non haberi inter claſſicos auctores, qui & immerito carpatur a Fabio Quintiliano. His ego ita reſponderim, vitium non hominum fuiſſe, ſed temporum, & quiſque ſuo tempore ſi ſit clarus, ſufficere. Quis neget temporibus Ciceronis, & alios eloquentes viros praeter ipſum fuiſſe? inque magna exiſtimatione tanta pene dixerim ac ipſum Ciceronem, aurum, & argentum & aes habentes, non propter hoc, quod aurum habeamus, aliam monetam ex argento, vel aere rejicimus. Extat Corn. Taciti libellus ſane elegans, an ſui ſaeculi oratores antiquioribus, & quare concedant: unde oſtenditur facile unumquemque ſcriptorem ſuo tempore modo non humilem inter celeberrimos reponendum. Nec enim illa praeſtantis ingenii vis vel inclytarum artium inſtrumentum omnibus obvium eſſe poteſt. Sat eſt in ſecundis conſiſtere poſſe, ſi non in primis. Nec enim Latiae muſae a ſedibus ſuis poſt Accium, & Virgilium, caeteros proximiores & procul a ſecundis rejecere. Nec Brutum aut Caeſium Pollionemve cum Meſſalla a ſtudio eloquentiae illa Ciceronis fulmina deterruerunt. Nec ille ipſe Cicero terriſus tonantibus Platoni & Demoſtheni conceſſerat. Nec Parens eloquentiae Deus ille Maeonius vaſtiſſimis fluminibus facundiae ſuae poſteritatis ſtudia reſtinxit. Sed illud certiſſimum eſt, quod ſummis admiratio, veneratioque, & inferioribus merita laus contingit. Unde Quintil. dixit: *Sunt clari hodieque, & qui olim nominabuntur.* Sed de his ſatis.

* Vide hanc dictionem *juramentum* apud Paulum in *l. cum de indebito* 25. §. *in omnibus* 3. *D. de probationib.*

Joachimus Perionius Benedictinus Cormaeriacenus *in concionum annotationibus Livii.*

De Senatuſconſ. Maced. ex l. 1.

Ulpianus lib. 28. ad Edictum: ***Incertis nominibus crederet.*** Pedianus in *oratione* 2. *in Verrem cap.* 10. ſuper illis verbis, *Nomina ſua exegiſſe*, inquit, *tituli debitorum nomina dicuntur, praeſertim in his debitis, in quibus hominum nomina ſcripta ſunt, quibus pecuniae commodatae ſunt, cui rei contrarium eſt mutuum accepiſſe.* De Nominibus meminit Scaevola in *l. Sticho libertus* 40. §. *argentarius* 8. *D. de ſtatulib.* ubi dicitur: *Argentarius coactor, cum pene totam fortunam in omnibus haberet, ſervis actoribus libertatem dedit, &c.* In aliis pleriſque locis Digeſtorum, *de nominibus* multa eſt mentio: quare hinc facilius, de quibus intelligendum ſit, in poſterum palam erit. Apud Ulpianum vero hoc loco, pro cauſa non expreſſa accipiendum eſt. Nam Macedo credebat minoribus, non expreſſis nominibus minorum, ut poſt mortem patris repetere poſſet.

Pro ſocio, ex l. cum duobus 52.

Quidam ſagariam communionem inierunt, &c. Sagaria communio eſt eorum, qui convenerunt inter ſe ad vendendum veſtes. A ſago venit ſagarius, qui vendit ſagum & chlamydes, hujuſmodi veſtimenta; cujus mentio eſt Juvenal. in 6. *Satyr.* *v.* 590.

An ſagu vendenti nubat caupone relicto.

Virgilius in *lib.* 8. *AEn. v.* 660.

Virgatis lucent ſagulis.

In Mediolanenſi antiquario id mercimonium exercentem Tertullum quendam Apulum, Mediolani fato functum, talis inſcriptio indicat [apud Gruter. *pag.* XIV. 12]

I. O. M.
VOLVSIO. TERTVLLO. NEGOCIATORI.
SAGARIO. EX. APVLIA.

De ſagaria Ulpianus ſupra, *l. procuratoris* 5. §. *ſi plures* 15. *D. de tributor. actio.* meminit his verbis: *Si plures habuit ſervus creditores, ſed quoſdam in mercibus certis; an omnes in tributum vocandi? ut puta duas negotiationes exercebant, puta ſagariam & linteariam, & putat* non confuſe, *ſed ſeparatim eos in tributum vocari.* Scribit Val. Max. *lib.* 5. *Fact. dict. memor. cap.* 1. *de humanitate*, quod ſuperior Africanus Scipio, cum nepotem Maſiniſſae, Numidarum regis, adhuc puerum, in bello captum, qui a quaeſtore eſſet vendendus, exploraſſet eſſe Numidam, *annulo, fibulaque aurea, & tunica laticlavia, Hiſpanoque ſagulo exornato, eque donatum, datis qui eum proſequerentur equitibus, ad Maſiniſſam remiſit.* In Codice Juſtiniani, *lib.* 12. *titulo de curſu publico*, extat Leonis Auguſti conſtitutio adverſus eos, qui veredariis ſaga praecidunt, & auferunt.

De Actio. empti. ex l. exempto 11. *in fine.*

Veluti cum futurum jactum retis a piſcatore emimus. Val. Max. *lib.* 4. *cap.* 1. ad hanc rem ponit ſpeciem pulcherrimam hunc in modum: *A piſcatoribus, in Mileſia regione verriculum trahentibus, quidam jactum emerat, extracta deinde magni ponderis menſa aurea, orta controverſia; illis piſcium ſe capturam vendidiſſe affirmantibus, hoc fortunae ductus ſe emiſſe dicente: quae contentio propter novitatem rei ad civitatis populum delata, Delphicum Apollinem placuit conſuli, qui reſpondit dandum eſſe ſapientiori: quod reſponſum ſeptem ſapientes ad ipſum Apollinem retulerunt, illumque aurea menſa donaverunt.* Plutarchus tamen *in Solone*, & Diogenes *in Thalete* aliter rem fuiſſe narrant, ut etiam annotavit vir doctiſſimus Sebaſtianus Corradus *in additionibus ad Valerium.* Facit. *l. ſi jactum retis* 12. *D. eod.* ad Valerii hiſtoriam; quae ſi in judicium veniat, oportebit proculdubio aeſtimari menſam auream, emptorique reddi, dummodo res divina non fuerit. Nullo enim pretio res divina aeſtimari debet, & quia res divinae nullius in bonis ſunt, §. *nullius* 7. *Inſtit. de rerum diviſ.*

Ex l. In navem 31. *D. Locati.*

Veluti cum argentum poſtulatum fabro daretur, ut vaſa fierent. Budaeus legit *Puſtulatum*, dein *Puſtulatum* ex Tranquillo *in Nerone cap.* 44. his verbis: *Exegitque ingenti faſtidio, & acerbitate nummum aſperum, argentum puſtulatum, aurum obryzum, ut plerique omnem collutionem palam recuſarent.* Alciatus *lib.* 6. *cap.* 4. *Exceſſuum.* *poſtulatum* legendum putat ex Martialis verſu *lib.* 7. *epigr.* 86.

— *Nulla venit a me*
Argenti tibi libra poſtulati.

Sed quid, ſi ego legerim *argentum purum putum?* ex Auli Gellii *lib.* 6. *cap.* 5. ubi recitat in hunc modum verba ipſius Alfeni JCti, *lib. Digeſt.* 30. & 4. *Sed in collectaneorum* 2. haec Alfenus: *In foedere, inquit, quod inter populum Romanum & Carthaginenſes factum & ſcriptum invenitur, ut Carthaginenſes quotannis populo Romano darent certum pondus argenti puri puti; Quaeſitum eſt, quid eſſet purum putum argentum: Reſp.*

ego

ego (*inquit*) *purum putum valde purum, ſicut novum novitium dicimus, & proprium & propitium augere & intendere volentes, novi atque proprii ſignificationem*; hactenus Alfenus apud Gellium, cui tamen Gellius adverſatur. Nam ſi Alfenus dixiſſet (inquit) puritium melius quadraret, novitii & propitio. *Putum* igitur *argentum* putat *eſſe dictum, quaſi exputatum, atque excoctum, omnique aliena materia carens, omnibusque ex eo vitiis detractis emaculatum, & candefactum. Purum putum* in *hac lege* igitur ego legendum putarem. Juven. in 10. *Satyr. v.* 19.

Pauca licet portes argenti vaſcula puri.

Nam & Alfenus idem eſt auctor *hujus legis*, cujus & apud Gellium mentio dicta eſt: qui, Cremonae natus, ibi Sutrinam exercuit, fuitque auditor Servii Sulpicii; &, ſi me non lateat alterum fuiſſe (ut creditur) celebrem nomine, & ſtudio, tempore Alexandri principis.

De Aedilitio Edicto. ex l. 1.

Quid morbi vitiive cuique ſit. Quis fugitivus, errove ſit. Noxave ſolutus non ſit. Haec eadem verba Gell. *lib.* 4. *cap.* 2. recitat: ubi multa ad hunc titulum pertinent. Eundem igitur Gellium quiſquis legendi avidus es, adito; ne in praeſentia occupatus omnia adcumulem.

In l. item Offilius 10. §. *idem* 3. *de hydropico. eod. titul.*

Ulpianus ait; Offilius: *Quid de Myope? morboſum eſſe conſtat.* Gellius *lib.* 4. *cap.* 2. Myopen luſcioſum Latine appellari ait, qui non videat, niſi quae oculis admota ſunt, Ulpianus. Idem ubi homo neque matutino tempore videt, neque veſpertino: quod genus Graeci, νυκτάλωπας vocant, hoc eſt, noctuinos. De his meminit Plinius *lib.* 8. *Natur. Hiſtor. cap.* 50. ubi ait capras non minus noctu, quam interdiu cernere: *Si caprinum jecur veſcatur, reſtituit veſpertinam aciem his, quos νυκτάλωπας vocant*: etſi ibi corrupte legatur, *Myclopas.*

Ex l. fin. eod.

Si ludos aſſidue ſpectare velit, aut tabulas pictas ſtudioſe intueatur. Huc Ciceronis locus in *Paradoxis* 5. aptiſſime facit; cum ait, M. Antonium eſſe nequiſſimum ſervum. Ejus haec ſunt verba: *Atque ut in magna familia ſtultorum, ſunt alii lautiores ut ſibi videntur: ſed tamen ſervi Atrienſes, ac in pari ſtultitia ſervi ſunt, quos ſigna, quos tabulae, quos caelatum argentum, quos Corinthia opera, quos aedificia magnifica nimiopere delectant.* Et paulo poſt: *Echionis tabula te ſtupidum detinet, aut ſignum aliquid Polycleti, &c.*

De teſtibus, ex l. teſtis 24.

Teſtes (inquit Paulus) *eos, quos accuſator de domo produxit, interrogari non placuit.* Rationem *hujus legis* habes, ſupra *eod. in l. pater* 17. ubi dicit *teſtes alieno negotio ex una domo, &c.* Lex eſt apud Cumas, ſi accuſator multos teſtes inducat ex agnatis propriis, reum eſſe caedis. Ariſtoteles meminit *lib.* 2. *polit. cap.* 6. ſic in Canonicis. *cau.* 4. *q.* 5. *cap. nullus. in fin.* ubi dicitur: *de domo etiam judicis accuſator, vel teſtis produci non debet, ne in cauſam ſuſpicionis incidat judex.* Nam *domeſticum teſtimonium reprobatum eſt*, ut ait Imperator in §. 9. *in fin.* & ibi gloſſ. *Inſtit. de teſtum. ordinan.* Item Julius Paulus Juriſconſ. *lib.* 5. *Sentent. recept. tit.* 15. *de teſtib.* §. 3. *Veritatis teſtimonium neceſſitudo perſonarum plerumque corrumpit.* Quintil. *lib.* 5. *ſi amicitia accuſatoris*, &c. Vide etiam in *Cod. Theod. lib.* 11. *titul. de fide teſtium.* & in *l. jurisjurandi* 9. *C. eod.* & *l. maritus* 20. *in fine. D. de quaeſtio.*

Vide Eraſmum in Adagio, *Domeſticus teſtis. Chyliad* 2. *Centur.* 3.

De Sponſalibus.

In hunc titulum de veterum ſponſalitiorum more, vide multa apud Gellium *lib.* 4. *cap.* 4. Quae ſolentes caerimoniae more Romano in ſponſalibus olim & nuptiis eſſe conſuevere, & quae apud exteros, erudite diſſerit Alex. Neapol. *lib. genial. dier.* 2. *cap.* 5.

Ex l. 2.

Sponſalia, inquit Ulpianus, *dicta ſunt a ſpondendo. Nam moris fuit veteribus ſtipulari, & ſpondere uxores futuras.* Gellius *lib.* 4. *cap.* 4. *Qui uxorem ducturus erat, ab eo unde ducenda erat, ſtipulabatur eam in matrimonium ductum iri; qui daturus erat, itidem ſpondebat: is contractus ſtipulationum ſponſionum dicebatur ſponſalia.*

De donation. inter vir. & uxor. ex l. ſed ſi vir 31. §. 8.

Si vir uxori munus immodicum Cal. Martiis, aut Natali dediſſet, donatio eſt. Sciendum eſt moris fuiſſe apud Romanos, menſe praecipue Martio foeminis donare. Alluſit ad morem Tibullus poëta his verſibus, *lib.* 3. *in pr.*

Martis Romani feſtae venere Calendae.
Exoriens noſtris hic fuit annus avis.
Et vaga nunc certa diſcurrunt undique pompa;
Perque vias urbis munera, perque domos.

Tranquillus *in Veſpaſiano cap.* 19. *Sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita & Cal. Martiis foeminis.* Plautus *in Milite Act.* 3. *ſc.* 1. *v.* 96.

Verum priusquam galli cantent, quae me ſomno ſuſcitet,
Dicat, da, mi vir, quod calendis mittam, cum Martiae venerint.

Hunc morem Macrobius *lib. Saturnalium* 1. plenè declarat: ad quem recurrendum.

Ex l. penultima. § 1.

Virgini in hortos deductae ante diem tertium, quam ibi nuptiae fierent, &c. Nota, quod olim nuptiae in hortis fiebant, quod nuſquam apud auctores Latinos memini me legiſſe. Apud auctores tamen ſcio duobus in locis adulteriorum fuiſſe occaſionem, in hortis ſcilicet, & in templo Iſidis Deae. De hortis Juvenalis in 6. *Sat. v.* 486.

Nam ſi conſtituit, ſolitoque decentius optat
Ornari, & properat, jamque expectatur in hortis.

De hortis etiam memoria extat apud Corn. Tacitum. De templo Iſidis carmen Ovidii extat *in Arte.* Juvenal. in 6. *Sat. v.* 488.

Aut apud Iſiacae potius ſacraria lenae.

De hortis, Papinianus reſpondit in *l. quaeſitum* 12. §. *fin. D. de fund. inſtruct. Inſtructis hortis filio legatis mater argentum muliebre filiae legaverat, etiam id argentum muliebre, quod in hortis habuit, ut ibi eſſet inſtructior, ad filium pertinere.* & §. 40. Item reſpondit: *Domo per fideicommiſſum relicta cum ſuppellectile Claudio Hieronymiano clariſſ. viro ab Umbria Primo, & menſas, & caeteram ſupellectilem, quam in hortos paterfamilias in proconſulatu profecturus contulerat, ut tutiore loco eſſent, contineri.* Quo loco notandum & illud, quod in hortis conſervabatur ſupellex, ut ibi magis tuta, quam in alia parte domus. Et ſic legendum puto apud Paulum *l.* 3. §. 2. *D. de offic. praefect. vig.* ubi dicit, *Effracturae fiunt plerumque in inſulis in horreis, ubi homines pretioſiſſimarum, &c.* Nam legendum arbitror

Digitized by Google

hortis, ut ibi res pretioſae tutae magis eſſent; quem morem me legiſſe nuſquam recordor. Niſi quod apud Terentium *in Adelphis* videtur illud innuere *Act.* 5. *ſc.* 7. *v.* 8. *Miſſa haec face Hymeneum, turbas, Lampades, Tibicinas. Atque in horto maceriam jube dirui, &c.*

Ex eadem l.

Et priusquam aqua & ignis acciperetur, obtulit decem aureos dono. Collige hic morem Romanorum, in nuptiis faciendis, qui aqua & igni utebantur. Unde etiam 5. faces in honorem 5. Deorum, Jovis adulti, Junonis adultae, Veneris, Dianae, & Suadelae praeibant, cum noctu ducerentur. Batullus *in Epithalamio*:

Spineam quate Tedam.

Virgil. *in Bucol. Eclog.* 8. *v.* 29.

Mopſe, novas incide faces; tibi ducitur uxor.

Morem Ovidius in *lib.* 4. *Faſtorum*, notat his verſibus 789. *& ſeqq.*

Junxerunt elementa patres: aptamque putarunt
Ignibus, & ſparſa tingere corpus aqua.
An quod in his vitae cauſa eſt, haec perdidit exul.
His nova fit conjux, haec duo magna putant.

De Divortiis.

De Divortii ritu, vide Cael. Rhodig. *Lect. antiq. lib.* 15. *cap.* 16. Divortium etiam fiebat diffarreatione olim, ſicut cum contraheretur matrimonium, dicebatur farreatio. Corn. Tacitus *lib.* 4. *Annal. cap.* 16. inquit: *Nam patricios confarreatis parentibus genitos*; legitima matrimonia ab antiquis ita celebrantur, ut farreum libum communicarent, & deguſtarent. Feſtus & Boëthius auctores. Apulejus quod *lib.* 10. *Aſini aurei*, inquit: *publicitas matrimonium confarreaturus.* Meminit & Dionyſius Halicarnaſſeus.

Ex l. Nullum divortium 9.

Nullum divortium ratum eſt, inquit Paulus, ***niſi ſeptem civibus Romanis puberibus adhibitis, praeter libertum ejus, qui divortium faciet.*** Nota ex hoc textu, primum per ſeptenarium numerum divortium fieri: illud etiam menti reconde, libertum facere divortium, ut hic. Et Juvenalis *Satyra* 6. de hoc intelligit, dicens, *v.* 145.

Collige ſarcinulas, clamat libertus, & exi
Jam gravis es.

Nam apud veteres per nuncium fiebat divortium: quem morem & Apulejus tangit, *lib.* 9. cum dicit: *Nec ſecius piſtor ille nuncium remiſit uxori, eamque protinus de ſua perturbavit domo.* Nuncium remiſit, id eſt, libellum repudii, ut ibi exponit interpres. In *fine hujus legis* nota etiam illa verba, *ſurſum verſum manumiſſus ſit*; quae ſic poſita raro inveniuntur, *l. ſi arbiter* 28. *D. de probat. & praeſump.*

De agnoſcend. liber. ex l. Necare 4.

Necare videtur, & qui publicis locis miſericordiae cauſa exponit, quam ipſe non habet. Solebant veteres ad Herculis templum ſpurios deferre, quod apud auctores Graecos legitur; quod is Deus & ipſe quoque non abſimiles natales ſortitus ſit. Alciatus, vir in omni aevo memorabilis, in *Emblematum libello* (IN NOTHOS) meminit his verſibus:

Herculeos ſpurii ſemper celebretis honores:
Nam veſtri princeps ordinis ille fuit.
Nec Deus eſſe prius potuit, quam ſugeret infans
Lac, ſibi quod fraudis neſcia Juno dabat.

Publicis locis Miſericordiae, hoc eſt, pietatis. Nam ſciendum eſt, Romae juxta forum olitorium aedem Spei, & Pietatis fuiſſe, quam M. Acilius Glabrio duumvir dedicavit: ibique fuiſſe columnam lactariam, in qua infantes alendos deponebant, quod Pompejus memorat, ibique fuiſſe Junonis Matutae, & Fauni templa; ideo hic dicit Juriſconſultus, *Miſericordiae.*

Exponit.] Verbum, exponit, accipitur apud Latinos auctores pro abjicit. Quintilianus *lib.* 7. *c.* 1. *Ut pater, qui expoſitam agnoverat*; & Paulo poſt: *qui expoſitam recepit*, &c. *Exponit.* Veteres eos vocabant Threptos, qui expoſiti a parentibus, ab alio ſublati, educatique fuiſſent: ut quodam reſcripto ſuo ad Caecilium Trajanus Imperator oſtendit, *lib.* 10. *Epiſtolarum* Plinii, *ep.* 72. In marmore autem vetuſto pro cognomine ſic ponitur [apud Gruter. pag. XVI. 10.] IOVI O. M. C. SENTIVS THREPTVS. V. S. L. M. Expoſiti pueri ut pereant, a Graecis ἐκθέται dicuntur. De expoſitis mentio habetur in *Codice Theod. lib.* 5. & *C. Juſtiniani lib.* 8. Hinc ſi quis expoſitus forte, quorum parentum eſſet, ignorat; fortaſſe ſerviat & alicui, putans ſe ſervum eſſe, in facto magis, quam in jure errat, ut *l.* 1. §. *ſi quis a. D. de jur. & fact. ignor.* Expoſitus filius a patre, vel ab alio, ipſo tamen ſciente, & non contradicente, a patria poteſtate liberatur, nec a patre recuperari poteſt amplius. Et idem de patrono habetur poſt decem dies, qui ſervum ſuum exponat, ut *cap.* 1. *extra de infant. expoſ.*

AUCTARIUN.

Vide titulum *de infantibus expoſitis: extra in Decretalibus*, & ibi gloſſ. vide 87. *diſt. & text. in l. nemini* 24. *C. de epiſ. aud.* ubi dicitur, *nemini licere expoſitum puerum in ſuum dominium vendicare.* Expoſiti etiam ſanguinolenti vocantur, qui ſtatim ac nati abjiciuntur, ut *C. de expoſ. & ſang.*

Ex l. Si quis a liberis 5. §. 8.

Et ſi conſtiterit filium, vel parentem eſſe, tunc alii jubebunt; caeterum, ſi non conſtiterit, nec decernent alimenta; ſed etſi conſtaret etiam filium eſſe, dum pater ex concubina eum habuerit, non tenetur filius alere patrem. Sic jubet lex XII. tabularum: E MERETRICE NATUS, PATREM NON ALITO. Sicut enim natus ex ancilla haeres eſſe non poteſt, cum filio liberae, ut Geneſeos *cap.* 21. & *cap.* 4. ad Galatas legitur; ita nec alere patrem filius ex concubina tenetur.

De Tritico, vino, olea legato: ex l. ſi quis vinum 9.

Certe Zithum, quod in quibusdam provinciis ex tritico, & hordeo, vel pane conficitur, non continebitur. In quibuſdam provinciis, puta in Scythia; Populi enim Scythae fermento ex hordeo, & tritico, & avena acida potiones faciunt, ut teſtis eſt Pomponius Virgilii interpres ſuper illo Georgico verſu, *lib.* 3. *v.* 379.

—— —— —— *Et pocula laeti*
Fermento, atque acidis imitantur vitea ſorbis.

Apud Paulum Juriſconſultum *l. Sententiar. recept. ad filium*, 3. *tit.* 6. *de Legatis* §. 58. de Zithariis ſervis fit mentio hunc in modum: *Domo* (inquit) *cum omni jure ſuo, ſicut inſtructa eſt, legata, urbana familia, item artifices, & veſtiarii, & Zitharii, & aquarii, & eidem domui ſervientes, legato cedent* Hinc apparet ſervos Zitharios dictos, quod Zithum facerent. Nihilominus ego puto, apud Paulum male legi illo loco, ex inverſione unius literae *e*; legendumque Zetharii a Zetha: locus eſt enim Zetha, ubi collocatur cubile, & *unius cubiculi tantum capax*, Alex. Neapol. *lib.* 5. *cap.* 5. *Genial.* meminit. Et Plin. *lib. Epiſtolar.* 5. *ep.* 6. *ad Apollinarem* his verbis: *Eſt & in hac Zetha dormitorium cubiculum, quod diem, clamorem,*

Digitized by Google

rem, ſomnum excludit, junctaque ei quotidiana, amicorumque caenatio; et ſi ibi corrupte legatur, *Dieta*, ab interprete, illum locum non ſat commode explicante, apud auctores pro alia re ſumi non me latet.

De Adminiſtr. tutor. Ex l. ſi plures 3. §. 6.

Sane enim facilius unus tutor & actiones exercet, & excipit, ne per multos tutela ſpargatur. Ratio hujus dicti eſt, quia ubi multitudo, ibi eſt confuſio: ut in *Authent.* 10. *De referendar. verſ. Multitudo*; & ibi gloſſ. cum quo concordat *c.* 2. una cum gloſſ. notabili ſuper verbo *Multis. in fin. de reſcript. lib.* 6. Solebat enim dicere Iſocrates, Rempublicam unius principis imperio, quam populi adminiſtratione, rectius gubernari. Auctor Stobaeus *ſermone* 45. Hinc ait Pomponius in *l.* 2. §. *noviſſime* 11. *D. de orig. jur. Neceſſe olim fuiſſe reipublicae per unum conſuli*: igitur conſtituto principe datum eſſe ei jus, ut quod conſtituiſſet, ratum eſſet.

De Senatusconſ. Sil. ex l. 1. §. ſi quis non 23.

Siquis non metu criminis imminentis, ſed taedio vitae, vel impatientia doloris, ſibi manus intulit, &c. Scribit Val. Max. C. Plautium Numidam, audita morte uxoris ſuae, ſeipſum gladio percuſſiſſe, & vulneraſſe, cum doloris eſſet impotens; interventu tamen domeſticorum, exequi incoeptum prohibitum fuiſſe, colligatumque: nihilominus poſtea vulnera divulſiſſe, ac expiraſſe. Meminit Valer. *lib.* 4. *cap.* 6. *de amore conjugali.*

APPENDIX.

Scribit Ulpianus in *l. ſi quis filio* 6. §. 7. *verſ. Quod ſi quis D. de injuſt. rup. teſt. Quod ſi quis taedio vitae, vel valetudinis adverſae impatientia, vel jactatione (ut quidam Philoſophi)* mortem ſibi conſciverint, *in ea cauſa eſſe, ut eorum teſtamenta valeant*: quod idem in milite contigit, ſe potius doloris impatientia, vel vitae taedio, quam ob conſcientiam delicti ſibi manus intulerit. Vide de Philoſophis, qui ſibi manus intulerunt propter ambitionem, Dominum Alciatum, *lib. Parerg.* 4. *cap.* 4. Vide etiam de Philoſophis, qui ſe in puteum jecerint, Pet. Crinitum *de honeſt. diſcipl. lib.* 2. *cap.* 3.

AUCTARIUM.

An quis poſſit ſeipſum occidere, vide *cap. ſi non licet* 9. & *cap. non eſt noſtrum* 11. & *cap. placuit* 12. *cau.* 23. *q.* 5. Ex Cic. *de ſomnio Scip. cap.* 3. inquit. *Quare & tibi, Publi Scipio, & piis omnibus retinendus animus eſt in cuſtodia corporis: nec injuſſu ejus, a quo ille eſt vobis datus, ex hominum vita migrandum eſt, ne munus humanum aſſignatum a Deo, defugiſſe videamini.* Idem Cic. in *Catone majore cap.* 10. inquit: *Vetatque Pythagoras injuſſu Imperatoris, id eſt, Dei, de praeſidio, & ſtatione vitae decedere* Idem *lib.* 1. *Tuſcul. quaeſt. cap.* 30. *Vetat enim dominans ille in nobis Deus injuſſu hinc nos ſuo demigrare.*

De legatis 3. ex l. Qui quatuor 30.

Qui quatuor pocula oleaginea habebat, ita legavit: Pocula oleaginea duo paria. Accurſius ita exponit *oleaginea*, id eſt, plena oleo, vel apta ad oleum reponendum: expoſitio ſane riſu Democriti digniſſima, quam nec anniculus puer ſcriberet. Unde non miror ſi a Laurentio Valla illud jactatum eſt, ſe paucis annis meliores gloſſas Accurſianis facturum: cum hic & aliis in multis locis ineptiae & ridiculae res legantur, quae nomini, & famae viri tanti non conveniant. Sed ad rem: *oleaginus* dicitur, quicquid eſt oleae ſimile, vel quod eſt ex arbore olea, ut faginus a fago. Virgilius in *lib.* 2. *Georgic. v.* 31.

Truditur e ſicco radix oleagina ligno.

Marcus Cato *de re ruſtica*: *Taleas oleagineas feramus.* Dicitur etiam quicquid eſt olei coloris.

Ex l. Librorum appellatione 52.

Sed & ſi in philyra. Hic pro chartae genere ponitur, alias pro corona, ut apud Ovidium *in Faſtis, lib.* 5. *v.* 337.

Ebrius incinctis philyra conviva capillis
Saltat, & imprudens utitur arte meri.

Horatius in *lib.* 1. *Odarum, od. ult.*

Diſplicent nexae philyra coronae.

Politianus *Miſcell cap.* 72. quae ſit philyra, plene declarat. De variis vero generibus chartarum meminit Alex. Neapol. *lib. Genial. dier.* 2. *c.* 30. tu illos videto. Fit etiam mentio apud Paulum, *lib. Sententiar. recept.* 3. *titulo* 4. *de Legatis. l. libris legatis* 87. & ſi ibi non ſit recte impreſſum *Philydae*.

Ex l. His verbis 102. §. 1.

Paterfamilias (inquit Scaevola) *ita legavit: Lances numero duas leves, quas de ſigillaribus emi, dari volo.* Interrogatus quandoque fui ab amiculo quodam meo, quid hoc loco ſignificaret hoc verbum *ſigillaria* (cum nusquam ſe legiſſe apud auctores recordari diceret) cui breviter, ut potui memoria repetere, ſic reſpondendum duxi. Conſtat *ſigillaria* vicum fuiſſe Romae celebrem, ubi venum res venales exponebantur, ibique vaſa praecipua, ſignaque exquiſitae artis ex aere argentoque fabrefieri ſolebant. De quibus Sueton. *in Claudio cap.* 16. ita meminit: *Eſſedum argenteum ſumptuoſe fabrefactum, & venale ad Sigillaria redimi, concidique coram imperavit.* Idem *in Nerone cap.* 28. *Sporum Romae circa Sigillaria comitatus eſt.* Meminit & Aulus Gellius *Noct. Attic. lib.* 5. *cap.* 4. his verbis: *Apud Sigillaria forte in libraria ego & Lucius Paulus conſedebamus.* Hinc *Dies ſigillariorum Saturnalibus adjectos legimus, quibus imagunculae, & ſimulachra venalia in ſigillaribus proponebantur, quae pro ſuis capitibus in facellum Ditis Romani deferebant.* Alex. Neapolitanus *in Genial. lib.* 3. *cap.* 4. ex Macrobio refert.

De uſu & uſufruct. ex l. ſi uſusfructus 8.

Unde centum annos obſervandos eſſe conſtat: Qui finis vitae longiſſimus eſt. Obſerva hunc textum, quod finis vitae longiſſimus eſt centum annorum, *l. an uſusfructus nomine* 56. *in fin. D. de uſufruct. & quemadmodum quis utatur. & l. fin. C. de ſac. ſanct. eccleſ.* Sic etiam in ſacra pagina legimus, *& dies hominis erunt centum anni.* De ſpatiis longiſſimae vitae, vide Plin. *l. Natural. Hiſtor.* 7. *cap.* 48.

De fundo inſtruct. leg. ex l. quaeſitum 12. §. ſi domus 16.

Pegaſus ait, inſtrumenti appellatione non contineri ea, quae voluptatis cauſa in domo ſunt; puta vela, quae frigoris vel umbrae gratia parata ſunt. Solebant veteres habere quaedam vela, quibus extenſis partem aedium, hoc eſt, hypetria tegebant, ut aeſtate evitarent ſolis ardores; ad quae alluſiſſe Tibullum poëtam crediderim his carminibus, *lib.* 2. *eleg.* 5. *v.* 97.

Aut e veſte ſacris tendent umbracula ſertis
Juncta.

Juven. in 6. *Satyr. v.* 226.

Ornatas paulo ante fores pendentia linquit
Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.

Velis etiam legimus Amphitheatrum Romae, dum fiebant ſpectacula, inumbrari ſolitum. Vela autem cilicia, de quibus Ulpianus infra meminit, & quae inſtrumenti eſſe Caſſius ait, conſtat parata eſſe, ne aedificia vento vel pluvia laborarent conſumerenturque,

que, quem morem obſervant Galli: in Italia vero non obſervatur. Fiebant autem cilicia ex villis hircorum, atque caprarum: adhiberi mosque fuit in uſum caſtrorum, & nautarum. Virgil. in *lib.* 3. *Georgic. v.* 311.

Nec minus interea barbas, incanaque menta
Cinyphii tondent hirci, ſetasque comantes
Uſum in caſtrorum, & miſeris velamina nautis.

Scribit Veget. *Rei militaris lib.* 4. Cilicia adhibenda eſſe ad excipiendum impetum ſagittarum, & machinas militares ciliciis veſtiendas, ne exurantur incendio. Meminit & Pedianus *lib.* 1. *in Verrem. cap.* 38. ubi Cicero dixit, *coria, cilicia, ſaccos.*

Ex eadem l. §. 18.

Acetum quoque quod incendii extinguendi cauſa paratur, inſtrumenti eſſe Caſſius ait. Hoc nuſquam memini me legiſſe, niſi ex eodem Juriſconſulto in *l.* 3. *§. penoris. D. de penu leg.* Apud Livium *lib.* 21. *cap.* 37. tamen legimus Annibalem Carthaginenſium ducem in tranſitu Alpium in Italiam, perfuſas aceto Alpes rupiſſe. Unde Juvenalis, *Sat.* 10. *v.* 153.

— Et montem rupit aceto.

Aceti naturam frigorificam eſſe, omnes auctores atteſtantur, atque ob id nunquam congelaſcere. Scribit Vitruvius *lib.* 8. *Architectonices, cap.* 3. *Ovum in aceto ſi diutius appoſitum fuerit, cortex ejus molleſcet, & diſſolvetur. Item plumbum, quod eſt lentiſſimum & graviſſimum, ſi in vaſe collocatum fuerit, & in eo acetum ſuffuſum; id autem opertum, & oblitum ſi erit, efficietur uti plumbum diſſolvatur, & fiat ceruſſa, eiſdem rationibus aes, quod eſt ſolidiore natura ſimiliter ſi curatum fuerit, diſſipabitur, & fiet aerugo. Item Margaritam, non minus ſaxa ſilicea, quae neque ferrum, nec ignis poteſt per ſe diſſolvere, cum ab igni ſunt percalefacta aceto ſparſo diſſiliant, & diſſolvantur.* Hactenus Vitruvius. Scribit Corn. Celſus *lib de Re medica* 5. *cap.* 27. cum, quem aſpis percuſſit, acetum bibere debere: hocque ex uſu animadverſum, & caſu cujuſdam pueri ab aſpide percuſſi demonſtratum: licet Cael. Rhod. *lib. Lect. antiq.* 25. *cap.* 31. non magnopere compertum, qui aſpidis ictu percuſſus evaſerit, dicat.

Vide Eraſmum in Adagio: *Acetum habet in pectore. chil.* 2. *centur.* 3.

Ex eadem l. & §.

Formiones pro ſtoriis, & tegetibus accipi hoc loco intelligit vir noſtro ſeculo, inter eruditos eruditiſſimus Lilius Gregorius Gyraldus Ferrarienſis in libello *de Navigiis cap.* 16. Unde Donatus Graeca lingua Phormionem fiſcum Sparteum, & ſtramen nauticum nuncupari nos admonet, in *Terentiano Phormione.*

Ex eadem l. §. 24.

Fiſtulae autem magis domus portio, quam domus inſtrumentum ſunt. De fiſtulis Cicero in *oratione pro C. Rabirio cap. fin. Etſi C. Marius quod fiſtulas, quibus aqua ſuppeditabatur Jovis Opt. Max. templis ac ſedibus praecidi imperarat, quod in clivo Capitolino, improborum civium.* Ulpianus meminit in *l. lines & labra* 15. *D. de actio. empt.* Alias fiſtula pro tibia accipitur, ut eſt apud Gellium *lib.* 1. *cap.* 11. de C. Graccho, cui concionanti fiſtula temperabat vocem. Dicitur fiſtula Tubulus & Siphunculus. Meminit de fiſtulis copioſe Vitruvius *lib.* 8. *cap.* 7. quo loco tractat, quot modis ducantur aquae: ubi illud dicit fiſtulae ne minus longae pedum denum fundantur. In quam ſententiam inclinat & Plinius *lib.* 31. *cap.* 6. Fit mentio apud Paulum titulo *de aqua pluv. arcend.* Plinius *lib. Epiſtol.* 5. *ep.* 4. *Apollinarem, per totum hippodromum inductis fiſtulis ſtrepunt rivi, & qua manus duxit, ſequuntur.* Alluſit ad fiſtulas Statius *lib. Sylvarum* 1. cum cecinit, *v.* 450.

Teque per obliquum penitus quae laberis amnem,
Martia, & audaci tranſcurris flumina plumbo.

Dicuntur etiam fiſtulae ſalientes, quas, cum eſſem Spoleti, memini me quam plures vidiſſe; quibus ad bibendum tum praecipue eo tempore, quo ſiccitas magna vigebat, mirum in modum allectabar. Nam lucidiores cryſtallo lymphas ſaluberrimasque manantes ab amoenis collibus etiam eos, qui diſpoſitis equis vectabantur, detinuiſſe ſaepenumero proſpeximus. Fiſtulas morborum genera plura ponit Corn. Celſus *lib.* 4. *de Re medica, cap.* 28. Quo loco etiam docet, quomodo eas curare oporteat.

De alimentis vel cibar. leg. ex l. Mela 14.

Conſultus Modeſtinus, an aqua venalis per fideicommiſſum relicta debeatur, reſpondit deberi, ſed non ſervitute, ſed debito perſonae eam contineri, quia in Africae regione vel AEgypti aqua ſit venalis. Nota quod aqua venalis eſt in AEgypto, ſicut hodie in Italia, Romae, Bononiae, Ferrariae, & olim in quibusdam locis, quae ab Horatio poeta *lib.* 1. *Sermonum, Satyra.* 5. *v.* 86. *ſeqq.* Ita connumerantur:

Quattuor hinc rapimur viginti & milia Rhedis
Manſuri oppidulo, quod verſu dicere non eſt,
Signis perfacile eſt: venit viliſſima rerum
Hic aqua, ſed panis longe pulcherrimus ultro
Callidus ut ſoleat humeris portare viator.
Nam Canuſi lapidoſus, aquae non ditior urna.
Qui locus a forti Diomede eſt conditus olim.

Veteres, ut id etiam addamus, ſolebant miſcere aquam vinum ſalubritatis cauſa; quod Praecipuus Poëtarum *lib.* 1. *Georg.* innuit, *v.* 9.

Poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis.

Tibullus *lib.* 2. *eleg.* 1. *v.* 46.

Mistaque ſecura eſt ſobria lympha mero.

Et *lib.* 2. *eleg. ult. v.* 58.

Temperet annoſum Martia lympha merum.

Corn. Celſus *lib.* 2. *de Re medica, cap.* 18 ait, *Aquam eſſe omnium rerum imbecilliſſimam, aqua pluvialis leviſſima eſt, ideo facilius digeritur, ſicuti fontana, & quae ex flumine, & ex puteo; poſt haec ex nive, aut glacie bibitur. Graviores ſunt, quae ex lacubus; graviſſimae, quae ex palude; & ex illis celerius legumina percoquuntur.* Aqua calida irrigari agros in Aſia Hierapoli dicit Ulpianus in *l.* 1. *§. idem Labeo ſcribit* 13. *D. de aqua quotidiana & aeſtiva*; quod etiam Virtuvius *lib.* 8. *Architectonices cap.* 3. commemorat his verbis: *Ad eundem modum Hierapoli Phrygiae efferves aquae calidae multitudo, ex qua circum hortos & vineas foſſis ductis immittitur.* Meminit & Strabo *lib. Geographiae* 13. Id etiam, poſtquam de aqua loquimur, non omittendum eſt, quod ſine aqua non poſſit confici in ſacris miſſae celebratio. Quinetiam ſale aqua mixta purificat, ſanctificatque homines, & inſidias cacodaemonis avertit, & a phantaſmatis verſutiis homines liberat, *de conſecratione diſtinct.* 3. *cap. aquam* 20. Virgil. *lib.* 2. *AEneid. v.* 719.

— Donec me flumine vivo
Abluero.

Licet Ovid. dicat *in Faſtis*, caedis crimina purgatione aquae tolli non poſſe, his verſibus, *lib.* 2. *v.* 45.

Ah nimium faciles, qui triſtia crimina caedis
Fluminea tolli poſſe putatis aqua!

Virgil. in *lib.* 6. *AEn. v.* 229.

— Ter pura focios circumtulit unda.

Sed quid praeſtantius aqua? qua homines renaſcuntur, & qua nobis iter in coelum ſtruimus. Joannis *c.* 3. *v.* 5. & *diſtinct.* 4. *c.* 1. & *c. filius* 8. unum iterum annotatu dignum ſubſcribam ex M. Catone *lib. de Re ruſtica*, ut noſcamus ſi infuſa fuerit aqua in vinum. Verba M. Catonis haec ſunt: *Vaſculum facito de materio hederacea; vinum id, quod putabis habere aquam eodem mittito; ſi habebit aquam, vinum effluet, aqua manebit: nam non continet vinum vas hederaceum.*

De

De auro & argento legato, ex l. cum aurum 19. §. ſi cui eſcarium 12.

Certe ſi cacabos argenteos habebat. Aelius Lampridius Antoninum Heliogabalum Imperatorem refert, primum habuiſſe argenteos cacabos, & argenteas menſas, deinde & capſas, & argenteas, & alia vaſa centenaria argentea ſculpta: *in ejus vita c.* 19.

Vel Miliarium. Vas erat ad coquendum panicum. Cato *de Re ruſtica*: *Inter orbem & miliarium unum digitum intereſſe oportet.* Pallad. *lib.* 1. *Vas aeneum miliario ſimile.* Bayſius legit *miliarium eſſe vas ad parandum aquam calidam*; & citat Athenaeum. *Miliarium* apud veteres id etiam ſignificabat, quod mille pondo eſſet, ſed gemino *ll.* Sic Terent. Varro ad Q. Plin. de villaticis Paſtionibus *milliarios apros* urbanae appellat, quod mille pondo crederentur; & apud Sueton. *in Neron. c.* 31. *Milliariae porticus* a milleſimo numero appellantur. Dicebantur etiam centenariae porticus, quae centum paſſibus longae eſſent: ſicut & milliariae, quae mille paſſus. Unde centenariae coenae, apud Tertullianum, *in Apologetico contra Gentiles*, a centenis ſeſtertiis dictae, quae expendebant antiqui in conviviis. De columnis etiam centenariis, quae centum pedibus longae eſſent, dicitur.

Corn. Tacitus *milliarium aureum* dixit, *lib.* 1. *Hiſt. c.* 27.

Ex eadem l. §. 14.

Sed & in coronis menſarum, gemmae coronis cedent, ut hae menſis. Notandum ex hoc loco, Juriſconſultum morem vetuſtum tangere, qui talis fuit. Solebant veteres dicare menſas, quae loco ararum erant, quae ideo dicabantur, ut ſuper his libatio fieret, & dedicabantur eo die, quo fana ipſa; poſtea dicabant coronas, & clypeos, quae erant donaria, & dicabantur poſtea, quam ſacrata fuerant delubra; ideo menſis coronae cedent, quia ſunt ſacrae ſupellectilis menſae. Coronae vero, quia ſunt ornamentorum, & menſae in ſacrificiis principem locum obtinent: in quibus epulae, libationeſque, & ſtipes reponuntur. De his menſis Virg. meminit, in *lib.* 8. *AEn. v.* 279.

In menſam laeti libant, divoſque precantur.

Et in *lib.* 1. *AEn. v.* 736.

Dixit, & in menſa laticum libavit honorem.

Et in *lib.* 8. *AEn. v.* 109.

—— —— Cunctique relictis
Conſurgunt menſis.

Et in *lib.* 2. *AEn. v.* 764.

Incenſis erepta adytis menſaeque Deorum.

De his menſis Val. Max. *lib.* 1. *c.* 1. de neglecta religione intelligit, cum inquit, *Dionyſium Syracuſanum a fanis menſas argenteas, atque aureas ſuſtuliſſe, in quibus more Graeciae ea verba inſcripta eſſent: Bonorum deorum.* Ibidem de coronis ita fit mentio: *idem victorias aureas, & pateras, & coronas, quae ſimulacbrorum porrectis manibus ſuſtinebantur, tollebat*, & reliqua. Didici ego ex auctoribus eruditis, qui in perquirendis veterum moribus ſolertes fuerunt, olim veteres Romanos ſumma ratione coronas in conviviis conſtituiſſe; ne ſcilicet vapor ex mero liberius hauſto cerebrum hominis laedendo aſcenderet. Ideo legitur Dionyſium hederea ornaſſe corona] discumbentes, qui ſe pluſculum forte invitaſſent, quae inſita frigiditate vini potentiam retunderet, minusque inde afficerentur bibentes, ebrietatis vi reſtituta, hederae vi frigerifica. Sicque eodem exemplo creditur in convivalem laetitiam admiſſas fuiſſe ex floribus corollas, praecipue ex roſa, & viola: ſubſtringit enim uterque flos, reprimitque capitis gravitates, quas vocant charivarias. Sed nec minus flos cyperi ac croci, & baccaris in ſuavem vertit ſoporem bibentes: levis quippe eorum defluxus eſt, ac blandus, inaequalitates corporis ebriorum, & aſperitates tranquille diffundit. Sunt etiam odores florum, qui, in ambitu cerebri ſparſi, ſenſorios meatus repurgant; & quod humectum eſt, attenuatur leniter, ſine commotione ulla caloris facultate digeſtum, quin & frigidum ſuapte natura cerebrum refovetur. Ideo floreas corollas e collo propendentes Hypotemidas nuncupari legimus; puto a vaporandi uſu. Etiam mos fuit ex unguentis florum pectus obungere & caput, ut Alcaeus meminit. Sed non ſolum in conviviis uti ſolitos fuiſſe veteres coronis floreis annotandum eſt; cum etiam in ſacris uti mos vetuſtus fuerit. Nam Hermionenſes in Graecia Cthoniae deae, ſacra obeuntes coronas ex flore implicant, quem florem comoſandolon vocant. Pauſanias ex magnitudine, ac colore, eum hyacinthum putat, quia inſint grammata, αἰ αἰ. De coronis convivalibus meminit Valer. Max. *lib.* 2. *cap.* 6. *de Inſtit. antiquis*, de civitate Spartana loquens his verbis: *Audierant enim lautitiam inde, & immedicos ſumptus, & omnia non neceſſaria voluptatis genera fluxiſſe, primiſque Ionas, unguenti, coronarumque in convivio dandarum, & ſecundae menſae ponendae conſuetudinem, haud parva luxuriae irritamenta reperiſſe.* De coronis etiam meminit *lib* 2. *c.* 57. Tacitus his verbis: *In convivio coronae aureae magni pondere, &c.* Plautus *in Pſeudolo Act.* 5. *ſc.* 2. *v.* 1 *Quid ego video? cum corona ebrium Pſeudolum tuum.* Mos etiam fuit coronandi pocula, quod Virg. illo verſu innuit, *lib.* 1. *AEn. v.* 724.

—— —— Et vina coronant.

Legitur etiam illud oraculum ex Sapho poëtiſſa perpetuo memoria obſervandum. *Mortuus jacebit qui non habet hortulum, & coronam roſarum ex Pieria.* Corollam enim ex roſis veteribus dicitur eſſe muſarum. De coronis plura Artemidorus in libello *de Somniis* meminit, coronas myrteas olim tumulis profundi ſolere, in antiquario Mediolanenſi legimus: *Coronaſque ex variis floribus contextas etiam Julias roſas inſpergi ſepulcbris, mos veterum fuit.* Virgil. in Roſa:

Quid cineri ingrato ſervas benolentia ferta?
Anne coronato vis lapide iſta tegi?

Coronis myrteis triumphaſſe ovantes duces, auctor eſt Gellius *lib. Noct. Attic.* 5. *cap.* 6. ubi de coronis militaribus meminit: aſpernatum tamen M. Craſſum fuiſſe coronam myrteam tanquam Veneriam, non Martiam, idem Gellius auctor eſt; ideo laurea corona triumphaſſe. Hic poſtquam de myrteis coronis mentionem habui, libet in ſtudioſorum, & antiquariorum gratiam Pappii Eutychi munificum legatum, ad colendam memoriam filiae relictum, ſubſcribere [apud Gruter. *pag.* DCCLIII, 4.]

ALBINIAE. VETTI. FIL. VALERIANAE. PVDICISS FOEMIN. PAPPIVS. P. F. EVTYCHVS. AD. CVIVS. MEMOR. COLENDAM. COLLEG. DENDROPH LEG H-S-C. N. CVIVS SVMMAE. REDITV. QVODANNIS. DIE. NATAL. EIVS. III. ID. APRIL. DECVR. SPORTVL. EX 𐆖CCL. INTER. PRAESENT. ARBITR. SVO. DIVID OLEVM. ET. PROPIN. EX. 𐆖DCCL. PRAEBEANT ITEM. LECTISTERNIVM. TEMPORE. PARENTALIOR EX 𐆖CC. MEMORIIS. EIVSDEM. VALERIANAE. ET APPI. VALERIAN. FIL. EIVS. PER. OFFIC. TESSERARIOR. QVODANNIS. PONATVR. ET. PARENTETVR ITEM. CORONAE. MYRT. TERNAE. ET. TEMPORE ROSAE. IVL. TERNAE. EIS. PONANTVR. MICATAE DE. SELECTIS. EX. 𐆖L. PROFVNDANTVR. ITEM APPIVS. EVTYCHIANVS. MARITVS. EIVSDEM. VALERIANAE. SCHOLAE. VEXILLARIOR. LARGITVS. EST H-S-XXXX. N. EX. CVIVS. SVMMAE. REDITV. QVODANNIS. DIE. S. S. NATALIS. EIVS. ANTE. STATVAM LECTIST. EX. 𐆖CCL. PONANT. SPORT. 𐆖CCL. INTER. PRAESENT. SIBI. DIVID. OLEVM. ET. PROPIN PER. ROSAM. PRAEBEANT.

Qui dicantur Teſſerarii, Ammianus *lib.* 14. *cap.* 16. mentionem facit: & puto ſic eos poſſe appellari, qui teſſellatum opus conficiunt. Poſſunt etiam a teſſeris fru-

frumentariis deduci. Poſſunt etiam intelligi teſſerarii in caſtris, qui juſſa Imperatorum denuntiant, & aliis modis, de quibus apud Vegetium, & apud Budaeum *in annotation.* (*Oleum & Propinationem* * *praebeant*) Iſtae propinationes ſublatae ſunt per Martini Papae concilium: nam hujusmodi ſtatutum decretum eſt. Non liceat Chriſtianis prandia ad defunctorum ſepulchra deferre, & ſacrificare mortuis, *cap. non oportet* 29. *diſt.* 1. *de conſecrat.* Oleum autem veteres legabant, quia monumentis accendebant ſuis lucernas, ut habetur in *l. Maevia* 44. *D. de manumiſſ. teſt.* Oleum etiam in aede ſacra accendebant; ideo ſi talis donatio uxori facta fuiſſet, ut Deo daretur, valebat donatio, *l. ſi ſponſas* 5. §. *proinde* 12. *D. de donat. inter vir. & uxor.* De coronis latius quisquis videre velit, adeat Plinium *lib.* 21. *cap.* 3. ubi de corona Cleopatrae, quam venenatam in coena M. Antonio propinaverat eadem Cleopatra, ubi annotandum, quod veteres coronas bibebant. Morem hunc bibendi coronas innuit Sincerus *lib. Epigrammat.* 1.

Grandia famoſo ſpument chryſtalla Lyaeo:
Et bibat, in calices lapſa corona meos.

De coronis floreis illud etiam adjiciam, quod meminit Tibullus *lib.* 2. *eleg.* 1. *v.* 59. ubi morem quendam videtur innuere, ut ſcilicet lares antiquos coronarent hoc pacto:

Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit, & antiquis impoſuit laribus.

Redimibant & veteres luce ſacra boves ſuos floreis ſertis; ut idem Tibullus inquit in illis duobus verſibus, 7. & 8. *eleg.* 1. *lib.* 2.

Solvite vincla jugis, nunc ad praeſepia debent
Plena coronato ſtare boves capite.

* *Propinationem.*] Scribit Burchardus Epiſcopus Wormacienſis *lib. Decretorum ſuorum* 19. ubi de arte magica loquitur, quod 30. dies in pane & aqua poenitere debet. Qui comedit aliquid de idolothito, id eſt, de oblationibus, quae in quibusdam locis ad ſepulchra mortuorum fiunt. Item ſcribit, ſi aliquis obſervavit excubias, id eſt, vigilavit ante ſepulchra mortuorum, ritu paganorum: ut innuit *l. libertis* 18. §. *fin. D. de alim. vel. cibar. leg.* vel qui cantaverit diabolica carmina, vel ſaltationes fecerit, quas pagani adinvenerunt; & ibi biberit, & cachinnis ora diſſolverit, quod talis 30. dies pane & aqua poenitere debet. Haec volui addidiſſe, ut ex illa *l. libertis* 18. *D. de alim. & cib.* morem veterum excuterem, quia ibi dicit: *Quos libertos meos, ubi corpus meum poſitum fuerit, ibi eos morari jubeo, ut per abſentiam filiarum mearum ad ſarcophagum meum, Memoriam meam quotannis celebrent.*

Ex l. cum in teſtamento 28.

An & ſi quis argenteas menſas, & ejus generis argentum haberet, quo ipſe non temere uteretur, ſed commodare ad ludos, &c. Morem unum ſupra notavi de menſis, quae dicabantur in templis ad ſacrificia; ſed alterum hic tangit non praetermittendum. Moris fuit veterum ante triclinia, ſeu ante menſas ludum ſaltatorium agere, quod nec ingenuis perſonis dedecus fuit, nec matronis. Diſcebant enim pſallere, cantare filii Senatorum, & probae virgines; quod Salluſtius quodam loco Semproniae objicit Hinc eſt quod dicit Alfenus, ſed commodare ad ludos, & ad caeteras apparationes. Hunc morem Macrobius *in Saturnalibus* exequitur.

Ex l. Inter veſtem 33.

Si & ipſe ſolitus fuerit uti quadam veſte, quae etiam mulieribus communis eſt. Nota mollitiem Romanorum; utuntur muliebribus veſtibus, quod vetitum eſt Deuteron. *cap.* 22. *v.* 5. Dicitur enim ibi, *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte foeminea: abominabilis enim apud Deum, qui facit hoc.* Quod etiam notatur in *cap. ſi qua mulier* 6. *diſt.* 30. ubi dicitur, quod anathema eſt mulier utens virili veſte. Quod & Paulus *lib.* 3. *Sententiarum receptarum ad filium, tit.* 6. *de Legat.* §. 80. his verbis videtur innuere: *Virili veſte legata, ea tantummodo debebuntur, quae ad uſum virilem ſalvo pudore viriliſatis, attinent.* Cois autem in more fuit, ut cum ſponſi inirent ſponſalia, muliebri veſte induerentur. Supra eodem *l. veſtes* 23. §. 2. *verſ. Muliebria.* dicit Ulpianus: *quae matrisfamilias cauſa parata ſunt, quibus vir non facile uti poteſt ſine vituperatione.*

Veſte.] De veſtibus variis, vide Bayſium in libello *de re veſtiaria.*

De condition. & demonſt. ex l. P. Maevius 36.

Deinde ex Cal Januariis conſulatum ingreſſus eſt. Collige hinc morem veterum. Cal. Januariis iniri ſoliti ſunt magiſtratus, quod Ovid. in *lib.* 1. *Faſt.* v. 81. his verſibus oſtendit:

Jamque novi praeeunt faſces: nova purpura fulget.
Et nova conſpicuum pondere ſentit ebur.

Herodianus *in principio*, de his loquens, *Cum hunc* (inquit) *diem feſtum civitas ageret, in quo Romani invicem ſe ſalutant, & nomiſmata alter ulteri, caeteraque multiplicia munera miſſitant, ſuamque magiſtratus conſpicuum purpuram ſibique ſoleanem aſſumunt*, &c. Aliquando moris fuit, ſed vetuſtioris, menſe Martio iniri magiſtratus; nempe quia antiquioribus annus incipiebatur a menſe Martio. Hinc Tibullus in *lib.* 3. *princ.*

Martis Romani feſtae venere calendae;
Exoriens noſtris hic fuit annus avis.

Ovidius in *lib.* 3. *Faſtorum v.* 75.

A te principium Romano dicimus anno.
Primus de Patrio nomine menſis erit.

In Authent 105, *de Conſulibus, cap.* 1. Cal. Januariis, conſulatum ſuſcipi ſolere legimus, ubi de 7. proceſſibus ludorum fit mentio.

PARERGON.

Cal. Januariis.] Burchardus Epiſcopus Warmacienſis *lib. Decretorum ſuorum* 19. *cap. de arte Magica*, haec obſervati in Cal. Januariis refert: *Obſervaſti Cal. Januarias ritu paganorum, ut vel aliquid plus faceres propter novum annum, quam antea, vel poſt ſoleres facere, ita dico, ut, aut menſam cum lapidibus, vel epulis in domo tua praeparares eo tempore, aut per vicos, aut per plateas, cantores & choros duceres, aut ſupra tectum domus tuae ſederes enſe tuo circumſignatus, ut ibi videres & intelligeres, quid tibi in ſequenti anno futurum eſſet, vel in bivio ſediſti ſupra taurinam cutem, ut & ibi futura tibi intelligeres, vel ſi panes praedicta nocte coquere feciſti tuo nomine, ut ſi bene elevarentur, & ſpiſſi & alti fierent, inde proſperitatem vitae tuae, eo anno praevideres: duos annos per legitimas ferias poeniteas. Idem feciſti, quod pagani fecerunt in Cal. Januarii, in Cervulo, vel in vegula, 30. dies poeniteas, feciſti quod quidam Cal. Januarii, id eſt, in octava Natalis Chriſti faciunt, qui ea ſancta nocte filant, nent, conſuunt, omne opus quodcunque incipere poſſunt, diabolo inſtigante propter novum annum incipiunt. 40. dies, in pane & aqua poeniteas.*

De his qui not. infam, ex l. Athletas 4.

Ait Ulpianus: ***Neque Thumelici neque Xiſtici ignominioſi habentur.*** Illi Scenici; hi pugiles fuerant apud veteres. Romae in ſepulchro veteri inter ſemiruta veſtigia in Quirinali literae mirandae vetuſtatis ſitu & ſenio obliteratis epitaphium legitur inſcalptum his verbis [apud Gruter. *pag.* CCCXXXII, 6.] L. THENODORUS. XISTICVS. PARIDI. THYMELICO BENEMERENTI. FECIT. Budaeus *in Annotationibus*, & Alexand. ab Alex. *in Genialibus*, De Thymelicis meminerunt. De Thymelicis voluptatibus mentio habetur *in Authent.* 105. *de Conſulibus.* Prohibentur etiam Thymelicorum ludis adeſſe miniſtri altaris, vel & quilibet clerici, *de conſ. diſt.* 5. *cap. non miniſtros* 37.

Arte-

Artemidorus in *lib. de ſomniis*: *Thymelicis* (inquit) *vortam habere veſtem, aut purpuream halurgidem Graecis appellatam confert.*

De fideicommiſſar. libertat. ex l. apud Julianum. 20.

Pomponius ait: ***Nam ego diſcendi cupiditate, quam ſolam vivendi rationem optimam in octavum & ſeptuageſimum annum aetatis duxi, memor ſum ejus ſententiae, quam dixiſſe fertur***: Κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω προσμαθεῖν τι βουλοίμην. Nota ex iſto textu cupiditatem diſcendi ſolam vivendi rationem optimam eſſe; & etiam ſi ſenex quis ſit, poſſe & debere addiſcere. Sic Divus Auguſtinus ad Aurilium epiſcopum ſcribens: *Se nequaquam juvenilem aetatem ejusque rudimenta contemnere, & ſe epiſcopum tot annorum a collega, nec dum anniculo edoceri paratum eſſe*, ait; quod etiam *in Decretis* relatum extat, *can.* 24. *q.* 2. *cap.* 1. Nam nulla aetas unquam ſerior eſt ad diſcendum; *etſi* Bartolus vir alioqui eminentiſſ. exiſtimaverit, eum, qui aetatem 25. annorum transegerit, amplius non poſſe addiſcere, Bartol. in *l.* 1. *C. qui profeſſ. lib.* 10. cum conſtet homines ſemper addiſcere poſſe, ſi velint, omneque artificium incrementum accipiat, *l. legatis ſervis* 65. *§. ornatricibus* 3. *D. de legatis* 3. Quod & Alciatus, juris civilis illuſtrator egregius, in *procemio lib.* 6. *Paradoxorum* meminit. Nec nos ſuppudere debet, quod etiam ſenes addiſcamus, ſi quid propter utilitatis, aut ſalutis cauſam, aut ut meliores alienis monitis & documentis efficiamur, diſcamus: nullum enim opprobrium ſenectutis ſeu nobilitatis generis eſt, a parvulis etiam vel minimis eruditis aliquid ad diſcendum inquirere. *cap.* 16. *diſt* 38. Nec enim conſilium adoleſcentis usquequaque reſpuendum eſt, ſi ex ore ejus ſapienter ſit prolatum. Saepius enim revelatur parvulis, quod anxie maximi viri perquirunt, & ſaepe unius deterioris ſententia, & multos & majores aliqua in parte ſuperat, juxta *l.* 1. *§. ſed neque* 6. *C. de veter. jur. caucl* ubi per illum text. dicebat Abb. in *cap. capellanas. in* 4. *not. de ſer. quod in judicando non debeamus adhaerere gloſſ. etiam ſi ſit maximae auctoritatis: quia non debemus habere electionem perſonarum, ſed magis credere opinioni illius, qui melioribus rationibus fundatur.* Ad quod dictum ſingulare facit id, quod dicit Jo. And. in *cap.* 1. *de conſtit.* ubi dicit, *quod in judicando poteſt teneri nova opinio unius Doctoris contra communem, quando eſt melioribus rationibus fundata, quod judex perſpicacis ingenii perpendet.* Sequitur Panormit. in *d. cap. capellanus* 4. Hinc David *Pſ.* 8. *v.* 3. inquit: *Ex ore infantium & lactantium perfecit laudem ſuam.* Et Timotheus *Ep.* 1. *c.* 4. *v.* 12. *Nemo contemnat adoleſcentiam tuam.* Picus autem quoties inceſſeret Bartolum, aut alium magni nominis juris interpretum, ſolebat illud Ovidianum afferre *de remed. Amor. v.* 422.

A cane non magno ſaepe tenetur aper.

Quod & ab Alciato in *l. de verb. ſig.* 4. relatum eſt. Nimirum, ut oſtenderet aliqua etiam a mediocribus & minimis Doctoribus nos edoceri poſſe. Sed illa Graeca verba, quae in textu Norico habentur, ſic exponuntur. Etſi alterum pedem in fovea haberem, non pigeret addiſcere. Sententia quidem juxta Solonis dictum eſt: qui *ſe quotidie aliquid addiſcentem ſeneſcere*, ajebat. Val. Max. *lib.* 8 *cap.* 7. *de ſtudio & induſtria.* & M. Cicero *de Senectute* meminerunt. Et Eraſmus *Chiliad.* 2. *Centur.* 1. *Proverb.* 52. Hinc verſiculus ille Graecus, *γηράσκω ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος*: id eſt, *aſſidue diſcens plurima ſio ſenex.* Illud obiter admonendus eſt, Lector, Graeca verba in Codicibus Pariſinis deeſſe; ideo reponenda.

De Re judic. ex l. 1.

Quod vel condemnatione, vel abſolutione contingit. Veteres habebant notas quasdam, quae abſolvebant & damnabant, ut Pedianus meminit *in oratione* Ciceronis, quae appellatur *Divinatio*. His notis ſignabant: *A.* quod eſt abſolvo; *C.* condemno. Ejus verba haec ſunt: *In divinatione, & in aliis majoribus univerſi judices in ciſtam tabulas ſimul conjiciebant ſuas, easque inſcalptas literas habentes, A. abſolutionis, ſive C. condemnationis, cum de alicujus capite agebatur; non & liquere ampliationis enim his literis N. L. ſignificabant.* Notam *A.* Cicero *pro Milone cap.* 6. *ſalutarem litteram* appellat.

De aqua pluv. arcenda. ex l. in ſumma 2. *§.* 8.

Labeo ait: ***Cum quaeritur, an memoria extet facto opere: Non diem & conſulem ad liquidum exquirendum, ſed ſufficere, ſi quis ſciat factum, hoc eſt, ſi factum eſſe non ambigatur, nec utique neceſſe eſſe ſupereſſe, qui meminerint: verum etiam ſi qui audiverint eos, qui memoria tenuerint.*** Ex his verbis annotant Doctores, quod admittitur probatio auditus de auditu, & quod teſtimonium de auditu valet, ut *l. ſi arbiter* 28. *D. de probat.* & *cap. licet ex quadam* 47. *de teſtib.* & *c. quoties* 5. Aſconius Pedianus *lib.* 2. *in Verrem*, ſuper illis verbis: *Haec eadem ſe audiſſe dicerent*, inquit, *apud antiquos, & de auditione teſtimonium dicebatur, at in teſtibus interrogandis tenere debemus interrogationes teſtium, & accuſatoris, & defenſoris, & ejus, qui producit, & ejus, contra quem producuntur.*

Quod teſtimonium de auditu ſaepe admittatur: videto per text. *in cap. teſtes* 15. *cau.* 3. *q.* 9. *& in Authent. col.* 7 *de teſtib. & C. eod. titulo.*

Quod vi aut clam. ex l. ſi ego 6.

Et me, qui initium rei praeſtiterim. Nota ex hoc textu, quod qui origo eſt alicujus rei, tenetur, ut *l. qui occidit* 30. *§. penult. D. ad leg. Aquil.* Ibi enim dicitur: *Qui occaſionem praeſtat, ipſe damnum feciſſe videtur.* Sic *C. ad leg. Jul. de vi pub. l. quoniam* 6. & *l. nihil intereſt* 15. *D. ad leg. Cornel. de ſicar.*

Ex l. ſi alius 7. *§.* 8.

Praeterea ſi foſſam feceris in ſylva publica, & bos meus in eam ceciderit, agere poſſum hoc interdicto, quia in publico factum eſt. Facit *l. qui foveas* 28. & *l. quemadmodum* 29. *D. ad leg. Aquil.* Facit etiam illud Exod. *cap.* 21. *v.* 33. *Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut aſinus in eam, reddet dominus ciſternae pretium jumentorum*: quod & annotatur *cap.* 2. *de injur. in Decret. Gregor. lib.* 5.

De arb. caed. ex l. 1. *§.* 7.

Ait Praetor: Quae arbor ex agro tuo in agrum illius impendet, &c. Hoc Edictum ex l. XII. tabul. extractum eſt. titul, *de ſervit. & finib. reg.* In hunc modum inquit lex: SI IN AGRVM ALTERIVS ARBOR IMPENDEAT, VSQVE AD XV. PEDES A TERRA ALTIVS COERCITO. Illa verba, ne umbra arboris vicino praedio noceret, deſumpta ſunt etiam ex lege XII. tab. ubi dicitur: ET NE VMBRA ARBORIS VICINO PRAEDIO NOCEAT XV. PEDES ALTIVS RAMOS ARBORIS CIRCVNCIDITO. Quod vero umbra arboris praedio noceat, Virg. quoque oſtendit in *Bucolicis* illo verſu, *penult. ecl. ult.*

Juniperi gravis umbra, nocent & frugibus umbrae.

Digitized by Google

De Glande legenda.

Edictum Praetoris illud a lege XII. emanavit. Siquidem lex hunc in modum jubet: GLANDEM IN ALIENUM FUNDUM PROCIDENTEM COLLIGERE FAS ESTO. Facit *l. qui venenum* 236. §. *Glandis* 1. *D. de verb. ſig.* ubi *appellatione glandis omnes fructus continentur*: exemplo Graeci ſermonis ἀκρόδρυα. Sunt glandes etiam quaedam armorum ſeu miſſilium genera, quae in hoſtes ſparguntur. Virgil. in *lib.* 7. *Aeneid. v.* 686.

—— —— Pars maxima glandes
Liventis plumbi ſpargit.

Eſt autem Cornelio Celſo glans penis, & morbus, qui in faucibus naſcitur. Sunt in C. Juſtiniani *Blumbatarum verberu, aut ponderu* in *l.* 2. *C. de exactor. tributor.* quae forte glandibus erant ſimiles.

AUCTARIUM.

Vide *l. Julianus* 9. §. *Glans* 1. *D. ad exhib.* ubi elegans habetur thema. Adde illud de Glande feſtivum Alciati emblema:

Jucundus labor eſt, laſciva per otia, ſignum
Illius eſt, nigro punica Glans clypeo.

Ubi vulvam mulieris intelligit, quae ſpeciem clypei prae ſe fert, ut etiam penis glandem puniceam.

De furtis, ex l. qui jumenta 40.

Qui jumenta ſibi commodata longius duxerit, inquit Paulus, ***furtum facit.*** Idem *in Inſtitution.* Juſtiniani, §. *furtum* 6. ibi, *Aut ſiquis equum. de oblig. quae ex delicto.* Cajus *lib. Inſtitut.* 2. *eodem titul. de oblig. quae ex delicto.* Gellius *lib.* 7. *cap.* 15. dicit, *Labeonem ſcripſiſſe in* XII. *tab. lib.* 2. *apud veteres acria & ſevera judicia de furtis habita fuiſſe; idque Brutum ſolitum dicere: furti damnatum eſſe, qui jumentum aliorſum duxerat, quam quo utendum acceperat: item, qui longius produxerat, quam quem in locum petierat, &c.* Val. Max. *lib.* 8. *cap.* 2. *de judiciis privatis*, auctor eſt, *quendam furti damnatum eo quod equo, cujus uſus illi usque ad Ariciam commodatus fuerat, ulteriore ejus municipii clivo vectus eſſet.*

Arborum furtim caeſar. ex l. vitem 3. §. 1.

Hederae quoque, & arundines, arbores, non male dicentur, inquit Ulpianus. Hederae ſpecies tres eſſe auctores ponunt: nigram, candidam & quae helix vocetur. Nigra maxima celebratur ob id, quod ex ea corollae in honorem Poetarum contexantur, quam Dionyſiam & Bacchicam dixere; quoniam Bacchus victor ex India cum rediret coronam hederaceam capite geſtavit, racemos ex ea facto, in orbemque circumactos corymbos appellamus. Virgilius *in Bucol. ecl.* 3. *v.* 39.

Diffiſos hedera veſtit pallente corymbos.

Ubi legendum *diffiſos*, non autem *diffuſos*. M. Cat. ſcribit: *ſi ſcire vis an in vinum aqua addita ſit; vaſculum facito de materia hederacea; vinum id, quod putabis habere aquam, eodem mittito; ſi habebit aquam, vinum effluet, aqua manebit: nam non continet vinum vas hederaceum.* Plinius *lib* 5. *de Natur. Hiſtor.* ait, *hedera eſt arbor, ſemper virens coronis militum, & novellorum Poetarum*, auctore etiam Virg. *in Pharmaceutr. v.* 12.

— Atque hanc ſine tempora circum
Inter victrices hederam tibi ſerpere lauros.

Et idem *in Maelibaee v.* 25.

Paſtores hedera creſcentem ornate Poëtam.

Ad l. Corn. de ſicar. ex l. ejusdem 3. §. 3.

Aut quid luſtramenti cauſa dederint. Marcianus vult poena legis Corneliae de ſicariis illos, qui aliquid dederint ad luſtrandum teneri. Luſtramentum purgatio eſt, facta per veneficium, aut eſt genus carminis, ſeu incantationis, quae fit luſtrando; de qua Tibullus videtur intellexiſſe, *lib.* 1. *Eleg.* 2. *v.* 61. deſcribendo quandam magico miniſterio ſagam, ubi etiam dicit:

Et me luſtravit Thedis: & nocte ſerena
Concidit ad magicos hoſtia pulla Deos.

Budaeus hoc loco *exulceramentum*, ſeu *incruſtamentum* legit; ſed parum ad rem. Noricus codex habet *luſtramentum*, ſicque Haloandrum emendaſſe legimus. Sciendum, apud veteres tres fuiſſe luſtrationes. Nam aut Theda, aut ſulphure, aut aqua luſtrabantur. De Theda & ſulphure meminit Satyrographus illo verſu [Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 157.]

— Cuperent luſtrari, ſi qua darentur
Sulphura cum Thedis.

Ovidius triplicem luſtrationem ſeu purgationem illo verſu deſignat:

Terque ſenem flammu, ter aqua, ter ſulphure luſtrat.

Ovis quoque fiebat luſtratio apud veteres, quod Juvenal. in 6. *Sat.* commemorat, *v.* 516.

Grande ſonat: metuique jubet Septembris & Auſtri
Adventum, niſi ſe centum luſtraverit ovis.

Et ita canit Ovidius *in Arte, lib.* 2. *v.* 329.

Et veniat quae luſtret anus lectumque, locumque.
Praeferat & tremula ſulphur, & ova manu.

Apulejus in *ultimo Metamorphoſeos* tradit: Sacerdotes Iſidis in purificationibus Theda, ovis, & ſulphure uti ſolitos. Unde Lucianus *in Dialogo*, qui inſcribitur τύραννος, hoc eſt, *tyrannus*. Ova appellavit luſtralia. Vetat Deus in lege Deuteronomii *c.* 18. *v.* 9. *ſeqq.* hujusmodi genus luſtramenti his verbis: *Quando ingreſſus fueris terram, quam dominus Deus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inveniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos ſciſcitatur, aut obſervet ſomnia, atque auguria, ne ſit maleficus, ne incantator, ne phitones conſulet, ne divinos, & quaerat a mortuis veritatem. omnia enim haec abominatur Deus. Et propter hujusmodi ſcelera delebit eos in interitu ſuo.* In Decretis, *cau.* 16. *q.* 5. Siquis luſtrationes paganorum fecerit, 5. annis poenitentiam eundem agere oportet.

De Poenis, ex l. aut damnum 8. §. 10.

In Calcariam quoque, aut ſulphurariam damnari ſolent, inquit Ulpianus. Sed hae poenae metalli magis ſunt.

In calcariam, interpretatur Accurſius ridicule in opus calcandi terram; cum calcaria ſimpliciter ſignificatur opus, & fodina calcis, ſicut ſulphuraria ſulphuris. Parva haec utique emendatio, ſed quam tamen Accurſius, alioqui vir legum ſcientiſſimus, ignoravit.

Ex l. aut facta 16. §. 9.

Inquit Claud. Saturninus, ***Evenit, ut eadem ſcelera in quibusdam provinciis gravius plectantur: ut in Africa Meſſium inciſores, in Myſia vitium.*** De his, qui meſſes incidunt, extat in lege XII. tab. talis conſtitutio: PVBERES SI SECANTO, CERERI EOS SVSPENDVNTO. IMPVBERES ARBITRATV PRAETORIS VERBERANTO, AC NOXAM DVPLIONEMVE DECERNVNTO. Jubet Deus in lege Deuteronomii *cap.* 23. *in fine*. Quod ſi quis tranſierit per ſata alicujus amici ſui, quod ſpicas evellat, vel frangat manibus confricans eas, non autem falce illas incidat. Quod factum ab Apoſtolis eſurientibus obſervatum fuiſſe in Euangelio legimus, Matthaei *cap.* 12. *vſ.* 1. Marci *c.* 2. *vſ.* 23. Lucae *c.* 6. *v.* 1. & *can.* 25. *q.* 1. *cap. ideo* 16. Vitium vero inciſores non mediocriter puniuntur: nam tamquam latrones a legibus puniuntur, ut *l.* 2. *D. arb. furt. caeſarum.* ait Servius ſuper illo verſu Bucolico, *ecl.* 3. *v.* 11.

At

Atque mala vites incidere falce novellas.

Fuiſſe capitale ſupplicium apud veteres ultimas arbores incidere.

ſicut & in illo verſu 70. *ecl.* 2.

Semiputata tibi frondoſa vitis in almo eſt.

Nam imputatam habere vitem minoris eſt negligentiae, quam ſemiputatam; quia deterius eſt incoepta deſerere, quam non incipere In Sacris enim dicitur, quod corripiatur furore qui ſacrificaverit de vino, quod eſt de vitibus imputatis; ideo dixit dementem.

Ex l. Cogitationis 18.

Cogitationis poenam neminem pati, dicit Ulpianus. Quod relatum eſt in Decretis Pontificum *diſt.* 1. *de poenit. cap. cogitatio* 20. Contra tamen in lege Euangelica reſcriptum eſt apud Matth. *cap.* 5. *v.* 28. ubi dicit Chriſtus Servator noſter: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam, jam moechatus eſt eam in corde ſuo*: ſcrutator enim cordium ſolus eſt Deus, *can.* 13. *q. ſi quid* 5. Sed ego iſtud contrarium ſic ſolverem: poenam nemo patitur ejus cogitationis, quae ex inſtinctu naturae tantum venit, aliud ſi quotidie cogitaret ipſe; quae cogitatio mereatur poenam. Vide *diſt.* 6. *per totum.* Sed refert Gellius ex M. Catone *lib.* 7. *cap.* 3. nec voluntates nudas, inanesque debere puniri, cum facta ſolum in judicium vocanda ſint, & cenſenda: cum Tiro Tullius M. Ciceronis libertus indignum M. Catone fuiſſe aſſerat, quod dilectorum non perpetratorum voluntates non cenſuerit puniendas. Cogitationes igitur tanto minus puniri debere exiſtimamus. Accurſius tamen in *l. ſi quis ſervo* 20 *C. de furt.* affectionem puniri, licet non ſit ſecutus effectus, notat; & *Inſtit. de oblig. quae ex delict.* §. *ſed & ſi* 8. in verbo *Quibasdam* Nam, ut Paulus ait, *l. qui injuriae* 53. *D. de furt. Maleficiu*, *voluntus & propoſitum delinquentis diſtinguunt, & crimen tunc contrahitur, ſi & voluntas nocendi intercedat*, ut *l.* 1. *C. ad leg. Cornel. de ſicar.* Et Juvenal. 13. *Satyr. v.* 208.

Has patitur poenas peccandi ſola voluntas.
Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet: cedo ſi conatu peregit?

APPENDIX.

Circa iſtam materiam dic ſecundum Aretinum, quod aut quis non cogitat delinquere nec agit nec perficit, & regulariter non tenetur, fallit in caſu *l. quiſquis* 5. *C. ad leg. Jul. majeſt.* & *l.* 2. *C. de lib. & eorum lib.* aut cogitat tantum: & jure poli punitur, non fori, aut cogitat & agit, ſed non perficit, & tunc civilis actio non datur, niſi delictum de facili tranſeat in exemplum, ut in ſervo corrupto, *Inſtit. de oblig. quae ex delict.* §. *ſed & ſi* 8. & *l ſi quis* 38 § *qui abortionis* 5. *D de poenis* in criminali autem diſtingue, quia pro delicto acceſſorio, puta, quia fregit oſtium, vel feneſtras punitur, non pro principali, niſi proceſſerit ad actum proximum ipſi delicto, quod ea facti impedimento non perfecerit, ſed non cogitavit, & tunc, ſive culpa id evenerit, ſive caſu, ſemper tenetur.

Imo videtur quod cogitatio poenam mereatur, per *cap. quoniam* 2 *diſtinct* 47. ubi dicitur, ſi conſtitutus ſub regula uſuras acceperit, & tale aliquid excogitans turpis lucri gratia dejiciatur a clero: ex quo textu gloſſ arguit, quod ſola cogitatio punitur: ut *can.* 6 *q.* 1. § *ſi quis cum* 12. quod verum eſt quoad Deum, &, ſi non procedit, quo ad actum, ut *can.* 27 *q.* 1. *cap. nec aliqua* 4 dummodo culpa praeceſſerit caſum. Mitius tamen punitur, quatenus ex leviori culpa fuit obnoxius. Quando autem agit, cogitat, & perficit, clarum eſt, ipſum fore puniendum, nec locus eſt poenitentiae, *l. qui ea mente* 65. *D. de furtis.* Fallit in *l.* 2. *D. de crimin. ſtellion.*

Ex l. In Dardanarios 37.

In illos, qui falſum modum menſurarum faciunt, extra ordinem (inquit Paulus) ***vindicari placet.*** Facit hoc loco, quod Chriſtus Deus & homo apud Marc. praedicat *c.* 4. *vſ.* 24. *Ea menſura, qua menſi fueritis, remetietur & vobis.* Item in Levitico *cap.* 19. *v.* 36. *Statera* (inquit Deus) *juſta, & aequa ſint pondera, juſtus modius aequusque ſextarius.*

De Re militari. ex l. Milites 13.

Milites agrum comparare prohibentur in ea provincia, in qua bellica opera peragunt. Hieronymus ſcribens ad Ruffinum tanquam parum Latine dixiſſet, comparare pro emere, reprehendit: cum non ſolum apud recentiores, ſed antiquiores verbum ſit in uſu. Suetonius *in Caligula cap.* 27. *Cum ad ſaginam ferarum muneri praeparaturum carius pecudes compararentur.* Item M. Cato, *reliqua, quae comparanda ſint, ſi quid in unum uti comparentur*; & haec adverſus quendam Grammaticum ſint annotata.

Ex eadem l.

Si vitem tenuit, militiam mutat. Geſtamen erat inſigne centurionatus vitis, quam illi geſtabant, eaque peccantes milites caſtigabant. Juven. *Satyr.* 14. *v.* 193.

——— ——— ——— *Aut vitem poſce libello.*

Plin. meminit *lib.* 14. Apul. *lib.* 9. *Aurei aſini*, his verbis: *Sed indignatus ſilentio ejus, ut convitio: vite, quam tenebat: obtundens eum, dorſo meo perturbat.* Interpres locum animadvertit: Cael. Rhodig. Crinitus, Budaeus, & Stephanus Forcatulus *in penu Juris Civilis, cap.* 7. ex auctoribus Latinis commemorant. Livius *lib.* 5. *cap.* 6. *Morietur enim extemplo quicunque erit ſeditionis auctor, nec cuiquam ea dicere licebit, quae apud vos impune dicuntur: fuſtuarium mereretur qui ſigna relinquit, aut praeſidio, decedit*: ubi *fuſtuarium* pro fuſte, & vite ponitur, qua percutiebantur milites ſeditioſi.

De jure immunit. ex l. Semper 5.

Calliſtratus inquit, ***Semper in civitate noſtra Senectus venerabilis.*** Vide Gellium *lib.* 2. *cap.* 15. & Val. Max. *lib.* 2. *cap.* 1. de honore impenſo ſenibus a juvenibus. Juvenalis in 13. *Satyr.* inquit, *v.* 54. *ſeqq.*

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato cuicumque puer, licet ipſe videret
Plures domi farra, & majores glandis acervos:
Tam venerabile erat praecedere quatuor annis,
Primaque par adeo ſacrae lanugo ſenectae.

Multa etiam privilegia in jure noſtro ſenibus ſunt conceſſa. Puta, ſi ſenior amoverit terminum, reciſius relegari debet, *l.* 2. *D. de term. moto Majores annis* 70. *a muneribus & tutelis vacant. l. majores* 3. *hoc titulo.* Senes etiam non patiuntur ea, quae juvenes; ideo minuitur poena illis: unde in injungenda poena poenitentiae haberi debet intuitus ſenilis aetatis, ut *can.* 26. *q.* 7. In voto etiam peregrinationis ſenectuti defertur, ut *cap. magnae devotionis* 7. *de voto & voti redemptio.* Juſtinianus in *l.* 2 §. 10. *C. de veter. jur. enuc.* ſe mirum in modum ſenectuti ſeu antiquitati detuliſſe his verbis oſtendit: *Tanta autem a nobis antiquitatis habita eſt reverentia, ut nomina prudentium taciturnitati tradere nullo modo patimur.* Plurima, quae ſenibus conceduntur, cumulat Lud. Romanus in *repet. l. ſi vero* 64. §. *de viro* 9. *D. ſolut. matrim. in* 53. *fall.*

Adde quod vetuſtatis auctoritas eſt veneranda, per text. in *cap. anteriorum* 28. §. *illud etiam. can.* 2. *q.* 6.

Senes etiam cum ſexageſimum agerent annum, a militia mittebantur, ſed ante miſſio non concedebatur. Hoc innuit Juven. *Satyr.* 14. *v.* 196.

Dirue Maurorum attegias, caſtella Brigantum,
Ut locupletem aquilam tibi ſexageſimus annus
Afferat.

ſull. col. 49. Nonnulla ponit, & Decius in *l. ſere* 108. *D. de reg. jur.* ad quos recurrendum eſt. Habeo multa & ego collecta ad hanc materiam, praecipue ex Latinis auctoribus; quae tamen ad evitandam prolixitatem praetereunda eſſe ſatius duxi: non enim omnia ſoleo ſimilia aggregare unum in locum, ſed in certos locos digerere.

De extraordinar. cog. ex l. 1. §. 11.

Ulpianus: ***Et ſi Palmarii nomine cautum ſit,*** &c. *Nomine victoriae* inquit gloſſ. cui inhaeret Speculator in tract. *de ſalario advocatorum*, ut ego vero *nomine Palmarii*, id eſt, nomine fructus, qui ex palma datur. Nam ſolebant, apud veteres, clientes patronis ſuis ferre Cal. Januariis aliquod munus; puta Cariotam, & aes modicum, ut eos recognoſcerent. Martialis in *libello Xeniorum* [*epig.* 27. *lib.* 13.]

Aurea porrigitur Jani Caryota Calendis:
Sed tamen hoc munus pauperis eſſe ſolet.

Et *lib.* 8. *epig.* 33.

Hoc linitur ſputo Jani Caryota Calendis:
Quam fert cum parvo ſordidus aſſe cliens.

Ovidius in *lib.* 1. *Faſtorum*, *v.* 185.

Quid vult palma ſibi? rugoſaque Carica dixi?
Ac data ſub niveo condita mella cado?

Apulejus in *lib.* 10. *Aſini aurei*, in Accurſii ſententiam inclinaſſe videtur his verbis: *Sed uxor, quae jam pridem nomen uxoris cum fide perdiderat, medicum convenit quendam notae perfidiae; qui jam multarum palmarum ſpectatus praeliis, magna dexterae ſuae trophea numerabat; eique protinus quinquaginta ſextaria, &c.*

Ex l. Maritus 20. *in fine. D. de quaeſtion.*

Paulus, ***Imperator pronunciavit, unius teſtimonio non eſſe credendum*** In hanc ſententiam inclinat & Moyſes in lege Deuteronomii *cap.* 17. *v.* 6. ubi jubet Deus, *in ore duorum, aut trium teſtium peribit, qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra ſe dicente teſtimonium.* Et *cap.* 19. *v.* 15. *Non ſtabit teſtis unus contra aliquem, quicquid illud peccati & facinoris fuerit, ſed in ore duorum aut trium ſtabit omne verbum.* Et Chriſtus in Euangelica lege, apud Matth. *cap.* 18. *v.* 16. & apud Joan. *cap.* 8. *v.* 16. & Paulus ad Corinthios 2. *Epiſtola, cap.* 13 *v.* 1. referunt. In canonicis etiam in *cap. licet.* 23. *de teſtib* & *c. novit* 13. *extra de judiciis*, relatum extat: ſed haec regulariter vera ſunt. Nihilominus ſemiplenam fidem, & probationem facit unus teſtis, qui ſublimis ſit dignitatis modo, ſi legitimam cauſam, dicto & teſtimonio, etiam non interrogatus a judice adjiciat, *l. admonendi* 31. *D. de jurejur. l. in bonae fidei* 3. *C. de rebus cred* Bald. in *cap.* 1. *de convent. inter dom & fidel. de inveſtitura. in l. jusjurandi* 9. *C. de teſtib.* Conſtantinus tamen Imperator, ad Julianum praeſidem ſcribens, unius omnino teſtis reſponſionem non audiri, etiamſi praeclare curiae honore praefulgeat, mandavit; quod & in *Theodoſiano Cod. titulo de fide teſtium, & inſtrum. l.* 3. habetur.

APPENDIX.

Praeſul non debet damnari, niſi cum 72. teſtibus; Presbyter autem cardinalis, niſi cum 64. teſtibus non deponitur: Diaconus vero cardinalis urbis Romae cum 27. teſtibus condemnatur. Subdiaconus, Acolythus, Exorciſta, Lector, Oſtiarius, non niſi 7. teſtibus condemnabuntur, *cap. praeſul* 2. *cau.* 2. *q.* 5. & ibi per totum. & *cau.* 4. *q.* 2. & 3. per totum. Contra Papam duo teſtes ſufficiunt, ut ait gloſſ. in *d. cap. praeſul* 2.

Ex l. Item 17. *D. de fund. inſtruct.*

Marcianus ait: ***Item Pictoris inſtrumento legata, cerae, colores, ſimiliaque horum legato cedunt: item penicull, & cauteria, & conchae.*** Saepe demiratus ſum, quomodo cerae inſtrumento cedant; cum talia me nuſquam legiſſe meminiſſem. Sed cum Julius Pollux, paulo ante reſtitutus a neſcio quo bene literato viro, ad manus meas perveniſſet, tum ceras appellatione inſtrumenti contineri ex ejus lectione didici; ex qua ſubinde admonitus ſui apud veteres moris fuiſſe, ut in picturis ceris uti ſolerent pictores. Auctor eſt Plinius *lib.* 35. *cap.* 7 *Ceras pingi utilem his coloribus ad eas picturas, quae inuruntur.* Idem Plinius *eod. lib. cap.* 11. ait: *ceris pingere, ac picturam inurere quis primus excogitaverit, non conſtat.* Ejus praeterea duo fuiſſe antiquitus genera Cera, & in ebore ceſtro, id eſt, viriculo, donec claſſes pingi coepere; tum acceſſiſſe tertium reſolutis igni ceris, penicillo utendi. Id genus picturae Callixenus Rhodius apud Athenaeum *lib.* 5. vocat χωρογραφεῖν; alii ἐγκαυστική, id eſt, encauſticen: nos inuſtariam Latine dicimus coloribus inuſtis, & ceris igne reſolutis.

Sunt enim & pictoribus cauteria ſua, de quibus hic Marcianus comminiſcitur: & quibus bituminationes, & fortiores quaeque conglutinationes concoquuntur. Conchas appellat vaſcula, ſive teſtas, ubi pictores ſuos colores reponunt: quod marinis conchis, ſeu auriculis piſcium ad eam rem pictores fere uti ſoleant Quod vero cera pingi moris fuerit, meminit & Vitruvius *lib. Architectonices* 4. *cap.* 2. his verbis: *Tum projecturas tignorum quantam eminebant, ad lineam, & perpendiculum parietum perſecuerunt, quae ſpecies cum invenuſta iis viſa eſſet, tabellas ita formatas, uti nunc fiunt triglyphi, contra tignorum praeciſiones in fronte fixerunt, & eas cera caerulea depinxerant, ut praeciſiones tignorum tectae non offenderent viſum:*

Ad l. Juliam repetund. ex l. eadem lege 6.

Utque urbani magiſtratus ab omni ſorde ſe abſtineant. Haec ſunt verba Saturnini Venteleji lib. 3. publicorum judiciorum, ubi legem Juliam repetundarum recitat; in qua cautum erat antiquitus: ne quis magiſtratus pecunias ullas ſordide ſuſciperet; cujus legis etiam ſupra a nobis facta eſt mentio, titulo *de offic. Proconſ. ex l. ſolent* 6. ubi Titiam legem ex Corn. Taciti *lib.* 2. (qua idem cavebatur) appoſuimus. Sed hic illud in verbo (*ſorde*) diligenter attendendum eſt, quod pro avaritia ſumitur. Nam Graeci appellant αἰσχροκέρδειαν ipſas ſordes. Ita in *Authent.* ſumendum eſt, *De Quaeſtore Conſtitut.* 80. *cap.* 8. ubi dicitur, omnium maxime, hanc ſtudio habebit is, qui hunc magiſtratum gerit, ut puris omnia manibus conficiat, neque apparitores habeat ſordidos, aut turpi quaeſtui deditos. Quintil. *lib.* 5. *Oratoriarum Inſtitutionum: abſit omnis in ſubeundo negotio ſuſpicio ſordium, &c.* Agennus Urbicus in libro *de controverſiis agrorum, in fin.* ubi de Menſore meminit, inquit: *In judicando autem Menſor bonus vir, & juſtus agere debet, nulla ambitione, aut ſordibus moveri.* Ad removendam hanc avaritiam a Rectoribus provinciarum ergo Valentinianus, & Valens, Auguſti, & principes aequiſſimi, *Codici Theodoſiano* titulum *de extraordinariis ſive ſordidis muneribus* praefixerunt. Veteres enim (ut illud annotatu dignum dicam) cum in adminiſtratione aliqua fuiſſent abſtinentes, puriſque manibus magiſtratus iniſſent, ſolebant poſt mortem eorum in marmoreis tumulis aliquod indicium probitatis, peractique probe ſui muneris inſcribere (puta, vaſa aliqua in tumulo utrinque incidebant) ut urceum, ſeu gutturnium ab una parte, ab altera pollubrum, ſeu malluvium. Nam ſicut hujuſmodi vaſa abluendis, ac purgandis manuum ſordibus idonea ſunt, ita indicabant illis inſtrumentis ſe fuiſſe puros, & abſtinentes a lucris ſordidis. Horum vaſorum formam non ſemel, cum Romae agerem, vidi,

&

& exoſculatus ſum: ſiquidem divinas ſemper, ac velut res ſacras, Romanorum ruinas, & monimenta mirum in modum colui. Ad hanc formam vaſorum Alciatus literatiſſimus in *l. 2. Emblematum* ita alluſit:

Marmoreae in tumulis una ſtat parte columnae
Urceus; en alia cernere malluvium eſt.
Jus haec forma monet dictum ſine ſordibus eſſe,
Defunctum purat atque habuiſſe manus.

Horatius *lib. Sermonum* 1. *Satyra* 6. de ſordibus ſic dicit, *v.* 107.

Objiciet nemo ſordes mihi, quas tibi Tulli, &c.

Ad legem Jul. de adulter. ex l. ſi adulterium 38. §. 8.

Divus Pius in haec verba Apollonio reſcripſit: Ei, qui uxorem ſuam in adulterio deprehenſam occidiſſe ſe non negat, ultimum ſupplicium remitti poteſt: difficillimum enim ſit, juſtum dolorem temperare: & magis, ***quia plus fecerit, quam quia ſe vindicare non debuerit, puniendus ſit; ſufficiet igitur, ſi humili loco ſit, in opus perpetuum tradi eum; ſi quis honeſtior, in inſulam relegari.*** Ad hanc ſententiam Aulus Gel. *lib. Noct. Attic.* 10. *cap.* 23. refert verba ex M. Catonis oratione de dote in haec verba: *In adulterio uxores deprehenſas jus fuiſſe maritis necare. Vir* (inquit) *cum divortium fecit, mulieri judex pro cenſore eſt, imperium quod videtur habet, ſi quid perverſe, tetreque factum eſt a muliere, multatur: ſi vinum bibit, ſi cum alieno viro probri quid facit, condemnatur. De jure autem occidendi ita ſcriptum eſt, in adulterio uxorem tuam ſi prehendiſſes, ſine judicio impune necares, illa te ſi adulterares, digito non auderet contingere, neque jus eſt*, in *Authent. de diverſis capitulis, & de ſolutio. matrim.* His olim de cauſis fieri divortia permiſſa ſunt. Si mulier cum extraneis viris, neſciente marito aut volente, convivia agitet, aut cum iis ſe lavet, ſi ad circenſia, aut theatra, aut arenarias venationes prohibente marito ſpectatum prodeat; ſi vitae mariti inſidiatur, aut aliis inſidiantibus ipſa conſcia non manifeſtet. Alias cauſas connumerat Juſtinianus *eodem loco*, quas rationabiliter ipſe conſtituit. Haec volui hoc loco annotaſſe, ut Gellium *noſtra lege* coadjuvarem in re judiciaria, utque acutiſſimi Papiniani legem ſenioris viri Catonis oraculo graviorem redderemus.

AUCTARIUM.

In *C. Theodoſiano*, titulo *de Repudiis lib.* 3. haec tria jubentur inquiri in mittendo repudio a foemina: *Si maritus ſit homicida, vel medicamentarius, vel ſepulchrorum diſſolutor, & ſi, propter haec tria crimina, uxor marito repudium miſerit, oportet eam uſque ad acuculam capitis in domo mariti deponere, & pro tam magna ſui confidentia in inſulam deportari. Marito etiamſi uxore repudium mittat, haec tria crimina inquirere conveniet. Si uxor moecha, vel medicamentaria, vel conciliatrix ſit. aliter omnem dotem reſtituere debet, & aliam non ducere.*

Ex l. cum hic ſtatus 32. §. 12. D. de donat. inter vir. & uxor.

Inquit Ulpianus: ***Quid ſi non interceſſerit divortium, ſed friguſculum? Profecto valebit donatio, ſi friguſculum quievit.*** Alciatus, vir literatorum literatiſſimus, humanaeque ſapientiae terreſtre oraculum in *l. inter divortium* 191. *D. de verb. ſig.* ait, hanc dictionem a ſe nusquam lectam alibi, niſi hoc loco apud Ulpianum, legitque *fribuſculum*, pro ſubitaria ira. Norembergenſis tamen codex, qui & idem Haloandri eſt, *friguſculum*, non *fribuſculum* habet; quod nomen interpretor ego pro ineptitudine, ſeu abſurditate. Nam frigus apud Latinos pro re inepta, & abſurda ſumitur. Unde illud dictum Terentii tritum *in Eun. Act.* 4. *ſc.* 5.

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Quintilian. *in lib.* 5. *Orator. cap.* 7. Quod interrogantis non leve frigus eſt, id eſt, inepta, & abſurditas, ut Graecis ψυχρὸν, qua in ſignificatione utitur, & *lib.* 6. & alibi. Virgilius in *lib.* 2. *Georgic. v.* 484.

Frigidus & ſteterit circum praecordia ſanguis.

Et *lib.* 3. *Georg. v.* 27.

Frigidus in Venerem ſenior.

Vulgari etiam ſermone aliquem ineptum, & ſocordem dicimus eſſe frigidum. Sed nec haec opinio mea huic loco (ut mihi videtur) ſatis quadrat, quare amplius deliberandum.

Ex l. Scientiam 45. §. ſi cum ſtramenta 3. D. ad leg. Aquil.

Paulus lib. 10. ad Sabinum inquit: ***Si cum ſtramenta ardentia tranſilirent, duo concurrerint, amboque ceciderint & alter flamma conſumptus ſit: nihil eo nomine agi poterit, ſi non intelligitur, uter ab utro everſus ſit.*** Ex his verbis elegantiſſimis Juriſconſulti noſtri occultus mos veterum Romanorum proculdubio elicitur: qui, cum ad eruditionem non modicam ſpectet, in lucem a nobis primum protrahendus eſt; quod ad haec usque tempora (quod ſciam) in tenebris hoc loco latuerit. Excutiamus igitur Pauli in his verbis reconditam doctrinam, aperiamusque bonarum literarum ſtudioſis theſauros diu abſconditos. Sciendum, apud veteres Romanos fuiſſe quandam Deam, nomine Palem, quae pabulis praeerat, & quam Paſtores colebant, ejusque feſta celebrabant. Huic pro partu, & proventu pecorum lacte & libo, ſine caeſa victima litabatur. Ei Palilia feſta dedicavere eo die, quo urbem a Romulo aedificatam fuiſſe afferunt. Nam conſtat XII. die Cal. Maji, fundamenta urbis Romae jacta fuiſſe, quo die mos fuit purgare, & luſtrare ovilia & agros. Hinc Tibullus, *lib.* 1. *eleg.* 1. *v.* 15.

Hic ego paſtoremque meum luſtrare quotannis,
Et placidam ſoleo ſpargere lacte Palem.

Solebant igitur in celebratione feſtorum & ſacrorum Palis etiam flammas tranſilire; quem morem Tibullus noſter, his carminibus oſtendit, *lib.* 2. *Eleg.* 6. *v.* 86.

At madidus Baccho ſua feſta parilia Paſtor
Concinet; a ſtabulis tunc procul eſte lupi!
Ille levis ſtipulae ſolennes potus acervos
Accendet, flammas tranſilietque ſacras.

Ovidius quoque in *Faſtis*, *lib.* 4. *v.* 727. hunc morem pulcherrimis verſibus ita exequitur:

Certe ego tranſilii poſitas ter in ordine flammas
Udaque roratas laurea miſit aquas.

Idem *eod. lib. v.* 781.

Moxque per ardenteis ſtipulae crepitantis acervos
Trajicias celeri ſtrenua membra pede.

Rationem autem hujus moris ſeu originem, cur ſic flammas tranſilirent, deſcribit idem Ovidius *eodem lib. v.* 797. *ſeqq.*

Prima quidem periit: ſtipulis excepta ſecunda eſt.
Hoc argumentum flamma Palilis habet.
An magis hunc morem pietas Aeneïa fecit.
Innocuum victo cui dedit ignis iter?

Hoc

Sincerus poëta *lib.* 1. *eleg.* ad Jo. Pardum:

Et ter tranſilient flammanteis potus ariſtas,
Ter quoque non tardo ruſtica turba pede.

Jul. Crottus *lib.* 1. *eleg. ad Paulum*:

Tranſilienſque leves per ſacra Palilia flammas,
Certa coronato verba legam capite.

Ego in hymno Divi Martini ſic luſi:

Jam geminate focos, ſtipulasque accendite inanes,
Nec quoque trans flammas ſit ſaliiſſe rubor.

Hoc tamen eſt vero propius, cum condita Roma eſt,
Transferri juſſos in nova tecta lares :
Mutantesque domum tectis agreſtibus ignem
Et ceſſaturae ſuppoſuiſſe caſae.
Per flammas ſaliiſſe pecus, ſaliiſſe colonos,
Quod fit natalis nunc quoque Roma tuo.

Ad hunc morem igitur alluſiſſe Juriſconſultum noſtrum quis non aperte videt? *cum ſtramenta ardentia tranſilirent*, inquit: uſus eſt enim illo elegantiſſimo, & ſignificantiſſimo verbo, *tranſilirent*, quo (ut vidimus ſupra) Tibullus & Ovidius, cultiſſimi Poëtae, ſunt uſi. Abeant, recedant itaque illi, blaterentque more ſuo rabulae, qui ſine politioribus literis manſuetioribusque muſis ſperant ſe ſenſa Juriſperitorum eruere, eorumque verba recte explicare poſſe.

C. de vetere jur. enucl. ex l. 2. §. 15.

Contrarium autem aliquod in hoc Codice poſitum nullum ſibi locum vendicabit. Quintil. *lib. 7. cap. 7.* in eandem ſententiam, *Omnibus* (inquit) *manifeſtum eſt, nunquam eſſe legem legi contrariam jure ipſo, quia, ſi diverſum jus eſſet, alterum altero abrogaretur : ſed eas caſu collidi & eventu.*

Ex eadem l. §. 20. verſ. Legiſlatores.

Legiſlatores autem vel commentatores eos elegimus, qui digni tanto opere fuerant, & quos anteriores piiſſimi principes admittere non ſunt dedignati, &c. Extat Theodoſii & Valentiniani AA. Conſtitutio *de reſponſis prudentum, in C. Theod.* ubi ſcripta Papiniani, Pauli, Caji, Ulpiani, atque Modeſtini, caeterorumque Juriſconſultorum confirmantur. Ibi etiam jubetur praevalere, ſi diverſae ſententiae proferantur, plurium auctorum numerus *, ut *l. item ſi unas 17. §. 6. verſ. In impari. & l. diem 27. §. ſi plures 3. D. de recept. arbitr.* Namque naturalis eſt hominum ad diſſentiendum facilitas, ut *l. item ſi unas 17. §. principaliter 6. D. de arbit.* Si vero aequales ſint ſententiae, aequaliſque numerus, auctoritas ejus parti accedere debeat, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat. qui ut ſingulos vincit, ita cedit duobus. Item notae Pauli & Ulpiani, in Papiniani corpus factae, jubentur infirmari. Iidem Imperatores Pauli ſententias ſemper valere praecipiunt.

* Vide D. Alciatum *lib. Parerg. 9. cap. 14.* Quemadmodum numerandae ſint ſententiae atque conjungendae, ut communem opinionem conficiant. Puta ſi ex tribus judicibus, unum in 5. alterum in 10. tertium 15. condemnaſſe dicatur; cenſebuntur omnes in minore ſumma conſenſiſſe, cogeturque reus 5. praeſtare; a qua ſententia nec Ariſtot. *lib. Politicorum 5. cap. 8.* diſſentit. Quod ſi duo in 10. expreſſim conſenſerint, nihil impedict tertius, qui quinque dari juſſerit, *cap. 1. de arb. in 6.*

Ex l. 1. C. de edendo.

Ipſe diſpice, debere tibi probes; quia qui agere vult, probare debet: ut *infra eod. l. qui accuſare 4. Qui accuſare volunt, probationes habere debent.* Ut rationes tuas adverſaria tua, remotis Doctorum ambagibus adverſaria dicitur rea, & cogitur rationes ſuas actori dare, ut actor deinde ſi velit reſiſtere in judicio, poſſit; utque cernatur veritas; alias adverſaria pro libello rationum accipitur; ut eſt in multis locis apud M. Ciceronem, in verbo *Rationes.* Vide *l. ſi quis 6. D. eod.*

Ex l. 2.

Severus : ***Is apud quem res agitur, acta publica***, &c. Hoc loco res pro lite ſumi poteſt. Cicero *pro Murena cap. 12. Jam illud quidem mirum mihi videri ſolet, tot homines, tam ingenioſos per tot annos etiam nunc ſtatuere non potuiſſe, utrum dici oporteret arbitram, an judicem; rem, an litem.*

Acta publica. Vel quia a publica perſona, quae eſt Notarius, dicuntur; vel quia univerſitati pertinent. Non tantum pro privatis & pro omnibus judiciariis inſtrumentis, quae Notarius facit. Sunt etiam ſcripturae, quae coram judice, & ejus juſſu per Notarium confectae ad naturam judicii pertinent, *l. acta 45. D. de re judicata.*

Ad inveſtigandam veritatis fidem jubebit. Collige ex hoc textu notabile, quod judex debet inquirere veritatem; concordat *cap. judicantem 11. cau. 30. q. 5.* & *cap. occidit 14. cau. 23. q. 8.* & *cap. ſicut inquit 46. cau. 2. q. 7.*

C. de feriis. ex l. omnes judices 3.

Omnes judices, inquit Conſtantinus, ***urbanaeque plebes, & cunctarum artium officia venerabili die ſolis quieſcant. Rure tamen &c.*** Solis dies *, dies dominicus eſt, quia Servator noſter Chriſtus in ea die reſurrexit. Sol verus animarum noſtrarum, qui illuminat omnem hominem, hunc in mundum venientem. Omnes igitur Chriſtiani abſtinere a laboribus debent, ſoliſque operam dare divinis. Nam in Geneſi legitur, quod *ſeptima die Deus poſt perfecta opera quievit.* Et dicitur in Exod. *cap. 23. v. 12. Sex diebus operaberis, ſeptima die ceſſabis; ut requieſcat bos, & aſinus tuus, & refrigeretur filius ancillae tuae, advena.* Hinc Sabbathum diem quietis obſervant Judaei. Nihilominus negat Varro eum pollui, qui opus vel ad Deos pertinens, ſacrorumve cauſa feciſſet, vel aliquid ad urgentem vitae utilitatem reſpiciens actitaſſet. Nec Servator noſter Chriſtus apud Matthaeum *cap. 12. v. 11.* ovem amiſſam in die feſto recuperare recuſavit. Sic Virgil. in *lib. 1. Georg. v. 268.*

Quippe etiam feſtis quaedam exercere diebus
Fas & jura ſinunt.

Sed an liceat ſcholaſticis diebus dominicis ſtudere? dic quod non, ſi propter lucrum hoc faciant, ſimiliter & ſi Doctores ſtudeant, vel legant lucri, vel pompae, vel cupiditatis gloriae nomine. Vide per Abbatem in *cap. 1. extra eodem titul.* in verbo, *Et faciunt ad quaeſtionem*; ubi pulchre, & copioſe pertractat hanc materiam. Si vero ſtudeant in honorem Dei, licet, ut per Angel. & Alexand. ab Imola, in *l. Divas 9. D. de fer.* Idem tenet gloſſ. id eſt in *l. omnes judices 3.* & ibi Rayner. & Angelus, *de feriis*, quamvis aliter ſentiunt Canoniſtae: ut per Archidiaconum, & per Joan And. & dominum Anton. in *cap. 1. extra eod.* Quod vero diebus feſtis non liceat aliquam artem exercere, eleganter his carminibus Tibullus poëta oſtendit *lib. 2. eleg. 1. v. 5.*

Luce ſacra requieſcat humus, requieſcat arator;
Et grave ſuſpenſo vomere ceſſet opus.
Solvite vincla jugis, nunc ad praeſepia debent
Plena coronato ſtare boves capite.
Omnia ſint operata Deo, non audeat ulla
Lanificam penſis impoſuiſſe manum.

In *Decretis canonicis* prohibetur quis in die dominico jejunare, ut interſit inter jejunium Chriſtianorum ſeu veraciter credentium, atque haereticorum, *cap. jejunium 14. & cap. ne quis 15. diſtinct. 3. de conſecr.* Levare tamen pro neceſſitate corporis, dum abſit cauſa voluptatis, permittitur, *cap. pervenit 12. diſtinctio 3. de* con-

* *Solis dies.*] Vide Politianum *cap. 8. Miſcellan.* Scribit Columella *Rei ruſticae lib. 2. cap. 22. quod in diebus feriarum non licet terram aperire neque arborem collucare, niſi prius catulo fecerit.* Collucare verbum antiquum a luco, quod eſt ſylvae ramos decidere. Utitur Paulus Juriſconſultus hoc verbo, *lib. Sententiar. recept. 5. §. 15. de interdicto utrum vi. Arbor, quae in alienas aedes vel in vicini agrum imminet, niſi a domino ſublucari non poteſt: iique conveniendus eſt, ut eam ſublucet.*

conſecration. Multa ex oratione Divi Marci diebus feriatis fieri poſſe, commemorat Ulpianus in *l.* 2. *D. eodem.* vid. *in Decretis cau.* 15. *q.* 4. *per totum*, & ibi gloſſ. Scibit divus Apollonius (quod & refertur *in Decretis cap. jejunia* 16. *de conſecration.*) quod *die Dominica nihil aliud agendum ſit, niſi Deo vacandum; nulla operatio in illa die ſancta agatur, niſi tantum Hymnis & Pſalmis, & Canticis ſpiritualibus dies illa tranſigatur.* Quod quidem non obſervatur noſtra tempeſtate, cum omnes voluptates, omnia turpia, diebus feſtis fiant; qua de re merito conqueritur Corn. Agrippa in libro *de Vanitate ſcientiarum.*

C. Si quis Imperatori maledix. ex l. 1.

Quoniam, ſi id ex levitate proceſſit, contemnendum eſt. A. Gellius *lib.* 7. *Noct. Attic. c.* 11. levitatem non pro inconſtantia & mutabilitate proprie dici aſſerit, ſed pro quadam (ut ſic loquar) vilitate, & indignitate hominum, qui neque frugis bonae, neque rei ſint, & nihili; illudque Ciceronis in 2. *Antomanarum* citat, *videte hominis levitatem*, id eſt, hominem nequam, vel vilitatem. Nihilominus (pace Gellii ſit dictum) apud bonos auctores, & claſſicos aliquando reperi levitatem pro ipſa inconſtantia, & mutabilitate poſitum. Livius *Decade* 3. in oratione Lucii Cincinati adverſus licentiam patrum ipſi quoque ſolutum vultis, nec temeritati multitudinis cedatis: tanquam id ſit plus poſſe in civitate plus levitatis ac licentiae habere. Ulpianus io *l. quis ſit* 17. *D. de Aedilitio Edicto.* Tenetur venditor praeſtare, ne ſervus ſit levis, ſed ex diverſo ſi conſtans. Propertius ad Cynthiam, *lib.* 2. *eleg.* 13. *v.* 25.

Non quia peccaris teſtor te: ſed quia vulgo
Formoſis levitas ſemper amica fuit.

Ovidius *in Faſtis*, *lib.* 2. *v.* 673.

Termine, poſt illud levitas tibi libera non eſt;
Qua poſitus fueras in ſtatione mane.

Paulus Juriſconſultus in *l. quod ſi minor* 24. §. 2. *D. de minor.* 25. *Scaevola noſter ajebat* (inquit) *ſi quis juvenili levitate ductus omiſerit, vel repudiaverit haereditatem, &c.* In Catonis puerili libello ſic legendum eſt:

Conſtans, atque levis ut res expoſtulat eſto.

Non *lenis*, ut ignari bonarum literarum grammatiſtae jamdiu corrupte legerunt. Sed hoc loco non pro inconſtantia, nec mutabilitate dici arbitror, ſed potius pro quadam laſcivia & petulantia. Nam quidam ſunt, qui, in otio degentes, adeo laſcivire ſolent, & praeter modum luſitare, ut quicquid egerint, parum modeſte feciſſe videantur, ideo ſi quid loquuti fuerint, ut inſanis illis parcendum eſt. Nam *lubricum linguae* (quemadmodum ait Modeſtinus ad *leg. Jul. majeſt. in l. famoſi* 7.) *ad poenam facile trahendum non eſt.* Et eſt animadvertendum (cum dixi laſciviam ſignificare hoc loco levitatem) ita accipi laſciviam & apud Ulpianum pro levitate, in *l. ex conducto* 15. §. 2. *verſ. Sed & ſi labes, D. locati.* ubi alias annotavi.

C. de his qui parentes occid.

Conſtantinus: ***Sed inſutus culleo cum cane, gallo gallinaceo, & vipera, & ſimia.*** Vide idem *ad leg. Pomp. de Parricid.* & *lib.* 5. *Reſponſor. Pauli eod. titul.* De hac poena ita Cicero *in Rethoricis ad Herennium lib.* 1. *cap.* 13. meminit: *Qui parentem necaſſe judicatus erit, is obvolutus culleo, devehatur in profluentem.* Meminit & in *oratione pro Roſcio Amerino cap.* 25. ubi ait: Solonem ideo legem nullam de Parricidio tuliſſe, propterea quod nunquam putaſſet aliquem tam ferum hominem inventri poſſe, qui patrem necaret. Cur vero in culleo dixerit, illud eſt, ne mare polluatur. Cur cum cane, gallo gallinacco, vipera & ſimia inſuatur, id in cauſa eſt. Vipera enim cum naſcitur, matrem necat, & ea AEgyptii voluerunt ſignificare parricidam. Canis vero demonſtrat, parricidam furioſum, vel immundum, vel quia Cerberi latratus audit, qui tale facinus committit. Gallus autem pugnax eſt ſerpentumque hoſtis. Simia prae ſe fert humanam formam; nihilominus fera eſt: ita parricida cum ſit homo, prae ſeque ferat humanitatem, tali facinore induit feritatem. Vel verius inſuuntur iſta animalia culleo, quia invicem ſibi contraria, parricidam tanto magis cruciabunt. Refert Diodorus Siculus, in AEgypto parricidas calamis praeacutis caedi ſolere, deinde vivos ſupra ſpinarum acervum comburi.

De emendatio. propinq.

Vide in hunc titulum, quae faciunt ad rem in lege Moyſis in Deuter. *cap.* 21. *v.* 18. ibi *Si genuerit homo filium contumacem.* Nam ad ſeniores civitatis ducendos eſſe propinquiores contumaces, & lapidibus obruendos *ibidem* legitur.

De Maleficis & Mathematicis. C,

Cornelius Tacitus *lib.* 12. *cap.* 52. ſcribit Claudii Caeſaris tempeſtate, *Factum ſenatusconſultum atrox & irritum, de Mathematicis Italia pellendis.* Paulus *Sententiarum recept. ad filium lib.* 5. §. 1. *eod. tit.* idcirco dicit a civitate Mathematicos expellendos eſſe, ne humana credulitate publici mores ad ſpem alicujus rei corrumpantur; vel ne populares animi turbentur. Ideo hujuſmodi homines, qui talia prohibita perpetrant, ſolent, fuſtibus caeſi, primo civitate pelli; perſeverantes autem in publica vincula conjici, aut in inſulam deportari, ſeu relegari

Honorius & Theodoſius Caeciliano praefecto praetorio reſcripſerant, Mathematicos non ſolum urbe Roma, ſed etiam omnibus civitatibus pellendos eſſe: ſi non Catholicae religionis cultui fidem praeſtare voluerint, ſed etiam ſi ſecreta erroris ſui & profeſſionibus infirmaverint, deportandos, ut in *l. Mathemat.* 10. *C. de epiſc. aud.*

Ex l. Nemo 5.

Conſtantinus & Julianus Caeſares ad populum: ***Nemo aruſpicem conſulat, aut Mathematicum, nemo ariolum. Augurum, & vatum prava confeſſio conticeſcat.*** Facit in *hanc legem* illud Moyſis in Levitico *cap.* 19. *v.* 26. *Non augurabimini: nec obſervabitis ſomnia.* Et Paulo poſt *v.* 31. *Non declinetis ad Magos. Nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos*, & Deut. *c.* 18. *vſſ.* 10-14. In *Decretis*: Qui ariolos, aruſpices, vel incantatores obſervaverit, pro anathemate habetur, *cau.* 26, *q.* 5. *cap. ſi quis* 5. & ibi *per totum.* Libros etiam Magorum, ſeu artis Magicae neminem apud ſe habere licet. Nam, combuſtis hujuſmodi libris publice, deportantur tales perſonae, ſi ſint nobiles; ſi vero humiles, capite puniuntur, ut ait Paulus *Sententiar. lib.* 5. *ad leg. Corn. tit. de ſicar.* §. 18. Nec tantum hujus artis profeſſio, ſed etiam ſcientia prohibita eſt: & qui didicerit, & qui docuerit, in eadem culpa eſſe dicitur, *l. culpa* 8. *C. eod.* & in *l. quicunque* 8. *in fin. C. de haeretic. & manich.* Sed quantum veteres his minime ariolis fidem habuerint ex Gellii *lib.* 14. *cap.* 1. ſcire poſſumus, ubi illud Accianum refert: *Nihil*, inquit, *credo auguribus, qui*

qua

M. Cato *de re ruſtico* de villici officiis loquens *cap.* 5. inquit: *Villicus Paraſitum ne quem habeat, Haruſpicem, Augurem, Hariolum, Chaldaeum, ne quem conſuluiſſe velit: ſegetem ne defrudet: nam id infoelix eſt.*

Vid. Corn. Agrippam lib. *de Vanitate ſcientiarum* de Goetia, & Necromantia, ubi dicit, quod *libri Magorum ex Goetia proceſſerunt. Nam Goetia eſt immundorum ſpirituum commerciis inauſpicata Magiae pars.*

aures verbis divitant alienas, ſuas ut auro locupletent domos. Idem Gellius citat, cum Fannius philoſophus adoleſcentes ab hujuſmodi genethliacis deterrere, & depellere vellet, eum hiſce argumentus uti ſolitum: *Aut adverſa* (inquit) *eventura dicunt, aut proſpera; ſi dicunt proſpera & fallunt, miſer fies fruſtra expectando; ſi adverſa dicunt, & mentiantur, miſer fies fruſtra timendo. Si vera reſpondent, eaque ſunt non proſpera, jam inde ex animo miſer fies, antequam e fato fiat; foelicia promittunt, eaque eventura ſunt, tum plane duo erunt incommoda, & expectatio te ſpei ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudii fructum ſpes tibi jam defloraverit. Nullo igitur pacto utendum eſt iſtiuſmodi hominibus, res futuras praeſagientibus.* Unde apud Virg. irridetur quidam Turni augur his verſibus, *lib. 9. Aen. v. 325.*

Rhamnetem aggreditur; qui forte tapetibus altis
Extructus toto proflabat pectore ſomnum.
Rex idem, & regi Turno gratiſſimus augur,
Sed non augurio potuit depellere peſtem

Et alibi Virgil. irridet quendam incantatorem his verſibus, *lib. 7. Aen. v. 756.*

Sed non Dardaniae medicari cuſpidis ictum
Evaluit: neque enim juvere in vulnera cantus
Somniferi, & Marſis quaeſitae in montibus herbae.

Marullus, ſubnotans quendam Aſtrologum, Biliotum nomine, ita canit:

Dum cavet Aſtrologus perituris ſidera amicis;
Dum ſibi boletos non cavet, ipſe perit.

Vide in reſponſis Mathematicorum evitandis Alciatum, in *l. rei appellatio 5. D. de verb. ſig.* adverſus quae Joannes Picus Mirandulanus, illa rara avis in terris, *lib. 12.* diſſertavit.

C. De teſtam. mil. ex l. milites 15.

Conſtantinus ait: ***Milites, ſi quid in clypeo literis ſanguine ſuo rutilantibus adnotaverint, ſub ipſo tempore, quo in praelio vitae ſortem derelinquunt: hujuſmodi voluntatem ſtabilem eſſe oportet.*** Meminit Val. Max. *lib. 3. cap. 2. de fortitudine* de quodam Othriade, qui in pugna Athenienſium & Lacedaemoniorum de agro Thireacium, poſtquam omnes occubuiſſent, ipſe ſcripſerit in clypeo ſuo ſanguine ἐνίκησα, id eſt, vici; & ita Lacedaemonii agrum Thireaceum poſſederunt, cognito titulo illo ſanguine, Othriadae conſcripto; alii ſic ſcriptum in clypeo referunt: Διὶ τροπαιούχῳ, id eſt, Jovi, in cujus poteſtate ſunt tropaea. Hanc hiſtoriam Antonius Thileſius Conſentinus in urbe Parma his verſibus tangit:

Ante ſed articulis ſervato umbone cruento
Vulnere pinxiſſet fortis ut Othriades.

Scribit Juſtinus *lib. 3. cap. 5.* quendam Criteum poëtam claudum, cum ab Athenienſibus in contemptum Spartanorum miſſus eſſet ad eos, tanta vi pronunciaſſe apud exercitum: *ut non de ſalute, ſed de ſepultura ſollicitus teſſeras inſculptis ſuis, & patrum nominibus dextro brachio deligarent: ut ſi omnes adverſum praelium conſumpſiſſet: & temporis ſpatio confuſa corporum lineamenta eſſent, ex indicio titulorum tradi ſepulturae poſſent.* Hoc volui adnotaſſe etiam ex Juſtino, quia modicum abeſt a noſtro textu, utque morem veterum militantium pateſaceremus.

C. De dignitatibus. lib. 12. ex l. Senatorum 4.

Philippus Imperator: ***Senatores*** (inquit) ***praecipimus a temonariis oneribus conferendis, a caeteriſque praeſtationibus immunes eſſe.*** Forte legendum *Telonariis oneribus:* Tolenarius enim publicanus, & tributorum exactor dicitur. Unde τελώνιον Graece menſa publicanorum, ubi vectigal exigitur, dicebatur. Hinc etiam Teloneum locus, ubi vectigal colligitur, de quo *in Evangelio* fit mentio, *in Teloneo ſtabat*, Matth. *cap. 9. v. 9.* Appellantur Telones, qui colligunt: τέλος enim Graece vectigal eſt. De his fit mentio *in Feudis, titulo: Quae ſint Regaliae.* ubi dicitur: *Regaliae, Armandiae, viae publicae, flumina navigabilia, & ex quibus fiunt navigabilia, porticus, Ripatica, vectigalia, quae vulgo dicuntur Telonia.* Fit etiam mentio infra *de prox. ſacror. ſcrin. l. jubemus 4.* & *l. de cubiculis 2. De provil.* & ſupra *l. maximarum 12. de excuſ. muner.* Accurſius tamen maluit legere, & interpretari *temonariis a* temone, ſeu plauſtro. Quod ſatis mihi placet, cum eodem in loco a me citato *in Feudis* ita legatur, *& Plauſtrorum, & navium praeſtationes.* Nec non Labeo dicat in *l. cum plures 60. §. vehiculum 8. D. loc.* quod qui conduxit vehiculum, ut portaret ſuum onus, & ſecum iter faceret, cum pontem tranſiret, redemptorem pontis portorium ab eo exegiſſe, tenerique mulionem praeſtare, ſi cum vehiculum locaret, non ignoravit portorium, & ſe ea tranſiturum. Quo loco videtur intelligere de vectigali, quod pro plauſtro penditur. Unde de Rheda aliud diceretur. Majoranus Imperator videtur appellaſſe hunc canonem, ſeu hoc genus tributi, *Jugum in Novellis.* Item Ammianus Marcellius *jugum* appellat; ut Alciatus noſter in *Annotation. in treis libros poſter. Cod.* meminit. Sed ut ego quid ſentiam hac in re, meamque ſententiam explicem: puto verius *Temonaria* cum Accurſio legendum eſſe. Nam memini cum Bononiam plauſtro veherer (ita ibi fieri mos eſt) quod Ferrariae conduxeram una quodam cum amiculo meo, ut ſcilicet permoti celebritate nominis Magni Andreae Alciati illuc celerius raperemur, ad hauriendam rariſſimi hominis eloquentiam, ejuſque plane divinam ad legalem ſapientiam inſtitutionem apiſcendam, ibi exigi ſolere plauſtrorum vectigalia ſeu cenſum, quae a me non ſemel efflagitantibus publicanis praeſtita ſunt, qui mos fere ubique in civitatibus regiis obſervatur.

C. De Profeſſor. qui in urbe Conſtantinopol. lib. 12.

Cum ad 20. annos obſervatione jugi, ac ſedulo docendi labore perveneris. Verba haec ſunt Valentiniani Caeſaris, quae quidem his, qui per 20. annos legerint publice, & docuerint immunitatem, & honorem, & quietem a laboribus impertiri probant; ut etiam habetur ſupra titulo *de Profeſſ. & medicis.* Hinc elicitur pulchra conſideratio ad *Prooemium* Quintiliani ex illis verbis: *Poſt impetratam ſtudiis meis quietem, quam per 20. annos inſtituendis juvenibus impenderam.* Si quidem quietem illam intelligit, quam poſt viceſimum annum impenſum ad docendum publice juvenes nactus erat. Profeſſores enim poſt annum 20. honeſtam miſſionem conſequebantur, & laboribus dabant ſenes juſtam (teſtimonialem tamen) miſſionem. Quod etiam ab ipſo Quintiliano alibi commemoratur, nempe 13. *declamatione.*

Ex l. 1. §. ſed & qui 5. C. de Latin. liber. tol.

Sed & qui (inquit Juſtinianus) ***domini funus pileati antecedunt, vel in ipſo lectulo ſtantes, cadaver ventilare videntur, fiant illico cives Romani.*** Hunc locum, quia recondita eruditione repletus eſt, nec ab Accurſio ſat recte explicatus, nec forte intellectus, libet in amicorum gratiam his noſtris annotamentis inſerere. Breviter igitur ſciendum in primis, pileatos ſervos in funere domini praeceſſiſſe, ut manifeſtaretur liberalitas defuncti, qui ab eo manumiſſi, & libertate donati fuiſſent, quem morem *lib. 4. Romanarum Antiq.* his verbis

bis refert Dionyſius Halicarn. *Scio autem ego, quosdam conceſſiſſe ſervis ſuis omnibus eſſe poſt mortem ſuam liberis, uti mortui ipſi vocentur boni, utque multi elatum funus ſequantur pileos geſtantes in capitibus, in quibus pompam ducebant quidam, &c.* Hi quandoque in lectulo defuncti ſtabant, ut linteo ventilarent cadaver. Moris enim fuit apud veteres, poſt concrematum rogo cadaver, 9. die colligere reliquias & cineres concremati, & lotis manibus & nudis pedibus oſſa acinere ſeparare, & colligere, eaque lacte & vino lavare, & poſtea linteo ventilare, ut ſiquidem humor exſugeretur, dein unguento inſpergere, & variis odoribus obungere, Deosque manes advocare, & tandem in marmoreo ſepulchro condere. Hunc morem eleganter inter caeteros auctores Latinos noſter Tibullus exequutus eſt. Ideo hoc loco ejus carmine apponenda cenſui, quia pura puta ad rem noſtram faciant: audiamus igitur Tibullum, ſic loquentem *lib.* 3. *eleg.* 2.

Ergo ego cum tenuem fuero mutatus in umbram,
Candidaque oſſa ſuper nigra favilla teget.
Ante meum veniat longos incompta capillos,
Et fleat ante meum maeſta Neaera rogum!
Sed veniet carae matris comitata dolore;
Moereat haec genero, moereat illa viro!
Praefatae ante meos manes animamque rogatae,
Perfuſaeque pias ante liquore manus.
Pars quae ſola mei ſuperabit corporis oſſa,
Incincta nigra candida veſte legent.
Et primum annoſo ſpargent collecta Lyaeo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent.
Poſt haec Carbaſeis humorem tollere ventis,
Atque in marmorea ponere ſicca domo.
Illic quas mittit dives Panchaia merces
Eoique Arabes, dives & Aſſyria.
Et noſtri memores lachrymae fundantur eodem.
Sic ego componi verſus in oſſa velim
Sed triſtem mortis demonſtret littera cauſſam,
Atque haec in celebri carmina fronte notet:
Lygdamus hic ſitus eſt, dolor huic, & cura Neaerae,
Conjugis ereptae cauſa perire fuit.

Libet modo & addere interpretationem Accurſii, ut unusquisque cognoſcat, niſi perlectis veterum humanioribus libris, non poſſe ſaepiuscule aliquas leges ad obruſſam explicari; quod in Accurſio noſtro nonnunquam experimur, quem conſtat meliores literas ne mediocriter quidem calluiſſe. Hunc igitur in modum verba *noſtrae legis* exponit: *Pileatos, id eſt, pileos ferentes in capite, ut liberti; nec enim ſervi delebrant, ut per hoc honor fieret mortuo. Ventilare. Thure ſecundum Irnerium, vel dic* (inquit) *funibus, quia funibus portabantur, qui trahi poterant huc & illuc.* Haec eſt expoſitio Accurſii, quam neſcio an quis mediocriter eruditus ſit probaturus; vel ſi etiam ſit ex leguleiis aliquis. *Ventilare* alio etiam modo accipi poteſt, quia dicit *in lectulo ſtantes*, ut forte ſervi, qui valde dominum ſuum dilexerant, ſtarent ad Cenotaphium ſeu ad imaginarium ſepulchrum, ventumque facerent mortuo ventilabro, ut hodie fit in ſolemni alicujus mortui principis pompa; cujus moris rationem me neſcire ingenue fateor. De ventilatione alia fit mentio in Codice Juſtiniani in *l. multi* 6. *C. de Mathematic. & ma ef.* ubi Conſtantius & Julianus Caeſares hunc in modum loquuntur: *Multi magicis artibus uſi elementa turbare, vitas inſontium labefactare non dubitant, & manes accitos ventilare, ut quisque ſuos conficiat malis artibus inimicos; hos (quoniam natura peregrini ſunt) feralis peſtis abſumat.* Nota *accitos manes*; lacte enim alliciebant magi manes eodemque fugabant illos. Tibullus *lib.* 1. *eleg.* 2. *v.* 47.

Jam ciet infernas magico ſtridore catervas:
Jam jubet aſperſas lacte referre pedem.

Virgilius *ecl.* 8. *v.*98:

— *Saepe animas imis excire ſepulchris.*

Inſtit. de rerum diviſ. ex §. 46.

Miſſilia jactant in vulgus. Erant munuscula non uniusmodi, quae in vulgus jactare mos fuit. Suetonius meminit in *C. Caligulae vita cap.* 18. his verbis: *Sparſis & miſſilia variarum rerum, & panaria cum obſonio viritim diviſit.* Pomponius Jurisconſultus in *l. nec emptio* 8. *D. de contrah. empt.* ait, Miſſilium captum moris fuit emi: haec miſſilia recte externa bona (teſte Rhodigino) appellari poſſunt. Hinc eleganter eum, qui ex fortuna totus pendere ſolitus ſit, expectare miſſilia, dicere poſſumus. Seneca in *lib.* 5. *Controverſ.* hoc genus miſſilium Muſam Rhetorem refert, appellare ſolitum *odoratos imbres.* Fiebat & ſparſio liquoris odorati in ſpectaculis: de qua ait in *lib.* 2. *Nat. Quaeſtion. c.* 9. *Numquid dubitas, quin ſparſio illa, quae ex fundamentis mediae arenae excreſcens in ſummum altitudinem amphitheatri pervenit, cum intentione aquae fiat?* Spargebant enim veteres theatrum vino cum croco mixtum, & ſcenas, quod Virg. intellexiſſe videtur *in Georgicis* cum dixit, *lib.* 1. *v.* 56.

— *Croceos ut Tmolus odores,*

Suetonius *in Nerone cap.* 25. *Sparſo identidem per vias croco.* Item Horatius *lib.* 2. *Serm. ſat.* 4. *v.* 68.

— *Corythioque croco ſparſum ſtetis.*

Meminit & Plinius. Sed & Adrianus Imperator, ut refert Aelius Spartianus ad Caeſarem Diocletianum ſcribens, *in vita Adriani cap.* 19. *In Trajani Auguſti honorem balſama & crocum per gradus theatri fluere juſſit*: neque ſcenam duntaxat, quae in theatro, variis floribus ornabat, ſed & menſas. Antoninus etiam Caracalla (ut a P. Crinito proditum eſt) cum viros ſummos ad prandium invitaſſet, menſam croco inſtruebat, ſed foenum dicens pro eorum dignitate exhibere. Illud non praetereundum, quod a Juſtiniano de ſparſione auri conſtitutum eſt, in *Authent.* 105. *de Conſul.* ubi cavetur. Ne conſules aurum ſpargant in populum, quod Imperatoriae majeſtati tantum permiſſum eſt ſpargere, a Leone tamen Auguſto, ipſius Juſtiniani anteceſſore cautum eſt, ut haec vilitas ſpargendi, errorque perdendi deſiſtat, inque reſtaurationem aquaeductuum expendatur, *l.* 2. *C. de Conſulibus & non ſparg. pecun. lib.* 12. Hinc ſoli Imperatori Romano jus fuiſſe, faciem ſuam aureo nummo ſeu obryzato inſculpere, ſcribit Agathias, cum alii barbarorum reges id in argento duntaxat facerent, ut aſſerit Alciatus, *lib. Obiter dictor.* 5. *c.* 9. Conſulibus ſpargendae pecuniae argenteae tam in Milliarenſibus, id eſt, didrachmis, quam ove, & cyatho ſignatis, neque non quadrangularibus, & id genus alias poteſtatem dedit Juſtinianus. Hic poſtquam de ſparſionibus mentionem fecimus, addamus obiter & illa, in ſtudioſorum gratiam: olim apud veteres in ſacris certaminibus ſpargebatur aqua, equis ut illis, ſponte currentibus, celerius metam contingerent. Meminit Ulpianus, in *l. athletas* 4. *D. de his qui not. infam.* fiebat & alia ſparſio, quae Tiberina dicebatur, & haec in menſe Maji. Solebant enim veteres ad maritimam civitatem Hoſtiam ſecundo Tiberi deſcendere, & ſe mutuo invadere, & aquas jaculari, ſeque inſpergere. Hanc rem Alciatus,

Galathae (ut refert Joan Boëmus Teutonicus *lib.* 3. *Chroni. cap.*) habent in morem, ut potentiores in Deorum templis plurimum auri ipſis Diis offerentes per pavimentum ſpargant, neque id aurum ita ſparſum quisquam incolarum (quamvis auri ſit gens avida) propter religionem contingere audet.

Apud Val. Max. *lib.* 7. *cap.* 8. legimus, quendam Tuditanum furioſum populo nummos ſparſiſſe, adeo ut maximum riſum in hominibus excitaret, nihilominus ejus teſtamentum ratum fuiſſe, etſi furioſo teſtamentum facere Leges non permittant: quod eſt annotandum, quamvis quod ſcriptum in tabulis eſſet, quam quis eas ſcripſiſſet centumviri conſiderandum exiſtimarunt. Hanc hiſtoriam de Tuditano Lactant. Firm. *lib.* 3. *Divinarum inſtitutionum lib.* 23. commemorat.

tus ex Suida refert, *lib. 5. Parergân cap. 5.* Spargebant & veteres in nuptiis nuces, ne clamor virginis, deponentis virginitatem, audiretur, velut multiplicentur foetus, ſicut operimentis multiplicibus operiuntur nuces. Hunc morem Virg. *in Pharmaceutria v.* 29. tangit his verſibus:

Mopſe novas incide faces; tibi ducitur uxor:
Sparge marite nuces.

Morem hunc & Catullus tangit *in Epitalamio Manlii & Juliae.* Fuit apud veteres & alia ſparſio in tumulis. Spargebant enim flores ſuper cadaveribus, & in tumulo praecipue in morte immatura juvenum. Virg. in *lib. 6. Aeneid. v.* 883.

— Manibus date lilia plenis,
Purpureos ſpargam flores.

Et *Daphnide v.* 40.

Spargite humum foliis.

Et *in Maeride, v.* 19.

Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis
Spargeret?

In Saturnalibus etiam ſolitos dominos ſervis collybos, id eſt, nummulos ſpargere legimus: quem morem Athenienſes obſervaſſe erga novitios ſervos, primum domum ingredientes, refert Cael. Rhodig. *lib. Lect. antiq.* 26. *c.* 6. quemadmodum & fructus palmaceos, legumina, caricas, nuces, & id genus ſimilia per illorum capita prope focum profudiſſe, & vino ſpargi oſſa cadaverum. Unde Tibullus, *lib.* 3. *eleg. v.* 19.

Et primum annoſo ſpargent collecta Lyaeo.

Spargebant & corpora cum lavabant. Hinc Virgil. in *lib.* 4. *Aeneid. v.* 635.

— Corpus fluviali ſpargere lympha.

In lege Moyſis alia fiebat ſparſio, ſcilicet cineris alicujus vitulae, qui cinis ſpargebatur in populum, ut eum purificaret. Hujus autem rei hiſtoriam in Levit. *c.* 16. *v.* 4. & *ad Heb. c.* 9. *v.* 13. legimus. Habetur etiam mentio in Decretis canonicis, *de conſec. diſt.* 3. *cap. aquam ſale* 20. Ovid. *in Faſt. lib.* 4. *v.* 639. morem ſpargendi cineris vitulae ponit his verſibus:

Igne cremat vitulos, quae natu maxima virgo eſt:
Luce Palis populos purget ut ille cinis.

Aqua etiam purgationem fieri, Virg. in *lib. Aeneid.* 6. *v.* 229. ait, dum Miſeno ſuprema faciunt, his verbis:

Idem ter ſocios pura circumtulit unda
Spargens rore levi.

Et haec de ſparſionibus ſatis.

F I N I S.

CON-

CONSTANTII LANDI,

Comitis, Patriciique Placentini,

ΠΑΡΑΛΕΙΠΟΜΕΝΑ:

id eſt,

L I B E L L U S.

Digitized by Google

CONSTANTIUS LANDUS, *Comes*,

OCTAVIO LANDENSI,

Placentino Juriſconſulto, & Piſis jura publice profitenti,

S. D.

C*UM ſuperioribus annis quasdam in titulum Pandectarum* de Juſtitia & jure *Enarrationes exercitii gratia exaraſſem; easque nunc edere (quorundam amicorum impellente auctoritate) pararem; quaedamque alia, quae omiſſa a me fuerant, apud me laterent; quaeque jam in animum induxeram nondum in lucem emittere, niſi prius ſub lima aliquot annos ſtetiſſent: coegiſti tu tandem tuis etiam nunc precibus veluti alio fluctu majore ſuperveniente (tantum Periclea illa* πειθὼ ἐν τοῖς χείλεσι *prae modum excellis, Etruſcaque lingua es eloquens) ut votis tuis facere vellem ſatis, idque opuſculum in tui gratiam ederem. Qua de re cum mihi judicio tuo parere neceſſarium fuerit, qui iſtud qualecunque eſt opusculum, elegans, eruditum praedicabas; dignumque quod in manus ſtudioſorum deveniret. Ceſſi ego judicio tuo, quod jamdiu conſummatiſſimum cognoveram: licet me adhuc tironem, & inexpertum, ut hujusmodi gerras, & Nenias a me conſcriptas in leges divulgarem, ſcirem eſſe: quique meum hunc partum informem, & nondum inſtar catulorum ab Urſa delinitum eſſe perſpiciebam. Tu igitur, mi Octavi ſuaviſſime, tuam propter humanitatem, tuamque benevolentiam, qua erga me uti ſoles, poſtquam ad hunc editionem me impuliſti, ſi aliqui inſurgent, quibus haec noſtra qualiacunque ſunt, non ſatis arrideant, non dedignaberis patrocinio tuo tutari, teque acerrimum patronum in illis exhibere. Sed jam haec noſtra, imo tua, ut tu ipſe ajebas, cum illa a me efflagitabas, nomini tuo dicata ſume,* τὰ Παραλειπόμενα *more Graecorum, & Hebraeorum inſcripſimus, hoc eſt, omiſſa. Namque ad eam, quam coepimus materiam non modicum, videntur ſpectare, quae quia praetermiſſa partim a me, & partim ab aliis ſcriptoribus fuerant, ſuperioribus annectere, hocque titulo inſignire libuit, praeceptorem meum Virum divinum, D. Andraeam Alciatum imitatus; qui ipſe cum adhuc eſſet tiro, & fere puer* duos Praetermiſſorum libellos *elegantiſſimos ſane, valdeque utiles edidit*, ut etiam ſtudiorum ſuorum (*ut inquit ille*) rudimenta publicitus agnoſci poſſent, *ſicuti & nos in adoleſcentia noſtra labores hosce, licet non eadem Minerva, qua Alciatus, nunc legendos & cenſendos ſtudioſis exhibemus, ut primitiarum noſtrarum guſtum habeant, non ut ex me quicquam novi, quod prius neſciverint ipſi, addiſcant. Interim Vale, meque egregio Juriſconſulto, Joanni Ronchegallo noſtro commendatum habe, quem propter ejus eximiam doctrinam colo, ſuſpicioque. Calend. Septembris,* M. D. XLIX. *Placentiae.*

CON-

CONSTANTII LANDI,

Comitis Patriciique Placentini,

ΠΑΡΑΛΕΙΠΟΜΕΝΑ:

id eſt,

PRAETERMISSORUM

LIBELLUS.

Ex l. Sacra 9. §. 2. D. de Rerum diviſ.

ET *ſolent* (inquit Ulpianus) *qui liberare eum locum religione volunt, ſacra inde evocare*. Hic notandus eſt mos occultus, & ex occultiſſimis ſacris prolatus, ab Ulpiano erudito ideo non explicatus. Unde ſane credendum eſt, ſi extarent illa veterum Juriſconſultorum ſcripta, nos omnes antiquitatis mores, etiam in ſeveris legibus cogniturus. In his enim fragmentis ſeu reliquiis, quae ſuperſunt, quis non videt multa etiam extare, quae ad eruditionem & humaniores literas faciant? Unde demirer neceſſe eſt, imo damnem illorum ſycophantiam, & dementiam, qui abſque literis Romanis, & humanitatis libris ſperant, ſe in optimos Juriſconſultos evaſuros: cum maxime a maximis viris, in omni genere ſcientiarum peritis, Juris Civilis ſcientia ſit compoſita, quae quidem non debeat niſi ab his tractari, qui circularem, orbiculatamque diſciplinarum omnium ſcientiam teneant, quas nemo, mediocriter doctus, conjunctionem, communicationemque inter ſe habere iverit inficias; cum oporteat Juriſconſultum de omnibus requiſitis reſpondere. Unde non ab re, a M. Cicerone, Juriſconſultus ſapiens totius civitatis oraculum dictus eſt: ſed ad rem veniamus. Sciendum, apud veteres morem fuiſſe, ut Dii evocarentur quodam carmine, ab urbibus; hocque faciebant Romani adverſus hoſtes ſuos, cumque evocati fuiſſent Dii, illa civitas religione carebat, devotaque habebatur. Verba, quibus evocarentur Dii, ponit Macrobius *lib. Saturnalium* 3. *cap.* 9. idque fiebat, cum oppugnatione civitas cingeretur. Ad hunc morem alluſiſſe proculdubio Virgil. *lib.* 2. *AEneid. v.* 351. exiſtimo, cum cecinit:

> *Exceſſere adytis omnes ariſque relictis*
> *Dii, quibus imperium ſteterat.*

Et *eod. lib. v.* 326.

> —— *Ferus omnia Juppiter Argos*
> *Tranſtulit.*

Ubi Servius interpretatur docte.

Ex l. praedia 27. §. Adfini 1. D. de fund. inſtruct. leg.

Adfini ſuo ita legavit. Fundum Cornelianum Titio ita ut eſt inſtructus cum omnibus rebus, & mancipiis, & reliquis colonorum, dari volo. Haec teſtatrix (*inquit Scaevola*) *Romam litis cauſa ex Africa veniens mancipia quaedam ex fundo ſupra ſcripto, quo citius per hyemem oram legeret, ſecum adduxit.* Ita legendum eſt; non autem, ut Accurſius ſcriptum reliquit in gloſſis ſuis *legaret operam*, id eſt, ut ille inepte exponit, mitterent operam effectui: elegans dicendi genus, & apud Latinos auctores uſitatiſſimum procul dubio, ignorans, *oram legere*, quid ſibi vellet; quod tamen ipſum admonere potuit Virgilii verſiculus celebris, ſi non penitus vir, contaminatus rudis ſaeculi literis, ſe totum dedere illis, ac magis in fabuloſis ſcribiliginibus, quam bonarum artium diſciplinis tempus conterere maluiſſet, &, ex ſui nominis deducta ridicula alluſione, hoc eſt, ſe occurriſſe legum tenebris * ſibi nimium non placuiſſet, cum vetitis a Juſtiniano Caeſare commentariis ipſe ſupra modum audaculus fuiſſe videri poſſit, quod quaedam gloſſemata inſperſa legibus conſcripſerit, nec praecepta legum negligere erubuerit Imperatoris ſui Azonis exemplo provocatus, cui propter artis excellentiam honos talis habitus eſt, ut in carcerem pertractus tandem ſummo capitis ſupplicio afficeretur. Qua ratione, qua arte igitur homo tenebricoſus perſpicuitatem, & nitorem Juri Civili praeſtitiſſe ſe oſtentare potuit? & qui potuit homuncio minime literatus, & quaſi in media barbarie oriundus nullis cultis literis tinctus candidiſſimae, & tanquam e limpidiſſimis fontibus petitae elegantiae maximorum virorum in omni genere diſciplinarum inſtructiſſimorum lucem claram tribuere, quam ipſe non habebat? Sed nimirum glaucomam (ut dicitur) ob oculos patiebatur, vel potius philautiae morbo laborabat, ut ſe ipſum & ſui ſimiles in admirationem ſui ipſius traheret. Sed jam manes Accurſii inceſſere deſiſtamus, qui forte miſer non obſervatae Juſtinianicae conſtitutionis in in alio ſaeculo tortus poenas luit, vel ipſum Juſtinianus ante tribunal Dei maximi reum agit, quod ſuis commentariis tot haereſes concitaverit, totque opinionum ſymplegadas ex ſuis gloſſematibus orbi intulerit. *Oram legere* igitur (ut paucis rem aperiamus) eſt quaſi ad regionem littoralem pervenire. Hoc eleganter dicendi genere utitur Maro *in Georg.* in *lib.* 2. *v.* 44.

> — *Primi lege littoris oram*
> *In manibus terrae.*

Fa-

* Gloſſ. in *l. facta* 63. §. *ſed ſi in dando* 8. *D. ad SCtum Trebel.* adde, quod iſte Accurſius gloſſator incoepit ſtudere legibus in 37. anno ſuae aetatis, ut refert Lud. Roman. *in ſuis Singularibus* in litera *N. incipiente Novelle.* Adde etiam [ſi Diis placet] ejuſdem auctoritatem plusquam ipſis legibus ipſi habitam. Nam alii majorem eſſe ejus auctoritatem caeterorum opinionibus eſſe volunt. Batt. in *l. ut vim* 3. *col.* 3. *D. de juſtit. & jur.* & Bald. in *l. haereditas* 3. C. *de petit. hered.* Cynus vocat idolum ſuum, in *l. nam moriturum* 8. *D. de contrab. & commit ſtip.* Joan. Fabri, *Inſtit. de inutil. ſtipul.* §. *pupillus* 9. dicit, quod in curia eccleſiaſtica optimo gloſſ. & Innocent. adoratur, ut idolum, alii adhaerendum eſſe gloſſae tanquam catotio more Bononienſium praecipiunt, & nunquam errabitur. Bald. *in l. fin. verſ. Neceſſitate. col.* 3. C. *de bon. quae lib.* & Blad. in *l. precibus* 8. *in* 9. *col.* C. *de impub. & aliis ſubſtit.* De auctoritate ejuſdem gloſſ. vide Jaſon. in *l. ut vim* 3. *colum.* 7. *notabil.* 34. *D. de juſtit.* & late in *additionibus.* Batt. ad *l. ut vim* 3. per Pomatem, & Nevizanum in *ſylva nuptiali*, *lib.* 5. *num.* 25. & per Ferdinandum de Loazes *in repet.* §. *divi* 11. *l. filiusfamilias* 114. *D. de leg.* 1. *colum.* 72. *notab.* 413. vide etiam per Alciatum in *lib. de verb. ſig.* 2. *pag.* 45. quid ſit gloſſa; ubi citat Quintilianum Dionyſium, & Diomedem Grammaticum.

Digitized by Google

Fabius Quintilianus in *lib.* 1. *Inſtitutionum oratoriarum*, in *epiſtola* metaphorice loquens, *Ora ſolventibus bene precemur* dixit. etſi in vulgatis Codicibus *auram* legatur, cum *ora* legendum ſit, auferendi caſu, quaſi ſit ab ora, id eſt, regione littorali. De hac locutione, *oram legere*, copioſius in expoſitione illorum verborum:

—— —— *Qui primus ab oris.*

Cum in Ticinenſi Academia mihi forte obtigiſſet Virgiliana lectio inter tot nobiles & eruditos juvenes in ſchola Illuſtris ac nobiliſſimae viraginis Hippolytae Malaſpinae verſantes, diſſerui. Ideo in praeſentia ſatis ſit paucis eos admonuiſſe, qui nondum latinitatis literas deguſtarunt, ne Accurſianae lectioni, ejusque explicationi hoc in loco adhaereant: cum valde ſit deceptus opinione ſua Accurſius; ut alios aeque indociles ſuaſu ſuo falleret.

Vide quantum ſe diſcrucient interpretes in explicando Quintiliano, in verbo *Ora ſolventibus*.

Ex l. qui fundum 40. §. fundi venditor 3. D. de contrah. empt.

Talis ſpecies apud Paulum *lib.* 4. ἐπιτομῶν proponebatur: *Fundi venditor frumenta manu ſata receperat, in eo fundo ex ſtipula ſeges erat enata. Quaeſitum fuit* (*inquit*) *an pacto contineretur. Reſpondi, maxime referre, quid actum eſſet. Caeterum ſecundum verba non eſſe actum, quod ex ſtipula naſceretur: non magis, quam ſi quid ex eo, quod de ſacco ſaccurii, aut quod avibus ex ore cecidiſſet, natum eſſet.* Elegans thema, dignumque, quod ab omnibus bonarum literarum ſtudioſis obſervetur, quando in hoc themate ex duobus locis eruditio, meo judicio, valde recondita a nobis elici poſſit. Et in primis ex verbo illo *receperat*; quod verbum elegans apud antiquos auctores uſitatum eſt; & praecipue apud Juriſconſultos, accipiturque pro excipere. Plautus in *Trinummo*, *Act.* 1. *ſc.* 2. *v.* 156. *Ubi nunc adoleſcens habitat? poſticulum hoc recepit, cum aedes venderet.* Paulus *hac in lege* §. 4. *Cum fundum quis vendiderat, & omnem fructum receperat, & arundinem caeduam, & ſylvam in fructu eſſe reſpondit.* Hinc *receptitius ſervus* dicitur exceptus in dote uxoris, cum uxor dat marito dotem, ſed excipit ſervum, ac retinet ſibi: qua de re a nobis in *Enarrationibus noſtris* facta fuit mentio *cap.* 22. Alia eruditio ſed occultior, quae ab hoc textu noſtro in praeſentia poteſt haberi ex illis verbis (*aut quod avibus ex ore cecidiſſet*) oritur. Sciendum, apud veteres Romanos Auſpiciorum 5. genera fuiſſe. Primum ex coelo: Secundum ex avibus: Tertium ex tripudiis: Quartum ex quadrupedibus. Quintum & ultimum ex diris. Ex his alia erant oblativa, quae ſeſe offerebant non petita; quaedam impetrativa, quae optantibus, & petentibus adveniebant. Illa, quae ſponte veniebant, auſpicium vix faciebant. Nam ejus fuit in arbitrio, an ad ſe cuperet pertinere id, quod vidiſſet. Traditur etiam in augurum diſciplina, quod nulla auſpicia, ſive boni, ſive mali ominis ſint, ad neminem pertinere poſſunt, qui illa obſervare renuit. Nam conſtat, quae ſunt vaga auſpicia, & quae temere jacta ſunt, nullius eſſe momenti, nullamque recipere divinationem; at ex impetrativis divinationem ſumi poſſe certum erat, quia cum quis deſiderabat aliquid impetrare, Divinationem ex auſpiciis ſumebat, & quidem, cum augurium ex coelo captabant, ex arce Capitolina augurabantur. Nam lituo quodam adunco (cujus in nomiſmatibus noſtris imaginem habemus) caeli regiones notabant, & certa ſpatia, quae volebant ad ſe pertinere, obſervabant, quod ab augure velato capite ſedente fieri legimus. Ex avibus etiam ſumebantur auguria, aliae praepetes, quae volatu augurium deſignabant. Fiebant etiam divinationes, quae coacta dicebantur auſpicia, cum aliquid ex ore pulli, dum paſceretur, cadebat in terram. Hoc auſpicii genus in libris augurum coactum tripudium ſoliſtimum dicebatur. Meminit Cicero *lib.* 1. *de Divinatione cap.* 15. his verbis: *Nam noſtri magiſtratus auſpiciis utuntur coactis. Neceſſe enim eſt offa objecta cadere fruſtum ex pulli ore, cum paſcitur, quod autem ſcriptum habetis: aut tripudium fieri, ſi quid ex ea in ſolidum ceciderit; quoque, quod dixi, coactum tripudium ſoliſtimum dicitis. Itaque multa auguria, multa auſpicia, quod Cato ille ſapiens conqueritur, negligentia collegii amiſſa plane, & deſerta ſunt*, &c. Haec igitur eruditio eſt, quae ab illis verbis, *aut quod avibus ex ore cecidiſſet*, ut dixi, poterat ſumi. Nam non temere, et ſi exempli gratia dictum eſt, a Juriſconſulto noſtro illud prolatum fuiſſe, credendum eſt: cum in omni genere literarum Juriſconſultos veteres verſatos fuiſſe ſatis conſtet. Quamquam non negem aliter etiam eſſe poſſe; cum ſaepius videamus aves volantes aliquid in roſtro habere, ex quarum ore aliquid in terram decidat. Nihilominus, utcunque ſit, hanc hiſtoriam de auguralibus non omiſiſſe Lectori profuerit.

Ex l. 2. §. 32. verſ. Deinde Cajus. de Orig. jur.

Pomponius: *Deinde Cajus Julius Caeſar duos Praetores, & duos Aediles, qui frumento praeeſſent, a Cerere Cereales conſtituit.* De hoc Suetonius nihil attigit *in vita Caji Julii cap.* 76. ſed tantummodo Caeſarem *praefectos pro praetoribus conſtituiſſe, qui, praeſente ſe, res urbanas adminiſtrarent.* Dion vero Coccejus, hiſtoriae ſcriptor, hanc rem in *lib.* 2. *& quadrageſimo* affabre narrat hoc pacto: *Potito jam rerum Caeſare Aediles, tum primum duos ex patriciis, quatuor ex plebe creatos, ſed duos illos ſuperiores a Cerere fuiſſe denominatos*: idque ab illo initio ſcribit ad ſuam usque aetatem permanere. Idemque Dion *lib.* 7. *quadrageſimoque* ante devictum Brutum eveniſſe, ut *Aediles plebeji gladiatorum certamina pro equorum curſibus Cereri exhibuerint*; ex quibus verbis apparet *hoc loco* ſubeſſe aliquam mendam, ut non Praetores, ſed Aediles tantum fuerint, quos Julius Caeſar conſtituit, cum Dion non recenſeat. Potuerunt etiam eſſe Aediles Cereales hi, qui non tantum frumento praeeſſent vel annonam curarent, ne carius venderetur, ſed & hi, qui ludis Cerealibus, qui olim equorum curſibus in circo celebrabantur, praeeſſent. Nam conſtat, apud auctores Romae Cerealia ſacra in honorem Cereris celebrata fuiſſe. Ludos vero primus Cajus Memmius Aedilis curulis fecit, Cornelius Tacitus in *lib. Annal.* 15. *cap.* 53. de Nerone principe loquens de ludis Cereris inquit: *Tandem ſtatuere Circenſium ludorum die, qui Cereri celebratur exſequi deſtinata, quia Caeſar rarus egreſſu domoque aut hortis clauſus ad ludicra Circi ventitabat*; & paulo poſt *cap.* 74. *utque Circenſium Cerealium ludicrum pluribus equitum curſibus celebrarentur.* Meminit & Ovidius in *lib.* 4. *Faſtor.* Memmium vero primum feciſſe certamina Cerealia, tum oſtentant vetera marmora, tum praecipue illud, quod in libello noſtro numiſmatum legitur hac inſcriptione: MEMMIVS AED. CVR. CEREALIA PREIMVS FECIT. Ubi etiam preimus, non primus, cum diphtongo in priore ſyllaba notatum obſervavimus.

De Judiciis ex l. ſi de vi 37. D.

Ioquit Calliſtratus: *Si de vi, & poſſeſſione quaeratur, prius cognoſcendum de vi, quam de proprietate rei, Divus Hadrianus* τῷ κοινῷ Συρακουσίων *reſcripſit.* Ita legendum, non autem ut Pariſinus textus cum gloſſa habet, τῷ κοινῷ Θεσσαλῶν. Exponuntur autem illa verba communi Syracuſanorum, ſicut Cicero *in Verrem*: *Quis tibi moleſtus*

Digitized by Google

teſtas eſſet, aut quis appellare auderet, cum videret ſtatuas ab negotiatoribus, ab aratoribus, a communi Siciliae. κοινὸν enim commune ſeu reſpublica appellatur, vel univerſitas: & ita textus Norimbergenſis habet ab Haloandro recognitus.

De Poſthum. haered. ex. l. quod certatum 3. C.

Deciſio Juſtiniani Caeſaris haec eſt una ex quinquaginta iſlis, quas, poſt emendationem ſeu correctionem Codicis inſertas ultimae editioni, vim & effectum habere voluit: hancque unam eſſe, quae indicet, Juſtinianum concordaſſe Codicem ſuum cum Digeſtis; qua de re dominus meus Alciatus meminit, *lib. Exceſſuum 6. cap.* 14. Quod vero ad ea verba ſpectat, *Veterum animi turbati ſunt*: ſciendum olim, duas Jureconſultorum fuiſſe ſectas, unam ex Attejo Capitone, alteram a Labeone ortas, ſicuti meo tempore Aleiati & Socini ſunt ſectae. Attejus enim Capito in iis, quae ei tradita fuerant, perſeverabat. Labeo ingenii qualitate, & fiducia doctrinae fretus, quod & prae caeteris ſapientiae operam dederat, plurima innovare inſtituit. Atteji Capitonis partes ſecutus eſt Maſſurius Sabinus, Labeonis Nerva pater, qui eas diſſenſiones auxerunt. Maſſurio Sabino ſucceſſit C. Caſſius Longinus, Nervaeque Proculus, ſed Proculi major fuit auctoritas; plurimum enim potuit. Succeſſoresque harum ſectarum partim Caſſiani, partim Proculejani appellati ſunt; ut habetur in *l. 2. D. de orig. jur. in fin.* Juſtinianus igitur Sabinianorum partes ſententiamque laudat illamque caeteris praeponit, quod ſi poſthumus vivus natus ſit, licet vocem non emiſerit, rumpat teſtamentum, mutusque ſit, idemque, ſi contigerit, dum in manibus obſtetricis deceſſit, rumpatur teſtamentum: quaeſtio enim veterum circa illud controvertebatur. Cum natus eſſet poſthumus, & non emiſſa voce ab hac luce ſubtractus eſſet, an rumperet teſtamentum; quam quaeſtionem decidit Imperator noſter in opinionem Maſſurii Sabini, ſeu Caecilii Sabini inclinans. Notandum eſt, & ex illis verbis *noſtrae legis*, *Poſtquam in terram cecidit*, quod ad morem veterum Rom. alluſit legiſlator; nam veteres Rom. ſolebant ſtatim natos in terram ſtatuere, cujus rei meminit Plinius *lib. Natur. Hiſtor.* 7. his verbis: *Natura hominem tantum nudum & in nuda humo natali die abjicit.* Hinc Statius poëta *in Sylvis, lib. 1. v.* 216.

—— —— Tellure cadentem
Excepi, fovique ſinu.

Meminit & Auguſtinus *de civitate lib.* 4. his verbis, *Moris fuit, ut natus infans ab oſtetrice in terra ſtatueretur.* Meminit & Macrobius *lib. Saturnaliorum* 1. Seneca omneis infantes terra nudos excipit. Claudianus *lib. 1. in Ruſin. v.* 92.

—— Quem prima meo de matre cadentem
Suſcepi gremio.

Naugerius *in Luſibus:*

Dicite Pierides. Vos illum e matre cadentem
Exceptiſque ſinu: & veſtris foviſtis in alnis.

Suetonius *in vita Auguſti cap.* 5. hoc innuit his verbis: *Hoc quoque patribus conſcriptis allegabat, ſe eſſe poſſeſſorem ac velut aedituum ſoli, quod primum D. Auguſtus naſcens attigiſſet;* quem locum & interpres obſervavit. Hinc apud veteres Levana Dea in honore habebatur, quae de terra infantes levaret, quod in 1. *Syntagmate* hiſtoriae Divinae *de Deis Miſcellaneis* recenſet vir, in omnigenere literarum peritiſſimus, Lil. Gregor. Gyraldus, Ferrarienſis. Hunc morem ſtatuendi in terra infantes ab hiſtoria ſeu vafrefacto Junii Bruti emanaſſe putarim, qui, cum filiis Tarquinii Regis Delphos proficiſcens, illique oraculum conſuluiſſent, quis eorum Rex Rom. futurus eſſet, reſpondiſſetque Apollo, qui primus matrem exoſculatus eſſet; tum Junius Brutus, caeteris cautior, primus tanquam caſu procidens in terram, de induſtria, terram communem omnium matrem oſculatus eſt.

De privileg. cred. D. ex l. eum, qui circa columnas 36.

Scribit Ulpianus: *Eum, qui circa columnas ſe occultat, ut creditorem evitet, latitare.* Praeceptor meus dominus Alciatus hanc legem, *lib. Parergôn 5. cap.* 27 explicans, quid ſit *occultare ſe circa columnas*, eleganter, & erudite declarat; ubi etiam Horatii, Juvenalis, loca excutit. Ego in praeſentia nihil de his, quae ibi ſcripſit ille, mentionem faciam: attingam tantummodo morem veterum. Sciendum igitur breviter, Romanos locum, qui circus a circuitu dictus, quod circum ſpectaculis aedificatis ibi ludi fierent, fabricaſſe. Qui ludi in honorem Deorum, aut dedicationem templorum, aut publicorum locorum exercebantur, per circum currebant vectoſi equi, vectabantur & quadrigae, pugnabant ſaepe & gladiatores in circo, nec non venationibus locus erat paratus in circo. Columnae etiam in circo poſitae erant & adeo rutilantes, ut illo non minus cupide conveniretur loci gratia, quam ſpectandi voluptate. Erant & ſublimes porticus circo, qui non modicam venuſtatem loco praebebant [de columnis Delphinorum meminit Politianus *lib. 2. Epiſtolarum* in quadam Epiſtola, Georgiae Merulae ſcripta, quae ſic incipit, *Dederam commodum ad te*] cum igitur, ut refert Alciatus ex Dionis *lib.* 49. *M. Agrippa plerunque errantes in numero videret, dum duorum ſtadiorum circuitionem curſumque minus obſervarent gaſiſſe fertur machinas quaſdam in formam ovi fabricari, quibus certius viarum circuitus demonſtraretur.* Cujus rei, praeter ea, quae ab Alciato adducuntur, M. Varroni in *lib. Rei Ruſticae 1. cap.* 2. mentio habetur his verbis; *Inquit Agrius: Nam non modo ovum illud ſublatum eſt, quod ludis Circenſibus noviſſimi curriculi finem facit quadrigis, ſed ne illud quidem ovum vidimus, quod in ceriali pompa ſolet eſſe primum.* Hactenus verba Varronis, quae quidem faberrime ad id, quod magnus Alciatus annotarat, faciunt. De columnis Circenſibus vero mentio habetur in *l. 1. D. de pollicitation.* Meminit & Bartholomaeus Marlianus *lib* 3. *Topographiae urbis*, ex verbis Nazarii *in Panegyrico.* De columnis vero, de quibus extat Horatianum illud, in *Art. Poet. v.* 372.

—— —— —— Mediocribus eſſe Poëtis.
Non homines, non Dii, non conceſſere columnae.

Accipi oportet pro porticibus, quibus recitabant Poëtae, ut expoſuit Alciatus: etſi alius mos fuerit, quem Caelius Rhodiginus *Lect. antiq. lib. 15. c.* 12. affert. Deferebant enim Poëtae poëmata ſua in locum, qui appellabatur ὠδεῖον, id eſt, odium, imagine theatri factum; & ideo deferebant, ut, priusquam in theatro recitarent, ibi probarentur. Theatrum fuiſſe odium Pauſanias ſcribit, prope quod viſeretur Enneacrimos fons Piſiſtrati opus. Quod Alciatus de columnariis intelligit ſervos obaeratos, apud Ciceronem; idem Sebaſtianus Corradus vir literatiſſimus ſentit in ſua *in Ciceronem Quaeſtura in fine.* Et id eſt, quod de columnis in praeſentia ſpectat ad *legem noſtram.* Sed ut de columnis obiter locum Alfeni excutiamus, in *l. ſi quando 17. §. cum in domo 1. D. ſi ſervit. vindic.* qui perverſe uſque ad hoc tempus lectus eſt: illud addamus, ut clarior JCti ſenſus pateat, utque morem veterum in lucem revocemus. Ait igitur Alfenus: *Cum in domo C. Seji locus quidam aedibus Anniis ita ſerviret, ut in eo loco poſitum habere jus ei non eſſet: & Sejus in eo ſylvam ſaeviſſet, neque non labra, crateras, cucumellas poſitas haberet, &c.* Hic locus adeo varie legitur, ut nullum ſenſum certum quis poſſit elicere: alii enim *neque non labra teneraſque cucumellas*; alii *crateras cucumellas*; alii *cineris cacumellas*, ut Budaeus; alii *aereas* legunt. Ego ita legerem, *in qua labra, crateras, inter columellas poſitas, haberet.* Vidi enim Romae in Baſilica Lateranenſi balneum Conſtantini Imperatoris, qui lepra la-

laboravit, circum circa columnis conſtructum: ex quo mihi ſtatim ſubiit animum, veteres inter columnas marmoreas Balnea quandoque ſtruxiſſe, quae columnae in ſylvis eſſent. Horatius *lib. Epiſtolarum* 1. ad Fuſcum *epiſt.* 10. *v.* 22.

Nempe inter varias nutritur ſylva columnas:
Laudaturque domus, longos quae proſpicit agros.

Varro *lib. Rei ruſticae* 3. *cap.* 5. de his columnis ſenſiſſe videtur, moremque tetigiſſe: quo de nunc loquor, ait Varro: *In limine, in lateribus dextra & ſiniſtra, porticus ſane primoribus columnis lapideis intermediis, arbuſculis humilibus ordinatae*, &c. et paulo poſt: *Extra eas columnas eſt ſylva, manu ſata, grandibus arboribus tecta, ut infima perluceat totu ſeptu maceriis altis.* Ex his verbis, ut apparet, ſolebant veteres in ſylvis columnas ponere; non tamen affirmem hoc in loco intelligi hunc morem, propterea quod (ut exiſtimo) hic locus eſt valde corruptus, ut merito aliquo Delio natatore indigere videatur, qui eum explicet. Sed illud me magnopere in ſpe detinebit interim, ut hunc locum ſubobſcurum aliquando priſtinae ſuae lectioni reſtitutum iri credam, cum Laelius Taurellus vir integerrimus & Jureconſultus literatiſſimus ex archetypo Florentino Pandectas labore ſuo ſit propediem illuſtraturus & purgaturus. Sed jam Di faciant, ut haec, tamdiu a nobis deſiderata, tandem lucem aſpiciant, utque alios locos non intellectos literatis ſaltem bonarumque literarum ſtudioſis ſemel aperiant. Te rogo igitur obteſtorque per Deum meum Chriſtum, per principem tuum Coſmum Medicem, per caput tuum, per natos tuos, per patriam, per denique communem utilitatem, Laeli optime, ut Pandectas Ethruſcas jam edere velis: neque nos amplius tot in rebus ancipites detineas. Polliceor tibi me pro incolumitate tua, dum vivam, Deum ſuppliciter precaturum, & ut tibi Neſtoris aetatem viridem concedere, tuiſque votis favere velit.

Ex l. Medico ſuo 40. D. de auro & argen. legato.

Apud Scaevolam, Paterfamilias legaverat Medico ſuo contubernali, ejuſque communium expeditionum comiti hoc pacto: *Argentum viatorium meum dari volo.* Dubitatum fuit, quodnam argentum dari vellet teſtator; an illud, quod ſecum attulerat, dum diverſis expeditionibus pro republica occuparetur in diverſis temporibus; an id, quod domi paratum, in via expendendum, ſi contigiſſet, retinuiſſet. Reſponſum fuit, id viatorium argentum deberi, quod tempore teſtamenti habuiſſet teſtator. Cum aliquando hunc textum elegantiſſimum legerem accuratius, in mentem neſcio quid venit, de Medico, quaque ratione hic Scaevola Juriſconſultus de Medico patrisfamilias comite mentionem habuiſſet; cumque diu cogitaſſem, illud tandem ſedit animo, morem fuiſſe veterum Romanorum, ut ſecum Medicos quocunque irarent, adducerent: ut ſi quid humanam propter fragilitatem contigiſſet, qui ſe curarent, haberent: &, ſi me non lateat, per multos annos ſine Medicis vixiſſe Romanos in illis praeſertim temporibus, quibus Romana frugalitas, vivendique temporantia vigebat. Suetonium igitur Tranquillum morem hunc innuiſſe putarim, *in vita Julii Caeſaris cap.* 4. dum Caeſarem ſtatuiſſe Rhodum ſecedere ait. Ejus haec ſunt verba: *Circa Pharmacuſam inſulam a praedonibus captus eſt: manſitque apud eos non ſine ſumma indignatione prope 40. dies cum uno Medico, & cubiculariis duobus. Nam comites ſervosque caeteros in initio, ſtatim ad expediendas pecunias, quibus redimeretur, dimiſerat.* etiamſi aliquis eruditior (Robortellus *cap.* 21. *Annotationum*) *cum uno amico* ex Plutarcho legat & quidem ingenioſe; nihilominus, mea ſententia, *cum uno Medico* legendum eſt: nam ſi legas *cum uno amico*, cur ſubjungit auctor *Comites, ſervosque dimiſerat?* morem vero ducendi Medicos, quem ſupra tetigi, Aelianus *de inſtruend. acieb.* libello demonſtrat his verbis: *Bellatores hi ſunt, qui ad decertandum inſtruuntur, armisque adverſarium invadunt. Imbelles reliqui omnes habentur, ut Medici, ut tabernarii, ut ſervi, & caeteri, qui exercitum miniſteriis cauſa ſequuntur.* Eraſmus quoque, vir omni antiquitati comparandus, *in Encomio Medicinae* hujus moris meminit; innuit & Cicero non ſemel *in Epiſtolis Familiaribus.* Quin etiam Modeſtinus Juriſconſultus titulo, *Quib. major. in integ. reſtit. in l. inter eos* 33. §. 2. Medicos caſtra ſequi ſolere oſtendit his verbis: *Militum Medici reſtitutionis auxilium implorare poſſunt, quoniam officium, quod gerunt, & publice prodeſt, & fraudem eis adferre non debet.* Fit etiam mentio, *C. lib.* 10. *de profeſſor. & medicis. l.* 1. ubi dicitur, *Cum te legionis ſecundae adjutricis Medicum eſſe dicas &c.* Ubi Medicum legiones ſequi ſolere aſſerit, ibi etiam de immunitatibus Medicorum annotandum eſt: quos Homerus, omnis ſapientiae parens, caeteris hominibus praeſtare voluit. Sic igitur *in Iliade*: Ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων, hoc eſt, *quisque Medicus doctus ſupra alios.* & alibi: Ἰητρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, hoc eſt, *Medicus vir multis par aliis.* Medicum vero, propter neceſſitatem hominum creatum, honorare nos praecipit ſapiens, adeoque nobile id nomen eſſe conſtat, ut Chriſtus, humani generis columen, ſe Medicum appellari non dedignatus ſit. Notat illud & Ulpianus in *l. illicitus* 6. §. 7. *D. de offic. praeſid.* quod *ſicut Medico perito imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commiſit imputari ei debet. Nam praetextu humanae fragilitatis delictum decipientis, in periculo hominis innoxium eſſe non debet.* Scribit Ulpianus titulo *de extraord. cogn. D. l.* 1. §. 1. *Medicorum eandem eſſe cauſam, quae & Profeſſorum, niſi quod juſtior ſit ea Medicorum, cum hi ſalutis hominum agant, illi ſtudiorum curam, ideo Medicis extra ordinem jus dici debet.* Ferrariae in aede ſacra majori, in ſiniſtro latere, in quadam columna ineſt affixa ſtatua quaedam marmorea, quae, ut apparet ex liniamentis & habitu veſtium, antiquiſſima ſane eſt, in qua hae mirandae vetuſtatis literae corroſae, quae de neſcio quo Medico loquuntur, inciſae ſunt. P. PVPIVS PL. MENTOI MEDICVS IIIII. VIR. videat aliquis peritior in antiquorum marmorum literis explicandis; quid ſibi velit illud verbum MENTOI: nos enim ignoramus, quanta vero dignitate ornatus fuerit hic Medicus; quod VI. VIR. fuit, intelligi poteſt. Hinc non eſt mirum, ſi reges etiamnum praeclaros appellationem ejuſmodi non reformidaſſe ſit lectum, cujuſmodi fuerint Sabor, & Ginges Medorum, Sabiel Arabum, Mithridates Perſarum, & AEgyptiorum Hermes, ac Damaſceni regis nepos Meſues. Nam & Cordubae principem quidam produnt Avicennam, ut teſtatur Cael. Rhodig. *lib. Lect. Antiq.* 92. *cap.* 11. quo loco de Medicis, & medicina plura; ut etiam malefaciant hi, qui editis oratiunculis quibuſdam adverſus Medicos medicinam legibus poſtponendam contendant, ut quidam Praetor ridiculo argumento hanc litem nuperrime ſolvit. Doctor legum fur eſt. Medicus carnifex. Fur carnificem praeit, & ſequitur furem carnifex, ut eum ſuſpendat: igitur praeponendus legum Doctor (Corn. Agrippa lib. *de vanitate ſcient. De Medicina in genere. cap.* 82.) & haec quidem de Medicis ſatis & ſuper.

Ex l. In inſtrumento 8. D. de fund. inſtruct. leg.

Ulpianus ait: *In inſtrumento fundi ea eſſe, quae fructus quaerendi, cogendi, conſervandi gratia ſunt parata, & ſic Sabinus in libris ad Vitellium enumerat: quaerendi veluti homines, qui agrum colunt, & qui eum exercent, praepoſitive ſunt, puta villici, & monitores,*

Digitized by Google

res; item boves aratorii, aratra, tridentes, ligones, ſarcula, falces putatoriae, & ſi qua ſimilia. Cogendi ſeu condendi ea ſunt parata veluti corbes, alvei, falces meſſoriae, & falces foenariae, quali vindemiatorii. Conſervandi qualia ſunt vaſa, dalia, cupae, &c. Haec verba cum legerem, ſuccurrit animo locus idem apud Paulum *Sententiarum lib. 3. tit. de uſufruct.* ubi haec omnia inſtrumenta ruralia connumerantur; ſed, quia pene eadem verba ibi continentur, brevitatis cauſa praetereo. Hoc autem loco quaedam pauca vocabula ad interpretandum ſumimus, ut etiam alicujus auctoris locum excutiamus adverſus aliorum ſententiam, & in primis, qui ſint *monitores*. Sic enim legendum eſt apud Paulum *d. lib. Senten.* non autem *munitores*; dicuntur autem a monendo qui admonent hos, qui colunt terram; & ſunt ſervi qui praeſunt negotiis domini. Dicuntur etiam monitores ad ſimilitudinem illorum, quos Graeci pragmaticos appellant: nam hujusmodi homines ſuppeditant voce ſummiſſa oratoribus jura, & fori conſuetudines, ut quodam loco meminit Quintilianus, & a nobis in *Enarrationibus noſtris cap.* 21. relatum fuit. Sequitur, ut *falcis putatoriae*, ſeu vinitoriae, de qua hic fit mentio, figuram ponamus. Eſt autem ſic diſpoſita vinitoriae falcis figura ſecundum Columellam *lib. Rei ruſticae* 4. ut capulo pars proxima, quae rectam gerit aciem, culter ob ſimilitudinem nominetur; quae flectitur, ſinus; quae a fluxu procurrit, ſcalprum; quae deinde adunca eſt, roſtrum appellatur; cui ſuperpoſita ſemiformis lunae ſpecies, ſecuris dicitur; ejusque velut apex pronus imminens, mucro vocatur. Harum partium quaeque ſuis muneribus fungitur, ſi modo vinitor gnarus eſt. Nam cum in adverſum preſſa manu deſecare quid debet, cultro utitur; cum autem retrahere, ſinu; cum allevare, ſcalpro; cum incavare, roſtro; cum ictu caedere, ſecuri; cum in anguſto aliquid expurgare, mucrone, &c. Quod hic dicitur *cogendi*; ſimili modo Columel. *lib.* 2. *cap.* 19. loquitur his verbis: *Sed & jam feniſicia ſequitur cura meſſis, quam ut recte poſſimus percipere, prius inſtrumenta praeparanda ſunt, quibus fruges coguntur, & ſic inſtrumenta cogendorum fructuum ſunt, quae enumerantur per Juriſconſultum hic: at torcularia, corbes, falcesque meſſoriae, & falces foenariae,* &c. Hic quia de falcibus fit mentio, locus *in commentariis* Caeſaris *lib.* 3. priſtinae ſinceraeque ſuae lectioni reſtituendus eſt. Nec temere violanda eſt veterum Codicum lectio, quae aliqua fultura inniti poteſt: nec credendum eſt manuſcriptis libris, qui abhinc trecentis, aut quingentis annis editi ſunt; quum errorum plurimorum ſint illi libri inſperſi, nec fidem ſolidam faciant. Sunt & apud me hujusmodi quam plures libri, quibus tamen firmam non adhibeo fidem; forte, ſi Romanorum temporibus vel circa ea tempora ſcripta ea eſſent volumina, fidem aliquam facerent. Sed jam locum attingamus, quem ſcio quendam virum ſane eruditum (Franciſcum Robortellum Utinenſem in ſuarum *annotation. libello cap.* 1.) emendaſſe pro ſua opinione, non ut rem certam affirmaret, niſi applaudentibus ſui ſimilibus amicis. Sic igitur Caeſar in *Commentariis lib.* 3. *de bello Gallica cap.* 14. *Una erat magno uſui res praeparata a noſtris, falces praeacutae inſertae, affixaeque longuriis, non abſimili forma muralium falcium,* &c. Haec meo judicio ſanior eſt lectio, quam *ruralium*. Quaenam ſimilitudo eſſet (vir optime) rerum in pugna navali cum falce rurali? Sciendum igitur, apud veteres plura inſtrumenta machinarum, quibus muri oppugnarentur, fuiſſe, interque ea enumerari falces. Vegetius *lib.* 4. *cap.* 13. *Rei milit.* his verbis meminit: *Admoventur etiam teſtudines, arietes, falces, vineae, plutei, muſculi, turres,* &c. Ex ſequenti capite dicit, de ariete, falce, teſtudine loquens: *De materia, ac tabulatis teſtudo contexitur, quae ne exuratur incendio, coriis, vel ciliciis, centonibusque veſtitur. Haec intrinſecus accipit trabem, quae adunco praefigitur ferro, quod falx vocatur ab eo, quod incurvum eſt, ut de muro extrahat lapides,* & reliqua. De falcibus autem muralibus meminit & Crinitus *lib.* 19. *de honeſt. diſcipl. cap.* 2 ubi de inſtrumentis militaribus copioſe tractat. De Navalibus autem falcibus idem Vegetius *lib.* 4. *cap.* 44. ubi de telis tormentisque navalibus commiuiſcitur, haec dicit: *De onere namque armorum nemo poteſt conqueri, qui ſtans pugnat in navibus. Scuta quoque validiora propter ictus lapidum, & ampliora ſumantur propter falces, & harpagones aliaque navalia genera telorum.* Idem *cap.* 46. quid faciendum ſit cum aperto Marte bellum navale committitur. In hujusmodi certamine tria armorum genera ſolent ad victoriam plurimum prodeſſe, aſſeres, falces, bipennes; quae tria declarat ibi Vegetius. Sed nos de falcibus quid loquatur, dicamus: *Falx autem*, inquit, *dicitur acutiſſimum ferrum curvatum ad ſimilitudinem falcis, quod contis longioribus inditum, collatorios funes, quibus antenna ſuſpenditur, repente praecidit, collapſisque velis liburnam pigriorem inutilemque reddit.* Hactenus Vegetius, cujus verba pura puta me hercule illum locum Caeſaris belle explicant: quod autem dixit Caeſar *falces affixas longuriis* puto idem eſſe, quod dixit Vegetius *ferrum contis longioribus inditum*; ut etiam idem meminit *lib.* 3. *cap. alt.* ubi ferramenta, & machinas, quas ſecum affert legio, enumerat. Nam ibi haec dicit: *habet ferreos harpagones, quos lupos vocant, & falces ferreas confixas longiſſimis contis.* Quod autem vir literatus admonet in Lexicis Graecis in verbo Δορυδρέπανα non legendum *muralium fulciam*, animadvertant, judicentque caeteri periti viri, num ſincerius juxta ſententiam noſtram legendum ſit, ut uterque locus priſtinam lectionem retinere poſſit. Et haec quidem de falcibus muralibus, & navalibus ſufficiant: hae autem, quibus ruſtici utuntur, omnibus notae ſunt; ideo a nobis hoc loco omittendae. Sed non illae, quibus utuntur pro telis aliqui Germanorum, quas Franciſcus Irenicus in *Germaniae exegeſeos lib.* 4. refert ex Sidonio, Claudiano, Statio, poëtis. Sidonius *Paneg. v.* 1479.

Curſu Herulus, Hunnus jaculis, Francusque natatu,
Sauromatae clypeo, Salius pede, falce Bohemus.

Claudianus in *Stilicone, lib.* 1. *v.* 112.

Nec falce Gelonus,
Nec arcu pepulere Getae, nec Sarmata conto.

Statius *in Achil. lib.* 2. *v.* 416.

—— *Nec quoque me ulla feri Mavortis imago*
Praeteriit, didici quo Paeones arma rotent,
Maſſagetae ſua geſta cient, quo turbine Ceſtam
Sauromatae, falcemque Getes, arcumque Gelonus.

Non illud etiam praeteribo, cum ad rem faciat, quod hi, qui cantatas ſecretaeque virtutis herbas legere volunt, falce aurea uti ſoliti ſunt: Druydarum mores ſectantes, quos priſcos Gallorum ſacerdotes fuiſſe auctores referunt. Virgilius tamen ahenis falcibus herbas fuiſſe demeſſas teſtatur, *lib.* 4. *AEneid. v.* 513.

Falcibus & meſſae ad lunam quaeruntur ahenis
Pubentes herbae, nigri cum lacte veneni.

Ex l. Caeſar 15. D. de publicanis & vectig.

Caeſar (inquit Ulpianus) *cum locaret inſulae Cretae cotorias talem legem ſancivit. Ne quis praeter redemptorem poſt idus Martias cotem ex inſula Creta fodito, neve eximito, neve avellito, &c.* Cur autem legem ita dixerit Caeſar, ſi Vegetii *Rei militaris lib.* 4. *cap.* 39. verba apponantur hoc loco, facile percipiemus. Is namque cum tractat, quibus menſibus tutius navigetur, haec dicit: *A Novembri autem menſe crebris tempeſtatibus navigia conturbat Vergiliarum hyemalis occaſus;*

ſas. Ea die igitur tertio idaum Novembris atque in diem ſextam idaum Martii maria clauduntur. Nam lux minima, noxque prolixa, nubium denſitas, aëris obſcuritas, ventorum, imbrium, vel nivium geminata ſaevitia non ſolum claſſes a pelago, ſed etiam commeantes a terreſtri itinere deturbat. His verbis, mea quidem ſententia, redditur clarior Ulpianus; ſi quis penitius introſpexerit utriusque verba. Nam cum dicit Ulpianus, nullum praeter redemptorem poſt idus Martias evellere poſſe cotes, intelligit id, quod dicit Vegetius usque in diem ſextum Martii claudi maria, hoc eſt, non eſſe tutum ea navigari. Nam Caeſar eo tempore, quo idus Martiae transierant, nolebat quemquam praeter redemptorem evellere cotes eo, propter quod tunc tutiſſimum navigare, ante vero idus Martias unomquemque periculo ſuo navigare poſſe, & ideo ſi evelleret cotes in poenam legis non incideret: & eum, qui ante idus Martias navigaverat, onuſta navi a vento delata in portum, deinde poſt idus Martias tempeſtate in inſulam deductus, in poenam non incurriſſe merito reſpondit Ulpianus, quia in initio evectae cotes viderentur: & ex portu navi evecta, quae ante idus Martias enavigaverat. Quod vero maria clauduntur, meminit & magnus Alciatus in *l. littus eſt* 96. *D. de verb. ſig.* & *lib. Obiter dictorum* 10. *cap.* 19. ubi eleganter declarat. Nos autem locum Vegetii, etſi a domino Alciato recitetur, non omiſimus, propterea quod *hanc legem* ille non alleget; quae quidem meo judicio non fuit omittenda, cum dilucidior ſenſus *legis hujus* pateat hac noſtra interpretatione: quod autem in initio evectae cotes tollant ambiguitatem, an adverſus legem factum ſit, id ratione conſtat: nam initium cujuſque rei ſemper conſiderandum eſt; ut ex *hac lege* colligit jurisprudentiae interpres maximus Bartolus, & ut ex multis legibus probatur, *l. damni* 18. *§. Sabini* 11. *D. de damno infect.* & ex *l. ait* 21. *D. ad leg. Aquil.* & *l. qui balneam* 9. & *l. potior* 11. *D. qui potior. in pig. hab.* & *l. ſi procurator* 8. *circa principium. D. mandati.* & *l. ſi id quod* 58. *§. ſi filiusfamilias* 2. *D. pro ſocio.*

Ex l. tutor 7. §. 1. D. de adminiſtrat. & pericul. tutorum.

Ulpiani ſunt verba tit. *de Adminiſtrat. tutorum: Si tutor ceſſaverit in diſtractione earum rerum, quae tempore deperount: ſuum periculum facit: debuit enim confeſtim officio ſuo fungi. Quid ſi contatores expectavit differentes, vel etiam valentes ſe excuſare, an ignoſcatur ei? & non facile ignoſcetur. Debuit enim partibus ſuis fungi, quidem praecipiti feſtinatione, ſed nec moratoria cunctatione.* Ex his verbis poſterioribus, *non praecipiti feſtinatione, ſed nec moratoria cunctatione*, adagium illud elicitur: hoc eſt, σπεῦδε βραδέως, id eſt, *feſtina lente*; quod ab Auguſto Caeſare ſaepius in ore habebatur, ut ſcribit Suetonius in *vita Auguſti cap.* 25. his verbis: *Nil autem minus in perfecto duce, quam feſtinationem temeritatemque convenire arbitrabatur. Crebro itaque illa jactabat* σπεῦδε βραδέως· ἀσφαλὴς γάρ ἐστ' ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατηλάτης, hoc eſt, *feſtina tarde: tutus eſt enim melior quam temerarius Imperator.* Idem A. Gellius *Noct. Attic. lib.* 10. *cap.* 11. ſcribit divum Auguſtum ſolitum eſſe *dicere in ſermonibus, & ſcribere in Epiſtolis:* σπεῦδε βραδέως, *id eſt, matura; per quod monebat ut ad rem agendam ſimul adhiberetur & induſtriae celeritas, & diligentiae tarditas.* ex quibus contraria ſententia poſitis maturitas propagatur. Hinc maturare verbum pro ex conſulto facere, atque adeo bene, quo & Virgilius in ea ſententia uſus eſt hoc carmine *lib.* 1. *Georg. v.* 259.

Frigidus agricolam ſi quando continet imber.
Multa forent, quae mox coelo properanda ſereno
Maturare datur.

Meminit & Macrob. *lib.* 6. *Saturnal.* Hinc maturandum a Rhetoribus vice proverbii dictum eſt. Alciatus *in Emblematis* ita eleganter verſibus maturitatem demonſtrat:

Maturare jubent propere, & cunctarier omnes
Neu nimium praeceps, neu mora longa nimis.
Hoc tibi declaret connexum echeneide telum.
Haec tarda eſt, volitant ſpicula miſſa manu.

AEgyptii maturitatem hanc intelligere volentes, hac eleganti forma pingebant alam una cum teſtudine: ala ſiquidem velocitatem demonſtrat, teſtudo tarditatem. Ideo a M. Cicerone *lib. de Divinat.* 2. *cap.* 64. appellata eſt *tardigrada, domiporta.* Hanc maturitatem intelligit Venulejus Jurisconſultus, in *l. continuus* 137. *§. item qui inſulam* 3. *D. de verb. oblig.* ubi dicit: *Qui ſpopondit fieri inſulam, non utique conquiſitis undique fabris; & plurimis operariis feſtinare, nec rurſus utroque, aut altero eſſe contentus, ſed modus adhibendus eſt ſecundum rationem diligentis aedificatoris, & temporum locorumque*, &c. ubi annotandum eſt ex ſententia Cleobuli, unius ex ſapientibus ſeptem, qui omnibus in rebus modum adhibendum eſſe praedicabat, ut hoc carmine *in Emblemate ſuo*, doctiſſimus Alciatus luſit:

Optimus in rebus modus eſt (Cleobulus at inquit)
Hoc trutinae examen, ſive libella docet.

In libello numiſmatum Auguſti Caeſaris, Delphin obvolutus eſt tridenti. Id ſymbolum nil aliud ſibi vult, quam illud Auguſti dictum: ſic & illud numiſma Titi Caeſaris, ubi inſcripta ſunt ea verba: TR. PL. X. IMP. XV. COS. VIII. PP. ibique Delphinem anchorae amplexantem praefert. Sic & in numiſmate Domitiani argenteo Delphinem anchoram obvolutum cum hac ſcriptione vidimus. TR. POT. COS. VIII. PP. De hac autem re meminit plene magnus Eraſmus in illo Adagio *Lente feſtina. chil.* 11. *Centur.* 1. quem omnino videndum ab omnibus bonarum literarum ſtudioſis hortor, & rogo.

Ex l. Judaeos quosdam 11. C. de Judaeis & Caelicolis.

Honorius & Theodoſius AA. Anthemio P. P. in haec verba reſcripſerunt: *Judaeos quosdam feſtivitatis ſolemnis ad poenae quandam recordationem incendere, & ſanctae crucis adſimulatam ſpeciem in contemptum Chriſtianae fidei ſacrilega mente exurere, provinciarum rectores prohibeant, &c.* Interrogatus quandoque fui, quaenam eſſent ſolennia illa, quae hic commemorantur, quique ritus hic tandem foret. Reſpondi, me hujus rei apud duos eruditiſſimos auctores hiſtoriam legiſſe, Crinitum ſcilicet & Rhodiginum; quorum alterius locum hic appoſuiſſe, ut rem totam apertius demonſtremus, ſatis erit. Recitat igitur P. Crinitus *lib. de honeſta diſciplina* 7. *cap.* 4. ubi de daemonum ingenio meminit, hanc rem his verbis: *Gnoſtici quidam daemonem ſe olim concipere quibusdam ſacris dicebant poſſe: huncque in modum ab ipſis ſolere effici ſacra & ſolennia. Decimo Calend. Aprilis, quo die Jeſus Chriſtus a Judaeo populo cruci affixus eſt: Convenire hi ſolent cum puellis ſibi notis; tum, peractis quibusdam ſacris, atque luminibus extinctis, ſimul coitum ineunt, vel cum ſorore, vel cum filia, nec ullam prorſus rationem habent affinitatis. Dein autem nono menſe in eundem locum redeunt puellasque advocant: & natos infantes ab illis accipiunt, eorumque corpus circumcidunt; tum effluente undique cruore phialas implent, & puerorum ſimul corpora cremantes, cineremque accipientes cruori commiſcent, atque eo condimento, epulas & pocula clam ubicunque incidant condiunt; tum his quidem ſacris & alimentis divinos quaſi* * *characteres in illis imprimi atque infundi exiſtimant, ac ipſa etiam*

* *Characteres.*] Burchardus Epiſcopus Wormacienſis, *lib.* 19. *ſuorum Decretorum, cap. de arte magica, ſeu ſuperſtitione*, de characteribus his ita meminit: *Feciſti phylacteria diabolica vel characteres diabolicos, ut quidam diabolo ſuadente facere ſolent, vel herbas, vel ſuccinos, vel quintam feriam in honorem Jovis honoraſti, & feciſti vel conſenſiſti, 40. dies in pane, & aqua poenitens.*

Digitized by Google

iam daemonia liberius concipi & foecilius retineri: & reliqua quae de Gnoſticis ſequuntur apud ipſum eundem Crinitum. Hanc igitur hiſtoriam hoc loco intelligere voluiſſe Imperatores hos putaverim: cum dicat textus, *ſolennia incendere*. Incendebant enim corpora infantium; nec quisquam putet legendum *intendere*, cum omnino legendum ſit *incendere*, ut reſtituit Haloander, & in Pariſinis codicibus emendatior habeatur lectio. Quare autem Gnoſtici ſic appellati ſint, id in cauſa fuit: hi enim arcanam myſteriorum ſcientiam ſibi arrogabant. Sed verius hi Borboritae ſeu Borboriani appellari debent: hoc eſt, *βορβορίται*, id eſt *lutulenti*. De his mentio habetur in *Decretis cau*. 24. *q*. 4. Gnoſtici propter excellentiam ſcientiae ſe ita appellari voluerunt. Animam naturam Dei eſſe dicunt: bonum & malum Deum ſuis dogmatibus fingunt. De Borborianis fit mentio in *l. Arriani* 5. *ſupra de haereticis*. Gnoſticorum autem dogma nefarium a Manente quodam in Syria prodiitum fuiſſe, refert Caelius Rhodig. *lib. Lect. antiq*. 2. *cap*. 16. quod autem hic dicitur in textu de exuſtione crucis, idem de calcatione intelligendum eſt: nam ſub pedibus poſito ipſo crucis vexillo conculcant Judaei, in Chriſtianae religionis contumeliam. Ideo Theodoſius & Valentinianus Caeſares Eudoxio P. P. reſcripſerunt, nemini licere ſignum Salvatoris Chriſti humi, vel in ſilice, vel in marmore ſculpere aut pingere: quod etiam ab ipſo P. Crinito, viro ſatis diligenti, *lib*. 9. *de hon. diſcipl. cap*. 9. relatum eſt.

De jurejurando D.

Vide in hunc titulum Quintilianum *lib*. 5. *cap*. 6. ubi jurisjurandi quatuor formas deſcribit: Oblationem ſcilicet ſui, recuſationem alieni, delationem, aut exactionem alieni, aut recuſationem ſui; & quo pacto quaeque ſingulae ſint tractandae, & ut ipſo adoleſcente ſeniores in agendo facti, praecipere ſolebant, ne jusjurandum unquam deferremus: ſicuti neque optio judicis adverſario ſit permittenda, nec ex advocatis partis adverſae judex eligendus. Nam ſi videtur turpe advocato contraria dicere; certe turpius habendum, facere quod nocêat. De jurejurando vide Gellium *lib*. 11 *cap*. 6. ubi ait per Herculem mulieres, viros per Caſtorem non jurare. Vide *lib*. 7. *cap*. 18. vide de vario & multiplici jurisjurandi genere apud Alex. *Genial. dierum lib*. 5. *cap*. 10. & nonnulla apud Ciceron. *lib*. 3. *offic*.

Ex l. 3. ejusdem tituli, in fin.

Caeterum, ſi ego detuli ut per Deum jurares, tu per caput tuum juraſti. Vide in *Authent. ne luxur. contr. Natur*. Olim per capillum Dei, vel caput jurare crimen fuit, ultimoque ſupplicio ſubjiciebantur, ex officio Praefecti urbis; ut patet in *Novellis* Juſtiniani, per Julianum Patricium in Latinum tralatis. in titul. *de his qui per capillum Dei, aut caput jurant*. & *cap. ſi quis per capillum* 10. *cau*. 22. *q*. 1. Praecipit veritas Matth. *c*. 5. *v*. 34. *ſeqq*. & *c. conſidera* 8. *cau*. 22. *q*. 1. ne quis omnino juret per coelum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia pedum Dei eſt ſcabellum; neque juremus per caput noſtrum, quia ne minimum quidem capillum album facere, aut nigrum poſſumus, & quia omnes capilli capitis noſtri ſunt numerati. A. Gellius *lib*. 10. *cap*. 15. refert ex Fabii pictoris *lib*. 1. Flaminem Dialem jurare nunquam fas fuiſſe. & verba Praetoris ex Edicto perpetuo de Flamine Diali, & ſacerdote Veſtali adſcribit hunc in modum: *Sacerdotem Veſtalem & Flaminem Dialem, in omni mea juriſdictione jurare non cogam*.

I. Juramentum vero ſeu jusjurandum habet executionem paratam, ſicut ſententia, *l. poſt rem* 56. *D. de re jud. l. ſed ſi poſſeſſor* 11. §. *penul. D. de jurejur*. Vide Bald. in *l*. 1. *C. de rebus cred*. vide Paul. de Caſt. in *l. nam & poſtea* 9. §. *ſi Praetor* 3. *D. de jurejurando*.

II. Sed quid ſi jusjurandum interpoſitum ſit ſuper actu ſimulato, an actus ſit validus, & dic quod non, ut per Bald. in *l. emptorem* 3. *in fin. C. plus valere quod agitur*. *in l*. 1. *D. de operis libert. in rub. D. de jurejurando*. & per Bald. & Angel. in *l. fin. D. de his qui ſatisdar. cogant*. per Canoniſtas in *cap. cum contingat* 28. *de jurejurando*. per Angel. in *l*. 1. *C. de dote cauſ. non num*.

III. Sed an ex juramento praeſtito inter patrem & filium oriatur efficax obligatio videamus: & probatur quod ſic, ſi juramentum aliquid turpe non contineat, ut in *cap. cum juramento* 4. & ibi notant Doct. *de homicidio*. Facit text. *in cap. quamvis* 2. *de pact. in* 6.

IV. Juramentum autem ſi appoſitum ſit ſuper obligatione naturali, facit obligationem eſſe efficacem, ut probat Bartol. in *l. ſi quis pro eo* 56. in 6. membro. *D. de fidejuſſor*. & Doctores in *cap. cum contingat* 28. *de jurejurando*. & in *cap. cum veniſſent* 6. *de inſtit*.

V. Juramentum etiam de jure divino & naturali eſſe conſtat, *cap. & ſi Chriſtus* 26. *de jurejurando*, *cau*. 15. *q*. 6. *cap. auctoritatem* 2. *cum gloſſ*.

VI. Illud etiam, notatu dignum, non eſt omittendum hoc loco, quod juramentum non eſt deferendum alicui de aliqua re, quando veriſimiliter ille ſit futurus transgreſſor, cum non debeamus eſſe auctores perjurii, ut not. Bald. in *l*. 11. *C. de indict. viduit. tollend*. vide ad hoc text. notab. in *cap. is qui hominem provocat*. 5. & *cap. qui exigit* 6. *cau*. 22. *q*. 5. & text. in *l. remittit* 6. *D. de jurejurando*.

VII. An vero perjurus ſit puniendus, vide in *l. de perjurio* 4. *D. de crimin. ſtellion*. vide text. qui aliter loquitur in *l*. 2. *C. de rebus cred*. qui dicit, *ſatis Deum ultorem habet*; ſed intellige quando quis perjurat ſolum in detrimentum animae ſuae: & ita intelligitur ille text. quando vero in praejudicium tertii, tunc poteſt criminaliter puniri. Ita notabiliter dixit Bald. poſt Jacobum Butrium in *l. ſi cum paterno* 6. *C. communia utriusque jud*. & imo magis Deus contriſtatur de perjurio ſecundum Bald. in *Authent. Cui relictum. C. de indict. viduit. tollenda*.

VIII. Juramentum vilium perſonarum nullum habet pondus, & apud graves & bonos in nihilo reputatur, ſecundum Bald. notabiliter in *dicta Authent. Cui relictum*.

IX. Abſolvendus a juramento habet exceptionem de praeſenti: ut dixit D. Anton. de Butrio in *cap*. 1. *de jurejurando*.

X. Juramentum in teſte non eſt de ſubſtantia, ſed ſolum inductum fuit in favorem partis, ſecundum Bald. & Angel. in *l. milites* 15. *C. de teſtam. militar*. & Bald. in *l. presbyters* 8. *de epiſcop. & cleric*. vide Bartol. in *l. filius* 7. *D. de donation*. per dominum Alexand. in *d. l. milites* 15. & informatio poteſt ſumi a teſte non jurato, ſecundum gloſſ. ſingularem in *cap*. 1. *verſ. Si duo. de pace tenenda*.

XI. An tolli vel remitti poſſit juramentum de conſenſu partium, vide in *cap. in tuis. de teſtibus*. & per gloſſam in *l*. 1. *D. de feriis*, & plene notatur in *cap. de cauſis* 5. *de officio delegati*.

XII. Judex ſaecularis an ſit judex idoneus ad cogendum partem ad abſolvendum a juramento, vide Ludov. Rom. in *rub. de jurejur*. in *notabili* 495.

XIII. Juramentum non debet intelligi ſecundum quod jurans habebat in mente, ſed ſecundum quod altera pars intendebat. Ita dicit P. Caſtrenſis argumento eorum, quae notantur in *l. fundum cum mihi venderes* 7. *D. de actio. empt*.

XIV. Si aliquis petat ſe abſolvi a juramento, an videatur fateri ſe eſſe ligatum, vide Doctores in *cap*

ad praeſentiam 16. *extra de appellat.* de quo dicit ut infra in *cap. venerabilem* 34. & infra per gloſſ. extra *de electio.* aliquid per Innocent. in *cap.* 1. *de ord. cognitio.* per Bartol. in *l.* 1. *in fine principii. D. de operis novi nunciat.* & in *l. decem* 116. *D. de verbor. obligat.* per Bald. in *l.* 1. *C. de ingenu. & manumis.*

XV. Quando committitur per judicem, ut deferatur juramentum alicui egregiae perſonae, ſed mittendo notarium ad domum ejus expenſis, cujus mitti debeatur: vide Bartol. in *l. generaliter* 12. §. *bis de praeſentibus* 4. *C. de rebus credit.* ubi dicit, quod eſt in arbitrio judicis. Bald infra dicit quod illas debet facere qui petit hoc fieri; argumento *l. quoniam liberi* 11. *C. de teſtib.* Salicetus ibi dicit, quod debet facere ille, cui defertur juramentum, quia ſui gratia ad eum mittitur. Bartol. in *l.* 2. §. *final. D. ex quibus cauſis in poſſeſſ. eat.* dicit, quod ſi debet mitti nuncius abſenti ad jurandum de calumnia, vel ad aliquid reſpondendum: tunc debet mitti expenſa abſentis. Vide etiam Bartol. in *l. ſi poſtulaverit* 27. *in principio. D. de adulter.* Joan. Andr. *in additio.* Specul. in titul. *de jurament. calum.* §. *reſtat. verſic. fin.* tenet quod expenſis communibus. Vide per. Guid. de Suzar. in *Authent. Principales. C. de jurament. calum.* & quod not. Imol. in *cap. pertractandis* 3. *de jurament. calum.* per Petrum de Anchara, in *cap.* 2. *de judic. in* 6. Vide per Paul. de Caſtro & infra per D. Alexand. in *l. ad perſonas egregias* 15. *D. de jurejurand.* qui dicit quod opinio Speculatoris, & Joan. Andr. ſibi placet, quia talis concernit communem utilitatem. Dominicus de Sancto Geminia. in *cap. praeſentium* 2. *in* 9. *colum. de teſtib. in* 6. tenet contrarium. Vide omnino Abbatem & Doctores in *cap. ſignificavit* 9. *extra de offic. ordin.* Et haec quidem ſufficiant de juramentis, ut & Legulejis, forenſibusque rabulis ipſis in aliquibus faciamus ſatis.

Ex l. Veſtem 39. D. de injuriis & famoſis libel.

Venulejus, *Veſtem ſordidam rei nomine, in publico habere, capillumve ſubmittere nulli licet: niſi ita conjunctus ſit affinitate, ut invitus in reum teſtimonium dicere cogi non poſſit.* Hic quia locus eruditionis plurimum in ſe habet, in praeſentia a nobis non omittendum eſſe opinati ſumus; etſi a Budaeo, qui ante nos vixit, ſuaque edidit, ſciam declaratum: quod tamen a me annotatum fuerat ante, quam Budaei locum viderem. Nec adeo ſupinus ſum, quin putem me habiturum aliquos adverſarios, qui ut illico viderint haec noſtra ſcripta, ex alienis dictatis me compilaſſe vociferent. Sed velim hi ſciant, ita a natura comparatum eſſe, ut ſemper aliena meliora ſint propriis, juxta illud, quod cecinit Pelignus vates, *lib.* 1. *de Art. v.* 349.

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris:
Vicinumque pecus grandius uber habet.

Et id quidem vitium vetus eſt, ut Plinius in *prooemio Naturalis ſuae Hiſtoriae* tradit, & refert Alciatus *lib. Exceſſuum* 11. *cap.* 21. Sed majus dedecus eſt eorum, qui jura profitentur, quique ſe rerum publicarum oracula vocitari volunt: qui ex integris voluminibus aliorum, &, ut ita loquar, ex alienis racemationibus ſibi vindemias conſtruxerunt. Quis non legit apud magnum Alciatum *lib.* 11. *Parergôn, cap.* 21. Gulielmum Speculatorem aliorum operum maximum fuiſſe ſuppilatorem; cujus furta perpetuo latuiſſent, ni Joannes Andreas retexiſſet? quis *ſummulam* Alberici *de matrimonio* neſcit fuiſſe cujusdam Joan. Anquiſſulae? ut etiam Azonis *ſummam* illam in *tres libros Codicis poſteriores*, quae Placentini veteris legum in Monte Peſſulano Profeſſoris eſt. Quis eſt tam male verſatus in litteris, qui neſciat, ipſum Accurſium omnes ſuas gloſſas ex Bulgaro, ex Placentino, ex Irnerio, & Martino, & Azone, caeterisque vetuſtioribus ſurripuiſſe? & nihil pene ſui addidiſſe? Quis Bartolum ignorat jurisprudentiae arcem obtinentem etiam multa ab Nicolao Mattarello in ſua tam vaſta volumina transtuliſſe, ipſo referente Baldo, & taxante Bartolum in *l. precibus* 8. *colum. antepenultima. C. de impuber.* & in *l. ſi donatione* 13. *colum. ſecunda. C. de collation.* quem reprehendit Barbatia in *cap. licet. colum.* 5. *de foro competent.* Unde nos non miramur, illum tot & tanta volumina perſcribere potuiſſe, etſi quadrageſimum ſextum annum agens fato ſublatus eſt; ut Paulus Jovius ſcribit *in elogiis imaginum virorum clariorum*: qui de eodem miratur. Sed nonne Jaſoni de dictis Cornei, quod detegit Lancellotus in *l.* 1. *C. de ſecun. tabul.* id vitio datum eſt, & ut alienae laudis fur eſſet? etiamſi dictitare ſolere eum intelleximus talia furta non mereri furcam, quem (ut fama eſt) illum titulum *de Actionibus* ab Alexandro, & *additiones* in Porcium a Joanne Platea ſurripuiſſe, ſibique arrogaſſe non puduit. Id vitium Joanni Andreae datum eſt de conſiliis Oldradi a ſe ſublatis. Idem fecit Practicus Papienſis de Practica Petri Jacobi, quam ſibi arrogaſſe refert Caepolla *de ſervitut. urb.* Suggillatur a Crinito Bartholomaeus Socinus *lib. de hon. diſcipl.* 5. *cap.* 3. quod Politianus orationem illi dictaverit, quam coram Alex. Pontifice VI. nomine gratulationis civitatis Senarum habuerat, ubi etiam in illa excidiſſe ait. Sed in humanioribus auctoribus quis credat idem crimen non irrepſiſſe? cum quotidie multa ſimilia furta fieri paſſim videamus. Notatus eſt Macrobius olim, quod Gellii ſcripta *in Atticis Noctibus* ſibi attribuat, quodque pene eadem ſcribat: &, ut ait Crinitus, in quadam Epiſtola ad Alex. Sartium, qui dapibus partim emendicatis, partim ſuffuratis ſuas inſtruxit coenas. Alex. Neapol. ejusdem farinae auctor reprehenditur, quod nunquam auctores citet, per quos profecerit; & ideo videtur ſuſpectos reddere lectores, an ille de ſuo quicquam ſcripſerit. Conqueritur & Politianus in *calce ſuarum Miſcellanearum* ſibi inuri hanc notam, quod Miſcellaneas, a ſe ſcriptas, Nicolao Perotto Sipuntino ſuffuratus fuerit, ex *Cornucopia*. Similia ſexcenta poſſem connumerare, ni me dies deficeret. Arguit Vitruvius in *praefatione lib.* 7. *Architectonices* eos, qui aliorum ſcripta furantur, proque ſuis praedicant, qui neque propriis cogitationibus nituntur, ſed invidis moribus aliena violantes gloriantur, poena condemnari debere, propterea quod impio more vixerunt: ibique connumerat quosdam, qui aliena coram Ptolemaeo recitaverant, condemnatos furti, a Rege cum ignominia dimiſſos fuiſſe. Sed jam ad rem noſtram veniamus! Ego enim, ſi qua furta fecero (ſi modo furta ſunt ea vocanda, quae a nobis adhibitis in teſtimonium rerum ſuarum auctoribus fiunt) unicuique domino, quod ſuum eſt, reddi volo. Namque ingenui candidique animi ſemper habitum eſt, fateri, per quos profeceris ſecundum Plinium *in Epiſtolis*, quem refert Card. Alex. in *fine commentarii ad* 4. *Decretalium.* Jaſ. in *fine commentarii Inſtit. de action.* Sed etiam ſi qua meditatus ego fuero praeter alios, & ſi quae alii ſcripſerint ante me, ego quoque cogitando illa compoſuerim, mihi tribui volo, non quod aliis ego ſurripuerim. Nam, cum medio poſuerit Deus omnia campo, nimium crudelis, incivilisque judicis eſſet, quae noſtro labore facta ſunt, aliis tribuere velle: quia ante nos fuerint, noſtraque conſcripſerint. Tritum fuiſſe (ſcio) olim Donati, dicterium, *Pereant, qui ante nos noſtra dixerunt!* Ego non ita illis precabor, qui prae me. quae a nobis concepta ſunt, edi-

ediderint: ſed proſpera, fauſtaque eis ominabimur. nec eorum locos, auctoritateſque (modo legerimus eas) citare dedignabimur. Caeterum legem, quae de ſordidatis inter manus eſt, jam expediamus. Sciendum igitur breviter eſt, moris fuiſſe apud veteres Romanos, ut Rei ſolerent veſtem ſordidam, & lugubrem induere, & capillo incompto incedere, ut ad miſericordiam, & pietatem facilius judices commoverent, qua de re apud M. Ciceronem in *oratione pro M. Coelio cap.* 2. fit mentio his verbis: *Nam quod de pietate dixiſtis, eſt iſta quidem noſtra exiſtimatio, ſed judicium certe parentis. Quid nos opinemur, audietis ex juratis: quid parentes ſentiant, lachrymae matris incredibiliſque moeror; ſqualor patris, & haec praeſens moeſtitia, quam cernitis, luctuſque declarat.* Idem factum fuiſſe in lege Hebraeorum, ut ſacco & cilicio induerentur; caputque cinere inſpergerent, ad removendam iram divinam legimus. Morem autem Romanorum de ſordidatis nunquam obſervaſſe P. Scipionem Africanum, Pauli filium, recitat A. Gellius *lib.* 3. *Noct. Attic. c.* 4. cum a Claudio Aſellio Trib. Pleb. illi ad populum dies dicta eſſet: *Neque enim deſiſſe radi, neque non candida veſte uti, neque fuiſſe cultu ſolito reorum.* Fiebat olim in invidiam alicujus, eo etiam pacto, ut veſte lugubri, aut ſqualida quis uteretur, aut barbam demitteret, capilloſve ſubmitteret, ut notat Ulpianus hoc ipſo titulo *de Injuriis*, in *l. item apud* 15. §. 27. *v. Haec autem.* Sed de ſordidatis haec ſatis. Nunc alium locum declaremus in *d. l. item apud* 15. §. *adjicitur* 38. *Adjicitur* (inquit Ulpian.) in edicto Praetoris, *Adverſus bonos mores, ut non omnis omnino, qui verberavit, ſed qui adverſus bonos mores verberavit, teneatur. Caeterum ſi quis corrigendi animo verberaverit, aut emendandi, non tenetur.* ut *l. ſed ſi quemcunque* 5. *in fine. D. ad leg. Aquil.* ubi dicitur: *Si quis percuſſerit monendi, docendive cauſa, non autem faciendae injuriae cauſa, non teneri.* Hinc (§. 39. *h. l.*) *quaerit Labeo, ſi magiſtratus municipalis ſervum meum loris ceperit, an poſſim cum eo experiri, quaſi adverſus bonos mores verberaverit: & ait, judicem debere inquirere, quid facientem eum ſervum verberaverit: Nam ſi honorem, ornamentaque petulanter attentantem ceciderit: abſolvendum eum.* Hic quia *ornamenta petulanter attentantem ſervum* dixerit Jureconſult. illud in cauſa fuiſſe crediderim: nam forte ille ſervus voluerat uti ornamentis magiſtratus ad aliquem terrendum, vel concutiendum: ut notatur *lib.* 5. *Sentent. recept.* Pauli ad filium *tit. ad leg. Corn. teſtamentariam*, §. 12. ubi dicitur: *Qui inſignibus altioris ordinis utuntur, ſi malitia confingunt, quo quem terreant, vel concutiant, humiliores capite puniuntur, honeſtiores in inſulam deportantur.* Honorem vero dixiſſe JCtum puto, quia de amicitia judicis vel familiaritate mentiebatur ille ſervus, ut eventus ſententiarum ejus venderet, quidve obtentu nominis ejus ageret, quem ſic convictum, pro modo delicti, aut relegari, aut capite puniri *eodem loco* admonet Paulus. Vide titulum *de his qui potentior. titul. utunt. C.* ut terrorem incutiant, cum ſequenti titulo, qui ad rem noſtram faciunt.

Ex l. videamus 11. §. finali. D. locati.

Inter conductorem & locatorem convenerat, ne in villa urbana foenum poneretur. Poſuit; deinde ſervus igne illato ſuccendit. ait Labeo, teneri conductorem ex locato: quia ipſe cauſam praebuit inferendo foenum contra conductionem. Haec Ulpianus. Vitruvius *lib.* 6. *cap.* 9. *Architectonices* admonet, ne in villa urbana hujusmodi res ponantur his verbis: *Horrea, foenilia, farraria, piſtrina, extra villam facienda videntur: ut ab ignis periculo ſint villae tutiores.* Hoc etiam Palladius *lib.* 1. *c.* 32. de foenili, paleario, & lignario admonet. Quae vero ſit urbana villa, & ruſtica, vide hoc loco Budaeum in *prioribus annotationibus*.

Ex l. Eorum 4. C. de Mathematicis.

Eorum punienda eſt ſcientia, & ſeveriſſimis merito legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus, &c. Cur hoc loco, *accincti* dixerit Conſtantinus, non ſine aliqua ratione dictum exiſtimo: ſed alluſiſſe ad id, quod ſolent Magi facere. Namque hi quibuſdam cingulis utuntur, ſeque & alios cingunt. Hinc Virgilius in *lib.* 4. *Aeneid. v.* 493.

— *Magicas invitam accingier artes.*

olim Romanis legibus vetitum erat, ne Flamines ullum nodum in apice, in incinctu, aut in alia parte haberent, quod Gellius *in Atticis lib.* 10. *cap.* 15. refert, ne ſcilicet, dum ſacra facerent, aliquo miniſterio magico uti poſſent: quod tamen noſtris ſacerdotibus eſt conceſſum. * Legimus apud Agrippam Cornelium *lib. de occulta Philoſophia* 2. *cap.* 45. Hebraicum quendam incluſiſſe aureo gemmatoque balthaeo imaginem draconis cum capite accipitris incluſam inter circum aereum, & igneum, quem Blanca ducis Borbonii filia marito Petro Hiſpaniarum regi primo dono dedit, quo cum ille cingeretur, ſerpente vivo ſe cingi ſibi videbatur, compertoque magicam vim cingulo ineſſe, eam ob cauſam uxorem repudiaſſe. In Decretis Burchardi epiſcopi Wormacienſis *lib.* 19. ubi de arte magica loquitur, de hujusmodi cingulis fit mentio. Igitur ejus verba hic opponere cenſui, quia volumen illud paucis prae manibus habetur, dignum quidem, ut ab omnibus Eccleſiaſticis & Parochis legatur. Ejus igitur haec ſunt verba: *Miſiſti filium tuum, vel filiam ſuper tectum, aut ſuper fornacem pro aliqua ſanitate, vel incendiſti grana ubi mortuus homo erat, vel cingulum mortui pro damno alicujus in nodos colligaſti, vel pectines, quibus mulierculae lanam diſcerpere ſolent, ſupra funus complosiſti, vel quando efferebatur funus e domo, plauſtrum in domo diviſiſti, & funus per mediam diviſionem plauſtri aſportare feciſti: ſi feciſti aut conſentiens fuiſti, 20. dies in pane & aqua poenitens.* Sed verba illa, quae ſequuntur in textu: *Aut pudicos animos ad libidinem deflexiſſe detegentur*, non ſine artis magicae ſuſpicione dixit Imperator. Nam Virgilius *in Pharmaceutria*, hoc idem ſenſiſſe videtur, cum dixit v. 64.

Effer aquam: & molli cinge haec altaria vitta:
Verbenaſque adole pingues & maſcula thura.
Conjugis ut magicis ſanos avertere ſacris
Experiar ſenſus.

Et haec jam ſatis in *hanc legem.*

* Incinctus ſacerdotum Chriſtianorum nodis revinctus caſtitatem deſignat, qua circa lumbos debet accingi, ut reſtringat concupiſcentiam. unde ait Chriſtus Luc. *cap.* 12. *v.* 35. *Sint lumbi veſtri praecincti.*

F I N I S.

Legis Cautio contra ineptos Criticos.

Quei legent hosce libros mature cenſunto:
Profanum volgus: & inſcium ne attrectato:
Omneisque Leguleji: blenni: rabulae: & barbari procul ſunto.
Qui aliter faxit is rite ſacer eſto.

JOAN. LEUNCLAVII,

Amelburni,

NOTATORUM

LIBRI DUO,

Quibus innumera loca Juris Civilis integritati ſuae reſtituuntur & illuſtrantur.

JOAN.

JOAN. LEUNCLAVII
NOTATORUM
LIBER I.

Ad Libros Codicis.

I. SEquemur ordinem, quem Paratitlorum auctor, quiſquis ille tandem fuit, dubio quidem procul antiquus, in libris hiſce ſervavit. Igitur quum *initio legis 2. C. de ſum. trinit.* legitur, *Nullus haereticis miniſteriorum locus*; auctoritate libri Paratitlorum reponenda vox *myſteriorum*, pro *miniſteriorum*. Nam verba Graeca ſunt, μυστήρια μὴ τελείτωσαν. Confirmat hanc lectionem Codex Theodoſianus, in *tit. de haeret.* 16. 5. Quod autem hac ipſa conſtitutione deinceps obſcuruſcule dicitur, *Suis apertis criminibus denotentur*. Graeci noſtri ſuccincte ac perſpicue reddentes, ἄτιμοι ἔστωσαν, inquiunt, hoc eſt, *infames ſunto*.

II. Ad *l. 5. C. eod.* notavimus ſupra, nos etiam poſt Contium correctionem dare. Praeſtemus heic re ipſa, quod iſtic verbis pollicebamur. Igitur pro τῶν μετ' ἐκείνους διατριψάντων ἐν ταῖς ἁγίαις τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαις, reſtitue διαπρεψάντων, & interpretare non cum Contio, *Qui poſt eos in ſanctis Dei eccleſiis converſati ſunt*: ſed, *Qui ſpectabiles fuerunt*. Paulo poſt, pro παραδιδόασι, repone παραδόσει. & mox, poſt καθολικῆς, adde καὶ ἀποστολικῆς. Rurſum, pro τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ υἱόν, repone τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ Θεόν. Item §. 1. pro ἐκεῖνον ὑπομένοντα σαρκί, legunt Paratitla, ὑπομείναντα ἐν σαρκί. & poſtea §. 2. pro, τουτέστι τὴν ἡμετέραν καὶ σωτηρίαν, μὴ ὁμολογοῦντα, lege τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, καὶ μὴ ὁμολ. Item ſub finem, τῶν κατὰ τόπον ἡμῶν θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων, repone θεοφιλεστάτων ἡμῶν ἐπισκόπων, vocibus transpoſitis.

III. *L. 6. eod.* ſub initium, poſt ἑνωτικῷ τῆς ἁγίας καθολικῆς, adde καὶ ἀποστολικῆς. In medio, pro τά τε πάθη καὶ τὰ θαύματα, lege τά τε θαύματα καὶ τὰ πάθη. Paulo poſt, pro τέταρτον πρόσωπον, repone τετάρτου προσώπου προσθήκην. Sub finem, pro εὐτέχνητα, lege εὐτυχία. Mox pro τὴν ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου καὶ θεοτόκου ἀληθινὴν γέννησιν, lege παρθένου καὶ θεοτόκου Μαρίας ἀληθινὴν γέννησιν. Mox, pro τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος, adde ἡμῶν. Rurſum §. 4. pro τὰ αὐτὰ φρονήσαντας, ſcriptum in noſtris τὰ αὐτὰ φρονήσαντας.

IV. *Legem 7. C. eod.* Contius quidem Graecam repoſuit; ſed valde corruptam, & abſque interpretatione Latina, quam nos dedimus, heic etiam Graecae lectionis emendationem adjecturi. Non procul igitur ab initio locus eſt mutilus, ubi legitur, ἐφ' ᾧ τοὺς ἐπιχειρήσαντας πονηρῶς τοῦτο ἑρμηνεύσαι τὰ παρ' ἡμῶν ὀρθῶς ἐν τῷ ἰδίκτῳ λεχθέντα συλλαβεῖν. Ex quibus ſane ſenſus colligi nullus poteſt. Liber Paratitlorum noſter ita reſtituit: ἐφ' ᾧ τοὺς ἐπιχειροῦντας πονηρῶς τοῦτο ἢ ἑρμηνεύειν τὰ παρ' ἡμῶν ὀρθῶς ἐν ἰδίκτῳ λεχθέντα, ἐκ τῶν μαρτυριῶν θείων ἡμᾶς συλλαβὼν ἐλέγχεσθαι. quibus additis, ſententia plana eſt, quam nos expreſſimus. Non multo poſt §. 1. alia quaſi lacuna quaedam eſt, in his verbis, καὶ τοὺς τὰ αὐτῶν φρονήσαντας ἢ φρονοῦντας, ὡς ἀλλοτρίους ὄντας τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας. καὶ οἱ εὐλαβέστατοι, & caetera. Liber Paratitlorum eam ſic explet: καὶ τοὺς τὰ αὐτὰ φρονήσαντας ἢ φρονοῦντας, ὡς ἀλλοτρίους ὄντας τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας. πάντες γὰρ οἱ ἱερεῖς τῆς ἁγίας καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ οἱ εὐλαβέστατοι. & caetera. Nec multo poſt §. 2. illis verbis: Ἰησοῦ Χριστὸν τὸν μονογενῆ υἱόν, adde τοῦ Θεοῦ, καὶ Θεὸν ἡμῶν, τὸν πρὸ αἰώνων, & caetera. Item ad illa verba, διὰ τοῦτο καὶ τὴν ἁγίαν ἀειπαρθένον, interjice; ἁγίαν ἐνδόξον ἀειπαρθένον.

Rurſus, ubi legitur §. 4. καὶ τῇ ἐν Χαλκηδόνι, δῆλον πᾶσι τοῖς ἅμα ἡμῖν πιστοῖς τῆς ἁγίας, ita locus reſtituendus eſt: δῆλον πᾶσι καθεστῶτος, ὅτι τῇ πᾶσι τοῖς ἅμα ἡμῖν. Item poſt illa verba, γραφικαῖς μαρτυρίαις τὸ αὐτό, adde ἁγίου. Rurſus poſt haec verba, καὶ τοὺς τὰ αὐτῶν φρονήσαντας ἢ φρονοῦντας, adde, καὶ τοὺς συναινέσαντας, αὐτοῖς ἢ συναινοῦντας, ἀναθεματίζει. Rurſus in hiſce verbis ſub finem legis ἐπράξαμεν, ἢ πράξομεν, ἢ πραχθῆναι παρά τισι συγχωρήσομεν, abundat παρά τισι. Caeterum facere non poſſum, quin de Juſtiniani edicto, quod inſertum eſt *legi*, *Inter claras*, *h. tit.* ſaltim hoc addam: mihi quidem videri, hoc ipſum de Graeco, rudi ſane Minerva, quod ajunt, eſſe verſum: non ſic a Juſtiniano ſcriptum. Veroſimile fuerit, inſerta Codici fuiſſe Graeca edicti verba, quae exſtant in conſtitutione praecedenti, & quae alius quiſpiam poſtea ſit interpretatus. Item, quod in edicto legitur de Pontifice Romano, quod caput ſit omnium ſanctarum eccleſiarum, id in Graeco ſic exprimitur, ut pro *eccleſiarum* Juſtinianus ſcripſerit ἱερέων, hoc eſt, *ſacerdotum*. Item non multo poſt in hiſce verbis, *Videntur Neſtorii malam ſequi doctrinam, ſecundum gratiam dicentis unum filium Dei, & alium dicentis Dei verbum*: bis pro *dicentis*, reponendum, *dicentes*.

Quod in *l. 1. C. de ſacroſ. eccl.* obſcure dicitur de V. relictis *ſanctiſſimo Catholico, venerabilique concilio*; liber Paratitlorum noſter declarans, pro *concilio* ταῖς ἁγίαις ἐκκλησίαις inquit. Libuit hoc adnotare, quia dubitaſſe de hoc aliquos gloſſarum auctores video. Simile quiddam eſt in *l. 3. C. eod.* ubi dicitur, neminem debere *martyres diſtrahere*. Nam explicans hoc ipſum index libri primi Paratitlorum *diſtrahere martyres* interpretatur, πωλεῖν λείψανα ἁγίων. Sunt autem λείψανα, ſi verbum verbo reddas, *reliquiae*. Verum *liber* 60. Baſilicorum τὰ λείψανα τῶν τιμωρηθέντων interpretatur *cadavera punitorum*, ut eſt in libris Digeſtorum. *Quartum* vero *legem C. eod. tit.* liber Paratitlorum facit eamdem cum *l. 5. C. de commerc. & mercat.*

In inſcriptione *l. 14. C. eod.* pro *Armaſio* reponen- VI. dum nomen *Harmatii*, cujus in Zenone Aug. mentionem Glycas & Conſtantinus Manaſſes faciunt, itemque *l. 16. C. de ſacroſ. eccl.* ubi tamen Armatio pro Harmatio legitur. In *eadem lege* civiles annonas interpretantur Graeci πολιτικοὺς ἄρτους, panes civiles. Sic etiam Zoſimus noſter in *Hiſtoria ſua* loquitur. Non multo poſt, in *eadem lege* quum dicitur, *Sed ea etiam praedia dividere quidem, colere*, & caetera: reſtituemus ex auctoritate Paratitlorum. *Nec ea etiam praedia dividere quidem, ſed colere, augere*, & caetera.

Lex 16. C. eod. hanc habere debet inſcriptionem: VII. *Idem Auguſtus Sebaſtiano P. P.* quum in libris noſtris vulgo legatur: *Iidem Auguſti*. Neque dubium eſt, auctorem legis eſſe Zenonem. Quippe quod in textu dicitur, *Quae contra haec tempore tyrannidis innovata ſunt*, aperte ſic interpretantur Paratitla noſtra, τὰ γενόμενα ἐν τῇ κατὰ Ζήνωνος τυραννίδι. Et intelliguntur haec de Baſilici perduellione, quam Glycas & alii narrant, non de Odoacris tyrannide.

Legem 17. C. h. t. Contius ex hoc noſtro Parati- VIII. tlorum libro repoſuit. Noſtra interpretatio accuratior eſt, quam Contiana. In Graecis haec notabis emendanda, §. 1. καὶ τὰ ὑπὸ τὴν χειροτονίας τοῦ ἐπισκόπου

αὐτῆς, ὅταν ἡ τ̃ παρ' αὐτῷ χειροτονουμένων. In hiſce verbis, pro ἐπισκόπῳ, ſcribe ἀρχιεπισκόπῳ, & vocabulum ἔταν prorſus dele: paulo poſt ἐπωφελὴς ἂν πρᾶσις, lege ἂν ἡ πρᾶσις. Item pro ἐπικειμένοις ſcribe ἐπικειμένου, quia refertur ad vocem χώρα, quae praeceſſit. Item pro ἐκτίσασθαι πρᾶγμα ſcribe αἰτήσασθαι. Rurſum pro καὶ ἀνταλλαγὴν ſcribe καὶ ἐὰν ἀνταλλαγὴν. Item pro ἐῤῥωμένη δύναται, ſcribe ἐπιχωρῶν δύνανται. Item pro Μαγίςρῳ κινεῖ ſcribe κινεῖν. Malas diſtinctiones, & Grammatica quaedam vitia Lector eruditus per ſe tollet. Caeterum ponam hoc loco aliam quoque conſtitutionis hujus epitomen, ſumtam ex tituli tertii, hujus primi libri, Paratitlis: & ponam Graece, quum ſuo loco Latinam dederim. Notandum tamen prius, initium legis fuiſſe Θεσπίζομεν: unde colligitur, editam fuiſſe Graece. Verba epitomes hujus alterius haec ſunt:

Νομοθετεῖ ἡ διάταξις περὶ ἐκποιήσεως, καὶ ἀνταλλαγῆς, καὶ ὑποθήκης, καὶ ἐμφυτεύσεως, καὶ δωρεᾶς πραγμάτων διαφερόντων ταῖς ἁγίαις ἐκκλησίαις Κωνσταντινουπόλεως, καὶ μαρτυρίοις, καὶ μοναστηρίοις, καὶ ξενοδοχείοις, καὶ πτωχείοις, καὶ ὀρφανοτροφείοις αὐτῆς, καὶ τ̃ δεχομένων ἐξ αὐτῆς χειροτονίαν ἐπισκόπων, καὶ τ̃ δεχομένων τὰς παρὰ τῶν αὐτῆς Μητροπολιτῶν χειροτονίας πόλεών τε καὶ κλιμάτων. Ἀνάγνωθι οὖν αὐτήν, ἀπὸ ῥητοῦ σαφηνίζουσαν καὶ ἀναλυτικῶς διαγορεύουσαν, πότε, καὶ πῶς, καὶ κατὰ ποίας αἰτίας, καὶ ἐπὶ ποίοις γράμμασι, καὶ τίνα τρόπον, καὶ παρὰ τίσι γίνονται ἐκποιήσεις, ἢ ἐμφυτεύσεις τῶν διαφερόντων πραγμάτων τοῖς αὐτοῖς τόποις. μαθήσεις γὰρ ἐξ αὐτῆς, καὶ περὶ ποίων ταῦτα νομοθετεῖ πραγμάτων. μὴ λαθέτω δέ σε, ὅτι ἐπὶ τ̃ ἐμφυτεύσεως τὰ αὐτὰ κρατεῖν παρακελεύεται καὶ ἐπὶ τ̃ διαφερόντων πραγμάτων τῇ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ Κωνσταντινουπόλεως, ἅπερ ἐνομοθέτησεν εἰς τὰ τοῖς ἄλλοις μνημονευθεῖσι τόποις προσήκοντα πράγματα. ὑφεξαιρεῖ δὲ τ̃ οἰκείας νομοθεσίας ἡ διάταξις τὰ ἱερὰ ἀναθήματα. σημείωσαι δὲ ἐκ τ̃ ῥημάτων αὐτῆς, ὅτι ἀνεκποίητα μόνα καλεῖ, τὰ ἱερὰ ἀναθήματα. Quae quidem ultima verba notanda veniunt, propter ea, quae περὶ ἀναθημάτων ex integra conſtitutione Contius obiter refert.

XIX. In epitoma *legis* 18. quae ſequitur, poſt illa verba ἡ διάταξις ἀφορίζει, adjice ἐκ βασιλικῆς φιλοτιμίας; & paulo poſt, pro λίτρας ſcribe λιτρῶν. Melius etiam diſtingue ſequentia, videlicet hoc modo: ἐν Κωνσταντινουπόλει γίνεσθαι, καὶ μέχρι τ̃ νέων τειχῶν, καὶ ἐν Βλαχέρναις. Sycae quae pars urbis ſint, Zoſimus noſter oſtendit.

XX. In *l.* 25. *Cod. h. t.* ſtatim ab initio pro δύναται ſcribe δύνανται. Deinde pro his verbis, εἰς τὸ Ἀσιανῆς ις', ſcribe ut in Paratitlis, εἰς τὸ τ̃ Ἀσιανῆς διοικήσεως, ις'. At Aſianae dioeceſeos mentio fit etiam in *l.* 10. *Cod. de numerar. lib.* 12. Mox pro εἰς τὸ ἐνοίκιον, ſcribe εἰς τὸ τῶν ἐνοικίων. Intelligit enim ſcrinium penſionum pro uſu aedium, ſicut paulo poſt, aliud ſcrinium vocatur τὸ τ̃ ἀναλώματος, & aliud τὸ τῶν ληγάτων. Contius hallucinatur in interpretando paulo poſt καλὰ πρόσταξιν ἄγραφον, ſcribe πρόσταξιν ἔγγραφον. Item in fine pro λογοποιεῖν habent Paratitla λογοποιεῖσθαι, & diſtinguunt, non ut Contius, ſed uti prius A. Auguſtinus fecerat.

XXI. In *l. ult. C. h. t.* haec verba, ἤδη γὰρ πλεῖσαι διαθήκαις κατὰ τοῦτον γενομέναις τ̃ τρόπον ἐντυγχάνομεν, omnino ſunt includenda notis parentheſeos; & paulo poſt, pro εἰ μὴ τ̃ δεσπότης, ſcribendum εἰ μὲν τ̃ δεσπότης. Item haec verba, αὐτοῦ τ̃ κρατοῦντος, ἢ καὶ ληγάτων ἢ φιδεικομμίσσων καταληφθείη, ſic corrigenda, τ̃ αὐτοῦ κρατοῦντος, εἰ καὶ λήγατον ἢ φιδεϊκόμμισσον καταλειφθείη. Item pro ἀποστροφὴν, ἀποστροφῆς. Item §. 1. poſt illa verba, ἢ τὴν ἐνοχὴν ποιοῦντος οἶκος, τοιαῦτα. . . . deeſt aliquid. Senſus erit integer, ſi ſcribatur τοιαῦτα σκοπεῖν δεῖ τοὺς κατὰ τὴν μητρόπολιν σεβασμίους οἴκους. Item pro ἐκείνῳ δοκεῖν τὴν κλῆρον, ſcribe τὴν κληρονομίαν. Item quod ſequitur δηλονότι, divide, ac lege δῆλον ὅτι: & pro ἅπαντες οἱ κῆποι, ſcribe ἅπαντες οἱ λοιποί.

XXII. Initium *l.* 4. *C. de epiſc. & cler.* ita video redditum in Paratit. ἐὰν οἱ ταξεῶται ἢ οἱ καθολικιανοί. De quo colligo, ſic eos in Latinis libris ſcriptum repeririſſe: *Officiales, aut rationales, &c.* Lex, quae ſequitur, Joviniani eſſe nequit; ſi verum eſt, latam fuiſſe Gratiano A. III. (pro quo ſcribendum, IIII.) & Merobande Coſſ. Nam id temporis Valens, & Gratianus, & Valentinianus junior, rerum potiebantur.

Ad *l.* 9. *C. h. t.* recte notat Contius, pro *Emenſis quinquaginta annis*, legendum, *ſexaginta*: idque ex auctoritate Pauli Apoſtoli, 1. *ad Timoth. cap.* 5. itemque Codicis Theodoſiani, & Photii. Ego tantum hoc addo, tam in libris Baſilicorum, quam heic in Paratitlis, eumdem numerum exprimi, verbis hiſce, ἡ μὴ ὑπερβᾶσα τ̃ ἑξηκοστὸν ἐνιαυτόν: quorum omnium auctoritatem eam eſſe puto, ut objici nequeat exceptio. XXIII.

L. 16. *C. h. t. ſub finem*, in hiſce verbis, *Ea ſcilicet immunitate indulta, quae certae capitationis venerandis eccleſiis relaxatur:* videtur haerere vitium quoddam ſcripturae, quod magis fatebimur, ſi verba Graeca Paratitlorum cum his conferamus. Ea ſunt hujuſmodi, ἐῤῥωμένης τ̃ ἀλειτουργησίας, ἢ τὰς δήλας καπιτατίωνας συγχωρεῖ ταῖς ἐκκλησίαις. Et quis dicere velit, immunitatem relaxare? Legendum igitur, *Qua certas capitationes venerandis eccleſiis relaxantur.* Obiter addam, capitationes in Baſilicis ad *l.* 9. *C. de act. emt. & vend.* reddi συντελείας, id eſt, collationes tributas in capita. XXIV.

In fine l. 25. *C. h. t.* leguntur haec verba, *Ut litis ſumtus vel expenſae a clericis pauciores humanioreſque praeſtentur.* Ea ſic Graeci reddiderunt, καὶ τὰ λοιπὰ τ̃ δίκης δαπανήματα φειδαλέστερον ποιῶσιν. Ergo pro *pauciores*, legendum *parciores*. Et in *l.* 28. *C. eod.* ſub initium, §. 1. alii legunt, Et *pro ſua conſcientia* votum adimpleat teſtatoris: alii, *pro ſua ſcientia*. Mihi ſatis eſt indicaſſe, Graecos vocem conſcientiae ſuis in libris repeririſſe, quum vertant, κατὰ τὴν οἰκείαν συνείδησιν. In epigraphe *l.* 31. *C. eod.* pro *Armaſio* reponendus ex Glycae libro *Harmatio*, uti ſupra quoque monuimus. XXV.

Diſputatur in *l.* 33. §. *in hac autem inclyta* 3. *C. h. t.* de verbis hiſce ſub §. *finem* poſitis, *Aut cautioni & profeſſioni propriae, aut facultatum ſuarum obligationibus committantur.* Azo vult cautionem & profeſſionem accipi, quae cum jurejurando fiat. Sed hoc fieri non poſſe, conſtat ex *l.* 25. §. *penult. h. tit.* ubi clericis interdicitur, ne jurent. Ego quum Graecorum verba reſpicio, ἢ ἄλλως ἐγγυῶνται, quae reſpondent Latinis hiſce praecedentibus, *Aut vicariis fidejaſſionibus contradantur*, ἢ ὁμολογίας ἐνυποθήκους ποιῶσιν, quae ſuperius citatis reſpondent: deprehendo ſic legendum, *Aut cautioni & profeſſioni propriae, ſub facultatum ſuarum obligationibus committantur.* Qua lectione reſtituta, ſuperior diſputatio nullum amplius locum habet. XXVI.

In *ejuſdem legis* §. *exſequutoribus* 5. Graeci pro *In ipſa conventione*, legerunt, *In ipſa commonitione*. Vertunt enim: ὑπὲρ ὑπομνήσεως: ſicut etiam loquuntur in *fine l.* 25. *ſupra. h. t.* Et paulo poſt, ubi legitur, *Verum ſi adparitor tuae magnitudinis, &c. in provincia degentes eos commoverit* (vel ut alii, *conventi moverit*) legerunt itidem, *commonuerit*. εἰ δὲ δι' ἐκβιβαστοῦ τ̃ ὑπάρχων ὑπομνησθῶσιν, inquiunt: hoc eſt, ſi per exſequutorem praefectorum praetorio commoniti fuerint. Et nota, Graecos tradere, quod unum numiſma, ſive ſolidus unus a clericis pro commonitione detur; quum noſtri Latini libri ſemiſſis dumtaxat mentionem faciant. Item in §. *Privilegiis* 7. ubi legitur, *ſacerdotes aut clericos*, & caet. *extraordinariis muneribus* non praegravari: Graci legerunt, *Extraordinariis aut ſordidis muneribus*. ἐξτραορδιναρίαις ἢ ῥυπαραῖς λειτουργίαις. XXVII.

In *principio legis* 35. *C. h. t.* haec verba leguntur, *Atque ceteris omnibus, ac etiam rebus juris eorum:* quae Graeci quum ſic exprimant, ἢ τοῖς ἀνθρώποις, ἢ πράγμασιν αὐτῶν, equidem eos legiſſe non dubito, *Atque ceteris hominibus, ac etiam rebus juris eorum.* Sic *homines divinae domus* dicuntur in *tit. C. Ubi cauſ. fiſc.* XXVIII.

Ini-

Imitati ſunt formulam hanc poſteriores quoque principes noſtri in privilegiis. ut Lotharius Imp. in eccleſiae Patavinae diplomate: *Cum omnibus rebus & hominibus ad eam ſpectantibus.* Habet hoc *lib.* 5. amicus meus Sigonius in *regno Ital.*

XIX. Epitomen *l. ſeq.* Graecam ex hoc noſtro libro ſumtam Contius poſuit. Nos breviorem addimus, ex Indice primi libri Paratitlorum: Διαγορεύει ἡ Διάταξις, ὅτι ἑκάστη πόλις ἔχει ἐπίσκοπον, καὶ οὐ δύναται ἕτερος ἑτέρου δίκαιον ἀφαιρεῖσθαι. Sancit haec conſtitutio, ut civitas quaelibet ſuum habeat Epiſcopum; quodque non poſſit alter jus alteri ſuum adimere.

XX. In *l.* 45. quae Graeca eſt, *C. eod.* leguntur verſus finem hujuſmodi verba, καὶ Διαδοχῆς γονέων ἀναξίως, ὅτε δωρεὰν λαμβάνειν παρ' αὐτῶν δυναμένες. Haec plenios exprimuntur in Paratitlis, hoc modo: ὅτε δωρεὰν *inter vivos*, ἢ ἐν Διαθήκῃ λαμβάνειν παρ' αὐτῶν δυναμένες. Et in margine libri voces iſtae Latinae Graecis redditae ſunt: μεταξὺ ζώντων δωρεάν. Et *l.* 47. *ſeq. in fine*, quum legitur, ἐπὶ τῶν εὐλαβεστάτων γυναικῶν ἢ παρθένων, τῶν ἡγουμένων εὐαγῶν μοναστηρίων. Habent Paratitla noſtra, τῶν ἡγουμένων εὐαγῶν μοναστηρίων ἤτοι ἀσκητριῶν, hoc eſt, *quae religioſis monaſtriis vel aſcetriis praeſunt*: quod ad perſonas, non ad monaſteria ſpectat.

XXI. Verba *l.* 49. §. 7. *C. h. t. Sin autem in perſonam certam, venerabilemve certam domum reſpexerit*: ita ſunt a Graecis reddita: εἰ δὲ εἰς πρόδηλον, οὐκ ἄδηλον ὄνομα ἐκκλησίας, ἢ εὐαγοῦς οἴκου ἀπιδών, hoc eſt, *Si vero in manifeſtum, non incertum nomen eccleſiae, vel venerabilis domus reſpexerit.* Unde colligi videtur, reſtituendum in libris noſtris locum, mutata voce *perſonae*, in vocem *eccleſiae*, hoc modo: Sin autem *in eccleſiam* certam, venerabilemve certam domum reſpexerit.

XXII. In media *l.* 54. *C. h. t.* quum dicitur, *Ut ex his rebus & ipſa ſolatium habeat, dum vivit, ſufficiens.* Graeci vocem *Solatium* non interpretantur, ſed aliam pro ea Latinam ponunt, συφράγιον, *ſuffragium*, fortaſſe repertam in libris ſuis. Eamdem in margine interpretantur ἀνατροφὴν, alimenta: recte!

XXIII. Explosa fictio Contii. *Lex* 56. *C. h. t.* citatur ubique in Paratitlis ea, quae incipit: *Deo nobis auxilium praebente.* Quare Contius non recte 55. finxit, *Ut non liceat parentibus impedire, quo minus liberi eorum volentes monachi aut clerici fiant*, &c. Nam ea non eſt conſtitutio, ſed argumentum ſecundae partis *legis ſequentis*, ſive *paragraphi*, *Hoc etiam cognitum.* Ubi Paratitlorum liber ad verbum habet a Contio Latine poſita: οὐκ ἔξεστι τοῖς γονεῦσι βουλομένους τοὺς παῖδας μονάσαι, ἢ κληρωθῆναι, κωλύειν· ὅτε διὰ τοῦτο μόνον ἔχειν ἄδειαν τὸ * ἐξερεδιτεύειν. ἀλλ' οἱ μὲν τὰ καθ' ἑαυτοὺς διατυπώσαντες, ἀνάγκην ἔχουσι τρεῖς οὐγκίας αὐτοῖς ἐᾶν. οἱ δὲ μὴ διατυπώσαντες, χώραν τῇ ἐξ ἀδιαθέτου. εἰ δὲ τὰς ἐκκλησίας ἢ τὰ μοναστήρια καταλίπωσι, καὶ κοσμικοὶ γίνονται, πάντα τὰ δίκαια αὐτῶν, τῷ μοναστηρίῳ καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ διαφέρει. Libuit enim Graeca quoque referre; ut ipſa res manifeſtior eſſet. Caeterum in §. *ſeq. His ita diſpoſitis* 3 poſt Judaeos & Paganos, Samaritas inſerit Paratitlorum liber, ante haereticos: & ſociari eccleſiae, interpretatur σφραγισθῆναι, hoc eſt, obſignari; videlicet per baptiſmum.

* τ. ν. ἀποκληρονομοῦσιν.

XXIV. Quam inepte *legem* 1. *C. de epiſc. aud.* cujus verba ſunt: *Negotiatores ſi qui ad domum noſtram pertinent, ne modum mercandi videantur excedere; Chriſtiani, quibus verus cultus eſt, adjuvare pauperes & poſitos in neceſſitate provideant Epiſcopi*: hanc ergo quam frivole Gloſſatores noſtri, atque ipſe Baldus, ad alienum ſenſum torqueant: expendendum tibi relinquo, Lector ingenioſe! Graeci quidem, auctores Paratitlorum, prorſus alio ſpectare legem volunt. uti quum in Indice libri primi uno verbo tradunt, eam tractare περὶ τελῶν, de vectigalibus: quum alii ſomnient agi de modo ſervando in pretiis mercium, & panis, & aliarum rerum ad victum neceſſariarum: ſunt etiam, qui extendant ad redemptos ab hoſtibus Chriſtianos, pro quibus quum parum ſolutum ſit, plus deinceps exigatur. Graeci paucis vertunt, οἱ καὶ τῷ θείῳ διαφέροντες οἴκῳ οἳ πραγματεύονται, διδόασι τὰ πραγματευτικὰ τέλη: adeoque ſimpliciter hanc mentem legis adferant, ut negotiatores, qui ad domum auguſtam, ſive principis pertinent, negotiatoria tributa perinde ſolvant, atque alii: ne modum mercandi videantur excedere, videlicet tamquam immunes a tributis: quae quidem immunitas eis ſi concederetur, omnia emolumenta ipſi ad ſe raperent, aliis interim praegravatis. Quod uti caveatur, a Chriſtianis vult provideri. Negat autem Contius in his verbis, *Chriſtiani provideant Epiſcopi*, vocem hanc ultimam in manuſcriptis ullis reperiri; ſed ſubaudiri tamen putat, ut infra *l.* 11. *h. t.* Ego vero Graecos ajo nec illam heic agnoſcere, nec ibi; ſicuti ne quidem in *l. ult. C. de poſtlimin. reverſ.* invenitur, unde *dicta lex* 11. excerpta breviter eſt. Caeterum conferri cùm *hac lege* poterit etiam *l.* 4. *C. de exact. tribut. lib.* 10. Nam ibi quoque vult Imperator, ut actores, & ceteri rei privatae principis, tributa ſolvant: *ne provinciales*, inquit, *immunitas* (ſic enim legendum, pro *immanitas*) *rei privatae noſtrae fatiget*: hoc eſt, ne dum auguſtae domus homines a tributis ſolvendis immunes ſunt, alii tanto magis onerentur. Habes, Lector, apertam legis ſententiam, a Graecis noſtris indicatam: adeoque legem ipſam nova quadam interpretatione reſtitutam.

Oſtendamus uſum Paratitlorum noſtrorum etiam XXV. in alterius legis tam reſtitutione, quam explicatione. Quaeritur in *l.* 5. *C. t.* quinam ſint dicti *archigerontes*; tum qui *dioecetae ſint ergaſiotanorum.* Accurſii quidem, & aliorum veterum exploſa ſunt ſomnia potius, quam declarationes, & ſententiae. Nos ipſa Paratitlorum; legem interpretantium, verba paulo accuratius inſpiciamus; & germanum legis ſenſum habebimus. Μηδεὶς αἱρετικὸς ἀρχιγέρων, ἢ διοικητὴς σωματείων, ἢ τῶν ἐργασιωτῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ γινέσθω, ἀλλὰ πάντως Χριστιανὸς, προνοίᾳ τοῦ Αὐγουσταλίου, καὶ τῆς πειθομένης αὐτῷ τάξεως: hoc eſt; *Nullus haereticus Alexandriae fiat archigeron, vel collegii, vel ergaſiotarum adminiſtrator: ſed omnino ſit Chriſtianus, interveniente cura praefecti Auguſtalis, & parentis illi officii.* Primum hinc manifeſtum eſt, non *ergoſiotas*, nec *ergaſiotanos*, nec etiam *ergaſticos*, ſcribendum; ſed *ergaſiotas*, uti bis in Paratitlis legitur, quorum auctoritati plus hac in parte defero, quam nudis conjecturis Alciati, Contii, Hotomani, magnorum ceteroqui virorum. Deinde, quum lex peculiariter ad urbem Alexandrinam ſpectet, ac Praefecti Auguſtalis, ejusque officii curae mandet exſequutionem: nullum habebit Alciati ſententia locum, qui putavit archigerontes, quaſi ſeniorum principes, ſummosve ſenes, illos eſſe, qui procurant negotia aulae principalis, quique annonam, & certera emunt: ſed eſſe nomen hoc paret eorum, qui Alexandriae corporatorum collegiis praeerant, ſicut eos deinde vocant Graeci διοικητὰς σωματείων, adminiſtratores alicujus collegii; puta fabrorum, vel aliorum operariorum in publicis & aliis principum aedificiis. Nam hos dici ergaſiotas, facile Hotomano noſtro adſentior. Collegiis ergo, ſive corporatis urbis Alexandrinae praeeſſe nemo poterat, qui non eſſet Chriſtianus: nec ulterius, ad aulae negotiorum procuratores, ſe porrigit conſtitutio.

In *l.* 6. *h. t.* Graeci noſtri bis *ſynoditas* ſcribunt, XXVI. ut etiam in Latinis libris legitur: quamquam alii notarint, in *Codice Theodoſiano* legi *coenobitas*. Caeterum poſt illa legis verba, *Per vim atque uſurpationem vindicare liceat, ac tenere*, ſequuntur in Graecis haec, quae libri Codicis noſtri non habent: εἰ δὲ παρὰ τὰ διηγορευμένα τὸ κατάκριτον ἀφαιρέσωσιν, ἀξίως τιμωρείσθωσαν ὑπὸ τοῦ ἄρχοντος: hoc eſt; *Sin praeter ſancita, damnatum rapuerint: a praeſide, pro di-*

gnitate puniantur. Num autem haec in *ipſa lege* ſic ſcripta Graeci repererint, mihi quidem non liquet.

XXVII. Qui deſiderat aliam epitomen *l.* 14. *C. h. t.* praeter eam, quam Contius poſuit, accipiat hanc, ex Paratitlis ſuperius a nobis * verſam: μήτε τοῖς σκηνικοῖς ἐξέστω δούλην ἢ ἐλευθέραν εἰς πορνείαν προάγειν ἢ πωλεῖν. ἐπεὶ ἡ δούλη ἐλευθεροῦται πάντως ἀζημίως, τοῖς ἄρχουσι ἢ τοῖς ἐπισκόποις προσιοῦσα· οἳ καὶ μέλλει, μὴ συγχωροῦντες ἄκουσαν δούλην ἢ ἐλευθέραν συνεῖναι μίμοις, ἢ χοροῖς, ἢ θέαν ἄλλην ἐν τοῖς θεάτροις ἐκτελεῖν.

* in ipſo textu quaere.

XXVIII. *Lex* 16. *h. t.* pars eſt *l.* 5. *C. de ſponſ.* ad quam libet hoc notare, quod in Indice lib. 1. Paratitlorum deprehendo. Tradit enim, hac lege tractari, quid fieri debeat, ἐὰν ὁ εἷς τῶν συνοίκων, ἢ τῶν μνηστήρων αἱρετικὸς ἐστί· καὶ περὶ τῶν ἐξ αὐτῶν τικτομένων: hoc eſt; *ſi alteruter conjugum, aut ſponſorum, ſit haereticus: & de iis, qui ex ipſis naſcuntur.* Equidem & heic, & in *d. l.* 5. *C. de ſponſ.* agi video de ſponſorum contractibus reſcindendis: ſed verbum nullum de conjugibus, nec de iis, qui ex diſſimilibus in religione conjugibus naſcuntur. Quapropter, unde Graecis in mentem venerit, hujusmodi quaedam ad *hanc legem* referre, amplius conſiderandum cenſeo. Caeterum, quum in *hac lege* dicitur, *Sibi debeant imputare*; Graeci hoc interpretando, reddunt aliquanto liberius, διπλοῦς ἀποδιδῶσι τοὺς ἀρραβῶνας, id eſt, *arras duplas reſtituant*: nam hauſerunt hoc ex *principio d. l.* 5. *C. de ſponſ.*

XXIX. Epitomen *legis* 17. *h. t.* ſumſit ex hoc libro doctiſſimus alioquin, & bene meritus antiſtes, A. Auguſtinus. Sed vide, quaeſo, quam diſſimiles hae ſint paucorum verborum interpretationes: illius quidem haec;

Electione epiſcopi, & primorum civium, Sitonae fiant ex militaribus ordinibus, aut ex veteranis, aut ex tyronibus, ſive militaturis. Qui id transgreſſus fuerit, XXX. libris multetur.

Noſtra vero, talis;

Delectu epiſcopi, & primatum inter poſſeſſores, fit comparator frumenti, ex illis, qui militant in ejus regionis officio: ſive munus ſuum impleverint, ſive adhuc militaturi ſint. Hoc qui transgreditur, L. libris multatur.

Idem faciat Lector eruditus in *ſequenti* 18. & in aliis hinc ſumtis legibus. *Quinquaginta libras* repoſui, pro *triginta*; quia ſic in meo libro ſcriptum reperi. Quod Auguſtinus legit in *legis ſequentis epitomes initio*, οἱ ὑφεστῶτες, equidem rectius putem, οἱ ἐφεστῶτες, ut meus liber habet. *Ejuſdem l.* 18. *principium* fuiſſe tradunt Paratitla noſtra, Θεσπίζομεν: de quo colligitur, editam fuiſſe Graece. Nam Graecarum legum initia ſemper Graece, Latinorum Latine citantur. Et invenitur ejuſdem alia quaedam in hiſce libris epitome, verbis hic expreſſa: ἡνίκα ὁ στρατιώτης διαβάλλει περὶ καλλονῆς τῶν παρεχομένων αὐτῷ εἰς λόγον ἀννόνας εἰδῶν, χρὴ τὸν ἐπίσκοπον προνοεῖν τῶν ὑποτελῶν, καὶ μὴ συγχωρεῖν αὐτοὺς διασπᾶσθαι παρὰ τῶν στρατιωτῶν: hoc eſt; *Quum miles queritur de bonitate ſpecierum, quae ipſi annonarum ratione praebentur; epiſcopus curam eorum gerere debet, qui tributa conferant: neque permittere, ut a militibus vexentur.* Videnda etiam, quae infra ad *l.* 19. *C. de erog. milit. ann. lib.* 12. notavimus.

XXX. *Lex* 23. *C. h. t.* ſicut eſt ab Antonio Auguſtino reſtituta, non eſt integra. Paratitla quidem indicant, eam incipere a voce ἰδιωτικὰς, a qua incipit etiam Auguſtiniana. Verum exſtant epitomae pleniores duae, una bis in Paratitlis, altera *lib.* 60. Baſilicorum, ad *l.* 2. *C. de privat. carcerib.* quae quidem lex eadem fuit cum poſita *hoc ipſo titulo*: ſicuti liquidiſſime patet ex libris hiſce Paratitlorum. Nos epitomen Baſilicorum ad *l.* 2. *C. de privat. carc.* relaturi, quum ad 60. Baſilic. *librum*, qui tractat de criminalibus, ſpectet; heic e Paratitlis petitam recitabimus: Ἐάν τις ἐμβληθῇ ἐν ἰδιωτικῇ φυλακῇ, προνοίᾳ τῶν θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων ἀφιέσθω παραχρῆμα τῆς φυλακῆς. Σημείωσαι, ὅτι ῥαθυμοῦντα τοῦτο τοῦ πράγματος, δεῖ τὸν ἐπίσκοπον ἀναφέρειν τῷ κατὰ καιρὸν προεστῶτι τῶν θείων πριβάτων. τοῦτο γάρ, φησι, μὴ ποιήσαντες, οὐ τὸν περὶ μόνην τὴν οὐσίαν, ἀλλὰ καὶ τὸν περὶ τὴν σωτηρίαν αὐτῶν ὑποστήσονται κίνδυνον: hoc eſt; *Si quis in carcerem privatum conjectus fuerit, religioſiſſimorum epiſcoporum cura extemplo e cuſtodia dimittitor. Nota, quum hoc negotium ſegniter procedit, epiſcopum rem ipſam deferre debere ad eum, qui pro tempore praepoſitus fuerit ſacris rebus privatis. Quippe ſi * fecerint, inquit, non modo circa ſolum patrimonium; verumetiam circa ſalutem ipſam periculum incurrent.* Quorum ſane poſteriorum, lex ab A. Auguſtino repoſita, ne verbulo quidem mentionem facit.

* hoc de praeſidibus intelligitur, ut apparebit infra in epitome l. 2. de privat. carc.

In *l.* 5. *C. de haeretic. & Manich.* nomina pleraque ſunt haereticorum, aliter in editis libris noſtris ſcripta, quam in manu exaratis Paratitlorum. Nam pro Borboritis, invenio βορβοριανούς; pro Audianis, αὐδιανούς; pro Taſcodrogitis, ἀσκοδρούγους; pro Paulinianis, παυλιανούς; pro Encratiſtis, ἐγκρατεῖται; pro Carpocratitis, ἀποτακτῖται: ac recte quidem, quum in *Theodoſiano Codice* propius ad noſtram accedente ſcriptura dicantur Apotacitae; quibus adduntur ἐρημῖται, quorum nomen in Codice noſtro non exſtat. Caeterum in his verbis, *Nuſquam in Romanum locum conveniendi morandique habeant facultatem*: ex *Cod. Theodoſ.* recte pro *morandi*, reſtituitur *orandi*; ſicut etiam poſtea repetitum fuit in *Novella* 37. verbis hiſce: μηδεὶς τόπος τοῖς αἱρετικοῖς ἔστω προσευχῆς: *Haereticis ad orandum nullus locus conceſſus eſto.* Quod autem in *l. ſeq.* legitur, *Sic ubique participes nefariae ſectae Neſtorii, Neſtoriani vocentur*: id Paratitla ſic exprimunt, οἱ νεστοριανοί, σιμωνιανοὶ λέγονται. de quo colligitur ſcribendum, *Participes nefariae ſectae Neſtorii, Simoniani vocentur.* quod confirmari ſequentibus legis verbis hiſce videtur; *Ut cujus ſcelus ſunt in deſerendo Deum imitati, ejus vocabulum jure eſſe videantur ſortiti.* Intelligitur enim Dei deſertor, Simon ille Magus. XXXI.

Legis 9. *h. t.* breviſſimam epitomen hanc Contius ex Nomocanone ſe reſtituere dicit: οἱ αἱρετικοὶ κατὰ τὸ νενομισμένον θάπτονται. *Haeretici legitimo modo* (vel cognito & conſueto legibus modo, ſic enim interpretatur) *ut ceteri ſepeliuntur.* Exſtat quidem haec etiam heic noſtris in Paratitlis, ſed adjecta negatione, quae diverſam omnino ſententiam efficit: οἱ αἱρετικοὶ κατὰ τὸ νενομισμένον οὐ θάπτονται: *Haeretici more recepto non ſepeliuntur.* Quae lectio quam ob cauſſam vera ſit, & germana, facile quivis intelligit: habendum ſcilicet inter orthodoxos & haereticos diſcrimen, etiam in ſepulturis. Confirmatur eadem lectio de verbis etiam Indicis libri primi Paratitlorum, quum ait, *hac lege* ſtatui, περὶ τοῦ μὴ κατὰ τὸ νενομισμένον θάπτεσθαι τοὺς αἱρετικούς: hoc eſt; *ne more conſueto ſepeliantur haeretici.* XXXII.

Legis 12. *h. t.* initium fuiſſe tradunt Paratitla τοὺς αἱρετικοὺς de quo colligitur, Graece ſcriptam fuiſſe. Poſitam a Contio epitomen habet heic ad verbum in Paratitlis. Hoc obiter addendum, ad illa verba epitomes, πλὴν τῶν ἐκ γένους κορταλίνων, adſcriptum eſſe in margine declarationis cauſſa, τουτέστι, τίτλων στρατιωτῶν. Et pro eo, quod ſequitur, μὴ προσκόπτοντες δὲ, in noſtris legi, μὴ προκόπτοντες. Vide, quam in levi mutatione, non leve momentum. Contius vertit, *Hi enim manent onera quidem ſuſtinentes, non offendentes autem.* Et offendendi verbum accipit in ſignificatione laedendi, quum προσκόπτειν ſit pedibus, aut alia parte corporis ad aliquid offendere; quae ſignificatio prorſus huc non quadrat. Unius, in verbo προκόπτειν, excluſio litterae planam & veram efficit ſententiam; cohortalinos ſcilicet, qui ſint haeretici, manere quidem milites; ſed qui & onera ſuſtineant, nec tamen ad majores militiae gradus provehantur. Idem Contius omittit haec epitomes hujus ſub finem verba, quae in Paratitlis noſtris XXXIII.

legun-

leguntur: Ἀμφισβητούντων τῶν γονέων, ἐπικρατέστερός ἐστιν ὁ θέλων τῇ ὀρθοδόξῳ πίστει τοὺς παῖδας προσαγαγεῖν: hoc eſt; *Quum parentes inter ſe diſſident, plus valeat is, qui liberos ad orthodoxam fidem vult adducere.* Praeterea inſcite haec verba refert ad initium *legis* 12. αἱρετικοὶ πατέρες, & cet. uſque poſt illa, ποιοίη τῶν ἀρχόντων καὶ τῶν ἐπισκόπων. Atqui noſtris in Paratitlis haec ad *legem praecedentem*, ac recte quidem, referuntur: quod vel ex Theodori Hermopolitae fragmento colligere Contius poterat, cujus verba cur adferret, cauſam nullam habebat, quando nihil continent, quod epitome noſtra non complectatur. Ut autem haec a nobis recte dici, quilibet adgnoſcat: ponam hoc loco alteram *legis hujus* epitomen, ex tituli 9. Paratitlis petitam, quae haſtenus indicata legis omnia capita complectitur. Ejus verba ſunt: Οὔτε τυχεῖν ἀξιώματος Ἰουδαῖος δύναται (caeterorum mentionem non facit, quod titulus iſte nonus de Judaeis peculiariter agat) οὔτε ἀρχὴν πράττειν, οὔτε στρατείαν παραλαμβάνειν, οὔτε συνηγόροις ἐγκαταλέγεσθαι, ὑπόκειται δὲ τῇ τύχῃ τῶν κορταλίνων, καὶ τοῖς ἐντεῦθεν βαρέσιν. ὁ δὲ τῶν εἰρημένων ἐντὸς πειρώμενος σπουδάσας, καὶ τούτων ἐκπίπτει, καὶ ποινῇ ζημιοῦται εἴκοσι χρυσοῦ λιτρῶν. Θατέρου δὲ τῶν γονέων βουλομένου τὸν παῖδα γενέσθαι Χριστιανὸν, ἡ τούτου γνώμη κρατεῖ. δεῖ δὲ αὐτὸν καὶ τρέφειν τὸν παῖδα, καὶ τὰ πρὸς ἀναγκαίαν δαπάνην χορηγεῖν, προῖκας τε ὑπὲρ θυγατέρων ἐπιδιδόναι, καὶ πρὸ γάμου δωρεὰς ὑπὲρ τῶν υἱῶν, κατὰ τὴν ἀξίαν τῆς οὐσίας. εἰ τὰ ἄλλα θεραπευόμενος, τοῦτο μόνον ἐγκαλεῖν ἔχοι, διότι γέγονε Χριστιανός: hoc eſt; *Judaeus neque dignitatem adipiſci poteſt, nec magiſtratum gerere, nec aliquod in militia imperium habere, nec inter advocatos referri. Subjectus eſt autem conditioni cohortalinorum, & provenientibus hinc oneribus. Qui vero ad indicata ſtuduerit adſpirare, tam iis excidit, quam 20. librarum auri poena plectitur. Quum autem alteruter parentum fieri vult filium Chriſtianum, voluntas ejus eſt rata. Judaeus filium alere debet, & quae requiruntur ad neceſſariam expenſam, ei ſuppeditare; filiabus dotes conſtituere; pro filiis donationes ante nuptias, pro modo patrimonii, facere: ſi, dum in caeteris a filio recte colitur, hoc ſolum habeat, quod reprehendat; illum ſcilicet factum eſſe Chriſtianum.* Quae omnia quum epitomae ſuperiori reſpondeant; reſtat, ut concludamus, epitomen *legis* 13. quae ſequitur, ab illis verbis incipere: Οἱ ὀρθόδοξοι παῖδες τῶν αἱρετικῶν μὴ ἁμαρτήσαντες, &c. Cui ſententiae probandae, praeter rationes expoſitas, etiam libri Paratitlorum auctoritas ſufficit.

XXXIV. *Legis* 14. *h. t.* epitomen Contius hinc ſumſit. Sub finem, pro ἢ διὰ παρενθέτων προσώπων, ἤ τι τῶν ἀπηγορευμένων ποιῶν, in noſtris legitur, ἢ διὰ παρενθέτων προσώπων, ἤ τι τῶν ἀπηγορευμένων αὐτοῖς ποιῶν. Caeterum quos in verſione Contius *exarchos*, retenta voce Graeca, dixit: ego *primates* adpellavi, motus auctoritate Paratitlorum, quae in *l.* 17. *C. h. t.* ἐξάρχους interpretantur, quos Impp. Latine *primates* vocaverant. Et quod ſubjicitur, ἢ πατέρας, ἢ ἐκδικίας ἐγχειρίζεσθαι, Contius reddit ſane quam ſecorditer, *Paternitates ſeu abbatias, aut defenſiones inſtituere:* quum legis ſententia ſit; haereticos non debere patrum in civitatibus, aut defenſorum officia conſequi.

XXXV. *Legis* 15. *h. t.* poſuit epitomen Contius ex noſtra Baſilicorum ecloga, quam integriorem deinde *libro ſequenti* dabimus. Heic eamdem ſubjiciemus iis verbis, quibus in Paratitlis exponitur: Οἱ μανιχαίων παρὰ μὲν τῶν ὀρθοδόξων παῖδες ἐξ ἀδιαθέτου κληρονομοῦνται, μὴ ὄντων δὲ τούτων, ὁ φίσκος τὰ πράγματα αὐτῶν διεκδικεῖ, εἴτε διέθεντο, εἴτε ἐληγάτευσαν, εἴτε ἐδωρήσαντο: id eſt; *Manichaeis orthodoxi liberi dumtaxat ab inteſtato ſuccedunt. quibus non exſtantibus, res eorum fiſcus vindicat; ſive teſtati ſint, ſive legaverint; ſive donationes fecerint.*

XXXVI. Epitome *l.* 18. *h. t.* ſumta fuit ex libro Paratitlorum. Hoc tamen omiſſum, quod tradunt initium legis fuiſſe, τὸ ἅγιος. quae quidem initia legum libenter heic recito, ut ipſae leges, ſi forte reperiantur, vel hoc indicio poſſint adgnoſci. Caeterum ſtatim ab initio, in his verbis, καὶ τοῖς μοντανισταῖς, καὶ τοῖς ἀσκοδρούγοις, καὶ ταῖς διαδοχαῖς, καὶ ὀφίταις, inducenda ſunt prorſus haec, καὶ ταῖς διαδοχαῖς. Ac paulo poſt ubi dicitur, τυπῶσιν οἱ μὴ ὀρθόδοξοι, καὶ οἱ ἐλληνες, adde de manuſcriptis, καὶ οἱ σαμαρεῖται. Rurſus in his verbis, καταφερομένην αὐτοῦ κληρονομίαν, repone καταφερομένην αὐτῷ κληρ. Item in fine, pro κατὰ τῶν ἐνθυμηθέντων καὶ μὴ ἐξιόντων, lege ἐκεξιόντων. Quod ait conſtitutio de haereticis, ὅτι παιδεύουσι, Contius vertit, *Neque docent*, non male id quidem; ſed legis ſententia eſt, haereticos non fieri profeſſores, ut leges noſtrae loquuntur. Illud alterum generalius accipi poſſet, quum profeſſores reſtrictius, in Baſilicis etiam, παιδευταὶ dicantur; & inter eos referantur, qui annonas de publico accipiunt. Quod deinde ſequitur συστηρτέσεως vocabulum, Contius *adplauſum* reddidit: ego *ſuſtentationem* dixi, ſequutus auctoritatem veteris & boni gloſſarii, quod συστηρίζω *ſuſtentare*, συστήριγμα *ſuſtentationem* interpretatur.

XXXVII. In *legis* 20. *h. t.* petita de Paratitlis epitome, ſub finem haec verba leguntur in editione Contii, καὶ ὁ χορηγοῦνται οἱ πενόμενοι αὐτῶν τὰ λεγόμενα ἀξιωματικά, ἐκ τῶν δικαστηρίων ἢ τῶν ἐκκλησιῶν. quae Contius reddens, ἀξιωματικὰ dixit honoraria, ex judiciis vel eccleſiis. Equidem ſcio, Graecos adpellaſſe ἀξιωματικοὺς, quos *lex* 19. *C. de epiſc. aud.* & *l.* 3. *C. de offic. diverſ. judic.* dixerunt honoratos, id eſt, conſtitutos in dignitate. Sed ἀξιωματικὰ nusquam recordor dici honoraria. Ne te ſuſpenſum teneam, Lector, ita locum & reſtituas, & me auctore legas: καὶ ὁ χορηγοῦνται οἱ πενόμενοι αὐτῶν τὰ λεγόμενα ἀξιωματικὰ καὶ ἐκκλησιαστικά. Nam ultima vox iſtaec in Paratitlis exſtat: cum quibus ſi conferas, quod ſequitur, ἐκ τῶν δικαστηρίων ἢ τῶν ἐκκλησιῶν, deprehendes eam mentem eſſe legislatoris noſtri, ut haereticos aut Montaniſtas non ſolum capaces civilium & eccleſiaſticorum munerum vel dignitatum eſſe nolit; verum etiam diariorum, ſive annonarum, ſive ſolatiorum, quae a tribunalibus, aut ab eccleſiis erogantur. Et quod ſequitur, ὁ νέμων αὐτοῖς ἄλογον προστασίαν, itidem male Contius, *Qui tribuit eis irrationabilem praefecturam:* quum hiſce verbis intelligatur, *qui patrocinium eis citra rationem praeſtat.*

XXXVIII. Inſigne mendum latet in *legis* 11. *C. de Jud. & Caelic.* verbis hiſce primis: *Judaeos quosdam feſtivitatis ſuae ſolemnia ad poenae quondam recordationem incendere, & ſanctae crucis adſimulatam ſpeciem in contemtum Chriſtianae fidei ſacrilega mente exurere provinciarum rectores prohibeant.* Quid enim eſt, *incendere ſolemnia feſtivitatis Judaicae?* quid item, *hoc ipſum ad poenae quondam recordationem facere?* Nimirum ſolvendo huic aenigmati, alio fuerit opus Oedipo. Gloſſa quidem hoc loco per ſolemnia dicit intelligi coronam ſpineam, & crucem. Sed quonam modo ſunt haec Judaicae feſtivitatis ſolemnia? Si *Codicem Theodoſianum* conſulas, in cujus *lib.* 16. *tit.* 8. *haec ipſa lex* eſt numero 18. caetera quidem reperies eadem, tantummodo pro *ſolemnia*, ſcriptum videbis, *Selem Aman.* Et quis divinaturus eſt, quidnam ſit, *Judaeos feſtivitatis ſuae Selem Aman incendere?* Ne longiori mora tibi ſim moleſtus, amice Lector; vide quaeſo, quam feliciter hoc aenigma, monſtri ſimile, Paratitlorum noſtrorum liber expediat. Sic igitur haec interpretatur: οἱ Ἰουδαῖοι μὴ ἐν σχήματι τοῦ Ἀμὰν τὸν τύπον τοῦ σταυροῦ καιέτωσαν: hoc eſt, *Judaei formam crucis in Amanis ſpecie non comburant.* Amanis, Judaeorum hoſtis, hiſtoria nota eſt ex ſacrae hiſtoriae libri, qui *Eſther* inſcribitur, capitibus aliquot primis. Nam *ſeptimo* tandem narratur, eum juſſu Aſſueri Perſarum regis in crucem, quam Mardocheo prius ipſe paraverat, actum fuiſſe. De his intelligi *legis hujus* argumentum, ſcopusque poteſt. Quippe Judaei temporibus illis eccleſiae primitivae, certis feſtivitatibus ſuis hanc Amanis hiſtoriam ita repraeſentare ſolebant; ut Amanis ſimulacrum popu-

 lis

lis ſpectantibus in crucem agerent, ac deinde concremarent: prae ſe quidem ferentes, id fieri ad recordationem poenae publici quondam hoſtis ſui: ſed interim occulta malignitatis & odii fraude, Chriſto Deo noſtro, velut alteri hoſti gentis ſuae, ejusque cruci, ac fidei populoque Chriſtiano, qui in adfixum cruci crederet, illudentes. Habes jam, Lector, ſententiam conſtitutionis, quae tale quid amplius in contemtum Chriſtianae religionis fieri prohibet. Reſtat, ut ipſis etiam verbis legis remedium adferamus. Id facta minima litterarum mutatione, ac vocis *Aman* ex Graecis adjectione, quam imperiti librarii prorſus in *Juſtinianeo Codice* omiſerunt, quum eam in *Codice Theodoſiano* alii minus rudes retinuiſſent, nullo negotio nobis ſuccedet. Itaque ſic legendum cenſeo: *Judaeos quodam feſtivitatis ſuae ſolemnis, Aman ad poenae quondam recordationem incendere & ſanctae crucis adſimulatam ſpeciem in contemtum Chriſtianae fidei noſtrae ſacrilega mente exurere provinciarum rectores prohibeant.* Quibus jam verbis nihil apertius.

xxxix. *Altera lex ficitia Contii exploſa.* Errorem Contii, qui de *ſecundo capite legis* 54. *C. de epiſc. & cler.* novam quamdam legem finxit imprudens, ſupra demonſtravi. Nunc conſimilis eumdem erroris hoc etiam loco redarguam. Quippe fingit in hoc quoque titulo novam *legem* 18. ex Baſilicis & Nomocanone, cujus haec verba facit: *Judaeus, qui eum, qui Judaicae religionis non eſſet, contraria doctrina ad ſuam religionem traducere praeſumſerit; bonorum proſcriptione damnetur, miſerumque in modum puniatur.* Ea vero pars ſunt *legis ſequentis*, adeoque haec ultima verba legis ejus interpretantur: *Cernat praeterea bona ſua proſcripta, mox poenae ſanguinis deſtinandus, qui fidem alterius expugnaris perverſa doctrina.* Non opus erat alia demonſtratione, ſed majoris evidentiae cauſſa dumtaxat id addam: Paratitla noſtra Contianam legem illam commentitiam non adgnoſcere, nec tribus in locis aliam recitare *legem* 18. *hoc titulo*, quam quae ultima eſt: adeoque verbis illis a Contio Latine citatis, partem ejus extremam interpretari, quae Graece ſonant in hunc modum: ὁ Ἰουδαῖος δὲ, ὃ μὴ ὄντα τῆς αὐτῶν θρησκείας ἐναντίᾳ διδασκαλίᾳ μετάγων εἰς αὐτὴν, δημεύεται, καὶ κεφαλικῶς τιμωρεῖται. Nullum diſcrimen vides, niſi quod miſerum in modum puniri Judaeum dixit ille, quum poenam capitalem vertere debuerit. Hoc obiter adjiciam, me ultima verba *d. l.* ita citaſſe, ut omnino legenda ſunt. Nam in noſtris eſt, *Quaſi qui fidem alterius*, &c. voce, *Quaſi*, ſuperflua; quam nec Theodoſii *Novellarum liber* adgnoſcit. Et recte ſcripſi, *Qui fidem alterius expugnaris*, pro *expugnavit*, ut noſtri habent.

xl. Accedamus nunc ad ipſam *legem* 19. *C. h. t.* in qua primum occurrit legis initium, quod in editis eſt, *Hac valitura in omne aevum lege.* Ter citatur in Paratitlis, & tamen ubique Latinis litteris ſcribitur, *Hac victura.* Notatum etiam bis in margine, ἀπὸ τῆς νίκης, quo ſignificare quiſpiam voluit, verbum hoc, *Victura*, deduci a victoria, vel a vincendo. Quod equidem profectum arbitror ab aliquo ſemiperito linguae Latinae Graeculo, qui putaret hanc mentem principis eſſe, Legem hanc ſuam victricem futuram in omne aevum: cum quivis intelligat, victuram in omne aevum legem, ſic ab Imperatore dici; ut ejusdem vocis ambiguo ſignificatu poëta canit [Martial *lib.* 6. *epigr.* 60.]

Victurus genium debet habere liber.

Cum Paratitlis in hoc conſentit etiam *liber Novellarum* Theodoſii. Deinde quum ſtatim ab initio dicitur, *Neminem Judaeorum*: addunt Paratitla noſtra, *Et Samaritarum*: idque bis ita repetitum invenio. Quod autem paulo poſt ſequitur; *Nec defenſoris civitatis fungi ſaltem officio, nec patriae honorem arripere cedimus*: Graeci ſic reddunt, οὐ γίνεται ἔκδικος, οὐ πατὴρ πόλεως: hoc eſt; *non fit neque defenſor, neque pater civitatis.* Ex quibus verbis colligi fortaſſe non inepte poſſit, legiſſe Graecos, *Nec patris honorem arripere*: quod mutatum fuerit ab imperitis librariis in honorem patriae, qui putarent abſurdum videri, Judaeos non poſſe fieri patres; & ignorarent, quinam patres civitatum Romanis temporibus dicti fuerint. Caeterum hic ille locus eſt, ex quo Graeci colligunt in tituli tertii Paratitlis, epiſcopos non dedignari debere judices, civitatum defenſores: adeoque defenſores civitatum jus cognoſcendi de cauſſis epiſcoporum habere. Dicunt autem hoc colligi ἐξ ἀντιδιαστολῆς, in hunc videlicet modum. Judaeus non poteſt fieri defenſor, ne judex ſit Chriſtianorum, atque ipſorum adeo epiſcoporum. Ergo quivis alius defenſor judex epiſcoporum eſſe poteſt. Quod eo libentius, tametſi per ſe notatu dignum, heic repetere volui: quia perit legentibus argumentationis hujus argutia, niſi corrupta quaedam in textu legis vocula, de Graeca lectione reſtituatur. Ea ſic habet: Ἰουδαῖος οὐ γίνεται ἔκδικος, ἵνα μὴ ἔχῃ ἄδειαν ὀρθοδόξους ἢ ἐπισκόπους δικάζειν: hoc eſt; *Judaeus non fit defenſor, ne licentiam habeat in cauſſis orthodoxorum aut epiſcoporum pronuntiandi.* Mutemus igitur unicum illud *nec*, & pro eo *ne* ſcribamus, ut Graeco ἵνα μὴ reſpondeat, & apertam veramque legis ſententiam habebimus, a qua vis argumentationis ſuperioris dependet. Nam vide quam haec verba plana ſint: *Nec Judaeum defenſoris civitatis fungi ſaltem officio, nec patris honorem arripere concedimus:* [a] *ne adquiſiti ſibi officii auctoritate muniti, adverſus Chriſtianos, & ipſos plerumque ſacrae religionis antiſtites, veluti inſultantes fidei noſtrae, judicandi vel pronuntiandi quamlibet habeant poteſtatem.*

[a] nudus in textu, Nec adquiſitis, &c.

In epitome *l.* 2. *C. ne Chriſtian. mancip.* ubi Contius ſtatim ab initio ſcripſit, σαμαρείτης, καὶ ἄλλος αἱρετικὸς, τουτέστι μὴ ὢν ὀρθόδοξος, Paratitla noſtra paucioribus, καὶ σαμαρείτης, καὶ πᾶς μὴ ὢν ὀρθόδοξος, inquiunt. deinde a verbis illis, καὶ αὐτὸ Χριστιανὸν ἐλευθεροῦται, prorſus abeſt illud Χριστιανόν. Denique, καὶ ὁ κτησάμενος, non eſt, uti Contius interpretatur, qui poſſidet; ſed comparavit.

Non temere quid in ſcriptura, longi temporis xli. quaſi praeſcriptione munita, loco movendum arbitror. Quid tamen quisque manuſcriptis in libris antiquis inveniat, equidem exponi poſſe cum bona gratia cujusvis, arbitror. Ejusmodi quiddam hoc loco nobis *in titulo Codicis, De Paganis, & Sacrificiis, & Templis*, accidit. Non enim negamus, ita bonis in libris hunc titulum ſcriptum reperiri, & ipſa verba tituli cum rebus, in eo tractatis, convenire: ſed, animo dumtaxat indicandae ſcripturae veteris, quam reperimus in hisce Paratitlis, dicimus, ita Graecos Latinis hunc ſcripſiſſe literis, *De paganis ſacrificiis & templis*: ut pagana ſacrificia intelligantur, quemadmodum heic in *l.* 8. pagana ſuperſtitio dicitur. Graecis autem hoc verbis ejusmodi exprimitur: περὶ ἑλληνικῶν θυσιῶν καὶ ἱερῶν. Ac verum ſane ſi fateri volumus, pars major hujus tituli conſtitutionum in eo potiſſimum laborat; ut, quando res orbis ad principes Chriſtianos, harum legum auctores, perveniſſent: clauſis ex eo tempore deaſtrorum templis, ſacrificia pagana, cum divinatricis extiſpicinae foedisque caeteris impietatibus, abolerentur.

Quum quis in *l.* 6. *h. t. ſub finem*, attente legit xlii. haec verba: *Rectores etiam provinciarum, & officia, & principales cognoſcant*, &c. deprehendit, neſcio quid vitii latere in voce *Principales*; cui quidam mederi volentes, ſcripſerunt; *Et officia principalia cognoſcant.* Sed hoc quoque videtur aliquid inſolens habere. A Graecis etiam legis exſequutio non duobus, ſed tribus ordinibus committitur. Ii ſunt, οἱ ἄρχοντες, praeſides, αἱ τάξεις, officia praeſidum, non officia principalia, καὶ οἱ πολιτευόμενοι. Qua ſane poſtrema voce quum Graeco Latinoque more, non principales accipiantur, ſed municipales; facile in

hanc

hanc ſententiam venio, debere vocabulum hoc ſuo reſtitui loco; proque, *Principales cognoſcunt*, legendum, *Municipales cognoſcunt*. Ibidem quod paulo ante Contius adſert e Cod. Theodoſiano, pro hiſce verbis, *Convicti in duplum, quae rapuerint, reſtituere compellentur*; legi, *Convicti in triplum & quadruplum quae rap.* & caetera: lectioni Graecorum non reſpondet, qui quum vertant, τὸ ἁρπαγὲν ἀποδιδόασι διπλοῦν, tantummodo dupli reſtitutionem adgnoſcunt.

XLIV. Epitomen *l.* 9. *h. t.* Contius ad verbum e Paratitlis ſumpſit, verum oſcitanter alicubi verſatus eſt in reddendis Latine Graecis: verbi gratia, quod in principio dicitur, ἐπὶ συςάσει τῆς τῶν Ἑλλήνων πλάνης, vertit ille, *Datum ad conſtructionem pagunici erroris*. Et in margine notat aliam hanc interpretationem, *Datum collegio pagunici erroris*: quaſi collegium Graecis dicatur σύςασις, non σύςημα. Nimirum intelligitur id, quod datum eſt ad fulciendum errorem paganum. Deinde quum dicitur, hujusmodi donata capere civitatem vel municipium illorum locorum: mox ſequitur, καὶ δαπανῶνται καθ' ὁμοιότητα τῶν βασιλικῶν προσόδων, quod Contius, *Et expenduntur ad ſimilitudinem imperialium reditnum*. Abſurdum eſt dicere, municipiis adquiſita expendi ad ſimilitudinem redituum principalium. Itaque recte Paratitla noſtra, καθ' ὁμοιότητα τῶν πολιτικῶν προσόδων, inquiunt, hoc eſt, *ad ſimilitudinem aliorum redituum municipalium*. Alio denique Paratitlorum loco dici notabis, initium legis hujus integrae fuiſſe, προστάττομεν. de quo colligitur, editam fuiſſe Graece. Ibidem haec alia legis hujus particula, quae in epitome praecedenti omiſſa eſt, legitur: καὶ τὴν Ἑλλήνων ἀσέβειαν ἀνακόπτειν τοὺς ἐπισκόπους, καὶ μηνύειν ταῦτα τῷ τῆς ἐπαρχίας ἄρχοντι: hoc eſt, *Epiſcopi paganorum impietatem reſecare debent, & indicare talia Praeſidi provinciae*. Sequentis legis epitomen, ex Paratitlis ſumtam, quam frivole, vel ſuo potius more reddiderit Contius, ſi ſcire deſideras, confer interpretationem illius cum noſtra, quam ſuo loco ſupra dedimus.

XLV. *Titulus primi libri Codicis duodecimus*, hanc in editis libris Latinis habet inſcriptionem, *De his, qui ad Eccleſiam confugiunt, vel ibi exclamant*. Hactenus poſita verba reperiri fatetur Contius in manuſcriptis, & pro germanis adgnoſcit. Quae vero ſequuntur, *& ne quis ab Eccleſia extrahatur*: abeſſe teſtatur ab omnibus manuſcriptis exemplaribus. Equidem ut verum fatear, libenter illa crediderim ſuppoſititia, & ab aliis adjecta; quum noſter etiam Paratitlorum liber, cui non abs re multum tribuimus, ea ſilentio praetereat. Nec dubium eſt, ex integrioribus juris Romani monumentis Graecos anteceſſores hauſiſſe ſuas interpretationes; quum ad eam barbariem Graecia redacta non fuerit, in quam Roma noſtra cum reliquis Latini nominis regionibus, aliquot ſuperioribus praecipitata ſaeculis, omni verae doctrinae luce caruit. Ut autem & illud addam, quod fortaſſe non negligendum, inſcriptio tituli hujus noſtris in Paratitlis etiam ab illa diſcrepat, in qua tam editi, quam manuſcripti conſentiunt. Nam Latinis quidem litteris in hunc modum expreſſa legitur, *De his qui ad Eccleſias confugiunt, & clamoribus ibi utuntur*: Graece vero ſic; περὶ τῶν ἐκκλησίαις προσφευγόντων, καὶ ἐκβοήσεσιν ἐκεῖσε κεχρημένων. Quae ſane verba Laonis omnino reſpondent, & fortaſſis antiquam inſcriptionem tituli continent.

XLVI. Parvi quiddam eſſe momenti videtur, ſed notandum tamen: ne quid de ſtudio noſtro remittamus. In *fine legis* 6. *C. h. t.* leguntur haec verba: *Deinde judices, vel eos, ad quos cauſſae & perſonae pertinent; inſtantius inſtruant, & aequitati convenientia diligentius exſequantur*. Rectius leges, ſi *Ut aequitati*, pro *et* repoſueris, ex auctoritate Paratitlorum, quae *ut* per ὥστε reddunt, ὥστε τὰ τῷ δικαίῳ συμβαίνοντα γενέσθαι. Quibus ex verbis etiam Contio reſpondendum, qui vitioſam manuſcriptorum lectionem adnotavit, *Et aequitati convenientiam diligentius exſequantur*: rectius enim Graeci, τὰ τῷ δικαίῳ συμβαίνοντα, hoc eſt, *convenientia*.

Similitudinem inter ſe quamdam habent *l.* 19. *ſup. de epiſc. aud.* & *l.* 8. *C. de defenſ. civit.* Verum in hoc differunt, quod haec lata fuit ab Honorio & Theodoſio AA. illa vero Anaſtaſium A. habuit auctorem, & uti tempore poſterior eſt, ita quaedam accuratius etiam ſancit. Utriusque mentionem hoc loco propterea facere volui, quod in Paratitlis tertii tituli, primo loco citetur *l.* 8. ex *primi libri Codicis titulo* 55. (qui in editis eſt 54.) & mox ſubjiciatur ejuſdem tituli lex undecima, quum in editis ultima lex ejus tituli decima numeretur, & undecima non exſtet. Indicant autem verba legis, in Paratitlis citata, quae mox ſubjiciemus, *undecimam legem tituli C. de defenſ. civit.* eamdem eſſe cum illa, quae ſupra in tit. *de epiſc. aud. decimanona* recenſetur: ad utrumque relata titulum, quia pariter & epiſcoporum ac clericorum, & defenſorum mentionem continet, ac de utriſque ſtatuit. Adeoque multis in locis eaedem leges a Juſtiniano, propter indicatam cauſſam diverſi reſpectus, ad diverſos titulos relatae fuerunt: cujus rei rationem quum librarii rudiores ignorarent, pleraſque prius deſcriptas auctoritate propria deinceps in libris & titulis poſterioribus omiſerunt. Hujus rei complura tibi, Lector, in iis, quae ſequentur, exempla notabimus. Nam equidem in ea ſum opinione, ſi Juſtiniani Codicem integrum habere velimus: omnia prorſus in eo ſic eſſe relinquenda, quemadmodum ipſius auctoritate digeſta fuerint. In hoc quidem loco duntaxat Anaſtaſianae legis partem ponemus, in Paratitlis ita recitatam: quum nemini dubium eſſe debeat, integram ab Juſtiniano in Codicem fuiſſe relatam. Sic igitur Paratitla noſtra, ἡ διάταξις ια. ζητεῖ πρότερον διὰ πράξεως ὑπομνημάτων, παρόντος τοῦ τῆς πόλεως ἐπισκόπου, μεθ' ὅρκου δέχεσθαι τὸν ἔκδικον καταστήσεσθαι, ὅτι τῆς τῶν Χριστιανῶν ὑπάρχει θρησκείας. hoc eſt, *Conſtitutio XI.* (prius titulum 55. poſuerat, ut antea diximus) *requirit, ut prius defenſor apud geſta monumentorum, praeſente civitatis Epiſcopo, cum praeſtatione jurisjurandi deponat, quod religioni Chriſtianorum addictus ſit*. Plura non ſunt ex hac conſtitutione hoc loco in Paratitlis citata, quia *titulus* 3. duntaxat *de Epiſcopis & clericis* agit. Si qui vero deinceps libros juris noſtri volent integros edere, legem hanc Anaſtaſianam in *fine tituli C. de defenſ. civit.* repetant: ut ibi ſit undecima, quemadmodum hoc numero citatur in Paratitlis, non aliter, atque factum videmus in *l. Si quis in conſcribendo inſtrumento* 51. *C. de epiſc. & cler.* quae *lib.* 2. *titulo de pactis* repetitur (ac recte quidem) nam ex eo quoque titulo citatur in Paratitlis noſtris, & numeratur ibi *lex* 29. ſicut in titulo *de epiſc. & cler.* 51. Rurſus aliud exemplum habes in *l.* 15. *C. de epiſc. aud.* quae totidem verbis repetitur in titulo, *de poſtulando l.* 8. & ex utroque titulo citatur in Paratitlis noſtris.

Lex ſecunda C. de ſport. non exſtat. Ejus epitomen, vel particulam quamdam potius, recitat liber hic Paratitlorum, quam in editione ſua poſtrema Contius ad verbum Graece poſuit, ac male (tametſi pauca verba ſint) vertit. Haec enim vera ſententia verborum eſt: *Si exſequutor commonitum vexet ob conſtituendum fidejuſſorem, quem dicat eſſe perſonam, quae ſolvendo non ſit: providentia & judicio epiſcopi eum accipiat*. Paene oblitus eram ejus, quod alioqui non abs re indicare ſoleo. Tradunt Paratitla noſtra, quae caeteroqui legum Latine ſcriptarum principia ſemper Latine citant, hujus legis initium fuiſſe, ἀναγορεύομεν. Fuit igitur edita Graece, neque mirum, eam periiſſe; librariis noſtris Graecas literas avorum memoria prorſus ignorantibus. XLVIII.

Bis animadverti noſtris in Paratitlis ita citari leges tituli *C. de feriis*, ut quae noſtris in libris eſt *ſecunda*, XLIX.

Digitized by Google

da, prorſus eo loco non ponatur. Et mirum ſane, legem Theodoſianam duabus Conſtantinianis praeponi, contra ſeriem temporum: immo etiam aliis Valentiniani, Valentis, & Gratiani; qui omnes in imperio Theodoſium praeceſſerunt. Paratitla certe *l. omnes judices* 3. *h. t.* ubique citant, velut ordine ſecundam, & *l. quadraginta* 6. faciunt ordine quintam, quae nobis eſt ſexta; *legem Omnes dies*, duobus in locis faciunt ſextam, quae nobis eſt ſeptima. Videndum igitur, an quae notatur in hoc titulo deeſſe *l.* 9. (licet illam putaverit A. Auguſtinus eamdem fuiſſe cum *l.* 3. *C de epiſc. aud.*) ſit haec ipſa lex Theodoſiana, quae male ſuo mota, in alienum irrepſerit locum. Hoc quoque noſtris ex Paratitlis notandum putavi, *legis Omnes dies* 7. *h. t.* iſtaec verba, *Sacros quoque Paſchae dies, qui ſepteno numero vel praecedant, vel ſequuntur*: ſic a Graecis noſtris eſſe reddita, ut feriis Paſchalibus dies 15. attribuantur. His enim verbis hunc locum interpretati ſunt; *ταῖς ιε πασχαλίοις ἡμέραις ἀργοίτωσαν αἱ θέαι*, *Quindecim diebus Paſchalibus ceſſent ſpectacula*. Sane ſi quis obiter Latina legis verba legit, de quatuordecim dumtaxat diebus agi putat. Graeci vero praeter hos partim praecedentes, partim ſequentes, ipſum quoque Paſchae diem computant. Addendum & hoc, de Baſilicorum ecloga me deprehendiſſe, *legem* 3. *C. de Epiſc. aud.* repetitam quidem hoc titulo fuiſſe: ſed ita, ut inter X. & XII. leges poneretur. Quod facere nonnihil videtur ad id, quod paulo ante de *l.* 9. *h. t.* dicebamus. Antonii quidem Auguſtini opinio hac ratione locum non habebit.

L. *Lex* 1. *C. de aleat.* non exſtat. Contius ex *Nomocanone* fragmenta, vel potius epitomas quaſdam reſtituit. Graece ſcriptam fuiſſe, colligitur ex Paratitlis noſtris, quae legis initium tale recitant: *ἡ τῶν κύβων.* de quo licet intelligere, vetuſtam eſſe legis interpretationem, quae ipſa quoque ſic incipit: *Alearum uſus antiqua res eſt.* Quamquam ego putem legendum, *Alearum luſus*; ut in Graecis, *τὴν δὲ κύβων παιγνίαν.* adeoque principium legis etiam hac voce puto explendum, *ἡ τῶν κύβων παιγνία.* Caeterum ea dumtaxat in Paratitlis particula legis hujus attingitur, quae in vetuſta translatione Latina verbis hiſce legitur: *Epiſcopis locorum hoc providentibus, & Praeſidum auxilio utentibus.* Graeca ſunt hujusmodi, *τὴν δὲ κύβων παιγνίαν δύνανται οἱ ἐπίσκοποι ἀναζητεῖν, καὶ κωλύειν γίνεσθαι*: hoc eſt, *in aleae luſum inquirere poſſunt epiſcopi, & prohibere, ne fiat.* Obiter heic addo, fragmentum illud, quod hoc titulo Contius in extremo poſuit, & ipſemet ad alearum luſum non pertinere fatetur (initium quidem ejus eſt, *Qui pragmaticum adfert praeceptum*, & caet.) ſpectare ad *l.* 26. *C. de epiſc. aud.* quae ſequitur poſt conſtitutionem de aleae luſu 25. *eod. tit.* Quamobrem hoc loco prorſus inducendum.

LI. Si Paratitlorum auctori fidem habere volumus, *lex* 4. *C. de ſacroſ. eccl.* erit eadem cum *l.* 5. *C. de commerc. & mercat.* Citat enim ex *lib.* 4. *Codicis*, *tit.* 63. *legem*, cujus initium, *Ceſſante* 5. Legis vero ſententiam verbis hiſce complectitur; *οἱ δεκανοὶ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως ἀτέλειαν ἔχουσιν· οὐ γίνονται δὲ περαιτέρω τῶν ἐννακοσίων πεντήκοντα*: hoc eſt; *Decani majoris eccleſiae Conſtantinopolitanae habent immunitatem. Non fiant autem ultra nongentos quinquaginta.* Totidem prope verbis allegatam prius *l.* 4. *de ſacroſ. eccl.* expoſuit. *ἡ ἐκκλησία Κωνσταντινουπόλεως οὐκ ἐχέτω περαιτέρω τῶν ἐννακοσίων πεντήκοντα δεκανῶν.* Ex quibus primum colligitur, in Codice pro *quingentorum ſexaginta trium collegiatorum*, legi debere, *nongentorum quinquaginta collegiatorum.* Deinde *collegiatos & corporatos* in *hac lege* dici, quos illa *decanos* vocaverit. Auctores quidem ſunt legis utriuſque Honorius & Theodoſius AA. ſed ſcriptae ſunt ad diverſos. In *fine legis* habet ultima Contii editio, *Comparatorum*, pro *Corporatorum*.

Legis 29. *C. de nupt.* hanc epitomen Paratitlorum liber recitat; *ἡ σκηνικὴ ἀπελευθερωθῆναι βουλομένη, καὶ παρὰ τοῦ ἄρχοντος κωλυομένη, δύναται προσελθεῖν τῷ ἐπισκόπῳ, ἵνα προνοίᾳ αὐτοῦ τὸν σεμνὸν καὶ σώφρονα βίον μετέλθῃ*: hoc eſt; *Scenica mulier, quae liberari vult, & a praeſide impeditur, epiſcopum adire poteſt, ut ejus providentia ad vitam honeſtam ac pudicam ſe conferat.* Quibus ex verbis adparet, hanc legem non illi valde fuiſſe diſſimilem, quae ſuperius in tit. *de epiſc aud.* trigeſima tertia recenſetur. Eaque cauſſa movit A. Auguſtinum, & A. Contium, ut tit. *de nuptiis*, *dictam l.* 33. *C. de epiſc. aud.* cujus initium, *θεῖαν ἐπονομάζεσθαι*, verbis prorſus iiſdem repeterent. Sed ego verum ſi fateri debeo, non parum hac in parte haereo. Nam liber Paratitlorum ait, *initium legis hujus in tit. de Nupt.* fuiſſe, *Πᾶσιν.* quod cum *initio l.* 33. *de epiſc. aud.* non convenit. Hoc ſane colligitur, editam fuiſſe Graece, quum principium Graece citetur. Deinde quaedam adparet eſſe diverſitas inter ea, quae *legis hujus* 29. *de nupt.* & quae *l.* 33. *de ep. aud.* epitomae continent. Mihi quidem hoc in loco tituli *de nuptiis* collocanda videtur epitome, de Paratitlis eruta, donec tandem aliquis germanam legem inveniat, quae juxta Paratitlorum indicationem incipit a vocabulo *Πᾶσιν.* LII.

In *lib.* 6. *Codicis titulus* 48. nuda dumtaxat habet inſcriptionis verba, *De incertis perſonis*, ſicut etiam in ecloga noſtra Baſilicorum tantummodo nudus exſtat titulus, *περὶ ἀφανῶν προσώπων.* Contius in eo, quod ex Photio & Balſamone tradit, unam fuiſſe dumtaxat hoc titulo conſtitutionem, ſane fallitur. Nam duae diverſae conſtitutiones in Paratitlis noſtris citantur, & Latinis quidem initiis; unde conſtat editas lingua Latina. Quae res facit, ut mihi ſane mirum ſit, eas periiſſe: quum rarius leges hac lingua ſcriptas interiiſſe videamus, frequentius Graecas; ob ſuperiorem temporum barbariem, quibus Graecae litterae ignorabantur. Libet autem hoc loco duo illa legis utriuſque fragmenta de Paratitlis adſcribere. Legem primam tradunt initium habuiſſe, *Si quando*: eaque verba in margine per *ἐπεὶ ἄν*, ut ſolent, interpretantur. Deinde proferunt haec ex ipſa lege, *ἡνίκα οἱ δανεισταὶ τὰ πράγματα τοῦ χρεώστου ἀπεμπολήσωσιν, ἐὰν εὑρεθῇ δὲ πλέον τὸ καταβληθὲν τίμημα τοῦ κεχρεωστημένου αὐτοῖς ποσότητος, ἐν τοῖς ἀρχείοις τῆς ἐκκλησίας τὸ περιττὸν ἀποτιθέσθωσαν ἐπὶ τῷ φυλάττεσθαι τοῦτο τῷ πάλαι χρεώστῃ*: hoc eſt; *Quum res debitoris creditores diſtrahunt, ſi pretium ſolutum amplius eſſe fuerit inventum, quam ea ſumma ſit, quae ipſis debetur: id quod supereſt, in archivis eccleſiae deponunto, ut quondam debitori ſervetur.* Alterum fragmentum citatur ex lege incerti quidem numeri, ſed cujus initium fuerit, *Certus*; vox in margine reddita per Graecam *βέβαιος.* Verba ſunt hujusmodi, *ἐν τῷ ὀγδόῳ κεφαλαίῳ φησὶν ἡ διάταξις, ὅτι δύναταί τις ἀδήλῳ ἐκκλησίᾳ * .... καταλιμπάνειν, ἤγουν κληρονομίαν.* *Conſtitutio*, inquit, *octavo capite tradit, poſſe quem vel legatum, vel hereditatem eccleſiae .... relinquere.* Arbitror autem legis fragmentum id velle dicere, nimirum poſſe aliquem vel legare quiddam, vel relinquere bona ſua univerſa eccleſiae incertae: quo de agitur etiam in *l. ult. Cod. de ſacroſ. ecclеſ.* LIII.

* *ἀδήλῳ*

Lex *Addictos*, ut bis eſt in Codice poſita, primo quidem in titulo *de epiſc. aud. l.* 6. deinde *lib.* 7. *tit. de adpellat. l.* 29. ita citatur etiam ex utroque titulo in libris hiſce Paratitlorum. Unum hoc a noſtris editis video diſcrepare, quod libri Latini titulo *de adpell.* generaliter legunt, *Addictos ſupplicio, pro criminum immanitate damnatos, nulli per vim atque uſurpationem vindicare liceat.* Graeci vero poſt *nulli*, ſpecialiter clericos monachos exprimunt, his verbis: *ὁ δεῖ παρὰ τῶν κληρικῶν, ἢ μοναχῶν, ἢ τῶν καλουμένων συνοδιτῶν*, & caet. Quare ſi Graecis habenda fides eſt, non ſolum in *l.* 6. *C. de epiſc. aud.* Verumetiam heic expreſſe legendum: *Nulli clericorum, vel monachorum*, LIV.

rum, eorum etiam, quos ſynoditas vocant, per vim atque uſurpationem: & quae ſequuntur.

LV. Ex *libri 7. Codicis titulo* 65. citatur in Paratitlis noſtris *lex* 9. quum libri noſtri non plures eo titulo, quam octo leges habeant. Sententiam legis hac epitome Paratitla complectuntur, οἱ κληρικοὶ πρὸ ἀποφάσεως ἐκκαλούμενοι, προσιμῶνται παρὰ τῷ ἄρχοντι ν'. λιτρῶν ἀργυρίου. ταῦτα δὲ λήψεται οὐχ ὁ φίσκος, ἀλλὰ τοῖς πένησι καὶ δεομένοις πιστῶς [ταῦτα] ἐρογευθήσεται: hoc eſt; *Clerici ante ſententiam appellantes, mulctantur a praeſide L. libris argenti. Verum haec non fiſcus accipiet, ſed in pauperes & egenos fideliter erogabuntur.* Facile quivis animadvertit, hujusmodi legem ab hoc titulo non alienam eſſe; quum is agat de illis, quorum appellationes non recipiuntur, & in *l.* 7. ſimiliter ante ſententiae tempus, ut heic a clericis, ita nec a diſcuſſoribus & rationalibus appellari poſſe ſtatuat. Caeterum cur a librariis hoc loco fuerit omiſſa, cauſſam hanc arbitror, quod ſuperius etiam poſita fuerit in *principio tituli, de Epiſcop. aud.* ubi numero ſecunda eſt. Tantum hoc diverſitatis deprehendo, quod *lex in tit. de Epiſc aud.* poſita, his a verbis incipiat, *Si clericus*: quae vero citatur heic in Paratitlis ex *tit. C. Quorum appell. non recip.* aliud habuit principium, expreſſum id quidem in Paratitlis per Latinas litteras, ſed quae corruptae ſunt, nec in libro meo legi commode poſſunt. In margine per haec ſunt reddita: τὰς συνειδότας. Fortaſſe nos expediret hoc loco Codex Theodoſianus, in cujus *lib.* 11. *tit.* 36. notatur a quibusdam eſſe *lex* 20. qua de nunc agimus: ſed illum hoc tempore, quo iſta notabam, ad manum non habebam.

LVI. Supra notavimus ad *l.* 23. *de Epiſc. aud.* particulam quandam ejus, expoſitam noſtris in Paratitlis, quae non exſtat in epitome, quam dedit A. Auguſtinus. Heic tantum moneo, Paratitla noſtra repetere particulam eandem ad *l.* 2. *C. de privat. carcer.* & exprimere *legis hujus initium*, ἰδιωτικάς. Quae duo me movent, ut credam, omnino legem utroque loco poſitam, verbis iisdem perſcriptam fuiſſe. Dabimus autem & aliam *d.* 2. *l.* epitomen *libro Notatorum ſecundo*, ſumptam ex Baſilicorum ecloga noſtra.

LVII. Contius ex interpretatione *libri* 60. Baſilicorum, quam nobis Cujacius dedit, argumentum *legis ultimae C. de poenis*, loco ſuo repoſuit. Nos ea cum Lectore communicabimus, quae Paratitlorum liber ſuppeditat. Primum ex eo colligitur id, quod alii quoque fatentur, editam fuiſſe lingua Graeca: quippe commemorant ejus initium, Θεσπίζομεν. Deinde particulam quandam legis hiſce verbis recitant, οἱ κατὰ τόπον ἐπίσκοποι φροντιζέτωσαν παραφυλαχθῆναι ἐπὶ τοῖς ἐξοριζομένοις διηνεκῶς, ἢ ἐπί τινα χρόνον ῥητὸν, τὰ προστεταγμένα τῇ διατάξει: hoc eſt; *Epiſcopi cujusvis loci curent, ut in iis, qui vel in perpetuum, vel ad certum tempus relegantur, hac conſtitutione praecepta ſerventur.* Eam particulam heic deſcribere propterea volui, quod epitoma Contii non contineatur ulla ejus mentio.

LVIII. In *titulo* 9. *libri* 10. *Codicis*, *de ſentent. adverſ. fiſc. lat. retract.* nos ultra legem unam noſtris in libris non legimus. Paratitla vero etiam legis ſecundae mentionem faciunt, cujus initium fuiſſe tradunt, Θεσπίζομεν: de quo Graecam fuiſſe, quivis intelligit. Deinde pauca quaedam adnotant ex ea, verbis hiſce: Σημειωτέον, ὅτι ὁ βουλευτὴς καὶ ὁ ταξεώτης δύναται γίνεσθαι κληρικοὶ, κἂν δημοσίῳ χρεωστῶσι. ἑτέρῳ δὲ λόγῳ σημειωτέον καὶ τοῦτο, ὅτι τολμηρῶς καὶ ἐπικινδύνως γίνεται καὶ ἔρρωται ἡ ἐπὶ τούτοις χειροτονία: hoc eſt; *Nota, quod curialis, & officialis, fieri poſſint clerici, licet fiſci debitores ſint. Et alia rurſus hoc etiam ratione notabis, quod temere ac periculoſe fiat, & rata ſit, in eorum perſonis facta ordinatio.* Exſtat Graeca lex in titulo *C. de Epiſc. & cler. numero* 53. quae ipſa quoque incipit a verbo Θεσπίζομεν; & in principio quaedam de curialibus & apparitoribus, clero non adſcribendis, ſtatuit, ſed omnino diverſa ſunt a ſententia nunc expoſitae particulae *legis* 2. *C. de ſentent. adverſ. fiſc.*

Legis 12. *Cod. de annon. & tribut.* pars ultima com- LIX.
plectitur *l.* 8. *ſup. de ſacroſ. eccleſ.* In *utraque lege* quum dicitur, *Eccleſiae Theſſalonicenſi propriae tantummodo capitationis modum ſublevandum, nec extraneorum gravamine tributorum rempublicam, eccleſiaſtici nominis abuſione, laedendam*: ſemper exiſtimavi, aliquid in hiſce poſterioribus verbis haerere vitii. Quae opinio confirmata fuit, ex quo Paratitlorum haec verba diligentius expendi, quibus illa redduntur, ἐπεὶ δὲ αὕτη συγκεχώρηται, διὰ τοῦτο οὐκ ὀφείλει ἀλλότρια τελέσματα τῷ οἰκείῳ κουφίζειν ὀνόματι: hoc eſt; *quandoquidem haec Theſſalonicenſis eccleſia remiſſionem tributorum eſt conſequuta, non idcirco tamen aliena tributa ſub nomine ſuo ſublevare debet.* Ut paucis, quid mihi ad animum acciderit, indicem; arbitror ita legendum, *Nec ea extraneorum gravamina tributorum rempublicam, eccleſiaſtici nominis abuſione, laedendam.* Paulo ante, quum legitur in *hac l.* 12. *de annon. & tribut.* *Sed & hi, qui proteſtati ſunt*: reponito ex auctoritate Paratitlorum, *Sed & Achivi, qui proteſtati ſunt.* Prius enim Macedonum fit mentio; deinde ſubjiciuntur Achivi. Paratitla nonnihil ordine inverſo, ἐπὶ τῶν Ἀχαιῶν, inquiunt, ἤγουν μὲν καὶ τῶν Μακεδόνων. Videtur & Accurſius Achivi legiſſe.

Lex 9. quae Graeca eſt, *C. de exact. tribut. lib.* 10. LX.
in eo titulo numeratur ultima. Noſtra vero Paratitla faciunt etiam *legis* 12. mentionem eodem titulo: niſi forte corrupta ſcriptura eſt, ut vel decima, vel undecima ſcribi debeat. Ejus initium fuiſſe recitant, Θεσπίζομεν, de quo intelligitur, editam Graece. Deinde cujusdam inſtar argumenti, vel epitomes, haec verba ponunt: περὶ τῶν προσφευγόντων ταξεωτῶν ἢ πολιτευομένων, ὅπως δεῖ αὐτοὺς ἀπαιτεῖσθαι τὰς δημοσίας εἰσφοράς, φησὶν ἡ διάταξις ἀπαγορεύουσα μηδένα καταβάλλειν ὑπὲρ αὐτοὺς τὰς συντελείας, εἰ μὴ δημοσιεύσωσι. ἐπὶ γὰρ τοὺς προσφεύγοντας, ἢ ἄλλως κρύπτοντας ἑαυτοὺς, οὐδὲ ὅμως βούλεται γίνεσθαι παρὰ τῶν συντελεστῶν ἐπ' αὐτοὺς καταβολήν: hoc eſt; *De confugientibus ad eccleſias officialibus aut curialibus diſſerit haec conſtitutio, quomodo ſint ab eis exigenda tributa ſive reditus publici: praecipiens, ne quiſquam collationes ſuper ipſos ſolvat, niſi hoc ipſum publicaverint. Nam ſuper eos, qui ad eccleſias confugiunt, vel alio quo modo ſemet occultant, nullam fieri vult a collatoribus ſolutionem.* Satis manifeſtum eſt, omnino ad titulum hunc pertinere, quae ex hoc argumento colligimus *hac lege* fuiſſe ſancita. Sane, verum ſi dicere debeo, ſum ipſe quidem in ea ſententia, ut *legem hanc* iſto titulo putem eſſe *undecimam*, de praecedente hanc decima dicturus *libro Notatorum ſecundo*, ex Baſilicorum ecloga noſtra.

Epitomen longiuſculam *legis* 3. (ſic enim Contius LXI.
numerat) *C. ut nemini liceat in empt. ſpec.* habes in ultima editione Contiana. Si brevior placet, licet hanc ſumas ex Paratilis noſtris, δοκιμασίᾳ τοῦ θεοφιλεστάτου τῆς πόλεως ἐπισκόπου, καὶ τῶν ἐν τοῖς κτήτορσι πρωτευόντων, ἐκ τῶν κατὰ χώραν τάξεων ὁ σιτώνης προχειρίζεται, ἤγουν ὁ μέλλων ἐν τῇ τάξει καταλεγῆναι, ἢ πληρῶν, ἢ πληρώσας: hoc eſt; *Arbitratu religioſiſſimi civitatis Epiſcopi, & primatum inter poſſeſſores, ex ipſius regionis officio creatur frumenti comparator, five is, qui ad officium eſt allegendus, vel qui munus hoc implet, aut implevit.* Hoc quidem certe de Paratitlis notandum, legem fuiſſe lingua Graeca. Nam citatur initium hoc, Θεσπίζομεν, αἰτιῶν. Deinde, quod nec Contius; nec alius quiſquam notarit, quod equidem ſciam, legem hanc eandem eſſe debere cum *l.* 17. *ſup. de Epiſc. aud.* cujus epitome ab ea, quam modo heic poſuimus, non diſſentit. Tum etiam quod Contius eam fecerit hoc titulo tertiam, quum Paratitla ſecundam numerent. Obiter addam hoc quoque, ver-

verba ſcilicet iſtaec in hujus inſcriptione tituli, *Et de munere ſitocomiae*, ſic emendanda, ut legatur, *Et de munere ſitonae*, id eſt, frumenti comparatoris. Hoc enim malo, quam *Sitonici*, vel *Sitoniae*, quae Cujacio placuerunt.

LXII. *Eodem hoc titulo* tres tantum leges habet editio Contiana, quum Paratitla noſtra quartam addant. Ejus initium fuiſſe tradunt, ἦλθον. argumentum ſane manifeſtum, quod edita Graece fuerit. Deinde breviſſimam paucis verbis epitomen ſubjiciunt, quae fortaſſe dumtaxat aliqua legis ejus eſt particula προνοίᾳ τοῦ ἐπισκόπου οἱ κατὰ χώραν ταξεῶται σιτῶναι μετέρχονται: hoc eſt; *Interveniente cura Epiſcopi, officiales regionis frumenti comparatores conveniunt.* Cujuſmodi legem hoc titulo fuiſſe poſitam, haud difficulter crediderim. Si tamen libro Paratitlorum habenda fides, & reponenda loco ſecundo, quam Contius tertiam fecit: ſupereſt, illam tertio collocandam loco, quae Contio ſecunda eſt; ſuccedente quarto loco, quam modo epitomatam ex Paratitlis reſtituimus.

LXIII. In *libro* 11. *Codicis, titulo* 74. (ut noſtri numerant. Paratitla faciunt 75.) lex eſt quarta, cujus aliqua pars recitatur ſupra in *l. 7. C. de ſacroſ. eccleſ.* Faciunt & Paratitla in utroque loco mentionem utriusque. Sed in hoc ab editis noſtris diſſentiunt; quod in Latinis hoc tit. *de privileg. dom. aug. in fine legis* ita legatur: *Domos etiam divinas tam laudabili titulo libenter adſcribimus.* Paratitla vero etiam τῶν ἁγιωτάτων ἐκκλησιῶν mentionem faciunt, ut heic quoque ſcilicet legi debeat: *Domos etiam divinas, & venerabiles eccleſias, tam laudabili titulo libenter adſcribimus.* Scio, quid objici pro defenſione receptae lectionis poſſit, agi videlicet heic dumtaxat de privilegiis domus auguſtae: ſed indicare debui, quod in Paratitlis inveni. Et hanc ſi valere rationem oportet, cur ſupra *d. tit.* domos etiam Principis commemorat, quum ibi tantummodo de eccleſiis agatur?

LXIV. Pars *l.* 19. *C. de erog. milit. ann. lib.* 12. recitatur in paratitlis, ita quidem, ut is titulus bis numeretur 37. quem noſtri faciunt 38. Sententia vero eſt hujuſmodi; *Militem arbitratu defenſoris civitatis, quam praeſes provinciae non adeſt, & religioſi locorum Epiſcopi, debere ſpecies a collatoribus accipere.* Contii poſtrema editio tam plenam habet epitomen, ut integra prope conſtitutio eſſe videatur. Verum ex Paratitlis conſtat, ejus conſtitutionis initium fuiſſe, Θεσπίζομεν. Praeterea deprehendimus ex iisdem, *hanc ipſam legem* eandem eſſe cum *lege* 18. *ſup. de Epiſc. aud.* quod a nemine hactenus indicatum, vel obſervatum video, de quo mihi quidem conſtet.

LXV. Quod ajebam modo, *lib.* 12. *Cod. titulum* 38. ut in noſtris editis eſt, in Paratitlis numerari 37. id deinceps in aliis etiam continuari video. Nam qui nobis eſt 52. *de curſ. publ.* &c. idem Paratitlis eſt quinquageſimus. Ejus rei quam rationem reddam, nullam equidem video. Silentio tamen praetereundam non putavi. Praeterea quum Paratitla citant *l. Nullus* 21. in editis, *h. t.* eandem numerant vigeſimam.

LXVI. In *ultimo titulo C. publ. laetit. lib.* 12. Contius *legis ſecundae* prolixam ponit & plenam epitomen, quam pertinere dicit ad *initium integrae legis* 26. *ſup. de Epiſc. aud.* ab ipſo reſtitutae. Paratitla noſtra *dicto l. 2. public. laetit.* breviorem hujuſmodi dant epitomen, ὁ μηνύσας τινὰ ἐμφανίσας ἐν ἐπαρχίᾳ, καὶ πλέον ἐξ N N βουλόμενος διαγράψαι τὰς ἐπαρχίας, προνοίᾳ τοῦ ἐπισκόπου ἀπωθεῖσθαι hoc eſt; *Qui quaedam nuntiando publicaverit in provincia, ſi amplius ſex ſolidis a provinciis velit exigere; per Epiſcopi providentiam depellitor.* Nam quae de praeſidibus, & officio dicuntur, velut aliena ab inſtituto ſuo, relinquunt. Hoc addendum, citari legis integrae principium in Paratitlis, Θεσπίζομεν. Illa vero Contiana conſtitutio, poſita in tit. *de Epiſc. aud.* prorſus aliud habet initium, videlicet hujuſmodi: Περὶ τῆς καθ' ἕκαστον ἔτος. Et tamen hanc ipſam eſſe puto, quam Paratitlorum liber intelligat: quum videamus in Codicem relatas pleraſque leges ἄνευ προοιμίων. Quod ſi *hac* etiam in *lege* factum, reciſis prioribus hoc ei datum fuit initium: Θεσπίζομεν. εἰς ταυτὸν συνιέντας, & caetera. quae verba deinceps in conſtitutione ſequuntur.

Ad aliquot loca Digeſtorum.

UNO quaſi manipulo conſtringemus heic ea, quae nonnullis citatis *ſecundo* Paratitlorum *libro*, Pandectarum legibus aliquam adferre lucem poſſe putabimus. Quum in *l.* 18. *D. de procur.* dicitur de mutando poſt litem conteſtatam procuratore, *religionis etiam beneficium heic locum habere*: Graeci, hoc declarantes, τὸ γενέσθαι αὐτὸν ἱερέα inquiunt, hoc eſt, *quod ipſe procurator factus ſit ſacerdos.* LXVII.

In *principio l. 8. ad l. Aquil.* *Si medicamento uſus fuerit perperam*: ultimum hoc Graeci vertunt προπετῶς, hoc eſt, *temere:* ſicut in *l. 3. §. 3. D. ad l. Cornel. de ſicar.* Si cui temere cicutam dederit προπετῶς δὲ τινὶ κώνειον. Similiter & Baſilicorum auctores in *l.* 24. *D. de reb. dub.* Quum in teſtamento ambigue, aut etiam *perperam* ſcriptum eſt, προπετῶς vertunt, hoc eſt, *inconſiderate*: non tamen contra leges.

Legis ſeq. initio, D ad l. Aquil. poſt illa, *videatur occidiſſe:* addunt Graeci, καὶ ἀκυλίῳ ἀρμόζει. Ibidem quod in Pandectis Florent criſtere, Graeci διὰ κλυστῆρος, cluſtere. Obſcuriuſcule dicitur in *l.* 4. *D. famil. erciſc.* *Venena venire in judicium.* ideoque gloſſator addit, *venire corrumpenda.* Graeci pro his ſimpliciter, οὐ διαιρεῖται μεταξὺ κληρονόμων: *inter heredes venena non dividuntur.* Et poſt haec, *Protinus corrumpenda ſunt*; addunt, *officio judicis.* Sic ibidem paulo poſt, *Jubere manere apud majoris partis heredem*, de judicis interpoſito decreto intelligunt: *In aede deponere*, de conſenſu heredum.

In *l. 38. §. Seja 2. de auro arg. mundo.* haec verba; *Fieri volo jubeoque ſignum Dei ex libris centum* Graeci tam heic, quam alibi de induſtria ſic reddunt, ut *Signum Dei*, crucem interpretentur: non quod Hugonis errore decepti, Scaevolam fuiſſe Chriſtianum putarent; ſed quod in jure Chriſtiano vel minimum paganae ſuperſtitionis veſtigium exſtare nollent.

In *l. 1. §. Ad eos, qui omiſſu 5. D. ad. l. Falcid.* in hiſce verbis: *Ad municipium quoque legata, vel etiam ea, quae Deo relinquuntur, lex Falcidia pertinet*, haerere quidam mendum opinati ſunt: ideoque pro, *Vel etiam ea*, repoſuerunt, *Non etiam ea.* Refutatum hoc recte ab aliis ex omnium librorum manuſcriptorum conſenſu. Ego ſaltum hoc addam, in Paratitlorum quoque libro ſic eſſe ſcriptum, ut illa negatio nequeat admitti. Sic enim reddunt: καὶ ἐπὶ τοῖς ληγατευομένοις τῷ Θεῷ, χώρα τῷ Φαλκιδίῳ: hoc eſt; *in iis etiam legatis, quae Deo relinquuntur, Falcidiae locus eſt.*

In ecloga Baſilicorum titulus D. *Ne quid in loco publ. vel itin. fiat*, cum precedenti, *De locis & itin. publ.* omnino cohaeret. Verum, ut in libris noſtris Latinis, ſic etiam in Paratitlis hic poſterior a priori dividitur. In verbis interdicti *l. 2. D. de interdict. & l. 2. §. Si quis nemine 17. Ne quid in loco publ.* Graeci aliquid in loco facere, κατὰ τόπου ἱεροῦ dicunt, hoc eſt, *adverſus locum ſacrum*, velut *in locum ſacrum* ſuis in libris legerint. Item quum noſtri Juriſconſulti dicunt, *Sed & factum reſtituitur:* illi, τὸ κτισθὲν καταλύεται, hoc eſt, *quod ſtructum fuerit, deſtruitur.*

In *l. ult. D. de litigioſ.* ratio redditur, quamobrem is, qui rem litigioſam Deo dedicat, dupli poena teneatur. *Ne liceat*, inquit Juriſconſultus, *eo modo duriorem adverſarii conditionem facere.* Jam quo modo durior adverſarii conditio fiat, Paratitla noſtra verbis hiſce declarant, ὅτι τὸ πρᾶγμα λιτιγιῶσον δυνατωτέρῳ αὐτοῦ ἀντιδίκῳ παρεδόθη; hoc eſt; *quia res litigioſa potentiori,*

quam

quam ille prior eſſet, adverſario eſt tradita, nimirum Deo, vel religioni, cujus cauſſa potior eſt.

In *l.* 83. §. 4. *verſ. Sacram. D. de verb. oblig.* quod dicitur, *Si ſine facto ejus res ſacra eſſe coeperit*; Graeci reddunt, χωρὶς δόλου αὐτοῦ, *ſine dolo ejus*. An eos ſcriptum reperiſſe dicamus, *Si ſine fraude ejus?* vix puto. Potius ſcholion glaſſamve crediderim. Et *eodem* §. Quae ſubjici uſibus dominioque noſtro poſſunt *ſtatim*; declarant, κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἐπερωτήσεως, *ipſo ſtipulationis tempore*. Item in *l.* 137. §. *Quum quis ſub hac conditione* 6. ubi dicitur, *Nec ad eum pertinet, quod jus mutari poteſt*: Graeci videntur paulo aliter legiſſe, quum vertant, οἱ καὶ δυνατὸν ἦν ὕστερον ἐναλλαγῆναι τὸ δίκαιον αὐτοῦ; adeoque patet ex his verbis, eos legiſſe, *Quod jus ejus mutari poteſt*. Hoc equidem inde profectum putem, quia *jus* & *ejus* ſimillimae ſibi ſint voces, & quod librarius alteram, ſimilitudine deceptus, omiſerit.

In *l.* 15. *D. de injuriis.* §. *ſi quis aſtrologus* 13. ubi ſtatim ſubjicitur, *Vel qui aliquam illicitam divinationem pollicetur*: Graeci legerunt, *Vel qui aliam aliquam illicitam*, ἢ ἄλλην τινὰ ἀπηγορευμένην μαντείαν μαθών: ut inter illicitas artes divinandi, Aſtrologia quoque comprehendatur.

Quum in *legis* 2. *D. de colleg. & corp.* hiſce verbis, *Quisquis illicitum collegium uſurpaverit, ea poena tenetur, qua tenentur, qui hominibus armatis templa occupant*; in his ergo, quum nulla fiat expreſſa poenae mentio, Paratitla noſtra planius rem explicantia, κινεῖται κατ' αὐτοῦ ὁ Majeſtatis, inquiunt, hoc eſt, *agitur in eos ex lege de crimine majeſtatis*, rurſumque ſubjiciunt initium *l.* 1. *C. ad l. Jul. Majeſt.* ὁ de Majeſtatis ὅμοιός ἐστι τῷ περὶ ἱεροσυλίας: id eſt, *Lex de crimine majeſtatis ſimilis eſt legi de crimine ſacrilegii*. Quum in *principio legis* 6. *Ad l. Jul. pecul.* dicitur, *Sacrilegii poenam* debebit proconſul ſtatuere; Graeci reddunt *poenam ſacrilegi*, hoc eſt, ποινὴν ἱεροσύλου. Ibidem mox conditionem rei, explicant τὴν ἁμαρτήματος ποιότητα, qualitatem delicti. Hactenus haec ad Pandectas.

LXVIII. Attingam ex *Inſtitutionibus* duntaxat duo. *Lib.* 2. *tit.* 1. *de rer. diviſ.* §. *Sacrae res ſunt* 8. ſtatim poſt haec verba ſubjicitur, *res ſacras eſſe, quae rite per pontifices Deo conſecratae ſint*. Monet Contius, exiſtimare quosdam, rectius pro *conſecratae*, legi potuiſſe, *dedicatae*. Ego vero ſtatuo, Graecos etiam legiſſe *conſecratae*; quum vertant ἀνιερωμένα. Quippe deprehendi paſſim in hac ſecunda parte Paratitlorum, conſecrata quidem reddi a Graecis ἀνιερωμένα: dedicata vero καθιερωμένα. Quae donariorum vox ſequitur, a Graecis redditur, τὰ σκεύη, *vaſa ſacra*. Sic & in *conſtitutione* 17. *C. de ſacroſ. eccleſ.* quae Paratitlorum liber ex verbis integrae legis vocat ἱερὰ ἀναθήματα, *ſacra donaria*: epitomae quaſi declarantes, ἱερὰ σκεύη nuncupant.

Lib. Inſtit. 3. *tit. de mandato*, §. *Illud quoque* 7. quum dicitur, *Veluti ſi Titius de furto*, & caet. mandet tibi: Paratitlorum liber etiam τοῦ ἱεροσυλῆσαι mentionem facit, perinde ac eorum auctores legerint, *Veluti ſi Titius de furto, aut de ſacrilegio, aut de damno faciendo*, & caetera.

Ad Novellas Juſtiniani conſtitutiones.

LXIX. **P***Rincipium Novellae* 3. ſic in editis legitur: ἤδη μὲν κοινῷ τε καὶ ἡγεμονικῷ νόμῳ: quod vetus Interpres reddidit, *Dudum quidem communi & generali lege*. Νόμος ἡγεμονικὸς non eſt lex generalis. Idcirco non abs re quis dixerit, interpretem legiſſe, κοινῷ τε καὶ γενικῷ νόμῳ: quae lectio defendi fortaſſe poſſit. Verum arbitror equidem, rectius in Paratitlis noſtris ſcribi, κοινῷ τε καὶ ἰδικῷ νόμῳ, *tam communi, quam ſpeciali lege*.

LXX. *Novellae* 5. inſcriptionem Paratitlorum liber eam ſequitur, quae eſt in Graeco: *Sextae* vero hanc facit, Νόμος περὶ τοῦ πῶς δεῖ χειροτονεῖσθαι, & caet. In *eadem ſub finem primi capitis*, ubi dicitur, *ſi accuſationis examen negligatur, tam ordinantem, quam ordinatum a ſacerdotio removeri*: addunt exceptionem Paratitla, χωρὶς θείων γραμμάτων, qua ſignificant, id locum non habere, ſi ſacrae Principis litterae interveniant. Dubitari tamen poteſt, an hoc in *ipſa Novella* fuerit expreſſum.

Ad *ejusdem* 6. *Novellae finem* Contius ex manu- LXXI. ſcriptis Latinis quaedam adjicit, quae in editae Novellae Graecae ſine deſiderantur: atque hinc liquere notat, editionem Graecam nondum eſſe perfectam; quod verum eſſe, fateri ſane cogimur. In Paratitlis noſtris hoc ipſum fragmentum verbis paucis expreſſum legitur: οἱ δὲ ἄρχοντες μὴ μηνύοντες τὰς κατὰ τὸν νόμον παραβασίας, ε. χρυσοῦ λίτρας καταθήσουσι ποινήν: hoc eſt; *Praeſides autem* (de Patriarcharum, & Metropolitanorum, & Epiſcoporum, & Clericorum poena jam dictum) *qui violationes legis non indicant, poenam quinque librarum auri ſolvent*. Etiam in ſubſcriptione diſcrimen eſt, quum in Paratitlis legatur: ἐγράφη τῇ ιζ. καλανδῶν ἀπριλλίων, ὑπατείας Βελισαρίου καὶ Εὐτροπίου. Editi, & Julianus anteceſſor, Beliſarium ſolum conſulem agnoſcunt anno imperii Juſtiniani nono, quo lex haec edita fuit. Alii hoc anno Juſtinianum & Beliſarium in conſulatu conjungunt, Eutropii nullam mentionem faciunt.

Novellae 7. inſcriptio eſt in Paratitlis, Νόμος LXXII. περὶ τοῦ μὴ ἐκποιεῖσθαι, &c. Sub *finem primi Novellae capitis*, ubi dicitur, *non eſſe fas alienare* πολιτικὸν σῖτον, *annonam civilem*: Julianus *panes civiles* interpretatus eſt, ut & Paratitla πολιτικοὺς ἄρτους, ad *l.* 14. *in princ. C. de ſacroſ. eccleſ. Capite* 3. §. *Quia vero Leonis* ε. pro τὸ ἐκεῖνον ἐξαιρεῖσθαι, ſcribunt Paratitla τὴν ἐκείνου ποινήν. Subſcriptio denique in Paratitlis haec eſt, ἐγράφη πρὸ ιζ. καλανδῶν μαΐων, ὑπατείας Βελισαρίου τὸ β': hoc eſt; *a. d. XVII. Kal. Majas, poſt conſulatum Beliſarii anno II.* Editi ſcribunt latam ipſo conſulatu Beliſarii. Sed rectius eſt, quod in Paratitlis traditur. Nam dicunt eadem; hanc Novellam μεταγενεστέραν, ſive poſteriorem tempore, *Novella* 46. quam Julianus vult ipſo Beliſarii conſulatu promulgatam.

Conſtitutio 9. praeter hanc inſcriptionem, ὅτι ἡ ἐν LXXIII. πρεσβυτέρᾳ Ῥώμῃ ἔχει τὴν τῶν ρ. ἐνιαυτῶν περιγραφὴν (pro quo legendum ex MS. παραγραφήν) nihil habet Graece redditum. Nam Latina lingua, ſicut edita fuit, ita etiam exſtat. Et neglectam a Graecis arbitror, partim ob eas cauſſas, quas in hac epitome Paratitla noſtra breviſſimis indicant, Τοπικὴ ἡ διάταξις, μηδὲν πλέον τῆς ἐπιγραφῆς νομοθετοῦσα, quod ſcilicet localis ſit conſtitutio, nec quidquam praeter id ſtatuat, quod inſcriptione continetur: partim etiam, quia per aliam conſtitutionem fuit abrogata, vel (ut Julianus loquitur) innovata. Paratitla *noſtrae Novellae principium* more ſuo Latine citant, *Ut legum originem*: quod indicio eſt, ea lingua (ceu diximus) fuiſſe promulgatam.

Nec item de *Conſtitutione* 11. quidquam exſtat ho- LXXIV. die Graece, praeter hanc inſcriptionem, ὥστε τὰς περὶ τὸ Βιμινάκιον γενομένας ὑπὸ Ῥωμαίους (legendum, γενομένας ὑπὸ Ῥωμαίοις) πόλεις, ὑπὸ ἰδικὸν ἀρχιεπίσκοπον εἶναι, μὴ μὴν ὑπὸ τὸν Θεσσαλονίκης. *Ut quae circa Viminacium ſub Romanorum poteſtatem veniant* * *civitates, ſub ſpeciali ſint Archiepiſcopo; non ſub Theſſalonicenſi*. Editam fuiſſe lingua Latina, jam ante monuit A. Auguſt. ac recte quidem! nam Paratitla Latine citant haec ex *initio Novellae* verba: *Multis & variis modis*. Nos epitomen Graecam ex Paratitlis adjiciamus. Ac primum haec in eis eſt inſcriptio: Ὁ αὐτὸς βασιλεὺς Κατελλιανῷ ἐπισκόπῳ Ἰουστινιανῆς. De qua corrigenda inſcriptio Latina, proque *Catelliano*, reponendum, *Caſtelliani*. Deinde ſequitur *initium Latinae conſtitutionis, Multis & variis modis*: Τῶν περὶ τὸ Βιμινάκιον πόλεων οἱ ἐπίσκοποι πάντες ὑπὸ τὸν ἀρχιεπίσκοπον ἔστωσαν τῆς πρώτης Ἰουστινιανῆς· ἐπειδὴ καὶ ἡ ἐπαρχό-

* in verſ. Latina, civitates, non recte.

Tom. III.

ſετ

τῆς ἐν τῇ περὶ Παννονίαν, ἐκεῖσε μετέστη. ἐγράφη μηνὶ μαΐῳ, ὑπατείᾳ Βελισαρίου. *Omnes epiſcopi civitatum, quae ſunt circa Viminacium, ſubſiat Archiepiſcopo primae Juſtinianae: quandoquidem & praefectura Pannoniae illuc eſt tranſlata. Dat. menſe Majo Beliſario Conſ.* Cum hac epitoma bene quadrat ea, quam Julianus dedit: qui quidem oſtendit, γινομένης ὑπὸ Ῥωμαίοις πόλεις, recte noſtris in Paratitlis legi; quum ipſe ſua in epitoma dicat, *Civitates quas noſter Imperator ſubjugavit.* Subſcriptio quoque noſtra, cum Juliani ſcriptura conſentit; quum in vulgatis illa, *Dat. XX. Beliſario Conſ.* non reſpondeat rationi temporum, utcumque tandem quis eam, per ſe mutilam, interpretetur.

LXXV. In *Conſtitutionis* 16. inſcriptione mentio fit Anthemii patriarchae, qui omnino fuit *Anthimus*, non *Anthemius*, & quidem ille ipſe, qui *Novella* 42. recte vocatur Anthimus, περὶ τῆς καθαιρέσεως Ἀνθίμου καὶ Σεβήρου. Libet autem hoc loco de veteri libro manuſcripto recitare Patriarcharum nomina, qui Juſtiniano imperante vixerunt; ut aliquam lucem quibusdam legibus & Novellis adferamus, atque de annorum ratione appareat, quando pleraeque vel leges, vel Novellae conſtitutiones fuerint editae. Juſtinianum triginta & novem annis imperio potitum conſtat. Interea patriarchatus munere perfuncti fuerunt hi: Ἐπιφάνιος πρεσβύτερος Κωνσταντινουπόλεως, καὶ Σύγκελλος, ἔτη ις΄. μῆνας γ΄. *Epiphanius antea presbyter Conſtantinopolitanus, & Syncellus, praefuit annis XVI. menſibus III.* Ἄνθιμος Τραπεζοῦντος ἐπίσκοπος πρότερον, εἶτα Κωνσταντινουπόλεως, μῆνας δ΄. οὗτος καθῃρέθη ὑπὸ τῆς κατὰ τοῦ Σεβήρου συναχθείσης συνόδου. *Anthimus, qui prius Trapezuntis erat epiſcopus, deinde Conſtantinopolitanus, praefuit menſibus IIII. Depoſitus fuit a ſynodo, quae contra Severum coacta fuit.* Hic ille ſcilicet Anthimus eſt, quem corrupte nominari Anthemium diximus. Sequitur, Μηνᾶς πρεσβύτερος Κωνσταντινουπόλεως, καὶ ξενοδόχος τοῦ Σαμψῶν, ἔτη ις΄. μῆνας ς΄. *Menas presbyter Conſtantinopolitanus, & Xenodochus Sampſonicus, praefuit annis XVI. menſibus VI.* Hujus in Novellis & Codice frequentiſſima mentio. Quartus patriarcha ſub Juſtiniano fuit Εὐτύχιος πρεσβύτερος καὶ μοναχὸς τῆς ἐν Ἀμασείᾳ μοναστηρίου, ἔτη ιβ΄. μῆνας ε΄. οὗτος ἐξεβλήθη ὑπὸ Ἰουστινιανοῦ τῷ λ΄ ἔτει τῆς αὐτοῦ βασιλείας: hoc eſt; *Eutychius, presbyter & monachus Amaſiani monaſterii, praefuit annis XII. menſibus V. a Juſtiniano ejectus, anno imperii ejus XXX.* Succeſſit huic Ἰωάννης πρεσβύτερος Ἀντιοχείας, ὁ ἀπὸ σχολαστικῶν, ἔτη ιβ΄. μῆνας ς΄. ἦν ὁ ἐπὶ Ἰουστίνου καὶ ἐπὶ Τιβερίου. Quibus verbis ſignificatur, *Joannem presbyterum Antiochenum, ex ordine ſcholaſticorum*, hoc eſt, *advocatorum, praefuiſſe XII. annis, menſibus VI. & attigiſſe Juſtini minoris, & Tiberii AA. tempora.* Habes, amice Lector, Patriarcharum ſub Juſtiniano ſeriem. Caeterum quod in ipſa *conſtitutione* 16. dicitur, μὴ ὄντων εὐθὺς ἔξωθεν ἐπεισάγεσθαι, Paratitla noſtra per haec verba declarant, μὴ ἀντεισάγεσθαι ὑπηρεσίαν: quae tibi relinquimus expendenda. Subſcriptio, quae *in fine* legitur, *Ibid. Aug.* cum Paratitlis conſentit, quum altera in Graeco ab hac diverſa ſit.

LXXVI. *Novella conſtitutio* 37. περὶ τῶν ἐν Ἀφρικῇ ἐκκλησιῶν, integra non exſtat. Latine promulgatam colligitur ex initio, *Venerabilem*; quod Latinis litteris etiam in Paratitlis expreſſum eſt. In editione Contii poſtrema, brevis eſt epitome. Paratitla noſtra quum Graecam pleniorem habeant, etiam inſcriptione addita, quae hactenus deſideratur: heic eam adſcribendam duximus, ut inſtituto noſtro ſatisfaciamus.

ὁ αὐτὸς βασιλεὺς Σολόμωνι ἐπάρχῳ πραιτωρίων Ἀφρικῆς. *Venerabilem.*

Αἱ ἐκκλησίαι τῶν Ἀφρων ἐκδικείτωσαν τὰ παρ' αὐτῶν ὑπὸ τῶν Ἀρειανῶν ἀφαιρεθέντα κειμήλια καὶ ἱερὰ ἐνδύματα, μὴ ἐκβαλλόμεναι χρονίᾳ παραγραφῇ, τὰ ὑπὲρ τῶν κτήσεων δηλονότι συντελοῦσαι δημόσια.

αἱρετικὸς μὴ βαπτιζέτω, μηδὲ πολιτευέσθω, ἢ ὀφφίκιον μετίτω.

ὁ ἀναβαπτισθεὶς πάσης ἀπεχέσθω στρατείας.

Ἰουδαῖος Χριστιανὸν ἀνδράποδον μὴ ἐχέτω, μήτε κατηχούμενον περιτεμνέτω.

μηδεὶς τόπος τοῖς αἱρετικοῖς ἔστω προσευχῆς.

Τὰ δεδομένα προνόμια τῇ ἐκκλησίᾳ Καρθαγένης, φυλαττέσθωσαν ἀκαινοτόμητα, μηδενὸς θαρροῦντος ἐξέλκειν τινὰ τῶν αὐτῆς ὅρων, πλὴν εἰ μὴ φονεὺς ἔστιν ὁ προσφυγὼν, ἢ παρθένων ἅρπαξ, ἢ τοὺς Χριστιανοὺς ἐβιάσατο.

τὰ κατενεχθέντα ταῖς ἐκκλησίαις Ἀφρικῆς, μηδεὶς ἀφαιρείσθω.

ἐγράφη τῇ καλανδῶν αὐγούστων, ὑπατείᾳ Βελισαρίου.

Idem Imp. Solomoni praefecto praetoriorum Africae. Venerabilem.

Afrorum eccleſiae cimelia, veſtesque ſacras, ipſis per Arianos ablatas, vindicanto; longi temporis praeſcriptione non repellendae: modo fiſcalia, quae praediorum nomine ſcilicet debentur, conferant.

Haereticus ne baptizato, nec eſto decurio, vel officium gerito.

Iterum baptizatus ab omni militia abſtineto.

Judaeus Chriſtianum mancipium non habeto, nec catechumenum circumcidito.

Haeretici locum nullum, in quo preces concipiant, habento.

Privilegia conceſſa eccleſiae Carthaginienſi, inlibata cuſtodiuntor, nemine quemquam extrahere de finibus ejus audente, praeterquam ſi homicida ſit, qui ad eam confugit, aut raptor virginum, aut ſi vim Chriſtianis attulerit.

Nemo Africanis eccleſiis auferat, quae ipſis oblata ſunt.

Dat. Kalendis Auguſtis. Beliſario Conſ.

Haec epitome ad integram conſtitutionem quam proxime accedit, tam inſcriptione, quam ſubſcriptione, cum aliis quibusdam ex ipſa Novella ſic reſtitutis; ut aequiore jam animo jacturam illius integrae ferre poſſe videamur.

In titulo *Novellae* 43. pro περὶ τῶν ἐργαστηρίων Κωνσταντινουπόλεως, ὥστε, & caet. lege, περὶ τῶν ἐργαστηρίων τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐκκλησίας, ὥστε. In *fine Novellae* 45. legitur, τόντε ἡμέτερον γνώσκων νόμον, *legem noſtram cognoſcens*, pro quo vetus Interpres reddidit, *Noſtram cognoſcens mentem.* Ergo ſuo in libro reperit, τόντε ἡμέτερον γνώσκων νοῦν. *Novellae* autem 46. ſubſcriptio, quae in editis exſtat hujusmodi, *Dat. XIV. Kal. Septemb. Conſtantinop. poſt conſulatum Beliſ. V.C. anno II.* ſic mutanda ex Juliano & Paratitlis, *Beliſario V.C. Conſ.* Hanc enim tradunt ante *Novellam* 7. promulgatam, quae fuit edita anno II. poſt conſulatum Beliſarii, plane permutatis inter ſe ſubſcriptionibus.

Subſcriptio *Novellae* 56. in libris editis eſt hujus- LXXVII.
modi. *Dat. III. Kal. Novemb. Conſtantinop. Imper. Da. Juſtiniani A. anno XI. poſt Beliſarii V.C. conſulatum anno II.* In Paratitlis autem noſtris ab hac diverſa, ἐγράφη πρὸ τριῶν νόνων νοεμβρίων, βασιλείας Ἰουστινιανοῦ τὸ ια΄. μετὰ τὴν ὑπατείαν Βελισαρίου τὸ γ΄. ἰνδικτιῶνος α΄. hoc eſt, *Dat. a. d. III. Non. Novembr. imperii Juſtiniani anno XI. poſt conſulatum Beliſarii anno III. indictione I.* Quam ſane ſubſcriptionem veram deprehendet, qui eam ad temporum rationem examinabit.

Novella 58. miſſa ſcribitur ad Joannem P. P. ſi LXXVIII.
Graecis editionibus fidem habere volumus: ad Menam vero Patriarcham, ſi Novellarum interpreti antiquo credemus. Utrumque locum habere poteſt, quia τῆς ὑπεροχῆς mentionem facit ipſa Novella, quae vox ad Praefectum praetorio proprie pertinet: deinde ſub *finem Novellae* ſignificatur, ipſum Imperatorem miſiſſe hanc etiam Patriarchae, ut is eam quoque curaret exſequutioni tradi.

Conſtitutio 95. cujus eſt titulus, περὶ τοῦ τὰ χωρία, LXXIX.
ἢ οἴκους, ἢ ἀμπελῶνας καταλιμπανομένους (corrupte legitur in editis, ἢ ἀμπέλους, & poſtea καταλιμπανόμενα) τῇ ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ, & caet. non exſtat Graeca noſtris in Novellis editis. Epitomen Latinam ex libro

libro Juliani Contius repoſuit. Ego, quid exſtet in libro Paratitlorum, notare dumtaxat inſtitui. Primum periit nomen ejus, ad quem miſſa fuit Novella. Initium tamen litteris Latinis expreſſum legitur, *Scimus antea promulgaſſe*. Sequitur epitome Graeca:

Τοπικὴ ἡ διάταξις, τότε ἐπιτρέπουσα κατὰ τὴν αὐτῆς προσδιορισμὸν ἐκποιεῖσθαι τὰ εἰς ἀναῤῥύσιν αἰχμαλώτων, ἢ ἀνατροφὴν πτωχῶν καταλιμπανόμενα τῇ ἐκκλησίᾳ Μυσίας, ἐπειδὴ μακρὰν ἀπόκειται, καὶ τοῦτο ἰδικῶς ὁ καταλιπὼν διετάξατο.

ἐγράφη περὶ καλανδῶν ἀπριλίων, βασιλείας Ἰουστινιανοῦ τό. ὑπατεύοντος Ἀπίωνος.

Quae Haloander adjecit in *fine conſtitutionis*, ea nec apud Julianum, nec in Paratitlis noſtris exſtant. Subſcriptionem corruptam legimus in editione Contii. Noſtra temporum rationi reſpondet, nec multum ab ea diſcrepat, quam Franciſcus Pithoeus noſter, V. C. in Juliano ſuo reſtituit. Epitomes haec interpretatio eſt:

Localis eſt haec conſtitutio, tunc permittens ſecundum determinationem ipſius alienari, quae ad redemptionem captivorum, vel ad alimenta pauperum, eccleſiae Myſiae relinquantur: quum ea longe diſſita ſunt, & quum ita ſpecialiter ordinavit is, qui reliquit.

Dat. a. d. Kal. April. imperii Juſtiniani anno XIII. Apione Conſ.

LXXXI. *Conſtitutionis* 79. inſcriptio eſt, διάταξις, παρὰ τίνι χρὴ δικάζεσθαι μοναχὰς καὶ ἀσκητρίας. In *ejus capite* 3. quod legitur, καθειργνύσθωσαν ἐν τοῖς καλουμένοις δεκανικοῖς, & vetus Interpres reddidit, *Retrudatur in locis, quae decanica* (ſic enim ſcribendum, pro *decaneta*) *nuncupantur*. Hoc ergo Paratitlorum liber declarans, hiſce verbis expoſuit: εἰς τὸν ἐκκλησιαστικὴν ἐγκλεισμὸν ἐμβάλλεσθαι, quod jam per ſe planum eſt. Ibidem & ſubſcriptio vitioſa eſt in editis, *Dat. VI. eid. Martii. imper. Dn. Juſtiniani PP. A. anno XV. Arione V. C. Conſ.* quae quidem in Paratitlis rectius ita legitur ἐγράφη εἰδοῖς μαΐαις, βασιλείας Ἰουστινιανοῦ τὸ ιγ. ὑπατείᾳ Ἀπίωνος. *Dat. eid. Majis. imper. Juſtiniani anno XIII. Apione Conſ.* Nimirum nec Apius hic fuit, nec Ario; ſed Apio ſemper in Paratitlis vocatur, ejusque conſulatus in annum Juſtiniani XIII. non XV. incidit.

LXXXII. Inſcriptio *Novellae* 109. in editis Graecis ejusmodi eſt, περὶ αἱρετικῶν τῆς πίστει γυναικῶν: in Latinis, *De privilegiis dotis haereticis mulieribus non praeſtandis:* in Paratitlis denique noſtris, περὶ αἱρετικῶν καὶ γαμετῶν αὐτῶν, *De haereticis & eorum uxoribus*. Et tam in Graecis, quam Latinis miſſa legitur ad Joannem P. P. ubi noſtra Paratitla ſcribunt, Ἰωάννῃ τηρητῇ τῶν ἐπαρχιῶν, *Joanni conſervatori provinciarum*; quod equidem rectum puto. Deinde in *conſtitutionis principio* quid tandem eſſe dicemus, *In omni noſtrae reipublicae & imperii vita?* Si de Paratitlorum auctoritate vocem unicam βίῳ mutes in τόπῳ, ſententiam veram reſtitueris. Dicit enim Imperator, ſe credere, ſpem collocatam in Deum, eſſe unicum ſubſidium ſuum in omni reipublicae atque imperii loco. In ſubſcriptione pro, II. Kal. Maji, habent Paratitla, τῇ ε. νόναις Μαΐαις. *a. d. V. Nonas Majas.* Illud majoris eſt momenti, quod in editis annus Juſtiniani XIV. legitur, in Paratitlis, XV. ac recte quidem! nam ad eum Baſilii conſulatus refertur.

LXXXIII. In veteri *Novellae* 111. editione Latina notatur, fuiſſe miſſam ad Theodotum P. P. Orientis: in editione vero Graeca prorſus id omiſſum eſt. Paratitla tamen noſtra faciunt inſcriptionem hujusmodi: ὁ αὐτὸς βασιλεὺς Ἠλίᾳ ὑπάρχῳ τοῦ Ἰλλυρικοῦ *Idem Imp. Eliae P. P. Illyrici.* Et omnino arbitror hunc illum ipſum P. P. Illyrici, ad quem etiam miſſa fuerit *Conſtitutio* 153. ubi tamen in vulgatis pro Ἠλίᾳ legitur Μηνᾷ. Haec quidem conſtitutio, de qua hoc loco agimus, Latine publicata fuit, ſicut & initium hoc, *Quod medicamenta*, Latinis verbis Paratitla citant.

Novellae 120. titulus eſt in Paratitlis, περὶ διαφόρων ἐκκλησιαστικῶν ἀσφαλειῶν. *Capite* autem *primo. verſ. De competentibus*, ob diſtinctionem non bonam locus eſt tam in Graecis, quam Latinis vitioſus, atque ipſo etiam in Juliano. Sic enim diſtingui legique debet: κελεύομεν, εἰ μὲν τὰ τοιαῦτα πράγματα πρόσοδον ἔχει; qua diſtinctione facta, ſequitur: ἐπὶ ὁλοκλήρῳ τῷ κανόνι παρὰ τῶν διοικούντων τοὺς αὐτοὺς σεπτοὺς τόπους, εἰς ἐμφύτευσιν ταῦτα, &c. τῷ λαμβάνοντι καὶ ἄλλοις δύο διαδόχοις δίδοσθαι: hoc eſt; *Jubemus, ut ſi quidem ejuſmodi ſubus bona reditum habent; ſub praeſtatione ſolidi canonis a religioſorum locorum adminiſtratoribus in emphyteuſin concedantur illi, qui emphyteuſin accipit, & aliis duobus ipſius ſucceſſoribus.* Quibus in verbis etiam notabis, pro καὶ ἄλλαις δύο διαδοχαῖς repoſitum, καὶ ἄλλοις δύο διαδόχοις, ſicut & Julianus loquitur, *In perſona ipſius, qui accepit, & in aliis duobus heredibus.* Apud eumdem ſic diſtinguendum, ut iſtaec verba, *In ſolito reditu*; non ad praecedentia, ſed ad ſequentia referantur, & pro *ſolito* reponatur *ſolido*, ſicut in Graeco ἐπὶ ὁλοκλήρῳ κανόνι δίδοσθαι; quod Juliano eſt, *In ſolido reditu praeſtari.* LXXXV.

Capite 10. quae ἱερὰ σκεύη vocat conſtitutio, Paratitla declarant per ἅγια κειμήλια. Et in *ejusdem capitis fine*, pro καὶ ὁμοίως πεπρᾶσθαι, legunt, καὶ ὁμοίως τὰ βουλόμενα πεπρᾶσθαι. Item 11. *capite* τὸ κανόνα explicant ἐμφυτευτικὸν κανόνα. *Pactionem emphyteuticam* dixit Julianus. In ſubſcriptione pro *VII. id. Maji*, legitur in Paratitlis εἰδοῖς ἰουνίαις, *eidibus Juniis.* Deinde prorſus anni Juſtiniani Imp. non exprimuntur, ideoque recte noſtris in Paratitlis: βασιλείας Ἰουστινιανοῦ τὸ ιη μετὰ τὴν ὑπατείαν Βασιλείου τῷ γ΄. hoc eſt, *imperii Juſtiniani anno XVIII. poſt conſulatum Baſilii, tertio*; quod & cum Juliano, & cum temporum ratione conſentit.

Qui *Novellae* 123. titulus eſt in editis, eum Paratitla referunt ad *Novellam* 120. id quod modo indicabimus: & hujus 123. titulum faciunt, περὶ ἐπισκόπων καὶ κληρικῶν, ſane conſentaneum ei, quem vetus Interpres Novellarum poſuit. Sed, quem ille nominat in ipſa inſcriptione, *Petrum magiſtrum ſacrorum officiorum*, tam veteres manuſcripti Latini, quam Paratitla vocant ὕπαρχον τῶν πραιτωρίων, *Praefectum praetorio.* In ipſo *Conſtitutionis initio* [*cap.* 1. §. 1.] quum XXXV. annorum mentio fit, quibus minor eſſe non debeat Epiſcopus ordinandus; Paratitla dumtaxat annorum XXX. verbis hiſce meminerunt, οὐχ ἧττον τριάκοντα ἐνιαυτῶν. Paulo poſt in §. 2. *verſ. Si vero, ut evenit*, &c. iſta verba, ἐπειδὴ ὁ ἀκμάζει χειροτονῆσαι τὸν ἐπίσκοπον, ſic declarat Paratitlorum liber, ut intelligatur ὁ ἁρμόδιος πατριάρχης, ἢ ὁ μητροπολίτης. In *fine capitis* 2. lege apud Interpretem veterem, non *oblationem*, ſed *obligationem*, ἐνοχὴν in Graeco. Ibidem, quam *profeſſionem* dixit Interpres, ὁμολογίαν e Graeco vertens, Paratitla exponunt ἀσφάλειαν, *cautionem* ſive aſſecurationem, ut vulgo loquuntur. Sub *finem capitis* 3. quum ſtatuitur, ut eccleſia poſſidente reditum non minorem duabus auri libris, enthroniaſtici nomine ſolidi, XII. reliquarum conſuetudinum cauſſa ſolidi VI. praeſtentur: ſi proportionis haberi ad praecedentia debet ratio, reponendi poſteriore loco ſolidi XVI. quemadmodum & Julianus fecit. *Capite* 6. *ſub finem*, pro ἡ φροντίδα οἴκου αὐτοῦ πιστεύσαντες, ex Paratitlis ſcribe καταπιστεύσαντες. *Principio capitis* 13. ſtatuitur, ne presbyter fiat, qui minor eſt annis XXXV. ſic vetus interpretatio. Paratitla cum Graeco textu XXX. dumtaxat annorum mentionem faciunt. Ad *caput*. 19. ſcholii vice ponunt, Σημείωσαι, κατὰ τὸ στρατιωτικὸν καστρήσιον καὶ ὁ ὑπεξούσιος κληρικὸς τὰ κτήματα αὐτοῦ ἐκ τοῦ κλήρου αὐτεξουσίως διακατέχει: hoc eſt; *Nota, quod inſtar peculii caſtrenſis etiam filiusfamilias, qui clericus eſt, quaecumque ex clericatu adquirit, in ſua poteſtate poſſideat.* In *fine capitis* 22. poſt μηδεμίαν ἐγγύην, pro τὴν ὁμολογίαν legitur LXXXVI.

in Paratitlis ἢ ἐξωμοσίας ὑπὲρ τῆς δίκης ἀπαιτεῖσθωσαν, & ſtatim adjicitur, quod in Novellis deeſt, ἀλλὰ μόνον ὑποθήκην ἀσφάλειαν. Eorum verborum ſententia eſt ab Epiſcopis nullam fidejuſſionem aut juratoriam cautionem exigendam, ſed dumtaxat hypothecariam, ſub patrimonii ſcilicet obligatione, de quo liberum Lectori judicium relinquo.

LXXXVI. Poſt *ejusdem Novellae conſtitutionis caput* 23. & ante 24. *caput*, haec inſerunt Paratitla noſtra: Κληρικὸς παρὰ γνώμην τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου μὴ ἀποδημείτω, τὰς προειρημένας ποινὰς εὐλαβούμενος, ἃς κατὰ τῶν ἐπισκόπων ἐπήγαγεν ἡ διάταξις: hoc eſt; *Clericus absque ſui Epiſcopi voluntate peregre non proficiſcitor, praedictas poenas metuens: quas ipſis Epiſcopis* (ſcilicet idem hoc facientibus) *irrogavit haec conſtitutio.* Videndum, an haec particula exſtet alicubi in Novellis integris manuſcriptis: quippe nec Julianus ullam ejus mentionem fecit, hoc quidem in loco.

LXXXVII. In *ejusdem Novellae capite* 33. transſcribuntur in Graecis editionibus totum 1. *caput Novellae* 5. ſed omittuntur haec in Paratitlis, quae a materia *capitis* 32. ſtatim ad comprehenſa *capite* 34. transeunt. In *fine capitis* 45. ubi de monacho dicitur, ἢ ἐν ταῖς πόλεσιν ἢ ἐν ἀγροῖς περιέρχεται, hoc ipſum Paratitla duobus verbis declarantia, εἰ πλανήτης γένηται, inquiunt: *ſi factus fuerit erro. Initio capitis ſequentis*, ut una in domo habitent monachi, praecipitur: ἐν ἑνὶ οἴκῳ πάντας οἰκεῖν. Paratitla vero legunt, ἐν ἑνὶ οἴκῳ ἢ δύο πάντας οἰκεῖν, *ut in una domo, vel in duabus, omnes habitent.*

LXXXVIII. *Ejusdem Novellae* 123. ſubſcriptio noſtris in libris editis imperfecta eſt, & vitioſa. Nam ita legitur: *Dat. Kal. Maji. Conſtantinop. Juſtinian. PP. Aug.... Baſilio V.C. Conſ.* Paratitla vero ſic habent: ἐγράφη μηνὶ μαΐῳ βασιλείας Ἰουστινιανοῦ τῷ κ΄. μετὰ τὴν ὑπατείαν Βασιλείου, ἔ. hoc eſt; *Dat. menſe Majo. imperii Juſtiniani anno XX. poſt conſulatum Baſilii, quinto.* Qua cum notatione temporum, Juliani quoque ſcriptura conſentit.

LXXXIX. *Conſtitutionis* 129. in editione Graeci textus inſcriptio deeſt, quam hujusmodi Paratitlorum liber ſuppeditat: ὁ αὐτὸς βασιλεὺς Ἀρεοβίνδῳ ἐπάρχῳ πραιτωρίων, quod vetus Interpres Latinus non omiſit. In ſubſcriptione mentio fit anni Juſtiniani XXV. recte id quidem, conſentientibus in hoc tam Graecis, quam Latinis editionibus, & ipſis praeterea Paratitlis noſtris. Sed quae ſequuntur, mutila ſunt; quum dicitur edita Novella conſulatu Baſilii. Quae cauſſa Contium movit, ut pro XXV. anno Juſtiniani, reponendum putaret XV in quem Baſilii conſulatus incidit. Sed retinere priorem numerum debuit, & de vocum ſequentium reſtitutione cogitare, quae facillima eſt, ſi cum paratitlis legamus: βασιλείας Ἰουστινιανοῦ τὸ κε΄. μετὰ τὴν ὑπατείαν Βασιλείου, ἰ. hoc eſt; *imperii Juſtiniani anno XXV. poſt conſulatum Baſilii, X.* Nam ea ſubſcriptio temporum ſupputationi reſpondet.

XC. In *Conſtitutione* 131. *capite* 3. mentio fit Epiſcoporum Daciae mediterraneae, & Ripenſis, & τρεβαλίας, pro quo legitur in Paratitlis πρεβάλεως, quae Praevalis eſt, non *Privalis*, ut vetus habet Interpres. Julianus *Praevalitanam* appellat. Deinde quod *initio capitis* 4. ſequitur; tam in textu Graeco, quam interpretatione veteri Latina corruptum eſt: Τὸ δίκαιον τῆς ἀρχιερωσύνης, ὅπερ τῷ ἐπισκόπῳ Ἰουστινιανῆς Καρχηδόνος τῆς Ἀφρικῆς διοικήσεως δεδώκαμεν, ἐξ ὅπερ ὁ Θεὸς ταύτην ἡμῖν ἀποκατέστησε φυλάττεσθαι κελεύομεν; quod vetus Interpres ita reddidit: *Jus pontificis, quod Epiſcopo Juſtinianae Carthaginis Africanae civitatis dedimus, ex quo Deus hanc nobis reſtituit, ſervari jubemus.* Graeca primum ſic emendanda, τὸ δίκαιον τῆς ἀρχιερωσύνης, ὅπερ τῷ ἐπισκόπῳ Ἰουστινιανῆς δεδώκαμεν, καὶ τῇ Καρχηδόνος τῆς Ἀφρικῆς διοικήσει, ἐξ ὅπερ ὁ Θεὸς ταύτην ἡμῖν ἀποκατέστησε, φυλάττεσθαι κελεύομεν; quorum haec ſententia eſt, Imperatoris menti reſpondens: *Jus Pontificatus, quod Epiſcopo Juſtinianae dedimus, etiam Carthaginenſi in Africa dioeceſi, poſtquam nobis hanc Deus reſtituit, ſervari jubemus.* Vult nimirum eadem habere jura Carthaginenſem pontificem in ſibi ſubjecta dioeceſi, quae archiepiſcopo Juſtinianae primae in ſubjectas ſibi dioeceſes tam *hoc in Novella, capite proxime praecedenti*, quam in *Novella* 11. ſuperius Imperator tribuerit.

XCI. Quod in *ejusdem Novellae capite* 15. de Xenone Sampſonico verbis hiſce dicitur, καὶ τῷ ξενῶνι τῷ καλουμένῳ τῆς ὁσίας μνήμης Σαμψῶν, apud Interpretem veterem ſic verſum legitur, *Xenodochio quod vocatur ſanctae Mariae Sanſo.* Quae verba corrupta ſunt, quum Interpres ſcripſerit, *Sanctae memoriae Sampſonis.* Ejus Xenonis frequens in Codice ac Novellis mentio. Cedrinus etiam originem expoſuit. Quod ſtatim ſubjicitur, καὶ τοῖς ὑπὸ τὴν αὐτοῦ δικαιοδοσίαν καθεστῶσιν εὐαγέσιν, vocem δικαιοδοσίαν corruptam habet; pro qua reponendum διοίκησιν, ut in Baſilicis, & aliis manuſcriptis legitur, veteri etiam Interprete adſentiente, qui *gubernationem*, non *juriſdictionem* vertit. Poſtremo, quod ſubſcriptionem attinet; ea quoque vitioſa eſt, quum nec annos Juſtiniani exprimat, & Baſilii tamen conſulatum ponat. Nos huic rei de Paratitlis remedium adferamus. Eorum haec verba ſunt, ἐγράφη πρὸ ιη΄. καλανδῶν ἀπριλίων, βασιλείας Ἰουστινιανοῦ τὸ ιη΄. μετὰ τὴν ὑπατείαν Βασιλείου, τὸ δ΄: hoc eſt; *Dat. a. d. XVIII. Kalend. April. imperii Juſtiniani anno XVIII. poſt conſulatum Baſilii, quarto.*

XCII. Titulus *Novellae* 132. haud dubie Graeca in editione corrupte legitur; ἴδικτον περὶ πίστεως. Non enim heic de fide tractatur. Itaque recte Paratitla noſtra, ἴδικτον περὶ αἱρετικῶν: cum quibus etiam titulus veteris interpretationis conſentit, ſi recte reſtituatur. Nam pro, *De interdictis collegiis haereticorum:* legendum, *Edictum de collectis haereticorum.* Deinde reſtituenda & inſcriptio, quae in Graecis deſideratur: Αὐτοκράτωρ Ἰουστινιανὸς Κωνσταντινουπολίταις, & in Latina itidem hujus interpretatione veteri, pro *Epiſcopo Conſtantinopolitano*, reponendum, *Populo Conſtantinopolitano.* Nam ad populum, non ad Epiſcopum promulgata fuit conſtitutio. Subſcriptio in Paratitlis deeſt; itaque vulgatam ex eis corrigere non poſſumus.

XCIII. *Conſtitutio* 133. in Graeca quidem inſcriptione miſſa legitur ad Joannem Archiepiſcopum Conſtantinopolis. Quod omnino vitioſum eſſe conſtat ex iis, quae paulo ante de quinque Patriarchis diximus, qui Juſtiniano imperante praefuerunt. Inter eos ultimus recenſetur Joannes & additur, eum ſub finem vitae Juſtiniani ſubſtitutum fuiſſe in locum Eutychii depoſiti; adeoque temporibus etiam Juſtini & Tiberii AA. eccleſiam adminiſtraſſe. Praeſens vero conſtitutio lata fuit anno imperii Juſtiniani XIII. Apione Conſ. ſicut ex Paratitlis paulo poſt ſignificabimus; a quo tempore Juſtinianus adhuc XXVI. annis imperio potitus fuit. Ergo cum Paratitlis hoc modo mutanda inſcriptio, Μηνᾷ τῷ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ quam inſcriptionem ſequutus eſt vetus etiam Interpres. Idem ubique vertit, *Beatitudo ſua:* quum in Graeca legatur partim ἡ σὴ ὑπεροχὴ, partim ἡ σὴ ἐνδοξότης, qui tituli Praefectis praetorio tribuebantur. Unde colligitur, eandem Novellam & Patriarchae primum, & caeteris deinde magiſtratibus inſinuatam fuiſſe. Cujusmodi quiddam ſupra quoque notavimus ad *Novellam* 111.

XCIV. Subſcriptionem hanc tam Graecae, quam Latinae habent editiones ad *finem hujus* 133. *Conſtitutionis. Dat. XVII. Kalend. April. Conſtantinop. Apione V. C. Conſ.* Quilibet animadvertit, eam pariter & mancam & vitioſam eſſe. Dabimus ergo germanam & integram noſtris ex Paratitlis, ſicut in non paucis hactenus idem praeſtitimus: Ἐγράφη (inquiunt) τῇ εἰκάδι μαΐου βασιλείας Ἰουστινιανοῦ τῷ ιγ΄. [illegible]

ὑπατείᾳ Ἀπίωνος: hoc eſt; *Dat. Non. Maji. imperii Juſtiniani anno XIII. Apione Conſ.* Caeterum boni conſulat hoc loco Lector quoddam noſtrum ὕστερον πρότερον. Nam propemodum oblitus eram dicere, veterem Novellarum Interpretem ſuis in libris eundem conſtitutionis hujus titulum inveniſſe, qui noſtris eſt in Paratitlis hic, περὶ τοῦ πῶς δεῖ ζῆν τοὺς μοναχούς. Sic enim reddidit: *Quomodo oporteat monachos vivere.*

xcv. Titulus hic *Novellae* 137. περὶ χειροτονίας ἐπισκόπων καὶ κληρικῶν, cujusmodi tam in Graeca, quam Latina editione exſtat, non eſt integer; ideoque de Paratitlis noſtris haec addantur, καὶ περὶ συνόδων, καὶ προσκομιδῆς: hoc eſt; *Et de conciliis, ac oblatione.* Nam haec quoque duo in ea tractantur capita. Videtur autem omnium ultima, quod temporis rationem attinet, eſſe conſtitutio Juſtiniani; quia 39. imperii ejus anno lata fuit. Quod ſane de ſubſcriptione hujus, quae in hactenus editis Graecis ac Latinis exſtat, nequaquam colligi potuit. Itaque Paratitlis hanc quoque ſubſcriptionem reſtitutam debemus, partim Latinis, partim Graecis verbis expreſſam hoc modo: *Dat. X. Kalendas April. Conſtantinop.* βασιλείας Ἰουστινιανοῦ τῷ λθ. μετὰ τὴν ὑπατείαν Βασιλείου κδ´.

xcvi. Poenam hoc loco ex *Novella* 144. *principium primi capitis*, ſic emendatum, ut omnino legi debet. καὶ διὰ τοῦτο θεσπίζομεν μὴ κληρονομεῖν αὐτοὺς ἐκ διαθηκῶν, ἢ τούτους χωρὶς μηδὲ πρεσβεῖα λαμβάνειν, ἢ κατὰ δωρεᾶς τρόπον κομίζεσθαι (antea legebatur ἐκποιεῖσθαι) πράγματα. ἀλλὰ μηδὲ κατὰ τὴν ἐξ ἀδιαθέτου κλῆσιν ἔχειν διαδόχους σαμαρείτας (antea κλῆσιν ἀδιαδόχης σαμαρείτας) ἢ ὅλως αἱρετικοὺς μηδὲ σχηματιζομένους τὴν ὀρθὴν τῶν Χριστιανῶν προσδέχεσθαι πίστιν, ταῖς δὲ ἀληθείαις οὐχ οὕτω φρονοῦντας, ἢ πράττοντας ταύτῃ (antea ταῦτα) συμβαίνοντα μηδὲ μὴν διαθήκας αὐτοὺς γράφειν, ἢ ληγάτα καταλιμπάνειν, ἢ δωρεῖσθαι, πλὴν εἰ μὴ ὀρθόδοξοι ὦσι καὶ πίστει, καὶ τοῖς ἔργοις,* οἱ ταῦτα ληψόμενοι. εἰ γὰρ μηδεὶς τούτων εἴη, & caet. Quorum verborum haec eſt ſententia: *Et propterea ſancimus, ut ipſi nec ex teſtamentis, nec ab inteſtato ſuccedant; neque legata capiant, aut ullam rem donationis titulo conſequantur. Nec item ab inteſtato ſucceſſores Samaritas habeant, aut ullos omnino haereticos, ne quidem ſi rectam Chriſtianorum fidem amplecti ſe ſimulent, quum reapſe non ita ſentiant, aut ei conſentanea faciant. Non etiam teſtamenti tabulas conſcribant, aut legata relinquant, aut donationes inſtituant; niſi qui ea ſunt accepturi, tam ipſa fide, quam factis orthodoxi ſint.* Nonnihil hic me torſit locus ante, quam ejus emendationem hanc de Paratitlis noſtris eruerem.

* τοῖς ἔργοις defuit hactenus in editis.

In medio propemodum *ſecundi capitis ejuſdem Novellae*, pro φανῶν ἐπὶ τὴν προτέραν. lege φανῶσι. Paulo poſt, τὰ διελέγχοντα αὐτοὺς ὑποκρίσει, lege ἐν ὑποκρίσει. Rurſus ubi dicitur, φαμὲν δὲ τοὺς μὲν μετὰ χρηστῆς διδασκαλίας ὅλως αἰσθανομένους, lege τοὺς χρηστῆς διδασκαλίας ὅλως αἰσθανομένους. Item poſtea, τοὺς δὲ ὄντας σφόδρα καὶ διδασκαλίας ὁ συνίστας, repone καὶ τὰ τῆς διδασκαλίας. & caet. Mox pro ἁρπάζονται, ſcribe. ἁρπάζωνται. xcvii.

Conſtitutionis 146. inſcriptio eſt in libris Graecis xcviii. editis περὶ ἑβραίων. Sed pleniorem vetus Interpres dedit, quam quia propemodum eandem eſſe video cum illa, quam liber Paratitlorum recitat, libet eam hoc loco deſcribere: ὥστε ἄδειαν εἶναι τοῖς βουλομένοις ἑβραίοις ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν διὰ τῆς ἑλληνίδος φωνῆς, ἢ τῆς Ἰταλῆς, ἢ καὶ διὰ τῆς τῶν ἄλλων γλώττης συμμεταβαλλομένης τοῖς τόποις, ἀναγινώσκειν τὰς ἱερὰς γραφάς. καὶ ἀποσπελαύνεσθαι τόπου παντὸς τοὺς ἀρνουμένους τὴν κρίσιν ἢ ἀνάστασιν, ἢ λέγοντας κτίσμα Θεοῦ μὴ ὑπάρχειν τοὺς ἀγγέλους. Adjiciam & Latine redditam, quam paulum ab illa veteri diſcrepet: *Ut licitum ſit Hebraeis, ſiquidem velint, in Synagogis ſuis vel Graeca, vel Itala, vel aliorum populorum lingua, cum locis ipſis mutanda, legere ſcripturas ſacras: & ut expellantur e quovis loco, qui judicium vel reſurrectionem negant, aut angelos non eſſe Dei creaturam dicant.* Et hactenus quidem haec e Paratitlis reſtituta ſunto!

JOAN. LEUNCLAVII
NOTATORUM
LIBER II.

Quo complures leges & loca Juris Civilis ex Baſilicorum, & aliis Graecorum de jure libris, reſtituuntur & illuſtrantur.

ANnus hic nonus eſt, quum Graece Latineque Baſilicorum Synopſin noſtram publicaturi, breves eidem notas adjungeremus; quibus loca non pauca Juris Civilis indicabamus, quae vel lucis aliquid ex interpretatione Graecorum conſequerentur, vel corrupta ſanari, vel mutilata redintegrari poſſent. Eum laborem quum Juriſconſultis hac aetate primi nominis, Cujacio, Baſilio Amerbachio, Pithoeis fratribus, Hotomano, Fornerio, caeteris (in quibus ſunt auctores editionis Vignonianae, qui Jus Civile nuper nobis dederunt) haud diſplicuiſſe videam: libet hoc tempore, quo nonnihil otii nactus ſum ab aliis momenti majoris occupationibus, quae me hactenus aliquot annis ab hujuſmodi litterariis lucubrationibus avocarunt, eam ipſam commentationem interpolare; ſervato tamen Notarum modo, mutatis pleriſque mutandis, reciſis recidendis, additis addendis; ut eo major hinc fructus ad legum ſtudioſos redeat, quorum commodis libenter hanc opellam tribuendam, inſtituto priſtino, putavimus.

Monitum vero te volo, Lector, me iterum anno, poſtquam haec quoque ſcripſiſſem, nono perlegiſſe Notas haſce, typographo tradendas. Ibi quum Marquardus Freherus, Conſiliarius Palatinus, amicus inter primos ſemper habendus, mihi ſignificaſſet, a Cujacio nonnulla Synopſeos meae reprehenſa: diligenter inſpectis iis locis, omnia prius a me ipſo correcta reperi, quae ille notaſſet. Id qui verum eſſe teſtetur, magis idoneum tibi neminem ipſo Frehero poſſum producere, cui propterea laborem hunc inſpiciendum exhibui. Sane quum licere ſibi Cujacius voluerit, ut ſua pleraque retractaret; quin aliis idem jus ſit, dubitari non debet. Hominis quidem inconſtantiam mirari ſubiit, qui verbis honorificis judicium de opere meo ſuum perſcribi ad me voluerit ab auditore ſuo, Zacharia Geizcoflero, magni viro ingenii, & rerum uſus, nunc Ferdinandi Archiducis Auſtrii Conſiliario: nec tamen imperare ſuo tan-

Digitized by Google

tantum potuerit animo, quo minus antea commendatum, vice verſa non ſine ſupercilio quodam inſectaretur ac pungeret. Nam quod etiam defendit illum, qui ante me Synopſin temere conatus erat interpretari; quo profectum fuerit ab animi morbo, non lubet dicere. Cur enim Graeca publicantur, ſi non exprimi bona fide debent ea, quibus illi jus Latine ſcriptum obſcurius, verbis planioribus illuſtrare voluerunt? Huc equidem reſpiciens, *βονόρουμ συγγενικὴν* reddi debere ſcribebam verbis aliis, quam bonorum poſſeſſionem unde cognati, quo lucem illa Latina de Graecis accipiant. Hinc *φροντισταὶ δ' δρόμου*, dicendos ajebam, *curatores publici curſus*; unde jam intelligitur, quos noſtri vocarint curioſos in curſu publico. Sic vendere *ἐν κίνδυνῳ* negabam a Freigio recte redditum, *Vendere in adverſione.* Quid heic Cujacius? reprehenſum temere vult eum, qui vendere *ἐν κίνῳ*, dixerat *vendere averſione*. At quam diſſimilia ſunt, *vendere in adverſione*, & *vendere averſione?* Quis non videt, quodnam a Cujacio crimen heic committatur? & quid Graeca mihi prodeſt interpretatio, ſi *ἐν κίπτῳ* Latine reddere nolim, ut ſonat, quo tamen declaratio ſenſus latentis in averſionis obſcuriore vocabulo continetur? Poſſem in Cujacii quoque libris illis *Obſervationum & emendationum* perinde naevos indicare non paucos, atque factum ab aliis: ſed ulterius provehi nolim, ne cum larvis, quod dici ſolet.

Ad libros Digeſtorum.

I. SUB finem *l. 5. D. de juſt. & jur.* poſt recitationem eorum, quae de jure gentium ſunt introducta; tandem Juriſconſultus ait, eas obligationes excipiendas, quae a Jure Civili veniant. Hoc loco Graeci ſubjiciunt, *οἷς ἡ ἀγωγὴ, ἡ μετατιθεῖσα τὸ παλαιὸν χρέος εἰς καινὸν, καὶ ἡ περὶ ἐμφυτεύσεως*: id eſt, *qualis eſt actio, quae antiquum debitum in novum transfert, & emphyteutici contractus actio.* Ea verba non eſt quod quiſpiam exiſtimet a Graecis reperta Latinis in codicibus, ſed haud dubie declarationis cauſſa ſunt adjecta: qualia complura reperiet, qui diligentius haec perlegere voluerit. Eodem pertinet, quod paulo poſt in *l. 7. D. eod.* generalius quodam modo dictum, Graeci reſtrictius expoſuerunt. Nam quum Papinianus ait, *eſſe jus civile, quod ex legibus veniat*: eleganter Graeci, quod latiore quadam accipi ſignificatione poterat, adjecta voce unica non ita large intelligendum monuerunt. Leges enim heic Interpretantur *τῶν δωδεκαδέλτων*, hoc eſt, *leges XII. tabularum* quod ſane concinnum eſt, & videri non abs re poſſet alicui, poſt eas voces, *Quod ex legibus*, Latinis etiam in libris veteſtis adjectum fuiſſe, *XII. tabularum*, vel ſaltem *XII.* ut *tabularum* vox ſubintelligeretur: niſi diligentius haec rimanti planum eſſet, familiare Graecis Interpretibus hoc fuiſſe, ut inter vertendum obſcuriuſcula nonnunquam declararent, artarent latiora, priora de poſterioribus Principum conſtitutionibus in ipſo, quem vocant, verborum contextu corrigerent: quorum omnium exempla ſuis locis indicabimus, & obſervare plura poterit, qui volet. Notarunt & Latini gloſſatores, juris appellatione nonnunquam intelligi leges XII. tabularum, gl. in *l. 6 d. t. de juſt. & jur.* §. *Hoc igitur jus* s.

II. Monſtrabimus infra, de Baſilicorum *libro 7. tit. 6.* in *Novella Conſtitutione* Juſtiniani 80. pro *Quaeſtore*, reponendum *Quaeſitorem*. Nam Graeci *ἐρευνητὴν* interpretantur. Videat Lector, an etiam in *l. 2. §. 23. D. de orig. jur.* pro *Quaeſtoribus parricidii*, ſint reponendi *Quaeſitores parricidii*.

III. In *l. 34. D. de legib.* noſtrorum Interpretum variae ſunt explicationes ultimorum *legis* verborum, ubi dicitur; *An etiam contradicto aliquando judicio conſuetudo firmata ſit.* Dicunt enim, negantem particulam *non* deſiderari: qua adjecta, plana ſententia ſit; videlicet ut ita legatur: *An etiam non contradicto aliquando judicio conſuetudo firmata ſit*, id eſt, quaſi nemo contradixerit. Hanc lectionem de manuſcriptis libris probare debuerant. Florentinum quidem exemplar repugnat. Et ſi quis paulo attentius verba Juriſconſulti reſpexerit, facile videbit, eam ſcripturam locum habere non poſſe. Quo autem modo ſe torqueant, ſi abſque negatione verba retineantur, mitto prolixius dicere. Id quidem conſtat, eos has voces, *Judicio contradicto*, conjungere. Si Graecos ſequamur, per immutationem unius litterae ſententiam verborum perſpicuam habebimus. Nam, quum illi ſic verterint, *τότε κεχρήμεθα τῇ συνηθείᾳ, ὅτε ἀμφισβητηθεῖσα ἐν δικαστηρίῳ ἐβεβαιώθη*: hoc eſt; *tunc utimur conſuetudine, quam aliquando in dubium vocata, judicio firmata fuit*: ſatis intelligitur, in vetuſtis eos libris, quibus uſi fuerant, ſcriptum reperiſſe; *An etiam contradicta aliquando judicio conſuetudo firmata ſit*. Qua lectione probata, locum habebit interpretatio gloſſae prior, quae judicium vult accipi pro ſententia judicis. Itaque planiſſima verborum ſeries erit, quum de conſuetudine quis confidere videtur, explorandum eſſe, an etiam contradicta aliquando conſuetudo, firmata judicio ſit. Atque hanc lectionem ſequuntur & juris canonici Graecorum Interpretes; ut Joannes Epiſcopus Citri, cujus reſponſum primum *legem hanc* citat, *libro Reſponſorum* 1. qui exſtat *libro Juris canonici Graecorum* 5. quemadmodum in ejus editione noſtra parebit.

Quod loco Graeci reſcriptum divi Pii ad Aelium Marcianum recitant, quod exſtat *l. 2. verſ. Dominorum. D. de his qui ſui vel al.* Hiſce verbis ſub finem reſcripti poſitis, *Veniri jube*, ſubjiciunt alia complura, quae libri Digeſtorum non habent: ut ſunt iſta; *ἀλλὰ καὶ τὴν πρᾶσιν καλῇ αἱρέσει ποιεῖν, ὥστε μὴ διά τινων ἐπιτετηδευμένων αἱρέσεων καὶ μετὰ τὴν ἐκποίησιν αὐτοὺς κακοποιεῖν, ἢ ἐν δεσμοῖς εἶναι συμφωνοῦντας, ἢ ἐπὶ τῷ οἰκεῖν ἐν χώρῳ βαρυτάτῳ ἔχοντι τοὺς ἀέρας*: hoc eſt; *Quin & bona conditione vendant, ne per quaſdam excogitatas aſta conditiones, etiam poſt alienationem factam ſervos laedant; vel paciſcendo, ut in vinculis detineantur; vel ut in loco degant, qui aeru poſtilentiſſimum & graviſſimum habeat.* In his verbis quod primo loco dicitur, *Bona conditione vendant*; id Graeci ſumptum ex §. 2. *Inſtitut. eod.* verbis Digeſtorum inſeruerunt. Caetera declarationis cauſſa fortaſſis adjecta ſunt, quae & Theophilus in *d. t. & §. Inſtitut.* quum prope verbis iiſdem poſuerit; ex Baſilicorum libris, ut alia quoque non pauca, decerpſiſſe videtur. IV.

Quod quidam *legis ult. §. ult. Senatores. D. de ſenator.* verbis Ulpiani temere putarunt adſutum a Tribuniano; fortaſſe probabili conjectura non caruerunt. Sane quod in Baſilicis poſt haec verba, *Et hi ſoli ſententiam in Senatu dicere poſſunt*, ſubjicitur: *καὶ ὅτι ἐν τοῖς ἱπποδρομίοις ὀφείλουσι συνάγεσθαι. ἰτέον, οἱ ἔπαρχοι πρωτοκαθεζέσθωσαν ὅλων, καὶ μετ' αὐτοὺς οἱ συγκλητικοί*: hoc eſt, *in Hippodromis convenire debent. Praefectorum urbi prima ſit ante univerſos ſedes, poſt eos Senatorum.* Hoc igitur attentius conſideranti, certum eſt argumentum, verba etiam haec praecedentia, *ὅτι οἱ ἀπὸ πατρικίων ἕως ἰλλουστρίων, εἰσὶ συγκλητικοί*, *A patriciis uſque ad illuſtres, ſenatores ſunt*; ex eodem fonte petita, de quo ſequentia manarint. Hoc enim verum eſſe, quivis perſpicit ex illis particulis, *ὅτι* & *καὶ ὅτι*. Nos quidem antea de fonte dubitabamus. Nunc certi ſumus, haec pertinere ad *Novellam* Juſtiniani 62. quae integra periit, epitoma dumtaxat opera Juliani Anteceſſoris conſervata. Quidam ejus initium fuiſſe tradunt, *Antiquis temporibus*: alii; *Ante de his ipſis.* A. Auguſtinus in libro Florentino ſcriptum reperiſſe teſtatur, *Antiliſſimis temporibus*. Id equidem legendum ajo, *Antiquiſſimis temporibus*. Vide jam ordine ſingula in Baſilicis poſita: deprehendes ad verbum ex *hac Novella* ſumpta. Quod autem ex Baſilicis repeto, *ἐν τοῖς*

ἱππο-

ἱπποδρόμοις, pro ἐν τῇ ἱπποδρομίᾳ, ſicut in editione mea prima legitur ex manuſcriptis: hoc epitomae Haloandrinae debetur, cujus verba ſunt; *Agat Senatus conventus in Hippodromis.* Circenſia quidem non ſunt ἱππόδρομοι, ſed ἱπποδρόμια.

VI. In *l. 7. D. de offic. praeſid. Detrectantem* noſtri interpretantur *inobedientem*, Graeci ὑπερτιθέμενον, *differentem*, vel refectioni moram interponentem. Quod ſequitur, *Competenti remedio deformitati auxilium feras*; intelligi poſſe de aedificiorum deformitate videtur: ſed Graeci plene vertunt, *Deformitati urbis*; adjiciendo vocem, τῆς πόλεως. Sic *ruinis urbs deformari* dicitur in *l. ult. D. ne quid in loco publ.*

VII. Diligenter *ibidem l. 14.* verba Graecorum interpretum intuenti, videtur hic locus, quo dicitur, *Si vero (ut plerumque adſolet) intervallis quibusdam ſenſu ſaniore non forte eo momento ſcelus admiſerit (nec morbo ejus danda eſt venia) diligenter explorabis.* Hic ergo locus ſic potius ſcribendus videtur; *Si vero, ut plerumque adſolet, intervallis quibusdam ſenſu ſaniore, num forte eo momento ſcelus admiſerit, nec morbo ejus danda ſit venia, diligenter explorabis.* Sic enim Graeci reddiderunt, μή ποτε ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἀνακωχῆς ἐφόνευσε, *num induciarum morbi tempore occiderit:* quo ſcilicet caſu ſimulatio dementiae interveniret. Ita planus ſenſus eſt, nec ineptam Accurſii parentheſin amplius requiremus.

VIII. In *l. 7. D. de juriſdict.* recte legitur in Florentin. editione, *dari quingentorum aureorum judicium in eum, qui juriſdictionis perpetuae cauſſa propoſitum aliquod edictum corruperit.* Hunc enim numerum *ſeptimus* etiam Baſilicorum *liber, tit. 3. cap. 7.* exprimit, non aureorum quinquaginta. Quod *ibidem* ſequitur, *eſſe judicium hoc populare:* Graeci pro judicio populari, διηνεκοῦς ἀγωγῆς mentionem faciunt, hoc eſt, *actionis perpetuae*, ſicut interdictum perpetuum in *l. 2. §. hoc interdictum 34. D. Ne quid in loc. publ.* Solent autem alioqui popularem actionem reddere δημοτικὴν ἀγωγὴν, ut in *l. 42. D. de procurat.* Ubi tamen noſtra ſynopſis habet hactenus ἐπὶ δημοσίων ἀγωγῶν, pro δημοτικῶν. vitioſe! nam δημόσιαι ἀγωγαὶ ſunt, quae fiſco competunt. Caeterum in *l. 3. §. haec poena 2. D. Quod quisque juris.* poſt illa verba, *Non ſolum eo poſtulante, qui ab eo laeſus eſt; ſed omni, qui quandoque experitur:* addunt Graeci, καὶ κεχρημένῳ τῇ παραγραφῇ, hoc eſt, *& qui exceptione utitur.* Recte id quidem, ſed pro ſcholio dumtaxat habendum.

IX. Poſt illa verba *l. 2. D. de in jus vocando*, quibus dicitur, nec eos in jus vocari oportere, *qui propter loci religionem inde ſe movere non poſſunt*: Graeci ſcholion hujusmodi ponunt, ὁποῖοι εἰσὶν οἱ τόποι, οἷς τινες ἑαυτοὺς περικλείουσιν οἱ λεγόμενοι * κιονῖται: hoc eſt; *Qualia ſunt illa loca, quibus ſe, qui Columnarii dicuntur, includunt.* Hoc alienum eſt a pagani religione, nec ab Ulpiano profectum; ſed ſumptum de moribus & zelo quorumdam in eccleſiis primitivis, qui auctore Symeone, hac de cauſa dicto Stylite ſive Columnario, continuos dies & noctes, ſeptimanas totas & menſes, immo complures annos, exercendae pietatis erga Deum cauſa, in columnis erecti ſtetiſſe perhibentur. Teſtes citari complures poſſent. Nos alibi Glycam noſtrum adduximus, cujus hic locus eſt: *Marciano imperante Symeon ille magnus columnam conſcendit. Is longo tempore nihil omnino cum hominibus habuit commercii propterea, quod ejusmodi rem novam primus oſtendiſſet. Atenim ſic comparatum eſt in rebus humanis, ut multi ſint reprehenſores.* Idem non multo poſt, *Leone*, inquit, *imperante magnus ille Danielus columnam in Anaplo conſcendit.* Addidimus etiam Nazianzeni verſus, ex ipſius poëmate περὶ ταπεινοφροσύνης, σωφροσύνης, καὶ ἐγκρατείας: quos heic repetere non lubet, quum ejus operibus editis hoc poema nos adjunxerimus ex manuſcriptis noſtris.

* στυλῖται.

X. *Lege 4. dicto tit.* infantes in jus vocari negatur. Eos interpretantur Graeci *ſeptennes*, ἑπταετεῖς, ut etiam in *l. 1. §. item adquirimus 5. D. de acquir. vel amit. poſſ.* & alibi ſaepiſſime. Notavi tamen eosdem in *l. 12. D. ad L. Cornel. de ſicar.* infantem expoſuiſſe τὸν μὴ ὄντα ἑπταετῆ, hoc eſt, *eum, qui nondum ſeptennis ſit.* Ibidem *l. 19.* quod dicitur, *Si ex publico conſpiciatur*; Graeci vertunt, ἐν τῇ ἀγορᾷ, *ex foro. Lege ult.* Denique, quum dicitur, *libertum a praefecto urbi quaſi inofficioſum caſtigari*: poenae genus a Graecis clarius exprimitur; quum μαστίζεται inquiunt, hoc eſt, *flagris caeditur.*

XI. *Legis 6. in fin. D. de edend.* verba ſunt, *Nec iterum poſtulanti edi Praetor jubet, niſi ex cauſſa.* Poſtremum Graeci plenius exponunt, εἰ μὴ τῆς αἰτίας διαγνωσομένης, hoc eſt, *niſi cauſſa cognita.* Iidem in *l. 1. D. de pactis in fin.* quum dicitur, conventionum pleraſque in aliud nomen tranſire: *nomen aliud* exponunt, *nomen ſpeciale*, ἰδικόν. Notandum & in *l. 7. §. Quin immo q. h. t. Ex continenti* Graecis eſſe, ἐν ἀρχῇ, *in principio.*

XII. Non equidem auctor ſum, ut receptae lectiones temere mutentur. Si tamen uti conjecturis licet, videntur in *l. 11. D. de his qui notant. infam.* pro eo, quod ibi dicitur, *Propter turbationem ſanguinis*, Graeci ſuis in libris reperiſſe, *Propter turbationem ſeminis.* Nam γονῆς vocabulum repoſuerunt, quod ſemen eſt, non ſanguinis. Idem & Matthaeus Monachus in *libro Matrimonialium*, qui juris Canonici Graecorum, a nobis edendi, *octavus* eſt, ſequitur. *Eadem lege* poſt damnatos perduellionis, Graeci deſertores quoque, ſive proditores (προδότας ipſi dicunt) commemorant, quam vocem hoc loco Latini codices deſiderant.

XIII. In *l. 42. in princ. D. de procur.* legimus *eum, qui de via publica agit, & privato damno ex prohibitione adficitur, quaſi privatae actionis dare poſſe procuratorem.* Heic ego diſſimulare non poſſum, pro *De via publica*, Graecos legiſſe, *De vi publica*, περὶ βίας δημοσίας. quamquam non ignorem, pro lectione recepta facere *l. 49. §. qui ita 1. D. h. tit.* & *l. 6. D. ne quid in loco publ.* Itidem in *l. 6. §. 3. D. quod cujuſq. univerſ.* pro hisce verbis, *Et judicati actio ei ex* Edicto non datur, Graeci legiſſe videntur, *Judicati cautio.* Sic enim reddiderunt: οὐ δίδοται αὐτῷ ἱκανοδοσία, εἰ μὴ ἀγωγὴ ἰδία ἐστί. *Non datur ei cautio, niſi in rem ſuam agat.* Equidem non inſtitui de his prolixe diſſerere. Non enim inficior, fieri potuiſſe, ut ipſi quoque vitioſis uterentur exemplaribus; veluti quum in *l. ut ſi cui 12. D. de verb. ſignif.* pro, *Ex populari cauſſa*; repoſuerunt, *Ex pupillari cauſſa*; ἀπὸ ὀρφανικῆς ἀγωγῆς. Et earumdem vocum permutatio facta eſt in *l. 32. §. 7. in fin. D. de recept. arb. qui arbitr. recep.* ubi quum noſtri legunt, *Idem dicendum eſt in populari actione*; Graeci verterunt, περὶ ὀρφανικῆς ἀγωγῆς, *de pupillare actione.*

XIV. In *l. 1. in princ. d. t. Quod cujusque univerſ. nom.* quum in omnibus ita legatur; *Neque ſocietas, neque collegium, neque hujusmodi corpus paſſim omnibus habere conceditur:* gloſſarum auctores illi veteres pro *ſocietas*; reponunt *ſocietatem.* Contius, ut Latinitas (ſic ipſe loquitur) conſtet; legendum putat, *haberi.* Mihi ſatis erit, indicaſſe Graecorum interpretationem, qui ποιεῖν ἑταιρείας vertunt, hoc eſt, *facere vel inſtituere ſocietates.* Statim enim paret, ſcribendum; *Neque ſocietates, neque collegium*, & caet.

XV. In *l. heres viri 33. D. de negot. geſt.* poſt illa verba, *Compilatae hereditatis poſtulare non debet*, haec Graeci ſubjiciunt, οἱ καὶ μετὰ τὴν τοῦ ἀνδρὸς τελευτὴν κατέχει, ἅπερ καὶ ἔτι τοῦ ἀνδρὸς περιόντος κατεῖχον: id eſt, *tametſi poſt viri mortem habeant in ſua poteſtate, quae viro ſuperſtite habebat.* Ea verba pro ſcholio potius eſſe ducenda puto, quam in ipſum (quem vocant) textum referenda. Cujusmodi ſcholia licet in textu quoque Graecorum non exiguo numero reperire.

XVI. In *l. 5. D. quod met. cauſ.* Labeo metum defi-

niens, non quemlibet timorem hac voce vult accipi; *ſed majoris malitatis*. Inſolens vox eſt, *malitas*. ideo Gloſſatores ſuperiorum aetatum pro *malitatis* repoſuerunt, *majoris mali*. Recentiores aliqui legendum *calamitatis* ſuſpicati ſunt. Utroſque genuinam lectionem corrumpere, vel Graecis teſtibus probari poteſt, qui malitatem interpretantur κακοθέλειαν. Quae vox nec malum ſignificat, nec calamitatem; ſed *malignitatem* (quam Graeci noſtri verterunt per eandem vocem κακοθελείας in *l. 22. C. de jur. delib.*) ſive malitiam, ſive malivolentiam, ut eſt in veteri gloſſario. Et opponitur huic a Graecis τὸ καλοθελὲς, quod *benignitatis* ſignificationem habet, ut in *l. 192. D. de reg. jur.* ἐν τοῖς ἀμφιβόλοις τὸ καλοθελὲς δοχ...: *In ambiguis, quod benignius eſt admittimus.* Pro malitia vero malitatem uſurpatam, veluti ſceleritatem pro ſcelere, in *l. 3. D. de bon. eor. qui ante ſentent.* recte Contius monet. Et a voce, Malus, eſt deducta malitas: ut a bono, bonitas.

XVII. In *l. 14. §. 11. in fin. D. eod.* quum Juriſconſultus ait; *Sed etſi non culpa ab eo, quo cum agitur, aberit: ſi tamen peritura res non fuit, ſi metum non adhibuiſſet, tenebitur reus*: putant aliqui, negante particula omiſſa, ſic legendum, *Sed etſi culpa ab eo, quo cum agitur, aberit.* & caet. Quae lectio qualis qualis tandem exiſtimetur, certe nec Florentini exemplaris auctoritatem a ſe habet, quae non abs re plurimi facienda eſt; nec veterum Gloſſatorum, nec Interpretum denique Graecorum. Gloſſarum quidem auctores, quos dixi, negationem retinent; & verbum *Aberit*, ad rem ipſam referunt, non ad vocem *Culpa*; pro quo verbo nonnullis etiam in libris reperiri notant *Obierit*, quod propius ad Graecorum ſententiam accedit, qui verterunt, ἀπόληται τὸ πρᾶγμα. Conſentiunt enim prorſus cum his, & ita locum interpretantur, εἰ δὲ καὶ μὴ μετὰ ῥᾳθυμίαν τοῦ ἐναγομένου ἀπόληται τὸ πρᾶγμα: hoc eſt; *Sed etſi non culpa ejus, qui convenitur, res perierit*, & caet. de quo licet intelligere, *Non culpa ab eo aberit*, dictum eſſe pro, *Non culpa ejus*; id eſt, ſine culpa ejus, quo cum agitur. Atque hoc eo magis indicandum hoc loco putavi, quod ſaepiſſime negantium vocularum vel adjectio, vel detractio, mirum quantum perplexitatis gignat. Idque deinceps etiam nonnullis ex locis, a nobis notatis, parebit.

XVIII. In *l. 13. §. item 1. D de dol. mal.* quod dicitur, *ne in pupillum detur actio de dolo, niſi forte conveniatur nomine hereditario*; Graeci ſimpliciter, *niſi conveniatur ut heres*, inquiunt; ὡς κληρονόμος. Et quod ſequitur, *Si proximus pubertati eſt*, illi explicatius, ὅτε πληρώσει τὰ ιγ. ἔτη, ajunt: hoc eſt; *quum XIII. annos impleverit*.

XIX. *Tituli 8. lib. 4. Dig.* haec inſcriptio eſt, *De Receptis, qui arbitrium receperunt, ut ſententiam dicant.* Notandus eſt varius error Contii, qui *de receptis*, interpretatur de acceptationibus arbitri, deque conſenſu & quaſi pactis judicandi: ac ſi recepta Juſtinianus, non receptos intelligeret, quum quidem ſequatur, *Qui arbitrium receperunt*. Eum errorem cumulat, dum explicatis hoc modo *Receptis*, ab iiſdem Compromiſſa diſtinguit: uti quae ſtipulationes ſint inter litigatores, ultro citro interpoſitae. Refutandis ſomniis Graecorum ſola tranſlatio ſuffiet, qui περὶ αἱρετῶν δικαστῶν reddiderunt, hoc eſt, ad verbum, *de judicibus electis*, vel *de receptis arbitris*, uti quidam libri veteres habent. Item alibi vertunt διαγνώμονας, qui ſimpliciter ſunt arbitri. Et compromiſſum iidem *l. 1. h. t.* interpretantur αἱρετὸν δικαστήριον, quum ajunt, τὸ αἱρετὸν δικαστήριον ἔοικε προσφόρῳ δικαστηρίῳ, *Judicium arbitrarium ſimilitudinem habet judicii competentis*. Id Paulus Latine dixit, *Compromiſſum ad ſimilitudinem judiciorum redigitur.* Item *l. 41. judicem compromiſſarium* vertunt, αἱρετὸν δικαστὴν, ut etiam in *l. 50. ſumptum ex compromiſſo arbitrum.*

XX. *L. 32. §. 1. D. eod.* quod dicitur, *Si mulier alieno nomine compromittat, non erit pecunia compromiſſa, propter interceſſionem*: Graeci dilucidius & latius interpretantur, his verbis: ἐὰν γυνὴ ἀλλοτρίῳ ὀνόματι, ἤτοι ὑπὲρ μὴ διαφέροντος αὐτῇ προσώπου, αἱρετὸν δικαστὴν λάβηται, ἐπερωτηθεῖσα ποινὴν, οὐκ ἔρρωται τὸ αἱρετὸν δικαστήριον, οὐδὲ βεβαιοῦται ἡ ποινή. Quorum haec ſententia eſt: *Si mulier alieno nomine, ſive pro non pertinente ad ipſam perſona, judicem compromiſſarium acceperit, poenam ſtipulata: compromiſſum non valet, nec poena rata eſt.* Ex hiſce verbis arbitror intelligi; quum a Graecis dicitur, *poenam ſtipulata*; item; *poena rata non eſt*: non eos legiſſe, *pecunia non erit compromiſſa* (quemadmodum eſt in editione ultima Contii, quae de Florentina fideliſſime repraeſentata dicitur) ſed, *Non erit poena compromiſſa*, quae lectio compluribus in editionibus reperitur, & gloſſae reſpondet, addenti ad vocem poena: *Vel aliquid loco poenae.* Quod autem iidem Graeci (adjicitur ſane hoc loco πρόθυρον illud) ad *l. 20. h. t. in fine* ſubjiciunt de arbitro, ἀφοσιοῦται γὰρ παύεται οἷον δικαστὴς: hoc eſt; *Lata enim ſententia, judex eſſe deſinit*: ſcholii vicem obtinere arbitror.

In *principio l. 15. D. de judic.* ſunt, qui legendum XXI. exiſtiment, *Filiusfamilias judex ſi litem ſuam faciat*: Ea lectio quum noſtris exemplaribus repugnet, ne quidem a Graecis admittitur; qui vertunt ὑπεξούσιος ποιῶν παράνομον κρίσιν, *Filiusfamilias iniquam ſententiam ferens.* ſic enim declarant illud, *litem ſuam facere*, quemadmodum & noſtri. *Ejuſdem tituli l. 21.* dicitur, *Dandum diem cum competenti cautela ad ſolvendam pecuniam.* Heic Graeci addunt, ὅτι μετὰ τετράμηνον δίδωσι: quod ſcilicet poſt menſes quatuor ſolvat. Id adjectum, ut dari dies certus ſive conſtitutus intelligatur.

L. 67. in princ. D. eod. quum Ulpianus de ſervo XXII. loquitur, qui ſe redemptum dicit ſuis nummis: Graeci quidem hoc ἰδίοις ἀργυρίοις reddunt, ſed ſcholion adjiciunt, ἀπὸ τοῦ ἰδίου πεκουλίου: hoc eſt; *nummis ex peculio ſuo.* Leviuſculum videri poteſt, *ead. l. ſub fin.* pro, *Fideicommiſſam libertatem*, illi *Fideicommiſſariam* reddiderunt. Denique *l. 77. eod.* verba, *in privatis negotiis*, ita declarantur ab iiſdem, ut in ipſo textu ſignificetur, accipienda ἐπὶ χρηματικῶν δικαστηρίων, de judiciis civilibus, ſive cauſſis pecuniariis: quod Accurſius quoque verbis iiſdem expoſuit.

Ubi *l. 20. §. licet autem 13. D. de heredit. petit.* no- XXIII. ſtri habent, *Si bonorum poſſeſſores ſe exiſtiment, vel alios ſucceſſores juſtos*: Graecorum ea ſcriptura eſt, ut legerint, *Si bonos poſſeſſores ſe exiſtimeat, vel alios ſucceſſores juſtos.* Quae lectio non videtur temere rejicienda. Fere conſimile quoddam exemplum eſt in *l. 2. §. ſi quartu 1. D. famil. ercisc.* Ubi ἀγαθὸς νομεὺς, *poſſeſſor bonus*, habent Graeci: noſtri vero, *bonorum poſſeſſor*, quod illi alteri praeferendum videtur. *Eodem* intra *dicto titulo, l. 22. in princ.* pro eo, quod noſtri legunt, *Quod eamdem rem emerit.* Graeci habent ἀντηγόρασε, id eſt, *redemerit*. Hoc propterea notare volui, quod Latinis etiam nonnullis in exemplaribus ea ſcriptum reperiatur.

In *l. 11. §. Interdum 3. in fin. D. de Publ. in rem* XXIV. *act.* pro eo, quod editi libri habent, *Si modo eo tempore, quo expenſar, furtivam matrem ignorem*: quidam exiſtimavit reponendum, *Quo & pariat.* Hoc alii non admittunt, quum argumentis aliis adducti, tum *l. 4. D. pro ſuo.* Ego momentum aliquod horum ſententiae, opinor, attulero; ſi Graecos etiam, experiar, legiſſe ſignificem. Vertunt enim, ἐν τῷ κυεῖν.

In *l. 27. §. ſi quid 3. D. de uſufr.* tam Florenti- XXV. num, quam exemplaria caetera, fuſionum vocem habent in hiſce verbis: *Solent & fiſco fuſiones praeſtare.* A. Contius notat, in manuſcriptis quibuſdam reperiri ſcriptum *Functiones*, pro *Fuſiones*. Equidem fateor aliter, atque olim ſentiebam, lectionem uſitatam probari poſſe. Nam *fuſiones* gloſſarium vetus exponit non ſolum χωνεύσεις, quod ſignificatum huc non pertinet; ſed etiam συντελείας, & εἰσφορὰς δημοσίων, col-

collationes ac fiſcalium illationes, quo modo vocabulum heic eſt poſitum. Graeci quidem noſtri δημόσια τέλη vertunt, quae ſunt tributa fiſcalia. *Ejuſdem tituli l.* 67. quum dicitur, *Cui legatus ſit uſusfructus, eum etiam invito herede vendere extraneo poſſe*: Graeci legunt, *Etiam invito domino vel herede*, δεσπότου ἢ κληρονόμου.

xxvi. *L.* 1. §. 1. *D. de uſufr. adcreſ.* verbum *Amittere* bis poſitum, dupliciter interpretantur Graeci. Nam primo quum dicuntur, *An altero repudiante vel amittente uſumfructum*, & caet. Heic pro *Amittente*, vertunt μὴ χρήσεται. *Sequenti* deinde §. idem ait. *amiſſum uſumfructum* interpretantur φθειρόμενον. Ex hac translationis diverſitate colligo, poſteriori loco ſcriptum eos reperiſſe, *Amiſſum*: priori autem, non *Amittente*, ſed *Omittente*. Conſimile quiddam de hiſce verbis inter ſe commutatis lubet hoc loco ſubjicere. In *l.* 119. *D. de reg.* dicitur, *Non alienat, qui dumtaxat omittit poſſeſſionem.* Hoc Graeci reddiderunt, ὁ ἀποβαλλόμενος, *qui amittit.* Igitur ita ſcriptum in libris ſuis repererunt. Si legas cum noſtris, *Omittit*: eamdem habebis ſententiam, quae eſt in *l.* 28. *D. de verb. ſignif.* ubi Paulus ait: *Qui occaſione adquirendi non utitur, non intelligitur alienare: veluti qui haereditatem omittit.* Heic Graeci verbo ἀπαγορεύειν utuntur, quod eſt omittere ac repudiare: vimque habet eandem cum eo, quod hoc loco uſurpatur, videlicet μὴ χρήσεται. Nam qui non utitur, omittit & repudiat.

xxvii. In *l.* 12. §. 1. *D. de uſu & habit.* tradit Ulpianus ex ſententia Nervae; eum, cui uſus datus ſit, *neque foliis, neque oleo, neque frumento, neque frugibus uſurum.* Variae ſunt heic de foliis partim opiniones, partim emendationes. Omitto, quae ſcripſere veteres, ne longum faciam. Connanus *foliis* mutat in *doliis*, Cujacius in *oleis*. Fornerius lectionem & Florentini codicis, & aliorum retinens, oſtendit haec de foliis dici, ex quibus maximi pretii unguenta fiebant. Ego, quamdam ut quaſi ſymbolam dem, facere non poſſum, quin Graecos indicem foliorum vocabulum retinuiſſe: nam φύλλων meminere; de ſententia liberum cuique judicium eſto. Quamquam cur a Fornerio, praeſtantis eruditionis viro, & amico meo, diſſentire velim; cauſſam equidem nullam habeam. Pro eodem facit lex recentior, quam in libro MS. reperire memini, latam a Leone & Conſtantino, his verbis: ἐὰν φύλλα συκαμίνου κλέψει τις, καὶ φάρμακα ποιήσει, διπλῆν ποσότητα ποιείτω, καὶ διδότω. εἰ δὲ καὶ παντελῶς ἀπολεσθῇ τὸ δένδρον, τυφλούσθω ζημιούμενος: hoc eſt; *Si folia caprifici quis furatus fuerit, & inde medicamenta confecerit: alterum tantum foliorum congerat, & pro ablatis reddat. Sin arbor ipſa prorſus perdita fuerit, excaecator.*

xxviii. In *l.* 19. *D. de ſervitut.* quum dicitur, *Si aquam alicui debere ducere non expediret*: item, *Quaedam debere habere poſſumus*: quidam hoc verbum, *debere*, ante *ducere* & *habere* poſitum, inducendum putant; aliis diverſum ſentientibus. Equidem ut id, quod promiſi, praeſtem: diſſimulare non debeo, apud Graecos ea non extare. Quae autem *lex* in vulgatis ibidem eſt 21. *Si intercedas*, & caet. eam A. Auguſtinus oſtendit eſſe debere *primam tituli ſequentis*, in quo Graeci cum eo conſentiunt. In *eadem lege* quum dicitur ſecundum lectionem Florentinam, *Sed immittendi, protegendi, prohibendi*: hujus ultimi verbi loco reperitur in vulgatis editionibus, *projiciendi*. Recte, mea quidem ſententia! nam Graeci quoque ſic legerunt, quum vertant, ὃ ἐξώσειν ποιεῖν. Et conjunguntur eadem verba in *fine legis ſequentis*, *Projiciendi protegendive.* ubi ſimiliter Graeci, ὃ ποιῆσαι σκιάδιον ἢ βαλεῖν. De quibus vocibus a nobis alio fortaſſe loco dicendum.

xxix. In *l. penult. D. de ſervit. urban. praedior*, qui *paries communis* dicitur, eum praeſtantiſſimus ille Cujacius oſtendit eſſe dicendum parietem caecum; voce nimirum *communis* vitiata, quemadmodum ex Harmenopulo docet. In hoc illi Baſilicorum etiam auctores adſentiuntur, qui τυφλὸν τεῖχον ἀνοίγειν ſcripſere, quod eſt, *parietem caecum aperire.* Vix tamen adduci poſſum, ut credam, pro caeco pariete, communem ab imperitis fuiſſe repoſitum librariis; ſed vocem aliam quamdam inſolentem ab eis cum hac commutatam puto, quae ſignificati quidem ejuſdem, aliquanto tamen ſimilior ei foret. Nam ſic arbitror in Pandectis fuiſſe ſcriptum: *Aperto pariete inlumini: nullo jure feneſtras immiſiſſe reſpondi.* Nimirum haec vox, illi alteri, *Communi*, litteris proprior eſt, quam & apud Apulejum *lib.* 4. *Metam.* legimus: *Servato noctis*, inquit, *inlumino tempore.* Idem in *lib.* 6. *inluminas Proſerpinae nuptias* appellavit. Nec quemquam moveat, quod *inlumini* Paulus dixit, Apulejus *inlumino*. Quippe hoc frequens eſt. ſic *inanimem* & *inanimam* dicimus. Et huic conſimilis prorſus eſt vox, *inlunis*; & *inlunam* tamen *caliginem* vocavit idem Apulejus.

In *l. ſi ſervus* 27. §. 9. *D. ad l. Aquil. fornicarius ſervus* in Pandectis Florentinis ſcribitur, pro quo veteres Gloſſatores ſubſtituunt *fornacarium*. Idem Budaeus facit, & piſtrinarium vel piſtorem interpretatur. Graeci φουρνάριον habent. Quae vox ſi reponenda non erit, quod tamen equidem plane faciundum puto; ſaltem indicat, rectius legi *fornacarium*, quam *fornicarium*. Et vocem φοῦρνος in uſu Graecis fuiſſe, patet etiam de Glycae noſtri verbis, qui patriarcham quemdam narrat, Imperatori ſuo minitantem, dicere ſolitum: *Ego te* φοῦρνε *condidi, ego te deſtruam.* xxx.

Ejuſdem l. §. 14. dicitur, *Si lolium aut aveam in ſegetem alienam injecerit* & caet. Equidem non neſcio, cur recte vox *avenae* retineatur. Sed tamen, quum Graeci ἄγρωστιν hoc loco reddant, quibus ex auctoritate gloſſarii veteris proprie avena eſt βρόμος, & ἔρα (ſic enim diſtinguendum βρομνερά, quod ibi corrupte legitur) videri fortaſſis alicui poſſit, eos *verbenam* in libris ſuis reperiſſe, quam Plinius exponit gramen, quod proprie Graecis eſt ἄγρωστις. Et verbenam Grammatici velut herbenam dici volunt: ut omnino lex intelligat eum, qui malas & noxias herbas in ſegetem alienam injecerit. Libet autem hoc loco id etiam attingere, quod in *l.* 15. §. 2. *D. locati*, corruptum videtur. Ait Juriſconſultus ea vitia, quae ex ipſa re oriantur, damno coloni eſſe. Subjicit exempla: *veluti ſi vinum coacuerit, ſi raucis aut herbis ſegetes corruptae ſint.* Prolixe de *raucis* diſputatur. Quidam *ruſcis* reponunt; Alciatus *crucis*. Quum ad Graecos reſpicio, qui ἄγρωστιν vertunt, in eam ſententiam venio; ut pro *raucis*, reſtituendam *rancis* exiſtimem, quae vetus vox eſt, & herbam noxiam ſignificat. Unde *runcandi* & *eruncandi* verbum, rei ruſticae ſcriptoribus notiſſimum. Certe quae de raucis, hoc eſt, vermibus quibuſdam terreſtribus, arborum radices laedentibus, traduntur; parum huc meo quidem judicio, quadrant. xxxi.

In *ejuſdem l.* §. 23. pro, *Et ſi mulum plus juſto oneraverit*, Graeci μύλην ſcribunt, ut antea dictum de muliere, quam illi δούλην exponunt, id eſt, ancillam, & de equa. Ibidem §. 30. mentio fit *margaritarum extricatarum.* Sic enim libri omnes, quos equidem viderim, habent. Id quomodo parum dextre Budaeus, Accurſius, & alii etiam halucinantes, declarare conentur; repetere non lubet. Tantum hoc dicam, vocem *Extricatas* corruptam videri. Hoc mihi Graecorum verſionem intuenti diligentius, ad animum accidit. Habent enim ἀτρήτους, eamque ipſam vocem heic reponendam cenſeo, ut legatur: *Si quum maritus uxori margaritas atretas dediſſet, eaque invito vel inſcio viro perforaſſet, ut pertuſis in linea uteretur:* &c. Erunt autem per *atretas* accipiendae, non perforatae. Et cur poſtea perforandi verbo uteretur? cur pertuſas diceret; niſi reſpectu primae xxxii.

formae, qua necdum erant vel perforatae, vel pertuſae? *Praecedenti* certe *Paragrapho diatreti* calicis mentio fit, quae itidem vox Graeca eſt, ejuſdem originis, & heic Graece retinetur. Unde *diatretarii* quoque dicuntur, quorum mentio fit in *l. 1. C. de excuſ. artif.* Nec magni facio, quae contradicendi ſtudio Cujacius protulit, in nonnullis ſua quoque retractare ſolitus. Paulo poſt in *fine legis* pro *tectore* Budaeus *victorem* repoſuit. Hoc alii notant; & recte quidem! Nam & Graeci *tectori* legerunt, quum κονιατῇ verterint. Et tectores ſunt, qui tectoria faciunt, ac in *d. l. 1. C. de excuſ. artif. Albini* quoque vocantur. *Sequenti l. 29. §. ſi navis 2.* dubio procul non *ſervaculum*, non *verriculum*, non *gubernaculum*, non *lenunculum*, non *renunculum*; ſed *ferraculum* legemus, Graecis auctoribus, qui καυτὸς vertunt.

XXXIII. In his *legis 31. d. t.* verbis, *Quum periculum evitari non poſſit*, Graeci *periculum* interpretantur θάνατον, hoc eſt, *mortem*. In *lege* vero *14. ſub fin. D. de non. act.* locus omnino mutilus eſt, & in omnibus quidem exemplaribus, quae mihi videre contigit. Verba ſunt haec: *Sed & ſi ſtatuliber ſit; & ante deditionem exſtiterit conditio, per fideicommiſſum libertas fuerit ante praeſtita, vel exiſtente conditione legati dominium fuerit translatum; arbitrio judicis abſolvi eam oportet.* Heic nemo non videt, ante illa verba, *Per fideicommiſſum*, & caet. quiddam deſiderari: eaque de cauſſa fuere, qui legendum putarent, *Vel per fideicommiſſum*. Verum ne id quidem acuto Lectori ſatisfacit. Ego, quum Graecos conſulerem, deprehendi eos legiſſe: *Quaſi ſi per fideicommiſſum libertas fuerit ante praeſtita.* Nam illi particulam hanc ὡσπερεὶ habent, ideoque ſuis in libris Latinis *quaſi ſi* reperiſſe videntur: quo omiſſo prius, nunc in locum ſuum repoſito, reſtituitur id, quod Ulpianum ſcripſiſſe non dubito. Quod autem *l. 22. §. ſi negavit 4. D. eod.* dicitur, *An judicium dictare ſine noxae deditione velit*: Graeci planius explicantes, ἐνάγειν εἰς τὸ διαφέρον interpretantur, hoc eſt, *an agere velit in id, quod intereſt.*

XXXIV. In *l. 13. D. fin. regund.* lex Solonis Graeca recitatur, quam in actione finium regundorum obſervari Juriſconſultus ait. *Ea lex* quum multo ſit emendatius atque integrius expoſita in Baſilicorum ecloga noſtra, quam in ullis exemplaribus exſtet: libet integram heic ſubjicere, notatis ad marginem diverſis lectionibus, & iis, quae deſiderantur in editis hactenus libris, per haſce notas [] incluſis.

Ἐάν τις αἱμασιὰν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύγῃ, τὸν ὅρον μὴ † παραβαίνειν. ἐὰν τειχίον * πόδα ἀπολείπειν. ἐὰν δὲ οἴκημα, δύο πόδας. ἐὰν δὲ τάφον, ἢ βόθρον ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος † ᾖ, τοσοῦτον ἀπολείπειν. [ἐὰν φρέαρ, εἰ μὴ τὸ φρέαρ, ὃ προϋπῆρχε τοῦ γείτονος, ἐκ τοῦ ὅσε ἔργου βλάπτεται, ἐπὶ τοσοῦτον, ὅσον τὸ βάθος, ὀφείλει ἀποφυγεῖν. εἰ δέ τις ἐν ἀγρῷ βούλοιτο κτίσαι, τόξου βολὴν ἀπὸ τοῦ ἀγρογείτονος ἀπεχέτω] ..... ὀργυιὰν ἐλαίαν δὲ, καὶ συκῆν, ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου * φυτεύειν. τὰ δὲ ἄλλα δένδρα, πέντε πόδας: hoc eſt; *Si quis ſepem ad alienum praedium fodiens duxerit, terminum ne excedat: ſi murum, pedis intervallum relinquat: ſi villam, pedes duos. Si ſepulchrum aut ſcrobem foderit, quanta profunditas ejus erit, tantumdem ſpatii relinquat: [ſi puteum, modo putee, quem vicinus prior habebat, per idem hoc opus damnum non detur, ad tantumdem ſpatii quanta profunditas fuerit, recedere debet. Sin quis in fundo aedificare velit, a fundo vicini ad arcus uſque jactum abſit] ..... jugerum. oleam & ficum IX. pedes ab alieno ferat, arbores caeteras ad pedes V.* Quod autem in hiſce verbis notavi, quiddam ante vocem ὀργυιὰν deeſſe: id quum exemplar noſtrum non habeat, aliis publici commodi cauſſa perquirendum ex integrioribus libris relinquimus. Perſuaſi quidem ſumus, Juris Civilis ſtudioſos vel ob hanc unam tam inſignem quaſi lacunam complanatam, nobis aliquam gratiam habituros. Quum denique poſtremam huic opuſculo manum adhiberem, & aliquot exemplaria Synopſeos ex illuſtri Bibliotheca Palatina ſeptemvirali, sereniſſimi Principis Palatini Frederici IV. beneficio, cum his conferenda mihi concederentur; inveni, collatis omnibus, integriorem paulo in nonnullis legem Solonis hujuſmodi, cujus ne varias quidem lectiones, in iis repertas codicibus, omittendas duxi.

Ἐάν τις δημοσίαν ὁδὸν ἤτοι † γῦν παρὰ χωρίων ἀλλοτρίων ὀρύσσῃ, τὸν ὁρισμὸν μὴ παραβαινέσθω. ἐὰν * τοῖχον, ἀπολιμπανέτω πόδα ἕνα. ἐὰν οἴκημα, πόδας ἕξ. ἐὰν τάφρον ἢ βόθρον ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος † ᾖ, τοσοῦτον ἀπολιπέσθω. ἐὰν φρέαρ, εἰ μήπω φρέαρ προϋπῆρχε τοῦ γείτονος, καὶ ἐκ τοῦ * νέου ἔργου βλάπτεται, ἐπὶ ὅσον τὸ βάθος, ὀφειλει ἀποφυγεῖν. εἰ δέ τις ἐν ἀγρῷ † βούλοιτο κτίσαι, τόξου βολὴν ἀπὸ τοῦ ἀγρογείτονος ἀπεχέσθω, ἢ ὀργυιάν. ἐλαίαν καὶ συκῆν ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτευέτω· τὰ δὲ ἄλλα δένδρα, πέντε πόδας.

In his autem vitioſa judico illa prima, δημοσίαν ὁδὸν ἤτοι γῦν παρὰ χωρίων ἀλλοτρίων, pro quibus repono partim ex editis Latinis, partim conjectura mea, αἱμασιὰν ἢ φραγμὸν παρὰ χωρίῳ ἀλλοτρίῳ. Et ἢ φραγμὸν e ſcholio videtur irrepſiſſe. Totam vero legem ex his omnibus ita reſtituo:

Ἐάν τις αἱμασιὰν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύττῃ, τὸν ὅρον μὴ παραβαινέτω. ἐὰν τοῖχον, ἀπολιμπανέσθω πόδα ἕνα. ἐὰν οἴκημα, πόδας ἕξ. ἐὰν δὲ * τάφον ἢ βόθρον ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος ᾖ, τοσοῦτον ἀπολιπέτω. ἐὰν φρέαρ, εἰ μήπω φρέαρ προϋπῆρχε τοῦ γείτονος, καὶ ἐκ τοῦ νέου ἔργου βλάπτεται, ἐπὶ ὅσον τὸ βάθος, ὀφείλει ἀποφυγεῖν. εἰ δέ τις ἐν ἀγρῷ βούλοιτο κτίσαι, τόξου βολὴν ἀπὸ τοῦ ἀγρογείτονος ἀπεχέτω, ἢ ὀργυιάν. ἐλαίαν δὲ καὶ συκῆν, ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτευέτω· τὰ δὲ ἄλλα δένδρα πέντε πόδας: hoc eſt; *Si quis ſepem ad alienum praedium fodiens duxerit, terminum ne excedito. Si murum, pedis unius ſpatium relinquito. Si villam pedes ſex. Si * ſepulchrum aut ſcrobem foderit, quanta profunditas ejus erit, tantum ſpatii relinquito. Si puteum modo vicini puteus iſtic antea non erat, eique per novum opus damnum non datur, tantum ad ſpatium, quanta profunditas erit, recedere debet. Sin aedificare quis in fundo velit, ad jactum arcus a fundo vicini abeſto, vel ad jugerum. Oleam & ficum novem pedes ab alieno ferat, arbores alias ad quinque pedes.*

In *l. 2. §. 1. D. famil. erciſc.* dicitur, *Si quarta ad* XXXV *aliquem adrogatum deferatur.* Heic Graeci τὸ τρίτον τῆς οὐσίας vertunt, hoc eſt, *tertiam bonorum partem*, ac ſi reperiſſent ſcriptum, *Si quadrans ad aliquem adrogatum deferatur.* Ego tamen non ignoro quartam deferri tam ex auctoritate *legis hujus*, quam *l. 22. ſup. de adopt. & l. Papinianus 8. §. quis impubes 15. D. de inoffic. teſt.* & aliis pleriſque. *L. 20. §. 1. D. eod.* quum dicitur, *Sed & ſi in rem patris vertit*; Graeci, voce δανεισάμενος adjecta, ſic legunt: *Sed & ſi mutuum in rem patris vertit*: quod explicandi cauſa factum.

Ad *legis 7. §. 1. D. de religioſ. & ſumt. fun.* haec XXXVI verba, *Utilem actionem in factum proconſul dat*; quale ſcholion in ecloga Graeci noſtri adjiciant, examineant eruditi. Nolumus enim nos modum Notatorum excedere. Verba quidem in eo leguntur hujuſmodi: ὑτίλιος ἀγωγὴ, τουτέστι, συναπτὸς ἀγωγὴ ἐντὸς ἐνιαυτοῦ κινουμένη, quorum haec eſt ſententia: *Competit actio utilis, id eſt, actio continua, quae intra annum inſtituitur.* In *ejuſdem tituli l. 14. §. impenſa 4.* legimus, *Idemque & ſi quid ad corpus cuſtodiendum, vel etiam commendandum factum ſit.* Heic alii putant, reponi debere, *condendum* pro *commendandum*, alii *commundandum*. Ego lectionem uſitatam minime mutandam arbitror, praeſertim Graecis me confirmantibus in hac opinione, quorum haec in verſione verba ſunt: καὶ τὰ περὶ τὸ παραθέσθαι αὐτὸ, id eſt, *ad depoſitionem ejus*. Nam commendare, eſt deponere, *l. 186. D. de verb. ſignif.* vide & *l. 40. inf. h. t. Ejuſdem tituli l. 37. in princ.* Aliena mentio vocis eſt *vectigalia*, quum Macer ait: *Et ſi qua vectigalia*

ſunt

ſunt, vel *ſarcophagi*, *& vectura*. Graeci τὰς ἐσθῆτας vertunt, quod indicio eſt, recte notatum in gloſſa, quoſdam libros habere, pro *vectigalia*, vocem *veſtiaria*: quae quidem hoc loco germana eſt.

xxxvii. In *principio legis* 30. *D. de jurejur.* quum dicitur de actione, quae inficiando creſcit; ultimum hoc verbum explicatius Graeci reddunt, διπλασιάζεται, hoc eſt, *duplatur*. Idem occurrit inf. ad *l. 7. D. de ſolut. & liberation. Ejusdem tituli l.* 34. §. 4. leguntur iſta verba: *Hoc jusjurandum de calumnia neque patrono neque parentibus remittitur.* His omnino contraria traduntur a Graecis: ὃν οὐκ ἐπάγει πατὴρ ἢ πάτρων, inquiunt: id eſt, *non praeſtat hoc jusjurandum pater aut patronus.* Itaque rectiſſime legerunt, *atque patrono, atque parentibus remittitur*. Pro qua lectione facit *l.* 16. *D. h. t. & l. 7. D. de obſeq. par. & l. 8. §. jubetur 5. D. qui ſatisdare. & l. 13. §. ſi alieno* 13. *D. de dam. inf.*

xxxviii. In *l.* 41. *D. de pecul.* dicitur, *nec ſervum quidquam debere poſſe, nec ſervo poſſe deberi.* Heic prioribus verbis Graeci κατὰ νόμον inſerunt, ac ſi ſuis in libris legiſſent, *Nec ſervus quidquam debere jure poteſt.* Animadvertunt autem, qui manuſcriptos libros tractarunt, propter ſimilitudinem extremarum litterarum verbi praecedentis cum voce, quae ſequitur, haud eſſe difficile creditu, ab Ulpiano ita ſcriptum fuiſſe. In *lege* vero 2. *D. de in rem ver.* Jabolenus ait; *Qui nummis acceptum ſervum manumiſit, agi cum eo de in rem verſo non poteſt.* Sic in editione Florentina legitur. Alii notant legendum, *Qui nummis acceptis.* Hanc Graeci lectionem approbant, qui vertunt, ὁ λαβὼν νομίσματα. Ibidem pro his verbis, *agi cum eo de in rem verſo non poteſt*; notatur ad marginem eclogae Baſilicorum, etiam legi, τῇ περὶ τοῦ πεκουλίου ἀγωγῇ: hoc eſt; *agi cum eo de peculio non poteſt.* Quod fortaſſe verius ſcholioli loco poſitum fuit.

xxxix. In *l. 52. §. idem reſpondit* 10. *D. pro ſoc.* notat Accurſius pro *cum certis uſuris*, legi etiam *cum centeſimis*. Eam lectionem ſunt qui probent idoneam, ex *l. 4. C. de aedific. privat.* Sed Graeci noſtri ſimpliciter μετὰ τόκων, *cum uſuris*, verterunt. In *fine legis* 9. *D. de contrah. empt.* Harmenopulus *embamma* exponit ὄξος κωνατὸν, *acetum factitium*. Baſilicorum ſynopſis embammatis vel intincti voce retenta, ſubjicit; τυχὸν, ὀμφάκων σταφύλων: id eſt, *puta intinctum ex uvis acerbis.* hoc appoſite dicitur de illo embammate, quod Italis eſt *agreſta*. Caeterum quod contra reliquorum exemplarium auctoritatem Florentinus codex habet in *l. 46. in fin. D. h. t. Niſi ſpecialiter quibusdam hoc conſenſum eſt*: in eo Graeci cum aliis potius libris conſentiunt, qui *conceſſum eſt* habent; quum verbo ἐκπεριμεῖσθαι utantur.

xl. In *l. 9. §. Celſus etiam* 5. *D. locat.* dicitur, *ſi quis vitulos paſcendos, vel ſarciendum quid, poliendumve conduxit, culpam praeſtare debere.* Hoc loco *poliendi* verbum ad agros Contius auctore A. Auguſtino torquet; oblitus verbi *ſarciendi*, quod proxime praeceſſit. Et quis agros ſarcire dixerit? Iidem *legem* 52. *D. pro ſocio*, citant confirmandae ſententiae ſuae cauſſa. Sed Graeci noſtri rectius haec ad κναφεῖς ſive fullones referunt, ſicut & Gloſſarium vetus κνάπτειν interpretatur *polire*, & viciſſim *polienda* reddit Graece λελευκωμένα, κναφευτά. Sic enim lego, non κνάπτεα. Junge *l. 13. §. ſi fullo* 6. *D. h. t.* ubi perinde atque heic etiam, ſarcinator (ἠπητὴν appellant ipſi) cum fullone conjungitur; itemque *l. 25. §. ult. eod.* item *l.* 82. *in princ. D. de furt.* ubi expreſſe dicitur: *Fullo & ſarcinator, qui polienda vel ſarcienda veſtimenta accepit.* In *ejusdem tituli l. 11. §. ult.* legitur, *Deinde ſervus igne illato ſe occidit.* Ita ſcriptum eſt in libro Florentino. Sed rectius alii pro, *ſe occidit*, reſtituunt, *ſuccendit*: quod quidem & a Graecis hoc loco traductum, qui ὑφῆψε ſunt interpretati.

xli. In *l. 15. §. 2. verſ. Servius h. t.* dicitur ex ſententia Servii, *dominum colono vim omnem, cui reſiſti non poſſit, praeſtare debere.* Mox adjiciuntur & exempla: *ut puta fluminum, graculorum, ſturnorum.* Hoc loco Graeci ante vocem *graculorum* aliam inſerunt, quae noſtris a libris abeſt, videlicet *gruum*. Sunt enim haec interpretationis ipſorum verba, ἢ γεράνων, ἢ κολοιῶν, ἢ ψάρων: quaſi legerint, *Utputa fluminum, gruum, graculorum, ſturnorum.* Arbitror autem non ſine librorum, quibus uſi fuerunt, auctoritate hoc eos feciſſe. De vocabulo *rancis*, quod paulo poſt ſequitur, ſupra dictum a nobis eſt, in *runcis* commutandum videri.

Ejusdem tituli lex 25. §. 6. de vi majore in haec xlii. verba diſſerit: *Vis major, quam Graeci* θεοῦ βίαν *appellant, non debet conductori damnoſa eſſe.* Non equidem dubito Graecam vocem corruptam eſſe de multo elegantiori, quam ecloga Baſilicorum nobis conſervavit. Nam pro θεοῦ βίαν in ea legimus θεομηνίαν de qua voce prolixius heic nihil adferam. Facere tamen non poſſum, quin locum ſcriptoris venuſtiſſimi, Zoſimi videlicet Comitis & ex advocato fiſci, de *libro hiſtoriae* 2. proferam, qui locus egregie, quid major vis ſit, quidve θεομηνία, declarabit. Zoſimus autem hic ante paucos annos opera noſtra primum in lucem Latine prodiit, *edendus etiam Graece, qua lingua pure loquitur, ſi me Deus Optim. Max. aliquamdiu adhuc ſuperſtitem eſſe volet. Ejus in *libro* 2. de Manio Valerio Tarentino longa narratio eſt, indicantis inter caetera, Valerium hunc ante domum ſuam habuiſſe lucum ex arboribus maxime proceris: quibus fulmine tactis, & exuſtis, quidnam arbores iſtac vi fulminis abſumptae portenderent, ambiguerit. Quumque morbo liberi ejus corriperentur, commemorat eum haruſpices adiiſſe: qui quum ex ignis delapſi modo conjeciſſent, Deûm hanc iram, ſive vim majorem, ut Cajus noſter & Plinius loquuntur, eſſe: non abs re, caeſis hoſtiis, numen ab eo fuiſſe placatum. Haec poſtrema verba ſic Graece perſcripta ſunt: τὴν δὲ διὰ τοῦ κεραυνοῦ τοῦ πυρὸς πτῶσιν, ὅτι θεῶν ἐστι μῆνις, τεκμηράμενοι, ἐκέλευον δὲ ἱλασθῆναι τὸ θεῖον ἐξιλάσκοντο. Dividit tantum vocem Zoſimus, quae compoſita retinetur ab auctoribus Baſilicorum, uti dubio procul ab eis in vetuſtis Pandectarum exemplaribus inventa fuerat.

* *Deinceps editus anno 1590. inter auctores romanae hiſtoriae Romanae, Francofurti apud Wechelianos.*

In *l. 12. D. Qui potior. in pign.* paragraphus ille, xliii. qui habet initium, *Papinianus*, cum praecedentibus, in Florentino exemplari conjungitur, & ad *l.* 12. refertur. At in libris vulgo editis *haec lex* 13. cenſetur, ab hoc initio, *Si prior creditor*. Cum his Graeci conſentientes, legem hanc peculiarem faciunt, & a praecedenti dividunt. In *ejusdem tituli l. ult. §. ult.* ſcio lectionem hanc defendi ac tolerari poſſe, quae Florentinae cum caeteris editionibus communis eſt: *Negotiatori marmorum creditor ſub pignore lapidum, quorum pretia venditores ex pecunia creditoris acceperant, numeravit.* Sed videtur accommodatius eſſe, germanumque adeo Scaevolae verbum, quod Graecos interpretatos video. Nam pro *numeravit*, reddiderunt illi verbum ἐδάνεισε. de quo colligere licet, eos hoc modo ſcriptum ſuis in libris inveniſſe: *Negotiatori marmorum creditor ſub pignore lapidum, quorum pretia venditores ex pecunia creditoris acceperant, mutuavit.* Utrum tamen ex his verbum retineatur, eadem eſt ſententia; nec ſuper hoc equidem contendere cum quoquam velim. Similis curruptela verbi *mutuandi* reperitur in iis, quae ad finem Latinae *Novellae* 138. in ultima Contii editione ſunt adjecta cum aſteriſco, qui ſcripturae vitium notat. Ea ſunt hujusmodi: *Similis conſtitutioni huic Graeca ſubſequitur, quae jubet is his tantum, quae civitates *muniantur, locum non habere.* Nam pro *muniantur*, omnino reponendum, *mutuantur*.

In *l. 14. §. ſi quis ἀντιάδας* 8. *D. de Aedilit. edict.* xliv. Graeci vocabulum iſtud Graecum, quod Latinis in libris eſt, non retinuerunt; ſed pro eo χοιράδας repoſuerunt: eſt autem hoc ſane aptius huic loco, quam illud alterum. Nam ſtrumas ſignificat, & ſcrophulas,

las, quae vere ſunt inveterati faucium tumores, qui amplius diſcuti nequeunt, ut ipſe Juriſconſultus loquitur.

XLV. In *l.* 40. *D. eod* verba ſunt Aedilium: *Ne quis canem, verrem (vel minorem aprum) lupum*, & caet. In his verbis, quae tamen in omnibus libris exſtant, incluſa notis hiſce ( ) quidam abundare tradunt, argumento *tit. Inſtit. Si quadrupes.* Adverſus hos Graecorum quoque producenda eſt auctoritas, qui utrumque vertunt. Nam verrem κάπρον interpretantur, aprum vero minorem, σύαγρον.

XLVI. Verba ſunt *legis* 48. §. *ult. D. h. t. Simplariarum venditionum cauſſa ne ſit redhibitio, in uſu eſt.* Simplaria venditio redditur a Graecis ἁπλῆ πρᾶσις. Quaenam ea ſit, varie quaeſitum eſt. Budaeus tradit, ſimplarias eſſe, pro quibus venditor neceſſe non habeat emptori de dupla repromittere; quo de agitur in *l.* 37. *D. de evict.* Aliorum aliae ſententiae ſunt. Ne Lectorem diutius ſuſpenſum teneam, in Baſilicis noſtris hoc loco notabile ſcholion adjectum eſt, quo ſignificatur, ſimplarias venditiones eſſe; quae neque laudem, neque vituperium habeant. Sunt enim haec verba: περὶ τῶν μήτε ἔπαινον, μήτε ψόγον ἐχουσῶν πράσεων λέγει. exempli gratia, ſicut homine generaliter legato, nec legatarius optimum ſervum accipere poteſt, nec heres dare peſſimum; *l.* 37. *in princ. D. de legat.* 1. ſic vendito mancipio vel jumento, quod nec optimum eſt, nec peſſimum, redhibitio locum non habebit. Elegans profecto Graecorum haec interpretatio eſt, ſicut Azonis & aliorum ſomnia ridicula; qnum ſimplarias venditiones de rebus incorporeis, item de rebus vilibus, item de vitali alimento carentibus accipiunt.

XLVII. Quum in *fine l.* 58. *h. t.* dicitur, *ſi & alia indicia prioris fugae non deficient, etiam ſervi reſponſo credendum eſſe*: heic *reſponſam* Graeci reddunt ἐμβάσανον τοῦ δούλου ζήτησιν, *quaeſtionem ſervi, quae ſit per tormenta.* Videntur autem hoc petiiſſe de verbis *l.* 7. *D. de probat. & praeſumpt.* ubi pro *reſponſo*, ſervi *quaeſtioni* credendum eſſe dicitur, & Graeci verbis eiſdem hoc interpretantur, τῇ ἐμβασάνῳ αὐτοῦ ζητήσει. In *lege* vero *ult.* §. *ult. h. t.* quum dicitur, *quicumque noviciorum ex venalicio ſit emptus, ſi alicui miniſterio praeponatur, veteranum fieri: venalicium* noſtri Gloſſatores interpretantur locum, ubi novicia mancipia vendantur. Idem faciunt & lexicorum Juris auctores plerique. Graeci rectius παρὰ σωματεμπόρου vertunt. Unde ſatis intelligitur, venalicium & venaliciarium eundem eſſe, videlicet mangonem. Suetonius *de clar. Rhet. cap.* 1. *Venalicii quum Brundiſii gregem venalium navi educerent.*

XLVIII. In *l.* 11. *D. de evict.* haec verba ſunt: *Paulus reſpondit, futuros caſus evictionis poſt contractam emptionem ad venditorem non pertinere.* Tolerabilis haec lectio eſt: ſed aliam Graeci ſequuti ſunt. Nam τυχηρὰς αἰτίας interpretantur; ideoque pro *futuros*, legunt *fortuitos caſus.* Sic ab eis τὰ τυχηρὰ dicuntur fatales caſus & damna; quum *legem* 2. *D. de pericul. & comm. rei vendit.* interpretantur. Item *libro* Baſilicorum 58. *tit.* 12. ὁ μὴ τυχηρὸς, vertunt, ubi Juriſconſultus in *l.* 8. *C. de oper. publ.* dixerat, *Exceptis caſibus fortuitis.*

XLIX. In *l.* 69. §. 5. *D. eod.* hiſce verbis, *Si quis in venditione ſtatuliberum perfuſorie dixerit*; Budaeus pro *perfuſorie*, bis reponit *perfunctorie*: Gloſſatores vero vocem ipſam retinentes, ſic exponunt, ut dicere *perfuſorie*, ſit dicere, *ambigue.* Graeci reddiderunt ἁπλῶς, ſimpliciter. In *ſequenti* autem *lege* quod dicitur, *Ergo & ſi minor eſſe coepit, damnum emptoris erit*: gloſſae ſic exponunt, *Si minor eſſe coepit, ſcilicet rei aeſtimatio.* Recte id quidem, quod ad ſenſum! ſed quemvis arbitror videre, quam a Pauli ſit alienum elegantia, dicere; *Si res minor eſſe coepit*: quum de aeſtimatione loqui vellet. Ergo cum Graecis, qui reddiderunt, ἐὰν ἥσσων γένηται, reponamus; *Si minoris eſſe coepit.* Et pertinet hoc ad id emendandi genus, quum praecedentium vocum ultimae litterae ſimilitudinem cum initiis ſequentium quamdam habent.

In *l.* 3. *D. de uſur.* quod *legitimum tempus* Papinia- L.
nus vocavit, Graeci de ſuo quaſi declarantes, τετράμηνον definiunt, id eſt, *quadrimeſtre ſpatium.* Conſimile quiddam & ſupra notavimus. Sic & in *l.* 4. *D. de teſtib.* quum Paulus ait, lege Julia caveri, ne invito denuncietur, ut *teſtimonium litis* dicat adverſus ſocerum, generum, & alios quoſdam: Graeci plenius vertunt, *Ut teſtimonium litis criminalis* dicat adverſus ſocerum & caeteros. Haec enim ipſorum verba ſunt ἐπὶ ἐγκληματικοῦ δικαστηρίου; atque hanc ego ſententiam veram eſſe puto, tametſi a gloſſarum auctoribus improbetur. Ibidem *l.* 16. haec ultima verba, *A judicibus competenter puniuntur*, ita vertunt, ac ſi ſcriptum reperiſſent, *A judicibus competentibus puniuntur*, ὑπὸ τῶν προσφόρων ἀρχόντων τιμωροῦνται: nam alioqui vertere debuerant, ὑπὸ τῶν ἀρχόντων προσφόρως τιμωροῦνται.

In *l.* 12. §. 1. 2. *D. de rit. nupt.* dicitur: *Inter me*, LI.
& ſponſam patris mei nuptiae contrahi non poſſunt; quamquam noverca mea non proprie dicatur. Sed & per contrarium, ſponſa mea patri meo nubere non poterit, quamvis nurus non proprie dicatur. Haec verba Graeci tam heic in Baſilicis, quam in *Inſtitut.* §. *ſi uxor* 9. *tit. de nupt.* ita mutarunt, Leone puto & Conſtantino AA. auctoribus: ut apud eos ubique legatur, *Patris vel fratris mei ſponſam ducere non poſſum, quamvis nuptiae eorum factae non ſint. Nam illa mihi eſt vice novercae, haec fratriae.* Atque hoc adeo conſtanter retinuerunt, ut ea verba ſic immutata, quum alibi reperiantur hinc citata, tum etiam in utroque decreto ſynodali Joannis Xiphilini, quae *libro* 3. *Juris Canonici Graecorum*, in epitomen redacti, quod propemodum edetur, poſuimus.

Matthaeus Monachus, cujus tractatum *de quae*- LII.
ſtionibus Matrimonialibus libro Juris Canonici Graecorum octavo poſuimus, poſt haec verba *l.* 62. §. *Mulier* 1. *D. h. t. Mulier liberto viri ac patroni ſui mala ratione conjungitur*; ſubjicit, μετὰ τὸν ἐκείνου θάνατον. *poſt ipſius patroni mortem.* Et rationem hanc addit: δίδωσι γὰρ ὑπόνοιαν, ὅτι καὶ ζῶντος ἐκείνου ταύτην μοιχεύων ἦν; hoc eſt; *Praebet enim ſuſpicionem quod etiam adhuc ſuperſtite patrono eam per adulterium cognoverit.* Ibidem §. *ſeq.* quum dicitur, *non poſſe tutorem puellam* (alii *pupillam* ex *l.* 66. *h. t.* legunt) *ſuam ante conſtitutum tempus aetatis ejus uxorem ducere*; tempus hoc conſtitutum Graeci etiam in textu, ſpatio κε. ἐτῶν, hoc eſt, annorum 25. definiunt.

Idem Matthaeus Monachus haec verba *l.* 66. *h. t.* LIII.
Non eſt matrimonium ſi tutor vel curator pupillam ſuam intra viceſimum & ſextum annum, non deſponſam a patre, nec teſtamento deſtinatam, ducat uxorem, aliter interpretatur, mutato ſcilicet annorum 26. numero. Pro iis enim poſuit, ἐντὸς τοῦ τριακοστοῦ χρόνου, *intra annum triceſimum*: quod fortaſſis haec ita de Principum poſteriorum conſtitutionibus etiam in Baſilicis mutata fuerint. Nec eo contentus, etiam hanc declarationem adjecit: εἰκοσιπέντε γὰρ χρόνοι τῆς ἐφηλικιώσεως, καὶ τέσσαρες τῆς ἀποκαταστάσεως, καὶ τῇ ἀρχῇ τοῦ τριακοστοῦ χρόνου αὐτίκα ἡ ἐνοχὴ τοῦ ἐπιτρόπου λύεται. Quibus verbis ſignificare vult, *annos XXV. computari ad implendam aetatem adultam, & annos eſſe quatuor reſtitutionis in integrum; ita ut initio anni triceſimi ſtatim obligatio tutoris aut curatoris perimatur.* Quae ſane de Baſilicorum jure petita fuiſſe, non eſt quod dubitemus.

Ejus, quod ante diximus, Graecos ad *l.* 14. *D.* LIV.
de Aedilit. edict. pro ἀντιάδας aliud Graecum vocabulum χοιράδας in Baſilicorum libros retuliſſe; nunc ſimile prorſus exemplum hoc loco proferemus. In *l.* 9. §. 3. *D. de jure dot.* Graeca vox eſt παράφερνα, quam Baſilicorum auctoribus in Graeca tranſlatione

Digitized by Google

retinere non libuit. Nam ejus loco poſuerunt ἐξώ-προικα, quaſi dicas *extradotalia*: voce Juſtinianeis, & ſequentibus temporibus uſitatiore, qua Juſtinianus ipſe in *l. 29. C. de jure dot.* intelligi tradit res extra dotem conſtitutas.

LV. In *l. 4. D. de fund. dot.* ubi mentio fit praedii dotalis, Graeci ad haec verba, *De dotali praedio*, adjiciunt, *inaeſtimato.* Recte! quamquam in contextum hoc recipi debere, vix putem. Iidem, *l. 1. D. de divort. & repud.* (quum matrimonium dicitur dirimi divortio, morte, captivitate, vel alia contingente ſervitute utrius eorum) haec verba ſubjiciunt, εἰ μὴ ἐπὶ τοῦ περιορισμοῦ, id eſt, *non etiam deportatione.* Rurſus in *l. 12. D. de impenſ. in res dotal. fact.* (quum Paulus ait, *non debere arbitrum curare modicas impenſas*) Graeci ἀναγκαίας adjiciunt, hoc eſt, *neceſſarias.* Sic quum in *l. 5. §. non tantum 12. D. de agnoſc. & alend. lib.* dicitur, a judice cogi patrem, ut non tantum alimenta, verum etiam caetera quoque onera praebeat: poſt vocem *onera*, Graeci adjiciunt, ἐσθῆτα καὶ οἴκησιν, *veſtem & habitationem*, prorſus ut in veteribus gloſſis eſt. Haec omnia non abs re pro ſcholiis habebimus.

LVI. Poſt ultima verba in reſcripto Marci Aug. quod *d. l. 5. §. ſi mater 14. D. de agnoſc. & alend. lib.* legitur, videlicet haec, *Etiamſi a patre ſuo educeretur*; Graeci ſubjiciunt, ὅτε μηδεμιᾶς βλάβης ἐπιούσης τῇ γυναικὶ ἀπὸ τοῦ διαζυγίου: hoc eſt; *quaſi nullum detrimentum ad mulierem perveniret ex divortio.* Quae verba ſignificant, Antoniam Montanam a marito divertiſſe, proque filia, quam facto divortio aluerat, a patre aliquid, alimentorum nomine, petiiſſe. Reſpondet autem Imperator, has impenſas a judicibus aeſtimandas: ac tametſi ab ipſo patre fuiſſet educata filia, matrem tamen cogi ad ea praeſtanda, quae maternus affectus exigat. Nam alioqui res eam ſpeciem haberet, ac ſi nullum onus alendis communibus liberis ad matrem facto divortio perveniret.

LVII. Recte doctiſſimus Cujacius noſter, quod in *l. 8. D. de tutel.* ſcribitur; *In fraudem debitorum*, ita mutandum docuit, ut pro voce *debitorum*, reponatur vox *creditorum.* Sic enim Graeci quoque legerunt, qui δανειστῶν vertunt. *Lege 17. in princip. D. de teſtam. tutel.* in his verbis, *Praetor etiam caeteris obtulit hanc conditionem*; Graeci pro *conditionem*, legiſſe videntur *optionem.* quippe vertunt ἐπιλογήν. Ne quidem in *l. 2. D. Qui pet. tut. vel. curat.* Graecis noſtris Graecam Modeſtini vocem κολάζοντας ἐπιστρεφῶς, hoc eſt, *ſevere*, ſua in translatione retinere lubuit: nam pro ea σφοδρῶς poſuerunt, quod eſt *vehementer.* Hoc jam tertium mutationis hujuſmodi exemplum eſto. In *lege* vero *5. §. Julianus 7. D. de admin. & peric. tutor.* omnino Graeca vox *aneclogiſtes*, uti ſcripta reperitur in libro Florentino, corrupta eſt. Nam in Baſilicis Graeci vocabulum verius habent, nimirum ἀλογοθετήτους, id eſt, *immunes a rationibus reddendis.* Sunt qui *alogiſtas* legant, quod ipſum quoque vitioſum eſt.

LVIII. In *l. 7. §. Si deponi 7. D. eod.* quum Juriſconſultus ait, praeſtandas uſuras pupillares, Graeci hoc declarantes, adjiciunt; τουτέστι τοὺς τόκους ἀπὸ τρίτης ἑκατοστῆς, hoc eſt, *trientes.* Ibidem *l. 43. §. Qui quum eſſet 1.* in his verbis; *Curator quum officium ſuum egreſſus, ſponte ſe obligaverit.* Itidem Graeci vocem *ſponte* dilucidius explicantes, πρωτοτύπως reddunt, hoc eſt, *principaliter*, ſive nomine ſuo, tanquam debitor principalis, ut vulgo loquimur.

LIX. In *principio legis 57. D. h. t.* leguntur in Pandectis Florentinis haec verba: *Quum tutores idem circa priores debitores propter eumdem caſum* (ſcilicet incendii, quo exuſta erant chirographa) *feciſſent, id omiſiſſent circa debitores pupillorum.* Quibus in verbis aliquibus eſt ſuſpecta vox *priores*, pro qua creditores *proprios* reponunt: eamque lectionem alioqui rectam videri, Contius exiſtimat, ſi de manuſcriptis probari poſſet. Ego, Graecorum auctoritate fretus, *priores* debitores ſcribendum ajo. Quamquam enim hanc ipſam vocem non retinent, tamen quum debitores πατρῴους ſive paternos dicunt; omnino lectionem hanc confirmant. * Intelligunt enim debitores paternos, reſpectu eorum, qui pupillis debebant. Quo fit, ut recte priores debitores dicantur, qui patri debuerant; ſicut & poſteriores, qui pupillis.

In *l. 6. in princ. D. qui teſtament. fac. poſſ.* dicitur, LX.
quamvis pater filio, qui ejus eſt in poteſtate, permittat, ut teſtamentum faciat; nihilo tamen magis illum jure teſtari poſſe. Hoc loco Graeci adjiciunt, eum teſtari non poſſe ἐν τοῖς παγανικοῖς, ut a caſtrenſi peculio haec ſeparent. Ibidem *l. 8. §. 5.* quum dicitur, bona illius, cui aqua & igni eſt interdictum, quae tunc habuit, quum damnaretur, publicari: habet exemplum Lector illius, quod ante monuimus, nimirum Graecis eſſe familiare, ut priora de poſterioribus Principum conſtitutionibus in ipſo textu corrigant. Quippe quum hic locus per *Novellam 134. §. at autem.* correctus ſit. Graeci ſimpliciter heic eam emendationem textui verbis hiſce inſerunt: δίδοται κατιοῦσιν ἢ ἀνιοῦσιν, ἢ δημεύεται: hoc eſt; *dantur ejus bona deſcendentibus ſive liberis, aut adſcendentibus ſive parentibus, vel publicantur. Eodem loco §. 4.* dicitur, *eos, qui ad ferrum* (hoc eſt, ad gladium, ut Graeci ξίφος interpretantur) *aut ad beſtias, aut in metallum damnantur, libertatem perdere.* Heic facere non poſſum, quin Graecorum oſcitantiam in vertenda voce *libertatis* indicem. Nam quum dicere Juriſconſultus velit, his maximam capitis deminutionem accidere, quum ſimul & civitatem, & libertatem amittant, ac ſervi poenae efficiantur: non παῤῥησίαν interpretari *libertatem* debebant, ſed ἐλευθερίαν. Verum ita comparatum eſt in rebus humanis, ut nihil in terris abſolutum ſit omnibus, quod ajunt, numeris.

In *l. 23. D. h. t.* ſeptem teſtium fit mentio. Baſilicorum auctores vertunt ἑπτὰ ἢ πέντε, *ſeptem aut quinque.* Pertinet hoc ad illud, quod a me dictum eſt, ſolere Graecos jus prius per poſterius in ipſo quoque Pandectarum textu corrigere. Nam in *l. 21. §. ult. C. de teſtib.* Impp. Theodoſius & Valentinianus quinque teſtium mentionem faciunt. In *lege* vero *7. D. de liber. & poſtum.* ita legiſſe videntur Graeci, atque ſi ſcriptum in eorum libris fuerit; *Etſi vivo patre decedat.* Non enim particulam καὶ ſed κἂν poſuerunt. LXI.

Quod in *l. 48. §. interdum 2. D. de hered. inſt.* his LXII.
verbis legitur: *Servum adulterii accuſatum*, &c. id aliis in libris Accurſius ita ſcriptum reperiri tradit, ut pro *accuſatum*, reponatur *maculatum.* pro qua lectione citat & legum quaedam teſtimonia. Verum ſi Graecis fidem habere volumus, vocem *accuſatum* retinebimus; quum ii κατηγορούμενον verterint. At in *l. 59. §. quum quis 3. D. eod.* ſunt, qui negationem in his verbis tollendam exiſtiment, *Quum quis ex inſtitutis, qui non cum aliquo conjunctim inſtitutus ſit*, & caet. Sed ea retinetur etiam a Graecis, qui ſic interpretantur, εἰ μή τις ἦν συνημμένος; & additur, τότε γὰρ τῷ συνημμένῳ προσαύξει: quae verba cum iis conveniunt, quae heic in gloſſa traduntur. *Ejuſdem tituli l. 71.* quidam volunt in his verbis, *Ex ea parte Maevius heres eſto*, voculam *parte* ſupervacaneam eſſe. Horum opinionem Graeci confirmant, qui ἐκ τούτου verterunt, nec adjecerunt μέρους.

In *l. 41. §. Ex his verbis 1. D. de vulg. & pupill.* LXIII.
ſubſtit. quum dicitur, portionem non adeuntis deferri ſcriptis heredibus: Accurſius, *non adeuntis*, interpretatur *repudiantis*; Graeci vero, τοῦ ἀποστάντος, hoc eſt, *deficientis*: quod ſane latius eſt, quam illud alterum. In *l. 34. §. 2. D. de teſtament. milit.* ad haec verba, *Nec tamen circa militem*, adjiciunt Graeci, ἔτι στρατευόμενον; prorſus ut Gloſſatores noſtri, *circa eum, qui adhuc militat.* Saepenumero reperiuntur apud Graecos hujuſmodi gloſſae, a noſtris ad verbum expreſ-

tas; quae vere ſunt inveterati faucium tumores, qui amplius diſcuti nequeunt, ut ipſe Juriſconſultus loquitur.

XLV. In *l.* 40. *D. eod.* verba ſunt Aedilium: *Ne quis canem, verrem (vel minorem aprum) lupum,* & caet. In his verbis, quae tamen in omnibus libris exſtant, incluſa notis hiſce ( ) quidam abundare tradunt, argumento *tit. Inſtit. Si quadrupes.* Adverſus hos Graecorum quoque producenda eſt auctoritas, qui utrumque vertunt. Nam verrem κάπρον interpretantur, aprum vero minorem, ὀνάγρον.

XLVI. Verba ſunt *legis* 48. §. *ult. D. h. t. Simplariarum venditionum cauſſa ne ſit redhibitio, in uſu eſt.* Simplaria venditio redditur a Graecis ἁπλῆ πρᾶσις. Quaenam ea ſit, varie quaeſitum eſt. Budaeus tradit, ſimplarias eſſe, pro quibus venditor neceſſe non habeat emptori de dupla repromittere; quo de agitur in *l.* 37. *D. de evict.* Aliorum aliae ſententiae ſunt. Ne Lectorem diutius ſuſpenſum teneam, in Baſilicis noſtris hoc loco notabile ſcholion adjectum eſt, quo ſignificatur, ſimplarias venditiones eſſe; quae neque laudem, neque vituperium habeant. Sunt enim haec verba: περὶ τῶν μήτε ἔπαινον, μήτε ψόγον ἐχόντων πράσεων λέγει. exempli gratia; ſicut homine generaliter legato, nec legatarius optimum ſervum accipere poteſt, nec heres dare peſſimum; *l.* 37. *in princ. D. de legat.* 1. ſic vendito mancipio vel jumento, quod nec optimum eſt, nec peſſimum, redhibitio locum non habebit. Elegans profecto Graecorum haec interpretatio eſt, ſicut Azonis & aliorum ſomnia ridicula; quum ſimplarias venditiones de rebus incorporeis, item de rebus vilibus, item de vitali alimento carentibus accipiunt.

XLVII. Quum in *fine l.* 58. *h. t.* dicitur, *ſi & alia indicia prioris fugae non deficiunt, etiam ſervi reſponſo credendum eſſe*: heic *reſponſum* Graeci reddunt ἐμβάσανον τοῦ δούλου ζήτησιν, *quaeſtionem ſervi, quae ſit per tormenta.* Videntur autem hoc petiiſſe de verbis *l.* 7. *D. de probat. & praeſumpt.* ubi pro *reſponſo*, ſervi *quaeſtioni* credendum eſſe dicitur, & Graeci verbis eisdem hoc interpretantur, τῇ ἐμβασάνῳ αὐτοῦ ζητήσει. In *lege* vero *ult.* §. *ult. h. t.* quum dicitur, *quicumque noviciorum ex venalicio ſit emptus, ſi alicui miniſterio praeponatur, veteranum fieri*: *venalicium* noſtri Gloſſatores interpretantur locum, ubi novicia mancipia vendantur. Idem faciunt & lexicorum Juris auctores plerique. Graeci rectius παρὰ σωματεμπόροις vertunt. Unde ſatis intelligitur, venalicium & venaliciarium eumdem eſſe, videlicet mangonem. Suetonius *de clar. Rhet. cap.* 1. *Venalicii quum Brundiſii gregem venalium navi educerent.*

XLVIII. In *l.* 11. *D. de evict.* haec verba ſunt: *Paulus reſpondit, futuros caſus evictionis poſt contractam emptionem ad venditorem non pertinere.* Tolerabilis haec lectio eſt: ſed aliam Graeci ſequuti ſunt. Nam τυχηρὰς κινήσεις interpretantur; ideoque pro *futuros*, legunt *fortuitos caſus.* Sic ab eis τὰ τυχηρὰ dicuntur fatales caſus & damna; quum *legem* 2. *D. de pericul. & comm. rei vendit.* interpretantur. Item *libro* Baſilicorum 58. *tit.* 12. εἰ μὴ τυχηρὰ, vertunt, ubi Juriſconſultus in *l.* 8. *C. de oper. publ.* dixerat, *Exceptis caſibus fortuitis.*

XLIX. In *l.* 69. §. 5. *D. eod.* hiſce verbis, *Si quis in venditione ſtatuliberum perfuſorie dixerit*; Budaeus pro *perfuſorie*, bis reponit *perfunctorie*: Gloſſatores vero vocem ipſam retinentes, ſic exponunt, ut dicere *perfuſorie*, ſit dicere, *ambigue.* Graeci reddiderunt ἁπλῶς, ſimpliciter. In *ſequenti* autem *lege* quod dicitur, *Ergo & ſi minor eſſe coepit, damnum emptoris erit*: gloſſae ſic exponunt, *Si minor eſſe coepit, ſcilicet rei aeſtimatio.* Recte id quidem, quod ad ſenſum! ſed quemvis arbitror videre, quam a Pauli ſit alienum elegantia, dicere; *Si res minor eſſe coepit*: quum de aeſtimatione loqui vellet. Ergo cum Graecis, qui reddiderunt, ἐὰν ἥττων γίγνηται, reponamus; *Si minoris eſſe coepit.* Et pertinet hoc ad id emendandi genus, quum praecedentium vocum ultimae litterae ſimilitudinem cum initiis ſequentium quamdam habent.

L. In *l.* 3. *D. de uſur.* quod *legitimum tempus* Papinianus vocavit, Graeci de ſuo quaſi declarantes, τετράμηνον definiunt, id eſt, *quadrimeſtre ſpatium.* Conſimile quiddam & ſupra notavimus. Sic & in *l.* 4. *D. de teſtib.* quum Paulus ait, lege Julia caveri, ne invito denuncietur, ut *teſtimonium litis* dicat adverſus ſocerum, generum, & alios quoſdam: Graeci plenius vertunt, *Ut teſtimonium litis criminalis* dicat adverſus ſocerum & caeteros. Haec enim ipſorum verba ſunt ἐπὶ ἐγκληματικῇ δικαστηρίῳ; atque hanc ego ſententiam veram eſſe puto, tametſi a gloſſarum auctoribus improbetur. Ibidem *l.* 16. haec ultima verba, *A judicibus competenter puniuntur*, ita vertunt, ac ſi ſcriptum reperiſſent, *A judicibus competentibus puniuntur*, ὑπὸ τῶν προσφόρων ἀρχόντων τιμωροῦνται: nam alioqui vertere debuerant, ὑπὸ τῶν ἀρχόντων προσφόρως τιμωροῦνται.

In *l.* 12. §. 1. 2. *D. de rit. nupt.* dicitur: *Inter me & ſponſam patris mei nuptiae contrahi non poſſunt; quamquam noverca mea non proprie dicatur. Sed & per contrarium, ſponſa mea patri meo nubere non poterit, quamvis nurus non proprie dicatur.* Haec verba Graeci tam heic in Baſilicis, quam in *Inſtitut.* §. *ſi uxor* 9. *tit. de nupt.* ita mutarunt, Leone puto & Conſtantino AA. auctoribus: ut apud eos ubique legatur, *Patris vel fratris mei ſponſam ducere non poſſum, quamvis uxores eorum factae non ſint. Nam illa mihi eſt vice novercae, haec fratriae.* Atque hoc adeo conſtanter retinuerunt, ut ea verba ſic immutata, quum alibi reperiantur hinc citata, tum etiam in utroque decreto ſynodali Joannis Xiphilini, quae *libro* 3. *Juris Canonici Graecorum*, in epitomen redacti, quod propemodum edetur, poſuimus.

LI. Matthaeus Monachus, cujus tractatum *de quaeſtionibus Matrimonialibus libro Juris Canonici Graecorum octavo* poſuimus, poſt haec verba *l.* 62. §. *Mulier* 1. *D. h. t. Mulier liberto viri ac patroni ſui mala ratione conjungitur*; ſubjicit, μετὰ τὸν ἐκείνου θάνατον. *poſt ipſius patroni mortem.* Et rationem hanc addit: δίδωσι γὰρ ὑπόνοιαν, ὅτι καὶ ζῶντος ἐκείνου ταύτην μοιχεύων ἦν: hoc eſt; *Praebet enim ſuſpicionem quod etiam adhuc ſuperſtite patrono eam per adulterium cognoverit.* Ibidem §. *ſeq.* quum dicitur, *non poſſe tutorem puellam* (alii *pupillam* ex *l.* 66. *h. t.* legunt) *ſuam ante conſtitutum tempus aetatis ejus uxorem ducere*; tempus hoc conſtitutum Graeci etiam in textu, ſpatio κε΄. ἐτῶν, hoc eſt, annorum 25. definiunt.

LII. Idem Matthaeus Monachus haec verba *l.* 66. *h. t.* *Non eſt matrimonium ſi tutor vel curator pupillam ſuam intra viceſimum & ſextum annum, non deſponſam a patre, nec teſtamento deſtinatam, ducat uxorem*, aliter interpretatur, mutato ſcilicet annorum 26. numero. Pro iis enim poſuit, ἐντὸς τοῦ τριακοστοῦ χρόνου, *intra annum triceſimum*: quod fortaſſis haec ita de Principum poſteriorum conſtitutionibus etiam in Baſilicis mutata fuerint. Nec eo contentus, etiam hanc declarationem adjecit: εἰκοσιπέντε γὰρ χρόνοι τῆς ἐνηλικιώσεως, καὶ τέσσαρες τῆς ἀποκαταστάσεως, καὶ τῇ ἀρχῇ τοῦ τριακοστοῦ χρόνου αὐτίκα ἡ ἐνοχὴ τῆς ἐπιτροπῆς λύεται. Quibus verbis ſignificare vult, *annos XXV. computari ad implendam aetatem adultam, & annos eſſe quatuor reſtitutionis in integrum; ita ut initio anni triceſimi ſtatim obligatio tutoris aut curatoris perimatur.* Quae ſane de Baſilicorum jure petita fuiſſe, non eſt quod dubitemus.

LIII. Ejus, quod ante diximus, Graecos ad *l.* 14. *D. de Aedilit. edict.* pro ἀντιάδας aliud Graecum vocabulum χοιράδας in Baſilicorum libros retuliſſe; nunc ſimile prorſus exemplum hoc loco proferemus. In *l.* 9. §. 3. *D. de jure dot.* Graeca vox eſt παράφερνα, quam Baſilicorum auctoribus in Graeca translatione

roti-

retinere non libuit. Nam ejus loco poſuerunt ἐξώπροικα, quaſi dicas *extradotalia:* voce Juſtinianeis, & ſequentibus temporibus uſitatiore, qua Juſtinianus ipſe in *l. 29. C. de jure dot.* intelligi tradit res extra dotem conſtitutas.

LV. In *l. 4. D. de fund. dot.* ubi mentio fit praedii dotalis, Graeci ad haec verba, *De dotali praedio*, adjiciunt, *inaeſtimato.* Recte! quamquam in contextum hoc recipi debere, vix putem. Iidem, *l. 1. D. de divort. & repud.* (quum matrimonium dicitur dirimi divortio, morte, captivitate, vel alia contingente ſervitute utrius eorum) haec verba ſubjiciunt, οὐ μὴν ἐπὶ τῷ περιορισμῷ, id eſt, *non etiam deportatione.* Rurſus in *l. 12. D. de impenſ. in res dotal. fact.* (quum Paulus ait, *non debere arbitrum curare modicas impenſas*) Graeci ἀναγκαίας adjiciunt, hoc eſt, *neceſſarias.* Sic quum in *l. 5. §. non tantum 12. D. de agnoſc. & alend. lib.* dicitur, a judice cogi patrem, ut non tantum alimenta, verum etiam caetera quoque onera praebeat: poſt vocem *onera*, Graeci adjiciunt, ἐσθῆτα καὶ οἴκησιν, *veſtem & habitationem*, prorſus ut in veteribus gloſſis eſt. Haec omnia non abs re pro ſcholiis habebimus.

LVI. Poſt ultima verba in reſcripto Marci Aug. quod *d. l. 5. §. ſi mater 14. D. de agnoſc. & alend. lib.* legitur, videlicet haec, *Etiamſi a patre ſuo educeretur*; Graeci ſubjiciunt, ἅτε μηδεμιᾶς βλάβης ἐπιούσης τῇ γυναικὶ ἀπὸ τοῦ διαζυγίου: hoc eſt; *quaſi nullum detrimentum ad mulierem perveniret ex divortio.* Quae verba ſignificant, Antoniam Montanam a marito divertiſſe, proque filia, quam facto divortio aluerat, a patre aliquid, alimentorum nomine, petiiſſe. Reſpondet autem Imperator, has impenſas a judicibus aeſtimandas: ac tametſi ab ipſo patre fuiſſet educata filia, matrem tamen cogi ad ea praeſtanda, quae maternus affectus exigat. Nam alioqui res eam ſpeciem haberet, ac ſi nullum onus alendis communibus liberis ad matrem facto divortio perveniret.

LVII. Recte doctiſſimus Cujacius noſter, quod in *l. 8. D. de tutel.* ſcribitur; *In fraudem debitorum*, ita mutandum docuit, ut pro voce *debitorum*, reponatur vox *creditorum.* Sic enim Graeci quoque legerunt, qui δανειστῶν vertunt. *Lege 17. in princip. D. de teſtam. tutel.* in his verbis, *Praetor etiam caeteris obtulit hanc conditionem*; Graeci pro *conditionem*, legiſſe videntur *optionem.* quippe vertunt ἐπιλογήν. Ne quidem in *l. 2. D. Qui pet. tut. vel. curat.* Graecis noſtris Graecam Modeſtini vocem κολάζονται ἐπιστρεφῶς, hoc eſt, *ſevere*, ſua in translatione retinere lubuit: nam pro ea σφοδρῶς poſuerunt, quod eſt *vehementer.* Hoc jam tertium mutationis hujusmodi exemplum eſto. In *lege* vero *5. §. Julianus 7. D. de admin. & peric. tutor.* omnino Graeca vox *aneclogiſtos*, uti ſcripta reperitur in libro Florentino, corrupta eſt. Nam in Baſilicis Graeci vocabulum verius habent, nimirum ἀλογοθετήτους, id eſt, *immunes a rationibus reddendis.* Sunt qui *alogiſtas* legant, quod ipſum quoque vitioſum eſt.

LVIII. In *l. 7. §. Si deponi 7. D. eod.* quum Juriſconſultus ait, praeſtandas uſuras pupillares, Graeci hoc declarantes, adjiciunt; τουτέστι τὰς τόκους ἀπὸ τρίτης ἑκατοστῆς, hoc eſt, *trientes.* Ibidem *l. 43. §. Qui quum eſſet 1.* in his verbis; *Curator quum officium ſuum egreſſus, ſponte ſe obligaverit.* Iidem Graeci vocem *ſponte* dilucidius explicantes, πρωτοτύπως reddunt, hoc eſt, *principaliter*, ſive nomine ſuo, tanquam debitor principalis, ut vulgo loquimur.

LIX. In *principio legis 57. D. h. t.* leguntur in Pandectis Florentinis haec verba: *Quum tutores idem circa priores debitores propter eundem caſum* (ſcilicet incendii, quo exuſta erant chirographa) *feciſſent, id omiſiſſent circa debitores pupillorum.* Quibus in verbis aliquibus eſt ſuſpecta vox *priores*, pro qua crediturus *proprios* reponunt: eamque lectionem alioqui rectam videri, Contius exiſtimat, ſi de manuſcriptis probari poſſet. Ego, Graecorum auctoritate fretus, *priores* debitores ſcribendum ajo. Quamquam enim hanc ipſam vocem non retinent, tamen quum debitores πατρῴους ſive paternos dicunt; omnino lectionem hanc confirmant. * Intelligunt enim debitores paternos, reſpectu eorum, qui pupillis debebant. Quo fit, ut recte priores debitores dicantur, qui patri debuerant; ſicut & poſteriores, qui pupillis.

In *l. 6. in princ. D. qui teſtament. fac. poſſ.* dicitur, LX.
quamvis pater filio, qui ejus eſt in poteſtate, permittat, ut teſtamentum faciat; nihilo tamen magis illum jure teſtari poſſe. Hoc loco Graeci adjiciunt, eum teſtari non poſſe ἐν τοῖς παγανικοῖς, ut a caſtrenſi peculio haec ſeparent. Ibidem *l. 8. §. 1.* quum dicitur, bona illius, cui aqua & igni eſt interdictum, quae tunc habuit, quum damnaretur, publicari: habet exemplum Lector illius, quod ante monuimus, nimirum Graecis eſſe familiare, ut priora de poſterioribus Principum conſtitutionibus in ipſo textu corrigant. Quippe quum hic locus per *Novellam 134. §. ut autem.* correctus ſit. Graeci ſimpliciter heic eam emendationem textui verbis hiſce inſerunt: δίδονται κατιοῦσιν ἢ ἀνιοῦσιν, ἢ δημεύονται: hoc eſt; *dantur ejus bona deſcendentibus ſive liberis, aut adſcendentibus ſive parentibus, vel publicantur. Eodem loco* §. 4. dicitur, *eos, qui ad ferrum* (hoc eſt, ad gladium, ut Graeci ξίφος interpretantur) *aut ad beſtias, aut in metallum damnantur, libertatem perdere.* Heic facere non poſſum, quin Graecorum oſcitantiam in vertenda voce *libertatis* indicem. Nam quum dicere Juriſconſultus velit, his maximam capitis deminutionem accidere, quum ſimul & civitatem, & libertatem amittant, ac ſervi poenae efficiantur: non πολιτείαν interpretari *libertatem* debebant, ſed ἐλευθερίαν. Verum ita comparatum eſt in rebus humanis, ut nihil in terris abſolutum ſit omnibus, quod ajunt, numeris.

In *l. 23. D. h. t.* ſeptem teſtium fit mentio. Ba- LXI.
ſilicorum auctores vertunt ἑπτὰ ἢ πέντε, *ſeptem aut quinque.* Pertinet hoc ad illud, quod a me dictum eſt, ſolere Graecos jus prius per poſterius in ipſo quoque Pandectarum textu corrigere. Nam in *l. 21. §. ult. C. de teſtib.* Impp. Theodoſius & Valentinianus quinque teſtium mentionem faciunt. In *lege* vero *7. D. de liber. & poſtum.* ita legiſſe videntur Graeci, atque ſi ſcriptum in eorum libris fuerit; *Etſi vivo patre decedat.* Non enim particulam καὶ ſed κἂν poſuerunt.

Quod in *l. 48. §. interdum 2. D. de hered. inſt.* his LXII.
verbis legitur: *Servum adulterii accuſatum*, &c. id aliis in libris Accurſius ita ſcriptum reperiri tradit, ut pro *accuſatum*, reponatur *maculatum.* pro qua lectione citat & legum quaedam teſtimonia. Verum ſi Graecis fidem habere volumus, vocem *accuſatum* retinebimus; quum ii κατηγορούμενον verterint. At in *l. 59. §. quum quis 3. D. eod.* ſunt, qui negationem in his verbis tollendam exiſtiment, *Quum quis ex inſtitutis, qui non cum aliquo conjunctim inſtitutus ſit*, & caet. Sed ea retinetur etiam a Graecis, qui ſic interpretantur, εἰ μή τις ἐν συνημμένῳ; & additur, τότε γὰρ τῷ συνημμένῳ προσαύξει: quae verba cum iis conveniunt, quae heic in gloſſa traduntur. *Ejuſdem tituli l. 71.* quidam volunt in his verbis, *Ex ea parte Maevius heres eſto*, voculam *parte* ſupervacaneam eſſe. Horum opinionem Graeci confirmant, qui ἐκ τοσῶνδε verterunt, nec adjecerunt μέρους.

In *l. 41. §. Ex his verbis 1. D. de vulg. & pupill.* LXIII.
ſubſtit. quum dicitur, portionem non adeuntis deferri ſcriptis heredibus: Accurſius, *non adeuntis*, interpretatur *repudiantis*; Graeci vero, τοῦ ἀπόντος, hoc eſt, *deficientis*: quod ſane latius eſt, quam illud alterum. In *l. 34. §. 2. D. de teſtament. milit.* ad haec verba, *Nec tamen circa militem*, adjiciunt Graeci, ἔτι στρατευόμενον; prorſus ut Gloſſatores noſtri, *circa eum, qui adhuc militat.* Saepenumero reperiuntur apud Graecos hujusmodi gloſſae, a noſtris ad verbum expreſ-

expreſſae, quaſi ſi a Graecis petitae fuerint. In *l.* 21. §. *interdum* 1. *D. de acquir. vel omitt. hered.* quum dicitur, *Utputa ſi re non hereditaria quaſi heres uſus ſit*: Graeci negantem particulam omittunt, quam & Bartolus alicubi non agnoſcere hoc loco videtur. Dixi ſupra, non parum in hiſce particulis vel detractis, vel adjectis, momenti poſitum eſſe.

LXIIII. In *l.* 1. §. 27. *D. de SCto Silan.* mentionem Sexti Juriſconſulti facit Ulpianus. Sic enim noſtri Latini libri habent omnes. Sed Graeci ſcripſerunt, ὁ Σέρβιος, *Servius.* Utra lectio verior ſit, eruditis diſceptandum relinquo. Scio quidem, in *l.* 2. *D. de orig. jur.* aliquot Sextos recenſeri, veluti Sextum AElium Paetum, Sextos Papirios, Sextum Pompejum. Sed vix arbitror, horum aliquem ſimpliciter Sextum ab Ulpiano vocatum. Quae fortaſſe ratio Graecorum lectioni favet: ſed iterum ajo, me quidem quod attinet, haud liquere.

LXV. In *l.* 11. *D. de legat.* 1. diverſitas quaedam eſt ſcripturae, quum pro *extero* quidam legant, *ex toto*; alii, *ex Trebelliano*; alii, *ex teſtamento*; alii, *extraneo.* Graeci horum alterutrum ſuis in libris invenerunt, videlicet *extero*, vel *extraneo.* Nam ἐξωτικῷ verterunt, quod utrique reſpondet.

LXVI. In his verbis *legis* 16. *in princ. D. eod. Si duobus res conjunctim legata ſit, quamvis alter in rerum natura non fuerit; alteri ſolam partem deberi, puto verum eſſe*: Graeci μόνον τὸ ἥμισυ habent, atque ſi legiſſent, *Alteri ſolam dimidiam partem* deberi: potius tamen exiſtimo, declarationis hoc cauſſa ab eis adjici. Et referri videtur hoc ad *l.* 164. § 1. *D. de verb. ſignif.* ubi dicitur; *Si non fuerit adjecta portio, dimidiam partem deberi.*

LXVII. *Ejusdem tituli l.* 34. §. 12. haec verba ſunt: *Unciarum heredem undecim partes in fundo habiturum coheredem unciam.* Mire ſe torquent Gloſſatores his explicandis, ſive legendum ſit *unciarum heredem undecim*, ſive *unciarium heredem.* Ego locum mutilum eſſe ajo, & de Graecis recte reſtitui exiſtimo. Unciarium quidem heic nullum heredem agnoſcimus. Cur enim plurium heres unciarum magis heres unciarius dicatur, quam heres unius unciae? Una voce *undecim* repetita, locus integer eſt, hoc modo: *Unciarum heredem undecim, undecim partes in fundo habiturum, coheredem unciam.* Error inde fuit ortus, quod librarii parum prudentes aut eruditi, putarent alterum *undecim* otioſum eſſe. Graecorum haec verba ſunt: ὁ εἰς τὰς ια. οὐγκίας κληρονόμος, τὰς ια. οὐγκίας ἔξει τοῦ ἀγροῦ· ὁ δὲ ἕτερος, μίαν. quibus ex verbis aperte quivis perſpicit, ita locum reſtituendum, ut dixi; & praeterea videri, Graecos in extremis legiſſe: *Coheredem unam*, non *unciam.*

LXVIII. In *l.* 40. *D. eod.* minime debet in his verbis abeſſe negatio, *Cujus poſſidendi non eſt*: ſi Graecis quidem credimus. Nam illi ſic verterunt, οὗ τινος τὴν κτῆσιν οὐκ ἔχω, οὔτε δύναμαι αὐτὸ κομισθῆναι. Ibid. *l.* 75. §. 2. *in fin. actiones praeſtare*, Graeci exponunt ἐκχωρεῖν, hoc eſt, *cedere.* In definitione legati, *l.* 116. *h. t.* recte monent alii ex Harmenopulo, *delibationem hereditatis* dicendam, hoc eſt, τῆς κληρονομίας μείωσιν, non *deliberationem.* Sic enim Baſilicorum auctores verterunt, quos Harmenopulus & alii ſequuti ſunt.

LXIX. In hiſce verbis *l.* 34. §. *Lucia Titia* 2. *D. de legat.* 2. *Niſi evidenter apparuerit, omittendi fideicommiſſi cauſſa hoc eum feciſſe*: ſunt, qui *omittendi* putent mutandum in *amittendi*; ſed horum ſententiae Graeci adverſantur. Vertunt enim, ὅτι ὡς ἀποταξάμενος ἐποίησε τοῦτο. Et verbum ἀποτάξασθαι omnino ſignificat renunciare, vel repudiare, vel omittere. De permutationibus autem horum verborum, *omittere*, ac *amittere*, ſupra quoque dictum eſt.

LXX. In *l.* 65. §. *Quadrigae* 1. *D. h. t.* verba ſunt Papiniani: *Quadrigae legatum equo poſtea mortuo, perire quidam ita credunt; ſi equus ille deceſſit, qui demonſtrabit quadrigam.* Sic enim in editione Florentina legitur, fortaſſe pro *demonſtravit*, more veteri. *Demonſtrabat* legunt alii. Et gloſſarum auctores ad hoc verbum adjiciunt: *Quia erat magiſter quadrigae.* Item: *Immo demonſtrabat, quia erat de ſubſtantia quadrigae factae a teſtatore.* De quibus necdum intelligi arbitror, quid ſignificetur per equum, qui demonſtrabat quadrigam. Rectius hoc uno verbo tibi declarabunt Graeci, ſcilicet intelligi τὸν καλλιστεύοντα ἐν αὐτοῖς ἵππον, hoc eſt, *equum inter caeteros quatuor optimum*: quo mortuo legatum extinguitur. Et nota ſequentium quoque verborum planiſſimam interpretationem: *Sed ſi medio tempore deminuta ſuppleatur, ad legatarium pertinebit.* Sic enim hoc Graeci, εἰ περιὼν ὁ διαθέμενος ἀνεπλήρωσε τὸ τέθριππον: hoc eſt; *ſi teſtator ſuperſtes, quadrigam ſuppleverit.* ut medium tempus intelligatur de vita teſtatoris.

In *l.* 82. *D. de legat.* 3. quum verbis hiſce dicitur, LXXI. *Quia mulorum appellatione etiam mulae continentur*: Graeci pro *mulorum*, ponunt βορδώνων, qui burdones ſunt in *l.* 49. *ſup. h. t.* Caeterum quod Contius ex Baronis auctoritate in titulo, *De dote praelegata*, male tradit, Haloandrum in editione ſua ſcripſiſſe, *De dote relegata*, fortaſſe revocari adhuc in diſputationem poſſet. Nam & Graeci reddiderunt, περὶ προικὸς ἀντιλεγατευθείσης: hoc eſt; *de dote relegata.* Et haud dubie nec veterum illi auctoritate librorum, nec ratione caruerunt. quo de prolixius agendi non hic locus eſt, ne noſtro ab inſtituto diſcedamus

In *l.* 3. §. *ſi vinum* 1. *D. de trit. vin. vel ol. legat.* LXXII. dicitur, *Vino legato vaſa quoque legata videri. Non quia pars vini ſint vaſa, quemadmodum emblemata argenti, ſcyphorum forte, vel ſpeculi.* Haec poſtrema ſic Graeci verterunt: ὥσπερ τὰ ἐμβλήματα τῶν ἀργυρῶν σκευῶν, καὶ τὰ σπίτλα τοῦ οἴκου. Quibus in verbis ſi unicam vocem corruptam reſtituas, legendo σπέκλα τοῦ οἴκου, pro σπίτλα, non dubium eſt, inſigne mendum ex Latinis codicibus noſtris tolli. Nam omnino legi debet, *vel ſpecula domus*: hoc eſt; vel quemadmodum ſpecula pars ſunt domus. Et arbitror ſpecula eſſe, quae & *ſpecularia* quum alibi dicuntur, tum in *l. quaeſitum* 12. §. *ſi domus* 16. *D. de inſtruct. & inſtrum. legat.* Ubi negat Juriſconſultus, inſtrumento domus legato, deberi ſpecularia & vela, quae voluptatis cauſſa in domo ſunt, frigoris forte per aeſtatem, vel umbrae arceſſendae cauſſa. Sed acute, ut ſolet, doctiſſimus Cujacius adverſus Ulpianum diſputat; propterea quod mox ſubjiciatur, vela tamen Cilicia deberi, quae ideo parantur, ne domus vento aut pluvia laboret; videri & ſpecularia deberi, quae in eumdem uſum parantur. Hoc eo magis locum habebit, quum ex hac reſtitutione *dictae l.* 3. §. *ſi vinum* 1. *D. h. t.* quam ex Baſilicis eruimus, pareat, ſpecula ſive ſpecularia partem domus eſſe.

In *l.* 3. *D. de ſupellect. legat.* variae ſunt appellatio- LXXIII. nes ſupellectilis, & quaedam etiam vitioſae ac depravatae. Velut eſt vox *trapezophora*, quae poſt menſas ponitur. Scribendum enim, *trapezophori*; quod nomen in Baſilicis exſtat, cum hac declaratione, οἱ τὰς τραπέζας ἔχοντες, ut intelligantur columellae ſive pedes, qui menſas impoſitas ſuſtinent. Nam trapezophora ſignificationem aliam habent, videlicet τραπεζῶν, ἐφ᾽ ὧν τὰ ἐκπώματα κατάκειται: hoc eſt; *menſarum, in quibus vaſa potoria collocantur*, ut Pollux ſcripſit. Gloſſarium vetus τραπεζόφορα, *caliclaria* reddit, quaſi calicularia; quod in eis calices, ſive caliculi, hoc eſt, potoria vaſa reponantur. Sequuntur *delphicae*, pro quibus ex Baſilicis reſtituendi *delphines. Imporia* Graeci προσκεφάλαια ſive pulvinos interpretantur. Sunt qui pro his *impilia* reponant, quorum mentio fit in *l.* 25. *D. de auro, argent. mun. Aquiminalia* leguntur in Florentina editione, in caeteris *aquiminaria*; quae Graeci χερνιβόξεστα reddunt. Hanc vocem vetus gloſſarium ſignificare

care dicit *aquimanilio*, quemadmodum & heic ſcribendum in Pandectis, minime dubito. Quae *candelabra* noſtri, ea Graeci κανδηλάβρα, *candelaria*, uno in loco ſcribunt. Item, quum dicitur, Si *armumentorum* gratia parata ſint, Graeci legerunt *armorum* gratia, quum verterint ὅπλων. Vaſa *murrina* in *l.* 3. & *murrea* in *l.* 11. *h. t.* eadem eſſe, de Graecorum interpretatione colligitur, qui utrobique reddiderunt μύῤῥινα.

LXXIV. *Titulus ſecundus libri Digeſtorum* 34. aliter apud Graecos legitor, quam noſtris in libris. Nam illi poſt *munde*, vocem *ornamentis* omittunt, & videtur ſane poſterius illud adjectum, velut ſcholion, quo declararetur, quid mundus eſſet. Itidem Graeci nec illas voces, *veſte vel veſtimentis*, habent.

LXXV. *Eodem titulo*, *l.* 19. §. 8. mentio fit *juncturae argenteae*, quam Graeci μυλῶν κόσμον interpretantur, hoc eſt, *ornatum mulorum*: ut intelligatur junctura mulorum argentea. Somnians heic noſter Accurſius: *la junctura*, inquit; *quia cum argento injungebatur aurum auro, velalii materiae*. Ibidem *ſigilla* Graeci ζώδια reddont, quae ſigna ſunt, ut ea ζώδια, quae Zodiaco nomen dederunt. In *lege* vero 32. *D. eod.* de *pediculis argenteis* dicitur, quae fortaſſe *pendicula* ſunt, aut *pendicla*, ceu ſcribitur in veteri gloſſario, quod etiam ἀρτωδίοις, & ἀρτωδίοισι interpretatur. quamquam alio loco, ſicut heic, etiam ibi *pedicula* ſcribantur, eadem tamen cum interpretatione.

LXXVI. Tres hi Pandectarum in *libro* 34. tituli, *De his quae poenae cauſſa relinquuntur. De regula Catoniana. De his quae pro non ſcriptis habentur*: auctor Eclogae Baſilicorum, ad titulum praecedentem *De rebus dubiis*, refert, nec peculiares heic titulos agnoſcit. Recte, an ſequius, equidem dicere noo haboo. In *l.* 41. *D. de condit. & demonſtr.* dicitur, *Legata ſub conditione relicta interea, dum conditio exſtiterit, delegari non poſſe.* Graeci verbum *delegari* per μεταφέρεσθαι exponunt, de quo & ipſa ſententia intelligitur, & non *legari*, ſed *delegari*, legendum eſſe, perſpicitur. Quod autem in *l.* 39. *D. ad L. Falcidiam*, his verbis; *Propter indicium proditae mortis*, Graeci adjiciunt τοῦ δεσπότου, hoc eſt, *proditae mortis domini*; videtur ut ſcholion, noo ἀναφορὰν tamen, declarationis cauſſa eſſe adjectum.

LXXVII. Vitioſam illorum eſſe lectionem, qui *l.* 1. §. 9. *D. ut legat. ſeu fideicom.* hanc ſcripturam ſequuntur, *Plane ſi quis omiſſa ſtipulatione litem de legato conteſtatus eſt, probandum eſt non ceſſare debere ſtipulationem*, jampridem alii quoque monuerunt. Equidem meo uti promiſſo ſatisfaciam, Graecorum auctoritatem producam: qui quum verterint, ἀργεῖ ἡ ἀσφάλεια, legerunt omnino ſine negatione, *Ceſſare debere ſtipulationem*.

LXXVIII. In *l.* 3. §. *ſed ſi ſub* 12. *D. de bonor. poſſeſſ. cont. tab.* quum dicitur, *Si ſub conditione ſcriptus ſit*; Graeci vertunt, ὑπὸ αἵρεσιν αἰτιατικὴν, quae cauſſalis eſt, ſive cauſſaria conditio. Ad ipſa vero haec verba gloſſae in noſtris mentionem conditionis poteſtativae, itemque caſualis faciunt. Praeterea exprimitur a Graecis, haec de filio dici emancipato.

LXXIX. In *ejusdem tituli l.* 17. negationem in hiſce verbis, *Bonorum poſſeſſionem contra tabulas non poteſt filius ejus habere*; Graeci omittuot. Sed apparet, eos Marcelli potius ſententiam ſequi, quae ſtatim ſubjicitur. Titulum vero, *De dotis collatione*, Graeci cum praecedente, *De collatione bonorum*, conjungunt. At vero in §. *ſi mater* 6. *D. de Carbon. edict.* quom Juriſconſultus ait, *Ex matrimonio editus*; Graeci adjiciunt, νομίμῳ γάμῳ, id eſt, *ex matrimonio legitimo*. Iidem in *ejusdem legis* §. *penult.* quum dicitur, *Oportebit hunc, qui ſe filium dicit*; hoc ipſum declarantes interpretantur τὸν προνοοῦντα τοῦ παιδὸς, hoc eſt, eum, qui curam impuberis filii gerat, hoc facere debere.

LXXX. In *l unic. D. de bonor. poſſeſſ. ex teſtam. milit.* bis repetitur vox, *in hoſticolo*. Notant quidam, in aliis manu exaratis legi, *in hoſtili loco*. Ea lectio cum Graecorum interpretatione convenit, qui verterunt, ἐν πολεμουμένῳ τόπῳ.

In *l.* 1. §. *recte autem Praetor* 5. *D. Si tabul. teſtam. nul. extab.* quod dicitur, *Ut ſicuti contra tabulas ipſis defert, ita & ab inteſtato ipſos vocet*: Graeci ſic vertunt, ἐν διαθήκῃ ἢ κατ' αὐτῆς, atque ſi legiſſeot, *Ut ſicuti ſecundum & contra tabulas ipſis defert.* &c. Titulum vero, *Unde cognati*, Baſilicorum Ecloga cum proxime praecedenti, *unde legitimi*, conjungit. LXXXI.

In *principio legis* 3. *D. de ſuis & legit. heredibus.* Haec verba, *Inteſtato liberto mortuo, primum ſuis deferri hereditatem, verum eſt: ſi hi non fuerint, tunc patrono*: Graeci aliter interpretati ſunt, inſertis quibusdam. Sunt enim haec illorum verba: *Liberto mortuo, primum deſcendentes ſive liberi vocantur; & poſt eos, ipſius liberti parentes ſive adſcendentes; itemque fratres, qui liberi ſunt: qui ſi nulli fuerint, patroni.* Haec ad ea loca pertinent, in quibus dixi jura vetera ſive priora, per poſteriora corrigi. Nam haec emendatio petita fuit ex *l. ult. C. de bon. libert. & jur. patron.* quae quidem in Codice non exſtat integra. Legitur autem hoc, quod indicavimus, ibidem, *cap.* 8. *eorum fragmentorum legis hujus*, quae Contius in editione ſua poſtrema collegit & ordine poſuit. LXXXII.

Ejusdem legis §. 4. quod dicitur, *Qui ſi necem domini detexit*, aliter a Graecis redditur: perinde ſcilicet, ac ſi ſcriptum reperiſſent, *Quod ſi necem domini detexit.* Parum hoc abeſt a lectione aliorum, *Quio ſi docem domini detexit.* Paulo poſt, *eodem loco*, non dubitem ope Graecorum tolli vitioſam lectionem poſſe. Nam quum dicitur, *Quod ſi non addidit, efficietur quidem civis Romanus; ſed erit ejus libertas*, & caet. Hoc Graeci ſic vertunt; εἰ δὲ μὴ προσκυρωθῇ τινι: hoc eſt; *Quod ſi non addictus alicui fuerit.* Ergo ſine ullo dubio legeruot, *Quod ſi non addixit*, videlicet Praetor. Quae lectio vera eſt, & ex praecedentibus quoque probatur, ubi dicitur; *Si quidem adſignavit Praetor.* Etenim adſignare & addicere, ſignificationis ejudem ſunt. LXXXIII.

In *principio legis* 1. *D. de oper. nov. nunciat.* non eſt quod dubitem, Florentinae lectioni praeferendam eam, quae in editis vulgo libris retinetur. In Florentina eſt, *Hoc Edicto promittitur*: in aliis, *permittitur*. Ac recte quidem! nam ita Graeci quoque legerunt, κωλύειν ἔξεστιν, id eſt, *hoc Edicto permittitur inhibere*. Ibidem *ſequenti* §. in his verbis; *Et erit transeundum ad interdictum, Quod vi aut clam factum erit, ut reſtituatur*: poſtrema iſtaec, *ut reſtituatur*, non abſque cauſſa Graeci prorſus omiſerunt. LXXXIV.

Torquent ſe noſtri Gloſſatores in his verbis *legis* 1. *in princ. D. de publican. & vectig.* tum reſtituendis, tum exponendis: *Quod publicanus ejus publicani nomine vi ademerit.* Ajunt enim, quosdam libros habere, *ſeu publicani nomine*: quosdam, *ejusve familiae publicani*. Neutrum admitti poteſt. Graeci noſtri verterunt haec verba, *ejus publicani nomine*, in hunc modum: ὀνόματι τοῦ τέλους, id eſt, *vectigalis nomine*. Quae verba quom attentius conſidero, in eam ſententiam venio, ut exiſtimem, illos pro, *Ejus publicani nomine*, reperiſſe ſcriptum, *Juris publici nomine*. Vel ſi *juris* vocabulum longius a ſimilitudine vocis *ejus* recedit, ſaltem legiſſe videntur, *ejus publici nomine*: ut publicum heic ſimpliciter ſignificet vectigal; quemadmodum paulo poſt in definitione publicanorum: *Publicani ſunt, qui publico fruuntur*: & in *l.* 34. *D. ex quib. cauſ. major.* & in *l.* 33. *D. pro ſoc. Publicorum conductiones.* LXXXV.

In *l.* 8. *D. eod.* ſic legitur in Florentino archetypo: *Sed ſi unius ex pluribus heredibus rem manem cauſſa vectigalis ſubripiat.* Monſtroſam hanc vocem ſunt etiam, qui loco retinendam putent, & exponant. LXXXVI.

Sed cur non aliorum lectionem potius ſequamur, qui *Rem communem* habent, cauſſam nullam video: praeſertim quum Graeci quoque verterint κοινὰ πράγματα; *res communes.*

LXXXVII. In *l.* 9. §. 5. *D. eod.* quum dicitur, *Quod illicite publice privatimque exactum eſt*; Graeci largius interpretantur, *Quod illicite a perſona publica vel privata exactum eſt.* Rectius ſane, quam Gloſſatores noſtri, qui exponunt *publice*, hoc eſt, a publicano, qui auctoritate publica utitur; vel *publice*, puta rapiendo; *privatim*, ſurripiendo: quae Lector intelligit, quam futilia ſint. Ibidem paulo poſt de vi extorto, poenae tripli fit mentio, pro qua τὰ βασιλικὰ poenam quadrupli ſubſtituunt. Ea num plane jure veteri ſtatuta fuerit, an aliquo recentiori; equidem adfirmare nequeo.

LXXXVIII. Ibidem in §. *Earum rerum* 6. pro eo verbo, quod libri noſtri habent, *Alius exercere non prohibetur*; Graeci videntur inveniſſe ſuis in libris, *Alius exigere non prohibetur:* quod ſane meo judicio elegans eſt, & aptum huic loco verbum. Et Graecum ἀπαιτεῖν aliter interpretari nequeas. In *l.* 10. *in princ. D. eod.* pro *Cneatori* puto ſcribendum *Procuratori.* Nam Graeci vocabulum καθολικὸς heic poſuerunt, quod & rationalem, & procuratorem (ut ita dixerim) generalem ſignificat. Curatorem vero φροντιστὴν interpretantur, ut φροντιστὰς δημοσίους, item φροντιστὰς δρόμου, qui curatores publici ſunt, & curatores curſus. Non libet heic juris complura citare loca, quippe non ignoro, curatoris quoque vocem defendi hoc loco poſſe.

LXXXIX. In *l.* 2. §. 9. *D. de ſtatulib.* haec verba ſunt: *Sed nec ſi aliis ſubripuerit nummos.* In iis verbis, ſi Graecis Interpretibus credere volemus, mendum latet. Nam illi reddiderunt, οἱ καὶ δι᾽ ἄλλου ἔκλεψεν: hoc eſt, *licet heres per alium ſubripuit nummos.* Ergo nemo non videt, illos in ſuis libris inveniſſe ſcriptum: *Sed nec ſi alius ſubripuerit nummos.* In proxime *ſequenti l.* 4. §. *ult.* ſic omnes diſtinguunt & legunt: *Item Caſſius ait, et, qui ſervire juſſus eſt anno, illud tempus, quo in fuga ſit, vel in controverſia, pro libertate non procedere.* Graeci ſic verterunt: εἰ φύγῃ μεταξὺ, ἢ δικάσηται ὡς ἐλεύθερος, & caet. hoc eſt, *ſi interea fugerit, vel in controverſia ſit, veluti liber.* Ergo: *pro libertate*, non ad *procedere* referri debet; ſed cum praecedentibus jungendum, ut ita diſtinguatur: *Vel in controverſia pro libertate (tempus illud) non procedere.* Diſtinctio certe variata nonnihil in ſententia quoque diverſitatis efficit.

XC. Qui in *principio legis* 29. *D. eod.* pro his verbis, *Et ideo in publicis quoque judiciis*, reponendum cenſent, *Sed non in publicis quoque judiciis*: Graecis quoque diſſident, qui haec ita vertunt; καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ἐγκλήμασι τὰ αὐτὰ τοῖς ἄλλοις δόλοις ὑφίστανται. Itidem qui *orcivum libertum* ſcribunt, quum alibi, tum in *l.* 5. *D. qui de fine manumiſſ.* pro *orcino*, a Graecis refutantur, apud quos ἀπελεύθερος ὄρκινος legitur.

XCI. Quum in *princ. l.* 2. *D. de re judicata, & de effect. ſentent.* dicitur, *Qui pro tribunali cognoſcit, non ſemper tempus judicati ſervat*; Graeci more ſuo judicati tempus exprimunt clarius, & ſpatio quadrimeſtri definiunt: ut etiam in *ſeq. l.* 4. §. *ſi quis condemnatus* 5. *legitimum tempus*, menſium quatuor interpretantur; item *dies conſtitutos*, τετράμηνον. *inf. h. t. l.* 7. item in *l.* 6. §. 2. *D. de confeſſis. Confeſſo tempus datur ad reſtitutionem:* Ἔχει τὴν τετράμηνον. item in *l.* 1. *D. judicat. ſolvi. Tempus reo principali indultum*, τὴν τετράμηνον. Quae quidem omnia pertinent ad id, quod diximus, Graecos ex jure poſteriori nonnunquam vetus ſupplere. Nam quod hunc locum attinet; haec temporis quadrimeſtris expreſſio ſumpta eſt ex *l.* 2. & 3. *C. de uſur. rei judic.* Ex aliis itidem alia petita.

XCII. In *l.* 2. *D. de conceſſione bonor.* quod dicitur, *In perſonalibus actionibus qui poſtea*, & caet. id apud Graecos ita ſcriptum exſtat, ut vocabulum *actionibus*, quaſi ſupervacaneum, relictum ſit. Ibidem *l.* 4. dicitur, *Eum qui bonis ceſſit, ne quidem ab aliis, quibus debet, poſſe inquietari.* Haec verba poſtrema noſter Accurſius exponens, intelligi dicit creditores abſentes, quorum timore bonis ceſſerit. At Graeci noſtri ſolidius haec interpretantur, non ſolum ſcilicet ab illis creditoribus eum non conveniri, propter quos bonorum ceſſione ſit uſus: verumetiam generaliter a nullo creditore poſt ceſſionem moleſtari. In *l.* 10. §. 20. *D. quae in fraud. credit.* hiſce verbis, *Scilicet ut ſumptus facti deducantur*, a Graecis adjectum quiddam eſt: habent enim ἀναγκαῖα δαπανήματα: *Sumptus neceſſarii facti deducantur.*

In *l.* 1. §. *eſt autem generale* 2. *D. ne vis fiat ei.* XCIII. nec Florentinus codex cum caeteris exemplaribus convenit, & omnes a Graecis diſſident. In Florentino ſic legitur: *Sed ſive rei ſervandae cauſſa, ſive legatorum, aut ventris nomine in poſſeſſionem miſſi fuerint: habent ex hoc Edicto in factum actionem, ſive doli, ſive aliter prohibuerint.* Contius ſubaudiendum putat, *doli via*, vel aliud vocabulum. Crediderim potius dolos numero multitudinis poni, ut dicatur, *ſive doli prohibuerint*: ſed tamen illud *aliter*, quod ſequitur, vix hoc videtur admittere. Vulgati libri ſic legunt haec poſtrema, *Sive dominus, ſive alter prohibuerint.* Denique Graeci, aliam ſequuti lectionem, pro *doli* vertunt δόλῳ, & loco verbi *prohibuerint*, paſſivum κωλυθῶσι ſubſtituunt. Ut haec illorum ſcilicet fuerit lectio: *Sive dolo, ſive aliter prohibiti fuerint.* Hanc ego tantam diverſitatem indicare volui, ſuo cuique judicio relicto: quamquam ſi Graecorum lectionem caeteris praeferendam non putabimus, non tamen etiam dicere poſſimus, temere rejiciendam.

Dixi de permutatione verborum ἐνεργητικῶν & παθητικῶν: addamus aliud exemplum de eodem verbo XCIV. *prohibendi.* In *l.* 1. §. 8. *D. Quod vi aut clam.* ſic in Florentino exemplari legitur; *Eam quoque vi facere, qui quum ſciret ſe prohibere, per vim molitus eſt, ne prohiberi poſſit.* Heic Graeci *prohibere* vertunt κωλυθῆναι, hoc eſt, *prohiberi.* Recte! nam ita ſcriptum ab Ulpiano fuit. Quod quum aliarum editionum auctores perſpicerent, ac *prohibere* non probarent, repoſuerunt, *Quum ſciret ſe prohibendum.*

In *l.* 2. *D. de via publ.* dicitur, *Viam publicam po-* XCV. *pulum non utendo amittere poſſe.* Sic enim in Florentino codice legebatur: quamquam alius adjecta negatione, *amittere non poſſe*, ſcripſerat. Ego ſaltem hoc indicabo, negationem a Graecorum etiam interpretatione abeſſe. Recte ne, an ſequius, inquirat qui volet. Nobis heic non licet eſſe prolixis. In his autem verbis *legis* 1 §. 12. *D. de cloac. Haec ſtipulatio non committitur, ſi paratus ſit reſtaurare:* Graeci pro *reſtaurare*, ponunt verbum ἀποκαταστῆσαι, quod proprie eſt *reſtituere*; ac ſi hoc ipſum verbum Latinis in exemplaribus ſuis reperiſſent. Utrumque tamen locum habet.

In *principio legis* 20. *D. quod vi aut clam.* Florenti- XCVI. nus codex habet, *vi facit*: alii, *vim facit.* Graeci βίαν ποιεῖ vertunt, tam heic, quam antea in *l.* 11. *D. de vi & vi armata.* Quapropter alicui fortaſſe videri poſſent legiſſe, *vim facit*: ſed ego deprehendi, ſolere Graecos accuſandi caſu uti, ac βίαν ποιεῖν dicere, ſicut & δόλον ποιεῖν, quum Latini, *dolo facere*, non dolum. In *l.* 2. *in princ. D. de except.* legitur in archetypo Florentino in exceptionis definitione, *Quae opponi actioni cujusque rei ſolet ad cludendum id, quod in intentionem deductum eſt.* Putant aliqui pro *cludendum*, ſcribi poſſe *eludendum.* Ego rectius vulgatas editiones habere arbitror, *ad excludendum.* Nam Graeci quoque vocabulo διαποκλείειν heic utuntur, quod eſt *excludere.*

Non abs re ad titulum, *Quarum rerum actio non* XCVII. *datur*, vulgati codices adjiciunt haec verba: *Et de*

eius-

exceptione [illegible] *ando*. Nam & Graeci ea in *ipſo titulo* ponunt [illegible] *pro jurejurando & cum litium ſtipulatione*. Caeterum *d. t. l. 1. in prin.* noſtri codices habent, *Jusjurandum vicem rei judicatae obtinet*. Graeci vero ſic interpretati ſunt, ut legiſſe videantur: *Jusjurandum vim rei judicatae obtinet*: nam δύναμιν vertunt. Et animadverti equidem, alterum illud vocabulum, nimirum *vicem*, ab eis reddi τάξιν.

XCVIII. In *l. 17. D. de obligat. & action.* quum dicitur, *Ex cauſſa lucrativa*: Graeci adjiciunt, [illegible] ἢ δωρεᾶς, *veluti ex legato, vel donatione*. Declarationis id factum cauſſa. *Ejusdem tituli l. 52. in fin.* dicitur: *Sed & nutu ſolo pleraque conſiſtunt*. Id Graeci ſic reddiderunt, ut aut cogitandum ſit, eos *plerumque* legiſſe; aut *pleraque* non ut nomen accipiendum, ſed velut adverbium, ceu Grammatici loquuntur. Vertunt enim, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Nec illud inultatum

XCIX. In *l. 1. D. de ſolut. & liberat.* ad haec verba: *Id eſt autem debitum* (conſtituat creditor ſolutum) *quod non eſt in controverſia*: notat Contius, Graecos ita locum hunc legere: *Id eſt, non in id debitum, quod eſt in controverſia*. Et negationem putat, ut ipſe loquitur, praepoſterari. Hallucinatur in utroque. Nam haec Graecorum verba ſunt: [illegible] ἢ ἄρα τὸ ἐξ [illegible] αὐτοῦ [illegible], ἢ [illegible] ἐμπρᾶ, [illegible] ἡμέρας: hoc eſt; *ita quidem, ut creditor ſolutum conſtituat non in id, quod non eſt in controverſia, vel quod ipſi a debitore ſine juſta actione non debetur, aut ſub die, vel conditione, quum dies nondum venerit*. Quibus ex verbis liquido patet, bis ponendam ſecundum Graecos negationem, ut ita plane legatur: *Id eſt, non* [illegible] *in id, quod non eſt in controverſia*. Quae ſententia vera eſt, quum ſtatim *l. 3. h. t.* ſubjiciat Ulpianus, *debere creditorem ſemper in duriorem cauſſam pro ſoluto accepto ferre*. Durior autem illius eſt cauſſa, quod eſt in controverſia, quam quod in controverſia non eſt. Gloſſarum auctores ita legendum viderunt, tametſi aliter in textu legis ſcriptum eſſet. Sic enim exponunt: *Id eſt, non debet conſtituere ſolutum pro eo, quod non eſt in controverſia; ſed pro eo, quod eſt in controverſia*.

C. Ibidem *l. 5. in princ.* *Nomina ſimilia* Graeci interpretantur ἴζα, *paria*. Pro *ſub ſatisdatione videtur*, legerunt, *debetur*. Cauſſam puram interpretantur, τὴν χωρὶς ἐγγύης, quae fidejuſſorem non habet. Item *l. 7.* quum dicitur; *Si ex cauſſa, quae infitiatione creſcit*: amplius illi, τὸ αὔξον εἰς διπλοῦν, *quae creſcit in duplum*. Idem factum ab eis, *l. 4. C. de cond. &. indeb.* Elegans eſt hoc quoque ſcholium, quum ad verba *legis 30. h. t. Si debitor offerret pecuniam, quae peteretur, creditor nollet accipere; Praetor ei denegat actiones*: Graeci ſubjiciunt, [illegible] καὶ τὴν προσωπικὴν, hoc eſt; *tam pigneratitias actiones, quam perſonalem*.

CI. Monuimus ſupra, recte Cujacium in *l. 8. D. de tutel.* pro, *in fraudem debitorum*, repoſuiſſe, *in fraudem creditorum*. Sic enim ibi Graeci legerunt. Conſimile exemplum heic rurſus adferam. In *l. 99. D. h. t.* dicitur, *Debitorem non eſſe cogendum in aliam formam nummos accipere, ſi ex ea re damnum aliquid paſſurus ſit*. Heic itidem in Baſilicis recte Graeci δανειστὴν reponunt; ut legendum cum eis ſit, *Creditorem non eſſe cogendum*, &c.

CII. Quum in *l. 21. §. Certe 6. D. de furt.* dicitur, *Quemadmodum ſi ex pluribus rebus moventibus in horreo incluſis unam tulerit*: videri fortaſſis alicui poſſet, intuenti Graecorum lectionem, qui res moventes αὐτοκίνητα reddunt, eos legiſſe, *Si ex pluribus rebus mobilibus*. Atque hoc eo magis, quod in horreis frumenta quidem, & vina condi dicantur, atque etiam merces pretioſae res cuſtodiri; ſed non τὰ αὐτοκίνητα, ſive res ſeſe moventes. Verum obſtat *l. 63. D. de verb. ſignif.* qua traditur, moventium & mobilium appellatione idem ſignificari; niſi pareat, expreſſe intelligi animalia; quae, quod ipſa ſe movent, moventia vocentur. In §. 8. quum de re majoris ponderis aperta dicitur; Graeci θύλακον interpretantur. Quod vocabulum ſane inſolens eſt. In veteri Gloſſario legitur [illegible], & exponitur Latine, [illegible]. Tranſpoſitis literis tam in Graeco, quam Latino, fortaſſe ſcribendum, *involucrum*, pro involucro.

Legis 40 D. eod. haec verba ſunt. *Qui jumenta ſibi commodata longius duxerit, aliave re invito domino uſus ſit, furtum facit*. Non dubium eſt, recte dici, eum, qui aliena re invito domino ſit uſus, furtum facere, ſed hoc nihil ad praecedentia verba de jumentis. Ideo ſatis intelligitur, vitium quoddam heic latere: quod videamus, an ope Baſilicorum ſanari poſſit. Sic ergo Graeci haec poſteriora verba reddunt: [illegible]. Legerunt igitur in ſuis libris, *aliamve ad rem invito domino uſus ſit*. Unde jam ſententia ſatis perſpicua colligitur, & iis conſentanea, quae in *l. 5. §. quin imo 8. D. commod.* dicuntur his verbis; *Quia immo & qui alias* (hoc eſt aliter: nam ἄλλως Graeci vertunt: hoc eſt, alio modo) *re commodata utitur, non ſolum commodati, verum furti quoque tenetur*. Et apud A. Gellium ſive is Agellius eſt, ut pleriſque placet *lib. 7. cap. 15.* legimus in eamdem ſententiam. *Si quod utendum quis acceperit, ad aliam rem, atque accepit, uſus eſt, furti ſe obligavit*. CIII.

In *l. 3. §. 5. D. arbor. furt. caeſar.* dicitur: *Idem ait, eam quoque arborem eſſe videri, cujus radices deſierint vivere, quamvis adhuc terra contineatur*. Heic, ſi Graecis fidem habere volumus, negatio deeſt. Sic enim reddiderunt: οὐδὲ δένδρον ἐστιν, [illegible] ἐξηράνθησαν, κἂν ἵστανται. hoc eſt; *Nec arbor eſt, cujus radices exaruerunt, quamvis adhuc ſtat*. Nimirum hoc ultimis in §. 3. verbis Pomponii reſpondet, quibus ait, arborem nullam proprie dici, quae radicem non conceperit: uti ſcilicet intelligatur, ne illam quidem vocandam arborem quae vivis radicibus deſtituta ſit. Legerunt ergo Graeci, *Ideo eam quoque arborem eſſe non videtur*. CIV.

Ad *legem ult. D. injur.* quum dicitur, homines liberos, qui non ſint humilis conditionis, injuriarum cauſſa vel exſilio temporali, vel interdictione certae rei coërceri. Adjiciunt hoc ſcholium Graeci: [illegible]; hoc eſt; *aut etiam multam pecuniariam praeſtant, uſque ad CL ſolidos, taxandam a judice pro ipſius injuriae qualitate*. Quod eſſe de jure poſteriori petitum, nullo negotio intelligitur. CV.

Quum in *principio l. 1. D. de colleg. & corpor.* edicitur, *ne praeſides patiantur eſſe collegia ſodalitia*. Graeci declarationis cauſſa adjiciunt, heic intelligi collegia paganorum in oppidis & vicis; quia mox ſequitur de collegiis militum in caſtris non habendis. Quod autem poſtea ſtatim ſubjicitur, *non prohiberi, quo minus homines coeunt religionis cauſſa*: verbis hiſce reddiderunt, χάριν εὐχῆς, *precationis cauſſa*. in quo Marciani verba Chriſtianam ad religionem interpretando accommodant, ut etiam alibi ſaepe faciunt. CVI.

Legis 3. D. de public. judic. verba ſunt: *Publicum accuſatio, reo vel rea ante defunctis, permittitur*. Scio non abs re quosdam accipere *permitti*, pro *remitti*. Nam ejus verbi [illegible] eſt ſημασία. Gloſſarum auctores & *permittitur* legi dicunt, & *perimitur*. Hanc poſteriorem lectionem Graeci noſtri confirmant, quum verterint, ἀναιρεῖται. CVII.

In *l. 38 §. Imperator 8. in fin. ad L. Jul. de Adult.* dicitur, *Hominem, qui uxorem in adulterio deprehenſam occidiſſe ſe non negat, in opus perpetuum tradi*. Satis ex ipſa legis ſententia quivis intelligit, Imperatorem hoc caſu velle mitigari acerbitatem ultimi ſupplicii, reſpectu juſti doloris. Quaenam vero haec mitigatio poenae fuerit, ſi traditur in opus perpetuum? CVIII.

Ergo mitius fortaſſe ſupplicium videri poſſit, quod hoc loco Graeci exprimunt, quum pro *perpetuum*, reddunt, ἀειφυγίαν: ut omnino legerint, *in opus publicum cum vinculis*. Quemadmodum & Marcianus loquitur in *l.* 18. §. 1. *D. de jur. fiſci.*

CIX. Quum traditur in *l.* 10. §. *ult. D. ad L. Jul. de vi publ. Damnato de vi publica, aqua & igni interdici*: Graeci morem ſuum ſervando, quo jus vetus ex recentiori corrigere ſolent, poenam heic aliam ſtatuunt, nimirum τὴν εἰς μέταλλον διηνεκῆ ἐξορίαν. hoc eſt, *perpetuam in metallum relegationem*. Et conſtat ſane vel ex *l.* 3. *D. ad L. Jul. pecul.* in locum interdictionis aquae & ignis, hodie deportationem ſucceſſiſſe.

CX. Poſt *l.* 15. *D. ad L. Cornel. de ſicar.* Baſilica tamquam legem peculiarem, haec ponunt: ὁ ἐντειλάμενος τινὶ φονεῦσαι, ὡς φονεὺς κρίνεται; *Mandator caedis, pro homicida habetur.* Adduntur & alia, quae libri Pandectarum non habent. Ea Lector in Ecloges noſtrae *titulo*, *de caedibus ex quacumque cauſſa factis*, &c. inveniet: & in *libro* 60. Baſilicorum integro, quem Cujacius publicavit.

CXI. In *tit. D. ad L. Jul. pecul.* hanc τοῦ βασιλικοῦ tradunt legem, reponendam (ſi Graecos ſequi volemus) inter *legem* 10. & 11. cujus verba non exſtant in Pandectis editis: ὁ ἐν θυσιαστηρίῳ εἰσιὼν ἐν ἡμέρᾳ ἢ νυκτὶ, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ ἱερῶν τι ἀφαιρούμενος, τυφλοῦσθω. ὁ δὲ ἔξω τοῦ θυσιαστηρίου ἐκ τοῦ ἄλλου ναοῦ ἀφελόμενος, τυπτόμενος καὶ κουρευόμενος ἐξοριζέσθω: hoc eſt; *Qui ſacrarium ingreſſus, interdiu vel noctu, ſacrorum aliquid inde aufert, excaecator: qui vero extra ſacrarium e templo reliquo aufert, verberatus & tonſus exſilio mulctator.* Ex poenae quidem modo licet deprehendere, vix haec a veteribus Juriſconſultis profecta, ſed recentioribus tribuenda Principibus; quae nihilominus in Baſilicorum libros relata fuerint, ut poſtremum hoc jus, quoad ejus fieri poſſet, integrum poſteritati daretur.

CXII. Sunt etiam *titulo* 37. *libri* 60. Baſilicorum, quo titulus Pandectarum, *Ad L. Jul. de adult.* exponitur, aliquot inſertae leges recentiorum Principum, ex quarum numero ſunt in Ecloga noſtra *l.* 67. de adulteri poena; & *l.* 68. de muliere cum ſervo ſuo coëunte; & *l.* 69. περὶ αἱμομικτῶν; & 70. de poena inceſtus; & 71. de ſtupris monacharum, aſcetriarum, & diaconiſſarum; itemque 72. de his, qui commatres ſuas ſtuprant; & 73. de poenis ſtupri virginibus oblati, quo 74. & 75. quoque pertinent; & 76. de poenis maritorum ſcortantium, & 77. denique lex, de illorum poena, qui jumenta ineunt. Has leges quum ex aliis indiciis, tum ex ipſo poenarum modo, facile deprehenditur, a Chriſtianis, & quidem poſterioribus latas Imperatoribus. Nobis eas heic deſcribere non lubuit, quum in edito *Ecloges libro* exſtent: quamquam fortaſſe non inſcite fecerint, ſi qui Jus Civile deinceps ſunt publicaturi, ſuis eas titulis & locis, Baſilicorum exemplo, inſeruerint. Idem fieri poterit de iis etiam, quae paulo ante notabamus exſtare in titulo Ecloges, *De caedibus ex quacumque cauſſa factis*, & de caeteris.

CXIII. Varie ſe torquent juris Interpretes in explicando §. *In cauſſa* 20. *l.* 1. *D. de quaeſtionibus.* Ejus haec verba ſunt: *In cauſſa tributorum, in quibus eſſe reipublicae nervos nemini dubium eſt, periculi quoque ratio, quod ſervo fraudis conſcio capitalem poenam denunciat, ejusdem profeſſionem exſtruat.* Pro quo poſtremo verbo, reponere gloſſarum auctores, & alii quidam videntur, *inſtruat*. Multiplices heic quorundam errores indicare prolixius haud lubet. Non enim hujus id loci fuerit. Saltem Graecorum interpretatione oculis ſubjecta, veram ſententiam eruemus; & ipſum locum a lectione, ſi poterimus, vitioſa repurgare conabimur. Sic igitur illi vertunt: ζητήσεως οὔσης περὶ δημοσίων συντελειῶν, καὶ οἰκέται βασανίζονται ἐπειδὴ καὶ συνειδότες τῇ κατὰ τοῦ δημοσίου κλοπῇ, εἰς κεφαλὴν τιμωροῦνται: hoc eſt, *Si quaeſtio ſit de publicis tributis, etiam ſervi torquentur: quoniam & fraudis fiſco factae conſcii, capite puniuntur.* Haec tam manifeſta ſunt, ut declarationis ulterioris haud egeant. Unum igitur illud reſtat, ut in ipſo textu Pandectarum dicamus pro verbis hiſce, *ejusdem profeſſionem exſtruat*, videri nobis reponendum, *ejusdem profeſſionem extrudat*. Et profeſſionem accipiemus, de ipſius ſervi profeſſione in cauſſa tributorum; alter ſcilicet, atque gloſſarum auctores, quorum verba leguntur, *profeſſionem* exponentium, *manifeſtationem ſervorum delatorum*. Hae ſomniantium voces ſunt.

In *principio l.* 17. *D. eod.* traditur, *non torqueri ſervos adverſus dominum in quaeſtione ſtupri.* Declarationis gratia Interpretes Graeci adjiciunt, φθορᾶς παρθένου ἢ χήρας, ut ſciatur intelligi ſtuprum tam virgini, quam viduae oblatum. In *lege ſequenti*, §. *Cogniturum* 9. quum dicitur, *Praeſidem oportere ante diem palam facere, cuſtodias ſe auditurum*: gloſſae dubitant, ſit ne hoc intelligendum, *ante diem unum*; an vero, *ante diem illum*, quo allegationes debent audiri. Graeci noſtri ſimpliciter reddunt, πρὸ μιᾶς ἡμέρας, hoc eſt, *die uno ante diem ipſum.* Sic enim ſaepe Graeci etiam in Novellarum ſubſcriptionibus loquuntur, πρὸ μιᾶς καλανδῶν μαΐων, hoc eſt, *die uno ante diem Kalendarum Maji*: quod Latini dicunt, *pridie.* Quod ſequitur, *Cuſtodias ſe auditurum*, reddunt, μέλλειν ἐξέτασιν γίνεσθαι, *futurum ut habeatur quaeſtio.* Item illud, *Ut propterea & differantur & proferantur cuſtodiae*; Graeci planius, ἀναβάλλεται καὶ ἐκτείνεται ἡ ζήτησις, *differtur & prorogatur quaeſtio.* Cujus ideo quoque mentionem feci, quia Contius haec *& proferantur*, aſteriſcis incluſit, quaſi temere in textum irrepſiſſent. Ea non eſt mens gloſſae hoc loco, ſed innuit, quibusdam in libris ſimpliciter ſcriptum reperiri; *& differantur & proferantur*: ut neceſſe ſit ſubaudiri vocem, *cuſtodiae.* Verum in aliis exemplaribus eam ipſo in textu poſitam inveniri. CXIV

Haec verba ſunt *legis* 4. *D. de poenis*: *Alioquin in tempus quidem relegato perpetuum exſilium, in perpetuum relegato inſulae relegationis, in inſulam relegato deportationis, in inſulam deportato poena capitis irrogatur.* Ea verba quum, uti verſa ſunt a Graecis, diligenter intueor, animadvertere videor, eſſe quaedam in eis ſuperflua. Sic enim haec conciſius Graeci: ἀντὶ μὲν ἐξορίας προσκαίρου, διηνεκῆ ὑφίστανται. ἀντὶ διηνεκοῦς ἐξορίας, περιορισμόν· ἀντὶ δὲ περιορισμοῦ, κεφαλικὴν τιμωρίαν: hoc eſt; *Pro temporaria quidem relegatione, perpetuum ſuſtinent: pro perpetua relegatione, deportationem in inſulam: pro deportatione in inſulam, capitalem poenam.* Ergo exploſis his verbis (*relegationis, in inſulam relegato*) ſic locus hic concinnius reſtituetur: *Alioquin in tempus quidem relegato, perpetuum exſilium, in perpetuum relegato, inſulae deportationis; in inſulam deportato, poena capitis irrogatur.* Et quid aliud eſt obſecro perpetuum exſilium, quam in inſulam relegatio? itaque gradus unus bis ponitur. Conferat Lector cum his ea, quae de poenarum gradibus hoc ipſo titulo, *l.* 28. §. *incendiarii* 12. prodita ſunt: & deprehendet non abs re hunc locum apud me pro ſuſpecto haberi. *Ejusdem tituli d. l.* 28. §. *incendiarii* 12. pro, *aliquo levius*; Graeci legerunt, *aliquanto levius.* ἐλαφρότερον. CXV

In *l.* 37. *D. eod.* Baſilicorum auctores *Dardanarios* exponunt, τοὺς τῇ εὐθηνίᾳ ἐπιβουλεύοντας: hoc eſt; *eos, qui annonae, vel ubertati annonae inſidiantur.* Lexicon vetus σιτοκαπήλους interpretatur, qui ſunt caupones frumenti. CXVI

In *l. ult.* §. *Si autem* 6. *D. de bonis eorum* quaeri dicitur, *An is, qui ſibi manus intulit, & non perpetravit, debeat puniri, quaſi de ſe ſententiam detulit.* Heic apparet primum, Graecos legiſſe, *& non impetravit.* Reddunt enim, καὶ μὴ ἐπιτυχών: quod verbum proprie eſt, *impetrare.* Neque tamen alterum illud, *perpetravit*, idoneo ſenſu caret. Deinde non eſt, CXVII

quod

quod dubitem pro, *Quaſi de ſe ſententiam detulit*, reponere, *ſententiam retulit*. Sic enim veteres loquebantur. Et malim etiam, *Quaſi qui de ſe ſententiam tetulit*.

CXVIII. In *titulo Digeſtorum*, *de Interdict. & relegat.* deſunt hactenus leges decem, numerandae poſt nonam. Has in editione ſua Contius ex Latino Baſilicorum *libro* 60. Cujacii, ſuo loco repoſuit. Sed quia Graeca non viderat, vitium quoddam typographicum in *l.* 15 §. *Deportatus* 1. in ſuam quoque transfudit editionem. Verba ſunt haec: *Deportatus a praeſide ſive principe, & heres exiſtere, & legata ex teſtamento capere poteſt.* Nimirum ſcribere debuit, *Deportatus a praeſide ſine principe*; quia Graece legitur, χωρὶς βασιλέως. Alioquin haec adverſarentur *legi* 5. *D. h. t.* & *legi prox. ſequenti*, & *l.* 6. §. *D. de injuſt. rupt.*

CXIX. In *principio legis* 4. *D. de appellat. & relat.* ita noſtri codices habent: *Ab exſequutore ſententiae appellare non licet.* Scio non malam hanc eſſe lectionem, ſed pro inſtituto tamen meo diverſitatem ſcripturae, quae Graeci ſequuntur, indicabo. Sic igitur illi vertunt: κατὰ τῆς ψήφου τοῦ ἐκβιβαστοῦ οὐκ ἔξεστιν ἐκκαλεῖσθαι. Legerunt igitur aliter, hoc videlicet modo: *Ab exſequutoris ſententia appellare non licet.*

CXX. Quod in *l.* 8. *h. t.* dicitur, eum, qui provocans illi convicietur, a quo appellat, oportere plecti: magis perſpicue Baſilicorum auctores explicant, dum vertunt, eum oportere τύπτεσθαι, hoc eſt, *verberibus caedi*: ſicut de fuſtibus caeſo loquitur *l.* 18. §. 1. *D.* [illegible] In *l.* vero 1. *princ. D. de jure fiſci.* Florentinus codex habet, *Vel domum reſtructam eſſe*: pro quo reſtituunt alii, *deſtructam*. Recte! nam & Graeci verbum κατενεχθῆν poſuerunt.

CXXI. Ubi in *l.* 6. *in princ. D. eod.* mentio fit uſurarum fiſcalium: adjiciunt Graeci noſtri: οἱ δὲ δημόσιοι τόκοι ἡμιεκατοσταῖοι εἰσίν: hoc eſt, *uſurae fiſcales ſunt ſemiſſes centeſimae*. Recte! nam hoc paret ex *l.* 17. §. *ſi debitores* 6. *D. de uſur.* Ibidem *l.* 18. §. 1. quum de iis dicitur, qui dati ſunt in metallum, quod deferre prohibeantur, Graeci amplius vertunt: εἰς μέταλλον, ἢ εἰς ἔργον μετάλλου: *in metallum, vel in opus metalli*. Quae ſane duo diverſa eſſe conſtat multis ex locis: quum in metallum damnati, gravioribus; qui in opus metalli, levioribus vinculis conſtringantur.

CXXII. In *principio legis* 21. *D. de captiv. & poſtlimin.* quoddam eſt apud Graecos ſcholium, quo verba caeteroquin obſcura declarantur. Agitur ibi de ingenua ab hoſtibus redempta, quae poſtea cum liberis manumiſſa ſit. Negat Ulpianus, ignorantiam mariti, ejusdemque patris, manumiſſorum ſtatui officere; & exinde intelligi oportere, ex quo de ea ſuſcipere liberos optaverit, remiſſum matri pignoris vinculum. Ad haec poſtrema Graeci adjiciunt: συγχωρεῖσθαι αὐτῇ τὴν δουλείαν τῆς ὡρισμένης πενταετίας. Quibus ſignificare volunt, matri pignoris vinculum remitti, hoc ſcilicet eſſe; quod ei ſervitus ipſa definiti quinquennii remittatur. Et reſpicere videntur ad *l. ult. C. de poſtlim. reverſ.* & ex ea, tamquam jure poſteriori, more ſuo lucem huic loco adferre voluiſſe.

CXXIII. Quod in *l.* 3. §. *poenae* 1. *D. de re milit.* numeratur inter poenas militum, *caſtigatio*: dictum eſt generalius, a Graecis autem reſtrictius explicatum, quum ajunt: milites μαστίζεσθαι, quod eſt *flagris caedi*. Conſimili ratione traditur in *l.* 2. §. *Quem ita ſenio* 7. *D. vacat. & excuſat. mun. Debilitatem corporis eorum munerum excuſationem praeſtare, quae tantum corpore implenda ſint.* Heic, ne quaevis in genere debilitas corporis praetexi poſſit, reſtrictius debilitatem interpretantur, ἀκρωτηριασμόν, hoc eſt, *mutilationem corporis*.

CXXIV. *Titulum* 14. *libri* 50. *Digeſtorum* noſtri faciunt, *de Proxeneticis*; aut, *de Proxenetis*. Prius eſt in titulorum libri Florentini catalogo; poſterius, in ipſo titulo. Rectius hunc ego nobis a Graecis conſervatum arbitror, quorum libri titulum hunc praeferunt: περὶ προξενητῶν, καὶ προξενητικῶν; *De proxenetis, & proxeneticis*. Proxenetae; perſonae, ſunt quae interveniunt: proxenetica; quae perſonis hiſce dantur. Caeterum *l.* 2. *ejusdem tituli*, quum dicitur, *Idem dico & ſi aliquid philanthropi nomine acceperit*: Graeci mihi *philanthropi* vox, neſcio qui, viſa fuit antehac inſolens Cur enim, in Graeca translatione, Graeci homines, vocem Graecam non retinuerunt? Nimirum illi ſic vertunt: οὔτε λαμβάνων τι ὑπὲρ μεσιτείας ἐνέχεται: id eſt; *Nec ſi quid interventionis nomine acceperit, obligatur.* Verum poſteaquam diligentius evolvere lubuit gloſſarium vetus illud, cui multa tum Latinae, tum Graecae litterae debent: inveni *Solatium*, & *Salarium*, non modo exponi ὀψώνιον, παραμυθία, συνήθεια, ἀλατικόν: verumetiam φιλάνθρωπον. Quo factum, ut inſolens antea vox, minus jam mihi peregrina, nec ab hoc loco Digeſtorum aliena videatur.

In *l.* 4. *D. de verb. ſignif.* dicitur, *Nominis appellatione rem ſignificari.* Primum heic notandum, ex Graecis confirmari lectionem hanc libri Florentini, quum vulgo editi habeant, *Pecuniae appellatione*. Vertunt enim nomen, γραμματεῖον: hoc eſt; *cautionem vel chirographum*. Deinde *rem* Gloſſatores noſtri exponunt, rem omnem, quae ſit, vel eſſe poſſit in patrimonio. Graeci rectius, τὸ χρεωστούμενον πρᾶγμα, *rem debitam*. CXXV.

In *l.* 5. *D. eod.* pro, *Qua etiam ea*, Graeci legerunt, *Quin etiam ea*: Nam per ἀλλὰ καὶ reddiderunt. In *l.* 12. *eod.* pro, *Ex populari cauſſa*, Graecos legiſſe, *Ex pupillari cauſſa*; ſicut & in *l.* 32. §. 6. *D. de recept. qui arbitr.* ſupra quoque notatum a nobis eſt. CXXVI.

In *l.* 30. *eod.* legunt alii νεανον, alii νεατον; alii νεανεων. Alciatus νεαγων. Rectiſſime Baſilica noſtra νέαν habent, ſcriptura proxime ad Florentinam veterem accedente. Nam Graecum ſigma veteres ita pingere ſolebant, ut litteram C. Latinam plane repraeſentaret. Quod ſequitur, *novalem eſſe terram praeciſa*, ut eſt in Florentino: pro eo ſcribitur in aliis, *proſciſſa*. Male! nam & Graeci προτμηθεῖσαν vertunt. CXXVII.

Licet, opinor, cuivis in hoc genere commentationis exponere, quae ad animum ei accidunt; ſine praejudicio receptae ſcripturae. Quum in *l.* 35. *h. t.* dicitur, *Si ſtatim judicii accepti tempore res ei reddita fuiſſet*: Graeci, *Tempore judicii accepti*, vertunt, ἐν καιρῷ προκατάρξεως, quod eſt quidem, *Tempore conteſtationis litis*: ſed videtur interpretari non illud, *accepti judicii*; ſed vel *coepti judicii*, vel *accepti*. Nam κατάρχεσθαι non eſt accipere, ſed occipere, vel incipere vel inchoare. Et litis conteſtatio recte dicitur προκάταρξις δίκης, litis occeptio vel inchoatio, quia vere per eam inchoantur judicia, *l.* 1. *C. de lit. conteſt. l. amplius* 15. *C. rem rat. hab.* Facit huc etiam, quod accipere judicium, non modo de reo dicitur, ut aperte in *l.* 34. *D. de judic.* & *l.* 8. §. 2. *Qui ſatiſd. cogant* verumetiam referri ad actorem videtur, ut heic Et conſidera quaeſo, Lector, exempla, quae hoc loco tibi ob oculos ponam. Videbis alicubi Graecos accipiendi verbum non reperiſſe. In *l.* 30. *D. de judic.* ait Jurisconſultus: *Ubi acceptum eſt ſemel judicium, ibi & finem accipere debet.* Quis non perſpicit heic debere vocem *finis* alicui reſpondere voci, quae praeceſſerit? Graeci ſane recte, ἔνθα ἡ προκάταρξις, ἐκεῖ καὶ τὸ πέρας: *ubi inchoatio, ibi & finis.* Vix ergo dubitem, eos legiſſe, *Ubi coeptum* (vel *occeptum*) *eſt ſemel judicium, ibi & finem accipere debet.* Prorſus ut in *l.* 49. *D. eod.* dicitur, res ſive lis coepta. Sic in *l.* 18. §. 4. *D. de jur. fiſc.* dicitur, in metallum datos poſſe etiam poſt damnationem exſequi *cauſſas, quas ante damnationem coeperunt.* Heic etiam Graeci cauſſas προκαταρχθείσας reddunt, hoc eſt, *inchoatas*. CXXVIII.

Rurſus in *l.* 2. *C. de plus petit.* quum dicitur, *Ante litem inchoatam:* Graeci vertunt, πρὸ τῆς προκαταρξεως & in *l.* 2. *C. de juram. propt. calum. Lites inchoatus*, ἀρχθείσας. Quibus omnibus in locis Graeca Latinis accurate reſpondent. Cur igitur negemus, eos & in *l.* 35. *de verb. ſignific.* forſitan legiſſe, *Judicii coepti* (vel *accepti*) *tempore* & in *l.* 30. *D. de judic. Ubi coeptum* (vel *acceptum*) *eſt ſemel judicium, ibi & finem accipere debet:* & in *l.* 164. *de reg. jur. Poenalia judicia ſemel coepta*, vel *accepta:* quum ubique ponatur a Graecis verbum προκατάρχεσθαι, & προκατάρξις, quae incipiendi & inchoandi ſignificationem habent? Non inficior equidem, recte dici, *judicium accipere:* ſed ex iis, quae dixi, colligo, videri quibusdam in locis alterum verbum illud Graecos reperiſſe: praeſertim quum in his nusquam eos vertiſſe videam, δίκην δέξασθαι, quod eſſet, *litem accipere:* ſicut *capere* λαβεῖν, *accipere* δέξασθαι interpretantur, in *l.* 71. *D. h. t.*

CCXXIX. *Ead. l.* 71. Florentinus liber habet *Accipere. & ſi quis non accepit, ut habeat.* Graeci vero legerunt: *Accipere, & ſi quis non ſic accepit, ut habeat.* κἂν οὐχ οὕτως τις ἐδέξατο, ἵνα ἔχῃ. Ibidem ad illa verba, *His rebus recte praeſtari:* ſubjiciunt verbum ὡμολόγησε, *ſpopondit, aut promiſit.*

CCXXX. In *l.* 77. *in princ. D. eod.* ſic noſtri: *Frugem pro reditu appellari.* Graeci verbum ἤρεσεν adjecerunt, *Frugem pro reditu appellari placuit.* Et quod ſequitur, *Non ſolum* " *quod* " *frumentis, aut leguminibus: verum &* " *quod* " *ex vino, ſilvis caeduis*, *capitur:* ita vertunt, οὐ μόνον τὸν (ſcilicet καρπὸν) ἀπὸ σιτικῶν, ἢ ὀσπρίων, ἀλλὰ καὶ τὸν ἀπὸ οἴνου, ἢ ὕλης τεμνομένης. Conſtat autem, aſteriſcis inſula non inventa in archetypo. Videntur igitur hoc modo legiſſe: *Frugem pro reditu appellari placuit, non ſolum ex frumentis, aut leguminibus: verum & ex vino, ſilvis caeduis, cretifodinis, lapidicinis.* Ut omnino verbum *capitur*, tanquam irrepetitium excludatur. Et videtur ſane adjectum, ut illi, *Quod*, bis antea inſcite poſito reſponderet.

CCXXXI. *Initium legis* 88. *D. eod.* in editione Florentina eſt, *Tantum quisque pecuniae relinquit.* Apud Graecos σχεδὸν praecedit, ſicut & manuſcripti quidam habent, *propemodum tantum.* Ibidem, quod noſtri dicunt, *Centies aureorum habere*, Graeci ἑκατοντάκις ἑκατὸν χρυσοῦς ἔχειν interpretantur. In *l.* 104. quae Graeca eſt, haec verba; ἡ τῶν τέκνων προσηγορία καὶ ἐπὶ τοὺς ἐγγόνους ἐκτείνεται: caeteroqui cum Baſilicôn ſcriptura conveniunt, niſi quod poſtrema ſic ſcribuntur, καὶ εἰς τοὺς ἐγγόνους.

CCXXXII. In hoſtium definitione, *l.* 118. *h. t.* noſtri legunt. *Qui nobis, aut quibus nos publice bellum decreverunt.* Graeci, non δημοσίᾳ, quod eſſet *publice*, ſed δημόσιον πόλεμον interpretantur: ut eorum lectio fuerit, *Quibus nos publicum bellum decrevimus.* In *principio autem legis* 123. *h. t.* quis non videt, in his aliquid deſiderari, vel ea, (ut ita dixerim) hiulca videri? Quod eſt nobis neceſſarium ſcire, & codicilli ita confirmati teſtamento fuerint, & caetera. Graecorum haec verba ſunt: ὅπερ ἀναγκαῖόν ἐστιν ἡμῖν εἰδέναι. καὶ ὅταν κωδίκελλοι ὦσι βεβαιωθέντες ἐν διαθήκῃ. Ergo diſtinctione, ſive στιγμῇ τελείᾳ, poſt verbum *ſcire* poſita, &, inchoata deinde nova periodo cum adjectione particulae, quae in Graecis extat, in Latinis omnibus editionibus deſideratur: locum hoc modo habebimus integrum: *Verbum erit interdum etiam praeteritum, nec ſolum futurum tempus demonſtrat; quod eſt nobis neceſſarium ſcire. Et cum codicilli ita confirmati teſtamento*, Quod in codicillis ſcriptum erit, *utrumne futuri temporis demonſtratio fiat, an etiam praeteriti, ſi ante ſcriptos codicillos quis relinquat? quod quidem*, & caet.

CCXXXIII. *Legis* 164. *h. t.* §. 1. his paucis verbis Graeci explicant: ὁ λέγων μέρος, καὶ μὴ προσθεὶς ποῖον τὸ ἥμισυ δηλοῖ: hoc eſt, *Qui partem dicit, nec adjicit qualem: dimidium ſignificat.* Ex his verbis intelligitur, nomen *partitionis* hoc loco non ita convenire, quidquam in codice Florentino reperiatur, ut illud in editionibus vulgatis, *portionis* nomen: quippe μέρος portio quidem eſt, ſed non partitio.

Legis 201. *D. eod.* haec verba ſunt *Juſta interpretatione recipiendum eſt, ut appellatione filii, ſicuti filiumfamilias contineri ſaepe reſpondimus, ita & nepos videatur comprehendi.* Ea ſic Graeci: τῇ δὲ υἱοῦ καὶ τῇ τῶν ἐξουσίαν προσηγορίᾳ καὶ οἱ ἔγγονοι περιέχονται. De quibus colligere licet, eos ita legiſſe: *Ut appellatione filii, ſicuti filiumfamilias*, & caet. non autem, *filiumfamilias.* Prorſus ut & in *l.* 220. *in princ. D. h. t.* vertunt: τῇ τῶν παίδων προσηγορίᾳ καὶ τῇ τῶν ὑπεξουσίων, ἔγγονοι, καὶ ἀπέγγονοι, καὶ πάντες οἱ ἐξ αὐτῶν δηλοῦνται. Ubi noſtris Latinis in libris illa verba, καὶ τῇ τῶν ὑπεξουσίων, hoc eſt, *& filiorumfamilias*, plane deſiderantur. Quod ſi magis lubeat alteram lectionem retinere, referetur ad *l.* 116. *ſup. hoc tit.* Labeonisque ſententiam contra Proculum confirmabit. CCXXXIV.

Haec poſtrema verba *legis ult. d. t. Et tota reſtitutio, juris eſt interpretatio*; ſic Graeci reddiderunt: πᾶσα γὰρ ἀποκατάστασις οὐ μόνον τοῦ σώματος, ἀλλὰ καὶ τοῦ δικαίου ἐστίν: hoc eſt; *Omnis enim reſtitutio non ſolum corporis* (id eſt, rei) *ſed & juris eſt.* Haec ego verba quum accuratius conſidero, vel abundare Latinis exemplaribus vocem ultimam, videlicet *interpretatio*, ſuſpicor, quam ne Graeci quidem reddiderunt. vel ita legendum: *Et tota reſtitutio, juris eſt praeſtatio.* Judicium penes eruditiores eſto! nam nihil temere mutandum ex conjecturis arbitror. CCXXXV.

In definitione regulae, quae traditur in *l.* 1. *D. de reg. jur.* inter alia dicitur eſſe, de ſententia Sabini, *quaſi quaedam cauſſae conjectio.* Recte quidem hoc interpretantur, altera lectione rejecta, quae, pro *conjectio*, reponit *conjunctio.* Graeci σύνδεσμον verterunt, non (ut equidem arbitror) ad alteram hanc lectionem reſpicientes; ſed potius ad conjectionis vocabulum, quod σύνδεσμον interpretantur, quaſi dicas colligationem rei, vel in breve coactionem, vel conſtrictionem cauſſae. Recte ſane! *Legis* autem 3. *h. t.* ſimpliciſſimam lectionem eſſe arbitror, ſi Graecorum auctoritatem ſequi volemus: *Ejus eſt nolle, qui poteſt velle.* Nam his illa reſpondent, ὁ δυνάμενος θέλειν, δύναται καὶ μὴ θέλειν: *Qui poteſt velle, poteſt & nolle.* Quae ſane lectio Graecorum Haloandrum excuſat. Et probari recte videtur ex *l.* 4. *D. de acquir. vel omitt. hered.* cujus verba ſunt. *Nolle adire hereditatem non videtur, qui non poteſt adire.* Sequitur enim hinc, eum, qui hereditatem adire poſſit, etiam repudiare poſſe, quod eſt, nolle adire. Prorſus, ut nolle poſſit is, qui & velle poteſt. ſicut e diverſo ſimpliciter nolle non videtur, in cujus poteſtate non eſt velle. Sane quibusdam in locis nonnulli de hisce negationibus acriter litigant, ubi Graecos aliter ſenſiſſe deprehendo; velut in *l.* 79. §. 1. *D. de verb. ſignific.* quum dicitur: *Utiles impenſas eſſe, quae meliorem dotem faciant, non deteriorem eſſe non ſinant.* Heic tradunt illam priorem negationem a quibusdam non recte omitti: quod tamen a Graecis fieri video, quorum verba ſunt, οὐ μὴν συγχωρίσας εἶναι αὐτὴν χείρω: hoc eſt, *non etiam ſinentes eam eſſe deteriorem*: ſicut idem οὐ μὴν in *fine legis ejusdem* ſimiliter ponunt, ubi dicitur, *Non etiam fructum augent.*

Legis 23. *in fin. D. h. t.* verba ſunt, *Animalium vero caſus, mortes, quaeque ſine culpa accidunt*, & caet. CCXXXVI. Heic quum poſt τύχαι, qui ſunt fortuiti caſus, ſequatur in ipſorum interpretatione, καὶ τὸν χωρὶς ῥᾳθυμίας θάνατον legiſſe videntur: *Mortes quae* (non *quaeque*) *ſine culpa accidunt.* Itidem in *princ. l.* 27. quum dicitur; *nec ex praetorio, nec ex ſollemni jure* (quod perinde eſt, ac ſi diceretur, *Nec in praetorio, nec in ſolemni jure*) *privatorum conventione quidquam immutandum eſt, quamvis obligationum cauſſae pactione poſſint immutari*, & caet. Graeci vocem κατοχὴν ſic inſerunt, ac ſi legiſſent: *Quamvis obliga-*

ligationum cauſſae pactione poſſint initio immutari. Recte! nam ita ſtatim etiam ſequitur, actionum modum privatorum pactionibus non infirmari; niſi tunc, *quum inchoatur* actio, in eos convenit. Et ſunt ſane verbi *poſſint* litterae poſtremae, atque priores illius, quod ſequitur, ejusmodi; hanc ut vocem *initio* propemodum forment, omiſſam poſtea negligentibus a librariis, veluti ſuperfluam.

CXXXVIII. In *l.* 33. *h. t.* poſtrema iſtaec verba ſunt, *Durior cauſſa eſt petitoris.* Quae quum Graeci vertant, χεῖρον ἐστὶν ἡ τοῦ ἐνάγοντος αἰτία, legiſſe videntur pro *durior*, *deterior*; cui reſpondet Graecum illud χεῖρον. *Sic deterior conditio l.* 86. & prorſus ut heic, *deterior cauſſa*, *l.* 87. *D. h. t.* In *l.* vero 44. recte notatur his verbis, *Toties in heredem damus*, ſubintelligi actionem. Nam hoc Graecorum quoque more fit: ut in *ſequenti l.* 47. ἐπεὶ δὲ τὸ κατὰ δίκην (ſcilicet συμβολῆς) ἁρμόζει ἡ περὶ δόλου. Subauditur enim ἀγωγή.

CXXXIX. In *l.* 78. *D. h. t.* quum noſtri legunt, *Non quod habeat actor*, Baſilicorum libri vertunt, τὸ οὐκ ἔχων ὁ ἐνάγων, addita negatione: ac ſi reperiſſent in ſuis exemplaribus, *Non quod non habeat actor. Lege* 110. *in fin.* ſic in Florentina & aliis quibusdam editionibus legitur: *mulieribus tunc ſuccurrendum eſt, quum defendantur.* Poſtremum hoc alii mutant in *defraudentur*. Sed Florentina cum Graecis conſentit, qui vertunt εἰς τὸ διαδικασθῆναι, ſed rectius forte, *quum defendantur*.

CXL. In *l.* 119. *h. t.* Graecos non legiſſe, *Qui dumtaxat omittit poſſeſſionem*, ſed *amittit* (nam ea vis eſt verbi ἀποβάλλεσθαι) ſupra notavimus. Sed hoc loco lubet indicare, videri legendum omnino cum Graecis; *Non alienat, qui dumtaxat amittit poſſeſſionem* Atque illa verba ſic etiam reponenda in *l.* 4. §. 1. *D. de alienat. judic. mutand. cauſ. factu.* Nam hoc ipſum amittere poſſeſſionem, nihil eſt aliud, quam poſſidere deſinere ſine dolo malo: ſicut in *d. l.* 4. *princ.* Juriſconſultus ipſe loquitur.

CXLI. In *l.* 128. §. 2. noſtri codices Latini lectionem hanc ſequuntur: *Qui in univerſum jus ſuccedunt heredis loco habentur.* Graeci vero quum ita reddiderint, ὁ εἰς ὁλόκληρον διαδεξάμενος, ἀντὶ κληρονόμου ἐστι, videntur, omiſſa voce *Jus*, hoc modo legiſſe: *Qui in univerſum ſuccedunt.*

CXLII. *Paragraphus* ſive thematium poſterius *legis* 134. *h. t.* ſic noſtris in libris legitur: *Nemo ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt.* Graeci vero his verbis interpretantur: οὐδεὶς ἐκ τοῦ ἰδίου δόλου κρείττονα ποιεῖ τὴν ἰδίαν αἵρεσιν. Nemo non videt, aliam ſequutos lectionem, qui pro *delicto*, ſubſtituerint *dolo.* Nam delictum ſemper alias interpretantur ἁμάρτημα. Pro Baſilicorum lectione facit *l. verum* 63. §. 7. *D. pro ſoc.* ubi totidem prope verbis idem Ulpianus ait: *Nec enim aequum eſt, dolum ſuum quemquam relevare.* Et citantur utraque de libris iisdem Ulpiani ad Edictum.

CXLIII. *Legis* 161. *in princ. h. t.* (ſequor autem Florentini exemplaris auctoritatem in ſerie legum) haec verba ſunt: *In iure civili receptum eſt, quoties per eum, cujus intereſt conditionem non impleri, fiat, quo minus impleatur; perinde haberi, ac ſi impleta conditio fuiſſet.* Ab *initio libri hujus ſecundi Notatorum* monui, non pauca Juriſconſultorum in libris reperiri, in quibus negantium vocularum vel adjectio, vel detractio, magnam perplexitatem efficiat. Id hoc in loco videre eſt. Nam particula negans, ante verbum *impleri*, prorſus a Baſilicis abeſt. Et vide quaeſo, an non ea lectio conſentanea videatur verbis *legis* 157. §. *ſemper* 1. *D. h. t.* ubi dicitur: *Semper qui dolo fecit, quo minus haberet, pro eo habendus eſt, ac ſi haberet.* Immo, quod certius eſt argumentum, quum in *l.* 24. *D. de condit. & demonſtrat.* haec ipſa verba repetita ſint (incertum, permutatis Juliani & Ulpiani nominibus, an ex alia quadam obſcura cauſſa) tamen eo loco in majore numero bonorum exemplarium, atque etiam in Florentino, negatio non exſtat. Itaque concludo, non hanc abs re noſtris ab auctoribus τῶν Βασιλικῶν heic etiam omiſſam.

Legem 162. *h. t.* cujus verba ſunt, *Quae propter neceſſitatem recepta ſunt, non debent in argumentum trahi:* ſic Graeci vertunt: τὰ δὲ ἀνάγκῃ παρὰ κανόνα νόμου δεχθέντα οὐκ ἕλκεται εἰς ὑπόδειγμα. De quibus animadvertere licet, eos poſt, *neceſſitatem*, inſerere παρὰ κανόνα νόμου, quod eſt, *contra rationem juris.* Haec enim Latina verba ſic reddiderunt in *l.* 141. *D. h. t.* Num autem ſuis in libris ea repererint hoc etiam in loco, an huc ex indicata *l.* 141. ſcholii vice tranſtulerint; equidem certe definire nequeo. CXLIV.

Principium legis 163. *h. t.* ſic legitur in editione Florentina: *Caſus eſt donandi, eidem & vendendi & concedendi jus eſt.* Id ipſum Graeci verbis hiſce vertunt, ὁ ἔχων ἐξουσίαν. ut omnino ſcilicet eos legiſſe conſtet, *Cui jus eſt donandi:* voce nimirum *cajus* ex *cui jus* contracta. CXLV.

Quum *legis* 168. §. 1. verbis hiſce Graeci ſint interpretati, ἐν τοῖς ἀσαφέσι τὸ φιλανθρωπότερον ἑρμηνεύομεν: hoc eſt, *in obſcuris quod benignius eſt interpretamur:* aliter, quam nos, legiſſe videntur. Quumque conſtet, in editionibus vulgatis non *rapienda*, ſed *capienda* legi; & verbo ἑρμηνεύεσθαι Graeci ſint uſi: fortaſſe dixerit aliquis, eos reperiſſe ſcriptum, *capienda interpretatio eſt*; niſi forte longius hoc ab alterius vocis ſcriptura recedit. In §. quidem *ſequenti* ſimiliter dixit, *interpretationem capere:* ubi tamen hoc fieri tradit ex affectione cujusque, non ex eo, quod eſt benignius; ne quis ſcilicet exiſtimet, hiſce verbis ſecundam legis partem eſſe redditam. CXLVI.

Equidem vix dubito, quum verba *legis* 180. *h. t.* quae ſunt hujusmodi, *Quod juſſu alterius ſolvitur, pro eo eſt, quaſi ipſi ſolutum eſſet;* Graeci ſic verterint, ἐγὼ δοκῶ λαμβάνειν, ὅπερ καὶ κελεύσαντός μου ἑτέρῳ δέδοται, vel ſic eos ſcriptum inveniſſe, *Quod juſſu alteri ſolvitur*, vel, *quod juſſu alterius alteri ſolvitur*, &c. Et habes exempla quum alibi, tum in *l.* 1. §. *ſi juſſerim* 21. *D. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. & in l.* 9. *in princ D. de condict. cauſ. dat.* argumento a contrario ſenſu ducto: *Si juſſu mulieris ſponſo ejus numeravi, nuptiis ſequutis ipſi numeraſſe videor.* CXLVII.

Quum verba *legis* 184. *h. t.* ſicut in noſtris libris leguntur, cum iis confero, quae Graeci reddiderunt: video quamdam aliam lectionem illos eſſe ſequutos. Noſtri, *vani timoris juſta excuſatio non eſt*, inquiunt. Illi, ὁ ἄλογος καὶ μάταιος φόβος οὐ συμβάλλεται. Verbum συμβάλλεσθαι Graeci, & noſtri praeſertim Baſilicorum auctores, ita uſurpant; ut Latini verbum *prodeſſe.* Itaque ſenſus erit illorum verborum: *vanus & abſurdus* (id eſt, nulla ſubnixus ratione) *timor nihil prodeſt*, vel pro nihilo ducitur. At quantum eſt diſcrimen inter *excuſari*, & *non prodeſſe*, vel *pro nihilo duci?* Quippe quod pro nihilo ducitur, nec prodeſt, id nullius quidem aeſtimatur; ſed non continuo etiam excuſatur. Quamobrem ut, quid ego ſentiam, breviter indicem: puto corruptam ſcripturam eſſe, ac more veteri permutatis inter ſe litteris X. & S, quas hodie Gallica quoque lingua, ſicut & Hiſpanica, citra diſcrimen in plurimis vocabulis inter ſe permutat, ſcriptum vetuſtis in libris fuiſſe, *vani timoris juſta extimatio non eſt.* Ego quidem certe saepiſſime verbum *extimandi*, pro *aeſtimandi*, manuſcriptis in libris reperi. Poſtea vero librarios ſcriptores arbitror *extimatio* mutaſſe in *excuſatio.* Confirmat hanc opinionem meam *l.* 13. *D. de re judic.* ubi eadem verba repetuntur, ſed ita perſcripta, ſicut ego ſcribenda divinaveram: *Neque enim vani timoris ulla aeſtimatio eſt.* Auctor & *illius legis* & *hujus*, citatur Celſus. hoc tantum diſcriminis eſt, quod in *d. l.* 13. *d. t.* mentio fit libri 6. Digeſtorum Celſi, de quo exſcripta verba ſint: heic ſeptimi. Sed talem errorem, praeſertim in librorum numeris exprimendis, a librariis committi, non inſolens eſt. CXLVIII.

Ad libros Codicis Juſtinianei.

CCLIX *LEX* 4. *C. de ſumma trinitat.* ponitur illa quidem a Graecis in Ecloga Baſilicorum, ſicut a Tribuniano, & aliis epitomata fuit: ſed quum non integram conſtitutionem Graecam, in vetuſto libro deſcriptam, invenerimus; gratam rem ſtudioſis antiquitatis nos facturos exiſtimavimus, ſi eam hoc loco tam Graece, quam Latine, ex interpretatione noſtra ſubjiceremus.

Οἱ βασιλεῖς ΦΛΑΒΙΟΣ ΟΥΑΛΕΝΤΙΝΙΑΝΟΣ, καὶ ΦΛΑΒΙΟΣ ΜΑΡΚΙΑΝΟΣ, αἰώνιοι Αὔγουστοι, τοῖς πολίταις ἡμῶν τῆς Κωνσταντινουπόλεως.

Μόλις ποτὲ τὸ διὰ μεγίστης εὐχῆς ὑπάρχον ἡμῖν καὶ σπουδῆς ἀποβέβηκε, καὶ ἡ περὶ τὸν νόμον τῶν ὀρθοδόξων Χριστιανῶν ἀναφυεῖσα φιλονεικία γεγένηται, μόλις εὕρηται τὰ τῆς ἐπιψόγου πλάνης ἰάματα, καὶ τῶν δήμων ἡ διαφωνοῦσα διάνοια πρὸς μίαν ἀνελήλυθε συνέλευσιν καὶ ὁμόνοιαν· ἐκ διαφόρων γὰρ ἐπαρχιῶν ἐλθόντες κατὰ τὴν ἐν Χαλκηδόνι πόλει ἐπίσκοποι συνηθροίσθησαν ἐξ ἡμετέρου προστάγματος, καὶ δι' ὅρου σαφοῦς ἐστὶ τῇ θρησκείᾳ τί δεῖ παραφυλάττειν ἐδίδαξαν. ἡ βέβηλος τοίνυν ἔρις τὸ λοιπὸν σχολαζέτω. καὶ γὰρ ἀληθῶς ἀσεβὴς καὶ ἱερόσυλος, ὃς μετὰ τοσαύτας ἐπισκόπων ἀποφάσεις, τῇ οἰκείᾳ ποτὲ γνώμῃ καταλιμπάνει πρὸς ἔρευναν· „ἐσχάτης δηλονότι μανίας ἐστί, τὸ μεσούσης τῆς ἡμέρας φῶς ἐπιτεχνημένον „ζητεῖν, ὁ γάρ τι μετὰ τὴν εὕρεσιν τῆς ἀληθείας διερευνώμενος ἐρευνᾷ „ψεῦδος ζητεῖ.

Μηδεὶς δὲ κληρικός, ἢ στρατευόμενος, ἢ ἑτέρας αἱρέσεως οἱασδήποτε, περὶ τῆς τῶν Χριστιανῶν πίστεως δημοσίᾳ, συναγομένων ὄχλων καὶ ἀκροωμένων, εἰς τὸ ἑξῆς διαλέξεις ποιεῖσθαι τολμάτω, ταραχῆς ἐκ τούτου καὶ κακοδοξίας προφάσεις ἐπινοῶν. τὴν κρίσιν γὰρ ὑβρίζει ποτὲ τῆς ἁγίας συνόδου, ὅστις ἂν τὰ ἅπαξ κριθέντα καὶ ὀρθῶς τυπωθέντα πάλιν ἀνακυλίειν ἐκ διαλέξεως καὶ δημοσιεύειν φιλονεικεῖ. ἐπείπερ τὰ νῦν περὶ τῆς τῶν Χριστιανῶν πίστεως ὁρισθέντα, κατὰ τὰς τῶν τιη΄. ἐν Νικαίᾳ διδασκαλίας, καὶ τῶν ρν΄. ἐν τῇ βασιλίδι ταύτῃ πόλει, τυπωθέντα γινώσκεται. οὐδὲ γὰρ ἐλλείψει τιμωρία κατὰ τῶν τοῦδε καταφρονούντων τοῦ νόμου. ἐπειδήπερ οὐ μόνον κατὰ τῆς πίστεως τῆς καλῶς ἐκτεθείσης ἐναντία χωροῦσιν, ἀλλὰ καὶ Ἰουδαίοις τε καὶ ἕλλησιν * [illegible] διὰ τῆς τοιαύτης φιλονεικίας τὰ σεπτὰ ποιοῦσι μυστήρια. εἰ τοίνυν μὲν εἴη κληρικός, ὁ περὶ θρησκείας δημοσίᾳ φιλονεικεῖν τολμῶν, ἀποκινηθήσεται τοῦ καταλόγου τῶν κληρικῶν· εἰ δὲ στρατείᾳ κοσμούμενος, τὴν ζώνην ἀφαιρεθήσεται· καὶ οἱ λοιποὶ δὲ ἔνοχοι τοῦ ἐγκλήματος τούτου τῆς βασιλίδος αὐτῆς ἐλαθήσονται πόλεως, κατὰ τὴν τῶν δικαστηρίων κίνησιν καὶ ταῖς ἁρμοζούσαις ὑποβληθησόμενοι τιμωρίαις. Δῆλον γάρ, ἐντεῦθεν τῇ μανίᾳ τῇ τῶν αἱρετικῶν τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐκκαύσεις παρέχεσθαι, ἐν ὅσῳ τινὲς δημοσίᾳ διαλέγονται καὶ ἐρίζουσιν. ἅπαντες τοίνυν τὰ παρὰ τῆς ἁγίας ἐν Χαλκηδόνι συνόδου ὁρισθέντα παραφυλάττειν ὀφείλουσι, τὸ λοιπὸν μηδὲν ἀμφιβάλλοντες. Διὰ τοῦτο τοιγαροῦν ὑπομνησθέντες τοῦ τῆς γαληνότητος ἡμῶν διατάγματος, τῶν ἀσεβῶν φωνῶν ἀπαλλάξατε, καὶ τοῦ περὶ τὸ θεῖον περαιτέρω ζητεῖν, ὅπερ ἀθέμιτον ἐπειδήπερ οὐ μόνον ἐκ θείας κρίσεως, καθάπερ πιστεύομεν, τὸ ἁμάρτημα τὸ τοιοῦτον τιμωρηθήσεται, ἀλλὰ γὰρ καὶ τῇ τῶν νόμων καὶ τῇ τῶν δικαζόντων αὐθεντίᾳ σωφρονισθήσεται. Ἐδόθη πρὸ ἑπτὰ εἰδῶν φεβρουαρίων ἐν Κωνσταντινουπόλει.

Impp. Fl. Valentinianus & Fl. Marcianus, perp. AA. civibus noſtris urbis Conſtantinopolitanae.

VIX tandem aliquando proſpere ceſſit, quod ſummopere nobis in votis ac ſtudio fuit; ut orta de orthodoxorum Chriſtianorum lege controverſia prorſus exterminaretur: vix errori culpabili remedia ſunt reperta, & diſſentiens populorum animus ad unam congregationem concordiamque rediit. De diverſis enim provinciis, mandatu noſtro, Chalcedone religioſi Epiſcopi convenerant, & perſpicue definiendo tradiderant, quid in religione ſit obſervandum. Quapropter in poſterum profana rixa ceſſet. Impius enim, ſacrilegusque reapſe fuerit, qui poſt tot Epiſcoporum ſententiam, ſuo quid animo perſcrutandum relinquere velit. Extremae nimirum eſt inſaniae, commentitiam in ipſo meridie lucem quaerere. Nam qui poſt repertam veritatem aliquid alterius inveſtigat, mendacium quaerit.

*Igitur nemo clericus, vel militaris, vel alterius cujuslibet conditionis, de Chriſtianorum fide, turbis publice collectis & auſcultantibus, in poſterum diſputationes inſtituere conetur; ut ex hoc tumultus, & perverſae doctrinae occaſiones captet. Nam ſacrae ſanctae ſynodi judicio facit injuriam, qui ſemel judicata, recteque conſtituta, rurſum revolvere diſputando, publiceque tractare contenderit: quum ea, quae nunc de fide Chriſtianorum definita ſunt, tam juxta CCCXVIII. Nicaeae, quam CL. Patrum, in urbe hac imperatrice collectorum, doctrinas eſſe ſancita conſtet. Nec enim in legis hujusce contemptores poena deerit, quum non tantum fidei recte explicatae adverſando ſemet opponant: verumetiam per hujusmodi contentionem Judaeis ac paganis veneranda myſteria prodant & evulgent. Itaque ſi clericus erit, qui publice rixari de religione fuerit auſus, numero clericorum expungitor: ſin ornamenta militiae habuerit, cingulo ſpoliator: ceteri criminis hujus rei de urbe hac Imperatoria pelluntor, pro vigore judiciario convenientibus etiam poenis ſubjiciendi. * Nam eo ipſo, quod publice quidam diſputant atque rixantur, manifeſtum eſt; haereticorum furori occaſiones, & quaſi flammarum fomites ſuppeditari. Quapropter univerſi ea, quae a ſacra Chalcedonenſi ſynodo definita ſunt, de nullo deinceps dubitantes, obſervare debent. Itaque hos noſtrae ſerenitatis Edicto commoniti, vocibus impiis ati, & ulterius de divino numine perquirere, quod nefas eſt, deſinite: quando non divino judicio tantum, uti nos quidem perſuaſi ſumus, hujusmodi peccatum punietur: ſed etiam legum ac judicum auctoritate caſtigabitur. Dat. a. d. VII. eid. Febr. Conſtantinop.*

Hic incipiunt verba l. 4. C. d. t.

* Hic d. l. verba deſinunt.

Epitomen *legis* 16. *C. de ſacroſ. eccleſ.* A. Auguſtinus ex *libro Paratitlorum* repoſuit. Ejus aliam brevem & elegantem epitomen ſuppeditat Ecloga noſtra Baſilicorum, verbis hiſce: ὁ συγγραψάμενος δωρεαστικὸν ἐπὶ τῷ εὐκτήριον οἶκον κτισθῆναι, ἢ ξενῶνα, ἢ νοσοκομεῖον, ἀπαιτείσθω παρὰ τῶν ἐπισκόπων καὶ οἰκονόμων τὰ ὑποσχεθέντα. διοικείτω μέντοι κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτῷ: hoc eſt, *Ab eo, qui donationis inſtrumentum confecit, extruendi oratorii, vel Xenonis, vel noſocomii nomine, promiſſa per Epiſcopos & oeconomos exigantur. Nihilo tamen minus arbitratu ſuo res adminiſtret.* CCLX

Manifeſtum mendum eſt in *l.* 19. *C. h. t.* quod tamen e nullis hactenus editis libris, quos mihi videre contigerit, ſublatum video. Nam quum ibi dicitur, *Iſtae donationes etiam circa actorum confectiones convaleſcant:* nemo non videt, priora cum his conferens, parum idoneam ex his ſententiam elici. Quapropter Graecos ſequentes, unica voce mutata locum reſtituerimus. Nam illi verterunt, μὴ χρείας ἴσω πράξεως ὑπομνημάτων. Ergo legemus, *Iſtae donationes etiam citra* (non, *circa*) *actorum confectiones convaleſcunt.* CCLXI

Epitomen *legis* 20. *d. t.* Contius in editione Lugdunenſi poſtrema brevem poſuit. In Ecloga Baſilicorum noſtro paulo plenior haec exſtat: Μηδὲ ἀπὸ θείου τύπου, ἢ ἀρχόντων προστάξεως, στρατιωτικὴ σίτησις εἰς εὐκτηρίους οἴκους, ἢ κληρικούς, ἢ καὶ μοναστήρια μεταγέσθω. ὡς ἐλλειπόντων δῆθεν τοῖς ἀριθμοῖς σωμάτων: hoc eſt; *neque ex ſanctione divina, vel praeſidum juſſa, annona militaris ad oratoria, vel ad clericos, vel ad monaſteria transfertor; tamquam deficientibus perſonis in ipſis numeris.* CCLXII

In *l.* 22. *C. de Epiſc. & cleric.* ultimae partis haec verba; *Scituri, quod ſi citra hanc fiduciam acceſſerint, ſibimet imputabunt, quod non clerici vel monachi eſſe putabuntur:* Graeci ſic interpretantur, καὶ μὴ νομιζέσθω ὅλως κληρικὸς ἢ μοναχός, ὁ εὐλαβῶν ἐκτὸς τοῦ οἰκείου ἐπισκόπου τὰ κομιτάτου καταληφθείς. Ergo citra fiduciam accedere, Graecis eſt εὐλαβῶν ἐκτός, hoc eſt, *abſque ſyllabis Epiſcopi:* quod per ſcholion hoc rurſus ita declaratur, ut εὐλαβαὶ intelligantur γράμματα, ſive litterae. CCLXIII

Quod

Quod frequens eſt, ut *l. 7.* quae Graeca eſt, *in princ. C. de ſumm. trinitat.* Et vetus gloſſarium vocem *adfatus* exponit συλλαβαί, γράμματα: ut *adfatus ſacri*, pro litteris ſive reſcriptis Principis in *l. 6. C. de divers. reſcript.* Itidem notatur in Ecloges margine τὸ κομιτάτον ſignificare τὴν πόλιν, hoc eſt, urbem Imperatoriam, vel aulam, & praetorium Imperatoris, quae plerumque ad urbem erant. Sic uſurpatur in *l. ult. C. de temp. & reparat.* Item *l. unic. C. Quando imp. inter pupill.* Item *l. ult. C. de dignit. lib.* 12. Sic & Gratianus utitur, *cau.* 23. *qu.* 8. *c. quo auſu* 26. *& ſeq.*

CLIV. Protuli paulo ante in lucem *l. 4. C. de ſum. trinit.* quemadmodum ea lata fuit a Marciano A. id eſt, integram, & talem, qualis ante confectionem *Codicis Juſtinianei* fuit. Idem lubet hoc loco praeſtare in reſtitutione *totius legis* 23. *C. de epiſc. & cler.* Nam & illam ego conſtitutionem integram manuſcriptis in libris reperi; quae quidem hujuſmodi eſt:

Οἱ αὐτοὶ * βασιλεῖς Παλλαδίῳ τῷ μεγαλοπρεπεστάτῳ ἐπάρχῳ τῶν πραιτωρίων, Οὐαλεντινιανῷ ἐπάρχῳ τοῦ Ἰλλυρικοῦ, Τατιανῷ ἐπάρχῳ πόλεως, Βιγκομάλῳ μαγίστρῳ τῶν θείων ὀφφικίων καὶ ὑπάτῳ δεσιγνάτῳ.

*ὕπαρχ. Οὐαλεντιν. ὁ Φλ. Μαρκιανός

Περὶ τοῦ ἀνατραπῆναι τὰ κατὰ τοῦ τῆς ὁσίας μνήμης Φλαβιανοῦ τοῦ ἐν ἁγίοις, ἐπισκόπου τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως, καὶ βεβαιωθῆναι τὰ μετὰ ταῦτα ὑπὲρ αὐτοῦ ὑπὸ τῆς ἁγίας συνόδου τυπωθέντα.

Οὐδέποτε δόξα τῷ θανάτῳ τῶν ἐνδόξων ἀπόλλυται, οὐδὲ συναποθνήσκουσι τοῖς τελευτῶσιν αἱ ἀρεταί. μᾶλλον δὲ τῶν ἀγαθῶν ἡ ὑπόληψις αὔξεται τῇ τελευτῇ· ἐπειδήπερ ἅπας ὁ κατὰ τῶν τελευτώντων ἐκποδὼν γίνεται φθόνος. ἐντεῦθεν μετὰ τοσαύτης σπουδῆς καὶ ἐπαίνων τὰ τῶν προγόνων εὐφημεῖται κατορθώματα· ἐντεῦθεν ἡμῖν τῶν ἀρίστων ἡ μνήμη μετὰ μεγίστης ἐπιμελείας * προσκυνεῖται. ἐντεῦθεν τῶν ἀρίστων ἀνδρῶν αἱ ψυχαὶ πολλάκις τὰς εὐκλεεῖς εἵλοντο τελευτάς. συνομολόγηται γὰρ, ἐκείνους μόνους εἰς τὸ διηνεκὲς ἀποθνήσκειν, ὧν ἥτε ζωὴ καὶ ὁ θάνατος σεσιώπηται. τοῦτο καὶ ἐπὶ τοῦ παρόντος οὕτως ἔχειν, ἥτε θεία καὶ ἡ τῶν ἀνθρώπων ἐπιδείκνυσι κρίσις. ὁπότε γὰρ φθόνῳ ψευδεῖ ὑπὸ τῆς ἀναιδοῦς συντεθείσης συκοφαντίας ὁ τῆς ἁγίας καὶ προσκυνητῆς μνήμης Φλαβιανὸς, ὁ ταύτης τῆς ἐνδόξου πόλεως ἐπίσκοπος, τῆς ἀρχιερωσύνης ἦν ἐκβληθεὶς, καὶ ὁπότε κατὰ τὸ ἀληθὲς οὐκ ἠδύνατο τῆς ἐπισκοπῆς τελειότερον, ἔχεσθαι, ἢ τῷ τὴν πίστιν, ἣν παρειλήφει, φυλάττειν. (ἐκεῖνος γὰρ μόνος ἠξίωται τοῦ τυγχάνειν ἐπίσκοπος) ὅμως τὸ τέκνον λείψανον ἡ βασιλικωτάτη αὕτη πόλις ἐζήτησε καὶ ἀπέλαβεν, ὡς μακαριώτερον αὐτὸν πάντων τῶν ζώντων ὀφθῆναι. ὥστε τὴν τελευτὴν ἐκείνην τὴν χαλεπὴν νομισθεῖσαν πιστεύεσθαι δι᾽ εὐχῆς γεγενῆσθαι, δι᾽ ἧς ἐκεῖνος τὴν ἀθάνατον εὐφημίαν ἐπραγματεύσατο. καὶ δὴ τούτοις ἐπηκολούθησεν ἐκεῖνο, ὅπερ τοῖς αὐτοῦ γέρασιν ὁ Θεὸς ἐδωρήσατο, ὥστε προσκυνητὴν σύνοδον ἀναριθμήτων σχεδὸν ἐπισκόπων συνελθεῖν εἰς τὴν Χαλκηδονέων, ἥτις ἐν ὅσῳ τὰ κατὰ τὴν πίστιν ἐπιμελῶς ἐζήτει διὰ τῆς αὐθεντείας μακαριωτάτου Λέοντος τοῦ τῆς αἰωνίας τὴν δόξαν Ῥώμης ἐπισκόπου, καὶ τῆς θρησκείας κυροῖ τὰ θεμέλια, Φλαβιανῷ τὸ βραβεῖον τοῦτο κεχορηγηκότος βίου, καὶ τῆς ἐνδόξου παρέσχηκε τελευτῆς.

Ἐπειδὴ τοίνυν ὁ τῆς προσκυνητῆς μνήμης Φλαβιανὸς τῇ τοσαύτῃ κεκόσμηται μαρτυρίᾳ, ὥστε Εὐτυχῆ τὰ τἀναντία πεφρονηκότα μετὰ τῶν μυσαρῶν αὐτοῦ ῥημάτων καταδικασθῆναι παρὰ πάντων ἑνὶ στόματι, ἀπαλειφθέσθω τὰ διατάξεις ἐκείνης, ἥτις καθ᾽ † ἁρπαγὴν τῶν μυσαρῶν μετὰ τελευτὴν τοῦ τῆς ὁσίας μνήμης Φλαβιανοῦ κατ᾽ αὐτοῦ τεθεῖσα γινώσκεται, καὶ καθόλου σχολαζέτω τὰ ἐξ ἀδικίας τὴν ἀρχὴν ἐσχηκότα, ὥστε ἀδίκῳ ἀποφάσει μηδὲν βλαπτέτω μηδὲ Εὐσέβιον, μηδὲ Θεοδώρητον, τοὺς θεοφιλεστάτους ἐπισκόπους, ὡς ὁ ὅρος ὁ αὐτὸς περιέχει. ἐπειδήπερ οὐ δύνανται ἐκ διατάξεως ἐπισκόποι κατακρίνεσθαι, οὓς ἐπὶ τῇ φυλακῇ τῆς τῆς πίστεως συνοδικὴ ψῆφος ἐκόσμησεν. ἐκβληθείσης τοιγαροῦν τῆς νομοθεσίας ἐκείνης, κατεχέτω τοῦ βίου καὶ τῆς δόξης τῆς ἑαυτοῦ Φλαβιανὸς, ἧσπερ ἠξίωται, τὸν αἰώνιον ἔπαινον· τῆς εὐσταθείας τῆς περὶ τὴν πίστιν τοῖς λοιποῖς ἐσόμενος ὑπόδειγμα. ἡ ὑπέρλαμπρος τοιγαροῦν καὶ μεγαλοφυὴς αὐθεντία σου τόνδε κατηχισθέντα τοῦτον τὸν νόμον, προτεθέντων * ἐδίκτων, εἰς τὴν ἁπάντων ποιήσει γνῶσιν ἐλθεῖν. ἐδόθη πρὸ μιᾶς νωνῶν Ἰουλίων ἐν Κωνσταντινουπόλει, ὑπατείᾳ Σφωρακίου τοῦ λαμπροτάτου, καὶ τοῦ δηλωθησομένου.

* ὑφαρπαγήν.

* ἰδικτῶν.

Iidem Impp. * Palladio magnificentiſſimo P. P. Valentiniano P. P. Illyrici, Tatiano P. V. Vincomalo magiſtro ſacrorum officiorum, & Conſuli deſignato.

* videlicet Fl. Valentinianus, & Fl. Marcianus.

De reſcindendis iis, quae ſtatuta fuerant adverſus religioſae memoriae Flavianum, virum ſanctum, urbis imperatoriae Conſtantinopolis Epiſcopum; deque confirmandis illis, quae poſtea pro ipſo per ſanctam ſynodum decreta ſunt.

*Numquam inclutorum gloria morte extinguitur: nec cum iis, qui vivendi finem faciunt, virtutes quoque commoriuntur: ſed potius bonorum exiſtimatio morte creſcit, quandoquidem omnis adverſus ita functos evaneſcit invidia. Hinc tanto ſtudio, tantiſque cum laudibus, praeclara majorum facta depraedicantur. Hinc memoria praeſtantiſſimorum a nobis maxima cum * benevolentia colitur. Hinc optimorum virorum animi ſaepenumero glorioſos obitus appetiverunt. Nam in confeſſo eſt, illos ſolos in perpetuum mori, quorum vita pariter & mors ſilentio jacet obruta. Id etiam in cauſa praeſenti ſic comparatum eſſe, divino ſimul & humano judicio patet. Etenim quum falſa gravatus invidia, per ſtructam impudenter calumniam, ſanctae venerandaeque memoriae Flavianus, hujus almae urbis Epiſcopus, pontificatu dejectus eſſet (quamvis revera non poſſet aliter epiſcopatum verius plenius que retinere, quam fidem eam ſervando, quam accepiſſet: is enim ſolus eſſe meretur epiſcopus) reliquias tamen ejus urbs iſtaec regia ſic expetiit & recepit, ut omnibus vivis beatior extiterit; & ut illud ei mortis genus, quod grave fuit habitum, ex voto credi poſſit accidiſſe, dum eo praedicationem illam immortalem ſibi comparavit. Atque haec illud etiam comitatum fuit, quod Deus eximiis ejus honoribus conceſſit, ut veneranda ſynodus epiſcoporum prope innumerabilium Chalcedonem conveniret: quae dum de fidei rebus diligenter inquirit, auctoritate beatiſſimi Leonis, aeternam adeptae gloriam Romae epiſcopi, dumque fundamenta religionis confirmat; Flaviano tam vitae tranſactae, quam obitus glorioſi palmam tribuit.*

* al. veneratione.

Quoniam ergo venerandae recordationis Flavianus tanto fuit teſtimonio decoratus, ut Eutyches, qui contra ſenſerat, cum ſceleratis dictis ſuis ab omnibus uno fit ore damnatus: aboleatur illa conſtitutio, quae per obreptionem, opera ſceleratorum poſt obitum ſanctae recordationis Flaviani, adverſus eum lata cognoſcitur; & in univerſum ceſſent, quae originem ex injuria traxerunt. Nec iniqua ſententia quidquam vel Euſebio, vel Theodoreto, religioſiſſimis epiſcopis, noceat; quos idem ſtatutum continet. Quia per conſtitutionem epiſcopi condemnari nequeunt, quos ob fidei conſervationem ſynodale decretum ornavit. Itaque lege illa rejecta, Flavianus vitae gloriaeque ſuae, quam meritus eſt, perpetua laude fruatur, exemplum ſingularis in fide conſtantiae caeteris futurus. Magnifica vero & illuſtris auctoritas tua ſalutarem hanc legem, propoſitis edictis, ad omnium notitiam pervenire faciet. Dat. pridie nonas Julii Conſtantinop. Sphoracio V. C. & qui nuntiatus fuerit, Conſſ.

Huc incipiunt verba legis 23. C. d. tit.

CLV. Habet jam Lector integram conſtitutionem hanc, in lucem revocatam. Ut autem ex ea fructum aliquem capiamus, primum hinc plena inſcriptio legis in *Codice* reſtituitor, hoc modo: *Imp. Valentinianus & Marcianus AA. Palladio P. P. Valentiniano P. P. Illyrici, Tatiano P. V. Vincomalo magiſtro ſacrorum officiorum, & conſuli deſignato.* Deinde corrupta *Fabiani* vox emendator, pro quo reponendus *Flavianus*. Is Conſtantinopolis fuit epiſcopus Eutychianae ſectae ſtrenuus oppugnator & veritatis defenſor. Nam quum Eutyches vel eodem, vel adfini prorſus errore, quem modo propugnant Theolo-

gi quidam, longius extollendae humanae in Chriſto naturae ſtudio provectus. eam cum divina conſunderet, ac in divinam (ſublatis, vel inter ſe permiſtis utriusque naturae proprietatibus) plane poſt unionem converſam diceret: fuere nonnulli viri ſancti, qui huic abhorrenti a doctrina veritatis ſectae ſemet opponerent, praeſertim hic Flavianus & Theodoretus, cujus hodieque praeclara quaedam ſcripta leguntur. Hanc ob cauſſam Theodoſius minor A. alteram Epheſi ſynodum indixit, in qua judices, armatis militibus ſepti, abominabilem Eutychis opinionem opera potiſſimum Dioſcori, Alexandrini epiſcopi, ſaevi hominis, confirmarunt: Flaviano recte ſentienti, ex conſeſſu ejecto, calces impegerunt: ea quidem vi, ut triduo poſt extingueretur: Theodoreto, & Euſebio, munus inſpectionis eccleſiarum ademerunt: ſic egerunt omnia denique, ut huic ſynodo nomen a latrociniis inderetur. Nec eo contenti, Eudociae Auguſtae opera Theodoſio, caeteroqui bono Principi, perſuadent: ut promulgato edicto, Flaviani jam extincti cauſam, cum Euſebio Theodoretoque ſuperſtitibus, damnaret. Hujus edicti Theodoſiani mentio fit in extrema conſtitutione Marciani, modo expoſita; qua quidem & abrogatur. Ex eadem & in fine, quod deerat menſis nomen, adjici poteſt. Scribendum enim, *Pridie nonas Julias*. Itidem nomen *Aſporatii* tam heic, quam in faſtis conſularibus, mutandum in nomen *Sphoracii*; quemadmodum & apud Theodoretum id, quodam in prooemio librorum ejus, ſcriptum legere memini. Denique Lector conſideret obiter, quo modo tractaverit veterum Principum conſtitutiones Tribunianus ille noſter: reciſis interdum neceſſariis, & quibusdam de ſuo viciſſim adjectis: ut quum heic ſcripſit; *Aboleatur Eutychetis damnoſa memoria*; quod integra conſtitutio non habet. Itidem in *fine l. 4. C. de ſum. trinit.* poſt clericos & milites, caeteros in genere dicit Imperator & urbe pellendos, & competenter puniendos. At heic Tribunianus liberos homines urbe vult exigi, poenisque competentibus ſubjugari: ſervos autem ſeveriſſimis animadverſionibus plecti.

CLVI. Equidem Michaelis Proconſulis (ἀνθύπατος enim vocatur) Attaliatae, compendium vel epitomen juris habeo, quod ſe juſſu Michaelis Ducae Imperatoris, anno imperii ejusdem tertio, collegiſſe praefatur. In eo compendio verba quaedam ante *legem 30. C. de epiſc. & cleric.* reperta, prioribus in notis meis poſui, quod exiſtimarem ea fortaſſe legis alicujus, quae integra periiſſet, eſſe brevem epitomen. Sed quum libros Graecorum legem ejusmodi nusquam hoc loco deſiderare videam, & epitomes ipſa ſententia contineatur in *capite 11. Novellae* 123. nonnullis etiam plenius expoſitis: libenter heic ſignificare Lectoribus volui, me verbum illud vetus περιδυνατῶν φροντίδων, εἰς ἀμνημόνων, verum agnoſcere. Decepit autem hoc, quod e *Novellis* petita Graeci non immiſcere *conſtitutionibus Codicis*, ſed ultimo poſt eas loco ponere ſoleant.

CLVII. In *l. 32. C. de epiſc. & cleric.* pro, *Magiſtrum cenſus*, Graeci tam Baſilicorum, quam Paratitlorum auctores, leguut *Cenſuum*, τῶ κήνσων: neque dumtaxat uno id occurrit loco, ſed pluribus. Ibidem poſt illa verba, *Ut pretia eorum, quae exinde colliguntur, ab eisdem perſonis cuſtodiantur*; haec ſubjiciunt, *vel alias res pro eis emant*: ἢ ἕτερα πράγματα ἀντ' ἐκείνων ἀγοράζων, ſubauditur τὰς ὀρφανοτρόφους θεσπίζομεν. Denique *dictae legis* haec verba, *ut minime ratiociniis tutelaribus ſeu curationibus obnoxii fiant*: haud dubie rectius apud Graecos legitur, qui tam in Baſilicis, quam libro Paratitlorum verterunt, ἐπιτροπικοῖς ἢ κουρατορικοῖς λογισμοῖς. Quibus ex verbis colligere licet, eos ita legiſſe: *ut minime ratiociniis tutelaribus ſeu curatoriis obnoxii fiant.*

CLVIII. Epitome *legis 11. C. de haeretic.* haec ab aliis traditur: ἐνδήμους οἱ μανιχαῖοι εὑρισκόμενοι, κεφαλικῶς τιμωρείσθωσαν: hoc eſt; *Manichaei ubicumque locorum inveniantur, capite puniantur.* At Ecloga ſive ſynopſis noſtra paulo concinniorem habet, his verbis: ὁ μανιχαῖος ἐν ῥωμαϊκῷ τόπῳ διάγων ὀφθεὶς, ἀποτεμνέσθω: id eſt; *Manichaeo, qui conſpectus fuerit in loco Romano degere, caput amputator.* Reſtrictius ſcilicet heic & loca prohibita Manichaeis, & ſupplicii genus, indicantur. Quid enim haec ad Manichaeos in Perſia degentes, extra ſolum & jurisdictionem Romanam? Ea certe regio numquam Romani juris vere fuit, aut in poteſtate populi Romani manſit: & plurimos ſemper Manichaeos habuit, uti multis in locis hiſtoriae, praeſertim poſteriores Graecorum hominum, Cedrini, Zonarae, Glycae, atque aliorum, teſtantur.

Epitomen *legis 15 C. eod.* ſupra poſuimus, *libro* CLIX. *primo Notatorum*, ex Paratitlis noſtris. In Ecloga Baſilicorum haec exſtat: οἱ μανιχαῖοι παῖδας μὴ ἔχοντες ὀρθοδόξους, ὑπ' αὐτοῖς καὶ μόνοις ἐξ ἀδιαθέτου παραπεμπέσθωσαν. μηδενὶ δὲ ἑτέρῳ, &c. Sic enim recitatur ab aliis. Sed vitium ſcripturae manifeſtum eſt in verbo παραπεμπέσθωσαν, pro quo ſcribendum παραπεμπέτωσαν. Deinde nemo non aliquid deeſſe animadvertit. Noſtrum quidem exemplum hac in parte nobis ſuccurit, in quo ſcriptum eſt; παραπεμπέτωσαν τὴν οὐσίαν: hoc eſt; *facultates ſive patrimonium transmittant.*

Quum in *l. 7. C. de precib. Imp. offer.* dicitur, *re-* CLX. *ſcripta contra jus elicita debere a judibus refutari, niſi forte ſit aliquid, quod non laedat alium, & proſit petenti, vel crimen ſupplicantibus indulgeat*: quaeri video, quomodo poſtremum hoc ſit accipiendum, quod ajunt Imperatores, de crimine ſupplicantibus indulgendo. Nam aliqui poenam criminis; alii aliud intelligunt. Ego Graecos alia verba reddidiſſe deprehendo, quum ita vertant, ἢ ἄνευ ἐγκλήματος χαρίζηται παραχώρησιν: hoc eſt; *vel ſine crimine concedat indulgentiam.* Verum an eorum in libris ſcriptum fuerit, *vel citra crimen ſupplicantibus indulgeat*: an alia fuerit lectio, dicere non poſſum. Ipſa quidem Graecae lectionis ſententia quo ſpectet, quum non obſcurum ſit; explicari pluribus a nobis hoc ſane loco non debet.

Poſt *legem 5. C. de offic. praef. praet. Orient.* nota- CLXI. tur in manuſcripts quibusdam libris, Graecam quamdam conſtitutionem deeſſe. Ejus ego antehac arbitrabar epitomen verbis contineri, quae in Baſilicorum Ecloga leguntur hujusmodi: οἱ ἔπαρχοι προκαθεζέσθωσαν ὅλων, καὶ μετ' αὐτοὺς οἱ συγκλητικοί: hoc eſt; *Praefectorum prima ſit ante univerſos ſedes, & poſt eos Senatorum.* Ac ſpeciem ea quidem opinio quamdam habere mihi tum videbatur. Sed quum ex illo tempore diligentius intuens verba *Novellae* 62. cujus epitomen a Juliano anteceſſore traditam legimus, haec ipſa ibidem repererim; *Urbicaria praefectura omnibus aliis praeſideat dignitatibus*, & quae ſequuntur: libenter heic quoque ſententiam mutarim, ne quis temere me rixari dicat. Id unum adhuc me movet, quod indicato loco Baſilicorum Ecloga περὶ ἐπάρχων, ſive de Praefectis in genere loquitur: quum in Novella Juſtinianea Praefecturae nominatim urbicariae mentio fiat.

Addatur heic etiam alia quaedam animadverſio, CLXII. quae ad hunc locum proprie pertinet. De Praefecto urbi peculiaris eſt in Ecloga titulus, quo continetur etiam *lex 3. C. de offic. praef. urb.* Ea vero lex eminentiam Praefecto urbi ſupra cunctas alias poteſtates urbanas tribuit, perinde ac Novella quoque jam expoſita facit. Quidnam inde colligi pro indicatis paulo ante poſſit, per ſe quilibet intelligit. Heic certe τὰ βασιλικὰ, non ut iſtic nude τὴν ἐπαρχότητα, ſed ὑπαρχότητα τῆς πόλεως appellant: quod ideo quoque notandum venit, quia prima *dictae l. 3.* verba haec, *Praefectura urbis cunctis*, &c. Contius exemplarium quorumdam auctoritate ſic mutanda putavit;

ut,

Digitized by Google

ut, *Praefectus urbis cunctis*, &c. contra Graecorum, atque receptam ſcripturam, legatur. Sed quod ſubjicit, pro *antecellas dignitatibus*, in aliis reperiri, *antecellas poteſtatibus*; in eo cum Graecis conſentire propius videtur, qui ἀρχὰς reddidere, quae poteſtates potius ſunt, quam dignitates.

CLXIII. Antonius Auguſtinus, doctiſſimus antiſtes, cum aliis fatetur, in *tit. C. de Adſeſſ.* inter *l.* 12. & 13. uti noſtris in exemplaribus numerantur, ponendam legem Zenonianam, cujus mentio fit in *Novella* 60. Et quidem illius ex *dicta Novella* quoddam velut argumentum colligit. Sed elegantior eſt *ejuſdem legis* epitome, quae noſtra in ſynopſi Baſilicorum exſtat hujuſmodi: Μηδέποτε χωρὶς τῶν ἀρχόντων οἱ σύμπονοι δικαζέτωσαν, τὰ ἐκείνων τιθέντες ὀνόματα: hoc eſt; *Numquam ſine judicibus, ſive magiſtratibus, conſiliarii vel adſeſſores, eorum nomina ponentes, jus dicant.* Eam certe legem non dubium eſt huc pertinere, quum in Baſilicis lex alia verbis hiſce ſubjiciatur, quae in *Codice decima & tertia* eſt.

CLXIV. In *l.* 29. *C. de Transact.* quum dicitur, *Deciſionem litis extorſiſſe probetur.* Graeci vocem ἀντίδικος adjiciunt, ac ſi legendum ſit: *Deciſionem litis adverſariat extorſiſſe probetur.* Paulo poſt, intra conſtitutum tempus, more ſuo declarant expreſſius aliis ex locis juris noſtri, οἷον ἐντὸς διετίας, intra biennium.

CLXV. In *l.* 41. *C. eod.* legimus, *Qui nomina noſtra placitis inſerentes*, &c. Frequens hic error eſt librariorum, *nomina* pro *numina* ſcribentium. Nam Graeci haec ita vertunt: οἵτινες τὴν ἡμετέραν θειότητα τοῖς συμφώνοις ἐντιθέντες. *Qui numen noſtrum pactis inſerentes.* Et ſingulari numero ſunt uſi, reſpicientes ad unum auctorem legis Arcadium (nam data Conſtantinopoli legitur: de quo conſtat, ab Arcadio latam, licet ex more nomen Honorii eſſet additum) noſtri numero plurium, ad inſcriptionem directis oculis.

CLXVI. In *l.* 5. *C. de poſtul.* non *tertiae partis*, ut in nonnullis eſt, ſed *certae* cum Graecis legendum, qui vertere, φανερὰν τῆς δίκης μοῖραν. Addamus & hoc obiter, tam ſubſcriptionem, *l.* 7. quam 8. *C. de advoc. diverſ. judic.* vitiatam eſſe. Nam utraque data fuiſſe ſcribitur, *Juſtiniano & Opilione* Conſſ. Hoc cum Faſtis conſularibus pugnat, qui Fl. Opilionem non Juſtiniano, ſed ipſi Juſtino Aug. in ejus ſecundo conſulatu adjungunt. Itaque ſcribendum utroque loco poſt Juſtiniano, *Juſtino A.* 11. *& Opilione* Conſſ.

CLXVII. In *l.* 6. *C. de procurat.* quod dicitur, *ream criminis ante purgationem non poſſe ſuſcipere defenſionem cauſae*: Graeci reddunt, δίκης ἀλλοτρίας, *defenſionem cauſae alienae.* Iidem in *l.* 1. *C. ne lic. potent.* quum ſtatuitur, ut in potentiores patrocinia ſuſcipientes, ſevera ſententia provinciarum rectores vindicent: liberius & expreſſius hoc interpretati ſunt his verbis, τὸν δεχόμενον εἰς προστασίαν τινὰ, κἂν συγκλητικὸς ἔστι, ἔξω τῆς διατεταγμένης τιμωρεῖται: hoc eſt; *lex eum, qui aliquem in patrocinium accipit, tametſi ſenator ſit, extra ordinem punit. Titulo ſeq. De his qui potent. nom.* Adficere nota publicae ſententiae, Graeci exponunt adficere ἀτιμίᾳ, id eſt, *infamia.* Quid ibidem ſit, adficere plumbo, declarant eleganter hiſce verbis: τῆς τιμωρίας τὸ εἶδος, ἵνα μολίβδῳ πανταχόθεν περισφιγγόμενος, τουτέστι κλοιοφορῶν, ἢ ἀλυμβατιζόμενος, διηνεκῶς εἰς τὸ μέταλλον ἐκπέμπηται: *Poenae ſpecies eſt*, inquiunt, *ut quis undique plumbo conſtrictus, hoc eſt, bojas geſtans; ſive plumbatus, in metallum perpetuo deportetur.*

CLXVIII. In *l.* 7. *Cod. de his quae vi metuſve cauſ.* quum dicitur, *Vel cujuſcumque alterius contractus obligationis confectum inſtrumentum.* Graeci monſtant deeſſe particulam διαζευκτικὴν, quum verterint, συναλλάγματος ἢ ἐνοχῆς. Ergo harum alterutram lectionem habuerunt: ſive, *Contractus vel obligationis*: ſive, *Contractus aut obligationis.*

CLXIX. In *l.* 6. *C. de dol. mal.* dicitur, *Dolum ex indiciis perſpicuis probari convenit.* Haeic Graeci legerunt, *Ex inſidiis perſpicuis*: ἀπὸ ἐπιβουλῶν. Quod ſane congruit cum *l.* 8. *C. de reſcind. vend.* Adjiciunt autem Graeci, οὐ δεῖ γὰρ ἀπὸ ψιλῆς οἱ ασδήποτε ὑπονοίας ὁρίζεσθαι τὴν περὶ δόλου: id eſt; *Nec enim ex quacumque nuda ſuſpicione actionem de dolo definiri oportet.* Itidem in *l.* 3. *C. ſi min. ſe major.* non legendum eſt, *Ex inſtrumentorum probatione*; ſed, *Ex inſtrumentorum prolatione.* ſic enim Graeci: συμβολαίων παρὰ σοῦ φερομένων. Nam φέρεσθαι non eſt probari, ſed adferri, vel proferri.

Legem 12. *Cod. de judic.* ex ſynopſi Baſilicorum quidam ante nos protulit, ſed corruptam. Sic autem repurgetur: πάντες οἱ ἄρχοντες καὶ οἱ θεῖοι δικασταὶ συντόμως τὰς δίκας † τεμνέσθω. * καὶ τις τῶν δικαζομένων πολλάκις τῷ προσφόρῳ δικαστῇ προσελθὼν † μηδὲ ἀναγκαίαν αἰτίαν ὑπερτεθείη, * προσίτω τῷ βασιλεῖ, τὴν ἐκεῖθεν ἀναμένων βοήθειαν. Neque recte Contius haec interpretatus eſt his verbis: *Nec aliquis litigatorum frequenter competentem judicem adiens, non neceſſariam dilationem obtineat. Adeat autem ille Principem*, &c. Nam ita vertere debuit: *Omnes magiſtratus & ſacri judices compendiaria via lites decidant, & ſi quis litigantium ſaepius adito judice competenti, nullam ob neceſſariam cauſſam diuturnis dilationibus vexatus fuerit: principem accedat, & ejus opem exſpectet.* CLXX.

† τεμνέτω-
σαν
† καὶ τις
μὴ δι.
* ἀναμενέτω

Legis Zenonianae, de praecipientibus diem ſolutioni conſtitutum, mentio fit in *l.* 2. *Cod. de plus petit.* Item in §. 33. *verſ. Sed haec quidem. Inſtitut. de actionib.* & §. 10. *verſ. Hodie autem. de Except. eod.* Ea lex eſſe debebat *prima d. t. Cod. de plus petit.* quae quum eo loco non exſtet, libet hanc ejus epitomen ex Baſilicis noſtris reſtituere: πᾶς ὁ ἐναγόντων, καὶ ἄῤῥενες καὶ γυναῖκες, πρὸ τῆς ὡρισμένης προθεσμίας τοῦ χρέους ἐνάγοντες, καὶ κατὰ τοῦτο τὸν ἐναγόμενον βλάπτοντες, ἄλλον τοσοῦτον περιμενέτωσαν χρόνον, μηδένα τόκον ἐν τῷ μέσῳ λαμβάνοντες, ὅσον αὐτοὶ προφθάσαι τὴν προθεσμίαν ἐπεχείρησαν. καὶ χρόνου δὲ παρατρέχοντος μὴ ἄλλως ἐναγέτωσαν, εἰ μὴ τὰ δαπανήματα τῆς πρώτης εἰσόδου, τὰ ὑπὲρ τῆς μεθοδείας συμβάντα, τῷ ἀντιδίκῳ καταβάλλωσι: hoc eſt; *Omnes qui agunt, tam viri, quam foeminae, ſi ante definitam debiti diem petierint, & hoc ipſo damnum reo dederint: alterum tantum temporis exſpectent; uſuras interea nullas accipientes, quanto ipſi praeſtitutum tempus anticipare conati ſunt. Quod ſi etiam tempus hoc praeterlabatur, aliter litem non inſtituant, niſi ſumptus primae aditionis, in litem factos, adverſario refuderint.* CLXXI.

In *l.* 1. *C. ubi in rem act. exerc. deb.* non legerunt Graeci, *Nec enim juriſdictionis forma*: ſed, *Nec etiam juriſdictionis forma*, &c. Quodque tandem exprimitur, *formam juriſdictionis non debere immutari*: explicant, τὸ δικαστήριον ὑπερτεθῆναι. quod eſt, differri judicium non debere. In *lege* vero 26. *C. de inoffic teſtam* pro *tribus unciis*, τετραούγκιον vel quatuor uncias poſuerunt. CLXXII.

Quum in *l.* 2. *C. de ſervitut.* dicitur, *Quod ſi ante id ſpatium ejus uſus tibi interdictus eſt*, &c. Graeci temporis hoc ſpatium triennió definiunt, quum vertant, ἐπὶ τριετῆ χρόνον. Sic etiam in *l. ult. D. ſin. regund. Non longi temporis praeſcriptionem* exponunt τριετίας ἢ δεκαετίας: & conſimili quadam ratione verba *legis* 4. *D. de condict. indeb.* de iis, *quae per inficiationem in lite creſcunt*: ipſi τὰ διπλασιαζόμενα explicant, hoc eſt; *quae per inficiationem duplantur.* Supra quoque monui, frequens hoc Graecis eſſe. Iidem haec verba, quae ſunt in *prim. l.* 9. *D. de condict. ob cauſ. dat. Indebitum ſolutum ſciens, non recte repetit*: ita verterunt, ac ſi legiſſent, *indebitum qui ſolvit ſciens.* His enim illa Graeca reſpondent, ὁ ἐν εἰδήσει καταβαλών. CLXXIII.

Poſt *legem* 11. *C. de teſt.* hanc in Ecloga noſtra Baſilicorum legem Graeci proximam faciunt, quae hactenus in editis deſideratur: ὁ τὰ ψευδῆ μαρτυρήσας, πρότερον μὲν ἐπιορκῶν, δεύτερον δὲ καὶ ὡς πλαστογράφος ἐνάγεται. καὶ ἐν αὐτῷ δὲ τῷ καιρῷ τῆς μαρτυρίας ὑποπτευθεὶς ψεύδεσθαι, βασάνοις ὑπόκειται. εἰ δὲ βουληθείη ὁ ἐκ τῆς ψευδοῦς μαρτυρίας καταδικασθεὶς, πολυπραγμονῆσαι κατὰ τοῦ μαρτυρήσαντος, λήψεται παρ᾽ αὐτοῦ πᾶσαν ἣν ὑπέστη ζημίαν, CLXXIIII.

μίαν, πρὸς τῷ καὶ τὴν ἀπὸ τῶν νόμων ὡρισμένην τιμωρίαν ὑφίςασθαι. εἰ δὲ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ πρωτοτύπῳ δίκῃ ψευσάμενος ἐλεγχθείη, ἔργον ἔςω τοῦ δικάζοντος ἢ εἰς πᾶσαν τὴν ἐπιχειρουμένην ἐκείνῳ, καθ' οὗ ἐμαρτύρησε, δίκην καταδικάζειν αὐτὸν, ἢ εἰς ἔλαττον. ἢ καὶ τιμωρίαις αὐτὸν ὑποβάλλειν, φυλαττομένων πάντων τῶν ἤδη νενομοθετημένων περὶ τῶν ψευδομαρτυρούντων: id eſt; *Qui falſa teſtatus fuerit, primum quidem de perjurio, deinde falſi crimine convenitur. Quod ſi eum in ipſo teſtimonii tempore mentiri ſuſpicio ſit, tormentis ſubjicitur. Sin is, qui ex falſo teſtimonio damnatus eſt, civiliter agere contra teſtem voluerit. quidquid damni fecit, ab eo recipiet; ac praeterea falſus ille teſtis definitam legibus poenam ſuſtinebit. Quod ſi etiam in ipſa lite principali convictus mendacii fuerit, officium judicis eſto, ut eum vel in totam litem, quae illi mota eſt, contra quem teſtimonium dixit, vel in minus condemnet; vel etiam poenis ſubjiciat; ſervandis omnibus, quae jam ſtatuta ſunt de his, qui falſum teſtimonium perhibent.*

CLXXV. *Sequens lex C. d. t.* Zenoniana eſt, cujus aliquam partem Contius ex libello protulit, qui μικρὸν κατὰ ςοιχεῖον, ut ipſe tradit, inſcribitur. Ea pars in noſtra quoque citatur Ecloga. Sed notabile ſcholion eſt ad illa verba, πρὸς σύςασιν ἐπιτήδειον, quibus indicatur, σύςασιν intelligi τῆς συγγενείας, *propinquitatis vel natalium.* Unde ſcopus totius conſtitutionis perſpicitur. Addit autem noſtra Baſilicorum ſynopſis & aliud caput, quod iſtic non exſtat, verbis hiſce: ἐπιφέρει δὲ καὶ ἕτερον κεφάλαιον ἡ διάταξις τοιοῦτον. ἐάν τις ἐν ὑπομνήματι καὶ ἐν συμβολαίῳ προσμαρτυρήσῃ, ἀνάγκην ἐχέτω πάσι τρόποις, καὶ δίκης ἐπὶ τῷ πράγματι κινουμένης, μαρτυρῆσαι· κἂν ὅρου φόρου ἐπιγράφηται. εἰ γὰρ μὴ τοῦτο εἴποιμεν, βλάπτεται ὁ δεηθεὶς τῆς αὐτοῦ μαρτυρίας: hoc eſt; *Subjecit & aliud tale caput haec conſtitutio. Si quis in actis & inſtrumento teſtimonium perhibuerit, et neceſſe ſit omnibus modis, etiam lite de negotio mota teſtimonium dicere, quamvis praeſcriptione fori utatur. Quippe ni hoc dicamus, damno adficitur is, qui ejus teſtimonio indiguerit.* Caeterum quam *dicto titulo* Contius *legem* 14. fecit in *ejus legis fine* mendum eſt, quod propterea libuit indicare, quia praebuit Interpreti occaſionem hallucinandi. Sic enim in editis: πᾶσι δὲ τὰς ἐπὶ τούτοις διαλαλιὰς καὶ τὰς παραγωγὰς ἀζημίους εἶναι τοῖς μάρτυσιν. Id in hunc modum Interpres: *Omnibus autem teſtibus ſine damno & impendio ſuo vult factas de his interloquutiones & productiones procedere.* Tolle mendum, πάσας pro πᾶσι ſcribendo, & hanc veram loci ſententiam habebis: *Omnes vero de his interloquutiones & productiones ſine damno teſtium vult fieri debere.*

CLXXVI. Prolixam ſane legem, quae debet eſſe numero 16. *C. de fide inſtrum.* ex ſynopſi noſtra petito, de *libro* Baſilicorum 22. *titulo* 1. *capite* 73. Non poſſunt quidem certe referri haec ad *Novellae* 18. *cap.* 8. & 9. quae capita *libro ſequenti* Baſilicorum ponuntur, & ab his diverſa ſtatuunt. Facit & *in fine* mentionem *legis*, *Comparationes* 20. *C. eod.* quam παρὰν διάταξιν vocat, ut Juſtinianeam. Hoc enim nomine non poteſt accipi § *ſi vero nihil* 3. *cap.* 7. *Novellae* 73. ubi tamen ſimile quiddam de comparatione litterarum traditur. Etenim id non eſt nova conſtitutio, ſed exigua conſtitutionis particula.

CLXXVII. Aliam legem non paulo etiam prolixiorem, quae ad *eundem titulum Codicis* pertinet, in Ecloga noſtra reperies *pagina* 97. Eam ego legem collocandam puto inter 18. & 19. ſicuti libri editi leges haſce numerant: idque de Baſilicis colligi poſſe arbitror.

CLXXVIII. In *fine legis ult. C. ad SCtum Vellejan.* Graeci legiſſe videntur, *Omni auctoritate Vellejani Senatusconſulti in hoc caſu ceſſante.* Vertunt enim θέματι, quam vocem Graeci pro caſu ponere ſolent, noſtri hoc loco habent, *in hac cauſſa.* Sic in *l.* 1. §. *Illud quoque* 1. *C. comm. de manumiſſ. In praeſenti caſu*, legitur: ubi tamen quidam reponunt, *in praeſenti cauſſa.*

CLXXIX. In his verbis *legis* 4. *C. de compenſat. Quo ad concurrentes quantitates*: notant aliqui, pro *concurrentes*, legi quibuſdam in libris, *quoad concurrent quantitates.* Sed pro recepta lectione faciunt Graeci, qui συνδραμούσας vertunt, idque declarant per ἐξισαζούσας: hoc eſt; *quantitates per exaequationem ſibi reſpondentes, ſive pares.*

In *tit. C. de uſuris*, lex deeſt, quae debet eſſe numero 29. Eam noſtra ſynopſis exponit hiſce verbis, CLXXX.
οἱ κατὰ μικρὸν καὶ κατὰ χρόνον καταβαλλόμενοι τόκοι, τῷ διπλῷ συμψηφίζονται· κἂν μὴ καθάπαξ ὑφ' ἓν καταβληθῶσιν: id eſt; *Uſurae minutim & per intervalla ſolutae, cum duplo compenſantur: etiamſi non univerſae ſimul ſolutae fuerint.* Ex per duplum intellige τὸ διπλοῦν τοῦ χρέους, duplum ipſius debiti. Si tamen aliquis haec ad *Novell.* 138. referre malit, inani rixa non adverſabor.

Ibidem & *ultima* ſive 30. *lex* videtur deſiderari, CLXXXI.
cujus haec eſt ſententia: ἡ παροῦσα διάταξις δηλοῖ, ὅτι κατὰ μέρος καταβαλλόμενοι τόκοι, τὸ διπλοῦν τοῦ χρέους οὐχ ὑπερβαίνουσιν. ὑπεξῄρηται δὲ τὸ κείμενον ἐν τῇ ρξ. νεαρᾷ περὶ τῶν τόκων τῶν πολιτικῶν χρημάτων: id eſt; *Praeſens conſtitutio declarat, uſuras particulatim ſolutas, duplum debitae ſortis non excedere. Verum excipitur id, quod poſitum eſt in CLX. Novella, de uſuris pecuniae municipalis.* Qui aliud heic ſentit, licet id, per me quidem, ut faciat.

Poſt mentionem vini & olei non exportandi ad CLXXXII.
barbaros, *l.* 1. *C. Quae res export. non deb. liquaminis* etiam nomen in genere ſubjicit, quod γάρον in ſpecie Graeci reddiderunt. De quo licet alius erit dicendi locus, tamen hoc alioqui notatu arbitror indicandum: videri, *liquaminis* eſſe ſpeciem ex piſce, vel quo piſces condiantur. Graeci ejus hoc loco meminerunt, & Baſilicorum *lib.* 44. *tit.* 12. ex *lege* 3. *D. de penu legat.* Hinc & ὀξύγαρον factum, quod in gloſſario veteri exponitur *acetarium.*

Legis 16. *C. de reſcindend. vendit.* haec verba ſunt: CLXXXIII.
Nec ſub nomine ſubhaſtationis publicae locus fraudibus relinquatur, ut poſſeſſionibus viliore pretio diſtractis, plus exactor ex gratia, quam debitor ex pretio conſequatur. Heic primum leviuſculum eſt; quod pro, *ut poſſeſſionibus*; Graeci reponunt, *& poſſeſſionibus.* Majus hoc, quod pro *exactor*, ipſorum auctoritate legendum, *emptor.* Vertunt enim, ὁ ἀγοραςὴς. Puto autem hoc vitium irrepſiſſe de ſcholio quodam, adjecto vocis *ex gratia*, declarandae cauſſa: ſic nimirum, ut ſupra vocabulum *ex gratia*, ſcriptum fuerit, *exactoris*: quod librarius in textum referendum ratus, pro *emptore* ſubſtituerit. Id ita eſſe, per ſequentia declaratur, quum dicitur: *Etenim periniquum eſt, ut alienis bonis ſub gratioſa auctione diſtractis, parum accedat publico nomini, quum totum pereat debitori.* Nam ubi publicus exactor emptori favet, tam fiſco detrahitur, quod minus ex diſtractis redigatur, quam debitori ſua pereunt. Idem error & in argumentum legis irrepſit, quod Baldo adſcribitur. Nam quum in eo legatur, *publicum exactorem debere res vendere gratioſe, nec in ſubhaſtationibus fraudem committere*: ſi verum hoc legis argumentum eſſe debet, ita mutandum erit, ut ſcribatur: *publicus exactor non debet res vendere gratioſe.*

In *lege* 1. *C. de peric. & commod. rei vend.* ſi Grae- CLXXXIV.
cis Interpretibus fidem habere volumus, mendum latet. Nam quod ibi dicitur, *& ita ſi ei denuntiatum eſt, ut cauſſae agendae adeſſet, & non abſente emptore contra eum pronuntiatum eſt*, ſic Graeci verterunt: εἴγε καὶ παρήγγειλεν αὐτῷ ὁ ἀγοραςὴς ἐλθεῖν καὶ δικάσασθαι, καὶ μὴ ἀπόντος αὐτοῦ ἡ καταδίκη γέγονεν: id eſt; *& quidem ita, ſi ei* (venditori ſcilicet) *denuntiavit emptor, ut agendae cauſſae intereſſet, ac non ipſo abſente pronuntiatum eſt.* Quod ajunt, *ipſo abſente*, dubio procul ad venditorem referunt. Ideoque puto Latinis in exemplaribus noſtris omnino pro, *abſente emptore*, reponendum, *abſente auctore.*

In Ecloga Baſilicorum noſtra poſt *legem* 4. *C. ve-* CLXXXV.
ctigal. nov. inſtit. non poſſ. recitatur alia lex ejuſdem tituli,

tituli, quae in Codice non exſtat. Ejus haec epitomatae verba ſunt, τ῀ χρεωστούντων δημόσια, αὐτοῦ τὰ διαφέροντα ὑπεύθυνά ἐστι: hoc eſt; *Illorum, qui publica ſive fiſcalia debeat; omnia bona ſunt obligata.*

CLXXXVI. In exaratis manu libris antiquis notatur, poſt *legem* 32. *C. de locat. & conduct.* deeſſe legem Graecam. At in Ecloga noſtra *lex ultima tituli hujus* recitatur, quae in libris editis non exſtat. Verba ſunt Baſilicorum hujuſmodi: ἐπιτρέπει ἡ διάταξις ἑκατέρῳ, καὶ τῷ μισθώσαντι, καὶ τῷ μισθωσαμένῳ, ἐξεῖναι ἐντὸς ἐνιαυτοῦ λύειν τὴν μίσθωσιν, καὶ ἐν Ἰταλίᾳ, καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἐπαρχίαις· καὶ μηδὲ διδόναι πρόστιμον ὡς ἐκ παραβάσεως. εἰ μὴ ἐν ἀρχῇ τοῦ συναλλάγματος ἀπετάξαντο ἰδικῶς τῷ τοιούτῳ συμφώνῳ, ἢ ἀγράφως ἀπεῖπον: id eſt; *Haec conſtitutio permittit utrique, tam locatori, quam conductori, ut liceat intra annum conductionem ſolvere, tam in Italia, quam in omnibus provinciis; ac ne poenam quidem, velut ex transgreſſione, praeſtare: niſi contractus initio ſpecialiter hanc legem repudiarint, aut citra ſcripturam ei renuntiarint.* Poteſt autem fieri, ut vel noſtri, vel Graeci legem transpoſuerint.

CLXXXVII. Undecumque tandem hoc ſumptum ſit (quippe mihi locus ſane nullus ſuccurrit) tamen Graeci poſt illa verba *legis* 2. *C. de ſponſalib. Si is, qui puellam ſuis nuptiis pactus eſt, intra biennium exſequi nuptias, in eadem provincia degens, ſuperſederit:* haec ulterius adjiciunt, *Sin extra, triennium.* Videntur certe quodam ex jure poſteriori hoc voluiſſe legi expoſitae inſerere.

CLXXXVIII. *Ultima lex C. d. t. de ſponſalib.* apud nos deſideratur; & quidem eo loco vidit Accurſius quoque legem aliquam deeſſe; dum in rubrica vocabulum *proxenetica* declarans, ſubjicit; *de hoc in nigro nihil reperiri.* Sunt autem pleniora, quae exſtant in ſynopſi noſtra, quam quae apud Harmenopulum, & rurſum noſtris integriora, quae Cujacius *Obſervationum lib.* 11. *cap.* 18. tradidit.

CLXXXIX. In *lege* 1. *ſub fin. C. de donat. ante nupt. Nihil actum eſt donatione,* legitur. Graeci vertunt, ἐπιδόσεως προσθήκη: de quo colligi poteſt, eos in libris ſuis inveniſſe, *nihil auctum eſt donatione.* Quas autem perſonas *legi* 26. *C. de nupt.* iidem inſerant, quaere in titulo Synopſis Baſilicorum noſtrae, *de prohibitis nuptiis.* Eaſdem & auctores juris canonici Graecorum, ut Matthaeus Monachus, & alii, hoc loco recenſent. Et videntur haec ex poſterioris alicujus Imperatoris conſtitutione manaſſe.

CXC. In *l.* 2. *C. ne fidejuſſ. vel mandat. dot. dent.* duplex mendum eſt, in uno vocabulo commiſſum. Nam pro his verbis, *vel a marito, vel a patre ejus,* legendum, *vel a parte ejus:* & rurſum paulo poſt, *ſuamque dotem patri mariti credendam exiſtimavit,* legendum, *parti mariti.* Sic enim Graeci, qui utrobique μέρος interpretantur.

CXCI. Corrupta nonnihil eſt *lex* 4. *C. de ſerv. fugit.* Eam quo modo Graeci reddiderint, ubi oſtendero; deinde meam emendationis rationem ſubjiciam. Sic igitur illi: ὁ τ῀ φυγάδα ὑποδεξάμενος, ἀποδιδότω αὐτὸν μετὰ ἑτέρου ὁμοίου αὐτῷ, ἢ κ΄. νομίσματα. εἰ δὲ ὑπεδέξατο αὐτὸν μετὰ ἄλλων δύο ἢ τριῶν οἰκετῶν, ἀναδιδότω αὐτὸν, καὶ ἄλλους δύο ἢ τρεῖς δούλους, ἤτοι μ΄. ἢ ξ΄. νομίσματα. Quibus ex verbis equidem colligo, pro *vel viginti ſolidis reddat,* legendum, *vel viginti ſolidos reddat.* Quamquam prior quoque lectio locum habere poteſt. Sed poſtea neceſſario pro hiſce verbis, *Si vero ſecundo vel tertio eum ſuſceperit,* aut reponendum, *ſi vero cum ſecundo vel tertio eum ſuſceperit:* aut, *ſi vero ſecundo vel tertio comitatum ſuſceperit.* quorum prius interpretationi Graeci quam proxime reſpondet.

CXCII. In *l.* 18. *D. de furt. & ſerv. corrupt.* quum dicitur, *Praeter poenam olim ſtatutam,* Graeci hoc declarantes, iſtaec verba ſubjiciunt: τουτέστιν ἵνα τῷ δημοσίῳ τόσον παρέχῃ, ὅσον τῷ ἐνάγοντι. Quibus ſignificatur, olim ſtatuta poena contineri, ut qui ex naufragio vel incendio ceperit, etiam fiſco tantumdem praeſtet, quantum actori: quod ſane non inelegans eſſe videtur.

Lex 4. *C. de bon. libert.* in libris editis hactenus deſideratur. Ejus aliquot capita variis ex locis A. Contius collegit, in quibus hoc etiam capiti tertio inſertum legitur: ὁ κλέψας ἀλλότρια πράγματα, καὶ διὰ τ῀ τούτων κλοπιμαίων πραγμάτων Ι. συναγαγών, καὶ δὺς ταῦτα ὑπὲρ τ῀ ἑαυτοῦ ἐλευθερίας, ἐλευθεροῦται. ὁ δὲ Ι. κλέψας, οὐ δύναται δοῦναι ταῦτα καὶ ἐλευθερωθῆναι, ἀλλὰ δοῦλος μένει, καὶ τούτων ἀφαιρουμένων ἀπ' αὐτοῦ. CXCIII Quorum verborum haec eſt ſecundum Contium ſententia: *Qui res alienas furatus eſt, & ex earum diſtractione decem (puta) redegit, eaque dedit pro libertate, liber fit. Qui vere decem furatus eſt, non poteſt ipſa dare, & liber fieri: ſed ſervus manet, etiam iiſdem decem ei ablatis.* Quibus in verbis Ι. συναγαγών, itemque ὁ Ι. κλέψας, legere debebat, νομίσματα συναγαγών, & ὁ νομίσματα κλέψας; atque ita vertere: *Qui res alienas furatus eſt, & ex ejuſmodi furtivis rebus nummos ſive pecuniam redegit, eoſque nummos dedit pro ſua libertate, liber fit. Qui vero nummos furatus eſt, non poteſt eos dare, & liber fieri: ſed manet ſervus, ita quidem, ut ei nummi quoque adimantur.* Unde non levis error Contii apparet, ex Graecarum litterarum ignoratione profectus.

Particulas quaſdam *conſtitutionis quartae C. de bon.* CXCIV *libertor.* tibi ſuppeditat Ecloga noſtra Baſilicorum, *pagina* 425. & 426. Nam ea lex, uti diximus, alioqui periit. Recitat ibidem ex Harmenopulo Contius haec verba: ὁ ἀγροικικός, ἐλευθεροῦται: quae quidem ad *cap.* 4. *dictae legis* Juſtinianeae, quae amiſſa eſt, refert. Atqui pertinent haec ad *l.* 2. *D. qui ſine manumiſſ.* Itidem quae ad *caput* 6. ibidem retulit, ſumpta ſunt ex *lege* 6. & 7. *C. qui milit. poſſ.* Haec ita prorſus eſſe, de Baſilicis paret.

In *l.* 3. *C. de obſeq. patron. praeſt.* quum dicitur, CXCV *Etiam qui pactione data a dominis manumittuntur, mero jure omne eis obſequium debent:* priora verba Graeci reddiderunt, ἀντισχόντες χρήματα. Quapropter legiſſe videntur, *Qui pecunia data a dominis manumittuntur.* Et ſimile quiddam, ipſa quod attinet verba, dici videtur in *l. qui nummis* 2. *D. de in rem verſo.*

In *lege* 2. *C. de libert. & eor. liber.* non dubium eſt CXCVI haerere mendum, in his verbis: *Si manumiſſus ingratus circa patronum ſuum exſtiterit, & quadam jactantia vel contumacia cervicem adverſus eum erexerit, aut levis offenſae contraxerit culpam,* &c. Nam & Gloſſatores veteres mire ſe torquent, ut lectionem uſitatam defendant. Ego Graecos ſequendos arbitror, qui pro *levis offenſae,* repoſuerunt δικαίας, hoc eſt, *juſtae offenſae.* Scribendum vero putem, ex illorum auctoritate, *cervicem adverſus eum erexerit, & haut levis offenſae contraxerit culpam:* quam reſtitutionem probaturos eruditos ſpero. Similitudo quidem inter *et* voculam, ac *haut* (ita pro *haud,* priſcis erat in more ſcribere) praebuit occaſionem calligraphis alterius omittendae. Correctio quidem haec accommodatior eſt, quam illa noſtra prior, *aut non levis offenſae.*

In *l.* 9. *C. qui teſtam. fac. poſſ.* dicitur, teſtamen- CXCVII tum hominis, qui in ipſo actu teſtamenti adverſa valetudine tentus ſit, pro nihilo eſſe. Heic Graeci pro verbis hiſce, *in ipſo actu teſtamenti,* legiſſe videntur, *in ipſo actu teſtandi.* Sic enim vertunt, ἐν αὐτῷ τῷ διατίθεσθαι.

Monuimus aliquoties, ſolere Graecos ex legibus CXCVIII poſterioribus in ipſo contextu quaedam vel corrigere vel mutare. Hujus eorum moris heic exempla ſubjiciuntor. Sub *initium legis Hac conſultiſſima* 8. *C. d. t.* mentio fit ſeptem teſtium. Graeci addunt ἢ πέντε, *ſeptem vel quinque.* Rurſus in *l.* 27. *C. de teſtam.* trium fit teſtium mentio. Graeci vero ponunt ἑπτὰ ἢ πέντε, *ſeptem vel quinque.* Itidem in *l.* 2. *C. de inſtit. & ſubſtit.* mentio fit conſobrini, ſive filii ſororis: Heic Graeci longe remotiorem gradum ponunt in Baſilicis. Vertunt enim τρισεξάδελφον, quum conſobrini ſint ἐξάδελφοι, quos ſequuntur δισεξάδελφοι;

 ac

ac deinde τριεξάδελφοι. Unde diverſitas haec? niſi quod de conſtitutionibus Principum poſteriorum, & de ſynodorum decretis, quotquot auctoritate Principum vim legum obtinuerunt, haec eis ita mutare libuit?

ccix. In *l.* 22. §. *Quum igitur hereditas* 1. *C. de jur. deliber.* ſi Graecos ſequi volumus, in hiſce verbis; *ſimilique modo ſi non titubante animo*, &c. voculam negantem veluti ſupervacaneam expungemus. Non enim ante σκαζούσῃ διανοίᾳ ullam poſuere negationem. *Ibidem* paulo poſt pro, *nec alio circuitu exſpectanda*, legemus *ſpectanda*. Vertunt enim, σκοπουμένης.

ccx. In *tit. C. ſi quis aliq. teſtari prohib. lex* 4. vel *ultima* deſideratur, ſic de Baſilicis reſtituenda: ἐάν τις κωλύσῃ τινὰ διαθέσθαι, ἢ ἀρξάμενον αὐτὸν διατίθεσθαι κωλύσῃ πληρῶσαι τὴν διαθήκην κατέχεται μὲν καὶ τῇ ζημίᾳ ἐκ τῆς προφάσεως τῆς κωλύσεως· καὶ εἴ τι δὲ ἄλλο περιγένοιτο, δημεύεται καὶ αὐτὸς ἐξορίζεται: hoc eſt; *Si quis aliquem teſtari prohibuerit, vel quum teſtari coepiſſet, teſtamentum prohibuerit perficere: tenetur quidem & laeſe, ex cauſſa prohibitionis; ſi quid autem ſuperfuerit, fiſco applicatur, & ipſe relegatur.* Tollendum obiter etiam leve ſcripturae vitium ex *l.* 3. *d. t.* quod tamen in utramque Contianam editionem, tam Pariſinam, quam Lugdunenſem, irrepſit. Non enim ſcribendum, *provocare martiali ſermone*, ſed *maritali ſermone* quod & cum gloſſa ibidem convenit.

ccxi. In *l.* 4. *verſ. Melius itaque. C. de verb. & rer. ſignif.* putavit Alciatus, pro vocabulo Graeco ἀναδιαζεύξεις, quod ibi reperitur, ponendum συνάφεια. Refutant hoc alii de ſcriptura librorum veterum. Mihi ſatis eſto, ſcripturam uſitatam confirmare per Graecorum lectionem, qui verterunt, μᾶλλον οὖν παραδιαζευξις.

ccxii. In *princ. l.* 1. *C. Si omiſſ. ſit cauſ. teſtam.* pro *legatorum*, Graeci ponunt, *in fraudem legatariorum*. Iidem in *princ. l.* 2. *C. de fideicom.* in his verbis, *ſi inutiliter fideicommiſſum relictum ſit*, pro fideicommiſſo ponunt ληγᾶτον. Atque idem hoc faciunt etiam in *l.* 22. *C. eod.* In *lege* vero 30. *d. t.* haec verba: Non tantum filium heredem inſtituens, *ſed etiam filiam, vel ab initio nepotem, vel neptem*, &c. ſic transponunt, ut recte (meo quidem judicio) legant: *ſed etiam filiam ab initio, vel nepotem, vel neptem*, &c.

ccxiii. In *fine legis* 5. *C. ad SCtum Orfit.* pro, *nulla dubitatio eſt*, Graeci legunt *nulla invidia eſt*. nam φθόνος vertunt. Iidem haec verba *legis* 3. *C. de bon. matern.* *Et praemium delatae emancipationis quum volet accipiet:* ita exprimunt, τὸ ἥμισυ μισθὸν τῆς προσπορισθείσης αὐτῷ ἐξ αὐτῶν περιουσίας παρακατέχει: hoc eſt; *dimidiam partem acquiſitae ſibi per eos ſubſtantiae retinet.*

ccxiv. In *l.* 6. *C. de bon. quae liberis in poteſt* Graeci haec verba, *Sed ab aliis quibuscumque cauſſis, quae ex liberalitate fortunae, vel laboribus ſuis ad eum perveniant, eas ſuis parentibus*, &c: ſic interpretati ſunt, ut *ea ſuis parentibus* legendum ſit. Et quonam illud ταῦτα referendum, facile perſpicitur: quum *eas* neceſſe ſit reſpondere *cauſſis*, ſenſu loci perverſo.

ccxv. In *l. unic. C. de SCto Claudiano toll.* quum his Graeci verbis utantur, ἐναλαβητέον ἐστί: haud dubie intelligitur, eos non legiſſe, *in adſcriptitiis adſerendum eſt*; ſed, *in adſcriptitiis verendum eſt*. Confer *legem ultimam C. de agric. & cenſ.* Nam iſtic eadem verba repetuntur, ſed ita, uti Graecos ſcripſiſſe dixi.

ccxvi. Rurſus exempla duo proferam, ubi videntur ex poſterioribus emendaſſe Graeci jura priora. In *l. un. C. de uſucap. transform.* dicitur, *ut ſi quis alienam rem mobilem, per continuum triennium detinuerit.* Heic Graeci διὰ τετραετίας ſcribunt, id eſt, *per quadriennium*. Iidem in *l.* 34. *C. de donat.* non procul a principio, *trecentorum* ſolidorum ſit mentio. Heic Graeci *quingentos* reponunt.

ccxvii. In *l.* 3. *C. in quib. cauſ. ceſſ. long. temp. praeſcr.* poſtquam haec Graeci verba expoſuerunt, *Quum neque familiae erciſcundae judicium, neque communi dividundo actio excludatur longi temporis praeſcriptione*, ſubjiciunt ſtatim, τῇ τριακονταετηρίδι δὲ μόνῃ ἀποκλείονται: hoc eſt; *triginta dumtaxat annorum ſpatio excluduntur.* quod quidem ex aliis huc relatum eſt legibus.

In *l.* 3. *C. de praeſcript.* 30. *vel.* 40. *annor.* quum dicitur, *vivendi alterius non habeant facultatem* (loquitur autem lex de actionibus) rectiſſime notatur a quibusdam, pro *vivendi* nonnullis in libris ſcriptum eſſe *movendi*. Nam ita Graeci quoque reddiderunt, τὸ ζητεῖν περαιτέρω μὴ ἐχέτωσαν τὴν ἄδειαν. Nec Cujacio ſuccenſemus, qui *vivendi* verbum defendit per aliam Baſilicorum lectionem, τὸ ζῆν περαιτέρω. quam ſuis in libris reperit. Varietas ipſa lectionum & utilitatem adfert, & voluptatem. ccxviii.

In *l. ult. C. eod.* pro his verbis, *Vel alios quoscumque caſus (quum ſortes humanae multae ſint) qui nec dici*, &c. Graeci legerunt hoc modo: *Vel alios quoscumque caſus (quum ſortis humanae multi ſint) qui nec dici* &c. Subauditur autem his verbis, *multi ſint*, videlicet caſus: ſicut & apud Graecos, ὁπότε τὸ ἀνθρωπίνου κλήρου πολλαί εἰσι, ſcilicet περιστάσεις, quod praeceſſit. Ibidem paulo ante, pro verbo, *perducebant*, Graeci repperere ſcriptum, *producebant*: quum per προάγειν interpretati ſint. Rurſum poſt ſuperius citata verba ſequitur: *merito quidem ſine remedio ante lugebant.* Legendum ex auctoritate Graecorum: *merito quidem, ſine remedio autem lugebant.* Sic enim illi, ἀξίως μὲν, πλὴν χωρὶς θεραπείας ἐπένθουν. ccxix.

In *l.* 1. §. *ad haec* 1. *C. de annal. except. Ital.* quum dicitur, *Jubemus omnes perſonales actiones*, &c. Graecos aliam lectionem ſequutos conſtat, qui reddiderunt προσκαίρους ἀγωγάς, quae ſunt *actiones temporales*. ccxx.

In *l.* 2. *verſ. Quod ſi ita contigerit. C. de temp. & reparat.* haec verba: *Tunc intra trium aliorum menſium ſpatium a noſtro numine reparationem peti praecipimus: qua petita, nec adverſarium*, &c. Haec ergo ſic Graeci verterunt, atque ſi ſcriptum in eorum libris fuerit; *reparationem peti praecipimus: qua potita, nec adverſarium*, &c. Nam haec Graeca, ἢ δοθείσης αὐτῷ τῆς ἀνανεώσεως: id eſt, *qua illi reparatione conceſſa*; plane non quadrant ad illud, *qua petita*: ſed potius ad hoc alterum, quod indicavimus. ccxxi.

Haec ultima verba *legis* 13. *ſive ult. C. de aedific. privat. Caeteris videlicet omnibus, quae non per Zenonianam legem innovata ſunt, ſed veteribus legibus comprehenſa, in ſua firmitate manentibus*, in Baſilicis expreſſius in hunc modum Graeci declaraverunt: πλὴν τῆς ἀπόψεως τῆς θαλάσσης: ἐκείνη γὰρ ἐν μόνῃ Κωνσταντινουπόλει, καὶ τῇ ταύτης περιοικίδι κρατεῖ: id eſt; *Excepto maris proſpectu. Nam is Conſtantinopoli dumtaxat, & in ejus continentibus locum habet.* ccxxii.

In *principia legis* 3. *C. de temp. & reparat.* quum Juſtinianus ait, *Nemo arbitretur inpoſterum licentiam futuram conſultationibus ultra ſtatuti temporis vivendi ſpatia*, vix dubito, pro *vivendi*, reſtituendum *utendi*: licet alterum illud haud improbem. At in *l.* 11. *in fin. C. de oper. publ.* pro *Thermarum ſubſtitutioni*, quid reponendum ſit, necdum pervidere poſſum. Vox quidem *ſubſtitutionis* ſuſpecta redditur ex interpretatione Graecorum, qui ἐκβάσει reddiderunt. Fortaſſe *ſubſtructionis* legendum quis diceret, quae vox fabricam & ἐπισκευὴν ſive refectionem ſignificat. Rectiſſime vero tandem nobis hunc ſcrupulum Cujacius eximit, dum pro ἐκβάσει legendum ἐγκαύσει oſtendit, ac *ſubſtitutioni* mutandum in *ſubuſtioni*, ex *Cod. Theodoſiano*. ccxxiii.

In *l.* 7. *C. que res pign. oblig.* qui dicitur *interceſſor*, a Graecis εἰρηνάρχος redditur. Conſtat autem, εἰρηνάρχας eſſe perſonas publicas, ſicut & aliarum heic perſonarum publicarum ſit mentio, puto praefecti pagi, vel vici, & decurionis: quibus cur inſertus ſit creditor, privata ſcilicet perſona, non video; tametſi quid afferri pro ſententia receptae lectionis in medium poſſit, non ignorem. ccxxiv.

Vox

ccxxv. Verba ſunt *legis* 4. *Cod. de inutilib. ſtipul. Ex eo inſtrumento nullum vos habere actionem, in quo contra bonos mores de ſucceſſione futura interpoſita fuit ſtipulatio, manifeſtum eſt.* Haec ita Graeci reddiderunt, ut pro *ſucceſſione futura*, legiſſe videantur, *ſucceſſione mutua*. Nam id ſignificatum eſt vocis ἀλληλοκληρονομίας. Sin ita quis neget eos Latinis in libris ſcriptum reperiſſe, ſaltem fateatur neceſſe eſt, ipſos ſucceſſionem futuram accepiſſe de mutua ſucceſſione.

ccxxvi. Poſuimus *libro Notatorum primo* epitomen *legis* 2. *Cod. de privat. carcer. inhib.* quae hactenus in editis deſideratur. Nunc aliam heic adſeramus e *libro* 60. Baſilicorum, cujus haec verba ſunt: ἡ διάταξις κελεύει, μὴ γίνεσθαι ἰδιωτικὰς φυλακάς· τοὺς δὲ τοῦτο πράττοντας ὑποκεῖσθαι καὶ ἐπιτιμίῳ, καὶ δεδέσθαι ἐν τῇ δημοσίᾳ φρουρᾷ τοσαύτας ἡμέρας, ὅσας δὴ ποτ᾽ ἂν γένοιτο ὁ ἐγκλεισθεὶς ἐν τῇ γενομένῃ παρ᾽ αὐτῶν φυλακῇ· ὁποίας ἂν εἴησαν τύχης ἢ ἀξίας. ἐμπίπτειν δὲ καὶ τῇ δίκῃ τῇ ἁρμοζούσῃ αὐτοῖς κατὰ τοῦ ἐγκλεισθέντος, προνοίᾳ τοῦ ἐπισκόπου καὶ τοῦ ἄρχοντος, εἰ δὲ ῥᾳθυμήσει ὁ ἄρχων, ὑφίστασθαι κίνδυνον καὶ περὶ τὴν ζώνην, καὶ περὶ τὴν σωτηρίαν. Ea verba non opus eſt heic ut interpretemur, quum exſtent in Latino Baſilicorum 60. *libro* Cujacii.

ccxxvii. In hiſce verbis exponendis *l.* 10. *C. ad leg. Jul. de adult. Et par delictum eſt accuſatoris praevaricatoris, & defugientis veritatis inquiſitionem.* Aliam ſequuti ſunt lectionem Graeci, quorum haec verba ſunt: καὶ ἴσον ἔγκλημα τοῦ κατηγόρου, τοῦ προδεδωκότος, καὶ τοῦ φεύγοντος τὴν τῆς ἀληθείας ζήτησιν οὐκ ἔστι: id eſt; *Et par crimen accuſatoris, & ejus, qui cauſſam prodidit, & fugientis veritatis inquiſitionem, non eſt.* Ergo non dubium eſt, eos ita locum hunc ſcriptum reperiſſe: *Et par delictum non eſt accuſatoris, praevaricatoris, & defugientis veritatis inquiſitionem.* Nimirum abeſt a noſtris libris negatio, quam tamen & Cujacius in interpretatione retinuit: licet exiſtimem vulgatam defendi poſſe, quum ex aliis, tum ex *l.* 34. *D. de jur. fiſc.*

ccxxviii. De legibus aliquot Principum poſteriorum, poſt Codicem Juſtinianeum latis, & expoſitis in *libro* 60. Baſilicorum, titulo ad *leg. Jul. de adult.* quod meum ſit judicium, dixi ſupra hujus 2. *Notatorum libri capite* 112. atque illa ipſa in ſententia nunc etiam adquieſco.

ccxxix. Non ſine cauſſa quis exiſtimet in *l. unic. C. de rapt. virg. §. Et ſi quidem* 1. poſt iſtaec verba, *Nec ſit facultas raptae virgini, vel viduae, vel cuilibet mulieri raptorem ſuum ſibi maritum expoſcere*, Graecos haec non temere ſubjeciſſe, μηδὲ τοῖς γονεῦσιν αὐτῆς τοῦτο αὐτῇ κελεύειν: hoc eſt; *nec parentibus ejus hoc ipſi mandare.* Nam in noſtris hoc non exprimitur.

ccxxx. Simile quiddam occurrit in *l.* 10. *C. ad leg. Fab. de plag.* nam poſt legis verba, quibus dicitur, *comparantem ab eo, qui abduxit plagio mancipia, ſi delicti ſocius non probetur, nullo crimine teneri.* Graeci adjiciunt, τῇ δὲ περὶ δόλου ἀγωγῇ ἐνέχεσθαι: id eſt; *doli tamen actione conveniri.*

ccxxxi. Plagii poena *lege ult. C. d. t.* ſtatuitur haec in jure noſtro, *ut, poſteaquam ſuper crimine claruerit, ſervus quidem, vel libertate donatus, beſtiis ſubjiciatur: ingenuus autem gladio conſumatur.* Diverſa vero, ac longe quidem mitior a Graecis exprimitur ſupplicii ratio, verbis hiſce: καὶ εἰ μὲν δοῦλος ἐστιν, ἢ ἀπελεύθερος, τυπτόμενος καὶ κουρευόμενος χειροκοπείσθω· εἰ δὲ ἐλεύθερός ἐστι, χειροκοπείσθω μόνον: id eſt; *Si quidem ſervus eſt, aut libertus, verberato ac tonſo manus abſcinditor: ſin liber, manus ei dumtaxat amputator.* Quid de hac diverſitate dicam aliud, non habeo: niſi quod mitigatam legis antiquae poenam duriorem conſtitutione quadam recentiori putem; quam deinde Baſilicorum auctores ſequuti ſint.

ccxxxii. Iidem auctores Baſilicorum hanc *legis* 2. *C. de crim. ſacrileg.* ſententiam faciunt, ὁ τὸν προσφεύγοντα εἰς τὴν ἁγίαν ἐκκλησίαν ἰδίᾳ αὐθεντίᾳ ἀποσπάσας, τυπτόμενος καὶ κουρευόμενος ἐξοριζέσθω: id eſt; *Qui confugientem ad ſacram eccleſiam abſtraxerit auctoritate ſua, verberatus & tonſus deportator.* Confer *l.* 2. *C. de his qui ad eccleſ.* Quae autem *ſecunda* eſt *hoc titulo, de crim. ſacril.* eam Graeci *tertiam* faciunt.

In *l.* 3. *C. de quaeſt.* dicitur, *interrogandos ſervos alienos.* Heic ſtatim addunt Graeci, καὶ τοὺς ἰδίους, *ſervos ſcilicet proprios mulieris:* ut illis ſcilicet etiam interrogatis, tamdem loco tertio mulier ipſa quoque torqueatur. ccxxxiii.

Epitomen *legis ult. C. de bon. proſcript.* Contius ccxxxiv. ex Euſtathii anteceſſoris libro περὶ χρονικῶν διαστημάτων deſcripſit. Sed haec integrior eſt, ex Baſilicis, ἐάν τις ὡς ἐπὶ τυραννίδι ἐγκληθεὶς δήμευσιν ὑπομείνῃ, οἱ μὲν ἔχοντες αὐτοῦ πράγματα, καὶ διάγοντες ἐν τῇ βασιλίδι πόλει, εἴσω δύο μηνῶν ὀφείλουσιν αὐτὰ προσαγγέλλειν. οἱ δὲ μὴ διάγοντες ἐν τῇ βασιλίδι πόλει, ἀλλ᾽ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις, εἴσω ὀκτὼ μηνῶν· εἰ δὲ μὴ τοῦτο ποιήσουσι, μετὰ τῶν πραγμάτων τὸ τετραπλάσιον παρέχουσιν: hoc eſt, *Si quis ut perduellionis convictus, bonorum publicationem paſſus fuerit: ii, qui res ejus habent, & in urbe Imperatoria degunt, intra duos menſes eas nuntiare debent: qui vero non degunt in urbe Imperatoria, ſed in provinciis; intra menſes octo. Si vero id non fecerint, una cum rebus ipſis quadruplum praeſtant.*

In *l.* 2. *C. de his qui ex publ. rat.* non eſt, quod du- ccxxxv. bitem Graecorum lectionem noſtra integriorem eſſe. Noſtri ſic habent: *Quod ſi quis aurum ex noſtro aerario privatis commodis profuturum, occulte, aut cautionis, aut ſponſionis fide acceperit*, &c. Graeci vero, λανθανόντως, ἢ φανερῶς, ἢ ἐγγράφως, ἢ μετ᾽ ἐγγύης. Ergo ſic reſtituenda noſtra: *Palam aut occulte, aut cautione*, &c.

Tituli 20. *C. lib.* 10. verba ſunt in inſcriptione, ccxxxvi. *de ſuperexactionibus:* ſic enim legitur in editionibus noſtris. Graeci vero quum interpretentur περὶ περισσοπρακτούντων, haud dubie ſuis in libris ſcriptum invenerunt, *de ſuperexactoribus.* Quod eo probabilius videtur, quoniam *tituli* quoque *praecedentis* inſcriptio eſt, *de exactoribus tributorum*; non, *de exactionibus:* & ipſimet Graeci declarationis cauſſa ſubjiciunt, τουτέστι περὶ τῶν περιττὸν ἀπαιτούντων.

Legem Graecam, quae numero *ſecunda eſt*, *C. ut* ccxxxvii. *nem. lic. in empt.* qui volet repurgatam a mendis, tam in Graeco textu, quam in verſione, non paucis; quaerat editionis noſtrae *paginam* 472. Hoc adjicere tantum volui. Quae verba in editis antea ſic incipiunt, Μηδεὶς ποτὲ χωρὶς μεγάλης ἀνάγκης, ea verba, mea quidem opinione, *legis tertiae* principium eſſe. Sed μηδεὶς ποτὲ mutandum in μηδέποτε: vel neceſſario pro μηδεὶς ποτὲ χωρὶς μεγάλης ἀνάγκης ἐπιταττέσθω τοῖς κτήτορσι συνωνή, legendum μηδεμία ποτέ: vel denique pro ἐπιταττέσθω reponendum ἐπιταττέτω, & συνωνὴν pro συνωνή. Verum quod primo loco poſui, concinnius eſt.

Prima verba *legis* 2. *C. de murilegul.* haec ſunt in ccxxxviii. Latinis editionibus noſtris; *Baphii & gynaecii, per quos & privata noſtra ſubſtantia*, &c. Recte vero judicant, quibus corrupta videntur. Quippe noſtris in Baſilicis leguntur βαφεῖς καὶ γυναικιάριοι. Unde colligitur, reſtituendum: *Baphei & gynaeciarii.*

De duobus alterum mihi Lector dabit: vel legem ccxxxix. hanc, quam τὰ βασιλικὰ noſtra in Ecloga faciunt *Octavam*, *C. de murilegulis*, deeſſe noſtris in editionibus (verba ſunt ejuſmodi: ὁ ὑποσαλεύων γυναῖκα ἀφορισθεῖσαν τῷ γυναικείῳ δύο λίτρας δίδωσι: hoc eſt; *Qui ſollicitaverit mulierem deputatam gynaecio, duas libras ſolvit*) vel, ſi contendat, eſſe haec verba *legis* 9. *C. d. t.* neceſſe eſt fateatur, pro voce *Naviculam*, quae Latinis in libris eſt, omnino reponendum Graecis auctoribus, *mulierculam.* Aut ſi longius hoc recedit a ſcriptura vocis prioris, reponamus *ancillam*, vel *ancillulam*: quo facto, ſenſus legis non inelegans ſemet offerre videtur. Sed cur minor ſit corruptionis vel ſollicitationis, aut uſurpationis (uti lex ipſa loquitur) poena, quae binarum heic librarum ſtatui-

tuitur; quam caelationis, quae ternis libris in *l. 6. ſup. h. t.* plectitur?

CCXXX. In *l. 2. Cod. de canone frument. urb. Rom.* pro *hordes*, legerunt Interpretes Graeci ἐλαίῳ, id eſt, *oleo*. Nimirum *ordes* legebatur in aliquo codice, ſine adſpiratione; vocabulo ex *olei* voce corrupto. Manifeſtum vero mendum eſt in *l. un. C. non licere habitat. metrocom* in hisce verbis: *Sed ſi quis ex hisdem vicariis.* Nam quum Graeci verterint, ἀλλὰ τοῖς τῆς αὐτῆς κώμης, omnino reponendum, *ex hisdem vicanis*, vel ut alii ſcribere malunt, *vicaneis*. Iidem Graeci in *l. 6. C. de cenſ. & cenſit.* pro *honorum jacturam*, legendum monent, *bonorum*. Vertunt enim, τῶν ἀξιῶν ἐκπίπτει: quae ſane diverſae poenae ſunt, & huic loco poſterior magis eſt accommodata.

CCXXXI. Facere non poſſum, quin tot locis expoſitis, qui noſtris in exemplaribus ex interpretatione Graecorum emendari poſſunt, viciſſim oſtendam, Graecos etiam libris alicubi vitioſae ſcripturae non expertibus uſos eſſe. Ponam autem exemplum unum & alterum, caeteris diligentiae Lectoris relictis. In *l. 1. C. de agric. & cenſit.* haec prima verba ſunt: *Numquam ſationibus vel colligendis frugibus inſiſtentes agricolae ad extraordinaria onera trahantur.* Heic vocem *ſationibus* Graeci per λογισμοὺς interpretantur. Ergo mendoſam ſequuti ſunt ſcripturam Latinam, legendo *rationibus*, pro *ſationibus*. Iidem ubi verba Praetoris in *l. 1. D. de vent. inſpic.* interpretantur, *militea* reddiderunt, ubi noſtri libri Latini *comites* habent: qui Graecis ſunt ἀκόλουθοι in *l. 1. §. qui puero 2. D. de extraord. crim.* quam legem interpretantur *libro 60. tit. 22.* Ac videntur ſane Graeci lectionem in *d. l. 1. de vent. inſpic.* minus probam ſequuti. Nam comites ſive pediſſequos matribusfamilias, & pueris quoque ſolitos adhiberi, de *d. l. 1. §. qui puero 2.* aliisque pluribus locis conſtat.

CCXXXII. Poſt *legem 17. C. de agric. & cenſit.* notatur in exemplaribus noſtris, conſtitutionem Graecam deſiderari. Ejus conſtitutionis haec a nobis epitome reſtituitur: τῶν γεωργῶν οἱ μὲν ἐναπόγραφοί εἰσι, καὶ τὰ τούτων πεκούλια τοῖς δεσπόταις ἀνήκει. οἱ δὲ χρόνῳ τῆς τριακονταετίας μισθωτοὶ γίνονται ἐλεύθεροι μετὰ τῶν πραγμάτων αὐτῶν. καὶ οὗτοι δὲ ἀναγκάζονται καὶ τὴν γῆν γεωργεῖν, καὶ τὸ τέλος παρέχειν. τοῦτο δὲ καὶ τοῖς δεσπόταις καὶ τοῖς γεωργοῖς λυσιτελεῖ. *Agricolarum*, inquit, *alii ſunt adſcriptitii, quorum ad dominos peculia pertinent: alii triginta annorum ſpatio coloni fiunt liberi, cum rebus ſuis. Atque hi tam terram colere, quam tributum praeſtare coguntur. Hoc autem & dominis, & ipſis agricolis expedit.* Caeterum lex iſta non eo reponi loco debet, qui Latinis in libris notatur; ſed ante *l. litibus 20. C. eod.* Quippe lex *Colonos 19. eod.* Theodoſii Valentiniani eſt, qui Principes Anaſtaſium in imperio praeceſſerunt. Et *legem hanc*, quam reſtituere nitimur, Anaſtaſianam eſſe; paret ex verbis Juſtiniani, quae in *l. 23. C. eod.* leguntur hujusmodi: *Quum eenim Anaſtaſiana lex homines, qui per 30. annos colonaria detenti ſunt conditione, voluerit liberos quidem permanere, non autem habere facultatem terra derelicta in alia loca migrare*, &c.

CCXXXIII. In verbis inſcriptionis *tituli 59. C. lib. 11.* Graeci pro ſundis *limitrophis*, potius *limitotrophos* agnoſcunt: itemque poſtea, ſequentibus in verbis, non *limitaneis vel caſtellorum*, ſed *limitaneis vel caſtellanis*, expreſſe ſcribunt.

CCXXXIV. In *l. ult. C. de fund. rei privat.* quum dicitur, *Si quis ad comparationem rei dominicae dempto canone accedat, eum pretia perdere perpetuo*: Graeci ſtatim ſubjiciunt, καὶ τὸ χωρίον ἀφαιρεῖται. quo ſignificatur, *ipſum etiam praedium hunc adimi*. cujus in libris editis nulla mentio. Sic & illud elegans ſcholion eſt ad *finem legis 8. C. de dignitatib.* καλῶς εἶπεν ὁ βασιλεύς, συναριθμεῖσθαι τοῖς συγκλητικοῖς. ἐπειδὴ καὶ ὑπατεύειν ἀνέχεται: hoc eſt; *recte dixiſſe Imperatorem, ſe inter ſenatores commemorari: quoniam & conſulatum gerere ſuſti-*

neat. Item ad *legem ſequentem*, qua traditur, *liber[...] rum filios adipiſci clariſſimam dignitatem non prohib[...]* non abs re ſubjiciunt, *ipſos dumtaxat libertos arce[...]*

Cenſet doctiſſimus Cujacius in *l. 6. C. qui m[...] poſſ.* in his verbis, *licere dominis adire competentem [...] dicem, & ſuam ignorantiam eo, quod contrarium m[...] me probatur, oſtendere*; pro *ignorantiam* legend[...] *innocentiam*. Non equidem valde repugno. Sed Gr[...] ci lectionem uſitatam retinuerunt: vertunt enim [...] γνοιαν, *ignorantiam*. Quae lectio ſuas etiam ratio[...] habet.

In quibusdam titulis Eclogae noſtrae Baſilicor[...] fit legum mentio, quae nec exſtant in Codi[...] nec in hac ſynopſi ad verbum ponuntur, vel in[...] grae, vel epitomatae. Verbi gratia; quod in *titul[...] libri* Baſilicorum 57. recitatur his verbis: *De his, [...] in bello moriuntur, quodque defuncti militis filius [...] major ſtatim in locum patris ſui ſuccedat, & easdem [...] nonas accipiat, usque ad biarchi gradum*: hoc igitur [...] gumentum eſt *l. 3. C. de fil. official.* quod & Con[...] ibidem poſuit. Simile quiddam videre eſt in *pra[...] dente titulo* 4. Nam quod ibi dicitur, *conjugem [...] rosque defuncti ab erogatore, quidquid ei debeatur ad m[...] tem usque, conſequi*: argumentum legis eſt, ad *ſ[...] lum Codicis de erogatione militaris annonae* referen[...] quae non exſtat. Ponatur autem haec epitoma [...] ultimo inter caeteras ejus tituli loco, donec aliu[...] clarius appareat, quinam verus ſit ejus locus.

L. 2. in princ. C. de exſeq. & exactt. dicitur, *Quic[...] que ex palatio noſtro cujuslibet tituli ad provin[...] commeaverit*, &c. Heic Graeci verterunt, εἰς ὀν[...] τινος τίτλου. de quo forte quis conjecerit, eos leg[...] ſe; *cujuſlibet tituli nomine.* Quibus in verbis quae [...] tuli ſignificatio ſit, notius eſt, quam ut indicar[...] beat. Aut ſi non ita repperere ſcriptum, ſaltem ind[...] re voluerunt; hanc verborum eſſe ſententiam, [...] ad, *cujuslibet tituli*; ſubaudiatur, *gratia*.

In *ult. tit. libri 12. Cod. Publ. laetit.* &c. vix [...] bium mihi quidem eſt, deeſſe legem unam. Ejus h[...] ſive verba, ſive ſenſus, in Baſilicorum Ecloga no[...] ponunt: οἱ τὰ διατάγματα κομίζοντες τῶν μελλόντων [...] χειν πολιτικῆς ἢ στρατιωτικῆς ἀρχῆς, ιε. μόνους χρυσοῦς [...] ἐπαρχίας κομιζέσθωσαν. οἱ δὲ πλείω λάβωσι, τὸ τε[...] πλάσιον διδότωσαν, μὴ δυνάμενοι πρὸς ἀπολογίαν [...] φέρειν, ὡς καὶ ἑκόντων τὸ περιττὸν εἰλήφασι; hoc [...] *Qui perferunt eorum mandata, qui civilem militare[...] magiſtratum geſturi ſunt, aureos dumtaxat ex provi[...] quindecim accipiant. Quod ſi plus acceperint, quadrup[...] reddant: nec ad excuſationem proferre poterunt, ſe [...] amplius ab ipſis lubentibus accepiſſe.* Arbitror au[...] hanc equidem eſſe *legem 2. C. d. t.* quum prima ſ[...] ſum exſtet in titulo Baſilicorum περὶ συγχαρισ[...] inter quam, & poſtremam, quae *d. t. C.* adjic[...] a Contio, caput unum relinquitur. Si diverſum [...] tueri velit, opponam ei ſaltem ipſum diſcrimen ſ[...] mae, quam utraque lex a provincialibus exigi [...] mittit. Et apparet hinc ſane, poſteriorem eſſe [...] tiam illam Contianam, quum minorem exiger[...] rum ſummam definiat; & plura quoque pract[...] complectatur.

Ad aliquot Novellarum Juſtiniani loca

REpurgabimus obiter etiam Novellas Juſtinia[...] a mendis quibusdam, idque dumtaxat pra[...] bimus ex Baſilicorum Ecloga noſtra, quemad[...] dum in hujus editione facturos aliquando nos [...] miſimus. Igitur in *Novellae 2. cap. 5. initio*, pro κα[...] ταγόντων εἰς τὰ δικαστήρια, ſcribendum καταγαγ[...] ſicut & veterem conſtat Interpretem legiſſe, qui [...] tit, *deducere ad judicia*. Idem *paulo ante* meo j[...] cio recte verterat ἀμυδρῶς, *obſcure*. ſed incuri[...] brariorum male pro *obſcure*, irrepſit *acerbe*. Ru[...] *ibidem* πρὸς καιρὸν ὑπομειούμενον βοήθειαν, corru[...] legitur; pro quo alii reponunt ἀπομειούμενον, Sed [...]

ſilica verbum integrius reſtituunt, legendo; πρὸς κοινὴν ἀποδυσάμενος βοήθειαν.

CCXL. In *Novellae* 22. *capite* 20. §. *Soluto igitur* 1. Haloander inſeruit nonnulla, quae reperiuntur & in *Novella* 127. Ea Contius putavit huc perperam fuiſſe relata: ſed fortaſſis hoc factum ab ipſo temere. Nam & Baſilicorum auctoritas Haloandrum defendit. Ac locum Lector ipſe quaerat, *libro* 28. *tit.* 12. *cap.* 1. non enim huc eum transferre deſcribendo libuit.

CCXLI. In *ejusdem Novellae cap.* 40. *in princ.* ſtatuitur de muliere, liberorum ſuorum tutelam adminiſtrante. Heic recepti Novellarum libri mentionem jurisjurandi faciunt, a muliere praeſtiti, de non transeundo ſecundas ad nuptias. Sunt enim haec verba: διομοσαμένη μὴ πρὸς δεύτερον ἔρχεσθαι γάμον: nec *multo poſt* repetitur καταφρονήσασα τ͂ ὅρκου. Utrobique Baſilicorum libri jurisjurandi loco, repromiſſionem ſive ſponſionem ponunt: haud ſcio, num ea de cauſſa; quod Imperatores ſequuti putaverint hoc caſu jurisjurandi rigorem nonnihil mitigandum. Pro διομοσαμένη quidem certe, repoſitum in Baſilicis legitur, διομολογησαμένη: & pro τ͂ ὅρκου, itidem τ͂ ὁμολογίας.

CCXLII. In *Novella* 49. *cap.* 1. pro καὶ τρίτον ἐπιτείνοντα, παρατεινομένων ꝭ μηνὸς καὶ τ͂ ἡμέρας, legitur in Baſilicis, καὶ τρίτον τινὰ ἐπιτείνοντα, παρατεινομένων ꝭ μηνὸς καὶ τ͂ ἡμέρας. quam lectionem confirmat & vetus Interpres, dum reddit, *tertio loco.* Nec dubium eſt, παρατεινομένων quoque rectius ſcribi, quam παρατεινομένου: quum pariter & ad menſem, & ad diem referatur.

CCXLIII. In *eadem Novella*, *cap.* 2. *in princ.* non exigua quaedam quaſi lacuna eſt, omiſſis multis verbis, quae in Baſilicis leguntur, & continent ſententiam non levis momenti. Nam poſt haec verba, ἐπειδὴ γὰρ ἤδη γεγράφαμεν νόμον, βουλόμενοι ἐξ ἰδιοχείρων μηδεμίαν γίνεσθαι σύγκρισιν, ſequuntur haec in Baſilicis, εἰ μὴ ἄρα τριῶν μαρτύρων ὑπογραφὰς ἔχοιεν τὰ χειρόγραφα, καὶ αὐτοὶ οἱ μάρτυρες συνομολογήσωσιν, ὅτι ὑπέγραψαν, ἢ ἀρνούμενοι περὶ τῆς ἰδίας χειρὸς ἀπὸ συγκρίσεως τ͂ ἰδίων γραμμάτων ἐλεγχθῶσιν· ἀλλ᾽ ἐκ μόνων τῶν ἀγοραίων, &c. Quorum verborum haec eſt ſententia: *Quando enim jam legem ſcripſimus, quae vult, uti de ſcriptura propriae manus nulla fiat comparatio; niſi forte haec ipſa chirographa trium teſtium ſubſcriptiones habeant, atque ipſi teſtes confiteantur, ſe ſubſcripſiſſe; vel ſi negent, de manu ſua ex litterarum ſuarum comparatione convicti fuerint: ſed dumtaxat ex documentis publice celebratis*, &c. Hanc additionem ego notatu dignam putavi.

CCXLIV. Laudo conſilium A. Contii, qui Novellarum interpretationem veterem, ſive illa Berguntionem Piſanum, ſive alium auctorem habuit, omnino publicandam putavit. Nam multis in locis ea plenior eſt, & integrior, quam Graecae vel Haloandri, vel Scrimgeri noſtri ſint editiones. Sed vellem diligentius eam, Graeco textu adhibito, recenſuiſſet, ac plurima ſcripturae menda ſuſtuliſſet. Equidem lubenter id praeſtarem, ſi tantum mihi meis a negotiis eſſet otii. Et fieri non incommode poſſe, prolatis heic locis aliquibus oſtendamus. Dixi paulo ante de *principio capitis* 5. *Novellae* 2. ubi legitur: *illud quoque dudum acerbe quidem.* Heic ego vix dubito, non *acerbe* ſcriptum ab Interprete fuiſſe, ſed *obſcure:* quod reſpondet Graeco, ἀμυδρῶς. Sic etiam *dicto cap.* 2. *Novel.* 49. pro *eximentes litteras*, ſcribendum *examinantes:* & paulo poſt pro, *modis omnibus probibende*; reponendum *praebendo.* Nam prius illud Graeco ἀντεξετάζοντας, hoc poſterius voci διδομένου reſpondet. Rurſus in *Novel.* 63. *cap.* 1. *in princ.* pro, *ſed ſi hoc egerit pro veritate:* legendum, *ſed ſi hoc eguerit.* quia Graeci ὥσπερ τούτου δέοιτο. Item *Novel.* 73. *cap.* 2. *in princ.* pro, *noluerit hoc in publico conſiteri*; ſcribendum, *conſiceri:* ſicut in Graeco, μὴ βούλεται τοῦτο ἐπ᾽ ἀγορᾶς συνθεῖναι. Item *Novel.* 80. *cap.* 7. *in princ.* pro *in quocumque collegio*; reſtituendum, *in quocumque negotio:* ἐν οἱῳδήποτε πράγματι. Item in *titulo Novellae* 88. pro *adminiſtratione panum*, ſcribendum *ſubminiſtratione:* quae eſt ἄρτων χορηγία. Item *Novellae* 113. *cap.* 1. pro *diſpoſitionem*, repone *depoſitionem*; quae κατάθεσις eſt. Ibidem in his verbis, *per proprium noſtrum judicium diſponere & dicere:* ſcribendum *decidere*, pro *dicere:* quum in Graeco ſit verbum τέμνεσθαι. Item *in fine cap.* 3. *Novel.* 128. in his verbis, *Si de hoc interpellatus non judicaverit*, reponendum, *vindicaverit.* Hoc enim Graecis eſt ἐκδικεῖν. Item *Novel.* 134. *cap.* 9. *ſub finem*, in his verbis, *per quas publice & libere cuſtodiri*; reſtituendum *pudice*, pro *publice:* quod eſt σωφρόνως. Adduci denique alia quoque poſſent exempla. Sed haec arbitror ſufficere noſtri quidem inſtituti reſpectu, quod alium minus occupatum proſequi vellem.

In *Novel.* 53. *cap.* 3. §. *Sancimus igitur* 1. haec verba leguntur, δίκα μόνων ἡμερῶν ἔχειν τ͂ ὑπομνησθέντα προθεσμίαν, ἀλλὰ δεκαπλασίαν. In iis primum μόνων mutandum in μόνον, deinde δεκαπλασίαν in διπλασίαν: ſicut vetus Interpres reddidit, & *ſolummodo*, & *duplices inducias.* Paulo poſt in his verbis, πολλάκις δέ τι καὶ οἰκεῖον ἐπὶ τῷ φεύγοντι διακειμένῳ, mutandum in Graeco διακειμένῳ in διακειμένῳ, & in Latina verſione, *contra eum*, in, *contra reum:* qui Graecis eſt φεύγων: quanquam vetus Interpres ſcopum verborum Juſtiniani non attigit. Nam eorum haec eſt ſententia: *Saepenumero autem nonnihil erga reum familiariter affecto.* pro quo male vetus Interpres, *diſpenſante.* Baſilicorum auctoritate reſtituta lectio vera eſt. CCXLV.

In *principio Novellae* 63. haec ſcripturae notanda diverſitas pro τ͂ οἴκων οἰκοδομαῖς, noſtri ſcribunt οἰκοδομίας: & pro ἀλλήλων, ἀλλήλοις: & pro ἐπιῆκται, ἐπιτετήρηνται: & paulo poſt, pro οἰκοδομεῖν, οἰκοδομήσειν: item ante ἐπειδὰν, ponenda conjunctio καί. Item in *Novella* 64. *cap.* 1. *verſ. Sed aeſtimator.* ante ὥσπερ ὁ κηπουρὸς, ponendum ex Baſilicis, θεσπίζομεν: ut integer locus ſit, καὶ θεσπίζομεν, ὥσπερ ὁ κηπουρὸς, &c. CCXLVI.

In *Novel.* 73. *cap.* 7. *in princ.* pro τ͂ τελεσμάτων ſcribitur in Baſilicis τ͂ τελεσάντων, ſicut etiam ſequitur ἢ τ͂ ὑπογραψάντων. In *Novella* vero 77. *cap.* 1. §. *Et quoniam quidam* 1. *fin.* pro τοιαύτης ἡμῶν νομοθεσίας, legitur in manuſcriptis νουθεσίας: neque multo poſt itidem pro μετὰ ταύτην ἡμῶν τὴν νομοθεσίαν, συνέχειν, reponitur in iisdem, μετὰ ταύτην ἡμῶν τὴν νουθεσίαν, ἐπέχειν. Item *ſub finem* pro καὶ αὐτὸς γὰρ ὁ ἐνδεξότατος, ibidem eſt, αὐτὸς δὲ ὁ ἔνδοξ. CCXLVII.

Diximus ſupra, veram inſcriptionem eſſe *Novellae* 80. *de Quaeſitore*, non *de Quaeſtore.* Nam κοιαισίτωρ expreſſe ſcribitur in Baſilicis, adjecta vocis ejusdem interpretatione, qua ſignificatur, Quaeſitorem Latinis dici, qui Graecis ſit ἐρευνητής. De quo id etiam ſequitur, ut in *ipſa Novella cap.* 1. pro ἐρευνάδας ſcribamus ἐρευνητάς, ſicut & in Latina veteri verſione mutandum *ereunadas* in *ereunetas.* CCXLVIII.

Ejusdem Novellae cap. 3. *in princ.* pro δικαζόμενον πρὸς ἑτέροις, lege πρὸς ἑτέρους: item paulo poſt, haec verba, ἐνοχλήσαιτο τῷ αἰτουμένῳ τ͂ δίκης ἢ τοῖς τ͂ γεωργῶν κυρίοις. ſic emendabis, ut ſcribas: ἐνοχλήσαντος τ͂ αἰτούμενον τ͂ δίκης ἢ τοὺς τῶν γεωργῶν κυρίους. ac rurſus *initio cap.* 5. pro ἀρτοκοποιητικῶν ἐργαστηρίων, repone ἀρτοκοπικῶν. Nec multo poſt ταῦτα νομοθετοῦμεν ſcribitur in editis, quum in Baſilicis legatur νουθετοῦμεν: ſicut & νομοθεσίαν, pro νουθεσίαν, bis in *Novella* 77. ſcribi, modo notabamus. CCXLIX.

In *principio cap.* 1. *Novel.* 92. haec notanda veniunt. Primum iſta verba, τοσοῦτον ἑκάστῳ τῶν παίδων φυλάττειν τὸ ἐκ ꝭ νόμου μέρος, ὅσον ἦν πρὶν τὴν δωρεάν, &c. ſic in Baſilicis ſcripta leguntur, τοσοῦτον ἑκάστῳ τῶν παίδων φυλάττειν, ὅσον ἦν τὸ ἐκ ꝭ νόμου μέρος, πρὶν τῆς δωρ. &c. Deinde pro οὐδὲν ἐν ταῖς δωρεαῖς ἐγκαλέσουσι, ibidem eſt ἐπὶ ταῖς δωρεαῖς. Nec multo poſt, αὐξομένου τούτου ꝭ μέρους, in Baſilicis eſt αὐξομένου τούτου ꝭ μέτρου, cui reſpondet interpretatio vetus, quae μέτρον quantitatem reddidit. CCL.

Tom. III. Fffff In

CCLI. In *Novella* 99. *Cap.* 1. pro hiſce verbis, καὶ ἀεὶ ἐκεῖνα ἐπεχέσθαι, Graeci legunt εἰς ἐκεῖνα ἐκείνους ἐπέχεσθαι. Item in *Novel.* 115. *cap.* 3. §. 5. pro εἰ τῇ ζωῇ τῶν γονέων, ſcribe ἢ τῇ ζωῇ τῶν ἰδίων γονέων: ſicut & vetus Interpres reddidit, *vel vitae parentum ſuorum.* Et nota poſt illum primum paragraphum, εἰ τοῖς ἰδίοις γονεῦσι χεῖρας ἐπιβάλλοι, ſemper deinceps in Baſilicis ſequentes paragraphos incipere, non ab εἰ, ſed ab ἤ. Quod autem in *fine.* §. 9. dicitur, κατὰ τοὺς ἄλλους νόμους τοὺς περὶ τούτου ἀτιμάνους τὰ τοιαῦτα πράγματα πειρᾶσθαι; id Graeci ſic declarant, ut intelligi dicant, ἀτιμοῦσθαι τὸν κωλύσαντα, id eſt, *cum infamia notari, qui prohibuerit.*

CCLII. Vide *Novellae* jam indicatae[a] exemplum, in quo hujus ipſius 3. *capitis* §. 14. pro τὰς ἁγίας τέσσαρας συνόδους, ſcriptum erat ἑπτὰ συνόδους. quod arbitror Imperatores poſteriores, ipſosque Baſilicorum auctores ita voluiſſe ſcribi; ut ſeptem generalium Conciliorum auctoritas conſtaret. Atque haec ipſa ſeptem Concilia ſic ibidem numerantur, ut in ipſo Novellae textu verbis jam dictis ſubjiciatur: τὴν ἐν Νικαίᾳ πρώτην, τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει πρώτην, τὴν ἐν Ἐφέσῳ πρώτην, τὴν ἐν Χαλκηδόνι, τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει δευτέραν, ὡσαύτως καὶ τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει τρίτην, καὶ τὴν ἐν Νικαίᾳ δευτέραν. Ut horum haec ſententia ſit: *Et ſancta ſeptem Concilia, Nicaenum primum, Conſtantinopolitanum primum, Epheſinum primum, Chalcedonenſe, Conſtantinopolitanum ſecundum, itidemque Conſtantinopolitanum tertium, & Nicaenum ſecundum.* Quae quidem Concilia celebrata fuerunt; primum, imperante Conſtantino magno: alterum, Theodoſio majore: tertium, Theodoſio minore: quartum, Marciano: quintum, Juſtiniano Magno: ſextum, Juſtiniano naribus mutilato: ſeptimum, Conſtantino & Irena AA.

CCLIII. Idem exemplar *dicto ejaſdem Novellae capite*, poſt enumeratos Neſtorianos, & Acephalos, haec verba ſubjicit, continentia quorumdam aliorum haereticorum mentionem, qui poſt tempora Juſtiniani extiterunt: ὡσαύτως δὲ καὶ περὶ τοὺς Ἰακωβίτας, καὶ μονοθελήτας, καὶ εἰκονομάχους, καὶ ὅσαι ἄλλαι αἱρέσεις εἰσί, παρὰ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἀποκηρυσσόμεναι, καὶ ταύταις φωραθεῖεν τινὲς ἐνεχόμενοι, τὰ αὐτὰ περὶ τούτους ἅπαντας ἀπαραβάτως φυλάττεσθαι· hoc eſt; *Similiter & circa Jacobitas, ac Monotheletas, & Iconomachos, & quaecumque ſunt aliae ſectae, quas Eccleſia generalis abrogavit, & ſi qui deprehenſi fuerint his eſſe obnoxii; eadem in univerſis citra violationem eſſe obſervanda.* Quae verba, ſicut dixi, non a Juſtiniano ſic fuere perſcripta: ſed Juſtinianeae Novellae de poſteriorum Imperatorum voluntate inſerta.

CCLIV. Inſcriptio *Novellae* 116. Graecis in editionibus eſt, περὶ στρατιωτῶν, de militibus. Verum Interpres ille Novellarum vetus hanc prolixiorem habet, inſtar alicujus periochae: *ut neque miles, neque foederatus obſervetur domui privatae, aut poſſeſſioni alicujus.* Eam ego repertam arbitror ab Interprete, vetuſto in libro; quamquam reddita paulo ſit impolitius, ut ea ferebant tempora. Noſtra quidem in Ecloga Baſilicorum, haec ejuſdem Novellae traditur inſcriptio, ad Latinam illam quam proxime accedens: περὶ τοῦ μὴ τινα στρατιώτην ἢ φοιδεράτον ἔν τισιν ἰδιωτικαῖς χρείαις ἀπασχολεῖσθαι: hoc eſt; *ut nullus miles, aut foederatus, privatis uſibus occupetur.* Unde veteris etiam Interpretis verba corrigi poterunt.

CCLV. In *Novel.* 117. *cap.* 5. *in princ.* legitur in editis, εἴ τις ἄπορον γυναῖκα κατὰ διάθεσιν μόνον λάβοι: *Si quis inopem mulierem adfectionis cauſſa dumtaxat acceperit.* Heic libri Baſilicorum ſcribunt: εἴ τις ἄπροικον καὶ ἄπορον γυναῖκα, &c. Quam ego ſcripturam idcirco magis germanam puto, quia vetus etiam Interpres vertit, *Si quis indotatam uxorem*, &c. Ibidem *cap.* 9. §. *Si quis in ſua domo* 5. Graece legitur, ἐὰν ὁ ἀνὴρ ἐν τῷ αὐτῷ οἴκῳ. Sed Ecloga Baſilicorum habet, ἐν τῷ αὐτοῦ οἴκῳ. quam lectionem vetus etiam ſequutus eſt Interpres.

In *fine capitis* 9. *d. Novel.* 117. poſt haec ultima verba, καὶ τὴν δεσποτείαν κελεύομεν; in Baſilicis non pauca ſubjiciuntur, tamquam ad hoc ipſum caput pertinentia. Verba quidem hujuſmodi ſunt: ἐκεῖνο δὲ παραφυλακτέον, ὡς εἴπερ εὐλόγως ὁ ἀνὴρ τὸ διαζύγιον πέμψειε, καὶ ὑπεύθυνος ἡ γυνὴ ἐκ τῶν ἔμπροσθεν εἰρημένων ἡμῖν ἔσται αἰτιῶν, καὶ εἰς πενταετίαν ὅλην πρὸς δεύτερον ἐλθεῖν κωλυθήσεται συνοικέσιον, καὶ πρὸ τῆς πενταετίας ὁ γάμος ἵνα ἔσται ἀνεύθυνος, οὐδὲ νόμιμος γάμος κληθήσεται· ἀλλὰ πᾶς ὁ βουλόμενος προσίτω, καὶ κατηγορείτω τὸ γινόμενα, ὡς παρὰ τὸν νόμον τολμηθέντος. εἰ δὲ καὶ εὐλόγως ἡ γυνὴ τὸ διαζύγιον στείλοι, καὶ κρατήσει τῶν ἀγώνων· κερδαινέτω μὲν τὰ κέρδη, τὰ ἔμπροσθεν εἰρημένα, ἐρυθριάτω δὲ πρὶν ἐνιαυτὸν ἐξήκειν, εἰς δεύτερον φοιτᾶν γάμον. ὅπερ οὐ παραφυλακτέον ἡμῖν ἐπ' ἀνδρὸς τοῦ εὐλόγως κεκρατηκότος τῶν τοιούτων κερδῶν, ὅπου γε καὶ τῷ μὴ κεκρατηκότι καὶ παραχρῆμα γαμεῖν ἔξεστιν. ἐπεὶ μηδεμία περὶ τὴν τῆς γονῆς σύγχυσιν εὔλογος ἐστὶν ὑπόνοια, ὅπερ ἐπὶ τῶν γυναικῶν τὴν πρὸ τοῦ ἐνιαυτοῦ συνάφειαν ἀπείργει. καὶ τοσοῦτόν ἐστι τὸ τῆς κωλύσεως ἐνταῦθα, ὅτι κἂν εἰ ἀγαθῇ χάριτι διαλυθῆναι συμβαίη τὸν γάμον, ἀλλὰ καὶ οὕτως εἰς ἐνιαυτὸν ἡ κώλυσις τῶν δευτέρων γάμων ταῖς γυναιξὶν ἐπιτέτακται. Eorum haec eſt ſententia: *Illud autem obſervandum eſt, ut ſiquidem juſte vir repudium miſerit, ac mulier rea fuerit ex iis cauſſis, quae antea ſunt a nobis indicatae; toto quinquennio ſecundas ad nuptias accedere prohibeatur, nec ante quinquennium contractae nuptiae culpa careant, neque legitimum matrimonium appellentur: ſed quivis ſane, qui volet, accedat; & quod agitur, accuſet; veluti contra jus attentatum. Quod ſi juſte mulier quoque repudium miſerit, & victrix in litibus extiterit: lucra quidem prius indicata conſequatur, ſed erubeſcat ante, quam exierit annus, ſecundas ad nuptias convolare: quod in viro nobis non eſt obſervandum, qui juſte obtinuit ejuſmodi lucra, quandoquidem & illi, qui non obtinuit, confeſtim matrimonium contrahere licet: quum heic nulla circa confuſionem[a] ſobolis ſuſpicio probabilis ſit, quod in feminis haud abs re conjugium ante anni exitum prohibet.* Occurrit hoc loco nobis conſimile quiddam illi, quod paulo ante, *cap.* 240. notabamus ex *Novella* 22. *cap.* 20. Ubi quaedam inſeruit Haloander, quae reperiuntur etiam in *Novella* 127. Atque, ut ibi pro Haloandro facit adverſus Contium auctoritas Baſilicorum, ita lubet eodem heic etiam uti clypeo adverſus eos, qui nobis objicient, conforme quiddam his, quae modo ſunt expoſita, propemodum totidem verbis in *Novellae* 22. *capite* 15. *ſub finem*, & 16. *ſub initium*, tradi: nimirum ſequi nos Baſilicorum exemplar, & non abſimile vero videri, res eaſdem nonnumquam duabus aut pluribus in Novellis repeti. Quo ſi contentioſus aliquis ſibi ſatisfactum non putat, ſaltem hoc commodi capiemus ex hac collatione loci Baſilicorum cum verbis editae *Novellae* 22. at *in fine capitis* 15. *d. Novel.* pro καὶ τὸν πρὸ τῆς πενταετίας γάμον, μὴ ἀνεύθυνον εἶναι μὴ γάμον, ἀλλὰ πᾶς (φησὶν) ὁ βουλόμενος, &c. Legamus, καὶ τὸν πρὸ τῆς πενταετίας γάμον μὴ ἀνεύθυνον εἶναι, ἀλλὰ πᾶς (φησὶν) ὁ βουλόμενος, &c. Deinde ſub *initium* 16. *capitis* πρὸς δεύτερον φοιτᾶν, mutemus in εἰς δεύτερον φοιτᾶν γάμον. Haec itidem verba, οὐ παραφυλακτέον ἡμῖν ἐπ' ἀνδρός. τῷ γὰρ εὐλόγως κεκρατηκότι τῶν τοιούτων κερδῶν: reſtituamus hoc modo, οὐ παραφυλακτέον ἡμῖν ἐπ' ἀνδρὸς, τοῦ εὐλόγως κεκρατηκότος τῶν τοιούτ. κερδ. Item pro εὐλόγως ἐστὶν ὑπόνοια, ſcribamus εὔλογος ἐστὶν ὑπόνοια. Rurſum pro καὶ τοσοῦτον ἐστὶ τὰ τῆς κωλύσεως ἐντεῦθεν, reponamus τοσοῦτόν ἐστι τὸ τῆς κωλύσεως ἐνταῦθα.

a in Graeco γονῆς ſemen.

CCLVII. In *eadem Novella*, *cap.* 2. *in medio*, valde confuſe poſita leguntur in editis haec verba: καὶ μεθ' ἃ ταῦτα πράξει, τὰ ὑπομνήματα ἀναληφθέντα ἡ γυνὴ ὑπὲρ τῆς ἰδίας μαρτυρίας ἐκλάβῃ· καὶ μετὰ ταῦτα κελεύομεν μένειν αὐτήν. &c. Baſilicorum Ecloga nonnullis inductis, aliis alia collocatis ſerie, ſcripturam nobis hujuſmodi praebet: καὶ μεθ' ὃ λάβῃ ταῦτα τὰ ὑπομνήματα ἡ γυνὴ ὑπὲρ τῆς ἰδίας μαρτυρίας, κελεύομεν μένειν αὐτὴν

ἐνίο

ὁδὸς ἐνιαυτῷ διάγουσα: id eſt; *Ac poſtquam haec monumenta pro teſtimonio ſuo mulier acceperit, unius anni ſpatium exſpectet.*

CCLVIII. In *Novella* 118. *cap.* 2. *princ.* notat Contius, quod in Haloandri Graeca Latinaque Novellarum editione, perverſe fuerint additi poſt haec verba, *ſolis exceptis fratribus*, etiam fratrum filii. quos ait primum hoc caſu vocari coepiſſe per *Novellam* 127. Ego aliud quod dicam, non habeo: niſi ſequutum Haloandrum auctoritatem Baſilicorum, in quibus poſt fratres ſubjiciuntur καὶ οἱ ἀδελφιδοῖ. Num vero in authentica Juſtiniani hac Novella ſic illud perſcriptum fuerit, an huc aliunde translatum: de hoc nolim equidem prolixe contendere. Saltim addam, ad illa Novellae verba, ἐξῃρημένων μόνων ἀδελφῶν ἐξ ἑκατέρου γονέως συναπτομένων τῷ τελευτήσαντι, ſcholion hoc a Graecis adjici, οἱ λεγόμενοι ἀμφιθαλεῖς ἀδελφοί. Ii Latinis dicuntur germani, & patrimi. Et ipſa vox reperitur apud Zoſimum noſtrum *lib.* 2. in Sibyllino carmine de ludis ſaecularibus: quamquam aliis *patrimi* credantur appellari; quorum ſuperſtites ſint patres. Sic in *principio cap.* 3. *hac Novel.* iidem Graeci ad haec verba, οἵτινες ἐξ ἑνὸς γονέως συνάπτονται τῷ τελευτήσαντι notant: οἱ λεγόμενοι ἑτεροθαλεῖς; qui Latinis ſunt fratres uterini, & conſanguinei.

CCLIX. *Novella* 120. *cap.* 3. quaedam ſcripturae vitia ſic ex Graecis emendanda ſunt; pro παρ' αὐτῶν τῶν εὐαγῶν οἴκων, reponendum παρὰ τῶν αὐτῶν εὐαγῶν. & mox pro ἑαυτοῖς ſcribendum ἑαυτῆς; itemque ὑπερβαινούσας recte mutabitur in ὑπερβαίνοντας, hoc ipſo relato ad ἑαυτῆς, quod praeceſſit. Quamquam, ſi quis retinere ſcripturam uſitatam velit, non incommode poſſit id facere; quo ὑπερβαινούσας reſpondeat voci μισθώσεις.

CCLX. *Cap.* 5. *d. Novel.* §. *Oeconomis* 1. *in princip.* in hiſce verbis, τοῖς δὲ οἰκονόμοις, καὶ ὀρφανοτρόφοις, καὶ τοῖς τῶν λοιπῶν εὐαγῶν οἴκων διοικηταῖς, inſerendum quiddam hoc modo: καὶ τοῖς τῶν ἑτέρων ποτὲ ὄντων λοιπῶν εὐαγῶν, &c. Paulo poſt *cap.* 6. §. *Licentiam* 1. *ſub princip.* pro μὴ μόνον πρόσκαιρον ἐμφύτευσιν γενέσθαι, reponendum ἐμφύτευσιν ποιεῖσθαι, quo cum vetus etiam conſentit Interpres, qui reddidit, Emphyteuſin facere.

CCLXI. *Ejuſdem* 6. *cap.* §. *In venerabilibus* 2. haec verba, ὡς ἰδικὸς ἰσχυρὸν δίδοσθαι ἀκίνητον πρᾶγμα τῷ δανειστῇ, ἕως τοὺς τούτου καρποὺς ἀναλεγόμενος, &c. leguntur in Baſilicis integrius, hoc modo: δίδοσθαι ἀκίνητον πρᾶγμα τῷ δανειστῇ, ἵνα νέμηται τὸ αὐτὸ πρᾶγμα, καὶ τοὺς τούτου καρποὺς ἀναλεγόμενος, &c. quam ego lectionem alteri praefero. Caeterum *verſ. Propterea enim, ſub fin.* pro εἴκοσιν ἡμέρας, qui ſunt *viginti dies*, legitur in Baſilicis, ἐπὶ ὀκτὼ ἡμέρας, qui ſunt *dies octo*: numerus omnino impar.

CCLXII. Rurſus in *ejusd. Novel. d. cap.* §. 2. *verſ. Si vero ſecundum, in fin.* pro, καὶ τὴν τούτων προσόδου, καὶ δημοσίων, καὶ τῆς λοιπῆς κατασκευῆς, reponendum ex manuſcriptis, ἐκ τῆς τούτων προσόδου, καὶ δημοσίων, καὶ τῆς λοιπῆς κατασκευῆς διατιμωμένων. Quam lectionem confirmat & Juliani anteceſſoris interpretatio, cujus haec verba ſunt: *AEſtimari oportet ex redita ſuo, & publicarum tributionum functione, & reliquo ſtatu.* De quibus intelligitur, verbum διατιμᾶσθαι, quod aeſtimandi ſignificationem habet, omnino ab editis libris haud recte abeſſe. Quod ſi mavult Paratitlorum libri ſcripturam ſequi Lector, adnotemus eam quoque, non valde diſſimilem modo expoſitae. Nam in illo ſic locus iſte ſcriptus legitur; ἐκ τῆς τούτων προσόδου, καὶ δημοσίων, καὶ τῆς λοιπῆς κατασκευῆς, τῆς διατιμήσεως γινομένης. Quae lectio non (ut dixi) longe recedit ab indicata, & plane cum interpretatione Juliani conſentit.

CCLXIII. In *Novel.* 123. *cap.* 16. pro, τῶν ἄλλων μεριτικῶν, quibusdam in libris legitur, τῶν ἄλλων μερικῶν, in aliis vero, τῶν ἄλλων μεριςμῶν. Quam lectionem & Baſilicorum ſynopſis confirmat, & equidem vel propterea veram puto, quod voce *portionis* hoc in loco ſit uſus Interpres vetus, quae μερισμῷ reſpondet.

Quae traduntur in *d. Novel.* 123. *cap.* 17. de ſervo & adſcriptitio, quonam modo ſcilicet in clericos ordinari poſſint: etiam ἐπὶ δούλων τρεφομένων intelligi debere Baſilicorum tradunt auctores. Quod an verbis hujus Novellae fuerit expreſſum, an huc ex aliis Novellis translatum, an Juſtiniani more pluries repetitum; aliis inquirendum, diſpiciendumque relinquo. CCLXIV.

Verba quaedam ſunt in jure civili, quae quod jus CCLXV. ipſum a Romanis profectum fuerit, tam Imperatores alii, quam Juſtinianus in Novellis Latine retinuerunt: ne quid adverſus imperii Romani dignitatem committerent, cujus ſe principes eſſe meminerant. Veriſimile tamen eſt, additas fuiſſe Graecas horum interpretationes; ut Byzantinis, & aliis provincialibus, ea ratione conſuleretur, litteras Latinas paulatim oblivioni tradentibus. Quas equidem, quum paſſim Baſilicorum in libris adhuc ſuperare videam, notandas uno putavi loco; non omnes quidem, ſed aliquas: ut aliis occaſionem praebeam, plura ſtudioſorum in gratiam colligendi, quando vel ipſa Graecae Latinaeque linguae collatio magnam rebus lucem adfert. Igitur in *Novella prima*, *cap.* 2. §. *Si vero non feceris* 2. vocem ἰμβεντάριον Baſilicorum auctores exprimunt καταγραφήν. In *Novel.* 12. *cap.* 1. *in princ.* ἰγκεστουγάμοι itidem reddunt ἀθέμιτοι: Νεφάριοι vero, παράνομοι: δαμνᾶτοι, κατάκριτοι. Idem fecit Matthaeus Monachus in *commentario quaeſtionum matrimonialium*, qui liber eſt *octavus* Juris canonici Graecorum noſtri, propediem publicandi. In *Novel.* 39. στάπρον reddunt μοιχείαν. In *Novel.* 71. *cap.* 1. τὴν *injuriarum*, exponunt τὴν περὶ ὕβρεως. In *Nov.* 80. *cap.* 6. *in princ.* vocem τῶν σπορτούλων declarant per συνηθειῶν. Idem in *Novel.* 112. *cap.* 2. & 124. *cap.* 3. In *Novel.* 81. *cap.* 1. *princ.* ἐν αὐτῷ βαθμῷ ὄντας interpretantur ἐμβάθμους, hoc eſt, *in ipſo gradu vel dignitate conſtitutos.* In *Novel.* 90. *cap.* 3. μάρτυρας ῥογάτους vertunt παρακεκλημένους. *Novel.* 91. *cap.* 1. τὴν *in rem*, exponunt τὴν ἐπὶ τῷ πράγματι. In *Novel.* 100. *cap.* 2. *in princ.* ῥεπούδιον reddunt διαζύγιον. Idem in *Novel.* 117. *cap.* 8. & 9. ibidem bis. In *Novel.* 112. *cap.* 3. ἔδικτα vocant προγράμματα. In *Novel.* 115. *cap.* 4. §. 4. ἔγκλημα πούβλικον, reddunt δημόσιον. Ibidem κογνάτους & ἀγνάτους, una voce συγγενεῖς. Ubi etiam pro περὶ τῶν ἐξωτικῶν γεγραμμένων κληρονόμων, ſcribitur κεκλημένων κληρονόμων. In *Novella* 117. *cap.* 4. pro μέχρις ἰλλουστρίων, reponunt μέχρι σπαθαρίων, de quibus alius erit aliquando, ſicut & de ceteris ὀφφικίων ἢ ἀξιωμάτων appellationibus, dicendi locus. In *eadem Novella*, *cap.* 2. *in principio*, verba iſtaec, περὶ τῶν ἐν ἐξπεδίτῳ ὄντων, interpretantur ἐν ταξειδίοις ὄντων. ut ταξείδιον Graecis ſonet expeditionem, quemadmodum ταξειδίων δουλεία, ſervitus eſt expeditionum, in Novella Romani Minoris. Erravit in ejus vocis ſignificato Xylander, amicus meus, qui ταξείδιον putavit apud Cedrenum dici locum, ubi vectigalium aut penſionum rationes ducerentur. In *Novella* 118. *cap.* 3. *in fin.* quum dicitur, ὅπερ *in capita* οἱ ἡμέτεροι λέγουσι νόμοι, Baſilicorum auctores repoſuerunt, ὅπερ κατὰ κεφαλὴν, ἤτοι πρὸς ὠνικῶς, οἱ ἡμέτεροι λέγουσι νόμοι. Ibidem *cap.* 4. paulo diſtinctius, quam in *Novella* 115. *cap.* 4. fecerunt, ut modo diximus, ἀγνάτους interpretantur, τοὺς ἐξ ἀρρενογονίας; itidemque κογνάτους reddunt, τοὺς ἐκ θηλυγονίας. In *Novella* 123. *cap.* 10. ταβλίζειν exponunt κυβεύειν. In *Novel.* 126. τὸ ῥεπρησεντάρε Graece dicunt εὐπρεπισμός. In *Novel.* 128. *cap.* 8. quum dicitur, καὶ παντὸς ἄλλου ἰνστρύκτου, καὶ ἰνστρουμέντου ὁ ἰκεῖσε εὑρισκομένου, Baſilicorum auctores pro his reponunt, καὶ πάσης ἄλλης ἐξοπλίσεως καὶ ἀμφιάσεως. In *eadem Novel. cap.* 15. *ſub fin.* νόμισμα τῶν θείων λαργιτιόνων, ipſi vocant νόμισμα τῶν θείων θησαυρῶν, ubi paulo poſt etiam pro ἵνα καὶ ταῦτα δίχα βάρους, ſcribunt ἵνα κατὰ ταῦτα, &c. In *Novella* 130.

cap.

cap. 1. *ſub fin.* ἐπιστέαν ὀνόματι, reddunt ἐπιδημιῶν ὀνόματι: quod pertinet ad explicationem tituli Codicis, *De metatis & epidemeticis.* Denique plura congerere poſſem, niſi vererer exiſtimaturum Lectorem, alieno loco tractationem hanc ſuſcipi; quae potius ad commentarium de verborum juris ſignificatione pertinet.

CCLXVI. In *Novella* 128 *cap.* 3. *in princ.* legitur, ut habent editi libri, σημαινέτας τὴν τῶν χρημάτων ποσότητα. Quam lectionem ſequutus eſt Julianus anteceſſor, quum verterit; *Per quas ſignificent non ſolum quantitatem pecuniarum.* Alii vero legunt, τὴν τῶν νομισμάτων ποσότητα. Quos ſequutus eſt interpres ille vetus, qui *ſolidorum quantitatem* reddidit: quamquam apud eum vitioſe *qualitatem* legatur, pro *quantitatem.* Et quia mentionem Juliani fecimus, libet ex ejus epitoma *Novellae hujus* in hoc ipſo loco mendum tollere. Nam pro eo, quod in editione Pithoei, quae ultima eſt, *hoc ipſo* 3. *capitis principio* legitur; *Exactores tributorum plenarias vel ſecuritates ſive apochas penſitantibus faciant:* reponendum, *plenarias vel particulares ſecuritates,* &c. Sic enim hoc in textu Graeco, ἀμεριμνίας μερικάς τε καὶ ὁλοκλήρους, &c.

CCLXVII. *Eodem capite d. Novel.* 128. leguntur in editis haec verba: ἢ μὴν ἀλλὰ καὶ τῶν ἰούγων, ἤτοι τῶν ἰουλίων, ἤγουν κεντουρίων, &c. Heic quid ſibi vox ἰουλίων velit, equidem dicere non habeo. Vetus quidem Interpres his in converſione verbis eſt uſus: *Nec non & jugorum. ſive villarum, ſive centuriarum.* quamquam in manuſcriptis quibuſdam pro *villarum,* reperitur *viliorum.* In Baſilicis autem locus hoc modo ſcriptus eſt: ἢ μὴν ἀλλὰ καὶ τῶν ζευγῶν, ἤτοι ἰουλίων, εἴτε οὖν κεντουρίων. Quae lectio confirmatur etiam Paratitlorum auctoritate, ac Juliani anteceſſoris, cujus haec verba ſunt: *Sed & numerum jugerorum, vel juliarum, vel centuriarum.* Quorum omnium conſenſus facit, ut ἰουλίων ſcriptura, pro germana debeat agnoſci. Quid autem vox ea ſignificet, aliis diſpiciendum relinquo. ſunt qui modos, quibus antiqui rura metiebantur, intelligi velint.

CCLXVIII. *Novella* 131. *cap.* 1. *in princ.* rurſus mentionem facit ſanctorum quatuor Conciliorum. Libri vero Baſilicorum hoc etiam in loco ſeptem agnoſcunt Concilia, ſcribendo τῶν ἁγίων ἑπτὰ συνόδων, pro τῶν ἁγίων τεσσάρων συνόδων, cujus ſcripturae cauſſam aperuimus ſupra, ad *Novel.* 115. *cap.* 3. §. 14. *Si quis de praedictis parentibus.*

CCLXIX. *Ejusdem Novellae cap.* 2. *ſub initium* legitur, διά τινος χρὴ γίνεσθαι τὴν ἀνάῤῥυσιν. Sed integrius Baſilicorum, & alii libri manuſcripti, διὰ τίνος χρὴ γίνεσθαι τῶν αἰχμαλώτων τὴν ἀνάῤῥυσιν. Ibidem *paulo ante,* recte ſcribitur in editis, ποίῳ τρόπῳ πένησι cujus loci pauperibus: quum alii male, ποίῳ τρόπῳ πένησι legant: quam tamen ſcripturam vetus etiam ſequutus eſt Interpres, dum vertit; *quomodo pauperibus hoc reliquit.*

CCLXX. In *ejusdem Novellae cap.* 15. *ſub fin.* pro; καὶ τοῖς ὑπὸ τὴν αὐτοῦ δικαιοδοσίαν καθεστῶσιν εὐκτηρίοις, reponendum ex auctoritate Baſilicorum, ὑπὸ τὴν αὐτοῦ διοίκησιν. Non enim juriſdictionem, quae δικαιοδοσία eſt, habebat Xenon ille Sampſonicus: ſed adminiſtrationem quorumdam aliorum oratoriorum, & venerabilium locorum. qua cum lectione facit & Paratitlorum liber, & vetus Interpres, qui gubernationem reddidit.

Novel. 133. *cap.* 1. *in princ.* haec verba, μηδὲ τὸ CCLXXI.
καλούμενον κελλίον εἴη κατὰ τὸ μοναστήριον, ἐπὶ δὲ τυχὸν ἢ δύο χρωμένους ὑπουργοῖς κατὰ τὴν ἐν θεωρίᾳ τε καὶ ἡσυχίᾳ διαζῆν βίον, rectius hoc modo leguntur in Baſilicis: μηδὲ τὸ καλούμενον κελλίον εἴη κατὰ τὸ μοναστήριον, ἐπὶ τυχὸν ἢ δύο χρωμένους ὑπουργοῖς κατὰ τὸν τῶν ἐν θεωρίᾳ τε καὶ ἡσυχίᾳ διαζῆν βίον. *Eodem cap. verſ. Certum eſt.* pro τὰ πρὸς θεὸν ζητοῦντας, reponendum ex Baſilicis τὰ πρὸς θεὸν ζηλοῦντας.

Novel. 134. *cap.* 9. in his verbis, ὑπουργοῦντας αὐ- CCLXXII.
τοῖς ἐπὶ ταῖς προειρημέναις ἀρχαῖς, pro illo poſtremo ἀρχαῖς, reponendum eſt manuſcriptis αἰτίαις. Ibidem *cap.* 2. *verſ. Uno vero volente.* pro τοῦ ἑνὸς δὲ βουλομένου, ſcribitur apud Matthaeum Monachum, τοῦ δ' ἑνὸς προσώπου βουλομένου, &c.

Eadem Novel. cap. ult. in fine dicitur, εἰ δὲ καὶ δίχα CCLXXIII.
προικὸς ταῖς τοιούτοις προσώποις συνάψουσαν, τὴν ἀπὸ τῶν ἡμετέρων νόμων ὁρισθεῖσαν μοῖραν ἐκ τῆς ὅλης οὐσίας τοῦ καταγνωσθέντος ταύτας λαμβάνειν. Heic elegans eſt in Baſilicis ſcholion hujuſmodi, quo exponitur, quaenam illa ſit ὁρισθεῖσα μοῖρα, verbis hiſce: τουτέστι, τὴν τετάρτην μοῖραν ἄχρι παίδων γ'. διὰ τὸν κανόνα, τὸν λέγοντα· ταῖς ἀπόροις γυναιξὶ τὸ δ'. δίδομεν τῆς τοῦ ἀνδρὸς περιουσίας. εἰ δὲ πλείονες εἶησαν οἱ παῖδες, ἑνὸς καὶ αὐτὴ παιδὸς μοῖραν λαμβάνει, πλὴν μὴ ὑπερβαίνουσαν ρ. λίτρας χρυσοῦ ποσότητι. Eorum haec eſt ſententia: *per definitam legibus portionem intelligi quartam partem, ad tres usque liberos: idque propter regulam, qua traditur; Inopibus mulierculis dari quartam partem ſubſtantiae ipſius viri. Sin plures liberi fuerint, etiam ipſam unius ex liberis partem accipere, quae tamen quantitate ſive ſumma ſua centum auri libras non excedat.* Arbitror autem hoc reſpicere ad *Novell.* 117. *cap.* 5. *Quia vero legem.*

Ex *Novella* 138. probatur, leges duas ultimas in CCLXXIV.
titulo *Codicis, de uſuris,* hactenus deſideratas, & a nobis reſtitutas, a Juſtiniano quidem latas; ſed ampliorem in *Novella* 138. declarationem ſubſecutam fuiſſe, quae tamen ipſa quoque intercidit. Reſtituit autem illius epitomen, a Juliano anteceſſore factam, praeſtantiſſimi vir ingenii, & doctrinae ſummae pontifex Ant. Auguſtinus. In ea epitome quum ab initio dicitur, *Manifeſtiſſima noſtri numinis eſt conſtitutio:* intelligitur iſta, quam diximus eſſe debere *legem ultimam, C. de uſur.* nec ante me proditam a quoquam arbitror. Vide Synopſin noſtram *libro* 23. *tit.* 3. *cap.* 72. Rurſus in extrema *Novellae hujus* epitome dicitur; *Similis conſtitutioni huic Graeca ſubſequitur,* &c. Eam vero notant auctores noſtri Baſilicorum eſſe *Novellam* 160. ſicuti ſane verum eſt. Verbum autem in epitome dicta, *ſub finem,* corruptum eſt; *quas civitates muniantur.* Pro eo Lector, me monitore, reponat, *mutuantur.* In *Novella* denique 140. *cap.* 1. quod legitur, τῶν ταύτῃ δηλοῦντων γενομένων διαζυγίων, in Baſilicis aliter ſcribitur, hoc modo: τῶν ταύτῃ δηλονότι γενομένων διαζυγίων; quae vera eſt ſcriptura.

Habes, amice Lector, quae tecum hoc tempore, CCLXXV.
tuum ad uſum communicare volui; quod edendis iis ex promiſſo me putarem obligatum. Te vero bonam in partem & accipere omnia, & interpretari, aequum eſt.

F I N I S.

HENRICI BRENCMANNI,

JCTI ET SENATORIS,

LEX REMMIA:

SIVE;

DE LEGIS REMMIAE EXITU

LIBER SINGULARIS.

Accedit ea occaſione Diſſertatio, DE FATIS CALUMNIATORUM SUB IMPERATORIBUS.

Juris Canonici Can. Fuerunt 2. Diſtinct. VII.

Paulatim autem antiquae Leges vetuſtate atque incuria obſoleverunt, quarum etſi jam nullus uſus eſt, notitia tamen neceſſaria videtur.

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO

V I R O

CORNELIO VAN BYNKERSHOEK,

CURIAE SUPREMAE HOLLANDIAE,

ZEELANDIAE ET FRISIAE

PRAESIDI

MERITISSIMO, GRAVISSIMO,

S. P. D.

HENRICUS BRENCMANNUS.

QUod lucubrationem ante perfectos labores Academicos inchoatam, & paulo poſt abſolutam, Tibi auſim inſcribere, Ampliſſime Praeſes, longe infra dignitatem ſupremi ordinis, quem in republica noſtra jure merito obtines, poſitum videtur, ac parum reſpondere iis honoribus iisque praeconiis, quae certatim ſummi quique in orbe litterato Viri Tibi deferunt. Sed non eſt cur mutem conſilium. Ea continet opuſculum, qualecunque tandem id eſt, quorum nec hodie me poenitet. Praeterea vel tuo judicio ſuperbit, dum inter tot exquiſitos utilesque & rariſſimos tractatus, quos complectitur Theſaurus hic Juris Romani, admittere non es dedignatus. In abſoluta jam tot annis Diſſertatione pauca mutavi aut addidi, niſi forte appendicem De fatis Calumniatorum ſub Imperatoribus: quanquam plurima potuiſſem adjicere, per viginti & quod excurrit annos inter legendum animadverſa mihi & in ſchedis adnotata. Diſſenſum a nobiliſſimo & nunquam ſatis laudato laudandove Cujacio, ac, ſi unum Jacobum Gothofredum excipias, ab omnibus omnino Juris Interpretibus, in quibus tot egregii & praeſtantes Viri extitere; hunc, inquam, diſſenſum de tempore exitus ſeu abolitionis Legis Remmiae, forſan aequiore nunc animo ferent Eruditi, quam ſi eam ſcriptionem, adhuc florente adoleſcentia fervidus, & recens a pulvere Academico in lucem publicam emiſiſſem. Sunt quae maturae aetati magis conveniant quam ineunti, etſi in re nulla mutatio ſit. Nempe, vitio humanae fragilitatis, idem cum facit idem, tamen non eſt idem. Duo obſervaſſe mihi videor Eruditorum peccata, ſibi invicem, ut ſolet, oppoſita, alterum eorum, qui ſingulari reverentia in nimiam ſecuritatem prolabuntur, adeo ut ſine juſta diſcuſſione magnorum Virorum opiniones pro decretis habeant, alterum eorum, qui pervicaci diſſenſu cavillantur quaecunque propemodum relicta ſunt a Viris doctrina & ingenio inclytis, atque id imprimis praecoci ambitionis prurigine incitati. Alia ex profeſſo tractantur, ubi omnia ſerio perpendiſſe praeſumendi ſunt; per occaſionem alia, & quia in abſolvendo inſtituto praeteriri non poterant: ad haec enim vix eſt, ut tam accurate attendiſſe videantur, aut etiam potuerint attendere. Itaque ut in re principali non niſi graviſſima de cauſa erroris ſuſpecti ſint oportet, ita in his, quae ex transverſo incidunt, non adeo difficulter ceſpitare potuerunt. dum enim ei negotio, quod palmarium eſt, & cujus omnes partes, rationes omnes diu attenteque conſiderarunt, dum omnes nervos omnesque ſpiritus ei intendunt, facillime in acceſſoriis falluntur. Sed haec ſuo loco. Ceterum uti minime aut indiges aut deſideras, Vir Ampliſſime, ut a quoquam laudere, cum ſis laudatiſſimus ac omnibus eruditis bonisque & egregii publici

Juris Canonici Can. Fuerunt 2. Diſtinct. vII.

Paulatim autem antiquae Leges vetuſtate atque incuria obſoleverunt, quarum etſi jam nullus uſus eſt, notitia tamen neceſſaria videtur.

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO
V I R O
CORNELIO VAN BYNKERSHOEK,
CURIAE SUPREMAE HOLLANDIAE,
ZEELANDIAE ET FRISIAE
P R A E S I D I
MERITISSIMO, GRAVISSIMO,
S. P. D.
HENRICUS BRENCMANNUS.

Quod lucubrationem ante perfectos labores Academicos inchoatam, & paulo poſt abſolutam, Tibi auſim inſcribere, Ampliſſime Praeſes, longe infra dignitatem ſupremi ordinis, quem in republica noſtra jure merito obtines, poſitum videtur, ac parum reſpondere iis honoribus iisque praeconiis, quae certatim ſummi quique in orbe litterato Viri Tibi deferunt. Sed non eſt cur mutem conſilium. Ea continet opuſculum, qualecunque tandem id eſt, quorum nec hodie me poenitet. Praeterea vel tuo judicio ſuperbit, dum inter tot exquiſitos utilesque & rariſſimos tractatus, quos complectitur Theſaurus hic Juris Romani, admittere non es dedignatus. In abſoluta jam tot annis Diſſertatione pauca mutavi aut addidi, niſi forte appendicem De fatis Calumniatorum ſub Imperatoribus: quanquam plurima potuiſſem adjicere, per viginti & quod excurrit annos inter legendum animadverſa mihi & in ſchedis adnotata. Diſſenſum a nobiliſſimo & nunquam ſatis laudato laudandove Cujacio, ac, ſi unum Jacobum Gothofredum excipias, ab omnibus omnino Juris Interpretibus, in quibus tot egregii & praeſtantes Viri extitere; hunc, inquam, diſſenſum de tempore exitus ſeu abolitionis Legis Remmiae, forſan aequiore nunc animo ferent Eruditi, quam ſi eam ſcriptionem, adhuc florente adoleſcentia fervidus, & recens a pulvere Academico in lucem publicam emiſiſſem. Sunt quae maturae aetati magis conveniant quam ineunti, etſi in re nulla mutatio ſit. Nempe, vitio humanae fragilitatis, idem cum facit idem, tamen non eſt idem. Duo obſervaſſe mihi videor Eruditorum peccata, ſibi invicem, ut ſolet, oppoſita, alterum eorum, qui ſingulari reverentia in nimiam ſecuritatem prolabuntur, adeo ut ſine juſta diſcuſſione magnorum Virorum opiniones pro decretis habeant, alterum eorum, qui pervicaci diſſenſu cavillantur quaecunque propemodum relicta ſunt a Viris doctrina & ingenio inclytis, atque id imprimis praecoci ambitionis prurigine incitati. Alia ex profeſſo tractantur, ubi omnia ſerio perpendiſſe praeſumendi ſunt; per occaſionem alia, & quia in abſolvendo inſtituto praeteriri non poterant: ad haec enim vix eſt, ut tam accurate attendiſſe videantur, aut etiam potuerint attendere. Itaque ut in re principali non niſi graviſſima de cauſa erroris ſuſpecti ſint oportet, ita in his, quae ex transverſo incidunt, non adeo difficulter ceſpitare potuerunt. dum enim ei negotio, quod palmarium eſt, & cujus omnes partes, rationes omnes diu attenteque conſiderarunt, dum omnes nervos omnesque ſpiritus ei intendunt, facillime in acceſſoriis falluntur. Sed haec ſuo loco. Ceterum uti minime aut indiges aut deſideras, Vir Ampliſſime, ut a quoquam laudere, cum ſis laudatiſſimus ac omnibus eruditis bonisque & egregii publici

amantibus commendatiſſimus, ita nec in decantatas laudes tuas exſpatiari animus eſt. Turpiter ſuam in rebus cum privatis tum publicis ignorantiam prodat, qui neſciat, a ſummis infimis, doctis indoctisque, civibus exteris Te coli, ſuſpici, in veneratione haberi. Merentur illud politiſſima & omnigena eruditione multoque acumine referta ſcripta tua, extremam aetatem duratura, merentur innumera beneficia, quibus afflictis & inextricabili aeternarum litium ambage torpentibus ſolamen, praeſidium, ſalutem attuliſti & adfers quotidie. Id tamen, vel Te invito, fas mihi ſit teſtari, nullum me unquam in omni vita majorem ſtudiorum meorum, diligentiae, vigiliarum, aſſiduitatis fructum, meo judicio, tuliſſe, quam quod Tibi innotuerim, quodque, praeclariſſimum ſeculi noſtri Jubar, tuo me favore, ope, conſilio dignatus fueris. Utinam Omnipotens vires ſufficiat, ut tam inſignis benignitatis dudum exſpectatos proventus exhibere tandem liceat. Sed non hanc ardentius a ſupremo Numine gratiam expeto, quam ut Te nobis diu incolumem, vegetum ac vigentem conſervet. Vale, & quod facis, favere mihi perge. *Dabam* Culemburgi *ipſis Kalendis Novembribus anni* MDCCXXXVI.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

CUm ingenui plenum pudoris ſit, palam agnoſcere, quemadmodum & per quos profeceris, multa me in Academia ab aequalibus didiciſſe non diffitebor. Ut autem ſemper eorum ſtudioſe quaerebam conſortia, quorum mihi aut in vita civili, aut in ipſis ſtudiis aemulandum occurrebat exemplar, ſic tandem tres inveni, quos ad mutuae diligentiae operas conſerendas ſerio invitarem. Erant autem inter illos duo, qui jam ſummo cum applauſu Doctoris lauream & liberalium Artium magiſterium adepti erant, tertius tantos in Theologia progreſſus fecerat, ut Candidatûs gradum ſuae magis diligentiae & in diſcendo aviditatis gratia, quam examinis cum laude perferendi juſto metu ambire differret. Porro Doctorum alter theoreticam magis & contemplativam, alter magis practicam & experimentalem Philoſophiam fovebat; uterque vero tunc temporis Juri operam navabat. Theologus quoque in Philoſophorum ſcita inſinuaverat ſeſe, & tam novae quam veteris ſectae principia percallebat. Quin & ego hujus ſtudii forſan haud omnino rudis, certe, quoad Jurisprudentiam, doctus modice. Juris autem provincia mihi, ut in ea diutiſſime omnium verſato, mandabatur. At Philologiae & Hiſtoriarum, tanquam communis cujusdam civitatis, omnes peraeque eramus participes. Conſtituta hunc in modum ſocietate litteraria, experti probe ſumus, quam vere olim Cicero pronunciaverit (1), omnium ſtudiorum atque artium cognationem quandam & commune vinculum eſſe, quo colligata amice inter ſe conſpirant. Ceterum ex his ſtudiis, quae ſingulis fere propria, & a communi noſtrum uſu aliquanto remotiora erant, unusquisque ea proferebat, quae aut in quotidiano ſermone cenſeret poſita, aut ſaltem illuſtrationi ejus, quod vulgo altera ex altera diſciplina mutuatur, inſervire putaret: niſi tamen quandoque hujus aut illius curioſa diligentia paulo latius evagaretur. Evenit igitur, neſcio qua occaſione, ut LEGIS REMMIAE de Calumniatoribus mentio incideret, cujus cum quisque, quod ſciret, retuliſſet, hac ſummaria cognitione non contenti alter alterum incendebamus deſiderio eam aliquanto plenius cognoſcendi. Collegae autem, qua erant modeſtia, id mihi negotii dederunt, ut quae de hac Lege annotaveram, atque etiam ſubinde hic illic invenirem, proxima hebdomade in medium conferrem. Coepi igitur nonnullas pervetuſtae hujus Legis circumſtantias majori cum diligentia rimari. In Pandectis quidem uno vel altero loco mentionem illius inveniebam, ſed parce admodum ac tenuiter. Amplius nec apud Interpretes ac Commentatores praeter vulgaria quicquam fere occurrebat; niſi tamen hoc unum, quod omnes in eo conſpirarent, *Legem Remmiam per Conſtantinum in l. 17. C. de Poenis abrogatam eſſe.* Mirabar profecto tamdiu obtinuiſſe hanc Legem, atque interim vix nominis illius veſtigium apud noſtros ſupereſſe, cum plura alia, quae itidem jure Codicis abrogata erant, licet multo minoris momenti nec tam notabiles circumſtantias habentia, diligenter tamen in Pandectis conſervata eſſent. Ubi autem ad Plinii *Panegyricum* acceſſi, vehementer dubitabam, an non ſub Trajano jam deſiiſſet Lex Remmia: ſed continuo obſtrepebat ſummorum JCtorum auctoritas. Ut adeo concluderem, tentaviſſe quidem olim Trajanum memoratae Legis abrogationem, ſed tam moribus inſequentium temporum, quam Imperatorum indole reluctantibus, perfeciſſe demum Conſtantinum, quod fruſtra ante Trajanus tentaverat. Blandiebatur mihi in hac nova ſententia ratio, quam Conſtantinus in *d. l. 17. C. de poen.* pro fundamento ponit. Etenim licet minus vera, tamen quia ex Chriſtiana religione deducta apparebat, cujus omnes anteriores expertes fuerant Principes, ſingularis ac novae pietatis fulcro conſtitutio iſthaec niti videbatur. Verum non diu in hac opinione ſubſtiti. Mox enim ulterius quaerendo contuli me ad elaboratiſſimas Jacobi Gothofredi notas in *l. 2. C Theod. de poen.* unde *l.* illa 17. *C. eod.* liquido transſcripta eſt. Reperiebam autem, Virum illum laudatiſſimum annotare, *jam DUDUM ante Conſtantinum ceſſaviſſe Legem Remmiam*: ſed quando ceſſaſſet, aut quibus argumentis id praeſumeret, non reperiebam. Interea, ut fit, dum aliam alia excipit curioſitas, flagrabam ſtudio inquirendi, cur, quando, qua lege aut deſuetudine exſpiraſſet. Verum haec & ſimilia ſedulo inveſtiganti plurimi ſubinde ſcrupuli ſubnati ſunt, quorum quidam adeo me exercuere, ut parum abſuerit, quin ulterioris inquiſitionis deſperationem concitasſent. Tandem tamen eo confidentiae proceſſi, ut hanc novam opinionem Diſputationi inaugurali problematis vice ſubjicerem poſt reliqua corollaria. Tantus ardor perſcrutandi me inceſſerat, ut vel ultro propterea exiſtimationis periculum ſubire ſuſtinerem. Eatenus certe Apelle audacior, quod, dum poſt tabulam ſuam latitans praetereuntium animadvertebat reprehenſiones (2), ego propalam & in tanta ſolennitate, omnibus me exponerem. Sed quod temeritatis notam non effugiebat, forte adoleſcentiae meae & diſcendi ſtudio ignoſcendum fuit. Quid multa? Ad extremum me rationes inveniſſe arbitratus ſum, quibus exiſtimarem defendi poſſe, Legem Remmiam ne ſub ullo quidem Imperatorum obtinuiſſe, tantum abeſt, ut demum ſub Conſtantino, hoc eſt, ſeculis aliquot poſt, deſiiſſe dicatur. Certe hoc mihi perſuadere viſus ſum, an & aliis poſſim, in ſequentibus experiar.

(1) Cic. *pro Arch. Poëta in init.* (2) Plin. *Nat. Hiſt. Lib.* XXXV. *c.* 10.

INSCRIPTIONES CAPITUM
E T
ARGUMENTA.

CAP. I. *De ratione Accuſandi ſub libera rep. ejuſdemque abuſu.* Occaſio Legis Remmiae. Accuſationes nobilium ſub rep. abuſus Accuſationum. tres ejus ſontes, ambitio, avaritia & odium.

CAP. II. *Continuatio praecedentis argumenti.* Accuſationes plebejae. praemia earum. idem abuſus. elegans Ciceronis jocus cum relatione ad L. Remmiam.

CAP. III. *Orthographia, tempus & Auctor L. Remmiae.* Variae lectiones hujus nominis. minime tamen Memmia legendum. vetus & probabile initium L. Remmiae. Auctorem ejus plane ignorari. quaedam de gente Memmia.

CAP. IV. *De objecto L. Remmiae.* Calumniatorum genera, Συκοφάνται, Delatores, Nunciatores, Indices, Curioſi &c. item Mandatores, Inſtigatores, Quadruplatores, Sectores & Petitores: denique Praevaricatores & Tergiverſatores.

CAP. V. *De poena L. Remmiae.* Literam K. non C. Calumniatoribus inuſtam eſſe. ſedes inuſtionis cur in fronte. modus inurendi, & de cicatricibus miniatis apud varias gentes.

CAP. VI. *De ſcopo L. Remmiae.* Finis Legis duplex. de conſilio Calumniantis, per conjecturam. cetera remiſſive.

CAP. VII. *De continuatione & exitu L. Remmiae, ſummatim.* Excuſatio diſſenſus a Jac. Cujacio & reliquis Interpretibus. eorum argumenta. noſtra iis oppoſita.

CAP. VIII. *Conſtantini reſcriptum ad L. Remmiam non pertinere.* Quinque inuſtionum genera. Conſtantinum ſolos damnatos ad metallum ſpectare. imago Dei in homine, quid. perverſae haereticorum quorundam & Stoicorum ſententiae. Conſtantinus nova ratione vindicatus. crucis figura in fronte, & ſuperſtitio Africana. de vera Legis ratione.

CAP. IX. *Subſcriptionem in crimen cum L. Remmia concurrere non poſſe.* De concurſu actionum poenalium. in criminalibus non dari mixtas actiones. errorem Jac. Cujacii incaſſum defendi. alius ſectatorum ejus.

CAP. X. *Jam ante Papinianum & Marcianum deſiiſſe L. Remmiam.* Argumentatio ex conceſſis. oſtenditur per varia temporis intervalla talionem jam a Trajani temporibus in Calumnia obtinuiſſe.

CAP. XI. *Quid ſibi velit Marcianus ad SCtum Turpillianum.* Eum hoc loco hiſtoricum agere. objectio a reticentia per retorſionem. alia ex diſtinctione Legis & SCti.

CAP. XII. *Senſus Papiniani L. Remmiam laudantis.* Loci difficultas. occaſio propoſitae quaeſtionis. eam publicorum judiciorum eſſe. cur hic nulla SCti Turpilliani &c. mentio. ratio interpretandi ex aliis legibus. ipſum Calumniae judicium publicum non eſſe. quid hic conferant Leges Juliae de Vi, & Repetundarum, & Peculatus, ſive Ambitus. religio Judicis circa teſtimonia.

CAP. XIII. *De veſtigiis L. Remmiae apud Boëtium & Julianum.* Tranſitus ad hiſtorias. contradictio adverſariorum. nihil Boëtium de L. Remmia cogitaſſe. Julianum tantummodo ad eam alludere.

CAP. XIV. *An a M. Antonino Philoſopho reducta fuerit L. Remmia.* τὸ Nota Capitolino longe aliud eſſe, quam inuſtionem ex L. Remmia. ſignificatio vocis & phraſes huc pertinentes. indoles M. Antonini a cicatricibus aliena. Caſaubonus notatus. nova ejus loci expoſitio.

CAP. XV. *L. Remmiam nec a Trajano abrogatam videri.* Panegyriſtarum affectata laudatio. eadem & Plinio familiaris. exempla. Trajanum hic tantum inventis deceſſorum addidiſſe, & quatenus.

CAP. XVI. *Ad quae tempora exitus L. Remmiae videatur referendus.* Secundaria argumenta. accuratio ſcriptorum ſub primis Caeſaribus. ſilentium ipſorum temere ſuſpectum. idem ſub rep. ſilentium, eademque accuratio. poena L. Remmiae Tacito videtur appellari poena more majorum.

CAP. XVII. *Continuatio.* Mores Romanorum ſenſim mitigati. triplex ipſius L. Remmiae defectus. concluſio. objectio de allegoriarum ad eam Legem frequentia.

CAP. XVIII. *De poenis Calumniatorum extraordinariis.* Remedia L. Remmiam inſecuta. exempla & eorum uſus. ultioni proſpicere & ſecuritati, quomodo diſtinguatur. exemplares quaedam Calumniatorum animadverſiones.

CAP. XIX. *De ordinariis remediis, quae L. Remmiam inſecutae videntur.* Exilium aut relegatio. SCtum Turpillianum contra Praevaricatores. Talio. adminicula quaedam, ut, ſubſcriptio, jusjurandum Calumniae, divinatio, & abrogatio laudationis judicialis. denique & alia in LL. SCtis, & Conſtitutionibus Principum.

CAP. XX. *Ad SCtum Turpillianum.* Incuria veterum JCtorum hac in parte. major Compilatorum. methodica Calumniarum tractatio. Calumniae judicium nec ad Praetoris juriſdictionem pertinere, nec publicum eſſe. hiſtoria juris in ſingulis Calumniae ſpeciebus, Praevaricatione, Concuſſione, Tergiverſatione & Calumnia in ſpecie.

CAP. XXI. *De Subſcriptione in crimen & poena Talionis.* Talio ex Subſcriptione non orta, ſed per eam firmata. uſus Talionis in jure. origo & juſtitia Talionis; praeſertim in Calumniis. initium Subſcriptionis. differentia cum veteri. varia ejus ſignificatio, ratio introducendae, formula, neceſſitas, & effectus. geometrica proportio in Talione ſervanda. moderatio Subſcriptionis & Talionis: ubi etiam de Abolitione.

CAP. XXII. *Privatarum Accuſationum deſuetudo.* Honeſtiorum Accuſationes cum rep. jam deſiiſſe. Accuſationes periculi depellendi ſub Caeſaribus. tenuis quaedam Accuſationum reſtitutio & perbrevis. invitatio Imperatorum invidiae & periculi plena.

CAP. XXIII. *Continuatio praecedentis materiae.* Incredibilis Delationum exceſſus. nuda profeſſio criminis aliquandiu loco Subſcriptionis. Officiales Praeſidum & Fiſci, Nunciatores, Curioſi, Stationarii, Hirenarchae &c. iidemque peſſimi homines. ſumma Accuſationum indignatio. diſſimulatio Imperatorum & ſtudium eas revocandi. poenarum contra Delatores intenſio; maxime ſi ſervi, aut liberti. de Fiſci Advocato. Jure noviſſimo adhuc magis coarctatae Dilationes: nec tamen Accuſationes reductae. quid Jure Canonico & in Praxi.

HEN-

HENRICI BRENCMANNI
LEX REMMIA:
SIVE,
DE LEGIS REMMIAE EXITU
Liber ſingularis.

CAPUT I.

De ratione accuſandi ſub libera republ. ejuſdemque abuſu.

ROmana reſpublica, quantumvis bellica ac militaris, armisne tamen magis decorata fuerit, an Legibus armata, merito quis dubitet. Non autem poſtulo, ut ad ipſas Leges Regias recurrat, quarum paucae admodum ſuperſunt; intueatur tantum duodecim Decemvirûm tabulas, tam praeclarum opus tamque magnifico Craſſi elogio ornatum, ut nihil ad laudem addi poſſe videatur, *dum & auctoritatis pondere & utilitatis ubertate bibliothecas omnium Philoſophorum ſuperare* aſſerit [1]. Creſcentibus vero poſtea cum imperio divitiis, opes, luxuriam & ambitionem, hae rurſum, ut naturaliter evenire ſolet, avaritiam & corruptelas, omniumque, quae vulgo inde pullulant, vitiorum ſegetem produxere. Ad haec igitur reſecanda, &, cum propter morum temporumque nequitiem ſtirpitus evelli non poſſent, reprimenda, novis identidem Legibus novisque ſanctionibus opus fuit: imprimis vero, ubi bella civilia & cruentae Gracchorum, Cinnae Sullaeque ſeditiones, tum immanis illa & inaudita hactenus civium proſcriptio in rempubl. ingruerunt. Scilicet *uſu probatum eſt, Leges egregias, exempla honeſta apud bonos ex delictis aliorum gigni* [2].

Certe ſub libera republica, incertum tamen quo tempore, inter cetera avaritiae & ambitionis mala adverſus Calumnias quoque Lege Remmia proſpectum eſt. Quum autem perantiqua ſit, & neque in jure noſtro neque apud alios auctores multum tractata, nihil forte aut ab hac materia, aut a ſtudioſorum deſiderio alienum fecerimus, ſi aliquanto accuratius inveſtigaverimus, qua ratione illa per legitimos tramites Calumniantium injurias & iniquitates expuliſſe videatur. Quod ut ordine fiat, quaedam de calumnioſis veterum Romanorum ſub libera republ. accuſationibus praemittenda erunt.

Accuſatores, ait Cicero, de hac ipſa Lege Remmia agens, *Multos eſſe in civitate utile eſt, ut metu contineatur audacia. Verumtamen hoc ita eſt utile, ut plane illudamur ab accuſatoribus.* Et mox, *Quare facile omnes patimur, eſſe quamplurimos accuſatores, quod innocens, ſi accuſatus ſit, abſolvi poteſt; nocens, niſi accuſatus fuerit, condemnari non poteſt* [3]. Profecto facinoroſorum hominum accuſationes defenſionesque innocentium hoc tempore perquam glorioſae erant, aditumque adoleſcentibus & januam ad honores patefaciebant. Quin ipſe Cicero, homo novus & ignobilis, eloquentia ſua & in accuſando defendendoque dexteritate incredibilem ſibi gloriam comparavit; immo hac unice via per omnes honorum gradus ad ſummum potentiae & auctoritatis faſtigium graſſatus eſt [4]. Primum autem gloriae laudisque rudimentum in eadem, ex qua cum modo allegabam, Sexti Roſcii cauſa poſuit, anno aetatis ſexto & viceſimo. Quanto autem cum ſucceſſu eam egerit, ipſe non diſſimulat *in Bruto*, cum ait *c.* 90. *Itaque prima cauſa publica, pro Sexto Roſcio dicta, tantum commendationis habuit, ut non ulla eſſet, quae non noſtro digna patrocinio videretur.* Et ibidem de Craſſo teſtatur: *Accuſavit C. Carbonem eloquentiſſimum hominem admodum adoleſcens, ſummam ingenii non laudem modo, ſed etiam admirationem conſecutus* [5]. Confirmat hoc Auctor *Dialogi de Oratoribus, ſive De cauſis corruptae eloquentiae*, ubi & alios addit, qui valde juvenes nomina detulere. *Nono decimo aetatis anno*, inquit, *L. Craſſus C. Carbonem, uno & viceſimo Caeſar Dolabellam, altero & viceſimo Aſinius Pollio Catonem, nec multo aetate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus inſequuti ſunt, quas hodieque cum admiratione legimus* [6]. At non tantum juvenes aut privati accuſationibus defenſionibusque ſe commendabant, ſed in praetura quoque & ipſo conſulatu non deſerebant haec munia. Unde tot Ciceronis orationes conſulares tam accuſatoriae, quam ad defenſionem comparatae.

Ceterum cum accuſationes ſua quodammodo natura aliquantum odioſae exiſtant, male vulgo audierunt, qui aut frequentiores plerumque ad accuſandum, quam ad defendendum accederent, aut etiam qui ab acerbitate in reos temperare ſibi non poſſent. Unde Cicero, *Atque eodem tempore accuſator de plebe L. Caeſulenus fuit. . . . . Non feciſſem hominis pene infimi mentionem, niſi judicarem, qui ſuſpicioſius aut criminoſius diceret audiſſe me neminem* [7]. & aliquanto poſt, *Tum etiam C. & L. Memmii fuerunt, Oratores mediocres, accuſatores acres atque acerbi. Itaque in judicium capitis multos vocaverunt, pro reis non ſaepe ſteterunt* [8]. Neque vero Craſſum, Hortenſium, Ciceronemve ipſum, quamvis in dicendo moderatiores, tardiusque (*a*) ad accuſandum progrederentur, odium tamen & invidiam usquequaque declinaſſe putes. Quin ipſum illud Sexti Roſcii patrocinium, quod nemo ob metum Sullae, ſuſcipere audebat, Cicero tamen ultro ſuſcepit, & de eo in principio Orationis haud obſcure gloriatur. Quid? quod alibi [9] palam dicit, *Maxime autem & gloria paritur & gratia defenſionibus: eoque major, ſi quando accidit, ut ei ſubveniatur, qui potentis alicujus opibus circumveniri urgerique videatur: ut nos & ſaepe alias &*

1. Cic. *De Oratore Lib.* 1. *c.* 44. 2. Tacit. *Annalium Lib.* xv. *c.* 20. adde Macrob. *Lib.* III. *Saturnal. c.* 17. 3. Cic. *pro Sex. Roſc. Amer. c.* 20.

4. Cic. *Verrina* v. *c.* 70. 5 Cic. *in Bruto c.* 43. 6 Auctor Dialogi *de Orat. c.* 34. Idemque *c.* 5. & *c.* 36. utilitatem, ſplendorem, dignitatemque Accuſationum ornate praedicat. Addatur Quintilian. *Lib.* XII. *c.* 7. 7 Cic. *in Bruto, c.* 34. 8 *Ibid. c.* 36. & de C. Memmio adde Sueton. *in Caeſ. c.* 73. (*a*) Nam Tullius *initio Divinationis in Verrem*, diu ſe in cauſis publicis ita verſatum dicit, ut *defenderit multos, neminem laeſerit.* 9 Cic. *Lib.* II. *de Offic. c.* 14.

& adoleſcentes contra L. Sullae dominantis opes pro Sexto Roſcio Amerino fecimus. Quare etiam Dion annotat, paſſim Ciceronem multos cauſis agendis offendiſſe. Quod ſi autem nimius forte gloriae ſtimulus ingenuorum juvenum animos incenderet, ut extra muneris neceſſitatem, ſolius in republ. nominis comparandi gratia, nobiles & ſummae auctoritatis Viros aliquanto imprudentius impeterent atque inſectarentur, ejus quidem noxae poenas ipſi poſtea dabant, ſed tamen publica res nihil inde detrimenti capiebat, dum e contrario hoc metu potentiores tanto exactius in officio continebantur. Verum exortus ſubinde eſt duplex accuſationum abuſus, quorum alter quidem minus honeſtus aut decorus, alter vero perniciosus plane ac minime ferendus fuit.

Videlicet ubi priſca integritas & morum continentia avaritiae & ambitioni in republ. locum ceſſiſſent, multi propterea tantum alios accuſabant, ut ſperatas eorum dignitates magiſtratusque accuſando interverterent & ad ſe transferrent; aut, quod longe peſſimum erat, ex aliorum accuſatione condemnationeve turpiſſimum lucrum venarentur. De his autem, qui ſuis meritis ac virtutibus diffiſi competitores per aemulationem & invidiam inceſſebant, diſerte idem rurſus Cicero in saepius laudata *Oratione pro Sexto Roſcio*, his verbis [1], *Nam ſi mihi liberet accuſare, accuſarem alios potius, e quibus poſſem creſcere. quod certum eſt non facere, dum utrumvis licebit. is enim mihi videtur ampliſſimus, qui ſua virtute in altiorem locum pervenit, non qui adſcendit per alterius incommodum & calamitatem.* Nec imminutum eſt hoc vitium, poſtquam Cn. Pompejus legem tulit, qua ad coërcendum eo tempore intolerabilem ambitum inter alia cautum fuit, ut eorum, qui ambitus condemnabantur, accuſatores, ſi ipſi digni exiſterent, magiſtratum obtinerent: utque vel ipſe hujus criminis condemnatus, ſi alios duos ſibi aequales vel inferiores, vel unum ſe majorem ex hac cauſa convicisſet, reſtitueretur in integrum [2], hoc eſt, in Senatum denuo reciperetur, & muneris ſeu magiſtratus gerendi capax fieret, quo utroque propter ambitum fuerat privatus. (a) Extraordinaria mehercule ratio ac deſperatum prorſus remedium, quod manifeſtiſſime oſtendit, quam pernicioſe eo tempore gangraena illa omnes civilis corporis artus infeciſſet. Sed de his qui praemii loco per accuſationes magiſtratus aliis praeriperent, ſatis: agamus porro de iis, qui peſſimo exemplo compendium ex accuſationibus quaererent.

Jam ante Ciceronis tempora nonnulli quaeſtum ex Calumniis (non enim honeſta accuſationum appellatione digna, quae laudabilem accuſandi finem evertunt) ex Calumniis, inquam, quaeſtum fecere. Certe *ad deferendos reos praemio duci apud bonos, honeſtos, & graves viros proximum latrocinio eſt* [3]. Unde Cicero hunc *turpiſſimum quaeſtum* vocat [4]. nempe Craſſum inducit, Bruto cuidam, degeneri generoſi ſanguinis ſoboli, inter alia multa interrogando exprobrantem, *An eloquentiae?* ſubaudi ex praecedentibus, *ſtudere te defuncto patri nunciabitur?* & ſimul reſpondet, *quae nulla eſt in te, & quicquid vocis ac linguae, omne in iſtum turpiſſimum Calumniae quaeſtum contuliſti.* Sed aliquanto plenius ſuis ipſe verbis de Bruto iſthoc in libello, quem *Brutum* inſcribit. *Iisdem temporibus*, inquit [5], *M. Brutus, in quo magnum fuit, Brute, dedecus generi veſtro, qui cum tanto nomine eſſet, patremque optimum virum habuiſſet, & juris peritiſſimum, accuſationem factitaverit, ut Athenis Lycurgus: is magiſtratus non petivit* (quod interpretor, muneris aut magiſtratus adipiſcendi cauſa minime accuſavit) *ſed fuit accuſator vehemens & moleſtus, ut facile cerneres, naturale quoddam ſtirpis bonum degeneraſſe vitio depravatae voluntatis.* Et ſic procul dubio ſe res habuit cum multis aliis, in quibus nihil erat, cur Cicero eos memoraret; & ipſum hunc Brutum, cujus bis meminit, abſque generis nobilitate foret, ne ſemel quidem videtur nominaturus. nam revera plures jam eo tempore fuiſſe, ex Aſconio diſcimus, cum ait [6], *Cato Praetor cum vellet de Accuſatoribus in conſilium mittere, multique e populo manus in accuſatores intenderent, ceſſit imperitae multitudini, ac poſtero die in conſilium de calumnia Accuſatorum miſit.*

Quamvis autem inviſae ſummopere erant quaeſtuoſae illae atque ambitioſae accuſationes, per leges tamen impunitae erant, quamdiu, quod arguebant, probarent. Ubi autem ambitio aut avaritia, quod aliquando evenire neceſſum erat, tantopere accuſatores occaecaſſet, ut in egregios & innocentes homines falſa crimina intentarent, tum demum rigor publicae diſciplinae permittere videbatur, ut graviter eos punirent. Nec ab his ſeparandi, qui auctoribus odio & vindictae cupidine, pernicioſiſſimis humanae indignationis ſatellitibus, in fictas calumnias exardeſcerent. Et ſane neſcio an ullum malum vehementius ſaeviat. Teſtimonio ſit deteſtabile Druſi, Tribuni plebis, inventum. is enim, quum pallore & invidia veneni ſibi dati inſimulare Q. Caepionem inimicum vellet, hircinum ſanguinem hauſiſſe fertur [7]. Atque adeo tales, etiam cum nocentes accuſant, quia tamen exſecrando more injuriam perſequuntur, Calumniatoribus omnino accenſendos putarem. Ii demum, qui laudis & honeſti ſtudio ad accuſandum accedunt, reipubl. utiles & poſteris commendabiles habentur; hocque *vigilium* Cicero requirit. *Nulla*, inquit [8], *ſalus reipublicae major eſt, quam eos, qui alterum accuſant, non minus de laude, de honore, de fama ſua, quam illos, qui accuſantur, de capite ac fortunis ſuis pertimeſcere.*

CAPUT II.

Continuatio praecedentis argumenti.

ET hactenus quidem de honeſtioribus actum. Videtur autem ſecundum genus Accuſatorum fuiſſe, quod ex vulgaribus quibuslibet ac plebejis hominibus conſtaret. Etenim cum illi quoque, qui in privata ac tenui fortuna ſunt, & in his viliſſimi plerumque; facinus interdum aut crimen committere ſoleant, quod publice vindicari conducit, parum mihi veriſimile fit, horum accuſationibus honeſtiores ſeſe commaculare voluiſſe. Itaque ne leges vulgus negligeret impune, quod nunquam niſi ſummo cum omnium periculo conceditur, alliciendi quidam & alendi fuerunt, qui ejusmodi facinoroſos deferrent accuſarentque. Atque hinc jam olim receptum puto, ut in iis criminibus, propter quae damnatis ſectio, hoc eſt, bonorum publicatio infligebatur, *quarta pars* accuſatori cederet; qui inde vulgo *Quadruplatores* appellabantur. Immo vero de hoc *quartae* praemio Leges quoque publicae loquutae ſunt. ita diſertis verbis apud Tacitum, *Quartam Accuſatoribus ſecundum neceſſitudinem Legis* concedendam eſſe [9]. Sed de his dicetur infra. Quod ſi aliud criminis genus eſſet, aut nihil in bonis haberent damnati, praemii

1 Cic. *pro Sex Roſc. Amer* c. 30. confer *Orat. pro Murena* c. 22. 2 Dion. Caſſ. *Lib.* XXXVI. *p.* 18. 19. & *Lib* XL. *p.* 145. *edit. Leunclavii.* (a) Simile quid in Lege Calpurnia de ambitu comprehenſum fuit; Cic. *pro Murena* vid. etiam argum. P. Manutii ante orationem Ciceronis *pro P. Sulla.* 3 Quintil. *Lib.* XII. *c.* 7. 4 Cic. *Lib.* II. *de Orat. c.* 55. 5 *In Bruto c.* 34.

6 Aſcon. Ped *in Orat pro M. Scauro verſu A noviſſimo* 160. Plin. *Nat Hiſtor Lib.* XXVIII. *c.* 9. & *Lib.* XXXIII. *c.* 1. 8 Cic. *Divin. in Verrem c.* 22. *ad fin* adde *Verrinam* III. *c.* 8. & Tacit. *Lib.* XI. *Annal. c.* 6. 9. Idem *Lib.* XV. *Annal. c.* 20.

praemii ſeu indicii nomine extra ordinem iis aliquid ex aerario praeſtabatur. Porro hoc ipſum a Judicibus eos petere ſolitos auctor mihi Cicero, ubi [1] ait, *Sunt enim multae cauſae, quae ex praemii alicujus petitione conſtant. Nam & apud Judices de praemio ſaepe Accuſatoris quaeritur, & a ſenatu* &c. Denique L. Cornelius Sylla Lege quadam cavit, *de praemio Accuſatoris, qui requiſivit & renunciavit eos ſervos, qui ex familia caeſi ante quaeſtionem fugerint: ut in ſingulos ſervos, quos convicerit quinque aureos ex bonis occiſi, aut ſi inde redigi ea quantitas non poſſit, ex Publico accipiat* [2].

Sed vergente ad monarchiam republica, tam corrupti depravatique fuerunt populi Romani mores, ut etiam vulgares hae accuſationes aeque ac glorioſae illae & ambitioſae, quas nobiles adoleſcentes inſtituere erant ſoliti, foediſſime in abuſum verterentur. Nam & plebeii ac infimae ſortis homines eo tempore communis luxuriae torrente involuti perinde abripiebantur ad calumniandum. Itaque obaerati undique & bonis exuti accuſando novas libidinum, gulae, commeſſationum ſuppetias quaerebant: adeo ut promiſcue nocentes innocentes, modo divites, adorirentur. Quare palam Tullius Erucio objicit [3], ſola eum quaeſtus cupiditate ad Sexti Roſcii accuſationem proſiluiſſe. Quin mox venuſta & eleganti comparatione oſtendit, quorſum in bene morata civitate accuſatio tendat, quibusque terminis circumſcribere oporteat Accuſatorum facultatem. Verba ejus, etſi compluſcula, quia tamen admodum ſignificantia ſunt, &, quae hoc capite dicta, mirifice confirmant, non pigebit, ſpero, aliquanto plenius hic adſcripta videre. *Anſeribus*, inquit [4], *cibaria publice locantur, & canes aluntur in Capitolio, ut ſignificent, ſi fures venerint. At fures internoſcere non poſſunt. ſignificant tamen, ſi qui noctu in Capitolium venerint, &, quia id eſt ſuſpicioſum, tametſi beſtiae ſunt, tamen in eam partem potius peccant, quae eſt cautior. Quod ſi luce quoque canes latrent, cum Deos ſalutatum aliqui venerint, opinor iis crura ſuffringantur, quod acres ſint etiam tum, cum ſuſpicio nulla ſit. Simillima eſt Accuſatorum ratio. Alii veſtrum anſeres ſunt, qui tantummodo clamant, nocere non poſſunt: alii canes, qui & latrare & mordere poſſunt. Cibaria vobis praeberi videmus: vos autem maxime debetis in eos impetum facere, qui merentur. hoc populo gratiſſimum eſt. Deinde ſi voletis, etiam tum, cum veriſimile erit aliquem commiſiſſe, in ſuſpicione latratote. id quoque concedi poteſt. Sin autem ſic agetis, ut arguatis aliquem patrem occidiſſe, neque dicere poſſitis, aut quare, aut quomodo, ac tantummodo ſine ſuſpicione latrabitis: crura quidem vobis nemo ſuffringet: ſed ſi ego hos bene novi, litteram illam, cui vos usque eo inimici eſtis, ut etiam eas omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut poſtea neminem niſi fortunas veſtras accuſare poſſitis.* Hactenus Cicero.

Proprie vero hic vilius illud Accuſatorum, ſeu Calumniatorum vulgus denotari inter alia argumento mihi eſt, quod tam belle eorum inſcitiam coarguit, dum metu vel odio unius omnes litteras odiſſe eos dicit. Nam licet honoratiores Accuſatores alibi [5] *imperitos adoleſcentes* videatur appellare (quos ibidem memoratis *Quadruplatoribus* jungit, ut utrumque Accuſatorum genus complecteretur) tamen non tam litterarum quam cauſarum rerumque ignaros deſignare eum puto. Certe natalibus eorum non conveniebat, ut prorſus ἀναλφάβητοι eſſent, quod facile in plebeiios cadit [6]. Appoſite quoque eosdem *canibus* aſſimilat, tum propter impudentiam eorum, propter quam & Cynici inter Philoſophos caninam denominationem ſortiti, tum imprimis etiam quod omni eloquentia ipſisque litteris deſtituti, *latrarent* verius quam orarent. Profecto contumelioſo hocce & impuro nomine eos aperte deſignat his [7] verbis, *Quid? iſta cohors quorum hominum eſt? Voluſii haruſpicis, & Cornelii medici, & horum Canum, quos tribunal meum vides allambere.* Et Seneca, *Non eſt*, inquit [8], *quod me ſolos putes dicere quos a Baſilica immiſſi deinde Canes ejiciunt.... quos haſta Praetoris infamibus beat lucris.* Diſerte itidem de illis, quos poſtea ſaepe Accuſatores appellat, *Acerrimi*, inquit [9], *Canes.... circumlatrare etiam hominem, & illum imparatum incipiunt.* Ut autem Cicero *latrare*, & Seneca *circumlatrare*, ita Martialis *adlatrare nomen* dicit, pro calumniari & maledicere [10]. Denique ad rem etiam Columella [11] inter lucrandi amplificandique patrimonii modos, poſt bellum & foenerationem calumnioſas accuſationes hoc pacto deteſtatur. *Sed ne Caninum quidem (ſicut dixere veteres) ſtudium praeſtantius locupletiſſimum quemque adlatrandi, & contra innocentes ac pro nocentibus neglectum a majoribus, a nobis etiam conceſſum intra moenia & in ipſo foro latrocinium.* Sed redeo ad Ciceronem, ex quo illud unice animadvertendum reſtat, quod ſicut canes cum anſeribus in Capitolio publice ali dicit, ita etiam cibaria Accuſatoribus de publico praeberi deſignat, quo mihi non obſcure delationum praemia ſive ordinaria ſive extraordinaria indigitare videtur. Quod autem ex aerario ſive de publico darentur, apparet, quia poſt cibariorum mentionem mox quaſi pro ratione praebendorum eorum ſubjicit, *populo* id gratiſſimum eſſe, ſi in eos, qui mererentur, impetum facerent. Itaque haec res ad populum ſpectabat, & publicae curae erat, quod omnino videbatur obſervandum.

At ut praemiis afficiebantur, qui juſtas accuſationes inſtituebant, ita ex adverſo egregie mulctandi fuere, qui publici boni praetextu privatam vindictam perſequebantur aut corruptelis ſordibusque patebant. Qualescunque autem Accuſatores & quacunque de cauſa aperte ludificari calumniarique ſolerent bonos cives, merito vitae, exiſtimationi, fortunisque omnium conſulendum fuit. Quum vero nihil hac de re Tabulis ſuis caviſſent Decemviri, coepit hanc injuriam populus Romanus ſevera plane & ignominioſa Lege vindicare, quam REMMIAM nuncupatam reperi. Poena erat, ut Calumniatoribus frons inureretur littera K, & ad hanc etiam poſtrema verba pulcherrimi illius loci reſpiciunt, ut videbimus.

CAPUT III.

Orthographia, tempus & auctor L. Remmiae.

IN Legem autem Remmiam commentaturo propter ſummam ejus ac profundam vetuſtatem liberior conjectura non denegabitur ſpero. tam enim antiqua & obſoleta eſt tota Legis ratio, ut ne de nomine quidem convenire potuerint Viri doctiſſimi. In vulgatis Pandectarum editionibus (nam duplex in Pandectis [12] hujus legis mentio) ut plurimum REMMIA legitur, & has ſequuti Cujacius [13], Pithoeus [14], Briſſonius [15] ac multi alii. In antiquisſimis vero editionibus, quarum mihi copiam fecit ſingularis benevolentia Ampliſſimi Viri Corn. van Bynkershock, quem hic, licet ejus in remp. litterariam merita digniorem locum poſtulent, honoris atque amplitudinis cauſa nomino, in iſtis, inquam, vetuſtiſſimis editionibus, Digeſtorum Florentinorum editionem praecedentibus [16], vulgo RHEMMIA eſt,

1 Cic. *Lib. II. de Invent. c.* 37. 2 *L. Lege Cornelia* 25. *pr. D. de SCto Silanian.* 3 Cic. *pro Sex. Roſc. Amer. c.* 19. 4 *Ibid. c. ſeq.* 5 Cic. *Divin. in Verrem c.* 21. 6 Qualis occurrit in *l.* 3. §. 2. *ff. de Accuſat. & Inſcript.* qui ne ad ſubſcribendum quidem litteras didicerat.

7 Cicer. *Verrina* III. *c.* II. 8 Seneca *De brevit. vitae c.* 81. 9 Seneca *Conſol. ad Marciam c.* 22. 10 Martial. *Lib.* II. *Epigr.* 61. 11 Columel. *Lib.* I. *in praefat.* 12 In *l.* 13. *ff. de Teſtib.* nimirum & *l.* 1. §. 2. *ff. ad SCtum Turpill.* 13 Cujac. in *Paratitl. ad tit. C. de Calumniat.* 14 Pith. in *Collat. LL. Moſaic. & Roman. tit.* IV. 15 Briſſon. in *Lexico ſuo Lib.* 2. 16 Sic Stephani edit. 1527. in *l.* 1. §. 2. *ff. ad SCtum Turpill.* Haloandri 1541. in *utraque Lege.* Vintimellii 1548. apud Sennettonios 1549. in *l.* 13. *ff. de Teſtib.* & editio Hugonis a Porta 1551. *ibidem.*

eſt, more Graecorum, qui *ῥῶ* litteram initio dictionis adſpirant, ut videre eſt in *Rhetorica*, *Rheuma*, & ſimilibus Atque haec lectio placuit P. Manutio [1], Jac. Gothofredo [2], Malquinio [3] & Duareno [4]. In quibusdam quoque RHEMNIA legitur, quae ſcriptura & ſuos habet aſſeclas [5]. At Florentinorum Pandectae & MS. Ampliſſimi Viri, quae *Remia* habent, ſectarios vix inveniunt. & tamen hanc amplexi Antonius Auguſtinus [6] & Gabriel Faërnus [7]. Verum ſi quod res eſt dicam, in vetuſtiſſimo illo codice ipſisque Pandectis Florentinis littera *m* ex notiſſima geminandi ratione videtur iteranda, & ſic non REMIA, ſed *Remmia* utrobique legetur. quin ipſi Ruſſardus & Charondas, qui ſcripturam Florentinam ſua editione referunt, diſerte *τὸ Remmia* exhibent. Idem judicium eſto de lectione RHEMIA, quam editiones quaedam antiquae praeferunt [8]; nam & haec per eandem regulam in *Rhemmia* commutabitur. Sed nec *τὸ Rhemnia* a *Rhemmia* niſi mutilatione unius pedis differre opinor, quo poſterius *m* ſuo ſito luxatum eſt. eo magis, quod in eadem Stephani editione [9] hic *Rhemmia*, illic *Rhemnia* legatur. Ut adeo has varias lectiones, quinque numero, ad duas tandem redegerim, quarum jam electio facienda eſt. Etſi autem plures Codd. Mſſ. ad quorum exemplar antiquiſſimae editiones impreſſae ſunt, *Rhemmia* videantur habuiſſe, quia tamen Florentinus auctoritatis pondere pollet, eum ſequendum duxi. Is autem vulgo adſpirationem reſpuit poſt R. ut in *Remus*, *Rodius*, *reda*, *arra*, &c.

Minime vero aſſentior Hotmanno [10], Pighio [11], Urſino [12], aliisque [13], qui *τὸ Remmia* in *Memmia* commutant, freti vulgatis quibusdam Ciceronis editionibus & loco Valerii [14]. Refragatur enim conſtans auctoritas omnium codicum editionumque, quas de Pandectis unquam videre contigit: reclamant etiam ipſi editionum antiquiſſimarum Mſſiorumque Palatinorum, quae de Cicerone inveniuntur, characteres: etenim quamvis diverſimode corrupti, pariter tamen omnes in reſtitutionem *Remmiae* Legis inclinant, non *Memmiae* [15]. Magis utor Pauli Manutii moderatione, qui in ſaepius allegato Ciceronis loco Legem *Remmiam* agnoſcit, & diſtinctas Leges putat fuiſſe *Remmiam* & *Memmiam*, alteramque de non recipiendis eorum, qui reipubl. cauſa abeſſent, nominibus, alteram de puniendis Calumniatoribus ſtatuiſſe [16]. Videlicet apud Valerium Maximum (*a*) diſertiſſime ejusmodi Lex *Memmia* allegatur, ſed quam Archiepiſcopus Tarraconenſis, aliquanto durior hac in parte, agnoſcere non videtur, ac potius quod de abſentibus reipubl. cauſa apud Valerium legitur, caput *Legis Remmiae* conſtituere [17]; quemadmodum plane ex adverſo Hotmannus, quod de Calumniatoribus eorumque poena ex *L. Remmia* vulgatur, *Memmiae Legis* partem facit. Aliam ac plane novam conciliandi viam ingreditur Aonius Palearius, ſed quae mihi neutiquam probatur. ait [18] enim, *Reo abſoluto Lex Rhemia de accuſatoris conſilio incipit quaerere, Memmia de nota inurenda accuſatori: quarum altera vix ipſa nomine nota eſt JCtis, altera plane ignota.* Videtur ergo Remmiam Legem praejudicialem quodammodo Memmiae facere, aut eam ſanctione ſeu poena privare, quam Memmia deinceps ſuperaddiderit. Sed utrumvis poſueris, neutrum arridet. Nos tantum, quod plerisque in confeſſo eſt, ſumemus, *Legem Remmiam Calumniantium injurias puniviſſe.* Ceterum videamus porro de Auctore Legis, & tempore, quo lata eſt.

Quod ad tempus, ut de eo prius agamus, natales hujus Legis valde incerti ſunt, ſicut jam ante monui. Credibile tamen eſt, L. Remmiam rudi adhuc & agreſti ſaeculo inductam eſſe, adeoque ſub ipſis reipubl. cunabulis. Certe vetuſtiſſima calumniae exempla in Romanis hiſtoriis inveniuntur. Nec attinet de Regum temporibus dicere, cum haec conſueta & propria quodammodo principatus mala ſint. Imprimis vero pervulgata eſt Tarquinii Superbi machinatio fraudulenta adverſus Turnium Herdonium, hominem Latinum; ut & filii ejus adverſus Antiſtium Petronem, illuſtriſſimum Gabinorum. Praeterquam quod idem Tarquinius plurimos quoque e ſuis per delatores falſorum criminum inſimulare curavit ac ſuſtulit [19]. Poſt Reges exactos publicae quidem calumniae, ſed privatae ac judiciariae minus notae. Ita Marcius Coriolanus affectatae tyrannidis [20] & Caeſo Quintius, Quintii Cincinnati filius, laeſae reipubl. a Tribunis plebis falſo accuſati fuere [21]. Sed quia haec extraordinaria erant, nec adeo ad privatos ſpectabant, non videntur ea de re Decemviri caviſſe. Et tamen adeo antiqua L. Remmiae ratio eſt, ut vix dubitem, quin proxime ad haec ipſa tempora adſcenderit. Forte Appii Claudii, unius e Decemviris, calumnia, qua intemperatae libidinis obſecundandae cauſa accuſationem ſubornavit, ut Virginiae ſtatus controverſiam moveret [22], caeteros peſſimo exemplo docuit, quemadmodum illi in poſterum vitae bonisque innocentium ſub judiciorum ſpecie poſſent inſidiari. Quod ſi eſt, ſimul apparet, quare hoc tam foedum & intolerabile vitium prae aliis minoribus praepropere in rempubl. irrepſerit; conſequenter etiam, cur tam priſtino & ſimplici aevo de Calumniatoribus Lex ferri debuerit. Sed nihil horum pro certo affirmare lubet.

Auctor quoque Legis Remmiae quisnam fuerit, perinde ignoratur. Videtur autem *Remmius* aliquis fuiſſe pro more denominandi Leges ab auctore ſuo. Verum hujusmodi *Remmii* nec vola nec veſtigium apud ullum Romanae hiſtoriae ſcriptorem occurrit: forte quod homo plebejus fuerit, qui familiae ſuae caput exſtitit & finis, hoc eſt, ſolus in ea ad honores & magiſtratus pervenerit; ut de ipſo Cicerone conſtat. nam filii Conſulatus tantum ſcintilla quae-

1 P. Manutius *De Legib. Roman.* 2 Jac. Gothofr. ad *l.* 2. *C. Theod. de poen.* 3 Malquit. *De Philoſ. JCtor. Lib.* II. *c.* 23. *ad fin.* 4 Duaren. ad *tit. de Teſtib.* 5 Brunem. ad *l.* 1. *π. Ad SCtum Turpill. n.* 2. Althuſ. *Dicaeol. Lib.* 1. *c.* 105. *n. ult.* Caſaub. ad *Capitol. in M. Anton. Phil. c.* 11. & tamen idem alibi *Remmia* ſcribit, nempe ad *Sueton. in Aug. c.* 32. G. I. Voſſius *de Idolol. Lib.* IX. *c.* 37. *ad fin.* Latomus & Silvius ad *Cic. pro Sex. Roſc. c.* 20. Vid. Carol. de Merouville, edit. Cic. ad uſum Delphini. 6 Ant. Auguſt. *de LL.* ex aſſertione Fulvii Urſini, qui eum ſic emendare aſſerit in not. ad *Cic. pro Sex. Roſc. c.* 20. Et tamen in editis Ant. Auguſtini *de LL. & SCtis*, item in *Nominib. propr. τῶν Πανδέκτων Florent.* Remmia legitur. 7 F. Urſinus ad *d. loc. Cic.* ex Faerni annotatione ad oram libri. 8 edit. Chevallonii 1523. & 1527. apud Sennetion. 1549. in *l.* 1. §. 2. *π. ad SCtum Turpill.* edit. Baudoſae 1600. &c. 9 Stephani edit. 1527. ubi in *l.* 13. *π. de Teſtib.* Rhemnia eſt; in *l.* autem 1. §. 2. *π. ad SCtum Turpill.* Rhemmia. 10 Hotmann. in not. ad *d. Cic. loc. pro Sex. Roſc. Amer. c.* 19. & *de LL.* 11 Pigh. in *Annal.* ſuis *ad Ann.* DCXIII. 12 Urſin. in *not. ad dict. Cic. loc.* 13 Zaſius in *Gloſſ. ad l.* 13. *π. de Teſtib.* praeſertim vero in *Catalogo Legum Antiqu.* Duarenus ad *SCtum Turpill. c.* 4. Perezius ad *tit. C. ad SCtum. Turpill. n.* 5. Gitanius in Diſſert. *de Gente Memmia.* Ant. Matthaeus *de Criminib. Lib.* XLVIII. *tit.* 17. *c.* 3. *n.* 1. Panciroll. *Variar. Lection. Lib.* II. *c.* 124. Lamoinus in ſua *Ciceronis edit.* Heinſius & alii. 14 Val. Maxim. *Lib.* III. *c.* 7. *n.* 9. *in Rom.* 15 Ita alia *Herenniam* habent, alia *Reimiam*, alia rurſus *Reumiam*, nulla *Memmiam* aut *Mennmiam* ſimilemve lectionem quae cum M. incipiat. 16 P. Manut. ad *d. Cic. loc.* & *Lib. de LL. c.* 15. *ad fin.*

(*a*) Quam & Cic. indicat *in Vatin. c.* 14. 17 Ant. Auguſtinus *de LL.* 18 Aon. Palearius in *Orat. pro ſe ipſo* ad finem. 19 Dionyſ. Halicarn. *Lib.* IV. & Livius *Lib.* I. *c.* 49. *& ſeqq.* 20 Dion. Halic. *Lib.* VII. & Livius *Lib.* II. *c.* 35. 21 Dionyſ. Halicarnaſ. *Lib.* X *circa init.* & Liv. *Lib.* III. *c.* 35. 22 Hiſtoria operoſe a Livio narratur *Lib.* III. *c.* 43. *& ſeqq.* eodemque provocat Pompon. *l.* 2. §. 24. *π. de Orig. Jur.*

quaedam erat immenſae parentis gloriae. Sed quid ſi tantum Tribunus plebis fuerit hic *Remmius*? quum utique Lege Hortenſia & Horatia plebiſcita vim Legis & nomen accepere. Profecto Conſul ejus nominis in faſtis non reperitur; &, ſi Praetor fuiſſet, forte apud hunc aut illum hiſtoriae veteris ſcriptorem appareret. Quis praeterea affirmabit in *ſecunda* Livii *decade*, aut ceteris ejus Auctoris aliorumque libris, quibus hodie deſtituimur, *Remmii* alicujus mentionem non fuiſſe factam. Variae inſuper ſunt Leges, quarum auctores non ſolum, ſed & ipſa gens, ex qua orti, penitus latet. Ut adeo levi argumento ducantur, qui pro Remmia Memmiam ſubſtituunt [1] tantum ideo, quod *Memmiorum* gens in Dione, Livio, Cicerone, Suetonio &c. nota ſit, *Remmiorum* non item.

Immo vero quid ſi dicamus, Remmiae gentis memoriam in monumentis veterum nobis omnino conſervatam eſſe? Quid ſi in ipſo Suetonio, ſi non directe, ſaltem per conſequentiam? Facit huc Q. REMMIUS PALAEMON Vicentinus, verna mulieris Romanae, quem inter illuſtres Grammaticos recenſet Tranquillus [2]. nam ut Palaemon ei nomen fuit in ſervitute, ita manumiſſus Remmii nomen accepit a patrono vel patrona pro more libertorum. Quid? quod apud Tacitum [3] occurrat REMMIUS Evocatus, & REMMIUS Aedilis apud Aurelium Victorem [4]. Eodem pertinet Q. REMMIUS MARTIALIS in marmoribus Gruterianis [5]: forte & REMNIUS FIRMUS [6]. nec non RHEMNIUS FANNIUS, cujus eſt Carmen de ponderibus & de re medica. Addo duas alias inſcriptiones, quarum alteram nobis conſervavit Achilles Statius [7], altera autem nuperrime reperta eſt Romae prope portam Appiam a dextris, quam mihi, iſtic commoranti, ſignificavit Celeberrimus Antiquarius, Franciſcus Ficoronus. prior habet:

M. REMMIVS. M. L. PHILER.
POMPEIA. Ɔ. L. PRIMA.
SEX. POMPEIVS. Ɔ. L. STATIVS.

Sequens hoc pacto:

D. M.
PACVVIVS Q. F. REMMIVS
SCANTIAE COIVGI SVAE
KARISSIMAE D. M. F.

Denique etiam in Denariis REMMIORUM veſtigia agnoſcit Reineſius & perperam in RENIOS depravari queritur [8]. Verum quid ſi forte unus aut plures Remmii in Romana hiſtoria occurrerent, etiamnum proculdubio quaeſtioni foret, utrum ille, aut quinam ex illis auctor eſſet Legis noſtrae: ſicut evenit in Aquiliis [9], Metellis [10], Claudiis [11], aliiſque nobiliſſimis familiis. Ut adeo fortaſſe non ita magno diſpendio Remmiorum nomen apud Romanae rei ſcriptores deliteſcat; ſi non una appareret, quis proprie & qua occaſione Legem tuliſſet.

Sed vel illi, qui tam animoſe *Memmiam* Legem hanc noſtram contendunt appellandam eſſe, ut propterea receptiſſimam in omnibus Pandectarum editionibus lectionem ſollicitent [12], difficulter, credo, perſuadebunt, latam illam videri a quoquam *Memmiorum*, qui apud memaratos auctores occurrunt. Nam poena illa inuſtionis in fronte feroces nimis ac rudes populi Romani mores ſpirat, quam ut commode ad primum Memmiorum referatur, quem Pighius ad annum ab U. C. DLXVIII. inter Quaeſtores Provinciae collocat, Coſſ. Appio Claudio Pulchro & M. Sempronio Tuditano [13]. Multo minus igitur ea aetate praeſumetur talis lata Lex, quam eidem aſſignat, cum vult C. Memmium Gallum Tribunum plebis, anno ab U. C. DCXIII. C. Laelio & Q. Servilio Caepione, Coſſ. hanc Legem plebi ſciſcendam propoſuiſſe [14]. Quin immo id omne etiam eatenus gratis aſſumit, quatenus de non accuſandis abſentibus reipubl. cauſa L. Memmia ſtatuit; nedum eo reſpectu, quo de Calumniatoribus ſtatueret. Quare eodem jure illam, quam nos ſolam agnoſcimus L. Memmiam (hoc eſt, quae de abſentibus reipubl. cauſa non accuſandis agit) ad primum C. Memmium Gallum referre poſſumus, alterius, ut exiſtimat patrem. is quippe aeque in republ. clarus fuit, immo pluribus muneribus & honoribus inſignitus. praeterquam enim quod itidem Tribunus plebis exſtitit, AEdilis quoque fuit, & bis Praetor, duabusque inſuper Legationibus, una ad AEtolos, altera ad Gallos, perfunctus eſt [15]. Verum forſitan ad ulteriorem adhuc e Memmiis adſcendendum erit, qui temporum injuria hiſtoriis exciderit. nam cum de C. Memmio AEdili narretur, Cerealia illum, id eſt, Ludos Cereris, quibus equorum curſus in Circo exhibebantur, primum feciſſe [16], parum veriſimile eſt, tam praecipuae Legis rogationem ſilentio fuiſſe praeteritam. Quicquid ſit, non accedo ſententiae opinantium, Legem de Calumniatoribus inurendis tam ſero in republ. latam fuiſſe.

CAPUT IV.

De objecto L. Remmiae.

SEquitur ut de ipſis *Calumniatoribus*, qui objectum Legis Remmiae, ſive materiam, membrumque adeo longe praecipuum conſtituunt, ordine diſpiciamus. Quoniam vero calumniae, oppreſſa republica, majorem in modum adauctae ſunt, cumulante hoc malum Principum avaritia & tyrannide, connexionis ergo illa quoque, quae aliquanto ſerius prodiere, calumniandi genera interſeremus.

Generaliter autem Marcianus ad Senatusconſultum Turpillianum definit, *Accuſatorum temeritas tribus modis detegitur .... aut enim Calumniantur, aut Praevaricantur, aut Tergiverſantur.* CALUMNIARI *eſt falſa crimina intendere.* PRAEVARICARI *vera crimina abſcondere.* TERGIVERSARI *in univerſum ab accuſatione deſiſtere* [17]. Appellantur vero Calumniatores ſecundum Gajum [18] ab antiquo verbo *calvo* ſeu *calvor*, hoc eſt, decipio. *quia per fruſtrationem & fraudem alios vexant litibus.* idemque perantiquum verbum ex XII. Tabulis repetitum conſtat. nam locus, quem [19] deſignavi, deſumptus eſt ex Gaji Lib. I. ad L. XII. Tabb. A *calvor* itaque *Calumnia* eſt & *Calumniatores*, quos in privatis cauſis Edictum Praetoris [20] punit, in publicis Lex Remmia [21]. Sunt autem iidem, quos Graeci Συκοφάντας appellant. unde alibi [22] Conſtantinus Συκοφαντῶν δόγμα vocat memoratum SCtum Turpillianum, quod tractat de Calumniis: & apud Herodianum eſt, Συκοφάντας καὶ ὡς γενόμενοι τινων κατήγοροι [23], *Calumniatores atque accuſatores univerſi*. Amplius

1 Hotmannus cum ſuis. 2 Sueton. *De illuſtrib. Gramm. c.* 23. 3 Tacit. *Annal Lib.* II. *c.* 68. 4 Victor: *De Viris illuſtrib. c.* 66. 5 Jani Gruteri *Corpus Inſcript pag.* 128. *num.* 5. *in not.* 6 *Ibid. pag.* 704. *num.* 2. 7. Achill. Stat. ad *laud. Suetonii loc.* 8 Reinei. *Inſcript. Claſſe* XIX. *num* 49. 9 Quorum unus aliquis auctor eſt celeberrimae *L. Aquiliae de damno injuria dato.* 10 Ignoratur enim quis auctor fuerit *L. Caeciliae Metellae de Fullonibus*, cujus meminit Plin. *Lib.* XXXV. *c.* 17. 11 Similiter in tam famoſa familia incerti auctoris eſt *L. Claudia de Tutelis Foeminarum*, cujus memoriam conſervavit Leonis conſtitutio in *l.* 3. *C. d. Legit. tut.* 12 Hotmannus imprimis & Pighius *dd. C. & Annal. loc.* Item Ulricus Zaſius & Obertus Giſanius *de gente Memmia.*

13 Pighius in *Annal. Lib.* X. 14 Idem. *ibid. Lib.* XII. 15 Vide ipſos Pighii Annales ad ann. DLXVIII. DLXXIII. & DLXXVI. 16 Angelus Politianus *Miſcell. c.* 85. e Tacito & Dione. 17 *L.* 1. *pr. & §.* 1. *ff. ad SCtum Turpill.* 18 *L.* 233. *ff. de Verb. ſign.* 19 *d. l.* 233. 20. *Lib.* III. *ff. tit. ult. de Calumniat.* 21 *L.* 1. *§.* 2. *ff. ad SCtum Turpill.* 22 *Lib.* I. *tit.* 3. 23 Herodian. *Lib.* VII. *c.* 7. *n.* 5.

plius Gordianus Imperator Domitiano cuidam reſcribit, *Faſtibus caeſum, cui per praeconem ita dictum eſt, ἐσυκοφάντησας, ut Calumniatorem videri notatum, ideoque eſſe famoſum manifeſtum eſt* [1]. Quid autem proprie ſit Συκοφάντης docet Eugraphius Terentii ſcholiaſtes [2]: *Sycophanta, Calumniator. Hoc verbum eſt ab his, qui Athenis accuſabant eos, qui cum ficu frumenta extra civitatem ferebant* atque hinc pro eo accipitur, qui de minima quaque re litem criminalem ordiтur, & ejusmodi delationibus victum ſibi parans, ſaepe & ficta crimina intendit.

Porro Calumniatores etiam *Delatores* appellari coeperunt, ſed demum ſub Principum dominatu, quando vix aliter quam quaeſtus ac praemii conſequendi gratia *deferebantur* reorum nomina. Quare paſſim odioſum eſt Delatorum nomen, ac peſſime ubivis audit [3]. Attamen *qui reipublicae cauſas defendant Delatorum criminibus non teneri* certum eſt, cum hi ſoli *exſecrabiles Nunciatores ſint, qui fiſco deferunt*, ajunt Imperatores [4]. adde ex Paulo, *Delator non eſt, qui protegendae cauſae ſuae gratia aliquid ad Fiſcum nunciat* [5]. Ceteroquin enim Nunciatores ac Delatores pari paſſu ambulant; quemadmodum etiam a *nunciando*, hoc eſt, deferendo, *Nunciatores* appellantur [6]. Hos autem idem Paulus & quidem in eodem tractatu unde praecedens locus deſumptus, deſcribit, *qui per notoria indicia produnt* [7]. *per notoria*, id eſt per ſimplicem & compendioſam, eandemque manifeſtam, criminum denunciationem, quales libelli *elogia* (*a*) appellari ſolent. Eodem pertinet & *indicii* appellatio, quod nunciationem criminis magiſtratui factam *indicat*. *Conjurationem*, inquit [8] Papinianus, *Sergii Catilinae mulier detexit, & Marcum Tullium conſulem Indicio ſuo inſtruxit*. Sic inter cetera Lege Cornelia de Sicariis & veneficis teneri dicitur, *qui ... operam dediſſet, quo quis falſum Indicium profiteretur, ut quis innocens conveniretur, damnaretur* [9]. Hincque *Indices* nomen ſortiti, quos jam olim cum Sicariis & Accuſatoribus Cicero copulavit, *vallatum*, inquit [10], *Indicibus atque Sicariis*: & alibi [11] *Accuſatorum & Indicum conſociatos greges*. Proprie tamen Indicem Aſconius Pedianus definit, *qui facinoris, cujus ipſe eſt conſcius, latebras indicat, impunitate propoſita* [12]; & hujusmodi Indicium non omnibus olim & in omni cauſa permiſſum fuiſſe ibidem docet. Cum *indiciis* porro & *notoriis* confundi non debent *commonitoria* & *ſecreta mandata*, quorum ſimiliter in accuſando abuſus eſt. Eſt autem *commonitorium* libellus, quo velut memoriali & *monitorio* negotium alicui committitur. Videlicet interdum confeſſi de ſe aut convicti veniam propter flagitia adjuncti ſuperioris ſperant, aut inimicis in ipſa ſupremorum ſuorum ſorte ſociari gaudent [13]. His igitur ſponte deferentibus fidem penitus derogant Imperatores, etiamſi *commonitoria* & *ſecreta mandata* ſociorum habere ſe dicant, immo producant [14]. Ut facile appareat haec ad Nunciatores aut Indices minime pertinere. Denique & illud ſciendum eſt, tandem novum Nunciatorum & Indicum genus emerſiſſe. nam cum olim praemiis invitati nomina ultro deferrent, conſtituti ſenſim; qui ex officio nunciarent; veluti Officiales Praeſidis, Curioſi, Stationarii, Irenarchae. Sed de illis poſtea [15] oportunius agetur. Itaque ad Delatores redeo.

His Tranquillus *Mandatores* jungit cum ait [16], *Inter adverſa temporum & delatores Mandatoresque erant ex licentia veteri*. Mandator autem dicitur, qui mandat alicui & inſtruit eum ad accuſationem capitalem, dando probationes, allegando accuſationes [17]. Atque hic in calumniando ejusdem plane cum delatore conditionis habetur [18]. *Quare Divus Pius Caecilio Maximo reſcripſit*, referente Calliſtrato [19], *Conſtitutionem patris ſui, qua compelletur delator edere Mandatorem, ac niſi edidiſſet, ut in vincula deduceretur: eo pertinere, non ut delator poenae ſubduceretur, ſi Mandatorem haberet: ſed ut Mandator quoque periode atque ſi ipſe detuliſſet, puniretur.* Neque mirum, quoniam vel in homicidio ὁ ἐντειλάμενός τινι φονεῦσαι ὡς φονεὺς κρίνεται Mandator caedis pro homicida habetur [20]. *Nec intereſt*, ſecundum Marciani verba, *per ſe mandaverit Accuſationem, an per alium. Verum hunc, qui hoc miniſterio uſus eſt ad mandandam Accuſationem, non ex verbis, ſed ex ſententia Senatusconſulti puniri Papinianus reſpondit* [21]. A Mandatore tamen probe diſtinguendus *Inſtigator*: non enim *qui exhortatur Mandatoris*, hoc eſt, auctoris *opera fungitur*, ait idem Papinianus, etſi *callido commento accuſationem ſubornare* videatur [22]. Sed brevi tamen Inſtigator aequo jure cum Mandatore uti debuit, dum laudatus paulo ante Marcianus ſcribit [23], *Incidit in hoc SCtum & qui accuſatorem ſummittet, aut Inſtigat aut qui Mandat.... & merito: nam deficiendo crimini, quod movit, & eximendo ſe periculo Calumniae vel deſertionis, merito calumniantis & deſiſtentis poenae ſubjici debuit.*

Ceterum fuerunt etiam plures modi ad evitandam calumniam excogitati, quibus quis alieno nomine laceſſeret. Hos autem eleganter ad tres claſſes redigit Jac. Gothofredus, quas tantum digito attingam, quoniam ille ſingula, ut ſolet, diligenter exſequitur [24]. Et quidem tripliciter quis obtentu alieni nominis ſuas ſimultates tuto exercere ſe autumat, dum aut palam & ex profeſſo alienum nomen accuſationi praetendit, aut ſuam ultionem aliena injuria velat, aut denique ab alio ſubornatus inſtigatusque eſt. Rurſum, qui palam alieno nomine accuſant vel corporis alicujus ſive collegii decretum emendicare norunt, quod *emendicatis ſuffragiis decretorum accuſare* vocant Imperatores: vel aliquis *officium* ſuum obtendit, tutorium puta, aut ſimile: vel etiam non ipſe quidem accuſat, ſed *accuſatione alienae adſcribit*; cui technae probandae luculentum Apuleji teſtimonium adducit. Atque hi, qui ita adſiſtebant, veteribus *ſubſcriptoribus* haud abſimiles videntur, quod tantum in tranſitu notatum velim [25]. Secundam claſſem conſtituunt, qui non quidem alterius accuſatoris, verum *alterius injuria affecti nomen* praeferunt. nempe cum homicidii, verbi gratia, accuſans eum, cujus caedem vindicare ſe jactat, falſo aſſerit patrem ſuum fuiſſe. nam & patris necem vindicans a calumniae poena eximitur. Tertium vero delationis alieno nomine inſtituendae ge-

1. *L. 16. C. ex quib. cauſ. infam.* conf. *l. 1. §. 4 ff. ad SCtum Turpill.* 2 Eugraph. ad *Terent. Andr. Act. V. ſc. 4. vſ. 16.* 3 Exempla ſunt in *l. 1. C. de Delat. l. 3. C. de Injur. l. 3. C. de Malef. & Mathemat.* Vid. quae Jac. Gothofr. collegit in Paratit. *C. Th. de Petit. & ultro dat. & Delat. x. 10.* 4 *L. 4. C. de Delat.* 5 *L. 44. ff. de Jure Fiſci.* 6 *L. 1. § ult. ff. de Jure Fiſci. l. 3. C. de Injur.* 7 *L. 6. §. 3. D. ad SCtum Turpill.* eſt autem utraque Lex e *Pauli Lib.* 1. *Sententiarum* deſumpta. adde omnino *l. 2. pr. ff. de Jure Fiſci.* (*a*) Ejusmodi *elogii* ſive notoriae *epiſtolae* diſertiſſimum exemplar exſtat in *Actibus Apoſtolicis. c. 23.* Vide Jac. Lectii *not. ad Symmac. Lib. x. ep. 4.* & plura de *notoriis* habet Pancirol. *Variar. Lect. Lib. 1. c. 37.* ſed poſt Bud. in *Annot. poſter. ad d. l. 6. §. 3. ad SCtum Turpill.* 8. *L. 8. ff. ad L. Jul. Majeſt.* correctus eſt locus ex Ruſſardi notis marginal. 9 *L. 1. pr. ff. ad d. l. Cornel. de Sicar. & venef.* 10. Cic. *pro Mur. c. 24.* 11. Cic. *Paradox. ult.* 12 Aſc. Pedian. in *Divin. in Verr. c. 11.* 13 Jac. Gothofr. ad *l. 2. C. Th. Si cert. petat. de ſuffr.* 11. 29. 14 *L. ult. §. Nemo ſibi. C. Th. de Accuſat. & Inſcript.* 1x. 1. & ibi idem Gothofr.

15. *Cap. ult.* 16 Sueton. in *Tito c. 8.* ad fin. 17 *L. 1. §. pen. ff. ad SCtum Turpill.* 18 *L. 5. C. de Accuſ. & Inſcript.* 19 *L. 2. §. 5. ff. de Jure Fiſci.* adde *l. 23. & 24. eod.* 20 *L. 15. §. 1. ff. ad L. Corn. de Sicar.* 21 *L. 1. §. pen. verſu Nec intereſt. ff. ad SCtum Turpill.* 22 *L. 20. ff. de his, qui not. infam.* 23 *d. l. 1. §. penult. ff. ad SCtum Turpill.* 24 Jac. Gothofr. ad *l. 2. C. Th. de Calumniat.* 1x. 39. 25. De Subſcriptoribus illis vide quaedam *infra. c. 21.*

genus eſt eorum, qui proprie *ſubmiſſi* & *ſubornati* dicuntur. Horum autem quidam ab initio mandatorem ſuum nominant, quidam demum, poſtquam judicio victi ſunt, mandatum aliquod ſive nomen praetexunt. hactenus ex Gothofredo. Artibus itaque hiſce tam variis varie identidem ab Imperatoribus obviam itum. inter quos ad extremum Gratianus, Valentin. & Theodoſius edixere [1], *Noſtris & Parentum noſtrorum conſtitutionibus comprehenſum eſt, eos, qui accuſationem alienis nominibus praeſumpſiſſent, Delatorum numero eſſe ducendos. Atque ideo calumnioſiſſimum caput & perſonam judicio invitae delationis*, hoc eſt, Calumniae, *infamem*, *deportatio ſequatur*. Videntur autem proprie ad poſtremam calumniarum, quas enumeravimus, claſſem reſpicere, cui non adeo multum ante proſpectum fuiſſe apparet, cum memorati Impp. de *ſuis* & *Parentum ſuorum* conſtitutionibus loquantur. Verum ad alia.

Videamus tandem quale Calumniatorum genus fuerint *Quadruplatores*, quos & libera republica & ſub Principibus reperio. Etenim non tantum Capitolinus de Marco Antonino dicit, *Calumniis Quadruplatorum interceſſit. appoſita falſis Delatoribus nota* [2], verum etiam Cicero Quadruplatorum aliquoties [3] meminit. immo vero Livius jam *libro tertio* in oratione Patrum adverſus Tribunos inter alia haec iis verba tribuit, *populum Romanum Quadruplatoris & interceptoris alienae litis perſonam laturum* [4]. Erant autem Quadruplatores, ut Aſconius definit [5], *Accuſatores ſive Delatores criminum publicorum ſub poena Quadrupli: ſive, quod ipſi ex bonis damnatorum, quos accuſaverant, Quartam partem conſequebantur*: inque hanc poſteriorem etymologiam magis inclinat [6]: quamvis pro altera militent Grammaticorum canones. At Pediano plerique eruditi ſuffragantur & praeterea locus Taciti in praecedentibus a nobis [7] allatus. Pari quoque analogia Sidonio Apollinari *Quadruplatores* vocantur *portitores*, *qui portorium in Quadruplum conducerent* [8]. Ceterum a numero, ſed alia derivandi forma, noti in jure ſunt *Octavarii*, hoc eſt, mancipes, qui vectigal *octavae partis* de mercibus accipiunt [9]. ut & olim *Decumani*, qui decimas redimebant [10]. Sed de nomine Quadruplatorum litigetur quantum lubet; de re tamen conſtat, omnium Calumniatorum ſpurciſſimos ſemper & maxime exitiales fuiſſe. Itaque auctori ad Herennium Quadruplator *improbus & peſtifer civis* dicitur [11]: immo furi ab eodem aſſimilatur & latroni. ut autem de fure res certa eſt [12], ita ad Quadruplatores eum reſpicere autumo, his verbis [13], *Bonorum inſidiatores latrocinio vitam innocentiſſimi cujusque petiſtis; tantamne ex iniquitate judiciorum veſtris Calumniis aſſumitis facultatem?* Nec abludit Plinius, ubi ait [14], *Vidimus Delatorum judicium, quaſi graſſatorum, quaſi latronum*, &c.

Quod reſtat, non committam ut a Quadruplatoribus *Sectores* ſeparem, quos ſaepe tam arcta quaeſtuum & commodorum devinxit communio; qua in re praeeuntem habeo Suetonium. nam in recenſenda A. Vitellii proſapia inter ceteros libertinum memorat, eundemque ſutorem & veteramentarium, cujus filius *Sectionibus & Cognituris uberius compendium nactus* ex muliere vulgari . . . Equitem genuerit [15]. *cognituris*, inquit, hoc eſt, delationibus ad aerarium vel fiſcum, quod omnino Quadruplatorum proprium erat. Videlicet hoc genus Delatorum quondam honeſtiore vocabulo (a) *Cognitores* dicebatur; &, ut porro de illis obſervat ὁ μακαρίτης Cl. Graevius [16], perſaepe iidem Cognitores & Sectores: quod etſi non facerent, tamen erant cognati & ſocii participesque manubiarum & lucri ex eadem calamitate. *Sectores* igitur, definiente ſaepius laudato Aſconio [17], *ſunt aeſtimatores redemptoresque bonorum damnati atque proſcripti, qui ſpem Sectantes lucri ſui, id eſt, ſequuti ſpem aeſtimationis ſuae, bona omnia auctione vendunt, & ſemel inferunt pecuniam vel aerario vel ſociis*. Poſtremo adinſtar Sectorum poſtea cum Delatoribus etiam *Petitores* ſive *competitores* cohaeſere, genus hominum ex aequo in fortunas graſſantium [18]. Erant autem hi aulici in obſequio Principis conſtituti, qui bona damnatorum ſibi poſtulabant, ſive *petebant*, & ad hoc ſaepenumero delationes inſtruebant, aut ſaltem adjuvabant [19]. Horum inverecundam inhiationem, & aviditatem nefariam cum aliquandiu fruſtra repreſſiſſent Imperatores, Theodoſius tandem & Valentinianus *omne ſemen alienas appetendi fortunas ſtirpitus eruere cupientes, nulli deinceps voluerunt Petitionis eſſe licentiam* [20]. Verum de foeda Calumniatorum, quique ad eos pertinent, colluvie affatim.

Calumniatoribus ex adverſo oppoountur *Praevaricatores* ac *Tergiverſatores*. nam ut illi *innocentes* fictis criminibus opprimunt, ita hi meritae vindictae eximunt *nocentes*, idque aut diſſimulando, quae vera ſunt, aut juſtam accuſationem turpiter deſerendo [21]. Scilicet *Virtus*, ut bene Horatius obſervat [22], eſt *medium vitiorum utrimque reductum*. atque adeo bonus revera & utilis reipubl. civis eſt, qui inter *calumniam* & *praevaricationem tergiverſationemque* medium tenet, & a juſtitiae tramite neque huc neque illuc ſe patitur abduci. Sed de his vitiis nunc amplius non agemus, occaſione SCti Turpilliani quaedam de illis dicturi [23]. praeterquam quod neutrum horum criminum primario ac directe ad Legem Remmiam pertineat, quippe quae de ſolis Calumniatoribus videtur lata.

CAPUT V.

De poena L. Remmiae.

AD ſanctionem Legis Remmiae quod attinet, ingenioſus hic in poenam populus Romanus exſtitit, dum voluit Calumniae damnatis literam K. ad caput affigi, tanquam criminis indicem. Atque huc procul omni dubio Cicero reſpicit, cum in fine loci, quem ſupra [24] deſcripſimus, concludit, *Sed ſi ego hos* (Judices) *bene novi litteram illam, cui vos* (Accuſatores) *usque eo inimici eſtis, ut etiam eas omneis oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut poſtea neminem alium niſi fortunas veſtras accuſare poſſitis*. Poena igitur ſecundum vulgarem & receptam opinionem fuit inuſtio literae K. in fronte Calumniantis.

Ne quis tamen hac in Lege locus controverſia vacaret, ſunt qui hic aliam litteram ſubſtituunt. Nam Turnebus autumat, aut C. aut D. fuiſſe, atque illa *Calumniatorem*, hac *Delatorem* fuiſſe deſignatum [25]. Quod ad poſteriorem litteram, qui de ea cum Turnebo ſentiat invenio neminem. nec enim ſub li-

1 *L. 2. C. Th. de Calumniat.* IX. 39. addatur Cujacius *Lib.* IV. *Obſerv. c.* 29. 2 Capitol. in *M. Anton. c.* 11. 3 Praeſertim in *Verrinis*. 4 Liv. *Lib.* III. *c.* 72 5 Pedian. ad Cic. *Verrin.* II. *c.* 7. ad fin. 6 Aſcon. Ped. *d. l.* utramque autem deſcriptionem paulo plenius perſequitur. 7 Supra *cap.* 2. in init. 8 Sidon. Apollin. *Lib.* V. *ep.* 7. 9 *L.* 7. & 8 *C. de Vectig. & Commiſſ.* 10 Aſcon. in Ciceronis *Verrin.* II. 11 Auct. ad Herenn. *Lib.* II. *c.* 26. 12 Id. *Lib.* IV. *c.* 15. 13 Auct. ad Herenn *d. Lib.* IV. *c.* 15. adde Quintil. *Inſtit. Orator. Lib.* XII *c.* 7. 14 Plin. in *Paneg. Trajani c.* 34. 15 Sueton. in *Vitell. c.* 2.

(a) De hujus nominis ratione vide in Diſſertat. de *Fatis Calumniat. ſub Impp. c.* 1. 16 Graev. ad *d. Suet. loc.* adde Cic. *pro Sex. Roſc. Com. c.* 18. 17 Aſcon. Pedian. in Cic. *Verrin* I. *c.* 20. 18 Unde & Delatoribus junguntur in *C. Th. tit. de Delat. ultro dat. & Petit.* X. 10. 19 Vide Gothofr. ad *eum tit.* Amm. Marcell. *Lib.* XVI. *cap.* 8. in fine. 20 *L.* 2. *C. de Petit. bonor. ſublat.* adde *L.* 2 *eod.* 21 *L.* 1. §. 1. *ff. ad SCtum Turpill.* 22 Horat. *Lib.* I. *Epiſt.* 18. *v.* 9. addatur Ariſtoteles *Lib.* VI. *de Morib. c.* 1. 23 Infra *cap.* 20. 24 Supra *cap.* 2. ex Cic. *pro Sex. Roſc. c.* 20. 25 Turneb. *Adverſar Lib.* VIII. *c.* 22.

Digitized by Google

libera republ. innotuiſſe videtur Delatorum appellatio. Verum de littera C. adſtipulantur ei Hotmannus & P. Manutius [1]: quo jure paucis videamus. Non improbo, quod calumniatorum fronti litteram ſuae fraudis indicem inuſtam voluit: hoc enim mecum omnes facile largiuntur, & jam plerique annotarunt [2]. Immo eleganter obſervat Pancirolus, quemadmodum in ſervis, qui male de dominis ſuis meriti erant, moris cenſet fuiſſe, ut primam delicti, quod commiſiſſent, litteram in fronte acciperent, veluti, ſi furati eſſent litteram F. ita pari ratione ſervis poenae, tanquam male de republ. meritis, littera delicti initialis cauterio ad frontem affigeretur, idemque dein ad poenam ex L. Remmia applicat [3]. Quamvis autem in ipſa hypotheſi, quam ſtatuunt, nihil vitii reperiatur, tamen aſſumptio claudicat, quaſi nimirum indiſtincte vox *Calumnia* eandem ſemper orthographiam habuiſſet; & inde neceſſario falſa manat concluſio de littera C. Videlicet non animadverterunt Viri docti, quod diligentiſſime ex Quintiliano, Terentio Scauro, Velio Longo & Diomede notat Pithoeus [4], litteram K. olim apud Latinos honeſtum inter ceteras locum tenuiſſe, ſed poſtea, ut inutilem ac ſupervacaneam, ad notas & numeros relegatam eſſe: porro Longum ſpeciatim ſcribere hac ſive littera ſive nota ſuo adhuc tempore *Kalumniam*, *Kaput*, *Kalendas*, etiam *Katonem* ſignificari ſolere: amplius ex Iſidoro addit, in notis juridicis per duo KK. deſignari *calumniae cauſa*. Nec poſſum ſatis mirari, cur Menardus, inſpecto hoc Pithoei loco, nihilominus pronunciat, ſibi non liquere [5].

Quoniam igitur pluribus eſt demonſtratum, litteram K. latinitate per aliquod tempus uſam fuiſſe, ac dein, poſtquam Graecis reddita eſt, tam diſerta adhuc in rem noſtram veſtigia reliquiſſe, ſine periculo, arbitror, totius negotii confirmandi gratia, elegans Graeci Auctoris teſtimonium adferre licebit, cujus ceteroquin fides ob defectum litterae C. vacillaret. Nempe Julianus Imperator in Oratione, quam ab Antiochenſium in *barbam* ſuam contumelia Μισοπώγων inſcripſit, cum illi ipſum inceſſerent, quod X perſequeretur, quo denotabant Chriſtum, & propterea K. deſiderarent, hoc eſt, Conſtantium, Juliani deceſſorem [6], argute ſimul & ſerio illos perſtringit, dum ait [7], Πόθος δὲ ὑμᾶς ἀείσει τοῦ Κάππα, καὶ ὑμῖν γε αὐτὸ οἱ πολιοῦχοι τῆσδε τῆς πόλεως Θεοὶ διπλοῦν δοῖεν, ὅτι πρὸς τούτῳ καὶ τὰς ἀστυγείτονας ἐσυκοφαντήσατε πόλεις ἱερὰς καὶ ὁμοδούλους ἐμοί: αἳ δὴ παρ' αὐτῶν ἔχῃ τὰ εἰς ἐμὰ ξυντεθέντα. „ Tandem *Kappa* deſideratis: utinam Dii cuſto„des hujus Urbis *id* vobis *duplex* largiantur, quo„niam civitates finitimas, quae & Diis mecum ſer„viunt, & ſanctae ſunt, *calumniis* vexaſtis, quaſi „quae in me compoſita ſunt, ab illis profecta eſ„ſent.„ Hactenus Julianus.

Ceterum non duxi operae pretium eorum refellere ſententiam, qui pro K. Graecum Θ. intrudunt, tanquam initialem τοῦ θάνατος litteram. quaſi vero aut Romani in judicando Graeca lingua eſſent uſi, aut calumniae damnati mortis poenam ſubiiſſent, ut recte animadvertit Hotmannus [8]. neque etiam valde alienus ſum ab eo, quod ibidem ſubjicit, ſine dubio illos Eraſmum imprudentius ſecutos, qui ex Aſconii loco, neſcio (*a*) quo, advertit, ſortes olim in judiciis, quae mittebantur in urnam, triplicem notam habuiſſe, ac Θ. quidem damnationis fuiſſe ſymbolum, T. abſolutionis, & A. ampliationis [9]. Sed de littera, credo, ſatis.

De ſede inuſtionis non ſinit quenquam dubitare praeclarus ille Ciceronis locus, capiti huic in limine praefixus. praeſertim quia haud multo poſt ſubjicit, *ſolus tu inventus es, qui cum Accuſatoribus ſederes, atque Os tuum non modo oſtenderes, ſed etiam offerres* [10]. Hanc itaque pariter omnes in *fronte* collocant. Nec obſcure eo Papinianus alludit, quando iſtic loci, ubi Legis Remmiae meminit, in fine ſubjicit, *perpendendum eſſe, quid integrae frontis homo dixerit* [11], ad oppoſitionem videlicet illius, cujus frons ſolita Calumniae nota diviſa atque exarata eſſet. Praeterea Lucianus nos docet, ejuſmodi ſigla ſive notas ac litteras ſingulares proprie κατὰ μετώπου *inter ſupercilia* [12] collocari ſolita. nam ubi plures litterae inurendae erant, immo integri verſus (unde Petronio *notum fugitivorum epigramma* [13]) per ſe patet, totam frontem & ipſam quoque faciem impleri debuiſſe [14].

Quod ſi quis in rationem inurendae *frontis* ex L. Remmia paulo curioſius inquirere velit, dubito an ullam probabiliorem inventurus ſit, quam quod veteribus in more poſitum eſſet, qua parte peccaſſent malefici, eadem illos mulctari; cum inſuper hic locus ſumme eſſet conſpicuus. Quod autem in parte peccante affirmavi, exempli cauſa, falſarium in manibus, fugitivum in pedibus, perjurum in lingua, adulterum in genitalibus, ceteros in ceteris membris punitos fuiſſe, de Aegyptiis auctor mihi Diodorus Siculus [15], de Graecis Galenus [16], de Romanis quoque Cujacius [17] & Menagius [18] ſimilia ſtudioſe congeſſerunt, ubi etiam Diodori ac Galeni mentionem faciunt. Quin & in militaribus idem ſervari teſtimonium perhibet Frontinus [19]. Jam vero, ut dextra fidei ſedes conſtituta eſt, genu miſericordiae, ima auricula memoriae, oculi denique amoris hoſpitium, & ſic porro, ita *frons* modeſtiae ac pudoris, quem turpiter adeo conculcant Calumniatores, proprius locus eſt habitus. Amplius, prout in numinibus conſtituendis admodum liberales erant ethnici (ne prodigos dixerim) ſingulis corporis partibus ſingulos Deos aſſignaverunt, ut Hadrianus Junius peculiari capite animadvertit [20]. Quod ſi quis porro inſiſtat, quid fronti prae aliis corporis humani partibus *pudorem* dicare fecerit? illius deſiderio Plinius ſatisfaciet, obſervando *tantum ſanguinis in ore eſſe, quantum in animo pudoris* [21]. Etſi autem pudor genas quidem ſemper coloret (unde & has ei virtuti proprias facit Raevardus [22]) id tamen fere ex levi quacunque & vulgari cauſa contingit; at ſummus & vere ingenuus pudor ipſam frontem & vel interdum ſumma pectoris rubore tingit. Ceterum ad quae humanae compagis arcana ruborem hunc referant naturae indagatores, graviter Baudius ex eorum ſcitis annotat, notasque illius ad memorata Plinii verba, qui paulo curioſior eſt, inſpicere non prohibetur [23]. nobis ſufficit animadvertiſſe pudorem, quem penitus

1 Uterque ad *dictum Cic. loc.* 2 Lambinus & Graev. ad *d. l. Cic. pro Sex. Roſc.* Pancirol. *Variar. Lect. Lib.* II. c. 141. 3 Pancirol. *ibid. c.* 242. 4 Pithoeus in *not. ad Collat. LL. Moſaic. & Roman.* c. 4. & ibi ad locum Pauli ex *Lib. ſing. de Adulter.* adde G. J. Voſſium in *Ariſtarcho Lib.* 1. c. 17. 5 Menard. in ſaepius alleg. *Cic. loc. pro Sex. Roſc.* 6 Julian. Imp. in *Orat. Μισοπώγ.* *Operum ejus pag.* 357. *edit. in fol.* 7 Idem Julian. *ibid. p.* 362. 8 Hotmann. in *not. ad d. l. Cic. pro Sex. Roſc.* (*a*) E contrario in *Verrem, de praetura urbana*, tradit condemnandi notam C. abſolvendi A. ampliandi, cum non liqueret N. L. fuiſſe. Sed credo Eraſmum reſpexiſſe locum Alexandri ab Alex. *Genial. dier. Lib.* III. c. 5. & pro eo erronee Aſconium citaſſe. 9 Eraſmus in Adagio, *Θ praefigere.* 10 Cic. *pro Sex. Roſc. c.* 31. 11 *L.* 13. *ff. de Teſtibus.* 12 Luciani *Reviviſcentes*, edit. Graevianae *tom.* 1. *p.* 417. 13 Petronius in *Satyrico c.* 103. 14 Vid. Lipſ. *Elect. Lib.* II. c. 15. 15 Diod. Sicul. *Lib.* 1. *Hiſtor. Biblioth. p.* 49, 50. 16 Galenus in *Hippocratis & Platonis Placitis c.* 6. 17 Cujac. *Obſervat. Lib.* VII. c. 13. 18 Menag. in *Amoen. Jur. c.* 32. 19 Frontin. *Stratagemat. Lib.* IV. c. 1. n. 15. & 26. 20 Junii *Animadverſ. Lib.* IV. c. 12. 21 Plin. in *Paneg. Traj.* c. 73. n. 4. 22 J. Raevard. ad *L.* XII. *Tabb. c.* 15. 23. Baud. ad. *d. Plinii loc.* & ad *cap.* 48. *eod.* in fin.

Digitized by Google

penitus exuunt Calumniatores, fronti ex ſanguine colorem conciliare; ad hoc, ut intelligatur quam genuine & convenienter idem Plinius dicat, *exſanguem Calumniatorum frontem* [1]. Pari omnino ratione *perfrictae frontis homines* vocantur: quod perſpicua periphraſi Martialis exprimit [2] hoc verſiculo.

Aut cum perfricuit frontem poſuitque pudorem.

ut & morum cenſor Juvenalis [3].

— — — — *Nam quis*
Peccandi finem poſuit ſibi? quando recepit
Ejectum ſemel attrita de fronte pudorem.

Quae omnia dilucide confirmant frontis in pudore primas eſſe, adeoque violati tam foede pudoris vindictam juſtiſſime in fronte exercitam. De altera ratione, quod propterea eo loci poena L. Remmiae applicata videatur, tanquam qui maxime inſignis ac conſpicuus eſſet, plura hic non dicam, quoniam concurrit cum ſcopo & fine Legis, de quo proximo capite ex profeſſo erit agendum.

Poſtquam itaque paulo plenius adſtructum eſt, frontem Calumniatorum littera K. inſignitam fuiſſe, unice inquirendum reſtat, quomodo illa capiti impreſſa fuerit. Non video hic rationem quominus fronti *inuſta* videatur, ex ſolenni & vulgato more inurendi ſervos. praeſertim cum Cicero laudato in loco *tam vehementer* illam *ad caput affigendam aſſerat*, ut deinceps infortunii ſui perpetua teſtimonia circumferre debeant, hoc eſt, tam firmiter, ut cicatrix illa ſive litura nullo unquam tempore nullove remedio diſpareat. Unde Martialis [4].

Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte.

Belle etiam Valerius Maximus *inexpiabili litterarum nota inuſtum* [5] dicit, & Vegetius *Victuris in cute punctis* [6]. Ceterum inter cauteria, quibus frons inureretur, forcipem refert vetus poeta [7] Naevius, dum ait

Signare oportet frontem calida forcipe.

quemadmodum Columellae *ſigna focorum* [8] ſunt veſtigia ferri, quod in focis canduerat.

Illud etiam quodammodo in dubium vocari poſſet, an non poſt inuſtionem plaga iſta, quae ductum litterae K. efficiebat, inungeretur fuco, atramento, aliisve, queis pingitur, coloribus: ut nempe tanto magis conſpicua evaderet. Hoc autem quidam Orientalium, inciſa carne ſua ex ſuperſtitione feciſſe videntur, ut de Aſſyriis diſerte teſtatur Lucianus [9]. Quin et Iſraëlitis illud a Deo expreſſe vetitum fuit [10], quod praeceptum Rabb. Moſes Maimonibus libro *de Idololatria* [11] illuſtrat. Similiter de Graecis Theodoretus teſtatur, quod in honorem Daemonum aliquot corporis partes acubus compungerent, inque notas atramentum immitterent [12]. Atque abſurda de Britannis veteribus tradit Solinus [13]: & de Arabibus ſcribit Gabriel Sionita, quod vel hodie frontem, genas, labia, brachiaque caerulei coloris notis acu tenui factis tingunt infiniuntque [14]. Denique ut olim quaedam gentes foetus ſuos notis compungebant, quod de Aegyptiis, Thracibus Sarmatisque proditur [15], ita hodie Abyſſini loco ſacroſancti baptiſmatis frontem partui inurunt [16]. Sed quid hujus moris probandi cauſa gentiles aut longe diſſitos populos circumſpicimus? noſtris temporibus quidam Hieroſolyma religionis ergo proficiſcentes, inſigne ejus in brachio reportant, quod illis, ut perpetuum ſit, accenſo pulvere pyrio mihi traditum eſt inuri. Quod itaque quibusdam & nunc & olim in religionem cedebat, apud Romanos hujusmodi ſuperſtitionem non habentes in poenam cedere potuit. maxime cum Lipſius ex Petronio & Zonara colligat, Romae quoque poſt inuſtionem atramentum quandoque infuſum fuiſſe, quo eminerent magis litterae & lectui ſe praeberent [17]. Sed in re plane abdita non lubet ulterius conjectare.

CAPUT VI.

De ſcopo L. Remmiae aliisque ejus circumſtantiis.

Scopum finemque Legis Remmiae quaerentibus occurrit iterum laudatus aliquoties Cicero in fine decantati illius loci [18], *ut poſtea*, inquit, *neminem alium, niſi fortunas veſtras accuſare poſſitis*, falſe profecto & ſignificanter. Vult nimirum, Calumniatores, tam inviſum ac metuendum omnibus bonis nomen, per expoſitam frontis deformationem quibusvis ludibrio ac deridiculo propinari; usque adeo, ut deinceps, quantumvis deſiderent, ad nullius unquam accuſationem admittantur: quod ſi tamen calumniis aſſueti ab accuſando temperare ſibi nequeant, habeant in ſe ipſis, quod accuſent, quod nempe avaritia, ambitione, odio praepediti tam infamen in modum proſtituendos ſe dederint. nam *litterarum notis inuri, ſummam oris contumeliam* dixit Valerius [19]. Eo autem contumelioſior indigniorque libero homine erat haec poena, quod plane ſervilis eſſet. Quippe domini non modo ergaſtulis & compedibus adverſus fugam ſervorum ſibi conſulebant, ſed vel maxime etiam ſtigmatibus & notis. Quod cum in privatis ſervis receptum eſſet, facile etiam ad ſervos poenae productum eſt, quales ſunt, qui in metallum aut ad beſtias ludumve damnari ſolent; nam his multo juſtior ad evadendum conatus eſt. Sed haec in praecedentibus jam ex transverſo tetigi, & infra occaſione *l. 17. C. de poenis.* porro indicanda erunt.

Ceterum, ut ad finem rationemque Legis Remmiae revertar: conſtitit etiam praeſertim in eo, ut alii Calumnias tanto ſtudioſius averſarentur. Conſimilem omnino habuerunt AEgyptiae Leges, quae de puniendis membris, delicti miniſtris, conſtituunt. Nam Diodorus Siculus loco allegato inter plura ejusmodi poenarum exempla interſerit, ὅπως ἕκαστος, ᾧ μέρει τοῦ σώματος παρηνόμησεν, εἰς ταῦτα κολαζόμενος, αὐτὸς μὲν μέχρι τελευτῆς ἀνίατον ἔχῃ τὴν συμφοράν, τοὺς δὲ ἄλλους διὰ τῆς ἰδίας τιμωρίας νουθετῶν, ἀποτρέψῃ τῶν ὁμοίων τι πράττειν. „ Ut „ qua quisque corporis parte in legem peccaſſet, „ hac ad finem usque irreparabili cum damno & „ ipſe culpam lueret, & alios poena ſua commo„ nefactos ab eo genere facinoris deterreret [20]. Porro ut hoc poſterius generalem omnium poenarum ſcopum finemque conſtituit, in L. Remmia ſane haud obſcurum locum tenuit. ubinam enim ad alios commonefaciendos abſterrendosque commodior locus excogitari potuit, quam in ipſa fronte? Pulchrum eſt, quod hac in parte Seneca de Philippo Macedone tradit, cum videlicet militi, quod ſingulari ac deteſtanda ratione ingratus adverſus hoſpitem fuerat, ſtigmata ad frontem figi juſſit, id ipſum teſtantia. *Potius eſt*, inquit ex Philippi perſona, *intra fines regni mei te litteras iſtas oculis inſcribendas duriſſima fronte circumferre. oſtende quam ſacra res ſit menſa hoſpitalis. praebe in facie tua legendum iſtud*

1 Plin. in *d. Paneg. c.* 35. 2 Martial. *Lib.* XI. *Epigr.* 28. 3 Juvenal. *Sat.* XIII. *vſ.* 240. 4 Martial. *Lib.* VI. *Epigr.* 64. 5 Val. Max. *Lib.* VI. *c.* 8. *ex. alt.* 6 Veget. *de Re Milit. Lib.* II. *c.* 5. 7 Naevius apud Priſcian. *Lib.* VII. 8 Columella *de R. R. L.* X. *v.* 125. 9 Lucianus *de Dea Syria* στίζονται δὲ πάντες. 10 Levitici c. 19. *vſ.* 28. 11 R. Moſes Maimon. *de Idolol. c.* 12. *vſ.* 10. & 11. 12 Theodoretus *Quaeſt.* 28. *in Levit.* 13 Solinus in *Polyh. c.* 22. adde Tertullian. *de Veland. Virgin.* 14 Gabr. Sionita *de Oriental. c.* 6. confer autem Voſſium ad *Maimon. de Idol.* imprimis vero Spencer. *de LL. Hebr. Lib.* II. *c.* 24. qui haec pleniſſime exſequitur. 15 J. Gothofr. ad *l.* 2. *C. Th. de poen.* 16 Linſchoten *Itinerarium ſig.* 62.

17 Lipſ. *Elector. Lib.* II. *c.* 15. 18 Cic. *pro Sex. Roſc. Amer. d. c.* 20. 19 Val. Maxim. *Lib.* VI. *cap* 8. *ex. alt.* 20 Diod. Sicul. *Lib.* I. *Hiſtoricae Biblioth. p.* 50.

illud decretum . . . magis illa conſtitutio ſic eris rata, quam ſi illam in nos incidiſſem [1]. Et hactenus quidem de ſcopo Legis Remmiae.

Scrutemur inſuper num & alia fuerint in hac Lege, aut certe probabiliter fuiſſe videantur. quid enim in re tam profundae obſcuritatis praeter conjecturas promitti poteſt? Et tamen quominus inquirendo ſuperſedeam, facit Papiniani argumentatio in tractatu *de Adulteriis* [2]. Iſta ejus tempore inter JCtos agitabatur quaeſtio, *an in publicis judiciis Calumniae damnati teſtimonium judicio publico perhibere poſſent?* ait enim *Quaeſitum ſcio, an* &c. Verum anteriorum Juriſconſultorum argumentis, ut videtur, parum contentus, de integro eam tractat per occaſionem criminis adulterii, quaeſtionique propoſitae hunc in modum reſpondet, *Sed neque Lege Remmia prohibentur. & Julia Lex de vi & repetundarum & peculatus* &c. Certo indicio praeter poenam alia quoque in hac Lege noſtra cauta fuiſſe, ad ſimilitudinem earum, quas una adducit. Quorſum enim prudentiſſimi Viri argumentatio, niſi circumſtantias quaſdam comprehenderit, & illas quidem huic de teſtibus ſimiles, hoc eſt, materiae, quam tractat, proprias ac conſequentes?

Qua ratione motus vehementer dubito an non etiam aliquid de conſilio Calumniantis Lege Remmia cautum fuerit. Nec enim mihi fit probabile, ſtatim & indiſtincte eum, qui delatum crimen adprobare non poſſet, tam probroſa inuſtione punitum fuiſſe. Solent quippe Legiſlatores in poenis infligendis diligenter circumſpicere, quomodo quis ad delinquendum acceſſerit; ſolent etiam aliquid humanitati dare, & ante omnia dolum & fraudem requirere. Prius Imp. Juſtinianus *in Novellis* ſuis indicat, *Quia vero*, inquit [3], *nos oportet humani generis infirmitatem protegere, corporales poenas* &c. Poſterius declarat Ulpianus ad L. Juliam & Papiam, cum ait, *Aliud fraus eſt aliud poena. Fraus enim ſine poena eſſe poteſt: poena ſine fraude eſſe non poteſt* [4]. Et revera, qui ut Calumniator punietur, calumnioſe debet accuſaſſe, quod, qui errat, non facit. Quapropter in materia de Calumniis hoc ſemper attente conſideraverunt JCti. Inter alios Marcianus ad SCtum Turpillianum ſcribens, *Sed non utique*, inquit [5], *qui non probat, quod intendit, protinus Calumniari videtur. nam ejus rei inquiſitio arbitrio cognoſcentis committitur, qui, reo abſoluto, de accuſatoris incipit conſilio quaerere, qua mente ductus ad accuſandum proceſſit: & ſiquidem juſtum ejus errorem reperit, abſolvit eum; ſi vero in evidenti Calumnia eum deprehenderit, legitimam poenam irrogat.* Verum quid ſi quis temere accuſaſſe videatur? *Papinianus* reſpondet [6], *temeritatem facilitatis veniam continere, & inconſultum calorem Calumniae vitio carere: & ob id hunc nullam poenam ſubire oportere.*

Poſſent forſan quaedam alia ad Legem Remmiam referri, ſed quae adhuc magis in incerto fluctuant, quaeque proin cogitanda cuivis relinquere, quam hic latius explicare malui.

CAPUT VII.

De continuatione & exitu L. Remmiae, ſummatim.

ILlud potius inveſtigemus, quamdiu obtinuerit L. Remmia, ut de tempore, quo deſiit, conſtare facilius queat. Utcunque autem hoc ſecure tractetur ab Interpretibus, neque his Legulejis quibusdam aut Gloſſatorum turba, ſed principibus & coryphaeis JCtorum, mihi tamen res videtur majore digna animadverſione, immo non minus anceps & obſcura, quam ulla alia pervetuſtae hujus Legis inquiſitio. Arduum ſcio eſt, nec invidia caret, tot Lynceis perſpicaciorem eſſe contendere, & in tantorum ingeniorum praejudicium novam ſententiam firmare. Quod ſi addidero, non a quibusdam me, ſed tantum non ab omnibus, neque id in paucis, ſed vel toto coelo diſſentire quis non eo amplius arrogantem, aut mitiſſimo vocabulo temerarium & inconſultum appellaverit? Verum, ſepoſito praejudicio, concede, precor, ut a tam gravi & ſiniſtra ſuſpicione me liberem, ac tamdiu, quaeſo, damnationem ſuſpende. Nec taedeat, ſi non mea, ſaltem doctiſſimorum hominum gratia, aliquanto operoſiorem diſſidii mei defenſionem examinaſſe, praeſertim cum unice propterea in hanc ſcribendi arenam deſcenderim. Cogitandum porro, ſi omnia auctoritatibus agerentur, praecluſum iri excellentium quarumvis inventionum vias; immo vero vel praeclaras illas praeſtantiſſimorum JCtorum opiniones, quos ob id ipſum, & merito tantopere reveremur, neminem unquam recepturum fuiſſe, ſi error & illius ſaeculi barbaries ſe longi temporis praeſcriptione tueri potuiſſent. Non inficior difficillimum eſſe, poſt tot incomparabilia ingenia aliquid praeclari invenire, aut quid dicere, quod non ſit dictum prius, ſed tamen in tam vaſto materiarum oceano non omnibus aeque incumbere potuerunt, dum praecipuis rebus, ut par erat, primariam curam intenderent. Quoniam igitur tota inſpectio de Lege Remmia non tam neceſſarii & quotidiani uſus, quam quidem politioris cujusdam elegantiae eſt, nil mirum, quod de ea minus ſolliciti fuerint Interpretes, dum adhuc alia majoris momenti prae manibus eſſent. Ut adeo finis atque exitus hujus Legis nunquam in diſceptationem venerit, aut pro re controverſa ab Interpretibus ventilata ſit. at cum Nobiliſſimus Vir Jacobus Cujacius id, quod primo intuitu veriſimillimum & in promptu erat, arripuiſſet, ceteri quaſi agmine facto ſummi JCti veſtigia abſque multo examine preſſerunt.

Statuerunt proinde omnes poſt Cujacium [7], Legem Remmiam per Conſtantinum in *l. 17. C. de Poenis* abrogatam eſſe, tanquam qua omnis faciei ſeu frontis inſcriptio ſublata ſit, & conſequenter etiam illa, quae ex L. Remmia hactenus in uſu fuerit. in uſu autem fuiſſe tempore Pandectarum (hoc eſt, eo tempore, quo vixerunt ex quorum laciniis collecti conſarcinatique ſunt Pandectarum Libri) nemo videbatur poſſe in dubium vocare propter diſertiſſima Papiniani Marcianique teſtimonia, quorum alter aſſerit, *L. Remmia non prohiberi Calumniae in publicis judiciis damnatum, judicio publico teſtimonium perhibere* [8], alter vero isque recentior adhuc & magis appropinquans ad Conſtantini tempora, *Calumniatoribus poenam Lege Remmia irrogari* [9]. Ne autem quisquam cavillari poſſet, non eandem L. Remmiam, quam nos Papinianum indicare, dilucide Calumniae damnato *integrae frontis hominem* opponit.

Ceterum quod ad dictam *l. 17. C. de Poenis*, quae eadem eſt cum *l. 2. C. Theod. eod.* Jacobus Gothofredus non putat eam de quavis faciei ſeu frontis inſcriptione agere, ſed ad ſolos damnatos in metallum ludumve reſtringendam eſſe [10]. Itaque cum pluribus demonſtret, Conſtantinum eo tempo-

1 Seneca *de Benef. Lib* IV. *c* 37. *&* 38. 2 Ita enim habet inſcriptio *l. 13. ff. de Teſtib.* 3 *Novella* CXXXIV *c. 13.* 4 *l. 131. pr. de Verb. Sig.* addatur Jonius Mauricianus e tractatu ad eandem Legem in *l. 15. ff. de Jure Fiſci.* 5 *l. 1. §. 3. ff. ad SCtum Turpillian.* 6 *d. l. 1. §. 5. ff. eod.*

7 Ipſe Cujac. *Obſervat. Lib.* VII. *c. 13.* & ad tit. *C. de Calumniat.* Perezius ad *eund. tit. n. 5.* Zoeſius ad *SCtum Turpill. n. 2.* Ant. Matthaeus *de Crimin. Lib.* XLVIII. *D. tit. 18. n. 11.* Dion. Gothofr. ad *l. 1. §. 8. ff. de Fugitiv.* Althuſ. *Dicaeol. Lib. 1. c. 105 n. ult* Groenew. *de LL. abrogatis*, ad *d. l. 17. C. de Poen.* Theod. Sitzmanus ad *Boëtium de Conſol Philoſ. Lib. 1. proſa 4 circa med.* & alii. 8 Papin. in *l. 13. ff. de Teſtib.* 9 Marcianus in *l. 1. §. 2. ff. ad SCtum. Turpill.* 10 Jac. Gothofr. ad *d. l. 2. C. Th. de Poen.*

pore ne hilum quidem cogitaſſe de aliis inuſtionibus, quibus facies deformari ſoleret, non patitur ſibi perſuaderi Legem Remmiam conſtitutione iſta abrogatam eſſe. Quid igitur? an alia Imperatoris hujus protochriſtiani lege aut reſcripto? Neque hoc credit, dum ait, *jam dudum* eam *obſoleviſſe*. & veriſſime quidem. ſed quando aut quibus indiciis, non addit. Quare etiam ſuſpicor hanc ejus ſententiam nemini ſatisfeciſſe, aut ab ullo Interpretum receptam eſſe. An autem hoc mera conjectura ductus poſuerit, an vero peculiares quaſdam rationes habuerit, quo magis id pro certo affirmaret, in dubio relinquit: praeterquam quod nec appareat, quodnam temporis ſpatium reſpexerit, ex quo cenſet eam obſoleviſſe. Verum hoc tamen ex proprietate verbi *obſolere* eliciendum videtur, ſtatuiſſe eum, L. Remmiam deſuetudine, non aperta lege aut conſtitutione, deſiiſſe. Interim vero parum aut nihil illud principalem quaeſtionem promovet, quando praeter propter deſierit, ſeu coeperit obſoleſcere. an proxime poſt Papinianum Marcianumque? Certe inter mortem Alexandri Severi, ſub quo Marcianus floruit, & annum Chriſti CCCXV, quo controverſa *l. 17. C. de Poenis* a Conſtantino ſcripta eſt, poene ſaeculum effluxit; ut ſatis magnum intervallum elapſum videatur ad efficiendum illud *dudum*; Ain tu? quaſi vero dubites, an ſub iſtis JCtis viguerit L. Remmia contra manifeſtum eorum teſtimonium. Immo vero, ſi Gothofredus eandem, quam ego, diſſenſus rationem habuerit, debuit deſignationem *τῦ dudum* adhuc ulterius porrexiſſe. Etenim propterea ego ab aliis, qui Legem hanc noſtram ad Conſtantinum uſque prorogant, diſſentio, quod jam ante in criminalibus obtinuit *ſubſcriptio in crimen*, per quam deferens crimen, *ſubſcribendo* ad ſupplicii ſimilitudinem ſe obligare tenebatur. Haec autem ſubſcriptio non potuit una cum frontis inuſtione ex L. Remmia obtinere, quoniam duae leges mere poenales, de eadem re concurrentes, altera alteram neceſſario perimunt. Sed nec alternatim potuit, quoniam ſemper & in omni crimine ſubſcriptio accuſationem praecedere debuit, dum nemo ſine ea ad accuſandum admitteretur. Quum igitur certo certius demonſtrari queat, non tantum *dudum* ante Conſtantini tempora ſubſcriptionem illam obtinuiſſe, ſed vel ante Marcianum ac Papinianum, aeque tuto concluſerim, iisdem florentibus non amplius viguiſſe Legem Remmiam. Quid ergo? an ulla ratione praeſumendum eſt, tam celebres ac praeſtantes JCtos invita arte ſua & hiſtoria Juris tam manifeſte contraria moribus ſui ſaeculi litteris conſignaviſſe? Nemo, confido, hanc cuiquam ſive vecordiam, ſive inſaniam facile tribuerit, verum exiſtimabit potius longe alium nobis, ac praeferunt, in allegatis fragmentis ſenſum reconditum videri. Et ſane cum Juris auctores in tractanda ſcientia Juris haud ſemper praeſenti tractatui, quaſi glebae adſcripti, inhaereant, ſed illuſtrationi ejus interdum quoque argumenta ex antiquioris aevi legibus moribusve depromant, aut per modum hiſtoriae, quae olim a majoribus utiliter inſtituta erant, & tamen uſu & humanis neceſſitatibus exigentibus mutanda fuere, praemittant, nihil inſolens, aut a boni JCti ratione alienum ſtatuerimus, ſi haec aut ſimilis Papiniano Marcianoque mens aſſignetur. immo vero ſtatueremus, ſi, poſitis quae certiſſima putamus, tam impudenter illos fallere doceremus.

Ut autem ſine ulla religione ejuſmodi interpretationem amplecti quis poſſit, ſciat, jam Plinium de Trajano praedicare [1], eum Delatores *in aeternum repreſſiſſe, dum paria praemio damna ſpectare, nec majores ſpes, quam metus habere juſſit* quod quid aliud eſt, quam talio ſive ſupplicii ſimilitudo, per ſubſcriptionem in crimen ſtabilita? Sed & hanc idem Plinius cum Legis Remmiae abrogatione tam diſerte conjungit, ut non poſſit diſertius. ait enim verbis proxime antecedentibus, *neque ut antea, exſanguem illam & ferream frontem nequicquam convulnerandam praebeant punctis & notas ſuas rideant*. At potuit tamen quandoque inter Trajanum, de quo haec Plinius, & Caracallam, cujus juſſu Papinianus trucidatus eſt, Lex Remmia in uſum reducta eſſe. praeſertim cum Capitolinus teſtetur, M. Antoninum Philoſophum *falſis Delatoribus notam appoſuiſſe* [2]. Ceterum utcunque hoc non tangat Papinianum Marcianumque, quorum temporibus conſtat memoratam ſubſcriptionem in uſu fuiſſe, ita nec per ſe ullam veri ſpeciem habet; nam nihil adferri poteſt, quo illa verba neceſſario de poena L. Remmiae accipere cogamur; ſed commode & multo veriſimilius de ſingularis infamiae nota exponi poſſunt. Accedit, quod ejuſmodi reſtitutio Legis Remmiae omni prorſus Hiſtoricorum teſtimonio deſtituatur, quamvis multi ejus temporis ſuperſint, qui inter alia Delatorum graſſationes, praemia & poenas non ſolent praetermittere. Hoc vero Scriptorum ſilentium, tam qui ante, quam qui poſt hoc tempus ſcripſere, in ipſa inſuper principali quaeſtione ſecundarii argumenti vice fungetur. Sed haec omnia ſeorſim plenius erunt demonſtranda. Inchoemus igitur a *l. 17. C. de Poenis*, quae Cujacium & ſequentes Interpretes induxit, ut ſub Conſtantino demum abrogatam dicerent Legem Remmiam.

CAPUT VIII.

Conſtantini reſcriptum ad L. Remmiam non pertinere.

Verba Conſtantini ad Eumelium Africae Praefectum in *l. 17. C. de Poenis*, haec ſunt: *Si quis in metallum fuerit pro criminum deprehenſorum qualitate damnatus, minime in ejus facie ſcribatur: cum & in manibus & in ſuris poſſit poena damnationis una inſcriptione comprehendi; quo facies, quae ad ſimilitudinem pulchritudinis eſt coeleſtis figurata, minime maculetur.*

Atque eadem conſtitutio, ſed aliquanto plenior, in *Cod. Theodoſiano* [3] reperitur. Ideo autem Tribonianus *ludi* mentionem, quae iſtic occurrit, ſuſtuliſſe videtur, quod Conſtantinus decennio poſt [4] omnes omnino gladiatores prohibuit, *nolens cruenta ſpectacula in otio civili & domeſtica quiete conſpici*: quemadmodum poſtea denuo Valentinianus & Valens in ſpecie prohibuerunt, *ne Chriſtianus in quolibet crimine deprehenſus, Ludo adjudicaretur* [5]. Itaque cum haec Lex olim ad damnationes in metallum aut ludum pertinuerit, ex Triboniani caſtratione ad ſola metalla relegata eſt (*a*). Sed an ſola? id vero quaeſtionis eſt. Plures aliae profecto fuerunt frontium Inſcriptiones, quas Jac. Gothofredus recto ad quinque genera reducit: nempe quae fugitivis; captivis; tyronibus, fabricenſibus & aquariis; Calumniatoribus; & apud quaſdam gentes partui quoque inſcribi ſolitae [6]. de captivis autem ex Cedreno annotat, vel ipſum Conſtantinum devictis Armeniacis hunc titulum inſcribi juſſiſſe, *Ἀρμενιακὸς ἐπίβουλος*, *Armeniacus inſidiator* (*b*) Quod ſi

1 Plin. in *Panegyr. c.* 35.

2 Capitol. in *M. Anton. c.* 11. 3 Ibi eſt, *l. 2. C. Th. de Poen.* 12. *t.* 40. 4 *L. un. C. de Gladiat. penit. toll.* 5 *L. 8. C. Th. de Poenis, Lib.* 12. *t.* 40. (*a*) Similiter *Ludi* mentionem ſuſtuliſſe videtur apud Calliſtratum in *l. 28. pr. ff. de poen.* ut obſervat Anton. Matth. *de Criminib. ad eum tit. num.* 5. 6 Adde Pancirol. *Variar. Lect. Lib.* 11. *c.* 242. (*b*) Atque ita pridem Athenienſes Samiorum frontes, propterea quod ab eorum fide defeciſſent, ſtigmate notarunt, ut refert Coelius Rhodig. *Lection. Antiq. Lib.* 21. *c.* 27.

ſi nunc verba Legis inſpiciamus, ſtatim, puto, apparebit, non de domeſticis dominorum ſuppliciis aut hoſtili ſaevitia hic agi, ut rectiſſime idem Gothofredus concludit, verum de publica & ſolenni judiciorum poena: immo nec omni, ſed tantum, quae eorum, qui in metallum damnabantur, faciei inſcribi ſive inuri ſolebat. Quomodo & Graeci hanc Legem accepere, dum eidem pro argumento praefigunt, Περὶ μεταλλιζομένων. Videlicet damnatis in metallum ne aufugerent, aut elapſi ut facilius e fuga retrahi poſſent, indicium aliquod fronti affigebatur. hoc autem indicium, ſi bene habet Pancirolus [1], litera M. fuit, quae *metalli* poenam ſignificaret, quemadmodum Calumniatorum C (ſeu potius K, ut oſtendi) *calumniatos* eſſe. Sed ad rem.

Ut autem porro appareat non qualemcunque frontis inſcriptionem hac Lege ſublatam eſſe, docet uſus, Legum interpres. Nam ſub Arcadio adhuc ſtigmatici memorantur occaſione quaerelae, qua in indignos ad honores promotos Claudianus invehitur, his verſibus [2]:

Pars humili de plebe duces, pars compede ſuras
Cruraque ſignatis nigro liventia ferro
Jura regunt, Faciei quamvis Inſcripta repugnet;
Seque ſuo prodat titulo.

Et tamen Gloſſatores ex *hac l.* 17. de damnatis in ludum aut metallum ſcripta, generale brocardicum deducunt, *Non eſſe quem bullandum in fronte*, hoc eſt, ſignandum; pro elegantia videlicet iſtius ſaeculi. Quod axioma ut ferri poteſt, propter generalem quae Legi ſubjicitur, rationem, ita non capio, quo fundamento praeſtantiſſimus Vir Jacobus Cujacius & qui eum ſequuntur, hac in ſpecie Legem Remmiam applicent, multo minus quomodo eam memorato Canſtantini reſcripto abrogatam dicant. Nam utcunque hic rationis conſequentia admittatur, quae in reſcriptis perquam lubrica eſt & fallax, tamen aliunde conſtat, jam dudum deſiiſſe illam Legem. Verum detur, ſub Conſtantino adhuc obtinuiſſe, an propterea penitus ſublata dicetur, quod inſcriptio in fronte, quae damnatis in metallum ludumve infligitur, ne ipſa quidem ſublata, ſed tantum loco mota appareat? nam pro facie *in manibus aut ſuris* fieri jubetur. Itaque propterea non amplius ex L. Remmia frons inuri permittatur, quod idem in metallicis interdictum ſit, quoniam nimirum utraque in ſpecie *facies, quae ad ſimilitudinem pulchritudinis coeleſtis figurata eſt perinde maculatur:* verum nonne eadem aut juſtiore conſequentia ſequetur, quod ſicut propter allegatam rationem inſcriptio vultui damnatorum in metallum prohibetur inferri, ſed pro eo *manibus & ſuris*, ſimiliter etiam K. quae Calumniatorum fronti ex L. Remmia hactenus inurebatur, in *manus* impoſterum *& ſuras* transferenda ſit. Sana ita ego ratiocinandum cenſerem, dum incongruum videtur plus in ſequela admittere, quam erat in ipſa majore; hoc eſt, a poena, quae tantum loco mutatur, ad penitus ſublatam argumentari.

Quum autem ratio Legis omnem hanc tragoediam excitet, videamus num digna ſit, cui tantundem tribuant Viri doctiſſimi. Speciem, fateor, ingentem prae ſe fert *facies ad ſimilitudinem pulchritudinis coeleſtis figurata*; ſed tamen, ſi propius accedas, larva invenietur. Non me latet aliquoties [3] in Sacris *hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei formatum* dici, ſed nemo orthodoxae opinionis hoc de toto homine acceperit, minus de exterioribus ejus partibus. Verum nihil aliud, ſi quidquam, in homine Dei imaginem exprimit, quam anima hominis, quae ſola divinae particula aurae eſt, corpus enim cum ceteris animantibus commune habemus. Quare Conſtantino multo rectius Imp. Juſtianus, *per ſolam humanitatem Dei ſervatur imitatio* [4]. egregie vero Hermes Triſmegiſtus, *Itaque Deus hominem formavit ex animi & corporis, id eſt, ex aeterna & mortali natura, ut animal ita conformatum utrique origini ſuae ſatisfacere poſſit* [5]. ſed & apposite Auguſtinus & pereleganter, *Vos autem fratres*, inquit, *conſiderate vos homines factos ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Imago Dei intus eſt, non eſt in corpore; non eſt in auribus iſtis, quas videtis, & oculis & naribus & palato & manibus & pedibus, ſed eſt facta tamen, ubi eſt mens, ubi ratio inveſtigandae veritatis; ubi eſt fides, ubi eſt ſpes veſtra, ubi charitas veſtra, ibi habet Deus imaginem ſuam* [6]. Et ſic paſſim in contrariam Manichaeorum, qui talia de numine ſibi praefigurabant, ſententiam inſurgit. eo magis, quod ipſe quondam ſecta illorum irretitus fuiſſet, Manichaei vero id rurſus a Stoicis videntur hauſiſſe [7]. nam Stoica philoſophia, ut vulgo omnium aliarum minime abhorrebat a Chriſtianiſmo, ita ſingularem quendam nexum & affinitatem cum Manichaeorum doctrina habuit [8]. Utcunque vero Auguſtinus Manichaeorum ſordibus erat immerſus, *multum* tamen ipſi *turpe videbatur credere Deum figuram habere humanae carnis & membrorum noſtrorum lineamentis corporalibus terminari*, & hoc vel praecipuum fuit, quo ad ſanam mentem perduceretur [9]. Profecto miror Philoſophos, in quamplurimis non adeo abſurdos, hic tamen prae aliis tantopere caecutiiſſe (*a*). Nam Deum incorporeum Anaxagoras, Plato, Ariſtoteles, Cicero aliique certatim agnoverunt [10]. Certe haud quaquam docuit, Imperatorem Chriſtianum mutare gloriam Dei immortalis & ἀφθάρτου in imaginem ad mortalis hominis ſimilitudinem effictam.

Ceterum non improbabilis eſt Jacobi Gothofredi, ſummi interpretis, conjectura, ac ſi videlicet Conſtantinus imprudentes Lactantii locutiones de *coeleſti* hominum *vultu* & *figura Dei* multo adhuc imprudentius ſequutus ſit. haec autem tanto magis ſe commendat, quod memoratus Imperator illum filio ſuo Criſpo praeceptorem dedit. Ipſum vero Lactantium a Manichaeorum aut Antropomorphitarum (quibus ejusmodi erroneum dogma nomen dedit [11]) aut Melitoniorum [12] aliorumve (*b*) ſimilium haereſi hac in parte incontaminatum fuiſſe pluribus in locis perſpicue declarat [13]. Verum ſi, quod mihi ſedet, ingenue fatear, non video rationem, cur abſurda illa de Deo ſententia tanto opere Conſtantino adſcribatur. Nam morem Imperatorium iſtorum temporum reputanti, quibus Principes conſtitutionibus reſcriptisque tantum fere ſub-

1 Panciroł. *Variar. Lect. Lib.* I. *c.* 41. 2 Claudianus *Lib.* II. *in Eutrop v.* 342. 3 Geneſeos *cap.* I. *vſ.* 26. *& cap.* 9. *vſ.* 6. Epiſt. Jacobi *cap.* 3. *vſ.* 9. & alibi.

4 In *l. ult. ad fin. C. de Donat. int. vir. & ux.* 5 Hermes Triſmegiſtus *Aſclepio.* 6 Auguſtin. in *Pſalm.* 48. Operum ejus *tom.* VIII. *p.* 188. *edit. Pariſ.* adde omnino eundem in *Pſalm.* 29. *p.* 60. 7 Tertull. in *Apolog. c.* 47. 8 Hinc Voſſii fragmentum *de Manichaeis & Stoicis.* 9 Auguſtin. *Confeſſion. Lib.* V. *c.* 10. *n.* 3. *Lib.* VI. *c.* 3. *n. ult. & c.* 4. *n.* I. (*a*) Nec tamen omnes, nam Seneca diſerte incorpoream hominis cum Deo ſimilitudinem agnoſcit, *ep.* 49, 51, 125. & alibi. Ita olim de Stoicis ſentiebam. Sed tunc impoſuit mihi quod apud Tertullian. *loc. laud.* legerem, illos Deum *corporalem* ſtatuere. Atqui verum quidem eſt, Deo *corpus animale* ab ipſis tribui, ſed tamen *humanum corpus*, hoc eſt, quod hominis formam habeat, Deo minime tribuerunt. Nimirum Stoici mundum & animal & Deum fecere, itemque ignem, velati mundi animam. Adeatur hac de re Lipſius *Phyſiolog. Stoicor. Lib.* I. *Differt.* 8. ut & *Diſſ.* 6. 10 G. J. Voſſ. *de Idolol. Lib.* I. *c.* 2. Diog. Laërt. in *Ariſt. p.* 321. 11 Niceph. *Lib.* II. *c.* 14. & *Lib.* XIII. *c.* 10. 12 Auguſtin. *Lib. Haereſ. n.* 76. *tom.* VI. (*b*) Quibus etiam Audianos accenſet Voſſ. *de Idol. Lib.* III. *c.* 40. eosdemque poſt Donatiſtas memorat *l.* 5. *C. de Haeret. & Manich.* 13 Lactant. *de Orig. error. Lib.* II. *c.* II. & *de Opific. Dei n.* 2. *n.* 16. *n.* 19. *ad fin.* & *de Ira Dei, c.* 19.

ſubſcribebant & hoc aegre interdum [1], ſubit exiſtimare, legem illam 17. a Conſtantino tantum ſubſcriptam fuiſſe, compoſitam vero a Magiſtro Officiorum, Quaeſtore Sacri Palatii, aliove miniſtro primario, homine Stoico, aut ſectis illorum, qui Deum ſub humana forma ſibi repraeſentabant, addicto. nam ſub prima illa Chriſtianiſmi publice recepti infantia non ſtatim omnes uno impetu videntur converſi, aut ſi converterentur, ad genuinam & orthodoxam Eccleſiam adjecti. Itaque cum Conſtantinus faciei inſcriptionem, quam damnati in metallum ludumve ſubire ſolebant, rogante Praefecto Africae, mutandam largiretur, potuit ejus rei curam uni ex purpuratis injunxiſſe, qui hanc qualemcunque rationem pro captu ſuo addiderit. Quod autem Afri huoc ſcrupulum primi moverint a ſuperſtitione eorum profectum putem. nam revera unice per occaſionem moris ſignandi frontem *ſacroſanctae Crucis nota*, ut Leo vocat [2], poena inſcriptionis in facie in offenſionem videtur veniſſe. Demonſtrat enim Gothofredus ex Lactantio, Tertulliano, Prudentio aliisque chriſtianis ſcriptoribus in fronte eo tempore Crucis ſignacula oleo inſcripta fuiſſe, atque inſuper admodum veriſimiliter hallucinatur, alio Conſtantinianae hujus conſtitutionis capite, aut certe brevi poſt, ipſam *Crucis poenam* fuiſſe ſublatam. Quod ſi jam his conjecturis ſuperſtitionem Africanam jungamus (quis enim Tertulliano ceterisque Afris ſeverior aut ſuperſtitioſior praefractiorve) non videtur ejusmodi zelus vindicandae faciei ullis aliis magis convenire.

Verum ſtet ſua capiti reverentia, modo non adeo immanis aut ſuperſtitioſa. revera enim magnae ſemper fuere capitis & in eo faciei praerogativae, quae animae velut interpres eſt. Nec attinet hic multa ex jure teſtimonia adferre, cum in promptu ſint [3], unicum tantummodo Ambroſii locum notabo, ubi ait, *Quid ſine capite eſt homo, cum totus in capite ſit? cum caput videris hominem agnoſcis, ſi caput deſit nulla adgnitio eſſe poteſt, iacet truncus ignobilis ſine honore, ſine nomine* [4]. Quid tandem igitur? Dicemusne minus recte prohibitam a Conſtantino faciei deformationem? Cave putes: ſolam rationem improbamus. Volumus quippe non tam ipſorum delinquentium, quam quidem aliorum civium & ipſius ſocietatis humanae gratia frontibus parci. Immo vero ex ipſa Legis hypotheſi manifeſte illud evinci poteſt. Nam ſi delinquentium cauſa nefas habeatur faciem maculare, ut coeleſtis pulchritudinis exemplar, quo colore velabitur ipſa capitalis poena, per quam totus homo, & cum eo quicquid imaginis divinae circumfert, e medio tollitur? Utrumque enim propter delicta, utrumque legitime & per judicem fit. ni forte minus ſit tollere imaginem Dei, quam foedare & commaculare. Sed non videtur in illis ratio ſimilitudinis coeleſtis habenda, qui ipſi facinoribus ſuis oſtendunt, coeleſtis originis rationem ſe parum habere. Itaque propter alios cives mutanda poenarum ſedes, ne frontis tam deformiter hiantis foedus ac teter adſpectus faſtidium occurentibus & nauſeam pariat. praeſertim vero cum & alia via poenae iſtius finis commode obtineatur. nam *in manibus* quoque, & *in ſuris poena damnationis una inſcriptione comprehendi poteſt*, atque ex tali indicio ludum metallumve refugiens ubivis deprehendi. Qua de cauſa etiam aquariis atque tyronibus ſtigmata in manu inſcribi ſolita [5], fabricenſibus vero in brachiis [6]. Sed vel eatenus in aliis frontium inſcriptionibus ipſorum quoque delinquentium intereſt, ne omni honeſtiorum hominum commercio excluſi prorſus inemendabiles reddantur. At cum damnati in metallum aut ludum poenae ſervi fiant, hoc eſt, perpetuae ſervituti addicantur [7], hactenus ipſis praejudicium non fit; niſi fortaſſis imperatoria indulgentia liberati deinceps fuerint [8]. Quicquid hujus Legis ſit, tuto concludere licet, quod & alii mecum faciunt [9], adaequatam ei rationem deeſſe; adeoque & cauſam, cur ad Legem Remmiam producatur: amplius revera etiam, probante Gothofredo, nihil quicquam in ea contineri, quod ad L. Remmiam pertinet.

CAPUT IX.

Subſcriptionem in crimen cum L. Remmia concurrere non poſſe.

QUo minus autem pertineat, facit mos Subſcribendi in crimen, qui jam dudum erat receptus, cum expoſitum modo Conſtantini reſcriptum [10] vulgaretur, quemque una cum poena Legis Remmiae obtinere potuiſſe nondum mihi perſuaſum eſt. Eſt autem *Subſcriptio in crimen*, quae etiam ſimpliciter *Inſcriptio* vocatur [11], ſolennis delatio nominis accuſati, qua quis ſeſe ad talionis poenam (hoc eſt, ſupplicii ſimilitudinem) adſtringit, niſi delata legitimo teſtimonio comprobaverit [12]. De ea Ulpianus, *Cavent itaque ſinguli quod crimen objiciant, & praeterea perſeveraturos in crimine uſque ad ſententiam* [13]. Et haec quidem praevia omnium accuſationum ſolennitas eſt. nam *Si cui crimen objiciatur*, ejusdem [14] Ulpiani verba ſunt, *praecedere debet in crimen Subſcriptio.* Finem quoque ſubſcriptionis in continenti indicat. *Quae res*, inquit, *ad id inventa eſt, ne facile quis proſiliat ad accuſationem, cum ſciat inultam ſibi accuſationem non futuram.* Adeoque ut ante ex Lege Remmia delatori in poenam temere ſuſceptae accuſationis frons inurebatur, ita nunc, talione introducta, accuſator eandem, quam alteri aequam exiſtimavit, poenam ferre cogitur. certe io utramque ſimul condemnare, neque rationi, neque Legibus conſentaneum videtur [15].

Ait quidem Hermogenianus, *Cum ex uno delicto plures naſcuntur actiones, ſicut evenit, cum arbores furtim caeſae dicuntur, omnibus experiri permitti, poſt magnas varietates obtinuit* [16]. Verum illud non ſimpliciter accipiendum eſſe ex addito exemplo conſtat. clare enim ac dilucide Paulus, *Si furtim arbores caeſae ſint, & ex Lege Aquilia & ex* XII. *Tabularum dandam actionem Labeo ait. Sed Trebatius ita utramque dandam, ut judex in poſteriore deducat id, quod ex prima conſecutus ſit, & reliquo condemnet* [17]. Ratio autem perſpicua eſt, & in ipſis juris axiomatibus fundata, dum *bona fides non patitur, ut bis idem exigatur* [18]. Scio & hoc regulis Juris contineri, quod Ulpianus ait, *Nunquam actiones, praeſertim poenales de eadem re concurrentes, alia aliam conſumit* [19]. Sed quam pulchre hic Tribonianus, aut quicunque alius Juris architectus, cui illa pars civilis ſtructurae quondam commiſſa, providit, ut ex ipſo Ulpiano Ulpiani mentem intelligeremus. Nam ſub titulo *De privatis delictis* aliud ejusdem fragmentum relatum eſt [20].

eX

1 Lamprid. in *Comm. c.* 13. & in *Alex. Sev. c.* 31. Vopiſc. in *Carino c.* 16. adde quae notavi in Diatriba *de Enormat. c.* VII. § 15. *n.* 4. *& ſeqq.* 2 *Novella Leonis* LXXII. 3 Vide inter alia *l.* 44. *ff. de Religioſ. & ſumpt. fun.* & *l.* 16. §. 6. *ff de Poen.* 4 Ambroſ. *Lib.* V. *Hexaem c.* 9. 5 *L. pen. C. de Aquaeduct.* Vegetius *Lib.* 1. *c.* 8. & *Lib.* II. *c.* 5 6 *L.* 3. *C. de Fabricenſib.*

7 *L. In metallum* 12. *ff. de Jure Fiſci. l.* 28. § *Divus* 6. *ff. de Poen.* 8 *L.* 4. *C. de bonis proſcrips. l.* 2. *C. Theod. Si vag. Mancip. Lib.* X. *t.* 12. 9 Ant. Matth. *de Criminis. de Poen. n.* 11. Groenew. *de LL. abrog. ad h. l.* 10 *L.* 17. *C. de Poen.* 11 In *rubr. ff. & C. de Accuſat. & Inſcript.* & alibi. 12 *L.* 2 *C. de Exhib. & tranſmitt. reis. l. ult. C. de Accuſat. & Inſcript.* 13 *L.* 7. §. 1. *ff. de Accuſat. & Inſcr.* 14 *d. l.* 7. *pr. ff. eod.* 15 *L.* 14. *ff. de Accuſat. & Inſcript.* 16 *L.* 32. *ff. de Oligat. & Act.* 17 *L.* 1. *ff. de Arbor. furtim caeſ.* 18 *L.* 57. *ff. de R. J.* 19 *L.* 130. *eod.* 20 *L.* 2. *ff. de Privat. delict.*

ex quo liquet, regulam illam generalem reſtringendam eſſe ad caſus, in quibus circa eandem rem duo ſeparata delicta fuerunt perpetrata, & ob id ex duobus delictis toto genere diſtinctis duae de eadem re poenales actiones dantur, ut eleganter obſervat indefeſſae eruditionis Anteceſſor Joh. Voet in abſolutiſſimo *ad Pandectas commentario* [1]. Praeterea recte putat Vir Clariſſ. etiam aliunde temperari poſſe memoratum Ulpiani locum. nam ſi quidem conſtat, nullam in jure facti ſpeciem occurrere, in qua ex uno eodemque facto duae mere poenales oriantur actiones, neceſſario (ſepoſita ipſius Ulpiani expoſitione de diverſis delictis in eadem re) alteram mere poenalem actionem, alteram mixtam, hoc eſt, partim poenalem, partim rei perſecutoriam intelligendas fore. porro ea in ſpecie dictas actiones non abſolute concurrere, ſive ad plenum ſingularum actionum poenalium effectum, ſed tantum quatenus in altera plus ineſt, quod actor priore nondum fuerat conſecutus [2]. Sed & hac moderatione temperandum Modeſtinum, ne prorſus in omnia alia a praeceptore ſuo diſcedere videatur, cum ait, *Plura delicta in una re plures admittunt actiones: ſed non poſſe omnibus uti probatum eſt.* praeſertim quia illuſtrandi cauſa addit, *nam ſi ex una obligatione plures actiones naſcantur, una tantummodo non omnibus utendum eſt* [3].

Amplius ad pleniorem propoſitae materiae intellectum & hoc addam, ex inſcriptionibus & ſede earum legum, quae de concurſu actionum poenalium agunt, ſatis apparere, in ſolis privatis delictis, aut ejusmodi publicis, de quibus etiam civiliter agi poteſt [4], talem concurſus conflictionem locum habere. nulla enim deſumpta eſt, ex tractatu publicorum judiciorum. Sed nec poteſt aliter. Nam ſiquidem concurſus actionum poenalium ne in civilibus quidem uſu venit, niſi concurrat mixta cum mere poenali, in criminalibus ſane caſus exiſtere nequit, quo concurſus aliquis per rerum naturam concipiatur. nam cum quis vindictam profitetur, hoc eſt, criminaliter agit, ſemper meram poenam intendit: immo vero nil magis alteri ex adverſo oppoſitum eſt, quam perſequi, quod ſibi abeſt & criminaliter agere. Igitur, quum hactenus demum concurrant poenales actiones, ut quod quis minus ex priore conſecutus eſt, ex altera pinguiore ſuppleatur [5], non poteſt utique ad ſupplementum agere, qui non *pecuniariter*, hoc eſt, ſibi non agit. Itaque idem rurſus Ulpianus, quod uno in loco dixit, *Nunquam actiones praeſertim poenales de eadem re concurrentes alia aliam conſumit* [6], ad evitandam vocis *res* ambiguitatem, alibi, ſed iisdem tamen ad Edictum libris *pecuniae* vocabulo uſus eſt, dicens, *Nunquam actiones poenales de eadem pecunia concurrentes alia aliam conſumit* [7], oſtendens manifeſte de pecuniariis tantum, hoc eſt, civilibus cauſis ſe agere. Verum ne imaginaria hac in parte videatur diſtinctio inter litem pecuniariam ſeu civilem, quae ordinarii juris eſt, criminalem, opportune iterum Ulpianus, *Si quis*, inquit, *actionem, quae ex maleficiis oritur, velit exſequi, ſi quidem pecuniariter agere velit, ad jus ordinarium remittendus erit, nec cogendus in crimen ſubſcribere. enimvero ſi extra ordinem ejus rei poenam carceri velit, tum Subſcribere eum in crimen oportebit* [8]. Nec aliter hunc locum Juris Autores accepiſſe videntur, dum eum proxime poſt memoratum Ulpiani fragmentum collocarunt, in quo de concurrentibus delictu ex profeſſo agit: quia videlicet iſte concurſus adhuc ordinarii juris eſt, a quo hic criminales cauſae excipiuntur. Quoniam igitur Subſcriptio in crimen, ipſo Ulpiano teſte, ad cauſas civiles & ordinarias non pertinet (multo minus Lex Remmia, quae publicorum judiciorum eſt) apparet, nullam inter eas concurſus rationem haberi poſſe. Sed nec poſſet, licet ambae privatis & civilibus actionibus annumerarentur, cum utraque meram poenam & laeſae utilitatis publicae vindictam exigat.

Proculdubio, & jure quidem, nimis anxie ac moroſe me ea perſequi exiſtimabunt, qui neſciunt in excellentiſſimi Cujacii gratiam id fieri. tam aegre enim ab eo diſſentio, ut, niſi omnibus probe perſpectis & vel ante oculos poſitis, mihi ipſi propemodum diffidam, tantum abeſt ut aliis temere probatum iri putem. Ait autem Vir nobiliſſimus, & quidem in ea Operum parte, quae ipſe, dum viveret, edi curavit [9], *Hi vero* (Calumniatores) *praeter poenam, cui ſe ipſimet ſubjiciunt, per Inſcriptionem, quae talio eſt, etiam Lege Remmia in publicis judiciis puniuntur. l. 1. §. 1. π. Ad SCtum Turpill. l. Quaeſitum 13. π. De Teſtib.* Haec ille; ſed quam vere, ex praecedentibus, opinor, apparet. Videamus tamen an ulla ratione ſervari queat. Quid ſi enim non de concurſu Inſcriptionis & L. Remmiae ex eadem calumnia, ſed de his poenis alternatim accipiatur? aut ita, ut Calumniator ad pecuniariam talionem ſe obligans, quando non habet in aere, in pelle ſaltem luat? Sed nec hujusmodi interpretationes, utcunque ſpecioſas ac favorabiles, natura Subſcriptionis in crimen admittit. Non opus eſt, ut generalem Ulpiani locum, *Si cui crimen objiciatur, praecedere debet in crimen Subſcriptio* [10], huic refutationi applicem, magis urget, quod Impp. edicunt, *Ut quicunque, in diſcrimen capitis arceſſitur, non ſtatim reus, qui accuſari potuit, exiſtimetur: ne ſubjectam innocentiam feriamus. Sed quiſquis ille eſt, qui crimen intendit, in judicium veniat, nomen rei indicet, vinculum Subſcriptionis arripiat, cuſtodiae ſimilitudinem (habita tamen dignitatis aeſtimatione) patiatur: nec impunitam noverit licentiam mentiendi, cum Calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicii* [11]. & alibi, *Non ſinendum eſt*, inquiunt, *ut quisque negotii criminalis ſtrepitu terreatur, niſi Inſcriptione conſcriptus* (id eſt, accuſator) *& exhibitionis injuriam & rei conditionem ſuſtineat* [12]. Quod ſi accuſatio poenam pecuniariam intendat, ſimilem in ſummam ſponſores ſeu fidejuſſores dare compellitur accuſator. *Qui crimen publicum inſtituere properant*, ut Alexander, *non aliter ad hoc admittantur, niſi prius Inſcriptionum pagina praeceſſerit, & fidejuſſor de exercenda lite adhibitus fuerit* [13]. quemadmodum in capitali cauſa, ut dictum, ſui ipſiu[s] vadimonium obire, hoc eſt, carceri ſe committere cogitur. Itaque qualiſcunque ſit accuſatio, qu[i] *in crimen Subſcribere*, id eſt, Subſcriptionis effectum praeſtare non poteſt, ab accuſando in totum arcetur: adeo ut non detur caſus quo Lex Remmia in ſubſidium daretur.

Sed neque hoc abſurdum alios Viros eruditiſſimos latuit, qui cum praeſtantiſſimi Cujacii opinionem de abrogata per Conſtantinum L. Remmia ſequantur, nihilominus ei Legi Subſcriptionem in crimen directe plerique ſubſtituunt. Ita Zoeſius &

Pe

1 Cl. J. Voet ad π. tit. de Oblig. & Act. n. 21. 2 Ut ex allegato Pauli loco conſtat & quibusdam exemplis illuſtratur a Viro Clariſſ. n. 16. 18 & 19. 3 L. 53. π. de Oblig. & Act. 4 Quo pertinet tit. C. Th. Victum civiliter agere & criminaliter poſſe: Lib. IX. t. 20. Sive in Cod. Juſtin. Quando civilis actio criminali praejudicat. 5 Paulus in l. 34. π. de Obl. & Act. & l. 88. π. de furt. 6 L. 130. π. de R. J. 7 L. pen. π. de Oblig. & Act. 8 L. ult. π. de Privat. delict. par Conſtantino loquendi ratio in l. 7. C. ad L. Jul. de vi. Aut civiliter ſuper poſſidendo agat aut impleta ſolemnitate juris (hoc eſt, Subſcriptione in crimen) crimen violentiae opponat.

9 Jac. Cujac. in Paratit. ad tit. C. de Calumniat. 10 L. 7 pr. π. de Accuſ. & Inſcript. 11 L. ult. C. de Accuſat. & Inſcript. 12 L. 8. C. Th. eod IX. 1. quare nec abſentis accuſatio permittitur l. 2. C. de Exhib. & tranſmitt. reis. 13 L. 3. C. de his qui accuſ. non poſſ. adde l. 1. & 2. C. ad SCtum Turpill unde etiam nonnulli propter paupertatem accuſare prohibentur l. Nonnulli 10. π. de Accuſ. & Inſcript.

Perezius, cum paulo ante egiſſent de Legis Remmiae abrogatione per *d. l. 17. C. De Poenis. In publicis*, ajunt, *talio obtinet, id eſt, ſimilitudo ſupplicii l. 7. & fin. C. De Calumniat. cujus gratia Inſcribere accuſator neceſſe habebat* [1]. Ant. Matthaeus vero de eadem L. Remmia locutus. *Poſtea*, inquit, *cum tanta eſſet Calumniantium improbitas, ut etiam ipſi puncta ſua & notas riderent, eo quod majores ſpes, quam metus haberent, placuit gravius cum iis agi, & talionem irrogari* [2]. Denique Brunemannus ex Farinacio & Matthaeo, *Calumniatoribus Lege Remmia litera K. fronti inurebatur; poſtea poena talionis exercebatur* [3]. Similiter & alii (*b*). Veruntamen & hi Charybdim declinare volentes, in Scyllam incidêre, dum non animadverterent, impoſſibilem ſe conditionem proponere. Nam cum certo certius ſit, dudum ante Conſtantinum viguiſſe Inſcriptionem in crimen, & cum ea talionem quoque, non potuerunt utique Legem Remmiam, quae per talionem ſublata ſit, ad Conſtantinum usque producere. Utraque igitur ſententia manca eſt. Dum enim nobiliſſimus Cujacius ἀνακολουθίαν vitare ſatagit, in ipſa Juris principia offendiſſe videtur; alii vero dum Cujacii lapſum cavere ſtudent, in hiſtoriam & progreſſum Juris impingunt. Ceterum omnino neceſſe erat, ut in alterum horum committerent, qui Legem Remmiam propter Papiniani Marcianique teſtimonia tam longe lateque porrigebant.

CAPUT X.

Jam ante Papinianum & Marcianum L. Remmiam deſiiſſe.

UTar igitur argumento, quod ipſa artis noſtrae principia flagitant, & in quo mihi poſt Cujacium omnes ultro aſſentiuntur. Quidnam enim tutius, & vel axiomatis vice, aſſumere licet, quam quod & conſenſus Juris & ipſius adverſae partis confeſſio largitur? Itaque quocunque tempore oſtendero Subſcriptionem in crimen obtinuiſſe, eo ipſo demonſtratum habebo, jam tum deſiiſſe Legem Remmiam. Quod ut rite ac legitime procedat, ordine retrogrado a temporibus Conſtantini per ſingula intervalla, quousque potero, oſtendam Subſcriptionem in uſu fuiſſe.

Ipſis autem Conſtantini temporibus adhibitam fuiſſe Subſcriptionem in crimen, etiam ex eorum Imperatorum reſcriptis apparet, qui eum haud multo poſt inſecuti ſunt. Nam Honorius & Theodoſius in declarando accuſandi ordine, quem *jam dudum* legibus inſtitutum de novo jubent ſervari, imprimis *Inſcriptionis vinculum* enumerant [4]. Verum aliquanto diſertius & quidem proxime poſt Conſtantinum Valentinianus & Valens *juxta formam Juris antiqui* teſtantur eſſe, *ut ei, qui coeperit arguere, aut vindicta propoſita ſit, ſi vera detulerit, aut ſupplicium* (ſcil. talionis) *ſi fefellerit* [5]. Quin & ipſe Conſtantinus eandem talionem deſignat, ut rem notam tritamque, *non ignarus*, inquit, *eam ſe ſententiam ſubiturum, ſi crimen non potuerit comprobare quam reus debet excipere* [6]. Porro Diocletianus & Maximianus Corinthiae, roganti, an ſibi accuſare liceat, reſpondent, in crimine publicorum judiciorum mulieri accuſationem non permitti, praeterquam ſi ſuam ſuorumque perſequatur injuriam, *ſecundum antiqui juris ſtatuta tantum, de quibus ſpecialiter ei conceſſum eſt, non exacta Subſcriptione* [7]. At de militibus Gordianus Imp. Mucatraulo militi hunc in modum reſcribit, *Si crimen ad tuam tuorumque injuriam pertinens exequaris, ſolennibus te Inſcriptionibus adſtringe, ut Praeſidem provinciae habere judicem poſſis* [8]. Ceterum & ſub Alexandro Inſcriptionem ſive Subſcriptionem in crimen jam viguiſſe praeter Modeſtinum [9] fidem facit Aemilius Macer, qui ſub eo Imp. floruit, quemadmodum & ipſe Aelius Marcianus. Recenſet autem Macer inter eos, qui accuſare prohibentur illos quoque, *qui duo judicia adverſus duos reos Subſcripta habent* [10]. Nullum tamen hoc tempore diſertius, quam Ulpiani teſtimonium, qui ut Alexandri tempora attigit (quippe cui ſummo in honore erat) ita potiſſimum Severo imperante & Antonino Baſſiano ſive Caracalla vixit ſcripſitque; ſub quibus notum eſt, Papinianum ſimiliter viguiſſe. etenim in Praefectura praetoriana Papinianus Ulpianum ac Paulum aſſeſſores habuit [11]. Ait igitur Ulpianus, loco in ſuperioribus jam citato, *Si cui crimen objiciatur, praecedere debet in crimen Subſcriptio* [12]. Paulus vero ipſam *Inſcriptionis* formulam exhibet [13]. Sed quid attinet argumentari, cum ipſa Alexandri, Antonini & Severi reſcripta hac de re extent [14]?

Itaque ad haec usque tempora adſtruxi, ni fallor, clariſſime Subſcriptionem in crimen cum poena talionis, quae ea continetur; ac proinde ſimul deſtruxi Legem Remmiam, per ſimilitudinem ſupplicii, ut in confeſſo eſt, ſublatam. An autem hic ſubſiſtendum? Non puto. Quamvis enim per leges ulterius adſcendere nequeam, non patitur illud elegantiſſimus & vere aureus Plinii locus. *Quantum diverſitas temporum poſſet, tum maxime cognitum eſt*, inquit de Trajano: *cum iisdem quibus antea cunctibus innocentiſſimus quisque, tunc nocentiſſimus affigeretur; cumque inſulas omnes, quas modo Senatorum, jam Delatorum turba compleret. quos quidem non in praeſens tantum, ſed in aeternum repreſſiſti, mille poenarum indagine incluſos. Ereptum alienas pecunias eunt? perdant quas habent? expellere penatibus geſtiant? ſuis exturbentur. Neque, ut antea, exſanguem illam & ferream frontem nequicquam convulnerandam praebeant punctis, & notas ſuas rideant: ſed ſpectent paria praemio damna, nec majores ſpes, quam metus habeant timeantque, quantum timebantur.* Hactenus Plinius [15]. Conſentit Epigrammatum ſcriptor,

Et delator habet, quod dabat exilium [16].

En vero ſupplicii ſimilitudinem una cum Legis Remmiae abrogatione copulatam; en rationem quoque iſtius abrogationis. Vivide autem & eleganter talionem deſignat *mille poenarum indagine*, dum ad omnia criminum ac poenarum genera extenditur, ſive *ad ſingulas poenas in ſingulis cauſis*, ut Macer ait [17]. Quum igitur ex jam dictis probaverimus, & ipſam Legem Remmiam deſiiſſe, & poenam talionis ſive ſupplicii ſimilitudinem ab eodem in Calumniis introductam eſſe, illud certe conſtat, quod *hoc cap.* demonſtrandum propoſuimus, dudum ante Papinianum, multoque magis ante Marcianum ceſſaviſſe Legem Remmiam.

CAPUT XI.

Quid ſibi velit Marcianus in l. 1. §. 2. ϖ. Ad SCtum Turpill.

ET tamen diſſimulari nequit, Marcianum libro ſingulari ad Senatusconſultum Turpillianum totidem verbis dicere

Ca-

1 Zoezius ad *tit. ϖ. ad SCtum Turpill. n.* 2. Perez. ad *tit. C. de Calumniat. n.* 5. 2 Ant. Matth. *de Crimin. n. Lib.* XLVIII. *tit.* 17. *c.* 3 *n.* 1. 3 Brunem. ad *l.* 1. §. 2. *ϖ ad SCtum Turpill.* (*b*) Ceteri tam timide & dubie ea de re loquuntur, ut facile videas, ipſos quid ſtatuerent incertos fuiſſe. 4 *L. ult. C. de Accuſ. & Inſcrip.* unde deſcripta eſt *l. ult. C. de Calumniat.* 5 *L. 7. C. de Calumniat.* 6 *L. 7. C. ad L. Jul. de vi publ. & priv.* 7. *L. 12 C. de his, qui accuſ. non poſſ.* confer. *l.* 18. *eod.*

8 *L. 10. C. eod.* adde *l.* 8. *eod.* & *l.* 2. *C. ad SCtum Turpill.* quae ejusdem Imp. ſunt. 9 *L. 35. ϖ. ad L. Jul. de Adult.* 10 *L. 8. ϖ. de Accuſat. & Inſcript.* adde *l.* 15. §. 5. *ϖ. ad SCtum Turpill.* 11 *L. Lecta* 40. *ϖ. de Reb credit.* 12 *L. 7. pr. ϖ. de Accuſat. & Inſcr.* 13 *L. 3. eod.* 14 *L. 3. l. 2. l. 1. C. de his, qui accuſ. non poſſ.* 15 Plin. in *Panegyr. Trajani c.* 35. 16 Martial. *de ſpectacul. Epigr.* 4. 17 *L. 15. §. 1. ϖ. ad SCtum Turpill.*

Calumniatoribus poena Lege Remmia irrogatur [1]. Negabit ergo, ſupplicii ſimilitudinem ipſamque adeo ſubſcriptionem in crimen jam hoc tempore obtinuiſſe? Non poteſt: nam teſtes in rem praeſentem adſunt. Quid igitur? Scilicet Marcianus hoc loco hiſtoricum agit, ut ſaepe alias JCti, ac repraeſentat nobis jus, quod olim quandoque obtinuit. nam occaſione SCti Turpilliani materiam de Calumniatoribus ex profeſſo aggreditur, in quo tractatu non potuit tam celebrem & pervulgatam apud veteres Legem ſilentio prorſus involvere. Accipe igitur Marcianum, ac ſi ſcripſiſſet, *Extat in monumentis ſcriptiſque veterum Lex quaedam Remmia, quae itidem de Calumniatoribus cavet.* Hanc autem Marciani, dum haec ſcriberet, mentem fuiſſe, praeter certa principia Juris & tot illuſtrium JCtorum teſtimonia, ipſe ordo tractandi indicat. Nam quod SCtum iſtud: in initio paulo generalius tractare voluerit, patet etiam ex proxime antecedentibus [2], ubi in genere de quavis Accuſatorum temeritate agit, omneſque ejus ſpecies enumerat. Ipſi quoque Baſilicōn compoſitores allegatum §. de L. Remmia tam parum hujus loci exiſtimarunt, ut ne ejus quidem meminerint. Praeterea, quomodo Marcianus, Senatusconſultum Turpillianum & quicquid ad calumnias pertinet expliciturus, Legem anteriorem de eadem materia hic in ſcenam adduceret? an, quia ei contraria? Atqui poſterior Lex priorem ſemper abrogat. an quia diverſa? Tum vero differentiae cauſas rationeſque indicare debuiſſet. denique an ut eandem? Sed hoc qui ſomniaret, nemo hactenus inventus eſt. Ut nihil reſtet, quam Marcianum more ceterorum JCtorum huic ſuo ad SCtum Turpillianum tractatui hiſtoriam Juris praefixiſſe. Quod ſi illum hodie integrum haberemus, nullus dubito, quin ipſis Marciani verbis, quae dixi, quam clariſſime apparerent. Nam cum tantum centones ſive fragmenta JCtorum in π. habeamus, obſervant paſſim Viri docti, ea imprudentius interdum & inconſiderantius a tot Collectoribus, tantillo temporis ſpatio, excerpta atque digeſta eſſe.

Sed jam aliquem interpellantem audire videor, poſterius illud argumentum tutius omitti potuiſſe, cum unuſquiſque eodem jure dicat, Si ſcripta Marciani illibata extarent, clarius inde appariturum, Legem Remmiam etiamnum eo tempore viguiſſe, & quaenam ejus poena fuerit, quave in re differret a SCto Turpilliano: haec enim, ut ſupervacua, omiſſa eſſe in Pandectis, quoniam Jure Codicis (per *l. 17. C. de Poen.*) ſtigmata & inuſtiones ſublata ſunt, adeoque & ipſa Lex Remmia. Verum ut hac objectione argumentationem noſtram liberemus, ſciendum eſt, nihil, quod Pandectarum tempore obtinuit, tam abrupte, tamque ſimpliciter ac jejune tranſlatum eſſe in id opus, quod univerſam ejus ſaeculi Juriſprudentiam exhibet, quin paſſim manifeſtiora veſtigia adſint. Sed exemplo res clarior erit. Notum eſt, quemadmodum Imp. Juſtinianus tollendo differentiam inter dominium bonitarium & quiritarium ceſſionem quoque & mancipationem cum traditione confuderit [3]. Unde alibi dicit, ceſſione uſufructuarii facta domino proprietatis extingui uſumfructum: *cedendo enim extraneo nihil agi*; non magis videlicet, quam nude tradendo [4]. & tamen in Pandectis Pomponius dicit, *ceſſione, quae extraneo fit, extingui uſumfructum*, & ad dominum proprietatis reverti: amplius & *remedium* praeſcribit, quo difficultas illa & ſubtilitas Juris eludatur [5]. Eum autem Pomponii locum tantummodo hiſtoriae vicem ſuſtinere, prout jure veteri obtinebat, nemo eſt, qui ambigat, quamvis ex oppoſita hypotheſi totus fere ex π. eliminandus fuiſſet. Sed ne & hoc imprudentiae Compoſitorum Juris imputetur, an non ita ſe res habet in omni vetere in jure dicundo procedendi ordine, cujus indicia etiamnum numeroſo agmine per univerſum Juris volumen ſparſa deprehenduntur? Nonne etiam plerique ſolennium formularum apices, quos religioſiſſime obſervavit antiquitas, innumeris Digeſtorum locis emicant, & palam ſe offerunt, quanquam totus in Cod. titulus exſtet *de Formulis & impetrationibus actionum ſublatis* [6]? Ut autem abrogatos manumiſſionum ritus veteremque ab inteſtato ſuccedendi ſeriem ſive ordinem, & multa alia, quae tam diligenter non in Pandectis ſolum, ſed & ipſis (*a*) Inſtitutionibus enarrantur, miſſa faciam, unum addam, quod mihi omnium maxime notandum videtur. Nempe cum integrum in Digeſtis titulum habeamus, *de Interrogationibus in jure faciendis & interrogatoriis actionibus* [7], in quo omnia, quae ad interrogationes judiciarias pertinent, exactiſſime enodantur, tamen ſtatim in veſtibulo ejus dicitur, *Interrogatoriis autem actionibus hodie non utimur.* Quin immo in quibuſdam editionibus ipſa rubrica habet, *de Interrogatoriis actionibus ſublatis.*

Ex quibus omnibus ſatis abundeque elucet, vel minimas quaſcunque Juris Civilis ſubtilitates & minutias, quae Pandectarum aevo obtinuere, ſolerter annotatas conſervataſque fuiſſe, etiam eas, quae in ipſis Pandectis abrogatae dicuntur. Ut proinde ex ſolo circumſtantiarum Legis Remmiae ſilentio non tam abſurde inter alia ratiocinatus videar, idemque ſententiae noſtrae, ſi debilioribus talis niteretur, haud obſcure opitulaturum fuiſſet.

Ceterum a Marciano diſcedere volentem nova ſiſtit objectio. Quid enim ſi quis inſtet, nimis emphatice ab eo *legitimae poenae* & *Legis* mentionem in ſequentibus a *Senatusconſulti* appellatione ſeparari, quam ut inconſulto factum videretur. etenim in iis tantum §§. qui de *calumnia* in ſpecie loquuntur, *Legis* vocabulum, in ceteris vero, qui de aliis calumniae ſpeciebus agunt, *Senatusconſultis* occurrere. Sane injurius forem huic objectioni, ſi ſpecioſam eſſe negarem. Sed tamen quis paulo attentior non deprehendit, caſu hic magis & differendi tenore, quam data opera triplicem *Legis* mentionem in duobus §§. contineri? Primo enim abſolutioni *legitimam poenam* opponit, hoc eſt, juſtam, plenam & integram nulloque judicis temperamento inflixam aut mitigatam, ut ſaepe alias. Dein generali *Legis* appellatione ideo *Turpillianum SCtum* involvit, quod una ad firmandam argumentationem ſuam Papiniani gnomen adducit, quae non in *Senatusconſulti*, ſed *Legis*, hoc eſt, generalis juris terminis concepta eſt. In genere autem *Legis* appellatio quinque alias juris ſpecies complectitur, quae ſingulae cum ipſa confundi ſolent. Quid notius, quam *Legis* nomine *plebiſcita* deſignari? Atque ita *Principum* quoque *Conſtitutiones* interdum ſimpliciter *Leges* dici, indubitatum eſt [8]. Praeterea *Edictum Praetoris* Cicero *Legem annuam* appellari teſtatur [9]. Pari itaque ratione *Senatusconſulta Leges* audiunt. Quod ne pluribus demonſtrare opus ſit, in hac ipſa materia abolitio ex *Lege* dicitur deſcendere [10], quam tamen ſexcentis in locis conſtat *SCto Turpilliano* adſcribi [11]. Praeterquam quod aliunde, immo vero ex hac ipſa, qua de agimus, Marciani Lege [12], manifeſtum ſit, calumniae poenam eidem Senatusconſulto attribui [13].

quem-

1 *L. 1. §. 2. π. ad SCtum Turpill.* 2 *L. 1. pr. & 3. π. ad SCtum Turpill.* 3 Per *l. un. C. de Jure Quirit. toll.* 4 *§. 3. de Uſufr.* 5 *L. 66. π. de Jure dot.*

6 *Lib. 11. Cod. tit. 58.* (*a*) Ita L. Atilia, item Julia & Titia Claudii tempore jam fuit abolita, & tamen in Inſtitutis tit. eſt, *de Atiliano tutore & eo, qui ex L. Julia & Titia dabatur.* 7 *Lib. 11. π. tit. 1.* 8 Exempla vid. in Briſſonio *de Verb. ſign. Lib. 1.* 9 Cic. *Verrina* 11. *c.* 42. *ad fin.* 10 *L. 10. π. ad SCtum Turpill.* 11 Ipſa hac *l. 1. ad SCtum Turpill.* paſſim: item *l. 15. l. 17. eod. l. 6. §. 3. π. de Decurion.* 12 *d. l. 1. §. pen. π. ad SCtum Turpill.* 13 *L. 2. C. de Calumniat.*

Digitized by Google

quemadmodum itidem *in Senatuſconſultum Turpillianum incidere*, & *calumniis puniri* diſerte reciprocantur [1].

CAPUT XII.

Senſus Papiniani L. Remmiam laudantis in L. 13. π. de Teſtib. [*].

PRaecedenti capite inter alia ſterilem & abruptam Legis Remmiae mentionem cauſati ſumus, verum quod iſtic in Marciano deſiderabamus, tanto forſan luculentius apud ſummae auctoritatis JCtum Aemilium Papinianum reperietur, cum Lib. 1. de Adulteriis dicat:

Quaeſitum ſcio, an in publicis judiciis calumniae damnati teſtimonium judicio publico perhibere poſſunt? Sed neque Lege Remmia prohibentur. & Julia Lex de vi, & repetundarum, & peculatus, eos homines teſtimonium dicere non vetuerunt. verumtamen quod Legibus omiſſum eſt, non omittetur religione judicantium: ad quorum officium pertinet, ejus quoque teſtimonii fidem, quod integrae frontis homo dixerit, perpendere.

Certe hic jam non ſimpliciter memoratur L. Remmia, ſed conſulto in diſquiſitionem adducitur, una cum Legibus Juliis de Vi, Repetundarum ac Peculatus, de quibus utique dubitari non poteſt, quin tunc obtinuerint, cum & hodie obtineant. Praeterea ad ipſam poenam ex L. Remmia quam diſertiſſime alluditur. Poſtremo, quae inſuperabilis difficultas videtur, eam non ſolum ut vivam vigentemque adducit Papinianus, verum, ubi ex profeſſo de calumniae damnatis queſtionem inſtituit, ne vel minimam quidem Senatuſconſulti Turpilliani, aut ſubſcriptionis mentionem injicit, quae tamen, ſecundum nos, ſola eo tempore calumniam coërcuit. Pervicacem fortaſſe, an male ſanum vocaveris, qui hic palinodiam non canat, aut, ſi quid ei pudoris ſuperſit, eremodicium non contrahat. Et tamen cum ex laudatis teſtimoniis tam certum mihi ſit, talionem in criminibus jam tunc obtinuiſſe, quam quod certiſſimum, non impetro a me ut recantem. Quod ſi negare perſeveret Papinianus, ſtatim utique ab aſſeſſoribus ſuis Ulpiano & Paulo manifeſti erroris convincetur. Sin vero concedat, ipſam quoque L. Remmiam deſerat neceſſe eſt, qandoquidem ex limpidiſſimis juris fontibus deduxi, nullum ſubſcriptioni cum L. Remmia conſortium eſſe. Sed non ſum adeo ingratus in memoriam hominis, qui tam bene de Juriſprudentia meritus eſt, totque elogiis ab ipſis Imperatoribus ornatus, ut eum erroneae ac parum ſibi conſtantis opinionis inſimulem. Crede mihi, longe alia Papiniano mens eſt, alia omnino verborum iſtorum ſententia: quod, ſi placet, aliquando diſtinctius videamus.

Nempe materiam de Adulteriis aggreſſurus, ut ipſa docet inſcriptio (habet enim, *Papinianus lib. 1. de Adulteriis*, adeoque in initio tractatus) primum de forma accuſandi, & fide teſtium inquirit. Nam in L. Julia de Adulteriis, aliiſque publicorum judiciorum Legibus fuit certa accuſandi defendendique forma, adeoque ſolennior quidam procedendi ordo, in ſingulis fere ſpeciatim declaratus [2]. Imprimis vero teſtium in tractatu de Adulteriis diligenter habita ratio. nullum quippe crimen tam aegre arbitros fert, nullum proin difficilius probari poteſt. Quin immo tam accurate & exquiſite L. Julia de teſtimoniis egit, ut vel in privatis cauſis citetur. Unde Ulpianus, *Mulier teſtimonium dicere*, inquit, *in teſtamento quidem non poteſt: alias autem poſſe teſtem eſſe mulierem argumento eſt L. Julia de Adulteriis, quae adulterii damnatam teſtem produci, vel dicere teſtimonium vetat* [3]. Inſuper varia capita ſive Leges ſub titulo de Teſtibus & ad SCtum Turpillianum ex tractatibus ad eam Legem apparent deſumptae [4]. Belle itaque hac occaſione incidit Papinianus in generalem & jam aliquoties, ut videtur, agitatam quaeſtionem, de calumniae damnatis judicio publico in ſimilibus judiciis ad teſtimonium admittendis aut non admittendis.

Quaeſitum, inquit, *ſcio, an in publicis judiciis calumniae damnati teſtimonium judicio publico perhibere poſſunt?*

Quum autem *in publicis judiciis calumniae damnatos* dicit, excludit eos, quos Praetor ex edicto ſuo calumniae damnavit. Nam ne infames quidem a teſtimonii dictione arceri defendit Duarenus [5]: quod certe in criminalibus vel per hanc legem extra dubium eſt. quomodo enim ſi infames a teſtimonii publici dictione arcerentur, de calumniae damnatis judicio publico dubitari poſſet, qui utique ſemper & indiſtincte infames ſunt [6]. Manifeſte etiam Ulpianus ad L. Juliam & Papiam, *Si qua Calumniae judicio damnata ſit ex cauſa publici judicii, & quae praevaricationis damnata eſt, publico judicio damnata non videtur* [7]. Amplius quia utrumque judiciorum publicorum meminit JCtus, & inter ea Calumniae damnatos collocat, ſatis perſpicue calumniae judicium a publicis diſcernit. eo magis, quod ſi natura ſua publicum judicium eſſet, plane inutilis foret quaeſtio, quum de damnatis judicio publico deciſum ſit. Sed in ipſa propoſitae quaeſtionis diſcuſſione, quam in ſequentibus aggreditur, paulo latius ea de re videbimus.

Ait igitur,

Sed neque Lege Remmia prohibentur. & Lex Julia de vi & repetundarum, & peculatus eos homines teſtimonium dicere non vetuerunt.

Ideo autem non dicit, *Sed neque Senatuſconſulto Turpilliano, aut ſubſcriptione in crimen prohibentur*, quod certum eſſet SCto Turpilliano iiſve, quae de ſubſcriptione in crimen agebant Conſtitutionibus nihil ea de re caveri. Neque enim in quaeſtione, quae ex defectu Senatuſconſulti & Conſtitutionum de ſubſcriptione orta erat, inveſtigari potuit; an res controverſa eodem SCto, iiſdemve Conſtitutionibus comprehenderetur. nam ſi his comprehenſa fuiſſet, tota quaeſtio ſupervacua foret ac ridicula; jam, cum minime ſit, ex anteriore Lege aliiſque vicinis ſolutionem ejus petit. Sed vel eo minus Papiniano conveniebat SCtum Turpillianum & memoratas Conſtitutiones laudare, quod haec dubitatio non erat ab ipſo primum inſtituta, ſed ab aliis jam ante propoſita & ventilata, ut notavi. Atque adeo quod vulgo notum erat, in compendioſa & eleganti diſquiſitione repetendum non fuit. Immo vero haud obſcure mihi hic ad SCtum illud Conſtitutioneſque reſpicere videtur, cum per modum oppoſitionis inſit, *Sed neque L. Remmia prohibentur*, id eſt, non tantum SCto Turpilliano aut Conſtitutionibus de ſubſcriptione in crimen, quod tritum notumque, *ſed nec* antiqua illa *L. Remmia*, quae olim in Calumniatores ex profeſſo itidem lata eſt. Illud enim, affirmante Paulo, *novum non eſt, ut priores Leges ad poſteriores trahantur* [8]. *Ideo*; Tertullianus ſubjun-

1 *L.* π. *ad SCtum Turpill.* * Vide Jac. Cujac in *Papiniano ad h. l.* 2 *L.* 8. π. *de Public. Judic.*

3 *L.* 20. §. 6. π. *Qui teſt. fac. poſſ.* idem aſſerit Paulus *l.* 18. π. *de Teſtib.* Aliud exemplum ex iiſdem Papiniani de Adulteriis libris extat in *l. ult.* π. *de Calumn.* cum qua confer *l.* 27. §. *ult. ad L. Jul de Adult.* 4 Vid. Inſcript. *l. ſeq.* 14. & *d. l.* 18. π. *de Teſtib. l.* 8. *l.* 10. *l.* 11. *l.* 12. *l.* 13. & 16. π. *ad SCtum Turpill. l.* 2. π. *de Exhib. reor.* 5 Duaren. *Diſputat. anniverſ. Lib.* 1. *c.* 23. Inſcribitur autem, *Falſum eſſe quod plerique tradunt, ei qui notatur infamia, interdictum teſtimonium eſſe.* 6 *L.* 1. π. *de his, qui not. infam.* Certe famoſos ad accuſandum admitti clare dicit, *l.* 13. π. *de Accuſat. & Inſcr.* 7 *L.* 43. §. 11. π. *de ritu nuptiar.* 8 *L.* 26. π. *de LL.*

jungit, *quia antiquiores Leges ad poſteriores trahi uſitatam eſt: & ſemper quaſi hoc Legibus ineſſe credi oportet, ut ad eas quoque perſonas & ad eas res pertinerent, quae quandoque ſimiles erunt* [1]. Quare & in Legum ſanctionibus expreſſe addi ſolebat, *ne quid per ſaturam abrogaretur aut derogaretur* [2]. Itaque quod illis, quae ſuo tempore vigebant de Calumnia Legibus deerat, rectiſſime Papinianus in Lege antiquiore quaeſivit. Immo vero nec aliam interpretationem loquendi ratio, qua utitur, admittit. quippe ni hanc emphaſin particulae *neque* intendiſſet, neceſſario ei, ſine ulla majore diſtinctione ſcribendum fuiſſet, *Sed neque Lege Remmia prohibentur, neque L. Julia de vi, aut repetundarum, aut peculatus.* Ut adeo periodus, quae ſententiae noſtrae maxime obſtare videbatur, eidem ſummopere faveat.

Fuit porro & alia juſta cauſa ſeparandi tam evidenter L. Remmiam a ſequentibus Legibus. Nam ut in ſucceſſionibus ab inteſtato proxima adſcendentium habetur ratio, atque ita ad collaterales devenitur, ſimiliter & in Legum interpretationibus non prius ad cognatas & affines Leges decurritur, quam in anterioribus nihil praeſidii reperiri conſtet. Quare cum neque Lex Remmia in publicis judiciis Calumniae damnatos teſtimonium judicio publico perhibere vetaret, ad vicinas & ſimiles Leges deflectit Papinianus. Eleganter ſane Auctor ad Herennium, *In cauſa rationali*, inquit, *primum quaeretur, ecquid in rebus majoribus aut minoribus aut ſimilibus ſimiliter ſcriptum aut judicatum ſit. Deinde utrum conſulto de ea re ſcriptum non ſit, quod noluerit cavere, an quod ſatis cautum putaverit propter ceterorum ſcriptorum ſimilitudinem* [3]. Vicinas autem hac in parte Leges, hoc eſt, in quibus itidem de teſtibus ac teſtimoniis ſpeciatim actum, enumerat *Leges Julias de vi, & repetundarum & peculatus.*

Et *Lege* quidem *Julia de vi*, referente Calliſtrato, inter alia cavetur, *Ne hac Lege in reum teſtimonium dicere liceat, qui judicio publico damnatus erit, nec poſtea in integrum reſtitutus* [4]. quod certe quam proxime accedit ad propoſitam ſpeciem. Unica difficultas in eo reſidet, quod judicio publico damnatus eſſe debet, qui ex L. Julia de vi a teſtimonii dictione arcetur. Atque hinc clariſſime apparet, Calumniae judicium ad publica non referri, quemadmodum & Macer Libro 1. Publicorum Judiciorum palam declarat [5], & Ulpianus quoque ad L. Juliam & Papiam [6]. Ceterum ut Calliſtratus de teſtimonio, ita Ulpianus de ipſa accuſatione, *qui judicio publico damnatus eſſet, eum jus accuſandi non habere, niſi libertorum ſuorum vel patronorum vel rem ſuam exequatur* [7]. quemadmodum & huic poſtulatio apud Judices pedaneos SCto interdicta legitur [8]. *Sed & Calumniae damnatis jus accuſandi ademptum eſt*, in ſpecie addit Ulpianus. Rurſus idem Ulpianus, argumento ejus, quod D. Pius Julio Candido reſcripſit, *non facile admittendum* exiſtimat, *ſi quis alio crimine poſtuletur ab eodem, qui alio crimine eum calumniatus eſt* [9]. Verum hic de teſtimoniorum fide, non de ipſa accuſatione agitur. Nimirum illud tantum volebam, JCtos in hac materia a SCtis conſuetudine, Reſcriptis ac veriſimilibus argumentari ſolitos. Sed pergamus ad L. Juliam Repetundarum, quae ſecundo loco memoratur.

Lege autem Julia Repetundarum cavetur etiam, *Ne quis ob accuſandum vel non accuſandum pecuniam accipiat* [10]. Praeterea ſpeciatim Paulus & Venulejus Saturninus teſtantur, *Repetundarum damnatum nec ad teſtamenta nec ad teſtimonium adhiberi* [11]. Quanquam tamen ex memorata L. Julia de Vi id ipſum per ſe certum foret, quippe quo omnes judicio publico damnatos e numero teſtium ejici monſtravimus. Sed & Caſſius Longinus, cujus teſtimonio Marcellus utitur, *non putat ei permittendum, qui propter turpitudinem Senatu motus nec reſtitutus eſt, judicare vel teſtimonium dicere: quia L. Julia Repetundarum hoc fieri vetat* [12]. Nimirum Julia Repetundarum Lex pleniſſime & ſeveriſſime perſcripta fuiſſe pluresque omnino partes ac capita habuiſſe videtur. Certe Cicero, *multa in hac Lege ſeverius ſcripta eſſe, quam in antiquis Legibus & ſanctius vindicata* aſſerat [13]. Quod vero peculiarem iſta L. Julia relationem habuerit ad materiam de Calumniis praeter Papinianum ſimili prorſus ratiocinio Ulpianus oſtendit. nam ut ille in hac *l.* 13. dicit, *& Julia Lex de vi, & repetundarum, & peculatus eos homines teſtimonium dicere vetuerant*; ita Ulpianus Edictum praetorium de Calumniatoribus interpretaturus, *maxime*, inquit, *cum Lege Repetundarum tenetur, qui ob negotium faciendum vel non faciendum pecuniam accepit* [14]. Ceterum ut Repetundarum damnati judicio publico teſtimonium perhibere non poſſunt, tamen illud ad Calumniae in judicio publico damnatos transferri non poteſt, cum alterum publicum, alterum privatum ſive extraordinarium judicium ſit.

Supereſt Lex Julia Peculatus. Hanc praecedentibus jungit Papinianus, tanquam quae itidem teſtimonii dicendi facultatem coarctaverit. atque etiam alibi junguntur Leges Juliae Repetundarum & Peculatus [15]. Interea nusquam deprehendere licuit, Legem Juliam Peculatus quicquam ſtatuiſſe de teſtibus; ſive illa quae huc pertinebant, interciderint, ſive error aliquis ſubſit in nominanda Lege. Potuit inſuper incuria ejus, qui hoc Papiniani fragmentum excerpſit, Legis Juliae Ambitus mentio excidiſſe, aut ea cum Peculatus Lege commutata fuiſſe. Profecto docet Plinius, Lege Julia de Ambitu cautum de forma accuſandi inquirendique teſtes in judiciis publicis [16]. Legis autem Juliae de Ambitu pauca habemus in Pandectis, quia poſtquam ad curam Principis magiſtratuum creatio pertinere coepit, nec amplius ad populi favorem, Lex illa in urbe ceſſavit [17]. Ceterum conſtat e Plinio, eam Legem inter alia caviſſe, ut quemadmodum accuſatoribus licebat inquirere & teſtibus denunciare, ita reis pariter jus eſſet: idemque Licinius Nepos a Coſſ. petivit, ut ſub exemplo Legis Ambitus ad Legem Repetundarum adjiceretur [18]. Proinde admodum veriſimile eſt, plura alia in hac L. Julia fuiſſe, quae ad materiam de teſtibus ipſisque accuſationibus pertinerent, & praeterea majorem ei cum L. Julia Repetundarum, quam huic cum Peculatus Lege cognationem interceſſiſſe. Profecto magnopere me confirmat, quod Modeſtinus, ubi de Lege Julia Ambitus agit, accuſatoris quoque & rei mentionem facit [19]. Sicuti etiam de praemio delationis cautum fuit in ea Lege; quod tranſcriptum erat ex Legibus Calpurnia & Pompeja de Ambitu [20].

Tandem igitur omnia incaſſum perſcrutatus concludit,

Veruntamen quod Legibus omiſſum eſt, non omittetur religione judicantium: ad quorum officium pertinet,

ejus

1 *L. 27. eod.* 2 Obſervante Cujacio *Lib.* x. *Obſerv. c.* 12. 3 Aut. ad Herenn. *Lib.* 11. *c.* 12. *ad fin.* 4 *L.* 3. §. 5. *ff. de Teſtib.* adde Ulp. *Lib.* ix. *de offic. Proconſ. ad L. Jul. de Vi publ. & priv.* apud Collatorem *LL. Moſaic. & Roman. tit.* 11. 5 *L.* 3. §. 3. *ff. de Praevaric.* conf. omnino *l.* 1. *ff. de Publ. Judic.* quae ex eodem libro eſt. 6 *L.* 43. §. 11. *ff. de Ritu nuptior.* 7 *L.* 4. *ff. de Accuſ. & Inſcript.* 8 *L.* 1. § 6 *vſ. Item SCto. ff. de Poſtul.* 9 *L.* 7. §. 3. *ff. de Accuſ. & Inſcript.* 10 *L.* 6. §. 2. *ff. ad L. Jul. Repet.*

11 Alter *l.* 15. *ff. de Teſtib.* alter *d. l.* 6. §. 1. *ff. ad L. Jul. Repetund.* 12 *L.* 2. *ff. de Senator.* 13 Cic. *pro Rabir. Poſt. c.* 4. Extat fragmentum veteris Repetundarum Legis, cui Serviliae nomen apud Sigon. de *Judic. L.* 11. *c.* 27. 14 *L.* 1. §. 1. *ff. de Calumn.* 15 *L.* 14. *ff. ad L. Juliam Pecul.* Lamprid. in *Alex. c.* 42. *in fin.* Vopiſc. in *Aurel. c.* 39. &c. 16 Plinius L. vi. *Epiſt.* 5. 17 L. *un. ff. de L. Julia de Ambitu.* 18 Plin. *d. Lib.* vi. *ep.* 5. 19 L. *un.* §. *ult. ff. de L. Jul. Ambitus.* 20 Obſervat hoc Cujac. *Lib.* vii. *Obſervat. c.* 28.

ejus quoque teſtimonii fidem, quod integrae frontis homo dixerit, perpendere.

Videlicet *non poſſunt*, ex veriſſima Juliani doctrina, *omnes articuli ſingillatim Legibus aut Senatusconſultis comprehendi, ſed cum in aliqua cauſa ſententia eorum manifeſta eſt, is, qui juriſdictioni praeeſt, ad ſimilia procedere, atque ita jus dicere debet* [1]. Ut ergo Calumniae in publicis judiciis damnati, in aliis hujusmodi judiciis a teſtimonii dictione arceri ſtricto jure nequeunt (*neque* enim *ulla Lege teſtimonium illis interdicitur*, quod jura omnino deſiderant [2]) prudentia & religione jus dicentis defectus iſte ſupplebitur. nec mirum: cum ejus quoque hominis, qui Calumniae damnatus non eſt, aut alia quacunque infamia notatus teſtimonii pondus exigere fidemque perpendere ſemper debeat [3]. Etenim in teſtimoniis dignitatem, fidem, mores, gravitatem examinari monet Modeſtinus [4]. Nec abludit Cicero, cum dicit, *Perſona autem non qualiſcunque teſtimonii pondus habet. ad faciendam enim fidem autoritas quaeritur* [5]. Quin Hebraei hac in parte adeo ſeveri erant, ut vel otioſos nedum Calumniatores a teſtimonii dictione arcerent [6]. Itaque bene diligenterque examinabit judex, quinam teſtes proferantur, cujusve exiſtimationis, aut ordinis, praeſertim vere integraene an deperditae famae. nam in fide teſtis ſalus rei vertitur magis quam in fide accuſatoris. Ut autem hic *integrae frontis homo* memoratur facta alluſione ad poenam Legis Remmiae ſic *integrae perſonae* meminit Paulus [7], ſicque Calliſtratus *integrae famae homines* famoſis opponit [8]. Denique ut per hanc Papiniani legem in judicio publico *Calumniae damnati* ad teſtimonii dictionem in criminalibus aegre admittuntur, ſic vice verſa apud Paulum illi, qui falſum teſtimonium ſubornati dixerunt, *propter Calumniae ſuſpicionem* ab accuſando arcentur [9].

CAPUT XIII.

De veſtigiis L. Remmiae apud Boëthium & Julianum.

A Jurisprudentia ad Hiſtorias digrediamur, an forte ex illis lux aliqua durationi Legis Remmiae accendi queat. Audivi, qui hic Boethium in conſilium vocarent; amplius memini, quosdam nonnihil tribuere teſtimonio Juliani Imperatoris. Sed videant, qui his Auctoribus ſerio inſiſtendum arbitrantur, ne, dum mihi adverſari geſtiunt, communi cauſae parum velificentur. dum enim nemo Legem Remmiam ultra Conſtantinum producit, ſibi ipſi directo obloqui certum eſt, qui in ſerioris aevi hiſtoriis argumenta quaerit. Quomodo enim receptam hypotheſin tuebitur, qui, quod ſub Conſtantino abolitum atque abrogatum ſtatuit, ſub Juliano adhuc ipſisque Gothis obtinuiſſe urget? Sed dabo aliquid reverentiae illorum, dum omnium Interpretum facile principem Cujacium quavis ratione defendere cupiunt, & vel ipſos hoc capite in integrum reſtituam. nec enim attinet objectionem convellere, quae per ſe non ſubſiſtit.

Ait autem Boethius, ubi coram Philoſophia ſuas vices conqueritur: *Quibus autem deferentibus perculſi ſumus? Quorum Baſilius, olim regio miniſterio depulſus, in delationem noſtri nominis alieni aeris neceſſitate compulſus eſt. Opilionem vero, atque Gaudentium, cum ob innumeras multiplicesque fraudes ire in exilium regia cenſura decreviſſet, cumque illi parere nolentes ſacrarum ſeſe aedium defenſione tuerentur, compertumque id Regi foret, edixit, at ni intra praeſcriptum diem Ravenna urbe decederent,* NOTAS INSIGNITI FRONTIBUS *pellerentur. Quid huic ſeveritati poſſe adſtrui videtur? Atque eodem die deferentibus eiſdem nominis noſtri delatio ſuſcepta eſt* [10]. Hactenus Boethius. Vellem autem mihi monſtrarent egregii illi objectionum fabricatores, *frontium inuſtionem*, quam hic arripiunt, *calumniae poenam* fuiſſe; & ſi fuerit, aliunde, quam *ex Lege Remmia* deſcendere non potuiſſe. Sed nimis praecipitanter & inconſiderate agunt, qui tam exilibus moventur. Nam etiamſi adeo liberales eſſemus, ut per *innumeras multiplicesque fraudes* neceſſario delationum calumnias intelligendas eſſe largiremur, eo non ſtatim evincerent, propterea ipſos *notis in frontibus inſigniri* juſſos. minime gentium. diſerte enim ob fraudes illas ſive calumnias, ut volunt, in exilium pelluntur: at cum regiae cenſurae parere detrectarent, aſylorum jure abuſi, tum demum frontis deformatio ipſis intenditur. Haec igitur qualiscunque inuſtio nihil cum fraudibus illis commune habuit, ſed tantum pertinaciae & obſtinati animi animadverſio fuit, manente, quae prius in fraudes decreta fuerat, exilii poena. Quin adeo hic Rex Oſtrogothus delaturas non compeſcuit, ut vel ſola Boëthii delatione recentem pervicaciam fraudesque redimerent. Pari omnino ratione ac jam olim ſub primis Caeſaribus damnati exulesque, ſi alios ſibi reos ſubſtituerent, delictorum impunitatem conſequebantur [11]. Praeterea graſſantem ſub barbaris *calumniae* peſtem ipſe paulo ante indicaverat Boëthius, cum ait, *Quoties miſeros, quos infinitis Calumniis impunita Barbarorum ſemper avaritia vexabat, objecta periculis autoritate protexi* [12]. Verum quid ſi & hoc demus, ſub Theodorico ordinariam *Calumniae* coërcitionem in *notis frontium* conſtitiſſe. parum tamen veriſimile eſt, Regem barbarum, qui ſpreta ipſius Urbis majeſtate imperii ſedem Ravennam tranſtulerat, vetuſtiſſimae cuidam & obſoletae Romanorum Legi adſtricturum ſe fuiſſe, idque in cauſa aulicorum ſuorum. Quaſi vero ipſi Barbari non habuerint ſuas puncturas & frontium inſcriptiones. Immo Cicero diſerte memorat *barbarum compunctum notis Threiciis* [13], hoc eſt, ex more Thracum; de Thracibus autem Plutarchus, „ Neque enim „ Thraces laudamus, qui in hanc usque diem ſuas „ *στίζουσι* compungunt uxores ulciſcendi Orphei „ cauſa [14]. „ (a) Thracum vero ipſi Gothi propago videntur fuiſſe. Poſtremo ne manifeſtis ad faſtidium inhaeream, Boëthius quoque memoratam inuſtionem non ut ordinariam conſiderat, ſed e contrario talem, *cui nihil ſeveritatis adſtrui poſſe videretur.* adeo tum Romanis incognitae erant liberorum hominum inuſtiones. Ac proinde, quocunque rem vertas, intelligant praecipites illi contrariae opinionis anteſignani, nihil ſe Jacobo Cujacio, nedum mihi quidem tam inconſulta objectione nocuiſſe.

Sed nec in Juliani loco, quem cap. v. retulimus, multo major probabilitas reſidet, vis eadem. Verba Latine reddita ita ſe habent. *Tandem* KAPPA *deſideratis: atinam Dii cuſtodes hujus urbis id vobis* DUPLEX *largiantur, quoniam civitates finitimas, quae & Diis mecum ſerviunt & ſanctae ſunt,* CALUMNIA *vexaſtis, quaſi, quae in me compoſita ſint, ab illis profecta eſſent* [15]. Quo in loco ad legem Remmiam alludi non inficior, ſed ut vigentem, id nego. Oc-

ca-

1 *L.* 12. *ff. de LL.* 2 *L.* 1. *§.* 1. *ff. de Teſtib.* 3 *L.* 3. *§.* 1. *&* 2. *ff. eod.* 4 *L.* 2. *ff. de Teſtib.* adde *d. l.* 1. *§.* 1. *eod.* & *l.* 3 *pr.* 5 Cic. in *Topic. c.* 19. adde quae dicit in orat. pro *P. Quinct.* 6 H. Witzii *Miſcell. Sacra. in Praefat. num.* 28 7 *L.* 4. *ff. de Popularib. Act.* 9 *L.* 28 *§. ult. ff. de Poenis.* 9 *L.* 9. *ff. de Accuſat. & Inſcript.*

10 Boëi. *de Conſol. Philoſ. Lib.* 1. *proſa* 4. 11 Tacit. *Lib.* vi. *Annal. c.* 3, 4 & 7. *Lib.* xvi. *c.* 12. & 14. 13 Boei. *de Conſol. Philoſ. d. Lib* 1 *pr.* 4. 13 Cic. *Lib.* ii. *de Offic. c.* 7. 14 Plutarch. *de ſera num. vind. p.* 557. *D.* edit. Wechel. (a) Apud Thraces ſtigmata non ſervitutis ſed nobilitatis indicium extitiſſe e Cicer. obſervat Hermannus Hugo *de prima ſcrib. orig.* Zacchiae *Quaeſt. Med. Leg. Lib.* vii. *tit.* 4. *qu.* 1. *nu* 6. Vide quid valeat ipſius decori arbiter conſuetudo. 15 Julian. in Orat. quae *Μισοπώγων* inſcribitur.

caſionem autem iſtiusmodi luſus dicto cap. v. indicavimus, ſine qua jocus iſte admodum frigeret, qui nunc acutus & elegans eſt. Certe alluſionem eſſe, nemo, opinor, negabit, niſi qui adeo fatuum ducat Julianum, ut ſibi perſuaſiſſet, Romanorum ſcitis Deos quoque alligari, Mercuriumque hic lictoris vice functurum, tanquam qui cauterio mortuos examinare ſolitus ſit [1]. Sed per *ἀνέσεως* non meruit tamen Imperator, cetera ſapientiſſimus, ut tam fatua, ac puerilia de ipſo credamus. Quare cum in objecto Juliani loco tantum alluſio quaedam & figurata locutio proponatur, atque ea perinde efficax ſit, praeſentem morem an praeteritum ſeu veterem reſpiciat, nulla prorſus ratio eſt, cur inde concluderetur, viguiſſe Legem, quam omnes jam ante abrogatam ſtatuunt:

Ut igitur ipſam Cujacii caeterorumque adverſariorum ſententiam vindicavi ab imprudenti & praepoſtera quorundam argumentatione, pro navata opera ſaltem hoc mihi largiantur, ubicunque fit mentio inuſtionis in fronte, aut poenae ex Lege Remmia, non continuo concludendum, *ipſam Legem Remmiam eo tempore obtinuiſſe.*

CAPUT XIV.

An a M. Antonino Philoſopho reducta fuerit L. Remmia.

AT vero longe majoris momenti eſt quod apud Julium Capitolinum de Marco Antonino Philoſopho legitur; *Cavit & ſumptibus publicis & Calumniis Quadruplatorum*, APPOSITA FALSIS DELATORIBUS NOTA [2]. Annotat autem hic Caſaubonus; „Videtur Marcus poenam Legis Remmiae intendiſſe, aut illam ipſam veterem Legem ſevere & acriter „exercuiſſe: non ut mali Principes, qui aut ſpernebant „palam, aut exercebant dicis cauſa.„ ſic ille. Verum in eo mihi rurſus gratulor, quod, quantumvis firma ſit oppoſitio, tamen ſententia noſtra per eam non labefactetur. Potuit enim extincta per Trajanum Lex Remmia mox e cineribus ſuis ſuſcitata fuiſſe, ac dien haud ita multo poſt penitus deſiiſſe. Certe ſub Severo & ſequentibus Principibus, atque adeo Papiniani Marcianique temporibus, poena talionis denuo obtinuit, duravitque jugi uſu poſt Conſtantinum usque, ut cap. x. per varia temporum intervalla demonſtravimus. Et tamen interim quid vetat in allegatum Capitolini locum aliquanto accuratius inquirere? Fatendum enim ingenue, quod ſentio: non acquieſco interpretationi a Caſaubono datae, cum multa ſint, quibus in contrarium movear. Sive enim Capitolini verba conſiderem, ſive ipſius rei naturam indolemque M. Antonini Philoſophi, non tam facile mihi perſuaderi patior, Legem veterem, quae paulo ante bono conſilio abrogata erat [3], a ſapientiſſimo Principum ſine ulla probabili cauſa revocatam fuiſſe.

Quod ſi autem revera per M. Antonium poena Legis Remmiae in uſum reducta fuiſſet, non ſcripſiſſet Capitolinus *appoſita nota*, quaſi quam ipſe Marcus primum inſtituiſſet, verum *repetita* aut *confirmata nota* Delatorum. Praeterea etiam proprietas vocabuli *nota* non utique flagitat, ut pro ſtigmate ſeu inuſtione accipiatur. Docet quidem Ulpianus, *notarum* appellatione etiam ſtigmata & *cicatrices* comprehendi [4], ſed proprie & per ſe *nota* nihil aliud deſignat, quam characterem ſive ſignum, ex quo aliquid *dignoſcitur*. Inde ad varia transfertur: imprimis vero ad ignominiam, probrum, infamiam; quippe unde ſinguli in civitate famoſos homines veluti nota quadam inſignitos cognoſcunt & fugiunt. Hinc vulgo *nota cenſoria*, & apud Feſtum [5] ac Nonium Marcellum [6] *nota* ſimpliciter pro ignominia & probro. Sed & Ciceroni *homo omnis turpitudinis notis inſignis* [7] dicitur, & Suetonio *famoſi judicii nota* [8]; item Tertulliano, *ignominiae & damnationis nota* [9]. Porro hinc *notatus* pro *infamis* apud Calliſtratum [10], & *notari infamiae macula* apud Imp. Juſtinianum [11], quod paulo plenius Cicero, *dedecore, macula, turpiſſimaque ignominia notari* [12]. Denique etiam *calumnia notati* dicuntur Ulpiano [13], & infinita id genus alia in Libris noſtris occurrunt. Ceterum poſtquam Lege Remmia Calumniatores, impudentiſſima hominum natio, in frontibus nota literae K. coeperunt inſigniri, innumeras phraſes ex tam evidenti turpitudinis deſignatione mutuati ſunt Scriptores & adhuc mutuantur. Praecedenti capite jam vidimus, quam evidenter ad eam Papinianus alludat, cum judicem jubet perpendere, quod *integrae frontis* homo dixerit [14]. Simili metaphora Suetonius dixit, *verſibus alicui perpetua ſtigmata imponere* [15]; quemadmodum Symmachus ei *famae vulnus* adſcribit, quem paulo ante *notatum judicio* dixerat [16]. Sed quod ad praeſentem materiam magis pertinet, Cicero *inurere notam turpitudinis* dicit [17], & *cenſoriae ſeveritatis notam inurere* [18]. & alibi: *Quae ſunt urbanarum maledicta litium, non inuſtae belli internecini notae* [19]. At Tertullianus ſimpliciter *notam alicui inurere* [20], pro nota infamiae, ſicut ex adverſo Latinus Pacatus *inuſta infamia* [21] pro infamiae nota. Sed nec apud Imperatores harum locutionum veſtigia deſunt. Ita Gratianus, Valentin. & Theodoſius, *probroſis inuſta notis* (femina) [22]; & Conſtantinus quoque, *perennibus inuretur judex notis* [23]. ſed nemo magis appoſite, quam Alexander Imp. *Qui confidit accuſationi, Calumniae Notam timere non debet* [24]. cujus tamen aevo certum eſt, non amplius viguiſſe Legem Remmiam. Quod ad JCtos, nihil fere illis frequentius, quam ejusmodi τοῦ *nota* & *notare* ſignificatio.

Itaque *appoſita falſis delatoribus Nota* Capitolino nihil aliud eſt, quam Nota infamiae ſeu turpitudinis ex damnatione. Quod ſi ſcripſiſſet, *inuſta falſis delatoribus Nota* fortaſſe non idem foret dicendum. Et tamen vel ſic commodam praeter ſtigmata interpretationem ex allatis locis acciperet Capitolinus. praeterquam quod *apponendi* verbum per ſe fere nimis leve videatur, quam ut de frontium inuſtione ſat commode uſurpetur. Quin vehementer dubito, an non hac quoque in re Suetonium ſecutus ſit, qui in ratione conſcribendi vitas Imperatorum cum ſibi exemplar conſtituiſſe fatetur [25]. Ait autem in Claudio, *Et cum orantibus familiaribus dempſiſſet cuidam* APPOSITAM NOTAM, *litura tamen, inquit, extet* [26]. egregie ſane ad rem noſtram, & μεταφορικῶς ab inurendi more. Pariter & alibi, *ignominioſis Notas dempſit* [27]: nam cum inſcriptas ſive inuſtas deſignare vult, diſerte *ſtigmatum Notas* dicit [28]. Quae cum ita ſint, miror, non tantum Caſaubonum

1 Tertull. in *Apolog. c.* 15. 2 Capitol. in *M. Anton. Phil. c.* 11. 3 Plin. in *Panegyr. Traj. c.* 35. 4 *L.* 1. *§. ult. ff. de Fugitiv.*

5 Feſtus in *Nota*. 6 Non. Marcell. *de Propriet. ſerm. Lit.* IV. *ſub lit. N.* 7 Cic. *pro Rabir. perduel. c.* 9. 8 Sueton. in *Tiber. c.* 35. 9 Tertull. in *Apolog. c.* 23. 10 *L.* 3. *pr. ff. de Teſtib.* confer *l.* 2. *C. de Dignitat.* 11 *L. ult. ad fin. C. Arbit. tut.* 12 Cic. *pro P. Quinct. in fine.* 13 *L.* 4. *ff. de Accuſat.* 14 *L.* 13. *ff. de Teſtib.* 15 Sueton. in *Caeſ. c.* 73. 16 Symmach. *Lib.* X. *ep.* 3. 17 Cic. in *Catil.* 1. *c.* 6. & *pro Sylla c.* 31. 18 Cic. *pro Cluent. c.* 46. 19 Idem *Philippica* XIV. *c.* 3. 20 Tertull. in *Apolog. c.* 35. 21 Latin. Pacatus in *Paneg. Theodoſ.* Quin & Cic. de *ignominia* in Orat. *de Provinc. Conſular c.* 7. Item Quintil. *Declam.* CCCXXXI. *ignominia inuritur.* 22 *L.* 1. *C. Theod. de ſecund. nupt.* 23 *L.* 15. *C. de Appell. & Conſult.* adde *l.* 1. *C. Theod. de Inoff. teſtam.* 24 *L.* 6 *C. ad L. Jul. de Adult.* 25 Capitol. in *vita Maximi & Balbi c.* 4. 26 Sueton. in *Claud. c.* 16. 27 Sueton. in *Vitell. c.* 8. Similiter in *Tib. c.* 35. *famoſi judicii Notam* dixit. 28 Idem in *Calig. c.* 27. & Impp. *ſtigmata, hoc eſt, nota publica*, *L.* 3. *C. de Fabricenſ.*

num tam fidenter allegatum Capitolini locum ad Legem Remmiam applicare, ſed & illud miror, eundem tam dubie & haeſitanter a Lipſio ad *infamiae notam* referri [1].

Ut igitur in verbis Capitolini nihil prorſus reperio, quod cogat redivivam L. Remmiam ſtatuere, ita in ipſius Antonini Philoſophi moribus omnia contraria deprehendere mihi videor. Nam praeterquam quod hic ἐπιεικὴς κατὰ πάντα φιλόσοφος [2], ſive, quo titulo eum Juſtinianus inſignivit, *philoſophiſſimus Imperator* [3], nimis ſapiens, moderatus ac prudens fuerit, quam ut abolitam & mox denuo abrogandam Legem abſque juſta cauſa reduceret, ipſa quoque poenae infligendae ratio vehementer offendebat in ejus indolem. Usque adeo videlicet crudelitatem & foedum vulneratorum adſpectum averſabatur, ut etiam gladiatoria munera edi vellet incruenta. Quare cum ſemper lucentibus mucronibus pugnarent, edixit, ut retuſis ac praepilatis gladiis, &, more athletarum, ſine caede decertarent [4]. quo vel eodem cap. [5] Capitolinus reſpicit. Quanto autem probabilius in Claudium aliquem, memoratae Legis reſtitutio quadraret? Is quippe adeo ſaevus & ſanguinarius dicitur fuiſſe, ut *quocunque gladiatorio munere, vel ſuo vel alieno, etiam forte prolapſos jugulari juberet, ut exſpirantium facies videret* [6]. Ipſi Trajano id magis convenisset, quam noſtro, quum itidem atroci arenae inſania non vulgariter delectaretur [7]. Quod itaque Trajanum movit, ut Legem Remmiam ſperneret, multo aequius ſanctiſſimum Principem movere debuit, ne revocaret. Hanc autem Trajano rationem Plinius aſſignat, *ne, at antea, exſanguem illam & ferream frontem nequisquam convulnerandam praeberent punctis & notas ſuas riderent* [8]. Nempe Calumniatorum improbitas irritam fecerat hujus poenae utilitatem, quum praecipuus poenarum non capitalium finis in eo conſiſtat, ut ipſi delinquentes emendentur. Jam vero ipſe Capitolinus proximo cap. de M. Antonino praedicat: *Fuitque per omnia moderatiſſimus in hominibus deterrendis a malo, invitandis ad bona: . . . fecitque ex malis bonos, ex bonis optimos* [9]. Proinde cum per ſaeculi nequitiem hac via non emendarentur Delatores, quid, quaeſo, moviſſet M. Antoninum, ut talem poenam reduceret? Et tamen Caſaubonus laudatam Trajani rationem revocationi Legis Remmiae, quam D. Marco adſcribit, ſimiliter applicat, cum in continenti praemiſiſſet, hunc Imp. *illam ipſam veterem Legem ſevere & acriter exercuiſſe, non ut mali Principes, qui aut ſpernebant palam, aut exercebant dicis cauſa* [10]. Sed haec omnia cum dicit, revera nihil dicit. nam diſcrimen ponit inter eos, qui ſevere, & qui tantum dicis cauſa aut prorſus non exercerent L. Remmiam; & pro ratione ſubnectit, *quod notas ſuas rideant*, cum interim ridere non poſſint notas, qui non accipiunt, nec multo mitius aut ſeverius poterant accipere, cum omnibus litera cauterio inurenda eſſet. At Plinius quoque non loquitur de iſtis, qui non exercebant poenam inuſtionis, aut qui mitius, ſed de his, qui, cum acriter exercerent, nihil tamen efficiebant, nefariis hominibus exſanguem ſuam & ferream frontem nequicquam convulnerandam porrigentibus, punctasque ſuas & notas ſeu ſtigmata ridentibus. Ut adeo totum Caſauboni ratiocinium, ut mihi quidem videtur, hoc loco ἀπροσδιόνυσον ſit.

Verum ſatis evicimus non poſſe hic aliam, quam *infamiae* ſeu turpitudinis *notam* intelligi: addamus quem in finem. Poſt verba Capitolini, *Calumniis Quadruplatorum interceſſit, appoſita falſis delatoribus nota*. ſequentia tanquam pro ratione in continenti ſubjiciuntur, *Delationes, quibus Fiſcus augeretur, contempſit*. Nempe, ut ſuo loco [11] oſtendi, Quadruplatores quartam bonorum damnati accipiebant; ubi autem publicatio erat, *Fiſcus* in bona mittebatur. Itaque arctior quaedam cognatio erat inter Fiſcum & Quadruplatores, unde non incongrue *fiſcales calumniae* audiunt, quas & Domitianus initio imperii *magna Calumniantium poena* repreſſit [12], & Aurelianus quoque. De Aureliano Aurelius Victor *deletae Fiſcales & Quadruplatorum, quae urbem miſerabiliter affecerant, Calumniae* [13]. Augebat hoc malum Principum avaritia. Adeoque cum Principes praeter avaritiam haud multum culpandi Fiſcales calumnias clanculum foverent, mali quoque provocarent ut plurimum & praemiis ac honoribus ornarent, religioſiſſimus Imp. omnes omnino delationes tantopere odio habuit, ut ipſos Quadruplatores *ſingulari ignominia* notaret. Nam delationes, quibus Fiſcus augeretur, contempſit, &, ſi quem proſcribere cogeretur, bona ejus *aerario publico*, non *fiſco* inferri voluit [14]. Quod ſi cui hic propter *intercedendi* vocabulum major aliqua M. Antonini Philoſophi ſeveritas ſuboleat, haud magnopere me repugnantem habebit. Ac ſi nimirum D. Marcus de Quadruplatorum delationibus (quippe quae per ſe ſuſpectae) tantum ſummarie cognoſcere permiſerit, atque ſummaria hac cognitione *interceſſerit* intervenerítque, ne plenum ac juſtum, hoc eſt, ſolenne judicium inſtrueretur, arcendo eos cum infamia, qui vel viderentur falſo detuliſſe, & contemnendo ſi forſan appareret delationem qualitercunque veritate ſubniti. Profecto iſtiusmodi interpretatio non abhorret a genio Imperatoris qui neminem niſi coactus proſcriberet; quique delatos ob Chriſtianismum abſolvi jubebat, etiamſi conſtaret, revera Chriſtianos eſſe, Delatores vero ipſos poenas nihilominus luere imperabat [15]. Sed ſuum cuique jucidium permitto, modo mihi hic Legem Remmiam a mortuis non excitet. nam in neminem Imperatorum eam minus quadrare arbitror.

CAPUT XV.

L. Remmiam nec Trajano abrogatam videri.

Remotis igitur, quae obſtare videbantur, quominus Legis Remmiae exitus ad Trajanum usque reduceretur, videamus tandem quid proprie ſibi velint quae Plinius ea de re memoriae tradidit. Certe meretur elegantiſſimus locus (*a*), qui hactenus praeſidio nobis fuit, & cui ſententiam noſtram magna ex parte acceptam ferimus, ut aliquanto accuratius expendatur. Dicit in Annalibus ſuis Pighius [16], Calumniatorum poenam ex L. Remmia multis poſtea (poſt annum U. C. DCXIII.) temporibus Romae, ad Trajani usque tempora uſu obſervatam fuiſſe, idque ſe cognoſcere ex C. Plinii junioris Panegyrico, ubi laudat Trajanum, quod ſycophantarum poenas legibus edictisque ſuis aggravaſſet, & ad talionis hoſtimentum fere reduxiſſet. An autem deinceps (ut hoc in tranſitu addam) penitus ceſſaverit L. Remmia, ſtatuere non eſt

1 Lipſ. ad *Plin. Paneg. c* 35. ad verba *& notas ſuas rideant*. 2 Suidas in voce Μάρκος. 3 *Nov.* XXII. *c.* 19. & inde in *l. ult. C. de Repud.* 4 Dion Caſſ. ap. *Xiphil. in M. Anton. Philoſoph.* 5 Capitol. in *eod. d. c.* 11. 6 Sueton. in *Claud.* 34. 7 Dio apud *Xiphil. in Traj.* quod vitium tecte incruſtat Plin. *Paneg. c* 33. 8 Plin. in *Paneg. c.* 35. 9 Capitol. in *M. Anton. c.* 12. 10 Caſaub. ad *Plin. Panegyr. c.* 35.

11 *Cap.* IV. 12 Sueton. in *Domit. c.* 9. *ad fin.* 13 Aurel. Victor. *de Caeſar. c.* 35. 14 Vulcat. Gallican. in *Avid. Caſſ. c.* 7. adde 8. & 12. 15 *Epiſtola M. Anton. Philoſ.* quam Euſebius conſervavit; ſolet autem edi poſt Juſtini Martyris *Apologiam*. (*a*) Ipſum locum, quia paulo longior eſt, hic non duxi repetendum: nam *cap.* I. integrum deſcripſi. eſt autem deſumptus ex *Panegyr.* ejus in *Trajan. c.* 35. 16 Pighii Annales ad Ann. DCXIII.

eſt auſis. Quare miror eruditiſſimum non minus quam conſultiſſ. Virum Ant. Matthaeum etiam illic tam perſpicue ad locum Plinii reſpicere, ubi de abrogata per Conſtantinum L. Remmia loquitur [1]. Verum ut hactenus nullius ſuffragio praepediti fuimus, ita nec in ſequentibus nos ulla autoritas a ſincera ac ſimplici veritatis indagatione abſterrebit.

Quod ad Trajanum, ſi verum fatear, ex Plinii verbis non animadverto, Legem Remmiam ſub eo demum deſiiſſe, ſed eandem jam *ante* abolitam reor. Ait enim Plinius, *neque ut* ANTEA *exſanguem illam* &c. Quod ſi ad haec uſque tempora duraviſſet L. Remmia, non videtur dicturus, *neque ut Antea*, ſed, *neque ut Hactenus* &c. Nam ut exquiſitarum vocum ſtudioſiſſimi ſunt Panegyriſtae, non eſt veriſimile, hunc omnium aliorum longe praecipuum tam grandem incuriam commiſſurum. Longe autem glorioſius eſt, legem aut morem, quem *hactenus* improbi ſpreverant eluſerantque, nova lege extinguere, quam in necem veteris & ſeneſcentis mali, quod dudum *ante* obtinuit, praeſens atque efficax remedium excogitare. Sane hoc Plinius non praetermiſiſſet, qui vel ipſa Principis ſui vitia tam ſcite novit colorare, ut virtuti ea [2] tribuat; tantum abeſt ut occaſionem laudes ex vero cumulandi neglecturus videatur, eamque adeo manifeſtam. Sed, ne longe abeamus, in hoc ipſo laudis genere, tantundem Trajano tribuere ſolitus eſt, quantum vel maxime poteſt. Vide quam oratorie heic loci decantet. *Quantum diverſitas temporum poſſet, tum maxime cognitum eſt, cum iisdem, quibus Antea, cautibus innocentiſſimus quisque, tunc nocentiſſimus affigeretur, cumque inſulas omnes, quas modo Senatorum, jam Delatorum turba compleret.* Ubi τὸ *antea* contrariam plane emphaſin habet, & in cumulatiſſimam Trajani laudem tendit. Propemodum ſcilicet, ac ſi ante eum nemo Delatores exilio aut deportatione puniviſſet, cum tamen apud Tacitum plurima ejus rei exempla occurrant [3]. Porro Titus, quem etiam mox laudat, Delatores *aſſidue in foro flagellis & fuſtibus caeſos, ac noviſſime traductos per amphitheatri harenam, partim ſubjici in ſervos ac venundari imperavit, partim in aſperrimas inſulas avehi* [4]. Ad hujus exemplum Trajanus in ſpectaculis *deſuper intueri* praebuit *Delatorum ſupina ora retortasque cervices* (id eſt, per amphitheatrum (*a*) traduxit) atque eos deinde *in navigia raptim conquiſita congeſtos tempeſtatibus dedit* [5]. Quum igitur Plinius hanc quoque Calumniatorum animadverſionem ita efferat, ut primo obtutu ante omnes Principes Trajanus illam excogitaſſe videatur, quanto magis extuliſſet profectam ab eo Legis Remmiae abrogationem?

Eſt & aliud argumentum in verbis Plinii, ex quo ſimiliter colligere eſt, Legem Remmiam aliquandiu ante hunc Imperatorem deſiiſſe. Ait enim ſtatim, ut talionis poenam exornavit, quam inuſtioni ex L. Remmia opponit *D. Titum ingenti animo ſecuritati* Romanae *ultionique proſpexiſſe*: & mox, *patrem* ejus *Nervam perquam magna quaedam edicto Titi adſtruxiſſe* [6]. certo indicio, neque Nervam, neque Titum poena Legis Remmiae uſos aut ea contentos fuiſſe. Et quidem Titus, *ut etiam ſimilia quandoque auſuros perpetuo coërceret*, non intendit L. Remmiam, ſed *vetuit inter cetera de eadem re pluribus legibus agi, quaerive de cujusdam ſtatu ultra certos annos* [7]. De Nerva vero nihil aliud reperio, quam „ *ſervos eum & libertos puniviſſe, qui dominis aut pa-* „ *tronis periculum feciſſent, neve in poſterum liceret:* „ *Item, ne quis impietatis* (hoc eſt, majeſtatis) „ *aut ritus Judaici* (hoc eſt Chriſtianiſmi) *accuſaretur* [8]. „ Ceterum licet fateatur Plinius, Trajanum in refraenanda calumnia hos Principes ſequutum, tamen haec rurſus, ut rhetorem decet, magnifice eidem applicat, tanquam ſi, cum deceſſores *nihil reliqui feciſſe viderentur, tam multa tamen excogitaſſet, ut ſi ante ipſum nihil eſſet inventum.* Interim ſufficit eum agnoſcere, quae Trajanus adverſus Calumniatores ſtatuit, non ab ipſo primum inventa fuiſſe, ſed additamentum modo & acceſſionem eorum, quae alii Principes jam ante excogitaverant. Immo vero hic Imp. non tantum Nervam Titumque in fine & ſcopo imitatus eſt, quatenus videlicet *perpetuae ſecuritatis cauſa* adverſus omnes omnino Delationum ſpecies providit, verum etiam in modo & ratione cavendi Auguſtum habuit, quem imitaretur. Is enim *diuturnorum reorum, & ex quorum ſordibus nihil aliud, quam voluptas inimicis quaereretur, nomina abolevit: conditione propoſita, ut ſi quem quis repetere vellet*, PAR PERICULUM POENAE *ſubiret* [9]. Adeo ante Trajanum Auguſtus *talionem* ſive ſupplicii ſimilitudinem in accuſationibus induxit, ſed tantum hac una in ſpecie, ubi voluptas ex reatu quaerebatur, iidemque poſt abolitionem repetebantur. Quo in caſu Domitianus deinceps, dum adhuc Titum fratrem aemulabatur, exilii poenam ſtatuit. *Reos*, ait de eo Suetonius, *qui ante quinquennium proximum apud aerarium pependiſſent, univerſos diſcrimine liberavit, nec repeti, niſi intra annum, eaque conditione permiſit, ut Accuſatori, qui cauſam non teneret, exilium poena eſſet* [10]. Atque ad hanc reorum abolitionem reſcriptumque ea de re, ſi bene conjicio, reſpicit omnino Paulus JCtus [11]. Sed in viam. Itaque cum Auguſtus una aliqua in ſpecie jus Rhadamantheum ſive poenam talionis introduxiſſet, tam aequum illud juſtumque viſum Trajano, ut ad quascunque Calumnias eam porrigeret. & rectiſſime quidem. *Nam, ut ait Pedius, quotiens Lege aliquid, unum vel alterum introductum eſt, bona occaſio eſt, cetera, quae tendunt ad eandem utilitatem vel interpretatione vel certe jurisdictione ſuppleri* [12]. Ceterum an cum generali talionis poena jam ſtatim ſubſcriptio in crimen conjuncta fuerit, an vero dein moribus acceſſerit, divinare quam ſtatuere conſultius eſt. Quamvis tamen ex ſilentio Plinii longe probabilius putem, non eſſe eam a Trajano profectam, ſed poſterioribus temporibus deberi.

Poſtremum argumentum in ſilentio quorumvis aliorum Scriptorum latet, quorum nemo circa haec tempora poenae ex Lege Remmia meminit: ſed hujus ratiocinii vis proximo cap. intendetur.

CAPUT XVI.

Ad quae tempora exitus L. Remmiae videatur referendus.

QUae hactenus dicta fidem fortaſſe haud ita difficulter impetrabunt; ſed quo nunc pergo, vereor ut paradoxi notam effugere potuerit. Verum Stoicos ſequar, quos ipſi Juris Auctores in multis non dubitant ſequi. His *peccare eſt, tanquam tranſilire lineas: quod cum feceris, culpa commiſſa eſt: quam longe progrediare cum ſemel tranſieris, ad augendam tranſeundi culpam nihil pertinet* [13]. Itaque libere conjecturis indulgebo in re, quae ſine conjecturis expedire non poteſt: utque aliis liberum, amplecti quae velint, ita mihi ſit, quod ſentiam dicere.

Huc-

1 Ant. Matth. *de Crimin. Lib.* XLVIII. *w. tit.* 17. *cap.* 3. *n.* 1. Vide etiam *tit.* 13. *c.* 1. *n.* 9. 2 Plin. in *Paneg. Traj. c.* 33. & 54. circa ſtudium ludorum & gladiatoriam atrocitatem. 3 Tacit. *Annal. Lib.* III. *c.* 31. & 36. *Lib.* VI. *cap.* 30. & *Lib.* XIII. *c.* 22, 23, 33, 43. &c. 4 Sueton. in *Tito c.* 8. (*a*) Quo reſpicit etiam Epigrammatum ſcriptor, dum Libro *Spectacular. epig.* 4. ait: — *Nec cepit arena nocentes.* 5 Plin. *d. Panegyr. c.* 34. 6 Idem *ibid. c.* 35. *n.* 4. 7 Sueton. in *Tito d. c.* 8.

8 Dio apud *Xiphil. in Nerva.* 9 Sueton. in *Aug. c.* 32. 10 Idem in *Domit. c.* 9. 11 *L.* 16. *w. ad SCtum Turpill.* 12 *L.* 13. *w. de Legib.* 13 Cic. *Paradox.* III.

Hucusque talionem ſive ſupplicii ſimilitudinem primarii argumenti loco habui, ſed cum jam ad initia ejus pervenerim, & tamen necdum exitum Legis Remmiae deprehendiſſe videar, alia via erit altius penetrandum. ubi autem memoratum κριτήριον deſinit, ſuccedunt accuratiſſimorum ejus temporis Auctorum reticentia, mores populi Romani & ipſius Legis Remmiae inſignis defectus. Haec autem ut ſingula per ſe parum firma ſunt, tamen conjuncta, ut ego quidem arbitror, haud contemnendae probationis vim habent.

Fateor hiſtoriae Auguſtae ſcriptorum, & qui cum iis inſequentium Principum res geſtas tradidere, ſilentium non adeo magni momenti eſſe; ſed ſuperioris aevi monumenta quam exactiſſime & a quam plurimis conſcripta ſunt. Quis enim Suetonii antiquitatum conſervandarum ſedulitatem, quis Taciti aut Dionis Caſſii ἀκρίβειαν facile vicerit? quis omnes ritus, ſolennia, mores legesque populi Romani Plutarcho ſtudioſius annotaverit? Et tamen apud neminem horum Legis Remmiae ritusque ac poenae tam ſingularis mentio occurrit, licet ſtigmata delinquentium & alias hujusmodi res ſolerter conſervarint, licet etiam innumeras Calumniantium animadverſiones ab hominum oblivione cum cura vindicaverint. Immo Tacitus conqueritur, ſimulque annales ſuos excuſat, quod tantum fere *continuas Accuſationes perniciemque innocentium* contineant [1]. Ut autem tot illuſtrium virorum necem indignatur, ita non minus infenſus eſt iis, quorum artibus & opera infelices illi quotidie peribant, eorumque ſi quando facultas incideret, poenas cum gaudio deſcribit. Sed nec apud Suetonium aut Dionem Caſſium ſimilis obſervationis argumenta deſunt, absque tamen ulla Legis Remmiae mentione. Ut merito dubitem an ullae iſtorum ſaeculorum res tanta cum accuratione ac diligentia traditae ſint, quam Calumniatorum fata, cum nihil quoque eſſet, quod aeque in omnes cujuscunque ordinis, aetatis, & ſexus homines graſſaretur.

Dixerit forte aliquis, per ipſorum Principum favorem factum eſſe, quominus devotiſſima haec Imperatoriae dominationi mancipia juſtis ſuppliciis afficerentur. Verumtamen hoc non cadit in eos, quos interdum propter intolerabilem ſcelerum accuſationumque magnitudinem lubentiſſime ſubverterunt. Certe non in P. Suilium, terribilem illum & venalem accuſandi machinatorem, qui initio imperii Neronis, annitente Seneca, damnatus eſt. Nam ſi unquam judicii ſeveritatem ſub bono adhuc Principe meritus fuit, is certe erat, qui *acerbitate accuſationis Q. Pomponium ad neceſſitatem belli civilis detruſerat*, qui *Juliam Druſi filiam, Sabinamque Poppaeam ad mortem egerat*, qui *Valerium Aſiaticum, Luſium Saturninum, Cornelium Lupum circumvenerat*, qui denique integra *Equitum Romanorum agmina damnaverat*. Ejus autem non aduſta, ut ceteroqui debuerat, ex L. Remmia frons fuit, ſed *bonorum parte adempta in inſulas Baleares pulſus eſt* [2]. Quod ſi quis eo amplius contumelias deſideret, ſciat Delatores ſub optimo Principum *aſſidue in foro flagellis ac fuſtibus caeſos, ac noviſſime traductos per amphitheatri harenam* tandem venundatos fuiſſe [3], neque aut Tacitus, qui paſſim rerum cauſas & origines aliquanto altius repetit, aut Suetonius, diligentiſſimus antiquitatum conſervator, tam oportunis locis quicquam Legis Remmiae meminere. Ex adverſo aliam ſtigmatum deformationem, etiam in honeſtis viris, non cenſuit praetereundam Suetonius. *Multos honeſti ordinis*, inquit de Caligula, *deformatos prius ſtigmatum notis ad metalla, aut viarum munitiones, aut ad beſtias condemnavit* [4]. Sed ne his temporibus diutius inhaeream, aſcendo ad ea, quibus respublica vixit & libertas.

Quanta hic rurſus accuratiſſimorum non minus, quam elegantiſſimorum Hiſtoricorum ſeges! qualis Salluſtius & copioſus ille Livius; e Graecis vero Polybius & Diodorus Siculus. Neque tamen apud hos magis, quam apud ſequentium ſaeculorum ſcriptores aliqua Legis Remmiae memoria. Sicut nec apud eos, qui ex profeſſo antiquos mores & exempla collegere, Valerium Maximum, Plutarchum & Aul. Gellium. Plus dicam. Ex Suetonii de Claris Rhetoribus libello videor mihi contrarium quodammodo colligere. Nam ad Cn. Pompeji Magni tempora refert *Rhetorem* quendam, CALUMNIA NOTATUM, de quo teſtatur, quod *ludum docendi aperuit, docuitque inter ceteros Marcum Antonium & Auguſtum* [5]. Jam autem parum veroſimile eſt, homini ad frontem tam turpiter notato commiſſos fuiſſe illuſtriſſimorum Romanorum filios. Quare etiam Ciceronem in laudato ſaepius loco [6] vix arbitror ſerio accipiendum, ſed quemadmodum totus in luſu eſt, elegantiſſima eum allegoria ex antiquo more inurendi Calumniatoribus literam K, craſſam pudendamque literarum ignorantiam adverſario ſuo objicere. Denique vehementer dubito, num antiquiſſimum hunc morem reſpexerit Senatus, dum *occiſo Nerone delatores & miniſtros* MORE MAJORUM *puniendos flagitabat* [7]. Nam ut vulgo quidem vetuſtiſſimum & peculiare Romanorum capitis ſupplicium καθ' ἐξοχὴν *poena more majorum* vocatur, ita jam pridem notavit Cl. Anteceſſor G. Noodt, quem honoris & obſervantiae cauſa nomino, etiam alias antiquas & ſingulares populi Romani poenas Legeſque hac deſignatione indicari [8]. Non autem vera & propria poena more majorum, me judice, hic intelligi poteſt, quia nunquam antea tam acerbum in modum cum Delatoribus actum fuit, &, ſi forte ſequentibus temporibus unus aut alter Princeps Delatores morte affecit, pro extraordinario & nimis ſevero annotatum fuit (*a*). Quoniam igitur ipſi Principes ordinariam ultimi ſupplicii poenam hoc in caſu non ſine reprehenſione in paucos exercuerunt, haud facile crediderim, Senatum ſolennem priſco more animadvertendi rationem in omnes non tantum *Delatores*, ſed & *miniſtros* eorum, id eſt, ut ego interpretor, in indices, teſtes, ſectores alioſque accuſationum mancipes intentare auſos. Profecto jure *more majorum poena* vocari potuit, quae tam antiqua, ut in aliquot praecedentium temporum hiſtoriis exempla illius non invenirentur.

CAPUT XVII.

Continuatio.

COnſonum Hiſtoricorum aliorumque veterum Scriptorum ſilentium juvant politioris ſaeculi diſciplina & mores. Multa etenim duritiae Veterum & rudia populi Romani inſtituta in melius mutata, mollioribus temporibus aut penitus abolita.

Ita

1 Tacit. *Annal. Lib.* IV. *c.* 33. & *Lib.* XVI. *c.* 16. 2 Tacit. *Annal. Lib.* XIII. *c.* 43. 3 Sueton. in *Tito*, *cap.* 8.

4 Sueton. in *Calig. c.* 27. 5 Idem de *Clar. Rhetor. c.* 4. 6 Cic pro *Sex. Roſc. Amer. c.* 20. 7 Tacit. *Hiſtor. Lib.* IV. *c.* 42. 8 Cl. G. Noodt, *Probab. Lib.* I. *c.* 11. §. 3. occaſione *l.* 9. *ff. de L. Pompeja de Parric.* ubi Modeſtinus docet, poenam parricidii ex L. Pompeja *poenam more majorum* appellari. (*a*) Nam de Galba, qui nonnullos ſub Nerone delationibus aliiſque flagitiis famoſos per urbem duci ac poſtea morte mulctari juſſit, Dio apud Xiphil. in *Galba*, tradit Sueton. *c.* 9. *in eodem*, quod jam ante imperium *acer, vehemens, & in coërcendis quidem delictis vel immodicus* fuerit: ſicut etiam cum urbem Imperator accederet, *praeceſſit de eo fama ſaevitiae. ibid. c.* 11. Et de Macrino teſtatur Capitolin. idque eodem loco, ubi eum Delatores capite affeciſſe narrat, *ſuperbum eum & ſanguinarium* fuiſſe: in *vita ejus c.* 12.

Ita ſenſim evanuit mos obtorto collo in jus rapiendi, & rigidiora patriae poteſtatis jura aliaque priſtini ac ſeveri aevi paulatim mitigata & laxata ſunt. Ipſe Auguſtus *quaedam ex horrida illa antiquitate ad praeſentem uſum flexiſſe* dicitur [1]: quum jam ante aliquantulum de ſpatio curriculoque conſuetudo Majorum deflexiſſet. Ut autem ad atrox illud & immane Decemvirorum effatum de debitore in partes ſecando perventum eſt nunquam [2], ita ipſe nexus debitorum cum carceris poena commutatus eſt [3], atque ea demum penitus a Julio Caeſare per ceſſionis beneficium ſublata [4]. Praeterea cum olim in more poſitum eſſet, captivos e triumpho, in quo ducti fuerant, in carcere ſtatim necare, tandem quoque & illud deſiit.

Nec alia ſuppliciorum ratio fuit. Nam ea, quae majorem quandam truculentiam, aut foedum tetrumque adſpectum concitabant, ſimiliter abrogata ſenſim & abolita ſunt. *Poena injuriarum*, inquit, Juſtinianus, *ex Lege* XII. *Tabularum propter membrum quidem ruptum talio erat. Poſtea vero Praetores* &c. et mox, *Sed poena quidem injuriae, quae ex L.* XII. *Tabb. introducta eſt, in deſuetudinem abiit: quam autem Praetores introduxerunt in judiciis frequentatur* [5]. Falſus teſtis ex eadem XII. Tabularum Lege a rupe Tarpeja dejiciendus erat, ſed jam olim haec atrocitas neglecta [6], & rara admodum ejus poenae exempla occurrunt, donec tandem in genere ſtatutum, *Non poteſt quis ſic damnari, ut de ſaxo praecipitetur* [7]. Sed & plures ejusmodi Leges e XII. Tabulis congeſſit Gellius, quas populus propter ſupplicii immanitatem ſitu atque ſenio emori paſſus eſt [8]. Denique nulla forte ex recondita antiquitate notior, quam *more majorum poena*; & tamen haec adeo obſoleverat Neronis aevo, ut cum a Senatu hoſtis judicatus & more majorum puniri juſſus eſſet, ab aliis ſciſcitari deberet, *quale id genus poenae eſſet* [9]: quemadmodum jam ante Claudius ob inſolentiam ſpectare illud concupiverat [10]. At nimis diſerte Paetus Thraſea apud Tacitum, *Carnificem*, inquit [11], antiqui moris ſupplicium innuens, *& laqueum pridem abolita, & eſſe poenas legibus conſtitutas, quibus ſine judicum ſaevitia & temporum infamia ſupplicia decernerentur*. Quae humanitatis ratio cum in graviſſimorum criminum animadverſionibus habita ſit, juſtiſſime populus Romanus in Calumniis vindicandis turpem illam & indecoram ingenui hominis deformationem foedasque in facie ſervilis inuſtionis plagas ac cicatrices non tulit (*u*).

Porro Legis Remmiae exitum ſine dubio maturavit quoque ipſius poenae vitium ac defectus. Certe primis iisdemque rudibus adhuc & ſimplicibus reipubl. temporibus ejusmodi poena uſu venire potuit. *Nemo enim eſt tam agreſtis*, ait Cicero, *quem non, ſi ipſa minus honeſtas, contumelia tamen & dedecus magnopere moveat* [12]. eo, inquam, tempore, cum *mori ſatius, quam vitae ferre pudorem.* Verum ubi pro labore deſidia, pro continentia & pudore libido atque audacia invaſere, videntur Calumnia notati latronibus ſe junxiſſe, aut, ſi hoc non facerent, incredibili impudentia exſanguem ſuam & ferream frontem nequicquam convulnerandam praebuiſſe punctis ſuasque notas palam riſiſſe. Alterum autem horum in generalem omnium poenarum non capitalium finem incurrebat. alterum eo amplius in peculiarem ipſius L. Remmiae intentionem; at vero utrumque reip. infeſtum erat, & omnibus bonis perquam periculoſum.

Poenarum igitur, quae capitis diſcrimen non ingerunt, naturam rationemque indagantibus apparebit earundem ſcopum ac finem primarium ab omnibus Legiſlatoribus in poenitentia & emendatione delinquentis collocari. Unde Varro, *Poena a puniendo, vel*, quaſi ſe ipſum corrigens, *a poenitendo, quod poſt peccatum ſequitur* [13]. Sed ne teſtimoniorum multitudine Lectorem obruam, audiat egregie diſſerentem Platonem. Nimirum accuſari vult, μὴ ἀποκρύπτεσθαι, ἀλλ' εἰς τὸ φανερὸν ἄγειν τὸ ἀδίκημα, ἵνα δῷ δίκην καὶ ὑγιὴς γένηται. „ Ne lateant crimina, ſed producantur, unde poenas ille perſolvat, „ ſanusque evadat [14]. & alibi, τὸν γὰρ κακὸν ἀεὶ δεῖ „ κολάζειν, ἵνα ᾖ ἀμείνων. in improbum ſemper ani„ madvertere oportet, ut melior fiat [15]. Idemque etiam M. Antonini Philoſophi inſtitutum ſupra obſervavimus, qui *ex malis bonos, ex bonis optimos* ſolebat *reddere* [16]. Nempe haud inulta patietur peccata legiſlator, non poenae nocentium cupidus, ſed emendandi vitia, corrigendique mores. Quomodo autem reſipiſcere aut melior fieri poteſt, qui ob perpetuam honeſtorum hominum fugam civitatem egreſſus latronibus ac ſicariis ſe copulat? aut, quia perfrictae frontis eſt, bonorum conſortium ſpernit, ſeque ſuae conditionis nebulonibus adjungit? Quod ſi forte Calumniatores, pudore ſuffuſi, oculis hominum ſeſe ſubducerent, quis jam, quaeſo, criminoſi adſpectus erat, per quem ceteri cives abſterrerentur? & tamen hic proprius Legis Remmiae ſcopus erat. Adde, quod interea, dum extorres agebant, ad latrocinandum adigerentur. Niſi ſi quis, ad exemplum Philippi Macedonis, πονηρόπολιν quandam condere voluerit, ubi is collocavit bis mille, qui ob improbitatem male audiebant, Calumniatores, falſos teſtes & cauſidicos [17]. Quare etiam hodie ſtigmata maleficorum tergis inuri ſolent, ut emendabiles ſint. Sed fac manſiſſe in civitate: vel ſic patriae civibusque timendi erant. Vere enim Seneca, *Nolunt ſolita peccare, quibus peccandi praemium infamia eſt* [18]. praeſertim vero cum tales omnem pudorem & verecundiam dudum depoſuerint. ἡ γὰρ ἀναισχυντία ſecundum Xenophontem ἐπὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ ἡγεμών „ Impudentia enim ad omnem turpitu„ dinem dux eſt [19]. adeoque Euripidi νόσων πασῶν „ ἡ μεγίστη jure audit, id eſt, omnium vitiorum „ maximum [20]. Quod ſi nihil aliud egiſſet Lex Remmia, quam quod Calumniatores omnibus muneribus & dignitatibus privaret, neſcio num eo ipſo, ſpe emergendi adempta, difficillimos emendatu reddidiſſet. Nam C. Gracchus egregius per ſe juvenis [21], cum propter ſeditionem fratris omnibus honoribus excluderetur, alteram concitavit [22]. Itaque omnibus rite perpenſis, nec ratio fuit cur tam inutilis & pernicioſa poena diu obtineret. *Non enim profecto ignoras*, ait Caecilius Phavorino Philoſopho, *Legum opportunitates & medelas pro temporum moribus & pro rerumpublicarum generibus, ac proutilitatum praeſentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum eſt, fervoribus mutari ac flecti* [23].

Un-

1 Tacit. *Annal. Lib.* VI. *c.* 16. 2 A. Gellius *Noct. Attic. Lib.* XX. *c.* 1. & Tertull. in *Apolog. c.* 4. 3 Liv. *Lib.* VIII. *c.* 28. Licinnius Rufinus in *l.* 34. *ff. de Re judic.* 4 *L. Legis Juliae* 4 *C. qui bon. ced. poſſ.* 5 §. 7. *Inſtit. de Injur.* 6 A. Gell. *laud. loc.* 7 *L.* 25. §. 1. *ff. de Poen.* 8 Gell. *d. Lib.* XX. *c.* 1. 9 Sueton in *Nerone c.* 49. 10 Idem in *Claud. c.* 34. confer omnino in *Domit. c.* 11. 11 Tacit. *Annal. Lib.* XIV. *c.* 48. (*u*) Magis id conveniret ſectae poſteriorum temporum, quando nares adulteris abſcindebantur, ex *Novella Leonis* XXXII. quando etiam, ut Cujacius cenſet, manus praeſcindi, aliorumque membrorum mutilationes fieri ſolebant. Fabrott. *Exercit.* XII. 12 Cic. in *Partit. Orator. c.* 26.

13 Varro *de L. L. Lib.* IV. *ad fin.* Adde Gell. *Lib.* VI. *Noct. Attic. c.* 14. quod cap. inſcribitur, *Poeniendis peccatis tres eſſe rationes a philoſophis attributas, & quamobrem Plato tantum duarum ex his meminerit.* 14 Plato in *Gorgia p.* 294. *edit. Lugdun.* 15 Idem *de Legib. Lib.* II. 16 Capitolin. in *M. Anton. c.* 12. 17 Theopomp. *Lib.* XIII. *Rer. Philippic.* 18 Seneca *epiſt.* 123. & Plautus in *Bacchid.* III. 3. 81. *Nam ego illum periiſſe duco, cui quidem periit pudor.* 19 Xenoph. in *Κυροπαιδ. Lib.* 1. 20 Euripid. in *Medea, vſ.* 471. 21 Cic. *de Arte Orat.* 22 Plutarch. in *vita Gracchor.* Flor. *Lib.* III. *c.* 15. 23 A. Gell. *Noct. Attic. d. Lib.* XX. *c.* 1.

Unde porro ſponte elucet, & antiquiſſimo tempore latam eſſe debere Legem Remmiam, & non ita diu obtinuiſſe. Ceterum licet poena illius in deſuetudinem abierit, videntur tamen adhuc quaedam ejus capita ſive ſanctiones in uſu manſiſſe, quae accuſandi ordinem & requiſita aliasve circumſtantias determinarent. Quod ſane ut cum pluribus antiquatis Legibus commune habuit [1], ita vel maxime conſtat ex Papiniani ratiocinio [2], cujus aetate etiamnum ejus formulam aut ſaltem fragmenta quaedam ſuperfuiſſe neceſſum eſt. Nec tamen, quoad brevem Legis Remmiae continuationem, cujusquam aſſenſum cohibeat ingens locutionum & allegoriarum ſilva, quae ex ipſa poena derivantur eodemve reſpiciunt: has enim magis celebritati illius & inſuetae animadverſionis novitati tribuendas putarim, quam frequenti aut diuturno uſui. Atque ita plures mores ac ritus valde antiqui fuerunt, e quibus phraſes deſumptae, quamvis eosdem raro eveniſſe, & jam olim ceſſaviſſe conſtet. Immo vero, cum Otho ait, *Nihil referre, ab hoſte in acie, an in foro ſub creditoribus caderet* [3], videtur mihi reſpicere ad vetuſtiſſimam illam de debitore in partes ſecando Legem, quamvis, ut diximus, nemo usquam ob debita in partes diſſectus legatur, ullamve ea res veri ſpeciem habeat. Sic ego ſentio.

CAPUT XVIII.

De Poenis Calumniatorum extraordinariis.

QUandoquidem quae ad ipſam Legem Remmiam faciunt, ordine vidimus, videamus etiam, quaenam remedia deinceps adverſus Calumnias excogitata ſint. Nam & illud haud contemnendum pondus argumentationi noſtrae allaturum videtur, ſcire quid in Calumniatores obtinuerit eo tempore, quo alii Legem Remmiam obtinuiſſe ſtatuunt. Qua in parte conſiderandum, duplicem fuiſſe animadvertendi in eos rationem, alteram ordinariam, alteram quae extra ordinem infligeretur. Nam quo magis horrendum ac terribilem in modum ſub malis Imperatoribus ſaevirent Calumniatores, eo durius ſubinde a bonis coërcendi fuere. Incredibile autem eſt, quam perfide ac truculenter olim, faventibus, immo palam incitantibus, Principibus, omnia longe lateque caedibus impleverint. Utque tyrannicis temporibus

— *rarus venit in coenacula miles* [4].

ita etiam nefarium iſtud perditiſſimorum hominum genus optimatium imprimis nobiliumque domos ſubvertebat.

Sed non adeo virtutum ſterile ſaeculum, ut non & bona exempla prodiderit. Exſtiterunt enim, qui ferro & igne huic malo obviam irent, atque omni ratione curas tollendis Calumniis intenderent. Videlicet aliquando ex cauſa Legum poenas Princeps egreditur: & recte Aurelius Victor in Severo; *Ea delictorum quae graſſari immodice coeperint, plus paene, quam ſevere excidenda ſunt* [5]. Nec abludunt Claudii Saturnini verba, dicentis, *Nonnunquam evenit, ut aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur, quoties nimirum multis perſonis graſſantibus exemplo opus ſit* [6]. Atque ita *exempli* vox, notante Donato, paſſim & proprie accipitur pro maximis graviſſimisque poenis, quae ceteris *exemplo* ſive documento eſſe poſſunt, ne delinquant [7]. Inde apud Plautum eſt,

Quando ego te Exemplis excruciavero peſſumis [8].

& apud Marcianum *De publicis judiciis*, ubi agit de falſa & calumnioſa Irenarcharum relatione, *ut vindicet in Exemplum* magiſtratus [9]. cujusmodi plura occurrunt in veterum Juriſconſultorum Scriptis. Egregie vero Tacitus, & appoſite ad hujusmodi poenarum naturam; *Habet aliquid ex iniquo omne magnum Exemplum, quod contra ſingulos utilitate publica rependitur* [10]. Neque ſolius Romanae reipubl. in poenis exercendis, ſed & omnium aliarum gentium hic ſcopus praecipuus atque haec intentio fuit, ut nempe *exemplo aliis ad deterrenda maleficia ſint* [11]. Cujus quidem rei ego nullum aut ſimplicius aut ſolidius argumentum novi, quam quod in omnibus linguis poenarum denominatio eandem plane analogiam & originationem habet. Nam ſimili ratione ac Latini *exemplum*, Hebraei quoque מוסר *muſar*, dicunt Graeci *παράδειγμα* (a): alii perinde in ſuis linguis [12]. Praeterea quemadmodum *ea ſunt animadvertenda peccata maxime, quae difficillime praecaventur* [13], ita *exempla* non temere aut frequenter edi oportet, ne vileſcant, quippe, *Ut fulmina*, Senecam audis [14], *paucorum periculo cadunt, omnium metu; ſic animadverſiones magnarum poteſtatum terrent latius quam nocent* (b). Amplius cum in uno atque altero ſtatutum eſt, unde ſibi quisque exemplum capiat, mitiores dein & ordinariae poenae irrogandae ſunt.

Nec aliter cum Delatoribus actum. Nam ubi calumniantium poena per tyrannidem malorum Principum in deſuetudinem abiiſſet, boni identidem ſeveriore ſupplicio perditam profligatamque diſciplinam vindicare debuerunt. Proinde ne apud bonos quidem ſemper Calumniatorum ſibi conſtitere poenae, ſed pro ut neceſſitas atque indoles Imperatorum ferebat, magis minusve intendebantur. At adeo tamen, ut inter exemplarem quorundam coërcitionem, & poenam ordinariam vulgo diſtingueretur. Alterum horum Plinius *altiom proſpicere*, alterum vero *ſecuritati*, nominare videtur. nam quod de Tito attingit, *Ingenti quidem animo divus Titus* SECURITATI *noſtrae* ULTIONIQUE *proſpexerat* [15], clare Suetonius exprimit, poſt ignominioſam & gravem Calumniatorum quorundam animadverſionem, ſtatim ſubjiciens, *atque etiam ſimilia quandoque auſuros in perpetuum coërceret*, *vetuit* &c. [16]. Similis ejusdem Plinii de Trajano obſervatio eſt, dum ab extraordinaria Delatorum poena ad ordinariam tranſit. Poſtquam enim narravit quomodo Trajanus *Ultionem hominum terrarumque Diis maris commendaſſet* imponendo Delatores navigiis raptim conquiſitis, mox ſubjungit, *quos quidem non in praeſens tantum, ſed in aeternum repreſſiſti*, *mille* &c. [17]. Emphatice vero Tacitus, *dandam Ultionis Exemplum* [18]; & alibi, *Factum et Senatusconſultum Ultioni juxta & Securitati* [19]. Sed ad propoſitum.

Quod igitur ad extraordinaria Calumniantium ſupplicia attinet, quae tam diligenter ab ordinariis ſeparari videmus, varia illorum ſub variis Principibus exempla ſeu ſpecies occurrunt. Caeſariano exercitu ad Placentiam tumultuante cum in praecipuos ſeditionis auctores animadvertere Caeſar ſtatuiſſet, centurionem interemit pro milite, quem is falſo

1 Vide ſupra *cap.* XII. 2 In *l.* 13. *ff. de Teſtib.* ad quam *d. cap.* XII. commentatus ſum. 3 Sueton. in *Othone c.* 5. 4 Juvenal. *Sat.* X. *vſ.* 18. 5 Aurel. Vict. in *Caeſar. c.* 20. 6 *L.* 16. §. *ult. ff. de Poen.* 7 Donat. ad *Terent. Eun. Act.* V. *Sc.* 5. *vſ.* 4. & *Sc.* 7. *vſ.* 21. 8 Plaut. *Captiv. Act.* III. *Sc.* 5. *vſ.* 33.

9 *L.* 6 *in ext. ff. de Cuſtod. & Exhib. reor.* 10 Tacit. *Annal. Lib.* XIV. *c.* 44. 11 *L.* 31. *ff. Depoſit.* 12 De *παράδειγμα* vide Gell. *Attic. noct. Lib.* VI. *c.* 14. (a) Sic *παραδειγματίζειν* iisdem eſt *traducere*, & quaſi praetereuntem digito oſtendere, quo ſenſu occurrere apud Matthaeum de Joſepho notiſſimum eſt. 13 Cic. *pro Sex. Roſc. c.* 40. 14 Seneca *de Clement. Lib.* 1. *c.* 8. (b) Similiter plane Impp. in *L.* 1 *C. ad L. Jul. Repetund. Ut unius poena metus poſſit eſſe multorum.* adde *l.* 28. §. 15. *ff. de Poen.* Vegetius quoque *Lib.* 3. *de re Milit. c.* 4. *ut ad omnes metus, ad paucos poena perveniat.* Quod tamen verbotenus a Cicerone mutuatus eſt *pro Cluent. c.* 46. 15 Plin. in *Paneg. c.* 35. *ad fin.* 16 Sueton. in *Tito c.* 8. 17 Plin. in *Paneg. d. c.* 35. *n.* 3. 18 Tacit. *Annal. Lib.* III. *c.* 36. 19 Idem *Annal. Lib.* XIII. *c.* 32.

ſo detulerat [1]. At vero alii flagellis & fuſtibus caeſos omniſque ignominiae genere appetitos ſervituti addixerunt: alii ad fuſtem aut leones damnari voluerunt: alii ultionem hominum terrarumque Diis maris commendarunt: alii vero ſeveritatem exercenere ferro diſtrictam: denique erant, qui tanto adverſus Delatores odio exardeſcerent, ut flammis ultricibus expiandos darent, &, vel ſi probaſſent, exilio punirent. Haec de Galba, Tito, Trajano, M. Antonino Philoſopho, Senatu ſub Pertinace, Macrino, Conſtantino, Juliano, Valente aliiſque memoriae prodita ſunt [2]. Ex hac igitur poenarum, quà acerbarum, quà contumelioſiſſimarum coacervatione, & hoc ſub mitibus ceteroqui Principibus, ultro, arbitror, apparet, quam aſperis ac vehementibus remediis utendum fuerit ad reprimendam eo tempore Calumniantium audaciam. Immo vero ex Galbae & brevi inſecutis, quas ſupra [3] narravimus, Titi ac Trajani coërcitionibus, eo amplius apparet, repreſſos ſub bono aliquo Principe Calumniatores ſtatim denuo inſolentius inſurrexiſſe. Ceterum non flagellis, non igne aut ferro aliisve tormentis ac ſuppliciis afficiendi fuiſſent Delatores, ni mali Principes, qui ſemper numero bonos vincunt, Calumnias impenſe foviſſent, & magnis plerumque honoribus ac praemiis incitaſſent [4]. Verum ſatis *ultioni* datum eſt; videamus item ordinarias, queis in officio continerentur, Delatorum poenas.

CAPUT XIX.

De ordinariis remediis, quae L. Remmiam inſecuta videntur.

UT autem pulchrum eſt, non Delatores ſed Leges timeri, ita viciſſim diſciplinae ac *ſecuritatis* publicae intereſt, circumcidi accuſationes, non penitus tolli. Quare, poſtquam boni Principes terrorem perditis civibus incuſſerant, ordinaria in poſterum & ſtabili poena adverſus Calumniatores proſpiciendum fuit. Quin ſub ipſis Tyrannis quandoque ordinariae coërcitioni locus erat, dum nempe aut bonos adhuc Principes ſimolarent, aut in aperta fraude, quae oihil ad ipſos pertinebat, deprehenderetur aliquis, aut denique dum veterum Delatorum pertaeſi novos ſcelerum miniſtros cogitarent.

Ceterum nullam ſub primis Caeſaribus frequentiorem reperio, quam *exilii* aut *relegationis* poenam. Sic Tacitus quoſdam accuſatorum Eprii Marcelli *exilio* multatos dicit, *tanquam inſonti periculum feciſſent* [5]. quemadmodum eodem Libro de Pacto refert, *Exiliumque accuſatori irrogatum* [6], & de Suilio, pulſum eum in inſulas Baleares [7]: item, *Calviſius quoque & Iturius Relegantur* [8]. De cetero tamen valde fluctuabatur Calumniae poena, & interdum ſolummodo in una aliqua ſpecie definiebatur. Supra [9] jam obſervatum eſt, quomodo Auguſtus diuturnorum reorum abolita nomina repetere a quoquam noluerit, niſi *par periculum poenae* ſubiret: & quemadmodum Domitianus eodem aut ſimili caſu accuſatori, qui cauſam non teneret, *exilii* poenam intentaverit. Sed & alii alio more, prout facultas incidebat, Calumniantes punivere. Hujus vero incerti fontes aperit ſummus arcanorum Imperialium referator Tacitus, occaſione Senatusconſulti, quo recens Galbae principatu cenſuerant Patres, *ut Accuſatorum cauſae noſcerentur*. Nunquam opportunior occaſio reprimendi calumniatores videbatur, quam ſub eo Principe, qui nonnullos eorum ultimo
ſupplicio affecerat. Attamen *id Senatusconſultum*
ait Tacitus, *varie jactatum, & prout potens vel inop-*
reus inciderat, infirmum aut validum retinebatur
Adeo nulla certa aut definita Calumniae poena era
tantum abeſt, ut ipſa Lex Remmia hoc tempo
obtinuiſſe videatur.

Factum quidem paolo ante fuerat Senatusconſu
tum Turpillianum (*a*), in cujus expoſitione Ma
cianus Legis Remmiae meminit, verum propter
lud Senatusconſultum non tangebat Calumniatore
Quin e contrario, ſicut ſub Principe factum fu
calumniis vehementer addicto, ita eorum, qui d
ferebantur, condemnationibus haud mediocriter f
vebat. Verba Taciti, ubi, quae ſub Nerone act
exhibet, *Pari ignominia* (interdictione Italiae) *Va-*
lerius Ponticus afficitur, quod reos ne apud Praefectum
urbis arguerentur ad Praetorem detuliſſet, interim ſp
cie Legum, mox PRAEVARICANDO *ultionem eluſur*
additur Senatusconſultum, QUI TALEM OPERA
EMPTITASSET VENDIDISSETVE PERINDE TENER
TUR, AC SI PUBLICO JUDICIO CALUMNIAE DA
MNATUS [10]. Haud enim ſegnius Nero, quam a
tea Tiberius, *ſi quem reorum elabi gratia rumor eſſe*
ſubito aderat [11], & ejusmodi juſtitiae praetextu a
cuſationes ſeveriſſime urgebat. Immo vero in ta
tum de Calumniis in genere, ut nunc vulgo acc
pitur, Senatusconſultum Turpillianum non cavi
ot ſanctionem, hoc eſt, poenam ipſamque ad
vim ſuam a Calumniae judicio mutuetur. Ru
ſum, ſi caviſſet, quid Titi, quid Domitiani, qu
Nervae, quid Trajani denique conſtitutiones
edicta [12] neceſſaria fuiſſent. Verum ſi quid aliu
SCto cautum fuit, videtur illud referendum ad *Te*
giverſationem & *Abolitionem criminum*. Nam ut Pra
varicator vera crimina abſcondere, ita in in unive
ſum ab accuſatione deſiſtere Tergiverſator ſolet
Sine abolitionis autem interpretatione ab accuſan
deſiſtens, eo ipſo Tergiverſator dicitur: & de Abo
tione egiſſe Senatusconſultum ex Marciani comme
tario manifeſtum eſt, ex quo pleraque eo ſpectant

In illo itaque poenarum incerto cauſae Calumni
torum poſt L. Remmiam variis ſucceſſibus ſeſe t
tatae ſunt, donec tandem POENA TALIONIS p
Trajanum generaliter introducta eſt, ſed maxim
cum eam aliquanto poſt SUBSCRIPTIO IN CRIM
inſequeretur, quae pleniſſime inſontibus proſpex
Hujus enim ea natura eſt, ut nec evitari, poſſit T
lio, nec ulla ratione eludi. non evitari, quoniam
ne praevia ſubſcriptione in crimen nemo, quali
cunque ſit, ad accuſandum admittitur: non elud
quia qui accuſationem ſuſcipit, eodem chirograph
ad condemnationem ſe obligat. Sed priusquam lo
gius eatur, oon incongrue, puto, ſubnectimu
quaenam olim remedia ex obliquo, ceu adminicu
la, ad cohibendam corrigendamque Calumniam a
hibita fuerint.

Antiquiſſimo quidem tempore Accuſationes *Su*
ſcriptio itidem comitata eſt, ſed quam nolim qui
quam confundat cum Subſcriptione in crimen: han
enim ne ſomniarunt quidem Veteres, & poſterio
prior tantum nomen & ſolennia quaedam comme
davit. Adeo vero antiqua eſt ſubſcribendi in accu
ſationibus ratio, ut merito dubitem, an non a
ipſa fere Legis Remmiae tempora aſſurgat. Profe
cto Ciceronis aetate Subſcriptionibus nihil frequen
tius fuit, ut ex eodem & Aſconio Pediano cuil
bet facile innoteſcit. *Subſcriptores* autem defini
Aſconius, *qui adjuvare Accuſatorem cauſidici ſolent*
nam

1 Appian. Alexandr. *de Bellis Civilib. Lib.* 11. *pag.* 457. *edit. Pariſ.* 2 Adi ſeq. tractat *de fatis Calumniator ſub Impp. c.* IV. 3 Supra *cap.* XV. *pag.* 1615. 4 Vide *laud. cap.* IV. *inſequentis tractat.* 5 Tacit. *Annal. Lib.* XIII. *c.* 33. 6 Tacit. *Annal. d. Lib.* XIII. *c.* 23. 7 Idem *ibid. c.* 43. 8 Idem *ibid. c.* 22. 9 Supra *cap.* XV.

(*a*) Auctore C. Petronio Turpilliano Coſ. ut put
Pancirol. *Variar. Lect.* 18. 136. 10 Tacit. *Anna*
Lib. XIV. *c.* 41. 11 Suet. *in Tiber. c.* 33. 12 V
ſupra *cap.* XV. 13 *L.* 1. §. 1. *& ſeqq. ff. ad SCtum Turpil*
14. *d. L.* 1. §. 8. *& ſeqq. ff. ad SCtum Turpill. L.* 2. *L.*
L. 6. *eod.* & tantum non tot. *tit. C. ad SCtum Turpil*
15 Aſcon. Pedian. in *Divinat. Cic. in Verrem.* adde Ale
ab Alex. *Genial. Dier. Lib.* IV. *c.* 5. *prope fin.*

Digitized by Google

nam ab Accuſatoribus omnino ſeparantur, & velut ſecundarium quoddam Accuſatorum genus conſtituunt. Unde Nepos, *Neminem neque ſuo nomine, neque Subſcribens accuſavit* [1]; & Cicero, *Nihil Accuſatore Lentulo Subſcriptoribusque ejus infauſtius* [2]. Cum hac porro Subſcriptione in eo etiam Subſcriptio in crimen convenit, quod utraque *Inſcriptio* vocetur, & prior quidem *nominis Inſcriptio*. Ait enim Cicero pro domo ſua, *Quid nominis Inſcriptio tibi? num aliud videtur eſſe, quam meorum bonorum direptio* [3]? Niſi forſan Inſcriptio ipſius Accuſatoris fuerit, Subſcriptio eorum, qui una cum eo accuſandi munere fungebantur. Quod ad formulam Subſcriptionis, continebat inter alia praeter nomen accuſati criminis quoque deſignationem. *Ut in quodam judicio*, ait Idem pro Murena, *cum venefici cujusdam nomen eſſet delatum, & quia parricidii cauſa ſubſcripta eſſet, extra ordinem eſſet acceptum* [4].

Ratio autem introducendae plurium Subſcriptionis haec videtur, quod aliorum ad accuſandum concurſus & meditata eorundem ſubſcriptio non tam facile temeritati aut Calumniae locum faceret. *Subſcriptores*, dicit Pedianus, *non ſolum chartarum cauſa, neque juvandi Accuſatoris adhiberi ſolent, ſed etiam ut non facile corrumpantur* [5]. Quid ſi tamen plures conſpiraverint, atque omnes condemnationi tanquam praedae inhient? Tam hos, quam illos Calumniae reos pronunciarem, atque omnes peraeque ordinaria poena afficiendos. Nec aliter antiquitas hanc rem videtur accepiſſe, dum ſaepius allegatus Cicero Erucio ingerit, ſolum eum ex omnibus Accuſatoribus (nam & Subſcriptores ſecundarios Accuſatores habitos monui) tam impudentem eſſe, *ut os ſuum non oſtenderet ſolum, ſed & efferret* [6]: nimirum & hic ad poenam Legis Remmiae alludens. Illud autem tanto aequius erat, quod ut Accuſatores, ita Subſcriptores quoque ultro ſe offerrent. *Qui Subſcriptionem ſibi poſtularunt*, ait ille in Verrem, *cuicunque vos Delationem dediſſetis* [7]. quod autem de deferenda accuſatione dicit, Divinationem reſpicit, cum plures principalem accuſationem ſibi poſtularent, qua de re ſtatim. Ut autem moris ac verecundiae erat, Subſcriptores, hoc eſt, participes adſciſcere, ita neceſſitatis non erat. Nam M. Caelius Tullio ſcribit, *Rufum ſine ullo Subſcriptore deſcendiſſe, & Tuccium reum feciſſe* [8].

Atque haec denique Subſcriptio, quemadmodum perantiqua erat, ita jam olim, hoc eſt, cum libera republica ipſisque honeſtiorum Accuſationibus videtur evanuiſſe. Nam Tacitus ſemel tantum, quod ſciam, idque initio Annalium, Subſcriptionis mentionem injicit [9]: & quod Suetonius de L. Otacilio Pilito tradit, *accuſanti patrono cum ſubſcripſiſſe* [10], ad Pompeji tempora referendum eſt, ſub quo ille vixit. Poſtea quidem Plinius Subſcriptionis meminit, ſed quae antiquae, ut exiſtimo, parum ſimilis erat, dum ad reum non minus, quam ad accuſantem pertineret. Ait enim, *Poſt hoc ille cum ceteris Subſcripſit centumvirale judicium, mecum non Subſcripſit* [11]. Hactenus de veteri Subſcriptione; quae cum aliquanto diutius nos detinuerit, in ceteris Calumniae remediis breves eſſe oportebit.

In his item antiquiſſime fuit, quod priusquam ad accuſandum admitterentur Accuſatores *calumniam jurare* debebant, hoc eſt, ſe non per calumniam litem intentare adverſario, ſed quod juſtas ac legitimas accuſandi cauſas habere ſe putarent (*a*). Huc reſpicere videtur Cicero, cum in oratione pro Domo dicit, *Accuſare propter Calumniae metum non eſt auſus* [12]. Certe utrumque, & ſubſcriptionem & jusjurandum Calumniae, eleganti allegoria Livius, tranſtulit, his verbis: *Tum vero iſti quos paverat per aliquot annos publicus peculatus. . . . infenſi & irati, Romanos in Hannibalem, & ipſos cauſam odii quaerentes, inſtigabant. Itaque diu repugnante Scipione Africano, quia parum ex populi Romani dignitate eſſe ducebat, Subſcribere odiis Accuſationibusque Annibalis, & factionibus Carthaginienſium inſerere publicam auctoritatem; nec ſatis habere bello viciſſe Annibalem, niſi velut Accuſatores Calumniam in eum jurarent, ac nomen deferrent: tandem pervicerunt, ut legati Carthaginem mitterentur, qui apud Senatum eorum arguent, Annibalem cum Antiocho rege conſilia belli faciendi inire* [13]. hactenus e Livio. Quod ſi Accuſator reum peragеret, *Calumniam tuliſſe* dicebatur. Sic M. Coelius Ciceroni, *Scite C. Sempronium Rufum Calumniam maximo plauſu tuliſſe* [14], hoc eſt, omnibus plaudentibus accuſaſſe. Tranſiit hoc jusjurandum poſtea ad civiles diſceptationes, in quibus etiamnum uſu venit [15].

Ut autem olim promiſcue in omnibus Accuſationibus jusjurandum Calumniae praeſtabatur, ita in Divinatione imprimis inſignem uſum habebat. *Nam de Divinatione Oppius*, in eadem Coelii epiſtola, *cum Calumniam juraſſet, contendere auſus non eſt Pilitoque ceſſit* [16]. Eſt autem *Divinatio* praevia Judicum cognitio, quum *de conſtituendo Accuſatore quaeritur, judiciumque ea de re redditur, cuinam potiſſimum ex duobus pluribusve Accuſatio Subſcriptiove permittatur* [17]. Atque hujusmodi Accuſatorum concurſus in Praevaricando maxime timendus. Etenim quando quis juſtam accuſationem verebatur, conquirebat ſeu gratia ſeu pecunia, qui cum ipſo colluderent & tranſlatitio munere accuſandi defungerentur, diſſimulando veras probationes, falſas autem rei excuſationes admittendo (*b*). Eidem abuſui *Laudationes* quoque *judiciales* inſerviebant, quae nempe ad diluendum crimen aut merita accuſati extollenda, circumveniendumque ea ratione populum comparatae erant. De illis Cicero in oratione pro Flacco, *Idem Laudationem, quam nos ab Athenienſibus Flacco datam proferebamus, falſam eſſe dicebat* [18]. Quare Pompejus Laudationes reorum in judiciis Lege lata ſuſtulit: & tamen ipſe deinceps in propriam Legem commiſit [19]. Sed haec & quae ejus generis plura, per Caeſarum dominationem deſiere.

Denique jam pridem & alia adverſus Calumnias praeſidia ſunt comparata, tam Legibus publicorum judiciorum, quam Senatusconſultis & recentioribus quibusdam Principum Conſtitutionibus. Lege Julia idque Publicorum, ut opinor, coercetur Delatorum avaritia, affectantium praemia non valde honeſta [20]. Profecto de Calumniae damnatis ad teſtimonium accuſationemve aut admittendis aut non admittendis Leges Juliae de vi, & Repetundarum & Peculatus, ſeu potius Ambitus, certatim caverunt [21]. & de memorato Calumniae juramento locuta ex profeſſo eſt vetus Lex Servilia de Re-

pe-

1 Nepos in *vita Attici*, *c.* 7. 2 Cic. ad *Q. Fratr. Lib.* III. *ep.* 4. 3 Cic *pro Domo c.* 20. 4 Idem *pro Mur. c.* 24. 5 Aſcon. Pedian. *Divin. in Verr. c.* 16. 6 Cic. *pro Sex. Roſc. c.* 31. 7 Idem *Divinat. in Verr. c.* 15. Conſulatur Budaeus *in Annotat. in* ff. *l. ult. de privat. delict.* 8 Cic. *Familiar Lib* VIII. *ep.* 8. *init.* 9 Tacit. *Annal. Lib.* I. *c.* 74. 10 Sueton. *de Clar. Rhetor. c.* 3. 11. Plin. *Epiſtol. Lib.* V. *ep.* I. (*a*) Ita Graecis erat Προωμοσία, Jusjurandum, quo Accuſator praejurabat, ſe vera accuſaturum: ſicut iiſdem erat ἀντωμοσία, juramentum Calumniae ab utraque parte praeſtitum. Pollux in Προωμοσία. 12 Cic. *pro Domo cap.* 49. 13 Liv. *Lib.* XXXIII. *c.* 47. 14 Cic. ad *Famil. Lib.* VIII. *ep* 8. 15 *L.* 13. §. 3. ff. *de Damn inf. L.* 15. ff. *de Reb. auctor. Jud. poſſ.* & tot. tit. in *C. de Jurej. propt. Calumn. dand.* 16 Cic. *d. Lib.* VIII. *ep.* 8. 17 A. Gell. *Noct. Attic. Lib.* II. *c.* 4. (*b*) Illuſtre Divinationis exemplum habet Cicero *in Verrem*: ejusdemque veſtigium ſupereſt apud Ulp. in *l. Si plures* 16. ff. *de Accuſat. & Inſcript.* 18 Cic pro *Flacco c.* 15. 19 Alex. ab Alex. *Genial. Dier Lib.* III. *c.* 5. *ferre ad fin.* 20 Verba ſunt Cujacii *Obſervat. Lib.* VI. *c.* 12. 21 Vid. ſupra *cap.* XII.

petundis [1]. Atque ita in aliis quoque Legibus publicis de Calumniatoribus cautum videtur fuiſſe [2]. Quod ad Senatuſconſulta attinet opprimendi P. Suilii gratia, qui imperitante Claudio terribilis & venalis accuſator fuerat, *repet. tum credebatur Senatusconſultum poenaque Cinciae Legis adverſus eos qui pretio cauſas oraviſſent*, ait Tacitus [3]. quod primis iisdemque laudabilibus Neronis temporibus contigit. Inſuper ſub eo praeter Senatuſconſultum Turpillianum & aliud prodiit, quod Voluſianum appellatur. Cautum hoc SCto, *qui in alienam litem improbe coïrent, ut quicquid ex condemnatione in rem ipſius redactum fuiſſet, inter eos communicaretur, Lege Julia de vi privata teneri* [4]. Idemque dubito vehementer, num antiquos illos Subſcriptores teſteſque & alios fraudum ſocios reſpexerit. (*a*) Conſtitutiones autem & Edicta Titi, Domitiani, Nervae ac Trajani & ipſius quoque M. Antonini Philoſophi hic non referam, quoniam de iis in [5] praecedentibus eſt actum. Ita de *ſuppliciis* loquitur Theodoſius Imp. *quae contra Delatores promulgatis jam Conſtitutionibus ordinata ſunt* [6] Itaque nihil ſupereſt, niſi ut concludam, omnia illa totidem argumenta eſſe elumbis & invalidae eo tempore Legis Remmiae.

Illud interea monitum velim, quum hic agimus de poenis Calumniatorum, qua ordinariis qua extraordinariis, eas non calumnias intelligere, quae ſtruuntur in cauſis publicorum judiciorum, non vero quae ad privata & extraordinoria crimina pertinent. haec enim in hoc tractatu diligenter ſunt diſtinguenda. Diſerte Paulus, cum in finem, ut opinor, relatus ſub tit. *ad SCtum Turpillianum*, *Et in privatis & in extraordinariis criminibus omnes calumnioſi extra ordinem pro qualitate admiſſi plectuntur* [7]. Ex hoc porro illuſtrat, ubi ex profeſſo de injuriis agit, *Qui per calumniam*, inquit, *injuriae actionem inſtituit, extra ordinem punitur: omnes enim calumniatores exſilio vel inſulae relegatione, aut ordinis amiſſione puniri placuit* [8]. Qua in re & illud omnino obſervandum, quod elegantiſſimae eruditionis in Academia Lugduno-Batava Anteceſſor Anton. Schultingius docta digreſſione [9] egregie oſtendit, ſeparanda eſſe judicia criminalia (ſive ea publica ſive privata & extraordinaria ſint) quae ordinario modo apud Praetores inſtituebantur, ab his quae extra ordinem apud Praefectum Urbi aliumve eminentiorem magiſtratum. nam hoc caſu poena arbitraria erat [10].

Poſtremo in ipſis privatis delictis animadv... civiliter agatur an criminaliter. Pulch... hanc rem eſt Ulpiani locus, quem hic... non gravabor: *Meminiſſe*, inquit, *opor... furti plerumque criminaliter agi, & eum,... crimen ſubſcribere. non quaſi publicum ſit f... quia viſum eſt temeritatem agentium etiam ... ria animadverſione coercendam. Non ideo t... qui velit, poterit civiliter agere* [11]. Ubi ... tandum, Baſilici *temeritatem agentium v... ἀντιρρῆσιν ἐπεξέλευσιν τῶν συκοφαντούντων*, „ultionem calumniantium.„ Ulpiano ... qualem ejus, quem in proximis laudav... tem Paulus in iisdem Sententiarum L... *illicite publice privatimque exactum eſt, a... cum altero tanta paſſis injuriam ſuſolvitur ... ea extortum cum poena tripli reſtituitur. A... ordinem plectuntur. alterum enim utilitas ... alterum vigor publicae diſciplinae poſtulat... ὡς ἐν καρῷ.*

CAPUT XX.

Ad SCtum Turpillianum

VAlde obſcura, difficilis & intricata ... jurium natura, quae uſu conſtan... conſuetudinis Lege vagantur. Quod ſi... rum fuit, non aliter potuit in materia ... diverſae indolis Imperatoribus pendeba... Fiſci, ita & Calumniarum nunquam ... niſi ſub bono Principe, & horum num... oppido rarus eſt. Antequam igitur Cal... furor certo ac ſtabili ſolennis inſcriptio... alligaretur, incredibili varietate fluct... vel deinceps ea res, neſcio quo fato, ... teribus parum curioſe ac methodice t... tur; certe admodum confuſe a Juris C... bus in Pandectas & Codicem relata eſt...

Interveteres Ulpianus in Libris ad E... ſolum Praetoris, hoc eſt, privatam ac ... riſdictionem continent, de Praevaricati... cet eam proprie ad publica judicia per... tur [13]. Idem facit in crimine Concuſſ... ſimiliter conſtat, eodem potiſſimum re... ſe [14]. Sed & Marcianus, qui occaſione ... pilliani integram materiam de Calumn... publicis delibandam ſumpſit, Concuſſ... ſus omittit, quam tamen nemo Calumn... eſſe negaverit. Quid enim aliud eſt ... quam terror injectus pecuniae extorq... quis in accuſationem innocentis conſp... metum denunciandi ſeu accuſandi pec... mungit [15]. Quatenus jam ad civilis ſtr... giſtros, quam confuſi hac in parte & ... ſimiles ſunt? In Pandectis duos diverſo... cerunt, *Ad Senatuſconſultum Turpillianu... varicatoribus*, cum totum illud SCtu... ſtravi [16], cohibendae Praevaricationi ... rit. Amplius alterum horum titulor... traordinaria judicia collocarunt [17], alte... mnia publica [18]. Ex adverſo Calumni... ſic dictam ſub titulo ad SCtum Turp... ctarunt (*b*), cum quo tamen nihil alı... habet, quam quod Marcianus occaſio... lumniarum genera recenſet; de Praeva... ro, de qua proprie factum eſt, longe ...

1 Quaedam Legis Serviliae adverſus Calumniam ex aeneo fragmento exhibet Manut. in notis ad Cic. *Epiſt. Famil. Lib.* VIII. *c.* 8. Similiter Legis Petroniae capite tertio cautum fuit, ne ei, qui jure mariti delatum adulterium non peregiſſet, in poſterum hoc crimen deferre liceret. *L. Abolitionem* 16. *C. ad L. Jul. de Adulter.* Hoc autem deinceps Concilium Carthaginenſe ad ceterorum quoque criminum delationes extendit, dum in genere cavet, ut qui unum crimen probare non poteſt, ad aliud non admittatur, Photius in *Nomocan. tit.* 9. *c.* 3. obſervante Radulpho Fornerio *Rer. quotidian. Lib.* 11. *c. pen.* Quemadmodum & Lege Julia publicorum judiciorum pridem vetitum, ne quis eodem tempore de duobus reis queratur, niſi ſuarum injuriarum cauſa, *L.* 12. §. *Lege* 2. π. *de Accuſat.* 2 *L. ult. C. Th. ad L. Corn. de Falſ.* 12. 19. *L.* 1. *pr.* π. *eod. L.* 3. §. *ult.* π. *de Accuſ. & Inſcr. L.* 3. *C. eod. L.* 3. π. *de Praevaric.* 3 Tacit. *Annal. Lib.* XIII. *c.* 42. 4 *L.* 6. π. *ad L. Jul. de Vi Privata.* (*a*) Fuerunt inſuper & alia SCta, quae huc faciebant. videantur *L. ult.* π. *de Praevaric. L.* 3. §. *ult.* & *L.* 14. π. *de Accuſ. & Inſcript. L.* 1. §. 1. *de L. Corn. de Falſ.* 5 Supra *cap.* XIV. & XV. 6 *Novellarum* Theodoſii *L.* 2. *de competit.* 7 *L.* 3. π. *ad SCtum Turpill.* quae eſt ex Pauli *Sententiarum Lib.* 1. Ex qua L. merito Clariſſimi Viri Cujacius, Ritterſhuſ. & Schultingius eundem Paulum emendant. *Lib.* 1. *Sentent. tit.* 5. *de Calumniatorib.* cum illic legatur: *Et in privatis & in publicis criminibus*, ſubſtituta voce *publicis* pro *extraordinariis*. Eandem corruptionem deprehendas in *Conſultat. Vet. JCti.* quae vulgo ſubjicitur *Collationi Legum Moſaic. & Roman.* atque ibi §. 6 *in fin.* ubi praeterea peſſime laudatur locus Pauli qui non extat, divulſis articulis, qui ex eod. tit. deſumpſi. 8 Paul. *Lib.* V. *Sentent. tit.* 4. 9 Ant. Schulting. *de Recuſat. judic. cap.* 7. *num.* 3. 10 *L.* 13. π. *de Poenis.*

11 *L. ult.* π. *de Furtis.* 12 *L.* 9. §. 5. π... *& veſtig.* 13 *L.* 1. *pr.* & §. 1. π *de Pra...* *L.* 4. §. 4. π. *de his qui not. inf.* quae ejuſde... nis eſt. 14 *L.* 2. §. 3. π. *de Calumniator...* π *de Concuſſ. L. pen.* π. *de Calumniat.* ... *cap.* XII. 17 *Lib.* XLVIII. π. *tit.* 15. 18... π *tit.* 16. (*b*) Unde Graeci JCti in Ba... *τὸ κατὰ τῶν Συκοφαντῶν, SCtum adverſus C...* in *l.* 14. §. 1. *de bonis Libert.*

facere. praeterquam quod utrumque vitium a diametro ſibi oppoſitum eſt: nam alterum horum innocentes inſectatur, alterum nocentes excuſat, alterum ficta crimina ingerit, alterum vera diſſimulat. Verum in Codice ordinando meliorem operam navarunt, dum iſtic *Ad SCtum Turpillianum* & *De Calumniatoribus* duo ſeparati tituli ſunt [1], oullus Praevaricatorum. Quamvis tamen in eo mihi rurſus oimium liberales videntur, quod praeter tit. *De Calumniatoribus* ſequenti libro [2] novum ac peculiarem *De Delatoribus* inſcripſere, quae tamen quodammodo ſynonima ſunt. Sed in hoc ſecuti ſunt ordinem Codicis Theodoſiani, in quo hi tituli pari intervallo ſejuncti. Similiter minus neceſſe fuit materiam *De Abolitionibus* (certe non duobus ſeparatis titulis [3]) a Senatuſconſulto Turpilliano distrahere, cum quo in Digeſtis rectius conjuncta eſt. Ut proinde vel in recepto jure confuſiſſima hodieque ac difficillima enodatu ſit de Calumniis disquiſitio. Nos tamen ſummatim videamus ad quae genera quaſve claſſes referenda ſit haec criminalis juriſdictionis portio, & quibus modis rite diſtinguatur.

Omnem autem juſtitiae in accuſando corruptionem ad quatuor genera referrem, ad *Calumniam* nimirum, ad *Concuſſionem*, ad *Praevaricationem* & *Tergiverſationem*. Definitiones ſubjicere neceſſe non eſt, utpote quas in praecedentibus jam indicavi [4]: hoc tantum addam, ut Prevaricatio & Tergiverſatio vicina vitia ſunt, ita ex oppoſito Calumniam Concuſſionemque conſiſtere. inter Calumniam vero & Tergiverſationem medium tenet Abolitio: aboleri enim accuſatio dicitur, cum Calumnia ſive accuſationis, quam quis inſtituit, perſecutio ei remittitur. Illud autem bene obſervandum, ne haec materia cum Edicto Praetoris de Calumniatoribus [5] confundatur, quum Praetor ad criminalia accuſationeſque juriſdictionem non extendat. Quare etiam, ut ſaepius monui, probe diſtingui ſolet inter eos, qui Calumniae damnantur & Calumniae in publicis judiciis damnatos [6]. Et tamen utcunque hic Praetoris juriſdictio excludatur, evenire nihilominus poteſt, ut civile Calumniae judicium, ſaltem ex parte rei, ad publica crimina pertineat; ad quadruplum videlicet ejus, quod per Concuſſionem, extorſit Calumniator. *Hoc autem judicium*, ait Ulpianus ad Edictum Praetoris de Calumniatoribus, *non ſolum in pecuniariis cauſis, ſed & ad publica crimina pertinere Pomponius ſcribit: maxime cum & Lege Repetundarum teneatur, qui ob negotium faciendum aut non faciendum pecuniam accepit* [7]. Similiter & Praevaricatio, quantumvis publicis judiciis propria, aliquando tamen etiam in privatis attenditur [8]. De cetero non putem haec alias facile confundi. Etſi vero memorata Calumniarum genera ad publicas cauſas ſpectent, ipſa tamen (a) publica non ſunt [9], quia non deſcendunt ex Lege aliqua publicorum judiciorum [10], ſed extraordinariis criminibus accenſentur [11]. Aliter erat cum olim Lege Remmia Calumniatores puniebantur, quando nec plura fraudum in accuſando genera aut nota, aut certe diſtincta fuiſſe videntur.

Brevi tamen *Praevaricatio*, quae, ſecundum Ciceronem [12], *Accuſatoris ab reo corruptela eſt* (b), vitiumque adeo Calumniae directe oppoſitum, in rempublicam irrepſit (c). Nam idem Praevaricatorum aliquoties meminit, & ejus aevo una cum ſubſcriptione divinatio quoque adverſus Praevaricatores ſtata erat, ut ſuo loco [13] animadverti. Poena autem Praevaricationis tunc io ſolo famae diſpendio videtur conſtitiſſe. Ait enim Aſconius, *Accuſatoribus Praevaricatione infamibus* [14] (d). At tandem extremo Neronis tempore, Caeſonio Paeto & Petronio Turpilliano Coſſ. factum fuit Senatusconſultum ut Praevaricatores eadem poena cum Calumniatoribus puoirentur; ſicut ibidem oſtendi. Unde in Edicto Praetoris *de his, qui notantur infamia* [15], & apud Ulpianum [16] quoque junguntur invicem & pari paſſu ambulant. Ceterum poena Calumniae, ceſſante Lege Remmia, incerta hoc tempore & arbitraria quodammodo erat, maximeque in exilio & deportatione conſiſtebat [17]. nam Valerio quoque Pontico, qui praevaricatione ſua SCto cauſam praebuit, Italia interdictum fuit [18]. Poſtquam autem deinceps talio ſive ſupplicii ſimilitudo in Calumniis per Trajanum inducta eſt, coepit etiam talio SCti Turpilliani poena eſſe [19]. Sed quoniam hoc totum conſuetudinis erat, quae non ſolet aequabiliter & in omnibus partibus ſimul jus facere, prius quoque talio in Calumniis obtinuiſſe, quam in Praevaricationibus videtur. Certe Imperatores Severus & Caracalla talionem in caſu Praevaricationum ſpeciatim adhuc reſcriptis ſuis corroborarunt, nempe *ut in criminibus, quae extra ordinem objiciuntur, Praevaricatores eadem poena adficiantur, qua tenerentur, ſi ipſi in Legem commiſiſſent qua reus per Praevaricationem abſolutus eſt* [20]. Porro Alexander Imp. Demetriano reſcripſit, reum paciſcentem perinde atque ipſum accuſatorem teneri; nam *par delictum eſſe accuſatoris Praevaricatoris & rei (e) fugientis veritatem* [21]. Atque ita haec inſecutis Conſtitutionibus ſenſim crevere [22].

Praeter Calumniam vero & Praevaricationem obſervavi & alia duo ſubinde exorta eſſe, Concuſſionem & Tergiverſationem. Et *Concuſſionis* quidem ſemina jam ab antiquo tempore radices videntur egiſſe, dum Julius Caeſar in Lege ſua de Repetundis inter alia cavit contra eos, *qui ob negotium faciendum aut non faciendum*, hoc eſt, ob accuſandum vel non accuſandum, *per calumniam pecuniam accepiſſet* [23] (f). Itaque poena Legis Juliae Repetundarum coërciti Concuſſores, quae olim teſtimonii dicendi & judicii aut advocationis exercendae interdictio erat [24]; hodie vero extraordinaria poena & plerumque exilis [25]. Amplius SCtis poena Legis Corneliae teneri jubentur, *qui in accuſationem innocentium coierint, qui-*

ve

1 *Lib.* 12. *C. titt.* 45. & 46. 2 *Lib.* 1. *C. tit.* 11. 3 *d. Lib.* 11. *C. titt.* 42. & 43. 4 De concuſſione *hoc* ipſo *cap.* de tribus aliis *cap.* iv. 5 *Lib.* iii. *π. tit. ult.* 6 *L.* 13. *π. de Teſtib. L.* 43. §. 11. *π. de Ritu Nupt. L.* 6. §. 3. *π. de Decurion.* Tacit. *Annal. Lib.* xiv. *c.* 41. 7 *L.* 1. §. 1. & 2. *π. de Calumniat. L.* 6. *π. ad L. Jul. Repetund.* 8 *L.* 1. *pr. π. de Praevaricat.* (a) Certe non regulariter, caſus exceptos vide in *l.* 3. *π. de Praevaric.* & *l.* 2. *π. de Concuſſ.* Praeterea Calumniae & Praevaricationis judicium, etſi per ſe publicum non ſit, tamen publici judicii cauſam habet, *l.* 7. *π. de Publ. Judic.* collata cum *l.* 1. *π. De his, qui not. inf.* 9 *d. L.* 43. §. 11. *π. de Ritu Nupt.* Vid. ſupra *cap.* xii. 10 *L.* 3. *in fine π. de Praevaricat.* 11 *d. Cap.* xii.

12 Cic. in *Partit. Orat. c.* 36. (b) Quae & προδοσία, hoc eſt, *proditio* appellatur in libris Baſilicῶν, *l.* 1. *pr. π. De jure fiſci.* Unde *praevaricator* Graecis dicitur προδότης τῆς ἰδίας ὑποθέσεως, convenienter definitioni ejus in *l.* 1. *π. de praevaricat.* Sed & *cauſae proditae* hoc ſenſu occurrunt in *d. l.* 1. §. *ult. π. de jure Fiſci*, ubi iidem προδοθεῖσαι. De *praevaricatione* conſulatur quoque Laur. Valla *Elegantiar. Lib.* vi. *c.* 50. (c) Fragmentum plebiſciti adverſus Praevaricatores exhibet Boiſſard. *Antiquit. Rom. Tomo* 1. *pag.* 105. 13 Inſpiciatur *cap. prox. anteced.* 14 Aſcon. Pedian. in *argum. Divin. in Verr.* (d) Sed & Lex Julia publicorum Praevaricationis ſpeciem inhibuit, *l.* 3. §. 1. *π. de praevaricat.* 15 *L.* 1. *π. De his qui not. inf.* 16 *d. L.* 43. §. 11. *π. de Ritu nupt. L.* 4. *π. de Accuſ. & Inſcript.* 17 Quod plenius adſtruxi *eod praeced. cap.* 18 Tacit. *Annal. Lib.* xiv. *c.* 41. 19 *L.* 1. *C. ad SCtum Turpill.* 20 *L. pen. π. de Praevario.* hactenus enim extraordinaria erat *l.* 2. *eod.* eſt autem Ulpiani Lex, cum *d. l. pen.* Pauli ſit, adeoque ejuſdem aetatis. (e) Vulgo *deſungentis*: ſed optime Vir, quem mirari facilius quam ex merito laudare poſſis, Jac. Cujacius *Lib.* vi. *Obſerv. c.* 11. reſtituit. 21 *L.* 10. *C. Ad L. Jul. de Adulter.* 22 *L.* 29. *π. de Jure Fiſci.* 23 *L.* 1. §. 1. *π. de Calumniat.* (f) Elegantier Tertullian. *Defugu in perſecut. Paciſcens cum delatore, vel milite, vel miniſtro aliquo Praeſidis ſub tunica & ſinu, quod ajunt.* 24 *L.* 6. §. 1. *π. ad L. Jul. Repetund.* 25 *L.* 7. §. 3. *π. eod.*

ve ad accuſandum vel non accuſandum, denunciandum vel non denunciandum teſtimonium, pecuniam acceperint [1]: atque ex iisdem Senatusconſ. Concuſſio *publicum judicium eſſe poteſt* (nam per ſe non magis publicum eſt, quam Calomniae aut Praevaricationis) quando quis ideo pecuniam accepit, *quod crimen minatus ſit*. Legem autem Corneliam hic accipe, quae de Falſis lata eſt [2]. Haec ſervis ob falſum teſtimonium ultimum ſupplicium, liberis vero aquae & ignis interdictionem irrogabat [3]. eademque poena jam olim Tiberius Servilium Corneliumque affecit, *quod pecuniam a Vario Ligure omittendae delationis ceperant* [4]. Sed poſtea in locum aquae & ignis interdictionis deportatio ſucceſſit [5]. Ordinaria vero Concuſſionis poena extra ordinem irrogatur [6]. Denique ex parte reorum Imp. Antoninus generali *ad Caſſium Sabinum* reſcripto prohibuit, *Judici vel adverſario in publicis vel privatis vel fiſcalibus cauſis pecuniam dare, & ex hac cauſſa litem perire juſſit* [7]. Atque hanc Conſtitutionem ſuam, ut mihi quidem videtur, alia conſonanti ad Gaudium (*a*) confirmavit. Quod vero ibidem ſubjicit Ulpianus, *tractari poſſe, ſi accuſator non per Calumniam transigendi animo accepit, an Conſtitutio ceſſet* [8]. privata tantum judicia reſpicit; nam in pubicis nulla ſine Concuſſione aut depectione transactio eſt. ſoli quippe reo in cauſis capitalibus ignoſcitur, quod ſanguinem ſuum qualitercunque redemptum voluit. Conſule elegantiſſimum ſummi JCti G. Noodt ſuper hac materia libellum [9].

Reſtat nunc *Tergiverſatio*, quando ſcilicet Accuſator poſt cauſam criminis ordinatam non impetrata abolitione, in univerſum ab accuſando deſiſtit [10]. Ut igitur Concuſſor ſuſcipiendam accuſationem omittit, Praevaricator autem incoeptam prodit, ita eandem continuo deſerit Tergiverſator. Elegantem hujus calumniae ſpeciem ipſe Terentius jam exhibet, cum in Phormione Getam hoc modo loquentem inducit:

Soli ſumus nunc hic, inquam: eho quid vis dari
Tibi in manum ut herus his deſiſtat litibus [11].

Ubi Donatus, *Datur ei in manum, qui furtim accipit, ſine arbitro aut interprete: ut Praevaricator aut Judex corruptus* [12]. Tergiverſationis autem, perinde ac Praevaricationis poena, eo tempore, in ſola infamia conſtitiſſe videtur. ait enim pro Cluentio Tullius, *Nec elabi alio Accuſatore poterat Albius, nec ſine ignominia Calumniae* RELINQUERE ACCUSATIONEM *Cluentias. an ut praevaricaretur? jam id quoque ad corrumpendum judiciam pertinet* [13]. Ut adeo ipſa Praevaricatione antiquior videatur Tergiverſatio, quamvis non eo nomine cognita; ſicut nec Abolitio tum nota erat. Senſim tamen Tergiverſatio coërceri coepit. Ita Senatusconſultum memoratur, *quo poena quinque librarum auri in deſiſtentem ſtatuitur* [14]. Poſtea SCtum Turpillianum (nam praecedens, ni fallor, antiquius eſt) etiam Tergiverſationem reſpexiſſe videtur, quandoquidem ex Marciani commentario [15] conſtat *Abolitionem* quoque ea comprehenſam fuiſſe. Immo vero diſerte Papinianus, *Qui judicii publici quaeſtionem citra veniam abolitionis deſeruerunt, Decurionum honore decorari non poſſunt: cum ex Turpilliano SCto notentur ignominia, veluti Calumniae cauſa judicio publico damnati* [16]. Quod autem hos Praetor Edicto ſuo infames eſſe declarat, jam ſupra notatum eſt. Sed de ipſa Calumniae poena videamus, cujus infamia tantum ſequela eſt. Et Divus quidem Hadrianus reſcripſit, *eandem poenam Delatorem ferre debere, ſi citatus ad Edictum non reſponderit, qua teneretur ſi cauſam non probaſſet* [17]. Immo *in Accuſatorem abſentem*, dicit Ulpianus, *nonnunquam gravius ſtatuendum, quam Turpilliani SCti poena irrogatur dicendum eſt* [18]. SCti autem Turpilliani poena eadem, quae Calumniae eſt, dum ad eam ſe refert, ut monitum. Quare cum talio in Calumniis & Praevaricationibus jam invaluiſſet, talio quoque Tergiverſationis poena eſſe coepit. Egregius ea de re locus apud Symmachum, *Eo denique res redit*, inquit, *ut a partibus Africani accuſationis Omiſſio deſperatione peteretur. Supererat, ut crimine non probato, in Accuſatorem formidata reis poena tranſiret* [19].

Tandem vero uſque eo prolati ſunt Turpilliani Senatusconſulti fines, ut & Calumniam in ſpecie ſub ſe comprehenderet. eo magis quod nulla certa Lex, nullum SCtum eſſet, cui Calumniae poena adſcriberetur. Quam generaliter autem ſequentibus temporibus acceptum ſit, docet Macer, his verbis, *In Senatusconſultum Turpillianum incidunt, qui ſubjeciſſent Accuſatores; aut ſubjectis poſtulaſſent, nec peregiſſent reos; aut aliter, quam abolitione facta, deſtitiſſent; quique chirographum ob accuſandum dediſſent, pactionemve aliquam interpoſuiſſent* [20]. dein inquirit an ad eos quoque, qui hodie de judiciis publicis extra ordinem cognoſcunt, SCtum pertineat, additque, *Sed jam hoc Jure ex Sacris Conſtitutionibus utimur* (nota κριτήριον [21] conſuetudinis, ſive juris non ſcripti, quod paſſim in hac materia elucet). *ut pertineat: ita ex ſingulis cauſis ſingulae poenae irrogentur* [22]. Quoniam tandem igitur omnia ſordidarum Accuſationum genera, qua Senatusconſultis, qua Principum Conſtitutionibus uni SCto Turpilliano coagmentata quodammodo & conglutinata ſunt, quodque illud non aliam, quam Calumniae poenam, quae nunc talio, continet, recte concludit Macer, *ita ex ſingulis cauſis ſingulae poenae irrogantur*. Talionem vero ſive ſupplicii ſimilitudinem fuiſſe, quae fluxam diu & verſatilem Calumniatorum temeritatem ſiti ac compeſcuit, aliquoties monui. maxime cum e corroborandae ſubſcriptio in crimen accederet. Sed de utraque ex profeſſo videamus.

CAPUT XXI.

De ſubſcriptione in crimen & poena Talionis

Quid ſit *In crimen Subſcriptio*, quae & *Inſcriptio* vocatur, ſupra [23] indicavimus, & ad eam Symmachus provocat, tanquam rem notiſſimam. *Quid habeat In crimen Subſcriptio, moſtis,*

1 *L. 2. π. de Concuſſ.* adde Ulpian. ſub tit. *L. Corn. teſtamentariae Lib.* VIII. *de Offic. Procos.* apud Pariatorem *LL. Moſaic. & Roman. tit.* VIII. 2 *L. 1. §. 1. π. ad L. Corn. de Falſ.* 3 *§. 7. Inſtit. de Public. judic.* 4 Tacit. *Annal. Lib.* VI. *c.* 30. 5 *L. 3. π. ad L. Jul. Peculat.* 6 *L. pen. π. de Calumniatorib.* 7 *L. 1. §. 3. π. de Calumniat.* (*a*) Non enim accedo communi ſententiae exiſtimantium inſcriptionem *l. 1. C. de Poena jud. qui male jud.* ex *d. l. 1. §. 3. π. de Calumniat.* corrigendam eſſe. Nam *ad Gaudium* in *ad Caſſium* mutare non fert ratio compellandi, cum fuerit ex Sabinorum gente, non ex Caſſiorum, qualis Avidius Caſſius, & qui plures inde orti. At vero pro *ad Gaudium* reponere *ad Caſſium Sabinum*, ea criſis mihi aliquanto durior videtur, & contra omnium Codd. fidem a recepta lectione nimium recedere. Quare puto bis hac de re Imperatorem Antoninum diverſis perſonis reſcripſiſſe, quod Principibus adeo inſolens non fuit, ut obſervavi in tractatu *De Euremat. c.* III. *ſect.* 2. Adde quod Antoninus in dicta ad Gaudium conſtitutione dicit, *Conſtitit in quacunque cauſa* &c. tanquam de jure certo & de quo jam ante plus ſemel eſſet reſcriptum. confer omnino *l. 29. π. de Jure Fiſci, init.* Certe malim prope hunc Gaudium, quisquis ille fuerit, ut plane deſperatum, in AEſculapii inſulam deponere, quam periculoſam adeo & atrocem chirurgiam exercere. 8 *d. L. 1. §. ult. π. de Calumniat.* 9 Cl. G. Noodt *Dioclet. & Maximian.* imprimis *cap.* 8. 13. & 14. *penult.* 10 *L. 1. C. ad SCtum Turpill.* 11 Terent in *Phorm. Act.* IV. *ſc.* 3. *vſ.* 28. 12 Donat. *ad eum loc.* 13 Cic. in Orat. *pro Cluent. c.* 31. *in fine.* 14 *L. 3. ad fin. π. de Praevaricat.* 15 *L. 1. π. ad SCtum Turpill.* 16 *L. 6 §. 3. π. de Decurion.* 17 *L. 15. §. 2. π. de Jure Fiſci.* 18 *L. 5. §. 1. π. de Poen.* 19 Symmach. *Lib.* 1. *ep. ult.* 20 *L. 15. pr. π. ad SCtum Turpill.* 21 Vid. Diatr. *de Euremat. cap.* VII. *§.* 12. & 13. 22 *d. L. 15. §. 1. π. ad SCtum Turpill.* 23 *Cap.* 12. *init.*

ſtis, inquit, *prae caeteris Juris publici conditores, Domini Imperatores. Proviſum eſt enim, ne quis temere in alieni capitis diſcrimen irrueret, ni ſe idem prius poenae ſponſione vinciret* [1]. Quod ſi quis ipſos Imperatores audire malit, ecce Valentinianus, Valens & Gratianus edicunt, *Nullus ſecundum Juris praeſcriptum crimen, quod intendere propoſuerit, exſequatur, niſi ſubeat Inſcriptionis vinculum: Etenim, qui alterius famam, fortunas, caput denique & ſanguinem in judicium devocaverit, ſciat, ſibi impendere congruam poenam, ſi, quod intenderit, non probaverit* [2]. Itaque qui delatam ſubſcriptamque accuſationem non probaret, aut ad finem perduceret, quive in ea peragenda maligne verſaretur, ſua ex Subſcriptione ad eandem poenam, quam reus convictus ferre debuiſſet, obligabatur: & hoc quidem ex tenore ipſius Subſcriptionum formulae. Neque tamen exiſtimo, per memoratam Subſcriptionem inductam eſſe parilis ſupplicii retributionem, ſed ea tantum corroboratam firmatamque fuiſſe. Nam ſupra [3] oſtendi Talionem ab Auguſto in certa quadam malevolae accuſationis ſpecie tentatam, a Trajano deinceps ad Calumnioſas Accuſationes in genere productam eſſe. Jam autem aliquanto ſerioris inventi videtur Subſcriptio in crimen, ut mox videbimus.

Interea demiror, cur *Talionis* aequitas, cujus hic adeo juſta & evidens ratio eſt, tamdiu latuerit; praeſertim, cum nec in aliis Juris partibus ab ea abhorruerint Legiſlatores Romani. Ipſi Decemviri olim in atrocioribus injuriis *ἀντιπεπονθὸς*, reciproci poenam (a) ſtatuerunt. *Talionis*, Feſti verba ſunt, *mentionem fieri in duodecim, ait Verrius hoc modo*, SI MEMBRUM RUPERIT, NI CUM EO PACIT, TALIO ESTO. *neque id, quid ſignificet, indicat puto, quia notum eſt. permittit enim Lex parem vindictam* [4]. hoc eſt, *talem*, qualis injuria fuit: unde *Talionis* etymon (b). Tullii quoque tempore Talio cognita fuit, ſed inter minores poenas. quippe dum gradatim plures enumerat, ante ignominiam Talionem ponit. *Octo poenarum genera*, inquit, *in Legibus continentur, damnum, vincula, verbera, Talio, ignominia, exilium, mors, ſervitus* [5]. Sed & ejusdem in privatis ac civilibus cauſis inſignis uſus eſt. Nam inter alia Praetor edixit, QUI MAGISTRATUM POTESTATEMVE HABEBIT, SI QUID IN ALIQUEM NOVI JURIS STATUERIT, IPSE QUANDOQUE, ADVERSARIO POSTULANTE, EODEM JURE UTI DEBET. item, SI QUIS APUD EUM, QUI MAGISTRATUM POTESTATEMVE HABEBIT, ALIQUID NOVI JURIS OBTINUERIT, QUANDOQUE POSTEA, ADVERSARIO EJUS POSTULANTE, EODEM JURE ADVERSUS EUM DECERNERETUR [6]. quod quid aliud, quam mera Talio? Nec ab his multum differunt, qui *litem ſuam facere* dicuntur [7]. Amplius, Edictum, quod Praetor de jurejurando neceſſario propoſuit, totum in Talione fundatum eſt [8]. Credidit enim Praetor, modeſte facere eum, qui delatum ſibi jusjurandum adverſario refert; hunc vero iniquum eſſe, ſi ea conditione, quam parti obtulit, ipſe uti non velit [9]. Eadem aut ſimilis plane reconventionis ratio eſt. *Cujus enim quis in agendo obſervat arbitrium, eum habere & contra ſe Judicem in eodem negotio non dedignetur*, ait Imperator [10]. Uti etiam, ſi reus alleget inſtrumentum actoris. *Cui enim ipſe credidit, & quod protulit is, contra quem, & ex quo ſuas affirmat allegationes, hoc non accuſet. nam ipſe ſibi reſiſteret* [11]. Praeterea circa teſtes Idem praecipit, *Si quis teſtibus uſus fuerit, iidemque teſtes adverſus eum in alia lite producantur, non licebit ei perſonas eorum excipere* [12]. Rurſus de pretio fundi communis in dotem dati, poſt divortium reſtituendo Tryphoninus: *Scilicet ut recipiat tantum pretii nomine a muliere, quantum dedit ex condemnatione ſocio. nec audiri debebit alteruter eam aequitatem recuſans, aut mulier in ſuſcipienda parte altera quoque, aut vir in reſtituenda* [13]. Idem juris eſt in cautionibus damni infecti: *Et ſane parum prope poſtulat ab eo caveri ſibi earum aedium nomine, quarum ipſe cavere ſuperſedit* [14]. In ſolutionibus etiam: *Aequiſſimum viſum eſt, creditorem ita agere rem debitoris, ut ſuam ageret* [15]. Denique in reſcindenda venditione: *Ratas manere ſemper factas jure venditiones, veſtra etiam intereſt: alias eveniet, ut eadem lege conveniamini, quam vobis tribui poſtulatis* [16]. Atque ita in multis aliis tam publici, quam privati Juris partibus (c) Talionis veſtigia elucent.

Hanc autem Romani a Graecis, Graeci ab Orientalibus accepere: nam poenarum prope omnium antiquiſſimam, certe celeberrimam eſſe, ignorare non poteſt, qui vel minima hiſtoriae ſive Sacrae ſive prophanae cognitione tinctus eſt. Quin nec alio decantatiſſimum illud Poetarum *Jus Rhadamantheum* referendum. Verum argumenti praeſtantia & celebritas effecit, ut doctiſſimi Viri hanc materiam dudum occuparint. Itaque ne actum agatur, breviter ſolummodo adferam, quae noſtri fori eſſe, & huic imprimis tractatui convenire arbitror. Inter Graecos Zaleuci & Charondae hujusmodi fuit ſanctio, *Oculum pro oculo, dentem pro dente* [17]. quod ad verbum ex Lege Moſaica mutuati ſunt [18]. quemadmodum eos rurſum Decemviri circa injurias ſecuti videntur; niſi quis illud cum Malquitio [19] ad Solonis Leges referre malit. Profecto Pythagorici quoque omnes *τὸ ἀντιπεπονθὸς* ſive *ταυτοπάθειαν*, hoc eſt, parem poenae vindictam approbarunt, ut autor eſt Ariſtoteles [20]. Quod ad juſtitiam Talionis, *ſummam ea res aequitatem habet, & ſine cujusquam indignatione juſta. quis enim aſpernabitur idem jus ſibi dici, quod ipſe aliis dici* voluit [21]. Nimirum

Sua quisque exempla debet aequo animo pati,

rectiſſime ait Fabularum ſcriptor [22] (d). conveniatque ei ſententiae oraculum, quod Delphis editum monet Julianus, *ὁ [illegible]*, inquit, *ἐν Δελφοῖς μαντεῖον*

Eiſe

1 Symmach. *Lib.* x. *ep. ult.* 2 *L.* 11. *C. Th. de Accuſat. & Inſcrips.* IX. 1. 3 Supra, *Cap.* XV. (a) Proprie valet contrariam ſive reciprocam mutilationem. 4 Feſtus *de Verb. Sign.* in *Talio.* adde §. 7. *Inſtit. de Injur.* (b) Habet quidem Valla *Elegant. Lib.* VI. *c.* 49 *in fin* in XII. Tabulis fuiſſe, *Calumniator idem patiatur, quod reus ſi convictus eſſet.* verum auctoritatem deſidero. 5 Cic. *de Legib.* 6 *L.* 1. §. 1. *ff. Quod quisque jur. in alt. ſtat.* &c. 7 *L.* 15. § 1. *ff. de Judic.* Theoph. ad *pr. Inſtit. de His, qui quaſi ex del.* adde Cic. *de Orat. Lib.* II. *c.* 75. 8 *L.* 34. §. 4. & 7. *ff. de Jurejur ſive volunt. ſive neceſſ.* 9 *L.* 38. *ff. de Jurejur.* *L.* 12. §. 1. *C. de Reb. Credit.* 10 *L.* 14. *C. de Sentent. & Interloc. omn. Jud.* 11 Novella XLIX. *c.* 2. §. 1. 12 *L.* 17. *C. de Teſtib.* 13 *L.* 78. §. *Si fundus* 4 *ff. de jure dotium.* 14 *L.* 13. §. 11. *ff. De damno inf.* 15 *L.* 1. *verſus fin. ff. de ſolutionib.* 17 *L.* 7. *C. de reſcind. vendit.* (c) Verbi gratia in crimine *[illegible]*, de quo Ulpianus in *l.* 9. *de extraord. crim. hanc rem Praeſides exequi ſolent graviter usque ad poenam capitis, quia & ipſa res mortem comminatur.* Immo vero, quod jure miramur, in ipſa caſtratione *talionem* obſervari voluit Juſtinianus, ut adeo *caſtrentur* ipſi, qui eunuchos faciunt, videlicet, ut idem vitae periculum ſubeant, in quod alium conjecere. vide *Novell.* CXLII. *c.* 1. 17 Bodin. *de Rep. Lib.* VI. *c.* 6. Adde Leonis *conſtitutionem Nov.* XCII. 18 Exodi *c.* XXI. *vſ.* 24. & Levit. *c.* XXIV. *vſ.* 20. 19 Malquit. *de Philoſ. JCtor. Lib.* II. *c.* 30. 20 Ariſtot. *Lib.* V. *Nicom.* 8. 21 Ulpian. *L.* 1. *pr ff. Quod quisque jur. in alter.* 22 Phaedr. *Lib.* I. *fab.* 26. *vſ. ult.* (d) Ex innumeris locis quae huc referri poſſunt, ſolum duo aut tria adducam, quae mire in eundem ſcopum collineant, ita Ovid. *Lib.* I. *de Arte Amandi*, *vſ.* 655.

— Neque enim Lex juſtior ulla eſt,
Quam necis artifices arte perire ſua.

& *Metamorph. Lib.* XIII. *v.* 71.

— — — — Usque reliquit,
Sic linquendus erat. Legem ſibi dixerat ipſe

Denique Cic. *Tuſculan. Lib* II. *c.* 17. *Qui alteri exitium parat, eum ſcire oportet, peſtem ut participet parem*, hoc eſt, particeps fiat.

Εἴκε πάθοι τάκ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο [1].
Unde & Alexander Severus ita delectabatur hac Chriſti gnóme. QUOD TIBI NON VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS, ut & palatio & publicis operibus inſcribi juberet [2]. Verum ut eo, unde deflexit, revertatur inſtituta diſquiſitio, ſic tandem a Judaeis ad Graecos, a Graecis ad Romanos alioſque populos Talio pervenit. Sed nulla propemodum in re inſigniorem aut magis ſalutarem ſedem fixit, quam in poena Calumniatorum. Quin ipſe Deus in Legibus per Moſen datis falſos teſtes, qui calumnioſe in proximum inſurgebant, hoc eſt, accuſatores calumnioſos retaliari juſſit, ſeu eadem poena affici, quam alteri intentaverant [3]. Memorabile quoque omnino eſt, quod jam Plautus Talionem in accuſationibus deſideravit, idque non ſine eleganti & lepida magiſtratuum admonitione.

Ubi Quadruplator, inquit, *quoipiam injexit manum,*
Tantidem ille illi rurſus injiciat manum,
Uti aequa parti prodeant ad Treſviros:
Si id fiat nae iſti faxim uſquam appareant,
Qui hic albo ariete aliena oppugnant bona.
Sed ſumne ego ſtultus, qui rem curo publicam,
Ubi ſunt Magiſtratus, quos curare oporteat [4]?

Recte adeo Auguſtus iis par poenae periculum propoſuit, qui abolita nomina per Calumniam repeterent, ut dictum [5], ſed longe rectius Imp. Trajanus indiſtincte ad Calumnioſas accuſationes ſupplicii ſimilitudinem porrexit. Ex quo tempore in cujuſcunque generis Calumniis magis ac magis firmata eſt Talio, praeſertim vero, accedente in crimen Subſcriptione.

Videtur autem haec *Subſcriptio* potiſſimum circa Alexandri tempora invaluiſſe. Nam praeterquam quod antériores JCti Subſcriptionis non meminere, Ulpianus & Paulus eam tam accurate definiunt ac deſcribunt, ut fere ex ſola tractandi ratione de recenti uſu conſtet. *Quae res ad id inventa eſt*, ait Ulpianus, *ne facile quis proſiliat ad accuſandum, cum ſciat, inultam ſibi accuſationem non futuram* [6]. Fuerat quidem olim Subſcriptio quaedam, in accuſationibus itidem frequentata, ſed quam ex utriuſque collatione apparet, nihil aut parum cum hac commercii habuiſſe. Etenim antiqua illa ſolos ſecundarios accuſatores tangebat, recens haec non niſi principalem; olim vulgo plures ſubſcribebant, poſtea tantum unus: tunc merae voluntatis erat Subſcriptio, nunc omnimodo neceſſitatis: de prioris poena non conſtat, poſterioris Talio eſt: denique quod ad nomen, illa ſimpliciter Subſcriptio appellabatur, haec pleniore appellatione Subſcriptio in crimen, & interdum tamen etiam κατ' ἐξοχὴν Subſcriptio, ſive Inſcriptio. Subſcriptionis enim appellatio per ſe generalis eſt, & variis in jure negotiis applicatur. Sic *Judicum Subſcriptiones* appellantur, quibus cauſas damnationis ſubſcribunt ſententiis [7]. Item *Subſcriptiones Principum*, per quas ad libellos reſcribunt [8]. Fuit & Ciceronis tempore *Subſcriptio* quaedam *Cenſoria* [9], & alia *in judiciis Centumviralibus*, dum Plinius viveret, quando uterque litigans videtur ſubſcripſiſſe [10]. Eidem quoque *Subſcriptio criminum* eſt ſimplex quaedam annotatio & enumeratio criminum [11]. In materia autem accuſationum *ſubſcribere* & *inſcribere* paſſim occurrunt, pro accuſare, deferre aliquem [12]: in qua juris parte notio iſtius vocabuli potiſſimum haeſit, propter *ſubſcribendi* in accuſationibus conſuetudinem ac neceſſitatem.

Quod autem haec noſtra ſive Inſcriptio ſive Subſcriptio in crimen uſu introducta ſit, non Lege aliqua aut Conſtitutione clare Ulpianus ἐμφατικῶς, *urgente* [13] deſignatione confirmat. Interim tamen, quia Senatusconſulto Turpilliano eadem poena continetur, quae adverſus Calumniae damnatos obtinet, quaeque per Trajanum talio coepit eſſe, eidem quoque SCto Subſcriptio in crimen, firmandae talioni comparata, tribuitur [14]. Ratio autem introducendae Subſcriptionis evidens eſt, ne ſcilicet talionis poena, quemadmodum olim SCtum ſub Galbae principatu, per accuſatorum potentiam eludi identidem poſſet. Nullus enim, maximus minimus, ad accuſandum admittitur, niſi praevia in crimen Subſcriptione. Sed de ſubſcribendi neceſſitate in praecedentibus ſatis [15]. Formulam Subſcriptionis quod attinet, rigida quoque admodum & ſolennis eſt. Hinc igitur *ſolennis Lex* [16] & *ſolennia accuſationis* [17], illinc *vinculum* [18] & *laqueus Legis* [19], *summo dignus & meritus horror Inſcriptionis* [20] vocatur. Ceterum initialia quaedam Subſcriptionis ſive Libelli accuſatorii habet Apulejus in ſua Apologia. *Ubi illud*, inquit, *Libelli veſtri atrox principium, nomine privigni mei formatum*, HUNC EGO, DOMINE MAXIME, REUM APUD TE FACERE INSTITUI? . . . *Sed quid deinde?* PLURIMORUM MALEFICIORUM ET MANIFESTISSIMORUM. *Cedo unum de plurimis* &c. [21]. Generalem autem hujuſmodi Libellorum conceptionem praeit Paulus hoc modo, *Conſul & dies*, APUD *illum* PRAETOREM *vel* PROCONSULEM LUCIUS TITIUS PROFESSUS EST, SE MAEVIAM LEGE JULIA DE ADULTERIIS REAM DEFERRE, QUOD DICAT EAM CUM GAJO SEJO, IN CIVITATE *illa*, DOMO *illius*, MENSE *illo*, CONSULIBUS *illis* ADULTERIUM COMMISISSE [22]. (a) Et haec proprie quidem prior Libelli delatorii pars eſt, quae nomen rei, & crimen, & locum, & tempus declarat: eſt & altera, quae accuſans promittit *ſe perſeveraturum in crimine ad ſententiam, & ſi non condemnet reum*, hoc eſt, convincat, *eandem ſe poenam ſubiturum, quam adverſarius convictus ſubire debuiſſet*. Utrumque mihi Ulpianus, ſed conciſe ac breviter, innuere videtur, cum ait, *Cavent itaque ſinguli* QUOD CRIMEN *objiciant*, & *praeterea* PERSEVERATUROS SE IN CRIMINE USQUE AD SENTENTIAM [23]. Quae cum aliquanto attentius mecum reputo, neſcio, num prior Libelli pars, quae ipſam delationis ſubſtantiam continet, proprie & ex ſua natura *Inſcriptio* vocetur, poſterior vero, quae ſanctionem, ſive poenam habet, *Subſcriptio*. Quamvis enim vulgo hae voces confundantur, tamen obſervo, ubi de ipſa delatione ſermo eſt, ſaepe Inſcriptionis vocabulum adhiberi, non Subſcriptionis. Sic *Inſcriptionum libelli* [24], & *Inſcriptionum paginae* [25], item rubricae π. & C. *De Accuſationibus & Inſcriptionibus*. Diſerte etiam Paulus al-

1 Julian. Imp. in *Caeſarib.* adde Ciceron. in *Bruto*. 2 Lamprid. in *Alex. c. 51. ad fin.* 3 Deut. c. xix. vſ. 16. 17, 18, 19. 4 Plaut. in *Perſa Act.* 1. *Sc.* 2. *vſ.* 18. &c. ſed vide totum locum a *vſ.* 10. ad *vſ.* 24. Exhibui autem locum, ut eum legendum putat Clariſſ. Salvinius. 5 Supra *cap.* xv. 6 *L. 7. pr. π. de Accuſat. & Inſcript.* 7 Aſcon. Pedian. 1. *in Verr.* Sueton. *in Ner. c.* 10. 8 *L.* 4. 5. & *toto tit. C. de Commun. epiſt.* 9 Cic. pro *Cluent.* c. 43. 10 Plin. *Lib.* v. *ep.* 1. 11 Idem *Epiſtol. Lib.* 1. *ep.* 20 atque ita jam Senecae haec vox accepta videtur in *Apocolos.* 12 *L. ult. C. de Injur.* & multis aliis in locis.

13 *d. L. 7 §. 1. π. de Accuſat. & Inſcript.* 14 *L. 2. C. ad SCtum Turpill.* 15 Supra *cap.* IX. adde tamen *L. 3 §. 2. π. de Accuſat. & Inſcript.* de eo, qui ſcribere non poteſt. 16 *L. 2. C. de Exhib. & tranſmitt. reis.* 17 *L. 11. § 5. π. ad L. Jul. de Adult. L.* 18. *π. de Accuſat. & Inſcript.* 18 *L. 14. C. Th. de Accuſ. & Inſcript.* IX. 1. *L. 61. C. Th. de Appellat.* XI. 30. 19 *L. 2. C. Th. de Abolit.* IX. 37 20 *L. 8. C. Th. de Juriſdict.* II. 1. 21 Apulej. in *Apolog.* 21. *ad fin.* 22 *L. 3. pr. π. de Accuſat. & Inſcript.* (a) Formam autem ſive modum accuſandi per Subſcriptionem in crimen eleganter deſignat Scaevola in *l.* 24. *π. ad L. Corn. de Falſ.* Huic addo illud Senecae in *Apocolocyntoſi*. *Ducit eum ad tribunal AEaci. Is Lege Cornelia, quae de Sicariis lata eſt, quaerebat. Poſtulat nomen rei recipi, edit Subſcriptionem.* Sic enim lego cum Boxhornio ad Tacit. in *vita Agricolae* c. 45 pro *poſtulat, nomen ejus recipit.* 23 *L. 7. §. 1. π. de Accuſ. & Inſcr.* 24 *L. 2. §. 8. π. ad L. Jul. de Adult.* 25 *L. 3. C. de his, qui accuſ. non poſſ.*

allegato in loco dicit, *Libellorum Inſcriptionis conceptio talis eſt* [1], & mox, *Si Libelli Inſcriptionum legitime ordinati non fuerint, res nomen aboletur* [2]: cum tamen ſequenti §. dicat, *Item Subſcribere debebit is, qui dat Libellos, ſe profeſſum eſſe.* Itaque Libellos profeſſionis ſive Inſcriptionis manifeſte ab ipſa Subſcriptione diſtinguit Paulus. Sed nullus dubito ex quo vidi Jac. Cujacium [3] & Anton. Matthaeum [4] in eadem ſententia eſſe [5].

Porro ut ſubſcribendi neceſſitas ad omnes perſonas, ſic ad omnes accuſationes omniaque crimina (*a*) ſe extendit. *Ita ut etiam ſervos ſi quis crediderit accuſandos, non prius*, ajunt Imperatores, *ad miſerorum tormenta veniatur, quam ſe Accuſator vinculo Inſcriptionis adſtrinxerit* [6]. Inſuper nec jure mariti accuſantes *Calumniae periculum evitant* [7]. Sunt tamen paucae quaedam & perſonae & cauſae, quae excipiuntur. Sic qui nomine collegii aut corporis accuſat: maritus, qui genialis tori ultionem inſtituit, ſed tantum intra LX. dies: filius denique, qui parentis necem vindicat. his enim ignoſcit Lex, dolorem perſequentibus. Ceterum vel tutorio nomine accuſans ſubſcribere & ex evidenti calumnia competentem poenam ſubire cogitur [8]. Erant autem, qui alienis nominibus, & quavis ratione ſubornatis, reciprocae poenae conditionem ſubterfugere volebant; ſed contra hos variis Conſtitutionibus proviſum eſt [9], placuitque *fallaciter accuſantibus nullum colorem poſicere* [10]. Amplius, ne ex reorum ſordibus voluptas inimicis quaeratur, ipſa Subſcriptionis formula cavet, adſtringendo Accuſatorem *perſeverare in crimine uſque ad ſententiam.* Nam & cura bonorum Judicum in feſtinanda accuſatione occupata eſt. Ideo Apulejus, *Tuum hoc, Maxime, tuaeque providentiae beneficium eſt, quod a principio intellectas calumnias, ne corroborarentur tempore, praecipitaſti, & nulla impertita mora ſubnervaſti* [11]. Atque huc facit titulus in Codice Theodoſiano, *Ut intra annum criminalis actio terminetur* [12]; qui tamen annus a Juſtiniano in *biennium* commutatus eſt [13]. Porro & illud quondam in favorem reorum Divus Pius reſcripſit, *Hisdem criminibus, quibus quis liberatus eſt, non debet Praeſes pati eundem accuſari* [14]. Quemadmodum poſtea Valentinianus, Theodoſius & Arcadius conſtituere, *Ne ea quae aboleri antea conſuiſſent, novis Calumniarum facibus inardeſcerent* [15]. Et jam olim Lege Julia publicorum judiciorum, qui ſemel abſolutum repetere vellet, in anteceſſum prioris accuſatoris praevaricationem probare tenebatur [16]. Praeterea Senatus cenſuit, *ne quis ob idem crimen pluribus Legibus reus fieret* [17]. Denique etiam ab accuſando propter turpem quaeſtum arcentur, *qui duo judicia adverſus duos ſubſcripta habent* [18]. (*b*)

Effectus Subſcriptionis eſt, ut ne gratuita quidem pactione accuſator citra abolitionem deſiſtere poſſit [19]. Abolitio autem difficulter impetratur [20].

Praeterea ſtatim ut ſubſcripſit accuſator, & *exhibitionis injuriam & rei conditionem* ſuſtinere cogitur, adeoque & in carcerem ire, aut, ſi pecuniaria poena ſit, fidejuſſores dare, ut diximus [21]. Hoc autem pacto jam in ipſa accuſatione Talio quaedam inducitur, quae vel ad quaeſtiones & tormenta ſe extendit. Ait enim Conſtantinus (ex optima Cujacii interpunctione) *Si quis alicui Majeſtatis crimen intenderit, cum in ejuſmodi re convictus minime quisquam privilegio dignitatis alicujus ſtrictiore cognitione defendatur, ſciat ſe quoque Tormentis eſſe ſubdendum, ſi aliis manifeſtis indiciis accuſationem ſuam non potuerit comprobare* [22]. Immo vero hactenus melior eſt rei, quam accuſatoris conditio, quod ſpatium componendi maeſtos Penates ei conceditur (nam accuſator praeſumitur paratus accedere [23]) & praeterea quoque vulgo circa cuſtodias dignitatis aeſtimatio habetur [24]. Et hoc, jure quidem. Nam Talio, ut juſta ſit, geometricam proportionem, hoc eſt, comparatam tenere debet: quippe ſi arithmetice & ſimpliciter diſtribuatur, non erit poenarum aequalitas, aut exacta retributio. Sic enim non recte bonorum publicatio inter divitem committitur, & eum qui nihil aut parum habet. Similiter in exilii aut mortis poena plus periclitatur, qui Senator aut Magiſtratus eſt, quam qui privatus; ut & qui uxorem & liberos habet, quam qui orbus aut caelebs. Et tamen ceteroqui vix eſt, ut credam, in Calumniae poena exactam & parilem per omnia Talionis exaequationem ſervatam fuiſſe. Cujus quidem ſententiae duplex ratio dari poteſt, tum quod optimates & honeſti ordinis viri a vilioribus ut plurimum & nequam hominibus accuſarentur, tum etiam quod Legiſlatoribus ſufficere viſum, ſi qualiquali ſimilitudine abſterrerentur Calumniatores.

Praeterea *non utique, qui non probat quod intendit, protinus Calumniari videtur*, ait Marcianus: *nam*, pergit, *ejus rei inquiſitio arbitrio cognoſcentis committitur, qui, reo abſoluto, de accuſatoris incipit conſilio quaerere, qua mente ductus ad accuſandum proceſſit: & ſiquidem juſtum ejus errorem repererit, abſolvit eum; ſi vero in evidenti Calumnia eum deprehendit, legitimam poenam ei irrogat* [25]. Sed, quid ſi temere accuſaſſe videatur? Hunc Papinianus itidem abſolvit, loco una cum praecedenti in ſuperioribus citato [26]. Sed & Ulpianus in tractatu de Adulteriis, *Sane ſi juvenili facilitate ductus, vel etiam fervore aetatis accenſus ad accuſationem proſilit, accuſanti ei non facile Calumniae poena irrogabitur* [27]. Et in genere hi demum poena SCti obnoxii ſunt, qui odio aut ſpe lucri, aliave turpi de cauſa deferunt. Quod ſi qui inter accuſandum errorem ſuum facilitatemve agnoverint, recte Abolitionem petunt, qua omnis Subſcriptionis vis enervatur. Nam *Senatus cenſuit*, referente Junio Mauritiano, *ſi delator Abolitionem petat, quod erraſſe ſe dicat: at idem Judex cognoſcat, an juſta cauſa Abolitionis ſit; & ſi erraſſe videbitur, det imprudentiae veniam* [28]. Poſtremo ſimili ratione Conſtantinus conſtituit. *Si poſt ſtrepitam accuſationis exortae Abolitio poſtuletur* (nam qui libellos tantum obtulit, ſemper impune reſilire poteſt [29]) *cauſa novae miſerationis debet inquiri, ut ſi citra depectionem id fiat*, id eſt, citra turpem pactionem, puta quod *per errorem ſeu temeritatem ſeu calorem ad accuſandum proſiluerit* [30], *poſtulata humanitas praebeatur* [31]. Videlicet haud omnino ſuppliciorum atrocitate ab accuſationibus abſterrendi erant homines, ne metu

Ca-

1 *d. L. 3 pr. ff. de Accuſat.* 2 *d. L. 3. §. 1.* 3 J. Cujac. *Obſerv. Lib. 1. c. 22.* 4 Ant. Matth. *de Crimin. Lib.* XLVIII. *tit. 13. c. 6. n. 2. & 3.* 5 Addatur Scipio Gentilis ad Apologiam Apuleji *num. 27. & ſeqq.* (*a*) Quin & ad privata delicta, e quibus criminaliter agitur, *l. ult. ff. De Privat. del. l. ult. ff. De Furtis.* 6 *L. 14. C. Th. de Accuſat & Inſcript.* IX. 1. confer *l. 13. C. eod.* 7 *L. 14. §. ult. ff. ad L. Jul. de Adult.* 8 Vid. Jac. Gothofr. *ad l. 2. C. Th. de Calumniat.* IX. 39. & *l. 2. C. Th. ad L. Jul. de Adult.* IX. 7. 9 Jac. Goth. ad *d. l. 2. C. Th. de Calumn.* ſupra *cap.* XV. 10 *L. pen. C. de Calum.* 11 Apulej. in *Apolog.* 12 *Lib.* IX. *tit.* 36. 13 *L. ult. C. Ut intra cert. temp. crim.* &c. 14 *L. 7. §. 2. ff. de Accuſat. & Inſcript.* 15 *L. 2 C. Th. de Curat. Kalend.* XII. 11. 16 *L. 3. §. 1. ff. De Praevaricat. L. 1. C. de Advocat. diverſ. jud.* 17 *L. 14 ff. De Accuſat. & Inſcript.* 18 *L. 8. ff. De Accuſat & Inſcript.* (*b*) Demoſthenes in Leptiniana Legem Atticam commemorat, quae vocabat amplius quam ſemel in crimen ſubſcribi, ne alioqui Sycophantarum lucro inhiantium calumniis ex fraudibus liberior via panderetur. Radulph. Forner. *Rer. quotid.* XV. *c.* 15. 19 *L. 1. §. 7. ff. ad SCtum Turpill.* 20 *L. 14. §. 2. ff. De Bonis Libert.* 21 *L. 8. C. Th. De Accuſat. & Inſcript.* IX. 1. Vid. ſupra *cap.* IX. 22 *L. 3 C. ad L. Jul. Majeſt.* 23 *L. ult. C. Th. De Cuſtod. reor.* IX. 3. 24 *L. ult. C. De Accuſat & Inſcript.* 25 *L. 1. §. 3. ff. ad SCtum Turpill.* adde *L. 3. C. De Calumn.* 26 *L. 1. §. 5. ff. eod.* Vid. Supra *cap.* VI. 27 *L. 15. §. 6. ad fin. ff. ad L. Jul. de Adult.* 28 *L. 15. pr. ff. de Jure Fiſci.* 29 *L. 17. C. ad L. Jul. de Adult.* 30 *L. 2. C. de Abolit.* 31 *L. 1. C. Th. eod.* IX. 37.

Digitized by Google

Calumniae etiam juſta vindicta periret. Poſtremo non omnibus criminibus poena Talionis obtinet, ſed tantum in publicis judiciis. Nam *in privatis & extraordinariis criminibus omnes Calumnioſi extra ordinem pro qualitate admiſſi plectuntur* [1].

CAPUT XXII.

Privatarum Accuſationum deſuetudo.

AD extremum tamen evenit ut privatae Accuſationes magis ac magis negligerentur, paucis ſe amplius periculo Subſcriptionis ſubjicere volentibus. Non quod honeſtiores Accuſationes deſignem, quippe quae dudum ante ceſſarant, ſed quaeſtuoſas illas ac turpes nequiorum ſordidorumque hominum Delationes. Verum de utriſque, ſi placet, videamus: nec enim incongruum erit, cum iisdem, a quibus tractatus noſter initium cepit, Accuſationibus deſinere.

Quatenus ſe res habuerit ad Caeſarum uſque tempora, primis duobus capitibus eſt demonſtratum. Cum mutata autem republica mutati quoque hac in parte Romanorum mores. nec immerito. Etenim quum inter arcana imperii haberetur, optimum quemvis & nobiliſſimum fictis criminationibus e medio tollere, omnibus non dicam Optimatibus, ſed bonis & probae notae viris ſordere coeperunt Accuſationes. Quin nec Defenſiones eo tempore aut tutae aut licitae. Non enim puduit Tiberium monere Conſules, ne quenquam in judicio defenderent, *Num ego*, inquit, *ſi Conſul eſſem id non facerem* [2]. Ex adverſo praemiis & dignitatibus etiam Primores ad calumniandum ſeducebantur, & vel infimas interdum exercebant delationes [3]. Tunc igitur optimo jure *Accuſatorum ingenia*, tunc *opes & exercita malis artibus potentia timebantur*, ut dicit Tacitus [4]. Pauciſſimi autem hoc tempore erant, qui ad illa hiſcere auderent, metu exitii, quod ei, qui palam ſeſe opponeret, certiſſimum imminebat [5]. Solus L. Piſo inventus eſt, qui liberi doloris documentum ederet. *Inter quae L. Piſo*, inquit Tacitus, *ambitum fore, corrupta judicia, ſaevitiam Oratorum, Accuſationes minitantium increpans, abire ſe & cedere urbe, victurum in aliquo abdito & longinquo rure teſtabatur: ſimul curiam relinquebat*. Quin huic invidiae impar Tiberius, quum ſummae auctoritatis homo eſſet, mitibus verbis eum permulſit, & per propinquos illius abeuntem detineri fecit [6]. Sed hoc rariſſimum antiquae virtutis exemplum eſt, quod nec multum curaviſſent Imperatores, qui Tiberium inſecuti ſunt. Quod autem Calumniis faviſſe Senatores, & ipſos quoque interdum Delationes factitaſſe dixi, egregie conſtat ex eodem Tacito. Quum enim retuliſſet, quomodo Senatus, Domitiano imperium adeunte, jusjurandum conceperit, quo omnes Magiſtratus *Deos teſtes* invocarent, *nihil ope ſua factum, quo cujusquam ſalus laederetur, neque ſe praemium aut honorem ex calamitate civium percepiſſe*; ſubjicit, multos eo tempore fuiſſe, qui trepidi & verba jurisjurandi per varias artes mutando, ſceleris conſcientiam indicarent [7].

Immo jam ſub Claudio veri Oratores velut ex antiquitate repetendi fuere. Ita Silius, Conſul deſignatus, in ſuadenda Lege Cincia *veterum Oratorum exempla* retulit, *qui famam in poſteros praemia eloquentiae cogitaviſſent pulcherrima* [8]. Ut tamen priſtini temporis ingenuitatem quodammodo aſſecuti viderentur Imperatores, injunxerant interdum probis & egregiis hominibus, ut hunc aut illum accuſarent. Amplius huic turpitudini praeter ceteras adulationes ſuam quoque autoritatem Senatus accommodabat. *At nunc*, ait Tacitus, *colimus externos & adulamur: &, quomodo ad nutum alicujus grates, ita promptius Accuſatio decernitur* [9]. Quod ſi cui a Principe aut Senatu Accuſatio deferretur, declinare eam capital erat. Atque hac ratione Agricolae pater Julius Graecinus, Senator eloquentia, integritate & ſapientia clarus, exitialem Caji Caeſaris iram in ſe concitavit. *Nam M. Silanum accuſare juſſus, quia abnuerat, interfectus* legitur [10]. Adeo vel bonis hoc tempore eruditio & facundia fraudi erat: nam *ubi lubido dominatur, leve innocentiae praeſidium eſſe*, libera adhuc republica Craſſus dicebat [11]. Merito igitur hae Accuſationes *periculi depellendi* vocabantur; cum tam dura conditione propria ſalus redimenda eſſet, ac, ne quis ipſe periclitaretur, alios perdere deberet. Ut autem excuſationem apud bonos merebatur coacta ejusmodi Accuſatio, ita ſpontaneam nemo inter honeſtiores ſine odio & dedecore ſuſcipiebat. *Regulum ideo ſubverſa Craſſorum & Orphiti domus in ſummum odium extulerat. ſponte Accuſationem ſubiiſſe juvenis admodum, nec Depellendi periculi, ſed in ſpem potentiae videbatur* [12].

Ceterum poſt primos duodecim Caeſares, ut vocantur, ſequentium aliquot Principum probitas effecit, ut rurſum aliquo in honore eſſet Accuſatio defenſioque, ſed quae tamen longe infra antiquum ſplendorem conſiſteret. Manſit enim ex praecedentis aevi ſqualore, ut necdum fere decora aut honeſta foret, quae ſponte ſuſciperetur Accuſatio. Sentio enim cum Pichena [13], moris fuiſſe, ut alicujus cauſae vel Accuſatio vel etiam Defenſio a Senatu huic vel illi Oratori plerumque demandaretur, ſive actoribus, ſive proprio Senatus motu, ut notum eſt, praeſertim ex Plinio Juniore [14]. Quemadmodum autem paulo ante Domitianus Cauſidicos, & cum illis omnes eruditos ejiciendo, fori ſtudia & civilium artium decus porro in ſilentium egerat, ita nunc denuo coeperunt efflorescere. Patet hoc abunde ex Quintiliani Inſtitutionum Oratoriarum libris, & Taciti Dialogo de Oratoribus, & ſcriptis Luciani ac Plinii Junioris. Optime autem Quintilianus praecipit, *primam curam in ſuſcipiendis cauſis eſſe debere: in quibus*, pergit, *defendere quidem reos profecto, quam facere vir bonus mallet*: nec tamen *ita nomen ipſum Accuſatoris horrebit, ut nullo neque publico* (nota) *neque privato duci poſſit officio, ut aliquem ad reddendam rationem vitae vocet*. & mox, *Itaque ut Accuſatoriam vitam vivere, & ad deferendos reos praemio duci, proximum latrocinio eſt; ita peſtem inteſtinam propulſare cum propugnatoribus patriae eſt comparandam*: idemque exemplo Ciceronis, Hortenſii, Caeſaris, Catonum confirmat; tandem poſt praeclara quaedam cauſas agendi praecepta, quoniam de quaeſtu accuſatorio dixerat, *gratiſne ſemper agendum ſit*, tractat, & concludit, *ſi quis ſufficientia ſibi* (*modica autem haec ſunt*) *poſſidebit, hunc quaeſtum ſine crimine ſordium* non fieri: alias *honeſte* percipi; ſed cum moderamine, *& a quo accipiat, & quantum, & quousque* [15]. Sed & egregie pridem Plautus [16],

Neque quadruplari me volo: neque enim decet
Sine meo periculo (a) ire aliena ereptum bona:
Neque illi, qui faciunt, mihi placent: plane loquor:
Nam publicae rei cauſa quicunque id facit

Magis,

1 *L. 3. ff. ad SCtum Turpill. L. 7. §. 1. eod.* Actum hac de re plenius in extremo *capite* XIX.
2 Dio apud Xiphil. in *Tiberio*.
3 Tacit. *Annal. Lib.* VI. *c.* 7.
4 Idem *Hiſtoriar. Lib* IV. *c.* 44.
5 Tacit. *Annal. Lib.* VI. *c.* 47. & *Lib.* XVI. *c.* 26.
6 Idem *Ann. Lib.* II. *c.* 34.
7 Dion. Caſſius *Lib.* LVIII. Tacit. *Hiſt. Lib.* IV. *c.* 41.
8 Tacit. *Lib.* XI *Annal. c.* 6.

9 Tacit. *Ann. Lib.* XV. *c.* 21.
10 Idem *in vita Agric. c.* 4.
11 Cic. *in Orat. c.* 65.
12 Tacit. *Hiſtor. Lib.* IV. *c.* 42.
13 Pichena *in not. ad Tacit. d. loc.*
14 Plin. *Epiſtol. Lib.* I. *ep.* 11. *Lib.* III. *ep.* 4. *Lib.* V. *ep.* 20. *Lib.* VI. *ep.* 29. &c. inprimis vero legenda *ep.* 11. *Lib.* IV. ubi plura habet de ratione accuſandi eo tempore.
15 Quintil. *Inſtit. Orator. Lib.* XII. *c.* 7.
16 Plautus in *Perſa Act.* 1. *ſc.* 2. *verſ.* 10.
(*a*) Nondum introducta Talione in accuſationibus.

Magis, quam ſui quaeſti, animus induci poteſt,
Eum eſſe civem & fidelem & bonum.
Sed legirupam qui damnet, det in publicum
Dimidium: &c.

At vero, peſſimis temporibus brevi redeuntibus, non videntur iſta duraviſſe diu, donec tandem honeſtiorum patrocinia penitus deſinerent. Quin usque adeo abolitae ſunt Accuſationes defenſionesque ex Senatusconſulto, ut quandoque diſerte ſtatutum fuerit, *Ne quis invitus ad Accuſandum compelleretur* [1].

Nec ſane potuit aliter, poſtquam Subſcriptio in crimen excogitata erat, qua ſe omnes omnino Accuſatores Talioni ſubjicere coacti ſunt. Nemini enim injungi poteſt, ut ad poenam ſe obliget. Inſuper moleſtia Subſcriptionis ac durities bonos cives per ſe prorſus abſterruit. Magnifice quidem Imperatores quoscunque invitant, qui ſe in quemlibet judicum, comitum, amicorum, vel palatinorum aliorumve honoratorum ſuorum aliquid veraciter ac manifeſte probare poſſe confidunt, quod ſciant *venalem fuiſſe de jure ſententiam*; aut *poenam vel pretio remiſſam, vel vitio cupiditatis ingeſtum*; aut *quacunque alia de cauſa quid injuſte ac improbe admiſſum*, ut crimen deferant ac probent, ut ipſi ſe vindicare poſſint de eo, qui ſe hactenus ſimulata integritate deceperit, promittuntque eo nomine *dignitates Accuſatoribus, & res, & gloriam* [2]: ſed interim quam periculoſa ejusmodi delatio eſt, quam invidiae plena, quam magna denique probationum luce inſtruenda, ut quis Talionis ſeveritatem effugiat! *Sciant cuncti*, ajunt iidem alibi, *praemeditentur, ante praecaveant, eam ſe rem deferre debere in publicam notionem, quae munita ſit teſtibus, inſtructa documentis, ſignis ad probationem luce clarioribus expedita* [3]. Quoties autem vel in privatorum criminibus non jus, ſed probatio deficit, quoties ipſa judicis imperitia, aut, quod longe periculoſius eſt, gratia ipſius ac ſordes condemnationi impedimento ſunt? ut proinde mirum non ſit, nec optimum quidem reipublicae civem huic diſcrimini in poſterum ſe objicere, aut vindicandae, quae ad omnes peraeque pertinet, diſciplinae ſe ipſum devovere voluiſſe.

CAPUT XXIII.

Continuatio praecedentis materiae.

NEc tamen eſt, quod utiliſſimi adverſus Calumnias remedii inventum culpemus, cum ſine hujusmodi incommodo haud aliter videatur proſpici potuiſſe tam veteri ac praevalido noxioque omnibus malo. Quin adeo veſani quidam ac delationibus tantopere debacchantes, ut vicariae poenae metum contemnerent. *Nam etſi omne genus Accuſationis neceſſitas Inſcriptionis adſtringat*, ait Conſtantinus, *nonnulli tamen proterve id faciunt* [4]. Quum igitur vel ipſa Subſcriptionis acerbitas Calumnioſos cohibere non poſſet, *quodam tempore admiſſum eſt, ut non Subſcriptio, ſed profeſſio criminis* temeraria, & in jurgio forte aut iracundia *nudo ſermone ex ore fugiens tam Accuſatorem quam reum ſub experiendi periculo, de patria, de liberis, de fortunis, de vita denique certare cogeret* [5]. Cui atrocitati reſcriptum Antonini Caracallae magnam occaſionem videtur dediſſe, dum voluit, ut *ſi expetens vindictam falſi crimen intenderet, in Judicis poteſtate eſſet, an eum ſineret etiam ſine Inſcriptione certare* [6]. Confirmavit quidem hoc Conſtantinus [7], ſed eodem adhuc anno, *remota profeſſionis temeritate ad Subſcriptionis modum ordinemque* criminationem revocavit, *ut jure veteri in criminibus deferendis omnes uterentur*: & hoc quidem non reorum magis, quam ipſorum Accuſantium gratia, *ut ſcilicet ſopita ira & per haec ſpatia mentis tranquillitate recepta ad ſupremam actionem cum ratione* venirent, *atque confiſo* [8]. Verum Gratianus exemplo D. Antonini abolitam profeſſionis licentiam denuo reduxit, atque inſuper arbitrariam quodammodo fecit Calumniae poenam. Quod autem ex ipſa antiquitate argumentum petit, tanquam *Leges Corneliae ac Juliae ceteraeque* ſimiles voluerint, *ut etiam ſine Subſcriptione & ſolennibus poena Accuſatorem occuparet*, in eo ſententiae ipſius parum praeſidii collocatum video, cum mirum non ſit, adhibitam nondum fuiſſe ſolennem Subſcribendi in Accuſationibus rationem, quando necdum inventa erat. Diſcrepabant quoque hac in parte a Gratiano Valens & Valentinianus, quibuscum imperabat. hi enim Inſcriptionis neceſſitatem nihilominus in ſua ditione urgebant, idque iisdem, quibus ante Conſtantinus, rationibus [9]. Tandem vero Imperatores Honorius & Theodoſius in haec verba ſtatuerunt, *Accuſationis ordinem jamdudum Legibus inſtitutum ſervari jubemus, ut, quicunque in diſcrimen capitis arceſſitur, non ſtatim reus, qui accuſari potuit, aeſtimetur, ne ſubjectam innocentiam feramus: ſed quisquis ille eſt, qui crimen intendit, ut judicium veniat, nomen rei indicet, vinculum Subſcriptionis arripiat, cuſtodiae ſimilitudinem (habita tamen dignitatis aeſtimatione) patiatur, nec adeo impunitam fore noverit licentiam mentiendi, cum Calumniantes ad vindictam poſcat Similitudo ſupplicii* [10]. Sic illi, cum proxime antecedens Arcadii & Honorii Conſtitutio jam eo inclinaſſet. *In cauſis criminalibus*, ajunt, *dignum eſt, ut Inſcriptiones praeponantur, quae magnitudinem videlicet criminis tempusque deſignent: ut alterutram partem digna Legum terrere poſſit autoritas*: idque ſub poena quinque librarum auri, contra eos, qui aliter accuſantes receperint [11].

Quo autem acrius graviusque ad ulciſcendas Calumniatorum injurias incumberetur, eo majorem impunitatem conſequebantur vera delicta, praeſertim mediocrium hominum, qui infra invidiam erant. Nam qui nullas odii in deferendo aut quaeſtus cauſas, iidem nec Subſcribendi habuere. Hoc cum animadverterint Imperatores, conſtituti ſubinde ſunt, qui muneris neceſſitate delinquentes ad Magiſtratus deferrent. Tales erant Nunciatores, Curioſi, Stationarii & Irenarchae (*a*), quos generali nomine *Officium* vocari arbitror [12]. *Nunciatores* eſſe, qui Fiſco *nunciant*, & per notoria indicia produnt, jam in anteceſſum [13] monui. *Curioſi* vero ſive *Curagendarii* dicebantur, qui *curis agendis* & evectionibus curſus publici operam dabant [14], quorum curae & officii pars, *crimina Judicibus nuntiaſſe* [15]. Porro *Stationariorum* nomine apparitores Praeſidum deſignantur, quibus ſimiliter deferendi reos provincia mandata [16]. *Ei notoriis Apparitorum, quos Stationarios appellant, deferatur in notitiam Poteſtatum*, ait

1 Quo facit Diocletiani *l. un. C. ut nemo invit. accuſ. cogat.* 2 *L. 4. C. Th. de Accuſ. & Inſc.* IX. 1. juncta *l. 4. C. de L. Jul. Repetund.* 3 *L. 3. C. Th. de Abolit.* IX. 37. 4 *L. 3. C. ad L. Jul. de Adult.* 5 *L. 5. C. Th. de Accuſ. & Inſcript.* IX. 1. 6 *L. 4. C. Th. ad L. Corn. de Falſ.* IX. 19. 7 *L. 2. C. Th. eod.*

8 *d. L. 5. C. Th. de Accuſat. & Inſcript.* IX. 1. 9 *L. 11. & 14. C. Th. de Accuſ. & Inſcr.* IX. 1 & confer. *d. L. 11.* cum *l. 5. eod.* 10 *L. ult. C. de Accuſ. & Inſcr.* 11 *L. pen. C. eod.* (*a*) Quibus adde *ſervos Fiſcales*, qui itidem deferebant. Paul. *Recept. ſentent. Lib.* V. *tit.* 13. *num.* 2. Ita *Speculantes*, de quibus in *Cod. Theod.* ſub. tit. *Ad L. Jul. de adulter. Hi ſervorum indicio, vel Speculantis, vel etiam proximorum delatione convicti.* Dubito autem an non iidem ſint quos *Speculatores* vocabant; hos enim copulari video cum Apparitoribus judicum in *l. 7. C. de cohortalib. princip. cornicular. & primipilar.* Praeterea etiam *Stratores*, quorum meminit *L. 4. §. 1. ff. de Offic. Proconſ. & Leg.* accuſationes exercebant. *l. 1. C. Theod. de cuſtod. reor.* Denique erant & *Conductores domus Auguſtae* delationibus famoſi. *l. 1. in fin. C. Theod. de conduct. & hom. dom. Aug.* X. 26. & ad eam Gothofr. Proculdubio & alii ejus farinae homines. 12 *L. 7. C. de Accuſ. & Inſcr.* adde *l. 2. C. Th. de Curioſ.* 13 Supra *Cap.* IV. 14 *L. 2. C. de Curioſ. L. Station.* 15 *L. 1. C. Th. de Curioſ.* VI. 29. 16 *d. L. 2. C. Th. l. 8. C. de Accuſ. & Inſcript.*

ait Honorius [1]. *Irenarchae* denique ſeu *Hirenarchae* dicti, qui diſciplinae publicae & corrigendis Provincialium moribus praefici ſolebant [2], tanquam qui *pacis* & publicae *quietis concordiam* ſtabiliant [3]. Ad hos ſimiliter pertinuit, nunciare crimina, noxios prehendere, eoſque ad Praeſides & Magiſtratus deducere [4]. Praeter eos erant & alii, qui ex officio & juſſu Procuratorum *delata ab aliis convenienti diligentia inſtruebant* [5]. Quia autem iſti homines ratione officii crimina deferebant, ſolennibus Accuſationum, hoc eſt, ſubſcribendi neceſſitate eximebantur [6]. Nec tamen eo minus bonam fidem praeſtare debebant [7], & quia in his vulgo parum ſincere verſabantur, *notoriis* ſuis, ſive denunciationum libellis aſſiſtere jubentur [8]. Immo vero & ipſi tandem Calumniis aeque famoſi evaſere, ac peſſimi Delatorum. Et de Curioſorum quidem avaritia, depraedationibus & improbitate Libanius & alii multum conqueruntur, ſed inſtituti ratio non patitur, ut pluribus haec perſequamur [9]. De Hirenarchis tamen egregiis illis pacis quietiſque & morum cuſtodibus, audi eoſdem Imperatores, qui Subſcriptionem denuo ſtabilivere, Honorium dico & Theodoſium, *Hirenarcharum vocabula, quae adſimulata provincialium tutela, quietis ac pacis per ſingula territoria haud ſinunt ſtare concordiam, radicitus amputanda ſunt. Ceſſet igitur genus perniciosum reipublicae, ceſſet* &c [10]. Optime adeo in eos quadrat, quod de Delatoribus ſcribit Martialis [11],

Turba gravis paci, placidaeque inimica quieti,
Quae ſemper miſeras ſollicitabat opes.

Et ne quis de meliore luto fictos putet Stationarios, ecce Conſtantini verba, *Ne quis ex ultimis negotiatoribus, vel monetariis abjectiſque officiis; vel deformibus miniſteriis, vel Stationariis omnique Officiorum faece, diverſiſque paſtis turpibus lucris, aliqua frui dignitate pertentet; ſed & ſi quis meruerit repellatur* [12]. Atque idem habendum de omnibus Officialibus & apparitoribus Praeſidum ac Procuratorum Fiſci *(a)*, quae res & ipſa ſummam Accuſationibus indignationem abjectionemque attulit.

Quoniam igitur omnibus hoc tempore, vel mediocribus, inviſae ſummopere & odioſae erant reorum Delationes, pulchrum eſt attendere, quam anxie hanc invidiam Imperatores amoliri tentaverint. Ita Gordianus jam ſuo ſeculo, *Si non es Nuntiator*, reſcibit, *vereri non debes, ne ea propter, quod injuriae faciendae gratia quidam te veluti Delatorem eſſe dixerunt, opinio tua maculata ſit* [13]. Atque Idem rurſus biennio poſt, *Nulla macula vel crimini Delatoris adſpergitur is, qui* &c. [14]. Sed vel antea Calliſtratus, qui vixit temporibus Severi & Caracallae: *Ex quibusdam cauſis Delationes ſuſcipientium fama non laeditur: veluti eorum, qui non praemii conſequendi, item eorum qui ulciſcendi gratia adverſarium ſuum deferunt: vel quod nomine reipublicae ſuae exſequitur cauſas. & haec ita obſervari pluriſariam* (nota) *principalibus conſtitutionibus praecipitur, l. 2. ff. de jure fiſci.* adde *l. 44. eod.* quae Pauli eſt. Poſtea Carus, Carinus & Numerianus, *En varia*, inquiunt, *ſtatutorum diverſitate ad id decurſum eſt, ut hi, qui reip. cauſas defendunt, Delatorum criminibus non teneantur: cum omnibus notiſſimum ſit, eos ſolos execrabiles Nunciatores eſſe, qui Fiſco deferunt* [15]. Conſtantinus vero, *Accuſatorem autem hujus criminis delatorem eſſe, ſed dignum magis praemio arbitramur* [16]. Porro Honorius ac Theodoſius, *Nec Invidiam metuat, qui ad publicum deduxerit criminoſum; cum illud ſpecialiter caveamus* &c. [17]. Denique etiam Valentinianus II. *Quiſquis voluerit Accuſator emergere, habeat liberam facultatem, nec Delatoris formidet Invidiam: cum praemio magis dignus ſit, qui ſe conſtanter improbos adſſe monſtraverit* [18]. Scilicet poſteriores hi Principes ſeriam operam navabant, ad revocandas privatorum Accuſationes. revera enim Edictis ac praemiis propoſitis omnes palam invitarunt, tam ſervos quam liberos [19]. Contra ſeveriſſimis ſuppliciis calumnioſas Delationes repreſſerunt, omnibuſque circumciderunt modis.

Omnes Judices, inquit Conſtantinus, *invigilare praecipimus, Delatores* [*ſine Fiſci Advocato denunciantes*] *poenis afficere.* additque, *Sed quia nonnulli praecipites ſecundum jus poſſeſſa patrimonia deferre non ceſſant, damus omnibus* [*licentiam,*] *qui ſe laeſos exiſtimant, contra Delatores ſeveritatem Judicum implorare ferro diſtrictam* [20]. Advocatum autem Fiſci Hadrianus inſtituerat [21], ejuſdemque aliquandiu tenuis & exilis dignitas fuit, dum primi tantum gradus auſpicium eſſet [22]. Sed ut pleraque officia imperialia, crevit quoque Fiſci Advocatio, tum Advocatorum numero, tum muneris dignitate; denique & tempore, cum tandem perpetua facta ſit [23]. Ipſi vero non deferebant aut accuſabant; niſi tamen quod accuſatore deficiente, reis apponerentur Accuſatores [24]. Ceteroquin enim eorum velut praeſidio reus peragebatur, & hoc tantum in criminibus ad Fiſcum pertinentibus. *(a)* Sed redeo ad Delatores. Ut jam olim non licuit duo judicia adverſus duos reos ſubſcripta habere, propter turpem quaeſtum, ita artem quandam delationis exercentes ſummo odio proſecuti ſunt Imperatores: adeo ut vel poſt victoriam tertiae Delationis capite plecti juſſerit Thodoſius [25], Honorius vero ne quidem audiri tertio deferentas, ſed protinus poenam ſubire voluit [26]. Quatenus autem ad ingraveſcentes Calumniarum poenas, *In tantum*, ajunt Valentinianus & Valens, *humani generis inimicos arbitra aequitate perſequimur ut Delatores* *(b)* *pronunciatos pu-* niri

1 *L. 31. C. Th. de epiſc. & cleric.* XVI. 2. 2 *L. ult. §. Hirenarchae 7. ff. de Muner. & honor.* 3 *L. un. C. de Hirenarchis.* 4 Nicephor. *Hiſtor. Eccleſ. Lib.* III. *c.* 35. de iiſdem adde *l. 6 §. 1. ff. de cuſtod. & exhibit. reor.* 5 *L. 2. C. de Delator.* 6 *L. 7. C. de Accuſ. & Inſcript.* 7 *d. L. 7. C. de Accuſat.* 8 *L. 6. pr. ff. de Cuſt. & exhib. reor. l. 6. §. 3. ff. ad SCtum Turpill.* 9 Vid. Jac. Gothofr. ad *l. 1. C. Th. de Curioſ.* VI. 29. 10 *L. un. C. Th. de Hirenarch.* XII. *ad fin.* hoc tamen Juſtinianus reduxit, ut patet ex eadem hac Lege, ſed a Triboniano interpolata & in contrarium plane ſenſum detorta ſub *eod. tit.* Cod. Juſtinianei. 11 Martial. *de ſpectaculis epig.* 4. 12 *L. 6 C. de Dignitat.* confer *l. 8. C. De Accuſ. & Inſcr.* *(a)* Sic de concuſſione Apparitorum Praefecti Urbis agit *l. 2. C. de Apparit. Urb.* & de Stratoribus haec habet *l. 1. C. Theod. de cuſtod. reor.* *Ut neque his qui Stratorum funguntur officio neque miniſtris eorum liceat crudelitatem ſuam Accuſatoribus vendere.* 13 *L. 3. C. de Injur.* 14 *L. 3. C. de Delat.*

15 *L. 4. eod.* 16 *L. C. de Malef. & Mathem.* 17 *L. 21. C. Th. de Poen.* IX. 40. 18 *Novellae* Valentinian. II. *tit.* 5. 19 *Tot. tit. C. Pro quib. cauſ. ſerv. pro praem. libert. l. 4. C. ad L. Jul. Repet. l. 1. C. de Deſert. l. 2. l. 5. C. Th. de Falſ. Mon. l. ult. C. de Malef. & Mathem. l. 5. §. ult. C. ad L. Jul. Maj.* 20 *L. 5. C. de Delator.* 21 Spartian. in *Hadr. c.* 20. 22. Spartian. in *Geta c.* 2. Capitol. in *Marc. c.* 4. Eutrop. *Lib.* VIII. *c.* 18. 23 Vid. Jac. Gothofr. in *Paratit. C. Th. de Adv. Fiſc.* X. 15. & Merulam *de Modo Procedendi Lib.* IV. *tit.* 10. *c.* 1. nec non Briſſon. *Selectar. Antiq.* III. *ult.* 24 Sulpic. Sever. *Sacrae Hiſtor. Lib.* II. *(c)* Nempe Advocatus Fiſci Intentionem Delatoris exſequebatur; attamen abſque ſuo periculo: nam in omnibus officii neceſſitas ſatis eum excuſabat, *l. 5. § 13. ff. de his quae ut indign.* adde *l. 3. §. 9. ff. de jure Fiſci.* Tandem Conſtantinus Delatores ſine Fiſci Advocato denunciantes poenis adfici voluit *l. 5. C. de Delatorib.* Interea vero minime ei impunitum fuit, Fiſci nomine privatis Calumnias commovere, *l. 3. C. de Advoc. Fiſci*, quae itidem Conſtantini eſt. Profecto nec Advocati Fiſci ſemper probi homines erant. qua de re exſtant quatuor ejuſdem Conſtantini conſtitutiones. vide Jac. Gothofredum ad *L. 1. C. Theod. de Advoc. Fiſci in notis & initio Commentar.* Item Mornac. ad *d. l. 3. C. eod.* Immo id jam pridem Herodianus tradiderat. *Hiſtoriar. Lib.* VII. *c.* 4. 25 *L. 13. C. Th. de Poenis. & Delat.* X. 10. 26 *L. 28. eod.* *(b)* Hoc eſt Calumniatores ſeu falſo detuliſſe pronunciatos, neque enim hoc tempore deferre prohibitum fuit, ut recte ad *h. l.* ob-

Digitized by Google

miri gladio juſſerimus [1]. Inſuper ſeveriſſimis ſententiis ſubjugarunt non ſervos tantum, qui dominorum exiſtimationem, caput & fortunas in judicium deducerent, ſed & libertos ac familiares (*a*), qui nefariae Delationis indiciis auctores libertatis atque educationis inceſſere tentarent. Et olim quidem Divus Claudius *libertam, qui probatus fuiſſet patrono Delatores ſubmiſiſſe, qui de ſtatu ejus facerent ei quaeſtionem*, in ſervitutem recidere juſſit [2]. At vero iidem Valens & Valentinianus Gratianuſque tam libertos quam ſervos, qui patronos dominoſve detuliſſent, *ferri* aut *ignium* ſupplicio puniri voluerunt [3]. Confimarunt illud Arcadius & Honorius, ſtatuentes ſimiliter, ut in ipſa expoſitione criminum ante teſtium exhibitionem *ultore gladio* ferirentur: *vocem enim funeſtam amputari potius, quam audiri oportere* [4]. Poſtremo Theodoſius Imp. mediam quodammodo viam eligens, ſervos quidem ad probationem admiſit, ſed poſt eam nihilominus tanquam proditores competenti ſeveritate affecit [5]

At jus noviſſimum debiles Calumniarum copias adhuc magis in anguſtum coëgit, ut ex Baſilicis diſcimus. Primo enim vetuit deferre id, ex quo quiſquam aut mortem, aut bonorum amiſſionem pertimeſceret: quod ſi quis aliter fecerit, aut propter theſaurum aliquem detulerit, *ſervum quidem ſtatim igni tradendum*, maxime ſi dominus ab eo delatus ſit, *libero* autem *homini*, *bonis & civitate ademptis, extra fines Romani imperii abeundum eſſe*. excipitur tamen Majeſtatis accuſatio, ſed ita, ut illud non probans, tanquam delator puniatur. Porro conſtituit, ut unuſquiſque deferens ſive Comiti rerum divinarum privatarum Auguſti, ſive ſcholae Palatinorum, ſive Clariſſimis Fiſci Advocatis, aut etiam Clariſſimis Praeſidibus Provinciarum, noſcat, ſive in cauſa perſeveret & Calumniator eſſe detegatur, ſive ab accuſatione deſiſtat & latitet, hoc eſt, tergiverſetur; ſi *mediocres facultates* habeat eaſque *amittere* pro nihilo ducat, *graviſſimis verberibus caſtigandum & perpetuo fore relegandum*. Si vero militiam habeat, aut officium illud amittat &c. Quatenus autem ad praemium de publicatis, ob laeſae majeſtatis crimen, non amplius *quartam*, ſed *octavam* tantum bonorum partem largitur. In ceteris vero criminibus cum hodie bona damnatorum non publicentur [6] praemia quoque Delationum penitus ceſſare probabile eſt. Poſtremo quemadmodum Delatio rerum ad Fiſcum pertinentium ſine Advocato Fiſci non poteſt fieri, ita vetat illum ſine privatorum Delationibus accuſare, & dicere ſibi eſſe relatum, detinere quemquam bona ad Fiſcum pertinentia, & propter hanc occultam accuſationem alteri inſidias facere, ſed Delator adeſſe jubetur ejuſque qualitas conſiderari. Atque ita eſt jure noviſſimo [7].

Verum quacunque tandem ratione Imperatores honeſtas privatorum accuſationes reducere, & ab his foediſſimas Delationes ſejungere voluerint, inveteratus praecedentium ſaeculorum abuſus & odium ipſarum Delationum pertinaciter videntur reſtitiſſe. Itaque effecerunt quidem, ut niſi perditiſſimi quique & infimae plebis purgamenta Delationes in poſterum exercerent, eo tamen non videntur rem perducere potuiſſe, ut honeſtiores ad accuſandum alliceerentur. Niſi tamen iis in caſibus, qui ad deferentis aut propioquorum ejus amicorumve injuriam pertinerent. Atque ita in ipſis Juſtiniani Novellis ſermo eſt de privata adulterii accuſatione per Subſcriptionem, cum diſerta adhuc Talionis deſignatione. *Si vir*, ait, *de adulterio Inſcripſerit uxorem.... at etiam propter illatam adulterii Accuſationem & non probatam, illis quoque maritus ſubdatur ſuppliciis, quae eſſet paſſura mulier, ſi hujuſmodi fuiſſet accuſatio comprobata* [8]. Sed & in jure Canonico diutiſſime privata Accuſatio duravit, dum praecipuae Leges de Subſcriptione in crimen agentes ex Codice verbotenus Decretis Pontificum inſertae ſunt [9]. Subſcriptionis itaque & ex ea profluentis Talionis mentio inter alia occurrit in Decretis Xyſti III. ſub imperio Theodoſii II. & Valentiniani III. anno Chr. 435. [10], tum Gregorii quoque ſub Mauricio, anno Chr. 590. [11], & Hadriani, imperante Leone IV. Porphyrogeneto, anno Chr. 780. [12], denique & Innocentii III. ſub Henrico VI. anno Chr. 1190. [13]. Immo vero de Delatoribus in ſpecie decretum Papae Hadriani exſtat, his verbis, *Delatori autem lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. Delatores autem ſunt, qui invidia produnt alios* [14]. Ad extremum tamen & Delatio & omnis quoque alia privata Accuſato hodie fere ceſſat. Nunc enim in re Eccleſiaſtica Promotoribus, in ſaeculari vulgo Procuratoribus Generalibus ſive Advocatis Fiſci (qui tamen omnino diverſi a priſtinis Fiſci Advocatis) accuſandi munus demandatum eſt; ſicut etiam Ballivis aut Praetoribus in unaquaque civitate [15];

FINIS.

obſervat Jac. Gothofredus. Omnium tamen ſeveriſſime Honorius, eo ipſo etiam quod quis Delationem profiteretur, ſtatim eum poenae ex jure mancipium eſſe juſſit. *l.* 30. *C. Theod. de petit & ultro dat. & Delat.* x. 10.

1 *L.* 10. *C. Th. eod.* conf. omnino *L.* 12. *in fine eod.*

(*a*) Familiares ſunt, qui in domo & familia alicujus educati ſunt, atque hi paſſim libertis aequari ſolent. adeatur Jac. Gothofr. ad *L.* 3. *C. Th. Ne praet. crim. Maj. ſervi &c.*

2 *L. D. Claudius* 5. *ff. De Jure patron.*

3 *L.* 1. *& 2. C. Th Ne praet. crim. Majeſt. ſerv. dom. vel. lib. &c.* adde *L. ult. eod.*

4 *L. pen. C. De his, qui accuſ. non poſſ.* adde *L. ult. eod.* in qua Honor. & Theodoſ. volunt *eodem libertos ſupplicio teneri, quo ſervos.*

5 *L.* 6. *C. De Delator.*

6 Per *Nov.* CXXXIV. *cap. ult.*

7 *L.* 7. & 8 *C. De Delator.* quarum inſcriptio eſt. *Conſtit. pars ex Baſilicis*; item *pars* 8. *Conſtit ſive ejus epitome ex Baſilicis & verſione Ant. Auguſtini*

8 *Nov.* CXVII. *cap* 9 §. 4.

9 *Cauſ.* II. *quaeſt. ult.* per tot. adde *C.* 19. *qu.* 4. *c. Nullus.*

10 *C.* II. *quaeſt. ult. c. Qui crimen.*

11 *d. C.* II *qu.* 3. *c. Paulum*, §. *Omnis.*

12 *d. C.* II. *qu.* 3. *c. Qui non.*

13 *C. Tuae fraternitatis* 5 *De Procurat.*

14 *Cauſ.* V. *qu.* 6. *c. Delatori.* conf. *L.* 2. *C. Th. De Petit. & Delat.* x. 10.

15 Vide inter alios Cl. Voet ad tit. *ff. de Accuſat. & Inſcrip. num.* 18. & quos ibi laudat.

LEGES ANTIQUAE,

Quarum in hoc Tractatu mentio fit.

AQuilia.	Pag. 1581 in not. num. (9)
Atilia.	1604 (*a*)
Caecilia Metella.	1581 (10)
Calpurnia.	1575 (*d*) 1608 *ad fin.*
Cincia.	1627, 1639
Claudia.	1581 (11)
Cornelia de Falſis.	(cap. XX.) 1631
de Sicariis.	1583. *med.*
Duodecim Tabularum.	*paſſim.*
Juliae Leges.	
de Adulteriis.	1606
Ambitus.	1608
Peculatus.	*ibid.*
Publicorum judiciorum.	1630 (d) 1637
Repetundarum.	1607, 1608
de Vi.	1607 (& cap. XIX. *in fin.*)
Julia & Papia.	1606
Julia & Titia.	1604 (*a*)
Memmia.	1579, 1581
Pompeja de Ambitu.	1575. *in med.* 1608. *ad fin.*
de Laudationibus Judiciariis.	1626
de Parricidiis	1618 (8)
REMMIA.	
Servilia.	1608 (13) (& cap. XXX.)

SENATUSCONSULTA.

Turpillianum.	cap. XX. & *paſſim.*
Volutianum.	(in fine cap. XIX.)
Et alia multa anonyma.	*paſſim.*

USUS INSCRIPTIONUM IN LEGIBUS ALLEGATIS.

EX PANDECTIS.

L. 1. de Poſtul. 1607
L. 10 de His, qui not. inf. 1584
L. 1. §. 1. de Calumn. 1608
§. 1. & 2. eod. 1629
L. 13. de Teſtib. 1605
L. 66. de Jure dot. 1603
L. 53. de Obl. & Act. 1599
L. pen. eod. ibid.
L. 2. de Privat. del. 1598
L. ult. eod. 1599
L. 3. §. 3. de Praevaric. 1607
L. 4. de Accuſ. & Inſcr. ibid.
L. 7 pr. eod. 1602
§. 3. eod. 1607
L. 8. eod. 1602
L. 35. ad Jul. de Adult. ibid.
L. 1. §. 2. ad SCtum Turpill. 1592, 1603
§. 8. & ſeqq. 1624
§. pen. 1584
L. 6. §. 3. eod. 1583
L. 44. de Jure Fiſci. ibid.
L. 233. de Verb. Sign. 1582
L. 130. de Reg. Jur. 1598

EX CODICE.

L. 1. de Poena Jud. qui male jud. 1631 (a)
L. 10. de His, qui accuſ. non poſſ. 1602
L. 12. eod. 1601
L. pen. eod. 1645
L. pen. de Accuſ. & Inſcr. 1642
L. ult. eod. 1601
L. 10. ad L. Jul. de Adult. 1620
L. 7. ad L. Jul. de Vi. 1601
L. 3. de Malef. & Math. 1644
L. 3. de Injur. 1643
L. un. de Gladiat. pen. toll. 1594
L. 1. ad SCtum Turpill. 1602
L. 7. de Calumn. 1601
L. 17. Poenis. 1593, 1597
L. 3. de Delator. 1643
L. 4. eod. 1644
L. 5. eod. 1645
L. 7. & 1. eod. 1646
L. 2. de Petit. bonor. ſubl. 1586
L. un. de Irenarch. 1643

EX COD. THEOD.

L. 5. de Accuſ. & Inſcr. ix. 1. 1642
L. 11. & 14. eod. ibid.
L. 1, 2. & ult. Ne praeter crim. Maj. xi. 6. 1645
L. 4. ad L. Corn. de Falſ. x. 19. 1641
L. 2. de Calumniat. ix. 39. 1585
L. 8. de Poenis. ix. 40. 1594
L. 13. de Petit. ultro dat. & Delat. xi. 10. 1644
L. 18. eod. ibid.
L. un. de Hirenarch. xii. 14. 1643
L. 3. de Abolit. 1641
Novella Valentiniani II. cap. 5. 1644

EX JURE CANON.

Cauſa ii. quaeſt. 3. cap. Qui non &c. 1646
Cauſa ii. quaeſt. 3. cap. Paulum, §. Omnis. ibid.
Cauſa ii. quaeſt. ult. ibid.
Cauſa iii. quaeſt. ult. cap. Qui crimen. ibid.
Cauſa iv. quaeſt. 4. cap. Nullus. ibid.
Cap. Tuae fraternitatis 5. de Procurat. ibid.

INDEX AUTORUM

Qui hic illuſtrantur, emendantur, laudantur, aut refutantur.

Antoninus Caracalla, *ill.* in l. 1. *π.* de Calumn. Pag. 1631.
Antoninus (M.) Philoſophus, *laud.* cap. xiv.
Auguſtinus (Ant.) *refut.* 1580
Aut. ad Herennium, *ill.* Lib. iv. c. 15. 1585
Baudius, *laud.* ad Plin. in Paneg. 1588
Boethius de Conſolat. Philoſ. *ill.* cap. iii.
Bynkershoek (Corn. van) *laud.* 1578
Capitolinus, *ill.* in M. Anton. Philoſ. cap. xiv.
Caſaubonus *ref.* ad eum loc. 1613
Cicero, *illuſtr.* pro S. Roſc. Amer. c. 20. 1577, & ſeq. 1586, 1589, 1590, 1618
pro eod. c. 31. 1588, 1625
Verrina iii. 1578
pro Domo. 1625
in Bruto c. 34. 1575
de Legib. 1633
laud. paſſim.
Conſtantinus, *ill.* in L. 17. C. de Poen. cap. viii.
Cujacius, *laud.* paſſim.
ref. 1592, 1595, 1600
Diodorus Siculus, *laud.* 1590, 1618
Dion Caſſius, *laud.* 1617
Eraſmus *ref.* 1587
Euſebius, *ref.* in epiſtola M. Antonini Philoſ. de Chriſtianis. 1614 (15)
Farinacius, *ref.* 1601
Gellius (Aul.) *laud.* 1618
Gothofredus (Jac.) *laud.* paſſim
Hermogenianus, *ill.* in L. 32. *π.* de Obl. & Act. 1598
Hiſtoriae Auguſtae Scriptores, *ref.* 1617
Hotomanus, *laud.* 1587
ref. 1579. & ſeq. 1587
Jacobus Apoſt. in epiſt. c. 3. *ill.* 1595
Interpretes Juris, *ref.* circa hanc materiam, paſſim.
circa eriſin in L. 1. C. de Poen. Jud. qui male jud. 1631 (a)
Julianus Imper. *ill.* in μισοπωγ. 1587. & cap. xiii.
Lactantius, *ill.* & *laud.* 1596
Lipſius, *ref.* 1613
Livius, *laud.* 1618
Lucas, *ill.* in Act. Apoſt. c. 23. 1583 (a)
Macer, *ill.* in L. 15. pr. & §. 1. *π.* ad SCtum Turpill. 1632
Malquitius, *ill.* 1634
Manutius (P.) *laud.* 1579
ref. 1587
Marcianus *ill.* in L. 1. §. 2. *π.* ad SCtum Turpill. cap. ii.
Martialis, *ill.* Lib. ii. epig. 61. 1578
Matthaeus (Ant.) *laud.* 1637
ref. 1601, 1615
Menardus, *ref.* 1587
Modeſtinus, *ill.* in L. 53. *π.* de Obl. & Act. 1599
Moſes in Geneſi, *ill.* c. 1. vſ. 26. & cap. 9. vſ. 6. 1595
in Deuteron. c. 19. 1635
Noodt (Ger.) *laud.* 1618 & 1631
Palearius (Aön) *ref.* 1580
Pancirolus, *laud.* 1587, 1595
Pandectarum Editiones *em.* in L. 13. de Teſtib. & L. 1. §. 2. ad SCtum Turp. 1579, 1580
Compilatores, *ref.* 1618
Papinianus, *ill.* in L. 13. *π.* de Teſtib. cap. iii. & 1588, 1591. & 1612
in L. 6. §. 3. *π.* de Decur. 1632
em. in d. L. 13. de Teſt. 1608
Pedianus (Aſcon.) *laud.* pluribus in locis.
ill. 1585
Perezius, *ref.* 1601
Pighius, *ref.* 1579, 1582, 1614
Pithoeus, *laud.* 1587
Plato, *laud.* 1620
Plautus in Perſa. *emend.* 1635
Plinius, *laud.* 1582
ill. in Paneg. c. 35. cap. xv. 1593. & ſeqq. 1622
in epiſt. 1625
Plutarchus, *laud.* 1617. & ſeq.
Polybius, *laud.* 1618
Pomponius, *laud.* in L. 66. *π.* de Jure Dot. 1623
Quintilianus, *laud.* & *ill.* in Inſtit. Orat. 1640
Ruſſardus, *laud.* 1583 (b)
Salluſtius, *laud.* 1618
Salvinius (Anton. Maria) *laud.* 1635 (a)
Sultingius (Anton.) *laud.* 1627
Seneca, *laud.* variis in locis. paſſim.
ill. de Brevit. vitae. 1578
Conſol. ad Marc. ibid.
Suetonius, *laud.* paſſim.
ill. in Aug. c. 32. 1616
in Caeſ. c. 73. 1612
in Oth. c. 5. 1621
in Vitell. c. 2. 1585
in Tito c. 8. 1615
in Dom. c. 9. 1616
de Clar. Rhet. 1618
Symmachus, *ill.* 1612
Tacitus, *laud.* paſſim.
ill. Ann. Lib. iiv. c. 41. 1619
Lib. iiv. c. 48. 1619
Hiſtor. Lib. iv. c. 48. 1618, 1640
Turnebus (Adrian.) *ref.* 1586
Valerius Maximus, *laud.* 1618
ill. 1579
Ulpianus, *laud.* paſſim.
ill. in L. 1. §. 1. 2. de Calum. 1629
L. ult. de Priv. Del. 1599
L. 7. §. 1. de Accuſ. & Inſcr. 1635. & ſeq.
L. 130. de R. J. 1598, 1599
Voet (Joh.) *laud.* 1599
Urſinus, *ref.* 1579
Zoeſius, *ref.* 1621

FINIS.

HENRICI BRENCMANNI
FATA
CALUMNIATORUM
SUB
IMPERATORIBUS.

AEQUO ET CANDIDO
LECTORI
S.

ALios Deos a gentilibus cultos eſſe, *ut prodeſſent*, alios vero, *ne nocerent*; recte Lactantius exprobrat. *haec enim*, addit, *ſemper excuſatio eſt eorum, qui mala ſua pro Diis habent, ut Romani Rubiginem & Febrem* [1]. Scilicet quum animadverterent, Deum ſumme bonum non poſſe mali cauſam eſſe, & tamen nullum ſine cauſa effectum produci, vitiorum quoque Genios ſtatuendos putarunt. Caecutiverunt autem in eo (nec enim ſine lumine Sacrae Scripturae fere aliter poterant) quod hominem tam ad vitia quam ad virtutes indifferentem conſiderarent, atque hac opinione imbuti etiam defectus cauſas quaeſiverunt [2]. Sed de gentilium Theologia non adeo hic ſolliciti erimus; ad praeſens argumentum ſufficit, illos vitiorum Praeſides & ſtatuiſſe & placare voluiſſe. Hoc autem cum facerent, rectiſſime quidem & CALUMNIAE litaverunt. Dubito enim an ulla peſtis aut tetra lues, diris atque exitialibus Phlegethontis gurgitibus excita, funeſtius unquam horribiliusve ſaevierit quam Calumniarum furiae. nam cum aeris quidem contagia omnes promiſcue inficiant, hoc fatale monſtrum, haec pernicies niſi optimos quosvis, niſi egregios & boni publici amantes profligare ſolita. Quod malum Graecos quoque expertos oportet, dum Athenienſes *Calumniae & Impudentiae* aras habuere [3]. Secus tamen priſtinis iisdemque integrioribus ſeculis, quando adhuc Leges Calumniatoribus dominantur. Καὶ τῇ μὲν Φήμῃ, inquit Aeſchines, δημοσίᾳ θύομεν, τῶν δὲ Συκοφάντων, ὡς κακούργων, δημοσίᾳ προβολὰς ποιούμεθα. „ Ac Famae quidem ſacra publice facimus, ut Deae, de Calumniatoribus vero, tanquam maleficis, publice conqueri licet [4]. „ Quamdiu igitur & Romae legum praeſidia adverſus Calumnias implorare tutum fuit, affatim JUSTITIA ſupplices ſuos protegere potuit, verum ubi ſacerdotes illius ambitioſis plerumque aut avaris flagitioſisque Principibus innocentium cauſas prodere incipiebant, praecluſo *Themidis* oraculo, neceſſario ſe ad *Calumniam* deprecandam debuerunt convertere. Si quis enim hinc honores & praemia Calumniatorum, aliasque tyrannidis illecebras, illinc vero metum bonorum Judicum & foediſſimas Senatus adulationes perpendat, facile mecum intelliget, vix ullum innocentiae, nedum virtuti atque integritati latibulum ſuperfuiſſe: facile item percipiet, extraordinarias ſubinde & exemplares poenas Calumniantibus per aequos Principes fuiſſe irrogandas. Quod ſi cui forſan ejusmodi indagatio aliquantum aberrare videatur a ſuperioris tractatus intentione & ſcopo, liberiorem digreſſionem hoc ſaltem nomine excuſet, quod ab illius materiae vicinitate haud omnino abhorreat. Sed & aliis occurrere voluimus, qui aut argumentorum ac circumſtantiarum connexionem minus aſſequeretur, aut in hiſtoriis illorum temporum non adeo verſati eſſent. Solummodo enim iſtic eam materiam deguſtavimus, multaque reſtant, in quibus quis etiamnum merito offendatur aut haeſitet. Profecto quam difficulter ſubita illa ac praeceps honeſtiorum in accuſando defendendoque ceſſatio cum publica omnium utilitate conciliari poteſt? Quam porro incredibilis eſt obſtinatus Calumniarum recurſus, non obſtante multiplici & iterata poenarum atrocitate? Quam ardua denique Subſcriptionis conditio, atque illa tamen conſilio bonorum Principum introducta

1 Lactant. *De falſa relig. Lib.* 1. *c.* 20. Idem olim improbaverat Cic. *Lib.* II. *de Legib. c.* 11. 2 Ed. Stellingfl. *Orig. Sacrae Lib.* III. *c.* 3. ex Plutar. in *Iſide & Oſir.* Addatur Heidan. *De orig. error. Lib.* 1. *c.* 1. § 4. & 5. qui eundem Manichaeorum quoque errorem fuiſſe oſtendit, quos praecedenti tractatu, ubi ſermo erat de imagine Dei in homine, refutabamus. Praeterea etiam Gnoſtici & Marcionitae circa annum Chriſti CL. ſtatuerunt duo numina, bonorum alterum, alterum malorum auctorem. 3 Lil. Gyrald. *De Diis Syntagm.* I. *pag.* 37. &c. 4 Aeſchines *De falſa legatione, pag. mihi* 266. (*b*)

Digitized by Google

& vehementer ſaepenumero intenſa, adeo ut omnes a vindicandis ſceleribus omnino abſterrerentur? Eo autem juſtius haec quilibet mirabitur, quod *ubi poenas ſcelerum expetere fas non eſt, prope eſt ut ſcelera ipſa impunita ſint: & licentiam malis dari, certe contra bonos eſt* [5]. Verum in ſequentibus apparebit, quibus artibus jam ſtatim a Caeſaribus abſterriti ſint boni cives, ne quem amplius defendere nedum accuſare ſuſtinerent, Senatu ſeque remque publicam turpiter prodente. Apparebit ſimul, quantam indignationem abjectionemque Accuſationibus iidem induxerint, alliciendo quoſvis ad deferendum, nec plebejos modo & infimae ſortis homines, ſed vel ſervos ac libertos, ipſosque criminum damnatos. Inſuper conſtabit, quemadmodum ſerio violenterque repreſſi ſub bono aliquo Principe Calumniatores mox iterum templa, fora, palatia inundaverint: ut vel ſeveriſſimi Imperatores, quaecunque tandem remedia excogitarent, contra torrentem niti viderentur, omnesque recidivae Calumniae aditus incaſſum conarentur praeſtruere. Interea quoque patebit, quam ficulnea & inanis eo tempore, quo vulgo eam ſtatuunt, Legis REMMIAE proviſio futura, & quam parum inuſtio perfrictae perditaeque frontis adverſum ejus aevi Calumnias opitulatura fuiſſet. Denique palam fiet, Subſcriptionis ſeveritatem, bono publico contra tam inſuperabile malum excogitatam, ipſas honeſtiorum Accuſationes porro peſſum dediſſe. nam, ut poſtremo praecedentis tractatus capite oſtendi, quum inſecuti Principes omni cura, ſollicitudine, diligentia anteriorum ſeculorum flagitia obliterare, & memoratas Accuſationes reducere vellent, nec invidiam Delationis amoliri, nec remedia ſatis temperare potuerunt. Quod ſi cui haec minus curae fuerint, is ſaltem noſtrorum felicitatem cum voluptate perpendere, & optimorum in Romana republica civium miſertus, ſua bona ex vero aeſtimare valebit.

5 Quintil. *Inſtit. Orator. Lib.* XII c. 7. Addatur Cic. pro *Milone* c. 6. *Maxima eſt illecebra peccandi, impunitatis ſpes.* Ulterius pergit Seneca *in Troade actu* II. *Qui non vetat peccare, cum poſſit, jubet.*

CAPITUM INSCRIPTIONES
ET
ARGUMENTA.

CAP. I. De Calumniarum ſub Imperatoribus progreſſu. *Delationibus adhibendam cautionem. Cauſae invaleſcentium Calumniarum ſub principatu, maxime Romano. ſimulata Imperatorum clementia. praetextus Calumniarum. αὐτοχειρία evitandae damnationis gratia. exquiſitae crudelitates abſque ullo ſexus aut aetatis diſcrimine. tragica aliquot exempla. Summa tractandorum.*

CAP. II. De criminibus Calumniae propriis. *Majeſtatis laeſae crimen. orbitas. taciti fideicommiſſi bona vacantia & vetera aerarii debita. &c. magia & vaticinationes. adulteria, inceſtus, veneficia. tandem quoque religio Chriſtiana. Verae cauſae Delationum. metus ex nobilitate, ſanguinis conjunctione aut amicitia cum damnatis, & ex fama militari. odium virtutis. Libido Principum, aut avaritia.*

CAP. III. De indole Calumniatorum. *Curioſitas Delatoria. imago Calumniatoris. peſſimae Calumniantium artes. nequitia eorundem & perfidia: etiam adverſus parentes & patronos, ſervi, liberti, damnati, faex plebis accuſatores. calumniae Cauſidicorum & Judicum, nec non Philoſophorum. Feſtinatio & aviditas in deferendo. Imperatorum in formandis, admittendis inſtigandisque delationibus impudentia.*

CAP. IV. De praemiis Calumniatorum & poenis. *Bona damnatorum ſummosque magiſtratus conſequebantur Delatores. ſed & graviſſimorum delictorum impunitatem. Interdum tamen per ſatietatem odiumve puniebantur, aut quia nimis praecipites ſegnesve. Severiſſima Calumniantium ſupplicia ſub bonis Principibus.*

CAP. V. Fata Calumniarum ſub ſingulis Imperatoribus. *Caeſaris ambitio prona in calumnias. proſcriptio Triumvirorum. Auguſti clementia. Tiberius foediſſimis criminationibus exarſit. crudelis & probroſa Caligulae indoles. deliberatio Senatus de abolenda Caeſarum memoria. Claudius iners cuncta aliorum arbitrio agebat. Nero ſcelere & calumnia omnes perculit. eo occiſo Delatores puniendos flagitavit Senatus, Galba parum ſibi conſtans. Vitellius ſaevus & inſolens erat. Veſpaſianus civilis & clemens. Titus infenſo in calumniatores animo. Domitianus in omnia probra & flagitia praeceps.*

CAP. VI. Continuatio praecedentis argumenti. *Nerva Princeps aequiſſimus. juſtitia & bonitas Trajani. Hadriani proviſio adverſus calumnias. Antoninus quoque Pius delationes odio habuit. nec non M. Antoninus Philoſophus. Commodus vero ſceleratiſſimae indolis erat: Pertinax rurſus delatoribus infenſus: at Severus in caedes & calumnias proclivis. Caracalla temerarius & truculentus. Macrini in delatores ſeveritas. Heliogabalus monſtrum hominis.*

CAP. VII. Altera praecedentium continuatio. *Alexander optimis Principibus accenſendus. evocabat autem delatores Maximus. verum mox Senatus jure ſuo uſus eſt adverſus calumniatores. Gallienus prodigioſus Imperator. Claudius modeſtus & juſti tenax. Aurelianus ferocior; delationes tamen non fovit. Tacitus & Probus itidem laudabiles. ut & Carus. at Carinus peſſimi ingenii. Diocletianus ſuperbia & ſaevitia nobilis. ſed & Maximianus fautor delationum. Conſtantius & Galerius egregii Principes. Sycophantae inſolentiores ſub Maxentio.*

HEN-

HENRICI BRENCMANNI FATA CALUMNIATORUM SUB IMPERATORIBUS.

CAPUT I.

De Calumniarum ſub Imperatoribus progreſſu.

QUemadmodum olim calcaribus, hoc eſt, praemiis, indigebant Accuſatores, ne reipublicae vindicta omnium praejudicio periret, ita deinceps, corruptis moribus, frena illis injicienda fuere, ne in optimos quosque, ſpe lucri aut honorum, inſultarent. Verum, oppreſſa republica, tantum abfuit, ut in ordinem redigeretur Calumniantium rabies, ut e contrario crudelitas, avaritia & libido Principum atque aulicorum, currentibus, ut ajunt, calcar adderent. Dum enim aut ſaevitiae Principum adreperent delatores, aut praemia legibus definita ſectarentur, circumveniebantur innocentes. Veriſſime quidem, verum ſubdole ac parum bona fide, Domitianus, PRINCEPS, QUI DELATORES NON CASTIGAT, IRRITAT [1]: nam nihil minus praeſtitit. „Oportet autem (ut eſt „ apud Cedrenum) magna cum attentione animi „ atque deliberatione crimina explorare, neque te„ mere Accuſatoribus credere, utcunque fide di„ gni habeantur [2]. „ Quare Maecenas Auguſto ſuaſit, ut Delatoribus uteretur, ſed cum cura & circumſpectione [3]. Prae ceteris pulcherrima ſunt & vere aurea quae ſequuntur, e celebri illa oratione decerpta: „ Nam quod convicium tibi quis„ quam fecerit, aut obtrectaverit, neque deferente „ aliquo audire neque ulciſci debes. Turpe enim „ fuerit te id credere, inventum qui te, neminem „ laedentem, omnibus benefacientem, ignominia „ affecerit: idque ſoli mali credunt Principes, quos „ ad fidem dictis habendam conſcientia movet. De„ inde iniquum eſt, ea aegre ferre velle, quae ſi vera „ ſint, praeſtat non admittere; ſin falſa, diſſimu„ lare: quum multi, haec vindicantes, pluribus „ ac gravioribus de ſe ſermonibus occaſionem prae„ buerint [4]. „ Nec abludit decantata (divina, prope dixeram) Theodoſii conſtitutio de his, qui Imperatori maledixiſſe deprehenduntur. [5]. Profecto minime convenit, *ut Calumnia ex principali majeſtate facultatem capiat* [6].

Verumenimvero fieri vix poteſt, quin ſub Principibus Calumniae invaleſcant,

Hoc adeo cunctis pene ſemper Regibus
Commune vitium, facile Delatoribus
Praebere ſeſe: quo quod eſt crudelius
Fictum, facilius creditur: vanos metus
Fingunt ſibi ipſi; mobilis famae legem
Sequuntur auram: qui fideliter monet
Timidus habetur, languidus, torpens, hebes [7].

Nimirum multi Principes natura pravi ſunt, plerique adulationibus corrumpuntur. Quod ſi quidem boni exiſtant, verum ſegniores aliquanto aut ſubſtupidi, uxor, miniſter, aulici omnia corrumpunt, & pro uno multi naſcuntur domini. Unde Fronto Conſul ajebat, malum quidem eſſe, Imperatorem habere, ſub quo nemini licet quicquam facere, ſed multo pejus eſſe, cum omnia licent omnibus [8]. Praeterea factiones & diverſarum familiarum in Principatum ſucceſſio miſeranda ſtrage in eos ſaeviunt, quos opes, auctoritas, aut virtus in oppreſſa factione aut familia metuendos reliquit, quosve nobilitas vel aliqua inſignis claritudo rumoribus objicit. Hi ergo ſenſim, cum palam nequeunt, fictis criminibus e medio tolluntur.

Ceterum ut haec generatim in quovis Principatu, ita multo magis in Romano imperio obtinuere, quo paulatim invaleſcente veteres quaevis ac nobiles familiae ceterique omnes, queis modo aliquis priſtinae libertatis ſenſus ſupererat, removendi fuerunt. Gliſcebat nequitia Principum, quod, praeter crebras familiarum factionumque mutationes, identidem fere deteſtabiliores ſaevioresque Imperatores exoriebantur. Profecto devictis tyrannis, vel maxime delatores emergere ſoliti [9]. Denique his omnibus & perficiendi facilitas accedebat, quod *cuncta legum & magiſtratuum trahens in ſe Princeps materiam praedandi patefecerat* [10]. Nempe *Caeſares Senatus potentiam auxerunt ſuae ſervientes* [11]. nam cum Julius Caeſar jus comitiorum, hoc eſt, vim imperii, cum populo partitus eſſet [12], Tiberius comitia e Campo ad Senatum tranſtulit [13]: in Senatores autem, foeda adulatione auctoritatem ſuam proſtituentes, brevi adeo dominati ſunt Imperatores, ut vel idem ille Tiberius, quoties curia egrederetur, de iis dicere conſueverit, *O homines ad ſervitutem paratos* [14]. Quin immo ſub eodem eo deventum eſt, ut primores Senatus etiam infimas Delationes exercerent [15].

Initio autem Principatus plerumque paulo moderatius circumſpectiusque agebatur, praeſertim ſi bonis ſuccederent. in tantum ut ſui confirmandi commendandique gratia ultro interdum Calumniis obviam irent, ut in illo ipſo, quem proxime attulimus quemque in ſequentibus aliquoties in hanc ſcenam producturi ſumus, Tiberio, in Nerone, Domitiano aliisque palam apparebit [16]. At poſtea, quando ſe jam ſatis munitos confirmatosque videbant, accedentibus in primis ſuſurronibus aulicis, effuſiſſime in caedes & rapinas prorumpebant [17]. Pulchre adeo Phaedrus:

Contra potentes nemo eſt munitus ſatis:
Si vero acceſſit conſiliator maleficus

Vis

1 Sueton. in *Domit. c.* 9. ad fin. 2 Gorg. Cedreni *Hiſtoriae compend. ſect.* 110. 3 Dion Caſſius *Lib.* LII. 4 *Dict. Lib.* LII. *pag.* 556. addeſis Philoſtrat. *in vita Apoll. Tianei Lib.* VI. *c.* 7. 5 *L. un. C. Si quis Imp. maledix.* 6 Paulus in *L.* 91. *w. De heredib. inſtit.* 7 Buchanani *Baptiſtes*, *Scena* I. *ad fin.*

8 Dion apud *Xiphilinum in Nerva, initio.* 9 Gothofr. ad *L.* 1. *C. Theod. de petit. & delat.* 1. 10. *pag.* 430. & *ad L.* 33. *eod. pag.* 458. 10 Tacit. *Annal Lib.* XI. *c.* 5. 11 Sueton. in *Tiber.* 12 Idem in *Caeſare c.* 43. 13 Tacit. *Lib.* I. *Annal. c.* 15. 14 Tacit. *Annal. Lib.* III. *c.* 65. 15 Idem in *iisdem Annalib. Lib.* VI. *c.* 7. 16 Videntur infra *c.* V. & *ſeq.* 17 Flav. Vopiſc. in *Aureliano c.* 43.

Vis & nequitia, quicquid oppugnant, ruit [1].
Quod ſi quis ſe Calumniis opponere vellet, atque innocentes ſervare, certiſſimam ille perniciem inveniebat. Quare ſapienter Thraſea, qui ſub Nerone occubuit, cum Ruſticus Arulenus magnoanimo condemnationi Senatus intercedere vellet (erat enim tribunus plebis) ſpiritus ejus cohibuit, *ne vana*, inquiebat, *& reo non profutura, interceſſori* vero *exitioſa, inciperet* [2]. Nec immerito ita ſentiebat Vir prudentiſſimus atque integerrimus, quia conſtabat, jam pridem ſub Tiberio Junium Othonem, itidem tribunum plebis, tantum ne praemium accuſatori decerneretur intercedentem, exilio mulctatum fuiſſe [3].

Videlicet hisce temporibus *Delatores, genus hominum publico exitio repertum, & poenis quidem nunquam ſatis coercitum, per praemia eliciebantur*, ait Tacitus [4]. Nec tamen color deerat. nam *irritas Leges, rempublicam in praecipiti* eſſe, conquerebatur Tiberius: *ſubverterent potius jura, quam cuſtodes eorum amoverent* [5]. & *miſerrimam Imperatorum conditionem eſſe* clamitabant Domitianus atque Hadrianus, *quibus de affectata tyrannide, niſi occiſis non crederetur* [6]. Et in genere praetexebatur, quod de Avidio Caſſio reſcribit Marcus Imp., *Non poſſe reum fieri, quem nullus accuſat* [7]. Specioſa inſuper erant, quae ob delationem bonorum, quae caelibes atque orbi reliquerant, propoſita erant praemia. *inditi* nimirum *cuſtodes, & Lege Papia Poppaea praemiis inducti, ut ſi a privilegiis parentum ceſſaretur, velut parens omnium populus* (aut verius Princeps, populi nomine) *vacantia teneret* [8]. ubi recte Gronovius notat, *Inditi cuſtodes & praemiis inducti*, hoc eſt, capita legibus addita, quibus praemia definiebantur Accuſatoribus, Delatoribus, Quadruplatoribus, Sycophantis, tanquam bonis viris & Cuſtodibus legum & Cognitoribus populi ac defenſoribus. ſic ille. Et ſane ut Cuſtodes, ita etiam Cognitores honeſtiore vocabulo dicti ſunt Quadruplatores ac Delatores, qui cauſas aerarii & fiſci, atque adeo populi & principis ſuſciperent ſponte ac tuerentur. exemplo videlicet Cognitorum in rebus privatis, qui praeſentium cauſas tuentur ut ſuas, cum Procuratores abſentium lites agerent aut negotia [9]. Habebantur itaque pro legum Cuſtodibus, aerario augendo inventarum; cujus operae pretium partes de proſcriptorum bonis conſequebantur. (*a*)

Rurſum, in ipſis condemnationibus interdum modeſtiae & clementiae ſpecies objecta eſt ab Imperatoribus, ut invidiam mollirent. Hac in re, quemadmodum in quavis alia verſuta calliditate & fallacia, prae ceteris longe excelluit egregius ſimulandi artifex Tiberius. Ita Senatum deprecatus eſt, *ne majeſtatis crimina tractarentur*, quae interim ipſemet ſtudioſiſſime ſubornabat [10]. Alias ſupplicia, quae conſulto gravius decreta erant a Senatu, in mitiores poenas commutavit [11]: quibusdam etiam, clementiae obtentu, *liberum mortis arbitrium* permiſit [12]: & hoc ipſis pro ſingulari favore & lenitate imputabatur. Alii, quos palam occidere pudebat, terrore carceris & vinculorum adigebantur, ut manus ſibi ipſi inferrent [13]. Caedibus peractis addebantur haec ludibria, Etſi mortem meruiſſet, clementiae tamen ſuae reſervaturum fuiſſe Principem: ut &, Quamvis ſontem, & defenſioni merito diffiſum, victurum tamen fuiſſe, ſi clementiam judicis exſpectaſſet: item, Reum ſumpta morte miſericordiam ſuam praeveniſſe [14]. De Libone, qui & ipſe ferales ictus in viſcera direxerat, hunc in modum Tacitus: *Accuſatio tamen apud patres adſeveratione eadem peracta, juravitque Tiberius, Petiturum ſe vitam quamvis nocenti, niſi voluntariam mortem properaviſſet* [15]. Cajus vero Caligula quosdam Senatores cum clam interemiſſet, citare nihilo minus ut vivos perſeveravit, paucos poſt dies voluntaria morte periiſſe mentitus [16]. Domitianus autem facile apud Senatum perfecerat, ut nonnulli majeſtatis rei etiam more majorum puniendi condemnarentur. deinde atrocitate poenae conterritus, ad leniendam invidiam interceſſit his verbis: *Permittite, patres conſcripti, pietate veſtra impetrari, quod ſcio me difficulter impetraturum, ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis* [17]. Quin & poſt ſepulturam accuſati fuere, decretumque ut more majorum punirentur. & vel ſic Nero interceſſit, *mortem ſuo arbitrio permittens* [18].

Ceterum multi etiam, ne tetris carnificum manibus pollucrentur, inedia, veneno, aut ſua manu necem antevertebant, quidam & damnationem. Horum apud unum Tacitum magna exemplorum copia eſt. Cremutius Cordus, ne reus periret, vitam inedia finivit [19]. Vibulenus Agrippa, eques Romanus, cum peroraſſent accuſatores, in ipſa curia deproptum ſinu venenum hauſit [20]. Pomponius Labeo, qui Moeſiae praefuerat, per abruptas venas ſanguinem effudit, quae tum promptiſſima mortis via [21]. Neque aliter Mella, eques Romanus dignitate ſenatoria, vitae finem impoſuit [22]. P. Anteius hauſto veneno, tarditatem ejus peroſus, interciſis venis mortem approperavit [23]. Praeterea Granius Martianus, Senator, a C. Graccho majeſtatis poſtulatus, vim vitae ſuae attulit [24]. item C. Galba conſularis, & duo Blaeſii, nec non C. Silius, Trebellienus Rufus, Statilius Taurus atque alii [25]. Pretium feſtinandi erat, quod eorum, qui de ſe ſtatuebant, humabantur corpora, manebant teſtamenta [26].

Interdum vero mori volentibus vis adhibita vivendi. nam mortem adeo leve ſupplicium putabat Tiberius, ut, cum audiſſet Carnulium eam anticipaſſe, exclamaverit, *Carnulius me evaſit* [27]. Liceat mihi aliud a Tiberio exemplum petere: nam per omnium Imperatorum vitas ſingula demonſtrare longum foret, quum & ex uno plurium indoles diſcatur. De Cremutio, quem abſtinentia periiſſe retulimus, haec habet Seneca ad Marciam ejus filiam: *Accuſatores, Sejano auctore, adeunt Conſulum tribunalia: queruntur mori Cordum, interpellantes quod coegerant. adeo illis Cordus videbatur effugere. Magna res erat in quaeſtione, An morte rei perderentur. Dum deliberatur, dum accuſatores iterum adeunt, ille ſe abſolverat* [28]. Sed fidem excedit quod ſequitur, etiam cum Deorum immortalium illuſione. Idem denuo

1 Phaedrus *Lib.* II. *fab.* 6. 2 Tacitus *Annal. Lib.* XVI. *c.* 26. 3 Idem in *Annalib. Lib.* VI. *c.* 47. Confer quae *c.* XIII. praecedentis tractatus retulimus de L. Piſone ex eodem Tacito *Lib.* II. *Annal. c.* 34. 4 Idem *Lib. Annal.* IV. *c.* 30 *in fine* 5 *Ibidem.* 6 Sueton. in *Domit. c.* 21. Gallican. in *Avid Caſſ. c.* 2. *ad fin.* 7 *In eadem Marci epiſtola* apud Vulcatium Gallicanum. Ad exemplum videlicet dicti illius, quod eſt apud Tullium pro *Roſc. Amer. c.* 20. *Quare facile omnes patimur eſſe quamplurimos accuſatores, quod innocens, ſi accuſatus ſit, abſolvi poteſt, nocens, niſi accuſatus fuerit, condemnari non poteſt.* 8 Tacitus *Annal. Lib* III. *c.* 28. 9 Feſtus in *Cognitor. L. ult. C. Theod. De cognitorib. & procurat.* atque ibi Anianus. (*a*) Ita Clar. Graevius obſervat *in notis ad Sueton. in Vitell. c.* 2. 10 Tacit. *Annal. Lib.* VI. *c.* 22. 11 Idem *in iisdem Annalib. Lib.* IV. *c.* 30. 12 Utriusque exemplum habemus apud Sueton. in *Domit. c.* 11. *ad fin.* Adde quae habet Vertranius ad *Tacit. Annal. Lib.* XV. *c.* 61.

13 Tacit. *Annal Lib.* XI. *c.* 2. *Lib.* XIII. *c.* 1. *Lib.* XV. *c.* 61. & ibi notata a Vertranio. addeſis Dion. apud *Xiphil. in Tiber. p.* 93. 14 Idem *Annal. Lib.* III. *c. fin.* & *Lib.* XV *c* 35 *in fin.* ut & *Lib* VI. *c.* 29. 15 Idem *Annal. Lib.* II. *c.* 31. 16 Sueton. in *Calig. c.* 26 17 Sueton. in *Domit. c.* 11. 18 Tacit. *Lib.* XVI. *Annal. c.* 11. 19 Idem *ibid. Lib.* IV. *c.* 35. 20 Idem *ibid. Lib.* VI. *c.* 40. 21 *eod. Lib.* VI. *c.* 29. 22 Idem *Annal.* XVI. *c.* 17. 23 *Dicto Lib.* XVI. *c* 14. 24 Tacit. *Annal. Lib.* VI. *c.* 38. 25 Idem in *iisdem Annalib. Lib.* VI. *c.* 40. *Lib.* IV *c.* 19. *d. Lib.* VI. *c.* 39 & *Lib.* XII. *c.* 59. 26 *Laudato Lib.* VI. *c.* 29. 27 Sueton. in *Tiber. c.* 61. 28 Seneca *De conſolat. ad Marciam, c.* 22.

Digitized by Google

denuo Tiberius nurum Agrippinam, poſt multas contumelias & convitia quaeſitis de cauſis relegatam, quum inedia mori deſtinaret, prohibuit aliquandiu, cibumque, ore per vim diducto, infulciri juſſit: abſumptae vero perſeverantia imputavit etiam, quod non laqueo ſtrangulatam in Gemonias abjecerit, *proque tali clementia interponi decretum paſſus eſt, que ſibi gratiae agerentur, & Capitolino Jovi donum ex auro ſacraretur* [1]. Quare generatim alibi Tacitus: *Quotiens fugas & caedes juſſit Princeps, totiens grates Deis actas; quaeque rerum ſecundarum olim, tum publicae cladis inſignia fuiſſe* [2].

Quod autem feminam accuſatam damnatamque vidimus, nolim quemquam mirari; etenim abſque ullo ſexus aetatisve diſcrimine omnibus hic terror intentabatur, maribus, feminis; ſenibus, pueris. Graviter & aſpere Aquilium Regulum, nequiſſimas Delationes ſub Nerone factitantem, his verbis in Senatu perſtrinxit Curtius Montanus: *Libidine ſanguinis, & hiatu praemiorum ignotum adhuc ingenium, & nullis defenſionibus expertum, caede nobili imbuiſti: cum ex funere reipublicae raptis conſularibus ſpoliis, ſeptuagies ſeſtertio ſaginatus, & ſacerdotio fulgens, innoxios pueros, illuſtres ſenes, conſpicuas feminas eadem ruina proſterneres* [3]. Sed accuſati etiam & damnati varii cum liberis atque uxoribus ſuis [4]. Sola plebs erat, quam haec cura non tangeret, quod, cui invideretur, non haberet: pane enim & Circenſibus deluſa, ſub priſtinae libertatis ſimulacro ſecure aetatem degebat. Inter feminas autem illuſtriores etiam Lepida, *cui, ſuper Aemiliorum decus, L. Sulla ac Cn. Pompejus proavi erant*, Tiberio removenda videbatur [5]. Sed aliarum nobilium feminarum pluries hic mentio fiet, atque ejus aevi hiſtorias legentibus exempla paſſim ſeſe offerunt. Quod vero minor aetas, quam vel in barbaris innocentia tuetur, hujus periculi haud omnino expers fuerit, non poſſum clariore indicio probare, quam caede liberorum Sejani, qui adhuc pueri erant. Qua in re ſimul deteſtor terribile illud ac omnibus diris devovendum εὕρημα, quo callidus & novi juris repertor Tiberius in ejusdem filiolam abutebatur. Verba Taciti: *Placitum poſthac, ut in reliquos Sejani liberos adverteretur. Igitur portantur in carcerem, filius imminentium intelligens, puella adeo neſcia, ut crebro interrogaret, quod ob delictum & quo traheretur? neque facturam ultra; & poſſe ſe puerili verbere moneri.* Addit praeterea, quaſi id ſua fide eſſe jubenti non crederetur: *Tradunt temporis ejus auctores, Quia triumvirali ſupplicio affici virginem, inauditum habebatur, a carnifice laqueum juxta compreſſam: exin oblifis faucibus, id aetatis corpora in Gemonias abjecta* [6]. Sed animus meminiſſe horret, manusque propemodum ſcribendi officium refugit. (a)

Illud quoque ante omnia miſerum ac luctuoſum erat, videre conjuges, liberos alioſque propinquos, vitae ac ſalutis pertaeſos, morientibus circumſtare, adhaereſcere, & una cum iis mortem ſibi conſciſcere velle: quod & perfecerunt interdum. Ita Pomponium Labeonem, venas exſolventem, aemulata eſt uxor Praxea [7]. Seneca & conjux ejus Paullina eodem ictu brachiorum venas ferro abruperunt: ſed illa, ſervis libertiſque brachia obligantibus, in vivis ſervata eſt [8]. Haud minus prompte L. Vetus, & ſocrus ejus filiaque exſpiravere, eodem in cubiculo eodemque ferro ſanguinem profundentes [9]. Juvat addere generoſum ac tragicum hominis egregii exitum. *Igitur flentes*, ait Tacitus, *querentesque qui aderant, faceſſere propere Thraſea, neu pericula ſua miſcere cum ſorte damnati hortatur: Arriamque tentantem mariti ſuprema & exemplum Arriae matris ſequi, monet retinere vitam, filiaeque communi ſubſidium unicum non adimere.* Accepto dehinc Senatusconſulto Helvidium generum, qui, ut paterni in Principem odii heres, Italia exire juſſus erat, & Demetrium, Cynicae inſtitutionis doctorem, cum quo ante de natura animae, & diſſociatione ſpiritus corporiſque inquiſierat, in cubiculum inducit. *porrectiſque utriuſque brachii venis, poſtquam cruorem effudit, humum ſuper ſpargens, propius vocato quaeſtore, Libemus*; inquit, *JOVI LIBERATORI.* tum ita pergit: *Specta juvenis, & omen quidem Dii prohibeant; ceterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat conſtantibus exemplis.* Dein, cum Demetrio adhuc quaedam confabulatus, quae hodie apud Tacitum non exſtant, pedetentim exſpiravit [10]. Similis huic Senecae interitus fuerat [11]. nec mirum, cum is Stoicae diſciplinae ſeveritatem profiteretur.

Ad haec, quae tum frequentiſſima erant, animum intendens Dion in genere obſervat: „Propter „crebras calamitates jam eo ventum erat, ut nihil „amplius virtus eſſe putaretur, quam fortiter & „glorioſe mortem oppetere [12]. Nec injuria Tacitus conqueritur ſuos libros *ſaeva juſſa, continuas Accuſationes, fallaces amicitias & perniciem innocentium* continere [13]. Non enim tyranni, non accuſatores fatiſcebant. Sed de amicorum fraudibus & fallaciis ordine videbimus, ſimulac innotuerint crimina Calumniae propria, quae longe diſtabant a veris accuſandi cauſis. Dein poſt diſquiſitionem de indole & artibus Delatorum ſubjicietur condemnandi ratio. Poſtea de praemiis eorum tractabitur, ut & de poenis quibuſdam extraordinariis. Tractatum denique abſolvent, quae in ſingulorum Imperatorum vitis huc facientia occurrunt ad Conſtantinum uſque: nam ulterius ea producere, aut plura exempla in unum congerere, non fert inſtituti noſtri ratio; neque etiam neceſſe eſt, quum itidem ſub Chriſtianis Principibus vitia & virtutes adeoque etiam praemia & poenae Calumniantium pari viciſſitudine regnaverint, pro ut boni malive imperio potirentur. profecto & boni ſuos manes paſſi ſunt, ac mali interdum fecere quae ipſos commendarent. Denique providendum fuit, ne nimium creſceret opuſculi, ad quod pertinet, appendicula. Sed primum videamus de criminibus, quibus inſimulabantur, quos peſſundare volebant tyranni.

CAPUT II.

De Criminibus Calumniae propriis.

CRimina quaedam alia aliis magis propria erant, & velut miniſtra Calumniae. Hoc intuitu Majeſtatis crimen *omnium accuſationum complementum* dicitur [14], ac *ſingulare & unicum crimen eorum, qui crimine vacarent* [15]. cujus odio etiam bonae Leges periere [16]. Nec facile exempla damnatorum in hiſtoriis illorum temporum invenies, quorum accuſationi non aliquid ex eo adſperſum fuerit [17]. nihil enim aut ſuſpicacius aut promptius probatu. Cremutio Cordo crimini datum, quod in Annalibus ſuis,

1 Sueton. in *Tiber. c.* 53. Tacit. *Annal. Lib.* VI. *c.* 25. 2 Tacit. *Annal. Lib.* XIV. *c. penult.* 3 Tacit. in *Hiſtor. Lib.* IV. *c.* 42. 4 Sueton. in *Tiber. c.* 61. 5 Tacit. *Lib. Annal* III. *c* 22. 6. Tacit. *Annal. Lib.* V. *c.* 9. (a) Similiter quia vetere SC. *quaeſtio in caput domini* prohibebatur, vafer hic & malitioſus heuretes ſingulos Libonis *ſervos actori publico mancipari* juſſit. Tacit. *Annal.* II. *c.* 30. Quamvis tamen Dion *Lib.* LV. inventi hujus infamiam Auguſto tribuat. 7 Idem *Lib.* VI. *Annal. c.* 29. 8 Idem in *Annal. Lib.* XV. *c.* 64.

9 Idem *Lib. ſeq. c.* 11. 10 Tacit. *Annal. Lib. ult. tribus ſupremis capitib.* 11 Idem *laud. paulo ante Lib.* XV. *c.* 64. 12 Dion apud *Xiphilin. in Claud. pag.* 108. 13 Tacit. *Lib. Annal.* IV. *c.* 33. 14 Tacit. *Annal. Lib.* III. *c.* 38. 15 Plinius in *Panegyrico Trajani c.* 42. 16 Tacit. *Hiſtoriar. Lib.* I. *c.* 77. 17 Idem *laud. Lib.* III. *c.* 38. *Annal.* & *Lib.* XV. *c.* 19. *ad fin.*

ſuis, laudato M. Bruto, C. Caſſium *Romanorum ultimum* dixiſſet [1]. quemadmodum Caſſio Longino Juriſconſulto & luminibus orbato, quod in vetere gentili ſtemmate retinuiſſet imaginem C. Caſſii, percuſſoris Caeſaris [2]. Hoc ſub Nerone contigit, illud imperante Tiberio. Sub eodem Cyzicenis objecta fuit ſocordia caerimoniarum Auguſti [3]. Sub Tiberio itidem Granius Marcellus, praetor Bithyniae, damnatus eſt, quod ſtatuae Auguſti caput dempſerat, ut ipſius Imperatoris imponeret [4]. Aliis objectum, quod proavum eorum Cn. Magnus inter intimos habuiſſet [5]. Salvium Coccejanum Domitianus interemit, quod Othonis, patrui ſui, diem natalem celebraverat [6]. Praeterea capital erat, ſtatuam Principis cum aedibus vendere [7], & in balneis Principi deſtinatis ſe laviſſe [8]. Lutorium Priſcum, Equitem Romanum, quia celebri carmine ſuprema Germanici Caeſaris, nondum exſtincti, defleverat, licet ob id ipſum pecunia donatus eſſet a Caeſare, corripuit tamen delator damnavitque Majeſtatis [9]. Sed haec moderata prae illis, quae ſequuntur.

Adoleſcebat interea Lex Majeſtatis, & ſub Tiberio paulatim hoc genus Calumniae eo proceſſit, ut haec quoque capitalia eſſent, *circa Auguſti ſimulacrum ſervum cecidiſſe*; *veſtimenta mutaſſe*; *nummo vel annulo effigiem impreſſam latrinae aut lupanari intuliſſe*; *dictum ullum factumve ejus exiſtimatione aliqua laeſiſſe* [10]. Similiter ſi quis ſervum, manu tenentem denarium imagine Tiberii inſignitum verberaſſet, laeſae Majeſtatis reus judicabatur [11]. Nempe Legem Majeſtatis reduxerat Tiberius, cui *nomen apud veteres idem, ſed alia in judicium veniebant: ſi quis proditione exercitum, aut plebem ſeditionibus, vel male geſta republica Majeſtatem populi Romani minuiſſet: facta arguebantur, dicta impune erant* [12]. Nempe *vana a ſceleſtis, dicta a maleficiis* differre conſentaneum eſt [13]. Nunc vero leviſſima quaevis & plane indifferentia obtorto collo, ut ita loquar, rapiebantur in hoc crimen. Sic ebriorum ſermo, convivalium fabularum incuria, ſimplicitas jocantium, & id genus innoxia & inobſervata captabantur [14]: quin & interdum penitus fingebantur maledicta. Marcellum Hiſpo inſimulabat, *ſiniſtros de Tiberio ſermones habuiſſe. Inevitabile crimen*, addit ea referens Tacitus, *cum ex moribus Principis foediſſima quaeque deligeret accuſator objectaretque reo. nam quia vera erant, etiam dicta credebantur* [15]. Nec ſolum fraudi erat lubricum linguae, ſi cui fortaſſe quocunque in loco verbum aliquod dubium atque anceps ore fugiſſet, verum etiam (quis credat!) inſomnia viſusque nocturni nonnullis perniciem attulere [16]. Denique vel bonos laudaviſſe, quibusdam exitioſum fuit: ſaevitumque tam in auctores quam in libros eorum, qui in comitio ac foro urebantur [17].

Praeterea vulgaribus delictis novum & atrox nomen imponebatur. *Proprium id Tiberio fuit, ſcelera nuper reperta priſcis verbis obtegere*, inquit Tacitus [18]. At vel Auguſtus *culpam inter viros & feminas vulgatam* (impudicitiam puta filiae ſuae neptisque) gravi nomine *laeſarum religionum* ac *violatae Majeſtatis* appellavit, clementiam majorum ſuasque ipſe leges egrediens [19]. Amplius in arena quoque crimina Majeſtatis colligebat Domitianus: cuidam enim impietas objecta quod odiſſet gladiatorem [20]. Videlicet patremfamilias, quod Thracem mirmilloni parem, munerario imparem dixerat, detractum ſpectaculis in arenam canibus objecit, cum hoc titulo: *Impie locutus parmularius* [21]. Itaque nihil erat, quod non hac ratione ad Majeſtatis judicium referri poſſet: & ejusmodi quaeſitas & frivolas Principum interpretationes ceu telum arripiebant accuſatores.

Accedebat ad probandi facilitatem *indicii* in hoc crimine impunitas, & metus judicum. De indicio tradit Aſconius Pedianus: *Certa ſunt in quibus impunitas indicii datur, ut in cauſa proditionis, Majeſtatis, & ſi quid hujusmodi eſt* [22]. Ad judices quod attinet, ut per ſe ſuſpicioſum erat hoc crimen, ita judicibus, ſi non approbarent, periculoſum. Non alia de cauſa Pilatus Servatorem, cujus innocentiam utique palam teſtatus erat, ac de ea proteſtatus lotis manibus, tamen publico Judaeorum odio ſuaeque ſecuritati devovit. clamabant enim, Ἐὰν τοῦτον ἀπολύσῃς, οὐκ εἶ φίλος τοῦ Καίσαρος. „Si „iſtum abſolvis, non es amicus Caeſaris [23]. Porro vel boni ceteroquin Principes, cum in aliorum criminum delationibus *funeſtam ſervorum vocem amputari quam audiri* mallent, tamen in Majeſtatis crimine cenſuerunt audiendos: atque eatenus ſervis quoque *honeſtam proditionem* eſſe voluerunt [24]. Inſuper ne quis neceſſariorum juvaret periclitantem, Majeſtatis crimina ſubdebantur, *vinculum & neceſſitas ſilendi* [25]. Denique Majeſtatis damnatio cum luculenta fiſco tum accuſatoribus quaeſtuoſa fuit, dum ſemper fere bonorum publicationem involveret [26].

Sed nullae a compendio magis ſeſe commendabant Calumniae, quam quae ex Lege Julia, & Papia de orbis proficiſcebantur. Auxerat hoc malum Principum avaritia: ut merito ampliſſima Calumniarum ſeges appelletur a Lipſio [27]. nam & hae delationes magno numero ingruebant. Ita in ſpecie *Delatores Papiae Legis* fuiſſe memorat Suetonius [28]: & Junius Mauritianus libro tertio Ad Legem Juliam & Papiam ex profeſſo egit de Delatoribus [29]; ſicuti etiam plures aliorum Juriſconſultorum leges occurrunt ſub titulo Pandectarum De jure fiſci, quae ex tractatibus ad eam legem deſumptae ſunt (a). Verum de ipſa re videamus. Aliquanto juſtior interdum huic quam praecedenti judicio cauſa ſuberat. nam *In civitate noſtra*, Senecae verba ſunt, *plus gratiae orbitas confert, quam eripit, adeoque ſenectutem ſolitudo, quae ſolebat deſtruere, ad potentiam ducit, ut quidam odia filiorum ſimulent, & liberos ejurent, & orbitatem manu faciant* [30]. Addo quae hanc in rem habet Tacitus: Legem Papiam Poppaeam ſenior Auguſtus poſt Julias rogationes *incitandis coelibum poenis & augendo aerario* ſanxerat: *nec ideo*, addit, *conjugia & educationes liberûm frequentabantur, praevalida orbitate* [31]. At hic omnem modum tantopere excedebant delatores, ut ipſe Tiberius, quamvis teles quoque delationes foveret, non ſolum moderari

1 Tacit. *Annal. Lib.* IV. *c.* 34. 2 Sueton. in *Nerone c.* 37. addatur Tacit. *Annal. Lib.* XVI. *c.* 7. 3 Tacit. *L.* IV. *Annal. c.* 36. 4 Idem *Annal. Lib.* I. *c.* 74. 5 Idem *Lib. Annal.* VI. *c.* 18. 6 Sueton. in *Domit. c.* 10. 7 Dion. apud *Xiphilin. in Nerone pag.* 8.. Tacit. *Annal. L.* I. *c.* 73. Eodem pertinent *l.* 5. & 6. *π. ad leg. Jul. Maj.* 8 Sueton. in *Nerone c.* 35. 9 Tacit. *Annal. Lib.* III. *c.* 49. 10 Sueton. in *Tiberio c.* 58. Addantur omnino quae habet *in Domit. d. c.* 10. 11 Philoſtrat. in *vita Apollonii Tyanei*, *Lib.* I. 12 Tacit. *L. Annal.* I. *c.* 72. 13 Idem *L.* III. *Annal. c.* 50. 14 Idem *Annal.* VI. *c.* 5. & 7. Seneca *de beneſic. L.* III. *c.* 26 15 Idem Tacit. *d. L.* I. *c.* 74. 16 idem. *Annal. Lib.* XI. *c.* 4. Dion apud *Xiphil. in Severo pag.* 250. 17 Tacit. in *vita Agricolae, c.* 2. 18 Tacit. *Lib. Annal.* IV. *c.* 29.

19 Tacit. *Annal. Lib.* III. *c.* 24. Dion *Lib.* LV. 20 Plinius in *Panegyr. c.* 33. 21 Sueton in *Domit. d. c.* 10. ubi plura talia. 22 Aſcon. Pedian. in *Divinat. Cic. in Verr.* 23 Matth. in *Evang. c.* 27. *vſ.* 24. & *Joan. c.* 19. *vſ.* 12. & 13. 24 *L.* 2. *C. Theod. Ne praeter crimen. Majeſt. ſerv. &c. l. pen. C. Qui accuſ. non poſſ.* 25 Tacit. *Annal. Lib.* III. *c.* 67. 26 Spartian. in *Geta, c.* 4. *ad fin.* 27 Plin. in *Panegyr. c.* 34. & ibi Lipſ. 28 Sueton. in *Nerone, c.* 10. 29 *L.* 15. *π. de jure fiſci.* (a) Nempe *l.* 13. quae Pauli eſt. *l.* 14. quae Gaji, & *l.* 16. quae Ulpiani *ad legem Juliam & Papiam.* Similiter Terentius Clemens *Lib* IX. ad eam leg. tractat, de accuſationibus criminum in *l.* 10. *π. de jure patronat.* 30 Seneca *de conſolat. ad Marciam, c.* 19. 31 Tacit. *Lib.* III. *Annal. c.* 25.

rari eam legem, ſed & levamentum aliquod adferre debuerit, *exſolvendo pleroſque legis nexus* [1]. Adeo videlicet omnis domus delatorum interpretationibus ſubvertebatur, ut quemadmodum ante hac *flagitiis*, ita tunc *legibus* laboraretur [2]. *Nulla jam*, ait Plinius, *teſtamenta ſecura, nullus ſtatus certus: non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum Principum avaritia* [3].

Ceterum cum Lege Julia & Papia jungitur *Lex Voconia*, quae praecipue de coërcendis mulierum hereditatibus lata erat [4]. certe Voconias leges aeque ac Julias & fiſcum & aerarium locupletaſſe, idem Plinius refert [5]. Exciti praeterea *delatores tacitorum fideicommiſſorum* adverſus Legem Papiam decimariam [6]. Inſuper & *vacantium bonorum delatores* Papiniano celebrantur [7]. His addo *tabulas veterum aeraris debitorum*, vel praecipuum Calumniandi fomitem, quas Auguſtus, Hadrianus, Aurelianus, Gratianus, Arcadius & Honorius, itemque Juſtinus atque alii melioris notae Imperatores publice in foro comburi curaverunt [8]. *Ardebant ſtirpes fraudum veterum, ardebant ſeminaria futurarum* [9]. Imperator quoque Antoninus pecuniam, quae fiſco debebatur provinciis concedens, tabulas debitorum in medio Romanae urbis foro incendit [10]: quemadmodum & Caeſar fecerat in gratiam Antiochenſium [11]. Eodem pertinet inſcriptio, qua Conſules & S. P. Q. R. ſimilem Hadriani munificentiam teſtati ſunt, *quod anas omnium Principum & ſolus remittendo ſeſtertium novies millies centena millia, debitum fiſci, non praeſentes modo, ſed & poſteros ſuos praeſtitit hac liberalitate ſecuros* [12]. Sed ad crimina revertor.

Objiciebantur praeterea Magicae ſuperſtitiones & diri ſacrorum ritus, devotionesque, item petita Deorum oracula, & quod quis augurem, aruſpicem, hariolum, Mathematicum, Chaldaeum aliumve quem vaticinatorem conſuluiſſet de ſalute Principis. Nam *cui opus eſt*, inquit Tertullianus, *perſcrutari ſuper Caeſaris ſalute, niſi a quo aliquid adverſus illam cogitatur, vel optatur, aut poſt illam ſperatur & ſuſtinetur? Non enim ea mente de charis conſulitur, quam de dominis. Aliter curioſa eſt ſollicitudo ſanguinis, aliter ſervitatis* [13]. Profecto & ſervos *de ſalute dominorum conſulentes*, cruce adfici Paulus tradit [14]. Ergo & hic juſtiſſimus erat Calumniae praetextus. Quare atrox odii Agrippina, ac Lolliae infenſa, quod ſecum de matrimonio Principis certaviſſet, molitur crimina & accuſatorem qui objiceret *Chaldaeos, magos, interrogatumque Apollinis Clarii ſimulacrum ſuper negotiis Imperatoris* [15]. Sic quoque Furius Scribonianus in exilium agebatur, quaſi *finem Principis per Chaldaeos ſcrutatus*. Adnexa eſt crimini Junia mater ejus, ut *caſus prioris* (nam relegata erat) *impatiens* [16]. Ceterum calumnia Magiae, inquit Apulejus, *facilius infamatur, quam probatur* [17].

Quod ſi ſuperiora probabilitatis aut parum aut nihil haberent, addebantur velut per ſatyram, & quodammodo in defectum probationis, adulteria, inceſtus, veneficia, aliaque graviora crimina. Ita ſub Tiberio Lepida defertur, *ſimulaviſſe partum ex P. Quirino, divite atque orbo.* adjiciebantur *adulteria, venena, quaeſitumque per Chaldaeos in domum Caeſaris* [18]. Claudiae Pulchrae, quae ſobrina erat Agrippinae, eadem inſtigante objectabat, accuſator *crimen impudicitiae, adulterum Furnium, veneficia in Principem & devotiones* [19]. Altera Agrippina, Tiberii neptis, uxor autem Claudii ac mater Neronis, Statilium Taurum, opibus illuſtrem, hortis ejus inhians, pervertit accuſante Tarquitio Priſco, Legatus is Tauri, Africam imperio proconſulari regentis, pauca *repetundarum crimina*, ceterum *magicas ſuperſtitiones* objiciebat [20]. Perdidit itidem Agrippina Domitiam Lepidam, majore Antonia genitam, avunculo Auguſto, Agrippinae ſobrinam propiorem, ſororemque mariti ejus Gn. Domitii, quam parem ſibi claritudine credebat. objecta illi ſunt, *quod conjugium Principis devotionibus petiviſſet, quodque parum coercitis per Calabriam ſervorum agminibus pacem Italiae turbaret* [21]. In Lepidam Caſſii uxorem, Silani amitam, Nero induxit vocabulo indicum, qui *inceſtum cum fratris filio, & diros ſacrorum ritus* confingerent [22]. At vel ſolus inceſtus intentatus fuit. nam ita ſub Tiberio Sextus Marius, Hiſpaniarum ditiſſimus, defertur *inceſtaſſe filiam*, & ſaxo Tarpejo dejicitur [23]. Sed quid plura ejusmodi Calumniarum exempla congero, mihi ſatietatem, aliis taedium paritura?

Tandem vero, invaleſcente Chriſtianorum ſecta, religio quoque criminibus accenſeri coepit, ac ſenſim in Calumniae rationem converti. Initio quum adhuc debiles eſſent Chriſtianorum vires, contemnebatur fere, & vix unum atque alterum hoc nomine inſectati fuerunt Imperatores: poſteavero quam plurimos cujuscunque ſexus, aetatis, conditionis ea accuſatio afflixit. Cum Tiberius, a Pilato de Chriſtianorum dogmatibus certior factus, ad Senatum fruſtra retuliſſet, ut inter cetera ſacra reciperentur, accuſatoribus Chriſtianorum mortem comminatus dicitur [24]. At ſuſpectum multis eſt, & merito, Euſebii hac de re teſtimonium. Minus dubitatur de reſcripto Marci Aurelii ad Aſianos in favorem Chriſtianorum, quod idem ſcriptor refert. eſt ibi inter alia: *Is autem qui crimen objicit, reus poenae ipſius, quam objecit, exiſtat* [25]. Ceterum notiſſima eſt Neronis in Chriſtianos calumnia, qua ille inflammatae urbis infamiam in homines innocentiſſimos derivare conatus eſt. ea de re praeter cetera haec habet Tacitus: *Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & quaeſitiſſimis poenis affecit, quos, per flagitia inviſos, vulgus Chriſtianos appellabat* [26]. & Suetonius: *Afflicti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis novae & maleficae* [27]. Paulo poſt ea religio pro crimine publico haberi coepit, quemadmodum vel integrae proſcriptiones deinceps ac perſecutiones adverſus eam inſtitutae fuerunt. Domitianus ſane inter alios Flavio Clementi Conſuli, patrueli ſuo, & uxori ejus, quae propinqua erat Imperatoris, crimen ἀθεότητος (Chriſtianiſmi, puta) intulit, cumque morte affecit, hanc autem relegavit. Cujus rei cauſa multos, qui in mores Chriſtianorum tranſierant, damnatos ſub eo aſſerit Dion, quorum pars occiſa, pars ſpoliata facultatibus [28]. Etſi autem multi revera propter religio-

1 Tacit in *Ann* 28. *Lib eod. d. cap.* 25. *init. & cap. in fin.* 2 Idem *laud. c.* 25. 3 Plinius in *Panegyr Traj. c.* 34. 4 Ant. Auguſtin. *de legib in Voconia.* Addatur Cl. Schulting. ad *Pauli Receptar. Sentent. Lib.* IV. *tit.* 8. §. 22. & imprimis quem ibi laudat Cl. Perizonius. 5 Plin. in *Panegyr. c.* 42. 6 Jac. Gothofr. *ad l. un. C. Theod. de his qui ſe defer.* X. 11. *pag.* 462 *n.* 7 *L.* 10. *de diverſ. temporal. praeſcrip.* 8 Sueton. in *Octav. c.* 31. Spartian. in *Hadriano c.* 7. Dion. in *eod.* Flav. Vopiſc. in *Aurel. c.* 39. Auſon. in *Panegyr. verſ. fin. l.* 3. *C. Theod. de indulgent. debitor.* & Corippus. 9 Auſonius *loco laud.* 10 Euſebius in *Chronico* ex Dione. 11 Joſ. Scaliger in *Animadverſ. ad eum loc.* 12 Gruteri *Inſcript. pag.* 10. *num.* 6. Gothofr. ad *l.* 2. & 3. *C. Theod. de indulgentiis debitor.* addantur *l.* 6. *C. de jure fiſci*, & *l.* 6. *C. Theod. eod. tit.* 13 Tertullian. *Adverſ. Gentes c.* 35. *in fin.* 14 Paul. in *Recept. ſentent Lib.* V. *tit.* 21. *de vaticinatorib. & mathemat.* §. *ult.* 15 Tacit. *Lib. Annal.* XII. *c* 22. 16 Idem *Lib. eod. c.* 52. 17 Apulejus in *Apolog. initio.*

18 Tacit. *Annal. Lib.* III. *c.* 22. 19 Idem *Annal.* IV. *c.* 52. 20 idem *Lib.* XII. *Annal. c.* 59. 21 *Eod. Lib.* XII. *c.* 65. 22 Idem *Lib. Annal.* XVI. *c.* 8. 23 Idem *Lib.* VI. *Annal. c.* 19. 24 Euſebii *Chronicon in Tiberio.* 25 Idem Euſeb. *Lib.* IV. *Hiſtor. eccleſ. c.* 13. 26 Tacit. *Lib.* XV. *Annal. c.* 44. 27 Sueton. in *Nerone, c.* 16. 28 Dion apud *Xiphilin. in Domit. prope fin.* De Flavio Clemente adeatur etiam Sueton. in *Domit. c.* 15. ubi *tantum non in ipſo conſulatu* interemptus legitur, id eſt, vix depoſito conſulatu,

gionem rei fierent, tamen & hoc praetextu delatores nefarium in modum graſſati fuerunt, praeſertim ſequentibus temporibus. Sed Nerva neminem impietatis aut ſuperſtitionis Judaicae (ita Chriſtianorum dogmata nuncupabant pagani) accuſari permiſit [1]. Praeterea etiam Trajanus atque Hadrianus Chriſtianis pepercere [2]. Sed eorum fata ſub Imperatoribus paganis ſatis nota ſunt. Immo vero ſub iis Principibus, qui fidem ſalutarem amplexi fuere, exortis haereſibus, ipſi quoque inter ſe Calumniis ſaevierunt Chriſtiani. ſic Arriani ſub Conſtantino Catholicos, adverſus quos de fide diſceptare non poterant, ſubornatis accuſatoribus fictiſque criminibus appetebant [3]. Sed haec hactenus.

Poſt coloratas laeſae Majeſtatis ceterorumque maleficiorum criminationes pergamus ad veras accuſandi evertendique cauſas. Erant illae metus, ſaevitia, libido Principum & avaritia, addam & odium virtutis ob morum diſſimilitudinem: nam *abeſſe non poteſt*, ajebat Craſſus, *quin ejusdem hominis ſis, qui improbos probet, probos improbare* [4]. Succincte ea Tacitus recenſet, his verbis? *Nobilitas, opes, omiſſi geſtique honores pro crimine, & ob virtutes certiſſimum exitium* [5]. item Dion, Πᾶσι δημόσιον ἔγκλημα ἦν ἀρετή, καὶ πλοῦτος, καὶ γένος. „ Omnibus publicum crimen erat virtus, divitiae, genus [6]. „

Quum res Romana in unius dominatum conceſſiſſet, pleroſque generis claritudo & vetuſtas dominantibus metuendos reddebat, dum hi, avitae libertatis memores, aliquando factionum duces eſſe poterant: atque adeo eminentia haec papaverum capita quovis modo decutienda videbantur. Hac ſola de cauſa omnes prope antiquae & nobiles familiae ſenſim funditus everſae exſtinctaeque. *Acervatim*, inquit Tacitus, de Tiberii regimine diſſerens, *Annius Pallio, Appius Silanus majeſtatis poſtulantur, & Vincianus Polioni patri adjiciebatur, clari genus, & quidam ſummis honoribus. contremuerantque Patres; nam quotaſquiſque adfinitatis aut amicitiae tot inluſtrium virorum expers erat* [7] Sed nullius rei exempla magis in promptu ſunt. Merito autem *adfinitatis* & *amicitiae* meminit: nam hoc caſu natalium ſplendori ultionis ſuoque metus accedebat, qui interdum ſolus ſufficere viſus eſt. Sic Junii Silani, proconſulis Aſiae, mortem Agrippina paraſſe dicitur, *non quia ingenii violentia exitum irritaverit, ſignis & dominationibus aliis faſtiditas: verum fratri ejus L. Silano necem molita, ultorem metuebat* [8]. Simili ratione L. Vetus, Aſiae itidem proconſul ſub Nerone, ſocruſque ejus Sextia, & Pollutia filia necem ſubiere, *inviſi* videlicet *Principi, tanquam vivendo exprobrarent, interfectam eſſe Rubellium Plautum generum Lucii Veteris* [9]. Et ſic alii bene multi innoxiae affinitatis poenas dedere.

Neque tamen ſemper ad ſubvertendum ſanguinis conjunctio deſiderabatur, ſufficiebat interdum amicitia damnati. Ita Conſulibus Junio Silano (eodem quem Agrippina deinde ſuſtulit, ut proxime retulimus) & Silio Nerva, *ob amicitiam Germanici tractus in carcerem fuit inluſtris eques Titus Sabinus* [10]. Praeſertim vero Tiberius, nactus occaſionem ex Sejani oppreſſione, magnum numerum hominum ſuſtulit. erat idonea cauſa ad accuſandum, Sejano amicum fuiſſe, aut fuiſſe videri: quaſi vero ipſe Princeps eum non dilexiſſet plurimum, aut ipſius cauſa ceteri ſtudioſi ejus non fuiſſent [11]. Pulchre idcirco Seneca: *Quoties aliquos amicitia Aſinii Galli, quoties Sejani odium, deinde amor, merſerat: aeque enim offendiſſe, quam amaſſe, periculoſum erat* [12]. Sed vel humanitati ipſique naturae eo tempore bellum indictum. nam ſub eodem Tiberio necata eſt anus Vitia, Fuſii Gemini mater, non alia de cauſa, quam *quod filii necem fleviſſet* [13]. Edictumque palam, *ne capite damnatos propinqui lugerent* [14]. Quaenam autem tunc rerum facies fuerit, docebit iterum Tacitus, dum ait: *Irritatuſque ſuppliciis* Tiberius, *cunctos, qui carcere attinebantur accuſati ſocietatis cum Sejano, necari jubet. Jacuit immenſa ſtrages: omnis ſexus, omnis aetas: inluſtres, ignobiles: diſperſi aut aggregati, neque propinquis aut amicis adſiſtere, inlacrymare, ne viſere quidem diutius dabatur: ſed circumjectis cuſtodes, & in moerorem cujusque intenti, corpora putrefacta adſectabantur, dum in Tiberim traherentur: ubi fluitantia, aut ripis adpulſa, non cremare quiſquam, non contingere. Interciderat ſortis humanae commercium vi metus: quantumque ſaevitia gliſceret, miſeratio arcebatur* [15]. Et hanc doloris diſſimulationem addiſcebant jam ab ineunte aetate, etiam feminae. Ita Octavia, Britannici ſoror, quamvis rudibus annis dolorem, caritatem, omnes affectus abſcondere didicerat [16].

Praeter eos vero, quos nobilitas, ſanguis aut amicitia damnabant, etiam ignobiles quidam ac novi homines ob famam militarem & armorum ſcientiam. animique & corporis vigorem in animadverſionem Principis incurrerunt. Patet hoc in caede Oſtorii, de qua hunc in modum Tacitus: *Cauſſa feſtinandi ex ea oriebatur, quod Oſtorius multa militari fama & civicam coronam apud Britanniam meritus, ingenti corporis robore, armorumque ſcientia, metum Neroni fecerat, ne invaderet pavidum ſemper & reperta nuper conjuratione magis exterritum* [17]. Sub Domitiano idem Agricolae evenit, ob res in Britannia itidem egregie geſtas partamque inſignem victoriam. *Id ſibi maxime formidoloſum*, inquit de eo Imperatore Tacitus, *privati hominis nomen ſupra Principis attolli: fruſtra ſtudia fori, & civilium artium decus in ſilentium acta, ſi militarem gloriam alius occuparet: & cetera utcunque facilius diſſimulari, ducis boni imperatoriam virtutem eſſe* [18]. Quae res porro in cauſa fuit cur tot gentes jugum imperii Romani ſub Caeſaribus impune excuſſerint, dum ipſi, Romae voluptatibus marceſcentes, rerum novandarum metu haud facile aliis exercitum concrederent [19]. Ha via Otho, Vitellius, Galba, Veſpaſianus aliique deinceps complures rerum potiti ſunt.

Inſuper quamvis non adeo magnum a civili a morali virtute, quam a bellica & militari, periculum Principibus immineret, tamen virtutum in aliis invidi propter mores diſpares ſua ſibi malefacta exprobrari putabant [20]. Ita C. Caſſius & Silanus inſimulantur, alter quod, praeter vetuſtas opes, *gravitate morum*; alter praeter generis claritudinem *modeſta juventa* praecellerent [21]. Eadem Thraſeæ & Sorano exitii cauſa [22]. de poſteriore traditur quod in Aſiae proconſulatu offenſiones Principis auxerit *juſtitia atque induſtria*. crimini autem dabatur *amicitia Plauti, & ambitio conciliandae provinciae ad ſpes novas* [23].

Petulantiam Principis & veſanam libidinem aliquando etiam calumniandi perdendique anſam praebuiſſe, evidenti documento evincit, quod de Tiberio, turpiſſimae cujuſlibet impuritatis obſcoenitatis

1 Idem Dion in *Nerva*. 2 Euſebius in *Chronico*. 3 Sulp. Severus *Sacrae Hiſtor. Lib.* II. 4 Cic. in *Orat. c.* 70. 5 Tacit. *Hiſtoriar. Lib.* I. *c.* 2. 6 Dion apud *Xiphilin. in Nerone, pag.* 141. 7 Tacit. *Annal. Lib.* VI. *c.* 9. 8 Idem in *iiſd. Annalib. Lib.* XIII. *in initio* 9 Idem *Lib.* XVI. *Annal. c.* 10. 10 Idem *Lib. Annal.* IV. *c.* 68. 11 Dion apud *Xiphilin. in Tiber. pag.* 93.

12 Seneca *Epiſt.* 55. 13 Tacit. *Annal. Lib.* VI. *c.* 10. adidatur Dion apud *Xiphilin. in Caracal. morte.* 14 Sueton. in *Tiber. c.* 61. 15 Tacit. *Lib. Annal.* VI. *c.* 19. 16 Idem *Lib.* XIII. *Annal. c.* 16. 17 Idem in *iiſdem Annal. Lib.* XVI. *c.* 15. 18 Tacit. in *vita Agric. c.* 39. 19 Sueton. in *Veſpaſ. c.* 4. *ad fin.* 20 Salluſt. in *Catil.* 7. Seneca *de Vita beata, c.* 19. 21 Tacit. *Annal. Lib.* XVI. *c.* 7. 22. Dion apud *Xiphilin. in Nerone.* 23 Tacit. *Lib. Annal.* XVI. *c.* 23.

Digitized by Google

tatiſque avido, refert Suetonius verbis ſequentibus: *Feminarum quoque, & quidem illuſtrium, capitibus quantopere ſolitus ſit illudere, evidentiſſime apparuit, Mallonìae cujuſdam exitu: quam perductam, nec quidquam amplius pati conſtantiſſime recuſantem Delatoribus objecit: ac ne ream quidem interpellare deſiit, Ecquid poeniteret: donec ea, relicto judicio, domum ſe arripuit, ferroque tranſegit, obſcoenitate oris hirſuto atque olido ſeni clare exprobrata* [1].

De opibus denique & divitiis non eſt quod operoſe moneam, multis eas interitum attuliſſe: quotidie enim talia accidunt, quotieſcunque mali Principes dominantur. nam hi ſemper *damnatorum proſcriptionibus locupletari amant* [2]. Unum ſaltem referemus propter ſimillimam in Sacris admiſſi ſpeciem. Celebratur iſtic Jeſabelis, Achabi uxoris, execranda & deteſtabilis fraudulentia, quae ut vineam Nabothi nanciſceretur, per ſpeciem laeſae Majeſtatis accuſandum eum tollendumque curavit [3]. Pari omnino ratione Meſſalina, Claudu conjux, pulcherrimis Luculli hortis inhians, quos tunc Valerius Aſiaticus poſſidebat, Majeſtatis accuſationem in eum ſubornaſſe legitur [4]. Praeterea qui divites ſunt, etſi nihil novi moliantur, vulgo tamen propter opes ſtatum rerum, qui ſub tyrannis obtinet, exiſtimantur dolere, & vel ideo interdum e medio tolluntur [5]. Si qui igitur vel auctoritate vel opibus pollentes violentam mortem aut bonorum confiſcationem evaderent, tanquam ſingulare aliquid & quod raro contingeret, adnotatur. Ita poſtquam narraſſet Tacitus, obiiſſe Memmium Regulum, *auctoritate, conſtantia, fama*, in quantum praeumbrante Imperatoris faſtigio datur, clarum, ſubjungit: *Vixit tamen Regulus, quiete defenſus; & quia nova generis claritudine, neque invidioſis opibus erat* [6]. ceteroqui enim vix eſt, ut ſicca morte ad generum Cereris deſcendiſſet. Ex contrario idem refert: *At L. Voluſius egregia fama conceſſit: cui tres & nonaginta anni ſpatium vivendi, praecipuaeque opes bonis artibus, inoffenſa tot Imperatorum malitia fuit* [7]. De Piſone jam antea dixerat: *L. Piſo pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit; nullius ſervilis ſententiae ſponte auctor, & quotiens neceſſitas ingrueret, ſapienter moderans. aetas ad octogeſimum annum proceſſit* [8]. Poſtremo fuere, qui cum ſibi liberisve propter divitias metuebant, Imperatorem heredem ſcriberent. Unde merito celebratur politicum illud apophthegma, *a bono patre non ſcribi heredem, niſi malum Principem* [9]. Atque ideo etiam egregii Principes ignotorum hereditates reſpuerunt [10]; quum mali teſtamenta ut ingrata reſcinderent, in quibus ſcripti non eſſent heredes [11].

CAPUT III.

De indole Calumniatorum.

Edita opera Ulpianus Libro XVIII. Ad Legem Juliam & Papiam inquietas & ſcrupuloſas Delatorum inquiſitiones perſtringit, etiam in ea legis parte explicanda, ubi nulla delationis mentio. nam de juris & facti ignorantia diſſerens, *Scientia*, inquit, *hoc modo aeſtimanda eſt, ut neque negligentia craſſa, aut nimia ſecuritas expedita ſit, neque Delatoria curioſitas exigatur* [12]. Nec male in eos quadrat, quod jocoſe ſalſeque in famigeratores ludit Plautus, hoc eſt, in circumforaneos iſtos, qui famam ac rumores vulgi diſſeminant. ait autem

> *Quod quisque in animo habet, aut habiturus eſt, ſciunt.*
> *Sciunt id, quod in aurem rex reginae dixerit.*
> *Sciunt, quod Juno fabulata eſt cum Jove.*
> *Quae neque futura neque facta ſunt, tamen illi ſciunt* [13].

Pari ratione hominum ſomnia, ut monui, ſcioli noſtri norunt, quae tamen plerumque vel ipſos, qui ſomniarunt, latent, aut ſaltem obſcurius menti obverſantur. Verum tractandi ratio poſtulat, ut ad magis ſeria tranſeamus, poſtquam ſubjecero appoſitum Ammiani Marcellini locum de Mercurio quodam, origine Perſa, famoſiſſimo Delatore ſub Conſtantio, qui quod aliena ſomnia ita perſpicue noverat, & Imperatori narrabat, ut ſomniorum quaſi comes ac ſocius videretur, *Comes ſomniorum* cognominatus fuit. is ut clam mordax canis epulis coetibusque ſe crebris inſerebat, & *ſi per quietem quiſquam, ubi fuſius natura vagatur, vidiſſe aliquid amico narraſſet, venenatis artibus coloratum in pejus, patulis Imperatoris auribus infundebat: & ob hoc homo, tanquam inexpiabili obnoxius culpae, gravi mole criminis pulſabatur. Haec augente vulgatius fama, tantum aberat ut proderet quiſquam viſa nocturna, cum aegre homines dormiſſe ſeſe praeſentibus faterentur externis: maerebantque docti quidam, quod apud Atlanteos nati non eſſent, ubi memorantur ſomnia non videri.* Jungitur autem hic Mercurius Paulo Notario, de quo ibidem ſequentia praemittit Ammianus, caſtigata a Valeſio, cum locus manifeſte mendoſus ſit: *Et Paulo quidem Catenae inditum eſt cognomentum, eo quod in complicandis Calumniarum nexibus erat indiſſolubilis, tetra venena ferens varieque diſpergens, ut in colluctationibus callere nimis quidam ſolent artifices palaeſtritae.* [14].

Varia Calumniatores ad deferendum impellunt. „ Permulti vel odio aliorum, vel eorum bona ſibi „ petentes, vel in gratiam quorumdam, vel irati „ ob poſtulatam ab aliis ac non acceptam pecu„ niam, falſo crimine ſeditionis tentatae, aut con„ tra Imperatorem alicujus facti vel dicti improbi „ illos onerant. ita Maecenas ad Auguſtum loquens inducitur apud Dionem Caſſium [15]. His addo ſequentia ex eadem oratione. „ Quum exploratores „ auſcultatoresque emiſſarii noſtri, odio irave, aut „ ab inimicis eorum, quos accuſant, accepta pe„ cunia, negatіeve ab his indignatione adducti, „ multis inſontibus perniciem ſtruant, non modo „ quod egerint, agendumve ſive propoſuerint quic„ quam, ſed quod etiam quippiam dixerint, auditove tacuerint, riſuve aut lacrymis dictum exceperint [16]. Promiſcue vero ac paſſim amicos aeſtimant eos, qui munerant; hoſtes, homines quietos ac divites. Sed vivam Delatoris imaginem nativis coloribus exhibet Demoſthenes, dum illum hoc modo delineat: „ Non publico aliquo bono animum occupatum ha„ bet: non arti, non agriculturae, non ulli quaeſtui „ ſtudet: cum nemine ullis humanitatis aut familiari„ tatis officiis eſt conjunctus: ſed per forum incedit ὥσπερ ἔχις ἢ σκορπίος, ἠρκὼς τὸ κέντρον, ᾄττων δεῦρο κἀκεῖσε, σκοπῶν τίνι συμφορὰν, ἢ βλασφημίαν, ἢ κακόν τι προστριψάμενος, καὶ καταστήσας εἰς φόβον, ἀργύριον πράξεται, „ viperae inſtar aut ſcorpionis, erecto „ aculeo, huc atque illuc ſaltitans, circumſpectans „ cui calamitatem, aut maledictum, aut malum „ aliquod infligat, quo in timorem conjecto num„ mos extorqueat. „ & mox: „ Iis comitibus, quos „ pictores lemuribus adjungunt apud inferos, μετ’ ὧν,

1 Sueton. in *Tiber. c.* 45. 2 Capitolin. in *M. Anton. c.* 29. 3 *Primo* Regum *cap.* 21. *verſu* 9. *& ſeqq.* 4 Tacit. *Annal. Lib.* XI. *c.* 1. 5 Dio apud *Xiphilin. in Comm. initio.* 6 Tacit. *Annal. Lib.* XIV. *c.* 47. 7 Tacit. *Lib. Annal.* IIII. *c.* 37. *in fine.* 8 Idem *Ann. Lib.* VI. *c.* 10. 9 Idem *in vita Agric. c.* 43. *in extremo.* 10 Sueton. in *Auguſto, c.* 66. 11 Idem *in Calig. c.* 38. item *in Tiber. c.* 49. & in *Domit. c.* 12. 12 *L.* 6. *ff. de juris & facti ignor.*

13 Plaut. in *Trinum. act.* 1. *ſc.* 2. *verſ.* 169. *& ſeqq.* addatur conſimilis locus apud eundem *Menaechmis* v. 5. 38. *& ſeqq.* 14 Ammian. Marcellin. *Rer geſtar. Lib.* XV. *c.* 3. Sic autem lego partim ex emandatione H. Valeſii ad eum loc. partim ex ea, quam in tranſitu inſtituit Ampliſſ. Praeſes van Bynkersh. *Obſerv. Lib.* III. *c.* 19. 15 *Dion. Lib.* LII. *pag.* 562. 16 Dion. *Lib.* LV. *pag.* 643.

ἀρᾶς, καὶ βλασφημίας, καὶ φθόνου, καὶ στάσεως, καὶ νείκους, „ diris, maledicentia, invidia, ſeditione, „ contentione ſtipatus incedit. „ additque pro epilogo: „ Quem igitur nec infernales Deos placatos „ habiturum veriſimile eſt: ſed ad impios relegatum iri propter vitae improbitatem, cum vos „ delinquentem nacti non punietis; ſed majoribus „ etiam donis ornatum abſolvetis tanquam bene „ meritum? [1]. (*a*) Verum ad Romanos revertamur, ſub unius dominationem redactos.

De Tiberii regimine Tacitus refert: *Non alias magis anxia & pavens civitas, egens adverſum proximos, congreſſus, colloquia, notae ignotaeque aures vitari: etiam muta & inanima, tectum & parietes circumſpectabantur* [2]. Nec immerito. nam ubi per ſpeciem amicitiae miſerationisque perditorum & odii in Caeſarem accuſandos in familiarius colloquium pellexiſſent, aulaeorum ac laquearium rimis Indices apponebant, qui querimonias eorum & intimos animi ſenſus exciperent [3]. *Ideoque etiam parietes, arcanorum ſoli conſcii, timebantur* [4]. Tam deteſtanda fraude ac turpiſſima perfidia ipſi ſenatores eo tempore adverſarios ſuos aut aemulos evertere non dubitarunt. ſic enim quatuor praetura functi Titum Sabinum, illuſtrem equitem Romanum, ſub eodem Tiberio adgreſſi ſunt cupidine conſulatus [5]. Videlicet „ hic ſycophantis mos eſt, ut „ conviciis proſcindere aliquem, ut arcana efferre „ incipiant. ut audiens alter, ipſe quoque ſimile „ aliquid enunciando crimini obnoxius fiat [6]. Alia ratio deferendi Libonem fuit, neque tamen magis laudanda. Nam *Firmius Catus ſenator ex intima illius amicitia, juvenem improvidum, & facilem inanibus, ad Chaldaeorum promiſſa, Magorum ſacra, ſomniorum etiam interpretes impulit: dum proavum Pompejum, amitam Scriboniam, quae quondam Auguſti conjux fuerat, conſobrinos Caeſares oſtentat: hortaturque ad luxum & aes alienum, ſocius libidinum & neceſſitatum, quo pluribus indiciis illigaret* [7]. Rurſus Manlium Valentem *ſecretis criminationibus infamaverat Fibius ignarum, &, quo incautior deciperetur, palam laudatum* [8]. Et ſic mille modis inſidiae innocentibus imprudentibusque tendebantur. „ Quid enim homo ad mali„ tiam ſemel declinans non invenerit, inquit Ju„ ſtinianus in Novellis ſuis [9].

Conſummata vero accuſatione, tanquam re ſtrenue geſta exultabant & gloriabantur, ordinem fraudis ſuumque ipſi dedecus Imperatori exponentes [10]. Apollonii, qui ſub Nerone floruit, delatorem deſcribit Philoſtratus, ut „ qui multos antea jam per„ diderat, & tali nequitiae genere, tanquam Olym„ piorum victoria exultabat [11]. Ita *calumniator* & homo *notae nequitiae* junctim recenſentur ab Ulpiano [12]. Quo autem inſignior perfidia nequitiaque in prodendo, eo major ſpes erat in remuneratione & gratia Principis, cujus voluntas non niſi ſcelere quaerebatur. Proinde quod amicus amicum deferret, vulgare erat ac quotidianum: in tantum, ut quis etiam ab intimo quoque & familiariſſimo perderetur. ſic apud Juvenalem eſt,

—— *magni Delator amici* [13].

Verum non alienos a conjunctis diſcerneres, adeo conſanguinitas, clientelae jus, magiſtrorum dilectio, & vel pietas in parentes, ſanctiſſima inter mortales nomina, in obſequium Principis conculcabantur. Satrius Secundus, cliens Sejani ejusdemque deinceps everſor fuit [14]. & P. Celer Baream Soranum, diſcipulum ſuum prodidit [15]. At ſaevum & atrox miſeriarum exemplum fuit *reus pater, accuſator filius: nomen utrique Vibius Serenus. Pater ab exilio retractus, illuvieque ac ſqualore obſitus, & tum catena vinctus perorante filio.* contra, *adoleſcens multis munditiis, alacri vultu, ſtructas Principi inſidias index idem & teſtis dicebat.* Etſi autem tales conſcios nominaret, qui Principi amiciſſimi erant, ſtatimque cum odio nominantis eximebantur: etſi etiam quaeſtio, quae de ſervis in patrem habebatur, accuſatori adverſa cecidiſſet, tamen eum Tiberius accuſationem perſequi adegit. Retrahi autem ad hoc Ravenna debuit, quo, vulgi rumore territus, conceſſerat: nam ipſum vulgus, tanta ſcelera non ferens, minitando *robur, & ſaxum, aut parricidarum poenas* Urbe eum expulerat [16]. Videlicet hoc ſeculum ferreo nocentius fuit. etenim praeterquam quod nunc itidem

—— —— *non hoſpes ab hoſpite tutus,*
Non ſocer a genero [17], —— ——

filius inſuper non tantum in patrios annos ante diem inquirebat, ſed vel ipſe patrem necabat accuſando. Delati autem a filio parentis veſtigia in ipſis quoque Pandectis ſuperſunt. eſt enim Trebatio Marino reſcriptum, *merito patrem eum nolle alere, quod eum detulerat* [18]. Ex adverſo patrem filii delatorem non tulit divus Pius; usque adeo, ut ſi ipſe filium deſertorem offerat, non cum capite plecti, ſed in duriorem militiam dari juſſerit, hac ratione, *ne videatur pater ad ſupplicium obtuliſſe* [19]. Immo vero ſuſceptos, hoc eſt, clientes ne teſtes quidem eſſe accuſatori jura voluerunt [20].

Ceterum non erubuerunt Imperatores quascunque delationes recipere ac fovere. Itaque praeter conſanguineos, & clientes, & amicos, etiam ſervos & libertos admiſere, quin & carceri incluſos, damnatos, exilioque infames. Imperatores autem cum hic nomino, eos intelligo, qui dominationi ſuae ſaevitiaeque & avaritiae ſubditos devovebant, &, ceu piacularia ſacrificia, irae ſceleribusque ſuis mactabant. Ipſe Nero cum adhuc laudabilem Principem ageret, reum, ſervo accuſante, non recepit [21]. Multo autem minus admittendi ſi dominos ſuos deferant. Profecto ne audiri quidem ſervos dominorum delatores voluere Nerva, Trajanus, Gordianus, Tacitus, Severus, Conſtantinus Magnus & Arcadius [22]. Statuunt praeterea leges, nequaquam ſervo permittendum eſſe, ut dominum accuſet, niſi ex cauſis receptis [23]. Notum enim, quot ſervi ſunt, totidem fere hoſtes eſſe dominis [24]. De patronorum vero delatione dicit Ulpianus, libertum in metallum dandum eſſe, ſi Calumniam aliquam patrono patronaeve aut liberis eorum inſtruxit, vel delatorem ſubornavit [25]. Divus autem Claudius, teſte Marciano, libertum, qui probatus fuerit, patrono delatores ſummiſiſſe, qui de ſtatu ejus facerent ei quaeſtionem, ſervum patroni eſſe jus-

1 Demoſthen. adverſus *Ariſtogiton. in medio*, & per totum illam orat. (*a*) Poſt Demoſthenem acerrime omnium Libanius Delatores exagitat in *Declamat.* XXVIII. Adde Iſocratem Περὶ ἀντιδόσεως. Legenda etiam Luciani oratio *de non temere credendo Calumniae.* Pluribus itidem Maecenas Delatorum fraudes exſequitur apud Dionem. Aſpidi denique ſeu viperae etiam Nicephorus Calumniatorem aſſimilat, & Eraſmus in *Epiſt.* 2 Tacit. *Lib.* IV. *Annal. c.* 69. 3 Dion. apud *Xiphilin. in Tiber. pag.* 87. & Suet. *in eod. c.* 54. 4 Ammian. Marcell. *Rer. geſtar. Lib.* XIV. *c.* 1. quem adi. 5 Tacit. *d. Lib.* IV. *c.* 68. & 69. 6 Dion. Caſſius *Lib.* LVII. *pag.* 712. 7 Tacit. *Annal. Lib.* II. *c.* 27. 8 Idem *Hiſtoriar. Lib.* I. *c.* 64 *in fine* 9 *Novella* LXXII. *in praefat.* 10 Tacit. *d. Lib.* IV. *Annal. c.* 69. 11 Philoſtr. in *vita Apoll. Tyan. Lib.* IV. *c.* 15. 12 *L.* 3. §. 4. *ff. De liberis exhibend.* 13 Juvenalis *Sat.* I. *verſ.* 33.

14 Tacit. *Lib.* IV. *Annal. c.* 34. & *Lib.* VI. *c.* 47. 15 Tacit. *Lib. Hiſtor.* IV. *c.* 10. 16 Hiſtoriam videbis apud eundem *Lib.* IV. *Annal. c.* 29. 17 Ovid. *Metamorphoſeōn Lib.* I. *verſ.* 144. 18 *L.* 5. §. 11. *ff. de agnoſc. & alend. lib.* 19 *L.* 13. §. *ult. ff. de re milit.* 20 *Collatio legum Moſaic. & Roman. tit.* IX. *cap.* 3. 21 Tacit. *Annal. Lib.* XIII. *c.* 10. 22 Jac. Gothofr. ad *l.* 17. *C. Theod. de petit. & ultro dat. & delat.* X. 10. *pag.* 443 *a.* Addatur Dion. apud *Xiphilin. in Nerva.* item Calliſtratus in *l.* 2. §. 6. *ff. de jure fiſci.* 23 *L.* 1. §. 8 *ff. de offic. praef. Urbi.* Videatur etiam Ant. Matthaeus *de criminib. Lib.* XLVIII. *tit* 13 *cap* 1. *num.* 4. 24 Seneca *Epiſt.* 47. 25 *L.* 1. *in fin. ff. de jure patronat.*

Digitized by Google

juſſit [1]. Sed mali Principes quosvis, ut dicebam, ad accuſandum admiſere. Per nequiſſimum ſervum Aretinus Clemens, vir conſularis, ſub Domitiano eſt delatus [2]. Imperante Nerone Fortunatus libertus L. Veterem patronum ſuum cum ſocru & filia accuſavit [3]. Claudius Demianus vinculis, in quae propter ſcelera conjectus erat, eſt ſolutus accuſandi cauſa [4]. Minucius & Servaeus accuſati damnatique, ſed ipſimet accuſatores facti ſervati ſunt [5]. Antiſtius Soſianus & Pammenes, in eodem exilii loco degentes, Antejum & Scapulam inter reos ſunt profeſſi [6]. Sed diſerte poſtea Divi Fratres reſcripſere, *damnatos deferre non poſſe* [7].

Ad haec viliſſimi quique delationes factitarunt, velut artem quandam profeſſionemque. Sub Tiberio Romanus Hiſpo *formam vitae iniit, quam poſtea celebrem miſeriae temporum, & audaciae hominum fecerant. nam egens, ignotus, inquies, dum occultis libellis ſaevitiae Principis adrepit, mox clariſſimo cuique periculum faceſſit; potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus, dedit exemplum, quod ſecuti, ex pauperibus divites, ex contemptis metuendi evaſere* [8]. hic Criſpino ſubſcriptor fuit in accuſatione Marcelli, ac deinceps Senecae accuſator [9]. Sed indignior aut magis ex ſpurciſſima reipublicae ſentina hauſtus accuſator eſſe non potuit, quam Vatinius, qui ſub Nerone inter *foediſſima aulae oſtenta* memoratur. erat autem *ſutrinae tabernae alumnus, corpore detorto, facetiis ſcurrilibus. is primo in contumelias aſſumptus, deinde optimi cujusque criminatione eo usque invaluit, ut gratia, pecunia, vi nocendi etiam malos praeemineret* [10]. E contrario, quod maxime exitiabile ea tempora tulerunt, *primores Senatus infimas etiam delationes exercebant* [11]. De Haterio Agrippa, propinquo Germanici & conſule ſub Tiberio, haec habet Tacitus: *Haterius invisior fuit, quia ſomno aut libidinoſis vigiliis marcidus, & ob ſegnitiam quamvis crudelem Principem non metuens. illuſtribus viris perniciem inter ganeam ac ſtupra meditabatur* [12].

Quid autem dicemus de Juſtitiae ſacerdotibus, qui aequi & boni artem profitentur? Nempe & illi, ceterorum exemplo Calumniae linguas operasque locabant, *nec quicquam publicae mercis tam venale erat quam Advocatorum perfidia* [13]. Sub optimo Principum Trajano *Nigrinus, tribunus plebis, recitavit libellum diſertum & gravem, quo queſtus eſt, venire Advocationes, venire etiam praevaricationes: in lites coiri: & gloriae loco poni ex ſpoliis civium magnos & ſtatos reditus. Recitavit capita Legum, admonuit Senatusconſultorum: in fine dixit, petendum ab optimo Principe, ut, quia Leges, quia Senatusconſulta contemnerentur, ipſe tantis vitiis mederetur.* ſecutumque etiam intra paucos dies decretum Trajani ſeverum, & tamen moderatum [14]. De ſuo tempore Apulejus: *Jam conceſſu quodam more rabulis id genus, quo ferinae ſolent linguae ſuae virus alieno dolori locare* [15]. Sed poſtea quoque advocati fiſci, fiſcalis nominis obtentu, calumnioſas lites intentare coeperunt [16]. Ante alios vero P. Suilius, imperitante Claudio, terribilis & quam maxime venalis accuſator fuit, continuus & ſaevus deferendis reis, multique audaciae ejus aemuli erant [17]. Hunc pridem ipſe Tiberius *acceptae ob rem judicatam pecuniae* convictum amovendum in inſulam juſſerat, tanta contentione animi, ut & jurejurando obſtringeret, *e republica id eſſe* [18]. Quod magis mirere, ſub eodem Claudio, per cujus amicitiam adeo invaluerat, opprimendi ejus gratia repetitum credebatur Senatusconſultum poenaque Legis Cinciae adverſus eos, qui pretio cauſas oraviſſent [19]. A Calumnia tandem ne judices immunes fuere, quibus ejusmodi αἰσχροκερδίας Zoſimus adſcribit. „Hi enim, inquit, inexplebilem ſuam avaritiam non explentes, τοῖς ἐν συκοφαντίαις πράγμασι περιέβαλλον, calumniis „opprimebant, aperte dicentes, omnia, quae pro „magiſtratu dediſſent, neceſſario ſibi eſſe colligenda [20].„

Ut autem ulterius appareat, quam flebilis & conquerenda conditio communis periculi fuerit, ipſorum hujus aevi philoſophorum indolem pecunia recluſit. Sed vix eſt ut philoſophi dicendi ſint, qui, ut de Stoicis quibusdam Gellius loquitur, *atra verborum & argutiarum fuligine ob oculos audientium jacta, ſanctiſſimae diſciplinae nomen ementiuntur* [21]. Etenim *vere philoſophantes pecuniam contemnunt, cujus retinendae cupidine fictam adſeverationem detegunt*, inquit Papinianus [22]. Et tamen tales philoſophos ea aetas tulit. P. Egnatius, cliens Sejani, & tunc emptus ad opprimendum amicum, *auctoritatem Stoicae ſectae praeferebat, habitu & ore ad exprimendam imaginem honeſti exercitus, ceterum animo perfidioſus & ſubdolus, avaritiam ac libidinem occultans.* profecto elegans icon mercenariam & ſimulatam, non veram, philoſophiam adfectantis, quam nobis Tacitus depingit [23]. Sed & Demetrius, Cynicae inſtitutionis doctor, quem ſupra cum moribundo Thraſea tam pie diſſeruiſſe monuimus, *manifeſtum reum ambitioſius quam honeſtius defendit* [24]. At omnium turpiſſime P. Celer, ſapientiam itidem profeſſus, teſtimonium dixit in Baream Soranum, *proditor corruptorque amici, & cujus ſe magiſtrum ferebat* [25]. Unde Juvenalis:

Stoicus occidit Baream delator amicum
Diſcipulumque ſenex —— —— [26].

Facinus autem eo erat invidioſius, quod Barea egregius homo eſſet, cujus ſancta poſt mortem memoria exſtitit. Accuſatus quidem eo nomine ſub Nerone, ſed quia Caeſari in deliciis erat, & tamen is abſolvere eum nequibat, traxit ſenecta, donec mortem obiret. nam Celer, interfecto Silano proconſule, *magnitudine ſceleris cetera flagitia obtegebat* [27]. Verum ſub Veſpaſiano repetita eſt accuſatio a Muſonio Rufo, itidem philoſopho. atque ita tandem Manibus Sorani ſatisfactum [28]. Ut proinde non ſolo Modeſtini aevo rari fuerint, qui philoſopharentur [29]: atque ideo forſan haud injuria idem Veſpaſianus omnes tunc philoſophos ex conſilio Muciani Roma ejecit, uno Muſonio excepto [30]. Sed redeo ad mores artesque Calumniantium.

Quemadmodum autem facilioris probationis cauſa plura ſaepe crimina coacervabant delatores, ſic etiam uno inchoato facile deſiſtebant, ſi forte aut difficilius probari poſſet, aut longiore tempore ac per plures ambages deberet probari. In Suilii accuſatione fuerunt qui direptos ſocios cum provinciam Aſiam regeret, ac publicae pecuniae peculatum deferrent. Mox, quia inquiſitionem annuam impetraverant, *brevius viſum ſuburbana crimina incipi, quorum obvii teſtes erant* [31]. Eo autem magis id ac-

1 *L. 5. eod.* 2 Sueton. in *Domit. c.* 11. 3 Tacit. *Lib. Annal* xvi. *c.* 10. 4 Idem *ibid.* 5 Idem *Annal. Lib.* vi. *c.* 7. 6 Idem *Lib.* xvi. *Annal. c.* 14. 7 *L.* 18. § 2. *De jure fiſci.* 8 Tacit *Lib.* i. *Annal c.* 74. 9 Idem *eodem loci*, ut & *Lib.* xiv. *c. ult.* 10 Tacit. *Annal* xv. *c.* 34. 11 Tacit. *Annal. Lib.* vi. *c.* 7. 12. *Eod. Lib. c.* 4. 13 Idem *Lib.* xi. *Annal. c.* 5. *& ſeqq.* 14. Plin. *Lib.* v. *Epiſt.* 14. 15 Apulejus in *Apolog. prope init.* 16 *L.* 1. *C. Theod. De Advoc. Fiſci*, & ad eam Jac. Gothofr. *Lib.* x. *tit.* 15. *pag.* 472. 17 Tacit. *laud. Lib.* xi. *c.* 5. *& ſeqq.* item *Lib.* xiii. *c.* 42.

18 Tacit. *Lib.* iv. *Annal. c.* 31. 19 Idem *d. Lib.* xi. *Annal. c.* 5 *& ſeqq.* 20 Zoſimus *Hiſtoriar. Lib.* iv. 21 A Gellius *Noct. Attic. Lib.* i. *c.* 2. 22 *L.* 8 § *penult. ff. De vocat. & excuſat. muner.* 23 Tacit *Annal. Lib* xvi. *c.* 32. 24 Idem *Lib.* iv. *Hiſtoriar. c.* 40. 25 *Eod. Lib.* iv. *c.* 10. 26 Juvenal. *Sat.* iii. *vſ.* 116. *&* 117. 27 Tacit. *Annal. Lib.* xiii. *c.* 33. 28 Idem *laud. c.* 40. *Lib.* iv. *Hiſtoriar.* 29 *L.* 6. § 7. *ff. De excuſationib.* 30 Dion. apud *Xiphilin in Veſpaſiano.* De Muciano autem videatur porro Tacit. *Lib.* iv. *Hiſtoriar, c.* 44. 31 Tacit. *Lib. Annal.* xiii. *c.* 43.

accidere debuit, quod ſtudio praeripiendi invicem inconſideratius aliquando & minus inſtructi ad accuſandum prorumperent, dum *quisque praevenire & reum deſtinare properat* [1]. Quod ſi plures una concurrerent, certabant interdum veluti per modum divinationis, *cui jus perorandi in reum daretur* [2]. Atque ita alter ab altero accenſus ad rabiem usque delationibus inhiabat. Fulcinius Trio conſul, cujus celebre inter accuſatores nomen eſt, collegam Regulum, avidum famae malae, quique ipſemet conſulatum deferendo obtinuerat, tamen *ut ſegnem ad opprimendos Sejani miniſtros* oblique perſtrinxit [3]. At ſcelerate nimiumque impudenter Aquilius Regulus Neronis ſegnitiem incuſavit, *quod per ſingulas domos ſeque & Delatores fatigaret: poſſe univerſum Senatum una voce ſubverti*. Id Regulo objiciens Curtius Montanus ſubjungit: *Retinete, Patres conſcripti, & reſervate hominem tam expediti conſilii, ut omnis aetas inſtructa ſit: & quomodo ſenes noſtri Marcellum, Criſpum, juvenes Regulum imitentur*. additurque praeterea: *Invenit etiam aemulos infelix nequitia* [4].

E quibus nunc facile colligas, quaenam hoc rerum ſtatu ipſorum judiciorum ratio fuerit. „Mittebat in Senatum, ait Dion de Tiberio, non „modo libello, ſibi a Delatoribus exhibitos, ſed „& ea, quae erant quaeſtionibus a Macrone cogni„ta; ita *ut praeter condemnationem nihil requireretur* [5].„ Amplius ſub Claudio Valerius Aſiaticus, bis conſul, fraudibus Meſſalinae & Vitellii inſimulatus, cum apud Bajas eſſet vinctus, in urbem rapitur. neque data Senatus copia intra cubiculum auditur, Meſſalina coram, & Suilio accuſatore, judice Vitellio. Immo vero, quum ejus defenſione majorem in modum commoti eſſent Claudius & Agrippina, adeo ut huic etiam lacrymae ſubinde oborirentur, cubiculo egrediens Claudius monet nihilo minus Vitellium, *ne elabi reum fineret* [6]. Adde quod non tantum ſervi contra dominos ſuos in fraudem Senatusconſulti torquebantur [7], verum etiam liberti & cives, neglecta Lege Porcia [8]. Quin & quidam ſine ulla judicii forma perempti leguntur. nam Sabinus ſub Tiberio indemnatus occiſus, corpusque ejus, e ſcalis praecipitatum, in flumen projectum eſt [9]. Praeterea nonnullos e primoribus, accuſatos Neroni inſidias feciſſe, milites lapidibus obruerunt [10]. Sed triſtium exemplorum pleni ſunt ejus temporis ſcriptores. Proinde vix neceſſarium eſt ut porro annotem, impune & ſine abolitione a ſuſcepta accuſatione deſtitiſſe Delatores [11]: nam vel manifeſtae Calumniae convictis parcebatur [12]. In eo tamen ſtupendam Suilii auctoritatem demiror, quod, acceptis a Samio equite Romano quadringentis nummorum millibus, ob adeo inſignem omnibusque notam praevaricationem nihil ſit perpesſus; praeſertim cum ipſemet reus ſceleris conſcientia domi ejus ferro incubuerit [13]. At cautius multo an callidius agebat Imperator Tiberius. nam poſtquam conſtiterat Catum Firmium Senatorem falſis Majeſtatis criminibus ſororem petiviſſe, pasſus eſt ut ſententia Senatus in inſulam deportaretur, verum ejus operae memor, ſed alia praetendens, exilium deprecatus eſt: ita tamen, ut, quo minus Senatu pelleretur, non obſiſteret [14].

Verum enim vero acſi impunitate ipſisque praemiis parum allicerentur Delatores, parceque nimis ad accuſandum accederent, inſuper jubendi inſtigandique erant ſcilicet. nam eo impudentiae pr[o]ceſſerunt Imperatores, ut eos diſerte ac palam [ad] ſuſcipiendas accuſationes impellerent. ſic Tib[e]rius [15], ſic Nero [16], ſic alii [17]. Tiberius inter a[lios] Fulcinium, propoſita ſpe honorum, monuit *ne ſ[…] cundiam violentia praecipitaret* [18]: & Afrum colla[u]dans, *ſuo jure diſertum* aſſeveraverit [19]. Nero inſup[er] ſpeciatim praecepit, quid objicerent [20]. Domit[ia]nus autem, Neroni in plerisque ſuppar, cum acc[u]ſatoribus & teſtibus una aderat praeſens, conſing[e]batque & comminiſcebatur omnia, quae dici ab [iis] oporteret [21]. Qualis olim de Verre Cicero: *V[erres]*, inquit, *Calumniatores apponebat: Verres ad[eſſe] jubebat: Verres cognoſcebat: Verres judicabat: p[…] niae maximae dabantur: qui dabant, cauſas obti[ne]bant* [22]. Judicum autem plerique reos favore ac m[e]tu Caeſaris impulſi damnabant [23]. Ubi vero n[…] lum crimen, & aperta caedes nimis invidioſa era[t], venenum parabatur [24]: & quando venenum n[…] proceſſerat, ferro interdum graſſari placuit [25]. D[e]nique Nero *non crimine, non accuſatore exiſtente, q[…] ſpeciem judicis induere non poterat, ad vim dominat[io]nis converſus, Gerelanum tribunum cum cohorte milit[um] immittit, jubetque praevenire conatus conſulis* Veſti[ni] tanquam res novas molientis [26]. Ut adeo de h[u]jusmodi Imperatoribus pronunciare fas ſit, qu[od] de nonnullis tempore Syllanae proſcriptionis ref[ert] Cicero, eos & Accuſatores ſuſtuliſſe & Judices [27].

CAPUT IV.

De praemiis Calumniatorum & poenis.

QUoniam vero aliquoties praemiorum, qui[bus] Delatores ad accuſandum pelliciebantur, [in] ſuperioribus facta eſt mentio, nunc aliqu[an]to plenius de iis diſpiciamus. Praemia autem c[um] dicimus, non vulgaria hic accuſationum aucto[ra]menta & mercedes ordinarias intelligimus, de q[ui]bus eſt actum praecedenti tractatu (*a*), ſed [illa] praemia, quae extra ordinem in Deferentes co[nfe]rebantur, ut illuſtres quasvis & virtute, aut dig[ni]tate aut opibus conſpicuas domos everterent. [Vi]delicet quemadmodum ſaepe clementiam initio i[m]perii ſimularunt Romani Principes, ita plerume[que] deinceps, palam infinitum in modum delationi[bus] indulgentes, in optimos cives ſaevierunt. Ita[que] majorem gratiam Cognitoribus ſe debere exiſti[ma]runt, quam ut ſolis ordinariis praemiis renumer[an]di eſſent. Sic Tiberius damnato interempto[que] Libone, non tantum bona ejus univerſa inter [ac]cuſatores dividi voluit, ſed & his, qui ſenat[orii] ordinis eſſent, praeturas extra ordinem dedit [28]. Similiter paulo poſt Piſonis necem idem ille Tibe[rius] Senatui auctor fuit, Accuſatoribus ſacerdotia tribu[en]di [29]. Egregii vero ſacerdotes! Quin ipſe et[iam] conſulatus iisdem in praemium cedebat [30]. Qu[um] igitur magiſtratus & honores conſueta Delation[um] praemia eſſe coepiſſent, hi, qui munus dignita[tem]ve ambirent, accuſando viam ſibi pararunt. [Sic] ſub eodem Tiberio Latinius Latiaris, Porcius […]

1 Tacit. *Lib.* VI. *Annal.* c. 7. 2 Idem *Lib. Annal.* II. c. 30. 3 Idem *Lib* V. *Annal.* c. *extr.* 4 Idem *Hiſtoriar. Lib.* IV, c. 42. 5 Dion apud Xiphilin. in *Tiber. pag.* 83. 6 Tacit. *Annal. Lib* XI. c. 1. & 2. 7 Idem *Lib.* II. *Annal.* c. 30 8 Dion apud *Xiphilin in Tiber. pag.* 83. 9 Dion apud *Xiphil. in Tiber. pag* 87. 10 Idem in *vita Neronis.* 11 Exempla petantur e Taciti *Annal. Lib.* XIII. c. 43 12 Tacit. *Lib.* VI. *Annal.* c. 36. 13 Idem *Lib. Annal.* XI. c. 5. 14 Idem *Annal. Lib.* IV. c. 31.

15 Tacit. in *Annal Lib.* III. c. 52. & *Lib.* VI. […] 16 Tacit. *Annal. Lib.* XIII. c 42. & *Lib.* XVI. c. 8. […] dem *Lib.* XI. *Annal.* c. 1. & *in vita Agric.* c. 4. […] dem *in Annal. Lib.* III. c. 19. 19 Idem *Lib.* IV. […] *nal.* c. 52 *ad fin.* 20 Id. Tacit. *Annal Lib.* XI. c […] 21 Dion apud *Xiphil. in Domit.* 22 Cic. *Verrina[…]* c. 10. 23 Dion Caſſius *Lib.* XLVI. *pag.* 368. *edit. H[…] Steph.* 24 Tacit. *Lib.* XIII. *Annal* c 15. 25 I[…] *Lib* XV. c. 60. 26 *Laud. Lib.* XV. c. 69. 27 C[…] pro *Sex. Roſc. Amer.* c. 32. (*a*) Et hujusmodi quo[…] *praemii* meminit Mauritianus in *L.* 15 §. 1 *De jure f[…]* Addatur poſt Cujacium *Lib.* XIX. *Obſerv.* c. 3. Briſſo[n…] *Selectar. antiq. Lib.* III. c. 17. 28 Tacit. *Lib.* II. […] *nal* c. 32. vide & Dion. apud *Xiphil. in Tiber p.* […] 29 Tacit. *Annal. Lib.* III. c. 19. 30 Idem in *iiſd.* […] *nal. Lib.* V, c. *ult.*

Digitized by Google

to, Petilius Rufus, M. Opſius, praetura functi, T. Sabinum equitem Romanum aggrediuntur *cupidine conſulatus* [1]. Et revera hac ratione Fulcinius Trio ſub Tiberio, Vejento ſub Domitiano conſules facti [2]. Unde *non minus praemia Delatorum invisa*, inquit Tacitus in Hiſtoriis, *quam ſcelera; quum alii ſacerdotia & conſulatus ut ſpolia adepti, procurationes alii & interiorem potentiam, agerent ferrent cuncta* [3]. Addo Dionem Caſſium: „ Praemium accuſationis „ accipiebant, pecuniam ex bonis, & honorem „ magiſtratumve accuſati, ſi quem is gerebat, va- „ cationemque a militia pro ſe filiisque & nepoti- „ bus ſuis [4]. „

Hoc amplius, accuſando delictorum impunitatem aſſequebantur. Quintus Servaeus Praetorius & Minucius Thermus eques, alter Germanici quondam comes, alter Sejani amicus, ſub Tiberio accuſati damnatique, ſed Indicibus accedentes evaſere [5]. Neque enim ullum tunc praeſentius remedium, etiam in graviſſimis criminibus. Ita circa idem tempus Caeciar Sextio Paconiano praetorio, audaci, malefico, omniumque ſecreta rimanti, quod olim Sejani ope dolum C. Caeſari paraſſet, ſummum ſupplicium molicbatur, *ni profeſſus indicium foret*: quippe deferendo Latinium Latiarem, quem modo inter ſtrenuos illos conſulatus competitores recenſebamus, admiſſi veniam meritus eſt [6]. Quin erant qui non vererentur haec & hujusmodi palam prae ſe ferre. In his Q. Pomponius, moribus inquies, accuſationes a ſe factitari praetexebat, *ut parta apud Principem gratia, periculis Pomponii Secundi fratris mederetur* [7]. At non poſſum quin duo adhuc ſub Nerone exempla commemorem, quae fidem prope excedunt. verba Taciti de Lucii Veteris ſocrusque ejus Sextiae & Pollutiae filiae accuſatione haec ſunt: *Sed initium detegendae ſaevitiae praebuit interverſis patroni rebus ad accuſationem trangrediens Fortunatus libertus, adſcito Claudio Demiano, quem ob flagitia vinctum a Vetero Aſiae proconſule exſolvit Nero in praemium accuſationis*. En, vinctus compeditusque cum magiſtratu ſuo, facinoroſus cum Imperatoris collega (nam una cum eo conſul fuerat) committitur. Eo usque jam tum increverat impudens Caeſarum audacia. *Liberto* autem *& accuſatori praemium operae locus in theatro inter viatores tribunicios datus* [8]. Alterum exemplum, quod paulo poſt refert idem Tacitus, Soſiani eſt, qui factitatis in ipſum Neronem carminibus probroſis, exſilio multatus, *poſtquam id honoris Indicibus tamque promptum ad caedes Principem accepit*, in P. Antejum & Oſtorium Scapulam accuſationem ſubornat. hoc autem ſimul ac Neroni innotuit, nulla prioris culpae habita ratione, exſilio non tantum ſolutus, ſed vel *miſſis Liburnicis Romam propere advectus eſt* [9]. Tam flebilis tunc & miſerandus erat publicae rei ſtatus.

Interea tot ac tantorum praemiorum ſpe inflammati furenteſque nequiſſimi homines ad rabiem usque delationibus inhiabant, & vel alter alteri nonnunquam antevertere nitebantur, ut vidimus proximo capite. Verum quia ejusmodi praepoſtera aviditate perpetuo ulterius progrediebantur Accuſatores, novisque flagitiis Principem certatim demereri ſatagebant, accidit interdum ut temerarios auſus infelix exitus ſequeretur. Quidam igitur aut per ſatietatem, aut quod non ſatis induſtrii, plectebantur; alii quod accuſatio ſat quidem verſute callideque ſuſcepta, nimis tamen inviſa caderet, ambitioni Principis devovebantur, odiique publici victimae erant; denique quantumvis induſtrii ac felices, raro placuere, qui ſub aliis Imperatoribus accuſationes factitaſſent, aut aliarum partium fuiſſent. Fuerunt ex contrario, quos odium publicum, ſi perſonam eorum non egrediebatur, tutiores faceret, quia ſimus Principi addictiores reddebat: nam *ut quis diſtrictior accuſator, velut ſacroſanctus erat; leves, ignobiles poenis afficiebantur*. In his ſub Tiberio Vibius Serenus fuit, qui Fontejum Capitonem, Aſiae proconſulem, falſa majeſtatis delatione impune arceſſivit [10]. At cum ſub eodem Imperatore M. Terentius eques pari audacia accuſaretur, quod amicitiam cum Sejano coluiſſet, nec is eam, ut ceteri, falſo exueret, immo conſtanti & egregia oratione Tiberium in Senatu confunderet convinceretque, ſtatim liberatus eſt, omnisque delationis invidia protinus in accuſatores converſa. nam, additis quae ante deliquerant, *exilio aut morte multati ſunt* [11]. Item Conſidius AEquus & Coelius Curſor, equites Romani, quod fictis majeſtatis criminibus Magium Caecilianum praetorem petiviſſent, *auctore Principe & decreto Senatus puniti* [12]. Puduit quoque Tiberium, tam praecipitis in accuſando diligentiae, qua Culpurnius Salvianus praefectum Urbi Druſum, auſpicandi gratia tribunal ingreſſum, adiiſſet in Sext. Marium. hoc autem *a Caeſare palam increpitum, cauſa exilii Salviano fuit* [13]. Et tamen alios ſub eodem rurſus Tiberio hac ratione aliquando faſtos reſerare placuit [14]. Sed & Cleandro, Commodi praefecto praetorio, ſceleſto homini, dignus tandem vitae finis impoſitus. nam cum ejus inſidiis Arrius Antoninus fictis criminibus ſublatus eſſet, nec eam tunc invidiam, populo ſaeviente, ferre poſſet Commodus, plebi ad poenam donatus eſt Delator, aliique ſimiles aulici ac liberti pariter interempti [15]. Liceat unicum adhuc ejusdem Imperatoris, idque perquam inſigne, exemplum ſubjicere. Didius Julianus, is qui poſtea ſummam imperii potitus eſt, per quendam Severum reus fiebat conjurationis cum Salvio contra Commodum initae: ſed a Commodo, quia jam multos nobiles ac potentes ſenatores in cauſa majeſtatis occiderat, ne triſtius gravaretur, liberatus fuit, damnato accuſatore [16].

Quidam porro ſcelerum miniſtros ut perverti ab aliis nolebant, ita plerumque ſatiati, & oblatis in eandem operam recentibus, veteres & praegraves affligebant. Hos exitus ſub Tiberio habuere Latiaris & Opſius, praecipui olim circumveniendi turpiſſime Titii Sabini, ceterique ejus flagitii repertores [17]. Praeterea ſub eodem Veſcularius Flaccus & Julius Marinus ad mortem acti, vetuſtiſſimis familiarum Imperatoris: alter inſidiarum in Libonem internuncius, alter caedis Curtii Attici, quem Sejanus oppreſſerat, particeps. quo laetius acceptum, *ſua exempla in conſultores recidiſſe* [18]. Idem ſane Tiberius quandoque eos, qui inter Delatores praecipui erant, omnes occidi juſſit [19]. nam vulgo malorum facinorum architecti quaſi exprobrantes adſpiciuntur [20]. Domitianus etiam cum diffideret his, qui ſibi aliquid gratificabantur, illos itidem, qui multos homines calumniarentur, penitus perdebat, praeſertim ſervos, ſi quid contra dominos detuliſſent [21]. Immo vero interdum ſe invicem profligabant Delatores. Paconianus, Impera-

1 Tacit. *Annal. Lib.* IV. *c.* 68. & 69. 2 Idem *laud. Lib.* V. *c. ult* & Aurel. Victor. in *Epit. c.* 25 3 Tacit. *Hiſtoriar. Lib.* I. *c.* 2. 4 Dion. *Lib.* LVI. *pag.* 368. *edit. H. Steph.* 5 Tacit. *Annal. Lib.* VI. *c.* 7. 6 Idem *d. Lib.* VI. *Annal. c.* 3 & 4. 7 Ibidem *c.* 18. 8 Idem Tacit. *Lib.* XVI. *c.* 10. 12. 9 Idem *laud. Lib.* XVI. *c.* 14.

10 Tacit. *Lib. Annal.* IV. *c.* 36. 11 Idem *eorund. Ann. Lib.* VI. *c.* 8. Addatur Dion apud *Xiphilin. in Tiber. ad fin.* 12 Idem *Annal. Lib.* III. *c.* 37. 13 Idem *Lib. ſeq. c.* 36. 14 Idem *Lib.* IV. *Annal c.* 70. Addi poteſt Sueton. in *Tiber. c.* 61. 15 AElius Lamprid. in *vita Commodi c.* 7. 16 Spartian. in *Did. Juliano c.* 2. 17 Tacit. *Annal. Lib.* IV. *c.* 71. 18 Idem *Lib.* VI. *Annal. c.* 10. 19 Dion Caſſius *Rom. hiſtor. Lib.* LVIII. *pag.* 725. 20 Tacit. *Lib. Annal.* III. *c.* 62. 21 Dion apud *Xiphilin. in Domit. prope init.*

ratore Tiberio, Latiarem magno Patrum gaudio aggreſſus eſt, accuſator ac reus juxta inviſi propter calumnias. quo ipſo gratiſſimum ſpectaculum praebebatur [1]. Similiter Annium Fauſtum, qui ſub eo Principe delationes factitaverat, ad cognitionem Senatus vocavit Vibius Criſpus, quem omnes facile meminerant eaſdem accuſationes cum praemio exercuiſſe. proinde non poena criminis, ſed ultor diſplicebat [2]. Poſtremo quidam mutatione temporum eviluere. Ita P. Suilius, atrox & ſordidus ſub Claudio Delator, extrema ſenecta uſque eo Neroni inviſus erat, ut adempta bonorum parte in inſulas Baleares pelleretur. Fruſtra autem ſeſe tuebatur, quod non ſua ſponte accuſationes ſuſcepiſſe diceret, verum periculi depellendi gratia (a) ut Principi placeret [3]. Similiter ſub Veſpaſiano proſtratus eſt Regulus, quem ſubverſa Craſſorum & Orphiti domus in ſummum odium extulerat, quique itidem, idque admodum juvenis, ſponte accuſationem ſuſcepiſſe, nec juſſus a Principe aut Senatu, ſed in ſpem potentiae videbatur [4]. Everſus quoque per idem tempus P. Celer, Sorani Silanique delationibus infamis [5]. Idem vero plurium exitus fuit, qui ſub anterioribus Imperatoribus in Delatorum caſtris ſtipendia meruerant. Ut adeo calumnias non ſemper impune tulerint, etiam ab his, qui impenſe delationes fovebant; ſed nonnulli ex pauperibus divites, ex contemtis metuendi cum evaſiſſent, *perniciem aliis, ac poſtremo ſibi invenere* [6].

Quum igitur ea fortuna nonnunquam ſub tyrannis uterentur Delatores, cujusmodi tandem, bonis imperantibus, eorum fatum extitiſſe cenſebimus? Non eſt hujus loci, neque ad rem noſtram pertinet, receptas & quae ordinariae coercitionis ſunt, Calumniae poenas hic referre: actum quoque ageremus [7]: inquirendum potius in acerbiores Calumniantium animadverſiones, quibus praevalidam & adultam peſſimorum deceſſorum nequitia inſolentiam ultum ierunt egregii Imperatores. aliud nimirum ultioni, aliud ſecuritati proſpicere. Primum quod inveni, gravioris poenae adverſus Calumniatores exemplum Galba edidit, dum praecipuos Delatorum, qui ſub Nerone ex obſcuris clari evaſerant, vinctos per Urbem duci, ac poſtea morte multari juſſit [8]. Titus & Trajanus Delatores flagellis ac fuſtibus caeſos ſupinis cervicibus per arenam traduxerunt, moxque aut haſtae ſubjecere, aut in vetera & rimoſa navigia congeſtos iratis fluctibus tradidere [9]. Certe plura hic & graviora ſuppliciorum genera concurrunt, quae in alios noxios raro ſimul exercita. Morem cogendi aliquem erigere os & contumeliis praebere, graphice exhibet Suetonius. *Religatis poſt terga manibus* (de Vitellio loquitur) *injecto cervicibus laqueo, veſte diſciſſa, ſeminudus in forum tractus eſt, inter magna rerum & verborum ludibria per totum viae Sacrae ſpatium, reducto coma capite, ceu noxii ſolent, atque etiam mento mucrone gladii ſubjecto, ut viſendam praeberet faciem, neve ſubmitteret; quibusdam ſtercore & coeno inceſſentibus, aliis incendiarium & patinarium vociferantibus, parte vulgi etiam corporis vitia exprobrante*, &c. [10].

Porro M. Antoninus Philoſophus non tantum fiſcales aliasque calumnias ſevere coërcuit, verum etiam exemplarem poenam in quoſcunque Chriſtianorum Delatores ſtatuiſſe dicitur. Euſebius nobis epiſtolam illius ad Senatum conſervavit, qua propter impetratam Chriſtianorum precibus pluviam, quicunque religionis cauſa Chriſtianum detuliſſet, etiamſi delata probaret, nihilo minus illum ζῶντα καίεσθαι vivum comburi voluit [11]. Quamvis autem merito ſuſpecta ſit ejus epiſtolae fides, tamen genuina Antonini epiſtola adeo in favorem Chriſtianorum concepta fuiſſe debuit, ut gentiles eam ſupprimendam cenſuerint: nec improbabile eſt, ſatis aſperam & vehementem poenam in hujusmodi innocentium hominum perſecutores continuiſſe. Illud ſane extra omnem dubitationis aleam poſitum, quod Macrinus Delatores, *qui non probarent, capite affecit, qui probarent, oblato pecuniae praemio infames dimiſit* [12]. Videlicet uti poſtea Imperator Alexander rationales ſuos, hoc eſt, fiſci procuratores tractabat, quos etiamſi boni eſſent oderat, *malum neceſſarium* dictitans [13]. Sed & olim in proſcriptionibus ſervus quidam, qui dominum latitantem prodiderat, accepta in praemium libertate & pecunia, de rupe Tarpeia dejectus fuit [14]. Quod vero ad ſervos, idem Macrinus omnes qui dominos detulerant, nullo diſcrimine patibulo ſuffixit [15]. Valentinianus porro & Valens una cum Gratiano in patronorum Delatores ſtatuerunt, *ut tam nefandos conatus ferri aut ignium poena compeſceret*. de ſervis autem, *ut cum ipſis delationum libellis, cum omni ſcripturarum & meditati criminis apparatu nefandarum accuſationum cremarentur auctores* [16]. Illud praeterea notatu dignum quod ſimul ac Commodus e medio ſublatus eſſet, Senatores doloris impatientiam ſuper calumniis in ipſis acclamationibus indicarent. nam magna animi contentione iterabant identidem. *Delatores ad leonem, exaudi Caeſar* (ita Pertinacem alloquebantur) *Delatores ad leonem, exaudi Caeſar*. & mox: *Ut ſecuri ſimus, Delatoribus metum; ſalvi ſimus, Delatores de Senatu: Delatoribus fuſtem, te ſalvo: Delatores ad leonem, te imperante: Delatoribus fuſtem*, &c. [17]. Conſtantinus autem omnibus qui ſe laeſos exiſtimarent, licentiam dedit, contra Delatores ſeveritatem judicum implorare ferro diſtrictam [18]. Immo Julianus ſtatim initio imperii duos effrenatos optimorum civium perditores vivos exuri ac flammis cremari juſſit, quos inter Paulus Notarius, cognomento Catena, cum multorum gemitu nominandus, quemque ſupra [19] delineavimus. Sed & tertium, Euſebium dictum, qui ex ima ſorte eo uſque elatus erat ut prope ipſi Imperatori imperaret, poenae letali addixit [20]. Porro idem, quem paulo ante laudavi, Conſtantinus calumnias Procuratorum rei privatae & depraedationes provincialium ignis ſupplicio puniri voluit. nam hi, ut aliis criminibus infames erant, ita provinciales miſere vexabant obtentu rei privatae Principis [21]. Valens denique omnibus Calumniae generibus internecinum odium indixiſſe videbatur [22], quod & verba illius ex oratione ad Senatum urbis Conſtantinopolitanae teſtantur; „ Imperii morbum periculoſiorem eſſe, cum ſubditi Calumniatoribus ſuppoſiti ſint, quam cum barbaris ſerviant [23]. „ Verum praeſtabit praemiorum poenarumque viciſſitudines ſerie hiſtorica oculis ſubjicere, & per ſingulorum Imperatorum vitas oſtendere quaenam ſub bonis malisque Calumniatorum fata extiterint; quod nunc protinus aggredimur.

CAPUT

1 Tacit. *Lib.* VI. *Annal. c.* 4. 2 Idem *Hiſtoriar. L.* II. *c.* 10. (a) De accuſationibus *periculi depellendi* actum *c.* XXII. praeced. tract. 3 Tacit. *Annal L.* XIII. *c.* 43. 4 Idem *Hiſtoriar. Lib.* IV. *c.* 42. 5 Idem *Annal. Lib.* XIII. *c.* 33. & *Hiſtoriar. laud. Lib* IV. *c.* 10. & 40. 6 Idem *Lib.* 1. *Annal. c.* 74. 7 *Cap.* 19. anteced. tract. 8 Dion apud *Xiphilin. in Galba.* 9 Sueton. in *Tito c.* 8. Plin. in *Panegyr. Trajani c.* 34. 10 Sueton. in *Vitell. c. penult.*

11 M. Antoninus *epiſtola* poſt *Apologiam* Juſtini Martyris addi ſolita, quaeque in publico Aſiae conventu propoſita fuit. 12 Capitol. in *Macrino c.* 12. 13 Lamprid. in *Alex. Severo c.* 46. *ad fin.* 14 Valer. Maxim *L.* VI. *c.* 5. *exem.* 7. 15 Herodian. *Hiſt. Lib.* V. *c.* 2. *init.* 16 *L.* 1. & 2. *C. Theod. Ne praeter crim. Majeſt. ſerv. dom. vel lib. &c.* adde *L. ult. eod.* 17 Lamprid. in *Commodo c.* 18. 18 *L.* 5. *C. De Delatorib.* 19 *Cap.* 3. *non procul ab initio.* 20 Ammian. Marcell. *Lib.* XXII. *c.* 3. *in extremo.* 21 *L.* 1. *C. Theod. De Actor. Procurator.* &c. & ad eam Gothofr. 22 Conferantur *L.* 10. & 11. *C. Theod. De accuſat. & inſcript.* cum *L.* 8. *ejuſd. Cod. De famoſ. libell.* 23 Themiſt. [illegible] ſeu *Orat.* XV. *p.* 364.

CAPUT V.

Fata Calumniarum ſub ſingulis Imperatoribus.

JULIUS CAESAR, qui oppreſſa Romanorum republica primus omnium ſingularis imperii fundamenta jecit, moderatione & clementia admirabili fuit [1]; veruntamen aliquando etiam dominatione abuſus eſt, dum ſemper in animo non minus quam in ore haberet Euripideum illud,

Si violandum eſt jus, regnandi gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas [2].

Licet igitur natura in ulciſcendo leniſſimus fuerit [3], ambitionis tamen impetum eadem aequanimitate ſuſtinere non potuit. Inter alia ejus rei indicia Suetonius refert, quod *Lucio Lucullo liberius reſiſtenti tantum Calumniarum metum injecit, ut ad genua ultro ſibi accederet* [4]. Verum illud longe peſſimum, quod ſtatim ſubjicit: *Poſtremo in univerſos diverſae factionis induxit Vettium praemiis, ut ſe de inferenda Pompejo nece ſollicitatum a quibuſdam profiteretur, productusque pro roſtris auctores ex compacto nominaret; ſed uno atque altero fruſtra, nec ſine ſuſpicione fraudis nominatis, deſperans tam praecipitis conſilii eventum, intercepiſſe veneno Indicem creditur.* Hactenus ex Suetonio. Sed & Cicero notat, foviſſe eum Indices ac *maximis praemiis* affeciſſe [5]. Quoniam vero Ciceronis fides hac in parte ob ingens libertatis ſtudium nonnullis fortaſſe ſuſpecta erit, malo eam in rem Dionis teſtimonium adducere, quod utique nemo in dubium vocabit, quia is paſſim mirifice Caeſarem extollit, ac totum ad virtutem natum praedicat [6]. tradit autem, non aperte eum de omnibus, a quibus laeſus erat, vindictam exegiſſe, ſed ſi qui erant, quibus *nullum ſatis magnum crimen objicere*, ut poenas de iis ſumeret, *poterat*, eos latenter e medio ſuſtuliſſe [7]. Neque enim in recenti dominatu abſque ſui ipſius periculo aliter agere poſſe videbatur: & vel ſic tamen violenta morte extinctus eſt.

Caeſaris regimen Triumviratus ſecutus, tribus pro uno tyrannidem exercentibus. Ab his enim atrox & terribilis proſcriptio orta eſt, quae Syllana longe immanior extitit. nam licet Sylla quidem aeque interemerit locupletes nulla injuria ſibi cognitos, ſub Triumviris inſuper alter alteri, ut unusquisque de inimicis ſuis ſeſe ulciſceretur, etiam amiciſſimos largiri debuit, ac multi qui caeſos lugerent, ob id ipſum occiſi. Merito itaque Dion poſt haec flagitia ſubjungit, adeo Triumviros omnia pro arbitrio & cupiditate adminiſtraſſe, ut *regnum Caeſaris* (quod nomen, invidiae obnoxium, ac propterea deletum, non adſciverant) *aureum* fuiſſe oſtenderint [8]. Ceterum demiror, cur non ab ullo inſequentium Imperatorum, pro libidine in quosvis graſſantium, proſcriptio ſubinde exercita fuerit, cum utique prae accuſationibus longe expeditior perpendi ratio eſſet.

At brevi (nec enim diu triforme imperium conſiſtere poterat) ad unum res rediit. Is erat CAESAR OCTAVIANUS, nepos ſororis Julii Caeſaris, quem ſenatus populusque Romanus poſtea AUGUSTI cognomine decoravit. Erat autem natura haud quaquam crudelis, & ab omnibus amari ſtudebat. Mira tamen illius in memorata proſcriptione indoles fuit. nam cum aliquandiu collegis reſtitiſſet, *ne qua proſcriptio fieret*, incoeptam utroque acerbius exercuit [9]. Rurſus, ubi ſocios dominationis habere deſiit, non ſolum interfecit paucos, ſed plurimos potius conſervavit [10], eosdemque & honoribus auxit [11]: immo pepercit etiam quibusdam, qui deinceps manifeſtas ipſi inſidias ſtruxerunt, confirmatus in eo Liviae uxoris oratione [12]. Multo minus libertas aut contumacia cuiquam ſub eo fraudi fuit, quemadmodum in Antiſtio Labeone apparuit [13]: multaque alia & magna clementiae civilitatisque documenta dedit [14]: Praeterea, quod ad privatos attinet, *tabulas veterum aerarii debitorum, vel praecipuam Calumniandi materiam exuſſit* [15]. Et ſic alii (a) quoque boni Principes haec *fiſcalium negotiorum Calumnioſa monumenta*, ut recte eas Oroſius appellat [16], combuſſerunt publice deleruntque. Eo amplius *diuturnorum reorum, & ex quorum ſordibus nihil aliud quam voluptas inimicis quaereretur, nomina abolevit, conditione propoſita, ut ſi quem quis repetere vellet, par periculum poenae ſubiret* [17].

Auguſtum TIBERIUS excepit, adoptatus ab eo, *ut tali ſucceſſore* (ſic quibusdam videbatur) *deſiderabilior ipſe quandoque fieret* [18]. Quum autem hic probe intelligeret, quam gratiam ſui memoriam deceſſor reliquiſſet, *omnia facta dictaque ejus vice legis obſervaturum* Patribus pollicitus eſt [19]: ac revera egregius ſimulator aliquandiu Auguſti ſimiam egit [20]. nam callida cunctatione Senatus ſuſpendens, itidem quaſi coactus imperium ſuſcepit; nec aliter quam ut depoſiturum ſe aliquando ſpem faceret [21]. Itaque civilem admodum & paulo minus quam privatum ſe gerebat [22]; adeo ut prope humanitatis modum excederet [23]. quin ipſum Auguſtum modeſtia vincere affectavit. nam quum ei maledicerent homines, aut contra ipſum aliquid impie intentarent, minime curabat, nec quemquam ea de cauſa accuſari patiebatur, Auguſtum nihilo minus propterea collaudans [24]. Senatum quoque de convitiis & famoſis de ſe carminibus cognoſcere vetuit, ne ſub laeſae venerationis praetextu *omnium*, inquit, *inimicitiae ad vos* (Senatores innuens) *deferrentur* [25].

Aſt interempto poſt Agrippam Germanico paulatim Principem exſeruit, lentumque & crudele ingenium in apertum dedit. Neque tamen eo minus in actionibus dictisque omnia contraria ſimulabat, exiſtimans *Principis animum nemini cognitum eſſe oportere*. immo vero multos non aliam ob cauſam interfici juſſit, quam quod diceret, *ab iis voluntatem ſuam animadverſam & perſpectam eſſe* [26]. Sed tandem Tiberius foediſſimis criminationibus exarſit [27]. Omne crimen tunc pro capitali receptum, etiam paucorum ſimpliciumque verborum: nec cuiquam Delatorum fides abrogata. quin & ſervis poteſtatem dedit, *ut liceret dominos accuſare quibuslibet criminibus* [28]. Praemia autem Delatoribus praecipua decernebantur, nonnunquam & teſtibus. Porro vetuit Conſulibus, ne quenquam in judicio defenderent; *Nam ego*, inquit, *ſi Conſul eſſem, id non facerem* [29]: objectumque illi quod in ſummo rerum motu libellis Accuſatorum inſumeret operam [30]; & *ceſſurum ſe ab urbe ob factiones Accuſatorum* in Senatu clamitabat Calpurnius Piſo [31]. Itaque nullus a poena hominum ceſſabat

1 Suetonius in *ejus vita c.* 75. 2 Idem *ibid. c.* 30. 3 *Ibid. c.* 74. 4 Suetonius in *Julio c.* 20. 5 Cicero *Catilinaria* IV. *c.* 5. 6 Dion Caſſius *Lib.* LIV. 7 Dion *Lib.* XLIII. 8 Idem *Lib.* XLVII. 9 Sueton. in *Auguſto c.* 27. ubi vide Caſaubonum *in notis.*

10 Dion Caſſius *Lib.* XLVII. 11 Suetonius in *ejus vita c.* 50. 12 Dion *Lib* LV. 13 Suetonius in *Octavio c.* 54. 14 Idem in *eod dicto c.* 50. 15 *Ibid c.* 32. (a) Ut infra docebimus. Videantur interea *LL.* 2, 3, 6. & 14. *Cod. Theod. De indulgent. debitor.* 16 Oroſius *Lib.* VII. *c.* 15. 17 Sueton. in *Auguſto d. c.* 32. 18 Idem in *Tiber. c.* 21. Tacit. *Lib.* I. *Annal. c.* 10. *ad fin.* 19 Tacit. *Annal. Lib.* IV. *c.* 37. 20 Dion Caſſius *Lib.* LVII. 21 Sueton. in *ejus vita c.* 24. 22 Idem *ibid c.* 26. 23 *Ibid c.* 29. 24 Dion apud *Xiphilin. in Tiberio.* 25 Sueton. in *eod c.* 28. 26 Dion Caſſius *Lib.* LVII. *initio.* 27 Tacit. *Annal Lib.* VI. *c.* 25. Dion *Lib.* LVIII. 28 Vetus Scholiaſtes Juvenalis, laudatus a Grotio in *Flor. ſparſ. ad tit. w. De accuſationib. & inſcript.* 29 Dion. apud *Xiphilin. in Tiber.* 30 Tacit. *Lib.* III. *Annal. c.* 44. 31 Idem *Lib.* IV. *c.* 28.

bat dies, ne religioſus quidem aut ſacer. Praeterea nemo punitorum non & in Gemonias abjectus uncoque tractus eſt: & viginti uno die abjecti tractique [1]. *Sub Tiberio Caeſare*, ait Seneca, *fuit accuſandi frequens & paene publica rabies, quae omni civili bello gravius togatam civitatem confecit. Excipiebatur ſermo, ſimplicitas jocantium. nihil erat tutum. omnis ſaeviendi placebat occaſio. nec jam reorum exſpectabatur eventus cum eſſet unus* [2]. In ſumma, nullus Imperatorum plures ac magis illuſtres viros ſuſtulit, tum quod natura ſuſpicax eſſet, tum quod diu viveret, imprimis autem quod probe abeſſet a libera republica, quando adhuc tot nobiles familiae ampliſſimam ſaeviendi materiam praebebant.

Poſt Tiberium ejus nepos CALIGULA ad imperium pervenit, ſummo atque exitiabili propemodum Romani nominis infortunio. Indolem ſaevam ac probroſam ne privatus quidem puerve inhibere potuerat, dum *animadverſionibus poenisque ad ſupplicium datorum cupidiſſime intereſſet* [3]. Interea tamen initio regiminis & ipſe omni genere popularitatis ſtudia hominum incendebat [4]. Nimirum ſimulare ſub avo jam didicerat [5], tentatus omnibus inſidiis elicientium ſe cogentiumque ad querelas ſuper nece matris ac fratrum ſuorum [6]. Inter cetera autem damnatos relegatoſque reſtituit, & criminum, ſi qua reſidua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit. Libellum de ſalute ſua oblatum non recepit, negavitque *ſe Delatoribus aures habere*: & pari popularitate multa egit. Sed quae deinceps, confirmato ſtabilitoque imperio, molitus eſt, belluae aut monſtri magis quam Principis aut hominis eſſe videntur. Druſilla ſorore defuncta, quacum inceſtos concubitus habuerat, etiam tunc cum Longino nupta erat, juſtitium indixit, in quo *riſiſſe, laviſſe, coenaſſe cum parentibus aut conjuge liberiſve capital fuit*: nec unquam poſtea niſi *per numen Druſillae* dejeravit [7]. Omnes autem in culpam incurrebant, ſive moeſti reperiebantur ſive laeti. nam & lugere eam, *ὡς θεὸν*, quum eſſet Dea, & non lugere, *ὡς ἄνθρωπον*, quum homo fuiſſet, utrumque crimini dabatur, inquit Dion. [8]. Quid tum evenerit, addit, ex hoc uno colligi poteſt, quod quidam ob aquam calidam venditam *ἀσεβείας*, hoc eſt, *majeſtatis* reus factus & a Cajo trucidatus fuerit [9]. Quod ad reliquas ſorores, tam indigne eas habuit, ut ſaepe exoletis ſuis proſterneret: tantoque facilius illas in cauſa AEmilii Lepidi condemnavit *quaſi adulteras & inſidiarum adverſus ſe conſcias* [10]. Leve ac frigidum ſit his addere, quo propinquos amicoſque pacto tractaverit. Saepe in cunctos pariter Senatores *ut Sejani clientes, aut matris ac fratrum ſuorum Delatores* invectus eſt, prolatis libellis, quos initio principatus crematos ſimulaverat [11], defenſaque Tiberii ſaevitia, tanquam neceſſaria, *quum tot criminantibus credendum eſſet* [12]. Exhauſtus & egens ad rapinas convertit animum, vario & exquiſitiſſimo Calumniarum & auctionum & vectigalium genere [13]. Quam plurimos igitur, variis criminibus inſimulatos, unice propter facultates e medio ſuſtulit [14]: adeo ut ſuper quadraginta reos quondam ex diverſis criminibus una ſententia condemnarit [15]. fuitque eo tempore publicum crimen, *divitem eſſe* [16]. Scripſit etiam Procuratoribus, *triumphum appararent quam minima ſumma, ſed quantus nunquam alias fuiſſet, quando in omnium hominum bona jus haberent* [17]. Tandem

1 Sueton. in *Tiberio c*. 61. 2 Seneca *Lib*. III. *De benefic. c*. 26, & 27. Adde Sueton. in *ejus vita c*. 58 & Tacit. *Lib*. I. *Annal c*. 72, 73, 74. 3 Sueton. in *Calig. c*. 11. 4 Idem in *eod. c*. 15. 5 Tacit. *Annal. Lib*. VI. *c*. 45. *ad extrem*. 6 Sueton. in *Calig. c*. 10. 7 *Ibid. c*. 24. 8 Dion Caſſius *Lib*. LIX. 9 Idem *Lib*. LVII. 10 Sueton. in *Calig. d. c* 24. 11 *Ibid. c*. 15. 12 *Ibid. c*. 30. 13 *Ibid. c*. 38. 14 Dion Caſſius *Lib*. LIX. 15 Sueton. *d. c*. 38. 16 Dion *d. Lib*. LIX. 17 Sueton. in *Calig. c*. 47.

eo veſaniae proceſſit, ut ne accuſationis quidem aut judicii ullius praetextu promiſcue in quosvis debacchari inciperet, & vel epulam per ludum & jocum quaeſtiones & ſupplicia exerceret [18]. Sed quum Senatorum Equitumque ſanguine ſatiari amplius nequiret, in ipſam plebem (quod nemo ante ſuſtinuit) ſaevire non dubitavit. Quare infenſus turbae, faventi adverſus ſtudium ſuum, exclamavit, *Utinam populus Romanus unam cervicem haberet* [19]. Sed ad extremum oſtenderant Caſſius Chaerea & Cornelius Sabinus, *populo complures manus ei unam cervicem eſſe*. hi enim caede immaniſſimi & nefandae atrocitatis tyranni imminentem plurium internecionem anteverterunt [20].

Poſt necem Caligulae Senatus in *aſſerenda libertate* ſummopere conſenſit; quidam vero etiam ſententiae loco *abolendam Caeſarum memoriam ac diruenda templa* cenſuerunt. Sed neque conjurati, cuiquam imperium deſtinaverunt: adeo tunc omnes abhorrebant Principatum [21]. At dum in Curia deliberant, perit libertas. Nam interea milites CLAUDIUM in obſcuro aulae latitantem extrahunt, eundemque mox Imperatorem ſalutant, nequicquam renitente Senatu [22]. Rectiſſime autem in eo Claudius, quod id biduum, quo de *mutando reipublicae ſtatu* deliberatum fuit, memoriae eximeret, inducta dictorum factorumque *ἀμνηστία*. De cetero revera ſtupidus erat amentique ſimilis. quae res ipſi ſub Caligula ſaluti fuerat, dum inter aulae ludibria habebatur [24]; ceteroquin enim proculdubio veſanus ille ac protervus juvenis hunc patruum ſuum aeque ac fratrem & ſocerum interemiſſet [25]. Principatum autem Claudius magna ex parte *non tam ſuo quam uxorum libertorumque arbitrio* adminiſtravit, talis ubique vulgo, qualem eſſe eum aut expediret illis aut liberet [26]. Libidinis in feminas profuſiſſimae [27] cum eſſet, plurimum illecebris ſuis apud eum Agrippina pollebat, quae temeritate atque intemperantia omnes ſuae aetatis feminas ſuperavit [28]. Praeterea quum eſſet inſulſus & a puero languens ac timidus [29], nulla adeo ſuſpicio, nullus auctor tam levis, a quo non ad cavendum ulciſcendumque impelleretur, vel mediocri ſcrupulo injecto [30]. itaque Agrippina & liberti; ſi quem ſublatum cuperent, perterrefacere Claudium ſolebant [31]. Hac ratione multas & temerarias caedes fecit, quarum mox eum poenituit. nam ut erat inconſtans ſimul & obliviosus, miraque animi varietate, multos ex iis, quos capite damnaverat, poſtero die in convivium & aleae luſum admonuit [32]. Nonnunquam & in juredicundo obdormiſcebat, vixque ab advocatis, vocem augentibus, excitabatur [33]. Accedebat ad inconſiderantiam ejus, quod natura ſaevus & ſanguinarius eſſet; in tantum ut inter alia ſub prandii tempus libenter ſpectaret eos, qui in medio theatro dilaniabantur [34]. Itaque memoratis auctoribus haud difficulter adduci potuit, ut Appium Silanum conſocerum ſuum, Juliasque, alteram Druſi, alteram Germanici filiam, crimine incerto, nec defenſione ulla data occideret; ut & Cn. Pompejum, majoris filiae virum, & Lucium Silanum, minoris ſponſum. Denique in triginta quinque Senatores, trecentoſque amplius Equites Romanos tanta facilitate animadvertit, ut de nece Conſularis viri renunciante centurione, *Factum eſſe quod imperaſſet*, nega-

18 Sueton. in *Calig. c*. 32. 19 *Ibid. c*. 30. adde Dionem. 20 Dion *Lib*. LIX. *ad fin*. 21 Sueton. in *Calig. c. ult*. 22 Idem in *Claud. c*. 10. & Dion apud *Xiphil in eod. initio*. 23 Sueton. *ibid. c*. 11. 24 Idem in *Nerone c*. 6. 25 Idem in *Calig. c*. 29. 26 *Ibid. c*. 25. *in extremo*. Dion apud *Xiphil*. 27 *Ibid. c* 33. & Dion in *Claudio*. 28 Sueton. in *Calig. c* 29. & in *Claud. c*. 38. 29 Dion apud *Xiphilin in Claud. initio*. 30 Sueton. in *Claud. c*. 37. 31 Dion apud *Xiphilin. in eod*. Aurel. Victor *de Caeſare*. 4. 32 Sueton. in *Claud. c* 39. 33 *Ibid. c*. 33. 34 Dion apud *Xiphilin. in Claud. initio*.

garet quicquam ne imperaſſe, ac nihilo minus rem comprobaret [1]. Sed Claudium ipſa Agrippina ſuſtulit, quam, praeter metum ne filio ſuo privignus praeferretur, conſcientia quoque, nec minus Delatores, multorum criminum arguebant [2]. Mors ejus aliquandiu celata eſt, donec nimirum circa ſucceſſorem omnia ordinarentur. nam ut erat acris & induſtria in rebus agendis femina, noluit Senatus arbitrium exſpectare [3].

Hac igitur ratione NERO tandem Imperator conſalutatus, perinde ac olim Tiberius, *ex Auguſti praeſcripto imperaturum ſe* profeſſus eſt; neque liberalitatis, neque clementiae, ne comitatis quidem exhibendae, ullam occaſionem praetermiſit. Graviora vectigalia aut abolevit aut minuit. Praemia Delatorum Papiae Legis ad quartas redegit. Reum, ſervo accuſante, non recepit [4]. Et cum de ſupplicio cujuſdam capitis damnati, ut ex more ſubſcriberet admoneretur, *Quam vellem*, inquit, *neſcire litteras* [5]. Verum quis ignorat decantatum Neronis quinquennium [6]? quandiu enim matris & Burri reverentia, praeceptisque Senecae continebatur, laudabilem ſeſe, aut ſaltem ſatis ferendum Principem praeſtabat [7]. At vero paulatim invaleſcentibus vitiis jocularia & latebras omiſit, nullaque diſſimulandi cura in petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem palam erupit [8]. Divitiarum & pecuniae fructum non alium putabat quam profuſionem [9]. Itaque non ſolum exegit nova vectigalia, ſed etiam inhiavit locupletum facultatibus, quas per injuriam abſtulit a multis, eorumque nonnullos occidit [10]. Nemini delegavit officium ut non adjiceret; *Hoc agamus ne quis quicquam habeat* [11]. Inſtituit quoque inter cetera, Ut Lege Majeſtatis facta dictaque omnia, quibus modo Delator non deeſſet, tenerentur [12]. Senecam praeceptorem ad necem compulit; Burroque praefecto remedium ad fauces pollicitus, toxicum miſit [13]. Parricidio matris amitae caedem addidit, & uxorem Octaviam, repudiatam relegatamque, occidit quoque tandem ſub crimine adulteriorum adeo impudenti ac falſo, ut in quaeſtione pernegantibus cunctis, Anicetum, paedagogum ſuum Indicem ſubjiceret, qui dolo ſtupratam a ſe fateretur. Nullum adeo neceſſitudinis genus eſt quod non ſcelere, nedum Calumnia, perculerit [14]. Sed neque delectus poſthac adhibitus aut modus interimendi quoſcunque libuiſſet quacunque de cauſa [15]. Mori juſſis non amplius quam horarium ſpatium tribuebat [16]. „Accuſationes autem quot quantasque ex theatris „oriri cenſes, ait apud Philoſtratum Apollonius „Tyaneus, cum Delatores ita redarguant; Non „veniſti auditum Neronem; aut, Veniſti quidem, „ſed negligenter & non attente audiebas; Riſiſti „plane, non plauſiſti; Non pro ipſius voce ſacri„ficaſti ut clarior ad Pythium veniret: &, ut „ſummatim dicam, multae tibi videbuntur illic „ſpectatorum Iliades circa Graecos eſſe [17].

Elatus inflatuſque tantis velut ſucceſſibus Nero negavit, *quenquam Principem ſciſſe quid ſibi liceret* [18]. Quandoque igitur univerſo Senatui interitum minatus eſt: & nec populo aut moenibus patriae pepercit [19]. ſemper enim optaverat Urbem atque imperium vivus funditus perdere, Priamum valde beatum praedicans, *quod patriam ſimul cum regno perditam vidiſſet* [20]. Sed „ Quid anxia ſuſpiria & lacry„mas memorem tot nobilium, quorum ille patres „interemit, tot uxorum, quarum maritos, tot „inſignium virorum, quos in exilium ejecit, fa„tis in crudeliſſimum Principem vindictam feſti„nantibus? Principem? immo incendiarium, „cantorem, citharoedum, hiſtrionem, quadriga„rium, praeconem, immo ne virum quidem, qui „viro & cui vir denupſit. verba ſunt Savilii [21]. Ad extremum igitur deficientibus provinciis, cum inſuper a Senatu hoſtis judicaretur, ignominioſum & condignum vitae ſuae exitum invenit, ut notum eſt.

Quod ſi nunc res judicio Senatus ſtetiſſent, dubio procul damnata Imperatorum memoria priſtinum reipublicae ſtatum reduxiſſet, aut ſaltem novam formam regiminis excogitaviſſet. Sed imperium jam prorſus in manu & poteſtate militum erat. Et tamen, quatenus ad Delatorum coërcitionem attinet, poſtea Curtius Montanus ſenator, imperante Veſpaſiano, ad haec tempora provocavit. nam cum Aquilium Regulum, peſſimum pernicioſiſſimumque crudelitatis Neronis & Domitiani inſtrumentum accuſaret, *Elanguimus*, inquit, *Patres Conſcripti, nec jam ille Senatus ſumus, qui, occiſo Nerone, Delatores & miniſtros more majorum puniendos flagitabat. Optimus eſt poſt malum Principem dies primus* [22]. Sed vel ſub finem vitae Neronis plerique omnem ulterius collationem palam recuſarunt, conſenſu flagitantes, *a Delatoribus potius revocanda praemia quaecunque cepiſſent* [23]. Verum, ut ad imperii ſucceſſionem revertamur, unus quiſque exercitus Imperatorem creabat, Hiſpanienſis Galbam, Praetoriani Othonem, Germanicus Vitellium, & Moeſiacus Judaicuſque Veſpaſianum [24]: attamen tres priores, certe Otho & Vitellius, verius competitores imperii quam juſti Principes habendi ſunt; cumque vix dum confirmati trucidarentur, nihil fere certi hac in parte de ipſorum regimine adferri poteſt. Nihilo minus GALBA ſeptem illis, quibus imperitabat, menſibus Helium, Narciſſum & Patrobium, libertos Neronis, & Locuſtam venenariorum Indicem, atque alios qui ſub eo per Delationes & ſcelera ex obſcuris clari evaſerant, vinctos per totam Urbem duci, ac poſtea morte mulctari juſſit [25]. Scilicet recenti Galbae principatu cenſuerant Patres, *ut Accuſatorum cauſae noſcerentur* [26]. Verum id Senatusconſultum varie jactatum, & prout potens vel inops reus inciderat, infirmum aut validum retinebatur [27]: erant quippe omnia venalia. Quanquam autem Galba multa documenta daret egregii Principis, tamen inviſum ſe reddebat, quod trium hominum arbitrio regebatur, qui diverſo vitiorum genere laborabant. His adeo abutendum ſe tradidit, ut vix ipſe ſibi conſtaret, modo acerbior parciorque, modo remiſſior ac negligentior. Quoſdam claros ex utroque ordine viros ſuſpicione minima inauditos condemnavit. Praeterea nihil non per eoſdem aut pretio addici aut donari gratia paſſus eſt, vectigalia, immunitates, *poenas innocentium, impunitates noxiorum* [28].

OTHO paucos imperii menſes ficto ſimulatoque obſequio Senatus, elementiaeque & modeſtiae oſtentandae inſumpſit, ita tamen, ut, quemadmodum Dion exiſtimat, obſcurum non eſſet, eum multo etiam petulantius atque acerbius, quam Neronem, regnaturum fuiſſe [29]. Verum, quicquid ejus rei ſit, imperium, quod ſcelere quaeſiverat, ſumma virtute depoſuit [30].

VITEL-

1 Sueton. in *Claud.* c. 29. 2 *Ibid.* c. 44. 3 Dion apud *Xiphilin. loc. laud.* 4 Tacit. *Annal. Lib.* XIII. c. 10. 5 Sueton. in *Nerone* c. 10. 6 Aurelius Victor in *Caeſarib.* c 5. 7 Tacit. *dicto Lib.* XIII. c. 2. 8 Sueton. in *Nerone* c. 26. & 27. 9 Idem in *eod.* c. 30. 10 Dion apud *Xiphilin. in vita Neronis.* 11 Sueton. in *Nerone* c. 32. 12 *Ibid.* 13 Idem in *eod.* c. 35. 14 *Ibid.* 15 Idem in *eod.* c. 37. 16 *Ibid.* 17 Philoſtratus in *vita Apollonii Tyan. Lib.* V. c. 2. 18 Sueton. in *Nerone d.* c. 37. 19 Idem in *eod.* c. 38. & 43. 20 Dion apud *Xiphilin. in Nerone.*

21 Henr. Savilius in *continuatione Taciti de morte Neronis.* 22 Tacit. *Lib.* IV. *Hiſtor.* c. 42. *in fin.* 23 Sueton in *Nerone* c. 44. *ad fin.* 24 Idem in *Veſpaſiano* c. 16. 25 Dion apud *Xiphilin. in Galba.* 26 Tacit. *Hiſtoriar. Lib.* II. c. 10. 27 Idem *eodem loci.* 28 Sueton. in *Galba.* c. 14 & 15. 29 Dion apud *Xiphilin. in Othone.* 30 Dion *ibid.* Sueton. in *Othone*, c. 9. 10. & 11.

VITELLIUS, adhuc privatus, ſacrilegii & parricidii inſimulatus fuit [1]. Cum undique obaeratus eſſet, creditorum quoſdam, & in his Sinueſſanos Formianoſque, quorum publica vectigalia interverterat, terrore Calumniae amovit [2]. Galba imperium adepto, ut militibus ſe commendaret, nihil cuiquam negavit, atque etiam ultro ignominioſis notas, reis ſordes, damnatis ſupplicia dempſit [3]. At vero poſt Galbae caedem, ejus vindictam prae ſe tulit [4]. Cetera deinceps ex natura ſua & priore vita geſſit, magna vanitate & inſolentia, omnique divino & humano jure neglecto [5]. Ne cui autem dubium foret, quodnam exemplar regendi eligeret, publice campo Martio inferias Neroni dedit, & citharoedo, Neroniana cantica inchoanti, applauſit [6]. Luxuriae profecto ſaevitiaeque deditus ad cujuſque, & quacunque de cauſa, necem atque ſupplicium pronus exſtitit, etiam condiſcipulorum & aequalium ſuorum, quos omnibus blanditiis tantum non ad ſocietatem imperii allicefactos, vario genere fraudis occidit. Rei mathematicae ut quisque deferretur, inauditum capite plectebat. Sed nec a plebe propter ſtudium Venetae factionis abſtinuit. Suſpectus praeterea fuit de morte matris ſuae [7]. Tot ſcelera nondum toto vertente anno perpetravit Vitellius.

Verum paulo laetior omnibus bonis illuxit dies, cum VESPASIANUS incertum diu & vagum imperium ſuſciperet firmaretque. nihil enim antiquius habuit quam afflictam prope nutantemque rempublicam ſtabilire primo, dein & ornare [8] Ampliſſimos ordines, & exhauſtos caede varia & contaminatos veteri negligentia, purgavit ac ſupplevit [9]. Statim ab initio principatus uſque ad exitum civilis & clemens fuit [10], offenſarumque & inimicitiarum minime memor exſecutorve [11]: immo tam placidae bonitatis, ut majeſtatis etiam contra ſe reos non facile puniret ultra exilii poenam [12]. Amicorum libertatem, cauſidicorum figuras, ac philoſophorum contumaciam leniſſime tulit [13]. Nec temere quis punitus inſons reperitur, niſi abſente eo & ignaro aut certe invito, atque decepto: neque caede cujusquam laetatus, juſtis ſuppliciis illacrymavit etiam & ingemuit [14]. Rectiſſime autem in eo egit, quod Publ. Celerem, perfidum olim Sorani accuſatorem, damnavit. Signo ultionis in Accuſatores dato petiit a Caeſare Julius Mauricus, *ut commentariorum principalium poteſtatem Senatui faceret, per quos neſceret, quem quiſque accuſandum popoſciſſet*. Ea velut cenſura in Sariolenum Voculam & Nonium Actianum & Ceſtium Severum acerrime incubuit Senatus, crebris apud Neronem delationibus famoſos [15]. Sola eſt, in qua merito culpetur, pecuniae aviditas. quare ne candidatis quidem honores, reisve tam innoxiis quam nocentibus abſolutiones venditare cunctatus eſt: quin nec Delationes ſovere dubitavit, locupletiſſimo quoque in praedam correpto [16]. Sed tamen male partis optime uſus eſt, moriensque egregio ſucceſſori imperium reliquit.

Is erat TITUS VESPASIANUS, amor ac deliciae generis humani. Natura autem benevolentiſſimus [16], nulli civium quicquam ademit, abſtinuitque ab alieno ut ſi quis unquam ac ne conceſſas quidem & ſolitas collationes recepit [16]. De crimine majeſtatis nunquam cognovit, nec permiſit aliis ut cognoſcerent [19]; quamvis interdum ulciſcendi cauſa non deeſſet, *periturum ſe potius quam perditurum* adjurans [20]. Inter adverſa tempeſtatis & Delatores Mandatoresque erant ex licentia veteri. Hos aſſidue in foro flagellis ac fuſtibus caeſos ac noviſſime traductos per amphitheatri arenam partim ſubjici ac vaenire imperavit, partim in aſperrimas inſularum avehi. Utque etiam ſimiles quandoque auſuros perpetuo coerceret, vetuit inter cetera, de eadem re pluribus legibus agi, quaerive de cujusquam defunctorum ſtatu ultra certos annos [21]. Inter haec morte praeventus dubiam prudentioribus famam reliquit. nam privatus, atque etiam ſub patre Principe, non odio, nedum vituperatione publica, caruit [22], dum & caedes faceret, amoribusque & luxuriae inſerviret [23]. denique propalam alium Neronem & opinabantur & praedicabant [24]. Quamobrem cum plerique in hac re ita cum Auguſto comperant, ut negent, & illum ſi celerius obiiſſet, & hunc ſi vixiſſet diutius, caros unquam fuiſſe futuros [23]. Poſtremo, etiam teterrimi fratris comparatione incredibilem amorem & gloriam apud poſteros invenit.

Videlicet praecedentis temporis felicitatem deſideratiſſimam fecit DOMITIANI tyrannis. Erat autem ſuper ingenii naturam metu ſaevus, profuſione inops, & inopia rapax; neque tamen eo minus vafer & fraudulentus [24]. etſi enim jam Caeſar, qualis futurus eſſet, oſtendiſſet [27], tamen inter Principatus initia modeſtiam mire ſimulavit & clementiam [26]. Jus quoque diligenter & induſtrie dixit [29], Magiſtratibus urbicis provinciarumque praeſidibus coercendis tantum curae adhibuit, ut neque modeſtiores unquam neque juſtiores exſtiterint, e quibus tamen plerosque poſt illum reos omnium criminum vidit Suetonius [30]. Adeo porro, dum pater viveret, ab omni caede abhorrebat, ut edicere deſtinarit, *ne boves immolarentur*. Ex vel Princeps factus non abſtinentiae modo ſed etiam liberalitatis multa experimenta dedit. Relictas ſibi hereditates ab iis, quibus liberi erant, non recepit. Reos qui ante quinquennium proximum apud aerarium pependiſſent, univerſos diſcrimine liberavit, nec repeti, niſi intra annum, eaque conditione permiſit, ut Accuſatori qui cauſam non teneret, exilium poena eſſet. Fiſcales Calumnias magna Calumniantium poena repreſſit: ferebaturque vox ejus, *Princeps qui Delatores non caſtigat, irritat* [31]. Atque ea quidem hactenus aemulatione famae & exiſtimationis fraternae, verum, quod ſequitur, ad invidiam illius & contumeliam fecit. Etſi enim Earinum eunuchum amaret, tamen quia Titus exſectos quoque dilexerat, edixit *ne quis in poſterum intra fines Romani imperii caſtraretur* [32]. Sed deinceps, ut alter Nero, cui ut plurimum ſuppar fuit, in omnia probra & ſcelera pronus ruit. Complures etenim ſenatores, & in his aliquot conſulares, interemit: quoſdam quaſi molitores novarum rerum, ceteros leviſſima quemque de cauſa [33]: rurſum alios reos factos in Senatu, alios abſentes Accuſatos, nonnullos quoque ex inſidiis clanculum veneno ſuſtulit [34]. Quin ipſo Nerone in quibuſdam deterior extitit. Nero enim ſubtraxit oculos, juſſitque ſcelera, non ſpectavit. Praecipua ſub Domitiano miſeriarum pars erat, videre & aſpici, *cum ſuſpiria ſubſcriberentur, cum denotandis tot hominum palloribus ſufficeret ſaevus ille vultus & rubor, a quo ſe contra pudorem*

1 Sueton. in *Vitellii vita c.* 5. & 6. 2 Idem in *Vitellio c.* 7. 3 *Ibid. c.* 8. 4 *Ibid. c.* 9. 5 *Ibid. c.* 10. & 11. Dion apud *Xiphilin. in Vitell.* 6 Sueton. in *Vitell. d. c.* 11. 7 Idem *Ibid c.* 14. 8 Idem in *Veſpaſ. c* 8. 9 *Ibid. c.* 9. 10 *Ibid. c.* 12. 11 *Ibid. c.* 14. 12 Eutropius *Lib.* 11. *c.* 19. 13 Sueton. in *Veſpaſ. c.* 13. 14 Idem in *Veſpaſ c.* 15. 15 Tacit. *Hiſtoriar. Lib.* IV. *c.* 40. & 41. 16 Idem *ibid. Lib.* 11. *c.* 84. 17 Sueton. in *Tito c.* 8. 18 Idem in *Tito c.* 7. 19 Dion apud *Xiphilin. in Tito.*

20 Sueton. In *Tito c.* 9. 21 *Ibid. d. c.* 8. 22 *Ibid. c.* 1. 23 Dion. apud *Xiphilin.* & Sueton. *ut* & Aurel. Victor in *Tito.* 24 Sueton. in *eod. c.* 7. 25 Dion. apud *Xiphil in Tito, initio.* 26 Sueton. In *Domit. c.* 3. *ad fin.* Dion. apud *Xiphilin in eod.* 27 Sueton. in *Domit. c.* 2. 28 Aurelius Victor *De Caeſarib. c.* 11. 29 Sueton. in *Domitiano c.* 8. 30 *Ibid* 31 Idem in *Domitiano c.* 9. 32 Dion. apud *Xiphilin. in Domit. prope initium.* Sueton. in *eod. c.* 7. 33 Sueton. in *Domit. c.* 10. 34 Dion. apud *Xiphilin. in Domit.*

dorem muniebat [1]. Quin & ſervos ſubornabat in capita dominorum, monſtrabatque crimina, quae tanquam delata puniret [2]. Porro ut magnae ita & callidae inopinataeque ſaevitiae fuit [3], nam poſt belli civilis victoriam aliquanto ſaevior factus, pleroſque partis adverſae, dum etiam latentes conſcios inveſtigat, novo quaeſtionis genere diſtorſit, immiſſo per obſcoena igne: quibusdam & manus amputavit [4]. Neque tamen omnem penitus ſimulationem depoſuerat, dum nunquam triſtiorem ſententiam ſine praefatione clementiae pronunciavit [5]. Exhauſtus operum ac munerum impenſis, ſtipendioque quod adjecerat, nihil penſi habuit quin praedaretur omni modo. Bona vivorum & mortuorum uſquequaque quolibet & accuſatore & crimine corripiebantur: ſatis erat objici qualecunque factum dictumve adverſus majeſtatem Principis. Confiſcabantur & alieniſſimae haereditates, & omnis generis rapinae fiebant [6]. Accedebat tandem intolerabilis arrogantia, qua ſe *Deum Dominumque* appellari praeciperet [7]. Per haec terribilis cunctis & inviſus, conſpiratione amicorum libertorumque intimorum, ſimul & uxoris, oppreſſus eſt [8]. Ceterum abſtinentia & moderatione proximorum Principum beatior laetiorque reipublicae ſtatus inſecutus fuit [9].

CAPUT VI.

Continuatio praecedentis argumenti.

POſt caedem Domitiani, exitialis tyranni, NERVA COCCEJUS Imperator deſignatus eſt; qui, in privata vita moderatus & ſtrenuus, in imperio aequiſſimum ſeſe & civiliſſimum praebuit [10]. Hic eos, qui rei facti erant impietatis, hoc eſt, majeſtatis, abſolvit, exuleſque reſtituit. Servos autem ac libertos, qui inſidias dominis patroniſve ſuis fecerant, omnes interfici juſſit, cavitque ne eis liceret crimen ullius facinoris dominis inferre. neminem quoque impietatis aut ſuperſtitionis Judaicae, hoc eſt, Chriſtianiſmi, accuſari permiſit [11]. Extat & nummis hujus Imperatoris cum hac epigraphe, FISCI IVDAICI CALVMNIA SVBLATA. Porro juravit in Senatu, nullum e ſenatoribus ſuo juſſu interfectum iri: idque jusjurandum, facta etiam conjuratione contra ſe, ratum fecit [12].

Nervae TRAJANUS ſucceſſit, natione Hiſpanus, ſed qui juſtitia, fortitudine, bonitate omnes Romanos ſuperabat. Praeter Plinium & Victorem Dion quoque magnificum & elegans teſtimonium ei perhibet, dum ait: καὶ οὔτ᾽ ἐφθόνει, οὔτε καθῄρει τινὰ &c. „ & nulli quidem invidebat perdebatque ne„minem. Bonos omnes ornabat honoribus & di„gnitatibus augebat: ex quo fiebat, ut neque time„ret quenquam, nec haberet odio. Nullam fidem „habebat Calumniatoribus: nulla ira tenebatur: „abſtinebat ab aliena pecunia non minus quam a „caedibus. „ hactenus e Dione [13]. Immo ne quidem in crimine majeſtatis permiſit, ut ſervi in dominos audirentur [14]. Omni ejus aetate unus tantum ſenator damnatus eſt, idque per Senatum ignorante Trajano [15]. Sed quae paulo ante Calumniarum facies fuerit, floride & eloquenter Plinius delineat. *Videmus*, inquit, *Delatorum agmen inductum quaſi graſſatorum, quaſi latronum. non ſolitudinem illi, non iter, ſed templum, ſed forum inſederant. Nulla jam teſtamenta ſecura, nullius ſtatus certus: non orbitas, non liberi proderant.* adeo eos Domitianus, ne irritaret, caſtigaverat ſcilicet. *Nihil tamen gratius*, addit, *nihil ſeculo dignius, quam quod contigit deſuper intueri Delatorum ſupina ora retortaſque cervices.* Praeter eos vero, qui in arena occubuerant, alii ad lenta ſupplicia gravioreſque poenas reſervati. *Congeſti quippe ſunt in navigia raptim conquiſita, ac tempeſtatibus dediti:* ita Trajanus *ultionem hominum terrarumque Diis maris commendavit.* perinde ac olim Titus fecerat. nec *in praeſens tantum, ſed in aeternum repreſſit* Delatores, *mille poenarum indagine incluſos:* ut nimirum *ſpectarent parta praemio damna, nec majores ſpes quam metus haberent. Manſit tamen honor Legum*, pergit Plinius, *nihilque ex publica utilitate convulſum, nec poena cuiquam remiſſa, ſed addita eſt ultio, ſelumque mutatum, quod jam non Delatores, ſed Leges timerentur* [16].

Trajani ſucceſſor HADRIANUS fuit, Princeps quidem admodum humanus, ſed qui tamen in odium venit propter nefarias quaſdam & indignas caedes, quas initio & ſub finem principatus fecit [17]. Quum vero quatuor conſularium occiſorum premeretur invidia, jurejurando negavit, eos ſuo juſſu occiſos [18]. Praeterea ad conciliandam gratiam, ubi primum Romam venit, quicquid proximis ſedecim annis fiſco aerariove debebatur, remiſit. Sed & damnatorum bona in fiſcum cogi vetuit, jubens ea aerario inferri [19]. Porro quum honoris & gloriae cupidiſſimus eſſet, & ingenio ad ſtudia bonarum artium haud inepto, egregios quoſdam artifices, & in his Apollodorum architectum, per livorem quaeſitis de cauſis ſuſtulit [20]. De cetero majeſtatis crimina non admiſit. Ignotorum hereditates repudiavit, nec notorum accepit ſi filios haberent [21]. Sed nec ullius bona per injuriam proſcripſit: adeoque ſuperiora vitia compenſabat quodammodo magnis virtutibus [22]. Certe de Hadriani circa Delationes recte inſtituendas cura agit etiam Junius Mauricianus in libris ad legem Juliam & Papiam [23]. Amplius conſtat eum in epiſtolis quibusdam graviter minatum fuiſſe iis, qui Chriſtianis moleſtiam exhiberent quive illos deferrent [24]. Verumenimvero quum ad extremum rurſus plurimos ob leves offenſas juberet occidi, omnibus inviſus occubuit [25].

Succeſſit ANTONINUS PIUS. Inter rationes quae referuntur, cur Pii cognomen ei tributum ſit, eſt & illa Dionis, quod initio Principatus multis reis factis, poſtulatiſque nonnullis nominatim ad ſupplicium, neminem punivit: *Non enim*, inquit, *me oportet ab his rebus Principatus exordium facere* [26]. Quin & his, quos Hadrianus damnaverat, in Senatu indulgentias petiit [27]. Praeterea Quadruplatores ſub eo Imperatore exſtincti. Publicatio quoque bonorum rarior quam unquam fuit, ita ut unus tantum proſcriberetur affectatae tyrannidis reus, a quo conſcios requiri vetuit. dicebat enim, *neceſſe non eſſe ſceleris in ſemetipſum cupidos pertinacius indagari, ne, ſi plures reperirentur, quantis odio eſſet, intelligeretur* [28]. In ſumma, fuit revera *pius*, clemens, integer & alieni abſtinens [29]. Pro„fecto nec ceteris ſubditis gravis, inquit Xiphili„nus, nec Chriſtianis infenſus fuit, quos vehemen„ter obſervavit & coluit.

Mortuo Pio Romanum imperium duos Augu- ſtos

1 Tacit. *in vita Agricolae*, *c.* 45. 2 Plin. in *Panegyr. Trajani c.* 42. 3 Sueton. in *Domit. c.* 11. 4 Idem *ibid. c.* 10. 5 Idem *d. c.* 11. 6 Sueton in *Veſpaſiano c.* 12. 7 Idem in *eod. c.* 13. 8 Idem *ibid. c.* 14. 9 *Ibid. verbis finalibus.* 10 Eutrop. *Lib.* VIII. *initio.* 11 Dio apud *Xiphilin. in Nerva.* 12 Idem *ibid.* 13 Idem apud *Xiphilin. in Trajano, in princip.* 14 Plin. in *Panegyr. c.* 42. 15 Eutrop. *Lib.* VIII. *c.* 4.

16 Plin. in *Panegyr. c.* 34, 35. & 36. 17 Dio apud *Xiphilin. in vita Hadriani in princ. & fine.* 18 Dion *ibid. in princ.* Spartianus in *eod. c.* 5. & 6. 19 Spartianus in *Hadriano c.* 7. Dion *ibid.* 20 Dion apud *Xiphilin. in Adriano.* 21 Spartian. in *eod. c.* 18 22 Dion *loc. laud.* 23 *L.* 15 §. 2, 3, 4. *ff. De jure fiſci.* 24 Xiphilin. in *Antonino Pio.* & Euſebius *in Chronico.* 25 Spartian. in *Adriano*, *c.* 25. 26 Xiphilin. in *Anton. Pio*, *initio.* 27 Capitolin. in *eod. c.* 6. 28 Idem *ibid. c.* 7. Aurelius Victor in *Epitome c.* 30 29 Xiphilin. in *Anton. Pio.* Capitolin. in *eod. c.* 2. & *ult.*

ſtos habere coepit, M. ANTONINUM PHILOSOPHUM & fratrem ejus LUCIUM VERUM. Quod ad Verum, neque bonis Principibus neque malis accenſetur; in eo tamen bonis propior, quod ſe totum Marci arbitrio committeret [1]. Ceteroquin autem voluptuarius, erat, & omnibus deliciis ludiſque deditus, maxime poſtquam e Syria erat reverſus. Habuit nihilo minus & tunc eam Marci reverentiam, ut nomina, quae ſibi Delata erant, cum illo communicaret; etſi ad extremum multa ſine fratre diſponeret [2].

At vero Marcus ſapiens, mitis, bonus, & a caedibus alienus fuit, homo egregiis imperandi & doctrinae dotibus inſtructus, & virtutum omnium coeleſtiſque ingenii, omnium denique, qui unquam Principatum obtinuerunt, optimus, poſt quem nec adulatio talem videtur potuiſſe confingere [3]. Mos ipſi ut crimina minore ſupplicio, quam legibus plecti ſolent, puniret: quamvis nonnunquam contra manifeſtos & gravium criminum reos inexorabilis permaneret. Capitales cauſas hominum honeſtiorum ipſe cognovit, & quidem ſumma aequitate, ita ut Praetorem reprehenderet, qui cito reorum cauſas audierat [4]. Cavit & ſumptibus publicis, & Calumniis Quadruplatorum interceſſit, appoſita falſis Delatoribus nota. Delationes, quibus fiſcus augeretur, contempſit [5]. quin & fiſcalium negotiorum calumnioſa monumenta incendit [6]. Sane in Capitolio juravit, nullum Senatorem ſe ſciente occiſum, quum etiam rebelles dixerit ſe ſervaturum fuiſſe, ſi ſciſſet, Caſſii videlicet necem reſpiciens. Scripſit inſuper ad Senatum, ne quis eorum, qui opem Caſſio tuliſſent, morte afficeretur, aut in conſcios inquireretur [7]. Sed nec bono proſcriptorum fiſco inferri voluit, verum aerario publico [8]. Chriſtianos adeo non perſequebatur, ut propterea delatos abſolvi juberet, etiamſi conſtaret, revera Chriſtianos eſſe; Delatores vero ipſos poenas luere imperaret [9]. Atque adeo in ſumma vitae ſanctitate & amore omnium regnavit [10].

Aſt vero COMMODUS, Marci Antonini filius & ſucceſſor, his moribus fuit, quibus nullus laniſta, nullus ſcenicus, nullus harenarius, nullus poſtremo ex omnium dedecorum colluvie concretus; jamque a pueritia adeo patri diſpar, ut multi ſpurium dicerent [11]. Imperator autem cum eſſet, exquiſitis quibuslibet deliciis nefandiſque libidinibus immerſus, curam rerum praefectis ſuis committebat, hominibus itidem nequiſſimis & flagitioſiſſimis [12]: quanquam nec hos diu ferret [13]. Sed & ad provincias mittebat qui vel criminum ſocii erant, vel a criminoſis commendati [14]. Multi iſtic ob divitias inſimulati ſpoliatique ſunt, vel etiam interempti. his autem, quibus deerat ficti criminis appoſitio, objiciebatur, quod Commodum heredem ſcribere noluiſſent [15]. Interea dum ipſe in palatio per convivia & balneas bacchabatur, nunquam fere ſine caede in publicum prodibat, & in jocis quoque pernicioſus ac ſaevus reperiebatur [16]. Poſteros Avidii Caſſii, qui ſub patre illius ſecuri & honoribus ornati vixerant, omnes vivos incendi juſſit, quaſi in factione deprehenſos [17]. Occidit praeterea quamplurimos conſulares & patrios, quibus & alios quatuordecim addere deſtinaverat, quum vires Romani imperii ſumptus ejus ſuſtinere amplius non poſſent [18]. Finxiſſe etiam interdum conjurationem contra ſe dicitur, ut multos occideret [19]. Verum quisnam Calumniis illius ac caedibus recenſendis ſufficeret, cum ipſe Dion fateatur, confuſurum ſe ac perturbaturum hiſtoriam, ſi accurate de ſingulis ſcriberet, quos ille non ſolum Calumnia aut falſa ſuſpicione adductus, verum etiam propter opes maximas, nobilitatemque generis, & excellentem praeſtantiam doctrinae, atque ob alias virtutes interfecit [20]. Porro cum immenſam pecuniae ſummam in ludos ac libidines profudiſſet, omnia venalia habuit, ac multi ſub eo & alienam poenam, & ſuam ſalutem pecunia redemerunt. Vendidit etiam ſuppliciorum diverſitates, & ſepulturas, & immunitates malorum, & alios pro aliis occidit. vendidit etiam nonnullis inimicorum ſuorum caedes. ſed & liberti eventus litium vendebant [21]. Hiſce ſceleribus ſacrilegia, inceſtus, parricidia, & omnifariam vitae impuritatem adjecit [22]. Donec ad extremum a praefecto praetorio & Marcia concubina, ut ſuam & ſuorum necem ipſi praevenirent, occiditur [23]. Tunc autem Senatores magna animi & verborum contentione a novo Caeſare flagitaverunt, ut hic Deorum & patriae hoſtis, hic parricida & carnifex Senatus, hic tandem impurus gladiator ac leno in ſpoliario laniaretur, utque unco traheretur, ac ſtatuis detractis aboleretur ejus memoria. Ceterum inter haec convicia non deſierunt acclamando flagitare, ut Delatores, metu injecto, de Senatu removerentur, utque ad fuſtem & leones damnarentur [24].

Poſt horrendum illud humani generis portentum PERTINACI imperium delatum eſt, ſeni venerabili, & in quo cum humanitate probitas & ſumma in rebus gerendis prudentia diligentiaque cernebantur [25]. Sed natura frugi, & per ſenectam ſeverior aliquanro parciorque, mox in odia militum incurrit. Itaque dum nimis cito omnia corrigere conatur, nondum tribus menſibus elapſis confoditur [26]. Et tamen tantillo temporis multa peregit. Quaeſtionem majeſtatis penitus tulit cum jurejurando. Revocavit etiam eos, qui deportati fuerant crimine Majeſtatis, reſtituta caeſorum memoria [27]. Immo Falconi regnum affectanti pepercit, & a Senatu impunitatem ejus petiit: *Abſit*, inquit, *ut*, *me tenente Principatum, ullus Senator vel jure interficiatur* [28]. Delatores vinctos graviter puniri juſſit, attamen mollius quam priores Imperatores unicuique dignitati poenam ſtatuens [29]: cavitque, ne cui de vanis criminibus periculum conflaretur [30]. Eos, qui Calumniis appetiti per ſervos fuerant, damnatis ſervis Delatoribus liberavit, ac, talibus in crucem ſublatis, quoſdam etiam mortuos vindicavit [31]. Hereditates adulatione delatas, aut lite perplexas negavit ſe aditurum [32]. Venditis Commodi luxuriae inſtrumentis aerarium in ſuum ſtatum reſtituit [33]. In nullo ſane culpandus Imperator, niſi quod nimis attentus ad rem eſſet (nam avaritiae ſuſpicione nec privatus caruit [34]) ac nimis cito omnia emendare conaretur. Huic mortuo Divi nomen decretum, acclamatumque eſt ingeminatis plauſibus; *Pertinace imperante ſecuri viximus, neminem timuimus:* *patri*

1 Capitolin in vita *Lucii Veri*, *c.* 1. & 4. 2 *Ibid.* *c.* 8. Eutrop. *Lib.* VIII. *c.* 10. 3 Dio apud *Xiphilin. in M. Anton.* Capitolin. in *Vero*, *c. ult.* Victor *in Epit. c.* 31. 4 Capitolin. in *M. Anton. Philoſ. c.* 24. 5 Capitolin. in *M. Anton. c.* 11. 6 Oroſius *Lib.* VII. *c.* 15. 7 Capitolin. in *M. Anton. c.* 25. Dio apud *Xiphilin. in eod.* 8 Vulcat. Gallican. in *Avidio Caſſio*, *c.* 7. adde *c.* 8. & 12. 9 Euſebius in *Epiſtola hujus Imp. Epheſi in publico conventu Aſiae propoſita* 10 Capitolin. in *M. Anton. c.* 18. 11 Capitolin. in *M. Anton. c.* 16. 19. & 27. Lamprid. in *Commodo c.* 1. 12 Lamprid in *Commodo c.* 5. & 6. Dio apud *Xiphilin. in eod.* 13 Lamprid. in *eod. c.* 14. *in fine.* 14 *Ibid c.* 3. 15 *Ibid. c.* 6. 16 *Ibid. c.* 10. & 11. 17 Gallican. in *Avidio Caſſio*, *c. ult.*

18 Lamprid. In *Commodo c.* 7. *ad fin.* 19 *Ibid. c.* 8. 20 Dio *apud Xiphilin. in Commodo.* 21 Lamprid. in *Commod. c.* 14. 22 Lamprid in *Commodo*, *cc.* 5. 9. 12. 13. & 15. Dio apud *Xiphilin. in eod.* 23 Herodianus *Lib* I. *c* 17. 24 Lamprid. in *Commodo*, *ad fin.* 25 Dio apud *Xiphilin. in Pertinace.* 26 *Ibid. in fine.* Capitolin. in *eod.* 27 Capitolin. In *Pertinace*, *c.* 6. 28 Idem in *eod. c.* 10. & Xiphil. *ad fin.* 29 Capitolin. in *Pertin. c.* 7 §. *ult. Inſtitut. Quib. mod. teſtam. infirm.* 30 Herodian. *Lib* II. *c.* 4. 31 Capitolin. *Ib. c.* 9. 32 Idem *d. c.* 7. 33 Capitolin. in *Pertinace*, *c.* 7. 8. & 9. 34 Idem *d. c.* 9.

patri pio, patri Senatus, patri omnium bonorum [1].

Remoto Pertinace praetoriani imperium palam venale propoſuerunt, idemque tandem DIDIO JULIANO plurimum offerenti addictum [2]. Erat ille Salvii Juliani, celebris Jureconſulti, pronepos. Solum autem paucis ultra duos menſes diebus rei Romanae praefuit. quippe dum appropinquat Severus, quem Illyrici exercitus Imperatorem renunciaverant, abrogato imperio hoſtis a Senatu declaratus eſt, miſſisque percuſſoribus in palatio occiſus [3]. Fama fuit dubia, quamvis tamen in pejus proniore. Laudat eum in quibuſdam Spartianus, ſed Dio prorſus vituperat: quod tamen cum moderatione accipiendum eſt, cum ei privatim inimicus fuerit. uterque ſaltem in magna vitia conſpirat. Nihil vero egiſſe legitur, quod ad propoſitum noſtrum attinet.

SEVERUS homo fuit nec virtute clarus, nec vitiis admodum inſignis [4]: triſtior tamen ad omnia & praeter modum crudelis [5]. Juventam profecto plenam furorum, nonnunquam & criminum habuit [6]. In Sicilia, tanquam de imperio vel vates vel Chaldaeos conſuluiſſet, reus factus eſt, ſed quia Commodus jam tunc in odium venerat, abſolutus fuit, Calumniatore in crucem acto [7]. ceteroqui revera his rebus valde deditus erat. Urbem Imperator ingreſſus non ſolum juravit, ſed praecepit etiam, ut publico decreto ſanciretur, *Imperatorem, ſi Senatori mortem afferret, eumque cujus opera ad eam rem uteretur, liberosque eorum hoſtes reipublicae futuros.* Sed mox, quaſi palam illudens Senatui, Senatusconſultum hoc caede Solonis, qui id ipſum juſſu ejus ſcripſerat, violavit [8]. Poſt haec de ſua quidem clementia diſſeruit, quum crudeliſſimus fuerit. nam aperte multas caedes perpetravit, & vel ſine ulla cauſae dictione plus quam quadraginta viros nobiles interemit, quos inter multi conſulares & praetorii, omnes ſane ſummi viri [9]. Quintillus Plautianus, unus ex primis Senatoribus, quamvis jam grandis natu, & quiete ruri degens, Calumniam tamen non effugit, ſublatusque eſt [10]. Julium autem Priſcum, tribunum praetorianorum, quod plurium militum necem in difficillima oppugnatione aegre ferret, inque eam rem Virgilii carmen recitaret, occidi juſſit, Valeriumque militem qui Priſcum accuſarat, in illius locum ſubſtituit [11]. Cincium Severum calumniatus eſt, quod ſe veneno appetiſſet, atque ita interfecit [12]. Sed & pudendis praetextibus uſus eſt. damnabantur enim plerique quod jocati eſſent, alii quod tacuiſſent, alii quod pleraque figurata dixiſſent, ut *quod eſſet Imperator vere nominis ſui, vere Pertinax, vere Severus* [13]. Apronianus Aſiae praeſes accuſatus eſt, dictum olim fuiſſe, nutricem ejus vidiſſe per quietem, eum regnaturum, ipſumque ob eam cauſam magicis artibus uſum eſſe, & vel abſens propterea damnatus fuit [14]. Multos inſuper, quaſi Chaldaeos aut vates de ſua ſalute conſuluiſſent, interemit. Denique cum occiſi eſſent nonnulli, excuſabat ſeſe, & negabat juſſiſſe quod factum eſſet [15]. At Severi animum, in caedes proclivem, crebrae conſpirationes efferarunt. nam harum occaſione infinita hominum multitudo periit, inque his multi principes civitatis, multaeque illuſtres feminas, praeſertim cum plures conſpirationes ingruerent [16]. Ante omnia de militibus, qui Pertinacem necaverant, & Juliano tradiderant imperium, acerba ſupplicia ſumpſit [17]. magnus quoque numerus privatorum & magnatum caeſus eſt in gratiam Plautiani [18]. Habuit tamen & Severus quae eum commendarent. Pecuniae cauſa, cujus quidem avidiſſimus erat, nemini mortem attulit [19]. Juſtitiam quoque de cetero, etſi rigidius, aequabiliter tamen & ex praeſcripto legum adminiſtravit. cauſas plurimas audivit ipſe. accuſatos a provincialibus judices probatis rebus graviter punivit [20]: & in genere, delictis quibuslibet implacabilis fuit [21]. Ut merito Senatus judicaverit, illum aut naſci non debuiſſe, aut non mori, quod & nimis crudelis, & nimis utilis reipublicae videretur [22].

Filius ejus CARACALLA, ſtultae temeritatis adoleſcens, dure patre multo adhuc crudelior exſtitit; & tamen, quod mirum, in pueritia benevolus & clemens, ut ſi quando feris objectos damnatos videret, flens oculos averteret [23]. Senſim vero truculentus evaſit [24], & jam ſub patre petulanter ac libidinoſe vixit [25]: quin ipſum palam ſtricto gladio confodere non dubitaſſet, niſi a militibus praeventus eſſet [26]. Nil mirum igitur, quod, imperium adeptus, a fratris nece, qui una cum eo Caeſar erat factus [27], crudelitati auſpicium daret [28]. Occidere voluit & matrem Getae, novercam ſuam, quod filium lugeret, aliasque mulieres eum deflentes [29]: verum, ne fratris occiſi crudelitas intenderetur, inhibuit ſeſe [30]. Milite immenſa pecunia delinito, poſtridie in Senatu, veluti ad expiandum parricidium, *Audite*, inquit, *rem maximam, ut totus orbis terrarum gaudeat. Omnes exules rei facti cujusvis ſceleris, quomodocunque damnati ſint, reſtituantur.* Et cum exules hoc pacto ex inſulis deduxiſſet, praeſtitiſſetque ſecuritatem nefariis & damnatis hominibus, eaſdem non ita multo poſt replevit, occiditque ſubito ex Caeſarianis militibusque, qui cum Geta fuerant, ad hominum mulierumque viginti millia, ut quiſque in palatio fuit. Caeſi ſunt ex illuſtribus multi & maxime Papinianus, praetorio praefectus [31], Laetusque [32]. Amplius ſi quis vel ſolum nomen Getae ſcripſiſſet aut pronunciaſſet, ſtatim morte mulctabatur; adeo ut ne poëtae quidem in comoediis eo nomine uterentur; fuereque proſcripta bona eorum omnium, in quorum teſtamentis id nomen inveniretur. Denique gladium, quo fratrem interemerat, Deo conſecrare eſt auſus [33]. Poſtea vero adeo eum facti poenituiſſe videtur, ut toties ipſe fleret, quoties nominis ejus mentio fieret, aut imaginem videret. Nimirum inconſtantia hujus Imperatoris tanta fuit, an tanta ſitis caedis, ut modo fautores Getae, modo inimicos occideret, quos fors obtuliſſet [34]. Credibile autem eſt, quodammodo eum inſana mente fuiſſe, & propter parricidia furiis quandoque agitatum. nam & fratrem, patruelem aliosque cognatos occidit: ut tota domus ſanguine undaret. Caeſarum vero cadavera nulla humanitatis reverentia tractabat [35] Alexandri Magni memoriam tam ſtulte deperibat, ut cum quendam, qui magna ſcelera commiſerat, Alexandrum appellari intelligeret, crebroque accuſatorem dicentem audiret, *homicida Alexander, Diis infeſtus Alexander*, perinde iratus ſit;

1. Aurel. Victor in *Epitome c.* 34. 2 Dio apud *Xiphilin. in Juliano, initio.* 3 Idem in *eod. in fine* Spartianus in *D. Juliano, c. penult.* 4 Dio apud *Xiphilin. in Severo.* 5 Spartian. in *eod. c.* 21. 6 *Ibid. c.* 2. 7 *Ibid. c.* 4. 8 Dio apud *Xiphilin. in Severo, initio.* 9 Spartian. in *Severo c.* 13. ubi ſimul appoſitis nominibus memoriam eorum accurate conſervavit. 10 Dio apud *Xiphilin. in eod. circa med.* 11 Idem *ibid. paulo ante.* 12 Spartian. *c.* 13. 13 *Ibid. c.* 14. 14 Dio apud *Xiphilin. in eod.* cujus damnationi & alia turpis caedes admixta fuit, ut ibi narratur. 15 Spartian. in *Severo c.* 15.

16 Spartian. in *Severo c.* 12. 17 Zoſim. *Lib.* 1. 18 Dio apud *Xiphilin. in eod.* 19 *Ibid. in extremo.* Diſſentit Herodian *Lib.* III. *c.* 8. 20 Spartianus in *eod. c.* 8. 21 Idem *ibid. c.* 18. Zoſim. *Lib* 1. 22 Spartian. *d. c.* 18. Aurel. Victor *de Caeſarib. c.* 20. 23 Spartian. in *Caracal. c.* 1. 24 *Ibid. c.* 2 25 Dio apud *Xiphil. in Severo.* 26 *Ibid.* ad *Extremum.* 27 Spartian. in *Geta c.* 1 28 Idem in *eod. c.* 2 29 *Ibidem in fine* 30 Idem in *Caracal. c.* 3. 31 Dio apud *Xiphilin. in eod. initio.* 32 Spartian. in *Caracal. c.* 3 33 Dio apud *Xiphilin. in Caracal.* 34 Spartian. in *Geta, ad fin.* Herodian. *Lib.* VI. *c.* 6. 35 Idem in *Caracal. c.* 4.

ſit, ac ſi ipſe male audiret: *Niſi*, inquit, *tibi ſatis erit de Alexandro dictum*, *periiſti* [1]. nam & Magnum Alexandrum vocari ſe juſſerat, aſſentantium fallaciis eo perductus, ut truci fronte, & ad laevum humerum converſa cervice, quod in ore Alexandri notaverat, incedens, fidem vultus ſimillimi perſuaderet ſibi [2].

Inerat tamen ipſi quoque fraus ac malitia: tantae quippe immanitatis erat, ut iis praecipue blandiretur, quos ad necem deſtinabat [3]. Damnabantur qui urinam eo loci facerent, ubi ſtatuae aut imagines erant Principis, & qui coronas illis detraxerant ut alias imponerent. Damnati etiam qui remedia quartanis tertianisque collo annexa geſtarent [4]. Caedes praeterea omnibus in locis, & vel in balneis fiebant, occiſique item coenantes [5]. Veſtales peremit quatuor, quarum unam ipſe vitiaverat, eademque nihilo minus viva ſepulta eſt [6]. Ceterum ne quid ſceleris reliqui faceret, novercam ſuam Juliam uxorem duxit, quam nuper, caeſo filio ejus, neci itidem deſtinaverat [7]. Haec autem cum ipſum quondam poſt innumerabiles opes exhauſtas argueret, quod nimios ſumptus faceret in milites, diceretque, jam ſibi nullos reditus reliquos eſſe, gladium oſtentans, reſpondit, *Bono animo ſis*, *mater*; *nam nobis*, *quamdiu hunc habebimus*, *pecunia non deerit* [8]. Et tamen hic parricida & inceſtus, patris matriſque & fratris inimicus, ob timorem militum poſt necem in Deos eſt relatus [9].

MACRINUS Caracallae interfector, obſcuris natus parentibus, vita fuit multis magnisque vitiis inquinata [10]. Talis privatus exſtitit. Qualis autem Imperator futurus fuiſſet, breve temporis ſpatium, quo rerum potitus eſt, parum ſivit diſcernere. Profecto ſordes generis & prioris vitae infamiam rigore quodam regiminis atque auſteritate videtur voluiſſe oblitterare [11]. Et quidem atrociſſima quaevis in milites ſupplicia exercebat, nova ſubinde excogitans [12]. Sed dum militarem diſciplinam inſigni poenarum ſeveritate reſtituere ſatagit, ipſe tamen viciſſim milites luxu offendebat, utpote qui delicatius licentiusque viveret [13] At revera imperium ſceleratis hominibus purgaſſe dicitur, ſervis quoque omnibus, qui dominos detulerant, patibulo ſuffixis [14]. Delatores, ſi non probarent, capite affecit: ſi probarent, delato praemio infames dimiſit [15]. Quoſdam praeterea in inſulas deportavit [16]: neque id ſine exemplo; nam antea Marcus Antoninus Philoſophus ſimilem ſeveritatem Chriſtianorum delatoribus intenderat. Fuit porro in jure non incallidus [17], adeo ut ſtatuiſſet omnia reſcripta veterum Principum tollere, ut jure, non reſcriptis, ageretur; nefas eſſe dicens, leges videri Commodi & Caracallae, & hominum imperitorum voluntates, quum Trajanus nunquam libellis reſponderit, ne ad alias cauſas facta proferrentur, quae ad gratiam compoſita viderentur [18]. Sed brevi, ut dicebam, periit.

In HELIOGABALO Roma tulit Principem omnium hominum longe impuriſſimum, libidinemque per cuncta cava corporis recipientem [19]: nec erat ei ulla vita niſi quaerere novas voluptates, in quibus quotidie ſpurciſſime contaminatiſſimeque volutabatur [20]. Unum tamen praeclarum facinus & Principe dignum edidit, quod, ubi confirmato imperio Romam venit, cum ab omnibus privatim, publiceque ex litteris Macrini, verbis ac factis injuriam accepiſſet, de nemine ſupplicium ſumeret [21]. Ceteroqui ſane multi viri clari, quibus mores ſuos diſplicere noverat, reperta aliqua cauſa occidebantur, ſaepe etiam nulla [22]. Paetus Valerianus morte affectus eſt quod imagines aureas ad concubinarum ornamenta finxiſſet. Sabinus vero conſularis, &, qui ad eum libros ſcripſit, Ulpianus Juriſconſultus, aegre exilio evaſerunt [23]. Quin univerſum Senatum *mancipia togata* vocitabat [24]. Ex contrario faciebat libertos praeſides, legatos, conſules, duces; omnesque dignitates polluit ignobilitate hominum perditorum, ut ſaltatorum, aurigarum, tonſorum mulionumque [25]. Vendebat etiam honores poteſtatesque tam ipſe quam per ſervos ac libidinum magiſtros [26]. Amplius hominem prodigioſe vaſatum, propterea Caeſarem deſignare obſtinatiſſime nitebatur [27]. Tandem igitur ludibrium publicum factus, cum nec milites peſtem illam velari imperatorio nomine ulterius ſinerent, ab illis in latrina trucidatus eſt, una cum matre, ſolusque omnium Imperatorum tractus per plateas, in cloacam miſſus, & in Tiberim Praecipitatus eſt [28]. Laceratus itidem diſtractusque cum eo a plebe & militibus Eubulus quidam, qui, cum rationum libris praeeſſet, multorum bona publicaverat [29].

CAPUT VII.

Altera praecedentium continuatio.

POſt necem Heliogabali aliquantum reſpiravit Romana res, Imperatorem nacta ALEXANDRUM SEVERUM, dignum ſane qui optimis Principibus annumeretur. Hic jam Caeſar ſub Heliogabalo renunciatus, petulantis conſobrini manibus vix ac ne vix quidem elabi potuit [30]. Videlicet hunc Dii ad remedium generis humani reſervaſſe videbantur. Dies nunquam tranſiit, quin aliquid manſuetum, civile, pium faceret [31]. Nullius divitiis invidit, quamvis colligendae pecuniae intentus eſſet [32]. Leges de jure populi & fiſci moderatas & infinitas ſanxit, adhibito praeſertim in conſilium Ulpiano, quem & Praefectum praetorio conſtituit [33]. Condemnationes & raras eſſe juſſit, &, quae factae fuerant, non indulſit [34]. Et tamen in animadverſionibus aſper in quibuſdam fuit [35]: in primis vero contra fures judices [36]. Notarium qui falſum cauſae brevem in conſilio imperatorio retuliſſet, inciſis digitorum nervis, ita ut nunquam poſſet ſcribere, deportavit [37]. Sed & nota eſt ejus ſeveritas in Turinum, dicente praecone, *Fumo punitur qui vendidit fumum* [38]. Praeterea cum aliquos vellet rectores provinciarum praepoſitosque aut rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus: ſi non probaſſet, ſubiret poenam capitis [39]. Etſi autem crebrae ſub eo rebelliones fuerint [40], tamen ſenatorum neminem occidit; ut propterea merito *ἀναίμακτον* ejus imperium fuiſſe dicat Herodianus [41].

Longe alia MAXIMINO mens fuit, qui ſine de-

1 Dio apud *Xiphilin. in Caracalla.* 2 Aurel. Victor in *Epitome*, *c.* 37. 3 Spartian. in *Geta*, *ad fin.* 4 Idem in *Caracal. c.* 5. 5 *Ibid. c.* 4. 6 Dio apud *Xiphilin. in Caracal.* 7 Spartian. in *eod. c.* 10. 8 Dio *ibid.* 9 Spartian. in *eod. c.* 11. 10 Capitolin. in *Macrino*, *c.* 4. Dion *in eod.* 11 Capitol. *ibid. c.* 11. 12 *Ibid. c.* 12. 13 Dio apud *Xiphilin. in Macrino.* 14 Herodian. *Lib.* V. *c.* 2. 15 Capitolin. in *Macrino*, *c.* 12. 16 Dion in *eod.* Herodian. *loc. laud.* 17 Herodian. *Lib.* IV. *c.* 12. *num.* 1. 18 Capitolin. in *Macrino*, *c.* 13. 19 Lamprid. in *Heliogab. c.* 5. 20 *Ibid. c.* 19. Victor *De Caeſarib.* & in *Epit.*

21 Dio apud *Xiphilin. in Avito*, *in princ.* 22 Idem in *eod.* 23 Lamprid. in *Heliogab. c.* 16. Dion *loc. laud.* 24 Lamprid. *d. c.* 19. 25 Idem in *eod. c.* 6. 26 Lamprid. in *Heliogab. c.* 6. 27 Dio apud *Xiphilin in Avito.* 28 Lamprid. in *Heliogab. c.* 17. 29 Dio apud *Xiphilin. in Avito ad fin.* 30 Lamprid. in *Heliogab. c.* 13. & *ſeqq.* 31 Idem in *Alexandro Severo c.* 21. 32 Idem in *eod. c.* 44. 33 *Ibid. c.* 16. Eutrop *Lib.* VIII. *c. ult.* Zoſimus *Lib.* I. 34 Lamprid. in *Alex. Severo d. c.* 21. 35 *Ibid. c.* 25. 36 *Ibid. c.* 17. 37 *Ibid. c.* 28. 38 *Ibid. c.* 35. & 36. 39 *Ibid. c.* 45. *ad fin.* 40 Dio apud *Xiphilin. in eod.* 41 Laudatus a Lamprid. *in eod. c.* 52.

delectu conſulares viros ducesque complures interemit [1]. nam erat ei perſuaſum, *niſi crudelitate, imperium non teneri* [2]. Itaque Delatores evocabat, Accuſatores immittebat, fingebat crimina, damnabat omnes quicunque in judicium veniſſent, & ex ditiſſimis pauperrimos faciebat [3]. At poſtremo ſine judicio, ſine accuſatione aut defenſione omnes interemit, omnium bona ſuſtulit, & plus quatuor millibus hominum occiſis, ſatiari nondum potuit [4]. Senatus vero ſtatim ac Maximinis bellum indixerat, jure (a) ſuo egregie uſus eſt. nam Delatores, Calumniatores, procuratores, & omnem illam facem Maximinianae tyrannidis occidi juſſit [5]. Ceterum populus, ac ſi parum eſſet quod Senatus judicaverat, voluit inſuper, cadavera trahi, & in cloacam mitti [6]. „ Statim igitur Delatores atque accuſa„ tores univerſi aut effugerunt, aut ab his quos of„ fenderant, occidebantur, teſte Herodiano [7]. „

Nondum maturus imperio GORDIANUS prudentiſſime ſe totum Miſitheo committebat, cujus filiam propterea uxorem duxerat [8]. Quum autem & ipſe bonae indolis eſſet atque optimi viri conſiliis regeretur, haud quaquam veriſimile eſt Calumniatores ſub eo, poſt tam acrem ac recentem animadverſionem, caput multum ſuſtuliſſe. Quin varia egregia Gordiani circa Delationes exſtant reſcripta in Codice iis titulis, qui hanc materiam perſequuntur [9]. Profecto hujus Gordiani pater a Maximino deſciſcens Delatores omnes exilio affecit, & iis, qui parum juſto judicio damnati fuerant, iterum defendendi ſui poteſtatem indulſit [10].

Gordiano intra decennium quindecim Imperatores ac Caeſares ſubſtituti a militibus, quorum praeter creationem & necem vix quicquam notatu dignum reperias. Adeo nimirum bellis defectionibusque impediti fuere, ut domeſtici regiminis pauciſſima veſtigia reliquerint, cum inſuper plerique breviſſimo tempore regnarent. Mirum proinde non eſt, de Calumniis promovendis coercendisve parum cogitaſſe, qui, ut imperium adverſus exteros rebelleſque vindicarent, ſatis habebant.

Poſt tot minorum gentium Imperatores VALERIANUS & GALLIENUS, pater & filius, ſucceſſerunt. Pater autem infeliciter a Perſis captus fuit. Interea filius (de quo Victor, *neque Gallieni flagitia, dum urbes erunt, occultari queunt; & quisque peſſimus erit, par ſimiliſque ſemper ipſi habebitur* [11]) tam ſegniter & voluptuoſe imperabat, ut omnes undique gentes non ſolum deſciſcerent impune, ſed eo amplius infeſtarent omnia vaſtarentque. Itaque orti ſubinde qui deſidis Auguſti vices ſuſciperent, iidem qui vulgo triginta Tyranni audiunt [12]. Sic undequaque rebelliones & bella ingruerunt.

Bono humani generis CLAUDIUS Gallienum, prodigioſum Imperatorem, a gubernaculis publicis depulit [13]. Sed doleo populi Romani ſortem, quod tam brevi uſus ſit ea felicitate. nam intra alterum Principatus annum deceſſit, quem & Senatus & populus, ante, in, & poſt imperium ita dilexit, ut ſatis conſtet, neque Trajanum, neque Antoninum, neque alium quem Principem ſic amatum fuiſſe [14]. & merito. nam invidit nulli: malos perſecutus eſt: fures judices palam aperteque damnavit: petitiones bonorum edicto primus vetuit: leges optimas dedit [15]. Quare Eutropio dicitur *parcus vir ac modeſtus, & juſti tenax, atque reſp. gerendae idoneus* [16].

Sed nec AURELIANUS indignus fuit qui imperium Romanum moderaretur. At natura ferocior laborabat aliquantum ſaevitia, egregius ceteroquin & utilis reipublicae Imperator. Exaſperatus autem ſeditionum vindicta interfecit nonnullos etiam nobiles Senatores, quum his leve aliquid, & quod contemni a mitiore Principe potuiſſet, vel unus, vel levis viliſve teſtis objiceret [17]. Quibuſdam quoque tantae crudelitatis fuiſſe dicitur, ut pleriſque Senatoribus ſimulatam ingereret factionem conjurationis ac tyrannidis, quo facilius poſſet occidere [18]. Certe populus eum *Senatorum paedagogum* appellabat [19]. Amneſtia tamen etiam ſub eo delictorum publicorum decreta eſt. Item Quadruplatores ceterique Delatores ingenti ſeveritate coërciti ſunt [20]. Praeterea & tabulas publicas ad privatorum ſecuritatem exuri in foro Trajano ſemel juſſit [21]. Divitem patriae proditorem occidit quidem, ſed bona ejus liberis reddidit, *ne quis*, ajebat, *me cauſa pecuniae locupletem hominem occidi paſſum eſſe criminaretur* [22]. Multa alia fecit Principe digna, plurimaſque leges ſalutares ſanxit [23]. De morte ejus haec habet Cedrenus: „ Habebat Aurelianus auſcul„ tatorem quendam, ὠτακουστήν, qui omnia ad i„ pſum deferebat quae fierent aut dicerentur. Is „ ſibi metuens ab Imperatore, neſcio qua de cau„ ſa, manum ejus imitatus ſchedam conſcripſit, „ qua primores neci deſtinarentur; & primores, „ illa lecta, ut ſuum periculum effugerent, Impe„ ratorem occiderunt [24]. „

TACITUS ob imperii brevitatem nihil quidem majoris momenti geſſit, cavit tamen inter alia, ut ſervi in dominorum capita non interrogarentur, ne quidem in cauſa majeſtatis [25]. Sed non obtinuit jus ab eo introductum, ut patet ex titulo Codicis De quaeſtionibus. Obſervatur autem Severi conſtitutio, qua crimina majeſtatis, adulterii & fraudati cenſus excepta ſunt.

PROBUS, praeclarus & vere probus Imperator, adeo bellis diſtrictus fuit, ut nihil fere politicae ac domeſticae rei gerere potuerit [26]. Ut autem de indole conſtet, Bonoſi rebellis filios ſervavit, & uxori ejus ſalarium quoque ad mortem uſque praeſtitit [27].

Succeſſit CARUS cum duobus filiis, vir medius, inter bonos tamen potius quam malos Principes collocandus. Sed Carus longe carior fuiſſet, ſi CARINUM non reliquiſſet heredem [28]. Is quippe omnium non bipedum ſed & quadrupedum contaminatiſſimus, frequens corruptor juventutis, & ipſe etiam male uſus genio ſexus ſui [29]. Amicos optimos relegavit, peſſimum quemque elegit aut tenuit, plurimos innoxios fictis criminibus occidit, & cetera pro libidine peſſimaque indole perpetravit [30]. Dum haec in Occidente geruntur, Orientem regebat.

NUMERIANUS, alter Cari filius, qui bonae ſpei adoleſcens, moratus egregie, & vere dignus imperio erat. Hunc, prae moerore aegrotantem, quod

1 Capitolin. in *Maximinis* c. 13. 2 Idem in *eod.* c. 1. 3 Idem *d.* c. 23. Herodian. *Lib.* VII. c. 3. Zoſimus *Lib.* 1. 4 Capitolin. in *Maximinis* c. 10. Zoſim. *Lib.* 1. (a) Verum diſſentit Herodianus, qui haec, nulla juris ſpecie, a ſingulis qui laeſi fuerant velut per tumultum geſta eſſe tradit *d. Lib.* VII. & c. 7. 5 Herodian. *Lib.* VII. c. 7. 6 Capitolin. *ibid.* c. 15 & in *Gordianis* c. 13. 7 Herodian. *laud. loc.* 8 Idem in *Gordianis* c. 22 23 24. 9 Puta ſub tit. in Cod. *De accuſationib. & inſcriptionib. Si reus v. accuſ. mort. fuer. Ad L. Corn. de Sicar. De injuriis. De quaeſtionib. Ad SCtum Turpill. De delatorib.* 10 Herodian. *Lib.* VII. c. 6. 11 Aurel. Victor *De Caeſarib.* c. 33 12 Adeatur Trebellius Pollio in *Valeriano*, *Gallienis* & XXX. *Tyrannis.* 13 Treb. Pollio in vita *D. Claudii* c. 1. 14 Idem *ibid.* c. *ult.* Zoſim. *Lib.* 1.

15 Treb. Pollio in *Claudio* c. 2. *in fine.* Zonaras in *eod.* 16 Eutrop. *Lib.* IX. c. 11. 17 Flavius Vopiſcus in *Aurel* c. 21. 18 *Ibid.* c. 39. 19 *Ibid.* c. 37. 20 Aurel. Victor *De Caeſarib* c. 35. 21 Fl. Vopiſcus in *Aurel*, *d.* c. 39 22 Idem *ibid* c. 23. 23 *Ibid.* c. 35. 24 Georg. Cedren. *Hiſtor. compend. ſect.* 105. adde Vopiſc. in *Aurel.* c. 36 Frotem appellat Zoſim. *Lib.* 1. *verſus fin.* 25 Vopiſcus in *Tacito* c. 9. 26 Idem in *Probo.* 27 Idem in *Bonoſo* c. *ult.* 28 Idem in *Caro* c. 4 29 *Ibid.* c. 16. 30 Eutrop. in *Breviar. Lib.* 12. c. 19. Victor in *Epit.* c. 53.

quod patris, fulmine extincti, obitum lugeret, Aper, ſocer ejus, dolo interemit [1].

DIOCLETIANUS, Numeriani necem ultus, ab exercitu Imperator renunciatus eſt. Poſtquam e medio ſublatus eſſet Aper, ceteris venia data. quae res poſt hominum memoriam nova atque inopinata fuit. nemo ſane civili hocce bello fortunis, fama, dignitate ſpoliatus, cum pie admodum manſueteque agi videatur, ſi exilio, praeſcriptioni atque etiam caedibus & ſuppliciis modus ſtatuatur [2]. Diocletianus autem bonis Principibus annumeratur a paganis, a noſtris vero peſſimis accenſetur ob graviſſimam in Chriſtianos perſecutionem. Profecto ſuperbia & ſaevitia nobilis fuit, adorarique ſe juſſit, cum ante eum cuncti Imperatores ſalutarentur [3]. Erat praeterea ſuſpectae prudentiae, & parum honeſta fide in amicos [4]. Victoria acerbe uſus eſt: totam Aegyptum gravibus proſcriptionibus caedibusque foedavit. Ea tamen occaſione ordinavit provide multa, & diſpoſuit [5]. Verum haec in Diocletiano obducta & aliis virtutibus; eoque ipſo, quod Dominum dici paſſus, parentem egit [6]. In ſumma, vir erat inſigniter callidus, & ad omnia, quae tempus & occaſio ferebant, paratus: conſilii ſemper alti, nonnunquam etiam effrotis, ſed prudentis, nimia pervicacia motus inquieti pectoris comprimentis [7]: ad haec admodum ſubtilis ingenio erat, & qui ſeveritatem ſuam aliena invidia vellet explere, diligentiſſimus quoque & ſolertiſſimus Princeps [8]. Multis ſubinde provinciis rebellantibus Maximianum Herculium collegam imperii, Conſtantium Chlorum & Galerium Maximianum Caeſares fecit. Sed nec minore ſtudio interim pacis officia vincta legibus aequiſſimis, ac remoto peſtilenti Frumentariorum genere, quorum deinceps Agentes rerum ſimillimi erant. quippe cum ad explorandum annunciandumque qui forte in provinciis motus exiſterent, inſtituti viderentur, compoſitis nefarie criminationibus, injecto paſſim metu, praecipue remotiſſimo cuique, cuncta foede diripiebant: denique honeſtiorum provectu, & contra, ſupplicis flagitioſi cujusque, virtutum ſtudia augebantur [9].

MAXIMIANUS Herculius, in ſocietatem imperii a Diocletiano adſcitus ferus erat, & ingenii incivilis, aſperitatem ſuam ſaevitiamque etiam vultus horrore ſignificans, militiae tamen atque ingenio bonus. Is, naturae ſuae indulgens, Diocletiano in omnibus ſeverioribus conſiliis obſecutus eſt [10]. Obſecundavit inſuper collegae in eo, ut uterque ſeſe imperio abdicaret, & in privatam vitam concederet. Poſtea vero, poenitentia ductus, abdicatum imperium recuperare nitebatur, cum Diocletianus praeclaro otio conſenuerit, inuſitata virtute uſus [11]. Ceterum carus nulli unquam fuit, ne patri aut ſocero quidem Galerio [12]. Erat praeterea curioſus & infidus [13], adeoque in delationes ac calumnias quam maxime proclivis. Denique Herculius libidine tanta agebatur, ut nec ab obſidum corporibus animi labem comprimeret [14].

Poſt haec CONSTANTIUS Occidentis, GALERIUS autem Orientis imperium tenuere. Ille vir egregius & praeſtantiſſimae civilitatis fuiſſe dicitur, dignus provincialium & privatorum ſtudiis, fiſci commoda non admodum adfectans, ducenſque melius publicas opes a privatis haberi, quam intra clauſtrum ſervari [15]. Galerius autem & probe moratus & egregius erat in re militari [16]: praeterea ortu quidem atque inſtituto paſtorali, verum ſapientiſſimi cujuſque ac literarum cultor, ingenio quieto, vini avidior [17]. Conſtantio mortuo praetoriani Maxentium, Herculii filium, Auguſtum nuncuparunt, qui Romae tyrannidem exercuit. Is cum in Africa bellum feliciter geſſiſſet, latus campus Sycophantis aperiebatur, deferendi omnes propemodum, quotquot in Africa vel genere vel opibus praeſtabant, velut Alexandri, qui ipſi adverſabatur, partium ſectatores. nec ullis omnino parcebatur, dum alii necarentur, alii facultates ſuas amitterent. Quin & Romae triumphatum eſt ob perpetrata Carthagine mala. Idem praeterea per Italiam inque ipſa Urbe per ſummam crudelitatem ac libidinem omnia gerebat [18].

Maxentium devicit ſubegitque Conſtantinus, qui ob rerum praeclare geſtarum magnitudinem & praeſtantiam Magni cognomen adeptus eſt. Atque ita rem perduximus ad eum, quem huic operi terminum poſuimus.

1 Flav. Vopiſc. in *Numeriano*. 2 Aur. Victor *De Caeſarib. c.* 39. 3 Eutrop. in *Breviar. Lib.* IX. *c.* 26. 4 Idem *Lib.* X. *c.* 1. 5 Idem *Lib.* IX. *c.* 23. 6 Victor *De Caeſarib. c.* 39. 7 Vopiſc. in *Numeriano*. 8 Eutrop. *d. Lib.* IX. *c.* 26. 9 Victor in *Caeſarib. c.* 39. *verſus fin.*

10 Idem. *d. c.* 39. Eutrop. *Lib.* IX. *c.* 27. & *Lib.* X. *c.* 2. 11 Eutrop. in *Breviar. Lib.* IX. *c.* 28. 12 Victor in *Epit. c.* 57. 13 Zoſim. *Lib.* II. Eutrop. *Lib.* X. *c.* 3. 14 Victor *De Caeſarib. c.* 39. *in extr.* 15 Eutrop. *Lib.* X. *c.* 1. 16 *Ibid. c.* 2. 17 Victor in *Epit. d. c.* 57. 18 Zoſim. in *Hiſtoriis Lib.* II.

F I N I S.

VETERES
GLOSSAE
VERBORUM JURIS

quae paſſim in Baſilicis reperiuntur.

Quas ex variis MSS. Codd. Bibl. Reg.

CAROLUS LABBAEUS

eruit, digeſſit, & NOTIS illuſtravit.

Acceſſerunt in hac Editione

Ipſis Gloſſis Additiones ex libro manuſcripto;

Praeterea

JOSEPHI SCALIGERI

& aliorum Doctorum Virorum Emendationes;

denique NOTAE

ANTONII SCHULTINGII,

Jurisconſulti & Anteceſſoris.

Nobiliſſimo Ampliſſimoque Viro,

D. JAC. AUGUSTO THUANO,

Sacri Conſiſtorii Conſiliario, & Senatus Pariſienſis Praeſidi,

CAROLUS LABBAEUS S. D.

SAnctus Gregorius Thaumaturgus, Praeſes Ampliſſime, in πανηγυρικῷ εὐχαριστίας, *quem Origeni doctori ſuo ſcripſit, & convocata grandi frequentia, ipſo quoque Origene praeſente recitavit, veriſſime rectiſſimeque dixit:* Οἱ θαυμαστοὶ ἡμῶν τῶν σοφῶν νόμοι, οἷς νῦν τὰ πάντων τῶν ὑπὸ τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν ἀνθρώπων κατευθύνται πράγματα, οἱ μὲν οὔτε συγκείμενοι οὔτε καὶ ἐκμανθανόμενοι ἀταλαιπώρως. ὄντες μὲν αὐτοὶ σοφοί τε καὶ εὐσεβεῖς, καὶ ποικίλοι καὶ θαυμαστοὶ, καὶ συνελόντα εἰπεῖν, ἑλληνικώτατοι. ἐκφρασθέντες δὲ καὶ παραδοθέντες τῇ Ῥωμαίων φωνῇ, καταπληκτικῇ μὲν καὶ ἀλαζόνι, καὶ συσχηματιζομένῃ τῇ ἐξουσίᾳ τῇ βασιλικῇ, φορτικῇ δὲ ὅμως ἐμοί. οὐ μὴν ἄλλως πως οὔτε δυνατὸν ἦν, εἰ καὶ βουλητὸν εἶναί μοι, εἴποιμ' ἄν ποτε. *Idem ego Juris ejusdem ſtudioſus nunc apud te dicere non verebor. Admirandae ſunt leges, quibus omnium, qui Romanorum imperio paruerunt, res prudentiſſime gubernatae ſunt; ſuſpiciendae ſunt illae, ſuſcipiendaeque, utpote ſapientes & piae: verum Romano expoſitae traditaeque ſermone, admirabili ſane atque magnifico, & ad Imperii majeſtatem confirmato, ideoque gravi nec omnibus communi, difficile percipiuntur. Aliter ſentire aut poſſe aut velle me nunquam dixerim. Scio multos* δοκησισόφους *aliam opinionem tueri, neglectaque* ὀνομάτων *notitia ad* νοημάτων *notionem perveniri poſſe, pertinaciter defendere. Sed his, ne graviores tuas occupationes remorer, pluribus ineptas eorum cavillationes refutando, nihil aliud opponam praeter tot veterum & recentium in unaquaque ſcientia doctiſſimorum virorum exempla, omnibus ita obvia, ut iterum producere, cum ipſis eſſet ineptire. Hinc veteres Juriſconſulti Graeci tot Gloſſas ſive* Ῥωμαϊκῶν λέξεων συναγωγὰς, *ad Imperatoriarum conſtitutionum iis refertarum interpretationem, & legum Romanarum intelligentiam ſibi paraverunt: quae quidem huc usque maximo ſtudioſorum damno in Bibliothecarum pulvere ſepultae jacuerunt; ſepultae, inquam, integrae fuerunt; particulas enim aliquas eruerunt ampliſſimi doctiſſimique viri, Alciatus, Cujacius, Briſſonius, Pithoei, Fornerius: nunc vero omnes, quas nanciſci potui, a me collectae & in unum corpus redactae ac emaculatae prodeunt in lucem auguſtiſſimi nominis tui ſplendorem mutuantes. Eas igitur illo ſplendeſcere permitte, benignoque vultu excipe a me, qui tibi dicatiſſimus devotiſſimusque vivere deſidero. Vale litterarum lumen & columen! Lutetiae Pariſiorum* v. *Kal. Septembr.* CIↃ IↃ CVI.

EX ORATIONE

JACOBI CUJACII

De ratione docendi Juris. *

GLossas per ſe ſolas plurimum commendat docta & conciſa brevitas. Glossae, inquam, ut vulgus loquitur, ut proprie loquar, Scholia ſunt, ut Fabius docet, interpretationes linguae ſecretioris, ſive vocum minus uſitatarum, quae verbum pro verbo reddunt.

* Extat in Operibus Cujacii, a C. A. Fabroto editis tomi IV. part. 2. p. 1301.

ERU-

ERUDITO LECTORI
S. P. D.
ANTONIUS SCHULTINGIUS.

QUae huic Theſauro Juris Colophonem inponunt Gloſſae, lucem debent Viro Clariſſimo, Carolo Labbaeo, eamque adſpexerunt anno ſuperioris ſeculi ſexto, cum hac inſcriptione, *Gloſſae verborum juris quae paſſim in Baſilicis reperiuntur:* quam ego jam receptam mutare inconſultum fore duxi, licet ex ingenio magis natam editoris, quam librorum veterum auctoritate ſubnixam: unde & alii eruditiſſimi viri eas magis Gloſſas Nomicas indigitare voluerunt, titulo ab illis non abludente, quos ex libris nonnullis manu exaratis ipſe repraeſentavit Labbaeus [1]. Multa ſane in iis occurrunt hauſta ex Baſilicis, quae ſi haberemus integra, longe plura indidem eſſe petita, appareret. Atque in univerſum ad Jus ferme omnia, pauca ad Hiſtoriam, Antiquitatem, rem Grammaticam aliove pertinent. Auctorum ignoramus nomina: at illos non ante imperium Leonis Philoſophi, cujus initium incidit in annum aerae vulgatae ıɔ ccclxxxvi. vixiſſe exiſtimandum eſt: is enim Princeps Baſilica, a patre, Baſilio Macedone, denominata publicavit. Mentionem feci Auctorum numero plurium, quia ex diverſorum Lexicis, ſive Gloſſariis in unum conflatis hoc opuſculum concinnavit Labbaeus, eadem plane ratione, qua plurium Gloſſaria atque Onomaſtica Graeco-Latina & Latino-Graeca in unum redegit ordinem, poſt ipſius obitum edita Pariſiis anno cıɔ ıɔ clxxix. quod vel ideo monendum fuit, ne quis haeſitaret dubius, quare toties unum idemque proponatur verbum, vel eodem, vel diverſis in locis; modo ſimiliter, modo aliter enuciatum; & nunc hoc, nunc illo modo; nunc brevius ac conciſius, nunc plenius atque uberius, expoſitum. Satis vero paſſim perſpicere licet, non parum titubaſſe horum interpretamentorum compilatores, dum verba Latina Graecis literis conati ſunt exprimere, adeoque nec mirum ipſos ſubinde hac in parte variaſſe. Magis vero in eo illis laborandum fuit, ut explicatio Graeca Latino verbo vel locutioni ſatisfaceret. Quod quam fuerit grave viſum atque arduum, ne dicam de Gregorio Thaumaturgo (verba laudat Labbaeus [2]) oſtendit ipſe ille Juris & utriusque linguae peritiſſimus, Herennius Modeſtinus, qui libros excuſationum tutelae & curae Graece compoſitos emittens, in praefatione ad Ignatium Dextrum ſcribit [3], verba legitimae ſcientiae Graecis eſſe explicatu difficilia, δύσφραστα. Uti vero in aliis Gloſſis uſui venire ſolet, ita hic quoque plurima occurrunt momenti vel nullius vel exigui; quae tamen aliis nequaquam contemnendis, quin utilibus, quibusdam quoque ſcitu digniſſimis, nec alibi exſtantibus, abunde compenſantur: ne addam, fragmenta quaedam ex Hiſtoricis deperditis hic eſſe conſervata.

Novae autem harum Gloſſarum editioni occaſionem praebuit exemplar in ora habens emendationes Viri Summi Joſephi Scaligeri, nonnullaque alia erudito orbi nequaquam invidenda. Miſerat, ſcilicet, Scaligero ac donaverat Labbaeus Obſervationes ſuas & Emendationes in Synopſin Baſilicῶn, quibus adjunctae erant hae Gloſſae: pro quo munere gratias illi agit Scaliger [4], hisce inter cetera praemiſſis. *Gloſſas aliquot percurri, quae quamvis depravatiſſimae & contaminatiſſimae ſunt, tamen quia Latinae ſunt, & Graeca expoſitio illis adjuncta eſt, non operoſum erit eas emendare, praeter paucúlas: quas nec ipſas quoque emendari poſſe deſperandum eſt, ſi attentius in illas incumbatur.* Quid vero ulterius huic libello acciderit, intelligi poterit ex hac adnotatione manu exarata Gloſſisque praemiſſa. *Carolus Labbaeus editionis hujus ſuae exemplar miſerat & dederat Scaligero, ut id eſſet obſervantiae in eum ſuae teſtimonium: legit ille & multis in locis correxit manu propria: deinde ad Labbaeum remiſit Anno* 1607. *Quod cum apud ſe perpendiſſet Labbaeus, ac inſuper incidiſſet in MStum meliorem amplioremque, conſtituerat incudi reddere has Gloſſas cum additionibus ex MS. & cum Scaligeri notis; Quae omnia exemplari (ex quo haec deſcripſi) adſcripſerat manu propria Labbaeus. Scaligeri exemplar eſt apud Cl. Bigotium.* Sunt haec ut & reliqua a manu Viri elegantiarum talium curioſi, uti putatur, Henrici Copes, Jurisconſulti & apud Sylvae-Ducenſes quondam Scabini, alii codici adjecta, cui & ipſe unam alteramque correctionem adlevit; pluſculae ſunt Viri Praeclari, Gisberti Cuperi. Pervenit vero is tandem ex donatione laudati Henrici Copes ad Virum Ampliſſimum ac Juris antiqui ac novi, nec non literarum; variaeque doctrinae gloria inclytum, Cornelium van Bynkershoek, Supremae apud Batavos Curiae Praeſidem: qui pro ſingulari ſuo Jurisprudentiae aliarumque ſcientiarum promovendarum ſtudio, dedit utendum *Joh. vander Linden Junieri*, hujus Theſauri editori: & ab hoc ego rogatus cum perluſtrarem quae marginibus eſſent appoſita, non pauca mihi ſolummodo occurrebant valde probanda; ſed cum jam dudum ſatis haberem perſpectum, plurima in hoc opuſculo eſſe corruptiſſima, eadem tunc opera intellexi, non admodum mihi fore difficile notis & emendationibus doctorum virorum aliquas adjicere: & eo quidem magis, quod Viri Egregii, Johannes Meurſius *in Gloſſario Graeco-Barbaro*, & Carolus du Freſne, Dominus Du Cange *in Gloſſario mediae & infimae Graecitatis* non pauca jam reſtituiſſent; poſterior quoque complures re-

Qqqqq 2 centio-

1 *In praefatiuncula Notis praemiſſa.* 2 *Dedication.* 3 *L. 1. §. 1. D. de excuſationib.* 4 *Epiſt.* 351.

centioris Graeciae evolviſſet libros, calamo exaratos, ut & Gloſſas Nomicas, partim ex Regia, partim & Vaticana Bibliotheca petitas, unde non pauca in ſuum contulit Gloſſarium. Juvit etiam, ſed rarius, Barn. Briſſonii opus *de Verborum ſignificatione*, ubi vir ille eruditiſſimus nonnulla Gloſſarum, tam harum quarumdam, quam aliarum ineditarum fragmenta exhibet. Inprimis vero Graeci mihi auxilium attulerunt interpretes, Baſilica, ipſorum Scholiaſtae, Theophilus pluresque; ex quibus veram lectionem ſaepe pronum fuit eruere. Illud interim mirari ſubiit, quod ad calcem Gloſſariorum anno CIƆ IƆ CLXXIX. in lucem emiſſorum hae etiam Gloſſae conſpiciantur, absque ulla variatione vel additione: ut adeo Viro egregio, qui illas tunc publicavit, nihil de libro Scaligeriano videatur innotuiſſe; cujus nec in praefatione mentionem ullam injicit: & hujus tamen ope illa editio ornatior atque auctior potuiſſet prodire. Praeclare interim cum his Gloſſis actum fuiſſet, ſi abſoluta ac vulgata fuiſſent, quae ad illas ſe ſcripturum fore promiſit Vir Celeberrimus, Car. Annibal Fabrotus [5]: quid enim non hac in parte praeſtare potuiſſet vir Juris Antiquitatumque non modo peritiſſimus, ſed & in Graecis Juriſconſultis verſatiſſimus, affluentibus inſuper maximis undique ſubſidiis ex Regia aliisque ampliſſimis ac opulentiſſimis Galliae Bibliothecis, in quibus complura hodie ejusmodi inveniuntur Gloſſaria, ex quali etiam ſua locupletavit Labbaeus, non indicans tamen unde id depromſerit. Habet vero Gloſſas quoque tales Vaticana, antea memoratas, nec non Medicea; quarum ſpecimina ex apographo patris ſui, Viri Clariſſimi, Jacobi Gronovii, mecum communicavit eruditiſſimus filius, Abrahamus Gronovius. Alias poſſidet Vir ſummae doctrinae & diligentiae, Jo. Albertus Fabricius, in quibus verba primum litteris proponuntur Latinis, dein Graecis, ac ſequitur Graeca interpretatio, quarum initium apud ipſum videre eſt [4]. Ego quoque, ſi ejusmodi inſtructus fuiſſem adminiculis, longe plura ac meliora circa has Gloſſas praeſtare potuiſſem: quin absque illis quoque, ſi paulo longiori tempore licuiſſet haec ipſa premere ac retractare, aliquanto forte meliora ac copioſiora effeciſſem: at properato fuit opus, ſuo ut tempore hic Theſaurus finem acciperet.

Caeterum in hisce Gloſſis ab editione Labbaei rariſſime eſt receſſum; etiamſi innumeris in locis ſatis videretur eſſe manifeſtum, quid poſſet absque periculo recipi: idque ipſius Labbaei aliorumque, qui Gloſſaria publicarunt, exemplo; ut hac ratione, ſi peccandum eſſet, in partem id fieret tutiorem. Eo vero ab ejusmodi correctionibus in ipſo contextu mihi abſtinendum fuit magis, quod non paucae ſeſe offerrent hallucinationes, quae an librariis, an ipſis Auctoribus inputandae venirent, dijudicare non eſſet in proclivi: nec tamen illud hic tantopere quaeratur, quid rectum ſit, quod plerumque definire non magni eſt laboris, quam quid ipſorum fuerit compilatorum. Additiones ex libro MS. a Labbaeo prolatas ſuis inſerui locis, uncis incluſas. Notis Labbaeanis, emendationibus Scaligerianis reliquisque, quibus addita erant nomina, ea quoque hic ſunt appoſita, exceptis ex Scaligerianis duabus tribusve plane omiſſis, utpote ita perperam deſcriptis, ut nullus ex illis ſenſus poſſet confici, adeoque illarum loco aliae ſunt ſubſtitutae. Quibus vero cujus eſſent auctoris, non erat adſcriptum, ea ſtellulam habent adjectam. Reliquae ſunt meae, longe evaſurae numeroſiores, nec magna opera, ſi ubique fontes, unde quidque eſſet hauſtum, ubi eorum fuiſſet copia, voluiſſem indicare, vel etiam ipſorum auctorum errores adnotare; quod tunc ſolummodo fieri oportere credidi, cum res alicujus eſſet momenti. Gloſſas quoque nonnullas intactas praetermiſi, cum viderem illas quantumcumque etiam tractatas nihil a me poſſe nitoris accipere. Ad haec quaedam poſterioris Graeciae verba, ad quorum intellectum Clariſſimorum Virorum, Meurſii & Du Cangii Gloſſaria facem praeferunt, illic reliqui inveſtiganda. Denique ut contextui omnes ſubjicerentur notae, e re Tua, Erudite Lector, fore exiſtimavi. Vale.

5 *Not. ad Theophil. tit. Inſt. de ſucceſſionib. ſublat. §. 12. Inſt. de actionib. §. 1. Inſt. de noxalib. actionib. in edit. Ann. 1638. & ſaepe in Gloſſario verbor. Cedreni.* 6 *Biblioth. Graec. lib. IV. cap. 36. p. 571.*

VETERES GLOSSAE JURIS

Verborum, quae in Baſilicis reperiuntur.

A.

Ἀ ΒΑΔΙΤΑ ἠρεδιτάτε. μετὰ τὴν ὑπεισέλευσιν τῆς κληρονομίας.
Ἀβδίτης. ἄπαιχος.
Ἀβιλέιε. ἀπελάται, ὅ ἐστι θρέμματα ἀπὸ βοσκῆς ὑποσύραντες.
Ἀβίστως λέγεται, ὁ ἀπελάτης.
Ἀβίστως ἀγωγὴ, ἡ κατὰ τῶν ἀπελάτων.
Ἀβιταλιόν, δίκαιον τοῦ οἰκεῖν τινὰ εἰς τὴν ἑτέρου οἰκίαν.
Ἀβολιτίων ἤγουν ἀπαλειφὴ κατηγορίας προγινομένης.
Ἀβολίτζιο. ἀγωγὴ κατηγορίας ἀπολεσθείσης ἀπαλειφή.
Ἀβολιτίων γινομένη γενικὴ παρὰ Βασιλέως ἀπαλείφεται πάντα τὰ εἴδη προκαταρχθέντα. δύναται δὲ αὖθις κινεῖσθαι.
Ἀβανκούλους. ὁ πρὸ μητρὸς θεῖος, ἤγουν μητρῷος.
Ἀβούστουμ, ἀντλία ὕδατος.
Ἄγγελος. ὁ σημαίνων, ὁ ἀποκρισιάριος, ἢ ὁ τὰς ἀγγελίας ἤγουν τὰς ἀκοὰς καὶ τὰς φήμας διαγγέλλων.

Ἀγουΐνης. αἵματος.
Ἀγωγὴ, παρὰ τὸ ἄγειν τοὺς ἀγομένους εἰς τὸ δικαστήριον.
Ἀγωγὴ λέγεται ἡ κίνησις τῆς ὑποθέσεως, ἀπὸ τοῦ ἄγειν τοὺς ἀγωνιζομένους εἰς τὸ δικαστήριον.
Ἀγωγὴ ἐστὶ δίκαιον τοῦ ἀπαιτεῖν ἐν δικαστηρίῳ τὸ ὅθεν δήποτε χρεωστούμενον. εἴρηται δὲ ἀγωγὴ παρὰ τοῦ ἄγειν τοὺς ἀγωνιζομένους εἰς τὸ δικαστήριον.
Ἀδανεκτικά. συγγενικά.
Ἀδατατίον. τὸ οἰκεῖον δῶρον ἐν ἀλλοτρίᾳ οἰκίᾳ.
Ἀδβενδίτζιον λέγεται τὸ κτηθὲν πρᾶγμα ὑπὸ τοῦ ὑπεξουσίου χωρὶς πατρικῶν πραγμάτων. καὶ ἔχει τοὺς καρποὺς ὁ πατὴρ, τὴν δὲ δεσποτείαν ὁ ὑπεξούσιος.
Ἀδβενδίτζιον λέγεται ἡ προὶξ περὶ ἐξωτικοῦ μὲν χρεωστουμένη, διδομένη τινί.
Ἀδβενδίτζιομ. ἀγωγὴ ἡ προὶξ παρὰ ἐξωτικοῦ μὲν χρεωστουμένη δυναμένη τινί.

Ἀδγνά-

UT olim JCtis Graecis, quod publice dixit Gregorius Thaumaturgus, difficillima fuit interpretatio Romani ſermonis, quo leges expoſitae traditaeque ipſis fuerant: ita nunc his, qui fructum ex libris ipſorum (maximum autem doctiores percipere ſe profitentur) colligere cupiunt, uſurpata ab ipſis & ſaepe depravata Romana verba perobſcura ſunt, multosque in legum Interpretatione labi cogunt. Quare non inutilis, opinor, fuerit opera, quam poſuimus in his veteribus Gloſſis colligendis, & ſervato ordine alphabetico edendis, emendandisque pro brevitate temporis, cujus neceſſitatem proximae Francofurtenſes nundinae impoſuerunt: quod quidem cum primum praeſtabimus, ſi prius laudaverimus auctores, a quibus eas accepimus. Inter hos praecipui ſunt MSS. codd. Regii tres, in quorum fine variae fuerunt harum vocum συναγωγαί. in primo, cujus titulus Νόμιμον τὸ κατὰ στοιχεῖον, tres hae cum his titulis, Λατινικαὶ λέξεις αἱ ἐν τοῖς νόμοις κείμεναι ἰταλικαὶ λέξεις αἱ κατὰ στοιχεῖον: Λεξικὸν κατὰ στοιχεῖον ἀφερμηνεῦον τὰς ῥωμαϊκὰς λέξεις τὰς ἐν τῷ νόμῳ κειμένας. in ſecundo, qui eſt Harmenop. haec cum hoc titulo, Περὶ σημασίας καὶ διαφορᾶς ῥημάτων τῶν ἐν τῇ ἑλληνικῇ διαλέκτῳ καὶ τῇ ῥωμαϊκῇ: vel hoc, Αἱ καταγραφεῖσαι λέξεις ῥωμαϊκαὶ ἐν τοῖς νόμοις. in tertio denique, cujus titulus Λέοντος Κωνσταντίνου καὶ Βασιλείου ἐκλογὴ τῶν νόμων καὶ ἐπιδιόρθωσις, haec, Λέξεων ῥωμαϊκῶν συναγωγὴ κατὰ ἀλφάβητον. Alias habuimus ex Illuſtriſſimi Joſ. Scaligeri & Clariſſimi Fr. Pithoei ſchedis; quarum quidem omnium ſcripturam in omnibus verbis diligenter repraeſentavimus & religioſe ſecuti ſumus, licet in plurimis ſaepe literam pro litera, ſyllabam pro ſyllaba poſitam, vel literam vel ſyllabam omiſſam invenerimus: quod pluribus dicere non eſt neceſſe, cum cuivis legenti facile innoteſcere poſſit. LABBAEUS.

A.

Ἀβδίτης] ἀβδίτης. SCALIG.
Ἀβιλέιε] ἀβίγεοι. IDEM.
Ἀβίστως] ἀβίγεως. IDEM.
Ἀβίστως ἀγωγὴ] ἀβίγεος. IDEM.
Ἀβιταλιόν] ἀβιτατιόν. IDEM.
Ἀβολιτίων] ἀβολιτίων. IDEM.
ἀπαλειφὴ] Sic & in ſequentibus. In Gloſſariis Latino-Graecis & hoc occurrit, & ἀπαλιφὴ, alibi ἀπαλοιφή; quod rectius.
ἀγωγὴ] Briſſonius *de verbor. ſignification. v. abolitio* reliqua hic exſtantia proferens hoc verbum non habet, ac recte; nihil enim minus abolitio eſt, quam actio: eo abjecto, erit haec explicatio ſimilis praecedenti, a qua non abit illa Pauli *Sentent. lib.* v. *tit.* 17. §. 5. *Abolitio eſt deletio, oblivio, extinctio accuſationis.*
Ἀβανκούλους] ἀβούνκουλος. SCAL. & ſic Meurſius *in Gloſſar. Graeco-Barbar. h. v.*
πρὸ μητρὸς] Lego, πρὸς μητρὸς, ut in verbis, ἀμίτα, ματέρτερα, φράτηρ πατρικὸς. Lucianus *Somn.* ὁ πρὸς μητρὸς θεῖος. & in *Novella* CXVIII. *cap.* 3. πρὸς πατρὸς καὶ μητρὸς θεῖοι.
Ἀβούστουμ] Leg. ἄυστρουμ Gloſſ. Med. ἄυστρ ἀντλήσεις ὕδατος. ABR. GRONOV. Adde Nonium v. *Hauſtra.*
Ἀγουΐνης] σάγγυινις. SCAL.
τοὺς ἀγομένους] *qui ducuntur*, ut in inſcriptione *l.* 48. *D. de verbor. ſignificatione.* quod etſi inelegans, ἄγειν τοὺς ἀγομένους, defendi tamen poteſt: alioquin probum magis quod ſequitur, τοὺς ἀγωνιζομένους, idque habet Theophilus *pr. Inſt. de actionib.* ubi plura de eo verbo notavit Fabrotus.
Ἀδανεκτικά] ἀδνατικά. SCAL.
Ἀδατατίον, τὸ οἰκεῖον δῶρον ἐν ἀλλ. οἰκίᾳ] Legendum videtur, Ἀβιτατίον, τὸ οἰκεῖν δίκαιον. LABB.
Ἀδατατίον] ἀβιτατιόν. SCAL.
περὶ ἐξωτικοῦ] Mallem παρὰ ἐξωτικοῦ, uti ſequitur: atque ita haec citat Briſſonius v. *Adventitia dos.*
Ἀδβεντίτζιομ. ἀγωγὴ ἡ προὶξ] Ut explicatio reſpondeat praemiſſis, debuiſſet ſcribi, Ἀδβεντίτια δως.
δυναμένη] Lego, uti praeceſſit, διδομένη.

Α'δγνάτος λέγεται ὁ ἀπὸ ἀρσενικοῦ γένους καταγόμενος, ἤγουν ὁ ἐκ τοῦ ἀρσενικοῦ τέκνου τεχθείς.
Α'δγνάτους. προσγενεῖς.
Α'δγνατίωνα. ἀῤῥενογενείας.
Α'διλάτωρ. καταμηνυτής.
Α'διλίτζια ἀγωγὴ καὶ τὰ ἐμπαθῆ ζῶα πωλοῦνται. αὕτη ἡ ἀγωγὴ παρὰ τῶν αἰδίλων τῶν πραιτόρων εἰσήχθη. αἴδιλοι γὰρ προεβλήθησαν ὑπὸ Καίσαρος Ἰουλίου Γαΐου εἰς τὸ φροντίζειν τοῦ σίτου, καὶ τῶν τῆς ἀγορᾶς, οὓς ἐν ὑστέρῳ καὶ ἀγορανόμους ὠνόμασαν. τῶν πραιτώρων δὲ ἐστιν αὕτη. τοῦ γὰρ δωδεκαδέλτου νόμου τὴν κουαδρουπεδάρια εὑρηκότες οἱ πραίτορες, τὴν αἰδιλέμπιζιαν εἰσήγαγον. ἐπικοινωνοῦσα κατά τι τῇ προτέρᾳ τὸ δόγμα ταύτης ἐνταῦθα μὲν ποινὴν ἀπαιτεῖ ἀπὸ τοῦ τὸ ἄγριον ζῶον τὸ βλάψαν λελυμένον ἔχοντος.
Α'δεμπαθεῖ. ἐκρίθη.
Α'δεμπλινθεὶν. ἀφαιρεθέν.
Α'δεμπλίνει. ἀφαιρεῖται.
Α'δεμπλένω. ἀφαιροῦμαι.
Α'δεμπλένοντ. ἀφαιρούμενος.
Α'δεξηβένδυ. πρὸς τὸ παρέχειν ἀβούλιον εἰς τὸ ἐμπλοῦν.
Α'δεξιβένδουμ. ἡ παραστατικὴ τοῦ πράγματος ἀγωγὴ, ἢ περὶ ἐκκλήσεως.
Α'δεξιβένδουμ λέγεται περὶ παραστάσεως, ἢ περὶ ἐκκλήσεως, ἢ περὶ ἀποκρυβέντων πραγμάτων, ἡ ἀπαιτοῦσα τὸ πρᾶγμα ὁποῖον ἦν ἐν προκατάρξει, εἴτε μετὰ προκατάρξιν.
Α'δεξιβένδουμ. ἤγουν εἰς τὸ ἐξελαύνειν τῶν τόπων τὰ θρέμματα.
Α'δέπλους. ἐπιλάβετο.
Α'δετ. ἔχει.
Α'διάθετος κυρίως λέγεται, ὁ διαθέσθαι δυνάμενος καὶ μὴ διαθέμενος, ἢ ἀκύρως διαθέμενος.
Α'διατεῦσαι. ὑπεισελθεῖν.
Α'διοδικατιτέυειν. προσκυροῦν.
Α'διστινατέυει. ὑπεισέρχεται.

Α'διτατιὸν. δίκαιον τοῦ εἰκεῖν εἰς τὴν ἑτέρου οἰκίαν.
Α'διτέυει. ὑπεισέρχεται.
Α'διτέυει. ἀνοίγει.
Α'διτέυειν. ἀποστρέφειν.
Α'διτευέτω. ἀποστρεφέτω.
Α'διτέυοντι. προσερχομένῳ.
Α'διτέυουσα. νεμομένη, κρατουμένη.
Α'διτέυω. ἐπιστρέφω.
Α'διτεῦσαι. ὑπεισελθεῖν.
Α'διτίωνα ζητεῖ. φαίνεται δὲ λέγειν, τὸ ἔξω τοῦ ν[...] νομισμένου χρόνου.
Α'διτίων λέγεται, ἡ ὑπεισέλευσις.
Α'δμινιστραβίλιον λέγεται ἡ ἐλευθερία πεκουλίου διοίκησι[...]
Α'δνατικά. πρὸς τὸ κάθισμα.
Α'δνατέρουμ. συγγενεῖς.
Α'δνάτος λέγεται, ὁ ἀπὸ ἀρσενικοῦ γένους καταγόμενο[...]
Α'δνάτος. ἀνεψιὸς, ἡ συγγενής. ἀδνάτοι γὰρ οἱ [...] ἀῤῥενογενείας καταγόμενοι, οἵ τινες καὶ νόμιμοι κ[...] φυσικοὶ ἐλέγοντο συγγενεῖς. Κογνάτοι δὲ, οἱ ἐκ θ[...] λυγενείας· οἵ τινες μόνοι φυσικοὶ ἐλέγοντο, οὐ μ[...] καὶ νόμιμοι.
Α'δνάτος. ὁ ἐξ ἀῤῥενογενείας συγγενής.
Α'δνάτος. ἀνεψιὸς καὶ συγγενής.
Α'δνούμιοι κατ' ὄνομα διέρχεσθαι.
Αδόπτιο. τεκνοποίημα.
Α'δοπτίων. τεκνοποίημα.
Α'δοπτίων. εἶδος υἱοθεσίας.
Α'δοπτίων. ἡ υἱοθεσία.
Α'δουίτωρ. συλλήπτωρ, συνεργός.
Α'δουέρτωρ. συλλήπτωρ, συνεργός.
Α'δούλτις λέγεται ἡ υἱοθεσία· ἤγουν ὁ ἐκ τοῦ ἀρ[...] νικοῦ τέκνου τεχθείς.
Α'δουλτερίους, ἀγωγὴ περὶ μοιχείας καὶ στρέφετο[...]
Α'δουλτέρος. ὁ καταλιμπάνων τὴν οἰκείαν γαμετὴ[...] καὶ εἰς ἑτέραν βαδίζων.
Α'δούλτερις ὁ νόμος ὑπὸ αὐγούστου ἐκτεθεὶς μὲν, ἀ[...] δὲ τοῦ Ἰουλίου νόμου φυλαττόμενος. κινεῖ δὲ π[...] μ[...]

Α'δελάτωρ] pro Δελάτωρ.
Α'διλίτζια] αἰδιλίτζια. SCAL.
πραιτόρων] Scribere debuit hic & poſtea αἰδίλιων, ex *l.* 1. §. 1. *D. de aedilit. edict.* §. 7. *Inſt. de jur. natural. gent. & civil.* Quae ſequuntur, hauſta ſunt ex *l.* 2. §. 32. *D. de origin. jur.* ipſa vero horum aedilium origo altius eſt repetenda, *d. l.* §. 26.
κουαδρουπεδάρια εὑρηκότες &c.] Lego κουαδρουπεδαρίαν εὑρηκότες, οἱ πραίτορες τὴν &c. Ceterum parum diſtincte Auctor agit de actionibus aedilitiis, quae dantur ob vitia & morbos ſervorum & jumentorum, deque aedilitia de pauperie.
αἰδιλέμπιζιαν.] αἰδιλίτζιαν. SCAL.
εἰσήγαγον &c.] Scribo, εἰσήγαγον, ἐπικοινωνοῦσαν κατά τι τῇ προτέρᾳ. Τὸ δόγμα &c. Actio civilis ex XII. tabb. & aedilitia de pauperie in quo conveniant aut differant, docet titulus *Inſt. Si quadrup. pauper. feciſſ. dicat.*
λελυμένον] Imo, vel ſolutum, vel ligatum, modo contineri, quo minus damnum inferat, non poſſit, *l.* 41. *D. de aedilit. edict.* nec diſcrepant Baſilica *tom.* III. *p.* 404. ut Auctor ipſe videatur rem non exacte expoſuiſſe.
Α'δεμπαθεῖ] Hic aliquid de damnatis forte latet.
Α'δεξηβένδυ] Lego Α'δεξηβένδουμ, vel Α'δεξιβένδουμ, uti ſequitur.
Α'δέπλους] Eſt nova gloſſa; & ut interpretatio ſit apta, hic foret legendum, Α'δδιδίκουμ.
ἀποκρυβέντων] Edidi, ἀποκρυβέντων.
Α'δεξιβένδουμ. ἤγουν εἰς τὸ ἐξελαύνειν] Α'δεξηγίνδουμ. SCAL.

Α'δετ] Leg. ἄβετ, vel ἄφετ, ut infra. CUP.
Α'διατεῦσαι] αἰδιτεῦσαι. SCAL.
Α'διοδικατιτέυειν] ἀδιουδικατιέυειν. IDEM. & Meurſius *in Gloſſar.*
Α'διστινατέυει. ὑπεισέρχεται] Α'βστινατέυει, ἐξ ὑπεξέρχεται SCAL. Sed Meurſius *in Gloſſar.* legit, Α'διστινατ[...]
Α'διτατιὸν] ἀβιτατιόν. ID.
Α'διτέυειν] ἀβιτεύειν. ID.
Α'διτευέτω] ἀβιτευέτω. ID.
Α'διτέυω] ἀβιτεύω. ID.
ἡ ἐλευθερία] L. ἡ ἐλευθέρα. CUP. recte, & hoc m[...] do, ἡ ἐλευθέρα πεκουλίου διοίκησις.
Κογνάτοι] pro κογνάτοι. ſed ſic & alibi, unde [...] reor, ne & ſic ipſe Auctor ſcripſerit.
Α'δνούμιοι] Recte habet ſcriptura. Vid. Meurſ. Du Cang. *Gloſſar.*
Α'δόπτιο] ἀδοπτίων. SCAL. Franc. Boſquetus [...] *Pſell. Synopſ. leg. v.* 475. legit ἀδόπτιον, uti in [...] quentibus ſcriptum eſt.
Α'δουίτωρ. συλλήπτωρ] Leg. Αδιούτωρ, ut poſt [...] Α'δουέρτωρ, *Adjutor.* LABB.
ἤγουν ὁ ἐκ τ &c.] Haec ſedem mutarunt & ad [...] periora, quae de adgnatis loquuntur, pertinent.
Α'δούλτερις] Boſquetus *ad Pſell. v.* 467. le[...] ἀδουλτέριος.
ὑπὸ] Idem, ἀπό.
α'ὐτὸ] L. ἀπὸ. CUP. & ſic Boſquetus. Sed non [...] deo in utroque rationem.
νόμου] Expungit hoc Boſquetus. Ego tamen [...] ſic quidem ſenſum in hiſce video idoneum: nec t[...]

μοιχείας καὶ στρέπιον. καὶ ἡ μὲν μοιχεία ἐστὶν ἐπὶ τῶν γαμουμένων. τὸ δὲ στρούπιον, ἐπὶ παρθένων, καὶ χηρῶν, καὶ παίδων ἀῤῥένων κινεῖται. Ἀδούλτηρ δὲ ὠνόμασται ἐκ τοῦ παραχαράττειν. ἀδούλτηρ γὰρ ἡ παραχάραξις· καὶ ὁ μοιχὸς δὲ παραχαράττει τὴν ἀλλοτρίαν κοίτην, καὶ συγχεῖ τὸ τῆς φύσεως δίκαιον διὰ τῆς τῶν παίδων νοθείας.

Ἀδουπτίονα. υἱοθεσίαν.

Ἀδπισκίπτουμ. προληπτικῶς.

Ἀδπρετίουμ παρτιτσιπάνδουμ, ἑαυτὸν ὑπέσχετο πραθῆναι.

Ἀδπετίουμ. εἰς τιμὴν τῶν μετεχόντων.

Ἀδπλέουμ, ἀφαιρούμενος.

Ἀδρογατίωνα, παράκλησιν.

Ἀδρεμπερσεκουτίονεμ. ἀγωγὴ δι' ἧς ψιλῶς τὸ πρᾶγμα ἀπαιτοῦμεν ἄνευ ποινῆς.

Ἀδρεμεσκουτίονα. ἐξ ἰδιωτικοῦ ἐκβιβασμοῦ, καὶ μὴ δι' ἀγωγῆς.

Ἀδρεσπόνσου. εἰς ἀπόκρισιν.

Ἀδρεμπερσκουτίονεμ· ἤγουν εἰς πράγματος ψιλοῦ ἀπαίτησιν.

Ἀδρέσπονσουμ. εἰς ἀπόκρισιν.

Ἀδρογατὸν ἡ ἐκ βασιλέως υἱοθεσία γινομένη διὰ προστάγματος, ἤτοι κατὰ παράκλησιν.

Ἀδσιγνατίων. προσκυρώσεις.

Ἀδσιγνατεύσει. ἀποπέμψει, παραιτήσεται.

Αἴδες, οἱ ναοί.

Αἰδιτουούτουμ. οἵ τινες τοὺς ναοὺς ἀσφαλίζονται.

Αἰδίλες. οἱ ἀγορανόμοι.

Αἰδίλες. οἱ ναοί.

Αἵρεσις. ἤγουν θέλημα.

Αἵρεσις κυρίως ἐστὶν, ἡ εἰς τὸν μέλλοντα συγκειμένη.

Αἰστιμάτα. ἡ διατετιμημένη.

Ἀκαθῆναι. ἀπρακτεῖς.

Ἀκεδολείκολ. τῷ ναῷ φροντιστά.

Ἀκεπίον. δέξασθαι.

Ἀκεπτιλατίων. ἀποχή.

Ἀκεπτιλάσιον. ἀποχή.

Ἀκεπτιλατίονα. ἔρευνα.

Ἀκεπτιλατίων. τὸ ἔγγραφον τῆς προικός.

Ἀκεπτιλατίων. ἐπερώτησις εἰκονικὴ καταβολή. ἑρμηνεύεται δὲ . . . .

Ἀκεπτιλάτιος. εἰκονικὴ καταβολή. εὗρον δὲ ἐν τῷ συμβατίῳ ἀποχήν.

Ἀκίων. προσθήκη τόμου.

Ἀκκεπτιλατίων. εἰκονικὴ πρᾶσις, ἡ καταβολὴ ῥήμασι τυπικοῖς γινομένη, ἥ τις διαλύει τὴν τῆς βέρβης ἐνοχήν.

Ἀκκεπτιλατίων. ἀποδέχομαι, ἀπρόσδεκτον ἡγοῦμαι.

Ἀκκεσιὼν τὸ παρακολούθημα, ἤτοι ἐφόλκιον. ὡς ἡ δόσις τῶν ἐγγυητῶν μὴ εἶναι πλείων τοῦ χρέους τοῦ πρωτοτύπου.

Ἀκουαδούκτους. τὸ ἕλκειν μὲν ὕδωρ δι' ἀλλοτρίου ἀγροῦ.

Ἀκουιλίαν. ἀγωγὴν ἔχουσαν καταδίκην ἐξ ὁμολογίας μὲν εἰς τὸ ἁπλοῦν, ἐξ ἀρνήσεως δὲ εἰς τὸ διπλοῦν.

Ἀκουιλιανὴ ἐπερώτησις, οἷον τὸ, ὅπερ σοι ἐχρεώστουν, ἔχεις λαβών.

Ἀκουιλιανὴ οὐκ ἔστιν ἀγωγὴ ἀλλ' ἐπερώτησις ἐκ τῆς βέρβης, ἐπινοηθεῖσα ὑπὸ Ἀκουιλίου Γάλλου τοῦ νομικοῦ, ὡς ὁ κθ. τίτλ. τοῦ β. βιβλίου τῶν ἰνστιτούτων. πάντα τοίνυν τὰ ἐξ οἱασδήποτε αἰτίας χρεωστούμενα, ἡ ἐπερώτησις διὰ τῶν ῥημάτων εἰς ἑαυτὴν μετάγει, καὶ λοιπὸν οὐκ ἔτι χρέος ἐστὶν ἐκ τῆς δεῖνα ἢ δεῖνα ἀγωγῆς, ἀλλὰ χρέος ἐξ ἐπερωτήσεως. αἱ δὲ πρὸ τοῦτο ἀγωγαὶ ἀναιροῦνται, καὶ αὐτὴ ἡ ἐπερώτησις ἀναιρεῖται διὰ τοῦ ἀκκεπτιλατίωνος, ἤτοι τῆς ἀκουιλιανῆς ἐπερωτήσεως. ἡ δὲ ἀκουιλιανὴ εἶχε φύσιν τοιαύτην. εἴγε τις ἤθελε ἐλευθερῶσαι τὸν χρεώστην αὐτοῦ, πρότερον παρεσκεύαζεν αὐτὸν καταθέσθαι ὅτι χρεωστεῖ. ἠρώτα γὰρ οὕτως, ὁμολογεῖς χρεωστεῖν μοι τόδε ἀπὸ δὲ τῆς αἰτίας. ἐκείνου δὲ λέγοντος ναὶ, τότε ἐκ τοῦ ἐναντίου ἐπερώτησις ἐγίνετο παρὰ τοῦ χρεώστου πρὸς τὸν δανειστὴν, ὅτι σοι ὡμολόγησα χρεωστεῖν ἀπὸ τῆσδε τῆς αἰτίας καὶ τῆσδε ἔχεις λαβὼν, καὶ ἀπε-

κρίνατο

---

hi aliud ſuccurrit, quam tentare, ut ita totum locum legamus, ἀπὸ δὲ Ἰουλίου τὸ ὄνομα φυλαττόμενος, ſed ſervans nomen a Julio, ſc. Caeſare, a quo tam Auguſtus nomen Julii, quam lex Juliae, accepit. Melius ſi quis invenerit, erit mihi gratum.

στρέπιον] Boſquetus legit στούπρον, & paulo poſt στούπρον. Sed & στρούπτον dixiſſe poſteriores Graecos docet Du Cangius *in Gloſſar.* imo apud Pſellum *Synopſ. legum v.* 470. legitur στρούπτον τῆς μοιχείας.

ἀδούλτηρ γὰρ ἡ παραχάραξις] Boſquetus legit, *Adulterium*, vel ὁ παραχαράκτης. (male editum παραχαράκτης.)

Ἀδπισκίπτουμ] ἀδκισκίπτουμ. SCAL. ἀκουσίτου. ID.

Ἀδπετίουμ] Mallem ἀδπρετίουμ.

Ἀδρογατίωνα] ἀδρογατίωνα. SCAL.

Ἀδρεμεσκουτίονα] An Ἀδρεμεξσεκουτίονεμ, aut Ἀδρεμπερσεκουτίονεμ. vid. in v. περσεκούτιο.

Ἀδρεσπόνσου] Lego Ἀδρεσπόνσουμ. ut paulo poſt eſt ſcriptum.

Ἀδρεμπερσκουτίονεμ] Scribo, Ἀδρεμπερσεκουτίονεμ. quomodo exaratum eſt in praecedentibus.

Ἀδσιγνατεύσει] ἀδσιγνατεύσει. SCAL.

Αἰδίλες. οἱ ναοί] Corrigo Αἴδες, οἱ ναοί, uti praeceſſit.

Αἰστιματία] Lego Αἰστιμάτα, ſcilicet, dos, vel res.

Ἀκεδολείκολ &c.] An Ἀέδιλες κουρούλες, τῶν ναῶν φροντισταί.

Ἀκεπτιλάσιον] Lego, ut praeceſſit, ἀκκεπτιλάτιον, hic & verbo ſequenti.

ἔρευνα] Nihil hoc ad rem: an locus eſt mutilus, & ſcriptum fuit, ἑρμηνεύεται, & talia quondam addita fuerunt, qualia extiterunt in gloſſa, quae ſecundo loco ſequitur?

Ἀκεπτιλατίων] Ἀκκεπτιλατίων.

ἐπερώτησις εἰκονικὴ καὶ.] Diſtinguo ἐπερώτησις, εἰκ. καταβ.

δε . . .] εἰκονικὴ καταβολὴ ῥήμασι τυπικοῖς γινομένη. (*) Habet quoque talia Theophilus §. 1. *Inſt. quib. mod. toll. obligat.* Sane ſic lacuna ſuppleretur: quia tamen non dicuntur eſſe ex libro veteri, nec eſt haec verbi interpretatio, ſed potius definitio; ſed nec in lacuna tot literae abſorptae ſunt, contextui inſerere non volui. Prolixiorem expoſitionem ex alio Gloſſario producit Briſſonius *hoc verb.*

Ἀκίων] Ἀκίονε, ἀκκίονε (*) Lege Ακσιονε vel Ακσίονε.

πρᾶσις] Alii λῆψις, vel καταβολή. an legendum πρᾶξις? eſt enim negotium imaginarium.

ἀπρόσδεκτον] An ἀποδεκτόν.

μὴ εἶναι πλείων] Theophilus *ad* §. 5. *Inſt. de fidejuſſorib.* οὐ δύνανται δὲ ἐν τῇ δανεισίου εἶναι πλεῖον, ὅπερ ἐστὶν ἐν τῷ πρωτοτύπῳ δίκῃ. quae rem bene exponunt. Hic aliquid turbarunt librarii.

τοῦ β] Imo τοῦ γ.

πρὸ τοῦτο] Lego πρὸ τούτου.

ἀπὸ δὲ τῆς αἰτίας] ἀπὸ τῆσδε αἰτίας. (*) Briſſonius haec producens in *v. Aquiliana ſtipulatio* exhibet, τῆσδε τῆς αἰτίας, rectius.

ναὶ] ναί. (*) & ita apud Briſſonium, quod recepi.

κρίνησι ἔχω λαβεῖν, ἃ καὶ ληφθέντα ἀπηνεγκάμην. καὶ λοιπὸν διὰ μὲν τῶν προτέρων ῥημάτων ὁτίκτετο ἡ ἐπερώτησις βεβαιοῦσα τὴν ἐνοχὴν, διὰ δὲ τῶν δευτέρων, ἡ ἀκεπτηλατίων, ἤτοι εἰκονικὴ καταβολὴ ἀθετοῦσα τὸν χρεώστην.

Α'κουίλιος νόμος ἀπαιτῶν τὴν τοῦ ζώου ἀναιρεθέντος παρά τινος διατίμησιν.

Α'κουίλιος. ἀγωγὴ κινουμένη κατὰ τοῦ ὑπερθεμένου δοῦναι τὸ καταληφθέν.

Α'κουίλιος. ἀγωγὴ ἡ ἀπαιτοῦσα ἐξ ἀρνήσεως τὸ διπλοῦν, ἐξ ὁμολογίας δὲ τὸ ἁπλοῦν.

Α'κουίλιος λέγεται ὁ ἄδικον ἐπιζητῶν ζημίαν. οὗτος γὰρ ὁ νόμος ἐστὶ πάντων τῶν περὶ ζημίας νόμων ἐπικρατέστερος. παρακολεύεται δὲ οὗτος καὶ περὶ τῶν ἄλλων μὲν, ἐξαιρέτως δὲ, περὶ τῶν ἀποδιδομένων εἰς τὸ διπλάσιον. καὶ λέγεται ἀκουίλιος νόμος, καὶ ἀπαιτῶν τὴν τοῦ ζώου ἀναιρεθέντος παρά τινος διατίμησιν.

Α'κουρίτους. προσπορίζοντα.

Α'κουρίτους. προσπορίζοντας.

Α'κριλεγιούσιμα. θρησκευτικώτατα.

Α'κτίωνας. δίκας δὶ ὧν ἀπαιτοῦμεν τὸ ἡμῖν ὀφειλόμενον.

Α'κτωρα. ἐνάγοντα.

Α'κτος. πρᾶξις.

Α'κτουριτάτης αὐθεντίας.

Α'κτουριτάτη. αὐθεντία.

Α'κτους. ἡ πλατυτέρα ὁδός.

Α'κτους. δίκαιον τοῦ βαδίζειν με διὰ σοῦ μετ' ὑποζυγίου.

Α'κτωρ. ὁ ἐνάγων, ἢ ὁ κουρατωρεύσας δὶ ἀσθένειαν τοῦ ἐπιτρόπου τοῦ νέου.

Α'κτωρ. ὁ πρωκουράτωρ.

Α'κτωρ. ὁ κατέχων.

Α'λβη κουρρέντη. ἀγωγὴ ἡ κατὰ τῶν φθειρόντων τὸ προτεθὲν ἔδικτον ὑπὸ τοῦ πραίτωρος.

Α'λβον λέγεται τὸ ἔδικτον, διὰ τὸ γεγράφεσθαι λευκοῖς γράμμασιν. ἐπὶ γὰρ κονιάματος τὰ διατάγματα καὶ τὰς παραγραφὰς ἐξετίθεσαν.

Α'λιενόμινι. ἀλλοτρίῳ ὀνόματι.

Α'λίμεντα. διατροφάς.

Α'λίμεντον. τροφήν.

Α'λίοδ. ἄλλο ἀντ' ἄλλου.

Α'λλιμεντάρια. τροφεῖα τῶν ὀρφανῶν παίδων.

Α'λλοβιώνος. τυλώτης.

Α'λλουβίωνος. ἀπουλης.

Α'λλουβίωνος. τυλωτῆς.

Α'λλοφίκιος. λειτουργία

Α'λογιευόμενος λέγεται ὁ κτηνοβάτης.

Α'λίμεντα. τροφεία.

Α'λιενόμινι. ἀλλότρια ὀνόματα.

Α'λουβίωνα. πρόσκλυσιν.

Α'λουβίων. ἡ πρόσκλυσις, ἢ πρόσχωσις τοῦ ποταμο

Α'λοῦμνος. ὁμογάλακτος.

Α'λοῦμνος. θρεπτός.

Α'λτερνατίων. ὁ ἐπαμφοτερισμὸς, οἷον ἐπερώτησά... ὁμολογεῖς διδόναι μοι στίχον τὸν οἰκέτην, ἢ δέκ... νομίσματα.

Α'μάρτημα ἐστὶν, ὅπερ παρὰ γνώμην τοῦ ἐνὸς εἰς λ... πην ἐκείνου παρά τινος πραχθῇ. καὶ ὅπερ ὁ νόμ... γενέσθαι οὐ βούλεται, οἷον ἐστὶν ἡ κλοπὴ, τὸ ζ... μιῶσαι τινὰ, τὸ ἁρπάσαι, τὸ ὑβρίσαι, καὶ τὰ ὅμοι...

Α'μβίτους. ἐπιθυμία τιμῆς, δωροδοκία, παραδρομ... φθορὰ κρίσεως.

Α'μβιτος λέγεται ἐπιθυμία τιμῆς, δωροδοκία, περ... δρομὴ, φθορὰ κρίσεως. κεῖται δὲ κατὰ τῶν χρήμα... σιν ὠνησαμένων ἀρχὴν, ἢ τιμήν. ἐπάγει δὲ τῷ κ... λαχεῖ ποινὴν νομισμάτων ρ. καὶ ἀτιμίαν, ὡς βιβ... ξ. τίτλ. μ ς. καὶ βιβλ. τῶν διγ. μ η. τίτλ. ...

Α'μβιτος. ἀγωγὴ ἡ κατὰ τῶν φθειρόντων τὰς κρ... σεις καὶ τὰ δίκαια.

Α'μβιτος ἐστὶ, καὶ ἡ κατὰ τῶν φθειρόντων τὰς κ... ρας, καὶ ἀπαιτεῖ ποινὴν οὐ κεφαλικήν. ἐστι ... νόμος ἰούλιος πούβλικος, παρὰ πάντων κινούμεν... δημοσιακῷ δικαίῳ.

Α'μίτα. ἡ πρὸς μητρὸς θεία.

Α'μέρλις τεστατέρις. κατὰ τὸν θάνατον τοῦ διαθεμένο...

Α'μόρτε τεστατόρις. ἤγουν ἅμα τῇ τελευτῇ το... διαθεμένου.

Α'μφιθαλεῖς ἀδελφοὶ λέγονται, οἱ ἐξ ἑνὸς πατρ... καὶ ἐκ μιᾶς μητρὸς γεννηθέντες.

Α'ναλία, πρόσκαιρος.

Α'ναλία, ἐτήσια.

Α'ναλία. ἐπαυσιαία.

Α'νάλλια. πρόσκαιρα.

Α'ναλλίων. λεγάτων ἐτησίων.

Α'να

κατὰ τοῦ ὑπερθεμένου &c.] Hoc non eſt verum, in lege Aquilia litem creſcere ex ſola procraſtinatione; ſed id obtinet in illis, quae ultima voluntate relicta ſunt Eccleſiis piisque locis; de quibus fit mentio occaſione legis Aquiliae, in qua lis ex inficiatione creſcit: & de utriſque agitur junctim §. 19. & 26. *Inſt. de actionib.* ut hic Auctor, vel librarius lapſus fuerit.

καταληφθὲν] καταλειφθὲν. *.

προσπορίζοντας] προσθορίζεται. *. Sic quoque praecedenti verſu eſt corrigendum.

Α'κριλεγιούσιμα] Forte, Α'κριλιγιοσισσίμα.

Α'κτουριτάτης] αὐθεντοριτάτου. *.

Α'κτουριτάτη] αὐθεντοριτάτη. *.

γεγράφεσθαι] γεγράφθαι. (*) & ſic Theophilus §. 12. *Inſt. de actionib.* ubi idem habet de literarum albo colore; quod an ſit verum, hic non inquiro. Janus a Coſta ait, illum nugari *ad d. l.*

Α'λιενόμινι] Α'λιενονόμινε. *.

Α'λλιμεντάρια] Α'λίμεντα. *.

Α'λλοβιώνος] De alluvione hic non agi, arguit explicatio addita, verum de verbo aliquo, quod venit a *calius*, qui Graece τύλος, unde τυλώδης *calloſus*, τύλωσις & alia: ἀπουλης quoque hic occur... rens arguit de eo agi, cujus vulneri obductus e... callus: unde mihi ſuſpectum quod inferius exſta... τυλωτής.

πρόσκλυσιν] πρόσκλυσιν. *

πρόσκλυσις] πρόσκλυσις. *.

Α'λοῦμνος ὁμογάλακτος] Non eſt haec interpre... tatio τοῦ *alumnus*, ſed τοῦ κολλακτάνεος; quae conjun... guntur in §. 5. *Inſt. qui & quib. ex cauſis manumi... ter. non poſſ.* Tam craſſum errorem non Auctori, ſe... librariis imputo.

δωροδοκία] Videtur δωροδοκία eſſe potius crimen r... petundarum: ſed & pro donorum datione illam a... cipi notant docti viri ex Ammonio, contra vim t... men verbi. Idem mox quoque occurret.

παραδρομή] Scribo περιδρομή. Gloſſae plus ſem... *ambitus*, περιδρομή: idque hic ſtatim ſequetur.

κέρας] Bosquetus ad *Pſell.* v. 491. legit κλῆρος... quod firmant quae praecedunt.

μητρὸς] Imo πατρὸς, nec veriſimilis error in Au... ctore tam gravis.

Α'μόρτε τεστατόρις] Rectum Α'μόρτε τεστατόρις, qu... error plus ſemel repetitur.

Α'ναλιοῦμι. ὀν χρονία.
Α'ναπλοκὴ. ἀνάλυσις, παραγραφὴ παραγραφῆς.
Α'ναργυρία λέγεται, ὅταν τις γράψας οἰκειοχείρως καὶ ὁμολογήσας λαβεῖν ἀργύριον καὶ οὐδαμῶς ἔλαβεν ἃ ὁμολόγησεν, ἢ ἔλαβε μέρος τι.
Α'νδαβάται. κατάφρακτοι.
Α'νδρογάτωρ. ὁ λαμβάνων αὐτεξούσιον εἰς θέσιν.
Α'νθύπατος. ὁ σήμερον δοὺξ.
Α'ννάλιον. ἤγουν ἐπαυσιαῖον, ἐτήσιον.
Α'ννῆβος ἄῤῥην. κατώτερος τῶν ιδ΄ ἐτῶν.
Α'νῶνα σημαίνει παροχὴν, ἀγορὰν, καὶ τὴν ἐτήσιον διανομὴν. κινεῖται δὲ κατὰ τῶν τὴν εὐθηνίαν τῆς πόλεως περιεργαζομένων, καὶ τὰ πλοῖα εἰς ἑτέρους τόπους ἀποπεμπόντων, καὶ τῶν κοινωνίαν συνισταμένων ἐπὶ τῷ πολλῷ τὴν εὐθηνίαν πράσσειν, ἐπάγων ποινὴν νομισμάτων κ. ἔμποροι δὲ ὄντες οἱ τὴν εὐθηνίαν ἀδικοῦντες, κωλύονται ἐμπορεύεσθαι, ἔσθ' ὅτε καὶ ἐξορίζονται. κινοῦσι δὲ ταύτην καὶ ἄνδρες, καὶ γυναῖκες, καὶ δοῦλοι κατὰ τῶν δεσποτῶν.
Α'νῶνα. παροχὴ, ἀγορά. ἔστι δὲ καὶ ἐτησία διανομὴ.
Α'ντεῖν ἔνδον. ἀγχοῦ ἀπέχεσθαι.
Α'ντιστὲμ. ἐπίσκοπος.
Α'ντεκαρμνδιστιτουτιόνεμ. πρὸ κληρονόμου ὑποστάσεως.
Α'ντιγραφὴ λέγεται ἡ βασιλικὴ πρόσταξις, διὰ τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἐκ προηγουμένων ἀναφορῶν γίνεσθαι τὰς βασιλικὰς προσταγάς.
Α'ντικανσόρις. ἀντιγραφεὺς.
Α'ντιαίσωρ. ἀντιγραφεὺς διαθήκης.
Α'ντιόρουμ λέγουμ. ἀπὸ πολλῶν νόμων.
Α'ντίχρησις ἐστὶν, ἡ ἀπὸ τῶν ἐνεχυριασθέντος ἀγροῦ καρπῶν ὑπὲρ τούτων ἀνάληψις.
Α'ουτιλίαι αἱ ἀγαθαὶ ἀγοραί.
Α'παγόρευσις. πολλάκις παρὰ τῷ νόμῳ καλεῖται ἡ τῆς κοινωνίας διάλυσις.
Α'πελάτης κυρίως λέγεται, ὅστις θρέμματα ἀπὸ βοσκῆς ἢ βουκολίων ἀποσύρει, ἢ ἀπὸ τῶν ἀγελῶν, ἵππους. ὁ γὰρ βοῦν, ἢ ἵππον πλανώμενον εὑρὼν, οὐκ ἔστιν ἀπελάτης ἀλλὰ κλέπτης.
Α'πελεύθερος λέγεται. ὁ πρότερον μὲν δοῦλος, ὕστερον δὲ ἐλεύθερος.
Α'πετ. ἔχει.

Α'πὸ πριμιπηίλου. ἀπὸ δημοσίου.
Α'ποπριστίος. παραιτητίος κληρονομίας.
Α'πὸ πρικομιδῆς. ἀπὸ μέρους.
Α'πὸ τῆς κούλπας αὐτοῦ. ἀπὸ τοῦ πταίσματος αὐτοῦ.
Α'ποχὴ διαφέρει ἀθωώσεως. ὅτι ἡ μὲν ἀποχὴ οὐ καθαρὰν ἔχει τὴν ἐλευθερίαν οὐδὲ ἀδιάστατον. ἡ δὲ ἀθώωσις ἐξ ἅπαντος τρόπου καὶ διαστάσεως ἐλευθεροῖ. καὶ πάλιν ἡ μὲν ἀθώωσις πάντως ἐλευθεροῖ. ἡ δὲ ἀποχὴ οὐκ ἄλλως εἰ μὴ καταβληθῇ τὰ χρήματα.
Α'ποφιδικομήσου. ἀπὸ πίστεως βαλλομένης.
Α'πραιτόριτος. ὁ ἀπόκληρος.
Α'πραίτορος. ὁ ἀπόκληρος.
Α'ρβετ. ἡ φυσικὴ κατοχὴ τοῦ πράγματος.
Α'ρβιτραρία. ἀγωγὴ ἡ ἠρτημένη τῇ τοῦ δικαστοῦ κρίσει.
Α'ρβιτραρία. ἤγουν αἱρετὴ.
Α'ρβιτραρία. ἡ δικαστικὴ διάκρισις.
Α'ρβιτραρίον. ἡ κρίσις, καὶ ἡ δοκιμασία.
Α'ρβιτρίον. ἤγουν δοκιμασία.
Α'ρηδάτος. ὁ μὴ κληρονομῶν.
Α'ρισκόνδας. τῆς προσληπταίας διακατοχῆς.
Α'ρμα. παρ' ἕλλησι μὲν τὸ ζεῦγος τῶν βοῶν. παρὰ δὲ ῥωμαίοις τὴν καροῦχαν. σημαίνει καὶ ὅπλον.
Α'ρτίφικες. τεχνῖται, ἐπιστήμονες τῶν τερπνῶν πραγμάτων.
Α'ρτίφικες. τεχνοποιοί.
Α'σελγής ἐστιν ὁ ποιῶν καὶ πάσχων.
Α'σίκα. σιδηρᾶ μάχαιρα.
Α'σούφρικτον. ἡ χρῆσις.
Α'σπούδ. ὁπότε.
Α'στινατιῦσαι. τὸ ἀφίσταμαι.
Α'στυνόμοις. τοῖς πατράσι τῶν πόλεων.
Α'στωρ. περιπλοκεὺς, ὅς ἐστι ὁ ἐνάγων. καὶ ἄκτωρ ὁ ἐνάγων.
Α'στὼρ. περιπλοκεὺς.
Α'τζέπτω. ἤγουν λαμβάνω.
Α'τρακὲμ. δεινόν.
Αὐδίκτους. προσκυρωθέντας.
Αὐδίνα. ἄπροικα.
Αὐδιστοκλεύσει. ὑπεξαλάστατος γένοιτο τοῦ πατρῴου κλήρου.

Αὐ-

Α'νδρογάτωρ] Lege Α'δρογάτωρ.
ἀγορὰν] Meurſius *in Gloſſar.* legit ῥόγαν, & in gloſſa huic ſubjecta, παροχὴ, ῥόγα. ſed pro vulgata merito ſtat Fabrotus *Gloſſar. Verbor. Cedreni.* & ἀγορὰν etiam notare annonam, vel Lexica docent.
ἐπὶ τῷ πολλῷ &c.] Baſilica *lib.* LX. *tit.* 47. rem bene ſic exprimunt: ἐπὶ τῷ πολλῷ αὐτὴν πραθῆναι.
Α'ντεῖν ἔνδον] ἀβσεντέιδεν. *.
Α'ντιστὲμ] Lege, Α'ντιστες. Hoc nomine ſaepe in jure vocantur Epiſcopi.
Α'ντεκαρμνδιστιτουτιόνεμ] Pro Α'ντεκαρεδισινστιτουτιόνεμ. Exſtat haec formula apud Theophilum §. 34. *Inſt. de legat.*
Α'ντιόρουμ] L. ἀντιπόρουμ. Cup.
πολλῶν] παλαιῶν. Id.
ὑπὲρ τούτων] Lego, ὑπὲρ τόκων, cum Joſ. Nerio *Analect. lib.* 11. *cap.* 30. & Salmaſio *de mod. uſurar. cap.* 14. *p.* 618.
Α'ουτιλίαι] Malim Αἱ οὐτιλίαι.
Α'ποπριστίος] An Α'πορεπουδιστίος.
Α'πραιτόριτος] Scriberem hic & in ſequente gloſſa Ο'πραιτόριτος.
Α'ρβετ] Lego, Α'βετ. Briſſonius, *in v. habere* haec ex vetere Gloſſario Latino Graeco proferens, edidit, *habet.* ἡ φυσικὴ κατοχὴ τοῦ πράγματος.
ἡ ἠρτημένη &c.] Imperatori §. 31. *Inſtit. de actionib.* dicuntur *ex arbitrio judicis pendentes*, & ſic eas ἠρτῆσθαι τῆς κρίσεως τοῦ δικαστοῦ, ſcribit Theophilus *d. l.* Nihil tamen hic mutandum eſſe apparet ex Pſello *Synopſ. v.* 202. ubi dicuntur vocari arbitrariae, quia ὑπὸ τῆς δικαστικῆς ἤρτηνται μεσιτείας, quam recte, alia eſt quaeſtio.
Α'ρβιτράριον] Mallem hic & in ſubjecta huic gloſſa reponere, ἀρβίτριον.
Α'ρηδάτος] Scriptum fuiſſe videtur ἐξηρεδάτος.
Α'ρισκόνδας] ἀπισκόνδε. *.
Α'ρτίφικες] Forte ſic ſcripſit Auctor, rectum alioquin Α'ρτίφικες.
Α'σούφρικτον] Οὐσούφρικτον (*) ſcribendum Οὐσούφρικτον.
Α'στινατιῦσαι. τὸ ἀφίσταμαι] Meurſius *in Gloſſario* reponit. Α'βστινατιῦσαι. τὸ ἀφίστασθαι: du Cangius *in Gloſſar.* Α'βστινατιύειν. τὸ ἀφιστᾶν.
πατράσι] πατρᾶσι. (*) Rectum eſt πατρᾶσι. noti ſunt in jure patres civitatum; qui an iidem ſint cum ἀστυνόμοις, curioſius quaerit Vir Celeberrimus, Ever. Otto *de Aedilib. municipalib. cap.* 4. §. 6.
Α'στωρ] Lego Α'κτωρ. & in gloſa quoque ſequenti.
Αὐδίκτους] Pro Α'δδίκτους.
Αὐδίνα. ἄπροικα] Lego ἄδωτα ἄπροικος. *Adventa.*

Αἰδιστινατιύσιν. ἀποκατάστατος γένηται, ἤγουν ἀπόκληρος.
Αὐσήθ. ἀπιὼν, μὴ γίνωτο.
Αὐσολουτίων. ἀπόλυσις.
Αὐσολουτίων, καὶ ἀδιουδικατίων, ἤγουν ἀπόλυσις.
Αὐσολουτίων λέγεται καὶ ἀβολοτίων ἡ ἀπόλυσις καὶ ἡ ἀπαλειφὴ, ἢ οὐκ ἔχει ἀγωγήν.
Αὐτόμολος ἐστὶν, οὐ μόνον ὁ ἐν καιρῷ πολέμου πρὸς τοὺς ἐχθροὺς ἀπελθὼν, ἀλλὰ καὶ ὁ ἐν καιρῷ τῶν ἀνακωχῶν πρὸς ἔθνος μὴ ἔχον πρὸς ἡμᾶς φιλίαν ἀπελθὼν, ἤτοι ἀποφυγών.
Α᾽φέκτου. φιλήματα.
Α᾽φεκτοῦμ. διάθεσις.
Α᾽φέκτουμ. πρόσωπον.
Α᾽φῆλιξ. ὁ ἥτλων τῶν κε. ἐτῶν.
Α᾽φιναίη. ὑπόθεσις προκειμένη.

B.

BΑκάνδιον. τὸ ἀκληρονόμητον.
Βακάντια. ἄπρακτα, ἀδέσποτα, ἀκληρονόμητα.
Βακαντία. σάβουρα.
Βακαντίβον. ἀργόν.
Βακαντίον. ἀτέλεια.
Τὸ ὄνομα τῆς Βαλάνου πάντες οἱ καρποὶ δηλοῦνται.
Βαντία. σαβοῦρα.
Βαστέριον. παροδικὸν, ἤτοι διαβατικόν. ὃ λέγεται πάροδος.
Βέβηλον. τὸ ἰδιωτικόν.
Βεκάριος. ἐκ προσώπου.
Βεκτιγάλιοι εἰσὶν ἀγροὶ πόλεων διηνεκῶς μισθούμενοι ἐπὶ τοιούτῳ τρόπῳ καὶ ὅρῳ ἵνα ἐφ᾽ ὅσον δίδοται τὸ ὑπὲρ αὐτοῦ βεκτιγάλιον τέλος, μὴ ἐκβάλλωνται μήτε αὐτοὶ μήτε οἱ παρ᾽ αὐτῶν εἰς τόπον αὐτῶν ὑπεισιόντες.
Βὲλ ἢ Βέβηλον. τὸ ἰδιωτικόν.
Βελικάτου. ἁμαρτήματος.
Βενδίκτα. ἐκδικουμένη, ἐλευθέρα ἡ ἐκ τοῦ ἄρχοντος γινομένη.
Βινδίκτα. ἡ ῥάβδος μεθ᾽ ἧς ὁ ἄρχων ἢ ὁ πραίτωρ τὴν τοῦ ἐλευθερουμένου κεφαλὴν ἔπαιον φάσκοντες, φαμὲν τὸν παρόντα ἄνθρωπον εἶναι ἐλεύθερον καὶ πολίτην ῥωμαῖον.
Βενεφικιαλίοι. οἱ ἐπὶ θεραπείᾳ τῶν * μεταρανων τεταγμένοι.
Βενδιτιόνις. διαπράσεως.
Βενδίτωρ. ὁ πράτης.
Βενεφικίοις. εὐεργεσίαις, πωλαῖς.
Βενεφίκιον. χάρις, δέξιωσις, εὐεργεσία.
Βενεφικίουμ. εὔνοια, χάρις, εὐποιΐα.
Βέρβη ἐστὶν ἐν ῥήμασι καὶ λόγοις ἀγωγή.
Βέρβις. ἀγωγὴ περὶ ψιλῶν λόγων, ὅταν ἐξ ἐπερω[...] σεως ἢ συμφώνου ἀπόκρισις συνίσταται.
Βέρσον. τὸ λοιπὸν τοῦ δαπανήματος.
Βέρσον. δαπάνημα.
Βέρσον. δαπάνημα ἀναγκαῖον.
Βέρσος. δαπάνη.
Βετράνης. ὁ πεπαλαιωμένος καὶ ἀφεθεὶς τῆς στρατ[...]
Βετράνος. ὁ γέρων.
Βετράνος, τουτέστι γηρῶν.
Βίτιον. αἰτία.
Βιτίον. αἰτία μέμψεως.
Βία. τὸ βαδίζειν μὲν δὲ ἀλλοτρίου ἀγροῦ μετὰ ὑποζ[...]
Βία ἐστὶ μεγάλου πράγματος ἀπέλευσις, ἣν οὐ δ[...] ταί τις ἀπωθεῖσθαι, ἤγουν ἀφ᾽ ἑαυτοῦ ἀποδ[...] καὶ ἀποτρέπειν. Τί διαφέρει βία δημοσία τῆς [...] τικῆς βίας; Βία μὲν δημοσία ἐστὶν, ὅταν μετὰ ὅ[...] ἐπελθών τις ἁρπάσῃ ἀκίνητον, καὶ ἔχει κατα[...] τὸν Ἰούλιον νόμον. Ἡ δὲ ἰδιωτικὴ βία ἐστὶν, ὅταν [...] ρὶς ὅπλων ἀφέληταί τις ἀκίνητον, καὶ ἔχει κ[...] δίκην τὸν περὶ βίας ἰδιωτικῆς νόμον, ἤγουν δη[...] ται τὸ τρίτον τῆς οὐσίας, καὶ οὕτε συγκλη[...] ἢ ἀρχὼν γίνεται, ἢ ἄλλην μετέρχεται τιμὴ[...]
Βία πούβλικα καὶ βία πριβάτα. ἀγωγὴ περὶ [...] σίαν καὶ ἰδιωτικῶν, καὶ ἁρπαγῆς παρθένω[...] χηρῶν.
Βιβονόρουμ ῥατόρουμ. ἀγωγὴ περὶ τῶν βίᾳ τὰ [...] λότρια ἁρπαζόντων.
Βιβονόρουμ ῥαπτόρουμ ἡ κατὰ τῶν ἁρπαζόντων [...] ματα κινητὰ ἢ ἀκίνητα. ἐπειδὴ δὲ αὐτη[...] τοῦ πραίτωρος, καὶ κατάγεται ἐκ τοῦ διλ[...] καταδικάζει ἐντὸς ἐνιαυτοῦ κινουμένη εἰς τὸ τ[...] πλοῦν. ποινὰλία δὲ οὖσα καὶ ἀτιμοῖ. διαφέρει [...] μανιφέκτη φούρτη. ὅτι ἐκείνη τὸν μὲν ὁρ[...]

ϖενς. Labb. Mallem quoque πάρουκ☉. Ceterum αὐδέα pro αἰδέα non inprobat Salmaſius *in Solin. p.* 3. ubi de ſimili literarum permutatione habet exemplum aliud.

Αἰδιστινατεύσιν &c.] Meurſius legit Α᾽δεινατεῦσι. ἀκατάστατ☉, ut & in primo verbo gloſſae ſequentis.

ἀδιουδικατίων] Scribo, ἀδιουδικατίων vel αὐσουδικατίων.

ἀπαλειφὴ] Sic & in v. ἀβολοτζιο. ubi dictum.

Αὐτόμολ☉ &c.] Sunt ex *l.* 19. §. 8. *de captivis & poſtliminio*, non tamen exacte relata. A Baſilicis abſunt.

B.

Τὸ ὄνομα τ Βαλάνου] Lego τῷ ὀνόματι τ βαλάνου &c. Labb. Et ſic extat in Baſilicis *in l.* 236. §. 1. *de verbor. ſignificatione.*

Βαντία] Meurſius *in Gloſſar. v.* Βακάντια, & Du Cangius *in Gloſſar. v.* Σάβουρα legunt βακάντια, uti ſcriptum eſt in praecedentibus.

Βεκάρι☉] Pro βικάρι☉.

αὐτοὶ] Lege αὐτῶν.

Βεκτιγάλιοι] Scribe βεκτιγάλιοι. ſunt haec ex *l.* 1. *D. ſi ager. vectigal. id eſt emphyteuticar. petatur.* nequaquam tam plene expreſſa in Baſilicis.

Βελικάτου. ἁμαρτήματ☉] Leg. Δελικάτε pro Δελίκτε. Labb. Du Cangius *v.* Βελικάτον ſcribit [...] τε. quod ad rem; utrumque ferri poteſt. M[...] videtur hoc accipere pro pellicatu.

Βενδίκτα] Explicatio ſequens exigit, ut [...] βινδικάτα. vide ad verbum βινδίκτα, ubi om[...] ſimilia.

Βενεφικιαλίοι. οἱ ἐπὶ θεραπείᾳ τ (*) μεταραίων [...] go Βενεφικιάλιοι. οἱ ἐπὶ θεραπείᾳ τ μαιστράτων ve[...] στράτων, vel μεγιστάνων. De beneficiariis vide [...] Cujacii expoſitionem *Nov.* 13. Labb.

μεταράνων] Meurſius *in Gloſſar.* & Gunthe[...] *offic. dom. Auguſt. lib.* III. *cap.* 13. malunt β[...] verum Du Cangius *in h. verb.* ait viros doctos [...] dare μαγιστράτων.

Βενεφικίοις] Meurſius legit Βενεφικιαρίοις.

Βετράν☉. τουτέστι γηρῶν] Leg. γηρῶν. Labb.

ἀπέλευσις] ἐπέλευσις (*) Recte, atque ita [...] Baſilica *lib.* x. *tit.* 2. *n.* 5.

ῥατόρουμ] Pro ῥαπτόρουμ. uti eſt in gloſſa ſeq[...]

ἢ ἀκίνητα] Fr. Boſquetus, *ad Pſell. Synopſ.* [...] reponit τὰ ἀκίνητα; immobilia enim non rapi[...] ſed ſic bis erit idem dictum. Si legeremus ἢ ἀ[...] τα, haberemus id, quod habet Imperator, [...] Theophilus §. 1. *Inſt. de vi bonor. raptor.*

μανιφέκτη] Pro μανιφέστη. At rectius hoc [...]

κλέπτην ἀπαιτεῖ τὸ τετραπλοῦν τὸν δὲ μὴ ὁραθέντα τὸ διπλοῦν.
Βιβονόρουμ ῥαπτούρουμ, ἤγουν ἡ περὶ τῶν κινητῶν πραγμάτων βιαίως ἀγωγή.
Βικιναλία. ὁδὸς ἡ εἰς κώμην ἄγουσα.
Βικάνδος. κάλεσμα.
Βικάριοι. οἱ δοῦλοι τῶν δούλων.
Βικάριος. ὁ τοῦ οἰκέτου οἰκέτης.
Βικάριος. ὁ τοῦ δούλου δοῦλος.
Βικάριος. ὁ δοῦλος, καὶ ὁ τοποτηρητής.
Βικάριος. ὁ ἐκ προσόδου. καὶ Βικάριος ὁ τοῦ δούλου δοῦλος.
Βίκους. ἡ κώμη.
Βίκτουρα. νίκη.
Βινδακτίονι. διεκδίκησις.
Βίνδικτα. ἐπὶ ἄρχοντας.
Βινδίκτα. ἐκδικουμένη, ἐλευθέρα ἡ ἐκ τοῦ ἄρχοντος γινομένη.
Βινδίκτα. ἐκδίκησις.
Βινδίκτα. διαθήκη.
Βινδίκτους. ἐκδίκησις.
Βιπβόνουα. τὰ κατὰ δυναστείαν ἀφαιρεθέντα.
Βιπουβλικα. περὶ βίας δημοσιακῆς.
Βιπριβάτα. ἀγωγὴ περὶ βίας ἰδιωτικῆς.
Βισέλλη ἐστὶ νόμος παλαιὸς ἐκτεθεὶς ὑπὸ Βισελλίου ὑπάτου τιμωρῶν τοὺς ἀπελευθέρους, καὶ ἐπάγων ἀτιμίαν τοὺς ποιήσαντας τὰ τῶν εὐγενῶν. τουτέστι τοὺς συγκλητικοὺς γινομένους, ἢ ἑτέραν τινὰ τιμὴν, ἢ λέγοντας ἑαυτοὺς εὐγενεῖς εἶναι χωρὶς αἰτήσεως χρυσῶν δακτυλίων. καὶ κεῖται ἐν τῷ κα. τιτλ. τοῦ θ. βιβλ. τοῦ κώδ. Ἀνῃρέθη δὲ ὑπὸ τῆς ναρᾶς τῆς ἐν τῷ κϛ. τίτλ. τοῦ μη βιβλ. τῶν Βασιλικῶν. λέγουσα μὴ δεῖσθαι τοὺς ἀπελευθέρους χρυσῶν δακτυλίων, ὅθεν οὐκ ἔστι διαφορὰ εὐγενείας ἢ ἀπελευθερότητος.
Βίτιον. ἐπίψογον.
Βίτιον. πάθος.
Βίτιον. ἐλάττωμα.
Βιτονάδι. μέμψιν ἔχει.

Βιτράνος. πεπαλαιωμένος.
Βόλω. θέλω.
Βολούντας. ἡ θέλησις, ἡ βούλησις.
Βόνα. ὑπάρχοντα.
Βοναγράτζια. χάριτι καλῇ.
Βοναγράτια. ἄνευ μέμψεως καὶ αἰτίας εὐλόγου.
Βοναφίδι. καλῇ πίστει.
Βοναφίδει. καλῇ πίστει.
Βοναφίδις. ἡ καλὴ πίστις.
Βονὴς βὴρ ἀρβητρίτη. ἀγαθοῦ ἀνδρὸς δοκιμασίᾳ.
Βονιτάριος. φυσικὸς δεσπότης.
Βονίτρος. φυσικὸς δεσπότης.
Βονόρουμ ἔμπτωρ. τῶν πραγμάτων ἀγοραστής.
Βονόρουμ ποσσεσσόρις. ἤγουν ἀγαθῶν διακάτοχον.
Βουκελλάριος. ὁ ἀποστελλόμενος καὶ φῶν τινὰ,
Βουκελλάριος. ὁ παραμένων στρατιώτης.
Βουκελλαρίοι. οἱ στρατιῶται οἱ παραμένοντες.
Βουλομπτάρια. ἤγουν τὰ πρὸς τέρψιν.
Βουλουντάριος. θεληματικος.
Βραβεῖον. ἐπινίκιος ἀμοιβὴ, δόξα. λέγεται καὶ τὸ βασιλικὸν σκῆπτρον.
Βρεβεῖον. ἡ καταγραφή.
Βρεβίοις. χαρτώοις.
Βρέβιον. ἡ ἐπιτομή.
Βρεβίτα. ἡ συντομία.
Βρέβος. τὸ βραχὺ καὶ τὸ ὀλίγον,

Γ.

ΓΑζοφυλάκιον. θησαυροφυλάκιον.
Γάιον. ὄνομα ὄρους ὑψηλοῦ.
Γάιτον. χαριστήριον ἔγγραφον.
Γαμαντίβων. ἀργῶν.
Γάμος ἐστὶν, ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς συνάφεια, καὶ συγκλήρωσις πάσης ζωῆς, θείου τε καὶ ἀνθρωπίνου δικαίου κοινωνία.
Γενεράλλιον. γενικὸν πρᾶγμα.
Γερέρε. ἤγουν ὡς δεσπότης ἐνεργεῖν.
Γεριτένων. διοικεῖν.

Γο-

abeſſet; non enim comparatur actio vi bonorum raptorum cum actione furti manifeſti in ſpecie, ſed cum utraque actione furti.

βιαίως] In Baſilicis *lib.* LX. *tit.* 14. additur ἀφπαγέντων, quod & ſenſus exigit.

Βικιναλία] Theophilo *ad §. 5. Inſt. de leg. Aquil.* eſt βικινάλια, & via vicinalis *l. 3. D. de loc. & itinerib. public.*

Βικάνδο. κάλεσμα] An Βοκάνδο, καλέσαι.

Βικάριος. ὁ ἐκ προσόδου] Lego, ὁ ἐκ προσώπου. Sic ſupra in verbo Βικάριος. Labb. Sic quoque Meurſius *in Gloſſar.* & res eſt clara.

Βίκτουρα] Pro Βικτώρια.

Βινδακτίονε] Meurſius *in Gloſſar.* Βινδικατίονι.

Βινδίκτα ἐκδ.] Scribe Βινδικάτα, quod explicatio poſtulat.

ἐλευθέρα] ἐλευθερία. Cuj.

ἐλευθέρα ἡ &c.] Similia habuimus verb. Βινδίκτα. Forte fuit ſcriptum iterum, Βινδίκτα ἐλευθέρα, vel ἐλευθερία, & tunc recte ſe habet interpretatio, ἡ ἐκ τοῦ &c.

Βινδίκτα. ἐκδίκησις] Ita mox iterum: at expoſitio convenit non vindictae, ſed vindicationi.

Βινδίκτα. διαθήκη] Imo vindicta longe diſtat a teſtamento. Vereor, ne is, qui haec copulavit, legerit, ſervos manumitti, vindicta, teſtamento & aliis modis forte.

τιμὴν] Senſus non eſt plenus, niſi addatur λαβόντας, vel aliud ſimile.

Βιτονάδι] Meurſius *in Gloſſar. v.* ἄβεν & *v.* βίτιον reponit Βίτιον ἄβετ, recte.

Βονὴρ βὴρ ἀρβητρίτη] Proponere voluit formulam *boni viri arbitrio*, ſive, *arbitratu*.

Βονίτρος] Rectum eſt quod praeceſſit Βονιτάριος, & ſic corrigit Meurſius *in Gloſſar.*

Βουκελλάριος. ὁ παραμένων στρατιώτης.] *Bucellarii dicuntur ſtationarii milites: ex nomine autem Bucca, quod eſt panis, vocantur Buccellarii, panem alicujus edentes in hoc, ut morentur apud eum lib.* 60. *Baſil. tit.* 18. Graeca verba hactenus inedita haec ſunt deſumpta ex chariſſimorum Puteanorum cod. Βουκελλάριοι λέγονται οἱ παραμένοντες στρατιῶται. ἐκ δὲ τοῦ Βούκκα ὀνόματος ὃ ἔστιν ὁ ἄρτος ἐκλήθησαν Βουκελλάριοι, οἱ τὸν ἄρτον τινὸς ἐσθίοντες ἐπ' αὐτῷ τούτῳ τῷ παραμένειν αὐτῷ. Hinc veteribus Gloſſis, *Adſecla*, *Baccellarius*. De buccellariis plura diſce a doctiſſ. Cujacio *lib. 2. Feudor. tit. 7.* & Rigaltio *in lexico* [illegible]. Labb.

Βουλομπτάρια] Pro Βολυπτάρια.

χαρτώοις] χαρτίοις. *.

Βρεβίτα] Βρεβίτας. *.

Γ.

Γαμαντίβων] Βακαντίβων (*) Sic quoque Du Cangius *in Gloſſar. v.* Βακαντίβος.

Γέρερε. ἤγουν ὡς δεσπότης ἐνεργεῖν] Verbum γέρερε non includit id, quod eſt in expoſitione, niſi ad-

Γηρατεύσασα. γηράσασα.
Γεστόριον. πεπραγμένον πρᾶγμα.
Γεστόρουμ. πεπραμένον.
Γέστουμ. πρᾶγμα.
Γιῶσιν νοεῖν δυνάμεθα καὶ τὴν διάγνωσιν καὶ τὴν δικαιοδοσίαν.
Τῇ τοῦ Γονέως προσηγορίᾳ, πάντες καὶ ἄῤῥενες καὶ θήλειαι ἀνιόντες δηλοῦνται.
Γραδίβους. βαθμὸς συγγενείας.
Γραζια. εὐχαριστία χάριτος.
Γρατία. εὐχαριστία χάριτος.
Γρατούϊτον. κατὰ χάριν δωρεάν.
Γρατοῦτον. χαριστήριον.
τῷ ὀνόματι τῆς Γυναικὸς, καὶ ἡ ἔφηβος παρθένος δηλοῦται.

Δ.

ΔΑβις. δόσεις.
Δάβις. δώσεις.
Δαμνατιὸν. ζημία.
Δαμνατίων. καταδικαστική.
Δαμνατίων. καταδίκη.
Δαμνατίον. ζημίαν.
Δάμνη ἰνφέκτη. ἤγουν ἡ περὶ ἐπηρτημένης ἤτοι μελλούσης ζημίας. καὶ ἔστιν αὕτη ἐπερώτησις πραιτωρία οὖσα ἐνοχῆς τῆς βέρβης, καὶ ἔστι προσωπικὴ καὶ διαβαίνει κατὰ κληρονόμους καὶ εἰς κληρονόμους. κινεῖται δὲ, ἡνίκα ἡ τοῦ γείτονος οἰκία διὰ τὴν προσοῦσαν αὐτῇ σαθρότητα πλῶσιν ἀπειλεῖ, εἰ μὴ βουληθῇ ὁ γείτων ποιήσασθαι ταύτης φροντίδα μηδὲ ἐπερωτηθῆναι, ὡς εἰ συμβῇ ἐκ τῆς τοιαύτης καταπτώσεως βλαβῆναί με, ὅτι θεραπεύει με τὴν ἐντεῦθεν ζημίαν, πέμπομαι ἐπὶ νομῆς τῆς σαθρᾶς οἰκίας. τοῦτο οὖν δεδιακὼς ὁ γείτων ὁ τῆς σαθρᾶς οἰκίας δεσπότης ἐπερωτᾶται ταύτην μοι τὴν ἐπερώτησιν. εἴπερ οὖν ὁ γείτων μὴ βούλεται ἐπερωτηθῆναι, πέμπομαι εἰς νομὴν, ἐφ᾽ ᾧ ἀνορθῶσαι τὴν οἰκίαν, καὶ εἰ μὲν ἐντὸς μηνῶν δ λάβω τὰς δαπάνας παρὰ τοῦ γείτονος, ἐξίσταμαι τῆς νομῆς· εἰ δ᾽ οὖν, δεσπότης γίνομαι τῆς ἑτέρου νομῆς.
Δαμνιϊνιουρία. ζημία ἡ ἀδίκως γινομένη.
Δάμνι ἰνφέκτι. ἀγωγὴ ζημίας μελλούσης.
Δαμνηφεκτή. ζημία ἀτελής.
Δαμνηφεκτὸν. ἐπιζήμιος.
Δὰν ὄνομα μεγάλης ἀρχῆς κατὰ πέρσας. οὕτως εὑρον ἐν τῷ μαρτυρίῳ τῆς ἁγίας σοφίας.
Δανειστής ἐστιν, ὁ ἐξ οἱασοῦν αἰτίας χρεώμενος.
Δάρι. τὸ ποιῆσαι δεσπότην.
Δάρι. δίδοσθαι.
Δᾶσα διάλυσις, ἢ δοθῆναι τίποτε ζητεῖ τῷ διαλυσαμένῳ, ἢ παρασχεθῆναι τίποτε παρ᾽ αὐτοῦ, ἢ ἐπαγγελθῆναι τίποτε αὐτῷ. καὶ εἰ μηδὲν τούτων γένηται, οὐκ ἔστι διάλυσις.
Δαταρεμδομινουναβετέρουμ. διὰ τὴν πρᾶξιν δεσπότου οἰκείου, ἤγουν εἰ ὁ ἐπίτροπος τὶ ποιήσει ὡς δεσπότης, ἵνα στέργῃ τοῦτο ὁ πούπιλλος,
Δάτιο. χειρὸς.
Δάτιω. χειρὸς.
Δατὸν. σημασία τῆς ἡμέρας καὶ τοῦ καιροῦ ὅτε τῇ ἐκ πόλεως, ἢ ἔκ τινος τόπου ἀποστελῇ.
Δαφάλσεις. περὶ φαλσῶν.
Δααρβόρουμ φρούκτα κασάρουμ. ἤγουν δένδρων κλοπιμαίως ἢ λάθρα τμηθέντων.
Δεβιαρμάτα. ἤγουν βία ἔνοπλος,
Δεβιτόρα. χρεωφυλέτης.
Δεβιτόρα. χρεωφυλέτην.
Δεβίκτορος. ἀγοραστοῦ.
Δεβίτωρ. ὁ χρεώστης.
Δεγαριέναι. λεγάτα.
Δεδιτικίους. ἐκδεδομένους.
Δεδιτισία. ἐκδεδομένα.
Δεδιτισίους. ἐκδεδομένους.
Δεδόλῳ. περὶ δόλου.
Δεδόλῳ μάλῳ. ἤγουν περὶ δόλου κακοῦ.
Δεδόλῳ μάλῳ. αὕτη ἐστὶν ἀγωγὴ περὶ δόλου κακοῦ ἐπινοηθεῖσα παρὰ τοῦ πραίτωρος διὰ τοὺς ποικίλους καὶ κακοὺς ἀνθρώπους, ἵνα μήτε οὗτοι κερδαίνωσιν ἐκ τῆς οἰκείας κακίας, μήτε οἱ ἀπαιτούμενοι βλάπτωνται, ἐκ τῆς οἰκείας ἁπλότητος. Οὕτως δὲ τὸν δόλον ὁρίσατο λαβεὼν. ἔστι δὲ πρῶτος δόλος κακοποίησις λαθραία ἐν προσποιήσει τῶν βελτιόνων τὸ πλησίον προσφερομένη. δεύτερος δόλος ἐστὶ πᾶσα κακουργία καὶ ἀπάτη καὶ μηχανὴ πρὸς περιγραφὴν ἑτέρου γινομένη. ἔστι δὲ σοβσιάρια καὶ ἐντὸς δύο ἐναντίων συναπτῶν καὶ ἄρχεται καὶ πληροῦται.
Δεδότης. ἡ περὶ προικὸς ἀγωγή.
ἡ Δεδότης ἐστὶ περὶ προικὸς ἀγωγὴ δυσὶ μεριζομένη ταῖς ἀγωγαῖς. καὶ ἡ μὲν ἀπαιτοῦσα ταύτην ἐξ ἀρχῆς ἐξστιπουλάτῃ ἐλέγετο, καὶ ἐκ τῆς καθόλου ἐπερωτήσεως κατάγεται, καὶ στρίκτα ἦν. ὁμοίως δὲ τῇ βέρβῃ

addas *pro herede*, ut reſpiciantur verba §. *ult. Inſt. de hered. qualitat. & different.*

πεπραμένον] πεπραγμένον. Cup.

βαθμὸς] βαθμοῖς. *.

Γρατούϊον] Pro Γρατούϊτον, vel Γρατοῦτον, quod ſequitur.

Δ.

Δαμνατιὸν] Δαμνατιώ. *.

ἐπηρτημένης] Lego, ἐπικειμένης.

κληρονόμους] κληρονόμων (*) Hoc praeferrem: ſed tamen vulgatum exſtat quoque in fragmento de eadem re apud Briſſonium *in v. Damnum infectum.*

θεραπεύει με] Theophilus §. 2. *Inſt. de diviſion. ſtipulation.* habet θεραπεύσει μοι, quod rectius.

εἰ δ᾽ οὖν] Scribe εἰ δ᾽ οὔ.

Δαμνηφεκτή] Et in hac & in ſequenti gloſſa, res ipſa eſt aperta; an vero ſcriptura male tota ſit a librariis, an ab ipſis Auctoribus, licet dubitare.

χρεώμενος] in Baſilicis *l. 11. D. de verb. ſignificatione.* unde haec hauſta ſunt, ſcriptum eſt χρεωστούμενος, rectius.

Δᾶσα διάλυσις, &c.] Lege Πᾶσα διάλυσις &c. Labb. Sic quoque eſt in Baſilicis *in l. 38. C. de transactionibus*, unde haec ſunt petita, & ſenſus hoc exigit.

Δαταρεμδομινουναβετέρουμ] Ῥάταμ. (*) Rectum eſt Ῥαταμρεμδομινουμαβετέρουμ.

χειρὸς] Sic mox iterum. Du Cangius *v.* Δάτιο utrobique reponit χεῖρος.

Δαφάλσεις] Leg. Δεφάλσις, ut infra. Labb. vel Δεφάλσεις cum Meurſio *v.* φάλσον.

φρούκτα] φουρτιμ. Cup.

κασάρουμ] Lego καισάρουμ.

Δεγαριέναι] Λεγατιώνα. Cup.

Δεδιτικίους] Leg. Δεδιτικίους. Labb.

βλάπτωνται] Lege βλάπτωνται.

τὸ πλησίον] Scribe τῷ πλησίον.

σοβσιάρια] Corrige συβσιδιάρια, cum Boſqueto *ad Pſell. Synopſ. v.* 530.

βέρβη ἦν. ἡ δὲ τὴν ἀνάληψιν ταύτης ποιουμένη, Ρεουξόρια ἐλέγετο, ὅτιπερ καὶ ἐκ τῆς γυναικὸς ἐκινεῖτο ἐπιζητούσης ἀναλαβέσθαι τὴν ἰδίαν προῖκα. Χρὴ δὲ εἰδέναι τὸν τῆς νομικῆς ἐξιχνιαστὴν, ὅτιπερ τοῦ γάμου λυομένου καὶ τῆς προικὸς ἀναδιδομένης τῇ γυναικὶ, εἰ μὲν αὐτὰ τὰ πράγματα ἀναδίδονται, τῆς Ρεξορίας ἐστὶν ἡ ἰσχύς. εἰ δ' ἄλλα ἀντ' ἄλλων, ἢ καὶ τιμήματα, τῆς ἐξστιπολίτου. ἐπειδὴ τὰ λόγῳ προικὸς διδόμενα ἢ ἐν διατιμήσει δίδονται, ἢ ἀδιατίμητα, εἴτε κινητά εἰσιν εἴτε ἀκίνητα.

Δεδίκτως, οὐ κεσωρία. περὶ διαδοχῆς κληρονόμων.

Δεϊνίβους βοκάνδο. ἑνὸς κάλεσμα.

Δεϊνοφφικιόσσο. μέμψις τῆς διαθήκης.

Δεϊνοφφικιόσο. τὸ μὴ πρεπόντως γινόμενον.

Δεϊρὲμ βέρσα. περὶ τῶν δαπανηθέντων πραγμάτων.

Δεκανοὶ. οἱ συναγόμενοι.

Δεκανοὶ. κολογιάτοι, συνημμένοι.

Δεκανοὶ. ἀρχὸ δέκα ὀνομάτων, συνηγμένοι.

Δεκατευτήριον. τελωνεῖον.

Δέκεμ περσόνας. δέκα προσώπων.

Δεκεμπερσώνας. λέγονται δέκα πρόσωπα προλιμέομενα, οἷον πάππος, μάμμη, ἀδελφὸς, ἀδελφὴ, καὶ τὰ ὅμοια.

Δεκέπρε. προθεωρῆσαι.

Δεκερέπ. προσθεωρῆσαι.

Δεκκεσιὸν. διάταξις, ψῆφος.

Δεκόκτως. χρεωκόπος, ἤγουν ὁ χρεωστῶν τινὶ, καὶ διά τινος μηχανῆς παρασκευάσας ἐκκοπῆναι τὸ χρέος καὶ μὴ καταβληθῆναι τῷ δανειστῇ.

Δέκρετον δόγμα. ἢ ψῆφος.

Δέκρετον. ψήφισμα, ἀπόφασις βασιλική.

Δέκρετον. ἀπόφασις βασιλέως καὶ ἄρχοντος.

Δεκρέτου. ψήφου βουλῆς.

Δελεγατιὼν. ὁ ἐκ προσώπου εἰς πρόσωπον μετατιθεῖσα τὸ χρέος.

Δελεγατίωνα. λεγάτα.

Δελιβέραν. τῶν ἀπορούντων ἢ σκεπτομένων.

Δελιβέρις ἐκσηβένδης, ἐδουτένδης. ἤτοι περὶ παιδὸς ὑπεξουσίου παρισταμένου καὶ ἑλκομένου.

Δελικτίκιον ἁμαρτία.

Δέλικτον. ἁμάρτημα.

Δεμονστρατιὸν. δήλωσις.

Δεμόρτουμ ἰμφερένδι ἐθσεπουμάκρουμ ἐδισηκάνδη.

ἤγουν ὑπὲρ τῶν κωλυομένων θάπτειν ἐν ᾧ τόπῳ ἔχουσι δίκαιον.

Δεναδιανίβο. περὶ ἐκποιήσεως.

Δενομφικιόσως. τὸ μὴ πρεπόντως γινόμενον.

Δεπεκουλάτος. ὁ νοσφισμὸς.

Δεπεκουλάτος. ὁ καταδικασθεὶς θανάτῳ. τοῦτο τὸ ἔγκλημα ἄχρι πέντε ἐνιαυτῶν ἄρχεται καὶ πληροῦται, οὐκ ἔτι πλέον.

ὁ Δεπεκουλάτης ἤτοι ὁ περὶ νοσφισμοῦ ἐστὶν Ἰούλιος νόμος κινούμενος παρὰ πάντων. Κινεῖται δὲ κατὰ τοῦ ἱερὰ ἢ ῥελιγίοσα χρήματα ὑφελομένου ἢ τὸ δωρηθὲν τῷ θεῷ, καὶ κατὰ τοῦ κλέπτοντος πολιτικὰ χρήματα, ἢ τρέψαντος εἰς ἰδίας χρείας, καὶ κατὰ τοῦ πτύχα χαλκοῦν νόμον ἔχοντος, ἢ κηνσον ἢ ἕτερόν τι ἀφελόντος, ἢ τὶ τῶν ἐν αὐτῷ μεταποιήσαντος, ἢ κατὰ τοῦ ἐν δημοσίου χάρτῃ ἀπαλείψαντος τὶ ἢ χαράξαντος, καὶ κατὰ ἐξωτικῶν ὑφελομένων δημόσια ἢ ἱερὰ χρήματα, καὶ κατὰ τοῦ ἑαυτὸν δανειστὴν τοῦ φίσκου πλασσαμένου, καθ' ἰδιωτικὰ ἔλαβε, καὶ κατὰ τῶν δημοσίας πυκτὰς δεδωκότων εὐχέρειαν καταναηθῆναι ἢ καὶ μεταγραφῆναι παρὰ κέλευσιν τῶν ἐφεστώτων αὐταῖς, καὶ κατὰ τοῦ δημόσια χρήματα εἴς τινα χρείαν λαβόντος καὶ μὴ δαπανήσαντος, καὶ τὴν μονίταν ἐργαζομένου, εἰ ἔξωθεν ἑαυτοῖς ποιήσουσι νόμμους ἢ τοὺς γινομένους ἀπολέψουσιν οὐ δοκοῦσιν ἔθεν μονίταν ποιεῖν. ἔστι δὲ ἡ ποινὴ τοῦ νόμου τούτου πυρὸς καὶ ὕδατος ἀπαγόρευσις. καὶ ἐναλλαγὴ τῆς προτέρας καταστάσεως, καὶ ἀπώλεια τῆς οὐσίας. σβέννυται δὲ μετὰ πέντε ἔτη. ἁρμόζει δὲ καὶ κληρονόμων, περὶ γὰρ χρημάτων ἀφαιρεθέντων ἐστὶν ἡ ζήτησις ἐν αὐτῷ. κινεῖται δὲ καὶ κατὰ μετὰ τοῦ τρυποῦντος τεῖχος, καὶ κατὰ τοῦ ὑφελομένου τὶ ἐξ αὐτοῦ, καὶ τοῦ τὴν ἀπὸ τῶν πολεμίων ληφθεῖσαν αἰχμαλωσίαν ὑφελομένου, ὃς κατέχεται εἰς τὸ τετραπλοῦν, καὶ κατὰ τοῦ κλέψαντος ἄργυρον ἢ χρυσίον ἀπὸ βασιλικῶν μετάλλων, ὃς καὶ μεταλλίζεται ἢ ἐξορίζεται πρὸς τὴν ποιότητα τοῦ προσώπου. καὶ ὁ ἀπὸ μετάλλων παρανόμως χρυσίον ἐσχηκὼς καὶ χωνεύων καταδικάζεται εἰς τὸ τετραπλοῦν, ὁ δὲ τὸ κλαπὲν ὑποδεξάμενος εἰς τὸ διπλοῦν.

Δεπεκτάλιος. ἤγουν κλέπτης.

Δεπορτατευθήσεται. ἐξορισθήσεται.

Δε-

ἐξστιπουλίτου] Pro ἐξστιπουλάτου. ceterum an ſint vera, quae hic legimus, id non excutio.

Δεδίκτως, οὐ κεσωρία] Legendum Δεδίκτῳ σουκεσωρίῳ, & ſic Meurſius *Gloſſar.* v. Συνεισφόρος.

Δεϊνίβους] Reponendum Δεϊνοῦς.

Δεϊρὲμ βέρσα] Pro Δεϊνρεμ βέρσο.

Δεκεμπερσώνας] Rectum eſt quod praeceſſit, Δέκεμ περσώνας. Spectant haec ad §. 2. *Inſt. de bonor. poſſeſſionib.*

Δεκέπρε] Δεκέρνερε. Cup. idem vitium in gloſſa ſequente.

προσθεωρῆσαι] Malim προθεωρῆσαι, quod praeceſſit: quamvis alioquin, quod ad rem ipſam, is, qui decernit, jam ante debuerit rem examinaſſe & προθεωρῆσαι.

Δεκκεσιὸν] Δεκρεσιὸν. Cup. Sed Meurſius *in Gloſſar.* exponit *Deciſio*, quaſi legiſſet Δεκισιόν.

ἐδουτένδης] Verum eſt ἐν δουκένδος. titulus eſt Pandectarum *de liberis exhibendis item ducendis.*

Δελικτίκιον] Mox rectius Δέλικτον.

Δεμόρτουμ ἰμφερένδι &c.] Rectum eſt Δεμόρτουμ ἰνφερένδῳ ἐτ σεπούλχρῳ αἰδιφικάνδῳ. eſt *titulus ultimus lib* XI. *D.*

Δεναδιανίβο. περὶ ἐκποιήσεως] Verbum valde corruptum: debet enim eſſe *De alienatione*, ut patet ex interpretatione. Sic ſolent Graeci Latina efferre depravate: quod etiam in Suida obſervavit doctiſſ. Cujac. *lib.* 16 *Obſerv. cap.* 39. Labb.

Δενομφικιόσως] Debuit ſcribi Δεϊνοφφικιόσῳ, ut in ſuperioribus legitur; at an non ab ipſo Auctore aliquid hic peccatum ſit, dubitem.

πτύχα χαλκοῦν] Baſilica in *l.* 8. *pr. D. ad leg. Jul. peculatus* habent χαλκῆν πτύχα, & mox ἔχουσαν, & αὐτῇ rectius.

ἔχοντος] Mallem ἔχοντα.

δημοσίου] Baſilica δημοσίῳ *in l.* 9. §. 3. *D. d. t.*

παρακέλευσιν] Diſtinxi ita παρὰ κέλευσιν. & ſic excuſum eſt in Baſilicis *in d. l.* §. 5.

καὶ τὴν μονίταν &c.] Haec eſt ſpecies criminis peculatus, diverſa a praecedente, quae erat reſidui, *l.* 4. §. 3. *junct. l.* 6. §. 1. *D. d. t.* Ante εἰ vero comma poſui pro puncto.

οὐ δοκοῦσιν ἔθεν μονίταν ποιεῖν] Lege, οὐ δοκοῦσι οὐθὴν μονίταν ποιεῖν, & ſic Baſilica in *d. l.* 6. §. 1.

μεταλλίζεται] Lege μεταλλίζεται, cum Meurſio *in Gloſſar. h. v.*

Δεπεκτάλιος] Scribendum, Δεπεκουλάριος: ſic *derectarii* in libro Florentino dicuntur *l.* 7. *D. de extraordinar. criminib.* de quibus plura notavi ad Paul.

Δισπορτάτης. ὁ διηνεκῶς ἐξόριστος.
Δεπορτατίων. ἀπόπεμψις, ἐξορία.
Δεπορτατίων. ἐξορία.
Δεπορτατίωνος. περιωρισμένος.
Δεπορτάτος. ὁ ἐν νήσῳ περιωκλεισμένος.
Δεπορτάτος. ἐξόριστος.
Δεπόσιον. τὸ ἐν πραθήκῃ κρατούμενον.
Δεποσιτάριος. καθαιρέτης.
Δεποσιτάριος. καθαιρητὴς.
Δεποσίτη. φυλακτική.
ὁ Δεποσίτης ἐστὶν ἀγωγὴ περὶ παρακαταθήκης, οὖσα τῆς ῥεμ ἐνοχῆς ἤγουν τῆς ἐν πράγμασι. ἀπαιτεῖ δὲ δόλον καὶ λάταν κοῦλπαν, ἤγουν ἀμέλειαν καὶ ῥαθυμίαν καὶ τόκους ἡμικατοστιαίους ἀπὸ ὑπερθέσεως καὶ συγχρήσεως, τοῖς τυχηροῖς οὐχ ὑποβάλλει εἰ μὴ συμφωνηθῇ τοῦτο· ἔστι δὲ ἀτιμωτικὸς καὶ περπέτουα ἤγουν διηνεκής. δίδοται δὲ κληρονόμοις καὶ κατὰ κληρονόμων. κινεῖται δὲ αὕτη καὶ σεκουεστράριος ἤγουν μεσιτικῶς, καὶ κατὰ τῶν λαβόντων τὸ μέσον χωρὶ, καὶ ὁμολογησάντων ἐν τόπῳ παριστᾶν τὸ πρᾶγμα.
Δεπόσιτον. παρακαταθήκη.
Δεπόσιτος. παραθήκη.
Δερέβους. περὶ πράγματος.
Δερεκτά ἐστιν. ὀρθή ἐστιν.
Δερποτατεύεται ἐξορίζεται.
Δερποτατεύεσθαι. ἐξορίζεσθαι.
Δερποτατευθέντι. ἀπενεχθέντι.
Δερποτατίων. ἀπέπεμψις, ἐξορία.
Δερποτάτος. ὁ διηνεκῶς ἐξόριστος.
Δισγρατιώσθαι. ἀποδίκευσθαι.
Δοσικαρίων. περὶ φονίων.
Δισμὰ λέγονται καὶ τὰ ἰδιωτικὰ, καὶ τὰ δημόσια. φυλακὴ δὲ μόνον ὁ δημοσία.
Διστaμέντο μιλίτους. περὶ διαθήκης στρατιωτῶν.
Διστιματία. ἡ διατετιμημένη.
τῇ τῆς Δετίγνου προσηγορίᾳ πᾶσα ὕλη σημαίνεται, δι' ὧν οἰκοδομεῖν οἷόν τε χώρα, καὶ ταύτῃ τῇ ἀγωγῇ ὅτε ἀλλοτρίαι ὕλαι βληθῶσιν εἰς οἰκοδομήν. οὔτε γὰρ ἀφαιροῦνται, οὔτε ἐκδικοῦνται. ὁ γὰρ δυσδεκάδελτος ταύτην ἐπενόησε τὴν ἀγωγὴν εἰς τὸ ἀπαιτεῖσθαι τὸ διπλοῦν τοῦ τιμήματος, καὶ μὴ ἀναγκάζεσθαι τὸν κτίσαντα καταλῦσαι τὸν ο… τῆς ἑαυτῆς γὰρ προνοίας ἠξίωσεν ὁ δυοδεκάδελ… τὰς οἰκίας, καὶ οὔτε τὴν ἀδεξιβένδουμ χ… δίδωσιν, οὔτε τὸ ἰρὲμ, ἐφ' ὅσον συνέστηκεν … κία. εἰ δὲ συμβῇ τὸ οἴκημα καταπεσεῖν ἐκ … αἰτίας, τότε ὁ τῆς ὕλης δεσπότης, εἰ μὲν ἔφ… σε λαβεῖν τὸ διπλοῦν τίμημα διὰ τῆς Δετίγ… δύναται κινεῖν καὶ ἰρὲμ καὶ ἀδεξιβένδουμ καὶ … ὕλας ἐκδικεῖν εἰ καὶ πρότερον ἐκώλυετο, εἰ μ… ἐν εἰδήσει τοῦ εἶναι ἀλλοτρίαν ὁ ταύτην ἐμβαλὼν … οἰκήμασιν ἐνέβαλεν. οὕτω γὰρ καὶ Παῦλος ἐν τ… περὶ δυσαποσπάστων βιβλίῳ αὐτοῦ ἐδίδαξε. … πετοῦα δέ ἐστι. κἂν γὰρ ὁ οἶκος διὰ τοῦ χ… γένηται τοῦ κτίσαντος. ἐπεὶ γὰρ καὶ τὸ … φος ἀλλότριον. ὁμῶς τὰ καθ' ἕκαστον χαλικώ… τα διὰ χρήσεως οὐ δεσπόζονται. εἰς τὸ δι… γὰρ περὶ τούτων κινεῖ ὁ δεσπότης, ὁ γὰρ … μενος τὸν οἶκον καὶ τὰς ὕλας ἐνέμετο, τουτέστ… καθ' ἕκαστον τῶν χαλικωμάτων. οὐδεὶς γὰρ ἕ… νεμόμενος ἕτερον δύναται ἐυσουκαπιτεύειν, ὡς β… τῶν βασιλικῶν ι. ε. τιτλ. α. κεφ. ι στ. καὶ β… τῶν διγέστων ς. τιτλ. α. κεφ. κ α. καὶ τῶ… στιτούτων βιβλ. β. τιτλ. α. κεφ. ι.
ὁ Δεφάλσης, οὗτός ἐστιν νόμος Κορνήλιος τῇ συγ… τῳ διδοκιμασμένος. πούβλικος μέντοι καὶ τεσ… μεντάριος καλεῖται. κινεῖται δὲ κατὰ τοῦ … στόν τι γράψαντος ἢ σφραγίσαντος ἢ ἀναγνώ… ἢ ἑτέρου ἀποβαλόντος ταῦτα ποιεῖν. σβέννυτ… τῇ εἰκοσαετίᾳ, οὐ κινεῖται δὲ παρὰ γυναικὸς ἀ… κατὰ γυναικός. μάλιστα δὲ, περὶ ὑποβολιμ… οὐ πουβλίκιος μὲν ἀλλὰ παρὰ μόνων τῶν γ… καὶ οὐδὲ ἐκβάλλονται χρονίᾳ περιγραφῇ, … οὐδὲ διαφερόμεθα ἐπὶ τοῦτο εἴτε περιέστιν ἢ λ… μένη ὑποβολὴ εἴτε ἐτελεύτησεν.
Δεφάλσις. περὶ φάλσων.
Δεφάλσον. ψεῦδος.
Διφενδεύεται. ἐξκουσεύεται, ἐκδικεῖται.
Δεφένσορες. ἔκδικοι.
Δεφένσωρ. ὁ ἐκδικητής.
Δεφένσωρ. ἔκδικος.
Δεφένσωρες. οἱ μετὰ τοὺς κουρατῶρας ἤτοι προμά… ἐπακολουθοῦντες πρὸς ἐκδίκησιν αὐτῶν.

Sententiar. lib. v. tit. 4. §. 8.

Δισπορτατίων] Pro Δεπορτάτος.

Δεπόσιον. τὸ ἐν πραθήκῃ κρατ.] Lego Δεπόσιτον. τὸ ἐν παραθήκῃ κρατ. Depoſiti actio παραθήκη Graece dicitur, ut in Graeco tractatu de Actionibus inedito notatum his verbis: Δεποσίτης ἀγωγὴ λέγεται ἑλληνικῶς παραθήκη, ὅτι ὀφείλει γενέσθαι ἐνώπιον μαρτύρων πέντε· ὁ γὰρ ἀρνησάμενος αὐτὴν, εἰς τὸ διπλάσιον στρέφει αὐτήν. αὕτη οὐκ ὀφείλει μακρύνεσθαι πλέον τῶν τριῶν χρόνων. καὶ πᾶσα δίκη χρηματικὴ ὀνόματι κειμένη, οὐκ ὀφείλει μακρύνεσθαι πλέον τῶν τριῶν χρόνων. LABB.

τῆς ῥέμ] Imo τῆς ῥὲ, uti recte emendat Boſquetus *ad Pſell. Synopſ. v.* 527.

καὶ σεκουεστράριος ἤγουν μεσιτικῶς] Boſquetus *d. loc.* κατὰ σεκουεστραρίων ἤγουν μεσιτῶν.

Δερποτατεύεται] Hic quater erratur transpoſitione τοῦ ρ a fine ſyllabae ſecundae ad finem primae.

μόνον] In Baſilicis in *l.* 224. *D. de verbor. ſignification.* unde haec hauſta ſunt, eſt μόνη.

Διστaμέντο] Scribe, Δεστaμέντο.

Διστιματία] Lege Αἰστιμάτα, nempe res, vel dos.

δι' ὧν οἰκοδομεῖν οἷόν τε χώρα, καὶ ταύτῃ &c.] Malim δι' ὧν οἰκοδομεῖν οἷόν τε, καὶ χώραν ταύτῃ &c.

οὔτε τὴν ἀδεξ.] Lege οὔτε τῇ ἀδεξ.

ἰρὲμ] Pro ἰν ῥέμ.

εἰ μὲν ἔφθασε] Imo, εἰ μὴ ἔφθασε. id evincit … *Inſt. de rer. diviſion.*

ὁ γὰρ νεμόμενος τὸν οἶκον καὶ τὰς ὕλας ἐνέμετο] … trarium verum eſt, & tam praecedentia, quam … quentia docent, eum, qui totas aedes poſſidet, … etiam ſingula tigna poſſidere, *add. l.* 30. *pr. D.* … *quirend. vel amittend. poſſeſſion. l.* 23. *pr.* & §. 2 … *de uſurpationib.* & *uſucapionib. l.* 23. §. *ult. D.* … *vindication.* adeoque interponenda negatio; & … dum, ὁ γὰρ νεμόμενος τὸν οἶκον οὐ καὶ τὰς ὕλας ἐνέμ…

ἕτερος νεμόμενος &c.] Lege, ἕτερον νεμόμενος … μεν &c. ſenſus enim eſt, quod nemo, rem al… poſſidens, alteram poſſit uſucapere. Idem erro… ret in Scholiis Baſilicῶν *ad l.* 23. §. *ult. D. de re… dication. lib.* xv. *tit.* 1. *n.* 24. unde conſtat, nu… ſequentes non omnes eſſe bene expreſſos.

πούβλικος μέντοι καὶ τεσταμεντάριος καλεῖται] D… guo πούβλικος μέντοι, καὶ τεσ. καλ. Lex eſt q… publica, ſive publici judicii, & vocatur *teſtam…ria*, uti apud Paulum *Sentent. lib.* v. *tit.* 25.

ἑτέρου ἀποβαλόντος ταῦτα ποιεῖν] Corrigo, ἕτερο… βαλόντος ταῦτα ποιεῖν, *qui alium ſubjecit, ut haec f…*

ὑποβολή] Pro ἡ ὑποβαλοῦσα, *quae partum ſub…* *contenditur l.* 19 §. 1. *D. de leg. Cornel. de falſ.*

Διφάλσον] Debuit ſcribi φάλσον.

Δηλατιὸν. ὑπέρθεσις. οἱ δοῦλοι δηλατορεύοντες τοὺς δεσπότας οὐκ ἀκούονται, ἀλλὰ καὶ τιμωροῦνται. ὁμοίως καὶ οἱ ἀπελεύθεροι.

Δηλατίων. ὑπέρθεσις.

Δηλάτορες. οἱ κατήγοροι.

Δηλάτωρ. ὁ κατήγορος.

Δηλατωρίαι. αἱ τῆς καταστάσεως τοῦ δημοσίου φόρου ἀποδείξεις, αἱ εἰσαγγελίαι.

Δηλέκτωρ. κατήγορος.

Δημόσιον λέγεται τὸ κοινὸν, ἢ βασιλικόν. δημόσια γὰρ τὰ τοῦ δήμου, καὶ δημόσιος ἁρπαγὴ ἡ παρὰ τοῦ δήμου.

Δὴν προαδιτζίονος. μήτε ἐπὶ προαποστροφῇ.

Διάβολος. συκοφάντης.

Διαθήκη ἐστὶ, δικαία βούλησις ὧν τὶς ἐθέλει μετὰ θάνατον αὐτοῦ γενέσθαι.

Διαθήκη ῥωμαϊκῶς ὀνομάζεται σταμέντουμ.

Διαθήκη διχῶς ἐκφωνεῖται, ἡ μὲν ἐπὶ θνησκόντων διατάξεως καὶ ἐνταλμάτων χαρακτῆρα φέρουσα. θάτερα δὲ συνθήκαι ἐπὶ διαλλαγῇ πολεμίων συνωμοσίαν ἔχουσα.

Διαίσιον καὶ Διαζύγιον διαφέρει. διαίσιον μὲν μεταξὺ ἀνδρὸς καὶ γαμετῆς γίνεσθαι λέγεται. διαζύγιον δὲ καὶ μηπω τῇ πέμπεσθαι δοκεῖ, ὅπερ καὶ εἰς πρόσωπον τῆς γαμετῆς οὐκ ἀείθως πίπτει.

Διακατοχὴ. κληρονομία.

Διακατοχὴ λέγεται ἡ κληρονομία.

Διαλαλία πρόσταξις.

τί διαφέρει Διάλυσις Συγχωρήσεως. ὁ μὲν διαλυσάμενος. ὡσανεὶ ἐπὶ πράγματος ἀμφιβόλου καὶ δίκης ἀδήλου καὶ ἀπληρώτου διαλύεται. ὁ δὲ συγχωρῶν, κατὰ δωρεὰν πρᾶγμα δῆλον καὶ ἀναμφίβολον συγχωρεῖ.

Διαμαρτύρασθαι ἐστὶν, τὸ παραγγεῖλαι τῷ ἀπολιμπανομένῳ, καὶ τὸ ἐπὶ μαρτύρων παραγγεῖλαι.

Τί διαφέρει τὸ Διαστίζειν, τοῦ Γινώσκειν δικαιώματα. τὸ μὲν Γινώσκειν λέγεται ἀναγινώσκειν καὶ καταγινώσκειν. τὸ δὲ Διαστίζειν τὸ ἀντεξετάζειν τὰς λήψεις καὶ τὰς δόσεις.

Διβινιτάτον. τὸ θεῖον.

Διγέστων. διατυπωμάτων.

Διγέστων. φανερῶν διατυπωμάτων.

Διεκδικηταὶ λέγονται πάντες οἱ ἐκδικοῦντες καὶ φροντίζοντες, εἴτε διοικηταὶ, εἴτε ἐπίτροποι, εἴτε κουράτωρες, εἴτε πρoκουράτωρες, εἴτε ἐντολεῖς εἰσι, δεκ. δίκαιον γάρ ἐστι τὸ τὰ αὐτὰ ποιεῖν ἅπερ καὶ ὁ πρωτότυπος ἐποίει παρών. καὶ δίδωσιν ὁ τοιοῦτος καὶ τὴν ἐπὶ τῇ ἱκανοδοσίᾳ ἀσφάλειαν. οὐδεὶς γὰρ ἀλλοτρίαν δίκην ἄνευ ἱκανοδοσίας διεκδικεῖν δοκεῖ, εἰ καὶ ἔστιν ὑπατικός. οὔτε δὲ γυνὴ, οὔτε στρατιώτης ἀξιόχρεώς ἐστιν εἰς τὸ διεκδικεῖν, οὔτε ὁ κατηγορηθεὶς ἐπὶ ἐγκλήματι πρὸ καθοσιώσεως.

Διηγομφικιόσος. τὴν δι᾽ ἀχαριστίας.

Διουιγιούρις. τὸ τῷ θείῳ νόμῳ ὑποκείμενον.

Διρέμ βέρσα. περὶ τῶν δαπανηθέντων πραγμάτων.

Δικανὸς. ἄρχων δέκα ὀνομάτων.

Δικάπιον. δικέφαλον.

Τί διαφέρει Δίκη, Ἀγωγὴ, Ἁμάρτημα, καὶ Ἔγκλημα. Δίκη μὲν γάρ ἐστιν ἡ ἔχουσα ἄδηλον συμπέρασμα. Ἀγωγὴ δὲ, δίκαιον τοῦ ἄγειν τὸν ὑπεύθυνον εἰς τὸ δικαστήριον. Ἁμάρτημα δὲ, ἡ κατὰ τοῦ ἁμαρτήσαντος ἐπίτασις. Ἔγκλημα δὲ, ἐπὶ πουβλίκων δημοσίων κατὰ τοῦ πλημμελήσαντος κινούμενον. οὐ γὰρ ταυτόν ἐστιν ἁμάρτημα καὶ ἔγκλημα. διὰ τοῦτο καὶ ταῖς λέξεσιν ἄλλως κέχρηται ὁ ῥωμαῖος. τὸ μὲν γὰρ ἁμάρτημα κοῦλπαν λέγει. κοῦλπα γάρ ἐστιν ὡς ὁ Στέφανος φησὶν κυρίως ἁμαρτία. καὶ ἁμαρτάνει τις δι᾽ ὧν δόλον ἐποίησεν, ἢ ῥαθυμῆσαι μὴ ὀφείλων ἐραθύμησεν, ἢ πρᾶγμα φυλάσσειν ὀφείλων οὐκ ἐφύλαξεν, ἢ δέον αὐτὸν ἐπιμελήσασθαι οὐκ ἐπιμελήσατο. τὸ δὲ ἔγκλημα κρίμα μὲν ὀνομάζει, οἷον ἁμάρτημα πούβλικον ἐκ προαιρέσεως γινόμενον, ὡς βιβλ. τῶν βασιλικῶν ξ. τιτλ. β. καὶ βιβλ. τῶν ἰνστιτούτων δ.

Δικούσσωρ. πράκτωρ, στρατιώτης.

Δικτάτωρ. ὁ διπλῆν ἐξουσίαν ἔχων.

Δικτάτωρ. ὁ διπλασίαν ἔχων ἀξίαν.

Δικτάτωρ. ὁ διπλασίαν τῶν ἀρχῶν ἔχων, ὃς παρὰ Ῥωμαίοις διουσύπατος καλεῖται.

Διλατιὸν. ἡ ὑπέρθεσις.

Διλατορίας. ὑπερθετικαί.

Διλιγεντία. ἐπιμέλεια.

Διλιγατεύω. ἐκτάσσω.

Διλιγέντα. ἐπιμέλεια, παράφυλαξη.

Διλιγκολακτέινος. ὁμογάλακτος.

Δι-

οἱ δῦλοι δηλατορεύοντες &c.] Priora pertinent ad dilationem, haec ad delationem & *l. 2. §. 6. D. de jur. fiſc.*

Δηλάτωρ] Pro Δηλάτωρ.

Δὴν προαδιτζίονος] Monſtroſum hoc. Viderint alii, an non librarius audiverit dictari, τέμπορε ἀδιτζίονος, idque tam inepte deſcripſerit: ſed & ſic interpretatio eſt inconveniens.

σαμέντουμ] Pro τεσταμέντουμ.

ἀείθως] Baſilica *in l. 101. §. 1. D. de verbor. ſignification.* unde haec habent originem, exhibent εὐήθως, rectius: in ipſa lege eſt *abſurde.*

ὁ μὲν διαλυσάμενος &c.] In nonnullis hic diſceſſum eſt a Baſilicis in *l. 1. D. de transactionib. lib.* XI. *t.* 2. at haec ſimilia ſunt verbis Harmenopuli *Promptuar. lib. 1. tit. 10. n.* 14.

τί διαφέρει Διάλ. Συγχωρήσεως] Lego, τί διαφ. Διαλ. Συγχωρήσεως; per modum interrogationis. Similia occurrunt hac ipſa pagina & ſequenti p. 1790. p. 1816. b. bis.

ἀντεξετάζειν] Reſpondet hoc verbo *conferre*, quod reperitur in *l. 56. pr. D. de verbor. ſignification.* idque praefero verbo ἐξετάζειν, quod exſtat in Baſilicis.

καθοσιώσεως] Ἀ'δυναίτως. (*) Recte! ſpectant haec *l. 6. C. de procuratorib.*

Διηγομφικιόσος] Voluit ſcribere Διηνοφφικιόσε; quod tamen peccatum, an librarii, an auctoris ſit, non defínio.

Διουιγιούρις] *Divini juris.* *

Διρέμ βέρσα] Pro Διῤῥεμβέρσα.

Δικούσσωρ] Scribe, Δισκούσσωρ, ut in ſequentibus vocatur; & ſic Du Cangius *in Gloſſar.*

Δικανὸς] Corrigo Δεκανὸς, ut ita diſtinctius exponatur id, quod praeceſſit, doceaturque, Dictatorem idem jus, quod duos Conſules, habuiſſe; uti conſtat etiam ex Cicerone *de legib. lib.* III. *cap.* 3.

Διλιγατεύω. ἐκτάσσω] Debuit ſcribi Δελεγατεύω. ἐκτάσσω. *delegatio*, ἐκταγή.

Διλιγέντα] Pro Διλιγέντια, uti praeceſſit.

Διλιγκολακτέινος] Meurſius *in Gloſſar.* legit, Διλος κολλακτάνεος, quod valde recedit a vulgato. Viderint doctiores, an hic lateat veſtigium verbi διλιγέντιος, cujus mentionem fieri in libro manuſcripto Theophili §. 5. *Inſt. qui & quib. ex cauſ. manumiſſ. non poſſ.* notavit Fabrotus *ad d. loc.* ubi poſt verba, ἀλίμενος, ἀλίμενα ſequitur, τὸ ἐν τῇ συνηθείᾳ λεγόμενον διλιγέντιον, ἢ κολλακτανεος τουτέστιν ὁμογάλακτος: ut ita διλιγέντιος ſit *alumnus*, non verbum incertae ſignificationis, ut viſum Du Cangio *in h. verb.* ſi

ſcri-

Διλιϊπκολακτένεος. ὁμογάλακτος.
Διλιπτίωνα. δουλεία καὶ παράδοσις.
Διμιτζίλιον. τὸ οἴκημα.
Διμπισάκτωρ. οἰκονόμος.
Διοιούκτιμ. κιαζουκτικῶς.
Διοφίκιος. ὁ δικαστὴς, ὁ περὶ μέμψεως δικαστής.
Διοφφικιόσο. τὸ ἀχάριστον δι' ἐναντιώσεως.
Διοφφικιόσο. ὀφφικιάλιος.
Διοφφικιόσται. μέμψις κατὰ διαθήκης.
Διοικητής ἐστιν, ὁ ἐνταλθεὶς διοικεῖν τὰ τοῦ ἀπόντος πράγματα, καὶ ἐνάγων καὶ ἐναγόμενος ὑπὲρ τῶν τοῦ ἀπόντος πραγμάτων ὧν τὴν διοίκησιν ποιεῖται. λέγεται δὲ ὁ τοιοῦτος καὶ δεκδικητὴς, καὶ ἐντολεὺς, καὶ συνήγορος.
Διουδικατεύει. προσκυροῖ.
Διρεκτά. τουτέστιν ὀρθὴ ἁρμόζει αὐτῷ ἐλευθερία.
Διρέκτα. ἡ ὀρθὴ καὶ προστακτική.
Διρέκταν. τουτέστιν ὀρθήν.
Διρέκταν. ὀρθὴν ἐλευθερίαν.
Διρέκτως. ἀπευτεῦθεν, ἐξ ὀρθοῦ.
Δισκούσσωρ. πράκτωρ, στρατιώτης.
Δισκούσσωρ. πράκτωρ στρατιωτῶν.
Δισπενσάτος. διοικητὴς, οἰκονόμος.
Δισπενσάτωρ. ὁ δικαστής.
Δισπενσάτωρ οἰκονόμος.
Δισπενσάτωρ. οἰκονόμος.
Διστιτούτωρ. ὁ τῆς δίκης ἀποστάς.
Διταρίους. πλουτοποιός.
Διτάριος. πλουτοποιός.
Δόγματος. θεσπίσματος.
Δολίαν στιλικιδίου. οἱ ὑπὸ τῶν κεράμων σταλαγμοί.
Δομεστικοί. οἱ τῶν ῥωμαίων ἱππεῖς, οἱ οἰκειακοὶ στρατιῶται.
Δομέστικος τοῦ θέματος, ὃς μετὰ κόμητος κόρτης εἰς τὴν προέλευσιν τοῦ στρατηγοῦ τέτακται.
Δομεστίκουμ. οἰκειακός.
Δομικηίνου. τουτέστι τὸν οἶκον.
Δομικίλιον. οἶκον.
Δομικήλιον. οἴκημα.
Δομικήλιον. ὁ οἶκος.
Δομινίκα. δεσποτεία.
Δομίνους. δεσπότας.
ἡ Δονατζιόνιβος. ἡ περὶ δωρεῶν ἐστὶν ἀγωγή. ἔστι καὶ ἐκ τῆς πολιτικῆς νομοθεσίας. αἱ μὲν ἰντερβίβους ἤγουν ἐν ζωῇ ἀπευτεῦθεν ἤδη. αἱ δὲ μόρτη κάουσα ἤγουν θανάτου αἰτίᾳ.
Δόνουμ. δῶρον.
Δόνουμ. ἡ σφοδρὰ ἀμέλεια.
Δορεπουδιανδαποσίωνα μήτε καταστρέφεσθαι τὸ δωρούμενον.

Δοτάλιος. ἀδιατίμητος.
Δουλεία ἐστὶν ἐθνικοῦ νόμου διατύπωσις.
Δρουγγάριον οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν τὸν μίας μοίρας, ἤτοι τούρμας ἄρχοντα.
Δρουγγάριος. ὁ χιλίαρχος.
Δροῦγγος. τὸ ἐκ ταγμάτων, ἤτοι ἀνδρῶν τῶν λεγομένων κομήτων συγκείμενον πλῆθος.
Δωρεά ἐστι, τὸ χωρὶς ἀνάγκης διδόμενον.

E.

Ἔγκλημά ἐστιν, ἡ βία, ἡ μετὰ ὅπλων ἐπίθεσις, ὁ φόβος, ἡ ἐπαγωγὴ τοῦ φόβου, ἡ φαρμακία, ἡ γοητεία, ἡ ἱεροσυλία, ἡ μοιχεία, ἡ γυναικὸς ἁρπαγὴ, καὶ τὰ ὅμοια.
Ἐγκληματικὸν δικαστήριον λέγεται, ἐν ᾧ ἐγκλήματα τουτέστι φόνοι, ἀναισχυντίαι, κονδύλοι, καὶ τὰ ὅμοια ἐγκαλοῦνται.
Ἔγκλητός ἐστιν, ἔγκλησις τοὺς τῶν κριθέντων κατά τινος κρίναντος ὡς μὴ καλῶς κριθέντος.
Ἐδιλιγάτιουν. μετετιθέμην.
Ἐδίκτοις. διατάξεσιν.
Ἔδικτον. δικαιοδότημα.
Ἔδικτον. τὸ παράγγελμα.
Ἐδίκτου. νόμος λεγόμενος ἀπὸ προστάξεως.
Ἐδίκτου. νόμος γενόμενος ἀπὸ προστάξεως.
Ἔδνα. τὰ πρὸ γάμου τῇ γυναικὶ διδόμενα.
Ἔδνα. κέρδη.
Ἔδνα λέγονται, τὰ διδόμενα δῶρα ὑπὸ τοῦ γαμοῦντος τῇ γαμουμένῃ.
διαφέρει Εἰκονικὴ λῆψις καὶ ἀθώωσις τῆς καταβολῆς καὶ ἀποχῆς. καθὰ ἡ μὲν ἀθώωσις τῆς καταβολῆς καὶ ἀποχῆς καὶ μηδενὸς καταβαλλομένου λύει τὴν ἐνοχήν. ἡ δὲ ἀποχὴ οὐκ ἄλλως εἰ μὴ καταβληθῶσι τὰ νομίσματα. γίνονται δὲ οὕτως, ὅτι ὁ ἐπερωτώμενος παρά τινος εἰ ὁμολογεῖς χρεωστεῖν κατάθου καὶ εἴπῃ ὁμολογῶ, τοῦτο ἐστὶν ἐπερώτησις καὶ λύεται δι' ἀκεπτιλατζίονος ἤγουν εἰκονικῆς λήψεως. σὺ γὰρ ἐπερωτηθεὶς ἀντεπερώτησας οὕτως, ὅπερ σοι ὁμολόγησα χρεωστεῖν ἔχεις λαβὼν, καὶ τοῦτο ἐστὶν εἰκονικὴ λῆψις καὶ ἀθώωσις. ὅταν δὲ παρά τινος δανεισάμενος εἴπῃς ἔλαβον παρὰ σοῦ τόδε, οὐκ ἐπερώτησίς ἐστιν, ἀλλὰ δάνειον καὶ πραγματικὴ λῆψις, καὶ λύεται διὰ σολβιτίονος ἤγουν πραγματικῆς καταβολῆς ἥτινι ἐπέχεται ἀποχὴ, τοῦτε ἀπόδι διαλαμβάνουσα. ὅτι τὸ χρεωστούμενον ἀπέχω ἀντὶ τοῦ ἀπέλαβον αὐτὸ καὶ ἔχω.
Εἰκονικὴ πρᾶσις ἐστὶν, ἡ ἐσχηματισμένη καὶ οὐκ ἀληθῶς γινομένη.

E'κα-

scriptum fuiſſet Διλιγέντιος κολλακτάνεος. ὁμογάλακτος, erit ſenſus bonus, ſed ſolum poſterius verbum Graece redditum; quod & alibi factum.

Διλιπτίωνα] Forte. Δεδιτίων.

Διμιτζίλιον] Lege Δομιτζίλιον. Meurſius *in Gloſſar.*

Διμπισάκτωρ] Idem legit Δισπενσάτωρ.

Διοιούκτιμ] Scribi debuit Διοιόγκτιμ.

Διοφίκιος, ὁ δικαστὴς, ὁ &c.] Repone Διοφφικιόσο δικαστής. ὁ &c.

Διοφφικιόσο] Sic debuit ſcribi in gloſſa ſequente. Interpretatio haec reſponderet potius verbis Ἰνοφφικιόσ.

Διουδικατεύει] Res ipſa requirit verbum Ἀδιουδικατεύει.

Δισπενσάτος] Lege Δισπενσάτωρ.

Δολίαν] Lego Δυλιάν.

οἱ ὑπὸ τ.] Scribo οἱ ἀπὸ τ.

Δομικηίνου. τουτέστι τὸν οἶκον] Lego Δομικίλιον. ut infra Laur.

Δόνουμ. ἡ σφοδρὰ ἀμέλεια] Lego Δόλουμ. id eſt, δόλον Laur. Δόλουμ. Scal.

Δορεπουδιανδαποσίωνα] Scriptum videtur fuiſſe Δηρεπουδιάνδα ποσσαίονε.

μήτε καταστρέφεσθαι τὸ δωρούμενον] Haec videntur cum illis, quae paulo ante habuimus, cohaeſiſſe, poſita poſt verba ἀπευτεῦθεν ἤδη. Interpretatio verborum praecedentium deſideratur.

E.

ἥτινι ἐπέχεται ἀποχή.] Corrigo, ἥτινι ἕπεται ἀποχή.

τοῦτε ἀπόδι διαλαμβάνουσα] An τοῦτο αὐτὸ διαλαμβάνουσα.

E'σ-

Digitized by Google

Ἐκαπλορατοὶ. πρεσβεῖς, ἀποκρισιάριοι, καὶ ἐκσπλοράτορες.
Ἐκδοῦναι ἐστὶ, τὸ ὑπαγορεῦσαι, ἢ ἐν χάρτῃ δοῦναι, ἢ προκομίσαι τὴν πυκτὴν.
Ἔκκλητον. ἐπὶ τὴν σύνοδον παραίτησιν.
Ἐκπιλάτωρ. πᾶς ὁ αὐτοκράτωρ διοικεῖν λαχὼν τὸν πολέμιον.
Ἐκπλοάτορες. κατάσκοποι.
Ἐκπρονατωρίων. ἐκ μαρτύρων.
Ἐκσικετάριοι. ὑποδέκται τοῦ σίτου.
Ἐκσκουσατίωνες. παραιτήσεις.
Ἐκστιπουλάτο. ἡ εἰς τὸ ἀφανὲς πρᾶγμα τὸ εἰς ἐπερώτησιν τεθὲν ἀπαίτησις.
Ἐκστράνεως δωρουμένω. τὸ ἔξω ῥωμαίων.
Ἐκστραορδινιάται. σφραγίζεται.
Ἐκστραορδινιάται. φραγγελίζεται.
Ἐκστραορδίνως. ἔξω τεταγμένου.
Ἐλευθερία ἐστὶν, εὐχέρεια φυσικὴ ἑκάστῳ συγχωροῦσα πράττειν ἃ βούλεται, εἰ μὴ νόμος ἢ βία κωλύει.
Ἐλευθερία ἐστὶ πρᾶγμα ἀδιατίμητον.
Ἐμαγκιπατίονος. αὐτεξουσιότητος.
Ἐμαγκίπατος. αὐτεξούσιος.
Ἐμαρφροδίτης. ὁ ἔχων ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς φύσιν.
Ἐμάτος. τὰ ἀτυχήματα.
Ἐμμακιπατίων. ἐλεύθερος.
Ἐμμακιπατίων. ἐλεύθερος.
Ἐμμακιπάτους. αὐτεξουσίους.
Ἐμπετρατευθεῖσα. ἡ μετ' ἐξουσίας ἄρχοντος ἐπιτραπεῖσα.
Ἐμπτίονες. ἀγορασίαι.
Ἐμπτίων. ἀγορασία.
Ἐμπτιωβενδίτα ἐρεδιτάτης. πρᾶσις καὶ ἀγορασία τῆς κληρονομίας.
Ἐμπτίων. ἀγορασία.
Ἐμπτίωνες. ἀγορασίαι.
Ἐμπτωρ. ἀγοραστής.
Ἐμπτωρ. ὁ ἀγοραστής.
Ἐναχθῇ. διατιμηθῇ.
Ἔνδοντον. ἀποτέλεσμα.
Ἐνέχυρον κυρίως λέγεται τὸ κινητὸν, διὰ τὸ ἐν τῇ χειρὶ δίδοσθαι τῷ δανειστῇ. διαφέρει δὲ τῆς ὑποθήκης, ὅτι ἡ ὑποθήκη ἐστὶ τὸ παρακείμενον μὲν τῷ χρεώστῃ, ὑποθέμενον δὲ τῷ δανειστῇ εἰς γραμματεῖον ἕνεκεν τῆς τοῦ χρέους ἱκανώσεως.
Ἐν κωδικέλλαις. ἐν χάρταις.
Ἐμαγκηπάτων. ἰδιοκτήτων.
Ἐμαγκιπατίωνι. αὐτεξουσιότητι, ἰδιοκτήτῳ.
Ἐνοβάτευσεν. ἀνεκαίνισεν, ἀνεψηλάφησεν.
Ἐνοβάτευσεν. μετεκαίνισεν, ἢ μετέθηκεν.
Ἔνστασις ἐστὶν, ὁ φύσει πρῶτος βαθὸς τοῦ κληρονόμου.
Ἐν τῇ πουπιλαρίᾳ. ἐν τῇ ἀφηλικιότητι.
Ἐν τῇ πριγκίπα. ἐν τῇ ἀρχῇ.
Ἐντολεὺς ἐστὶν ὁ ξένην ὑπόθεσιν ἀναλαμβανόμενος καὶ κρινόμενος.
Ἐξάκτωρ. ἀπαιτητής.
Ἐξάστα. ἤγουν εἰς πρᾶξιν.
Ἐξβενδίτα. ἡ ἐκ τοῦ πράτου κινουμένη εἰς τὸ λαβεῖν τὰ ἀργύρια.
Ἐξβένδουμ. τῆς ἀποκρίσεως.
Ἐξβένδουμ. καταγραφῆς.
Ἐξβενδίτου. ἐκ τοῦ πεπραγμένου.
Ἐξικέτουρ. ἐκβιβαστής.
Ἐξέκκιτο. στρατός.
Ἐξικούτωρ. ἐκβιβαστής.
Ἐξεδρατεύσας καὶ μὴ κληρονόμον ποιήσας.
Ἐξεμπτίων. ἤγουν τὴν περὶ ἐκμισθώσεως, ἢ τὴν περὶ ἀγορᾶς.
Ἐξέμπτο. ἡ τοῦ ἀγοραστοῦ ἀπαιτοῦσα τὸ πραθὲν πρᾶγμα.
ἡ Ἐξέμπτος καὶ ἡ ἐξβένδιτος ἀγωγὴ, ἤτοι ἡ περὶ πράσεως καὶ ἀγορᾶς κατάγεται ἀπὸ κονδράκτου ἐκ τῆς κονσένσου ἤγουν ἐκ συναλλαγμάτων τῶν ἐκ συνέσεως. οὔτε γὰρ γραφὴ ὡς ἐπὶ τῆς λίττερις, οὔτε παρουσία ὡς ἐπὶ τῆς βίρβης, ἀλλ' οὔτε δίδοσθαί τι ἐπάναγκές ἐστιν ὡς ἐπὶ τῆς ἰνρέμ, ἀλλ' ἀρκεῖ μόνον τοῦ συναινέσαι. Ἔστι δὲ ἡ ἐξέμπτος καὶ ἐξβένδιτος ἰουρισγεντία, τουτέστι τοῦ ἐθνικοῦ νόμου· παρὰ πᾶσι γὰρ ἔθνεσι πολιτεύεται τῆς δὲ πράσεως καὶ τῆς ἀγορᾶς ἀρχὴ ἡ περμουτατίων ἤγουν ἡ καταλλαγή. πάλαι γὰρ οὐκ ἐπίσταντο νόμους ἡ χρῆσις ὥσπερ νῦν, οὐδὲ ἕτερος μὲν τὸ πιπρασκόμενον, ἕτερος δὲ λόγῳ τιμήματος παρεχόμενον ἐνομίζετο, ἀλλ' ἡ καθεὶς τὸ παρ' ἑαυτῷ διδοὺς περιττὸν ἐλάμβανε τὸ χρήσιμον. νῦν δὲ ἀργυρίων ἐπινοηθέντων ἡ πρᾶσις γέγονε, χωρὶς γὰρ ἀργυρίου οὐ συνίσταται, καὶ βοναφίδη ἐστιν ἡ τοιαύτη καὶ τὸν δόλον ἀποστρέφεται. καὶ βενδίτωρ μὲν λέγεται ὁ πράτης καὶ κινεῖ τὴν ἐξβένδιτον. Ἔμπτωρ δὲ ὁ ἀγοραστὴς, καὶ κι-

Ἐκαπλοράτοι] Meurſius *in Gloſſar.* reponit Ἐκπλοράτοι.
Ἐκπιλάτωρ] Du Cangius *in Gloſſar.* mallet Ἰμπεράτωρ.
πολέμιον] Lege, πόλεμον.
Ἐκπλοάτορες] Lege Ἐκπλοράτορες, vel Ἐκσπλοράτορες.
Ἐκπρονατωρίων] Pro Ἐκπρεβατωρίων, mutato β, in ν, quod factum eſt alibi.
Ἐκσικετάριοι] Meurſius *in Gloſſar.* mallet Δεξιτάριοι, Du Cangius *in Gloſſar.* ἐκσεπτάριοι, *exceptores*.
Ἐκστράνεως δωρουμένω.] Nullus in his ſenſus; ſcriptum fuit aliquid tale, *extra noſtrum imperium*, vel *extra noſtrum orbem*, aut aliud ſimile, quod ex ore forte dictantis perperam ſcriptum eſt.
σφραγίζεται] Du Cangius *in Gloſſar.* legit Φραγγελίζεται in *hoc verb.* atque ita in gloſſa ſequenti, & in verbo Ἐξτραορδινεύεται.
Ἐμαρφροδίτης] Lego Ἑρμαφροδίτης.
Ἐμμακιπατίων. ἐλεύθερος] Meurſius *in Gloſſar* ſcribit Ἐμαγκιπατίων. ἐλευθερότης.
Ἐμμακιπάτους] pro Ἐμαγκιπάτους.
Tom. III.

Ἐμπτιωβενδίτα ἐρεδιτάτης.] pro Ἐμπτιοεβένδιτα ἐρεδιτάτις.
Ἔνστασις ἐστὶν, ὁ φ. πρῶτος βαθὸς] Lego βαθμὸς Labb.
Ἐν τῇ πριγκίπα] Pro Ἐν τῷ πριγκιπίῳ.
Ἐξάστα. ἤγουν εἰς πρᾶξιν] Lege εἰς πρᾶσιν. *Ex baſia* Labb.
Ἐξβενδίτα] Pro Ἐξβένδιτο, ſcil. *actio.*
Ἐξβένδουμ] Pro Ἀδεξβένδουμ. quod dein repetitur.
πεπραγμένου] Lego πεπραμένου.
Ἐξικέτουρ] Pro Ἐξικούτωρ, quod & ſequitur.
Ἐξέκκιτο. στρατός.] Lego Ἐξέρκιτος. Labb.
Ἐξεδρατεύσας] Pro Ἐξερεδατεύσας; & ſic corrigit Meurſius *in Gloſſar.*
ἡ Ἐξέμπτος] In interpretatione hujus verbi pro ἐκ συνέσεως legendum ἐκ συναινέσεως. Labb. Adde Theophilum *tit. Inſt. de conſenſu obligatione.*
ἰνρέμ] Theophilum *loc. cit.* habet ῥὲ, rectius.
μόνον τοῦ συναινέσαι] Lego, μόνον τὸ συναινέσαι.
ἕτερος μὲν τὸ πιπρασκόμενον, ἕτερος δὲ &c.] Lego; ἕτερον μὲν τὸ πιπρασκόμενον, ἕτερον δὲ &c. ſunt autem hæc ex *l.* 1. *pr.* & §. 1. *D. contrahend. emption.*

κινεῖ τὴν ἐξέμπτου καὶ ἀπαιτεῖ τὸ πραθὲν ὥσπερ καὶ αὖθις τὸ τίμημα. Ἔστι δ' ὅτε καὶ συμπίπτουσιν ἡ ἐξέμπτου καὶ ἡ ἐξβενδίτου, καὶ κεχρήμεθα ἀναμὶξ τῇ ὀνομασίᾳ τῆς πράσεως καὶ τῆς ἀγορᾶς, ὥσπερ δίκαιον τῆς μισθώσεως καὶ τῆς ἐκμισθώσεως.

Ἐξέμπτο. ἡ τοῦ ἀγοραστοῦ ἀπαιτοῦσα τὸ πραθὲν πρᾶγμα.

Ἐξέμπτου. καὶ ἐξβενδίτου. ἤγουν ἡ πρᾶσις καὶ ἡ ἀγορασία.

Ἐξέμπτο. ἀγωγὴ τῆς ἀφέσεως.

Ἐξέμπτον. ἀφαιρετικόν.

Ἐξίμπτον. ἀφαιρετικῶν.

Ἐξεπέδιτα. τὰ δημοφελῆ κατασκευάσματα.

Ἐξεπέδιτον ἐστὶν, ἔνθα διάγει τὸ στρατόπεδον, ἢ ἐν δημοφελεῖ κατασκευάσματι.

Ἐξερεδάδον. ἄκληρον.

Ἐξερεδάτευσον. ἄκληρον ἐποίησεν.

Ἐξερεδατζίωνος. ἄκληρος ἔστω.

Ἐπὶ τῆς ἐξερεδατζίωνος. ἐπὶ τῶν ἀκλήρων γινομένων.

Ἐξερεδάτος. ἀπόκληρος.

Ἐξερκίτωρ. ὁ κύριος τῆς νηός.

Ἐξερκίτωρ. ὁ ναύκληρος.

Ἐξερκιτορία. ἡ κατὰ τοῦ ἐξερκίτορος ἀγωγή.

Ἐξερκιτορία. ἡ κατὰ τοῦ προβαλλομένου κατὰ τῆς κατὰ θάλασσαν ἐμπορίας.

ἡ Ἐξερκιτορία ἀγωγὴ ἤγουν ἡ κατὰ τοῦ προεστῶτος τῆς νηὸς ἔστι πραιτωρία καὶ περπετούα· εἰ γὰρ ἦν πολιτικὴ οὐκ ἂν ἑτέρου συναλλάσσοντος ἕτερον ἔνοχον ἐποίει. ἁρμόζει δὲ κατὰ τοῦ προβαλλομένου τινὰ ἐπὶ τῆς κατὰ θάλασσαν ἐμπορίας, κατέχεται γὰρ ὁ προστησάμενος ἐφ' οἷς συνήλλαξεν ὁ προσταθεὶς, ὁποίας ἂν εἴη φύσεως ἢ ἡλικίας. ὁ γὰρ συναλλάττων τρόπον τινα πρὸς τὸν προστησάμενον δοκεῖ συναλλάττειν, καὶ τὴν αὐτοῦ μεταδιώκει πίστιν διὰ τὴν ὑπ' αὐτοῦ γενομένην κέλευσιν. ἐπειδὴ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ὁ πλοῦς κατεπείγων, οὐκ ἐᾷ τὸν ἐπιβάτην περιεργάσασθαι ἀκριβέστερον τὰ περὶ τοῦ μαγίστρου ἴσως μὲν δὴ ἑτέρου πλοίου ὄντος καὶ τοῦ ἐπιβάτου τοῦ ἐπιθυμοῦντος πλεῦσαι. διὰ ταύτην οὖν τὴν περίστασιν δέδωκεν ὁ πραίτωρ τὴν ἐξερκιτορίαν κατὰ τοῦ προστησαμένου εἰς ὁλόκληρον. διὰ τοῦδε ὀνόμασθαι ἐξερκιτορία, ἐπειδὴ ἐξερκίτωρ λέγεται οὗτος πρὸς ὃν ὁ καθημερινὸς πόρος τῆς νηὸς ἀνατρέχει. πρὸς ναύκληρον δὲ ἤτοι πιστικὸν ὁπόταν τὴν ἐπιμέλειαν τοῦ πλοίου ἐπιτραπῇ. ἀπὸ μόνων δὲ τῶν συναλλαγμάτων τῇ προστασίᾳ τοῦ πιστικοῦ ἐνέχεται ὁ ναύκληρος. δύναται δὲ ὁ συναλλάξας καὶ τὸν κονδικτίκιον κινεῖν. δοκεῖ δὲ ὁ προεστὼν πάσας παραγγελίας πεπεῖσθαι ὥστε ἀδεῶς συνάπτειν τῷ προσταχθέντι ὑπεξουσίῳ. αὕτη δὲ ἡ ἀγωγὴ διηνεκὴς ἐστιν, ὅθεν ἐνάγεται ὁ προστησάμενος καὶ μετὰ ἐνιαυτὸν, κἂν τὸ δεπεκουλίῳ οὐκ ἐνήγετο. ἡ δὲ ἰμφάκτουμ, ἤτοι ἡ ἀπαιτοῦσα τὸ πρᾶγμα, ἐδόθη παρὰ τῷ πραίτωρι ἐν τῇ ἐξερκιτορίᾳ, ἥτις οὔτε ἐκ συναλλαγμάτων καταγεται, οὔτε ἐξ ἁμαρτημάτων, ἀλλ' ἐκ τῶν ὡσανεὶ ἁμαρτημάτων, ὡς ἰνστιτοῦτα δ. τίτλ. ε. αὕτη δὲ ἡ ἀγωγὴ τοῖς μὲν κληρονόμοις τοῦ ἀδικηθέντος δοθήσεται, κατὰ δὲ κληρονόμων τοῦ ἐξερκιτώρου οὐχ ἁρμόζει. ὁ γὰρ ἐξερκίτωρ ὑπὲρ τῶν συναλλαγμάτων τοῦ προσταχθέντος οὐ κατέχεται τῇ ἐξερκιτορίᾳ, ἀπὸ δὲ τῆς τῶν ἐργατῶν ἤτοι μισθωτῶν κακουργίας δι' ὧν ἡ ναῦς ἔπλει, κατέχεται τῇ ἰνφάκτουμ ἐν τῇ ἐξερκιτορίᾳ, μία μὲν κατὰ τῶν ἰδικῶς ἐπαγγειλαμένων τὴν τῶν φόρτων παραφυλακὴν, ἑτέρα δὲ, κατὰ τῶν ὑποδεξαμένων μόνον, οὐ μὲν ῥητῶς ἐπαγγειλαμένων παραφυλάττειν. Διαφορὰ δὲ τῶν δύο τούτων τὰ ἀποτελέσματος καὶ τὰ ἐπιτίμια, εἰ μὲν γὰρ ἐπηγγείλατο ὁ ἐξερκίτωρ κἂν ἐν τῷ αἰγιαλῷ ἀπώλλοντο τὰ φόρτια, ὅμως ἐνάγεται τῇ πραιτωρίᾳ ἰνφάκτουμ εἰς διπλάσιον. εἰ δὲ μὴ ἐπηγγείλατο ἐνέχεται, εἰ ἐντὸς τοῦ πλοίου γέγονεν ἡ ζημία, εἰ δὲ ἐκτὸς οὐκ ἐνέχεται. καὶ ὅτι ἡ μὲν πρώτη ἐξερκιτορία κατὰ κληρονόμων κινεῖται, ἡ δὲ ἄλλη οὐ κατὰ κληρονόμων. καὶ αὗται μὲν αἱ ἰνφάκτοι κινοῦνται κλοπῆς ἢ ζημίας ἐπὶ τοῖς φορτίοις γινομένης, καὶ ἐνοχοποιοῦσι τὸν ἐξερκίτωρα ἀπὸ τῆς τῶν ἐργατῶν κακουργίας. ἡ δὲ ἐξερκιτορία κινεῖται κατ' αὐτῶν ὑπὲρ ὧν συνήλλαξεν ὁ προσταθεὶς παρ' αὐτοῦ.

Ἐξερκίτωρ λέγεται κυρίως τῆς νηὸς ὁ ναύκληρος, ἤγουν ὁ πιστικὸς πρὸς ὃν ὁ καθημερινὸς πόρος τῆς νηὸς ἀνατρέχει, καὶ πᾶσαν ἐπιμέλειαν τοῦ πλοίου ἐπιτραπείς.

Ἐξετεσταμέντη. ἡ ἐκ τῆς διαθήκης βοήθεια.

Ἐξισταμέντο. ἀπὸ διαθήκης ἀγωγή.

ἡ Ἐξισταμέντο ἀγωγὴ, οὐδεμίας ἐστὶν ἐνοχὴ καὶ γὰρ οὔτε κυρίως ἐστὶ τοῦ κονδράκτου ἤγουν ἐκ συναλλαγμάτων, οὔτε πάλιν ἀπὸ δελίκτου ἔχει τὴν ὑπόστασιν, ἤτοι ἐξ ἁμαρτήματος. ἔστι δὲ περσοναλία ἀπὸ τῶν διγέστων, ἀπὸ δὲ τῆς α. διατάξεως τοῦ μγ. τίτλ. τοῦ ς. βιβλ. τοῦ κώδικος καὶ ἰνρὲμ ἀπαιτοῦσα πάντα τὰ ἐκ διαθήκης χρεωστούμενα εἴτε λεγάτα, ἢ φιδεικόμισσον, ἢ καὶ ἐλευθερίας.

Ἐξεστρά. ἔξω.

Ἐξιστραορδίνεμ. ἤγουν ἔξω νόμου.

Ἐξίμπτον] Pro Ἐξέμπτον.

Ἐξεπέδιτα] Scrib, Ἐξπεδῖτα. Simile vitium in gloſſa ſequenti.

ἕτερον ἔνοχον ἐποίει] Malim ἕτερος ἔνοχον ἐποίει.

καὶ τοῦ ἐπιβάτου τοῦ ἐπιθυμοῦντος] Male repetitur illud τοῦ lego, καὶ τοῦ ἐπιβάτου ἐπιβάτου ἐπιθυμοῦντος.

διὰ τοῦδε ὀνόμασθαι ἐξερκιτορία] Mallem διὰ τοῦτο ὀνομάζεται (vel ὀνόμασται) ἐξερκιτορία.

τὸ δεπεκουλίῳ] Lego τῇ δὲ πεκουλίῳ, ſcilicet ἀγωγῇ, aut delendum τό.

οὐ κατέχεται τῇ ἐξερκιτορίᾳ] Delenda negatio, aut enunciatio erit falſa.

εἰς διπλάσιον] Imo haec actio de receptis eſt tantum in ſimplum, *l. 3. pr. junct. §. 3. 4. D. naut. caupon. ſtabular. ut recept. reſtit.* at illa, quae datur ex quaſi maleficio & ob factum miniſtrorum, eſt in duplum, *l. ult. §. 1. D. d. t. l. un. §. 2. D. furt. adverſ. caupon. ſtabular.*

ὁ ναύκληρος, ἤγουν ὁ πιστικός] In verbo Μάγιστρος dicitur eſſe ὁ ναύκληρος τῆς νηός. In praecedentibus aliter, hoc modo, Ἐξερκίτωρ, ὁ ναύκληρος: & in Baſilicis plus ſemel ναύκληρος accipitur pro exercitore, *tom. IV. p. 644.* ut ita ναύκληρος uſurpetur tam pro exercitore, quam pro magiſtro, & multi quoque proprias per ſe naves exercent: ut vero πιστικὸς ſit exercitor, non admiſerim; adeoque erravit auctor, niſi illa ἤγουν ὁ πιστικὸς ſint a mala manu: ſed & in ſequentibus hi confunduntur.

Ἐξετεσταμέντη.] Pro Ἐξτεσταμέντο; ſimile vitium mox quoque in ſyllaba ſecunda bis repetitur.

οὐδεμίας ἐστὶν ἐνοχή] Senſus foret aliquis, ſi quis legeret ἐξ οὐδεμίας ἐστιν ἐνοχῆς: non eſt enim actio ex teſtamento ex duabus illis cauſis, mox recenſitis & memoratis in *l. 1. pr. D. de oblig. & action.* contractu & delicto.

Ἐξεστρά] Pro Ἔξτρα.

Ἐξιστραορδίνεμ] Leg. Ἐξτραορδίνεμ. *Extra ordinem*, id eſt, *extra legem*. Sic Sueton. *in Veſpaſiano, cap. 8.* dixit, *Participes autem victoriae adeo nihil extra ordinem indulſit: ut etiam legitima praemia non niſi ſero perſolverit.* Lann.

Ἐξιντερτίονος. ἤγουν ἐξ ἀγωγῆς μόνης συγκείμενος.
Ἐξοῦρε κουριλίουμ. δεσπότης ἔννομος ἐκ τοῦ νόμου τῶν κριτῶν, ἤτοι ῥωμαίων.
Ἐξκουβίτορες. τῶν παρεξόδων τοῦ παλατίου ὑπάρχοντες φύλακες.
Ἐξκουσατεύει. παραιτεῖται.
Ἐξκουσάτος. παρῃτημένος.
Ἐξκουσάτος. παρατετηρημένος.
Ἐξλόγε κονδικτικίου. ἤγουν τοῦ ἐκ νόμου ἀπαιτισμοῦ.
Ἐξλιβρισαρίκοις. ἐκ βιβλίων ἀρχαίων.
Ἐξηρεδάτος. ἀπόκληρος.
Ἐξηβιτόρια. παρασταλικά.
Ἐξηβιτόριον. ἤγουν παραστατικόν.
Ἐξομνικαύση. ἤγουν ἐκ πάσης αἰτίας.
Ἐξομνιοβλιγάτζιονε. ἤγουν ἐκ πάσης ἐνοχῆς.
Ἐξόπερις. ἐξ ὑπηρεσίας.
Ἐξπεδίτοις. ἔξοδος στρατιωτική.
Ἐξπέδιτον. ἔνθα διάγει τὸ στρατόπεδον.
Ἐξπλοράτα. πρέσβεις ἀποκρισιάριοι καὶ ἐκπλοράτορες.
Ἐξπλωτῆρες. κατάσκοποι.
Ἐξπροφεσσίονος ἐξ ὁμολογίας.
Ἐξπρόνσεις μίτζει τοῦ ἰσλίπτερες. ἤγουν ἐκ τῆς συνθήκης ὀφείλω τῶν οἰκείων γραμμάτων.
Ἐξρεμέα. ἐκ τῶν ἐμῶν πραγμάτων.
Ἐξσπιλάται. ἤγουν περὶ κλοπῆς κληρονομιαίων.
Ἐξτεσταμέντο. ἐκ διαθήκης ἀγωγή.
Ἐξτεσταμέντο. ἡ ἀπαιτοῦσα τὰ ἐκ διαθήκης χρεωστούμενα.
Ἐξστιπουλάτη. ἡ περὶ ἐπερωτήσεως, καὶ συμφώνων, καὶ ἀποκρίσεως.
Ἐξστιπουλατίων ἐστὶ τῆς βέρβης ἀγωγή, καὶ συνίσταται, ἐξ ἐπερωτήσεως καὶ συμφώνου ἀποκρίσεως. ἐπερωτῶμεν δὲ ἢ δοθῆναί τι, ἢ γίνεσθαι. ὀνόμασθαι δὲ ἐντεῦθεν στιπουλατίων. ἐπερωτῶμεν δὲ καθαρῶς, καὶ ὑπὸ ἡμέραν, καὶ ὑπὸ αἱρέσεως. καὶ καθαρῶς μὲν, ὅταν εὐθέως ἔχῃ τελουμένην τὴν ἀπαίτησιν. ὑπὸ ἡμέραν δὲ, ἡνίκα χρόνος τρέχει ἢ προστεθῇ τῇ ἐπερωτήσει, καθ' ὃν καταβληθήσεται τὸ ἐκ τῆς ἐπερωτήσεως ὅπερ εὐθέως μὲν ἐποφείλεται, ἀπαιτεῖσθαι δὲ πρὸ τῆς ἡμέρας οὐ δύναται· ὑπὸ αἵρεσιν δὲ, ὁπόταν εἰς θάτερον ἀναφέρεται, ἡ ἐνοχὴ, ὡς ὅταν εἴπω, ἐὰν ὕπατος πέτρος γένηται ἢ μὴ γένηται, ὁ δὲ ὑπὸ αἵρεσιν ἐρωτήσας ἐλπίδι ἔχει ὅτι πάντα ἐποφληθήσεται, καὶ δύναται τελευτῶν ταύτην τὴν ἐλπίδα ἐπὶ κληρονόμους πέμπειν καὶ εἴγε ἐτελεύτησεν ἠρτημένης τῆς αἱρέσεως.
Ἐξστιπουλάτου. ἡ ἐπερώτησις.
Ἐξστράνιος. ὁ ἐξωτικὸς, ἢ ὁ ξένος.
Ἐξστράνιος. ἐξωτικός.
Ἐξστραορδινάρια. ἔξω τῆς τάξεως.
Ἐξστραορδινέμ. παρὰ τύπον.
Ἐξστραορδινέμ κόλασις. ἡ ὑπὸ τοῦ δικαστοῦ τυπωθησομένη.
Ἐξτραορδίνως. ἤγουν ἔξω νόμου.
Ἐξτρά. ἔξω.
Ἐξτραορδιναρία. ἔξω τῆς τάξεως.
Ἐξτραορδιναρίας. ἀτάκτου.
Ἐξτραορδίνεμ. ἔξω τῶν πεπραγμένων, ἢ τὴν παρὰ τοῦ δικαστοῦ τυπωθεῖσαν τιμωρίαν.
Ἐξτραορδινεύεται. φραγγελίζεται.
Ἐξτραορδίνως. ἔξω τῶν τεταγμένων, ἢ τῶν νόμων.
Ἐξώστης ὁ ἡλιακός.
Ἐπαρχιώτης. ὁ ἐν τῇ ἰδίᾳ πατρίδι τὸ συνάλλαγμα ποιῶν.
Ἐπαρχιῶται εἰσὶν, οἱ τὴν οἴκησιν ἐν ταῖς ἐπαρχίαις ἔχοντες, οὐ μὲν οἱ ἐν αὐταῖς τεχθέντες.
Ἐπερώτησις ἐστὶ συνθήκη ῥημάτων, δι' ὧν ἀποκρίνεταί τις πρὸς τὴν ἐπερώτησιν ποιεῖν τὶ ἢ διδόναι Καὶ ἐπενοήθη παρὰ τοῦ Ἀκουιλίου Γάλλου τοῦ νομικοῦ, ἔχει δὲ ἰσχὺν ἀναιρεῖν πάσας τὰς πρὸ αὐτῆς ἀγωγὰς διὰ τῆς νοβατίωνος, ἤγουν μεταθέσεως, ἤγουν ἀνακαινίσεως. φθείρεται δὲ αὕτη διὰ μόνης ἀκκεπτιλατζίωνος ἤγουν δι' ἀποχῆς, ὅταν εἴπῃ ἔχω λαβὼν ἢ καὶ ληφθὲν ἀπηνεγκάμην, καὶ ἐστι τοῦτο εἰκονικὴ καταβολὴ ῥήμασι τυπικοῖς γινομένη.
Ἐπερώτησις ἢ φυσικῶς ἢ πολιτικῶς λέγεται. Φυσικῶς μὲν διὰ καταβολῆς, ὅταν φθαρῇ τὸ ἐπερωτηθὲν πρᾶγμα χωρὶς ῥαθυμίας τοῦ ἐπερωθέντος. πολιτικῶς δὲ δι' ἀποχῆς, ἢ ὅταν εἰς τὸ αὐτὸ περιστῇ πρόσωπον τὰ δίκαια τοῦ ἐπερωτήσαντος καὶ τοῦ ἐπερωτηθέντος.
Ἐπερώτησις. ἡ ὁμολογία.
Ἐπετίτευσεν. ἀπήτησαν.
Ἐπιδίφροι. οἱ ἡνίοχοι.
Ἐπὶ σκηνῆς. θεατρικόν.
Ἐπὶ σκηνῆς. ἐπὶ θεάτρου.
Ἐπίτροπος ἐστι δίκαιόν τι καὶ ἐξουσία κατὰ ἐλευθέρας κεφαλῆς διδομένη καὶ πρὸς ἀσφάλειαν αὐτῆς ἐπινοουμένη ἢ διὰ τὸ τῆς ἡλικίας ἀτελὲς, ἢ διὰ τὸ τῆς εὐπραγίας ἀληθὲς ἐπιτετραμμένη. διαφέρει ἐπίτροπος τοῦ κουράτορος, ὁ μὲν γὰρ ἐπίτροπος ἐστὶ κηδεμὼν ἀνήβων αὐτεξουσίων, ὁ δὲ κουράτωρ, ἐφήβων.
Ἐπὶ φιδεικομισσάρη. ἐπὶ πίστει βαλλομένη.
Ἐπόπτης λέγεται, ὁ ἐξισωτής.
Ἐργολάβος ἐστὶν, ὁ χρήματα διδοὺς ἐπὶ τῷ ἐκχωρηθῆναι ἀγωγήν.
Ἐρεδετάριον. ὑπόχρεως κληρονόμου.
Ἐρεδιτάριος. ὑπόχρεως.
Ἐρεπουδιάτευσε. παρῃτήσατο.
Ἐρεδηταρίων. κληρονομήσεων.
Ἑρμαφρόδιτος ἐστὶν, ὁ ἀμφότερα ἔχων τὰ μόρια ἀῤῥένων καὶ θηλειῶν, ἢ αἰσχρῶς καὶ ποιῶν καὶ πάσχων.

Ἐξιντερτίονος] Apud Theophilum §. 13. *Inſt. de actionibus*, eſt τύπος ἀπὸ ἰντερτίονος μόνης συγκείμενος.
τῶν κριτῶν] Lego τῶν κουριτῶν.
παρατετηρημένος] Lege, uti praeceſſit, παρῃτημένος.
Ἐξηβιτόρια] Pro Ἐξιβιτόρια. Simile mendum in gloſſa ſequenti.
Ἐξομνικαύση] Pro Ἐξομνικαύσα.
Ἐξπεδίτοις] Du Cangius legit Ἐξπέδιτον *h. verb.*
Ἐξπρόνσεις μίτζει τοῦ ἰσλίπτερες] Verba poſteriora ita legenda τοὺς λίττερας. priora non expedio.
ἐλπίδι ἔχει] Lego ἐλπίδα.
Καὶ ἐπενοήθη παρὰ τοῦ Ἀκουιλίου *&c.*] Haec non pertinent ad ſtipulationem in genere, ad quam priora ſpectant, ſed ad ſtipulationem Aquilianam, de qua agitur in §. 2. *Inſt. quib. mod. tollit. obligat.* Et forte quaedam interciderunt hoc in loco.
λέγεται] Scribendum λύεται. Verba ſunt ex *l.* 107. *D. de ſolution.* atque ita exſtat in Baſilicis *tom.* IV. *p.*171.
ὅταν φθαρῇ] Ibidem ſcriptum eſt ὅ ἐὰν φθαρῇ.
Ἐπίτροπος *&c.*] Definit quid ſit tutela, cum tamen definiri deberet, quid eſſet tutor. Poſſet quis velle reponere ἐπιτροπή. Verum & alibi definitiones non exacte reſpondent rei propoſitae
ἀληθὲς] Mallem ἀτελές: pupillus enim non ſolet res bene gerere. De vero, ſive περὶ τοῦ ἀληθοῦς, non eſt hic ſermo.

Ἐρεδιδάτης πετιτζίονα. ἡ περὶ κληρονομίας ἀγωγή.
Ἐρκισκούνδουμ. ὁ ἄρχων τῆς ἱεροκούρουμπλι, οἶμαι. ὁ τὰς ὕβρεις ἐκδικῶν τὰς εἰς παρθένους γινομένας καὶ αἰσχρότητα τελουμένας.
Ἐρπεδῆτα. τὰ συμφέροντα.
Ἐσφρούκτον. ἐπικαρπίαν.
οἱ Εὐνοῦχοι τρισσῶς λέγονται, οἱ μὲν καλοῦνται σπάδωνες εἴ τινες διὰ πάθος ἢ ψύξιν ἐνόχλησιν τοῖς γονίμοις μορίοις παιδοποιεῖν κωλύονται. οἱ δὲ θλιβίαι οἵτινες ὑπὸ τῆς τροφοῦ ἢ τῆς μητρὸς τυχὸν ἔκθλιψιν τοῖς διδύμοις ὑπέστησαν. οἱ δὲ καστράτοι, εἷς γέγονεν ἐκτομὴ τῶν γεννητικῶν μορίων.
Ἐφακτοῦμ. ἀζήμιον.
Ἐφεκτοῦμ. προκοπή.
Ἔφεσις λέγεται ἡ ἔκκλητος.

H.

Ἠδιρέκτα. ἡ ὀρθὴ καὶ εὐθεῖα.
Ἠκοντραβουῦν κοπατετίωνος. τῆς διατυπώσεως.
Ἠ ἐν κωδικέλλοις. ἡ ἐν δικαιώμασι.
Ἠ ἐν τῷ οὐτιλίῳ. ἡ ἐν τῷ ἀγαθῷ χρόνῳ.
Ἠλητέμ. μάχη.
Ἠλιτέμ. μάχη.
Ἠλοῦμ. ἐκεῖνος.
Ἠπαρουμ. ὕβρεως.
Ἠνουριαροῦμ. τουτέστιν ὕβρεως.
Ἡμεροδρόμοι. οἱ ταῖς βασιλικαῖς διατάξεσι ταχύτατα διακονούμενοι μανδάτωρες.
Ἠνδεβιτεΐνδουμ. τῶν χρεωστουμένων.
Ἠδίας. ἡμέρας.
Ἠπαρουμ. ὕβρεως.
Ἠνουριαροῦμ. τουτέστιν ὕβρεως.
Ἠπαάπητα. ἐξ ἰσότητος.
Ἠνομφοιώσου. τὸ ἀχάριστον δι' ἐναντιώσεως.
Ἠπροτιστάται. ὑπεξούσιοι.
Ἠνρῆτους. ἀβέβαιος ἄδηλος.
Ἠντερβίβους. ἐν τῇ ζωῇ.
Ἠντερβίβους δωρεά. ἡ ἐν ζωῇ δωρεά.

Ἠϊφάντε. παῖδα, ἰνφὰς γὰρ λέγεται ὁ παῖς.
Ἠπροδηγηόσα. ἡ διακυμένη.
Ἤραμ. θυμόν.
Ἠτηκοντράφους. ἡ τὴν ἐναντιουμένην.
Ἠ τοῦ προκετεστέρου. ἡ τοῦ ὕστερον παρόντος.
Ἤτω δὲ, εἴτω δικεῖ, ὁ προτέκδικος.

Θ.

Θάλπεται, οὐ συγχωρεῖται ἡ ἐλευθερία ἀναστραπῆναι παρὰ τοῦ ἄρχοντος.
Θάλποντοι. ἤγουν βοηθοῦνται, καὶ συγκομιδοῦνται.
τῇ τῶν Θυγατέρων προσηγορίᾳ, καὶ αἱ κυοφορουμέναι δηλοῦνται.

I.

Ἰαμμίν. ἡ ἐμβαλλομένη τῷ τοίχῳ δοκός.
Ἴβεντον. ἀποτέλεσμα.
Ἴγκερτον. ἄδηλον.
Ἴγκερτος. ὁ ἀφανής.
Ἴγκολος. ὁ πάροικος, ὃς καὶ ἀλλαχοῦ ἐν πόλει ἢ ἐν χωρίῳ τὴν οἴκησιν ἐκτήσατο.
Ἰγνοπατζία. ἄγνοια.
Ἰδιωτικοῦ. δανειστοῦ.
Ἰδαμνὴ ἰνφέκτης περὶ μελλούσης ζημίας.
Ἱεραπελιγιῶσα. χρήματα τὰ δωρηθέντα Θεῷ.
Ἰκέρτα δητεώουση. ἄδηλα πλουτῆ.
Ἰλητέμ. ὁ ἔνδικος ὅρκος, ἤγουν ὁ μονομερής.
Ἰλιτέμ. ὅρκος ἀπαιτούμενος παρὰ τῶν δανειστῶν ἐν τοῖς πράγμασι τῶν ἀποθανόντων αὐτῶν χρεοφειλέτων ἐκ τῶν κληρονόμων.
Ἰλιτέμ. ὑπόκειται τῷ ἰλιτὲμ ὅρκῳ, καὶ ἀτιμοῦται.
Ἰλλούστριοι. πρωτοσπαθάριοι.
Ἰλλουστήριος. εὐγενής.
Ἰλλουστρίων. ἀξιωματικῶν ἢ συγκλητικῶν.
Ἰλλουστρίων. εὐγενής.
Ἴμμεντα. καταγραφήν.

Ἰμ-

Ἐρεδιδάτου] Leg. Ἐρεδιτάτης, ut ſupra. Labb.

Ἐρκισκούνδουμ. ὁ ἄρχων, &c.] Leg. Σερβικόρρυπτι. Sic infra in litera Σ. corrupte ſcriptum Σερβικορρύπτη. Labb.

αἰσχρότητα] Lego αἰσχρότητας.

Ἐρπεδῆτα] Dicere videtur voluiſſe Ἐξπεδῖτα: quamvis Latine dici *expedita* pro illis, quae utilia ſunt, non putem.

Ἐσφρούκτον] Pro Οὐσουφρούκτον.

ἐνόχλησιν] Lego ἐνοχλήσαντος, ex Theophilo §. 9. *Inſt. de adoptionib.* unde haec ſunt petita.

Ἐφακτοῦμ. ἀζήμιον] Lego Ἰνφέκτουμ, quod inferius habemus, ubi plenior eſt explicatio.

H.

Ἠκοντραβουῦν κοπατετίωνος] Lege Ἠκοντρανουγκουπατίωνος, ut intelligatur bonorum poſſeſſio contra nuncupationem, quae datur liberis praeteritis a patre vel avo in teſtamento nuncupativo, *l.* 1. *C. de bonor. poſſeſſion. contr. tabb.* eadem ratione, qua heredibus, in teſtamento nuncupativo inſtitutis, datur bonorum poſſeſſio ſecundum nuncupationem, *l. ult. C. de bonor. poſſeſſion. ſecund. tabb. l. ult. C. de codicill.* Interpretatio, quae ſequitur, eſt inperfecta.

Ἠλητέμ] Scribere debuit ἡ Ἀλιτ: ſed ſaepe litera ι & η confunduntur, nec caſus exacte exprimuntur.

Ἠνουριαροῦμ] Ἰνιουριάρουμ. Scal. Similis error paulo poſt quoque occurret.

Ἠνδεβιτεΐνδουμ] An hic lateat indebiti condictio, an aliud, viderint doctiores, vel qui librorum veterum habebunt copiam.

Ἠνομφοιώσου] Pro Ἰνοφφιτιόσου.

Ἠτηκοντράφους] Forte voluit exprimere, *& e contrario.*

προκετεστέρου] Forte πρεποστέρου, praepoſteri vitium, de quo §. 13. *Inſt. de inutilib. ſtipulationib.*

Ἤτω δὲ &c.] Nullum hic eſt verbum, quod explicetur, ſed praeceſſiſſe videntur quaedam, ad adſertores pertinentia. Adſertoris primi & alterius meminit Paulus, *Sententiar. lib.* v. *tit.* 1. §. 5.

I.

Ἰαμμίν. ἡ ἐμβαλλομένη] In alio cod. legitur Ἰαμμίν; forte leg. Ἰμμίσσουν, pro *Immiſſum tignum.* Labb.

Ἴβεντον] In inferioribus dicitur Ἴβεντον apud Harmenopuli tamen Scholiaſtem *ad lib.* 1. *tit.* 13. §. 38. occurrere Ἴβεντον notavit Du Cangius *in Gloſſar.*

Ἴγκολος &c.] Sunt haec ex *l.* 239. §. 2. *de D. verbor ſignification.* ubi tamen in Baſilicis eſt ἴνκολα.

Ἱεραπελιγιῶσα] An ἱεραρελιγιῶσα occurrit *pecunia ſacra, religioſa* in *l.* 1. *l.* 4. *pr. D. ad leg. Jul. peculat.*

Ἰλλουστήριος] Meurſius *in Gloſſar.* legit Ἰλλούστριος.

Ἴμμεντα. καταγραφήν] Lego Ἰνβέντα, ut ſupra. Dicitur & Ἰνβεντάριον, ἀναγραφὴ τῆς ὑπάρξεως, *Nov.* 1. *cap.*

Ἰμμιίσκια. ἔμμιξις.
Ἰμποβισιτεστάβιλις. ἀδόκιμος καὶ ἀμάρτυρος.
Ἰμποτεστάτε. ὑπεξουσίου.
Ἰμφακτοῦ. τὸ ἁπλοῦν.
Ἰμφάκτουμ. ζημία διπλῆ, ἀγωγὴ ἐντὸς ἐνιαυτοῦ.
Ἰμφακτοῦμ. ἀγωγὴ ἀπαιτοῦσα ἐντὸς μὲν ἐνιαυτοῦ, τὸ διπλοῦν. μετὰ δὲ ἐνιαυτοῦ, τὸ ἁπλοῦν.
Ἴμφας. νήπιον.
Ἴμφας. ὁ ἑπταέτης.
Ἴμφας. νήπιος, ἑπταετὴς.
Ἰνβαν ἀγωγὴ. ἡ περὶ ἐκδικήσεως ἀγωγή.
Ἰνβεντα. καταγραφὴ.
Ἰνβέντον. εὑρέθη.
Ἴνβεντον. καταγραφὴν.
Ἰνβίστα καὶ ινδάτα. ἤγουν ἀκωλύτως καὶ ἀδεῶς.
Ἴνβεστον. ἤγουν οἰκεῖον.
Ἰνβίκεμ. ἀμοιβαδὸν.
Ἰνβόνις. δεσποτεία φυσική.
Ἰνγραυσία παρὰ ῥωμαίοις τὸ τοῖς ἀσθενέσι διδόμενον σιτίον, ὃ οὔτε ζῆν οὔτε ἀποθνήσκειν ποιεῖ.
Ἰνδάνδο ἐν δόσει.
Ἰνδέβητον. τὸ ἀχρεώστητον.
Ἰνδέβετις κονδικτίκιος. ἣν κινῶ εἰς τὴν ἀπαίτησιν τοῦ κατὰ πλάνην καταβληθέντος, ὥσπερ εἰ κατὰ πλάνην ἔδοξέ τινα χρεωστεῖν ρ. νομίσματα ἀντὶ ν. καὶ κατέβαλεν αὐτά.
Ἰνδέβετον. τὸ κατὰ πλάνην καταβληθὲν, καὶ τὸ μὴ κεχρεωστημένον πρᾶγμα.
Ἰνδιώντος. ἐγγράφου.
Ἰνδετέγραφε. μήπω ἀρξαμένου ποιῆσαι τὶ τοῦ ἐνταλθέντος.
Ἰνδίεμ. ὑπὸ ἡμέραν ὡρισμένην ἢ αἵρεσιν καταβαλλεῖν τόδε τι.
Ἰνδικατιὼν. ἐκδικευτικὴ.
Ἰνδικτίων. τῇ ὑποσελεύσει.
Ἰνδικτιὼν καλεῖται ῥωμαϊστὶ θέσπισμα ἢ μήνυμα. μηνύει γὰρ ἡ ἀρχὴ τοῦ μηνὸς τὴν περίοδον τοῦ ἐνιαυτοῦ..
Ἴνδικτον. προσφώνησις.
Ἴνδιξ. ἑρμήνεια, ὑπόμνημα. καὶ Ἰνδίκιον μήνυσμα.
Ἰνιουρίαμ παρανομία.
Ἰνιουριάρουμ. τὴν περὶ ὕβρεως ἀγωγὴν.
Ἰνιουριάρουμ. ἡ ὕβρις.
Ἰνιουριάρουμ. ἐπαυσιαία.
Ἰνκάπητα. κατὰ κεφαλὴν.
Ἰνκάπιτα. ἐξ ἴσου.
Ἰνκάρητα. ἐν πρώτῃ, ἢ ἐν κεφαλαίῳ.
Ἰνκέρτου. βῆμα ποδὸς.
Ἰνκέρτοις. ἀδήλοις.
Ἰνκέρτῶς. κακῶς.
Ἴνκεστα. μεμολυσμένα πράγματα.
Ἴνκεστον. μεμολυσμένον.
Ἰνκέστου. βῆμα ποδὸς.
Ἰνκουσιτίονα. ἀναζήτησιν.
Ἰνλίτεμ. ἤγουν τῷ ἐνδίκῳ.
Ἰνλάτζιο. ἡ ἐπιφορά. δηλοῖ δὲ τὴν εἰκονικὴν λῆψιν, τὸν τύπον μόνον καὶ σκιὰν σώζουσαν λήψεως οὐ μὴν καὶ ἔργον.
Ἴνιμαρ. τουτέστι τὴν περὶ ἐκδικήσεως ἀγωγὴν.
Ἰνοφφικίοσο. ἡ ἐκ τῆς διαθήκης μέμψις.
Ἰνοφφικίοσο. περὶ μέμψεως διαθήκης.
ἡ Ἰνοφφικίοσο τεσταμέντο, ἤγουν ἡ κατὰ ἀτάκτου διαθήκης μέμψις, οὐκ ἐστὶν ἀγωγὴ διαθήκης, ἀλλ' αἰτία ἐστὶν ἀγωγῶν, λέγω δὴ τῆς ἐρεδιτάτης πετιτζίονος, ἤγουν περὶ κληρονομίας ἀπαιτήσεως. ὥσπερ γὰρ ἡ γραφὴ τοῦ τεστάτορος οὐκ ἐστὶν ἀγωγὴ κληρονομίας, ἀλλ' αἰτία κληρονομίας, καὶ ἀπόδειξις τοῦ δεόντος κινεῖν τὸν γραφέντα κληρονόμον, οὕτω καὶ ἡ μέμψις οὐκ ἐστὶν ἀγωγὴ ἀλλ' αἰτία ἀγωγῆς. Λέγεται δὲ ἰνοφφικίοσον τεσταμέντον ἤτοι διαθήκη ἄτακτος. ἐπενοήθη δὲ παρὰ τοῦ δήμου καὶ ἐβεβαιώθη ὑπὸ τῶν διατάξεων ἐν ἐσχάτῃ βοηθείᾳ δοθεῖσα τοῖς παισὶ κατὰ τῆς πρώτης διαθήκης, καὶ τοῖς γονεῦσι κατὰ τῆς διαθήκης τῶν παίδων, μεμφομένοις καὶ λέγουσιν ἀδίκους ἑαυτοὺς ἐξηρεδάτους γενέσθαι ἤγουν ἀποκλήρους ἢ πραιτεριτευθῆναι ἤτοι ἀπολη . . . . * Desunt hic duo folia in Cod. Regio.
. . . .
. . . .
οὐχ ὑπόκειται ἄνευ δόλου καὶ κούλπας καὶ ὑπολογίζονται αὐτῷ ἀναγκαῖα δαπανήματα. οὔτε δὲ χωρὶς συμφώνου οὔτε ἀρχικῆς κελεύσεως δύναται ὁ δανειστὴς πιπράσκειν τὸ ἐνέχυρον.
Ἰνοφφιτζίοσο, τουτέστι τῆς διαθήκης τῆς γινομένης χωρὶς ἔργῳ φιλανθρωπίας.
Ἴντερ. ὁδοῦ παραχώρησις.

Ἰντε-

cap. 2. Labb. Du Cangius in Gloſſar. legit Ἰνβίντα.
Ἰμμιίσκια] Scribi debuiſſet Ἰμμίσκιο, aut ἰμμίσκιο, vel Ἴμμιξιο.
Ἰμποβισιτεσταβιλις] Lego Ἰμπροβος καὶ ἰντεστάβιλις, Labb. Mallem ἢ ἰντεστάβιλις.
Ἰμφακτοῦ] Pro Ἰμφακτοῦμ, quod ſequitur.
μετὰ δὲ ἐνιαυτοῦ] Legendum μετὰ δὲ ἐνιαυτόν. Actiones tales occurrunt in tit. D. ſi is, qui teſtam. lib. eſſ. juſſ. er. &c. l. 4. pr. D. de vi bonor. raptor. & de turb.
Ἰνβαν] Lege Ἰνρέμ.
Ἰνβεντα] Vide ad Ἴμμεντα.
Ἰνβίστα καὶ ινδάτα.] Scribe Ἰνβίκτα καὶ ἰνλάτα, ex l. 6. D. in quib. cauſ. pign. vel hypothec. tacit. contrahit. Interpretatio vero, quae ſequitur, alio pertinet, ut & in gloſſa huic proxima; ubi quoque an ſit reſcribendum Ἴνβεκτον, an aliud, mihi non conſtat.
Ἰνγραυσία &c.] Habet eadem Suidas, adeoque non temere eſt damnandum hoc verbum: de quo agunt Meurſius & Du Cangius in Gloſſariis; Ger. Joh. Voſſius de vitiis Sermonis lib. III. cap. 16. verum aliter intelligendum eſſe, quam illi opinantur, ſuſpicatur Thomas Gatakerus Adverſar. Miſcellan. poſthum. p. 500. & L. Kuſterus ad Suidan. h. v.
Ἰνδετέγραφε], ἰντέγρα φὲ. Scal.
Ἰνδικατιὼν] Pro βινδικατιὼν.
Ἰνιουρ. παρανομία.] Leg. Ἰνιουρ. παρανόμως. Labbaeus. Hanc Gloſſam non invenimus hic loci.
Ἰνκάρητα] Leg. ἰνκάπητα, ut ſupra Labb. Scal. Ut interpretatio ſit bona, legendum foret ἰνκέστο, vel ἰνκέστο.
Ἰνκέρτου. βῆμα ποδὸς] Leg. ἰνκέστου. Sic infra corrupte ἰνκέστου pro eodem. Labb.
Ἴνιμαρ. τουτέστι τὴν περὶ ἐκδικήσεως ἀγωγὴν] Leg. Ἰνρέμ: τουτέστι τὴν περὶ ἐκδικήσεως ἀγωγὴν] Labb.
πρώτης] Fr. Boſquetus ad Pſell. Synopſ. v. 560. reponit πατρὸς.
ἀδίκους] Bene Meurſius in Gloſſar. v. πραιτεριτεύειν legit ἀδίκως.
οὐχ ὑπόκειται &c.] Quae hic ſequuntur, ſunt ex l. 7. & l. 11. C. de pigneratit. action.
πιπράσκειν] In d. l. 11. dicitur auferre, quod aliud eſt, quam vendere.
ἔργῳ] Scribe ἔργων.
Ἴντερ. ὁδοῦ παραχώρησις] Leg. Ἴτερ, ut infra pro Ἴτερ. Labb.

Tom. III. Xxxxx Ἰτα-

Ἰνπερατίσας. ἐπιτρόπους.
Ἰνπερατίων. ἐπιτροπή.
Ἰνπέριον. δικαιοδοσία.
Ἰνπερίο. βασιλεία.
Ἰνποτάτε. ἐν τῇ ἐξουσίᾳ.
Ἰνποτεστάτε. ἐν τῇ ἐξουσίᾳ.
Ἰνπερίω. βασιλεία.
Ἰνπήδερες. ἤγουν ἄνηβοι.
Ἰνρέμ. ἐκδικήσεως ἀγωγή.
Ἰνρέμ. πρᾶσιν.
Ἰνρέμ. ἡ περὶ τὸ πρᾶγμα ἀγωγή.

Ἰνρέμ βεκτιγάλια σουπερφιτζιάρια. ἡ διδομένη τοῖς ἐμφυτευταῖς εἰς ἐκδίκησιν. Αὕτη δίδοται τοῖς ἐμφυτευταῖς εἰς ἐκδίκησιν, καὶ σουπερφιτζιάριος μέν ἐστιν, ὁ ἔχων οἴκημα ἐν ἀλλοτρίῳ ἐδάφει, καὶ ὅπερ δίδωσιν ἐμφύτευμα λέγεται σουπερφίτζιον. σουπερφίτζιον γὰρ τὸ ὑπερῷον. βεκτιγάλιοι δὲ εἰσὶν ἀγροὶ πόλεων διηνεκῶς μισθούμενοι ἐπὶ τοιούτῳ τρόπῳ καὶ ὅρῳ ἵνα ἐφ' ὅσον δίδωται τὸ ὑπὲρ αὐτοῦ βεκτιγάλιον τέλος μὴ ἐκβάλλονται μήτε αὐτοὶ μήτε οἱ παρ' αὐτῶν εἰς τόπον αὐτῶν ὑπεισιόντες. ἵνα αὐτὴν δὲ ἀγωγὴν ἔχει καὶ ὁ πρός τινα χρόνον μισθώσας ἀγρὸν ἐκ πόλεως, εἰ μήπω ὁ τῆς μισθώσεως χρόνος ἐδέξατο πέρας. ἐκπεσόντος γὰρ οὗτος τῆς νομῆς δύναται κινεῖν· δίδοται δὲ τῷ πεμφθέντι εἰς ἀπαίτησιν τῶν ἱκανῶν παρὰ τοῦ πραίτωρος, ὅτε πέμψει εἰς νομήν τινα. δίδοται καὶ τοῖς σουπερφικίου δίκαιον ἔχουσι, καὶ ἐκπεσοῦσι τοῦ τὸ κατὰ βίαν εἰς ἐκδίκησιν αὐτοῦ. δίδοται καὶ κληρονόμοις, καὶ κατὰ κληρονόμων.

Ἰνρέμ βέρσο. ἤγουν δαπάνης. Αὕτη κινεῖται δανεισαμένου τινὸς τῆς ἐμῆς φαμιλίας καὶ εἰς τὰ ἐμὰ τούτου δαπανήσαντος. τότε δὲ χώραν ἔχει ἡ περὶ τῆς δαπάνης ἀγωγή, ὅτε εἴπερ ἦν ἐλεύθερος, ὁ δαπανήσας ἔμελλεν ἔχειν τὴν μανδάτον, ἢ τὴν νεγοτζιόρουμ γεστόρουμ. εἰ δὲ τὰ εἰς τέρψιν ἔργα ποιήσει ἅπερ οὐκ ἂν ὁ δεσπότης ἐποίησεν, οὐκ ἔστι δαπάνημα ἀλλὰ ἄδειαν ἔχει ὁ δεσπότης συγχωρῆσαι τοῖς δανεισταῖς περιελεῖν αὐτὰ χωρὶς τοῦ βλάψαι τὸ πρᾶγμα. καὶ μετὰ ἐνιαυτὸν δὲ κινεῖται, ὡς βιβλ. τῶν Βασιλικῶν ιη. τίτλ. ζ. καὶ τῶν Διγέστων ε. τίτλ. γ. καὶ βιβλ. τοῦ κώδικος.

Ἰνρέμ καθόλου. ἤγουν ἡ διὰ πράγματος ἀγωγή. Ἰστέον δὲ ὅτι ἰνρέμ πολυσχεδὴς οὖσα βοναφίδει ἐστὶ, καὶ ὑπὸ τὴν ῥέμ ἐνοχὴν ἐνάγεται. κινεῖ δὲ αὐτήν, ὁ νόμῳ ἢ ὁ φύσει δεσπόζων, ὡς βιβλ. στ. τῶν διγέστων τιτλ. α. κεφ. δ. τῶν δὲ Βασιλικῶν βιβλ. ιε. τίτλ. α. κεφ. θ. ἀπαιτεῖ δὲ τὸν βοναφίδη νομέα, τὸ πρᾶγμα, καὶ ὅσου τὸ πρᾶγμα χεῖρον γέγονεν ἐξ αἰτίας αὐτοῦ, ὡς τὸ αὐτὸ τῶν Βασιλικῶν βιβλ. στ. τίτλ. α. θεμ. ε. ἀπαιτεῖ δὲ μετὰ προκάταρξιν καὶ καρποὺς, καὶ τοκετοὺς, καὶ πάσας καύσας, ὡς μαλαφίδε νομέα, παρεχομένων αὐτῶν τῶν νεγκεσσαρίων δαπανημάτων.

Ἰνρέμ οὐτιλία. ἤγουν ἡ ἐκδικοῦσα τὰ ἐνέχυρα καὶ τὰ δίκαια τοῦ ὕδατος. δίδοται τοῖς δανεισταῖς ἐκδικοῦσα τὰ ἐνεχυριασθέντα αὐτοῖς πράγματα, ὡς βιβλ. τῶν βασιλικῶν κε. τιτλ. β. κεφαλ. λγ. καὶ ληγαταρίοις καὶ φιδικομισσαρίοις εἰς ἐκδίκησιν τῶν καταλειφθέντων αὐτοῖς, ὡς βιβλ. τῶν βασιλικῶν μδ. τίτλ. κζ. καὶ τοῖς ἐπὶ μακρῷ χρόνῳ νεμηθεῖσιν ὕδωρ, διεκδικοῦσα τὸ δίκαιον ὡς βιβλ. τῶν βασιλικῶν νη. τιτ. ιγ. κεφ. δ. θεμ. περὶ τελετῶν καὶ κεφ. ιστ. τιτλ. α. τοῦ αὐτοῦ βιβλίου. ἐκδικεῖ δὲ τὸ δίκαιον ἢ τὸ πρᾶγμα, κατὰ τὸν τύπον τῆς διρέκτας ἰνρέμ.

Ἰνρέμ προηιβιτόρια. ἤγουν κωλυτικὴ κωλύουσα τὸ γινόμενον εἰς βλάβην.

Ἰνρέμ προπάρτε. αὕτη ἁρμόζει δύο μεριδικοῖς δεσπόταις ἀναλόγως τῷ ἑκάστῳ ἁρμόζον διεκδικοῦσα κατὰ τῆς σποτζιαλίας ἰνρέμ διάστιξιν, ἧς καὶ μέρος ἐστίν, ὡς βιβλ. τῶν βασιλικῶν, καὶ βιβλ. τῶν Διγέστων, καὶ βιβλ. τῶν Ἰνστιτούτων.

Ἰνρέμ παυλιάνη διδομένη τοῖς δανεισταῖς ἐκποιεῖν τὰ ἐνέχυρα. Αὕτη ἐπενοήθη παρὰ Παύλου τοῦ νομικοῦ. δίδοται γὰρ τοῖς δανεισταῖς κατὰ τῶν χρεωστῶν ἐκποιεῖν τὰ ἐνέχυρα εἰδότος τοῦ δανειστοῦ. οὐ δοκεῖ γὰρ ὁ δανειστὴς συναινεῖν ἐὰν μὴ εἰδότος αὐτοῦ πωλήσῃ ὁ χρεώστης τὸ ἐνέχυρον. γινώσκει γὰρ ἑαυτῷ φυλάττεσθαι πανταχοῦ τὸ ἐνέχυρον εἰ μὴ ὑπέγραψε τὸ ὠνιακὸν, δίδοται δὲ κατὰ τοῦ φραυδάτωρος ἤγουν τοῦ ὑποστερητοῦ. ἐντὸς δὲ ἐνιαυτοῦ ἀποκαθίστησι τὸ πρᾶγμα μετὰ τῶν οἰκείων τόκων καὶ καρπῶν, οὓς ἠδύνατο λαβεῖν ὁ φραυδάτωρ, ὑπολογιζομένων τῶν ἀναγκαίων δαπανημάτων. μετὰ δὲ ἐνιαυτὸν εἰς τὸ περιελθὸν καταδικάζεται. καὶ κατὰ κληρονόμων δίδοται εἰς τὸ περιελθὸν ἢ εἰς ὅτι ἐκέρδησαν.

Ἰνρέμ ῥεσισόρια κουβλιτζιάνα. αὕτη ἡ ἀγωγὴ ὑπὸ τοῦ πραίτωρος ἐπενοήθη καὶ ὀνομαθετήθη, ὡς βιβλ. τῶν Βασιλικῶν ι. τιτλ. δ. κεφ. η. θέμ. δ. καὶ τοῦ αὐτοῦ βιβλίου τίτλ. λστ. κεφ. ιγ. δίδοται αὕτη πουπίλλοις συνετουτόρις ἀκτοριτάτε πιπράσκουσι, καὶ τῷ ὄντι ἐν αἰχμαλωσίᾳ, καὶ ἑτέροις πλείοσι ῥεσισσόρια δὲ λέγεται, καθ' ὃ ἀνασχίσει τὰ πραχθέντα. ἀνατρέπει δὲ καὶ οὐσουκαπίονα διὰ χρήσεως κυριότητα ἐπαυσιαίαν.

Ἰνρέμ

Ἰνποτάτε] Lego Ἰνποτεστάτε, uti ſequitur.
Ἰνπήδερες] Pro Ἰνπούβερες.
βεκτιγάλιον] Lege βεκτιγάλιον.
τότε κατὰ βίαν] Lege τὸ τε κατὰ βίαν.
τὴν μανδάτον] Lego τὴν μανδάτι, mandati actionem.
βιβλ. τοῦ κώδικος] Scribe βιβλ. δ. τοῦ κώδικος.
πολυσχεδὴς] Legendum πολυσχιδής.
βοναφίδει] Imo arbitraria §. 31. *Inſt. de actionib.*
ὑπὸ τὴν ῥέμ ἐνοχὴν] Pro ὑπὸ τὴν ἰνρέμ ἐνοχήν.
αὐτῶν] Mallem αὐτῷ, poſſeſſori, cui reſtituendae ſaltem neceſſariae inpenſae ſemper, *l.* 5. *C. de rei vindication.* & utiles ordinarie, non tamen eodem ſemper modo, *l.* 38 *D. eod. tit.*
τελετῶν] Nihil ad rem faciunt τελεταὶ, ſed δουλεῖαι, ſervitutes, hujus ſunt loci, de quibus agit liber Baſilicῶν hic citatus.
σποτζιαλίας] An δεσποτζιαλίας, ut δεσποτζιαλία ſit actio de *dominio*, a verbo corrupto ex verbo *dominium*.
ἐκποιεῖν τὰ ἐνέχυρα] Non videtur haec explicatio ſatis convenire Paulianae; cujus non eſt is finis, ut creditor poſſit alienare pignora, verum inſervit revocationi omnium eorum, quae ſunt alienata aut facta a debitoribus in creditorum fraudem, daturque creditoribus, §. 6. *Inſt. de actionib.* ubi copioſe de ea agunt Interpretes. Sunt hic alioquin quaedam nequaquam probanda; verum nolim hic exſpatiari.
ῥεσισόρια] Melius poſtea ῥεσισσόρια
κουβλιτζιάνα] Non eſt hic error; nam reſciſſoria actio etiam vocatur Publiciana, *l.* 35. *verſ. Sed cum. D. de obligationib. & actionib.*
συνετούτορις ἀκτοριτάτε &c.] Legendum σίνε τούτορις ἀκτοριτάτε &c. Non tamen pupillo tali opus reſciſſoria actione, ſi rem ſine tutoris auctoritate alicui tradiderit; manet enim dominus, §. 2. *Inſt. quib. alienar. lic. vel non.*

Ἰνρέμ

Digitized by Google

Ἰ'ρὲμ σάλβα πουπιλιμφόρε. τουτέστιν, σῶα τὰ πράγματα τοῦ πουπίλου φυλαχθήσονται.

Ἰ'ρὲμ σερβιάνη, καὶ κουάσι σερβιάνη ῥετζισόρια. ἀγωγαὶ ἀποκαταστικαὶ, ὑποθηκαρίαι, αἵτινες κινοῦνται ἡνίκα μισθωτὸς εἰσήγαγε πράγματα. Αὕτη ἡ ῥεσκισσόρια ἤγουν ἡ ὑποθηκαρία ὑπὸ τὴν ἰρὲμ τοῦ πραίτωρος ἐστίν. ἡ δὲ σερβιάνη κινεῖται, ἡνίκα μισθωτὸς ἐν ἀγρῷ ἢ οἴκῳ εἰσήγαγε παράγματα μετὰ συμφώνου ὥστε ταῦτα ὑποκεῖσθαι λόγῳ τοῦ μισθώματος. δύναται ὁ μισθώσας κατὰ παντὸς διακατέχοντος κινεῖν καὶ ἐκδικεῖν αὐτὰ, ἤγουν ἀποσπᾶν εἰ μὴ λάβῃ τὸν μισθόν. ἡ δὲ κουάσι σερβιάνη ῥεσκισσορία χώραν ἔχει ἡνίκα τις δανεισάμενος δίδωκέ μοι ἢ καὶ ὑπέθετο πράγματα. δύναμαι γὰρ ταῦτα διεκδικεῖν ἀπὸ παντὸς προσώπου, ὅσον γὰρ πρὸς τὴν σερβιάνην οὐ διαφέρει τὸ ἐνέχυρον τῆς ὑποθήκης. σερβιάνην δὲ λέγω τὴν ὡσανεί. κυρίως δὲ ἐνέχυρον λέγεται τὸ δοθὲν τῷ δανειστῇ, τὸ δὲ ὑποτεθὲν διὰ συμφώνου, ὑποθήκη.

Ἰ'ρὲμ τζέρτα. εἰ χώρα γίνεται τῷ Φαλκιδίῳ καὶ περὶ κληρονομίας. ἀμφιβαλλομένου τούτου εἰ χώρα γίνεται τῷ φαλκιδίῳ, διὰ τῆς παρούσης ἀγωγῆς δύνατον τὸ μετὰ τὴν φαλκίδιον λεγάτα ἀπαιτεῖσθαι ἁρμόζει δὲ ὅτι ἄδηλόν ἐστι τὸ πῶς τῆς διοπολείας. παρέπεται δὲ αὐτῇ ἡ τῆς ἀπαιτήσεως κληρονομίας ἀγωγὴ, καὶ τὸ τέως καταλειφθὲν λεγάτον, ἢ μέρος κληρονομίας ἀπαιτεῖσθαι, καὶ τότε μᾶλλον ὅτε ἐν τοῖς κληρονόμοις καὶ πουστόανος εὑρίσκεται, καὶ ἄδηλον εἰ τεχθῇ καὶ κληρονομήσῃ.

Ἴ'ρηγος. ἄνυδρος.

Ἴ'ριτος. ἄκυρος διαθήκη.

Ἴ'ρητος ἀδιοτίλης ἀτζεπτιλάτζιο. ἤγουν ἡ ἄκυρος καὶ ἄχρηστος λήψεως ἐπιφορά.

Ἰ'ρίγος. ἄνυδρος.

Ἰ'νστίρπεμ. κατὰ σειράν.

Ἰ'νστίτορες. οἱ κάπηλοι, ἐργαστηριακοί.

Ἰ'νστιτούτοις. ἐν τοῖς διατυπώμασιν, ἤτοι εἰσαγωγικοῖς νόμοις.

ἡ Ἰνστιτουτόρια ἀγωγὴ ἁρμόζει ἐπὶ τῆς κατὰ γῆν ἐμπορίας τὸ πᾶν κατὰ τοῦ προβαλλομένου φέρουσα, ὁποίας ἂν ᾖ ἡλικίας ἢ φύσεως ὁ προβληθείς. διρέκτα δὲ ἁρμόσει ἐπὶ δοῦλον, οὐτιλία δὲ ἐπὶ ἐλευθέρων. καὶ ἐνάγεται μὲν ὁ προστησάμενος, οὐκ ἐνάγει δέ. οὐδὲ γὰρ ἔχει κοντραρίαν, εἰ μὲν δοῦλος αὐτοῦ ᾖ ὁ προεστὼς τοῦ ἐργαστηρίου, εἰ δὲ δοῦλος ἀλλότριος ἐστὶν ἢ ἐλεύθερος, ἔχει κατ᾽ αὐτοῦ ἢ τοῦ δεσπότου τὴν περὶ ἐντολῆς ἀγωγὴν, ἢ τὴν κατὰ πραγματευτῶν κινουμένην. ἔχει καὶ κατὰ τῶν συναλλαξάντων τῷ προεστότι τοῦ ἐργαστηρίου, ἔνθα τὸ ἴδιον ἄλλος οὐ δύναται σῶσαι. Διαφορὰ δὲ ἐξερκιτορίας καὶ ἰνστιτουτορίας, ἐπ᾽ ἐκείνης μὲν ἔχει ὁ προστησάμενος ὅτε βούλεται κινεῖν κατὰ τῶν τοῦ μαγίστρου συναλλαξάντων. ἐπὶ δὲ ταύτης, οὐχ ὅτε βούλεται, ἀλλ᾽ ὅτε μὴ δύναται τὸ ἱκανὸν παθεῖν παρὰ τοῦ προσταθέντος. διρέκτα μὲν οὖν ἁρμόζει καὶ ἐπὶ δοῦλον, οὐτιλία δὲ ἐπὶ ἐλευθέρων. ἔστι δὲ ὅτε καὶ ἀντιστρέφουσα, ὅτε γὰρ τοῦ βικαρίου τοῦ δούλου μου τὰς ὀπέρας μισθώσει καὶ ἀγοράσω παρ᾽ αὐτῷ οὐτιλία μοι κατέχει. Τίκτεται δὲ ἡ ἰνστιτουτορία χαρὶς ταβέρνης ἤτοι ἐργαστηρίου ἐν οἱῳδήποτε πράγματι ἕπεται τοῖς προϊσταμένοις, καὶ τὸ ἀρραβῶνας δέχεσθαι, καὶ ἐνέχυρα λαμβάνειν, καὶ δανείζεσθαι. τὴν δὲ ἰνστιτουτορίαν ἐξ ἀρχῆς ὁ πραίτωρ ἐπενόησεν, ἐπειδὴ δίκαιόν ἐστι τὸν κερδαίνοντα κατέχεσθαι.

Ἰ'νστιτουτορία. ἀγωγὴ κατὰ τοῦ ἐνστήσαντος τὸν αὐτοῦ ὑπεξούσιον εἰς καπηλεῖον ἢ εἰς ὅμοιόν τι.

Ἰ'νστιτοῦτος. ὁ ἔνστατος.

Ἰ'νστιτούτων. εἰσαγωγικῶν νομίμων.

Ἰ'νστιτούτων. εἰσαγωγικῶν νόμων

Ἰ'νστιτούτων. εἰσαγωγὴν νόμων.

Ἰ'νστιτούτωρ. ὁ προϊστάμενος.

Ἰ'νστιτούτωρ. ὁ προϊστάμενος ἐργαστηρίου.

Ἴ'νστουρκτον. τραπεζοκράββατον.

Ἰ'νστιτούτωρ. ὁ προϊστευμένος ἐργαστηρίου.

Ἰ'νστουτόραι. προστακτικαί.

Ἰ'ρ-

Ἰ'ρὲμ σάλβα &c.] Nota eſt cautio, *rem pupilli vel adoleſcentis ſalvam fore*, de qua eſt titulus Pandectarum: adeoque legendum ῥὲμ σάλβαμ πουπίλλι φόρε.

ῥεϊζισόρια] Reſciſſoria actio cum Serviana aut quaſi Serviana hic plus ſemel, quaſi ſimilem habens ſcopum, confunditur, & quidem perperam: illa enim amiſſam ex rigore juris, ita volente aequitate, revocat, reſciſſa uſucapione, §. 5. *Inſt. de actionib.* hae res pignori aut hypothecae obligatas perſequuntur, nec quidquam reſcindunt, §. 7. *Inſt. d. t.*

αἵτινες &c.] Imo ſola Serviana, *d.* §. ut mox rectius tradit.

Ἰ'ρὲμ τζέρτα &c.] Lego ἰ'ρὲμ ἰντζέρτα. Res ipſa traditur in *l.* 76. §. 1. *D. de rei vindication.*

διὰ τῆ] Ante haec poſui comma, quod antea poſitum erat poſt ἀγωγῆς, non recte; non enim per actionem in rem incerti quaeritur de lege Falcidia, ſed petitur legatum, quatenus ſalva Falcidia debetur.

τὸ μετὰ &c.] Legendum eſt: τὰ μετὰ, vel poſtea λεγάτον.

τὸ πῶς] Lego τὸ ποσὸν, *quantitas.*

πουσόανος] Pro πόστυμος.

Ἴ'ρηγος. ἄνυδρος] Lege ἔνυδρος. Ἴ'ρηγος ſcriptum eſt pro *irriguus*: male infra ſcriptum eſt Ἰ'ρίγος.

Ἴ'ρητος ἀδιοτίλης] Pro Ἴ'ριτος ἐν ἰνουτίλης.

ἄνυδρος] ἔνυδρος. SCAL.

Ἰνστιτουτόρια] Ita & in ſequentibus vocatur actio, quae alibi rectius ἰνστιτώρια.

εἰ μὲν δοῦλος &c.] Scribendum εἰ μὴ δοῦλος, &c. niſi ſervus ipſius eſſet, *l.* 1. *D. de inſtitoria action.* & ſic habent Baſilica *lib.* XVIII. *tit.* 1, Ceterum actio minus recte dicitur inſtitoria contraria, cum haec ſit actio ex ipſo contractu a ſervo inito, domino adquiſita & absque ulla adjectitia qualitate contra eum, qui cum ſervo contraxit, movenda.

ἄλλος] Lege ἄλλως ex Baſilicis *d. l.* quod & ſenſus exigit.

κατὰ τῶν τοῦ μαγίστρου συναλλαξάντων &c.] Lego: κατὰ τῶν τῷ μαγίστρῳ &c. vel κατὰ τῶν μετὰ τοῦ μαγίστρου &c. Ceterum non ita pro lubitu & ordinarie exercitori id eſſe conceſſum, docet *l.* 1. § 18. *D. de exercitor. action.*

μισθώσει] Lego μισθώσω. Sunt haec ex *l.* 2. §. *ult.* & *l.* 12. *D. de inſtitor. action.*

Ἰ'νστιτούτων. εἰσαγωγικῶν νομίμων] Leg. νόμων, ut infra. LABB.

Ἰ'νστιτούτωρ] Pro ἰνστίτωρ, & ſtatim iterum.

Ἴ'νστουρκτον] In ſequentibus ſcriptum quoque eſt Ἴ'νστρουκτον: verum eſt Ἴ'νστρουκτον. Du Cangius quoque in verb. τραπεζοκράββατον ex gloſſis Mſſ. profert, Ἰ'νστρούμεντον, τραπεζοκράββατον. Diffitendum tamen non eſt, interpretationem verbo ipſi non reſpondere. Poſſet quis tentare Ἰ'νστράτυμ, de quo agit *l.* 45. *D. verbor. ſignification.* ſed videtur lectio vulgata eſſe ab ipſo Auctore.

προϊστευμένος] Plus ſemel ſcriptum fuit προϊστάμενος melius.

Ἰ'νστουτόραι, προστακτικαί] Mallem Ἰνστιτώριαι, πραγματικαί, & ſequente gloſſa Ἰ'νστιτώριοι. πραγματικοί.

Digitized by Google

Ἰνστουτόρι. προσταχτικός.
Ἰνστρούμκτον. τραπεζοκράββατοι.
Ἰνστρούμεντον. τὸ τοῦ ἄγρου παρακολούθημα, οἷον δικέλλαι, δρέπανα καὶ τὰ ἑξῆς.
Ἰνστρουμέντα. διδαχή.
Ἴνσφας. ὁ νήπιος, καὶ ὁ ἥττων τῶν ἑπτὰ ἐτῶν.
Ἰντάρδικτον. διαλέξεων ἢ ὁμιλιῶν πρότερον μεταξὺ δύο ἀμφισβητούντων περὶ νομῆς, ἢ ὡσανεὶ περὶ νομῆς διαλεγομένων.
Ἰντάρδικτον ἐστὶν ὁμιλία πραίτωρος μεταξὺ δύο τινῶν περὶ νομῆς ἢ ὡσανεὶ νομῆς ἀγωνιζομένων οὐ τέμνουσα τὴν ὑπόθεσιν ἀλλὰ ῥυθμίζουσα τὸν δικαστὴν πρὸς τὸ κρίνειν περὶ ὑποθέσεως.
Ἰντέγρι ἰοῦρις. μὴ ὑποστάντα.
Ἰντεντίονα ἀρχὴν τῆς ἐναγωγῆς.
Ἰντεντίονι. ἤγουν τῇ ἀγωγῇ χρώμενος.
Ἴντερ ἀναμέσον, τουτέστι στρατιά.
Ἰντεραμίκον. μεταξὺ φίλων.
Ἰντερβάλλουμ σεπούλκρι. ἤτοι διάστημα τάφου. περὶ τούτου διαλαμβάνει βιβλ. ια. τῶν Διγέστων τιτ. η. διγ. γ. τῶν δὲ Βασιλικῶν βιβλ. ιθ. τιτλ. β. κεφ. γ. θεμ. β. Ἰστέον δὲ ὅτι οὐδαμοῦ τῶν νόμων ὡρισμένως εὑρίσκεται ῥητῶς τὸ τοιοῦτο διάστημα. καὶ δεῖ πάντως ἀπὸ τῶν ὁμοίων τοῦτο λαβεῖν. τὸ μὲν οὖν δ. θεμ. τοῦ η. διγ. τοῦ ε. τιτλ. τοῦ η. βιβλ. τῶν διγ. κείμενον ἐν βιβλ. τῶν Βασιλικῶν ιη. τιτλ. ε. θεμ. γ. φησὶν ὅτι ἐπὶ τοσοῦτο τινὶ ἔξεστιν ἐν τοῖς ἰδίοις τὶ ποιεῖν, ἐφ᾽ ὅσον μηδὲν εἰς τἀλλότρια εἰσπέμπει. τὸ δὲ πλάτος τοῦ Διγέστου λέγει, ὅτι μηδεὶς ποιείτω τὶ ἐν τοῖς ἑαυτοῦ ἐξ οὗ ἕτερον βλάπτει. ἐφαπτόμενος αὐτῷ σώματι καὶ βλάβην ἐπιφέρων, ὡς ὁ καπνὸς εἰσπέμπων, σῶμα γὰρ καὶ ὁ καπνός. ὁ δὲ Σαββάτιος ἐν τῷ ἰδίῳ νόμῳ τοῦτο θεὶς τὸ κεφάλαιον εἰς τιτλ. λθ. κεφαλ. ϛδ. ἐπήγαγε τὸ αὐτὸ, καὶ ἐπὶ δυσωδίᾳ πρὸς τὴν τοῦ γείτονος οἰκίαν οὐκ ἐξωθεῖται.
Ἰντερβίβος. ἡ ἐν τῇ ζωῇ δωρεὰ, ἢ χάρις δηλαδὴ ὑπόνοιαν θανάτου.
Ἰντέρβιβος. ἀναμεταξὺ ζώντως.
Ἰντερβίβου δωρεᾶς. πρὸ γάμου δωρεᾶς.
Ἰντερβάλουμ σεπούλκρι. ἤτοι διάστημα τάφου.
Ἰντέρδικτα. τὰ κωλυθέντα.
Ἰντέρδικτον. παρηγγελμένον.
Ἰντέρδικτον. κώλυσις.
Ἰντέρδικτον. ἡ ἀπογραφή.
Ἰντέρδικτον ἐστὶν ὁμιλία πραίτωρος μεταξὺ δύο τινῶν περὶ νομῆς, ἢ ὡσανεὶ νομῆς ἀγωνιζομένων, οὐ τεμνοῦσα τὴν ὑπόθεσιν, ἀλλὰ ῥυθμίζουσα τὸν δικαστὴν πῶς χρὴ κρίνειν περὶ τῆς ὑποθέσεως. καὶ νομὴ μέν ἐστι φυσικοῦ πράγματος κατοχή. ὡσανεὶ δὲ νομὴ, ἀσωμάτου πράγματος χρῆσις. καὶ σωματικὸν μέν ἐστιν ἀγρὸς, οἰκία, καὶ ὅσα τοιαῦτα. ἀσώματον δὲ, οἷον οὐσουφρούκτον, καὶ δουλεία, καὶ τὰ τούτοις ἐοικότα. Τοῦτο δὲ τὸ ἰντέρδικτον τὸ οὐνδὲ βι τῆς ῥεκιπεράνδης ἐνεργείας ἐστι. ῥεκιπέρω γὰρ τὸ ἀναγορεύω ἤγουν ἀνακαλοῦμαι, καὶ ἀναλαμβάνω. κινεῖται δὲ κατὰ τῶν βιασαμένων τινὰ, ἢ βίᾳ ἐξελασάντων τινὰ νομέα, εἴτε τὶς ἐξελάσει εἴτε ἡ φαμιλία αὐτοῦ. πρόκειται οὖν τοῦτο εἰς ἀνάληψιν τῆς νομῆς. ἀπαιτεῖ δὲ καὶ πάσας καύσας καὶ καρποὺς οὓς αὐτὸς ἠδύνατο λαβεῖν ὁ ἄκτωρ. ἀνάλιον δέ ἐστι, μετὰ δὲ τὸν ἐνιαυτὸν εἰς εἴτι περιῆλθεν εἰς αὐτούς. καὶ οἱ κληρονόμοι δὲ τῶν βιασαμένων εἰς τὸ περιελθὸν εἰς αὐτοὺς καταδικάζονται. δίδοται καὶ τοῦ οὐσουφρούκτου οὐτιλία, φθαρέντος τοῦ οὐσουφρουκτουαρίου, καὶ τῷ εἰς νομὴν πεμφθέντι καὶ μὴ δεχθέντι.
Ἰντέρδικτον ἀρβόρκαιβος, σιτζέρδιι, βελτζεδένης. ἤτοι περὶ δένδρων ἐκτομῆς ἤγουν ἐκκοπῆς. Τὸ τοιοῦτο ἰντέρδικτον ὁ πραίτωρ ἐξέθετο τούτοις τοῖς ῥήμασιν, ἐὰν τὸ δένδρον τὸ ἐκ τῶν σῶν οἰκημάτων ἐπηρτημένον βλάπτῃ τὴν τοῦ γείτονος οἰκίαν καὶ σὺ μὴ ἀφέλῃς, ἄδειαν αὐτῷ δίδωμι τέμνειν τὸ δένδρον ἐκ ῥίζης. Διαφέρει δὲ αὐτῷ μὴ σκοτίζεσθαι τὴν αὐτοῦ οἰκίαν. καὶ τὰ ξύλα δὲ ἀφαιρεῖσθαι. καὶ σὲ δὲ κωλύω βίαν αὐτῷ ποιῆσαι. τὸ δὲ δένδρον ὃ ἐκ τοῦ σοῦ ἀγροῦ κατὰ τοῦ ἀγροῦ τούτου ἐπηρτῆσθαι, ἐὰν μὴ κλαδεύσῃς αὐτὸ ὑψόθεν ὑπὲρ τοὺς ιε. πόδας, ὁ ἀγρογείτων σου τοῦτο ποιήσῃ, καὶ σὲ κωλύσω βίαν αὐτῷ ποιῆσαι. Ἐπενοήθη καὶ τοῦ δυοδεκαδέλτου τοῦτο ἵνα μὴ ἡ σκιὰ τοῦ δένδρου βλάπτῃ τὸν γείτονα· καὶ ἐπὶ μὲν οἰκίας, ὅλον τὸ δένδρον κόπτεται, ἐπὶ δὲ ἀγροῦ, κλαδεύεται. Αὕτη ἡ ἀγωγὴ διηνεκής ἐστι, καὶ κληρονόμοις, οὐ μὴ καὶ κατὰ κληρονόμων ἁρμόζει.
Ἰντέρδικτον κὼς βὶ οὐθ κλὰμ. τουτέστιν, ὁ παραβίᾳ ἢ λάθρα γινόμενος δεῖ ἀποκαθιστᾶν. Τοῦτο τὸ ἰντέρδικτον ῥεστιτουτόριόν ἐστιν ἤγουν ἀποκαταστικόν. λέγει γὰρ ὁ πραίτωρ, τὸ βίᾳ ἢ λάθρα γινόμενον δεῖ ἀποκαθίστασθαι, κἄν τε δικαίως κἄν τε ἀδίκως γέγονε. χώραν δὲ ἔχει μετὰ παραγγελίαν. ὁρᾷ δὲ πρὸς τὰ ἐδαφικὰ μόνα πράγματα. παραγραφὴ τοῦτο οὐκ ἀντιτίθεται ἵνα εἴπῃ τυχὸν ἀλλ᾽ εἰ μὴ τῷ ἐμῷ δικαίῳ ἐποίησα ὃς ἐποίησα βίᾳ ἢ λάθρα. βίαν δὲ ποιεῖ πράττων ὃ κωλύεται κἂν μικροῦ λίθου βολῇ κωλυθῇ, κἂν ἀπὸ διαμαρτυρίας καὶ ἐπιμείνῃ ποιῶν. λάθρα ποιεῖ, καὶ ὁ κρύπτων τὸν ἀντίδικον καὶ μὴ διαμαρτυρούμενος αὐτὸν, καὶ ὁ κατέχων τὸν ὀφείλοντα παραγγεῖλαι. πᾶς δὲ προσπορίζει τῷ δεσπότῃ τὸ νόμιμον παράγγελμα, ὥσπερ καὶ μισθωτός. ἁρμόζει δὲ τοῦτο δεσπότῃ τοῦ ἀγροῦ, καὶ ᾧ διαφέρει μὴ γίνεσθαι τὸ καινὸν ἔργον, διὸ καὶ μισθωτοῦ καὶ οὐσουφρούκτου ἁρμ. . . . ἁρμο-

ἰντώρδικτον] Lego ἰντέρδικτον, ut infra. Similem interdicti definitionem tradit Theophilus. Labb. Lego ἰντέρδικτον, ut reſpondeat ſequens διαλέξεων.

περὶ ὑποθέσεως] Apud Theophilum *ad pr. tit. Inſt. de interdict.* eſt, τὴν ὑπόθεσιν, uti praeceſſit, τὴν ὑπόθεσιν.

Ἴντερ. ἀναμέσον, τουτέστι στρατιά] Du Cangius *in Gloſſar. verb.* στράτα lege Ἴντερ, τουτέστι στράτα. Sed ita illud ἀναμέσον, quod reſpondet τῷ *inter*, plane negligitur. Vereor, ne quid exciderit: ac tento, Ἴντερ. ἀναμέσον. Ἴτερ. τουτέστι στράτα.

καπνὸς εἰσπέμπων] Scribe καπνὸν εἰσπέμπων, *fumum immittens*. Eſt hoc ex *l.* 8. §. 5. *D. ſi ſervit. vindicet.*

ἢ χάρις δηλαδὴ ὑπόνοιαν θανάτου] Senſus exigit, ut legamus, ἢ χωρὶς δηλαδὴ ὑπονοίας θανάτου. Reſpiciuntur verba §. 2. *Inſt. de donationib.*

ζώντως] Lege ζώντων.

ἰντερβίβου] Pro ἰντερβίβων: explicatio vero non eſt donationis in genere, ſed donationis ante nuptias.

ἰντερβάλουμ] Recte in praecedentibus ſcriptum eſt ἰντερβάλλουμ.

ῥεκιπεράνδης] Lege ῥεκουπεράνδης, & mox ῥεκίπερω.

ἀρβόρκαιβος, σιτζέρδιι, βελτζεδένης] δεαρβόριβους σετζίνδις βελτζεδιένδις. Scal. eſt titulus *de arboribus caedendis*; unde haec corrigenda.

κὼς βὶ οὐθ κλὰμ] Pro κὼδ βὶ αὐτ κλὰμ.

ὁ παραβίᾳ] ὅπερ βίᾳ. Scal.

γινόμενος] γινόμενον. Id.

τοῦτο] Lego τούτῳ.

ἀποκαταστικόν] Rectum foret ἀποκαταστατικόν.

μισθωτοῦ καὶ οὐσουφρούκτου ἁρμ. . . . ἁρμόζει] Quid ſi legamus μισθωτῷ καὶ οὐσουφρουκτουαρίῳ ἁρμόζει. add. *l.* 11. §. *ult. l.* 12. *D. quod vi aut clam.*

ἰντερ-

ἁρμόσει. Γίνεται δὲ ὁμοῦ καὶ βίᾳ καὶ λάθρα, οἷον· εἰ θεμέλιον κωλύοντός μου ἔθηκας, ἀγνοοῦντός μου ἐπίκτασας, ἢ τὸ ἐναντίον. λάθρα ποιεῖ δὲ καὶ ὁ πράττων τι ὅπερ ὀφείλει νομίζειν εὐλόγως φιλονεικεῖσθαι, καὶ ὁ ἄλλως ποιῶν ἤπερ ὡς ἐμήνυσε, καὶ ὁ κατὰ ἀπάτην, καὶ πρῶτον ποιῶν, εἶτε μηνύων τοῦ ἀντιδίκου ὅτε μὴ δύναται αὐτὸν κωλῦσαι. Χρὴ δὲ τὴν ὥραν καὶ τὴν ἡμέραν μηνύειν, καὶ ποῦ, καὶ ποῖον ἔργον ποιεῖ, ἵνα ὁ κωλύων ἐμπροσθεσμίας ἀπαντήσῃ. δεῖ δὲ μηνύειν καὶ εἰς τὸν οἶκον, καὶ γαμετῇ, καὶ διοικητῇ, καὶ φίλοις. ὁ δὲ μηνύσας ποιεῖν καὶ παραγγελθεὶς καὶ ποιήσας, βίαν ποιεῖ. ἁρμόζει δὲ διηνεκῶς, καὶ πᾶσι διαδόχοις, οὐ μὴν καὶ κατὰ κληρονόμων.

Ἰντέρδικτον δεκόρουμ βονόρουμ. τῶν πραγμάτων τῶν ὑπαρχόντων ἔκπλωσις. Τοῦτο τὸ ἰντέρδικτον τῶν καθ' ὁμάδα ἐστὶ, καὶ τῆς δυνάμεως τοῦ ἀρισκόνδας. εἰ μὲν γὰρ πρῶτον τὶς θελήσει δράξασθαι νομῆς, ἔχει τὰ ἰντέρδικτα τῆς ἀρισκόνδας ἐνεργείας, εἰ δὲ δραξάμενος ἐκπέσῃ, ἔχει τὰ τῆς ῥεκοπέρδας δυνάμεως. κατέχεται δὲ τοῦτο ὁ νεμόμενος τὰ τοῦ λαβόντος διακατοχὴν πράγματα, εἴτε προπρέδε, εἴτε προποσσέσσορε νέμεται. ῥεστιτούριον δέ ἐστι καὶ εἰς ὁμάδα, οὐ πρὸς τὸ καθ' ἕκαστον ὁρᾷ. ὑπόκεινται δὲ αὐτῷ, οὐχὶ οἱ χρεῶσται τοῦ κληρονόμου, ἀλλ' οἱ τὰ σώματα αὐτοῦ νεμόμενοι. ἐκδικεῖ δὲ καὶ τὰ πράγματα τῶν συγγενῶν, καὶ ἀδελφῶν τῶν ἀδιαθέτως τελευτησάντων ἀπὸ τῶν νεμομένων· ὁ δὲ πατρῷα πράγματα ἐκδικῶν, πρῶτος ὀφείλει δεικνύειν ὅτι υἱός ἐστι, καὶ ἁρμόζει αὐτῷ ἡ διακατοχὴ, διὰ τοῦτο δὲ τοῦ ἰντερδίκτου καὶ ἀδελφοὶ τῆς ἀδιαθέτου τελευτησάσης διαμαχομένου πρὸς αὐτοὺς τοῦ ἀνδρὸς πέμπονται εἰς νομὴν τῶν πραγμάτων, τελευταίου φυλαττομένου αὐτοῖς τῷ τῆς δεσποτείας λόγῳ, ὁ γὰρ νόμος καὶ ἡ φυσικὴ δικαιοσύνη τοῦτο βούλεται, τοὺς συνοικοῦντας ἀλλήλους κληρονομεῖν ὅταν ᾖ πᾶσα συγγενῶν ἀπορία. οἱ δὲ κληρονόμοι αὐτῶν εἰς μόνον τὸ χρέος καταδικάζονται. λύεται δὲ καὶ ἀπαγορεύσει, καὶ καπίτης δεμινουτίον τουτέστι καταστάσεως ἐναλλαγῇ καὶ συγκατάβασις μεγάλῃ καὶ μέσῃ, καὶ πενίας ἐπισυμβάσης, καὶ θανάτῳ τοῦ ἑνός. κοινωνία δὲ οὐδ' ἀπὸ συμφωνίας εἰς κληρονόμους διαβαίνει, πλὴν τῶν δημόσια τέλη μισθουμένων κοινωνῶν, ἐκεῖνοι γὰρ καὶ εἰς κληρονόμους δύνανται παραπέμπειν τὴν κοινωνίαν. ὀφείλει δὲ ὁ κληρονόμος πληροῦν ἀδόλως τὰ ὑπὸ τοῦ τεστάτορος ἤτοι τοῦ διατιθεμένου ἀρχθέντα.

Ἰντέρδικτον δικούδ λεγατόρουμ. ἤτοι τῶν λεγάτων. Τοῦτο τὸ ἰντέρδικτον, τῆς ἀρισκένδας ἐστὶ ποσσεσσιώνης. ἀναγκάζει δὲ τὸν παρὰ γνώμην τοῦ κληρονόμου κατέχοντα τὸ ληγατευθὲν αὐτοῦ ἀποκαταστῆσαι, ἵνα μὴ ἑαυτῷ ὁ καθεὶς δικαιοδοτῇ, ἀλλ' ἀποδιδοὺς ἀναλάβῃ. τοῦτο τὸ ἰντέρδικτον ἁρμόζει τῷ κληρονόμῳ τοῦ κληρονόμου. καὶ ὁ τοῦ βονόρουμ ποσσέσσορος κληρονόμος ἔχει τοῦτο διὰ τὴν χρησιμότητα, καὶ οἱ λοιποὶ διάδοχοι. μεθ' ὃ δὲ ἀποδώσουσι τὰ πράγματα οἱ λεγατάριοι, τότε ἐνάγουσι. ὁ δὲ ἐναγόμενος καὶ μὴ ἀποκαθιστῶν, εἰς τὸ διάφορον καταδικάζεται. ὁ δὲ πεμφθεὶς εἰς τὸ λεγατόρουμ σερβανδόρουμ νομὴν, οὐ δοκεῖ νέμεσθαι ἀλλὰ φυλάττεται, καὶ οὐκ ἐνάγεται τούτῳ τῷ ἰντερδίκτῳ. εἰ δὲ λαβὼν ἱκανὰ μὴ ἀναχωρεῖ, ὑπόκειται, τότε γὰρ καὶ νέμεσθαι δοκεῖ. εἰ δὲ κατὰ βούλησιν τοῦ κληρονόμου νέμεται, οὐκ ἐνάγεται. βούλησιν δὲ, τὴν μετὰ ἀδιτίωνα ἤγουν τὴν ὑπεισέλευσιν τοῦ κληρονόμου, εἰ γὰρ πρὸ τοῦ λαβεῖν τὴν σεκόνδουμ ταβοῦλλα καὶ γνῶναι τὴν τοῦ τελευτήσαντος βούλησιν, οὐ βλάπτεται ὁ κληρονόμος. Ἔστι δὲ καὶ ῥεστιτούριον. ἡ δὲ ἰνφάκτουμ ἁρμόζουσα ἀπὸ παρόντος ἐδίκτου, εἰς τὴν λεγατόρουμ καὶ σερβανδόρουμ, ἀναλία ἐστὶ, καὶ οὐδὲ κατὰ κληρονόμων δίδοται, εἰ μὴ εἰς τὸ περιελθὸν εἰς αὐτούς. εἰ δὲ βίᾳ ὁ πεμφθεὶς τῆς νομῆς ἀποθεῖ, τότε καὶ περπετούα γίνεται, καὶ κατὰ κληρονόμων δίδοται διὰ τὸν τοῦ Φαλκιδίου νόμον. καλῶς ἐπενοήθη τοῦ κληρονόμου ἡ παρακατάσχεσις τοῦ τρίτου μέρους, ὅταν λήγατον ἀντληθῇ ἡ περιουσία. ὥστε οὖν ἐὰν ἐπὶ νομῆς γέγονεν ὁ κληρονόμος, δύναται ὁ κληρονόμος ἱκανὰ προσφέρων ἀναλαμβάνειν, καὶ διὰ τοῦ ἰντερδίκτου τούτου τὸ λεγάτον, καὶ οὕτω λοιπὸν κεχρῆσθαι τῇ παρακατασχέσει τοῦ ἐλασπόντος, ὡς βιβλ. τῶν Βασιλικῶν μα. τίτλ. β. κεφ. ι. καὶ μθ. βιβλ. τῶν Βασιλικῶν τίτλ. κδ. τῶν Διγέστων βιβλ. μγ. τίτλ. φ. καὶ βιβλ. τοῦ Κώδικος καὶ βιβλ. τῶν Ἰνστιτούτων.

Ἰντέρδου, τὴν περὶ δουλείας.

Ἰντέριτος λέγεται ἡ ἀφο .... βίβαι δὲ, τὸ ζῆσαι.

Ἰντερκαπέδο πασστινατζίωνος. ἤτοι διάστημα φυτιῶν. περὶ οὗ διαλαμβάνει βιβλ. ι. τῶν Διγέστων τιτλ. α. τῶν Βασιλικῶν βιβλ. ν. τιτλ. θ. κεφ. ιδ. Ἰστέον δὲ ὅτι ὁ Πλούταρχος ἐν τῷ σόλῳ φησὶν, οὗτος ὥρισε δὲ καὶ φυτιῶν μέτρα μάλα ἐμπείρως, τοὺς μὲν ἄγλό τι φυτεύοντας ἐν ἀγρῷ, πέντε πόδας ἀπέχειν τοῦ γείτονος κελεύσας, τοὺς δὲ σύκην ἢ ἐλαίαν, ἐννέα.

Ἰν-

ἐπίκτασας] Lego ἐπέκτισας Reſpicitur *l.* 11. §. 5. *D. eod. tit.*

τοῦ ἀντιδίκου] Legendum τῷ ἀντιδίκῳ.

ἀρισκόνδας] Pro ἀπισκόνδας, & paulo poſt quoque.

ῥεκοπέρδας] Pro ῥεκυπεράνδας.

κατέχεται δὲ τοῦτο] Legendum κατέχεται δὲ τούτῳ.

Διὰ τοῦτο δὲ τοῦ ἰντερδίκτου] Lege, διὰ τούτου δὲ τοῦ ἰντ.

τῷ τῆς δεσποτείας λόγῳ] In Baſilicis *lib.* XL. *tit.* 9. *n. ult.* legitur τῷ τῆς δεσποτείας λόγου recte.

οἱ δὲ κληρονόμοι &c.] Quaedam inter haec & praecedentia videntur interciſſe. Haec ſane ad interdictum quorum bonorum non pertinent; illa vero, λύεται δὲ &c. ad ſocietatem ſpectant: confer *l.* 63. § 10. & *ll. ſeqq. D. pro ſocio.*

ἀρισκένδας] Lege ἀπισκένδας, & mox iterum.

ληγατευθὲν αὐτοῦ] Melius ληγατευθὲν αὐτῷ.

εἰς τὸ λεγατ.] Lego εἰς τὴν λεγατ.

σεκόνδουμ ταβοῦλλα] Lege σεκούνδουμ ταβούλας.

ἀναλία ἐστὶ] Imo in hoc caſu actio eſt perpetua *l.* 1. § 8. *D. ne vis fiat ei qui in poſſeſſ. miſſ. er.* An Auctorem, an librarium hic accuſabimus?

ἀποθεῖ] Lex citata habet *probibitus ſit adipiſci*; itaque lego ἀπωθῇ.

καὶ κατὰ κληρονόμων δίδοται διὰ τὸν &c.] Haec ita videntur diſtinguenda & reſtituenda: καὶ κατὰ κληρονόμων δίδοται. διὰ δὲ τὸ Φαλκιδίου νόμου καλῶς ἐπενοήθη &c.

τοῦ τρίτου μέρους] Nihil hic corrigendum: Graeci enim augmentum legitimae, quod extat in *Novella* XVIII. *cap.* 1. extenderunt ad Falcidiam. *add. Fabrot. ad Theophil. pr. tit. Inſt. de leg. Falcid.*

λήγατον ἀντληθῇ] Rectius ληγάτοις ἐξαντληθῇ.

ἐπὶ νομῆς γέγονεν ὁ κληρονόμος] Imo ληγατάριος: heres enim a legatario, rem poſſidente, per interdictum petit ſibi reſtitui.

ἐλασπόντος] Baſilica *lib.* XLI. *tit.* 2. *fin.* habent ἐκλείποντος recte.

Ἰντέρδου. τὴν περὶ δουλείας] Leg. Ἰντέρδου vel δουλεβο. LABB.

φυτιῶν] Lege hic & in ſequentibus φυτειῶν. Ita & Plutarchus *in Solone*.

Σόλῳ] Legendum Σόλωνι.

Ἰντερκεδεύω. ἐγγυῶμαι.
Ἰντερκέσιον. ἐμπόδιον, ἀντίστασις.
Ἰντερκέσιον. τὸ ὑπὲρ ἄλλου καταβληθὲν ἐνέχυρον.
Ἰντερκέσιόν ἐστι, τὸ ὑπὲρ ἄλλου παρασχεῖν ἐνέχυρον, οὐ μὴν τὸ ἀναδοῦναι τῷ χρεώστῃ ἐνέχυρον αὐτοῦ.
Ἰντερκεσσίωνος. ἀντιφωνήσεως, ἢ ἐγγύης.
Ἰντερκέσσωρ. ἐκβιβαστής.
Ἰντερκετέρως. ἀορίστως.
Ἰντερρογατόρια ἀγωγή. προσκλητικὴ, ἤγουν ἐπερωτικὴ. Αὗται αἱ ἀγωγαὶ προσκλητικαὶ καὶ ἤτοι ἐπερωτικαὶ, οὐ σώζουσι νῦν τὴν παλαιὰν συνήθειαν. τὸ γὰρ παλαιὸν εὐλαβούμενος ὁ ἐνάγων μήπως τὸν ἐκ τούτου μέρους κλῆρον αἰτιάσηται ὡς ἐξ ἡμίσεος καὶ ὑποπίσω πλοῦς πιτιτίονι ἤγουν ὑπὲρ ἀπαιτήσεως, ἐκάλει τοῦτον ἐν βήματι καὶ ἠρώτα ἐκ πόσου μέρους κληρονομεῖ, οὐχ οὕτως δὲ νῦν. οὐδεὶς γὰρ ἀναγκάζεται πρὸ δικαστηρίου ἀποκρίνεσθαι περὶ τῶν ἰδίων δικαίων. εἰς ἀπόδειξιν δὲ μόνην τοῖς δικαζομένοις ἐμβάλλονται, οὐ μὴν εἰς τοκετὸν ἀγωγῆς. λέγει γὰρ μόνην τὴν δυσχέρειαν τῷ ἐνάγοντι εἰς τὴν ἀπόδειξιν· ὅτι κληρονόμοι εἰσὶ τοῦ οἰκείου δεβίτορος, τὰ γὰρ τῆς ἀδιτίονος ἤγουν τῆς ὑπεισελεύσεως, δυσαπόδεικτα εἰσί. καὶ οὐ μόνον δὲ εἰ ἔστι κληρονόμος ὤφειλεν ἐπερωτᾶσθαι, ἀλλὰ καὶ ἐκ πόσου μέρους ἐστὶ κληρονόμος, τοῦτο γὰρ αὐτοῦ ἐπεργοῦντος ἐν τοῖς παλαιοῖς.
Ἰντερσεδεύει. ἐπικάθηται.
Ἰντερτίον ἰντζέρτη. ἤτοι εἰς ἐπίτασιν, ἢ ἀγωγὴν ἀφανῆ.
Ἰντετίονα. ἀρχὴν τῆς εἰσαγωγῆς.
Ἰντζερτος. ὁ ἀφανής.
ἡ Ἰντζουριάρουμ, ἐστὶν ἀγωγὴ περὶ ὕβρεως. ἰνιουριάρουμ λέγεται ὅτι παρὰ τὸν νόμον γίνεται, πᾶν γὰρ ὃ μὴ κατὰ νόμον γίνεται, ἰνιουρία λέγεται. οὐ γὰρ βούλεται ὁ νόμος ὑβρίζειν. ἰδικῶς δὲ λέγεται κοντομέλεια, ἤγουν ὕβρις διὰ λόγων καὶ καταφρόνησις. πριβάτα δὲ ἐστὶ καὶ ἀναλία ἤτοι ἐπαυσιαία. γίνεται δὲ ὡς ὁ Λαβίων φησὶν ἢ πράγμασιν ἢ ῥήμασι. καὶ πράγμασι μὲν, ὁπόταν τις χεῖρας ἐπιβάλῃ ἢ πλήξῃ ῥάβδοις τυχὸν ἢ ξύλοις, ἢ ἱμᾶσι. ῥήμασι δὲ, ὅταν δίχα χειρὸς λόγοις μόνον ὑβρίσῃ. καὶ γίνεται καὶ προθέσει καὶ φαμόσσῳ ἤγουν γραφῇ, καὶ διὰ πράσεως τῶν προσόντων τοῦ μηδὲν χρεωστοῦντος. γίνεται δὲ ὕβρις εἰς σῶμα, καὶ εἰς ἀξίαν, καὶ εἰς ἀτιμίαν.
Ἰντότουμ. ἤγουν εἰς τὸ παντελῶς.
Ἰνφακιέιδο. ἐν ποιήσει.
Ἰνφακούμ. τὸ ἀζήμιον, καὶ εἰς ἔργον ἀγωγή.
Ἰνφακτα. εἰς τὰ ἔργα.

Ἰνφάκτουμ. τῆς ἁπλῆς ἀπαιτήσεως ἀγωγὴ, ἤτοι προσποίησις.
Ἰνφακτον. τὸ ἀποίητον.
Ἰνφάκτουμ. ἀζήμιον ποιουμένη, ἢ κατὰ τῶν βλαπτόντων τινάς. Αἱ ἰνφάκτουμ ἀγωγαὶ, πολλαὶ οὖσαι τῷ πλήθει, καὶ ἐπὶ διαφόρων φάκτων ἁρμόζουσαι, διαφόρως ἔχουσι καὶ τὰς καταδίκας. λέγει γὰρ ὁ Παπιανὸς, ἡνίκα τὰ δημόσια ἠρεμοῦσι, τῷ κυρίῳ τῶν ἀγωγῶν ὀνόματι μὴ εὑρισκομένας, ὁρμᾶν προσήκει ἐπὶ τὰς ἰνφάκτουμ προσαγορευομένας, ἀγωγάς. αἱ μὲν γὰρ αὐτῶν πραιτορίαι εἰσὶν παρεχόμεναι ἑκάστῳ ἀφ' ὧν θεμάτων ἀργεῖ ὁ ἀκουΐλιος, τουτέστι μήτε σώματι ζημία γένηται μήτε σῶμα βλαβῇ, ἀλλ' ἑτέρῳ τρόπῳ γένηται ζημία, ὡς ἐπὶ τοῦ οἴκτῳ λύσαντος τὸν δεδεμένον, καὶ ἑτέρων πολλῶν ἤγουν δημοτικῶν.
Ἰνφάκτουμ. ἐστὶν ἀγωγὴ τιμωροῦσα καὶ κολάζουσα φάκτα ἤτοι πρᾶξιν, ἤγουν ποίημα τινὸς παραλόγου καὶ ἀπαιτοῦσα τὸ πρᾶγμα.
Ἰνφάνης. ὁ ἑπταετής. καὶ Ἰνφὰς, ὁ ἥττον τῶν ἑπτὰ χρόνων.
Ἴνφας. νήπιος.
Ἴνφας. νήπιος ἑπτὰ χρόνων.
Ἰνφέκτην. συνθλασμένον ἀπολούσης ζημίας.
Ἰουδικαλίαι. ἤτοι μονοειδεῖς.
Ἰουδικάτη. ἤγουν ἡ παρὰ κρίσεως καταδίκη.
ἡ Ἰουδικάτη καταδίκη, κινεῖται μετὰ τὴν τετράμηνον. δύναται δὲ ὁ δικαστὴς καὶ στενοῦν τὴν τετράμηνον καὶ ἐπεκτείνειν πρὸς τὴν ποιότητα τοῦ πράγματος καὶ τῶν προσώπων. σπανίως δὲ στενοῦται, ὡς ὅταν τροφία ὀρφανοῖς ὁρισθῶσιν, ἢ βοηθῶμεν ἀφήλιξι. κατὰ δὲ πρωτοτύπων κινεῖται, καὶ κατὰ ἐντολέως, πλὴν εἰ μὴ κληρονόμος γέγονε τοῦ πρωτοτύπου, ἢ προσεπέλασεν ἑαυτὸν τῇ καταδίκῃ ἢ ἐν πράγματι ἰδίῳ ἐστίν. εἰ δὲ ἥττονα τῶν δ. μηνῶν δίδωσιν ὁ δικαστὴς τὴν προθεσμίαν, ἀναπληροῦται ἡ τετράμηνος, εἰ δὲ πλείονα, περιμένει διὰ τὸν τῆς ψήφου καιρόν. ἔστι δὲ καὶ διηνεκὴς ἡ ἰουδικάτη, καὶ πραγμάτων ἀπαίτησιν ἔχει, κληρονόμοις δίδοται καὶ κατὰ κληρονόμων. κατὰ φύσιν δὲ οἰκείαν καὶ τόκους ἑκατοστιαίους ἀπαιτεῖ. ὁ δὲ ἡττηθεὶς ἐν δικαστηρίῳ ὑπόκειται τῇ ἰουδικάτῃ, ἤγουν τὴν παρὰ κρίσεως καταδίκην. μόνους δὲ ἀπαιτεῖ τόκους τοῦ κεφαλαίου, οὐχὶ καὶ τῶν τόκων, οἵτινες ἐκ τοῦ ἀρχαίου συναλλάγματος εἰς καταδίκην ἐνέχθησαν, διὰ τὸ τόκους τόκων μὴ ἀπαιτεῖσθαι. καταδικάζονται δὲ εἰς ὅσον εὐποροῦσιν ὁ πάντων πραγμάτων κοινωνὸς καὶ γονεὺς, καὶ ἀνὴρ περὶ προικὸς ἐναγόμενος, καὶ ἔνοπλος στρατιώτης, καὶ ὁ δωρησάμενος. οἱ γὰρ του-

ἐκ τούτου μέρους κλῆρον] Scholia Baſilicorum *tom.* v. *p.* 741. exhibent: ἐκ τρίτου μέρους κληρονόμον, rectius.

ὑπὲρ ἀπαιτήσεως] In verb. πλοῦς πετίτιον haec conjunguntur: in unum ὑπεραπαιτήσεις melius.

ἐμβάλλονται] Ex Baſilicorum ſcholiis *d. loc.* lego συμβάλλονται.

τοκετὸν] In iisdem ſcholiis eſt τὸ κῆρτον perperam. Haec lectio vera eſt.

Ἰντερτίον ἰντζέρτη] Leg. ἰντεντίον ἰντζέρτη: ut infra ἰνδεντίονα pro ἰντετίονα. LABB.

Λαβίων] Lege Λαβεών *l.* 5. §. 1. *D. de injur.*

Ἰνφακούμ. τὸ ἀζήμιον] Lege Ἰνφάκτουμ. LABB.

Ἰνφάκτουμ. τὸ ἀποίητον] Leg. Ἰνφέκτουμ. Sic infra ἰνφέκτην. ID.

διαφόρως] vel διαφόρως.

τουτέστι μήτε σώματι] An ὅπουτε μήτε σώματι.

Ἰνφάνης] Quivis videt rectum eſſe Ἰνφάνς, quod reponit etiam Bosquetus *ad Pſell. Synopſin v.* 671. Sed Graecis ſaepe non conſtitit Latine ſcribendi ratio; ac forte ipſius Auctoris haec eſt ſcriptura.

ἀπολούσης ζημίας] Senſus vellet ἀπολλύει ζημίαν.

μονοειδεῖς] Etiam Theophilus §. 1. *Inſt. de diviſion. ſtipulation.* dicit eas eſſe μονοειδεῖς; non tamen ſic definit: nam etiam ſtipulationes praetoriae unius ſunt generis; communes vero duplicis.

τροφία] Rectius τροφεῖα, quod in Baſilicis *tom.* 1. *p.* 500. *lib.* IX. *tit.* 3.

καὶ κατὰ τοῦ ἐντολέως] Negative haec legenda, οὐ κατὰ τοῦ ἐντολέως. In Baſilicis in *l.* 4. *pr. D. de re judicat.* ubi hac de re agitur, ſcriptum eſt, οὐ μὴν κατὰ τοῦ ἐντολέως. *add. l.* 31. *l.* 61. *D. de procuratorib.*

τὴν παρὰ κρίσεως καταδίκην] Conſtructionis ratio vult ſcribi, τῇ παρὰ κρίσεως καταδίκῃ.

δι-

τούτων διεκδικηταὶ καὶ κληρονόμοι, εἰς τὸ πᾶν καταδικάζονται· τὰ γὰρ προσόντα προσώποις προνόμια, εἰς κληρονόμους οὐ διαβαίνουσιν. ἀλλ' οὐδὲ οἱ ἐγγυηταὶ τῶν τοιούτων βοηθοῦνται, κἂν ἔτι ζώντων αὐτῶν ἐναχθῶσιν, εἰ μὴ καὶ αὐτοὶ ἀδυνατοῦσι τὸ πᾶν ἀποδοῦναι. Ἡ δὲ ἰουδικάτη σοῦλβι, ἔχει κεφάλαια δύο, ὅτι καταβάλλει τὰ κριθησόμενα ὁ προκουράτωρ, καὶ ὅτι ἀδεφένδευτον ἤγουν ἀνεκδίκητον οὐκ ἐᾷ τὴν δίκην.

Ἰουδικάτη σόλβι. ἤγουν τὰ κριθησόμενα πληρῶσαι.

Ἰουδικάτη σοῦλβι. ἤγουν ἡ ἀπὸ καταδίκης ἱκανοδοσία.

Ἰουδικάτης. δεδικασμένης τῆς ψήφου.

Ἰουδικάτουμ σόλβι. τῆς κρίσεως λύσις. λέγει γὰρ ὁ ἄκτωρ πρὸς τὸν ῥέομ, ὁμολογεῖς καταβαλεῖν μοὶ ὃ ἂν γένηται κριθὲν ἐπὶ ᾧ λυθῆναι δηλονότι τὴν κρίσιν.

Ἰουδικιαλίαι. δικαστικαὶ

Ἰουδικίοις. δικαστηρίοις.

Ἰοῦδιξ. ὁ κριτής.

Ἰουλία ἀδουλτερία. ἀγωγὴ καταδικαστικὴ καὶ ἀρχόντων καὶ χρημάτων.

Ἰούλιος νόμος ἐστὶ καταδίκη διηνεκὴς ἐξορία εἰς τὸ μέταλλον τῇ δὲ τοῦ μετάλλου διηνεκεῖ ἐξορίᾳ, καὶ δήμευσις ἐπακολουθεῖ.

Ἰουνιβερσιτάτις. τῆς ὁμάδος.

Ἰοῦρα. ἡ τοῦ δικαίου προσηγορία.

Ἰοῦρε. νόμος δίκαιος.

Ἰουρὰμ σάλβα πουπιλιφόρε. τουτέστι, σῶα τὰ πράγματα τοῦ πουπίλου φυλαχθήσονται.

Ἰοῦρε πεκουλίί. δίκαιον πεκουλίου.

Ἰουριδικάτη. δικαιοδοσία.

Ἰοῦρις ἀγκουίγις. αἵματος δίκαιον.

Ἰουριογεντίοις. νομίμοις ἐθνικοῖς, ἤτοι φυσικοῖς.

Ἰουρισδικτίονα. δικαιοδοσίαν.

Ἰουρισκιβίλε. δικαίῳ πολιτικοῖς.

Ἰουρτορία καυτιόν. ἐξωμοσία.

Ἰπσοιούρε. αὐτῷ τῷ δικαίῳ.

Ἰρέμ. ἀγωγὴ ἀπαιτοῦσα πράγματα.

Ἴσαυροι. οἱ ἅρπαγες, οἱ φονεῖς, καὶ οἱ χοσιάριοι.

Ἰστρούκτα. ἕτοιμον, παρεσκευασμένον παρὰ τῶν ἰνστιτούτων κληρονόμων.

Ἰστρουμέστα, τουτέστιν ἠυτρεπισμένον.

Ἰστρουμέντα. εὐτρεπισμένα.

Ἰστρούμεντον. δικαίωμα.

Ἴτερ. δίκαιον τοῦ βαδίζειν με πεζὸν διὰ τοῦ σοῦ ἀγροῦ.

Ἴτερ. ὁδός.

Ἰφφαούδιμ. ἀπαίτησις, παραγραφή.

K.

KΑβαλλάριος. ἔφιππος, ὁ ἐν ἵππῳ καθήμενος. κάβαλλος γὰρ ὁ ἵππος.

Κάγκελλον ἀντὶ τοῦ δικτυΐσκιον ὑποκοριστικῶς, ὅτι κάσσεις ῥωμαῖοι τὰ δίκτυα λέγουσι, καὶ ὑποκοριστικῶς κάγκελλον. ἔνθεν Καγκελλάριοι ἐν ἀττῶ ἑστηκότες, δύο δὲ οὗτοι μόνοι.

τὸ περὶ Καθοσιώσεως. τὸ περὶ προδοσίας καὶ ἐπιβουλῆς βασιλέως.

Κάλανδα. αἱ πρῶται ἑνὸς ἑκάστου μηνὸς ἡμέραι.

Καλάτις κομμίτις. ἐκ τοῦ καλάρε τὸ καλεῖν καὶ τοῦ κομμίτα ἡ σύνοδος.

Καλύβη. πᾶν ἀγρικὸν οἰκοδόμημα.

Καλομνίαι. προσφωνήσεις.

Καλυμνία. συκοφαντία.

Καμίσιον. ὁ ἐπικαμάτων χιτών.

Καμηλαύκιον. παρὰ τὸ καῦμα ἐλαύνειν.

Κανάλης. ἀγωγὸς ὕδατος.

Κανάλης. ἀγωγοῦ ὕδατος.

Κανία. οἱ κονδύλοι τῶν καλάμων, καὶ οἱ σωλῆνες, κἄκ τούτου πάντα τὰ σωληνοειδῆ ἀγγεῖα.

Καιστράτωρ. εὐνοῦχος.

Καστρέσια. ἰδιόκτητα, παρασπόρια.

Καστρέσιον. ἀσφάλεια, ἰδιόκτητα, παρασπόρια.

Καστρέσιον πεκούλιον. τὸ ἐκ τῶν κάστρων, ἤτοι λαφυρῶν.

Καστρηύσιον. ἀσφάλεια.

Κάουσα. αἰτία.

Καπιτατίω. ἀρχὴ, ἤτοι κεφαλαίωσις.

Καπιούτιωρ. ἐκραιπάλησαν.

Κάπιτις δεμινουτίονι. κεφαλῆς ὑπαλλαγή.

Κάπον τέταρτον. μοίρας τυχηρὸν τὸ ἀπὸ συμφορᾶς τοῦ μὴ ἔχειν τέκνα·

Καποτορία. ἡ κλαπεῖσα.

Κάριτι διμινουτίω. ἐλάττωσις ἀρχῆς.

Καρίτι δεμινουτίων. χάρτης ἀποκοπῆς.

Καριτι μινουτίον. χάρτης ἀποκοπῆς.

Κά-

διεκδικηταὶ] Contrarium de defenſoribus habemus in *l. 23. D. de re judicat. l. 51. §. 1. D. de procuratorib.*

κεφάλαια δύο] Imo tria *l. 6. D. judicat. ſolvi.* ſed hoc videtur eſſe ab ipſo Auctore.

Ἰουδικάτη σόλβι] Leg. Ἰουδικάτη σόλβε vel Ἰουδικάτουμ. LABB. Latinis *judicatum ſolvi.*

κατὰ ἀρχόντων *&c.*] Hæc forte pertinent ad crimen repetundarum: *add. l. 1. D. de lege Jul. repetundar.* Videntur vero eſſe mutila.

διηνεκὴς ἐξορία εἰς τὸ μέταλλον] Quænam lex indigitetur, non apparet: ſed crimen ſacrilegii, quod ex lege Julia deſcendit, in nonnullis hac pœna coercitum jure poſtea inducto, *l. 6. D. de leg. Jul. peculat.*

Ἰουνιβερσιτάτις] Pro Οὐνιβερσιτάτις.

Ἰουρὰμ σάλβα] Pro Ῥὲμ σάλβαμ.

Ἰουριδικάτη] Rectius inferius Ἰουρισδικτίονα habemus.

Ἰοῦρις ἀγκουίγις] Lege Ἰοῦρις σαγγίνις.

Ἰουρισκιβίλε] Pro Ἰοῦρε κιβίλε.

Ἰουρτορία] Pro Ἰουρατορία.

Ἰρέμ] Lege Ἰν ῥέμ.

Ἴσαυροι. οἱ ἅρπ. οἱ φ. οἱ χοσιάριοι] In uno ex Mſſ. legitur χοσάριοι, apud Nicetam κουρσάροι, *Curſarii.* Gall. *Corſaires.* LABB.

χοσιάριοι] Du Cangius *in Gloſſar. verbo* κουρσάριος legit κουρσάριοι.

Ἰστρούκτα] Pro Ἰνστρούκτα: qui error ſæpius repetitur.

Ἰστρουμέστα] Pro Ἰνστρούμεντον, ſimile ſequitur.

Ἰφφαούδιμ] Pro Ἰνφραύδεμ.

K.

δύο] Meurſius *in Gloſſar.* putat ſcriptum fuiſſe β pro ιβ: ſed verbum μόνοι, quod ſequitur, facit, ne videatur numerus fuiſſe tantus.

ἐπικαμάτων] Meurſius & Du Cangius, ἐπὶ καμάτων.

Καμηλαύκιον] Diverſimode hoc verbum ſcribitur, & aliis eſt καμελαύχιον, καμαλαύκιον, καμηλαύκιον. *vid. Gloſſar. Meurſii & Du Cangii.* Non ergo temere in talibus tentanda emendatio.

Καιστράτωρ. εὐνοῦχος] Leg. Καστράτος LABB.

Κάπον] κάσον (*) *vid. Du Cang. verb.* Κάσος.

Κάριτι] Lego κάπιτις hic & bis terve deinceps.

χάρτης ἀποκοπῆς] Si hic & ſequenti gloſſa legamus ἀρχῆς ἀποκοπή, erit quidem ſenſus, at non juri conveniens: nec enim magiſtratus vel dignitatis ab-

Κάσον. μοῖρα νόμιμος λέγεται καὶ μέρος τέταρτον.
Κάσον κέρδος.
Κασόντα. ἐκπίπτωτα.
Κάσος. μέρος, ἢ συμφορά.
Κάσσος τῶν ἰδίων. ἀτύχημα τῶν νομίμων μερῶν, ἢ τῶν γαμικῶν κερδῶν, ἤτοι τῇ δόσει τοῦ ὑποβόλου ἢ τοῦ ἐξ ἀπαιδίας.
Κάσσω. πλῶσις.
Καστράτωρ. εὐνοῦχος.
Καστρένσιον πεκούλιον. ἰδιόκτητον.
Καστρισίου παρεμβολεὺς. ἄρχων ἢ ταμεὺς ἢ παρέτης.
Κάστρον. ἤγουν φοσσάτον.
Κατατράφειν. τὸ δικάζειν ἀπὸ δίκης.
Κατάχρησις. ἡ παρὰ τὸ δέον χρῆσις.
Κάττα. ὑποδήματα..
Κατήγορος. δηλάτωρος.
Καίκους. γάβατα.
Καῦσα. χάρις.
Καῦσα. χάριν αἰτίας.
Καυσαγώγνητα. τῆς αἰτίας διαγνώσει.
Καυσαδάκτα κονδέκτα. ἀνάληψις παραγωγή.
Καῦσα δάτα καῦσα νοῦν σεκούτα. ἤγουν ὁ μετὰ αἰτίας, καὶ αἰτίας εὐλόγου διδόμενος.
Καυσαδαῦτα κονδικτίκιον. ἀνάλυσις νὶς παραγωγήν.
Καυσακογνίτα αἰτίας διαγινωσκομένης.
Καυσακογνήτα. αἰτία γινωσκομένη.
Καυσακογνίτα. τὴν αἰτίαν διαγνοὺς.
Καῦσα κόγνιτα. αἰτία διαγνώσεως.
Καυσαρία μισίων. διαβολὴ, αἰτία.
Καυσατίωνος. δίκαιος.
Καυσίωνα. ἀσφάλειαν ἐπιτρόπου.
Καυσουάλια. ὑποδικασιμαῖα πράγματα.
Καῦστα. ἔγγραφον διδόμενον τοῦ κληρονόμου περὶ ἀπαλλαγῆς.
Καῦστον. ἔγγραφον.
Καῦτζιον. ὁμολογία ἔγγραφος.
Καυτιναλία. ἡ ἔγγραφος.
Καυτίωνα. ἀσφάλειαν.
Καυτίωνα. ἀσφάλειαν, ὁμολογίαν.
Καυτίωνος. ὁμολογίας.
Κελαρικὸν. κεκρυμμένον.
Κελλαρικὸν. κεκρυμμένον.
Κουσερὶ ἐστὶ, διατάττεσθαι τὸ ποιῆσαι, καὶ τὸ καθ' ἑαυτὸν τίποτε κεκρικέναι.
Κένσος. εἶδος νομίσματος.
Κεντηλίων σχολῆς. εἶδος ἀξιώματος.
Κεντηνάριον. λίτρα ς, κέντον γὰρ ῥωμαῖοι τὰ ς. φασί.

Κεντηνάριον. νομισμάτων ποσότης.
Κεντυρίων. ἑκατόνταρχος.
Κολυρίωνες. μανδάτωρες.
Κέρδον. φανερὸν.
Κεσίτωρ κατ' ἐπέκτασιν καὶ συλλαβῆς προσθήκην οἱονεὶ τιμωρὸς.
Κεφαλικὴ τιμωρία. ἡ δήμευσις καὶ εἰς νῆσον περιορισμὸς.
Κῆνσον καὶ ῥεγεσταν τὴν ἀπογραφὴν τῶν ἀρχαίων ἀντὶ τοῦ ὑπογραφέως.
Κῆνσος. ἡ ἐξέτασις τοῦ ῥωμαϊκοῦ πλήθους.
Κῆνσος λέγεται τῇ ἐπιχωρίῳ γλώττῃ τῶν ῥωμαίων ἡ ἐξέτασις τοῦ πλήθους.
Κιρκίτορες. οἱ περὶ τοὺς μαχομένους περιϊόντες καὶ χορηγοῦντες ὅπλα αὐτῶν μήπω ἐπισταμένοι μάχεσθαι.
Κιλίκια. τράγοι ἀπὸ κιλικίας οἱ δασεῖς. πάνυ γὰρ ἐκεῖσε ὑπάρχουσιν οἱ τοιοῦτοι τράγοι· ὅθεν καὶ τὰ ἐκ τῶν τριχῶν συντιθέμενα Κιλίκια λέγονται.
Κλασματικὴ γῆ, ἤγουν ἐξαλειμματικὴ.
Κλαυσοῦλα. κόλασις.
Κλεισοῦραι. τὰ ὀχυρώματα τῶν διαβάσεων.
Τὸ εἶδος τῶν Κληρονόμων ἐστὶ διττὸν, ὁ γὰρ κληρονόμος ἢ ἐνστατός ἐστιν, ἢ ὑποκάστατος.
Κληρονόμος ἐστὶν εἰς ὁλόκληρον διαδοχὴν τοῦ δικαίου ὅπερ ὁ διαθέμενος εἶχεν.
Κλιβαναρίοι ὁλοσίδηροι, κλίβανα γὰρ οἱ ῥωμαῖοι τὰ σιδηρᾶ καλύματα καλοῦσι ἀντὶ τοῦ καλαμῶνα.
Κοαίστωρ. ὁ τῶν βιβλικῶν ἐγκλημάτων ἐρευνητὴς.
Κοδίντος. ῥητὸς χρόνος, ἢ καιρὸς τοῦ δικαστηρίου παρὰ τοῦ κονβένιρε, τὸ συνιέναι.
Κογνάτιο. διάγνωσις.
Κογνάτοι. θηλυγενεῖς.
Κογνάτος. ὁ ἐκ θηλυγονίας συγγενὴς.
Κοδινοῦσον. ἐνέχυρον.
Κοδιούσου. ἡ περὶ κελεύσεως.
Κοδνάτος. συγγενὴς.
Κοδνάτος. ἐξάδελφος ἢ συγγενὴς.
Κάθορνος. γυναικεῖον ὑπόδημα ἀμφοτέροις τοῖς ποσὶ πεποιημένον.
Κυάθους. σκαφίδια.
Κυαίσταρ. βασανιστὴς.
Κυαίσταρ. ὁ ἐρευνητὴς.
Τί διαφέρει ἡ Κοινωνία τῆς Κοινοπραξίας. κοινωνία μέν ἐστιν, ὅταν συμφωνήσωσι δύο πραγματεύεσθαι κοινῶς· κοινοπραξία δὲ, ὅταν περιέλθῃ τὶς τινὰς δύο ἢ καὶ πλείονας πρᾶγμα ἀδιαιρέτως, ἢ ἀπὸ λεγάτου, ἢ κληρονομίας, ἢ δωρεᾶς, καὶ ὅταν μισθώσονταί τινες πρᾶγμα.

ablatio eſt capitis deminutio, §. 5. *Inſt. de capit. deminutione.* lectio vulgata prorſus inepta eſt.

Κασόντα. ἐκπίπτοντα] Malim Κάσον, τὰ ἐκπίπτοντα.

Καστράτωρ] Pro Καστράτωρ.

Καστρισίου] Du Cangius *verb.* Καστρήσιος, reponit Καστρήσιος.

ἢ παρέτης] Idem ὑπηρέτης, recte.

Κάττα] Meurſius *in Gloſſar hoc v.* & Du Cangius in *v.* Κάλτσα ſcribunt Κάλτζα.

Καυσαδάκτα κονδέκτα] An Καῦσα δάτα κονδίκτα.

ἀνάληψις παραγωγὴ] Diſtinguo ἀνάληψις, παραγωγή.

Καυσαδαῦτα] Pro Καυσαδάτα.

τοῦ κληρονόμου] Lego τῷ κληρονόμῳ.

Κεντηλίων σχολῆς] Leg. Κεντυρίων σχολῆς, *Centurio Scholae.* LABB.

λίτρα] Lego λίτραι.

αὐτῶν] Probo αὐτοῖς, quod placet Du Cangio in *Gloſſar. h. verb.*

βιβλικῶν ἐγκλημάτων] Verbum poſterius in hiſce proferendis omiſit Du Cangius *in v.* Κοιαίστωρ: & ſane βιβλικὰ ἐγκλήματα inepte dici nemo negaverit. At ſi legamus, βιβλικῶν ἢ ἐγκλημάτων, ſenſus erit non malus; quaeſtores enim vel rei pecuniariae, vel etiam judiciis criminalibus praeerant, notique ſunt quaeſtores parricidii, *l.* 2. §. 23. *D. de origin. jur.*

Κογνάτιο] Legendum Κογνίτιο.

Κοδιούσου] *Quod juſſu.* SCAL.

ἐνέχυρον] Inepta explicatio, & forte aliunde huc translata: ſequens melior.

κοινωνία &c.] Ne quis putet, hic eſſe aliquod erratum librariorum, obſervandum eſt, κοινωνίαν ſumi & alibi a Graecis pro ſocietate, ut a Theophilo *in tit. Inſtit. de ſocietat.* atque hiſce, quae hic legimus, ſimilia habet Harmenopulus *Promptuar. lib.* III. *tit.* 10. §. 2.

Κο-

πρᾶγμα δημοσίου τινός.
Κολεδάτος. στρατιώτης.
Κολλυβισταί. τραπεζῖται.
Κολλεκτάριος. ὁ ἀργυραμοιβὸς, ἤτοι ὁ κέρμα ἀντὶ ἀργύρου ἀλλασσόμενος τραπεζίτης, ὁ ἀργυροπράτης.
Κολωνὸν. δουλοπάροικον.
Κολωνὸς. ὁ μισθωτὸς.
Κομβεντίων. ἤγουν σύμφωνον.
Κομεάτον. οἶμαι ἐπιστολὴ, ἢ πιττάκιον.
Κομενταρίσιοι. τοὺς ἐπὶ τῶν ὑπομνηματογράφων ὁ νόμος καλεῖ.
Κομενταρίσιοι. οἱ νῦν χαρτουλάριοι οἱ ταῖς ἐγκληματικαῖς ὑπηρετοῦντες δίκαις ὑπασπιζόντων αὐτῶν ἀπλικιταρίων κουβικουλαρίων.
Κομενταρίσιος. χαρτουλλάριος.
Κομενταρίσιος. ὁ ὑπομνηματογράφος.
Κόμης. ὁ μίας κόορτης ἄρχων, ᾧ καὶ ἑκατοντάρχαι ὑποτάττονται.
Κόμπλα. ἡ τελείωσις.
Κομιτοῦρις. συμβάλλεται.
Κομμόρκιον. ἐφ᾽ ᾧ τις πραγματεύεται.
Κομμέρκιον. ἡ τοῦ δύνασθαι ἀγοράζειν ἢ πιπράσκειν ἐξουσία.
Κομμιτεύεται. βεβαιοῦται.
Κομμίτω. κελεύω.
Κόμοδα. δόσις ἐπὶ τοῦ σισμοῦ.
Κομμοδάτον. τὸ εἰς χρῆσιν διδόμενον:
Κομμοδάτον. δανειακὸν.
Κομμοδάτον. τὸ εἰς χρῆσιν διδόμενον πρᾶγμα, οἷον βιβλίον, ἢ ἕτερόν τι.
Κομμοδάτον. περὶ χρήσεως.
Κομμοντάριον. ἐπιστολὴ προστακτικὴ.
Κομμοντόριον. ἐπιστολὴ προστακτικὴ ἀποστελλομένη εἰς χώρας.
Κομμοντόριον. ἐπιστολὴ ἀποστελλομένη μετὰ προστάξεως.
Κομμοῦναι. κοιναὶ, ἤγουν πραιτωρίαι καὶ ἰουδικιαλίαι.
Κομμουνιδιβιδένδω. τῷ διαιροῦντι τὰ κοινά.
Κομμονίω δουιδῆς. κοινωνία διδομένη.
Κομμονιωδοῦνδο. κοινωνία ἀδομένη.
Κομοδάτον. κεχρημένον.
Κομοδάτωρ. δανειακὸς.
Κομοῦνις διβιδενδοῦνδο. ἡ τῶν κοινῶν πραγμάτων διαίρεσις.
Κομόνης διβιτοῦνδε. ἤγουν δικαστήριον τὸ περὶ κοινῶν πραγμάτων διαιρέσεως.
Κομπεσατεύει. συλλογίζεται, ψηφίζει.
Κομπεσατευθῆναι. ἐπὶ τῷ ἀντιδωρηθῆναι ἑτέρῳ τι.
Κομπεσσατίων. ἀντέλλογος.
Κομπλατίονες. σύνοδος δύο ἢ τριῶν εἰς τὸ αὐτὸ καὶ συμφωνία.
Κομπρομισιάριον. συνταγὴ, ὅ ἐστι πρόστιμον.
Κομπρομισαριον. συναγωγὴ.
Κομπρομισάριος. ὁ συντιθέμενος προστίμῳ.
Κομπρομισάριος δικαστὴς. αἱρετὸς.
Κομπρομισάριος. διαγνώμων.
Κομπρόμισον. πρόστιμον.

Κομ.

κολεδάτος] Meurſius *in Gloſſar. hoc verb.* mallet κομογιάτος. Du Cangius vero *in eod. verb.* docet, hoc vocabulum quoque ipſum reperiri in Gloſſis Baſilicῶν Mſſ. & *libro* XLIX. Baſilicῶν in Mſ. alios addit legere Σολεδάτος; quod non inprobabile quoque.

τοὺς ἐπὶ τῶν ὑπομνηματογράφων] In Etymologico Magno *v.* Κομμενταρήσιοι, additur πραίποσιτ; ubi & illa ipſa occurrunt, quae in ſequente gloſſa habemus.

ἀπλικιταρίων] In laudato Etymologico vocantur ἀδνικτάριοι, per quos Du Cangius *in Gloſſar.* eos intelligit, qui caſtra ſequuntur. Idem Etymologicum exhibet porro, καὶ κυβικουλαρίων, recte. Sunt quoque noti κλαβικάριοι & καπικλάριοι, janitores carceri praepoſiti, de quibus agunt Cujacius ad *l.* 1. *C. de excuſationib. artific. lib.* x. & Du Cangius in *eodem Gloſſario.*

κόμιπλα] Meurſius & Du Cangius *in Gloſſariis* reponunt κόμπλα; quod rectius.

κομιτοῦρις] Forte κομμίττιτουρ. Gloſſae Graeco-Latinae *συμβάλλω committo*, & *committo συμβάλλω.*

κόμοδα. δόσις ἐπὶ τοῦ σισμοῦ] Leg. σιτισμοῦ. Frumentum, veſtes, arma, quae Romanis militibus erogabantur, eorum commodis ſive ſtipendiis imputabantur: quod Polybius *libro* 6. notavit his verbis, τοῖς δὲ Ῥωμαίοις ὅ τε σῖτος καὶ ἡ ἐσθὴς, κἄν τινος ὅπλου προσδεηθῶσι, πάντων τούτων ὁ ταμίας τὴν τεταγμένην τιμὴν ἐκ τῶν ὀψωνίων ὑπολογίζεται, *Romanis tam frumenti quam veſtis armorumque, ſi quis hujuſmodi rerum indiguerit, horum omnium certum ordinatumque, pretium eorum obſoniis ſubtrahit.* De his commodis, id eſt, annonis, ſtipendiis ſive ſalariis loquutus eſt Papinianus in *l. Pater* 22. *D. de adim. legat.* his verbis, *ex ratione primipili commodorum.* Impp. dixerunt, *commoda primipilatus l.* 1. *C. de primipilo.* Celſus in *l. Lucius* 22. *D. de legat.* 2. *militiae commoda.* Gloſſae vett. *Commodum*, Σύμφορον, Ὠφέλεια, Τοουτοnio νον. legendum τὸ στρατιωτικὸν ὀψώνιον; quam pulcherrimam hujus loci reſtitutionem acceptam refero doctiſſimo mihique amiciſſimo viro Rigaltio. Male Bon. Vulcanius emendavit, τὸ ὤνιον. Sic alibi in iiſdem Gloſſis, *Stipendium* Ὀψώνιον στρατιωτικὸν, Μισθὸς στρατιωτικός: & in Gloſſis Iſidori, *Comodia, hiſtoria*; emendandum, *Commoda, diaria, cotidiana.* Sic in antiqua Inſcriptione ordo decurionum decrevit, ut C. Titius Chreſimus Aug. II. COMMODIS. PVBLICIS. AC. SI. DECVRIO. FRVERETVR. hoc eſt, ſtipendiis. Gall. *Commoditez.* Eoque ſenſu naſutius fiet nobile epigramma Catulli de Ario quodam centurione, vel, ſi mavis, praefecto aut tribuno,

Chommoda dicebat ſi quando commoda vellet
Dicere, & hinſidias Arius inſidias.

Sed licuit militi etiam de ſuis ſtipendiis barbare & militariter loqui. De his commodis alia alii obſervaverunt, inter quos doctiſſ. Cujac in *com. ad l. ſi quis* 3. *D. de minor.* & *l.* 1. *C. de primipilo.* LABB.

σισμοῦ] σιτισμοῦ. SCAL. Videatur Du Cangii *Gloſſarium* utrumque.

Κομμοντάριον] Melius quod ſequitur κομμοντόριον.

Κομμονιωδοῦνδο. κοινωνία ἀδομένη] Leg. διδομένη, ut ſupra. LABB. Graeci non videntur illa verba *Communi dividundo* ſatis recte literis Graecis expreſſiſſe. Mihi quoque ſuſpectum illud διδομένη in gloſſa priori, & hic ἀδομένη, & dubito, an non fuerit olim ſcriptum διαιρουμένη. Sane in Baſilicis *lib.* XII. *tit.* 2. qui eſt titulus *Communi dividundo*, paſſim occurrunt, διαιρῶ, διαίρεσις; quod paulo poſt hic quoque invenitur plus ſemel, & alia illis ſimilia.

Κομπλατίονες] Ne quis opinetur, potius hic legendum eſſe Κομπλετίονες, notemus etiam reperiri alibi Κομπλατίονες, *vid. du Cang. Gloſſar.* Sunt vero completiones, quae requiruntur, ad perfectionem inſtrumenti, *pr. inſt. de emption. vendition.* ubi Cujac. *in not. poſterior.* & *l.* 17. *C. de fid. inſtrumentor.* Adeatur laudatus Du Cangius.

Κομφάκτωρ. κατασκευαστής.
Κομφαρματζίων. ἐστερεωμένον, κεκυρωμένον.
Κομφισσαρίως. ἤγουν συνθηκῶς.
Κομφισσορίως. ὁμολογικῶς.
Κόμφηρμα. καθωσιωμένος.
Κομφιρματεύει. βεβαιοῖ.
Κομφοσιόνα. αἰσχύνη.
Κονβέντιον. συμφωνία.
Κονβίνιον. ἡ εἰς τὸ φανερὸν ὕβρις, καὶ ἡ βουλὴ, ἤτοι ἐκ τῶν πολλῶν συναγωγή.
Κονβίτζερε. σύνοδον ἀποτελοῦσιν.
Κογνόντις. ἐπάρατοι ἐξ ἰσότητος οἱ δύο.
Κονδεμνατίων. ἡ καταδίκη.
Κονδεμνατιόν. ἡ ἀπόφασις.
Κονδεμνατιόν. ἡ καταδίκη νόμιμος.
Κονδίκερε. παραγγεῖλαι.
Κονδίκιον. ἄιρεσις.
Κονδικτίκιον. ἀπαίτησις.
Κονδικτίκιον. μίσθιον.
Κονδίκτιον. ἀπαιτητικόν.
Κονδικτίκιος. ἀπαιτητικὸς λόγος τοῦ οἰκείου δανείου, ἢ ἔστιν ἀπαιτητικὸς λόγος τοῦ κατὰ πλάνην καταβληθέντος χρέους, καὶ λέγεται οὗτος Κονδικτίκιος ἰνδέβιτος, ἐκεῖνος δὲ, κονδικτίκιος δανειακός.
Κονδικτίτζιος διβούνη δεπένσις. τουτέστιν, ἀπὸ καλοῦ δαπανήματος.
Κονδικτίτζιος ἐξλέγε. ἤγουν ἀπαίτησις ἐκ νόμου ὁριζομένη.
Κονδικτίτζιος παρτιτζιάριος, τριδιτζιάριος. ἤγουν ὁ ψηλαφιστὴς, ἢ ἐρευνητὴς τῶν ἀδήλων πραγμάτων.
Κονδικτίτζιος ῥέρουμ ἀμοτάρουμ. ἤγουν ἀφαίρεσις πραγμάτων ἣν κινοῦσιν οἱ συνοικοῦντες.
Κονδικτίτζιος σινεκάουσα. ἤγουν ὁ ἀπαιτῶν ὑπὲρ κατέβαλλε καὶ ὁμολόγησε χωρὶς αἰτίας.
Κονδικτίτζιος τζέρτος. ἤγουν ἡ ἀπαίτησις φανεροῦ καὶ δήλως ὁρισμένου πράγματος.
Κονδούκτη. ἀγωγὴ ἁρμόζουσα τῷ μισθωσαμένῳ.
Κονδουκτί. ἐκμίσθωσις.
Κονδούκτωρ. μισθωτής.
Κονάματα. ζωγραφίαι.
Κονιούκλιμ. συνημμένος.
Κονρέκτητι. συλληφθείς.
Κονρέκτι. συλληφθείς.
Κονρεκτόν. τὸ ὑποδεχθέν.
Κονπετασιόν. ἀντέλλογος.
Κονπεσατιόν. ἀντίλογος.
Κονσαγγουίνοι. οἱ ὅμαιμοι.
Κονσεκράτριξ. ἡ ἱέρις.
Κονσέλιον. βουλὴ καὶ συνέδριον ἐκ φανερῶν ἀνδρῶν.
Κονσένσο. ἀγωγὴ διὰ τῶν συναινέσεων μόνον, καὶ οὔτε διὰ γραμμάτων ἢ δόσεως ἄλλης, ἀλλ' ὡς ἐπὶ συναινέσεως, ἀγορᾶς, μισθώσεως.
Κονσιλίο. βουλή.
Κονσιστόριον. θεῖον συνέδριον.
Κονσιτόριον. βασιλικὸν σέκρετον.
Κονσοβλιδαλικόν. σύνοδος.
Κονσοβρίνοι. οἱ ἐξάδελφοι ἐκ δύο θηλειῶν ἀδελφῶν.
Κονσουλάριος. ὑπατικός.
Κονσουλατίων. πρόκλησις.
Κονσούλερε. τὸ πρόνοιαν ποιεῖσθαι. ἢ τὸ ἐρωτᾷν.
Κονσοῦλτι. δόγμα.
Κονστιτουτιόν. διάταξις, ἢ διατύπωσις.
Κονστιτοῦτον. σύστασις, ἢ ἀντιφώνησις.
Κονστραρίως. ἐναντίως.
Κονστράριον. ἐναντίον.
Κοντελλῖνοι, εὐτελεῖς, θυρωροὶ τοῦ πραιτωρίου.
Κοντηνίως. συνεχῶς, μὴ δεχομένη περικοπήν τινα.
Κοντίνιον. τὸ συνεχές.
Κοντόμαξ. ἀπειθής.
Κοντομέλια. ἡ διὰ λόγων ὕβρις, ἢ καταφρόνησις.
Κοντράκτον λέγεται τὸ συνάλλαγμα, ἐκ τοῦ σὺν καὶ τοῦ τράκτω, τὸ ἀλλάττω.
Κοντράριε. ἐναντίωσις.
Κοντράριαν μανδάτην. τὴν ἐναντίαν ἐντολήν.
Κοντραταβούλας. εὑρέθη περὶ ἐναντίας βουλήσεως.
Κοντραταβούλας. ἐναντίωσις διαθήκης.
Κοντραταβούλας. ἡ ἐναντίωσις τῆς διαθήκης, καὶ ὁ κατήγορος αὐτῆς.
Κοντραταβούλας. ὁ κατήγορος τῆς διαθήκης.
Κοντραταβούλλας. ἐναντίας βουλῆς.
Κόντρα ταβούλλας. κατὰ τὰς πλάκας.
Κοντράτον φιδούκιον. ὅταν ὁ πατὴρ τὸν υἱὸν ποιῶν ἐμαγ-

κομφάκτωρ. κατασκευαστής] Leg. Κονφέκτωρ. LABB.

Κομφαρματζίων] Pro Κομφιρμάτων. Melius poſtea Κομφιρμάτουμ. Ceterum, ut interpretatio reſponderet verbo praemiſſo, debuiſſet ſcribi Κονφιρμάτουμ. Sed plura ſeſe in his Gloſſis offerunt ſimilia.

Κομφισσαρίως] Rectius, quod ſubjicitur, Κομφισσορίως.

Κομφοσιόνα. αἰσχύνη] Leg. Κομφέσιον, ut infra Κονφέσιον pro eodem. LABB.

Κονβίνιον] Leg. Κονβίτιον. LABB. κονβίκιον. SCAL. κονβίτιον quoque legunt Meurſius & Du Cangius *in Gloſſariis*, v. Κονβίτιον.

ἡ βουλὴ] Meurſius *d. loc.* ita ſupplet καὶ κίμβεντος ἡ βουλή; quod probabile.

κονδικτίκιον. μίσθιον] Leg. Κονδουκτίκιον. LABB.

κονδικτίτζιος δὲ βούνη δεπένσις] Leg. δὲ βούνε δεπένσε. ID.

τριδιτζιάριος] Pro τριτικιάριος, actio, quae datur de rebus aliis dandis, quam numerata pecunia certa, *l.* 1. *pr. D. de condiction. triticar.* praecedens verbum in mendo cubat, & an ſit ortum ex vitioſa ſcriptura hujus verbi, an aliunde, non definio.

Κονρέκτητι & Κονρέκτι. συλληφθείς] Leg. κονκέπτι, ut infra κόνκεπτον pro κόνκεπτον. LABB. Reſpicitur furtum conceptum & actio furti concepti, §. 4. *Inſt. de obligationib. quae ex delict. naſcunt.*

Κονπετασιόν] Leg. Κομπενσατίον, ut infra *compenſatio.* LABB. Κομπενσατίων quoque occurrit in Scholiis Baſilicon, *tom.* III. *p.* 584.

Κονσένσο] Pro Κονσένσου.

Κονσιτόριον] Rectum, quod praeceſſit, Κονσιστόριον.

Κονσοβλιδαλικόν] Hic videtur latere verbum Κονσολιδατιών, vel aliud ſimile.

Κονστραρίως] Pro Κοντραρίως. Simile in Gloſſa ſequente.

Κοντελλῖνοι εὐτελεῖς.] Leg. Κορταλῖνοι vel Κορτελῖνοι, ut infra. Thalelaeus *lib.* 45. *tit.* 1. *Baſil.* haec de his notat, *Quidam ſunt in ordine viles, qui trahuntur ex genere, & hodie propter magnam vilitatem habentur contemptui. Macarites autem mordicus Cortalinos quidem vocat beneficiarios: dicit autem, eos curam gerere mutandorum equorum.* De his plura vide in Lexico doctiſſimi Rigaltii. LABB. Meurſius & Du Cangius *in Gloſſariis* legunt, Κορταλῖνοι.

Κοντηνίως] Pro κοντινίως. Simile in ſequente gloſſa.

ἐκ τοῦ σὺν] Latinum *contractus* dicitur non a σύν, ſed a *con* & *tracto.* Forte ſcriptum fuit ἐκ τοῦ κον, σύν, καὶ *&c.*

Κοντράτον φιδούκιον] Pro κοντράκτα φιδούκια, de

ἐμαγκιπάτου προανφώνῃ, ἵνα ἐν διαθήκῃ ὁ υἱὸς τελευτήσῃ καταλείψῃ τὸ τρίτον τῷ πατρί. εἰ γὰρ οὐ προανφώνει περὶ τούτου, οὐδὲν αὐτὸ καταλιμπάνετο ἐκ τοῦ υἱοῦ.
Κοντραφιδουκία. ἐναντία τῇ φύσει.
Κοντραφιδουκίαν. ἐναντίως τῇ πίστει.
Κοντριβουτίονι. ἐν τῇ κοντριβουτίονι τὰ ἀγορασθέντα πρὸς ὅπερ ἠγοράσθησαν ἀποδιμῶνται.
Κονφιρματευθῆναι. κυρωθῆναι, βεβαιωθῆναι.
Κονφουσίω. σύγχυσις, σύμβασις.
Κοπατίονες. δίκαι.
Κορνέλιος. ὄνομά ἐστι κορνέλιος.
Κορνήλιος. νόμος ἐστὶν ὁ περὶ πλαστογραφίας.
Κορνήλιος δελφάτζης. ἤγουν περὶ πλαστογραφίας.
Κορνίλιος. νόμος ἀπὸ Κορνηλίου τινὸς περὶ πολλῶν νομοθετῶν, ἀλλὰ δὴ καὶ περὶ ὕβρεων.
Κορρόπτῃ. διαφθορὰ τῇ τῶν σαβίνων φωνῇ.
Κορταλίνων. τῶν εὐτελῶν.
Κορτελλῖνος. εὐτελὴς, θυρωρὸς τοῦ πραιτωρίου.
Κουαεσίτορος. ζητουμένου.
Κουαντιμίνορις. ἀγωγὴ ἡ ἀντιστρέφουσα.
Κούαρτος. τέταρτος.
Κουαρτάετ. ἤτοι τὸ τέταρτον.
Κούασι καστρέσιον. τὸ ἐξ οἰκείου ἐπιτηδεύματος πεκούλιον.
Κούασι κοντράκτων. ὡσανὶ συναλλαγμάτων.
Κουδιούσσω. ἐνέχυρον.
Κουεστερία. εὕρεσις.
Κοῦλπα. ῥαθυμία.
Κοῦλπα ἀδίκημα.
Κοῦλπα. ἡ μεγάλη ἀμέλεια, ἡ δὲ μεγάλη κοῦλπα, δόλος ἐστίν.
Κοῦλπα δούλου. πλαῖσμα δούλου.
Κούλπας δόλους.
Κοὺμ. μετά.
Κοὺμ ἡνίκα.
Κουμβλιβερτάτι. τουτέστι μετὰ ἐλευθερίας ὀρθῶς ἐπίτροπον δίδομεν. οὐ δεῖ δὲ δοῦλον ἐπιτροπεύειν ἐὰν μὴ ἐλευθερωθῇ.
Κουμλιβερτάτε. μετὰ ἐλευθερίας.
καὶ Κουμμονιαιρετοὺς. καὶ συγκατοίκους.
Κοὺμ μορέτουρ. ἡνίκα τεθνήξεται.
Κουμφοσίανα αἰσχύνη. καὶ Κουμφοσίανος, συγχύσεως.
τὸ Κουνδουνεκλὶ ῥῆμα. τουτέστι τὸ παραχρῆμα, τρεῖς ἡμέρας σημαίνει.
Κουνδουβέρνιον. ἡ κοινωνία.
Κουνσένσος. συνάλλαγμα ἐκ συναινέσεως.
Κουνσουλατίων. παράκλησις, παραμυθία.
Κουνσουστόριον. συγκατάριον βασιλικόν.
Κουντούμαξ. κατάδικος.
Κοῦοδ. ὅπερ.
Κοῦρα. ἡ φροντίς.
Κουράτωρ. φροντιστής.
Κουράτωρ. φύλαξ, ἐπόπτης.
Κοῦρβα λατινικῶς, ἡ σκαμβὴ, σκαιά, καὶ καμπήλη διὰ τοῦ παρ' ἐκείνοις ἐπὶ τοῦ ὀχύματος κουρβὴν λεγόμενον.
Κοῦρβον. τὸ καμπηλὸν καὶ σκαμβόν. κἀντεῦθεν τὰ ξυλίκια τῆς σέλας κούρβια λέγονται ὡς καμπηλά. διότι δὲ πάλαι τὰ τοιαῦτα κούρβια εἰς ὀχεῖαν ἀεὶ ὑπόκειται τοῖς ἐφίπποις, διὰ τοῦτο μεταφορικῶς καὶ τὴν πόρνην κούρβαν λέγομεν, διὰ τὸ ἀεὶ ὀχεῖσθαι.
Κουρίοσος. εἶδος ἀξιώματος.
Κουρσούμπτη. τοῦ δούλου.
Κουστάτορες. φυλακισταὶ, κούστους γὰρ ξυλόκοιδας καλοῦσι.
Κουστοδία. ἡ ἀκριβεστάτη καὶ ὑπερβάλλουσα παραφυλακή.
Κουστωδία. ἀκριβεστάτη παραφυλακή.
Κουστωδία. στρατιωτικὸν στῖφος ὃ βάνδον ῥωμαῖοι καλοῦσι.
Κρεγήτωρ. δανειστής.
Κρεδίτωρ. δανειστής.
Κύασι. οἷον, ὡσανί.
Κυέστωρ. κριτὴς, βασανιστής.
Κυνηγοὺς καλῶ ἐν τῷ νόμῳ τοὺς θηριομάχους.
Κυοφορούμενος. ὁ μετὰ θάνατον τοῦ πατρὸς τικτόμενος, ἢ ἐν ζωῇ αὐτοῦ μετὰ τὸ γενέσθαι τὴν διαθήκην.
Κωδίκελλος. τελευταία βούλησις.
Κωδίκελλος ἐστὶν ἐλλιποῦς ἐν διαθήκῃ γνώμης τοῦ διατιθεμένου ἀναπλήρωσις εἰς μικρὸν χαρτίον ἢ βιβλίον. λέγεται δὲ ἀπὸ τοῦ κώδικος τοῦ δηλοῦντος τοῦ μεγάλου βιβλίου ἢ τοῦ χαρτίου τοῦ ἀκεραίου. Γίνεται δὲ κωδίκελλος ὅταν γράψῃ τὶς διαθήκην καὶ παραλίπῃ τινὰ ἅπερ ἤθελε γράψαι ἐν αὐτῇ, καὶ ὕστερον ἐνθυμηθῇ ταῦτα, καὶ τότε γράφει χαρτίον ἄλλον διαλαμβάνον περὶ ὧν ἐπελάθησεν ἐν τῇ διαθήκῃ εἰπεῖν. Διαφέρει δὲ κωδίκελλος διαθήκης. ἐν μὲν

qua conſulantur Caji Inſtitutiones, *lib.* 1. *tit.* 6 §. 3.

τελευτήσῃ] Mallem τελευτήσας, quod & in aliis gloſſis ſcriptum eſt apud Briſſonium, *verbo Contracta fiducia*. De re vero ipſa non poſſum non monere, tertiam illam partem debitam fuiſſe patri non ex dicto ipſius, ſed quaſi patrono filii emancipati, *l.* 1. *pr. l.* 3. *D. ſi a parente quis manumiſſus ſit.*

αὐτὸ] Lege αὐτῷ: ac ſi Briſſonius *d. l.*

Κοντραφιδουκία *&c.*] Melior lectio gloſſae ſequentis.

ἀγορασθέντα] Scribere debuit ἀποβληθέντα, quod exſtat in Baſilicis *lib.* XLVII. *tit.* 7. ex *l.* 2. §. 4. *D. de leg. Rhod. de jact.* Agitur hic de contributione, ob jactum facienda.

Κοπατίονες. δίκαι] Leg. Κογνιτίονες. LAMB. Du Cangius tamen *in hoc verb.* teſtatur in gloſſis Juris Mſſ. legi Κομπτίονες, ablegans Lectorem ad verbum Κομπλατίων. Quid tamen huc tunc faciant δίκαι, non video.

δελφάτζης] Scribendum δὲ φάλσης cum Meurſio *in Gloſſar. v.* φάλσον.

Κουμμονιαιρετοὺς] Κομμορᾶντας. SCAL.

μορέτουρ] Hro μορίετουρ.

Κουνδουνεκλὶ] Κονδινέντι. SCAL. Dicere voluit *in continenti*; quod autem hoc interpretatur per triduum, id eſt, ſingulare in caſu judicis recuſati, *l. ult. de judic.* non temere ad alia extendendum: de quo pluribus egi, in *Diſſertation. de recuſation. judic. cap.* 12. §. 1.

Κουνσουστόριον. συγκατάριον] Corrigo Κονσιστόριον. σεκρετάριον.

καμπήλη] Rectum eſt καμπύλη; ſic tamen bis iterum in gloſſa ſequenti: ſed & hanc proferentes Meurſius & Du Cangius *in verbo* Κοῦρβα, ſcribunt καμπιλον, & καμπίλα vel κάμπυλα. An tamen omnes ejuſmodi literarum η & υ permutationes in hiſce & in verbo ὀχύματος, quod ſequitur, pro ὀχήματος, a ſolis ſint librariis, mihi non conſtat.

Κυρύμπτη] Pro Κορρύπτι vel κορρύπτιονε.

στῖφος] Graecia purior dicebat στῖφος. Illud tamen invenitur quoque in Lexico Mſ. cujus verba profert Du Cangius. Κουσωδία.

Κρεγήτωρ] Pro Κρεδίτωρ, quod ſequitur.

χαρτίον ἄλλον] Lege χαρτίον ἄλλο.

 ἐπὶ

μὲν τῇ διαθήκῃ, ἔξεστι γράφειν καὶ λεγάτα καὶ κληρόνομους, καὶ ἀποκληρονόμον, καὶ ἐλευθερίας, καὶ οἰστάτους καὶ ὑποκαταστάτους, ἐν δὲ τῷ κωδικέλλῳ, οὔτε κληρονόμον, οὔτε ἀποκληρονόμον.

Λ.

Διαφέρει τὸ Λαβεῖν τοῦ δέξασθαι. τὸ γὰρ Λαβεῖν ἐνδυνάμως νοεῖται, τὸ δὲ Δέξασθαι, κἂν οὐκ οὕτως τὶς ἐδέξατο ἵνα ἔχῃ. διατὶ τοῦτο οὐ δοκεῖ τις λαβεῖν ὅπερ μέλλει ἀποκαθιστᾶν.

Λαμβράτουμ ἐκ τοῦ λαβοράτον καὶ κατὰ συγκοπὴν λαβράτον, τουτέστιν ὁ εἰργασμένος καὶ χειροποίητος ὅρος.

Λαξάμεντον. ἀνα . . . . πραθεσμία.

Λαργιτίονον. ἁπλότης.

Λαργιτίωνα. νόμιμα.

Λάρυις, λάρβας, τοὺς κυρίτας οὕτως οἱ ῥωμαῖοι.

Λάτα μεγάλη.

Λέβεροι. οἱ κατιόντες, ἤτοι παῖδες.

Λεγατιὸν. ἡ ἐκ προσώπου μετατεθεῖσα τὸ χρέος εἰς πρόσωπον.

Λεγάτον· ἐστὶ, δωρεὰ ἐν διαθήκῃ καταλειφθεῖσα εἰς δήλωσιν ἀγάπης, οὐ κληρονομίας, ἵνα ὁ λαβὼν αὐτὸ ἀνάμνησιν ἔχῃ τοῦ τελευτήσαντος.

Λεγάτον. δωρεὰ.

Λεγατόρουμ. λεγάτα τε καὶ ἀποκρίσεις.

Λεγατόρουμ. ἱκανοδοσίαν.

Λεγατόρουμ. ὀνόματι λεγάτου.

Λεγάτος. ἀντιπρόσωπος.

Λέγεμ. νόμος.

Λέγες παρὰ ῥωμαίοις οἱ νόμοι λέγονται.

Λεγετίμας. τῆς ἐννόμου.

Λεγέτιμος. νόμιμος ἐπιτροπὴ.

Λεγέτιμον. τὸ κεκρυμμένον εἰς τὸν ἑκάστου νόμον, ἤγουν εἰς τὴν ἑκάστου ὠφέλειαν.

Λεγήτιμα. νόμιμα.

Λεγίμους. ἀναγνῶμεν.

Λεγίτιμος νόμιμος.

Λεγοκάτη. τουτέστιν ἐνοχὴ.

Λειτουργοί. ἀνκοτάτοι, ἀφωρισμένοι.

Λεκεντία. ἀμνηστεία, βασιλικὴ χάρις.

Λεκτίκιον. βάστερνα, κράβατον.

Λέμβος. πλοῖον μικρὸν.

Ληγατόρουμ. ληγάτα τε καὶ ἀποκρίσεις.

Λιβάνιον. δόγμα.

Λίβελλοι. ἄγραφοι κατηγορίαι.

Λίβελλος. ἔκδοσις.

Λίβεραν πεκούλι ἀδμινιστρατίωνα. ἐλευθερίαν πεκουλίου διοίκησιν.

Λίβερος λέγονται ῥωμαϊστὶ οἱ κατιόντες, ἤτοι παῖδες καὶ ἔγγονοι καὶ προέγγονοι.

Λίβεροι. οἱ κατιόντες ἤτοι παῖδες.

Λιβερτάτε. ἐλευθερία.

Λιβερτάτις. ἐλευθερίας.

Λιβερτατοῦμ. ἐλευθερία.

Λιβερτίνος. ἀπελευθέρων.

Λιγάτορες. οἱ δικαζόμενοι διάδοχοι.

Λιμπιῶσα. τὰ ὑπὸ μάχην ὄντα.

Λιμηταναίων. τὰ ἐν ταῖς ἐσχατίαις φρούρια, Λιμητα ῥωμαῖοι καλοῦσι, τουτέστι τὰς κλεισούρας.

Λιπιῶσαι. δικάσονται.

Λιποτακτεῖ. τὴν τάξιν καταλιμπάνει, κυρίως δὲ ἐπὶ στρατιωτῶν φυγοπολέμων.

Λίτεμ. δίκη.

Λίτεμ σούαμ. κατ' αὐτοῦ δίκην ἤγειρεν.

Λίτερις. ἀγωγὴ διὰ γραμμάτων ἄρτι συμφωνηθεῖσα παλαίου χρέους, ἢ μισθοῦ, ἢ ἀγορασίας.

Λίτερις. τὸ παλαιὸν χρέος εἰς καινὸν δάνειον μετασχηματιζόμενον γράμματι τυπικῷ.

Λίττερις. ἡ ἐν γράμμασι. λίττερις ἐστὶ τὸ παλαιὸν χρέος εἰς καινὸν μετασχηματιζόμενον δάνειον, ῥήματι καὶ γράμματι τυπικῶς.

Λιτιγάτορες. οἱ δικαζόμενοι διάδικοι.

Λιτιγιτιόση. ἐπὶ φιλονεικίᾳ ἀλλοτρίᾳ.

Λίτις ὀρδινάνδε γράτζια. τουτέστι χάριν τοῦ τάξιν τινὰ καὶ οἷον εἰσαγωγῆς ἀρχὴν λαβεῖν τὴν δίκην.

Λιτιῶσα. ἐπιδίκων.

Λίτρα. τὰ γράμματα τῆς συμφωνίας. ἐξ ὧν καὶ ἡ λίτρα οἶμαι τοῦ σταθμοῦ.

Λογκάτη. ἐνοχὴ.

Λοκάτη. ἀγωγὴ ἁρμόζουσα τῷ μισθώσαντι ἵνα λάβῃ τὸ μίσθωμα.

Λῶκα. τόποι.

Λωκάτη. ἐκμίσθωσις.

M.

Λ.

διατὶ τῦτο] Scribendum διὰ τῦτο, & ſic exſtat in Baſilicis *ad l. 71. D. de verbor. ſignification.*

Λαμβράτουμ] Sequentia docent legendum eſſe Λαβράτον cum Meurſio: de quo verbo agit Du Cangius *in Gloſſar.*

ἀνα . . .] Hic videtur fuiſſe ſcriptum ἀναβολή. Reliqua libri antiqui ope reſtituenda.

τὺς κυρίτας ὕτως οἱ ῥωμαῖοι] Du Cangius *v.* Λάρβα, τὺς κυρίτας· ὕτως οἱ ῥωμαῖοι.

Λεγατιὸν] Pro Δελεγατιὼν.

Λεγοκάτη. τυτέςιν ἐνοχὴ] Lege ὀβλιγοκάτη pro ὀβλιγατίον. Sic infra corrupte Λογκατη. ἐνοχὴ LABB. Meurſius *in Gloſſar. h. verb.* legit Λοκάτη. Sed hic verbum poni debuit generalius, non nomen actionis ſpecialis.

Λιβάνιον] An intelligit S C. Libonianum? de quo in *tit. D. de leg. Cornel. de falſ. & de S. C. Liboniano.*

Λίβελλοι. ἄγραφοι κατηγορίαι.] Sic in duob. codd. videtur tamen legendum, ἔγγραφοι κατηγορίαι LABB.

Nec aliter Du Cangius *in Gloſſar. v.* Λίβελλος, ut & Gutherius *de offic. dom. Auguſt. lib.* III. *cap.* 5.

ἔκδοσις] Gutherius *loco cit.* legit ἐπίδοσις, quaſi hic intelligeretur libellus ſupplex: ſed quid vetat intelligi libellum conventionis, quem actor edit reo? *add. verb.* ἐκδόται, & Baſilica *lib.* VII. *t.* 18. *c.* unde nihil mutem.

ἐλευθερίαν] Lege ἐλευθέραν.

Λιγάτορες. οἱ δικαζόμενοι διάδοχοι] Lego Λιτιγάτορες, οἱ δικαζόμενοι διάδικοι. LABB.

Λιμπιῶσα. τὰ ὑπὸ μάχην ὄντα] Lege Λιτιγιῶσα. IDEM. Λιτιγιῶσα. SCAL.

Λιπιῶσαι. δικάσονται] Leg. Λιτιγιῶσαι, δικάζονται. LABB. Λιτιγιῶσαι, δικαζόμεναι. SCAL.

Λίτεμ σούαμ] Λιτεμ σύαμ φίνιτ. *.

τυπικῶς] Vel τυπικῷ, quod præceſſit.

Λιτιγιτιόση] An Λιτιγιόση.

Λιτιῶσα. ἐπιδίκων] Leg. Λιτιγιῶσαν. LABB. Meurſius *in Gloſſar.* legit Λιτιγιῶσα. ἐπίδικα.

Λογκάτη] Meurſius *in Gloſſar. v.* Λογκάτη. legit Λοκάτη. Sed vide Labbæum ad Λεγοκάτη.

Mαγ

M.

Μάγγανα. τὸ οἰνηρὸν ἀγγεῖον ἐκ ξύλων κατεσκευασμένον.
Μαγγήπιον. ἀνδράποδον.
Μαγγιστάτιο. καταγραφή.
Μαγγιστάτουμ. τελώνιον.
Μαγγίπια. ἐξουσιαζόμενα.
. . . . περιόν. ἀρχή.
Μαγιστεριανὸς. ὁ καστρήσιος.
Μαγιστράτοι. ἄρχοντες.
Μαγιστράτους ἄρχοντας.
Μαγιστριανὸς. μανδάτωρ.
Μαγιστροὶ σκρινίων. οἱ ἀντιγραφεῖς.
Μαγιστροὶ λέγονται ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀρχόντων, οἱ πλέον τῶν ἄλλων προνοεῖν ὀφείλοντες τῶν ἐπιτετραμμένων αὐτοῖς πραγμάτων, καὶ οἱ διδάσκαλοι οἱασδήποτε τιμῆς.
Μαγιστρόκηνσος. ἄρχων τῆς ἀναγραφῆς.
Μαγίστρουμ. διδάσκαλον.
Μαγιστροί. οἱ πλέον τῶν ἄλλων προνοεῖν ὀφείλοντες.
Μάγιστρος. ὁ ναύκληρος τῆς νηός.
Μάγιστρος ὀφφικίων, ὄνομα οὐδὲν ἧττον τῶν ἡγουμένων τῶν αὐλικῶν καταλόγων διασημαίνει.
Μάγιστρους νάβι. προστὰς νηός.
Μαγιστόρους. ἐπιστάτας, διδασκάλους.
Μαγκίπατα. ἀφωρισμένα.
Μαγκίπιος. καταγράφου.
Μαγκίπιουν. ὑποχείριον, ὑποτεταγμένον, ὑπεξούσιον.
Μαγκιπίσιον. δοῦλον.
Μαγκίψ. ὁ τεχνίτης τοῦ δημώδους ἄρτου.
Μαιοῦμας. ἑορτὴ ἐτελεῖτο ἐν ῥώμῃ.
Μαιοῦμας. τοῦτον τὸν λεγόμενον Μαιοῦμαν ἐπετέλεσαν οἱ ῥωμαῖοι μαιοῦ μηνὸς εἰς τιμὴν τῆς μαίας.
Μακελλάριος. ὁ σφάζων τὰ ζῶα. μάκελ γὰρ καὶ μακέλλης ῥωμαϊστί ἐστιν ὁ σφαγεύς.
Μαλαφίδε. κακὴ πίστις καὶ Μαλαφή, ἡ κακὴ νομή.
Μάλα φίδε. κακῇ πίστει.
Μάλουμ. κακόν.
Μανδάτης. ἐντολῆς.
Μανδάτον. ἔνταλμα.
Μανδάτον. ἐντολῆς ἀγωγή.
Μανδάτον. ἐντολή.
Μανδάτωρ. ἐντολεύς.
Μανδάτωρ. ἐντελλόμενος.
Μανδάτωρες. οἱ τὰ μανδάτα ἀπὸ τῶν ἀρχόντων πρὸς τοὺς στρατιώτας ὀξέως διακομίζοντες.
Μανδίτης ἀγωγή. ὅταν ἐγγυητὴς ἀποδῷ τὰ τοῦ πρωτοτύπου κινήσας ἀγωγὴν κατὰ τούτου ἐπὶ ἐκλήψει ὧν ἀπέπλησεν ὑπὲρ αὐτοῦ.
Μάνδω. ἐντέλλομαι.
Μανδύας. ἱμάτιον, τὸ λουρίκιον.
[Μάνε κάμινους. ὀρθρίζομεν πρωΐας ᾄδομεν.]
Μανικίουμ. ἡ λαβὴ τῆς μαχαίρας παρὰ τὸ μάνε ἤτοι χειρὶ κρατεῖσθαι· ἢ μανικέλλιον τὸ ταῖς κώπαις περιτιθέμενον σκύτος ἢ ῥάκος ὃ μόνον μαγισκίον.
Μανίφακτον. φανερῶς.
Μανιφέκτον φανερὸν κλέμμα.
Μανιφεστὸν φούρτουμ. φανερὰ κλοπὴ ἥτις εἰς τὸ τετραπλοῦν ἔχει τὴν καταδίκην.
Μανιφεκτός. φανερός.
Μάνου. χειρί.
Μανουμίρσο. ἐλευθερωτής.
Μάξιλα. σιαγὼν, φάτνωμα.
Μαξίμα. μεγίστη.
Μασυίστρατοι. ἄρχοντες.
Μαπαρίους κ . . . . λὰ μέν τινα. Μαππάριός τις ὢν ὁ τῇ χειρὶ διακονῶν· κατὰ δὲ ἑτέρους ὅτι εἰώθησαν ἐν τῷ θεάτρῳ οἱ ὕπατοι. ἐναγχεῖσθαι πρότερον καὶ μετὰ τὴν ἐναχίαν ῥίπτειν τὰ τῶν χειρῶν ἐκμαγεῖα, ἅπερ τῇ ῥωμαϊκῇ φωνῇ μάππα λέγεται, καὶ ταῦτα ἀναλαμβανόμενα ὁ ἐπὶ τοῦτο τεταγμένον ὡς σύνθημα, εὐθὺς τὸν ἀγῶνα ἐπιτέλεσε, καὶ διὰ τοῦτο ἐλέγετο ὁ τοιοῦτος μαππᾶσθαι.
Μαριτίβους. ἀνδρῶν.
Μάρσιππος. σάκκος, θυλάκιον, βαλλάντιον,
Μαρτζομαβούλουμ. ἡ σὺν σαλίβα.
Ματέρια. τὰ εἰς οἰκοδομὴν ἢ ὑπόρθωσιν ἀναγκαῖα ξύλα.
Ματερτέρα. ἡ πρὸς μητρὸς θεία.
Ματερτόρα. μητρὸς ἀδελφή.
Ματζουμάνος. ἰσχνόχαρ, μάνον γὰρ ἡ χείρ, καὶ μάτζον τὸ ἰσχνόν.
Ματημόνισσα. ἀπελεύθερος.
Ματορία. διατιμητική.
Μάτρικες. ἀπογραφαὶ καὶ ἀντιγραφαί.
Ματρίκιος. ἡ ἀναγορὰ τῶν στρατιωτῶν.

Μα-

M.

Μαγκιπίσιον. δοῦλον.] Leg. μαγκίπιον. LABB.
Μαλαφὸν] Verbum nihili; quod tamen an librariis, an alii homini imperito tribuam, dubito.
Μανδίτης] Scribi debuit Μανδάτης, vel Μανδάτι.
Μάνε κάμινους] Lege μανεάμους. *Manstare* verbum mediae aetatis (*) Forte in nota ſcriptum fuit *Manicare*, quod eſt *mane ire*, *accelerare*; de quo videndus G. J. Voſſius *de vitiis Sermon. lib.* IV. *cap.* 13.
τὸ μάνε] τῷ μάνε Mſ. λέγεται δὲ καὶ ἡ περιχειρὶς ὑπὸ καὶ μανικέλλιον Mſ. *.
ὃ μόνον μαγισκίον] ὅμοιον μανικὶν (*) Ita corrigunt etiam Meurſius & Du Cangius *in Gloſſar. v.* Μανικέλλιον.
Μανίφακτον. φανερῶς] Leg. Μανίφεστον. φανερόν. Sic infra, pro *Manifeſtum*. LABB.
Μανουμίρσο. ἐλευθερωτής] Leg. μανουμίσσορ. IDEM.
Μασυίστρατοι] Pro Μαγιστράτοι vel Μαγιστράτους.
Μαπαρίους κ. . . .] Meurſius v. Μαππάριος ita reſtituit, Μαππάριος καλεῖται μανυπάριός τις ὤν, ὁ &c. Du Cangius vero *in eod. verb.* pro μανυπάριος legit μαππάριος: ſed lacuna & verba λὰ μέν τινα exigunt aliquid, quod ſola librorum vetuſtorum ope ſuppleri poſſit. Illud vero μανυπάριος, dictum a Latino *manus*, & Graeco ἐπαίρω, *attollo*, recte reſpondet ei, quod ſequitur, ὁ τῇ χειρὶ διακονῶν.
μάππα] Meurſius *d. l.* μάππαι rectius.
ἀναλαμβανόμενα] Meurſius ἀναλαμβανόμενος.
τεταγμένον] Meurſius & du Cangius τεταγμένος melius.
ἰσχνόν] Sic recte, in alio Lexico Mſ. eſt ἰχνόν; quod merito improbat Du Cangius in v. Ματζομανός.
Ματορία. διατιμητική] Leg. ἀεστιματορία. LABB.
Ματρίκιος. ἡ ἀναγορά] Meurſius & Du Cangius in *Gloſſar.* legunt Ματρίκιον.
ἀναγορά.] Meurſius *d. loc.* ἀναγραφή.

Μα-

Ματριμωνίη. συμβίωσις.
Ματριμωνίους. συμβίωσις.
Ματριμόσσος. ἀπελεύθερος.
Μαφορίουμ. σκέπασμα κεφαλῆς.
Μέαμ. ἐμόν.
Μεδία μέση.
Μεθοδεύουσα. μεταφέρουσα
Μεμηνυκέναι ἐστὶ τὸ προσαγγελκέναι, τὸ ἐλέγξαι, τὸ κατηγορῆσαι, τὸ συλλέξαι.
[Μεμοριαλίου. ὑπομνηματιστῶν.]
ἡ κατὰ διαθήκης Μέμψις πενταετίᾳ ἀναιρεῖται, ἐξ οὗ καιροῦ ὑπεισῆλθεν ὁ κληρονόμος τῇ κληρονομίᾳ.
Μενσάλιον. κάλυμμα τραπέζης.
Μένσουρα. ὅσα ἐν μέτρῳ, εἶον σῖτος, ἔλαιον.
Μένσορες. οἱ τὰ Φοσσᾶτα μετροῦντες, οἱ νῦν μενσουράτωρες.
Μέντουμ. μνημὴ.
[Μερένδους. ἀριστητὴς δειλινῶν aut δειλινίζων.
Μέρξ. Φόρτιον ἤτ γομόνα τὰ κινητὰ περιέχει.]
Μεσοῦρα. μέτρον.
ὁ λέγων Μέρος καὶ μὴ προστιθεὶς ποῖον, τὸ ἥμισυ δηλοῖ.
Μερκεδῖνος. ἡ ἐμβόλιμος ἡμέρα.
Μέταλλον. ἐξορία.
[Μετάλλου ποινή ἐστι τὸ καταδικασθῆναί τινα ποιεῖν ἄσβεστον ἢ θεῖον ὀρύττειν. ὡς βιβλίῳ τῶν διγέστων μη τίτλ. ιθ. δι. κ. τῶν δὲ βασιλικῶν βιβ. ξ. τιτ. μ. καὶ κϛ.]
Μετάλλου χειρουργία. θείου καὶ σιδήρου βάσανος.
[Μετάξια. ἐνδεδυμένα σηρικὸν, ἤγουν τὰ ἐνδεδυμένα ἀπήλεις καγκελλωδῶς ἤτοι χιω . . . . . .]
Μετεγγυητής ἐστι, παρ' ᾧ πολλοὶ ἐπίδικον παράθωνται πρᾶγμα.
Μέτους κάουσα. καταδίκη εἰς τὸ τετραπλοῦν, ὅταν ἐπάξῃ τινὶ Φόβον καὶ λάβῃ τί.
Μέτους καῦσα. φόβου δίκη.
Μὴ δὲ προσέριδε. πρὸ κληρονομίας.
Μὴ δὲ τὴν ὀφφικὴν. μὴ δὲ τὴν δὶ ἀχαριστίας.
Μὴ ἐξερεδατευθεὶς. μὴ ἄκληρος γεγονὼς.
Μηλιάριον. θερμηρὸν ἀγγεῖον.
Μηνυτὴς. ὁ ἀρχηγὸς καὶ ἄιτιος γνωρισμοῦ τινος ὑποθέσεως ἢ πράγματος, ἀγνοουμένου μὲν πρότερον, μηνυομένου δὲ ὕστερον παρ' αὐτοῦ.

Μησοῦσος. καπητευέσθω, πολιτευέσθω.
Μητρόπατωρ ὁ τῆς μητρὸς πατὴρ, πάππος.
[Μίλες ἀπὸ τοῦ μίλε, ὃ δηλοῖ χίλια, καθὰ χιλίοις γὰρ οἱ στρατιῶται, τάττονται, ἢ ἁπλῶς ἐκ τοῦ πλήθους, ἐπεὶ τὰ χίλια ποτὲ ἐπὶ τοῦ ἀορίστου λαμβάνονται ἀριθμοῦ, ὡς βιβλ. κθ. τῶν διγ. τίτλ. α. τῶν δὲ βασιλικ. βιβ. λε. τιτ. κα.]
Μιλιαρίσιον. στρατιωτικὸν δῶρον.
Μιλιαρίσιον. στρατιωτικὸν δῶρον ἐμφανῶς.
Μιλιαρίσιον. τὸ χιλιοστὸν τῆς τοῦ χρόνου λίτρας. μίλε γὰρ οἱ ῥωμαῖοι τὰ χιλία καλοῦσι, καὶ οὕτω κατεκερμάτωσε τὸ πόσον τῆς λίτρας, ἵνα δὶ αὐτοῦ σώζηται τὰ χίλια μιλιαρήσια, ὥστε κατὰ νόμισμα λαγχάνει μιλιαρήσια ιβ.
[Μίνους οὐ μόνον τὸ ὀλίγῳ ἔλαττον, ἀλλὰ καὶ τοῦ ἡμίσεως τὸ ἔλαττον. ὡς βιβλ. δ. τοῦ κώδικος τίτλ. μδ. δι. β. τῶν δὲ βασιλικῶν βιβλ. ιθ. τίτλ. η. κ γθ.]
Μίξτα. μεμιγμένη.
Μισίον. διαβολὴ,
Μισσικίους. παλαιὸς στρατιώτης ἀπολυθεὶς.
Μιτάτουμ. ὑποτιθέμενον, ὑποβαλλόμενον, μίτω γὰρ τὸ ὑποβάλλω καὶ ὑποτίθημι.
Μιτάτωρ. ὁ ἀποστελλόμενος ἄγγελος πρὸς τοὺς ἄρχοντας.
Μνηστία. ἡ τῶν μελλόντων γίνεσθαι γάμων ὑπόσχεσις, ἐμφαίνει δὲ αὐτὸ τὸ ὄνομα τῆς μνηστίας μνήμη τοῦ ἐπαγγέλματος.
[Μοδεράτωρ. ἔπαρχος ἢ Φύλαρχος.]
Μόδιους. μέτρον, ὡς βιβλ. γ. τοῦ Κωδ. τίτλ. λδ. τγ. τῶν δὲ Βασιλικῶν βιβλ. νη. τίτλ. ζ. κεφ. θ.
Μοιχὸς οὐκ ἀπὸ τῆς προθέσεως ἀλλ' ἀπὸ τῆς πράξεως λέγεται.
Μολίβδια. κινητὰ.
Μομέντουμ. ῥοπὴ, χρόνος ἀκαριαῖος.
Μονῆτα. βουλλωτήριον, ἢ τὸ ἀρχέτυπον σφραγιστήριον μεθ' ὧν ὁ τῶν νομισμάτων τύπος διαχαράττεται.
Μονίτατος. τυπάριον νομίσματος.
Μονιτόριον. κινάβαρ.
Μονουμέντα. μνημόσυνα.
[Μονουμέντουμ κυρίως τὸ οἴκημα ἐπὶ τῷ τάφῳ.]
Μονουμέντουμ. μνημεῖον τὸ μήπω δεξάμενον νεκρόν.
Μονστρουμ. τέρας μεμιγμένην ἔχον μορφὴν οἷον αἱ γεννήθη

Ματριμόνιος] Mallem Ματριμόνιουμ.

Μαφορίουμ] μαφόρτιουμ. *Mafortium* in *Gloſſis Iſidori* & apud Serv. *in lib. Virg.* & in geſtis purgationis Caeciliani, quae edita ſunt poſt collationem Carthaginienſem (*) Μαφόριον apud alios quoque ſcriptum eſſe docet Meurſius *in Gloſſar. h. v.* & plenius G. J. Voſſius *de vit. Sermonis lib.* III. *cap.* 22. qui hoc putat dictum ex ὠμοφόριον, & corruptius eſſe *mafortium*.

Μέντουμ] An μέντιον.

Μερένδους &c.] Similia habet Du Cangius in *hoc verb.* ex Gloſſis Nomicis Mſſ. Vaticanis.

ἤτ γομόνα &c.] Haec vitioſa. In *l. 66. D. de verbor. ſignification.* ex Graecis haec habet Fabrotus *Baſilic. tom.* I. *p.* 49. ἡ δὲ φορτίου προσηγορία μόνα τὰ κινητὰ περιέχει.

ἀπήλεις καγκελλωδῶς. ἤτοι χιω. . . . .] Ex Gloſſis Nomicis Vaticanis haec quoque depromit Du Cangius, *v.* Μετάξια, & hic quidem habet rectius, ἀπήλεις καγκελλωδῶς, ἤτοι χιω. . . . .

προσέριδε] Malim προαερίδε.

ὀφφικὴν] Pro ἰνοφφικιόσο.

Μησοῦσος. καπητευέσθω] Lego Μησουκαπητευέσθω.

τοῦ χρόνου] χρυσοῦ. Scal. nec aliter Du Cangius *in Gloſſar. v.* Μιλιαρίσιον.

κατεκερμάτωσε] V. C. Joh. Fred. Gronovius *de pecunia vetere lib.* IV. *cap.* 16. legit κατεκερμάτωσαν, ſcilicet, οἱ Ῥωμαῖοι. Et plura illic habet egregie hunc locum explicantia.

Μισίον. διαβολὴ] In Gloſſis occurrit βολὴ, *miſſio*, & *Miſſio* βολὴ, ut illud, διαβολὴ, mihi ſit ſuſpectum.

Μιτάτουμ &c.] Error Compilatoris, qui μίτατος legit pro μιτατον, & pejus exponit (*) Du Cangius *in Gloſſar. h. v.* legit μετατουμ: unde & ſtatim poſt ſcribendum erit μοῖτα, quod praefero.

Μιτάτωρ] Pro Μετάτωρ, vel Μητάτωρ.

μνήμη] An μονήμη.

Μοδεράτωρ] Lege Μοδεράτωρ.

Μολίβδια. κινητὰ] Leg. Μοβίλια. Labb.

τύπος] Lege τύπος cum Du Cangio *v.* Μονῆτα.

Μονίτατος. τυπάριον] Meurſius & Du Cangius *in Gloſſar. v.* τυπάριον, ita corrigunt: Μονῖτα. τυπάριον, quod probo.

Μονιτόριον] Du Cangius *in h. v.* legit Κομμονιτόριον.

Μεν-

τήθη παίδιον κέρατα ἔχον.
Μοντιλίουμ. ἤτοι μαντίλιον, μάνι γὰρ ἡ χείρ, καὶ τίλω τὸ σπογγίζω.
Μορὰ. παρολκὴ.
Μορὰ. ἡ ὑπέρθεσις.
Μόρα γένεσθαι ἀμόρτε τεστάτορις. ἤγουν ὑπέρθεσις μετὰ θάνατον τοῦ διατιθεμένου.
Μορὰν. ὑπέρθεσιν.
Μόρα τόκους. ἀγωγὴ ὑπερθέσεως.
Μόρβους σοντίκους. νόσος βλαπτικὴ εἴτ᾽ οὖν ἡ ἐπιγινομένη μετὰ τὸ τεχθῆναι διηνεκὴς νόσος, ὡς βιβλ. τῶν Διγ. κα. τιτλ. α. κεφ. ϛ. τῶν δὲ Βασιλ. βιβλ. νθ. τιτλ. ι. κεφ. νβ. θεμ. γ. μόρβους τὴν πρὸς καιρὸν ἀσθένειαν δηλοῖ, ὡς βιβλ. β. τῶν Βασιλ. τίτλ. β. κεφ. ϛ. ζ. μόρβους σοντίκους ἡ οἱῳδήποτε πράγματι ἐμποδίζουσα νόσος.
Μόρε. ὑπηρετῆσαι.
Μόρος. ὁ θάνατος.
Μόρτη καῦσα. θάνατου αἰτία.
Μόρτικαῦσα. μετὰ θάνατον δωρεά.
Μορτικίνω. θανάσιμος.
Μόρτις. θάνατος.
Μόρτις καῦσα. ἐπιθάνατος δωρεά.
Μόρτις καῦσα. ἡ μετὰ θάνατον δωρεά.
Μόρτις καῦσα δωρεά. ἐπιθανάτιος δωρεά.
Μόρτις καῦσα κάπιον. θανάτου αἰτία λῆψις, ὅτε στατουλίβερ ἢ λεγατάριος δίδωσιν ἐπὶ κλήρῳ αἱρέσεως τῷ κληρονόμῳ ἢ ἄλλῳ τινὶ καὶ ὅτι λαμβάνει τι ἐπὶ τῷ παραιτήσασθαι κλῆρον ἢ λεγάτουμ ἢ ἀδιτεῦσαι. ὡς βιβλ. τριακοστὸν ἔνατον τιτ. ϛ. Διγ. κϛ. θεμ. γ. τῶν δὲ Βασιλ. βιβλ. ζ. τιτλ. γ. κεφ. κη.
Μόρτις καῦσα. θανάτου αἰτία.
Μορτὸς. νεκρὸς.
Μόσους. ἄφεσις.
Μόστρον. φανερὸν.
Μόστροσον. τὸ ἔχον ἀνθρώπου καὶ ἑτέρου ζώου μορφὴν.
Μοστροσοῦμ. τερατικὸν.
Μοστρουόσουμ. τερατικὸν.
τὸ Μουναστρία, σημαίνει δωρεὰν, καὶ βάρος, καὶ ὀφφίκιον.
ἡ Μούνιτας. λειτουργία. Μούνους ὁ μετὰ αἰτίας δῶρον, ὡς τε γενεθλιακὸν, ἢ γαμικὸν, ἢ βάρος, ἢ ὀφφίκιον, ὡς βιβλ. τῶν Διγ. ν. τιτλ. ιϛ. τῶν δὲ Βασιλ. β. τιτλ. β. κεφ. ιϛ. καὶ ρπδ. Μούνους τὸ ἐξ ἀνάγκης νόμου ἢ ἔθους ἢ ἄρχοντος γινόμενόν ἐστι βάρος.
Μουνουμ κυρίως μὲν τὸ ἐξ ἀνάγκης νόμου ἢ ἔθους, ἢ ἀρχόντων γινόμενον λέγεται. ἔστι δὲ καὶ ἡ σφοδρὰ ἀμέλεια.
Μούνους τρία σημαίνει, δωρεὰν καὶ βάρος καὶ ὀφφίκιον.
Μούτουμ. τὸ δάνειον.

N.

NΑβιβάτις. οἴκησις.
Νατουραλια. Φυσικά.
Νεγατορία. ἄρνησις.
Νεγατορία. ἀντίθεσις ἀρνητική.
Νεγατορίως. ἀρνητικῶς.
Νεγότια. χρηματικά.
Νεγοτζιόρουμ γεστόρουμ. τῶν διοικούντων ἀλλότρια.
Νεγότζιος γέστωρ. διοικητὴς ἀλλοτρίων.
Νεγοτιόρουμ γεστόρουμ. ἡ περὶ διοικήσεως ἀλλοτρίων πραγμάτων παρὰ γνώμην δεσπότου ἀγωγή.
Νεγοτορίλουμ γεστόρουμ. ὄνομα ἀγωγῆς κατὰ τῶν τὰ πράγματα διοικούντων, ἐγὼ γὰρ εὗρον νεγοτιόρουμ.
[Νέκδουμ πτῶμα, μὴ παραδοθὲν δημοσίᾳ ταφῇ οἷα τα σμυρνούμενα.]
Νεκεσάρια. δαπανήματα ἀναγκαῖα.
Νεκεσάρια. χρειαστικὴ.
Νεκεσσάρια δαπανήματα ἀναγκαῖα, ἅ τινα καὶ μειοῦσι μὴ γινόμενα τὸ πρᾶγμα ἢ τὴν προῖκα.
Νεκεσάριος. κληρονόμος ἀναγκαῖος.
Νεκεσαριος. ἐξανάγκης.
Νεκεσσάριος. ἀναγκαῖος.
Νεκεσσαρίους. ὅστις μετὰ ἐλευθερίας γίγνεται κληρονόμος ὡς βιβλ. ϛ. τοῦ Κωδ. τιτλ. κζ. δια. δ. τῶν δὲ Βασιλ. βιβλ. λε. τιτλ. ιγ. κεφ. λϛ.
Νὲκ μανιφέστα φούρτημ. ἀφανὴς κλοπὴ, ἥ τις εἰς τὸ διπλοῦν ἔχει καταδίκην, καὶ ἔξωθεν τὸ πρᾶγμα.
Νεκμανιφέκλι. ἀφανὴς.
Νεκτατεπραχ. ὁ πραίτωρ τοῦ δήμου.
Νεμανιφακτὸς. ἀφανέρωτος.

Νι-

Μοντιλίουμ] Olim hic fuiſſe ſcriptum μαντίλιον docent ſequentia; idque recte.

Μόρα τόκους ἀγωγὴ ὑπερθέσεως] Vereor ne hic aliquid ſit turbatum. Sane ex mora deberi uſuras in negotiis bonae fidei & quibusdam aliis, conſtat *l.* 32. §. 2. *l.* 34. *D. de uſur. l.* 24. *D. de uſ. & uſufruct. leg.* ne plura adducam: verum interpretatio ſubjecta a re eſt aliena prorſus.

εἴτ᾽ οὖν ἡ ἐπιγ.] ἤγουν (*) Sed utrumque eodem redit.

πρὸς καιρὸν ἀσθένειαν] In Baſilicis *l.* 101. §. 2. *D. de verbor. ſignification.* editum eſt πρόσκαιρον, *temporale.*

ἐπιθανατος δωρεά] Paulo poſt ſcriptum eſt ἐπιθανάτιος δωρεά; quod quoque placet.

ἐπὶ κλήρῳ] ἐπὶ πληρώσει Mſ. (*) Egregia eſt haec lectio.

καὶ ὅτι &c.] ἢ ὅτε λαμβάνει τι. Mſ.

ἀδιτεῦσαι] ἀδιτεῦσαι Mſ. (*) Tam praecedens quam hoc arridet.

Μόσους. ἄφεσις] Leg. Μίσσιο. Labb.

τὸ Μουνάστρια σημαίνει δωρεὰν καὶ βάρος καὶ ὀφφ.] Lego τὸ Μοῦνος τρία σημαίνει, δωρ. καὶ β. καὶ ὀφ. Labb. τὸ μουνεστρία σημαίνει, & ita in Mſ. (*) τὸ μούνους τρία σημ. eſt in Baſilicis in *l.* 18. *D. de verbor. ſignification.*

Μούνουμ] Pro Μούνους, quod praeceſſit.

ἔστι δε καὶ ἡ σφοδρὰ ἀμέλεια] Verba poſteriora tria leguntur ſub verb. δόνουμ, ubi legendum eſſe δόλος notatum eſt. Forte aliquis, diſcrimen inter *dolum* & *donum* non bene callens, haec poſuit loco plane alieno.

N.

Ναβιβάτις] Pro Ἀβιτατίων. litera N alibi quoque principiis verborum eſt appoſita, ut νορδινάτιον &c.

Νεγοτορίλουμ] Pro Νεγοτιόρουμ.

Νέκδουμ &c.] Haec ex Mſ. prolata ſimilia ſunt illis quae ex Gloſſis Mſſ. Vaticanis depromit Du Cangius *v.* Νίκδουμ, diſtinctione poſita poſt Νέκδουμ haec addens, ex Lat. *Necdum*, ſcilicet, *humo mandatum cadaver.* Rectius vero habet δημοσίᾳ. An huic ſignificationi τῷ *necdum* occaſionem dederit, male intellecta *l.* 10. *C. de religioſ.* an aliud, non definio.

Νὲκ μανιφέστα φούρτημ] Νὲκ βανιφέστα φούρτουμ Mſ. (*) νὲκ μανιφέστουμ φούρτουμ. Cop.

Νεκμανιφέκλι] Pro Νεκμανιφέστι. Similia errata in ſequentibus.

Νεκτατέπραχ. ὁ πραίτωρ τοῦ δήμου] Lego Νεκτέπραχος. quam vocem ut odioſam ſuſtulit Juſtinianus

 Nov.

Νιμαπφικτὸς. ἀφανέρωτος.
Νέξουμ. δεδεγμένον, ὑποτεταγμένον, ὑποχείριον, ὑπεξούσιον.
Νικισσαρία προῖξ. ἤτοι τὰ ἴδια γράμματα.
Νικέσσαρον χαριζόμενον.
Νιολαία. στρατιωτικὴ χείρ.
Νερεβατορία. ἡ ἀναστρέφουσα τὸ πεπραγμένον πρᾶγμα.
Νερεβιταρία. οἴκησις.
Νερέδεμ. κληρονόμος.
Νερεδιταρίως. δανισταῖς οἶμαι κληρονομιαίων πραγμάτων. καὶ οἶμαι ἐξηρεδάτος, ὁ ἀπόκληρος.
Νερεδιτάρια. κληρονομιαῖα.
Νερεδιτάρια. κληρονομικὴ.
Νερεδιτάτης πετιτιὸν. κληρονομίας ζήτησις. ἐξ οὗ καὶ πετιτιὸν ζήτημα, ἤτοι τὸ ὑπομνηστικὸν. τὸ πέτω τὸ ζητῶ.
Νερεδητάτης πετιὸν. ἡ περὶ κληρονομίας ἀπαιτήσεως ἀγωγὴ.
Νερεδητάτης πετιὼν. ἤτοι κληρονομιαίας ἀπαιτήσεως ἀγωγὴ.
Νὲς βὶ. μὴ βίᾳ.
Νὲς κλάμ. μὴ λάθρα.
[Νεκβ Νεκ κλᾶμ. Νὲκ πρεκάριον. μὴ βία. μὴ λάθρα, μὴ παρακλήσει.]
Νὲς πραικλάριος. ἤγουν μὴ παράκλησις.
Νὲς βὶ φίαθ. περὶ τοῦ μὴ βίᾳ γενέσθαι τοῦ εἰς κατοχὴν πεμφθέντος.
Νεφάριος. ἀθέμιτος.
Νεφαρίους. παράνομος, ἀθέμιτος, τουτέστιν ὁ δι' ἁρπαγῆς γενόμενος γάμος.
Νίσι ἐρεδιταρίουμ ἰουδικίουμ φίατ. εἰ μὴ τῇ κληρονομίᾳ πρόκριμα γίνηται.
[Νοβάλις γῆ καλεῖται ἡ σκαφεῖσα καὶ ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ ἀργοῦσα.]
Νοβανδιάνδιμ. ἀνανεοῦντος ψυχῇ.
Ναβατεῦαι. ἀνακαινίζει.
Νοβατεῦαι. ἐνγαμεῖ.
Νοβάτζιον. καινισμὸς καὶ μετάθεσις τοῦ παλαιοῦ χρέους εἰς ἑτέραν ἐνοχὴν, ἀφ' οὗ τὴν πρώτην ἀναιρεθῆναι. νοβάτζιο δὲ λέγεται ἀπὸ τῆς καινῆς ἤτοι τῆς νέας ἐνοχῆς.
[Νοβάτιο. καινισμὸς ἤτοι τοῦ προτέρου χρέους εἰς ἑτέραν ἐνοχὴν πολιτικὴν μεταβολὴ, ἐφ' ᾧ τὴν πρώτην ἀναιρεθῆναι.]
Νοβατιὸν. ἀνακαίνισις τοῦ παλαιοῦ χρέους εἰς νέον.
Νοβατιὸν. ἡ τὸ παλαιὸν χρέος εἰς νέον μεταποιοῦσα.
Νοβατιὸν. καινισμὸς, ἤτοι τοῦ πρώτου χρέος εἰς ἑτέραν ἐνοχὴν πολιτικὴν ἢ φυσικὴν μεταγωγὴ, ἐφ' ᾧ τὴν πρώτην ἀναιρεθῆναι. λέγεται δὲ Νοβατιὸν ἀπὸ τῆς καινῆς ἐνοχῆς, ὡς βιβλ. μϛ. τῶν Διγ. τιτλ. β. τῶν δὲ βασιλ. βιβλ. κϛ. τίτλ. δ.
[Νοβίκιουμ. τὸ μήπω ἐνιαυτὸν δουλεῦσαι.
Νοβικίους. Νεώνητος ὃν ἂν ἀγοράσω παρὰ σωματεμπόρου καὶ προστήσω εἰς ὑπηρεσίαν δουλικὴν, ὡς βιβλ. κα. τῶν διγ.]
Νοδοπάκτον. ψιλὸν σύμφωνον.
Νομεγκουλάτωρ. ὁ ἐξ ὀνόματός τινα φωνῶν ὁ παρὰ συνήθειαν κράκτης.
Νόμμοι. ὅσα ἐν ἀριθμῷ, ἐν λεπτοὶ νούμμοι.
Νομὴ καὶ ἡ δεσποτεία, ὡς ἔνθα τὶς τὰς νομὰς αὐτοῦ λεγατεύει.
Νομή ἐστι φυσικῶς ἡ τοῦ πράγματος κατοχὴ, καὶ προηγεῖται δεσποτείας. κατὰ δὲ τοὺς νόμους, νομή ἐστι ψυχῇ δεσπόζοντος κατοχὴ.
Νομή ἐστι φυσικὴ πράγματος κατοχὴ. ὥσπερ δὲ νομὴ, ἀσωμάτου πράγματος χρῆσις.
Νομινάτιμ. ἐξ ὀνόματος.
Νόμινε. ὀνόματι.
Νὸν ἀμπλίους πέτι, μὴ πλέον ἀπαιτῆσαι.
Νονιοῦρε. οὐ δικαίως.
Νονιοῦρε κιβιλιφάκτα. οὐ δικαίῳ πολιτικῷ γεγενημένη.
[Νον ιοῦστα τεσταμέντον. παράνομος διαθήκη ὅτε σίος πρετερχθῇ, τουτέστιν ὑπεξούσιος ἀμνημόνευτος ἐαθῇ.
Νονκουπάτις. ἐκφώνησις ἄγραφος.]
Νόνος τένδη. ἡ τοῦ χρόνου παραδρομὴ.
Νονουμεράτα πεκούνια. μὴ μετετρημένα ἀργύρια.
[Νονουτένδο. ἀχριστία νομῆς ἐν χρόνου παραδρομῇ]

No-

Nov. 13. juſſitque dici deinceps patria voce *praetoras plebis*, Graeca vero πραίτωρας δήμου. Romani eos vocabant *praefectos vigilum*: Graeci vero ἐπάρχους νυκτῶν, *praefectos noctium*, ut ait Imp. *in d. Nov.* LABB. Idem viſum Du Cangio *v.* Νυκτέπαρχος; & res eſt certa.

δεδεγμένον] Lego δεδομένον.

Νικισσάρια] Pro Νικισσαρία. Simile vitium in gloſſa ſequenti.

Νικέσσαρον. χαριζόμενον] Imo contraria ſunt neceſſaria & χαριζόμενα, ut negatio videatur deeſſe.

Νερεβατορία. ἡ ἀναστρέφουσα] Leg. Νεβατορία. LABB. ρεδιβιτόρια. SCAL. Hujus conjectura videtur probabilior. Nota eſt actio redhibitoria, qua res vitioſa redhibetur.

πεπραγμένον] πεπρημένον. SCAL.

Νερεβιταρία] Forte Νερεδιταρία: ſed interpretatio melior, quam quae hic eſt adſcripta, in gloſſa ab hinc tertia ſequetur.

πετιὸν] Ita gloſſa ſequenti; ſed legendum πετιτιὸν, quod jam praeceſſit.

Νὲς β.] Scribendum Νὲκ βὶ & mox Νὲκ κλάμ.

Νὲς πραικλάριος] Leg. Νὲκ πρεκάριο. LABB.

Νὲς βὶ φίαθ.] Legendum Νὲ βὶς φίατ.

μὴ βίᾳ γενέσθαι &c] Eſt interpretatio tituli D. *ne vis fiat ei, qui in poſſeſſionem miſſus erit*; quae ſic vertenda ſunt, μὴ βίαν γενέσθαι τῷ εἰς κατοχὴν πεμφθέντι.

Νεφαρίους παράνομος] Νεφαρίους γάμους. *.

Νίσι ἐρεδιταρίουμ] Νίσι ἐρεδιτάτι πρεϊουδίκιουμ Mſ. (*) Si pro Νίσι reponas Νίσι, habes formulam ipſam, *niſi hereditati praejudicium fiat*, vel *ſi praejudicium hereditati non fiat*, quam invenimus apud Gajum *l.* 1. §. 1. *D. famil. erciſcund.*

Νοβανδιάνδιμ] Leg. Νοβάνδι ἀνίμω. LABB. Add. §. 3. *Inſt. quib. mod. tollit. obligat. l. ult. C. de novat.* Eam emendationem proponit Boſquetus *ad Pſell. Synopſ. v.* 154. non facta Labbaei mentione.

Νοβατεῦαι. ἐνγαμεῖ] Du Cangius *in Gloſſar. v.* Νυβιτεύειν legit Νυβιτεῦσαι.

ἀφ' οὗ] Rectius in ſequentibus ἐφ' ᾧ.

πολιτικὴν] In tertia ab hinc gloſſa recte additum, ἢ φυσικήν. Et ſic in Baſilicis id quoque expreſſum eſt *in l.* 1. *D. de novationib.* unde etiam illa gloſſa eſt deſumpta.

Νοβίκιους &c.] In Baſilicis *tom.* II. *p.* 405. eſt νεώνητον & ἀγοραῖον, quae ſenſus exigit.

παρὰ συνήθειαν] τῇ συνηθείᾳ Mſ. *.

Νον ἰοῦστα] Leg. Νον ἰοῦστον. COPES.

Νονκουπάτις] Pro Νουνκουπάτιο.

Νόνος τένδη. ἡ τοῦ χρ. παραδρομὴ.] Lege Νονυτένδη vel Νονυτένδο, ut infra LABB.

ἀχριστία] Pro ἀχρηστία: ſed literae η & ι ſaepe hic confunduntur.

Ne-

Digitized by Google

Νονουτένδο. τρόπῳ ῥητῷ καὶ ὡρισμένῳ χρόνῳ.
Νόξα. κόλασις, βλάβη.
Νόξα. κόλασις διὰ κακοτροπίας.
Νόξα. ἐνοχὴ ἀπὸ προβάτων ἁμαρτημάτων ἁρμόζουσα, ὡς βιβλ. κα. τῶν Διγ. τιτ. α. τῶν δὲ βασιλ. βιβλ. κϛ. τιτλ. δ.
[Νόξα. ἡ διὰ σώματος βλάβη, οἷον κλοπὴ, ἁρπαγὴ ζημία, ὕβρις. λέγεται αἱ-- αὐτὸ τὸ σῶμα τὸ βλάψαν]
Νόξα κάπουτ ἀσέγουτα. τὰ πλαίσματα τῇ κεφαλῇ ἕπονται.
Νοξαλία. ἁμαρτία.
Νοξαλία. βλαπτικὴ.
Νοξαλία. ἀγωγὴ ἡ ἔκδοσιν ζητοῦσα τὴν ὑφορώμενον.
Νοξάλια. ἔκδοσις σωμάτων δούλων καὶ ζώων.
[Νοξάλια. ἀγωγὴ κελεύουσα τῷ δεσπότῃ ἢ τῷ κληρονόμῳ ἐκδοῦναι τὸν ἡμαρτηκότα δοῦλον, εἰ οὐκ ἀνέχετο τὸ ἱκανὸν τῆς ζημίας ποιῆσαι· ἥτις οὐ περαίτερον ἐνιαυτοῦ ἁρμόζει βιβλ. β. τῶν διγ.]
Νοξαλία καὶ Νόξα διαφέρει. Νοξαλία μέν ἐστιν, αὐτὸ τὸ κακούργημα, οἷον ἡ κλοπὴ, ἡ ἁρπαγὴ ἡ ζημία, ἡ ὕβρις. Νόξα δὲ, αὐτὸ τὸ σῶμα τὸ βλάψαν.
Νοξαλία. ζημία.
Νοξαδιδίτιο. εἰς κόλασιν ἔκδοσις.
τὸ ὄνομα τῆς Νόξης, πᾶν ἁμάρτημα περιέχεται.
Νοξία. ἁμαρτία.
Νόρμα τεκτονικὸς κανὼν, ᾧ τις τῶν τοίχων ὀρθοῦσι γωνίας.
Νόρμα κανὼν, διαβήτης, ῥυθμὸς σταθμή.
Νορφαρία. νύμφη.
Νοσονάριος. ἡ νύμφη.
Νόσος τοῦ πάθους διαφέρει. Νόσος ἐστὶν, ἡ τοῦ σώματος πρόσκαιρος ἀσθένεια. Πάθος δὲ, διηνεκὲς τοῦ σώματος ἐμπόδιον.
Νοτάριος. . . . . Νότα τὰ γράμματα.
Νοτάριος. ὁ τῶν γραμμάτων, νότα γὰρ τὰ γράμματα.
Νότο. σημειοῦμαι, αἰτιῶμαι. γίνεται δὲ νότα κατὰ τρεῖς τρόπους, ὅταν τις ἐναντίον εἴπῃ ἢ ἐλλιπὲς, ἢ λίαν ὁμολογούμενον, ὡς βιβλ. κ ϛ. τῶν Διγ. τίτλ. ν.
[Νοτόρια. μήνυσις]
Νούδου πάκτου. ψιλοῦ.
Νουνδινατίο. κυρίως μὲν τῶν λαμβανομένων προφάσει ἐμπορίας, ἐνίοτε δὲ τὸ καθόλου κέρδος.
Νουμβατεύεσθαι. λογατεύεσθαι.
Νουμκουπατίο. ἐκφώνησις ἄγραφος.
Νούμμερε. ἀριθμοῦ.
Νούμμην. νούμμιον.
Νούμμοι. τὰ νομίσματα.
Νοῦμος. εἶδος νομίσματος.
Νουπτίαι. γάμος.
[Νεύρους. νέος νύμφη τῷ υἱῷ.]
Νωτάριος. ὁ βαρυβαστάκτης. Νοτάριος δὲ ὁ γραφεύς.

O.

Ο' ἀποφωδικομίσου. ὁ ἀπὸ πίστεως βαλλόμενος.
Ο'βδονάρια τὰ περιαπτόμενα τοῖς ποσὶν ὑφάσματα, ἃ λέγεται ποδάπανα. κατὰ καθαρῶν, τὰ δὲ ἄλλα πέδια, ὡς εἰπεῖν τὰ ἐξ ἱματίων γεγενημένα, ἃ παρά τισιν ὀθόνια κέκληται ἢ βράχαι, χερσὶ περιτιθέασι, δακτυλίους δὲ τοῖς ποσίν.
Ο'β καῦσαι. ὁ δι' αἰτίαν διδόμενον, οἷον ἐβοήθησάς μοι ὀβρὲμ, ἵνα γένηται, οὗτινος μὴ γενομένου χώρα τῇ ῥεπετίσει.
Ο'βλάτον φοῦρτον. τὸ ὑπό τινος εἰσενεχθέν μοι ὀβρὲμ κλοπιμαῖον πρᾶγμα.
Ο' βόνα φίδε. ὁ καλῶς πιστεύων.
Ο'βρὲμ ἰουδικάταμ. διὰ τὸ πρᾶγμα κριθῆναι.
Ο'βρὲμ νὸν διφένσαμ. διὰ τὸ πρᾶγμα μὴ ἐκδικηθῆναι.
Ο'β τούρπεμ καῦσαν. δι' αἰσχρὰν αἰτίαν.
Ο'θονάρια καὶ ὀθόνια. ὑφάσματα ἐπιμήκη ἃ καὶ ὀράρια παρά τισι λέγονται. ταῦτα δὲ οἱ εἰς παλάτιον εἰσιόντες συγκλητικοὶ ἐπιφερόμενοι, ἐν αὐτοῖς ἀπεμύττοντο καὶ ἀπέπτυον.
Ο' ἐν τοῖς ἐκπεδεύταις. ὁ ἐν τοῖς πρεποδεστάταις.
Οἰκείῳ ὀφφικίῳ. οἰκείᾳ δικαιοδοσίᾳ.
Ο' ἰνστιτοῦτος. ὁ κατέχων.
Ο' κομοδάτον λαβὼν. ὁ ἐνέχυρον λαβών.
Ο' κουμπρομισάριος. ὁ συντιθέμενος.
Ο' μαινόμενος. ὁ ἧττον τῶν ἑπτὰ ἐτῶν.

Ο'μ-

νονουτένδο. τρόπῳ &c.] Non ſunt poſteriora priorum interpretatio, ſed omnia ſimul ſunt expreſſio quorumdam, quae exſtant *in* §. 3. *Inſt. de uſufruct.*

λέγεται αἱ-αὐτὸ] Senſus erit bonus, ſi ſcribamus λέγεται καὶ αὐτὸ &c. vel etiam omiſſo καὶ: aut λέγεται καὶ νόξα αὐτὸ &c. res ipſa eſt clara ex §. 1. *Inſt. de noxalib. actionib.*

Νόξα κάπου ἀσέγουτα] Scribendum Νόξα κάπουτ σέκουτουρ. *l. ult. D. l.* 1. *C. de noxalib. actionib. & alibi.*

ἡμαρκότα] Lego ἡμαρτηκότα. Quod vero additur in fine, actionem noxalem anno terminari, verum non eſt; cum ſit certum, eam paſſu pari ambulare cum actione principali, cui accedit, veluti furti, vi bonorum raptorum, injuriarum &c.

Νοξάλια. ἁμαρτία] Imo ſic ſumitur *noxia*, §. 1. *Inſt. de noxalib. & ib. Theophil.* atque ita in ſequentibus ſemel recte ſcriptum eſt; at ſaepius Νοξαλία, & Νοξάλια, perperam.

ᾧ τις] Abundat τις, aut legendum ᾧ ἴσοι vel ᾧ τοῖς.

Νυμβατεύεσθαι] νουμεκατεύεσθαι. Scal. Nec alia mens Meurſio *in Gloſſar.*

Νόρου εἶδος νυμφη] Vel legendum Νόρους, οἷα νύμφη, vel Νόρους μία. νύμφη.

O.

'οβδονάρια] 'οδονάρια. Scal. atque ita Meurſius & Du Cangius *in Gloſſar.* Salmaſius vero *ad Lamprid. Alexand. Sever. cap.* 40. legit 'ουδωνάρια: ſed in his gloſſis ſaepe literae ſunt permutatae, & accurata Latine ſcribendi ratio neglecta eſt.

κατὰ καθαρῶν] Haec a prioribus diſtinxi; quae vero ſequuntur, ſunt ex Ephiphanio *contr. Catharos*, uti obſervavit Du Cangius *in Gloſſar.*

πέδια] παίδια. Scal. Salmaſius *ad Lamprid. dict. loc.* mallet ποδεῖα: ſed apud Epiphanium eſt quoque πέδια.

κέκληται ἢ βράχαι] Apud Epiphanium exſtat, κέκληται ἢ βράκαι

οἷον ἐβοήθησας] οἷον τὸ ὅτι ἐβοήθησας *.

οἷον ἐβοήθησάς μοι ὀβ ῥὲμ ἵνα &c.] Male haec diſtincta ſenſum turbant, qui ut ſit bonus, ita interpunxi, οἷον ἐβοήθησάς μοι ὀβρὲμ, ἵνα &c. confer *l.* 1. *pr. D. de condiction. ob turp. vel injuſt. cauſ. l.* 52. *de condiction. indebit.* cauſa, ſcilicet, pertinet ad praeteritum, res ad futurum; quod tamen diſcrimen paſſim negligitur.

ἵνα γένηται] ἵνα τι γένηται *.

τῇ ῥεπετίσει] τῇ ῥεπετιτίωνι. Mſ. (*) An ſic legas, an ῥεπετιτίονι, nihil intererit.

'οθονάρια] ἴσ. ὀθονάρια καὶ ὀθόνια (*) Sed vulgatum retinet Du Cangius *v.* 'Οθόνιον.

ἐκπεδεύταις] ἐξπεδίταις. Scal.

Tom. III.

Οἰμ-

Ὀμπλακατωνίβους. ἐνοχαί.
Ὀμποσατζίων. ζήτησις.
Ὀξαφαλία . . . .
Ὀξαλία. ἔκδοσις ζητοῦσα τὴν ὑφορώμενον.
Ὀ πάτρων. ὁ ἀντιληπτίωρ.
Ὀπεραί. οἱ καρποὶ τῶν οἰκετῶν.
Ὀπέραις. ἐργασίαις ἐκ τῶν χειρῶν.
Ὀπέρας. ὁ δοῦλος εἰς φυσικὴν ὑπηρεσίαν, ἤγουν ἐλευθερικήν.
Ὀπεράτος. ἐργαστής.
Ὀπερῶν. καμάτων.
Ὀπινίων. ἡ ὑπεσταλμένη καὶ μετὰ ἐνδοιασμοῦ ἀπόκρισις.
τῷ ὀνόματι τῶν Ὅπλων, καὶ τὰ ξύλα καὶ λίθοι περιέχονται.
Ὀπορτέβιτ. χρή. σημαίνει δὲ καὶ τὸν ἐνεστῶτα καὶ τὸν μέλλοντα χρόνον.
Ὀ ποστούμιος. ὁ μεταγενέστερος.
Ὀ πούπιλος. ὁ ἀνήλικος.
Ὀπωτέρβιτον. δηλοῖ καὶ τὸν μέλλοντα χρόνον.
Ὀ πραπρατάριος. ὁ τὴν δεσποτείαν ἔχων, ὀρθιάριος.
Ὀπτίονες. αἱρετοὶ ἢ γραμματεῖς.
Ὀπτίωνος. ἐπιλογῆς.
Ὀρατίων. γραφή.
Ὀδινάρε λίτεμ. προκατάρξαι δίκην.
Ὀρδινάριος. τῇ τάξει ὑπεπρακτος.
Ὀρδινάριος. οἰκέτης.
Ὀρδιναρίους σέρβους. δοῦλος προτεταγμένος.
Ὀρδινάτιο. προκάταρξις.
Ὀρδινέμ ἄδετ. τάξιν ἔχει.
Ὀρδο. τάξις.
Ὀργινάλια. προγονὴ ἀρχαία.
Ὀρκῖνοι. ἀπελεύθεροι τεθνεῶτος· οὓς λέγουσι χαρωναίους ἀπελευθέρους.
Ὄρκινος λιβερτός. χαρωνιαῖος ἀπελεύθερος. Ὄρκινους γὰρ ὁ χάρων.
Ὀρτίνους. ληγάτου.
Ὀρυγμα, ὑδροστασίου καὶ λίμνης διαφέρει, λίμνη γάρ ἐστιν, ἡ διηνεκῶς ἔχουσα ὕδωρ. ὑδροστάσιον τὸ πρὸς καιρὸν καὶ ὡς ἐπίπαν ἐν χειμῶνι συναγόμενον. ὄρυγμα δὲ, δοχεῖον ὕδατος χειροποίητον.

Ὀρφανικοὶ τόκοι, οὓς καὶ πουπιλαρίους λέγουσιν, οἱ ἀπὸ τρίτης ἑκατοστῆς.
Ὀρφιτίανον δόγμα ἐπὶ Ὀρφίτου καὶ Ῥούφου τῶν ὑπάτων ἐκφωνηθὲν παρὰ τοῦ βασιλεύοντος τότε Μάρκου, παρέχει δὲ τοῖς παισὶν νόμιμα δίκαια εἰς τὴν τῶν μητέρων διαδοχήν.
Ὀ σπίος τοῦ τεστάτωρος. ὁ ἴδιος τοῦ διατιθεμένου.
Ὀσουφρουκτουάριος. ὁ τὴν χρῆσιν ἔχων ἰδίους καρποφορίας.
Ὀστία. ἡ θύρα.
Ὀσπενδιώνητος. ὁ ἀχρέωστητος.
Ὀ τεστάτωρ. ὁ διατιθέμενος καὶ προφασούμενος.
Ὀτιάρβετ. ἡ φυσικὴ κατοχὴ τοῦ πράγματος.
Ὀτιλία. ἐπίπλαστα.
Ὀτόνικα. ἱμάτιον γυναικεῖον ποικιλτόν.
Ὀ τὸν οὖν δικοδιάτου. τὸν οἷα ἐκ συγγενείας.
Ὀ τῶν προυπρίων. ὁ κατὰ σάρκα.
Οὐακουτηνατούσας. ὁ διακατέχων.
Οὐδβί. διὰ βίαν.
Οὐδὲ λίβερι. πόθεν ἐλεύθεροι.
Οὐδὲ γηρετουζώρ. πόθεν ἀνὴρ καὶ ἡ σύζυγος.
Οὐένδικτα. ἐκδικουμένη.
Οὐντιδὸμ. τῶν ἐντὸς ὅλου χρόνου κινουμένων ἀγωγή.
Οὐτιλία. ἀκαιρία.
Οὐτίλιον ἰντέρδικτον, ὃ λέγεται κώλυσις.
Οὐ κοντιτεύω. οἷα ἀπολαμβάνει.
Οὐ κοντίνουος. συναπτός.
Οὐακουσαπητεύω. τουτέστιν χρῆσιν ἔχει.
Οὐνδεβί. ἐν τούτῳ τῷ ἰντερδίκτῳ φησὶν ὁ πραίτωρ, ὅθεν βίᾳ σὺ τόνδε ἀπελάσας ἢ ἡ φαμιλία σου, περὶ τούτου πράγματος καὶ περὶ ὧν τότε εἶχεν ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ ἐντὸς ἐνιαυτοῦ, μετὰ δὲ τὸν ἐνιαυτὸν εἰς ὅσον περιῆλθεν εἰς τὸν ἐξελάσαντα δώσω τὴν ἀγωγήν. ταῦτα δὲ τὸ ἰντέρδικτον εἰς ἐκείνους ἁρμόζει μόνους εἴ τινες ἀκινήτων οἰκοδεσποτῶν ἐξελαύνονται.
Οὐνδεβί. ὅθεν βία.
Οὐνδεκογνάτιωρ. ἀδιάδοχος διαδοχή.
Οὐνδὲ λίβερι. διακατοχὴ ἡ διδομένη παρὰ τοῦ πραίτωρος τοῖς ὑπεξουσίοις καὶ αὐτεξουσίοις παισίν.
Οὐνδελίβερι. ἔνθα ἐλευθερία.
Οὐνιβερσιτάτεμ. τὴν ὁλότητα, τὴν ὁμάδα.

Οὐνο-

Οὐμπλακατιώνιβους] Pro ὀβλιγατιώνιβους. Sunt hic in praecedentibus quaedam plane a vero aliena, ſed quae perſequi non eſt mihi propoſitum.

Ὀξαλία. ἔκδοσις ζητοῦσα τὴν ὑφορ.] Leg. Νοξάλια, ut ſupra. LABB.

Ὀπωτέρβιτον. δηλοῖ καὶ τ. μ. χρ.] Verbum ὀπορτέβιτ hic corruptum eſt, & reſtituendum facillime: verum illud τὸν vel expungendum eſt, vel aliquid intercidit, & ſcriptum fuit, τὸν ἐνεστῶτα δηλοῖ καὶ τ. μ. χρ. quale quid jam praeceſſit. *Add. Baſilic. in l. 8. D. de verbor. ſignification.*

Ὀρδινέμ ἄδετ] Lege Ὀρδινέμ ἄβετ.

Ὀρτίνους] ὀπτίωνος. SCAL. Notum eſt legatum optionis §. 23. *Inſt. de legat.*

ἰδίους καρποφορίας] Senſus eſſet bonus, ſi legeremus τῆς καρποφορίας: ita tamen & infra ſcriptum eſt, v. οὐσουφρουκτουάριος.

Οὐνδείκτος] An voluit exprimere, *ſine debitis?*

Ὀτιάρβετ] Ὀυτιάβετ (*) *Uti habet*. CUJ. Similia iis, quae ſequuntur, ex veteri Gloſſario profert Briſſonius *in verbo Habere*.

Ὀτόνικα] Meurſius & Du Cangius *in Gloſſar.* legunt τόνικα, id eſt, *tunica*.

Ὀ τὸν οὖν δικοδιάτου] Pro ὕνδε κογνάτοι: dein pro τὸν οἷα ἐκ συγγενείας ſenſus exigeret, τοὺς ἐκ συγγενείας.

ὁ διακατέχων] Scribendum ὁ διακατέχων, vel ὁ ἡ διακ. aut in praecedentibus οὐα ἀνς. pro οὐ ἀβσεντατούσας.

Οὐδβί] Pro οὔνδε βί, intelligitur interdictum Unde vi.

Οὐδὲ] Id eſt, *Unde*. (*) Mala quoque eſt interpretatio: liberi enim hic, ſive in edicto de bonorum poſſeſſione unde liberi, ſunt *deſcendentes*, παῖδες, uti in ſequentibus vocantur, non qui opponuntur ſervis. Similis error inferius quoque occurrit. Hinc vero & exaliis apparet, quaedam ex his gloſſis auctores habuiſſe homines, plane juris ignaros.

Οὐδὲ γηρετουζώρ. πόθεν &c.] Leg. Οὔνδε βὶρ ετ ἔξωρ. LABB.

Οὐένδικτα] Forte Οὐενδικάτα.

Οὐντιδὸμ] ὀντίλιουμ. SCAL.

Οὐτιλία] Rectum Οὐτιλία.

Οὐ κοντίνουος. συναπτός] Lege ὁ κοντίνουος. LABB.

Ὁ πραίτωρ. ὁ πραίτωρ ἔνεκ. Mſ. *.

ἀπελάσας] ἀπήλασας. Mſ. *.

καὶ περὶ ὧν] ἢ περὶ τῶν (*) Recte habet lectio vulgata, quam exhibent etiam Baſilica *in l. 1. pr. D. de vi & vi armat.*

Οὐνδεκογνάτιωρ] Οὐνδεκογνάτιωρ. SCAL.

ἔνθα ἐλευθερία] Vide ad v. Οὐνδὲ λίβερι.

Οὐνο-

Οὐτοραρίουμ. τίμιον.

Οὔξορ κυρίως γαμετή ἐστιν ἡ κατὰ νόμον

Οὔξορ λέγεται τῇ τῶν ῥωμαίων φωνῇ ἡ γαμηθεῖσα γυνή.

Ουπιλίων. οἱονεὶ οἱ σκρινιάριοι, οἱ χαρτοφύλακες τοῦ βασιλέως, ἤτοι τῶν βασιλικῶν χάρτων.

Οὐποσέτα. τὰ βιαίως κατεχόμενα.

Οὐ πρεκρίνει. οὐ βλάπτει, οὐ καταδικάζει.

Οὖρβις. ἡ πόλις. λέγεται δὲ ἀπὸ τοῦ οὐβαρέτου, ἰουτέστιν ἀρότρῳ περιχαράξαι τὸν μέλλοντα πολίζεσθαι τρόπον. Ὀππίδουμ. ἀπὸ τοῦ ἔργου τῆς τῶν χειρῶν κατασκευῆς.

Οὐ ῥεπετιτεύεται. οὐκ ἀποστρέφεται. ξαφαλία, ἰουτέστιν ἀχρεώστητος.

Οὐ ῥεπετιτεύετε. οὐκ ἀντιστρέφεται.

Οὐ ῥεπετιχιάτε. μεταλαλήσης.

Οὐρτηλία. ἡ εἰκοσισμένη μετὰ τὴν δωτίαν ὑπόθεσις.

Οὐ ῥεπετιτεύατε. οὐκ ἐπαναλαμβάνεται.

[Οὐσουκάπιω. ἡ διὰ χρήσεως λῆψις, ἡ κατάσχεσις.]

Οὐσουκαπίων. ὁ μακρὸς χρόνος.

Οὖσου. δίκαιόν τι.

Οὐσουκαπιτεύει. διὰ χρήσεως δεσπόζει.

Οὐσουκαπιτεύων. χρῆσιν, ἔχειν, ἢ κερδαίνειν αὐτήν.

[Οὖσους. χρῆσις. ἐπὶ μὲν προβάτων τὸ κοπρίζειν τὸν ἴδιον ἀγρόν. ἐπὶ δὲ ἀγροῦ μόνον τὸ χρῆσθαι τοῖς ἐκεῖσε γινομένοις λαχάνοις, ὀπώραις, ἄνθεσι. ἐπὶ δὲ οἴκου μόνον τὸ αὐτὸν τινα οἰκεῖν σὺν τοῖς δούλοις καὶ μισθωτοῖς αὐτοῦ.]

Οὐσουκαπιτεύει. διὰ μακρᾶς χρήσεως δεσπόζει.

[Οὐσουρπάτιο. χρῆσις ἐξηπλωμένη ἤγουν ἀδιάκοπος.]

Οὐσουφρουκτάριον. ἔθος καρποφορίας.

Οὐσουφρουκτον. κλοψία, ἢ εὔπορος, καὶ χρῆσις ἐπικαρπίας.

Οὐσουφρουκτος. ὁ τὴν χρῆσιν τῶν καρπῶν ἔχων.

Οὐσουφουρκάριος. ὁ τὴν χρῆσιν ἔχων.

Οὐσουφρούκτον. χρῆσις ἐπικαρπίας εἰς χρῆσιν.

Οὔτε κόδρα ταβούλλας αἰτῶν, οὔτε διοφφαιόσει, οὔτε περὶ μέμψεως, οὔτε περὶ ἐναντιώσεως ἐν διαθήκῃ.

[Οὐτίλια τουτοῦλα. ἡ μὴ ὀρθὴ, μηδὲ ἀκριβὴς, ὡς κινουμένη ἐπὶ τοῦ ὀρφανοῦ ἀνήβου ὄντος.

Οὐτίλια. ἡ ἐντὸς ὅλου τοῦ χρόνου κινουμένη ἀγωγή.]

Οὐτίλιον. οὐτίλιός ἐστι ὁ χρόνος, τουτέστιν τέλειος τῶν τριάκοντα ἡμερῶν τοῦ ἀναπαῦσαι τὴν κατηγορίαν, ἐν αἷς ὁ κατήγορος ἠδύνατο προσελθεῖν τῷ ἄρχοντι. ἀριθμεῖται δὲ μετὰ τὴν περαίωσιν τῶν ἐκφερίων.

Οὐτίλιον. τὸ ἐνδύναμον, καὶ ἰσχυρόν.

Οὐτήλιον. ἀγαθοσύνη.

[Οὐτίλιος. ὡρισμένος χρόνος, ἀνθ' οὗ νῦν ἐστι συναπτὴ ἡ τῆς ἀποκαταστάσεως τεραστία.]

Οὐτίλιος. ὁ χρεώστης ὁ μετ' ὀλίγον χρόνον δυνάμενος.

Οὐτίλιος ὁ καιρὸς ὁ διδόμενος τοῖς δικαζομένοις σκέψασθαι περὶ τοῦ πράγματος, ἤγουν τριακονθήμερος.

Οὐτίλιος. ἀναγκαῖος.

Οὐτίλιος. συναπτός.

Οὐτίλιος ἐνιαυτός. ἡ ὡρισμένη τετραετία.

Οὐτιλίου ἐνιαυτοῦ. τοῦ τελείου.

Οὐτιλίου χρόνου. ἡ περαίωσις τῶν λ. ἡμερῶν.

Οὐτιλίας. χρησίμως, πλαγιαστικῶς ἢ ἀκαιραίως, ἢ συναπτῶς.

Οὖτ ποσιδέτις. διὰ ὑπόστασίν τινα ἐπὶ τῶν ἀκινήτων ἐγγυμναζομένων.

[Οὔτι ποσσιδέτις. ὡς νέμεσθε. ἐπὶ γὰρ ἀμφιβόλου νομῆς ἀκινήτων διαλάλει ὁ πραίτωρ οὕτως, ὡς νέμεσθε, νέμεσθε, καὶ οὐδέτερος βίαν τῷ ἑτέρῳ ποιείτω, ἀλλὰ μενέτω δηλαδή.]

Ὀφφιδιούσωρ. ὁ ἐγγυητής.

Ὀφφίκια. λειτουργία.

Ὀφφίκιον. λειτουργία.

Ὀφφίκιον. τάξις.

Ὀφφίκιον. ἐξουσία, θέλημα, ἐπίκρισις.

Ὀφφίκιον. σωμάτιον.

Ὀψεκίαν. ὀψικίαν.

Π.

ΠΑγανοί. οἱ ἀνάξιοι, ἢ ὑπεξούσιοι. ἐξ οὗ καὶ παγανικὰ χρήματα τὰ ὑπεξούσια τῷ πατρὶ πεκούλλια τοῦ παιδός.

Παγανοί. ἀστράτευτα.

Παγανός. ὁ ἐκτὸς μόνου στρατιώτης.

Πα-

'Ουτοράριυμ] Pro 'Ονοράριον.

'Ουποσέτα] Leg. βι ποσέτα. Labb. 'Ου ποσσέσσα. Scal.

Ὄυρβις] In Baſilicis in l. 239. §. 6. D. de verbor. ſignification. unde haec ſunt oriunda, legitur 'Ουρβς.

οὐβαρέτη, τουτέστιν] In Baſilicis eſt ὀρβάρε, τουτέστι, rectius; & ſic eſt in ipſa lege.

τρόπον] Ibidem extat τόπον, recte.

τῶν χειρῶν] In Baſilicis τοιχῶν.

ῥεπετιτεύετε] Forte, ῥεπετιτεύεται. Idem error inferius reperitur.

'Ουρτηλία] Pro 'Ουτιλία. Interpretatio videtur pertinere ad actionem in factum, quae olim dabatur ob dolum, anno elapſo, l. 28. l. 29 D. de dol. mal. hodie poſt biennium ex l. ult. C. de dol. mal.

'Ουσουκάπιω &c.] Si haec ab Auctore ſint, graviſſimus is eſt lapſus. nam uſurpatio eſt uſucapionis interruptio l. 2. D. de uſurpationib. & uſucapionib.

ἔθος] Ita in v. Ὀυσουφρουκτουάριος.

κλοψία, ἢ εὔπορος] Quid haec ad uſumfructum? Videntur aliunde huc translata.

'Ουσουφρουκτος. ὁ τὴν χρῆσιν &c.] Leg. 'Ουσουφρουκτουάριος, ut infra pro 'Ουσουφουρκάριος. Labb.

τουτίλα] Legendum τουτίλας, actio tutelae utilis, inter adultum & curatorem locum habens, quemadmodum tutelae directa inter pupillum & tutorem; de quibus agitur in tit. D. de tutel. & rationib. diſtrahend. & utili curationis cauſa, actione & tit. de contraria tutel. & utili actione; quod hic non ſatis clare eſt expoſitum.

ἐντὸς ὅλου χρόνου] Imo in utile tempus non alii computantur dies, quam quibus experiundi poteſtas eſt, l. 1. D. de diverſ. temporalib. praeſcriptionib. Add. Rad. Forner. Rer. Quotidianar. lib. 11. cap. 14 ut hic vel Auctoris vel librarii quaedam ſit culpa.

ἐκφερίων] In l. 10. §. 2. D. ad S. C. Turpillian. unde haec hauſta ſunt, legitur feriae. Baſilica habent verbum ἀπραίκτων.

'Ουτήλιον] 'Ουτίλιον *.

τεραστία] Legendum τετραετία. reſpicitur l. ult. C. de temporib. in integ. reſtitution. ſic poſtea, 'Ουτίλιος ἐνιαυτός. ἡ ὡρισμένη τετραετία.

δυνάμενος] Forte deeſt ἀποδοῦναι, aut aliud ſimile.

συναπτός] Imo tale eſt tempus continuum, ut videatur addenda negatio, hoc modo, οὐ συναπτός. Simile mox habebimus in v. 'Ουτιλίως.

'Ουτ ποσιδέτις] Leg. ὔτι ποσσιδέτις. Copes.

'Οψεκίαν] Hoc eſt obſequium. Ita Fabrot. in Gloſſar. verbor. Cedren.

Π.

μόνου στρατιώτης] Melius. μόνη στρατιώτη, quod exſtat in gloſſa ſequenti.

 ſi-

Digitized by Google

Παγανὸς. ὁ ἐκτὸς μόνου στρατιώτου.
Παγκτευθῇ. συμφωνηθῇ.
Παγκτεύουσι. συμφωνοῦσι.
Πάγους. τοπαρχία, ἀγρὸς, μέρος χώρας.
Παττίτα. γνώρισμα αἰτήσεως.
Πάκτον. σύμφωνον.
Πάκτον. συνθήκη.
Πάκτον. εἰρήνης.
Παλατῖνοι. εἶδος ἄρτων, οὓς ἐφιλοτιμήσατο τῷ δήμῳ Κωνσταντῖνος ὁ μέγας, οἷα ἐκ τοῦ παλατίου χορηγούμενα.
Παλατίνους. ὁ παλατίνος ὑπηρέτης. παλατῖνοι γὰρ κοινῷ ὀνόματι πάντες ἐκαλοῦντο οἱ ἐν τοῖς κατὰ τὸ παλάτιον θησαυροῖς ὑπηρετοῦντες ταξεῶται. [ἀλλ' οἱ μὲν ἀεὶ τῷ παλατίῳ προσεδρεύοντες ἐλέγοντο κοματατήνσιοι (κομίτατον γὰρ ὁ τόπος ἔνθα διάγει ὁ βασιλεὺς) οἱ δὲ εἰς τὰς ἐπαρχίας πεμπόμενοι μιτευδάριοι, μίττω γὰρ τὸ ἀποστέλλω.]
Παλλακή ἐστιν ἡ συζοῦσά τινι ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ νομίμως χωρὶς γάμου.
Παλματίους ἐκλύους, ὁ τοῦ παλματίου ἵππος. ὢν δὲ παλμάτιος οὗτος ἵππος πανυπλούσιος διὰ τυραννίδα ἐδημεύθη, περὶ οὗ φησὶν ὁ Ἰλλούστριος Ἡσύχιος ὁ φιλοσοφήσας τῆς μιλησίας ἐν τῷ ε. χρονικῷ διαστήματι τῆς ἱστορίας ταῦτα. κατὰ τοὺς χρόνους οὐαλεριανοῦ ἐν Καισαρείᾳ τῆς Καππαδοκίας παλμάτιός τις οἰκίαν μὲν ὑπὲρ τὰ βασίλεια κεκτημένος, ἵππων δὲ ἀγέλας καὶ τῷ ἄλλῳ πλούτῳ κομῶν εἰς πολυμέρος τῶν μοναρχούντων ἐφικνούμενος, ἀσελγὴς δὲ εἴ τις ἕτερος, ὡς καὶ ὑπατικοῦ λινος Ἰσοκίμου τοὔνομα γαμετὴν Αἰθερίαν λαλουμένην ἁρπάσαι καὶ εἰς Σίδην ἐκκομίσαι, διότι προστατῶν ἐτύγχανε τῆς ἐναντίας τοῦ δήμου μοίρας.
Παραβλέτιο. ὁ λίβελλος εἴτ' οὖν τὸ τῆς εἰσαγωγῆς ἔγγραφον, ὁ δέησις λέγεται, δι' οὗ παραβάλλεται τουτέστι προβάλλεται ἢ προτίθεται τῷ ἄρχοντι ἡ κατά τινος ἔγκλησις.
Παραδρογατίονις. διὰ τῆς παρακλήσεως.
Παραλογισμός. εἰρωνεία.
τὸ Παρά σοι, πλέον ἐστὶ τοῦ Πρός σε, πρός σε γάρ ἐστι τὸ ὅπερ ὑπὸ σοῦ κρατούμενον. παρὰ σοὶ δέ ἐστι, τρόπῳ τινὶ κειμένου.
Παραφέρνα. ἐξώπροικα, οὕτω φασὶ κατ' ἕλληνας.
Παρεμβαλόντι. ἐγγυωμένου.
Παρενίσθαι. ἡ ἔνοικος τοῦ πράγματος κατοχή.
Παρέντες. οἱ ἀνιόντες, ἤτοι οἱ γονεῖς.
Πάρτι. μέρος.
Παρτιαρία. εἰς μέρος.
Πάρτις. μέρος.
Παρτιτιαρίου. ἡμισυμερίτου.
Παρτιτιαρίου. ἰσομερίτου.
Παρτίτιον. μερικόν.
Πατριμονάλια. ὅσα ἕκαστος βασιλεὺς ἑαυτῷ κτᾶται ἀπὸ τοῦ βασιλέως Ἀναστασίου· αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐξευρὼν καὶ τὴν προσηγορίαν ταύτην καὶ ἀρχήν. [τοῦ κόμητος τοῦ πατριμωνίου.]
Πατριμονάλια. ἰδιόκτητα τοῦ βασιλέως.
Πατριμονιαλίκιον. πατρικὴ οὐσία.
Πατρονόρουμ. πάτρων.
τῇ προσηγορίᾳ τοῦ Πατρὸς, καὶ ὁ πάππος περιέχεται.
Πατρούελες. ἐκ πατέρων δύο ἀδελφῶν προελθόντες παῖδες.
Πατρούους. ὁ πρὸς πατρὸς θεῖος, ἤγουν ἑλληνιστὶ πάτρως.
τῇ προσηγορίᾳ τοῦ Πάτρωνος, καὶ ἡ πατρώνισσα περιέχεται.
Πάτρων λέγεται ὁ ἐλευθερωτὴς τοῦ δούλου.
Παυπέριες. ἡ δίχα κακουργίας γινομένη ζημία· τοῦτο δὲ ἐπὶ τῶν ἀλόγων ζώων.
Πιγνερατίκια. ἀμαχικά.
Πιγνερατίκια. ἀμαχικά.
Πιγνερατικία. ἀγωγὴ περὶ ἐνεχύρων.
ἡ Πιγνερατικία τῆς κουάσι σερβιανῆς διαφέρει. ἤγουν ἡ περὶ ἐνεχύρων τῆς ὡσανεὶ ὑποθήκης.
Πεδοῦλια. ποδῶν καλύμματα. πέδε γὰρ ὁ πούς· τινὲς δὲ τὰ ἀρτάρια ἡρμήνευσαν.
Πεκούδων. τῶν ὑπὸ ἀγέλην ὄντων κτηνῶν.
Πεκούδων. ἀγεληδὸν βοσκομένων.
Πεκουλάτος. πιστούμενος.
Πεκουλάτος. πισσωμένος.
Πεκουλάτους. νοσφισάμενος δημόσια πράγματα.
τὰ Πεκούλια τετραχῶς εἰσιν, ἀπροσπόριστα, παγανικά,

παλατῖνος] παλατίνος Mſ. *

κοματατήνσιοι] Rectum Κομιτατήνσιοι. *comitatenſes*; quod docent ſequentia.

συζοῦσα] συζῶσα. Scal. Nec aliter habent Baſilica *in l. 144. D. de verbor. ſignification.* intelligitur vero concubina, *vid l. 3 §. 1. D. de concubinis.*

ὢν δὲ] ἦν δὲ Mſ. *

οὗτος ἵππος πανυπλούσιος] Jacobus Gothofredus, hunc locum deſcribens *in comment. ad l. un. Cod. Theod. de greg. dominic.* exhibet ἵππων, recte. Sic ſenſus erit fuiſſe Palmatium divitem equis.

διὰ τυραννίδα] ὡς διὰ τυραννίδα. Mſ. (*) Lectio vulgata atque haec idem exprimunt.

φησὶν ὁ Ἰλλούστριος Ἡσύχιος] φησὶν Ἡσύχιος Ἰλλούστριος. Mſ. *

παλμάτιός τις] Deeſt ἦν, vel aliud verbum.

τῆς Καππαδοκίας] τῆς Καππαδόκων Mſ. *

οἰκίαν] οἰκίας Mſ. (*) Placet vulgata; nec enim veriſimile eſt, Palmatium plures habuiſſe domos regia praeſtentiores.

ἀγέλας] ἀγέλας Mſ. (*) Mallem ἀγέλαις, ut cohaereat cum ſequentibus.

πολυμέρος] Lego πολὺ μέρος.

εἰς Σίδην] εἰς ἴδην Mſ. (*) Recte habet ſic lectio edita Side, urbs Pamphiliae, ex Stephano aliiſque nota eſt.

Παραβλέτιο] Πὲρ ἰβλατίονα. Scal. Sed Παραβλέτιο eſt libellus ſupplex judici porrectus. Adeatur Du Cangii *Gloſſarium*.

εἴτ' οὖν] ἤγουν Mſ. *

ὁ δέησις] ὁ καὶ δέησις Mſ. *

προβάλλεται ἢ] προβάλλεται ἢ κατὰ Mſ. *

τὸ Παρά] *Penes, apud.* Scal.

ὅπερ] In Baſilicis *in l. 63. D. de verbor. ſignification.* ſcriptum eſt ὁποῖον, quod bene explicat illud *qualiter qualiter*.

ἡμισυμερίτου] Statim ſequitur ἰσομερίτου: neutrum rectum eſt, cum partes hereditatis qualeſcumque legari poſſint, *l. 8. §. ult. l. 9. D. de legat. 2.* ſed videntur haec eſſe ab ipſis Auctoribus.

Πατριμονάλια] Πατριμονιάλια Mſ.

τοῦ κόμητος &c.] Idem ex ſuis gloſſis producit Sirmondus *ad Ennod. lib. IV. epiſt. 7.*

Πιγνερατίκια. ἀμαχικά] Rectum eſt Πιγνερατικία, quod ſequitur. Poſterioris vero Graecitatis verbum eſt ἀμάχι *pignus*. Vide Du Cangii *Gloſſarium h. v.*

ἀρτάρια] Suidas, ἀρτάρια παρ' ἡμῖν οἱ τῶν ποδῶν πῖλοι. *

Πεκουλάτος. πιστούμενος] Scribendum Πικάτος, *id eſt*, *picatus*, πισσωμένος; ut eſt in ſequenti gloſſa, in qua verbum prius ita quoque exprimendum eſt.

Κατ-

κα, καστρέσια, καὶ ὡσανεὶ καστρέσια. καὶ Ἀπροσπόριστα μέν εἰσιν, ὅσα ἐκ μητρικῆς κληρονομίας, καὶ πάππων, καὶ ἑτέρων ἄλλων συγγενῶν τῆς μητρὸς, καὶ ἀπὸ φιλοτιμίας τυχὸν καὶ καμάτων ἰδίων κτῶνται οἱ παῖδες, καὶ ἀπὸ γαμικῆς αἰτίας, ἐν οἷς οὐκ ἔστι τῷ παιδὶ ἐν ὑπεξουσιότητι ἄδεια διατίθεσθαι, οὐδὲ τῷ πατρὶ προτελευτῶντι. ἔχει δὲ τὴν τούτων χρῆσιν ὁ πατὴρ, τὴν δὲ δεσποτείαν οἱ παῖδες. Παγανικὰ δὲ ἃ καὶ προσπορίζονται, ὅσα ἐξ αἰτιῶν καὶ πραγμάτων τοῦ πατρὸς προσέλθῃ τῷ παιδὶ, ἅπαντα γὰρ ταῦτά εἰσι τοῦ πατρὸς καὶ ἔχει καὶ τὴν χρῆσιν καὶ τὴν δεσποτείαν τούτων, οὐδ᾽ ἐπὶ τούτοις ἄδεια τῷ υἱῷ διατίθεσθαι, ἀλλὰ τῷ πατρὶ προτελευτῶντι. τὰ δὲ Καστρέσια ἃ καὶ ἰδιόκτητα λέγονται, τὰ ἐκ σιδήρου καὶ ὅπλων περιελθόντα τῷ παιδὶ, ὧν ἡ χρῆσις καὶ ἡ δεσποτεία τῷ παιδὶ ἁρμόζει, καὶ ἄδεια ἐπὶ τούτοις τῷ παιδὶ διατίθεσθαι ἐν ὑπεξουσιότητι ὄντι. τὰ δὲ Ὡσανεὶ καστρέσια, τὰ ἀπὸ δωρεᾶς βασιλικῆς, ἢ δεσποινῶν, καὶ τὰ ἀπὸ κληρονομίας ἀδελφῶν, καὶ τὰ ἀπὸ ἀρχῆς, οἷον ἀσόνης, καὶ τὰ ἀπὸ συνηδρίας, καὶ τὰ ἀπὸ προστάξεως βασίλεως σιτηρέσια ἀπὸ δημοσίου, καὶ οὐδὲ τούτων τὴν χρῆσιν ἢ τὴν δεσποτείαν ἔχει ὁ πατὴρ, τῷ δὲ ὑπεξουσίῳ υἱῷ, ἄδεια καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις διατίθεσθαι.

Διαφέρει Πεκουλία καὶ τριβοταρία ἀγωγὴ, ἡ μὲν γὰρ τριβοταρία εἰς μόνα τὰ τοῦ πράγματος φόρτα φέρεται. ἡ δὲ πεκουλία, ἐν ἅπασι τοῖς πράγμασι συγκειμένων καὶ τῶν φορτίων.

Πεκουλιάνιον. ἰδιόκτητον.

Πεκούλιον. ὡσανεὶ μικρὸν οὐσίδιον.

Πεκούνια. χρήματα.

Πεκόνια κονστιτοῦτα. χρημάτων σύστασις κατὰ ἀντιφώνησιν.

Πεκουνίαι κονστιτοῦται. ἡ περὶ ἐγγύης καὶ ἀντιφωνήσεως, ἤτοι χρηματικῆς καταστάσεως.

Πεκουνίαι κονστιτοῦται. χρημάτων συστάσεως. ἰστέον ὅτι τῇ ὀνομασίᾳ τῶν πεκουνιῶν ἤτοι χρημάτων οὐ μόνα τὰ ἀργύρια περιέχονται, ἀλλὰ πάντα τὰ σώματα. Κονστιτουτίων δέ ἐστιν ἡ σύστασις ἤτοι ἀντιφώνησις, διὰ γὰρ τῆς ἀντιφωνήσεως συνίσταται ἢ βεβαιοῦται ἡ ἀπαίτησις τῶν παρά τινος ὀφειλομένων τοῖ πραγμάτων· οἱ τοίνυν περὶ ἀντιφωνήσεως νόμοι κείμενοι ἐν βιβλ. ιγ. τῶν Διγ. τιτ. ιε. καὶ ἐν βιβλ. τοῦ Κωδ. τιτλ. ιη. ἐπιγράφονται μὲν δὲ πεκουνίαις κονστιτούταις, τουτέστι περὶ χρημάτων συστάσεως. ἐξελέχθη δὲ ἐν βιβλ. τῶν βασιλ. κϛ. τιτλ. ζ. κεφ. γ. Δεῖ δὲ εἰδέναι ὅτι διαφέρει ἀντιφώνησις ἐγγυῆς· καὶ ἔστι πρώτη διαφορὰ αὕτη, δύναταί τις καὶ ἑαυτῷ ἀντιφωνεῖν ὡς βιβλ. ιγ. τῶν Διγ. ἐγγυᾶται δέ τις ἑαυτὸν οὐδαμῶς ὡς βιβλ. μϛ. τῶν Διγ. δευτέρα δέ αὕτη, ἕτερον ἀνθ᾽ ἑτέρου ἀντιφωνεῖται, ἐὰν θέλῃ ὁ δανειστὴς ὡς βιβλ. ιγ. τῶν Διγ. ἕτερον δὲ ἀνθ᾽ ἑτέρου οὐκ ἐγγυᾶται. [Τρίτη αὕτη, ἀντιφωνεῖ τις ἐπὶ βαρυτέρᾳ αἰτίᾳ, οἷον ὑπὸ ἀφ᾽ οὗ ὄντος τοῦ χρόνου, ἀντιφωνεῖ χωρὶς ἀφέσεως, οὐκ ἐγγυᾶται δὲ] ἐπὶ βαρυτέρᾳ αἰτίᾳ. ἀντιφωνεῖται τὸ δέβιτον ἤτοι χρεωστούμενον, τὸ δὲ ἰνδέβιτον ἤτοι ἀχρεώστητον τυχὸν τὸ ὑπὸ παραγραφῆς οὐκ ἀντιφωνεῖται ὡς βιβλ. ιγ. τῶν Διγ. ἐγγυᾶται δὲ τὸ ἰνδέβιτον. τετάρτη αὕτη, ἡ μὲν ἀντιφώνησις γίνεται μεταξὺ καὶ παρόντων καὶ ἀπόντων, καὶ δι᾽ ἀγγέλου, καὶ οἱασδήποτε ῥήμασι καὶ δι᾽ ἐλευθέρου προσώπου. ἡ δὲ ἐγγύη μεταξὺ παρόντων μόνων συνίσταται, πᾶς γὰρ ἐγγυητὴς τὸν ἐξ οἱασδήποτε ἐνοχῆς ἐπερωτωμένων κατατιθέμενον ἐγγυᾶται, ἐπερώτησιν δὲ γένεσθαι μὴ παρόντων τῶν προσώπων ἀδύνατον. ἀνάγκη οὖν τὴν ἐγγύην παρόντων γίνεσθαι τῶν προσώπων.

Πέκους. κτῆνος.

Πένα. ποινή.

[Πένα σούμμα. ποινὴ ἢ τιμωρία ἄκρα. ἰστέον δὲ ὅτι ὁ θάνατός ἐστι μόνος ἐσχάτη τιμωρία, οἷον τὸ φουρκισθῆναι ἢ ἀκυστῆναι, ἢ ἀποκεφαλισθῆναι. ἀλλὰ καὶ τὸ δεπορτευθῆναι, τουτέστι περιορισθῆναι, καὶ τὸ μεταλλισθῆναι, ταῦτα γὰρ πλησιάζει καὶ μιμεῖται θάνατον· τὸ δὲ προσκαίρως ἢ διηνεκῶς ἐξορισθῆναι ἢ εἰς δημόσιον ἔργον δοθῆναι, ἢ ἄλλην ὑποστῆναι ποινὴν οὐκ ἔστι κεφαλικόν.]

Πένες σε. πρός σε, ὃ ὑπὸ τὴν νέμην σοῦ ὄν.

Πένσω. σταθμίζω.

Προσηγορία τοῦ Πενθεροῦ, καὶ τὸν πρόθεντερὸν δηλοῖ.

Περάες ετλίβραμ. διὰ χαλκοῦ καὶ ζυγοῦ.

Περάκτο τέμπορε, σπάτιο τέμπορος. διελθούσης τῆς προθεσμίας.

Περβίκες. κατ᾽ ἀμοιβήν.

Περβουκουλοῦμ. κατὰ χάσμα, τουτέστι καθ᾽ ἕκαστον ἄνθρωπον.

Πέργουλα. ὑπερῷον.

Περεγρῖνος. πάροικος.

Περεγρῖνος. ξένος.

Περεγρῖνος. ξένος, παρεπιδήμους.

Περεγρίνους. ξένους, τουτέστιν ἔξωθεν τῆς ῥώμης οἰκοῦντας, λατίνοι γὰρ τὴν ῥώμην οἰκοῦντας.

Περεγρίνῳ. παροίκῳ.

Περεμπτορία. ἀναιρετικὴ παραγραφὴ, ἤτοι διηνεκῶς ἀντίκειται τῷ ἐνάγοντι ἀεὶ τὴν ὑπ᾽ αὐτοῦ κινουμένην ἀγωγὴν ἀναιροῦσα.

Περεμπτορίαι. προγεγραμμέναι.

Περεμπτορίαι. ὡρισμέναι, ὅταν ὁ κριτὴς τοὺς δικαζομένους κελεύσῃ ἐλθεῖν ἐπὶ ῥητὴν ἡμέραν κριθῆναι, διὰ τὸ ἴσως τότε μὴ ἔχειν ἄδειαν.

Περεπίστουλαμ. ἡ δι᾽ ἐπιστολῆς ἐλευθερία.

Περετοῦνδος. βασιλικῶν τιμῶν.

Πε-

Καστρέσια] Briſſonius in *verb. Peculium* haec ex libro veteri proferens habet Καστρένσια; ſed vulgatum ſaepius in his gloſſis occurrit, nec ipſis Autoribus ubivis abjudicari poteſt.

δεσποινῶν] Briſſonius edidit δεσποτείας, & in aliis eſt variatio; ſed lectio eſt deterior illic, quam hoc in loco.

διαφέρει πεκουλία] Pro, διαφέρει δὲ πεκουλίᾳ; ſcilicet, actio. Idem paulo poſt occurrit.

φόρτα] φορτία. SCAL. Recte, & ita ſaepe Theophilus, §. 3. & 5. *Inſt. quod cum eo, qui in alien. poteſtat. eſt, &c.* & Baſilica *lib.* XVIII. *tit.* 2.

μόνα] μόνον. SCAL.

κονστιτουτίων] rectius Κονστιτούτουμ.

βιβλ. ἢ Κωδ.] βιβλ. δ το Κωδ. Mſ. *

πεκουνίαις κονστιτούταις] πεκουνίας κονστιτούτης. Mſ. *

ἐγγυᾶς] ἐγγύης Mſ. *

ἐπερωτωμένων] lego ἐπερωτώμενον.

ἀκυσθῆναι] lege καυθῆναι ex Baſilicis, *lib.* LX. *p.* 833, vivi crematio, *l.* 28. *pr. D. de poenis.*

παρεπιδήμους] Scribendum παρεπίδημος.

ἤτοι διηνεκῶς] τὶς Mſ. (*) Forte ἥτις.

Περεμπτορίαι. ὡρισμέναι &c.] Briſſonius *in verb. Peremptorium* haec proferens exhibet Περεμπτόριον, ὡρισμένον, ſcilicet, edictum, de quo agitur in *l.* 68. & *ſeqq. D. de judic.* quod interpretatio confirmat.

ἄδειαν] Apud Briſſonium exſtat αἰτίαν, quod non probo. Recte ſe habet ἄδειαν:

Περετοῦνδος. βασιλικῶν τιμῶν.] Corruptiſſimus eſt hic locus in Mſ. cod. Reg. ſicque legitur: Περετοῦνδος, βασιλικῶν τιμῶν, Πριμιπιλίων, δημοσίων χρεωστημάτων. Emendandum & legendum cenſeo;

Pe-

Περικεκλουβισμένος. καταχαραχθέντος.

Περμανέντουμ. τὸν ἐναπομείναντα μετὰ τὰ βάρη.

Περμένσαμ ἐλευθερίαν. ὅταν συνεσθιασθῆναι μοι κελεύσω τὸν δοῦλον μου.

Περμουτατιὸν. καταλλαγή.

Περμουτατιὸν. ἀντάλλαγμα.

Περμουτατίονα. ἀνταλλαγήν.

Περμουτατίων. καταλλαγή.

Περμουτατίωνος. ἐναλλαγῆς.

Περπετυάσσαι. ἀναζητεῖν.

Περπετοῦα. διηνεκής.

Περπετούα. διηνεκεῖ, αἰωνία.

Περπετοῦα. διηνεκής, τριακονταετής.

Περπετοῦα. ἡ διηνεκὴς μίσθωσις.

Περπετοῦον καλεῖ καὶ τὸν τριακονταετίας χρόνον, καὶ τὸν ἄχρι τῆς ζωῆς τοῦ ἀνθρώπου χρόνον.

[Περπετούες. τῶν δικαιῶν ἀγωγῶν αἵτινες ἀπολλύονται τῇ τριακονταετίᾳ.]

Περπετούως. διηνεκῶς.

Περπετόνα. αἰωνία. διηνεκής.

Περσοναλία ἀγωγὴ προσωπική.

[Περσοναλία. προσωπική ἐστι δὲ ἀγωγὴ κατὰ προσώπου κινουμένη, ἥτις δίδοται ἢ τῷ νέῳ οὐ μόνον κατὰ τῶν ἐπιτρόπων ἢ κουρατόρων διὰ τὸ ἀζήμιον, ἀλλὰ καὶ κατὰ τῶν πραγμάτων τῶν ἐκποιηθέντων. εἰ γὰρ ἡ ἀποκατάστασις οὐκ ἔστι περσοναλία, ἀλλ' ὅμως οἱ νέοι ἑκατέρου ἀποροῦντες διὰ θατέρου πάλιν βοηθοῦνται.]

Περσοναλία. προσωπική, ἔστι δὲ ἀγωγὴ κατὰ πρόσωπον κινουμένη, ἥτις δίδοται οὐ μόνον κατὰ τῶν ἐπιτρόπων ἢ κουρατόρων διὰ τὸ ἀζήμιον, ἀλλὰ καὶ κατὰ τῶν πραγμάτων τῶν ἐκποιηθέντων

[Περσεκούτιο. ὁ οἱοσδήποτε ἐκβιβασμὸς ὃς καὶ μὴ δι' ἀγωγῆς προβαίνει, ἀλλὰ διὰ προσελεύσεως τῆς πρὸς ἄρχοντας γινομένης.]

Περσεκούτιο. ψιλοῦ τοῦ πράγματος ἀπαίτησις.

Περσοναλίαι. προσωπικαί.

Περσοναλίων. προσωπικῶν.

Πέρτιος. περσικὸς, πέρσης.

Περτιον. περσικός.

Πέρφιστου. τέλειον.

Πετέτων. ἀπαιτητής.

Ποτιθιὸν, ἤτοι Πετετιὸν. ἡ ζήτησις.

Πέτιθον. τὸ ζήτημα.

Πετίτιον. συμπεφωνημένον.

Πέτω. τὸ ζητῶ.

Πετίτιο. ἀναζήτησις, αἴτησις, ἀπαίτησις.

Πετίτωρ. ἀπαιτητὴς ὁ τὴν κατάστασιν ἀνατρέπειν πειρώμενος τὴν οὖσαν καὶ φαινομένην. ὁ δὲ αὐτὸς καὶ ἄκτωρ λέγεται.

Πετρώνιος νόμος. τοῦ μὴ δύνασθαι αὖθις τις κινεῖν τι.

Πημεντάριος προπετῶς διδοὺς τὸ κώνειον ἢ σαλαμάνδραν κατέχεται τῷ δὲ σικαρίοις.

[Πιγνερατίκια. ἐνεχυριαστική. αὕτη δὲ πιγνερατίκια χρεώστῃ δίδοται κατὰ δανειστοῦ ἀπαιτοῦσα τὸ ἐνέχυρον, καὶ εἴτι χεῖρον γέγονε, καὶ οὓς ἔλαβε καρποὺς ἢ λαβεῖν ἐδύνατο. δόλον δὲ καὶ ῥαθυμίαν κολάζει τοῦ δανειστοῦ καὶ διλιγέντιαν ἀπαιτεῖ, καὶ οὐκ ἀντίκειται αὐτῇ μακροῦ χρόνου παραγραφή· ὑπολογίζεται δὲ καὶ τῷ δανειστῇ τὰ ἀναγκαῖα δαπανήματα, καὶ τοῖς τυχηροῖς αὐτὸν οὐχ ὑποβάλλει τοῖς ἄνευ δόλου καὶ κοῦλπας.]

Πιγνερατικία. ἀγωγὴ περὶ ἐνεχύρων.

Πιγνερατίτια. ἐνεχυραστικὴ δὲ πιγνερατίκια ἀκτίονε, ἤτοι περὶ ἐνεχυραστικῆς ἀγωγῆς.

Πιγνορίβους. ἐνέχυρον.

Πίους. εὐγενής.

Πισκίνα. κιστέρνα, ἰχθυοτροφεῖον, κολυμβήθρα.

Πιστικὸς λέγεται, ᾧ ἐμπιστεύονταί τινα πράγματα. διὰ τοῦτο καὶ τὸν χρηθέντα ἀξιόπιστον εἰς φυλακὴν πλοίου, πιστικὸν λέγουσι τοῦ πλοίου.

[τοῦτο τὸ μονόγραμμα δηλοῖ τάδε Ῥωμαϊκῶς, ποικονσουλάτουμ, τουτέστι μετὰ τὴν πατρίαν, Ῥωμαῖοι δὲ μᾶλλον οὕτως γράφουσι C. Π. προτιθέντες βαρβάρως τὴν ὑπατείαν τοῦ μετά.]

Πλαγιάριος φλάβιος. κατὰ ἀνδραποδιστῶν καὶ τοὺς φυγάδας πωλούντων.

Πλαγιαρίους. ψυχαγωγὸς, ἀνδραποδιστής.

Πλαγιάτα. τὰ παρὰ τοῦ ἀνδραποδιστοῦ ἀφαιρεθέντα.

Πλάκιτουμ. σύμφωνον.

Πλαστῶρε κέρρες ἰντερδίκτουμ. ὁ ἀλλοτρίαν γῆν ἐπαφεὶς εἰς βοσκὴν θρεμμάτων.

Πλα-

ρεπετοῦνδος, δικαιοῖον χρηματισμάτων. Περμιτιάλων. Βασιλικῶν τιμῶν. LABB.

Περικεκλουβισμένος] Salmaſius *ad Vopiſc. Carin.* & Du Cangius in Gloſſar. *v.* κλουβίζω *ſub v.* κλίβος haec adducentes, ſcribunt Περικεκλουβισμένος, cui reſpondet interpretatio.

Περπετυάσσαι. ἀναζητεῖν] Leg. Ρεπετιτεύειν. LABB.

διηνεκεῖ] Lego διηνεκῶν.

Περπετόνα. αἰωνία] Lego Περπετοῦα. LABB.

ἢ τῷ νέῳ] Delendum videtur ἢ, niſi forte exciderint verba τῷ πουπίλλῳ; quae enim ſequuntur, tam ad pupillum, quam adultum pertinent Ceterum quae datur actio de rebus alienatis, ſive tutoris curatorisve, ſive ipſius pupilli vel minoris, non eſt in perſonam, ſed in rem: adeoque hic graviter eſt peccatum, & in ſequenti gloſſa.

ἐκποιηθέντων] Lege ἐκποιηθέντων.

κατὰ πρόσωπον] Scribendum κατὰ προσώπου.

μὴ δι' ἀγωγῆς] Lego, μὴ δι' ἀγωγῶν, & ita Fabrotus haec repraeſentat *ad Theophil.* §. 1. *de actionib.* ex gloſſis ineditis.

Πέρφισυ. τέλειον] Lego Περφέκτον. LABB.

Πετέτων] Lege Πετίτωρ, uti dein ſequetur.

καὶ φαινομένην] ἢ φαινομένην.

τοῦ μὴ δύνασθαι αὖθις τις κινεῖν τι] Suppleri poſſunt, quae deſunt ex *l.* 16. *C. ad Leg. Jul. de adulter*, Valde tamen parum Auctor propoſitae rei ſatisfecerit, ſi nihil hic peccarint librarii.

Πημεντάριος προπετῶς διδούς] Senſus eſt §. 3. *l. ejusdem* 3. *D. ad legem Cornel. de ſicar. Pigmentarii ſunt, qui deſtinati ſunt colligendis herbis & deponendis in xenone, qui & Auxiliorum curatores ſunt, lib.* 60. *Baſil. tit.* 39. Verba Graeca huc usque inedita haec ſunt: Πημεντάριοί εἰσιν, οἵ τινες εἰσὶν ἀπωρισμένοι ἐπὶ τῷ τὰς βοτάνας συλλέγειν καὶ ἀποτίθεσθαι ἐν τῷ ξενῶνι. οἵ τινες καὶ τῶν βοηθημάτων φροντισταί εἰσιν. LABB.

εὐγενεῖς.] Imo εὐσεβεῖς. Du Cangius *Gloſſar. h. v.*

τοῦτο τὸ μονόγραμμα] An praeceſſerat Pc. vel Πο. quod notat *Proconſul* apud Magnonem *in notis.* Adde gloſſam ſub hac litera finalem.

ποικονσουλάτουμ] Leg. προκονσουλάτουμ.

πατρίαν] Scribi debuit ὑπατείαν: & ſic in gloſſa ultima ſub hac litera.

φλάβιος] Legendum φάβιος.

Πλαστῶρε κέρρες] Sub hisce forte latet Πάσου πέκορις. Briſſonius *de verbor. ſignification.* haec profert ex veteri Gloſſario, *De paſtu pecoris*, ὁ ἀλλοτρίαν γῆν ἐπαφεὶς εἰς βοσκὴν θρεμμάτων. Immiſſis tamen animalibus habet locum actio de damno, injuria dato, *l. ult. C. de leg. Aquil.* non actio de paſtu pecoris, quae tunc datur, cum animalia abſque ullius inſtigatione alienas ſegetes depaverunt, *l.* 14. §. *ult. D. de praeſcript. verb..* &

de

Πλατζάριος. κουμμερκιάριος.
Πλατιάριος. κομμερκιάριος.
Πλεβίκουλα δημόχαρις, τῷ δήμῳ κεχαρισμένος.
Πλεβίσκιτα. ἐξ αὐθεντίας τῶν πατρικίων.
Πλεβίσκιτον. τὸ ὑπὸ τοῦ πλήθους ἤτοι χυδαίου δήμου γνωσθέν.
Πλεβίσκιτον. δήμου ψήφισμα.
Πλένα πουβέρτας. ἐφηβότης τελεία.
Πλένω. τελείω.
Πλῆθός ἐστιν οἱ λοιποὶ πολίται χωρὶς τῶν ἀξιωματικῶν.
Πλίκω. πλέκω.
Πλουματίζεται. ὀξυτάτοις βέλεσι καταστίζεται.
Πλουμία. ποικιλτὰ ὑφάσματα.
Πλοῦμβος. ὁ μόλιβδος.
Πλουρίμι. πλέον.
Πλοῦς πετίτιον. ἡ ὑπεραπαίτησις, ἤγουν τὸ πλέον ἐποφειλομένου πράγματος.
Πλοῦς πετίτιον. ὑπὲρ ἀπαιτήσεως
Ποβέρτατος. ἔφηβος, πέρφεκτος, τέλεια.
Ποδιγύεσιον. νόμισμα ὑπὸ γῆς ἐστρωμένον.
Ποδιγιόσσον. τὸ κατὰ μὴ ἑνὸς ἐν τῇ ἰδίᾳ μορφῇ ζώου τύπον ἔχον.
Ποδοκάκκη. ξύλον τὸ ἐν εἱρκτῇ ἐν ᾧ τοὺς πόδας ἐμβάλλοντες ἔχουσιν, ὁ παρὰ ῥωμαίοις καλεῖται κοῦσπος.
Ποίνα. ποινὴ.
Ποίνας νόμινε. ἵνα ἀνέλθῃ εἰς τὸ καπιτώλιον ὁ δεῖνα, εἰ δὲ μὴ ἀνέλθῃ παρέχει τιτίῳ δέκα νομίσματα.
Ποινάλιαι. βάσανοι.
Πουνάλια. βάσανα.
τῷ ῥήματι τῷ Ποιῆσαι, καὶ ἡ τοῦ ἀποδοῦναι αἰτία περιέχεται, καὶ τὰ ποιητὰ πάντα περιέχεται, δοῦναι, καταβαλεῖν, ἀριθμῆσαι, δικάσαι, πορευθῆναι.
Ποινή ἐστιν ἁμαρτήματος ἐκδίκησις, καὶ οὐκ ἔστιν ἐπ' αὐτοῖς ἔγκλητος, ἀλλ' ἅμα τις καταδικασθῇ, ὑπόκειται τῇ ἀπὸ τῶν νόμων ποινῇ. ὥρισται δὲ ἡ ποινὴ ἀπὸ τοῦ νόμου ἐφ' ἑκάστῳ ἁμαρτήματι.
Ποινὴ μετάλλου ἐστὶ, τὸ καταδικασθῆναί τινα ἄσβεστον ποιεῖν καὶ θεῖον ὀρύττειν.
Ποκίνκτωρ. ἐκ τοῦ σχήματος, ἤγουν ἐζωσμένος καὶ ἕτοιμος εἰς παράταξιν.
Πολέμιοί εἰσιν, οἱ πρὸς οὓς δημόσιον ψηφιζόμεθα πόλεμον. οἱ δὲ ἄλλοι λησταὶ καὶ κλέπται εἰσίν.
[Πολλὶ μικρὸν βλαττίον καὶ μικρότιμον, σκαραμάγγιον δὲ τὸ μέγα ἢ μεγαλότιμον.
Πομπίον. πομπή.
[Πουμπηΐους δὲ παῤῥικίδις. πομπηΐου νόμος περὶ πατροκτόνων. ἡ ποινὴ ἀνῃρέθη ὑπὸ βασιλέως λέοντος, καίεσθαι γὰρ αὐτὸς τοὺς τοιοῦτόν τι πλημμελοῦντας ἐν τοῖς ὡ ὡ ἔγραψεν. ὁ μέντοι παλαιὸς νόμος ὁ κινούμενος κατὰ τοῦ ἀνελόντος τινὰ τῶν ἀνιόντων κελεύει τοῦτον ἐμβάλλεσθαι βυρσίῳ ἀσκῷ μετὰ ἐχίδνης καὶ ἀλεκτρυόνος καὶ κυνὸς καὶ πιθήκου, καὶ συῤῥαπτόμενον ῥίπτεσθαι εἰς θάλασσαν ἢ εἰς ποταμόν.]
Πόμπιος δὲ παριτζίδης. ὁ περὶ πατροκτόνων.
Πομστίμβος. ὁ μετὰ τὴν τελευτὴν τεχθεὶς. καὶ ὁ συλληφθεὶς καὶ ὁ τεχθεὶς, ἔχει δίκαια ποστλιμινίου.
Πόνδερε. τὰ ἐν σταθμῷ, οἷον χρυσὸς, ἄργυρος, μόλιβδος, κασσίτηρος.
Πόνδερε. σταθμοῦ.
Πόνδερε, νούμερο, μενσούρα. σταθμιώμενα, ἀριθμούμενα, μετρούμενα.
Ποπῖνα. καπηλεῖον.
Ποπουλαρία. δημοτική.
Ποπούλι. δῆμος.
Πόπουλος. ὁ δῆμος.
[Πορτιόνεμ. μέρος, οὕτω δὲ ἐκάλεσε τὸ λεγάτον.]
Πόρος. ὁ ἀπὸ καμάτου γενόμενος.
Πορτάτιον. ἐξορία καὶ τελεία δήμευσις.
Ποσέσσωρος. διακάτοχος.
Ποσέσων κτήτωρ.
Ποσσεσσίονεμ διακατοχὴν, κληρονομίαν.
Ποσσέσσωρ. διακάτοχος καὶ κληρονόμος. ἄλλως ὁ τῇ παρούσῃ χρείᾳ καταστάσει.
[Ποσσίδενς. νεμόμενος.]
Ποσσέσσωρος. ἀγαθῶν διακάτοχος.
Πόστιρο δίε. μετὰ μίαν ἡμέραν, τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ.
Ποστιμόριον τὸ νόμιμον μέρος.
Ποστλιμίνιον. τὸ τῆς ὑποστροφῆς δίκαιον.
Ποστλιμίνιον. τὸ τῆς ἀπογραφῆς δίκαιον.

de qua videri poſſint notata *ad Paul. Sententiar lib.* 1. *tit.* 15. §. 1. Interdictum vero hic memoratum in jure noſtro non exſtat: quod enim datur de glande legenda, id hinc eſt alienum.

κουμμερκιάριος] Sic dixere quoque κομμέρκιον pro κομμέρκιον *commercium*. Adeatur Du Cangius *in Gloſſar. v.* Κομμέρκιον: & ad verbum Πλατζιάριος. Idem *in v.* Πλάτζα.

ἐξ αὐθεντίας τῶν πατρικίων] Forte ἔξω αὐθεντίας τῶν πατρικίων: plebiſcita enim valere ſunt juſſa a plebe abſque patriciis, §. 4. *in Inſt. de Jur. natural. gent. & civil.* quod & gloſſae ſequentes indicant.

Πλουματίζεται] Meurſius *in Gloſſar.* reponit Πλουμβατίζεται, ut & in gloſſa ab hinc ſecunda Πλοῦμβος: verum utroque modo haec verba prolata eſſe docet Du Cangius, *v.* Πλοῦμβος *& ſeqq.*

ὀξυτάτοις] Mallem ὀξυτάτοις.

πέρφεκτος, τέλεια] Videtur eſſe ſeparandum hoc a priori: ut vero in interpretatione non ſit idem genus, quod in verbo, non ſine exemplis eſt.

Ποδιγιόσσον] Pro Προδιγιόσον.

μὴ ἑνὸς] Pro μηδενὸς.

παρέχει] Malim παρέχῃ.

βάσανοι] Lego βάσανοι.

Ποιῆσαι &c.] Baſilica in *l.* 218. *D. de verbor. ſignification.* nonnihil ab hiſce diſcrepant.

ἐπ' αὐτοῖς ἔγκλητος] Legendum ἐπ' αὐτῆς ἔκκλητος, in Baſilicis in *l.* 244 *D. de verbor. ſignification.* ἐπὶ τῆς ποινῆς ἔκκλητος. Alibi quoque ἔγκλητος male ſcriptum eſt pro ἔκκλητος.

Ποκίνκτωρ. ἐκ τοῦ σχήματος] Leg. Προκίνκτωρ vel πρόκινκτος, ut infra pro προκίνκτος, *qui eſt in procinctu.* Labb.

οἱ πρὸς οὓς δημόσιον &c.] Melius, eſt quod habent Baſilica *ad l.* 118. *D. de verbor ſignification.* οἱ πρὸς ἡμᾶς, ἢ πρὸς οὓς ἡμεῖς δημόσιον &c.

Πολλὶ] *le.* Πάλλιον (*) Sic quoque eſt ſcriptum in Gloſſis Nomicis Mſſ. Vaticanis apud Du Cangium *v.* Σκαραμάγγιον.

σκαραμάγγιον] Du Cangius in *v.* Πολλὶ e Gloſſis Vaticanis exhibet σκαραμάγγιον.

ἐν τοῖς ὡ ὡ] Fabrotus *ad Theophil* § 6. *Inſt. de public. judic.* in editione anni cIↄ Iↄcxxxviii. haec ex Gloſſis juris Mſ. ita profert ἐν τοῖς .... ἔγραψε. Ibidem vero recte exaratum eſt Πομπήϊος νόμος.

Πομστίμβος] Lege ποστούμος, ut infra *poſtumus.* Labb. Nec aliter Meurſius in Gloſſar. *v.* Πόστουμος.

Ποσέσων] Pro Ποσσέσσωρ.

Ποστλιμίνιον. τὸ τῆς ἀπογραφῆς δίκαιον] Leg. Ποστλιμίνιον. τὸ τῆς ὑποστροφῆς δίκαιον. Labb. Atque id jam praeceſſit, idemque Briſſonius *verb. Poſtliminium* ex veteribus

Ποστλιμίνιον. ἐπανάληψις προτέρας καταστάσεως.
Ποστιμονίου. νομίμου.
Ποστμόρτεμ. μετὰ θάνατον.
Ποστμόρτεμ. μετὰ τελευτήν.
Ποστμόρτεμ κηρέδις. μετὰ τὴν τελευτὴν τοῦ κληρονόμου.
Ποστουλάνδο. συνηγόρους αἰτουμένους.
[Ποστουλάρε. συναγορῆσαι κυρίως ἐστὶ τὸ ἐπὶ βήματος ἐκθέσθαι τὸν ἴδιον σκοπὸν ἢ τὸν τοῦ φίλου.]
Ποστουλάνδους. αἰτούμενος, δεόμενος, ἐγκαλῶν· καταχρηστικῶς δὲ ὁ συνήγορος, διὰ τὸ αἰτεῖν ὑπὲρ τῶν συνηγορουμένων.
Ποστοῦμος. ὁ μετὰ τὴν τελευτὴν τεχθεὶς παῖς.
Ποστοῦμος. ὁ κυοφορούμενος παῖς.
Ποστοῦμος. ὁ μετὰ ταφὴν τοῦ πατρὸς γεννηθεὶς, ὁ μετὰ τὴν διαθήκην τικτόμενος.
Ποτέστας. ἡ ἄκρα ἐξουσία.
Ποτεστατίβουμ. αὐτεξούσιον.
Ποτεστατιβάιν. ἐξουσιαστικὴ ἦν.
Πούβερες. οἱ ἔφηβοι.
Πουβλιανοί. παυλιανοί.
Πούβλικα. δημόσια.
Πούβλικά ἐστι, δημοσία εἰρήνη τοῦ πάντα λαὸν τῇ βασιλείᾳ πείθεσθαι, καὶ πάντα δῦναι, καὶ τὰ ὑπάρχοντα κοινῶς τοῖς πᾶσιν εἰς χρῆσιν, οἷον ἡ θάλασσα, οἱ ποταμοί.
Πουβλίκαε καῦσα. πράγματος δημοσίου αἰτίᾳ.
Πουβλικάνους. ὁ ἐκ τοῦ φίσκου τιμιωθούμενος, κυρίως δὲ ὁ τελώνης.
Πουβλικιανὴ. ἡ ἀνακαλουμένη τὸν νόμον.
ἡ Πουβλικιανὴ μίμησιν ἔχει δεσποτείας, καὶ οὐ ψιλῆς νομῆς. ἔστι δὲ ἡ ἀνακαλουμένη τὴν νομὴν τῷ μήπω διὰ κυριότητα δεσπόσαντι καλῇ πίστει νομῇ.
Πουβλίκιον. τὸ ἀπὸ νόμου ἀνακαλούμενον.
Πούβλικον. τὸ δεδημοσιευμένον.
Πούβλικον. δημόσιον.
Πούβλικον ἔγκλημα. τὸ ἐγκληματικόν.
Πούβλικον. δημόσιον, ὅθεν οἱ ποταμοὶ καὶ αἱ λίμναι δημόσιαι λέγονται.
Πούβλικον. δημόσιον, ὅθεν οἱ ποταμοὶ καὶ οἱ λιμένες πουβλίκου εἰσὶ δικαίου.
Πούβλικον. δημόσιον. τῶνδε πουβλίκων δικαστηρίων τὰ μέν εἰσι κεφαλικὰ, τὰ δὲ ἀκεφαλικά. [καὶ κεφαλικὰ μὲν λέγομεν ἃ τῇ ἐσχάτῃ ὑποβάλλει τιμωρίᾳ τὸν ἐναγόμενον, τουτέστι ἀπωλείᾳ τῆς ψυχῆς ἢ περιορισμῷ. οὐ κεφαλικὰ δὲ ὅσα τὴν εἴς τι μέρος τοῦ σώματος σωφρονισμὸν ἢ ζημίαν ἐπάγει χρηματικήν. καὶ ταῦτα πούβλικα μὲν λέγονται, οὐ μὴν καὶ κεφαλικά.]
Πουλπιβιαία. ἡ ὑποκατάστασις οἶμαι τοῦ ὀρφανοῦ, ἡ εἴσοδος εἰς κλῆρον.
Πουπιλαρία. ὀρφανή τις ἐν τῇ ἀφηλικιότητι ἰδίων δεσποτῶν.
Πουπιλαρίαι. ὀρφανότης, πούπιλος γὰρ ὁ ὀρφανός.
Πουπιλατίο. ὀρφανία.
Πούπιλος. ὁ ἄνηβος.
Πούπιλλος. ὁ ἀπεστὰς χρόνου μέχρι τῶν δεκατεσσάρων.
Πούπιλος. ὁ ἄνηβος αὐτεξούσιος, ἤγουν ὁ ὑπεξούσιος ὢν τῷ πατρὶ αὐτεξούσιος δὲ γενόμενος.
[Πουπίλους. ὁ ὑπερβὰς τὴν ὑφαντος ἡλικίαν, τουτέστι τὴν τοῦ ἔτι θηλάζοντος ἢ μικρῷ μείζονος ἤγουν ἑπταετοῦς.]
Ποῦπλος. ὁ ὀρφανός.
Πουπουλαρία. δημοτικὴ ἀγωγή.
Πουπουλαρία. δημοτικὴ ἡ δὲ ἀγωγὴ αὕτη φυλάττει τοῦ δήμου δίκαιον.
Πούπουλος. λαός τε καὶ λύκος.
Πούπουλος. λαός.
Ποῦρον. τὸ καθαρόν.
Ποῦρον κλέω. τουτέστιν καθαρόν.
Ποῦρος. καθαρός.
Πουρρὸς. καθαρός.
Πούρρος. ἁπλοῦς.
Ποῦρος. εὐθέως, οἷον ὁμολογεῖς διδόναι μοι ι. νομίσματα, εὐθέως ἔχει τὴν ἀπαίτησιν.
Πούστιον μέρος. τὸ νόμιμον μέρος.
Πουστοῦμος. ὕστερος.
Πουστοῦμος. ὁ μεταγενέστερος.
[Π. Π. τοῦτο τὸ μονόγραμμα Ῥωμαίοις δηλοῖ τὸν περπέτουον, τουτέστι τὸν διηνεκῆ καὶ αἰώνιον. δηλοῖ δὲ καὶ πατέρα πατρίδος καὶ πραίτωρα πραιτωρίων.]
Πραεβαρικατόρων. τῶν προδιδόντων τὰς ἰδίας ὑποθέσεις.
Πραεβαρικατεύει. τὰ ἀληθῆ ἐγκλήματα ἀποκρύπτει.
Πραεβαρικατζιόναι. κατὰ συκοφαντῶν.
Πραεβαρικάτωρ. ὁ συκοφάντης ὁ συμπαίζων μετὰ ἐναγομένου, καὶ μεταφορικῶς τὸ λειτούργημα τοῦ κατηγορῆσαι πληρῶν, διότι τὰς μὲν οἰκείας ἀποδείξεις προσποιεῖται, τὰς δὲ ψευδεῖς τοῦ ἐναγομένου ἀπολογίας προσίεται.

Πραε-

gloſſis exhibet: atque ita in Baſilicis *lib.* xxxiv. *tit.* 1. paſſim occurrunt verba ὑποστροφὴ & ὑποστρέφειν.

προτέρας] τῆς προτέρας Mſ. *.

Ποστιμονίου] Boſquetus *ad Pſell. Synopſ.* v. 843. legit ποστμοςίου. Mihi non diſplicet ποστμοςίου, ut modo habuimus Ποστμόρτεμ, & ſic *in Synopſi* Pſellus *v.* 849. ac in Gloſſario Philoxeni Ποστμόςτεμ pro Ποστμόρτεμ, *Portunculo*. In alio Gloſſario eſt ποστμόςτεμ. Quid ſi dicamus, utroque modo verbum hoc expreſſum fuiſſe? & quam frequenter literae η & ι promiſcue in hiſce Gloſſis ſcribuntur?

Ποτεστατιβάιν. ἐξουσιαστικὴ ἦν.] ποτεστατίβαν. ἐξουσιαστικήν. *

τιμιωθύμενος] Lego τε μισθούμενος.

τὸν νόμον] τὴν νομήν. Labb. *.

νομὴ] Legendum νομῇ, *poſſeſſione*.

λίμναι] Rectum eſt λιμένες, *portus*. Poſteriores tamen Graeci etiam dixere λιμιῶνες & λιμαίωνες. Videatur Gloſſarium Du Cangii *in* λιμιών.

Πούβλικον δημόσιον ὧν δὲ *&c.*] πουβλίκων. δημοσίων Mſ.

(*) Sunt ſequentia ſimilia iis, quae habet Theophilus §. 2. *Inſt. de public. judic.*

ἀκεφαλικά] Theophilo *dict. loc.* οὐ κεφαλικά, rectius.

Πουλπιβιαία] πουπιλλαρία. *

ὀρφανή τις] ὀρφανότης. *

Πουπιλαρίαι] An voluit ſcribere πουπιλλάρις ἄετας?

μέχρι τῶν] Scribendum μέχρι ἐτῶν.

καὶ λύκος] Quid lupo commune cum populo? an latet verbum λεύκη *populus*, arbor, ſcilicet?

Πουρρὸς] Rectum eſt πύῤῥος, quomodo ſcribi debuit etiam in gloſſa ſequenti. An tamen talia a librariis ſint omnia, dubito.

Ποῦρος. εὐθέως] Rectius Πούρως. εὐθ.

Πούστιον μέρος] Videtur intelligi quod vocatur in praecedentibus ποστιμόνιον.

πραίτωρα πραιτωρίων] Forte exprimere voluit Praefectos Praetorio, qui his literis ſignantur: ita tamen etiam ad finem litterae hujus ſcriptum eſt.

Πραεβαρικατόρων] Rectum foret πραεβαρικατόρων, uti ſcriptum eſt in ſequentibus πρεβαρικάτωρ.

προσποιεῖται] Idem hoc exſtat apud Briſſonium *in verb. Praevaricari* haec proferentem. In inferiori-

Πραεβαρικάτωρ. ὁ τὴν ἰδίαν ὑπόθεσιν προδιδοὺς καὶ τῷ ἀντιδίκῳ αὐτοῦ βοηθῶν.

Πραεβαρικάτωρ. προδότης.

Πραεβαρικάτωρ. ὁ συμπαίζων τῷ ῥέῳ ἢ τῷ ἐναγομένῳ, καὶ ἀπροσποιούμενος τὰς οἰκείας ἀποδείξεις προσιεμένος δὲ τὰς πλαστὰς τοῦ ῥέου δικαιολογίας.

Πραεδικάτωρ. συκοφάντης, ὁ προδιδοὺς τὴν ἰδίαν δίκην, καὶ τῷ ἀντιδίκῳ αὐτοῦ βοηθῶν.

Πραειουδίτζιον. ὁ ἐπὶ ἐναλλαγῇ καταστάσεως διδόμενος.

Πραελεγάτα δὸς. ἡ ἀντιληγατευθεῖσα προίξ.

[Πραεποστέρα. πρωθύστερα ἐπερώτησις· οἷον ἐάν τις ἐπερωτήσῃ, ἐὰν ἡ ναῦς αὔριον ἔλθῃ ἀπὸ τῆς Ἀσίας σήμερόν μοι δοῦναι ὁμολογεῖς; ἄχρηστος δὲ ἦν αὕτη ἡ ἐπερώτησις, ἐπειδὴ οὐ δεῖ τὴν δόσιν πρεσβυτέραν τῆς ἐκβάσεως τῆς αἱρέσεως ἀλλὰ μεταγενεστέραν. γίνεται δὲ καὶ ἐπὶ προικὸς πρεποστέρα ἐπερώτησις οὕτως, ἵνα ἐπερωτήσῃ τὸν ἄνδρα ἡ γυνή, τὴν προῖκα ὁμολογεῖς μελλούσῃ μοι τελευτᾷν διδόναι τὴν προῖκα ἐὰν ἄπαις τελευτήσω. ἡ μὲν γὰρ δόσις εἰς τὸν τῆς ζωῆς ἀνάγεται χρόνον, ἡ δὲ ἔκβασις τῆς αἱρέσεως ἤτοι ἡ ἀπαιδία εἰς τὸν μετὰ τελευτήν. ταύτας δὲ τὰς ἀχρήστους ἐπερωτήσεις εὐχρήστους ἀπέδειξεν Ἰουστινιανὸς διὰ τοῦ κα. διγ. τοῦ. κγ. τιτλ.]

Πραεσκρέπτης βέρβης. ἡ τῶν συμπεφωνημένων ῥημάτων ἀγωγή.

Πραεσκρίπτις βέρβις. ἡνίκα τις διαλιμπησάμενος πρᾶγμα, παρασχῶ σοι ἐπὶ τῷ πωλῆσαι εἰπών, ἢ φέρε μοι εἰς τοῦτο τόσα νομίσματα, ἢ αὐτὸ τὸ πρᾶγμα.

τῆς Πραεσκρίπτης βέρβης. τῆς τῶν προγεγραμμένων ῥημάτων ἐνοχῆς.

Πραεσκρίπτης βέρβης. ἡ περὶ προγεγραμμένων συμφωνία ἀγωγή.

Πραεσκρίπτοις βέρβις. τῆς ἐν τοῖς προγραφεῖσι ῥήμασιν ἐνοχῆς.

Πραεσκριπτίονες. παραγραφαὶ προγεγραμμέναι, ἤτοι πρὸ τῆς ἀγωγῆς ἐξεταζόμεναι, ὡς δηλοῖ ἡ ἐπιγραφὴ τοῦ α τιτλ. τοῦ κα. βιβλ. τῶν Βασιλικῶν. τὰς μὲν γὰρ τῶν μαρτύρων παραγραφὰς μετὰ τὰς τοῦ ἐνάγοντος ἀποδείξεις δεῖ ἐξετάζειν· ὅταν δὲ πρὸς αὐτὴν ἐκείνην ἡ παραγραφὴ μάχεται τὴν ἐναγωγήν, ὡς μηδὲ ἀξίαν παραδεχθῆναι, τότε τὴν παραγραφὴν ἀνάγκη προεξετάζειν καὶ μὴ μάτην ποιεῖν.]

Πραεσταττίονες. τὰ κατὰ πρόσωπον ἐγκλήματα, ἔνθα τις ἐγκαλεῖται ὡς ἢ βλάψας τὰ ἐπίκοινα, ἢ καρπωσάμενος αὐτὰ μόνος ἐξ ἄλλης αἰτίας.

Πραιτεξτάτος. ὁ νέος.

Πραιτεξτάτα. φόρεμα ῥωμαϊκόν.

Πραιτεριτευθῆναι ἤγουν ἀμνημονεύτους ἐαθῆναι.

Πραιτέριτος. ἀμνημόνευτος.

Πραιτέριτος. ἀπόκληρος.

Πραιτωρευθείς. ἀμνημονευθεὶς ἐν τῇ διαθήκῃ.

Πραιτορευτής. ἀμνημονευτής.

Πραιτώρητος. ἀπόκληρος παῖς.

Πραιτέριτος. ὁ ἀμνημόνευτος, παρελθών.

Πραιτώρια ἀκτίο περπετοῦα φιτ ἰμπεραλόμς ρεσκρίπτο. ἡ πραιτώρια ἀγωγὴ διηνεκὴς γίνεται τῇ τοῦ βασιλέως ἀντιγραφῇ. ἴστεον δὲ ὡς ἐν τῷ ιβ. τιτλ. τῶν Διγ. βιβλ. τῶν Ἰνστιτούτων δηλοῦται, ὅτι πάλαι τὸ τοῦ πραίτωρος διάταγμα μέχρι ἐνιαυτοῦ ἴσχυε, καὶ διὰ τοῦτο καὶ αἱ παρὰ τῶν πραιτόρων ἐπινοηθεῖσαι ἀγωγαὶ ἀναλίαι εἰσὶ τουτέστι πρόσκαιροι, οἷον περὶ τῶν βίᾳ τὰ ἀλλότρια ἁρπαζόντων.

τὸ Πραθὲν καὶ ἓν παρὰ τῷ πράτῃ, οὐ λέγεται ἐκποιηθὲν ἀλλὰ πραθέν.

Πραιπόσιτος. εἶδος ἀξιώματος.

Πραίτωρ. στρατηγός.

Πραίτωρ. παρὰ τὸ πραειέσσαι καὶ ἄρχειν.

Πραίφεκτοι. δώδεκα ἄρχοντες προβεβλημένοι ὑπὸ τῶν ὑπάτων, οἳ τοῖς ὑπάτοις τοὺς ἐπιδειοτάτους πρὸς τὴν ἀληθινὴν χρείαν ἐκ τῶν παραγεγονότων συμμάχων ἱππεῖς τε καὶ πεζοὺς ἐξέλεγον τοὺς καλουμένους ἐκτραορδιναρίους, ὃ μεθερμηνευόμενον ἐπιλέκτους.

Πραίφεκτος. ναύαρχος.

Πραισπερίες. ἡ δίχα κακουργίας ζημία ἐπὶ τῶν ἀλόγων, οἷον, ἵππου, καὶ τῶν ὁμοίων.

Πρειουδίκιον. ἐναντίον τῆς κρίσεως.

Πραιουδίκιον. πρόκριμα.

Πραιουδίκιον. τύπος ἐξ ἰντεντιῶνος ἤτοι ἐναγωγῆς μόνος συγκείμενος, οἷον εἰ φαίνεται τὸν δέ μου εἶναι υἱὸν κατὰ τὸ εἶναι μου ὑπεξούσιον, τὸ αὐτὸ σκόπησον ὦ δικαστά, ὡς βιβλ. ϛ. τῶν δὲ ἰουδικίων

Πρεκάριον. τὸ κατὰ παράκλησιν εἰς χρῆσιν διδόμενον ἐφ᾽ ᾧ ἀναλαβεῖν.

[Πρεκέπτιο. τὸ ἐξαίρετον λεγάτον, ἤγουν τὸ ἔξωθεν τῆς κληρονομίας, ὡς ἐν προσθήκῃ καταλιμπανόμενον τῷ μερικῷ κληρονόμῳ, οἷον ὅταν οὕτως εἴπω· πρὸς τῷ μέρει τῆς κληρονομίας ἧς καταλιπον τῷ δεῖνι βούλομαι αὐτὸν καὶ τόδε τὸ πρᾶγμα ἔχειν ἐν ἐξαιρέτῳ.

Πρεκέπτουμ. ἐξαίρετον λεγάτον τὸ ἁρμόζον τοῖς ἐξέχουσι, τουτέστι τοῖς ἐξαιρέτοις καὶ ἐκφανέσι προσώποις, ἃ

ribus tamen gloſſis hic occurrit ἀνπροσποιεῖται, h. e. *diſſimulat*; ac ſic habent recte Baſilica *in l.* 1. §. 6. *D. ad S. C. Turpillian.* ex qua lege haec habent originem.

ἀπροσποιούμενος] ἀπροσποιούμενος μὲν Mſ. (*) & ita habent Baſilica, & in *d. l.* eſt *quidem*.

Πραεδικάτωρ. συκοφάντης] Leg. Πραεβαρικάτωρ. Labb.

ἔκβασις τ αἱρέσεως] Legendum ἔκβασις τῆς αἱρέσεως; nec aliter Theophilus §. 13. *Inſt. de inutilib. ſtipulationib.* ubi de hiſce agitur.

διὰ τ κα διγ τ κγ. τιτλ.] Intelligitur *l.* 25. *C. de teſtament.* ſed ſola tituli allegatio hic eſt integra.

συμφωνία] Mallem συμφώνων, uti eſt in Baſilicis *lib.* xx. *tit.* 4. & illic ſaepe occurrit.

ἐξ ἄλλης αἰτίας] Lego, ἢ ἐξ ἄλλης αἰτίας, hoc ſenſu, praeſtationes perſonales has eſſe, quando quis in actione familiae erciſcundae vel communi dividundo convenitur ob damnum, rebus communibus inlatum, vel quod ſolus fructus perceperit, vel ob aliam cauſam.

Πραιτεξτάτα] Meurſius *in Gloſſar.* reponit Πραιτέξτα, rectius.

ἐν τῷ ιβ. τιτλ. τ Διγ. βιβλ. τ Ἰνσ.] Scribendum ἐν τῷ ιβ. τιτλ. τ Δ. βιβλ. τ Ἰνσ.

πραειέσσαι] Forte πραεῖσσαι vel πραεῖσσε.

οἱ τοῖς ὑπάτοις &c.] Apud Polybium *Excerp. lib.* vi. *cap.* 24. unde haec deſumpta, legitur, οἱ πρῶτον μὲν τοῖς ὑπάτοις. Verum illa verba, πρῶτον μὲν, non exſtant quoque apud Suidam, qui reliqua exhibet; ac dubium eſt, an hujus gloſſae Auctor illa quoque hic poſuerit.

Πραισπερίες] Leg. παυπέριες. Labb.

ἐναγωγῆς μόνος] ἡ ἐναγωγῇ μόνον Mſ. *

μόνος] Apud Theophilum §. 13. *Inſt. de actionib.* ubi haec verba exſtant, ſcriptum eſt μόνης; quod mihi magis adridet.

οἷον εἰ] οἷον Mſ. (*) Lego, οἷον εἰ φαίνεται, *veluti ſi paret*.

τὸ εἶναι] τὸ εἶναι Mſ. (*) Locus erit integer, ſi ſcribamus οἷον τὸ εἶναι, &c. *deinde eſſe in mea poteſtate*.

Πραιτώριος &c.] Parum accurate proponitur hoc

ἅ εἰσι τῶν ἀπόντων καὶ τῶν κατιόντων.]

Πρεκονάτα. ἐπίκακηρυγμένα καὶ οἷον ἀφωρισμένα ἐπὶ πρα . . . . . . πρεκόνειν γὰρ τὸ κηρύσσειν, καὶ πρέκονες οἱ κήρυκες.

Πρέμια. ξένια.

Πραμιτένδη. συνταγωγικός.

Πρέμος. ξένια.

Πρεποστέρα. πραθυστέρα.

Πρεπδόστερον. πραθύρετρον.

Πραεστατζιόναι περσωναλίαι. παροχαὶ προσωπικαὶ. [ὡς ἔτανς τὸ πρόσωπον τὸ βλάψαν τὴν κληρονομίαν ἢ τὰ κοινὰ πράγματα παρέχει τὰ ὑπὲρ τῆς βλάβης, καὶ ἐκ τοῦ ἐναυτοῦ τῷ μᾶλλον ὠφελήσαντι παρέχεται τὰ ὑπὲρ τῆς ὠφελήσεως δαπανήματα.]

Πρεστάτιο. ἀποτέλεσμα.

Πρεστατίονες. παροχαὶ, πρέστω γὰρ παρέχω.

Πρετεντοῦρα. παράστασις.

Πρετέριτος. παραληφθεὶς, λαθὼν, παρωχηκώς.

Πρετέριτος. ἀπόκληρος παῖς, μνημονευθεὶς ἐν τῇ διαθήκῃ.

Πρετερίτους δόλους καὶ πρετερίτους φρούκτους. ὁ πρὸ τῆς προκατάρξεως δόλος καὶ ὁ πρὸ τῆς προκατάρξεως καρπός.

Πριαλλάνιον δόγμα τὸ κατὰ συκοφαντῶν.

Πριβάτα. ἡ ὑποβλέπουσα εἰς τὴν ἑκάστου ὠφέλειαν.

Πριβάτα. τὰ τῇ βασιλείᾳ ἰδίως διαφέροντα. ἄλλα δέ ἐστι τὰ δημόσια ὅσα τελεῖ ὑπὸ τὸν κόμητα τῶν λαργιτιόνων, ταῖς δημοσίαις ὑπουργοῦντα χρείαις. λαργιτίωνες δὲ εἰσι δύο, τὰ σάκρα καὶ τὰ πριβάτα, δύο γάρ εἰσι βασιλικοὶ θησαυροὶ, οἱ ἰδιάζοντες τῆς βασιλείας, οἷον τῶν λαργιτιόνων, καὶ ὁ δημόσιος ὁ τοῦ φίσκου.

Πρίβατα ἰδιωτικά, ἴδια. [ἰδιόκτητα ἅτινα οἱ κατὰ καιρὸν βασιλεῖς ἐκτήσαντο καὶ ἕκαστος ἐπὶ τὸν μεθ ἑαυτοῦ παρέπεμψε.]

[Πρελεγάτα δὸς. ἡ ἀντιλεγατευθεῖσα, τουτέστι ἡ ἀντὶ λεγάτου καταληφθεῖσα. οὐ γὰρ ἡ τῆς δεσποτείας οὖσα τῆς γυναικὸς, ἀλλ' ὁ ἐπαρουσιασμὸς αὐτῆς, ἤγουν ἡ ἀπεντεῦθεν καταβολή· ὀφείλουσα γὰρ ἡ γυνὴ τὰ μὲν ἀκίνητα τῆς προικὸς εὐθὺς μετὰ τὴν γάμου λύσιν λαβεῖν, τὰ δὲ λοιπὰ μετ' ἐνιαυτὸν, καὶ νῦν ἐντεῦθεν ἡ δὲ τὰ πάντα λαμβάνουσα κερδαίνει τοὺς τοῦ ἐναυτοῦ καρποὺς ὡς ἀπὸ λεγάτου.]

Πριβατόρουμ. ἰδιωτικῶν, πολιτικῶν, φυσικῶν, ἰδιοκτήτων πραγμάτων.

Πριβάτον. ἴδιον. αἱρετικοὶ ἔχοντες Χριστιανοὺς δούλους, καὶ ἀφαιροῦνται τούτους, καὶ δίδουσι τοῖς πριβάτοις λη. χρυσίου.

Πριβάτον. δικαστήριον τὸ ἀπαιτητικὸν καὶ ἐξεταστικὸν τῆς κεκρυμμένης αἰτίας, ὥσπερ ζητοῦμεν, δι' ἣν αἰτίαν τις ἐφόνευσε τὸν ἐμὸν δοῦλον.

Πριβάτον. χρηματικόν.

Πριβάτον. τὸ ἰδιωτικόν.

Πριβιλέγια. προνόμια.

[Πριβιλέγια περσονάλια. προνόμια προσωπικὰ, οἷόν ἐστι τὸ τοῦ λαβόντος εἰς ἐνέχυρον αὐτὸ τὸ φορτίον δι' οὗ ὁ οἰκέτης ἐπραγματεύετο, ἢ τοῦ δανείσαντος εἰς ἀνανέωσιν οἰκείας, ἢ τὸ τῆς μνηστείας τῆς δεδωκυίας εἰς προῖκα πράγματα καὶ μὴ γινομένων τῶν γάμων ἀναλαμβανούσης αὐτά.]

Πριγκιπαλία. ἐξουσιαστική.

Πριγκιπαλια. ἀρχοντικὴ, αὐθεντική.

Πριγκίψ. αὐτοκράτωρ, βασιλεὺς, ἄρχων, πρωτεύων.

Πριγκίψ. ὁ πρῶτος τῶν πολιτικῶν ταξεωτῶν.

Πρίσγι. παλαιὰ διαθήκη ἐστὶν, ὅτε ὑποκατασταθῇ ἐξωτικὸν πρόσωπον μετὰ ἀνηλίκου κληρονόμου.

Πριμιγίλιος. ὁ πρῶτος. ἢ ὁ πλήρης.

[Πριμιλιαρίνουμ. τὸ αὐτὸ λέγεται καὶ τουρπιλιάνιον, ὡς ἐκφωνηθὲν ἐπὶ τῆς ὑπατείας τοῦ Πριμιλίου καὶ τουρπιλίου ἢ ἀμφοτέρων. τούτῳ δὲ τῷ πριμιλιανείῳ δόγματι ὑποπίπτει ὁ ἐγγραφὰς καὶ ἐγγύας δεδωκὼς καὶ ποιήσας τινὰ κατασχεθῆναι, καὶ χωρὶς ἀβολιτίωνος ἀποστὰς ὑποπίπτει δὲ πρὸς τῇ συκοφαντίᾳ ἡ ἔξτρα ὀρδίνεμ κολάσει, δηλονότι ὡς ἂν ὁ δικαστὴς βουληθῇ ὁρίσαι τὴν τιμωρίαν. κεῖται δὲ κα-

verbum rei exponendae, cum revera hic non de legato praeceptionis, ſed unice agatur de illis perſonis exceptis, quibus praeſtanda ſunt legata, contra tabulas bonorum poſſeſſione petita, de quibus agit *tot. tit. D. de legat. praeſtand. contra tabb. bonor. poſſeſſion. petit.*

πρέμι[?]] πρίμια. SCAL.

προθύρετρον] πρατίστερον (*) Rectum eſt πραθύστερον.

Πραεστατζιόναι] πραιστατζιόνα *.

ἔτανς] Lege ἔταν, vel ὅταν ἡ.

ἐναυτοῦ] Legendum ἐναντίον.

Πρετέριτος. παραληφθεὶς] Legendum παραλειφθεὶς.

Πρετέριτος, μνημονευθεὶς ἐν τῇ διαθήκῃ] Leg. ἀμνημονευθεὶς. LABB.

Πριαλλάνιον] τουρπιλιάνειον. SCAL. πριμιλιάνειον. *vid. ſeqq.* CUP.

ὑποβλέπουσα] Malim ἀποβλέπουσα.

τῇ βασιλείᾳ] Liber Mſ. laudatus a Du Cangio *v.* Πριβάτα habet τῷ βασιλεῖ, quod rectius; nec enim privata ſunt principatus, ſed propria principi: ſed tamen in verbis ſequentibus iterum ſcriptum eſt βασιλείας: adeoque nihil mutem.

τὸν μεθ' ἑαυτοῦ] Malim τὸ μεθ' ἑαυτόν. In Gloſſis Nomicis Vaticanis Mſſ. a Du Cangio prolatis *d. loc.* ubi eadem fere exſtant, eſt τὸν μετ' αὐτόν: ſed videtur illic excidiſſe articulus τὸν.

καταληφθεῖσα] Legendum καταλειφθεῖσα.

ἐπαρουσιασμὸς] ἐμπαρουσιασμὸς, *repraeſentatio*, ἐντεῦθεν καταβολή. Hinc explicatur locus Ariſtidis contra Canterum. (*) Occurrit hoc verbum apud Theophilum §. 15. *Inſt. de legatis. ubi Fabrot.*

ἡ δὲ τὰ πάντα λαμβάνουσα] Malim ὅδε τὰ πάντα λαμβ.

λη χρυσίου] Balſamon *in Collection. Conſtitution. Eccleſiaſticar. lib.* 1. *tit.* 10. habet λ'. λίτρας, & Baſilica *lib.* LX. *p.* 901. exhibent, τριάκοντα χρυσίου λίτρας, ſed addunt, τῷ δημοσίῳ. Du Cangius *verb.* Πριβάτα haec adſcribit auctori innominato.

οἰκείας] Lego οἰκίας.

μνηστείας] Ergo verbo μνηστείας intelligitur ſponſa μνηστή.

Πρίσγι. παλαιὰ διαθήκη.] Lego Πριγκίπαλαιὰ διαθήκη. LABB. Forte Πριγκίπαλια διαθ.

Πριμιγίλιος] Alii Πριμμιγίλιος, teſte Du Cangio *hoc verb.* qui tamen, ut & Meurſius *in Gloſſar.* vulgatum retinet.

Πριμιλιαρίνουμ] Supra occurrit Πριαλλάνιον, inferius Πριμιλιανάνιον, alibi τουρπιλιάνιον ὅταν Πριβελιάνιον. Hic vocatur Πριμιπιλιαρίνουμ: nihil tamen tale apud Latinos Juriſconſultos vel auctores veteres, quod meminerim, invenitur. Ego vereor, ne Graeci, qui Latina nomina ſaepe parum apte enunciant, vitioſe quoque hoc, Turpillianum, nempe, ſcripſerint, ac uno ex Turpilliano facta ſint plura nomina: errorque magis & magis augmentum acceperit. De eo agitur *t. t. D. & Cod. ad S. C. Turpillian.*

ἡ ἔξτρα ὀρδίνεμ κολάσει] Lege τῇ ἔξτρα ὀρδίνεμ κολάσει.

Πρι-

Digitized by Google

κατὰ γυναικὸς τὴν ἰδίαν ἢ τὴν τῶν ἰδίων ἀδικίαν ἐπεξερχομένης, εἶτα διὰ συμφώνου ἀποστῆναι ὁμολογούσης. ἐὰν δέ τις ἢ ὡς νοσήσας ἢ ὡς κατ᾽ ἀγροικίαν μὴ πληρώσῃ οὐχ ὑπόκειται τῷ δόγματι. εἴσω δὲ διετίας χρὴ τὸν ἐνάγοντα παραγίνεσθαι.]

Πριμιλίδια. πρωνόμεια.

Πριμιπιλαρίους. πρῶτος τῶν ἀκοντιστῶν, πρωτεύων τῶν δορυφόρων. πίλουμ γὰρ ὁ ὑσσὸς ἤτοι γῦσσος τὸ σιδηροῦν ἐμβόλιον, τὸ ἀκόντιον, τὸ δόρυ.

Πριμιπιλίων. δημοσίων χρεωστημάτων.

ἀπὸ Πριμιπίλου. ἀπὸ δημοσίου.

Πριμιπίλουμ. στρατιωτικὴ ἀννώνα.

Πριμμηπάλαια. ἀρχικά.

Πριμογένιτος. πρωτοτόκος.

Πριμοσκρίνιοι. οἱ πρῶτοι τῆς τάξεως.

Πριμοσκουτάριοι. ὑπερασπισταὶ, οἱ νῦν λεγόμενοι Προτέκτορες.

Πριουλλιάνον δόγμα καὶ τορπιλλιανιανόν ἐστι, τὸ τιμωροῦν τὸν κατηγορήσαντά τινος καὶ ἐγγραψάμενον, καὶ χωρὶς ῥαθυμίας καὶ νόσου, ἢ ἀγροικίας χωρὶς ἀβολιτίονος.

Προαγωγὸς λέγεται ὁ πόρον τοιοῦτον ἀπὸ δούλων ἢ ἐλευθέρων ποιούμενος, ἔκτε πρωτοτύπου τοῦτο πραγματεύεται, ἔντε προσχήματι πραγματείας ἑτέρας ἔχει τοιαῦτα πρόσωπα, ὡς κάπηλος, ἢ πανδοχεὺς, ἢ βαλανεύς.

Προβατίκια. στερήσιμα.

Προβατιώνων. ἀποδείξεων.

Προβατορίαι. συστάσεις καὶ ἀποδείξεις.

Προβεκτὸν αετάτε. προβεβηκότα τῇ ἡλικίᾳ.

Προβιγκιάλιοι. οἱ τῶν ἐπαρχιῶν ἄρχοντες, οἷς οὐ συναριθμοῦνται οἱ περίβλεπτοι, οἷον ἀνθύπατος, αὐγουστάλιος, κόμητις ἀνατολῆς, βικάριοι, καὶ οἱ τοιοῦτοι ἀλλ . . . . ἐπαρχίας μόνης ἄρχουσιν, ἀλλ᾽ ὁ μὲν ἀνθύπατος πάσης τυχὸν τῆς ἀνατολῆς, ὁ δὲ αὐγουστάλιος τῆς αἰγύπτου, οἱ δὲ βικάριοι τοῦ ποντικοῦ ἢ ἑτέρου τινὸς ἄλλου κλίματος.

Προβιρίλι πορτίονε. πρὸ τὴν δύναμιν τοῦ μέρους, τουτέστι κατ᾽ ἀναλογίαν ἢ πρὸ τὸ ἀληθὲς μέρος.

Προγατορία λέγεται ἑλληνικῶς καθαρτικὴ, καθαίρει γὰρ καὶ φωτίζει τοὺς λόγους τοῦ ἐνάγοντος.

Προδερέλικτον. τὸ ἀπολειμμένον πρᾶγμα, ὃ καταλείψει ὁ δεσπότης οἰκείᾳ γνώμῃ.

Προδερέλικτον. ὅπερ ὁ δεσπότης ταύτην ἔχων διάνοιαν ἀφίησιν ἀπρονόητον.

Προδερέλικτος. ἐγκαταλελειμμένος.

Προδομίνικα. καθόσον.

Προδονάτου. ἀπὸ δωρεᾶς.

Προέμπτορε. ἀπὸ ἀγορασίας.

Προέρες. ὁ νομίζων ἑαυτὸν εἶναι κληρονόμον.

Προερέδε γέρερε. ὡς κληρονόμος πράττειν, διοικεῖν.

Προθεσμία. ἡ ῥητὴ καὶ τεταγμένη ἡμέρα εἰς τόδε τι, ἤγουν συμπεφωνημένη, ἣ παρὰ ἰταλοῖς λέγεται τέρμινον.

Προϊβοιτας. κώλυσις.

[Προϊκίενδη. πρὸ εἰσόδου ἐξοχὴ ἐκθέτη, σολάριον ἐκβαλλεῖν ἐκτιθέναι.]

Πρόκαξ ἰταμὸς, προπετὴς, αὐθάδης.

Προκάστρια. οἰκήματα ἐκ τῶν παρεμβολῶν.

Προκεκτοῦμ. τὸ ἐξέχον ὥστε ἐπιτίθεσθαι αὐτῷ ἐξώστην.

Προκινῆτος. ἐκ τοῦ σχήματος, ἤγουν ἐζωσμένος καὶ ἕτοιμος εἰς τὴν παράταξιν.

Προκόκιο. κοπωνία.

Προκουλὸς. ὁ μακρὰν τις τῆς πατρίδος γεννηθείς.

Προκουράτωρ. κηδεμὼν.

Προκουράτωρ. ἐντολεὺς.

Προκουράτωρ. προφροντιστὴς, διοικητὴς.

τί ἐστι Προκουράτωρ; τί Δεφένσωρ; καὶ τί Νεγοτιόρουμ δεγεστόρων; καὶ Προκουράτωρ μέν ἐστιν ὁ Φροντιστὴς ἢ ἐντολεὺς ὁ πρᾶγμα ἑτέρου κατ᾽ ἐντολὴν αὐτοῦ διοικῶν Δεφένσωρ δὲ, ὁ ἐκδικητὴς, ὁ δίχα μανδάτου τὴν ὑπέρ τινος δίκην ὑποδεχόμενος. Νεγοτιόρουμ δεγεστόρων, ὁ πράγματα χωρίζων ἀλλότρια, καὶ χωρὶς ἐντολῆς διοικῶν διὰ φαμιλίαν μόνην.

Προκουράτωρ. κουράτωρα.

Προκραστινάτιο. ὑπέρθεσις, τὸ γὰρ αὔριον κρὰς λέγομεν.

Προλιγάτα. ἀντιλεγάτα.

Προμάρις. κῆπος.

Προμίσκιον. ἐπίκαινον.

Προμίσι. ὡμολόγησα.

Προμιτένδι ποστουλάνδι. παρακλήτορες συνηγόρους οὐκ ἔχουσι.

Προμιτένδι. συναγωγικῶς.

Προμότοι. προπορευόμενοι, καὶ ὀψικεύοντες, ἢ προκόπτοντες, καὶ προβιβαζόμενοι ἐν ἀξιώμασι.

Προνερέδε γεριττεῖσι. ὡς κληρονόμος διοικεῖν καὶ δεσπόζειν.

Προνερέδε. ὁ ἀπὸ κληρονομίας τιμώμενός τι.

Προνερέδε. ὀνομάζει ἑαυτὸν εἶναι κληρονόμον.

Προνηρεδιταρία πάρτε, πρὸς τὰ κληρονομιαῖα μέρη.

Προ-

Πριμιλίδια. πρωνόμια] In altero Cod. ſcriptum πριβιλέγια. προνόμια, ſicque legendum. LABB. Du Cangius in *Gloſſar. h. v.* dubitat, an ſit legendum Πριμιλέγια, probatque alios etiam ita eſſe locutos.

Πριμιπιλίων. δημοσίων χρεωστημάτων] Hujus erroris originem ſupra notavi *in verbo* Πιρστῖνος: & legendum eſſe Πριμιπιλίων, δημοσίων τιμῶν, dixi. LABB.

Πριμμηπάλαια] πριγκιπάλια. SCAL.

χωρὶς ἀβολιτίονος] Excidit ἀπογόντα, quod exſtat, & recte, in *v.* Πριμιλιανόν & *v.* Τορπιλιάνιον.

ἔκτε πρωτοτύπου] In Baſilicis *in l.* 4. §. 2. *D. de his qui notantur infam.* exſtat. εἴτε πρωτοτύπως, rectius & verbis legis ipſius convenientius.

Προβατίκια] πριβατίκια. SCAL.

. . . . ἐπαρχίας] ὁ γὰρ ἐπαρχίας. SCAL.

Πρὸ τὴν δύναμιν] lego, πρὸς τὴν δύναμιν.

Προγατορία λέγεται] leg. Πυργατορία, *purgatoria*. LABB.

ἐκ τῶν παρεμβολῶν] ἐκ τῶν τῶν παρ. SCAL. & Mſ. *.

Προκεκτοῦμ. ἐξέχον] leg. προιεκτοῦμ. LABB. Nota ſunt in jure projectum & protectum, *l.* 1. *l.* 2. *D. de ſervitutib. urbanor. praedior.* Plura dabit Briſſonius *de verbor. ſignification. v. projiciendi.*

Προκίνητος] Lege Προκίγκτος.

Προκοκιο] Lege Προνόκιο, ut infra προνονίω. LABB. προνόκιο. SCAL.

διὰ φαμιλίαν μόνην] Legem, διὰ φιλίαν μόνην; nec aliter habent gloſſae veteres apud Briſſonium *in v. negotiorum geſtor*.

Προμάρις] Meurſius in Gloſſar. *h. v.* legit Πομάρις pro Πομάριον.

Προμίσκιον. ἐπίκαινον] Leg. προμισκῦον. LABB. Meurſius in *Gloſſar*. προμίσκιον.

Προμιτένδι ποστουλάνδι &c.] Interpretatio ad verba propoſita non pertinet, ſed ad petendos a litigatoribus advocatos, quos ſe daturum Praetor non habentibus pollicetur, *l.* 1. §. 4. *D. de poſtulando.*

προσνόκλοντος] προνόκλοντος. *

Προνιβὶτ. ἀγωγὴ κωλυτική.
Προνιβιτορία. κωλυτική.
Προνιβιτόριον. κωλυτικόν.
Προνιβιτόριον. δι' ὧν κωλύει βίαν γενέσθαι.
Προνόμιον. ἡ τῶν ἐπιτρόπων ἀγωγή. προνόμιον, καὶ ἡ προτίμησις.
Πρὸ νὸν σκρίπτουμ. ὡς μὴ γεγραμμένον.
Προνουντζιάμι. τοῦ ἀπόφασιν δοῦναι τῆς δικαίας.
Προνουντζιατίον. ἡ ἀπόφασις.
Προνουντιάτιο. προφορὰ, διαλαλία.
[Πρόξιμος καὶ ὁ μόνος, ὡς μὴ ἔχων τὸν προλαμβάνοντα, καὶ ὁ ἔσχατος ὡς μὴ ἔχων τὸν ἑπόμενον.]
Πρόξιμος ἰνφάτις. ἐγγὺς τῶν ιϛ. ἐτῶν.
Πρόξιμος πουβερτάτι. ιδ. ἐτῶν.
Προξιμότης. ἐγγύτης.
Προπιτάριος. ἱλασμός.
Προυπιτιάριον. ἱλασμόν.
Προποσέσσορι. ὁ βίαιος ἅρπαξ, ὁ μηδεμίαν εὔλογον ἔχων αἰτίαν τῆς κατοχῆς.
Προποσέσσορε. ὁ βιαίως τι νεμόμενος.
Προπριέτας. δεσποτεία.
Προπριεταρία. δεσποτεία.
Προπριετάριος. ὁ τὴν δεσποτείαν ἔχων, πρόπρια γὰρ τὰ ἴδια.
Προπριετάριος. ὁ δεσπότης.
Προπρίων. μέγας.
Πρόρετα. πρωρεὺς
Προσεκουτέρες. προσπομπαῖ, παραπομποί.
Προσελεύσεσι διακόπτεται. ἤτοι διηνεκὴς γίνεται.
Προσκριπτίο. προγραφή.
Προσκρίπτους. ὁ προγραφεὶς, ἤγουν ἐκ προγράμματος καὶ προθέματος καὶ δημοσίου κηρύγματος καταχριθεὶς.
Προσοκίω. περὶ κοινωνίας.
Προσότζιον. περὶ κοινωνίας ἀγωγή.
Προσοτίω. ἐπὶ κοινοῦ ἀγωγή.
Προσολούτους. ἀπολυθεὶς.
Προστιμώριον. μετὰ φόβον.
Πρόσχωσις. πρόκλυσις.
Προτουτέλαε. κατὰ πλαστοῦ ἐξεπιτρόπου.
Προφεκτιτία δὸς. προερχομένη, ἐξιοῦσα ἔξω τῆς πατρικῆς οὐσίας γινομένη προῖξ, ἡ παρὰ πατρὸς διδομένη προῖξ, ἤγουν ἡ προερχομένη καὶ ἐξιοῦσα καὶ οἷον ἐκδημοῦσα τῆς πατρικῆς οὐσίας.
Προφεκτίτζων. τὸ μετὰ τῶν πατρῴων πραγμάτων ἐπικτηθὲν παρὰ τοῦ ὑπεξουσίου

Προφίτεορ. ὁμολογῶ.
Πρώξιμος. ὁ πρῶτος, ἢ ὁ πλησίον.
Πρώξιμος. ἐγγὺς τῆς ἐφηβότητος.
Πρωτονοτάριος τοῦ θέματος. ὁ τοῦ θέματος δικαστής.
Πς. τοῦτο τὸ μονόγραμμα δηλοῖ τάδε ῥωμαϊκῶς. *Poſt conſulatum*, τουτέστι μετὰ τὴν ὑπατείαν. ῥωμαῖοι δὲ μᾶλλον οὕτως γράφουσι *CP*. προτιθέντες βαρβάρως τὴν ὑπατείαν τοῦ. μετὰ *PP*. τοῦτο τὸ μονόγραμμα ῥωμαίοις δηλοῖ τὸν *Perpetuum* τουτέστι τὸν διηνεκῆ καὶ αἰώνιον, δηλοῖ δὲ καὶ πρα προν καὶ πραιτώριον πραιτωρίων.

P.

Ράδουμ. οὕτως ἡ ῥωμαικὴ φωνὴ καλεῖ τὸ ἀραιὸν, τουτέστι τὸ μὴ ὂν πυκνὸν καὶ συνεχὲς. ἐντεῦθεν καὶ ῥάδα λέγουσι πορείαν ἀνθρώπων ἢ ἵππων ἢ τινῶν ἄλλων μὴ κατὰ πλῆθος καὶ ἅμα πορευομένων ἀλλὰ καθ' ἕνα ἢ δύο ἑπομένων ἀλλήλοις, ὡς μὴ πυκνοῦσθαι τὴν πορείαν οἷον ἐν σχήματι παρατάξεως, ἀλλ' ἀραιὰν εἶναι καὶ διεσπασμένην.
Ραὶ. ἀγωγὴ ἀριθμήσεως.
Ραιφερενδάριος. ὁ τὰς ἀποκρίσεις κομίζων.
Ραιφερενδάριος. ὁ τὰ ῥηθέντα ἀναφέρων ἀπό τινος.
[Ραιφερενδάριοι, ἀναφέροντες.]
Ρανδιτεύσασα. ἐγκλητεύσασα τὸν τῆς κληρονομίας ὑπόθεσιν.
[Ράσος. ξυστῆς.
Ράταμ ῥὲμ δομίνου μαβιτούρουμ. δεκτὸν τὸ πρᾶγμα τὸν δεσπότην σχεῖν.]
Ραταρὲμ. δεκτὸν πρᾶγμα.
Ραταρὲμ δομίνου ναβιτόρουμ. δεκτὴν πρᾶξιν δεσποτίου οἰκείου, ἤγουν εἰ ὁ ἐπιτροπός τι ποιήσει ὡς δεσπότης, ἵνα στέργῃ τοῦτο ὁ πούπιλος.
Ραταρὲμ δομίνου ναβιτόρουμ. δεκτὸν τὸ πρᾶγμα τὸν δεσπότην σχεῖν.
Ραταρὲμ δομίνου ναβιτόρουμ. ἀσφάλειαν μόνην, τουτέστιν ὅτι τὴν περὶ τοῦ ὅτι δεκτὸν τὸ πρᾶγμα ὁ δεσπότης ἤτοι ὁ κύριος τῆς δίκης ἡγήσεται.
Ρατζιόνιβους. ὑποχώρησις τῶν ἐπιτρόπων.
Ρατζίωνα βητεῦσαι. δικαίως κατέσχε.
Ρατιονάλιοι. οἱ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις τῶν βασιλικῶν πραγμάτων προνοοῦντες, καὶ ὄντες ὑπὸ τὸν κόμητα τῶν πριβάτων ὡς δηλοῖ ἡ παραγραφὴ τῆς γ. διατάξεως τοῦ ι. τιτλ. ι. βιβλ.

Ρα-

Προνιβὶτ] Pro Προιβίτο.
ἢ ἀπόφασιν δοῦναι τ̃ δικαίας] Mallem, τὸ ἀπόφασιν δοῦναι τ̃ δίκης.
Πρόξιμος ἰνφάτις] Pro Πρόξιμος ἰνφάντι.
Προπιτάριος] Explicationi reſponderet magis Προπιτιάτιο. Error quoque eſt in gloſſa ſequenti ſimilis.
Προστιμώριον] Pro Πὸς τιμωρῶν.
Πρώξιμος. ἐγγὺς τῆς ἐφηβότητος] Debuit ſcribi Πρώξιμος πουβερτάτι.
Πς. &c] An P. c. vide notata ad gloſſam, quae praecedit vocem Πλαγιάριος.
τὴν ὑπατείαν ἢ. μετὰ P. P] Rectius in laudata Gloſſa τὴν ὑπατείαν ἢ μετὰ. Quae ſequuntur, ab his ſunt diſtinguenda.
πρα προν] L. πατέρα πατρίδος.

P.

Ράδουμ] ῥάρουμ. Scal.

καὶ συνεχὲς] ἢ συνεχὲς Mſ. *
Ραὶ. ἀγωγὴ ἀριθμήσεως] An intelligit actiones de calculo, ſive indemnitate; quales ſunt actiones contrariae, veluti tutelae, depoſiti & ſimiles? videtur reſpici ad *l. 6. §. ult. D. de his qui notant. infam. l. 29. D. de dol. mal.* De primo verbo, viderint alii. Ceterum inferius quoque habemus. Ρὶ. ἀγωγὴ εἰς πρᾶγματα.
Ρανδιτεύσασα] An ſcribi debuit Ρεπουδιάσασα, ut referantur ad filiam, renitentem patri circa hereditatis adquiſitionem? exemplum eſt in *l. 11. C. de jur. deliberand.*
ξυστῆς] Lego ξυθεὶς. Ita in Gloſſis Nomicis Vaticanis Mſſ. apud Du Cangium v. ῥάσον legitur Ράσος, ξυθείς.
Ράταμ ῥὲμ δομίνου μαβιτούρουμ] Conſtat eſſe ſcribendum, Ράταμ ῥὲμ δόμινουμ ἀβιτούρουμ. An tamen ubivis ipſi quoque Auctores recte hoc expreſſerint, non definiverim.
Ρατζίωνα βητεῦσαι] Ρατίων ἀβητεῦσαι. (*) Meurſius Ρατίωνα αἰβίτουσε in v. αἰβιτίων.

ἐπι-

Digitized by Google

Ρατιωναλίους. τοὺς μαγκίπας, τοὺς αὐτοὺς καὶ καθολικιανοὺς καὶ σιτώνας κατ' ἕλληνας.

Ρατιόνιβους διστραένδις. τουτέστι τῶν λόγων ἤτοι ἐκλογισμῶν τῶν ἀποσπασθέντων πραγμάτων τοῦ ἀνήβου παρὰ τῶν ἐπιτρόπων............

[Ραλιονίβους διστραένδις. ἀγωγὴ κατὰ ἐπιτρόπου λόγους αὐτὸν ἀπαιτοῦσα τῶν πραγμάτων ὧν ἀφείλετο.]

Ράτιμ ἀβιτεύσας. ῥατὸν ἡγησάμενος

Ρατωίδευσα. οὐκ ἐκώλυσα. ὁ τῶν πομπίων ἐναγόμενος ἐὰν πρὸ καταδίκης ἑαυτὸν ἀνέλῃ, δημεύεται.

Ρὲ. ἀγωγὴ εἰς πράγματα.

Ρὲ. πράγματα.

Ρεβεδίτη. ἡ ἀναδοτική.

Ριβερέντζια. εὐλάβεια.

Ρεβιτορία. ἀγωγὴ ἀναστρέφουσα τὸ διαπραθὲν πρᾶγμα.

[Ρεβούρους. ἀναφαλαντίας ἀνεστραμμένας ὄπισθεν ἔχων τὰς τρίχας.]

Ρεγενδάριοι οἱ τὸν δημόσιον δρόμον ἰθύνοντες.

Ρέδα. ἅρμα, καροῦχα.

Ρεδημπτορία. κόσμησις.

Ρεδιβέρε. τὸ ποιῆσαι ἔχειν τὴν πράτην ὅπερ εἶχε πρῶτον.

Ρεὶ. ἐνοχὴ πραγμάτων.

Ρέιστεγρα. τῶν πραγμάτων ἔτι μενόντων.

[Ρέι οὐξωρίας ἀγωγὴ παλαιὰ πρὸς ἀνάληψιν προικὸς κινουμένη.]

Ρεϊπερσεκούτζιο. τουτέστι ψιλοῦ πράγματος ἀπαίτησις.

Ρέκαυδον. ἀποχῆς εἶδος.

δὲ Ρεκεπλατορίβους. περὶ ὑποδοχέων. [Ιστέον δὲ ὅτι οἱ ὑποδεχόμενοι τοὺς λῃστεύοντας ὡς λῃσταὶ κολάζονται, εἰ δὲ συγγενεῖς αὐτῶν εἰσι οὐχ ὁμοίως κολάζονται.]

Ρεκεπτίτζια. ἡ περὶ ἀναδόσεως.

[Ρεκεπλάτορες, ἐξπρομισσόρες, ἀνάδοχος, ἐγγυητής.

Ρεκεπτιτία.. ὅτε ἐπερωτήσω σε τὴν προῖκα τῆς γυναικός σου ἀπὸ τελευτῆς αὐτῆς.

Ρεκεπτικία. ἀναληπτική, ἀναδεκτικὴ ἐπὶ τραπεζίτου ἀντιφωνήσαντος καὶ ἀναδεξαμένου ἀλλοτρίαν ἐνοχήν. ἐπὶ δὲ προικὸς εἴρηται διὰ τὸ συμφωνεῖσθαι τὴν ἀνάδοσιν καὶ ἀνάληψιν αὐτῆς. Ἰστέον δὲ ὅτι τὸ περὶ τραπεζίτου ἀναιρεῖ ἡ διάταξις· τὸ δὲ περὶ τῆς προικός ἐστιν ἐν βιβλ. τῶν Βασιλικ. ημ ζ.]

Ρεκερέρε. τὸ ἀναγυρεύω, ἤγουν ἀνακαλοῦμαι καὶ ἀναλαμβάνω.

Ρεκιπεράνδαι. ἀντιληπτικῆς.

Ρεκιπεράνδαι. ἀναληπτικῆς.

Ρεκόντωρ ἀνάδοχος.

Ρεκουπεράτορες. ἐξισωταί, ἀνάληψιν δι' ἑαυτῶν ποιούμενοι, ὀρθωταὶ τοῦ δήμου.

Ρεκουπέρνδαι δυνάμεως. ἤγουν τῆς ἀνακλητικῆς καὶ ἀναλαβῆς.

Ρεκουπερνδοῦμ. μεταδρομεύς.

Ρεκούπερνδον. ἀναζητούμενον.

Ρεκτενούδης. ὀρθότης.

Ρέκτωρ. πρέσες, δοὺξ, ἡγεμών.

Ρέκτωρ. ἰθυντής, ὀρθωτής, ἄρχων ἐπαρχίας.

Ρελεβάτους ἀγρ. ἀνακεκουφισμένος ἀτελὴς ἀγρός. [Ἰστέον δὲ ὅτι ὁ ἰλλούστριος ἡσύχιος ὁ φιλοσοφήσας Μιλησίας ἐν τῷ ϛ χρονικῷ διαστήματι τῆς ἑαυτοῦ Ἱστορίας φησὶν οὕτως. δημοσίων χωρίων ἀπέδοτο ἐγγὺς ἅπαντα οὐάλης ὁ βασιλεὺς δεηθεὶς χρημάτων ὑπερφυῶς, τῶν βαρβάρων ἕνεκα, ὅσοις ἂν ἦν δυνατὸν ὠνεῖσθαι τιμήματος ὀλιγοστοῦ κύριοι τούτων κατέστησαν, καταλαπτόσαντες τὴν ἀληθῆ αὐτῶν πρόσοδον χάριτι καὶ προσοδίᾳ τῶν διαχειριζομένων τὰ δημόσια. καὶ οἱ μὲν οὐδενὸς καθάπαξ φόρου ἐπιβληθέντος αὐτοῦ ὀλίγου τινὶ πλείονος τιμήματος ταῦτα ἐπρίαντο, ὅπερ κτήσεως εἶδος ρελέβατον λέγουσι οἱ Ῥωμαῖοι· οἱ δὲ παραυτίκα μεῖον ἐν τῷ παρὰ Ῥωμαίοις σαβλο κάνσος ὁ δὲ βασιλεὺς Μαρκιανὸς ἄμφω προὔθηκε τοῖς ὠνησαμένοις ἢ ἀναδοῦναι τὰ χωρία κομισαμένους ταυτὰ τιμήματα, ἢ καὶ τὰ χωρία κατέχοντας οὐκ ὀρθῶς ἀποκρυφθεῖσαν ποσότητα τῆς προσόδου τῷ δημοσίῳ συναγαγεῖν.

Ρελεγάτιο. ἐξορία ἥτις οὔτε τὴν οὐσίαν ἀπόλλυσι.]

Ρελεγάτος. ἐξόριστος.

Ρελεγάτος. δεδεμένος.

Ρελεγίοσα. τὰ μνήματα, τὰ σεβάσμια.

Ρελεγίοσον. μνημεῖον.

Ρελεγίοσος. δεισιδαίμων, θεοσεβής.

Ρελιγίοσα. τὰ μνήματα.

Ρελιγιώσης. βέβηλος.

Ρελιγιόσος. εὐλαβής.

Ρελιγιόσος οὐ γίνεται ὁ τόπος βέβηλος.

Ρ'εμ-

ἐπιτεύοντα] Legendum ἐπιτρέπων.

ὁ τῶν πομπίων ἐναγόμενος] ὁ τῷ πομπηΐῳ ἐναγόμενος

(*) Separavi haec a praecedentibus: ſunt enim ab hoc loco plane aliena, deſumpta vero ex *l.8.D.de leg. Pompej. de parricid.*

Ρεβεδίτη] ρεβενδίτη vel ρεβεδίτη, imo ρεσεπτίτια: SCAL. Ultimum tamen valde recedit a lectione vulgata, nec explicationi reſpondet. Dubito, an lateat actio ρεδιβιτόρια, quae ſtatim poſt memoratur: ubi & ſic emendat Labbaeus.

Ρεβιτόρια. ἀγωγὴ ἀναστρέφουσα] Leg. Ρεδιβιτορία. LABB.

ἐνοχή] ἔνοχοι (*) Credo virum doctum repoſuiſſe ἐνοχαί, idque non recte fuiſſe deſcriptum.

Ρέκαυδον. ἀποχῆς εἶδος] In *Nov.* 130. ſemper legitur *Recautum*, ſicque videtur legendum. Hiſp. *Recaudo* dicunt. LABB. Idem placet Du Cangio. Haud ſcio tamen, an illa permutatio elementorum δ & τ ſit ab ipſo Auctore.

Ρεκεπτατόρες. ἐξπρομισσόρες &c.] Haec ſignificatio verbi *receptator* in jure eſt ignota. Melius ferri poſſet Ρεκεπτόρες, quia recipiunt in ſe obligationem alienam.

Ρεκεπτίτια] Debet ſubintelligi vel addi δὲς, de qua idem quod hic habemus, invenimus quoque apud Ulpianum *tit.6. §.5.*

ἀναληπτική] Lege ἀναληπτική. De ipſa actione vide *l.2. C. de conſtitut. pecun.*

ἡ διάταξις] Excidit forte numerus, ſed eſt *l.2.C. de conſtit. pecun.*

βιβλ. τῶν Βασιλικ. ημζ.] Lege μζ. Intelligitur *l.31.§.2. de mort. cauſ. donation.*

Ρεκερέρε] Ρεκιπέρε. SCAL.

Ρεκόντωρ] Forte Ρεσέκτωρ.

Ρεκεράνδαι] Ρεκιπεράνδαι. SCAL. Rectum eſt Ρεκουπεράνδαι.

Ρεκτενούδης] An Ρεκτιτούδης *rectitudo*.

προσοδίᾳ] Legendum προδοσίᾳ.

οὔτε τὴν οὐσίαν ἀπόλλυσι] Minus plena eſt deſcriptio relegationis. Integrior foret haec, οὔτε πολιτείαν οὔτε οὐσίαν ἀπόλλυσι.

Ρελεγάτος. δεδεμένος] Interpretatio reſpondet verbo Ρελιγάτος.

Ρελιγιώσης βέβηλος] Leg. Ρελιγίοσος, ἀβέβηλος. LABB.

Ῥεμβὸς. ὁ μακρὸς φυγὰς, καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου, ὁ φυγὰς μέγας ῥεμβός ἐστι. κυρίως δὲ ῥεμβός ἐστιν ὁ συνεχῶς ἀναιτίως πλανώμενος καὶ τοὺς καιροὺς εἰς ἀνόητα δαπανῶν καὶ βραδέως εἰς τὸν οἶκον ἀναστρέφων.

Ῥεμισσίωνα. ἄφεσις.

Ῥεμίσσιον. συγχώρησις.

Ῥέμηροι ῥογαίστοσοι, τουτέστιν παρακεκλημένοι.

Ῥεμισσίωνος. συγχωρήσεως ἄνεσις.

Ῥεμίσσιν. συγχώρησις τοῦ κινεῖν κατὰ τοῦ κληρονόμου περὶ τοῦ λεγάτου ἢ φιδεικομμίσσου. [ἰστέον δὲ ὅτι τὸ παλαιὸν εἴδη πολλὰ λεγάτων ἦσαν· οὐ πάντα δὲ τὴν αὐτὴν εἶχον φύσιν, ἀλλὰ τὰ μὲν ἀπὸ τῆς βινδικατίονος λεγόμενα εὐθὺς ἔνοχον ἐποίει τῷ λεγαταρίῳ τὸν κληρονόμον· τὰ δὲ λοιπὰ δοκιμασίας ἐδεῖτο δικαστικῆς, εἰ γὰρ ὁ κληρονόμος ἀπεκτήσατο τὸ λεγατευθὲν πρᾶγμα δωρησάμενος αὐτὸ ἢ πωλήσας πρός τινα πίστει κακῇ λαμβάνοντα, μετὰ πολλῆς διαστιξεῖ ὡς ἐδίδοτο τῷ λεγαταρίῳ ῥεμίσσιον. λέγεται δὲ οὕτως ἡ παραχώρησις τοῦ κινεῖν ἀγωγὴν καὶ ποιεῖν ἔνοχον τὸν κληρονόμον. ταύτην οὖν τὴν ῥεμισσίωνα Ἰουστινιανὸς ἀνελὼν ἴσην ἀπέδειξε τοῖς λεγάτοις τάξιν.]

Ῥεμίσσιον. συγχώρησις.

Ῥεμοίντεγρα. ἀκεραίου δηλαδὴ τοῦ πράγματος μένοντος.

Ῥεπερδιτάριον. νόμιμον κληρονόμον.

Ῥὲ νούνδουμ σεκοῦτα. πράγματα μήπω παρακολουθήσαντα.

Ῥενουντιατίο. προσφώνησις, ἀναγόρευσις.

Ῥέον προμιττένδου. ἐπαγγελλομένων δύο ἢ καὶ πλειόνων τινὶ δώσειν ἢ ἰδίως καὶ ἰδίως ἕκαστος τὸ αὐτὸ ποσὸν, ἢ ἅμα τὸ αὐτὸ ποσόν.

Ῥέον στιπουλάνδου. ἐπερωτώντων δύο ἢ πλειόνων τινὶ δώσειν αὐτοῖς ἢ οὐχ ἅμα τὸ χρέος.

Ῥέος. ὁ ἐναγόμενος.

Ῥέος. ὁ κακῶς ζητῶν.

Ῥέους. ἔνοχος, ἐναγόμενος, φεύγων.

Ῥεουξορία. ἀγωγὴ περὶ τῶν τῆς γυναικὸς πραγμάτων.

Ῥεουξορία. τὸ ἐκ τῆς γυναικὸς κινούμενον, καλεῖται δὲ ἐκ τοῦ ῥὲ ὅπερ δηλοῖ τὸ πρᾶγμα, καὶ ἐκ τοῦ οὐξόρε ὅπερ δηλοῖ τὴν γεγραμμένην γυναῖκα κατὰ ῥωμαίους.

Ῥεπαρτιτία. ἀναληπτικὴ, ἀναλυτική.

Ῥεπάτια. ἡ τρίτη τῶν γάγων ἡμέρα.

Ῥεπετεύω. ἐπαναλαμβάνω.

Ῥεπετιτεύω. ἀναλαμβάνω.

Ῥεπετιτεύω. ἀναζητῶ, ἀναλαμβάνω.

Ῥεπετιτεύειν. μεταλέγειν.

Ῥεπετιτεύεται. οὐκ ἀντιστρέφεται.

Ῥεπετιτευέσθαι. ἀποστρεφέσθαι.

Ῥεπετίον. ἀνάληψις.

Ῥε-

κυρίως δὲ ῥεμβὸς] ῥεμβὺς Mſ. (*) Rectum eſt ῥεμβὸς, erro. Verba ſunt hauſta ex Baſilicis *lib.* XIX. *tit.* 10. *in l.* 17. §. 14. *D. de aedilit. edict.*

Ῥέμηροι ῥογαίσοσοι, τουτέστι παρακεκλημένοι] De teſtibus rogatis hic actum eſſe arguit interpretatio. Ipſa verba priora abſque vetere libro nemo temere eruerit.

Ῥεμίσσιον. συγχώρησις] Hiſce non abſimilia ex Gloſſis veteribus Mſſ. profert Fabrotus *ad Theophil.* §. 2. *Inſt. de legat.* in editione Anni CIↃIↃCLXXXVIII. Scribendum vero fuerat ἵν ῥὲμ μίσσιο: intelligitur enim in rem miſſio, cujus meminit Imperator in *l.* 1. *& l. ult.* §. 2. *C. commun. de legat. & fideicomiſſ. Nov.* 39. *pr.* nec non Paulus *Sententiar. lib.* IV. *tit.* 1. §. 15. Illa vero non erat conceſſio actionis, ut hic dicitur, ſed miſſio in poſſeſſionem: dabatur vero fideicommiſſariis contra tertios rerum delictarum poſſeſſores, tempore rei acceptae oneris iis impoſiti non ignaros, ſi heres aliusve gravatus eſſet inops, *dict. Nov.* 39. Quae vero deinceps hic traduntur, a varietate quoque abeunt: quamvis enim pro variis legandi formulis olim varii etiam legatorum eſſent effectus, differrentque pariter actiones, ad illa petenda comparatae, ut docet Cajus *Inſtitution. lib.* II. *tit.* 5. Ulpianus *tit.* 24. §. 2. *& ſeqq.* in eo tamen par erat omnium conditio, quod ad illa perſequenda jam ab initio daretur actio ex teſtamento, quaſi ex contractu, §. 5. *Inſt. de obligationib. quae quaſ. ex contract. naſcunt. l.* 4. §. 2. *D. obligationib. & actionib. l.* 1. *C. commun. de legat. & fideicommiſſ.* nec eatenus una legati ſpecies heredem oneratum citius obligatum habuit, quam altera, quod hic dicitur. Ceterum in caſu legati per vindicationem & ſinendi modo relicti licebat quoque legatario non tantum rem per vindicationem perſequi, verum ipſam etiam apprehendere atque occupare, nempe, abſque vi, ac ſi ejus eſſet copia, ſecundum ipſa teſtatoris verba; de quo nonnulla ſcripſi ad Ulpianum *tit.* 24. §. 3. obſervavique, ob haec praecipue legata a Praetore propoſitum eſſe videri interdictum. Quod legatorum *l.* 1. *& tot. tit. D. quod legator.* Praeterea in legato praeceptionis locus erat actioni familiae erciſcundae, *l.* 17. §. 2. *D. de legat.* 1. *Theophil.* §. 2. *Inſt. de legat. ubi Fabrot.* adeoque in omnibus legatorum ſpeciebus locus fuit actioni & notioni judicis, ſi de iis eſſet controverſia; quod hic perperam negatur. Ego vero ideo hiſce diutius ſolito ſum immoratus, ut Studioſis oſtenderem, non ſtatim nec inconſiderate hiſce Graecis fidem habendam, nec horum rivulos ſordibus ac luto ſaepe inquinatos Latinorum fontibus, longe purioribus ac limpidioribus, anteponendos eſſe.

μετὰ πολλῆς διαστιξεῖ ὡς] Legendum, μετὰ πολλῆς διαστίξεως. Scrupuloſas ambages vocat Imperator *l.* 1. *C. commun. de legat.* & tenebroſiſſimum errorem *l.* 3. §. 2. *C. eod. tit.* His vero locus fuit in fideicommiſſis, de quibus primus Juſtinianus actionem in rem competere voluit *l.* 1. *l.* 3. §. 2. *&* 3. *C. commun. de legat. & fideicommiſſ.* Fuit & uſitata miſſio in res hereditarias & ipſius heredis, ſi heres fideicommiſſum non praeſtaret, teſte Paulo *Sententiar. lib.* IV. *tit.* 1. §. 17. nec hic tales difficultates motae fuerunt.

Ῥεμοίντεγρα] Leg. Ῥεϊνίντεγρα pro ῥὲ ἐν ἴντεγρα. Labb. Emendatio ſi ſit vera, quod facile mihi perſuadeo, erit quoque dein ſcribendum ἀ πράγματος ὄ μένοντος.

ἐπερωτώντων δύο ἢ πλειόνων τινὶ δώσειν] Probarem magis ἐπερ. δ. ἢ πλειόνων τινὰ δώσειν αὐτοῖς. Interrogant nempe plures unum aliquem de dando ſibi, §. 1. *Inſt. de duob. reis ſtipul. & promitt.*

αὐτοῖς ἢ οὐχ ἅμα] Placet mihi, quod ex gloſſis antiquis profert Briſſonius, *v. de Reo. Stipulandi,* ἅμα ἢ οὐχ ἅμα τὸ χρέος: quamvis in aliis lectio hic ſeſe melius habeat.

Ῥεουξορία] In interpretatione hujus verbi pro τὴν γεγραμμένην γυναῖκα legendum τὴν γεγαμημένην γυναῖκα. Labb.

γεγραμμένην] γεγαμημένην. Scal.

Ῥεπαρτιτία, ἀναληπτική] Leg. ῥεκεπτιτία. Labb. ῥεκουπερατίτια. Scal. Labbaei correctio videtur probabilior, ſive intelligas actionem receptitiam, ſive dotem receptitiam. De utraque aliquid habuimus in antecedentibus.

Ῥεπάτια.] Leg. ῥεπότια. *Repotia dicuntur dies, qui ſequuntur nuptias, quoniam mutuis conviviis ſe frequenter invitant, quae Graece παλινδρομία aut mutuae invitationes,* ut ex Acrone Mſſ. retulit doctiſſ. Cujac. *lib.* XVI. *Obſerv. cap.* 39. Labb. ῥεπότια. Scal.

γάγων.] γάμων. *Id.* add. verb. Ῥεπότια.

οὐκ ἀντιστρέφεται] Vel hic abundat negatio vel in praecedenti deeſt.

Ῥεπετίον] Pro Ῥεπετιτίον.

Ῥε-

Ρεπετιτίωνα. μετάλεξω.
Ρεπετιτίωνα. ἀνάδοσιν.
Ρεπετοῦνδος νόμος. ἀποστροφῆς καὶ ἀνατροπῆς.
ὁ δὲ Ρεπετοῦνδις. ἤγουν ὁ περὶ τῶν ἀπαιτούντων καὶ ἀναλαμβανόντων χρήματα, τουτέστι τῶν δωροδοκουμένων ἔν τινι ἀρχῇ ἢ πρεσβείᾳ ἢ ἄλλῃ δημοσίᾳ ὑπουργίᾳ ἢ καὶ ἐφ᾽ ἑτέροις τισὶ, διὸ χρήματα κακουργούντων τὴν ποινὴν ἔξτρα ὄρδινεμ ἐπάγει.
Ρεπλικατίων. ἀναπλοκὴ, ἀνάλυσις.
[Ρεπότια. ἡ τρίτη γάμου ἡμέρα.]
Ρεποσιτορίουμ. παραθηκαρεῖον.
Ρεπουβλίκαι καῦσα ῥάσδος. τεμνομένη ὑπόθεσις πράγματος δήμου αἰτίᾳ.
Ρεπουδιατίων. παραίτησις.
Ρεπουδιατεῦσαι, ἀνατρέψαι.
Ρεπουδιατευέσθω. μὴ καταστρεφίσθω.
Ρεπουδιατεύων ὁ σοῦος. ἀποστρέφων ὁ ἴδιος.
Ρεπούδιον. χωρισμὸς γάμου διὰ πιτλακίων.
Ρεπούδιον, διαζύγιον.
Ρεπούδιον. διάζευξις τοῦ γάμου.
[Ρεπούδιετ. ἀπαιρούεται, ἀποβαλλέται, ἡ διαζυγὴ γάμου ἰσκυρίως μὴν μεταξὺ μνηστήρων.]
Ρεπούδιον. διάζευξις ἀνδρογύνων.
Ρεπούδιον. χωρισμός.
Ρεπούδιον. ἀνατροπή.
Ρεπουδιτεύει, ὑποχωρεῖ, ἀφίσταται.
Ρεπρεσεντατίο. ἐμπαρισασμός.
Ρεπρομισσίο. ὁμολογία, ἐπαγγελία.
Ρερουμ ἀμοτάρουμ. ἡ περὶ ἀφαιρέσεως.
Ρέρουμ ἀμοτάρουμ ἀκτίο. πραγμάτων ἀποκινηθέντων ἤτοι ἀφαιρεθέντων ἀγωγὴ καὶ μετακινηθέντων. ἁρμόζει δὲ γυναικὶ κατὰ ἀνδρὸς καὶ ἀνδρὶ κατὰ γυναικὸς κλεψάντων ἀλλήλων πράγματα.
Ρὲς ἰουδικάτα πρὸ βεριτάτε ἀκκιπίτουρ. τὸ πρᾶγμα τὸ κεκριμμένον ἀντὶ ἀληθοῦς παραλαμβάνεται, καὶ ἡ δεπόσιτι ἤτοι ἡ περὶ παραθήκης, καὶ ἡ κομμοδάτι ἤτοι ἡ περὶ τῶν ἐν χρήσει διδομένων, καὶ ἡ πιγνερατίτια ἤτοι ἡ περὶ ἐνεχύρου.
Ρεσκισσόρια. ὑποθηκαρία.
Ρεσκισσόρια ἰνρὲμ. ἡ ἀναλυτική.
Ρεσκριπτίονες. αἱ διαγραφαί.
Ρέσκριπτον. ἔγγραφος κέλευσις βασιλική.
Ρέσκριπτον. βασίλεως ἀντίγραμμα.
Ρέσκριπτον. ἔγγραφον.
Ρέσκριπτον. προγραπτόν.
Ρέσκριπτον. ἀντιγραφή.
Ρὲς οὐξορία. ἡ μετὰ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἀλληλοκληρονομία.
Ρέσπονσα. ἀποκρίσεις.
Ρέσπονσα προυδεντίουμ. ἀποκρίσεις τῶν σοφῶν.
Ρεστιπουλατίο. ἀντεπερώτησις.
Ρεστιτόριον. ἀποκαταστικόν.
Ρεστιτούερε. ἀποκαταστῆσαι.
Ρεστιτουρίαι. ἀποκαταστικαί.
Ρεστιτουτορία δὲ κουάντι μινόρις. ἀναστρέφουσα τὸ πεπραμένον ἀγωγὴ καὶ περὶ ποσοῦ ἐλάττονος.
Ρεστιτουτορίαι καὶ ρεσκισσορίαι. ἀποκαταστικαὶ καὶ ἀνασχετικαί. [ἤγουν ἀνατρεπτικαὶ ἤγουν ρεσκισσόριαι τουτέστιν. αὗται δὲ αἱ ρεστιτουτόριαι καὶ ρεσκισσόριαι ἀγωγαὶ παρέχονται γυναιξὶ ἰντερκεσσαύσαις καὶ διαδόχοις αὐτῶν καὶ πουπίλοις καὶ τῆς ρεπουβλίκαι καῦσα ἀπολειφθεῖσι καὶ αἰχμαλώτοις καὶ τοῖς ὁμοίοις.]
Ρετεντίον. παρακατασχέσει.
Ρετινένδαι. κατασχετικῆς.
Ρεῦς. ὑπεύθυνος.
Ρέως. ὁ ἐναγόμενος.
Ρίπα. ἀνέμου καταστροφή.
Ρίσους. ῥεῖθρα, ὑδραγώγιον, τόπος κατὰ μῆκος συνεχόμενος ἐν ᾧ τὸ ὕδωρ τρέχει.
Ρογάτοι. οἱ παρακληθέντες μάρτυρες.

Ρο-

Ρεπετιτίωνα. ἀνάδοσιν] Hanc repetitionem ſive repetitam praelectionem ſive *ἀνάδοσιν*, *νέαν* vel *δευτέραν ἔκδοσιν* vocaverunt Graeci ſcriptores accurati, editos a ſe libros ſerio caſtigatos denuo edentes, & ut de ſe ait Tertullianus, properatum opus pleniore ſcriptione reſcindentes: ſicut de Eunapio & Zoſimo refert Photius *in Biblioth.* Veteres Latini *repetitam praelectionem* dixere, ut colligere licet ex verbis Juſtiniani §. 3. *Supradictis: conſtit. de ſecunda Cod. edit.* rationem hanc reddentis, cur Codicem repetitae praelectionis appellarit, *ut conſtitutionum hujus Codicis plenum jubar omnibus clareat: tum nemini venit in dubium, quod repetita praelectio probavit, hoc ſatis validum ſatisque eſſe formoſum. In antiquis etenim libris non ſolum primas editiones, ſed etiam ſecundas (quas Repetitas praelectiones veteres nominabant) ſubſecutas eſſe invenimus: quod ex libris Ulpiani viri prudentiſſimi ad Sabinum ſcriptis promptum erat quaerentibus reperire.* Plin. *ep.* 35. *lib.* IX. retractare opus pro repetere dixit. Ejus verba, quia elegantiſſima, referam: *Diligentiam tuam in retractandis operibus valde probo. Eſt tamen aliquis modus, primum, quod nimia cura deterit, magis quam emendat: deinde quod nos a recentioribus revocat, ſimulque nec abſolvit priora, & inchoare poſteriora non patitur.* Opuſculorum tamen plurima, ut de ſuis pronunciavit D. Hieronymus, *temerario editionis honore vulgata ſunt.* Labb.

ῥάσδος] Explicatio adjecta exigeret, ut praeceſſiſſet ῥὲς ἰουδικάτα: ſed talia monſtra lectionum aliis ſuperanda relinquimus.

Ρεπουδιατεύων ὁ σοῦος] In jure ſuus non repudiat, ſed abſtinet, §. 2. *Inſt. de hered. qualitat. & differentia.*

ἀπαιρούεται] Forte ἀπειρύεται. & videri poſſet poſt ἀποβάλλεται excidiſſe verbum Ρεπούδιον, ac ſcriptum fuiſſe, Ρεπούδιον. ἡ διαζυγὴ &c.

ἀνδρογύνων] Recte eſt lectio. ἀνδρογύνιον eſt *matrimonium*. videatur Du Cangii Gloſſarium.

ἐμπαρισασμός] Lego ἐμπαρουσιασμός. Inſpiciantur notata ad v. Πρελεγάτα δὲς.

καὶ ἡ δεπόσιτι &c.] Haec cum praecedentibus non cohaerent, & forſan quaedam interciderunt.

ὑποθηκαρία] Diſtat Hypothecaria actio a reſciſſoria immane quantum, de quo dictum eſt ad v. Ἰνρὲμ σερβιάνη.

Ρὲς οὐξορία. ἡ μετὰ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἀλληλοκληρονομία] Toto caelo diſtat bonorum poſſeſſio Unde vir & uxor, quae hic vocatur ἀλληλοκληρονομία, a re uxoria, ſive rei uxoriae actione, de qua meliora traduntur in v. Ρεουξορία.

Ρεστιτόριον] Pro Ρεστιτουτόριον, ut dein ſcriptum eſt: ſimile vitium in v. Ρεστιτουρίαι.

ποσοῦ] μέσου. Scal.

ἀνασχετικαί] Mallem ἀναιρετικαί.

παρέχονται γυναιξὶ &c.] De actione reſciſſoria mulieri, intercedenti danda, altum in jure noſtro eſt ſilentium, nec hic opus fuit reſtitutione mulieri a Praetore danda, cum Senatus omnem illam obligationem improbet, *l.* 16. §. 1. *D. ad S. C. Vellejan.* De pupillo ſimilia habuimus in v. Ἰνρὲμ ρεσκισσόρια, ubi aliquid notavi.

ἀπολειφθεῖσι] Lego ἀπολειφθεῖσι.

Ρίπα. ἀνέμου καταστροφή] Ita Du Cangius *h. v.* ex Gloſſis Mſſ. haec citat ἀνέμου καταφορά, *Ripa*.

Ρίσους. ῥεῖθρα] Leg. ῥῖβους. Labb. Ρίβους. Scal.

Ρογάτους. παρακληθέντας.
Ρογῶ. παρακαλῶ.
Ρουβριανίουμ δόγμα. ἐπὶ τῆς ὑπατείας ῥουβρίου γάλλου βασιλεύοντος Τραϊάνου δόγμα γέγονε συγκλητικὸν ἵνα ἐὰν οἱ χρεωστοῦντες ἐλευθερίας Φιδεικομμισσαρίας ἤγουν ὑπὸ ὅρον ἢ αἵρεσιν, κληθέντες παρὰ τοῦ ἄρχοντος ἀπολειφθῶσι, δοθῇ ἡ ἐλευθερία κατὰ ψῆφον ἀπωτ .... ει.
Ῥοῦδις. ἀνεπιμέλητος, ἀτριβής.
Ῥοῦπαν. φθαρτήν.
Ῥοῦπτα διεῤῥηγμένη.
Ῥοῦπτα. ἄκυρος διαθήκη.
Ῥοῦπταν. κομένην.
Ῥοῦπταν κεκομμένη διαθήκη.
Ῥοῦτα. τὰ ἀπὸ γῆς λαμβανόμενα. ῥοῦδις γὰρ ἡ βῶλος, καὶ ῥοῦδας τὸ χῶμα, καὶ δερούω, τὸ κατασκάπτω καὶ καταχωννύω καὶ καταπίπτω.
Ῥοῦτα. ἐκ τόπου ξυόμενα, οἷον ψάμμος, κριτάριον, καὶ τὰ ὅμοια.
Ῥυπαραὶ λειτουργίαι. αἱ μολύνουσαι τὸ ἱμάτιον, ἤτοι τὸ μεταθεῖναι λίθους καὶ πηλοφορεῖν.
Ῥωμανοὶ, ῥωμαῖοι.

Σ.

Σαγυινολέκτουμ. ἡμαγμένον ὕφασμα, λέγεται δὲ καὶ τὰ νογνὰ τῶν βρεφῶν ὡς ἔτι τοῖς μαῖρικοῖς οἷον περιῤῥεόμενα αἵμασιν.
Σακερδότας. θεραπευτάς.
Σακερδότες. οἱ τοῦ νόμου θεραπευταί.
Σακερδότες. ἱερεῖς.
Σάκρα. οἱ λόγοι τοῦ δημοσίου καὶ αἱ γραφαὶ, καὶ ἑρμηνεύονται ἱερά.
Σάκρα. τὰ ἱερά.
Σάκρα βία. ἱερὰ ὁδός.
Σακριλέγιον. ἱεροσυλία.
Σάκρον. ἱερὸν, τὸ δημόσιον ἀφιερωθὲν ἐν πόλει ἢ ἐν ἀγρῷ.
Σάκρων. ἱερῶν ἐκκλησιῶν.
Σάκτα. νομικὴ ὑπόθεσις, μέσον δύο λογίων ἀνθρώπων.
Σάκτα ἐστὶ τὰ τείχη, ἤτοι ἅγια ἐν οἷς κεκώλυταί τινα πλημμελεῖν.
Σάκτα. ἅγια τὰ τείχη τῆς πόλεως, ἐπεὶ φυλάττουσι τὰ σώματα ἡμῶν καὶ τὰς ψυχάς.
Σακτίον. ἅγιον.
Σάκτον. ἅγιον.
Σάκτου σιτηρέσιον. βασιλικὴ ἀννόνα ἢ δωρεά.
Σαλάρια. δηνάρια.
Σαλάριον. δαπάνη, δῶρον ἡμερήσιον ἢ μηνιαῖον ἢ ἐνιαύσιον, κυρίως δὲ τὸ διδόμενον ἀξιωματικὸν, ἀλλ' ὅτε δὲ τὸ διδόμενον θυμελικοῖς. σαλάρια τὰ διδόμενα ἀπὸ τοῦ δημοσίου ἄρχοντι ἢ συνέδρῳ ἢ ἰατρῷ ἢ παιδευτῇ, λέγεται δὲ καὶ τὸ ἀπὸ στρατείας.
Σάλβαμ, σῶα.
Σάνκιρε. ὀχυροῦν.
Σάνκτα. τείχη, ἐκκλησίαι, εὐκτήρια, μαρτύρια, καὶ ὅσα διὰ τῶν ἱερέων θεῷ καθιέρωται, καὶ τὰ τίμια κειμήλια.
Σατισδατίον. ἱκανοδοσία.
Σατισφακτίο. ἱκανοῦ λῆψις.
Σεδέτοις. καθέδραις.
Σεδέτοις. προαστείοις.
Σέδετον. τὸ φοσσάτον.
Σείδετα. ἄπληκτα σκαφίοις ἢ τόποις τισί.
Σεκέλλον. ἀφίδρυμα, ἤτοι ἱερίφιον.
Σεκέρνοι. διακρίνοι.
Σεκουέστωρ. μεσεγγυητὴς παρ' ᾧ πολλοὶ ἐπίδικον παρατίθενται πρᾶγμα ἐπὶ δήλῳ ὅρῳ.
Σεκουέστορι. τῷ μεσίτῃ.
Σεκούνδουμ κυάρτας. ἡ ἐκ χαρτῶν, ἤγουν τῆς ἐν εἰλυταρίῳ διαθήκης διακατοχή.
Σεκούνδουμ εἰκία. κατὰ τὴν διατύπωσιν τῆς διαθήκης.
Σεκούνδουμ ταβούλλας διακατοχήν. τὴν ὡσανεὶ κληρονομίας τῆς ἀπὸ διαθήκης διακατοχήν.
Σεκούνδουμ ταβούλλας. ἡ κατὰ τῆς διαθήκης.
Σέκρετον. δικαστήριον.
Σενάτους. ἡ σύγκλητος.
Σενάτους κονσοῦλτι. τῆς συγκλήτου τὸ θέσπισμα.
Σενάτους κονσούλτουμ. τὸ τῆς συγκλήτου νομοθέτημα.
Σεντεντία. αὐτοτελὴς καὶ ἀναμφίβολος ἀπόκρισις.
Σεπούλκρι βιολάτι. τάφου μιαινομένου.
Σεπούλκρι βιολάτι. ἤγουν περὶ τυμβωρύχων.
Σεπρόνι. τῷ ὀνόματι.
Σέρβαι. δοῦλαι.

Σερ-

ἀπωτ .... ει] In Baſilicis *tom.* VI. *p.* 335. in *l.* 26. §. 4. *D. de fideicommiſſar. libertatib.* eſt ἀπεστοῦθαι ἤδη ἡ ἐλευθερία.

Ῥοῦπαν] Lego Ῥοῦπταν, quale ſtatim ſequitur.

Ῥοῦπταν. κομένην] leg. κεκομμένην. LABB.

ῥοῦδις γὰρ ἡ βῶλος] Rectius foret, Ῥοῦδος γὰρ ἡ βῶλος. Gloſſae. *Rudus.* βῶλος. Quod vero ſequitur ῥοῦδας, auctoritate idonea caret.

καταπίπτω] Scribi debuit κατασκάπτω.

Σ.

Σαγυινολέκτουμ] Voluit exprimere Σαγγουινολέντουμ. *add. l.* 2. *C. de patribus, qui filios ſuos diſtraxer. l. un. Cod. Theod. de his qui ſanguinolent. emptos vel nutriend. acceper.* & *ibi Jac. Gothofred.*

Σάκτα. νομικὴ &c.] σάκτα pro σάγκτα hic paſſim ſcriptum eſt. Ceterum ſequentia quo pertineant, mihi non ſuccurrit. Briſſonius quoque haec adducit *v. Sancta.* quae vero res Sanctas adtinent, vulgo ex Jure Romano notiſſima ſunt.

Σάκτου] σάκτον. SCAL.

ἀλλ' ὅτε δὲ] Lego ἄλλοτε δὲ.

Σείδετα] σίδετα. *

Σεκέλλον. ἀφίδρυμα] Leg. Σάκελλον. LABB. Σακέλλιον. SCAL. Ita & Du Cangius *in Gloſſar. v.* ἱερίφιον.

ἱερίφιον] ἱεράφιον (*) Vulgatum retinet Du Cangius *h. v.*

Σεκουέστορι] Boſquetus *ad Pſell. Synopſ. v.* 525. legit Σεκουέστρῳ: verum cum modo habuerimus Σεκουέστωρ, quare hoc quoque non feremus?

Σεκούνδουμ κυάρτας] Pro Σεκούνδουμ χάρτας, ut intelligatur bonorum poſſeſſio ſecundum chartas, quae alioquin comprehenditur ſub illa, quae appellatur ſecundum tabulas, *l.* 1. *pr. de bonor. poſſeſſion. ſecund. tabb.*

εἰλυταρίῳ] Sic ἐξειλήματα χάρτα in gloſſa, quae praecedit verbum ταβούλλας. εἰλυτάριον eſt *volumen*: atque hanc lectionem recte defendit Du Cangius *h. verb.* contra Meurſium, reponentem εἰλιτάριον.

Σεκούνδουμ εἰκία] Nota eſt bonorum poſſeſſio ſecundum nuncupationem, de qua aliquid notavi *ad v.* Ἠκουτρανέο κονατεῖνος, quae an in haec verba, ſenſu prorſus carentia, degenerarit, an aliud ſubſit, doctiorum judicio relinquo.

ἡ κατὰ τῆς διαθήκης] Haec eſt contra tabulas. Legendum ἡ κατὰ τὴν διαθήκην.

ἡ περὶ

Σερβάρε. φυλάττειν.
Σέρβη κορόπτη. περὶ ὑποφθορᾶς δούλων.
Σέρβη κουρούπτη. ἤτοι ἡ περὶ δόλου ὑποφθορᾶς ἀγωγὴ διπλῆ ἐστι.
Σέρβι κορούπτι. δούλου ὑποφθαρέντος.
Σέρβι κορούπτι. ἀγωγὴ κατὰ τοῦ τὸν ἀλλότριον οἰκέτην ὑποφθείραντος.
Σέρβοι. οἱ δοῦλοι, ἐκ τοῦ πεφυλάχθαι εἰς δουλείαν καὶ μὴ ὑπὸ τῶν κατασχόντων πολεμίων ἀναιρεῖσθαι.
Στροκουρρούπτη. ἀγωγὴ ἡ χείρονα ποιοῦσα τὸν ἀλλότριον δοῦλον, καὶ ἀπαλείψασα τοὺς ἀγαθοὺς αὐτοῦ τρόπους.
Σεσκουπέδια παρὰ ῥωμαίοις στρατιωτικὰ ὀφθία.
Σετεμεντάριοι. οἱ ὑπὸ τοῦ διατιθεμένου προτραπέντες ἐπιτροπείαν.
Σηλεκτὸς. χαμαιδικαστής.
Σησκουὰς ἥμισυ σὺν ἀσσαρίῳ, τουτέστιν ἓν ἥμισυ ἀσσάριον.
Σιάλωμα. σιδηρὰ περιφέρεια τοῦ ῥωμαικοῦ θυρεοῦ.
Σικάριος. ἀνδροφόνος παρὰ τὴν σίκαν, ἥ ἐστι σιδηρὰ μάχαιρα.
Σίκαρις. ἀνδροφόνος.
Σίκλον. τὸ ἔδαφος.
Σίλβα σίλουα. ὕλη τεμνομένη ἐκ τῶν ῥιζῶν ἢ καὶ κλάδων.
Σιλενόνες. πορνοβοσκοί.
Σιμικίνθια. φακιόλια ἢ ζωνάρια.
Σὶνε ἰοῦρε. χωρὶς νόμου.
Σινέκαυσα. χωρὶς αἰτίας.
Σινελιβάντατε. ἐπιτροπὴ διὰ τὴν περὶ τοὺς ἀφηλίκους σπουδήν.
Σίνε λιβερτάτε. δίχα ἐλευθερίας.
Σίνε λιβερτάτι. ἀπελευθερίας.
Σινελιβάντατε. χωρὶς διαθήκης, ἐκ τοῦ ἀντιβόλου ὀρθοῦ.
Σινενδιμόδο. πρεκαρτίον, ἤτοι ἐξαίρετος.
Σίνε τουτόρις ἀκτουρίτατε. χωρὶς αὐθεντίας φροντιστοῦ.
Σινεδουτορισακτορίτατε. ἄνευ τῆς τῶν κουρατώρων λυσιτελείας.
Σκηνὴ. πᾶσα ἡ οἴκησις, καὶ τὸ παίγνιον ἔνθα ἵσταταί τις ἢ κινεῖται παιγνικὴν ἐπιδεικνύμενος τέχνην, εἴτε ἐν δημοσίῳ τόπῳ, ἢ ἰδιωτικῷ, ἢ ἀγρῷ ἔνθα μένουσι οἱ ἄνθρωποι χύδην διὰ θέαν εἰσίασιν.
Σκαντία. ἡ ἐμὴ γνῶσις.
Σκουβίτορες. οἱονεὶ φύλακες ἄγρυπνοι, οὓς πρῶτον μετὰ Ρωμύλου Τιβέριος Καῖσαρ ἐξεῦρε.
Σκουτατοὶ. οἱ πάλαι ὁπλῖται.
Σκρίβα. γραφεύς.
Σκρίβας, σκρίβων, ὁ τῶν σωματοφυλάκων ὑπερφερόμενος.
Σκρινιάριοι. σκηπτροφόροι, ἤγουν σιαρτουλλάριοι.
Σκρινιάριοι. οἱ χαρτοφύλακες τῶν βασιλικῶν χαρτῶν, σκρίνια γὰρ αἱ ἄρκλαι, σκρίνιον δὲ δρυφακτικὴν λάρνακα καλοῦσι ῥωμαῖοι.
Σκρινιάριος. ὁ χαρτοφύλαξ.
Σκρινιάριος. ὁ χαρτουλάριος τοῦ ἐπάρχου, ὁ αἴρων τὸ σκρίνιον, ἤτοι τὸ κιβώτιον
Σκρίπτον. τὸ γεγραμμένον
Σκρίπτον. γεγραμμένον ἐν διαθήκῃ.
Σοβρίνους. ἀνεψιός.
Σοβσιάρεια. ἡ ἁρμόζουσα τοῖς νέοις κατὰ τοῦ σκρίβα.
Σόκιος. κοινωνός.
Σοκρούς. πενθερά.
Σολάριον. ἡλιακόν.
Σολβιτίων. ἡ λύσις καὶ ἡ καταβολὴ, ἣν καὶ ἀποφὴν φασὶν, ὅταν πραγματικῶς καταβληθῇ τινὶ τὸ χρεωστούμενον.
Σολέμνια καὶ σαλάρια. ἑορταὶ εἰς τὰ ἴδια τῆς ἐκκλησίας.
Σολέμνια. ἑορταστικά. καὶ πάλαι σολέμνιον συνηθὲς τὸ διδόμενον παιδευταῖς καὶ ἰατροῖς καὶ τοῖς ὁμοίοις.
Σολέμνια. τὰ ὑπὸ βασιλέως ἐν ἐκκλησίαις διδόμενα χάριν μνήμης ἤτοι ἑορταστικαί.
Σολίδος. νόμισματα.
Σολουτίον. καταβολὴ, ἢ λύσις δι᾽ ἧς πᾶσα ἐνοχὴ διαλυέται καὶ ἡ τῆς βέρβις, καὶ τῆς ῥὲ, καὶ τῆς λίτερις, καὶ τῆς κοσένσο.
Σοτίκτη. κατὰ ὑπόπτου ἐπιτρόπου.
Σορόρις πατρουέλες. ἐξάδελφοι ἐκ πατέρων.
Σοῦα βὲλ σουόρουμ κάουσα. ἤγουν δι᾽ ἰδικὴν αὐτοῦ ἢ ἰδίαν, ἢ συγγενῶν πρᾶγμα ἤτοι ἀδίκημα.
Σουβαίουβος. ὁ τοῦ βοηθοῦ βοηθός.
Σουβσιδιαρία. κατὰ τῶν προβαλλομένων.
Σοὺβ ἰνκέρτε δίε ὑπὸ ἄδηλον ἡμέραν.

ἢ περὶ δόλου] δούλου. SCAL.

Στροκουρρούπτη] In alio Mſ. cod. legitur στροκουρρούπτη: leg. στρουκορρούπτη, ut ſupra. LABB. Ipſa quoque interpretatio rem explicat parum exacte: quaſi haec actio corrumperet ſervum, quae tamen ad hoc comparata eſt, ut corruptorem coerceat.

Σεσκουπέδια] Suidae σεσκουπεδίαι. Meurſio ac Du Cangio vulgatum placet.

Σετεμεντάριοι] leg τεσταμεντάριοι. LABB. & SCAL.

Σίκλον] Interpretatio exigit, ut praeceſſerit Σόλον vel Σόλουμ.

Σιλενόνες] Meurſius *in Gloſſar.* v. Λενὼν recte reponit οἱ Λενόνες.

Σινελιβάντατε] Σινελιβέρτατε. SCAL.

διὰ τὴν περὶ τοὺς ἀφηλίκους σπουδὴν. &c.] Haec imperfecta ſuppleri poſſunt ex Theophilo, §. 1. *Inſt. qui teſtament. tutor. dari poſſ.*

ἀπελευθερίας] Lego ἄνευ ἐλευθερίας.

Σινελιβάντατε] Σινελιβέρτατε. SCAL.

πρεκαρτίον] πρεκάριον. SCAL. Du Cangius in *Gloſſar.* *h.v.* legendum putat πρεκάριο, Briſſonius in *v. Sinendi modo* ex Gloſſario antiquo exhibet *ſinendi modo*, περ κάπτιον ἐξαίρετος: & diſtant tamen valde legatum ſinendi modo & per praeceptionem. Mea eſt conjectura, fuiſſe ſcriptum. Σινένδι μόδο, πρεκαπτίον, ἤτοι ἐξαίρετος. Sane hoc ordine haec duo legatorum genera proponuntur ab Imperatore & Theophilo §. 2. *Inſt. de legat.* interpretatio vero, ſive, verbum ἐξαίρετον ad ſolum pertinet poſterius; qualia & alibi in his Gloſſariis accidiſſe ante obſervavi.

ἀκτουρίτατι] Pro αὐκτοριτάτι: quod cum & mox occurrat, ſuſpicionem movere poſſet, ipſos Auctores perperam hoc extuliſſe.

Λυσιτελείας] Si hoc ab Actore ſit, confudit is *auctoritatem* & *utilitatem*.

καὶ τὸ παίγνιον ἔνθα &c.] Illud παίγνιον nihil ad rem facit, niſi ſumatur pro loco ludorum. Tentare aliter quis poſſet, ut ſcribatur, καὶ τόπος ἔνθα &c. Verba vero haec petita ſunt ex *l.* 2. §. *ult. D. de his qui notant. infam.*

μετὰ Ρωμύλου] Forte μετὰ Ρώμυλον.

σκηπτροφόροι] Sic quoque ſcriptum fuit in alio Gloſſario, cujus verba profert Briſſonius *v. Scriniarii.* Du Cangius vero in *v.* σκηπτροφόροι & Σκρινιάριος mallet σκρινιοφόροι, addens, doctos viros ſic emendare.

σιαρτουλλάριοι] χαρτουλλάριοι. SCAL.

Σοβσιάρεια] Σοβσιδιάρεια. SCAL. Ita & Meurſius *in Gloſſar.* v. Σοβσιδιάριος.

Σολίδος] Σολίδοι. SCAL.

Σοτίκτη] Σοσπέκτη. ID.

Σουβσιδιαρία] Συβσιδιαρία. ID.

Σουβστιτοῦτος. ὑποκατάστατος.
Σουγέστιον. ἀναφορά.
Σουγλάριον. ἐργαλειαθήκη.
Σουδάριον. εἶδος ὀθόνης δεχομένης ὑγρὰ οἷον ἱδρῶτα καὶ τὰ τοιαῦτα.
Σουκεσσίονα. διακατοχήν.
Σουκεσσίονι. διαδοχῇ.
Σουκέστωρ. διάδοχος.
Σουκέστορι. τῷ μεσίτῃ.
Σούκινος. ὁ εὐνοῦχος.
Σουμίσιο. ὑποβολή.
Σοῦμμα, κεφαλαίωσις.
Σοῦον. γνήσιον.
Σοῦο νόμινε. ἤγουν ἰδίῳ ὀνόματι.
Σοῦος. οἰκεῖος, γνήσιος.
Σοῦος. ὁ οἰκειακός. καὶ ζῶντος τοῦ διατιθημένου τρόπῳ τινὶ δεσπόται πεφύκασιν.
Σούῳ καὶ ἀλιενόμινε. ἰδίῳ καὶ ἀλλοτρίῳ ὀνόματι.
Σοῦος. ἴδιος.
Σούπερβος. ὑπερήφανος.
Σουπερίνδικτον. τὸ ἐπέκεινα τοῦ συντελοῦς.
Σουπερφικιάριος. ἔχων οἴκημα ἐν ἀλλοτρίῳ ἐδάφει.
Σουπερφίκιον. ὑπερῷον. ἔστι δὲ ὑπερῷον τὸ ἐπάνωθεν κατασκευασθέντος ἐδάφους οἴκημα.
Σουπερφίκιον ἱστόν. τὸ ἐπ' ἀλλοτρίῳ ἐδάφει ἱστάμενον.
Σουπερφιτζιαρίας οἰκίας καλοῦμεν, τῶν κατὰ τοῦ μισθωθέντος ἐδάφους ἐποικοδομουμένων. ἡ δεσποτεία καὶ φύσει καὶ νόμῳ ἐκείνῳ διενήνοχεν οὗτινός ἐστι τὸ ἔδαφος.
Σουπερφιτζιάριος. ὁ ἔχων οἴκημα ἐν ἀλλοτρίῳ ἐδάφει. καὶ ὅπερ δίδωσι ἐμφύτευμα, σουπερφίτζιον λέγεται, σουπερφίτζιον γὰρ τὸ ὑπερῷον.
Σουράτιστον. ἥμισυ.
Σουρσιδιρία. ἡ ἐσχάτη βοήθεια.
Σουρφίκιον. τυαφικόν.
Σουρφίκιον. τυαφικόν.
Σούσπεκτον. ὕποπτον.
Σούσπεκτον. ἐνώπιον.
Σούσπεκτος. ὁ μεμπτέος ἐπίτροπος.
Σούσπεκτος. ὁ κακῶς τὰ τοῦ πουπίλου διοικῶν πράγματα ἐπίτροπος.
Σουφράγιον. ἀποστροφή.
Σουφράγιον. βοηθός, ὅθεν καὶ τὰ παρεχόμενα ἐπὶ τῷ βοηθῆναί τινα σουφράγια καλεῖται.
Σοφράγιον. ἀποστροφή.
Σοφισματιῶντας. κυροῦντας, στεροῦντας.
Σπάδωνες. οἱ ψύξει τῶν γονίμων μορίων ὑποστάντες.
Σπεκιάλιταν ἰορίμ. τὴν ἰδικὴν παρὰ δεσποτείας ἀγωγήν.
Σπεκτάβιλις. περίβλεπτος.
Σπεκταβίλοις. μηνύουσι.
Σπεράτιμ. διαζευκτικῶς.
Σποιπάλια. ἔθνα.
Σπονσάλια. κατεγγύησις.
Σπονσαλίβους. μνηστειῶν.
Σπόνσιο. πᾶσαν ἐπερώτησιν καὶ ὁμολογίαν.
Σπόνσορ. ἐγγυητής, νυμφαγωγός. ἔστι καὶ τὸ μνηστεύομαι.
Σπόνσος. νύμφιος.
Σπορτίλα. ζημία ἐπὶ πορνείᾳ. μοιχεία λέγεται ἐπὶ ὑπάνδρου, στοῦπρον δὲ ἐπὶ παρθένου καὶ χήρας ἀθεμίτως συνευναζομένων. καὶ φησὶν ἡ μοιχεία καὶ τὸ στοῦπρον εἰς ἐλευθέρους ἁρμόζει, εἰς δὲ τὸν δοῦλον, ὁ ἀκουΐλιος.
Σπόρτουλα. ἐκβιβαστικά, ἐφόδια, συνήθειαι.
Σπόρτουλα. τὰ διδόμενα τοῖς ἐκβιβασταῖς. σαλάρια δὲ τὰ διδόμενα τοῖς συνηγόροις.
Σπόρτουλα. δημόσια.
Σπόρτουλα. δῶρα ἐπὶ πάντων διδόμενα παρρησίᾳ. ἔτι δὲ καὶ τὰ παρ' Ἀθηναίοις καλούμενα πρυτανεῖα.
Σπόρτουλον. τόκον.
Σπούριος. πορνογέννητος.
Σπουρίος. νόθος.
Σπουρίους. συρφετούς, πορνογενεῖς.
Σπούρταλα. τὰ ἐν πυρίδι διδόμενα ξένια.
Σπούρτουλα. τὰ ἐν σπυρίδι διδόμενα ξένια.
Σπούρτουλα. χρήματα.
Σπούρτουλα. δημόσια.
Σταβουλάριος. ὁ τὸν στάβλον ἤγουν καπηλεῖον ἐκγυμνάζων.
Στάδιος καὶ στάδιον. μέτρον ὁδοῦ παρὰ ἵστασθαι τὸν ὁδεύοντα.
Σταθμός. ζῶον δρομικόν, ὃς λέγεται νῦν ἀλλαγή.
Στατίβα. στάσις.
Στατίωνις. στάσεως.
Στάτιο. ὁ τόπος τῆς ἀσφαλεστέρας τῶν πλοίμων σορμίσεως.
Στατίωνες. τὰ πρακτεῖα τῶν δημοσίων τελῶν.
Στατίων. ἡ λιμήν.
Στατουλίβερ. ἐπὶ ὅρων ἐλευθερίας.
Στατουλίβερ. πρᾶγμα ἐλεύθερον.
Στατουλίβερ. ὁ ὑπὸ ἡμέραν ἢ ὑπὸ αἵρεσιν ἐλευθερωθείς, ὁ ὑπὸ ὅρων ἐλευθερίας.
Στεγονόμιον. τὸ ἐνοίκιον.
Στελλιονάτῳ. τὸ περὶ κολάκων νόμῳ.

Στελ-

Σουκίστωρ. διάδοχος.] Leg. Σουκίσσωρ, *ſucceſſor*. LABB.

Σουκέστορι] Σουγίστορι. SCAL. Putem intelligi ſequeſtrem, qui in Gloſſis Latino-Graecis plus ſemel dicitur μεσίτης. Verum id Graeci non uno modo extulerunt: & habuimus jam Σουκίστωρ, ac hic forte nec Auctor ipſe ſatis bene verbum expreſſit.

Σούκινος] Du Cangius *h. v.* mallet Σούκισος, *ſucciſus*.

συντελοῦς] Scriptum rectius fuiſſet συνήθους.

ἰδίῳ] ἰδίῳ. SCAL.

ἐποικοδομουμένων. ἡ δεσποτεία &c.] Defendi haec lectio poſſet: ambigo tamen, an non ſit legendum ἐποικοδομουμένων, ὧν ἡ δεσποτεία &c. ſaepe factum, ut omiſſum ſit aliquid, quia ſimilis ſyllaba praecedebat.

Σουρσιδιρία] lego Συβσιδιαρία, ſubſidiaria. LABB.

Σουρφίκιον. τυαφικόν] σουπερφίκιον. τὸ ἐδαφικόν. SCAL. Idem notaverat Scaliger ad Gloſſam ſequentem. Verum Du Cangius v. Σουβρίκιον ex Gloſſis juris Mſſ. haec quoque exſcripſit, Σουρφίκιον. τυαφικόν, hoc eſt *ſulphureum*, a τεῖφα *ſulphur*, de quo verbo idem conſulatur: ut ita in hoc loco etiam legendum ſit; hacque ratione quam minimum a vulgato abibitur. Salmaſius *ad Vopiſc. Aurelian. c.* 45. legit Συβρίκιον. τυφιακόν vel τοφιακόν, intelligens operimentum capitis, quod ſub rica mulieres geſtabant, tamquam *rica* & *tufa* idem fuerint: cui merito non accedit Du Cangius v. Συβρίκιον.

Σούσπεκτον. ἐνώπιον] Interpretationi magis quadraret Συβσπέκτουμ.

Σοφισματεύοντας] Interpretatio κυροῦντας, στεροῦντας ſuaderet, debuiſſe praecedere verbum, Κονφιρματεύοντας, vel ſimile, *add. v.* κονφιρματευθῆναι.

Σπεράτιμ] Σιπαράτιμ. SCAL.

συνήθειαι] σύνηθες v. Σολίμνια. ID.

πυρίδι] σπυρίδι. *Id.* ita ſcriptum ſequenti gloſſa.

Σπούρτουλα. δημόσια] Leg σπόρτουλα. LABB.

τὸ περὶ] τῷ περὶ. SCAL.

πρῶ-

Digitized by Google

Στελλιονάτους. ἐπίθεσις, κακουργία.
Στελλίονος πρεσκρήψεος. ἡ τοῦ στελλίονος παραγραφὴ κατὰ τῶν κακούργων.
Στέλλιος. κακοῦργος, κακότροπος.
Στιλαιίδιον. σταγὼν, ὅ ἐστι ἀπὸ κεράμων σταλαγμὸς.
Στιλικίδιον. σταγὼν ἡ τῶν κεράμων.
Στιπενδιάρια. τὰ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις βασιλέως κελεύσει ὑπὸ τοῦ δήμου κρατούμενα πράγματα.
Στιπένδιον ἐτ τριβοῦτον. τὰ ἀπὸ λεπτῶν ἀργυρίων συναγόμενον.
Στιπενδιοῦν. διὰ τὸ ἀπὸ λεπτῶν ἀργυρίων συνάγεσθαι. τὸ δὲ αὐτὸ καὶ τριβοῦτος λέγεται, ἀπὸ τοῦ ἐπικλᾶσθαι τοῖς καταβάλλουσιν ἢ ἐπιμερίζεσθαι τοῖς στρατιώταις.
Στίπις. στέλεχος.
Στιπουλάτους· ἐγγύη.
Στιποῦλον. τὸ ἰσχυρὸν.
Στοῦπρον. πορνεία.
Στοῦπρον. φθορὰ χήρας λέγεται, καὶ ἀσέλγεια, φθορὰ παρθενίου.
Στοῦπρον. μοιχεία, ὅ ἐστι ποινὴ.
Στούπρῳ. ἀθεμιτογαμία.
Στοῦπ]ρον. ποινὴ.
Στοῦπτρος. διακυρωθὲν.
Στράτωρ. εἶδος ἀξιώματος.
Στρατιωτικὸν πεκούλιόν ἐστι, τὸ δωρούμενον ἀπὸ γονέων, ἢ συγγενῶν τοῖς οὖσιν ἐν στρατείᾳ, καὶ ὅπερ αὐτὸς ὁ ὑπεξούσιος ἐν τῇ στρατείᾳ κτήσεται.
Στρίκτα. στερεὰ, ἀναμφίβολος.
Στρίκτα. ἡ κακὴ πίστις καὶ βία.
Στρίκτον λέγουσιν οἱ ῥωμαῖοι τὸ ἐσφιγμένον καὶ βίαιον.
τῷ ὀνόματι τῆς Στρώμνης πᾶσα ἐσθὴς περιέχεται, καὶ τὰ στραγαλία καὶ τὰ παλία, καὶ πᾶν ᾧ περιβαλλόμεθα. τῷ ὀνόματι δὲ τῆς τροφῆς ἡ ἐσθὴς, οὐ μὲν καὶ τὰ στραγαλία περιέχεται.
Συμβόλαιόν ἐστιν ὑπόμνημα ἤτοι καταγραφὴ τῶν συμφωνηθέντων καὶ στοιχηθέντων μεταξὺ ἑκατέρων τῶν συμφωνούντων καὶ συμβαλλόντων.
Συμπαιγνία. ἀπάτη.
Σύμφωνόν ἐστι, δύο τινῶν ἢ καὶ περισσοτέρων ἀρέσκεια, καὶ εἰς αὐτὸ συγκατάθεσις ἐπὶ τῷ συστῆναι ἤτοι γενέσθαι ἢ διαλυθῆναί τι, καὶ ὁμολογουμένου χρέους συγχώρησις, διάλυσις δὲ, ἀμφιβαλλομένου χρέους συμβιβασμὸς.
Συνάφεια. γάμος.
Συνάλλαγμά ἐστιν, ὅταν δύο πρόσωπα συνέλθωσι καὶ ἑκουσίως δώσωσί τι, ἢ ποιήσωσιν, ἢ συμφωνήσωσιν, ὁποῖόν ἐστιν ἡ ἀγορασία, πρᾶσις, μίσθωσις, συμφωνία, καὶ τὰ ὅμοια.
Σχηδάριον. ἀρμάριον.
Σχιδάριον. ἀρμάριον.
Σχολάριοι. εἶδος φυλακῶν.
Σωλάριον. ἐξοχὴ τοῦ ἐξάτου.
Σωρίτης. παραλογισμὸς, ἤτοι εἰρωνία.

T.

TΑ᾽ ἀννουάλια. τὰ εἰς χρέος ὁρισθέντα δίδοσθαι.
Ταβελλάριος. ὁ ἐν σάνισι γράφων ταβέλλα γὰρ ἡ σανίς.
Ταβελλίων. ὁ τὰ τῆς πόλεως γράφων συμβόλαια, ὁ παρὰ τοῖς πολλοῖς νομικὸς λεγόμενος, ἅπαντα ἐπιτελῶν τὰ τῶν πολιτῶν γραμματεῖα, ἕκαστον αὐτῶν οἰκείοις ἐπισφραγίζων γράμμασι.
Ταβελλίωνος. ταβουλλαρίου.
Ταβέρνα. ἐργαστήριον.
Ταβέρνα, καπηλεῖα.
Ταβερνακούλουμ. σκηνὴ.
Ἰστέον ὅτι τὸ μὲν ἐν σχήματι τετράδος ἐξ οἱασδήποτε συντιθέμενον καὶ δεχόμενον τὴν διαθήκην, Ταβοῦλλα λέγεται, τὰ δὲ ἐξειλήματα χάρτου, αὐτὸ τοῦτο χάρτη καλεῖται, ὡς βιβλ. των Διγ. λζ. τιτλ. ια. καὶ δ. τῶν δὲ Βασιλικῶν βιβλ. λε. τίτλ. ιζ. κεφ. α.
Ταβοῦλλαν ὁ Ἰταλὸς καλεῖ τὴν σανίδα.
Ταβουλλάριοι. δημόσιοι.
Ταβοῦλις ἐξιβένδις. διαθηκῶν παρισταμένων. ἔγνως δὲ ἐν τοῖς ἰντερδίκτοις ὅτι εἰς τὸ προκομισθῆναι πᾶσαν τελευταίαν βούλησιν κινεῖται παρὰ πάντος ᾧ διαφέρει κατὰ τοῦ κρύπτοντος, καταδικάζει δὲ εἰς τὸ διαφέρον, κινεῖται δὲ μετὰ ἐνιαυτὸν. καὶ δίδοται καὶ κατὰ κληρονόμων, καὶ ἐξιβιτόριόν ἐστιν, εὐθύνει δὲ καὶ τὸν δόλῳ παυσάμενον ἔχειν τὸ δικαίωμα, ὑπόκειται δὲ ὁ κρύπτων καὶ τῷ κορνηλίῳ ὀφλήσεις. κινηθὲν δὲ τὸ ἰντέρδικτον προκρίνει τῷ πουβλίκῳ. περεμπτόρια ἂν αἱρετικὴ παραγραφὴ δυνικῶς ἀντικειμένη τῷ ἐνάγοντι καὶ ἀεὶ τὴν αὐτὴν ἀγωγὴν ἀναιρεῖ.
Τὰ ἐρεδιτάρια. τὰ κληρονομικὰ.
Τάκιτον, τὸ κείμενον ἔξω τῆς διαθήκης καὶ τοῦ κωδικέλλου, καὶ ἀγνοούμενον τινὶ οὕτω κατελείφθη.
Τάκιτον. τὸ διδόμενον καὶ πάλιν ἀποδιδόμενον.
Τάκιτον. σιγηρὸς. ὅ ἐστιν ἔξω τῆς διαθήκης.
Τάκιτον. ὅπερ ἐπαγγέλλεται ὁ κληρονόμος διδόναι τῷ μὴ δυναμένῳ λαβεῖν.
Τάκιτον. σιωπηρὸν, ὅπερ τις μήτε ἐν διαθήκῃ μήτε ἐν κωδικέλλοις παρακληθῇ ἀλλ᾽ ἐνὶ διαζώσῃ ἀσφάλεια ἢ χειρογράφῳ ἐνοχὸν ἑαυτὸν ποιήσει παρέχειν τῷ μὴ δυναμένῳ λαβεῖν.
Ταχτικοῖς. στρατιωτικοῖς.

Ta-

προσκρῆψος] πρεσκρίπτιο. Scal. *ſtellionatus praeſcriptio*, ſive *exceptio*; de qua videri poterit Cujacius *Obſervation. lib* XI. *cap.* 40.

Στιπενδιοῦν] In Baſilicis in *l.* 27. §. 1. *D. de verbor. ſignification.* eſt στιπένδιουμ, uti in *ipſa lege*.

τριβοῦτος] In Baſilicis *d. l.* τριβοῦτον.

Στοῦπ]ρον] Στίπυλον. Scal.

στραγαλία καὶ τὰ παλία] In Baſilicis in *l.* 45. *D. de verbor. ſignification.* legitur στράγλια καὶ τὰ παλλία: & poſtea iterum στράγλια.

πᾶν ᾧ] Ibidem, πᾶν ὃ, rectius.

ἐξάτου] ἐξώστου. Scal.

T.

προκρίνει τῷ πουβλίκῳ &c.] Contrarium verum eſt, per hoc, nempe, interdictum legi Corneliae non praejudicari, *l.* 3. §. 6. *D. de tabul. exhibend.* adeoque legendum eſt οὐ προκρίνει

περεμπτόρια ἂν αἱρετικὴ παραγραφὴ &c.] Scribendum, περεμπτόρια, ἀναιρετικὴ παραγραφὴ &c. Haec vero cum praecedentibus non cohaerent, utpote definientia, quid ſit exceptio peremptoria Non ignoro, occaſione hujus interdicti locum aliquando fieri doli exceptioni, *l.* 3 §. 15. *D. de tabul exhibend.* ſed nihil hoc facit ad hanc definitionem.

τινὶ οὕτω] Briſſonius, in *v. tacitum* haec repraeſentans, exhibet τινι τοῦτο, quod placet. Ceterum quae in hac gloſſa & ſequentibus traduntur de tacito fideicommiſſo incapaci relicto, ſatis ſunt clara ex *l.* 3. *pr. D. de jur. fiſc.*

σιγηρὸς] Lego σιγηρὸν.

ἀλλ᾽ ἐνὶ διαζώσῃ] ἐν ἰδιαζούσῃ. Scal.

ποιήσει] Melius ποιήσῃ.

Digitized by Google

Τάκτους. δεδουλωμένος, κεκακωμένος.
Ταμεῖον. κοιτῶνα, ἢ κελλάριον.
Ταξατίων. ἡ δικαία διατίμησις.
Ταξατίων. ἡ φαινομένη ποσότης τῶν ὀρθῶς καὶ ἀληθῶς δαπανηθέντων, ἐφ' οἷς καὶ ὅρκος ἐτελεσιουργήθη. τὸ εὔχρηστον μετὰ τοῦ ἀχρήστου μιγνύμενον καὶ αὐτὸ εὔχρηστον γίνεται
Ταξατίω. ἀποτίμησις ἢ προθεσμία λαβεῖν.
Ταξίαρχος. ἡγεμὼν, στρατοπεδάρχης.
Τὰ ποστουμαρίσοντι. τὰ μετὰ βίασιν.
Ταφίω. τὸ ἔνδον τῆς πεπραμένης οἰκίας κείμενον, κεκρυμμένον, καὶ τεθησαυρισμένον.
Τεκμήρια. ἀγαθὰ σημεῖα.
Τελμάτωρ. ὁ διαθέμενος.
Τελόνιον. κουμμέρκιον.
Τέλουμ. πᾶν τὸ ἐκ χειρὸς πεμπόμενον βέλος.
Τέμπλα. ἐπίσημα.
Τεμποράλια. ἀγωγὴ ὑπερθετική.
Τεμποραλία. παραγραφὴ εἰς καιρὸν ὡρισμένον ἐναγομένη.
Τεμποράλια. προσωπικά. τὰ Τεμποράλια. τὰ πρόσκαιρα.
Τεμποραλία. πρόσκαιρος, καὶ ἡ ἐμπρόθεσμος.
Τεμποραλία. ἡ μέχρι τοῦ φανεροῦ χρόνου ἀντικειμένη οἷον ἡ τοῦ πάκτου.
Τεμποράλις. πρόσκαιρος.
Τέμων. αὐχὴν πλοίου, κἀντεῦθεν τόμωνες ἀνάγκη ἡ τῆς κυβερνήσεως ἤγουν ἀναπληρώσεως.
Τενέβιτουρ κρίμινε. ἐνέχεται ἁμαρτήματι.
Τένδα. τὸ σφαιρικὸν διατεταμένον ὕφασμα. τένδω γὰρ τὸ διατείνω.
Τενπεράτωρ. παράβασις.
Τεππιτοποτιούμ. πάντες οἱ ἐν τῇ πόλει ἀγροί.
Τεργιβερσάρι. ὑπερτίθεσθαι, φεύγειν.
Τέρμινις μότις. ὅρων κινηθέντων. Ἴσθεον δὲ ὅτι οἱ τὰ ὀροθέσια τῶν ἀγρῶν ἀποκινοῦντες ἢ ἀνατρέποντες καὶ χρηματικῶς καταδικάζονται, καὶ ἡ αἵρεσις καὶ βούλησις αὐτῶν τιμωρεῖται. γίνεται δὲ ἡ ὑπεξέλευσις πρὸς τὴν αἵρεσιν ἤγουν πρὸς τὴν τύχην καὶ τὸ ἀξίωμα τοῦ ἁμαρτήσαντος καὶ τὴν αὐτοῦ γνώμην. ὁ γὰρ εὔπορος ἀποκινῶν δῆλός ἐστι θέλων ἐπιλαβέσθαι τῶν ἀλλοτρίων ὅρων, ὅθεν καὶ πρὸς τὴν ἡλικίαν τιμωρεῖται ὁ πλημμελῶν οὕτως ὁ μὲν γὰρ εἰς μακρότερον ἐκξω.
Τέρμινος. ὅρος.
Τερριτορίουμ. ἐνορία.
Τερτυλλιάνειον δόγμα. ὃ ἐπὶ Τερτυλλίου ὑπάτου ἐξεφωνήθη παρὰ Ἀδριανοῦ βασίλεως, παρέχει δὲ τῇ μητρὶ νόμιμα δίκαια εἰς τὴν τῶν παίδων διαδοχήν.
Τέρτιο. ἐκ τρίτου.
Τέσσαρας πενταετηρίδας. εἴκοσι ἐνιαυτούς.
Τεσταμενταρίος. ἐνδιάθηκος, ἢ ἐν διαθήκῃ γραφείς.
Τεσταμεντάριος. ἀπὸ διαθήκης ἐπίτροπος.
Τεσταμεντάριος. ὁ γραφεὶς ἐν διαθήκῃ ἐπίτροπος.
Τεσταμεντάριος. ὁ γραφεὶς εἰς διαθήκην.
Τεσταμεντάριος. ὁ ἐκ διαθήκης.
Τεσταμέντα αἰτίω. αἱ διαθῆκαι ἐν ποίῳ τρόπῳ ἀπαγορεύονται.
Τεσταμέντης φακτιτζίωνα. μαρτυρίαν ποιησάμενος.
Τεσταμέντη φακτίωνα. τὴν διατύπωσιν.
ἡ Τεσταμέντη φέξιον, ἤγουν ἡ διαθήκης ποίησίς ἐστι πολύχρηστος καὶ ἀναγκαιοτέρα καὶ τοῖς πολιτικοῖς ἀεὶ πράγμασι συγχράζουσα. καὶ τέως πρῶτον γνῶθι πῶς ἐκ τῆς τοῦ μάρτυρος προσηγορίας τὴν ἐπωνυμίαν ἔλαβε, τέστης γὰρ τῇ τῶν σαβίνων φωνῇ ὁ μάρτυς λέγεται, καὶ μέντουμ ἡ μνήμη καὶ φάκτον ἡ πρᾶξις καὶ εγίνωσκε ὅτι πλέον τῶν ἄλλων συναλλαγμάτων τε καὶ πραγμάτων ἐκ ταύτης ὀφείλει ἡ μαρτυρία τὸ ἀνεπίληπτον ἐς ἄκρον ἔχειν, ὡς τῆς αὐτῆς δυνάμεως τῆς διαθήκης ἐξηρτημένης. αὕτη δὲ ἡ τεσταμέντι φάκτιω τῆς πολιτικῆς ἐστιν νομοθεσίας, καὶ τοῦ ἰούρις τζιβέλις ῥωμανόρουμ, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τριμερῶς καλλύνεται καὶ κρατύνεται, τῷ πολιτικῷ, πραιτωρίῳ, καὶ ταῖς διατάξεσι. διπλῆ δέ τις ἐστὶν ἡ τεσταμέντι φάκτιω καὶ λαμβάνεται τοῖς θείοις ἐξηγηταῖς καὶ κατὰ κυριότητα καὶ κατὰ χρῆσιν, ἔχει μὲν γὰρ ἐκ τοῦ νόμου πᾶς τις διδομένην αὐτοῦ ἐξουσίαν διατίθεσθαι κατὰ νόμους, καὶ τὰ οἰκεῖα εὐτίθεσθαι ὑπὸ μηδενὸς κωλυόμενος νόμου, ἢ δόγματος, ἢ θεσπίσματος, καί ἐστι τοῦτο κατὰ κυριότητα τεσταμέντη φάκτιω. ἐπειδὴ δὲ εἰσί τινες διαθέσθαι μὲν μὴ δυνάμενοι, γράφεσθαι δὲ παρ' ἑτέρων μὴ κωλυόμενοι, ὡς ἄνηβος, καὶ δοῦλος, λόγοιεν μὲν οὕτω ἔχειν τεσταμέντη φακτίωνα, κατὰ χρῆσιν δέ.
Τεσταμέντι φακτίωνα. ἐξουσίαν τοῦ ποιεῖν διαθήκην.
Τεσταμέντι φάκτιω. διαθήκης ποίησίς ἐστι, καὶ τὸ δύνασθαι καὶ αὐτοῖς ἢ ἑτέροις ἐκ διαθήκης κλᾶσθαι, ὡς ὁ ὑπεξούσιος καὶ ὁ δοῦλος καὶ ὁ κωφὸς εἰ καὶ διατίθεσθαι μὴ δύναιντο.
Τεσταμέντι φακτίωνα. ἐν οἷς ἔχομεν δίκαιον ἐπιτροπεύειν καὶ εἰς ἐπιτροπὴν καλεῖν.
Τεσταμέντουμ. διαθήκη.
Τεστάτιο. διαμαρτυρία.

Τε-

ταξατίων. ἡ δικαία διατίμησις] De taxationis verbo Joriſconſultorum proprio vide doctiſſ. Cujacii *c.* 12. *lib.* 2. *Obſerv.* LABB.

Ταφίω] ταμεῖον. SCAL. Du Cangius *h. v.* mallet ταφίαν, ut intelligantur *vaſa argentea recondita, defoſſa,* vel *pecunia ſepulta.*

Τελμάτωρ] Leg. τεμεράτωρ. LABB. & SCAL.

κουμμέρκιον] Du Cangius praefert κομμέρκιον *in h. v.*

Τεμποραλία. ἀγωγὴ ὑπερθετική] Quaenam erit actio temporalis, quae rem differat? Vix dubito, quin hic ſit ſermo de exceptione temporali, quae actionem non excludit, ſed differt; adeoque ita corrigo: ἀγωγῆς ὑπερθετική. Ejusdem in proxime ſequentibus crebra fit mentio.

αὐχὴν πλοίου] In gloſſis Cyrilli occurrit αὐχὴν πηδαλίου.

Τενπεράτωρ] Scribendum τεμεράτωρ, idque fuerat explicandum παραβάτης. *Temerator* pro falſario accipitur, *l.* 29. *D. de leg. Cornel. de falſ.* & nuptiarum temerator, *§.* 3. *Inſt. de public. Judiciis.*

Τεππιτοποτιούμ.] τερριτόριον. SCAL. Optime! Eſt hoc ex *l.* 239. *D. de verbor. ſignification.*

οἱ ἐν τῇ πόλει ἀγροί] Rectius in Baſilicis, οἱ ὑπὸ τὴν πόλιν ἀγροί: nec enim agri ſunt in civitate, ſed ei circumjecti. Ipſi tamen Auctori hoc videtur adſcribendum.

ὁ μὲν γὰρ εἰς μακρότερον ἐκξω.] Ex Baſilicis *lib.* LX. *tit.* 31. *in l.* 2. *D. de termin. mot.* tali modo haec poſſunt ſuppleri, ὁ μὲν γὰρ νεώτερος εἰς μακρότερον ἐξορίζεται χρόνον, ὁ δὲ γέρων εἰς ἥττονα.

Τεσαμέντα αἰτίω] Interpretatio arguit fuiſſe hic ſcriptum τεσταμέντι ερουπτίο, vel ſimile quid.

φακτιτζίωνα] Pro φακτίωνα.

Φέξιον] Φάκτιον. SCAL. Quae vero ſequuntur de teſtamento, quaſi eſſet verbum compoſitum ex *teſtis* & *mens*, diu & merito exploſa ſunt a Vinnio aliisque *ad princ. Inſt. de teſtament. ordinand.*

διδομένην αὐτοῦ] Mallem διδομένην αὐτῷ.

Ti-

Digitized by Google

Τεστατώρων. μαρτύρων.

Τεστάτωρ. ὁ διατιθέμενος, λέγεται δὲ καὶ ὁ μαρτυρῶν.

Τεστιμόνια. μαρτυρίαι.

Τέστις. μάρτυς τῇ τῶν σαβίνων φωνῇ.

Τζάγγα. τὸ ὑπόδημα.

Τῇ ἐξβίνδω τῇ ἀπαιτήσει.

Τῇ ἐξόμπλω. τῇ ἀπαιτήσει.

Τῇ ἐξερκιτζίων. τῇ γενομένῃ ἀχλήρῳ.

Τῇ κόντρα τάβ. τῇ κατὰ τοῦ ὄντος.

Τὴν βενέφακτον. τὴν καλῶς πωλοῦσαν εὔχρηστον γῆν.

Τὴν ἐξεβίνδουμ ἀγωγήν. τὴν τοῦ προστίμου ἀπόδοσιν ἐν ἐξουσίᾳ.

Τὴν κόντρα βούλλας. τὴν περὶ ἐναντίας βουλῆς.

Τὴν κομμοδάτην. τὴν ἀπόδοσιν.

Τὴν περιφοιτησίαν. τὴν προκοπήν.

Τὴν φράδιμ. τὴν κλοπιμαίαν.

Τῆς ἰουδίκτης. τῆς ψήφου.

Τῆς κοντράβου. τῆς ἐναντιώσεως.

Τῇ τῶν λουκρατίων. τῇ τῶν κερδῶν.

Τῇ φούρτῃ καὶ τῇ σέρβῃ τεκουρρίμπτῃ. τῇ κλοψίᾳ, καὶ τῆς φθορᾶς τοῦ δούλου.

Τίγνις ἰούγκτις. ἐμβεβλημένον.

Τίγνον. λίθος, βήσαλον, καταχρηστικῶς πᾶσα ὕλη.

Τίτλος. ἡ προγραφὴ τῶν ἀξιωμάτων.

Τίμπι. σύ.

Τίτλος. κεφάλαιον, αἰτία.

Τίτουλ. δημεύων.

Τιφουτῇ. κεκρυμμένῃ ἀγωγῇ.

Τὸ διβετάριον. ἀπογραφὴ τῶν εὑρισκομένων.

Τὸ δομικίλλιον, τὸ οἰκίδιον

Τοῖς ἰνμαγκιπάτοις. τοῖς ἰδιοκτήτοις.

Τοῖς ἀδητιώσασι. τοῖς κυριώσασι.

Τοῖς ἐξακόρτα. τοὺς ἐξαγώνους μηρούς.

ὁ Τόκος τῶν ἀργυρίων οὐκ ἔστι καρπός.

Τὸ λιττιγιόσον. τὸ ἐπίδικον.

Τουμεντόρια. περὶ ὀνόματος καὶ ὁμωνυμίας.

Τὸ περὶ καλουμνίας ἰμφακτοὺμ ἀγωγὴ κινεῖται ἐντὸς μὲν ἐνιαυτοῦ τὸ διπλοῦν ἀπαιτεῖται, μετὰ δὲ τὸν ἐνιαυτὸν, τὸ ἁπλοῦν.

ὁ Τόπος, μέρος ἀγροῦ ἐστιν. ὁ δὲ ἀγρὸς, ὁλόκληρός ἐστι καὶ ὡς ἐπίπαν χωρὶς τῶν οἰκημάτων. δύναται δὲ ἀπὸ τῆς διαθέσεως τοῦ κεκτημένου εἶναι ὁ τόπος ἀγρὸς, ὡς ὅταν ἀντὶ ἀγροῦ παραδῶμεν αὐτὸν, καὶ ὁ ἀγρὸς τόπος ὡς ὅταν αὐτὸν ἑτέρῳ παραθήσωμεν ἀγρῷ.

Τορὲμ βονόρουμ. τουτέστι κοινωνία ἡ ἐπὶ πάσῃ τῇ οὐσίᾳ γινομένη, ἣν οἱ Ἕλληνες κοινοπραξίας καλοῦσιν. ἔνθα ἀναγκάζονται τὰ ἐκ πάσης αἰτίας συνεισφέρειν, πλὴν ἀσέμνου καὶ ἀθεμίτου καὶ παρανόμου πόρου, καὶ ἐπὶ ῥητῶν πραγμάτων καὶ χρημάτων καὶ ἐμπορίας, καὶ ἐὰν περιέχῃ οἱ κοινωνοί, καὶ ἀπὸ χρόνου, καὶ ὁ . . . . χρόνου, καὶ ὑπὸ αἵρεσιν· ἀπαιτεῖ δὲ δόλον καὶ ῥαθυμίαν, οὐκέτι δὲ καὶ ἄκραν ἐπιμέλειαν ἀλλὰ οἵαν ὁ κοινωνὸς παρέχει τοῖς ἰδίοις πράγμασιν· ἀτιμοῖ δὲ ἑκατέρωθεν ἡ κοινωνία κἂν ἀπόφασις ἢ διάλυσις γέγονεν· ἀπαιτεῖ δὲ καὶ λόγους τοὺς κοινωνοὺς· ὁ δὲ κοινωνὸς εἰς ὅσον εὐπορεῖ καταδικάζεται, οἱ δὲ κληρονόμοι αὐτῶν, εἰς μόνον τὸ χρέος καταδικάζονται· λύεται δὲ καὶ ἀπαγορεύσει, καὶ καπίτης δεμινουτίονι, τουτέστι καταστάσεως ἐναλλαγὴ καὶ συγκατάβασις μεγάλη καὶ μέση, καὶ πωλίας ἐπισυμβάσης, καὶ θανάτῳ τοῦ ἑνός· κοινωνία δὲ οὐδ' ἀπὸ συμφωνίας εἰς κληρονόμους διαβαίνει, πλὴν τῶν δημόσια τέλη μισθουμένων κοινωνῶν, ἐκεῖνοι γὰρ καὶ εἰς κληρονόμους δύνανται παραπέμπειν τὴν κληρονομίαν, ὀφείλει δὲ ὁ κληρονόμος κλη-

τεστατώρων] Pro Teſtium. ſimile in gloſſa ſequenti, ut nihil videatur immutandum.

τῇ ἐξβίνδω] Pro Ἐξβινδίτω. Verum expoſitio hujus verbi & ſequentium admodum paſſim eſt imperfecta, Auctorum vel librariorum culpa.

ἐξερκιτζίων] Pro ἐξερκιτζίων.

βούλλας] ταβέλλας. SCAL.

περιφοιτησίαν] Περφοιτησίαν. ID.

φράδιμ] Φρανδεμ. ID.

Τῆς ἰουδίκτης] ἰουδικάτης. ID.

κοντράβου] κόντρα τάβου. ID.

σέρβῃ τεκουρρίμπτῃ] Legendum σέρβῳ κορρόυπτῳ, pro *ſervi corrupti.*

Τίμπι] L. τίβι. CUP.

σύ] σοί SCAL.

Τίτουλ. δημεύων] Hic videntur reſpici tituli Principis, rebus publicatis appoſiti *l.* 3. *C. de bon. vacantib.* & *incorporation. ub. Cujac.* & *Jac. Gothofred. ad l. un. C. Theod. de his qui potent. nomin.* & *titul. in lit. praetend. aut tit. praed. adſig.* unde verbum τιτλεῖν *titulum imponere*; de quo videntur Gloſſaria Meurſii & Du Cangii. Ut vero interpretationi reſponderet verbum praemiſſum, debuiſſet ſcribi, τιτλεύων. δημεύων.

Τὸ διβετάριον. ἀπογραφὴ τῶν εὑρισκομένων] *l.* 43. §. 8. *D. de furt.* (*) agitur illic de libellis, quos proponunt, qui res inventas reſtituere volunt dominis. Verum talis libellus vocaretur melius πρόγραμμα, quam ἀπογραφή; quod verbum magis notat deſcriptionem, & reſpondet Latino *inventarium.* Unde ſuſpicor potius fuiſſe hic ſcriptum τὸ ἰνβεντάριον. Et per τὰ εὑρισκόμενα intelligo ea, quae in bonis hereditatis aut pupilli vel minoris inveniuntur. In Sylloge quoque vocabulorum inter gloſſaria a Labbeo edita occurrit *inventarium, Inagafe* litteris Latinis pro ἀπογραφή, uti in in aliis locis illius Sylloges interpretationes ſunt Graecae.

τὸ διπλοῦν] Imo τετραπλοῦν, *in quadruplum*, *l.* 1. *pr. D. de calumniatorib.* §. 25. *Inſt. de actionib.* grave hoc eſt vel Auctoris, vel forte magis librarii, erratum.

ὁλόκληρος] In Baſilicis in *l.* 60. *D. de verbor. ſignification.* unde haec deſumpta ſunt, eſt ὁλόκληρον, & in ipſis Digeſtis *integrum aliquid*, rectius.

ὁ τόπος ἀγρός] Ibidem, καὶ ὁ τόπος ἀγρός.

καὶ ὁ ἀγρὸς τόπος] Ibidem, καὶ ὁ ἀγρὸς εἶναι τόπος.

Τορὲμ] τοτόρουμ. SCAL.

ὁ . . .] ἕως. SCAL. Lacuna erit ſuppleta, ſi ſcribamus ἕως ῥητοῦ χρόνου.

κἂν ἀπόφασις ἢ διάλυσις γέγονεν.] Secundum juris diſpoſitionem legendum foret, ἐὰν ἀπόβασις, μὴ διάλυσις, γέγονεν. Aliter ſi ſcripſerit Auctor, valde erraverit, cum ſocius non fiat infamis, niſi per ſententiam, § *pen. Inſt. de poen. temer. litigant. l.* 1. *l.* 7. *D. de his qui notant. infam.*

εἰς μόνον τὸ χρέος] Rectius ſcripſiſſet εἰς ὅλον τὸ χρέος, uti habent Baſilica *in l.* 24. § 1. *D. de re judicat.* Idem error eſt commiſſus ſupra in *verb.* Ἰνσόλιδουμ δονάρουμ βονόρουμ: ubi eadem, quae hic legimus, etiam habuimus; ac monui illic quaedam deeſſe. Forte etiam verba initialia, δονάρουμ βονόρουμ, & τορὲμ (vel τοτόρουμ) βονόρουμ, aliquid habentia ſimilitudinis, occaſionem huic confuſioni interdicti quorum bonorum & ſocietatis omnium bonorum praebuerunt.

καὶ συγκατάβασις] καὶ συγκατάβασιν. SCAL. Vulgatum tamen reperitur quoque in loco citato: ac ferri poſſet, ſi haec verba conſiderentur, ut poſita in parentheſi poſt μέση claudenda.

κληρονομίαν] Recte *d. loc.* ſcriptum eſt κοινωνίαν; nec enim agitur de tranſmittenda hereditate, ſed de ſocietate. De re ipſa pluribus hoc loco tractare non libet.

πληρῶν ἀδόλως τὰ ἀπὸ τοῦ τεστάτωρος ἤτοι τοῦ διατεθειμένου ἀρχεῖα.

Τερπιλλιάνον ἤτοι τρεβελλιάνον. ἤγουν δόγμα κατὰ συκοφαντῶν τιμωρὸν τοὺς ἀποστάντας χωρὶς ἀβολιτίονος.

Τούβουλα. σαλπίγγια.

Τοῦ ἰνφάντος πουπίλλου. τοῦ παιδὸς ἀφήλικος.

Τοῦλδος. τὰ σαμάρια· λέγεται γὰρ ῥωμαϊστὶ τοῦλδος τὰ σαμάρια τὰ τὴν ἀποσκευὴν τῶν πολεμίων βαστάζοντα.

Τοῦλδος. τὰ σαγμάρια τὰ τὴν ἀποσκευὴν τῶν πολεμίων βαστάζοντα. ἡ ἀποσκευὴ καὶ χρεία πᾶσα τῶν στρατιωτῶν, τουτέστι παῖδές τε καὶ ὑποζύγια καὶ εἴτι ἄλλο πρὸς ὑπηρεσίαν τοῦ φοσσάτου ἐπισύρεται.

Τοῦ προκατεστέρου. τοῦ ὕστερον παρόντος.

Τουρπιλλιάνον δόγμα ἐκφωνηθὲν ἐπὶ τουρπιλλίου ὑπάτου· τοῦτο δὲ τὸ τουρπιλλιάνον δόγμα κινεῖται κατὰ συκοφαντῶν πρεβαρικατόρων ἤτοι προδοτῶν τῶν προδιδόντων τὰς ἰδίας ὑποθέσεις.

Τουτέλα ἀσφάλεια ἐπιτροπῆς.

Τουτέλα. ἡ ἐπιτροπή.

πρὸ Τουτέλα. ὡς ἐπιτροπὴ ἤτοι ἡ κατὰ τοῦ ἐπιτρόπου ἀγωγή.

Τουτέλας κοντραρία. ἀγωγὴ κατὰ ἐπιτρόπου ἐναντία.

Τουτέλας. κατὰ ἐπιτρόπων.

Τουτέλας. τουτέστι σκέπη.

Τουτέλις. ἐπίτροπος.

Τουτώρες. φροντισταί, ἐπίτροποι.

Τουτώρουμ βοδόρουμ. ἐπὶ πάσῃ τῇ περιουσίᾳ, ἣν καλοῦσι κοινοπραξίαν οἱ Ἕλληνες.

Τοφάλσον. ψεῦδος.

Τὸ φρατριβοσκοδαιλικίον. κλοπικὴ ἐπ' ἀγωγῇ.

Τραδιτεύοντα. παραδιδόντα.

Τραδίτιο. παράδοσις.

Τραδιτιὼν. ἡ ἀπὸ χειρὸς εἰς χεῖρα μετάθεσις.

Τραεκτίκια χρήματα. ἐπὶ μεταβολῇ ἤτοι μεταθέσει καὶ μεταπράσει καὶ ἐμπορίᾳ διδόμενα, ἤγουν τὰ διαπόντια.

Τραϊσμάρε. ἀλλότρια θαλάσσης.

Τραχιλαΐζεται. ψηλαφᾶται.

Τρακτεύουσι. ἀνακινοῦσι.

Τρακταῖσαι. σκοπῆσαι, ἐξετάσαι. τρακτεῦσαι γὰρ οἱ λατῖνοι τὸ σκέπτω, τὸ βούλευμα, καὶ τὸ ἐξέτασμα λέγουσιν.

Τρακταόριον. κέλευσις ἐπάρχου, ἢ καὶ κομβῖνα ἤτοι σύνθημα περὶ τῶν δρομικῶν ζώων.

Τρακτάτους. ἀνακάθαρσις, σύνοψις, ἐπιτομή.

Τράκτα. ἀλλάτιο.

Τρανσάκτιο. διάλυσις.

Τρανσλατευόμενον. μετατιθέμενον.

Τρανσμάρε. πέραν θαλάσσης, διαποντίας, ὑπὲρ ἐπαρχίας.

Τρανσφορμάτιο, Τρανσφιγουράτιο. μεταμόρφωσις, μετατύπωσις, μετασχηματισμός.

Τρεβελλιάνουμ δόγμα, ἐπὶ τρεβελλίου μαξίμου καὶ καπίτωνος τῶν ὑπάτων ἐκφωνηθὲν παρὰ νέρωνος τοῦ βασιλέως. διαλαμβάνει δὲ περὶ φιδεικομμίσσων.

Τριβοταρία. διαιρετική.

Τριβουρία. ἡ διοίκησις τοῦ δούλου.

Τριβοῦτον. φόρος, τέλος.

Τρίβους. τριττὺς ἢ τρίτον μέρος, τρισχίλιοι γὰρ ὄντες ὁπλῖται ῥωμύλου, ὥς φησι Δίων ἐν τῷ προτέρῳ λόγῳ τῆς ἱστορίας, εἰς τρεῖς ἐνεμήθη μοίρας κληθείσας τρίβους τουτέστι τριττύας ἃς καὶ φυλὰς ὠνόμασαν Ἕλληνες, ἑκάστη δὲ τριττὺς εἰς δέκα διῃρέθη κουρίας ἤτοι φροντιστήρια, κοῦρα μὲν γὰρ ἡ φροντὶς λέγεται. καθ' ἑκάστην δὲ κουρίαν συνιόντες οἱ εἰς αὐτὴν τεταγμένοι τινὰ τῶν καθηκόντων ἐξεφρόντιζον. λέγονται δὲ καθ' Ἕλληνας αἱ κουρίαι φρατρίαι, καὶ φρατρίαι οἱονεὶ ἑταιρεῖαι, ἀδελφότητες, συναλλάγματα, συστήματα παρὰ τὸ τοὺς φρατριάζοντας φράζειν ἢ φαίνειν ἀτρέστως καὶ ἀφόβως ἀλλήλοις τὰ ἴδια βουλήματα, ὅθεν καὶ φράτορες οἱ πάτερες ἢ συμβοῦλοι ἢ διδάσκαλοι οἱ τῆς αὐτῆς φρατρίας μετέχοντες. τάχα δὲ καὶ ἀπὸ τῆς ῥωμαϊκῆς μετέσχον λέξεως τοῦ φράτερ ὃ δηλοῖ τὸν ἀδελφόν.

Τριβουλορία. ἀγωγή ἐστι κατ' οἰκέτου.

Τριβουτορία. ἀγωγὴ ἡ διαιρετική, γίνεται ἐκ δὲ τοῦ διστριβούερε, ὅ ἐστι διελεῖν.

Τρι-

τριβελλιάνον] τρεβελλιάνον. Scal. Nihil mutandum: ſed recurre ad notata ad verbum Πριμιλαρίουμ.

τιμωρὸν] τιμωρόν. Scal.

τοῦλδος. τὰ σαμάρια] Leg. σαγμάρια, ut infra ſcriptum. Labb. Adeatur Du Cangii Gloſſarium h. v.

προκατεστέρου] Ne cui haec lectio ſit ſuſpecta, notemus verbo προκατεστὸς notari contumacem, & προκατεία eſt contumacia. Bene hoc obſervavit Du Cangius v. Προκατεία. Idem probant Baſilica tom. 1. p. 256. in l. 39. D. de recept. qui arbitr. receper. &c. et p. 604. in l. 18. D. de dol. mal. Is vero talis eſt, qui ſuo tempore non comparet, ſecundum tradita l. 53. §. 1. D. de re judicat.

κατὰ ἐπιτρόπων] Scribi debuit κατὰ τῶν ἐπιτρόπων, ſecundum praecedentia; & ſic paſſim in Baſilicis lib. XXXVIII. tit. 5.

κατὰ ἐπιτρόπου ἐναντία.] Hoc ſtare non poteſt; extra dubium enim actio contraria datur tutoribus adverſus pupillos: ſi tamen inducatur illud κατὰ, ſenſus erit bonus.

Τουτώρουμ] Τουτώρουμ*.

Τὸ φρατριβοσκοδαιλικίον] Leg. τὸ φουρτουβὶς κουδαιτίκιον. Labb.

Τραδιτιὼν. ἡ ἀπὸ χειρὸς εἰς χεῖρα μετάθεσις] Theophil. tit. 1. lib. 2. unde quis poſſet colligere, Theophilum eſſe auctorem harum gloſſarum (*). Sed habent haec Gloſſaria diverſos auctores, & poteſt aliquis hoc habuiſſe ex Theophilo, vel uterque ex alio.

Τραϊσμάρε] Pro Τρανσμάρε, ut inferius.

τρακταόριον] Leg. Τρακτόριον cum Meurſio v. Τρακτόριον, & Du Cangio v. Τρακτόριον & v. Κομβῖνα.

ἐπὶ Καπίτωνος] Forte ἐπὶ Ἀνναίου, vel Ἀννίου, uti habet Theophilus §. 4. Inſt. de fideicommiſſar. hereditatib. Intelligitur vero L. Annaeus Seneca.

Τριβοταρία] Rectum eſt Τριβουτορία, de qua eſt totus titulus D. de tributoria actione.

ἐνεμήθη] H. Valeſius inter Excerpta Peireſciana & alia Dionis Caſſii fragmenta hoc quoque repraeſentans edidit ἐνεμήθησαν.

τεταγμένοι] Malim τεταγμένοι cum laudato Valeſio; qui ex ſequentibus nonnulla omittit, quaſi non Dionis, ſed a gloſſarum compilatore profecta.

καὶ φρατρίαι] Leg. φρατρίαι vel φράτριαι. Cup.

ἀγωγή ἐστι κατ' οἰκέτου] Turbatum hic eſt, & forte a librariis, qui quaedam omiſerint: ceteroquin ferri non poſſet, contra ſervum actionem intentari ex cauſa civili, illumve ex conventione obligari poſſe civiliter, quo nihil eſt a vero magis alienum, l. 14. l. 43. fin. D. de obligationib. & actionib. & tributoriam actionem contra dominum dari certo eſt certius §. 3. Inſt. quod cum eo, qui in alien. poteſt. eſt &c. tot. tit. D. de tributor. action.

διστριβούερε] Proprie a tribuere, hoc eſt, diſtribuere: ſic

Τριβουτόρια. τὰ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις κτήματα, τριβοῦται γὰρ τὸ βαρὺ τέλος.
Τριβουτόρια. τὰ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις διακείμενα βασιλικὰ κτήματα.
Τριμήκηλον, τὴν ἰερὲμ. ὑποῖον δήποτε κτῆμα.
Τριμίπουλον. τερμότροχος.
Τροπάους. αἱ τῶν τρόπων γνώσεις.
τὸ τῆς Τροφῆς ὀνόματι καὶ τὰ βρώσιμα, καὶ τὰ πόσιμα περιέχεται, καὶ τὸ ἔνδυμα, καὶ τὰ πρὸς τὸ ζῆν ἀναγκαῖα, καὶ τὰ πρὸς φυλακὴν ἢ φροντίδα τοῦ σώματος ἐπιτήδεια.
Τῷ ἀκουιλίῳ. τῇ διπλῇ ἐπάγων καταδίκῃ.
Τῶν κόντρα ταβούλας. τῶν καταλαλούντων τὰ δικαιώματα.
Τῶν ποστούμμων νομισμάτων. τῶν ὕστερον μνημονευθέντων.
Τῷ πουπίλλῳ ἰνλιβερτάτι. τῷ ἀφήλικι ἄνευ ἐλευθερίας.
Τῶν πρωυπίων. τῶν κατὰ σάρκα.
Τῶν σκρίπτων τῶν γεγραμμένων κληρονόμων.
Τῷ φάκτῳ τοῦ νόμου. τῇ πράξει τοῦ νόμου.

Υ.

Ὕβρις. ἡ παρανομία.
τῇ τοῦ Υἱοῦ προσηγορίᾳ, πάντες οἱ παῖδες καὶ ἄῤῥενες καὶ θήλεαι περιέχονται καὶ τῇ τῶν Υἱεξουσίων καὶ οἱ ἔγγονοι περιέχονται.
Ὕμφας λέγεται ὁ ἐπίσκοπος.
Ὑπερθεμαλισμός. ἡ ἐπαύξησις τοῦ τιμήματος τῆς πράσεως.
Ὑπερῷόν ἐστι, τὸ ἄνωθεν κατασκευασθὲν τοῦ μισθωθέντος ἐδάφους οἴκημα.
Ὑπόβολόν ἐστι τὸ ἐπὶ τῇ προσθήκῃ τῆς προικὸς ὑποβαλλόμενον ἤτοι ὑποσχεθέμενον παρὰ τοῦ ἀνδρὸς καὶ εἰς πλέον ἀναβιβαζομένης τῆς προικός.
Ὑποθηκάρια. ἡ περὶ τῶν ὑποθηκῶν ἀγωγὴ πᾶσα δὲ ὑποθηκάρια ἀγωγὴ σήμερον τῇ τεσσαρακονταετίᾳ σβέννυται, ἀπειριθείσης ὑποθηκαρίας τῶν παρὰ τῆς παρεχομένης τοῖς οἰάγουσιν οἴκοις καὶ ταῖς πόλεσιν ἑκατονταετίας ἐπὶ ταῖς ὑποθηκαρίαις καὶ εἰς τὸν τῆς τεσσαρακονταετίας περικλεισθείσης χρόνον ἰστέον δὲ ὅτι ἡ μα. νεαρὰ ἐξελήφθη ἐν β. ι. τῶν Βασιλικῶν τιτλ. β. κεφ. τελευταίῳ.

Ὑποκατάστασίς ἐστιν, ἡ ἐξ ἀποτυχίας τοῦ πρώτου κληρονόμου, ἐπὶ ἕτερον τῆς κληρονομίας κατάθεσις, ὡς ὅταν εἴπῃ ὁ κληροδότης ἔστω μοι ὁ δεῖνα κληρονόμος, εἰ δὲ μὴ, ἔστω ὁ δεῖνα.
Ὑποσημειωθέν. τὸ ὑφ' ἑτέρου ὑπογραφόμενον, οἱ γὰρ παλαιοὶ τῆς Ὑποσημειώσεως ὀνόματι ἀντὶ τῆς ὑπογραφῆς χρῆσθαι εἰώθησαν.
Ὑποστλημενὴ. αἰχμαλωσία.
Ὑσὰν. χρῆσιν ἔχει.
Ὑσουαπιτιούμ. χρῆσιν ἔχει.

Φ.

Φλαβίον. δοξαζόμενον.
Φάβιος δὲ πλαγιαρίους. Φαβίου νόμος περὶ ἀνδραποδιστῶν.
Φαβιανὴ. ἡ κατὰ τῶν ἀπελευθέρων ἀγωγή.
Φαβιλάτως. πλαστογράφος.
Φάβιος νόμος. ὁ περὶ ἀνδραποδισμοῦ.
Φάκες. ὀφθαλμοί.
Φακίτους. εὐχερής.
Φάκιας ποίησις.
Φάκτα. ἔργα, καὶ ὁ τρόπος τοῦ πράγματος.
Φάκτον. ἔργον.
Φάκτον ποίησις, ἢ ἀρίθμησις, ἢ πρᾶγμα.
Φάτον. ἡ ἀρίθμησις καὶ πρᾶξις.
Φάκτου. πράγματος γεγονότος.
Φάκτον ἐστὶ τὸ κεφάλαιον, καὶ τὸ τῆς ὑποθέσεως ἀποτέλεσμα, καὶ ἡ τῆς πίστεως ἀνήκουσα ζήτησις.
Φακτοναρίοι. ποιηταί, τεχνῖται.
Φακτοὺς. ἡμερολόγιον.
Φαλκίδιον. τὴν τέμιοντα λόγον.
τὸν Φαλκίδιον λέγει ὁ νόμος τὸ τέταρτον εἶναι τῆς καθαρᾶς περιουσίας, ἀλλ' ἀφηρέθη ὑπὸ τῆς ιη. νεαρᾶς λεγούσης μετὰ τεσσάρων παίδων τὸ τρίτον εἶναι, ἐπέκεινα δὲ τῶν τεσσάρων καὶ ἀνωτέρω τὸ ἥμισυ.
Φαλκίδιος. νόμος περιαιρῶν ἀπὸ τῶν λεγαταρίων τὸ τέταρτον μέρος, καὶ περιποιῶν τῷ κληρονόμῳ.
Φαλκίδιος, ἡ τετάρτη μοῖρα.
Φαλκίδιος λέγεται παρὰ τῶν νόμων, ὅταν ἐκ κοινοῦ τινος πράγματος εἰς ὃ μετέχουσι πολλοί, μέρος τι τούτων ἕκαστος τῶν μετεχόντων εἰς αὐτὸ δίδωσι, ὃν συνήθειαν οἱ κοινοὶ ἔχουσι μερίδα καλεῖν. καί ἐστιν ἡ λέ-

ſic tamen & Theophilus d. §. 3.

Τριβουτόρια. τὰ ἐν ταῖς ἐπ.] Legendum Τριβουτάρια hic, & in ſequenti gloſſa, ex §. 40. *Inſt. de rer. diviſion.* & Theophilo *ibid.* unde haec hauſta videntur.

τὰ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις διακείμενα βασιλικὰ κτήματα] Secundum rei veritatem debuiſſet ſcribi, τὰ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις βασιλικαῖς διακείμενα κτήματα: nec enim erant praedia Imperatoris, ſed in ipſius provinciis ſita, ut tradidit Theophilus §. 40. *Inſt. de rer. diviſion.* vereor tamen, ne ipſius Auctoris hoc ſit peccatum.

τὴν ἰερὲμ] Du Cangius in *h. v.* τὴν ἰερὲμ.

Τῶν ποστούμμων νομισμάτων] Interpretatio exigit ut legamus, πόσμοδυμ νομισμάτων.

τῷ πουπίλλῳ ἰνλιβερτάτι] Leg. Τῷ πουπίλλῳ τῷ λιβερτάτι. LABB. Sunt haec abrupta. *vid. ad verb.* Στιλιβέρτατι.

πρωυπίων] An προπίγκων?

Υ.

Ὕμφας] Ἡφας. CUP.

Ὑποστλημενὴ] Latet hic verbum Πόστλιμίνιον: quod quid ſit, melius, quam ex loco, licet intelligere ex §. 5. *Inſt. quib. mod. jus patr. pot. ſolv.*

Ὑσὰν] Pro Οὐσουάβετ; quod exigit interpretatio.

Φ.

Φαβιλάτιος] Interpretatio eſt verbi φαλσάριος, quod hic videtur eſſe corruptum

Φακτοναρίοι] Meurſius in *Gloſſar.* reponit φακτιονάριοι, improbante Du Cangio v. φακτιονάριος, & intelligente illos, qui ſunt de factionibus circenſibus.

Φακτοὺς. ἡμερολόγιον] Leg. φαστούς. LABB. Ita & Nerius *Analector. lib.* 11. *cap.* 31.

τὴν τέμιοντα λόγον] Forte τὸν τέμιοντα νόμον.

τούτων ἕκαστος] Malim τούτων ἑκάστῳ.

ὃν συνήθειαν οἱ κοινοὶ] Legerem, ὃ συνήθειαν οἱ κοινωνοὶ ἔχουσι. Ceterum hic debuiſſet quoque mentio eſſe facta Falcidiae loco μερίδος, aut hoc addi, legique μερίδα φαλκιδίαν, ut omnia cohaererent. Partem tamen qualemcumque vocitam eſſe Falcidiam, hancque nomen habere a falce, nemo paulo doctior hodie admiſerit.

λέξις ῥωμαϊκὴ ἀπὸ τοῦ φάλκους, ὃ δηλοῖ τὸν δρεπάνην.

Φαλκιδὸς. ὁ κόπτων, ἀπὸ μεταφορᾶς τοῦ δρεπάνου.

Φαλλὸν. αἰδοῖον ἀνδρικὸν ἐκ ξύλου, ὅπερ ἐν τῇ τοῦ Διονύσου ἑορτῇ φοροῦντες ἐχόρευον.

Φάλσα. ψεῦδος.

Φαμιλία. λαὸς.

Φαμιλίας. οἰκετῶν, ἀνδραπόδων.

Φαμιλία. περιουσία ἡ συνέχουσα καὶ ἀνδράποδα καὶ ἄλλα πολλά.

ἡ Φαμιλία δηλοῖ δύο πράγματα, ὡς ὅταν ὁ νόμος λέγῃ, ὁ ἐγγύτερος συγγενὴς ἐχέτω τὴν Φαμιλίαν· πρόσωπα, ὡς ὅταν λέγομεν περὶ τοῦ πάτρωνος, καὶ τῶν ἀπελευθέρων, καὶ κοινῶς ἐπὶ παντὸς γένους, καὶ περὶ τῶν ὑπεξουσίων τοῦ ἑνὸς προσώπου.

Φαμιλίας ἔμπτορ ὁ τῆς ὑποστάσεως ἀγοραστής.

Φαμιλιέμπτορ. ὁ ἀγοράζων τὴν κληρονομίαν.

Φαμιλίας ἐρκισκούνδας. ἐπὶ τῶν συγκληρονόμων, ὅταν ἕτερος κινῇ κατὰ τοῦ ἑτέρου. ὁμοίως τῷ κομμουνιδιβιδοῦνδο.

Φαμιλίας ἐρκισκούνδας. ἡ περὶ ὑπεξουσίων κληρονόμων διαίρεσις.

Φαμιλίας ἐρκισκούνδας φαμιλίας διαίρεσις καὶ μερισμός. ἰστέον δὲ ὅτι τὰ φαμιλίας ἐρκισκούνδας τῶν διπλῶν δικαστηρίων ἐν καὶ ἴνρεμ ἐστι καὶ περσονάλιον.

Φάμου δὲ πλαγιαρίοις. ὁ περὶ ἀνδραποδιστῶν.

Φάμουσα λιβέλλους. περὶ ἀτιμίων βιβλίων τῶν δηλούντων φλυαρίας.

Φάμουσον λέγεται τὸ γραφὲν.

Φάμουσος. ἄτιμος, ἀτόπιμος.

τὸ τοῦ Φαρμάκου ὄνομα τῶν μέσων ἐστὶν, ἢ καλὸν ἢ κακόν.

Φαυόρε δοτέουμ. σπουδῇ τῶν προικῶν.

Φιδεικόμμισσα. πίστει καταλιμπανόμενα.

Φιδεικομισσάριος, οἶμαι σχῆμα ἐπέχων ἐπιτρόπου. τρία γὰρ εἰσὶν εἴδη, ἐπίτροπος τοῖς ἀφηλίκοις, κουράτωρ τοῖς ἀφηλίκοις καὶ ὁ φιδεικομισσάριος τοῦ ὀφείλω . . .

Φιδεικομισσάριος. πίστει βαλλόμενος.

Φιδεικομισσόν ἐστι. τὸ γινωσκόμενον ἀπὸ τῆς ἀναγνώσεως τῆς διαθήκης.

Φιδεικόμισσον ἴνρεμ . . . .

Φιδεικόμισσον λεγᾶτον ἐστὶν, ὅταν ὁ διαθέμενος λέγῃ τῷ κληρονόμῳ αὐτοῦ παρακαλῶ σε δὸς τῷ δεῖνι νομίσματα τόσα. καὶ Φιδεικομμισσαρία ἐλευθερία τὸ εἰπεῖν τὸν διατιθέμενον τῷ αὐτοῦ κληρονόμῳ παρακαλῶ σε ποίησον τὸν δεῖνα ἐλεύθερον.

τί διαφέρει Φιδεικόμμισσον τοῦ λεγάτου. Φιδεικόμμισσον μὲν λέγεται τὸ παρὰ μηδενὸς δεσμοῦ νομίμου κρατυνόμενον, ἀλλ' ὑπ' αἰδοῦς μόνης τῶν ἱκετευομένων. λεγάτον δὲ πέφυκε δωρεὰ δοθεῖσα παρὰ τοῦ τελευτήσαντος.

Φιδεικόμισσον λέγεται, τὸ πίστει τινὶ καταλιμπανόμενον, ἤτοι τὸ διὰ μέσου τινὸς διδόμενον.

Φιλλαγωγία. πανήγυρις ἐπιτελουμένη παρὰ ῥωμαίοις ἐν ᾗ διέβαλλον αὐτούς.

τί διαφέρει τὸ Φέρεσθαι, τοῦ κομίζεσθαι, καὶ ἄγεσθαι; Φέρεσθαι μὲν γὰρ κυρίως λέγομεν τὰ τῷ σώματι ἡμῶν βασταζόμενα. κομίζεσθαι δὲ διὰ τῶν ὑποζυγίων. ἄγεσθαι δὲ, τὰ ἔμψυχα ὄντα.

Φερμοῦλλα. τύπον.

Φερνή. ἡ προῖξ.

Φέρνη. τὰ φερόμενα ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς τῇ γυναικί.

Φεροῦλλα. ἡ κρούουσα ἐκ τοῦ Φερίρε.

Φηδεράτους. ὑπόσπονδος.

Φηδεικομίσσων. ἔχων εἰς ἕτερον ἄνθρωπον πίστιν.

Φηδεικομισσάριον. τὸν τὴν πίστιν ἔχοντα.

τί διαφέρει ἡ Φθορὰ τῆς μοιχείας. ὅτι ἡ Μοιχεία, ὡς τινες δοξάζουσιν, εἰς τὴν γεγαμημένην. ἡ δὲ Φθορὰ, εἰς τὴν χήραν πλημμελεῖται. ὁ δὲ περὶ μοιχείας λόγος ἀδιαφόρως τούτῳ τῷ λόγῳ χρῆται.

Φίδει. πίστει.

Φιδειούσσορες ἐγγυηταί.

Φιδεικομμίσσουμ ἐστὶ τὸ εἰπεῖν, ἐπιθυμῶ δοῦναί σε· προτρέπω σε δοῦναι.

Φιδεικομισσάρια πίστει συμβαλλομένη, ἤγουν λέγω ἀπὸ τοῦ κληρονόμου εἰς ἕτερον διδομένη.

Φιδεικομίσσο. πίστει.

Φιδεικόμισσον. τὸ τῇ πίστει τοῦ κληρονόμου κείμενον.

Φιδεικόμισσον. τὸ πίστει καταλειφθὲν.

Φιδεικομίσσο. καταπιστεύω, ἢ ἐπὶ πίστει βαλλομένη.

Φιδουκιάριοι. οἱ πεπιστευμένοι καὶ τεθαῤῥημένοι.

Φιδουκιαρία. τεθαῤῥημένη διὰ συγγένειαν.

Φιδουκιάριος. τεθαῤῥημένος.

Φιέρι. γίνεσθαι.

Φια-

ἐγγύτερος συγγενὴς] In Baſilicis *in l.* 195. §. 1. *D. de verbor. ſignificat.* exſtat ὁ ἐγγύτερος. Sed haec non ſunt inde verbotenus deſumpta, ſed contracta in pauciora.

φαμιλίας διαίρεσις] Legendum φαμιλίας διαίρεσις, cum Boſqueto *ad Pſell. Synopſ. v.* 634.

Φάμου δὲ πλαγιαρίοις] Rectum eſt Φάβιον. ſcil. νόμον.

καὶ ὁ Φιδεικομισσάριος τοῦ ὀφείλω] Videntur quaedam excidiſſe. Quod vero fideicommiſſum tutelae aequiparat, eo ſpectat aliqua ratione illud, quod habet Papinianus, *l.* 3. §. 3. *D. de uſuris.* Ceteroquin immane quantum hic differunt!

Φιδεικόμισσον λεγᾶτον ἐστὶ] Re vera a legato plane diſtat fideicommiſſum, ac, niſi Auctorem valde erraſſe velimus, verbum λεγᾶτον imperito adſcribendum eſt librario.

ποίησον τὸν δεῖνα ἐλευθερίαν] Lego, ποίησον τὸν δεῖνα ἐλεύθερον.

ἐν ᾗ διέβαλλον αὐτούς] Apud Suidam *h. v.* ſcriptum eſt διέβαλλον αὐτούς, quod rectius.

Φερμοῦλλα. τύπον.] Leg. Φόρμουλα. τύπος. male Hervetus *lib.* 46. *Baſil. tit.* 2. *p.* 54. vertit: *Praetor dat in eos in ſolidum formam reſciſſoriam, quoniam obligantur naturaliter.* Debuiſſet dicere *formulam reſciſſoriam*, Graece ſcriptum τύπον. LABB. Et ſic Meurſius in v. Φόρμουλα

τὰ Φερόμενα ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς τῇ γυναικί] Ita aliquos locutos eſſe, ut Φέρνην appellarent donationem, quae a viro fit puellae nuptiarum cauſa, docet Euſtathius *ad Homer. Iliad.* 1. *p.* 742. 743. *edit. Roman.* at proprie eſſe Φέρνην, quae confertur a puella viro, idem tradit *d. l. loc.* ut & Heſychius, ac Pollux *lib.* III. *cap.* 3.

Φηδεράτους] Rectum eſt Φηδεράτος vel Φοιδεράτος.

Φηδεικομίσσων] Leg. Φιδεικομίσσων, ut poſt Φιδεικομισσάριος. LABB. ſimilis error admiſſus eſt & in Gloſſa ſequente.

ὁ δὲ περὶ μοιχείας λόγος] Lego, ὁ δὲ περὶ μοιχείας νόμος, lex, nempe Julia: nec aliter ſcriptum in Baſilicis in *l.* 101. *D. de verbor. ſignification. add. l.* 6. §. 1. *D. ad Leg. Jul. de adulter.*

Φιδεικομισσάρια. πίστει συμβαλ. ἤγουν λέγω] Leg. ἤγουν λέγω. LABB.

Φιδεικομίσσο. πίστει] Deeſt in interpretatione aliquid, quod notet *committo* vel *commiſſo*.

Φι-

Φίκτουμ διβούρτζιον. προσποιητὸν διαζύγιον.

Φιλίουμ βὲλ νέπουμ. υἱὸν ἢ ἔγγονον. καὶ σημείωσαι ὅτι τούτοις τοῖς ὀνόμασιν καὶ ἡ θυγάτηρ καὶ ἡ ἐγγόνη περιέχονται.

Φίλτρα εἰσὶ τὰ φιλίας καὶ ἀγάπης ποιητικά.

Φινίουμ ῥεγουνδόρουμ. περὶ ὅρων ἰθυνταίων.

Φινίουμ ῥεγουνδόρουμ. τὸ μεταξὺ τῶν ἀγρογειτόνων γυμναζόμενον, ἐχόντων περὶ ὅρων πρὸς ἀλλήλους φιλονεικίαν.

Φινίουμ ῥεγουνδόρουμ τῶν διπλῶν δικαστήριόν ἐστι, καὶ βόναφίδε καὶ ἰορὲμ καὶ περσονάλιον καὶ περπετοῦον.

Φινίτουρ. διαλύεται.

Φισκάλια. δημόσια.

Φίσκος. ὁ δημόσιος.

Φίσκος. δημόσιον ταμεῖον.

Φλαμβουλάριοι. ὧν ἐπὶ τῆς ἄκρας τοῦ δόρατος φοίνικα ῥάκη ἐξήρτηνται.

Φλάμουλον. ἡ σημαία.

Φλεγιτάτωρ. ἀπαιτητής.

Φλεγίτω. μετὰ βίας ἀπαιτῶ.

Φλοῦμ. ὁ ποταμός.

Φλοῦμεν. ποταμός.

Φλούμου. ποταμοῦ.

Φοιδεράτοι. οἱ ὑπόσπονδοι τῶν Σκυθῶν.

Φόλις ἐπὶ Θεοδοσίου τοῦ νέου φόρος ἡμιόνων εἰσήχθη τοῖς Κωνσταντινουπολίταις, δεῖσθαι τῶν τοιούτων ὑποζυγίων τὴν ἐν πολέμῳ χρείαν προισχομένου. ἕτερος δὲ ὁ κληθεὶς φόλλις τὰς τῶν ἀξιολογωτέρων κατὰ πόλεις οἰκίας κατέλαβεν, ὅτι ἦν αὐτοῖς τὸ γένος ἄνω τῆς ἀξιώσεως τετυχηκὸς, καὶ ἦν ἀτύχημα τὸ κρεῖττον ἐν τοῖς γένεσι τὸ μέγεθος τῆς ἀξιώσεως διακρινόμενον τῷ ποσῷ. τοῖς μὲν τοῦ πρωτίστου τέλους ὀκτὼ χρυσίου λίτραι, τοῖς δὲ τοῦ δευτέρου τέσσαρες, καὶ δύο τοῖς τρίτοις, ὥς φησιν Ἡσύχιος ὁ ἰλλούστριος ὁ φιλοσοφίας τῆς μιλησίας ἐν τῷ ϛ. χρονικῷ διαστήματι τῆς ἱστορίας. φόλλις σταθμὸς ἐστὶ λεγόμενος καὶ βαλάντιον, ἕλκει δὲ δηναρίους διακοσίους πεντήκοντα, τουτέστι λίτρας τιϛ. καὶ οὐγγίας ἕξ, ὡς ἔχοντος ἑκάστου δηναρίου λίτραν α. καὶ οὐγγίας ιγ. Ἔστι δὲ ἕτερος φόλλις συναγόμενος ἐξ ἀργυρίων λεπτῶν ταῖς στρατιώταις διδομένων καὶ διὰ τοῦτο μιλιαρησίων καλουμένων. ἔχει δὲ ἕκαστον τῶν τοιούτων λεπτῶν ἀργυρίων κεράτιον ἓν ἥμισυ τέταρτον, ὁ δὲ φόλλις ἀργύρια τοιαῦτα ρκε. ἃ ποιοῦσι κεράτια σιη. καὶ νούμμους θ. ἤτοι πρὸς τὸ ἐννκρατοῦν μίλλια θ. καὶ νούμμους θ. γινόμενα ἐν χαράγμασι νομίσματα θ. μίλλιον ἓν νούμμοι θ. τὰ τοίνυν ρκ. καὶ πέντε ἀργύρια συνήγετο εἰς ἀπόδεσμον ἕνα καὶ οὗτος ἐκαλεῖτο φόλλις. Ἔστι δὲ καὶ καὶ ἕτερος φόλλις διαφόρους ἔχων ποσότητας, ἀπὸ γὰρ δύο χρυσίου λιτρῶν ἀρχόμενος εἰς ὀκτὼ πρόεισι κατὰ τὴν ἀξίαν καὶ τὴν εὐπορίαν τῶν ἀπαιτουμένων, οὗ μέμνηται μὲν καὶ Ἡσύχιος ὁ ἰλλούστριος ἐν τῷ ϛ. χρονικῷ διαστήματι τῆς ἱστορίας, μέμνηται δὲ καὶ Θαλέλαιος ἐν τῇ ϛ. δι. τοῦ βου. τίτλ. τοῦ ιϛ. βιβλ. τῶν Κωδίκων, οὗ τινος τίτλ. ἡ μὲν α διάταξις ἐξελήφθη ἐν βιβλ. τῶν βασιλ. ϛ. τίτλ. ζ. κεφ. δ. ἡ δὲ β. παρελείφθη ὡς πάλαι ἀναιρεθεῖσα παρὰ τοῦ θείου Μαρκιανοῦ.

Φόλλεις. ὀβολοί.

Φονεύς ἐστιν ὁ σκοπὸν ἔχων φονεῦσαι κἂν μὴ φονεύσῃ ἀλλὰ τραυματίσῃ.

Φορβαίαν. περιστόμιον, καπίστριον.

Φόρος. οἶμαι ἀπόδειξις.

Φόρος. ἔνθα ἐστὶ καθανῶν.

Φόσσα ἐστὶ δοχεῖον ὕδατος χειροποίητον, ἐξ οὗ καὶ φοσσάτον ὤφειλε καλεῖσθαι, μεθὸ τὸ στρατόπεδον εἰς τὴν τῶν πολεμίων γῆν εἰσελθὸν ἄρξεται ποιεῖν τράφον ἤτοι παρεμβολὴν, ἤγουν κάστρον, τουτέστι φόσσαν ἣν ἡμεῖς καλοῦμεν Κατοῦναν.

Φοῦνδος ἐστὶ πᾶν εἴτι δήποτε ὑπὸ τοῦ ἐδάφους κρατεῖται, καὶ τὸ οἴκημα, καὶ ὁ ἀγρὸς, αἱ δὲ οἰκοδομαὶ ἐν μὲν τῇ πόλει οἰκεῖαι λέγονται, ἐν δὲ τοῖς χωρίοις βίλαι. ὁ δὲ χωρὶς οἰκοδομῆς τόπος, ἐν πόλει μὲν ἔδαφος λέγεται, ἐν χωρίῳ δὲ, ἀγρὸς προσαγορεύεται.

Φοῦνδος. ἀγρός.

Φουριόσος. θυμώδης.

Φοῦρ. κλέπτης.

Φούρτη. ἀγωγὴ κατὰ κλεπτῶν εἰς τὸ διπλοῦν.

Φούρτη. ἡ κλοπή.

Φούρτη. ἡ περὶ τῆς κλοπῆς ἀγωγή.

Φούρτη μελιφέκτη. κλοπὴ φανερά· οὕτω δὲ ἐκάλεσαν οἱ παλαιοὶ ταύτην ἀπὸ τοῦ μέλανος ὃ καλεῖται φοῦρβον, ἐπειδὴ λαθραίως καὶ ἀμυδρῶς καὶ ὡς ἐπὶ

τὸ

φιλίουμ βὲλ νέπουμ] Scribendum fuit φίλιουμ βὲλ νεπότεμ.

Φλαμβουλάριοι] Φλαμμουλάριος quoque & φλάμμουλον alicubi occurrunt (ut oſtendit Meurſius *in Gloſſar.*) adeoque haec lectio non eſt ſollicitanda. Dicitur etiam φλαμουλάριος, φλαμμουλάριος, quin & aliter hoc profertur. Vide Du Cangii Gloſſarium.

Φλεγιτάτωρ] Leg. φλαγιτάτωρ, ut poſt φλαγίτω. Labb.

Σκυθῶν] Du Cangius *v.* φοιδεράτοι legit Γότθων; excipit tamen, *niſi per Scbythas Gotthi intelligantur.*

Φόλις ἐπὶ Θεοδοσίου] De Folle plura diſcenda ſunt a doctiſſ. viris, Alciato, Cujacio, Briſſonio; Hotomanno, & Caſaubono in notis ad Ael. Lampridium. Obiter obſervandum eſt, Alciatum meliorem partem hujus praeſtantiſſimi loci de varia Follis ſignificatione Latine vertiſſe & edidiſſe in *comment. ad lib.* XII. *Cod. tit.* 1. male vero accepiſſe haec verba: Ἔστι δὲ ἕτερος φόλλις συναγόμενος ἐξ ἀργυρίων λεπτῶν τοῖς στρατιώταις διδομένων καὶ διὰ τοῦτο μιλιαρησίων καλουμένων, & reddidiſſe hoc modo: *Eſt & alius follis coactus ex argenteis leptis, qui militibus, quos miliarios vocabant, dabatur.* Vertere debuiſſet: *Eſt & alius follis coactus ex argenteis leptis ſive minutis, quae militibus dabantur; & idcirco miliariſia dicebantur.* Labb. De follibus quoque habet quaedam Jac. Gothofredus *ad l.* 2. *Cod. Theod. de Senatorib. & glebal.* & de iis agentia loca multa congerit *ad l. un. Cod. Theod. de menſis oleariis.*

ὁ φιλοσοφίας] Lege ὁ φιλοσοφήσας. Ita in *v.* Παλματία & *v.* φολεβάτος.

οὐγγίας ιγ] Joh. Frid. Gronovius *de pecun. veter. lib.* IV. *cap.* 16. ſcribit γ. recte. Docet id exputatio.

πρὸς τὸ ουν κρατοῦν μίλλια θ.] Jam ante laudatus Gronovius reponit πρὸς τ. ν. κρ. μιλιαρήσια ρθ. huncque locum curioſe & copioſe exponit, docens ſimul, quam multa praeclara in hac gloſſa tradantur.

καθανῶν] Lego κατοικῶν. Intelligit vero forum in loco domicilii.

τράφον] Briſſonius haec proferens in *v. foſſa* exhibet τάφρον; an ex ingenio, an ex libro vetere, haud ſcio; ac multis videbitur omnino ita hic reponendum: at recentior Graecia dixit quoque τράφον, mutato literarum ordine. Oſtendunt hoc Meurſii & Du Cangii Gloſſaria.

οἰκεῖαι λέγονται] Scribendum οἰκίαι λέγονται; quod etiam eſt in Baſilicis *in l.* 211. *D. de verbor. ſignification.*

μελιφέκτη] Pro μανιφέστη vel μανιφέστη, quod paulo poſt ſequitur.

ἀμυδρῶς] Apud Theophilum §. 2. *Inſt. de obligatio-*

τὸ πλεῖστον ἐν νυκτὶ ἁμαρτάνεται· ἢ τῆς ἀπάτης, ἤ τις λέγεται δάμνη, πᾶς γὰρ κλέπτης ἀπατεών. ἢ κατ' ἑλληνικὴν διάλεκτον ἀπὸ τοῦ Φέρειν ἢ ἀφαιρεῖσθαι τὸ πρᾶγμα, Φῶρας γὰρ καλοῦσι τοὺς κλέπτας. ἔστι δὲ κλοπὴ ἀλλοτρίου πράγματος κακίστη ψηλάφησις κέρδους ἕνεκεν γινομένη.

Φούρτης. κλέπτης.

Φούρτιβα. κλοπιμαῖα.

Φουρτίβοι. κλοπιμαῖοι.

Φοῦρτιμ. λαθραίως.

Φοῦρτι μανφέστι. κλοπῆς Φανερᾶς.

Φούρτι. κλοπῆς ἀγωγή. αὕτη δὲ ἡ Φούρτι ποινάλιά ἐστι, καὶ κινεῖ αὐτὴν πᾶς ᾧ διαφέρει καὶ ὁ βοναφίδε νεμόμενος. ἔστι δὲ μανφέστα καὶ νεκμανφέστα· καὶ μανφέστα μέν ἐστιν ὅταν ἐπ' αὐτοφώρῳ καταλήφθῃ ὁ κλέπτης ἐν τῷ τόπῳ οὗ ἔκλεψεν ἢ ἐν ἑτέρῳ τόπῳ ἔτι βαστάζων τὸ πρᾶγμα πρὶν αὐτὸ ἀπόθηται ἐν ᾧ ὥρισε τόπῳ, ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ μᾶλλον. αὕτη δὲ τὴν καταδίκην εἰς τὸ τετραπλοῦν ἐπάγει, καὶ ἀπαιτεῖ ἔξωθεν τὸ πρᾶγμα ἢ διὰ τῆς ἴνρεμ ἢ διὰ Φουρτίβου κονδικτίου. ἡ δὲ νεκμανφέστα κινεῖται ἔνθα μὴ ἐπ' αὐτοφώρῳ ληφθῇ μηδὲ αὐθήμερον ὁ κλέπτης, ἀλλὰ διαλάθῃ πρὸς καιρόν· αὕτη δὲ εἰς τὸ διπλοῦν καταδικάζει.

Φρακτορίβους ἐτ ἐξπιλατορίβους. τῶν θλώντων καὶ συντριβόντων καὶ τῶν συλώντων καὶ γυμνούντων ἄχρι καὶ τριχός. οἱ τοῖς ἀνθρώποις ἐνδίοντες, ὡς τραχύτεροι τῶν κλεπτῶν, καὶ οἱ τοιχώρυχοι, καὶ οἱ σάκκους ἀνασχίζοντες καὶ οἱ διρεκτάριοι ἤγουν κλέπται εὔθυνοι ἢ εὐκόλως θίγοντες καὶ ἐπαφώμενοι καὶ ψηλαφῶντες τὰ κλέμματα, εὐτελεῖς μὲν ὄντες εἰς μέταλλον βάλλονται διηνεκῶς ἢ πρόσκαιρως, τιμιώτεροι δὲ ἀποκινοῦνται τῆς βουλῆς ἢ ἐξορίζονται· καὶ οἱ μὲν ἐν νυκτὶ τοίχους ὀρύσσοντες ῥοπάλοις τυπτόμενοι μεταλλίζονται, οἱ δὲ ἐν ἡμέρᾳ ῥοπάλοις τυπτόμενοι τὰς ἀνωτέρω εἰρημένας ὑπομένουσι τιμωρίας.

Φράτερ πατρουέλις. ἐξάδελφος πρὸ πατρός.

Φράτρες. ἐξάδελφοι.

Φρατρικίδα. ἀδελφοκτόνος.

Φράτωρ. ὁ συγγονής.

Φραυδάτωρ. ὑποστερητής.

Φύσκος. τὸ δημόσιον.

Φάκτου ἄρδετ. πυρὶ καυθήτω.

X

Χαράκωμά ἐστι, τὸ περίφραγμα ὃ περιβάλλονται τινες στρατοπέδῳ ἐπὶ σωτηρίᾳ.

Χαριστήρια. εὐχαὶ ἐπινικίους εὐχαριστηρίας ἔχουσαι.

Χαρτουλάριος. ὁ τὰς τῶν δικαζομένων διαλύων δίκας, οὓς τῷ στρατηγῷ ἐν τισιν ὑποτάσσεσθαι δεῖ.

Χειρόμακτρον. οἱ ῥωμαῖοι μανδίλιον λέγουσι.

διαφέρει τὸ χρέος τοῦ Δανείου· τὸ μὲν γὰρ Δάνειόν ἐστι τὸ ἀπὸ δόσεώς τινος καὶ καταβολῆς χρεωστούμενον μόνον. τὸ δὲ Χρέος ἐστὶ καὶ αὐτὸ τὸ δάνειον, καὶ τὸ ἀπὸ λεγάτου καὶ ἀπὸ διαθήκης, καὶ τὸ ἀπὸ πράσεως ὑπολιμπανόμενον, καὶ ἑτέρως.

διαφέρει Χρηματικὴ ὑπόθεσις τῆς ἐγκληματικῆς· ἡ μὲν Χρηματική ἐστιν, ἡ ζημίαν χρημάτων τοῖς ἔχουσιν αὐτὴν προξενοῦσα. Ἐγκληματικὴ δὲ, ἡ βαρυτέραν ἔχουσα τιμωρίαν.

ἡ Χρῆσις μόνη τῆς οἰκήσεως διαφέρει τῆς Οἰκήσεως τῶν καρπῶν· ὁ γὰρ χρῆσιν μόνην ἔχων οἰκήσεως αὐτὸς δύναται μόνος οἰκεῖν μετὰ τῆς γαμετῆς αὐτοῦ καὶ τῶν ἀπελευθέρων καὶ ἑτέρων, οὐ δύναται δὲ μισθοῦν τὴν οἴκησιν. ὁ δὲ χρῆσιν οἰκήσεως ἔχων, δύναται τὴν οἴκησιν μισθοῦν ἑτέρῳ τοῦ κατοικεῖν.

Χρηστήρια. οἱ νεροχύται.

Ψ.

Ψιλὸν σύμφωνόν ἐστιν, ἡνίκα μὴ προηγήσεται δόσις, ἀλλὰ μόνον σύμφωνον συστῇ δόσει καὶ λόγῳ.

---

nib. quae ex delict. naſcunt. eſt ἀμανιῶς, quod idem notat.

δάμνη] Scribi debuerat Φραῦς d. §. 2. ubi recte Theophilus, ἢ *a fraude*, ἐκ τῆς ἀπάτης.

Φουρτίβου κονδικτίου] Pro Φυρτ. κονδικτικίου.

Φρακτορίβους] Pro ἐφφρακτόριβους. Titulus Pandectarum exprimitur *de effractoribus & expilatoribus.*

τοῖς ἀνθρώποις ἐνδίοντες] Baſilic. *in l.* 1. §. 1. *D. d. tit.* melius hoc exprimunt ita: τοὺς ἀνθρώπους ἐκδύοντας.

εὔθυνοι] Lego ἔνθυνοι, quod exſtat in Scholiis Baſilicῶν *ad d. l.* 1. §. 1.

εἰς μέταλλον &c.] In Baſilicis *dict. loc* habetur, εἰς ἔργον δημόσιον, uti in Digeſtis, *in opus publicum.* Hoc vero ipſi videtur adſcribendum eſſe Auctori, qui inprudenter retinuit illa διηνεκῶς ἢ προσκαίρως, quae optime quadrant pene operis publici, utpote & perpetuae & temporali: at non debet eſſe temporalis poena metalli, *l.* 28. §. 6. *D. de poenis*, uti nec deportatio, *l.* 7. §. 2. *l.* 18. §. 1. *D. de interdict. & relegat.* Addatur Cujacius *Obſervation. lib.* VI. *cap.* 25.

πρὸ πατρός] Thomas Munkerus *ad Hygin. fab.* 107. legit παρὰ πατρὸς: mihi placet πρὸς πατρός. Videantur notata *pag.* 1706.

Φράτρες. ἐξάδελφοι] Nihil hic mutandum. *Fratres & ſorores* ſumuntur etiam pro fratribus & ſororibus patruelibus a bonis ſcriptoribus; quod pluribus oſtendit V. C. Jac. Perizonius *Animadverſionib. Hiſtoric. cap.* 3.

Φύσκος] Pro Φίσκος.

χρηστήρια. οἱ νεβοχύται] Du Cangius *v.* Νεροχύτης legit χειστήρια. οἱ νεροχύται, intelligens locum in balneo, in quem aqua effunditur; νερὸν enim recentiori Graeciae eſt *aqua.*

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google